BIBLIOTECA DEL DUQUE DE OSUNA

~~46-1~~ ~~2-2~~ 3-2.

Ist 211
Nr 97

SANCTI AURELII

AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI OPERUM

TOMUS QUINTUS,

CONTINENS SERMONES AD POPULUM,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM correctos denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Romanos, &c. necnon ad editiones antiquiores & castigatiores.

OPERA ET STUDIO MONACHORUM
Ordinis S. Benedicti, è Congregatione S. Mauri.

PARISIIS
Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis typographus.

MDCLXXXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

IN QUINTUM TOMUM
PRÆFATIO.

AURELIUM Augustinum cùm multis præclaris dotibus ad obeunda singula Ecclesiæ munera instructum fuisse nemo negat, tum præcipuè eximium divini verbi præconem exstitisse, atque ex ejus sacris concionibus ad Christianos populos utilitatem rediisse non mediocrem in confesso est. Et sanè hoc ita futurum videtur præsensisse Valerius episcopus, quandoquidem illi recèns in Hipponensi ecclesia ad sacerdotium cooptato potestatem, ut Possidius auctor est, Evangelii, præsente se, populo exponendi fecit; quo tempore, eodem Possidio teste, aliud ferebat usus Africanarum Ecclesiarum, in quibus aut omnino numquam, aut saltem coram episcopis presbyteros è suggestu verba facere non licebat. Judicabat scilicet pius Valerius antiquiorem de grege sibi credito deque ejus commodis promovendis sibi curam esse debere, quàm de humana consuetudine, non alio consilio instituta, nisi ut inter ecclesiasticos ministros spectabilior semper emineret episcopus. Cùm autem id muneris strenuè Hippone-regio impleret Augustinus, atque ejus fama longè latèque pervagaretur, exemplo permoti aliquot antistites suos quoque presbyteros publicè in ecclesia dicere voluerunt, ipsi interim in auditorum numero considentes. Quin etiam subinde in concilio Carthaginensi Augustinus episcopatum necdum adeptus à patribus ipsis coram se de fide ac symbolo disputare jussus est, cùm biennio antè presbyterum præsente episcopo sermonem habere inauditum esset.

Ceterùm episcopatu suscepto (Possidii hæc verba sunt) *multò instantiùs ac ferventiùs, majore auctoritate, non in una tantùm regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac suaviter, pullulante atque crescente Domini Ecclesiâ, prædicavit.* Itaque non apud suos tantùm Hipponenses, sed apud Carthaginenses quoque, necnon alios per Africam populos sæpenumero concionatus est. Et verò ex iis quibus vita ejus nobilitatur præclaris gestis, illud vel maximam laudem atque admirationem meretur, quod Cæsareæ in Mauritania dicendo sese effecisse libro quarto de Doctrina Christiana ipse memorat. Vigebat nimirum in ea urbe immanis consuetudo, à patribus & avis longèque à majoribus tradita, *qua non cives tantummodo, verùm etiam propinqui, fratres, postremò parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi, per aliquot dies continuos certo tempore anni sollemniter dimicabant, & quisque ut quemque poterat, occidebat.* Hunc ille morem tam ferum tamque atrocem sacræ suæ eloquentiæ vi sustulit atque abolevit. Cui profectò victoriæ parem aliam facundiâ & efficaciâ sermonis à celeberrimis oratoribus partam vix umquam reperias.

Erat sanè concionatoris adeo perfecti artem concionandi edocere. Hoc ille præstitit eo in libro, quem *de Doctrina Christiana*, id est, de scientia aliisque doctoris Christiani partibus scripsit. Ibi post explicatas prioribus libris germani sensus è Scripturæ adytis eruendi regulas, ad extremum dicendi præcepta persequitur; & qui juvenis ante conversionem instituendo oratori profano operam dederat, idem episcopus ac senex studiosiùs in hanc rem incubuit, ut Christianum oratorem erudiret informaretque.

Ex hoc quidem opere cognoscas licet illum concionando non solùm ingenio suo facili atque copioso indulsisse, verùm etiam artis calluisse regulas, nec eorum quibus fit, ut *veritas pateat*, ut *veritas placeat*, ut *veritas moveat*, quidquam ignorasse. Quapropter etsi ejus in Sermonibus non deprehendas anxiam illam sollicitudinem, qua auditorem docilem procemio facere,

orationem in varia membra dissecare, ac vehementem plenamque affectibus collectionem semper hinc elicere, ut nunc moris est, curaverit: id tamen neque præceptorum ignorationi, neque necessariæ ad illa in usum reducenda industriæ tenuitati jure tribuas; sed potiùs in has caussas referre debes, vel quòd ut plurimum simplices homilias, hoc est, Sermones familiares pastoris ad oviculas, præceptoris ad discipulos, & quasi parentis ad filios, haberet; vel quòd imparatus atque ex tempore verba faceret; vel denique quòd non apposite ad captandos hominum rumusculos, sed ad illuminanda ingenia, inflammanda pectora, vitiaque ex animis penitus exscindenda loqui satageret. Hujus rei passim probationes suppetunt per quàm illustres. Nam cùm aliquando in vinolentiam, quæ diebus festis caritatis specie intra ecclesiam frequentabatur, dicere cœpisset, corruptelam hanc rursum alio die adhibitis divinis lectionibus, ut epistolâ XXIX. ad Alypium à nobis nunc primùm evulgatâ narratur, usque eò insectatus est, quoad ipsam de moribus hominum funditus evulsam intelligeret. Sed & vir sanctus quandoque ex intimo quodam animi sensu, quandoque etiam ex fortuitis casibus, quid à se Deus dici vellet, judicabat; tumque relicto eo, quod meditatum adtulerat, argumento, in aliud ipso temporis articulo sibi propositum excurrebat. Id tum de se ipse in Sermone 71. n. 8. & 180. n. 4. & 352. n. 1. &c. tum de ipso Possidius cap. 15. contestatur.

Cùm primùm concionandi suscepit provinciam, certatim ad eum audiendum catholici hæreticique convolabant: tantoque in pretio Sermones ipsius habebantur, ut auditores non tantùm illos sibi in memoria studerent defigere, sed etiam chartæ mandatos domi servare peroptarent. Sic enim hac de re Possidius: *Quisquis ut voluit & potuit notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur excepta describebat.* Certum est præterea conciones plurimas ab eodem Doctore, aut nondum pronuntiatas, aut etiam postquam eas jam pronuntiasset, dictatas esse, sive ut ipsas juberet in ecclesia sua recitari, sive ut iisdem alii quoque uti liberè possent. Is enim non minùs ingeniosè quàm piè illorum, qui cùm populo virtutis suæ prælucerent exemplis, alienos Sermones recitarent, apologiam scribit. Observat siquidem ipsos nonnisi injuriâ furti aut plagii nomine postulatum iri, cùm bene vivendo, & mores suos ad eam quam prædicant doctrinam quasi ad amussim dirigendo, illam sibi quodam modo propriam efficiant. *Verbum Dei*, inquit ille, *non est ab eis alienum, qui obtemperant ei; potiúsque ille dicit aliena, qui cùm dicat bene, vivit malè. Quæcumque enim bona dicit, ejus excogitari videntur ingenio, sed ab ejus moribus aliena sunt.* (Lib. 4. de Doctrina Christ. c. 29.)

Tomus ex Augustinianis decimus his Sermonibus partim dictis, partim dictatis, qui per intervalla diversis & temporibus & classibus in vulgus prodierunt, constabat. Eosdem hîc exhibemus novum in ordinem distributos, quo & secundùm genuinam suam seriem disponuntur, & ab adulterinis omnibus ac supposititiis sejunguntur. Ut autem è Tomo decimo ubi legebantur antea, in quintum hunc eos transferremus, longa deliberatione non opus fuit. Etenim cùm plerique in Scripturam sacram fuerint habiti, à Tractatibus tomi tertii & quarti, quibus eadem illa exponitur, quique maximam partem concionum formam præ se ferunt, longiùs removeri haudquaquam poterant. At verò diutiùs hæsimus dubii, ut illorum ordinem tot jam annorum usu receptum immutare, ac tam multos, quos legitimis insertos Lovanienses loco non moverant, quasi nothos atque alienos rejicere in animum induceremus. Nos sane minimè fugiebat, quin ut cœptum feliciter caderet, ardua disceptatio, quæque multum temporis & meditationis exigeret, esset adhibenda: ac præterea timendum videbatur, ne criticis spinis, ex quibus plerumque maxima oritur contentionum seges, implicaremur. Verùm cùm suscepti in Augustiniana opera laboris consilium tria potissimùm spectet, quæ nobis statim ab initio proposuimus, & huc usque præstare sumus conati, nimirum ut ea mendis expurgentur, meliori ordine quàm fuerant digerantur, denique supposititii fetus ab aliorum numero segregentur; nobis non fuit integrum in hoc volumine primam dumtaxat officii nostri partem adtingere, aliis duabus prætermissis, quas quidem in Sermonibus, ubi & ordo deterior, & major veri falsique confusio, strictioris quàm in ceteris libris necessitatis esse negabit nemo.

Quòd ad ordinem, quisquis cum novo veterem componere non gravabitur, plurima & gravia ejus vitia nullo negotio deprehendet. Animadvertet Sermones, qui commodiùs in quatuor classes revocantur, in duodecim, quarum aliæ debita aliis argumenta continebant, fuisse distractos. Agnoscet libros, quos vocant, *de verbis Domini*, & *de verbis Apostoli*, tantummodo partem complecti Sermonum eorum, qui ad hosce titulos pertinebant: intelliget Sermones de Festis, cùm eos in classes *de Tempore* & *de Sanctis* coactos oportuisset, in alias septem aut

octo dissipatos; & ex Sermonibus ampliùs triginta, qui de festis Paschalibus, ut hoc exemplo utamur, inscribuntur, non nisi decem in serie *de Tempore* inveniri, alios verò, si quis omnes evolvere in animo haberet, inter quinquaginta homilias, in collectione Sermonum à Parisiensibus additorum, in utraque parte classis *de Diversis*, ac in posterioribus classibus pervestigandos. Non tamen confusionem hanc miraberis, si consideres eos à quibus istæ classes institutæ sunt, habere in manibus nequaquam potuisse exemplaria omnium Augustini concionum; quippe quæ codicibus ferme innumeris, unde postmodum variis temporibus erutæ collectæque fuerunt, continerentur.

Tres primas classes, nimirum *de verbis Domini*, *de verbis Apostoli*, & *homiliarum quinquaginta*, cùm in MSS. annorum octingentorum & ampliùs reperiantur, antiquas esse inficiari non possumus: at eas Augustino æquales, quod volunt nonnulli, haud facilè concedemus. Qualis enim eorumdem Sermonum sancti Doctoris ætate ordo fuerit, non aliunde certiùs licet cognoscere, quàm ex indice Possidii, qui classes illas omnino neque memorat, neque sequitur. Harum trium nulla non habet subdititios, quorum aliqui Cæsarii Arelatensis episcopi stilum sapiunt.

Classis *de verbis Domini* non eodem ordine Sermones ubique in vetustis exemplaribus ostendit. Plurima cum editionibus consentiunt, sed non omnia. Hoc ipsum ex locis à Beda, id est à Floro, excerptis optimè conjectarant Lovanienses Theologi: nos verò ipsismet oculis in singulari & exquisito codice ex Colbertina bibliotheca notato 2821. & ab annis, ut minimum, octingentis exarato, ubi eadem illa series cum Flori collectione congruit, & unde non paucos Sermones expromsimus hactenus ineditos, deprehendimus. Germana primæ hujus classis inscriptio, cùm Flori, tum MSS. bene multorum testimonio comprobata, hæc erat, *de verbis Evangelii:* quòd Augustini nempe commentationes in omne genus locorum è quatuor Evangeliis petitorum complectatur.

Quamquam autem Sermones *de verbis Domini* in exemplaribus quibusdam reperire est sine Sermonibus *de verbis Apostoli:* hos tamen nusquam reperias nisi cum illis ita conjunctos, ut post sexagesimum quartum, quo series *de verbis Domini* concluditur, primus *de verbis Apostoli* ubique numeretur sexagesimus quintus; secundus, sexagesimus sextus; & sic de ceteris: quorum non omnes de verbis Apostoli, sed partim de Actibus Apostolorum, partim etiam de verbis Petri, Jacobi, ac Johannis, ex epistolis eorumdem, agunt: ita ut duæ illæ classes nihil aliud sint quàm Sermonum in Scripturam novi Testamenti collectio.

Classis verò *quinquaginta homiliarum* semper quidem ab aliis separata invenitur, at non rarò numerosior quàm in excusis. Siquidem Sermones duos, quatuor, aut etiam plures supra quinquaginta exhibet in MSS. nonnullis; licèt propemodum in omnibus Sermones integri, ex iis qui numerum quinquagenarium in vulgatis libris conficiunt, desiderentur. Hæc collectio Cæsarii temporibus non potest dici antiquior, cùm ei tot homiliæ ab ipso scriptæ inserantur, & plerisque aliarum recapitulationes ab ejusdem stilo non abhorrentes assutæ fuerint. Illic Augustiniani Sermones ut plurimum truncati sunt, ac brevibus quibusdam exordiis atque epilogis omni auditorum generi accommodatis interpolati. Et certè qui ex his Sermonibus non mutili aliis in exemplaribus occurrére, ii planum faciunt hinc locos, quorum lectio minùs omnibus conduceret, avulsos esse.

Insequentes classes (exceptis Sermonibus *ad fratres in eremo*, quos in tomum proximum distulimus) omnes omnino posterioribus sæculis, tempore videlicet inventæ jam typographiæ, exortas constat. Classis *de Tempore*, quam pro vetustissima censores quidam haud ignobiles habent, procul dubio Basileæ in editione Amerbachii vulgatâ anno MCCCCXCV. ordinata est, idque, uti videtur admodum veri simile, procurante Augustino Dodone de Frisia canonico regulari, cujus imaginem eadem editio Sermonum *de Tempore* in fronte depictam præfert, his versibus subjectis:

Perlege Sermones communes, lector amice,
Edidit Aurelius quos pater atque decus.
Augustinus eos præsul venerandus & auctor
Filiolis scripsit, protulit atque suis.
Ordine sed nullo, nec enim scripta illa redegit
In numerum aut formam, contiguum vel opus.
Hos modò Sermones collegimus undique sparsos,
Atque hunc congestum pressimus inde librum.

Editionem Basileensem hîc significat, ut clariùs ostendit carminum series, in qua legitur

Crede mihi, dices Basileam jure beatam.

Porro è Sermonibus 256. quos ea collectio comprehendit, vix sexaginta genuinos quis quam affirmarit.

Classis *de Sanctis*, quæ superiori non est accuratior, simul in eadem editione, necnon haud dubiè ejusdem auctoris studio in lucem prodiit.

Postea cùm Augustini Opera Parisiis anno quingentesimo-trigesimo-primo supra millesimum prelo subjecta essent, Sermones septemdecim è MSS. Carthusiæ ad muros Parisienses editi sunt.

Anno MDLXIV. Johannes Vlimmerius novum volumen, cui titulum inscripsit *de Diversis*, constans Sermonibus centum-triginta duobus quorum non pauci jam excusi fuerant, sed minùs castigati atque integri, in vulgus emisit. Inde excerpti unus & quinquaginta Sermones postea priorem partem *de Diversis* constituére, cui post annos duodecim alteram ex aliis sexaginta-duobus novis Sermonibus adjunxere Lovanienses.

Prodierunt deinde undecim homiliæ ex codicibus Carthusiæ majoris, quas ab editione anni MDCXIV. ad calcem tomi decimi legebamus. Insuper in eadem illa editione tredecim alii è MSS. Pithœanis vulgati sunt. At non ita multo pòst Jacobus Sirmondus volumen publici juris fecit, quod inter quadraginta Sermones, quibus constabat, has tredecim ultimas homilias complectebatur, quas propterea nusquam ultra separatim editas reperimus.

Idem contigit nonnullis minoris pretii Sermonibus, qui sub Augustini nomine partim anno MDCXXXIV. Parisiis à Guillelmo Camerario Scoto ad MS. Andegavensem, partim anno MDCXLIV. Romæ à Johanne Bapt. Maro ad MSS. Vaticanos & Barberinos typis excusi sunt. Si quidem eos aliis abs se repertis inseruit Hieronymus Vignerius, atque ex illis omnibus duas classes, alteram in prima Supplementi sui parte, alteram in secunda, confecit.

Hæc erat antea Sermonum distributio. Unde nemo non intelligat & quàm incommoda fuerit, & quàm necessariò immutanda. Robertus de Bardis Parisiensis Cancellarius aliam pulcriorem ac magis ingeniosam instituerat in Collectorio, ut vocat, Sermonum Augustini, numquam vulgato, quod trecentis annis ab hinc retrò elapsis excogitavit, iisdem Sermonibus in quinque partes discretis. *In prima parte collecti sunt Sermones de quibusdam gestis & sanctis veteris Testamenti. In secunda parte de sollemnitatibus & sanctis novi Testamenti. In tertia de verbis & scripturis veteris Testamenti. In quarta de verbis & scripturis novi Testamenti. In quinta de ornamentis & impedimentis Ecclesiæ sive fidelium, ac de retributionibus ultimis bonorum & malorum.* Servatur in bibliotheca Regia manuscriptus unus, quo primæ duæ istius collectionis partes continentur; & in Colbertina duo, in quibus index Sermonum illarum quinque partium repræsentatur. Ceterùm licèt Sirmondus in præfatione suorum quadraginta Sermonum affirmet, *in censendis approbandisque Augustini operibus .... minimè contemnendum Roberti suffragium:* tamen adulterinos Sermones prope innumeros admisit, ut qui in prima Collectorii parte solos legitimos relinqueret, illam tantùm non ad nihilum reduceret. Alia vitia, quæ à nobis in ejus distributione observata sunt, hîc recensere operæ pretium non putamus.

Partitionem instituimus multò concinniorem accuratioremque, in qua etiam præ Robertina hoc commodi est, quòd propiùs ab antiqua & vulgata recedit; cùm Sermones omnes pro varietate argumenti revocet ad hosce quatuor ordines, *de Scripturis*, *de Tempore*, *de Sanctis*, & *de Diversis*. Addidimus præterea quintum ordinem Sermonum dubiorum, quòd videlicet nullum nisi apertè supposititium in Appendicem rejicere consilium fuerit.

Falsos autem veris diutiùs confusos relinquere neutiquam licebat: quando quidem hac in re quotidie tam multi decipiebantur, ut quidam nimis creduli scriptiones Fausti atque aliorum imi subsellii auctorum Augustinianas ducerent, alii contrà plus æquo suspiciosi Sermones Augustino longè dignissimos aut respuerent, aut suspectos haberent. Sed optimum videtur principia & notas, quibus innixi hoc judicium atque censuram aggressi sumus, declarare, ut hinc statuat unusquisque, num in materia tanti momenti sententiam firmam ac certam ferre potuerimus: tametsi fieri nequeat, ut singillatim notas omnes quibus Sermonis cujusque censura stabilitur, aperiamus, sed tantùm generatim aliquas, easque magis familiares.

Primùm omnium stili, quo tantum auctores inter se, quantum homines vultu differunt, rationem habuimus. Hîc nempe quod epist. 93. n. 39. de Cypriano dixit Augustinus, pari jure licet de ipso pronuntiare: *Stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci.*

Eum

Eum sanctus Hieronymus ex stilo, ut idem epistolâ inter Augustinianas 68. testatur, agnovit: Et Lugdunensis Ecclesia libro de tribus epistolis c. 35. ut probet Hypognosticon ipsi non esse adscribendum, eodem utitur argumento. Verumtamen si nomine stili nihil aliud intelligatur quàm dictio, fatendum est illum non semper unum atque æqualem exsistere in operibus Augustini, sed maximè in Sermonibus, quos tanta rerum ac locorum diversitate per quadraginta annos habuit. Inter hos alii ab eo per sacerdotium suum compositi priorum ipsius lucubrationum colorem quemdam referunt, alii ab eodem maturiore jam ætate pronuntiati ad posteriora opera magis accedunt: nonnulli accuratè & cum meditatione elucubrati sunt, nonnulli ex tempore fusi: illos extremo Retractationum cap. libro 2. *dictatos* vocat, hos autem *dictos*: proindeque aliquos habemus, quales à notariis, dum verba faceret, excerpti sunt, cùm alii legantur æquè emendati ac integri atque opera proprii auctoris manu exarata solent esse. Id cùm Critici quidam non satis advertissent, Sermones primis Augustini annis, ut suo loco observavimus, compositos sancto Doctori abjudicarunt. Ad hujusmodi ergo censuram rectè obeundam, præterquam quòd stilus operis dubii ad singula indubitata opera exigendus est, nequaquam vis illa sive spiritus quo stilus quasi animatur, post haberi debet. Ubique enim agnoscitur Augustinus proprio quodam eloquentiæ gravis ac seriæ genere, quod sibi lectorum animos subjicit, non lepore comtæ atque affectatæ elocutionis, sed efficaciâ quadam judicii, prudentiæ, pietatis, honestatis, modestiæ, comitatis, aliarumque virtutum, quæ passim in ejus oratione adeo fulgent atque emicant, ut ipsius stilum nemo imitatione assequatur. Hic est præcipuè Lydius lapis, quo Sermones verè Augustiniani probantur; & ad quem Appendicem si quis adhibeat, in eam propè universam cognoscet cadere illud posse, quod de Hypognostico pronuntiatum est: *Et sensus ab illius sensu inferior habetur, & modestia atque humilitas morum & sermonum ejus non ibi servatur.*

Lugdunensis Ecclesia, cujus hæc verba sunt, ibidem aliud indicium addit: *Et testimoniis*, inquit, *ex Hebraica translatione, quam beatus Hieronymus edidit, præter ejus consuetudinem contra illos hæreticos utitur: quod ille ex antiqua potiùs editione facere consuevit.* Quod quidem indicium eo longiùs latiúsque protenditur, quòd aliam translationem, cùm brevi auctoritatem veteris occupasset, constat jam inde à quinto sæculo amplexos esse Salvianum Massiliensem, Eucherium Lugdunensem, Leonem Romanum Pontificem, atque alios. Gregorius cognomento magnus, qui novam, quam vocat, scribens in librum Job sequitur, epistolâ ad Leandrum utramque in Ecclesia Romana tunc temporis legi solitam tradit. Sed non multo pòst nova ubique gentium obtinuit, teste Isidoro, qui non longè ab initio septimi sæculi in libro 1. de divinis officiis c. 12. sic habet: *De Hebræo autem in Latinum tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur.*

Porro hisce testimoniis Psalterium Hieronymianum ex Hebræo, quod neque in Hipognostico, neque in aliis veterum lucubrationibus reperitur, minimè intelligendum est: at solummodo aliæ antiqui fœderis præcipuæ partes. Nihilominus tamen cùm Psalterio, in quod commentarios edidit Augustinus, suæ propriæ lectiones sint, atque ab aliorum haud mediocriter discrepantes, illud quoque satis utiliter in examine nostro adhibuimus.

Cùm in præfatione tomi quarti de translatione, quam secutus erat Augustinus, à nobis ageretur, (qua de re in præfatione tertii, in admonitione super Augustini Speculo, & alibi in genere jam fuerat nonnihil observatum,) mentem nostram aperueramus de Vulgatæ Psalterio, quod quidem nobis illud ipsum, in quo corrigendo Hieronymus secundam curam rogatu Paulæ atque Eustochii susceperat, esse videbatur. Utrùm in rem eorum, qui Scripturæ studio navant operam, futurum sit opinionem nostram confirmare, non definimus: certè committere non possumus, quin viri in litteris humanis & divinis exercitati objectionibus haud contemnendis satisfaciamus.

Dixeramus nusquam in Psalteriis calamo scriptis, quæ nobis in manus magno numero venerunt, nisi in Vulgatæ, Hieronymiani Psalterii obeliscos atque asteriscos inveniri, atque adeo unum idemque videri Psalterium; ac eam rem etiam confirmari inscriptione unius è Colbertinis MSS. ubi dicitur *emendatum à sancto Hieronymo in novo.*

Verùm nobis occurritur 1. Psalterium in his codicibus exaratum idem atque Vulgatæ nequaquam haberi posse, quando quidem inter se plusquam centum locis differunt, ac eorum *non paucæ numerantur discrepantiæ quæ vel magnum habent momentum, vel scriptoribus tribui non possunt.* Hanc tantam varietatum multitudinem minimè diffitemur; sed minorem esse nequivisse contendimus. Quisquis in evolvendis MSS. vel mediocrem laborem impenderit, is ignorare

nequaquam poterit rara inveniri exemplaria, in quibus paginarum numerus varietatum si bonarum sive malarum multitudine non vincatur; & in hujusmodi scriptis codicibus non lo Epist. 123. ad Damasum. cus ac quandoque in editis, gravia quædam occurrere, non modò *quæ à librariis*, ut Hierony verbis utamur, *dormitantibus aut addita sunt aut mutata*; sed etiam *à præsumtoribus imperitis em data perversiùs*. Lucas Brugensis qui sola collegit *Romanæ correctionis in Bibliis editionis vul gatæ jussu Sixti V. recognitis loca insigniora*, horum plusquam ducenta in solo Psalterio annota vit. Quis verò inde colligat aut codicibus ad quos facta est ea correctio, Vulgatam minim contineri, aut Vulgatam ipsam quæ nostris in Bibliis hodie circumfertur, & in qua re observantur diversitates, non eamdem quæ erat Concilii Tridentini tempore existimanda Denique laudati à nobis MSS. eam cum Vulgata consensionem præ se ferunt, qua majo rem aut frequentiorem non facilè in aliis æqualis ætatis exemplaribus reperire sit.

Nobis postea opponitur auctoritas Tridentini Concilii, quod in sess. IV. *statuit ut ipsa ve tus & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est .... pro authenti habeatur*: quo loco, ut supponitur, Synodus *Vulgatæ nomine Italam intelligit*, cùm no contrà *Vulgatam* vocemus *B. Hieronymi versionem*: ac proinde nostra *sententia Tridenti Concilio minùs bene cohærere videtur*. Ad suspicionem hanc procul amovendam satis quide esset respondere non versionem Psalterii novam quam ex Hebræo edidit Hieronymus, à nob Vulgatæ nomine designatam, sed eam solam quam ad Græcos codices emendavit, quæ an tea in Italia, saltem in Urbe, ut ex ipsius ad Paulam & Eustochium epistola discimus, i usu erat. Verùm aliunde manifestum est à Concilio nihil aliud per Vulgatam intelligi ver sionem, nisi eam *quæ legi consuevit in Ecclesia catholica*, cujus tametsi plurimas partes Hie ronymus transtulerit ex Hebræo, (quemadmodum sola testimonia ex hac ipsa ab Augusti no libro 4. de Doctrina Christiana cap. 7. item libro 5. & 6. Quæst. & libro 7. Locut. in He ptateuchum petita abundè probant,) ea tamen Concilii tempore, quo jam plusquam mill & centum annos numerabat, optimo jure antiqua dici poterat; perinde atque Isidori Hispa lensis ætate jam Vulgatæ nomen erat adepta, cùm ea *editione omnes Ecclesiæ usquequaque ute bantur*. Ceterùm non sine gravi hallucinatione crederet quispiam idem in Tridentina Sy nodo & apud veteres per *Vulgatæ* vocem significari. In Synodo ea vox integram utriusque fœderis Scripturam latinè redditam & nostris contentam in Bibliis denotat: cùm apud Hie ronymum epistolâ 135. ad Sunniam & Fretelam scriptâ Græcam quamdam veteris Testamen ti versionem signet, epistolâ verò 101. ad Pammachium versionem ita vocatam, cùm ea nostræ opponeretur.

Quantum ad conjecturam eodem loco à nobis propositam, ejus duæ sunt partes: altera, Vulgatam nostram, quam à Psalterio per Hieronymum correcto minimè diversam esse proba veramus, *potuisse ab ipso epistolâ 135. dici versionem ex Hexaplis à se editam, quòd illam iisdem exem plaribus consentientem effecisset; epistolâ verò Paulæ & Eustochio scriptâ versionem tantummodo cor rectam, quòd antiquæ verba, quantum in ipso fuerat, retinuisset*: altera, fortè contigisse, *ut ea dem ipsa versio, cujus certi loci Sunniæ & Fretelæ negotium facessebant, ex Germania*, *ubi degebant* iidem viri (viros enim Sunniam ac Fretelam dicimus, quòd Hieronymi ad illos epistola in MSS. Colbertino & Germanensi inscribatur *Dilectissimis fratribus*,) *jam ab his temporibus in Gallias pervenerit*. Utramque hanc partem negat Vir eruditus, non alio ductus argumento, quàm quia *Psalterium Gallicum*, (quod idem nobis est atque Vulgatum in MSS. antea lau datis comprehensum,) *ab illa versione summopere discordet*. Sufficit ut ei majorem omni exce ptione testem Hincmarum producamus, qui epistolâ ad Ludovicum Germaniæ regem non modò Vulgatæ nostræ eam quæ ab Hieronymo *communis & vulgata* dicitur, opponit, sed etiam asserit apud Gallos suo tempore eam versionem, quam idem ille Doctor *ad Sunniam & Fretelam scribens exposuit*, in usu fuisse. Quapropter in id consentiamus necesse est illas omnes, quæ in Psalteriis nostris calamo exaratis extant, discrepantias *vel à librariis*, ut su prà dicebatur, *dormitantibus*, *vel à præsumtoribus imperitis* scaturiisse. Hìc Valafridi Strabo De reb. Eccles. c. 25. nis auctoris Hincmaro æqualis locum, ubi Gallos *secundùm emendationem quam Hierony mus de* LXX. *editione composuit*, *Psalterium cantare* testatur, conferre supersedemus: nec etiam est animus tot viros doctos, unde caussæ nostræ non minima fieret auctoritatis ac cessio, memorare, ut puta Jacobum Fabrum & Petrum Pithœum, quibus omnino per suasum erat Gallicum Psalterium esse illud ipsum quod iterum correxit Hierony mus. Nihil verò nos movet vulgata illa Hieronymi ad Damasum epistola, cujus hoc initium est: *Legi litteras apostolatus tui*, *poscentes ut secundùm simplicitatem septuaginta in-*

terpretum canens Psalmographum interpretari festinem, quam alius de Psalterio Romano intelligit, alius de Gallicano: hæc, inquam, nihil nos movet, ut pote quæ falsitatem suam apertè prodat.

Jam ad argumentum revertamur. Nobis etiam operæ pretium esse visum est studiosè Sermonum doctrinam examinare, utrùm scilicet cum Augustiniana sive in fidei ac morum dogmatîs, sive in Scripturæ expositione ac usu congrueret: observatis tamen iis capitibus, in quibus aut sententiam, aut loquendi rationem, sicut aliorum ejus operum probat retractatio, mutavit. Quamobrem Sermo 259. verbi gratiâ, licèt in eo sanctorum post resurrectionem in terra sabbatismus ac regnum doceatur, non tamen ex albo Augustinianorum fuit expungendus; quando Vir sanctus lib. 20. de Civitate Dei c. 7. in ea se fuisse aliquando sententia fatetur. Alibi forsitan quidam hujusmodi locus possit occurrere, quem Augustinus ipse annotasset, nisi morte dum Sermonum suorum retractationem meditaretur esset occupatus.

Accedunt his tempora, loca, personæ, negotia, facta, errores, aliaque similia, de quibus in Sermonibus disputatur, unde plurima ad statuendan criticen argumenta depromsimus.

Alia nobis Possidii suppeditavit Indiculus, non quòd Sermones omnes, quorum inscriptiones ibi leguntur, Augustino putaverimus adtribuendos, quasi non posset à multis concionatoribus eadem materia tractari; sed ut ei non ita facilè Sermones illic minimè designatos adscriberemus. Huic Indiculo priscum Carthaginensis Ecclesiæ Kalendarium, quod paucis ab hinc mensibus in tomo 3. Analectorum editum fuit, adjungentes minùs timidè censoriâ notâ confiximus conciones quasdam in certas sollemnitates, quarum in neutro mentionem reperias. Tales sunt Litaniarum, sive Rogationum, Conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, Annuntiationis Dominicæ, Assumtionis B. Mariæ, ac similes.

Insuper Bedæ ac Flori, quorum testimonia ad conciliandam veris Augustini operibus auctoritatem multùm valere non erat ignotum, collectiones in Paulum accuratè cum Sermonibus contulimus. Atqui per collectionem Bedæ intellectam volumus eam, quæ sine controversia ipsius est, neque usquam alibi quàm in scriptis codicibus, ubi ejus inscribitur nomine, invenitur. Alia si quidem, quam inter ejusdem opera editam ipsi vulgò adjudicant, Flori diaconi Lugdunensis esse in tomo Analectorum primo demonstratur.

Quid refert hoc loco innumeros MSS. quos consuluimus recensere? Horum subsidio quosdam locos, quibus permoti nonnulli Criticorum Augustinum de possessione Sermonum aliquot verè Augustinianorum exegerant, in excusis corruptè legi deprehendimus: contrà verò quorumdam aliorum, qui ferebantur ipsius esse, interdum auctores deteximus.

Neque verò nobis satis visum est Augustini MSS. codices evoluere: sed præterea editas aliorum Patrum commentationes examinavimus. Eorum quippe stilum & ea circa quæ versantur argumenta adtentè considerata oportuit, ut quinam Sermones ipsis tribuendi essent dignosceremus, & lacinias investigaremus, ex quibus adulterini Tractatus consarcinantur. Inter hos enim sunt qui ex Origene, Cypriano, Ambrosio, Maximo, Leone, Fausto, Gregorio magno, Alcuino, Ivone Carnutensi, atque aliis desumti sint.

In Homiliario, quod Rabanus à se concinnatum Haistolfo Archiepiscopo destinavit, novem Sermones, qui nostra in Appendice 98. 108. 222. 280. 290. 291. 297. 302. 304. numerantur, totidem verbis invenimus. Id quidem suo loco non tacuissemus, nisi Rabani opera discutere nos præteriisset.

Multo plus curæ adhibitum est in examinando Cæsario; quippe qui conciones propè innumeras, quamvis ei nonnisi circiter quadraginta in Bibliotheca Patrum adscribantur, elucubravit. Discimus enim ex ejus vita, ipsum ubi primùm ad episcopalem ordinem adscitus esset, translatâ Apostolorum exemplo in diaconos aliorum ministeriorum curâ, totum se prædicationis officio dedidisse; ac illud usque adeo cordi habuisse, *ut ad Matutinum & ad Lucernarium*, hoc est, matutinis ac vespertinis horis, verba fecisse non contentus, in dissitas etiam regiones Sermones à se comparatos, ut illic recitarentur, deferendos curaret. *Longè tamen positis*, inquiunt lib. 1. ipsius historici, *in Francia, in Galliis, atque in Italia, & in Hispania, diversisque provinciis constitutis transmisit per sacerdotes quid in ecclesiis suis prædicare facerent.* Iidem similiter nos docent quis ejus stilus fuerit, circa quam materiam potissimùm ejus conciones versarentur, quæ soleret insectari vitia, & quas præ ceteris virtutes inserere auditorum animis niteretur; ad hæc qua caritate & industriâ infimis sese adtemperaret, eorumque gratiâ familiares ex rebus omnibus comparationes desumeret. *Tantam*,

inquiunt, *ei Deus gratiam de se dicendi dedit, ut quidquid oculis videre potuisset, ad ædificatio[n] audientium pro similitudinis consolatione proponeret.* Denique præclaram istam sententiam solit[um] esse dicere commemorant: *Nonnulli rusticitatem sermonum vitant, & à vitæ vitiis non declin[ant].*

Huic igitur ingentem Sermonum numerum restituimus, partim manuscriptorum libr[o]rum, in quibus nomen ipsius præferebatur, auctoritate, partim multis solidis ac firmis [ar]gumentis, quæ ex ejus stilo admodum singulari atque ad agnoscendum facili, è doctrin[a], dicendi formulis, usitatis considerationibus, exordiis, clausulis ac recapitulationibus i[p]si propriis, singularibus factis, adjunctis personarum, temporum, locorum, quæ nemini n[isi] eidem aptè conveniunt, petita sunt. Omittimus hîc ejusdem regulas ad virgines, in quib[us] non rarò ipsa verba, quæ in Sermonibus, reperiuntur: exempli caussâ in earum cap. [3] perinde ac in Sermone Appendicis 141. n. 2. & 270. n. 5. & 273. n. 1. vox *canava* pro cella vin[a]ria usurpatur; & earumdem cap. 28. *canavaria* eam cui hujus ipsius cellæ cura demandata est significat. Verùm illud præterire nequaquam possumus, quod unum ad Sermones illos Cæ[sa]rio restituendos sufficeret, eorum videlicet cùm Synodis, quibus abs se coactis præfuit, co[g]natio, necnon in stilo, vocibus ac sententiis perfecta consensio. Hac occasione oratio qua[m] habuit idem Præsul in caussa Contumeliosi episcopi Regiensis, & quam tomo 1. Conciliorum Galliæ edidit Jacobus Sirmondus, hoc loco ad verbum esset exhibenda: si quidem Sermoni[bus] qui eidem à nobis restituuntur, similius nihil inveniri possit. Neque inutile fuerit obse[r]vare hac in oratione ab eo Faustum Regiensem cum honoris significatione nominari, ut[i] quis ejus in concionibus aliquam hujus auctoris sententiam deprehenderit, id non miretur.

Ceterùm quod Cæsarius è Fausti libris mutuatus est, pro nihilo ferme habebitur, si cum iis quæ ex aliorum veterum commentationibus decerpsit, comparetur. Legimus in vita ejus[dem] lib. 1. eum cùm propter valetudinem jam concionari per se non posset, jubere solitum à sacerdotibus ac diaconis in Ecclesia sua recitari non modò Sermones proprios, verùm etiam Ambrosii, Augustini & aliorum. Hinc procul dubio breviores illi Sermones prodiere, in qui[bus] præter exordium & perorationem, quæ ipsius characterem referunt, reliqua petita sunt ex Augustino. Exscribebat atque imitabatur lubentiùs sanctum hunc Doctorem, cujus opi[ni]ones tamquam catholicæ veritati admodum congruentes prædicat. Ipsius doctrinam omni studio propugnavit, & ex ea secundæ Arausicanæ Synodi canones constituit: observaturque in 2. lib. vitæ illius, ipsum extremo suo morbo *inter non modicos quos patiebatur dolores sciscita[tum] esse quàm in proximo esset beatissimi Augustini depositionis dies; & cùm imminere commemoratio[nem] ipsius didicisset, dixisse: Confido in Domino, quòd meum transitum non longè divisurus est ab ipsius: quia, ut ipsi nostis, quantum dilexi ejus catholicissimum sensum, tantum me etsi discrepantem meritis, minimè tamen reor distantiâ longiore depositionis meæ diem ab ejus obitûs tempore sequestrari.*

Porrò ejusdem conciones tanti ducebantur, ut quemadmodum ipse ex Augustini, sic ex ipsiusmet Sermonibus alii excerperent, unde novi Sermones concinnarentur. Hoc profectò homilias Eligii & Rabani cum Sermonibus Appendicis nostræ comparando quivis intelliget.

Superest ut quid auxilii nobis ad institutam Sermonum Augustini censuram præbuerint Lovanienses, exponamus. Illi suâ in tomum x. præfatiunculâ admonent se in censendis Sermonibus secutos ferè esse judicium doctissimi viri Martini Lipsii: iis qui certò visi sunt esse Augustini, nomen ejus adscripsisse; qui certò deprehensi sunt ipsius non esse, rejecisse in Appendicem: reliquos *aut non satis discussos aut* ex judicio quorumdam *dubiæ auctoritatis*, inter Augustini Sermones reliquisse, non tamen addito ejus nomine. Ad hanc igitur notam qui potissimùm Sermones ad examen essent revocandi, cognovimus: & sanè consideranti palàm fiet, eorum qui à nobis rejiciuntur longè plurimos ex illis esse quos *non satis discussos aut dubiæ auctoritatis* vocant. Præterea aliorum in Augustinianos Sermones censuras consuluimus, quarum duæ præcipuæ sunt & accuratiores, altera Simonis Verlini edita an. 1618. altera Bernardi Vindingi an. 1622. Cùm autem hi censores omnium sagacissimi nonnullis in locis aberraverint, arrogantiæ esset id nos assecutos credere, ut hîc numquam judicio falleremur. Attamen confidimus factum ut nec ullum inter falsos apertè verum, nec ullum inter veros apertè falsum retulerimus. Hoc nobis proposuimus ab initio; & ea propter in Sermonibus nondum editis, qui Augustino in manuscriptis adscribuntur, nos præbuimus severiores. Ex eorum numero longè maximo selectos octodecim tantùm cum fragmentis aliquot hîc adjecimus, in quibus S. Doctoris character, ingenium & doctrina liquidò perspicitur & elucescit.

SERMONUM INDEX

SECUNDUM ORDINEM VETEREM,

COMPARATUM CUM NOVO.

Qui suppostitii sunt & in Appendicem rejecti, charactere Italico designantur.

SERMONES
De verbis Domini.

Ordo vetus. — Ordo novus

1. Evangelium audivimus. nunc 109
2. Solet multos movere. 54
3.* *Cùm nobis pro officio.* 268. *Appendicis.*
4. Sancti Evangelii capitulum. 55
5. In lectione sancti Evangelii. 61
6. Audivimus cùm Evangelium *&c.* 62
7. De capitulo Evangelii. 100
8. Sanctum Evangelium. 67
9. Mirum quibusdam videtur. 70
10. Audivimus in Evangelio. 69
11. Magna quæstio est. 71
12. Admonuit nos Dominus. 72
13. Evangelium quod recentissimè. 76
14. *Audivimus,& quodammodo* &c. 72. *App.*
15. Hesterno die. 83
16. Admonuit nos Dominus noster. 82
17. Dixit Dominus cuidam. 84
18. Bene nobiscum novit. 88
19. *Nonnulli fratres.* 82. *App.*
20. *Scire & intelligere debemus.* 75. *App.*
21. Fratres, quod audistis modò. 97
22. *Omissus, quia est q. 59. in l. 83. q. tom. 6.*
23. Hesterno die qui adfuistis. 93
24. Dominus noster Jesus *&c.* 102
25. Advertit Sanctitas Vestra. 367
26. Verba Domini nostri. 103
27. Sanctum Evangelium. 104
28. *Apostoli sancti.* 84. *App.*
29. Audivimus nos exhortantem *&c.* 105
30. Audistis sanctum Evangelium. 106
31. De arbore ficulnea. 110
32. Tria sata farinæ. 111
33. Lectiones sanctæ. 112
34. *Omissus, quia est Enar. in Psal. 70. tom. 4.*
35. Quod admonemur. 113
36. Lectio sancti Evangelii. 115
37. Gaudere nos Apostolus præcipit. 171
38. Capitulum Evangelii. 117
39. Dominus noster Jesus. 108
40. Quod dictum audivimus. 122
41. Scitis Fratres, didicistis. 123
42. Recentissima in auribus nostris. 124
43. Audivimus verba. 128
44. Miracula Domini nostri. 98
45. Ad Evangelicam lectionem. 129
46. Sicut audivimus. 132
47. *Omissus, quia est Tract. 33. in Johan. tom 3.*
48. Novit Caritas Vestra. 134
49. Non ignorat fides vestra. 137
50. Audivimus Dominum Jesum. 138
51. Dominus Deus, Christus Jesus. 139
52. *Licèt omnes virtutes.* 96. *App.*
53. Hoc admonuit Dominus. 354
54. *Omissus, quia pars est Sermonis* 142
55. Inter cetera. 141
56. *Pars est Tract. 71. in Johan. tom. 3.*
57. *Domini vox est.* 97. *App.*
58. *Accepimus, Fratres.* 246. *App.*
59. De sancto Evangelio. 87
60. Medicina omnium animæ *&c.* 143
61. Cùm Dominus & Salvator. 144
62. Lectione hodierna. 146
63. Evangelica lectio. 52
64. Spes nostra, Fratres. 127

SERMONES
De verbis Apostoli.

1. Sancta & divina eloquia. 384
2. Audivimus veracem magistrum. 131

Ordo vetus. — Serm. de verb. Apostoli. — Ordo novus

3. Si consideremus, Fratres. 163
4. Audivimus concorditerque *&c.* 153
5. Hesternam lectionem. 154
6. Hesterna lectio. 155
7. Apostolum audivimus. 165
8. Audivimus beatum Apostolum. 174
9. Quod lectum est modò. 175
10. De divinis lectionibus. 176
11. Psalmus, quem cantavimus Deo. 26
12. Sine dubio, Fratres. 30
13. Verbi Dei altitudo. 156
14. In Natali sancti Johannis. 294
15. Ad Apostolicam lectionem. 169
16. Apostolum beatum audivimus. 158
17. Hesterno die. 159
18. Apostolum audivimus. 161
19. Beati Apostoli epistola. 178
20. Quomodo janua introducit *&c.* 27
21. *Omissus, quia est q. 71. in lib. 83. quæst. t. 6.*
22. Omnes nos per Apostolum. 164
23. Sicut Apostolum dixisse *&c.* 157
24. Apostolum, cum legeretur, audistis. 167
25. *Legimus in libro.* 100 *App.*
26. *Post resurrectionem.* 99. *App.*
27. Initium bonæ vitæ. 43
28. Prima lectio. 180
29. Beatissimus Johannes apostolus. 181
30. Quando Johannes apostolus. 182
31. Vestræ caritatis exspectatio. 183
32. Admonet nos beatus Apostolus. 172
33. Quando celebramus dies. 173
34. *Omnium Christianorum.* 109. *App.*
35. *Modò, Fratres carissimi.* 110. *App.*

Homiliæ quinquaginta.

1. Vocans genus humanum. 16
2. *Frequenter, Fratres carissimi.* 53. *App.*
3. *Pars est Ep. ad Probam de vidēdo Deo t. 2.*
4. *Inter cetera.* 55. *App.*
5. Frequenter in Scripturis sanctis. 387
6. *Frequenter in Evangelio.* 271. *App.*
7. *Si diligenter adtenditis.* 287. *App.*
8. *Beatus apostolus Paulus.* 270. *App.*
9. *Omissa, quia conflata est ex Serm.* 170
10. *Apostolum, cùm legeretur* &c. 111. *App.*
11. Frequenter, fratres, *&c.* 40
12. *In omnibus Scripturis divinis.* 253. *App.*
13. Audivimus, Fratres. 39
14. Dominus noster Jesus. 333
15. *Qualiter nos invicem* &c. 105. *App.*
16. *Resurrectio & glorificatio Dom.* 252. *App.*
17. Lectionibus, canticis *&c.* 168
18. Dominus Deus noster. 31
19. Lectio ista, Fratres. 388
20. Omnium quidem aures & mentes. 353
21. *Omissa, quia cōflata est ex En. in Ps. 50 t. 4.*
22. *Audistis Fratres carissimi.* 94. *App.*
23. Quod admonemur Domini. 99
24. Die quidem omni. 383
25. Hodiernus dies iste, Fratres. 339
26. *Ante aliquot dies.* 300. *App.*
27. Vox pænitentis. 352
28. Cantavimus, Fratres. 17
29. Ego, Fratres, vires parvas habeo. 42
30. *Omissa, quia pars est Sermonis* 50.
31. *Pars est Sermonis* 32.
32. Arcana & secreta regni Dei. 126
33. *Secundùm Apostolum* 54. *App.*
34. Erigunt nos divinæ lectiones. 142
35. *In omnibus scripturis divinis.* 315. *App.*
36. De Domino & Salvatore nostro. 144

Ordo vetus. — Serm. de verb. Apostoli. — Ordo novus

37. Modò, Fratres, cùm divina *&c.* 368
38. Non solùm in novo. 385
39. *Felix operarius.* 311. *App.*
40. Dies isti sancti. 211
41. Pænitentes, pænitentes. 393
42. Symbolum reddidistis. 58
43. Dominus Jesus. 135
44. Sanctus Johannes. 290
45. *Modò cùm lectio Actuum* &c. 101. *App.*
46. *Confitemini Domino.* 56. *App.*
47. *Remedia peccatorum, Fratres.* 310. *App.*
48. *Hominis cujusdam divitis.* 88. *App.*
49. Apostolum audivimus. 392
50. Quàm sit utilis & necessaria. 351

SERMONES
De tempore.

1. *Appropinquante jam.* 115. *App.*
2. *Sanctam & desiderabilem.* 116. *App.*
3. *Legimus sanctum Moysen* 245. *App.*
4. *Oratio est cont paganos & Judæos, tom. 6.*
5. Salvator noster natus de Patre. 369
6. *In principio erat Verbum.* 234. *App.*
7. *Rogo vos, Fratres carissimi.* 117. *App.*
8. *Hodie, Fratres carissimi.* 118. *App.*
9. *Legimus & fideliter* &c. 119. *App.*
10. *Quis tanta rerum* &c. 121. *App.*
11. *In adventu Dominico.* 122. *App.*
12. Filius Dei idemque filius hominis. 195
13. *Dominus noster Jesus.* 128. *App.*
14. *Fratres dilectissimi, hodie* &c. 193. *App.*
15. *Nativitas Domini.* 123. *App.*
16. Hodie veritas de terra *&c.* 192
17. *Nativitatem Domini nostri.* 125. *App.*
18. *Castissimum Mariæ* &c. 195. *App.*
19. Gaudeamus, Fratres. 186
20. Hodiernus dies. 369
21. *Hodie puer natus est nobis.* 120. *App.*
22. *Veneranda nativitas Salvatoris.* 126. *App.*
23. Audite filii lucis. 194
24. *Ut hodie à me possit* &c. 124. *App.*
25. Filium Dei. 188
26. *Anniversaria Domini incarnatio.* 127. *App.*
27. Laudem Domini loquetur *&c.* 187
28. Mundus per Dominum factus est. 121
29. *Proximè, Fratres carissimi.* 136. *App.*
30. Ad partum virginis adorandum. 200
31. Ante paucissimos dies. 201
32. Hodierni diei. 202
33. *Caussam, Dilectissimi,* &c. 133. *App.*
34. Nuper celebravimus diem. 199
35. *Domini & Salvatoris nostri.* 132. *App.*
36. *Intelligere possumus.* 135. *App.*
37. *Licèt, Fratres dilectissimi.* 134. *App.*
38. *Omissus, quia totus ex Alcuini lib. de Trin.*
39. Divinarum Scripturarum. 350
40. Dominus noster Jesus Christus. 341
41. *Domini & Salvatoris nostri.* 92. *App.*
42. *Quantum nos, Fratres carissimi.* 107. *App.*
43. *Lectio divina.* 102. *App.*
44. *Si Caritati Vestræ possemus* &c. 112. *App.*
45. Lectio divina. 151
46. *Desiderium Caritatis Vestræ.* 106. *App.*
47. *Cùm ergo semetipsos.* 103. *App.*
48. *Sanctum Evangelium.* 76. *App.*
49. Divinæ lectiones omnes. 170
50. Omnis homo in tribulatione *&c.* 60
51. *Modò cùm divina lectio* &c. 2. *App.*
52. De caritate nobis *&c.* 349
53. *Quicumque Christianū nomen.* 108. *App.*
54. *Audivimus, Fratres carissimi.* 4. *App.*

Sermonum index.

Ordo vetus. SERM. DE TEMPORE. Ordo novus.

55. *Ecce, Fratres cariſſimi.* 140. App.
56. *Dominus & Salvator noſter.* 141. App.
57. *Sæpe advertimus.* 255. App.
58. *Rogo vos, Fratres cariſſimi.* 258. App.
59. *Gradum eſſe aliquem.* 62. App.
60. *Evangelica lectio.* 63. App.
61. *Scio & credo.* 273. App.
62. *Rogo vos, Fratres cariſſimi.* 142. App.
63. *Apoſtolica, Dilectiſſimi* &c. 148. App.
64. *Omne vitæ noſtræ tempus.* 143. App.
65. *Adeſt nobis venerabile* &c. 144. App.
66. *Hortatur nos ſæpius* &c. 254. App.
67. *Rogo vos, Fratres cariſſimi.* 249. App.
68. *Credidit Abraham Deo.* 3. App.
69. *Hos ſanctæ Quadrageſimæ dies.* 145. App.
70. *Frequenter admonui.* 5. App.
71. *Lectio illa, Fratres cariſſimi.* 6. App.
72. Notiſſima pietas. 2
73. *Novum præcepti genus.* 7. App.
74. Chananæa iſta mulier. 77
75. *Paulò antè cùm divina* &c. 8. App.
76. *Si homo priſcam ſui originem.* 312. App.
77. *Si bene retinet, Fratres* &c. 147. App.
78. *Si expoſitionem ſanctarum* &c. 10. App.
79. *Cùm divina lectio legeretur.* 11. App.
80. *Frequenter Caritati Veſtræ.* 12. App.
81. *Quotiens vobis.* 13. App
82. *In beato Jacob.* 15. App.
83. *De beato Joſeph ſcriptum eſt.* 14. App.
84. *Audivimus in lectione.* 16. App.
85. *Quamvis, Fratres cariſſimi.* 17. App.
86. *In lectione divina.* 18. App
87. *Moyſes ad Ægyptum veniens.* 20. App.
88. *Quotiens lectio illa recitatur.* 22. App.
89. *Ægyptiorum turmæ.* 23 App.
90. *In lectionibus divinis.* 24. App.
91. *In lectione quæ nobis* &c. 25 App.
92. *In lectione Evangelii.* 93. App.
93. *Omnes, inquit Apoſtolus.* 26. App.
94. Erudimini omnes &c. 13
95. *Non eſt ſine cauſſa.* 21. App
96. Dominus & Deus noſter. 9
97. *Hæc dicit Dominus.* 27. App.
98. *Modò, Fratres dilectiſſimi.* 30. App.
99. *Omnis princeps.* 31. App.
100. *Modò, cùm divina lectio* &c. 28. App.
101. *In lectione.* 32. App.
102. *Scire & intelligere debemus.* 29. App.
103. *Lectio quæ nobis hodie* &c. 33. App.
104. *Multis quidem ſignis.* 95. App.
105. *In lectionibus.* 34. App
106. *Sicut frequenter.* 35. App.
107. Samſon fortitudinem habuit. 364
108. *Hodierna die audivimus.* 36. App.
109. Audivimus, & contremuimus. 22
110. Cantavimus Domino. 14
111. *Quotiens, Fratres cariſſimi.* 298. App.
112. *Oportet, Fratres cariſſimi.* 302. App.
113. Dixit Dominus cuidam. 84
114. *Admonet nos, Fratres.* 153. App.
115. *Symbolum quod vobis* &c. 241. App.
116. *Hodie, Fratres cariſſimi.* 267. App.
117. *Suſcepit Dominus.* 151. App.
118. *Forſitan mirum* &c. 152. App.
119. Symbolum eſt breviter &c. 213
120. *Frequenter audivimus* &c. 154. App.
121. *Omnes, inquit Dominus.* 150. App.
122. *Dilectiſſimi fratres.* 156. App.
123. *Oportet attendere.* 243. App.
124. *In lectione Evangelica.* 79. App.
125. *Credimus in unum Deum.* 233. App.
126. *Quoniam Domino ſubveniente.* 65. App.
127. *Hodie, Fratres cariſſimi.* 149. App.
128. *Retinet Sanctitas Veſtra.* 80. App.
129. *Credimus in unum Deum* &c. 234. App.
130. *Hodierna die.* 155. App.
131. *Quæſo vos, Fratres cariſſimi.* 242. App.
132. *Peracta paſſione.* 158. App.

Ordo vetus. SERM. DE TEMPORE. Ordo novus.

133. *Videamus, Fratres.* 248. App.
134. *Multa ſunt & magna.* 157. App.
135. Reddidiſtis quod creditis. 59
136. *Non queo, Fratres cariſſimi.* 159. App.
137. *Paſſionem vel reſurrectionem.* 160. App.
138. *Gaudete, Fratres.* 163. App.
139. Per hos dies. 240
140. Heſterno die. 235
141. Reſurrectio Domini noſtri &c. 231
142. *Salutis humanæ.* 166. App.
143. Propria fides eſt Chriſtianorum. 241
144. Reſurrectio Domini noſtri &c. 232
145. De reſurrectione Domini. 237
146. Hodierno die. 239
147. Diebus his ſanctis. 242.
148. Et hodie lectio recitata eſt. 248
149. Hodie terminatum eſt. 253
150. *Agnus ille legalis.* 164. App.
151. Sic ſe habet &c. 254
152. *Pars eſt Sermonis* 243
153. *Sacramentum, Dilectiſſimi.* 165. App.
154. *Deus miſericordiæ & juſtitiæ.* 167. App.
155. Et hodie reſurrectio. 245
156. *Dignè, Fratres* &c. 161. App
157. *Paſchalis ſollemnitas.* 172. App.
158. *Omiſſus quia pars eſt Sermonis* 242
159. *Lectio Evangelica.* 169. App
160. Audivit Caritas Veſtra. 376
161. *Retinet Sanctitas Veſtra.* 162. App.
162. *Certiſſima eſt fiducia.* 171. App.
163. *Paſcha Chriſti, Dilectiſſimi.* 168. App.
164. Hodierno die. 224
165. Spes tota noſtra. 46
166. *Legimus in Evangelio.* 98. App.
167. *Domini vox eſt.* 97. App.
168. *In divinis voluminibus.* 272. App.
169. *Felices pacifici.* 61. App.
170. Intendite, Fratres mei. 386
171. *Suavis Dominus & mitis.* 85. App.
172. *Quoniam jejuniorum tempus eſt.* 175. App.
173. *Scire debemus & intelligere.* 174. App.
174. Glorificatio Domini. 263
175. *Salvator noſter.* 177. App.
176. *Omnia, Cariſſimi.* 176. App.
177. *Adſcenſionis Domini noſtri.* 178. App.
178. *Adſcenſionis ergo Dominicæ.* 179. App.
179. *Quantis ornatibus gaudiorum.* 180. App.
180. *Delectat adſpicere.* 181. App.
181. *Eſt Tract. de expoſitione Symboli, tom.* 6.
182. *Duo ſunt, Cariſſimi.* 64. App.
183. *Sanctitati Veſtræ.* 185. App.
184. *Diſceſſurus è mundo iſto.* 184. App.
185. *Poſt illam ſingularem.* 182. App.
186. Hodierni diei ſollemnitas. 267
187. Dies nobis, Fratres, gratus illuxit. 271
188. *Fratres cariſſimi, hodierna* &c. 183. App.
189. *Audio, Fratres.* 232. App.
190. *Apoſtoli lectionem.* 113. App.
191. *Multa quidem & frequenter.* 236. App.
192. *Oſtendimus Fratres dilectiſſimi,* 237. App.
193. *Hucuſque, Fratres dilectiſſimi,* 238. App.
194. *Ordinem ſymboli.* 239. App.
195. *Rogo & admoneo vos.* 244. App.
196. Qui Deum timetis. 107
197. *In Scripturis divinis.* 37. App.
198. *Modò cùm Regum lectio* &c. 38. App.
199. *Eſt Tract. de 5. hæreſibus tom.* 6.
200. *De duabus meretricibus.* 39. App.
201. *In lectionibus.* 40. App.
202. *Audivimus Evangeliſtam.* 66 App.
203. *Inter omnia.* 304. App.
204. *Cùm divina lectio legeretur.* 41. App.
205. Evangelica lectio. 85
206. *Sicut de beato Elia diximus.* 42. App.
207. *Cùm Naaman regis* &c. 43. App.
208. *Frequenter Caritati Veſtræ* &c. 44. App.
209. *Altitudinem divinitatis ſuæ.* 81. App.
210. *Modò cùm divina lectio* &c. 45. App.

Ordo vetus. SERM. DE TEMPORE. Ordo novus.

211. *Dum à cultu Dei.* 46. App.
212. Sancta ſcriptura.
213. *David Propheta.* 297. App.
214. Non dubito.
215. *Rogo vos, F. C.* 265. App.
216. *Gaudeamus.* 266. App.
217. *Eccleſia catholica.* 58. App.
218. *Rogo vos.* 57. App.
219. *Propitio Chriſto.* 277. App.
220. Ad exhortandas mentes.
221. *Excerptus ex Enar.* 2. *in Pſ.* 25. *tom.*
222. *Beatus Job.* 52. App.
223. *Eſt Tract. de patientia, tom.* 6.
224. *Promtiorem me ad loquendum.* 50. App.
225. *In lectione.* 51. App.
226. *Beatus Tobias.* 47. App.
227. *Faciendis eleemoſynis.* 306. App.
228. *Non ſufficit.* 48. App.
229. *Quotienſcumque bellicus rumor.* 49. App.
230. *Adversùs dæmonum nequitiam.* 73. App.
231. *Licèt propitio Chriſto.* 294. App.
232. *Frequenter Caritatem Veſtram.* 295. App.
233. *Dominus ac Redemtor noſter.* 71. App.
234. Interrogati Judæi.
235. Quæſtionem propoſitam Judæis.
236. Lectiones divinorum eloquiorum.
237. Lectiones ſanctas.
238. *Eſt Tract. de bono diſciplinæ tom.* 6.
239. *Eſt Tract. de diſciplina Chr. tom.* 6.
240. *Jubet tyrannus.* 59. App.
241. *Bene noſtis.* 278. App.
242. *Quotienſcumque.* 60. App.
243. *Quamlocumque caſtitatem.* 289. App.
244. *Magnum mihi gaudium.* 292. App.
245. Duo ſunt quæ in hac vita.
246. Ad vos mihi ſermo. 39
247. *Audivimus.* 74. App.
248. *Admonet nos lex divina.* 290. App.
249. *Glorioſum & inſignem.* 291. App.
250. *Nemo dicat.* 293. App.
251. *Sciendum eſt.* 280. App.
252. *Quotienſcumque.* 229. App.
253. *Rectè feſta Eccleſiæ colunt.* 231. App.
254. Decorem domûs Dei.
255. *Sicut optimè novit.* 230. App.
256. Celebritas hujus congregationis.

SERMONES DE SANCTIS.

1. *Heſterno die.* 215. App.
2. *Poſt heſternum.* 211. App.
3. *Donet mihi Dominus.* 212. App.
4. Jeſus filius Nave. 382
5. *Heſterno die.* 210. App.
6. *Quoniam video.* 217. App.
7. *Excerptus ex lib.* 22. *de civit. Dei c.* 8.
8. *Credimus Judæis.* 219. App.
9. *Chriſto igitur.* 218. App.
10. *Hodie, Fratres cariſſimi.* 220. App.
11. *Quotienſcumque, Fratres.* 221. App.
12. In paſſione. 276
13. *Cunctorum licèt.* 188. App.
14. *Hodie de Actib. Apoſtolorum.* 189. App.
15. *Inſtitutio ſollemnitatis.* 190. App.
16. *Noſtis Fratres cariſſimi.* 192. App.
17. Multa nobis. 347
18. *Adeſt nobis.* 194. App.
19. *Corruptum peccatis.* 247. App.
20. *Poſt illum ſacro-ſanctum.* 196. App.
21. *Natalem ſancti Johannis.* 197. App.
22. *Aurum de terra.* 199. App.
23. Diei hodiernæ ſollemnitas. 292
24. Apoſtolum Petrum. 147
25. *Filioli mei audite nos.* 204. App.
26. *Notum vobis omnibus.* 201. App.
27. *Cùm omnes beati.* 202. App.
28. *Piſcatoris & perſecutoris.* 205. App.
29. *Houte duos* &c. 203. App.
30. *Beatiſſimi Laurentii.* 206. App.

ſecundùm ordinem veterem cum novo.

Ordo vetus.	SERM. DE SANCTIS.	Ordo novus.
31.	*Dicit Dominus.*	86. *App.*
32.	*Cùm omnes beatos Martyres.*	207. *App.*
33.	*Cui ſimile eſt.*	87. *App.*
34.	*Eſt Tract. de Aſſumtione , tom. 6.*	
35.	*Adeſt nobis , Dilectiſſimi.*	208. *App.*
36.	*Hodie, dilectiſſ. Fr. Johannis.*	198. *App.*
37.	*Hodie , Dilectiſſimi.*	209. *App.*
38.	*Modò cùm Evangelica* &c.	77. *App.*
39.	*Recogitemus.*	250. *App.*
40.	*O Fratres cariſſimi.*	251. *App.*
41.	*In lectione apoſtolica.*	104. *App.*
42.	In lectione Evangelii.	101
43.	*Si omnium Sanctorum.*	222. *App.*
44.	*Triumphalis beati Martyris.*	223. *App.*
45.	Pſalmus qui cantatur Domino.	31
46.	*Non martyrium.*	224. *App.*
47.	*Quotienſcumque.*	225. *App.*
48.	Omnium quidem *&c.*	334
49.	*Certamine univerſorum* &c.	226. *App.*
50.	Quoniam dies ſanctorum *&c.*	335
51.	Domini fratres & coepiſcopi.	94
	SERMONES XVII.	
	A PARISIENSIBUS ADDITI.	
1.	*Sicut dies hodiernus.*	131. *App.*
2.	*Pars eſt Sermonis* 51	
3.	Delectione recentiſſima.	63
4.	Apparuit Dominus.	116
5.	Audiſtis lectionem.	233
6.	Solemnitate diei.	265
7.	*Pars eſt Sermonis* 88	
8.	Magnum ſpectaculum.	274
9.	Magnum & multùm mirandum.	275
10.	Cùm ſanctum Evangelium *&c.*	307
11.	Propter hunc locum.	308
12.	Sermonem à nobis debitum.	309
13.	Admonent nos eloquia divina.	65
14.	Sollemnitate ſanctæ Virginis.	53
15.	*Pars eſt Sermonis* 160	
16.	Bona opera fidelium.	337
17.	Quando bona opera.	338
	SERMONES	
	DE DIVERSIS.	
1.	Quoniam voluit Dominus.	255
2.	Admoniti ſumus cantare.	34
3.	Admoniti ſumus , & ſpiritu.	29
4.	Liberatoris noſtri.	251
5.	Multis & variis modis.	252
6.	Narratio reſurrectionis.	243
7.	*Pars eſt Sermonis* 361	
8.	Rudimenta miniſterii noſtri.	216
9.	Ordo eſt ædificationis veſtræ.	57
10.	Cùm lectio legeretur.	148
11.	Ne moras faciamus.	260
12.	Reſurrectio Domini.	261
13.	Dominus Jeſus.	262
14.	Qui meminit debiti ſui.	1
15.	De Aggæo propheta.	50
16.	In divinis.	12
17.	Cùm ſanctæ lectiones.	6
18.	Quoniam ſcriptum eſt.	33
19.	Cùm cantaremus Deo.	25
20.	Deus & Dominus noſter.	32
21.	Audivimus.	68
22.	Evangelii lectio.	75
23.	Viſionem magnam.	79
24.	Dominum noſtrum.	119
25.	Hanc ſententiam.	166
26.	Ante diem Dominicum.	149
27.	Verbi Dei aſſiduos auditores.	179
28.	Qui Deum timetis.	107
29.	De miraculis Dei.	320
30.	Diximus quidem heſterno die.	321
31.	Heſterno die.	322
32.	Miſericordia quidem Dei.	323
33.	Debet à nobis.	324
34.	Hodie Lectio.	278
35.	*Hodie Lectio de Actibus.*	189. *App.*
36.	*Pars eſt Sermonis* 279	

Ordo vetus.	SERM. DE DIVERSIS.	Ordo novus.
37.	Beati Laurentii.	304
38.	*Quando natalitia ſanctorum.*	316. *App.*
39.	Martyres, nomen eſt Græcum.	286
40.	Prolixa narratio.	287
41.	Debuimus quidem.	298
42.	Fortitudinem ſanctorum *&c.*	283
43.	Evangelium nos admonuit.	86
44.	Heſternæ lectionis.	4
45.	Præſtabit nobis.	37
46	Et heſterno die & hodie.	73
47.	Durum videtur & grave.	96
48.	Beatus apoſtolus.	56
49.	Propter quod volui.	355
50.	Caritati Veſtræ hodie.	356
51.	Donet mihi Dominus.	319
52.	Natus eſt nobis hodie.	371
53.	Commendat nobis.	225
54.	Novit fides veſtra.	372
55.	Sanctificavit nobis.	189
56.	Natalis Domini.	184
57.	Dilectiſſimi Fratres.	377
58.	Angelorum vocem.	193
59.	Hodiernus dies.	196
60.	Verbum Patris.	191
61.	Dominus noſter Jeſus.	190
62.	Natalis Domini dicitur.	185
63.	Exſpectationem Caritatis *&c.*	51
64.	EpiphaniaGręcę linguę vocabulo.	203
65.	*Aperiatur hodie omne os.*	138. *App.*
66.	Sollemnitas quam *&c.*	373
67.	Anniverſaria celebratio.	374
68.	Obſervationem Quadrageſimæ.	205
69.	Inſpicienda nobis.	78
70.	Anniverſario reditu.	206
71.	In adjutorio miſericordiæ *&c.*	207
72.	Sollemne tempus advenit.	208
73.	Sollemne tempus advenit.	209
74.	Sollemne tempus advenit.	210
75.	Tempus eſt *&c.*	212
76.	Cujus ſanguine delicta noſtra.	218
77.	Beatus Paulus apoſtolus.	219
78.	Scimus , Fratres.	220
79.	Dicendum eſt.	221
80.	Cùm vos , Dilectiſſimi.	222
81.	In libro qui appellatur Geneſis.	223
82.	Sic audiſtis prædicari.	226
83.	Memor ſum promiſſionis meæ.	227
84.	Evangelii Johannis principium.	120
85.	Mundus per Dominum factus eſt.	121
86.	Audiſtis lectionem.	233
87.	Reſurrectio Domini.	234
88.	Dominus noſter.	236
89.	Sicut Domino noſtro.	230
90.	Glorificatio Domini noſtri.	263
91.	Prima lectio.	359
92.	Martyr Stephanus.	317
93.	Beatiſſimus Stephanus.	315
94.	Beatiſſimus & glorioſiſſimus.	316
95.	Natalem Domini.	314
96.	*Magnifica Martyrum.*	216. *App.*
97.	*Apoſtolica Lectio.*	114. *App.*
98.	*Si quis ſollicitus.*	213. *App.*
99.	*Dominus noſter.*	214. *App.*
100.	Illa Evangelica tuba.	331
101.	Dominus Jeſus Martyres ſuos.	273
102.	Oculis fidei.	277
103.	Hodiernus dies.	280
104.	Refulget & præeminet.	281
105.	Duarum ſanctarum *&c.*	282
106.	Recens ſancti Evangelii lectio.	296
107.	Hodiernum nobis diem.	297
108.	Iſtum nobis diem.	295
109.	Iſtum diem nobis.	300
110.	Magnum ſpectaculum.	301
111.	Beati martyris Laurentii.	302
112.	Sicut audivimus.	306
113.	Spiritus-ſanctus doceat.	310
114.	Sanctiſſimus & ſollemniſſimus.	313

Ordo vetus.	SERM. DE DIVERSIS.	Ordo novus.
115.	Iſtum nobis feſtum.	311
116.	Diei tam grati.	312
117.	In Pſalmo diximus Domino.	328
118.	*Conflatus ex Ser.* 325. &c.	
119.	Audiſtis , Fratres.	64
120.	Animadvertimus.	361
121.	In memoria retinentes.	362
122.	Quod cantavimus Domino.	23
123.	Beati Laurentii.	303
	FRAGMENTA.	
1.	Illa duo.	*pag.* 1509
2.	Priùs in fundamento.	*Ser.* 8.
3.	Quæſtio de Epiſtola.	*Ser.* 162
4.	Vide duas mortes.	*Ser.* 344.
5.	Revelatur enim ira Dei.	*Ser.* 197
6.	Sed forſitan.	*Ibid.*
7.	Quid volebat Simon.	*Ibid.*
8.	Nec ipſe Apoſtolus.	*Ibid.*
9.	Ipſe Chriſtus loquitur.	*Ibid.*
10.	Quid eſt Juno ?	*Ibid.*
11.	Judæi olim.	*Ser.* 341
12.	Hoc ſacrificium.	*Ibid.*
13.	Quid eſt veſtis nuptialis.	*Ser.* 95
14.	Deſideremus vitam Chriſti.	*Ser.* 130
15.	Humiliatus eſt Dominus.	*pag.* 1517
16.	Quare autem primò ignobiles.	*p.* 1519
17.	In judicium venit.	*Ser.* 136
18.	Corde creditur.	*Ser.* 279
19.	Cor hominis.	*pag.* 1517
20.	Sicut morte Domini.	*Ser.* 236
21.	Quod enim mortuus eſt.	*pag.* 1512
22.	Si enim.	*pag.* 1511
23.	Qui ſe exaltat.	*Ibid.*
24.	Ideo Spiritus-ſanctus.	*Ser.* 268
25.	Apoſtolus dicit.	*Ser.* 288
26.	Ingemiſcimus gravati.	*Ser.* 299
27.	Debet enim vita.	*Ser.* 194
28.	Quis enim hominum.	*Ibid.*
29.	Neque enim &c. *de Geſt. Pelag. t.* 10.	
30.	In illo teſtamento.	*Ibid.*
31.	Mortificemur.	*Ser.* 362. *V.*
32.	Teſtamentum vetus.	*Ser.* 3
33.	Admonemus caritatem.	*Ser.* 359
34.	In ſacramento dictum.	*Ser.* 75
35.	Intelligitur quidem. *Ex Enar.* 2. *Pſ.* 25.	
36.	Ipſe eſt Chriſtus.	*Ser.* 244
37.	Mihi autem *&c.*	*Ser.* 160
	SERMONES	
	AD FRATRES IN EREMO.	
51.	*Excerptus eſt ex Sermone* 53. *App.*	
52.	Propter quod volui.	355
53.	Caritati veſtræ.	356
63.	*O Fratres cariſſimi ,*	251. *App.*
70.	*Ex Alcuino, & prior pars eſt in Ser.* 297. *Ap.*	
72.	*Excerptus ex Ser.* 2. *in Pſal.* 48. *tom.* 4.	
	Ceteri Sermones hujus claſſis exhibentur in ſequenti tomo.	
	SERMONES UNDECIM	
	EX MAJORIS CARTHUSIÆ MSS.	
1.	Hodierno die.	284
2.	Divinæ lectiones.	343
3.	Sanctum Evangelium.	145
4.	Sanctorum Martyrum.	285
5.	Inter alia divina.	266
6.	Cùm divina lectio.	7
7.	Ex omnibus.	28
8.	Propoſitum eſt nobis.	133
9.	Lectio recentiſſima.	89
10.	Sermonis noſtri propoſitio.	177
11.	Admoniti ab Apoſtolo.	160
	SERMONES	
	A JAC. SIRMONDO ADDITI.	
1.	Hæc maxime regula.	5
2.	Senſum noſtrum.	363
3.	Voce conſona.	20
4.	Cantantes.	19
5.	Jocundabitur juſtus.	21
6.	Gratias Domino.	24

Ordo vetus. SERM. A JAC. SIRM. ADDITI. Ordo novus.

7. Admonemus Caritatem Vestram. 198
8. De sacrificio vespertino. 342
9. Psalmum vobis. 366
10. Divina eloquia. 35
11. Cùm divinæ Scripturæ. 41
12. In omnibus lectionibus. 45
13. Omnes qui multa verba. 118
14. Nuptias filii regis. 90
15. Nec auribus, 125
16. Quid est quod audivimus. 140
17. Ex Evangelio. 244
18. Quoniam placuit Domino. 256
19. Hodiernus dies. 259
20. Propter adventum Spiritus. 268
21. Adventum Spiritus-sancti. 269
22. Quoniam sanctam celebritatem. 270
23. Diei hodiernæ festivitas. 288
24. Verba Apostoli audivimus. 279
25. Exspectat Sanctitas Vestra. 318
26. Agnoscit fides vestra. 305
27. Cantavimus Deo. 327
28. Quando honorem Martyribus. 332
29. Beatorum sollemnitas. 330
30. Die sollemni. 325
31. Amores duo. 344
32. Loquar Caritati Vestræ. 345
33. Divinæ lectiones. 81
34. Dominus noster. 80
35. Tempus est exhortari. 357
36. Curam nostram pro vobis. 358
37. Prima lectio. 359
38. Deo gratias, Fratres. 360
39. Semper quidem me. 340
40. Admonet nos Dominus. 389

EX APPENDICE SIRMONDI.

5. *Gaudium quod mihi.* 284. *App.*
Reliqui ejusdem Sirmondianæ Appendicis dabuntur in seq. tom. 6.

SERMONES AB HIERONYMO VIGNERIO ADDITI, in Parte I. Supplementi.

13. *Decimo die.* 240. *App.*
14. *Dies Kalendarum.* 129. *App.*
15. *Omne peccatum.* 130. *App.*
16. Hoc quod videtis. 272

Ordo vetus. SERM. A VIGNERIO ADDITI. Ordo novus.

17. *Dilectissimi Fratres.* 317. *App.*
18. *Delectat videre campos.* 227. *App.*

EX EADEM PARTE I. SUPPLEMENTI.

3 *Dies Epiphaniorum.* 137. *App.*
4 *Perpetui muneris.* 186. *App.*
5 *Imperator cæli.* 200. *App.*
6 Quietis & parva vox. 380

IN PARTE II. SUPPLEMENTI.

1. *Adhuc mærens. tom. 6.*
2. *Pars est Sermonis 292*
3. Caussa hodiernæ &c. 289
4. Quem diem celebramus. 291
5. Beatus Johannes. 379
Item 5. Sancti Johannis. 293
6. Petri & Pauli apostolorum. 381
7. Ante paucos dies. 204
8. *Supplico, Fratres carissimi.* 285. *App.*
9. Epiphania Latinè manifestatio est. 375
10. *Illud, Fratres carissimi.* 90. *App.*
11. *Quid ergo post hæc &c. Ex Ser.* 142. *App.*
12. *Isaac, inquit Scriptura.* 9. *App.*
13. *Superiore Dominicâ.* 146. *App.*
14. *Jam dies jejunii.* 83. *App.*
15. Ad eleemosynas faciendas. 390
16. Sacro-sancti martyrii. 215
17. Post laborem noctis præteritæ. 228
18. Apparuit Dominus. 116
19. Multis modis Dominus. 246
20. *In horto voluptatis.* 170. *App.*
21. Audivimus Evangelium. 249
22. Dominus Jesus. 250
23. *Ecce, Fratres dilectissimi.* 173. *App.*
24. Grata est Deo sollemnitas. 378
25. *In superioribus.* 187. *App.*
26. *Pars est Sermonis 336*
27. *Ex Enarr. 2. in Psal. 31. tom. 4.*
Item 27. *Omnis homo. Ad Fratres in erem.* 73
28. Cantavimus, & diximus. 365
29. *Audivimus.* 279. *App.*
30. Sollemnitas beatissimorum &c. 326
31. Memoriam Martyrum. *in Ser.* 64
32. Sanctorum Martyrum. 285
33. Per tam gloriosa. 329
34. *Pars est Sermonis 534*
35. Fortitudinem sanctorum Mart. 283

Ordo vetus. SERM. A VIGNERIO ADDITI.

36. *Quotienscumque, Fratres.* 501. A
37. *Rogo vos.* 288. A
38. *Judicia Dei.* 275.
39. *In Scripturis.* 295. A

SERMONES HIC NUN[C] primùm vulgati.

Inter duas mulieres.
Lectio sancti Evangelii.
Evangelica lectio.
Scripturas sanctas.
Sanctum Evangelium.
Miraculum grande.
Audivimus lectionem.
Meminisse debet Caritas Vestra.
Pro modulo ætatis.
Dominus Christus.
Sic sacra perennique.
Resurrectio Domini nostri.
Quod Hebraïcâ linguâ.
Quod cantavimus Deo.
Multa sunt.
Prædicandis prædicatoribus.
Recordamini.
Hodierno die. 395. *pag.*

FRAGMENTA HIC ADDITA.

Quia passus est. *Ser.*
Rex ergo. *pag.*
Gloriemur ergo. *ibid.*
Dixitque Deus. *ibid.*
Beatus Apostolus.
Factus sum parvulus. *ibid.*
Qui potest capere. *ibid.*
Corripite inquietos. *ibid.*
Invenimus. *ibid.*
Non est nobis colluctatio.
Qui dicit. *ibid.*
Oportet ergo. *ibid.*
Cùm autem. *ibid.*
Apostolus Petrus. *ibid.*
In illis veteribus.
Ipse enim.

SERMO HERACLII.

Puto, Fratres. *pag.*

ERRATA.

In Textu.

PAG. 17. *lineâ* 44. portemus, *fortè legendum*, portaremus.
81. *l.* 16. ante-quam, *leg.* ante quam.
95. *l.* 56. ipsas, *leg.* ipsos.
117. *l.* 58. tribulationes, *fortè leg.* tribulationis.
120. *l.* 55. qui tibi, *fortè leg.* quæ tibi.
141. *l.* 36. salvus, *fortè leg.* salvatus.
169. *l.* 47. Quia autem, *fortè leg.* Qui autem.
172. *l.* 17. quod multi, *fortè leg.* quod amare? Multi.
748. *l.* 2. *dele*, ha-

In Titulis.

122. *Sermonis* XXIII. *titulo adde*, Habitus in basilica Fausti.
136. *Sermonis* XXVI. *titulo adde ex Romano PP. Cisterciensium codice*, Habitus in basilica Theodosiana.
507. *l.* 1. Sermo CXIV. *leg.* XCIV.
1320. Sermo CCCXLI. *leg.* CCCXLII.

In Notis.

991. *In Sermonem* CCXXXVI. *Notam adde*, Citatur à Beda & Floro ad Rom. 4.
1482. *Ad Notam super Serm.* CCCLXXXII. *adde, reperiri in eo quadam excerpta ex Sermone* XC.
1483. *Dele Notam* b. *quæ spectat Ser.* CCCLXXXIII. *& ejus loco scribe*, Stilus non videtur esse Augustini, nisi fortè pertinet Sermo ad primos annos episcopatûs ipsius.

In Margine.

101. Ser. 28 *leg.* 29.
107. Ser. 28 *leg.* 29.
704. Aliàs de Div. 24. *leg.* 26.
1094. Spiritus-sanctus sacramenta, *leg.* per sacramenta.

In Appendice.

Pag. 28. *in censura Ser.* XIV. hîc postea exhibendi, *repone*, inter Augustinianos ordine CCCXLIII.
233. *in censura Ser.* CXXIX. *adde*, Hunc & sequentem Sermonem aut omnino similes laudatos invenimus in Cæsarii vita.
Ibid. Not. a hîc infra edito, *repone*, edito in tom. 6.
468. *l.* 14. in hominibus, *leg.* in nominibus.

Præterea consule Syllabum pag. 1525. *quo in Syllabo ibid. post lin.* 55. *adde*, vat. Vaticani MSS.

SANCTI

Profert de thesauro suo nova et vetera. Matth. 13. 52.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
SERMONES
AD POPULUM,
OMNES CLASSIBUS QUATUOR
NUNC PRIMUM COMPREHENSI.

1. Classe continentur Sermones de Scripturis veteris & novi Testamenti.
2. Sermones de Tempore.
3. Sermones de Sanctis.
4. Sermones de Diversis.
His in quinta Classe succedunt Sermones dubii, qui scilicet non certò habendi videntur pro Augustinianis. In Appendice demum Sermones supposititii.

I. CLASSIS.

** Aliàs de Diversis 14.*

* SERMO I.

a *De*[a] *eo quod scriptum est, (Gen.* 1. 1. *)* In principio fecit Deus cælum & terram : *& (Iohan.*1.1.*)* In principio erat Verbum : *contra Manichæos.*

Caput I. Rom. 13. 8.

QUI meminit debiti sui, sententiæque Apostolicæ, qua dictum est, Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, seipsum debet ad reddendum ipse compellere. Et re vera quantolibet fremitu debitoribus exactorum terror incumbat; multò vehementiùs exigit caritas, quæ aufert ab exactione pondus timoris, & verecundiæ majus imponit. Memini me A fuisse pollicitum Caritati Vestræ, adversùs Manichæorum stultas perniciosasque calumnias, quibus veteri Testamento insidiantur; responsionem per nos non defuturam; quantum Dominus donare dignatur. Advertite igitur, & videte laqueos serpentinos, atque inde subtracta jugo Christi colla supponite. Audent quippe illi hujuscemodi dolos prætendere incautis; ut dicant adversari sibi Scripturas novi & veteris Testamenti, ita ut una fide retineri utrumque non B possit : & ipsa principia libri Geneseos & Evangelii κατὰ Johannem sibimet inimica persuadere molientes, quasi ex adversa fronte committunt. (Manichæorum in veterem Legem calumniæ.)

2. Moyses enim dicit, inquiunt, *In principio fecit Deus cælum & terram*, nec nominat Filium, per quem facta sunt omnia : cùm Johannes dicat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud &c.* (Caput II. Gen. 1. 1. Iohan. 1. 1.)

[a] A Possidio notatur sermonis hujus titulus in Indiculo cap. 1.

Classis I.

Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Hoccine contrarium est, an potiùs sibimetipsi contrarii sunt, qui ea quæ non intelligunt, cæcitate reprehendere, quàm pietate quærere maluerunt? Quid enim dicturi sunt, cùm ipsum principium Filium Dei esse respondero, in quo Deum fecisse cælum & terram, Genesis loquitur? An fortè hoc probare non potero, cùm de ipso novo Testamento, cui velint nolint, fractâ superbiæ cervice subduntur, testes mihi præstò esse cognoscam? Ait enim Dominus incredulis Judæis, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: ille enim de me scripsit. Cur ergo non ipsum Dominum intelligam, in quo principio fecit Deus Pater cælum & terram? Nam *In principio fecit Deus cælum & terram*, Moyses utique scripsit, quem de Domino scripsisse, ipsius Domini voce firmatur. An fortè non est etiam ipse principium? Neque hinc dubitare oportebit, loquente Evangelio, ubi Judæi cùm à Domino quæsissent quis esset, ipse respondit, Principium,[a] quia & loquor vobis. Ecce in quo principio fecit Deus cælum & terram. Cælum ergo & terram fecit Deus in Filio, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil: ut etiam Evangelio concordante cum Genesi, secundùm Testamenti utriusque consensum teneamus hereditatem, litigiosasque calumnias exheredatis hæreticis relinquamus.

Johan. 5. 46. — *Johan. 8. 25.*

Caput III.

3. Nullo modo autem Vestram prudentiam movere debet, quòd cùm Johannes Evangelista non dixerit, Omnia in ipso facta sunt, sed *Omnia per ipsum facta sunt*; non legamus in Genesi, Per principium fecit Deus cælum & terram, sed *In principio fecit Deus cælum & terram*. Dicit enim Apostolus, Ut ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo in dispositione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris, in ipso. Quemadmodum itaque hîc sic audis quod ait *in ipso*, ut intelligas & *per ipsum*: sic in eo quod dicit Johannes, *Omnia per ipsum*, etiam *in ipso* intelligere cogeris. Et quemadmodum hîc non mihi aufertur intellectus, quo intelligo in ipso facta esse omnia, cùm *per ipsum* legam: sic in Genesi cùm legam in ipso factum esse cælum & terram, quis me intelligere prohibet & per ipsum? Nisi fortè è duobus Testamentis Manichæi transferunt litem, & eam inter beatissimos testes novi Testamenti, hoc est, inter Paulum Johannemque constituunt: quia ille ait, *in ipso*; ille, Et *per ipsum*. Sed nos, sicut Paulum & Johannem contrarios sibi esse non credimus; ita de Moysi & Pauli concordia etiam ipsos cogimus confiteri.

Ephes. 1. 9. & 10.

4. Et[b] quoniam sicut isti duo sibi, sic etiam Johannes consentit ambobus; quia ita dixit *per ipsum*, ut *in ipso* intelligi non prohibeat: * omnia divina scripta inter se pacata consistunt. Sed quemadmodum solet accidere, ut quando transeuntes nubes per obscura noctis intuemur, earum caligine sic acies nostra turbetur, ut in contrarium nobis sidera currere videantur: sic isti hæretici, quia in sui erroris nubilo pacem non inveniunt, videtur eis potiùs divina Scriptura rixari.

*Caput IV.

5. * Fortassis dicant, non de Verbo Dei dictum esse, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Fac esse, non in principio, quod est unicus Filius Dei; sed in principio temporis dictum intelligatur quod scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*: non quia jam erat tempus, antequam esset ulla creatura: (non enim vel tempus esse coæternum quisquam dixerit Deo, qui est conditor temporum:) sed ut cum cælo & terra esse cœperit tempus. Si ergo quisque sic intelligat, cognoscens dumtaxat creaturæ Creatorisque distantiam, ne coæternum Deo qui fecit, dicat esse quod fecit; certè vel in illo verbo elucebit numerus personarum, ubi dictum est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: &, Fecit Deus hominem ad imaginem Dei. Quamquam etiamsi non appareret, & sub unitatis appellatione Trinitas intelligentibus insinuaretur; non ideo contrarium principio Geneseos, Evangelii principium videri debuit prudentibus: non enim videri nisi imprudentibus potuit. Habemus enim talium in Scripturis locutionum innumera exempla. Ipse Dominus loquens ait, Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, neque per cælum, quia sedes Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Numquid propterea quia ibi se non nominat, fortasse negaturi sunt quòd sedeat Christus in cælo? Item dicit Apostolus, O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ipsius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius illi fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Etiam hîc Filii mentio nominatim non facta est. Unum dicit esse Apostolus Deum & Dominum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Cur ergo isti Moysen sibi elegerunt, quem Johanni Evangelistæ opponerent, Paulum autem apostolum ei opponere noluerunt? Quia scilicet imperitis hominibus duo Testamenta persuadere voluerunt esse contraria; ut uno teste utantur, alterum respuant. Hoc enim profitetur error ipsorum. Nam si esset alius, cujus item dementissimus furor ipsum novum Testamentum sibi contrarium apud imperitos conaretur ostendere; quid aliud ageret, nisi quemadmodum isti Moysen & Johannem, ita ille Paulum & Johannem, tamquam inimicos rixantesque proponeret? Sicut autem sincerissima & verissima fides commendat Pauli Johannisque concordiam; & in eo quod beatus Paulus ait, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, non solùm Patrem, sed & Filium & Spiritum-sanctum docet intelligi: sic Moysi & Johannis pacem intuens, in eo quod Moyses dixit, *In principio fecit Deus cælum & terram*, si principium accipit temporis, nihil aliud in eo quod dictum est, *Deus*, nisi Trinitatis unitatem agnoscit; aut principium in quo fecit Deus cælum & terram, ipsum Filium incunctanter amplectitur. Multa sunt alia quæ secundùm has regulas locutionis divinarum Scripturarum commemorare possimus: sed ne oneremus memoriam Sanctitatis Vestræ, ista commemorasse sufficerit. Cetera vos ipsos quærere, vel

Gen. … Ibid. … Matt. … 34. … Rom. …

[a] Editi, *qui & loquor*. At vetus codex Corbeiensis, *quia*: juxta Græc. ὅτι.

[b] Editi, *Et quomodo sicut isti* &c. Locum ad MS. Corb. castigavimus.

cùm Scripturæ leguntur, advertere, atque inter vos considerare concorditer & pertractare adhortamur. [a] Conversi &c.

* SERMO II.

De [b] tentatione Abrahæ à Deo.

I. NOTISSIMA [c] pietas patris nostri Abrahæ reddita nobis est in memoriam per recentem lectionem: & est [d] quidem ita mirabilis, ut nullum cor arbitrandum sit tam obliviosum, ut inde aliquando elabi possit. Verumtamen nescio quomodo, quotiescumque legitur, quasi tunc fiat, ita afficit mentes audientium. Magna fides, magna pietas, non solùm in Deum, sed etiam in ipsum unicum Filium, [e] cui nihil mali esse pater credidit, quidquid de illo jusserat qui creavit. Pater enim filii sui esse poterat Abraham, secundùm operationem carnis; non autem creator & conditor, secundùm operationem majestatis. [f] Et quidem, sicut dicit Apostolus, non secundùm carnem natus est Isaac Abrahæ, sed ex promissione: non quia eum carne non erat operatus, sed quia de summa desperatione susceperat; & nisi adesset promittens Deus, nihil tam senex de visceribus aniculæ conjugis sperare audebat posteritatis. Sed credidit nasciturum, & non plangit moriturum. Ejus dextera eligitur ad sacrificium, ut moreretur; cujus cor [g] electum est ad fidem, ut nasceretur. Non trepidavit Abraham credere, quando promittebatur; non trepidavit offerre, quando exigebatur: nec fuit religio credentis contraria devotioni obedientis. Hoc dico, non sibi dixit Abraham, Deus mihi locutus est: quando promisit filium, credidi quia mihi daturus esset Deus posteritatem: & qualem posteritatem? Ut diceret mihi, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Et ne fortè sic vocaretur mihi semen in Isaac, ut ante me meus filius moreretur: *In semine tuo*, inquit, *benedicentur omnes gentes.* Ipse mihi ergo loquens promisit filium, & ipse exigit ut occidam? Non sibi fecit quæstionem quasi de contrariis & sibi adversantibus verbis Dei promittentis filium nasciturum, & postea dicentis, Occide mihi filium tuum: sed erat in corde ejus fides semper inconcussa, & nullo modo deficiens. Cogitavit enim Abraham, Deum qui dedit ut ille de senibus nasceretur qui non erat, posse etiam de morte reparare. Amplius enim est quod jam fecerat Deus, [h] cùm qui non erat post tantam desperationem videbat sibi datum filium, & si humanam infirmitatem consulas, impossibile. Adjecit itaque animum ad fidem: non credidit aliquid impossibile esse Creatori. Qui, quemadmodum crediderat, suscepit filium, credidit postea jubenti Deo: jam in suscepto filio probaverat Deum. Credidit filium suscepturus, credidit occisurus. Ubique fidelis, nusquam crudelis. Omnino perduxit filium ad locum victimæ: armavit etiam dexteram cultro. Adtendis quis feriat, & quem feriat: adtende quis jubeat. Pius ergo Abraham obtemperando: quid Deus jubendo? Ne fortè infirmis, non dicam sacrilegis animis, ipse displiceat qui jubebat. Sed si placet qui obtemperabat, quomodo displiceat qui jubebat? Quia si Abraham bene fecit obtemperando; multò meliùs, & longè meliùs, incomparabili modo, Deus jubendo.

2. Fortasse sacramentum quæratur. * Non enim frustra hoc Deus juberet, aut carnaliter accipiendum est, quod lectum fortasse nonnullorum minùs intelligentium corda commovit. *Tentavit*, inquit, *Deus Abraham.* Sic ergo ignarus est Deus rerum, sic nescius cordis humani, ut tentando hominem inveniat? Absit: sed ut ipse homo se inveniat. Primò itaque, Fratres, propter illos qui adversantur Legi veteri, Scripturæ sanctæ; quia nonnulli non intelligentes citiùs volunt exagitare quod non intelligunt, quàm quærere ut intelligant; & non fiunt humiles inquisitores, sed superbi calumniatores: propter hos ergo qui Evangelium volunt accipere, & Legem veterem respuere; putantes in via Dei posse se esse, & rectè uno pede ambulare; quoniam non sunt Scribæ eruditi in regno Dei, qui proferunt de thesauro suo nova & vetera: propter hos ergo tales, ne qui fortè hîc lateant, aut etsi hîc non sunt, habeant qui adsunt, quid talibus respondeant, breviter solvenda est ista quæstio. Dicimus talibus, Evangelium accipitis, Legem non accipitis: nos autem dicimus, eumdem esse Evangelii misericordissimum largitorem, qui exstitit etiam Legis terribilis lator. Lege enim terruit, Evangelio conversos sanavit, quos ut [i] converterentur Lege terruerat. Imperator dedit legem, & multa commissa sunt contra legem: lex quam dedit imperator, non noverat nisi punire peccantes: restabat ergo, ut ad solvenda delicta eorum, ipse cum indulgentia veniret, qui legem præmiserat. Sed quid dicit perversum cor, [k] quia dicit accipere se Evangelium, Legem verò respuere? Quare respuit? Quia scriptum est, inquit, *Tentavit Deus Abraham.* Ego Deum colam qui tentat? Christum cole, quem habes in Evangelio. Ipse te revocat ad intelligendam Legem. Sed quia non transierunt ad Christum, in suo phantasmate remanserunt. Non enim colunt Christum, qualis prædicatur in Evangelio; sed qualem ipsi sibi finxerunt. Propterea super velamen stultitiæ suæ naturalis, addunt alterum velamen perversæ opinionis. Et quando per duplex velamen poterit videri quod lucet in Evangelio? * Displicet tibi tentans Deus, displiceat tibi tentans Christus. Sed cùm placuerit tibi tentans Christus, placeat tibi tentans Deus. Et Christus enim Filius Dei Deus, & cum Patre Christus unus Deus. Ubi igitur legimus tentantem Christum? Evangelium loquitur: ait enim Philippo, [l] Unde ememus panes, ut manducent hi? Et sequitur Evangelista: « Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Refer nunc animum ad Deum tentantem Abraham. Hoc enim dicebat & Deus, tentans Abraham: ipse enim sciebat quid

Sermo de Scripturis. — * Caput II. — Gen. 22. 1. — Deus tentans Abraham Manichæis immeritò displicet. — Matth. 13. 52. — * Caput III. — Johan. 6. 5. & 6.

[a] Corbeiæ MS. non addit, *Conversi &c.*
[b] In Possidii Indiculo, cap. 8. titulus habetur, *De filio Abraha ducto ad sacrificium.* Citatur idem sermo à Beda & Floro.
[c] Remigiensis MS. *Potissima pietas.* Regius, *Notissima fides.*
[d] Editiones tres, Amerbachiana, Erasmiana & Parisiensis anni 1571. *& est quidem ita mirabile.* MSS. Regius & Remig. *& est quiddam ita mirabile.*
[e] Sic Am. Er. Par. & MS. Reg. At Lov, *cùm nihil mali credidit esse* &c. Vlimmeriana editio, *cùm nihil mali esse crediderit* &c.
[f] Sic Am. Er. Par. & MSS. At Vlim. & Lov. *Si quidem.*
[g] Ita MSS. At editi, *erectum est*: & sic Florus, qui tamen solus in priore parte sententiæ habet, *erigitur.*
[h] MSS. *eum qui non erat. Post tantam desperationem* &c.
[i] Sic MSS. Editi verò, *ut converteret.*
[k] MSS. *quid dicit? Accipere se* &c.
[l] Sic MSS. Editi autem, *Habentes panes, date illis manducare.*

Classis I.

essent facturus. Agnoscitur tentator Christus, A agnoscitur tentator Deus: corrigatur tentator hæreticus. [a] Non enim sic tentat hæreticus, quomodo tentat Deus. Deus enim tentat, ut aperiat homini: hæreticus tentat, ut Deum sibi claudat.

Tentare Dei, quò spectat.

3. Ergo noverit Caritas Vestra, tentatione Deum non id agere, ut ipse aliquid cognoscat quod antè nesciebat; sed ut ipso tentante, id est, interrogante, quod est in homine occultum prodatur. Non enim sibi homo ita notus est, ut Creatori; nec sic æger sibi notus est, ut medico. Ægrotat homo; B ipse patitur, medicus non patitur; & ab illo qui non patitur, exspectat audire qui patitur. Ideo in Psalmo clamat homo, Ab occultis meis munda me Domine. (*Psal. 18.13.*) Quia sunt in homine occulta ipsi homini in quo sunt; & non procedunt, neque aperiuntur, neque inveniuntur, nisi in tentationibus. Si Deus cessat tentare, magister cessat docere. Sed Deus tentat, ut doceat; diabolus tentat, ut decipiat. (*Beda & Florus ad Ephes. 4.*) Cui tamen nisi ille qui tentatur dederit locum, inanis [b] tentatio & irri- C denda repellitur. Ideo Apostolus, Neque detis, ait, locum diabolo. (*Ephes. 4. 27.*) Dant autem locum homines diabolo ex concupiscentiis suis. Non enim vident homines diabolum, cum quo pugnant: sed facile habent remedium. Seipsos interiùs vincant, & de illo foris triumphant. Quare hoc dicimus? Quia nescit se homo, nisi in tentatione discat se. Cùm autem didicerit se, non se negligat. Si enim se negligebat latentem, non se negligat notum.

4. Quid ergo dicimus, Fratres? Etsi sciebat D se Abraham, nos non noveramus Abraham. Aut sibi, aut certè nobis prodendus erat: sibi, ut sciret unde gratias ageret; nobis, ut sciremus vel quid à Domino deprecaremur, vel quid in homine imitaremur. * Quid ergo nos docet Abraham? Ut breviter dicam, ut Deo non præponamus quod dat Deus. Interim ad litteram rerum gestarum, antequam tractetur latebra sacramenti, id est quid lateat in hoc mysterio, quo jussus est Abraham occidere unicum filium. Ergo nec illud E quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi qui præstitit: & cùm tibi voluerit subtrahere, non tibi vilescat: [c] quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus?

**Caput IV. Deo non præponendum, quod dedit.*

5. Ergo impletâ Abraham devotionis obedientiâ, audit à Deo, *Nunc cognovi quoniam tu times Deum.* (*Gen. 22.12.*) Quod ita intelligitur, quòd Abraham fecerit Deus ut sibi innotesceret. Sicut quando loquitur Propheta: (Christianis loquor, vel F proficientibus in schola Dei; non sunt rudia nec nova quæ dico, sed Vestræ Sanctitati nobiscum usitatissima & manifestissima:) quando Propheta loquitur, quid dicimus? Dixit Deus, [d] planè dicimus. Dicimus etiam, Dixit Propheta. Et utrumque rectè dicimus, & utrumque in auctoritate invenimus. Et Apostoli sic intellexerunt Prophetas, ut dicerent, Dixit Deus. Et alio loco, Dixit Isaias. Utrumque verum est, quia utrumque invenimus in Scripturis. Solvat mihi Christianus G quæstionem, quam modò proposui; & solvet sibi, quam paulò antè proposui. Quomodo? Quia

Deus discere dicitur, cùm facit ut discamus.

quod homo dicit de dono Dei, Deus dicit; secundùm illud, Non enim vos estis qui loquimini, & cetera. Et iterum, Ecce ego Paulus loquor vobis. Et iterum, Christus qui in me loquitur. * Ergo istam regulam, Fratres, transferte ad illud quod aliquando tortuosum videbatur, & rectum erit.

6. Illum ergo omnes intueamur, ut esurientes animas nostras ille pascat, qui esurivit propter nos; qui pauper factus est, cùm dives esset, ut ipsius paupertate nos ditaremur. Opportunè ad eum paulò antè cantavimus: Omnia* à te exspectant, ut des illis escam in tempore opportuno. Si omnia, omnes: si omnes, & nos. Non ergo si quid boni in sermone daturi sumus, nos dabimus, sed ille à quo omnes accipimus; quia omnes ad eum exspectamus. Tempus est det: sed faciamus quod dixit, ut det, id est, exspectemus ad eum; ipsum corde intueamur: quia sicut oculi corporis & aures ad nos, ita oculi cordis & aures ad illum. * Patente aure cordis audite magnum sacramentum. Omnia quidem sacramenta divinarum Scripturarum utique magna atque divina sunt: sunt tamen insigniora, magisque præcipua, quæ maximè intentos nos desiderant, & quæ præ ceteris ædificant lapsos, satiant esurientes: qui non ita [e] satiantur, ut fastidiant; sed ut sit satietas sine fastidio, pellens inopiam, non assumens contemtum. Quem non moveat jussus immolari unicus filius ei, à quo promissus est? Et maximè res ita gesta, ut audivimus, intentos animos facit ad quærendum exponi sacramentum.

7. Ante omnia tamen, Fratres, hoc in nomine Domini & admonemus, quantum possumus, & præcipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturæ narrantis quæ gesta sunt, priùs illud quod lectum est credatis sic gestum, quomodo lectum est; ne subtracto fundamento rei gestæ, quasi in aëre quæratis ædificare. Abraham pater noster homo erat illis temporibus fidelis, credens Deo, justificatus ex fide, sicut Scriptura dicit, & vetus & nova. Suscepit filium de Sara uxore, jam in senectute utrisque constitutis, ex magna desperatione, sed secundùm hominem. Quid autem de Deo non sperandum, cui difficile nihil est? Qui sic facit magna, quomodo parva; sic suscitat mortuos, quomodo creat vivos. Si pictor eadem arte facit murem, qua elephantem, ([f] diversa opera, sed ars una:) quantò magis Deus qui dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt? Quid difficilè facit, qui verbo facit? Qua facilitate creavit Angelos ultra cælos, eâ facilitate luminaria in cælis, eâ facilitate pisces in mari, eâ facilitate arbores & animalia in terra: eâ facilitate magna, quâ parva. Cui ergo cuncta facillimum fuit facere de nihilo, mirandum est quia dedit senibus filium? Tales ergo illos viros vel illos homines habebat Deus, & illo tempore tales fecerat præcones Filio venturo, ut non solùm in his quæ dicebant, sed etiam in his quæ faciebant, vel in his quæ illis accidebant, Christus quæratur, Christus inveniatur. [g] Quidquid Scriptura dicit de Abraham, & factum est, & prophetia est:

[a] Hîc MSS. prætermisso, *Non enim sic tentat hæreticus*; subjungunt, *Quomodo tentat Deus? Deus tentat* &c.
[b] Er. Par. & MSS. *inanis & irridendus repellitur.*
[c] MSS. Regius & Remig. *qui.*
[d] MSS. *bene dicimus.*
[e] Sic Regius MS. At Remigiensis cum Ulim. & Lov. *non ita satientur, ut fastidiant, sed sit* &c. Er. & Par. *non ita satientur, ut fastidiant, sed non sit satietas fastidio.*
[f] Sic Am. Er. Par. & MSS. At Ulim. & Lov. *diverso opere, sed arte una.*
[g] Ulim. & Lov. addunt, *Christus intelligatur*: quod abest à ceteris libris.

sicut Apostolus quodam loco dicit, Scriptum est A
» enim, quòd Abraham duos filios habuit, unum
» de ancilla, & alterum de libera: quæ sunt in allegoria. Hæc ergo sunt duo Testamenta.

8. Jam ergo non [a] imprudenter dicimus, quia Isaac & natus est Abrahæ, & aliquid significavit. Sicut & immolare filium jussus obtemperat Deo, perducit ad locum, pervenit triduo, dimittit duos servos suos cum jumento, pergit ipse quò Deus præceperat; levat lignum in altare, levat filium super lignum. Antequam veniat filius ad B locum sacrificii, portat lignum quo levandus est. Deinde cùm jam penè feriretur, sonat vox, ut parcatur: & non tamen sine sacrificio & sine sanguine fuso receditur. Apparet aries in vepre inhærens cornibus, immolatur, peragitur sacrificium. Peracto sacrificio dicitur ad Abraham, *Facio semen tuum, sicut stellas cæli, & arenam maris; & obtinebit semen tuum civitates adversariorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd exaudisti vocem meam.* Vide ergo C quando factum est, & quando fit commemoratio facti ipsius. Quando dicit ille Aries, Foderunt manus meas & pedes meos, & cetera. Quando peractum est illud in Psalmo sacrificium, tunc in ipso Psalmo dictum est, Commemorabuntur
» & convertentur ad Dominum universi fines ter-
» ræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ pa-
» triæ gentium: quoniam ipsius est regnum, & ipse
» dominabitur gentium. Si commemorabuntur, dictum est, præsignatum est aliquando, [b] quod D fieri jam videmus.

9. Videamus ergo quomodo impletum sit, & unde impletum, quo præcedente sacrificio impletum, quod dictum est Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Felices gentes, quæ illud non audierunt, & nunc legentes crediderunt, quod credidit ille qui audivit. Credidit enim Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. Quòd credidit Deo, intus in corde, in sola fide est: quòd E autem immolandum duxit filium, quòd intrepidus dexteram armavit, quòd jam feriret, nisi voce teneretur, magna fides est utique, & magnum opus: & ipsum opus laudavit Deus, cùm diceret, *Quoniam exaudisti vocem meam.* Quare ergo apostolus Paulus ait, Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis? Et alio loco dicit, Et fides quæ per dilectionem operatur. [c] Quomodo fides per dilectionem operatur; & quomodo justificatur homo per fidem sine operibus Legis? F Quomodo, intendite Fratres. Credidit aliquis, percepit fidei sacramenta in lecto, & mortuus est: defuit illi operandi tempus. Quid dicimus? quia non est justificatus? Planè dicimus justificatum, credentem in eum qui justificat impium. Ergo iste justificatus est, & operatus non est; &
» impletur sententia Apostoli dicentis, Arbitra-
» mur justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Latro qui cum Domino crucifixus est, corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad G salutem. Nam fides quæ per dilectionem operatur, etsi non sit in quo exteriùs operetur, in corde tamen illa fervens servatur. Nam erant quidam in Lege, qui de operibus Legis gloriabantur, quæ fortasse non dilectione, sed timore faciebant; & volebant se justos videri, & præponi Gentibus, quæ opus Legis non fecerant. Apostolus autem prædicans fidem Gentibus, cùm eos qui accedebant ad Dominum, videret justificatos ex fide, ut jam qui crediderant bene operarentur, non quia bene operati sunt credere mererentur, exclamavit securus, & ait, Quia justificari homo potest ex fide sine operibus Legis: ut illi magis non fuerint justi, qui quod faciebant, timore faciebant; cùm fides per dilectionem operetur in corde, etiam si foras non exit in opere.

SERM. DE SCRIPTURIS.

SERMONIS III.

De Agar & Ismaële, [d]

FRAGMENTUM,

In Bedæ ac Flori collectione & in Regio MS. repertum.

TESTAMENTUM vetus ad Judæos propriè pertinet. Etenim carnalia beneficia promittebantur, quia spiritalia non capiebantur. Regnum illud terrenum, & vita terrena funditus dejecta, subjectioni inimicorum tradita. Totum carnaliter sperabant de Domino, & propter hæc serviebant. Interrogentur Christiani, si modò nulli sunt tales. Tales ad vetus Testamentum pertinent. Non enim nomen interrogo, sed vitam. De his talibus sunt hæresis & schisma. Fugit à facie Saræ illa, & affligebat eam Sara. Quid mirandum? Affligebat eam corporaliter. Si quid afflictionis passa est pars [e] Donati, propter superbiam suam Agar passa est ancilla à Sara. Audiat Agar vocem Angeli, *Redi ad dominam tuam.* Sed sicut tunc qui secundùm carnem natus est, persequebatur eum, qui secundùm spiritum; ita & nunc. Non invenimus corporaliter persecutum Isaac ab Ismaële: sed tantùm quia dixerit Apostolus persecutionem. Nota ibi ubi dixit: Sed sicut tunc ille «
qui secundùm carnem natus est, persequebatur «
eum qui secundùm spiritum; ita & nunc. Sed «
quid ait Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: «
non enim heres erit filius ancillæ cum filio libe- «
ræ. Ergo ubi illud dicit Scriptura, ibi quæramus. Quid ait in Genesi? *Et factum est, cùm luderet Ismaël & Isaac, vidit eos ludentes.* Quis persecutus est? quem persecutus est? Ludentes eos vidit Sara, & ait, *Ejice ancillam & filium ejus.* Quare? Quia vidit eos ludentes. Sed lusum illum Paulus persecutionem vocat: quia lusio illa illusio erat. Si illusio, seductio & deceptio est. Omnis lusus puerorum simulacrum est negotii majoris: & quando major ludit cum minore, quasi ut seducatur, sciens se habere negotia alia quæ intendit, & simulat quædam puero, id est infirmo, ludens cum illo. Major erat Ismaël, & roboratus in malitia: sed ludens cum puero Isaac, seducebat Isaac, & quasdam fraudes ludendi cum infirmo faciebat. Animadvertit mater lusum illum esse persecutionem. Sic intelligens Sara mater lusum illum, dixit, *Ejice ancillam & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Et Ecclesia dicit, Ejice [f] hæreses & filios earum: non enim heredes erunt hæretici cum

Gen. 16. 6. — Ibidem 9. — Gal. 4. 29. — Gen. 21. 9. — Ibidem 10.

[a] MSS. *non impudenter.*

[b] Lov. *aliquando futurum.* Vox *futurum* abest à ceteris libris.

[c] Hic apud Am. Er. & Par. finitur Tractatus, appositâ clausulâ, *Per quam adipisci credimus salutem æternam, Amen.*

[d] Bedæ MSS. ad Gal. 4. 29. titulo addunt, *in natali Martyrum.*

[e] Ita in MSS. At in editis, *pars Domini.*

[f] Sic Bedæ MSS. Ceteri libri, *Ejice hæreticos & filios eorum.*

Classis I.

esset facturus. Agnoscitur tentator Christus, A agnoscitur tentator Deus: corrigatur tentator hæreticus. [a] Non enim sic tentat hæreticus, quomodo tentat Deus. Deus enim tentat, ut aperiat homini: hæreticus tentat, ut Deum sibi claudat.

Tentare Dei, quò spectat.

3. Ergo noverit Caritas Vestra, tentatione Deum non id agere, ut ipse aliquid cognoscat quod antè nesciebat; sed ut ipso tentante, id est, interrogante, quod est in homine occultum prodatur. Non enim sibi homo ita notus est, ut Creatori; nec sic æger sibi notus est, ut medico. Ægrotat homo; ipse patitur, medicus non patitur; B & ab illo qui non patitur, exspectat audire qui patitur. Ideo in Psalmo clamat homo, Ab occultis meis munda me Domine. (Psal. 18. 13.) Quia sunt in homine occulta ipsi homini in quo sunt; & non procedunt, neque aperiuntur, neque inveniuntur, nisi in tentationibus. Si Deus cessat tentare, magister cessat docere. Sed Deus tentat, ut doceat; diabolus tentat, ut decipiat. (Beda & Florus ad Ephes. 4.) Cui tamen nisi ille qui tentatur dederit locum, inanis [b] tentatio & irridenda repellitur. C Ideo Apostolus, Neque detis, ait, locum diabolo. (Ephes. 4. 27.) Dant autem locum homines diabolo ex concupiscentiis suis. Non enim vident homines diabolum, cum quo pugnant: sed facile habent remedium. Seipsos interiùs vincant, & de illo foris triumphant. Quare hoc dicimus? Quia nescit se homo, nisi in tentatione discat se. Cùm autem didicerit se, non se negligat. Si enim se negligebat latentem, non se negligat notum.

4. Quid ergo dicimus, Fratres? Etsi sciebat D se Abraham, nos non noveramus Abraham. Aut sibi, aut certè nobis prodendus erat: sibi, ut sciret unde gratias ageret; nobis, ut sciremus vel quid à Domino deprecaremur, vel quid in homine imitaremur.

**Caput IV. Deo non præponendum, quod dedit.*

* Quid ergo nos docet Abraham? Ut breviter dicam, ut Deo non præponamus quod dat Deus. Interim ad litteram rerum gestarum, antequam tractetur latebra sacramenti, id est quid lateat in hoc mysterio, quo jussus est Abraham occidere unicum filium. Ergo nec illud E quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi qui præstitit: & cùm tibi voluerit subtrahere, non tibi vilescat: [c] quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus?

5. Ergo impletâ Abraham devotionis obedientiâ, audit à Deo, *Nunc cognovi quoniam tu timez Deum.* (Gen. 22. 12.) Quod ita intelligitur, quòd Abraham fecerit Deus ut sibi innotesceret.

Deus discere dicitur, cùm facit ut discamus.

Sicut quando loquitur Propheta: (Christianis loquor, vel F proficientibus in schola Dei; non sunt rudia nec nova quæ dico, sed Vestræ Sanctitati nobiscum usitatissima & manifestissima:) quando Propheta loquitur, quid dicimus? Dixit Deus, [d] planè dicimus. Dicimus etiam, Dixit Propheta. Et utrumque rectè dicimus, & utrumque in auctoritate invenimus. Et Apostoli sic intellexerunt Prophetas, ut dicerent, Dixit Deus. Et alio loco, Dixit Isaias. Utrumque verum est, quia utrumque invenimus in Scripturis. Solvat mihi Christianus G quæstionem, quam modò proposui; & solvet sibi, quam paulò antè proposui. Quomodo? Quia quod homo dicit de dono Dei, Deus dicit; secundùm illud, Non enim vos estis qui loquimini, & cetera. Et iterum, Ecce ego Paulus loquor vobis. Et iterum, Christus qui in me loquitur. * Ergo istam regulam, Fratres, transferte ad illud quod aliquando tortuosum videbatur, & rectum erit.

6. Illum ergo omnes intueamur, ut esurientes animas nostras ille pascat, qui esurivit propter nos; qui pauper factus est, cùm dives esset, ut ipsius paupertate nos ditaremur. Opportunè ad eum paulò antè cantavimus: Omnia* à te exspectant, ut des illis escam in tempore opportuno. Si omnia, omnes: si omnes, & nos. Non ergo si quid boni in sermone daturi sumus, nos dabimus, sed ille à quo omnes accipimus; quia omnes ad eum exspectamus. Tempus est det: sed faciamus quod dixit, ut det, id est, exspectemus ad eum; ipsum corde intueamur: quia sicut oculi corporis & aures ad nos, ita oculi cordis & aures ad illum. * Patente aure cordis audite magnum sacramentum. Omnia quidem sacramenta divinarum Scripturarum utique magna atque divina sunt: sunt tamen insigniora, magisque præcipua, quæ maximè intentos nos desiderant, & quæ præ ceteris ædificant lapsos, satiant esurientes: qui non ita [e] satiantur, ut fastidiant; sed ut sit satietas sine fastidio, pellens inopiam, non assumens contemtum. Quem non moveat jussus immolari unicus filius ei, à quo promissus est? Et maximè res ita gesta, ut audivimus, intentos animos facit ad quærendum exponi sacramentum.

7. Ante omnia tamen, Fratres, hoc in nomine Domini & admonemus, quantum possumus, & præcipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturæ narrantis quæ gesta sunt, priùs illud quod lectum est credatis sic gestum, quomodo lectum est; ne subtracto fundamento rei gestæ, quasi in aëre quæratis ædificare. Abraham pater noster homo erat illis temporibus fidelis, credens Deo, justificatus ex fide, sicut Scriptura dicit, & vetus & nova. Suscepit filium de Sara uxore, jam in senectute utrisque constitutis, ex magna desperatione, sed secundùm hominem. Quid autem de Deo non sperandum, cui difficile nihil est? Qui sic facit magna, quomodo parva; sic suscitat mortuos, quomodo creat vivos. Si pictor eadem arte facit murem, qua elephantem, ([f] diversa opera, sed ars una:) quantò magis Deus qui dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt? Quid difficilè facit, qui verbo facit? Qua facilitate creavit Angelos ultra cælos, eâ facilitate luminaria in cælis, eâ facilitate pisces in mari, eâ facilitate arbores & animalia in terra: eâ facilitate magna, quâ parva. Cui ergo cuncta facillimum fuit facere de nihilo, mirandum est quia dedit senibus filium? Tales ergo illos viros vel illos homines habebat Deus, & illo tempore tales fecerat præcones Filio venturo, ut non solùm in his quæ dicebant, sed etiam in his quæ faciebant, vel in his quæ illis accidebant, Christus quæratur, Christus inveniatur. [g] Quidquid Scriptura dicit de Abraham, & factum est, & prophetia est:

[a] Hîc MSS. prætermisso, *Non enim sic tentat hæreticus*; subjungunt, *Quomodo tentat Deus? Deus tentat* &c.
[b] Er. Par. & MSS. *inanis & irridendus repellitur.*
[c] MSS. Regius & Remig. *qui.*
[d] MSS. *bene dicimus.*
[e] Sic Regius MS. At Remigiensis cum Vlim. & Lov. *non ita satientur, ut fastidiant, sed sit* &c. Er. & Par. *non ita satientur, ut fastidiant, sed non sit satietas fastidio.*
[f] Sic Am. Er. Par. & MSS. At Vlim. & Lov. *diverso opere, sed arte una.*
[g] Vlim. & Lov. addunt, *Christus intelligatur*: quod abest à ceteris libris.

CLASSIS I.

sicut Apostolus quodam loco dicit, Scriptum est A enim, quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alterum de libera: quæ sunt in allegoria. Hæc ergo sunt duo Testamenta. (*Gal. 4. 22.*)

CAPUT VII. Isaaci historia & vera est & figurativa.

8. Jam ergo non [a] imprudenter dicimus, quia Isaac & natus est Abrahæ, & aliquid significavit. Sicut & immolare filium jussus obtemperat Deo, perducit ad locum, pervenit triduo, dimittit duos servos suos cum jumento, pergit ipse quò Deus præceperat; levat lignum in altare, levat filium super lignum. Antequam veniat filius ad B locum sacrificii, portat lignum quo levandus est. Deinde cùm jam penè feriretur, sonat vox, ut parcatur: & non tamen sine sacrificio & sine sanguine fuso receditur. Apparet aries in vepre inhærens cornibus, immolatur, peragitur sacrificium. Peracto sacrificio dicitur ad Abraham, *Facio semen tuum, sicut stellas cæli, & arenam maris; & obtinebit semen tuum civitates adversariorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd exaudisti vocem meam.* (*Gen. 22. 17. & 18.*) Vide ergo C quando factum est, & quando fit commemoratio facti ipsius. Quando dicit ille Aries, Foderunt manus meas & pedes meos, & cetera. (*Psal. 21. 17.*) Quando peractum est illud in Psalmo sacrificium, tunc in ipso Psalmo dictum est, Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium: quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium. (*Ibidem 28. & 29.*) Si commemorabuntur, dictum est, præsignatum est aliquando, [b] quod D fieri jam videmus.

CAPUT VIII.

9. Videamus ergo quomodo impletum sit, & unde impletum, quo præcedente sacrificio impletum, quod dictum est Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* (*Gen. 22. 18.*) Felices gentes, quæ illud non audierunt, & nunc legentes crediderunt, quod credidit ille qui audivit. Credidit enim Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. (*Jacobi 2. 23. Beda & Florus ad Rom. 3.*) Quòd credidit Deo, intus in corde, in sola fide est: quòd E autem immolandum duxit filium, quòd intrepidus dexteram armavit, quòd jam feriret, nisi voce teneretur, magna fides est utique, & magnum opus: & ipsum opus laudavit Deus, cùm diceret, *Quoniam exaudisti vocem meam.* Quare ergo Apostolus Paulus ait, Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis? (*Rom. 3. 28.*) Et alio loco dicit, Et fides quæ per dilectionem operatur. (*Gal. 5. 6.*) [c] Quomodo fides per dilectionem operatur; & quomodo justificatur homo per fidem sine operibus Legis? F (*Justificatio ex fide sine operibus.*) Quomodo, intendite Fratres. Credidit aliquis, percepit fidei sacramenta in lecto, & mortuus est: defuit illi operandi tempus. Quid dicimus? quia non est justificatus? Planè dicimus justificatum, credentem in eum qui justificat impium. (*Rom. 4. 5.*) Ergo iste justificatus est, & operatus non est; & impletur sententia Apostoli dicentis, Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Latro qui cum Domino crucifixus est, corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad G salutem. (*Rom. 10. 10.*) Nam fides quæ per dilectionem operatur, etsi non sit in quo exteriùs operetur, in corde tamen illa fervens servatur. Nam erant quidam in Lege, qui de operibus Legis gloriabantur, quæ fortasse non dilectione, sed timore faciebant; & volebant se justos videri, & præponi Gentibus, quæ opus Legis non fecerant. Apostolus autem prædicans fidem Gentibus, cùm eos qui accedebant ad Dominum, videret justificatos ex fide, ut jam qui crediderant bene operarentur, non quia bene operati sunt credere mererentur, exclamavit securus, & ait, Quia justificari homo potest ex fide sine operibus Legis: ut illi magis non fuerint justi, qui quod faciebant, timore faciebant; cùm fides per dilectionem operetur in corde, etiam si foras non exit in opere.

SERM. DE SCRIPTURIS.

SERMONIS III.

De Agar & Ismaële, [d]

FRAGMENTUM,

In Bedæ ac Flori collectione & in Regio MS. repertum.

TESTAMENTUM vetus ad Judæos propriè pertinet. Etenim carnalia beneficia promittebantur, quia spiritalia non capiebantur. Regnum illud terrenum, & vita terrena funditus dejecta, subjectioni inimicorum tradita. Totum carnaliter sperabant de Domino, & propter hæc serviebant. Interrogentur Christiani, si modò nulli sunt tales. Tales ad vetus Testamentum pertinent. Non enim nomen interrogo, sed vitam. De his talibus sunt hæresis & schisma. Fugit à facie Saræ illa, & affligebat eam Sara. (*Gen. 16. 6.*) Quid mirandum? Affligebat eam corporaliter. Si quid afflictionis passa est pars [e] Donati, propter superbiam suam Agar passa est ancilla à Sara. Audiat Agar vocem Angeli, *Redi ad dominam tuam.* (*Ibidem 9.*) Sed sicut tunc qui secundùm carnem natus est, persequebatur eum, qui secundùm spiritum; ita & nunc. (*Gal. 4. 29.*) Non invenimus corporaliter persecutum Isaac ab Ismaële: sed tantùm quia dixerit Apostolus persecutionem. Nota ibi ubi dixit: Sed sicut tunc ille qui secundùm carnem natus est, persequebatur eum qui secundùm spiritum; ita & nunc. Sed quid ait Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Ergo ubi illud dicit Scriptura, ibi quæramus. Quid ait in Genesi? *Et factum est, cùm luderet Ismaël & Isaac; vidit eos ludentes.* (*Gen. 21. 9.*) Quis persecutus est? quem persecutus est? Ludentes eos vidit Sara, & ait, *Ejice ancillam & filium ejus.* Quare? Quia vidit eos ludentes. Sed lusum illum Paulus persecutionem vocat: quia lusio illa illusio erat. Si illusio, seductio & deceptio est. Omnis lusus puerorum simulacrum est negotii majoris: & quando major ludit cum minore, quasi ut seducatur, sciens se habere negotia alia quæ intendit, & simulat quædam puero, id est infirmo, ludens cum illo. Major erat Ismaël, & roboratus in malitia: sed ludens cum puero Isaac, seducebat Isaac, & quasdam fraudes ludendi cum infirmo faciebat. Animadvertit mater lusum illum esse persecutionem. Sic intelligens Sara mater lusum illum, dixit, *Ejice ancillam & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* (*Ibidem 10.*) Et Ecclesia dicit, Ejice [f] hæreses & filios earum: non enim heredes erunt hæretici cum

[a] MSS. *non impudenter.*

[b] Lov. *aliquando futurum.* Vox *futurum* abest à ceteris libris.

[c] Hìc apud Am. Er. & Par. finitur Tractatus, appositâ clausulâ, *Per quam adipisci credimus salutem æternam, Amen.*

[d] Bedæ MSS. ad Gal. 4. 29. titulo addunt, *in natali Martyrum.*

[e] Ita in MSS. At in editis, *pars Domini.*

[f] Sic Bedæ MSS. Ceteri libri, *Ejice hæreticos & filios eorum.*

CLASSIS I.

Catholicis. Sed quare non erunt heredes? Nonne de semine Abrahæ nati? Et quomodo baptismum Ecclesiæ habent? Baptismum habent: heredem faceret semen Abrahæ, nisi ab hereditate superbia excluderet. Eodem verbo nasceris, eodem sacramento; sed ad eamdem hereditatem vitæ æternæ non pervenis, nisi ad Ecclesiam Catholicam reversus fueris. Ex semine Abrahæ nasceris; sed filius ancillæ foris propter superbiam.

Aliàs de Diversis 44.

* SERMO IV.

De [a] *Iacob & Esaü,*

In festo Vincentii Martyris habitus.

CAPUT I. Spiritaliter sapere datur à Spiritu-sancto. *Rom. 8. 6.*

1. HESTERNÆ lectionis debitores nos esse meminimus: sed sicut nos debemus sermonem, ita & vos debetis audientiam. Et lectio quidem illa carnaliter sonat: qui autem Spiritum Dei accepit, spiritaliter sapit. Dixit enim Apostolus, Sapere secundùm carnem, mors est. Et ad hoc promisit Dominus Paraclitum Spiritum veritatis. Ergo sicut promisit, & misit, ut unusquisque jam qui eum Spiritum recepit, non sit temporalibus voluptatibus servus, sed dominus corporis factus & servus Creatoris, dirigat se in [b] viam præceptorum Dei: nec vestigia ejus nutent, nec oculi ejus palpitent; sed intentione fidei proficiat, ut veniat ad id quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit: quod creditur antequam videatur, ut cùm venerit, qui credidit, non confundatur. * Intendat ergo ambulans in spe, sperans quod nondum tenet, credens quod nondum videt, amans cui nondum hæret. Exercitatio autem animæ in fide, in spe & caritate, facit eum idoneum capere quod venturum est.

1. Cor. 2. 9. — * CAPUT II.

Petrus carnaliter sapiens, infirmus. *Matth. 26.*

2. Cùm ergo carnaliter adhuc saperet Petrus, turbatus ad interrogationem ancillæ, negavit Dominum ter. Prædixerat enim medicus ægroto quid in illo futurum erat: qui æger casus ægritudinis suæ non noverat, & plus de se ægrotus præsumserat; sed verus medicus videbat. Dixerat enim se cum Domino & pro Domino moriturum. Nondum autem poterat, quia infirmus erat. At ubi venit postea Spiritus-sanctus missus de cælo, & confirmavit eos, in quos venit; impletus ille fiduciâ spiritali, cœpit jam verè paratus esse mori pro eo, quem antè negaverat. Hac fiduciâ repleti omnes Martyres, tenentes rectam fidem, non morientes nec patientes pro falsa fide, pro vano phantasmate, pro spe inani, pro re incerta; sed pro veritatis pollicitatione, certum habentes eum qui promisit, potentem esse qui exhibeat; omnia præsentia contemserunt, in futura exarserunt, quæ cùm fuerint illis præsentia, non erunt præterita.

Ipsius & omnium Martyrum fortitudo ex Spiritu-sancto.

CAPUT III. *Gen. 17.* Esaü carnales, Jacob spiritales figurat.

3. Recordamini ergo, qui interfuistis hesterno die, duos filios Isaac, Esaü & Jacob, quomodo majori præponitur minor: ut ad Jacob pertineatis, Esaü non ametis. Erit autem Esaü, qui vult carnaliter vivere, vel carnalia in futuro sæculo sperare. Sive ergo carnaliter vivens, & talibus gaudens in hoc tempore, & talia de Deo sperans, qualia habent & mali, & totam felicitatem suam in ipsa ponens, de qua gaudent & inique; aut certè contemnens istam præsentem, & talem sperans in futuro; carnalis est, carnalem habens fidem, carnalem spem, carnalem caritatem. Fides autem spiritalis est, credere quòd protector sit temporaliter Dominus tuus, ut venias ad illud quod temporale non erit; & sperare te habiturum vitam Angelorum, non in corruptionibus carnis, non in voluptatibus & illecebris, non in fornicationibus & ebrietatibus & gaudio epularum carnalium, non in superbia possessionum dominationis terrenæ; sed tantummodo quomodo Angeli vivunt.

4. Vivunt autem Angeli in gaudio, non creaturæ, sed Creatoris. Gaudium enim creaturæ est quidquid videtur: gaudium Creatoris est quod non videtur oculis corporis, sed purgata acie mentis. Beati mundo corde. Ad quam visionem beati sunt? quoniam ipsi Deum videbunt. Non enim putetis, Fratres, quia gaudent Angeli ex eo quia vident terram, aut cælum, vel quæcumque [c] in his sunt. Non ex eo gaudent, quia vident cælum & terram; sed quia vident eum, qui fecit cælum & terram.

5. Ille autem qui fecit cælum & terram, nec cælum est, nec terra; nec quid terrenum potest cogitari, nec quid cæleste, nec quid corporeum vel spiritale poteris cogitare: non hoc est Deus. Non tibi facias hominem aliquem grandem & pulcrum: non circumscribitur humanâ formâ Deus; non continetur loco, non tenetur spatio. Non tibi facias quasi aureum Deum: non hoc est Deus. Nam aurum, unde tibi vis facere Deum, Deus ipse fecit; & hoc * infirmum, quia in terra. Non tibi proponas, quia aliquid tale est Deus, quale vides in cælo, vel lunam, vel solem, vel sidera, vel quidquid fulget & splendet in cælo: non hoc est Deus. Sed nec iterum ideo tibi non videatur Deus quod sol, quia sol tamquam rota quædam est, non immensum lucis spatium; & dicas tibi, Ergo Deus infinitæ lucis est & immensæ: ut quasi tendas ipsum solem, & facias illum non habere finem, nec hac nec illac, nec sursum nec deorsum; & tamen lucem tibi immensam proponas Deum: nec hoc est Deus. Deus quidem habitat lucem inaccessibilem: sed talis lux non est rota, nec potest esse nota oculis carnis. *1. Tim. 6. 16.*

6. Sed si videre potes quid est veritas, quid est sapientia, quid justitia, quomodo dictum est, Accedite ad eum & illuminamini: quomodo est illud lumen verum, de quo dicit Johannes, Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quomodo Johannes ipse Baptista non erat lumen verum. Dicit enim Johannes Evangelista, Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Non solùm autem Johannes Baptista verum lumen non erat, sed nec Paulus verum lumen erat, nec Petrus verum lumen erat, nec aliqui Apostoli verum lumen erant. Etenim verum lumen est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illi verò lumina erant, quia illuminabantur. Nam & oculi carnis nostræ dicuntur lumina; & unusquisque jurat, Per lumina mea. Lumina ista quid

Psal. 33. 6. — *Johan. 1. 9.* — *Ibidem 8.*

[a] Possidius hunc in Indiculo c. 8. sermonem notat: qui quidem in Regio MS. inscribitur, *De benedictionibus Esaü & Jacob.*

[b] Editi, Par. & Vlim. *in via.* Regius autem MS. præterit isthæc verba, *præceptorum Dei: nec vestigia ejus nutent, nec.* Ac sic affirmanter dicitur, *Oculi ejus palpitent.* Fortè non malè: quando infrà n. 7. affirmans sententia est, *Palpitat mentis acies, purgetur ut videat.*

[c] Par. & Vlim. *vel quæcumque nihil sunt.* Lov. *in eo sunt.* At MSS. *in his sunt.*

[ASSIS I.] sunt? si desit sol, si desit luna aut lucerna, certè in tenebris remanent. Ubi sunt lumina, videant ante se, præbeant ducatum pedibus, si lumina sunt: & tamen lumina sunt. Quare lumina sunt? Quia possunt lumen recipere. Etenim cùm fuerit lumen illatum, lumen ipsum non sentit frons tua, nec auris tua, nec olfactus tuus, nec manus tua, nec pes tuus: sola membra in te qui vocantur oculi, sola sentiunt lumen illatum. Absente lumine tenebrantur: sed illato lumine sola illuminantur, id est, quia sola sentiunt lumen. B Illuminantur quidem & cetera membra tua; sed ut videri possint, non ut videre possint. Nam lux quæ oritur, vel quæ infertur, omnia membra perfundit; oculos ut videant, cetera ut videantur. Sic omnes sancti illuminati sunt, ut viderent, & ut quod videbant, prædicarent. Ideò illis dictum est, Vos estis lumen mundi. [Matth. 5.] Sed lum.n, non verum lumen. Quare? Quia erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem. [Joan. 1. 1] Omnem hominem dixit.* [Manichæorum errorem perstringit.] C Si de isto sole diceret, non diceret, Omnem hominem; quia iste sol non à solis hominibus videtur. Vident illum & pecora, & minutissima animalia, & muscæ vident istum solem: illud autem lumen quod Deus est, nemo videt, nisi de quibus dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. [Matth. 5. 8.]

[CAPUT VI. Lumen quod Deus est, quale cogitandum.]

7. Conamini cogitare, Fratres, lumen veritatis, lucem sapientiæ, quomodo ubique præsens est omnibus: conamini cogitare lumen justitiæ; D præsens est enim omni cogitanti. Quid enim est quod cogitat? Qui vult injustè vivere, peccat. Deserit justitiam: diminuta est? Conversus est ad justitiam: quid? aucta est? Deserit eam, integram illam relinquit: convertitur ad eam, integram illam invenit. Quid est ergo lumen justitiæ? De Oriente hoc surgit, & in Occidentem vadit? An est alius locus unde oritur, aut quò venit? Nonne ubique præstò est? Homo certè qui est in Occidente, si vult justè vivere, id est, secundùm justitiam, numquid deest illi quam intueatur * [f. ut vivat.] & videat secundùm ipsam justitiam? Iterum in Oriente positus si velit justè vivere, id est, secundùm eamdem justitiam, numquid deest illi? Ibi enim est justitia: præstò est justè viventi. Secundùm [a] ejus regulam vident quemadmodum justè vivant & illi: sicut justi bene vivendo eam vident, ita & injusti malè vivendo non eam vident. Nam & ille justè vivit, cùm eam videt; & ille ipsam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat: quia nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur. Quia ergo & huic præstò esse potuit ibi consistenti, nullo loco est, & ubique est: sic justitia, sic sapientia, sic veritas, sic castitas. Conamini ergo videre talem lucem: sed non potestis; palpitat mentis acies; purgetur, ut videat. * [CAPUT VII.] Ut autem purgetur & videat, credat, ut purgari mereatur. Quod ergo videre non potestis, differte, ut curemini, & videre possitis.

[Felicitas in futuro sæculo qualis speranda.]

8. Non tamen tale aliquid in futuro sæculo cogitetis, quale nunc videtis: quia si tale aliquid cogitaveritis, & tale aliquid dilexeritis; cum ipso mundo vultis ire extra mundum, tollere vobiscum vultis mundum. Non erunt ibi ista. Lux ibi erit quædam, unde hoc rorat nescio quid, A quod modò intelligimus, & gaudemus. Sed si habemus benedictionem à rore cæli, habemus abundantiam à fertilitate terræ: sic est enim benedictus Jacob: [SERM. DE SCRIPTURIS.] [Gen. 27. 28.] ad eum pertineamus, & non carnaliter vivamus. Quia unusquisque incipit carnaliter vivere, ideo major dictus est Esaü. [Gen. 25. 23.] Duo Testamenta dicuntur in Lege, unum Vetus, & alterum Novum. [Duo Testamenta.] Vetus promissiones habebat temporales, sed significationes spiritales. Intendat Caritas Vestra. B Si promissa est Judæis terra repromissionis, significat aliquid spiritaliter terra repromissionis: si promissa est Judæis civitas pacis Jerusalem, significat aliquid nomen civitatis Jerusalem: si data est Judæis circumcisio carnis, significat aliquam spiritalem circumcisionem: si jussi sunt Judæi unum diem sabbatum observare de septem diebus, significat spiritalem quietem, quæ non habet vesperam. Nam & in ipsis septem diebus, in Genesi in omnibus diebus dictum est, Facta est vespera: in septimo die non dicitur, Facta est vespera. [Gen. 1. 5. &c.] C Septimo die qui vesperam non habet, significatur nobis requies sempiterna, ubi nullus est occasus. Si data sunt sacrificia Judæis carnalia, per victimas animalium omnia significant sacrificia spiritalia. * [CAPUT VIII.] Ergo qui sic intellexerunt, quasi præsens illis aliquid daretur pro magno, & futurum nihil quæsierunt, nec spiritaliter ea quæ carnaliter agebantur, intelligere valuerunt, ad majorem filium pertinent, ad vetus Testamentum pertinent.

[Testamenti veteris & novi discrimen & consonantia.]

D 9. Vetus enim Testamentum est promissio figurata: novum Testamentum est promissio spiritaliter intellecta. Cùm enim Jerusalem quæ fuit in terra, pertineat ad vetus Testamentum; imaginem habet ad Jerusalem quæ est in cælo, & pertinet ad novum Testamentum. [b] Circumcisio carnalis pertinet ad vetus Testamentum: circumcisio cordis pertinet ad novum Testamentum. Liberatur secundùm vetus Testamentum populus de Ægypto: liberatur secundùm novum Testa- E mentum populus à diabolo. Persecutores Ægyptii & Pharao persequuntur exeuntes de Ægypto Judæos: persequuntur populum Christianum peccata ipsorum & diabolus princeps peccatorum. Sed sicut Judæos usque ad mare persequuntur Ægyptii: sic Christianos usque ad baptismum persequuntur peccata. * [CAPUT IX.] Intendite Fratres, & videte, liberantur per mare Judæi, obruuntur in mari Ægyptii: liberantur Christiani in remissione peccatorum, delentur peccata per baptismum. F Exeunt post mare rubrum, & ambulant per eremum: sic & Christiani post baptismum nondum sunt in terra repromissionis, sed sunt in spe. Sæculum autem hoc eremus est; & verè Christiano est eremus post baptismum, si intelligat quod accepit. [Eremus est Christiano hic mundus.] Si non solùm signa corporalia in illo fiant, sed si etiam in corde spiritalis effectus, intelligit sibi eremum esse istum mundum, intelligit in peregrinatione se vivere, patriam * [f. desiderat.] desiderare. Quanto diu autem desiderat, in spe est. G Spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes. [Rom. 8. 24.] « Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem « quod non videmus, speramus, per patientiam ex- « spectamus. Ista patientia in eremo facit aliquid sperare: si jam se putat in patria, non pervenit ad patriam: si jam se putat in patria, remanet in

[a] Sic MSS. Editi verò, *Secundùm enim regulam videt.*

[b] Isthæc sententia, *Circumcisio carnalis pertinet ad vetus Testamentum: circumcisio* &c. omissa in editis fuerat. Restituitur ex MS. Corb.

Classis I.

via: ut autem non remaneat in via, speret patriam, desideret patriam, ne deviet. Nam occurrunt tentationes: ita post baptismum occurrunt. Sicut enim non soli erant hostes Judæorum Ægyptii, qui illos ab Ægypto persequebantur, (ipsi enim præteriti hostes erant, quomodo unumquemque persequitur præterita vita sua & præterita peccata sua cum principe suo diabolo:) sed exstiterunt in eremo, qui vellent impedire viam; & pugnatum est cum illis, & victi sunt: sic post baptismum cùm cœperit ambulare Christianus viam cordis sui in spe promissorum Dei, non deviet. Nam occurrunt tentationes aliud aliquid suggerentes, delicias hujus mundi, aliam quamdam vitam, ut unumquemque de via detorqueant, & à proposito abducant. Si autem [a] isto desiderio istas suggestiones viceris, vincuntur hostes in via, & perducitur populus ad patriam.

CAPUT X. Figuræ nostræ ea quæ Israëlitico populo cōtigerunt. 1. Cor. 10. 1. &c.

10. Audi Apostolum, quia ista figuræ nostræ fuerunt. Nolo enim (inquit) vos ignorare, Fratres, quia omnes patres nostri sub nube fuerunt. Si sub nube fuerunt, sub caligine fuerunt. Quid est, sub caligine fuerunt? Non eis intelligentibus spiritaliter, quæ cum eis corporaliter agebantur. Et omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, & omnes eumdem cibum spiritalem manducaverunt. Datum est enim illis manna in deserto (*Exodi 16. 13.*), sicut nobis datur dulcedo Scripturarum, ut duremus in ista eremo vitæ humanæ. Et norunt quale manna accipiunt Christiani, quibus dixit ipse Psalmus (*Psal. 33. 9.*), Gustate & videte, quàm suavis est Dominus. Et omnes (*1. Cor. 10. 3. &c.*) (inquit) eumdem cibum spiritalem manducaverunt. Quid est, eumdem? Idem significantem. Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Et adtende quomodo unam rem exposuit, & cetera tacuit: Bibebant enim de spiritali sequente petra; petra autem erat Christus. Hæc autem figuræ nostræ fuerunt. Illis sunt exhibitæ, sed figuræ nostræ fuerunt: quia illis corporaliter exhibebantur, nobis spiritaliter significabantur. Ergo illi qui corporaliter ea tenuerunt, ad vetus Testamentum pertinuerunt.

CAPUT XI. *Gen. 27. 1.* Isaac & Rebecca in benedictione Jacob, quid figurabant.

11. Jam videte quia senuerat Isaac. Cujus personam gessit Isaac, quando voluit benedicere filium suum majorem? Jam senuerat; ubi senectus, vetustas; per senectutem intelligo vetustatem; & per vetustatem intelligo vetus Testamentum. Hoc ergo vetus Testamentum quia illi non intelligebant, qui sub nube fuerunt, ideo dicuntur caligasse oculi Isaac. Caligo oculorum corporis Isaac, caliginem significat mentium Judæorum: senectus Isaac, vetustatem significat veteris Testamenti. Quid ergo, Fratres? Vult tamen benedicere & majorem filium Esaü. Minorem amabat mater, & majorem pater, tamquam primogenitum: nam æqualis in ambos justitia, sed erat caritas major erga primogenitum. Uult ille benedicere majorem, quia vetus Testamentum primo [b] populo promittebat. Promissiones non loquitur nisi ad Judæos: ipsis videtur promittere, ipsis videtur omnia polliceri. Vocantur ab Ægypto, liberantur ab hostibus, per mare ducuntur, pascuntur manna, accipiunt Testamentum, accipiunt Legem, accipiunt promissiones, accipiunt ipsam terram repromissionis. Non mirum, quia ille benedicere voluit primum filium: sed sub figura majoris benedicitur minor. Mater enim typum gestat Ecclesiæ. Ecclesiam autem accipite, Fratres, non in his solis qui post Domini adventum & nativitatem esse cœperunt sancti; sed omnes quotquot fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent. Non enim non ad nos pertinet pater Abraham, quia ille fuit antequam Christus nasceretur de Virgine, & nos tantò pòst, id est, post passionem Christi facti sumus Christiani: cùm dicat Apostolus, Quia filii sumus Abrahæ, imitando fidem Abrahæ. Ergo nos imitando illum ad Ecclesiam admittimur, & ipsum ab Ecclesia exclusuri sumus? Hæc Ecclesia significatur in Rebecca uxore Isaac: hæc Ecclesia erat in sanctis etiam Prophetis, qui intelligebant vetus Testamentum, quia promissiones illæ carnales spiritale nescio quid significabant. Si spiritale, spiritales ergo ad minorem filium: quia prior est carnalis, & postea spiritalis.

12. Jam hesterno die præmisimus Sanctitati Vestræ, ideo majorem filium dici Esaü, quia nemo fit spiritalis, nisi ex carnali: sed si perseveret in prudentia carnis, semper erit Esaü: si autem fiat spiritalis, est filius minor; sed ipse minor erit major: ille enim tempore præcedit, iste virtute. Namque cùm coxisset lentem Jacob, desideravit Esaü accipere, antequam veniret ad istam benedictionem: & ille ait illi, *Da mihi primogenita tua, & dabo tibi lentem, quam coxi.* Vendidit primogenita sua minori: abstulit ille voluptatem temporalem, abstulit ille dignitatem sempiternam. Ergo qui temporalibus voluptatibus serviunt in Ecclesia, lentem manducant. Quam quidem coxit Jacob, sed non manducavit Jacob: idola enim magis in Ægypto viguerant. Lens cibus est Ægypti. Per lentem omnes errores Gentium significantur. Quia ergo Ecclesia eminentior & manifestior in filio minore de Gentibus ventura significabatur, lentem coxisse dicitur Jacob, & & manducasse Esaü. Etenim dimiserunt idola Gentes, quæ colebant; Judæi autem serviebant idolis: nam conversi corde in Ægyptum, ducebantur per eremum; & cùm interfecti essent in mari hostes eorum, & fluctibus obruti essent inimici eorum, desideraverunt idolum facere (*Exodi*), quia non viderunt Moysen, & non intellexerunt secum præsentem Deum; sed in præsentia hominis habentes spem, non viderunt oculis [c] hominem, & putare cœperunt, quia non ibi esset Deus, cùm ipse solus per Moysen tanta [d] patraret. Quæsierunt hominem oculis carnis, quia non habebant oculos cordis, unde Deum in Moyse viderent. Perdiderunt ergo primatum suum, quia conversi corde in Ægyptum manducaverunt lentem. * Accipite. Populus Christianus est; sed in ipso populo Christiano illi primatum tenent, qui pertinent ad Jacob: qui verò carnaliter vivunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt, adhuc ad vetus Testamentum pertinent, nondum ad novum; adhuc in sorte sunt Esaü, nondum in benedictione Jacob.

* CAPUT XIII.

Benedictio minoris sub specie majoris.

13. Intendat Sanctitas Vestra. Benedicere ergo volebat majorem filium Isaac senex caliginosis oculis, quia vetus Testamentum ad Judæos directum erat. Quod vetus Testamentum non ab

[a] Corbeiensis MS. *ista desideria.*
[b] Editi, *primo promittebat*, omissa voce *populo:* quæ exstat in MSS.
[c] Sic MSS. Editi verò, *oculis hominum.*
[d] MSS. *præstaret.*

eis

eis intelligebatur, ideo caliginosi oculi dicuntur. Ut dixi, Fratres, ad majorem loquitur, ad minorem pervenit benedictio. Etenim mater ista, quæ in sanctis omnibus intelligitur, id est, Ecclesia, quæ intellexit prophetiam, ipsa dat consilium filio minori; & dicit illi, *Ego ipsa audivi patrem tuum dicentem fratri tuo, Vade, & affer mihi venationem, ut manducem, & benedicat te anima mea, antequam moriar. Nunc ergo, fili, audi me.* Et dedit illi consilium ut iret, afferretque duos hœdos de proximo grege; & faceret illos mater, quemadmodum delectabatur pater ejus; & manducaret, & benediceret filium suum minorem absente majore. Ille autem timuit, & ait, *Frater meus pilosus est, ego autem lenis sum, ne contingat me & compalpet pater meus, & intelligat quia ego sum Jacob, & adquiram non benedictionem, sed maledictionem.* At illa, *Vade,* inquit, *fili, audi me: maledictio tua super me sit.* Perrexit, & adtulit duos hœdos: facti sunt, & apposuit patri suo: & quemadmodum prædixit, quia non illum agnoscebat in voce, tetigit, invenit pilos; quia pellibus hœdorum circumdederat mater brachia ejus: credidit majorem esse, & benedixit. In benedictione majorem intendebat, & benedictio ad minorem perveniebat. * Quid est ergo quòd sub specie majoris benedicitur minor, nisi quia sub figuris veteris Testamenti promissi populo Judæorum, pervenit benedictio [a] spiritalis ad populum Christianorum? Attendite Fratres: audiunt illi terram promissionis, audimus & nos: tamquam ad Judæos videtur Scriptura loqui de terra promissionis, & ad nos pervenit intellectus terræ promissionis, qui dicimus Deo, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Sed hoc ut diceremus, mater nos docuit, id est, in [b] sanctis Ecclesia ipsa Prophetis docet nos, quemadmodum spiritaliter intelligamus ipsa promissa carnalia.

Gen. 27. 6. &c. — * Caput XIV. — Psal. 141. 6.

Peccata aliena patienter portanda.

14. Sed non posset ad nos pervenire benedictio, nisi jam mundati à peccatis per nativitatem regenerationis, aliorum peccata per tolerantiam portemus. Genuit enim mater ambos filios. Intendite Fratres: genuit unum pilosum, alterum lenem. Pili peccata significant, lenitas autem mansuetudinem, id est, munditiem à peccatis. Duo filii benedicuntur: quia duo genera benedicit Ecclesia. Quomodo duos peperit Rebecca, generantur in utero Ecclesiæ duo, unus pilosus, alter lenis: quorum diversitatem exposuimus. Sunt enim homines qui nec post baptismum volunt dimittere peccata sua, & ea volunt facere, quæ antea faciebant. Verbi gratiâ, Si faciebant fraudes, volunt iterum fraudare: si mendacium jurabant, volunt adhuc pejerare: si circumveniebant dolis innocentes, volunt adhuc circumvenire: si homicidia cogitabant, eadem cogitant: si fornicabantur, si inebriabantur, ea ipsa nihilo minùs faciunt. Ecce Esaü natus pilosus. Quid facit Jacob? Dicitur ei à matre, Vade, benedicat te pater tuus. Et dicit, Timeo, non accedam. Sunt enim homines in Ecclesia, qui timent misceri peccatoribus, ne quasi per consortium peccatorum in unitate maculentur; & per hæreses & schismata * pereant.

* f. pereũt.

Caput XV.

15. Quid ergo dicitur huic piloso Esaü, qui non bene conversatus est in domo? Nam & hoc de illis dicitur. *Erat ille agrestis venator, Jacob autem sine dolo conversabatur in domo.* Ideoque eum amabat mater, cujus conversationem dulcem sentiebat. Ipse est Jacob, qui postea appellatus est Israël, cùm luctaretur cum Angelo: & hoc in magno mysterio. Benedictus, appellatus est Israël: ideoque [c] quia sine dolo erat. Intendite Fratres mei, & videte quàm sine dolo fuerit. Nathanaëlem Dominus quando vidit, quia noverat qualis esset, ait, Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Si ergo ideo iste Israëlita, quia non est in eo dolus; in ipso Israël utique non erat dolus. Quid sibi ergo vult, [d] quod dicitur, *Venit frater tuus cum dolo, & abstulit benedictionem?* Sine dolo eum commendat Scriptura conversantem in domo: Dominus etiam perhibet testimonium, quia sine dolo erat, cùm dicit de Nathanaële, Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Quid sibi ergo vult, cùm dicitur*, *Accessit cum dolo, & abstulit benedictionem?*

Gen. 25. 27. — Gen. 32. 28. — *Quomodo Jacob sine dolo, & cum dolo.* — Johan. 1. 47.

Caput XVI. Hœdinas pelles habere quid.

16. Dolus interim quid significet, adtendamus; & videamus quid debeat facere Jacob. Portat aliena peccata, & portat cum tolerantia quamvis aliena: hoc est enim habere pelles hœdinas: id est, patienter aliena portat, non hæret suis. Sic omnes qui pro unitate Ecclesiæ tolerant aliena peccata, Jacob imitantur. Quia & ipse Jacob in Christo est: siquidem Christus in semine Abraham. Dictum est enim, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Dominus ergo noster Jesus Christus, qui nullum peccatum fecit, portavit aliena peccata: & dedignatur portare aliena peccata, cui peccata dimissa sunt? [e] Sic ergo Jacob transit ad Christum * post aliena peccata, id est, hœdinas pelles. Et quid est dolus?

Gen. 22. 18. — * f. portat.

17. Venit enim ille serò, & affert quod jussit pater; & invenit fratrem suum benedictum pro se: & non benedicitur altera benedictione. Quia duo illi homines, duo populi erant: una benedictio unitatem significat Ecclesiæ. Duo autem populi ipsi sunt, qui est & Jacob. Sed alio modo figurati duo populi pertinentes ad Jacob. Etenim Dominus noster Jesus Christus, qui ad Judæos & Gentes venerat, repudiatus est à Judæis, qui pertinebant ad filium majorem: elegit tamen quosdam, qui pertinebant ad filium minorem, qui spiritaliter cœperant desiderare & intelligere promissa Domini, non carnaliter illam terram, quam desiderabant accipientes; sed spiritalem illam civitatem desiderantes, ubi nemo nascitur carnaliter; quia nemo ibi carnaliter, nemo spiritaliter moritur.

Caput XVII.

18. Hanc ergo cùm cœpissent desiderare, cœperunt pertinere ad Jacob, qui crediderunt in

[a] Sic in MSS. At in editis deest vox, *spiritalis.*

[b] Regius & Victorinus MS. *in scriptis Ecclesia Propheticis docet nos* &c.

[c] Duo MSS. *ideo sine dolo erat:* omisso *quia.*

[d] Quæstionem hanc Augustinus in q. 72. super Gen. indicat jam à se in hoc ipso sermone tractatam. *Jacob*, inquit, *erat homo simplex, habitans domum. Quod Græce dicitur* ἄπλαστος, *hoc Latini simplicem interpretati sunt. Propriè autem* ἄπλαστος *non fictus. Unde aliqui Latini interpretes, sine dolo, interpretati sunt, dicentes, Erat Jacob sine dolo habitans in domo: ut magna sit quæstio, quomodo per dolum acceperit benedictionem qui erat sine dolo. Sed ad significandum magnum aliquid hoc Scriptura præmisit. Hinc enim maximè cogimur ad intelligenda illo loco spiritalia, quia sine dolo erat qui fecit dolum. Unde quid sentiremus in Sermone quodam in populo habito satis diximus.*

[e] MSS. *Si ergo.* Paulóque pòst duo MSS. *id est, hœdinas pelles, quod est dolus.*

CLASSIS I.

Christo, & factus est grex Domini in ipsa Judæa. Sed quid dicit Dominus de ipso grege? Habeo alias oves, quæ non sunt de hoc ovili: vado, adducam eas, & erit unus grex & unus pastor. (*Johan.* 10. 16.) Quas alias oves habet Dominus Jesus Christus, nisi de Gentibus? Junctæ sunt oves de Gentibus Judæis ovibus. De Judæis enim Apostoli. Inde erant & quingenti fratres, qui viderunt Dominum post resurrectionem. (*1. Cor.* 15. 6.) Inde erat ipse Nathanaël, cui testimonium perhibuit Dominus, in quo dolus non esset. (*Johan.* 1. 47.) Inde erant centum viginti, qui cùm essent in domo, venit Spiritus-sanctus, ut eos perfunderet, quem promiserat discipulis. (*Act.* 1. 15. &c.) Inde erant tot millia hominum, quæ legimus in Actibus Apostolorum baptizata in nomine Christi, [a] ex his qui crucifixerant Christum. (*Act.* 2. 38.) Ergo inde erant oves, & multæ oves; sed non solæ: habebat Dominus alias de Gentibus. Ipsi duo populi tamquam de diverso venientes, etiam duobus parietibus significantur. Venit enim Ecclesia Judæorum de circumcisione; venit Ecclesia Gentium de præputio: de diverso venientes in [b] domo conjuncti sunt. Ideo Dominus dictus est lapis angularis: dicit enim Psalmus, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. (*Psal.* 117. 22.) Dicit & Apostolus, Ipso summo angulari lapide exsistente Christo Jesu. (*Ephes.* 2. 20.) Ubi est angulus, duo parietes copulantur: in angulo duo parietes, nisi de diverso, non conveniunt: nam si ex una parte veniunt, angulum non faciunt. Duo ergo hœdi, ipsi sunt duo populi, ipsa sunt duo ovilia, ipsi sunt duo parietes, ipsi sunt duo cæci, qui sedebant in via; ipsæ sunt duæ naves, in quas levati sunt pisces. (*Duo hœdi, duo populi. Matth.* 20. 30. *Luca* 5. 7.) Multis in locis Scripturarum intelliguntur duo populi: sed unum sunt in Jacob.

CAPUT XVIII. *Hœdi cur populi.*

19. Quare hœdi, dicet aliquis? Hœdi nostis quia peccatores sunt: nam ad sinistram erunt hœdi, & ad dexteram agni. (*Matth.* 25. 33.) Sed qui perseveraverint hœdi, ipsi erunt ad sinistram. Nam nisi priùs hœdi essent, non diceret Dominus, Non veni vocare justos, sed peccatores. (*Matth.* 9. 13.) Quando enim Dominus conversabatur cum peccatoribus, & manducabat cum publicanis, Judæi quasi agni, id est, quasi justi, & per superbiam magis hirci, objecerunt Domino tamquam crimen, immo discipulis ejus dixerunt: Quare magister vester cum publicanis & peccatoribus manducat? (*Ibidem* 11. &c.) Respondens Dominus, quomodo se defendit? Non est opus, inquit, sanis medicus, sed malè habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores. Vocat ergo hœdos, sed ut non perseverent hœdi. Occidit enim illos Jacob, & præparavit inde epulas patri suo; id est, ad intelligentiam spiritalem, quæ in illa benedictione habebat intelligi, [c] quamvis figurabatur in filio majori: ad hoc occisi sunt hœdi, & manducati sunt, & trajecti in corpus unum. Sic occiduntur peccata in peccatoribus, & transeunt interfecti in corpus unum Ecclesiæ: cujus Ecclesiæ figuram gerebat Petrus, quando ei dictum est, Macta & manduca. (*Act.* 10. 13.) Ergo ille agrestis, iste in domo, mansuetus: ille major, iste minor: ad illum videbantur respicere benedictiones, ad istum perveniebant. Respiciebant ad illum, quia promissa carnalia promittebantur Judæis: ad istum perveniebant, quia spiritaliter intelligenda erant, & accipienda Christianis. Ad istum benedictio non perveniret, nisi portaret peccata, quæ ipse jam non faciebat.

20. Intelligat itaque Sanctitas Vestra, quomodo sint portanda peccata. Sunt enim qui portare sibi videntur peccata, & tacent peccatoribus: jam ista simulatio detestanda est. Porta peccatorem, non ut ames peccatum in illo, sed ut persequaris peccatum propter illum. Dilige peccatorem, non in quantum peccator est, sed in quantum homo est. Quomodo si diligis ægrum, persequeris febrem: nam si parcis febri, non diligis ægrum. Dic ergo quod verum est fratri tuo, noli tacere. Quid enim aliud agimus, quàm dicere vobis quod verum est? Noli mendaciter: aperta veritate dic quod verum est: sed donec corrigatur, portetur. Diversis temporibus fieri potuerunt occisio hœdorum & portatio pellium: rem tamen significant, quæ uno tempore fieri potest. Simul enim & arguit justus peccatores, quod est hœdos occidere; & peccata eorum misericorditer tolerat, quod est pelles portare. Quantum in ipso fuit, occidit hœdos, occidit peccatores: sed portabat aliena peccata, & portabat cum tolerantia; meruit benedici: quia caritas omnia tolerat. Ipsa caritas erat in matre, & figuram caritatis ipsius gerebat mater: quæ figura omnium sanctorum erat, figuram caritatis gerebat; quia sancti non sunt, nisi qui habuerint caritatem. Quid enim proderit, si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam? Factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si sciero omnia sacramenta, & omnem prophetiam, & tradam corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Qualis est ergo caritas, quæ sola multum prodest, sine qua cetera nihil prosunt? Ergo ipsa caritas dat consilium, & obedit filius caritatis.

21. Quale consilium dat? Ut accipiat ille pelles hœdinas, & accedat ad patrem. Majorem quærit pater, & minorem benedicit: vetus Testamentum Judæos intuetur per litteram, & per spiritalem ejus intelligentiam Christiani in illo benedicuntur. Intendat Sanctitas Vestra, magnum mysterium, magnum sacramentum. Dicit Isaac, *Venit frater tuus cum dolo*, de homine sine dolo. Sine dubio Isaac [d] ille, ut erat spiritu prophetico, noverat quid agebatur, & ipse figuratè agebat, omnia ponit in magna altitudine sacramentorum: nam si nesciret quid ageret, irasceretur fallenti se filio. Venit major, & dicit, *Ecce pater, manduca: sicut jussisti mihi, feci*. Dicit ille, *Quis es tu?* Respondit, *Ego sum filius tuus major Esaü*. *Et quis est*, inquit, *ille, à quo jam manducavi; & benedixi eum, & benedictus erit?* Irasci videbatur; exspectabat ab ore ipsius Esaü maledictionem aliquam in fratrem: cùm exspectat ille maledictionem, confirmat iste benedictionem. O irasci, ô indignari! Sed noverat mysterium, & caligo oculorum ejus corporeorum significabat caliginem mentis Judæorum: oculi autem cordis ejus videbant altitudinem mysteriorum.

[a] Sic duo MSS. Editi verò, *& hi*.
[b] Duo MSS. *in Domino*.
[c] Duo MSS. *qua figurabatur*.
[d] Duo MSS. omittunt, *ille ut erat*.

CLASSIS I.

CAPUT XXI. Gen. 27. 35. Dolus, non dolus. a

22. * Venit, inquit, *frater tuus cum dolo, & abstulit benedictionem.* [a] Dicebamus: videte quid est *cum dolo*: dolus hic, non est dolus. Quomodo dolus non est dolus? Quomodo petra non est petra? Quomodo dicitur mare, & non est mare; quia aliud significat: sic dicitur petra, & non est petra; quia aliud significat. Dicitur mons, & non est mons: dicitur leo de tribu Juda Dominus Jesus Christus, & non est leo: dicitur agnus, & non est agnus: dicitur pecus, & non est pecus: dicitur vitulus, & aliud est. Sic dicitur dolus, & non est dolus. Quare ergo dicitur dolus, quæramus. Quare dicta sunt illa omnia, quæramus. Quare dictus est leo? Propter fortitudinem. Quare dictus est petra? Propter firmitatem. Quare dictus est agnus? Propter innocentiam. Quare dictus est vitulus? Propter victimam. Quare dictus est mons? Propter magnitudinem. Quare manna? Propter dulcedinem. Quare ergo dolus? Jam quid sit dolus videamus, & inveniamus quare dictus sit dolus. Novimus enim quid sit petra: & tamen dicitur de homine absurdo & duro petra, & de homine robusto & immobili dicitur petra; & ad laudem inde duxisti firmitatem, & ad vituperationem duritiam. Novimus in petra firmitatem, & accepimus Christum petram: Petra autem erat Christus. (1. Cor. 10. 4.) In leone fortitudinem novimus: & tamen leo etiam diabolus nominatus est. In dolo quid novimus, ut accipiamus in figura dolum, quemadmodum accipitur & mons, quemadmodum accipitur leo, quemadmodum accipitur agnus, quemadmodum accipitur petra, & cetera?

CAPUT XXII. Dolus in Jacob quid.

23. Dolus ergo quid est? Dolus est quando aliud agitur, & aliud simulatur. Quando itaque aliud est in intentione, aliud in factis, dolus dicitur. Dolus ergo in proprietate reprehensibilis, quomodo petra in proprietate. Qui dixerit petram in proprietate Christum, blasphemat: quomodo vitulum qui dixerit in proprietate Christum, blasphemat. Vitulus in proprietate pecus est, in figura victima: in proprietate lapis terra obdurata est, in figura firmitas. Dolus in proprietate fraus, in figura ipsa figura. Omnis enim figurata & allegorica lectio vel locutio, aliud videtur sonare carnaliter, aliud insinuare spiritaliter. Hanc ergo figuram doli nomine appellavit. Quid est ergo, *Venit cum dolo, & abstulit benedictionem tuam?* Quia figuratum erat quod agebatur, ideo dictum est, *Venit cum dolo.* Nam ille doloso homini benedictionem non confirmaret, cui debebatur justa maledictio. Non ergo erat verus ille dolus: maximè quia non est mentitus dicendo, *Ego sum filius tuus major Esaü*: (Jacob à mendacio defenditur.) jam enim pactus erat ille cum fratre suo, & vendiderat primogenita sua. Hoc se dixit habere patri, quod emerat à fratre: quod ille perdiderat in istum transierat. Non enim primogeniti honor exclusus erat de domo Isaac: primogeniti honor ibi erat; in illo non erat, qui eum vendiderat: ubi erat, si non in minore erat? Ideo sciens hoc in mysterio Isaac, confirmavit benedictionem, & dicit filio, *Quid tibi facturus sum?* Et ille, *Benedic & me pater: non enim una tibi est benedictio.* (Gen. 27. 37. &c.) Isaac autem sciebat unam.

SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT XXIII. Benedictio Jacob. Gen. 27. 24. &c.

24. * Quare unam? Aderit Spiritus-sanctus, ut dicam, & intelligatis. Videamus ipsas benedictiones, qualem benedictionem accepit Jacob, & qualem benedictionem accepit Esaü. Ipse Isaac ad Jacob, *Tu es filius meus Esaü?* Respondit Jacob, *Ego.* Et dixit, *Appone mihi, & manducabo de venatione tua, fili, & benedicat te anima mea, antequam moriar; sed admove mihi osculum.* Illum [b] non est osculatus: à pace cœpit hujus benedictio. Quare osculo confirmavit pacem? Quia & ille propter pacem portabat aliena peccata. *Et accessit, & osculatus est eum: & odoratus est odorem vestis ejus.* Stolam enim habebat fratris sui: id est, dignitatem primogenitorum, quam ille perdiderat, iste habebat. In isto jam bene olebat, quod ille malè perdiderat. *Odoratus est odorem vestis ejus, & benedixit eum, & dixit, Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Odorem vestimenti accepit, & [c] dixit odorem agri. Intellige Christum in mysterio interiori, & intellige vestem Christi Ecclesiam.

CAPUT XXIV. Una res multis modis significata.

25. Intelligat Sanctitas Vestra. Multis enim modis significatur una res: id est, Ecclesiam, quam significant illi duo hœdi, ipsam significat vestis ista. Quia una res multis modis significatur, quæ nihil horum est per [d] essentiam, omnia per figuram. Agnus non potest esse leo; leo non potest esse agnus: Dominus autem noster Jesus Christus & leo potuit esse, & agnus: sed quia nec leo nec agnus per essentiam, & leo & agnus per figuram. Sic hœdi non possunt esse vestis, & vestis non potest esse hœdi: Ecclesia verò, quia nec hœdi nec vestis per essentiam, & hœdi & vestis est per figuram; & quidquid aliud dici potest.

26. *Odoratus est vestimenta ejus, & dixit, Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* (Gen. 27. 27.) * Ager iste, Ecclesia est. Probemus, quia ager est Ecclesia. (CAPUT XXV. Ecclesia, ager.) Audi Apostolum dicentem fidelibus: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. (1. Cor. 3. 9.) Non solùm ager est Ecclesia, sed & agricola Deus. Audi ipsum Dominum: Ego sum vitis, vos sarmenta, & Pater meus agricola est. (Johan. 15. 1. & 5.) In hoc ergo agro laborans operarius, & sperans mercedem sempiternam, ipse Apostolus nihil sibi arrogat, nisi quantum decet operarium. Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. (1. Cor. 3. 6. & 7.) Quomodo servavit humilitatem, ut ad Jacob pertineret, ut ad ipsum agrum, id est, Ecclesiam, ne amitteret stolam, cujus odor erat sicut odor agri pleni, & transiret ad superbiam Esaü, carnaliter intelligens & typho plenus? Olet ergo ager de veste filii: sed non ager ille ex se aliquid est, ideo adjecit, *quem benedixit Dominus. Et dabit tibi Dominus de rore cæli desursum, & ab ubertate terræ, & multitudinem frumenti & vini: & servient tibi Gentes, & eris dominus fratris tui, & adorabunt te filii patris tui. Qui maledixerit te, maledictus erit; & qui benedixerit te, benedictus erit.* (Gen. 27. 28. & 29.) Hæc benedictio Jacob: si non benediceretur & Esaü, nulla esset

[a] Duo MSS. *Videamus quid est*: omisso *dicebamus.*

[b] Editi, *Illum enim est osculatus.* At MSS. *Illum non est osculatus*, scilicet Esaü.

[c] Sic aliquot MSS. Editi verò, *& benedixit.*

[d] Editi & Corbeiensis MS. *quæ nihil horum est per videntiam, omnia sunt per figuram.* Itemque infrà ubi legitur, *per essentiam*, habent iidem libri constanter, *per videntiam.* Quibus locis Victorinum MS. & Regium secuti sumus.

Classis I.

quæstio: benedicitur & ipse, sed non ipsa benedictione; nec tamen ab hac penitus aliena.

Caput XXVI. Benedictio Esaü.

27. Audiamus ergo quomodo benedicitur Esaü; & videamus quid intersit inter spiritales Ecclesiæ filios, & carnales; inter eos qui spiritaliter vivunt; & eos qui semper carnalibus gaudiis delectantur. Respondens autem Isaac, dixit ad Esaü, *Quis ergo venatus est mihi venationem, & intulit mihi? benedictus sit. Factum est autem ut audivit Esaü verba Isaac patris sui, exclamavit voce magna, & dixit, Benedic & me pater. Et dixit illi, Venit frater tuus cum dolo, & accepit benedictionem tuam.* (Gen 27.33. &c.)

Gen 27.36. Jacob, supplantatio. a

28. *Et dixit Esaü, Justè vocatum est nomen ejus Jacob.* [a] Supplantatio enim vocatur Jacob. Et nec ipsa supplantatio inanis est: quia in figura accipitur, quomodo dolus. Non enim jam erat tanta malitia in fratre, ut vellet supplantare fratrem suum. Tunc enim dictus est supplantator, quando manu fratris sui nascentis pedem tenuit: tunc supplantator est dictus. Supplantatio autem carnalium, vita spiritalium est. * Omnes enim carnales, cùm in Ecclesia invident spiritalibus, supplantantur, & fiunt pejores. Audi Apostolum hoc ipsum dicentem, maximè quia ibi commemoravit odorem, quem hîc expressit Isaac, dicens, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Ait ergo Apostolus, Christi bonus odor sumus in omni loco: & adjecit, Aliis quidem odor vitæ, in vitam; aliis odor mortis, in mortem: & ad hæc quis idoneus? id est, ut intelligat, quomodo odor mortis sumus in mortem hominum, nullâ nostrâ culpâ. Ambulant etenim vias suas spiritales, nihil aliud norunt quàm bene vivere: & qui innocenter viventibus invident, faciunt peccata gravia, unde illos puniat Deus: & fit eis ille odor in mortem, qui est aliis odor ad vitam. Nam ipse Dominus priùs factus est odor bonus ad vitam credentibus, & odor malus ad mortem persequentibus. Quia enim multi illi crediderant, inviderunt Judæi, & fecerunt tantum scelus occidendo innocentem, sanctum sanctorum: quod si non facerent, ad mortem eis non valeret bonus odor Christi. Ergo supplantatus est Esaü in benedictione * patris.

(* Caput XXVII. — Gen. 27.27. — 2.Cor.2.16. — * f. fratris.)

Gen. 27.37.

29. Respondit autem Isaac, & dixit ad illum, *Dominum illum tuum feci:* non enim aliud potuit accipere Esaü quod dictum est, *Et omnes fratres ejus servient illi: tibi autem quid faciam, fili? Et dixit Esaü ad patrem suum, Benedic tamen & me. Cùm strangulatus esset Isaac:* id est, cùm coactus esset. Magna res, magnum sacramentum, utinam capiamus: coactus benedicit, & tamen benedicit; & quod benedicit verum est, sed tamen coactus benedicit. Quid sit hoc, adtendite. Videamus ipsam benedictionem, & intelligamus quid sit coactum benedicere.

b Ibidem 39. c In benedictione quid proprium, quid commune Jacob & Esaü. * Caput XXVIII.

30. Respondit autem Isaac, (Pater sanè Esaü [b] non est osculatus:) & ait illi, *Ecce à fertilitate terræ erit* [c] *habitatio tua, & à rore cæli de super.* Dixit hoc & illi, *ab ubertate terræ, & à rore cæli:* hoc ergo commune est Jacob & Esaü. * Quid est proprium Jacob? *Servient tibi Gentes.* Quid est proprium Jacob? *Omnes fratres tui tibi*

A *servient; & qui te benedixerit, benedictus erit, & qui te maledixerit, maledictus erit.* Habet & iste nescio quid proprium, quod non dictum est Jacob: *Et in gladio vives, & fratri tuo servies.* Sed ne tolleret liberum arbitrium, (jam hinc & hesterno diximus,) adjecit, *Erit autem, cùm deposueris & solveris jugum de collo tuo.* Quid est, *Erit autem, cùm deposueris & solveris jugum de collo tuo?* Liberum tibi est, si volueris, converti: non quasi duo eritis, sed unus Jacob. Omnes B enim qui convertuntur ab Esaü, ad Jacob pertinent. Similitudo unum facit, dissimilitudo facit diversitatem. Quid ergo? *A rore cæli, & à fertilitate terræ*, ambo habent. *Serviant tibi Gentes & fratres tui & filii patris tui*, solus Jacob habet. *In gladio* autem *tuo vives*, solus Esaü. Quiddam commune habent, quædam singuli.

31. Sunt mali in Ecclesia pertinentes ad Esaü: quia & ipsi filii Rebeccæ, filii matris Ecclesiæ, de utero ipsius nati, & pilosi in peccatis carnali- C bus perseverantes, de illius tamen utero nati. Habent ergo à rore cæli, & à fertilitate terræ: à rore cæli omnes Scripturas, omnem sermonem divinum: à fertilitate verò terræ, omnia visibilia sacramenta; visibile enim sacramentum ad terram pertinet. Hæc omnia communia habent in Ecclesia & boni & mali. Nam & ipsi habent & participant sacramentis: & quod norunt fideles, à tritico & vino. Et [d] habent de rore cæli: quia super omnes descendit sermo Dei de cælo. Venit D sermo Dei, & irrigat: sed qui irriget, & quid irriget, adtende. Nam & illos irrigat & illos, bonos & malos: sed illi bonam pluviam in radicem spinarum convertunt; illi autem ad fructum bonum pluviam trahunt. Nam simul pluit Dominus super segetem & super spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: & tamen una est pluvia. Sic verbum Dei omnes compluit. Videat quisque qualem radicem habeat: videat quisque quò trahat pluviam bonam: si eam trahit, ut ge- E neret spinas, numquid ideo pluvia Dei accusanda est? Antequam veniat ad radicem, dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum, & convertat ad fraudem suam pluviam Dei, convertat ad hypocrisim, convertat ad radices malarum concupiscentiarum, ad perversitates & depravationes suas. Incipit quidem generare spinas, sed de pluvia bona: habet enim à rore cæli. Et quoniam non excluduntur omnes mali à sacramentis Dei, [e] habet & ab F ubertate terræ, quod norunt illi, qui jam voluerunt esse participes mysteriorum fidelium.

(Omnes gentes spiritalibus subjectæ. * Caput XXIX.)

32. Cùm ad ambos pertineant ista, non tamen pertinent omnes gentes nisi ad spiritales, quia ipsi pertinent ad Ecclesiam, quæ implevit totum orbem terrarum. * Adtendite Fratres, & discernite quantum potestis, vel quantum vobis Dominus dat. Omnis spiritalis videt, quia Ecclesia per totum orbem terrarum est una, vera, catholica, & nihil sibi arrogat, & tolerat peccata G hominum, quos non potest purgare de area Dominica, antequam veniat ille ultimus ventilator, qui falli non potest, ut purget aream suam, & frumentum mittat in horreum, paleas autem det

a Regius MS. *Supplantator enim.*

b Duobus in MSS. deest, *non est osculatus.*

c Victorinus MS. & Regius habent, *benedictio tua.* At ceteri libri, *habitatio tua:* juxta LXX. ἡ κατοίκησίς σου. Et consentit Hebræus textus.

d Sic MSS. cum Par. & Ulim. At Lov. *à tritico & vino, habent de rore cæli.*

e In duobus MSS. *habent.*

CLASSIS I.

ad comburendum: quia ipse habet excludere paleam, & segregare à frumento, & præparare horreum tritico, paleis ignem. Itaque quia novit, tolerat peccatores in fine separandos. Per omnes gentes peccatores & omnes carnales mixti sunt spiritalibus, & serviunt eis: spiritales autem non serviunt; quia de illis proficiunt, cùm ipsi deficiunt. Attendite Fratres mei, dicam, si possum, & non timeam, non tacebo: urgeor enim ut dicam: & si mihi fortè aliqui succensuerint; sed dent veniam, timeo enim, ut dixi; timori dent veniam. Christus neminem timuit: nos autem Christum timendo non parcimus, ne nobis, dum tales nolumus contristare, ille non parcat. Quid velim dicere dignamini audire, & intentissimè advertere. Acceperunt ambo à rore cæli & ab ubertate terræ. Jacob & Esaü; ambo illud habent quod jam diximus, quod novimus, quod nostis: sed ut serviant ei gentes, non accepit nisi Jacob; quia carnales in Ecclesia per totum orbem terrarum non serviunt nisi spiritalibus. Quare? Quia de illis proficiunt spiritales. Nam ideo carnales homines servi dicuntur: & si quod nolunt faciunt, prodest tamen spiritalibus mala conversatio carnalium: quia & ex eadem conversatione proficiunt, & per tolerantiam coronantur.

CAPUT XXX. Carnalibus cur non subjectæ gentes.

33. Intendat Sanctitas Vestra quod dicimus. Illi autem Esaü non sunt datæ gentes: quia omnes carnales, qui sunt in Ecclesia, aut divisi sunt, aut faciles sunt ad divisionem. Ecce pars Donati inde facta est, inde est, de ipsis carnalibus carnaliter sentientibus. Carnales erant: [a] sed quia quæsierunt honorem suum, vel patientiam perdiderunt, invenerunt aditum, & divisi sunt: amaverunt honorem suum, multum ei tribuerunt, typho superbiæ tumuerunt, non habuerunt tolerantiam, id est, non habuerunt caritatem. Scriptum est enim, Caritas omnia tolerat, (1. Cor. 13. 4. &c.) » omnia sustinet: non æmulatur, non inflatur, non agit perperam. Itaque quidquid aliud haberent, quia illud non habebant per quod prodest quidquid habetur, diviserunt se. Et quotquot hæreses vel præcisiones & schismata facta sunt, per hos carnales facta sunt. Aut enim carnaliter senserunt, & fecerunt sibi imagines phantasmatum suorum, & erraverunt; & reprehendit eos fides catholica: & cùm arguerentur, exclusi sunt foràs pondere suo; aut invenientes sibi lites & simultates cum hominibus, diviserunt se. Qui se ergo diviserunt, nisi ad quos pertinet gladius ille, de quo dictum est, *In gladio tuo vives?* (Gen. 27. 40.) Non quia gladius non accipitur in bono: nam quemadmodum dicta sunt illa superiora, id est quomodo accipitur lapis ille & ad firmitatem propter Christum, & ad reprehensionem propter stultum; quomodo leo dictus est Christus propter aliud, & leo dictus est diabolus propter aliud: sic accipitur gladius aliquando in bono, aliquando in malo. Sed hîc non sine caussa non datus est Jacob, sed datus est Esaü: nisi quia aliquid mysterii significatur in gladio. [b] Quomodo & ipsa servitus non est aliena à mysterio; id est, quod dictum est, *Servies fratri tuo*: nam & hoc in magno mysterio dictum est.

SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT XXXI. Contra schismaticos

34. * Ergo, Fratres, qui se dividunt, ipsi habent gladium divisionis, & in gladio suo moriuntur, & in gladio suo vivunt. Sed quia verum dixerat Dominus, Qui gladio percutit, gladio morietur: (Matth. 26. 52.) videte illos, Fratres mei, qui se ab unitate præciderunt, in quot frusta præcisi sunt. Nostis quot partes fecit pars Donati, nec arbitror latêre Sanctitatem Vestram, quia qui gladio percutit, gladio periit. Dictum est illi, *In gladio tuo vives.* Sic & illi qui non recesserunt ab Ecclesia, & tales sunt, quales si foris essent. Qui enim amant honores suos in Ecclesia, omnino tales sunt, qui amant in Ecclesia commoda sua sæcularia, & ipsi palea sunt; sed ventus deest, ideo non volant de area: hoc est quod dico breviter, tentatio deest, nam volarent de area. Denique quando contra illos aliquid egerit Ecclesia, quomodo facilè se præcidunt? quomodo facilè extrà colligunt, & nolunt dimittere principatum suum, quomodo pro ipso principatu mori volunt? quomodo tenere volunt sub se plebes, & non dimittere plebes unitati Christi? quomodo volunt facere [c] oves suas, quas suo sanguine non emerunt, & ideo viles habent, quia non emerunt? Quid opus est hinc diutiùs disputare? Attendite illos per universam Ecclesiam, videte tales, & eos qui intus sunt, & eos qui inventa occasione de area volaverunt, & volunt secum trahere grana; sed grana vera & plena tolerant paleam, & manent in area usque in finem, quò usque veniat ultimus ventilator: sicut ille cum pellibus hœdinis toleravit aliena peccata, & meruit accipere benedictionem paternam.

CAPUT XXXII. Extorta benedictio.

35. Quare autem [d] *sugillatus* Isaac benedixit? Jam enim necessitate, jam coactus pater ejus dixit illi, *Ecce ab ubertate terræ erit tibi habitatio & à rore cæli.* (Gen. 27. 39 &c.) Et ne ideo te putes bonum, *In gladio tuo vives, & fratri tuo servies.* Sed ne de te desperes, quia potes te corrigere. *Erit autem, cùm deposueris & solveris jugum de collo tuo.* Ecce ab ubertate terræ & à rore cæli accipiet; sed Isaac sugillatus projicit illi benedictionem, non dat. Nonne fit modò in Ecclesia malis hominibus; qui volunt perturbare Ecclesiam, ut tolerentur ad necessitatem ipsius pacis, ut admittantur, ut habeant sacramenta communia? Et aliquando scitur quia mali sunt, & convinci fortè non possunt ut emendentur & degradentur, ut excludantur, ut excommunicentur, non possunt convinci. Si institerit aliquis, aliquando itur in disruptiones Ecclesiæ. Cogitur gubernator Ecclesiæ tamquam dicere, Ecce ab ubertate terræ erit tibi, & à rore cæli: utere sacramentis, tibi manducas judicium, tibi bibis judicium: Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. (1. Cor. 11. 29.) Nosti quia admitteris ex necessitate pacis Ecclesiæ, non habes in corde nisi perturbationes & divisiones. Ideo in gladio tuo vives: nam in eo quod accipis à rore cæli, & ab ubertate terræ, non ibi vives: non enim hoc te delectat, aut suavis est tibi Dominus. Si enim hoc te delectaret, & suavis tibi esset Dominus, imitareris humilitatem Domini, non superbiam diaboli. [[e] Quamvis ergo accipiat mysterium humi-

[a] Particula *sed*, & quæ hîc paulò post occurrit, *vel*, abest à duobus MSS.

[b] Sic duo MSS. Editi verò, *in malo*.

[c] Regius MS. caret voce, *oves*.

[d] Suprà in cap. 25. habetur, *strangulatus*: quod videlicet apud LXX. Græcè esset καταπνιχθέντος Gen. 27. 39. ubi nunc legitur κατανυχθέντος, *compuncto*.

[e] Quæ ansulis includuntur, desunt in duobus MSS.

Classis I.

litatis Domini à rore cæli & ab ubertate terræ, A non tamen deponit superbiam diaboli, cui nihil faciam, qui semper dissensionibus & seditionibus gaudet.] Quamvis sit tibi ista communio à rore cæli & ab ubertate terræ; tamen in gladio tuo vivis, seditionibus & dissensionibus aut gaudes aut terreris. Muta ergo te, & tolle jugum à collo tuo.

Caput XXXIII. Epilogus, de pugna contra diabolum exemplo Martyrum suscipienda.

36. Hæc vobis, Fratres, pro magnitudine mysteriorum fortè pauca; pro tempore tamen & pro viribus nostris & pro vestris multa dicta B sunt: & si fortè enucleatiùs hæc quæstio discussa non est, [a] partim tamen magna mysteria, quæ postea si tractentur, inveniuntur. Date veniam & angustiæ temporis, & viribus nostris, & capacitati vestræ. Vultis plus capere, crescite: vultis crescere, bene vivite. Qui enim non vult bene vivere, non vult crescere. Has vobis epulas exhibuerit Dominus Deus noster per natalitia martyris sui Vincentii. Vincentius nomen victoriæ est. Amate autem, ut vincatis: non enim deest C persecutio: diabolus persecutor est, numquam desit occasio coronæ: tantùm miles Christi intelligat pugnam, & sciat quem vincat. Numquid quia non te urget hostis manifestus corporis, non te urget persecutor occultus illecebris carnis? Quanta suggerit mala, quanta per cupiditatem, quanta per timorem? Quibus illecebris persuadet ut eas ad sortilegos, ad mathematicos, quando dolet caput? Qui dimittunt Deum, & eunt ad ligamenta diabolica, victi sunt à diabolo. Contrà D si cui suggestum fuerit, secundùm corpus fortasse [b] efficere remedia diaboli, unde alius sanatus esse dicitur, quia accepto ab illo sacrificio suo, deserit persequi corpus, quia cor obtinuit: ergo cuicumque suggesta fuerint ista remedia scelerata, & dixerit, Moriar potiùs, quàm talibus remediis utar; si vult Deus, flagellat & liberat me; si novit quia necessarium est, liberet me; si autem [c] scit quia debeo exire de hac vita, sive contrister, sive læter, sequar voluntatem Domini. Ec- E ce enim post parvum tempus qua fronte exiturus sum ad Dominum? Non enim hoc mihi præstant remedia diaboli, quod præstat Deus, vitam æternam. Quare ergo [d] damno animæ meæ emo paucos dies corpori meo? Qui hæc dicit, & non it, nec applicat cor suum ut faciat mala remedia; utique vincit. Unam rem dixi exempli gratiâ: videtis certè jam quanta diabolus suggerit. Vides illum certè languere, vides anhelantem in lecto, vides vix moventem membra, vix moven- F tem linguam, lassus iste diabolum vincit. Multi coronati sunt in amphitheatro pugnantes ad bestias: multi in lecto vincentes diabolum coronantur: videntur non se movere posse, & intus in corde tantas vires habent, tantam pugnam exercent. Sed ubi est occulta pugna, ibi occulta victoria.

Vincentii martyris natalitia.

Caput XXXIV. Martyres imitandi.

37. Quare ista diximus, Fratres? Ut quando celebratis natalitia Martyrum, imitemini Martyres; nec putetis ideo vobis deesse posse occasiones coronæ, quia modò desunt tales persecu- G tiones. Nec modò enim desunt quotidie persecutiones à diabolo, sive per suggestionem, sive per molestias aliquas corporis. Tu tantùm scito te habere Imperatorem, qui jam præcessit in cælum: dedit tibi viam qua sequaris, tene te ad illum. Noli, cùm viceris, per superbiam tibi tribuere, quasi de viribus tuis luctatus fueris: sed præsume de eo qui dedit vires, ut vinceres, quia ipse vicit sæculum: & semper [e] coronaris, & Martyr hinc exies, si omnes tentationes diaboli superaveris. [f]

* SERMO V.

De luctatione Iacob [g] *cum Angelo.*

Habitus paulò ante Pascha.

1. HÆc maximè regula disciplinæ necessaria est viro Christiano, ut verbum Dei audiat, cùm est in hoc sæculo, ut adtendat eum, qui venit sæculum salvare primò per misericordiam, & postea [h] discutere per judicium. Et ideo Dominus noster Jesus Christus imitandum se nobis præbuit; ut quoniam Christiani sumus, aut ipsum imitemur, aut alios qui eum imitati sunt. Sunt enim quidam, eorum qui Christiani vocantur & non sunt, quos partim digessit Ecclesia, tamquam stercora; ut sunt omnes hæreses, & omnia schismata, quæ etiam comparantur sarmentis infructuosis de vite præcisis, & paleis quas ante ventilationem de area ventus rapit: sunt autem alii, qui intus mali sunt, & ipsa communione catholica continentur; quos necesse est toleret Christianus bonus usque in finem, quia ventilatio messis hujus areæ non erit nisi dies judicii. Hæc semper cantavimus vobis, & in nomine Christi arbitramur quia hærent pectoribus vestris. Istæ lectiones quæ vobis leguntur, numquid modò primùm vobis leguntur, & non eædem quotidie repetuntur? Sicut autem lectiones Dei quotidie opus est ut repetantur, ne sæculi mala & spinæ nascantur in cordibus vestris, & effocent semen, quod ibi seminatum est: sic oportet & sermonem Dei vobis semper repeti, ne obliti dicatis vos non audisse, quod dicimus nos dixisse.

Debita mittenda inimicis.

2. Accedunt multi, & modò tempus est, ut in nomine Dei festinent accipere gratiam baptismi, credentes dimitti sibi omnia peccata, quæ antea commiserunt, prorsus omnia; & exire inde nihil debentes Domino: quemadmodum servus ille, qui rationem reddebat domino suo, & invenit illum debere decem millia talentorum; sic tamen recessit nihil debens, non quia nihil ipse debebat, sed quia ille misericors erat, dimisit omnia, & debitorem absolvit. Et tamen, Fratres, quomodo nos terruit vehementer idem ipse servus? Quia noluit dimittere conservo suo, vel differre solutionem centum denariorum, replicavit illi dominus decem millia talentorum, quæ illi dimiserat. Hi ergo qui exituri sunt de baptismo nihil debentes, & absoluti omnibus peccatis, caveant ne si quis in illos peccaverit, & noluerint ipsi dimittere, non solùm deinceps non illis dimittatur, sed etiam omnia quæ dimissa fuerant,

Matth. 24.

[a] Duo MSS. *discussa non est, date veniam* &c. omissis verbis istis, *partim tamen magna* &c.
[b] Ita duo MSS. Editi verò, *efficit.*
[c] Duo MSS. carent verbo, *scit.* Non malè, si haberent, *sin autem.*
[d] Editi, *damno animam.*
[e] Duo MSS. *coronaberis.*

[f] Editi addunt clausulam, *Conversi* &c. sed hæc abest à MSS.
[g] In editis deest, *cum Angelo.* Sed in MSS. nonnullis & in Possidii Indiculo cap 8. habetur: ipsumque capitulum Genesis, quo Jacobi lucta cum Angelo refertur, prælectum esse ante concionem patet ex n. 6.
[h] MSS. *& postea discretione per judicium.*

CLASSIS I.

replicentur. Nemo ergo dicat, Quis istud facit, aut quis istud fecit? Dicendo sibi istud homines moriuntur. Dilige inimicum tuum, dicit Dominus: & tu, Quis istud facit? Quia ipse non fecit, putat quia nemo potuit facere. Res in corde est: unde vides quis illud facit? Putas enim quia non dimisit ille qui clamat? Fortè enim aliquando clamat aliquis, & jubet cædi hominem, & putas quia non dimisit. Quare? Tu quando cædis filium tuum, tenes odium in corde tuo? Ergo res in corde est: solus Deus videt si dimissum est. Aliquando enim non cædit aliquis, videtur parcere manu, & sævit in corde, & optat malè homini intus, & vult eum necari: tenet contra illum malam voluntatem, quamvis nihil illi corporaliter reddere videatur. E contrà sunt, qui corporaliter videntur quasi reddere; sed [a] corporalis illa correptio quasi dilectio est: ad bonam vitam vult illum pervenire; & tantò magis vult eum corripi, quantò illum amat. Sic & Deus numquid non nos diligit? non ad hoc nos hortatur, ut diligamus inimicos nostros, ut quomodo possumus, similes illi simus? Nam sic dixit: Estote autem vos perfecti, sicut Pater vester qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Quanta ergo dilectio est in Domino, quando pro peccatoribus & impiis Christum crucifigendum misit, & pretio sanguinis ejus nos redemit, qui ei inimici eramus, amando ea quæ fecit pro eo qui fecit? Cùm ergo ista faceremus, misit Deus, sicut Apostolus dicit, Filium suum; & eum pro nobis impiis, ab aliis impiis occidendum tradidit. Et si nondum fidelibus tantum munus datum est, quid ergo servatur fidelibus? Ecce quomodo Deus diligit homines. Adtendamus, Fratres, numquid non illos flagellat? numquid non illos corripit? Si non illos corripit, unde fames? unde ægritudines? unde pestilentiæ, & morbi? Omnes enim istæ correptiones Dei sunt. Sicut ergo ille diligit, & tamen corripit: sic & tu, si habes aliquem in potestate, quamvis serves affectum dilectionis, noli tamen negare flagellum correptionis. Quia si negaveris, non tenebis dilectionem: quia ille moritur in peccatis, qui fortè correptus ea relinqueret; & magis tibi imputatur verum odium.

Inimicus sic diligendus, ut tamen corripiatur.

Matth. 5. 48. &c.

Gal. 4. 4.

3. Nemo ergo dicat, Quis istud potest? Contendite hoc implere in cordibus vestris; [b] tenete, ut diligatis. Luctamini, & vincetis. Christus enim ibi vincit. Contra quid luctamini? Contra peccatum luctamini, contra verba hominum malè dicentium: Ergo non te vindicas? ergo remanebis indefensus, & non illi ostendis? ô si mecum haberet! Luctamini, & vincite. Si enim vellet Christus jubere terræ, quando à Judæis tanta passus est, ut aperta sorberet persecutores ejus, non posset? Si ergo qui habuit potestatem, sic eos pertulit, quò usque levaretur in crucem, & pendens in cruce ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: tu serve redemte sanguine crucifixi Domini tui, non imitaberis Salvatorem tuum? Quid enim illi opus erat tanta pati, cui licebat & non pati? Nam sic dixit, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam: nemo tollit eam à me; sed ego pono eam, & iterum sumam eam. Et sic fecit. Quid enim factum est, Fratres? Pendebat in cruce, * quomodo Competentibus legimus: at ubi vidit completas in se omnes Scripturas, ut illi darent etiam acetum, Perfectum est, ait: & inclinavit caput, & emisit spiritum; quasi [c] ad hoc staret, ut impleretur. Cùm vellet ergo, animam suam posuit. Et ideo ille Deus erat, illi homines, qui juxta illum erant crucifixi. Ille citiùs moritur, illi tardiùs. Et cùm jussum esset, ut corpora deponerentur de cruce propter sabbatum, ut sepelirentur, invenerunt illos latrones viventes, & eis crura fregerunt; Dominum autem jam defunctum, & tamen unus ipsorum lanceâ percussit latus ejus, & profluxit sanguis & aqua. Ecce pretium tuum. Quid enim profluxit de latere, nisi sacramentum quod accipiunt fideles? Spiritus, sanguis, & aqua. Spiritus quem emisit, & sanguis & aqua quæ de latere profluxerunt. De ipso sanguine & aqua significatur nata Ecclesia. Et quando exivit sanguis & aqua de latere? Cùm jam dormiret Christus in cruce: quia Adam in Paradiso somnum accepit, & sic illi de latere Eva producta est. Ecce ergo pretium tuum. Imitare humilitatem & vestigia Domini tui, & noli dicere, Quis istud facit? Est circa te fortè & qui non facit. Sed in illa turba si tu feceris, sic tibi computabitur, quomodo si invenias in area unum granum, & paleas infinitas. Difficilè invenis duo grana simul juncta: sed intergrana palea commixta est. Sic inter eos qui servire volunt Deo, strepitus & multitudo est malorum hominum circumdans illos undique; quia quocunque se verterint, non inveniunt, nisi malos suasores. Esto ergo ut granum, & noli curare de palea. Veniet tempus ut separetur. Ideo cantavimus, Judica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta. Ecclesia illud dicit gemens inter peccatores. Putatis, Fratres, quia ad hoc vult se discerni Ecclesia, ut ab hæresibus tamquam sarmentis præcisis separetur? Jam ab ipsis separata est. Numquid ita dicit Ecclesia, Judica me Deus, & discerne caussam meam, ut à parte Donati, aut ab Arianis, vel à Manichæis segregetur? Non se rogat discerni, nisi ab his qui ei mixti sunt, quos oportet ut toleret usque in finem. Sed hoc dicit, Judica me Deus, & discerne caussam meam: id est, ne cum ipsis judicer & perdar in die judicii. Nam nunc dictum est, Dimitte zizania crescere: & tolerantur modò mali à bonis, in die judicii separandi.

Luctandū, ut Christi caritatem & patientiam imitatione prosequamur.

Lucæ 23. 34.

Johan. 10. 18.

"Serm. de Scripturis.

* f. quod modò.

Joha. 19. 30

Psal. 42. 1.

Matth. 13. 30.

4. Et ideo Jacob ille, qui modò lectus est, populum significat Christianum: ipse est enim minor filius; quia populus Judæorum Esaü est. De Jacob quidem nata est gens Judæorum, sed in figura magis Esaü Judæi intelliguntur: quia populus major reprobatus est, populus autem minor primatum accepit. Cùm etiam in utero luctarentur, & tædium mater pateretur, quia impellebantur viscera ejus, ait, Quid mihi sic? Melius mihi erat sterilitas, quàm ut hoc paterer. Dictum est ei à Domino, quòd duo populi in utero ejus confligerent, & duæ gentes, & quia major serviet minori. Quod dictum est cùm in utero essent, hoc dictum est iterum in benedictione Isaac, cùm benediceret minorem; puta-

Jacob & Esaü figuræ populi Christiani & Judaici.

Gal. 25. 22.

[a] MSS. *sed illa quasi corporalis correctio, dilectio est.*
[b] Victorinus MS. omittit, *tenete*. Fortè legendum, *tenete Christum*: ut infrà n. 6.
[c] MSS. habent, *quasi ad hoc adhortaretur ut impleretur.*

Classis I.

bat autem se benedicere majorem. Personam Legis ferebat Isaac. Videtur Lex data Judæis: & ipsum regnum datum est Christianis. Adtendite quia Lex videtur regnum promittere. Judæis dicitur, *Matth. 21. 43.* Propterea auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti justitiam. Auferetur ab Esaü, & dabitur Jacob. Hirsutus natus erat & pilosus Esaü, id est plenus peccatis; hærebant in illo peccata: ille autem ut acciperet primatum, accepit pelles hœdorum in brachiis; & sic illum benedixit pater, palpans brachia ipsius, & inveniens hirsutum. Sed illi * capilli & peccata *(* f. pili.)* portabantur à Jacob, non hærebant in Jacob. Sic ergo & Ecclesia Dei aliena peccata portat, non sua, tolerans usque in finem; sicut & Dominus Jesus Christus aliena portavit. Et benedixit minorem pater. Et quomodo benedixit? Mysterium sanctum, quales [a] futuri erant. Volunt enim oculos acutos Scripturæ. Benedixit filium suum minorem: & videtur deceptus quasi benedixisse alium pro alio. Venit ille qui ierat ad venationem, apportans quod pater jusserat, & dicit, *Gen. 27. 31. &c.* » Pater, manduca, sicut voluisti. Dixit Isaac, « Quis es tu? Et ille, Ego sum Esaü filius tuus ma- » jor. Et dicit, Ergo tu es Esaü? Quis est autem » jam qui adtulit mihi escam, & manducavi, & be- » nedixi illum, & benedictus est? O irasci deceptori! ô irasci fallaci! Immo dic, Quare me decepit? quare me fefellit? tollat benedictionem illam frater ipsius, & sit in malis. Nonne clamat hæc res in mysterio facta, ut major serviat minori? Accipit ergo talem & ipse benedictionem. » Sed subjunxit, Eris servus fratris tui. Cùm ille » diceret, Numquid finitæ sunt benedictiones? » benedic & me: ait, Cùm illum talem feci, tibi » quid habeo dare. Et dixit, Benedic & me pater. Et extorsit, & accepit benedictionem propè similem, à rore cæli & fertilitate terræ omnem » abundantiam. Et subjecit statim, Et servies fra- » tri tuo. Et erit tibi sic, cùm solveris jugum ejus à cervice tua. Quid est illud quod dictum est, Et » erit tibi sic, cùm solveris jugum ejus à cervice tua, nisi quia ostendit illos, quos Esaü præfigurabat, sic esse peccatores, ut in potestate haberent, & in libero arbitrio, [b] mutari & fratri conjungi?

Judæi Christianorum servi.

5. Adtendite mysterium. Ecce Judæus servus est Christiani. Et hoc manifestum est, & implevit orbem terrarum, sicut videtis, Jacob. Et ut noveritis quia de futuro dicebantur ista, considerate ipsam historiam, & videte quia non sunt impleta in ipsis duobus, Major serviet minori. *Gen. 36. 7.* Ditatus enim legitur Esaü multùm, & regnare cœpit in tota abundantia. * Ille autem Jacob, *(* f. Iit.)* ut pasceret oves alienas. Et cùm cœpisset redire, & timere fratrem suum, sicut modò legebatur, mittit munera nescio quanta pecorum, mittit & servum qui dicat, *Gen. 32. 18.* *Ecce munera fratris tui*. Noluit eum videre, priùs quàm muneribus placaret; & postea illum acceptis muneribus vidit. Et cùm ad eum Jacob venisset, adoravit eum à longè. Quomodo ergo, Major serviet minori, quando minor videtur adorare majorem? Sed ideo ista in historia non sunt impleta, ut intelligantur de futuro dicta. Minor filius accepit primatum, & major filius perdidit primatum. Ecce Jacob implevit terram, tenuit gentes & regna. Jussit Imperator [c] Romanus, jam Christianus, ut ad ipsam Jerusalem non accederent Judæi. Et sparsi per orbem terrarum, facti sunt quasi custodes librorum nostrorum. Quomodo servi, quando eunt in auditorium domini ipsorum, portant post illos codices, & foris sedent: sic factus est filius major filio minori. Nam aliquando [d] movent aliqua in Scripturis; & de Judæorum codicibus certi aliquid cognoscitur. Ideo ergo sparsi sunt, ut nobis libros servent. Major ergo minori servit. Videte enim cum quanta dignitate sit populus Christianus, & in quanta defectione sit populus Judæorum. Quando fortè ausi sunt vel modicùm movere se contra Christianos, quæ illis contigerint audistis in recenti tempore. Ergo modò verum est, Major serviet minori. Quomodo ergo illa benedictio, Erit tibi à rore cæli & à fertilitate terræ? « Quomodo minorem, sic & majorem benedixit. Sed majori dictum est, Et eris servus fratris tui. Et « erit hoc, cùm solveris jugum ejus à cervice tua. « Quanti sunt qui solverunt jugum à cervice sua, & facti sunt fratres nostri? Quanti Judæi crediderunt adtendite. Et modò, si quem Judæum inveneris, & evangelizaveris illi Dominum Jesum Christum, & crediderit, nonne solvit jugum à cervice sua? Et quanta hoc fecerunt primis temporibus fidei millia? Omnino qui tunc crediderunt, sicut legimus, ex servis facti sunt fratres & coheredes.

6. Non ergo Ecclesia quæ dicit, Judica me Deus, & discerne caussam meam de gente non « sancta, ab Esaü se vult discerni, à quo jam discreta est, sed à Christianis malis. Iste enim Jacob, in quo figuratur populus Christianus, audistis quemadmodum luctatus sit cum Domino. Dominus enim illi apparuit, id est Angelus gestans personam Dei: luctatus est cum illo, & volebat illum tenere & comprehendere. Luctabatur ille; prævaluit, & tenuit; cùm teneret, non dimisit nisi benedictus. Dominus det, Fratres, explicare tantum mysterium. Luctatur, prævalet; & vult benedici ab eo cui prævaluit. Quid est ergo quod luctatur, & vult tenere? Ait Dominus in Evangelio, Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Hoc est « quod dicebamus jam * dudum: Luctare, ut teneas Christum, ut diligas inimicum. Tenes enim Christum hîc, si inimicum dilexeris. Et quid dicit ipse Dominus, id est, Angelus in persona Domini, cùm prævaleret, & teneret eum? Tetigit latitudinem femoris ejus, & exaruit, & ideo claudicabat Jacob. Dicit ei, *Dimitte me, jam enim manè est*. Et ille, *Non te dimitto, nisi benedixeris me*. Et benedixit illum: quomodo? Mutando illi nomen. *Non vocaberis Jacob, sed Israël: quoniam prævaluisti cum Deo, prævalebis & cum hominibus*. Ista benedictio est. Videte unum hominem: ex parte tangitur, & arescit; & ex par-

[a] MSS. *quales viri erant*.

[b] Sic nostri omnes MSS. At editi, *mutare se & fratri conjungi*.

[c] Sirmondus hoc loco putat indicari Constantinum magnum, qui, teste Chrysostomo in 3. adversùs Jud. homil. Judæos, quòd urbem suam contra interdictum instaurare aggressi essent, amputatis auriculis malè multatos in diversas regiones sparsit, ut terrori ceteris essent, ne idem in posterum conarentur. Sed profectò Judæi Severo imperante jam erant patrio solo exclusi, ex Tertulliano in Apolog. c. 21 & lib. contra Jud. c. 13. Immo ipsos longè ante Severum Hadrianus prohibuerat Jerosolymorum accessu, ex Eusebio lib. 4. histor. c. 6. Itaque hîc non singularem hominem, sed eum præ oculis habet Augustinus, qui Romanum imperium gerebat, eo quo loquitur ævo jam Christianus.

[d] Editi, *movent nos*. Abest *nos* à MSS.

te

te benedicitur. Ipse unus homo ex parte aruit, & claudicat; & ex parte benedicitur, & viget.

7. Quid est autem: (quantum Dominus suggerit, dicimus, sine præjudicio melioris intellectûs:) quid est, *Ecce manè jam venit*, *dimitte me?* Hoc est quod Dominus dicit post passionem mulieri, quæ volebat illi tenere pedes: Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem. Quid est hoc? Nam & cùm legeretur ipsa lectio, tractavi inde aliquando, quomodo diceretur, Noli me tangere, nondum adscendi ad Patrem. Quare? Nemo illum tetigit corporaliter, nisi cùm adscendit ad Patrem? Adhuc hîc erat, palpavit cicatrices discipulus qui non credebat. Quomodo ergo nolebat se tangi, nisi quia hoc figuratè dictum est? Illa mulier Ecclesia erat: & hoc est, Noli me tangere, noli me carnaliter tangere; sed qualis sum, æqualis Patri. Noli me tangere: quia non me, sed carnem meam tangis. Dicit enim in evectione profectûs sui Paulus, Et si noveramus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Et, Vetera transierunt, ecce facta sunt nova; omnia » autem ex Deo. Quid est, Et si noveramus se- » cundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus? Quia quando eum carnaliter noveramus, non putabamus nisi quia homo erat tantùm: at verò post quàm gratia ejus illuxit nobis, intelleximus Verbum æquale Patri. Tenebat ergo, & luctabatur, quasi [a] eum carnali habitu Jacob amplecti volens. Ille autem dicebat, *Dimitte me*, [b] carnaliter: *quia ecce jam manè est*, ut spiritaliter illumineris: id est, Noli me putare * hominem. *Dimitte, quia jam manè est.* Manè in luce veritatis intelleximus, & sapientiæ, per quam facta sunt omnia. Ipsâ perfrueris, cùm nox ista transierit, hoc est iniquitas hujus sæculi. Tunc enim fiet manè, cùm venerit Dominus, ut ita à nobis videatur, quemadmodum ab Angelis videtur. Quia nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Teneamus ergo hoc, Fratres, quod dictum est, *Dimitte me, quia jam manè est.* Sed ille quid dixit? *Non te dimittam, nisi me benedixeris?* Quia per carnem nos priùs benedicit Dominus. Norunt fideles quid accipiunt; quia per carnem benedicuntur; & sciunt quia non essent benedicti, nisi caro illa crucifixa daretur pro sæculi vita. Quomodo autem benedicitur? Quia prævaluit Deo, quia tenuit fortiter, & perseveravit, & de manibus non dimisit, quod amisit Adam. Teneamus ergo fideles quod accepimus, ut benedici mereamur.

8. Pars arida Jacob Christianos malos significat; ut in ipso Jacob & benedictio sit, & claudicatio. Benedictus est ex parte bene viventium, claudicat ex parte malè viventium. Sed adhuc in uno homine est utrumque: erit autem diremtio & discretio postea; quod optat in Psalmo Ecclesia, dicens, Judica me Deus, & » discerne caussam meam de gente non sancta. Ita sanè, quia dicit Evangelium, Si scandalizaverit » te pes tuus, abscinde eum, & projice abs te. » Expedit enim tibi unum pedem habentem intra- » re in regnum Dei, quàm cum duobus pedibus ire in ignem æternum. Isti ergo mali præscindi habent in fine. Modò clauda est Ecclesia, unum pedem fortiter ponit, alterum invalidum habet. Paganos adtendite, Fratres. Inveniunt aliquando Christianos bonos, servientes Deo, & admirantur, & adducuntur, & credunt. Aliquando adtendunt malè viventes, & dicunt, Ecce Christiani. Sed isti malè viventes ad latitudinem pertinent femoris Jacob tacti, [c] qui aruit. Tactus autem Domini, manus est Domini corripiens & vivificans. Ideo ex parte benedicitur, & ex parte arescit. Et istos malè viventes in Ecclesia ostendit Dominus; quia inde est quod scriptum est in Evangelio, quia cùm crevisset herba, apparuerunt zizania: quia cùm cœperint homines proficere, tunc incipiunt malos sentire. Hæc nota sunt vobis, ex dono Dei efficitur ut cognoscantur. Sed modò toleranda sunt zizania usque ad finem messis, ne fortè eradicando zizania, eradicetur simul & triticum. Veniet autem tempus ut exaudiatur Ecclesia dicens, Judica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta: cùm Dominus venerit in claritate sua cum Angelis sanctis, & colligentur ante eum omnes gentes, & segregabit eos, sicut pastor segregat oves ab hœdis; & ponentur justi ad dexteram, hœdi autem ad sinistram: & illis dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: illis autem, Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.

Margin notes (left column): CLASSIS I. — Angelus fieri noster quid significet. — Joan. 20. 17. — 2. Cor. 5. 16. — Ibidem 17. — * Subaud. tantùm. — 1. Cor. 13. 12. — Jacob & benedictus & claudicans. — Psal. 42. 1. — Matth. 18. 8.

Margin notes (right column): «SERM. DE SCRIPTURIS. — Matth. 13. 26. — Psal. 42. 1. — Matth. 25. 31. &c.

* SERMO VI.

De [d] eo quòd apparuit Dominus Moysi in rubo.

* Aliàs de Diversis 17.

CAPUT I. Quomodo Deus Moysi apparuit.

1. CUM sanctæ lectiones legerentur, in ea quæ scripta sunt in prima lectione, quæ nobis recitata est, animo intendimus, & ea quæ Dominus suggerit, breviter cum Vestra Sanctitate participare curamus: ne carnaliter accipientes divina mysteria, non solùm non proficiatis, sed etiam deficiatis. Occurrit enim primò adspectibus nostris ex illa lectione divina, quòd Deus apparuit Moysi. Apparere autem per substantiam suam, sicuti est, nonnisi mundis cordibus dignatur. Sic enim scriptum est in Evangelio: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Oculis autem corporalibus sanctorum si quando Deus voluit apparere, non per se ipsum, sed per creaturam visibilem atque sensibilem, quantum ista carne sentiri potest, apparuit; vel per vocem sonantem auribus, vel per ignem oculis, vel per Angelum in aliqua visibili specie apparentem, sed personam Dei gestantem. Sic intelligimus, Fratres, apparuisse Moysi Deum. Non enim majestas illa, quæ fecit cælum & terram, & quæ regit universum mundum, cui semper inhærent Angeli contemplando ejus pulcritudinem [e] puris mentibus, oculis mortalibus hominis potuit apparere, nisi assumtâ visibili & sensibili creaturâ, quæ ad istos oculos visibiles corporis pertinet: quando quidem & ipsa Sapientia Dei, per quem facta sunt omnia, humanis oculis non appareret, nisi humanam carnem assumeret.

Margin notes: Exodi 3. 2. — Matth. 5. 8.

[a] MSS. *quasi cum carnali habitu* &c.

[b] Sic in MSS. At in editis deerant isthæc verba; *carnaliter: quia ecce jam manè est, ut spiritaliter illumineris: id est, Noli me putare hominem. Dimitte*.

[c] Sic MSS. Editi verò, *quia aruerunt*.

[d] Possidius in Indiculo cap. 8. sermonem hunc videtur indicare isto titulo: *De virga conversa in serpentem, & manu colorata, & aqua in sanguinem*.

[e] Vox *mentibus*, quæ omissa in editis fuerat, restituitur ex MS. Colbertino.

Classis I.

*Caput II. Moysi Deus per Angelum apparuit. Act. 7. 30.

2. *Quomodo ergo Verbum Dei, id est, Filius Dei, ut appareret oculis, carnem assumsit: sic semper Deus, ut appareret oculis hominum, in aliqua creatura visibili apparere dignatus est. Nam apertissimè habes in Actibus Apostolorum, quia Angelus apparuit Moysi in rubo. Numquid ista Scriptura vera, & illa falsa est? aut illa vera, & ista falsa est? Sed quid? Si Christiani sumus, si bene credimus; ambæ sunt veræ. Si ergo ambæ sunt veræ, quomodo [a] hîc Deus apparuit, quomodo ibi Angelus dicitur apparuisse, nisi quia B ille Spiritus, qui in Actibus Apostolorum dixit apparuisse Angelum, exposuit hanc lectionem quomodo apparuit Deus? Illa declaratio, expositio est obscuritatis hujus: ne intelligeres Deum per seipsum apparuisse, illic tibi expositum est quemadmodum apparuerit Deus per creaturam, Angelum. Sic quid miraris quia dicitur, cùm apparet Angelus, *Dixit Deus? Et vocavit Deus Moysen, & accessit ad locum, & dixit Dominus ad Moysen?* Quia non adtenditur templum An- C gelus, sed inhabitator Angeli. Ipse enim Angelus templum Dei erat. Si enim dignatur in homine habitare & loqui, ut quando Propheta loquitur, dicatur, Dixit Deus: quantò magis per Angelum? Et cùm dicitur, Dixit Deus per Isaiam, quid erat Isaias? nonne homo portans carnem, natus de patre & matre, sicuti omnes nos? Et tamen loquitur, & quid dicimus in eloquiis ipsius? Hæc dicit Dominus. (*Isai. 50. 1.*) Quomodo ergo Deus, si Isaias, nisi quia Deus per Isaiam? D Sic & hîc loquente Angelo dicitur Deus loqui. Quare, nisi quia per Angelum Deus?

Caput III. Dei apparitio quare in rubo facta.

3. Advertite itaque soluta quæstione etiam istud, in cujus rei signum videtur factum, quòd in rubo apparuit, & rubus non comburebatur, non incendebatur: & apparebat tamquam ignis, & non incendebat rubum. Putamus rubum bonum aliquid significare, cùm sint spinæ? Si enim consumsisset ignis spinas, significaret quia & verbum Domini quod dictum est Judæis, consum- E sisset peccata illorum, & Lex illa finiret iniquitates ipsorum. Si enim sic ignis in rubo, quomodo Lex in Judæis: sic sunt spinæ rubi, quomodo peccata Judæorum: sic ignis hic non cremavit spinas, quomodo Lex non cremavit peccata.

Nomen Dei. *Exodi 3 14.*

4. Loquitur autem Dominus ad Moysen: (jam illa nostis, & non diutiùs vos tenere debemus, propter angustias temporis): *Ego sum qui sum: Misit me qui est.* Cùm enim quæreret nomen Dei, hoc dictum est: *Ego sum qui sum. Hæc* F *dices filiis Israël, Qui est misit me ad vos.* Quid est hoc? O Deus, ô Domine noster, quid vocaris? *Est* vocor, dixit. Quid est, *Est* vocor? Quia maneo in æternum, quia mutari non possum. Ea enim quæ mutantur, non sunt, quia non permanent. Quod enim est, manet. Quod autem mutatur, fuit aliquid, & aliquid erit: non tamen est, quia mutabile est. Ergo incommutabilitas Dei isto vocabulo se dignata est intimare, *Ego sum qui sum.*

Caput IV. Aliud nomen Dei. *Exodi 3.15.*

5. Quid est ergo, quòd postea iterum aliud nomen sibi dixit, cùm diceretur, *Et dixit Deus ad Moysen, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: hoc mihi nomen est in sempiternum?* Quomodo illac vocor hoc, quia *sum*; & ecce A hàc aliud nomen, *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob?* Quia quomodo est Deus incommutabilis, fecit omnia per misericordiam, & dignatus est ipse Filius Dei mutabilem carnem suscipiendo, manens id quod Verbum Dei est, venire & subvenire homini. Induit ergo se carne mortali ille qui est, ut dici posset, *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.*

6. Deinde signa jam adtendite, quæ signa dedit Moysi, cùm diceret, *Si mihi dixerit populus, Non te misit Deus: quibus signis ostendam quia misisti me?* Dictum est, *Projice virgam, quam habes in manu tua:* projecitque virgam, & factus est serpens, & exhorruit Moyses. Ait iterum Dominus, *Apprehende caudam ejus:* apprehendit, & facta est virga sicut erat. Dedit & aliud signum: *Mitte manum in sinum:* & misit eam. *Produc eam:* produxit, & facta est alba sicut nix, id est, leprosa. Color enim albus in cute humana vitiosus est. *Mitte illam in sinum iterum:* misit, & recepit colorem suum. Dedit ei tertium signum: *Tolle aquam de flumine, & funde in æqualem locum:* tulit, & fudit, & conversa est in sanguinem. *In his signis audiet te populus: si in primo non exaudierit, in secundo autem & in tertio audiet.*

7. Nos ea quæ significant, quantùm Deus adjuvat, tendamus edicere. Virga regnum significat; serpens, mortalitatem. A serpente enim homini mors propinata est. Ipsam mortem Dominus dignatus est assumere. Virga ergo veniens in terram, serpentis speciem habuit; quia regnum Dei, quod est Christus Jesus, venit ad terram. Mortalitate indutus est, quam infixit in cruce. Novit autem Sanctitas Vestra, quia quando populus ille in eremo cervicatus & superbus murmurasset adversùs Deum, cœpit morderi à serpentibus, & ipsis morsibus cadere. Misericordiâ suâ dedit Deus remedium, quod remedium præsentem quidem sanitatem afferebat, sed futuram sapientiam prædicabat. Ait Moysi, Suspende serpentem æneum in media eremo in ligno, & dic populo, Quicumque fuerit percussus, serpentem istum intueatur. Et percussi homines intuebantur serpentem, & sanabantur. Et adtestatur Dominus in Evangelio tali signo. Nam cùm Nicodemo loqueretur, ait, Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sed hoc est, quicumque percussus fuerit à serpentibus peccatorum, Christum intueatur, & habebit sanitatem in remissionem peccatorum. *Ergo, Fratres, ipsa est mortalitas, quæ suscepta est à Domino, quam necesse est habere corpus ejus, cujus est caput homo in cælo. Ita Ecclesia mortalitatem habet, quod vulnus inflictum est per suasionem serpentis. Debemus enim mortem peccato primi hominis: sed [b] per eam G ad vitam perveniemus æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. Sed quando venit ad vitam, & redit ad regnum? In fine sæculi. Nam ideo caudam tenuit, ubi finis est, ut ad pristinum revocaret.

8. Quid illa manus? Certum est quia & illa

[a] Sic MSS. At editi, *Si ergo ambæ sunt veræ, quomodo ibi Angelus dicitur apparuisse, nisi quia illa species? Qui in Actibus &c.*

[b] Colbertinus MS. *sed postea ad vitam &c.*

manus populum ipsum significat. Sinus hominis A quid est? Sinus Moysi secretum Dei. Cùm esset homo in secreto Dei, incolumis erat, & bono colore. Exiit à secreto Dei, progressus est Adam de paradiso, offenso Deo, & factus est vitiosus. Facta est ergo manus illa alba: sed rediit ad sinum, per sinum Domini nostri Jesu Christi, & recepit colorem. Quid autem illa aqua? Aqua illa significat sapientiam. Sæpe enim posita est aqua in similitudinem sapientiæ: & dictum est, Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. B Sed aqua illa sapientia, quæ in terra sanguis effecta est, non nobis ostendit Verbum carnem factum & habitantem in nobis? Utique ostendit. Omnia ergo futuri [a] populi signa sunt, & mysteria de Domino nostro Jesu Christo. Et si qua alia sunt in veteribus libris sacramenta, sive illa intelligamus, sive non intelligamus, quærentem desiderant, non reprehendentem. Petamus ergo, quæramus & pulsemus, ut aperiatur nobis. Illis futura prædicta sunt sacramenta: nos præ- C sentia videmus in Ecclesia. [b]

(Margin: Aqua. ...han. 4.)

* SERMO VII.

De [c] lectione Exodi, de rubo in quo flamma erat & rubus non comburebatur.

(Margin: * Aliàs 6. ex Carthusiana MS. editus.)

1. CUM divina lectio legeretur, magnum miraculum, quod Moysen famulum Dei intentissimum fecerat, etiam nos corde exspectavimus; quia intenti etiam ipsi fa- D cti sumus, quomodo in rubo apparebat ignis, & rubus non cremabatur. Deinde advertimus sacram Scripturam priùs dixisse, quòd Angelus Domini apparuerit Moysi in rubo. Deinde Moyses non jam quasi cum Angelo, sed tamquam cum Domino loquebatur. Tertiò advertimus, quòd cùm Moyses nomen Dei quæreret, ut haberet quid diceret filiis Israël, interrogantibus quod nomen Dei esset, qui illum ad eos misisset, respondit, *Ego sum qui sum.* Neque hoc tran- E seunter, sed repetitione commendans adjecit, *Dices itaque filiis Israël, Qui est misit me ad vos.* Postremò jam enuntiato nomine suo, adhuc adjunxit, *Hæc dices eis, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos. Et hoc mihi nomen est in æternum.* De his, quod Dominus donat, audite. Magna quidem sunt, tamquam involucra mysteriorum Dei: quæ si congruenter & sufficienter conemur evolvere, nec vires, nec F tempus sufficient.

(Margin: Exodi 3. 2. — Act. 7. 30. — Exodi 3. 14. — Ibidem 15.)

2. Quod ergo breviter possumus dicere, non frustra, non inaniter, non sine alicujus significatione secreti, in rubo flamma erat, & rubus non cremabatur. Rubus enim spinarum est quoddam genus: nec in laude aliqua poni potuit, quod peccatori terra produxit. Nam primitus peccanti homini dictum est, Terra spinas & tribulos pariet tibi. Neque idipsum quòd rubus non cremabatur, id est, flammâ non compre- G hendebatur, bonum aliquid putare debemus. Si enim flamma significat aliquid boni, in qua Angelus apparebat, vel Dominus; unde etiam

(Margin: Rubus flâmâ inhærente non crematus quid significat. — Gen. 3. 18.)

cùm venit Spiritus-sanctus, visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis; comprehendi debemus hoc igne, non autem propter duritiam non cremari. Rubus quem non cremabat, populus qui Deo reluctabatur. Spinosum igitur populum Judæorum significabat rubus, quò Moyses mittebatur. Et ideo rubus non cremabatur, quia duritia Judæorum, sicut dixi, legi Dei reluctabatur. Nam si ille populus spinis non significaretur, non ab eo spinis Christus coronaretur.

(Margin: SERM. DE SCRIPTURIS. — Act. 2. 3. — Matth. 27. 26. Johan. 16. 5.)

3. Quòd autem idem ipse, qui loquebatur Moysi, & Angelus Domini & Dominus dicitur, magna quæstio est, nec temerarium debet habere affirmatorem, sed cautum inquisitorem. Duæ sunt autem sententiæ, quæ hinc proferri possunt, quarum quælibet vera sit, ambæ secundùm fidem sunt. Quod dixi, quænam earum vera sit: hoc dixi, quidnam eorum senserit qui scripsit. Nam quando nos inquirentes Scripturas sentimus aliquid, quod scriptor fortè non sensit; non tamen hoc sentire debemus, quod abhorret à regula fidei, à regula veritatis. [d] Ergo ambas sententias propono: sit fortassis & tertia, quæ me latet. Ex his autem duabus propositis, eligatis quam volueritis. Aliqui dicunt ideo & Angelum Domini dictum & Dominum, quia Christus erat, de quo apertè Propheta dicit, quòd sit magni consilii Angelus. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Nam angelus Græcè, qui Latinè nuntius appellatur. Nuntius ergo actionis nomen est: agendo, id est, aliquid nuntiando, nuntius appellatur. Quis neget Christum nuntiasse nobis regnum cælorum? Deinde Angelus, id est, nuntius mittitur ab eo, qui per eum aliquid nuntiat. Et quis neget Christum missum? qui totiens dicit, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit: ipse propriè missus. Nam Siloë, illa piscina, interpretatur missus. Ideo cui oculos luto inunxit, inde lavare faciem jussit. Nullius enim visus aperitur, nisi ejus qui à Christo mundatur. Ergo idem Angelus, idem Dominus.

(Margin: Qui Moysi loquebatur, Christum fuisse, quorumdam opinio. — Isai. 9. 6. — Johan. 6. 38. — Johan. 9. 7.)

4. Sed hîc occurrit aliquid præcavendum. Non enim desunt hæretici qui dicant, Patris & Filii distare & dissonare naturas, & non eos esse unius ejusdemque substantiæ. Catholica autem fides credit Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unum Deum, unius substantiæ Trinitatem, inseparabiliter, æqualiter, non commixtione confusam, non distinctione separatam. Illi ergo qui persuadere moliuntur Filium non esse ejusdem substantiæ cujus est Pater, argumentantur ex hoc, quòd Filius visus est Patribus: Pater, inquiunt, non est visus: invisibilis autem & visibilis diversa natura est. Et ideo, inquiunt, de Patre dictum est, Quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Ut ille qui visus est non solùm Moysi, sed etiam Abrahæ; non solùm Abrahæ, sed etiam ipsi Adam & ceteris patribus, non Deus Pater, sed Filius potiùs credatur, ut intelligatur creatura. Catholica non hoc dicit. Sed quid dicit? Deus Pater, Deus Filius; incommutabilis Pater, incommutabilis Filius; æternus Pater, coæternus Filius; invisibilis Pater, invisibilis

(Margin: In ea opinione cavendum Arianorum argumentum. — 1. Tim. 6. 16.)

[a] Sic aliquot MSS. At editi, *futuri seculi.*

[b] In Editis additur, *Conversi ad Dominum* &c. quod abest à MSS.

[c] Hunc sermonem credimus in Possidii Indiculo cap. 9. notatum his verbis: *De flamma in rubo, in Exodo, eo quòd non comburebatur.* Idemque est cum Tractatu edito in Tom. 6. *de eo quod dictum est à Deo ad Moysen, Ego sum qui sum.* Qui Tractatus in Erasmiana quidem editione incerti auctoris esse prænotatur; at in Vlimm. & Lov. Augustino tribuitur. Hîc demum, parum abfuit, quin per nos in quinta Sermonum classe reponeretur inter dubios.

[d] Editi ex Carthusiano MS. addunt, *à regula pietatis.*

CLASSIS I.

Filius. Nam si dixeris Patrem invisibilem, Filium visibilem: distinxisti, immo verò separasti substantias. Quomodo gratiam invenisti, qui fidem perdidisti? Solvitur ergo ista quæstio sic: Deus Pater & Filius & Spiritus-sanctus, naturâ propriâ invisibilis est: apparuit autem quando voluit, cui voluit; non ut est, sed ut voluit, cui serviunt omnia. Si enim anima tua cùm sit invisibilis in corpore tuo, ut appareat profert vocem, & vox in qua apparet anima tua cùm loqueris, non est substantia animæ tuæ; aliud est illa, aliud est vox; & tamen apparet, & in ea re quæ ipsa non est: sic & Deus si in igne apparuit, non est ignis; si in fumo apparuit, non est fumus; si in sono apparuit, non est sonus. Non sunt hæc Deus, sed indicant Deum. Hoc retento, securi credimus potuisse dici Filium qui apparuit Moysi, & Dominum & Angelum Domini.

Aliorum sententia, Angelum Moysi apparuisse, non Christum.

5. Qui verò existimant verè eum Angelum Domini fuisse, non Christum, sed Angelum missum; necesse est ut exigatur ab eis ratio, quare dictus sit Dominus. Quomodo enim ab eis qui Christum fuisse dicunt, exigitur quare dictus sit Angelus: sic ab eis qui Angelum dicunt, exigitur quare dictus sit Dominus. Sed illi qui Christum dicunt fuisse, jam commemoravi, quomodo inde exeant, quare dictus sit Angelus, quia

Isai. 9. 6. Propheta apertè dixit Dominum Christum magni consilii Angelum. Illi ergo qui dicunt Angelum, respondere debent quare appellatus sit Dominus. Respondent & ipsi: Sicut in Scripturis Propheta loquitur, & dicitur quia Dominus loquitur; non quia Dominus est Propheta, sed quia Dominus est in Propheta; sic & cùm per Angelum dignatur Dominus loqui, quomodo per Apostolum, quomodo per Prophetam, rectè dicitur & Angelus propter seipsum, & Dominus propter habitantem Deum. Certè enim Paulus homo

1 Cor. 13. 3. erat, & Christus Deus; & ait tamen ipse Paulus, An vultis experimentum ejus accipere, qui in me

Psal. 84. 9. loquitur Christus? Dixit & Propheta, Audiam quid loquetur in me Dominus Deus. Qui loquitur in homine, loquitur in Angelo. Ideo appa-

Exodi 3. 14. ruit Moysi Angelus Domini, & [a] dixit, *Ego sum qui sum.* Habitatoris vox est, non templi.

Difficultas in ea sententia diluitur.

6. Nam si propterea Christus erat, cùm Angelus dictus sit, quia unus erat; quid facimus, quando Abrahæ tres apparuerunt? quid hîc di-

Gen. 18. 2. cimus? Tres apparuerunt, & Abraham tamquam ad unum loquens dixit, Domine. Quid dicimus? quare tres? An ipsa Trinitas erat? Quare ergo Dominus? Quia Trinitas unus Dominus, non sunt tres Domini: & Trinitas unus Deus, non tres [b]; una substantia, tres personæ. Neque enim Pater Filius est, aut Filius Pater est, aut Spiritus-sanctus vel Pater vel Filius est. Sed Pater non est nisi Filii; Filius non est nisi Patris; Spiritus & Patris & Filii. Quamvis in illis tribus aliqui dicunt, quòd unus ibi excellebat, quem Dominum appellabat Abraham, quando apparuerat cum duobus, tamquam Christus cum An-

Gen. 19. 2. gelis suis. Sed quid agimus, quia cùm duo mitterentur ad Sodomam apparentes fratri Abrahæ Lot, & ipse agnoscit in eis divinitatem; & cùm duos videat, Dominum appellat? Et ille in tribus Dominum, & in duobus ille Dominum. Ne separemus ergo Trinitatem & faciamus in Sodoma dualitatem, puto quòd meliùs intelligimus, quia Patres nostri Dominum in Angelis agnoscebant, habitantem in habitatione intelligebant; non portantibus, sed insidenti gloriam dabant. Quam sententiam confirmat, non solùm Epistola quæ scribitur ad Hebræos, ubi dicitur, Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus: (loquebatur enim de veteri Testamento, commendavit quòd ibi Angeli loquebantur; sed Deus in Angelis suis honorabatur, & per Angelos interior habitator audiebatur:) sed etiam in Actibus Apostolorum Stephanus dicit, arguens & increpans Judæos: Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus. Dura cervice, spinæ non crematæ. Vos semper resistitis Spiritui-sancto. Ideo rubus non cremabatur, quia [c] flammæ Spiritûs ab spinis peccatorum resistebatur: Vos semper resistitis Spiritui-sancto. Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri? (Et unde agitur:) qui accepistis Legem in edictis Angelorum, & non custodistis. Si diceret Angeli, & non Angelorum, non deerant illi qui dicerent, Christus est, quia dictus est magni consilii Angelus. Angelus Christus, numquid Angeli Christus? Dicit & apostolus Paulus, quoniam semen Abrahæ [d] dispensatum est: Dispositum, inquit, per Angelos in manu mediatoris.

7. Jam ergo Angelus, & in Angelo Dominus, dicebat Moysi quærenti nomen suum, *Ego sum qui sum: Dices filiis Israël, Qui est, misit me ad vos.* Esse, nomen est incommutabilitatis. Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant, & incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum, non habet nisi qui non mutatur. Ille habet esse cui dicitur, Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es. Quid est, *Ego sum qui sum*, nisi, æternus sum? Quid est, *Ego sum qui sum*, nisi, mutari non possum? Nulla creatura, non cælum, non terra, non Angelus, non Virtus, non Sedes, non Dominationes, non Potestates. Cùm ergo sit hoc nomen æternitatis, plus est quod dignatus est habere nomen misericordiæ. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Illud in se, hoc ad nos. Si enim hoc solum esse vellet, quod est in se, quid essemus nos? Si intellexit, immo quia intellexit Moyses, cùm ei diceretur, *Ego sum qui sum, Qui est misit me:* multum hoc credidit esse ad homines, multum hoc vidit distare ab hominibus. Qui enim hoc quod est & verè est, dignè intellexerit, & qualitercumque lumine veracissimæ essentiæ, vel strictim, sicut coruscatione afflatus fuerit; longè se videt infrà, longè remotissimum, longè dissimillimum: sicut ille ait, Ego dixi in ecstasi mea. Assumta enim mente vidit nescio quid, quod plus ad illum erat. Hoc erat quod verum erat. Dixi, inquit, in ecstasi mea. Quid? Projectus sum à facie oculorum tuorum. Cùm ergo ad id quod dicebatur, non ad id quod videbatur, longè se imparem videret Moyses & quasi minùs capacem, unde inflammatus ipso desiderio videndi quod est, dicebat Deo cum quo loquebatur,

[a] Editi ex Carth. *& dicitur ei, Domine. Et dicit, Ego sum qui sum.*
[b] Editi ex Carth. addunt, *dii.*

[c] Editi ex Carth. *quia spiritui flamma à spinis &c.*
[d] Editi ex Carth. *dispensatum est à veteri Testamento usque ad novum. Et quomodo dispensatum est? Dispositum inquit &c.*

[Classis I.] [Exodi 33.] Oſtende mihi temetipſum: quaſi ergo ab illa excellentia eſſentiæ longè diſſimilis deſperaret, erigit deſperantem, quoniam vidit timentem: tamquam diceret, Quoniam dixi, *Ego ſum qui ſum*, & *Qui eſt*, *miſit me*: intellexiſti quid ſit eſſe, & [Idem 14.] deſperaſti te capere. Erige ſpem, *Ego ſum Deus Abraham, Iſaac & Iacob*: ſic ſum quod ſum, ſic ſum ipſum eſſe, ſic ſum cum ipſo eſſe, ut nolim hominibus deeſſe. Si quo modo poſſumus Dominum quærere & inveſtigare eum qui eſt, & quidem non longè poſitum ab unoquoque no- [Act. 17. 27.] ſtrûm: In illo enim vivimus & movemur & ſumus: laudemus ergo ineffabiliter ejus eſſentiam, & amemus miſericordiam. Amen.

SERMONIS VIII.

De [a] *decem plagis & decem præceptis*,

FRAGMENTUM.

Inter Eugipii excerpta, & in MSS. Regio & Victorino repertum.

1. PRIUS in fundamento poſita rerum geſtarum firmitate, ſignificantiam debemus inquirere; ne ſubtracto fundamento, in aëre velle ædificare videamur. Sed ad plagas decem non pertinet quod primum factum [Exodi 7. 10.] eſt ſigni cauſſâ, ut virga in ſerpentem converteretur. Aditus enim ipſe erat ad Pharaonem, quo commendabatur Moyſes educturus ex Ægypto populum Dei: nondum autem contumaces feriebantur, ſed divino ſigno jam terrebantur. Virga ſignificat regnum Dei: idemque regnum Dei eſſe utique populum Dei. Serpens autem tempus mortalitatis hujus; mors enim à ſerpente propinata eſt. Tamquam ergo cadentes de manu Domini in terram, mortales effecti ſunt: unde projecta virga ex manu ſerpens effecta eſt. Fecerunt & Magi Pharaonis ſimiliter, virgis eorum projectis ſerpentes facti ſunt: ſed priùs ſerpens Moyſi, id eſt, virga Moyſi devoravit omnes ſerpentes Magorum. Tunc demum caudâ comprehenſâ, identidem virga facta eſt, & regnum remeavit ad manum. Sunt ergo virgæ Magorum populi impiorum victi Chriſti nomine; cùm in ejus corpus transferuntur, tamquam à ſerpente Moyſi devorantur: donec redeat regnum Dei ad manum Dei, ſed in fine mortalis ſæculi, quod ſignificat cauda ſerpentis, magnum ſignum fiat. Audiſtis quæ debeatis deſiderare; audite quæ debeatis vitare.

[Caput I.] [Exodi 20. 3.] 2. PRIMUM PRÆCEPTUM in Lege de colendo uno Deo, *Non erunt*, inquit, *tibi dii alii præter me*. [Exodi 7. 20.] PRIMA PLAGA Ægyptiorum, Aqua converſa in ſanguinem. Compara primum præceptum primæ plagæ, Deum unum ex quo ſunt omnia, in ſimilitudine intellige aquæ, ex qua generantur omnia. Quò autem pertinet ſanguis, niſi ad carnem mortalem? Quid eſt ergo converſio aquæ in ſanguinem, niſi quia obſcuratum eſt [Rom. 1. 21. &c.] inſipiens cor eorum? » Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt? & commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. Gloria incorrupti- [Florus ad Rom. 1.] bilis Dei ſicut aqua, ſimilitudo imaginis corruptibilis hominis ſicut ſanguis. Et hoc quidem fit [Serm. de Scripturis.] in corde impiorum. Nam Deus incommutabilis manet. Neque enim quia & Apoſtolus dixit, Commutaverunt, ideo mutatus eſt Deus.

[Caput II.] [Exodi 20. 7.] 3. SECUNDUM PRÆCEPTUM, *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum*. Qui enim accipit nomen Domini Dei ſui in vanum, non mundabitur. Nomen Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti veritas eſt: ipſe enim dixit, Ego ſum [Johan. 14. 6.] veritas. Veritas ergo mundat, vanitas inquinat. Et quoniam qui loquitur veritatem, de Deo loquitur, qui enim loquitur mendacium, de ſuo lo- [Johan. 8. 44.] quitur: veritatem loqui, eſt rationabiliter loqui: vanitatem autem loqui, eſt ſtrepere potiùs, quàm loqui: meritò, quia ſecundum præceptum eſt dilectio veritatis, cui contraria eſt dilectio vanitatis: loquitur autem veritas, perſtrepit vanitas: huic præcepto ſecundo contrariam videte SECUNDAM PLAGAM. [Exodi 8. 6.] Quæ eſt illa ſecunda plaga? Ranarum abundantia. Habes expreſſam ſignificatam vanitatem, ſi adtendas ranarum loquacitatem. Vide amatores veritatis, non acci- [Beda. & Florus ad 1. Cor. 2. b] pientes in vanum nomen Domini Dei ſui, loqui ſapientiam inter perfectos, etiam [b] inter imperfectos. Non quidem loqui quod capere non poſſunt; non tamen recedere à veritate, & pergere in vanitatem. Quamvis enim imperfecti non capiunt ſi quid paulò excelſius fuerit diſputatum de verbo Dei Deo apud Deum, per quod facta ſunt omnia, poſſintque capere quod inter eos loquitur Paulus tamquam inter parvulos Chriſti, Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum; non tamen illa eſt veritas & iſta vanitas. Vanitas autem eſſet, ſi Chriſtum mortem non impleviſſe, ſed finxiſſe diceremus; ſi vulnera illa in phantaſmate fuiſſe, ſi ſanguinem non verum, ſed ſimulatum de vulneribus emanaſſe; ſi falſas eum cicatrices, tamquam poſt falſa vulnera, demonſtraſſe. Cùm verò iſta omnia vera dicimus, facta dicimus, certa, expreſſa, impleta credimus & prædicamus; quamvis de ſublimi illius & de incommutabili veritate non loquamur, non tamen imus in vanitatem. Qui autem illa omnia in Chriſto falſa & ſimulata dicunt, ranæ ſunt clamantes in palude: ſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam ſapientiæ inſinuare non poſſunt. Denique in Eccleſia loquuntur hærentes veritati Veritatem per quam facta ſunt omnia, Veritatem Verbum carnem factum & habitantem in nobis; Veritatem Chriſtum natum de Deo, unum de uno, unigenitum & coæternum; Veritatem acceptâ formâ ſervi natum ex virgine Maria, paſſum, crucifixum reſurgentem, adſcendentem: ubique Veritatem, & quam [c] perfecti [c] capiant, & quam parvulus capere poteſt; Veritatem, & in pane, & in lacte; in pane magnorum, in lacte parvulorum. Idem quippe panis, ut lac fiat, per carnem trajicitur. Qui autem huic veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt tædium inferentes auribus, non cibum mentibus. Audi denique homines rationabiliter loquentes: [Pſal. 18. 4.] « Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces « eorum: ſed voces non inanes; quia in omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ «

[a] Hujus Tractatûs meminit Poſſidius in Indiculo c. 9. & Auguſtinus ipſe ſuper Pſalm. 77. n. 27.

[b] Florus, *etiam imperfectis*. Duo MSS. *etiam imperfectos*.

[c] Sic aliquot MSS. At editi omittunt, *& quam perfecti capiant*. habentque, *& quam parvulus capere non poteſt*. Abeſt particula, *non*, à Regio codice.

Classis I. verba eorum. Si autem & ranas vis è contrario A intelligere, illum versum Psalmi recole, Vana
Psal. 11. 3. locuti sunt unusquisque ad proximum suum.

Caput III. Exodi 20. 8. 4. Tertium præceptum, *Memento diem sabbati sanctificare eum.* In tertio isto præcepto insinuatur quædam vacationis indictio, quæ est cordis tranquillitas ac mentis, quam facit bona conscientia. Ibi sanctificatio, quia ibi Spiritus Dei. Denique videte vacationem, hoc
Isai 66. 2. est, quietem. Super quem, inquit, requiescet » spiritus meus? Super humilem & quietum & tre- B mentem verba mea. Inquieti ergo resiliunt ab Spiritu-sancto, rixarum amatores, calumniarum seminatores, contentionis quàm veritatis cupidiores, inquietudine sua non ad se admittunt quietem sabbati spiritalem. Contra istorum inquietudinem dicitur, tamquam ut sabbatum habeant in corde sanctificationem Spiritûs Dei:
Eccli. 5. 13. Esto, inquit, mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas. Quid intellecturus sum? Deum dicentem, Cessa ab inquietudine tua, non sit tu- C multus quidam in corde tuo, per corruptionem volitantibus phantasmatibus & compungentibus te: non sit. Ita enim Deum intellecturus es
Psal. 45. 11 dicentem tibi, Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Tu per inquietudinem vacare non vis, contentionum tuarum corruptione cæcatus, exigis videre quod non potes. Adtende enim & contrariam tertiam plagam huic præcepto
Exodi 8. 17. tertio. Sciniphes natæ sunt in terra Ægypti de limo: muscæ quædam sunt minutissimæ, inquie- D tissimæ, inordinatè volitantes, in oculos irruentes, non permittentes hominem quiescere, dum abiguntur & irruunt, dum abactæ rursus redeunt: sicut omnino vana phantasmata cordis contentiosorum. Tenete præceptum, cavete plagam.

Caput IV. Exodi 20. 12. 5. Quartum præceptum est, *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Huic contraria quarta Ægyptiorum plaga κυνομυῖα est.
Exodi 8. 24. Quid est κυνομυῖα? Canina musca: Græcum vocabulum est. Caninum est parentes non agnos- E cere. Nihil tam caninum, quàm cùm illi qui genuerunt, non agnoscuntur. Meritò ergo & catuli canum cæci nascuntur.

Caput V. Exodi 20. 14. 6. Quintum præceptum est, *Non mœchaberis.* Quinta plaga est mors in pe-
Exodi 9. 6. cora Ægyptiorum. Comparemus: [a] da hominem mœchari meditantem, conjugio non contentum suo: appetitum quemdam carnis in se domare non vult, qui est nobis pecoribusque communis. Etenim concumbere & generare, etiam peco- F rum est; ratiocinari, intelligere, humanum est. Ideo ratio quæ præsidet in mente, motus inferiores carnis, tamquam regnans & dominans frenare debet, non immoderatè & illicitè passim vagéque laxare. Ideoque ipsis pecoribus naturâ datum est, instituente Creatore, ut non moveantur ad feminas & ad concubitum, nisi certis temporibus: neque enim ratione se cohibet alio tempore pecus, sed omnino ipso motu frigescente torpescit. Homo autem ideo semper G moveri potest, quia & refrenare motum potest. Tibi dominationem rationis Creator dedit; tibi præcepta continentiæ, tamquam in bestias inferiores lora, concessit. Tenes tu quod pecus non potest; & ideo speras tu quod pecus non

A potest. Laboras aliquantùm in continendo, non laborat pecus: sed gaudebis semper in æternitate, ad quam non pervenit pecus. Si opus fatigat, merces consoletur: & ipsa enim patientia est interiorem motum frenare, & quod habes commune cum pecore, non tamquam pecus in omnia laxare. Quòd si contemseris te, [b] & in te imaginem Dei in qua fecit te, neglexeris, victus cupiditate insinuatarum rerum, tamquam amisso homine eris pecus, non quasi conversus in na- B turam pecoris, sed in hominis forma habens similitudinem pecoris, qui non audis dicentem, Nolite esse sicut equus & mulus, non habentes intellectum. Sed fortè eligis tibi esse pecus, & libera vagari libidine, nulla lege appetitum carnis ad continentiam refrenando. Adtende plagam: si pecus esse non times, saltem mori time.

7. Sextum præceptum, *Non occides.* Sexta plaga, Pustulæ in corpore & vesicæ bullientes & scaturientes, & incendia vul- C nerum ex favilla fornacis. Tales sunt animæ homicidales, ardent irâ, quia per iram homicidii fraternitas deperiit. Ardent homines irâ, ardent & gratiâ: sed alius est fervor sanitatis, alius fervor ulceris. Ardentes papulæ per totum concepta homicidia scatent, & sanum non est: fervet, sed non de Spiritu Dei. Nam & qui vult subvenire, fervet; & qui vult occidere, fervet; ille præcepto, iste morbo; ille bonis operibus, iste saniosis ulceribus. Si possemus videre ani- D mas homicidarum, plus plangeremus, quàm putrescentia corpora ulceratorum.

8. Sequitur, *Non furaberis*, Præceptum septimum: & plaga septima, Grando in fructibus. Quod contra præceptum subducis, de cælo perdis. Nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno. Verbi gratiâ, Qui furatur, adquirit vestem; sed cælesti judicio amittit fidem. Ubi lucrum, ibi damnum; visibiliter lucrum, invisibiliter damnum: lucrum E de sua cæcitate, damnum de Domini nube. Neque enim aliquid sine providentia, Carissimi. Aut verè putatis, ea quæ patiuntur homines, dormiente Deo pati? Passim videntur fieri hæc, nubes colligi, imbres infundi, grandinem jaci, tonitruis terram concuti, coruscatione terreri; passim putantur fieri, & quasi ad divinam providentiam non pertinere. Contra tales cogitationes vigilat ille Psalmus, Laudate Dominum de terra, (cùm laudes dictæ essent de cælo,) F dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix « glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt ver- « bum ejus. Ergo qui suo malo desiderio forinsecùs furantur, justo Dei judicio intrinsecùs grandinantur. O si possent inspicere agrum cordis sui, profectò lugerent, dum ibi non invenirent, quod in os mentis mitterent; etsi in furto suo invenirent, quod in aviditatem ventris mitterent, major fames esset hominis interioris, major fames, & periculosior plaga, & gravior mors. Multi G mortui ambulant, & multi facinorosi de vanis divitiis exsultant. Denique servum Dei Scriptura intus locupletem dicit: Absconditus, inquit, « cordis vestri homo, qui est ante Deum dives? Non ante homines dives, sed ante Deum dives, & ubi Deus videt, ibi dives. Quid ergo tibi

[a] Unus MS. *ad hominem.* Idemque codex in margine habet, *vel da hominem.*

[b] Sic duo MSS. At editi, *contemseris te in te, & imaginem Dei.*

prodest, si ubi homo non videt furaris, & ubi A Deus videt grandinaris?

9. OCTAVUM PRÆCEPTUM, *Falsum testimonium non dices.* OCTAVA PLAGA, Locusta, animal dente noxium. Quid autem vult falsus testis, nisi nocere mordendo, & consumere mentiendo? Denique admonens homines Dei Apostolus, ne se falsis criminationibus appetant, Si mordetis, inquit, & comeditis invicem, videte ne ab invicem consumamini.

10. NONUM PRÆCEPTUM, *Non concupisces uxorem proximi tui.* NONA PLAGA, Densæ tenebræ. B Etenim est quædam mœchia, contra quam suprà præceptum est, etiam [a] in non appetenda castitate uxoris alienæ. Mœchus est enim qui non it ad uxorem alienam, tantùm quia non contentus est suâ. Jam verò non solùm post suam peccare, sed etiam alienam adtentare, verè densæ sunt tenebræ. Nihil enim sic dolet in corde patientis; & qui hoc facit alteri, nihil sic volet pati. Ad alienam paratior est omnis homo: C hoc autem nescio utrumne est qui tolerabiliter ferat. O densas tenebras ista facientium, talia concupiscentium! Verè excæcantur furore horribili. Furor enim indomitus est, [b] conculcare viri uxorem.

11. DECIMUM PRÆCEPTUM, *Non concupisces ullam rem proximi tui, non pecus, non possessionem, non subjugium, non aliquid omnino proximi tui concupisces.* Huic malo PLAGA contraria est DECIMA, Mors primogenitorum. D In qua plaga cùm comparationem quamdam quæro, nihil mihi interim occurrit: fortassis occurrat meliùs diligentiùsque inquirentibus: nisi qui omnes res quas habet heredibus servat, reprehenditur. Hic autem clamat, qui rem proximi concupiscit, & qui furto aufert, & qui furatur aliquid proximi, non potest nisi rem proximi furari. Sed de furto superiùs jam præceptum est; ubi intelligas & rapinam. Non enim de furto præciperet, & de rapina taceret Scriptura, nisi E te intelligere voluisset, quia si pœnale est clanculò auferre, multò majoris pœnæ est violenter eripere. Auferre ergo * nolens sive occultè, sive palàm, habet præceptum suum. Concupiscere autem rem proximi, quod notat Deus in corde, etiamsi justam ibi successionem quæras, non licet. Denique qui volunt res alienas tamquam justè possidere, heredes se quærunt fieri à morientibus. Quid enim tam justum videtur, quàm rem sibi derelictam possidere, habere jure com- F muni? Quid apud te facit homo? Dimissum est mihi: hereditate consecutus sum: testamentum lego. Nihil videtur justius ista voce avaritiæ. Tu laudas quasi jure possidentem: Deus damnat injustè concupiscentem. Vide qualis es, qui optas te ab aliquo heredem fieri. Non vis ut habeat heredes. In heredibus autem nihil carius primogenito. Proinde in primogenitis tuis punieris, qui concupiscendo res alienas, id quod tibi jure non debebatur, quasi juris [c] umbrâ perquiris. G Et facile est quidem, Fratres, corporaliter amittere primogenitos. Moriuntur enim homines, sive ante parentes suos, sive post parentes suos, morituri moriuntur: illud molestum est, ne per hanc occultam & injustam concupiscentiam primogenita cordis tui perdas. Primogenitus enim in nobis imaginem habet gratiæ Dei, novus natus, prior natus, inter omnes tamquam natos cordis nostri primogenita fides est. Nemo enim bene operatur, nisi fides præcesserit. Omnia opera tua bona filii tui sunt spiritales, sed inter hos tibi primogenita est fides. Quisquis rem alienam occultè concupiscis, interiùs fidem perdis. Eris enim primò sine dubio simulator, obsequens non caritate, sed fraude; veluti amans eum à quo te cupis fieri heredem, amando eum mori quæris, & ut in re ejus te videas possessorem, illi invides successorem.

CAPUT XI.

12. EIA, Fratres, decursis decem præceptis & decem plagis, comparantes contemtores præceptorum contumaciæ Ægyptiorum, cautos vos fecimus, ut habeatis securi res vestras in præceptis Dei; res vestras, inquam, res vestras interioris arcæ vestræ, interioris thesauri vestri; res vestras, quas vobis nec fur, nec latro, nec vicinus potens possit auferre; ubi nec tinea, nec rubigo metuenda est: cum quibus dives exit & naufragus. Sic enim eritis populus Dei inter iniquos Ægyptios, illis hæc in corde patientibus, vobis autem incolumibus in ipsis interioribus hominibus vestris, donec educatur populus de Ægypto quodam exodo suo; quod & fit: nam illud semel factum est, hoc non cessat fieri.

Spiritus-sanctus cur propriè sanctus dicatur.

13. Sanctificatio nulla divina & vera est, nisi ab Spiritu-sancto. Non enim frustra dictus est propriè Spiritus-sanctus; cùm sit & Pater sanctus & Filius sanctus, nomen tamen proprium hoc Spiritus accepit, ut tertia in Trinitate persona Spiritus-sanctus diceretur. Ipse requiescit super humilem & quietum, tamquam in sabbato suo. (*Isai. 66. 2.*) Ad hoc septenarius numerus etiam sancto Spiritui deputatur, hoc Scripturæ nostræ satis indicant. Viderint meliora meliores, & majora majores; & de isto septenario numero subtilius aliquid & divinius aliquid dicant & explicent: ego tamen, quod in præsenti sat est, illud video, illud vos ad videndum commemoro, septenariam istam rationem inveniri propriè sancto Spiritui deputatam; quia septimo die sonat sanctificatio. Et unde probamus sancto Spiritui deputari septenariam numeri rationem? Dicit Isaias Spiritum Dei venire super fidelem, super Christianum, super Christi membrum, sapientiæ & intellectûs, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, Spiritum timoris Dei. (*Isai. 11. 2.*) Si secuti estis, septem res percucurri, tamquam descendentem ad nos Spiritum Dei à sapientia usque ad timorem, ut nos adscendamus à timore ad sapientiam: Initium sapientiæ timor Dei. (*Prov. 1. 7.*) Ita ergo septenarius Spiritus & unus Spiritus, septenaria operatione unus. An aliquid evidentius vultis? Pentecosten diem festum Scriptura sancta de septimanis factum commemorat. Habetis in scriptura Tobiæ, ubi evidenter dicitur istum diem factum de septimanis. (*Tob. 2. 1. secund. LXX.*) Septies enim septem, quadraginta novem in summa redeunt. Sed tamquam ut redeatur ad caput: Spiritu enim sancto ad unitatem colligimur, non ab unitate dispergimur: ideo ad quadraginta novem additur unum

[a] Regius MS. *etiam mente non appetendam castitatem &c.*
[b] Duo MSS. *commaculare.*
[c] Sic duo MSS. At editi, *umbram.*

Classis I. 2

unitatis, & fiunt quinquaginta. Non ergo jam A ſine cauſſa quinquageſimo die poſt [a] adſcenſionem Domini venit Spiritus-ſanctus. Reſurrexit Dominus, adſcendit ab inferis, nondum in cælum: ab illa reſurrectione, ab illa ab inferis aſſumtione numerantur quinquaginta dies, & venit Spiritus-ſanctus, in quinquagenario numero tamquam natalem ſibi apud nos faciens. Quadraginta enim diebus hîc converſatus eſt Dominus cum diſcipulis ſuis, quadrageſimo die adſcendit in cælum, & peractis ibi decem diebus, tamquam decimo præceptorum ſigno, venit Spiritus-ſanctus; quia nemo implet legem niſi per gratiam Spiritus-ſancti. Itaque, Fratres, manifeſtum eſt ſeptenarium iſtum numerum ad Spiritum-ſanctum pertinere. Quiſquis autem non cohæret unitati Chriſti, & oblatrat adversùs unitatem Chriſti, intelligendus eſt non habere Spiritum-ſanctum. Contentiones enim & diſſenſiones non faciunt niſi animales, de quibus Apoſtolus dicit, Animalis autem homo non C percipit quæ ſunt Spiritûs Dei. Deinde ſcriptum eſt & in epiſtola Judæ apoſtoli, Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos: (reprehendens loquebatur,) Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes. Quid manifeſtius? quid evidentius? Meritò veniant, etſi eadem credentes quæ nos, tamen accepturi Spiritum-ſanctum, quem habere non poſſunt, quamdiu ſunt hoſtes unitatis. Hos autem comparat Apoſtolus Magis Pharaonis: (Habentes, inquit, D formam pietatis, ſed virtutem ejus abnegantes:) qui in ſigno tertio defecerunt.

Contra Donatiſtas. — 1. Cor. 2. 14. — Judæ 1. 19. — 2. Tim. 3. 5.

14. Jam videte quare in tertio ſigno defecerunt. Mementote eos qui adverſantur unitati, non habere Spiritum-ſanctum. Tria verò illa præcepta prima in Decalogo ad Dei dilectionem pertinere intelliguntur, ut ſeptem cetera intelligantur ad dilectionem proximi pertinere; ut duabus tabulis Legis & decem præceptis, duo illa tamquam ſummaria præcepta teneantur, E Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & diliges proximum tuum tamquam te ipſum: in his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Referamus ergo tria prima præcepta ad dilectionem Dei. Quæ tria prima? Primum, *Non erunt tibi dii alii præter me*: cui contraria plaga eſt, Aqua converſa in ſanguinem, propter [b] quod ſummum principium Creatoris ad [c] ſimilationem humanæ carnis adductum. Secun- F dum præceptum, *Ne accipias nomen Domini Dei tui in vanum*, pertinet, quantùm arbitror, ad regnum Dei, quod eſt Filius Dei. Unus enim Deus & unus Dominus noſter Jeſus Chriſtus per quem omnia. Contra verbum, Ranæ: videte contra verbum ranas, contra rationem ſtrepitum, contra veritatem vanitatem. Tertium præceptum de Sabbato, pertinens ad Spiritum-ſanctum propter ſanctificationem, quæ prima in ſabbato ſonuit, quod vobis paulò antè vehemen- G ter, quantùm potuimus, commendavimus. Huic præcepto contraria inquietudo in Muſcis de corruptione naſcentibus, in oculos irruentibus. Ideo in hoc tertio ſigno defecerunt, qui unitatis inimici Spiritum-ſanctum non habuerunt: facit enim hoc Spiritus-ſanctus pœnâ. Aliud enim facit gratiâ, aliud pœnâ; aliud enim facit implendo, aliud deſerendo. Denique ut jam evidenter ipſis confitentibus Pharaonis magis agnoſcere valeamus, quomodo appellatus eſt in Evangelio Spiritus Dei, videamus, quod nomen accepit. Objicientes Domino convicium Judæi, B cùm dixiſſent, Hic non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum: reſpondit ille, Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, certè ſupervenit in vos regnum Dei. Quod alius Evangeliſta ſic enarrat, Si ego in digito Dei ejicio dæmonia. Quod alius Evangeliſta dixit, Spiritus Dei; alius dixit, digitus Dei. Ergo digitus Dei, Spiritus Dei. Ideo Lex data ſcripta digito Dei, quæ Lex data eſt in monte Sina quinquageſimo die poſt occiſionem ovis celebrato Paſcha à populo Judæorum. Implentur quinquaginta dies poſt occiſionem ovis, & datur Lex ſcripta digito Dei: implentur quinquaginta dies poſt occiſionem Chriſti, & venit Spiritus-ſanctus. Gratias Domino, occultanti providenter, aperienti ſuaviter. Jam videte hoc etiam, Fratres, Pharaonis magos evidentiſſimè confiteri. Deficientes in tertio ſigno dixerunt, *Digitus Dei eſt hic*, &c.

Matth. 22. 37. &c.

* SERMO IX.

De [d] *decem Chordis.*

1. DOMINUS & Deus noſter miſericors & miſerator, longanimis & multùm miſericors, & verax; quàm largiter prærogat miſericordiam in præſenti ſæculo, tam ſeverè minatur judicium in futuro ſæculo. Verba quæ dixi ſcripta ſunt, & divinis [e] auctoritatibus continentur, quia, Miſericors & miſerator Dominus, longanimis & multùm miſericors & verax. Multùm delectat omnes peccatores & amatores ſæculi hujus, quia miſericors & miſerator Dominus, quia longanimis & multùm miſericors. Sed ſi amas tam [f] multa mitia, time ibi & ultimum quod ait, Et verax. Si enim nihil aliud diceret, niſi, Miſericors & miſerator Dominus, longanimis & multùm miſericors; quaſi jam converteres te ad ſecuritatem & impunitatem, & ad licentiam peccatorum; faceres quod velles, utereris ſæculo, vel quantum tibi permitteretur, vel quantum tibi libido juſſiſſet: & ſi quis te bene admonendo objurgaret atque terreret, ut cohiberes te ab immoderato fluxu eundo poſt concupiſcentias tuas, & deſerendo Deum tuum; inter medias voces objurgantis obſiſteres, impudenti quidem fronte, veluti audita divina auctoritate, & legeres de libro Dominico: Quid me terres de Deo noſtro? Ille miſericors eſt, & miſerator & multùm miſericors. Ne talia homines dicerent, unum verbum addidit in fine, quod ait, Et verax: & excuſſit lætitiam malè præſumentium, & induxit timorem dolentium. Gaudeamus ad miſericordiam Domini: ſed timeamus

[a] Duo MSS. *poſt reſurrectionem*. Alii cum editis, *poſt adſcenſionem*: non malè, ſicuti ex his poſtea verbis patet, *nondum in cælum, ab illa reſurrectione, ab illa ab inferis*: quæ quidem verba in priùs editis omiſſa, reſtituuntur hîc ex MSS.

[b] Duo MSS. *propter ſummum*: prætermiſſo, *quod*.

[c] Editi, *ad ſimulationem*. At MSS. aliquot, *ad ſimilationem*. Et quidam, *ad ſimilitudinem*.

[d] A Poſſidio notatus hic ſermo eſt in Indiculo c. 8. atque ab Eugipio & Floro citatus.

[e] Nonnulli MSS. *auctoribus*.

[f] Plures MSS. *tam multam miſericordiam*. Quidam cum Am. *tam multa initia*.

ad

CLASSIS I.

ad judicium Domini. Parcit, [a] dum tacet. Tacet, sed non semper tacebit. Audi dum non tacet in verbo, ne non tibi vacet audire dum non tacebit in judicio.

[a] Isai. 42. 14.

CAPUT II. *Componenda citò caussa cum adversario in hac brevi vita.*

2. Modò enim licet tibi caussam tuam componere. Ante ultimum judicium Dei tui compone caussam tuam. Non est unde præsumas, cùm ille venerit, nec falsos testes adduces, quibus ille fallatur, nec patronum fraudulentis circumventionibus & linguosis artibus adhibebis, nec ambies aliquo modo, ut judicem possis corrumpere. Quid ergo agis apud talem judicem, quem nec fallere, nec corrumpere poteris? Et tamen est quod agas. Tunc enim ipse erit judex caussæ tuæ, qui modò testis est vitæ tuæ. Clamavimus, & laudavimus: componamus caussam nostram. Qui testis est operum [b] nostrorum, ipse testis est vocum istarum: non sint inanes, convertantur ad gemitum. Tempus est concordandi cum adversario tuo citò. Tam longanimis est Deus videndo iniqua & non puniendo, ut tamen citò sit futurum judicium. More quippe humanæ vitæ prolixum est, quod Deo breve est. Sed & ipsi sæculo & humano generi quod longè videtur, quid consolatur? Numquid si totius generis humani ultimus dies longè est, uniuscujusque dies ultimus longè est? Hoc dico, ex Adam multi anni evoluti sunt, multi anni fluxerunt, & deinceps fluent; non quidem tam multi, sed tamen usque in finem sæculi transibunt anni, sicut & illi transierunt: longum videtur quod restat, (quamquam non erit tantum, quantum transactum est:) & tamen ex transacto præterito tempore, sperandus est reliqui temporis finis. Fuit tunc quidam dies qui diceretur hodiernus, ex illo usque ad hunc hodiernum, nonne quidquid futurum fuit, præteritum factum est? Tale habetur, ac si non fuerit. Sic erit quidquid restat extremum. Sed sit & hoc longum, sit prolixum, quantum putaveris, quantum dixeris, quantum cogitaveris, quantum tibi non format Scriptura, sed fingit cogitatio, quantum vis diem judicii prolonga, numquid ultimum diem tuum, id est, vitæ tuæ, quo exiturus es de corpore hoc, producturus es in longum? Sit tibi senectus certa, si potest: cui autem potest? Nonne ex quo incipit homo vivere, jam potest & mori? Possibilitatem mortis initium vitæ facit. In hac terra & in genere humano ille solus mori nondum potest, qui nondum cœpit vivere. Incertus ergo dies tamquam quotidianus sperandus est. Si autem tamquam quotidianus sperandus est incertus dies, componatur cum adversario, dum est tecum in via. Via enim vocatur hæc vita, per quam omnes transeunt; & non recedit iste adversarius.

CAPUT III. *Adversarius noster sermo Dei & præcepta decalogi.*

3. Quis est autem iste adversarius? Adversarius iste non est diabolus: nam numquam te hortaretur Scriptura, ut cum diabolo concordares. Est ergo alius adversarius, quem sibi homo facit adversarium: nam ille si adversarius esset, tecum in via non esset. [c] At hic est tecum in via, ut concordet tecum. Scit enim quia nisi in via secum concordaveris, jam tradet te judici, judex autem ministro, minister in carcerem. Eloquia ista Evangelica sunt, recordantur nobiscum, vel qui legerunt, vel qui audierunt. Ergo quis est adversarius? Sermo Dei. Sermo Dei adversarius tuus est. Quare adversarius est? Quia contraria juber, quàm tu facis. Dicit tibi, *Unus est Deus tuus, unum Deum cole.* Tu vis dimisso uno Deo tamquam legitimo viro animæ, fornicari per multa dæmonia: & quod est gravius, non quasi apertè deserens & repudians, sicut apostatæ faciunt; sed tamquam manens in domo viri tui admittis adulteros: id est, tamquam Christianus non dimittis Ecclesiam, consulis mathematicos, aut haruspices, aut augures, aut maleficos; quasi de viri domo non recedens adultera anima, & manens in ejus conjugio fornicaris. Dicitur tibi, *Ne accipias in vanum nomen Dei tui.* Ne existimes creaturam esse Christum, quia pro te suscepit creaturam: & tu contemnis eum qui æqualis est Patri, & [d] unum cum Patre. Dicitur tibi ut spiritaliter observes sabbatum: non quomodo Judæi observant sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Meliùs enim faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quàm in theatro seditiosus exsisteret: & meliùs feminæ eorum die sabbati lanam facerent, quàm toto die in [e] menianis suis impudicè saltarent. Tibi autem dicitur ut observes spiritaliter sabbatum, in spe futuræ quietis, quam tibi promittit Dominus. Quisquis enim propter illam quietem futuram agit quidquid potest, quamvis laboriosum videatur quod agit; tamen si ad fidem promissæ quietis id refert, nondum quidem sabbatum habet in re, sed habet in spe. Tu autem ad hoc vis requiescere, ut labores; cùm ad hoc debeas laborare, ut requiescas. Dicitur tibi, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Tu autem contumeliam irrogas parentibus, quam non vis pati à filiis tuis. Dicitur tibi, *Non occides.* Tu autem occidere vis inimicum tuum: & ideo fortè non facis, quia times judicem hominem, non quia cogitas Deum. Ignoras quia ille testis est cogitationum? Illo vivo quem vis mori, te homicidam tenet in corde. Dicitur tibi, *Non mœchaberis*: id est, non ibis ad aliquam aliam præter uxorem tuam. Tu autem exigis hoc ab uxore, & non vis hoc reddere uxori: & cùm debeas in virtute præcedere uxorem, quoniam castitas virtus est; tu sub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem esse, tu victus jacens: & cùm tu caput sis uxoris tuæ, [f] præcedit te ad Deum, cujus caput es. Vis domum tuam capite deorsum pendêre? Caput enim mulieris est vir: ubi autem meliùs vivit mulier quàm vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, meliùs debet vivere vir, & præcedere in omnibus bonis factis uxorem suam; ut illa imitetur virum, & sequatur caput suum. Quomodo caput Ecclesiæ Christus est, & hoc jubetur Ecclesiæ ut sequatur caput suum, & ut per vestigia ambulet capitis sui: sic uniuscujusque domus habet caput virum, & tamquam [g] corpus feminam. Quò caput ducit, illuc debet corpus sequi. Qua-

[c] Matth. 5. 25. — Serm. de Scripturis. Lucæ 12. 58. — Deut. 6. 4. Exodi 20. 2. &c. — Ibidem 7. — [d] Ibidem 8. Sabbati observatio. — Ibidem 12. — Ibidem 13. — Ibidem 14. 32. q. 6. Non mœchaberis. — [f] Ephes. 5. 23.

[a] Plerique MSS. & Am. *Parcit, sed non tacet*: subaudi, *in verbo*.
[b] Aliquot MSS. *vestrorum*.
[c] Am. & plures MSS. *Ad hoc est*. Nonnulli, *Adhuc est*.
[d] Sic melioris notæ MSS. Alii verò cum editis, *& unus cum Patre*.
[e] Editi, *in Neomeniis*. Veriùs aliquot MSS. *in menianis*. Sic enim in Johan. Evang. Tract. 3. n. 19. *Quantò meliùs feminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in menianis saltarent*. De sabbati verò observatione similia reperies in Psal. 32. Enar. 2. Ser. 1. n. 6. & in Psal. 91. n. 2.
[f] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *præcedet te*.
[g] Sic Am. & aliquot MSS. At Er. & Lov. *tamquam carnem*.

Classis I.

re ergo vult caput ire, quò non vult ut corpus sequatur? Quare vult ire vir, quò non vult ut uxor sequatur? Hæc jubendo sermo Dei adversarius est. Nolunt enim homines facere quod vult sermo Dei. Et quid dicam, quia adversarius est sermo Dei, quoniam jubet? Timeo ne ego ipse adversarius sim quibusdam, quia hæc loquor. Quid ad me pertinet? Fortem me faciat qui terret ut loquar, ut non timeam querelas hominum. Nam qui nolunt castitatem servare uxoribus suis, (& abundant tales,) nolunt me ista dicere. Sed velint nolint, dicturus sum. Si enim vos non exhortor ut cum adversario concordetis, ego cum illo in lite remanebo. Qui vobis jubet ut faciatis, ipse nobis jubet ut loquamur. Si non faciendo quod jubet ut faciatis, adversarii ejus estis; non dicendo quod jubet ut dicamus, adversarii ejus remanebimus.

Caput IV. In præcepto non mœchandi cur multis immoratur.

4. Numquid in ceteris, quæ suprà dixi, multis immoratus sum? Hoc enim præsumimus de Caritate Vestra, quia unum Deum colitis. Hoc præsumimus de fide catholica, quæ in vobis est, quia Filium Dei æqualem creditis Patri: nec in vanum accipitis nomen Domini Dei vestri, ut putetis creaturam esse Filium Dei. Quoniam omnis creatura vanitati subjecta est. (*Rom. 8. 20.*) Sed creditis eum æqualem Patri esse, Deum de Deo, Verbum apud Deum, Verbum Deum, per quod facta sunt omnia, lumen de lumine, coæternum illi qui genuit, unum cum illo qui genuit: & hoc Verbum creditis assumsisse creaturam, de virgine Maria assumsisse mortalitatem, & passum fuisse pro nobis; ea legimus, & credimus, ut salvemur. Nec in eo immoratus sum, ut quidquid facitis, pro spe futura faciatis. Novi enim omnium Christianorum mentes de sæculo futuro cogitare. Qui enim non de futuro sæculo cogitat, nec propterea Christianus est, ut id quod in fine Deus promittit, accipiat, nondum Christianus est. Neque in eo immoratus sum, ubi dicit sermo Dei, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* (*Exodi 20. 12.*) Multi enim honorant parentes, & rarò invenimus parentes conquerentes de improbitate filiorum, quamvis non desint: sed tamen quàm rarò fit, tam breviter monendum fuit. Nec in eo ubi dictum est, *Non occides*, immorari volui: non enim credo esse hîc turbam homicidarum. Illud verò malum latè serpens plus occupavit, & in eo vehementiùs irritatur adversarius ille, qui ideo clamat, ut sit aliquando amicus. Querelæ quotidianæ sunt, quamquam ipsæ feminæ jam nec audent conqueri de viris suis. Ita invadens omnia consuetudo pro lege observatur, ut jam & mulieribus fortè persuasum sit, licere hoc viris, non licere mulieribus. Solent enim audire adductas mulieres esse ad forum, quæ fortè cùm servis inventæ sunt: adductum virum ad forum, quia inventus est cum ancilla sua, numquam audierunt; cùm sit par peccatum. In peccato pari innocentiorem facit videri virum, non divina veritas, sed humana perversitas. Et si fortè hodie acriorem quisquam passus fuerit uxorem suam, & liberiùs murmurantem, cui jam videbatur quia licebat viro, & audivit in Ecclesia quia non licet viro: si ergo passus fuerit uxorem suam liberiùs jam, ut dixi, murmurantem, & dicentem sibi, Non licet quod facis; simul audivimus, Christiani sumus, quod à me exigis, redde mihi: fidem tibi debeo, fidem mihi debes, fidem Christo ambo debemus; & si me fallis, non fallis eum cujus sumus, non fallis eum qui nos emit. Hæc atque hujusmodi audiens ille, quæ non solet, dum non vult in se fieri sanus, in me fit insanus, irascitur, maledicit: fortassis etiam dicat, Quomodo factum est [a] ut huc ille veniret, aut uxor mea ipso die in ecclesiam procederet? Et hoc credo quòd in cogitatione sua dicat: nam liberè erumpere in vocem non audet, nec ante solam uxorem suam. Fortassis enim si eruperit, & hoc dixerit, potest illa respondere, & dicere, Quare maledicis, cui paulò antè acclamabas? Certè conjuges sumus: cum lingua tua discordas, mecum concorditer quomodo vivere poteris? Nos, Fratres, pericula vestra intuemur, non voluntates vestras adtendimus: nam & medicus si voluntatem ægri adtendat, numquam illum curat. Quod non est faciendum, non fiat: quod prohibet Deus, non fiat. Qui Deo credit, ab ipso audit quod dicimus. Certè melius erat quibusdam nolentibus corrigi, ut vel huc non veniremus, si ista dicturi eramus; vel quia jam venimus, non ea diceremus.

Ad citharœdum inanes voluptates quærimus salutarem monita dicendi majestatem minoris proponere.

5. Nudiustertiano die memini me dixisse Sanctitati Vestræ, quia si citharœdi essemus, aut hujusmodi aliquid populariter exhibentes pro studiis nugacitatis vestræ, quæ jam quæsumus ut relinquatis, tenuissetis nos, ut daremus vobis diem, & quisque pro modulo suo conferret nobis mercedem. Quare ambularemus delectati vanis canticis nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in posterum amaris? Talibus etenim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem; & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum dulcedine temporali biberunt. Meliùs ergo nos amara vobis cantamus ad tempus, quæ postea dulcescant in vobis. Nec mercedem aliquam exigimus, nisi ut faciatis quæ dicimus: immo non faciatis, si nos dicimus: si autem omnibus ille dicit, qui neminem timet, & per quem fit in nomine ipsius & in gloria misericordiæ ipsius, ut & nos neminem timeamus; omnes audivimus, omnes faciamus, omnes cum nostro adversario concordemus.

6. Putate me [b] citharœdum esse, quid vobis possum amplius canere? Ecce psalterium fero, decem chordas habet: hoc vos paulò antè cantastis, antequam inciperem loqui; chorus meus vos fuistis. * Nonne vos paulò antè cantastis, Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi? (*Psal. 143. 9.*) Ipsas decem chordas modò percutio. Quare amara est vox psalterii Dei? Psallam tibi in psalterio decem chordarum. Non vobis hoc canto, quod vos non faciatis. Decalogus enim Legis decem præcepta habet: quæ decem præcepta sic sunt distributa, ut tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad homines. Tria ad Deum, quæ jam dixi: Unus est Deus noster, [c] ei nullam similitu-

*Caput V. Decalogus decem habet præcepta: tria ad Deum, septem ad homines pertinentia.

[a] Hinc facilè intelligas Sermonem ab Augustino habitum esse in aliena ecclesia, fortè apud Carthaginenses: certè quidem apud homines ludis deditos & spectaculis, à quibus passim revocat infrà.

[b] Duo MSS. *Putate me diem dedisse, putate me citharœdum esse* &c.

[c] Plerique MSS. *& nullam similitudinem.*

dinem debemus facere, & non fornicari post Deum, qui unus est: [a] quia Deus & Christus Filius Dei unum est cum Patre. Et ideo non debet à nobis accipi in vanum, ut putemus eum factum, id est, creaturam aliquam, per quem facta sunt omnia: quia ipse unus Deus, Pater est & Filius & Spiritus-sanctus. In Spiritu-sancto, hoc est, in dono Dei, requies nobis sempiterna promittitur. Inde modò pignus accepimus. Sic enim dicit Apostolus, Qui dedit nobis pignus [b] Spiritum. Si pignus accepimus, ut incipiamus in Domino & in Deo nostro tranquilli esse, ut simus in Deo nostro mites, simus in Deo patientes; erimus etiam in illo unde pignus accepimus, in æternum quieti; quod erit sabbatum sabbatorum, propter ipsam requiem pertinentem ad donum Spiritus-sancti. Tertium itaque præceptum de sabbato, quod diximus, quod carnaliter Judæi celebrant, nos spiritaliter agnoscamus. Nam quia Spiritus [c] sanctus dicitur, propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus. Non ibi habes nominatam sanctificationem, nisi illo die ubi dicitur, Requievit Deus ab operibus suis. Non enim fatigatus erat Deus, ut diceretur, Requievit Deus ab operibus suis: sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit; ut quia fecit omnia bona valde, & sic dicitur, Requievit Deus, intelligas etiam te post bona opera requieturum, & sine fine requieturum. Nam omnia superiora quæ dicta sunt, id est, dies superiores habent vesperam: septimus iste dies non habet vesperam, ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi, Factum est manè, ut inciperet ipse dies. Non dictum est, Factum est vespera, ut finiretur dies: sed dictum est, Factum est manè, ut fieret sine fine dies. Sic incipit ergo requies nostra, quasi manè: sed non finitur, quia in æternum vivemus. Ad hanc spem quidquid facimus si facimus, sabbatum observamus. Ipsa est tertia chorda hujus decalogi, id est, psalterii decachordi: in tribus enim chordis ad Deum pertinent præcepta.

2. Cor. 1. 22. — *Gen. 2. 2.* — Septimus dies non habet vesperam.

Caput VI. Septem præcepta Decalogi pertinentia ad homines.

7. Si diceretur nobis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua, & de proximo nostro nihil diceretur, non esset decachordum, sed trichordum. Quia verò addidit Dominus, Et diliges proximum tuum tamquam teipsum; & contexuit dicens, In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ: tota Lex in duobus præceptis est, in dilectione Dei & dilectione proximi; ad duo itaque præcepta, id est, ad dilectionem Dei & proximi pertinet Decalogus. Ad primum præceptum tres chordæ pertinent, quia Deus est Trinitas. Ad alterum verò præceptum, id est, ad dilectionem proximi, septem chordæ: quomodo vivatur inter homines. Nam ipse numerus septenarius, tamquam septem chordarum, incipit ab honore parentum: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ad parentes enim suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus [d] parere poterit? *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Et dicit Apostolus, Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum. Quomodo primum, quando quartum est mandatum, nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est in altera tabula. Nam ideo duæ tabulæ Legis datæ sunt. Deus enim famulo suo Moysi in monte duas tabulas dedit, in quibus duabus tabulis lapideis conscripta erant decem præcepta Legis, (quod est psalterium decem chordarum,) tria in una tabula ad Deum pertinentia, septem in altera tabula ad proximum. In altera ergo tabula primum est; *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Secundum, *Non mœchaberis.* Tertium, *Non occides.* Quartum, *Non furaberis.* Quintum, *Non falsum testimonium dices.* Sextum, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Septimum, *Non concupisces rem proximi tui.* Hæc jungamus illis tribus ad dilectionem Dei pertinentibus, si in psalterio decem chordarum volumus cantare canticum novum.

Deut. 6. 5. Matth. 22. 37. &c. — *Exodi 20. 12.* — *Ephes. 6. 2.* — *Exodi 31. 18.*

Caput VII. Cantantes in decachordo, quinam sint.

8. Adtendat enim Caritas Vestra, ut dicam quod Dominus suggerit. Accepit Legem populus Judæorum istam in decalogo: non observavit. Et quicumque obtemperabant, timore obtemperabant pœnæ, non amore justitiæ: portabant psalterium, non cantabant. Cantanti enim voluptas est, timenti onus est. Ideo vetus homo aut non facit, aut timore facit; non amore sanctitatis, non [e] delectatione castitatis, temperantiæ, caritatis, sed timore. Vetus enim homo est; & vetus homo canticum vetus cantare potest, non novum. Ut autem cantet canticum novum, sit novus homo. Quomodo autem possit esse novus homo, audi, non me, sed Apostolum dicentem, Exuite vos veterem hominem, & induite novum. Et ne quis putaret, cùm dixit, Exuite vos veterem hominem & induite novum: aliquid deponendum esse & aliquid accipiendum, cùm de mutando præciperet homine, subjecit & ait, Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem. Hoc est quod ait, Exuite veterem hominem, & induite novum: hoc dixit, Mutate mores. Sæculum diligebatis, Deum diligite: nugatoria iniquitatis, temporales voluptates diligebatis; proximum diligite. Si dilectione facitis, canticum novum cantatis: si timore facitis, facitis tamen; portatis quidem psalterium, sed nondum cantatis: si autem nec hoc facitis, projicitis ipsum psalterium. Melius est vel portare, quàm projicere: sed rursus, melius cum voluptate cantare, quàm cum onere portare. Nec pervenit ad canticum novum, nisi jam cum voluptate cantans. Nam qui portat cum timore, adhuc in [f] vetustate est. Et quid est quod dico, Fratres, adtendite. Non concordavit cum adversario suo, qui cum timore adhuc facit: timet enim ne veniat Deus, & damnet illum. Nam nondum delectat castitas, nondum illum delectat justitia; sed judicium Dei formidans, à factis temperat: non concupiscentiam ipsam dam-

Ephes. 4. 22. &c. — *Ibidem 25.*

[a] Sic MSS. Editi verò, *qui Deus.*
[b] Pauciores MSS. *spiritus.*
[c] Editi, *Spiritus-sanctus septiformis dicitur.* Vox *septiformis* abest à MSS. & abesse debet, quando hîc docet Augustinus tertium præceptum de sabbati requie pertinere ad Spiritum-sanctum, atque septimum diem, quod sabbatum est, idcirco sanctificatum fuisse à Deo, quia Spiritus dicitur sanctus.
[d] Am. Er. & MSS. *parcere:* sic etiam Eugipius.
[e] Plerique MSS. *dilectione castitatis.* Mox tres MSS. *non temperantia caritatis.* Lov. *non temperantia* &c. Sequimur Am. Er. & plures MSS.
[f] MSS. *adhuc in vetere est.*

Classis I.

nans, quæ sævit in eo. Nondum illum delectat quod bonum est: nondum ibi habet suavitatem, ut cantet canticum novum; sed de vetustate pœnas timet: nondum concordavit cum adversario.

Caput VIII. Hominis cum Deo concordia qualis exigitur.

9. Tales enim homines plerumque supplantantur tali cogitatione, ut dicant sibi, Si fieri posset, non nobis minaretur Deus, non talia per Prophetas suos diceret, quæ homines deterrerent; sed [a] antequam veniret, daret omnibus indulgentiam, ignosceret omnibus, postea veniret, neminem mitteret in gehennas. Jam quia iniquus est, iniquum vult Deum. Vult te Deus facere similem sui, & conaris tu Deum facere similem tui. Placeat tibi ergo Deus qualis est, non qualem illum esse vis. Perversus enim es, & talem vis Deum qualis es, non qualis est. Si autem placeat tibi qualis est, corrigêris, & diriges in eam regulam cor tuum, à qua nunc alienus distortus es. Placeat tibi Deus qualis est, ama qualis est: non te ipse amat qualis es, sed odit te qualis es. Ideo tui miseretur, quia odit te qualis es, ut faciat te qualis nondum es. Faciat te, dixi, qualis nondum es. Nam illud tibi non promittit, quia faciet te qualis est. Nam eris qualis est, sed ad quemdam modum, id est, imitator Dei velut imago, sed non qualis imago est Filius. Nam etiam imagines in hominibus diversæ sunt. Filius hominis habet imaginem patris sui, & hoc est quod pater ejus, quia homo est sicut pater ejus. In speculo autem imago tua non hoc est quod tu. Aliter est enim imago tua in filio, aliter in speculo: in filio est imago tua secundùm æqualitatem substantiæ; in speculo autem quantum longè est à substantia, & tamen est quædam imago tua, quamvis non talis, qualis in filio tuo secundùm substantiam. Sic in creatura, non hoc est imago Dei, quod est in Filio, qui hoc est quod Pater, id est, Verbum Dei per quod facta sunt omnia. Recipe ergo similitudinem Dei, quam per mala facta amisisti. Sicut enim in nummo imago imperatoris aliter est, aliter in filio: nam imago & imago est; sed aliter impressa est in nummo, aliter in filio, aliter in solido aureo imago imperatoris: sic & tu nummus Dei es, ex hoc melior, quia cum intellectu & cum quadam vita nummus Dei es, ut scias etiam cujus imaginem geras, & ad cujus imaginem factus sis: nam nummus nescit se habere imaginem imperatoris. Ergo ut dicere cœperam, odit te Deus qualis es, sed amat te talem qualem te esse vult: & ideo ille te ut muteris hortatur. Concorda cum illo, & incipe primò bene velle, & odisse te qualis es: hoc sit tibi initium concordiæ cum sermone Dei, ut incipias primò tu odisse te qualis es. Cùm cœperis & tu odisse te talem qualis es, sicut te talem odit Deus, incipis jam ipsum diligere Deum qualis est.

Imago Dei duplex.

Ægroti cōcordia cum medico.

10. Ægrum adtendite. Æger ægrotantem se odit qualis est: inde incipit concordare cum medico. Quia & medicus odit eum qualis est: nam ideo vult sanum esse, quia odit eum febrientem: & est medicus febris persecutor, ut sit hominis liberator. Sic avaritia, sic libido, sic odium, concupiscentia, luxuria, sic nugacitas spectaculorum, febres sunt animæ tuæ, de- A bes illas odisse cum medico: ita concordas cum medico, niteris cum medico, & libenter audis quod jubet medicus, libenter facis quod jubet medicus, & proficiente jam sanitate incipiunt etiam delectare præcepta. Quàm onerosus est cibus ægris quando reficiuntur? & pejorem horam deputant ægri refectionis suæ, quàm suæ accessionis; & tamen cogunt se concordantes cum medico, & quamvis inviti & obluctantes vincunt se ut aliquid accipiant. Quanta aviditate sa- B ni majora percepturi sunt, unde ægri minora vix accipiunt? Sed unde hoc factum est? Quia oderant febrem suam, & cum medico concordaverunt, & simul persequebantur febrem medicus & ægrotus. Cùm ergo & nos talia dicimus, non odimus nisi febres vestras: immo in nobis [b] ipse sermo Dei febres vestras odit, cum quo concordare debetis. Nam nos quid sumus, nisi liberandi vobiscum, sanandi vobiscum?

11. Modò non me intueamini, sed sermonem C Dei. Nolite irasci medicamento vestro; non inveni enim aliud quà transirem. * Veni ad quintam chordam homo, qui tango psalterium decem chordarum, numquid prætermissurus eram quintam? Immo assiduè percussurus. In illa enim video jacêre totum penè genus humanum, in illa [c] video plus laborare. Ipsam percutiendo quid dico? Nolite mœchari post uxores vestras, quia non vultis ut mœchentur post vos uxores vestræ. Nolite ire vos, quò eas sequi non vultis. D Sine caussa vos excusare conamini, quando dicitis, Numquid eo ad uxorem alienam? Ad ancillam meam eo. Vis ut dicat uxor tua tibi, Numquid eo ad virum alienum? Ad servum meum eo. Dicis, Non est uxor aliena, ad quam vado. Numquid vis dicatur tibi, Non est vir alienus, ad quem vado? Absit ut dicat hoc illa. Meliùs enim dolet te, quàm imitatur te. Illa enim casta & sancta femina & verè Christiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter car- E nem, sed dolet propter caritatem; non ideo non vult ut facias, quia & ipsa non facit, sed quia tibi non expedit. Nam si propterea non facit, ut tu non facias; si feceris, faciet. Si autem Deo illud debeat, si Christo illud debeat quod tu exigis, & ideo reddat, quia jubet ille; etsi fornicatur vir, castitatem femina illa Deo exhibet. Christus enim loquitur in cordibus bonarum feminarum, loquitur intus ubi non audit vir, quia nec dignus est, si talis est: loquitur ergo ille inte- F riùs, & dicit, & filiam suam consolatur hujusmodi verbis: De injuriis viri tui torqueris, quid tibi enim fecit? Dole; sed ipsum noli imitari, ut malè facias, sed ipse te imitetur in bono. Nam in eo quod malè facit, noli eum putare caput tuum, sed [d] me Deum tuum. Nam si & in eo quod malè facit caput est, & secuturum est corpus caput suum; eunt ambo per præceps. Ut autem non sequatur malum caput suum, teneat se ad caput Ecclesiæ Christum: huic debens casti- G tatem suam, huic deferens honorem suum, absens sit vir, præsens sit vir, non peccat illa; quia numquam est absens, cui debet ut non peccet.

12. Hæc ergo Fratres mei facite, ut possitis concordare cum adversario. Nec amara sunt quæ

[a] Particula *antequam* abest ab Am. & MSS.

[b] Sic MSS. Editi verò ferebant, *immo in nobis ipsis sermo Dei febres nostras odit.*

[c] Cisterciensis MS. *debeo plus laborare.*

[d] Editi, *sed time me Deum tuum.* Verbum *time* abest à MSS.

Classis I.

dico; aut si amara sunt, curant. Potio ista si amara est, accipiatur: quia in periculo sunt viscera, amara est, bibatur. Melius est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. Mutate ergo vos. Quicumque non faciebatis hoc bonum castitatis, jam facite. Noli te dicere, Non potest fieri. Fœdum est, Fratres mei, turpe est, ut vir dicat, non posse fieri, quod facit femina. Scelus est, ut vir dicat, Non possum. Quod potest femina, vir non potest? Quid enim, illa carnem non portat? Prior à serpente decepta est. Castæ uxores vestræ ostendunt vobis, fieri posse quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse. Sed fortè dices, ideo illam faciliùs facere posse, quia multa illi custodia est, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam legum publicarum; est etiam verecundiæ & pudoris illius magnum munimentum. Multæ custodiæ faciunt feminam castiorem, virum castum faciat ipsa virilitas. Nam ideo mulieri major custodia, quia major infirmitas. Illa erubescit viro, tu non erubescis Christo? Tu liberior, quia fortior: quia facilè vincis, ideo tibi commissus es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & consuetudo morum, & verecundia major: & Deus super te, tantùm Deus. Invenis enim facilè pares viros, quibus non timeas erubescere, quia faciunt illud multi. Et tanta est perversitas generis humani, ut aliquando metuendum sit ne castus erubescat inter impudicos. Ideo non cesso tangere quintam istam chordam, propter ipsam perversam consuetudinem & labem totius, ut dixi, generis humani. Si quis inter vos faciat homicidium, quod avertat Deus, pellere illum vultis de patria, & continuò, si fieri potest, excludere. Si quis faciat furtum, odistis illum, nec videre vultis. Si quis dicat falsum testimonium, abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiscat alienas res, raptor & injustus deputatur. Si quis volutatur cum ancillis suis, amatur, blandè accipitur; convertuntur vulnera in joca. Si quis autem exsistat qui dicat se castum, non facere adulterium, notum autem sit quòd non faciat; erubescit accedere ad illos non sui similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana perversitas, ut vir habeatur victus à libidine, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exsultant, & non sunt viri: jacent prostrati, & viri sunt? Si spectares, [a] ille tibi videretur fortior, qui jaceret sub bestia, quàm qui perimeret bestiam?

Adulterorum fœda excusatio.

13. Sed quia dissimulatis [b] à pugna interiore, & delectant vos pugnæ exteriores, ideo non vultis pertinere ad canticum novum; ubi dicitur, Qui docet manus meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum. Est enim bellum, quod secum agit homo, dimicans contra concupiscentias malas, frenans avaritiam, elidens superbiam, suffocans ambitionem, trucidans libidinem. Has pugnas facis in occulto, & non vinceris in aperto. Ad hoc docentur manus vestræ ad prœlium, & digiti vestri ad bellum. Non est hoc in spectaculis vestris. In illis spectaculis non id est Venator, quod citharista; aliud agit Venator, aliud citharista: in spectaculo Dei unum est. Tange easdem decem chordas, & feras occides, utrumque simul facis. Tangis primam chordam, qua unus colitur Deus; cecidit bestia superstitionis. Tangis secundam, qua non accipis nomen Domini Dei tui in vanum; cecidit bestia erroris nefandarum hæresum, quæ id putaverunt. Tangis tertiam chordam, ubi pro spe futuræ quietis facis quidquid facis; interficitur crudelior ceteris bestiis amor sæculi hujus. Propter amorem enim sæculi hujus laborant homines in omnibus negotiis: tu autem in omnibus bonis operibus tuis labora, non propter amorem sæculi hujus, sed propter sempiternam requiem quam promittit Deus. Vide quomodo utrumque simul facis, & chordas tangis, & bestias occidis, id est, & citharista es & Venator. Non [c] vos delectant talia spectacula, ubi non promeremur oculos Editoris, sed oculos Redemtoris? *Honora patrem tuum & matrem tuam*: tangis quartam chordam, ut honorem parentibus deferas; cecidit bestia impietatis. *Non mœchaberis*: tangis quintam chordam; cecidit bestia libidinis. *Non occides*: tangis sextam chordam; cecidit bestia crudelitatis. *Non furtum facies*: tangis septimam chordam; cecidit bestia rapacitatis. *Non falsum testimonium dices*: tangis octavam chordam; cecidit bestia falsitatis. *Non concupisces uxorem proximi tui*: tangis nonam chordam; cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Aliud est enim non facere aliquid tale præter uxorem, aliud non appetere alienam uxorem. Ideo duo præcepta sunt, *Non mœchaberis*, &, *Non concupisces uxorem proximi tui*. *Non concupisces rem proximi tui*: tangis decimam chordam; cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestiis, securus & innocens in Dei dilectione & humana societate versaris. Tangens chordas decem, quot bestias occidis? Nam multa capita sunt sub istis capitibus. In singulis chordis non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum. Sic ergo canticum novum cum amore, non cum timore cantabis.

Psal 17.35. Psal. 143.1.

Serm. de Scripturis.

Caput X. Fornicationis crimen.

14. Noli dicere tibi, quando fortè luxurianter aliquid vis agere, Uxorem non habeo, facio quod volo; non enim post uxorem meam pecco. Jam nosti pretium tuum, jam nosti quò accedis, quid manduces, quid bibas; immo quem manduces, quem bibas. Abstine te à fornicationibus. Ne fortè mihi dicas, Ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad prostitutam eo: nec illud præceptum violo, quo dictum est, *Non mœchaberis*; quia uxorem nondum habeo, nec post illam aliquid facio: nec illud præceptum violo, ubi dictum est, *Non concupisces uxorem proximi tui*. Qui ad publicam vado, in quod præceptum incurro? Non invenimus chordam, quam tangamus? non invenimus [d] chordam? Quo nervo ligemus fugitivum istum? Non fugiat, habet unde ligetur: sed amet, & non erit ligamentum, sed ornamentum. Non enim ligamentum, sed ornamentum in ipsis decem chordis invenimus. Decem enim præcepta ad duo illa referuntur, sicuti audivimus, ut diligamus Deum & proximum: &

Exodi 20. 14. Ibidem 17.

[a] Am. *Si spectabas in amphitheatro, si exspectabas, ut ille tibi videretur fortior* &c.

[b] Plures MSS. *ad pugnam introire.*

[c] Sic Am. & aliquot MSS. At Er. *Non nos delectant.* Lov. *Non nos delectent.*

[d] Pauciores MSS. *Non habemus quo nervo ligemus fugitivum istum, ut non fugiat.* Am. *Non fugiet.* Paulò pòst Er. & plures MSS. *sed amet te. Non enim ligamentum* &c. omissis verbis, *& non erit* &c. At Lov. *sed amet se, & non erit* &c. Denique Am. caret particulâ *se*.

CLASSIS I.

Tob. 4. 16. duo illa ad unum illud. Unum est autem, Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris. Ibi continentur decem, ibi continentur duo.

Deo injuriam facit fornicator.

15. Sed dicis, Furtum si faciam, id facio quod pati nolo: si occidam, id facio quod ab altero pati nolo: si parentibus meis honorem non deferam, quando volo ut deferatur mihi à filiis meis, id facio quod pati nolo: si sim mœchus & aliquid tale moliar, id facio quod pati nolo; nam si quis interrogetur, dicit, Nolo ut uxor mea tale aliquid faciat: si concupisco uxorem proximi mei, nolo quisquam concupiscat meam; id facio quod pati nolo: si concupisco rem proximi mei, nolo ut auferatur mea; id facio quod pati nolo: cùm verò ad meretricem eo, cui facio quod pati nolo? Quod gravius est, ipsi Deo. Intelligat Sanctitas Vestra. Etenim, Quod fieri tibi non vis, alii ne feceris, ad duo præcepta pertinet. Quomodo pertinet ad duo præcepta? Si homini non feceris quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi, ad septem chordas: si autem quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? non facis alteri quod pati non vis? Carior tibi factus est homo quàm Deus? Ergo quomodo, inquit facio ipsi Deo? Corrumpis teipsum. Et unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te id contumelia est? Cùm vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & per diffluentias libidinis; adtendis quia ad nullius uxorem accessisti, adtendis quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes; & non adtendis per libidines & illicitas fornicationes cujus imaginem violasti? Postremò Deus qui scit quid tibi utile sit, qui verè sic suos servos gubernat ad utilitatem illorum, non ad suam; non enim indiget servis quasi ad adjutorium, sed tu indiges Domini auxilio: ipse ergo Dominus qui scit quid tibi sit utile, uxorem concessit, nihil amplius. Hoc jussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum ejus, quod esse cœpisti. Numquid hoc ego dico? Apostolum au-

1.Cor.3.16. dite: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Hoc dicit Christianis, hoc dicit fidelibus: » Nescitis quia templum » Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si » quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus? Videtis quomodo minatur? Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Certè [a] facis alicui quod pati non vis. Non est ergo quà evadatur: tenetur ille, qui se teneri non putabat. Omnia enim peccata hominum, aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. Quia Deo nocere non potes in facinoribus, in flagitiis eum offendis, in corruptelis eum offendis, in te illi facis injuriam. Facis enim injuriam gratiæ ipsius, [b] domui ipsius.

Non denegandum Deo, quod exigitur à servo.

16. Servum si haberes, velles ut serviret tibi servus tuus: servi tu meliori Domino Deo tuo. Servum tuum non tu fecisti, & te & ser- A vum tuum ille fecit: vis ut tibi serviat cum quo factus es, & non vis servire ei à quo factus es? Ergo cùm vis ut serviat tibi servus tuus homo, & tu non vis servire Domino Deo tuo, facis Deo quod tu pati non vis. Ergo illud unum præceptum continet duo, illa duo continent decem, illa decem continent omnia. Cantate ergo in psalterio decem chordarum canticum novum. Ut autem cantetis canticum novum, estote homines novi. Diligite justitiam: habet pul- B critudinem suam. Ideo non vultis illam videre, quia aliud amatis. Nam si aliud non amaretis, eam utique videretis. Quare illam [c] videtis, quando illam exigitis? Quare laudas fidem, quando illam exigis de servo tuo? Quàm pulcra res fides! Sed tunc pulcra est, quando de servo exigitur; tunc videtur, quando ab altero expetitur: quando de te exigitur, non videtur. Aurum vides, fidem non vides. Sicut lucet aurum ad oculos corporis, sic lucet fides ad oculos cor- C dis. Aperis ad illam oculos cordis, quando vis ut exhibeat illam tibi servus tuus. Si tibi illam exhibuerit, laudas servum, & prædicas eum, & dicis, Præclarum servum habeo, magnum servum habeo, fidelem servum habeo. Quod laudas in servo, non exhibes Domino: & eò sceleratiùs, quia vis ut meliorem habeas tu servum, quàm te Deus. Jubet Deus servo tuo, ut bonus sit erga te. Quomodo jubet uxori tuæ, ut etsi tu mœchaberis, non mœchetur: sic jubet servo D tuo, ut etsi tu non servis Domino tuo, serviat tibi. Sed hoc totum vide ut ad admonitionem tuam valeat, non ad perniciem tuam. Etenim servus ille quòd tibi servit indigno dignè, id est, quòd indigno tibi bene servit, & fideliter servit, & purè te diligit, Deo debet, non tibi. Justum est ergo, ut & tu adtendas quia sub Domino es, ad quem & ille adtendit, ut serviat tibi. Imple ergo quod dictum est, Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Sed ipsum alii cùm di- *Tob. 4.* E cis, utrumque adtende, & proximum & Deum. Canta in psalterio decem chordarum, canta canticum novum: concorda cum sermone Dei, cùm est tecum in via. Concorda cum adversario tuo citò, ne cum discordia venias ante judicem. Si facis quod audis, concordasti cum eo: si autem non facis, rixaris cum eo, & nondum composuisti quò usque facias.

Caput XI. Peccata gravia vitanda, minuta triplici medio purganda.

17. Ut autem concordetis, abstinete vos à detestabilibus corruptelis & à detestabilibus in- F quisitionibus, à mathematicis, ab haruspicibus, à sortilegis, ab auguribus, à [d] sacrilegiis; abstinete vos, quantum potestis, à nugatoriis spectaculis. Si quæ delectationes sæculi subrepunt in animam; exercete vos in misericordia, exercete vos in eleemosynis, in jejuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt nisi subrepere in animam, propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere, quia minora sunt; sed time, quia plura sunt. G Adtendite Fratres mei. Minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat: sed & plerumque bestiæ minutæ multæ necant. Si projiciatur quisquam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores: sed infirma

[a] Am. Er. & Germanensis MS. *Certè non facis* &c?
[b] MSS. *dono ipsius.* Am. *domo ipsius.*

[c] Lov. *non videtis.* Abest *non* ab editis aliis & à MSS.
[d] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *à sacrilegis.*

est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata: adtenditis quia modica sunt; cavete, quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ: si arenæ amplius in navem mittatur, mergit illam ut pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluviæ: nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere. Sed dicturi estis, Et quis potest sine istis? Ne hoc diceres, ([a] quia verè nemo potest,) Deus misericors videns nostram fragilitatem, posuit contrà remedia. Quæ sunt remedia? Eleemosynarum, jejuniorum, orationum: ipsa sunt tria. Ut autem verum dicas in oratione, perfectæ implendæ sunt eleemosynæ. Quæ sunt perfectæ eleemosynæ? Ut ex quo tibi abundat, des ei qui non habet; & cùm te lædit aliquis, ignoscas illi.

Peccata eleemosynis mundanda quænam sint.

18. Sed ne putetis, Fratres, quia facienda sunt quotidie adulteria, & eleemosynis quotidianis mundanda sunt. Ad illa majora scelera non sufficiunt quotidianæ eleemosynæ, ut ea mundent. Aliud est ubi mutes vitam, aliud est ubi toleres vitam. Illa [b] mutanda est: si mœchus eras, noli esse mœchus: si fornicator eras, noli fornicari: si homicida, noli esse homicida: si ibas ad mathematicum & ad ceteras pestes sacrilegas, jam desine. Arbitraris hæc, nisi fieri desinant, quotidianis eleemosynis posse mundari? Illa dico quotidiana peccata, quæ aut per linguam facilè committuntur, ut est verbum durum, aut cùm labitur aliquis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas. In ipsis concessis peccata sunt. Cum ipsa uxore si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitus, jam peccatum est. Ad hoc etenim ducitur uxor: nam id etiam tabulæ indicant, ubi scribitur, Liberorum procreandorum caussâ. Quando tu uti uxore ampliùs quàm necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, jam peccatum est: & ipsa talia peccata quotidianæ eleemosynæ mundant. In ipsis alimentis, quæ utique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis quàm necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista quæ dico: sed tamen peccata sunt; & non sunt levia, quia plura. Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Talia peccata dicimus, Fratres, quotidianis eleemosynis posse mundari. Sed facite eleemosynas, & nolite cessare. Adtendite vitam vestram quotidianam ipsis peccatis scaturientem, minutis ipsis dico.

Matrimoniales tabulæ.

Caput XII. Hortatur ad munificentiam erga pauperes.

19. Et cùm facis eleemosynam, non superbè facias, nec sic ores quemadmodum ille Pharisæus. Sed tamen quid ibi dixit? Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo. Et nondum fusus erat sanguis Domini. Tantum pro nobis pretium accepimus, & saltem nec tantum erogamus, quantum Pharisæus. Et habes alio loco apertè dicentem Dominum, „Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Ergo illi dant decimas; tu si centesimam dederis, aliquid magnum te fecisse gloriaris. Adtendis enim quid alius non faciat, non

Lucæ 18. 12.

Matth. 5. 20.

A quid te jubeat Deus facere. Metiris te de comparatione pejoris, non de jussione melioris. Non quia ille nihil facit, ideo tu magnum aliquid facis: sed quia [c] gaudetur ad quædam minima opera vestra; (quia tanta est sterilitas vestra, ut ad modica gaudeatur:) quasi securi vobis blandimini de minimis granis eleemosynarum, & acervos obliviscimini peccatorum. Protulisti fortè nescio quid parvum, quod alius aut non habuit, aut non protulit cùm haberet. Noli adtendere B post te quis non faciat, sed quid te jubeat Deus facere. Postremò, quare in istis affectionibus sæcularibus non vobis sufficiunt quos præcessistis, sed vultis esse divites, æquales ditioribus vobis? Non adtenditis quantos pauperiores transcenditis: vincere vultis ditiores. Sed in eleemosynis habetur modus. Hîc dicitur, Jam usque quò facio? & illic non dicitur, Quantis divitibus ditior sum? Non adtenduntur egestates innumerabilium mendicorum, non respiciuntur C posteriores multitudines pauperum: sed paucitas præcedentium divitum ante oculos ponitur. Cur in opere bono non adtenditur ille Zacchæus, qui dimidium rerum suarum dedit pauperibus? Sed optare cogimur, ut adtendatur saltem ille Pharisæus, qui omnium quæ possidebat decimas dabat.

Lucæ 19. 8.

Avaritia excusatur specie pietatis erga filios.

20. Noli parcere thesauris caducis, thesauris vanis. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. Filiis meis servo: magna excusatio, D Filiis meis servo. Videamus: servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis, & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei. Quare non illi potiùs impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse te pascit ex his quæ fecit, ipse pascit & filios tuos. Neque enim meliùs committis [d] filios tuos patrimonio tuo, quàm Creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines. Mala est [e] avaritia: palliare se volunt nomine pietatis, & dealbare, ut quasi propter E filios videantur servare homines, quod propter avaritiam servant. Nam ut noveritis quia sic plerumque contingit, dicitur de quoquam, Quare non facit eleemosynam? Quia servat filiis suis. Contingit ut amittat unum: si propter filios servabat, mittat post illum partem suam. Quare illam tenet in sacculo, & illum relinquit ab animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi servabas. Mortuus est, inquit. Sed præcessit ad Deum, pars ipsius pauperibus debetur; F illi debetur, ad quem perrexit; Christo debetur, ad ipsum enim perrexit: & ipse dixit, Qui uni ex minimis istis fecit, mihi fecit, & qui uni ex minimis istis non fecit, mihi non fecit. Sed quid dicis? Servo fratribus ipsius. Si viveret ille, non erat cum suis fratribus divisurus? O fides mortua! Mortuus est enim filius tuus? Quidquid dicas, mortuo debes quod vivo servabas. Mortuus est filius meus, sed tamen partem filii mei servo fratribus ipsius. Sic credis quia G mortuus est? Si pro illo Christus mortuus non est, mortuus est ipse: si autem est in te fides, vivit filius tuus. Vivit prorsus; non decessit, sed præcessit. Qua fronte venturus es ad filium

Matth. 25. 40. & 45.

a Ita nonnulli MSS. Alii verò cum Er. *quæ habere nemo potest.* Lov. *quæ habere nemo non potest.*
b Aliquot MSS. *Illa vitanda.*
c Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *gaudetis*: & paulò infrà, *ut ad modica gaudeat.*
d Sic potiores MSS. At Lov. *filiis tuis patrimonium tuum.*
e Hîc apud Lov. additur, *inquiunt*: quod ab Am. Er. & MSS. abest.

Classis I.

tuum qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cælum? An non potest mitti in cælum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem, Thesaurizate vobis thesauros in cælo. (*Matth. 6. 20.*) Si ergo ille thesaurus meliùs custoditur in cælo, numquid tunc [a] non mittendus est filio, quando si missus fuerit, non peribit? Tenebitur hîc ubi potest perire, non mittitur illuc ubi Christus est custos? Certè ea quæ hîc tenes, & non vis mittere post filium tuum, quibus commendas? Actoribus tuis commendas illius partem qui præcessit, & Christo non commendas ad quem præcessit? An idoneus est tibi procurator tuus, minùs idoneus Christus?

Caput XIII. Quo pacto terrenis facultatibus utendum.

21. Videtis, Fratres, quia mendacium est quod dicunt homines, Filiis meis servo. Mendacium est, Fratres mei, mendacium est: avari sunt homines. Vel sic certè cogantur confiteri quod nolunt, cùm erubescunt tacere quod sunt: fundant, vomant in confessione quod portant. Pectus premitur crapulâ iniquitatis; evomat eam confessio: sed non canino more redeatur ad vomitum. Estote Christiani. Valde parum est vocari Christianos. Quanta donatis histrionibus? quanta donatis Venatoribus? quanta turpibus personis? Donatis eis qui vos occidunt. Per ipsas enim exhibitiones voluptatum interficiunt animas vestras: & insanitis quis plus donet. Si insaniretis quis plus servet, non essetis ferendi. Quis plus servet insanire, avaritiæ est: quis plus donet insanire, profusionis est. Nec avarum te Deus, nec profusum vult. Collocare te vult quæ habes, non projicere. Certatis quis vincat in pejus, non datis operam quis sit melior: atque utinam non daretis quis sit pejor. Et dicitis, Christiani sumus. Ad favorem populi projicitis res vestras, contra jussa [b] Christi tenetis res vestras. Ecce non jubet Christus, rogat Christus, eget Christus. Esurivi, dicit Christus, & non dedistis mihi manducare. (*Matth. 25. 42.*) Egere voluit propter te, ut haberes ubi seminares terrena, quæ dedit, & meteres vitam æternam. Nolite pigri esse & malè securi. Mores emendate, peccata redimite. Et cùm hæc feceritis, Deo gratias agite, à quo accepistis bene vivere. Et sic ei gratias agite, ut non insultetis his qui nondum bene vivunt; sed eos ipsos moribus vestris hortemini. Hæc faciendo, habetis perfectam, quantum in hac vita potest, justitiam. Conversantes in bonis operibus, in orationibus, in jejuniis, in eleemosynis propter minuta peccata, & abstinendo vos ab illis magnis peccatis, concordatis cum adversario: & securi dicitis in oratione, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. (*Matth. 6. 12.*) Habetis enim quod quotidie vobis dimittatur, qui habetis quod quotidie dimittatis. Sic ambulando securi in via non timebitis latrocinia diaboli: quia Christus viam & stratam magnam se ipsum fecit, per quam ducit ad patriam. Omnis ibi securitas, omnis quies: ubi & ipsa misericordiæ opera cessabunt, quia nulla ibi erit indigentia miserorum. Erit ergo illic sabbatum sabbatorum; ut quod hîc desideramus, ibi inveniamus. Amen.

SERMO X.

De judicio Salomonis inter duas mulieres meretrices.

Nunc primùm vulgatus ex MSS. Regio, Colbertino & Victorino. In eamdem rem censentur in Possidii Indiculo Sermones duo, alter in c. 8. sub ipso titulo, De judicio Salomonis *&c. alter in c. 3. hac inscriptus ratione,* De duabus mulieribus de parvulo disceptantibus, contra supra-scriptos, *id est contra Donatistas: quos quidem schismaticos spectabit historiæ hîc propositæ posterior allegoria.*

1. INTER duas mulieres certantes de parvulo filio mirabile judicium Salomonis prædicat Scriptura Regnorum. Scriptum est enim: *Tunc apparuerunt duæ mulieres meretrices regi Salomoni, & steterunt in conspectu ejus, * & dixit mulier una, Animadverte Domine, ego & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi in domo, * & contigit die tertio postquam peperi, peperit etiam hæc mulier filium, & eramus in uno, & non erat quisquam nobiscum præter ambas nos in domo: * & mortuus est filius mulieris hujus per noctem, mox dormivit super eum; * & surrexit media nocte, & tulit filium meum ab ascellis meis, & collocavit in sinu suo, & filium suum mortuum in sinu meo; * & surrexi manè dare lac filio meo, & ille erat mortuus: consideravi eum manè, & ecce non erat filius meus quem peperi. * Et dixit mulier illa alia, Non, sed filius meus est qui vivit, filius autem tuus qui mortuus est. Et ipsa dixit, Non, filius tuus est ille mortuus, & meus filius est qui vivit. Et locutæ sunt in conspectu Regis. * Et dixit eis Rex, Tu dicis, Hic est filius meus qui vivit, & filius ejus mortuus est; & tu dicis, Non, sed filius meus vivit, & filius ejus mortuus est. * Et ait Rex, Afferte mihi machæram. Et obtulerunt ei machæram in conspectu Regis. * Et dixit Rex, Dividite puerum qui vivit in duas partes, & date dimidium ejus huic, & dimidium ejus huic. * Et respondit mulier cujus erat filius qui vivebat, & dixit ad Regem, quoniam conturbata est vulva ejus super filio suo; & dixit, Animadvertite, Domine, date ei puerum, & nolite eum morte afficere. Et hæc dixit, Neque mihi, neque huic sit, sed dividite illum. * Et respondit Rex, & dixit ei mulieri quæ dixit, Date eum illi, & morte nolite eum afficere; quia hæc est mater ejus.* Prudentia quidem Regis divino munere concessa in hoc judicio mirabilis eminet. Non enim decuit, aut oportuit aliam judicare esse matrem pueri, nisi eam quæ illum iterum quodam modo concepit, cùm cognovit ablatum; & iterum parturivit, dum à falsa matre defendit; & iterum peperit, dum non permisit occidi. Verumtamen sicut solent [c] divini veteres libri, non solùm rei gestæ fidem, sed etiam futuræ insinuare mysterium; consideranda est ista scriptura, utrùm nobis in duabus istis mulieribus significatum aliquid figuratumque demonstret.

2. Et duæ quidem feminæ Synagoga & Ecclesia in prima facie considerationis occurrunt; Synagoga enim filium suum Christum ex Judæis secundùm carnem natum occidisse convincitur dormiens, id est præsentis vitæ sequendo lucem,

[a] Sic MSS. Editi verò, *tunc mittendus*: sublatâ particulâ *non*.
[b] Plerique MSS. omittunt, *Christi*. Et quidam ejus loco habent, *Dei*.
[c] Victorinus MS. *dici veteres libri*.

manifestationemque

[CLASSIS I.] manifestationemque veritatis in verbis Domini non intelligens: verùm etiam scriptum est, [Ephes. 5.] Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Quòd verò & duæ & solæ in una domo inhabitabant, non absurdè illud significat, quòd præter circumcisionem & præputium, nullum in hoc mundo religionis genus inventum est: ut in persona unius mulieris unum genus circumcisorum hominum constituas sub unius Dei & cultu & lege comprehensum; in alterius verò mulieris persona universam præputiorum Gentilitatem idolorum cultui deditam intelligas. Meretrices autem ambæ fuerunt: [Rom. 3. 23.] dicit enim Apostolus Judæos & Græcos omnes sub peccato esse. Omnis enim anima quæ deserta æternitate veritatis, terrenis sordibus delectatur, fornicatur à Domino. Et de Gentili quidem fornicatione veniens Ecclesia manifestum est quòd non occiderit Christum: sed quomodo mater Christi etiam ipsa sit, cogitandum est. Attende Evangelium, & audi Dominum [Matth. 12. 50.] dicentem, Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic mater mea, & frater, & soror est. Ubi ergo dormivit hæc, non ut somno præfocaret, sed tamen ut posset ei mortuus supponi, & vivus auferri? An fortè hoc est, quòd ipsum sacramentum circumcisionis, quod apud Judæos jam mortuum remanserat, quia totum de illo carnaliter sentiebant: hoc ergo sacramentum circumcisionis, quod apud Judæos non vivebat, qui occiderant Christum, qui omnium sacramentorum vita est; [Sacramentorum vita, Christus.] quoniam in illo vitaliter intelligitur, quod apud Judæos visibiliter celebratur: hoc itaque sacramentum circumcisionis tamquam exanime corpus quidam Judæi volebant persuadere Gentilibus, qui Christo crediderant, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est, [Act. 15. 1.] dicentes, non posse eos esse salvos, nisi fierent circumcisi? Persuadebant autem hoc ignorantibus Legem, tamquam in tenebris noctis filium mortuum supponentes. Nec tamen potuit aliquid valere illa persuasio, nisi cùm Ecclesiæ Gentium ex aliqua parte stultitiæ somnus obrepsit. Quam videtur quasi dormientem Apostolus excitare, [Gal. 3. 1.] clamans, O stulti Galatæ, quis vos fascinavit? [Ibidem 3.] Et paulò pòst, Sic stulti estis, inquit, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Tamquam si diceret, Sic stulti estis, ut cùm priùs habueritis spiritale opus vivum, hoc amisso postea mortuum accipiatis alienum. Ipse quippe Apostolus alibi dicit, [Rom 8. 10.] Spiritus vita est propter justitiam. [Ibidem 6.] Et alibi, Sapere autem secundùm carnem, mors est. His autem atque hujusmodi vocibus illa mater evigilat; & fit ei manè, cùm verbo Dei, hoc est cùm Christo, qui oriebatur, hoc est loquebatur in Paulo, Legis illuminatur obscuritas. Hanc enim illuminavit, cùm ait, [Gal. 4. 21. &c.] Dicite mihi sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: sed is qui de ancilla, secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo Testamenta, unum quidem à monte Sina, in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, quæ conjuncta est huic, quæ nunc est Jerusalem: servit enim cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est? [SERM. DE SCRIPTURIS.] Non ergo mirum, si propter mortua opera, ad eam quæ deorsum est, mortuus; & propter spiritalia, vivus pertinet ad eam quæ sursum est Jerusalem. Quia & inferi deorsum sunt, quò pertinent mortui: superi autem sursum, quò pertinent vivi. Hac illuminatione, tamquam manè facto, intelligit Ecclesia gratiam spiritalem; repellens à se carnale opus Legis, tamquam mortuum alienum; & sibi vindicans vivam fidem, quoniam justus ex fide vivit: [Rom. 1. 17.] quam in Patris & Filii & Spiritus-sancti nomine consecuta est; & ideo tamquam triduanum filium certa cognoscit, nec eum sibi eripi patitur.

3. [Judæi gratiam Christianam sibi debitam falsò jactantes.] Nunc clamet illa suum esse Evangelium, tamquam sibi debitum, & per se generatum. Nam hoc dicebant Gentibus in ipsa contentione, qui ex Judæis carnaliter sentientes Christianos se dicere audebant. Tamquam debitum enim justitiæ suæ dicebant venisse Evangelium. Sed non erat eorum, [a] quod spiritaliter non noverant. Quòd ergo Christiani vocabantur, alieno nomine gloriantes, tamquam illa de filio quem non ipsa pepererat, etiam contendere [b] audebant; cùm ipsi ex operibus Legis excluso intellectu spiritali tamquam de corpore operis sui animam ejecerant, & exstinguentes prophetiæ spiritum vivum, ad carnalia opera sine vita, hoc est, sine intellectu spiritali remanserant; quæ Gentibus etiam supponere cupiebant, & ab eis tamquam vivum filium, nomen auferre Christianum. Quos ita refellit Apostolus, ut tantò minùs ad eos pertinere dicat gratiam Christianam, quantò magis eam sibi tamquam debitam vindicant, & quasi jure operum suam esse gloriantur. Ei enim qui operatur, [Rom. 4. 4. & 5.] inquit, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam? Et ideo illos etiam ab eorum numero excludit, qui ex Judæis rectè crediderant, & vivam spiritalemque gratiam retinebant. Quas reliquias dicit populi Judæorum salvas factas, cùm multitudo isset in perditionem? Sic ergo & in hoc tempore, inquit, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. [Rom. 11. 5. & 6.] Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Ut illi excludantur à gratia, qui tamquam suum proprium, id est, operibus suis debitum & datum Evangelii præmium vindicant: quasi clamante Synagogâ, *Meus est filius*. Sed mentiebatur; acceperat enim eum & ipsa: sed super eum dormiens, id est, superbè sapiens necaverat. Vigilabat autem jam ista mater, & intelligebat, non meritis suis, quia meretrix erat, sed gratiâ Dei sibi filium esse concessum, opus videlicet Evangelicæ fidei; quod in sinu cordis nutrire cupiebat. Itaque illa gloriam hominum quærebat in alieno filio: hæc affectum dilectionis servabat in suo.

4. [Adversùs hypocrisim sic certandum, ut caveatur periculum schismatis.] Illud autem inter ambas regale judicium nihil aliud nos admonet, nisi ut pro veritate certemus; & expellamus hypocrisim tamquam falsam matrem, à spiritali Ecclesiæ dono tamquam ab alieno vivo filio; nec patiamur eam dominari concessæ aliis gratiæ, quæ suam custo-

[a] Duo MSS. *qui spiritaliter tenere non noverant.*

[b] Colbertinus MS. *audebat.*

Classis I.

dire non potuit. Sed hoc faciamus defendentes atque certantes non usque ad periculum divisionis. Illa enim sententia judicis, cùm jussit parvulum dividi, non est unitatis præcisio, sed probatio caritatis. Salomonis enim nomen, sicut Latini interpretantur, pacificum est. Rex verò pacificus non dilacerat membra, quæ unitate atque concordiâ vitalem spiritum continent: sed minando invenit matrem veram, & judicando separat falsam. Si ergo ad hujusmodi tentationem ventum fuerit, ne unitas Christianæ gratiæ dividatur, docemur dicere, *Date illi puerum, tantùm vivat.* Non enim honorem matris, sed salutem filii, quæ mater vera est quærit. Ubicumque ille fuerit, plus eum possidebit sincera dilectio matris, quàm falsæ usurpatio.

Altera duarum mulierum significatio.

5. Item video significare istas duas mulieres in una domo, duo genera hominum in una Ecclesia: unum eorum in quibus vera caritas regnat, alterum eorum in quibus simulatio dominatur. Ut ista duo omnino tamquam duas mulieres intueamur, dilectionem & simulationem. Dilectionem quippe simulatio fallaciter imitatur. Et ideo istam cavet Apostolus, cùm dicit, Dilectio sine simulatione. Quamvis enim habitent in una domo quamdiu reticulum illud Evangelicum in mari est, simulque bonos & malos pisces, donec ad littus perducatur, includit; tamen sua opera singulæ faciunt. Meretrices autem fuerunt ambæ; quia omnes ex cupiditate sæculi convertuntur ad gratiam Dei, nec de prioribus justitiæ meritis verè potest quisquam gloriari. Meretrix autem quòd fornicatur, ipsius est: quòd habet filium, Dei est. Omnes enim homines ab uno Deo creatore formantur. Nec mirandum est, quòd etiam in peccatis hominum Deus bene operatur. Nam etiam de scelere Judæ traditoris Dominus noster salutem humani generis operatus est. Sed hoc interest, quòd de cujusque peccato cùm aliquid boni Deus fecerit; plerumque id nollet ille peccator: non solùm quia cùm peccat, non eo peccat animo, qua providentiâ Deus de peccato ejus operatur justitiam: (non enim hoc animo Judas tradidit Christum, quo animo Christus se tradi passus est:) sed etiam quia peccati sui eventum, cùm in aliquid melius, quod ipse nollet, pervenire cognoverit, dolet potiùs, quàm lætatur. Tamquam si venenum aliquis inimico ægrotanti dare cupiens fallatur in specie medicamenti, & aliud pro alio salutare aliquid offerat; fiat & æger sanus Dei beneficio, qui facinus inimici ejus convertere voluit in salutem: quod tamen cùm malus ille cognoverit, de sanitate hominis, quæ per manus ejus gesta est, cruciatur. Si autem meretrix conceptum filium libenter habeat, nec libidine, nec avaritiâ turpis mercedis impulsa abortionis poculo de visceribus ejiciat quod conceperat, ne peccanti fecunditas contradicat; cupiditas illa, quæ defluebat in plurimos, ad unum Dei * donum conversa, non jam cupiditas, sed dilectio nominabitur. Meretricis ergo filius rectè intelligitur gratia peccatricis. Ex vetere autem turpitudine novus homo natus [a] indulgentia peccatorum est.

Rom. 12. 9

Matth. 13. 47.

* f. deno.

6. Dominus ergo & in ipso numero discipulorum, quamvis ex peccatoribus omnes elegerit, priores tamen elegit perseveraturos in dilectione, quàm Judam simulatorem. Non est quidem scriptum quo ordine electus sit; sed tamen notum est ante illum electos bonos; & non frustra ultimus numeratur. Et post Domini adscensionem omnibus qui erant uno in loco Spiritus sanctus, secundùm pollicitationem Domini desuper missus, infusus est: à quibus cœpit Ecclesia, boni erant, & sine simulatione diligebant. Pòstea ergo simulatio cœpit operari in Ecclesia: & ideo dilectio prior peperit. Triduo autem major est fructus dilectionis, ut jam possit agnosci continentia & justitia & exspectatio futurorum. Simulatio verò etsi pepererit, id est, etiamsi ad exiguum tempus peccatorum remissione lætata fuerit, tamquam somno sæcularis cupiditatis oppressa, cùm de spe cælestium dejecta præmiorum in terrenam requiem gravato corde relidiťur, quasi dormiens effocat indulgentiam, quam credendo [b] meruerat. Tales autem homines malunt justitiæ nomine, quàm veritate gaudere; bonumque opus alienum per obscuras fallacias, quasi per noctem vivum filium, mentiendo ad se transferre conantur. Nec solùm aliorum bona opera sibi usurpant, sed aliis etiam [c] objiciunt scelera sua, quasi mortuum filium supponentes.

Sim... rum in b... oper...

7. Quando autem simulationi tantùm licebit, ut falso justitiæ nomine, nullo prohibente, glorietur, & spiritale vivum opus, quod ipsa non genuit, & quod in se aliquando genuerat, pondere crudelissimi soporis exstinxit, ad fallacem jactantiam materni nominis applicet sibi, & scelera sua bonis atque innocentibus objiciendo supponat? Quando ergo simulatio ita regnabit, nisi cùm abundabit iniquitas, id est, tenebræ peccatorum quasi cæca nocte prævalebunt; & refrigescet caritas multorum, id est, operis spiritalis tamquam vivi pueri mater obdormiet? Tamen quia ita refrigescet caritas, ut negligentiùs ferveat; non enim dictum est, penitus exstinguetur, ut omnino non sit: sic dormivit hæc mater, ut non occideret filium; sed tamen fraudibus simulationis dederit locum. Sed expergefacta, cùm impietatem, quam ipsa non fecit, ab eis qui faciunt sibi objici viderit, & spiritali opere gratiæ, quam custodivit, cernit simulationem audere gloriari, se iniquitatis operatricem, simulationem verò matrem boni operis nominari, pacifici Judicis implorat auxilium. Nam Salomon pacificus interpretatur. Quem videmus duas protulisse sententias, primam tamquam ignorantis; ultimam verò cum manifesta cognitione judicantis. Certamen pietatis prima proponit; dat præmium secunda victori: in prima probatur mater, in ultima lætatur: in prima flens mittit semen suum, in secunda cum exsultatione reportat manipulos suos. Quod pertinet ad duo tempora Ecclesiæ, quæ Dominus

Matth. 12.

Psal. 6.

[a] Victorinus MS. *intelligentia peccatorum est.*

[b] Duo MSS. *invenerat.*

[c] Quadrant hæc maximè in Donatistas, ad quos Augustinus in epist. 76. n. 2. scribit: *Majores enim vestri, in quorum sacrilega præcisione perseveratis, quidam Gestis municipalibus codices sanctos & instrumenta Ecclesiæ persecutoribus tradiderunt* &c. *De crimine traditionis, de quo ipsi inter se jam consenserant, inauditos damnaverunt.* Vide epist. 105. n. 2. & Enarrat. Psal. 10. n. 4.

CLASSIS I.

Christus judex pacificus moderatur; unum quod A nunc est, alterum quod futurum est: in isto probamur, in illo coronamur.

*f. Ecclesiam.

Honor proprius contemnatur, ut Ecclesiæ unitas servetur.

8. Sed nulla major est in Christi * Ecclesia probatio caritatis, quàm cùm etiam [a] honor ipse, qui apud homines videtur esse, contemnitur, ne membra parvuli dividantur; & unitatis discidio Christiana dilanietur infirmitas. Dicit enim Apostolus tamquam matrem se exhibuisse parvulis, in quibus bonum opus Evangelicum fecerat; non ipse, sed gratia Dei cum illo. Nam il- B la meretrix sua non poterat dicere nisi peccata: donum autem fecunditatis ex Deo. Tantò autem ampliùs diligitur gratia donantis, quantò supplicium debebatur. Et bene de meretrice Dominus ait, Cui plurimum dimittitur, plurimum diligit. (Luc. 7. 47.) Dicit ergo apostolus Paulus, Factus sum parvulus in medio vestrûm, tamquam si nutrix foveat filios suos. (1. Thess. 2. 7.) Sed cùm ad periculum ventum fuerit, quo parvulus dividatur, cùm sibi honorem falsum simulatio vindicat, & scin- C dere parata est unitatem; contemnat mater honorem suum, dum filium videat integrum, vivumque servet; ne fortè cùm debitum visceribus suis honorem pertinaciùs vindicat, det locum simulationi per machæram schismatis infirma membra dividere. Dicat ergo caritas mater, *Date illi puerum*. Sive occasione, sive veritate Christus annuntietur. (Philip. 1. 18.) In Moyse caritas clamat, Domine, aut ignosce illis, aut dele me de libro tuo. (Exodi 32. 31.) In Pharisæis autem simulatio lo- D quitur, Si dimiserimus eum, veniunt Romani, & tollunt nobis gentem & locum. (Johan. 11. 48.) Non enim veritatem, sed nomen volebant habere justitiæ, & honorem debitum justis per fallaciam tenere cupiebant. Tamen regnans in eis simulatio cathedram Moysi sedere permissa est, ut dici posset à Domino, Quæ dicunt facite, sed quæ faciunt, facere nolite. (Matth. 23. 3.) Ut honorem falsum habentes, veritate tamen Scripturarum parvulos in- E firmosque nutrirent. Simulatio enim suum habet scelus, quo novum hominem, quem per gratiam donantis acceperat, pondere suæ dormitionis exstinxit: sed lac fidei quod habet, non est ejus. Quia etiam necato parvulo, qui renascentem vitam significat, jam in malis moribus simulatio constituta, retinet tamen in memoria, tamquam in uberibus, verba fidei doctrinamque Christianam, quæ omnibus ad Ecclesiam venientibus traditur. Ex isto lacte poterat etiam falsa mater veræ tamen fidei succum F sugenti parvulo infundere. Inde secura est vera mater, cùm etiam à simulatoribus in Ecclesia parvulus ejus divinarum Scripturarum catholicæ fidei lacte nutritur, cùm prohibita divisione unitas salva est, & sententiâ judicis ultimâ, qua ultimum Christi judicium figuratur, probata caritas, quæ propter salutem parvuli & unitatis firmamentum etiam simulationi honorem cessit, ut amorem tenens complexumque vitalis gratiæ, sempiterno piæ matris præmio perfrua- G tur.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XI.

De Elia & vidua Sareptana.

* *Aliàs 18. inter L. homilias.*

Opera pietatis nunc temporis exercenda.

1. DOMINUS Deus noster nolens aliquem nostrûm perire, excolens Ecclesiam suam velut agrum suum, quærens fructum de arboribus suis, antequam tempus securis adveniat, [b] cùm necesse erit infructuosas arbores amputare, non cessat admone- B re, ut cùm tempus est, & cum Dei adjutorio in nostra potestate consistit, bona opera faciamus. Cùm enim transierit tempus bene operandi, non restat nisi recipiendi. Nemo tibi dicturus est post resurrectionem mortuorum in regno Dei, Frange esurienti panem tuum (Isai. 58. 7.); quia non invenies esurientem. Nemo dicturus est, Vesti nudum, ubi omnium tunica immortalitas erit. Nemo dicturus est, Suscipe peregrinum, ubi omnes in patria sua vivent. Nam modò su- C mus inde peregrini. Nemo dicet, Visita ægrum, ubi est sanitas sempiterna. Nemo dicet, Sepeli mortuum, ubi mors moritur. Ista omnia pietatis officia in vita æterna necessaria non erunt, ubi sola pax erit & lætitia sempiterna. In isto autem tempore, ut noverimus quantum nobis commendat Deus opera misericordiæ; etiam ipsos sanctos suos egere fecit; ut cùm fiunt hîc amici de mammona iniquitatis, recipiant & ipsi amicos suos in æterna tabernacula (Luc. 16. 9.): id est, [c] ut D cùm servis Dei, qui dum jugiter Deo vacant, aliquotiens indigent, illi qui habent mundi divitias, eleemosynam largiuntur, quomodo eos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere mereantur in vita æterna.

Elias ad pauperem viduam pascendus cur mittitur.

2. Hoc dixi propter lectionem Regnorum, quam primò audivimus. Numquid Deus defecerat pascere servum suum Eliam? Nonne illi, quia deerant homines, alites ministrabant? Nonne illi panem afferebat corvus manè, & ad E vesperam carnes? Ostendit ergo Deus, quia unde voluerit, & quomodo voluerit, potest pascere servos suos: & tamen ut posset eum religiosa vidua pascere, fecit eum egere. Egestas animæ sanctæ in abundantiam versa est animæ religiosæ. Non poterat Elias de misericordia Dei dare sibi, quod lagunculæ dedit? Videtis nempe, & manifestum est, quòd aliquando servi Dei ideo non habent, ut probentur qui habent. Et tamen illa vidua nihil habebat: quod F illi reliquum erat, finitum fuerat, & cùm suis filiis moritura erat. Processit ergo, ut faceret sibi panem, colligere duo ligna: & tunc eam vidit Elias. Tunc eam homo Dei videbat, quando illa duo ligna quærebat. Mulier illa typum gerebat Ecclesiæ: & quia duo ligna crucem faciunt, quærebat moritura, unde semper esset victura. Adumbrato ergo mysterio, Elias loquitur ad eam quod audivit: narrat illa dispositionem suam, morituram se dicit, cùm consum- G maverit quod remansit. Ubi est ergo quod Dominus dixerat Eliæ, *Vade in Sarepta Sidoniæ*; (3. Reg. 17. 9.)

[a] Sic ipsi quidem Catholici episcopi, honorem suum pro conciliandа Ecclesiæ pace deponere parati, scribunt ad Marcellinum Collationis Carthaginensis cum Donatistis habitæ Cognitorem, in epistola inter Augustinianas 128. n. 3. *An verò ille de cælis in membra humana descendit, ut membra ejus essemus, & nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? &c. Nam qua fronte in futuro sæculo promissum à Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem?*

[b] MSS. *cui necesse erit.*

[c] Sic aliquot MSS. Alii verò cum Editis, *ut cùm servi Dei pii, dum jugiter Deo vacant, aliquotiens indigent; illi . . . . . merebuntur in vita æterna.*

Classis I

ibi enim mandavi viduæ, ut pascat te? Videtis quemadmodum mandat Deus, non in aure, sed in corde. Numquid legimus quia missus est aliquis Propheta ad illam mulierem, & dictum est ei, Hæc dicit Dominus, venturus est ad te esuriens servus meus, ex eo quod habes ministra illi: inopiam noli timere; ego supplebo quod dederis? Hoc ei dictum non legimus. Nec hoc legimus, quòd in somnis ad eam missus fuerit Angelus, & prænuntiaverit Eliam esurientem esse venturum, & de illo pascendo aliquis mulierem illam admonuerit. Sed mandat Deus miris modis, qui in cogitationibus loquitur. Dicimus mandasse Deum loquendo in corde, suggerendo quod opus erat, persuadendo quod utile erat rationali animæ viduæ mulieris. Sic etiam in Prophetis legimus, quòd Dominus mandaverit vermi, ut roderet radicem cucurbitæ. Quid est, Mandavit, nisi, Cor præparavit? Inspiratione itaque Domini, vidua illa mulier cor præparatum habebat ad obediendum. Talis venerat, talis cum Elia loquebatur. Qui erat in Elia ut præciperet, ipse erat in vidua ut obediret. Vade, inquit, mihi priùs fac de egestate tua, non deficient divitiæ tuæ. Patrimonium enim viduæ, modicum erat farinæ & modicum olei: hoc modicum non defecit. Quis habet talem [a] villam? Libenter vidua servum Dei esurientem pascebat, quia patrimonium ejus in clavo pendebat. Quid felicius hac paupertate? Si hîc talia recipit, qualia in fine sperabit?

Mandare Deus quomodo intelligitur.

Jonæ 4. 7.

3. Ideo hoc dixi, ut seminationis nostræ mercedem, non isto tempore quo seminamus speremus. Hîc enim bonorum operum messem cum labore serimus, sed in futuro fructus illius cum gaudio colligemus; secundùm illud quod scriptum est, Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Illud enim pro signo factum est, non pro dono. Nam si vidua illa quod pavit hominem Dei, hîc recepit, non est magnum quod seminauit; quia non magnam segetem messuit. Temporale est quod accepit, non deficientem farinam, nec diminutum oleum, quò usque daret Deus pluviam super terram. Ac sic tunc magis cœpit egere, quando dignatus est Deus pluere: tunc enim laboratura erat, exspectatura agri fructus & collectura. Quando autem non pluebat, victus ejus de facili veniebat. Signum hoc ipsum quod Deus illi ad paucos dies præstiterat, signum erat futuræ vitæ, ubi merces nostra deficere nescit. Farina nostra Deus erit. Quomodo illa per illos [b] dies non defecerunt, sic ille non deficiet in æternum. Talem mercedem speremus, quando bona facimus: ne forte aliquis vestrûm tentetur tali cogitatione, ut dicat, Pascam aliquem servum Dei esurientem, ut lagena mea non deficiat, & in cupa mea semper vinum inveniam. Noli hoc hîc quærere. Semina securus, messis tua seriùs veniet, tardiùs veniet: sed cùm venerit, finem non habebit.

Bonorum operum merces non isto tempore speranda.

Psal. 125. 6.

* SERMO XII.

De eo [c] quod scriptum est in Iob (cap. 1. 6.) Et ecce venerunt Angeli in conspectum Dei, & diabolus in medio eorum, *&c. Et de eo quod in Evangelio dicitur, (Matth. 5. 8.)* Beati qui puro sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt: *contra Manichæos.*

1. In divinis & sanctis veteribus libris fraudulentissimâ fallaciâ Manichæos insidiari, jam vestræ prudentiæ, Dilectissimi Fratres, satis probatum esse confidimus. Offerimus tamen adhuc eorum dolos inspiciendos obtutibus cordis vestri: ut non solùm eos, quantum ad vos pertinet, evitetis, sed etiam ut alios infirmos & divinarum lectionum rudes, ut quisque vestrûm potest, evitare atque contemnere doceatis. Apud Job scriptum est, inquiunt, *Ecce venerunt angeli in conspectum Dei, & diabolus in medio eorum. Et Deus ait diabolo, Vnde venis? Qui respondens dixit, Circuiens totum orbem adveni huc.* Hîc, inquiunt, demonstratur diabolum non solùm vidisse Deum, sed etiam locutum esse cum eo. In Evangelio autem dicit, *Beati qui puro sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et iterum dicit, *Ego sum janua, nemo potest venire ad Patrem, nisi per me.* Deinde adjungunt ratiocinationem, dicentes, Si igitur hi soli qui sunt puro corde vident Deum, quonam modo sordidissimo & immundissimo corde diabolus potuit videre Deum? aut qualiter per januam, hoc est, per Christum ingreditur? Iterum Apostolus, inquiunt, testatur & confirmat dicens, *quòd neque Principes, neque Potestates, neque Virtutes Deum cognoverunt.*

2. Calumnia quidem illorum his omnino verbis huc usque proponitur, & re vera quæstio est prudenti discutienda Christiano. Sed eam calumniam proponentium animus facit, ut similiter imperitos ad sibi credendum à saluberrima Scripturarum auctoritate detorqueant. Sed primò ab istis vellem quærere, ubi Adimantus apud Apostolum legerit, nam talium calumniarum iste [d] conscriptor est; vellem ergo diceret ubi legerit testantem Apostolum & confirmantem, ut dicit, quòd neque Principes neque Potestates neque Virtutes Deum cognoverunt: cùm Dominus etiam hominum in se credentium dicat Angelos quotidie videre faciem Patris. Nisi forte illud quod Paulus apostolus ait, Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui evacuantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam præfinivit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent? Si istum locum iste conscribere cogitabat, cur addidit Potestates & Virtutes, quod non ibi dictum est; & detraxit hujus sæculi, quod dictum est? Sed utinam hoc, errore

[a] Editi mendosè habebant, *viduam*. Et paulò infrà, *in conclavi pendebat*. Uterque locus emendatur ad MSS.

[b] Sic in MSS. At in editis, *per illos non defecit dies, sic ille dies non deficiet in æternum*.

[c] Sermonem hunc notat Possidius in Indiculo c. 2.

[d] Adimantum Manichæi discipulum confutavit Augustinus peculiari opere, quod opus in lib. 1. Retract. c. 22, n. 1. recensens ait, *Aliquas sanè earumdem quæstionum, quas ille adversùs Legem & Prophetas conscripsit, popularibus ecclesiasticis sermonibus solvi*.

CLASSIS I. — *SERM. DE SCRIPTURIS.*

potiùs, quàm malitiâ fecerit. Verumtamen etiam si hoc modo dixisset Apostolus, numquid propterea diabolus vocem Dei audire non potuit? Scriptum est enim, quòd in conspectum Dei venerit: non scriptum est, quòd Deum ipse conspexerit. Principes enim hujus sæculi aut superbi homines intelliguntur, & vanâ pompâ jactationis elati; aut ipse diabolus & angeli ejus. Nam principem vel magistratum hujus sæculi eum Dominus apertissimè appellat: quia sæculi hujus nomine peccatores intelliguntur, quorum spes nulla est, nisi in hoc sæculo. Sicut enim dicitur mala domus, cùm significantur habitatores ejus: sic malum hoc sæculum dicimus, cùm eos significamus qui corde hoc sæculum inhabitant, hoc est, quorum conversatio non est in cælis. Nostra enim, dicit Apostolus, conversatio in cælis est. Diabolo autem serviunt cuncta peccata, qui libero arbitrio princeps voluit esse peccati; propterea princeps hujus sæculi dicitur. Quam regulam intelligentiæ moneo cordibus vestris infigatis: adjuvabit per hanc Dominus ad multa Scripturarum discutienda atque solvenda, de quibus illi laqueos nectunt erroris sui.

Principes hujus sæculi. *Johan. 12. 31.* *Sæculum peccatores.* *Phil. 3. 20.* *Diabolus princeps peccati.*

CAPUT III. Quomodo diabolus venerit in conspectu Dei.

3. Cùm ergo scriptum non sit, quòd diabolus viderit Deum, sed tantùm quòd venerit cum Angelis in conspectum Domini, vocemque ejus audierit; cur isti miseri de visione Dei calumniari Scripturis, & imperitos pervertere student? Quapropter hæc eorum propositio, brevissima responsione superatur. Quantalibet enim loquacitate perquirant, quomodo viderit diabolus Deum: respondemus, Non vidit diabolus Deum. Dicent, Quomodo ergo cum eo locutus est? Hîc verò non à nobis, sed à cæcis hominibus convincenda est cæcitas cordis ipsorum. Hi enim qui carnalibus oculis cæci sunt, quotidie loqui possunt cum his quos videre non possunt. Quomodo ergo venit, inquiunt, in conspectum ejus? Quomodo cæcus in conspectum videntis, quem ipse non conspicit. Et istæ quidem similitudines, Dilectissimi Fratres, ideo dictæ sint, ut hominum carnalium refellatur improbitas; ut si fieri potest, hoc modo repulsi, ad discendi mansuetudinem [a] impia corda convertant. Numquid enim Deus continetur loco, quem præsentem habet omnis Angelica & humana conscientia, non solùm bonorum, sed etiam malorum? Verùm hoc interest, quòd bonis conscientiis adest ut pater, malis ut judex: quomodo scriptum est, Dominus interrogat justum & impium. Item scriptum est, In cogitationibus impii interrogatio erit. Nec vehementiùs in auribus corporis Deus, [b] quàm in secreto cogitationis interrogat, ubi solus audit, solus auditur. Nonne etiam mali homines, si quando verum loquuntur & non eis creditur, jurant & dicunt, Testis est Deus, & verissimè dicunt? Ubi quæso testis est? In lingua, an in corde? in sono vocis, an in silentio conscientiæ? Unde autem plerumque stomachantur, quia sibi non creditur, cùm verum se dicere noverint, nisi quia cor suum nobis aperire non possunt, ubi testis est Deus?

Psal. 10. 6. *Sap. 1. 9.*

CAPUT IV. Variis modis loquitur nobis Deus.

4. Multi autem modi sunt, quibus nobiscum loquitur Deus. Loquitur aliquando per aliquod instrumentum, sicut per codicem divinarum Scripturarum: loquitur per aliquod elementum mundi, sicut per stellam Magis locutus est. Quid est enim locutio, nisi significatio voluntatis? Loquitur per sortem, sicut de Matthia in locum Judæ ordinando, locutus est: loquitur per animam humanam, sicut per Prophetam: loquitur per Angelum, sicut Patriarcharum & Prophetarum & Apostolorum quibusdam locutum esse accipimus: loquitur per aliquam vocalem sonantemque creaturam, sicut de cælo voces factas, cùm oculis nullus videretur, legimus & tenemus. Ipsi denique homini, non extrinsecùs per aures ejus aut oculos, sed intus in animo non uno modo Deus loquitur: sed aut in somnis, sicut Laban Syro, ne Jacob servum ejus in aliquo læderet, & Pharaoni de septem annis opulentis totidemque sterilibus demonstratum est; aut spiritu hominis assumto, quam Græci ecstasim vocant, sicut oranti Petro vas plenum similitudinibus credituarum Gentium visum est submissum esse de cælo; aut in ipsa mente, cùm quisque majestatem vel voluntatem intelligit, sicut ipse Petrus ex illa ipsa visione, quid se agere vellet Dominus, apud seipsum cogitando cognovit. Non enim hoc quisquam potest, nisi apud se intus sonante quodam tacito clamore veritatis agnoscere. Loquitur etiam Deus in bonorum malorumque conscientia. NAM ET APPROBARE quod bene facit, & improbare quod peccat, nemo rectè potest, nisi ad eadem illa in silentio cordis vel laudante vel clamante voce veritatis. Veritas autem Deus est: quæ cùm tam multis modis loquatur hominibus & bonis & malis, (quamquam non omnes, quibus tot modis loquitur, possint quoque ejus substantiam naturamque conspicere;) quis hominum potest conjiciendo aut cogitando colligere, quot & quibus modis eadem veritas loquatur Angelis, sive bonis, qui ejus ineffabili specie & pulcritudine per mirabilem caritatem contemplando perfruuntur; sive malis, qui depravati per superbiam suam, & ab ipsa veritate in inferioribus ordinati, possunt quibusdam latentibus modis vocem ejus audire, quamvis faciem videre non digni sint?

Matth. 2. 2. *Act. 1. 26.*

CAPUT V.

5. Quapropter, Dilectissimi Fratres, fideles Dei, & Catholicæ matris germanissimi filii, nemo vos decipiat venenatis cibis, etiamsi adhuc estis lacte nutriendi: perseveranter nunc ambulate per fidem veritatis; ut certo & opportuno tempore ad speciem veritatis ejusdem venire possitis. Sicut enim Apostolus dicit, hîc manentes corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem. Ad speciem autem visionis Patris, fides Christiana perducit. Unde Dominus dicit, Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Sine caussa ergo isti quærunt, quomodo diabolus ad Deum potuit venire per Christum. Diabolus enim ad illam contemplationis beatitudinem non potest pervenire, quò eos qui puro sunt corde fides Christiana perducit. Nec ideo tamen diabolus vocem Dei loquentis audire non potuit; sicut multi homines etiam qui non crediderunt Christo, potuerunt vocem audire de cælo dicentis

2. Cor. 5, 6. [c] *Johan. 14. 6.* *Diabolus potuit audire vocem Dei*

[a] Sic Germanensis MS. Editi verò, *pia corda*.

[b] Editi, *Deus est*. Redundat *est*, nec habetur in MS.

CLASSIS I. Dei, Et clarificavi & clarificabo: cùm Dominus, dixisset, Pater clarifica filium tuum.

Johan. 12. 28.

* CAPUT VI. In conspectum Dei venisse diabolum, quid sit. *Job. 1. 6.*

6. * Quod autem scriptum est, diabolum venisse in conspectum Dei, non ideo scriptum est, quia quisquam potest aliquando conspectum Dei fugere, cujus oculis cuncta subjecta sunt, & cui cordis cujuslibet profunditas patet: sed quia in secreto creaturæ acta sunt, quæ Scriptura narravit, propterea scriptum est, *Et ecce venerunt Angeli in conspectum Dei:* quamvis à conspectu Dei numquam recedant. Quocumque enim mittuntur, ibi quoque præstò est conspectus Dei. Sed illic propriè conspectus Dei dicitur, quò humanus non potest penetrare conspectus; sicut sunt secreta conscientiæ. Propterea cùm redarguimus mentientem, non eum dicimus in conspectu Dei locutum; quia non hoc locutus est, quod in animo ejus conspicit Deus, quò conspectum dirigere non potest homo. * Quia ergo hæc tam latenter gesta sunt, ut indicari hominibus per Scripturas sanctas, nisi Sancto Spiritu revelante, non possent, in conspectum Dei ventum esse, atque ibi gesta esse narrantur.

* CAPUT VII.

Quomodo diabolus fuit in medio Angelorum.

7. Quòd autem diabolus in medio Angelorum fuit, si bonos Angelos intelligis, sic in medio eorum intellige diabolum, sicut reus in medio apparitorum judici audiendus adsistit. Non enim Scriptura declarat quales illi Angeli fuerint. Si autem in medio angelorum malorum, quid mirum est, principem ac ducem turbâ ministrorum suorum esse circumdatum? Si autem *in conspectum Dei* quod dictum est, sic accipias, ut illi in conspectum Dei veniant, qui non solùm conspiciuntur ab eo, sed etiam conspiciunt eum; sic intelligendum est in medio eorum fuisse diabolum, ut tamen Deum, quem ipsi videbant, ille non viderit; ut etiam per aliquem sanctorum Angelorum Deus diabolo sit locutus. Nec tamen in libro scriptum est, nisi *Dixit Deus.* Sicut etiam in negotiis publicis, quamquam pleraque per præconem judex loquatur, judicis tamen nomen, cùm Gesta scribuntur, non etiam præconis inseritur. Sicut autem aliquis homo visione Prophetica indignus, potest tamen in medio Prophetarum stare, ut tantùm audiat quod per eos dicit Dominus, nec tamen videat quod illi vident: sic potuit & diabolus esse in medio sanctorum Angelorum Deum videntium, per quos audiret vocem Dei, quem videre ipse non posset.

CAPUT VIII. Manichæi ex ipsa eorum doctrina refutati.

8. Et machinamenta quidem Manichæorum, quantum ad hanc quæstionem pertinet, multis modis soluta esse perspicitis, ut non jam putetis, Carissimi Fratres, verè diabolum sic locutum esse cum Deo, ut etiam faciem veritatis, quam pura corda conspiciunt, videre potuerit; aut ad illam contemplationem beatitudinis venerit, quò nemo nisi per Dominum Jesum Christum venire permittitur. Sed tamen multùm admiror hominum istorum impudentiam, qui de visione substantiæ divinæ calumniari nobis volunt, & id quod scriptum non est de Scripturis nostris mentiuntur, quòd Deum diabolus viderit; & tantam hinc invidiam conflare conantur, ut quisquis exhorruerit, & indignum esse judicaverit ut diabolus viderit Deum, penitus à divinarum Scripturarum auctoritate, A suspiciosâ ignorantiâ non intelligens quod scriptum est, avertatur: cùm ipsi Dominum nostrum Jesum Christum Deum esse non negent, & sine assumtione humani corporis eum hominibus apparuisse confingant.

9. Quando ergo diabolus tentare ausus est Dominum, cùm eum videret, quid videbat? Si corpus ejus videbat, habebat ergo Dominus corpus, quod nolunt perditi confiteri. Si autem corpus non habebat; ipsa divina substantia diaboli oculis subjacebat: quam non vident, nisi qui puro sunt corde, sicut ex Evangelio nobis ipsi commemorant. O importuna cæcitas hæreticorum! Cur Scripturas nostras, quòd Deum diabolus viderit, mendaciter arguis; & negando corpus Christi, divinam ejus substantiam diaboli oculis publicare velle convinceris? An fortè, sicut dicere solent, ita non habebat corpus humanum, ut se tamen quasi habere monstraret? Quis ergo veriùs & rectiùs sentit, insani, qui credit Deum locutum esse cum diabolo, an qui credit Deum non solùm cum diabolo locutum, sed etiam diabolo esse mentitum? Quosdam enim Angelos humanis oculis apparuisse, Scriptura commemorat: sed utique potestati eorum corpoream creaturam ita Dominus subdidit, ut illis * eam pro voluntate coaptaret. Unde & illi, quamvis non nati ex femina, verum tamen corpus habuerunt, quod ex qualibet specie in quamlibet speciem pro sui ministerii atque officii ratione converterent; ex vera tamen in veram. Non enim & ipse Dominus cùm aquam convertit in vinum, aut aquam falsam, aut vinum falsum fuisse possumus dicere.

10. Omne itaque corpus, cujus est natura & ordo mutabilis, ad nutum omnipotentissimi Conditoris, in quascumque species fuerit commutatum, à veritate tamen in suo genere non recedit: quoniam quacumque varietate mutetur, & corpus tamen & verum corpus esse non desinit. Sed cùm isti omnem naturam corpoream, non ab omnipotente conditore Deo, sed à tenebrarum gente, nescio qua, esse confingant; quærimus ab eis, Dominus noster Jesus Christus unde corpus assumserit. Si enim nullum corpus eum assumsisse dicunt, quid erat illud quod humanis atque corporeis oculis apparebat? Aut enim mendacium phantasmatis erat, quod exsecrabile est credere: aut si ipsam divinam substantiam suam nulla corporis assumtione humanis oculis eum demonstrasse contendunt, & hanc etiam diabolus vidit, ubi est quod in ista quæstione calumniosa voce proclamant, *Beati qui puro sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt?* Quòd si fortè dicunt, divinam & propriam substantiam Domini non talem esse apud Patrem, qualem se in terris voluit nullo assumto corpore ostendere; quid aliud etiam, nisi locis & temporibus esse mutabilem, miseri crediderunt. Non enim legere volunt, aut intelligere facilè possunt quod per Prophetam dicitur, Mutabis ea, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et quod in divinæ Sapientiæ litteris de ipsa Sapientia scriptum est, In seipsa manens, innovat omnia.

11. Secundùm illorum autem sensum, si quis eis dicat, Quid ergo miramini, si & Deus

mutavit speciem divinitatis suæ, ut posset eum qui corde sordidissimo est diabolus, intueri, sicut de Christo Deo vobis videtur? quid responsuri sint nescio. Quia & numquam dicere ausi sunt, Patrem & Filium nisi unius esse substantiæ: & si alterius esse substantiæ Filium dicerent, posset eis responderi, Unde igitur scitis, utrùm cum Patre an cum Filio locutum esse diabolum, vetus illa Scriptura commemorat? Deinde quærimus, Solem istum videt diabolus, an non videt? Si videt, quomodo ergo sol Deus est, quem diabolus videt? Si non videt, mali tamen eum homines vident; quomodo ergo Deus est, quem vident qui non puro sunt corde? Aut si ut videri posset, etiam ipse mutatus est, & non hoc est quod videtur; quid si ergo vos aliud ostenditis, & aliud estis, ut imitari etiam solem, non tantùm adorare possitis? Et tamen si eos interroges, utrùm commutabilis an incommutabilis sit divina substantia, non possunt nisi incommutabilem dicere, non [a] ducti ratione, sed pudore confusi. Restat ergo, ut cogantur fateri, Dominum nostrum Jesum Christum aliunde assumsisse corpus, ut humanis oculis appareret. Quod si fatentur, quæro unde assumserit. Si de hoc mundo dicunt, quæro ipsius mundi unde sit corpus? Continuò mihi, De tenebrarum gente, respondent. O mira dementia! Cur ergo miseri in corpore Salvatoris timetis uterum virginis, & gentem dæmonum non timetis?

12. Nos quidem universam naturam corporis ab omnipotente conditore Deo esse profitemur: & propterea undecumque Dominus noster assumeret corpus, de sua creatura utique assumeret: sed [b] ex femina maluit humilis, qui ad liberandum perditam creaturam venerat, quæ per feminam lapsa est. Unde utrumque sexum volens in spem renovationis & reparationis adducere, virilem in quo nasceretur, femineum per quem nasceretur, elegit. Vos autem qui exhorrescitis casta virginis viscera, eligite, obsecro, unde Dominus corpus assumeret. Dicitis, omne corpus gentis tenebrarum esse substantiam. Eligite ergo, ut dixi, unde corpus Filius Dei deberet assumere. An perdidistis respondendi lucem, quia tenebræ vobis quocumque oculos converteritis, occurrunt? Sed caro mortalis, inquiunt, videtur immundior. Recitate eis Apostolum, Omnia munda mundis. Et recitate in » eos Apostolum, Immundis autem & infidelibus, » nihil est mundum; sed polluta sunt eorum & » mens & conscientia. Si autem non dicunt Immundior, sed Infirmior: consentimus plane; & ideo Christus est nostra firmitas, quia eum nostra non mutavit infirmitas. Hîc agnosco Prophetæ illam vocem, Mutabis ea, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Non solùm enim non eum mutavit in deterius infirmitas carnis, sed ab eo in melius ipsa mutata est. Sol iste corporeus, quem corpus non esse arbitrantur, (usque adeo nec quid sit corpus, intelligunt, qui de spiritalibus disputationibus se fallaciter jactant!) sol ergo iste corporeus, tantùm quia cæleste corpus est, illuminat terram, nec ab ea ipse obscuratur; siccat aquam, nec inde humectatur; solvit glaciem, nec inde frigescit; durat limum, nec inde mollescit. Et Dominus noster Jesus Christus Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, virtus & sapientia Dei, ubique præsens, ubique secretus, ubique totus, nusquam inclusus, pertendens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, timent infelices, ne non potuerit sic hominem assumere, ut vivificaret mortalia, nec ab eis mortificaretur; sanctificaret carnem, nec inde pollueretur; dissolveret mortem, nec inde ligaretur; mutaret in se hominem, nec in hominem mutaretur? Aliud ex alio disputare, propter quorumdam titubationem, & periculosam infirmitatem fidei, compulsi sumus. Quod autem adtinet ad propositam quæstionem, quamquam illa Scriptura, (de qua insidiari quàm illuminari maluerant,) Deum à diabolo visum esse, non probet: videant tamen ipsi quomodo gens tenebrarum divinam substantiam videre potuerit, quando ante pugnam, qua bonum & malum dicunt esse commixtum, nullum adhuc corpus divina substantia, ut ab hoste suo videri posset, assumserat. Ex quo cognoscant, frustra se Catholicæ fidei firmamenta velle subvertere, cùm suas fabulas ruinosas qualibuscumque responsionum [c] destinis fulcire non possint.

Margin notes: Sermo de Scripturis. — ...entur ...ichæi, ...d sol ...n Deū ...nt, à ...is vi...ur. — Caput XII. ...ristus ex femina na... — Tit. 1. 15. — Psal. 101. 27. Filius Dei non est mutatus per incarnationem.

* SERMO XIII.

De eo quod scriptum est in Psalmo, (2. 10.) Erudimini omnes qui judicatis terram.

Habitus ad Mensam sancti Cypriani, [d] VI. *Kal. Jun.*

* Aliàs de Tempore 94.

1. Erudimini *omnes qui judicatis terram.* Terram judicare, est corpus domare. Audiamus Apostolum judicantem terram: Non sic pugno, inquit, tamquam aërem cædens; sed castigo corpus meum, & in « servitutem redigo; ne fortè aliis prædicans ipse « reprobus efficiar. Audi ergo terra judicantem terram; & judica terram; ne sis terra. Si enim terram judicaveris, cælum eris, & in te factam gloriam Domini enarrabis. Cæli enim enarrant gloriam Dei. Si autem terram non judicaveris, terra eris. Si autem terra fueris, ad eum pertinebis cui dictum est, Terram manducabis. Audiant ergo judices terræ: corpus castigent, libidines frenent, ament sapientiam, vincant concupiscentiam: & ut hoc faciant, erudiantur.

2. Hæc est autem summa eruditionis: *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore.* Exsulta ei, non tibi: ei à quo es quod es, & quod homo es, & quod justus es: si tamen jam justus es. Si autem putaveris quòd ab illo quidem homo es, à te autem justus es; non servis Domino in timore, nec exsultas ei in tremore, sed tibi in præsumtione. Et quid tibi fiet, nisi quod sequitur? *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis*, inquit, *de via justa.* Non enim ait, Ne quando irascatur Dominus, & non intretis in viam justam: sed, *pereatis de via justa.* Jam enim videris tibi justus non rapiendo alie-

Margin notes: Caput I. Terram judicare. — 1. Cor. 9. 26. & 27. — Psal. 18. 2. — Gen. 3. 14. — Caput II. Psal. 2. 11. Præsumens de propriis viribus, perit de via justa. — Ibidem 12.

a MS. *non ratione docti.*

b Editi, *feminam maluit humilem.* At Germanensis MS. *ex femina maluit humilis*: moxque prosequitur, *qui perituram liberandam venerat, quæ per feminam lapsa est.*

c Editi, *disputationibus.* Meliùs Germanensis MS. *destinis.* Vox fulcrum significans, quale extrinsecùs fabricæ apponi solet. Vide Appendicis Sermonem 1. n. 2.

d Istud, VI. *Kal. Jun.* adjecimus ex vetere libro Germanensi.

Classis I.

num, non adulterando, non homicidium faciendo, non falsum testimonium adversùs proximum dicendo, patrem & matrem honorando, unum Deum colendo, idolis & dæmoniis non serviendo: de hac via peribis, si tibi ista præsumseris, si tibi ista à te ipso esse putaveris. Infideles enim non intrant in viam justam, superbi pereunt de via justa. Quid enim ait? *Erudimini omnes qui judicatis terram.* Et ne fortè vires & potentiam, qua judicatis terram, vobis tribuatis, & à vobis ipsis eam vobis esse credatis; nolite sic: *Servite Domino in timore; exsultate*, non vobis in præsumtione, sed *ei in tremore. Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa,* * *cùm exarserit citò ira ejus.* Quid ergo faciendum est, ne pereamus de via justa? *Beati omnes qui confidunt in eum.* Si beati qui confidunt in eum; miseri qui confidunt in se. Maledictus enim omnis homo qui spem suam ponit in homine. Ergo nec in te, quia & tu homo es. Si enim spem tuam posueris in alio homine, inordinatè humilis eris: si autem spem tuam posueris in te, periculosè * superbis. Quid autem interest? Utrumque perniciosum: nihil horum eligendum. Inordinatè humilis non levatur: periculosè superbus præcipitatur.

℣. 13. Fidendum in Dominum.

Jerem. 17. 5.

Inordinatè humilis. *f. superbus.

Caput III.

3. Denique ut noverit Sanctitas Vestra, propter istum sensum redarguendum & consumendum, quòd in se quisque confidit, dicta esse ista verba, *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore*; Apostolum audite hæc ipsa verba dicentem, & sententiam cur dicta sint, explanantem. Ecce Apostoli verba sunt, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quare ergo cum timore & tremore meam salutem operor, cùm sit in potestate mea operari salutem meam? Vis audire quare cum timore & tremore? Deus est enim qui operatur in vobis. Ideo cum timore & tremore. Quia quod impetrat humilis, amittit superbus. Si ergo Deus est qui operatur in nobis, quare dictum est, Vestram ipsorum salutem operamini? Quia sic in nobis operatur, ut & nos operemur. Adjutor meus esto. Designat [a] & se operatorem, qui invocat adjutorem. Sed voluntas, inquit, bona, mea est. Fateor, tua. Sed & ipsa à quo data, à quo excitata? Noli me ipsum audire: Apostolum interroga. Deus est enim, „ inquit, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quid est ergo quòd tibi arrogabas? Quid est quòd superbus ibas, & peribas? Redi ad cor tuum, inveni te malum; & ut sis bonus, invoca bonum. Non enim in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo: quod autem habes ex te, displicet Deo. Si bona tua cogitas, quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Solus est ille qui non novit nisi dare. Non habet datorem, qui non habet meliorem. Quo tu si inferior es, immo quia inferior es, gratulare quòd ad ejus imaginem factus es; ut in illo invenicaris, qui in te peristi. Non enim potuisti in te, nisi perdere te; nec scis invenire te, nisi ille qui fecit te, quærat te.

Philip 2. 12.

Ibidem 13.

Psal 26. 9.

a Voluntas bona à Deo data, à Deo excitata.

1 Cor. 4 7.

Caput IV. Ad judices.

4. Alloquamur tamen & eos qui secundùm istam visibilem & popularem intelligentiam judicant terram. Judicant enim terram reges, duces, principes, judices: unusquisque pro munere quod accepit in terra, judicat terram. Quid est autem quod dicitur, Judicat terram, nisi judicat homines qui sunt in terra? Nam si terram propriè non accipias, nisi quam calcas; agricolis ergo dictum est, *Qui judicatis terram.* Porrò autem si reges judicant terram, & quisquis sub regibus potestatem accepit à regibus; erudiantur & ipsi: quia terra judicat terram; & timere debet eum qui est in cælo terra judicans terram. Parem quippe suum judicat, homo hominem, mortalis mortalem, peccator peccatorem. Si enim procedat in medium Dominica illa sententia, Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat: nonne omnis judicans terram terræ motum patitur? Evangelicum capitulum recolamus. Pharisæi tentantes Dominum, adduxerunt ante eum mulierem in adulterio deprehensam; de quo peccato pœna fuerat Lege definita, Lege scilicet datâ per Moysen famulum Dei. Hac ergo complexione dolosa & fraudulenta ad Dominum Pharisæi accesserunt, ut si juberet lapidari mulierem diffamatam, perderet mansuetudinem; si autem quod Lex jusserat prohiberet, peccasse teneretur in Legem. Sicut autem interrogantes de tributo Cæsari reddendo, ore suo cepit, vicissim interrogans cujus esset prolatus nummus, cujus haberet imaginem & superscriptionem. Respondentes enim ipsi qui interrogaverant, in nummo esse imaginem Cæsaris; respondit eis secundùm os ipsorum, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt; ut admoneret sic reddendam Deo in homine imaginem Dei, quemadmodum in nummo imago sua redditur Cæsari. Ita & in ista adultera interrogatores interrogavit, & ideo judices judicavit. Non prohibeo, inquit, lapidari, quam lapidari Lex jussit; sed quæro à quibus. Non enim resisto, sed Legis ministrum requiro. Denique audite: Lapidare vultis secundùm Legem? Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat. „

5. Quando autem hæc [b] audivit, digito scribebat in terra, ut erudiret terram. Quando autem hoc dixit Pharisæis, levavit oculos suos ipse, & inspexit terram, & fecit eam tremere. Proinde cùm hoc dixisset, iterum cœpit scribere in terra. At illi compuncti & tremefacti, unus post alterum discesserunt. O terræ motum, ubi sic terra mota est, ut etiam mutaret locum! * Illis ergo discedentibus, remansit peccatrix & Salvator: remansit ægrota & medicus: remansit misera & misericordia. Et adspiciens mulierem, dixit, Nemo te condemnavit? Et illa, Nemo, Domine. Sed tamen adhuc sollicita erat. Peccatores enim damnare non ausi sunt: non ausi sunt lapidare peccatricem, qui se ipsos intuentes similes invenerunt. Sed adhuc mulier erat in magno periculo: quia & ille ei judex remanserat, qui erat sine peccato. Nemo, inquit, „ te damnavit? At illa, Nemo Domine: si nec tu, secura sum. Cui sollicitudini tacita Dominus voce respondit, Nec ego te damnabo. Nec ego, „ quamvis sim sine peccato, nec ego te damnabo. Illos à vindicta repressit conscientia: me ad subveniendum inclinat misericordia.

* Cf. Joh. 8. 10.

6. Hæc adtendite, & *erudimini omnes qui judicatis*

[a] Sic Germanensis MS. Editi verò, *Designat esse operatorem.*

[b] Sic MS. At editi, *audiunt.*

Classis I. — Rom. 13. 1. &c.

dicatis terram. Omnes scilicet, quia etiam sic intelligendum est, [a] quomodo de quibus Apostolus dicit, « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem à Deo sunt, ordinatæ sunt. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Principes enim non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Et si non ab illa, tamen ex illa. Aut enim justè agis, & justa potestas laudabit te: aut justè agentem, etiamsi potestas injusta damnet te, Deus justus coronabit te. Ac per hoc tu justitiam tene, tu bene vive: & sive damnet, sive absolvat, habebis laudem ex illa. Beatus ille, * cujus hîc sanguis fusus est, nonne ex ipsa potestate, antequam & à qua visus est judicari, laudem invenit? Confessionem [b] promsit, in fide permansit: mortem non timuit, sanguinem fudit, diabolum vicit.

* Cyprianus martyr.

Caput VI. — *f. potestates. — Judex in se primùm, tum in alios jus dicat.

7. Ut ergo non sitis iniquæ * potestatis, quicumque [c] homines vultis habere in homines potestatem; erudimini, ne perversè judicetis, & antè in anima pereatis, quàm quemquam in carne perdatis. Judex esse vis, ([d] non potes meritis,) vel pecuniâ: nondum reprehendo. Fortasse enim prodesse cupis rebus humanis, & emis ut prosis; ut servias justitiæ, non parcis pecuniæ. Priùs propter te esto judex in te: priùs judica de te, ut de penetrali conscientiæ securus procedas ad alterum. In te ipsum redi, te adtende, te discute, te audi. Ibi te volo probare integrum judicem, ubi non quæris testem. Procedere vis cum potestate, ut alter tibi dicat de altero quod tu nescis: priùs intus judica. Nihil tibi de te dixit conscientia tua? Si nolis negare, utique dixit. Nolo audire quid dixerit: tu judica qui audisti. Dixit tibi de te quid feceris, quid acceperis, quid peccaveris. Vellem scire qualem sententiam protulisti. Si bene audisti, si rectè audisti, si in audiendo te justus fuisti, si tuæ mentis tribunal adscendisti, si te ipsum ante te ipsum in eculeum cordis suspendisti, si graves tortores adhibuisti timoris; bene audisti, si sic audisti; & procul dubio pænitendo peccatum punisti. Ecce & discussisti, & audisti, & punisti; & tamen tibi pepercisti. Sic [e] audi & proximum tuum, si erudiaris sicut admonuit Psalmus, *Erudimini omnes qui judicatis terram.*

Peccata persequatur, non peccantem. — * Caput VII. — 23. q. 4. ca. Duo. — Tract. 12. in Johan n. 13.

8. Si sic audis proximum tuum, quomodo audis & te; peccata persequéris, non peccantem: * & si fortè quisquam durus est ad corrigenda peccata, aversus à timore Dei; hoc ipsum in eo persequéris, hoc ipsum corrigere conaberis, hoc perdere & tollere laborabis, ut servetur homo peccato damnato. Duo enim nomina sunt, homo & peccator: hominem Deus fecit, peccatorem se ipse homo fecit: pereat quod fecit homo, liberetur quod fecit Deus. Noli ergo usque ad mortem, ne cùm persequeris peccatum, perdas hominem. Noli usque ad mortem, ut sit quem pæniteat: homo non necetur; ut sit qui emendetur. Hanc in corde retinens homo in homines dilectionem, esto judex terræ, & ama [f] terrere, sed dilige. Si superbis, superbi in peccata, non in hominem. In illud sævi quod tibi displicet & in te; non in eum qui factus est sicut tu. De una officina existis, unum artificem habuistis, unus limus est vestra materies. Quid perdis non amando quem judicas? Quoniam justitiam perdis, [g] perdis non amando quem judicas. Adhibeantur pœnæ, non recuso, non interdico; sed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis.

Serm. de Scripturis.

Disciplina & correctio non negligenda. — * Caput VIII.

9. Non enim filium tuum non erudis. Et priùs agis, ut, si fieri potest, pudore & liberalitate erudiatur; erubescat patrem offendere, non tamquam severum judicem timeat; gaudes ad talem filium: * sed si fuerit fortè ista contemnens, adhibes & verbera, incutis pœnam, ingeris dolorem, sed quæris salutem. Multi amore, multi timore correcti sunt: sed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt. *Erudimini qui judicatis terram.* Diligite & judicate. Non enim sic quæritur innocentia, ut pereat disciplina. Scriptum est, Disciplinam qui abjicit, infelix est. (Sap. 3. 11.) Bene potest addi ad istam sententiam, Sicut disciplinam qui abjicit, infelix est: sic disciplinam qui negat, crudelis est. Ausus sum aliquid dicere, Fratres mei, quod vobis aliquantò pleniùs exponere ipsius rei obscuritate compellor. Repeto quod dixi, Disciplinam qui abjicit, infelix est: hoc manifestum est. Disciplinam qui non dat, crudelis est: teneo prorsus, teneo & ostendo feriendo pium, parcendo crudelem; exemplum ante oculos pono. Ubi invenio feriendo pium? Non eo ad alios, ad patrem & filium eo: pater & quando ferit, amat; & non vult puer cædi: contemnit voluntatem, consulit ad utilitatem. Quare? Quia pater est, quia hereditatem parat, quia successorem nutrit. Ecce feriendo pius est pater, feriendo misericors est. Da mihi hominem parcendo crudelem. Non recedo à personis, eos ipsos ante oculos pono. Sed puer [h] impunitus & indisciplinatus si sic vivat, ut pereat, & pater dissimulet; pater parcat, pater perditum filium disciplinæ asperitate offendere timeat; nonne parcendo crudelis est? *Erudimini* ergo *omnes qui judicatis terram*: & bene judicando non à terra præmium, sed ab illo exspectate qui fecit cælum & terram.

Feriens, pius; parcens, crudelis.

* SERMO XIV.

* Aliàs de Tempore 110.

De (14.) versu Psalmi (9.) Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor.

Habitus Carthagine in basilica Novarum, die Dominico.

Caput I. — Psal. 9. 14. — Pauper verus quinam sit.

1. Cantavimus Domino, & diximus, *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor.* Quæramus pauperem, quæramus pupillum. Nec mirum sit quòd admoneo ut quæramus, quos sic abundare cernimus & sentimus. Nonne pauperibus plena omnia? Non-

a Am. Er. & Germanensis MS. omittunt, *quomodo.*
b Sic MS. Editi verò, *promisit.*
c Lov. *per homines.* Particula *per* abest à ceteris libris. Porrò editio Er. habet sic: *quicumque homines vultis habere in potestate.*
d Apud Lov. omittitur *non.* Habetur in aliis libris.
e Sic Am. Er. & MS. At Vlim. & Lov. *Si sic audis & proximum tuum.*
f Sic Vlim. & MS. At Am. Er. & Lov. *& ama non currere, sed diligere.*
g Verbum *perdis* apud Am. Er. & MS. non repetitur.
h Am. Er. Vlim. & MS. *imperitus.*

CLASSIS I. ne pupillis plena sunt omnia? Tamen inter omnia quæro pauperem, quæro pupillum. Ac priùs ostendendum est Caritati Vestræ, id quod putamus, non hoc esse quod quærimus. Qui enim dicuntur pauperes & sunt, in quos à Deo mandatæ eleemosynæ fiunt, de quibus fatemur scriptum,

Eccli. 29. 15. Include eleemosynam in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te Dominum: abundat quidem hoc genus hominum; sed altiùs intelligendus est iste pauper. De illo genere est iste pau-

Matth. 5. 3. per, de quo dictum est, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sunt pauperes non habentes pecuniam, victum quotidianum vix invenientes, alienis [a] opibus, misericordiâ sic indigentes, ut etiam mendicare non erubescant: si de his dictum est, *Tibi derelictus est pauper*; nos quid facimus, qui hoc non sumus? Ergo nos qui Christiani sumus, non sumus Deo derelicti? Et quæ alia nobis spes est, si non sumus illi derelicti, qui nos non derelinquit?

Divitibus cavenda superbia.

2. Discite ergo esse pauperes & Deo relinqui, ô compauperes mei. Dives est, superbus est. Nam & in divitiis istis, quæ vulgò appellantur divitiæ, quibus est contraria vulgaris ista paupertas; in divitiis ergo istis nihil est sic cavendum, quàm superbiæ morbus. Qui enim non habet pecuniam, non habet amplissimas facultates; non habet unde se extollat. Si ergo qui non habet unde se extollat, non laudatur pro eo quòd non se extollit: qui habet, laudetur, si se non extollit. Quid ergo laudo humilem pauperem, qui unde superbiat, non habet?

*CAPUT II. Quis autem ferat & inopem & superbum? * Lauda divitem humilem, lauda divitem pauperem. Tales vult apostolus Paulus, qui scribens ad Ti-

1. Tim. 6. 17. motheum dicit, Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbè sapere. Novi quid dicam: hoc illis præcipe. Habent enim divitias intrinsecùs superbiam persuadentes, habent divitias in quibus laborant esse humiles. Da mihi Zacchæum habentem magnas divitias, principem publicanorum, confessorem peccatorum, staturâ brevem, animo breviorem; adscendentem lignum, ut transeuntem videret qui pro illo pendebat in li-

Lucæ 19. 8. gno. Da mihi dicentem, dimidium rerum mearum do pauperibus. Sed multùm dives es, ô Zacchæe, multùm dives es. Ecce dimidium dabis: dimidium quare reservabis? Quia si cui aliquid abstuli, quadruplum reddo.

Pauperes de Lazari sorte non extollantur.

Lucæ 16. 20. 3. Sed ait mihi quisque mendicus, debilitate fessus, pannis obsitus, fame languidus, respondet mihi, & dicit, Mihi debetur regnum cælorum; ego enim similis sum illi Lazaro, qui jacebat ulcerosus ante divitis domum, cujus canes linguebant ulcera, & quærebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis; ego illi similior sum, inquit. Nostrum genus est, cui debetur regnum cælorum; non illi generi qui induuntur purpurâ & bysso, & epulantur quotidie splendidè. Talis enim erat ille, ante cujus domum jacebat pauper ulcerosus: & videte exitus amborum. Contigit enim mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem dives, & sepultus est. Nam pauper fortè nec sepultus. Et quid postea? Cùm apud inferos dives ille in tormentis esset, levavit ocu-

A los suos, vidit pauperem quem contemserat in Abrahæ gremio quiescentem: desideravit guttam, à quo ille micam: & quoniam dilexit opulentiam, non invenit misericordiam. Voluit subveniri fratribus suis, semper væcors, serò misericors: nihil omnino quod postulavit, accepit.

4. Discernamus ergo, inquit mihi, pauperes & divites: quid me ad alia intelligenda exhortaris? Aperti sunt pauperes, aperti sunt divites. Audi ergo me de hoc quod proposuisti,

B domne pauper. Cùm enim illum sanctum ulcerosum te esse dicis, timeo ne superbiendo non sis quod dicis. Noli contemnere divites misericordes, divites humiles; & ut citiùs dicam, quod paulò antè dixi, divites pauperes noli contemnere. O pauper, esto & tu pauper; pauper, id est, humilis. Si enim dives factus est humilis, quantò magis pauper esse debet humilis? Pauper non habet unde infletur, dives habet cum quo luctetur. Audi ergo me. Esto verus pau-

C per, esto pius, esto humilis. Nam si de ista pannosa & ulcerosa paupertate gloriaris, quia talis fuit ille qui ante domum divitis inops jacebat; adtendis quia pauper fuit, & aliud non adtendis. Quid, inquis, adtendo? Lege Scripturas, & invenies quod dico. Lazarus pauper fuit: in cujus sinum levatus est, dives fuit. Contigit, inquit, mori inopem illum, & auferri ab Angelis. Quò? In sinum Abrahæ, id est, in secretum, ubi erat Abraham. Nolite enim carnaliter intel-

D ligere, quòd velut in sinum tunicæ Abrahæ levatus sit pauper. Sinus erat, quia secretum erat. Unde dicitur, Redde vicinis nostris in sinum eorum. Quid est, in sinum eorum? In secreta eorum. Quid est, Redde in sinum eorum? Torque conscientiam eorum. Lege, aut si legere non potes, audi cùm legitur, & vide Abraham opulentissimum fuisse in terra; auro, argento, familiâ, pecore, possessione: & tamen dives iste pauper fuit, quia humilis fuit. Humilis autem

E fuit: Credidit enim Abraham Deo; & deputatum est illi ad justitiam. Justificatus est gratiâ Dei, non propria præsumtione. Fidelis erat, bene operabatur. Filium jussus est immolare; neque cunctatus est ei offerre quod acceperat, à quo acceperat. Probatus est Deo, constitutus est exemplum fidei. Jam Deo notus erat: sed nobis monstrandus erat. Non est inflatus quasi in bonis operibus suis; quia pauper erat dives iste. Et ut scias quia non est inflatus tamquam in bonis

F operibus suis: (sciebat enim quia quidquid habebat, à Deo habebat; & non in se ipso, sed in Domino gloriabatur:) audi Paulum apostolum: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum.

5. Videtis, quia cùm abundent pauperes, rectè quærimus pauperem: in turba quærimus, & vix invenimus. Occurrit mihi pauper, & quæro pauperem. Interim tu manum porrige pauperi quem invenis. Corde quæris, quem quæris. Tu

G dicis, Pauper sum sicut Lazarus: dives iste meus humilis non dicit, Dives sum sicut Abraham. Ergo tu te extollis, ille se humiliat. Quid inflaris, & non imitaris? Ego, inquit, pauper levor in sinum Abrahæ. Non vides quia pauperem dives excepit? Non vides quia dives susceptor est pauperis? Si enim superbis contra eos

[a] Sic Germanensis MS. At omnes editi, *alienis operibus*. Et ex his duo Vlim & Lov. addunt, *insidiantes*.

CLASSIS I. qui habent pecuniam, & negas eos ad regnum cælorum pertinere; cùm in eis fortasse inveniatur humilitas, quæ in te non invenitur: non times ne tibi, cùm mortuus fueris, dicat Abraham, Recede à me, quia blasphemasti me?

6. Admoneamus ergo divites nostros, quod Apostolus admonuit. (1. Tim. 6. 17.) Non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, admoniti sumus. (Divitiæ plenæ periculorum, & perituræ.) Divitiæ illæ, quas putatis plenas esse deliciarum, pleniores sunt periculorum. Pauper erat, & securior dormiebat: somnus faciliùs accedebat ad duram terram, quàm ad lectum inargentatum. B Adtendite curas divitum, & comparate securitati pauperum. Sed audiat dives iste, ut non superbè sapiat, neque speret in incerto divitiarum. Utatur mundo, tamquam non utens. Sciat se viam ambulare, & in has divitias tamquam in stabulum intrasse. Reficiat, viator est: reficiat se, & transeat; non secum tollit quod in stabulo invenit. Alius viator erit, & ipse habebit, sed non auferet. (*CAPUT V.) * Omnes hìc relicturi C sunt, quod hìc adquisierunt. (Job. 1. 21.) Nudus, inquit, » exii de utero matris meæ: nudus revertar in ter» ram. Dominus dedit, Dominus abstulit. Non [a] abstulit, quia *tibi derelictus est pauper.* Nudus » exii de utero matris meæ, nudus revertar in terram.

7. Audi alium pauperem. (1. Tim. 6. 7. &c.) Nihil intulimus in » hunc mundum; sed nec auferre aliquid possu» mus: (Pauper cum iditatibus divite pejor.) victum & tegumentum habentes, his con» tenti simus. Nam qui volunt divites fieri, inci- D » dunt in tentationem & desideria multa, stulta » & noxia, quæ mergunt homines in interitum & » perditionem. Radix est enim omnium malorum » avaritia: quam quidam appetentes à fide perer» raverunt, & inseruerunt se doloribus multis. Qui sunt isti qui à fide pererraverunt, & inseruerunt se doloribus multis? Qui volunt divites fieri. Modò mihi respondeat ille pannosus. Videamus, si non vult dives fieri: videamus, interrogemus eum, si non vult dives fieri: respondeat, non E mentiatur. Audio linguam, sed interrogo conscientiam. Dicat si non vult dives fieri. Si autem vult; jam incidit in tentationem & desideria multa, stulta & noxia. Non enim opes dico, sed desideria. Unde? Quia vult dives fieri. Quid in» de? Desideria multa & stulta & noxia, quæ mer» gunt homines in interitum & perditionem. Vides ubi sis? Quid mihi ostentas nullas facultates, cùm ego convincam tantas cupiditates? Ecce jam compara duos. Iste dives est, ille pauper F est: sed iste dives, jam est, non vult fieri. Iste dives est, aut de parentibus, aut de donis & hereditatibus. Ponamus, faciamus: dives est etiam de iniquitatibus. Jam non vult addere, imposuit modum, fixit limitem cupiditati, jam corde militat pietati.

8. Dives [b] est, inquis. Respondeo, Dives est. (*CAPUT VI. Rursum pauper cũ divite comparatur.) * Iterum tu accusator respondes & dicis, De iniquitate dives est. Quid si facit amicos de mammona iniquitatis? Dominus noverat quod G dicebat: utique non errabat, quando præcipiebat, (Lucæ 16. 9.) Facite vobis amicos de mammona ini» quitatis, ut & ipsi recipiant vos in tabernacula A æterna. Quid si hoc facit iste dives? Jam finit cupiditatem, exercet pietatem. (SERM. DE SCRIPTURIS.) Tu nihil habes, sed dives vis fieri: incides in tentationem. Sed fortè inde factus es pauperrimus & egentissimus, quia nescio quid habebas paternum, quod te sustentaret, & calumnia aliqua competitoris abstulit. Gemis, audio, tempora accusas: quod gemis, si posses, faceres. An non videmus, an non quotidianis exemplis plena sunt omnia? Heri gemebat, quia perdebat sua; hodie [c] pertinens ad B majorem, rapit aliena.

9. Invenimus verum pauperem, invenimus (Verus pauper.) pium humilem, non de se fidentem, pauperem verum, membrum pauperis qui propter nos pau- (2. Cor. 8. 9.) per factus est, cùm dives esset. Vide divitem nostrum, qui propter nos pauper factus est, cùm dives esset; vide illum divitem: Omnia per (Johan. 1. 3.) ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Plus est aurum facere, quàm habere. Dives es auro, argento, pecore, familiâ, fundis, fructi- C bus, tibi ista creare non potuisti. Vide illum divitem: Omnia per ipsum facta sunt. Vide illum pauperem: Verbum caro factum est, & habita- (Ibidem 14. Christus pauper & dives.) vit in nobis. Quis dignè cogitet divitias ejus? Quomodo faciat qui non fit, quomodo creet non creatus, formet non formatus, mutabilia manens, temporalia sempiternus? Quis dignè cogitet divitias ejus? * Paupertatem cogi- (*CAPUT VII. Paupertas Christi.) temus, ne fortè pauperes vel ipsam capiamus. Concipitur utero feminæ virginali, includitur D visceribus matris. O paupertas! In angusto diversorio nascitur, involutus infantilibus tegumentis in præsepio ponitur, fit cibaria jumentis pauperibus; deinde cæli & terræ Dominus, creator Angelorum, omnium visibilium & invisibilium effector & conditor sugit, vagit, nutritur, crescit, tolerat ætatem, occultat majestatem: postea tenetur, contemnitur, flagellatur, illuditur, conspuitur, colaphizatur, spinis coronatur, ligno suspenditur, lanceâ perforatur. E O paupertas! Ecce caput pauperum quos requiro, cujus pauperis membrum invenimus verum pauperem.

10. Breviter quæramus pupillum: quia in (Pupillus quis.) paupere requirendo fatigati sumus. Domine Jesu, pupillum quæro; fatigatus quæro: citò responde, ut inveniam. Ne vobis, inquit, dicatis (Matth. 23. 9.) patrem in terra. Pupillus in terra, immortalem patrem invenit in cælo. Ne vobis, inquit, dica- « tis patrem in terra. Inventus est pupillus iste. F Oret pupillus iste: audiamus eum, & imitemur eum. Quæ est ejus oratio? Quoniam pater meus (Psal. 26. 10.) & mater mea dereliquerunt me. Pater, inquit, « meus, & mater mea dereliquerunt me: Domi- « nus autem assumsit me. Si ergo beati pauperes « (Matth. 5. 3.) spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; *Tibi derelictus est pauper.* Si pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me; *Pupillo tu eris adjutor.* [d]

---

[a] Videtur legendum, *Non se abstulit.* Sic versùs finem Sermonis 21. *Dominus abstulit: numquid se abstulit? Quod dedit abstulit, qui dedit se obtulit:*

[b] Germanensis MS. *Dives inquis, de iniquitate, dives est:* omissis, verbis, *Respondeo, dives est. Iterum tu &c.*

[c] Editi, *pergens ad majorem.* Castigantur ad MS. Sorbonicum & Germ.

[d] Ulim. & Lov. addunt clausulam, *Conversi &c.* quæ ab aliis libris abest.

Classis I.

* Aliàs de Tempore 254.

* SERMO XV.

De (8.) versu Psalmi (25.) Domine, dilexi decorem domûs tuæ, & locum tabernaculi claritatis tuæ.

Habitus in Regione tertia, in basilica sancti Petri Carthaginensis.

Caput I. Decor domûs Dei.

1. DECOREM domûs Dei, & locum tabernaculi claritatis ejus diligimus, si & nos ipsi sumus. Quis est ergo decor domûs Dei, & locus tabernaculi claritatis ejus, nisi templum ejus de quo Apostolus dicit, (1. Cor. 3. 17.) Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos? Sicut ergo in fabricis manufactis, cùm eleganter & magnificè construuntur, corporalis noster mulcetur adspectus: ita cùm lapides vivi, corda fidelium caritatis vinculo continentur, decor est domûs Dei, & locus tabernaculi claritatis ejus. Discite ergo quod amare debetis, ut amare possitis. Qui enim diligit decorem domûs Dei, non est dubium quia Ecclesiam diligit; non in fabrefactis parietibus & tectis, non in nitore marmorum & laquearibus aureis; sed in hominibus fidelibus, sanctis, Deum diligentibus ex toto corde suo & ex tota anima sua & ex tota mente sua, & proximum suum tamquam seipsum.

Ecclesia viva.

Caput II.

2. Sed in congregatione Christiana, quantum pertinet ad participationem & communionem Sacramentorum, multiplicati sunt super numerum. (Psal. 39. 6.) Alius est ergo numerus: alii super numerum. Numerus est, de quibus dicit Apostolus, (2. Tim. 2. 19.) Novit Dominus qui sunt ejus. Super numerum autem: (Ibidem 20.) Quoniam in magna domo non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & » lignea & fictilia; alia quidem in honorem, alia » in contumeliam. Numerus ergo, vasa in honorem: super numerum, vasa in contumeliam. Cùm ergo sint ista duo genera vasorum, numquid dubitamus ubi sit decor domûs Dei? Si ergo vis diligere, agens quod cantasti, decorem domûs Dei, & locum tabernaculi claritatis ejus, quære vasa in honorem. Et nolo dicas, Quæsivi, & non inveni. Ideo enim quæsisti, & non invenisti, quia quod quæsisti tu non fuisti. Similis simili cohæret, dissimilis dissimilem refugit. Si fueris vas in contumeliam, procul dubio vas in honorem grave tibi erit & ad videndum. Non audis quomodo quidam de quodam dicant, (Sap. 2. 15.) Gravis nobis est etiam ad videndum? Quod tibi grave est ad videndum, quando erit apertum ad inveniendum? Vasa enim ista, interiorum hominum sunt. Non utique cùm visus fuerit justus, jam agnoscitur justus. Eumdem adspectum habet & justus & injustus: uterque homo, sed non uterque domus Dei. Et si ambo Christiani appellantur, utrumque vas, sed non utrumque in honorem; sed aliud in honorem, aliud in contumeliam.

Numerus & super numerum.

Vasa in honorem, vasa in contumeliam.

3. Numquid propter mala vasa deserenda est domus magna? Novit Deus uti, id est Dominus magnæ domûs, & vasis in honorem, & vasis in contumeliam. Sicuti est malorum malè uti etiam bonis, sic è contra Dei bene uti etiam malis. * Quantis bonis utuntur mali? (1. Tim. 4. 4.) Omnis enim creatura Dei bona est. Quomodo eâ malè utuntur mali? Quomodo eos increpat Scriptura, dicens, Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Quod nomen acceperunt isti malè utentes bonis Dei? Sequitur, & dicit, Adulteri. Unde adulteri? Nescitis, quia amicus hujus mundi, inimicus Deo constituitur? Adulteri, inquit. Sunt animæ adulteræ, sunt fornicariæ: discutiamus eas. Fornicariæ animæ sunt, multis diis falsis quodam modo prostitutæ: adulteræ autem, tamquam legitimo jam conjugio copulatæ, & ipsi legitimo conjugio non servantes animæ castitatem. Ut autem hoc dicam expressiùs, Pagani anima fornicaria est, Christiani mali adultera. Pagani anima fornicaria, legitimum virum non habet, per diversa dæmonia prostituta corrumpitur: Christiani autem mali quare adultera est? Quia nec castitatem diligit, nec virum deserit. Non ergo dicas, Quare sunt isti in domo Dei? Respondetur tibi, Vasa sunt in contumeliam. Novit eis uti Deus: non errat qui creavit; quoniam qui potuit creare, novit ordinare: habent in domo magna locum suum. Si autem quæras à me, quomodo eis bene utatur Deus: fateor, Dei consilium, sicut homo, explicare non possum. Novi enim cum Paulo apostolo expavescere, quod etiam ille cùm consideraret, expavit, & expavescens exclamavit, (Rom. 11. 33.) O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm inscrutabilia " sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis " enim cognovit sensum Domini, aut quis con- " siliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & " retribuetur ei. Quoniam ex ipso & per ipsum " & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæ- " culorum. Nobis consideratio, admiratio, tremor, exclamatio: quia nulla penetratio. Ipsi autem quid? Gloria in sæcula sæculorum. Sive " de vasis in honorem, sive de vasis in contumeliam, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Alios coronat, alios damnat, nusquam errat: alios probat, de aliis probat, omnes ordinat.

Malorum est malè uti bonis, Dei contra bene uti malis.

* Caput III.

Caput IV. Ad quid mali in mundo.

4. Quid faciunt, inquit, in hoc mundo homines mali? Responde mihi, in fornace aurificis palea quid facit? Puto non ibi esse sine caussa paleam, ubi aurum purgatur. Videamus quæ ibi sint omnia: fornax est, palea est, aurum est, ignis est, artifex est: sed illa tria, aurum, palea, ignis, in fornace; artifex, ad fornacem. Adtende etiam istum mundum: mundus fornax est; palea, homines mali; aurum, homines boni; ignis, tribulatio; artifex, Deus. Adtende & vide: aurum non purgatur, si palea non uratur. Vide aurum in hoc ipso Psalmo, ubi diligimus decorem domûs Dei, & locum tabernaculi claritatis ejus. Vide ibi aurum, vide vocem auri; purgari cupit: (Psal. 25. 2.) *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum. Proba me*, inquit, *Domine, & tenta me*. Qui timere debuit tentationem, petit tentationem. *Proba me*, inquit, *Domine, & tenta me*. Et vide si non ignem quærit: *Proba me, & tenta me, ure renes meos & cor meum*. Non times ne in igne deficias? Non, inquit. Quare? (Ibidem 3.) *Quia misericordia tua ante oculos meos est*. Ecce, inquit, quare securus dico, *Proba me, Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum*: non quia idoneus sum viribus meis ignem sustinere tentationis, sed *quia misericordia tua ante oculos meos*

est. Qui mihi, inquit, donasti ut aurum probatum essem, in fornace me perire permittis? Prorsus mittis purgandum, ejicis purgatum. Custodiat Dominus introitum tuum & exitum tuum. (*Psal.* 120. 8.) Vide ipsum exitum, vide ingressum in fornacem. Omne gaudium existimate, Fratres » mei, cùm in tentationes varias incideritis. (*Jacobi* 1. 2.) Ecce audisti ingressum, quære exitum. Facile enim est intrare: exire magnum est. Sed noli timere: Fidelis Deus. (1. *Cor.* 10. 13.) Nempe quia ingressus fueras, de exitu cogitabas. Fidelis Deus, qui non vos per« mittit tentari supra id quod potestis, sed faciet » cum tentatione etiam exitum. Quid est exi» tum? Ut possitis sustinere. Intrasti, incidisti; sustinuisti, existi.

CAPUT V. Abundantia malorum, propter purgationem bonorum.

5. Magna materies est purgationis bonorum, abundantia malorum. Nam in multitudine malorum quamvis permixti lateant boni, novit Dominus qui sunt ejus. (2. *Tim.* 2. 19.) Sub manu tanti artificis, auri mica in magna palea perire non potest. Quanta ibi palea, quàm modicum aurum? Sed noli timere; tantus est artifex, ut purgare possit, perdere non possit. Vide aurum beatum Apostolum in ista fornace mundi hujus quemadmodum periculis probatur: ut veniamus ad vasa inhonorata quæ intus sunt, quibus novit bene uti Dominus magnæ domûs. Apostolus ergo cùm periculis probaretur, quid dicebat? Periculis in mari, periculis in de» serto, periculis ex genere, periculis ex gentibus. (2. *Cor.* 11. 26.) Ista omnia foris sunt. Intus adtende. Pe» riculis in falsis fratribus. Alloquor ergo aurum Dei, alloquor vasa facta in honorem, alloquor grana in tritura areæ inter paleam laborantia. Tibi dico, quisquis audis, non me, sed per me: Esto bonus, tolera malum. Nolo dicas, Quis est bonus? Immo & hoc volo dicas: quoniam quantumcumque fueris bonus, non eris sine aliquo malo. Unde rectissimè dicitur, Nemo bonus, nisi unus Deus. (*Lucæ* 18. 19.) Sed bonus ille qui facit bona, Deus est. Si ergo bonus Deus qui facit bona, & solus ille bonus effector bonorum; quomodo est effector bonorum, si nullus hominum est bonus? Secundùm modulum ergo proximum est & homo bonus. Qui si non esset, Dominus ipse non diceret, Homo bonus de bo» no thesauro cordis sui profert bona. (*Lucæ* 6. 45.)

CAPUT VI. Mali foris & intus tolerandi.

6. Esto ergo bonus, & tolera malum. Esto simpliciter bonus, & dupliciter tolera malum. Bonus, nonnisi intus: nam si non intus, nusquam bonus. Esto ergo bonus intus, malum tolera & foris & intus. Foris tolera hæreticum, tolera paganum, tolera Judæum; tolera & intus malum Christianum. Quia inimici hominis domestici ejus. (*Michææ* 7. 6.) Patiens molestos multos intus malos stomacharis, indignaris, quasi jam venerit tempus ventilationis. In tritura positus es, in tritura es adhuc, area trituratur adhuc; adhuc grana & manipuli, cùm gentes credunt, ad aream colliguntur. Putas esse te posse in area triticum solum? Erras. Geme in area, ut gaudeas in horreo. Fiunt multa mala à Christianis malis: illi qui foris sunt, & nolunt esse Christiani, inveniunt occasiones ad excusationes. Hortatori suo ut credat, ista respondet; Vis me esse quod est ille & ille? Et nominat illum & illum: aliquando & verum dicit. Cùm autem verum non potest inveniri, quid magnum est calumniari? Cùm ille non trepidat calumniari, facit alium quod non videt suspicari. Tu cùm audieris hominem ista dicentem, fortè quia nosti fratres tuos malos, dicis apud te ipsum, Verum dicit: Periculis in falsis fratribus. (2. *Cor.* 11. 26.) Sed noli deficere, quod ille quærit, tu esto. Esto bonus Christianus, ut convincas calumniosum Paganum.

CAPUT VII. Constantia in ferendis intus malis.

7. Sed ille calumniatur, & de bonis dicit falsa, plerumque illi creditur. Quid facit aurum? Undique palea est, ignis. [a] Sordes pone, non fidem: esto mundior, ipsa exercitatione esto mundior: valeat tibi ille, qui auferat quo sordidior es, non qui opprimat quod aurum es. Etenim si defeceris, peris in palea: & si peris in palea, aurum non eras, sed aurum te esse fingebas. Novit Dominus qui sunt ejus. (2. *Tim.* 2. 19.) Illi autem qui sunt mali, de quibus erubescis quando es inter malos qui sunt foris, memento quòd non sint in domo magna ubi es, vas in honorem, sed in contumeliam. Instruxit te Apostolus, [b] regat te Deus. Si mali non essent pro quibus oraremus, quando nobis diceretur, Orate pro inimicis vestris? (*Matth.* 5. 44.) An fortè vellemus bonos habere inimicos? Unde fieri potest? Non habebis bonum inimicum, nisi fueris malus: si autem fueris bonus, inimicus tuus non erit, nisi malus. Orate pro « inimicis vestris. Ergo boni orate pro malis. Redi ad cor tuum. O tu qui in ista fornace purgaris, si potuit esse vox tua, *Proba me, Domine, & tenta me; ure renes meos & cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est*: (*Psal.* 25. 2. & 3.) ecce redi ad cor tuum. Sub Deo es, orationem fusurus es; occurrit tibi qui te læsit, occurrit tibi qui te pressit, occurrit tibi qui te spoliavit, occurrit tibi qui te in carcerem misit: eia adtende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus: nocet tibi inimicus tuus malus, ora pro inimico tuo, dicit tibi Dominus tuus bonus. Inter inimicum tuum malum & Dominum bonum, quid tu facturus es? Contra illum oraturus, aut huic obtemperaturus?

CAPUT VIII. Dura jussa.

8. Suscipis ex præcepto Domini tui orare pro maligno illo inimico tuo: quid facturus es? Dominus jussit, dura jussit: sed magna promisit. Quæ dura jussit? Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro « persequentibus vos. (*Matth.* 5. 44.) Dura sunt: sed propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. (*Psal.* 16. 4.) Unde tibi viribus tuis custodire vias duras, nisi *quia misericordia tua ante oculos meos est?* Ecce dura jussit, amara jussit, vide quæ promisit. Ora« te pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris ve« stri, qui in cælis est. « Si tibi diceret: Ora pro inimico tuo, ut sis filius patris tui, ne exheredet te pater carnalis, qui hoc tibi relicturus est, quod hinc non est ablaturus; timeres, & faceres: promittitur tibi pro his duris, ut sis filius Altissimi; cogita Patrem, & agnosce hereditatem. Dic ergo, incipe orare pro inimico tuo illo magno, qui tibi multa mala fecit, qui in te multa dura congessit: incipe pro illo orare, & vide cor tuum tecum litigare. Quòd ergo vis, quòd placet tibi, quòd delectaris secundùm interiorem

a Am. & Er. *Ignis sordes punit, non fidem.* Lov. & Germanensis MS. *ignis, sordes. Pone nunc fidem.*

b Sic Am. Er. & MS. At Lov. *rogat te Deus.* Fortè pro, *rogas tu Deum.*

CLASSIS I.

hominem, quòd obtemperas Domino tuo, & oras pro inimico tuo, aurum est: quòd verò, cùm orare cœperis, incipit tecum carnalis infirmitas litigare, ipsæ sunt sordes, à quibus te Deus vult in fornace purgare.

CAPUT IX. Mali ideo multi, ut exerceantur boni.

9. EXERCERE ergo in mediis malis, ô bone, si quis es bonus: non de tuo [a] bone, quia fuisti malus, sed de illius qui nunquam est malus: exercere in mediis malis. Nec mihi volo dicas, Saltem si necesse esset propter exercitationem nostram ut essent mali, pauci essent mali, & boni multi essent. Non adtendis quia si pauci essent, multis non nocerent? Utique considera vir prudens, quia si multi boni essent, & pauci mali essent, pauci mali multis bonis nocere non auderent. Si non auderent, non exercerent. Nunc verò quia multi sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos: & cùm laboratur, sudatur; & cùm sudatur, aurum purgatur. Esto ergo in decorem domûs Dei. Jam tecum in corde tuo litigavit infirmitas: invoca, ut vincas: adsit tibi Deus, adjuvet qui jubet. Jam factus es victor infirmitatis tuæ, jam suscepisti animum & fructum orandi pro inimico tuo: vide quid boni sit; compara illum tibi. Ille meditatur tentationes, tu fundis orationes: ille si nocet, palàm nocet; tu quod pro illo oras, Deus novit: ille non credit, quia cor tuum non discutit. Cùm ergo ille palàm nocet, tu occultè oras: in isto torculari, (quia & torculari Ecclesia comparata est,) vide si non ille, qui palàm nocet, amurca currens est per publicum. Amurca per publicum currit, oleum autem ad sedem suam occultos transitus habet. Et cùm occultè transeat, in magnitudine apparet. Quàm multi enim, ô Fratres mei, quàm multi in ista conflictatione rerum, in hujus mundi malitia, in ista malorum abundantia subtraxerunt se, & conversi sunt ad Deum, & vale-fecerunt mundo, & cœperunt pauperibus subitò donare res suas, qui paulò antè rapiebant alienas. Sed multi raptores, invasores, spoliatores publicè apparent, amurca illa est per plateas currens: illi autem, unus hinc, unus inde, corde * conjuncto, malus faciens mala permanere erubescens, Dei monita cogitans; spem sæculi irridens, spem cælestem exspectans, mutans amores & mores: oleum sanctitatis est in torculari, vas in honorem est in domo magna, aurum est in fornace, granum est in horreo. Ibi est decor domûs Dei.

Amurca, Oleum.

* f. compuncto.

* Aliàs 1. ex homiliis 50.

* SERMO XVI.

De eo quod scriptum est in Psalmo (33. 13.)
Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?

CAPUT I. 1. VOCANS humanum genus Spiritus Dei, jubendo quid facere, & promittendo quid sperare debeamus, priùs mentem nostram inflammat ad præmium; ut quod præcipitur magis bonum amando, quàm G malum timendo faciamus. *Quis est homo*, inquit, *qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* Sic interrogatur quis iste sit, quasi possit inveniri qui non sit. Quis enim non vult vitam? Quis non A diligit videre dies bonos? Audi ergo quod sequitur, quicumque hoc vis & diligis homo, audi quod sequitur omnis homo: *Cohibe*, inquit, *linguam tuam à malo, & labia tua non loquantur dolum.* * *Declina à malo, & fac bonum; quære pacem, & sequere eam.* Horum omnium cetera superiora sunt in præcepto, ultimum in præmio. Nam ut cohibeamus linguam nostram à malo, & labia nostra non loquantur dolum, declinemus à malo, & faciamus bonum, ut quæ- B ramus pacem præcipitur nobis: ut autem sequamur eam, promittitur nobis. Quæ ista pax est, nisi quam non habet mundus? Quæ ista pax est, nisi quam non habet ista vita, quæ in hujus vitæ comparatione nec vita est? Neque enim de hac vita diceret, *Quis est homo qui vult vitam:* & ad istam vel retinendam vel producendam præceptis consequentibus hortaretur, [b] tamquam & istam quis non vellet. Nam & hæc optatur saltem prolixa, quia non potest esse sem- C piterna: & per hanc potest homo pervenire ad illam, si quemadmodum vult eam longam, sic velit & bonam. Quantum est autem in hac vita longum, quod erit aliquando finitum? Et quod erat longum, erit nullum: quia & quando erat, non stabat; quando producebatur, non augebatur; nec addendo crescebat, quia veniendo [c] recedebat.

2. Quisquis igitur es amator longæ vitæ, esto potiùs bonæ vitæ. Nam si malè vivere vo- D lueris, longa vita non erit verum bonum, sed erit longum malum. Vide autem quàm sis absurdus atque perversus: cùm te [d] vitam fatearis plus amare, quàm villam; villam vis potiùs bonam habere, quàm vitam. Nam ut inhiando & malè concupiscendo adipiscaris villam bonam, fraudando efficis vitam malam. Tamen si tibi diceretur, si à te quæreretur, utrùm malles villâ bonâ carere perdendo, an vitâ malâ moriendo: responderes, te, si utrumque reti- E nere non posses, paratiorem esse ut villa tibi auferretur. Cur igitur non sic amatur vita, ut sit etiam bona, quæ abs te omnibus tuis bonis præfertur etiam mala? Cupis certè ut longa sit, licèt mala sit: immo fac ut bona sit, & noli timere ne brevis sit. Nam si te sollicito bene agitur, te securo citò finietur. Succedet ei namque vita æterna, sine metu beata, sine fine longa. De illa quippe interrogat, qui dicit; *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies* F *bonos?* In hac autem vita jubet nos Apostolus redimere tempus, quoniam dies mali sunt. Et quid est redimere tempus, nisi, cùm opus est, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capessenda spatia temporis comparare? Unde & Dominus præcipit, dicens, Si quis voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium. Ut scilicet amissa re aliqua temporali, impendas ad quietem, quod eras impensurus ad litem.

CAPUT III. Vita in Psalmo quænam proponatur.

3. Quod itaque non de vita & diebus hujus temporis loquatur Spiritus Dei, dicens, *Quis est homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos*, sequentia docent. Talia enim

Psal. 33. 13. — Ephes. 5. 16. — Matth. 5. 40.

[a] Sic MSS. At editi, *de tuo bono.*
[b] Sic aliquot MSS. At editi, *quamquam & istam quis non vellit?*

[c] MSS. *transibat.*
[d] Editi, *cùm te villam fateris plus amare quàm vitam.* Emendantur hic ad MSS.

CLASSIS I. præcepta subjungit, quibus obaudiendo vitam A & dies bonos habere possimus, ut hæc vita quam nunc agimus, & hi dies pro eisdem præceptis implendis plerumque amittendi sint. Proinde si hanc vitam, in qua nunc sumus, intellexerimus in eo quod dictum est, *Quis est homo qui vult vitam*, & propter hanc habendam quæ connectuntur præcepta faciamus; quid acturi sumus, cùm aliquis in malitia potens mortem nobis fuerit comminatus, nisi falsum testimonium dixerimus? Profectò enim si fecerimus B quod hîc jubetur, *Cohibe linguam tuam à malo*, ut propter hoc præceptum testimonii fallaciam recusemus, quasi decepti videbimur: quia propter habendæ vitæ cupiditatem præceptum servare suscepimus, & eam magis præceptum servando perdidimus. Porrò si vitam intellexerimus in æternum beatam, quam post istam Deus dabit obedientibus sibi; de qua Dominus dixit ad quemdam, Si vis venire ad vitam, serva mandata: tunc verò interrogati, *Quis est homo qui* C *vult vitam*? respondemus nos velle vitam, & si etiam sub ipso percussoris ictu veritatem servabimus in testimonio, mortem contemnimus in mundo, vitam consequimur in cælo.

Matth. 19. 17.

4. Hoc de diebus bonis intelligamus. Nam si propter dies præsentis sæculi, qui boni dicuntur, & non sunt, in sepultura cordis per epularum aggeres, in luxuriæ ac vinolentiæ gurgitibus, in turpissimis [a] ingluvium voluptatibus: si ergo propter istos dies, quasi propter dies bo- D nos, susceperimus præceptum, ut labia nostra non loquantur dolum; plerumque tales dies cogunt amatores suos loqui dolum, & tales dies negantur eis qui non loquuntur dolum. Quid enim aliud est, loqui dolum, nisi aliud labiis promere, cùm aliud claudatur in pectore? Ad hoc maximè adulatorum exarsit negotium; quia penè semper, ne prohibeantur ab opimis mensis apparatisque conviviis, blandiendo non tacent falsum; [b] & ab his prohibentur, si amando E Deum dixerint verum. Ergo propter istos dies, quos putant bonos, ut eis exhibeantur, loquuntur dolum; & eis negantur, si non loquuntur dolum. * Alii sunt igitur dies boni, de quibus admonemur, ut si eos videre diligimus, cohibeamus à malo linguam, nec dolum loquamur. Non sunt de isto sæculo dies illi: non eos habet cælum quod transiet, sed quod permanebit: non eos novit terra morientium, sed terra viventium. Hos quisquis intellexerit & dilexerit, linguam F [c] cohibet à malo: & si eum terror mortis cogat ad malum, labia ejus non loquuntur dolum: & si diebus fallaciter bonis invitetur ad dolum, declinat à malo etiam inter [d] bona, facit bonum etiam inter mala; quærit pacem, quæ non est super terram, & sequitur eam in illo qui fecit cælum & terram.

Dies boni in Psalmo, non hujus sæculi, sed æterni promittuntur.

Loqui dolum.

* CAPUT IV.

5. Proinde, Fratres, concupiscite vitam, & diligite videre dies bonos ubi nulla nox erit: vitam in qua dies malus non timeatur, dies bonos, G in quibus numquam vita finiatur. Sed si hanc mercedem diligitis, cavete ne opus, cujus ea merces est, recusetis. Illam enim pacem quærendo sequimini: quærite autem manibus vestris nocte coram Deo, & non decipiemini. Quid est enim manibus vestris, nisi operibus vestris? Quid est nocte, nisi in tribulatione? Quid est coram Deo, nisi conscientiæ puritate? Sic vivendo & hoc amando, habebitis Deum in contemplatione, & in illo vitam sine defectione, dies bonos sine contenebratione, pacem sine dissensione.

Psal. 76. 3.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XVII.

De eo quod dicitur in Psalmo (49. 3.) Deus manifestus veniet, Deus noster, & non silebit. &c.

* Aliàs 28. ex hom. 50.

1. CANTAVIMUS, Fratres, *Deus manifestus veniet, Deus noster, & non silebit.* Deum Christum Scriptura prædixit venturum ad judicium vivorum & mortuorum. Quando enim priùs venit judicari, occultus fuit: quando veniet judicare, manifestus erit. Quàm fuerit tunc occultus, hinc intelligite quod ait Apostolus, Si enim cognovissent, « numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Tunc autem siluit interrogatus, sicut & Evangelium loquitur, & impletur in eo Isaiæ prophetia dicentis, Sicut ovis ad immolandum ductus est, « & sicut agnus coram tondente se fuit sine vo- « ce, sic non aperuit os suum. *Veniet* ergo *manifestus, & non silebit.* Ad hoc dictum est, *Non silebit*, quia siluit judicatus. Nam quantum adtinet ad voces ipsius nobis necessarias, quando siluit? Non siluit per Patriarchas, non siluit per os carnis suæ: & modò si sileret, Scriptura non loqueretur. Lector adscendit, & ipse non silet. Tractator loquitur, si vera loquitur, Christus loquitur. Si sileret Christus, ego vobis ista non dicerem. Nec per os vestrum siluit: nam quando cantabatis, ipse loquebatur. Non silet, opus est ut nos audiamus, sed aure cordis: nam facile est audire auribus carnis. Illis auribus audire debemus, quas quærebat magister ipse, cùm diceret, Qui habet aures audiendi, audiat. Quis enim ante illum, quando ista dicebat, sine auribus carnis stabat? Omnes aures habebant, & pauci habebant: non omnes habebant aures audiendi, hoc est, obediendi.

CAPUT I. Judicium extremum.

I. Cor. 2. 8.

Isai. 53. 7.

Matth. 13. 9.

2. Quam terribiliter locutus est per prophetam Ezechielem; credo adhibuistis aurem, credo audistis quemadmodum dixerit, Ad domum « Israël mittam te, non ad populum altioris lin- « guæ te mittam. Populus autem ille nolent audire te, quia nolunt audire me. Quid ostendit, « nisi quia ipse Deus per Prophetam loquebatur? Quia verò in ipsis verbis Propheticis nos maximè territi sumus, id est, Præpositi quos posuit loqui ad populum suum, priùs in illis verbis videmus faciem nostram. Demonstratum est enim nobis, sonante lectore, quasi speculum ubi nos inspiceremus; & inspeximus nos: inspicite vos. Ecce ego facio, quod ibi audivi. Si non discreveris, inquit, justum, si non dixeris « peccatori, Morte morieris, & ostenderis illi « ut recedat ab iniquitatibus suis; ipse quidem « in peccatis suis morietur, sanguinem autem ejus « de manu tua exquiram. Si autem dixeris, & ille «

CAPUT II. Præpositis munus impositum. Ezech. 3. 5. &c.

Ezech. 33. 8.

a Editi, *ingluviarum*: pro quo MSS. *ingluvium*.
b Sic MSS. Editi verò, *ne ab his prohibeantur*.
c Plures MSS. *cohibeat*, & infrà imperandi modo, *loquantur*, *declinet*, *faciat*, *quærat*, *sequatur*.
d MSS. *declinet à malo: etiam inter mala faciat bonum; etiam inter mala quærat pacem.*

CLASSIS I. "contemserit, & non obedierit; ille in sceleribus "suis morietur, tu autem animam tuam liberabis. Dico vobis, libero animam meam. In magno enim sum, non periculo, sed exitio constitutus, si tacuero. Sed cùm ego dixero, & implevero officium meum, vos jam adtendite periculum vestrum. Quid autem volo? quid desidero? quid cupio? quare loquor? quare hîc sedeo? quare vivo? nisi hac intentione, ut cum Christo simul vivamus? Cupiditas mea ista est, honor meus iste est, gloria mea ista est, gaudium meum hoc est, possessio mea ista est. Sed si non me audieritis, & tamen ego non tacuero, animam meam liberabo. Sed NOLO SALVUS ESSE sine vobis.

Votum pii pastoris.

CAPUT III. Peccata consuetudine vilescunt, nec sentiuntur.

3. Nolite ergo contemnere, Fratres mei, peccata, in quibus fortè consuetudinem jam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum sit: obduruit, jam dolorem perdidit. Quod valde putre est, nec dolet: quod non dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est. Adtendite quæ dicat Scriptura, & ibi videte quemadmodum vivere debeatis. Quis non contemnat ebriositatis peccatum? Abundat tale peccatum, & contemnitur. Jam cor ebriosum perdidit sensum, non habet dolorem, quia nec salutem. Quando aliquid pungitur & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis: quando autem tangitur, pungitur, vellicatur, nec dolet; pro mortuo habendum est, ac de corpore præcidendum. Sed aliquando nos parcimus, & non novimus nisi loqui: excommunicare, de Ecclesia projicere pigri sumus. Aliquando enim timemus, ne ipso flagello pejor fiat qui cæditur. Et quamvis qui tales sunt, jam in anima mortui sint: tamen quia Medicus noster omnipotens est, non est desperandum de his; sed totis viribus supplicandum, ut aures cordis, quas clausas habere probantur, Dominus aperire dignetur. Sed numquid ille parcet, numquid silebit quem timere debemus? Audistis in ipso Psalmo, Fratres mei, cùm enumeraret peccata peccatoris, ait, *Hæc fecisti, & tacui.* Contra hoc dictum est, *Veniet, & non silebit.* Præsentiâ suâ non silebit. Excepto enim quod Dominus Christus significatur, quia siluit in judicio, ut impleretur in illo etiam ea prophetia, quam paulò antè commemoravi; hoc excepto, modò Deus ipse per se ipsum Dominus Christus tacet. Adscendit enim in cælum, & sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos & mortuos: quamdiu ibi est, donec veniat tacet. Voces ejus in libris audimus, de ore ipsius non audimus. Audistis vocem ipsius de sanctis Scripturis isto loco: auditis cùm vos ipsas commemoratis, & fortè de his rebus inter vos sermocinamini.

Ebriositas. Excommunicatio. Psal. 49. 21.

CAPUT IV. Peccantes videt & odit Deus, etsi nunc tacet.

4. QUI VULT audiri à Deo, Carissimi, priùs audiat Deum. Numquid audis illum, quando facis adulterium; & latére te putas, quia homo te non videt? Ille te videt, sed tacet. Quando furtum facis, captas oculos ejus cui furaris, & si eum latet, facis: si propterea non facis, quia times [a] ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti; fur teneris, & nihil tulisti: sed & tu, si opportunitas detur ad implendum malum factum tuum, furaris, & lætaris quia tacet. Audi ergo Psalmum: te admonuit, te quicumque es, qui fortè hîc hodie stas, & nocte aliquid fecisti, te admonuit, tibi dixit, *Hæc fecisti, & tacui. Suspicatus es iniquitatem, quòd ero tibi similis?* O homines, qui hæc verba, quæ dicturus sum, nec in ore habetis, nec in corde, felices estis. Nonne quotidie homines mala facientes, aut quos bene fecisse pænitet, & pænitentiâ perversâ fundunt quod mulserunt; nonne quotidie dicunt, & ista murmura inter se rodunt: Verè si Deo displicerent ista, permitteret illa fieri, aut illi qui ea faciunt felices essent in terra? Videmus raptores, videmus infirmorum oppressores, videmus vicinorum expulsores, videmus violentos limitum invasores, videmus calumniatores; & tamen potentes, divites, felices in hac terra. Si verè Deus ista videret, si ista curaret, parceret eis? Addunt & hoc, quod pejus est, Non placent nisi [b] mali. Contingat autem ut faciat bene aliquis, & sequatur fortè aliqua tentatio, continuò ad manum habet, Non expedit bene facere: [c] qui fecerit bene, nihil illi prodest. Parum est tibi quod malè vis facere, & bene facientibus maledicis? *Hæc fecisti,* inquit, *& tacui. Suspicatus es iniquitatem, quòd ero tibi similis.* Quid est, *quòd ero tibi similis?* Quia sic mihi placet malum, quomodo tibi: hoc es suspicatus. Hoc dixisti in corde tuo: sed ego audivi, quando dixisti in corde tuo. Quod pejus est, in hæc verba progrediuntur, ut nec audiri timeant.

5. Ergo *Suspicatus es iniquè, quòd ero tibi similis. Arguam te:* quomodo non putas, & quando non putas, *arguam te.* Sileo cùm facis: sed non sileo cùm judico. *Arguam te.* Quid tibi faciam, quando arguam te? *Statuam te ante faciem tuam.* Modò enim quando malè facis, putas quia bonus es, quia non vis te videre. Alios reprehendis, te non respicis; alios accusas, de te non cogitas; alios ponis ante oculos tuos, te ponis post dorsum tuum. Ego quando te arguo, contrà facio: tollo te à dorso tuo, & pono te ante oculos tuos. Videbis te, & planges te; & non erit jam tunc quomodo corrigas te. Contemnis ergo tempus misericordiæ, veniet tempus judicii: quia tu in ecclesia mihi cantasti, "Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine. Ex ore nostro exit, & ubique ecclesiæ concrepant Christo, "Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine. Tempus est misericordiæ, ut corrigamur: nondum venit tempus judicii. Locus est, spatium est: peccavimus, corrigamur. Nondum finita est via, nondum clausus est dies, nondum exspiratum est; non desperetur, quod est pejus: quoniam propter ipsa peccata humana & tolerabilia, & tantò crebriora, quantò minora, constituit Deus in Ecclesia tempore misericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: ut his verbis lota facie ad altare accedamus, & his verbis lota facie corpore Christi & sanguine communicemus.

CAPUT V. Dei judicium peccatis.

Psal. 100. 1.

Pænitentiæ tempus.

Matth. 6. 12.

6. Sed quod est gravius, ipsam medicinam sic homines contemnunt, ut non solùm non

CAPUT VI. Medicinam post peccatum non respuendam.

[a] MSS. non habent, *ne videaris.*
[b] Sic MSS. At editi, *nisi mala.*

[c] MSS *Non expedit facere bene, malo qui fecerit bene.* Nec habent, *nihil illi prodest,* quod etiam abest ab Am. & Er.

dent

CLASSIS I.

dent veniam quando in illos peccatur, sed nec A velint petere quando ipsi peccant. Intravit tentatio, subrepsit ira; tantum dominata est iracundia, quantum potuit, ut non solùm tumultuaretur cor, sed & convicia & crimina vomeret lingua. Non vides quò te impulit? Non vides quò te præcipitavit? Tandem corrige, dic, Malè feci, peccavi. Non enim morieris, si dixeris: crede, non mihi, sed Deo. Quid sum ego? Homo sum, par vester sum, carnem porto, infirmus sum: omnes credamus Deo. Adtendite vobis. B Ipse Dominus Christus ait, adtendite vobis: Si peccaverit frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum duos aut tres. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam. Si nec ipsam audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus. Ethnicus Gentilis est: Gentilis ille est, qui in Christum non credit. Si nec Ecclesiam audierit, mortuum C computa. Sed ecce vivit, ecce intrat, ecce signat, ecce genu figit, ecce orat, ecce ad altare accedit. Sed sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus. Noli in illo adtendere falsa signa: [a] vivens mortuus est. Unde vivit? quomodo vivit? Si dicam alicui in conspectu vestro, Tu hoc fecisti: respondebit postea, Quantum [b] erat? Intus me moneret, intus mihi diceret, quia malè feci, intus viderem peccatum meum: quare in populo arguit? Quid si feci, & non correxisti? D Quid si feci, & adhuc perseveras? Quid si feci, & adhuc tibi bene fecisse videris in corde tuo? Quia tacet ille, justus es? Quia ille modò non vindicat, nihil malè fecisti? Non times, *Arguam te?* Non times, *Constituam te ante faciem tuam?* non times?

Matth. 18. 15. &c.

CAPUT VII. Vitæ brevitas.

7. Sed longè est, inquis, judicium. Primò quis tibi dixit, quia longè est dies judicii? Numquid si longè est dies judicii, longè est dies tuus? Unde scis quando est? Nonne multi sani E dormierunt & obduruerunt? Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen servatum diu durat: & invenis calices ab avis & proavis, in quibus bibunt nepotes & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos. Nos autem homines, & sub tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus; & si casus ipsi repentini non acciderent, diu tamen vivere non valeremus. Vita F humana tota brevis est, ab infantia usque ad decrepitam senectutem tota brevis est. Adam si adhuc viveret, & hodie moreretur, quid illi vitæ longitudo profuisset? Huc accedit, quia ipse dies, qui quasi naturaliter servit, morbo [c] inlecto incertus est. Quotidie moriuntur homines: & qui vivunt deducunt illos, exsequias celebrant, & vitam sibi promittunt. Nemo dicit, Corrigam me, ne cras hoc sim quod iste quem deduxi. Placent vobis verba, ego quæro facta. G Nolite me contristare pravis moribus vestris: quia delectatio mea non est in hac vita, nisi vestra bona vita.

Homo vitro fragilior.

a MSS. *Noli in illo adtendere falsa signa viventis: mortuus est. Unde vivitur? Quomodo vivitur?*

b Editi, *Quantum errat?* At MSS. *Quantum erat?* Ex his Victorinus additâ particulâ prosequitur, *ut intus me moneret.*

c Lov. *in lecto.* At MSS. una voce *inlecto*: pro qua Er. *illecto.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XVIII.

* Aliàs de Tempore 220. [d]

De eodem versu Psalmi (49.) Deus [d] *manifestus veniet &c.*

CAPUT I. Christi adventus alter occultus, alter manifestus.

1. AD exhortandas mentes Caritatis Vestræ, pauca de præsenti Psalmo, quæ donat Dominus, gratanter accipite. De Domino nostro Jesu Christo prophetatum est in isto Psalmo, ubi audivimus & cantavimus, *Deus manifestus veniet, Deus noster, & non silebit.* Ipse enim Dominus Christus, Deus noster, Filius Dei, primo adventu venit occultus, secundo adventu veniet manifestus. Quando venit occultus, non innotuit nisi servis suis: quando veniet manifestus, innotescet bonis & malis. Quando venit occultus, venit judicandus: quando veniet manifestus, veniet judicaturus. Denique tunc [e] cùm judicaretur, siluit, & de silentio ejus Propheta prædixerat, Sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum. Sed *Deus* noster *manifestus veniet, Deus noster, & non silebit.* Non quomodo siluit, quando judicandus erat, ita silebit, quando judicaturus erit. Et nunc non silet, si sit qui audiat: sed dictum est, Tunc *non silebit*, quando vocem ejus agnoscent & qui modò contemnunt. Modò enim quando dicuntur præcepta Dei, quibusdam in risum veniunt: & quoniam quod promisit Deus modò non ostenditur, & quod minatur modò non videtur, quod præcipit irridetur. Modò enim felicitatem quæ dicitur mundi hujus, habent & mali: infelicitatem quæ dicitur mundi hujus, habent & boni. Adtendunt homines qui credunt præsentia & non credunt futura, quoniam ista bona & mala præsentis sæculi promiscuè habent boni & mali. Si divitias optant, vident habere divitias & pessimos homines & bonos homines: vident etiam, si exhorrent paupertatem & miserias hujus sæculi, laborare in his miseriis non solùm bonos, sed etiam malos: & dicunt in corde suo, quia res humanas Deus nec respicit, nec regit, sed omnino in intimo quodam mundi hujus fundo dimisit nos casibus volvi, nec aliquam providentiam exhibet nobis. Ac per hoc fit in illis contemtus præcepti, quia non vident manifestationem judicii.

Psal. 49. 3.

Isai. 53. 7.

Præcepta Dei quibusdam in risum veniunt.

Hominum carnalium perversum judicium.

CAPUT II. Cur Deus nunc judicat quædam, non omnia.

2. Verumtamen etiam modò debet quisque adtendere, quia quando vult Deus, respicit & judicat; & ad horam non differt: quando autem vult, differt. Et unde hoc? Quia si numquam in præsenti judicaret, non esse Deus crederetur: si omnia in præsenti judicaret, nihil judicio reservaret. Ad hoc enim multa servantur judicio, & quædam in præsentia judicantur, ut illi qui differuntur, timeant & convertantur. NON ENIM AMAT DEUS damnare, sed [f] salvare: & ideo patiens est in malos, ut de malis faciat bonos. Sed dicit Apostolus, quia revelabitur ira Dei super omnem impietatem, & reddet Deus unicuique secundùm opera sua. Admonet autem & corripit hominem contem-

Rom. 1. 18.

Rom. 2. 6.

d Hujus sermonis fragmentum exstat in collectione Flori ad Rom. 1.

e MSS. Victorinus & Phimarconensis, *Denique tunc ut judicaretur.*

f Sic Am. & MSS. At Er. Vlim. & Lov. *sed allevare.*

G

Classis 1.

Rom. 2. 4.

nentem : & dicit, An divitias bonitatis & longa- A nimitatis ejus contemnis? Quia bonus est in te, quia longanimis est in te, quia patiens est in te, quia differt te & non aufert te, contemnis, & omnino nullum judicium Dei putas : ignorans quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua.

Thesaurus operum, seu bonorum, seu malorum. Florus ad Rom. 1.

3. Quidquid ergo homo facit modò, in thesaurum mittit, sed nescit quid colligat : quo- B modo divites, qui in thesaurum terræ mittunt, quasi sciunt quid colligunt, sed nesciunt cui colligunt. Quis enim possideat divitias eorum post mortem ipsorum, prorsus ignorant : & aliquando divitiæ eorum ad inimicos eorum perveniunt. Et ideo se quisque fraudat [a] nolens manducare, ut ditescat, ut alius de laboribus ejus fluat & luxurietur & dissolvatur. * Quomodo ergo colligunt quidem scientes, sed cui colligant, nesciunt : sic contrà in thesaurum cælestem bo- C ni quid colligant sciunt, mali quid colligant nesciunt. Bonus enim ponit in thesauro cælesti omnia opera misericordiæ, quæ fecit circa homines quibus subvenit; & scit quoniam fidelis est custos, qui illi servat omnia quæ reponit. Et non ea videt, sed de thesauro suo certus est, quia neque aliquid à fure subripitur, neque ab hoste invaditur, neque ab inimico & improbo & potente quasi è victo tollitur; sed semper manebit, quia à Domino potentissimo custoditur. Si enim D pecunias homines fideli servo commendant, & securi sunt; misericordias suas commendant potenti Domino, & solliciti sunt? Noverunt ergo, quia quidquid reponunt, totum ibi salvum est : qui fideles sunt, potentiæ Domini sui fidem jungunt. Credunt enim quia servat, & inveniunt quod servat. Nam & homines qui pecuniam colligunt, numquid vident arcam ipsam, aut in arcam pecuniam semper colligunt & mittunt, aut infodiunt & servant? Non vident : & E tamen quasi conscientia eorum scit, quia ibi est in loco illo ubi posuerunt. Et fortè jam fur tulit, & vanus gaudet qui inaniter reservavit. In thesauro autem cælesti si quid posuerimus, & de Domini custodia securi sumus, & omnino furem nullum patimur, nec damnum aliquod sustinemus. Mali verò & ipsi mittunt in thesaurum omnia mala opera sua, & servat illis Deus. Hoc est quod dixit Apostolus, Thesaurizas tibi iram in die iræ justi judicii Dei.

*Caput III.

Suus quèque manet thesaurus.

4. Sed quoniam servatur quidquid mali fa- F ciunt, & nesciunt : ubi venerit Deus noster manifestus, & non silebit, convocabit ad se omnes gentes, sicut dicit in Evangelio, & separabit quosdam ponens ad dexteram, quosdam ad sinistram : & incipiet jam tractare thesauros utrorumque, quid quisque posuit ut inveniat. * Venite, inquit, benedicti Patris mei, ad eos qui sunt ad dexteram, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi. Regnum cæ- G lorum, regnum sempiternum, societatem cum Angelis, æternam vitam, ubi nullus oritur, neque moritur, hoc percipite. Quando enim opera vestra in thesaurum mittebatis, regnum cælorum emebatis. Percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi. Etiam ostendit illis thesauros suos : Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & potastis me; nudus fui, & vestistis me; hospes fui, & adduxistis me; in carcere fui, & venistis ad me; æger fui, & visitastis me. Et respondent illi, Domine, quando te vidimus in his necessitatibus constitutum, & ministravimus tibi? Et ille, Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quia ergo quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, percipite quod misistis, possidete quod emistis. Mihi enim Servatori ideo credidistis. Deinde convertet se ad illos qui sunt à sinistris, & ostendet illis thesauros suos inanes operis boni : Ite, inquit, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Aut si aliquid invenistis in thesauro isto, aut aliquid misistis, cogitate, & reddetur vobis. Sed numquam te, inquiunt ipsi, vidimus esurientem. Et ille, Quando uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. Fortè enim ideo mihi non faciebatis, quia me in terra ambulare non videbatis? Tam mali estis, ut si videretis, sicut Judæi crucifigeretis. Hodie enim mali homines, qui conantur, si fieri posset, non esse ecclesias ubi illis prædicentur præcepta Dei, nonne & ipsum Christum occiderent, si in terra viventem invenirent? Sed audebunt dicere, quasi illi qui nesciat cogitationes hominum : Domine, quando te vidimus esurientem? Et ille, Quando uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. Minimos meos egentes posueram vobis in terra : ego tamquam caput, dicet, in cælo sedebam ad dexteram Patris, sed membra mea in terra laborabant; membra mea in terra egebant; membris meis daretis, & ad caput perveniret quod daretis. Et sciretis quia minimos meos egentes quando vobis in terra posui, laturarios vobis institui, qui opera vestra in thesaurum meum portarent : nihil in eorum manibus posuistis, propterea apud me nihil invenistis.

*Caput IV. Matth. 25. 32. Matth. 25. 34. &c.

Paupe[r] diviti[s] Lazar[us]

5. Tunc ergo non silebit, sed apparebit : ideò dictum est, *Non silebit*. Modò autem dicit illud Lector de codice, & contemnitur : dicit illud de ore suo tractator aut disputator Episcopus, & irridetur. Numquid sic irrideri habet, quando ab ipso judice potentissimo dicetur? Unusquisque recipiet quod fecit, bonum sive malum. Tunc dicturi sunt homines serâ & infructuosâ pænitentiâ : O si possemus iterum vivere, & quod contemsimus audire & facere. Tunc dicent illi, quos ex adverso constituunt iniquitates eorum, sicut dicitur in libro Sapientiæ : Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia sicut umbra. Videtis quia pænitebit eos : sed ista pænitentia cruciabilis, non sanabilis. Vis habere utilem pænitentiam? Modò habe. Si enim modò habueris, corrigéris : cùm correctus fueris, fundetur ille thesaurus tuus, ubi colligebantur mala opera tua, & implebitur alius thesaurus tuus, ubi bona opera tua colligantur. Sed fortè conversus ad Deum, statim morieris, opera tua nulla fortè invenientur in illo thesauro? Planè ibi invenies opera tua, quia scriptum est, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Deus non

Caput V. 2. Cor. 5. Pænitentia infructuosa. Sap. 5. 8. Lucæ 2. 14.

[a] Victorinus MS. *volens*. Paulò pòst idem codex, *boni qui colligunt sciunt* : pro, *quid colligant*.

Classis I. annotat facultatem, sed coronat voluntatem. A Scit quia voluisti, & non potuisti; sic te annotat, quasi feceris quod voluisti. Ergo opus est ut convertaris, ne differendo subitò moriaris, & omnino nihil inveniatur quod in præsenti habeas, & in futuro possideas. Conversi ad Dominum, &c.

*Aliàs 4. ex Sirmondianis.

* SERMO XIX.

De eo quod scriptum est in Psalmo (50. 5.) B Quoniam iniquitatem meam ego agnosco. *Et in Psalmo (72. 1.)* Quàm bonus Deus Israël rectis corde.

Habitus in basilica [a] *Restituta, in die* [b] *Munerum.*

Rogandus Deus, ut faciem non à nobis avertat, sed à peccatis nostris.

I. CANTANTES Dominum rogavimus, ut avertat faciem suam à peccatis nostris, & omnia facinora nostra deleat. Sed animadvertere potestis, Fratres, quòd in eodem Psalmo audierimus, *Quoniam iniquita-* C *tem meam ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper.* (Psal. 50. 5.) Dicitur autem Deo alibi, Ne avertas faciem tuam à me (Psal. 26. 9.): cui diximus, *Averte faciem tuam à peccatis meis.* (Psal. 50. 11.) Cùm sit ergo persona una homo & peccator, homo dicit, Ne avertas faciem tuam à me: peccator dicit, *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Hoc ergo dicitur, Ne avertas faciem tuam ab eo quem fecisti, averte faciem tuam ab eo quod feci. Oculus tuus, inquit, utrumque distinguat, ne propter vitium D natura dispereat. Fecisti tu aliquid, feci & ego aliquid: quod tu fecisti, natura dicitur; quod ego feci, vitium vocatur: vitium sanetur, ut natura servetur.

Pœnitentis est peccata propria & agnoscere & punire.

2. *Facinus*, inquit, *meum ego agnosco.* Si ego agnosco, ergo tu ignosce. Bene vivamus, & bene viventes sine peccato nos esse minimè præsumamus: sic vita laudetur, ut venia postuletur. Desperati autem homines, quantò minùs intenti sunt in peccata sua, tantò curiosiores sunt in E aliena. Quærunt enim non quid corrigant, sed quid mordeant: & cùm se non possint excusare, parati sunt alios accusare. Non sic iste nobis orandi & satis Deo faciendi demonstravit exemplum, dicens, *Quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper.* Non erat iste intentus in aliena peccata: advocabat se ad se; nec se palpabat, sed penetrabat, & in se ipsum altiùs descendebat. Sibi non parcebat: & ideo ut sibi parceretur non impudenter rogabat. F PECCATUM enim, Fratres, impunitum esse non potest: si peccatum impunitum remaneat, injustum est: ergo sine dubitatione puniendum. Hoc tibi dicit Deus tuus: Puniendum est peccatum aut à te, aut à me. Punitur ergo peccatum, aut ab homine pœnitente, aut à Deo judicante. Punitur ergo aut à te sine te, aut à Deo (Infrà Ser. 20. n. 2. & Serm. 28. c. 5.) tecum. Quid est enim pœnitentia, nisi sua in se ipsum iracundia? Qui pœnitet, irascitur sibi. Nam si non fictè fiat, unde est & pectoris tunsio? Quid feris, si non irasceris? Quando ergo tundis pectus, irasceris cordi tuo, ut satisfacias Domino tuo. Potest enim etiam sic intelligi quod scriptum est, Irascimini, & nolite peccare. (Psal. 4. 5.) Irascere quia peccasti, & puniens te ipsum noli peccare. Exsuscita cor pœnitendo, & hoc erit sacrificium Deo.

Serm. de Scripturis.

Sacrificio contriti cordis placandus Deus.

3. Placari Deo vis? Nosce quid agas tecum, ut Deus placetur tibi. In eodem Psalmo adverte: ibi enim legitur, *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* (Psal. 50. 18.) Ergo sine sacrificio eris? nihil oblaturus, de nulla oblatione Deum placaturus? Quid dixisti? *Si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* Sequere, & audi, & dic, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* (ỷ. 19.) Abjectis quæ offerebas, invenisti quod offeras. Offerebas enim apud Patres victimas pecorum, & sacrificia vocabantur. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique.* Illa ergo non quæris, & tamen sacrificium quæris. Populus tuus dicit tibi, Quid offeram, qui quod offerebam non offero? Ipse enim populus, aliis decedentibus, aliisque nascentibus, idem est populus. Sacramenta sunt mutata, non fides. Signa mutata sunt quibus aliquid significabatur, non res quæ significabatur. Pro Christo aries, pro Christo agnus, pro Christo vitulus, pro Christo hircus, totum Christus. Aries, quia ducit gregem: ipse est inventus in vepribus, quando pater Abraham filio jussus est parcere, nec tamen sine oblato sacrificio inde discedere. (Gen. 22. 12. &c.) Et Isaac Christus erat, & aries Christus erat. Isaac sibi ligna portabat: Christus crucem propriam bajulabat. Pro Isaac aries, non tamen pro Christo Christus. Sed in Isaac & aries & Christus. Tenebatur cornibus in vepre aries: interroga Judæos, unde tunc Dominum coronaverint. Agnus est: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. (Johan. 1. 29.) Taurus est: adtende cornua crucis. Hircus est, propter similitudinem carnis peccati. Velata sunt ista, donec adspiraret dies, & removerentur umbræ. (Cant. 2. 17.) In eumdem ergo Dominum Christum, non solùm quòd Verbum, sed etiam quòd mediator est Dei & hominum homo Christus Jesus (1. Tim. 2. 5.), & Patres antiqui crediderunt, & ad nos eamdem fidem prædicando & prophetando transmiserunt.

Fides Antiquorum in Christum.

Unde dicit Apostolus, Habentes eumdem spiritum fidei, (2. Cor. 4. 13.) propter quod scriptum est, Credidi, propter « quod locutus sum. Eumdem habentes, quem habuerunt & illi qui scripserunt, Credidi, pro- « pter quod locutus sum. Habentes ergo eumdem, « inquit, spiritum fidei, propter quod scriptum est « ab Antiquis, Credidi, propter quod locutus sum, «

[a] Eadem est quæ basilica major Carthagine, in qua corpora sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis sepulta scribit Victor in lib. 1. de persecutione Vandalica. Hæc ipsa in Concilio Carthaginensi II. duplici nomine appellatur basilica Perpetua Restituta: in ceteris deinceps Conciliis, quæ ibidem celebrata leguntur, Restituta simpliciter, ut in hoc loco. Sic dictam aliquis credidit à Restituta Martyre Neapolitana apud Carthaginem passa. Vindingus verò not. in Serm. aliàs de Diversis 102. à Restituto episcopo Carthaginensi, in cujus depositione Sermonem ab Augustino habitum testatur Possidius. Baronius denique ad an. 397. hoc nomen sortitam putat, quòd possessa diu à Donatistis, fuerit restituta Catholicis. Sic enim in Uzalensi urbe, ecclesia *quæ primitus*, uti narrat Evodius de miraculis S. Stephani lib. 1. c. 7. *à Donatistarum divisione usurpata, postea unitati catholicæ est restituta, inde etiam vocabulum sumsit, & ecclesia Restituta appellari meruit.*

[b] Gladiatoria spectacula Munerum nomine intelligit Sirmondus, cujus nota in hunc titulum sic habet: [Vetus exemplar in fine Sermonis, *Explicit Sermo die Munerum spectaculorum.* De gladiatorum itaque spectaculo accipiendum, quod propriè Munus appellabatur: unde gladiatorum Munus Cod. Theod. *De gladiatoribus* L. 2. Et in Kalendario Romano Constantinianorum temporum, mense Decembri, quando committi gladiatores solebant, crebra Muneris est mentio ex A. D. IV. Nonas, quo die initium Muneris adnotatur, usque in A. D. IX. Kalendas Januarias, quo cruenta, ἢ σκυθρωπὰ hæc spectacula desinebant, ut Julianus quoque Cæsar docet extrema oratione sua in Solem.] Præterea videsis Sueton. in Cæs. cap. 39. & Augustin. in lib. 1. contra Academ. n. 2. & in Psal. 39. n. 8. 9. 10. & in Psal. 147. n. 7.

Classis I. „ & nos credimus, propter quod & loquimur. Quando ergo David sanctus ita dicebat, *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis*, tunc illa sacrificia offerebantur Deo, quæ modò non offeruntur. Ergo quando cantabat, prophetabat, & præsentia spernebat, & futura prævidebat. *Holocaustis*, inquit, *non delectaberis.* Quando ergo holocaustis non delectaberis, sine sacrificio remanebis? Absit. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non spernis.* Habes quod offeras. Non gregem circumspicias, non navigia præpares, & permees ad extremas provincias, unde aromata deferas: quære in corde tuo quod gratum sit Deo. Cor conterendum est. Quid times ne contritum pereat? Ibi habes, *Cor mundum crea in me, Deus.* Ut ergo creetur mundum cor, conteratur immundum.

Homini displicere debet quod Deo displicet, & contrà.

4. Displiceamus nobis quando peccamus; quia peccata displicent Deo. Et quia sine peccato non sumus, vel in hoc Deo similes simus, quia hoc nobis displicet, quod illi. Ex aliqua parte conjungeris voluntati Dei, quia hoc tibi displicet in te, quod odit & ille qui fecit te. Artifex tuus ipse est: sed vide te ipsum, & dele in te ipso quod non est ex ipsius officina. Deus enim, sicut scriptum est, creavit hominem rectum. *Quàm bonus Deus Israël rectis corde?* Si ergo sis rectus corde, non tibi displicebit Deus, bonus tibi erit Deus, laudabis Deum. Omnino, & in eo quod præstat, & in eo quod castigat, laudabis Deum. Ille enim qui dixit, *Quàm bonus Deus Israël rectis corde*, seipsum inspexerat, qui aliquando non erat rectus corde, & displicebat ei Deus: postea verò resipuit, & vidit non esse Deum perversum, sed se fuisse non rectum: & recordatus tempora pravitatis suæ, & præsens correctionis suæ, ait, *Quàm bonus Deus Israël!* sed quibus? *rectis corde.* Quid enim tu?

Eccle. 7. 30. Psal. 72. 1.

℣. 2. *Mei autem*, inquit, *penè commoti sunt pedes, paulò minùs effusi sunt gressus mei:* id est, penè
℣. 3. lapsus sum. Unde hoc? *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens.* Unde ergo commoti fuerint pedes hujus & penè lapsi sint gressus, quoniam non tacuit, cavendum monuit. Exspectabat à Deo, secundùm vetus Testamentum, ignorans ibi esse signa futurorum; exspectabat ergo à Deo præsentis vitæ felicitatem, & in hac terra quærebat quod suis Deus in cælo servabat. Felix volebat esse hîc, cùm felicitas non sit hîc. Res enim bona & magna est felicitas; sed habet regionem suam. De regione felicitatis Christus venit, & hîc eam nec ipse invenit. Irrisus est, exprobratus est, apprehensus est, flagellatus est, vinctus est, palmis cæsus est, affectus contumeliâ sputorum, spinis coronatus est, ligno suspensus: ad extremum, Domini exitus mortis. In Psalmo scriptum est, (Hi acclamaverunt qui cognoverunt,) Et Domini exitus mortis. Quid hîc ergo, serve, felicitatem requiris, ubi & Domini exitus mortis? Cùm ergo in regione non sua felicitatem requireret ille, de quo loqui cœperam, & propter illam in hac vita adipiscendam * cobiheret Deo, eique serviret, & ejus præcepta ut poterat faceret; vidit hoc magnum, vel pro magno, quod quærebat à Deo, & propter quod Deo serviebat, esse apud eos qui Deo non serviebant, sed dæmonia colebant, & verum Deum blasphemabant. Vidit, & commotus est, quasi perdidisset fructum laboris sui. Hoc est quod zelavit in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Denique habes ibi, *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* * *Numquid sine caussa justificavi cor meum, aut lavi inter innocentes manus meas,* * *& fui flagellatus tota die?* Colo Deum, blasphemant Deum: illis felicitas, mihi calamitas; ubi æquitas? Inde moti pedes, inde pene effusi gressus, inde propinquus interitus. Nam ad quod periculum venerit, videte: ibi ait, *Et dixi, Quomodo scit Deus, & si est scientia in Altissimo?* Videte ad quod periculum venerit quærendo à Deo pro magno præmio terrenam felicitatem. Discite ergo, Carissimi, eam si habetis, contemnere, nec dicere in cordibus vestris, Ego quia colo Deum, ideo bene est mihi. Videbis enim, quo modo tibi putas bene, & illis qui non colunt Deum esse bene; & movebuntur gressus tui. Aut enim habes illam, colens Deum, & videbis quòd habeat talia non colens Deum; & ideo putabis frustra te colere Deum, quia & ille habet felicitatem qui non colit Deum: aut non illam habes, & multò ampliùs Deum accusabis, qui dat eam blasphematoribus suis, & negat cultoribus suis. Discite ergo terrena contemnere, si vultis Deo fideli corde servire. Habes illam? noli putare inde te esse bonum; sed fac te inde bonum. Non habes? noli putare inde te esse malum; sed cave malum, quò non venit bonus.

Psal. 67. 21.

Felicitas hîc non quærenda.

Auditorum acclamatio.

*f. cohæreret vel obediret.

Scandalum de felicitate malorũ.

5. Etenim iste resipiscens, & reprehendens se ipsum, quòd malè cœperat de Deo sentire, anhelans peccator, & pacem intuens peccatorum; reprehendens ergo se ipsum, ait, *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Jam resipiscens; jam correcto corde, agnovit quantùm valeat cultus Dei: quem Dei cultum vilissimo pretio addixerat, quando pro illo terrenam felicitatem quærebat. Agnovit quid debeatur sursum cultoribus Dei, ubi jubemur habere cor & respondemus ibi nos habere: quod & utinam non mentiamur, saltem ipsâ horâ, saltem ipso momento, saltem ipso temporis puncto, quando respondemus. Respiciens ergo ille, & cor corrigens, reprehendit se quæsisse aliquando in terra felicitatem terrenam, quasi mercedem cultûs Dei. Sed reprehendens se ait, *Quid enim mihi est in cælo?* Quid est ibi mihi? Vita æterna, incorruptio, regnum cum Christo, societas Angelorum; ubi nulla perturbatio, nulla ignorantia, nullum periculum, nulla tentatio; vera, certa, fixa securitas. Ecce quid mihi est in cælo. *Et à te quid volui super terram?* A te quid volui super terram? quid volui? divitias fluxas, caducas, volaticas. Quid volui? aurum, pallorem terræ; argentum, livorem terræ; honorem, temporis fumum. Ecce quid à te volui super terram. Et quia vidi hoc in peccatoribus, commoti sunt pedes mei, & paulò minùs effusi sunt gressus mei. O quàm bonus est rectis corde! Quid ergo quæris, Propheta fidelis? Aurum, & argentum, & divitias terrenas? Ergo tanti valet fides matronæ fidelis, quod habet & meretrix? Tanti ergo valet fides viri fidelis, quod habet & mimus, Auriga, Venator, latro? Absit, Fratres mei, absit ut tanti valeat

CLASSIS I.

fides vestra. Avertat Deus hoc à cordibus vestris. Nam quanti valet, vultis nosse? pro ea Christus mortuus est. Quid ergo terrenam mercedem quæris, auro & nummis addictus? Injuriam facis fidei, pro qua mortuus est Christus. Et quid est, inquit, quanti valet? Illum adtende; qui ait, *Quid enim mihi est in cælo?* Non enim expressit quid erit illud. Sic ait, *Et à te quid volui super terram?* Illud laudando, hoc abjiciendo; utrumque tamen dixit, Quid est illud? quod oculus non vidit. Quid est hoc? quod fidelis oculus non sitit. Quid est illud? quod invenit Lazarus ulcerosus. Quid est hoc? quod habuit dives inflatus. Quid est illud? quod perire non potest. Quid est hoc? quod teneri non potest. Quid est illud? ubi non erit labor. Quid est hoc? quod non deserit timor. *Quid enim mihi est in cælo?* Quid? Ipse qui fecit cælum; pretium fidei tuæ Deus tuus est; ipsum habebis, se ipsum præparat præmium cultoribus suis. Considerate, Carissimi, universam creaturam, cælum, terram, C mare, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari; quàm pulcra, quàm mira, quàm dignè ordinatéque disposita. Movent vos ista? movent planè. Quare? quia pulcra sunt. Quid est qui fecit? Puto rehebescer etis, si videretis pulcritudinem Angelorum. Quid est ergo creator Angelorum? Ipse est præmium fidei vestræ. Avari, quid vobis sufficit, si Deus ipse non vobis sufficit?

Ad bene vivendum quotidianis periculis commovemur.

6. Bene ergo vivamus, & ut hoc possimus, D eum qui hoc præcepit, invocemus. Neque bonæ vitæ nostræ terrenam mercedem à Domino requiramus. Ad illa quæ promittuntur, intentionem nostram extendamus. Cor nostrum ibi ponamus, ubi putrescere non potest sæcularibus curis. Transeunt ista, quæ occupant homines; volant ista; vapor est vita humana super terram. Accedunt etiam ipsius fragilis vitæ tanta & tam quotidiana pericula. Terræ motus[a] magni de Orientalibus nuntiantur; nonnullæ magnæ re- E pentinis* collapsæ sunt civitates. Territi apud Jerosolymam qui inerant Judæi, pagani, catechumeni, omnes sunt baptizati. Dicuntur fortasse baptizati septem millia hominum. Signum Christi in vestibus Judæorum baptizatorum apparuit. Relatu fratrum fidelium constantissimo ista nuntiantur. [b] Sitifensis etiam civitas gravissimo terræ motu concussa est, ut omnes fortè quinque diebus in agris manerent, & ibi baptizata dicuntur ferè duo millia hominum. Undi- F que Deus terret, quia non vult invenire* quo damnet. Nonnihil agitur in isto torculari. Mundus est torcular; abundant pressuræ ejus: oleum estote, non amurca. Convertatur quisque ad Deum, & mutet vitam. Occultum habet iter oleum; ad secreta sua tendit. Alius subsannat, irridet, blasphemat, clamat per plateas, amurca defluit. Dominus tamen torcularis per opera-

* f. add. ruinis.

* f. quos.

A rios suos, per sanctos Angelos suos non quiescit operari. Novit oleum suum, novit quid recipiat, quo pondere pressuræ eliquetur. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Oleum estote, amurcam fugite; recedant ab iniquitate omnes qui nominant nomen Domini. Odia autem nolite concipere, aut citò finite. Non enim illa metuenda sunt. Times terræ motum? times cæli fremitum? times bella? Time & febrem: subitò, cùm illa magna metuuntur, ipsa non ve- B niunt, & de transverso una febricula aufert hominem. Et si talem invenit ille judex, qualem non novit, qualibus dicturus est, Nescio vos, recedite à me; quid fiet postea? quò itur? per quem ambitur? unde vita reparanda redimitur? Quis iterum vivere, & quod malè fecit emendare permittitur? Finitum est. [c] Pauci quidem convenistis: sed si bene audistis, abundatis. Non vos fallat, qui fallit: quia non vos decipit, qui non fallit.

SERM. DE SCRIPTURIS.

2. Tim. 2. 19.

Matth. 25. 12. Luca 13. 27.

* SERMO XX.

* Aliàs 3. ex Sirmondianis.

De versu (12.) *Psalmi* (50.) Cor mundum crea in me Deus. *Et de versu* (5.) *Psalmi* (40.) Ego dixi, Domine miserere mei, *&c.*

Peccator non potest resurgere per se à peccato absque gratia.

1. VOCE consona, corde concordi, pro ipso corde nostro Dominum deprecantes diximus, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceri-* D *bus meis.* Hinc pauca quæ Dominus dederit, in ejus gratiam manifestabimus vobis. Psalmus est pænitentis, amissam spem recuperare cupientis, lapsu suo jacentis, & Deum magnis deprecationibus urgentis, tamquam qui fuerit idoneus ad se vulnerandum, & non sit ad sanandum. Sicut enim ipsam carnem nostram percutere & vulnerare cùm volumus, possumus; ut autem sanetur, medicum quærimus; nec ita nostra potestate salvamur, ut nostra potestate E sauciamur: ita ad peccandum anima sibi ipsa sufficit; ad sanandum quod peccatum læserit, Dei medicinalem dexteram implorat. Unde dicit in alio Psalmo, *Ego dixi, Domine miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ad hoc ait, *Ego dixi*, ut constitueret ante oculos voluntatem arbitriumque peccandi ex anima oriri, sibique sufficere ut perdat se; Dei autem esse quærere, & salvum facere quod se vulneraverat. Venit enim Filius hominis quærere, F & salvum facere quod perierat. Hinc precem fundentes dicimus, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Dicat anima quæ peccavit, ne plus pereat desperando, quàm se perdidit delinquendo.

Psal. 50. 12.

Psal. 40. 5.

Luca 19. 10.

Confessio peccati necessaria, ut venia impetretur.

2. Ante omnia quippe danda est opera, ne peccemus, ne quamdam familiaritatem & amicitiam cum peccato, tamquam cum serpente faciamus. Morsu quippe venenato perimit pec-

[a] De his Marcellinus Comes in Chronico, Monaxio & Plinta Coss. anno Christi CDXIX. *Multæ Palæstinæ civitates villæque terræ motu collapsæ. Multæ tunc utriusque sexûs vicinarum gentium nationes, tam visu quàm auditu perterritæ, atque credulæ, sacro Christi fronte ablutæ sunt: omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi salvatoris divinitatis nutu extemplo impressa refulsit.* Idatius quoque noster in Chronico: *Durante Episcopo quo suprà,* id est Johanne, *gravissimo terræ motu sancta in Jerusalem loca quassantur,* &c. Et in Fastis Monaxio & Plinta. *His Consulibus S. Johannes epistolam dirigit per Ecclesias orbis terrarum, quæ habetur, de signis terroribusque divinitus perpetratis.* SIRMOND.

[b] Sitifis, quæ provinciæ in Africa nomen dedit, id est Mauritaniæ Sitifensi. De hoc ejus civitatis terræ motu an meminerint alii, non habeo compertum. Episcopum sanè Sitifitum fuisse constat Novatum, qui & hoc ipso anno interfuit, subscripsitque Concilio Carthaginensi post Consulatum Honorii XII. & paucis antè annis Collationi quoque Donatistarum adfuerat. SIRMOND.

[c] Ideo pauci ad Ecclesiam, quia plurimi ad spectaculum confluxerant. Sic Enarrat. in Psal. 147. n. 7. *Propterea hodie non venerunt, quia Munus est,* &c. Vide Chrysostomum in exordio Sermonis de Consubstantiali, & Asterium episcopum de festo Kalendarum.

CLASSIS I. cantem, nec tale aliquid est, cum quo facienda sit amicitia: sed si fortè aut infirmum oppresserit, aut incauto subrepserit, aut errantem ceperit, aut in errores eundo deceperit, non pigeat animam confiteri, nec quærat excusationem, sed sui accusationem. Nam & inde oravit quodam in Psalmo, & ait, Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium continentiæ circùm labia mea: & non declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis. Peccatum quisque suadet tibi? ante omnia recusetur. Sed persuasum est? non excusetur, sed potiùs accusetur. Nam & iste qui dicebat, *Cor mundum crea in me Deus*, sic incœpit, *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* Magnam misericordiam magnus peccator implorat: magnam medicinam magnum vulnus desiderat. Ibi dicitur, *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus.* Avertit ergo Deus faciem suam à peccatis confitentis, & se ipsum accusantis, Deique auxilium & misericordiam deprecantis. Avertit enim faciem suam à peccatis ejus, non avertendo ab ipso. Cui enim dicitur, *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele:* eidem alibi dicitur, Ne avertas faciem tuam à me. Avertit, quando non advertit: nam si advertit, evertit. Ideo & judices in convictos reos sententiam proferentes animadvertere dicuntur. Hoc ne faciat Deus, id est, ne animadvertat, dicimus, *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Ne agnoscat, ignoscat. Quomodo autem nobilem dicimus nobilem, non autem nobilem dicimus ignobilem: sic noscentem noscentem, non autem noscentem ignoscentem. Tamen si vis ut ille ignoscat, tu agnosce. IMPUNITUM non potest esse peccatum: impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne puniaris pro illo. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum. In tribunal mentis tuæ adscende contra te, & reum constitue te ante te. Noli ponere te post te, ne Deus ponat te ante se. Ideo dicit in eodem Psalmo, unde facillimam impetret veniam, *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper.* Tamquam dicens, Quoniam ante me est, ne sit ante te; & quia ego agnosco, tu ignosce. Ergo peccatum aut à te punitur, aut à Deo: sed à te sine te, à Deo tecum. Te ergo habeat punitorem, ut tu Deum habeas defensorem. Dic, Ego feci, *Ego dixi, Domine miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Ego, inquit, dixi. Ego non quæro ad excusationem peccati, quis de me peccaverit, aut quis me peccare compulerit. Non dico, Fortuna fecit. Non dico, Fatum hoc voluit. Postremò non dico, Diabolus fecit. Nam & ipse diabolus suadendi habet potestatem, postremò terrendi; graves etiam, si permissus fuerit, molestias inferendi: à Domino deprecanda virtus est, ne illecebrosa capiant, aut ne dura confringant. Donet nobis contra illecebras & minas inimici, duas virtutes, continere & sustinere; continere libidines, ne prospera capiant; sustinere terrores, ne adversa confringant. Et cùm scirem, inquit, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Hinc ergo dicebat, *Cor mundum crea in me Deus:* &, Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Neminem ergo quæras accusare, ne accusatorem invenias, à quo te non possis defendere. Nam & ipse inimicus noster diabolus quando accusatur, gaudet: & vult omnino ut accuses illum; vult ipse ut à te ferat qualem volueris criminationem, cùm tu perdas confessionem. Contra hujus astutiam exclamat ille, *Ego dixi, Domine.* Sine caussa mihi insidiatur inimicus; novi astutias ejus: captat linguam meam, vult ut dicam, Diabolus fecit. *Ego dixi, Domine.* His ergo versutiis seducit animas, & à medicina confessionis avertit; aut persuadens eis ut se excusent, & quærant quos accusent; aut persuadens eis, quia jam peccaverunt, ut nunc desperent, & omnino se ad veniam posse * pertinere non arbitrentur; aut persuadens eis, quia citò Deus totum ignoscit, ut sese homo non corrigat.

Psal. 140. 3. & 4.

Psal. 50. 3.

℣. 11.

Psal. 26. 9.

Puniendũ peccatum, aut ab ipso peccatore, aut à Deo.

Psal. 50. 5.

Suprà Serm. 19. n. 2. & infrà Serm. 28. c. 5.

Psal. 40. 5.

Excusatio peccati iniqua est & à diabolo suggeritur.

3. Videte quanta sint, adversùs quæ vigilare debeat cor pænitentis. Ne se excusando alterum accuset, veniat ei in mentem, *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Ne desperando pereat, ut quoniam peccavit, & graviter peccavit, putet se jam non posse sanari; & donet se libidinibus, trahendum omnibus cupiditatibus. [a] Facit quidquid libet, quamvis non liceat. Et si non facit, ibi non facit, ubi homines timet. Omninò animo quodam [b] gladiatorio, quoniam vitam desperat, quidquid potest facere ad satiandam cupiditatem & libidinem suam facit, tamquam devotus ad victimam. Tales desperatione pereunt. Contra istos pro his, id est contra tales cogitationes eorum, vigilans Scriptura dixit, In quacumque die conversus fuerit iniquus, & fecerit justitiam, omnes iniquitates ejus obliviscar. Rursus [c] recreata anima, si his verbis crediderit, à desperationis malo, inveniet aliam foveam, ut quæ desperatione perire non potuit, spe pereat. Et quis est qui spe pereat? Ecce qualem propono, qui dixerit in animo suo, Jam Deus veniam promisit omnibus avertentibus se à peccatis, in quacumque hora conversi fuerint, omnes iniquitates eorum oblivisceretur: ergo faciam quidquid volo; quando voluero convertam me, delebiturque quod fecero. Quid dicemus? quia non quando se converterit, curat Deus pænitentem? dimittit Deus omnia peccata præterita? Si negamus, indulgentiæ divinæ contradicimus: verbis denique propheticis obviamus, divinis eloquiis repugnamus. Non est hoc fidelis dispensatoris.

4. Recurrit, & dicit mihi quisquam, Dabis ergo laxamentum peccatis, ut faciant homines quidquid volunt, promissâ veniâ, promissâ impunitate cùm se converterint? [d] Laxant habenas ad peccandum: feruntur magno impetu, nullo revocante, spe desperati. Itane verò, vigilaret Scriptura adversùs desperantes, & non vigilaret adversùs malè sperantes? Audi ejus

Psal. 40. 5.

Ezech. 33. 12. & 15.

[a] Victorinus MS. *facere:* hoc loco tantùm.
[b] Editi, *gladiatoritio.* At Victorinus MS. *gladiatorio.* Sic in Psal. 70. n. 1. *jam habens quasi gladiatorium animum, ut ideo faciat quidquid vult, quia necessariò damnandus est.*

[c] Victorinus codex, *Rursus creata est anima in his verbis, liberata à desperationis malo, invenit aliam foveam.*
[d] Vict. codex, *Laxas habenas ad peccatum.*

CLASSIS I.

vigilias adversùs malam & perversam spem: Ne tardes converti ad Dominum; neque differas de die in diem: subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Quid est ergo, maligne sperator? Si desperes, peris; si speres, peris. Ubi tibi tutus locus erit, ut ab utraque fovea te eripias, & constituas te in via recta; serviens Deo, miserans animam tuam, placens Deo? Malè desperabas, audisti, In quacumque die conversus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus oblivíscar. Malè sperare cœperas, audisti, Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Undique te circumdedit providentia Dei misericorditer. Quid dicis? Promisit mihi Deus indulgentiam; quando me convertero dabit eam. Planè dabit, quando te converteris: sed quare te non convertis? Quoniam quando me convertero, dabit. Prorsus quando te converteris, dabit: sed ipsum quando quando est? Quare non hodie est? quare non cùm tu me audis? quare non cùm clamas? quare non cùm laudas? Clamor meus sit adjutor pro te: clamor tuus sit testis contra te. Quare non hodie? quare non modò? Cras, inquit, indulgentiam mihi Deus promisit. Cras tu tibi promittis? Aut si fortè, si mihi legis de libro sancto, sicut indulgentiam tibi promissam esse converso, sic tibi promissum crastinum diem; differ & crastinum. Nonne hoc primò posuit in terrore medicinali, nonne cùm te increparet hoc dixit, Ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira ejus? Sed videlicet homo sapiens times ne plus habeas biduo bonæ vitæ. Si erit crastinus dies, sit & hodiernus; & biduum sit. Si enim non erit crastinus dies, hodiernus securum te inveniet: si autem erit crastinus, addetur hodierno. Tu autem cupis habere longam vitam; & non times habere malam vitam. Diu vis vivere, & malè vivere. Longum malum quæris, quare non potiùs longum bonum? Quid autem non bonum habere vis? Sola vita erit, quæ in te mala incurrit. Qualem vestem quæras, si interrogem te, bonam respondes; qualem villam, bonam; qualem conjugem, bonam; quales filios, bonos; qualem domum, bonam; solam vitam malam. Et omnibus bonis tuis præponis vitam, & inter omnia bona tua solam vis vitam malam. Nam omnia illa, quæ bona requirebas, vestem, domum, villam, & cetera, paratus es dare pro vita tua. Si tibi quisquam dixerit, Aut da mihi omnia bona tua, aut aufero vitam tuam: paratus es omnia bona tua dare, & illam etiam malam tenere. Quare non vis ut tibi sit bona, pro qua etiam malâ das omnia bona? Ecce ablata est excusatio, adsit accusatio, ne [a] inveniat damnatio.

Eccli 5. 8. 9.

Omnia sua vult homo esse bona, præter vitam.

Post Sermonem.

5. Exhortamur Caritatem Vestram, ut impigrè & vigilanter verba Dei ministrantibus [b] presbyteris vos audire non pigeat. Dominus enim Deus noster est ipsa veritas, quam auditis per quemlibet loquatur; & nemo est major in vobis, nisi qui minor fuerit. Præloquendum ergo nobis fuit ex more, & vos facite ex amore.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XXI.

* Aliàs 5. ex Sirmondianis.

De eo quod scriptum est in Psalmo (63. 11.) Jocundabitur justus in Domino.

1. JOCUNDABITUR *justus in Domino, & sperabit in eo, & gloriabuntur omnes recti corde.* Hoc certè voce & ore cantamus. Hæc verba Domino dixit & conscientia & lingua Christiana, *Iocundabitur justus in Domino*, non in sæculo. Lux orta est justo; dicit alibi, & rectis corde jocunditas. Quærens unde jocunditas, hìc audis, *Iocundabitur justus in Domino.* Lux orta est justo, dicit alibi. Et alibi, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quid nobis indicitur? quid donatur? quid jubetur? quid datur? Ut jocundemur in Domino. Quis jocundabitur in ea re, quam non videt? An fortè videmus Dominum? Hoc in promissione detinemus: nunc autem per fidem ambulamus, quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem, non per speciem. Tunc ad speciem veniemus, quando implebitur quod item Johannes dicit, Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quando eum videbimus sicuti est. Tunc ergo magna & perfecta jocunditas, & tunc plenum gaudium, ubi jam non spes lactat, sed res nutrit. Tamen etiam nunc, antè quàm res ipsa veniat nobis, antè quàm nos ad rem ipsam veniamus, jocundemur in Domino. Neque enim parvam jocunditatem habet spes, cujus postea erit res. Et in istis temporalibus rebus, [c] in jocunditate, non Domini, sed sæculi, nonnulli multa amant, & ad ea quæ amant, nondum pervenerunt: & tamen ardor in spe currit, rem nondum tenet. Verbi gratiâ, amas pecuniam, non amares, si non sperares: amas uxorem, non ductam, sed adhuc ducendam; & fortè ducenda amatur, ducta odio habebitur. Quare hoc? Quia talis non apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda. Deus autem non vilescit præsens, amatur absens. Quantumcumque enim sibi humana mens exaggeraverit bonum quod Deus est, minùs agit, & valde infrà est; & necesse est plus inveniat adeptio, quam formabat cogitatio. Plus ergo amabimus cùm viderimus, si potuerimus amare & antè quàm videremus.

Psal. 63. 11. Jocunditas piorum in Deo etiam in hac vita.

Psal. 96. 11.

Psal. 36. 4.

1. Johan. 3. 2.

Florus ad 2. Cor. 5.

a Vict. codex, *ne veniat damnatio.*

b Verbum Dei soli olim in Ecclesia prædicabant episcopi, quorum id propriè munus erat: pòst etiam presbyteris, sed non uno apud omnes tempore, permissum. Primi Orientales cœperunt, quod & Pierii presbyteri apud Alexandrinos, & Chrysostomi adhuc item presbyteri apud Antiochenos, aliorumque apud alios exempla declarant. In Africa inusitatum fuit ante Augustinum, cui primùm omnium apud Hipponem ea potestas facta est à Valerio episcopo. Possidius in ejus Vita cap. 5. *Eidem presbytero potestatem dedit coram se in ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Africanarum ecclesiarum.* Valerii exemplum postea secuti sunt alii, & Aurelius episcopus Carthagine, cui hoc nomine gratulatus est Augustinus epistolâ 77. (nunc 41.) quòd usurpare cœpisset, ut presbyteri præsente ipso sermonem populo funderent. Itaque tamquam usu jam in Africa recepto, presbyteros in hoc genere cum episcopis conjungit in Sermone 49. de verbis Domini. *Numquid non adscendit aliquando aut presbyter, aut episcopus, & non dicit aliud de superiore loco, nisi ne rapiantur res alienæ?* Apud Gallos seriùs usurpatum videtur. Nam Synodus Vasensis II. quæ centum annis posterior fuit Augustino, verbum faciendi presbyteris dat potestatem: antea ergo non habuisse conjectura est: quam Cyprianus quoque diaconus in Cæsarii Arelatensis episcopi Vita confirmat. SIRMONDUS *in hunc locum.*

c In Flori collectione, *Et in istis temporalibus rebus jocunditatem, non Domini, sed sæculi, nonnullam multi amant.* In Victorino MS. *nonnulla multi.*

Classis I.

Modò ergo in spe amamus. Ideo *jocundabitur*, inquit, *justus in Domino*. Et continuò, quia nondum videt, *& sperabit in eo*.

Deo nunc propinquamus, humilitate & caritate.

2. Habemus tamen primitias Spiritûs, & aliunde fortasse, ei quem diligimus, propinquamus; & quod avidè manducaturi & bibituri sumus, nunc, etsi tenuiter, prælambimus atque gustamus. Unde hoc probamus? Neque enim Deus, quem jubemur diligere, in quo jubemur jocundari, aurum est, aut argentum est, aut terra est, aut cælum est, aut lux ista solis est, aut quidquid de cælo fulget, aut quidquid de terra resplendet luce perfusum. Nullum corpus est

Johan. 4. 22.

Deus, spiritus est. Ideo, inquit, qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare. Non in loco aliquo corporis, quia non est corpus: non tamquam in monte excelso, ut per altitudinem

Psal. 137. 6.

montis putes te propinquare Deo. Excelsus quidem est Dominus, sed humilia respicit; excelsa autem à longè cognoscit; humilia non longè. Certè excelsus est, & utique, si excelsa à longè cognoscit, humilia longinquiùs debet advertere. Si ab excelsis celsitudine sua longinquus est, ut ea à longè cognoscat, quantò magis, ait aliquis, ab humilibus ejus longè celsitudo secessit? Non ita est. Excelsus est enim Deus, & hu-

Psal. 33. 19.

milia respicit. Quomodo ea respicit? Propè est Dominus omnibus his qui obtriverunt cor. Noli ergo quærere montem altum, unde tibi vicinior esse videaris. Si extollis te, longè secedit à te:

Luca 18. 13.

si humilias te, inclinat se ad te. Publicanus de longè stabat, & ideo Deus illi faciliùs propinquabat: nec oculos levare audebat ad cælum, & jam secum habebat qui fecerat cælum. Unde ergo jocundamur in Domino, si à nobis tam longè est Dominus? Ut non sit longè, & ut longè sit, tu facis. Ama, & propinquabit: ama,

Philip. 4. 5. & 6.

& habitabit. Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis. Vis videre quàm si amaveris te-

1 *Johan.* 4. 8.

cum sit? Deus caritas est. Quid longè latéque volitant phantasmata cogitationis tuæ, & dicis tibi, Putas quid est Deus? putas qualis est Deus? Quidquid finxeris, non est: quidquid cogitatione comprehenderis, non est. Si enim ipse esset, cogitatione comprehendi non posset. Sed ut aliquid gustu accipias, Deus caritas est. Dicturus es mihi, Putas quid est caritas? Caritas est qua diligimus: quid diligimus? ineffabile bonum, [a] bonum beneficum, bonum bonorum omnium creatorem. Ipse te delectet, à quo habes quidquid te delectat. Non peccatum dico: nam peccatum solum ab illo non habes. Excepto peccato, ab illo habes quidquid aliud habes.

Peccatum ipsum non amatur, sed ipse inordinatus amor creaturæ est peccatum.

3. Non ergo, quòd dixi, ipse te delectet, à quo habes quidquid te delectat, peccatum intelligas, & dicas, Ecce delectat me peccatum, numquid à Deo habeo peccatum? Vide primò ne fortè non te delectet peccatum, sed aliud te delectet, ubi facias peccatum. Amando ergo creaturam inordinatè, contra usum honestum, contra licitum, contra ipsius Creatoris legem & voluntatem amando creaturam peccas. Non ipsum peccatum amas: sed malè amando quod amas, illaquearis peccato. Escam in reti appetis, & nesciens peccato vesceris: idemque sic defendis. Si peccatum est multum bibere, quare vinum instituit Dominus? Si peccatum est aurum amare, amator sum auri, non Creatoris: Creator auri Deus est; quare creavit quod amare malum est? Sic cetera quæ amas malè, in quibus est omnis luxuria, ubi committuntur multa flagitia: adtende, inspice, considera, quia omnis creatura Dei bona est, & illic peccatum non est, nisi quia malè uteris. Hoc ergo audi, ô homo. Dicis, Quare Deus instituit quod me amare prohibet? Non ipse institueret, & non esset quod ego amarem; non institueret creaturam, quam me jubet non amare; & non esset quod amarem, & amando damnarer. Si vocem habere posset ipsa creatura, quàm malè amas, quia nec te amas, responderet tibi: Nolles ut faceret me Deus, ne esset quod amares; nunc ergò vide quàm iniquus sis, & in ipsis verbis tuis iniquissimus deprehendaris: velles ut Deus faceret te, qui est super te, & nolles faceret aliud bonum. Quod tibi fecit Deus, bonum est: sed alia sunt magna bona, alia parva bona; alia terrestria bona, alia spiritualia bona, alia temporalia bona: omnia tamen bona, quia bonus fecit bona. Ideo quodam in loco Scripturarum divinarum dicitur, Ordinate in me caritatem. Bonum aliquid te fecit Deus, sub se fecit aliquid inferius & sub te: sub alio es, super aliud es: noli relicto superiore bono, curvare te ad inferius bonum. Rectus esto, ut lauderis: quia *laudabuntur omnes recti corde*. Unde enim peccas, nisi quia inordinatè tractas res, quas in usum accepisti? Esto bene utens rebus inferioribus, & eris rectè fruens bono superiore.

4. Nunc audi, & discute ipsas agnitiones tuas: & interroga te qui tractas, & res quas tractas. Ecce si in negotio tuo argentum præponas auro, si plumbum argento, si pulverem plumbo; nonne ab omnibus sociis tuis, si fortè negotiator es, dementissimus judicaberis, & ab eorum societate seducêris, dicerisque damnosus, & fortè etiam toto capite sanandus? Quid aliud enim dicerent omnes socii tui, cùm dixeris, Carius est argentum auro, aut melius est argentum auro? Nonne hæc clamabunt, Insane deciperis, quid pateris, quando præponis argentum auro? Et nemo tibi dicet, Quid pateris, quando præponis aurum Deo? Quomodo, inquit, præpono aurum Deo? Si enim per quamdam dementiam præposuero argentum auro, ideo demens dicor, quia de duabus speciebus, quas ambas video, quas ambas intueor, quas ambas manu contrecto, præpono viliorem cariori: aurum Deo quomodo præpono? aurum video, Deum non video. Nec hinc te excusabis. Quare amas argentum? quia carum est, quia carò valet. Quare plus aurum? quia carius est. Argentum carum, aurum carius: Deus ipsa caritas est.

5. Ecce aliquid dicam muneris Dei, ut citiùs te convincam, quomodo præponis aurum Deo; quamvis aurum videas, Deum non videas; & ideo tibi non videaris præponere, quia velit nemo præponere rem quam videt ei rei quam non videt. Ecce aliquid dico. Quid tibi videtur? fides argentum est? aurum est? nummus est? pecus est? terra est? cælum est? Nihil horum est, & tamen aliquid est. Non tantùm aliquid est, sed magnum est aliquid. Interim non loquor de fide illa superiore, qua fidelis vocaris, accedens

ad

[a] Victorinus MS. non habet, *bonum beneficum*.

ad mensam Domini tui, respondens ex fide verba fidei: interim hanc submoveo paulisper. De illa fide loquar, quæ vulgò etiam fides dicitur: non quam magnam tibi imperat Deus tuus, sed quam tu exigis à servo tuo. Ipsam dico, quia & ipsam imperat tibi Dominus tuus, ne cuiquam fraudem facias, fidem serves in negotio, fidem serves uxori in lecto. Et hanc tibi fidem imperat Deus tuus. Quid est fides ista? Certè eam non vides: si non vides, quare quando tibi frangitur clamas? Clamore tuo convinco quòd videas. Dicebas, Quomodo aurum Deo præpono? aurum video, Deum non video. Ecce aurum vides, fidem non vides. An quod verius est, fidem vides; sed quando exigis, vides illam; quando de te exigitur, non vis eam videre? Apertis oculis clamas, Redde fidem quam promisisti: clausis oculis clamas, Nihil tibi promisi. In utroque oculos aperi. Inique, noli fidem, sed ipsam iniquitatem perdere: quod exigis redde.

Fides in servo honoratur. [a]

6. Servum tuum [a] manumittendum manu ducis in ecclesiam. Fit silentium, libellus tuus recitatur, aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te servum manumittere, quòd tibi in omnibus servaverit fidem. Hoc diligis, hoc honoras, hoc donas præmio libertatis: quidquid potes facis; facis liberum, quia non potes facere sempiternum. Deus tuus clamat ad te, & in servo tuo convincit te: dicit tibi in corde tuo, Duxisti servum tuum de domo tua ad domum meam; vis eum de domo mea liberum revocare in domum tuam: tu quare malè servis in domo mea? Das illi quod potes; promitto tibi quod possum: tu facis liberum servantem tibi fidem; ego te facio sempiternum, si servaveris mihi fidem. Quid adhuc argumentaris contra me in animo tuo? Redde Domino tuo, quod laudas in servo tuo. An fortè tibi tantum arrogas, ut te dignum putes, qui servum fidelem habeas, quem dicis, Comparavi; & ego non sum dignus, qui servum fidelem habeam, quem creavi? Hæc tibi loquitur Dominus tuus intus, ubi non audit, nisi tu; & ipse tibi loquitur, qui vera loquitur. Quid enim hac locutione verius? Noli obsurdescere. Ecce fidem amas in servo tuo; certè non vides fidem: quare illam amas in altero, & totum quod dixi in altero, & in servo quem pecuniâ comparasti, non tamen quem creasti? Gemina necessitudine tecum agit Dominus tuus. Et creavit te, & comparavit te. Ante quàm esses, inquit tibi, feci te; cùm ex te sub peccato venumdatus esses, redemi te. Ut manumittas servum tuum, [b] frangis tabulas ejus: Deus non frangit tabulas tuas. Tabulæ tuæ Evangelium sunt; ubi est sanguis, quo comparatus es: manent, quotidie recitantur, admoneris conditionis tuæ, commemoratur tibi pretium tuum.

Fides Deo debita à servis emtis ipsius sanguine.

7. Si tibi servus tuus, quem manumittis, fidem non exhiberet, nec se manumissione tua dignum fidem servando faceret, & eum in aliquibus in domo tua fraudibus invenires, quid

A clamares? Male serve, fidem mihi non servas? Nescis quia emi te? nescis quia sanguinem meum pro te numeravi? Clamas quantum potes, & cælum invidiosis pulsas vocibus: Sanguinem meum pro te dedi, male serve. Et omnes qui audiunt, Verum dicit. Si tibi auderet respondere sic invehenti & clamanti ipse servus tuus, non erubesceres si tibi dicat, Quem, rogo te, sanguinem pro me dedisti? quando me emisti, nec saltem te phlebotomasti. Sed sanguinem tuum pe-

B cuniam tuam vocas. Tantum amas pecuniam tuam, ut eam appelles sanguinem tuum. De voce tua te convincit Dominus tuus. Vocas pecuniam tuam sanguinem tuum, & ideo exigis à servo tuo emto fidem, quia pro eo dedisti, non utique sanguinem, sed nummum, vel aurum: ego quid dederim, recolis. Tabulas tuas lege, si non recolis; lege pro te mortem Salvatoris, lanceam percussoris, pretium Redemtoris. Potest & homo vivens venâ, ut dixi, percussâ da-

C re sanguinem suum, & tamen vivere: plus est quod tibi dicit Dominus tuus: Non de me vivente sanguis expressus est, sanguine meo te emi; addo, morte meâ te emi. Quid habes quod dicas? Redde fidem domino tuo, quam exigis à servo tuo. Vides aurum, vides & fidem: non exigeres, si non videres; non laudares, si non videres; non libertate donares, si non videres: sed aurum oculis carnis vides, fidem oculis cordis vides. Quantò meliores sunt cordis, tantò me-

D lius est quod vides oculis cordis. Tu autem huic fidei, quam tibi imperat Dominus tuus, præponis aurum, & commendatum non reddis, & dicis, Nihil mihi dedisti: aut ei cui non commendasti, dicis, Redde quod tibi commendavi. Non das quod accepisti, repetis quod non dedisti. Ecce adquire, sic tolle, & exaggera tibi lutum. [c] Quid premis? dicendo, Da, quod non commendasti; negando quod commendatum accepisti. Tolle, collige lucra damnosa:

E ecce arcam implesti, multum aurum adquisisti; arcam cordis discute, fidem perdidisti.

Jocunditas in Deo, & in internis bonis quæ dedit. [d]

8. Redi ergo, si sensisti aliquid, si erubuisti, si quod pravum & curvum fuerat correxisti, redi, delectare in Domino, jocundare in Domino. Jocundare in iis quæ [d] jussit Dominus, ut jocunderis in Domino. Jocundare in fide, jocundare in spe, jocundare in caritate, jocundare in misericordia, jocundare in hospitalitate, jocundare in castitate. Hæc omnia bona

F sunt, thesauri interioris hominis; gemmæ, non arcæ tuæ, sed conscientiæ tuæ. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere; unde si nudus exieris, plenus eris. Sic enim exis & rectus corde, ut lauderis, non reprehendens Dominum tuum, si quid tibi acciderit in hoc sæculo, & laudans flagellum Patris, cujus exspectas hereditatem. Fuge sub manu emendantis. Non te avertas à disciplina, quia ille qui emendat te, errare non potest. Novit quid

Rectus corde qui laudat flagellum patris.

G tecum faciat qui te fecit. An fortè tam imperitum putas artificem tuum, ut sciret facere te,

a Manumissiones ut in ecclesia coram Episcopo facere liceret, Constantini magni beneficio indultum est, ut alias observavimus ad Ennodium, apud quem inter Opuscula exstat libellus, seu petitorium Agapiti nomine compositum: in quo Gerontium ille servum suum libertate donari postulans ab Episcopo, desiderii sui caussas persequitur, quæ cum Augustini verbis mirificè consentiunt. SIRMOND. *in hunc locum.*

b Frangebantur in manumissione servorum tabulæ, quibus emtio illorum & servitus continebatur. Augustinus epist. 50. (nunc 185 n. 15.) de Donatistis. *Pessimorum*, inquit, *servorum, ut liberi abscederent, tabulæ frangebantur.* SIRMOND.

c Sic Victorinum exemplar. At editi, *& exaggera tibi lutum, quod premis.*

d Victorinum exemplar, *qua fecit.*

CLASSIS I.

& obliviscatur quid tecum faciat? Ante quàm esses, de te cogitavit: nam nisi de te cogitasset, numquam esses. Ergo de te cogitavit ante quàm esses, ut esses; & jam te exsistentem, manentem, viventem, sibi servientem contemnet, teque despiciet? Despexit, inquis: jam oravi, non me audivit. Quid si hoc petebas, quod malo tuo accepisses, si accepisses? Ploravi ante illum, & non mihi dedit. O puer insensate, in quo plorasti? ut acciperes felicitatem carnalem, felicitatem temporalem, felicitatem terrenam. Quid si ista felicitas, quam exoptabas & petebas, & pro qua plorabas, præcipitaret te? Jam dudum loquebar de servo tuo, nunc similitudinem accipe de filio tuo. Plorat ante te filius tuus parvus, ut eum leves in equum tuum: numquid audis? numquid exaudis? Durus es, an potiùs misericors? Quid est, dic mihi, quo consilio facis? Certè hoc consilium est caritatis, quis dubitet? Cui grandi servas totam domum, parvulum plorantem non levas in equum. Omnia quæ habes, & domum & quidquid in domo, & agrum & quidquid in agro, illi servas; & tamen in equum non levas parvulum plorantem. Ploret quantum vult, tota die ploret; non exaudis, & misericordiâ non exaudis, & si exaudires, crudelis esses. Vide ergo, cogita *hoc tibi faciat Dominus tuus, quando petis incongrua, & non accipis. Fortè enim te inopia erudiet, copia corrumpet. Quæris tu copiam corruptionis, cùm necessaria fortasse sit inopia eruditionis. Dimitte Deo tuo, qui scit quid det tibi, quid tollat tibi. Nam si det tibi quod malè petis, fortè iratus dat. Audi exempla de Lege. Israëlitas concupiscentes concupiscentias ventris & gutturis, exaudivit iratus: Paulum dicentem, Tolle à me stimulum carnis, non exaudivit propitius.

*f. an hoc.

Exodi 16.

2. *Cor.* 12. 7.

Delectatio piorum in Deo amissis terrenis rebus.

9. Ideo delectare in Domino, jocundare in Domino, non in sæculo. In Domino enim jocundabatur ille, qui cùm perdidisset totam jocunditatem sæculi, remansit ei Dominus, in quo jocundaretur: remansit ei in ira simplex, perfecta & immutabilis jocunditas cordis ejus. Quæ habebat possidebat, non possidebatur; à Domino autem possidebatur: illa calcabat, ex illo pendebat: ille illis subtractis quæ calcabat, hæsit in illo in quo pendebat. Ecce enim quid sit in Domino jocundari. Dominus dedit, Dominus, (vide jocunditatem,) Dominus abstulit: numquid se abstulit? Quod dedit abstulit, qui dedit, se obtulit; jocundatur in Domino. Ergo, Dominus » dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, » ita factum est: sit nomen Domini benedictum. » Quare displiceat servo id quod placuit Domino? Aurum, inquit, perdidi, familiam perdidi, pecora perdidi, quidquid habui perdidi: à quo habeo, non perdidi. Perdidi quod dederat; eum non perdidi, cujus ipse sum. Delectatio mea ipse, divitiæ meæ ipse. Sed quare? quia non perversus, non capite deorsum, non neglexit eum qui supra se est, & dilexit ea quæ infra se. Ipsa est enim perversitas malè utendi creaturâ.

Job. 1. 21.

Usus auri quis malus, quis bonus.

10. Quid accusas qui dedit aurum, qui rectè accusaris malè amando aurum? Habe aurum, dicit tibi Deus, dedi tibi, bene utere. Ornari vis auro; orna potiùs aurum: honorem vis, decus vis ab auro; decus præsta auro, ne sis dedecus auri. Aurum habet scortator, fornicator, luxuriator: edit pompaticos ludos, insana munera donat histrionibus; esurientibus pauperibus non donat: non est decus auri. Nonne qui rectè adtendit hoc dicit, Doleo aurum quod in illum incurrit; ô si ego illud haberem! Et tu aurum si haberes: modò enim dicis, Doleo aurum quod in istum incurrit; ô si ego illud haberem! quid faceres? Peregrinos susciperem, inopes pascerem, nudos vestirem, captivos redimerem. Bona loqueris ante quàm habeas: vide loquaris quando habueris. Si sis talis, erit aurum in tuo ornatu. Si verò sic uteris auro, quia plus diligis eum qui creavit aurum, eris rectus, superiora plus diligens, inferioribus rectè utens; & delectaberis in Domino, justus in Domino jocundaberis. Non erit in te accusatio Creatoris, sed erit gratiarum actio Redemtoris.

a De isto Sermone Possidius in Indiculo c. 8. & Florus ad Rom. 8.

* SERMO XXII.

De a (3.) *versu Psalmi* (67.) Sicut deficit fumus, deficiant, &c.

1. AUDIVIMUS, & contremuimus, quod in voce Psalmi est prophetatum. Ait enim, *Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Non dubito, Fratres mei, quòd omnium vestrûm corda concussa sint, nec cujusquam conscientia sub his verbis intrepida stetit. Quis enim gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? « Ac per hoc cùm Scriptura dicit, *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei,* quis non contremiscat, quis non pavibundus exsiliat? Quid ergo faciemus, aut quæ spes nobis est? Neque enim frustra hæc cantantur; aut verò cùm hæc dicit Propheta, optat ea hominibus, ac non potiùs ventura prævidet. In verbis quidem figura optantis apparet, sed intelligitur præscientia nuntiantis. Sicut enim quædam in Scriptura Prophetarum tamquam in præteritum facta narrantur, cùm futura prædicantur: ita quædam tamquam voto dicuntur optantis; sed qui rectè intelligunt quod audiunt, visionem prænuntiantis agnoscunt. Longè autem ante nativitatem Dominicæ incarnationis, isti Psalmi dicti atque conscripti sunt. Non ante Deum Christum, sed ante natum ex virgine Maria Christum. Nam profectò pater Abraham longè ante David regem, cujus tempore hi Psalmi cantati sunt, fuit. Dominus autem dixit, Ante Abraham ego sum. Ipse enim est Verbum Dei, per quod facta sunt omnia: sed ipse implens Prophetas, in carne se esse venturum per eos prædixit. Ad ejus autem incarnationem pertinet passio. Neque enim potuit pati illa quæ in Evangelio scripta sunt, nisi in carne mortali & passibili, quam gerebat. Et ibi utique legitur, quemadmodum Domino crucifixo hi qui crucifixerunt eum, vestimenta ejus diviserunt sibi, & cùm invenissent in eis tunicam desuper textam, noluerunt eam conscindere, sed sortem super eam miserunt; ut ad quem perveniret, integra perveniret: qua significabatur caritas, quæ dividi non potest. Hæc ergo cùm in Evangelio jam facta narrentur, longè ante multos annos in Psal-

Johan. 8. 58.

Johan. 19. 23.

CLASSIS I.

mo cùm futura prænuntiarentur, tamquam gesta & transacta cantata sunt. Foderunt, inquit, (*Psal. 21. 17. &c.*) » manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt » omnia ossa mea. Ipsi verò consideraverunt & in- » spexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, » & super vestem meam miserunt sortem. Omnia tamquam præterita dicuntur, & futura prædicuntur. Sicut ergo in verbis præteriti temporis futura facta significantur : sic in figura optantis prænuntiantis mens intelligenda est. Sic & de Juda Domini traditore, tamquam optat ei Propheta, quod venturum esse prædicit. Et de ipsis (*Psal. 68. 23.*) Judæis, Fiat, inquit, mensa eorum in laqueum, & in venationem, & in scandalum. Quod de his prædictum esse sine dubitatione exponit : sicut de Juda quæ sub eadem figura prænuntiata sunt, (*Act. 1. 20.*) apostolus Petrus commemorat.

CAPUT II. In figura Prophetæ optantis, intelligenda divini decreti approbatio.

2. Nec sine caussa & quæ futura sunt, tamquam transacta dicuntur. * Deo enim sic certa sunt, ut jam pro factis habeantur ; & tamquam optans videtur dicere Propheta, quod certum prævidet esse venturum: nihil aliud, quantum mihi videtur, ostendens, nisi nobis non debere displicere cognitam sententiam Dei, quam fixam immobilemque constituit. Et ideo in Actibus Apostolorum, cùm quidam Propheta, nomine Agabus, prædiceret apostolum Paulum in Jerusalem à Judæis multa esse passurum, & usque ad vincula perventurum, cùm hoc audito fratres revocare & retinere vellent, ne illuc pergeret : (*Act. 21. 13.*) Quid facitis, inquit, conturbantes cor » meum ? Ego enim non solùm alligari, sed etiam » mori paratus sum pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Atque ita cùm viderent fratres immobilem viri ad omnia perferenda constantiam, » dixerunt, Fiat Domini voluntas. Numquid ergo quia dixerunt, Fiat voluntas Dei, optaverunt Apostolo, ut talia pateretur, ac non potiùs mentem suam sublimi & divino statuto devotissimè subdiderunt ? Sic & Propheta cùm dicit, (*Psal. 67. 3.*) *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*, videt hoc certissimè peccatoribus imminere, & placet ei quod Deus statuit, ne Deo ipse displiceat.

CAPUT III. Quibus modis Deus ad pænitentiam sollicitat.

3. Quid ergo faciemus, Fratres, nisi ut, dum tempus est, vitam mutemus, & facta nostra, si qua mala sunt, corrigamus ? Ut quod sine ulla dubitatione venturum est peccatoribus, nos non inveniat super quos veniat : non quia non erimus, sed ut non tales inveniat, qualibus venturum esse prædictum est. Propterea se judex venturum minatur, ut non inveniat quos puniat, cùm venerit. Propterea illud cantant Prophetæ, ut corrigamur. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire dicit, Observa. Totum, Fratres, quod audivimus per Scripturas, vox est Dei dicentis, Observa. Et totum quod patimur, (*Flagellum Dei, admonitio nostra est.*) tribulationes in hac vita, flagellum Dei est corrigere volentis, ne damnet in fine. Quasi dura sunt, molesta sunt, horrent quando narrantur, quæ quisque gravia valde patitur in hac vita: in comparatione autem æterni ignis non parva, sed nulla sunt. Sive ergo nos flagellemur, sive cùm alii flagellantur, admonemur à Domino. Omnia ista, Fratres, quæ in hac vita infliguntur à Domino, admonitiones sunt & stimuli correctionis nostræ. Veniet autem ignis æternus, de quo dicetur illis qui ad sinistram constituendi

A sunt, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. (*Matt. 25. 41.*) Tunc acturi sunt quidam pænitentiam. Nam scriptum est in libro quodam (*Sap. 5. 3. & 8.*) Sapientiæ, Dicent intra se pænitentiam agen- « tes, & præ angustia spiritûs gementes, Quid no- « bis profuit superbia, & quid divitiarum jactan- « tia contulit nobis ? Transierunt omnia illa, tam- « quam umbra. (*Pænitentia infructuosa, & fructuosa.*) Erit enim ibi pænitentia, sed infructuosa : erit ibi pænitentia, sed dolorem habens, medicinam non habens. Nunc est fru-
B ctuosa pænitentia, quando correctio libera. Pæniteat te ad vocem Scripturæ. Nam ad vocem præsentis judicis, sine caussa pænitebit te. Tunc jam ille sententiam dicturus est : & non erit quod reprehendas, quando sententiam dicturus est. Non enim tacuit ante sententiam. Non enim te distulit, nisi ut corrigeres te : quando quidem latroni in cruce pendenti se mutare permisit. (*Luca 23. 43.*) Tunc enim latro pendens cum Domino, credidit in Christum, quando de illo discipuli titu-
C baverunt. Contemserunt Judæi mortuos suscitantem, non contemsit latro secum in cruce pendentem. Non est ergo quod in fine dicatur Domino, Non me permisisti bene vivere ; aut, dilationem correctionis non mihi dedisti ; aut, non ostendisti quid appeterem, quid vitarem. * (*CAPUT IV.*) Videte quia non tacet, videte quia differt, videte quia blanditur, hortatur, minatur. Constituit verbum suum in sublimitate ; per totum mundum recitatur universo humano generi. Non est
D qui jam dicat, Nescivi, non audivi. Impletur quod dictum est in Psalmo, (*Psal. 18. 7.*) Nec est qui se abscondat à calore ejus. Modò ergo calor ejus in verbo ejus est : mutare modò à calore ejus, & non deflues sicut cera ab igne ejus.

(*Judicii futuri fides tot aliis prædictionibus impletis firmatur.*)

4. Nam illud, Fratres mei, venturum est aliquando, quod modò rident impii, quod modò contemnunt derisores, quod putant falsò cantari, aliquando venturum est. Si non venerunt tanta, quanta prædicta sunt ; desperemus &
E illud aliquando venturum : si autem omnia quæ de Ecclesia futura prænuntiata sunt, jam videmus exhibita, & cæcorum etiam oculos feriunt ; quid dubitamus etiam illa ventura ? Quando dicebatur Ecclesia Christi futura per totum orbem terrarum, dicebatur à paucis, & ridebatur à multis. Modò jam impletum est, quod tantò antè prædictum est: diffusa est Ecclesia per totum orbem terrarum. Ante millia annorum promissum est Abrahæ, (*Gen. 22. 18.*) In semine tuo benedicentur
F omnes gentes. Venit Christus ex semine Abrahæ, benedictæ sunt in Christo jam omnes gentes. Prædicta sunt schismata, & hæreses futuræ : videmus illa. Prædictæ sunt persecutiones : factæ sunt à regibus colentibus idola. Pro ipsis idolis adversùs nomen Christi repleta est terra Martyribus. (*Martyrum sanguis, semen.*) Sparsum est semen sanguinis, surrexit seges Ecclesiæ. Nec frustra oravit Ecclesia pro inimicis suis : crediderunt & qui persequeban-
G tur. Prædictum est etiam, quia ipsa idola evertenda essent per nomen Christi : nam & hoc invenimus in Scripturis. Ante paucos annos Christiani illa legebant, & non videbant ; adhuc futura illa exspectabant ; & sic abierunt : non illa viderunt, sed tamen credentes quòd futura essent, cum fide abierunt ad Dominum : nostris temporibus etiam ipsa cernuntur. Omnia quæ antè prædicta sunt de Ecclesia, videmus

Classis I.

impleta: solus dies judicii non est venturus? Ipse solus prænuntiatur, & non veniet? Usque adeo sumus duri & lapidei cordis, ut legamus Scripturas, & videamus omnia prorsus ad litteram evenisse quæ scripta sunt; & de his quæ remanent desperemus? Quantum est enim quod remanet, ad ea quæ jam nobis exhibita videmus? Tam plura Deus ostendit, & de residuo nos fraudaturus est? * Veniet judicium redditurum pro meritis, bonis bona, malis mala. Boni simus, & securi judicem exspectemus.

*Caput V.

Deus & justus & misericors.

5. Fratres mei, maxime nunc dicentem me audite. Nolo tecum computare præterita: ab hodierno die te muta, cras te alterum inveniat. Nos autem perversitate nostra sic volumus Deum misericordem, ut non sit justus. Alii rursus quasi præsidentes de justitia sua, sic volunt justum, ut nolint misericordem. Utrumque se exhibet Deus, utrumque præstat, nec misericordia ejus præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam. Misericors & justus est. Unde misericordem probamus? Parcit modò peccatoribus, dat veniam confitentibus. Unde probamus quòd justus est? Quia venturus est dies judicii, quem modò differt, non aufert; & cùm venerit, redditurus est pro meritis. An hoc vultis ut reddatur aversis, quod reddetur conversis? Fratres, justum videtur vobis, ut ibi ponatur Judas, ubi positus est Petrus? Et ipse ibi poneretur, si se correxisset. Sed de venia desperans, potiùs sibi collum ligavit, quàm Regis clementiam supplicavit.

6. Itaque Fratres, sicut dicere cœperam, non est unde reprehendamus Deum. Quid contra illum dicamus, non erit, cùm venerit judicare. * Cogitet unusquisque peccata sua, & modò illa emendet, cùm tempus est. Sit fructuosus dolor, non sit sterilis pænitudo. Tamquam hoc dicit Deus, Ecce indicavi sententiam, sed nondum protuli: prædixi, non fixi. Quid times, quia dixi? Si mutaris, mutatur. Nam scriptum est, quòd pæniteat Deum. Numquid quomodo hominem, sic pænitet Deum? Nam dictum est, Si pænituerit vos de peccatis vestris, pænitebit & me de omnibus malis quæ facturus eram vobis. Numquid quasi errantem pænitet Deum? Sed pænitentia dicitur in Deo mutatio sententiæ. Non est iniqua, sed justa. Quare justa? Mutatus est reus, mutavit judex sententiam. Noli terreri. Sententia mutata est, non justitia. Justitia integra manet: quia mutato debet parcere qui justus est. Quomodo pertinaci non parcit, sic mutato parcit. Ipse rex est indulgentiæ, qui dator est legis. Misit legem, venit cum indulgentia. Reum te fecerat lex, absolvit te qui dedit legem. Immo non absolvit: nam absolvere est innocentem judicare: donat potiùs peccata converso. Omnes enim sunt rei, qui peccatis suis involuti sunt. Nemo se optet absolvi: omnes veniam deprecemur. Venia verò datur mutato: & erimus securi, cùm audierimus, *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.*

*Caput VI. De pænitent. d. 1. c. Novit.

Mutato reo Judex mutatur.

Gen. 6. 6.

Jerem. 18. 8.

Psal. 67. 3.

Caput VII.

Peccator pereat, ut ne homo pereat. 23. q. 4. Duo.

7. Certè, Fratres, modò pereant peccatores, & non pereunt peccatores. Si incipiant justè vivere, peribunt utique peccatores, sed non peribunt homines. Homo peccator, duo nomina sunt: homo unum nomen est, & peccator

A unum nomen est. In his duobus nominibus intelligimus, quia unum horum Deus fecit, alterum horum homo fecit. Hominem enim Deus fecit, peccatorem se ipse homo fecit. Quid ergo contremiscis, quando tibi dicit Deus, Pereant peccatores à facie mea? Hoc tibi dicit Deus, Pereat in te quod tu fecisti, & servo quod ego feci. Et modò ardet ignis in calore verbi, res est in fervore Spiritûs-sancti, sicut diximus jam dudum, quia scriptum est in alio Psalmo,

B Nec est qui se abscondat à calore ejus. Spiritum autem sanctum esse calorem, dicit Apostolus, Spiritu ferventes. Ergo pro facie Dei, tibi pone interim Scripturam Dei: liquesce ab illa; pæniteat te, cùm audis hæc de peccatis tuis. Cùm autem te pænitet, & cùm te ipsum excrucias sub calore verbi, cùm etiam lacrymæ currunt, nonne ceræ tabescenti, & tamquam in lacrymas currenti similis inveniris? Modò ergo fac quod in posterum times, & non habe-

C bis quod in posterum timeas.

8. Tantùm non sicut fumus deficiant. Nam utrumque ibi habes positum: fortè non sine caussa, quia est etiam distantia peccatorum. In ipso uno verbo utrumque posuit Psalmus: *Sicut deficit fumus, deficiant; & sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Qui sunt, qui sicut fumus deficiunt? Qui sunt, nisi superbi, non confitentes peccata sua, sed defendentes? Quare fumo comparati sunt? Quia fumus

D erigit se, extollit se tamquam in cælum: sed quantò fit superior, tantò faciliùs evanescit & disperit. Rursus considerate quod dixi. Solidior est fumus igni proximus; & terræ proximus; nondum sic evanuit, nondum sic est dispersus in ventos: quando autem adtenuatur, evanescit, & disperit, quando se multùm extulerit. Quia ergo superbus sic se erigit contra Deum, quomodo fumus contra cælum; restat ut ita deficiat, & tamquam in ventos suæ vanitatis ela-

E tione dissipatus intereat; quemadmodum disperit fumus elatus, tumida, non solida magnitudine inflatus. Sic est enim fumus: vides magnam molem; habes quasi quod videas, & non habes quod teneas. Talem ergo pœnam, Fratres, ante omnia detestamini, nec defendatis peccata vestra: & si adhuc facitis, nolite defendere. Subdite vos Deo, & sic tundite pectora vestra, ut & ipsa quæ remanserunt, non fiant. Conamini non facere, & si fieri potest, nulla facite: si au-

F tem fieri non potest, ut nulla faciatis, maneat tamen illa pia confessio. Erit enim respectus misericordiæ ipsius; ut te conante omnia perimere, & quantum adjuverit perimente, de reliquis qui tibi restant in itinere invento & in conatu comprehenso, facilè ignoscat: tantùm proficere affecta, non deficere. Si non te invenit dies ultimus victorem, inveniat vel pugnantem, non captum & addictum.

Caput IX. Misericordia Dei quanta erga hominem.

9. Est autem misericordia abundantissima, &

G larga ejus benevolentia, qui nos sanguine Filii sui redemit, cùm propter peccata nostra nihil essemus. Nam ipse aliquid magnum fecit, cùm hominem ad imaginem & similitudinem suam creavit. Sed quia nos nihil fieri voluimus peccando, & traducem mortalitatis de parentibus duximus, & massa peccati, massa iræ facti sumus: placuit tamen illi per misericordiam suam

CLASSIS I.

redimere nos tanto pretio: dedit pro nobis sanguinem Unici sui innocenter nati, innocenter viventis, innocenter mortui. Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit. Non emit quos perdat: sed emit quos vivificet. Si peccata nostra superant nos, pretium suum non contemnit Deus. Pretium magnum dedit. Nec tamen nobis tantum de ipsius misericordia blandiamur, si non fuerimus conati adversùs peccata nostra; nec si aliqua maximè capitalia fecerimus, speremus ita futuram esse misericordiam, ut ei conjungatur iniquitas. Numquid enim & eos qui nihil egerunt, quemadmodum correcti viverent, sed in pertinacia & duritia animi permanserunt, accusaverunt etiam Deum defendendo peccata sua, ibi constituturus est, ubi constituit sanctos Apostolos, Prophetas, Patriarchas, & fideles suos bene de se meritos, sibi servientes, ambulantes in castitate, modestia, humilitate, eleemosynas facientes, ignoscentes quod à quoquam perpessi sunt? Talis est enim via justorum, talis est via sanctorum tenentium Deum patrem, tenentium Ecclesiam matrem; [a] nec illum parentem, nec istam offendentes, sed in amore utriusque parentis viventes, & ad hereditatem æternam properantes, non læso patre, non læsa matre, datur unicuique hereditas.

Florus ad Rom. 8.

CAPUT X. Duo parentes ad vitam, & duo ad mortem.

10. Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam est & Eva; parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus est & Ecclesia. Et pater meus qui me genuit ad mortem, Adam mihi fuit; & mater mea Eva mihi fuit. Nati sumus secundùm istam progeniem carnis, ex munere quidem Dei; quia & istud munus non est alterius; sed Dei: & tamen, Fratres, quomodo nati sumus? Certè ut moriamur. Præcessores genuerunt sibi successores: numquid genuerunt sibi cum quibus hîc semper vivant? Sed tamquam decessuri, qui illis succederent, genuerunt sibi. Deus autem pater & mater Ecclesia, non ad hoc generant: generant autem ad vitam æternam; quia & ipsi æterni sunt. Et habemus hereditatem promissam à Christo vitam æternam. Secundùm quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, nutritus crevit, passus, mortuus & resuscitatus accepit hereditatem regnum cælorum. In ipso homine accepit resurrectionem & vitam æternam; in ipso homine accepit: in Verbo autem non accepit; quia incommutabiliter manet ab æterno in æternum. Quia ergo accepit resurrectionem & vitam æternam caro illa, quæ resurrexit & vivificata adscendit in cælum, hoc nobis promissum est. Ipsam hereditatem exspectamus, vitam æternam. Adhuc enim non totum corpus accepit; quia caput in cælo est, membra adhuc in terra sunt: nec caput solum accepturum est hereditatem, & corpus relinquetur: totus Christus accepturus est hereditatem; totus secundùm hominem, id est, caput & corpus. Membra ergo Christi sumus; speremus hereditatem: quia cùm omnia ista transierint, hoc bonum accepturi sumus quod non transibit; & hoc malum evasuri quod non transibit; æterna sunt enim utraque. Non enim aliquid non æternum promisit suis, nec aliquid temporale minatus est impiis. Quomodo vitam, beatitudinem, regnum, hereditatem sempiternam sine fine promisit sanctis: sic ignem æternum minatus est impiis. Si quod promisit nondum amamus, saltem quod minatus est timeamus.

Johan. 1. 14.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XXIII.

** Aliàs de Diversis 122.*

De (24.) versu Psalmi 72. Tenuisti manum dexteræ meæ: *& de* [b] *visione Dei.*

CAPUT I.

1. QUOD cantavimus Domino, propositum nobis ad loquendum credamus: hinc vobis fiat sermo noster. Et [c] cui diximus, *Tenuisti manum dexteræ meæ, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumsisti me:* ipse ad intellectum clariorem assumat corda nostra, & adjuvet misericordiâ & gratiâ suâ me loquentem, vos judicantes. Quamquam propter commoditatem depromendæ vocis altiore loco stare videamur: tamen in ipso altiore loco vos judicatis, & nos judicamur. Doctores dicimur, sed in multis doctorem quærimus: nec volumus nos haberi magistros. Periculosum est enim & prohibitum Domino ipso dicente, Ne velitis dici magistri, unus est magister vester Christus. Periculosum ergo magisterium, discipulatus securus est. Ideo Psalmus, Auditui meo, inquit, dabis gaudium & exsultationem. Securior est enim verbi auditor, quàm verbi prolator. Ideo ille securus stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.

Psal. 72. 24.

Doctorum officium periculosum, auditorum securior conditio.

Matth. 23. 10.

Psal. 50. 10.

Johan. 3. 29.

CAPUT II.

2. Et quia doctoris Apostolus susceperat necessitate personam; videte quid dicat. Cum timore & tremore multo fui apud vos. Tutius ergo est, ut & nos qui loquimur, & vos qui auditis, sub uno magistro condiscipulos nos esse noverimus. Omnino tutius est, & hoc expedit, ut nos non tamquam magistros, sed tamquam condiscipulos vestros audiatis. Videte enim quia sollicitudo nobis imposita est; ubi dicitur, Fratres nolite plures magistri fieri, in multis enim offendimus omnes. Quis non contremiscat, cùm Apostolus dicit, Omnes? Quid sequitur? Quisquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Quis autem audeat dicere se esse perfectum? Qui ergo stat & audit, in verbo non offendit. Qui autem loquitur, etsi, (quod difficile est,) non offendit; * patitur tamen & timet ne offendat. Oportet ergo vos esse non solùm loquentium auditores, sed & timentium miseratores: ut in eo quod verum dicimus, quoniam omne verum à veritate est, non nos, sed ipsum laudetis: ubi autem sicut homines offendimus, eumdem ipsum pro nobis oretis.

1. Cor. 2. 3.

Condiscipuli omnes sub Christo magistro.

Jacobi 3. 1. & 2.

** f. pavet.*

Auditorum erga doctores officium.

CAPUT III.

3. Scripturæ sanctæ sunt, veraces sunt, inculpatæ sunt. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad exhortationem, ad doctrinam. Nihil est ergo quòd Scripturam accusemus; si nos fortè, illâ non intellectâ, in aliquo deviemus. Cùm ipsam intelligimus, recti sumus: cùm autem eâ non intellectâ pravi sumus; ipsam rectam dimittimus:

2. Tim. 3. 16.

Scripturæ sanctæ ad infirmitatem parvulorum aptatæ.

[a] Florus hoc loco addit, *cùm utrique fideliter adhærent.*

[b] Florus ad Ephes. 1. & ad Hebr. 12. Sermonem hunc citat, appellans, *de visione Dei.*

[c] Sic Victorinus MS. At editi, *Etenim diximus: Tenuisti manum dexteram* &c. Certè Augustinus legere solet *dextera*, non *dexteram.*

CLASSIS I.

non enim eam depravati depravamus; sed illa stat recta, ut ad illam corrigendi redeamus. Verumtamen ut nos exerceat eadem Scriptura, in multis locis velut carnaliter loquitur, cùm [a] semper spiritalis sit. Lex enim, ut ait Apostolus, (Rom. 7. 14.) spiritalis est, ego autem carnalis sum. Cùm sit ergo illa spiritalis, tamen sæpe cum carnalibus quasi carnaliter ambulat. Sed non eos vult remanere carnales. Quia & mater parvulum amat nutrire, sed eum non amat parvulum remanere. In sinu tenet, manibus fovet, blanditiis consolatur, lacte nutrit. Omnia parvulo facit: sed optat ut crescat, ne semper talia faciat. Videte Apostolum: meliùs enim ipsum intuemur, qui se etiam matrem non dedignatus est dicere, ubi ait, (1. Thess. 2. 7.) Factus sum parvulus in medio vestrûm, tamquam nutrix fovens filios suos. Apostolus vero, germano & [b] pio caritatis affectu & nutricis personam suscepit, dicendo, fovet; & matris, addendo, filios suos. Sunt enim nutrices foventes quidem, sed non filios suos: item sunt matres nutricibus dantes, non foventes filios suos. Idem ergo nutritor & fotor alio loco dicit, quod paulò antè commemoravi, (1. Cor. 2. 3) Cum timore & tremore multo fui apud vos.

CAPUT IV. Auditores quinam carnales, quinam spiritales.

4. Sed dicis, Quales illi erant, ut ille cum timore & tremore multo esset apud illos? (1 Cor. 3. 2. & 3.) Tamquam parvulis, inquit, in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Neque enim poteratis, sed nec nunc quidem adhuc potestis; estis enim adhuc carnales. Quos carnales dicit, parvulos tamen in Christo dicit; sic arguit, ut non abdicet. Et carnales, & parvuli in Christo: non vult tamen eos esse carnales, quos dicit esse parvulos in Christo: optat esse spiritales, omnia dijudicantes, & qui à nemine dijudicentur. (1. Cor. 2. 14. & 15.) Animalis enim homo, sicut ipse dicit, non percipit quæ sunt Spiritûs Dei: stultitia enim est illi, & non scire potest, quoniam spiritaliter dijudicatur. Spiritalis dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur. (Ibidem 6.) Idem ipse dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos. Ut quid ergo loqueris, si inter perfectos? Quid enim opus est te loqui homini perfecto? Sed quære in quo perfectus sit. Fortè enim non invenio perfectum cognitorem, sed jam invenio perfectum auditorem. Est ergo perfectus & auditor, mente jam capax, cui solidus cibus nullam faciat perturbationem, nullam ingerat cruditatem. Quis est hic, & laudabimus eum? Nec dubito tamen esse aliquos spiritales, bene audientes, bene dijudicantes: apud istos non laboro. Aut enim carnalis invenior, & misericorditer mecum [c] agit: aut capit quod dico, & congratulatur mihi.

CAPUT V. Intelligere non est nisi verum sentientis.

5. Ecce nunc suscepi verba Psalmi, quem modò cantavimus: *Tenuisti manum dexteræ meæ.* Da carnalem auditorem, quid putabit, nisi quia Deus apparuit in forma humana, apprehendit illi manum dexteram, non sinistram, & deduxit in suam voluntatem, & quò voluit assumsit? Si hoc intellexerit, immo si hoc putaverit, numquam intelligit. Qui enim intelligit, verum intelligit. Qui autem putat falsum, non intelligit. Ergo si hoc putaverit homo carnalis, quia Dei natura atque substantia distincta membris est, determinata formâ, circumscripta quantitate, manens loco, quid cum illo facio? Si dixero, Non est ita Deus: non capit. Si dixero, Ita est: ille quasi capit; sed ego decipio. Non possum dicere, Ita est: ne mentiar; & non undecumque, sed de Deo meo, de Salvatore & Redemtore meo, de spe mea, de illo ad quem extendo manum meam, desiderium meum. Non est res levis de tali mentiri. De tali falli molestum est & periculosum est: de tali autem mentiri exitiosum est & perniciosum. Non omnis qui mentitur, fallitur. Si autem ipse putat esse verum, quod verum non est, fallitur: & si hoc dicit quod verum putat, non mentitur, sed tamen fallitur. Deus donet illi non falli, qui noluit mentiri.

6. Si ergo, ut dixi, parvulus ille noster talem crediderit Deum, habentem certis corporis sui locis membra disposita, circumscriptum figurâ, determinatum formâ, localiter manentem, localiter se moventem, juxta id quod dicitur, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si in cælo ipse, si in terra ipse, si in inferno adest; quid facit modò ille parvulus? Si audit, quærat cum Samaritana montes & templa quò vult ire ad Deum, ad Jerusalem, ad montem Samariæ: non ad templum visibile, non festinet, non quærat aliquod templum quò veniat ad Deum. Ipse sit templum, & ad illum veniet Deus. Non contemnit, non refugit, non dedignatur: [d] immo dignatur. Si non dedignatur, audi pollicentem: audi interim promittendo dignantem, non minando dedignantem. Veniemus, inquit, ad eum ego & Pater. Ad eum quem suprà dixit dilectorem suum, obeditorem præceptorum suorum, custodem mandati sui, amatorem Dei, amatorem proximi sui. Veniemus, inquit, ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

7. Non est angustum cor fidelis, cui angustum fuit templum Salomonis. Nam & ipse cùm fabricaret hoc, dixit, Si cælum cæli non sufficit tibi. Et certè templum Dei sanctum est, quod estis vos. Nos enim, ait alio loco, templum Dei vivi sumus. Et hoc unde probas, tamquam ei diceretur? Sicut scriptum est, inquit, Habitabo in eis. Si tibi aliquis magnus patronus diceret, Habitabo apud te, quid faceres? Cùm angusta domus esset, procul dubio turbareris, omnino terrereris, optares ne fieret. Nolles enim esse in angustiis recipiens magnum, cujus adventui domus tua paupercula non sufficeret. Noli timere adventum Dei tui, noli timere affectum Dei tui: non te angustat, cùm venerit; immo veniendo dilatabit te. Nam ut scias, quoniam dilatabit te, non solùm adventum suum promisit, Habitabo in eis: sed ipsam etiam latitudinem, addendo, Et deambulabo. Latitudinem istam, si diligis, vides. Timor tormentum habet, ergo angustias habet: ac per hoc amor latitudinem habet. Vide latitudinem caritatis: Quoniam caritas Dei diffusa est, inquit, in cordibus nostris.

8. Sed tu ei quærebas locum. Ipse inhabita-

[a] Editi, *cùm Lex.* Vox *Lex* abest à Victorino exemplari.
[b] Victorinum exemplar, *pingui.*
[c] Sic Victorinus MS. Editi verò, *mecum contingit.*

[d] Editi omittunt, *immo dignatur.* Id additum hîc ex Victorino MS. qui sic prosequitur, *Si non dignatur, audi pollicentem.*

CLASSIS I. — SERM. DE SCRIPTURIS.

cordis ex caritate, quæ & arra dicitur & pignus. 1. Johan. 4. 8. Florus ad Ephes. 1.

tor dilatet: Diffusa est enim caritas in cordibus A nostris, non tamen ex nobis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Si diffusa est caritas in cordibus nostris, & Deus caritas est; ecce jam ex quantulocumque pignore deambulat Deus in nobis. Pignus enim accepimus. Quid illud est, cujus pignus tale est? Quamquam meliùs habent codices, qui habent arram, quàm qui habent pignus. Eamdem quippe rem interpretes dicere voluerunt. Interest tamen aliquid in loquendi usu inter arram & pignus. Pignus B enim quando datur, cùm datum fuerit propter quod pignus datum est, pignus auferetur. Jam multos vestrûm intellexisse non dubito. Non video, sed ex collocutione, quia loquimini ad alterutrum, sentio eos qui intellexerunt, velle exponere iis, qui nondum intellexerunt. Ergo planiùs aliquantò dicam, ut ad omnes perveniat. Accipis, verbi gratiâ, codicem ab amico tuo; ut tibi det, das aliquod pignus: cùm reddideris quod accepisti, propter quod pignus posuisti, C ille quod reddideris habebit, tu pignus recipies: non enim habebit ambas res.

Arra & pignus quo differant.

CAPUT IX. Caritas veriùs arra quàm pignus dicitur.

9. Quid ergo, Fratres? Si caritatem modò Deus tamquam pignus dedit per Spiritum-sanctum suum, cùm rem ipsam reddiderit, [a] quâ promissâ pignus dedit, auferendum est nobis pignus? Absit. Sed quod dedit, hoc implebit. Ergo meliùs arra quàm pignus. Aliquando enim pretium, verbi gratiâ, præparas dare pro ea re quam tenes bonæ fidei contractu, de ipso pretio D das aliquid; & erit arra, non pignus; quod sit complendum, non quod auferendum. Jam ergo intellige. Si invenio dilectorem, habet arram, & ex arra desiderat plenitudinem. Arram ipsam consideret: hoc enim complebitur, unde arra data est. Ipsam cogitet, ipsam apud se discutiat, ipsam inspiciat, ipsam de plenitudine illa quam non videt, interroget: ne fortè aliud in plenitudine desideret, quàm est in eo quod accepit. Fortè Deus aurum daturus est, auri plenitudi- E nem completurus, & de auro arram dedit. Metuendum est ne tu pro auro plumbum desideres. Adspice ergo arram: si tibi potuero suadere ut adspicias: Deus caritas est.

CAPUT X. Fons caritatis summum bonum. Psal. 35. 10. Ibidem 8.

10. Inde habemus aliquid, inde adspersi sumus, inde irrorati. Cujus ros talis est, qualis fons? Rore isto adspersus, sed flagrans in fontem, dic Deo tuo, Quoniam apud te est fons vitæ. In rore isto natum est desiderium, in fonte satiaberis. Ibi est quod sufficit nobis. Filii autem F hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Quid desideramus pro magno ea Dei beneficia, quæ donat & bestiis? Beneficia quidem ipsius sunt, quis dubitat? A quo salus vel minima, nisi ab illo de quo dictum est, Domini est salus? (Psal. 3. 9.)

CAPUT XI. Bona piis propria.

11. Sed ait idem ipse Psalmus, "Homines & "jumenta salvos facies, Domine, sicut multipli-"cata est misericordia tua Deus. [b] Tam multiplicem misericordiam habes, ut non tantùm ad G homines, verùm etiam ad jumenta perveniat. Tantâ prævales misericordiâ, ut facias solem (Matth. 5. 45.) tuum oriri super bonos & malos, & pluas super justos & injustos. Nihilne peculiare à te sancti tui, nihil proprium pius accipit, quod impius non accipiat? Planè accipit: audi quod sequitur. Jam enim dixerat, "Homines & jumenta salvos facies Domine, sicut multiplicata est misericordia tua Deus: adjunxit & ait, "Filii autem "hominum. Quid ergo paulò antè dixisti? "Homines non erant filii hominum? "Homines, inquit, "& jumenta salvos facies, Domine: "filii autem hominum. Quid ergo? "filii hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Hoc non cum jumentis. Quare ergo isti & illi homines? An non etiam homines filii hominum? Profectò & homines filii hominum. Unde igitur ista distinctio, nisi quia est homo qui non erat filius hominis? Homo non filius hominis, Adam: homo filius hominis, Christus. Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Quærunt salutem cum jumentis qui moriuntur, & non victuri moriuntur: & non quærunt salutem cum filiis hominum, ut numquam moriantur? * Eliquata est ista distinctio. Illi pertinent ad homines, isti filii hominum ad filium hominis.

Psal. 35. 7. &c.

Homines & filii hominum unde distincti.

1. Cor. 15. 22.

*CAPUT XII.

12. Quid ergo sequitur? "Filii autem homi-"num sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Ecce spero, ecce spes: sed quæ videtur, non est spes. Futura ergo quæ promittuntur, "inebriabunt. Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ. Timeo ne fortè quemadmodum paulò antè membra corporis quærebat in Deo, sic in ejus ebrietate cogitet satietatem, non ineffabilium bonorum, sed crapulam carnalium conviviorum. Dicamus tamen, cogitet quod potest, si majora non potest, non recedat de sinu, [c] tamen crescat. Sequamur, & [d] qui possumus, quantum possumus, spiritaliter delectemur. "Inebriabuntur, inquit, ab ubertate domûs tuæ, & "torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quo vino, quo musto, quâ undâ, quo melle, quo nectare? Quæris quo? "Quoniam apud te est fons vitæ. Bibe, si potes, vitam. Conscientiam para, non gulam; mentem, non ventrem. Si audisti, si intellexisti, si dilexisti, quantum potuisti, [e] jam inde bibisti.

Rom. 8. 24.

CAPUT XIII. 1. Johan. 4. 8. Caritas amatur, nec tamen sentitur.

13. Adtende quid biberis. Caritatem bibisti. Si nosti illam, Deus caritas est. Si ergo caritatem bibisti, dic mihi in quo loco bibisti. Si nosti illam, si vidisti illam, si amas, unde amas? QUIDQUID enim BENE AMAS, caritate amas. Quomodo autem caritate? [f] Aut quid amas, qui caritatem amas? Ergo si amas, [g] unde amas? Venit ad te, & nosti eam, & vides eam: & non in loco videtur, nec corporalibus oculis quæritur, ut vehementiùs ametur; nec auditur affatu; & quando ad te venit, non sentiebatur incessu. Numquid deambulantis in corde tuo aliquando plantas sensisti caritatis? Quid ergo est? Cujus hoc est, quod jam est in te, & non capitur à te? Sic disce amare Deum.

CAPUT XIV. Gen. 3. 8. Gen. 18. 1.

14. Sed deambulavit in paradiso, sed visus est ad ilicem Mambre, sed locutus est cum Moyse

a Ita in exemplari Victorino & in Flori collectione. At in editis, *quia pro ipsa pignus dedit.*
b Sic Victorinus MS. At editi, *Quamquam misericors Deus, tamen multiplicem misericordiam* &c.
c Victorinus MS, *cùm crescit.*
d Sic Victorinus MS. At Lov. *& quâ possumus, & quantum possumus.*
e In Victorino MS. *si jam inde bibisti; adtende* &c.
f Victorinus MS. *Quomodo autem caritate aliquid amas, qui caritatem non amas?*
g Victorinus MS. *Ergo si amas, bene amas.*

CLASSIS I.

Exodi 33. 11. Deus quomodo hîc Moysi apparuit. *Ibidem 13.*

in monte Sina os ad os. Et quid inde? Ecce qui A videtur in loco, non sentitur incessu. Vis audire ipsum Moysen, ne mihi quamvis nutrire cupienti inquietus infans tædium facias? Visne ergo audire ipsum Moysen? Certè loquebatur & Deo os ad os. Cui ergo dicebat, nisi ipsi cum quo loquebatur, Si inveni gratiam ante te, ostende mihi te ipsum? Loquitur cum ipso os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suum, & dicit ei, » Si inveni gratiam ante te, ostende mihi te ipsum » manifestè. Quid videbat, & quid sciebat? Si B non erat ipse, quomodo ei dicitur, Ostende mi- » hi te ipsum? Non possumus dicere, quòd non erat ipse. Si non esset ipse, hoc ei diceret, Ostende mihi Deum. Cùm dicit ergo, Ostende mihi te ipsum, manifestat quòd ipse erat, quem sibi volebat ostendi. Loquebatur & cum eo os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suum. Vis ergo audire? Si capis, Deus Moysi apparebat latens. Si enim non appareret, non esset cum » quo os ad os loquens diceret, Ostende mihi te- C metipsum. Si autem non lateret, non adhuc quæreret videre eumdem ipsum. Si ergo capis, si intelligis, potest hîc Deus simul apparere & latêre; apparere specie, latêre naturâ.

15. Hoc si, ut potuisti, intellexisti; vide ne subintret tibi, quòd Deus ut appareat, in quam vult speciem naturam suam convertit. * Incommutabilis est Deus, non tantùm Pater, sed Pater & Filius & Spiritus-sanctus. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & D Deus erat Verbum. Ipsum Verbum Deus incommutabilis est, sicut Deus apud quem est Deus. Nihil in [a] ulla persona cogites detrimenti, nihil commutationis. Deus enim pater lumi- » num, apud quem non est commutatio, nec mo- » menti obumbratio. Si ergo incommutabilis est, inquis, quid est illa species, in qua ut voluit, cui voluit, apparuit, deambulando, sonando, vel se etiam ipsis carnalibus oculis exhibendo? Quæris à me quid sit, unde faciat Deus præsentiam E sui; quasi jam explicare possim unde fecerit mundum, unde fecerit cælum, unde fecerit terram, unde fecerit te. Jam video, respondes, de limo. Ecce te de limo: unde limum? Respondes, de terra. Sed puto non de illa terra, quam alter fecit; sed de illa terra, quam fecit qui fecit cælum & terram. Unde ergo & ipsa terra? Dixit, & facta sunt. Bene, optimè respondes, agnoscis: Dixit, & facta sunt: nihil plus quæro. Sed » quomodo cùm tu dicis, Dixit, & facta sunt; F ego nihil plus quæro: sic nec tu plus quæras, cùm dico, Voluit, & apparuit.

*CAPUT XV. Deus absque sui mutatione apparuit ea specie, qua voluit. *Johan. 1. 1.* *Jacobi 1. 17.* *Psal. 148. 5.*

CAPUT XVI. Deus à filiis videbitur sicuti est. *1. Johan. 3. 2.*

16. Apparuit, sicut congruum judicabat; latuit, sicut erat. Verus affectus [b] non videtur, non videtur amor, non videtur dilectio. De illo pignore in id æstuet, in quod æstuabat & Moyses, qui ei quem videbat, dicebat, Ostende mihi temetipsum. Si hoc ergo quærimus, filii ipsius sumus. Filii enim Dei sumus, & non- » dum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm ap- G » paruerit, similes ei erimus, quoniam videbimus » eum sicuti est. Non sicut visus est ad ilicem Mambre, non sicut visus est Moysi, ut adhuc » ei dicamus, Ostende nobis temetipsum: sed videbimus eum sicuti est. Quo merito? Quia filii Dei sumus. Et hoc non ex nostris meritis, sed gratiâ illius misericordiæ. Pluviam enim voluntariam segregans Deus hereditati tuæ: & infirmata est, non de se præsumendo videre quod non videt, sed credendo quod videre desiderat: tu verò perfecisti eam. Perfecta ergo hereditas ejus & filii ejus, videbimus eum sicuti est.

17. Sed de filiis quid dixit Dominus? Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. * Ergo de tam abditis difficillimisque quæstionibus, si quid minùs intelligimus, pacificè requiramus. Non infletur alter pro altero adversùs alterum. Nam si zelum amarum habetis, & contentiones in vobis sunt: non est ista sapientia de sursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Filii ergo Dei sumus; & agnoscimus quòd ejus filii sumus, nec agnoscimur, nisi pacifici fuerimus. Nam unde videamus Deum non habebimus, si contendendo in nobis ipsum oculum exstinxerimus.

18. Adtende quid dicat, [c] cur timens & tremens loquor. Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum. Quomodo terruit amatores? Non terruit nisi amatores. Numquid dixit, Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, quam qui non habuerit, in ignem mittetur, æterno igne cruciabitur, infatigabilibus tortoribus dabitur? Et vera sunt, & hæc non dixit. * Amatorem te voluit esse boni, non formidatorem mali: & ex eo ipso quod desiderabas, inde te terruit. Deum [d] videbis: propterea contemnis, propterea rixas, propterea turbas moves. Pacem « sectamini cum omnibus, & sanctificationem, si- « ne qua nemo poterit videre Deum. Quàm stul- « ti essent duo volentes videre solem oriturum, si contenderent inter se, qua parte oriturus esset, & quomodo videri posset, & natâ inter se controversiâ litigarent, litigando se cæderent, cædendo oculos suos exstinguerent, ut illum ortum videre non possent? Ergo ut Deum videre possimus, fide corda mundemus, caritate sanemus, pace firmemus: quia hoc ipsum unde invicem diligimus, jam ex illo est, quem videre desideramus.

SERMO XXIV.

De [e] *versu* (2.) *Psalmi* (82.) Deus quis similis tibi?

1. GRATIAS Domino Deo nostro, & abundantiam laudis illi Deo, quem decet hymnus in Sion. Gratias illi, cui cordis & oris devotione cantavimus, *Deus quis similis tibi?* quòd ejus sanctam caritatem inviseratam sentimus cordibus nostris: quòd ipsum tamquam Dominum timetis, tamquam Patrem diligitis. Gratias illi, qui desideratur ante quàm videatur, & præsens sentitur, & futurus speratur. Gratias illi, cujus timorem non excutit amor, cujus amorem non impedit timor. Ipsum benedicimus, ipsum honoramus, & pro * nobis, & in nobis. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Jam videte quantum ille vi-

vat;

f. pro bis & vobis 1. Cor. 3.

a Sic in Victorino MS. At apud Lov. *Nihil in illa persona.*
b Victorin. MS. *Verus affectus, noster amor, nostra dilectio in illo pignore, in id æstuet.*
c Sic Victorinus MS. At Lov. *quid timens loquatur Apostolus.*
d Lov. *non videbis.* Abest *non* à Victorino libro.
e Hujus Sermonis meminit Possidius in cap. 9. Indiculi.

Classis I.

vat, vel quomodo vivat, quando lapides tem- A pli ejus sic vivunt. Cogitate, Fratres, quid dicatis, & cui dicatis, *Deus quis similis tibi?* Lapides vivi dicunt habitatori suo, *Deus quis similis tibi?* Occurrat cordibus vestris universa creatura, terra & quidquid in terra, mare & quidquid in mari, aër & quidquid in aëre, cælum & quidquid in cælo: Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Ergo *Deus quis similis tibi?* dicat universum cor, dicat universa obediens lingua, dicat omnis devota conscientia, B dicat secura, *Deus quis similis tibi?* Illi enim dicit, de quo non erubescit. Dignum est hoc, decet hoc lapides vivos.

Psal. 148. 5.

Christianorum in Paganos pietas.

2. Nam lapides mortui utinam sentiant in se misericordiam lapidum vivorum. Mortuos dico, non illos, quibus fabricæ istæ consurgunt, nec in quibus ferrum artificum operatur, nec quos sculpsit homo, ut dii sint; immo sculpsit homo, ut vocentur & non sint; non ipsos dico mortuos lapides: [a] sed homines dico mortuos C lapides, quibus dii similes sunt. Lapides vivi sunt, quos alloquitur apostolus Petrus, & dicit: Et vos fratres, tamquam lapides vivi coædificamini templum Dei sanctum. Utinam ergo, Fratres mei, sentiant lapides mortui misericordiam in se lapidum vivorum! Quid enim satagimus? quid cordis nostri vel angustiâ vel latitudine percurrimus? quid curamus, quid studemus, nisi ut lapidem liberemus à lapide? Lapides enim vivi oculos habent & vident, au- D res habent & audiunt, manus habent & operantur, pedes habent & ambulant: etenim noverunt factorem suum. At verò lapides mortui, sciunt lapides suos, deos adtendunt, adorant, & * cognoscuntur; sacrificium inferunt, & sacrificium ipsi diabolo fiunt. Quod ipsi, Fratres, si & oculos haberent ad videndum, & aures ad audiendum, quantum erat videre impleri Christi prophetias? Quantum erat adtendere veridicos codices, & oracula, sed non fallacia? Sed E quare non vident? quare non audiunt? Quia & hîc prophetia dicit, Similes fiunt illis homines qui faciunt ea, & qui confidunt in eis. Ergo desperati & desperandi? Absit. Et quid sperandum est de lapidibus mortuis? Quid putatis, nisi quod * jam scriptum tenemus, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ?

1. Petri 2. 5.

* *f.* non cognoscuntur.

Psal. 113. 8.

Matth. 3. 9.
* *f.* etiam.

Deo vero nec homo comparari debet, multò minùs idolum Herculis, cujus titulus refellitur.

3. Itaque Carissimi, quoniam nostis cui Deo diximus, *Deus quis similis tibi?* de quo non erubescimus, cujus titulum non in lapide legimus, F sed in corde gestamus: cujus nomen & notum est omnibus, & vivit in credentibus, habitat in subditis, debellat superbos: quoniam novimus cui diximus, *Deus quis similis tibi?* non nos moveant ad odium sui homines, quos fecit Deus, sed moveat ad odium sui quidquid in homine bene facto à Deo malè fecit ipse homo. Homo nomen unum est. Hujus creaturæ artificem quæro, Deus est. Numquidnam hominis tantummodo creator Deus? Nonne & pecoris, & pis- G cis, & volatilis, & Angeli, & cæli, & terræ, & siderum, & solis, & lunæ, & omnium suprà infráque conditorum & temperatorum, imorum atque summorum, unitatis vinculo connexorum? nonne istorum omnium artifex Deus? Sed hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit.

Serm. de Scripturis.

Similitudo aliqua dicitur homo, & quanta ad quantum? quid ad quem? homo ad Deum? Quid est homo, nisi quòd memor es ejus? Dicamus ergo ad imaginem & similitudinem facti ipsius, Deo nostro dicamus, *Deus quis similis tibi?* Addidit enim, Memento, quia pulvis sumus. Sic longè es à similitudine Dei. Homo factus ad similitudinem Dei: sed ipsa similitudo sic distat, ut eam comparari non deceat. Et tamen cor hominis, cor Christiani, qui non potest dicere, Homini deo: libenter legit, Herculi deo. Titulus non loquitur, sed vel legitur, Herculi deo. De quo dictum est? Ipse dicat de quo dictum. Utrumque mutum, utrumque insensatum: suprà mendacium, infra figmentum. Titulus accusans scriptorem, confundens adoratorem. Titulus non commendans lapidem deum, sed indicans hominem stultum. Titulus nomen dei imponens figmento, & nomen cultoris delens de libro viventium. Quam particulam sensûs in se sentit?

Psal. 8. 5.

Psal. 102. 14.

Quomodo petitur ut ne taceat, neque mitescat Deus.

4. Quia tamen potens est Deus de lapidibus istis excitare filios Abraham, adtendat ibi quod fecit in homine. Ipse Deus, cui diximus, *Deus, quis similis tibi?* adtendat in homine ipso quod fecit, deleat quod ab ipso homine factum est contra eum, qui hominem fecit. Percutiat & sanet, occidat & vivificet. Cui enim dixit, *Domine, quis similis tibi*, ei consequenter adjunxit, *Ne taceas, neque mitescas Deus.* Quid verò? In isto Cantico, Fratres mei, ad iracundiam Deum provocavimus, cui diximus, *Ne sileas, neque mitescas Deus?* Nempe aut ille qui misit, aut ille ipse qui venit, & ait, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Mitis & humilis corde Filius Dei Christus. Quid ergo? Ille dixit, Discite à me quia mitis sum & humilis corde: & nos ei diximus, *Ne taceas, neque mitescas Deus?* Sed respondeat nobis: O homo, parum est quia tu non à me discis ut sis mitis, & me vis docere ne sim mitis? Videte, Fratres, intendite, adjuvate nos, ut exeamus in ejus nomine, (adjuvate nos pia intentione, casta oratione,) ex his angustiis. Litigare videntur divina eloquia: contrarium putantur sonare, nisi adsit intellectus, & suscipiamus ab illo ipso, cui diximus, *Deus, quis similis tibi?* quod & ipse dixit, Intellectum tibi dabo, suscipiamus. Novimus hoc: Pacem meam do vobis. Dicit Christus, ut inter se pacem habeant Christiani. Quomodo imitabuntur? quomodo audient, si ipsa divina eloquia pacem inter se habere non possunt? Intendite, videte quasi resonantiam contrariorum. Venite ad me, &c. Discite à me. Quid? primò quis vocat? quem vocat? ad quid vocat? Audi quis vocat. Confiteor tibi, Domine, Pater, cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum est coram te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Ecce quis vocat. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Quia nemo cognoscit Filium nisi Pater, & nemo cognoscit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Ingens magnitudo, & ineffabilis altitudo. Omnia tradita sunt mihi, inquit, à Patre meo. Solus agnosco, à solo agnoscor. Quid, nos remansimus? non agnoscimus? Et ubi

Matth. 11. 29.

Psal. 31. 8.

Johan. 14. 27.

Matth. 11. 28.

Ibidem 25. &c.

[a] Sic in Victorino MS. At in editis omissum fuerat, *sed homines dico mortuos lapides.*

Classis I.

est, Cui voluerit Filius revelare?

Fidelium quorumdam zelus contra idola.

5. Animus vester & studium fidei, & flagrantia caritatis, & abundantia zeli domûs Dei, apparuit in vocibus vestris, quas satis claras vestri cordis testes habuistis. Sinite ut appareat & paucorum fidelium Dei, per quos gubernamini, studium circa istam voluntatem vestram. Vos enim, Fratres, populus Dei estis, sicut ipse dixit, & oves pascuæ ejus. Habetis in nomine Dei pastores, servos pastoris & membra pastoris. [a] Multitudinis animus & voluntas ad quamque rem faciendam istis vocibus poterit apparere: paucorum autem cura pro vobis, non vocibus, sed rebus debet ostendi. Itaque, Fratres, quoniam jam quod ad vos pertinebat, implestis acclamando; sinite ut probetur vobis, utrùm & quod ad nos pertinet, impleamus agendo. Probavimus vos; probate nos, si post istas voces testes cordis & studii vestri, nos in agendis quæ agi oportet, segnes fuerimus. Absit à nobis, ut vos inveniamini probi, & nos reprobi. Sed quoniam voluntas agendi de iis quibus acclamastis, una est & vestra & nostra; modus verò agendi par esse non potest: putamus, Carissimi, ideo oportere, ut voluntas accipiatur à vobis; consilium implendæ voluntatis vestræ exspectetur à nobis. Ut membra Christi non discordent, impleant omnia quæ in illius corpore sunt, officia sua: faciat oculus in sublimi locatus quod ad oculum pertinet, auris quod ad aurem pertinet, manus quod ad manum, pes quod ad pedem; ut non sint scissuræ in corpore, sed idem ipsum ut pro se invicem sollicita sint membra. Gratulamur itaque & congratulamur Caritati Vestræ, quia sancto domino & collegæ nostro Episcopo vestro obedistis in eo, quod vobis manè locutus est. Hoc sequimini, ab ista via non recedatis, ne cadatis. Valde enim adjuvat Deus quod vultis, si quod jusserit feceritis. Quid enim, ut dicere cœperam, omnis homo? aut quæ est vita hominum, quàm, sicut scriptum est, vapor ad modicum apparens? Cogitate ergo, Fratres, fragilitatem vestram, humilitatem vestram, conditionem carnis, hujus sæculi volaticos transitus; & videte quia tunc vobis bene erit, si tota spes vestra in illo sit, in quo solo potest firmiter collocari. Quomodo autem ibi erit spes nostra, nisi obediamus præceptis ejus?

Florus ad 1. Cor. 12. Psal. 94. 7. Jacobi 4. 15.

Gratulatur civibus, quòd Romanos deos Romæ dejectos, nolint stare Carthagine.

6. Numquid dicimus, Nolite quod vultis? Immo etiam gratias agimus id vos velle quod Deus vult. Ut enim omnis Paganorum & Gentilium superstitio deleatur, Deus vult, Deus jussit, Deus prædixit, Deus jam implere cœpit, & multis jam terrarum locis etiam ex magna parte complevit. Si voluntas nostra ab hac civitate inciperet, ut hîc primitus aboleri superstitiones dæmonum quæreretis; fortasse aliquis arduus labor esset, non tamen desperandus: nunc verò si facta sunt ista efficaciter ubi fieri cœperunt, & exempla non præcesserant; quantò efficaciùs in nomine Domini, in adjutorio dexteræ ipsius hîc quoque effici posse credimus, quando jam præcedentia [b] pronuntiantur exempla? Utique hîc clamastis: Quomodo Roma, sic & [c] Carthago. Si in capite Gentium res præcessit, membra non sunt secutura? Cogitate, Fratres, advertite in libris ipsis Gentium, audite ab eis, in quibus ipsius infelicitatis reliquiæ remanserunt; vel audiendo, vel legendo, cognoscite litteras eorum: & videte quia illi & isti dii Romani vocantur. Ergo isti dii vocantur Romani. Et quando Christiani cogebantur, fremente impetu Paganorum, ut eos adorarent, & recusantes, eorum sævitiam usque ad effusionem sanguinis sustinebant; ea videbatur tota culpa Martyrum, quorum fundebatur sanguis, quia deos Romanos adorare nolebant, quia ceremonias erga deos Romanos respuebant, quia Romanis diis non supplicabant; & totus impetus, tota invidia non fiebat, nisi de nomine deorum Romanorum. Si ergo dii Romani Romæ defecerunt, hîc quare remanserunt? Hæc ergo, Fratres, hæc adtendite, hæc dixi, hæc inhibete. Dii Romani, dii Romani, dii Romani. Si ergo dii Romani Romæ defecerunt, hîc quare remanserunt? Si ambulare possent, dicerent quia huc inde fugerunt. Sed non fugerunt: remanserunt ibi, Romæ. Qui aliquando dictus est deus Hercules, Romæ jam non est. Hîc autem etiam barbâ deauratâ esse voluit. Erravi planè, quia dixi, esse voluit. Quid enim vult insensatus lapis? Ille ergò nihil voluit; nihil potuit. Sed qui deaurari eum voluerunt, de raso erubuerunt. Suggestio itaque nescio quæ novo Judici obrepsit. Quid egit? Non egit utique ut à Christiano lapis honoraretur; sed ut Christianus illi superstitioni ad radendum misceretur: non inclinavit ad obsequendum; sed movit ad vindicandum. Fratres, puto ignominiosius fuisse Herculi barbam radi, quàm caput præcidi. Quod ergo positum est cum errore illorum, ablatum est cum dedecore illorum. Deus fortitudinis solet dici Hercules: tota virtus ejus in barba. Malo suo refulsit; quod non fulgebat luce dominica, non à luce, sed à luco fulgebat.

7. Sileant ergo, videant modò, cui Deo legant fideles & dicant, *Deus quis similis tibi? Ne sileas, nec mitescas, Deus.* Hoc susceperam, quomodo non mitescat, non evertendo homines, sed errores. Non mitescit, ergo irascitur: si mitis est, ergo & miseretur. Irascitur & miseretur: irascitur ad percutiendum, miseretur ad sanandum: irascitur ad mortificandum, miseretur ad vivificandum. In uno homine facit hæc. Non quasi alios mortificans, alios vivificans: sed in eisdem ipsis & irascitur, & mitis est. Irascitur erroribus, mitescit correctis moribus. Ego percutiam, & ego sanabo: ego occidam, & ego vivere faciam. Unum Saulum, postea Paulum, & prostravit, & erexit: prostravit infidelem, erexit fidelem: prostravit persecutorem, erexit prædicatorem. Si non irascitur, unde Herculi barba rasa est? Fecit enim hoc per fideles suos, per Christianos suos, per potestates à se ordinatas & Christi jugo jam subditas. Itaque, Fratres, hoc libenti animo accipite; & in Domini adjutorio cetera prosperiùs jam sperate.

[a] Hîc & infrà textus in antè editis mendosus corrigitur ex Floro.

[b] Pithœanus MS. *nuntiantur exempla.* Commemorandæ hoc loco erant, si promulgatæ jam antea fuissent, quas Honorius contra idola leges dedit anno 399. Habebatur Sermo fortè anno proximè antecedenti.

[c] Hinc apparet Carthagine habitum esse hunc Sermonem, & Episcopum paulò antè intelligi Carthaginensem, & Judicem infrà Proconsulem, cui suggestum à Christianis fuerat, ut Herculi illudere liceret. Neque verò Carthagine dumtaxat, sed aliis Africæ locis, constat in cultu Herculem fuisse, ut apud Suffectanos in provincia Byzacena: ubi cùm Herculis statuam comminuissent Christiani, repentino in eos impetu populi cæsi sunt sexaginta. Quam furoris immanitatem exagitans Augustinus epistolâ 267. (nunc 50.) simul Herculem deum, ut hoc loco, scitè deridet. SIRMOND.

Classis I.

Serm. de Scripturis.

* Alias de Diversis 19.

* SERMO XXV.

De versiculo (12.) *Psalmi* (93.) Beatus homo quem tu erudieris, Domine, &c.

Caput I. Evangelium, Lex Testamenti novi.

1. Cum cantaremus Deo, diximus ei, *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & ex lege tua docueris eum.* Ergo Dei Evangelium sonavit, Zacchæus eleemosynas fecit. Discite. Quæ melior enim lex Dei, quàm sanctum Evangelium? Lex enim [a] Testamenti novi, de quo Propheta cùm legeretur, audistis: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Jacob Testamentum „ novum: non secundùm Testamentum quod sta„ tui patribus eorum, cùm educerem eos de terra „ Ægypti. Testamentum ibi promissum, hîc redditum; promissum per Prophetam, redditum per Dominum Prophetarum. Testamentum illud quod dicitur vetus, legite, & videte. Lex Dei data est etiam tunc, legite, vel audite quando legitur, & videte quæ ibi promissa fuerint. Promissa est ibi terra terræ; terra fluens lacte & melle; sed tamen terra. Verumtamen si intelligamus spiritaliter, (quando non illa terra fluxit lacte & melle;) alia est terra quæ fluet lacte & melle: terra illa de qua dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Hæc enim terra morientium est. * Lac & mel quæritis? Gustate & videte quàm suavis est Dominus. Gratia ejus significata est nomine lactis & mellis: dulcis & nutritoria est. Hæc autem gratia in vetere Testamento figurata, in novo revelata.

Jerem. 31. 31. & 32.

Legis veteris promissa spiritaliter intelligenda.

Psal. 141. 6.

* Caput II. Psal. 33. 9.

2. Denique Lex illa, propter eos qui carnaliter sapiunt, & talia præmia quærunt à Deo, & propter illa Deum colere volunt quæ ibi promissa sunt, audire meruit ab apostolo Paulo, quia ad servitutem generat. Quare? Quia carnaliter intelligitur à Judæis. Nam spiritaliter intellecta, Evangelium est. Ergo in servitutem generat. Quos? Qui propter bona terrena Deo serviunt. Quando illis adsunt, gratias agunt; quando desunt, blasphemant. Qui enim propter ea Deo serviunt, vero corde servire non possunt. Adtendunt enim eos qui Deo nostro non serviunt: vident enim eos habere propter quod ipsi Deo serviunt; & dicunt in corde suo, Quid mihi prodest quia Deo servio? Numquid habeo tantum, quantum ille qui quotidie blasphemat? Orat, & esurit; blasphemat, & ructat. Qui ad ista adtendit, homo est; homo est de Testamento veteri. Qui verò in Testamento novo Deum colit, novam hereditatem debet sperare, non veterem. Si novam hereditatem speras, terram transi, calca vertices montium, hoc est, contemne fastigium superborum. * Sed quando contemseris & calcaveris, humilis esto, ne de altitudine cadas. Audi, Sursum cor: sed ad Dominum, non contra Dominum. Omnes superbi sursum cor habent, sed contra Dominum. Si autem vis tu verè sursum cor habere; ad Dominum habe. Si enim ad Dominum habueris cor sursum, ipse tenet cor tuum, ne cadat in terram.

Legis veteris servitus, cùm Deus colitur propter terrena. Gal. 4. 24.

* Caput III. Sursum cor.

3. Beatus ergo vir: *beatus homo quem tu erudieris, Domine.* Ecce loquor, ecce clamo, ecce expono. Qui me audiunt? Scio qui me audiunt: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine;* cui Deus in corde loquitur, & quando ego taceo, ipse est *beatus quem tu erudieris, Domine, & ex lege tua docueris eum.* Quid sequitur? Huc usque cantavimus: *Et ex lege tua docueris eum.* * *Ut mitiges eum à diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.* Ipse est vir qui eruditur à Domino, ipse est qui ex lege Dei discit à Domino, qui mitigatur à diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Audite quid sit. Maligni dies sunt. Numquid isthîc, ex quo de Paradiso projecti sumus, malignos dies agimus? Et majores nostri planxerunt dies suos, & avi eorum planxerunt dies suos. Nullis hominibus dies placuerunt, quos vivendo egerunt. Sed posteris placent dies majorum: & illis iterum illi dies placebant, quos ipsi non sentiebant, & ideo placebant. Quod enim præsens est, acrem habet sensum. Non dico, propiùs admovetur; sed cor tangit quotidie. Omni anno plerumque dicimus quando frigus sentimus, Numquam fecit tale frigus: Numquam fecit tales æstus. Semper facit ipse [b] qui facit. Sed *beatus vir quem tu erudieris, Domine: ut mitiges eum à diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.*

ỳ. 13.

Dies maligni ab initio peccati.

Caput IV. Maligni dies unde.

4. Maligni dies. Numquid isti dies maligni sunt, quos agitat circulus solis? Faciunt malignos dies maligni homines: & sic est propè totus mundus. Inter turbas malignorum gemit paucitas frumentorum. Revocemus ad ipsos justos. Maligni sunt illi, & faciunt malignos dies: quid ipsi justi, nonne in diebus malignis sunt & apud se ipsos, præter quod patiuntur malignos homines, inter quos gemunt? Et apud se ipsos, inquam, quando sunt, adtendant se, descendant in se, bene se considerent; inveniunt in se dies malignos. Bellum nolunt, pacem volunt: & quis non? Et cùm omnes bellum nolint, & omnes pacem velint, revocat ad se oculos & qui justè vivit, & bellum in se invenit. Quære à me quod bellum. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & ex lege tua docueris eum.* Ecce homo quærit à me, quod bellum in se patiatur justus: doce illum ex lege tua, loquatur Apostolus; Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Et ubi projicio carnem, si sonet bellum; si, quod Deus avertat, hostis irruat? Fugit homo, & secum trahit bellum suum, quocumque it. Non dico, si malus est: prorsus si bonus est, si justè vivit, invenit in se quod Apostolus dicit, Caro concupiscit adversùs spi- „ ritum, & spiritus adversùs carnem. In isto bel- „ lo quomodo sunt dies boni?

Gal. 5. 17.

5. Ergo maligni sunt dies: sed mitigemur. * Quid est, Mitigemur? Judicio divino non irascamur. Dicamus illi, Bonum est mihi, quoniam humiliasti me, ut discam justificationes tuas. De paradiso elisisti, de beatitudine projecisti: in ærumna sum, in gemitu sum, gemitus meus non est absconditus à te. Sed bonum est mihi, quoniam humiliasti me, ut discam justificationes tuas. In diebus malis disco quærere dies bonos. Qui sunt dies boni? Nolite illos modò quærere: mihi credite, immo mecum credite, non invenietis. Transibunt dies mali, & venient boni:

* Caput V. Psal. 118. 71. Dies maligni piis prosunt ad inveniendos dies bonos.

a Editi, *Lex enim præsagium est Testamenti novi.* At optimæ notæ Germanensis MS. non habet *præsagium est.* Ex quo intelligas, Legem hîc Testamenti novi, Evangelium ipsum appellari.

b Germanensis MS. *ipse est qui facit.*

Classis I.

sed boni venient bonis, malis pejores.

6. Etenim & ego interrogo vos, Quis est homo qui vult vitam? (*Psal. 33.13.*) Scio, omnium corda mihi respondent, Quis enim homo qui non vult vitam? Addo, Et diligit videre dies bonos? Omnes respondetis, Quis est qui non diligat videre dies bonos? (Dies boni qua conditione propositi.) Bene respondetis; vultis vitam, vultis dies bonos. Certè quando dicebam, Quis est homo qui vult vitam, omnis homo mihi respondet, Ego. Quis est homo qui vult videre dies bonos? Nonne in silentio quisque vestrûm dicit, Ego? Audi quod sequitur: (*Ibidem 14.*) Contine linguam tuam à malo. Modò dic, Ego. Quæris veniam: modò te inveniam. * (*Caput VI.*) Transierunt præterita: fuerit lingua tua maligna, fueris susurro, fueris criminator, fueris calumniator, fueris maledicus: ista omnia fueris. Transeant ista cum diebus malis: noli tu transire cum diebus malis. Est enim quò te teneas, ut non transeas. Res humana tamquam fluvius currit: maligni dies tamquam fluvius currunt. Tene te ad lignum, ne traharis. Ecce fluvius currit. (*Isai. 40.6.*) Omnis enim caro fœnum, & omnis honor carnis, ut flos fœni. Præcipitatur, transit, fœnum aruit, flos decidit. Quò me teneo? Verbum Domini manet in æternum.

7. Prohibe ergo linguam tuam à malo, & labia tua ut non loquantur dolum. Tu qui volebas vitam, aut vis vitam & dies bonos, (*Ibidem 15.*) declina à malo, & fac bonum. (Pax sequenda qualis præcipitur.) Quære pacem, quam optamus omnes & in ista carnis mortalitate, & in ista carnis fragilitate, & in ista mendacissima vanitate. Omnes pacem quærite. Quære pacem, & sequere eam. Ubi est? Quò sequor? Quà transiit? quà transiit, ut sequar? Per te transiit, sed non in te remansit. Cui dico? Generi humano: non unicuique vestrûm, sed generi humano. Per genus humanum transiit ipsa pax: ipsa transeunte clamavit cæcus in hesterna lectione. Et quò iit? Primò vide quæ sit pax, & vide quò ierit, & sequere eam. Quæ est pax? Apostolum audi, de Christo dicebat, (*Ephes. 2. 14.*) Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Pax ergo est Christus. Quò iit? Crucifixus est, & sepultus, resurrexit à mortuis, adscendit in cælum. Ecce quò iit pax. * (*Caput VII.* Sursû cor.) Quomodo eam sequor? Sursum cor. Audi quomodo sequaris. Quotidie quidem audis breviter, quando tibi dicitur, Sursum cor; altius inde cogita, & sequeris. Tamen audi & latius, ut sequaris pacem veram, pacem tuam, pacem quæ pro te pertulit bellum; pacem, quæ cùm pro te toleraret bellum, oravit pro hostibus pacis, & dixit pendens, (*Luca 23. 46.*) Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Bellum erat, & pax de ligno manabat. Manabat, sed postea quid? Adscendit in cælum. Quære pacem. Et quomodo sequeris? Audi Apostolum: (*Coloss. 3. 1. &c.*) Si resurrexistis cum » Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, » sapite, non quæ super terram. Mortui enim » estis, & vita vestra abscondita est cum Christo » in Deo: cùm Christus apparuerit vita vestra, » tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. * (*Caput VIII.*) Ecce dies boni, ipsos desideremus: propter hoc vivamus, propter hoc oremus, propter hoc eleemosynas demus.

8. (Christus in pauperibus.) Jam ecce, Deo propitio, hyems est: de pauperibus cogitate, quomodo Christus vestiatur nudus. Quando legebatur Evangelium, numquid non omnes beatificavimus Zacchæum, quando eum Christus suspexit in arbore intentum ut videret transeuntem? Nam quando sperarct in domo sua habitantem? Quando ei dixit, Descende Zacchæe, hodie oportet me in domo tua manere: audivi gemitus gratulationis vestræ. Quasi omnes in Zacchæo fuistis, & Christum excepistis: sic dixit omnium vestrûm cor, O beatum Zacchæum! Dominus intravit in domum ipsius. O beatum! Numquid nobis potest ita contingere? Jam Christus in cælo est. Recita mihi Christe Testamentum novum: fac beatum de lege tua. Recita, ut scias te non fraudari Christi præsentiâ. Audi judicaturum: Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Exspectat unusquisque vestrûm suscipere Christum sedentem in cælo: adtendite illum jacentem sub porticu; adtendite esurientem, adtendite frigus patientem, adtendite egenum, adtendite peregrinum. Facite [a] quod soletis, facite quod non soletis. Crescit doctrina, crescant opera bona. Laudatis sementem, exhibete messem. Amen.

* SERMO XXVI.

De [b] verbis Psalmi (94.) Venite adoremus & prosternamur ei, fleamus ante Dominum qui nos fecit *&c. Et de verbis Apostoli ad Gal.* (*cap.* 2.) Nam si per Legem justitia *&c. Et* (*cap.* 3.) Si enim data esset Lex quæ possit vivificare. *Et ad Rom.* (*cap.* 9.) O homo tu quis es *&c. Et* (*cap.* 11.) O altitudo *&c. Contra hæresim Pelagianorum.*

1. PSALMUS quem cantavimus Deo, & nos invicem exhortati sumus, ut *adoremus eum, & prosternamur illi, & fleamus ante Dominum, qui nos fecit*, admonet quærere aliquantò diligentiùs, quid sibi velit quod ait, *Qui nos fecit*. Quòd enim homo à Deo creatus est, nullus dubitat homo, nisi qui ingratus est. Novimus enim, quia ita legimus, & ita credidimus, quòd fecit Deus hominem, inter multa quæ fecit, ad imaginem suam. Hæc hominis est prima conditio, hæc est humana prima creatura. Non tamen arbitror, hoc nos pro magno voluisse commonere Spiritum-sanctum in hoc Psalmo, quod ait, *Fleamus ante Dominum, qui nos fecit.* Alio enim loco dicit, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Unde quidem, ut dixi, Christianus dubitat nemo: quia non solùm Deus creavit primum hominem, ex quo omnes homines, sed Deus hodieque creat singulos homines; ille qui ait cuidam sancto suo, Priùs quàm te formarem in utero, novi te. Priùs ergo creavit hominem sine homine, modò creat hominem ex homine. Tamen sive hominem sine homine, sive hominem ex homine, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Ad istum itaque primum verborum istorum & facilem sensum, sed tamen verum, *adoremus eum*, Fratres, *& prosternamur ei, & ploremus ante Dominum qui nos fecit.* Non enim fecit, & deserit: non enim curavit facere, & non curat custodire. *Ploremus ante Dominum, qui nos fecit*: quia non ploravimus

[a] Germanensis MS. *Facite qui soletis, facite qui non soletis.*

[b] Citatur à Floro ad Rom. 4. & 9. Habitus fuit die proximè sequenti post Sermonem aliàs 13. de verbis Apost. anno 417. aut paulò post, eo ferè tempore quo scriptus liber de gratia Christi.

CLASSIS I.

quando nos fecit, & tamen fecit. Qui ergo fe- A cit antè quàm rogaretur, deserit cùm rogatur? Tamquam ergo dubitaret homo utrùm exaudiretur orans, admonuit eum Scriptura, cùm dicit, *Ploremus ante Dominum, qui nos fecit.* Utique exaudit quos fecit: utique non potest non curare quos fecit.

CAPUT II. Pelagianorum error, se à Deo factos homines, à se autem justos.

2. Verumtamen altiore intellectu, &, quantùm existimo, utiliore, vidit quosdam Spiritus-sanctus dicentes vel dicturos, quòd Deus fecerit eos homines, justos autem ipsi se faciant: B prævidit eos, admonuit eos, & ab hac extollentia revocavit eos, dicens, » Ipse fecit nos, & » non ipsi nos. Quare enim addidit, Et non ipsi nos, cùm sufficeret dicere, Ipse fecit nos? nisi quia illam facturam voluit admonere, ubi dicunt homines, Ipsi fecimus nos, id est, ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus: quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus; ut ergo justi simus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc Deum invocamus, ut justos C nos faciat, quod habemus in potestate, ut nos ipsi justos faciamus? Audite, audite: Et justos & » injustos, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio: creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se autem ipse fecerit, notum est: cadens à manu figuli fractus est. Regebat enim eum ipse qui fecerat, voluit deserere à quo factus erat, permisit Deus, tamquam dicens, Deserat me, & inveniat se, & miseriâ suâ probet quia D nihil potest sine me.

CAPUT III. Liberum arbitrium sine Deo quid valeat.

3. Hoc modo ergo ostendere voluit Deus homini quid valeat liberum arbitrium sine Deo. O malum liberum arbitrium sine Deo! Experti sumus quid valeat sine Deo. Ideo miseri facti sumus, quia sine Deo quid valeat experti sumus. Experti ergo tandem aliquando noverimus, & venite adoremus eum, & prosternamur ei. *Venite adoremus, & prosternamur illi, & fleamus coram Domino qui nos fecit:* ut perditos nos per E nos, reficiat nos qui fecit nos. Ecce bonus factus est homo, & per liberum arbitrium factus est malus homo: quando facturus est bonum hominem malus homo per liberum arbitrium deserens Deum? Servare se non potuit bonus bonum, & facturus est se malus bonum? Cùm esset bonus, non se servavit bonum; & cùm sit malus dicit, Facio me bonum? Quid facis malus, qui peristi bonus, nisi reficiat te qui permanet bonus? F

» 4. Ipse ergo fecit nos, & non ipsi nos. * *Nos* ℣. 7. *autem populus ejus & oves pascuæ ejus.* Ecce fecit nos homines populum suum, qui nos fecit.

Homines quòd sumus, Deo auctore sumus.

Non enim creati homines jam populus ejus eramus. Videte Fratres mei, & de ipsius Psalmi ver- » bis adtendite, unde dixerit, Ipse fecit nos, & » non ipsi nos. Hinc dixit, Fecit nos, & non ipsi nos, ut simus *populus ejus & oves pascuæ ejus.* Ipse fecit nos. Nam & Pagani nascuntur, & omnes impii, omnes adversarii Ecclesiæ ejus, ut G nascerentur, ipse fecit eos. Non enim alius Deus creavit eos. Qui de Paganis nascuntur, ab ipso facti sunt, ab ipso creati sunt; & non sunt populus ejus, nec oves pascuæ ejus. * COMMUNIS est omnibus natura, non gratia. Natura non putetur gratia: sed & si putetur gratia, ideo putetur gratia, quia & ipsa gratis concessa est.

*CAPUT IV. Gratia creationis.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Non enim homo qui non erat promeruit ut esset. Si promeruit, jam erat: sed nondum erat. Ergo qui promereretur, non erat; & tamen factus est: nec ut pecora factus est, nec ut arbor factus est, nec ut saxum factus est; sed factus est ad imaginem Creatoris. Hoc beneficium quis dedit? Deus qui erat, & ex æterno erat. Cui dedit? Homini qui nondum erat. Dedit qui erat, accepit qui non erat. Quis autem hoc facere potuit, nisi qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt? De quo dicit Apostolus, Qui nos elegit ante mundi constitutionem. Elegit ante mundi constitutionem: in mundo isto facti sumus, nec mundus erat quando electi sumus. Ineffabilia mirabilia, Fratres mei. Quis hoc explicare suffecerit? quis saltem quod explicet, cogitare? Eliguntur qui non sunt: nec errat qui eligit, nec vanè eligit. Eligit tamen, & habet electos, quos creaturus est eligendos: habet autem apud se ipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua.

Florus ad Rom. 4. — *Rom.* 4. 17. — *Ephes.* 1. 4. — Electio Dei.

5. Ergo nolite extolli: homines sumus; Ipse fecit nos. Et fideles sumus: si tamen sumus, quando ista contra gratiam disputamus: sed ecce fideles sumus; etiam fideles, etiam justos, quia justus ex fide vivit, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quæro quid nos fecerit? Dicturus es, Homines. Non inde Psalmus loquebatur, illud scimus, illud notum est, illud patet: nec magnâ, ut hoc noverimus, doctrinâ indigemus, quia homines ipse nos fecit. * Sed unde loquebatur, vide: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quid nos fecit, nisi quod sumus? Quid autem sumus? *Nos autem.* Ecce quid sumus. Quid? *Populus ejus & oves pascuæ ejus.* Ipse nos fecit populum suum, ipse nos fecit oves pascuæ suæ. Qui misit jugulandam ovem innoxiam, fecit oves de lupis. Hæc est gratia. Exceptâ illâ communi gratiâ naturæ, qua homines facti sumus, nec digni fuimus, quia non fuimus: exceptâ illâ gratiâ, hæc est major gratia qua facti sumus *populus ejus & oves pascuæ ejus*, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Fideles si sumus, Dei gratiâ sumus. — *Rom.* 1. 17. — *CAPUT V. — Gratia.

6. Sed dicit aliquis: Per Jesum Christum facti sumus, ut etiam homines essemus. Ita verò, per Jesum Christum facti sunt & Pagani. Nam Pagani, non ut essent Pagani, sed ut essent homines, per Jesum Christum facti sunt. Quis est enim Jesus Christus, nisi in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Hoc erat in principio apud Deum. « Omnia per ipsum facta sunt. Illi ergo debent & « Pagani quòd homines creati sunt; & tantò magis puniendi, quia dimiserunt eum à quo facti sunt, & coluerunt quæ ipsi fecerunt.

Johan. 1. 1. &c.

CAPUT VI. Gratia Christi mediatoris.

7. Exceptâ ergo illâ gratiâ, qua condita est humana natura; (hæc enim Christianis Paganisque communis est:) hæc est major gratia, non quòd per Verbum homines creati sumus, sed quòd per Verbum carnem factum fideles facti sumus. Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, in principio erat Verbum. Nondum erat homo Christus Jesus, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ipse mundus non erat; quando Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt; & mundus per ipsum factus est. Ergo tunc quando nos fecit, ut homines essemus, nondum erat

Classis I.

homo. [a] Magis istam gratiam commendat Apostolus Christianis, ubi dicit, Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum. Non ait, Christus Jesus; ne tu putares secundùm Verbum dictum: sed addidit, homo: Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Quid est mediator? Per quem conjungeremur, per quem reconciliaremur: quia peccatis propriis separati jacebamus, in morte eramus, prorsus perieramus. Non erat Christus homo, quando creatus est homo: ne periret homo, ille factus est homo.

a 1.Tim. 2. 5.

Mediator.

Caput VII. Pelagiana hæresis exoriens horretur, & gratiam Dei admittere se simulat.

8. Hæc vobis contra novellam hæresim, quæ tentat assurgere, sæpe disputare cogimur: quia vos firmos volumus esse in bono, integros autem à malo. Hæc enim est disputatio eorum, quando primò exoriri cœperunt, & contra gratiam disputare, multum tribuentes non libertati hominis, sed infirmitati; & jacentem miserum hominem ideo extollentes, ne manu sibi de super porrectâ valeat surgere. Disputantes ergo contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & catholicis offensionem. Cœperunt horreri, cœperunt ut certa pernicies devitari; cœpit de illis dici, quòd contra gratiam disputarent: & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Unde probas? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quòd liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum. Quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate. Adtendite quàm sit quasi acutè excogitatum quod dicere voluerunt. Hoc ipso, inquit, quia liberum arbitrium hominis defendo, & dico quia [b] liberum arbitrium sufficiens est ut justus sim, non sine gratia Dei dico. Erectæ sunt aures piorum: jam qui ista audit, incipit gratulari. Deo gratias. Non sine Dei gratia defendit liberum arbitrium. Est enim liberum arbitrium, sed nihil valet sine Dei gratia. Si ergo liberum arbitrium non sine Dei gratia defendunt, quid mali dicunt? Expone ergo nobis, ô doctor, quam dicas gratiam. Cùm dico, inquit, liberum hominis arbitrium; vide quia hominis dico. Quid deinde? Hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium, quidquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, nisi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio? Et hoc quasi acutè ab ipsis dictum.

Caput VIII. Gratia Christi præter naturam & legem necessaria admitti debet.

9. Videte tamen, Fratres mei, quomodo illam generalem gratiam prædicent, qua creatus est homo, qua homines sumus: & utique & cum impiis homines sumus, sed non cum impiis Christiani sumus. Hanc ergo gratiam qua Christiani sumus, ipsam volumus prædicent, ipsam volumus agnoscant; ipsam volumus, de qua dicit Apostolus, *Non irritam facio gratiam Dei. * Nam si per Legem justitia; ergo Christus gratis mortuus est.* Videte unde dixit Apostolus. De Lege dixit: *Si per Legem justitia; ergo Christus gratis mortuus est.* Quia ergo ex Lege non erat justitia, ideo mortuus est Christus, ut per fidem justificentur, qui ex Lege non justificabantur. *Si enim*, inquit, *data esset Lex quæ possit vivificare, omnino ex Lege esset justitia*: quod etiam hesterno die * commemoravimus: *sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio*: promissio, non prædictio. Qui promisit, ipse facit. *Ut promissio*, inquit, *ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Ecce quales nos invenit gratia Salvatoris, quos nec Lex sanos facere potuit. Quare autem dabatur Lex, si sufficiebat natura? Et tamen nec Lex sufficere potuit, ita infirma erat ipsa natura: data est Lex, sed non quæ posset vivificare. Quare ergo data est Lex? *Lex*, inquit Apostolus, *prævaricationis gratiâ data est*: prævaricationis gratiâ posita est, ut te faceret prævaricatorem. Quare, ut me faceret prævaricatorem? Quia noverat Deus superbiam tuam: noverat quia dicebas, O si sit qui doceat, ô si sit qui mihi ostendat. Ecce Lex dicit tibi, Non concupisces. Cognovisti Legem dicentem, Non concupisces. Surrexit concupiscentia, quam non noveras; inerat enim, sed nesciebatur: cœpisti conari vincere quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe, per [c] Legem factus es prævaricator: agnosce gratiam, & esto laudator.

Gal. 2. 21.

Gal. 3. 21. & 22.

10. Sed Legem, inquis, quis dedit? Quia sunt homines vani, & pejùs impii, qui dicunt Legem ab alio datam, gratiam verò per Dominum nostrum Jesum Christum; quasi Legem malam, quasi Legem perversam, gratiam verò rectam: & volunt ita discernere duo Testamenta, ut vetus Testamentum dicant esse à nescio quo principe tenebrarum; novum autem Testamentum à Domino Deo Patre Domini nostri Jesu Christi. Ipsum apostolum Paulum audi. Si propterea putas Legem datam ab alio, non à Deo, quia per illam factus es prævaricator; audi ipsum Apostolum Legis laudatorem. Itaque, inquit, Lex quidem sancta, & mandatum sanctum: « adde, & justum: adhuc adde, & bonum. Quod « ergo bonum est, inquit, mihi factum est mors? « Absit: sed peccatum ut appareat peccatum. Erat enim peccatum, sed latebat peccatum. Quando latebat peccatum? Quando te adversarium nondum patiebatur. Cœpisti conari, & apparuit qui tenebat. Quando sequebaris, catenam non sentiebas: quæsisti refugium, & apparuit vinculum; voluisti fugere, & cœpisti trahi. Quia ergo cœpisti trahi, subveniat tibi qui non est ligatus. Quis non est ligatus, nisi qui dixit, Si invenistis in me peccatum, dicite? Quis non est ligatus, nisi qui dixit, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet? Quare me occidat, nihil inveniet: quia mors peccato [d] justè debetur. Quare ergo moreris? Ut sciant, inquit, omnes, quia voluntatem Patris mei facio. Ipse solvit, qui ligatus non est: ipse à mortuis liberat, qui est in mortuis liber.

Rom. 7. 12. 13.

Johan. 8. 46.

Johan. 14. 30.

Ibidem.

11. Sed ipse misit & Legem [e]. Per servum suum Legem, per se ipsum gratiam. Adtende Elisæum in magno altoque mysterio, tamquam prophetam, agendo prænuntiantem, non solùm loquendo. Mortuus erat filius hospitæ ipsius. Quid significabat mortuus puer, nisi Adam? Nuntiatum est sancto Prophetæ, gerenti in prophetia typum Domini nostri Jesu Christi: misit per servum baculum suum, & ait illi, Vade, va-

Caput X. Legis insufficientia, gratiæ necessitas in Elisæo figurata.

4 Reg. 4.

[a] Sic MSS Editi verò, *Magnam*.
[b] Plures MSS. *libero arbitrio sufficiens est ut justus sit.* Consensit Er. excepto quod habet *sim*.
[c] Plerique MSS. *Superbe, Legis factus es prævaricator.*
[d] Sic MSS. At editi, *justa debetur.*
[e] Hîc apud Lov. additur, *& gratiam*: quod à MSS. & ab Er. abest.

CLASSIS I. de, pone super puerum mortuum. Perrexit ille, tamquam servus obediens. Sciebat Propheta quid fecerat. Posuit baculum supra mortuum, non surrexit. *Si enim data esset Lex quæ possit vivificare, omnino ex Lege esset justitia.* (Gal. 3. 21.) Non ergo potuit Lex vivificare. Venit ipse grandis ad parvulum, salvator ad salvandum, vivus ad mortuum: venit ipse. Et quid fecit? Juvenilia membra contraxit, tamquam se ipsum exinaniens, ut formam servi acciperet. (Philip. 2. 7.) Juvenilia ergo membra contraxit, parvum se parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. (Philip. 3. 21.) Itaque in isto typo Christi prophetice expresso suscitatus est mortuus, tamquam justificatus est impius.

CAPUT XI. Gratia Christianorum.

12. ISTA GRATIA prædicetur, ista est gratia Christianorum per hominem Mediatorem, per passum & resuscitatum, qui adscendit in cælum, & captivavit captivitatem, & dedit dona hominibus. Ista, inquam, gratia prædicetur, contra istam gratiam ab ingratis non disputetur. Baculus propheticus mortuo non sufficit: ipsa mortua natura sufficeret? Et istam qua conditi sumus, quamquam hoc nomine appellatam minimè legerimus, tamen quia gratis data est, gratiam fateamur. Sed ostendamus vobis majorem esse istam, qua Christiani sumus: adtendite. Antequam conditi essemus, nihil boni merebamur; & ideo [a] gratia, qua conditi sumus, cùm boni nihil mereremur. Si ergo magna est gratia, quando nihil boni merebamur; QUANTA GRATIA EST, quando tantum mali merebamur? Qui nondum erat, bene non merebatur; peccator & malè merebatur. Nondum erat qui factus est, nondum erat; sed nec offenderat. Nondum erat, & factus est: offendit, & salvus est. Qui nondum erat, nihil sperabat, factus [b] est: lapsus autem damnationem exspectabat, & liberatus est. Hæc est gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Ipse fecit nos, & antè quàm essemus omnino ipse fecit nos, & factos & lapsos ipse & justos fecit nos, & non ipsi nos. (Psal. 99. 3.) * Si qua igitur in Christo nova creatura, lapsa est vetus, facta est nova.

*CAPUT XII. Massa perditionis, unde electi sumus.

13. Una erat massa perditionis ex Adam, cui nonnisi supplicium debebatur: facta sunt vasa inde in honorem ex eadem massa. *Habet enim potestatem figulus luti, ex eadem massa.* (Florus ad Rom. 9. 11.) Qua massa? Certè jam perierat, certè jam illi massæ justa damnatio debebatur. Gratulare, quia tu evasisti: mortem quippe debitam evasisti, & vitam non debitam reperisti. *Habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* Sed dicis, Me quare fecit in honorem, & alium in contumeliam? (Electio ex perditionis massa investigabilis.) Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum, qui non audisti Apostolum dicentem, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* (Ibidem 20.) Duo parvuli nati sunt: si debitum quæras, [c] ambo tenent massam perditionis. Sed cur mater alium portat ad gratiam, alium mater dormiens suffocat? Dicturus es mihi quid ille meruit qui portatur ad gratiam, quid ille meruit quem mater dormiendo suffocat? Ambo nihil boni meruerunt: sed *habet figulus luti potestatem, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Disputare vis mecum? Immo mirare mecum, & exclama mecum, *O altitudo divitiarum!* (Rom. 11. 33.) Ambo expavescamus, ambo clamemus, *O altitudo divitiarum!* Ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Scrutare inscrutabilia, fac impossibilia, corrumpe incorruptibilia, vide invisibilia.

CAPUT XIII. Gratia excludit omne meritū præcedens.

14. *Inscrutabilia* sunt *judicia ejus*, audisti, sufficiat tibi: *& investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* (Ibidem 34. & 35.) Quis prior dedit, cùm totum gratìs accepit? *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Si Dominus retribuere vellet, nihil nisi pœnam debitam retribuisset. Nihil dederunt, ut eis retribueretur. Pro nihilo salvos faciet illos. (Psal. 55. 8.) *Quis prior dedit illi*, quasi suorum gratiâ meritorum? *Quis prior dedit illi*, quis prævenit gratiam, quæ gratìs datur? Si aliquid meritorum antevenit gratiam, jam non gratìs datur, sed ex debito redditur. Si autem gratìs non datur, gratia quare vocatur? *Quis ergo prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.* (Rom. 11. 35. & 36.) Quæ utique, nisi omnia bona quæ ab illo accepimus, [d] & accepimus ut boni simus? Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est immutatio. (Jacobi 1. 17.) Nam tu in pejus mutatus es: apud quem non est immutatio, ipse subvenit. Apud quem non est, nec momenti obumbratio: nam tu in tenebris noctis tuæ jaces. Ab illo ergo omnia: nemo illi prior aliquid dedit, nemo exigat debitum. Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. (Ephes. 2. 8.)

CAPUT XIV.

15. Sed movet me, inquis, quòd ille perit, ille baptizatur: movet me, movet tamquam hominem. Si verum vis audire, & me movet quia homo sum. Sed si & tu homo, & ego homo; ambo audiamus dicentem, *O homo!* (Florus ad Rom. 9.) Utique si ideo movemur, quia homines sumus, ipsam naturam humanam infirmam ac debilem Apostolus alloquitur, dicens, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Cur me sic fecisti?* (Rom. 9. 20.) Si posset loqui pecus, & dicere Deo, Quare istum hominem fecisti, & me pecudem: nonne justè succenseres & diceres, O pecus, tu quis es qui respondeas Deo? Et tu homo es, sed ad Deum pecus es: & utinam sis pecus ejus & ovis pascuæ ejus. Agnosce beneficia pastoris, & non sequeris lupos erroris. Lupi eramus: Fuimus & nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri: (Ephes. 2. 3.) sed mortua est ovis, & fecit nos oves. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum, non hujus aut illius, sed mundi. (Johan. 1. 29.) Nihil ergo nobis, Fratres mei, ex eo quod aliquid sumus, si tamen in ejus fide aliquid sumus, quantumcumque sumus, nihil nobis arrogemus; ne & quod accepimus perdamus: sed in eo quod accepimus, illi gloriam demus, ipsum honoremus, semina sua ipse compluat. Quid haberet terra nostra, nisi ipse seminasset? Sed dat & pluviam, (Psal. 84. 13.)

[a] Sic Er. & plerique MSS. At Lov. *gratiam qua conditi sumus accepimus.* Fossatensis MS. *gratiam minorem appellamus qua conditi sumus.*

[b] Editi, *factus lapsus est.* Abest *lapsus* à MSS.

[c] In Flori collectione, *ambos tenet massa perditionis.*

[d] Fossatensis MS. *& quod accepimus ut boni simus.*

CLASSIS I.

non deserit quod seminavit. Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Conversi ad Dominum, &c.

* Alias de verbis Apostoli 20.

* SERMO XXVII.

De titulo & prioribus versiculis Psalmi 95. *& de verbis* [a] *Apostoli ad Rom.* 9. Miserebor cui misertus fuero, *&c. Contra Pelagianos.*

CAPUT I. 1. QUOMODO janua introducit in domum, sic titulus Psalmi introducit in intellectum. Prænotatur enim sic: (Psal. 95. 1.) *Quando domus ædificabatur post captivitatem.* Quæris quæ domus, indicat tibi jam Psalmus: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Ecce quæ domus. Quando omnis terra cantat canticum novum, domus Dei est. Cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. Modò ergo ædificatur: sed in fine sæculi dedicatur. Concurrant ergo lapides vivi ad canticum novum, concurrant & coaptentur in structuram templi Dei: agnoscant Salvatorem, recipiant habitatorem.

Domus Dei, quæ nunc ædificatur.

Captivitas, de qua per Christum liberamur.

2. Dictum est quæ domus: dicendum est post
quam captivitatem. Et hoc tibi indicat Psalmus,
sequere paululùm: *Cantate Domino canticum*
ℽ. 2. *novum, cantate Domino omnis terra.* * *Cantate*
Domino, benedicite nomen ejus, bene nuntiate de
ℽ. 3. *die in diem salutare ejus.* * *Annuntiate inter gen-*
tes mirabilia ejus, in omnibus populis gloriam ejus.
ℽ. 5. * *Quoniam omnes dii gentium dæmonia.* Ecce sub
quorum captivitate latebat domus. * Ex prima enim transgressione primi hominis, universum genus humanum natum cum obligatione peccati, victor diabolus possidebat. Si enim sub captivitate non teneremur, Redemtore non indigeremus. Venit ad captivos non captus: venit ad captivos redimendos nihil in se captivitatis, hoc est, iniquitatis habens, sed carne mortali pretium nostrum portans. Si enim carnem mortalem non haberet, unde in Verbo sanguis, quem pro captivis funderet? Ille autem qui ad captivitatem nostram venit cum similitudine carnis peccati, non cum carne peccati venit. Similitudo enim erat illa carnis peccati: vera caro, sed similis carnis peccati: vera caro, sed non peccati caro. Ille ergo qui ita venit, quis erat? *Bene nuntiate de die in diem.* Ecce quis erat. De die in diem erat, Deus de Deo erat, lumen de lumine erat: (Johan. 1. 14.) sed Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: latens majestas, apparens infirmitas, ut moriatur infirmitas, & teneatur majestas.

* CAPUT II. — Florus ad Rom. 9.

In Deo qui cujus vult miseretur, nulla iniquitas. Exodi 33. 19. Rom. 9. 15.

3. Si ergo universus mundus sub captivitate tenebatur, bene dictum est, *Miserebor cui misertus fuero, & misericordiam præstabo cui misertus fuero.* Si enim totus mundus sub captivitate, totus mundus in peccato, totus mundus justissimè supplicio destinatus, sed ex parte per misericordiam liberatus; quis dicat Deo, Quare damnas mundum? Quomodo accusatur judex Deus, quando damnatur mundus reus? Reus es: si quid debeas consideres, pœna vocatur; nec cùm à te debitum exigitur, exactor justè reprehenditur. Reprehendatur exactor, si indebitum exigit: cùm verò debitum exigit, quis reprehendat exactorem, quamvis exspectet donatorem? * *Cui vult miseretur, & quem vult obdurat. Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Quis sit ille, adtende: quis sis tu, adtende. Ille Deus est, tu homo. Sed justitiam tibi loqui videris tu, & fons ille justitiæ siccatus est? Si justum loqueris, unde tibi? Aut injustum loqueris, & debes tacere: aut justum loqueris, & non habes nisi de fonte justitiæ: fons autem justitiæ quis est, nisi Deus? Primum ergo fundamentum fidei pone: *Numquid iniquitas apud Deum?* Latére te æquitas potest, esse ibi iniquitas non potest.

4. Exspectas à me fortasse ut dicam tibi, quare cui vult miseretur, & quem vult obdurat? Exspectas à me homo? Si & tu homo & ego homo, ambo [b] audiamus, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* MELIOR EST enim fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Deus mihi dicit, per Apostolum Christus loquitur, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Et ego indignor, quia non novi justitiam Dei? Si homo sum, non indigner: excedam hominem, si possum, & fontem adtingam. Sed & si adtigero, homini non dicam: excedat & ipse, & adtingat mecum. Et quis est, inquis, qui homo hominem excedat? Ergo non quibusdam exprobrat Apostolus, & dicit, Cùm enim dicitis, Ego Pauli, ego Apollo, nonne homines estis? Quid eos facere volebat, quibus exprobrabat quòd homines erant? Homo es, ad Adam pertines. * Pertine ad Filium hominis.

5. Et fortè dicit tibi, Jam non dicam vos servos, sed amicos; quoniam quæ audivi à Patre meo, nota vobis feci. Sed discipulis hoc dixit; illis Apostolis, illis hoc dixit: non debemus contristari, quia nondum tales sumus. Et tamen etiam ipsis quomodo hoc dixit, Omnia quæ audivi à Patre meo, nota vobis feci? Puto quia in spe dixit hoc, nondum in re: puto quod facturus erat, nón quod jam fecerat. Et unde probatur, cùm ille dicat, Nota vobis feci; non dicat, Nota vobis faciam? Quia dicuntur quædam in Scripturis de præterito, quæ intelligantur de futuro. Quomodo dicuntur de præterito, cùm intelligantur de futuro? Foderunt, inquit, manus meas & pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea. Nondum factum erat, & tamquam factum annuntiabatur quod futurum erat. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Alio autem loco ipse dicit, Spe salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes. Spe salvi facti sumus, nonnisi de præterito dicimus: & quoniam spe salvi facti sumus, nondum re, adhuc futurum est quod speramus. Nam jam videmus & tenemus: sed nondum res, sed spes. Quod enim videt quis, inquit, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Et tamen salvi facti sumus, & tamen adhuc salutem speramus & exspectamus, nondum tenemus. Sic & Dominus discipulis ait, Omnia quæ audivi à Patre meo, nota vobis feci. Si hoc jam factum erat, quare alio loco dicit illis, Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis illa portare modò? Certè, Omnia quæ audivi à Patre meo, nota vobis feci. Sed

a Citatur in Flori collectione ad Rom. 9. & Gal. 6.

b MSS. plerique & Florus, *audivimus.*

cùm

CLASSIS I.

cùm dicit, Non potestis illa portare modò, & A dicit, Habeo vobis dicere; differt, non aufert. Propter certam ergo spem, quia sine dubio sciebat id se fuisse facturum, apud illum tamquam factum computabatur: & ideo dicebat, Nota vobis feci.

2. Cor. 5. 6. & 7. 6. Quamdiu ergo sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem. * Quantum nobis datur, fidem teneamus, & de justitia Dei non dubitemus. Iniquitatem apud illum esse omnino non B credamus, ne in magnam voraginem impietatis veniamus. Et cùm perfecta fide tenuerimus, nullam apud eum esse iniquitatem; & si illam modò non videmus, id est, æquitatem quæ est apud ipsum: finiatur via, & veniamus ad patriam; non potest videri tempore fidei, videbitur tempore speciei. Nunc enim per fidem ambulamus, tunc per speciem. Quid est, per speciem? Speciosus formâ præ filiis hominum. Quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus C erat Verbum. Qui diligit me, inquit, mandata mea custodit; & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Et quid illi dabis? Et ostendam me ipsum illi. Hæc erit species, quando faciet quod dixit, Et ostendam me ipsum illi. Ibi æquitatem Dei videbis, ibi sine codice in Verbo leges. Ergo cùm viderimus eum sicuti est, jam transiet peregrinatio nostra: postea verò gaudebimus gaudio Angelorum. Hæc enim [a] via, quid est? Fides est. Propter fidem tuam factus D est deformis Christus, manet autem speciosus Christus. Speciosus formâ præ filiis hominum, videbitur post peregrinationem. * Modò autem fide qualis videtur? Et vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem: sed vultus ejus abjectus, & deformis positio ejus, [b] hoc est virtus ejus: despectus & deformis positio ejus, homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitates. Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce E deformis: sed deformitas illius pulcritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est, deformem Christum? Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hæc est deformitas Christi. Numquid dixi me aliquid scire in vobis, nisi viam? Hæc est via, credere in crucifixum. Hujus deformitatis signum in fronte portamus: de ista F deformitate Christi non erubescamus. Hanc viam teneamus, & ad speciem perveniemus. Cùm pervenerimus ad speciem, æquitatem Dei videbimus: & jam non erit ibi dicere, Quare huic subvenit, & huic non? quare iste adductus est à gubernatione Dei, ut baptizaretur; ille autem cùm bene catechumenus vixerit, subitâ ruinâ mortuus est, & ad baptismum non pervenit? ille autem cùm scelerate vixerit, cùm luxuriosus, cùm mœchus, cùm Scenicus, cùm Venator, æ- G grotavit, baptizatus est, discessit, peccatum in eo convictum est, peccatum in eo deletum est? Quære merita; non invenies, nisi pœnam: quære gratiam; *O altitudo divitiarum!* Petrus negat, latro credit, *O altitudo divitiarum!*

[Margin: *CAPUT V. Æquitas Dei cujus vult miserentis credatur nunc, donec postea videatur. — Psal. 44. 3. — Johan. 1. 1. — Johan. 14. 21. — Florus ad Gal. 6. — *CAPUT VI. Isai. 53. 2. &c. — Gal. 6. 14. — Signum crucis.]

7. Hoc nos putas perscrutari posse, quod Apostolus beatus expavit? Et cùm tantam profunditatem & altitudinem inspiciens contremisceret, exclamavit, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* * Quid enim dixerat antè, ut ad exclamationem hanc veniret? Rem dixerat, ubi si non credatur Deo, quia non est iniquitas apud B Deum, [c] iniqua judicabitur. Gentibus dicebat, fidelibus dicebat de Judæis: *Sicut vos*, inquit, *non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis illorum incredulitate: sic & hi non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim omnes Deus in incredulitate, ut omnium misereatur.* Hinc postea Paulus dixit. Et quæ ista ratio est æquitatis & justitiæ Dei, concludere omnes in incredulitate, ut omnium misereatur? Quæris tu rationem, ego expavesco altitudinem. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credam; altitudinem video, ad profundum non pervenio. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Fortè expositurus [d] est? *Quis enim cognovit* [e] *sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Requievit, [f] quia invenit admirationem: nemo quærat à me occultorum rationem. Ille dicit, *Inscrutabilia sunt judicia ejus:* & tu scrutari venisti? Ille dicit, *Investigabiles sunt viæ ejus:* & tu investigare venisti? Si inscrutabilia scrutari venisti, & investigabilia investigare venisti; crede, [g] jam peristi. Tale est velle scrutari inscrutabilia & investigabilia investigare, quale est velle invisibilia videre & ineffabilia fari. Ergo ædificetur domus: cùm pervenerit ad dedicationem, tunc fortasse inveniet istorum occultorum apertissimam rationem.

[Margin: SERM. DE SCRIPTURIS. — Rom. 11. 33. JudiciaDei in mysterio gratiæ, non ratione scrutanda, sed admiratione prosequenda. — *CAPUT VII. — Rom. 11. 30. &c.]

*SERMO XXVIII.

De [h] versiculo 3. Psalmi 104. Lætetur cor quærentium Dominum.

[Margin: * Aliàs 7. editorum ex Carthusia MSS.]

1. EX omnibus divinis eloquiis hinc potiùs adjuvante Domino disseramus, quod ultimum audivimus. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Opportunè namque etiam ventribus jejunamus. Lætabitur cor nostrum, si mentibus esuriamus. Jejuni sumus, cùm aliqua suavia apponuntur in epulis nostris, lætantur fauces quærentium cibum: cùm variè colorata blandeque depicta apponuntur adspectibus nostris, lætantur oculi quærentium aliquid videre luminosum: lætantur aures quærentium cantum: lætatur olfactus quærentium odorem gratum. Ergo, *Lætetur cor quærentium Dominum.*

[Margin: Lætandum corde in Deo. — Psal. 104. 3.]

2. Procul dubio singula, quæ exhibentur diversis sensibus nostris, singulos sensus delectant.

[Margin: Deus cordi lux & odor & cibus.]

a Am. Er. & MSS. *Hæc enim in via. Quid est via? Fides est.*

b Apud Lov. deerant isthæc verba, in aliis editis & in MSS. reperta, *hoc est virtus ejus: despectus & deformis positio ejus.* Quorum loco Florus, *hic est vultus ejus despectus & deformis positio ejus.*

c Sic MSS. Editi verò, *iniquitas judicabitur.*

d Sic MSS. At editi, *expositurus est?*

e Plerique MSS. *mentem Domini.*

f MSS. *Requievit, quia invenit, quia invenit admirationem.*

g Am. Er. & MSS. *crede, nam peristi.*

h Hunc Sermonem notat Possidius in Indiculo cap. 9. his verbis, *Per jejunium quinquagesima de versu Psalmi 104. Lætetur cor &c.*

CLASSIS I.

Neque enim vel sonus delectat adspectum, vel color auditum. Cordi autem nostro Dominus & lux est, & odor est, & cibus est: & ideo omnia est, quia nihil horum est; & ideo nihil est horum, quia horum omnium creator est. Est lumen cordi nostro, cui dicimus, Auditui meo dabis exsultationem & lætitiam. Est odor cordi nostro, de quo dicitur, Christi bonus odor sumus. Si autem cibum quæritis, quia jejunatis: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. De ipso autem Domino Jesu Christo dictum est, quia factus est nobis justitia & sapientia. Ecce epulæ præparatæ sunt: justitia Christus est, nusquam deest, nec de transmarinis partibus velut poma peregrina à negotiatoribus adportantur: cibus est quem sentit omnis qui sanas fauces habet, interioris hominis cibus est. Se ipsum commendans ait, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Cibus est qui reficit, nec deficit: cibus est qui insumitur, & non consumitur: cibus est qui esurientes satiat, & integer manet. Cùm hinc ad mensas vestras discesseritis, nihil tale manducabitis. Quia ergo ad istas epulas convenistis, bene comedite: sed cùm abieritis, bene digerite. Bene enim manducat & malè digerit, qui audit verbum Dei & non facit: non enim ducit utilem succum, sed crudum ructat indigestione fastidium.

Psal. 50. 10. — *1. Cor. 2. 15.* — *Matth. 5. 6.* — *1. Cor. 1. 30.* — *Johan. 6. 51.*

Cibus mentis reficiens nec deficiens.

Lux oculorum cibus, plures absque sui minutione pascit.

3. Nec miremini quòd corda nostra sic epulantur, ut & ipsa reficiantur, & non minuant unde reficiantur. Corporalibus oculis nostris Deus talem cibum dedit. Nam lux ista cibus est oculorum; hac lumina nostra pascuntur, & si quis diutiùs in tenebris fuerit, tamquam jejunando deficiunt. Perdiderunt enim homines oculos sedendo in tenebris, nec aliquid irruit oculis, nec quispiam percussit, nec humor alienus influxit, nec pulvis, nec fumus: producitur homo post tenebras, & non videt quod videbat: oculi ejus fame mortui sunt; cibum suum, hoc est, lucem non sumendo defecerunt. Videte ergo quod proposui, qualis sit cibus oculorum nostrorum. Ista lux videtur ab omnibus, pascit omnium oculos; & adspectus videntis reficitur, & lux integra perseverat. Si duo videant, tanta permanet; si plures videant, eadem permanet: dives videat, pauper videat, æqualis est omnibus. Nullus in ea limites figit, impletur pauperis inopia, vacat divitis avaritia. Numquid enim qui plus habet, plus videt, aut prolato auro præoccupat pauperem, & emit sibi quod videat, ut ille non habeat? Si ergo talis cibus est oculis nostris, quid est ipse Deus mentibus nostris?

Sonus & intellectus vocis ad plures sine partitione pervenit.

4. Et aurium quidam cibus sonus est, & ipse qualis est? De his enim sensibus corporis mentis intelligibilia conjiciamus. Ecce loquor Caritati Vestræ: adsunt aures, adsunt mentes. Duo quædam nominavi, aures & mentem; & in eo quod loquor, duo quædam sunt sonus & intellectus; simul feruntur, simul ad aures perveniunt; sonus remanet in aure, intellectus descendit in corde. Sed de sono ipso priùs advertamus quantò excellentiùs intellectum amare debemus. Sonus est quasi corpus, intellectus est quasi animus. Sed sonus mox ut aurem percusserit, auremque tetigerit, transit, nec revocatur, nec adhuc sonat. Ita enim syllabæ præeundo & sequendo succedunt, ut secunda non sonet, nisi prima transierit. Verumtamen sic quomodo quoddam transitorium magnum habet miraculum. Ecce enim si vobis esurientibus panem apponerem, non perveniret ad singulos, totum divideretis vobis, tantò minus haberetis: modò autem sermonem profero verbi, inter vos syllabas non dividitis, nec secatis sermonem meum, ut alius tollat istam partem, alius illam, & sic minutatim & particulatim ad singulos quosque quod dico perveniat: sed totum audit unus, totum audiunt duo, totum audiunt plures, & quotquot venerint totum audiunt; & omnibus sufficit, & singulis integrum est: præparatur ad audiendum auris tua, nec eam fraudat vicina auris aliena. Si hoc fit de verbo sonante quid fit de Verbo omnipotente? Quomodo enim vox ista nostra auribus omnium audientium singulis tota est & apud singulos tota est; nec tot sunt meæ voces quot vestræ aures, sed una vox multas aures implet, non divisa, sed omnibus tota: sic cogitate Verbum Dei totum in cælis, totum in terris, totum in Angelis, totum apud Patrem, totum apud Virginem, totum in æternitate, totum in carne, totum ad inferos, cùm visitaret totum, totum in paradiso, quò latronem transtulit. Hæc dixi de sono.

5. Quid si de intellectu aliquid dicam? quantò minus est quàm Verbum Dei? Ecce enim sonum non revoco, sed si volo audiri, alterum sonum profero, & cùm & ipse transierit, profero alterum, aut silentium consequetur: intellectum verò & profero ad te, & teneo apud me; & invenis quod audisti, & non perdo quod dixi. Videte quàm vera sint, & *lætetur cor quærentium Dominum.* Dominus enim ipsa principalis veritas est. Intellectus ergo manens in corde meo migrat ad tuum, nec deserit meum. Verumtamen cùm intellectus inest cordi meo, & volo ut insit etiam cordi tuo, quæro qua ad te transeat quasi vehiculum sonum; assumto quasi sono, ei impono intellectum, & profero, & produco, & doceo & non amitto. Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea. Ecce enim Verbum Dei Deus apud Deum, sapientia Dei manens incommutabiliter apud Patrem, ut procederet ad nos, carnem quasi sonum quæsivit, ei se inseruit, & ad nos processit, & à Patre non recessit. Intelligite, sapite hoc, quod audistis, quantum sit & quale cogitate, & de Deo majora sentite. Vincit ille omnem lucem, vincit omnem sonum, vincit omnem intellectum. Desiderandus est, & ad eum caritate inhiandum est, ut *Lætetur cor quærentium Dominum.*

* SERMO XXIX.

** Alias ... Divers...*

De (1.) versu Psalmi (117.) Confitemini Domino, quoniam bonus est.

Habitus [a] Carthagine, in basilica Restituta, die Pentecostes in Vigiliis.

CAPUT I. Bonus ... solus Deus, à quo cetera bona.

1. ADMONITI sumus, & Spiritu Dei præceptum est nobis, ut confiteamur Domino: & ea caussa dicta est confitendi Domino, quoniam bonus est. Breviter di-

[a] De loco dieque habiti Sermonis nihil in priùs editis. At in Germanensi MS. inscriptio quæ addita hîc est reperitur; unde intelligas ipsum Sermonem esse, non qui in Possidii Indiculo recensetur cap. 10. sed qui cap. 9. his verbis, *Item de eodem die* (Pentecostes) *de versu Psalmi* 117. &c.

Classis I.

citur, quod profundissimè cogitatur. *Confitemini*, inquit, *Domino.* Et tamquam quæreremus, quare: responsum est, *quoniam bonus est.* Quid plus quæris, aut si aliud quæris, quàm bonum? Tanta vis est boni, ut bonum quærant & mali. Sed alia quæ dicuntur bona, ab aliquo bono habent ut sint bona: si autem quærimus omnia bona à quo habent ut sint bona; recolamus quod dictum est, Et fecit Deus omnia, & ecce bona valde. (*Gen.* 1. 31.) Nullum igitur esset bonum, nisi factum esset à bono. Et à quali bono? Quod nullus fecit. Nullum ergo bonum esset, nisi à bono factum esset, quod factum non est. Bonum cælum, sed factum bonum: boni Angeli, sed facti boni: bona sidera, sol & luna, alternatio noctis & diei, temporum vices, volumina sæculorum, cursus annorum, germina herbarum & arborum, naturæ animalium, & inter hæc omnia creatura laudatrix homo; omnia bona, sed facta bona; & à Deo bona, non à se. Qui fecit hæc, super omnia est bonus: quia nullus cum fecit bonus, sed à se ipso bonus est. Nec tamen sibi soli, sed & nobis bonus est. *Confitemini* ergo *Domino*, *quoniam bonus est.*

Caput II. Confessio duplex, laudantis & pænitentis.

2. Confessio aut laudantis est, aut pænitentis. Sunt enim parum eruditi, qui cùm audierint confessionem in Scripturis, tamquam nisi peccatorum esse non possit, continuò tundunt pectora; velut jam moneantur confiteri peccata. Sed ut noverit Caritas Vestra, non ad sola peccata pertinere confessionem, audiamus illum, de quo dubitare non possumus quòd nullum omnino habebat peccatum, exclamantem & dicentem, Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ. (*Matth.* 11. 25.) Quis hoc dixit? Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (1. *Petri* 2. 22.) Qui solus verissimè dicere potuit, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet. (*Johan.* 14. 30.) Et tamen confitetur. Sed confessor iste, laudator est, non peccator. Denique audi quid confiteatur, audi laudes: & laus ipsa salus est nostra. Quid enim confitetur Deo Patri Filius sine peccato? Confiteor tibi, inquit, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Istam laudem commendavit [a] Patris, quia abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, id est, superbis & arrogantibus; & revelavit ea parvulis, id est, infirmis & humilibus.

Caput III. Confessio peccatorū ad salutē necessaria.

3. Sed quod verum est, est etiam salubris confessio peccatorum. Unde audivimus in Psalmo qui primò lectus est, Pone Domine custodiam ori meo, & ostium continentiæ circùm labia mea, ut non declines cor meum in verba maligna, ad excusandum excusationes in peccatis. (*Psal.* 140. 3. & 4.) Rogat Deum, ut custodiam det ori suo: & cujus rei custodiam exponit, & dicit. Sunt enim homines qui valde abundant; qui cùm cœperint accusari, currunt se excusare. Excusare autem est caussas quærere, & caussationes innectere, quare ad se non videatur pertinere peccatum. Alius dicit, Diabolus mihi fecit: alius dicit, Fortuna mihi fecit: alius, Fato compulsus sum: nemo ad se. Cùm vis esse excusator tuus, triumphat de te accusator tuus. Vis ergo facere quòd doleat & gemat accusator tuus, id est, diabolus? Fac quod audisti, fac quod didicisti; & dic Deo tuo, Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. (*Psal.* 40. 5.) Ego, inquit, ego dixi: non diabolus, non fortuna, non fatum. Ego dixi: non me excuso, sed accuso. Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam. Unde enim ægrotat? Quoniam peccavi tibi.

Utraque confessio, laudis & peccati, debita Deo.

4. *Confitemini* ergo *Domino*, *quoniam bonus est.* Si laudare vis, quid securiùs laudas, quàm bonum? Si laudare vis, si confessionem laudis habere vis, quid securiùs laudas, quàm bonum? Si peccata tua confiteri vis, cui tutiùs quàm bono? Homini, quoniam malus est, confiteris, & damnaris: Deo, quoniam bonus est, confiteris, & purgaris. Si confessionem laudis adtendas, quidquid copiosè laudaturus es, circa hoc occupata est intentio tua, ut ostendas bonum esse quod laudas. Bona enim rectè laudantur, sicut mala rectè vituperantur. Breviter tibi dicta est laus Domini Dei tui, *Bonus est.* * Si & tu bonus es, lauda unde es bonus: si malus es, lauda unde sis bonus. Si enim bonus es, ab illo bonus es: si malus es, à te malus es. Fuge te, & veni ad illum qui fecit te: quia fugiendo te, sequeris te; & sequendo te, hæres in eo qui fecit te.

* Caput IV.

Homo malus vult bona omnia præter se ipsum.

5. Quanta bona quæris, homo male. Certè malus es: dic mihi quid velis, nisi bonum? Equum quæris, nonnisi bonum; fundum quæris, nonnisi bonum; domum quæris, nonnisi bonam; uxorem quæris, nonnisi bonam; tunicam nonnisi bonam, caligam nonnisi bonam: animam solam malam. Nonne tibi ipse es contrarius, qui bona quæris, cùm sis malus? Si bona quæris, priùs esto ipse quod quæris. Si autem malus multa bona invenisti, quid tibi prodest, quia tu peristi? Amate bonas animas vestras: odio habete malas animas vestras. Sed amando illum à quo est omne bonum, boni eritis. Odio habentes mala vestra, [b] bona eligite.

Caput V. Peccatum puniendum aut à Deo aut ab homine pænitente.

6. Quid est, odio habere mala tua? Pænitendo confiteri peccata tua. Omnis enim pænitens, & peccata sua pænitendo confitens, irascitur sibi; & quodam modo pænitendo vindicat in se quod displicet sibi. Deus enim odit peccatum. Si & tu oderis in te, quod & Deus odit, interim aliqua voluntate conjungeris Deo, dum hoc in te odisti quod odit & Deus. Sævi in te, ut Deus intercedat tibi, & non damnet te. Peccatum enim sine dubitatione puniendum est: hoc debetur peccato, punitio, damnatio. Puniendum est peccatum, aut à te, aut ab ipso. Si punitur à te, tunc punietur sine te: si verò à te non punitur, tecum punitur. (*Suprà Ser.* 19. *n.* 2. & *Ser.* 20. *n.* 2.) *Confitemini* ergo *Domino*, *quoniam bonus est.* Laudate quantum potestis, amate quantum potestis: effundite coram illo corda vestra, Deus adjutor noster; (*Psal.* 61. 9.) *quoniam bonus est.*

* SERMO XXX.

* *Aliàs de verbis Apostoli* 12.

De [c] *verbis Psal.* 118. Gressus meos dirige *&c. Et Apostoli Rom.* 7. Lex spiritalis est, ego autem carnalis *&c. Contra Pelagianos.*

Caput I. Iniquitatis in homine dominatus ante gratiam.

1. Sine dubio, Fratres, gravem quamdam sarcinam & grave jugum iniquitatis vitare cupiebat, qui Deo dicebat, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & non domi-* (*Psal.* 118. 133.)

[a] Sic Germ. MS. At editi, *commendavit Patri.*
[b] Lov. *boni eligite*: dissentientibus aliis libris.

[c] Excerptum de hoc Sermone reperies apud Florum ad Rom. 6.

Classis I.

netur mihi omnis iniquitas. Videamus ergo quando homini dominetur iniquitas; ut intelligamus quid orantem audierimus, & quid respondendo etiam nos ipsi oraverimus. Omnes enim ad sanctum Psalmum, quantum arbitror, devoto & veraci corde respondimus, orantes & dicentes Domino Deo nostro, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas.* Ab hujus pessimæ dominæ dominatu, pretioso sanguine redemti sumus. Et quid proderat Legem accepisse jubentem ac minantem, & non adjuvantem, ut sub illa essemus rei ante gratiam Dei? Frustra Lex minatur, quando iniquitas dominatur. Lex enim non est corporalis, non est carnalis: sed quoniam Deus spiritus est qui Legem dedit, procul dubio Lex spiritalis
Rom. 7. 14. est. Sed quid ait Apostolus? *Scimus enim, quia Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato.* Noli ergo mirari, ô venumdate sub peccato, si tibi dominetur cui es ve-
1. Johan. 3. 17. numdatus. Audi apostolum Johannem: Peccatum iniquitas est. Contra talem ergo dominam invocamus Dominum, cui dicimus, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas.*

Caput II. Captivitas hominis ex peccato.

2. Venumdatus clamat, redemtor exaudiat. Ipse homo se vendidit per liberum arbitrium sub dominante iniquitate, & accepit pretium exiguam de arbore vetita voluptatem. Ipse ergo clamat, Itinera mea dirige, quæ ego distorsi: *Gressus meos dirige*, quos ipse meo arbitrio depravavi: *dirige secundùm verbum tuum.* Quid est, *dirige secundùm verbum tuum?* Ut recti sint gressus mei, quia rectum est verbum tuum. Ego, inquit, distortus sum sub pondere iniquitatis, sed verbum tuum est regula veritatis: me ergo à me distortum, corrige tamquam ad regulam, hoc est, ad verbum [a] rectum. Ergo *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Vendidi me, redime me. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo. In venditore erubescat superbia, in redemtore
Jacobi 4. 6. glorietur gratia. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Rom. 7. 14. &c.

Adversarius gratiæ refutatur experimento propriæ infirmitatis.

3. *Lex enim spiritalis est; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor ignoro: non enim quod volo ago. Non quod volo ago*, carnalis dicit: non Legem, sed se accusat. Nam Lex spiritalis non habet culpam: carnalis venumdatus incurrit in culpam. Non agit quod vult: cùm vult non potest, quia quando poterat noluit. Per malum velle, perdidit bonum posse; & captivus jam loquitur, & dicit captivus, *Non quod volo ago. Non enim quod volo, facio bonum: sed quod odi malum, hoc ago. Non quod volo.* Et contrà homo, Vis prorsus. *Non quod volo ago.* Omnino quod vis, agis. *Non quod volo ago*: crede mihi, frater, *non quod volo, ago.* O si velles, ageres: quia non vis, non agis bonum. *Non quod volo ago*: crede mihi, novi quid in me agatur: *non quod volo ago.* Contradictor gratiæ, non es arbiter conscientiæ: ego me novi non quod volo agere, & tu
1. Cor. 2. 11. dicis, Quod vis agis? Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est.

A 4. Et tu homo es; si non vis credere mihi, intende tibi. * Itane tu ita vivis in hoc corruptibili corpore, quod aggravat animam, ut caro non concupiscat adversùs spiritum tuum, & spiritus adversùs carnem tuam? Ista rixa non est in te? Nulla est concupiscentia carnis, quæ resistat legi mentis? Si nihil in te alteri resistit, vide totum ubi sit. Si spiritus tuus à carne contrà concupiscente non dissentit, vide ne fortè carni mens tota consentiat: vide ne fortè ideo non
B sit bellum, quia pax perversa est. Fortè in totum carni consentis, & nulla rixa est. Quam spem habes quòd possis aliquando vincere, qui nondum cœpisti pugnare? Si autem condelectaris legi Dei secundùm interiorem hominem, vides autem aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ; si hàc condelectaris, hàc ligaris, liber es in mente, servus in carne: si jam ita est, compatere potiùs homini dicenti, *Non quod volo ago.* Tu enim non vis ut concu-
C piscentia illa quæ resistit menti tuæ, omnino non sit in te? Mali voti homo es, si tali adversario non vis carere. Ego, fateor tibi, quidquid in me rebellat adversùs mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria, quidquid tale in me est, omnino interficere volo. Et si ei fortè adjuvante Domino, non consentio; nolo habere cum quo litigem. Multò est mihi optabilius, inimicum non habere, quàm vincere. Neque enim illud ipsum quod caro concupiscit adversùs spi-
D ritum, non est meum: aut verò ex contraria natura compactus sum? Et illud meum est; & quòd ei non consentio, meum est. Pars aliquantum libera, resistit reliquiis servitutis. Totum sanum fit volo, quia totus sum ego. Nolo ut à me caro mea, tamquam extranea, in æternum separetur; sed ut mecum tota sanetur. Si hoc [b] tu non vis, nescio quid de carne sentias: arbitror te putare [c] nescio quid unde sit, quasi de gente contraria.
E Falsum est, hæreticum est, blasphemum est: mentis & carnis unus est artifex. Ipse quando hominem creavit, utrumque fecit, utrumque conjunxit: carnem animæ subdidit, animam sibi. Si semper illa staret sub Domino suo, semper & ista obediret dominæ suæ. Noli ergo mirari, si ea quæ deseruit superiorem, pœnas patitur per inferiorem. Caro enim concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem. Hæc enim, inquit, invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Inde & iste, *Non quod volo*
F *ago.* Concupiscit enim caro adversùs spiritum, & nolo concupiscat: pro magno habeo, si non consentiam, opto tamen ut caream. Ergo, *Non quod volo ago.* Volo enim ut non concupiscat caro adversùs spiritum, & non possum: hoc est quod dixi, *Non quod volo ago.*

Natu- falsus de- fensor m- dico ing- tus.

5. Quid mihi hîc calumniaris? Ego dico, *Non quod volo ago*: & tu dicis, Quod vis agis. Quid mihi calumniaris? Ingrate medico, quid calumniaris infirmo? Sine ut medicum rogem. * *Redi-*
G *me me à calumniis hominum, & custodibo legem tuam.* Custodibo per redemtionem tuam, non per potestatem meam. Ideo mihi sanitatem, quam nondum habeo, non arrogo; quia medicum rogo. Tu autem naturæ defensor; quod utinam esses, non quasi sanæ defensionem falsam adhibe-

* Cap. IV. Psal. 118. 134.

Gal. 5. 17.

[a] Lov. *ad verbum tuum*: dissentientibus editis aliis & MSS.
[b] Sic MSS. Editi verò, *Si hoc totum non vis.*

[c] Ita meliores MSS. At editi, *te putare quòd nescio unde sit.*

Classis I.

res, sed pro nondum sana medicum rogares: A nunc verò tu naturæ defensor, vel potiùs oppugnator, dum quasi de natura sana laudas Creatorem, excludis à languida Salvatorem. Qui creavit, sanat; ruentem per se ipsam, levat per se ipsum. Ipsa fides est, ipsa veritas, HOC EST CHRISTIANÆ FIDEI FUNDAMENTUM, Unus & unus: unus homo per quem ruina, alius homo per quem structura: per illum ruina, per hunc structura. Cecidit qui non mansit, erigit qui non cecidit. Ruit ille quia dimisit manentem, B manens ille descendit ad jacentem.

In lucta carnis & spiritûs quid faciendum.

6. Si ergo concupiscit caro adversùs spiritum, ut in hoc ipso non quod vis agas, quia vis ut non concupiscat, & non potes; tene saltem in gratia Domini voluntatem, & in ejus adjutorio persevera: dic ei quod cantasti, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas*. Quid est, *ne dominetur mihi omnis iniquitas?* * Audi Apostolum: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quid est, C Non regnet? Ad obediendum desideriis ejus. Non dixit, Noli habere desideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, non habeo desideria mala? Illud ergo fac, » Non regnet peccatum in vestro mortali corpore » ad obediendum desideriis ejus. Etsi sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Non fiant membra tua arma iniquita- D tis, & non dominetur tibi omnis iniquitas. Sed etiam hoc, ut non fiant membra tua arma iniquitatis, numquid tu tibi viribus tuis præstas? Hoc ipsum, inquam, hoc ipsum quòd non fiant membra tua arma iniquitatis, tu tibi præstas viribus tuis? Cùm enim non fiunt membra tua arma iniquitatis, est quidem iniquitas in membris tuis, in desideriis illicitis, sed non regnat. Quomodo regnat, qui arma non habet? Pars tua, caro tua, concupiscentia carnis tuæ languore re- E bellat adversùs te. Languor iste tyrannus est: si vis te tyranni esse victorem, Christum invoca imperatorem.

* Caput V. Florus ad Rom. 6. 12.

Ibidem 13.

Gratiæ adversarius sub jugo est iniquitatis.

7. Nam scio quid mihi eras dicturus, vel quid apud te ipsum modò dicas. Quisquis talis hîc es, & audis me, scio quid tibi intus loquatur iniquitas. Adhuc enim sub jugo es iniquitatis, quando non agnoscis pretium Redemtoris. Scio quid tibi dicas. Ecce concupiscit caro mea adversùs spiritum meum, concupiscit adulterium; sed non F consentio, non annuo, non decerno: non solùm non ago, sed nec agere consentio: non solùm foris per carnem non perpetro, sed nec ipsa mente [a] sequor rebellantem. Consentio repugnanti, cedo luctanti? Non facio. Ecce non dominatur mihi omnis iniquitas. Ita est, verum est. * Gratias age, si ita est, ei qui tibi donavit ut ita sit. Noli tibi hoc arrogare, ne perdas quod accepisti, & incipias frustra rogare. Non times, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gra- G tiam?

a

* Caput VI.

Jacobi 4. 6.

Gratiæ hostem revincit Ecclesiæ precatio.

8. Ergo tu tibi præstas, ut non dominetur tibi omnis iniquitas? Si vera est tua ista præsumtio, vana est nostra oratio, ubi dicimus Deo, *Non dominetur mihi omnis iniquitas*. Cantasti verba ista hodie, an non? Hîc eras, quando omnes dicebamus, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas?* Hîc eras, cantasti verba ista, puto te non negaturum. Ergo cantasti in populo Dei, & rogasti Deum, dicens, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas*. Si tibi hoc præstabas, quare mecum rogabas? Teneo precantem, teneo invocantem, convinco laborantem: simul ergo audiamus dicentem, Venite ad me omnes qui laboratis. Audiamus & veniamus. Quid est, Veniamus? Credendo proficiamus, gratias agendo [b] accedamus, perseverando perveniamus. Veniamus ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis. Et tu laboras, & ego laboro: illum audiamus, ad illum veniamus, inter nos quare litigamus? Ambo audiamus, quia ambo laboramus: quare inter nos litigamus? an ut medicum vocantem non audiamus? O infelix infirmitas! ad se vocat medicus, & litibus occupatur ægrotus. Vide quid dicat vocando: Veni- « te ad me omnes qui laboratis. Ubi laboratis, nisi « sub sarcinis peccatorum, nisi sub jugo malæ dominæ iniquitatis? Venite ergo ad me omnes qui « laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Ego qui feci, reficiam. Ego, inquit, vos reficiam: quia sine me nihil potestis facere.

Serm. de Scripturis.

Matth. 11. 28.

b

Johan. 15. 5.

9. Quomodo vos reficiam? Tollite jugum meum super vos, & discite à me. Quid discimus à te? Novimus te, Domine, in principio Verbum, Verbum Deum, Verbum apud Deum: omnia per te facta novimus, quæ videmus, & quæ non videmus. Quid discimus à te? Non enim alium mundum discipuli tui, tamquam discipuli artificis & fabricatoris, condituri sumus. Unum mundum condidisti, cælum & terram fecisti: utrumque suis creaturis ornamentisque illustrasti. Quid à te discimus? Discite, inquit, à me. Cùm essem in principio Deus apud Deum, creavi vos; hoc nolo discatis à me: sed factus sum quod feci, ne periret quem feci. Unde sum factus quod feci? Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum. « Hoc discite à me. Humiliavit enim semetipsum, « inquit. Discite à me, quoniam mitis sum, & hu- « milis corde. Non enim, inquit, hoc vos doceo, quasi in forma Dei aliquando fuissetis, non rapinam arbitrantes esse vos æquales Deo. Illi uni proprium erat, illi rapina non erat, cui natura [c] inerat. In Patris æqualitate natus est de Patre. Quid tamen fecit propter te? Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitu- » dinem hominum factus, & habitu inventus ut « homo. Ecce propter te Deus factus est homo, & non te vis agnoscere, cùm sis homo? Ecce propter te factus est homo sine peccato, & non vis te agnoscere cum peccato? ut venias ad illum qui ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.

Caput VII. Matth. 11. 29. Christus magister humilitatis.

Philip 2. 7. « &c.

c

10. Tollite jugum meum super vos. Tulisti hoc jugum? Tulisti? Sentis te habere sessorem? Tulisti hoc jugum? Dicis, Tuli. Sentis te habere sessorem? Sentis te habere rectorem? Sentio, inquis. Illi ergo dic, *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum*. Regit te sub jugo suo, & sub sar-

Caput VIII. Matth. 11. 28. Jugũ Christi unde suave.

a Fossatensis MS. *sed nec ipsa mente sequor. Rebellanti non consentio, repugnanti non cedo, luctanti non faveo. Ecce non dominatur* &c.

b Am. Er. & plerique MSS. *accipiamus*.
c Aliquot MSS *cui natura erat*.

CLASSIS I.

cina sua. Ut enim sarcina ejus sit tibi levis & jugum ejus suave, ille tibi amorem inspiravit. Amanti, suave est; non amanti, durum est.
Psal.84.13. Amanti, suave est: Dominus dedit suavitatem. An fortè quia vel venisti, audiens, Venite ad me, hoc ipsum tibi arrogare intendis, quia venisti? Ecce, inquis, veni ad illum arbitrio meo, voluntate mea. Quia veni, reficit me: quia veni, jugum suum imponit mihi suave; qui dat amorem, sarcinam suam levem imponit mihi amanti & diligenti: hæc omnia fecit in me; sed quia veni ad eum. Ergo hoc sapis, quia venisti, tu tibi hoc præstitisti? Quid enim habes, quod non accepisti? Quomodo venisti? Credendo venisti: sed nondum pervenisti. Adhuc in via sumus, venimus, sed nondum pervenimus. Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore; nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Time, ne cùm tibi arrogas quia inventa est à te via justa, ipsâ arrogantiâ pereas de via justa. Ego, inquit, veni, arbitrio meo veni, voluntate mea veni. Quid turgescis? quid tumescis? Vis nosse quia & hoc præstitum est tibi? Ipsum audi vocantem: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum. Conversi ad Dominum, &c.

Pelagianorum argumentatio. — *1. Cor. 4.7.* — *Psal. 2. 11. & 12.* — *Johan. 6. 44.*

** Aliàs de Sanctis 45.*

* SERMO XXXI.

De verbis Psalmi 125. Qui seminant in lacrymis *&c.*

CAPUT I. Seminare in lacrymis omnium est Christianorum.

1. PSALMUS qui cantatur Domino, videtur sanctis Martyribus convenire: sed si membra Christi sumus, sicut esse debemus, ad omnes nos pertinere intelligamus.
Psal.125.5. *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.*
ꝟ. 6. * *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.* Quò euntes, & unde venientes? Quid seminantes in lacrymis? quæ sunt semina? qui manipuli? Euntes in mortem, venientes à morte. Euntes nascendo, venientes resurgendo. Seminantes opera bona, metentes mercedem æternam. Semina ergo sunt nostra, quidquid boni fecerimus; manipuli nostri, quod in fine recipiemus. Si ergo bona sunt semina, bona opera, quare cum lacrymis, cùm hilarem datorem diligat Deus?

2. Cor.9.7.

Martyrum passio & merces in Psalmo prædicta.

2. Hîc primùm videte Carissimi, quomodo maximè ad beatos Martyres verba ista pertineant. Nulli enim tantum impenderunt, quàm illi qui se ipsos impenderunt: sicut dicit apostolus Paulus, Et ipse impendar pro animabus vestris. Impenderunt enim se ipsos confitendo Christum, & implendo in ejus adjutorio quod dictum est, Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia te oportet præparare. Quæ est magna mensa, nisi unde accipimus corpus Christi & sanguinem? Quid est, Scito quoniam talia te oportet præparare; nisi quod beatus Johannes exponit, Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere? Ecce quantum impenderunt. *Sed numquid perierunt, quando securitatem à Domino etiam de capillo acceperunt? Perit manus, ubi

2. Cor. 12. 15. — *Eccli.31.12.* — *1. Johan. 3. 16.* — * CAPUT II.

A non perit pilus? Perit caput, ubi non perit capillus? Ubi non perit palpebra, perit oculus? Hac ergo accepta magna securitate, impenderunt se ipsos. Operibus ergo bonis seminemus, cùm tempus est, dicente Apostolo, Qui parcè seminat, parcè & metet. Infatigabiles, inquit, cùm tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Et iterum, Bonum, inquit, facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus [a]. Qui defecerit in
B semine, non gaudebit in messe.

3. Quare ergo in lacrymis, cùm omnia bona opera nostra habere debeant hilaritatem? Et quidem de Martyribus dici potest, quia cum lacrymis seminaverunt. Fortiter enim certaverunt, & in magnis tribulationibus fuerunt. Nam ut eorum lacrymas Christus consolaretur, transtulit eos & transfiguravit eos in se, & dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem. Verumtamen, Fratres mei, videtur mihi, quòd caput
C nostrum infirmioribus suis membris compassum est, ne de se fortè membra infirma desperarent, & sicut est humana fragilitas, morte propinquante perturbarentur, & dicerent non se ad Deum pertinere; nam si pertinerent, gauderent. [b] Ideo priùs Christus dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem. Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Quis hoc dicit? quæ potestas, quæ infirmitas? Audite quæ dicit: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo
D iterum sumendi eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Hæc potestas tristis erat, quando faciebat quod non faceret, nisi voluisset. Potestate enim fecit, non conditione; quia ipse voluit, non quia Judæus potuit. Transfiguravit ergo in se infirma membra corporis sui. Et fortè de illis dictum est, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent:* id est, de infirmioribus. Non enim in lacrymis seminabat ille ipsius Christi magnus præco, quando dice-
E bat, Ego enim immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cetero superest mihi corona justitiæ, corona de manipulis. Superest, inquit, mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: quasi diceret, Reddet mihi messem, cui me ipsum impendo sementem. Hæc verba, quantum intelligimus, Fratres, exsultantis sunt, non plorantis. Numquid quando ista dicebat, in lachrymis erat?
F Nonne similis erat hilari datori, quem diligit Deus? * Ad infirmos ergo referamus hæc verba, ut nec ipsi desperent qui in lacrymis seminarunt: quia etsi seminarunt in lacrymis, transiet dolor & gemitus; transit tristitia cum fine, & venit lætitia sine fine.

4. Verumtamen Carissimi, ecce quomodo mihi videtur ad omnes pertinere quod dictum est, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: ve-*
G *nientes autem venient cum exsultatione, tollentes manipulos suos.* Audite si, adjuvante Domino, explicare potuero, quemadmodum ad omnes pertineat, *Euntes ibant & flebant.* Ex quo nascimur imus. Quis enim stat? Quis non ex quo viam intravit, cogitur ambulare? Infans natus

[a] Quidam libri addunt hîc, *non deficientes:* sed malè, pro hoc enim Augustinus in altero versu posuit, *Infatigabiles.*

[b] Ita MSS. Editi verò, *Priùs ergo Christus sub persona Martyrum dixit.*

est, crescendo ambulat: mors finis est. [a] Inde A jam veniendum est, sed cum exsultatione. Quis enim non hîc plorat in via ista mala, quando ipse infans inde incipit? Utique infans quando nascitur, de angustiis uteri in hujus mundi latitudinem funditur, de tenebris procedit ad lucem: & tamen de tenebris veniens ad lucem, plorare potest, ridere non potest. [[b] Est enim vita ista, ut quando gaudetur hîc, time ne fallat; quando hîc ploratur, roga ut evadas: & transit tribulatio, & venit tribulatio.] Et rident homines, & plo- B rant homines: & quod rident homines, plorandum est. Sed plorat alius damnum suum, plorat alius pressuram suam, quia in carcere est constitutus; plorat alius quòd amiserit mortuum aliquem carissimorum suorum: ille hinc, iste hinc. Justus unde? Primò de his omnibus: justus enim plorat veraciter [c] plorantes steriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes: quia & qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant; & qui rident de rebus vanis, malo suo rident. Ille ubique plorat, plus C ergo ipse plorat.

Justus quisque hîc abundantiùs plorat.

Caput IV. *Justorum orationes cum gemitu.*

5. Sed *venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.* Vides ergo hominem justum, cùm facit opus bonum, hilarem esse? Ita planè hilarescit. Hilarem enim datorem diligit Deus. Quando ergo plorat? Quando bona opera sua orando commendat. Orationes sanctorum voluit commendare Psalmus, orationes peregrinantium, orationes in hac via laborantium, orationes amantium, orationes gementium, orationes D æternæ patriæ suspirantium, donec eâ visâ satientur qui nunc in mœrore sunt constituti. Etenim, Fratres mei, quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Non desiderat patriam peregrinatio sine lacryma. Si desideras quod non habes, funde lacrymas. Nam unde dicturus es Deo, Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo? Unde dicturus es Deo, Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte? Panis mihi factæ sunt: consolatæ sunt gementem, paverunt esurientem. E
» Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac no-
» cte. Unde? Dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus? Quis justus non habuit istas lacrymas? Qui non habuit, peregrinum se esse non doluit. Qua fronte ad patriam venit, qui non absens suspiravit? Nonne quotidie nobis dicitur, Ubi est Deus tuus? Discite Fratres mei, discite de paucis esse. Bene vivite, ambulate viam Dei; & videte quia auditis, Ubi est Deus tuus? Felices eritis, cùm hoc audieritis; infelices, si dixeritis. Quando enim defendimus fidem Christianam, & respondetur nobis, Ecce prædicatur ubique nomen Christi, quare abundant mala? quid aliud dicitur, nisi, Ubi est Deus tuus? Qui audit, gemit: quia qui dicit, perit.

2. Cor. 9. 6. — *2. Cor. 5. 6.* — *Psal. 55. 9.* — *Psal. 41. 4.*

Caput V. *Lacrymæ piorum comparantur cum fletu impiorum.*

6. Sunt lacrymæ piorum, sunt lacrymæ sanctorum, quas indicant orationes eorum. Bene operatur, & hilaris est: & plorat ut bene operetur: plorat quia bene operatus [d] est. Plorando exigit bonum opus, plorando commendat bo- G num opus quod fecit. Crebræ ergo sunt lacrymæ justorum, sed in ista via: numquid in patria? Quare non in patria? Quia *venientes venient in exsultatione, portantes manipulos suos.* Felicitas venit, numquid lacryma redit? Porrò autem illi qui hîc inaniter plorant, inaniter rident, cupiditatibus suis dissipati, quando fraudantur gemunt, quando fraudant exsultant: plorant & ipsi in via ista, plorant & ipsi; sed non in exsultatione. *Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos.* Quid colligunt, qui nihil seminaverunt? Immo colligunt, sed quod seminaverunt: quia spinas seminaverunt, ignem colligunt; & eunt non de fletu ad risum, sicut sancti, *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient in exsultatione:* illi à fletu ad fletum, à fletu cum risu ad fletum sine risu. Quid enim illis fiet? Quò eunt quando resurrexerint? Quò nisi quò Dominus dixit, Ligate illi manus & pedes, & projicite illum in tenebras exteriores? Age, quid postea? Tenebræ erunt, & dolor non erit? Fortè palpabunt, sed non dolebunt? non videbunt, sed non cruciabuntur? Absit. Non solæ tenebræ erunt, non eis sola tollitur species qua gaudebant, sed datur etiam quod in æternum gemant. Ne contemneres enim tenebras, ô quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua mala facta, & propter lasciva adulteria non solùm tenebras non horrere, sed quærere, qui soles plus gaudere quando lucerna exstinguitur: non tales tenebras habebis ubi gaudeas, ubi læteris, ubi te voluptatibus carnis oblectes, non sic erunt ipsæ tenebræ. Sed quomodo erunt? Ibi erit fletus & stridor dentium. Tortor sine defectu, tortus sine defectu. Nec qui torquet, fatigatur; nec qui torquetur, moritur. Erunt ergo æternæ lacrymæ illis qui sic vixerunt, erunt æterna gaudia sanctorum, quando *venientes venient in exsultatione, portantes manipulos suos:* dicent enim tempore messis Domino suo, Domine, adjuvante te fecimus quod jussisti, redde quod promisisti. [e]

Matth. 22. 13. — *Ibidem.*

* SERMO XXXII.

In Psalmum 143. [f] De Golia & David, ac de contemtu mundi.

** Aliàs 20. de Diversis & 31. ex homiliis 50.*

Caput I. *Medicamenta in Scripturis divinis.*

1. DEus & Dominus noster curans & sanans omnem animæ languorem, multa medicamenta protulit de Scripturis sanctis, velut de quibusdam armariis suis, cùm lectiones divinæ legerentur; quæ per ministerium nostrum adhibenda sunt vulneribus nostris. F Non enim sic nos esse profitemur [g] pueros medici, per quos alios sanare dignetur, ut nos ipsi jam non habeamus necessariam curationem. Si in illum intendamus, si ei nos toto corde præbeamus curandos, omnes sanabimur. Multa lecta sunt, & magna, & necessaria: quamquam ita sint omnia: sed tamen alia secretiùs in Scripturis absconduntur, ut quærentes exerceant; alia verò in promtu & in manifestatione ponuntur, ut desiderantes curent. Psalmus hic magna quidem secreta continet, quæ si omnia singillatim tractare voluerimus, vereor ne non ferat communis infirmitas; sive propter æstus temporales, sive propter corporis vires, sive propter

a Sic aliquot MSS. Alii autem *In diem:* vel cum editis, *In die.*
b MSS. verba illa quæ ansulis concluduntur, non habent.
c Lov. *plorat veraciter, non plorat steriliter:* repugnantibus ceteris libris editis & MSS.
d Lov. *operatus non est.* Abest *non* à ceteris libris.
e Am. Er. & MSS. addunt, *in æternum.*
f A Possidio notatur in Indiculi cap. 8.
g Sic optimæ notæ Germanensis MS. At editi, *puros medicos.*

Classis I.

intelligentiæ tarditatem, sive etiam propter ipsam minùs idoneam sufficientiam nostram. Pauca ergo inde delibabimus, quantum existimamus sufficere officio nostro, & intentioni Caritatis Vestræ.

Caput II. Titulus Psalmi 143.

2. Primò, titulus ejus est, *Ad Goliam.* Qui rudes non sunt in Scripturis divinis, qui amant frequentare istam scholam, qui non oderunt magistrum, sicut pueri desperati, & intentam aurem præbent in ecclesia Lectoribus, atque exceptorium cordis sui in fluenta Scripturæ divinæ patefaciunt; qui non intra istos parietes domûs suæ curam gerunt & domesticis fabulis delectantur, ut ideo conveniant, ut inveniant cum quibus loquantur nugatoria, non cum quibus audiant utilia; qui non amant loqui de rebus alienis, cùm defecerint in suis: qui ergo non ita conveniunt, & frequenter conveniunt, non sunt rudes in isto titulo Psalmi, quod scriptum est, *Ad Goliam:* norunt quis fuerit Golias. Tamen propter alios qui vel nunc intenti sunt, alio autem tempore minùs sunt intenti, vel fortasse spinis sæcularibus, id est, negotiorum mundanorum curis, verbum in corde suo tamquam semen utile offocare consuêrunt, narremus etiam ista pervetera, & usitata intentis & studiosis litterarum divinarum.

Caput III. Goliæ & Davidis descriptio. 1. Reg. 17.

3. Golias unus fuit ex Allophylis, id est, ex alienigenis, qui bellum gerebant illo tempore adversùs filios Israël. Eo autem tempore David sanctus, cujus est hoc Psalterium, immo per quem ministravit hoc Psalterium Spiritus-sanctus, puer erat pascens oves patris sui, tenera ætate, vix dum adolescentulus. Fratres ejus jam juvenes militabant, & in exercitu regis erant. Adtulit eis missus à parentibus aliquid de domo, usibus ipsorum. Ita illo tempore quo pugnabatur, in exercitu inventus est nondum miles, sed militum minister & frater. Exstitit tunc Golias iste, de quo mentio facta est, ingens staturâ corporis, armis instructus, viribus etiam exercitatus, elatus jactantiâ, qui superbè provocaret ad monomachiam adversarium populum: hoc est, ut unus inde electus ab ipsis procederet adversùs eum, ut duobus pugnantibus examen totius belli in medio versaretur, pacto & placito addito, ut si quis duorum illorum vicisset, universæ parti unde steterat tribueretur victoria. Rex ergo ille populi Judæorum filiorum Israël Saül erat. Angebatur, æstuabat, quærebat in universo exercitu parem illi: verùm non inveniebat, nec formâ corporis, nec audaciâ provocationis. Cùm ergo æstuaret, ausus est puer iste David, non præsumens de viribus suis, sed in nomine Dei sui, procedere adversùs eum. Nuntiatum est regi, non audacia pueritiæ, sed fiducia pietatis: nec rex abnuit, non recusavit. Intellexit, cùm videret audentem puerum, aliquid divinitatis in eo esse, nec illam teneram ætatem sine divino instinctu talia posse præsumere. Libenter accepit: processit adversùs Goliam.

Monomachia.

Caput IV. Davidis in Deo confidentia.

4. In omnibus ergo, qui erant in ea parte, unde procedebat David, non erat præsumtio nisi de Deo: in illis autem tota spes in unius hominis viribus. Sed quid est homo, nisi quod in isto Psalmo cecinit? *Homo vanitati assimilatus est, dies ejus velut umbra prætereunt.* Ergo spes illo-

Psal. 143. 7.

A rum inanis, quæ collocata est in umbra transeunte. Armatus est autem David, ut quoniam ætate & viribus impar erat, quasi armis par esset: sed arma vetera non adjuvabant, potiùs onerabant novam ætatem. Et ad hoc pertinet quod etiam Apostolica lectio ante Psalmi canticum præsignavit, dicens, Exuite vos veterem hominem, & induite novum. Noluit David vetustatem armorum: abjecit; onerosa esse dixit, quia implicabant eum. Expeditissimus ille ad
B prœlium procedere cupiebat; fortis non in se, sed in Domino; armatus non tam ferro, quàm fide.

5. Tamen abjectis armis, elegit aliquid unde pugnaret: & hoc non sine sacramento. Nam videtis quasi duas quasdam vitas, unam in alienigenis veterem, alteram in Israëlitis novam, adversùs invicem dimicare. In illa parte corpus diaboli, in ista præfiguratio Domini Jesu Christi. * Tulit quinque lapides de torrente, de flu-
C vio, & posuit in vase pastoris, quo lac mulgeri solet, & ita processit armatus. Quinque lapides, Lex erat; continetur enim Lex quinque libris Moysi. Et in ipsa Lege decem præcepta sunt salutaria, quibus decem præceptis cetera serviant. Præfiguratur ergo Lex & quinario & denario numero. Et ideo David pugnavit quinario, cecinit denario dicens, *In psalterio decem chordarum psallam tibi.* Neque omnes quinque lapides misit, sed unum tulit. Namque in numero lapi-
D dum, numerum librorum ostendit, in uno lapide unitatem implentium Legem. Unitas enim ipsa implet Legem, id est, caritas. Ideo sublati sunt quinque illi lapides de fluvio. Fluvius quid significabat illo tempore?

6. Non enim semper in Scripturis eadem significantur rebus certis. Et hoc nosse debet Sanctitas Vestra, propter ceteras regulas, ut etiam dociles Lectorem audiatis. Ea quæ ponuntur allegoricè in Scripturis, non semper hoc signifi-
E cant. Non semper mons Dominum significat, non semper lapis Dominum significat, non semper leo Dominum significat, non semper bonum, non semper malum; sed pro locis Scripturarum, quò pertinent cetera circumstantia ipsius lectionis. Quemadmodum litteræ in tot millibus verborum atque sermonum ipsæ repetuntur, non augentur: verba infinita sunt, finitæ sunt tamen litteræ: verba numerare nemo potest; litteras quivis potest, unde multitudo verborum est.
F Cùm una littera variis in locis ponitur, & pro loco valet, non unam rem valet. Quæ tam diversæ res, quàm Deus & diabolus? Tamen in capite, *D* littera est, cùm dicimus Deus, & cùm dicimus diabolus. Sicut ergo littera pro loco valet: errat autem, & nimis absurdus est, & * intra puerile cor, qui cùm legerit, verbi gratiâ, *D* litteram in nomine Dei, timet illam ponere in nomine diaboli, ne quasi Deo faciat injuriam. Sic etiam qui imperitè audit divinas Scripturas,
G ut de isto ipso exemplo non recedamus, cùm audit, verbi gratiâ, in allegoria positum fluvium, eo loco ubi dictum est, Fluminis impetus lætificant civitatem Dei: dictum est autem de inundatione Spiritûs-sancti, de qua alio loco ait Propheta, Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: cùm ergo sic acceperit fluvium in bono, & laudaverit,

CLASSIS I.

rit, & delectatus fuerit; quando pro loco dicitur ei, quòd fluvius significet homines fluentes, & temporalibus deditos, cum transeuntium amore transeuntes, expavescit; quia in alio loco acceperat fluvium in bono significare aliquid, & perturbatur: ita fit in Scripturis mutus, quomodo in litteris mutus efficitur, si noluerit transferre ipsas litteras ad alia verba, sed in his solis verbis eas tenuerit, in quibus eas primò didicerit.

CAPUT VII. De fluvio levati lapides & in pastorali vase positi quid significent.

7. Si percepit hoc Sanctitas Vestra, res vobis dicta est, quantum arbitramur, utilissima; & quæ vos multùm adjuvet, non solùm ad audiendos Tractatus nostros, sed etiam ad intelligendas ipsas Scripturas, de quibus vobis ista tractamus. Fluvius ergo, unde tulit tunc David quinque lapides, non bonum aliquid significavit illo tempore. Novi quidem posse quibusdam occurrere, & in bono significare illum fluvium: sicuti si quispiam velit baptismum intelligere, ut lapides de baptismo [a] levati, id est, homines baptizati, fortissimi sint adversùs diabolum, qui significabatur per Goliam. Tamen propter quinarium numerum constat nobis ratio, quia dixeramus Legem significari quinario numero, propter quinque libros Moysi. Quid significat quòd de fluvio sunt ablati, & positi in vase pastoritio? Jam diximus, quia in adventu Domini nostri Jesu Christi, ut verè diabolus vinceretur, Lex transiit ad gratiam. Quid tam significans gratiam, quàm lactis copia? Sublati sunt autem illi lapides de fluvio. Fluvius significabat populum fluxum, deditum temporalibus rebus, amantem transeuntia, & cupiditatis impetu in mare hujus sæculi decurrentem: qualis erat populus Judæorum vetus. Acceperat Legem, sed calcabat Legem, & transibat super Legem, & ferebatur in mare, quomodo fluvius super illos lapides. Non enim lapides illi limitem fecerant fluvio, ut staturent fluvium. Quòd si ita essent, significarent coërcitionem Legis, & eos qui cùm fluere cœperint voluptatibus & cupiditatibus suis, venientes ad præcepta Legis consistunt, & refrenant impetus libidinum suarum. Non autem ita erant illi lapides; sed in fluvio, super quos transibat aqua, sicut super Legem transgressor populus transibat. Inde ergo Dominus tulit Legem ad gratiam: id est, de fluvio tulit, & in vase pastoris posuit.

CAPUT VIII. Populus Judæorum non implevit Legem; quia timebat, non amabat.

8. Qui vult ergo implere Legem, gratiam cogitet. Ideo & illa decem præcepta psalterii decem chordarum, ipsa sunt quæ erant in illo populo vetere: sed illum populum decem [b] præcepta timore opprimebant. Non enim erat in illis caritas, quæ est per gratiam; sed timor erat. Præcepta Domini pœnalia erant illi populo; quia impleri non poterant * amore. Conabantur, sed cupiditate superabantur. Cùm ergo quisque ad gratiam transitum fecerit, non alia præcepta implet: sed ipsa quæ hac impleri non poterant, hac implentur. Non est tamen vis præceptorum, sed vis gratiæ Dei. Nam si præceptorum Legis hoc esset, & illa impleret. Qui transit ad Christum, transit à timore ad amorem, & incipit amore jam posse, quod timore non poterat: & qui trepidabat in timore, non trepidat in amore. Ideo hanc in decem præceptis, quia significat

* f. timore.

David hominem qui transit ad gratiam, cùm dicit, *In psalterio decem chordarum psallam tibi*, jam cantare in præceptis, hoc est hilariter præcepta complere.

SERM. DE SCRIPTURIS. ℣. 9.

CAPUT IX. * f. & nemo. De suis viribus ne homo præsumat.

9. Et ut noveritis, Fratres, quia gratia hoc implet, * nemo debet de viribus suis præsumere: hoc est enim præsumere de gratia Dei. Vocat enim te Deus, & jubet ut facias: sed IPSE DAT VIRES, ut quod jubet, impleri possit. Tibi autem capax fides adhibenda est, ut inundatione gratiæ humilies te, supplices Deo, nihil de te præsumas; spolies te Golia, induas David. Ad hoc pertinet quod in eodem Psalmo dicitur, quod jam commemorare cœperamus, *Quid est homo?* (℣. 3.) Hoc enim monet, ne de se præsumat homo. Nam videte quomodo incantat adversùs Goliam, qui de se præsumebat; & commendat ibi David, qui infirmus in hominibus, in Deo firmissimus erat. *Quid est homo?* Et dicit quid sit homo: *Quoniam innotuisti ei.* Hoc est totus homo, si innotescat illi Deus: si autem non illi innotescat Deus, nihil est homo. Quid est homo, cui non innotuit Deus? *Homo vanitati assimilatus est, dies ejus velut umbra prætereunt.* (℣. 4.) Ergo, *Quid est homo, quoniam innotuisti ei; & filius hominis, quoniam æstimas eum?* Quid est, *æstimas eum?* Placuit tibi eligere illum, & constituere in aliquo superiore & eminentiore loco: misericordiæ tuæ est, non meritorum ipsius.

CAPUT X. Proprium hominis nihil nisi peccatum & mendacium.

10. Quære quid sit hominis proprium, peccatum invenies. Quære quid sit hominis proprium, mendacium invenies. Tolle peccatum, & quidquid consideraveris in homine, Dei est. Non ergo amet homo quod proprium est. Etiam ad hoc potest pertinere illud quod dicit Apostolus: Nemo quod suum est, quærat. (1 Cor. 10. 24.) Aliquando enim audiunt illud homines à Lectoribus, & ædificantur ad auferendas res alienas. Interest quis tibi dicat, Noli quærere quod tuum est. Aliquando enim dicitur à malo suasore, aliquando autem dicitur à bono doctore. Deus bonus est doctor. Quando ergo audis à Deo, Noli quærere quod tuum est: noli sic accipere, quomodo dici solet. Aliquid boni est, quod te monet Deus. Quod dicebamus, quære quid sit tuum, invenies peccatum. Noli ergo quærere peccatum, & non quæris tuum: noli quærere mendacium, & non quæris tuum. Veritas enim à Deo est, mendacium abs te.

CAPUT XI. Duæ januæ diabolo tentatori, cupiditas & timor.

11. Et si diabolus aliquando aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum. Non enim seducit ille aut trahit aliquem, nisi quem invenerit ex aliqua parte jam similem sibi. Invenit enim eum aliquid cupientem: & cupiditas aperit januam intranti suggestioni diaboli. Invenit illum aliquid timentem, monet ut fugiat, quod illum invenit timere: monet ut adipiscatur, quod illum invenit cupere: & per has duas januas cupiditatis & timoris intrat. Claude illas, & imples Apostoli illud in hodierna lectione, Non detis locum diabolo. (Ephes. 4. 27.) Ibi enim voluit ostendere Apostolus, quia quamvis intret & possideat diabolus, homo illi tamen locum dedit, ut posset intrare.

Reos omnes Christus invenit.

12. Ergo quia nihil est homo cui non innotuit Deus & quem non æstimat Deus; dat illi gratiam suam, inveniens in illo quod damnet, &

a Sic Germanensis MS. Editi verò, *baptismo lavati.*

b Ita in Germ. MS. At in editis, *præceptorum timor opprimebat.*

Classis I.

donans omnia confitenti, ut coronet credentem.

*Caput XII.

* Quid enim invenit Dominus in hominibus quando venit, nisi quod damnaret? Omnino, Fratres, cogitate & videte, sive in illo populo Israëlitarum, sive in Gentibus, non invenit nisi quod damnaret. Et ideo ad peccantes humilis voluit venire, non judex, [a] cùm parcit illis, ut primò prærogaret misericordiam donando peccata, & sic postea redderet severitatem puniendo peccata. Non abutamur, id est, non malè utamur misericordiâ ejus, & non sentiemus severitatem ejus. Ergo hoc est homo totum, quod ei innotescit Deus, quòd dat illi gratiam suam, unde præsumebat David: Golias autem de se, de viribus suis, superbus, elatus, inflatus, primò totam victoriam universæ partis suæ in se uno constituit. Et quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsam frontem lapide veniente dejectus est. Evacuata est frons, quæ habebat impudentiam superbiæ suæ; & vicit frons, quæ habebat humilitatem crucis Christi.

Caput XIII. Crucis signum in fronte quid significet.

13. Propterea & nos signum ipsum crucis in fronte portamus, qui illud [b] intelligit. Hoc dico, Fratres, quia multi illud faciunt, & intelligere nolunt. Factorem quærit Deus signorum suorum, non pictorem. Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi. Diximus autem, Fratres, eum dare locum diabolo, qui illi aperit januas cupiditatis aut timoris: sed cupiditatis cujus, aut timoris cujus? Nam & regnum cælorum cupimus, & gehennam timemus. Sed quomodo illæ januæ, cupiditas rerum temporalium, & timor pœnarum temporalium trahit plerumque ad nequitiam, & dat locum diabolo: sic cupiditas rerum æternarum, & timor pœnarum æternarum facit locum in corde verbo Dei.

Caput XIV.

14. Breviter ergo, Fratres, SI VOLUMUS BENE VIVERE, plus amemus quod promittit Deus, quàm quod promittit hic mundus; & plus timeamus quod minatur Deus, quàm quod minatur hic mundus. Numquid magnum aliquid aut longum est quod diximus?

Cupiditatis tentatio.

Venit tentatio tibi alicujus fraudis, vis facere fraudem, ut adquiras pecuniam: promittit Deus fraudem non facientibus sempiterna regna cælorum, vincit te cupiditas ad pecuniam. Nam quis est qui nolit regna cælorum? Sed plus velle terrena, hoc est peccare: plus velle quod præsens est, non credere quod futurum est; plus velle quod videt homo, & non desiderare quod promittit Deus: cùm id quod videt homo, etiam ab oculis potest auferri, etiam possessum potest amitti; id autem quod promittit Deus, nec oculo carnis videri interim potest; & cùm quisque ad Dei promissa pervenerit, non timet ne amittat; quia nemo est potentior illo qui dedit. Itaque, Fratres, hærete caritate promissis Dei; & non vos superabunt cupiditates sæculi.

Caput XV. Timoris tentatio.

15. Rursum timoris tentatio advenit: dicit tibi quisque, Dic pro me falsum testimonium. Primò promittit: sed cùm non deceperit, si fortè præponas promissa Dei pollicitationi hominum, non vincit cupiditas: per comminationem tentat, & incipit minari horribilia. Potens est forte in civitate, potens in sæculo, videtur posse facere quod minatur. Vincit te timor præsentis mali: quod & posset à te utique Deus avertere, si hoc illi videretur prodesse tibi: & si nollet avertere, intelligere deberes, quia non tibi permitteret evenire, nisi & hoc sciret prodesse tibi. Avertit ignem à tribus pueris idem Deus. Numquid mutatus est Deus, quia non avertit gladium à Martyribus? Idem ipse fuit Deus trium puerorum, qui fuit Machabæorum. Illi de igne evaserunt, illi ignibus cruciati sunt: utrique tamen [c] in Deo sempiterno vicerunt. Non enim aut illi vitâ istâ temporali delectabantur, aut illi minis temporalibus frangebantur.

16. Itaque noli timere hominem minantem tibi. Quid est enim homo? *Vanitati assimilatus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.* Aut non tibi nocebit, & antè transibit illa umbra, quàm ad te aculeus ejus transire potuerit; potens est enim Deus: aut si permissus fuerit nocere, ad tempus nocebit umbræ tuæ, id est, rei transitoriæ tuæ, vitæ temporali tuæ, vitæ veteri tuæ. Usque enim ad ultimum mortis portamus aliquid veteris hominis. Temporalem vitam ille nocere potest, æternam tibi vitam nemo potest auferre. Tollet tibi impedimenta, quibus hîc teneris; & hærebis Deo, cui te jam præmissa spe, caritate colligaveras.

17. Propterea in Psalmis elegantissimè dicitur de homine malo, Sicut novacula acuta fecisti dolum. Sic illi insultat Spiritus Dei. Quid adtendit in novacula? Non quia occidi homines de novacula possunt: sed ad quam rem facta est novacula. Facta est autem ad radendos capillos. Quid tam superfluum in corpore, quàm capilli? Quantâ instantiâ, quanto studio, quantâ cautelâ, quantâ intentione acuitur, ut radat capillum? Sic & homo malus tollit [d] se in partem, cogitat, recogitat, excogitat, ponit fraudem super fraudem, quærit machinationem, ministros parat, falsos testes comparat, acuit novaculam. Quid facturus justo, nisi superflua rasurus?

18. Itaque, Fratres, si vultis parati esse ad sequendam voluntatem Dei, quod vobis dicimus, & nobis primùm dicimus; immo omnibus dicit ille, qui securus dicit: si volumus parati esse ad sequendam voluntatem Dei, non amemus ista quæ transeunt, non putemus ipsam esse felicitatem, quæ dicitur in hoc sæculo. Hoc enim putabant illi alienigenæ; totam felicitatem in rebus temporalibus, totam suavitatem in umbra ponebant, non in ipsa luce, non in ipsa veritate. Ideo in isto Psalmo, qui *ad Goliam* est, adtendite posteriora Psalmi: omnino lucidissimis verbis & enodatissimo sermone, qui non quærat interpretem aut expositorem, sed misericordiâ Dei ita sunt posita, ut nemo dicat, Ecce hoc quomodo voluit dixit, & pro ingenio suo interpretatus est, sensit ut voluit: sic sunt posita, ut nemo se excuset. Posita sunt autem à David dicente, id est, à nova vita, Christi vita, vita quæ per Christum nobis data est: insultans vitæ veteri, felicitati veteri hominum, & illis qui in eam spem ponunt, & illis qui adipiscuntur eam, & in illa gaudent.

[a] Fortè legendum *pepercit*, sublato *cum*: quod à Vlimmeriana & Parisiensi editione abest.
[b] Sic Vlim. Par. & MS. Germ. At Lov. *qui illud intelligimus*.

[c] Sic Germanensis MS. Editi autem, *cum Deo sempiterno vivunt*.
[d] Germanensis MS. *tollit te in partem*.

Classis I.

Caput XIX. Felicitas impiorum nonnullis scandalum.

19. Videntur enim justi laborare in hoc sæculo, & injusti feliciter in hoc sæculo vivere: & quasi dormiat Deus, negligens res humanas, illi plerumque extolluntur impunitate, isti plerumque franguntur infirmitate, & putant sibi nihil prodesse quòd bene vivunt, quia non habent ea quibus videntur abundare peccatores, scelerati & impii homines. Et quamdiu talia rogant à Deo, ut pro magno sibi præstentur, tamdiu errant; & cavendum est ne dentur in potestatem cupiditatis suæ. Nam dictum est, Dedit illos Deus in concupiscentias cordis eorum. Et magis propitius est Deus, quando superflua & nugatoria petentem non exaudit ut det, sed exaudit ut sanet non dando. Etenim quare ista quærant homines, quis non videt? Ut in luxuriis suis consumant, & in nugis, & in insanissimis spectaculis, *à Deo quærunt homines habere ista.

Psal. 80. 13.

Superflua petens propitio Deo non exauditur.

* f. ideo.

Caput XX. Divitiarū abusus.

20. Da mihi hominem de sæculo, petat à Deo divitias; dentur, & vide innumerabiles consequi laqueos mortis ejus. Opprimit inde pauperem, superbit homo mortalis super hominem parem sibi, quærit honores ab hominibus vanos; ut autem adipiscatur, exhibet illis ludicra nequitiæ, ludicra malæ cupiditatis: [a] ludos & ursos emit, donat res suas bestiariis, esuriente Christo in pauperibus. Quid opus est plura dicere, Fratres? Vos ipsi cogitate quæ nos tacemus, quanta mala faciant homines de superfluis rebus, quando illis acciderit proventus illarum. Nonne melius est, quando talis est homo, ut possit sic uti copiâ rerum præsentium, ut auferat illi eam Deus, non illi eam det? Nonne tunc est misericordia?

Caput XXI. Cupiditas temporalium quomodo in proximum iniqua.

21. Et dicet, Bene feci, & nihil alienum abstuli, & non me exaudisti: ex eo quod habeo do egenti; non tollo alicui: à te peto, tu da. Quasi verò det tibi villam, nisi alius perdat villam. Si dicatur tibi, Vendas villam tuam: tamquam maledictum exhorrescis, injuriam tibi factam putas; odium servas in pectore, quia hoc audisti ab homine, ut venderes villam: quasi emere possis, nisi alius vendat. Itaque quod valde cupis emere, & optas emere, si malum est vendere, alii malum quæris. Bonum est invenire saccellum solidorum in via: quod cùm inveneris, dicis, Deus mihi dedit: quasi possis invenire, nisi alius perdat. Quare ergo non optas illorum thesaurorum bona, quæ tecum omnes sine angustia valeant possidere? Desideras aurum, desidera justitiam. Habere aurum non potes, nisi alius amittat: justitiam ambo complectimini, & ambo dilatamini.

Caput XXII. De felicitate terrena aliter mali, aliter boni sentiunt.

22. Redeamus ergo ad Psalmum, ut intelligat Caritas Vestra eos esse alienigenas, qui totam felicitatem non putant nisi præsentem. Sed dignum te judicas cui & ista Deus det: quære quomodo utaris. Si non dedit, scias quia prodest tibi quia non dat pater bonus. Quia & filius tuus quando plorat, ut des illi formosum cultellum manubrio deaurato; quantum vult ploret, non

ỳ. 11. illi das unde lædatur. *Domine, libera me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.* Et exponit quam dicat vanitatem & quam dexteram. Dexteram enim iniquitatis dicit felicitatem hujus sæculi: non quia non invenitur apud bonos, sed boni quando illam habent, in sinistra illam habent, non in dextera. Felicitatem perpetuam habent in dextera: felicitatem temporalem habent in sinistra. Cupiditas autem rerum æternarum & felicitatis æternæ, non debet misceri cupiditati rerum temporalium, id est, felicitatis præsentis & temporalis. Et hoc est, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Ergo, *Dextera eorum dextera iniquitatis.*

Serm. de Scripturis.

Matth. 6. 3.

Caput XXIII. Verbi Dei fructus à non audiēte etiam exigendus.

23. Audite jam quomodo locuti sunt vanitatem, & quomodo dexteram habeant iniquitatis. Audiamus omnes, prodest vobis. Audiatis, ne dicatis non vos audisse: quia dictum est servo, Tu dares, & ego exigerem. Et diximus hesterno die, quia nos servi sumus dantes; alter est qui exigat. Sorores nostræ, nolentes audire, quasi nolunt pati exactorem. Sine caussa, Fratres mei, nemo sibi hinc blandiatur. Aliud est non accepisse, aliud accipere noluisse. Qui recusat donum Dei, ipsius recusationis reus tenetur. Quomodo enim dictum est servo dispensatori, Quare non dedisti? sic dicetur servo, cui ille positus est dispensare, Quare non accepisti? Si non fuit qui daret, excusabis te: si autem sonant Lectores, etiam quando tacent Tractatores, & ubique verbum Dei prædicatur, & verè dictum est, In omnem terram exiit sonus illorum, & calor verbi Dei ubique diffunditur, nec est qui se abscondat à calore ejus: non erit quid dicere in judicio Dei. * Fratres audiamus, & faciamus; si volumus habere spem, non nos excusemus. Plerumque mendicus unum nummum petens, ad ostium tibi præcepta Dei cantat.

Luca 19. 23.

V. in Psal. 32. Serm. 2. n. 2.

Psal. 18. 5.

*Caput XXIV.

24. Audiamus ergo: *Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.* Videte felicitatem mundi, ubi illi spem ponebant qui locuti sunt vanitatem, & quorum dextera iniquitatis est. Nam sic incipit dicere: *Quorum filii eorum sicut novellæ constabilitæ.* Felicitas licita est. Non hîc dixit fraudes, perjuria, rapinas, scelera: felicitatem dixit quasi innocentium. Et si ista contemnenda est; quemadmodum sunt plangendi illi, qui etiam rapinas faciunt, qui furta, qui scelera, qui homicidia, qui adulteria & cetera quæ etiam ipsa mundana felicitas damnat?

Felicitas mundana, & quæ licita videtur, contemnenda. ỳ. 12.

Caput XXV. Felicitatē sæculi quisquis magni pendit, alienigena est.

25. Videte qualem velit esse hominem de vita nova, qualem velit esse hominem ad vasa pastoralia pertinentem, & ad gratiam Dei, & ad lac quo nutrimur. Adtendite jam: *Quorum filii eorum sicut novellæ constabilitæ; filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi.* Fortè propterea sorores nolebant audire. Audiant ergo, velint nolint, & discant venire ad [b] Dominicum, non in superbia Goliæ, sed in humilitate David. Numquid enim ista exponenda sunt? numquid obscura sunt? Loquuntur homines vanitatem, & dicuntur alienigenæ: non pertinent ad hereditatem Christi, ad regnum ejus cui dicimus, Pater noster: alienigenæ computantur. Et quam dicunt

[a] Quædam editio, *lupos*. Libri alii, *ludos*, id est ludorum loca.

[b] Erratum hîc suspicabatur Vliminerius, qui ad marginem in suo codice scripsit, *ad Dominum filii*. Sed verius editi, ut in optimæ notæ Germanensi MS. *ad Dominicum*. Quo verbo aut ecclesia significatur juxta Neocæsarcensis concilii canonem 5. Κατηχούμενος ἐὰν εἰσερχόμενος εἰς κυριακόν. *Catechumenus si ingrediens in Dominicum*: pro quo Dionysius Exiguus & Isidorus Mercator interpretantur, *in ecclesiam*. Eodemque sensu Cyprianus in lib. de opere & eleemosyna; *In Dominicum sine sacrificio venis*. Aut certè intelligenda sacra cœna, ut apud Cyprianum libro nunc citato; *Dominicum celebrare te credis*. Et apud Augustin. in Breviculo Collat. cum Donatistis 3. diei c. 17. *Confitebantur in passionibus suis se collectam & Dominicum egisse*. In horum Martyrum Gestis, quæ Surius ad Februarii 11. refert, vox *Dominicum* utroque significatu ponitur.

CLASSIS I.

felicitatem? *Filii eorum sicut novellæ constabilitæ:* quasi propago propaginis. Habet multos filios, multos nepotes; securus est adversùs casus mortis. Quasi non millia hominum plerumque unus casus absumat. *Filii eorum sicut novellæ constabilitæ.* Ecce puta sint filii sicut novellæ constabilitæ: nonne aliquando etiam novellas silvis vicinas silvarum ignis absumit? *Filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi.* Citò hinc transeamus: consulendum est pudori feminarum. Ipsæ potiùs habendo cognoscant quid habeant, quod nos commemorando erubescimus. *Filiæ eorum ornatæ sunt sicut similitudo templi.*

℣. 13. * *Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc.* Quomodo dicimus de abundantibus: Non habet ubi ponat, nescit quid habeat. Impletur unum cellarium, & redundant fructus: redundant possessiones, eructant cellaria ex hoc in hoc.

CAPUT XXVI. Goliæ superbia ex terrena felicitate.

26. *Oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis.* Intrant paucæ; pariunt, & exeunt multæ: *multiplicantes in exitibus suis.* Anno priore tot erant, hoc anno tot sunt. Gaudetur & exsultatur; tumescit Golias, & ad certamen provocat superbus in ista felicitate: Quis mihi potest? quis mihi audet? Si non illud dicunt homines quibus hæc abundant, si non quotidie unusquisque sentit in se. Habet aliquid amplius quàm vicinus; nonne dicit, Quis mihi potest? aut vicinus iste si mihi fecerit injuriam non illi ostendo? Vide si non Golias est provocans ad certamen. Sed procedit David, nudus armis bellicis, armatus lapidibus paucis, prosternet omnem superbiam, id est, justus homo: sicut Martyres fecerunt, prostraverunt injustos. Et eo tempore quo videbantur victores, ipsi vincebantur, quando in his dux ipsorum diabolus superabatur.

27. Verùm felicitatem illam adtendite: *Oves eorum multiplicantes in exitibus:*

℣. 14 * *boves eorum crassi. Non est ruina sepis.* Sepis enim plerumque maceria esse solet. *Non est ruina sepis, neque exitus:* omnia integra, omnia perfecta, omnia plena. *Neque clamor in plateis eorum:* non lites, non tumultus.

*CAPUT XXVII. In eos qui de felicitate terrena gaudent.

* Videte qualem felicitatem quasi innocentium describat: ne dicat sibi quisque, Sed hoc dixit de illis qui rapiunt res alienas. Non est hinc dictum aliquid: alibi fit talium mentio. Nam manifestum est sceleratos esse puniendos. Et hinc debent intelligere quæ pœna eos exspectet, quando innocens quisque cùm his superbè utitur & immoderatè, reprobatur à Deo, & inter filios alienigenarum computatur. Non enim & dives ille alienos fructus quærebat, cui successit regio in fructibus, & cùm æstuaret, non habens quò congregaret fructus mundanos, & non videret pauperes in quibus sibi thesaurizaret in cælo:

Lucæ 12. 18. &c.

» Destruam, inquit, apothecas meas, & faciam » novas ampliores, & replebo eas. Unde, nisi de » fructibus suis? Et dicam animæ meæ, Habes » multa bona, satiare. Dixit autem illi Deus, Stul» te, hac nocte auferetur à te anima tua: quæ præ» parasti, cujus erunt? Sicut ergo in Evangelio, Fratres, insultatum est homini gaudenti de temporali felicitate, quamvis illi felicitas de agro proprio esset, non de rapinis alienis: sic & in isto Psalmo temporali felicitati insultatur, ut discat anima innovata & regenerata per gratiam lactis,

A illam desiderare perpetuam & sempiternam beatitatem. Ideo vide quomodo connectat: *Quorum filii eorum sicut novellæ constabilitæ; filiæ eorum ornatæ ut similitudo templi. Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis: boves eorum crassi. Non est ruina sepis, neque exitus, neque clamor in plateis eorum.* * *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Sed qui dixerunt? *Quorum os locutum est vanitatem.* Superiùs enim descripti sunt.

B 28. Tu autem quid dicis? Nam illi *beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Ego quid dico? *Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius.* Ergo ille est beatus populus, qui pro filiis suis & pro filiabus ornatis, pro crassitudine boum, pro fecunditate ovium, pro plenitudine cellariorum, pro integritate ædificiorum, pro pace ac litibus & jurgiis civilibus, pro ista omni felicitate, Deum suum vult possidere, ut ipsum habeat pro omnibus, qui condidit omnia, & dicat, Mihi autem C adhærere Deo, bonum est: colat eum gratis; colat quando ista dat, & quando aufert, & quando non dat: & nihil sic timeat, quàm ne ipse se auferat. Itaque Christianus populus, Fratres, qui dicit in corde suo, Quidquid vult auferat, se ipsum mihi non auferat, *Beatus est populus, cujus est Dominus Deus ipsius.*

* SERMO XXXIII.

D *De* [a] *versu ejusdem Psalmi* 143. Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi.

1. QUONIAM scriptum est, *Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi:* decem chordarum psalterium, decem præcepta Legis intelliguntur. Cantare autem & psallere, negotium esse solet amantium. Vetus enim homo in timore est, novus in amore. Ita etiam duo Te-E stamenta discernimus, vetus & novum, quæ in allegoria dicit Apostolus etiam in Abrahæ filiis figurari, uno de ancilla, altero de libera: Quæ sunt, inquit, duo Testamenta. Servitus enim pertinet ad timorem, libertas ad amorem. Dicit enim Apostolus, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Dicit & Johannes, Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timo-F rem. Caritas ergo cantat canticum novum. Nam timor ille servilis in veteri homine constitutus, potest quidem habere psalterium decem chordarum, quia & Judæis carnalibus data est ipsa Lex decem præceptorum: sed cantare in illa non potest canticum novum; sub Lege est enim, & implere non potest Legem. Organum ipsum portat, non tractat; & oneratur psalterio, non ornatur. Qui autem sub gratia est, non sub Lege, G ipse implet Legem: quia non est ei pondus, sed decus; nec timenti tormentum est, sed amanti ornamentum. Spiritu enim dilectionis accensus, jam in psalterio decem chordarum cantat canticum novum.

2. Nam sic dicit Apostolus: Qui enim diligit alterum, Legem implevit. Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis,

[a] Hujus Sermonis recordatur Possidius in Indiculi cap. 9. Confer Sermonem 9. de decem Chordis.

Classis I.

» non concupisces; & si quod est aliud mandatum, A » in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo autem Legis, caritas. Dominus etiam quia dixerat, Non veni solvere Legem, sed adimplere: propterea tale mandatum discipulis dedit, unde Lex ab eis posset impleri. Mandatum, inquit, novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Non ergo mirum, si mandatum novum cantat canticum novum: quia, sicut dictum est, psalterium decem B chordarum decem præcepta sunt Legis, & plenitudo Legis dilectio est. Paucas autem inde chordas commemorare Apostolus voluit, ut ex eis cetera intelligantur, ubi ait, Nam non adulterabis, non homicidium facies, &c. Nam sicut duo sunt præcepta dilectionis, ex quibus Dominus dicit totam Legem Prophetasque pendere, satis ostendens dilectionem esse plenitudinem Legis: ita ipsa decem præcepta in duabus tabulis data sunt. Tria quippe dicuntur in una tabula esse conscripta, & septem in altera. Sicut autem illa tria pertinent ad dilectionem Dei, ita septem cetera dilectioni proximi deputantur.

Matth. 5. 17. — *Johan. 13. 34.*

Caput III. Præcepta tria ad Deum pertinentia. *Exodi 20. 2. &c.* *Deut. 5. 6. &c.*

3. Primum est illorum trium, Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus unus est. Non facies tibi idolum aut cujusquam similitudinem, neque quæ in cælo sursum, neque quæ in terra deorsum, & cetera quibus ad unius Dei cultum relicta idolorum fornicatione constringit. Secundum autem præceptum est, Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. Tertium, de observatione sabbati. Credo propter Trinitatem tria præcepta pertinent ad dilectionem Dei. Unitas enim divinitatis à Patre habet exordium: inde primum præceptum de uno Deo maximè loquitur. Admonemur autem secundo præcepto, ne Filium Dei creaturam putemus, si eum acceperimus inæqualem Patri. Omnis enim creatura, sicut dicit Apostolus, vanitati subdita est: ibi autem præcipitur, ne nomen Domini Dei nostri in vanum accipiamus. Jam verò donum Dei, quod est Spiritus-sanctus, promittit requiem sempiternam, quæ sabbato figuratur: unde nos sabbatum spiritaliter observamus, si non faciamus opera servilia. Ab his enim etiam carnali intellectu Judæi sabbato prohibentur. Quia autem spiritalia vult intelligere opera servilia, audiat Dominum dicentem, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. * Peccatum autem non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. QUODLIBET enim QUISQUE FACIT, si hoc animo facit, ut terrenum emolumentum consequatur, serviliter facit, & ideo sabbatum non observat. Gratis enim amandus est Deus: nec anima potest nisi in eo quod diligit, requiescere. Æterna autem requies ei non datur, nisi in dilectione Dei, qui solus æternus est; & ipsa est G perfecta sanctificatio, & spiritale sabbatum sabbatorum. Quapropter quoniam in Spiritu-sancto sanctificamur, quis est quem non moveat ad magnum sacramentum intelligendum, quòd in tribus præceptis ad Deum pertinentibus tertium præceptum est de sabbato? Et in his omnibus quæ Scriptura in libro Genesis Deum fecisse commemorat, non ibi dicitur sanctificasse nisi diem septimum, quod significat sabbatum.

Sabbatum spirituale. — *Johan. 8. 34.* — *Caput IV. — Sabbatum sabbatorũ.

Serm. de Scripturis.

Præcepta septem quæ proximum spectant.

4. Septem verò præceptorum quæ dilectioni proximi tribuuntur, primum est, Honora patrem tuum & matrem tuam. Secundum, Non occides. Tertium, Non mœchaberis. Quartum, Non furaberis. Quintum, Non falsum testimonium dices. Sextum, Non concupisces uxorem proximi tui. Septimum, Non concupisces rem proximi tui. Huic distributioni manifestè adtestatur Apostolus, ubi dicit, Honora patrem tuum & matrem tuam: quod est mandatum primum. * Quæritur enim, & non in toto Decalogo invenitur primum: quia decem mandatorum illud est primum ubi de uno Deo colendo præcipitur. Et ideo de honorandis parentibus scriptum in alia tabula, primumque est, quia inde incipiunt præcepta quæ ad dilectionem proximi referuntur.

Ephes. 6. 2. — *Caput V.

Canticum novum cãtare cujusnam sit.

5. Cantemus ergo canticum novum, psallentes psalterio decem chordarum. Hoc est canticum novum, gratia novi Testamenti, quod nos à vetere homine discernit, qui primus factus est de terra terrenus. De limo enim factus est, & amissa beatitudine in miseriam jure projectus est, quoniam præcepti prævaricator exstiterat. Sed quid dicit apud Prophetam, qui gratias agit gratiæ Dei per remissionem peccatorum reconcilianti nos Deo, & renovanti præteritam vetustatem? Eduxit me, inquit, de lacu miseriæ, & de luto limi: & posuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos: & immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro. Hoc est canticum novum, quod psallit in psalterio decem chordarum. Nemo enim laudat Deum, id est, dicit hymnum, nisi ori suo factis consentiat, Deum & proximum diligendo. Nec se arbitrentur rebaptizatores Donatistæ ad novum canticum pertinere: non enim cantant canticum novum, qui ab Ecclesia, quam Deus in omni terra esse voluit, superba impietate præcisi sunt. Etenim alio loco idem Propheta dicit, Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Qui ergo cantare cum omni terra non vult, à vetere homine non recedens, non cantat canticum novum, nec psallit in psalterio decem chordarum: quia hostis est caritatis, quæ sola Legis est plenitudo, quam decem præceptis ad caritatem Dei & proximi pertinentibus dicimus contineri.

Psal. 39. 3. &c. — Donatistæ. — *Psal. 95. 1.*

*SERMO XXXIV.

*Aliàs de Diversis 2.

In hæc verba Psalmi 149. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum *&c. De cantico novo & vita nova.*

Habitus Carthagine ad Majores.

Caput I. Canticum novum cãtare, cujus sit.

1. ADMONITI sumus cantare Domino canticum novum. Homo novus novit canticum novum. Canticum, res est hilaritatis; & si diligentiùs consideremus, res est amoris. Qui ergo novit novam vitam amare, novit canticum novum cantare. Quæ sit ergo vita nova, commonendi sumus propter canticum novum. Ad unum enim regnum pertinent omnia, homo novus, canticum novum, Testamentum novum. Ergo ho-

CLASSIS I.

mo novus, & cantabit canticum novum, & pertinebit ad Testamentum novum.

Caritas ex Deo.

2. Nemo est qui non amet: sed quæritur quid amet. Non ergo admonemur, ut non amemus: sed ut eligamus quid amemus. Sed quid eligimus, nisi priùs eligamur? Quia nec diligimus, nisi priùs diligamur. Johannem apostolum audite. Ille est Apostolus, qui super pectus Domini discumbebat, & in eo convivio cælestia secreta bibebat. Ex illo potu, & ex illa felici ebrietate ructavit. In principio erat Verbum. Humilitas excelsa, & ebrietas sobria. Ille ergo magnus ructator, hoc est, prædicator, inter cetera quæ bibit de Dominico pectore, etiam hoc dixit, Nos diligimus, quia ipse prior dilexit nos. Multum enim dederat homini, quando quidem de Deo loquebatur, dicendo, Nos diligimus. Qui? quem? Homines Deum, mortales immortalem, peccatores justum, fragiles immobilem, factura fabrum. Nos diximus: & hoc unde nobis? Quia ipse prior dilexit nos. Quære unde homini diligere Deum: nec invenies omnino, nisi quia prior illum dilexit Deus. Dedit se ipsum quem diliximus: dedit unde diligeremus. Quid enim dedit, unde diligeremus, apertiùs audite per apostolum Paulum: Caritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris. Unde? num fortè à nobis? Non. Ergo unde? Per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.

Johan. 13. 23. — *Johan.* 1. 1. — 1. *Johan.* 4. 10. — *Rom.* 5. 5.

CAPUT II. Amamus Deum de Deo.

3. Habentes ergo tantam fiduciam, amemus Deum de Deo: immo quia Spiritus-sanctus Deus est, amemus Deum de Deo. Quid enim plus dicam; amemus Deum de Deo? Certè quia dixi, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis: ideo est consequens, ut quia Spiritus-sanctus Deus est; nec diligere possumus Deum, nisi per Spiritum-sanctum, amemus Deum de Deo. Hinc est ergo consequens. Audite apertiùs ipsum Johannem: Deus caritas est; & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Parum est dicere, Caritas ex Deo est. Quis nostrûm auderet dicere quod dictum est, Deus caritas est? Dixit qui noverat quod habebat. Quid ergo humana imaginatio & volatica cogitatio fingit sibi Deum, & in corde suo fabricat idolum, componens qualem potest cogitare, non qualem meruit invenire? Talis est Deus? Non, sed talis est. Quid lineamenta disponis? Quid membra componis? Quid staturam placitam formas? Quid pulcritudinem corporis imaginaris? Deus caritas est. Quis color est in caritate? Quæ lineamenta? Quæ forma? Nihil horum videmus: & tamen amamus.

1. *Johan.* 4. 8. — Idola cordis.

4. Audeo dicere Caritati Vestræ: in inferioribus adtendamus, quod in superioribus inveniamus. Ipse amor infimus atque terrenus, ipse amor sordidus & flagitiosus, qui corporis pulcritudines consectatur, aliquid nos admonet unde ad superiora & mundiora surgamus. Amat aliquis lascivus & impudicus pulcherrimam feminam: movet quidem corporis pulcritudo, sed intus quæritur amoris vicissitudo. Si enim audiat quòd illa oderit eum, nonne omnis ille æstus & impetus circa membra pulcra frigescit, & ab eo quod intenderat quodam modo resilit, avertitur, offenditur, odisse etiam ipse incipit quod amabat? Numquid forma mutata est? Nonne ibi sunt omnia quæ illexerant? Ibi sunt: & tamen ardebat in eo quod videbat, & de corde [a] exigebat quod non videbat. Si verò cognoscat quia vicissim amatur, quomodo vehementiùs inardescit? Videt illa illum, videt ille illam, amorem nemo videt: & tamen ipse amatur qui non videtur.

5. Erigite vos ab ista lutulenta cupiditate, ut maneatis in illuminatissima caritate. Deum non vides: ama, & habes. Quàm multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur: sordidè quæruntur, nec tamen continuò possidentur. Numquid hoc est aurum amare, quod aurum habere? Multi amant, & non habent. Numquid hoc est habere latissima & lautissima prædia, quod multi amant, & non habent? Numquid hoc est amare honorem, quod habere honorem? Multi sine honore inardescunt habere: quærunt habere, & plerumque antè moriuntur, quàm inveniant quod quærebant. Deus nobis de compendio se offert: clamat nobis, Amate me, & habebitis me; quia nec potestis amare me, nisi habueritis me.

6. O Fratres, ô filii, ô catholica germina, ô sancta & superna semina, ô in Christo regenerati & desuper nati, audite me, immo per me: *Cantate Domino canticum novum.* Ecce, inquis, canto. Cantas, planè cantas. Audio: sed contra linguam testimonium non dicat vita. Cantate vocibus, cantate cordibus, cantate oribus, cantate moribus: *Cantate Domino canticum novum.* Quæritis quid decantetis de illo quem amatis? Sine dubio de illo quem amas, cantare vis: laudes ejus quæris, quas cantes. Audistis, *Cantate Domino canticum novum.* Laudes quæritis? *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Laus cantandi, est ipse cantator. Laudes vultis dicere Deo? Vos estote quod dicatis. Laus ipsius estis, si bene vivatis. Laus enim ejus non est in synagogis Judæorum, non est in insania Paganorum, non est in erroribus hæreticorum, non est in plausibus theatrorum. Quæritis ubi sit? Vos adtendite, vos estote. *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Quæris unde gaudeas quando cantas? *Lætetur Israël in eo qui fecit eum:* & unde lætetur non invenit nisi Deum.

7. Bene, Fratres mei, interrogate vos ipsos, cellas interiores discutite: videte, & adtendite quid habeatis de caritate, & hoc quod inveneritis augete. Adtendite ad talem thesaurum, ut intus divites sitis. Cetera certè quæ magnum habent pretium, cara dicuntur; nec frustra. Adspicite consuetudinem sermonis vestri: carius est illud, quàm illud. Quid est, carius est, nisi pretiosius est? Si carius dicitur, quidquid pretiosius est; quid carius ipsa caritate, Fratres mei? Quod est, putamus, pretium ejus? unde invenitur pretium ejus? Pretium tritici, nummus tuus; pretium fundi, argentum tuum; pretium margaritæ, aurum tuum: pretium caritatis, tu. Quæris ergo unde possideas fundum, gemmam, jumentum: fundum quæris unde emas, & quæris apud te. Si vis autem habere caritatem, quære te, & inveni te. Quid enim times dare te, ne consumas te? Immo si te non dederis, perdis te. Ipsa caritas per Sapientiam loquitur, & dicit tibi aliquid, unde non expavescas quod dictum est:

a Sic Germanensis MS. Editi verò, *exibat.*

Classis I.

Da te ipsum. Si quis enim vellet tibi fundum A vendere, diceret tibi, Da mihi aurum tuum: & si quis aliud aliquid, Da mihi nummum tuum, da mihi argentum tuum. Audi quid tibi dicat ex ore Sapientiæ caritas: Da mihi, Fili, cor tuum. (Prov. 23. 26.) Da mihi, inquit: quid? Fili, cor tuum. Malè erat, quando à te erat, quando tibi erat: per nugas enim & amores lascivos perniciososque trahebaris. Tolle inde. Ubi trahis? ubi ponis? Da mihi, inquit, cor tuum. Sit mihi, & non perit tibi. Vide enim, si aliquid voluit dimit- B tere in te, unde ames vel te, [a] qui tibi dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. (Matth. 22. 37.) Quid remanet de corde tuo, unde diligas te ipsum? quid de anima tua? quid de mente tua? Ex toto, inquit. Totum exigit te, qui fecit te. * Sed noli tristis esse, quasi nihil unde gaudeas remaneat in te. *Lætetur Israël*, non in se, sed *in eo qui fecit eum*. (*Caput V.)

Proximus quantum diligendus.

8. Respondebis, & dices, Si nihil mihi re- C mansit, unde diligam me; quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente jubeor diligere eum qui fecit me; quomodo secundo præcepto jubeor diligere proximum tamquam me? Hoc est magis unde debes ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente proximo. Quomodo? Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Deum ex toto me: proximum sicut me. Unde me, unde te? Vis audire unde diligas te? Ex hoc diligis te, quia Deum diligis ex toto te. Putas D enim Deo proficere, quòd diligis Deum? & quia diligis Deum, Deo aliquid accedit? & si tu non diligas, minus habebit? Cùm diligis, tu proficis: tu ibi eris, ubi non peris. Sed respondebis, & dices, Quando enim non dilexi me? Prorsus non diligebas te, quando Deum non diligebas, qui fecit te. Sed cùm odisses te, putabas quòd amares te. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. (Psal. 10. 6.)

Precatio post Sermonem. b

9. [b] Conversi ad Dominum Deum Patrem E omnipotentem puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque uberes gratias agamus: precantes toto animo singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: inimicum quoque à nostris actibus & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spiritales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat: Per Jesum Christum Filium suum, Dominum nostrum, qui cum eo F vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

* SERMO XXXV.

(* Aliàs 10. ex Sirmondianis. c)

De eo [c] *quod scriptum est in Proverbiis Salomonis*, Si sapiens fueris, tibi & proximis tuis eris; si autem malus evaseris, solus hauries mala.

1. Divina eloquia si non negligenter G audiantur, non immeritò forsitan moveat illud quod scriptum est, *Fili, si sapiens fueris, tibi sapiens eris, & proximis tuis; si autem malus evaseris, solus hauries mala.* (Prov. 9. 12. sec. LXX.) Quomodo hoc enim rectè possit intelligi? Quando quidem sicut nos bona proximi lætificat vita, ita etiam perversa contristat. Aut si hoc propter suasionem dictum putatur, quia sapiens & sibi [d] est, & eis quibus persuadet sapientiam; quo pacto si malus evaserit, solus hauriet mala, cùm de talium persuasionibus dictum sit, Corrumpunt mores bonos colloquia mala? (1. Cor. 15. 33.) Quid enim aliud clamat vox illa caritatis, Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra; & si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra? (1. Cor. 12. 26.) Quomodo ergo verum est, *Fili, si sapiens fueris, tibi sapiens eris, & proximis tuis; si autem malus evaseris, solus hauries mala?* Quomodo ejus bono gaudebo, cujus malo in me malus non ero? Quomodò me delectat inventus, qui me securo poterit esse perditus? Nonne si sapiens fuerit, sanum membrum erit, cui cetera membra congaudent? Quomodo igitur malus solus hauriet mala, cùm similiter ægro membro compatiantur & cetera?

(Serm. de Scripturis.)

2. Hæc proinde quæstio nisi fuerit soluta, turbabit. Domino autem adjuvante solvetur, si primitus illud veritate certissima definitum, fixum atque immobile teneamus, nec bonum quemquam bono alterius, nec malum malo alterius esse posse. Hinc enim ait Apostolus, Unusquisque nostrûm proprium onus portabit. (Gal. 6. 5.) Et alibi, Igitur unusquisque nostrûm pro se rationem reddet. (Rom. 14. 12.) Et iterum, Opus autem suum probet unusquisque: & tunc in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. (Gal. 6. 4.) Hoc etiam per Prophetam Ezechielem dicitur: Anima patris mea est, anima filii mea est; anima quæ peccaverit, ipsa morietur. (Ezech. 18. 4.) Totum illum locum sic explicat, ut ostendat nec bonis parentum sublevari filios malos, nec malis opprimi bonos. Qua veracissimâ sententiâ propter nosmetipsos primitus ac firmissimè constitutâ, restat inspicere quid aliis impertiamur officii; diligentissimè distinguentes quem nostræ salutis appetamus effectum, quem proximis reddamus affectum. Si bonus es, non quidem alterius bono, sed tuo bonus es: verùmtamen eo ipso tuo bono quo bonus es, etiam bono alterius, non mutuata bonitate, sed mutua dilectione congaudes. Item si malus es, non malus es malo alieno, sed tuo: eodem quoque tuo malo non diligis proximum tamquam te ipsum: neque enim diligis vel te ipsum. Diligis quippe iniquitatem acerrimam inimicam, non tibi extrinsecùs admotam, sed abs te tibi intrinsecùs factam: quæ ut faciliùs vincat te, faves ei contra te. Ita quòd te oderis apertè convinceris, cùm eam diligis, à qua turpiter vinceris. Neque enim divinum eloquium * falsetur, quo dictum est, Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. (* f. fallitur. Psal. 10. 6.)

3. Hinc est ergo, quòd bonus eo bono quo bonus est, & bono alterius gratulatur, & malo alterius contristatur. Ac per hoc tali proximo; quoniam ipse veriùs dicitur proximus, qui te de proximo adtendit, hoc est misericorditer respicit; tali ergo proximo utique, *si sapiens fueris*, & tibi & illi eris: non quia bono tuo bonus erit; sed quia bono suo boni tui dilector erit. *Si au-*

a Editi, *Lex dicit:* pro quo Germanensis codex, *qui tibi dicit.*
b Isthæc precatio, quæ juxta Vlimmerianam editionem addita est in libris pòst excusis, non reperitur in optimæ notæ Germanensi codice ante annos circiter 800. descripto.
c Hunc Possidius Sermonem commemorat in Indiculi cap. 8.
d Editi, *& sibi bonus est.* Vox *bonus* à Victorino exemplari abest.

Classis I.

tem *malus evaseris*, non cum illo, sed *solus hauries mala.* Neque enim malo tuo malus erit, sed in tuo misericors erit. Mæstificat eum malitia, sed non sequitur pœna sua: irrogat illi tristitiam, non cum illo communicat injustitiam. Malus itaque non cum proximo bona, sed *solus hauries mala:* quia tristitiam illam, quam de te habet bonus, suo bono habet, & tuo malo. Illa tristitia illius indicat dilectionem, tuam perditionem: te damnat, illum coronat: te deprimit, illum erigit. Ideo etiam scriptum est, Obedientes esto- B
Hebr. 13. 17. » te præpositis vestris: ipsi enim vigilant pro ani-
» mabus vestris tamquam rationem reddituri: ut
» cum gaudio hoc faciant, & non cum tristitia;
» neque enim expedit vobis. Vobis ergo non expedit illorum tristitiâ prægravari. Nam illis expedit de nostra malitia contristari. Bonos ergo proximos deputa; & esto bonus, tuo quidem bono, non illorum; & ipso non abs te tibi da-
1. Cor. 4. 7. to, sed divinitus impertito. Quid enim habes quod non accepisti? Atque ita, *Si sapiens fueris*, *tibi sapiens eris*, *& proximis tuis*, quibus bonum est de tua bonitate lætari. *Si autem malus evaseris*, *solus hauries mala*; non etiam illi, quibus & hoc bonum est de tua malitia contristari.

* Aliàs de Tempore, 212.

*SERMO XXXVI.

De eo quod scriptum est in Proverbiis Salomonis, Sunt qui se divites [a] affectant, nihil habentes; & sunt qui se humiliant, cùm sint divites. Redemtio animæ viri divitiæ ejus: pauper autem non suffert minas.

Caput I. 1. Sancta Scriptura, quæ modò in auribus vestris lecta est, admonuit nos, immo per illam Deus qui jubet nobis loqui ad vos, quærere vobiscum & pertractare quid
Prov. 13. 7. sit, & quid sibi velit quod lectum est, *Sunt qui se divites affectant*, *nihil habentes*; *& sunt qui se humiliant*, *cùm sint divites.* Non enim arbitrandum est, neque omnino credendum, quòd de istis divitiis, quibus inflantur superbi, de visibilibus istis dico atque terrenis, curaverit Scriptura sancta nos admonere, ut vel eas pro magno habeamus, vel non habere timeamus. Quid enim prodest homini, ait aliquis, qui se divitem videri affectat, cùm nihil habeat? Istum notavit Scriptura atque reprehendit. Sed nec ille valde admirandus aut imitandus est & pro magno habendus, quem videtur in laude posuisse, si temporales atque terrenas divitias intellexeris. *Et sunt*, inquit, *qui se humiliant*, *cùm sint divites.* Ille rectè displicet nobis, qui cùm nihil habeat, se divitem affectat: quid, iste placet nobis, qui cùm sit dives, humiliat se? Fortè placet quia humiliat se: non tamen placet quia dives est.

2. Accipiamus ergo & hoc: non indecorum est, nec inhonestum, nec inutile, quòd Scripturæ sanctæ nobis commendare voluerint humi-
* Caput II. les divites. * Nihil enim in divitiis tam timendum G est, quàm superbia. Denique apostolus Paulus
1. Tim. 6. 17. hoc admonet Timotheum, Præcipe, inquit, divitibus hujus mundi, non superbè sapere. Non enim divitias expavit, sed morbum divitiarum. Morbus autem divitiarum est superbia magna. (Divitiarũ morbus, superbia.)

A Nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur: major animus divitiis suis, qui eas vincit, non concupiscendo, sed contemnendo. Magnus est ergo dives, qui non se ideo magnum putat quia dives est: qui autem ideo se magnum putat, superbus & egenus est; in carne crepat, in corde mendicat; inflatus est, non plenus. Utres autem duos si videas, unum plenum, alterum inflatum; in utroque eadem est magnitudo, sed non in utroque eadem plenitudo. Si adtendis, falleris; si appendis, invenies: qui plenus est, difficilè movetur; qui inflatus est, citò aufertur.

3. Præcipe, ergo, inquit, divitibus hujus mundi. Non adderet, hujus mundi, nisi quia sunt & divites non hujus mundi. Qui sunt divites non hujus mundi? Quorum princeps & caput est ille, de quo dictum est, Pauper pro vobis factus est, cùm esset dives. Sed si ille solus, quid profuit? Vide quid sequitur: Ut illius paupertate vos ditaremini. Puto quia paupertas Christi C non nobis adtulit pecuniam, sed justitiam. Paupertas autem illius unde? Quia mortalis effectus est. Ergo DIVITIÆ VERÆ immortalitas: ibi enim vera copia, ubi nulla indigentia. * Quia ergo nos immortales fieri non possemus, nisi pro nobis Christus mortalis esset effectus; ideo pauper factus est, cùm dives esset. Et non ait, Pauper factus est, cùm dives fuisset: sed, Pauper factus est, cùm dives esset: paupertatem assum-
D sit, & divitias non amisit. Intus dives, foris pauper. Latens Deus in divitiis, apparens homo in paupertate. Vide divitias ejus: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Quid ditius eo, per quem facta sunt omnia? Aurum habere dives potest, creare non potest. Cùm itaque istæ ejus divitiæ commendatæ essent, vide paupertatem ejus: Et Verbum caro factum est, & ha-
E bitavit in nobis. Hac ejus sumus paupertate ditati: quia sanguine ejus, qui manavit de carne ejus, quod Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, conscissus est saccus peccatorum nostrorum. Per sanguinem illum abjecimus pannos iniquitatis, ut indueremur stolâ immortalitatis.

4. Omnes ergo divites boni fideles. Nemo se contemnat, pauper in cella, dives in conscientia. Dives quippe in conscientia securior dormit
F in terra, quàm [b] dives in purpura. Ibi non excitat sollicitudo maligna, compuncto corde de scelere. Serva divitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas Domini Dei tui. Immo ipsum adhibe tibi custodem: ne pereat de corde quod dedit, servet ipse qui dedit. * Omnes ergo divites boni fideles, sed non divites hujus mundi. Denique divitias suas nec ipsi sentiunt; sentient postea. Vivit radix, sed hyemis tempore etiam viridis arbor aridæ similis est. Tempore quippe hyemis & arbor quæ aret, & arbor quæ viget, utraque nuda est honore foliorum, utraque vacua honore fructuum: veniet æstas, & discernet arbores: viva radix folia producit, impletur fructibus; arida inanis æstate, sicut hyeme, remanebit. Itaque illi horreum præparatur, huic se-

[a] In Possidiani Indiculi cap. 8. pro *affectant*, legitur *effitiunt.* Ejusdem Sermonis excerpta refert Florus ad 2. Cor. 8. & Coloss. 3.

[b] Florus, *quàm auro dives in purpura.*

curis

CLASSIS I. SERM. DE SCRIPTURIS.

Hyems & æstas nostra quæ. — *Col. 3. 3.* — *Ibidem 4.*

curis adhibetur, ut amputata in ignem mittatur. Sic æstas nostra, Christi est adventus: hyems nostra, Christi occultatio: æstas nostra, Christi revelatio. Denique arboribus bonis & fidelibus hanc allocutionem præbet Apostolus, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Certè mortui: sed mortui specie, vivi in radice. Adtende autem venturum tempus æstatis, quomodo sequatur, & dicat, Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Hi sunt divites, sed non hujus mundi.

Divites hujus mundi non contemti à Christo. — *1. Tim. 6. 17.*

5. Nec tamen & divites mundi contemti sunt. Et ipsos lucratus est sua paupertate, qui cùm dives esset, propter nos pauper effectus est. Nam si eos contemsisset, & in numero sanctorum habere noluisset, non Timotheo, sicut dicebam, Apostolus præcepisset, ut & ipse præciperet: Præcipe, inquit, divitibus hujus mundi non superbè sapere. Inter hos qui fide sunt divites, sunt quidam divites hujus mundi. Præcipe illis, quia & ipsi membra illius pauperis facti sunt. Præci- » pe illis quid in illis timeas à divitiis. Non super- » bè sapere, neque sperare in incerto divitiarum.

CAPUT V. Divitiarū inanitas & periculum. — *Matth. 6. 19. & 20.*

* Inde enim superbit dives, quia sperat in incerto divitiarum. Nam si incerta divitiarum prudenter adtenderet, numquam superbiret, sed semper timeret: quantò esset ditior, tantò fieret sollicitior, & secundùm hanc vitam, non solùm secundùm illam. Multi enim in istis sæculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt. Multi autem propter suas divitias quæsiti & correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, quod semper habere minimè potuerunt. Multos pænituit consilium sui Domini non recepisse, qui dixit, No- » lite vobis thesauros condere in terra, ubi tinea » & comestura exterminat, & ubi fures effodiunt » & furantur: sed thesaurizate vobis thesaurum in » cælis. Non dico vobis ut perdatis, sed ut migretis. Multi enim hoc facere noluerunt, & non se obedisse doluerunt; quando non solùm sua per- » diderunt, sed propter illa & ipsi perierunt. Præ- » cipe ergo divitibus hujus mundi non superbè sapere: & fiet in eis quod audivimus in proverbio Salomonis, *Sunt qui se humiliant, cùm sint divites.* Et secundùm istas divitias temporales fieri potest. Sit humilis: plus gaudeat quia Christianus est, quàm quia dives est. Non infletur, non extollatur: adtendat pauperem fratrem, non dedignetur frater pauperis appellari. Quantumcumque enim dives sit, ditior est Christus, qui fratres suos esse voluit pro quibus sanguinem suum fudit.

CAPUT VI. Divitiæ ad quid prodesse possunt. — *1. Tim. 6. 17. &c.*

6. Tamen ne dicerent divites, non se habere quid faciant de divitiis suis, admonuit Timotheum, ut eos etiam consilio regeret, non solùm præcepto cohiberet: cùm dixisset, Neque sperare in incerto divitiarum; ne se spem perdi- » disse arbitrarentur, subjecit, Sed in Deo vi- » vo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: temporalia ad utendum, æterna ad fruendum. Sed de divitiis suis quid faciant? Di- » vites sint, inquit, in operibus bonis, facilè tribuant. Hoc prosint divitiæ, ne sit tibi difficultas tribuendi. Vult enim pauper, & non potest: » vult dives, & potest. Facilè tribuant, commu- » nicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Nam ista vita falsa est. Hujus vitæ falsitate deceptus ille in purpura & bysso, jacentem ulcerosum pauperem ante suam januam contemnebat. Sed ille linctus à canibus, thesaurum sibi æternum in Abrahæ gremio comparabat, & si non abundanti facultate, pia tamen & opima voluntate. Ille autem dives, qui sibi magnus videbatur in purpura & bysso, mortuus sepultus est in inferno. Et quid invenit? Æternam sitim, indeficientes flammas. Successit ignis purpuræ & bysso: eâ tunicâ ardebat, qua se exspoliare non poterat. Pro epulis ariditas, [a] & desiderium guttæ de digito pauperis, sicut illi micarum de mensa divitis. Sed illius egestas præteriens, hujus pœna permanens. Hoc adtendant divites hujus mundi, & non superbè sapiant. Facilè tribuant, commu- " nicent: thesaurizent sibi fundamentum bonum " in futurum; ubi sunt veri divites, sed non hujus mundi: ut apprehendant veram vitam.

Luca 16. 19. &c.

CAPUT VII. — *Prov. 13. 7.* — *℣. 8.* — *Divitiis interioribus divites.*

7. Fortè ergo hoc admonuit Scriptura divina, ubi ait, *Sunt qui se divites affectant, nihil habentes*, propter superbos pannosos. Si enim vix toleratur dives superbus, pauperem superbum quis ferat? Meliores sunt ergo illi qui se humiliant, cùm sint divites. Verumtamen de aliis divitiis se dicere Scriptura testatur: secuta enim adjunxit, *Redemtio animæ viri divitiæ ejus; pauper autem non suffert minas.* Intelligere debemus ex alia nescio qua paupertate pauperem, & ex aliis nescio quibus divitiis divitem. Altiùs enim divites, in corde divites, pleni fortitudine, opimi pietate, abundantes caritate, secum sunt divites, interiores sunt divites. *Sunt* autem *qui se divites affectant, cùm sint pauperes:* justi sibi videntur, cùm sint iniqui. Divitias quippe illas intelligere debemus: quoniam aperuit Scriptura quid dixerit; *Redemtio animæ viri divitiæ ipsius.* Intellige, inquit, quas tibi divitias commendem. Quoniam dixi, *Sunt qui se divites affectant, nihil habentes; & sunt qui se humiliant, cùm sint divites:* illas temporales & terrenas & visibiles divitias cogitabas: ego autem non ipsas dico, sed quas dicam consequenter admoneo: *Redemtio animæ viri, divitiæ ipsius sunt.* Ergo qui non habent animæ redemtionem, quia iniqui sunt, & justos se videri affectant, quia hypocritæ sunt, ipsi sunt de quibus ait, *Sunt qui se divites affectant, nihil habentes:* justos se volunt videri, cùm in cella conscientiæ non habeant aurum justitiæ. Et sunt pleni, tantò humiliores, quantò ditiores: de quibus dictum est, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Matth. 5. 3.

CAPUT VIII. Interiores divitiæ fides, auro præferenda.

8. Quid ergo quæris divitias, quæ oculis humanis & carneis blandiuntur? Lucet aurum: sed plus lucet fides. Elige quid in corde habere debeas. Intus plenus esto, ubi divitias tuas Deus videt, homo non videt. Nec tamen quia homo non videt, ideo debes contemnere quod intus habes. Vis videre, quia & oculis iniquorum plus lucet fides, quàm aurum? Quomodo laudat etiam avarus dominus servum fidelem? Nihil illo dicit esse pretiosius: immo eum omnino pretium non habere testatur. Habeo servum, inquit, non habet pretium. Exspectas tu unde? Fortè bene saltat, aut optimus coquus est. Non: adtende interiorem laudem. Nihil, inquit, fidelius. Placet

[a] Am Er. & Sorbonicus MS. *ariditas erat ei, & desiderium guttæ de digito pauperis, sicut illi micarum de mensa divitis indigentia fuit.*

Classis I.

tibi homo servus tuus fidelis, & tu non vis esse A Deo servus fidelis? Adtendis quia habes servum, adtende quia habes & Dominum. Servum tuum potuisti comparare, non creare: Dominus tuus & verbo suo creavit te, & sanguine suo redemit te. Si viluisti tibi, recole pretium: si & hoc oblitus es, lege Evangelium, instrumentum tuum. Fidem amas in servo tuo, & Dominus tuus non quærit eam in suo? Redde quod exigis. Quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde superiori. Amas servum, qui fideliter custodit au- B rum tuum: noli contemnere Dominum, qui misericorditer custodit cor tuum. Omnes ergo habent oculos ad laudandam fidem, sed quando exigunt reddi sibi. Nam quando ab eis exigitur, claudunt oculos, nolunt eam videre quàm pulcra sit. Aut fortè stultâ insaniâ propterea nolunt reddere, ne perdant: quomodo timet quis reddere pecuniam; cùm enim reddiderit eam, non habebit. Non sic redditur fides: & redditur, & habetur. Mirum dictu: immo si non redditur, non C habetur.

Caput IX. Divitiæ pro animæ salute in eleemosinis expendendæ. *Lucæ* 12. 17.

9. *Redemtio animæ viri divitiæ ipsius.* Meritò illi vanissimo diviti insultavit Deus, ut admoneret nos ne talia imitaremur; cui regio fructuosa succedens, turbavit hominem copia plus quàm inopia. Cogitavit enim apud se, dicens, Quid faciam, quò congregem fructus meos? Et cùm æstuasset artatus, tandem sibi visus est invenisse consilium: sed vanum consilium. Hoc enim consilium non invenit prudentia, sed avaritia. De- D struam, inquit, veteres apothecas minores, & novas faciam ampliores, & implebo eas; & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona, satiare, jocundare. Ait illi, Stulte in quo tibi sapiens videris, stulte quid dixisti? Dico animæ meæ, Habes multa bona, satiare. Hac nocte auferetur à te anima tua: hæc quæ parasti cujus erunt? Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Ideo *Redemtio animæ viri divitiæ* E *ejus.* Has ille vanus & stultus divitias non habebat. Animam quippe suam eleemosynis non redimebat, fructus perituros condebat. Recondebat, inquam, perituros fructus periturus, nihil largiens Domino ad quem fuerat exiturus. Quam frontem habiturus est in illo judicio, cùm audire cœperit, Esurivi, & non dedisti mihi manducare? Animam enim suam superfluis & nimiis epulis satiare cupiebat, pauperum tot inanes ventres superbissimus contemnebat. Nesciebat pau- F perum ventres apothecis suis esse tutiores. Quod enim recondebat in illis apothecis suis, fortassis & à furibus auferebatur: si autem reconderet in pauperum ventribus, in terra quidem digerebatur, sed in cælo tutiùs servabatur. Ergo *Redemtio animæ viri divitiæ ipsius.*

Ibidem 18. &c.

Matth. 16. 26.

Matth. 25. 42.

*Caput X. *Prov.* 13. 8. Paupertas animi præ timore minarum deficientis.

10. Et quid sequitur? * *Pauper autem non suffert minas. Pauper*, scilicet inanis justitiâ, non habens intus spiritûs plenitudinem, ornamenta spiritalia, supellectilem spiritalem, totumque il- G lud quod oculis non videtur, sed mente plus [a] cernitur: non habens hæc intus, *non suffert minas.* Quando ei dictum fuerit ab aliquo potente, Dic hoc verbum contra inimicum meum, dic falsum testimonium, ut eum quem volo opprimam & domem. Fortè tentat: Non facio, non mihi adduco peccatum. Tantùm negat, quousque dives minari incipiat. Sed quia *pauper est, non suffert minas.* Quid est, *pauper est*? Non habet divitias interiores, quas Martyres habuerunt, qui pro veritate ac fide Christi omnes minas sæculi contemserunt. Nihil de corde perdiderunt, in cælo quantum invenerunt? *Pauper* ergo *non suffert minas.* Non potest dicere diviti cogenti se ad alicujus injuriam proferre falsum testimonium, Non facio. Non habet intus unde respondeat, non est thesauro interiore solidatus & plenus: non est qui dicat, quia non habet unde dicat; non est qui dicat, Quid mihi facturus es qui minaris? Ut multum, ablaturus quod habeo: tollis quod relicturus sum; tollis, quod etsi non tollas, dum vivo forsitan perditurus sum: de arca interiore nihil perdo. Cùm mihi minaris auferre quod intus habeo, verè vis auferre quod intus habeo. Sed illud potes auferre & habere: fidem si minando abstuleris, & ego perdo, & tu non habebis. Non ergo facio quod hortaris, non curo quod minaris. Sed potes sæviendo etiam de patria me pellere. Nocuisti, si illuc me expuleris, ubi Deum meum invenire non possum. Fortè valebis etiam occidere. Ruente carnali domo, incolumis habitator abscedo, & ad illum cui servo fidem securus exibo, & te ampliùs non timebo. Vide enim quid minaris, ut falsum testimonium dicam: mortem minaris, sed corporis. Plus ego eum timeo, qui dixit, Os quod mentitur, occidit animam. His divitiis intus plenus & opimus, talia minanti vel meliora respondet. *Pauper autem non suffert minas.*

11. Simus ergo divites, & timeamus esse pauperes. Quæramus autem impleri cor nostrum divitiis ab illo qui verè dives est. Et si fortè unusquisque vestrûm intrat in cor suum, & illic divitias istas non invenit, pulset ad divitem: fiat ante januam illius pius mendicus, ut sit illo donante dives impletus. Et verè, Fratres mei, paupertatem nostram, egestatem nostram debemus Domino Deo nostro confiteri. Hanc confitebatur Publicanus, qui nec oculos ad cælum audebat levare. Non enim habebat cum qua substantia levaret oculos suos homo peccator. Adtendebat ad inanitatem suam: sed plenitudinem Domini cognoscebat, noverat se ad fontem venisse sitientem. Aridas fauces ostendebat, piè ubera implenda pulsabat: Domine, inquit, tundens pectus, oculos dejiciens in terram, propitius esto mihi peccatori. Dico ego, quia jam ex aliqua parte dives erat, cùm ista cogitabat & petebat. Nam si adhuc omni modo pauper erat, hujus confessionis gemmas unde proferebat? Sed tamen abundantior & plenior de templo descendit justificatus. Ille autem Pharisæus ad orationem adscendit, & nihil rogavit. Adscenderunt, inquit, ad templum orare. Iste rogat, ille non rogat. Sed ille unde orat? *Sunt qui se divites putant, nihil habentes.* Domine, inquit, gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Jactavit se: sed inflatio est ista, non plenitudo. Divitem se putavit nihil habens: pauperem se ille cognovit jam aliquid habens. Ut nihil aliud dicam, habebat ipsam confessionis

[a] Sorbonicus MS. *sed plus mente perpenditur.*

CLASSIS I.

» pietatem. Et descenderunt ambo. Sed justifica- A
» tus, inquit, Publicanus ille magis quàm Phari-
» sæus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur;
» & qui se humiliat, exaltabitur.

* *Aliàs de Diversis 45.*

* SERMO XXXVII.

a

De lectione [a] *Proverbiorum Salomonis, ab eo loco ubi dictum est*, Mulierem fortem quis inveniet? *usque*, Et laudetur in portis vir ejus.

CAPUT I.

1. PRÆSTABIT nobis, qui diem istum commendavit in sanctis suis, ut infirmitas vocis nostræ sufficiat intentioni vestræ. Hoc ideo commendavi, ut me silentio vestro adjuvare dignemini: animus enim promtus est ad vos, sed caro infirma. Et ipse animus, quæcumque fortè gaudia de Scriptura Dei concepit, parturit & parere quærit in auribus & mentibus vestris: præstate in vobis nidum sermoni. Commendatur enim & in Scriptura turtur, quærere nidum sibi, ubi ponat pullos suos. (*Psal. 83. 4.*) C Et hoc quod gestamus in manibus, Scriptura scilicet quam videtis, commendat nobis inquirendam & laudandam mulierem quamdam, de qua paulò antè, cùm legeretur, audistis, magnam, habentem magnum virum, eum virum qui invenit perditam, ornavit inventam. De hac secundùm lectionis tenorem, quam me portare conspicitis, pauca pro tempore, quæ Dominus suggesserit, dicam. Dies enim est Martyrum: & ideo magis laudanda est mater Martyrum. D Jam quæ sit ista mulier, me proloquente accepistis: videte etiam ut me legente agnoscatis. Omnis nunc auditor, quantum ex affectu vestro satis apparet, dicit in corde suo, Ecclesia debet esse. Confirmo istam cogitationem. Nam quæ potuit esse altera Martyrum mater? Ista est: quod intellexistis, hoc est: de qua muliere volumus aliquid dicere, Ecclesia est. Non enim deceret nos loqui de quacumque alia muliere. Quamquam & in recitatione passionis Martyrum audivimus feminas, de quibus decenter loquamur: sed nec eas prætermittimus, quando earum matrem laudamus.

CAPUT II. *Prov. 31. 10.* Ecclesia latère non potest.

2. E Adtendite cujus membra estis: inspicite cujus filii estis. *Mulierem fortem quis inveniet?* Congruit diei Martyrum fortitudo mulieris. Nisi enim fortis esset illa mulier, membra ejus in passione defecissent. *Mulierem fortem quis inveniet?* Difficile est invenire eam, immo difficile est nescire eam. (*Matth. 5. 14.*) F Nonne ipsa est civitas in monte, quæ abscondi non potest? Quare ergo dictum est, *Quis inveniet?* cùm dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides: ut autem in monte poneretur, inventa est quæ perierat. Quando illustrata est, quis eam non videt? quando latebat, quis eam inveniret? (*Luca 15. 4.*) Ipsa enim civitas est, & una illa ovis, quam perditam quæsivit pastor, & inventam gaudens in humeris reportavit. Ipse pastor, mons est: ovis

SERM. DE SCRIPTURIS.

autem in humeris ejus, civitas in monte. Facile est ut videas eam collocatam in monte: quando eam invenires, cùm lateret in vepribus, in spinis utique delictorum suorum? Ibi enim quæsisse magnum est: ibi invenisse mirabile est. Hæc ejus difficilis inventio commendatur, cùm dicitur, *Mulierem fortem quis inveniet? Quis* enim, quia unus; non quia nec unus. Quomodo dictum est de ipso viro ejus, leone de tribu Juda, de quo Propheta antè prædixit, Adscendisti recumbens: (*Gen. 49. 9.*) B utique in cruce. Adscendisti, crux est; recumbens, mors est. Quid est enim, Adscendisti, nisi quod scriptum est, Et crucifixerunt eum? Unde & ipse ait, Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. (*Johan. 3. 14.*) Quid est, recumbens? Et inclinato capite tradidit spiritum. (*Johan. 19. 30.*) Cùm ergo & ibi diceretur, Adscendisti recumbens; secutus est, Dormisti sicut leo. Dormisti sicut leo: non fugisti sicut vulpis. Quid est, Dormisti sicut leo? De potestate, non de necessitate. Cùm autem dictum esset, Dormisti sicut leo; secutus ait, Quis suscitabit eum? Quis suscitabit? neque enim nemo: sed quis hominum? Quia nonnisi Deus, qui eum exaltavit à mortuis, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen. (*Philip. 2. 9.*) Suscitavit & ipse se: unde ait, Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. (*Johan. 2. 19.*) Et modò quando auditis, *Mulierem fortem quis inveniet?* nolite putare de Ecclesia dici quæ latet, [b] sed de illa quæ ab uno inventa est, ut neminem lateret. Ergo describatur, laudetur, commendetur, amanda ab omnibus nobis ut mater: nam unius uxor est. *Mulierem fortem quis inveniet?* Mulierem istam tam fortem quis non videt? Sed jam inventam, jam eminentem, jam conspicuam, jam gloriosam, jam ornatam, jam lucidam; jam, ut citò explicem, toto terrarum orbe diffusam.

b

CAPUT III.

3. *Pretiosior autem est lapidibus pretiosis, quæ ejusmodi est.* Quid magnum, quia pretiosior est mulier hæc lapidibus pretiosis? Si modò humanas avaritias cogitetis, si ad proprietatem accipiantur lapides pretiosi, quid magnum est, quòd quibuslibet lapidibus pretiosior invenitur Ecclesia? Nulla talis comparatio est: sed sunt lapides pretiosi in illa. (Lapides pretiosi & vivi in Ecclesia.) Tam pretiosi sunt lapides isti, ut vivi dicantur. Sunt ergo lapides pretiosi ornantes eam: sed est ipsa pretiosior. Volo aliquid commendare Caritati Vestræ, quantum capio, quantum capitis, quantum [c] timeo, quantum timere debetis de his lapidibus pretiosis. Sunt in Ecclesiâ lapides pretiosi, & semper fuerunt, docti, abundantes scientiâ & eloquio & omni instructione Legis. Pretiosi planè lapides isti sunt: sed ex eorum numero quidam aberraverunt ab ornamento mulieris hujus. Quantum enim pertinet ad doctrinam & eloquium unde [d] fulget, lapis pretiosus erat Cyprianus: sed mansit in hujus ornamento. Lapis pretiosus erat Donatus:

c

d

[a] Augustino tribuunt hunc Sermonem non tantùm libri MSS. omnes, quos videre nobis contigit, sed etiam Possidius in Indiculi cap. 8. Beda ad Gal. 3. Florus ibidem & ad Rom. 8. Quibus adde Donati schisma hîc cap. 2. & 3. apertè reprehendi, & Augustini ubique inesse ingenium atque doctrinam. Errore itaque manifesto est inter Ambrosii opera excusus: ubi falso insuper titulo *in die SS. Machabæorum habitus* prænotatur. Certè enim non una tantùm, sed plures feminæ illis quæ prælecta fuerant ante Sermonem, passionis Actis commemorabantur, ut legitur hîc cap. 1. & harum unà id cap. 16. refertur dixisse in confessione, *Honorem Cæsari quasi Cæsari, timorem autem Deo.*

[b] Hoc loco apud Ambrosium additur, *Illam enim solus invenit Deus, sicut dixit Apostolus, Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Et paulò pòst ad verba, *unius uxor est*, hæc subjiciuntur: *ut scribit Apostolus ad Ephesios dicens, Sacramentum hoc magnum est* &c. *Est quoque mater, sicut dictum est, Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra, & multorum filiorum, quia multi filii desertæ.* Isthæc aliaque ibidem facta Sermoni additamenta non reperiuntur in nostris MSS.

[c] Colbertinus MS. *quantum teneo, quantum tenere debetis.*

[d] In Sorbonico MS. *unde fulgent.* Apud Ambrosium, *unde hæc mulier fulget.*

CLASSIS I

sed resiluit à compage ornamenti. Ille qui [a] mansit, in ea se amari voluit: ille qui inde excussus est, præter illam nomen sibi quæsivit. Ille permanens cum illa, ad illam collegit: ille resiliens, non colligere, sed spargere concupivit. Mali filii, quid sequimini lapidem pretiosum, de ornamento hujus mulieris excussum? Respondetis mihi, Quid enim? Tu sic intelligens quomodo ille? aut sic loqueris quomodo ille? aut tam doctus es quàm ille? Sit licèt intelligens: Intellectus bonus, omnibus facientibus eum. Sit licèt doctus, licèt liberalibus disciplinis & mysteriis Legis instructus, lapis est pretiosus: redi ab illo ad istam, *Pretiosior est lapidibus pretiosis.* Lapis pretiosus si non sit in ornamento mulieris hujus, jacet in tenebris. Lapis pretiosus quolibet jacet, jacet in tenebris: opus illi erat, ut in ornamento hujus feminæ permaneret, & esset in compagine ornamenti ejus. Ego autem fidenter dixerim, pretiosi lapides ideo dicti sunt, quia [b] carò valent: jam ille vilis est, pretium perdidit, qui non habet caritatem. Doctrinam suam jactet licèt, linguam suam jactet licèt: audiat æstimatorem verorum lapidum matronæ hujus; audiat, inquam, quemdam artificem ornamenti inspectorem. Quid jactat linguam suam, jam non pretiosus, sed vilis lapis? Si linguis hominum loquar, inquit, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Cymbalum est lapis ille: jam non fulget, sed tinnit. Ergo discite lapides æstimare negotiatores regni cælorum: nullus vobis lapis placeat, præter hujus mulieris ornamentum. Hæc quæ pretiosior est lapidibus pretiosis, ornamenti sui ipsa pretium est.

(Psal. 110. 10.) (1. Cor. 13. 1.)

CAPUT IV. ℣. 11.

4. *Confidit super eam cor viri ejus.* Planè confidit, & ut confidamus docuit. Commendavit enim Ecclesiam usque ad terminos terræ, per omnes gentes, à mari usque ad mare. Hæc si non usque ad finem perseveraverit, non super eam cor viri ejus confidit. *Confidit super eam cor viri ejus:* præscius confidit, falli non potest qui confidit. Non dictum est, Confidit super eam cor filiorum: poterant enim filii ejus parvuli falli; illius cor nullum mendacium decipit. Verum est ergo, quòd confidit. *Quæ talis est, spoliis non indigebit.* Non quia non quærit spolia, ideo non indigebit: sed quia multis abundabit. *Quæ talis est, spoliis non indigebit.* Undique spoliat mundum, ubique diffusa; rapit undique trophæa diabolo. Hoc enim [c] ei promisit vir ejus, cui dicit in alio Psalmo, Exsulto ego in verbis tuis, sicut qui invenit spolia multa. Quemadmodum spoliis indiget, quæ undique rapit, undique trahit, undique adquirit?

(Psal. 118. 162.)

℣. 12. 5. *Operatur enim viro suo bona, & non mala, in omni tempore.* Hinc est quòd exspoliat mulier ista gentes, operando viro suo bona, & non mala. In omni tempore operatur bonum, & non malum: nec sibi, sed viro; ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui mortuus est pro omnibus, & resurrexit. Viro ergo operatur bonum, coram Deo operatur bonum: illi servit, illi devota est; illum diligit, illi placere semper studet. Non se ornat, nec propter oculos suos, nec propter oculos alienos. Non est de sibi placentibus, non est de sua quærentibus: *Operatur enim viro suo.* Qui autem sibi operantur, omnes sua quærunt, non quæ Jesu Christi.

(2. Cor. 5. 15.)

6. *Inveniens lanam & linum, fecit utile manibus suis.* Lanificam & linificam matronam istam sanctus sermo describit. Quæritur autem à nobis quid sit lana, quid sit linum. Lanam carnale aliquid puto, linum spiritale. Hoc conjicere audeo ex ordine vestimentorum nostrorum: interiora sunt enim linea vestimenta; lanea, exteriora. Quidquid carne operamur, in promtu est: quidquid spiritu, in secreto. Operari autem carne, & non operari spiritu, quamvis bonum videatur, utile non est. Operari autem spiritu, & non operari carne, pigrorum est. Invenis hominem porrigentem manu eleemosynam pauperi, nec tamen de Deo ibi cogitantem, sed hominibus placere cupientem: lanea vestis videri potest, interiorem lineam non habet. Invenis alium dicentem tibi, Sufficit mihi in conscientia Deum colere, Deum adorare; quid mihi opus est aut in ecclesiam ire, aut visibiliter misceri Christianis? lineam vult habere sine tunica lanea. Non novit, neque commendat talia opera mulier ista. Dicenda sunt quidem & docenda spiritalia [d] sine carnalibus: sed illi qui accipiunt, debent & tenere spiritalia, & non carnaliter operari carnalia. *Invenit* hæc mulier *lanam & linum, & fecit utile manibus suis.* Lana ista & linum hoc, in Scripturis sanctis est. Multi inveniunt, sed nolunt facere aliquid utile manibus suis. Invenit, & fecit. Cùm auditis, invenitis: cùm bene vivitis, facitis. *Inveniens lanam & linum, fecit utile manibus suis.* Videte illam, cui dicitur, In dexteram & in sinistram extende: semen enim tuum hereditabit gentes: non est quod parcas, porrige longiùs funiculos tuos. Videte illam: *Facta est quasi navis, qua negotiator à longè congerit sibi divitias.* Divitiæ mulieris hujus, laudes viri ejus. Videte quàm à longè congerit sibi divitias: A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

℣. 14.

CAPUT VI. ℣. 15.

7. *Exsurgit de noctibus, & dedit escas domui, & opera ancillis. Exsurgit de noctibus:* Quid valent noctes? Non eam premunt, non eam in tenebris jacere cogunt. *Et de noctibus exsurgit:* Noctes, tribulationes sunt. Sed cui hæc*, *& de noctibus consurgit*, & in tribulationibus proficit. *Et dedit escas domui*, in noctibus præbuit se imitandam; faciens docuit, quod faciendum dixit; & tunc dedit eis escas. Quis comedat de nocte? Prorsus & tunc dedit escas: quibus enim dedit, semper esuriunt. Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam; quia ipsi saturabuntur. A nocte spiritus meus vigilat ad te Deus. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Hæc alimenta nocturna abundant in domo mulieris hujus. Nemo ibi famem patitur, nec palpat ut inveniat quod manducetur: ardet ibi lucerna prophetiæ. Sed numquid manducandum est & vacandum? Illa enim quæ *dedit escas domui*, dedit *& opera ancillis.* Ancillæ istæ ipsius sunt, an viri ejus? An quia viri ipsius sunt, & ipsius sunt? An multæ ancillæ ipsa est? Ipsa enim quamquam mater-familiâs, tamen ancillam se non dedignetur. Adtendat pretium suum, diligat Dominum suum. Agnoscat, inquam, se ancillam, nec timeat conditionem. Nec

(* subaud. contingit ipsa.)

[a] Corbeiensis MS. *Ille qui in ea remansit, se ornare voluit.*
[b] Sic potiores MSS. Editi verò, *quia caritate valent.*
[c] Editi, *Hoc enim & promisit viro ejus.* Emendantur hîc ad MSS.
[d] Ita MSS. At editi omittunt particulam, *sine.*

CLASSIS I.

enim dedignatur ille conjugem facere, quam tanti emit. Et unaquæque conjunx bona maritum suum dominum vocat. Prorsus non solùm vocat, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales instrumenta emtionis suæ deputat. Est ergo ancilla, dans opera ancillis. Est ancilla: ejus enim filius est qui
Psal. 115. 16. dicit, Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

CAPUT VII. ℣. 16.

8. Quæsiturus eras quid agat illis operibus etiam nocturnis: audi quid agat: *Prospiciens agrum mercata est.* Prospiciens, non in præsenti, B sed in futuro, mercata est agrum istum: prospi-
Rom. 8. 25. ciens fide, spe. Inde & de noctibus surgit. Si » enim quod non videmus speramus, per patien-
2. Cor. 4. 8. tiam exspectamus. In omnibus [a] tribulationem patiens: prospicit enim agrum quem mercatur. Inde enim mulier fortis dicitur. Quid sunt noctes
Ibidem 17. & 18. illæ [b] præ agro illo? Quod enim ad præsens tem- » porale est & leve tribulationis nostræ, (cùm de » noctibus surgimus,) in incredibilem modum æter- » num gloriæ pondus operatur in nobis, (cor C » [c] habentibus ad agrum illum,) non respicienti- » bus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ » enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Qualis est ager ille? Quæ pulcritudo ejus est? Inardescamus ad eum possidendum. Putamus non ipse est, de quo dixit Deus,
Psal. 49. 11. Et species agri mecum est?

9. *Prospiciens agrum mercata est.* Ubi mercata est, habet ibi agrum. Ubi agrum? Ubi mercata est? Ubi posuit & thesaurum suum, ut fie- D
Matth. 6. 21. ret ei, Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Prospiciens agrum mercata est.* Unde mercata est? Ne fortè tu desperes, & suspires, & nihil agas, ager iste segnem amatorem non amat. Ibi certè cùm ad eum veneris, forsitan requiesces, nec opus erit ut labores. Non enim est talis ager il-
Gen. 3. 19. le, qualis iste, ubi Adam in sudore vultûs sui comedit panem suum. Modò tamen ut ad illius agri speciem pervenias, compara tibi unde compares [d] agrum ibi. Quid? Collige pretium. Hoc E enim agit hæc mulier. Videte si tacitum est. Cùm dictum est, *Prospiciens agrum mercata est:* tam-
CAPUT VIII. Item ℣. 16. quam diceres, Unde mercata est? *De fructibus*, ait, *manuum suarum plantavit possessionem.* Ipsa erant opera quæ dabat ancillis, ut de fructibus manuum suarum plantaret possessionem in æternum. Illam enim possessionem dixit, quæ futura est. Hoc insinuat verbo quod ait, *Prospiciens.*

℣. 17. 10. *Succincta fortiter lumbos suos, firmavit brachia sua.* Verè fortis. Vide si non est ancilla. F Quàm devotè servit, quàm apparatè: ne fluitantes sinus carnalium concupiscentiarum impediant operantem; succingit lumbos, ut nihil superfluum calcet, dum in opere festinat. Ibi enim castitas mulieris hujus, zonâ præcepti constricta, & ad omne opus bonum semper parata. *Succincta fortiter lumbos suos, firmavit brachia sua*, non
℣. 18. defectura. Unde hoc? *Gustavit quia bonum est operari.* Ubi est palatum, quo gustatur hoc? Fugiunt homines laborem, quasi amarum: timen- G do gustare, nesciunt quid amare. Bonum opus

A facit [e] conscientia bona. Et quid dulcius, Fratres, bonâ conscientiâ? [f] Quæ si non est, pungit, amara sunt omnia. Gusta ergo, gusta, & videbis quomodo sapiat, quàm te delectabit, quàm postea non desines, nisi totum consumas. *Gustavit quia bonum est operari.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

11. *Non exstinguetur lucerna ejus tota nocte.* Nemo accendit lucernam, & ponit sub modio. Tu illuminabis lucernam meam, Domine. Lucerna ejus, spes ejus. Ad illam operatur omnis homo, quidquid boni ad spem facit. Et in nocte ardet lucerna ista. Quod enim non videmus, speramus: ideo nox est. Si autem & non videmus, & non speramus: & nox est, & lucerna non ardet. Quid infelicius talibus tenebris? Ut autem non deficiamus in tenebris, & per patientiam exspectemus, quod non visum speramus, tota nocte ardeat lucerna nostra. Qui enim nobis quotidie loquitur verbum, tamquam oleum infundit, ne lucerna exstinguatur. Item ℣. 18. Matth. 5. 15. Psal. 17. 29.

12. *Manus suas extendit ad utilia.* Quantum extendit has manus? A mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis, [g] quò pervenit. Unde non frustra dictum est, In dexteram & sinistram extende. *Extendit manus suas*, sed *ad utilia.* ℣. 19. Psal. 71. 8. Isai. 54. 2.

CAPUT IX. Item ℣. 19.

13. *Brachia quoque sua firmavit in fusum.* Non ab infundendo: sed in illud instrumentum lanificii, quod vocant fusum. De fuso isto, quod Dominus donat, dicam: neque enim ista lanificia sunt à viris aliena. Audite quid sit, *Brachia sua firmavit in fusum.* Potuit dicere, In colum. Fusum dixit, fortè non frustra. Quamvis possit videri, nec absurdè intelligi de fuso lanificium significatum, de lanificio bonum opus, tamquam castæ mulieris & matronæ impigræ & diligentis: tamen ego, Carissimi, in isto fuso, quod intelligo, non tacebo. Omnis qui vivit in bonis operibus in sancta Ecclesia, non neglector, sed effector præceptorum Dei, quid faciat cras, nescit; quid fecerit hodie, scit. De futuro opere timet, de præterito gaudet: & ut perseveret in bonis operibus, vigilat; ne fortè negligens futurorum, perdat præteritum. In orando tamen Domino, in omni deprecatione sua, non habet firmam conscientiam de opere futuro, sed de præterito; ex eo quod fecit, non ex eo quod facturus est. Jam ergo si hoc verum esse mecum videtis, adtendite in lanificio duo instrumenta ista, colum & fusum. In colo lana involuta est, quæ filo ducenda & nenda transeat in fusum. Quod in colo est involutum, est futurum: quod in fuso collectum est, jam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso est, non in colo. In colo enim est, quod facturus es; in fuso, quod fecisti. Vide ergo si aliquid habes in fuso, ubi firmentur brachia tua. Ibi erit fortis conscientia tua, ibi securus Deo dices, Da, quia dedi; dimitte, quia dimisi; fac, quia feci. Non enim petis præmium, nisi opere gesto, non opere gerendo. Quidquid ergo operaris, totus animus ad fusum sit. Quia & quod pendet in colo, ad fusum trajicien-

[a] Corbeiensis MS. *In omnibus tribulationibus prospicit agrum* &c. Colbertinus, *In omnibus tribulationem patiens, sed non deficiens, prospicit* &c.

[b] Apud Ambrosium & in Sorbonicis MSS. *pro agro illo.* In Corbeiensi, *vel quis ager ille?*

[c] In Sorbonicis MSS. deest *habentibus*: ejusque loco in Germanensi est *levantibus.* At in Corbeiensi pro, *cor habentibus* &c. legitur sic, *Colit agrum illum non respiciens quæ videntur* &c.

[d] MSS. Germanensis & Sorbonici, *unde compares age ibi.*

[e] Colbertinus MS. *facit conscientiam bonam.*

[f] Corbeiensis MS. *Et quid amarius malâ? Mala enim pungit, & cui inest, amara sunt omnia.*

[g] Apud Ambrosium, *Ecce quò perveniunt.* In Colbertino MS. sic legitur, *& à flumine unde cœpit, usque ad terræ terminos quò pervenit.*

Classis I.

dum est: non autem illud quod collectum est in fuso, ad colum revocandum est. Ergo vide quid agas, ut habeas in fuso, ut brachia tua firmes in fusum, ut totum coletur ad fusum, ut habeat aliquid fusum quod te consoletur, quod te confirmet, quod tibi det fiduciam deprecandi & sperandi promissa.

Caput X. ỳ. 20.

14. Et quid agam? fortè dicis: quid me jubes habere in fuso? Audi quid sequitur: *Manus autem suas aperuit pauperi.* Eia, non nos pudeat lanificium sanctum docere vos. Videte, si quis habet plenum sacculum, plenum horreum, plenam apothecam: omnia ista in colo sunt, transeant in fusum. Videte quomodo [a] net, immo videte quomodo neiat. Dum omnes instruantur, Grammatici non timeantur. *Manus autem suas aperuit pauperi, fructum autem porrexit inopi.* Manus pauperi, fructum inopi. Est quidam pauper, manus tuas quærit: est quidam inops, fructum tuum quærit. Qui quærere non vult à te, nisi quod necessitati suæ prosit, pauper est, manus tuas quærens. Est autem alius inops, qui dicit, Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. (2. Cor. 6. 10.) Non quasi necessitati suæ vult satisfieri de dato tuo; sed tamquam in arbore Dominica, quam plantavit & rigavit, fructum quærit. Ipsum audi de quibusdam dicentem, cùm de talibus loqueretur: Non quia quæro datum, sed requiro fructum. (Phil. 4. 17.)

ỳ. 21.

15. *Non est sollicitus de his quæ in domo sunt vir ejus, cùm alicubi demoratur. Non est sollicitus quæ in domo sunt, vir ejus:* quia novit Dominus qui sunt ejus. (2. Tim. 2. 19.) Quomodo sit sollicitus: quando quos prædestinavit ipsos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit; & quos justificavit, ipsos & glorificavit? (Rom. 8. 30.) Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Non est sollicitus vir ejus:* novit suos, noverunt eum sui. *Cùm alicubi demoratur.* Ubi demoratur, nisi unde venturus est? Demoratur ibi, quasi tardat ibi. Multi enim jam desiderant adventum ejus; & desiderium eorum differtur, donec impleatur numerus membrorum matronæ hujus. Multi autem ad suam impietatem tarditate illius abutuntur; & dicit malus servus, Tardat dominus meus. (Luca 12. 45 &c.) Et incipit cædere conservos, & inebriari cum malis. Veniet dominus ejus, in die qua nescit, & horâ qua ignorat, & dividet eum. Ministrorum enim & præpositorum corpus est, quod dat in tempore conservis cibaria. Dividet, inquit, eum. Habet bonos & malos, & separat malos à bonis. Et partem ejus cum hypocritis ponet. Non totum ministrum: quia sunt ibi & desiderantes adventum Domini. Sunt ibi & ex illo numero, de quo dicitur, Beatus ille servus, quem, cùm venerit dominus, invenerit ita facientem. (Ibidem 43.) Ergo veniet, & dividet eum.

Caput XI. Item ỳ. 21. Beda & Florus ad Gal. 3.

16. Nunc interim demoratur alicubi: sed non est sollicitus quid agatur in domo. *Omnes enim apud eam vestiti sunt.* Numquid de nuditate servorum suorum sollicitus erit, cùm alicubi demoratur, habens conjugem talem? Vestiti sunt, & optimè. Quàm optimè vultis nosse? Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. (Gal. 3. 27.) *Omnes* omnino *apud eam vestiti sunt.* Et boni servi & mali servi vestiti sunt: sed boni servi vestiti sunt, qui Christum induerunt, non tantùm in forma sacramenti, sed etiam in opere exempli, sequentes vestigia Domini sui: alii verò usque ad sacramentum, reddituri de sua veste rationem. Non cessat tamen illa mulier, non cessat illa mulier omnes vestire: ut nemo queratur, nemo dicat, Ideo non sum bene operatus, quia non sum vestitus. Videte ergo, quemadmodum induti esse debeatis. Pro vestibus nostris etiam opus faciamus. *Omnes enim apud eam vestiti sunt.*

17. Quid viro suo? Quæ servos vestit, viro suo nihil operatur? * *Duplicia pallia fecit viro suo.* Jam acclamatis: credo quòd agnoscitis quæ sunt duplicia pallia, quæ facit Ecclesia viro suo. Pallia quæ illi facit, laudes sunt: laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas & hominem. Dupliciter lauda, & simpliciter lauda: dupliciter, quia homo est & Deus; simpliciter, ut non sis fictus. Nescio quæ mulier apud Photinum quemdam, lapidem quasi pretiosum de ornamento hujus mulieris excussum, jam vilem & abjectum, unde hæretici Photiniani appellantur, hoc elegit quasi simplex pallium facere viro suo. Non accepit ille utique à sua conjuge, verè sua, sicut scriptum est, [b] Unius duplicia sunt pallia. Ille enim Christum solum hominem dixit. Rursus exstitit nescio quæ alia detestanda mulier, quasi & ipsa texens viro pallium, texens autem pannosas fabellas. Ait enim, Christus Deus est tantùm, omnino hominis nihil habens. Hoc Manichæi dicunt. Photiniani homo tantùm; Manichæi, Deus tantùm. Illi nihil divinum in Domino confitentur; isti quasi totum divinum, & tamen tam falsum, ut nec saltem humanum. Si enim homo non erat, ergo mortuus non est, ergo crucifixus non est, ergo nec resurrexit. [c] Quî ille resurgere potuit, qui mortuus non est? Ergo & dubitanti discipulo falsas cicatrices ostendit. Procul dubio enim falsæ cicatrices illæ fuerunt, si vera vulnera non præcesserunt. Si autem vera vulnera præcesserunt, vera caro: si vera caro, vera mors, vera crux, verus homo, & [d] totus veritas: laus abundans de colo hujus mulieris. Qui autem ista laudabiliter duplicia pallia timuerunt, mendacio duplices remanserunt. *Duplicia pallia fecit viro suo.* Prorsus duplicia pallia fecit. Confitere Deum, confitere hominem; lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texuit pretiosissimum illud pallium laudis, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Texuit & aliud pallium, propter conversationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Duplicia pallia fecit viro suo.*

18. *De bysso & purpura vestimenta sibi fecit.* Non enim decebat matronam tanti viri, vel nudam incedere, vel pannosam. *Fecit de bysso & purpura vestimenta sibi.* De bysso, candida confessione; de purpura, gloriosa passione. Hujus

[a] Aliquot MSS. *neat.*

[b] Germanensis MS. *sicut scriptum legimus, duplicia sumit pallia.* Sic etiam Colbertinus & Corbeiensis, nisi quòd hic omittit verbum *sumit*: ille ejus loco habet, *sunt.*

[c] Germanensis MS. *quia ille resurgere potuit, qui mortuus est.*

[d] Apud Ambrosium, *& totum veritas, quidquid de tela hujus mulieris procedit.*

byssum, cùm oramus, agnoscimus; hujus purpuram in Martyribus manè [a] laudamus.

ṿ. 23. 19. *Conspicuus autem fit in portis vir ejus.* Ille qui alicubi demoratur, ille qui pro tali conjuge de domo sua sollicitus non est, ille quem demorantem alicubi nunc nemo [b] videt, *conspicuus fit in portis.* Adtende quando: vide quod sequitur: *Cùm sederit in concilio cum senioribus terræ.* Nihil evidentius: lege aliam prophetiam: Veniet ad judicium cum senioribus populi sui. In illo concilio, hoc est, in illo judicio, judicantibus secum sanctis, quibus dictum est, Sedebitis super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël, conspicuus erit. Veniet enim filius hominis, sicut dixit, in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo. Ibi omnes Angeli & Archangeli cælorum, & Angeli annuntiatores verbi Dei. Etenim & Propheta dictus est Angelus: Angelus enim nuntius est. Et, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, de Johanne dictum est. Et, Sicut Angelum Dei excepistis me, Apostolus loquitur. Ille ergo, ille alicubi nunc demorans, de quo multi dicunt, Quando venturus est, aut quis venturus est? *conspicuus erit in portis*, hoc est, in aperto, in manifesto. *In portis conspicuus erit:* sed alios admittet, contra alios claudet. *Erit conspicuus in portis vir ejus, cùm sederit in concilio cum senioribus terræ.* Quod donec fiat, hæc interim faciat quod faciebat: operetur, non cesset, exspectet illum futurum conspicuum in portis, non contremiscat sanctum concilium judicii Dei, cum bona conscientia veniat, gloriosa veniat: quia ipsius membra sunt, & ipsius filii sunt, qui sunt cum ejus viro judicadicaturi.

Caput XIV. ṿ. 24. 20. *Sindones fecit, & vendidit.* Bene quia *sindones fecit:* quare *vendidit?* nisi quia non quærit datum, sed requirit fructum. Venditionem enim istam primò intelligite, Fratres, gratuitam. Et aliquis emit gratis? Si gratis tollit, non emit: si emit, pretium dat, non gratis tollit. Et ubi est, Qui sititis, venite ad aquam, emite vobis sine argento? Quando emis, non argentum das; & tamen emis. Si emis, aliquid das; non tamen argentum das: te ipsum das. Sindones enim referte ad illa linea, quæ spiritalia sunt, quæ facit & prædicat ista mulier per omnes terras. Et fortè vendere dicenda est: quia dixit Apostolus, Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Etenim ratio illa est dati & accepti: nam in omni venditione ratio dati & accepti versatur. Contristatur autem Apostolus adversùs quædam fora, ubi non vendidit sindones: Nulla, inquit, mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti. Sed ille qui sic vendidit, non quærit datum, sed requirit fructum: ne quasi venditorem Evangelii putetis. Est quidem ille mercator Domini sui, sed magis pretium quærit. Nam [c] quidquid prorsus vendit; dat spiritalia: & quid quærit? fortè carnalia? Debentur quidem & ista: sed non ipsa quærebat Apostolus, dicens, Non enim quæro vestra, sed vos ipsos. Date ergo pretium, date vos ipsos. Neque enim & Joseph in Ægypto frumenta non vendebat: & tamen ipsos ementes, servos regios faciebat. Volentes vivere in illa fame, accipiebant frumenta, & fiebant servi. Timemus nos fieri servi? Væ nobis, si non erimus illius servi. Quid nobis prodest recusare talem Dominum? Et sub diabolo erimus, & famem patiemur, & potestatem veri Domini non effugiemus. Te ipsum da, & eme tibi sindonem, id est, [d] spiritale amictorium. Sic etiam cujusdam panis pretium tu ipse es. Quid enim? Quia das te voluptati, nonne pro concupiscentia carnis, tamquam ut emas meretricem, te ipsum das pretium? Quantum est ut Deo te des, panem vivum tibi emas, qui de cælo descendit, eodem ipso pretio quod tu ipse es? Pretium enim meretricis tantum est, quantum panis unius. * *Sindones fecit, & vendidit.*

Caput XV. Item ṿ. 24. 21. *Cinctoria autem Chananæis.* Cingant se, operentur, veniant, sint servi de domo ista: ut omnes vestiti, omnes pasti sint. Cinctoria enim fecit, utique ad opus: nam & ipsa opus faciens, accinxit fortiter lumbos suos. Qui sunt Chananæi? Vicinæ gentes populo Israël alienigenæ. Aliquando qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Qui eratis aliquando peregrini Testamentorum, & promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, nunc autem cives sanctorum & domestici Dei, acceptis cinctoriis operamini in domo Dominica, jam facti domestici Dei ex Chananæis, unde erat & illa mulier modò in Evangelio recitata. Chananæa erat, ad mensam filiorum accedere non audebat, sed tamquam canis micas requirebat. Vide quemadmodum se præcinxerit ad opus. Præcinctorium ejus, fides: hoc laudat ille. O mulier magna est fides tua!

ṿ. 25. 22. Cetera videamus. *Fortitudine & decore induta est. Decore*, tamquam bysso; *fortitudine*, tamquam purpurâ. Quia enim fortis, ideo in passione sanguinea. *Et lætata est in diebus novissimis.* [e] *Lætata est:* hìc ergo diu tribulata. Nam unde haberet purpurea vestimenta sine tribulatione?

ṿ. 26. 23. *Os suum aperuit adtentè.* Præstet nobis in illa constitutis, ipsam laudantibus, illi cohærentibus, cum illa & in illa virum ejus exspectantibus, ut & nos aperiamus adtentè os nostrum; non temere, sed cautè, adtentè, sollicitè. Cum timore & tremore multo fui apud vos, Apostolus dixit: tamquam dicens, Os meum aperui adtentè. Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii. *Os suum aperuit adtentè. Et ordinem posuit linguæ suæ:* laudans creaturam tamquam creaturam, Creatorem tamquam Creatorem, Angelos tamquam Angelos, cælestia tamquam cælestia, terrestria tamquam terrestria, homines tamquam homines, pecora tamquam pecora. Nihil perturbatum, nihil inordinatum. Non accipiens in vanum nomen Domini Dei sui, non [f] substantiam creaturæ sentiens de Creatore: ita ordinatè totum loquens, ut non præponat inferiora potioribus, nec subdat potiora inferioribus. * *Dispo-*

Caput XVI.

Marginal references: Joel. 3. 14. — Matth. 19. 28. — Matth. 25. 31. — Malach. 3. 1. — Galat. 4. 14. — Isai. 55. 1. — 1. Cor. 9. 11. — Philip. 4. 15. — 2. Cor. 12. 14. — Serm. de Scripturis. — Gen. 42. — Prov. 6. 26. — Ephes. 2. 13. — Matth. 15. 28. — 1. Cor. 2. 3. — 2. Cor. 6. 11.

[a] Colbertinus MS. *laudabimus*: fortè pro *laudavimus*.
[b] In editis, *nemo non videt*. Abest *non* à MSS.
[c] Germanensis MS. *Numquid prorsus vendidit?* Alii tres, *Nam quid* &c.
[d] Sic aliquot MSS. At editi, *spiritalem amorem*.
[e] Corbeiensis MS. *Tunc lætata est: quia hìc diu tribulata.*
[f] Apud Ambrosium, *non sentiens creaturam de Creatoris exsistere substantia.* Id quidem opportunè contra Manichæos: sed secundum illud decalogi præceptum, *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum*, ubi commemorat Augustinus, solet de Filio Dei interpretari & Arianorum hæresim exinde refellere, uti facit nostrâ illâ, quæ in omnibus MSS. habetur, lectione. Vide suprà Serm. 9. n. 3. & 4.

CLASSIS I. *fuit ordinem linguæ suæ.* Nihil pulcrius hoc ordine. Unde & ipsa dicit, Ordinate in me carita-
Cant. 2. 4. tem. Nolite præpostere agere, nolite perturbare & confundere quæ Deus ordinavit. Ordinate in me caritatem. Amate me tamquam me, amate Deum tamquam Deum: ne Deum offendatis propter me, nec me offendatis propter alium
a quemlibet, [a] nec alium quemlibet propter me. Ordinate in me caritatem. Beata filia ejus in hoc ordine constituta, cujus inter ceteras celebramus hodie passionem, paulò antè audivimus confessionem, ordinans linguam suam, HONOREM, inquit, CÆSARI QUASI CÆSARI, TIMOREM AUTEM DEO. *Os suum aperuit adtentè, & ordinem posuit linguæ suæ.*

℣. 27. 24. *Severæ conversationes domorum ejus. Severæ*, fortes, districtæ: non est ubi diffluatur, non amat dissolutionem. *Cibos autem pigros non come-*
b *dit.* Merito tantùm [b] adquisivit.

25. Hîc ergo ista laboriosa, vigilans, sollicita, severè castigans domum suam, surgens de noctibus, intuens lucernam ne exstinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fusum confirmans, non pigrum panem manducans: sed post labores istos quasi paupertatis & necessitatis sæcularis, quid erit, quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit, audire vultis? Audite propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte, nunc audite.

℣. 28. *Surrexerunt filii ejus, & ditati sunt.* Modò in paupertate vivimus, in paupertate vigilamus; & cùm morimur, in paupertate dormimus: sed surgemus & ditabimur. Tunc ditabuntur filii ejus. *Surrexerunt filii ejus, & ditati sunt.* Compara nunc quaslibet divitias terræ hujus, obnoxias
c furibus & tineis. Quid te [c] jactas? Quia infirmus es, ideo sunt tibi multa necessaria. Opus est multùm vestiaris, quia frigus pati non potes: jumentis utaris, quia pedibus ambulare non potes. Ista fulcimenta sunt infirmitatis, non ornamenta potestatis. Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? Unam vestem habent lucis: numquam teritur, numquam sordidatur. Illæ sunt veræ divitiæ, ubi nulla erit inopia, nulla erit indigentia. Quid modò quæris hoc, antequam surgas? Si filius es mulieris hujus, adtende quando tibi divitiæ promittantur. *Surrexerunt filii ejus, & ditati sunt.* Para te resurrectionis divitias accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas venire. * *Surrexerunt filii*
*CAPUT XVII, *ejus, & ditati sunt.*

Item ℣. 28. 26. *Et vir ejus laudavit eam.* Nos eam laudabimus, sed non de nostro. Ipse vir ejus laudavit eam. Quando surrexerunt filii ejus, & ditati sunt; adtendit eam, & inspexit eam, & laudavit eam. Quis nolit audire quomodo laudaverit? Si tam jocundè audistis, cùm laudaretur à nobis; quomodo audiremus, si possemus audire sicut eam laudavit vir ejus? Laudavit eam in resurrectione: cùm resurrexerimus, audiemus. An & modò non tacuit laudem ipsius? Hæc est ipsa laus, ipsa sequetur. Audiamus, audiamus quemadmodum eam laudaverit vir ejus, videns eam jam cum tanta beatitudine filiorum, divitum in resurrectione mortuorum.

℣. 29. 27. *Multæ*, inquit, *filiæ fecerunt potentiam.* A Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. *Multæ filiæ fecerunt potentiam.* Quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Et non comparatur. *Multæ filiæ fecerunt potentiam: tu autem superasti.* Adtendite, rogo vos: jam in fine lectionis sumus. Metuo enim ne ibi vos habeam fatigatos, ubi maximè exigo intentos. Audiamus laudes illius. *Multæ filiæ fecerunt potentiam: tu autem superasti, & superposuisti omnes.* Tu, inquit, omnes superasti, tu super omnes posuisti. Quæ sunt ergo aliæ filiæ B quæ fecerunt potentiam, quas ista superavit, & super quas ista superposuit? Aut quam potentiam fecerunt, aut unde ista superavit? Sunt enim malæ filiæ, quæ sunt hæreses. Quare filiæ? Quia & illæ ex ista natæ sunt. Sed filiæ malæ, filiæ non similitudine morum, sed similitudine sacramentorum. Habent & ipsæ sacramenta nostra, habent Scripturas nostras, habent Amen & Alleluia nostrum, habent pleræque Symbolum nostrum, habent multæ Baptismum no-
C strum: ideo filiæ. Sed huic mulieri, vultis nosse, quid alibi dictum sit, in Canticis canticorum? Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Mirum dictum, easdem & spinas dixit & filias. Et illæ spinæ faciunt potentiam? Faciunt planè. Non videtis quemadmodum & ipsæ hæreses orent, jejunent, dent eleemosynas, laudent Christum? Possum dicere, esse ibi pseudoprophetas, de quibus dictum est, Faciunt signa & prodigia multa, ut fallant, si
D fieri potest, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Faciunt potentiam & spinæ: de qua potentia dicitur, Nonne in nomine tuo manducavimus & bibimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Manducavimus & bibimus, non de quocumque cibo diceret: nostis de quo dicere potuit, vel cibo vel potu. Et virtutes multas fecimus. Faciunt potentiam multæ filiæ, non negamus: & spinæ florem habent, sed fructum non habent. Hæc autem cui dixit, *Tu autem superasti*
E *& superposuisti omnes*, unde superavit, nisi quia non solùm florem, sed & fructum habet?

28. Quem fructum habet? Unde superavit? Dicatur mihi. * Supereminentem, inquit, viam vobis demonstro. Quam supereminentem viam? Quia inde ista superavit, inde ista superposuit omnes. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Loquitur linguis, ad potentiam illam flores perti-
F nent. Si sciam omnia sacramenta & omnem scientiam, & habeam omnem prophetiam & omnem fidem, ita ut montes transferam, (quanta potentia!) caritatem autem non habeam, nihil sum. Audi adhuc alias potentias, ad florem pertinentes, non ad fructum. Si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Hanc habet ista supereminentem viam, unde illi dixit, *Multæ filiæ fecerunt poten-*
G *tias.* Multæ locutæ sunt linguis, scierunt omnia sacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia excluserunt, res suas pauperibus distribuerunt, corpora sua ignibus tradiderunt. [d] Infra te sunt, quia caritatem non habuerunt. *Tu autem su-*

[a] In editis omissa erant isthæc verba, quæ ex Colbertino codice restituuntur, *nec alium quemlibet propter me.* Horum loco in aliquot MSS. habetur tantùm, *præter me.*
[b] Sorbonici MSS. *exquisivit.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *Quid te lactas?*
[d] Editi, *Inflata sunt.* At Colbertinus MS. *Infra te sunt.* Magis ad sensum hujus versiculi, *Tu autem superasti* &c.

perasti

CLASSIS I. *perasti & superposuisti omnes*: non solùm flore, A sed & fructu gravida, fructu abundans. Vide ipsum [a] botrum, unde incipiat. Cùm enumeraret opera carnis, Fornicationes, inquit, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, comessationes, ebrietates; & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Enumeratis omnibus spinis in ignem mittendis: Fructus autem B spiritûs est, inquit, caritas. Et ab hoc capite, ab hac tamquam radice cetera contexuntur: Gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Unde iste botrus pulcher? Quia pendet à caritate. *Multæ filiæ fecerunt potentiam: tu autem superasti & superposuisti omnes.*

Gal. 5. 19. &c.

Ibidem 22.

CAPUT XIX. *℣. 30.* 29. In illis quid remansit? *Falsæ gratiæ, & vana species mulieris.* Quia si caritatem non habeo, factus sum æramentum sonans, & cymba- C lum tinniens: nihil sum, nihil mihi prodest. *Falsæ sunt* ergo *gratiæ, & vana species mulieris. Mulier enim sapiens benedicitur.* Ista quæ quæsivit quid intelligeret, quæ intellectum custodivit, ista sapiens, ista benedicitur: non illæ falsæ species, non illa vana gratia. Sapiens mulier benedicitur. *Timorem autem Domini ipsa collaudat.* Ipsa quæ benedicitur, collaudat aliquid unde benedicatur, quia sapiens est. Quid collaudat? Timorem Domini, quo perducta est ad sa- D pientiam. Initium enim sapientiæ, timor Domini: *Timorem autem Domini ipsa collaudat.* Laboriosa tot [b] noctibus, inter tot scandala patiens, provida ad exspectandum, fortis ad tolerandum, constans ad perseverandum: laboribus finitis, *Date illi de fructibus manuum suarum.* Quid *date*? Venite benedicti Patris mei. *Date illi de fructibus manuum ejus.* Quid *date*? Percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Ecce quid *date*. De quibus *fructibus manuum ejus*? Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. *Date illi de fructibus manuum ejus.*

Psal. 110, 10.

℣. 31.

Matth. 25. 34.

Ibidem 35.

CAPUT XX. Beatorum negotium non aliud, nisi laudare Deum. 30. Et quod illi deinde negotium erit, finitis laboribus? *Et laudetur in portis vir ejus.* Ipse erit portus laborum nostrorum, videre Deum, & laudare Deum. Non ibi dicetur, Surge, labora, vesti servos, vesti te ipsam, ornare purpurâ, da escas famulis, adtende ne lucerna extinguatur, sollicita esto, surge de noctibus, aperi pauperi manum, trajice de colo in fusum. F Non erunt opera necessitatis, ubi nulla necessitas. Non erunt opera misericordiæ, ubi nulla miseria. Non frangis panem pauperi, ubi nemo mendicat. Non suscipis peregrinum, ubi omnes in patria sua vivunt. Non visitas ægrum, ubi omnes perpetuò sani sunt. Non vestis nudum, ubi omnes æterna luce vestiti sunt. Non sepelis mortuum, ubi omnes sine termino vivunt. Nec tamen ista non agens, nihil agis: videbis enim quem desiderasti, & sine defectu laudabis. Istum G accipies fructum. Tunc erit una illa quam petisti: Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Et quid ibi facies? Ut contempler delectationem Domini. *Et laudetur in portis vir ejus.* Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Psal. 26. 4.

Psal. 83. 5.

[a] Ita in MSS. At in editis, *Vide ipsum florem.*
[b] Sic Colbertinus MS. At editi, *tot laudibus.*
[c] Editi, *iniquitati.* At MSS. *infelicitati:* & ex his Victorinus loco *cedere*, habet *credere.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XXXVIII.

** Aliàs de Tempore 245.*

De verbis Ecclesiastici 2. Fili accedens ad servitutem Dei &c. Et de verbis Psalmi 38. Quamquam in imagine ambulat homo &c. De continentia & sustinentia.

CAPUT I. Duæ virtutes hujus vitæ.

1. DUo sunt, quæ in hac vita veluti laboriosa nobis præcipiuntur, continere & sustinere. Jubemur enim continere ab his quæ in hoc mundo dicuntur bona, & sustinere ea quæ in hoc mundo abundant mala. Illa continentia, ista sustinentia vocatur. Duæ virtutes quæ mundant animam, & capacem faciunt divinitatis. In frenandis libidinibus & coërcendis voluptatibus, ne seducat quod malè blanditur, & enervet quod prosperum dicitur, continentia nobis opus est: non credere felicitati terrenæ, & usque ad finem quærere felicitatem, quæ non habet finem. Ut autem est continentiæ, felicitati mundi non credere: ita sustinentiæ est, [c] infelicitati mundi non cedere. Sive ergo in affluentia rerum simus, sive in angustia, exspectandus est Dominus, qui & quod verè bonum & suave est det, & quod verè malum est avertat à nobis.

Bona & mala bonis & malis communia.

2. Bona Dei quæ promittit justis, in fine servantur: [d] & mala quæ minatur impiis, in fine servantur. Bona & mala quæ versantur & miscentur in sæculo, nec boni soli habent, nec soli mali. Quidquid boni in hoc mundo dixeris, habent boni, habent & mali: veluti salutem ipsam corporis, & boni habent & mali. Divitias & apud bonos invenies, & apud malos. Successum filiorum, & bonorum & malorum donum videmus esse commune. Vitam longam diu vivunt boni quidam, diu vivunt & mali quidam. Et quæcumque alia numerare volueris in hoc sæculo bona, permixtè invenis apud bonos & malos. Rursum quæcumque aspera, quæcumque tristia, & boni patiuntur & mali, famem, morbos, dolores, & damna, oppressiones, orbitates: communis hæc est omnium materies lacrymarum. Facile est ergo hoc videre, & bona sæculi apud bonos & malos esse, & mala sæculi bonos malosque perferre. Et ideo quorumdam pedes in via Dei titubant, & exorbitare conantur. Multi enim deviant & exorbitant, cùm instituerint & proposuerint animo, propterea servire Deo, ut bonis terrenis abundent, & malis careant, eaque devitent. Cùm enim sibi hoc proposuerint, & hanc mercedem constituerint pietatis & religionis suæ; quando viderint se laborare, & florere iniquos, quasi perdiderint [e] mercedem, quasi eos fefellerit qui vocavit, quasi frustra opus indixerit qui in mercede decepit, renuntiant Deo. Et quò se miseri convertunt, avertentes se ab illo à quo facti sunt, & inhærentes illis quæ facta sunt? Cùm cœperit perire quod factum est, ubi erit amator temporis, qui perdidit æternitatem?

Scandalum de felicitate malorū.

CAPUT II. Fides hîc necessaria.

3. Proinde propter illa bona, quæ non da-

[d] Hoc loco verba quædam in antè editis prætermissa, necnon infrà plures passim versus restituuntur auctoritate MSS.
[e] Sic Victorinus MS. Editi verò, *perdiderint spem.*

CLASSIS I.

bit Deus niſi bonis, & propter illa mala, quæ non inferentur niſi malis, quia in fine apparebunt utraque, credi ſibi vult Deus. Quæ enim merces fidei, aut quod omnino vel nomen fidei, ſi modò vis videre quod teneas? Non debes ergo videre, quod credas; ſed credere, quod videas: credere quamdiu non vides, ne cùm videris erubeſcas. Ergo [a] credamus, dum tempus eſt fidei, antequam ſit tempus ſpeciei. Sic enim dicit Apoſtolus, Quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus. Ergo per fidem ambulamus, quamdiu credimus quod non videmus: tenebimus autem ſpeciem, cùm viderimus facie ad faciem, ſicuti eſt. Tempus fidei, & tempus ſpeciei Johannes etiam apoſtolus in epiſtola ſua diſtinguit, dicens, Dilectiſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Hoc tempus eſt fidei: videte tempus ſpeciei. Scimus, inquit, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

2. Cor. 5. 6.

Tempus fidei & tempus ſpeciei. 1. Johan. 3. 2.

Tempus fidei laborioſum.

4. Laborioſum eſt fidei tempus: quis negat? Laborioſum eſt, ſed hoc eſt opus cujus illa merces eſt. Noli piger eſſe in opere, cujus mercedem deſideras. Si quem enim & tu ipſe mercenarium conduxiſſes, non antè mercedem numerares, quàm in opere exerceres. Diceres ei, Fac, & accipe: non tibi diceret, Da, & facio. Sic ergo & Deus. Tu non fallis mercenarium tuum timens Deum; te ipſe Deus fallet, qui jubet ne fallas mercenarium? Tamen tu quod promiſeris potes & non dare; & ſi non eſt in corde tuo dolus falſitatis, eſt tamen in fragilitate humana inopia difficultatis. Quid de Deo timeamus, qui nec fallere poteſt, quia veritas eſt, & abundat omnibus, quia fecit omnia?

CAPUT III. Fides, primum præceptum.

5. Credamus ergo Deo, Fratres. Hoc eſt primum præceptum, hoc eſt initium religionis & [b] vitæ noſtræ, fixum habere cor in fide, & figendo cor in fide vivere bene, abſtinere ab omnibus ſeductoriis, ſuſtinere mala temporalia; & quamdiu illa blandiuntur & illa minantur, adversùm utrumque [c] inconcuſſum habere cor, ne in illa defluas, ne in illa frangaris. Habendo ergo continentiam, habendo etiam ſuſtinentiam, cùm bona temporalia tranſierint, & mala quæ inferantur non erunt; habebis omne bonum, habebis nullum malum. Ideo in lectione quid nobis dictum eſt? *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* * *Deprime cor tuum, & ſuſtine;* * *ut creſcat in noviſſimis vita tua.* Non ut modò, ſed ut in noviſſimis vita tua creſcat: *ut creſcat in noviſſimis vita tua.* Quantum, putamus, creſcit? Ut fiat æterna. Modò enim vita humana, quamdiu producitur & videtur produci, decreſcit potiùs quàm creſcit. Attendite & videte, ratiocinamini & videte quia decreſcit. Natus eſt homo: verbi gratiâ, conſtituit illi Deus vitæ ſuæ ſeptuaginta annos: Accedit illi vita, dicimus, creſcendo. Accedit, an decedit? Ecce de ſeptuaginta annis vixit ſexaginta, remanſerunt decem: diminutum eſt quod erat propo-

Eccli. 2. 1.

ỳ. 2.

ỳ. 3.

Vita hominis creſcendo decreſcit.

A ſitum; & quantò plus vivit, tantò minus illi reſtat. Ideoque vivendo hìc decreſcit vita, non creſcit. Tene quod tibi promiſit Deus, *ut creſcat in noviſſimis vita tua.*

6. Deinde ſequitur quod lectum [d] non eſt: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* * *Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò acceptabiles in camino humiliationis.* Durum videtur, defeciſti. Nonne illud quod B non deficit perdidiſti? Multi multa patiuntur propter pecuniam perituram, & tu non vis pati propter vitam manſuram? Sic recuſas laborare pro Dei promiſſis, quaſi non labores pro cupiditatibus tuis. Quanta patiuntur pro ſua iniquitate latrones; quanta patiuntur pro ſuis ſceleribus perditi, pro ſua nequitia luxurioſi, pro ſua avaritia negotiatores mare tranſmeantes, ventis tempeſtatibuſque corpus & animam committentes, ſua relinquentes, [e] ad ignota currentes? Ju-C dex ſi pronuntiat exſilium, pœna eſt: avaritia jubet exſilium, & lætitia eſt? Quid ergo magnum tibi imperat ſapientia, quod non poſſet imperare avaritia? Et tamen cùm imperat avaritia, facis. Et cùm feceris quod imperat avaritia; quid habebis? Plenam domum auro & argento: Non legiſti, *Quamquam in imagine* [f] *ambulat homo, tamen vanè conturbatur; theſaurizat, & neſcit cui ea colligat?* Quare ergo cantaſti & dixiſti Deo, [g] *Auribus percipe lacrymas meas?* Qua-D re tu non percipis auribus verba ejus, à quo vis percipi lacrymas tuas? Si accuſaveris avaritiam tuam, invitabit ad ſapientiam ſuam. Sed cùm ſuſceperis jugum ſapientiæ, laborioſa erit? Laborioſa planè: ſed vide quo fine, qua mercede. Numquid quæ per ſapientiam colligis, neſcis cui colligas ea? Tibi colligis. Expergiſcere, evigila, habeto cor formicæ. Æſtatis tempus eſt, collige quod tibi ad hyemem proſit. Quando tibi bene eſt, tunc diſce unde ſuſtenteris quando tibi E malè eſt. Bene tibi, æſtas eſt: noli eſſe piger, collige grana de area Dominica, verba Dei de Eccleſia Dei, & reconde intus in corde. Nunc tibi quidem bene eſt: veniet & quando ſit malè. Omni homini veniet tribulatio: etſi omnia terrena ſunt ei, certè cùm cœperit mori, per tribulationem tranſit ad aliam vitam. Quis enim eſt qui dicat, Bene mihi erit, & non moriar?

Prov. 6.

7. Quamvis, [h] ſi amas vitam, & mortem ti-F mes, * ipſe timor mortis, hyems quotidiana eſt. Et tunc maximè pungit timor mortis, quando nobis bene eſt. Nam quando malè eſt nobis, non timemus mortem. Quando nobis bene eſt, tunc magis timemus mortem. Ideo ille dives, quem delectabant multùm divitiæ ſuæ, (habebat enim magnas divitias & magnas poſſeſſiones;) credo quòd interpellabatur timore mortis, & inter delicias contabeſcebat. Cogitabat G enim ſe illa bona relicturum: congregaverat, & neſciebat cui: & aliquid cupiebat æternum, & venit ad Dominum, & ait illi, Magiſter bone, quid boni faciam, ut vitam æternam conſequar?

* CAPUT V. Timor mortis, vitiſ bonis, continua tribulatio.

Matth. 19. 16.

[a] MSS. *credimus.*
[b] Am. & Victorinus MS. *& via noſtra.*
[c] Sic Victorinus MS. At editi, *in hoc habere cor.*
[d] Abeſt *non* à Victorino MS.
[e] Sic Victorinus MS. At editi, *ignota quærentes. Judex ſi pronuntiet exſilium, tremor eſt: Deus mortem minatur, & lætitia eſt.*
[f] Editi, *in imagine Dei.* Abeſt *Dei* à Victorino MS.
[g] In Victorino MS. *Inaurire lacrymarum mearum, id eſt, Auribus percipe &c.*
[h] Sic Victorinus MS. At editi, *Quamvis amat vitam, mortem timet.*

Classis I

Bene est mihi, sed labitur quod teneo: bene est mihi, sed subitò non erit quod habeo: dic mihi unde habeam quod semper erit: dic mihi quomodo perveniam ad id quod non perdam. » Et Dominus illi, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Quæsivit, quæ mandata. Audivit. Respondit se à sua juventute omnia servasse. Ait illi Dominus consiliarius vitæ æternæ: Unum tibi » deest; si vis perfectus esse, vade, vende omnia » quæ habes, & da pauperibus, & habebis the- » saurum in cælo. Non enim dixit, Perde: sed [a] vende & veni, sequere me. Ille qui delectabatur divitiis suis, & propterea quærebat à Domino quid boni faceret, ut vitam æternam consequeretur, quia à deliciis ad delicias migrare cupiebat, & has quibus delectabatur relinquere formidabat, abscessit tristis ad thesauros suos terrenos. Noluit credere Domino quia potest servare in cælo, quod periturum est in terra. Noluit esse verus amator thesauri sui. Malè tenendo, perdidit: multùm diligendo, amisit. Nam si bene illum diligeret, in cælum migraret, quò ipse postea sequeretur. Domum illi Deus ostendit ubi migraret, non locum ubi perderet: secutus enim ait, Ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum.

Matth. 6. 21.

Caput VI. Divitiæ in tuto ponuntur, dum erogantur.

8. Sed videre [b] volunt homines divitias suas? Fac quòd in terra thesaurizent, numquid non timent videri divitias suas? Effodiunt & obstruunt & cooperiunt eas: & cùm obstruxerint & cooperuerint, numquid vident quod habent? Nec ipse videt: optat ut lateat, timet ne [c] pateat. Esse vult dives in opinione, non in veritate. Quasi sufficit habere [d] in conscientia, quod servat in terra? O quantò major tibi & melior conscientia erit, si servaveris in cælo! Hîc cùm obrueris in terra, times ne sciat servus tuus & auferat & fugiat: hîc times ne auferat tibi servus tuus; ibi non times, quia bene tibi servat Dominus tuus. Sed habeo, inquis, servum fidelem, qui & noverit, & non [e] prodat, & non tollat. Compara illum Domino tuo. Si fidelem servum invenisti, Dominus tuus quando te fefellit? Etsi non potest servus tuus tollere, potest tamen perdere: Dominus tuus nec tollere nec perdere potest, nec perire permittit. Servat tibi, manet tibi, liberat te, manentem te facit; nec perdet te, nec perdet quod ei commendaveris. Veni, inquit, accipe quod apud me posuisti. Absit. [f] Non hoc tibi dicit Deus. Ego, inquit tibi, qui te prohibui fœnerare, fœneratus sum à te. Volebas enim fœnore crescere, & dabas homini ut tibi plus redderet, quando accipiebat gaudens, & quando reddebat plorans. Hoc volebas, & ego prohibebam: dixi enim, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Prohibebam te à fœnore: [g] jubeo tibi fœnus, me fœnera. Hoc tibi dicit Dominus tuus: Pauca vis dare, & plura accipere: relinque hominem, qui plangit, quando exigis; me inveni, qui gaudeo, quando reddo. Ecce adsum: da, & sume; tempore redditionis reddam tibi. Et quid reddam? Pauca dedisti, plura sume: terrena dedisti, cælestia sume: temporalia dedisti, æterna sume: mea dedisti, me ipsum sume. Quid enim dedisti, nisi ex eo quod à me accepisti? Quod dederis non reddo, qui unde dares dedi? qui te ipsum qui dares dedi; qui tibi Christum cui dares dedi, qui tibi diceret, Quando uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Ecce [h] cui das, pascit & esurit propter te: donat, & eget. Quando donat, vis accipere: quando eget, non vis dare. Eget Christus, quando eget pauper: * qui omnibus suis vitam æternam paratus est dare, in unoquoque paupere temporaliter dignatus est accipere.

Eleemosyna pium fœnus Deo.

Psal. 14. 5.

Serm. de Scripturis.

Matth. 25. 40.

*Caput VII.

Divitiæ in cælum præmittendæ.

9. Et consilium dat quò migres: dedit enim consilium quò migrare debeas. Migra de terra in cælum, ne perdas. Quàm multi enim quod servabant perdiderunt, & nec sic correcti in cælo ponere didicerunt. Si fortè tibi aliquis diceret, Migra divitias tuas ab Occidente in Orientem, si non vis ut pereant; æstuares, laborares, satageres, adtenderes quanta essent quæ haberes, videres te multiplicitate rerum tuarum facilè in longinqua migrare non posse: & fortè fleres, quia ire cogereris, & quomodo tecum tolleres quod collegeras non invenires. In longinquiora te migrare jussit, qui non ait, Migra ab Occidente in Orientem; sed, Migra de terra in cælum. Æstuas, quasi difficultatem majorem tibi videris pati, & dicis tibi, Si non inveniebam jumenta & naves, quibus ab Occidente migrarem ad Orientem; quomodo inveniam scalas, quibus à terra migrem in cælum? Noli, inquit tibi Deus, laborare, noli laborare: qui te divitem feci, qui tibi quod dares dedi, laturarios tibi pauperes feci. Si, verbi gratiâ, invenires aliquem inopem de trans mare, aut quò ire velles, invenires inde civem aliquem necessitatem patientem, diceres tibi, Civis iste inde est quò ego volo ire: [i] eget hîc, do illi quod ibi mihi reddat. Ecce eget hîc pauper, civis est regni cælorum: quid dubitas facere trajectitium? Si enim dant qui hoc faciunt, ut plura accipiant, cùm ad ea loca venerint, unde est ille qui accepit; * faciamus & nos.

Pauperes, Laturarii. V. supra Serm. 18. n. 4.

*Caput VIII Fides in corde, quasi Christus in navi dormiens, excitanda. Matth. 8.

10. Hoc fit, si credamus, si fidem excitemus. Nam vanè conturbamur. Quare vanè conturbamur? Quia dormiente Christo in navi, pæne naufragaverunt discipuli. Dormiebat Jesus, & turbabantur discipuli. Venti sæviebant, fluctus excitabantur, navis mergebatur. Quare? Quia Jesus dormiebat. Sic & tu, quando tempestates tentationum sæviunt in isto sæculo, turbatur cor tuum, tamquam navis tua. Quare, nisi quia dormit fides tua? Sic enim Paulus apostolus dicit, quia habitat Christus per fidem in cordibus nostris. Excita ergo Christum in corde tuo, vigilet fides tua, tranquilletur conscientia tua, & liberatur navis tua. Senti, quoniam qui promisit verax est. Nondum ostendit; quia nondum est tempus ut ostendat. Multa jam tamen ostendit: Christum suum promisit, & dedit: resurrectionem ejus promisit, & dedit: Evangelium suum promisit, & dedit: Ecclesiam suam toto orbe diffundendam promisit, & dedit: tribulationes ipsas & aggeres calamitatum in rebus humanis prædixit, & ostendit. Quanta sunt quæ

Ephes. 3. 17.

[a] Sic Victorinus MS. At editi, *sed serva, & veni.*
[b] Sic MSS. At Lov. *videri nolunt.* Ceteri editi, *videre nolunt.*
[c] Sic MSS. At editi, *ne pereat.*
[d] MSS. *habere conscientiam quia servat* &c.
[e] Victorinus MS. *& non perdat.*

[f] Victorinus MS. *Nam hoc dicit Deus.*
[g] In editis omissum fuerat, *jubeo tibi fœnus, me fœnera*, quod hîc ex MSS restituitur.
[h] Sic MSS. Editi verò, *ut des pascit.*
[i] Victorinus MS. *ego do illi.*

Classis I.

restant? Implentur quæ promissa sunt, implentur quæ prædicta sunt: & titubas ne non veniat quod restat? Tunc timere deberes, si quod prædictum est non videres. Bella sunt, fames sunt, contritiones sunt. Regnum super regnum est, terræ motus sunt, calamitatum sunt exaggerationes, abundantia scandalorum, frigus caritatis, copia iniquitatis. Hæc omnia lege, prædicta sunt. Lege, vide, quia omnia quæ vides prædicta sunt: & crede te visurum esse quod nondum venit, numerans quanta venerunt. Tu autem videndo Deum ostendere quæ prædixit, non credis daturum esse quod promisit? Ibi credere debes, ubi turbari cœpisti.

Mundus amatores suos relinquit.

11. Si finis mundi est, migrandum est de mundo, non amandus est mundus. Ecce turbatur mundus, & amatur mundus. Quid si tranquillus esset mundus? Formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui ab spinis non revocas manum? Non vis relinquere mundum, relinquit te mundus, & [a] sequeris mundum. Cor ergo mundemus, Carissimi: & non perdamus sustinentiam; sed percipiamus sapientiam, & teneamus continentiam. Transit labor, venit requies: transeunt falsa deliciosa, & venit bonum quod concupivit anima fidelis, cui inardescit & suspirat omnis peregrinus in sæculo: patria bona, patria cælestis, patria contemplationis Angelorum, patria ubi nullus civis moritur, quò nullus hostis admittitur; patria ubi habeas sempiternum Deum amicum, ubi nullum timeas inimicum.

** Aliàs 13. ex homiliis 50.*

* SERMO XXXIX.

De eo quod scriptum est Ecclesiastici 5. Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem. *Et de verbis Apostoli* 1. *Tim.* 6. Nihil intulimus in hunc mundum *&c.*

Eccli. 5. 8.

1. AUDIVIMUS, Fratres, per Prophetam dicentem Dominum, *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem.* * *Subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te.* Promisit tibi, quoniam quo die conversus fueris, obliviscitur mala tua præterita: sed numquid vitam crastini diei promisit tibi? An fortè non tibi illam promisit Deus, & promisit illam tibi mathematicus, ut damnet & te & illum Deus? Diem mortis incertum salubriter constituit Deus: diem ultimum suum quisque salubriter cogitet. Misericordia Dei est, quia nescit homo quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.

ỹ. 9. Conversio non differenda.

Contemtus mundi.

2. Sed tenet mundus, illecebræ circumquaque blandiuntur; delectat pecuniæ magnitudo, delectat honoris fulgor, delectat potentiæ terror: delectant ista; sed audiatur Apostolus: *Nihil intulimus in hunc mundum; sed nec auferre quid possumus.* Honor te debet quærere, non tu ipsum. Debes enim in loco humiliori discumbere, ut qui te invitavit, faciat te ad honoratiorem locum adscendere. Si autem noluerit, ubi recumbis, manduca: quia nihil intulisti in hunc mundum. Parum est tibi, quia de alieno manducas? Discumbe ubicumque, & manduca. " Dicturus es, De meo. Audi Apostolum: *Nihil intulimus in hunc mundum.* Ad mundum venisti, plenam mensam invenisti. Sed Domini est terra & plenitudo ejus.

1.Tim. 6.7. *Lucæ* 14. 10.

3. *Nam qui volunt*, inquit, *divites fieri.* Non dixit, Qui divites sunt: sed, *Qui volunt divites fieri*: cupiditates accusavit, non facultates. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa stulta & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Pecunia delectat, ista non times? Bona res est pecunia, bona res est magna pecunia. *Incidunt in tentationem:* Non times? *In desideria multa incidunt stulta & noxia:* Non times? Desideria quò ducunt, time. Quid est, quò ducunt? *Quæ mergunt*, inquit, *homines in interitum & perditionem.* Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis?

4. Ceterùm his qui jam divites sunt, adhuc consilium dedit Apostolus: *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus mundi non superbè sapere.* Vermis divitiarum superbia est. Difficile est ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. Sed adtende quid inde facere debeas, ne vacet apud te quod largitus est Deus: *Non superbè sapere:* Istud vitium tolle. *Neque sperare in incerto divitiarum*: Tolle & hoc vitium. Cùm abstuleris ista, exerce opera bona. Quæ? Audi: *Divites sint*, inquit, *in operibus bonis, Non sperent in incerto divitiarum.* Sed ubi sperent? *In Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum.* Mundum præstat Deus pauperi, præstat & diviti. Numquid quia dives est, duos ventres impleturus est? Adtendite, & videte quoniam de datis Dei pauperes saturati dormiunt. Qui pascit vos, pascit & illos per vos.

5. Ergo non ametur pecunia: sed si jam habetur, hoc inde fiat. Divites estote, qui illam habetis. Sed ubi divites? *In operibus bonis. Facilè*, inquit, *tribuant, communicent.* * Hîc jam avaritia contrahit se; [b] quando audit, *Facilè tribuant, communicent:* veluti aqua frigida perfunditur, rigescit, stringit sinum, & dicit, Non perdo labores meos. Infelix, perdere [c] non vis labores tuos? Ecce morieris, & qui nihil huc adtulisti, nihil hinc potes auferre: cùm nihil abstuleris, nonne perdidisti omnes labores tuos? Audi ergo consilium Dei. Non terrearis, quia dixit, *Facilè tribuant, communicent.* Audi quod [d] sequitur. Exspecta, noli contra me claudere ostium, nec aditum cordis tui; exspecta. Vis nosse, *Facilè tribuant, communicent*, quia non perdes, & hoc solum non perdes? *Thesaurizent*, inquit, *sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ista ergo quæ te delectat, falsa vita est: quasi in somnis hîc vivis. Si quasi in somnis hîc vivis, evigilaturus es quando morieris, & sic nihil habes invenire in manibus tuis. Quomodo si mendicus dormiat, & in somnis illi veniat hereditas, nihil illo felicius antè quàm surgat. Videt se in somnis tractare manibus vestes egregias, pretiosa vasa aurea & argentea, intrare in amœnissima & amplissima prædia, obsequi sibi magnas familias: evigilat, & plorat. Et quomodo vigilans accusat hominem qui illum exspoliavit, sic ille accusat qui illum ex-

ỹ. 17. ỹ. 18. * CAP. III. ỹ. 19.

[a] Victorin. MS. *etsi sequeris mundum.*
[b] MSS. *Sequentia audi: Facilè tribuant* &c.
[c] Abest *non* à MSS.

Classis I. citavit. Apertissimè hinc locutus est Psalmus, A "Dormierunt, inquit, somnum suum, & nihil "invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, postea quàm finierunt somnum suum. (Psal. 75. 9.)

6. Quia ergo nihil adtulisti, nihil hinc ablaturus es. * Mitte sursum quod invenisti, & non perditurus es. Da Christo: Christus enim hîc voluit accipere. Da Christo, & non perdis. Non perdis, si commendas servo tuo; & perdis, si commendas Domino tuo? Non perdis, si commendas servo tuo quod adquisisti; & perdes, si B commendes Domino tuo quod accepisti ab ipso Domino tuo? Egere hîc voluit Christus, sed propter nos. Omnes pauperes, quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per corvum Eliam pavit: tamen & ipsi Eliæ subtraxit corvum, ut à vidua pasceretur non Eliæ præstitit, sed viduæ. Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse non vult ut ipsi habeant; quando facit pauperes, probat divites. Sic enim scriptum est, Pauper & dives occurrerunt sibi. Ubi sibi occur- C rerunt? In hac vita. Natus est ille, natus est & ille: invenerunt se, occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus. Divitem, unde pauperem adjuvaret; pauperem, unde divitem probaret. Pro viribus suis quisque faciat: non sic faciat, ut ipse patiatur angustias. Non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alii. Audistis modo, cùm Evangelium legeretur, Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem suam. Re- D gnum cælorum venale proposuit, & pretium ejus calicem aquæ frigidæ esse voluit. Sed quando pauper est qui facit eleemosynas, tunc debent eleemosynæ ejus esse calix aquæ frigidæ. Qui plus habet, plus faciat. Vidua illa de duobus minutis fecit: Zacchæus dimidium rerum suarum dedit, & ad reddendas fraudes suas, aliud dimidium reservavit. Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. E Nam si ideo das, ut liceat tibi semper impunè peccare; non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. Ergo ad hoc facite eleemosynas, ut vestræ orationes exaudiantur, & adjuvet vos Deus ad vitam in melius commutandam. Et qui commutatis eamdem vitam, in melius commutate; ut per eleemosynas & orationes deleantur mala vestra præterita, & futura bona veniant sempiterna.

(*Caput IV. Eleemosynæ qua mensurâ & quo fine faciendæ. — 3. Reg. 17. 6. — Prov. 22. 2. — Matth. 10. 42. Marci 9. 40. — Marci 12. 42. Luc. 19. 8.)

* SERMO XL.

(*Aliàs 11. inter homil. 50.)

De [a] eodem loco Ecclesiastici 5. 8. Ne tardes converti ad Deum &c. In eos qui conversionem de die in diem differunt, quorum alii malè sperando, alii desperando pereunt.

Caput I. 1. Frequenter, Fratres, cum Psalmista cantavimus, Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, "& sustine Dominum. Quid est, Sustine Domi- G num? Ut tunc accipias, quando dabit; non tunc exigas, quando vis. Tempus dandi nondum est: sustinuit te, sustine illum. Quid est quod dixi, Sustinuit te, sustine illum? Si jam justè vivis, si jam ad illum conversus es, si tibi displicent facta tua præterita, si jam placuit tibi eligere vitam bonam novam; noli festinare exigere. Sustinuit te, ut mutares vitam malam: sustine illum, ut coronet vitam bonam. Nam si & ille non sustineret, non esset cui daret. Sustine ergo, quia sustentatus es.

(Psal. 26. 14. — Sustinere Dominum quid.)

2. Tu verò qui non vis corrigi, ô quisquis hîc es qui adhuc non vis corrigi; quasi unus sit: magis dicere debui, Quicumque hîc estis. Tu tamen qui hîc es, qui non statuisti corrigi: sic loquar quasi ad unum, Quisquis non vis corrigi, quid tibi promittis? Desperando peris, an sperando? Quisquis desperando peris, hoc dicis in animo tuo: Iniquitas mea super me est, in peccatis meis contabesco; quæ mihi spes est vivendi? Audi Prophetam dicentem, Nolo mortem impii, tantùm revertatur impius à via sua pessima, & vivat. Qui sperando peris, hoc dicis in animo tuo: Bonus est Deus, misericors est Deus, ignoscit omnia, non reddit mala pro malis. Audi Apostolum dicentem, Ignoras quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit?

(Conversionem alii sperando, alii desperando differentes. — Ezech. 33. 11. — Rom. 2. 4.)

3. Quid ergo restat? [b] Quia si obtinuimus apud te aliquid, si intravit in cor quod dixi; video quid mihi respondeas. Verum est, nec despero, ut desperando peream; nec spero malè, ut sperando peream. Non mihi dico, Iniquitas mea super me est, jam nullam spem habeo. Nec mihi illud dico, Bonus est Deus, nemini reddit mala. Nec illud dico, nec illud dico: premit me Propheta, premit me Apostolus. * Et quid dicis? Adhuc modicum tempus vivam quomodo volo. Isti sunt qui nos fatigant: plurimi sunt, molesti sunt. Adhuc modicum tempus vivam quomodo volo, postea quando me correxero, utique verum est quod dixit Propheta, Nolo mortem impii, tantùm revertatur impius à via sua pessima, & vivat. Quando conversus fuero, delebit omnia mala mea: quare non addo aliquid voluptatibus meis, & vivo quantum volo, quomodo volo, postea me conversurus ad Deum?

(*Caput II. Plerique malè sperando differunt.)

4. Quare hoc dicis, Frater? Quare? Quia promisit Deus indulgentiam, si me mutavero. Video, scio, promisit Deus indulgentiam; per sanctum Prophetam hanc promittit, & per me minimum servum suum promittit: verum est quod promittit, hanc promisit per unicum Filium suum. Sed quid vis addere dies malos diebus malis? Sufficiat diei malitia sua. Malus dies F hesternus, malus & hodiernus, malus & crastinus. An putas esse bonos dies, quando facis satis voluptatibus tuis, quando in luxuriis enutris cor tuum, quando insidiaris alienæ pudicitiæ, quando fraude contristas proximum tuum, quando commendata negas, quando falsum pro nummo juras? Quando exhibes tibi bonum prandium, ideo putas quia bonum diem ducis? Unde fieri potest ut dies bonus sit, cùm malus sit homo? Malos dies vis addere malis diebus?

(Matth. 6. 34.)

5. Rogo, aliquantùm, inquit, dimittatur mihi. Quare? Quia promisit mihi Deus indulgentiam. * Sed crastino die te victurum nemo tibi promisit. Aut lege mihi, quomodo legis Prophetam, Evangelium, Apostolum, quia cùm te converteris, delet Deus omnes iniquitates tuas: le-

(*Caput III. Pænitentia in crastinum non differenda.)

a In præcipuis MSS. titulus est, *Admonitio S. Augustini ad eos qui dicunt, Exspecto adhuc modicùm, & converto me: & dum differtur de die in diem, subitò supervenit ultima dies.*

b MSS. *Quasi obtinuimus.*

Classis I.

ge mihi, ubi tibi promiſſus eſt craſtinus dies, A & vive craſtino die malè. Quamquam, Frater meus, non tibi hoc debui dicere. Longa erit fortè vita tua: ſi longa erit, bona ſit. Quare vis habere longam vitam & malam? Aut longa non erit; & illa longa debet te delectare, quæ non habet finem: aut longa erit; & quid mali erit, quia diu bene vixiſti? Tu malè vis diu vivere, bene non vis? Et tamen craſtinum diem nemo tibi promiſit. Corrige te, audi Scripturam: *Ne tardes converti ad Deum.* (Eccli. 5. 8.) Verba iſta mea non B ſunt: ſed & mea ſunt. Si amo, mea ſunt: amate, & veſtra ſunt. Sermo iſte quem modò dico, Scripturæ ſanctæ eſt: ſi contemnis illum, adverſarius tuus eſt. Sed audi Dominum dicentem, Concorda cum adverſario tuo citò. (Matth. 5. 25.) Audiant omnes, verba recito Scripturæ divinæ. O malè dilator, ô craſtini malè appetitor, audi Dominum dicentem, audi Scripturam ſanctam prædicentem. De iſto loco ſpeculator ſum. *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem.* Vi- C de ſi non vidit illos, vide ſi non inſpexit illos qui dicunt, Craſtino bene vivo, hodie malè vivam. Et cùm cras venerit, hoc dicturus es. *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem.* (ỳ. 9.) * *Subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Numquid ego hoc ſcripſi? Numquid ego delere illud poſſum? Si delevero, timeo deleri. Tacere illud poſſum: timeo tacere. Prædicare cogor: territus terreo. Timete mecum, ut gaudeatis mecum. *Ne tardes* D *converti ad Deum.* Domine, vide quia dico: Domine ſcis, quia terruiſti me, cùm tuus Propheta legeretur. Domine noſti in illa cathedra timorem meum, cùm tuus Propheta legeretur. Ecce dico, *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Sed nolo perdat te.

Caput IV.

6. Nolo mihi dicas, Perire volo: quia ego nolo. Melius eſt ergo, nolo meum, quàm volo E tuum. Si lethargicus pater tuus ægrotaret inter manus tuas, & tu adeſſes juvenis ægrotanti ſeni, & diceret medicus, Periclitatur pater tuus; ſomnus iſte gravedo eſt quædam lethalis; obſerva eum, noli eum permittere dormire; ſi videris eum dormire, excita eum; ſi parum eſt excitare, vellica; ſi & hoc parum, ſtimula eum, ne moriatur pater tuus: adeſſes juvenis ſeni oneroſus. Ille in dulcem morbum reſolutus iret, oculos gravedine illa premente clauderet, tu F contrà clamares patri, Noli dormire. At ille, Dimitte me, dormire volo. Et tu, Sed medicus dixit, Si voluerit dormire, non dormiat. At ille, Rogo dimitte me, mori volo. Sed ego nolo, dicit filius patri. Cui? Utique optanti ſe mori. Et tamen vis differre mortem patris tui, & aliquantò diutiùs vivere cum morituro ſene patre tuo. Dominus tibi clamat, Noli dormire, ne in æternum dormias: evigila, ut mecum vivas, & patrem habeas quem non efferas. Audis, & ſur- G dus es.

7. Quid ego feci ſpeculator? liber ſum; non vos gravo. Scio dicturos quoſdam, Quid nobis voluit dicere? Terruit, [a] gravavit nos, reos nos fecit. Immo à reatu volui liberare. Fœdum eſt, turpe eſt: nolo dicere malum, nolo dicere periculoſum, nolo dicere exitioſum: turpe eſt ut vos fallam, ſi Deus me non fallit. * Dominus mortem minatur impiis, nequiſſimis, fraudatoribus, ſceleratis, adulteris, voluptatum inquiſitoribus, ſuis contemtoribus, [b] de temporibus murmurantibus & mores ſuos non mutantibus: Dominus illis mortem minatur, gehennas minatur, interitum ſempiternum minatur. Quid volunt, ut ego promittam quod ille non promittit? Ecce dat tibi ſecuritatem procurator: quid tibi prodeſt, ſi pater-familiâs non acceptet? Procurator ſum, ſervus ſum: vis dicam tibi, Vive quomodo vis, Dominus te non perdet? Securitatem tibi procurator dedit: nihil valet ſecuritas procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, & ego te ſollicitum facerem. Domini enim ſecuritas valet, etiamſi nolim. Mea verò nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuritas, Fratres, vel mea vel veſtra, niſi ut Domini juſſa intentè & diligenter audiamus, & promiſſa fideliter exſpectemus? In his [c] fatigamur, quia homines ſumus: ipſius adjutorium imploremus; ad illum ingemiſcamus. Preces noſtræ non ſint pro rebus ſæcularibus prætereuntibus, tranſitoriis, & vice vaporis evaneſcentibus: ſed ſint preces noſtræ pro ipſa implenda juſtitia, & ſanctificatione pro nomine Dei: non pro vincendo vicino, ſed pro vincenda libidine: non pro ſananda carne, ſed pro [d] domanda avaritia. Hinc ſint preces noſtræ: intus nos adjuvent luctantes, ut coronent vincentes.

* SERMO XLI.

De eo quod ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 22. Fidem poſſide cum proximo in paupertate ipſius, ut & bonis ejus perfruaris.

1. CUM divinæ Scripturæ legerentur, de quarum ſententiis omnibus nunc loqui non valemus, animadverti unam ſententiam, verborum numero breviſſimam, pondere autem ſenſûs ampliſſimam, unde elegi, adjuvante Domino, huic tantæ exſpectationi Caritatis Veſtræ, pro virium noſtrarum mediocritate ſervire, & miniſtrare vobis de cellario Dominico, unde & ego vobiſcum vivo. Hæc ergo ſententia eſt, de qua loquor: *Fidem poſſide cum proximo in paupertate ipſius, ut & bonis ejus perfruaris.* Accipiamus hanc primùm ut videtur ſonare ſimpliciter, ut eam poſſunt intelligere omnes, etiam qui nulla Scripturarum divinarum ſecretiora rimantur. *Fidem*, inquit, *poſſide cum proximo in paupertate ipſius, ut & bonis ejus perfruaris.* Verum eſt, inquit, qui ſimpliciter audivit: quando amicus pauper eſt, non ei frangenda eſt fides; permanendum cum illo eſt, nec mutanda amicitia facultate mutatâ; ſed ſervanda fides, voluntate firmatâ. Amicus enim meus, ſi cùm dives eſſet, amicus fuit; cùm pauper eſt, amicus non eſt; non ipſe mihi amicus, ſed aurum ejus fuit. Si autem amicus meus ipſe homo fuit; & manente auro, & recedente auro, ipſe eſt qui fuit: quare ergo modò non ſit amicus, qui etſi

a Sic MSS. At editi, *graviter*.
b Editi, *detractoribus*. Victorinus codex, *deceptoribus*. Alii MSS. *de temporibus*.

c Editi, *In his, quibus fatigamur*. At MSS. *In his fatigamur*: ſupple *juſſis Domini*.
d Lov. *damnanda*: diſſentientibus editis aliis & MSS.

perdidit thesaurum, non perdidit animum? Equum si emerem, detractis ornamentis & strato, nudum fortè non despicerem; & amicus mihi vestitus placuit, exspoliatus displicet? Bene ergo præcipit Scriptura divina, salubriter omnino & accommodatissimè moribus hominum, *Fidem posside cum proximo tuo in paupertate ipsius.*

Qua spe servanda fides amico pauperi. 2. *Vt & bonis ejus perfruaris.* Quid ergo, accedentes ad posteriorem partem hujus sententiæ, talem cogitationem habebimus de amico, ut dicamus nobis, Manendum est cum illo & servanda illi fides est in paupertate ejus, ut & bonis ejus perfruamur? Erit enim dives qui modò pauper est, & non te admittet ad divitias suas, cujus paupertatem superbus antea fastidisti. Possìde ergo cum illo fidem, etiam cùm pauper est, ut & bonis ejus perfruaris, quando illi accesserint divitiæ, & cum illo gaudeas in eis. Possìde cum illo fidem: pauper est, sed magnam possessionem habet fidem. Qui parabas cum illo & volebas possidere terram, si haberet terram, quam possideretis simul, quantò firmiùs cum illo possides fidem? Talis est enim fortè amicus tuus, ut ei possit aliquis improbus auferre possessionem: numquid poterit auferre fidem? Quid est ergo, *Vt & bonis ejus perfruaris?* Utique quia ex paupere poterit fieri dives, & perfrueris divitiis ejus, quia ejus paupertatem non aspernatus es.

Non spe venturæ ipsi felicitatis temporalis. 3. Prior quidem pars sententiæ hujus, secundùm istum intellectum popularem, placet mihi: posterior tamen, fateor, offendit me. Si enim propterea manes cum amico in paupertate ejus, ut quando dives fuerit, perfruaris divitiis ejus; adhuc non amicum, sed aliud aliquid amas in amico. Fides & spes duæ amicæ bonæ sunt, & major his caritas. Manent, inquit Apostolus, tria hæc, fides, spes & caritas; major autem horum est caritas, sectamini caritatem. (1. Cor. 13. 13.) Interrogo ergo amicum de amico. Dic mihi, obsecro te, Fidem possides cum isto in paupertate ejus? Planè, inquit: audivi enim hoc in sacra Scriptura, & commendavi cordi meo, & in memoria mea reposui: libens recolo, libentiùs facio. Audivi enim sanctum verbum, *Fidem posside cum proximo in paupertate ipsius.* Et ego, Quare hoc facis? an propter illud quod sequitur, *Vt & bonis ejus perfruaris?* Quid ergo exspectas? Ut quando, inquit, dives fuerit, & bona accesserint, admittat me ad bona sua, quia non fastidivi mala ipsius. Patere ergo adhuc me paululùm interrogantem. Quid si iste, cum quo paupere possides fidem, numquam erit dives? quid si pauper futurus est usque ad mortem? Perit fides, quia decepta est spes? Quia non poteris aurum possidere cum divite, pænitebit te fidem possedisse cum paupere? Si sapit humanum, immo si sapit verum, hac interrogatione turbabitur, & dicet mihi, Verum dicis. Bona res est, fidem possidere cum proximo: [a] sed si dicas, spe possidetur fides cum proximo paupere, ut ad ejus divitias perveniamus, ut in eis cum illo communionem habeamus; sine dubio cùm mortuus fuerit iste pauper, non accedentibus quæ sperabantur divitiis, totius illius boni pænitebit nos, & quod bene mulsimus, malè fundemus. Vides ergo altiùs esse istam sententiam perscrutandam, non quomodo vulgariter intelligi potest, sed quomodo divinâ auctoritate condita est, ad aliquid magnum insinuandum, præcipiendum, imperandum nobis, ubi spes nostra non fallatur, ne pæniteat fidem possedisse. Ad sententiam nostram non poteris sic pervenire.

Lazari & divitis historiâ idipsum ostenditur. 4. Ergo adtende illum pauperem Lazarum jacentem ante januam divitis. Pauper iste miserabiliter fuit infirmus: nec saltem ipsius tenebat sanitatem corporis, quod est patrimonium pauperis. Ulcerosus etiam fuit, canes linguebant ulcera ejus. Erat autem in illa domo dives, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, & nolebat fidem possidere cum paupere. Meritò Dominus Jesus, fidei amator & dator, plus adtendit ipsam fidem in paupere, quàm aurum & delicias in divite: plus adtendit pauperis possessionem, quàm divitis elationem. Nam ideo pauperem illum nominavit; illius autem nomen esse tacendum judicavit. Erat, inquit, dives quidam, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: pauper autem quidam nomine Lazarus. (Lucæ 16. 19. &c.) Nonne videtur vobis de libro recitasse, ubi nomen pauperis scriptum invenit, divitis non invenit? Liber enim ille vivorum erat atque justorum, non superborum & iniquorum. Nominabatur dives ille ab hominibus, pauper tacebatur: contrà Dominus pauperem nominavit, divitem tacuit. Noluit ergo fidem possidere cum paupere dives ille. Mortui sunt ambo. Contigit mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est dives, & sepultus: (nam fortasse ille nec sepultus est:) & cùm apud inferos, ut legimus, in tormentis esset, levavit oculos suos à longè; & vidit pauperem in sinu Abrahæ, quem contemsit ante januam suam. Non cum illo potuit habere communem requiem, cum quo fidem noluit habere communem. Pater, inquit, Abraham, mitte Lazarum, ut intinguat digitum suum in aquam, & stillet in linguam meam, quia crucior in hac flamma. Responsum est, Memento fili, quia percepisti bona tua in vita tua, Lazarus autem mala: nunc ergo, hic requiescit, tu verò torqueris. Et super hæc omnia, chaos magnum est inter nos & vos, nec à nobis quisquam ad vos transire potest, nec à vobis ad nos transmeare. Vidit sibi ille negatam misericordiam, quia ipsam negaverat. Vidit quòd verum esset, Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam. (Jacobi 2. 13.) Et qui noluit suo tempore pauperis misereri, fratrum suorum serò misertus est. Mitte ergo, inquit, Lazarum, habeo ibi quinque fratres, dicat eis quid hìc agitur, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et contra hoc responsum est, Si nolunt venire in hunc locum tormentorum, habent Moysen & Prophetas, ipsos audiant. Ille qui solebat irridere Prophetas, simul utique cum fratribus suis: credo enim, immo non dubito, quia cum ipsis fratribus suis loquens de Prophetis monentibus bona, prohibentibus mala, terrentibus de tormentis futuris, & futura præmia promittentibus, irridebat hæc omnia, dicens cum fratribus suis, Quæ vita post mortem; quæ memoria putredinis? qui sensus cineris? Omnes [b] illuc feruntur, &

Pauperis consortium in æterna felicitate diviti qui ipsum hic spreverit, non sperandum.

a Victorinus MS. *possidere cum proximo paupere, ut ad ejus divitias perveniamus:* omissis verbis, *sed si dicas, spe possidetur fides cum proximo.*

b Abest *illuc* à Victorino MS. Fortè leg. *Omnes efferuntur.*

Classis I.

sepeliuntur; quis inde reversus auditus est? Recolens hæc verba sua, propterea volebat Lazarum redire ad fratres suos, ut jam non dicerent, Quis inde reversus est. Et ad hoc aptè dignéque responsum est. Videtur enim fuisse iste Judæus, » & propterea dixisse, Pater Abraham. Ergo optimè & congruenter responsum est, Si Moysen » & Prophetas non audiunt, nec si quis à mortuis » resurrexerit, persuadebuntur. Impletum est in Judæis, quia Moysen & Prophetas non audierunt, nec Christo resurgenti crediderunt. Nonne hoc illis antè prædixerat, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi?

Johan. 5. 46.

Dives pauperis contemtor, miser finitâ vitâ.

5. Remansit ergo ille dives sine adjutorio, finitis deliciis temporalibus, in pœnis æternis. Non fecit justa, audivit digna. Memento quia percepisti bona tua in vita tua. Hæc ergo vita, quam vides, non est tua. Percepisti bona tua. Hæc ergo quæ de longinquo suspiras desiderans, non sunt tua. Ubi sunt verba divitum, & divitibus adulantium, quando vident aliquem [a] deliciis temporalibus affluentem, abundantem in terra, terram rapientem & exaggerantem, & trahentem ad se plumbum cum quo demergatur? Grande enim pondus illum divitem ad inferna perduxit, & sarcina gravis usque ad ima depressit. Non enim audierat, Venite ad me qui » laboratis, & onerati estis. Jugum meum lene » est, & sarcina mea levis est. Sarcina Christi pennæ sunt. His pennis ille pauper in sinum Abrahæ volavit. Dives ergo hoc audire noluit. Adulantium enim linguas audivit. His linguis adversùs Prophetas obsurduit: linguis malè laudantium & dicentium, Soli estis, soli vivitis. Ergo, Percepisti bona tua in vita tua. Hæc enim bona tua existimasti: alia non credidisti, non sperasti: percepisti illa in vita tua. Illam enim solam vitam tuam putasti, quando post mortem nihil futurum sperasti, nihil triste timuisti. Percepisti ergo bona tua in vita tua: Lazarus autem mala. Non dixit, *sua*; sed *mala*, quæ homines putant, quæ homines timent, quæ homines pro magno devitant. Percepit hîc Lazarus mala. Bona tua tunc non percepit: [b] nec tamen perdidit. Sicut autem non additum est, *sua*; sic nec hoc additum est, *in vita sua*. Alia enim erat vita ipsius, quam sperabat in sinu Abrahæ. Nam hîc mortuus erat, hîc non vivebat: illa morte mortuus erat, quam dicit Apostolus, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Pauper mala temporalia ferebat: Deus autem bona ejus differebat, non auferebat. Quid ergo dives apud inferos desideras, quod cùm divitiis fruereris, non sperasti? Nonne tu es ille, qui pauperis contemtor Moysen Prophetam irridebas? Noluisti ergo fidem possidere cum proximo in paupertate ejus, modò frueris bonis ejus? Irrisisti eum, quando audisti, *Fidem posside cum proximo in paupertate ipsius, ut & bonis ejus perfruaris.* Modò vides longè bona ejus, & non cum eo possides. Ventura enim erant illa bona, ventura invisibiliter. Quando enim non videbantur, credenda erant, ne quando videntur, remaneret tibi dolere posse, & non posse tenere.

Matth. 11. 28.

Coloss. 3. 3.

Pauperum amicitia eleemosy-

6. Ergo, Fratres, quantum mihi videtur, eliquata est ista sententia. Intelligenda est quippe

A Christianè à Christianis, ne sic possideamus fidem cum proximo paupere, ut divitias ei venturas temporaliter speremus, & ad eas cum illo possidendas fidem nostram servemus. Non sic omnino, non sic. Sed quomodo, nisi secundùm præceptum Domini nostri, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut & ipsi recipiant vos in tabernacula æterna? Sunt hîc enim pauperes non habentes tabernacula, ubi nos ipsi recipiant. Facite eos amicos de mammona iniquita- B tis, id est, de lucris quæ iniquitas vocat lucra. Sunt enim lucra, quæ justitia vocat lucra: ipsa sunt in thesauris Dei. Nolite contemnere pauperes, non habentes quò redeant, non habentes quò intrent. Habent quò intrent, habent tabernacula, habent & æterna. Habent quò frustra recipi optabitis, sicut dives ille, si non eos nunc in vestra receperitis: quia Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: qui prophetam recipit in nomine prophetæ, C mercedem prophetæ accipiet: & qui dederit uni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Fidem quoque possidet cum proximo in paupertate ejus; ideo bonis ejus perfruetur.

7. Dicit tibi & Dominus tuus, ipse qui cùm dives esset, pauper factus est: exponit tibi meliùs & solidiùs istam sententiam. Nam fortè de illo paupere, quem suscepisti in domum tuam, D dubitat aliquantùm & hæsitat animus tuus, utrùm verax homo sit, an fortè fallax simulator hypocrita: titubat animus in facienda misericordia, quoniam cor inspicere non potes. Fac & cum malo, ut pervenias & ad bonum. Qui timuit ne bona sua semina in vias, in spinas, in lapides caderent, piger seminare hieme, esurivit æstate. Verumtamen dicit tibi Dominus tuus, de quo utique non dubitas, si Christianus es, Ego propter te factus sum pauper, cùm dives E essem. Qui cùm in forma Dei esset, (quid illâ formâ ditius?) non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, (quid formâ Dei ditius? quid formâ servi pauperius?) in similitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Adde adhuc, Sitiit in cruce, accepit potum, non à miserante, sed ab insultante; & bibit acetum in morte fons F vitæ. Noli aspernari, noli contemnere, noli dicere, Ergo Deus meus homo factus est? Ergo Deus meus occisus est, crucifixus est? Etiam, planè, ita, crucifixus est. Paupertas ejus tibi commendatur. Longè à te fuit: propinquavit tibi paupertate. *Fidem posside cum proximo tuo in paupertate ipsius.* Certè hîc nusquam vacillat, nusquam caligat ista sententia. Pro nomine proximi, accipe nomen Christi, & humilis accipe. Humilis enim congruis humili, altum humilis G cupis: humilis accipe, & intellige proximum. Propè est enim Dominus his qui obtriverunt cor: ut dicas in oratione tua, Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam. Unum ergo verbum, quod Propheta addidit, proximum nominans; prophetica enim locutio aliquantùm fuerat tegenda sacramenti velamine,

[a] Victorinus MS. *divitiis temporalibus.*

[b] Victorinus MS. *nunc autem perdidit.*

Classis I. ut deſiderabiliùs quæreretur, ut ſuaviùs inveniretur. Ubi ergo ille proximum nominavit, tu Chriſtum nomina; quia & ille Chriſtum ita Propheticè nominavit: tu Chriſtum nomina, & vide currentem liquidam ſententiam, & tamquam de fonte veritatis irrigantem ſitim tuam. *Fidem poſſide cum Chriſto in paupertate ipſius, ut & bonis ipſius perfruaris.* Quid eſt, *Fidem poſſide cum Chriſto?* In eo quòd propter te homo factus eſt, in eo quòd de virgine natus eſt, in eo quòd accepit contumelias, quòd flagellatus eſt; quòd ligno ſuſpenſus, quòd lanceâ vulneratus, quòd ſepultus: noli iſta ſpernere, non tibi incredibilia videantur: & ſic fidem poſſide cum proximo. Hæc eſt enim paupertas ejus. Quid eſt autem, *Ut & bonis ejus perfruaris?* Audi, quia hoc voluit: audi, quia ideo in paupertate ad te venit: audi vocem pauperis propter te Domini Dei tui ditantis te: vide quomodo bonis ejus perfruaris, ſi fidem cum eo in paupertate ſervaveris. Pater, inquit, volo ut ubi ego ſum, & ipſi ſint mecum. [Johan. 17. 24.]

* SERMO XLII.

[* Aliàs 29. ex homiliis 50.]

De eo quod ſcriptum eſt in Iſaia, cap. I. Quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? *Et in Pſalmo* 139. Libera me Domine ab omni malo.

Caput I. 1. Ego, Fratres, vires parvas habeo, ſed verbum Dei magnas habet. [a] Valeat in cordibus veſtris. Ergo & quod lentè dicimus, valde auditis, ſi obedieritis. Tamquam per nubem ſuam, per Iſaiam prophetam Dominus tonuit: ſi ſenſum habetis, expaviſtis. Manifeſtè enim dixit, nec expoſitorem habent iſta neceſſarium, ſed factorem. *Quò mihi,* inquit, *multitudinem ſacrificiorum veſtrorum?* [Iſai. 1. 11.] Quis enim exquiſivit iſta de manibus veſtris? Deus nos quærit, non noſtra. Sed ſacrificium Chriſtiani eſt eleemoſyna in pauperem. [Eleemoſyna in pauperem ſacrificium eſt Chriſtiani.] Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Niſi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet, niſi reus? Ab eis peccatis & delictis, [b] ſine quibus vita iſta non ducitur, mundantur homines per eleemoſynas: quæ ſunt duorum generum, erogando & remittendo; erogando quod habes bonum, remittendo quod pateris malum. [Duo genera eleemoſynarum.] Hæc duo genera eleemoſynarum Dominus magiſter bonus, qui verbum breviavit ſuper terram, ut eſſet fructuoſum, & non oneroſum, quàm breviter fuerit complexus, audite: Remittite, inquit, & remittetur vobis; date, & dabitur vobis. [Lucæ 6. 37. & 38.] Remittite, & remittetur vobis, pertinet ad ignoſcendum: Date, & dabitur vobis, pertinet ad erogandum. Ex illa eleemoſyna, qua ignoſcis homini, nihil perdis. Ecce ſtatim veniam petit, ignoviſti, nihil amiſiſti. Caritate amplior domum rediſti. Illud aliud genus eleemoſynarum, ubi jubemur erogare indigentibus, grave videtur: quia quod quiſque dederit, hoc ipſum quod dabit non habebit.

Caput II. 2. Equidem & hinc ſecuros nos facit Apoſtolus, qui dixit, Prout quiſque habet, non ut aliis ſit [c] refectio, vobis anguſtia. [2. Cor. 8. 13.] Metiatur ergo unuſquiſque vires ſuas, non theſaurizare adtendat in terra: det, non perit quod dat. [Eleemoſynarum menſura & merces.] Non dico, Hoc non perit: ſed dico, Hoc ſolum non perit. Alia verò quæ non dederis, & abundant tibi, aut cùm vivis amittis, aut cùm moreris dimittis. Deinde, Fratres mei, tanta promiſſio [d] quò nos hortetur, adtendite: Dimittite, inquit, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Quando dicit, Date & dabitur vobis, adtende cui dicat. Homini dicit Deus, mortali dicit immortalis, mendico dicit tantus pater-familiâs. Neque enim hoc revocaturus eſt quod dedimus. Invenimus quem fœneremus. Demus in uſuram, ſed Deo, non homini. Ei damus qui abundat, ei damus qui dedit quod demus. Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis, æterna, incorruptibilia, ſine fine manentia: quid multa dicturus ſum? ſe promittit, qui promittit. Si amas illum, eme illum ab illo. Et ut noveris te ipſi dare, audi illum dicentem: Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi potum; hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; nudus fui, & veſtiſtis me; æger, viſitaſtis me; incluſus, veniſtis ad me. [Matth. 25. 35. &c.] Et dicent illi, Quando te vidimus in his neceſſitatibus conſtitutum, & miniſtravimus tibi? Et ille, Quando uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Dat de cælo, accipit in terra. Ipſe dat, ipſe accipit. Quaſi fœnus trajectitium facis. [Fœnus trajectitium facere quid.] Hîc das, ibi recipis: hîc das res perituras, ibi recipis res ſine fine manſuras.

Caput III. 3. Et quandocumque dicis Deo, *Libera me Domine ab homine malo:* hoc enim modò cantavimus. [Pſal. 139. 1.] Scio enim quo gemitu dicas, *Libera me Domine ab homine malo.* Quis enim in iſto ſæculo non patitur aliquem hominem malum? Quando ergo hoc dicis Deo, *Libera me Domine ab homine malo:* ſicut totis præcordiis dicis, ſic intentis oculis te priùs adtende. *Libera me Domine ab homine malo.* Fac tibi reſpondiſſe Deum. A quo? Dicturus es à Gaio, à Lucio, à neſcio quo quem pateris. Et reſpondet tibi, De te mihi nihil dicis. Si ab homine malo libero te, priùs es liberandus à te ipſo. [Homo malus.] Pateris malum, noli te ipſum pati malum. Videamus ſi invenit in te, quid tibi faciat alter malus. Quid tibi faciat malus? Tu noli eſſe malus. Non tibi dominetur avaritia, non te calcet concupiſcentia tua, non te trituret ira tua. Iſti hoſtes interiores tui ſunt. Tu ipſe non tibi aliquid facias. Videamus quid tibi facit vicinus malus, patronus malus, potens malus: videamus quid tibi facit. Juſtum te inveniat, fidelem te inveniat, Chriſtianum te inveniat: quid tibi facturus eſt? Quod Stephano Judæi fecerunt. Faciendo malum, miſerunt ad bonum. Ergo quando petis ut liberet te Deus ab homine malo, adtende te, noli tibi parcere: te à te liberet. Quomodo te à te liberat? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adversùs concupiſcentias tuas, inſpirando virtutem, dando menti tuæ cæleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur. Hæc cùm tibi præſtat Deus, liberat te à te, & ſecurus exſpectas in hujus ſæculi malis tranſitoriis cum eis bonis venturum Dominum, quæ tranſire non poſſunt. Satis ſint vobis. Videtis certè, quia neſcio quomodo ego invalidus

a Plerique MSS. *Sed verbum Dei magnas habet valere in cordibus veſtris.* Victorinus, *habere valet.*

b Hîc MSS. quidam interponunt, *Remittite & remittitur vobis: non mortalibus dico, ne contemnantur.* Ex his Remigienſis, *non mortalibus, niſi contemnantur.*

c Colbertinus MS. *non ut aliis ſit conſolatio.*

d Sic potiores MSS. At Remigienſis, *tanta eſt promiſſio qua nos hortatur.* Editi, *tanta promiſſio quem non hortatur?*

Classis I.

accedo, & loquendo fortis fio. Tantus est mihi animus, tanta intentio in profectu vestro. Operarius enim in agro fructum sperans, minùs sentit laborem. Sitis fructus mei, ut vobiscum sim, & omnes simus fructus Dei.

*SERMO XLIII.

** Aliàs de verbis Apostoli 27.*

De [a] eo quod scriptum est in Isaia, cap. 7. Nisi credideritis, non intelligetis.

Caput I. Fides necessaria.

1. INITIUM bonæ vitæ, cui vita etiam æterna debetur, recta fides est. Est autem fides, credere quod nondum vides: cujus fidei merces est, videre quod credis. Tempore igitur fidei tamquam tempore sementis, non deficiamus, & usque in finem non deficiamus: sed perseveremus, donec quod seminavimus metamus. Cùm enim aversum esset genus humanum à Deo, & jaceret in delictis suis, sicut Creatore opus habebamus ut essemus, sic Salvatore ut reviviscceremus. Justus Deus damnavit hominem, misericors Deus liberat hominem. Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Sed accipiunt credentes, non accipiunt contemnentes.

Psal. 67. 36.

Fides magnum Dei donum.

2. Nec de ipsa fide tamen ita gloriandum est, quasi aliquid nos possimus. Non enim fides nihil est, sed magnum aliquid: quam si habes, profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Videte Carissimi, unde Domino Deo gratias agatis: ne in aliquo dono ejus ingrati maneatis, & propter hoc quòd ingrati estis, quod accepistis perdatis. Laus fidei explicari à me nullo modo potest, sed à fidelibus cogitari potest. * Porrò si ex aliqua parte, ut dignum est, cogitetur, quis dignè cogitet, quàm multis donis Dei ipsius præferatur? Et si minora Dei dona in nobis debemus agnoscere, quantò magis illud quod ea superat, debemus agnoscere?

1. Cor. 4. 7. **Caput II.*

** f. habemus. Dei in hominem beneficia.*

3. A Deo * debemus esse quod sumus. Quia quod non nihil sumus, nisi à Deo à quo habemus? Sed sunt & ligna, sunt & lapides, à quo nisi à Deo? Nos ergo quid plus? Non vivunt ligna & lapides: nos autem vivimus. Sed adhuc nobis idipsum vivere cum arboribus frutectisque commune est. Dicuntur enim & vites vivere. Nam si non viverent, non scriptum esset, Occidit in grandine vineas eorum. Vivit, cùm viret; arescit, cùm moritur. Sed vita ista non habet sensum. Quid nos ampliùs? Sentimus. Quinque-pertitus corporis notus est sensus. Videmus, audimus, olfacimus, gustamus, tactu etiam per totum corpus nostrum mollia dijudicamus & dura, aspera & lenia, calida & frigida. Est ergo in nobis sensus quinque-pertitus: sed hunc habent & bestiæ. Habemus ergo aliquid ampliùs nos. Et ista tamen quæ enumeravimus, Fratres mei, si consideremus in nobis, quantam de his gratiarum actionem, quantam Creatori laudem debemus? Sed tamen ampliùs quid habemus? Mentem, rationem, consilium, quod non habent bestiæ, non habent volucres, non habent pisces: in eo facti sumus ad imaginem Dei. Denique ubi Scriptura narrat, quòd facti sumus; ibi subjungit, ut nos pecoribus non solùm anteponat, sed & præponat, id est, ut ea nobis subjecta sint: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, & serpentium quæ repunt super terram. Unde habeat potestatem? Propter imaginem Dei. Unde quibusdam dicitur increpando, Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Sed aliud est intellectus, aliud ratio. Nam rationem habemus & antè quàm intelligamus; sed intelligere non valemus, nisi rationem habeamus. Est ergo animal rationis capax: verùm ut meliùs & citiùs dicam, animal rationale, cui naturâ inest ratio, & antequam intelligat jam rationem habet. Nam ideo vult intelligere, quia [b] ratio præcedit.

Psal. 77. 47. *Gen. 1. 26.* *Psal. 31. 9.* *Aliud intellectus, aliud ratio.*

Caput III. An prius credendum, quàm intelligendum.

4. Hoc ergo unde bestias antecedimus, maximè in nobis excolere debemus, & resculpere quodam modo & reformare. Sed quis poterit, nisi [c] sit artifex qui formavit? Imaginem in nobis Dei deformare potuimus, reformare non possumus. Habemus ergo, ut cuncta breviter retexamus, ipsum esse cum lignis & lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis. Dijudicamus ergo oculis colores, auribus sonores, naribus odores, gustatu sapores, tactu calores, intellectu mores. [d] Intellige. Omnis homo vult intelligere; nemo est qui nolit: credere non omnes volunt. Dicit mihi homo, Intelligam, ut credam: respondeo, Crede, ut intelligas. Cùm ergo nata inter nos sit controversia talis quodam modo, ut ille mihi dicat, Intelligam, ut credam; ego ei respondeam, Immo crede, ut intelligas: cum hac controversia veniamus ad judicem, neuter nostrûm præsumat pro sua parte sententiam. Quem judicem inventuri sumus? Discussis omnibus hominibus, nescio utrùm meliorem judicem invenire possimus, quàm hominem per quem loquitur Deus. Non eamus ergo in hac re & in hac controversia ad litteras sæculares; non inter nos judicet poëta, sed Propheta.

5. Beatus apostolus Petrus cum duobus aliis Christi Domini discipulis Jacobo & Johanne in monte cum ipso Domino constitutus, audivit vocem delatam de cælo, Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui; ipsum audite. Quod commendans memoratus Apostolus in epistola sua dixit, Hanc vocem nos audivimus de cælo delatam, cùm essemus cum illo in monte sancto. Et cùm dixisset, Hanc vocem nos audivimus de cælo delatam: subjunxit atque ait, Et habemus certiorem Propheticum sermonem. Sonuit vox illa de cælo, & certior est Propheticus sermo. * Adtendite Carissimi, adjuvet Dominus & voluntatem meam & exspectationem vestram, ut dicam quod volo, quomodo volo. Quis enim nostrûm non miretur delata voce de cælo certiorem Propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? Certiorem sanè dixit: certiorem, non meliorem, non veriorem. Tam enim verus ille sermo de cælo, quàm sermo Propheticus; tam bonus, tam utilis. Quid est ergo, Certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit. Possent ergo infideles etiam

Matth. 17. 5. *1. Petr. 1. 18.* **Caput IV. Propheticus sermo ad firmandam fidem efficacior.*

[a] Hujus Serm. excerptum exstat in Flori collectione ad 1. Cor. 1.
[b] Ita Corbeiensis MS. Alii, *ratione*. Editi verò, *rationem*.
[c] Lov. *nisi adsit artifex*: repugnantibus ceteris libris.
[d] MSS. *Intelligi omnis homo vult, intelligere nemo est qui nolit.*

Classis I.

istam vocem delatam de cælo, per conjecturas A humanas & illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ ante fuerunt; non dico ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse: si ergo magicis artibus fecit ut coleretur & mortuus, numquid magus erat, antequam natus? Ecce quare ait apostolus Petrus, Habemus certiorem Propheticum sermonem. Vox de cælo, qua fideles admoneantur: Propheticus sermo, B quo infideles convincantur. Intelleximus, quantum mihi videtur, Carissimi, quare dixerit apostolus Petrus, Habemus certiorem Propheticum sermonem, post vocem de cælo delatam.

Caput V. Piscatores & idiotæ in Apostolos cur electi.

6. Et ipsa Christi quanta dignatio? Petrus iste, qui sic loquitur, piscator fuit: & modò magnam laudem habet orator, si potuerit ab illo intelligi piscator. Propterea primis Christianis loquens apostolus Paulus ait, Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes C secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tamquam sint, ut ea quæ sunt evacuarentur. Si enim eligeret Christus primitus oratorem, diceret orator, Eloquentiæ meæ merito electus sum. Si eligeret senatorem, diceret senator, Dignitatis meæ merito electus sum. Postremò, si D priùs eligeret imperatorem, diceret imperator, Potestatis meæ merito electus sum. Quiescant & differantur isti, paululùm quiescant; non omittantur, non contemnantur; sed aliquantulùm differantur, qui possunt gloriari de semetipsis in semetipsis. Da mihi, inquit, illum piscatorem, da mihi idiotam, da mihi imperitum, da mihi eum, cum quo non dignatur loqui senator, nec quando emit piscem: ipsum, inquit, da; hunc si implevero, manifestum erit quod ego facio. Quam- E quam & senatorem & oratorem & imperatorem ego sum facturus: quandocumque facturus ego & senatorem, sed certiùs ego piscatorem. Potest senator gloriari de semetipso, potest orator, potest imperator: non potest nisi de Christo piscator. Veniat propter docendam humilitatem salubrem, priùs veniat piscator; per ipsum meliùs adducitur imperator.

Florus ad 1. Cor. 1. — 1. Cor. 1. 26.

Caput VI. Fides præcedit intelligere.

7. Mementote ergo piscatorem sanctum, justum, bonum, Christo plenum, ad cujus missa F per mundum retia capiendus cum ceteris etiam populus iste pertinuit. Ergo mementote eum dixisse, Habemus certiorem Propheticum sermonem. Da mihi ergo ad illam controversiam judicem Prophetam. Quid inter nos agebatur? Tu dicebas, Intelligam, ut credam; ego dicebam, Ut intelligas, crede. Nata est controversia, veniamus ad judicem, judicet Propheta, immo verò Deus judicet per Prophetam. Ambo taceamus. Quid ambo dixerimus, auditum est. G Intelligam, inquis, ut credam: Crede, inquam, ut intelligas. Respondeat Propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Serm. de Scripturis. — *Isaia 7. 9.*

Fides intelligendo crescit.

8. Putatis autem, Carissimi, nihil dicere etiam illum qui dicit, Intelligam, ut credam? Quid enim nunc agimus, nisi ut credant, non qui non credunt, sed qui adhuc parum credunt? Nam si nullo modo credidissent, hîc non essent. Fides eos adduxit, ut audiant; fides eos fecit præsentes verbo Dei: sed ipsa fides quæ germinavit irriganda est, nutrienda est, roboranda est. Hoc est quod agimus. Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Loquendo, hortando, docendo, suadendo plantare possumus & rigare, non autem incrementum dare. Noverat autem ille cum quo loquebatur, qui fidei suæ germinanti & adhuc teneræ, & adhuc infirmæ, & ex magna parte titubanti, non tamen nullæ fidei, sed alicui fidei adjutorem orabat, cui dicebat, Credo Domine.

1. Cor. 3. 6 & 7. — *Marci 9. 23.*

Caput VII. Quomodo & credendum quod intelligatur, & intelligendum quod credatur.

9. Modò cùm Evangelium legeretur, audistis: Si potes credere, ait Dominus Jesus patri pueri; si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et ille intuens semetipsum, & positus ante semetipsum, non habens temerariam confidentiam; sed priùs discutiens conscientiam, vidit in se esse aliquam fidem, vidit & titubationem, utrumque vidit. Unum se habere confessus est, & alteri adjutorium postulavit. Credo, inquit, Domine. Quid sequebatur, nisi, Adjuva fidem meam? Non hoc dixit, Credo Domine; video hîc aliquid unde non mentior; credo, verum dico: sed video hîc etiam nescio quid, quod mihi displiceat. Stare volo: sed adhuc nuto. Stans loquor, non cecidi, quia credo: sed tamen adhuc nuto: Adjuva incredulitatem meam. Ergo, Carissimi, & ille quem contra me constitui, & propter cujus controversiam inter nos natam Prophetam judicem postulavi, non nihil dicit etiam ipse, cùm dicit, Intelligam, ut credam. Nam utique modò quod loquor, ad hoc loquor, ut credant qui nondum credunt: & tamen nisi quod loquor intelligant, credere non possunt. Ergo ex aliqua parte verum est quod ille dicit, Intelligam, ut credam: & ego qui dico, sicut dicit Propheta, Immo crede, ut intelligas: verum dicimus, concordemus. Ergo intellige, ut credas: crede, ut intelligas. Breviter dico quomodo utrumque sine controversia accipiamus. Intellige, ut credas, verbum meum; crede, ut intelligas, verbum Dei.

* SERMO XLIV.

De [a] verbis Isaiæ cap. 53.

** Aliàs 36. ex homiliis 50.*

Caput I. — *Isaia 53. 2.*

1. De Domino & Salvatore nostro, Fratres dilectissimi, ante multa tempora prophetatum est, *Adscendet sicut virgultum, &] sicut radix in terra sitienti.* Quare ut

[a] Possidius in Indiculo cap. 9. Sermonem hunc procul dubio notat istis verbis, *De lectione Isaiæ, Domine quis credidit auditui nostro?* Mutilus itaque Sermo est, nec priore tantummodo parte, sed posteriore etiam, qua Donatistarum hæresis redarguebatur, minutus esse intelligitur ex n. 5. ubi sic habet: *Incipit dici & de sponsa, & quomodo in sponso mirabaris cæcitatem Judæorum, sic & in sponsa miraberis cæcitatem hæreticorum.* Quibus verbis Augustinus non obscurè pollicebatur tractaturum se de subsequenti Isaiæ capite, *Lætare sterilis* &c. *Dilata locum tabernaculi tui* &c. Atque id quod Propheta de Ecclesiæ per omnes gentes extensione dixisset, hac ipsa concione mox videndum significabat n. 2. & n. 6. *Audietis illud*, inquit, *& ab isto Propheta* &c. Non pauci tales in 50. homiliarum classe fuerunt minùs integri Sermones, in quibus impostorum fraudem fallaciamque quidam non jure conqueritur. Nam qui in Ecclesia legendi essent Augustini Tractatus, necessariò plerumque decurtabantur, iisque exordium aptabatur & idonea conclusio. Sic huicce 44. Sermoni appositam aliunde præfationem esse vides vel ex versiculo Isaiæ, qui altera parte est versionis Vulgatæ, cùm in reliquo cap. August. sequatur LXX. Conclusionem porrò ex Cæsario acceptam opinamur.

CLASSIS I.

radix? Ideo: *Non est species illi, neque honor.* Passus est, humiliatus est, consputus est: non habebat speciem; homo apparebat, cùm Deus esset. Sed quomodo radix non est pulcra, sed intus habet vim pulcritudinis suæ. Adtendite, Fratres mei, videte misericordiam Dei. Adtendis arborem pulcram, amœnam, foliis virentem, fructibus opulentam, laudas. Delectat aliquid de fructu carpere, sub umbra ejus sedere & requiescere ab æstu: laudas totam illam pulcritudinem. Si radix ostendatur tibi, nulla pulcritudo in ea est. Noli contemnere quod abjectum est: inde processit quod miraris, *Ut radix in terra sitienti.* Adtendite modò claritatem arboris.

2. Crevit Ecclesia, crediderunt gentes, victi sunt terræ principes sub nomine Christi, ut essent victores in orbe terrarum. Positum est collum eorum sub jugo Christi. Persequebantur antè Christianos propter idola, persequuntur idola propter Christum. Omnes confugiunt ad auxilium Ecclesiæ, in omni pressura, in omni tribulatione sua. Crevit illud granum sinapis, factum est majus super omnia olera: veniunt volatilia cæli, superbi sæculi, & requiescunt sub ramis ejus. Unde hæc tanta pulcritudo? De nescio qua radice surrexit: & ista pulcritudo in magna gloria est. Quæramus radicem. Consputus est, humiliatus est, flagellatus est, crucifixus est, vulneratus est, contemtus est. Ecce hîc species non est: sed in Ecclesia gloria radicis pollet. Ergo ipsum describit sponsum, illum contemtum, inhonoratum, abjectum. Sed modò videre habetis arborem, quæ surrexit de ista radice, & implevit orbem terrarum. *Radix in terra sitienti.*

Matth. 13. 31. Luca 13. 19.

Item ℣. 2.

3. *Non est species illi, neque honor: & vidimus illum, & non habuit speciem neque decorem.* Nonne hic est fabri filius? Quàm non habuit decorem, ut diceretur, Nonne verum dicimus quia dæmonium habes? In nomine ipsius dæmonia fugiebant; & illi objicitur, quia dæmonium habebat. Sed quare hoc? *Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem.* * Quæ est species illius intus, ubi non videbatur? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quæ est species illius? Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.

Marci 6. 3. Johan. 8. 48. *CAPUT II. Johan. 1. 1. Philip. 2. 6.

4. Et ubi visus est non habere speciem neque decorem? *Et non habuit speciem: * sed vultus ejus abjectus, & deformis positio ejus ab omnibus hominibus. Homo in plaga.* In plaga homo, ante plagam Deus, post plagam homo Deus, *Homo in plaga, & qui sciat ferre infirmitates.* Infirmitates quorum? Ipsorum à quibus patiebatur. Medicus ferebat infirmitates phreneticorum; & cùm ipse crucifigeretur, orabat & dicebat, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Adtendite: [a] amemus sponsum. Quantò magis deformis nobis commendatur, tantò carior, tantò dulcior est factus sponsæ. *Propter quod & avertit se.* Avertit se, ne illum intelligerent illi qui eum crucifigebant. *Facies ejus injuriata est, nec magni æstimata est.*

℣. 3. Luca 23. 34. ℣. 4.

5. *Hic infirmitates nostras portat, & pro nobis in doloribus est: & nos existimavimus illum in doloribus esse, & in plaga, & in pœna * Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ in eum, livore ejus sanati sumus. * Omnes ut oves erravimus, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris.* Evangelium est, [b] an prophetia? Quid dicunt contra ista Judæi? Nonne mirum est audire illos ista, habere illos ista, legere illos ista, non invenire de quo dici potuerit, nisi de illo uno qui in Evangelio prædicatur per orbem terrarum, & adhuc non esse Christianos, sed sic illos esse cæcos adversùs evidentissima eloquia Prophetarum? Noli mirari cæcitatem Judæorum de Christo: * Ecce transit quod dicitur de sponso, incipit dici & de sponsa; & quomodo in sponso mirabaris cæcitatem Judæorum, sic in sponsa miraberis cæcitatem hæreticorum.

6. Jam modò miremur cæcitatem Judæorum. *Dominus tradidit illum pro peccatis nostris: * & ipse, quoniam malè tractatus est, non aperuit os. Ut ovis ad immolandum ductus est: & ut agnus ante eum qui se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. * In humilitate judicium ejus sublatum est.* Et ne contemnas, *Generationem ejus quis enarrabit?* Quam generationem? Ante luciferum genui te. Ecce una generatio: Ante luciferum, ante omnia quæ facta sunt, ante omnes angelos, ante omnem creaturam. Quare? Quia omnia per ipsum facta sunt. Sed fortè secunda ejus generatio narratur. Quis illam narrat? Fide concipitur, masculus non accedit, uterus virginis tumet: procedit tamquam sponsus de thalamo suo. Mirabilis ista generatio. Mirabilis est humana, quia sine patre: mirabilis illa, quia sine matre. *Ut ovis ad immolandum ductus est, ut agnus ante eum qui se tonderet, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita ejus.* Resurrectionem ejus prædicat. Videtis quia verè Dominus [c] (quasi possit quid nisi verè Veritas,) hoc dicebat, Quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Quia oportebat Christum pati & resurgere, audistis. Et resurgere, modò audistis: *Quoniam tolletur de terra vita ejus.* Et prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipiens ab Jerusalem: audietis illud & ab isto Propheta; non quia debemus Prophetam præponere Domino. Præco præcessit, judex secutus est. Non sua, sed judicis verba præco dicebat, & judex consequens verba sua in præcone firmavit. *Quoniam tolletur de terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* Audiebatis modò dicentem illis, Quid vobis feci? Si invenistis in me peccatum, arguite. Et illi, Crucifige, crucifige: ut putabant hominem, tamen innocentem. Ergo, *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.*

7. *Dabo ergo malos pro sepultura ejus.* Quid est hoc, *Dabo malos pro sepultura ejus, & divites pro morte ejus?* Malos propter sepulturam, divites propter mortem. Dives ille ab Arimathæa Joseph, cùm Dominus penderet in cruce: intravit ad Pilatum, & petiit corpus ejus: obse-

[a] Am. & Er. *Adtendite quomodo amemus. Sponsus quantò* &c. Colbertinus codex, *Adtendite quomodo amemus sponsum.* Alii MSS. *Adtentè amemus sponsum.*

[b] MSS. *an Propheta.*

[c] Am. & Er. *Videtis quia verus Dominus, quasi potens non possit, nisi verè caritas hæc dicebat.* Lov. *Videtis quia verè Dominus hæc possit, Quis nisi vera Veritas hæc dicebat?* Locum juvantibus MSS, restituimus.

Classis I.

cutus est, ut sepeliret. Dati sunt divites pro morte ejus: sepelivit pauperem, in quo divitias requirebat. Ergo, *Divites propter mortem ejus.* Quod postea dixit, primò factum est: quod primò dixit, postea factum est. *Malos pro sepultura ejus.* Ubi ostendimus? Intraverunt Judæi ad Pilatum, & dixerunt ei, Domine audivimus quia ille planus, id est, ille impostor, dixit discipulis suis, quia resurrecturus erit occisus: jube custodiatur sepulcrum, ne fortè veniant discipuli ejus nocte, & auferant eum, & fiat error major priore. Ait illis Pilatus, Habetis milites, ite custodite sicut vultis. Acceperunt milites, posuerunt ibi. Mali sunt isti: ipsi sunt dati propter sepulturam ejus ad custodiendum. Sed unde probamus, quia mali sunt? Milites innocentes erant missi: judex eis præcepit: venerunt ad sepulcrum, custodierunt. Audi quia mali sunt: lege Evangelium. Postea quàm resurrexit Dominus, & viderunt Angelum, conterriti & consternati sunt. Quando dictum est aliis, Nolite timere vos, isti timore perculsi, quia fide sublevati non sunt. Et tamen cùm ista scirent, venerunt ad Judæos, dixerunt illis ista omnia. Dixerunt Judæi, Damus vobis pecuniam. Ergo mali erant: veritatem absconderunt, mendacium vendiderunt. Et quomodo mendacium vendiderunt? Non mirum, mendacium vendiderunt, mendacium cæci cæcis. Dicite, (dictum est illis,) quia dormientibus nobis venerunt discipuli ejus, & subtraxerunt eum. O vanitas vendens vanitatem [a] vanitati! Audituri sunt vani & credituri. Hodieque hoc est apud Judæos, sic habet ipsa fama, quàm vana, quàm falsa, quàm inanis. Testimonium Martyrum nolunt audire, ut vivant; & testimonium dormientium audiunt, ut pereant. Si dormiebant custodes, unde potuerunt scire, quis illum tulerit de sepulcro? Aut quid vigilabas, male? O male, de quo non sine caussa dixit Propheta, *Dabo malos pro sepultura ejus.* O mali, ô pessimi, aut vigilabatis, & custodire debuistis; aut dormiebatis, & quid sit factum nescitis. Impletum est enim quod Spiritus-sanctus per Psalmistam multò antè prædixerat: Cogitaverunt consilium, quod non potuerunt stabilire.

Ibidem 63. ὁ πλάνος. — *Psal. 20. 12.*

Caput V. [b]

[[b] 8. Nos ergo, Fratres carissimi, pro quorum salute ista omnia & prædicta sunt & impleta, gratias agamus divinæ misericordiæ, & quantum possumus, totis viribus laboremus, ut beneficia Dei non nobis judicium pariant, sed profectum: ut cùm tremendus judicii dies & tempus reddendæ rationis advenerit, quidquid nobis Dominus & Salvator noster contulit judicatus, integrum inveniat judicaturus. Et quidem ille cùm venerit, redditurus est quod promisit, sed requisiturus est quod redemit: & quod in primo adventu contulit, exacturus est in secundo. Quamvis multum præsumere debeamus de misericordia Dei, non tamen negligenter debemus timere justitiam ejus. Cum justitia enim te judicabit, qui cum misericordia te redemit. Nam quòd tam longo tempore peccamus & parcit, non est negligentia, sed patientia. Non ille potentiam perdidit, sed nos ad pænitentiam reservavit. [c] Timeamus ergo justitiam, cujus misericordiam desideramus. Parcit enim modò, sed non tacet: sed & si tacet, non semper tacebit. Audiamus ergo eum dum non tacet in præcepto, si volumus ut nobis parcat, cùm non tacuerit in judicio. Modò enim nobis prærogatur misericordia, tunc à nobis exigetur justitia, & reddet unicuique secundùm opera sua; ac fiet illud quod Apostolus dixit, Judicium sine misericordia [d] illi qui non fecit misericordiam.]

Serm. de Scripturis. — *Jacobi 2. 13.*

* SERMO XLV.

De eo quod in Isaia cap. 57. scriptum est, Qui autem [e] dediti erunt mihi, possidebunt terram, & inhabitabunt montem sanctum meum. *Et de Apostolo,* Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.

* *Aliàs 12. ex Sirmondianis.*

1. IN omnibus lectionibus, quas recitatas audivimus, si animadvertit Caritas Vestra primam lectionem Isaiæ Prophetæ, quia omnia quæ lecta sunt nec meminisse nec dicere possumus, recentissimum arbitror residere potuisse in cordibus vestris, quo conclusit Lector, *Qui autem dediti mihi erunt, possidebunt terram, & inhabitabunt montem sanctum meum.* Deinde adscendit Apostolica lectio, & inde cœpit: *Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Procurante divinâ misericordiâ, quæ nos regit, & quæ nobis esurientibus escas præparat, non solùm corporum reficiendorum, propter quas oriri facit solem super bonos & malos, & pluit super justos & injustos; sed etiam propter famem cordis nostri, quam patimur in hac eremo, & morimur, nisi manna pluat: mensam ergo suam nobis præparante Domino, nullâ humanâ industriâ procurante, quod ipse novit, factum est, ut se lectiones sic sequerentur, ut in Isaia promitteretur nobis aliquid, in Apostolo autem diceretur, *Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei:* quasi una lectio esset Prophetæ & Apostoli. Quid enim ait Apostolus? *Has ergo promissiones habentes, carissimi:* & ibi non est dictum quas promissiones, non quia non ibi sunt; sed quia non inde cœpit lector: & tamquam quærebat animus auditoris, de quibus promissionibus dicat Apostolus, *Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs.* Magnum enim negotium nobis imponitur, & non parvus labor, mundare nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs: & nemo suscipit hunc laborem, nisi audiat promissionis mercedem. Cùm ergo laborem mundationis carnis & spiritûs nemo suscipiat, nisi præmio invitatus; nescio quomodo factum est, ut Lector ab indictione laboris inciperet, & à promissione mercedis non inciperet. Sed Deus noluit fraudare auditorem intentum. Si fortè dubitabat suscipe-

Isai. 57. 13. — *2. Cor. 7. 1.*

Divinæ misericordiæ tribuendum quod opportunè acciderit nullâ hominum curâ.

[a] Sic potiores MSS. At editi, *vendens vanitatem, vanitatem audituris vanis & credituris.*

[b] Totum quod superest caput 5. quibusdam abest MSS. videturque Augustinum minùs quàm Cæsarium nobis exhibere. Confer Sermonem Appendicis 13. n. 5. Serm. 44. n. 6. Serm. 45. n. 3. & Cæsarii homil. 27.

[c] Sic Am. & MSS. Er. verò & Lov. *Teneamus.*

[d] MSS. *his qui non fecerint misericordiam.*

[e] In Possidii Indiculo c. 8. *Qui autem serviunt mihi &c.*

CLASSIS I.

re laborem mundationis carnis & spiritûs, qui non audierat mercedem, armet se ad principium lectionis Apostolicæ: promissiones autem si quærit, adtendat ad finem lectionis Propheticæ. Ubi enim finivit Prophetica lectio, ibi est promissio: unde cœpit Apostoli lectio, ibi est operis indictio.

Cupiditates non finiuntur, sed augentur, si præsentia propter terrenas promissiones contemnantur.

2. Erigamus ergo nos, & mundemus ab omni coinquinatione carnis & spiritûs, has promissiones habentes. Quas promissiones? *Qui autem mihi dediti erunt*, dicit Dominus per Isaiam, *possidebunt terram, & inhabitabunt montem sanctum meum. Has ergo promissiones habentes, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs.* Dicit aliquis, Et propterea me mundabo à coinquinatione carnis & spiritûs, ut possideam terram & inhabitem montem? Procul dubio quærendum, quid sibi vult possessio terræ & montis habitatio: ne fortè sperent homines, latas possessiones se accepturos, & non finiant cupiditatem, sed differant; immo augeant, & contemnant parva, putantes se de ipso genere accepturos esse majora. Quis enim non contemnat unam centuriam, si illi promittatur quia possessurus est centum? Aut quis non contemnat delicias unius prandii, fortè pauperioris & frugalioris, si dicatur ei, Nisi te continueris, non venies ad illam cœnam lautissimam & opimam? Qui sic continent à quibusdam præsentibus, non finiunt cupiditates. [a] Timendo ne perdant quod ampliùs desiderant, ea quæ minora sunt contemnunt; ipsa est tamen cupiditas. Numquid non est avarus, qui contemnit centum folles, ut adquirat mille? Non tibi videatur jam finisse avaritiam, quia invenisti eum contemnentem folles centum. Mille cogitat, ideo centum contemsit. Sunt homines, qui obsequuntur plerumque senibus filios non habentibus, & contemnunt in illis multa, sed majora ex ipsis sperant. Istos misericordes putamus, an cupidos? Ideo plus probantur filii pauperum, quando obsequuntur parentibus pauperibus; quia pietas illos ducit, non merces. Filii autem divitum quando obsequuntur parentibus suis, non probatur pietas, & si est, latet: quia etsi videtur à Deo, ab hominibus videri non potest. Adeo & ipsi parentes malè sentientes plerumque de filiis suis, cùm putant quia propter pecuniam illis obsequuntur filii sui, cùm expediat aliquando filiis eorum ut emancipentur à parentibus, exigit fortè aliquod commodum uxorem ducturus, aut perveniendi ad aliquem honorem, ut donent illi res suas, & dicunt, Non donabo, nam jam non mihi obsequetur. Qualem sententiam tulit de filio suo, quia ad pecuniam illi obsequitur, non adtendens paternam caritatem? Si ergo times ne acceptâ pecuniâ non tibi obsequatur filius tuus, non est amabilis pietas, sed venalis. Quantò melior filius pauperis, filius aliquando [b] senis ærumnosi & egentis, qui nihil exspectans à patre suo, quia non habet quod ei dimittat, laboribus & ærumnâ sudoris pascit patrem suum? Aliquando & filii divitum adtendentes timorem Dei, non quia exspectant aliquid à parentibus suis, sed quia parentes sunt & genuerunt & educaverunt, & Deus præcepit

V. Enarrat. in Psal. 43. n. 16. & Psal. 86. n. 9.

A dicens, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, ideo obsequuntur: sed latet affectus, ubi propositum est præmium. Eò autem isti acceptiores sunt apud Deum, quia mentem ipsorum non possunt videre homines, & Deus solus videt, nec laudari ab hominibus possunt: sicut Job qui colebat Deum. Putaverunt enim dæmones, quòd propter mercedem coleret Deum. Ubi autem probatus est quia gratìs coleret? Quia perditis omnibus dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit; B sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

SERM. SCRIPTURIS. Exodi 20. 12.

Job. 1. 21.

3. Quare ista dixi, Fratres? Quia quotidie non tacet [c] Scriptura monere, ut temporalia contemnentes, æterna diligamus: non tacet omnis pagina divina loqui nobis, aliquando apertè, aliquando in mysterio obscurè. Sed nemo fraudari se putet, quando obscurè pagina divina loquitur. Ubi ad te prodit voluntas Dei, hoc est ubi aperta est, ibi illam dilige, ibi illam ama, C quando apertè monet. Et qualis est in aperto, talis est in obscuro; qualis est in sole, talis est in umbra. Talem illam sequaris, si talem illam legis. Obscurum est enim, ut dixi, *Possidebit terram, & inhabitabit montem sanctum meum.* Nam si carnaliter accipimus, non nos mundabimus ab omni coinquinatione carnis & spiritûs: & sine caussa nobis procuravit Deus finem lectionis Propheticæ conjunctum cum principio lectionis Apostolicæ, si propter possidendum montem terrenum ad avaritiam nos præparamus, non ad pie- D tatem. Sed quid debemus intelligere montem? Obscurum est quid dixerit montem. Sed si deseruisset nos Deus, nusquam apertè diceret quid sit mons. Ubi autem dicit apertè, ibi ama montem. Ubi apertè tibi commendat montem, & ipsa Scriptura se aperit quid dicat montem, ibi illum ama. Etiam ubi audieris promitti montem talem, illum sequere: qualem amasti in aperto, talem intellige in obscuro. Ubi putamus dictum E montem, ut possimus nos mundare ab omni coinquinatione carnis & spiritûs? Quis mons nobis promissus est?

Scripturæ obscura loca ex aliis apertis illustrantur.

4. Primò terra qualis nobis promittitur sciamus, quam suspirat quodam loco Propheta David, & dicit, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Procul dubio ergo est quædam terra viventium, quia ista terra morientium est. Aut si aliquis in ista terra nasceretur nisi moriturus, non diceret illam terram viventium, nisi com- F parans istam terram & inveniens eam terram esse morientium. Est ergo terra viventium: nam cùm æterna & cælestis sit, terra dicitur quia possidetur, non quia aratur. Habet enim possessorem sine labore: quia & ista possessorem suum exercet in labore, & fatigat in timore. Quid tibi dicitur? Surge, ara terram, ut possis habere unde vivas. Et velis nolis, gemens & suspirans surgis, & operaris; quia sequitur te sententia damnati Adam, In labore vultûs tui edes panem G tuum. Cùm autem transierit omnis labor & gemitus, erimus in terra viventium. Nihil ibi nascitur & crescit: quidquid ibi est, eodem modo est, sic est [d] semper. Non ibi alternant hyems & æstas, nox & dies. Hîc seminatur, ut ibi me-

Terra viventium nobis promissa. Psal. 141. 6.

Gen. 3. 19.

[a] In Colbertino MS. *non finiunt cupiditates; quia majores sunt cupiditates, timendo ne* &c.

[b] Ita Colbertinus codex. At Sirmondus, *servi ærumnosi.*

[c] Hîc aliisque infrà locis, verba nonnulla quæ fuerant in Sirmondi editione prætermissa, restituuntur ex Colbertino MS.

[d] Colbertinus MS. *sic est sempiternum.*

Classis I.

tatur; si tamen seminatur. Quis est enim qui seminat hîc, ut ibi metat? Qui erogat pauperibus. Erogatio pauperibus seminatio est in terra. Semina hîc, & ibi invenies messem: æstate non secatur, ut transeat; sed & manducatur, & cum gaudio permanet. Ibi enim justitiâ saginaris. Terra illa habet panem suum. Quis est iste panis? Qui huc inde ad nos venit: Ego sum, inquit, panis vivus qui de cælo descendi. Qualis est iste panis? Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Johan. 6. 51. *Matth. 5. 6.*

Mõs Christus & Ecclesia.

5. Audivimus panem de terra illa, audiamus & montem. *Inhabitabunt*, inquit, *in monte sancto meo.* Puto enim invenimus in alia sancta Scriptura, quia mons & ipse Christus est. Qui est panis, ipse est & mons: sed panis, quia pascit Ecclesiam; mons autem, quia corpus ejus est Ecclesia. Ipsa Ecclesia est mons: & quid est ipsa Ecclesia? Corpus Christi. Adjunge illi caput, & fit unus homo. Caput & corpus, unus homo. Caput quis est? Hic qui natus est de Virgine Maria, qui suscepit carnem mortalem sine peccato, qui à Judæis cæsus, flagellatus, contemtus, crucifixus: qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Ipse est caput Ecclesiæ, ipse panis de illa terra. Corpus autem ejus quod est? Conjunx ejus, id est Ecclesia. Erunt enim duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Sic & Dominus in Evangelio, cùm de viro & de uxore diceret: Igitur jam non sunt duo, sed una caro. Ergo unum voluit esse hominem Deum Christum & Ecclesiam. Ibi caput, & hîc membra. Noluit resurgere cum membris, sed ante membra, ut haberent quod sperarent membra. Sed ideo mori voluit caput, ut priùs resurgeret caput; priùs ire in cælum caput, ut in capite suo spem haberent cetera membra, & exspectarent impleri erga se quod præmissum est in capite. Quid enim opus erat Christo mori, Verbo Dei, per quod facta sunt omnia, de quo dicitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt? Et crucifigitur, & irridetur, & lanceâ percutitur; & sepelitur, & omnia per ipsum facta sunt. Sed quia dignatus est esse caput Ecclesiæ, desperaret de se Ecclesia quia resurgeret, si videret quia non resurrexisset caput. Resurrexit ergo caput, & visum est resurgere caput. Primò à mulieribus visum est, & nuntiatum est viris. Primæ mulieres viderunt resurgentem Dominum, & Evangelistis futuris Apostolis à mulieribus Evangelium annuntiatum est, & per mulieres illis Christus annuntiatus. Evangelium enim Latinè bonus nuntius est. Qui Græcè noverunt, sciunt quid sit Evangelium. Evangelium ergo bonus nuntius. Quid tam bonum nuntium possumus dicere, quàm quia resurrexit Salvator noster; aut quid majus illi prædicaturi erant, quàm quod eis feminæ nuntiaverunt? Sed quare femina nuntiavit Evangelium? Quia per feminam mors emendata est. Etenim feminam nuntiantem mortem consolata est femina nuntians vitam, quia mortua erat propinans mortem. Per feminam seductus est Adam, ut caderet in mortem: per feminam nuntiatus est Christus, jam resurgens non moriturus. Sic & nos futuri sumus resurgere, & erimus mons sanctus

Ephes. 5. 31. & 32. *Matth. 19. 6.* *Johan. 1. 1.*

Serm. de Scripturis.

A Dei. In hoc monte habitat qui deditus est Deo. *Qui autem mihi dediti erunt, possidebunt terram, & inhabitabunt montem sanctum meum:* id est, non recedent ab Ecclesia. Modò laboremus in Ecclesia, postea hereditabimus Ecclesiam. Quando enim ibi erit gaudium nostrum sempiternum, non ibi erimus nisi possessores, non autem laborabimus.

Quomodo mons Christus & Ecclesia.

6. Sed evidenter inveniamus alibi montem istum: nam quasi obscurum videtur. Potest aliB quis dicere, Ubi mons Ecclesia? & quando mons Christus? & quando mons corpus Christi? Evidentissimè Daniel dicit: nemo inde dubitat. Visionem vidit Daniel, jam numquid indiget expositore? Videat Caritas Vestra. Quædam verba ibi fortè indigent expositione, quæ in nomine Christi exposita aperientur vobis. Videte si potest dici nisi de Christo. Vidi, dixit Daniel, & ecce lapis abscissus de monte sine manibus. Non hoc dixit, Sine manibus erat ille lapis: sed C sine opere humano præcisus lapis de monte; non humanæ manus accesserunt, ut lapis de monte præcideretur. Novit Caritas Vestra, quia non præciduntur lapides de monte, nisi accedentibus manibus humanis. Ille autem præcisus est de monte sine manibus: & venit, & confregit omnia regna terrarum. Nescio si versatur ante oculos vestros nisi Christus, de quo dictum est, Adorabunt eum omnes reges terræ. Ipse confregit omnia regna terrarum. Superbus rex ante D se nullum regem vult habere; modò omnes reges Christum habent regem. Confregit ergo omnia regna terrarum, ut ille regnet. Et quid dicit iste? Crevit lapis ille, & factus est mons grandis, ita ut impleret universam faciem terræ. Jam puto quia agnoscitis Christum. Audistis de terra, *Qui dediti mihi erunt, possidebunt terram.* Audistis & de monte, *Et inhabitabunt montem sanctum meum. Has ergo promissiones habentes carissimi, mundemus nos ab omni coinquinatioE ne carnis & spiritus.* Sed fortè vultis nosse, quid est præcidi sine manibus, Hoc enim quasi obscurè ibi positum est: quibusdam verò jam occurrit, antè quàm dicam: sed patiantur moras aliquas propter alios, qui cogitare inde non possunt, nisi per nos aliquid audierint. Quid est sine manibus? Sine opere hominis. Et illud advertat Caritas Vestra, Fratres, lapidem præcisum de monte, & factum esse montem. De monte præcisus, & mons factus est crescendo: F sed qualis mons factus? Non talis, qualis ille unde præcisus est: nam de illo monte, unde præcisus est, non dictum est, Crevit & implevit universam terram. Duo montes sunt ergo: primus mons Synagoga, secundus Ecclesia: primus mons, populus Judæorum; secundus mons, populus Christianus. Sed ut fieret populus Christianus magnus mons, & impleret universam terram, de illo monte præcisus est lapis, quia de Judæis venit Christus. Quare ergo sine manibus? G Sine opere humano. Christus enim natus de virgine, sine complexu maritali conceptus est.

Dan. 2. 34. *Psal. 71. 11.* *Dan. 2. 35.* *Isai. 57. 13.*

Qualis mons Christus.

7. Ergo manifestum istum montem habemus. Non nobis proponamus montes, aut qualis est Giddaba, aut quales sunt quicumque nobis nominantur. Aliquando enim carnaliter accipientes homines; ut puta, legunt, Exaudiet illum de cælo sancto suo: bene aliquando de mon-

Psal. 19. 7.

CLASSIS I.

te, & loquitur Christum: & currunt homines in montem orare, quasi ibi exaudiat Deus. Carnaliter sapientes, quia vident plerumque nubes inhærere in lateribus montium, adscendunt in montes, ut proximi sint Deo. Oratione tua vis contingere Deum? humilia te. Iterum, quia diximus, Vis contingere Deum? humilia te: ne carnaliter accipias, descendens in hypogæas, ut ibi roges Deum. Nec hypogæas, nec montem quæras. In corde tuo habe humilitatem, & Deus tibi dabit altitudinem; veniet ad te, & erit tecum in cubiculo tuo. Ergo qualem montem habemus Christum, Ecclesiam habemus, Ecclesiam amemus. Crevit & implevit mons iste universum orbem terrarum. Manifestum est, quia non sunt in isto monte qui in parte sunt, & non tenent nobiscum universam terram. Commemoramini, Fratres, quia omnis pagina armat & implet nos contra linguas hominum, quas quotidie patimur. Si dixisset, Crevit ille mons, & implevit universam Africam, numquid dicerent illi, nisi quia pars Donati est? Compressit linguas ipsorum crescendo. Tantum crevit, ut [a] obturet ora verbosorum. Quò enim iit crescendo? Per universam terram. Nam mons ille, unde præcisus est, non crescendo implevit universam terram: quia etsi impleverunt universam terram Judæi, quia debellati sunt, & suam terram perdiderunt; dispersi sunt per terram pœnâ meritorum, non magnitudine incrementorum. Dominus autem Christus lapis angularis, subegit regna hominum, fregit regna dæmonum, humiliavit omnes reges ut cresceret, crevit & implevit universam faciem terræ. Audeo dicere adhuc crescit, adhuc sunt loca, quæ implet.

Contra Donatistas.

8. Tu ergo ama ipsum montem, & para te habitare ipsum montem in æternum; & munda te ab omni coinquinatione carnis & spiritûs, has promissiones habens. Quas promissiones? Si vis possidere terram, & inhabitare montem sanctum, munda te ab omni coinquinatione carnis & spiritûs. Quæ sunt coinquinationes carnis? Intendat Caritas Vestra, & hoc debemus dicere. Quæ sunt coinquinationes carnis? Non ubi casu transit homo, & tangit aliquid aut pede, aut etiam facie; aut si contingat homini labi pede, & ita cadere, ut in lutum, aut in cœnum veniat, coinquinata est facies. Facilis est ista coinquinatio; quomodo solet dici, lavatur, & [b] exit. Coinquinatio verò carnis, quæ cavenda est, non huc exit, nisi de coinquinatione spiritûs, & sic coinquinat carnem. Coinquinatio spiritûs quæ est? Libido. Coinquinatio carnis? Perpetratio adulterii. Habes duo; surrexit libido, jam coinquinatus est spiritus, nondum accessit adulterium, nondum caro coinquinata est. Sed quid prodest quia caro munda est, & habitator carnis immundus? Ille qui fortè mundus est in carne, adulterum eum Deus tenet in corde, sicut Dominus dicit, Amen dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Ista est coinquinatio spiritûs. Quando autem fit perfecta sanctificatio? Quando est & carnis & spiritûs. Sunt enim homines, qui temperant se à factis, & non temperant se à cogitationibus malis: faciunt mundationem carnis, & non faciunt mundationem spiritûs. Tales ideo non faciunt, quia timent homines. Libido ardet, timor revocat. Quid times? Inveniri & damnari; inveniri & expompari. Ergo incoinquinata videtur caro, sed non est perfecta sanctificatio: quia quid dicit Apostolus? *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs*: ut quomodo te temperas à malis factis, sic te temperes à mala voluntate, à malis cogitationibus. A malo facto contine, & mundas te à coinquinatione carnis: à mala voluntate abstine te, & mundas te à coinquinatione spiritûs.

Mundities carnis & spiritûs præcipitur.

Matth. 5. 28.

9. Et sequitur, *Perficientes sanctificationem in timore Dei.* Magnificè addidit, *in timore Dei.* Ecce quia non perficit homo sanctificationem, nisi in timore Dei. Quæ est perfecta sanctificatio? Sanctificatio & corporis & spiritûs. Si sit corporis, & spiritûs non sit, imperfecta est. Nam illud non potest esse spiritûs sanctificatio, & corporis non esse. Esse corporis, & non esse spiritûs, potest: esse spiritûs, & non esse corporis, non potest. Qui enim est mundus spiritu, operari flagitia non potest. Unde hoc? Ex corde enim procedunt, ait Dominus, adulteria, homicidia. Homo enim non potest perpetrare per membra, quod non sibi in corde dixerit. Verbum in corde concepit, & deputatum est in opus. Ideo quodam loco Dominus, Mundate quæ intus sunt, ait; & quæ foris sunt, munda erunt. Non dixit, mundate quæ foris sunt. Si à corpore inciperet, restabat ut moneret nos, ut mundaremus & animum: si autem ab animo, non opus est ut mundemus corpus; quia animi munditiam sequitur corporis munditia. Ergo apostolus Paulus quia cœpit à carne, opus erat ut diceret & de spiritu, *Perficientes sanctificationem. Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs*; quia potest incoinquinata esse caro, non faciens adulteria, fornicationes, & talia: sed tamen esse libidines, & cogitationes, & malæ voluntates in anima. Et subjecit, *Perficientes sanctificationem in timore Dei.* Quis ergo facit sanctificationem corporis, & non facit animæ? Qui homines [c] timet, & non Deum. Nam qui in timore Dei est, perficit sanctificationem. Ideo certè noluisti perpetrare adulteria, ne sciret homo: timore hominum tenuisti carnem à commissis malis: ideo noluisti committere ubi videt homo. Si & Deum times, noli & ibi, ubi videt Deus, & perfecisti sanctificationem. Intende: O si possem, ait aliquis, pervenire ad illam feminam: sed non possum, diligenter custoditur, maritum vigilantem habet, ministrum non habeo; si ausus fuero, comprehendor. Facit quasi mundationem corporis: intus autem quia vult, non facit mundationem spiritûs. Ideo timebat in corpore facere, ne videret homo: & non timet intus facere, ubi videt Deus: oculos hominis vitat, & Dei non timet. Quis ergo perficit sanctificationem? Qui in timore Dei est. *Perficientes sanctificationem in timore Dei.* Timor hominum fortè corpus potest ab immunditia temperare; animam autem, nonnisi timor Dei. Sanctificavit animum? Securus est de corpore. Qui vestitus est, mundus sit, & vestis ipsa munda erit. Inhabitator bonus & sanus sit, & non timeat ruinam domûs suæ.

Sanctificatio in timore perficitur.

Matth. 15.

Matth. 23. 26.

[a] Ita Colbertinus MS. Editi verò, *obscuret.*
[b] Colbertinus liber, *& exit nihil.*

[c] Editi, *Qui homines facit, & non Deum, numquid in Dei timore perficit sanctificationem?* Emendantur ad Colbertinum MS.

10. Quid

CLASSIS I.

Carnis futura commutatio.

10. Quid enim ista caro? Non illam debemus contemnere. Quid enim hoc? Fœnum, sed aurum erit. Noli contemnere fœnum, mutabitur in aurum. Ille enim, qui potens fuit mutare aquam in vinum, potens est mutare fœnum in aurum, & de carne facere Angelum. Si de sordibus fecit hominem, de homine non faciet Angelum? Adtendat enim Caritas Vestra unde factus est homo, & videte si vel cogitare illud volumus. De istis sordibus fecit hominem, & præfecit aliis animalibus; de homine non faciet Angelum? Faciet prorsus. Amicos suos sibi fecit homines, non illos facturus est Angelos? Jam non dicam vos servos, sed amicos. Adhuc carnem portantibus, adhuc morientibus, adhuc in ista egestate & fragilitate vitæ versantibus dixit, Jam vos non dicam servos, sed amicos. Et quid est daturus amicis? Quod in se ipso ostendit resurgente. Coronabuntur, & convertentur in gloriam cælestem, & erunt æquales Angelis Dei. Nulla erit corruptio, nulla titillatio. Non ibi nobis dicetur, *Mundate vos ab omni coinquinatione carnis & spiritus.* Non laborabimus, nec nobis promittetur præmium; quia jam accepimus. Nec nobis dicetur ut gemamus; quia jam laudamus. Sicut enim caro mortalis convertitur in corpus Angeli; sic & gemitus convertetur in laudes. Hîc pænitentia, & pressura, & gemitus: ibi laudes, lætitia, & gaudium. Postea ergo, modò non est lætitia. Sed ubi? In spe. Nondum tenes, sed sperando gaudes: quia qui promisit non potest decipere; quia qui promisit, habet & dat.

Johan. 15. 15. — *Luca 20. 36.* — Caro hominis in corpus Angeli convertenda.

*SERMO XLVI.

*Aliàs de Tempore 165. vel in Tomo 9. editus. a

De [a] *Pastoribus, in Ezechiel cap. 34. ab illis verbis*, Et factum est *&c. usque* Et pascam eas cum judicio. *Contra Donatistas.*

CAPUT I. De pastoribus non oves, sed seipsos pascentibus.

1. SPES tota nostra quia in Christo est, & quia omnis vera & salubris gloria nostra ipse est, non nunc primùm didicit Caritas Vestra. Estis enim in ejus grege, qui intendit & pascit Israël. Sed quoniam sunt pastores, [b] qui pastorum nomine gaudere volunt, pastoris autem officium implere nolunt; quid ad eos per Prophetam dicat, sicut lectum audivimus, recenseamus. Audite vos cum intentione, audiamus nos cum tremore.

Psal. 79. 2. b

Ezech. 34. 2. c

2. ET *factum est ad me verbum Domini, dicens, Fili hominis*, [c] *propheta super pastores Israël.* Hanc lectionem modò, cùm legeretur, audivimus: hinc cum Vestra Sanctitate aliquid loqui decrevimus. Adjuvabit ipse, ut vera dicamus, si non nostra dicamus. Nam si nostra dixerimus, pastores erimus pascentes nos, non oves: si autem illius sunt quæ dicimus, per quemlibet ipse vos pascet. *Hæc dicit Dominus Deus*, [d] *O pastores Israël, qui pascunt se solos! Numquid non oves pascunt pastores?* Id est, non se pascunt pastores, sed oves. Hæc prima caussa est, quare arguantur pastores isti, quia se ipsos pascunt, non oves. Qui sunt qui se ipsos pascunt? De quibus Apostolus dicit, Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Nos enim, quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam: unum, quòd Christiani sumus; alterum, quòd Præpositi sumus. Illud quòd Christiani sumus, propter nos est: quòd autem Præpositi sumus, propter vos est. In eo quòd Christiani sumus, attenditur utilitas nostra: in eo quòd Præpositi, nonnisi vestra. [e] Sunt autem multi Christiani, & non Præpositi, qui perveniunt ad Deum, faciliore fortasse itinere, & tantò fortè expeditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem, excepto quòd Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra, sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra. Ad hoc istam difficultatem propono, ut compatientes nobis, oretis pro nobis. Veniet enim dies, quo cuncta adducantur in judicium. Et ille dies, si sæculo longè est, unicuique homini vitæ suæ ultimus propè est. Tamen utrumque latére Deus voluit, & quando veniat finis sæculi, & quando sit in unoquoque homine hujus vitæ finis. Vis non timere diem occultum? Dum venerit, inveniat te paratum. Cùm ergo Præpositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt consulant; [f] non in eo quòd præsunt, omnino utilitatem suam adtendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis ita Præpositus est, ut in eo, quòd Præpositus est, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. Ad hos sermo dirigitur. Audite tamquam oves Dei, & videte quemadmodum vos securos fecerit Deus: qualescumque sint qui vobis præsunt, id est, qualescumque nos simus; vobis securitatem dedit, qui pascit Israël. Nam Deus non deserit oves suas; & mali pastores pœnas debitas luent, & oves promissa percipient.

Item ✝. 2. d — *Philip. 2. 21.*

SERM. DE SCRIPTURIS. — Christiani, propter nos, Præpositi propter alios. — *Eccle. 12. 14.* — f — Se pascere.

CAPUT II.

3. VIDEAMUS ergo quid alloquatur pastores se ipsos pascentes, non oves, sermo divinus neminem palpans. *Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis, & quod crassum est interficitis, & oves meas non pascitis:* * *quod infirmatum est, non confortastis; & quod ægrotum est, non corroborastis; & quod contributatum est, non colligastis; & quod errabat, non revocastis; & quod periit, non inquisistis; & quod forte fuit, confecistis: & dispersæ sunt oves meæ, eo quòd non sit pastor.* Dicitur in pastores pascentes semetipsos, non oves, quid diligant, quid negligant. Quid ergo diligunt? *Lac consumitis, & lanis vos tegitis.* Propter quod Apostolus dicit, Quis plantat vineam, & de fructu ejus non sumit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Invenimus ergo esse lac gregis, quidquid à plebe Dei tribuitur Præpositis ad sustentandum victum temporalem. Inde enim loquebatur Apostolus, cùm hæc diceret quæ commemoravi.

✝. 3. — ✝. 4. — *1. Cor. 9. 7.* — Lac gregis. *Florus ad 1. Cor. 9.*

4. Et quidem Apostolus quamquam elegerit manibus suis transigi, & nec ipsum lac quærere ab ovibus; tamen lactis percipiendi potestatem habere se dixit, & sic Dominum disposuisse, ut qui Evangelium annuntiant, de Evange-

2. Thess. 3. 8. — Lactis percipiendi potestas data pastoribus.

[a] Ex hoc Sermone plura Florus ad Pauli epistolas.

[b] Hinc Tractatus pluribus in MSS. incipit in hunc modum: *Qui pastorum nomen (vel nomina) audire volunt, pastorum officium implere nolunt, quid ad eos &c.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *prophetiza.*

[d] Editi, *Væ pastoribus qui pascunt se solos. Numquid oves pascunt pastores?* At MSS. juxta LXX. *O pastores Israël &c.*

[e] Aliquot MSS. *Et sunt multi, qui Christiani & non Præpositi, perveniunt ad Deum.*

[f] Omnes MSS. *nec in eo.*

CLASSIS I.

lio vivant. Et dicit alios coapostolos suos usos fuisse hac potestate; non usurpatâ, sed datâ. (1. Cor. 9. 12.) Plus ille fecit, ut nec quod debebatur acciperet. Ipse ergo donavit & debitum: sed alius non exigit indebitum: ille plus fecit. Fortassis enim ipsum significabat, qui ægrum cùm adduceret ad stabularium, dixit, Si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi. (Luca 10. 35.) De his ergo qui non indigent lacte gregis, quid plura dicamus? Misericordiores sunt, vel potiùs ipsius misericordiæ officium largiùs impendunt. Possunt enim; & quod possunt, faciunt. Laudentur hi, nec damnentur illi. Nam & ipse Apostolus datum non quærebat; (Florus ad Philip. 4.) fructuosas tamen oves esse cupiebat, non steriles sine lactis ubertate. Itaque cùm esset quodam tempore in magna indigentia, [a] vinctus in confessione veritatis, missum est illi à fratribus unde necessitati & indigentiæ ejus ministraretur. Respondit autem illis gratias agens, & dixit, Bene fecistis communicare necessitatibus meis. (Philip. 4. 14.) Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse: (Ibidem 11. &c.) » scio & abundare, & penuriam pati: omnia pos» sum in eo qui me confortat. Verumtamen vos » bene fecistis usibus meis mittere. Sed ut ostenderet, in eo quod illi bene fecerunt, [b] quid ipse quæreret, ne inter illos esset qui se ipsos pascunt, non oves, non tam suæ gaudet subventum esse necessitati, quàm illorum gratulatur fecunditati. Quid ergo ibi quærebat? Non quia quæro, inquit, datum, sed requiro fructum. (Ibidem 17.) Non ut ego, inquit, explear, sed ne vos inanes remaneatis.

(Lac sic sumant, ut ovibus prosint.) 5. Qui ergo non possunt facere quod Paulus, ut manibus suis se transigant, accipiant de lacte ovium, sustentent suam necessitatem; sed non negligant ovium infirmitatem: non hoc sibi quærant, tamquam commodum suum, ut ex necessitate suæ penuriæ videantur annuntiare Evangelium; sed hominibus illuminandis præbeant lucem verbi veritatis. Sunt enim tamquam lucernæ, sicut dictum est, Sint lumbi vestri accincti, (Luca 12. 35.) & lucernæ ardentes: & Nemo accendit lucer- (Matth. 5. 15. & 16.) » nam, & ponit eam sub modio, sed super can» delabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: » sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut » videant bona opera vestra, & glorificent Patrem » vestrum qui in cælis est. Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adjiceres oleum, ne exstingueretur? Porrò si lucerna, accepto oleo, non luceret, non erat planè digna quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuò frangeretur. Unde ergo vivitur, necessitatis est accipere, caritatis est præbere: non tamquam venale sit Evangelium, ut illud sit pretium ejus, quod sumunt qui annuntiant unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in caritate Evangelii serviunt. Non [c] exspectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem. Quid ergo isti increpantur, unde arguuntur? (Sumto lacte, oves negligere.) Quia cùm lac consumerent, & lanis se tegerent, oves negligebant. Sua ergo tantùm quærebant, non quæ Jesu Christi.

6. SED quoniam diximus quid sit lac consumere, quæramus quid sit lanis se tegere. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo quæ à populis quærunt, qui se ipsos pascunt, non oves, commodum supplendæ necessitatis, & favorem honoris & laudis. Etenim vestimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit. Est enim unusquisque homo infirmus. Et quid est quisquis vobis præest, nisi quod vos estis? Carnem portat, mortalis est, manducat, dormit, surgit, natus est, moriturus est. Si ergo cogitas quid sit secundùm se ipsum, homo est: [d] tu tamen honorando eum velut Angelum, contegis quod infirmum est.

7. Hujusmodi indumentum acceperat à bona Dei plebe idem Paulus, cùm diceret, Sicut Angelum Dei suscepistis me: testimonium vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Sed cùm tantus illi honor exhibitus esset, numquid propter ipsum honorem sibi exhibitum, ne fortè cùm argueret, negaretur, & minùs ipse Apostolus laudaretur, pepercit errantibus? Nam si hoc fecisset, esset inter illos qui se ipsos pascunt, non oves: diceret apud se ipsum, Quid ad me pertinet? Quisque quod velit agat: victus meus salvus est, honor meus salvus est; & lac & lana, satis est mihi: eat quisque [e] quà potest. Ergo integra tibi sunt omnia, si eat quisque quà potest? Nolo te Præpositum facere, unum te constituo de ipsa plebe: Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. (1. Cor. 12. 26.) Proinde ipse Apostolus, cùm eos commemoraret quales fuerint erga illum, ne quasi oblitus eorum honorificentiæ videretur, testimonium perhibet, quòd sicut Angelum Dei susceperint eum; & quòd, si fieri posset, oculos suos vellent eruere, & illi dare: & tamen accedit ad ovem languidam, ad ovem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. Ergo, inquit, inimicus factus sum vobis verum prædicans? (Gal. 4.) Ecce & accepit de lacte ovium, sicut paulò antè commemoravimus, & indutus est lanis ovium; sed tamen oves non neglexit. Non enim sua quærebat, sed quæ Jesu Christi. (Philip. 2. 21.)

8. Absit ergo ut dicamus vobis, Vivite ut vultis, securi estote, Deus neminem perdet, tantummodo fidem Christianam tenete; non perdet ille quos redemit, non perdet pro quibus sanguinem fudit. Et si spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite; quid mali est? Et festa ista quæ celebrantur per [f] universas civitates in lætitia convivantium, & publicis mensis se ipsos ut putant jocundantium, re vera magis perdentium, ite, celebrate: magna est Dei misericordia, quæ totum ignoscat. Coronate vos rosis, antequam marcescant. In domo Dei vestri quando volueritis, convivamini; implemini cibo & vino cum vestris: ad hoc enim data est ista creatura, ut eâ perfruamini: non enim impiis & Paganis eam dedit Deus, & vobis non dedit. Hæc si dixerimus, fortè congregabimus turbas ampliores: & si sunt quidam qui nos sentiant hæc

[a] Sic MSS. & Florus. Editi verò, *in magna indigentia victus, in confessione veritatis.*

[b] Editi, *quod ipse non quæreret.* Abest *non* à plerisque MSS. è quibus unus Cisterciensis pro *quod*, habet *quid.*

[c] MSS. *Non exspectant.*

[d] Plures MSS. *& tu honorando tamen ampliùs, veluti contegis quod infirmum est. Videte cujusmodi indumentum* &c.

[e] Am. Er. & Corbeiensis MS. hìc & paulò pòst, *quò potest.*

[f] Plures MSS. *per universam civitatem.* Iidemque libri paulò pòst, *ite, celebrate securi: magna est* &c.

Classis I.

dicentes non rectè sapere, paucos offendimus, sed multitudinem conciliamus. Quòd si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra; erimus pastores nosmetipsos pascentes, non oves.

Caput IV. De mactantibus oves pingues.

9. Cùm autem dixisset quæ diligant isti pastores, dicit & quæ negligant. Vitia enim ovium latè patent; sanæ atque crassæ oves perpaucæ sunt, id est, solidæ in cibo veritatis, utentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus. Parum est, quòd illas languentes & infirmas & errantes & perditas non curant: etiam istas fortes & pingues necant, quantum in ipsis est. Illæ vivunt de misericordia Dei: tamen quantum ad pastores malos adtinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? Malè vivendo, malum exemplum præbendo. An frustra dictum est servo Dei, eminenti in membris summi pastoris, Circa omnes te ipsum bonorum operum præbe exemplum? &, Forma esto fidelibus. Adtendit enim ovis etiam fortis plerumque Præpositum suum malè viventem: si declinet oculos à regulis Domini, & intendat in hominem, incipit dicere in corde suo, Si Præpositus meus sic vivit, ego quis sum qui non faciam quod ille facit? Occidit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem; jam de ceteris quid faciet, qui illud quod non ipse fortificaverat, sed forte aut robustum invenerat, malè vivendo interfecit? Dico Caritati Vestræ, iterum dico, etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo Domini, & tenent illud quod audierunt à Domino suo, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: tamen qui in conspectu populi malè vivit, quantum in illo est, eum à quo adtenditur occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus. Et ille vivit, & ille homicida est. Quomodo cùm lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendum eam; ecce illa casta est, & mœchus est iste. Domini enim vera & aperta sententia est: Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Non pervenit ad illius cubiculum, & in interiore jam suo cubiculo volutatur. Sic omnis qui malè vivit in conspectu eorum quibus Præpositus est, quantum in ipso est, occidit & fortes oves. Qui ergo imitatur Præpositum malum, moritur; qui non imitatur vivit: tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit. *Et quod crassum est*, inquit, *interficitis, & oves meas non pascitis.*

Exempla mala Præpositorum. — Tit. 2. 7. — 1. Tim. 4. 12. — Matth. 23. 3. — Matth. 5. 28.

Caput V. ℣. 4.

10. Jam audistis quid diligant, audite quid negligant. *Quod infirmum est, non confortastis; & quod malè habuit, non corroborastis; & quod contribulatum est*, id est, confractum, *non colligastis; & quod errabat, non revocastis; & quod periit, non inquisistis; & quod forte fuit, confecistis*, id est, interfecistis & occidistis. Infirmum quippe animum gerit ovis, quando tentationes sibi [a] futuras non credit. Pastor negligens, quando sic credit talis infirmus, non illi dicit, Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Qui enim hoc loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum, ut non ille cùm crediderit, prospera hujus sæculi speret. Si autem doctus fuerit sperare prospera hujus sæculi, ipsa prosperitate corrumpitur: supervenientibus enim adversitatibus sauciatur, aut fortassis exstinguitur. Non ergo eum ædificat super petram qui sic ædificat, sed super arenam. Petra autem erat Christus. Christi passiones imitandæ sunt, non à Christiano deliciæ conquirendæ. Confortatur infirmus, cùm ei dicitur, Spera quidem tentationes hujus sæculi, sed ab omnibus eruet te Dominus, si ab illo non recesserit retrò cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiniri, venit spinis coronari, venit opprobria [b] audire, venit postremò ligno configi: omnia hæc ille pro te; tu nihil pro illo, sed pro te.

Ovis infirma, unde confortanda. — Eccli. 2. 1. — a Florus ad 2. Tim. 3. — Serm. de Scripturis. — Matth. 7. 24. &c. — 1. Cor. 10. 4. — b

In arena ædificant, qui felicitatem terrenam promittunt. — c

11. Quales autem sunt, qui timentes eos lædere quibus loquuntur, non solùm non præparant ad imminentes tentationes, sed etiam promittunt felicitatem hujus sæculi, quam Deus ipsi sæculo non promisit. Ille prædicit labores super labores usque in finem venturos ipsi sæculo, & tu vis ab istis laboribus exceptum esse Christianum? qui QUIA CHRISTIANUS EST, aliquid plus passurus est in hoc sæculo. Etenim ait Apostolus, Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur. Jam si tibi placet, ô pastor tua quærens, non quæ Jesu Christi, ille dicat, Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur: & tu dic, Si volueris in Christo piè vivere, abundabunt tibi omnia bona; & si filios non habes, suscipies, & enutries omnes, nemo tibi morietur. Hæccine est ædificatio tua? Adtende quid facias, ubi ponas: super arenam est [d] quem constituis, venturus est imber, influxurus est fluvius, flaturus est ventus, & impingent in domum istam, & cadet, & fiet ruina ejus magna. Leva de arena, pone supra petram: in Christo sit quem vis esse Christianum. Adtende ad passiones Christi, adtende ad illum sine ullo peccato, quæ non rapuit, exsolventem: adtende Scripturam dicentem tibi, Flagellat autem omnem filium quem recipit. Et para te flagellari, aut certè non quæras recipi. Flagellat autem, inquit, omnem filium quem recipit. Et tu fortè exceptus eris? Si exceptus à passione flagellorum, exceptus à numero filiorum. Itane, inquies, flagellat omnem filium? Prorsus ita flagellat omnem filium, ut & Unicum. Unicus ille de Patris substantia natus, æqualis Patri in forma Dei, Verbum per quem facta sunt omnia, non habebat unde flagellaretur: ad hoc carne indutus est, ut sine flagello non esset. Qui ergo flagellat Unicum sine peccato, numquid relinquit adoptivum cum peccato? In adoptionem vocatos nos esse Apostolus dicit. Adoptionem filiorum accepimus, ut essemus Unici coheredes, essemus etiam hereditas ejus. Postula, inquit, à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Exemplum nobis proposuit in passionibus suis.

2. Tim. 3. 12. — d — Matth. 7. 27. — Florus ad Hebr. 12. — Psal. 68. 5. — Hebr. 12. 6. — Johan. 1. 3. — Gal. 4. 5. — Psal. 2. 8.

[a] Editi, *profuturas*. Sed veriùs optimæ notæ Corbeiensis MS. *futuras*. Regius autem habet sic: *Infirmatur ovis, id est, infirmum cor gerit, ut possit cedere tentationibus, quæ incauto & imparato superveniunt. Pastor negligens* &c. Ad hanc lectionem propè accedunt plures MSS. necnon Benedictus Anianæ abbas in Concordia Regularum c. 35.

[b] Regius MS. *opprobria sufferre*. Cisterciensis & Florus, *opprobria bibere*. Sic legendum conjiciebat Hugo Menardus in Concord. Regul. cap. 35.

[c] Ulim. & Lov. *horum corda non per labores præparant ad imminentes tentationes*: dissentientibus libris aliis editis & MSS.

[d] Sic MSS. Editi verò, *quod constituis*.

CLASSIS I.

Infirmus quomodo confirmandus.

12. Sed ne in futuris tentationibus deficiat infirmus; nec falsa spe decipiendus est, nec terrore frangendus. Dic ei, Præpara animam tuam ad tentationem. Sed fortè incipit labi, contremiscere, nolle accedere. Habes aliud: Fidelis Deus, qui non vos sinat tentari suprà quàm ferre potestis. Illud autem promittere, & prædicare futuras passiones, infirmum confirmare est. Timenti autem nimiùm, & ex hoc deterrito, cùm polliceris misericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, sed quia non permittit tentari suprà quàm ferre potest, fractum colligare est. Sunt enim qui cùm audierint venturas tribulationes, armant se magis, & quasi potum suum sitiunt: parvam enim sibi putant fidelium medicinam, sed quærunt & martyrum gloriam. Sunt autem alii qui auditis futuris & necessariò venientibus tentationibus, quas propriè oportet venire Christiano; quas nemo sentit, nisi qui voluerit esse verè Christianus: imminentibus ergo sibi [a] aliquibus, franguntur & claudicant. Affer consolationis alligamentum, alliga quod fractum est: dic, Ne timeas, non [b] deserit in tentationibus ille in quem credidisti: fidelis Deus, qui te non sinit tentari suprà quàm potes ferre. Non hoc à me audis, Apostolus dicit: qui etiam dicit, An vultis experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus? Hæc ergo cùm audis, ab ipso Christo audis: audis & ab illo pastore qui pascit Israël. Illi enim dictum est, Potabis eos in lacrymis, in mensura. Quod enim ait Apostolus, Non sinit tentari suprà quàm ferre potestis: hoc ait Propheta, In mensura. Tantùm tu noli dimittere corripientem & hortantem, terrentem & consolantem, percutientem & sanantem.

(*Florus ad 1. Cor. 10. — Eccli. 2. 1. — 1. Cor. 10. 13. — 2. Cor. 13. 3. — Psal. 79. 6.*)

CAPUT VI.

Infirmus & ægrotus, in quo differre intelligantur.

13. *Quod infirmum est*, inquit, *non confortastis*. (℣. 4.) Pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quærentibus, non quæ Jesu Christi, ex commodo lactis & lanæ gaudentibus, oves omnino non curantibus, & quod malè habuit non corroborantibus. [c] Inter infirmum, id est, non firmum: nam dicuntur infirmi etiam ægrotantes: sed inter infirmum & ægrotum, id est, malè habentem, hoc mihi videtur interesse. Etenim ista, Fratres, quæ distinguere utcumque conamur, fortè & nos possumus majore diligentiâ meliùs distinguere, & alius peritior vel lumine cordis plenior: interim ne fraudemini, quantum ad verba adtinet Scripturæ, quod sentio loquor. Infirmo ne accidat tentatio, & eum frangat, timendum est: languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, & cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, à subeundo jugo Christi. Adtendite illos homines volentes bene vivere, jam statuentes bene vivere, & minùs idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad [d] Christianam firmitatem, non solùm operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui verò aliqua cupiditate mala amatores mundi ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi & ægroti jacent: quippe qui ipso languore, tamquam sine ullis viribus, nihil boni possunt operari. Talis in anima paralyticus ille fuit, quem cùm ad Dominum inferre non possent, qui eum portabant, tectum aperuerunt, & deposuerunt: id est, tamquam si in anima hoc velis facere, ut tectum aperias, & deponas ad Dominum animam paralyticam, dissolutam omnibus membris, & vacantem ab omni opere bono, gravatam utique peccatis suis, & languentem morbo cupiditatis suæ. Si ergo dissoluta sunt membra omnia, & est paralysis interior, ut pervenias ad medicum, (fortè enim latet medicus, & intus est, hoc est, iste verus intellectus in Scripturis occultus est,) exponendo quod occultum est aperi tectum, & depone paralyticum. Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, audistis quæ audiant: *Quod malè habuit, non corroborastis; & quod contribulatum est, non colligastis.* Jam hinc diximus. Fractus enim erat terrore tentationum: [e] accidit aliquid unde quod fractum est, colligetur, consolatio illa, Fidelis Deus qui non vos sinat tentari suprà quàm potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.

Christiana firmitas.

14. *Et quod errabat, non revocastis.* Ecce unde inter hæreticos periclitamur. *Et quod errabat, non revocastis; & quod periit, non inquisistis.* [f] Hinc inter manus latronum & dentes luporum furentium utcumque versamur: & pro his periculis nostris ut oretis, oramus. Et contumaces sunt oves, quia quæruntur errantes, alienas se à nobis dicunt errore suo & perditione sua. Quid nos vultis? quid nos quæritis? Quasi non ipsa caussa sit quare eas velimus, & quare quæramus, quia errant, & pereunt. Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo: quia peristi, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare, sic vis perire? Quantò melius ego nolo? Prorsus audeo dicere, importunus sum. Audio enim dicentem Apostolum, Prædica verbum, insta opportunè, importunè: Quibus opportunè? quibus importunè? Opportunè utique volentibus, importunè nolentibus. Prorsus importunus sum, audeo dicere. Tu vis errare, tu vis perire: ego nolo. Non vult postremò ille qui me terret, Si voluero, vide quid dicat, vide quid increpet: *Quod errabat, non revocastis; & quod periit, non inquisistis.* Te magis timebo quàm ipsum? Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Non te timeo, non enim potes evertere tribunal Christi, & constituere tribunal Donati. Revocabo errantem, requiram perditam. velis nolis id agam. Et si me inquirentem lanient vepres silvarum, per omnia angusta me coartabo; omnes sepes excutiam; quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia peragrabo: revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire.

15. Parum est quod doleo te errantem atque pereuntem; timeo ne negligens te, etiam quod forte est occidam. Vide enim quid sequitur: *Et quod forte fuit, confecistis.* Si neglexero erran-

[a] Aliquot MSS. *sibi talibus.*

[b] Sic MSS. Editi verò, *deerit.*

[c] Apud Vlim. & Lov. omissa fuerat particula *Inter*: cujus loco Am. & Er. habebant *Aut.* Emendantur ope MSS.

[d] MSS. *ad Christiani firmitatem.*

[e] Tres MSS. *accedit.* Paulóque pòst Am. Er. & Corbeiensis MS. habent, *colligetur consolatione illa.*

[f] Sic Am. & MSS. At Er. Vlim. & Lov, *Hic inter manus* &c.

Classis I.

tem atque pereuntem, & eum qui fortis est delectabit errare atque perire. Cupio lucra exteriora, sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, adtendit qui fortis est, putat nihil esse ire in hæresim. Quando aliquod commodum de sæculo reluxerit unde mutetur, statim mihi dicit fortis ille periturus, cùm te perditum non requiro, Et hàc & hàc Deus est, quid interest? Homines inter se litigantes hoc fecerunt, ubicumque colendus est Deus. Si fortè illi dixerit aliquis Donatista, Non tibi dabo filiam meam, nisi fueris de parte mea: illi opus est ut adtendat, & dicat, Si nihil mali esset esse de parte eorum, non contra illos tanta dicerent pastores nostri, non pro illorum errore satagerent. Si ergo cessemus & taceamus, contraria locuturus est: Utique si malum esset esse in parte Donati, loquerentur contrà, redarguerent eos, satagerent lucrari illos: [a] si errant, revocarent illos; si pereunt, quærerent illos. Non frustra ergo, cùm jam dixisset superiùs, *Quod crassum est, interfecistis:* hîc iterum in novissimo posuit, *Et quod forte fuit, confecistis.* Ipsa est enim repetita sententia, [b] nisi ex his quæ suprà dixit nata est, *Quod errabat, non revocastis; & quod periit, non requisistis:* & hoc faciendo, *quod forte est, interfecistis.*

Caput VIII. Ovium errantium infelicitas. ℣. 5.

16. Proinde audi quid sequatur de ista negligentia malorum, immo falsorum pastorum: *Et dispersæ sunt oves meæ, eo quòd non sit pastor, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cùm oves [c] non hærent pastori. Nam præsens est pastor; sed malè agentibus non est pastor. Et inhærent pastoribus non pastoribus; seipsos, non oves pascentibus: & lethalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se, & de illarum morte se satiari cupientes. Tales enim sunt omnes, qui gaudent de erroribus alienis; bestiæ sunt pastæ [d] mortibus dispersarum.

℣. 6. Mali montes & colles, in quibus oves errant. Donatus. Parmenianus.

17. *Et dispersæ sunt, & erraverunt oves meæ in omnem montem, & in omnem collem altum.* Bestiæ à montibus & collibus, tumor terrenus & superbia sæculi. Extulit se superbia Donati, fecit sibi partem: subsequens eum Parmenianus illius confirmavit errorem. Ille mons est, ille collis est. Sic omnis cujuslibet auctor erroris terrena elatione intumescens, promittit ovibus requiem, pascua bona: & aliquando inveniunt ibi oves pascua de pluvia Dei, non de duritia montis: habent enim & ipsi Scripturas, habent Sacramenta. Non sunt ista montium: sed cùm inveniuntur in montibus, malè remanetur in montibus. Errando enim in montibus & in collibus, deserunt gregem; deserunt unitatem, deserunt munitas cohortes adversùs leones & lupos. Inde ergo revocet Deus, ipse revocet. Modò audietis ipsum revocantem: *Erraverunt*, inquit, *oves meæ in omnem montem, & in omnem collem altum*: hoc est, in omnem tumorem terrenæ superbiæ. Sunt enim & montes boni: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Et vide quia non tibi in montibus spes est: Auxilium, inquit, meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Noli putare injuriam te facere montibus sanctis, quando dixeris, Auxilium meum non à montibus, sed à Domino qui fecit cælum & terram. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clamabat: Audio in vobis schismata fieri, & unusquisque vestrûm dicit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi. Leva oculos in istum montem, audi quid dicat; & nec in ipso monte remaneas. Audi enim quid sequatur: Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ergo postea quàm levaveris oculos in montes, unde veniet auxilium tibi, id est, in auctores Scripturarum divinarum, adtende omnibus medullis suis, omnibus ossibus clamantem, Domine quis similis tibi? ut securus sine ulla injuria montium dicas, Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Non solùm tunc tibi non succensebunt montes; sed tunc amabunt, tunc magis favebunt: si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Angelus multa divina & mira ostendens homini, ab homine adorabatur, tamquam levante oculos in montem. At ille à se revocans ad Dominum, Noli, inquit, facere; illum adora: nam ego conservus tuus sum, & fratrum tuorum.

Psal. 120. 1. Boni montes. Serm. de Scripturis. 1. Cor. 1. 12. Psal. 82. 2. Psal. 120. 2. Apoc. 22. 9.

Errantes per totam faciem terræ.

18. *In omnem montem, & in omnem collem, & in omnem faciem terræ dispersæ sunt.* Quid est, *In omnem faciem terræ dispersæ sunt?* Omnia terrena sectantes, ea quæ in facie terræ lucent; [e] ipsa amant, ipsa diligunt. Nolunt mori, ut abscondatur vita ipsorum in Christo. *Super omnem faciem terræ*, [f] dilectione terrenorum; & quia errantes oves sunt per totam faciem terræ. Non omnes hæretici per totam faciem terræ: sed tamen hæretici per totam faciem terræ. Alii hîc, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia hæresis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia, verbi gratiâ. Diversis locis sunt diversæ: sed una mater superbia omnes genuit; sicut una mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. Non ergo mirum, si superbia parit [g] discissionem, caritas unitatem. Tamen ipsa Catholica mater, ipse pastor in ea ubique quærit errantes, confortat infirmos, curat languidos, alligat confractos, alios ab istis, alios ab illis non se invicem scientibus. Sed tamen illa omnes novit, quia cum omnibus fusa est. Verbi gratiâ, est in Africa pars Donati, Eunomiani non sunt in Africa; sed cum parte Donati est hîc Catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non est pars Donati; sed cum Eunomianis ibi est Catholica. Illa sic est, tamquam vitis, crescendo ubique diffusa: illi sic sunt, tamquam sarmenta inutilia, agricolæ falce præcisa merito sterilitatis suæ; ut vitis putaretur, non ut amputaretur. Sarmenta ergo illa ubi præcisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens per omnia, & sarmenta sua novit quæ in illa manserunt, & juxta se quæ de illa præcisa sunt. Inde tamen revo-

[a] Corbeiensis MS. *sed errant; revocarent illos: sed pereunt; quærerent illos.*

[b] In editione Ulim & Lov. omissum est *nisi*: reluctantibus editis aliis & MSS.

[c] Aliquot MSS. necnon Concordia Regularum cap. 35. *cùm oves adhærent pastori*: sublatâ negante particulâ, quæ planè hîc, cùm de vero pastore Christo agatur, necessaria est. Paulò pòst auctoritate Am. & MSS. addidimus *non pastoribus*: quod apud Er. & Lov. desideratur.

[d] Sic aliquot MSS. Alii cum editis, *morsibus.*

[e] Plures MSS. *ipsa emunt.*

[f] Editi, *& dilectionem terrenorum.* Castigantur MSS. subsidio.

[g] Sic aliquot MSS. Editi verò, *si superbia parit dissensionem, caritas unionem.*

Classis I.

Rom. 11.23.

cat errantes: quia & de ramis fractis dicit Apostolus, Potens est enim Deus iterum inserere illos. Sive dicas oves errantes à grege, sive dicas ligna præcisa de vite; nec ad revocandas oves, nec rursus ad inserenda ligna minùs idoneus est Deus; quia ille summus pastor, ille verus agricola. *Et in omnem faciem terræ dispersæ sunt; & non fuit qui requireret, non fuit qui revocaret. Non fuit*, sed in illis pastoribus malis: *non fuit*, sed homo, *qui requireret.*

Caput IX.

℣. 7. ℣. 8.

B 19. *Propterea pastores audite verbum Domini: * Vivo ego, dicit Dominus Deus.* Videte unde cœpit. Tamquam juratio est Dei, testificatio vitæ suæ. *Vivo ego, dicit Dominus.* Mortui sunt pastores: sed securæ sunt oves, vivit Dominus. *Vivo ego, dicit Dominus Deus.* Qui autem pastores mortui sunt? Sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Erunt ergo, & invenientur pastores non quæ sua sunt quærentes, sed quæ Jesu Christi? Erunt planè, & invenientur; planè nec desunt, nec deerunt. Videamus ergo quid dicat Dominus, qui se dicit vivere: utrùm dicat ablaturum se oves à pastoribus malis, pascentibus se ipsos, non oves; & daturum se eas pastoribus bonis, pascentibus oves, non se. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo quòd factæ sunt oves meæ in comesturam omnibus bestiis campi, eo quòd non esset pastor.* Rursus pastorem dicit, & paulò antè, & nunc. Non ait, ex eo quòd non sint pastores. Ovibus enim talibus malè errantibus, malè pereuntibus non est pastor, etsi præsens est pastor: quia & cùm præsens est lux, non est cæcis lux. *Et non quæsierunt pastores oves meas, & paverunt pastores se ipsos, oves autem meas non paverunt.*

Malis pastoribus oves unde securæ.

Philip. 2. 21.

℣. 9. ℣. 10.

20. *Propter istud, pastores audite verbum Domini.* Sed qui pastores audite? *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super pastores, & inquiram oves meas de manibus eorum.* Audite & discite oves Dei: à malis pastoribus inquirit Deus oves suas, & de manibus eorum inquiret mortem earum. Dicit enim alio in loco per eumdem Prophetam, Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audies ex ore meo sermonem, & præmonstrabis eis ex me. In eo cùm dixero peccatori, Morte morieris, & non fueris locutus, ut caveat impius à via sua; ille facinorosus in suo facinore morietur, sanguinem autem ejus de manu tua exquiram. Tu autem si prænuntiaveris facinoroso viam ejus, ut avertatur ab ea, & non fuerit aversus à via sua; iste in facinore suo morietur, & tu animam tuam liberabis. Quid est, Fratres? Videtis quàm sit tacere periculosum? Moritur ille, & rectè moritur: in impietate sua & peccato suo moritur; negligentia enim ejus occidit eum. Nam pastorem [a] inveniret viventem, qui ait, *Vivo ego, dicit Dominus*: sed cùm fuerit negligens, non admonente illo qui ad hoc est præpositus & speculator, ut admoneat, & ille justè moritur, & iste justè damnatur. Si autem dixeris, inquit, impio, Morte morieris, cui ego gladium fuero comminatus, & ille neglexerit vitare imminentem gladium, & venerit gladius, & interfecerit eum; ille in peccato suo morietur, tu autem animam tuam liberasti. Propter hoc, A ad nos quidem pertinet non tacere; AD VOS AUTEM, ETIAM SI TACEAMUS, de Scripturis sanctis verba pastoris audire.

Ovium interitus quomodo pastori imputatur.

Ezech. 33. 7. &c.

Ibidem 3. &c.

21. VIDEAMUS ergo, quia sic proposueram, utrùm auferat oves à pastoribus malis, & det eas pastoribus bonis. Video eum auferentem oves à pastoribus malis. Hoc enim dicit: *Ecce ego ipse super pastores, & inquiram oves meas de manibus eorum, & avertam ab eis, ut non pascant oves meas; & non pascent adhuc pastores [b] semetipsos.* Cùm enim dico, pascant oves meas; illi se pascunt, non oves meas. *Avertam, ut non pascant oves meas.* Quomodo avertit, ut non pascant oves ipsius? Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Tamquam diceret, Mea dicunt, sua faciunt. Si diceret, Facite securi quod faciunt, ipsos damnabo malè viventes; vobis autem parcam, quia secuti estis Præpositos vestros: si hoc diceret, [c] deterreret malos pastores, pascentes non oves, sed se. Sed quoniam terret non C solùm cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem; (neque enim ait, Cadit in foveam ducens, & non cadit sequens: sed, Cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt:) admonuit oves, & ait, Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite. Cùm enim non facitis quæ faciunt mali pastores, non vos ipsi pascunt: cùm autem facitis quæ dicunt, ego vos pasco: mea enim dicunt, & non faciunt. Securi, inquiunt, sequimur Episcopos nostros. Dicunt hoc sæpe hære- D tici, quando veritate manifestissima convincuntur: Nos oves sumus, illi de nobis reddent rationem. Reddent planè malam de morte vestra. De morte ovis malignæ reddet malus pastor malam rationem. Numquid ideo vivit ovis, quia [d] assignatur pellis ipsius? Increpatur pastor, quia neglexit ovem errantem, & propterea in fauces lupi irruit, ut devoraretur. Quid illi prodest, quia affert pellem signatam? Pater-familiâs vitam ovis inquirit. Sed ecce malus pastor adtulit E pellem: reddat de pelle rationem. Fortè mentiturus est? Videbat de super, qui postea judicat. Cui verba ille [e] ficta numerat, cogitationes inspicit. Reddat pastor malus rationem de pelle ovis mortuæ. Clamavi ei verba tua, & sequi noluit: dedi operam ut à grege non aberraret, & non obtemperavit. Planè si hoc dicat, & verum dicat; (novit autem ille utrùm verum dicat;) reddit bonam rationem de ove mala. Si autem inspicit Deus quia neglexit errantem, quia non F quæsivit pereuntem; quid prodest quòd invenit pellem quam referret? Ipsam revocaret, ne pellem mortuæ demonstraret. Si ergo non bonam rationem reddit, quia non quæsivit errantem; qualem reddet, qui fecit errantem? Hoc est quod dico: Si in Catholica Episcopus constitutus non bonam rationem reddit de ove, si non quæsierit errantem à grege Dei; qualem rationem redditurus est hæreticus, qui non solùm non revocavit ab errore, sed etiam impulit in errorem?

G 22. Sed videamus, ut dixi, quomodo revocet Deus oves à pastoribus malis. Jam commemoravi: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Et non vos ipsi pascunt, sed Deus:

a Editi, *inveniet.* Veriùs MSS. *inveniret.*

b Plerique MSS. carent voce *semetipsos*: quæ fortè addita est ex versione Vulgata. Apud LXX. est αὐτά, quod *ipsas* oves respicit.

c MSS. propè omnes cum Am. & Er. *dederat malis pastoribus pascendas oves, pascentibus non oves, sed se.*

d Am. & Er. *designatur.* Fortè legendum, *signatur.*

e Am. & aliquot MSS. *Cui verba, ille facta numerat.*

CLASSIS I. quia velint nolint pastores, ut perveniant ad lac
& lanam, verba Dei dicturi sunt. Qui prædicas
Rom. 2. 21. non furandum, furaris, dicit Apostolus ad eos
qui bona dicunt & mala faciunt. Tu audi prædicantem, ne fureris: noli imitari furantem. Si
furantem imitari volueris, ipse te pascit facto
suo: tibi venenum subministrat, non cibum. Si
verò hoc ab illo audis, quod non dicit de suo,
sed de Dei; non potest quidem uva de spinis le-
Matth. 7. 16. gi: (Nam & ipsa Domini sententia est, Nemo
colligit de spinis uvam, & de tribulis ficus:) nec B
ideo tamen quasi calumnieris Domino tuo, &
a dicas, Domine [a] noluisti me, quia fieri non potest, de spinis legere uvam: & rursus dixisti mihi de quibusdam, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Nempe mala facientes utique spinæ sunt. Quomodo vis de spinis me
colligere uvam verbi tui? Respondebitur, Non
est illa uva spinarum: sed aliquando increscens
sarmentum implicat se in sepem, & pendet uva
inter densa spinarum, sed non surgit de radice C
spinarum. Tu si esurieris, & aliud non habes
unde sumas, cautè manum mitte, ne lacereris ab
spinis, id est, ne facta imiteris malorum; & lege uvam inter spinas pendentem, sed de vite
nascentem. Ad te perveniat botri alimentum:
spinis servatur ignis tormentum.

CAPUT XI. 23. ET *extraham oves meas*, inquit, *de ore
Item ℣. 10. eorum, & de manibus eorum: & non erunt eis ad-
Psal. 13. 4. huc in cibum.* Hoc & in Psalmo dicitur: Nonne
» cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, D
» qui devorant populum meum in cibum panis?
℣. 11. *Et non erunt eis adhuc in cibum: * quoniam hæc
Ovium curam Deus ipse suscipit. dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse.* Abstuli à malis pastoribus oves meas, monendo, ut dixi, ne
quod faciunt, faciant; id est, ne quod faciunt
mali pastores, faciant incautæ & negligentes
oves. Et quid ait? Cui dat quod illis abstulit?
Fortè bonis pastoribus? Non hoc sequitur. Et
quid dicemus, Fratres? Nonne sunt pastores bo-
Jerem. 3. 15. ni? Nonne alio loco Scripturarum dicitur, Et E
» constituam eis pastores secundùm cor meum,
» & pascent eas cum disciplina? Quomodo ergo
oves, quas malis pastoribus tollit, non dat bonis; sed tamquam omnino nusquam remanserint
Johan. 21. 17. boni, dicit, *Ego pascam?* Petro dixerat, Pasce
oves meas. Quid ergo facimus? Cùm Petro
commendantur oves, non ibi dixit Dominus,
Ego pascam oves meas, non tu: sed, Petre,
amas me? pasce oves meas. An fortè quia modò non invenitur Petrus, (jam enim assumtus est F
in requiem Apostolorum & Martyrum,) non est
cui dicat securus Dominus ovium, Pasce oves
meas, & quodam modo quasi necessitate descendit ad officium pascendi oves suas, non habens quibus commendet, nec tamen deserens?
Hoc enim videtur sequi, *Hæc dicit Dominus
Psal. 79. 2. Deus, Ecce ego ipse.* Cui dicebamus, Qui pascis
» Israël, intende; qui deducis tamquam oves Jo-
b seph, [b] populum in Ægypto constitutum. Jam
diffusus in Gentibus Israël, ipse est Joseph. No- G
Gen. 37. 28. stis enim, quia migravit Joseph in Ægyptum:
vendentibus fratribus factum est. Vendiderunt
Christum Judæi: non sine caussa & inter Apo-

A stolos ipse Judas venditor fuit. Cœpit esse Chri- SERM. DE SCRIPTURIS.
stus in Gentibus, ibi honoratus est, ibi crevit
populus ejus, non eum [c] deserit pastor ejus. Ex- Psal. 79. 3.
cita, inquit, potentiam tuam, & veni, ut salvos « c
facias nos. Planè facit, & faciet. Ait enim, *Ecce ego ipse, & inquiram oves meas; & visitabo
eas, * sicut visitat pastor gregem suum.* Non cu- ℣. 12.
raverunt mali pastores: non enim suo sanguine
redemerunt. *Sicut visitat*, inquit, *pastor gregem
suum in die.* In quali die? *Cùm fuerit nimbus, &
B nubes*: id est, & in pluvia, & in nebula. Pluvia
& nebula, error sæculi hujus: caligo magna surgens de cupiditatibus hominum, & nebula valida contegens terram. Et difficile est, ut non errent oves in ista nebula: sed pastor non deserit
eas. Inquirit eas, penetrat nebulam oculis acutissimis, non impeditur caligine nubium: videt,
undique errantem revocat: [d] in tantum ut fiat d
quod dicit in Evangelio, Quæ sunt oves meæ, Johan. 10. 27.
audiunt vocem meam, & sequuntur me. *In me-
C dio ovium dispersarum, sic inquiram oves meas, &
educam eas ab omni loco, quo dispersæ sunt illic,
in die nubis & nimbi.* Quando difficile est eas inveniri, tunc ego inveniam. Crassa nebula est, pinguis nimbus est: oculos ejus nihil latet.

24. *Et educam eas de gentibus, & colligam eas* ℣. 13.
*de regionibus, & inducam eas in terram earum,
& pascam eas super montes Israël.* Constituit Montes Israël, ubi pascua bona.
montes Israël, auctores Scripturarum divinarum.
Ibi pascite, ut [e] securæ pascatis. Quidquid inde
D audieritis, hoc vobis bene sapiat: quidquid ex- e
tra est, respuite. Ne erretis in nebula, audite vocem pastoris: colligite vos ad montes Scripturæ
sanctæ: ibi sunt deliciæ cordis vestri, ibi nihil
venenosum, nihil alienum; uberrima pascua est:
vos tantùm sanæ venite, sanæ pascimini in montibus Israël. *Et in rivis, & in omni habitatione
terræ.* A montibus enim, quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis Evangelicæ, cùm in
omnem terram exiit sonus eorum: & facta est Psal. 18. 5.
E omnis habitatio terræ ad pascendas oves læta atque fecunda. *In pascua bona pascam eas, & in* ℣. 14.
montibus altis Israël. Erunt stabula earum illic:
hoc est, ubi requiescant, ubi dicant, Bene est:
ubi dicant, Verum est, manifestum est, non fallimur. In gloria Dei requiescent, tamquam in
stabulis illis. *Et dormient*, hoc est, requiescent:
& requiescent in deliciis bonis.

25. *Et in pascua pingui pascentur super montes* Item ℣. 14.
Israël. Jam dixi montes Israël, montes bonos, Spes oviũ in solo Deo.
F quò levamus oculos, ut nobis inde auxilium veniat. Sed auxilium nostrum à Domino, qui fe- Psal. 120. 2.
cit cælum & terram. Ideo ne vel in montibus
bonis esset spes nostra, cùm dixisset, *Pascam
oves meas super montes Israël*: rursus ne tu [f] spem f
poneres in montibus, subjecit statim, *Ego pa-* ℣. 15.
scam oves meas. Leva tu oculos tuos in montes, Psal. 120. 1.
unde veniat auxilium tibi: sed adtende dicentem, *Ego pascam.* Auxilium enim tuum à Domino, qui fecit cælum & terram.

G 26. *Et ego requiescere faciam eas, dicit Domi-* Ovium sanitas & requies ex Deo.
nus Deus. Sed ut requiescere faciat, [g] primò cu-
ravit. Quod enim primò curavit, posteriùs di- g
cit: *Hæc dicit Dominus Deus, Quod periit, re-* ℣. 16.

[a] Aliquot MSS. *monuisti me.* Et quidam, *docuisti me.*
[b] MSS. plures, *Populus in Ægypto constitutus, jam diffusus* &c.
[c] Sic Am. & MSS. At Er. Vlim. & Lov. *non eum deseruit.*
[d] Am. Er. & MSS. carent particulâ *in.*
[e] Sic MSS. At Lov. *ut securè pascatis.*
[f] Plures MSS. *ne tu remaneres in montibus.*
[g] Er. Vlim. & Lov. *quid primò curavit.* Redundat *quid*, absitque ab Am. & MSS.

CLASSIS I.

quiram; & quod erravit, revocabo; & quod comminutum est, colligabo; & quod exanime est, confortabo; & quod pingue est & quod forte est custodiam. Quod non faciebant mali pastores, se ipsos pascentes, non oves. Non ait Dominus, Constituam alios bonos pastores, qui faciant hæc: sed Ego, inquit, faciam; oves meas nulli committam. Securi vos, Fratres; securæ vos oves: nobis videtur timendum: quasi desit pastor bonus?

CAPUT XII. *Item ꝟ. 16.* a

27. [a] CLAUDIT sic: *Et pascam eas cum judicio.* Vide quia sic solus pascit cum judicio. Quis enim homo judicat de homine? Temerariis judiciis plena sunt omnia. De quo desperaverimus, subitò convertitur, & fit optimus: de quo multùm præsumserimus, subitò deficit, & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo: tamen utcumque ipse quid hodie; quid autem cras, nec ipse. Pascit ergo ille cum judicio, dispertiens propria propriis; hæc istis, illa illis, debita eis quibus debetur hoc aut illud. Novit enim quid agat: cum judicio pascit, quos judicatus redemit. Pascit ergo ipse cum judicio.

Jerem. 17. 11. Perdix sine judicio congregās, diabolus.

28. In propheta enim Jeremia ait, Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio. Contra istum perdicem facientem divitias suas non cum judicio, pascit iste pastor cum judicio. Quare ille sine judicio? Quia congregavit quæ non peperit. Quare iste cum judicio? Quia fovet quod peperit. De pastore tamen bono loquimur. Pastores boni aut non sunt, aut latent. Si non sunt, quid agimus? Si latent, quare de illis tacetur? Perdix quidem ille à quibusdam majoribus & ante nos Scripturarum tractatoribus diabolus intellectus est, congregans quæ non peperit. Non enim ille creator, sed deceptor est, faciens divitias suas non cum judicio. Non enim ad eum pertinet, quis isto, quis illo modo erret: omnes errantes vult, quibuslibet erroribus. Quàm diversæ sunt hæreses, quàm diversi errores, ille in omnibus vult errare homines. Non dicit diabolus, Donatistæ sint, non sint Arriani: sive hîc sint, sive illic, ad eum pertinent congregantem sine judicio. Idola, inquit, adoret, meus est: in Judæorum superstitione remaneat, meus est: deserta unitate in illam vel in illam hæresim pergat, meus est. Congregat ergo sine judicio faciens divitias suas. Sed quid sequitur? In dimidio dierum ejus derelinquent eum, & in novissimis suis erit insipiens. Venit ille congregans undique oves suas. In dimidio dierum ejus, priùs quàm sperabat, antè quàm putabat, derelinquent eum, & erit insipiens in novissimis suis. Quare in primis suis sapiens erat, & in novissimis suis fit insipiens? Audite Fratres: Dicitur aliquando in Scripturis sapientia pro astutia, abusione verbi, non proprietate. Inde enim dicitur, Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Et iste perdix, idem draco, idem serpens, tamquam sapiens erat, quando Adam per Evam decepit: verum dicere putatus est, bonum consilium dare existimatus est, contra Deum creditus est. Quòd verò dicitur sapientia abusione verbi & in malo, consuetudine quidem Scripturarum nostrarum, (nam quemadmodum loquantur auctores mundi, quid ad nos?) habes in eodem libro, Erat ibi serpens sapientior omnibus bestiis. Iste sapientior omnibus bestiis, astutus & acutus ad decipiendum agnoscitur. Postea non ei creditur; & dicitur ei, Renuntiamus tibi, sufficit quòd incautos primò decepisti. Ergo ita in novissimis suis erit insipiens, apertæ erunt fraudes ejus, & ideo jam fraudes non erunt. In novissimis suis erit insipiens, qui congregavit quæ non peperit, & fecit divitias suas non cum judicio. Pascit contra illum Redemtor noster cum judicio.

Florus ad 1. Cor. 1. & 3.
1. Cor. 1. 20.
Gen. 3. 6.
Ibidem.

29. Exsistat & aliquis hæreticus, etsi non frater diaboli, certè adjutor & filius: & ipsum dixerim perdicem contentiosum animal. Hoc enim animal, ut aucupes norunt, etiam contendendi studio capitur. Contendunt isti contra veritatem, & contenderunt ex quo se diviserunt. Modò dicunt, Contendere nolumus: quia jam capti sunt. Non habet quod dicat: Nolo contendere. O capte, aliquando certè tu eras qui primis temporibus seditionis tuæ traditores arguebas, innocentes damnabas, judicium Imperatoris quærebas, judicio Episcoporum non consentiebas, victus totiens appellabas, apud ipsum Imperatorem studiosissimè litigabas, congregabas quæ non peperisti. Ubi est nunc cervix tua? ubi est lingua tua? ubi sibilus tuus? Certè in novissimis tuis factus es insipiens, pavisti sine judicio. Non enim verum vis, vel de errore tuo, vel de veritate judicare. Pascit contra te Christus cum judicio, discernit oves suas ab ovibus non suis. Quæ sunt oves meæ, inquit, audiunt vocem meam, & sequuntur me.

Perdix contentiosum animal. In Donatistas.
Johan. 10. 27.

30. HIC invenio omnes pastores bonos in uno pastore. Non enim verè pastores boni desunt, sed in uno sunt. Multi sunt, qui divisi sunt: hîc unus prædicatur, quia unitas commendatur. Neque enim verè modò ideo tacentur pastores, & dicitur pastor, quia non invenit Dominus cui commendet oves suas; tunc autem ideo commendavit, quia Petrum invenit: immo verò & in ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, & uni dicitur, Pasce oves meas. Absit ut desint modò boni pastores: absit à nobis ut desint, absit à misericordia ipsius, ut non eos gignat atque constituat. Utique si sunt bonæ oves, sunt & boni pastores: nam de bonis ovibus fiunt boni pastores. Sed omnes boni pastores in uno sunt, unum sunt. Illi pascunt, Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocem sponsi. [b] Idem ergo ipse pascit, cùm ipsi pascunt: & dicit, Ego pasco; quia in illis vox ipsius, in illis caritas ipsius. Nam & ipsum Petrum, cui [c] commendabat oves suas quasi alter alteri, unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret; ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, Ecclesiæ, & tamquam sponsus & sponsa essent duo in carne una. Proinde ut oves commendaret, quid ei priùs dicit, ne illi tamquam alteri commendaret? Petre, amas me? Et respondit, Amo. Et iterum, Amas me? Et respondit, Amo. Et tertiò, Amas me? Et respondit,

CAPUT XIII. Unus pastor, quia unitas commendatur.
Johan. 21. 17. *Florus ad 1. Cor.*
Johan. 21. 15.

[a] Sic Am. & aliquot MSS. Alii cum Er. & Lov. *Et addit sic.*
[b] Am. & plures MSS. *Ideo ergo.*
[c] Sic MSS. Editi verò, *commendavit.* Paulò pòst Corbeiensis MS. *& sic ei oves commendare.*

dit, Amo. Confirmat [a] caritatem, ut consolidet unitatem. Ipse ergo pascit unus in his, & hi in uno; & tacetur de pastoribus: sed non tacetur. Gloriantur pastores: sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc est [b] Christo pascere, [c] hoc est in Christo pascere, & cum Christo pascere, præter Christum sibi non pascere. Neque verò inopiâ pastorum, tamquam ista futura mala tempora Propheta prædicaret, dixit, *Ego pascam oves meas*, non habeo cui commendem. Etiam cùm ipse Petrus erat, & cùm adhuc ipsi Apostoli erant in hac carne, & in hac vita, tunc ait ille unus, in quo uno omnes unum, Habeo alias oves, quæ non sunt de hoc ovili; oportet me & eas adducere, ut sit unus grex & unus pastor. Sint ergo omnes in pastore uno, & dicant vocem pastoris unam, quam audiant oves, & sequantur pastorem suum, & non illum, aut illum, sed unum: & omnes in illo unam vocem dicant, diversas voces non habeant. Obsecro vos, Fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Hanc vocem eliquatam ab omni schismate, purgatam ab omni hæresi, audiant oves, & sequantur pastorem suum dicentem, Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me.

Johan. 10. 16.

1. *Cor.* 10. 10.

Donatistæ Catholicos à sua communione repellunt.

Matth. 7. 15.

31. Nam vis nosse, hæretice, quàm non habeas vocem pastoris, & periculosè te sequantur oves tectum indumento ovium, & intus lupum rapacem? Audiant vocem tuam, videamus an Christi sit. Ecclesiam quærit infirma ovis à grege aberrans, nesciens ubi sit grex, quærit quò se aggreget, quò intret. Ede vocem: audiamus, an Christi sit: audiamus, utrùm agni sit, an perdicis. Ovis Dei gregem suum quærit: puta ovem de Oriente venisse in Africam, quærit gregem suum, incurrit in te, in basilicam tuam intrare vult; commoveris ignota facie, vel tu, vel minister tuus, stans vel sedens ad ostium, interrogat ovem quærentem gregem suum, immo gregem Dei: cum grege suo intrare vult, ubi eum esse putat: quæris, Paganus es, an Christianus? Respondet, Christianus: ovis est enim Dei. Quæris ne fortè catechumenus sit, & irruat Sacramentis: respondet, Fidelis. Quæris cujus communionis sit: respondet, Catholicus. Christianum, fidelem, catholicum reprobas: qui sunt quos intus tenes? Ita verò projice, reproba. A te reprobatus, à Christo probatur. Utinam & illi qui sunt apud te, agnoscant te, & in dimidio dierum tuorum derelinquant te. Quidam fratres nostri hesterno die ierunt ad basilicam eorum: etsi ad malos fratres, tamen ad fratres. Attendite Fratres mei, quid intersit inter fiduciam veritatis, & timorem falsitatis. Quando aliquos eorum in hoc populo agnoscitis, quomodo gaudetis? Quia in vobis ille est qui [d] quærit quod perierat. Suggeritur aliquando vobis, Audiet & discedet. Et vos, Audiat & discedat. Audiet & irridebit. Audiat & irrideat. Aliquando sapiet, aliquando cognoscet: aliquando relinquitur à populo suo: remanet [e] cum corde suo, renuntiat errori suo, gratias agit Deo suo. Illi autem quid? Qui estis? Christiani sumus. Non, sed exploratores. Et illi, Catholici sumus. Conati sunt injuriare: meliore consilio pænituit eos. Atque utinam sic pæniteat & ibi remanere, quomodo pænituit eos qui ingressi sunt injuriare. Tamen quos projecerunt? Christianos fideles, Catholicos. Quos tenuerint, nolo dicere. Quos projecerint, video: quos tenuerint, ipsi dicant.

Serm. de Scripturis.

Donatistarum vox non vox pastoris.

32. Dicant ergo vocem suam: videamus an Christi sit vox, an pastoris sit vox, quam sequantur oves. Sive per bonum sit vox ista, sive per malum hominem, utrùm pastoris sit vox, adtendamus.* Quærit infirmus Ecclesiam, quærit errans Ecclesiam. Tu quid dicis? Partis Donati est Ecclesia. Ego vocem pastoris inquiro. Lege hoc mihi de Propheta, lege mihi de Psalmo, recita mihi de Lege, recita de Evangelio, recita de Apostolo. Inde ego recito Ecclesiam toto orbe diffusam, & Dominum dicentem, Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Quæ est vox pastoris? Et prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Ecce vox pastoris, agnosce & sequere, si ovis es.

*Caput XIV.

Johan. 10. 27.

Luca 24. 47.

Nec vox pastoris est quod illi de Traditoribus dicunt.

33. Sed illi codices tradiderunt, & illi thus idolis posuerunt, ille & ille. Quid ad me de illo & illo? Si fecerunt, non sunt pastores: tu vocem pastoris edicito; quia nec de illis vocem pastoris annuntias. Tu accusas, non Evangelium; tu accusas, non Propheta, non Apostolus: de quo mihi vox ista loquitur, de illo credo; aliis non credo. Sed Acta profers: Acta profero. Credam tuis: crede & tu meis. Non credo tuis: noli credere meis. Auferantur chartæ humanæ, sonent voces divinæ. Ede mihi unam Scripturæ vocem pro parte Donati: audi innumerabiles, pro orbe terrarum. Quis eas enumerat? Quis eas terminat? Tamen ut pauca commemoremus, Legem adtende, primum Dei Testamentum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et in Psalmo, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium: quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi. Quis enumerare sufficiat? Propè omnis pagina nihil aliud sonat quàm Christum, & Ecclesiam toto orbe diffusam. Exeat mihi una vox pro parte Donati. Quid magnum est quod quæro? Ecclesiam toto orbe diffusam, perituram [f] fuisse dicunt. Peritura prædicta est tot testimoniis mansura? Nec una vox ista per Legem, per Prophetas, per Cantica pastoris est. Neque enim illi verum dicere sine Verbo Dei potuerunt, quod est Christus.

Gen. 22. 18.

Psal. 2. 8.

Psal. 21. 28. & 29.

Psal. 95. 1.

Psal. 71. 11.

Neque quod Ecclesiam dicunt perituram.

34. Audi vocem Verbi, & ex ore Verbi. Miratus fidem Centurionis, Amen, inquit, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Propterea dico vobis, quia multi ab Oriente & Occi-

Matth. 8. 10. & 11.

Vox pastoris & ejus grex non latet.

[a] Er. Vlim. & Lov. *Confirmat trinitatem.* Sic etiam MSS. excepto Corbeiensi, qui cum Am. habet, *caritatem.*

[b] Er. cum aliquot MSS. & Floro ad 1. Cor. 1. *Hoc est Christum pascere, hoc est Christo pascere.* Sed in istis libris omittitur, *& cum Christo pascere:* præterquam quòd apud Er. deest etiam, *hoc est in Christo pascere.*

[c] Hîc in Corbeiensi MS. non repetitur, *hoc est.*

[d] Vlim. & Lov. *Quomodo gaudetis, quia in vobis ille est qui perierat?* Dissentiunt ceteri libri editi & MSS.

[e] Am. & aliquot MSS. *in corde suo.*

[f] Sic Am. & MSS. At Er. Vlim. & Lov. *perituram esse.*

CLASSIS I.

dente venient, & recumbent cum Abraham & A Isaac & Jacob in regno cælorum. Ab Oriente & Occidente multi venient: Ecce Ecclesia Christi, ecce grex Christi: tu vide, si ovis es. Non enim te latet grex qui ubique est. Non habebis quid respondeas judici tuo, quem non vis esse pastorem tuum: non habebis, inquam, quod respondeas judici tuo, Nescivi, non vidi, non audivi.

Psal. 18. 7.

Quid est quod nescisti? Nec est qui se abscondat à calore ejus. Quid est quod non vidisti? Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. B

Psal. 97. 3.

Psal. 18. 5.

Quid est quod non audisti? In omnem terram » exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

35. Sed rectè à vobis quæritur vox Christi, vox pastoris, quam oves audiant & sequantur. Non invenitis quid dicatis, vocem pastoris non habetis. Audite, & sequimini: dimittite vocem lupi, sequimini vocem pastoris; aut date vocem pastoris.

*CAPUT XV. Locus ex Canticis canticorũ à Donatistis frustra prolatus.

* DAMUS, inquiunt. Audiamus. Damus & nos vocem pastoris. Audiamus. In Canticis, C inquiunt, canticorum loquitur sponsa ad sponsum, Ecclesia ad Christum. Novimus Cantica canticorum, sancta cantica, amatoria cantica, sancti amoris, sanctæ caritatis, sanctæ dulcedinis. Planè volo inde audire vocem pastoris, vocem dulcissimi sponsi. Ede, si quid habes: audiamus. Sponsa, inquiunt, dicit ad sponsum,

Cant. 1. 6.

Annuntia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas? Et ille, inquiunt, respondet, In meridie. Manifesta tibi testimonia proferebam, D non erat quemadmodum aliter interpretareris:

Psal. 2. 8.

Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem » tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Psal. 21. 28.

Commemorabuntur & convertentur ad Domi» num universi fines terræ. Quid est quod mihi de Canticis canticorum profers? Quod fortè non intelligis. Etenim illa Cantica ænigmata sunt, paucis intelligentibus nota sunt, paucis pulsantibus aperiuntur. [a] Tene & devotè accipe aperta, ut merito tibi pandantur obscura. E Quomodo eris penetrator obscurorum, contemtor manifestorum?

Cantica canticorũ ænigmata. a

Locus ex Canticis contrarius, est Donatistis.

36. Ecce tamen ut possumus, Fratres, hæc verba discutiamus: aderit Dominus, ut videatis ibi sanum intellectum. Primò, quod ab omnibus & imperitis facillimè judicatur, verba ipsa malè distinguunt: nunc audietis, nunc probabitis. Etenim sic se habet textus ipse lectionis.

Cant. 1. 6

Sponsa loquitur ad sponsum, Annuntia mihi » quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas. F Quòd sponsa sponso dicat, quòd Ecclesia Christo dicat, nec nos dubitamus, nec illi. Sed omnia verba sponsæ audi. Quare verbum quod adhuc sponsæ est, vis tribuere jam sponso? Omnia quæ dicit sponsa, dic: tunc respondebit sponsus. Audi evidentiùs hanc distinctionem quam » dicturus sum, non invenies aliquid plus. Annun» tia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi » cubas in meridie. Ipsa adhuc dicit, ubi pascis, ubi cubas in meridie. Et vide quia adhuc ipsa di- G » cit. Sequitur enim: Ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum. Puto omnes peritos imperitosque discernere genus masculinum & femininum. Operta, quæro cujus generis sit: ab omni homine quæro, Masculini est, an feminini? Annuntia, inquit, mihi quem dilexit anima mea. Quem, cùm dicit, masculum alloquitur, sponsum alloquitur. Quia verò femina virum alloquitur, consequentia verba indicant, Annuntia mihi, ubi pascis, ubi cubas in meri- » die; ne fortè fiam sicut operta. Audi tu operta, » ut fiant tibi hæc aperta. Annuntia mihi quem » dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in me- » ridie; ne fortè fiam sicut operta super greges so- » dalium tuorum. Huc usque verba sponsæ: jam incipiunt verba sponsi de manifesto, Nisi cogno- veris temetipsam. Agnosce [b] evidenter feminam. Temetipsam, ô pulcra inter mulieres: ni- » si cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulie- » res; exi tu in vestigiis gregum, & pasce hœdos » tuos in tabernaculis pastorum: non in taberna- » culo pastoris. Vide quomodo comminetur sponsus: vide quemadmodum in periculo, quamvis ille dulcis, abstulit de medio blandimenta. Quàm blandè illa? Annuntia mihi quem dilexit anima » mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie. Veniet » enim medius dies, quando ad umbraculum concurrant pastores; & fortè latebit me ubi tu pascis & ubi cubas: & volo mihi annunties, ne fortè fiam sicut operta, id est, sicut occulta, & non cognita. Ego enim manifesta sum: sed ne sicut operta, sicut celata incidam super greges sodalium tuorum. Omnes enim hæretici à Christo exierunt; omnes qui facti sunt pastores mali, habentes greges suos sub nomine Christi, illius sodales fuerunt, illius convivium acceperunt. Sodales enim dicuntur, tamquam unius convivii. Latinâ linguâ sic dicti sunt sodales, quasi simul edales; eo quòd simul edant. Audi illum in Psalmo arguentem sodales malos, id est, unius convivii: Si inimicus, inquit, meus exprobrasset mihi, sustinuissem utique; & si super me ma- » gna locutus fuisset, abscondissem me utique ab » eo: tu verò unianimis & notus meus, dux meus, » qui simul mecum dulces capiebas cibos. Ergo » multi sodales ingrati mensæ Dominicæ exierunt foras: mali sodales fecerunt sibi suas mensas, erexerunt altaria contra altare. In eis ista timet errare.

Sermo Schismat... | Ibidem | Sodales | *Psal.* 54...

37. Et si putas quia meridies Africa est: quamquam possem obtinere magis esse mundi meridiem partes Ægypti, & illas exustas sole regiones, ubi pluvia non apparet: quia ipse est meridies, ubi fervet medius dies. Ibi autem eremus plena millibus servorum Dei. Unde si ad meridiem locorum velimus advertere, quare non ibi pascat ille magis, & ibi requiescat, quando antè prædictum est, [c] Ubera erunt deserta eremi? Sed ecce consentio, meridies Africa sit. Africa sit meridies: hîc sunt sodales mali. Ecclesia transmarina in aliquo suorum navigante in Africam, sollicita ne erret, invocat sponsum suum, & dicit ei, Abundare audio hæreticos in Africa, abundare audio rebaptizatores in Africa; esse autem ibi tuos non minùs audio: & illud audio, & hoc audio: sed qui sint tui, à te volo audire. Annuncia mihi quem di- » lexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie? » In illo meridie, ubi audio duas partes esse, unam Donati, alteram universo tuo cohærentem; tu

Meridies Africa intelligitur loco citato, contra Donatistas.

[a] Am. Er. & Corbeiensis MS. *Tenebo te, accipe aperta.*

[b] Plures MSS. *Agnosce viriliter feminam.* Corbeiensis, *Agnosce viriliter femina temetipsam. Temetipsam, inquit, nisi cognoveris,* (*audite reliqua,*) *ô pulcra inter mulieres: nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres; exi tu in vestigiis gregum.* Et sic ferè Am.

[c] Sic Lov. & plerique MSS. At Am. *Aberraverunt.* Optimæ notæ Corbeiensis MS. *Vberaverunt*: fortè meliùs, pro *pullulaverunt*, seu *germinaverunt.* Non enim alium locum citare videtur, nisi Joëlis 2. 22.

CLASSIS I.

mihi dic quò eam, ne fortè velut operta, id est, A ignota fiam super greges sodalium tuorum, incurram in greges hæreticorum, conantes ponere lapidem super lapidem qui destruatur, ne irruam in rebaptizatores, annuntia mihi. Et ille qui commendat unitatem pastoris, qui in hac lectione dixit, *Ego pascam*; pastores autem reprobat, qui multi esse voluerunt, unitatem amiserunt; severissimè, non blandè respondens, sed pro magnitudine periculi, » Nisi cognoveris, inquit, » temetipsam, ô pulcra inter mulieres. Pul- B cra es inter mulieres: sed agnosce te. Ubi te agnosces? In toto orbe terrarum. Si enim pulcra, unitas est in te: ubi divisio, fœditas est, non pulcritudo. Nisi cognoveris temetipsam. In me credidisti, agnosce te. In me quomodo credidisti? Quomodo & illi mali sodales, consentiunt Verbum carnem factum, natum ex virgine, crucifixum, resurrexisse, adscendisse in cælos: in talem me credidisti, talem & illi sonant. Cognosce te & me; me in cælo, te in toto orbe terra- C rum. Unum quemlibet ex Ecclesia tamquam Ecclesiam Christus alloquitur. Nam quomodo Ecclesia quærit Ecclesiam? Secundùm ipsos loquor. » Annuntia mihi quem dilexit anima mea, ubi pas» cis, ubi cubas? Quid quærit? Ecclesiam. Et ille tamquam ostendens Ecclesiam dicit, In meridie: sicut illi volunt. Respondeant mihi, quomodo » Ecclesia quærat Ecclesiam. Annuntia mihi quem dilexit anima mea. Quæ loquitur? Ecclesia. Quid sibi vult annuntiari? Ubi pascis, ubi cubas, id D est, ubi sit Ecclesia. Ecclesia loquitur, & interrogat ubi sit Ecclesia: & respondet ille, ut putant, In meridie. Si in solo meridie est, ut dicunt, in Africa; quomodo ipsa interrogat ubi ipsa sit? An verò portio Ecclesiæ transmarinæ bene interrogat de meridie, ne hîc erret? Alloquitur unumquodque membrorum Ecclesiæ suæ Christus, tamquam suam Ecclesiam, & dicit, » Nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres, exi. Exire, hæreticorum est. Aut cognos- E ce te, aut exi: quia si te non cognoveris, exitura es. Exitura quò? In vestigiis gregum: sequendo malos greges. Ne fortè putes quia oves sequeris, si exis: audi quid sequitur, Exi tu in » vestigiis gregum, & pasce hœdos tuos; jam non oves. Nostis Fratres, ubi erunt hœdi. Ad sinistram erunt omnes qui exierunt ab Ecclesia. Manenti Petro dicitur, Pasce oves meas: exeunti hæretico, Pasce hœdos tuos.

Exire hæreticorum est.

Johan. 21. 17.

38. Est, inquiunt, & aliud testimonium. Ni- F hilo minùs contra te: dic, audiamus. Erit sic contra te, quomodo hoc quod putabas pro te. Si meridiem, inquiunt, interpretaris Ægyptum. Multis quidem modis interpretamur meridiem, & Ægyptum possumus [a] ad locum mundi, & ipsam Africam sic intelligere. Audi quid intelligam per meridiem: intelligo fervorem spiritalium, flagrantem igne caritatis, splendentem lumine veritatis. Nam dicitur in quodam Psalmo, Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos cor- G de in sapientia. Dexteram, non hœdos: & eruditos corde in sapientia, ipsi sunt meridies. Unde dicitur à Propheta, Et tenebræ tuæ sicut meridies erunt. Multis ergo modis possumus intelligere meridiem: sed prorsus Africam intelligo, omnino Africam intelligo. Accipio à te aliquid fortè melius quàm saperem, nisi à te commemorarer: Africa sit meridies. Timet Ecclesia transmarina incidere in rebaptizatores, timet incidere tamquam ignota in greges sodalium, quærit ab sponso suo ut annuntiet illi ubi pascat, ubi cubet in meridie. Quia in ipso meridie in aliis pascit, in aliis non pascit: in aliis cubat, in aliis non cubat. Audiat consilium, veniat ad catholicam Ecclesiam; non incurrat in greges sodalium; non pascat hœdos suos. Sed dic aliud quod te dicebas esse dicturum. Propheta, inquit, ait, Deus ab Africo veniet. Et jam ubi Africus, utique Africa. O testimonium! Deus ab Africo veniet. Ab Africa veniet Deus? Alterum Christum in Africa nasci, & ire per mundum hæretici annuntiant. Rogo quid est, Deus ab Africo veniet? Si diceretis, Deus in Africa remansit, utique turpiter diceretis: nunc autem etiam, Ab Africa veniet, dicitis. Novimus ubi sit natus Christus, ubi sit passus, ubi in cælum adscenderit, unde discipulos miserit, ubi eos Spiritusancto repleverit, ubi per totum mundum evangelizare [b] jusserit: & obtemperarunt ei, & impletur orbis terrarum Evangelio; & tu dicis, Deus ab Africa veniet?

Locus ex Habacuc malè usurpatus à Donatistis.

Psal. 89. 12.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Isai. 58. 10.

Habac. 3. 3.

39. Ergo tu mihi, inquit, expone quid est, Deus ab Africo veniet. Dic totum, & fortassis intelliges. Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso. Tu mihi expone, si jam ab Africa, quomodo de monte umbroso? De Numidia nata est pars Donati: ipsi missi sunt primò in dissensionem, & tumultum, & scandalum, quærentes [c] ingens vulnus, Numidæ miserunt: Secundus Tigisitanus misit; ubi sit Tigisi, notum est. Qui missi sunt clerici, extrà congregaverunt ab Ecclesia, ad clericos Carthaginis accedere noluerunt, Visitatorem posuerunt, à Lucilla suscepti sunt. Auctor totius hujus mali Numida hæreticus fuit. In Numidia, unde ventum est huc cum tanto malo, [d] muscarium vix invenitur, in [e] cupsonibus habitant. Quomodo mons umbrosus Numidia? Dic mihi ergo: noli huc usque recitare, Deus ab Africo: exigo & sequentia, Et sanctus de monte umbroso. Sed ostende mihi partem Donati à Numidia, de monte umbroso venire. Invenis nuda omnia, pingues quidem campos, sed frumentarios: non olivetis fertiles, non ceteris nemoribus amœnos. Unde ergo mons umbrosus in Numidiæ partibus, unde hoc scandalum venit?

In Donatistas non quadrat testimonium Habacuc.

V. epist. 43. & libr. de hæresibus.

40. Tu mihi, inquit, ergo expone quid est, Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso. Vide quàm facilè exponam. Primò illud audi quod ait Dominus, Oportebat Christum pati, & resurgere tertio die, & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccato- « rum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusa- « lem. Ecce unde veniet. Incipientibus cùm dixit, inde utique se in sanctis suis ad alias gentes ven-

CAPUT XVI. *Interpretatio verior Prophetæ Habacuc.*

Luc 24. 46.

[a] Cisterciensis MS. *da locum mundi; ut ipsam Africam intelligam.* Fortè leg. *quod ad locum mundi:* supple, *adtinet.*
[b] Vlim. & Lov. *miserit:* dissentientibus ceteris libris.
[c] Plerique MSS. *quærentes ingenium vulneri.*
[d] Am. & Er. *viscarium.* Meliùs alii codices, *muscarium.* Non ignota vox flabellum propriè ad abigendas muscas significans, nec non herbarum grandiorem comam ad id quasi naturâ comparatam. Plin. lib. 12. cap. 26.
[e] Er. *cum incursionibus.* Vlim. *cùm in cupsonibus.* Am. *cum cupsonibus.* Aliquot MSS. *in cursionibus.* Plerique & meliores cum Lov. *in cupsonibus:* idemne ac in rupibus & speluncis? unde dicti illi Rupitani in lib. de unitate Ecclesiæ c. 3. & Cutzupitæ in epist. 53. n. 2.

Classis I. turum esse prædixit. Lege divisionem terræ filiorum Israël in omnibus tribubus in libro Jesu Nave: apertè ibi dictum est, Jebus ab Africo, quæ est Jerusalem. Lege, quære, & invenies. Utinam cùm inveneris, credas; utinam animositatem deponas. Jebus ab Africo, quæ est Jerusalem. Et Dominus, Incipientibus ab Jerusalem: hoc est, Deus ab Africo veniet. Quomodo ergo à monte umbroso? Evangelium jam lege. De monte Oliveti Christus adscendit in cælum. Sequere. Et quid dilucidius? Audis, ab Africo: audisti, de monte umbroso. Legem recitamus, Evangelium recitamus. Audisti, Incipientibus ab Jerusalem: audi, Per omnes gentes, in eodem Propheta. Sequere verba illa quæ contemsisti, verba illa quæ prætermisisti: Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso: cooperiet montes umbra ejus, & gloriâ ejus plena est terra. Per omnes ergo gentes, incipientibus ab Jerusalem: [a] Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte umbroso & condenso; id est, à monte Oliveti, unde adscendit in cælum, unde misit discipulos suos, ubi etiam adscensurus ait, Non enim vestrûm est scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem ex alto, & eritis mihi testes. Videte quomodo incipit Evangelium: Et eritis mihi testes in Jerusalem, & in Judæa & Samaria, & usque in totam terram. Ergo Deo veniente Christo, & nomen ejus, & prædicatio Evangelii ejus ab Jerusalem, id est, ab Africo; & à monte umbroso, id est, à monte Oliveti: quia per omnes gentes diffamatum est Evangelium, Operiet montes umbra ejus, id est refrigerium ejus, protectio ejus; & laudis ejus plena est terra. Cantate ergo cum tota terra canticum novum; non canticum vetus cum angulo terræ.

Jos. 15. 8. *Habac. 3. 3.* *Act. 1. 7. & 8.*

Caput XVII. Donatistæ Simonis Cyrenæi factum pro se interpretantes.

41. Dicunt & aliud, Cyrenæus, inquiunt, quidam Simon angariatus est, ut tolleret crucem Domini. Legimus: sed quid te adjuvet, volo scire. Cyrenæus, inquit, Afer est: quare ipse angariatus est qui crucem tolleret. Ubi sit Cyrene, fortè nescis: Lybia est, Pentapolis est, contigua est Africæ, ad Orientem magis pertinet. Vel in distributione provinciarum Imperatorum cognosce: Imperator Orientalis mittit judicem ad Cyrenen. Breviter respondeo, Ubi est pars Donati, non invenitur Cyrene: ubi est Cyrene, non invenitur pars Donati. Manifesta veritas convincit errorem. Det mihi Cyrenen, ubi est pars Donati: det mihi partem Donati, ubi est Cyrene. Manifestum est enim, Fratres, in Pentapoli Ecclesiam esse Catholicam, partem Donati ibi non esse. Sed securi irrideamus flendos, & fleamus irridendos. Quid dicis? Meritum Cyrenensis hujus magnum commemoras, quia tulit crucem Domini, & Afrum dicis. Orientalis est. Lybia enim duobus modis dicitur, vel ista quæ propriè Africa est, vel illa Orientis pars, quæ contigua est Africæ, & omnino collimitanea. Sed Afer fuerit Cyrenensis. Beatum putas, quòd angariatus crucem tulerit? Quantò meliùs fortè diceret alius in Arimathæa remansisse Ecclesiam Christi? Quia Joseph ille dives ab Arimathæa, habens ante oculos regnum Dei, non angariatus, non coactus venit ad crucem Domini: cùm ceteri formidarent, petiit à Pilato sepeliendum corpus Domini, de ligno deposuit, obsecutus est funeri, in sepulcro condidit, laudatus est in Evangelio. Quia ergo de Arimathæa fuit iste pius tantum exhibens obsequium corpori Domini, in Arimathæa remansit Ecclesia? Aut si magis vos delectat angariatus, id est, qui cogitur tollere crucem: rectè ergo faciunt Imperatores catholici, qui vos cogunt ad unitatem.

Matth. 27. 32. Cyrene. Lybia duplex. *Matth. 27. 57.*

* SERMO XLVII.

De [b] ovibus, in Ezechiel cap. 34. ab illis verbis, Et vos oves meæ *&c. usque* Et ego vester, dicit Dominus Deus. *Contra Donatistas.*

Sermo de Scripturis. * Alias ... Tomo ...

Caput I. Oves quæ cum sint suum ... sumus.

1. VERBA quæ cantavimus, continent professionem nostram, quia oves Dei sumus: nec importunè poscimus cum lacrymis ejus misericordiam, cujus oves sumus. Diximus enim, Ploremus ante Dominum, qui fecit nos; quoniam ipse est Dominus Deus noster. Ne quisquam plorans se exaudiri posse desperet, commemorata est necessitudo quædam exaudiendi nos Deo: Quoniam ipse est Dominus Deus noster, qui fecit nos. Ille Deus noster: nos populus pascuæ ejus & oves manuum ejus. Pastores homines, vel etiam patres-familiâs domini pecorum, oves quas habent, non ipsi fecerunt: oves quas pascunt, non ipsi creaverunt: noster autem Dominus Deus, quia Deus & creator est, fecit sibi oves quas habeat, & quas pascat: nec alter instituit, quas ipse pascit; nec quas ipse instituit, alter pascit. Ploremus ergo ante illum. Neque enim in bono sumus, cùm in hoc sæculo sumus. Cùm enim placebimus Domino in regione vivorum, tunc detergentur lacrymæ nostræ; & dicemus ei laudes, qui nos exemit de vinculis mortis, pedes nostros à lapsu, oculos nostros à lacrymis, ut placeamus Domino in regione vivorum: quia difficile est ut ei placeatur in regione mortuorum. Est autem & hîc unde illi placeamus, ejus misericordiam in nos deprecando, à peccatis nos, quantum possumus, abstinendo; in quantum autem non possumus, confitendo atque plangendo. Ita in hac vita sumus sperantes aliam vitam, plorantes in spe: immo plorantes in re, gaudentes in spe.

Psal. 94. 6. & 7. *Psal. 114. 8. & 9.*

Pastoris vox cum tremore audienda.

2. Professi ergo in hoc cantico, quia oves ejus sumus, populus pascuæ ejus, oves manuum ejus; audiamus quid ad nos loquatur, tamquam ad oves suas. Pridem pastoribus loquebatur superiore lectione: præsenti autem & hodierna ovibus loquitur. In illis ergo ejus verbis nos cum tremore audiebamus, vos cum securitate: quid ergo in istis verbis hodiernis? Numquid vicissim nos cum securitate, vos cum tremore? Non utique. Primò, quia etsi pastores sumus, pastor non solùm quod dicitur ad pastores, cum tremore audit, sed etiam quod dicitur ad oves. Si enim securus audit quod ad oves dicitur, non est illi cura de ovibus. Deinde jam & tunc diximus Caritati Vestræ, duo quædam in nobis esse consideranda: unum, quòd Christiani sumus; alterum quòd Præpositi sumus. Quòd ergo Præpositi sumus, inter pastores deputamur, si boni sumus: quòd autem Christiani sumus, & nos vobiscum

In superiori Sermone n. 1.

[a] Hoc loco Er. & plures MSS. addunt, *Quomodo incipientibus ab Jerusalem?*

[b] Loca ex hoc Tractatu refert Florus ad Rom. 1. & Galat. 4.

CLASSIS I. oves sumus. Sive ergo Dominus pastoribus loquatur, sive ovibus, nos omnia cum tremore oportet audire: nec recedat sollicitudo de cordibus nostris, ut ploremus ante Dominum qui fecit nos.

CAPUT II. Gregis Dei securitas. Ezech. 34. 17. 3. AUDIAMUS itaque, Fratres, unde Dominus oves improbas corripiat, & quid promittat ovibus suis. *Et vos*, inquit, *oves meæ*, *hæc dicit Dominus Deus*. Primò, quanta felicitas est, esse gregem Dei, si quis cogitet, Fratres, etiam in istis lacrymis & in istis tribulationibus magnum gaudium concipit. Neque enim in ejus grege est, quem lupi possunt flagellare, aut cujus somnum possunt captare prædones. Illi enim Psal. 79. 2. dictum est, Qui pascis Israël: de quo dictum est, Psal. 120. 4. Non dormiet, neque dormitabit, qui custodit Israël. Vigilat ergo ille super nos vigilantibus nobis, vigilat & dormientibus nobis. Si ergo de pastore homine securum est pecus hominis; quanta debet esse nostra securitas pascente Deo, non tantùm quia pascit nos, sed etiam quia fecit nos?

CAPUT III. Vox pastoris nunc temporis audienda. 4. UNA est nostra sollicitudo, quæ nobis imponitur, audire vocem pastoris: & est nunc tempus audiendi, quia ille nondum assumsit tempus judicandi. Qui loquitur, modò tacet. Loquitur enim in præcepto, tacet in judicio. Ideo dicit Isai. 42, 14. quodam in loco, Tacui, numquid semper tacebo? Quomodo tacuit, cùm hoc ipsum loquendo dixerit? Qui dicit, Tacui, non tacet: quia & hoc ipsum dicere, Tacui, non tacere est. Audio ergo te loquentem in tot præceptis, in tot sacramentis, in tot paginis, in tot libris: audio denique in hoc ipso quod dicis, Tacui, numquid semper tacebo? Quomodo ergo tacuisti? Quia Matth. 25. 34. nondum dico, Venite benedicti Patris mei, per- Ibidem 41. cipite regnum. Et nondum dico aliis, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus: & hæc ipsa ita nondum dico, ut jam [a] prædicam. Ultimam sententiam, quam dicturus est judex, in tabella scripturus manu sua, ultra quam sententiam nihil jam judicaturus est, partes non audiunt: illis foràs exeuntibus scribitur. Adtonitæ sunt ambæ partes atque suspensæ, contra quam vel pro qua sententia illius procedat. Magnum secretum judicis, Secretarium. unde secretarium nominatur. Magnus timor eorum qui in caussa sunt; quid ille cogitet, & quid scribat ignoratur: & homo est, & illi de quibus ille judicat, utique homines sunt. Ille autem Deus noster est, & nos populus pascuæ ejus & oves manuum ejus. Et cùm sit ille Creator, nos creatura; ille immortalis, nos mortales; ille invisibilis, nos visibiles; noluit nos in hac vita latére, quam ultimam sententiam in fine dicturus sit. Nemo antè dicit, Damno, qui vult damnare: nemo antè dicit, Ferio, qui vult ferire.

CAPUT IV. Dei patientiâ ne abutamur. 5. MAGNA ergo lenitas, magna misericordia, magna mansuetudo: sed si non abutamur patientiâ ejus ad nostram nequitiam; & illo nostra portante peccata, nos quasi ad faciendum ei onus augeamus peccata peccatis; quasi ut ille plus portet, qui non laborat cùm portat: peccata nostra, quibus adhuc parcit, quia adhuc sustinet, illius ostendunt patientiam, nostram cumulant sarcinam. Ignoras, inquit, quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Patientia illa est, quam taciturnitatem vocat, de qua dicit, Tacui, numquid semper tacebo? Ergo cùm argueret quosdam, & diceret, Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non adulterandum, adulteras, &c. ait, An divitias bonitatis ejus & longanimitatis contemnis? Quia ille bonus est, quia longanimis, quia videt & tacet, quia videt & sustinet, putas illum iniquum? Ignoras, quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Et vide si semper tacebit, qui modò tacet. Tu autem, inquit, secundùm duritiam cordis tui & cor impænitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua. Ergo tacet, numquid semper tacebit? Item dicit post quædam enumerata peccata: Hæc fecisti, & tacui: id est, hæc fecisti, & non vindicavi: suspicatus es iniquitatem, quòd ero tui similis. Et re vera hoc cogitant multi, cùm fecerint multa mala, & mali sibi accidere nihil viderint, non tantùm placent eis facta sua mala, sed etiam Deo placere putant: in tantum procedit impietas, ut & Deum sibi similem existimet impius contemtor. Et cùm Deus eum adducat monendo, docendo, hortando, corripiendo, ad similitudinem suam; non solùm non sequitur similitudinem Dei, sed Deum vult ducere ad similitudinem suam. Hæc est iniquitas major, [b] quàm ipsa peccata, à quibus se non corrigit. Suspicatus es iniquitatem, quòd ero tibi similis? Et quid sequitur? Arguam te. Quare hoc? Tacui, numquid semper tacebo? Itaque, Fratres, quoniam sermo iste qui de Dei ore procedit, & me terret, & vos; (omnes enim unam spem bonam habemus in illo, & omnes pariter timere debemus, ne illo offenso non inveniamus quod sperabamus, sed experiamur quod contemsimus:) audiamus omnes tamquam oves Dei, dum loquitur qui tacet, dum monet nos, & nondum judicat nos qui fecit nos, dum vacat audire, dum licet [c] & legere.

SERM. DE SCRIPTURIS. Rom. 2. 4. Ibidem 21. &c. Ibidem 5. & 6. Psal. 49. 21.

CAPUT V. Ezech. 34. 17. Non evellenda zizania ante messem, nec hœdi ante judicium separandi. 6. *Et vos*, inquit, *oves meæ*, *hæc dicit Dominus Deus*, *Ecce ego judico inter ovem & ovem*, *& arietes & hircos*. Quid hîc faciunt hirci in grege Dei? In eisdem pascuis, in eisdem fontibus, & hirci tamen sinistræ destinati dextris miscentur, & priùs tolerantur qui separabuntur; & hîc exercetur ovium patientia ad similitudinem patientiæ Dei. Separatio enim ab illo erit, aliorum ad sinistram, aliorum ad dexteram. Nunc autem ipse tacet, tu vis loqui. Sed unde dico, tu vis loqui? Unde ipse tacet. A vindicta judicii, non à verbo correptionis. Ipse nondum separat, tu vis separare. Ipse mixta tolerat, qui seminavit. Si ante ventilationem frumentum vis esse purgatum, tuo vento pessimè ventilaberis. Licuerit servis dicere, Vis imus, & colligimus ea? Stomachati enim sunt videndo zizania, & doluerunt segeti bonæ permixta zizania; & dixerunt, Nonne bonum semen seminasti? Unde ergo apparuerunt zizania? Ille rationem reddidit unde apparuerunt; non tamen permisit ut ante tempus evellerentur. Quamvis & ipsi servi stomachati adversùs zizania; consilium tamen & præ- Matth. 13. 28. &c.

[a] Er. Vlim. & Lov. *Et nondum hæc ipsa ita dico, ut jam prædicavi.* Emendantur ad MSS.
[b] Sic MSS. At editi, *dum ipsa peccata, à quibus se non corrigit, Deo placere putat.*
[c] MSS. Remigiensis & Cisterciensis, *dum licet eligere.*

CLASSIS I.

ceptum à domino expetiverunt. Displicebant illa inter segetem: sed videbant servi, quia si vel in ipsis zizaniis evellendis aliquid sua sponte facerent, ipsi zizaniis annumerarentur. A domino exspectaverunt præceptum, jussionem regis sui quæsierunt: Vis, imus, & colligimus ea? Et ille, Non. Et reddidit inde caussam: Ne fortè, cùm vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. Sedavit ab indignatione, nec reliquit in dolore. Grave enim videbatur servis esse zizania inter frumentum; & verè grave erat. Sed alia est conditio agri, alia quies horrei. Tolera, ad hoc enim natus es: tolera, quia fortè toleratus es. Si semper bonus fuisti, habeto misericordiam: si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam. Et quis est semper bonus? Faciliùs, si te Deus diligenter discutiat, inveniet te etiam nunc malum, quàm tu te semper bonum. Ergo toleranda sunt zizania hæc inter frumentum, hirci inter arietes, hœdi inter oves. Quid autem ille de frumento? In tempore, inquit, messis, dicam messoribus, Colligite primùm zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum ea, triticum autem meum recondite in horreo. Transiet ergo agri concretio, veniet messis discretio. Exigit de nobis modò Dominus patientiam, quam proponit in se, dicens tibi, Ego certè si modò voluero judicare, numquid iniquè judicabo? Ego si modò voluero judicare, numquid falli potero? Si ego qui semper rectè judico, & qui falli non possum, differo judicium meum; tu ignorans quemadmodum judicandus sis, audes tam præpropere judicare? Videte Fratres, quemadmodum illis servis volentibus ante tempus eradicare zizania, hoc opus nec in messe concessit. Ait enim, In tempore messis dicam messoribus: non ait, Dicam vobis. Sed quid, si ipsi servi messores erunt? Non. Nam exponens omnia singillatim, Messores, ait, Angeli sunt. Homo ergo carne septus, carnem portans, aut fortè caro totus, id est, caro corpore, carnalis animo, audes antè usurpare [a] officium alienum, quod nec in messe erit tuum? Hoc de separandis zizaniis: de hircis quid? Cùm venerit Filius hominis, & omnes Angeli cum eo, sedebit in sede gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eas, sicut pastor separat oves ab hœdis. Et veniet, & separabit: veniet messis, & separabuntur. Modò ergo tempus separationis non est, sed tolerationis. Nec ideo ista dicimus, Fratres, ut corripiendi dormiat diligentia: immo verò ne in illud judicium incauti veniamus, & cæci negligentes cæcitatem nostram subitò nos ad sinistram inveniamus, disciplina exerceatur, judicium non præcipitetur.

Matth. 23. 31. & 32.

CAPUT VI. ℣. 17. Dei judicium securi boni, trementes mali exspectant.

7. QUID ergo Dominus? *Ecce ego judico inter ovem & ovem, & arietes & hircos. Ego judico:* magna securitas, ipse judicat, securi sint boni. Judicem ipsorum nullus adversarius corrumpit, nullus advocatus circumvenit, nullus testis illudit. Sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali. Non talis judicat, cui aliquid abscondatur. Numquid enim Deus judicans quæsiturus est testes, per quos discat quis sis? Unde potest falli quis sis, qui noverat quis esses futurus? Te interrogat, non alium de te. Dominus, inquit, interrogat justum & impium. Interrogat autem te, non ut discat à te, sed ut confundat te. Habentes ergo judicem talem, quem nemo contra nos fallit, nemo pro nobis; sic agamus, ut ejus judicium venturum non timeamus, sed exspectemus & desideremus. Numquid enim frumenta timent, ne mittantur in horreum? Immo optant vehementer, & desiderant. Numquid oves timent, ne ponantur ad dexteram? Immo nihil eis tam tardum est, quàm donec fiat. Hi verò ex animo & tota sinceritate dicunt, cùm orant, Veniat regnum tuum. Mali verò hominis in his verbis & cor trepidat, & lingua titubat. Quomodo enim dicis, Veniat regnum tuum? Ecce veniet: qualem te inveniet? Sic ergo age, ut securus ores. Et si quid fortè inest in conscientia errati atque peccati, habes in ipsa oratione medicinam: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Voluit enim Deus sic te esse debitorem, ut habeas debitorem. Peccando quippe inimicum [b] te facis Deo: sed adtende ne fortè tu habeas inimicum. Dimitte, & dimittetur tibi. Quod facis qui potes in peccato inveniri, hoc in te faciet qui de nullo peccato poterit judicari. Si autem ut homo in peccato positus, peccatori tuo non parcis, nec tuam in illo conditionem respicis, nec de cetero lapsum tuæ fragilitatis horrescis; quid tibi facturus est, qui tam securus judicat, quomodo qui numquam peccat?

Psal. 10. 6. — SERMO DE SCRIPTURIS. — *Matth. 6. 10.* — *Ibidem 12.*

8. Danda ergo opera est puræ conscientiæ: & si fortè aliquis inest scrupulus, præveniamus faciem ejus in confessione. In Psalmo nunc, cùm cantaretur, audivimus, Præveniamus faciem ejus in confessione. Præveniamus eum, ne nos ipse præveniat. Post confessionem non afferet ultionem, si & tu post confessionem non repetas iniquitatem. Præveni antequam præveniaris. Quia enim venturus est, certum est: perdes, si non desideras quod futurum est. Nam & te nolente venturus est. Numquid eum dilaturus es, recusando ne veniat? Sicut noverat horam qua judicari debuit, sic novit & horam qua debeat judicare. Veniet ille, tu vide qualis futurus sis. Hodie inest scrupulus, hodie sit confessio, hodie renuntietur scrupulo; hodie [c] dimittitur, hodie laxatur. Non est ut dicas, Differt Deus veniam: tu noli differre medicinam tuam. Habes enim aliquid in animo quod te angat: & si angit, & sollicitat. Utique si in domo tua esset lapis offendens oculos tuos, juberes eum auferri de medio; maximè si aliquem paulò majorem hospitem in domo tua esses recepturus. Cùm ergo Deum invocas, in te vocas; quomodo veniet in te, cui locum quò recipias, non mundasti? Sed minùs idoneus es auferre de corde tuo, quod tibi ipse fecisti? Ipsum invoca, ut mundet; ipsum invita, ut intret: dum tamen quod facturus es, modò facias, cùm loquitur monendo, & tacet judicando.

Conscientia citò mundanda. — *Psal. 94. 2.*

9. Dixit hîc hircos, dixit arietes, & judicat inter eos. * ET quid eis dicit? *Numquid non sufficit vobis, quia bonam pascuam pascebatis? & reliquias pascuæ vestræ conculcabatis pedibus vestris; & potabatis aquam, quæ subsidebat*, id est, quæ pura & tranquilla erat, *& reliquam pedibus*

*CAPUT VIII ℣. 18.

[a] Beccensis MS. *judicium alienum*.
[b] Cisterciensis liber, *inimicum facis Deum*.
[c] Ita omnes MSS. Editi verò, *hodie dimittatur, hodie laxetur*.

℣. 19.

*vestris turbabatis : * & oves meæ conculcationes pedum vestrorum depascebant, & conturbatam pedibus vestris aquam potabant.* Quid est hoc? Pascua Dei bona sunt, & fontes Dei puri sunt. Habemus hoc in Scripturis sanctis. Qui sunt ergo, qui quod tranquillum est inde bibunt; & quod mundum est inde pascuntur; & conculcant reliquias & turbant aquam, ut oves aliæ conculcatas herbas accipiant & aquam conturbatam bibant? Et hoc utique videtis displicere pastori, qui dicit dum fiunt ista, *Ego judico inter ovem & ovem :* ad hoc utique ne fiant. Sunt multi qui tranquillè discunt, perturbatè docent; & cùm habeant doctorem patientem, sæviunt in discentem. Quàm nos enim tranquillè doceat ipsa Scriptura, quis nescit? Venit ergo aliquis, & legit præcepta Dei, legit & capit, capit tranquillus de tranquillo bibens, & de viridi & mundo pascens. [a] Venit aliquis audire ab illo aliquid, indignatur, perturbatur, tarditatem aliquando seriùs intelligentis accusando, turbatum facit minùs intelligere, quod poterat audire tranquillus.

Doctrina accepta nõ amaro corde communicanda.

10. Nec hoc ideo dixerim, Fratres, quia non est aliquando corripienda duritia, quam ipsa tanta veritatis tranquillitas corripit, dicens, O insensati & tardi corde ad credendum! si ista fiunt ea dilectione, qua volumus curam incutere hominibus, ad incutiendam diligentiam intentionis, & ad serenandam fortè nubem mentis suæ, quam de curis sæculi contraxerunt; & fortè cogitando alia inutilia, quod utile est audire non possunt. Deinde etiamsi in se quisque videat tarditatem, non sine caussa ille accusatur, ut Deum roget, & solvat tarditatem, donec veritatem. Aut enim si negligentiâ nostrâ minùs intelligimus quod audivimus, utique negligentia corripienda est: aut si tarditas est, cùm fuerit accusata, erit unde rogetur Deus. Nec doctores ergo tales reprehendendi sunt: sed qui hoc faciunt animo amaro, animo invido, ipsi conculcant pascua, & turbant fontes: quidquid fortè noverint, ita volunt nosse, ut alii non noverint. Malignæ mentis homines, tartareo zelo pleni, lividi non in corpore, sed in corde, legerunt & intellexerunt; cùm interrogati fuerint, Multum est ad te, ego tibi ista credam? & tu dignus es ista legere vel audire? Quid turbas aquam? Ambobus fons manat. Quid conculcas herbas communes? Non tu pluisti, ut nascerentur.

Luca 24. 25.

Doctores lividi & amarulenti.

Caput IX

Non sufficit bona conscientia, si est negligens coram hominibus conversatio.

11. Est aliud in his verbis, quod non absurdè potest intelligi. Sunt homines qui putant, sibi in bene vivendo sufficere conscientiam; & non valdè curant, quid de illis alter existimet; ignorantes quia cùm homo viderit hominem bonæ conscientiæ negligentiùs viventem, passim se cuilibet & ubilibet conjungentem, habentem scientiam quòd nihil sit idolum, & tamen in idolio recumbentem, conscientia illius cùm sit infirma, ædificatur non ad ea quæ perscrutatur, sed ad ea quæ suspicatur. Neque enim homo [b] par tuus, frater tuus, intrare potest in conscientiam tuam, quam novit Deus. Conscientia tua coram Deo est, conversatio tua coram fratre tuo: si de te ille aliquid mali suspicans, perturbatus ædificatur ad aliquid faciendum, quod te putat facere, cùm sic vivis, quid prodest, quia venter conscientiæ tuæ hausit aquam puram, & ille de tua [c] negligenti conversatione bibit turbatam?

1. Cor. 8. 10. Florus ad Galat. 1.

12. Et audis tales, cùm corripiuntur ne ista faciant, respondere nobis, & dicere, Apostolus dixit, Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem. Et hîc aquam turbas, pascua conculcas. Adtende meliùs, ne & tibi aquam [d] turbes, quod ait Apostolus: Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem. Optimè accipio, Apostolicam sententiam libenter agnosco. Sed aliud in Apostolo non legisti? Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant. Rursus eumdem Apostolum non audisti? Sine offensione estote Judæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Tertiò eumdem Apostolum non audisti? Providemus enim bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Ait ergo ille, Expone itaque mihi, quomodo intelligam diversa atque contraria: hàc dicentem Apostolum, Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem: hàc dicentem, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo: hàc dicentem, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: hàc dicentem, Providemus bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si tranquillus audias, si tibi ipsi aquam tuæ mentis non perturbes, quantum potero, fortassis exponam. Sunt homines temerarii judices, detractores, susurrones, murmuratores, quærentes suspicari quod non vident, quærentes etiam jactare quod nec suspicantur: contra tales quid remanet, nisi testimonium conscientiæ nostræ? Neque enim, Fratres, etiam in illis quibus placere volumus, gloriam nostram quærimus, aut gloriam nostram quærere debemus, sed illorum salutem: ut si bene ambulamus, nos sequendo non errent; imitatores nostri sint, si nos Christi; si autem nos non Christi, imitatores sint Christi. Ipse enim pascit gregem suum, & cum omnibus bene pascentibus ipse solus est: quia omnes in illo sunt. Non ergo utilitatem nostram quærimus, quando [e] placere hominibus volumus: sed gaudemus eis placere quod bonum est, propter ipsorum utilitatem, non propter nostram dignitatem. Contra quos autem dixerit Apostolus, Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem, manifestum est: & propter quos dixerit, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus placeo per omnia, manifestum est: utrumque dilucidum, utrumque tranquillum, utrumque purum, utrumque non perturbatum: tu tantùm pasce & bibe, noli conculcare & turbare.

Hominibus placere quatenus studendũ. Gal. 1. 10.

1. Cor. 10. 33.

Ibidem 32.

2. Cor. 8. 21.

1. Cor. 1. 12.

Quando sufficiat conscientia.

1 Cor. 4. 16.

13. Nam & Dominum ipsum Jesum Christum magistrum Apostolorum utique audisti, Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est: id est, qui vos fecit tales. Nos enim populus pascuæ ejus, & oves manuum ejus.

Matth. 5. 16.

Psal. 94. 7.

[a] Hoc loco Er. & aliquot MSS. *Velit.* Paulò pòst tres MSS: *indignatur, perturbat.*

[b] Editi, *pater tuus.* Castigantur auctoritate Cisterciensis MS. & Flori.

[c] Sic Florus & meliores MSS. Alii quidam, *de tua negligentia conversationem habet turbulentam,* Editi autem, *de tua negligentia conversationem bibit turbatam.*

[d] Sic Florus & plerique MSS. At editi, *turbet.*

[e] Cisterciensis MS. *omnibus.*

Classis I.

Ille ergo laudetur, qui te fecit bonum, si bonus es; non tu, qui per te ipsum non poteras esse nisi malus. Quid vis autem in contrarium ducere veritatem, ut quando boni aliquid facis, te velis laudari; quando mali aliquid facis, Dominum velis vituperari? Utique enim qui dixit, Luceant opera vestra coram hominibus: ipse dixit in eodem sermone, Nolite facere justitiam vestram coram hominibus. (Matth. 6. 1.) Sed sicut in Apostolo ista tibi contraria videbantur, sic & in Evangelio. Si autem non perturbes aquam cordis tui; & hîc agnosces pacem Scripturarum, & habebis cum eis & tu pacem. Si autem tu cum eis habere nolueris pacem, tu in te committis litem tuam, illæ non amittent pacem suam. Propter illos enim qui se hominibus [a] jactando commendant, & ita ventilant bona opera sua, ut finem bonorum operum suorum in laude hominum ponant, eamdemque laudem hominum quasi pro mercede computent bonorum operum suorum; de his dicitur, Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. (Ibidem 2.) Contra eos dicitur, Cavete justitiam vestram facere coram hominibus. Proinde sequitur, Ut videamini ab eis. Ultrà non porrexit intentionem, hîc fecit finem. Nolite sic facere coram hominibus, quidquid boni facitis, ut videamini ab eis, ut ipse sit finis operis vestri, videri ab eis. Nolite ergo sic, ut videamini ab eis. [b] Hàc autem non ibi ponit finem, ut videamur ab hominibus, coram quibus vult esse bona facta nostra: sed ait, Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra. (Matth. 5. 16.) Non quievit, neque hîc remansit: sed duxit hinc te [c] sursum, & tulit te à te, (caderes enim, si esses in te:) & ubi tutus esses, posuit te. Videant, inquit, bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Noli irasci, quia ille glorificatur: apud illum esto, & in illo glorificaberis. Ut non glorietur, ait Apostolus, omnis caro coram illo. (1. Cor. 1. 29.) Ergo sine gloria remanebimus? Non. Ait enim ipse, Qui gloriatur, in Domino glorietur. (Ibidem 31.) Nam & testimonium conscientiæ nostræ [d] ita nobis gloria est, quia in illo est. Nam si ita est gloria nostra, ut nobis placeamus, & efficiamur placentes nobis; valde stulto homini placet, qui sibi placet.

Bonæ conversationis cura.

14. Curemus ergo, Fratres, non tantùm bene vivere, sed etiam coram hominibus bene conversari; nec tantùm habere bonam conscientiam, sed quantum potest nostra infirmitas, quantum vigilantia fragilitatis humanæ, curemus nihil etiam facere quod veniat in malam suspicionem infirmo fratri: ne fortè puras herbas mandendo, & puras aquas bibendo conculcemus pascua Dei, & oves infirmæ conculcatum manducent, & turbatum bibant. Et [e] væ, propter istum qui dicit, *Ego judico inter ovem & ovem.* (ỷ. 17.)

15. *Pro istis hæc dicit Dominus Deus ad eos, Ecce ego judico inter ovem fortem, & inter ovem imbecillam.* (ỷ. 20.) Aliud aliquid dicat. * Jam audivimus de his qui conculcant herbas, & perturbant aquas: audiamus aliud genus mali, & magnum genus mali. (* Caput X.) Postea de hircis nullam facit mentionem: semel illos nominavit, ut sciremus esse. Ipse enim illos bene novit. Postea sic loquitur, tamquam omnes oves sint. Primò quomodo ipse videt, postea verò quomodo nos videmus, locutus est. Hirci enim quia insunt, & quia in fine separabuntur, notum sit [f] ovibus: modò tamquam inter ovem & ovem discerno. [g] Non scit nisi prædestinatione & præscientiâ oves & hircos, ille solus, qui prædestinare potuit, qui præscire. Modò quia omnes sub [h] signo Christi sunt, & omnes ad gratiam Dei accedunt, ovem te putas, hircum te fortè Deus novit: sed tamquam ovis audi quod audis: *Ecce ego judico inter ovem fortem, & inter ovem imbecillam.*

Serm. [...] Scripturis. Oves & hircos [...] discernere solius Dei est.

16. *Quoniam lateribus & humeris vestris impellebatis, & cornibus vestris percutiebatis, & omne quod deficiebat comprimebatis, quoadusque dispergeretis eas foras.* (ỷ. 21. Schisma[...] Donati[...]rum au[...]res super[...]) Quis hoc non intelligat? quis non exhorrescat? Si nullæ oves foris sunt, non est factum. Si autem multas oves foras errare plangimus, væ quorum humeris & lateribus & cornibus factum est. Non enim hæc facerent, nisi fortes oves. Quæ sunt fortes? De suis viribus præsumentes. Quæ sunt fortes? De sua justitia gloriantes. Non diviserunt oves, non foras miserunt, nisi qui se justos esse dixerunt: [i] humeri audaces ad impellendum, quia non portant sarcinam Dei: latera mala, conspirantes amici, societas pertinaciæ: cornua erecta, elata [k] superbiâ: impelle lateribus & humeris, ventila cornibus, mitte foras quod non [l] emisisti. Certè ipsa tota caussa est, quia tu justus & alii injusti, & indignum erat ut justus esset cum injustis: indignum videlicet, ut frumenta essent inter zizania; indignum ut oves inter hircos pascerent, donec pastor veniret qui in separando non errat. Itane tu Angelus eradicans zizania? Non te agnoscerem Angelum eradicantem zizania, nec si jam messis venisset. Ante messem non tu, sed quisquis fuerit, non est verus. Qui designavit messores, designavit & tempus. Possent & homines se Angelos dicere. Invenimus fortasse in Scripturis & homines dictos Angelos, sed tamen ego tempus messis adtendo. Angeli tibi nomen potes imponere, tempus messis non potes breviare. Itaque falsum dicis, [m] quia sis: quia nondum venit quando sis. Proinde cùm venerit, & veri messores missi fuerint, nescio ubi te inveniant, utrùm purgandum qui in horreo recondaris, an alligandum qui in ignem projiciaris. Ideo enim dico, fortè, quia non audeo judicare. Modò te foris doleo: utrùm sis futurus intus, ignoro.

16. Interim audi ex alio Scripturæ testimonio de te scriptum esse, cùm vivis; & noli velle zizania eradicare, quando tempus non est; sed tu ipse intrò redi, cùm tempus est. (Donatistis separationem suam excusare non posse.) Dicit alia Dei Scriptura, Filius malus ipse se justum dicit. (Prov. 24. [...]) Hi sunt humeri & latera & cornua tua. Malè fortis, quantò meliùs esses infirmus? Malè fortis,

[a] Florus & aliquot MSS. *se hominibus jactant, & ita ventilant opera* &c. Duo autem carent istis verbis, *& ita ventilant.*
[b] Ita MSS. At editi, *Hic autem.*
[c] Sic Florus & aliquot MSS. Editi verò, *rursum.*
[d] Editi, *in nobis.* At Florus & MSS. *ita nobis.*
[e] Editi, *Et vel.* At MSS. *Et va.*
[f] Duo MSS. *omnibus.*

[g] Sic MSS. At editi, *Nam scit prædestinatione* &c.
[h] Editi, *sub jugo.* Reponimus, *sub signo:* quia sic omnes MSS.
[i] Editi, *humeris.* Meliùs Cisterciensis MS. *humeri.*
[k] Plures MSS. *superba.*
[l] Sic MSS. Editi autem, *quod non emisisti.*
[m] Editi, *qui sis.* Meliùs fortè aliquot MSS. *quia sis*, scilicet Angelus.

tis, sed non sanus. Malè fortis phreneticus cædit & medicum. Dicis te perfectum, ut facias defectum. Quantò potiùs, quantò utiliùs esses infirmus, ut ille te perficeret, qui novit imperfectum [a] tuum? Apostolus Paulus vas electionis, ne extolleretur in revelationibus, (quod dicere non auderemus, nisi ipsi dicenti crederemus,) In magnitudine, inquit, revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Ne cornua erigeret, colaphizari se dicebat. Propter quod, inquit, ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me; & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quàm est ergo utilior infirmitas quæ perficitur, quàm illa firmitas quæ impellit oves, quæ ventilat ut excludat. Filius ergo malus ipse es, tu te justum dicis. Filius malus ipse se justum dicit, exitum autem suum non abluit. Adtendite, Fratres mei, sententiam quamdam brevem numero verborum, sed ingentem pondere veritatis. Justum se dicit, ut exeat & excludat. Justum se dicit, sed malus est: ideo exitum suum non abluit. Quid est, non abluit? Non purgat, non defendit, non excusat. Quare enim te separasti? quare existi? Quare tibi tremit cor, quando audis ex libris divinis, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si tamen illa mala fortitudo, qua oves Dei impellis, & impingis, & ventilas, permittit tremorem ad cor tuum? Nam utique cùm audis, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: ille loquebatur qui in Ecclesia erat. Ecclesia toto orbe diffusa est, tu quid facis foris? Neque enim ego annuntio Ecclesiam toto orbe diffusam: Prophetæ annuntiaverunt, Apostoli annuntiaverunt, ipse Dominus annuntiavit Ecclesiam toto orbe diffusam. Modò cùm Psalmus legeretur, audivimus, Non repellit Dominus plebem suam. Tamquam quæreretur, Quam? Quoniam in manu ejus, inquit, fines terræ. Ipse non repellit, & tu impellis. Impellis, ventilas, excludis, jactas traditores, non probas. Cornua sunt ista ventilantis, non mansuetudo pascentis. Ecce plebs Dei in finibus terræ: ecce plebs Dei gemens & plorans ante Deum, qui eam fecit, dicit in Psalmo ipsi Domino ante quem plorat, A finibus terræ ad te clamavi, cùm angeretur cor meum. Vide quemadmodum se humiliat in angore cordis. Et quid sibi præstitum dicit? In petra exaltasti me. In petra Christo exaltasti, non de monte [b] Donato præcipitasti. I nunc, & jacta cornua, extende latera, infla humeros tuos, & impelle oves; & dic, Justus sum. Respondebit tibi Scriptura, Malus, non justus. Filius malus ipse se justum dicit. Si justus es, quid exis foras? Quid ejicis foras? Quid cum his quos ejicis facis foras? Tamquam ovis hircos fugisti. Meliùs ab ipsis à pastore ad dexteram separaris, quàm cum ipsis ad sinistram confutaris. Hirci erant, tu ovis: pasceres cum hircis. Quid te pascua, quid te fontes offenderant? Postremò quid te ipse pastor offenderat? qui ad tempus gregem utrumque permiscuit; qui etiam sibi quando libet hoc bene facienti, tamen separationem in finem servavit. Neque enim ille etiamsi modò separaret, erraret. Ille in finem differt, tu ante tempus separas. Non exspectas finem, nesciens quando tibi sit finis. Unde hoc, nisi quia & ipsos quos tamquam hircos accusasti, falsò accusasti? Nam si verè accusasses, non te separasses. Tua separatio, illorum est purgatio. Si zizania erant, quid ea voluisti ante tempus separare? Cùm ipsis permixtum triticum esses, & eodem agro radicareris, eadem pluviâ rigareris. Quare ergo existi? Numquid invenis caussam? Quos accusas, non convincis: exeundo autem ante tempus, & te separando, ipse convinceris. Vide quia filius malus es; ipse te justum dicis, exitum autem tuum non abluis, Ego non dico tibi, Tu es potiùs traditor. Quod si dicam, facilè probo: sed ideo nolo dicere, quia tui fecerunt, non tu fecisti. Non tibi imputo facta aliena, etiam tuorum: tuum factum adtendo; quòd foris es, arguo. Exitum tuum arguo. Prorsus omnia removeo, quæ in vos dici possunt. Omitto ebriositates vestras, fœnus [c] & usuras super usuras; omitto greges & furias Circumcellionum: omitto hæc omnia, & quæcumque alia quæ enumerare non possum. Non omnes fortè apud vos ista faciunt. Ille qui ibi ista non facit, ille cui displicent ista quæ ibi fiunt; ipse ergo accedat, ipse loquatur: non ei objicio crimen alienum, abluat exitum suum. Vides quia rectè illi dicitur, Filius malus ipse se justum dicit. Dominus enim dicit, qui verum dicit: Filius malus ipse se justum dicit. Non ego, sed ipse. Si vult ut ego dicam justum, veniat, bonos fructus in Catholica pace afferat, in Catholica pace custodiat: quia & fructus non est, ubi non est [d] tolerantia. Et fructum, inquit, afferent cum tolerantia. Vis videre quemadmodum grandinatus sis? Audi ex alio loco, Væ his qui perdiderunt tolerantiam.

17. Modò aliquem putate cogitare, quia & sæpe contingit, ubi sit Christianus. Motus est, ut sit Christianus, adtendit in nomen Christi concurrere genus humanum: nulla temporali proposita commoditate vult esse Christianus, non ut Majorem amicum conciliet, non ut ad concupitam uxorem perveniat, non ut aliquam pressuram hujus sæculi evadat: quamquam multi etiam sic intrantes corriguntur ingressi. Sed faciamus aliquem cogitantem de anima sua, & volentem esse Christianum: adtendit ubi duas partes videt, quærit caussas, quare se illi ab illis separaverunt. Respondent illi, Separavimus nos tamquam justi à peccatoribus. Quasi verò cæco loquantur audienti quid dicant, non videnti quid agant. Si itaque inspiciens mores ipsorum, & ea quæ paulò antè commemoravi, dicat illis, Rogo vos, justos vos dicitis, & ideo vos rectè separasse contenditis; quare apud vos sunt tales & tales? Et illi fortasse quia negare non audent, quia ea dicuntur quæ oculis objiciuntur: Sunt quidem apud nos tales, sed numquid omnes sumus tales? Optimè. Video ergo te foris cum peccatoribus: quare non intus? Merces enim separationis tuæ esse debuit, cùm peccatore non vivere. Si foris sic esses, ut quales te fingis fugisse non haberes, quoquo modo ferrem separationem tuam. Adtendat ergo iste cupiens esse Christianus, ubi sit Christianus: videt illos separatos

Marginalia: 2. Cor. 12. 7. — Ibidem 8. & 9. — 1. Johan. 2. 19. — Psal. 94. 4. — Psal. 60. 3. — Lucæ 8. 15. — Eccli. 2. 16. — Donatistarum schisma prudenti cuiquam Christianismum profiteri cupienti, non placere.

[a] In MSS. *post imperfectum*, non additur, *tuum*.
[b] Editi, *non de monte Donati*.

[c] Cisterciensis liber, *usuras & superusuras*.
[d] MSS. *ubi non est cum tolerantia*.

CLASSIS I.

quasi à peccatoribus, plenos peccatoribus. Rursus adtendat Ecclesiam Christi secundùm probabilem vitam morum generis humani, secundùm quos mores potest ipse etiam veniens de sæculo [a] utcumque judicare: videt & hîc aliquos sobrios, aliquos ebriosos; aliquos [b] pascentes pauperes, aliquos rapinam rerum alienarum appetentes, & cetera talia: videt hîc, videt & ibi. Adtendat jam Deum, quid dicat de Ecclesia sua: invenit Deum dicentem per omnes gentes Ecclesiam suam; invenit Deum etiam in ista similitudine zizaniorum dicentem, Ager est hic mundus. Non ager est Africa; sed hic mundus. Per totum mundum frumentum, per totum mundum zizania, (tamen ager est mundus, seminator Filius hominis, messores Angeli, non principes Circumcellionum,) [c] crescere utrumque usque ad messem: non crescere zizania, & decrescere frumenta; sed utrumque crescere usque ad messem. Quam messem? Ipsum audi: Messis est finis sæculi. Audit hæc planè, & rectè judicans quid dicit? Non ero in illa concisione; hàc ero, & bonus ero in nomine ejus cujus ero: & bonus ero, non me ipsum bonum faciens, sed ab illo fieri exspectans; non me ipsum bonum & justum dicens, sed ab illo dici desiderans. Intrat, fit catholicus. Ecce ipse abluit ingressum suum, ablue » & tu exitum tuum. Non potes: Filius enim ma- » lus ipse se justum dicit, exitum autem suum non » abluit.

Matth. 13. 38.

Ibidem 39.

CAPUT XI.

ỳ. 21. 18. *Lateribus & humeris vestris impellebatis, & cornibus vestris percutiebatis, & omne quod deficiebat comprimebatis, quoad usque dispergeretis eas foras.* ỳ. 22. * *Et salvabo oves meas.* Sicut detestanda illorum iniquitas & crudelitas, ita laudanda pastoris nostri, [d] verè Dei nostri, misericordia: salvabit oves suas. Fortè, Fratres mei, quamvis per minimos servos suos, fortè per indignos hoc facit, cùm hoc dicimus. [e] Salvet oves suas: audiant vocem pastoris sui, & sequantur eum. Non quærant Ecclesiam ex ore hominum: ex ore Dei quærant, ex ore Christi quærant. Ille quem dicit impium, impius est; quem dicit justum, justus est; quem dicit ovem, ovis est; quem dicit hircum, hircus est. Ipse est veritas, ipse loquatur, ab illo Ecclesia quæratur. Dic nobis Domine, ubi est Ecclesia tua? Et ille omnibus, Ubi ego sim, scitis? Respondeant omnes, In cælo ad dexteram Patris. Integra fides: hanc docui, hanc seminavi; sed per mundum seminavi. Cùm me, inquit, confitemini in cælo, venit vobis certè in mentem ille Psalmus, Exaltare super cælos Deus. Ecclesiam quæritis? Legite quod sequitur, Et super omnem terram gloria tua. Ibi, Fratres, ubi dictum est, Exaltare super cælos Deus, de Christo resurgente & adscendente; ibi statim se- » quitur, Et super omnem terram gloria tua. Sponsus in cælo est, sponsa in terra est: ille super omnes cælos, illa super omnem terram. O hæretice, credis quod in cælo non vides, negas quod in terra vides. Dicat ergo hæc, dicat & audiatur: salvet oves suas. *Et salvabo*, inquit, *oves meas, & jam non erunt in vastationem: & judicabo inter ovem & ovem.*

Oves audita pastoris voce salvantur.

Psal. 107. 6.

SERM. DE SCRIPTURIS.

ỳ. 23. 19. *Et excitabo super eas pastorem unum.* Nonne ipse in superiori lectione dixerat, *Ego pascam?* Modò excitat pastorem unum ille qui pascit. An fortè intra tam parvum intervallum lectionis tædio affectus est pascendo, & excitavit pastorem, cui commendaret curam ovium, ut esset ipse securus? Audiamus quem pastorem dicit; & ibi intelligimus, quare & ipse pastor etiam excitato isto pastore ipse pascat, & solus pascat. *Excitabo super eas pastorem unum, & pascet eas servus meus David, ipse pascet eas.* Prophetiam esse de Christo veniente ad homines ex semine David, citò intelligitis, Fratres, si tempora cognoscatis. Iste propheta Ezechiel tempore captivitatis fuit, quæ facta est ex transmigratione populi in Babyloniam. A tempore David usque ad tempus hujus transmigrationis, generationes sunt quatuordecim. Ecce quantò pòst dicit, *Et David pascet eas.* Si hoc diceretur tempore Noë, aut tempore Abraham, aut tempore Moysi, aut tempore saltem ipsius Saülis, cui successit in regno David; rectè intelligeremus de ipso David filio Jesse dictum esse hoc, quòd ipse futurus esset pastor gregis Dei, cui regnanti populus ille commissus est: nunc verò jam regnaverat David, jam de vita ista exierat, jam patribus appositus erat, jam pro merito suo quiescebat: quid est quod dicit, *Excitabo David, & faciam eis eum pastorem unum*, nisi quia David ille est, qui venit ex semine David? Quomodo ergo erigit nobis pastorem Deus? Quem *pastorem unum? Et pascet eas servus meus David.* Jam dudum ipse pascebat nos; [f] Deus pascebat nos: modò pascit nos servus ejus David. Quare tamquam alter? Nam utique cùm ille pascebat, Deus pascebat: & cùm Deus pascebat, Pater & Filius & Spiritus-sanctus pascebat. Modò excitatur, & fit tamquam alter pastor; sed non alter. Non alter secundùm formam Dei; quia in forma Dei ipse & Pater unus Deus: in forma autem servi tamquam alter excitatur, ut pascat; quia major est Pater. Audi unum pascentem, & Christum pascentem: Ego & Pater unum sumus. Audi excitari Christum pascentem: Pater major me est. Unus ergo pascit; quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Excitatur autem, ut pascat; quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Hoc & hîc ipsa verba testantur: *Pascet eas servus meus David.* Servus, in forma servi. Servus, quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut ho- « mo; humiliavit semetipsum, factus obediens us- « que ad mortem, mortem autem crucis. Excitetur ergo, ut pascat. Propter quod, inquit, Deus « exaltavit eum à mortuis, & donavit ei nomen « quod est super omne nomen. Jam excitato servo « suo David, jam excitatâ formâ servi, quam posuit ad dexteram suam, donavit ei nomen quod est super omne nomen. Vide quemadmodum pascat, quàm latè pascat: Ut in nomine Jesu « omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & « infernorum. Ad quam angustam partem latum possessorem vanitas hæretica impingis? An tan-

Prophetia de Christo pastore, docens ipsum esse unum cum Deo.

Johan. 10. 30.

Johan. 14. 28.

Philipp. 2. 6.

Ibidem 7. &c.

[a] Sic Er. & MSS. At Vlim. & Lov. *utrumque judicare.*
[b] Ita Sorbonicus & Cisterciensis MSS. Editi verò, *patientes pauperes.*
[c] Editi, *Sinite crescere.* Verbum, *Sinite*, abest à MSS.
[d] Sic MSS. Editi autem, *veri Dei nostri.*
[e] Pauciores MSS. cum editis, *Salvat.* Et rursum infrà, *dicat & audiatur: salvat oves suas.*
[f] Er. & plures MSS. non habent, *Deus pascebat nos.*

tum fidis superbis humeris & cornibus tuis, ut A non congreges ad pastorem, sed & ipsum pastorem à grege coneris excludere? *Pascet eas servus meus David.* Audite oves pascentem vos David: audite vocem David pastoris vestri, non vocem latronum, non ululatus luporum. *Pascet eas servus meus David. Ipse pascet eas.* O commendanda res! *Ipse pascet eas.* Nemo se dicat pascere præter ipsum: *Ipse pascet eas.* Qui vult pascere, in illo pascat: quia *Ipse pascet eas.* Deus paulò antè dicebat, *Ego pascam:* modò dicit, *Ipse pascet eas.* B Respondeat Filius, & dicat nobis: Utrumque verè dictum est; Ego & Pater unum sumus. Qui dicit, *Ego pascam*; non mentitur dicendo, *Ipse pascet:* & cùm dicit, *Ipse pascet*; non mentitur dicendo, *Ego pascam.* Non credis, inquit, quia ego in Patre, & Pater in me est? Philippe, qui me vidit, vidit & Patrem. (Johan. 14. 9. & 10.) Rectè dicitur, *Ego pascam:* rectè dicitur, *Ipse pascet.* Distinctio est, non separatio, *Ipse pascet eas.* Nolite oves expavescere: non relinquet vos qui dixit, *Ipse pascet eas.* Deus pascit, Pater & Filius & Spiritus-sanctus: ipse Deus pascit. Sed distinguenda erat forma servi: non separanda & alienanda & in aliam personam constituenda. Accepit in se Creator creaturam, non mutatus est Creator in creaturam: assumsit quod non erat, non amisit quod erat.

Caput XII.

(℣. 24. Deitatis unitas, & personarū distributio.)

20. *Pascet eas servus meus David. Ipse pascet eas, & erit eis in pastorem:* & ego Dominus ero illis in Deum.* Adtendite Fratres: videte uni- D tatem deitatis, & personarum tamen distributionem; ne dicamus eum esse Filium qui Pater est, aut eum esse Patrem qui Filius est. Ecce dixit, *Ipse pascet eas:* qui paulò antè dixerat, *Ego pascam eas. Et erit eis*, inquit, *in pastorem: & ego Dominus ero illis in Deum.* Expone nobis Domine: nemo aquam turbet; quod purum manat de puro fonte, potemus. Quid enim quasi singillatim quod dixisti; *Erit ipse in pastorem, ego ero in Deum:* tamquam ipse sit pastor noster, tu sis E Deus noster? Quare Domine tu non es pastor noster, & ille non est Deus noster? Tranquillè audi, esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas. Fortè enim modò audit me aliqua auris diversa sentiens, & hæretico veneno tabefacta, & irridet me dicentem, Patrem & Filium unum Deum; cùm non irrideat tot millia fratrum habentium animam unam: (Act. 4. 32.) & dicit mihi; Ecce apertè Deus dicit, *Erit eis in pastorem servus meus David*, quem tu ipse Christum intel- F lexisti, nec aliter potest intelligi: rationem enim reddidisti, hæc esse dicta, cùm jam dormisset David: Christus ergo *erit eis in pastorem; & ego Dominus*, ait, *ero illis in Deum*: ille in pastorem, ille in Deum. Tu ergo mihi expone, quid est, *Ego pascam?* Quis dicebat, *Ego pascam?* Certè Deus loquens dicebat, *Ego pascam.* Quomodo non separavit Christum à pascendo, cùm diceret, *Ego pascam:* sic non separavit Christum à deitate, cùm diceret, *Ego Deus.* Ecce pastor est G Christus, pastor est & Pater. Sic Deus est Pater, Deus est & Christus. Sicut à pastore Christo non separas Patrem, sic à Deo Patre non separes Christum. Habet cum Filio Pater pascendi miserationem, habet cum Patre Filius divinitatis æqualitatem. Sed nisi ita diceret, putares eum esse Patrem qui est Filius. Ergo & ad

A unitatem deitatis te admonuit, & ad personarum distributionem: ut quod dicit, *Ipse pascet, & ego ero illis in Deum*, non se separans à Filio pascente, nec Filium separans à se dominante, & in Patre intelligas Deum Filium, & in Filio intelligas pastorem Patrem. *Ego*, inquit, *Dominus ero illis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum.* Quare *in medio eorum?* Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. (Johan. 1. 14.) *Princeps in medio eorum.* Inde & mediator Dei & hominum; (Mediator Christus, quomodo.) B quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter deitatem; non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator: Divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate non est mediatrix; sed inter divinitatem solam & humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas & divina humanitas Christi. * *Et servus meus David princeps in medio eorum. Ego Dominus locutus sum:* (*Caput XIII. Item ℣. 24.) non nescio quis hæreticus. *Ego Dominus lo-* C *cutus sum.*

21. *Et disponam ad eos testamentum pacis:* (℣. 25.) per ipsum utique qui ait, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. (Johan. 14. 27. Testamentum pacis.) Hoc est testamentum patris nostri, testamentum pacis. Quælibet hereditas dividatur inter consortes, pacis hereditas dividi non potest. Pax nostra Christus est. Pax facit utraque unum, non duo de uno. Ipse enim pax nostra, dixit, qui fecit utraque unum. (Ephes. 2. 14.) Testamentum Dei est, hereditas pax est. A con- D cordibus consortibus possideatur, non à litigantibus dividatur. *Et disponam ad eos testamentum pacis.* Vigilate hæretici, audite à pastore testamentum pacis, venite ad pacem. Irascimini Christianis Imperatoribus, quia testamenta vestra valere noluerunt in domibus vestris: (Testamenta schismaticorum irrita per Imperatorum leges. V. Epistolam 93. ad Vincentiū n. 19.) videte quàm digna sit pœna. Et quid est quòd testamentum vestrum non valet in domo vestra? Quid est? quantum est? Dolor iste admonitio est, nondum damnatio. Voluit enim Deus compati te- E stamento pacis suæ. Condoles testamento tuo, si non stet testamentum tuum in domo tua. Certè moriturus es, & quid agatur in illa domo postea nesciturus. In illa enim die perient, inquit, omnes cogitationes ejus: (Psal 145. 4.) & non cognoscet ampliùs locum suum. (Psal. 102. 16.) Non ergo sciturus quid postea agatur in domo tua, cùm mortuus fueris; doles tamen non stare testamentum tuum in domo tua. Christus mortuus resurrexit, de cælo respexit, ut stet testamentum ipsius. Evigila ex F dolore tuo, corrigere ex cruciatu tuo. Ligno malè curvo nosti calorem solere adhiberi: corrigat te dolor iste, nondum est flamma ignis æterni, tamquam calor foci est admotus curvo cordi tuo, ut hinc admoneatur & corrigatur. Dole, prorsus rectè doles, non stare testamentum tuum in domo tua. Domus Dei, cor tuum est. Si vis valere testamentum tuum in domo tua, quare non vis valere testamentum Dei in domo sua? Dimittis filiis tuis parietes, & G si aliter filios tuos divisuros noveris, quàm tu disposueris, doles. De una domo vilissima, de tecto ruituro, quantam curam habes, quantam sollicitudinem concipis. Quemadmodum ardentibus febribus, prementi morbo, ipsi morti urgenti resistis, quantum potes, anhelans verba extrema, ut impleas testamentum. Quot jurisperitos consulis, quantas fraudes, ut stet te-

Classis I. stamentum tuum contra ipsam legem Imperatoris, inquiris? De proximo tibi respondet Deus, Noli fraudes quærere, noli calumniosas formulas aucupari: vis stare testamentum tuum? Stet in te meum. Doles, quia adquisitionem tuam tollit alius, quem nolebas: quid de hereditate

Gen.22.18. mea tam lata, tam pia? In semine tuo benedicentur omnes gentes: Dixi ego servo meo, dicit tibi Deus, & credidit cùm hæc non videret:

*f. auditum. tu vides, & negas. Ecce ille * factum testamentum servavit, tu apertum discindis. Tunc enim testamentum servatum est, quando auditum est: tunc apertum est, quando impletum est. Usque ad manus tuas servatum est testamentum. Certè heres vis esse: numquid sic tecum contendit coheres tuus, ut dicat tibi, Tolle istam partem, ego illam; aut, Tolle tu minorem, & ego majorem? Non dicit, Simul dividamus: sed, Simul habeamus. Hoc enim voluit qui testatus

Scripturas se ab igne servasse jactant Donatistæ. est. Aperi, & lege. Et clamas, Ne incenderetur, ego feci: ne incenderetur, ego servavi. Ne C incenderetur, tu servasti? Aperi, & vide quia unde incendereris servasti: quamvis te servasse absit ut credam, quem video non servare quod jubet. *Et ponam ad eos testamentum pacis.*

Caput XIV. Item ℣. 25. Psal.67.31. Habitatio & quies in eremo cōscientiæ. 22. *Et exterminabo bestias malas à terra.* Bestias, hostes testamenti pacis. De istis bestiis dicitur in Psalmo, Increpa feras calami. Quid est, feras calami? Bestias adversarias sanctæ Scripturæ; quia calamo scriptæ sunt. *Exterminabo bestias malas à terra: & habitabunt in eremo in spe.* D Quid est, *in eremo?* In solitudine. Quid est, in solitudine? Intus in conscientia. Magna solitudo, quà non solùm nullus hominum transit, sed nec videt. Ibi habitemus in spe, quia nondum in re. Etenim totum quod foris est nostrum, fluctuat tempestatibus & tentationibus sæculi. Est interior eremus, ibi interrogemus fidem nostram: interrogemus, si est caritas intus: videamus, si non labia sonant, sed & pectus, cùm di-

Matth. 6. 12. cimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & E nos dimittimus debitoribus nostris. Si verum sonat, si verum dicimus, ubi nemo hominum videt, ibi est eremus, ubi requiescimus in spe; quia transit hæc omnis tribulatio; & quæ spes erat,

a fiet res, & erit totum nostrum in [a] requie. Jam conspicui nobis erimus; & non erit ovis tamquam abscondita, cogitatio; & non erit eremus conscientia: quia omnes sibi noti erunt, & cogitationes suas ignotas non habebunt, cùm ve-

1.Cor.4.5. nerit Dominus, & illuminaverit abscondita te- F nebrarum; & manifestabit cogitationes cordis, » & tunc laus erit unicuique à Deo. Nunc verò vides duos homines in tribulatione, cor ipsorum videre non potes. Fortè alius conscientiâ mordetur, alius in conscientia, tamquam in eremo, requiescit. *Et habitabunt in eremo in spe: & somnum habebunt*, id est, quietem tamquam alienatis sensibus ab omni strepitu sæculi, intus

b ibi requiescent, [b] *in rivis.* In ipsa intus eremo sunt rivi quidam memoriæ manantes, liquores G divinos scaturientes ex mente Scripturam tenentis & recolentis. Etenim quod legisti, quod audisti, si purum & liquidum & sanctum memoriæ mandaveris; cùm cœperis in illa interiore

A eremo, id est, in bona conscientia requiescere, Serm. de Scripturis. eliquatur de interioribus mentis tuæ, & manat quodam modo recordatio verbi Dei, & cum ceteris requiescis in spe, & dicis, Verum est, bene mihi est, ipsa est spes mea, hoc mihi promisit Deus, non mentitur, securus sum. Et ista securitas somnus est in rivis. *Et somnum habebunt in rivis.*

23. *Et dabo eis in circumitu collis mei benedictionem.* Mons licèt sit, collis licèt sit, in circum- ℣. 26. Benedictionis imber. B itu ejus bene sit nobis. Collis ipse Christus est. Sic enim ipse in medio nostrûm, nos sumus in circumitu ejus. Jam dudum enim dixerat, *David princeps in medio eorum.* Et quia princeps, ℣. 24. ideo collis: lenis, non arduus & difficilis adscendenti: sed si non de alto pedes ponat. *Et dabo eis in circumitu collis mei benedictionem: & deferam imbrem in tempore suo*, pluviam verbi Dei. Est enim & imber malus, qui dejicit domum super Matth. 7. 27. arenam constitutam, cui magnum est ut resistat domus supra petram fundata: tentationis enim imber est, ruinam quærens, non terram rigans. Non erit talis imber iste, quem se dicit deferre Dominus. Quid enim ait? *Imbres benedictionis erunt.* Suspectum te fecerat nominatus imber: imbres erunt benedictionis, non tentationis. *Imbres benedictionis erunt.*

24. Et vide quò proficit ille imber. *Et ligna* ℣. 27. Ligna in campo fructifera allegorice. *quæ in campo sunt, dabunt fructum suum. In campo*, in planitie quadam, non in arduis; in facilitate quadam vitæ. Facilitatem quamdam vitæ hujus, nihil in se habentem ardui, laboriosi, difficilis, campum dixit: qualis est vita multorum fidelium in Ecclesia Dei, habentium conjuges, filios, domos suas; velut in campo sunt ligna, arduum nihil adscendere valuerunt. Sed accipiant imbrem, dabunt & hæc ligna fructum suum. Horum lignorum fructus est, Frange esurienti Isai. 58. 7. panem tuum, & egenum sine tecto induc in do- « mum tuam. Talibus lignis dicebat Apostolus, Non quia quæro datum, sed requiro fructum. Philipp. 4. 17. *Et ligna quæ in campo sunt, dabunt fructum suum:* etsi non habent majorem, habent tamen quemdam suum. *Et terra dabit generationem suam:* tota terra. *Et inhabitabunt in terra sua.* Jam campi, colles, montes dabunt generationes suas. Quid potest campus? quid potest collis? quid potest mons? Solus agricola agnoscatur. *Et habitabunt in terra sua in spe.* Videtis quia ea promittit, quæ hoc tempore donat nobis. Quamdiu dicit *in spe*, adhuc in hoc tempore intelligo. Cùm enim pervenerimus ad promissa, jam non erit spes, sed res ipsa erit.

25. *Et scient quoniam ego sum Dominus, in eo* Caput XV. Item ℣. 27. Contra Donatistas. *cùm confregero furcas jugi eorum:* furcas quibus premitur collum eorum. Domine frange furcas, quibus hæretici premunt colla infirmorum. Quid enim tam angustum & furcâ compressum, quàm, Noli audire Christum, audi me? Remove furcam, respirare permitte. Nescio quid dicas. Audio vocem pastoris mei, Per omnes gentes, in- Luca 24. 47. cipientibus ab Jerusalem. Sine me sequi pastorem. Quid premis? Tolle furcam de collo meo, tollam jugum lene Domini mei. Hæc audit, & premit. Domine, non vult hæreticus furcam sus-

[a] Plerique MSS *in re; quia jam conspicui nobis erimus.* Er. *in requie; quia jam conspicui* &c. Moxque Vlim. & Lov. *& non erit nobis tamquam abscondita:* quo loco nos Erasmianam editionem sequimur, cui suffragantur MSS. omnes, uno excepto Cisterciensi, in quo legitur, *& non erit nobis cujusquam abscondita cogitatio.*

[b] Nunc in Græco LXX. est δρυμοῖς, *saltibus.*

Classis I.

pendere, tu furcam frange. Crux Domini sur- A sum levat, furca hæretici deorsum premit. Sed confringentur: *In eo cùm confregero furcas jugi eorum.* Dominationem enim suam volunt hominibus imponere, volentes eos esse sub se, non sub Deo. *In eo cùm confregero furcas jugi eorum: & eximam eos de manu eorum, qui eos in servitutem redigebant.* Quid est, *in servitutem redigebant?* Ad peccatum eos cogebant. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. (Johan. 8. 34.) Videte quid eis persuaserint, Fratres, ut dicant, * Illi de nobis B reddent rationem: nos oves sumus, quò duxerint, sequimur. Ovis es? Pastorem audi, non lupum. (* V. superiorem Serm. n. 21.)

ỳ. 28. A luporum dentibus eruuntur qui pastorē audiunt.

26. *Et non erunt adhuc in vastationem gentibus.* In omnibus enim gentibus non desunt, alii hîc, alii ibi: non illi ibi qui hîc, sed tamen non desunt furcis prementes colla fidelium, nec hîc, nec ibi. Dissentiunt inter se, contra unitatem omnes consentiunt. Unitas autem non dissentit à se; sed contra omnes dissentientes à se ubique C pugnat, ubique laborat: sed est requies in eremo. *Et non erunt adhuc in vastationem gentibus, & bestiæ terræ jam non comedent eos.* Audientes vocem pastoris, [a] eruentur à dentibus luporum. Bestiæ illæ calami non comedent eos, volentes ad sensum suum convertere Scripturas, ab apertis Scripturis avertentes aures; volentes se audiri, & Scripturas non audiri. *Et bestiæ terræ non comedent eos, & inhabitabunt in spe.* Videte quotiens ostendat, quia quod nunc promittit, hîc D promittit: Deus de rebus loquitur, quas adhuc hîc exhibet. *Et non erit qui eos terreat.* Quomodo non erit qui eos terreat? Non erit prorsus. In Domino confido. Jam cùm cœperit dicere homo, In Deo laudabo sermonem, in Domino laudabo verbum: [b] non in me. (Psal. 55. 11.) Illi laudant verbum in se, dicentes, Quod vobis dicimus credite: nos laudamus verbum in Domino, dicentes, Quod nobis dicitur à Domino credamus. Non erit qui nos terreat; quia, In Deo lauda- E
» bo sermonem, in Domino laudabo verbum: in
» Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo: *Non erit qui eos terreat.*

ỳ. 29. Plantariū pacis.

27. *Et excitabo eis plantarium pacis.* Testamentum pacis, plantarium pacis. Germinet quod plantat Deus, & exstirpetur quod seminavit hæreticus. Quod plantavit Deus de se, de Ecclesia sua; de se in cælo, de Ecclesia in terra; de se super omnes cælos, de Ecclesia per omnes terras: hoc plantavit Deus. Veni autem huc, esto F in parte Donati, in sola Africa est Ecclesia: non plantavit Deus, non agnosco plantam Dei. Eradicandum est quod loqueris, non rigandum. *Et excitabo eis plantarium pacis: & jam non erunt qui exterminentur fame in terra.* Verè, Fratres, quia fames est: quærite & videte quantam famem patiantur: & quod pejus est, circùm os habent escam, sed non manducant: prorsùs quomodo ægri fastidio sæpe moriuntur, non quia deest quod comedant, sed quia comedere no- G lunt & aversantur. Nam utique & Scripturæ ista loquuntur: & hîc utique & ibi sonat Psalmus, (Psal. 21. 28.)
» Commemorabuntur & convertentur ad Domi-
» num universi fines terræ, & adorabunt in con-
» spectu ejus universæ patriæ gentium. Ecce esca est posita in vasculo: si sanus esses & manducares, numquid ibi remaneres? *Et jam non erunt qui exterminentur fame in terra, & jam non portabunt maledictum gentium.* Verè, Fratres, in tantum culmen in nomine Christi erecta est Ecclesia, ut jam confundantur omnes maledici, nec audeant maledicere. Hoc solum illis remansit, quod contra nos dicant: Quare inter vos non consentitis? Gentiles pagani qui remanserunt, non habentes quid dicant contra nomen Christi, dissensionem Christianorum Christianis objiciunt. Ergo quicumque ab hæreticis transierint ad Catholicam, non habebunt hoc opprobrium gentium; nec portabunt maledictum dissensionis, quia permanent in radice unitatis, in plantatione caritatis: *Non portabunt maledictum.*

Serm. de Scripturis.

Caput XVI. ỳ. 30.

28. *Et scient, quoniam ego sum Dominus Deus eorum, & ipsi populus meus domus Israël, dicit Dominus Deus.* Ecce sunt oves, ecce est & vinea. Quomodo cùm de vinea loqueretur Isaias, arguens quamdam vineam malam, ne diceret vitis, Non intellexi; exposuit in fine dicens, Vinea autem Domini Sabaoth, domus Israël est: (Isai. 5. 7.) ne dicerent, Non nobis dictum est, sed vineæ nescio cui. Sic & hîc, cùm locutus esset de ovibus, ad extremum ne quis dicat, Fortè sunt aliquæ oves Dei nescio ubi, quas curat Deus, & ego illas non novi: quamquam absurdus est nimis humano sensui qui ista cogitaverit: tamen pastor ille compatiens infirmis usque ad tales cogitationes descendit, & quæ essent oves ejus, apertissimè exposuit. *Et vos oves meæ, & oves gregis mei, homines estis.* (ỳ. 31.) Sed qui homines? omnes homines? Non. Beatus enim cujus est Dominus Deus spes ejus. (Psal. 39. 5.) Et, Quàm bonus Deus Israël rectis corde! (Psal. 72. 1.) Beatus vir cujus est Dominus Deus ipsius. (Psal. 145. 5.)

Oves Dei quænam.

29. Super omnes est Deus: tamen nescio quomodo non facilè quisquam audet dicere, Deus meus, nisi qui in eum credit, & qui eum diligit: ipse dicit, Deus meus. Tuum tibi fecisti; cujus es, hoc amat ipse. Prorsus dulcedine affectûs tui, & secura & præfidenti dilectione dic, Deus meus. Securus dicis, verum dicis: quia tuus est, & non fecisti ut non sit alterius. Non enim sic dicis, Deus meus; quomodo, equus meus. Equus enim tuus est, non equus alterius. Deus & tuus est, & ejus qui sic dixerit, Deus meus, quomodo tu dicis. Singuli dicunt, Deus meus, & Deus meus: ille omnium est, communiter omnibus se ad fruendum præbens, in omnibus integer, in singulis integer. Non enim qui dicunt, Deus meus, singuli dividunt inter se. Si sermo iste quem jacto linguâ, & sono constante litteris & syllabis, totus ad singulos pervenit, nec dividunt illum inter se qui audiunt; si sermo ad aures corporis corporaliter sonans, in propinquo clariùs, in longinquo languidiùs, ab omnibus tamen audientibus totus excipitur, non inter se syllabatim eum dividentibus, sed omnibus totum accipientibus: quantò magis ille Deus ubique præsens, implens omnia, non propinqua clariùs, & longinqua languidiùs, sed pertendens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, æqualiter possidetur ab omnibus? Lux ista, Fratres mei, (Sap. 8. 1.)

Florus ad Rom. 1.

Deus omnium est, & ab omnibus suis non divisus, sed totus possidetur.

[a] Editi, *serventur à dentibus.* Emendantur ad aliquot MSS.
[b] Aliquot hoc loco versus apud Vlim. & Lov. omissi restituuntur ex Er. & MSS.

Classis I.

certè corporea, de cælo fulget, oritur, occidit, circumit, de loco in locum mutatur: tamen procedunt in eam & diriguntur omnium oculi, & omnium oculi pariter eam possident, non eam dividunt; nullus in ea dives limitem fixit, nec prior præoccupando ut videret, oculos pauperis aut exclusit, aut angustavit. Dicat pauper, Deus meus; dicat dives, Deus meus: minùs ille habet, plus hic habet; sed argentum, non Deum. Ut perveniret ad Deum Zacchæus dives, dedit dimidium patrimonii sui; ut perveniret Petrus, retia & navem dimisit; ut perveniret vidua, duo minuta dedit; ut perveniret pauperior, calicem aquæ frigidæ porrexit; ut perveniret penitus pauper & egenus, solam bonam voluntatem tribuit. Diversa dederunt, sed ad unum pervenerunt, quia non diversa amaverunt. Sic & vos homines oves Dei, oves gregis Dei, nolite perturbari temporalibus diversitatibus vestris, quòd alii in honore, alii sine honore, alii cum pecunia, alii præter pecuniam, alii pulcri corpore, alii minùs pulcri, alii ætate fessi, alii juvenes, alii pueri, alii viri, alii feminæ: Deus omnibus æqualiter adest. Ille apud eum plus habet loci, qui plus adtulerit, non argenti, sed fidei. *Et vos*, inquit, *oves meæ, & oves gregis mei, homines estis; & ego Deus vester, dicit Dominus Deus.* O beatos nos tali possessione, & tali possessore! Nam & possidet nos, & possidemus illum: possidet nos, ut colat nos; possidemus illum, ut colamus illum: sed nos colimus tamquam Deum, ille colit tamquam agrum: ille nos colit, ut fructum afferamus; nos eum colimus, ut fructum demus. Totum ad nos recurrit, ille nostri non eget. Dabo tibi, inquit, hereditatem tuam & possessionem tuam fines terræ. Ecce possessio ipsius sumus. Dominus, inquit, pars hereditatis meæ, & calicis mei. Ecce possessio nostra est: sed tamen qua distinctione? Vos homines estis, ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus noster.

(Luca 19. 8. — Matth 4. 22. — Luca 21. 2. — Matth. 10. 42. — Psal. 2. 8. — Psal. 15. 5.)

* SERMO XLVIII.

(* Aliàs de Tempore 236. [a])

De [a] *verbis Michææ prophetæ cap. 6.* Quid dignum offeram Domino *&c. Deque Psal. 71.* Quam bonus Israël Deus *&c.*

Habitus in basilica Celerinæ.

Caput I.

1. Lectiones divinorum eloquiorum, cùm recitarentur, audivimus. Ea nobis est materies loquendi proposita; inde sapere debemus, inde seminare quod sapimus, adjuvante illo, in cujus manu sunt, sicut scriptum est, & nos & sermones nostri. Nec frustra alio loco scriptum est, In Domino laudabo sermonem, in Domino laudabo verbum. Hoc laudatur in Domino, quod dat Dominus. Quamvis ergo infirmi simus, vasa tamen sumus ejus: capimus quantum possumus, communicamus sine livore quod capimus. Suppleat ille in cordibus vestris, quod nos minùs fecerimus: quia & quod operamur in auribus vestris, quid est, nisi ille totum agat in cordibus vestris?

(Sap. 7. 16. — Psal. 55. 11.)

(Serm. de Scripturis.)

2. Lectio prima prophetica quid nobis commendaverit, me commemorante recolite. *Quid dignum*, inquit, *offeram Domino?* Quærebat homo sacrificium quo placaret Deum, vel quo placeret Deo: *Curvabo*, inquit, *genu Deo excelso*, * *placabo eum in millibus taurorum, aut in denis millibus caprarum pinguium, aut offeram Deo fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Primogenita, inquit, mea offeram Deo meo pro peccato animæ meæ? *Respondetur tibi, ô homo.* O homo, à quo respondetur, nisi à quo factus est homo? Respondetur ergo tibi, ô homo, quærenti quid offeras Deo, & unde places Deum, vel unde placeas Deo. * *Respondetur tibi quid sit bonum; aut quid aliud Dominus exquirat à te, nisi ut facias judicium & justitiam, & diligas misericordiam, paratusque sis ire cum Domino Deo tuo.* Quærebas quid offerres pro te: offer te. Quid enim Dominus quærit à te, nisi te? Quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te. Si autem facias quod jussit, invenit in te judicium & justitiam: judicium primò in te ipso, justitiam ad proximum tibi. Quomodo judicium in te ipso? Ut displiceas tibi quod eras, & possis esse quod non eras. Judicium, inquam, de te ipso in te ipso sine acceptione personæ tuæ, ut non parcas peccatis tuis, nec ideo tibi placeant, quia tu facis: nec te laudes in bonis tuis, & Deum accuses in malis tuis. Hoc enim est perversum judicium, & ideo nec judicium. Ut enim ostenderet Deus perversum judicium non esse judicium, non ait, Quid Dominus quærit à te, nisi facere rectum judicium: sed *facere*, inquit, *judicium.* Si enim rectum, tunc judicium: si autem perversum, non judicium, sed vitium. Quid ergo faciebas, quando te perdideras, & post tuam perditionem ibas; ibas, & non redibas? Quid faciebas? Scio quid faciebas: in bonis tuis te laudabas, in malis tuis Deum blasphemabas. Hoc est perversum judicium; & ideo, ut dixi, nec judicium. Vis ergo facere rectum judicium, hoc est judicium? Illud quod faciebas, corrige; præpostera, & rectum erit. Quid est, Corrige? Deum lauda in bonis tuis, te accusa in malis tuis. Cùm tibi ergo perversus displicueris, teque illo qui creavit adjuvante correxeris, rectus servabis justitiam. Placebit enim tibi Deus, si rectus fueris. Non discrepabis à recto, nisi pravus atque perversus: rectus autem recto convenies, & sine dubio tibi placebit Deus. Quando enim displicebat, perversitati tuæ displicebat.

(Sacrificium Deo ipsi. Michææ 6. — ỳ. 7. — ỳ. 8. — * Caput II. — Judicium & justitiam facere. — Perversum judicium non judicium.)

3. Audi sanctum Psalmum: *Quàm bonus Israël Deus rectis corde!* Iste qui hoc dicit in Psalmo, displicuerat illi Deus? Absit à me ut arguam, & non potiùs confitenti credam. Ecce au-

(Caput III. Psal. 72. 1. Non recti corde, de malorum felicitate scandalizantur.)

[a] Ex Augustini in hunc ipsum Michææ locum Sermone nonnihil quod minimè continet subsequens Tractatus, decerptum est à Beda, & in ipsa ejus, non vulgata quidem falsòque ei tributa, sed vera & in pluribus MSS. libris reperta collectione sic profertur ad Galat. 4. *Ex Sermone de propheticis verbis, ut homo diligat justitiam & misericordiam & judicium, paratusque sit ambulare cum Domino Deo suo. Cùm autem venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege. Sed offendit, factum ex muliere; quia natum confitemur ex virgine. Factum non confitemur nisi hominem: Deus autem semper faciens est, fieri nescit ut sit. Fieri nescit Deus: sed fit ut aliquid alicui sit; quomodo dicitur, Domine refugium factus es nobis: &, Dominus factus est adjutor meus. Quanta factus, qui numquam est factus? Dominus autem Christus homo factus est, ut esset; ut qui Creator semper erat, creatura esset. Manens enim Deus factus est homo, ut fieret quod non erat, non ut periret quod erat. Hoc ergo de virgine quod factum est, quare ex muliere? Quòd apud Hebræos, ubi est prima lingua Scriptura, mulier nomen est significandi sexûs, non amissæ integritatis. Lege quando mulier formata est: Extraxit, inquit, Deus unam è costis ejus, id est viri, & ædificavit eam in mulierem. Sic mulier Maria; sic ei dictum est antequam pareret, antequam conciperet, Beata tu inter mulieres.*

CLASSIS I. dite mecum, & considerate quid dixerit. *Quàm* A
» *bonus Deus*, inquit, *Israël! Quibus? Rectis corde.*
℣. 2. *Mei autem*, inquit, quando non eram rectus corde: *Mei autem penè commoti sunt pedes, paulò minùs effusi sunt gressus mei.* Quod est, *commoti sunt pedes:* hoc est, *effusi sunt gressus mei.* Quod est, *penè:* hoc est, *paulò minùs.* Quid itaque ait, *penè, paulò minùs commoti sunt pedes mei, effusi sunt gressus mei?* Penè, inquit, lapsus sum, penè cecidi. Unde in tantum periculum pervenisti?
℣. 3. *Quia zelavi*, inquit, *in peccatoribus, pacem pecca-* B *torum intuens. Zelavi*, inquit, *in peccatoribus, intuens pacem peccatorum:* hoc est, malos homines videndo felices, titubavi sub Deo, penè cecidi à Deo. Ecce unde illi displicuerat Deus, quare mali habent bona?

℣. 12. 4. Denique videte verba titubantis, quæ apud se dixerit: *Ecce ipsi peccatores:* In ipso Psal-
℣. 11. mo verba sunt titubantis; *Ecce ipsi peccatores in sæculo obtinuerunt divitias. Et dixi, Quomodo scivit Deus?* Ipse dicit in Psalmo, ipse loquitur, cui C nondum recto Deus displicuerat, quòd mali abundarent bonis. *Quomodo*, inquit, *scivit Deus, & si est scientia in Altissimo?* Videte adhuc quid adjungat; videte quemadmodum titubando propinquet casui, & sit vicinus perditioni; videte,
℣. 13. inquam, quid adjungat: *Numquid vanè justificavi cor meum, & lavi in innocentibus manus meas?* Perdidi, inquit, totum quod bene vixi. *Justificavi cor meum, lavi in innocentibus manus meas,*
℣. 14. ad hoc ut mali sint felices, & ego tribuler. *Et* D *fui*, inquit, *flagellatus tota die.* Gaudent illi, & ego flagellor: gaudent qui blasphemant Deum, flagellor qui colo Deum. *Quomodo scivit Deus?* Hinc titubavit, hinc penè cecidit, hinc putavit ad Deum res humanas non pertinere.

CAPUT IV. Gubernatio rerum ad Deum pertinet.

5. Cùm ergo hoc putaret, non recto, sed perverso corde, & quasi verisimili ratione duceretur propter istam inconvenientiam credere ad Deum gubernationem rerum humanarum non pertinere; placuerat illi sic prædicare, hoc asse- E rere, hoc docere: revocatus est sanctorum auctoritate[a] & prædicatione. Videte enim verba ejus:
℣. 15. *Si dicebam*, inquit: *Si dicebam, narrabo sic;* prædicabo sic, docebo sic, dicam hominibus ad Deum curam rerum humanarum non pertinere. *Si dicebam, narrabo sic: ecce generationem filiorum tuorum reprobavi.* Quomodo ergo narrabo sic? Non sic narravit Moyses; non sic narravit Abraham, Isaac & Jacob; non sic narravit Jeremias, non sic Isaias, non sic ceteri Prophetæ. F Isti autem omnes filii tui. Ego ergò si narrabo sic, generationem filiorum tuorum reprobabo.

℣. 16. 6. Quid ergo faciam? *Suscepi cognoscere. Suscepi*, inquit, *cognoscere:* sed magnum est hoc cognoscere, difficile est cognoscere. *Hoc*, inquit, postea quàm dixit, *Suscepi cognoscere: hoc labor est ante me:* quomodo cognoscam & justum Deum esse, & res humanas nosse, & perversis bene esse, rectis aliquando malè esse. Quomodo sit justum, suscepi cognoscere, & labor est ante G me.

CAPUT V. Quomodo vel quam-

℣. 17. 7. Quò usque labor? *Donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in novissima.* Intra ergo in sanctuarium Dei anima fidelis, intra in sanctuarium Dei anima pia, cui non displicet Deus in malis tuis, & in bonis malorum cui non displicet Deus. Et si nescis qua ratione fiat, crede non injustè fieri quod sinit aut facit Deus. Humana ratione ducebaris, divina auctoritate revocare, & crede aliquid ibi esse quod te latet. Nam Deum perversum & iniquum esse non posse, fide certissima credendum est. Sic intrans fide in sanctuarium Dei, intrans credendo, discis intelligendo. Sic enim ait: *Donec introeam in sanctuarium Dei*, quò intrat fides: & post fidem quid? *Et intelligam in novissima.* Venient novissima, quando nulli bono erit malè, nulli malo erit bene. Venient, inquam, novissima, quando discernentur pii ab impiis, justi ab injustis, laudatores Dei à blasphematoribus Dei: venient quando discernentur, ut nulli, sicut dictum est, bono sit malè, nulli malo sit bene. Quare ergo modò non sic? Fortè & modò sic: sed quod nunc est in occulto, pòst erit in manifesto.

SERM. DE SCRIPTURIS. diu Deus sinat & bene esse malis & malè esse bonis.

Malis non revera bene est, nec bonis malè.

8. Ingredere mecum, si potes, in sanctuarium Dei; fortè ibi, si possum, docebo te: immo disce mecum ab eo qui docet me, etiam nunc malis non esse bene, & melius esse bonis quàm malis; quamvis nondum venerit bonorum [b] plena felicitas, nondumque venerit malorum pœna novissima. *Fortè intelliges mecum, non esse bene malis. Rogo enim te, & quæro abs te, tibi quare malè est? Responsurus es, Egestas angit, premit difficultas, dolor fortasse membrorum, timor ab inimico. Tibi ideo malè est, quia pateris mala; & bene est illi, qui est ipsum malum? Multum interest inter malum esse, & malum pati. Tu quod pateris non es: malum enim pateris, sed tu malus non es. Malum, inquam, pateris, sed tu malus non es: ille autem malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli, noli falli: non potest fieri ut tibi malè sit, qui pateris malum; & illi bene sit, qui est malus. Cùm enim est malus, putas quia non patitur malum, cùm patitur se ipsum? Tibi malè est; quia malum alienum pateris in corpore tuo; & illi bene est, qui malum se ipsum patitur in corde suo? Tibi malè est, quia malam habes villam; & bene est illi, qui malam habet animam? Esto bonus, qui habes bona. Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum est argentum, bonæ familiæ, bonæ possessiones: omnia ista bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonum. Quæ sunt, inquis, ista? Fac judicium, fac justitiam. Bona sunt quæ habes: fac judicium, fac justitiam: esto & tu bonus inter bona tua. Erubesce bonis tuis: esto bonus mansurus inter bona peritura. Erubesce bonis tuis: noli esse malus in eis, ne pereas cum eis. Cetera quomodo se habeant, Fratres mei, quomodo sit servanda justitia, & quomodo diligenda misericordia, & quomodo debeat quisque paratus esse ire cum Domino Deo suo, alio tempore, donante Domino, disputabimus vobis. Tenete me debitorem, ne diu habeatis fatigatorem, [c] sed pro viribus meis adjutorem.

*CAPUT VI.

Malum esse, malum pati.

Bona quibus facias bene, & quæ faciūt bonum.

[a] Editi non habebant, *& prædicatione:* quod nos ex Cisterciensi MS. addidimus.
[b] Sic in MSS. At in editis omittitur *plena.*

[c] Istud, *sed pro viribus meis adjutorem*, additum est auctoritate Cisterciensis MS.

Classis I.

* Aliàs de Tempore 237.

* SERMO XLIX.

In eumdem Michææ locum, de justitia quæ facienda jussa est: & in Matth. 20. de conductis in vinea.

Habitus ad Mensam sancti Cypriani, in die Dominico.

Caput I.

1. LECTIONES sanctas plures, cùm recitarentur, audivimus, & de his nos oportet dicere, quod Dominus fuerit **B** donare dignatus. Sed lectionum omnis auditor quod recentiùs lectum est magis meminit, & ut inde aliquid à tractatore verbi dicatur exspectat. Cùm ergo ultimum sit sanctum Evangelium recitatum, non dubito exspectare Caritatem Vestram, ut de ista vinea, & de conductis, & de mercede denarii aliquid audiatis. Sed ego memini superiore Dominico quid promiserim. Cùm enim de sancto Propheta quod lectum fuerat aliquid exponere voluissem; lectum autem fuerat, quærenti homini quibus sacrificiis placaret Deum, renuntiatum esse, nihil ab illo Deum quærere, nisi facere judicium & justitiam, & diligere misericordiam, paratumque esse ire cum Domino Deo suo: tractavi, quantum potui, de judicio; tantumque sermo productus est, ut non remaneret temporis spatium, quo possem de ceteris disputare. Unde me promisi hodierno die de justitia esse dicturum. Sed qui exspectabatis, ut de Evangelio loquerer, nolite vos putare fraudatos. Opus enim in illa vinea, ipsa est justitia.

Matth. 6. 10.

Michaa 6. 6.

Conducti in vinea.

2. Putate ergo vos esse conductos. Qui pueri venerunt, primâ horâ se adductos putent; qui adolescentuli, tertiâ; qui juvenes, sextâ; qui graviores, nonâ; qui decrepiti, undecimâ. De tempore nolite caussari. * Opus quod faciatis audite, mercedem securi exspectate. Et si adtenditis Dominus vester qualis est, nolite invidere, si merces æqualis est. Quod est opus, nostis: sed tamen commemorabo. Audite quod nostis, & facite quod audistis. Diximus, opus Dei esse justitiam. Interrogatus autem Dominus Jesus quod esset opus Dei, respondit, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. Poterat dicere, [a] Justitia est opus Dei. Numquid ergo nos præsumere aliquid conducti contra patrem-familiâs ausi sumus? Si justitia est opus Dei, sicut ego dixi; quomodo erit opus Dei quod Dominus dixit, ut credatur in eum, nisi ipsa sit justitia credere in eum? Sed ecce, inquis, à Domino audivimus, Hoc est opus Dei, ut credamus in eum; à te audivimus, quòd opus Dei sit justitia: proba nobis credere in Christum, hanc esse justitiam. Videtur mihi, quoniam jam respondeo quærenti, & justa flagitanti, videtur tibi credere in Christum non esse justitiam? Quid est ergo? Impone huic operi nomen. Procul dubio si bene consideras quod audisti, responsurus es mihi, Ista fides vocatur; credere in Christum, **G** fides vocatur. Accipio quod dicis, credere in Christum, fides vocatur. Audi & tu alium Scripturæ locum, Justus ex fide vivit. Facite justitiam, credite: Justus ex fide vivit. DIFFICILE EST ut malè vivat, qui bene credit. Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hæ-

*Caput II.

Opus indictum, justitia.

Johan. 6. 29.

a Credere, est opus Dei, & eadem ipsa justitia.

Habac. 2. 4.

Rom. 1. 18.

[a] Hic Cisterciensis MS. addit, *pius Dominus*.

A sitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes. Fides appellata est ab eo quia fit quod dicitur. Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur fides: prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interrogo ergo te utrùm credas? Dicis, Credo. Fac quod dicis, & fides est. Ego enim respondentis vocem audire possum, cor credentis videre non possum. Sed numquid ego ad vineam conduxi, qui cor videre non possum? Nec ego conduco, nec ego opus indico, nec **B** ego denarium mercedem præparo. Cooperarius vester sum: pro viribus quas ille donare dignatur, in vinea laboro: quo autem animo laborem, qui me conduxit videt. Mihi enim, ait Apostolus, minimum est, ut à vobis judicer. Et vos vocem meam potestis audire, non potestis cor meum videre. Omnes cor nostrum Deo videndum proponamus, & opus ex animo faciamus. Conducentem non offendamus, ut libera fronte mercedem accipiamus.

Serm. de Scripturis.

Fides à facto & dicto.

1. Cor. 4. 3.

Caput III.

Nunc tenebræ, postea lux.

C 3. Et nos, Carissimi, videbimus invicem corda nostra, sed postea: nunc autem adhuc tenebras mortalitatis hujus circumferimus, & ad lucernam Scripturæ ambulamus; sicut dicit apostolus Petrus, Habemus certiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes tamquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Proinde, Carissimi, propter ipsam fidem qua credimus in Deum, in comparatione infidelium dies sumus. **D** In infidelitate nox cum ipsis fuimus, modò lux, dicente Apostolo, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Tenebræ in vobis, lux in Domino. Item in alio loco, Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Sicut in die honestè ambulemus. Dies ergo in comparatione infidelium. In comparatione verò illius diei, quando resurgent mortui, & corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate, **E** adhuc nox sumus. Nobis tamquam jam in die, dicit apostolus Johannes, Dilectissimi, nunc filii Dei sumus. Et tamen quia adhuc nox est, quid sequitur? Et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Sed ista merces est, non opus. Videbimus eum sicuti est, ipsa merces est. Tunc erit dies, quo clarior esse non possit. Nunc ergo in isto jam die honestè ambulemus: in ista adhuc nocte non de invicem **F** judicemus. Videte enim & ipsum apostolum Paulum, qui dixit, Sicut in die honestè ambulemus, non resultare, neque dissonare à coapostolo suo Petro, qui dicit, Cui benefacitis intendentes, sermoni scilicet divino, tamquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

2. Pet. 1. 19.

Dies sunt fideles.

Ephes. 5. 8.

1. Thess. 5. 5.

Rom. 13. 13.

1. Cor. 15. 53.

1. Johan. 3. 2.

Rom. 13. 13.

2. Pet. 1. 19.

Caput IV.

4. Videte hoc ipsum dicentem apostolum Paulum: Itaque nolite ante tempus quidquam judicare. Et quando erit tempus? Donec veniat **G** Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo. Quid est, ante tempus, nisi antequam corda invicem videatis? Intendite si hoc est quod dixi: omnia verba ipsius sententiæ paulisper adtendite. Nolite ante tempus quidquam judicare. Et quando erit tempus? Donec

1. Cor. 4. 5.

veniat

Classis I. » veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis, & » tunc laus erit unicuique à Deo. [a] Quomodo te reprehendent tenebræ, quando à luce laudaberis? Tunc patebunt corda, modò latent. Suspectus est nescio quis quasi inimicus, & fortè est amicus: videtur alter quasi amicus, & est forsitan occultus inimicus. O tenebræ! Sævit, & amat; blanditur, & odit. Si ex vocibus judico, tranquillum vitans scopulum incurro; fugio amicum, hæreo inimico. Hoc fecit cor latens. Ibi B credendum est, ibi intus, ubi latet, ubi occultum est. Ad hoc excolendum conductus es. Ibi credendo cooperare, ubi non te videt cooperarius tuus, sed videt te Dominus tuus. Justus ex fide vivit. Hoc age.

Amicus & inimicus nunc vix dignoscitur.

Rom. 1. 18.

Caput V. *Suprà Serm. 48.*

5. Jam de judicio priore Dominico disputavi, ut judicares te ipsum, & cùm te invenires perversum, non tibi blandireris, sed corrigeres te, & fieres rectus, & tibi placeret Deus rectus. Nam rectus Deus perverso non placet. Vis ut tibi pla- C ceat rectus Deus? Esto rectus. Judica te ipsum, noli tibi placere. Quod tibi in te meritò displicet, castiga, emenda, corrige. Scriptura sancta fit tibi tamquam speculum. Speculum hoc habet splendorem non mendacem, splendorem non adulantem, nullius personam amantem. Formosus es, formosum te ibi vides: fœdus es, fœdum te ibi vides. Sed cùm fœdus accesseris, & fœdum te ibi videris, noli accusare speculum: ad te redi, non te fallit speculum, tu te noli fallere. D Judica de te, contristare de tua fœditate; ut cùm abieris & discesseris tristis, fœdus, correctus possis redire formosus. Cùm ergo judicaveris te ipsum sine adulatione, judica & proximum cum dilectione. Est enim quod judices, quod vides. Fieri enim potest, ut aliquid mali videas, unde [b] sordescas. Fieri potest, ut malum suum ipse proximus tuus tibi confiteatur, & prodat amico quod texerat inimico. [c] Quod videris judica: quod non vides, Deo dimitte. Quando autem judi- E cas, dilige hominem, oderis vitium. Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem. Homo proximus tuus est: vitium inimicum proximo tuo. Tunc amas amicum, si oderis quod nocet amico. Si credis, facis; quia justus ex fide vivit.

Scriptura sancta, speculum.

Caput VI. *In discordia duorũ quomodo se gerere debet amicus amborum.*

6. Quod abundat in rebus humanis, hoc dico. Aliquando amico tuo carissimo inimicus est aliquis, qui erat amicus amborum. Incipiunt esse de tribus amicis duo inter se inimici, quid faciat F medius qui remansit? Vult, exigit, flagitat à te ut oderis cum illo quem odisse cœpit, & hæc verba tibi dicit, Non es amicus meus, quia es amicus inimici mei. Quæ vox hujus est ad te, ipsa est & illius ad te. Tres enim eratis. Tres eratis, duo cœperunt esse discordes, remansisti tu. Si huic te junxeris, illum habebis inimicum: si illi, istum: si ambobus, ambo murmurabunt. Ecce tentatio: ecce spinæ in vinea quò conducti sumus. Exspectas fortè à me audire quid facias. G Permane amicus amborum. Qui discordant inter se, concordent per te. Mala si quæ audis ab altero de altero, noli prodere alteri: ne fortè sint postea amici qui modò sunt inimici, & pro- A ditores suos prodant sibi. Sed hoc propter homines dixi, non propter oculos ejus qui nos conduxit. Ecce nemo te prodit: Deus qui videt, ipse te judicat. Audisti ab irato verbum, à dolente, à succensente: moriatur in te. Quare proditur, quare profertur? Non enim si in te fuerit, disrumpet te. Dic sanè amico tuo, qui vult te facere inimicum amici tui: alloquere, & tamquam ægrotantem animum medicinæ lenitate pertracta. Dic illi, Quare vis ut sim inimicus illius? Respondet, Quia inimicus meus est. Vis ergo ut sim inimicus inimici tui? Inimicus esse debeo vitii tui. Iste cui me vis facere inimicum, homo est: est alius inimicus tuus, cui debeo esse inimicus, si amicus tuus sum. Respondebit, Quis est alius inimicus meus? Vitium tuum. Respondebit, Quod vitium meum? Odium quo odisti amicum tuum. Esto ergo similis medico. Medicus non amat ægrotantem, si non odit ægritudinem. Ut liberet ægrotum, persequitur febrem. Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros.

Serm. de Scripturis.

Caput VII.

7. Sed qui dico, putasne facio ipse quod dico? Fratres mei, facio, si in me priùs facio. In me autem facio, si à Domino accipio, facio. Odi vitia mea, cor sanandum offero medico meo. Persequor ea, quantum possum, gemo de illis, confiteor quia sunt in me, & ecce ego accuso me. O qui me reprehendebas, corrige te. Hæc est justitia, ne dicatur nobis, Stipulam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Ira, festuca est: odium, trabes est. Sed nutris festucam, & fit trabes: ira inveterata fit odium, festuca nutrita fit trabes. Ut ergo festuca non fiat trabes, non occidat sol super iracundiam vestram. Vides, sentis te odio liventem, reprehendis irascentem? Tolle odium, & rectè reprehendis. Ira est in oculo ejus, in tuo trabes. Nam si odisti tu, quomodo vides quod detrahas? Trabes est in oculo tuo. Quare trabes est in oculo tuo? Quia festucam ibi natam contemsisti. Cum illa dormisti, cum illa surrexisti: eam in te ipso excoluisti, falsis suspicionibus irrigasti, verba adulantium & ad te mala verba de amico deferentium credendo, nutristi. Festucam non avulsisti * diligentiâ tuâ, trabem fecisti. Tolle trabem de oculo tuo, noli odisse fratrem tuum. Expavescis, an non expavescis? Dico tibi, Noli odisse, [d] securus es, & respondes mihi, & dicis mihi, Quid est odisse? Et quid mali est, quia odit homo inimicum suum? Odisti fratrem tuum: sed si odium contemnis, audi quod non attendis; Qui odit fratrem suum, homicida est. Qui odit, homicida est. Numquid modò potes dicere, Quid ad me, ut homicida sim? Qui odit, homicida est. Non venenum parasti, non ad percutiendum inimicum cum gladio processisti; non [e] ministrum sceleris præparasti, non locum, non tempus; postremò ipsum scelus non fecisti: tantùm odisti, & priùs te quàm illum occidisti. Discite ergo justitiam, ut non oderitis nisi vitia, homines ametis. Hoc si tenueritis, & hanc justitiam feceritis, ut homines etiam vitiosos sa-

Justitia. Matth. 7. 5.

Ira, festuca; odium, trabes.

Ephes. 4. 26.

** f. negligentiâ tuâ trabem fecisti.*

1. Johan. 3. 15.

Homicida, qui fratrê odit.

[a] Colbertinus MS. *Quoniam modò te reprehendunt tenebræ.*
[b] Cisterciensis MS. *unde sordescat.*
[c] MSS. *Quomodo videris.*

[d] Sic MSS. Editi verò, *& securus eris.*
[e] Sic MSS. At editi, *ministerium.*

nari malitis potiùs quàm damnari, bonum opus in vinea fecistis. Sed exercete vos in hoc, Fratres mei.

Caput VIII.

8. Ecce post Sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles, venietur ad locum orationis. Scitis quò accessuri sumus, quid priùs Deo dicturi sumus? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Agite ut dimittatis, agite. Venietis enim ad verba ista orationis: quomodo ea dicitis, quómodo non dicitis? Postremò interrogo, Dicitis, an non dicitis? Odisti, & dicis? Respondebis mihi, Ego non dico. Oras, & non dicis? odisti, & dicis? oras, & non dicis? Citò respondeo. Ergo si dicis, mentiris: si non dicis, nihil mereris. Observa te, adtende te: modò es oraturus, dimitte ex toto corde. Litigare vis cum inimico tuo, priùs litiga cum corde tuo. Litiga, inquam, litiga cum corde tuo. Dic cordi tuo, Noli odisse. Illud autem cor tuum, [a] animus tuus odit adhuc: dic animo, Noli odisse. Quomodo orabo, quomodo dicam, Dimitte nobis debita nostra? Possum quidem hoc dicere, sed quod sequitur quomodo dicam? Sicut & nos. Quid? Sicut & nos dimittimus. Ubi est fides? Fac quod dicis, Sicut & nos.

Matth. 6. 12. Debitorum dimissio.

9. Sed non vult dimittere anima tua, & contristatur, quia dicis ei, Noli odisse. Responde illi, Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Quare tristis es? Noli odisse, ne perdas me. Quare conturbas me? Spera in Deum. Langues, anhelas, ægritudine sauciaris; non potes tibi tollere odium. Spera in Deum, medicus est; pro te pependit in ligno, & nondum est vindicatus. Quid vis vindicari? Ideo enim odisti, ut vindiceris. Vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem, & tibi de ligno tamquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis. Vindicari vis: vide pendentem, audi precantem, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Psal. 41. 6. Exemplum Christi. Luca 23. 34.

Caput IX.

10. Sed potuit hoc facere, dicis mihi: ego non possum. Ego enim homo sum, ille Deus: homo ego, homo ille Deus homo. Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo? Sed ecce tibi loquor: ô homo, multum est ad te imitari Dominum tuum, adtende Stephanum conservum tuum. Certè Stephanus sanctus, homo erat, an Deus? Homo erat. Planè homo erat: hoc erat quod tu. Sed quod fecit, nonnisi donante illo, quem rogas & tu. Vide tamen quid fecerit. Loquebatur Judæis, sæviebat & diligebat. Utrumque ostendere debeo, quia dixi, sæviebat; dixi & diligebat: utrumque debeo demonstrare, & sævientem, & diligentem. Audi sævientem, Dura cervice. Verba sunt sancti Stephani, quando Judæos alloquebatur, Dura cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui-sancto restitistis. Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri? Audisti sævientem: alterum debeo, audi & diligentem. Irati illi facti, & graviùs inardescentes, & mala pro bonis reddentes, ad lapides cucurrerunt, Dei famulum lapidare cœperunt. Hîc proba sancte Stephane dilectionem tuam; hîc, hîc te videamus, hîc spectemus, hîc victorem diaboli triumphatoremque cernamus. Audivimus sævientem adversùs tacentes, videamus si diligis sævientes: sæviebas adversùs tacentes, videamus si diligis lapidantes. Si enim odisti, & odisse potuisti, nunc est tempus quando lapidaris, tunc maximè odisse debes. Videamus si reddis duritiam cordis lapidibus duris, lapidibus qui te lapidant. Lapides enim mittunt lapides, dura duri. Qui in lapide Legem acceperunt, lapides mittunt.

Stephani caritas erga lapidatores suos. Sævit & diligit. Act. 7. 51. & 52.

Caput X.

11. Videamus, Carissimi, videamus, spectemus magnum spectaculum: [b] spectemus & diei crastino proponendum. Videamus. Ecce Stephanus lapidatur, sit constitutus quasi ante oculos nostros. Eia membrum Christi, eia athleta Christi, inspice illum qui pro te pependit in ligno. Crucifigebatur ille, tu lapidaris. Ille dixit, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tu quid dicis, audiam. Videam [c] te, ne fortè possim imitari vel te. Primò beatus Stephanus stans oravit pro se, & ait, Domine Jesu, accipe spiritum meum. Deinde positis genibus pro lapidatoribus orans, Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum. Hoc dicto obdormivit. O felix somnus, & requies vera! Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare. Sed paululùm quæso te, sancte Stephane, expone mihi hoc, nescio quid, quare pro te stans orasti, & pro inimicis genu fixisti? Respondet fortasse quod intelligimus: Pro me stans oravi, quia pro me qui rectè Deo servivi oravi, orando & impetrando non laboravi. Qui pro justo orat, non laborat: ideo stans pro se oravit. Ventum est ut oraret pro Judæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatoribus suis, adtendit nimiam & magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficilè donari posset, & genu fixit. Fige genu in hac vinea, ô fortis operarie: fige, inquam, genu in opere hujus vineæ, fortissime operarie. Magnum opus tuum, egregium & laudandum multùm. Multùm altum fodisti, qui odium inimicorum de corde exuisti. Conversi ad Dominum, &c.

Genu fixo orat pro inimicis. Luca 23. 34. Act. 7. 58. & 59.

* SERMO L.

De eo [d] *quod scriptum est in Aggæo propheta,* Meum est aurum, & meum est argentum. *Contra Manichæos.*

* Aliàs de Diversis 15. necnon 50. inter homilias 50.

Caput I.

1. De Aggæo propheta Manichæi calumniantur, invidiosè accusantes quòd dixerit ex persona Dei loquentis, *Meum est aurum, & meum est argentum*: & quia Evangelium veteri Legi student pugnaciter comparare, ut sibi utræque Scripturæ velut adversariæ contrariæque videantur, ita proponunt quæstionem: In Aggæo, inquiunt, propheta scriptum est, *Meum est aurum, & meum est argentum*: in Evangelio autem, Salvator noster mammona hujusmodi iniquitatis speciem appellavit. De cujus usu beatus Apostolus ad Timothæum scribens, *Radix autem omnium malorum,* inquit, *est avaritia: quam quidam appetentes, aversi sunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hæc ipsorum est propositio quæstionis: vel

Aggæi 2. 9. Manichæorum in veteres Scripturas calumnia. Luca 16. 19. 1. Tim. 6. 10.

[a] Colbertinus MS. *amicus tuus adhuc odit. Dic animæ tuæ, &c.*
[b] Hoc loco Am. Er. & Colbertinus MS. *Exspectemus.*

[c] Am. Er. & MSS. *Videam, teneam: fortè possum imitari vel te.*
[d] Recensetur à Possidio in Indiculi cap. 2.

CLASSIS I.

potiùs veterum Scripturarum, per quas Evangelium prænuntiatum est, ex ipso Evangelio quod per eas prænuntiatum est, accusatio. Nam si quæstionem proponerent, forsitan quærerent: si autem quærerent, forsitan invenirent. A

Aurum & argentum res est, non hominis, sed Dei.

2. Cur non autem miseri intelligunt, quòd apud Aggæum loquens Dominus, propterea dixerit, *Meum est aurum, & meum est argentum*, ut & ille qui non vult cum indigentibus communicare quod habet, cùm audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat Deum non de re illius cui jubet, sed de re sua jubere donari; & ille qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne fortè non tam confirmetur misericordiæ nomine, quàm infletur superbiæ vanitate? *Meum est*, inquit, *aurum, & meum est argentum*, non vestrum, ô divites terræ. Quid ergo dubitatis pauperi dare de meo, aut quid extollimini cùm datis de meo? B

CAPUT II. Quia id Deus non modò condidit, sed pro nutu administrat aliis ad subsidium & probationem, aliis ad supplicium.

3. Et vis videre, quàm justi judicis res est aurum & argentum? Avarus inde torquetur, unde misericors adjuvatur. Rem suam divinâ distribuente justitiâ, & rectè facta inde manifestantur, & peccata inde puniuntur. Namque aurum & argentum atque omnis terrena possessio & exercitatio humanitatis est, & supplicium cupiditatis. Cùm talia Deus bonis hominibus tribuit, ostendit in eis quanta contemnat animus, cujus divitiæ sunt ipse qui tribuit. Non enim potest quisque apparere contemtor, nisi ejus rei cujus possessor effectus est. Nam & qui non habent, possunt ista contemnere: sed utrùm fingant, an verè contemnant, Deus videt qui cordis inspector est: hominibus autem, ut imitari possint, cogitatio contemnentis nonnisi in manibus erogantis inspicitur. Cùm autem malis hominibus Deus ista concedit, ostendit in eis quomodo & in ipsis bonis quæ Deus largitur, crucietur animus, cui viluit qui tanta largitur. Bonis enim subministrat occasiones beneficiorum: malos torquet timore damnorum. Et ideo si amittant utrique aurum & argentum, isti cælestes divitias læto corde retinebunt; illis autem & bonis temporalibus inanis domus, & bonis æternis inanior conscientia remanebit. C D E

Aurum ejus propriè est, qui illo bene utitur, adeoque veriùs est Dei.

4. Illius est ergo aurum & argentum, qui novit uti auro & argento. Nam etiam inter ipsos homines tunc quisque habere aliquid [a] dicendus est, quando bene utitur. Nam QUOD JUSTE NON TRACTAT, jure non tenet. Quod autem jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris, sed impudentis incubatoris improbitas. * Quapropter si homo non importunè dicit aliquid suum, non quod iniqua & stulta cupiditate occupaverit, sed quod prudentissima potestate & justissima moderatione tractaverit; quantò magis Deus verè ac propriè suum esse dicit aurum & argentum, quod & largissima bonitate condidit, & justissimo administrat imperio; ut sine ipsius nutu atque dominatu, nec mali ad avaritiæ supplicium, nec boni ad usum misericordiæ possint habere aurum & argentum? Quod tamen & instituere ut sit, & ut alteri adsit, alteri desit, distribuere atque ordinare, non possunt. F G

* CAPUT III.

5. Si autem solis malis in potestatem daretur aurum & argentum, rectè putaretur malum: si solis bonis, rectè putaretur magnum aliquod bonum. Rursus si solis malis deesset, videretur magna pœna paupertas: si autem solis bonis deesset, videretur summa beatitudo paupertas. Nunc verò si scire vis aurum posse bene haberi, habent & boni: si scire vis non eos per aurum bonos esse, habent & mali. Item si scire vis quàm non sit miseria paupertas, sunt quidam pauperes beati: si scire vis quàm non sit beatitudo paupertas, sunt quidam pauperes miseri. Ita ergo aurum & argentum distribuit hominibus conditor rerum & administrator Deus, ut ipsum per se naturâ & genere suo bonum sit, quamvis non summum & magnum bonum, & pro [b] gradu sui ordinis laudabilem conditorem universitatis ostendat; copia verò ejus non extollat bonos, nec elidat inopia; malos autem & cùm offertur excæcet, & cùm aufertur excruciet.

SERM. DE SCRIPTURIS. Aurum bonis & malis cur datur.

CAPUT IV. Aurum non rectè vituperari posse.

6. Res ergo condita & ad Conditoris laudem, & ad bonorum probationem, malorumque supplicium, rectè vituperari nullo modo potest: & eam verissimè Deus dicit suam, quam non solùm condidit affluentissima bonitate, sed etiam providentissimâ moderatione dispensat. Cùm autem hoc genus rerum Dominus in Evangelio mammona iniquitatis appellat, significat esse alterum mammona, id est, alias divitias, quas nisi justi & boni possidere non possunt, ut ideo mammona iniquitatis vocetur, quia iniquitas eas vocat divitias. Justitia verò novit esse alias divitias, quibus homo adornatur interior: sicut beatus Petrus dicit, Qui est ante Deum dives. Illæ justæ dicuntur divitiæ, quia bonis meritis justisque tribuuntur. Illæ veræ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas habuerit non egebit. Istæ verò injustæ divitiæ, non quia injustum est aurum & argentum; sed quia injustum est eas putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantò enim magis quisque ardebit egestate, [c] quantò magis eas diligens majores habuerit. QUOMODO ergo SUNT DIVITIÆ, quibus crescentibus crescit inopia; quæ amatoribus suis quantò fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Divitem tu putas, qui minùs egeret, si minùs haberet? Nam videmus quosdam, cùm haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse lætatos: sed postea quàm cœpit eis abundare, verùm quidem corpus auri & argenti, sed tamen falsæ divitiæ, cùm parva obtuleris, jam recusant. Credis eos jam esse satiatos: sed falsum est. Nam major pecunia fauces avaritiæ non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit. Poculum respuunt, quia fluvium sitiunt. Utrùm ergo ditior, an egentior dicendus est, qui cùm ideo voluit habere aliquid ne indigeret, ideo plus habet ne minùs indigeat?

Mammona iniquitatis.

1. Petri 3. 4.

Divitiæ aliæ veræ, aliæ falsæ.

CAPUT V. Divitiarum pius usus.

7. Sed non est hæc auri culpa & argenti. Fac enim misericordem aliquem invenisse thesaurum: nonne operante misericordiâ præbetur hospitalitas peregrinis, aluntur famelici, nudi vestiuntur, inopes adjuvantur, captivi redimuntur, construuntur ecclesiæ, reficiuntur lassi, pacantur litigiosi, reparantur naufragi, curantur ægroti,

[a] Sic MSS. necnon Am. & Er. in trigesima inter homilias 50. At Vlim. Par. & Lov *dignus est*.

[b] Sic Am. Er. & omnes MSS. At Vlim. Par. & Lov. *& pro gradus sui ordine*.

[c] In trigesima ex 50. homiliis Am. Er. & MSS. *egestate avaritiæ*.

Classis I.

corporales opes dispertiuntur in terra, spiritales reconduntur in cælo? Quis hæc facit? Misericors & bonus. Unde facit? De auro & argento. Cui serviens hæc facit? Ei qui dixit, *Meum est aurum, & meum est argentum.* Videtis jam, ut arbitror, Fratres, quàm magno errore magnaque dementiâ in res ipsas quibus homines malè utuntur, crimen malè utentium transferatur. Nam si propterea vituperatur aurum & argentum, quia homines avaritiâ depravati, neglectis præceptis omnipotentissimi Creatoris, in ea quæ condidit detestabili cupiditate rapiuntur; vituperetur etiam omnis Dei creatura, quia, sicut Apostolus dicit, perversi quidam homines coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Vituperetur etiam iste sol: quem certè iidem Manichæi, quoniam non intelligunt esse creaturam, tamquam ipsum Creatorem, vel tamquam ejus aliquam partem colere atque adorare non desinunt. Cur ergo ipsum non vituperant, cùm plerumque homines de usu solis & luminis in ædificiis suis lites injustissimas concitant; & ut fenestris suis radii liberiores aliquantò largiùs infundantur, domos alienas dejicere sæpe moliuntur; & eos qui contradixerint, etiamsi jure certissimo contradicant, inimicitiis acerbissimis insectantur? Si quem igitur infirmorum potentior aliquis injustè ac nefariè propter usum solis oppresserit, diripuerit, in exsilium etiam mortemve compulerit, solis est crimen, quo ille abundantiùs uti desiderat, an potiùs malè utentis iniquitas, qui dum cupit corporis oculis temporale lumen largius adquirere, cubiculum cordis luci non aperit æquitatis?

Dementia est, crimen malè utentium in res ipsas transferre.

Rom. 1. 25.

Caput VI. Aurum à Manichæis injustè accusari.

8. Ex quo isti, si possunt, intelligant, aut aurum & argentum se accusare non oportere, quamvis de auro & argento sæpe homines cupidissimi dimicent; aut accusationes suas de terra in cælum, & de metallis fulgentibus in sidera, atque in ipsum solem se debere transferre; quando iniqui homines inexpiabili sæpe discordiâ de possidenda solis luce confligunt. Simul etiam discant, quid intersit inter hanc lucem visibilem, lucemque justitiæ. Siquidem fieri potest, ut quantò majori aviditate frui quisque hac luce voluerit, tantò majori cæcitate à justitiæ luce deficiat. Nullâ enim creaturâ homo justificari potest: sed ut creaturis omnibus justè uti possit, à Creatore justificandus est. Itaque ipse Dominus, quamvis avaritiam sicut justus judex ubique condemnet; usum tamen copiarum terrenarum tamquam verus magister ostendit, in eo ipso loco, quem isti tamquam contrarium Prophetæ objicere voluerunt. Ait enim: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis:* hoc est dicere, quæ mammona iniquitatis est, vestra mammona esse non debet. Tunc enim justè poteritis uti rerum copiâ terrenarum, & amicos inde facere, qui vos recipiant in tabernacula æterna, si mammona vobis ista non fuerit, id est, si non ex ea vos divites fieri putaveritis. Quoniam divitiæ vestræ, quæ sunt veræ divitiæ, quæ ab omni vos indigentia liberabunt, non sunt terrenis facultatibus comparandæ. Sed ut illis frui meritò possitis, priùs istis bene utendum est, quæ non sunt divitiæ veræ, nec vestræ: quia injustè dicuntur divitiæ; non enim auferunt egestatem, & eas divitias iniqui putant. Istis enim se ab indigentia liberari arbitrantur: vos autem alias, id est veras & vestras debetis desiderare divitias. Sed *si in injusto mammona fideles non fuistis, verum quis dabit vobis?* * *Et si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit vobis?*

Auri cupiditas damnatur, rectus usus à Domino commendatur.

Luca 16. 9.

Serm. de Scripturis.

Ibidem 11.

ỹ. 12.

9. Quamquam Manichæos proprio more propheticis dictis calumniari manifestum fit. Quisquis enim ejusdem Scripturæ circumstantiam vel mediocriter inspexerit, inveniet non de hoc argento vel auro, quo avaritia imprudenter insanit, dixisse Prophetam; sed de illo potiùs, cujus etiam Apostolus meminit, dicens, Si quis autem ædificat supra fundamentum aurum & argentum, lapides pretiosos. Quo auro & argento dives est ille thesaurus, quem in agro ipse Dominus inventum, & à quodam mirabiliter laudabiliterque avaro venditis omnibus suis emtum esse testatur. Nam ipsum Dominum prænuntians, & novi sæculi, hoc est, Ecclesiæ tempora figuratè, ut solet, designans Propheta, sic dicit: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam,* * *& movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum.* * *Meum est aurum, & meum est argentum, dicit Dominus exercituum.* * *Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Manichæi Propheta rum calumniatores.

1. Cor. 3. 12.

Aggæi 2. ỹ. 8. ỹ. 9. ỹ. 10.

10. Si vellent isti non esse canes & porci, quibus sanctum dare & margaritas projicere prohibemur; sed petentes accipere, & quærentes invenire, & pulsantes aperiri sibi desiderarent; quàm possent fortasse etiam sine ullo interprete, duce ipso sancto Spiritu sentire quæ dicta sunt, ad novi populi, hoc est, ad Christiani populi, cujus sacerdos magnus est Jesus Filius Dei, sine ulla caligine pertinere: certè vel eo loco ubi dictum est, *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* De novissimo enim Domini, id est, secundo adventu, quo in claritate venturus est, versus iste prolatus est, cùm ait Propheta, *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Quando enim primò in carne mortali per Mariam virginem venit, nondum desiderabatur à cunctis gentibus; quia nondum crediderant. Disseminato autem Evangelio per omnes gentes, in omnibus gentibus desiderium ejus accenditur. Per omnes enim gentes [a] & sunt, & erunt electi ejus, qui toto corde in oratione dicant, Adveniat regnum tuum. Sed primus adventus misericordiam præseminavit judicio: in quo judicio secundi adventûs claritas eminebit. Priùs ergo oportebat moveri cælum, cùm eum Angelus concepturæ virgini nuntiavit, cùm Magos ad eum adorandum stella perduxit, cùm rursus Angeli natum pastoribus indicarunt: moveri terram, cùm ejus miraculis turbaretur: moveri mare, cùm iste mundus persecutionibus fremeret: moveri aridam, cùm in eum credentes esurirent sitirentque justitiam: moveri denique omnes gentes, cùm Evangelium ejus usquequaque discurreret. Tunc deinde veniret desideratus omnibus gentibus,

Caput VII. Aggæi locus vindicatur.

Matth. 6. 10.

[a] Editi, *Per omnes gentes erunt:* omisso, *& sunt &*; quod ex Germanensi MS. restituimus.

CLASSIS I. CAPUT VIII. Aurum & argentum allegoricè.

sicut Prophetâ pronuntiante, venturus est. Et implebitur domus ista gloriâ, id est, Ecclesia.

11. Consequenter itaque subjecit, *Meum est aurum, & meum est argentum.* Omnis enim sapientia quæ nomine auri figuratè significatur, & eloquia Domini eloquia casta, argentum igne probatum terræ, purgatum septuplùm: omne ergo tale argentum & aurum non est hominum, sed Domini: ut quoniam implebitur domus gloriâ, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia enim sacerdos ille magnus, domûs hujus inhabitator, Dominus noster Jesus Christus, propter reditum hominis, qui per superbiam de paradiso exierat, se ipsum exemplum humilitatis præbere dignatus est: quod testatur in Evangelio clamans, Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde: ne quis fortè in domo ejus, id est, in Ecclesia, si quid sapienter potuerit vel sentire vel dicere, quasi sua propria videri volens extollatur; videte quantâ medicinâ ei [a] dicitur à Domino Deo, *Meum est aurum, & meum est argentum.* Sic enim fiet quod sequitur, ut magna sit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ. Prima enim domus, id est, cives terrenæ Jerusalem, sicut Apostolus dicit, ignorantes Dei justitiam, & suam justitiam quærentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Videte si non isti, dum suum esse dicunt aurum & argentum, non potuerunt ad æternam gloriam domûs novissimæ pervenire. Tamen cùm dicit Propheta, *Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ*, nec ipsam primam sine aliqua gloria fuisse demonstrat. Nam de illa loquebatur etiam Apostolus, cùm diceret, Si enim quod evacuatur per gloriam est, multò magis quod manet, in gloria erit.

Psal. 11. 7.

2. Cor. 10. 17.

Matth. 11. 29.

Rom. 10. 3.

2. Cor. 3. 11.

CAPUT IX. Pax promissa post resurrectionem.

12. Versus autem ultimus, quo iste Prophetæ sermo concluditur, *Et in loco isto*, inquit, *dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quid est, *in loco isto*, nisi terrenum fortè aliquid tamquam digito ostendit? Quid enim potest contineri loco, nisi corpus? Non absurdè ergo ultimam resurrectionem corporis intelligimus, qua beatitudo perfectissima terminatur, quando jam non concupiscit caro adversùs spiritum, nec spiritus adversùs carnem. Hoc enim corruptibile induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Non erit alia lex in membris repugnans legi mentis: quia *in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

1. Cor. 15. 53.

Auri contemtus in Propheticis litteris cômendatus.

13. Nam de contemtu terreni auri & argenti quæ Prophetæ dicant, quis adversùs divinas voces tam surdus est, ut ignoret? Sic enim illi ad decipiendos homines de Apostolo proferunt quod ait, *Radix est autem omnium malorum avaritia, quam quidam sectantes à fide pererraverunt, & inseruerunt se doloribus multis*, quasi facilè invenias aliquem librum veterum Scripturarum, ubi non culpetur avaritia, & digna exsecratione damnetur. Sed quia de auro & argento nunc quæstio est, cur non audiunt Prophetam dicentem, Sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini? Hoc solum si quisquam sitiens audiat, & animæ suæ medullis infundat, nonne se totum à blandimentis falsæ felicitatis alienans, in amplexum Dei, vetere homine exutus ut se immortalitate cooperiat, advocabit? Sed quid jam diutiùs de hac quæstione tractemus? Credo esse manifestum Caritati Vestræ, Manichæorum sectam non veritate, sed fraude agere cum imperitis, ut Scripturas [b] non totas totis, novas veteribus præferant; sed sententias excerpendo, quas velut adversas sibi esse conantur ostendere, ut decipiant imperitos. Nulla est autem de ipso novo Testamento vel Apostoli Epistola, vel etiam liber Evangelii, de quo non possint ista fieri; ut quibusdam sententiis ipse unus liber sibi videatur esse contrarius, nisi ejus tota contextio diligentissimâ lectoris intentione tractetur.

1. Tim. 6. 10.

Ezech. 7. 19.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO LI.

* Aliàs de Diversis 63.

De [c] concordia Evangelistarum Matthæi & Lucæ in generationibus Domini.

CAPUT I. Tractanda quæstio proposita in die natali Christi.

1. EXSPECTATIONEM Caritatis Vestræ ille impleat, qui excitavit. Etsi enim quæ dicenda sunt vobis, non nostra, sed Dei esse præsumimus; tamen multò magis nos dicimus, quod humiliter dicit Apostolus, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis Dei sit; & non ex nobis. Non dubitamus itaque meminisse vos pollicitationis nostræ. In ipso promisimus, per quem nunc reddimus. Nam & cùm promitteremus, ab ipso petebamus: & cùm reddimus, ab ipso accipimus. Meminit autem Caritas Vestra nos matutinâ Natalis Domini distulisse quam solvendam proposuimus quæstionem: quia multi nobiscum, etiam quibus solet esse onerosus sermo Dei, sollemnitatem illam diei debitam celebrabant. Nunc verò puto, neminem convenisse, nisi qui audire desiderat. Non itaque loquimur cordibus surdis, non fastidientibus animis. Hæc autem vestra exspectatio, pro me oratio est. Accessit aliquid; quia & dies Muneris multos hinc ventilavit, pro quorum quidem salute quantum satagimus, tantum fratres ut satagatis hortamur; & pro his qui nondum intenti sunt spectaculis veritatis, sed dediti sunt spectaculis carnis, intenta mente deprecemini Deum. Novi enim, & certè scio esse modò in numero vestro eos qui hodie contemserunt: sed rumpunt ea, quæ [d] consuerunt. Mutantur enim homines, & in melius & in deterius. Quotidianis hujuscemodi experimentis vicissim & lætamur & contristamur; lætamur correctis, contristamur depravatis. Ideoque Dominus non ait salvum futurum esse qui cœperit: sed qui perseveraverit, inquit, usque in finem, hic salvus erit.

2. Cor. 4. 7.

Spectaculorum dies.

Matth. 10. 22.

Spectacula Christianorum.

2. Quid autem potuit admirabilius nobis concedere Dominus Jesus Christus Filius Dei, qui est & filius hominis, quia & hoc esse dignatus est; quid potuit magnificentius, quàm ut non solùm spectatores nugacium Munerum aggregaret ovili suo, sed etiam nonnullos qui illic spectari solent? Non enim tantùm amatores Venatorum, sed etiam ipsos Venatores venatus est ad

[a] Sic Germanensis MS. Editi autem, *videte quanta medicina ei detur à Domino. Meum est &c. Sic enim consequitur. Ut magna sit gloria &c.*

[b] Sic MS. At editi, *ut Scripturas totas non totis &c.*

[c] Possidius in capite 8. Indiculi recordatur Sermonis *De generationibus secundùm Matthæum.*

[d] Regius MS. *consueverunt.*

CLASSIS I.

salutem: quia & ipse spectatus est. Audi quomodo. Ipse dixit, ipse antè quàm spectaretur prædixit, & tamquam factum esset quod futurum erat prophetico eloquio prænuntiavit, dicens in Psalmo, Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ecce quomodo spectatus est, ut ossa ejus dinumerarentur. Et dicit apertiùs ipsum spectaculum: Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me. Spectabatur illudendus, spectabatur ab eis qui non ei saltem faverent in illo spectaculo, sed sævirent: quomodo spectari fecit Martyres suos primitus, dicente Apostolo, Spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus. Sed duo genera hominum talia spectacula spectant, unum carnalium, alterum spiritalium. Carnales spectant, miseros putantes eos Martyres, qui bestiis * subjecti sunt, qui capite cæsi, qui ignibus concremati, detestantes eos & exhorrentes. Alii verò sicut & sancti Angeli spectant, non adtendentes corporum laniatus, sed mirantes fidei integritatem. Magnum spectaculum præbet oculis cordis integer animus, corpore dissipato. Hæc vos cùm in ecclesia leguntur, libenter spectatis oculis cordis. Si enim nihil spectaretis, nihil audiretis. Videtis ergo quòd hodie spectacula non contemsistis, sed elegistis. Adsit itaque Deus, dans ut amicis vestris quos doletis hodie ad amphitheatrum cucurrisse, & ad ecclesiam venire noluisse, referatis dulciter vestra spectacula: ut & illis incipiant vilescere illa, quæ amando ipsi viluerunt; & ament vobiscum Deum, de quo nemo potest amator erubescere, quia illum amat qui non potest vinci. Ament vobiscum Christum, qui eo ipso quo videbatur victus, vicit orbem terrarum. Vicit enim orbem terrarum sicut videmus, Fratres: subjecit omnes potestates, subjugavit reges, non superbo milite, sed irrisa cruce; non sæviens ferro, sed pendens ligno; patiendo corporaliter, faciendo spiritaliter. Illius corpus erigebatur in cruce: ille mentes cruci subdebat. Denique quæ gemma pretiosior in diademate, quàm crux Christi regnantium in fronte? [a] Hunc vos amando, numquam erubescitis. Quàm multi enim de amphitheatro victi revertuntur, victis eis pro quibus insaniunt. Qui magis vincerentur, si vincerent. Subderentur enim vanæ lætitiæ, subderentur exsultationi pravæ cupiditatis: qui hoc ipso quo illuc currunt, victi sunt. Quàm multos enim putatis, Fratres, dubitasse hodie, utrùm huc irent, an illuc? Et qui in ipsa dubitatione considerantes Christum ad ecclesiam cucurrerunt, vicerunt non quemlibet hominem, sed diabolum ipsum, totius mundi pessimum Venatorem. Qui autem in illa dubitatione elegerunt potiùs ad amphitheatrum currere, ab illo utique victi sunt, quem isti vicerunt. Vicerunt autem in illo qui ait, Gaudete, quia ego vici mundum. Quia propterea tentari se passus est Imperator, ut doceret militem dimicare.

Psal. 21.17. & 18. — *Ibidem.* — *1. Cor. 4. 9.* — Martyrum mortem aliter spectant carnales, aliter spirituales. — * *Aliis locis*, subrecti. — a — *Johan. 16. 33.*

CAPUT II. Christus de femina nasci cur voluerit.

3. Hoc ergo ut faceret Dominus noster Jesus Christus, utique nascendo de femina, filius hominis factus est. At enim si non nasceretur de Maria virgine, quid esset minus? Dicit aliquis, Homo esse voluit: esset homo, non tamen de femina nasceretur: non enim & primum homi-

A nem quem fecit, ex femina fecit. Ad hoc vide quid respondeatur. Tu dicis, ad nascendum ut quid elegerit feminam. Respondetur tibi, Immo ad nascendum cur fugeret feminam? Puta me non posse ostendere quia elegerit, ut de femina nasceretur: tu ostende quid fugere in femina debuit. Sed aliquando jam dicta sunt, quia utique si fugeret feminæ uterum, velut significaret se ex illa contaminari potuisse. Quantò autem erat per substantiam suam immaculabilior,
B tantò non debuit formidare uterum carnis, quasi posset inde maculari: sed natus de femina, ostendere nobis debuit magni aliquid sacramenti. Nam re vera, Fratres, & nos fatemur, quòd si vellet Dominus sic fieri homo, ut non ex femina nasceretur, erat utique facile Majestati. Quomodo enim potuit ex femina sine viro; sic posset nec per feminam nasci. Sed hoc nobis ostendit, ut scilicet in nullo sexu de se desperaret humana creatura. Sexus enim humanus ma-
C rium est & feminarum. Si ergo vir exsistens, quod utique esse deberet, non nasceretur ex femina; desperarent de se feminæ, memores primi peccati sui, quia per feminam deceptus est primus homo; & omnino nullam se spem habere in Christo arbitrarentur. Venit ergo vir sexum præeligere virilem, & natus ex femina sexum consolari femineum, tamquam alloquens & dicens, Ut noveritis quòd non Dei creatura mala est, sed voluptas prava pervertit eam, in principio cùm
D feci hominem, masculum & feminam feci. Non creaturam damno, quam feci. Ecce natus sum vir, ecce natus ex femina. Non ergo creaturam damno, quam feci; sed peccata, quæ non feci. Uterque sexus videat honorem suum, & uterque confiteatur iniquitatem suam, & uterque speret salutem. Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando
E Christum. Inde & resurgentem Deum priores feminæ Apostolis nuntiarunt. Nuntiavit viro suo mortem femina in paradiso: nuntiaverunt & feminæ salutem viris in Ecclesia. Resurrectionem Christi Apostoli erant gentibus nuntiaturi: Apostolis feminæ nuntiarunt. Nemo ergo calumnietur Christo nato ex femina, de quo sexu Liberator maculari non posset, & quem sexum Creator commendare deberet.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Per feminam venenum, per feminam salus.

CAPUT III. Evangelii fides toto orbe recepta.

4. Sed, inquiunt, quomodo credituri sumus
F natum ex femina Christum? Respondeam, Ex Evangelio quod prædicatum est & prædicatur universo orbi terrarum. Sed rei jam creditæ per omnem terram quæstionem conantur ingerere cæci, excæcare alios affectantes, & non videntes quod videndum est, dum convellere conantur quod credendum est. Respondent enim, & dicunt, Noli nos auctoritate orbis terrarum premere: ipsam Scripturam consideremus. Noli populariter agere: multitudo tibi seducta favet. Pri-
G mò hîc respondeo: Multitudo seducta mihi favet? Hæc multitudo, paucitas fuit. Unde crevit hæc multitudo, quæ in istis incrementis tantò antè nuntiata est? Non enim crescere visa est, quæ non est prævisa. Non dico, paucitas erat: unus erat Abraham. Considerate, Fratres, unus erat Abraham per totum mundum illo tempore,

a Lov. *Hanc*: cujus loco MSS. *Hunc*.

Classis I.

Gen. 22. 18.

per totum orbem terrarum inter omnes homines, (A) inter omnes gentes, cui homini dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes: Quod credidit unus de sua singularitate, exhibitum est multis de seminis multitudine. Tunc non videbatur, & credebatur; nunc videtur, & impugnatur: & quod uni tunc dicebatur & ab uno credebatur; nunc oppugnatur à paucis, quando exhibetur in multis. Ille qui discipulos suos fecit piscatores hominum, intra retia sua omne genus auctoritatis inclusit. Si multitudini credendum (B) est; quid copiosius Ecclesiâ toto orbe diffusâ? Si divitibus credendum est; adtendant quot divites cepit: si pauperibus credendum est; adtendant pauperum millia: si nobilibus; intus est jam penè tota nobilitas: si regibus; videant omnes subditos Christo: si eloquentioribus, doctioribus, prudentioribus; intueantur quanti Oratores, quanti periti, quanti philosophi hujus mundi ab illis piscatoribus irretiti sint, ut ad salutem de profundo adtraherentur; cogitantes eum qui ma- (C) gnum malum animæ humanæ, id est superbiam, suæ humilitatis exemplo sanare descendens, infirma mundi elegit, ut confunderet fortia; & stulta hujus mundi elegit, ut confunderet sapientes; non qui essent, sed qui esse viderentur: & ignobilia hujus mundi elegit, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt evacuaret.

1. Cor. 1. 27.

Caput IV. Dissonantia Evangeliorum nulla esse securè creditur, donec intelligatur.

5. Quidquid velis dicas, inquiunt, nos deprehendimus ubi legitis natum Christum, dissonare inter se Evangelia, & non posse utrumque (D) verum esse quod dissonat. Cùm enim ostendero, inquit, dissonantiam, rectè improbo fidem: aut tu qui accipis fidem, ostende concordiam. Quam quæso dissonantiam demonstrabis? Apertam, inquit, cui nemo potest contradicere. Quàm securi auditis, quia fideles estis. Adtendite dilectissimi, & videte quàm salubriter Apostolus moneat, dicens, Sicut ergo accepistis Christum Jesum Dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in (E) fide. Ipsa enim simplici & certa fide, in illo firmiter permanere debemus, ut ipse aperiat fidelibus quod in se absconditum est: quia sicut idem dicit Apostolus, In illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Quos non propterea abscondit, ut neget; sed ut absconditis excitet desiderium. Hæc est utilitas secreti. Honora in eo quod nondum intelligis; & tantò magis honora, quantò plura vela cernis. Quantò (F) enim quisque honoratior est, tantò plura vela pendent in domo ejus. Vela faciunt honorem secreti: sed honorantibus levantur vela. Irridentes autem vela, & à velorum vicinitate pelluntur. Quia ergo transimus ad Christum, aufertur velamen.

Coloss. 2. 6. & 7. — Ibidem 3. — Utilitas secreti. — Vela appensa in domo. — 2. Cor. 3. 16.

Caput V. Pia fides Scripturarum.

6. Proferunt calumnias suas quidam, & dicunt, Matthæus certè Evangelista est? Respondemus, Ita; pio ore, corde devoto, in nullo omnino dubitantes: respondemus planè, Evangelista est Matthæus. Credis ei, inquiunt? Quis (G) non respondeat, Credo? Quomodo de murmure vestro pio insonuit? Ita, Fratres, [a] si securè creditis, non est unde erubescatis. Loquor vobis, aliquando deceptus, cùm primò puer ad divinas Scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi, quàm pietatem quærendi: ego ipse contra me perversis moribus claudebam januam Domini mei: [b] quum pulsare deberem, ut aperiretur; addebam, ut clauderetur. Superbus enim audebam quærere, quod nisi humilis non potest invenire. Quantò vos beatiores estis modò, quàm securi discitis, quàm [c] tuti, quicumque adhuc parvuli estis in nido fidei, & spiritalem escam accipitis. Ego autem miser, cùm me ad volandum idoneum putarem, reliqui nidum; & priùs cecidi, quàm volarem. Sed Dominus misericors me, à transeuntibus ne conculcarer & morerer, levavit, & in nido reposuit. Hæc enim me perturbaverunt, quæ modò vobis securus in nomine Domini & propono, & expono.

Augustinus ad divinas Scripturas non piam mentem afferens aliquando, decipitur. — Serm. de Scripturis.

Christus quomodo filius Abraham & David.

7. Ut ergo dicere cœperam, ita illi calumniantur: Matthæus, inquiunt, Evangelista est, & creditis ei? Consequenter utique quem fatemur Evangelistam, huic necessariò credimus. Adtendite generationes Christi, quas posuit Matthæus: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham.* Quomodo filii David, quomodo *filii Abraham?* Nisi enim per successionem generis, ostendi non potest. Constat quippe cùm Dominus nasceretur de virgine Maria, neque Abraham, neque David in rebus humanis fuisse. Et tu eumdem dicis filium David, eumdemque dicis filium Abraham? Tamquam dicamus Matthæo, Proba ergo quod dicis. Exspecto enim successionem generis Christi. *Abraham,* ỷ. 2.
inquit, *genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.*
Iacob autem genuit Iudam, & fratres ejus. * *Iu-* ỷ. 3.
das autem genuit Phares & Zaram de Thamar.
Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit
Aram. * *Aram autem genuit Aminadab. Amina-* ỷ. 4.
dab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit
Salmon. * *Salmon autem genuit Booz ex Rahab.* ỷ. 5.
Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem ge-
nuit Iesse. Iesse autem genuit David Regem. Jam
hinc adtendite quemadmodum à David pervenitur ad Christum, qui dictus est filius Abraham & filius David. *David autem,* inquit, *ge-* ỷ. 6.
nuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. * *Salomon* ỷ. 7.
autem genuit Roboam. Roboam autem genuit
Abiam. Abia autem genuit Asa. * *Asa autem* ỷ. 8.
genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram.
Ioram autem genuit Oziam. * *Ozias autem genuit* ỷ. 9.
Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz
autem genuit Ezeciam. * *Ezecias autem genuit* ỷ. 10.
Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon
autem genuit Iosiam. * *Iosias autem genuit Iecho-* ỷ. 11.
niam & fratres ejus, in transmigratione Babylonis.
* *Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias* ỷ. 12.
genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zoroba-
bel. * *Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud au-* ỷ. 13.
tem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor.
* *Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit* ỷ. 14.
Achim. Achim autem genuit Eliud. * *Eliud autem* ỷ. 15.
genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan.
Mathan autem genuit Iacob. * *Iacob autem ge-* ỷ. 16.
nuit Ioseph, virum Mariæ: de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Sic ergo per ordinem successionemque parentum & progenitorum invenitur Christus filius David, filius Abraham.

Matth. 1. 1.

Generationes ab Abraham us-

8. Cui rei fideliter enarratæ, istam calumniam primam movent, quia sequitur idem Mat-

[a] MSS. *si securè creditis.* Particula *si* redundare videtur.
[b] MSS. *quam.*

[c] Sic Regius MS. At Lov. *quàm militer.*

Classis I. que ad Christum.

thæus, & dicit, *Omnes generationes ab Abraham* A *usque ad David, generationes quatuordecim: &*
à David usque ad transmigrationem Babylonis,
ỳ. 17. *generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.* Deinde subjecit, ut narraret quomodo natus est Christus de Maria virgine, subjun-
ỳ. 18. gens, & dicens, *Christi autem generatio sic erat.* Etenim ordine parentum enumeravit quare dicatur Christus filius David, filius Abraham:

*Caput VI.

* quomodo autem natus sit, & inter homines B apparuerit, narrari jam debet; & consequens est ipsa narratio, per quam credimus Dominum nostrum Jesum Christum non solùm natum de Deo sempiterno, coæternum ei qui genuit ante omnia tempora, ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia; sed etiam jam natum de Spiritu-sancto ex virgine Maria, quod pariter confitemur. Reminiscimini enim & nostis, (Catholicis quippe loquor fratribus meis,) hanc esse fidem nostram, hoc nos profiteri & confiteri. Pro C ista fide interfecta sunt millia Martyrum, toto orbe terrarum.

Conceptio Christi de Spiritu-sancto.

9. Hoc enim quod sequitur volunt illi ridere, qui volunt fidem derogare libris Evangelicis: ut nos veluti ostendant temere credidisse quod dicitur, *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Ioseph, antè quàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu-sancto.*
ỳ. 19. * *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit eam occultè dimittere.* Quia enim de se D gravidam non esse sciebat, jam velut consequenter adulteram existimabat. *Cùm esset justus*, sicut Scriptura dicit, *& nollet eam traducere*, id est divulgare, nam hoc etiam multi codices habent; *voluit eam occultè dimittere.* Turbatur quidem maritus, sed non sævit justus. Tanta enim

Justitia Joseph sincera, non sæva.

justitia tribuitur huic viro, ut nec vellet habere adulteram, * nec auderet punire vulgatam. *Voluit eam*, inquit, *occultè dimittere:* quia non solùm eam punire noluit, sed nec prodere. Adtendite E sinceram justitiam. Non enim propterea parcere volebat, quòd habere cupiebat. Multi enim amore carnali adulteris uxoribus parcunt, volentes eas & adulteras habere, ut eis per carnalem concupiscentiam perfruantur. Hic autem vir justus habere eam non vult: ergo non carnaliter diligit. Et tamen punire non vult: ergo misericorditer parcit. Qualis hic justus est? Nec tenet adulteram, * nec propterea parcere videtur, quia libidinosè diligeret: & tamen nec punit, nec F prodit. Meritò planè testis electus est virginitatis uxoris. Qui ergo humana infirmitate turbabatur, divina auctoritate firmatus est.

* f. ne videretur.

Caput VII.

10. Sequitur enim, & dicit Evangelista, *Hæc eo cogitante ecce Angelus Domini in somnis appa-*
ỳ. 20. *ruit ei dicens, Ioseph noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est,*
ỳ. 21. *de Spiritu-sancto est.* * *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Quare *Iesum? Ipse enim*, inquit, *salvum faciet populum suum à peccatis eo-* G
Jesus. *rum.* Intelligitur ergo Jesum Hebræâ linguâ, Latinè interpretari Salvatorem, quod ex ipsa nominis expositione advertimus. Tamquam enim quæreretur, quare *Iesum?* continuò subjecit, rationem vocabuli aperiens, *Ipse enim*, inquit, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc piè credimus, hoc firmissimè retinemus, natum Christum de Spiritu-sancto ex virgine Maria.

Serm. de Scripturis.

11. Illi ergo quid dicunt? Si invenero, inquit, mendacium, totum certè non credis. Inveni, videamus. Numero generationes. Illi enim per calumnias suas ad id nos invitant, & adducunt. Si piè vivamus, si Christum credamus, si non de nido ante tempus cupiamus volare, ad id nos adducunt, ut mysteria cognoscamus. Intendat itaque Sanctitas Vestra utilitatem hæreticorum; & utilitatem quidem secundùm Deum, etiam malis bene utentem. Secundùm ipsos verò hoc redditur, quod [a] voluerunt; non hoc quod de ipsis Deus bene facit. Sicut de Juda quantum boni fecit? Passione Domini salvæ factæ sunt gentes. Sed ut pateretur Dominus, Judas eum tradidit. Deus ergo & gentes liberat passo Filio, & Judam punit pro scelere suo. Sacramenta enim quæ illic latent, nemo discuteret simpliciore contentus fide; & ideo nemo inveniret, quia nemo discuteret, nisi pulsantibus calumniatoribus. Cùm enim hæretici calumniantur, parvuli perturbantur: cùm perturbantur, inquirunt: inquisitio eorum, quasi percussio est de capite in ubera matris, ut tantum manent, quantum parvulis sat est. Illi turbati quærunt, qui autem norunt & didicerunt, quia scrutati sunt, & aperuit illis pulsantibus Deus, aperiunt & ipsi turbatis. Et sic fit ut illi sint utiles ad inveniendam veritatem, dum calumniantur ad seducendum in errorem. Negligentiùs enim veritas quæreretur, si mendaces adversarios non haberet. Oportet enim, inquit, & hæreses esse. Et quasi quæreremus caussam, subjecit statim, ut probati manifesti fiant inter vos.

Utilitas hæreticorum.

Utilitas per Judam proditorem.

1. Cor. 11. 19.

Caput VIII. Generationes ter quatuordecim apud Matth. inveniuntur, Jechonia bis numerato.

12. Quid ergo illi dicunt? Ecce Matthæus numerat generationes, & dicit ab Abraham usque ad David esse quatuordecim, & à David usque ad transmigrationem Babylonis quatuordecim, & à transmigratione in Babyloniam usque ad Christum quatuordecim. Duc in se ter quatuordecim, fiunt quadraginta-duo. Numerant autem, & inveniunt quadraginta & unam generationem, & movent calumniam, & irridentes insultant. Quid sibi ergo vult, cùm dicatur in Evangelio ter esse quatuordecim, tamen omnes numeratæ inveniuntur non quadraginta-duæ, sed quadraginta & una? Sine dubio magnum sacramentum est. Et gaudemus gratias agentes Domino, quia & per occasionem calumniantium invenimus aliquid quod quantò magis tegebatur quærendum, tantò magis delectet inventum. Sicut enim prælocuti sumus, edimus spectaculum mentium. Ab Abraham igitur usque ad David, quatuordecim sunt. Inde incipit numerus à Salomone: David enim genuit Salomonem. Incipit autem numerus à Salomone, & pervenit ad Jechoniam, qui cùm viveret facta est transmigratio in Babyloniam; & sunt aliæ quatuordecim generationes, annumerato Salomone à capite alterius intervalli, annumerato etiam Jechonia, ad quem clauditur ipse numerus, ut impleantur quatuordecim. Tertium verò intervallum ab ipso Jechonia incipit.

Cur Jechonias bis numeretur.

13. Intendat Sanctitas Vestra rem mysticam & dulcem: fateor vobis gustatum cordis mei: unde credo quia cùm protulero, & gustaveritis, idipsum

[a] MSS. quod noluerunt.

CLASSIS I.

idipsum renuntiabitis. Intendite ergo. A Jechonia ipso incipiente numero tertii intervalli, usque ad Dominum Jesum Christum fiunt quatuordecim: quia Jechonias ille & finalis superioris intervalli, & initialis sequentis intervalli bis numeratur. Sed dixerit aliquis, Quare Jechonias bis numeratur? Nihil gestum est antea in populo Israël, quod non esset mysterium futurorum. Jechonias quidem non irrationabiliter bis numeratur: quia & si sit terminus inter duos agros, vel lapis, vel discretio aliqua maceriæ, & ille qui est ex hac parte, usque ad ipsam maceriam metitur, & ille qui ex altera parte est, ab ipsa iterum sumit exordium metiendi. Sed quare hoc non factum est in prima connexione intervalli, ubi ab Abraham numeramus quatuordecim generationes usque ad David, & alias quatuordecim non repetito David, sed à Salomone incipimus numerare, reddenda caussa est, quæ magnum continet sacramentum. Intendat Sanctitas Vestra. Tunc facta est transmigratio in Babyloniam, quando in locum patris sui defuncti Jechonias rex constitutus est. Ablatum est ei regnum, & alius constitutus est in locum ejus. Sed tamen vivente Jechoniâ facta est transmigratio ad Gentes. Nulla enim culpa Jechoniæ dicitur, quare sit regno privatus: sed magis illorum peccata inducuntur, qui ei successerunt. Sequitur ergo captivitas, itur in Babyloniam. Non eunt soli mali; sed cum his pergunt etiam sancti. In illa captivitate erat Ezechiel propheta, in illa erat Daniel; ibi erant tres pueri inter flammas nobilitati. Ierunt autem secundùm prophetiam Jeremiæ prophetæ.

CAPUT IX. Transitus Evangelii ad Gentes figuratus in transmigratione Babylonis.

14. Mementote Jechoniam sine ulla culpa improbatum, inde destitisse regnare, & fecisse transitum ad Gentes, cùm transmigratum est in Babyloniam: & adtendite præmonstratam imaginem rerum futurarum in Domino Jesu Christo. Noluerunt enim Judæi sibi regnare Dominum nostrum Jesum Christum, in quo nullam culpam invenerunt. Reprobatus est in se, reprobatus etiam in servis suis; & transitum est in Gentes, tamquam in Babyloniam. Hoc enim & Jeremias prophetabat, jubere Dominum ut irent in Babyloniam. Et quicumque alii Prophetæ dicebant populo ut non irent in Babyloniam, Jeremias pseudoprophetas arguebat. Qui Scripturas legunt, recordentur nobiscum: qui non legunt, credant nobis. Minabatur ergo Jeremias ex persona Domini eis qui nolebant ire in Babyloniam: eis autem qui irent, promittebat ibi quietem, & quamdam felicitatem in novellandis vineis & plantandis hortis & ubertate fructuum. Quomodo ergo jam non in figura, sed in veritate populus Israël transit in Babyloniam? Unde erant Apostoli? Nonne de gente Judæorum? Unde ipse Paulus? Nam & ego, inquit, Israëlita » sum, ex semine Abrahæ, ex tribu Benjamin. Crediderunt ergo in Dominum multi de Judæis. Inde electi sunt Apostoli: inde erant plus quàm quingenti fratres, qui Dominum post resurrectionem videre meruerunt: inde erant centum-viginti in domo, quando Spiritus-sanctus advenit. Quid autem dicit Apostolus in Actibus Apostolorum, cùm respuerent verbum veritatis Judæi? Ad vos, inquit, missi eramus; sed quoniam » respuistis verbum Dei, ecce convertimus nos ad

Jerem. 27. — Rom. 11. 1. — 1. Cor. 15. 6. — Act. 1. 15. — Act. 13. 46.

Gentes. Facta est ergo transmigratio in Babyloniam secundùm spiritalem dispensationem temporis Incarnationis Domini, quæ tunc præsignata est tempore Jeremiæ. Sed quid dicit Jeremias transmigrantibus de his Babyloniis? Quia in pace ipsorum erit, inquit, pax vestra. Cùm ergo transmigraret etiam per Christum & Apostolos Israël in Babyloniam, hoc est Evangelium veniret ad Gentes, quid dicit Apostolus quasi ex voce tunc Jeremiæ? Obsecro ergo primùm « omnium fieri deprecationes, orationes, interpel- « lationes, gratiarum actiones pro omnibus homi- « nibus, pro regibus & his qui in sublimitate sunt « constituti; ut quietam & tranquillam vitam aga- « mus, cum omni pietate & castitate. Nondum erant reges Christiani, & orabat pro eis. Orans ergo Israël in Babylonia, exauditus est. Exauditæ sunt voces Ecclesiæ, facti sunt Christiani: & videtis impleri quod figuraliter dictum est, In eorum pace, erit pax vestra. Acceperunt enim pacem Christi, & destiterunt persequi Christianos; ut jam in securitate pacis ædificarentur ecclesiæ, & plantarentur populi in agricultura Dei, & fructificarent omnes gentes fide, spe, & caritate quæ est in Christo.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Jerem. 29. 7. — 1. Tim. 2. 1. & 2.

Christus inter Judæos & Gentes lapis angularis in Jechonia adumbratus.

15. Facta est transmigratio in Babyloniam tunc per Jechoniam, qui non est permissus regnare in Judæorum gente, typo Christi, quem Judæi sibi regnare noluerunt. Transitum fecit Israël ad Gentes, id est, prædicatores Evangelii transierunt ad populos Gentium. Quid ergo miraris quòd bis numeratur Jechonias? Etenim si Christi figuram gerebat à Judæis transeuntis ad Gentes; adtende quid est Christus inter Judæos & Gentes. Nonne ipse est ille lapis angularis? Adtende in angulo terminum parietis unius, & initium parietis alterius. Usque ad ipsum lapidem metiris unum parietem, & ab ipso alterum. Bis ergo numeratur lapis angularis, qui connectit utrumque parietem. Jechonias ergo gestans figuram Domini, tamquam lapis angularis typum præferebat. Et sicut Jechonias regnare non est permissus Judæis, sed itum est in Babyloniam: sic Christus lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli, ut Evangelium perveniret ad Gentes. Noli ergo dubitare bis numerare caput anguli, & occurrit tibi numerus scriptus; atque ita quatuordecim sunt, & quatuordecim, & quatuordecim: & non sunt tamen quadraginta-duæ generationes, sed quadraginta & una. Quia sicut ordo lapidum cùm per lineam rectam dirigitur, omnes singillatim numerantur; cùm autem detorquetur ordo, ut angulum faciat, illum lapidem unde torquetur oportet bis numerari; quia & ad illum ordinem pertinet, qui usque ad ipsum finitur, & ad illum qui ab ipso incipit: sic ordo generationum quamdiu in illo populo mansit, in bis septeno, id est, intervallo non fecit angulum; cùm autem detortus ordo est, ut transmigraretur in Babyloniam, velut à Jechonia quidam factus est angulus; ut eum in typo illius venerandi lapidis angularis bis numerare oporteret.

Psal. 117. 22.

CAPUT X. Cur genealogia Christi deducitur per Joseph.

16. Altera illorum calumniatio est. Per Joseph, inquiunt, generationes Christi, & non per Mariam numerantur. Adtendat paulisper Sanctitas Vestra. Non, inquiunt, per Joseph debuit. Quare non debuit per Joseph? Numquid non

CLASSIS I.

Joseph verus maritus Mariæ. ℣. 20.

erat maritus Mariæ Joseph? Non, inquiunt. Quis hoc dicit? Scriptura enim dicit Angelica auctoritate, quòd maritus erat. *Noli timere*, inquit, *accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in illa natum est, de Spiritu-sancto est.* Ei quoque jubetur ut puero nomen imponat, quamvis non

℣. 21.

de semine suo nato. *Pariet*, inquit, *filium*, *& vocabis nomen ejus Iesum.* Sed hoc intendit Scriptura, quòd non sit natus de semine Joseph, cùm sollicito unde esset illa gravis utero, dicitur, *De Spiritu-sancto est.* Et tamen paterna ei non aufertur auctoritas; cùm jubetur puero nomen imponere. Denique & ipsa virgo Maria bene sibi conscia quòd non ex ejus complexu & concubitu conceperit Christum, tamen eum patrem Christi dicit.

Lucæ 2. 42. Joseph pater Christi à Maria dictus, quomodo.

17. Adtendite quemadmodum. Cùm esset duodecim annorum Dominus Jesus Christus secundùm hominem, qui secundùm Deum est ante tempora & sine tempore, remansit ab eis in templo, & disputabat cum senioribus, & admirabantur super doctrina ejus. Illi autem redeuntes de Jerosolymis quæsierunt illum in comitatu suo, inter eos scilicet qui secum ambulabant; & non eum invenientes, turbati redierunt Jerosolymam, eumque disputantem in templo cum senioribus invenerunt, cùm esset, ut dixi, annorum duodecim. Sed quid mirum? Verbum Dei numquam tacet: sed non semper auditur. Invenitur ergo in templo, & dicit ei mater ejus,

Ibidem 48. ℣. 49.

Quid nobis fecisti sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ille, *Non sciebatis quia oportet me in his esse quæ Patris mei sunt?* Hoc propterea dixit, quia Filius Dei erat in templo Dei. Templum enim illud non erat Joseph, sed Dei.

Christus non se negat filium Joseph.

Ecce, inquit aliquis, non se concessit esse filium Joseph. Adtendite aliquantò patientiùs, Fratres, propter angustias temporis, ut sermoni sufficiant. Cùm dixisset Maria, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*; ille respondit, *Non sciebatis quia in his oportet me esse quæ Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei. Filius enim Dei, semper Filius Dei, creans illos ipsos. Filius autem hominis ex tempore, natus de virgine sine semine maritali, parentem tamen habebat utrumque. Unde hoc probamus? Jam dixit Maria, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

CAPUT XI. Mariæ modestia & humilitas imitanda feminis.

18. Primò non est prætermittenda, Fratres, maximè propter disciplinam feminarum, sororum nostrarum, tam sancta modestia virginis Mariæ. Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, *Ecce concipies in utero*, *&*

Lucæ 1. 31. ℣. 32.

paries filium, *& vocabis nomen ejus Iesum.* * *Hic erit magnus*, *& Filius Altissimi vocabitur.* Meruerat parere Filium Altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & pater tuus; sed *Pater tuus*, inquit, *& ego.* Non adtendit sui uteri dignitatem: sed adtendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus, matrem suam superbire docuisset. *Pater tuus & ego dolentes quæ-*

Ephes. 5. 23.

rebamus te. Pater tuus, inquit, *& ego*: quia caput mulieris vir. Quantò minùs debent superbire ceteræ feminæ? Nam & ipsa Maria mulier

Maria virgo & mulier dicta.

dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione propria gentis suæ. Dixit enim de Domi-

Gal. 4. 4.

no Jesu Christo & Apostolus, Factum ex mulie-

SERM. DE SCRIPTURIS. * Symbolum fidei.

re: non tamen interrupit ordinem & textum * fidei nostræ, qua confitemur natum de Spiritu-sancto, & virgine Maria. Illa enim virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Sed mulieres omnes feminas illi appellaverunt, proprietate linguæ Hebrææ. Audi evidentissimum exemplum: Prima femina, quam fecit Deus sumtam de latere viri, antè quàm cum viro concumberet, quod postea quàm de paradiso exierunt scribitur factum, tamen mulier jam vocabatur, dicente scripturâ, Formavit eam in mulierem.

Gen. 2. 22. Christus patrem Josephum nõ negat. Lucæ 2. 49.

19. Quòd ergo respondet Dominus Jesus Christus, *Oportebat me esse in his quæ Patris mei sunt*: non sic indicat Patrem Deum, ut neget patrem Joseph. Unde hoc probamus? Secundùm Scripturam, quæ sic ait: *Et dixit ad illos*, *Non sciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse*: * *Illi autem non intellexerunt quid illis locutus est.* * *Et cùm descendisset cum illis*, *venit Nazareth*, *& erat subditus illis.* Non dixit, Erat subditus matri, aut erat subditus ei: sed *erat*, inquit, *subditus illis.* Quibus subditus erat? nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, ea dignatione qua filius hominis erat. * Jam dudum præcepta feminæ accipiebant: nunc pueri accipiant, ut obsequantur parentibus, eisque sint subditi. Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus.

℣. 50. ℣. 51.

* CAPUT XII. Obedientia pueri Jesu imitanda pueris.

20. Videtis ergo, Fratres, quòd non ita dixerit, *Oportet me in his quæ Patris mei sunt esse*, ut intelligeremus quasi dictum, Vos non estis parentes mei, Sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiternè. Parentes illi filii hominis, Pater ille Verbi & Sapientiæ suæ, Pater Virtutis suæ, per quam cuncta formavit. Si per illam formantur universa, quæ adtingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter; per Filium Dei & illi formati sunt, quibus idem ipse postea filius hominis subderetur. Et Apostolus dicit eum filium David: Qui factus est ei, inquit, ex semine David, secundùm carnem. Sed tamen ipse Dominus quæstionem proponit Judæis, quam in his ipsis verbis solvit Apostolus. Cùm enim diceret, Qui factus est ei ex semine David; ad hoc addidit, secundùm carnem, ut intelligeretur secundùm divinitatem non esse filius David, sed Filius Dei Dominus David. Nam & alio loco sic dicit Apostolus, cùm commendaret stirpem Judæorum: Quorum patres, inquit, ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Quòd secundùm carnem, inde filius David: quòd autem super omnia Deus benedictus in sæcula, inde Dominus David. Dominus ergo Judæis hoc dicit, Cujus esse filium dicitis Christum? Responderunt, David. Hoc enim noverant, quod facilè capiebant ex prædicatione Prophetarum. Et verè ipse erat ex semine David, sed secundùm carnem per virginem Mariam desponsatam Joseph. Cùm ergo responderent Christum filium esse David, ait illis Jesus, Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, quò usque ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et non potuerunt respondere Judæi. Sic habemus in Evangelio. Non se negavit filium esse David; ut ne-

Sap. 8. 1. Rom. 1. 3. Christus & filius & Dominus David. Rom. 9. 5. Matth. 22. 42. Ibidem 43. &c. Psal. 109. 1.

Classis I.

scirent Dominum esse David. Etenim tenebant A in Christo quod factus est ex tempore: non in eo intelligebant quod est in æternitate. Quapropter docere illos volens divinitatem suam, quæstionem fecit de humanitate sua: tamquam diceret, Scitis Christum esse filium David; respondete mihi quomodo sit & Dominus David. Sed ne illi dicerent, Non est Dominus David; ipsum David testem interposuit. Et quid dicit? Verum utique dicit. Nam & illud habes in Psalmis ad David dicentem, De fructu ventris tui B ponam super sedem tuam. Ecce filius David. Quomodo & Dominus David, qui filius David? Dixit, inquit, Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam. Miramini David filium suum Dominum habere, cùm videatis Mariam suum Dominum peperisse? Dominus David, quia Deus; Dominus David, quia omnium: filius autem David, quia filius hominis. Idem Dominus, idem filius: Dominus David, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqua- C lis Deo: filius autem David, quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens.

Psal. 131. 11.

Psal. 109. 1.

Philip. 2. 6.

Ibidem 7.

Caput XIII.

Conjugiū facit, non commixtio carnalis, sed caritas conjugalis.

21. Non itaque propterea non fuit Pater Joseph, quia cum matre Domini non concubuit; quasi uxorem libido faciat, & non caritas conjugalis. Intendat Sanctitas Vestra. Dicturus erat post aliquantum temporis, Apostolus Christi in Ecclesia, Reliquum est, ut qui habent uxores tamquam non habentes sint. Et multos novimus fratres nostros fructificantes in gratia, in D nomine Christi ex consensu ab invicem continere concupiscentiam carnis, non autem continere ab invicem caritatem conjugalem. Quantò illa reprimitur, tantò ista fortiùs confirmatur. Nonne sunt conjuges qui sic vivunt, non quærentes ab invicem fructum carnis, non exigentes ab invicem debitum concupiscentiæ corporalis? Et tamen illa subjecta est viro, quia sic decet; & tantò subjectior, quantò castior: & ille uxorem diligit verè, ut scriptum est, in ho- E nore & sanctificatione, tamquam coheredem gratiæ; sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam. Ergo si copula est; si conjugium est, si non ideo non est conjugium; quia non fit illud quod etiam in non conjuge fieri potest, sed illicitè potest: utinam possent omnes; sed multi non possunt. Non ergo ideo disjungant eos qui possunt, & propterea negent esse vel illum maritum, vel illam uxorem, quia non sibi carnaliter miscentur, sed cordibus connectuntur.

1. Cor. 7. 29.

Conjugati abstinentes ex consensu.

1. Thess. 4. 4.

Ephes. 5. 25.

Carnalis commixtio nonnisi procreationis caussâ.

22. Hinc intelligite Fratres mei, quid senserit Scriptura de illis Parentibus nostris, qui sic F erant conjugati, ut solam prolem de conjugibus quærerent. Tam castè enim habebant illi, qui pro tempore & pro more gentis suæ etiam plures habebant, ut non accederent ad carnalem commixtionem, nisi procreationis caussâ, verè habentes eas in honore. Ceterùm qui uxoris carnem ampliùs appetit, quàm præscribit limes ille, liberorum procreandorum caussâ, contra G ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conspectu omnium adtestantium, & recitatur Liberorum procreandorum caussâ; & vocantur tabulæ Matrimoniales. Nisi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores, quis sana fronte dat filiam suam libidini alienæ? Sed ut non erubescant parentes,

Tabulæ Matrimoniales.

Serm. de Scripturis.

cùm dant, recitantur tabulæ; ut sint soceri, non lenones. Quid ergo de tabulis recitatur? Liberorum procreandorum caussâ. Tergitur frons patris atque serenatur, audita voce tabularum. Videamus frontem viri accipientis uxorem. Erubescat & maritus aliter accipere, si erubescit pater aliter dare. Sed si non possunt, (aliquando jam ista diximus,) exigant debitum; non progrediantur ultra debitores suos. Et femina & vir, infirmitatem suam in se consolentur. Non eat ille ad alteram, & illa ad alterum: unde appellatum est adulterium, quasi ad alterum. Et si egrediuntur metas matrimonialis pacti; non egrediantur metas conjugalis thori. Numquid hoc non est peccatum, ampliùs quàm liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit, Hoc autem dico secundùm veniam. Cùm inde loqueretur, Nolite, inquit, fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut « vacetis orationi; & iterum ad idipsum estote, « ne vos tentet satanas, propter intemperantiam « vestram. Quid est hoc? Ne ultra vires aliquid vobis imponatis; ne continendo à vobis invicem, in adulteria corruatis. Ne vos tentet satanas, « propter intemperantiam vestram. Et ne fortè quod permittebat jubere videretur; (aliud est enim jubere virtuti, aliud permittere infirmitati:) statim subjunxit, Hoc autem dico secundùm ve- « niam, non secundùm imperium. Nam vellem « omnes homines esse sicut me ipsum. Tamquam « diceret, Non impero ut faciatis; sed ignosco si feceritis.

Adulteriū unde.

Veniale peccatum quando in usu matrimonii.

1. Cor. 7. 6.

Ibidem 5.

Caput XIV.

23. Ergo Fratres mei intendite. Qui liberorum procreandorum caussâ habent uxores magni viri, quales fuisse Patres legimus; & multis documentis invenimus, clamantibus omnino sine dubitatione paginis sanctis: si qui ergo viri propter creationem tantummodo liberorum uxores habent, si eis posset præstari ut haberent filios sine concubitu; nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? nonne cum ingenti lætitia susciperent? Duo sunt enim opera carnalia, quibus constat genus humanum: in quæ duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt; imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud est enim ad aliquid officio descendere, aliud in aliquid per cupiditatem cadere. Quæ sunt ista, quibus constat genus humanum? In nobis ipsis primum est, quod pertinet ad sumenda alimenta, (quæ utique non possunt sine aliqua per carnem delectatione sumi,) manducare & bibere: si non feceris, morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum, pro modo naturæ suæ, manducandi & bibendi. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines quod ad se ipsos adtinet: successioni autem non consulunt manducando & bibendo; sed uxores ducendo. Sic enim constat genus humanum, primò ut vivant homines: sed quia diligentiâ quantalibet corpori adhibitâ non possunt utique semper vivere; consequens provisio est, ut nascentes succedant morientibus. Quia ita est genus humanum, sicut scriptum est, quomodo folia in arbore: sed in arbore olea, vel lauro, vel aliqua hujusmodi, quæ numquam sine coma est; sed tamen non eadem semper habet folia. Nam quomodo scriptum est, alia generat, & alia de-

Duobus sustentaculis constat genus humanum.

Eccli. 14. 18.

Ibidem 19.

jicit: quia ea quæ suboriuntur, succedunt ruentibus aliis. Semper enim dejicit folia, semper foliis vestita est. Sic & genus humanum quotidie morientium detrimenta non sentit, per supplementa nascentium: & sic pro modo suo stat universa species generis humani: & sicut folia in arbore semper videntur, ita plena hominibus terra conspicitur. Si autem morerentur tantùm, & non nascerentur; velut arbores quædam omnibus foliis, ita terra omnibus hominibus nudaretur.

Ad vitæ necessaria alii libidine, alii ratione ducuntur.

24. Cùm ergo sic subsistat genus humanum; ut necessaria sint duo sustentacula, de quibus satis dictum est; ad utrumque sapiens & prudens & fidelis officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum & bibendum quàm multi voraciter irruunt, ibi ponentes totam vitam; quasi ipsam caussam vivendi? Nam cùm ideo manducent, ut vivant; ideo se putant vivere, ut manducent. Istos omnis sapiens reprehendit; & maximè divina Scriptura, edaces, ebriosos, helluones, quorum Deus venter est. (*Philip. 3. 19.*) Illos ad mensam non ducit, nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque isti cadunt in escam & potum. Illi autem qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt, ut comedant; sed ideo comedunt, ut vivant. Itaque istis prudentibus & temperantibus si offerretur ut sine cibo & potu viverent; quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quò cadere [a] non consueverunt, nec descendere cogerentur; sed semper suspenderentur in Domino, non deponeret eorum intentiones necessitas fulciendarum corporis ruinarum? Quomodo putatis Eliam sanctum accepisse, quando accepit calicem aquæ & collyridam panis, ut satis ei esset in alimentum quadraginta dierum? (*3. Reg. 19. 6.*) Cum magna utique lætitia: quia propter officium vitæ, non propter servitutem concupiscentiæ, manducabat & bibebat. Tenta hoc præstare, si possis, homini qui beatitudinem totam & felicitatem in epulis, tamquam pecus in præsepi, constituit. Odit beneficium tuum, repellit à se, pœnam putat. Sic & in illo officio conjugali, libidinosi homines uxores non propter aliud quærunt: & ideo vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt. Atque utinam si auferre non possunt aut nolunt libidinem, non ultra eam progredi sinant, quàm præscribit debitum uxorium, etiam quod infirmitati conceditur. Sed planè tali homini si diceres, Quare ducis uxorem? Responderet tibi fortasse verecundatus, Propter filios. Si quis ei diceret, cui sine ulla dubitatione crederet, Potens est dare tibi, & omnino dabit tibi Deus filios, etiam non operanti opus illud cum uxore: ibi certè concluderetur, atque fateretur quòd non propter filios quærebat uxorem. Confiteatur ergo infirmitatem: accipiat quod [b] officio se accipere prætendebat.

Caput XV. Patribus concessum habere multas uxores ad hoc tantùm ut filios procrearent.

25. Sic illi priores sancti, homines Dei, filios quærebant, filios suscipere volebant. Ad hoc unum jungebantur feminis; ad hoc feminis miscebantur, ut filios procrearent. Ideo illis permissum est, ut plures haberent. Nam si libido immoderata placeret Deo, sic permitteretur illo tempore, ut una femina haberet plures viros, quomodo unus vir plures feminas. Quare omnes feminæ castæ non habebant ampliùs uno viro, vir autem plures feminas? nisi quia plures habere feminas unum virum, pertinet ad prolis numerositatem: una autem femina non quò plures habuerit viros, plures poterit parere filios. Quapropter, Fratres, si Patres nostri non ob aliud quàm ad liberos procreandos jungebantur & miscebantur feminis; magnum illis esset gaudium, si præter opus illud carnale possent habere filios, propter quos habendos ad illud non libidine ruebant, sed officio descendebant. Propter hoc Joseph non erat pater, quia sine concupiscentia carnis susceperat filium? Absit ut hoc sentiat castitas Christiana, quod nec Judaica sentiebat. Diligite uxores vestras, sed castè diligite. Usque ad eum modum carnale opus expetite, ut filios procreetis. Et quia non aliter potestis habere filios, ad illud cum dolore descendite. Pœna est enim illius Adam, de quo exorti sumus. Non extollamur de pœna nostra. Pœna est illius qui meruit mortaliter gignere; quia peccato mortalis effectus est. Ipsam pœnam non subtraxit Deus; ut meminisset homo unde revocatur, & quò vocatur; & quæreret illum amplexum, ubi nulla potest esse corruptio.

26. In illo ergo populo quia oportebat fieri abundantem propagationem usque ad Christum, per numerositatem plebis in qua præfigurarentur omnia quæ præfiguranda erant Ecclesiæ documenta, habebant officium ducendarum uxorum per quas populus cresceret, in quo populo præsignaretur Ecclesia. * At ubi natus est ipse Rex omnium gentium, cœpit dignitas virginalis à Matre Domini, quæ & filium habere meruit, & corrumpi non meruit. Sicut ergo erat illud conjugium, & sine ulla corruptione conjugium: sic quod castè uxor peperit, cur non castè maritus acciperet? Sicut enim castè conjunx illa, sic ille castè maritus: & sicut illa castè mater, sic ille castè pater. Qui ergo dicit, Non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium; libidinem quærit in procreandis filiis, non caritatis affectum. Meliùs ille, quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam & qui adoptant filios, castiùs eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte Fratres, videte jura adoptionis, quomodo fit homo filius cujus semine natus non est; ut plus in eo juris habeat voluntas adoptantis, quàm natura gignentis. Ita ergo non solùm debuit esse pater Joseph, sed maximè debuit. Nam & de feminis quæ uxores non sunt, generant homines filios, & dicuntur filii naturales; & præponuntur eis filii conjugales. Quantum pertinet ad opus carnis, æqualiter nati sunt: unde isti præponuntur, nisi quia castior est uxoris caritas, de qua liberi procreantur? Non illic adtenditur commixtio carnis, quæ in utraque femina par est. Ubi vincit uxor, nisi affectu fidei, affectu conjugii, affectu sincerioris castiorisque caritatis? Si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tantò debuit lætiùs, quantò est illa castior, quam diligit ampliùs?

Sermo di Scripturis.

**Caput XVI. Dignitas virginalis cœpit à matre Domini.*

Joseph quomodo verè pater Christi.

Adoptio filiorum.

Filii naturales & filii conjugales.

Caput XVII. Duo patres Joseph ad concilian-

27. Hinc jam etiam illud videte posse fieri, ut unus homo non solùm duos filios habeat, sed & duos patres. Nominata enim adoptione, occurrat cogitationibus vestris posse fieri. Dicitur

[a] Apud Lov. omissa fuerat negatio, quæ restituitur hîc ex MSS.

[b] Ita in MSS. At in Lov. *officiosè accipere*.

CLASSIS I.

Duos Matth. & Luc. rectè admittuntur.

enim, Duos filios potest habere homo, duos autem patres non potest. Immo invenitur posse habere etiam duos patres; si unus semine genuit, alius dilectione adoptavit. Si ergo possunt uni homini esse duo patres; potuit & Joseph duos patres habere, ab altero generari, ab altero adoptari. Quòd si potuit, quid calumniantur illi, qui dicunt alias generationes secutum esse Matthæum, alias Lucam? Et re vera invenimus, quòd alias secutus est ille, alias ille. Nam Matthæus Jacob patrem dixit Joseph: Lucas autem Heli. Et potest quidem videri unus homo, cujus filius erat Joseph, habuisse duo nomina. Sed quòd avos & proavos & alios superiùs progeneratores diversos enumerant, inque ipso numero plures alius, alius pauciores; manifestè ostenditur habuisse duos patres Joseph. Jam remotâ quæstionis calumniâ, quia fieri posse manifesta ratio demonstravit, alium patrem esse qui genuit, alium qui adoptavit; duobus patribus constitutis, non est mirum si avi & proavi & ceteri parentes sursum versùs à diversis patribus diversi numerentur.

CAPUT XVIII. *Adoptio in sacris litteris.*

28. Nec vobis videatur jus adoptionis à Scripturis nostris alienum, & quasi in consuetudine humanarum legum animadversum, illi auctoritati divinorum librorum non posse congruere. Antiqua enim res est, & in ipsis eloquiis Ecclesiasticis usitata, ut non sola origo seminis generet filium, sed & gratia voluntatis. Nam & mulieres de semine virorum suorum ex ancillis natos, si ipsæ non pepererant, filios adoptabant; quin etiam ut eis gignerentur, maritis imperabant: sicut Sara, sicut Rachel, sicut Lia. In quo officio viri adulterium non committebant: quia uxoribus in eâ re, quæ ad conjugale debitum pertinet, obediebant; secundùm id quod dicit Apostolus, Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Moyses etiam natus ex Hebræa matre, & expositus, à filia Pharaonis est adoptatus. Non erant quidem ipsæ juris formulæ quæ sunt modò: sed arbitrium voluntatis pro norma legis habebatur; sicut & alio loco dicit Apostolus, Quia gentes legem non habentes, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Si autem feminis licebat eos filios facere, quos non ipsæ pepererant; cur non & viris, quos non ipsi genuerant ex semine carnali, sed ex dilectione adoptandi? Nam & ipsum Jacob Patriarcham tantorum filiorum patrem, legimus tamen sibi filios fecisse nepotes suos, filios Joseph, ita dicentem: Isti duo mihi erunt, & accipient terram cum fratribus suis; quos alios genueris tibi sint. Nisi fortè quis dixerit ipsum adoptionis verbum, non inveniri in Scripturis sanctis. Quasi verò quidquam interest quo vocabulo appelletur, cùm res ipsa sit, ut habeat filium mulier, quem carne non peperit; aut aliquem vir, quem carne non genuit. Et me quidem non repugnante non vocet adoptatum Joseph, dummodo concedat eum filium esse potuisse etiam ejus de cujus carne non erat natus. Quamquam Paulus apostolus etiam adoptionis nomen assiduè commemoret, & in magno sacramento. Nam cùm Dominum nostrum Jesum Christum unicum Dei Filium Scriptura testetur, fratres & coheredes quos habere dignatus est, adoptione quadam divinæ gratiæ fieri dicit. Cùm autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege; ut eos qui sub Lege erant redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus. Et alio loco, In nobisinetipsis, inquit, ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri. Rursus & de Judæis cùm diceret, Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ: quorum est, inquit, adoptio & gloria & Testamentum & Legis constitutio, quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Ubi ostendit vetustum apud Judæos fuisse, vel nomen adoptionis, vel ipsam rem; sicut Testamentum & Legis constitutio, quæ simul commemorat.

Gen. 16. & 30. — *Antiquorũ cum ancillis concubitus quomodo sine adulterio.* — *1. Cor. 7. 4.* — *Exodi 2.* — *Rom. 2. 14.* — *Gen. 48. 5.* — *Gal. 4. 4. & 5.* — *Rom. 8. 23.* — *Rom. 9. 3. &c.*

CAPUT XIX. *Filii proprio quodam modo apud Judæos.*

29. Huc accedit, quia erat alius modus proprius Judæorum, quo fieret aliquis filius ejus, de quo non esset carnaliter natus. Propinqui enim propinquorum suorum sine liberis defunctorum ducebant uxores, ut semen defuncti suscitarent. Ita ille qui nascebatur, & illius erat filius de quo nascebatur, & illius in cujus successione nascebatur. Hæc dicta sunt, ne quisquam existimans fieri non posse, ut rectè unius hominis duo patres commemorentur, quemlibet Evangelistarum qui generationes Domini narraverunt, sacrilegâ calumniâ quasi de mendacio criminandum putet: præsertim cùm ipsis eorum verbis nos videamus admonitos. Matthæus quippe, qui eum patrem commemorare intelligitur, à quo genitus est Joseph, ita generationes enumerat, Ille genuit illum, ut ad hoc pervenire possit quod ait in fine, *Iacob genuit Ioseph.* Lucas verò, quia non propriè dicitur genitus, qui vel adoptione efficitur filius, vel in successione mortui ex illa quæ uxor ejus fuit nascitur, non dixit, Heli genuit Joseph; aut Joseph quem genuit Heli: sed *qui fuit*, inquit, *filius Heli*; sive adoptando, sive à propinquo genitus in mortui successione nascendo.

Deut. 25. 5. Matth. 22. 24. — *Generationes Domini variè ab Evangelistis sine mẽdacio numeratæ.*

CAPUT XX. *Quare per Joseph numerantur, non per Mariam.*

30. Jam verò illud quia movere non debet, quare per Joseph, & non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est: quia sicut illa sine carnali concupiscentia mater, sic ille sine carnali commixtione pater. Per illum ergo descendant, & per illum adscendant generationes. Nec eum propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia. Major puritas confirmet paternitatem: ne ipsa sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum præponere noluit marito suo: sed dixit, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Non ergo faciant perversi murmuratores, quod conjunx casta non fecit. Numeremus ergo per Joseph: quia sicut castè maritus, sic castè pater est. Sed præponamus virum feminæ ordine naturæ & legis Dei. Nam si remoto illo [a] illam constituamus; dicit ille, & rectè dicit, Quare me separastis? Quare non per me generationes vel adscendunt, vel descendunt? An dicitur ei, Quia non tu genuisti opere carnis tuæ? Sed respondebit, Numquid & illa opere carnis suæ peperit? Quod Spiritus-sanctus operatus est, utrisque operatus est. *Cùm esset*, in-

Luca 2. 48. — *Matth. 1. 19.*

[a] MSS. *Nam si remoto illo jam constituamus:*

Classis I

quit, *homo justus*. Justus ergo vir, justa femina. A Spiritus-sanctus in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit. Sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Itaque ambobus dicit Angelus, ut puero nomen imponant: ubi parentum declaratur auctoritas. Nam & Zacharias cùm adhuc

Lucæ 1. 60. mutus esset, filio nato mater nomen imponebat. Et cùm illi qui aderant innuerent patri quid eum vellet vocari, acceptis pugillaribus hoc scripsit,

Ibidem 31. quod illa jam dixerat. Dicitur & Mariæ, *Ecce* B *concipies filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Di-

Matth. 1. 20. citur etiam ad Joseph, *Ioseph fili David, ne metueris accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim*

℣. 21. *in ea natum est, de Spiritu-sancto est. * Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Iesum: hic salvabit populum suum à peccatis eorum.* Dicitur

Lucæ 2. 7. etiam, *Et peperit ei filium*: ubi omnino pater non carne, sed caritate firmatur. Sic ergo pater sicuti est. Cautissimè enim Evangelistæ & prudentissimè per illum numerant, sive Matthæus C descendens ab Abraham usque ad Christum, sive Lucas adscendens à Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille adscendens, ambo per Joseph. Quare? Quia pater. Quare pater? Quia tantò firmiùs pater, quantò castiùs pater. Aliter quidem putabatur esse pater Domini nostri Jesu Christi, scilicet sicut ceteri patres carne generantes, non solo spiritali affectu liberos suscipientes. Nam dixit &

Lucæ 3. 23 Lucas, *Qui putabatur esse pater Iesu.* Quare pu- D tabatur? Quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur, quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Joseph Dominus, quamvis hoc putaretur: & tamen pietati & caritati Joseph natus est de Maria virgine filius, idemque Filius Dei.

Caput XXI. Cur Matthæus descendens numerat, Lucas adscendens.

31. Sed quare ille descendens numerat, quare iste adscendens? Quod quæso intentè, quantum Dominus adjuverit, audiatis, jam securo animo, & ab omni molestia calumniarum nodorum libero. Matthæus descendit per genera- E tiones, ut significet descendentem Dominum nostrum Jesum Christum ad portanda nostra peccata, ut in semine Abraham benedicerentur omnes gentes. Propterea non incipit ab Adam: totum enim genus humanum ab illo. Neque à Noë: quia & ab ipsa familia post diluvium omne genus humanum exortum est. Neque ad prophetiæ adimpletionem poterat pertinere homo Christus Jesus ex Adam, ex quo sunt omnes homines; aut ex Noë, ex quo rursus omnes homines: sed F ex Abraham, qui tunc electus est in cujus semine benedicerentur omnes gentes, cùm jam gentibus plena erat terra. Adscendit autem Lucas, non incipiens ab ipso nati Domini exordio generationes enumerare; sed ab eo loco, ubi eum narrat à Johanne baptizatum. Sicut autem in Domini incarnatione suscipiuntur ab eo generis humani portanda peccata, sic in baptismi consecratione purganda. Itaque ille descendentem significans ad peccata portanda, generationes des- G cendens enumerat: iste autem adscendens, significans purgationem peccatorum, non utique suorum, sed nostrorum, adscendens generationes enumerat. Sed ille descendit per Salomonem, in cujus matre peccavit David: iste adscendit per

a Nathan, alterum filium ejusdem David, [a] per quem à peccato purgatus est. Legimus enim quòd Nathan ad eum missus est, ut eum redargueret, & per pænitentiam sanaretur. Occurrerunt ambo sibi in David: ille descendens, iste adscendens: & inde usque ad Abraham, vel ab Abraham usque ad David in nulla generatione diversi sunt. Ita Christus & filius David, & filius Abraham, transit ad Deum. Ad Deum quippe nos oportet in baptismo renovatos à peccatorum abolitione reduci.

Sermo de Scripturis. 2. Reg. 12. 1.

Caput XXII. De quadragenario numero generationibus Domini.

32. In generationibus sanè, quas enumerat Matthæus, quadragenarius numerus eminet. Habent enim istum morem divinæ Scripturæ, ut quod excesserit certos articulos numerorum aliquando non computent. Sic etiam quadringenti anni dicuntur post quos egressus est populus Israël ex Ægypto: cùm sint quadringenti triginta. Sic & una generatio quæ quadragenarium numerum excedit, non aufert huic numero principatum. Hic autem numerus vitam significat, qua in hac terra laboratur, quamdiu peregrinamur à Domino, in qua necessaria est dispensatio temporaliter prædicandæ veritatis. Denarius enim numerus, quo significatur perfectio beatitudinis, quater multiplicatus, propter tempus quadripartitum, & mundum quadripartitum, quadragenarium numerum facit. Propterea quadraginta diebus jejunatum est, & à Moyse, & ab Elia, & ab ipso Mediatore Domino nostro Jesu Christo: quia in hoc tempore necessaria est à corporalibus illecebris continentia. Quadraginta quoque annos in eremo populus peregrinatus est: quadraginta diebus diluvium factum est. Quadraginta dies post resurrectionem Dominus cum discipulis conversatus est, persuadens eis resuscitati corporis veritatem: ubi significavit in hac vita, qua peregrinamur à Domino, quod numerus quadragenarius, sicut dictum est, mysticè insinuat, necessariam nobis memoriam Dominici Corporis, quam in Ecclesia facimus, donec veniat. Ad hanc ergo vitam quoniam descendit Dominus noster, & Verbum caro factum est, ut traderetur propter delicta nostra, & resurgeret propter justificationem nostram; quadragenarium numerum Matthæus secutus est: ut una generatio quæ ibi excedit quadragenarium numerum, vel non impediat, sicuti triginta illi anni non impediunt quadringentorum perfectionem; vel hoc etiam ipsa significet, quia ipse Dominus quo juncto fiunt quadraginta-unum, ita descendit ad hanc vitam portaturus peccata nostra, ut tamen ab hac vita, propriâ & singulari excellentiâ, qua ita homo est ut etiam Deus sit, inveniatur exceptus. De hoc enim solo dicitur, quod de nullo homine sancto, quantalibet sapientiâ justitiâque perfecto, dici potuit aut poterit: Verbum caro factum est.

Gen. 15. 13. Act. 7. 6. Quadragenarii numeri significatio. Deut. 9. 9. 3. Reg. 19. 8. Matth. 4. 2. Num. 14. 33. Gen. 7. 4. Act. 1. 3. 1. Cor. 11. 26. Rom. 4. 25. Johan. 1. 14.

Caput XXIII. Cur generationes 77. numeret Lucas.

33. Lucas autem qui ex baptismo Domini per generationes adscendit, septuagenarium & septimum numerum complet, incipiens ab ipso Domino nostro Jesu Christo per Joseph adscendere, & perveniens ad Deum per Adam: id est, quia in hoc numero abolitio significatur omnium peccatorum, quæ fit in baptismo, non quia ipsi Domino erat quod in baptismo dimitteretur; sed quia sua humilitate quid nobis esset utile commendavit. Et quamvis esset illud baptismum

[a] Veriùs, *per cujus nominis prophetam*. Quia non idem homo, sed alter fuit ejusdem nominis, ex Retract. lib. 2. c. 16.

CLASSIS I.

Johannis: in eo tamen sensibiliter apparuit Trinitas Patris & Filii & Spiritus-sancti, qua consecratus est ipsius Christi baptismus, quo baptizandi erant futuri Christiani: Pater in voce quæ facta est de cælo, Filius in ipso homine Mediatore, Spiritus-sanctus in columba.

Matth. 3. 16.

Numeri 77. significatus.

34. Quare autem septuagenarius & septimus numerus omnia peccata contineat quæ dimittuntur in baptismo, hæc probabilis ratio videtur occurrere; quia denarius numerus perfectionem habet justitiæ & beatitudinis, cùm septenaria creatura Creatoris inhæret Trinitati: unde etiam decalogus Legis in decem præceptis consecratus est. Transgressio autem denarii undenario numero significatur: & intelligitur peccatum esse transgressio, cùm aliquid ampliùs homo appetens, justitiæ regulam excedit. Unde & avaritiam radicem omnium malorum dicit Apostolus. Et animæ à Deo fornicanti, ex ejusdem Domini persona dicitur, Sperabas si à me discessisses, aliquid ampliùs te habituram. Quia ergo transgressionem, id est peccatum ad se ipsum refert qui peccat, quia privato quodam suo lætari vult; unde reprehenduntur etiam qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi, & laudatur caritas non quærens quæ sua sunt: propterea ipse undenarius numerus quo significatur transgressio, non decies multiplicatur, sed septies, & fiunt septuaginta-septem. Non enim ad Conditoris Trinitatem, sed ad ipsam creaturam, id est ad ipsum hominem pertinet transgressio, quam creaturam septenarius numerus ostendit. Tria propter animum, ubi est quædam imago Trinitatis Creatoris; ibi enim homo ad imaginem Dei factus est: & quatuor propter corpus. Notissima enim sunt quatuor primordia quibus corpus constat. Et cui nota non sunt, potest facilè advertere ipsum corpus mundi, in quo corpus nostrum per loca movetur, quatuor habere quasi principales partes, quas etiam Scriptura divina assiduè commemorat, Orientem & Occidentem, Meridianum & Aquilonem. * Et quoniam peccata vel animo fiunt, sicut in sola voluntate; vel etiam operibus corporis, jam visibiliter: propterea Amos propheta assiduè commemorat Deum minantem ac dicentem, In tribus & quatuor impietatibus non aversabor, id est non dissimulabo. Tribus, propter animi; quatuor, propter corporis naturam: quibus duobus homo constat.

1. Tim. 6. 10.

Philip. 2. 21.

1. Cor. 13. 5.

*CAPUT XXIV.

Amos 1. & 2.

35. Itaque undecim septies, sicut dictum est, transgressio justitiæ relata ad hominem peccatorem facit numerum septuaginta-septem; quo peccata omnia contineri significantur, quæ per baptismum dimittuntur. Unde Lucas per septuaginta-septem generationes adscendit ad Deum; ostendens reconciliari hominem Deo per abolitionem omnium peccatorum. Inde ipse Dominus Petro interroganti quotiens fratri debeat ignoscere: Dico tibi, inquit, non septies, sed usque septuagies septies. Et si quid aliud de his secretis & thesauris mysteriorum Dei, à diligentioribus & dignioribus erui potest. Nos tamen pro nostro captu, quantum adjuvit & quantum dedit Dominus, pro angustia quoque temporis, quæ potuimus, diximus. Si quis vestrûm amplius capit, ad illum pulset, à quo & nos quod capere, quod dicere possumus, sumimus. Illud ante omnia retinete, ut Scripturis sanctis nondum intellectis non perturbemini; intelligentes autem non inflemini: sed & quod non intelligitis, cum honore differatis; & quod intelligitis, cum caritate teneatis.

Matth. 18. 21.

Scripturæ quomodo legendæ.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO LII.

De [a] *verbis Evangelii Matth.* 3. Venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo, *&c. de Trinitate.*

* Aliàs 63. de verbis Domini. a

CAPUT I. Deus Trinitas in baptismo Christi commendatur.

1. EVANGELICA lectio proposuit nobis unde loquamur ad Caritatem Vestram, tamquam Domini imperio, & verè Domini imperio. Ab illo enim exspectavit cor meum tamquam jussionem proferendi sermonis, ut hinc eum intelligerem loqui me velle, quod recitari ipse voluisset. Audiat ergo studium & devotio vestra, & adjuvet apud ipsum Dominum Deum nostrum laborem meum. Videmus enim & tamquam proposito divino spectaculo contuemur, apud flumen Jordanis commendari nobis Deum nostrum in Trinitate. Cùm enim veniret Jesus, & baptizatus esset à Johanne, Dominus à servo, (quod fecit ad humilitatis exemplum; in ipsa quippe humilitate ostendit impleri justitiam, quando dicente sibi Johanne, *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me*; respondit, *Sine modò, ut impleatur omnis justitia:*) cùm ergo baptizatus esset, aperti sunt cæli, & descendit super eum Spiritus-sanctus in specie columbæ: deinde vox de super consecuta est, *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene sensi.* Habemus ergo distinctam quodam modo Trinitatem: in voce Patrem, in homine Filium, in columba Spiritum-sanctum. Hoc quidem commemorare opus erat; nam videre facillimum est. Evidenter enim, nec ullo dubitationis scrupulo commendatur hæc Trinitas. Nam ipse Dominus Christus in forma servi veniens ad Johannem, utique Filius est: non enim dici potest quòd Pater est, aut dici potest quòd Spiritus-sanctus est. *Venit*, inquit, *Jesus*: utique Filius Dei. De columba quis dubitet? Aut quis dicat, Quid est columba? cùm ipsum Evangelium testetur apertissimè, *Descendit super eum Spiritus-sanctus in specie columbæ?* De voce autem illa similiter nulla dubitatio quòd Patris sit, cùm dicit, *Tu es Filius meus.* Habemus ergo distinctam Trinitatem.

Matth. 3. 14. ỳ. 15.

ỳ. 17.

ỳ. 13.

ỳ. 16.

Marci 1. 11.

CAPUT II. De Trinitate inseparabili difficultas.

2. Et si consideremus loca, audeo dicere, (quamvis timidè id dicam, tamen audeo,) quasi separabilem Trinitatem. Cùm Jesus venit ad fluvium, ex alio loco in alium locum; columba de cælo descendit ad terram, de alio loco ad alium locum; vox ipsa Patris, nec de terra, nec de aqua sonuit, sed de cælo: tria hæc quasi separantur locis, separantur officiis, separantur operibus. Dicat mihi aliquis, Ostende inseparabilem Trinitatem. Memento catholicum te loqui, catholicis loqui. Fides enim nostra, id est, fides vera, fides recta, fides catholica, non opinione præsumtionis, sed testimonio lectionis collecta, nec hæretica temeritate incerta, sed Apostolica veritate fundata, hoc insinuat; hoc novimus, hoc credimus. Hoc etsi non videmus oculis, nec adhuc corde quamdiu fide mundemur; ipsa

[a] Citatur à Floro ad Galat. 4. titulo Sermonis *de Trinitate.* Plerisque autem MSS. inscribitur, *de una Trinitate trinaque unitate.*

CLASSIS I.

tamen fide rectissimè, ac robustissimè retinemus Patrem, Filium, Spiritum-sanctum, inseparabilem esse Trinitatem, unum Deum, non tres deos. Ita tamen unum Deum, ut Filius non sit Pater, ut Pater non sit Filius, ut Spiritus-sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed Patris & Filii Spiritus. Hanc ineffabilem divinitatem apud se ipsam manentem, omnia innovantem, creantem, recreantem, mittentem, revocantem, judicantem, liberantem; hanc ergo Trinitatem ineffabilem simul novimus & inseparabilem.

Auxilii divini necessitas ad solvendum nodum difficultatis.

3. Quid ergo agimus? Ecce seorsum venit Filius in homine, seorsum Spiritus-sanctus de cælo descendit in specie columbæ, seorsum vox Patris de cælo sonuit, *Hic est Filius meus.* Ubi est inseparabilis Trinitas? Fecit vos per me Deus intentos. Orate pro nobis, & quasi [a] aperientes sinum: donet ipse unde quod aperuistis impleatur. Collaborate nobis. Videtis enim quid suscepimus; non solùm quid, verùm etiam qui; unde volumus dicere, ubi positi, quomodo positi in corpore quod corrumpitur & aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. (*Sap. 9. 15.*) Quando ergo istum sensum à multis extraho, & ad unum Deum Trinitatem inseparabilem colligo, ut aliquid videam quod dicam, putasne in hoc corpore quod aggravat animam, ut aliquid vobis dignè loquar, potero dicere, Quoniam ad te, Domine, animam meam levavi? (*Psal. 85. 4.*) Adjuvet me, levet eam mecum. Nam infirmus sum illi, & gravis est mihi.

CAPUT III.

Opera Patris & Filii inseparabilia.

4. Solet hæc quæstio ab studiosissimis fratribus proponi, solet in amatorum verbi Dei sermone versari, solet pro hac multùm pulsari ad Deum, dicentibus hominibus, Facit aliquid Pater, quod non facit Filius; aut facit aliquid Filius, quod non facit Pater? Interim de Patre & Filio dicamus. Cùm autem hinc expedierit conatum nostrum, cui dicimus, Adjutor meus esto, ne derelinquas me (*Psal. 26. 9.*): intelligitur etiam Spiritus-sanctus ab operatione Patris & Filii nequaquam discedere. De Patre ergo & Filio, Fratres, audite. Facit aliquid Pater sine Filio? Respondemus, Non. An dubitatis? Quid enim facit sine illo, per quem facta sunt omnia? Omnia, inquit, per ipsum facta sunt (*Johan. 1. 3.*). Et [b] satiatè inculcans tardis, duris, litigiosis, addidit, Et sine ipso factum est nihil.

Pater omnia per Filium & fecit & regit.

5. Quid igitur, Fratres? Omnia per ipsum facta sunt; intelligimus utique universam creaturam factam per Filium, fecisse Patrem per Verbum suum, Deum per Virtutem & Sapientiam suam: numquid dicturi sumus, Omnia quidem, quando creata sunt, per ipsum facta sunt, sed nunc non omnia per ipsum facit Pater? Absit. Recedat hæc cogitatio à fidelium cordibus, abigatur à sensu devotorum, ab intellectu piorum. Fieri non potest, ut per ipsum creaverit, & non per ipsum gubernet. Absit ut sine ipso regatur quod est, quando per ipsum factum est ut esset. Sed & hoc testimonio Scripturæ doceamus, non solùm per ipsum facta & creata omnia, sicut ex Evangelio commemoravimus, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: sed per ipsum etiam regi & disponi quæ facta sunt. Agnoscitis ergo Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam: agnoscite dictum & de Sapientia, Adtingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter (*Sap. 8. 1.*). Non ergo dubitemus per ipsum regi omnia, per quem facta sunt omnia. Nihil itaque Pater sine Filio, nihil Filius sine Patre facit.

Difficultas an Filii nativitas & passio sit etiam Patris.

6. Occurrit itaque quæstio, quam in nomine Domini & ejus voluntate solvendam suscepimus. Si nihil facit Pater sine Filio, & nihil Filius sine Patre, nonne quasi consequens erit, ut & Patrem dicamus natum de virgine Maria, Patrem passum sub Pontio Pilato, Patrem resurrexisse & in cælum adscendisse? Absit. Non hoc dicimus, quia non hoc credimus. Credidi enim propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur (*Psal. 115. 10.*). Quid est in * fide? (* *id est Symboli fidei.*) Quia Filius de virgine natus est, non Pater. Quid est in fide? Quia Filius passus est sub Pontio Pilato, & mortuus, non Pater. Excidit nobis, quosdam malè intelligentes vocari Patripassianos, qui dicunt ipsum Patrem natum ex femina, ipsum Patrem passum, ipsum esse Patrem qui est Filius, duo esse nomina, non res duas? (*Patripassianorum hæresis.*) Et removit istos Ecclesia catholica à communione sanctorum, ne aliquem deciperent, ut separati litigarent.

Difficultatis nodus.

7. Revocemus ergo difficultatem quæstionis sensibus vestris. Dicat aliquis mihi, Tu dixisti, nihil Patrem facere sine Filio, neque Filium sine Patre; & testimonia de Scripturis adhibuisti, nihil facere Patrem sine Filio, quia omnia per ipsum facta sunt; nec quod factum est regi sine Filio, quia ipse est Sapientia Patris, adtingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Modò mihi dicis quasi contra te ipsum loquens, Filius natus est de virgine, non Pater; Filius passus est, non Pater; Filius resurrexit, non Pater. Ecce teneo aliquid facere Filium, quod non facit Pater. Aut ergo confitere, facere aliquid Filium sine Patre: aut confitere etiam Patrem natum, passum, mortuum, resurrexisse. Aut illud, aut illud dic: elige unum de duobus. Ego neutrum eligo, nec hoc, nec illud dico. Nec aliquid facere Filium sine Patre dico; quia mentior, si hoc dixero: nec Patrem natum, passum, mortuum, resurrexisse dico; quia nihilo minùs mentior, si hoc dixero. Quomodo, inquit, explicaberis ab his angustiis?

Filii nativitas ex virgine ... Patris & Filii opus.

8. Placet vobis quæstio proposita. Deus adjuvet, ut placeat & soluta. Ecce quod dico, ut liberet & me & vos. In una enim fide stamus in nomine Christi, & in una domo sub uno Domino vivimus, & in uno corpore membra sub uno capite sumus, & uno spiritu vegetamur. * Ut ergo Dominus ab his angustiis molestissimæ quæstionis liberet, & me qui loquor, & vos qui auditis, hoc dico: Filius quidem, non Pater, natus est de virgine Maria: sed ipsam nativitatem Filii, non Patris, de virgine Maria, & Pater & Filius operatus est. (* *CAP. IV.* *Florus ad Gal. 4.*) Non est quidem passus Pater, sed Filius: passionem tamen Filii & Pater & Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius: resurrectionem tamen Filii & Pater & Filius operatus est. De quæstione ista videmur jam expediti; sed fortè verbis meis, videamus etiam utrùm verbis divinis. Pertinet ergo ad me sanctorum librorum testimoniis demonstrare, nativitatem Filii & Patrem operatum & Filium, ita

[a] Sex MSS. *aperite sinum vestrum.*

[b] Omnes propè MSS. *Et societatem inculcans.*

Classis I.

ita passionem: ita resurrectionem: ut cùm Filii tantùm sit & nativitas & passio & resurrectio; hæc tamen tria quæ ad Filium solum pertinent, nec à Patre solo facta sint, nec à solo Filio, sed à Patre utique & Filio. Probemus singula, judices auditis, caussa proposita est, testes procedant. Dicat mihi judicium vestrum, quod solet caussas agentibus dici, Doce quod [a] promittis. Doceo planè adjuvante Domino, & cælestis juris recito lectionem. Intentè audistis proponentem, audite intentiùs jam probantem.

Filii nativitatem esse factam à Patre.

9. De Christi nativitate mihi primò docendum est, quomodo eam & Pater fecerit, & Filius fecerit, quamvis nonnisi ad Filium pertineat quod fecit Pater & Filius. Paulum recito, idoneum juris divini consultum. Nam & caussidici habent hodie Paulum dictantem jura litigatorum, non Christianorum. Recito, inquam, Paulum dictantem pacis jura, non litis. Ostendat nobis sanctus Apostolus, quomodo nativitatem Filii Pater operatus sit. Cùm autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret. Audistis, & quia planum & apertum est, intellexistis. Ecce Pater fecit Filium nasci de virgine. Cùm enim venisset plenitudo temporis misit Deus Filium suum, utique Pater Christum. Quomodo eum misit? Factum ex muliere, factum sub Lege. Fecit ergo eum Pater ex muliere sub Lege.

Paulus juris divini consultus. Gal. 4. 4. & 5.

Locus Apostoli quo dicitur Christus de muliere natus. Isai. 7. 14.

10. An fortè hoc movet, quia de virgine dixi & Paulus dicit ex muliere? Non moveat, non immoremur: neque enim rudibus loquor. Utrumque Scriptura dicit, & ex virgine, & ex muliere. Ex virgine quomodo? Ecce virgo in utero accipiet, & pariet Filium. Ex muliere autem, sicut audistis: non est contrarium. Proprietas enim locutionis Hebrææ mulieres, non corruptas virginitate, sed feminas appellat. Habes evidentem Scripturam Geneseos, quando ipsa primò Eva facta est: Formavit eam in mulierem. Dicit etiam alio loco Scriptura, jubere Deum separari mulieres, quæ non cognoverunt cubile viri. Hoc ergo jam notum esse debet; nec teneat nos, ut alia, quæ meritò tenebunt, Domino adjuvante, explicare possimus.

Gen. 2. 22. Num. 31. 17. Jud. 21. 11.

Factam à Filio quoque nativitatem Filii.

11. Probavimus ergo nativitatem Filii à Patre factam, probemus & à Filio factam. Quid est nativitas Filii de virgine Maria? Certè assumtio formæ servi in virginis utero. Numquidnam est aliud nasci Filio, nisi accipere formam servi in virginis utero? Audi quia hoc & Filius fecit: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem: videmus ergo nativitatem Filii à Patre factam; sed quia ipse Filius semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, videmus nativitatem Filii & ab ipso Filio factam. Probatum est hoc; transeamus hinc: intenti aliud accipite, quod ex ordine sequitur.

Philip. 2. 6. & 7. Gal. 4. 4. Rom. 1. 3.

Passio etiam Filii à Patre & Filio. Rom. 8. 32.

12. Probemus & passionem Filii, & à Patre factam, & à Filio factam. Faciat Pater passionem Filii: Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Faciat & Filius passionem suam: Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me. Tradidit Pater Filium, tradidit Filius se ipsum. Passio hæc uni facta est; sed ab utroque facta est. Sicut ergo nativitatem, ita passionem Christi nec Pater sine Filio fecit, nec Filius sine Patre. Tradidit Pater Filium, tradidit Filius se ipsum. Quid hîc fecit Judas, nisi peccatum? Transeamus & hinc, veniamus ad resurrectionem.

Serm. de Scripturis. Gal. 2. 20.

Idem de Christi resurrectione probatur.

13. Videamus Filium quidem, non Patrem, resurgentem, sed resurrectionem Filii & Patrem & Filium facientem. Operetur Pater resurrectionem Filii. Propter hoc enim exaltavit eum, & donavit ei nomen quod est super omne nomen. Resuscitavit ergo Pater Filium, exaltando eum & excitando eum à mortuis. Numquid & Filius resuscitavit semetipsum? Resuscitavit planè. In figura sui corporis de templo dixit, Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Postremò sicut ad passionem pertinet animam ponere, sic ad resurrectionem animam iterum sumere: videamus si Filius quidem animam suam posuit, & ei animam suam Pater reddidit, non ipse sibi. Pater enim quia reddidit, manifestum est. Inde enim Psalmus dicit, Et resuscita me, & reddam illis. Sed quia & Filius animam suam sibi reddidit, quid à nobis exspectatis? Ipse dicat: Potestatem habeo ponendi animam meam. Nondum dixi quod promisi. Ponendi dixi: sed jam [b] clamatis; quia prævolatis. Eruditi quippe in schola magistri cælestis, tamquam lectiones intentè audientes, piè reddentes, quid sequatur non ignoratis. Potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me, & iterum sumo eam.

Philip. 2. 9. Johan. 2. 19. Psal. 40. 11. Johan. 10. 18.

Caput V. Replicatio doctrinæ explicatæ.

14. Exsolvimus quæ promisimus: propositiones nostras firmissimis, ut arbitror, testimoniorum documentis probavimus. Tenete quod audistis. Breviter replico, & rem utilissimam, quantum existimo, mentibus vestris collocandam commendo. Pater non est natus de virgine: nativitatem tamen istam Filii & Pater & Filius operatus est ex virgine. Pater non est passus in cruce: passionem tamen Filii & Pater & Filius operatus est. Non resurrexit Pater à mortuis: resurrectionem tamen Filii & Pater & Filius operatus est. Habetis personarum distinctionem, & operationis inseparabilitatem. Non ergo dicamus, aliquid Patrem operari sine Filio, aliquid Filium sine Patre. An fortè miracula quæ fecit Jesus, movent vos, ne fortè aliqua ipse fecerit, quæ non fecit Pater? Et ubi est, Pater autem in me manens ipse facit opera? Hæc quæ diximus plana erant, tantùm dicenda erant: non laborandum ut intelligerentur, sed curandum ut commemorarentur.

Johan. 14. 10.

Deus ad modum corporis in spatio non cogitandus.

15. Aliquid adhuc volo dicere, ubi verè & acriorem intentionem vestram requiro, & devotionem apud Deum. Etenim locis corporalibus non tenentur nec occupantur nisi corpora. Ultra locos corporales est divinitas: nemo eam tamquam in spatio requirat. Ubique invisibilis & inseparabiliter adest: non in parte major, in

[a] Cujacius ad oram sui libri adnotavit legendum, *Doce quod promis.*

[b] Am. Er. *clamastis.* Sic etiam MSS, & ex his nonnulli, *prævolastis.*

CLASSIS I.

parte minor; sed ubique tota, nusquam divisa. Quis videt hoc? quis capit hoc? Compescamus nos: meminerimus qui, unde loquamur. Illud & illud, quidquid est quod Deus est, piè credatur, sanctè cogitetur; & quantum datur, quantum potest, ineffabiliter intelligatur. Quiescant verba, cesset lingua; cor excitetur, cor illuc levetur. Non enim est illud tale, quod in cor hominis adscendat, sed quò cor hominis adscendat. Adtendamus creaturam: Invisibilia enim ejus à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: ne fortè in his quæ fecit Deus, in quibus habemus quamdam consuetudinis familiaritatem, inveniamus aliquam similitudinem, unde probemus esse aliqua tria, quæ tria separabiliter proferantur, inseparabiliter operentur. *Rom. 1. 20.*

CAPUT VI. Deus incomprehensibilis.

16. Eia, Fratres, adestote toto animo. Videte priùs quid promittam; ne fortè in creatura inveniam, quia Creator à nobis excelsus est. Et fortè verba quisquam nostrûm, cui fulgor veritatis aliquâ mentem quasi coruscatione perstringit, potest dicere verba illa: Ego dixi in ecstasi mea. In ecstasi tua quid dixisti? Projectus sum à facie oculorum tuorum: Etenim videtur mihi iste qui hoc dixit, levasse ad Deum animam suam, & effudisse super se animam suam, cùm ei diceretur quotidie, Ubi est Deus tuus? pervenisse spiritali quodam contactu ad illam incommutabilem lucem, eamque infirmitate conspectûs ferre non valuisse; & in suam quasi ægritudinem atque languorem iterum recidisse, & comparasse se illi, & [a] sensisse adhuc contemperari non posse aciem mentis suæ luci sapientiæ Dei. Et quia hoc in ecstasi fecerat, abreptus à sensibus corporis & subreptus in Deum; ubi quodam modo à Deo ad hominem revocatus est, ait, Ego dixi in ecstasi mea. Vidi enim nescio quid in ecstasi, quod diu ferre non potui; & redditus mortalibus membris, & multis mortalium cogitationibus à corpore quod aggravat animam, dixi. Quid? Projectus sum à facie oculorum tuorum. Longè sursum es, longè deorsum sum. Quid ergo dicamus, Fratres, de Deo? Si enim quod vis dicere, si cepisti, non est Deus: si comprehendere potuisti, aliud pro Deo comprehendisti. Si quasi comprehendere potuisti, cogitatione tua te decepisti. Hoc ergo non est, si comprehendisti: si autem hoc est, non comprehendisti. Quid ergo vis loqui, quod comprehendere non potuisti? *Psal. 30. 23.*

In nobis quærenda Dei similitudo.

17. Videamus ergo, ne fortè in creatura inveniamus aliquid, ubi probemus aliqua tria & separabiliter demonstrari, & inseparabiliter operari. Quò ibimus? Ad cælum, ut de sole & luna & sideribus disputemus? Ad terram, ut fortè de frutectis, de arboribus, de animalibus terram implentibus? An de ipso cælo, an de ipsa terra, quæ continent omnia quæ sunt in cælo & in terra? Quamdiu homo circuis creaturam? Ad te redi, te vide, te inspice, te discute. In creatura quæris aliqua tria & separatim demonstranda, & inseparabiliter operantia: si in creatura quæris, in te priùs quære. Non enim tu non es creatura. Similitudinem quæris. Quæsiturus es in pecore? De Deo enim loquebaris, cùm quæreres quamdam similitudinem. De Trinitate ineffabilis Majestatis loquebaris; & quia defecisti in divinis, tuamque infirmitatem debita humilitate confessus es, ad humana venisti, ibi discute. Quæris in pecore, quæris in sole, in stella? Quid enim horum factum est ad imaginem & similitudinem Dei? Prorsus familiarius & melius aliquid horum quæris in te. Hominem enim Deus fecit ad imaginem & similitudinem suam. In te quære, ne fortè imago Trinitatis habeat aliquod vestigium Trinitatis. Et quæ? Imago facta longè distans: similitudo tamen & imago longè distans, non quomodo imago Filius hoc quod Pater. Aliter enim imago in filio, aliter in speculo. Multum distat. In filio imago tua, tu ipse es. Hoc est enim filius quod tu naturâ. Substantiâ hoc quod tu, personâ alius quàm tu. Non ergo homo imago tamquam unigenitus Filius, sed ad imaginem quamdam & quamdam similitudinem factus. Quærat in se aliquid, si possit invenire, & tria quædam quæ separabiliter [b] pronuntientur, inseparabiliter operentur. Quæram, quærite mecum. Non ego in vobis, [c] sed vos in vobis, & ego in me. Quæramus communiter, & communem naturam atque substantiam communiter pertractemus.

CAPUT VII. Anima nostra ad imaginem Dei facta.

18. Vide, ô homo, adverte si verum est quod dico. Habesne corpus, habes carnem? Habeo, inquis. Nam unde est, unde in loco sum, unde de loco in locum moveor? Unde verba loquentis audio, nisi per aurem carnis? Unde os loquentis video, nisi per oculos carnis? Habes, constat, nec diu satagendum est de re manifesta. Vide aliquid aliud, vide quod operatur per carnem. Audis enim aure, sed non ab aure audis. Alius est intus qui audit per aurem. Vides per oculum, ipsum intuere. An domum agnovisti, habitatorem neglexisti? Numquidnam videt oculus per se ipsum? Nonne alius est qui videt per oculum? Non dico, Non videt oculus mortui, de quo constat corpore habitatorem abscessisse: sed oculus de re alia cogitantis, non videt faciem præsentis. Respice ergo interiorem hominem tuum. Ibi enim magis aliqua similitudo quærenda est quorumdam trium separatim demonstratorum, inseparabiliter operantium. Quid habet mens tua? Fortè si quæram, multa invenio: sed aliquid proximum est, quod faciliùs intelligitur. Quid habet anima tua? Intus [d] commemora, recole. Non enim quod dicturus sum, id posco ut credatur mihi: noli acceptare, si in te non inveneris. Intuere ergo, sed primò quod exciderat, videamus, si homo non Filii tantùm imago est, aut Patris tantùm imago est, sed Patris & Filii; & utique jam consequenter & Spiritus-sancti. Genesis loquitur: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non ergo facit Pater sine Filio, nec Filius sine Patre. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Faciamus, non faciam, aut fac, aut faciat ille: sed, faciamus ad imaginem; non tuam, aut meam, sed ad nostram. *Gen. 1. 26.*

Trinitatis similitudo in homine.

19. Ergo interrogo, dissimilem rem dico. Ne

[a] Plures MSS. *& sensu adhuc puerili contemperari* &c. Ex iisdem unus, *non potuisse*.
[b] Duo MSS. *quæ separabiliter demonstrentur.*
[c] Hîc apud Lov. additur, *& vos in me*; quod ab aliis libris abest.
[d] Am. Er. & aliquot MSS. *commemoro, recole.* Fossatensis MS. *recole, commemoro.*

mo dicat, Ecce quod comparavit Deo. Jam locutus sum, & prælocutus, & cautos reddidi, & cautus fui. Longè ista distant, à summis ima, ab incommutabilibus mutabilia, à creantibus creata, à divinis humana. Ecce primò hoc commendo, quia quod dicturus sum longè distat, nemo mihi calumnietur. Ne fortè ergo & ego aures quæram, & ille dentes paret, hoc me promisi exhibiturum, aliqua tria demonstrata separatim, operata inseparabiliter. Quàm sint ista similia vel dissimilia Trinitati omnipotenti, non nunc ago: sed in ipsa creatura ima & mutabili invenimus aliqua tria, quæ possint separabiliter demonstrari, & inseparabiliter operari. O carnalis cogitatio, & conscientia pertinax atque infidelis! Quid de illa Majestate ineffabili in ea re dubitas, quam in te invenire potuisti? Ecce dico, ecce interrogo: Homo habes memoriam? Si non habes, quod dixi quomodo tenuisti? Sed fortè jam, quod paulò antè dixi, oblitus es. Hoc ipsum quod dico, *dixi*: duas istas syllabas non teneres, nisi per memoriam. Unde enim scires duas esse, si sonante secundâ oblitus esses primam? Quid ergo diutiùs immoror? Quare sic urgeor? Quare sic cogor convincere? Manifestum est, habes memoriam. Quæro aliud: Habes intellectum? Habeo, inquis. Si enim non haberes memoriam, non teneres quod dixi: si non haberes intellectum, non agnosceres quod tenuisti. Habes & hoc. Intellectum tuum ad id quod intus tenes, revocas, & vides, & videndo formaris, ut sciens dicaris. Tertium quæro: Habes memoriam, qua teneas quod dicitur; habes intellectum, quo intelligas quod tenetur; de his duobus requiro abs te, Volens tenuisti & intellexisti? Volens planè, inquis. Habes ergo voluntatem. Hæc sunt tria, quæ me dicturum esse promiseram auribus & mentibus vestris. Tria hæc sunt in te, quæ potes numerare, & non potes separare. Hæc ergo tria, memoriam, intellectum, & voluntatem; hæc, inquam, tria animadverte separatim pronuntiari, inseparabiliter operari.

CAPUT VIII. Memoria, intellectus & voluntas, & separabiliter demonstrantur, & inseparabiliter operantur.

20. Aderit Dominus, & video quòd adsit: ex intellectu vestro intelligo eum adesse. Ex his enim vocibus vestris, quemadmodum intellexeritis, adverto; præsumo eum adjuturum, ut omnia intelligatis. Tria promisi separabiliter demonstrari, inseparabiliter operari. Ecce nesciebam quid esset in animo tuo, demonstrasti mihi dicendo *Memoria*. Hoc verbum, sonus iste, vox ista processit ad aures meas ab animo tuo. Hoc enim quod est memoria, tacitè cogitabas, & non dicebas. Erat in te, & nondum venerat ad me. Ut autem quod erat in te proferretur ad me, dixisti ipsum nomen, id est, *Memoria*. Audivi: quatuor has syllabas in nomine memoriæ audivi. Quatuor syllabarum nomen est, vox est, sonuit, ad aurem meam processit, menti aliquid insinuavit. Quod sonuit transiit, unde insinuatum & quod insinuatum est manet. Sed hoc quæro, quando dixisti hoc nomen *Memoria*, vides certè quia hoc nomen non pertinet nisi ad memoriam. Cetera enim duo habent nomina sua. Namque aliud vocatur intellectus, aliud voluntas, non memoria: illud autem unum vocatur memoria. Sed ut hoc diceres, ut quatuor istas syllabas operareris, unde operatus es? Hoc nomen quod pertinet ad solam memoriam, operata est in te & me-

A moria, ut teneres quod dicebas; & intellectus, ut scires quod tenebas; & voluntas, ut proferres quod sciebas. Gratias Domino Deo nostro. Adjuvit nos, & in vobis & in nobis. Verè dico Caritati Vestræ, hoc discutiendum & insinuandum trepidissimè aggressus eram. Metuebam enim ne fortè lætificarem capacium ingenium, & facerem grave tardioribus tædium. Nunc autem video vos & adtentione audiendi, & celeritate intelligendi, non solùm percepisse dictum, sed

B prævolasse dicturum: Gratias Domino.

CAPUT IX. Ex his tribus illustratur Trinitatis mysterium.

21. Videte ergo, jam securus commendo quod intellexistis; non inculco incognitum, sed repetens commendo perceptum. Ecce de tribus illis una res nominata est, unius rei nomen dictum est: *Memoria* nomen est unius ex illis tribus, & tamen nomen unius ex illis tribus tria ipsa operata sunt. Non potuit dici sola memoria, nisi operante voluntate, intellectu & memoriâ. Non potest dici solus intellectus, nisi operante

C memoriâ, voluntate & intellectu: nec potest dici sola voluntas, nisi operante memoriâ & intellectu & voluntate. Explicata sunt, ut arbitror, quæ promissa sunt: quod separatim pronuntiavi, inseparabiliter cogitavi. Unum horum omnium tria fecerunt: sed tamen hoc unum quod tria fecerunt, non ad tria pertinet, sed ad unum. Tria fecerunt nomen memoriæ: sed hoc non pertinet nisi ad solam memoriam. Tria fecerunt nomen intellectûs: sed non pertinet nisi ad solum intel-

D lectum. Tria fecerunt nomen voluntatis: sed non pertinet nisi ad solam voluntatem. Ita Trinitas fecit carnem Christi: sed non pertinet nisi ad solum Christum. Trinitas fecit de cælo columbam: sed non pertinet nisi ad solum Spiritum-sanctum. Trinitas fecit de cælo vocem: sed non pertinet vox nisi ad solum Patrem.

Quid ex illis ad Patrem, quid ad Filium & Spiritum-sanctum pertineat, cogitandum relinquitur.

22. Nemo ergo dicat mihi, nemo calumniosus me infirmum urgere conetur: Quid ergo in his tribus quæ in mente nostra vel in anima esse

E ostendisti, quid ex his tribus pertinet ad Patrem, id est, quasi ad similitudinem Patris, quid horum ad Filii, quid horum ad Spiritus-sancti? Non possum dicere, non possum explicare. Aliquid cogitantibus relinquamus, aliquid & silentio largiamur. Redi ad te, & ab omni strepitu tolle te. Intra te vide, si habes illic aliquod secretarium dulce conscientiæ tuæ, ubi non perstrepas, ubi non litiges, aut lites pares, ubi non dissensiones & pervicaciam mediteris. Esto mansuetus ad au-

F diendum verbum, ut intelligas. Fortè dicturus es, Auditui meo dabis exsultationem & lætitiam, & exsultabunt ossa, sed humiliata, non elata. *Psal. 50. 10.*

CAPUT X. Hinc satis intelligitur Trinitatis personas posse & separabiliter demonstrari & inseparabiliter operari.

23. Sufficit ergo quia ostendimus tria quædam separabiliter demonstrari, inseparabiliter operari. Si hoc in te invenisti, si hoc in homine, si hoc in quadam persona in terra ambulante, corpus fragile, quod aggravat animam, portante: crede Patrem & Filium & Spiritum-sanctum per singula quædam visibilia, per species quasdam

G assumtæ creaturæ posse & separabiliter demonstrari, & inseparabiliter operari. Sufficit hoc. Non dico, Pater memoria est, Filius intellectus est, Spiritus voluntas est: non dico, quomodo libet intelligatur, non audeo. Servemus majora capientibus, infirmis * infirmi quod possumus. Non dico ista illi Trinitati velut æquanda, quasi ad analogiam, id est, ad rationem quamdam com-

* Supple insinuamus.

Classis I. paratiomis dirigenda : non hoc dico. Sed quid dico? Ecce in te inveni tria separabiliter demonstrata, inseparabiliter operata ; & eorum trium unumquodque nomen à tribus factum, quod tamen non ad tria, sed ad trium horum unum aliquid pertineret. Crede jam ibi quod non potes videre, si hîc audisti & vidisti & tenuisti. In te enim quod est, potes nosse : in eo qui te fecit quod est, quidquid est, quando potes nosse? Et si poteris, nondum potes. Et tamen cùm poteris, numquid sic poteris nosse Deum tu, quomodo se novit Deus? Sufficiat ergo Caritati Vestræ : quod potuimus, diximus : exigentibus promissa reddidimus : cetera quæ addenda sunt, ut proficiant sensus vestri, à Domino quærite.

*SERMO LIII.

* *Aliàs 14. inter additos à Parisiensibus.* a

De [a] *verbis Evangelii Matth.* 5. Beati pauperes spiritu *&c. sed de hoc maximè quod dictum est*, Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.

Caput I. 1. SOLLEMNITATE sanctæ virginis, quæ testimonium dixit de Christo, & testimonium meruit à Christo, palàm occisæ, occultè coronatæ, admonemur Caritati Vestræ de illa exhortatione loqui, quam modò Dominus ex Evangelio proferebat, dicens multas caussas beatæ vitæ, quam nemo est qui non velit. Nemo quippe inveniri potest, qui beatus esse nolit. (*Omnes volunt esse beati.*) Sed ô si homines quomodo desiderant mercedem, sic opus mercedis non recusarent! Quis non alacriter currat, cùm ei dicitur, Beatus eris? Libenter audiat & cùm dicitur, si hoc feceris. Non recusetur certamen, si diligitur præmium ; & accendatur animus ad alacritatem operis commendatione mercedis. Quod volumus, quod desideramus, quod petimus, pòst erit : quod autem jubemur ut faciamus, propter illud quod pòst erit, modò sit. Ecce incipe divina dicta recolere, & ipsa Evangelica præcepta vel munera. (*Matth. 5. 3.*) *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Postea erit tuum regnum cælorum, modò esto pauper spiritu. Vis ut postea regnum cælorum tuum sit? Vide modò tu ipse cujus sis. Esto pauper spiritu. Quæris à me fortasse, quid sit esse pauperem spiritu. (*Pauper spiritu quis.*) Omnis inflatus non est pauper spiritu : ergo humilis pauper est spiritu. Altum est regnum cælorum : sed, Qui se humiliat, exaltabitur. (*Luca 14. & 18.*)

Caput II. 2. Adtende quod sequitur : *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* (*Matth. 5. 4.*) Jam vis possidere terram : vide ne possidearis à terra. Possidebis mitis, possideberis immitis. Nec cùm audis præmium propositum, ut possideas terram, extendas avaritiæ sinum, qua vis possidere modò terram, excluso etiam utcumque vicino tuo : non te ista fallat opinio. Tunc verè possidebis terram, quando inhæseris ei qui fecit cælum & terram. (*Mitis quis.*) Hoc enim est esse mitem, non resistere Deo tuo : ut in eo quod bene facis, ipse tibi placeat, non tu tibi ; in eo quòd mala justè pateris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neque enim parum est, quia placebis ei, A displicens tibi ; displicebis autem ei, placens tibi. (*Serm. de Scripturis.*)

Caput III. 3. Adtende tertium : *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* (*Matth. 5. 5.*) In luctu opus est, in consolatione merces est. Nam qui lugent carnaliter, quas consolationes [b] habent? Molestas, metuendas. (*Lugentes.*) Ibi consolatur lugens, ubi timet rursus ne lugeat. Verbi gratiâ, contristat filius elatus, lætificat natus : illum extulit, hunc suscepit : in illo tristitia, in isto timor : in nullo ergo B consolatio. Ergo illa erit vera consolatio, qua dabitur quod non amittatur ; ut illi se postea gaudeant consolari, qui modò se lugent peregrinari.

Caput IV. 4. Accedat quartum & opus & munus : *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth. 5. 6. Esurientes.*) Saturari vis. Unde? Si caro saturitatem concupiscit, digesta saturitate, famem iterum patieris. Et qui biberit, inquit, ex hac aqua, sitiet iterum. (*Johan. 4. 13.*) Medicamentum quod ad vulnus C ponitur, si sanaverit, jam non dolet : quod autem ponitur contra famem, hoc est, esca, ita ponitur ut ad modicum relevet. Transacta enim saturitate, redit fames. Accedit quidem quotidie remedium saturitatis, sed non est sanatum vulnus infirmitatis. Esuriamus ergo sitiamusque justitiam, ut ipsâ justitiâ saturemur, quam nunc esurimus & sitimus. Inde enim saturabimur, quod esurimus & sitimus. Interior homo noster esuriat & sitiat : habet enim cibum suum, ha- D bet potum suum. Ego sum, inquit, panis qui de cælo descendi. (*Johan. 6. 41.*) Habes panem esurientis, desidera & potum sitientis : Quoniam apud te est fons vitæ. (*Psal. 35. 10.*)

Caput V. 5. Adtende quod sequitur : *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* (*Matth. 5. 7. Misericordes.*) Fac, & fiet : fac cum altero, ut fiat tecum. Quia abundas & eges : abundas temporalibus, eges æternis. Mendicum hominem audis, mendicus ipse Dei es. Petitur à te, & petis. Quod egeris cum E petitore tuo, hoc aget Deus cum suo. Et plenus & inanis es : imple inanem de plenitudine tua, ut de Dei plenitudine impleatur inanitas tua.

Caput VI. 6. Adtende quod sequitur : *Beati mundicordes*, hoc est, qui mundi corde sunt ; *quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth. 5. 8. Mundicordes.*) Hic est finis amoris nostri ; finis quo perficiamur, non quo consumamur. Finitur cibus, finitur vestis : cibus, quia consumitur edendo ; vestis, quia perficitur texendo. Et illud F finitur, & illud : sed finis iste pertinet ad consumtionem, ille ad perfectionem. Quidquid agimus, quidquid bene agimus, quidquid nitimur, quidquid laudabiliter æstuamus, quidquid inculpabiliter desideramus, ad Dei visionem cùm venerit, plus non requiremus. Quid enim quærat, cui adest Deus? aut quid sufficiat ei, cui non sufficit Deus? Videre Deum volumus, videre Deum quærimus, videre Deum inardescimus. Quis non? Sed vide quid dictum est : *Beati* G *mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hoc para, unde videas. Ut enim secundùm carnem loquar, quid desideras ortum solis cum oculis lippis? Sani sint oculi, & erit lux illa gaudium:

[a] In Possidii Indiculo duo in istud Evangelii capitulum Sermones notantur, alter cap. 8. *de octo sententiis beatitudinum* : alter 9 cap. inscriptus *de beatitudinibus*, qui titulus magis congruit subsequenti Sermoni, sex tantùm priores beatitudines adtingenti. Hujus porrò excerptum in Flori collectione ad Ephes. 3. reperitur sub isto titulo, *Ex Sermone in basilica Tricillarum* : quæ videlicet basilica erat Carthagine.

[b] Sic Corbeiensis MS. Editi verò, *quas consolationes habebunt? Molestias metuendas.*

Classis I.

non sint oculi sani, erit lux illa tormentum. A Non enim corde non mundo videre permitteris, quod non videtur nisi corde mundo. Repelléris, auferéris, non videbis. *Beati enim mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quotiens beatos jam numeravit, quas beatitudinis caussas, quæ opera, quæ munera, quæ merita, quæ præmia? Nusquam dictum est, *Ipsi Deum videbunt. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: ipsi hereditate possidebunt terram. Beati lugentes: ipsi consolabuntur.* B *Beati esurientes & sitientes justitiam: ipsi saturabuntur. Beati misericordes: ipsi misericordiam consequentur.* Nusquam dictum est, *Ipsi Deum videbunt.* Ventum est ad mundicordes, ibi visio Dei promissa est. Non sine caussa, nisi quia ibi sunt oculi, unde videtur Deus. De his oculis

Ephes. 1. 18. Paulus apostolus loquens ait, Illuminatos oculos cordis vestri. Modò ergo oculi isti pro sua infirmitate illuminantur fide: postea pro sua fir-

2. Cor. 5. 6 & 7. mitate illuminabuntur specie. Quamdiu enim su- C » mus in corpore, peregrinamur à Domino. Per » fidem enim ambulamus, non per speciem. Quamdiu autem in hac fide sumus, quid de nobis di-

1. Cor. 13. 12. citur? Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.

Dei facies & manus & pedes quid.

7. Non hîc corporea facies cogitetur. Nam si accensus desiderio videndi Deum, faciem tuam præparaveris corporalem ad videndum; talem faciem desiderabis & Dei. Si autem jam saltem spiritaliter de Deo sapis, ut Deum non D cogites esse corporeum, (unde diutiùs [a] heri egimus, si tamen aliquid peregimus;) si in corde vestro, tamquam in templo Dei, formæ humanæ fregimus simulacrum, si jam vobis bene

Rom. 1. 22. & 23. venit in mentem, & viscera vestra interiora possedit, ubi detestatur Apostolus eos, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitu-

* Caput VII. dinem imaginis corruptibilis hominis. * Si jam

* f. aversamini. tale malum detestamini, si * adversamini, si E Creatori mundatis templum suum, si vultis ut

Sap. 1. 1. veniat & mansionem apud vos faciat: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Videte cui dicatis, si tamen

Psal. 26. 8. dicitis, si verè dicitis: Tibi dixit cor meum, quæram faciem tuam. Dicat & cor tuum, & adde, Vultum tuum, Domine, requiram. Bene enim requiris, quia corde requiris. Dicitur Dei vultus, dicitur Dei brachium, dicitur Dei manus, dicuntur Dei pedes, dicitur Dei sedes, di- F citur scabellum pedum ejus: sed noli membra humana cogitare. Si vis esse templum veritatis, frange idolum falsitatis. Manus Dei, potentia Dei. Facies Dei, notitia Dei. Pedes Dei, præsentia Dei. Sedes Dei, si vis, tu es. An fortè

1. Cor. 1. 24. negare audebis Deum esse Christum? Non, inquis. Concedis & hoc, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam? Concedo, inquis. Audi:

Sap. 1. Anima justi sedes est sapientiæ. Ubi enim sedem habet Deus, nisi ubi habitat? Ubi autem habi-

1. Cor. 3. 17. tat, nisi in templo suo? Templum enim Dei G sanctum est, quod estis vos. Vide ergo quomo-

Johan. 4. 24. do excipias Deum. Spiritus est Deus; in spiritu & veritate oportet adorare Deum. Jam in cor

1. Reg. 5. 3. tuum, si placet, intret arca testamenti, & ruat Dagon. Audi ergo nunc, & disce Deum desiderare, disce unde Deum videre possis; præparare. *Beati*, inquit, *mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* * Quid præparas oculos corporis? Si sic videbitur, in loco erit quod videbitur. Non est in loco qui ubique totus est. Munda unde videatur.

Serm. de Scripturis.

* Caput VIII.

Præmia operibus congrua in sententiis beatitudinum.

8. Audi, & intellige, si ipso juvante potero explicare: adjuvet nos ad intelligendum omnia supradicta opera & munera, quemadmodum congrua congruentibus apposita sint. Ubi enim dictum est de præmio, quod non congrueret operi, quod non consonaret? Quia humiles quasi à regno videntur alieni: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum.* Quia mites homines facilè excluduntur de terra sua: *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Jam cetera aperta sunt, clara suâ sponte cognoscuntur: disputatore non egent; commemoratore opus habent. *Beati qui lugent.* Quis lugens non consolationem desiderat? *Ipsi*, inquit, *consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Quis esuriens & sitiens non satietatem requirit? Et *ipsi*, inquit, *saturabuntur. Beati misericordes.* Quis misericors, nisi qui optat ex ipso opere reddi sibi à Deo vicem, ut circa se fiat, quod circa pauperem facit? *Beati*, inquit, *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Quomodo per ipsa singula singulis propria apposita sunt, & nihil adhibitum est in præmio, quod non congrueret præcepto? Præceptum est enim, ut sis pauper spiritu: præmium est, ut habeas regnum cælorum. Præceptum est, ut sis mitis: præmium est, ut possideas terram. Præceptum est, ut sis lugens: præmium, ut consoleris. Præceptum est, ut esurias & sitias justitiam: præmium, ut satureris. Præceptum est, ut sis misericors: præmium, ut misericordiam consequaris. Sic præceptum est, ut mundes cor: præmium, ut videas Deum.

Caput IX. Visio Dei quomodo mundicordibus speciatim promissa.

9. Non ergo ita sapias in his præceptis & præmiis, ut cùm audis, *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt*, putes pauperes spiritu non visuros, aut non visuros mites, non visuros lugentes, non visuros esurientes & sitientes justitiam, non visuros misericordes. Non arbitreris eos tantùm quasi visuros qui mundo sunt corde, illis à visione separatis. Omnia enim hæc iidem ipsi sunt. Ipsi videbunt, & non ideo videbunt, quia pauperes spiritu sunt, quia mites sunt, quia lugentes, quia esurientes sitientesque justitiam, quia misericordes: sed quia mundi sunt corde. Quemadmodum si corporalia opera membris corporalibus coaptarentur, ac diceret (verbi gratiâ) quisquam, Beati qui pedes habent, quia ipsi ambulabunt: beati qui manus habent, quia ipsi operabuntur: beati qui vocem habent, quoniam ipsi clamabunt: beati qui os & linguam habent, quoniam ipsi loquentur: beati qui oculos habent, ipsi enim videbunt. Sic tamquam spiritalia membra componens, docuit quid ad quid pertineat. Apta est humilitas ad habendum regnum cælorum, apta mansuetudo ad possidendam terram, aptus luctus ad consolationem, apta fames & sitis justitiæ ad saturitatem, apta misericordia ad impetrandam misericordiam, ap-

[a] Indicat, opinamur, Sermonem 23. de versiculo Psalmi 72. seu de visione Dei, qui etiam Carthagine habitus in MSS. notatur, in basilica Fausti.

Classis I.

tum mundum cor ad videndum Deum.

Caput X. Fide cor mundatur ad videndū Deum.

10. Si ergo desideramus videre Deum, oculus iste unde mundabitur? Quis enim non curet, quis non quærat unde mundet, quo videre possit quem toto affectu desiderat? Expressit hoc divina testatio: Fide, inquit, mundans corda eorum. (*Act. 15. 9.*) Mundat cor fides Dei, mundum cor videt Deum. Sed quia ipsa fides aliquando ab hominibus, qui se ipsos fallunt, talis determinatur, quasi sufficiat tantummodo credere, (promittunt enim sibi quidam etiam conspectum Dei regnumque cælorum credentes & malè viventes;) contra hos succensus & spiritali caritate quodammodo stomachans Jacobus apostolus in epistola sua dicit, Tu credis quoniam unus est Deus. (*Jacobi 2.19.*) Plaudis tibi de fide: adtendis enim multos impios æstimare multos esse deos, & tu tibi gaudes credendo quia unus est Deus. Bene facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt. Numquid & ii Deum videbunt? Videbunt qui mundo sunt corde. Quis autem mundicordes dicat spiritus immundos? Et tamen credunt, & contremiscunt.

Fides Christianorum discernenda à fide dæmonum.

11. Discernenda est fides nostra à fide dæmonum. Fides enim nostra mundat cor: fides autem illorum reos facit. Malè quippe operantur, & ideo Domino dicunt, Quid nobis & tibi est? Cùm audis hoc dæmones dicere, putas eos non agnoscere? Scimus, inquiunt, qui sis. Tu es Filius Dei. (*Lucæ 4.34.*) Dicit hoc Petrus, & laudatur: dicit hoc dæmon, & damnatur. (*Matth. 16. 16.*) Unde hoc, nisi quia vox par, & cor impar? Discernamus ergo fidem nostram, nec credere sufficiat. Non est talis fides quæ mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eorum. (*Act. 15. 9*) Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Paulus apostolus, ubi ait, Fides quæ per dilectionem operatur? (*Gal. 5. 6.*) Ista fides discernit à fide dæmonum, discernit ab hominum flagitiosis ac perditis moribus. Fides, inquit. Quæ fides? Quæ per dilectionem operatur, sperat quod Deus pollicetur. Nihil ista definitione perpensius, nihil perfectius. Ergo tria sunt illa. Necesse est ut in quo est fides, quæ per dilectionem operatur, speret quod Deus pollicetur. Comes est ergo fidei spes. Necessaria quippe spes est, quamdiu non videmus quod credimus; ne fortè non videndo & desperando deficiamus. Contristat nos, quia non videmus: sed consolatur nos, quia visuros nos speramus. Adest ergo spes, & est comes fidei. Deinde & caritas, qua desideramus, qua pertingere conamur, qua inardescimus, qua esurimus & sitimus. Adhibetur ergo & hæc: & erit fides, spes & caritas. Quomodo enim non erit ibi caritas, cùm nihil sit aliud caritas quàm dilectio? Ipsa autem fides definita est, quæ per dilectionem operatur. Tolle fidem, perit quod credis; tolle caritatem, perit quod agis. Fidei enim pertinet ut credas; caritati ut agas. Si enim credis, & non amas, non te moves ad bonum opus: & si moves, ut servus moves, non ut filius; timendo pœnam, non amando justitiam. Illa ergo, inquam, fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur.

Fidei comites spes & caritas.

Caput XI. Deus non cogitandus ut corpus.

12. Et modò ipsa fides quid agit? Tantis testimoniis Scripturarum, tam multiplici lectione, tam varia copiosaque exhortatione quid agit, nisi ut videamus nunc per speculum in ænigmate, postea facie ad faciem? Sed non [a] iterum tu

A redeas ad istam faciem tuam. Faciem cordis cogita. Coge cor tuum cogitare divina, compelle, urge. Quidquid simile corporis cogitanti occurrerit, abjice. Nondum potes dicere, Hoc est: saltem dic, Non est hoc. Quando enim dices, Hoc est Deus? Nec cùm videbis: quia ineffabile est quod videbis. Raptum se dicit Apostolus in tertium cælum, & audisse ineffabilia verba. (*2. Cor. 12. 2. & 4.*) Si sunt ineffabilia verba, quid est cujus sunt verba? Cogitanti ergo tibi de Deo, occurrit ali-

B qua fortasse in humana specie mira & amplissima magnitudo: constituisti eam in conspectu cogitationis tuæ, tamquam magnum aliquid, amplissimum, grande, ingentissima mole diffusum. Finisti alicubi. Si finisti, Deus non est. Si non finisti, facies ubi est? Cogitas molem, & ut membra distinguas, definis molem. Aliter enim membra distinguere non potes, nisi moli dederis finem. Quid agis stulta & carnalis cogitatio? Grandem molem fecisti; & tantò grandiorem,

C quantò te putasti Deum ampliùs honorare. Addit alius unum cubitum, & facit majorem.

Caput XII. Locus Isaiæ in speciem contrarius.

13. Sed legi, inquis. Quid legisti, qui nihil intellexisti? Et tamen dic, quid legisti? Non repellamus parvulum corde ludentem. Dic quid legisti? Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. (*Isai. 66. 1.*) * Aio: Legi & ego: (*f. Audio*) sed tu fortè potiorem te putas, quia legisti & credidisti. Credo & ego quod dixisti. Simul credamus. Quid dico? Simul quæramus. Ecce tene

D quod legisti, & credidisti: Cælum mihi thronus est, id est, sedes; thronus enim Græcè, Latinè sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Non legisti & illud, Quis palmo mensus est cælum? (*Isai. 40. 12.*) Puto te legisse: cognoscis, & te credere confiteris. Ibi enim utrumque legimus, utrumque credimus. Modò jam cogita, & doce me: adhibeo te doctorem, & me parvulum facio. Doce me, obsecro te. Quis est qui sedet in palmo suo?

* Caput XIII. Excutitur locus alius.

E 14. Ecce figuras & lineamenta membrorum Dei à corpore humano duxisti. * Sed fortè subrepsit tibi, ut secundùm corpus putares nos factos ad imaginem Dei. Interim accipio considerandum, discutiendum, requirendum, disputando excutiendum. Si placet, audi me: quia in eo quod tibi placuit, audivi te. Sedet Deus in cælo, & palmo metitur cælum. Idem cælum fit latum, cùm sedet; & angustum, cùm metitur? An ipse Deus tantus est in sedendo, quantus in pal-

F mo? Si hoc ita est, non ad similitudinem suam nos fecit Deus: nos enim palmum angustiorem valde habemus, quàm partem corporis qua sedemus. Ille autem si tam latus est in palmo suo, quàm latus in sessione sua, disparia membra nobis fecit. Non est ista similitudo. Erubescat ergo tale idolum in corde Christiano. Proinde cælum accipe pro omnibus sanctis. Quia & terra dicitur pro omnibus qui sunt in terra: Omnis terra adoret te. (*Psal. 65. 4.*) Si bene dicimus secundùm eos

Cælum, sancti. Terra, terreni.

G qui habitant in terra, Omnis terra adoret te: bene dicimus etiam secundùm eos qui habitant in cælo, Omne cælum portet te. Nam & sancti ipsi qui in terra habitant, carne terram calcant, corde in cælo habitant. Non enim frustra admonentur sursum habere cor, & cùm admoniti fuerint, ita esse respondent: aut frustra dicitur, Si

Sursum cor. Col. 3. 1. & 2.

[a] Corbeiensis MS. *Sed non ita iterum ut redeas tu ad faciem tuam.*

CLASSIS I.

" consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quæ- (A) rite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Inquantum ergo ibi conversantur, & ipsi Deum portant, & cælum sunt; quia Dei sedes sunt; & cùm annuntiant verba Dei, Cæli enarrant gloriam Dei.

Psal. 18. 2.

CAPUT XIV. Latitudo, longitudo, altitudo & profundū. *Ephes. 3. 17. &c.*

15. Redi ergo mecum ad faciem cordis: ipsam præpara. Intus est cui loquitur Deus. Aures, oculi, cetera membra visibilia, interioris cujusdam vel habitaculum vel organum sunt. (B) Interior est homo ubi habitat Christus interim per fidem: ibi habitaturus præsentiâ divinitatis suæ, cùm cognoverimus quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, profundum; cognoverimus etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Nunc ergo si tibi intellectus hic non displicet, advoca te comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, profundum. Non discurras imaginatione cogitationis per spatia mundana, & per (C) molis hujus tam magnæ [a] comprehensibilem granditatem. In te adtende quod dico. Latitudo est in bonis operibus; longitudo est in longanimitate & perseverantia bonorum operum; altitudo est in supernorum exspectatione præmiorum; propter quam altitudinem tibi dicitur ut sursum cor habeas. Bene operare, & in bonis operibus persevera, propter beneficia Dei. Terrena pro nihilo æstimes, ne cùm tibi aliquo sapientis illius flagello terra ista fuerit perturba- (D) ta, dicas te sine caussa Deum coluisse, sine caussa bona opera fecisse, sine caussa in bonis operibus perseverasse. Faciendo enim bona opera, quasi habuisti latitudinem: perseverando in eis, quasi habuisti longitudinem: sed terrena conquirendo, non habuisti altitudinem. Adtende profundum: gratia Dei est in occulto voluntatis ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Et, Judicia tua sicut multa abyssus.

Rom. 11. 34. Psal. 35. 7.

CAPUT XV. Crucis quatuor dimensiones. *2. Par. 19. 7. Rom. 9. 14. Florus ad Ephes. 3.*

(E) 16. Hanc conversationem bene operandi, in ea perseverandi, superna exspectandi, gratiam Dei occultè dandi, sapientiâ, non stultitiâ; nec reprehendendi quare alius sic, alius autem sic; non enim est iniquitas apud Deum: hanc ergo conversationem, si placet, coapta etiam cruci Domini tui. Non enim frustra talem mortem elegit, in cujus potestate erat vel mori vel non mori. Si in potestate erat mori & non mori, quare non in potestate sic vel sic mori? Non fru- (F) stra ergo crucem elegit, ubi te huic mundo crucifigeret. Nam latitudo est in cruce transversum lignum, ubi figuntur manus: propter bonorum operum significationem. Longitudo est in ea parte ligni, quæ ab ipso transverso ad terram tendit. Ibi enim corpus crucifigitur, & quodam modo stat: & ipsa statio perseverantiam significat. Altitudo autem in illo ligno est, quod ab eodem transverso sursum versus ad caput eminet: & eâ significatur supernorum exspectatio. (G) Ubi profundum, nisi in ea parte quæ terræ defixa est? Occulta est enim gratia, & in abdito latet. Non videtur, sed inde eminet quod videtur. Post hæc si comprehenderis hæc omnia, non solùm intelligendo, verùm etiam agendo: (Intellectus enim bonus omnibus qui faciunt eum:) tunc jam extende te, si potes, ad agnoscendam agnitionem caritatis Christi supereminentem scientiæ. Cùm perveneris, impleberis, in omnem plenitudinem Dei. Tunc erit illud facie ad faciem. Impleberis autem in omnem plenitudinem Dei, non ut tui plenus sit Deus, sed ut tu sis plenus Deo. Quære ibi, si potes, faciem corporalem. Jam tollantur nugæ à mentis adspectu. (B) Abjiciat puer parvulus ludicra, discat tractare majora. Et nos in multis parvuli sumus: & cùm plus quàm sumus essemus, à majoribus tolerati sumus. Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum. Hac enim & cor mundatur: quia ibi est fides quæ per dilectionem operatur. Hinc *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.*

SERM. DE SCRIPTURIS. *Psal. 110. 10.* *Hebr. 12. 14.*

* SERMO LIV.

** Aliàs 21 de verbis Domini. b*

(C) *De eo quod [b] scriptum est in Evangelio Matth. 5.* Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est: *& contrà cap.* 6. Adtendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.

CAPUT I. Præcepta in speciem contraria. *Matth. 5. 16.* *Matth. 6. 1.*

1. SOLET multos movere, Carissimi, quòd Dominus noster Jesus Christus in Sermone Evangelico, cùm priùs dixisset, *Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est,* postea dixit, *Adtendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* (D) Turbatur enim mens parum intelligentis, & præcepto utrique obaudire cupientis, & per diversa & adversa distenditur. Tam enim nemo potest quamvis uni domino obtemperare repugnantia jubenti, quàm nemo potest etiam duobus dominis servire: quod eodem Sermone (E) Salvator ipse testatus est. Quid ergo faciet animus nutans, cùm se obtemperare non posse existimat, & non obtemperare formidat? Si enim bona opera sua in luce posuerit hominibus intuenda, ut faciat quod præceptum est, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est:* reum se teneri arbitrabitur, quia contra præceptum fecit, ubi dicitur, *Adtendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* (F) Rursusque si hoc timens & cavens, ea quæ bene facit absconderit, non se putabit servire imperanti & dicenti, *Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra.*

Ibidem 24. Florus ad 2. Cor. 4.

CAPUT II. Utrumque præceptum implet Apostolus.

2. Qui rectè autem intelligit, utrumque implet, & serviet universissimo Domino, qui servum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret. Audite enim Paulum servum Christi Jesu, vocatum Apostolum, (G) segregatum in Evangelium Dei, utrumque & facientem & docentem. Videte quemadmodum luceat lumen ejus coram hominibus, ut videant bona opera ejus. Commendamus, inquit, nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum

2. Cor. 4. 2.

[a] Ita Corbeiensis MS. Editi verò, *incomprehensibilem.*
[b] Citat Florus ad 2. Cor. 4. Et à Possidio in 8. capite Indiculi hic ipse fortè Sermo notatur istis verbis, *De placendo & non placendo hominibus.* Eamdem difficultatem tractavit Augustinus suprà in Serm. 47. n. 12. & 13.

Classis I.

2.Cor.8.21. 1.Cor.10.33. Gal.6.4. 2.Cor.1.12. Gal.1.10.

in conspectu Dei. Et iterum, Providemus enim A bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et iterum, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo. Videte rursus quemadmodum adtendat, ne faciat justitiam suam coram hominibus, ut videatur ab eis. Opus autem suum probet, inquit, unusquisque; & tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero. Et iterum, Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et illud quo nihil est manifestius: Si adhuc, inquit, B » hominibus placerem, Christi servus non essem. Sed ne quisquam eorum qui de præceptis quasi repugnantibus ipsius Domini moventur, multò magis Apostolo ejus ingerat quæstionem, & dicat, Quomodo tu dicis, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo: & tu idem dicis, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem? Adsit ipse Dominus, qui etiam in servo suo & Apostolo loquebatur, & aperiat nobis voluntatem suam, & tribuat obe- C diendi facultatem.

Conciliantur duo illa præcepta.

3. Ipsa quippe verba Evangelica secum portant expositiones suas; nec intercludunt ora esurientium, quia pascunt corda pulsantium. Intentio quippe cordis humani quò dirigatur, & [a] quò spectet, intuendum est. Si enim qui vult videri ab hominibus bona opera sua, gloriam & utilitatem suam ponit ante homines, & hanc in conspectu hominum quærit; nihil eorum, quæ de hac re Dominus præcepit, implevit: quia & D adtendit facere justitiam suam coram hominibus, ut videretur ab eis; & non sic eluxit lumen ejus coram hominibus, ut ad hoc viderent bona opera ejus, ut glorificarent Patrem qui in cælis est. Se quippe voluit glorificari, non Deum; & suam quæsivit utilitatem, non dilexit Domini voluntatem. De qualibus dicit Apostolus, Om- (Philip.2.21.) » nes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Itaque non illic sententia terminata est, ubi ait, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus*, E *ut videant bona opera vestra:* sed continuò subjunxit cur faciendum sit; *ut glorificent*, inquit, *Patrem vestrum, qui in cælis est:* ut homo cùm bene faciens videtur ab hominibus, intentionem boni facti habeat in conscientia sua, intentionem verò innotescendi non habeat nisi in laudibus Dei, propter eorum quibus innotescit utilitatem; quibus hoc prodest, ut Deus placeat, qui hoc præstitit homini; atque ita non desperent, etiam sibi si voluerint hoc posse præstari. F Itaque aliam sententiam, ubi ait, *Adtendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, non alibi terminavit, quàm ubi dixit, *ut videamini ab eis:* nec addidit, Et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est: sed potiùs addidit, *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Hinc enim ostendit eos qui tales sunt, quales fideles suos esse non vult, in eo ipso mercedem quærere, quòd videntur ab hominibus, ibi constituere bonum suum, ibi G oblectare vanitatem cordis sui, ibi exinaniri & inflari, ibi tumescere & contabescere. Cur enim non sufficit, ut diceret, *Adtendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus*; sed addidit, *ut videamini ab eis:* nisi quia sunt quidam, qui sic faciunt justitiam suam coram hominibus, non ut videantur ab eis, sed ut ipsa opera videantur, & glorificetur Pater qui est in cælis, qui ea justificatis impiis donare dignatus est?

Serm. de Scripturis.

Caput III. Quisnam verè præceptum utrumque impleverit. Philip. 3. 9. 2. Cor. 5. 21. Rom. 10. 3.

4. Qui tales sunt, nec suam justitiam deputant, sed ejus ex cujus fide vivunt: (unde & Apostolus dicit, Ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex Lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo, justitia ex fide. Et in alio loco, Ut nos simus justitia Dei in illo. Unde & Judæos ita reprehendit: Ignorantes, inquit, Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.) Quisquis ergo ita vult videri hominibus opera sua, ut ille glorificetur, à quo ea quæ in illo videntur accepit, & sic ad imitandum bonum iidem ipsi qui vident pietate fidei provocentur, verè lumen ejus lucet coram hominibus: quia lux de illo caritatis radiatur, non superbiæ fumus evomitur: & in eo ipso cavet, ne justitiam suam faciat coram hominibus, ut videatur ab eis; quia nec suam deputat illam justitiam, nec ideo facit ut ipse videatur; sed ut ille intelligatur, qui laudatur in homine justificato, ut faciat & in laudante quod laudatur in altero, id est, ut laudantem faciat esse laudabilem. Adtendite & Apostolum, cùm dixisset, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo; quomodo non ibi remansit, quasi ibi constituerit finem intentionis suæ, (1. Cor. 10. 33.) ut placeret hominibus; alioquin falsum dixisset, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: sed statim subjunxit quare hominibus placeret. Non quærens, inquit, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. (Ibidem.) Ita & non placebat hominibus propter suam utilitatem, ne Christi servus non esset; & placebat hominibus propter illorum salutem, ut Christi esset dispensator idoneus: quia & illi coram Deo conscientia sufficiebat, & de illo coram hominibus quod imitarentur, elucebat.

* SERMO LV.

* Alias 8. de verbis Domini.

De [b] *verbis Evangelii Matth.* 5. Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis, *&c.*

Caput I. Timor utilis.

1. SANCTI Evangelii capitulum, quod modò cùm legeretur audivimus, valde nos terruit, si fidem habemus: eos autem non terruit, qui fidem non habent. Et quia non terret eos, volunt esse perversè securi, nescientes distribuere & distinguere tempora timoris & securitatis. Timeat ergo qui ducit modò vitam cum fine, quò possit in illa vita habere securitatem sine fine. Ergo timuimus. Quis enim non timeat loquentem veritatem & dicentem, *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis?* (Matth. 5. 22. Jacobi 3. 8.) Linguam autem nullus hominum domare potest. Et homo domat feram, non domat linguam: domat leonem, & non refrenat sermonem: domat ipse, & non domat se ipsum: domat quod timebat; & ut se domet, non timet quod timere debebat. [c] Sed quid fit? Sententia vera, & ista processit de oraculo veritatis: Linguam autem nullus hominum domare potest.

[a] MSS. *& quid exspectet.*
[b] Citatur à Floro in epistolam ad Hebr. 12.

[c] Pauciores MSS. *Sed quid insit sententia vera?* Fortè legendum, *Sed quid si sententia vera est ista? Processit de oraculo veritatis.*

2. Quid

Classis I.

Caput II. Divini auxilii necessitas ad domandam linguam.

2. *Quid ergo faciemus, Fratres mei? Video A me quidem ad multitudinem loqui: sed quia unum sumus omnes in Christo, tamquam in secreto consilium capiamus. Nullus nos audit extraneus, unum sumus, quia in unum sumus. Quid faciemus? *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis:* Linguam autem nullus hominum domare potest. Ibunt ergo omnes in gehennam ignis? Absit. Domine, refugium factus es nobis, à generatione in generationem. Ira tua justa est: neminem in gehennam mittis injustè. B Quò ibo à spiritu tuo, & à te quò fugiam, nisi ad te? Ergo intelligamus, Carissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es? Linguam nullus hominum domare potest. Adtendite similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus. Equus non se domat; camelus non se domat; elephantus non se domat; aspis non se domat; leo non se domat: sic & C homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur, ut dometur homo.

Psal. 89. 1.

Psal. 138. 7.

Caput III. Deus linguæ domitor.

3. Ergo, Domine, refugium factus es nobis. Conferimus nos ad te, & bene nobis erit de te. Malum est enim nobis de nobis. Quia dimisimus te, dimisisti nos nobis. Inveniamur ergo in te, quia perieramus in nobis. Domine, refugium factus es nobis. Quid ergo, Fratres mei, dubitare debemus, quia mansuetos nos faciet Dominus, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti D leonem, quem non fecisti; non domat te, qui fecit te? Unde enim bestias tam immanes domare potuisti? Numquid eis æquaris viribus corporis? Qua ergo virtute ingentes bestias domare potuisti? Ipsa jumenta quæ dicuntur, bestiæ sunt. Non enim indomita tolerantur. Sed quia non eas novit consuetudo, nisi in manibus hominum & sub frenis hominum & sub potestate hominum, E putas eas mansuetas nasci potuisse? Certè feras immanes adtende. Fremit leo, quis non timeat? Et tamen unde te intelligis fortiorem? Non corporis virtute, sed mentis ratione interiore. Fortior es leone, unde factus es ad imaginem Dei. Imago Dei domat feram; & non domat Deus imaginem suam?

Caput IV. Florus ad Hebr. 12. Ferendum flagellum Dei domitoris.

4. In illo spes est, ei nos subdamus, & misericordiam precemur. In illo spem nostram ponamus, & donec domemur & perdomemur, id F est, perficiamur, domitorem feramus. Plerumque enim profert domitor noster etiam flagella. Si enim tu ad domanda jumenta tua profers virgam, profers flagellum; Deus non profert ad domanda jumenta sua, quod sumus nos, qui de jumentis suis faciet filios suos? Domas equum tuum: quid daturus es equo tuo, cùm te cœperit portare mansuetus, ferre disciplinam tuam, obedire imperio tuo, esse jumentum, hoc est adjumentum infirmitatis tuæ? Quid ei retribuis, G quem nec saltem sepelis cùm mortuus fuerit, sed discerpendum volatilibus projicis? Domito tibi Deus hereditatem servat, quod est ipse Deus: & ad tempus mortuum, resuscitat te. Carnem tuam usque ad numerum capillorum reddet tibi: & constituet te cum Angelis in æternum, ubi jam non indigeas domari, sed tantummodo à A piissimo possideri. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus: nec erit ulla infelicitas quæ nos exerceat, sed felicitas sola quæ pascat. Ipse autem pastor noster, Deus noster: ipse potus noster, Deus noster; honor noster, Deus noster; divitiæ nostræ, Deus noster. Quæcumque hîc varia quæris, ipse tibi unus omnia erit.

Serm. de Scripturis.

1. Cor. 15. 28.

Caput V. Quam in spem hîc domamur.

5. Ad hanc spem homo domatur, & domitor intolerabilis habetur? Ad hanc spem homo domatur, & contra istum utilem domitorem, si B fortè flagellum proferat, murmuratur? Audistis exhortantem Apostolum, Si separetis vos à disciplina, ergo nothi, & non estis filii. Nothi sunt adulteri. Quis enim est filius, cui non det disciplinam pater ejus? Et carnis quidem nostræ, inquit, patres habebamus correptores, & [a] reverebamur; non multò magis subjiciemur Patri spirituum, & vivemus? Quid enim tibi potuit præstare pater tuus, quia corripuit te, quia verberavit te, quia flagellum protulit & cecidit te? C Numquid præstare potuit ut viveres in æternum? Quod non potuit præstare sibi, quando præstaret tibi? Propter pecuniam suam quantulamcumque, quam de usuris & labore collegit, erudiebat te flagellis, ne tibi dimissus labor ejus te malè vivente disperderetur. Et cecidit filium, timens perire labores suos: quoniam reliquit tibi, quod nec tenere hîc poterat, nec auferre. Non enim hîc aliquid tibi dimisit quod ipsius esse possit: cessit, ut sic accederes. Deus autem D tuus, Redemtor tuus, domitor tuus, castigator tuus, pater tuus, erudit te. Quò? Ut accipias hereditatem, ubi non efferas patrem, sed hereditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris, & murmuras? & si quid triste acciderit, fortasse blasphemas? Quò ibis à spiritu ejus? Ecce dimittit te, & non flagellat: deserit blasphemantem, non senties judicantem? Nonne melius est ut flagellet te, & recipiat te, quàm E parcat tibi, & deserat te?

Hebr. 12. 8.

Ibidem 7. & 9.

Caput VI. Refugium nostrum Deus.

6. Dicamus ergo Domino Deo nostro, Domine, refugium factus es nobis, in generatione & generatione. In prima generatione & altera generatione, refugium factus es nobis. Tu refugium ut nasceremur, qui non eramus: tu refugium ut renasceremur, qui mali eramus: tu refugium ut pasceres desertores tuos: tu refugium ut erigas & dirigas filios tuos: tu refugium factus es nobis. A te non recedemus, cùm liberaveris F nos ab omnibus malis nostris, & impleveris nos bonis tuis. Bona das, blandiris, ne fatigemur in via: corripis, cædis, percutis, dirigis, ne aberremus à via. Sive ergo blandiris, ne fatigemur in via; sive castigas, ne aberremus à via; Domine, refugium factus es nobis.

*SERMO LVI.

In Evangel. Matth. 6. de oratione Dominica, ad Competentes.

* Aliàs de Diversis 48.

Caput I. Symbolū & oratio Christianis traditur.

1. BEATUS Apostolus tempora ista, quando futurum erat, ut omnes Gentes in Deum crederent, prænuntiata ostendens fuisse à Prophetis, hoc testimonium posuit quod scriptum est, Et erit, omnis homo qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Antea enim

Joëlis 2. 32.

[a] Sic MSS. At editi, *& ferebamus.*

Classis I.

apud solos Israëlitas invocabatur nomen Domini, qui fecit cælum & terram: ceteræ Gentes idola muta & surda invocabant, à quibus non audiebantur; aut dæmones, à quibus malo suo audiebantur. At ubi venit plenitudo temporis, impletur quod » prædictum est, Et erit, omnis qui invocaverit » nomen Domini, salvus erit. Deinde quia invidebant ipsi Judæi Gentibus Evangelium, etiam illi qui crediderunt in Christum, & dicebant, non debere annuntiari Evangelium Christi eis qui circumcisi non fuissent; quia contra istos posuit hoc testimonium apostolus Paulus, Et erit, » omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit: subjunxit statim ad illos convincendos, qui nolebant evangelizari Gentibus, & ait, » Quomodo autem invocabunt, in quem non cre» diderunt? aut quomodo credent, quem non au» dierunt? Quomodo autem audient sine prædi» cante, aut quomodo prædicabunt, si non mittan» tur? Quia ergo dixit, Quomodo invocabunt, » in quem non crediderunt: ideo non accepistis priùs Orationem, & postea Symbolum; sed priùs Symbolum, ubi sciretis quid crederetis, & postea Orationem, ubi nossetis quem invocaretis. Symbolum ergo pertinet ad fidem, Oratio ad precem: quia qui credit, ipse exauditur invocans.

Rom. 10. 13. &c.

Caput II. Duo cavenda invocanti.

2. Multi autem petunt quod petere non deberent, ignorantes quid eis expediat. Duas ergo res, qui invocat, cavere debet: ne petat quod non debet, & ne ab illo petat à quo non debet. A diabolo, ab idolis, à dæmonibus non est petendum aliquid: à Domino Deo nostro Jesu Christo, Deo Patre Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, à Patre Domini nostri Jesu Christi, à Deo qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, ab illo petendum est, si quid petendum est. Sed cavendum est, ne & ab illo petatur quod petere non debemus. Vitam humanam quia petere debemus, si petas ab idolis surdis & mutis, quid tibi prodest? Item à Deo Patre, qui est in cælis, si optas mortem inimicorum tuorum, quid tibi prodest? Non audisti vel legisti in Psalmo, in quo prædictus est damnabilis traditor Judas, quomodo prophetia dixit de illo, Oratio ejus fiat illi in peccatum? Si ergo surgis & oras mala inimicis tuis, oratio tua fiet in peccatum.

Psal. 108. 7.

3. In Psalmis sanctis legistis, veluti multa imprecari mala inimicis suis, eum qui loquitur in Psalmis. * Et utique, ait aliquis, qui loquitur in Psalmis, justus est: quare tam mala optat inimicis suis? Non optat, sed prævidet: prophetia est prænuntiantis, non votum maledicentis. In spiritu enim illi noverant quibus habebat evenire malè, quibus bene: & per prophetiam dicebant, tamquam optarent quod prævidebant. Tu autem unde scis, ne melior te futurus sit, cui hodie malè petis? Sed scio illum malignum, dicis. [a] Et te scis malignum. Quamvis fortè audeas & de corde alterius judicare quod nescis: sed & te scis malignum. Non audis Apostolum dicentem, Qui priùs fui blasphe» mus & persecutor & injuriosus; sed misericor» diam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate? Quando Paulus apostolus persequebatur Christianos, ligans ubi inveniebat, audiendos ad sacerdotes & puniendos adtrahebat; quid putatis Fratres, Ecclesia contra illum orabat, an pro illo? Utique Ecclesia Dei, quæ didicerat à Domino suo, qui pendens in cruce dixit, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, talia precabatur pro Paulo, immo adhuc pro Saulo, ut hoc in illo fieret, quod & factum est. Nam quia dicit, Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo; tantùm « autem audiebant, quia ille qui aliquando nos « persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam « aliquando vastabat, & in me magnificabant « Deum: quare magnificabant Deum, nisi quia antè quàm esset factum, rogabant Deum?

*Caput III.

1. Tim. 1. 13.

Luca 23. 34.

Gal. 1. 22. &c.

Multiloquium in oratione vitandum.

4. Dominus ergo noster primò amputavit multiloquium, ne multa verba afferas ad Deum, quasi velis multis verbis docere Deum. Quando ergo rogas, pietate opus est, non verbositate. *Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, priùs quàm petatis ab eo.* Nolite ergo multùm loqui: quia novit quid vobis necessarium sit. Sed ne fortè hîc aliquis dicat: Si novit quid nobis sit necessarium, ut quid vel pauca verba dicimus? ut quid oramus? Ipse scit: det quod scit nobis necessarium. Sed ideo voluit ut ores, ut desideranti det, ne vilescat quod dederit: quia & ipsum desiderium ipse insinuavit. * Verba ergo quæ Dominus noster Jesus Christus in Oratione docuit, forma est desideriorum. Non tibi licet petere aliud, quàm quod ibi scriptum est.

Matth. 6. 8.

Ad quid oratio nostra.

*Caput IV. Desideriorum forma in Dominica oratione.

5. *Vos ergo*, inquit, *dicite*, *Pater noster, qui es in cælis.* Ubi vos (videtis) Deum Patrem habere cœpistis. Sed habebitis, cùm nati fueritis. Quamquam & modò antè quàm nascamini, illius semine concepti estis, tamquam utero Ecclesiæ in fonte pariendi. *Pater noster, qui es in cælis.* Mementote, vos Patrem habere in cælis. Mementote, vos de patre Adam natos in mortem, de Patre Deo regenerandos ad vitam. Quæ & dicitis, in cordibus vestris dicite. Sit orantis affectus, & erit exaudientis effectus. *Sanctificetur nomen tuum.* Quid rogas ut sanctificetur nomen Dei? Sanctum est. Quid rogas, quod jam sanctum est? Deinde cùm rogas ut sanctificetur nomen ipsius, nonne quasi pro illo illum rogas, & non pro te? Intellige, & pro te rogas. Hoc enim rogas, ut quod semper sanctum est in se, sanctificetur in te. Quid est, *sanctificetur?* Sanctum habeatur, non contemnatur. Ergo vides, quia cùm optas, tibi bonum optas. Tibi enim malum est, si contemseris nomen Dei, non Deo.

℣. 9.

6. [b] *Veniat regnum tuum.* Cui dicimus? Et si non petamus, non est venturum regnum Dei? De illo enim regno dicitur, quod erit post finem sæculi. Nam regnum semper habet Deus; & numquam est sine regno, cui servit universa creatura. Sed quod regnum optas? De quo scriptum est in Evangelio, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio sæculi. Ecce de quo dicimus, *Veniat regnum tuum.* Ut in nobis veniat, optamus; ut in illo inveniamur, optamus. Nam ecce veniet: sed quid tibi prodest, si ad sinistram te inveniet?

℣. 10. b

Matth. 25. 34.

[a] Regius MS. *& testem malignum.* Et infrà loco, *sed & te scis malignum*, habet idem codex, *sed & testis maligne:* fortè pro, *sed & testis malignus sit.*

[b] MSS. plerique in hoc & subsequentibus Sermonibus constanter, *Adveniat.*

CLASSIS I.

Ergo & hîc tibi bene optas, pro te oras. Hoc desideras, hoc cupis orando, ut sic vivas, quomodo ad regnum Dei, quod est omnibus sanctis dandum, pertineas. Ergo, ut bene vivas, tibi oras, cùm dicis, *Veniat regnum tuum*. Pertineamus ad regnum tuum: veniat & nobis quod venturum est sanctis & justis tuis.

CAPUT V.

Item ✝. 10.

7. *Fiat voluntas tua*. Si non illud tu dicas, non faciet Deus voluntatem suam? Memento quod in Symbolo [a] reddidisti, Credo in Deum Patrem omnipotentem. Si omnipotens est, cur oras ut fiat voluntas ejus? Quid est ergo, *Fiat voluntas tua?* Fiat in me, ut non resistam voluntati tuæ. Ergo & hîc pro te oras, & non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fiat à te. Nam & quibus dicturus est, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, fiet in illis voluntas Dei, ut justi & sancti accipiant regnum: & quibus dicturus est, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, fiet in illis voluntas Dei, ut mali damnentur in ignem sempiternum. Aliud est, ut fiat à te. Ut ergo fiat in te, non sine caussa oras, nisi ut bene sit tibi. Sive ergo bene sit tibi, sive malè sit tibi, fiet in te: sed fiat & à te. Quare ergo dico, *Fiat voluntas tua in cælo & in terra*: & non dico, Fiat voluntas tua à cælo & à terra? Quia QUOD FIT A TE, IPSE FACIT IN TE. Numquam fit à te, quod non ipse facit in te. Sed aliquando facit in te, quod non fit à te: numquam autem aliquid fit à te, si non facit in te.

(Matth. 25. 34. — Ibidem 41.)

8. Quid est autem, *in cælo & in terra*, vel, *sicut in cælo, & in terra?* Faciunt Angeli voluntatem tuam, faciamus & nos. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Mens cælum est, caro terra est. Quando dicis, si tamen dicis, quod ait Apostolus, Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati: fit voluntas Dei in cælo, sed nondum in terra. Cùm verò caro menti consenserit, & absorpta fuerit mors in victoriam, ut nulla desideria carnalia remaneant cum quibus mens confligat, cùm transierit rixa in terra, cùm transierit bellum cordis, cùm transierit quod dictum est, Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis: cùm ergo hoc bellum transierit, omnisque concupiscentia in caritatem fuerit commutata, nihil in corpore remanebit quod spiritui resistat, nihil quod dometur, nihil quod frenetur, nihil quod calcetur; sed totum per concordiam perget ad justitiam; fiet voluntas Dei in cælo & in terra. *Fiat voluntas tua in cælo & in terra.* Perfectionem optamus, quando hoc oramus. Item, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* In Ecclesia spiritales cælum sunt, carnales terra sunt. *Fiat* ergo *voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*: ut quomodo tibi serviunt spiritales, sic tibi mutati in melius serviant & carnales. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Est & alius sensus pius valde. Moniti enim sumus orare pro inimicis nostris. Ecclesia, cælum est; inimici Ecclesiæ, terra sunt. Quid est ergo, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra?* Credant inimici nostri, quomodo & nos in te credimus: fiant amici, finiant inimicitias. Terra sunt, ideo no-

(Rom. 7. 25. — 1. Cor. 15. 54. — Gal. 5. 17.)

[a] Sic MSS. Editi autem, *credidisti*.

A bis adversantur: cælum fiant, & nobiscum erunt.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT VI. ✝. 11.

9. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et hîc jam manifestum est, quòd pro nobis oramus. Quando dicis, *Sanctificetur nomen tuum*, exponendum est tibi quia pro te oras, non pro Deo. Quando dicis, *Fiat voluntas tua*: & hoc exponendum tibi est, ne putes quòd Deo bene optas, ut fiat voluntas ipsius, & non potiùs pro te oras. Quando dicis, *Veniat regnum tuum*; &
B hoc exponendum est, ne putes quia Deo bene optas, ut regnet. Ab isto autem loco & deinceps usque in finem Orationis, apparet quia pro nobis rogamus Deum. Quando dicis, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, profiteris te mendicum Dei. Sed noli erubescere: quantumlibet quis sit dives in terra, mendicus Dei est. Stat mendicus ante domum divitis: sed & ipse dives stat ante domum magni divitis. Petitur ab illo, & petit. Si non egeret, aures Dei oratione
C non pulsaret. Et quid eget dives? Audeo dicere, ipso pane quotidiano eget dives. Quare enim abundant illi omnia? unde, nisi quia Deus dedit? Quid habebit, si Deus subtrahat manum suam? Nonne multi dormierunt divites, & surrexerunt pauperes? Et quod illi non deest, misericordiæ Dei est, non potentiæ ipsius.

Omnes sumus mendici Dei.

10. Sed istum panem, Carissimi, quo venter impletur, quo caro quotidie reficitur; istum ergo panem videtis Deum dare, non solùm lauda-
D toribus suis, sed etiam blasphematoribus: qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Laudas, pascit te: blasphemas, pascit te. Ut pænitentiam agas, exspectat te: sed si non te mutaveris, damnat te. Quia ergo panem istum accipiunt à Deo & boni & mali, putas non est aliquis panis quem petunt filii, de quo dicebat Dominus in Evangelio, Non est bonum, tollere panem filiorum, & mittere canibus? Est planè. Quis est iste pa-
E nis? & quare dicitur quotidianus? Et iste necessarius est: etenim sine illo vivere non possumus; sine pane non possumus. Impudentia est, ut à Deo petas divitias: non est impudentia, ut petas panem quotidianum. Aliud est unde superbias, aliud est unde vivas. Tamen quia iste panis visibilis & tractabilis datur & bonis & malis; est panis quotidianus, quem petunt filii. Ipse est sermo Dei, qui nobis quotidie erogatur. Panis noster quotidianus est: inde vivunt non
F ventres, sed mentes. Necessarius est nobis etiam nunc operariis in vinea, cibus est, non merces. Operario enim duas res debet, qui illum conducit ad vineam, cibum, ne deficiat; & mercedem, unde gaudeat. Cibus noster quotidianus in hac terra, sermo Dei est, qui semper erogatur Ecclesiis: merces nostra post laborem vita æterna nominatur. Iterum in isto pane nostro quotidiano si intelligas quod fideles accipiunt, quod accepturi estis baptizati; bene rogamus & di-
G cimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: ut sic vivamus, ne ab illo altari separemur.

(Matth. 5. 45. — Matth. 15. 26.)

Panis quotidianus, sermo Dei.

Eucharistia.

CAPUT VII. ✝. 12.

11. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et ista petitio non est exponenda, quia pro nobis petimus. Nobis enim debita dimitti postulamus. Debitores enim

CLASSIS I.

Omnes hîc sumus debitores.

sumus, non pecuniarum, sed peccatorum. Dicis modò fortè; Et vos? Respondemus, Et nos. Et vos Episcopi sancti, debitores estis? Et nos debitores sumus. Et vos? Absit, domine; noli tibi facere injuriam. Non injuriam mihi facio, sed verum dico: debitores sumus. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Et baptizati sumus, & debitores sumus. Non quia aliquid remansit, quod nobis in baptismo non dimissum fuerit: sed quia vivendo contrahimus quod quotidie dimittatur. Qui baptizantur & exeunt, sine debito adscendunt, sine debito pergunt. Qui autem baptizantur & tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, unde etsi non naufragatur, tamen oportet ut sentinetur. Quia si non sentinatur, paulatim ingreditur unde tota navis mergatur. Et [a] hoc orare, sentinare est. Non tantùm autem debemus orare, sed & eleemosynam facere: quia quando sentinatur, ne navis mergatur, & vocibus agitur & manibus. Vocibus agimus, cùm dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Manibus autem agimus, cùm facimus, Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. Include eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit ad Dominum.

1. Johan. 1. 8.

Peccata quotidiana baptizatorum.

Sentinare. a

Isai. 58. 7.

Eccli. 29. 15.

CAPUT VIII. Peccatorũ quotidianorum mũdatio.

12. Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis. Eleemosynæ & orationes mundant peccata; tantùm ne talia committantur, unde necesse sit separari nos à pane quotidiano; vitantes debita, quibus debetur certa & severa damnatio. Nolite vos justos dicere, quasi non habeatis unde dicatis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Abstinentes ab idololatria, à [b] constellationibus mathematicorum, à remediis incantatorum: abstinentes à deceptionibus hæreticorum, à conscissionibus schismaticorum; abstinentes ab homicidiis, ab adulteriis & fornicationibus, à furtis & rapinis, à falsis testimoniis: & si qua fortè alia, non dico quæ exitiales exitus habent, unde necesse sit præcidi ab altari, & ligari in terra ut ligetur in cælo, valde periculosè & mortifere, nisi solvatur in terra quod solvatur in cælo: istis ergo exceptis, non deest unde homo peccet. Quod non oportet videndo libenter, peccat. Et quis teneat oculi velocitatem? Quando quidem dicitur oculus inde accepisse nomen, à velocitate. Quis teneat aurem vel oculum? Oculi, cùm volueris, claudi possunt, & citò clauduntur: aures cum conatu claudis; manum levas, pervenis ad illas: & si tibi aliquis manus teneat, patent; nec potes eas claudere adversùs verba maledica, impura, blandientia & decipientia. Cùm aliquid, quod non oportet, audieris, etsi non feceris, nonne aure peccas? Audis mali aliquid libenter. Lingua mortifera quanta peccata committit? Aliquando talia, quibus homo ab altari separetur. Ad illam pertinet materies blasphemiarum: & multa etiam inania dicuntur, quæ ad rem non pertinent. Nihil mali faciat manus; non currat pes ad aliquid mali;

SERM. DE SCRIPTURIS.

A non dirigatur oculus in lasciviam; non auris libenter pateat turpitudini; non moveatur lingua ad id quod non decet: dic, cogitationes quis tenet? * Fratres mei, plerumque oramus, & aliunde cogitamus, quasi obliti ante quem stemus, aut ante quem proni jaceamus. Ista omnia si colligantur contra nos, num ideo non premunt, quia minuta sunt? Quid interest, utrùm te plumbum premat, an arena? Plumbum una massa est, arena minuta grana sunt, sed copiâ te premunt. B Minuta sunt peccata: non vides de guttis minutis flumina impleri, & fundos trahi? Minuta sunt, sed multa sunt.

*CAPUT IX. Minuta peccata nõ contemnenda, quia plura.

Pactum donandi debita.

13. Quotidie ergo dicamus; & corde vero dicamus, & quod dicimus faciamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sponsionem facimus cum Deo, pactum & placitum. Hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: Dimitte, & dimitto. Non dimisisti: tu contra te tenes, non ego. Sanè, carissimi Filii C mei, quoniam scio quid vobis expediat in oratione Dominica, & maximè in tota oratione ista sententia; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* audite me. Baptizandi estis, omnia dimittite: quisque quod habet adversùs aliquem in corde suo, dimittat ex corde. Sic intrate, & certi estote, omnia prorsus vobis dimitti, quæ contraxistis, & ex parentibus nascendo secundùm Adam cum originali peccato, propter quod peccatum cum parvulis D curritis ad gratiam Salvatoris, & quidquid vivendo addidistis, dictis, factis, cogitationibus, omnia dimittuntur: & exibitis inde tamquam à conspectu Domini vestri, cum securitate omnium debitorum.

CAPUT X. Hortatur ad dilectionem inimicorũ.

14. Jam propter illa quotidiana peccata, de quibus locutus sum, quia necessarium est vobis dicere, velut quotidiana mundatione ista, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* quid facietis? Habetis inimi-E cos. Quis enim vivat in hac terra non habens inimicum? Intendite vobis, diligite illos. Nullo modo tibi potest nocere sæviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. Ille enim nocere potest aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ, aut servo tuo, aut ancillæ tuæ, aut filio tuo, aut conjugi tuæ; aut, ut multum, si illi data fuerit potestas, carni tuæ? Numquid, quomodo tu, animæ tuæ? Extendite vos ad istam perfectionem, Carissimi, exhortor vos. Sed num-F quid ego illud donavi vobis? Ille vobis donavit, cui dicitis, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra.* Tamen non vobis videatur impossibile: ego scio, ego novi, ego probavi esse homines Christianos, qui diligunt inimicos suos. Si vobis impossibile visum fuerit, non faciatis. Primò credite, posse fieri: & orate, ut fiat in vobis voluntas Dei. Quid enim tibi prodest malum inimici tui? Si malum nullum haberet, nec inimicus tuus esset. Bonum illi opta, finiat mala, G & non erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo natura humana, sed culpa. Numquid ideo tibi est inimicus, quòd habet animam & carnem? Hoc est quod tu: animam habes, animam habet: carnem habes, carnem habet. Consubstantialis tuus est: [c] simili de terra facti estis:

a Editi, Et ob hoc orare. Particula ob non est in MSS.

b Melioris notæ MSS. à consolationibus mathematicorum.

c MSS. simul de terra.

CLASSIS I.

à Domino animati estis. Hoc est ille quod tu: A respice fratrem tuum. Primi duo parentes nostri erant, Adam & Eva; ille pater, illa mater: ergo nos fratres. Omittamus originem primam: Deus pater, Ecclesia mater: ergo nos fratres. Sed inimicus meus Paganus est, Judæus est, hæreticus est; & unde jam dudum dixi, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra.* O Ecclesia, inimicus tuus est Paganus, Judæus, hæreticus: terra est. Si cælum es, invoca Patrem, qui est in cælis, & pro inimicis tuis ora: quia & B Saulus inimicus erat Ecclesiæ; sic oratum est pro illo, factus est amicus. Non solùm destitit esse persecutor, sed laboravit ut esset adjutor. Et si verum quæras, oratum est contra illum: sed contra ejus malitiam, non naturam. Ora & tu contra malitiam inimici tui: illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia ejus: & inimicum amisisti, & amicum invenisti. C

CAPUT XI. Inimicos diligere paucorum est, sed tamen ab omnibus id præstandū.

15. Adhuc dicitis, Quis potest, quis illud fecit? Deus illud faciat in cordibus vestris. Et ego scio, pauci illud faciunt, magni sunt qui faciunt, spiritales faciunt. Numquid tales sunt omnes in Ecclesia fideles ad altare accedentes, corpus & sanguinem Christi sumentes? numquid tales sunt omnes? Et tamen omnes dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Si respondeat illis Deus, Quid à me petitis ut faciam quod promisi, quando vos non D facitis quod præcepi? Quid promisi? Dimittere debita vestra. Quid præcepi? Ut & vos dimittatis debitoribus vestris. Quomodo potestis hoc facere, si non diligatis inimicos? Quid ergo facturi sumus, Fratres? Ad tantam paucitatem redigitur grex Christi? Si soli illi debent dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qui diligunt inimicos; nescio quid faciam, nescio quid dicam. Dicturus enim vobis sum, Si non diligitis inimicos vestros, E nolite orare? Non audeo: immo ut diligatis, orate. Sed numquid vobis dicturus sum, Si non diligitis inimicos vestros, nolite in oratione Dominica dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Puta quia dico, Nolite dicere. Si non dixeritis, non dimittuntur: si dixeritis, & non feceritis, non dimittuntur. Ergo dicendum est & faciendum, ut dimittantur.

CAPUT XII. Inimico saltem petenti detur venia. *Luc. 6. 37.*

16. Video aliquid unde possum, non paucita- F tem Christianam, sed multitudinem consolari: & scio quia hoc desideratis audire. Dimittite, ut dimittatur vobis, Christus dixit. Et vos in oratione quid dicitis? unde modò tractamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sic dimitte Domine, quomodo dimittimus. Hoc dicis: Sic dimitte Pater, qui es in cælis, debita nostra, quomodo & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc enim facere debetis: quod si non feceritis, peribitis. G Quando inimicus veniam petit, continuò dimittatis. Et hoc multum ad vos? Multum ad te erat, inimicum diligere sævientem: multum est ad te, hominem diligere supplicantem? Quid dicis? Sæviebat, & oderas. Mallem nec tunc odisses: mallem tunc, cùm sævientem patereris, Dominum recordareris dicentem, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hoc ergo magnopere vellem, ut etiam eo tempore, cùm in te sæviebat inimicus, respiceres Dominum Deum tuum ista dicentem. Sed fortè dicturus es, Fecit ille, sed ut Dominus, quia Christus, quia Dei Filius, quia Unigenitus, quia Verbum caro factum. Quid ego malus & invalidus homo? Si multum est ad te Dominus tuus, cogitetur à te conservus tuus. Stephanus sanctus lapidabatur: & inter lapides genu fixo pro inimicis orabat, & ait, Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Illi lapides mittebant, non veniam postulabant: & ille pro eis orabat. Talem te esse volo: extende te. Quid trahis semper cor in terra? Audi, Sursum cor: extende, dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui tibi dicit, Frater, peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo; sed deleberis de libro Dei.

SERM. DE SCRIPTURIS. *Luca 23. 34.*

Stephanus. *Act. 7. 59.*

17. Si autem vel tunc ignoveris, vel tunc ex corde dimiseris odium: odium dico dimittas ex corde, non disciplinam. * Quid si ille qui petit veniam, castigandus est à me? Fac quod vis: puto enim quòd filium tuum diligis & quando cædis. Lacrymas vapulantis non curas; quia ei hereditatem servas. Ego hoc dico, ut de corde dimittas odium, quando à te veniam petit inimicus. Sed fortè dicis, Mentitur, fingit. O judex cordis [a] alieni, dic mihi cogitationes patris tui, dic mihi hesternas tuas. Rogat, veniam petit: dimitte, prorsus dimitte. Si non dimiseris, non illi noces, sed tibi. Nam ille scit quid est facturus. Non vis tu dimittere conservus conservo tuo: ibit ad Dominum vestrum, & dicet ei, Domine, rogavi conservum meum, ut dimitteret mihi, & noluit dimittere; tu mihi dimitte. Numquid non licet Domino debita relaxare servi sui? Ille acceptâ veniâ à Domino recedit absolutus, tu remanes obligatus. Quomodo obligatus? Venturum est tempus orationis, venturum est ut dicas, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* respondebit tibi Dominus, Serve nequam, cùm tanta mihi deberes, rogasti me, & dimisi tibi; nonne oportebat & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? De Evangelio sunt verba ista, non de corde meo. Si autem rogatus dimiseris veniam postulanti, jam potes dicere orationem istam. Et si nondum idoneus es diligere sævientem, tamen orationem istam potes dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Transeamus ad reliqua.

*CAPUT XIII. Disciplina sine odio.

Inimico veniam negans nihil ipsi nocet, sed sibi.

Math. 18. 32.

18. *Et ne nos inferas in tentationem. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, propter præterita peccata dicimus, quæ non possumus facere, ut facta non sint. Potes agere, ut non facias quod fecisti: quid agis, ut non sit factum quod fecisti? Propter illa quæ jam facta sunt, ista tibi sententia orationis subvenit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Propter illa in quæ potes incidere, quid facies? * *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo*, hoc est, ab ipsa tentatione.

ỳ. 13.

*CAPUT XIV.

[a] Vox *alieni* abest à potioribus MSS. Paulò pòst editi habebant, *cogitationes fratris tui:* ubi MSS. omnes, *patris*.

CLASSIS I. Petitiones tres æternam vitam, & tres hujus vitæ necessitates respiciunt. *f. æternâ.

19. Et erunt petitiones illæ tres, *Sanctificetur nomen tuum*, *Veniat regnum tuum*, *Fiat voluntas tua*, *sicut in cælo*, *& in terra* : tres istæ petitiones sunt propter vitam * humanam. Semper enim sanctificatum in nobis debet esse nomen Dei, semper in regno ejus esse debemus, semper voluntatem ejus facere debemus. Hoc in æternum erit. Panis quotidianus modò est necessarius. Jam ab hoc articulo cetera quæ oramus, ad præsentis vitæ necessitatem pertinent. Panis quotidianus in hac vita necessarius est: dimitti debita nostra in hac vita necessarium est. Nam cùm ad illam veniemus, debita finimus. In hac terra tentatio est, in hac terra periculosè navigatur, in hac terra per rimas fragilitatum subintrat aliquid, quod debeat sentinari. Cùm autem facti fuerimus æquales Angelis Dei, absit ut dicamus, absit ut rogemus Deum, ut dimittat debita nostra, quæ nulla erunt. Hîc ergo panis quotidianus, hîc ut debita dimittantur, hîc ut non intremus in tentationem; quia in illa vita tentatio non intrat: hîc ut liberemur à malo; quia in illa vita malum nullum, sed bonum sempiternum permanebit.

*Aliàs de Diversis 9.

* SERMO LVII.

Rursum in Matth. 6. de oratione Dominica, ad Competentes.

CAPUT I. Symbolum priùs, tum oratio tradenda. Joëlis 32. 2. Rom. 10. 13.

1. ORDO est ædificationis vestræ, ut discatis priùs quid credatis, & postea quid petatis. Sic enim dicit Apostolus: Erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Hoc testimonium beatus Paulus posuit de Propheta: quia prædicta sunt per Prophetam ista tempora, quando omnes invocaturi erant Deum: Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Et adjunxit, Quomodo autem invocabunt, » in quem non crediderunt? Aut quomodo cre- » dent, quem non audierunt? Quomodo autem » audient, sine prædicante? Aut quomodo prædi- » cabunt, si non mittantur? Missi sunt ergo prædicatores, prædicaverunt Christum. Illis prædicantibus populi audierunt, audiendo crediderunt, credendo invocaverunt. Quia ergo rectis- » simè & verissimè dictum est, Quomodo invoca- » bunt, in quem non crediderunt? ideo priùs didicistis quod crederetis: hodie didicistis eum invocare, in quem credidistis.

Ibidem 14. & 15.

Filius Dei fratres suos nos esse voluit.

2. Filius Dei Dominus noster Jesus Christus docuit nos orationem: & cùm sit ipse Dominus, sicut in Symbolo accepistis & [a] reddidistis, Filius Dei unicus, tamen noluit esse unus. * Unicus est, & unus esse noluit: fratres habere dignatus est. Quibus enim dicit, *Dicite*, *Pater noster*, *qui es in cælis?* Quem voluit à nobis appellari Patrem nostrum, nisi Patrem suum? Numquid invidit nobis? Parentes aliquando cùm genuerint unum filium, duos, tres; jam timent generare, ne faciant alios mendicare. Sed quia talis est hereditas quam nobis promittit, quam multi obtineant, & angustias nemo patiatur; ideo in suam fraternitatem vocavit populos gentium, & habet Unicus innumerabiles fratres qui dicant, *Pater noster*, *qui es in cælis*. Dixerunt ista qui fuerunt ante nos: dicturi sunt qui erunt post nos. Videte quantos fratres habeat Unicus in sua gratia, communicans cum illis hereditatem, pro quibus pertulit mortem. Habebamus patrem & matrem in terra, ut nasceremur ad labores & mortem: invenimus alios parentes, Deum Patrem & matrem Ecclesiam, à quibus nascamur ad vitam æternam. * Cogitemus, Carissimi, cujus filii esse cœpimus: & sic vivamus, quomodo decet eos qui talem habent Patrem. Videte, quia Creator noster dignatus est esse Pater noster.

*CAPUT II. Matth. 6. 9.

SERM. DE SCRIPTURIS. *CAPUT III.

3. Audivimus quem invocare debeamus, qua spe hereditatis æternæ Patrem in cælis habere cœpimus: audiamus quid ab illo petamus. A tali Patre quid petituri sumus? Numquid [b] non ab illo & hodie & herì & nudiustertius pluviam petimus? Nihil magnum est quod à tali Patre quæsivimus: & tamen videtis cum quanto gemitu, cum quanto desiderio pluviam petamus, cùm mors timetur, & hoc timetur quod evadere nullus potest. Omnis enim homo citiùs seriùs moriturus est: & gemimus, rogamus, parturimus, clamamus ad Deum, ut paulò seriùs moriamur. Quantò magis ad illum debemus clamare, ut veniamus ubi numquam moriamur?

CAPUT IV. Ibid ŷ. 9.

4. Ideo, *Sanctificetur nomen tuum*, dictum est. Hoc etiam ab illo petimus, ut sanctificetur nomen ejus in nobis: nam semper est sanctum. Quomodo autem sanctificatur nomen ejus in nobis, nisi dum nos efficit sanctos? Nos enim fuimus non sancti, & per nomen ejus efficimur sancti: ipse autem semper sanctus, & nomen ipsius semper sanctum. Pro nobis rogamus, non pro Deo. Non enim bene optamus Deo, cui nihil mali potest aliquando evenire. Sed optamus nobis bonum, ut sanctificetur sanctum nomen ejus: quod semper sanctum est, sanctificetur in nobis.

CAPUT V. ŷ. 10.

5. *Veniat regnum tuum.* Petamus, non petamus, venire habet. Habet quidem regnum Deus sempiternum. Quando enim non regnavit? Quando regnare cœpit? Quando regnum ejus initium non habet, nec finem habebit. Sed ut sciatis quia & hoc pro nobis oramus, non pro Deo: (non enim sic dicimus, *Veniat regnum tuum*, quasi optantes, ut regnet Deus:) regnum ipsius nos erimus, si in illum credentes in eo profecerimus. Omnes fideles redemti sanguine Unici ipsius, erunt regnum ipsius. Venturum est autem ipsum regnum, cùm facta fuerit resurrectio mortuorum: tunc enim veniet ipse. Et cùm resurrexerint mortui, dividet eos, sicut ipse dicit, & ponet alios ad dexteram, alios ad sinistram. Dicet eis qui ad dexteram erunt, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Hoc est quod optamus & rogamus, quando dicimus, *Veniat regnum tuum*, ut nobis veniat. Nam si nos reprobi fuerimus, illud regnum aliis venturum est, non nobis. Si autem in eo numero fuerimus, qui pertinent ad membra unigeniti Filii ejus, nobis veniet regnum ejus: & non tardabit. Numquid enim sæcula tanta restant, quanta transierunt? Apostolus Johannes dixit, Filioli, novissima hora est. Sed pro ipso die magno longa est hora: & ipsa hora novissima videte quot annos ducat. Tamen sic vobis sit quasi qui vigilet, dormiat, surgat & regnet. Modò vigilemus, morte dormiemus, in fine resurgemus, sine fine regnabimus.

Matth. 25. 34.

1. Johan. 2. 18.

CAPUT VI.

6. *Fiat voluntas tua*, *sicut in cælo*, *ita & in ter-*

[a] Ita MSS. At editi, *credidistis*.

[b] Editi omiserant, *non*: quod habent potiores MSS.

Classis I. — *Item* ℣. 10.

ra. Tertiò petimus, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra.* Et hoc nobis bene optamus. Nam voluntas Dei neceſſe eſt ut fiat. Voluntas Dei eſt, ut regnent boni, damnentur mali. Numquid poteſt iſta voluntas non fieri? Sed quid nobis bene optamus, quando dicimus, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra?* Audite. Multis enim modis hæc petitio intelligi poteſt, & multa ſunt cogitanda in iſta petitione:

Hujus petitionis interpretatio multiplex.

I. quando rogamus Deum, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra.* Quomodo te non B offendunt Angeli tui, ſic te non offendamus & nos.

II. Iterum quomodo intelligitur, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra?* Sancti omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes Apoſtoli, ſpiritales omnes tamquam cælum ſunt Deo: nos autem in comparatione ipſorum terra ſumus. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra:* ſicut in illis, ita & in nobis.

III. Item, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra.* Eccleſia Dei cælum eſt, inimici ejus terra ſunt. Bene C optamus inimicis noſtris, ut credant & ipſi, & fiant Chriſtiani: & fiat voluntas Dei, ſicut in cælo, ita & in terra.

IV. Item, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra.* Spiritus noſter cælum eſt, caro terra. Quomodo innovatur ſpiritus noſter credendo, ſic caro innovetur reſurgendo: & fiat voluntas Dei, ſicut in cælo, ita & in terra.

V. Item, mens noſtra qua videmus veritatem, & condelectamur ipſi veritati, cælum eſt. Ecce cælum: Condelector legi Dei ſecundùm inte- D riorem hominem. (*Rom.* 7. 22.) Quid eſt terra? Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. (*Ibidem* 23.) Quando iſta pugna tranſierit, & concordia plena carnis & ſpiritûs facta fuerit, fiet voluntas Dei, ſicut in cælo, ita & in terra. Quando petitionem iſtam dicimus, omnia iſta cogitemus, & omnia iſta à Patre petamus. Omnia autem iſta, Cariſſimi, tria quæ diximus, tres petitiones iſtæ ad vitam æternam pertinent. Quòd enim ſanctificatur in nobis nomen Dei noſtri, E æternum erit. Quòd regnum ipſius veniet, ubi ſemper vivemus, æternum erit. Quòd voluntas ejus fit, ſicut in cælo, ita & in terra, omnibus modis, quos expoſui, æternum erit.

Caput VII. ℣. 11.

7. Reſtant petitiones pro iſta vita peregrinationis noſtræ: ideo ſequitur, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Da æterna, da temporalia. Promiſiſti regnum, noli negare ſubſidium. Dabis apud te ſempiternum ornamentum, da in terra temporale alimentum. Ideo *quotidie*, idêo F *hodie*, id eſt, hoc tempore. Cùm tranſierit vita iſta, numquid petemus panem quotidianum? Tunc enim non vocabitur *quotidie*; ſed *hodie*. Nunc vocatur *quotidie*, quando tranſit dies, & venit alius dies. Numquid vocabitur *quotidie*, quando erit æternus unus dies? Sanè duobus modis intelligenda eſt iſta petitio de pane quotidiano: ſive pro neceſſitate carnalis victûs, ſive etiam pro neceſſitate ſpiritalis alimoniæ. [a] Carnalis cibi neceſſitas, propter quotidianum victum, ſine quo G vivere non poſſumus. Victus eſt & tegumentum, ſed à parte totum intelligitur. Quando panem

Panis quotidianus duplex, corporalis & ſpiritalis.

A petimus, ibi omnia accipimus. Norunt etiam ſpiritalem alimoniam fideles, quam & vos [b] ſcituri eſtis, accepturi de altari Dei. Panis erit & ipſe quotidianus, huic vitæ neceſſarius. Numquid enim Euchariſtiam accepturi ſumus, cùm ad ipſum Chriſtum venerimus, & cum illo in æternum regnare cœperimus? Ergo Euchariſtia panis noſter quotidianus eſt: ſed [c] ſic accipiamus illum, ut non ſolùm ventre, ſed & mente reficiamur. Virtus enim ipſa quæ ibi intelligitur, B unitas eſt, ut redacti in corpus ejus, effecti membra ejus, ſimus quod accipimus. Tunc erit verè panis noſter quotidianus. Et quod vobis tracto, panis quotidianus eſt: & quòd in Eccleſia lectiones quotidie auditis, panis quotidianus eſt: & quòd hymnos auditis & dicitis, panis quotidianus eſt. Hæc enim ſunt neceſſaria peregrinationi noſtræ. Numquid illuc quando venerimus, codicem ſumus audituri? Ipſum Verbum viſuri, ipſum Verbum audituri, ipſum mandu- C caturi, ipſum bibituri, quomodo Angeli modò. Numquid Angelis codices ſunt neceſſarii, aut diſputatores, aut lectores? Abſit. Videndo legunt: vident enim ipſam veritatem, & illo fonte ſatiantur, unde nos irroramur. Dictum eſt ergo de pane quotidiano; quia in iſta vita nobis eſt neceſſaria hæc petitio.

Serm. de Scripturis. — b — Euchariſtia.

Sermones, lectiones & hymni ſacri, quotidianus panis.

Caput VIII. ℣. 12.

8. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Numquid neceſſaria eſt niſi hîc? Ibi enim debita non habebi- D mus. Debita enim quid ſunt, niſi peccata? Ecce baptizabimini, omnia ibi veſtra peccata delebuntur: nullum omnino ibi remanebit. Si quid mali aliquando geſſiſtis, feciſtis, dixiſtis, concupiſtis, cogitaſtis, totum delebitur. Et tamen ſi in iſta vita poſteriori ſecuritas eſſet, talem orationem non diſceremus, ubi diceremus, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sed planè faciamus quod ſequitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Maximè ergo vos qui intraturi eſtis ad accipiendam E plenam indulgentiam debitorum veſtrorum, videte ne aliquid in cordibus veſtris adversùs alterum teneatis, ut procedatis [d] inde ſecuri, quaſi liberi & ab omnibus debitis abſoluti; & incipiatis vos velle vindicare de inimicis veſtris, qui vobis antè injurias fecerunt. Dimittite, quomodo vobis dimittitur. Deus nulli fecit injuriam, & tamen dimittit qui nihil debet. Quomodo debet dimittere cui dimittitur, quando ille omnia dimittit, qui non debet quod ei dimittatur?

Caput IX. ℣. 13.

F 9. *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Numquid & hoc neceſſarium erit in illa vita? Non dicitur, *Ne nos inferas in tentationem*, niſi ubi poteſt eſſe tentatio. In ſancti Job libro legimus, Numquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram? (*Job.* 7. 1.) Quid ergo rogamus? Quid, audite. Apoſtolus Jacobus dicit, Nemo cùm tentatur dicat quòd à Deo tentatur. (*Jacobi* 1. 13.) Tentationem iſtam malam dixit, qua quiſque decipitur, & diabolo ſubjugatur, ipſam dixit tentationem. G Eſt enim alia tentatio, quæ appellatur probatio: de ipſa tentatione ſcriptum eſt, Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligitis eum. (*Deut.* 13. 3.) Quid

Tentatio duplex.

[a] MSS. addunt *ſpiritalis cibi*: omiſſo *Carnalis cibi neceſſitas*.

[b] Sic vetuſtiſſimus & optimæ notæ Germanenſis liber. Regius verò MS. omiſſo verbo *ſcituri*, habet ſic: *quam & vos eſtis accepturi de altari Dei.* Vlimmeriana editio, cui Lovanienſes inhæſerunt, *quam & vos, ſi puri eſtis, accepturi jam eſtis de altari Dei.* Sic etiam impreſſus Vlimmerii curâ Algerus de corpore & ſanguine Domini lib. 1. c. 8. niſi quòd habet *accepturi eſtis*: omiſſo *jam*.

[c] Germanenſis MS. *ſed ſi accipimus illum, non ſolùm ventre, ſed & mente. Virtus enim* &c. Regius, *ſed ſi accipiamus illum, ut non ventrem, ſed ut mentem reficiamus.*

[d] MSS. *ut procedatis ſecuri*: omiſſo *inde*. Mox editi, *quia liberi.* Sed aptiùs Germanenſis MS. *quaſi liberi.*

Classis I.

est, ut sciat? Ut scire vos faciat: nam ipse novit. In illa tentatione qua quisque decipitur & seducitur, neminem tentat Deus: sed planè judicio suo alto & occulto quosdam deserit. Cùm ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversùs se luctatorem, sed continuò [a] illi se exhibet possessorem, si deserat Deus. Ne deserat ergo nos, ideo dicimus, *Ne nos inferas in tentationem.* Unusquisque enim tentatur, ait idem apostolus Jacobus, à concupiscentia » sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia » cùm conceperit, parit peccatum; peccatum au» tem cùm consummatum fuerit, generat mortem. Quid nos docuit? Ut pugnemus contra concupiscentias nostras. Etenim in baptismo sancto peccata dimissuri estis: concupiscentiæ remanebunt, cum quibus regenerati pugnetis. Restat enim conflictus in vobis ipsis. [b] Nullus hostis metuatur extrinsecus: te vince, & mundus est victus. Quid tibi facturus est tentator extraneus, sive diabolus, sive minister diaboli? Quicumque homo proponit lucrum, ut seducat, avaritiam in te non inveniat: quid facit propositor lucri? Si autem avaritia in te inventa fuerit, viso lucro inardescis, [c] vitiosæ escæ caperis laqueo. Si autem non in te invenerit avaritiam, remansit frustra extenta muscipula. Proponit tibi tentator pulcherrimam feminam: adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Ut ergo non te capiat proposita pulcritudine mulieris alienæ, cum tua libidine intus pugna. Non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam. Diabolum non vides, sed quid te delectet, vides. Vince intus quod tu sentis. Pugna, pugna: quia qui te regeneravit, judex est: proposuit luctam, parat coronam. Sed quia sine dubio vinceris, si illum adjutorem non habueris, si te deseruerit; ideo ponis in oratione, *Ne nos inferas in tentationem.* Ira [d] judicis donavit quosdam concupiscentiis suis: & dicit illud Apostolus, Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis illorum. Quomodo tradidit? Non cogendo, sed deserendo.

Deserente Deo continuò possidet tentator.

Jacobi 1. 14. & 15.

Concupiscentiæ remanent post baptismum.

Rom. 1. 24.

Caput X.

10. *Libera nos à malo:* potest ad eamdem ipsam sententiam pertinere. Ideo sic est, ut intelligas unam sententiam, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Ideo addidit, *sed:* ut ostenderet hoc totum ad unam sententiam pertinere, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Quomodo? Singula illa proponam: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Liberando nos à malo, non nos infert in tentationem: non nos inferendo in tentationem, liberat nos à malo.

Caput XI. Magna tentatio.

11. Magna verò tentatio est, Carissimi, magna tentatio est in hac vita, quando illud nostrum tentatur, quo meremur veniam, sicubi tentati lapsi fuerimus. Horrenda tentatio est, quando nobis tollitur, unde ab aliarum tentationum vulneribus sanari possimus. Scio nondum vos intellexisse: adeste animo, ut intelligatis. Puta, tentat avaritia, victus est quisquam (quia & luctator aliquando & bonus prœliator vulneratur,) in aliqua una tentatione: vicit hominem avaritia, etiam bonum luctatorem; & fecit nescio quid avarum. Transiit libido, non adduxit ad stuprum, non pervenit ad adulterium. Illud enim quando fuerit, & ab adulterio homo prohibendus est. Sed vidit mulierem ad concupiscendum, cogitavit aliquid delectabilius quàm debuit; accepit pugnam, etiam optimus prœliator percussus est: sed non consensit; non consensit, repercussit motum lascivum, doloris amaritudine castigavit, repercussit & [e] vicit. Tamen eo ipso quòd lapsus erat, habet unde dicat, *Dimitte nobis debita nostra.* Sic de ceteris omnibus tentationibus, difficile est ut non sit unde dicamus, *Dimitte nobis debita nostra.* Quæ est ergo illa, quam posui, horrenda tentatio, molesta, tremenda, omnibus viribus, omni virtute vitanda? quæ est ista? Quando nobiscum agitur, ut vindicemus nos. Ira exasperatur; & frendet homo vindicari: horrenda tentatio. Unde accepturus enim veniam fueras pro ceteris delictis, hoc perdis. Si quid aliis sensibus, aliis cupiditatibus peccaveras, hinc erat sanandum, quia dicturus eras, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui te instigat ut vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Illo perdito, cuncta tenebuntur: omnino nihil dimittitur.

Serm. ex Script.

Horrenda tentatio, velle vindicari.

Caput XII.

12. Hanc periculosam tentationem in ista vita sciens Dominus, Magister & Salvator noster, cùm doceret nos in hac oratione sex vel septem petitiones, nullam sibi assumsit unde tractaret, & quam nobis vehementiùs commendaret, nisi hanc unam. Numquid non diximus, *Pater noster, qui es in cælis*, & cetera subsequentia? Quare post finitam orationem non aliquid nobis inde tractavit, vel quod à capite posuit, vel quod in fine conclusit, vel quod in medio collocavit? Si enim non in vobis sanctificatum fuerit nomen Dei, aut si non pertinueritis ad regnum Dei, aut si non in vobis facta fuerit voluntas Dei, sicut in cælo, aut si non vos Deus custodierit, ne intretis in tentationem: quare nihil horum? Sed quid? *Amen dico vobis, quia si* [f] *dimiseritis peccata hominibus:* propter illud, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Prætermissis omnibus petitionibus quas nos docuit, illam maximè [g] docuit. Non multùm fuerant illa commendanda, in quibus si peccator est, unde curetur agnoscat: [h] commendandum, in quo si peccaveris, cetera non est unde sanari. Hoc enim debes dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Quæ debita? Non deest: homines sumus. Paulò plus locutus sum quàm debui, dixi aliquid quod non debui, risi plus quàm debui, bibi ampliùs quàm debui, comedi ampliùs quàm debui, audivi libenter quod non debui, vidi libenter quod non debui, cogitavi libenter quod non debui: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Peristi, si hoc perdidisti.

Matth. 6. 14.

Debita quotidiana.

Caput XIII.

13. Videte Fratres mei, videte Filii mei, videte Filii Dei, videte quia dico vobis. Pugnate cum corde vestro, quantum potestis. Et si videritis iram vestram stare adversùs vos, rogate contra illam Deum: faciat te Deus victorem tui,

[a] Regius MS. *ille se exhibet.*
[b] Ita Germanensis MS. At editi, *Quid tibi facturus est tentator extrinsecus? Te vince* &c.
[c] Regius liber, *visâ escâ.*
[d] MSS. *Ira unici donavit.*
[e] Sic Germanensis MS. Editi autem, *vivit.*
[f] Germanensis MS. *quia si non dimiseritis.*
[g] Germanensis MS. *voluit.*
[h] Editi, *commendanda cetera, in quibus si peccaveris, non est unde saneris.* Locum ad Germanensem MS. correximus.

CLASSIS I.

tui, faciat te Deus victorem, non inimici forinsecùs tui, sed intrinsecùs animi tui. Aderit enim & faciet. Plus vult ut hoc ab illo petamus, quàm pluviam. Videtis enim, Carissimi, quot petitiones docuit nos Dominus Christus; & vix illic invenitur una quæ sonet de pane quotidiano: ut omnia quæ cogitamus, propter vitam futuram cogitemus. Quid enim timemus ne non nobis exhibeat ille, qui promisit & dixit, *Quærite primùm regnum & justitiam Dei, & hæc omnia apponentur vobis? Novit enim Pater vester; quia ista necessaria sunt vobis, priùs quàm petatis ab eo. Quærite primùm regnum & justitiam Dei, & hæc omnia apponentur vobis.* Nam multi etiam fame tentati sunt, & aurum inventi, & à Deo non deserti. Perirent fame, si desereret cor eorum panis interior quotidianus. Ipsum maximè esuriamus. Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Potest autem infirmitatem nostram misericorditer intueri, & videre nos, quomodo dictum est: Memento quia pulvis sumus. Qui de pulvere hominem fecit & animavit, pro isto figmento Unicum ad mortem dedit. Quantum nos amet, quis potest explicare, quis potest saltem dignè cogitare?

Matth. 6. 33. — Matth. 5. 6. — Psal. 102. 14.

* Aliàs 42. inter homilias 50.

* SERMO LVIII.

Item in Matth. 6. de oratione Dominica, ad Competentes.

CAPUT I. Symbolum & Dominica oratio. — Rom. 10. 14.

SYMBOLUM reddidistis, quo breviter comprehensa continetur fides. Jam & antea dixi vobis, quod ait apostolus Paulus, Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Quia ergo quomodo credatur in Deum, & accepistis, & tenuistis, & reddidistis: accipite hodie quomodo invocetur Deus. Ipse Filius, sicut audistis, cùm Evangelium legeretur, docuit discipulos suos & fideles suos hanc Orationem. Spem habemus obtinendæ caussæ nostræ, quando talis jurisperitus nobis Preces dictavit. Assessor Patris, sicut confessi estis, qui sedet ad dexteram Patris: ipse est advocatus noster, qui futurus est judex noster. Inde enim venturus est judicare vivos & mortuos. Tenete ergo & hanc Orationem, quam reddituri estis ad octo dies. Quicumque autem vestrûm non bene Symbolum reddiderunt, habent spatium, teneant: quia die sabbati audientibus omnibus qui aderunt reddituri estis, die sabbati novissimo, quo die baptizandi estis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc Orationem, quam hodie accepistis.

CAPUT II. — Matth. 6. 9.

2. Cujus caput est, *Pater noster, qui es in cælis.* Invenimus Patrem in cælis: adtendamus quemadmodum vivamus in terris. Sic enim debet vivere, qui invenit talem Patrem; ut dignus sit venire ad ejus hereditatem. Dicimus autem communiter, *Pater noster.* Quanta dignatio? Hoc dicit imperator, hoc dicit mendicus; hoc dicit servus, hoc dicit dominus ejus. Simul dicunt, *Pater noster, qui es in cælis.* Intelligunt ergo se esse fratres, quando unum habent Patrem. Sed non dedignetur fratrem habere servum suum dominus ejus, quem fratrem voluit habere Dominus Christus.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Item ℣. 9. ℣. 10.

3. *Sanctificetur nomen tuum*, dicimus; * *Veniat regnum tuum.* Sanctificatio nominis Dei est, qua efficimur nos sancti. Nam nomen ejus semper est sanctum. Optamus etiam venire regnum ejus: veniet, etsi nolumus; sed optare & orare, ut veniat regnum ejus, nihil est aliud, quàm optare ab illo, ut dignos nos faciat regno suo, ne fortè, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Multis enim non est venturum, quod tamen venturum est. Eis enim venturum est, quibus dicetur; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Illis non veniet quibus dicetur, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Cùm ergo dicimus, *Veniat regnum tuum*, oramus ut nobis veniat. Quid est, ut nobis veniat? Ut bonos nos inveniat. Hoc ergo oramus, ut bonos nos faciat: tunc enim nobis veniet regnum ejus.

Matth. 25. 34. — Ibidem 41.

CAPUT III. Item ℣. 10. Hujus petitionis interpretatio triplex.

I. 4. Addimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra.* Serviunt tibi Angeli in cælo, nos serviamus tibi in terra. Non te offendunt Angeli in cælo, non te offendamus in terra. Quomodo illi faciunt voluntatem tuam, sic faciamus & nos. Et hîc quid oramus, nisi ut boni simus? Quando enim facimus voluntatem Dei, (nam ipse sine dubio facit suam,) tunc fit voluntas ejus in nobis.

II. Et aliter bene intelligimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra.* Accipimus præceptum Dei, & [a] placet nobis, placet menti nostræ. Condelectamur enim legi Dei secundùm interiorem hominem. Tunc fit voluntas ejus in cælo. Cælo enim comparatur spiritus noster, terræ autem caro nostra. Quid est ergo, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra?* Ut quomodo menti nostræ placet tua jussio, sic ei consentiat caro nostra; & tollatur rixa illa de medio, quæ describitur ab Apostolo: Caro enim concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem. [b] Quando contra carnem concupiscit spiritus, jam facta est voluntas ejus in cælo: quando contra spiritum non concupiscit caro, jam facta est voluntas ejus in terra. Erit autem plena concordia, quando ipse voluerit: fit modò pugna, ut possit esse victoria.

Rom. 7. 22. — Gal. 5. 17.

III. Etiam sic bene intelligi potest, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra*: ut cælum ponamus Ecclesiam, quia portat Deum; terram autem infideles, quibus dictum est, Terra es, & in terram ibis. Quando ergo oramus pro inimicis nostris, inimicis Ecclesiæ, inimicis nomini Christiano, hoc oramus, ut fiat voluntas ejus, *sicut in cælo, ita & in terra*, id est, sicut in tuis fidelibus, sic & in tuis blasphematoribus; ut omnes cælum fiant.

Gen. 3. 19.

CAPUT IV. ℣. 11. Quotidianus panis, victus. — Hebr. 3. 13.

5. Sequitur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Potest simpliciter accipi orationem istam nos fundere pro victu quotidiano, ut abundet nobis; & si non abundat, non desit nobis. *Quotidianum* autem dixit, quamdiu *hodie* vocatur. Quotidie vivimus, quotidie surgimus, quotidie saturamur, quotidie esurimus. Det nobis panem quotidianum. Quare non dixit & tegumentum? Victus enim noster in cibo est & potu, tegumentum in vestitu & tecto. [c] Nihil ho-

[a] Sic MSS. At editi, *& placeat nobis, placeat menti nostræ.*
[b] MSS. *Quando caro concupiscit adversùs spiritum, nondum est facta voluntas ejus in terra: quando contra carnem concupiscit spiritus, jam facta est voluntas ejus in cælo. Erit autem &c.*
[c] MSS. *Et nihil homo plus desiderat.*

mo plus desideret. Quando quidem dicit Apostolus, Nihil intulimus in hunc mundum; sed nec auferre aliquid possumus: victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Pereat avaritia, & dives est natura. Ergo si ad quotidianum victum pertinet, quia & hoc bene intelligitur, quod dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* non miremur, si nominato pane & cetera necessaria intelligantur. Quomodo quando Joseph invitavit fratres suos; Homines illi, inquit, hodie mecum manducabunt panem. Quare panem solum manducaturi erant? Sed à solo pane intellecta sunt cetera. Sic quando rogamus panem quotidianum, quidquid nobis propter carnem nostram in terra necessarium est, postulamus. Sed quid ait Dominus Jesus? Quærite primùm regnum Dei & justitiam, & hæc omnia apponentur vobis. Intelligitur etiam hoc valde bene, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, ut [a] boni fiant, ut in bonitate & fide & vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo pane. Ergo, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quid est? Sic vivamus, ut ab altari tuo non separemur. Et verbum Dei quod quotidie vobis aperitur, & quodam modo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes. Et hunc ergo petimus simpliciter, & quidquid animæ nostræ & carni nostræ in hac vita necessarium est, quotidiano pane concluditur.

(Classis I. — 1. Tim. 6. 7. & 8. — Gen. 43. 16. — Matth. 6. 33. — Eucharistia. — Verbum Dei.)

CAPUT V. ℣. 12.

6. *Dimitte nobis debita nostra*, dicimus, & dicamus; quia verum dicimus. Quis enim hîc vivit in carne, & non habet debita? Quis est homo sic vivens, ut ei non sit ista oratio necessaria? Inflare se potest, justificare non potest. Bonum est illi, ut imitetur Publicanum, nec tumescat sicut Pharisæus, qui adscendit in templum, & jactavit merita sua, texit vulnera sua. Ille autem scivit quare adscenderit, qui dicebat, Domine, propitius esto mihi peccatori. Hoc Dominus Jesus: considerate, Fratres mei: hoc Dominus Jesus orare docuit discipulos suos, illos magnos primos Apostolos suos, arietes nostros. Si ergo pro peccatis suis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere, de quibus dictum est, Afferte Domino filios arietum? Hoc ergo scitis vos in Symbolo reddidisse, quia inter cetera nominastis remissionem peccatorum. Remissio peccatorum una est, quæ semel datur; alia, quæ quotidie datur. Remissio peccatorum una est, quæ semel datur in sancto baptismate; alia, quæ quamdiu vivimus hîc, datur in Dominica oratione. Propter quod dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.*

(Lucæ 18. — Psal. 28. 1. — In Symbolo remissio peccatorũ.)

CAPUT VI. Item ℣. 12.

7. Et induxit nobiscum Deus pactum & placitum, firmumque chirographum, ut dicamus, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui vult dicere efficaciter, *Dimitte nobis debita nostra:* dicat veraciter, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Si hoc quod est posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit; illud quod prius est, inaniter dicit. Maximè vobis dicimus, Dimittite omnia de cordibus vestris, qui ad sanctum baptisma acceditis. Et vos fideles, qui per hanc occasionem auditis hanc orationem & nostram expositionem, dimittite totum quidquid adversùs aliquem habetis de cordibus vestris: ibi dimittite, ubi Deus videt. Aliquando enim homo dimittit ore, & tenet corde: dimittit ore propter homines, & tenet corde, non timens oculos Dei. [b] Prorsus dimittite, quidquid est quod usque ad istos dies tenuistis, saltem his diebus dimittite. Non debuit occidere sol super iracundiam vestram, & multi soles transierunt. Transeat aliquando & iracundia vestra, dies magni Solis modò celebramus: illius Solis de quo dicit Scriptura, Orietur vobis sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. Quid est, in pennis ejus? In protectione ejus. Unde in Psalmo dicitur, Sub umbra alarum tuarum protege me. Alii autem, qui in die judicii futuri sunt [c] serò pænitentes, & infructuosè dolentes, prædicti à Sapientia, quid tunc dicturi sunt pænitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes? Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tamquam umbra. Et inter cetera, Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis. Ille sol justis oritur: istum autem solem visibilem facit Deus quotidie oriri super bonos & malos. Ad illum videndum solem justi pertinent: modò in cordibus nostris habitat sol iste per fidem. Si ergo irasceris; ne occidat sol iste in corde tuo super iracundiam tuam: Non occidat sol super iracundiam vestram: ne fortè irascaris, & occidat tibi sol justitiæ, & in tenebris remaneas.

(Serm. de Scripturis. — Ephes. 4. 26. — Malac. 4. 2. — Psal. 16. — Sap. 5. — Matth. 5. 45.)

CAPUT VII.

8. Ne putetis autem quia nihil sit iracundia. Turbatus est, inquit Propheta, præ ira oculus meus. Utique cui turbatur oculus, solem videre non potest: & si conatus fuerit videre, pœna illi est, non voluptas. Quid est ira? Libido vindictæ. Libet hominem vindicari: & nondum est Christus vindicatus, nondum sunt sancti Martyres vindicati. Adhuc exspectat patientia Dei, ut convertantur inimici Christi, convertantur Martyrum inimici: nos qui sumus, ut vindictam quæramus? Si quæreret illam Deus de nobis, ubi remaneremus? Ille qui nihil nos læsit, non vult se vindicare de nobis: & nos quærimus vindicari, qui penè quotidie Deum offendimus? Ergo dimittite: dimittite ex corde. Iratus es, noli peccare: Irascimini, & nolite peccare. Irascimini quasi homines, si vincimini; & nolite peccare, ut iram in corde teneatis, (quia si tenetis, contra vos tenetis:) ne [d] in illud lumen intretis. Ergo dimittite. Quid est ira? Libido vindictæ. Quid est odium? Ira inveterata. Ira inveterata si facta est, jam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cùm dixisset, Turbatus est præ ira oculus meus: addidit, Inveteravi in omnibus inimicis meis. Quod erat ira, cùm esset nova, odium factum est; quia in vetustatem

(Psal. 6. 8. — Ira. — Psal. 4. 5. — Odium. — Psal. 6. 8.)

[a] Sic MSS. Editi autem, *ut bona faciant.*

[b] Lov. *Prorsus dimittite; quia quod propter homines dimittitur, non apud Deum valet: quod autem propter Deum dimittitur, apud Deum valet, & apud homines prodest. Quod usque ad istos dies &c.* Glossema, quod à ceteris libris abest.

[c] MSS. *seri pænitentes.*

[d] Lov. *ne illud lumen irritetis:* dissentientibus editis aliis & MSS.

Classis I. conversum est. Ira festuca est, odium trabes est. Aliquando reprehendimus irascentem, & odium tenemus in corde; & dicit nobis Christus, Festucam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides. Unde crevit festuca, ut trabem faceret? Quia non statim evulsa est. Quia passus es exire & intrare solem totiens super iracundiam tuam, fecisti illam veterem, adtraxisti malas suspiciones, & rigasti festucam, rigando nutristi, nutriendo trabem fecisti. Expavesce vel quando dicitur, Qui odit fratrem suum, homicida est. Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti, non corpus plagâ aliquâ trucidasti: cogitatio sola odii in corde tuo est, & teneris homicida: reus es ante oculos Dei. Ille vivit, & tu occidisti. Quantum ad te pertinet, occidisti quem odisti. Emenda te, corrige te. Si in domibus vestris scorpiones essent aut aspides, quantum laboraretis, ut domus vestras purgaretis, & securi habitare possetis? Irascimini, & inveterantur irae in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot trabes, tot scorpii, tot serpentes; & domum Dei, cor vestrum, purgare non vultis? Ergo facite quod dictum est, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: & securi dicite, *Dimitte nobis debita nostra*. Quia sine debitis in hac terra vivere non potestis. Sed alia sunt illa magna crimina, quae vobis bonum est in baptismo dimitti, & à quibus semper alieni esse debetis: alia quotidiana peccata, sine quibus hîc homo vivere non potest, propter quae necessaria est quotidiana oratio, cum suo pacto, cum suo placito: ut quomodo hilariter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*; sic veraciter dicatur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Deinde ista diximus de peccatis praeteritis, quid de cetero?

Matth. 7. 3.

1. Johan. 3. 15.

Caput VIII.

9. *Ne nos inferas in tentationem*: dimitte quae fecimus, & da ut alia non committamus. Quicumque enim tentatione vincitur, peccatum ipse committit. Etenim, inquit apostolus Jacobus, „Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo ten„tatur. Deus enim intentator malorum est: ipse „autem neminem tentat. Unusquisque autem ten„tatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. „Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit „peccatum: peccatum verò cùm consummatum „fuerit, generat mortem. Ergo ne abstraharis à concupiscentia: noli consentire concupiscentiae tuae. Non est unde concipiat, nisi de te. Consensisti: quasi concubuisti in corde tuo. Surrexit concupiscentia: nega te illi, noli eam sequi. Illicita est, lasciva est, turpis est, alienat te à Deo. Noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum: quia si consenseris, id est, cùm amplexatus fueris, concipit. Cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum. Nondum times? Peccatum generat mortem: vel mortem time. Si peccatum non times, time quò perducit peccatum. Dulce est peccatum: sed amara est mors. Ipsa est infelicitas hominum: propter quod peccant, morientes hîc dimittunt, & ipsa peccata secum portant. Peccas propter pecuniam, hîc dimittenda est: peccas propter villam, hîc dimittenda est: peccas propter mulierem, hîc dimittenda est: & quidquid est propter quod peccas, quando oculos in mortem clauseris, hîc di-

Jacobi 1. 13. &c.

Concupiscentiae resistendum.

mittis, & ipsum peccatum quod committis tecum portas.

Serm. de Scripturis.

10. Dimittantur peccata: dimittantur praeterita, cessent futura. Sed non potes hîc vivere sine ipsis: vel minora vel minuta sint, vel levia sint. Sed ipsa levia & minuta non contemnantur. De minutis guttis flumina implentur. Non contemnantur vel minora. Per angustas rimulas navis insudat aqua, impletur sentina; & si contemnatur sentina, mergitur navis. Sed non cessatur à nautis, ambulant manus: [a] ambulant, ut quotidie sentinae exhauriantur. Sic & tuae manus ambulent, ut quotidie [b] sentines. Quid est, ambulent manus? Dent, fac opera bona, ambulent manus tuae. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum, vesti. Fac quantum potes, fac unde potes, fac hilariter, & securus mitte orationem. Habebit alas duas, geminas eleemosynas. Quid est, geminas eleemosynas? Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Una eleemosyna est, quae fit de corde, quando fratri tuo dimittis peccatum. Altera eleemosyna est, quae fit de substantia, quando pauperi panem porrigis. Ambas fac, ne sine una ala remaneat oratio tua.

Caput IX. Peccata minuta nō contemnenda.

Isai. 58. 7.

Alae duae orationis, geminae eleemosynae.

Luca 6. 37.

11. Ergo cùm dixerimus, *Ne nos inferas in tentationem*: sequitur, *Sed libera nos à malo*. Qui vult liberari à malo, testatur quia in malo est. Ideo dicit Apostolus, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Sed quis est qui vult vitam, & diligit videre dies bonos? Quando omnis homo in hac carne non habet nisi dies malos: quis non vult? Fac quod sequitur, Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum; declina à malo, & fac bonum; quaere pacem, & sequere eam: & caruisti diebus malis, & impletur quod orasti, *Libera nos à malo*.

Ephes. 5. 16

Psal. 33. 13.

Ibidem 14. & 15.

12. Tres ergo petitiones superiores, *Sanctificetur nomen tuum*, *Veniat regnum tuum*, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, & in terra*; aeternae sunt. Quatuor autem sequentes ad istam vitam pertinent. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Numquid quotidie petituri sumus panem quotidianum, quando ad illam satietatem venerimus? *Dimitte nobis debita nostra*: numquid in illo regno dicemus, quando debita non habebimus? *Ne nos inferas in tentationem*: numquid tunc dicere poterimus, quando nulla erit tentatio? *Libera nos à malo*: numquid dicemus, quando nullum erit unde liberemur? Quatuor ergo ista propter vitam nostram quotidianam nobis necessaria sunt, tria verò illa propter aeternam. Sed omnia petamus, ut ad illam perveniamus; & hîc [c] rogemus ne ab illa separemur. Oratio quotidie dicenda est vobis, cùm baptizati fueritis. In Ecclesia enim ad altare Dei quotidie dicitur ista Dominica oratio, & audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minùs diligenter eam teneatis: quia & si quis vestrûm non poterit tenere perfectè, audiendo quotidie tenebit.

Caput X. Petitionū discrimen.

Oratio Dominica quotidie dicitur ad altare.

13. Ideo die Sabbati, quando vigilaturi sumus in Dei misericordia, reddituri estis, non Orationem, sed Symbolum. Modò enim nisi teneatis Symbolum, in ecclesia, in populo Symbolum quotidie non auditis. Cùm autem tenueri-

Caput XI. Symbolum memoriâ tenendum.

[a] Isthaec verba, *ambulant, ut quotidie sentinae exhauriantur*, absunt à MSS. & ab Am. & Er.

[b] Am. & Er. *ut quotidie deficiant sentinae.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *& hic regamur.*

Classis I.

tis, ut non obliviscamini, quotidie dicite, quando surgitis, quando vos ad somnum collocatis, reddite Symbolum vestrum, reddite Domino, commemorate [a] vos ipsos, non pigeat repetere. Bona est enim repetitio, ne subrepat oblivio. Ne dicatis, Dixi heri, dixi hodie, quotidie dico, teneo illud bene. Commemora fidem tuam, inspice te: sit tamquam speculum tibi Symbolum tuum. Ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua. Sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista quodammodo indumenta mentis tuæ. B Numquid non quando surgis vestis te? Sic & commemorando Symbolum tuum vesti animam tuam, ne fortè eam nudet oblivio, & remaneas nudus, & fiat quod ait Apostolus, quod absit à te: Si tamen [b] exspoliati non nudi inveniamur. Vestiti enim erimus fide nostra: & ipsa fides & tunica est & lorica: tunica, contra confusionem; lorica, contra adversitatem. Cùm autem venerimus ad illum locum, ubi regnabimus, non opus est ut dicamus Symbolum: C Deum videbimus, ipse Deus nobis * visio erit; [c] visio Dei fidei hujus merces erit.

Tamquam speculum quotidie inspiciatur.

2. Cor. 5. 3.

** f. visus.*

* SERMO LIX.

Item in Matth. 6. de oratione Dominica, ad Competentes.

** Aliàs de Tempore 135.*

Caput I.

1. REDDIDISTIS quod creditis, [d] audite quid oretis. Quoniam invocare non possetis, in quem non credidissetis, D Apostolo dicente, Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? ideo priùs Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestræ brevis & grandis: brevis, numero verborum; grandis, pondere sententiarum. Oratio autem, quam hodie [e] accipitis tenendam, & ad octo dies reddendam, sicut audistis cùm Evangelium legeretur, ab ipso Domino dicta est discipulis ipsius, & ab ipsis pervenit ad nos; quoniam in omnem terram exivit sonus eorum.

Rom. 10. 14.

Symbolum regula fidei.

Psal. 18. 5.

2. Ergo nolite inhærere terrenis, qui Patrem invenistis in cælis. Dicturi enim estis, *Pater noster, qui es in cælis.* Ad magnum genus pertinere cœpistis. Sub isto Patre fratres sunt dominus & servus: sub isto Patre fratres sunt imperator & miles: sub isto Patre fratres sunt dives & pauper. Omnes Christiani fideles diversos in terra habent patres, alii nobiles, alii ignobiles: unum verò Patrem invocant, qui est in cælis. Si ibi est Pater noster, ibi nobis præparatur hereditas. Talis est autem iste Pater, cum quo possideamus quod donat. Dat enim hereditatem, sed non moriens illam nobis derelinquit. Non enim ipse discedit, sed ille permanet, ut nos accedamus. Quia ergo audivimus à quo petamus, sciamus & quid petamus, ne fortè talem Patrem malè petendo offendamus.

Matth. 6. 9.

Caput II.

3. Quid ergo nos docuit Dominus Jesus Christus petere à Patre, qui est in cælis? *Sanctificetur nomen tuum.* Quale beneficium est, quod petimus à Deo, ut sanctificetur nomen ejus? Nomen G Dei semper est sanctum: quare ergo petimus ut A sanctificetur, nisi ut nos per ipsum sanctificemur? Quod ergo semper sanctum est, ut in nobis sanctificetur oramus. Sanctificatur in vobis nomen Dei, quando baptizamini. Ut quid hoc orabitis, cùm baptizati fueritis, nisi ut quod accipietis perseveret in vobis?

Item ℣. 9.

Serm. de Scripturis.

4. Sequitur alia petitio: *Veniat regnum tuum.* Sive petamus, sive non petamus, venturum est regnum Dei. Quare ergo petimus, nisi ut veniat & nobis, quod venturum est omnibus sanctis? ut B & nos Deus in numero sanctorum suorum habeat, quibus venturum est regnum ejus?

℣. 10.

5. Dicimus tertia petitione, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quid est hoc? Ut quomodo tibi serviunt Angeli in cælo, & nos tibi serviamus in terra. Angeli autem ipsius sancti obediunt illi, non illum offendunt; faciunt jussa amando eum. Hoc ergo oramus, ut & nos præcepta Dei caritate faciamus. Iterum verba ista aliter intelliguntur. *Fiat voluntas tua, sicut C in cælo, & in terra.* Cælum in nobis anima est, terra in nobis corpus est. Quid est ergo, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra?* Sicut & nos audimus præcepta tua, sic nobis consentiat caro nostra; ne dum contendunt caro & spiritus, præcepta Dei minùs implere possimus.

Item ℣. 10.

6. Sequitur in Oratione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sive exhibitionem corpori necessariam petamus à Patre, in pane significantes quidquid nobis est necessarium, sive quotidianum panem illum intelligamus, quem acD cepturi estis de altari, bene petimus ut det nobis eum. Quid est enim quod oramus, nisi ne mali aliquid admittamus, unde à tali pane separemur? Et verbum Dei quod quotidie prædicatur, panis est. Non enim quia non est panis ventris, ideo non est panis mentis. Cùm autem vita ista transierit, nec panem illum quæremus quem quærit fames; nec sacramentum altaris habemus accipere, quia ibi erimus cum Christo, cujus corE pus accipimus; nec verba nobis ista dici habent, quæ dicimus vobis, nec codex legendus est, quando ipsum videbimus quod est Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quo pascuntur Angeli, quo illuminantur Angeli, quo sapientes fiunt Angeli, non quærentes verba locutionis anfractuosæ; sed bibentes unicum Verbum, unde impleti ructuant laudes, & non deficiunt in laudibus. Beati enim, ait Psalmus, qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Caput III. ℣. 11.

Psal. 83. 5.

F 7. Ergo in hac vita petimus quod sequitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* In baptismo omnia debita, id est, peccata prorsus dimittuntur nobis. Sed quia nemo hîc potest vivere sine peccato, [f] & si non magno crimine unde separetur ab illo pane, tamen nemo potest sine peccatis esse in hac terra, & non possumus accipere nisi unum baptismum semel; in Oratione accipimus, unde quotidie lavemur, ut nobis peccata nostra quotidie dimittantur: sed si faciamus quod sequitur, G *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Itaque,

Caput IV. ℣. 12.

[a] Germanensis MS. *commemorate apud vos ipsos.*

[b] Editi, *Si tamen vestiti*: juxta Græcum ἐνδυσάμενοι. At omnes MSS. *Si tamen exspoliati*; quasi Græcus habuerit ἐκδυσάμενοι. Sic Tertullianus de Resurrectione carnis c. 42 *Siquidem exuti non nudi inveniamur.* Et contra Marcionem lib. 5. c. 12. legit, *Si quidem & despoliati* &c. Hanc in Apostolo varietatem lectionis annotavit ejus Commentator inter Ambrosii opera.

[c] Sic Am. Er. & aliquot MSS Alii verò, *ipse Deus nobis visio erit, hujus merces erit.* Editio autem Lov. *ipse Deus nobis visio erit, fideique merces erit Deus noster. Conversi ad Dominum* &c.

[d] Sic MSS. Editi verò, *audistis.*

[e] Editi, *accepistis*, At MSS. *accipitis.* Qui mox prosequuntur sic, *retinenda est, & ad octo dies reddenda.*

[f] Regius MS. *potest tamen sine magno crimine* &c.

CLASSIS I.

Fratres mei, moneo vos, in Dei gratia filios meos; & sub illo Patre fratres meos, moneo vos, ut quando aliquis offendit & peccat in vos, & venit & confitetur, & petit à vobis veniam, ignoscatis illi, & continuò ex corde dimittatis; ne vobis à Deo veniam venientem prohibeatis. Si enim non dimittitis vos, nec ille dimittet vobis. Ergo & hoc in ista vita petimus: quia & hîc possunt dimitti, ubi possunt haberi peccata. In illa autem vita non dimittuntur, quia nec habentur.

CAPUT V. ℣. 13.

8. Deinde petimus dicentes, *Ne nos inferas* B *in tentationem, sed libera nos à malo.* Et hoc in ista vita nobis necessarium est petere, ne inferamur in tentationem, quia hîc sunt tentationes; & liberemur à malo, quia hîc est malum. Ac per hoc omnes istæ petitiones septem, tres ad vitam æternam pertinent, quatuor ad vitam præsentem. *Sanctificetur nomen tuum:* semper erit. *Veniat regnum tuum:* hoc regnum semper erit. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra:* semper erit. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* non C semper erit. *Dimitte nobis debita nostra:* non semper erit. *Ne nos inferas in tentationem:* non semper erit. *Sed libera nos à malo:* non semper erit; sed ubi est tentatio, & ubi est malum, ibi necessarium est ut petamus.[a]

*Aliàs de Tempore 50.

* SERMO LX.

De[b] *verbis Evangelii Matth. 6.* Nolite vobis condere thesauros in terra, *&c. exhortatorius ad faciendas eleemosynas.*

CAPUT I. In hujus mundi tribulatione consilium à Christo capiendū.

I. OMNIS homo in tribulatione aliqua constitutus, & in sua caussa deficiens, prudentem aliquem quærit, à quo consilium accipiat, & norit quid agat. Existimemus ergo, universum mundum quasi esse hominem unum. Evadere mala quærit, & facere bona piget: ac per hoc crebrescentibus tribulationibus suis in sua caussa deficiens, quem potest ad accipiendum consilium prudentiorem invenire, quam E Christum? Certè meliorem inveniat, & quod vult agat. Si autem non habet ubi meliorem inveniat, ad hunc veniat, quem ubicumque inveniat, consulat, accipiat consilium, servet mandatum bonum, evadat magnum malum. Præsentia enim mala temporalia, quæ multùm homines exhorrent, sub quibus plurimùm murmurant, & murmurando offendunt emendatorem, ne inveniant Salvatorem: præsentia ergo mala sine dubio transitoria sunt, aut illa per nos transeunt, aut nos per illa transimus; aut transeunt nobis viventibus, aut dimittuntur nobis morientibus. Non est in tribulatione magnum, quod tempore breve est. Quisquis cogitas crastinum diem, non revocas hesternum diem.[c] Minente die perendino, hesternus erit & crastinus. Veruntamen si curis tantis homines æstuant ad evadendas temporales & transcurrentes, vel potiùs transvolantes tribulationes; quid est cogitandum ut homo evadat manentes & sine fine du- G rantes?

CAPUT II. Vita hîc laboriosa.

2. Dura caussa est vita mortalis. Quid est aliud hîc nasci, nisi ingredi laboriosam vitam? De la- A bore futuro nostro, testis est ipse fletus infantis. Ab isto molesto convivio nemo est excusatus. Bibendum fuit quod propinavit Adam. Facti quidem sumus manibus veritatis: sed propter peccatum projecti in dies vanitatis. Facti sumus ad imaginem Dei: sed detrivimus eam transgressione peccati. Ideo Psalmus nos admonet, quomodo facti fuerimus, & quò pervenerimus. Ait enim, Quamquam in imagine Dei ambulet homo. Ecce quod factus est. Quò pervenit? Audi quod sequitur: Tamen vanè conturbabitur. In imagine ambulat veritatis, & conturbabitur in consilio vanitatis. Denique vide conturbationem ejus; vide, & tamquam in speculo displice tibi. Quamquam, inquit, in imagine Dei ambulet homo; & ideo magna res sit homo: tamen vanè conturbabitur. Et quasi quæreremus, Unde, rogo te, unde vanè conturbabitur? Thesaurizat, inquit, & ignorat cui congreget ea. Ecce ille homo, id est, universum genus humanum, quasi unus homo, qui in caussa sua defecit, consilium perdidit, de via sanæ mentis erravit: Thesaurizat, & nescit cui congreget ea. Quid dementius? quid infelicius? Certè enim sibi? Non. Quare sibi non? Quia moriturus est, quia[d] brevis vita hominis est; quia thesaurus durat, & citò transit qui congregat. Ideo miseratus hominem in imagine Dei ambulantem, vera fatentem, vana sectantem: Vanè, inquit, conturbabitur. Doleo: thesaurizat, & ignorat cui con- D gregat ea. Sibi ea? Non. Quia moritur homo, perdurante thesauro. Cui ergo? Consilium habes; da & mihi. Non habes consilium quod mihi des; nec tu ergo tenes. Proinde si ambo non habemus, ambo quæramus, ambo accipiamus, ambo tractemus. Conturbatur, thesaurizat, cogitat, laborat, curis invigilat. Per diem vexaris laboribus, per noctem agitaris timoribus. Ut saccellus tuus impleatur nummis, anima tua febrit curis.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Gen. 1. 27.

Psal. 38. 7.

Consilium vanitatis, quo hîc thesaurizatur.

Ibidem.

CAPUT III. Variè conturbatur qui thesaurizat.

3. Video, doleo: conturbaris, & sicut dicit qui fallere nescit, vanè conturbaris. Thesaurizas enim: ut bene proveniat quidquid agis, ut damna taceamus, ut tanta pericula & in singulis lucris singulas mortes, (mortes dico non corporum, sed malarum cogitationum; ut accedat aurum, perit fides; ut foris vestiaris, intus exspoliaris:) ut ista omittamus, ut alia taceamus, ut adversa prætereamus, prospera sola cogitemus: ecce thesaurizas, ecce undique lucra con- F fluunt, & more fontium nummi currunt: ubique ardet inopia, undique fluit copia. Non audisti, Divitiæ si affluant, ne apponatis cor? Ecce adquiris, non infructuosè conturbaris, tamen vanè conturbaris. Quare, inquis, vanè conturbor? Ecce saccos impleo, parietes mei vix capiunt quod adquiro: quare ego vanè conturbor? Thesaurizas, & ignoras cui congreges ea. Aut si scis, cui; obsecro te, dic & mihi. Audiam te, cui. Si non vanè conturbaris, dic cui thesaurizas? Mihi, inquis. Hoc audes dicere moriturus? Filiis meis, inquis. Hoc audes dicere de morituris? Magna pietas, quòd thesaurizat pater filiis: immo magna vanitas, thesaurizat moriturus mo-

Psal. 61. 11.

Cui colligat, nescit.

a Editi addunt, *Unde Deus omnipotens ita à nobis orandus est, ut quidquid humana fragilitas cavere & vitare non prævalet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Id verò MSS. non habent.

b In Possidii Indiculo c. 9. titulus est; *Ex Evangelio de thesauro in cælo condendo.*

c Editi, *Imminente.* At Am. Er. & Colbertinus MS. *Minuente:* corruptè pro *Minente*, id est exstante.

d Colbertinus MS. *quia transit hominis vita.*

Classis I. rituris. Si propter te, quia moriturus dimittis, A quid colligis? Hæc caussa & filiorum, successuri sunt, non permansuri. Omitto dicere qualibus filiis, ne fortè quod congregavit avaritia, perdat luxuria. Alius fluendo perdit, quod tu laborando congregasti. Sed omitto hoc. Fortè boni erunt filii, luxuriosi non erunt; servabunt quod dimisisti, augebunt quod servasti, non perdent quod congregasti. Filii tui tecum sunt pariter vani, si hoc faciunt, si te patrem in hoc imitantur. Illis dico quod tibi dicebam. Filio tuo B dico: cui servas, illi dico, Thesaurizas, & ignoras cui congreges ea. Sicut enim tu nescisti, sic & ille nescit. Si in illo permansit vanitas, numquid ad ipsum defecit veritas?

Furi fortè thesaurizat. 4. Omitto dicere, quia fortè dum vivis, thesaurizas furi. Una nocte venit, & tot diebus ac noctibus congregatum paratum invenit. Thesaurizas fortè latroni, fortè prædoni. Nolo ampliùs dicere, ne commemorem & refricem perpessorum dolorem. * Quàm multa quæ congregavit C inanis vanitas, parata invenit hostilis crudelitas? Non est enim meum optare, sed omnium est timere. Avertat hoc Deus. Sufficiant flagella ipsius. Omnes oremus, avertat hoc Deus. Parcat nobis, quem rogamus. Sed si dicat quibus, quid respondemus? Tu ergo, ô homo, ô omnis homo, tu qui vanè thesaurizas, unde mihi respondes tractanti tecum, & tecum quærenti consilium in caussa communi? Dicebas enim & respondebas, Thesaurizo mihi, filiis meis, poste- D ris meis. Dixi quanta sint & in ipsis filiis metuenda. Sed omitto pœnaliter victuros filios, sicut optat inimicus: sic vivant sicut optat pater. Quàm multi in hos casus inciderunt, dixi, commemoravi: horruisti, & non correxisti. Quid enim responsurus es, nisi hoc dicas, Fortè non? Et ego sic sum locutus: Fortè, inquam, furi, fortè latroni, fortè prædoni. Non dixi certè, sed fortè. Inter fortè fiet, fortè non fiet: nescis ergo quid fiet; vanè conturbaris. Vides quàm verum dixe- E rit veritas, quàm inaniter conturbetur vanitas. Audisti, tandem aliquando sapuisti, quia hoc ipsum cùm dicis, Fortè filiis meis; non autem audes dicere, Certus sum quia filiis meis; nescis cui congreges ea. Ecce ergo ut video, & ut antè dicebam, defecisti in caussa tua; non invenis quod mihi respondeas: sed nec ego quid tibi.

*Caput IV.

Caput V. Consilium à Christo petendum. 5. Ambo itaque quæramus, ambo consilium petamus. Habemus copiam, non sapientis, sed F ipsius Sapientiæ. Audiamus ambo Christum: Judæis scandalum, Gentibus stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis & Græcis Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam. (1. Cor. 1 23. & 24.) Quid paras munimenta divitiis tuis? Audi Virtutem Dei: nihil fortius. Quid paras argumenta divitiis tuis? Audi Sapientiam Dei: nihil prudentius. Fortè enim cùm dixero, scandalizaberis, Judæus eris; quia Christus Judæis scandalum. Fortè cùm dixero, stultum tibi videbitur, Gentilis eris; quia Chri- G stus Gentibus stultitia. Christianus es, vocatus es Vocatis autem Judæis & Græcis Christus Dei Virtus est & Dei Sapientia. Nolite contristari, cùm dixero; nolite scandalizari, nolite velut insipientiæ meæ ore torto insultare. Audiamus. Serm. de Scriptur. Quod enim dicturus sum, Christus dixit. Contemnis præconem: time judicem. Quid ergo ego dicam? Jam me propemodum Evangelii lector paulò antè hac curâ liberavit. Non ego lego, sed lecta recolo. Consilium quærebas in caussa tua deficiens: vide quid dicat fons recti consilii, fons unde quidquid imples, venenum non [a] times.

Caput VI. 6. *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea & comestura exterminat, & ubi fures effodiunt & furantur:* * *sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit.* * *Ubi est enim thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* (Matth. 6. 19. ℣. 20. ℣. 21.) Quid exspectas ampliùs? Res aperta est. Consilium patet, sed cupiditas latet: immo non latet, sed etiam ipsa, quod pejus est, patet. (Thesaurus in cælo condendus.) Non enim cessat rapina grassari: non enim cessat fraudare avaritia: non enim cessat perjurare malitia. Totum ut quid? Ut thesaurizetur. Et ubi ponatur? In terra. Rectè quidem à terra in terram. Homini enim, à quo nobis dixi laborem fuisse propinatum, peccanti dictum est, Terra es, (Gen. 3. 19.) & in terram ibis. Meritò thesaurus in terra, quia cor in terra. Ubi est ergo quòd * habemus ad (* Præfat. can. Miss.) Deum? Dolete qui intellexistis: corrigimini, si doluistis. Quamdiu [b] laudare, & non facere? Verum est, nihil verius. Fiat ergo quod verum est. Unum Deum [c] laudamus, & non mutamur, ut non etiam in hoc vanè conturbemur.

7. Ergo, *Nolite vobis condere thesaurum in terra*, sive experti quomodo pereat quod in terra reconditur, sive non experti, sed & vos saltem metuentes experiri. (Migrandum terra in cælum divitiis.) Quem non corrigunt verba, corrigant experimenta. Non surgitur, non proceditur, nisi ut una voce dicatur ab omnibus: Væ nobis, ruit mundus. Si ruit, quare non migras? Si tibi architectus diceret, ruituram domum tuam; nonne priùs migrares, quàm murmurares? Structor mundi dicit tibi ruiturum mundum, & non credis? * Audi vocem prædicentis, audi consilium commonentis. (*Caput VII. Matth. 24. 35.) Vox prædicentis est, Et cælum & terra transibunt. Vox commonentis est, *Nolite vobis condere thesaurum in terra.* (Matth. 6. 19.) Ergo si creditis Deo prædicenti, si non contemnitis commonentem, fiat quod dicit. Non enim ille te fallit, qui tale consilium dedit. Non perdes quod dedisti, sed sequeris quod misisti. Consilium ergo do: Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. (Matth. 19. 21.) Non sine thesauro remanebis: sed quod habes in terra sollicitus, habebis in cælo securus. Migra ergo. Consilium do servandi, non perdendi. Habebis, " inquit, thesaurum in cælo; & veni, sequere me; " ut ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium. Cur silent homines? Audiant, vel experti [d] quod timeant, faciant unde non timeant, migrent in cælum. Frumentum ponis in terra; venit amicus tuus, qui novit frumenti & terræ naturam, docet tuam imperitiam, dicit tibi, Quid fecisti? Frumentum in terra in inferioribus posuisti; humidus locus est, putrescit quod posuisti, perdes laborem tuum. Respondes, Quid ergo faciam? Migra, inquit, in superiora. Audis ergo amicum

a Colbertinus MS. *non timet.*
b Editi, *vultis laudare.* Abest *vultis* à MS.
c Colbertinus MS. *laudemus & imitamur:* absque negatione.
d In Colbertino codice, *Audiant vel experti: qui timent, faciant unde non timeant.*

Classis I.

consilium dantem de frumento tuo, & contemnis Deum consilium dantem de corde tuo? Frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra? Ecce Dominus Deus tuus, cùm dat tibi consilium de corde tuo, *Ubi enim*, inquit, *fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum.* (Matth. 6. 21.) Leva, inquit, cor in cælum, ne computrescat in terra. Consilium est ejus, qui vult servare, non perdere.

Caput VIII.

8. Si ergo ita est, quomodo pænitet eos qui non fecerunt? Modò quid sibi dicunt? In cælo B haberemus, quod in terra perdidimus. Invasit hostis domum, numquid invaderet cælum? Occidit servum custodem, numquid occideret Dominum servatorem. *Quò fur non accedit, neque tinea corrumpit?* Quàm multi dicunt, Ibi haberemus, [a] ibi nostros thesauros reconderemus, quò eos securi post paululum sequeremur. Quare non audivimus Dominum nostrum? Quare contemsimus Patrem monentem, & hostem sensimus invadentem? Ergo si consilium est hoc, C non simus pigri in tam bono consilio: & si migranda sunt quæ habemus, in eum locum transferamus, unde non ea perdamus. Quid sunt pauperes quibus damus, nisi laturarii nostri, per quos in cælum de terra migramus? Da: laturario tuo das, ad cælum portat quod das. Quomodo, inquis, ad cælum portat? En video, quia manducando consumit. Prorsus, non tenendo, sed manducando transportat. [b] An excidit tibi, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; D esurivi enim, & dedistis mihi manducare? Et, Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Si ante te mendicantem non contemsisti, adtende ad quem pervenerit quod dedisti.* Cùm uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Christus accepit quod dedisti. Ille accepit, qui tibi unde dares dedit: ille accepit, qui in fine tibi se ipsum dabit.

Laturarii nostri pauperes sunt. V. suprà Ser. 18. n. 4. & Ser. 38. n. 9.

Matth. 25. 34. &c.

*Caput IX.

Opera misericordiæ sola commemoranda sunt in Judicio.

9. Nam & hoc aliquando, Fratres, commonui Caritatem Vestram, quod me, fateor, in E Scriptura Dei plurimùm movet, & sæpius debeo commonere. Rogo vos ut cogitetis, quod ait ipse Dominus noster Jesus Christus, in fine sæculi, cùm venerit ad judicium, congregaturum se omnes gentes in conspectu suo, & divisurum homines in duas partes, ad dexteram alios, & ad sinistram alios positurum, dextrisque dicturum, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Sinistris autem, Ite in ignem æternum, F qui præparatus est diabolo & angelis ejus. Quære caussas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicii, Percipite regnum, & Ite in ignem æternum. Quare isti percepturi regnum? Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignem æternum? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Quid est hoc, rogo? Video de his qui percepturi sunt regnum, quia dederunt tamquam boni & fideles Christiani, verba Domini non contemnentes, & cum fiducia promissa spe- G rantes, fecerunt hoc; quia si non fecissent, vitæ ipsorum bonæ sterilitas ista non utique convenisset. Fortè enim casti erant, non fraudatores, non ebriosi, abstinentes se ab operibus malis. Si hoc non adderent, steriles remanerent. Fecis- A sent enim, Declina à malo: non fecissent, Et fac bonum. Verumtamen etiam ipsis non ait, Venite, percipite regnum; castè enim vixistis, nulli fraudem fecistis, neminem pauperem oppressistis, limitem nullius invasistis, neminem jurando fefellistis. Non dixit hæc: sed, Percipite regnum, quia esurivi, & dedistis mihi manducare. Quantum hoc excellit, quando cetera tacuit, & hoc solum Dominus nominavit?* Rursus ad illos, Ite in ignem æternum, qui præpara- B tus est diabolo & angelis ejus. Quàm multa posset in impios dicere, si quærerent, Quare imus in ignem æternum? Quare, quæris adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? Nihil horum: sed, Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.

Serm. de Scripturis.

Psal 33. 15.

*Caput X.

10. Video vos moveri, sicut moveor. Et verè mira res. Hujus autem admirabilis rei rationem colligo ut possum, quam vos non celabo. Scriptum est, Sicut aqua exstinguit ignem, sic C eleemosyna exstinguit peccatum. Item scriptum est, Include eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominum. Item scriptum est, [c] Consilium meum audi, Rex, & peccata tua eleemosynis redime. Et alia multa sunt divini eloquii documenta, quibus ostenditur, multum valere eleemosynam ad exstinguenda & delenda peccata. Proinde illis quos damnaturus est, immo plus illis quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit, tamquam dicens, Difficile D est, ut si examinem vos & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam unde vos damnem: sed ite in regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis: sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Et illi tamquam noxii, olim rei, serò trementes, adtendentes peccata sua, quando auderent dicere, immeritò se damnari, im- E meritò in se hanc depromi à judice tam justo sententiam? Considerando conscientias suas, considerando omnia vulnera animæ suæ, quando auderent dicere, Injustè damnamur? De quibus antè in Sapientia dictum est, Traducent eos ex adverso iniquitates eorum. Sine dubio videbunt se justè damnari pro sceleribus & criminibus suis: & quasi eis diceret, Non, non inde unde putatis; sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare. Si enim ab illis omnibus vestris factis F aversi, & ad me conversi, illa omnia crimina atque peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absolverent. Beati enim misericordes, quoniam ipsis misericordia præstabitur. Modò autem ite in ignem æternum. Judicium sine misericordia, ei qui non fecit misericordiam.

Ratio cur de eleemosynis tantùm agatur in Judicio.

Eccli. 3. 33.

Eccli. 29. 15.

Dan. 4. 24.

Sap. 4. 20.

Matth. 5. 7.

Jacobi 2. 13.

Caput XI.

11. Commendaverim vobis, Fratres mei: date panem terrenum, & pulsate ad cælestem. Dominus panis est: Ego sum panis, inquit, vi- G tæ. Quomodo dabit tibi, qui non das egenti? Eget ad te alter, eges ad alterum: & cùm eges ad alterum & eget ad te alter, ille ad egentem eget. Nam ad quem tu eges, nullius eget. Fac quod circa te fiat. Non enim quomodo inter se

Johan. 6. 35.

[a] Lov. *si nostros*: dissentientibus ceteris libris.
[b] Colbertinus MS. *transportat ubi auditurus es, Venite* &c.

[c] Hic Am. Er. & Colbertinus codex addunt, *quod paulo antè commemoravi*.

Classis I.

solent improperare quodam modo beneficia amici: Ego tibi præstiti hoc; respondetur, Et ego tibi hoc: vult ut præstemus ei, quia & ipse præstitit nobis. Nullius indiget, ideo verus est Dominus. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Cùm ergo sit Dominus, & verus Dominus, & bonorum nostrorum non egeat; tamen ut aliquid etiam erga illum faceremus, esurire dignatus est in pauperibus suis. Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare. Domine, quando te vidimus esu- B rientem? Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Breviter ergo audiant homines, dignéque considerent, quantum sit meritum, Christum pavisse esurientem; & quale sit crimen, Christum contemsisse esurientem.

Psal. 15.2. — *Matth. 25. 35. &c.*

Pœnitentia sterilis, nihil prodest.

12. Mutat quidem homines in melius pœnitentia peccatorum: sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testatur hoc Veritas per Johannem, qui venientibus ad se dicebat, Generatio vipera- C rum, quis vobis ostendit fugere ab ira ventura? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Et ne dicatis, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. De hoc utique fructu superiùs ait, Facite fructus dignos pœnitentiæ. * Quisquis itaque istos fructus non fecerit, sine caussa putat D per sterilem pœnitentiam se mereri veniam peccatorum. Qui sint autem isti fructus, ipse consequenter ostendit. Nam post hæc ejus verba interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus? id est, qui sunt isti fructus, quos ut faciamus hortaris, & terres? Respondens autem dicebat illis, Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Quid manifestius, Fratres mei? quid certius? quid expressius? Quid ergo aliud sonat, quod superiùs E ait, Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: nisi quod sinistri audituri sunt, Ite in ignem æternum, Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare? Parum est itaque recedere à peccatis, si præterita curare neglexeris: sicut scriptum est, Fili peccasti, ne adjicias iterum. Et ne hoc solo securum se esse putaret: Et de pristinis, inquit, deprecare, ut tibi dimittantur. Sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, F non faciendo fructus dignos pœnitentiæ; ut tamquam sterilis arbor excidaris, & in ignem mittaris? Si ergo vultis exaudiri, cùm deprecamini pro peccatis vestris, Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.

Luca 3.7. &c. — ** Caput XII.* — *Eccli. 21.1.* — *Lucæ 6.37. & 38.*

** Aliàs 5. de verbis Domini.*

* SERMO LXI.

De [a] *verbis Evangelii Matth.* 7. Petite, & dabitur vobis *&c. exhortatorius ad faciendas eleemosynas.*

G

Caput I. — *Matth. 7.7.* — *ℽ. 8.*

1. In lectione sancti Evangelii hortatus est nos Dominus ad orandum. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* * *Omnis enim qui petit, accipit; & quærens invenit, & pulsanti aperietur.* * *Aut quis est ex vobis homo, à quo petit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei?* * *Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?* * *Aut cùm petit ovum, numquid scorpionem porriget ei?* * *Si ergo vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se? Cùm sitis*, inquit, *mali, nostis bona data dare filiis vestris.* Miranda res, Fratres: mali sumus, & bonum Patrem habemus. Quid evidentius? Audivimus nomen nostrum: *Cùm sitis*, inquit, *mali, bona data nostis dare filiis vestris.* Et quos dixit malos, videte qualem Patrem illis ostendit: *Quantò magis Pater vester!* Quorum Pater? Certè malorum. Et qualis Pater? Nemo bonus, nisi solus Deus.

Serm. LXI. Scripturis. — *ℽ. 9. ℽ. 10.* — *Luca 11.11.* — *Matth. 7.11.* — *Pater noster Deus est.* — *Luca 18.19.*

2. Ergo, Fratres, ideo mali bonum Patrem habemus, ne semper mali remaneamus. Nemo malus facit bonum. Si nemo malus facit bonum, homo malus quomodo se facit bonum? * Facit de malo bonum, qui semper est bonus. Sana me Domine, inquit, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero. Quid mihi dicunt vani vana, Tu te salvum facis, si volueris? Sana me Domine, & sanabor. Nos boni conditi sumus à bono: fecit enim Deus hominem rectum; arbitrio autem nostro facti sumus mali. Potuimus esse ex bonis mali, & poterimus esse ex malis boni. Sed qui semper est bonus, ipse facit ex malo bonum: quia ipse homo voluntate sua se sanare non potuit. Non quæris medicum, ut vulneres te: sed cùm vulneraveris te, quæris qui sanet te. Bona ergo secundùm tempus, bona temporalia, corporalia, carnalia novimus dare filiis nostris, etiam cùm simus mali. Bona enim sunt & ista, quis dubitet? Piscis, ovum, panis, pomum, frumentum, lux ista, aër iste quem ducimus, bona sunt hæc: ipsæ divitiæ in quibus homines extolluntur, & pares suos homines alios non agnoscunt; in quibus, inquam, homines extolluntur, magis amantes vestem fulgentem, quàm cogitantes communem cutem; ipsæ ergo divitiæ bonæ sunt: sed ista omnia bona quæ commemoravi, à bonis & malis haberi possunt; & cùm bona sint, bonos tamen facere non possunt.

Homo de malo bonus non nisi à Deo. — ** Caput II.* — *Jerem. 17.14.* — *Psal. ... redat.* — *Eccle. 7.30.*

3. Est ergo bonum, quod faciat bonum: & est bonum, unde facias bonum. Bonum quod facit bonum, Deus est. Non enim facit hominem bonum, nisi ille qui semper est bonus. Ergo ut sis bonus, Deum invoca. Aliud autem bonum est unde facias bonum: id est, quidquid habueris. Aurum est, argentum est; bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. Habes aurum, habes argentum; & concupiscis aurum & concupiscis argentum. Et habes, & concupiscis; & plenus es, & sitis. Morbus est, & non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni sunt, & semper sitiunt. Humore pleni sunt, & humorem sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem concupiscentiam? Habes ergo aurum, bonum est: habes, non unde sis bonus, sed unde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Non audisti Psalmum? Dispersit, inquit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi. Hoc est bonum, hoc est bonum unde [b] bonus es, justitia. Si habes bonum unde sis bonus; fac bonum de bono

** Caput III.* — *Bonum duplex.* — *Psal. 111.9.*

[a] Citatur à Floro in 1. Tim. 6. ad vers. 9. 10. & 17.

[b] Editi, *unde sis justitia bonus.* Castigantur hîc ope MSS.

CLASSIS I.

bono unde non es bonus. Habes pecuniam, eroga. Erogando pecuniam, auges justitiam. Dispersit enim, distribuit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi. Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur justitia. Illud minuitur quod eras dimissurus, illud minuitur quod eras relicturus: illud augetur quod in æternum es possessurus.

CAPUT IV. Eroganda pecunia, ut habeatur justitia.

4. Consilium do lucrorum, disce mercari. Laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum, & adquirit aurum; & non laudas mercatorem qui erogat pecuniam, & adquirit justitiam? Sed ego, inquis, non erogo pecuniam, quia non habeo justitiam. Eroget pecuniam, qui habet justitiam: ego non habeo justitiam, habeam vel pecuniam. Ergo quia non habes justitiam, ideo non vis erogare pecuniam? Magis eroga pecuniam, ut habeas justitiam. A quo enim habebis justitiam, nisi à Deo fonte justitiæ? Ergo si vis habere justitiam, esto mendicus Dei, qui te paulò antè ex Evangelio ut peteres, quæreres, pulsares, monebat. Mendicum suum sciebat, & ecce pater-familiâs & magnus dives, divitiarum scilicet spiritualium & æternarum, hortatur, & dicit tibi, Pete, quære, pulsa. *Qui petit accipit: quærens invenit: pulsanti aperietur.* Hortatur ut petas: negabit quod petis?

Mendicus Dei.

Ad petendum similitudinibus Deus hortatur. Matth. 7. 7.

5. Adtende à contrario similitudinem vel comparationem, sicut de illo * divite iniquo, hortantem nos ad orationem, quando ait Dominus, Erat quidam judex in civitate, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. Quædam vidua interpellabat eum quotidie, & dicebat, Vindica me. Nolebat ille per tempus: illa interpellare non desinebat: & fecit tædio, quod nolebat beneficio. Sic enim à contrario nos admonuit ut petamus.

* f. judice.

Lucæ 18. 2. &c.

CAPUT V. Lucæ 11. 5. &c.

6. Venit, inquit, ad amicum suum, cui hospes venerat; & cœpit pulsare, & dicere, Hospes mihi venit, commoda mihi tres panes. Respondit ille, Jam requiesco, & mecum servi mei requiescunt. Ille non cessat, adstat, instat, pulsat; & tamquam amicus ab amico mendicat. Et quid ait? Dico vobis, quia surgit, & non propter amicitiam ejus, sed propter improbitatem dat illi quantos voluerit. Non propter amicitiam, quamvis amicus sit, sed propter improbitatem. Quid est, propter improbitatem? Quia pulsare non destitit: quia & cùm esset negatum, non se avertit. Ille qui nolebat dare, quod petebatur fecit, quia ille in petendo non defecit. Quantò magis dabit bonus, qui nos hortatur ut petamus; cui displicet, si non petamus? Sed cùm aliquando tardiùs dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata, dulciùs obtinentur: citò autem data, vilescunt. Pete, quære, insta. Petendo & quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare; ut & tu discas magna magnè desiderare. Inde oportet semper orare, & non deficere.

Lucæ 18. 1.

CAPUT VI. Qui, à quo, quid petamus.

7. Si ergo, Fratres mei, mendicos suos nos fecit Deus, monendo nos, & hortando & jubendo ut petamus, quæramus, pulsemus; adtendamus & nos qui à nobis petunt. Petimus nos: A quo petimus? qui petimus? quid petimus? A quo, vel qui, vel quid petimus? Petimus à Deo bono: petimus homines mali: petimus autem justitiam, unde simus boni. Hoc ergo petimus

SERM. DE SCRIPTURIS.

A quod in æternum habeamus: quo cùm saturati fuerimus, ulteriùs non egeamus. Sed ut saturemur, esuriamus & sitiamus; esuriendo & sitiendo petamus, quæramus, pulsemus. Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam. Quare beati? Esuriunt & sitiunt, & beati sunt? Aliquando enim egestas beata est? Non inde beati sunt, quia esuriunt & sitiunt; sed quia ipsi saturabuntur. Ibi erit beatitudo in saturitate, non in fame. Sed præcedat saturitatem fames, ne fastidium non B perveniat ad panes.

Matth. 5. 6.

8. Ergo diximus, à quo petamus, qui petamus, quid petamus. * Sed petitur & à nobis. Mendici enim Dei sumus: ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus & nos nostros. Sed & ibi etiam cogitemus, quando petitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, quid petunt. Qui petunt? Homines. A quibus petunt? Ab hominibus. Qui petunt? Mortales. A quibus petunt? A mortalibus. Qui petunt? Fragiles. A quibus petunt? C A fragilibus. Qui petunt? Miseri. A quibus petunt? A miseris. Exceptâ substantiâ facultatum, tales sunt qui petunt, quales sunt à quibus petunt. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum? Non sum, inquit, talis: absit à me, ut talis sim. Inflatus obsericatus ista loquitur de pannoso. Sed ego nudos interrogo. Non interrogo in vestibus, quales sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, miseram vitam inchoantes, D ideo ambo plorantes.

* CAPUT VII. Qui, à quibus, quidve petunt hîc mendici nostri.

9. Ecce recole dives primordia tua: vide utrùm hîc aliquid adtuleris. Jam venisti, & tanta invenisti. Dic, rogo te, quid adtulisti? Dic quid adtuleris: aut si dicere erubescis, Apostolum audi. * Nihil intulimus in hunc mundum. Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum. Sed fortè quia nihil adtulisti, & hîc multa invenisti, aliquid hinc tecum ablaturus es? Et hoc fortasse amore divitiarum trepidas confiteri: audi & E hoc. Et hoc Apostolus dicat, qui te non palpat. « Nihil intulimus in hunc mundum; utique quan- « do nati sumus: sed nec auferre aliquid possumus, utique quando de mundo exiemus. Nihil adtulisti, nihil hinc auferes: quid te inflas contra pauperem? Quando nascuntur infantes, recedant de medio parentes, servi, clientes; recedant de medio turbæ obsequentes, & agnoscantur pueri divites flentes. Pariant simul dives & pauper, pariant simul mulier dives & mulier F pauper: non adtendant quod pariunt, discedant paululùm, redeant & agnoscant. Ecce dives nihil adtulisti in hunc mundum: sed nec auferre hinc aliquid potes. Quod dixi de natis, hoc dico de mortuis. Certè quando aliquo casu vetera sepulcra franguntur, ossa divitis agnoscantur. Ergo dives audi Apostolum: Nihil intulimus in hunc mundum. Agnosce, verum est. Sed nec auferre aliquid possumus. Agnosce, & hoc verum est.

Dives & pauper in nativitate & morte æquales.

Florus ad 1. Tim. 6.

* CAPUT VIII. 1. Tim. 6. 7.

G 10. Quid ergo sequitur? Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Nam qui vo- « lunt divites fieri, incidunt in tentationem & de- « sideria multa & noxia, quæ mergunt hominem « in interitum & perditionem. Radix est enim om- « nium malorum avaritia: quam quidam sequentes, à fide pererraverunt. Adtende quid dimiserunt. Doles quia hoc dimiserunt: vide quò se

CAPUT IX. Ibidem 8. &c.

Florus ad 1. Tim. 6.

CLASSIS I.

» inseruerunt. Audi: A fide pererraverunt, & inseruerunt se doloribus multis. Sed qui? Qui volunt divites fieri. Aliud est, esse divitem: aliud, velle fieri divitem. Dives est, qui à divitibus natus est: non quia voluit, dives est, sed quia multi hereditates dimiserunt. Video facultates, non interrogo [a] voluptates. Hîc cupiditas accusatur, non aurum, non argentum, non divitiæ, sed cupiditas. Nam qui nolunt divites fieri, vel qui non curant, vel non ardent cupiditatibus, non avaritiæ facibus accenduntur, sed divites sunt, audiant Apostolum. Hodie lectum est, Præcipe divitibus hujus mundi. Præcipe. Quid? Præcipe ante omnia, non superbè sapere. Nihil enim est quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Et alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis divitiarum, superbia.

Aliud est esse divitē, aliud velle divitem fieri.

Ibidem 17.

Vermis divitiarum, superbia.

11. Ergo præcipe divitibus hujus mundi, non superbè sapere. Exclusit vitium, doceat usum. Non superbè sapere. * Unde autem non superbè sapere? De eo quod sequitur, Neque sperare in incerto divitiarum. Qui non sperant in incerto divitiarum, non superbè sapiunt. Si non altum sapiunt, timeant. Si timent, non altum sapiunt. Quàm multi herì divites, hodie pauperes? Quàm multi dormiunt divites, & venientibus latronibus & cuncta auferentibus, evigilant pau- » peres? Ergo non sperare in incerto divitiarum, » sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abun- » danter ad fruendum: temporalia, & æterna. Sed magis ad fruendum æterna, ad utendum temporalia. Temporalia tamquam viatoribus, æterna tamquam habitatoribus. Temporalia, unde bona faciamus; æterna, unde boni efficiamur. Ergo hoc faciant divites: non superbè sapiant, ne- » que sperent in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: hoc faciant. Ex eo autem quod habent quid faciant? Audi quid: Divites sint in operibus bonis, facilè tribuant. Habent enim unde. Quare non faciunt? Paupertas difficultas est. Facilè tribuant, habent unde. Communicent, id est, pares suos mortales agnoscant. Communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum. Non enim quia dico, inquit, Facilè tribuant, communicent, exspoliare illos volo, nudare illos volo, inanes relinquere volo. Doceo lucrum, * cùm ostendo, Thesaurizent sibi. Non enim volo, ut pauperes remaneant. Thesaurizent sibi. Non ut perdant, dico: sed quò migrent, ostendo. Thesaurizent sibi funda- » mentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Hæc ergo falsa vita est: apprehendant veram vitam. Vanitas enim [b] vanitantium, & omnia vanitas. Quæ abundantia tanta hominis in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole? Apprehendenda est ergo vera vita, migrandæ sunt facultates nostræ ad locum veræ vitæ; ut hoc ibi inveniamus, quod hîc damus. Mutat illa, qui mutat & nos.

**Caput X. Ibidem. Divitiarū usus ad cōparandam æternam vitam.*

Ibidem 18.

Ibidem 19.

**f. locum.*

Eccle. 1. 2.

CAPUT XI.

12. Date ergo pauperibus, Fratres mei. Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Nihil dives habet de divitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper, victum & tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus quæ habes? Accepisti victum, accepisti necessarium tegumentum. Necessarium dico, non inane, non superfluum. Quid plus de divitiis tuis capis? Dic mihi. Certè omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, [c] sint pauperibus necessaria. Sed ego, inquis, pretiosas epulas accipio, pretiosis cibis vescor. Pauper quid? Vilibus. Vilibus cibis vescitur pauper; ego, inquit, pretiosis. Interrogo vos, quando fueritis ambo satiati: Pretiosus cibus ad te intrat; quid fit, cùm intraverit? Nonne si specularia in ventre haberemus, de omnibus cibis pretiosis erubesceremus, quibus saturatus es? Esurit pauper, esurit dives: saturari quærit pauper, saturari quærit dives. Saturatur pauper de vilibus cibis, saturatur dives de pretiosis cibis. Saturitas æqualis est: possessio una est, quò ambo volunt [d] pervenire; sed ille per compendium, ille per circuitum. Sed meliùs, inquis, mihi sapiunt apparata pretiosa. Vix fastidiosus satiaris. Nescis quomodo sapit, quod fames accendit. Neque ita hoc dixi, ut divites cogam epulis & cibis pauperum vesci. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ: sed doleant, aliter se non posse. Meliùs enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate; tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuesti, quia non aliter potes; quia si consuetudinem mutes, ægrotas. Conceditur tibi: utere superfluis, da pauperibus necessaria: utere pretiosis, da pauperibus vilia. Exspectat à te, exspectas à Deo: exspectat ille manum quæ facta est secum, exspectas tu manum quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis unam viam istam vitam: invenistis vos comites, unam viam ambulatis: ille nihil portat, tu nimiùm oneratus es: ille nihil secum portat, tu tecum plus portas quàm opus est. Oneratus es: da illi de eo quod habes; & illum pascis, & onus minuis.

Serm. de Scripturis. Divites sic utantur superfluis suis, ut tribuant pauperibus necessaria.

13. Date ergo pauperibus: rogo, moneo, præcipio, jubeo. Quidquid vultis date pauperibus. Non enim occultabo Caritati Vestræ, quare hunc sermonem necesse habui vobis promere. Ex quo hîc sumus euntes ad ecclesiam, & redeuntes, pauperes interpellant nos, & dicunt ut dicamus vobis, ut aliquid accipiant à vobis. Nos monuerunt loqui vobis: & cùm se vident non accipere à vobis, inaniter nos arbitrantur laborare in vobis. Exspectant aliquid & à nobis. Damus quantum habemus, damus sicut possumus: numquid tamen ad eorum necessitatem implendam idonei sumus? Quia ergo ad eorum necessitatem implendam idonei non sumus, vel ad vos legati ipsorum sumus. Audistis, laudastis: Deo gratias. Semen accepistis, verba reddidistis. Laudes istæ vestræ gravant nos potiùs, & in periculum mittunt: toleramus illas, & tremimus inter illas. Tamen, Fratres mei, istæ laudes vestræ folia sunt arborum: fructus quæritur.

Caput XII. Ad eleemosynas urget.

[a] Fossatensis MS. & unus è Colbertinis, *voluntates*.
[b] Editi, *vanitatum*. At probæ notæ MSS. *vanitantium*. Vide lib. 1. Retract. cap. 7. n. 3.
[c] Colbertinus MS. *sunt pauperibus necessaria*.

[d] Lov. *pervenere*: dissentientibus editis aliis & MSS. Paulò pòst Am. Er. & plures MSS. *ille circuit*. Lov. *ille multùm circuit*. Tres verò MSS. *ille per circuitum*.

CLASSIS I.

*Aliàs 6. de verbis Domini. a

* SERMO LXII.

De * verbis Evangelii Matth. 8. Non sum dignus ut sub tectum meum intres *&c.* *Necnon de verbis Apostoli* 1. *Cor.* 8. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem *&c.*

CAPUT I. Centurionis humilitas.

1. AUDIVIMUS, cùm Evangelium legeretur, fidem nostram in humilitate laudari. Ad domum quippe Centurionis cùm se promitteret Dominus Jesus iturum, ut puerum ejus sanaret, ille respondit, *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres: sed tantùm dic verbum, & sanabitur.* (*Matth.* 8. 8.) Dicendo se indignum, præstitit dignum; non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide & humilitate, nisi illum, quem timebat intrare in domum suam, corde gestaret. Nam non erat magna felicitas, si Dominus Jesus intraret in parietes ejus, & non esset in pectore ejus. Magister quippe humilitatis & verbo & exemplo, discubuit & in domo cujusdam Pharisæi superbi, nomine Simonis. (*Luca* 7. 36.) Et cùm in domo ejus recumberet, non erat in corde ejus ubi caput Filius hominis reclinaret.

Superbus à discipulatu Christi repulsus.

2. Ita enim quemdam superbum, quantum intelligitur ex verbis ipsius Domini, ultrò secum ire cupientem, à suo discipulatu revocavit. Sequar te Domine, ait, quocumque ieris. (*Luca* 9. 57. *Matth.* 8. 19.) Et Dominus in ejus corde invisibilia videns, Vulpes, inquit, foveas habent, & volatilia cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Hoc est, habitant in te insidiæ sicut vulpes, habitat superbia sicut cæli volatilia: Filius autem hominis simplex contra insidias, humilis contra superbiam, non habet ubi caput suum reclinet. Et ipsa reclinatio capitis, non erectio, humilitatis magistra est. Revocat ergo istum ire cupientem, trahit alium recusantem. Eodem quippe loco ait cuidam, Sequere me. Et ille, Sequor te, Domine: sed sine me primò ire & sepelire patrem meum. Piè quidem excusavit: & ideo dignior cujus excusatio removeretur, vocatio firmaretur. Pium erat quod volebat facere: sed docuit magister quid deberet præponere. Volebat enim eum esse vivi verbi prædicatorem, ad faciendos victuros. Erant autem alii, per quos illa necessitas impleretur. Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Infideles cadaver quando sepeliunt, mortui mortuum sepeliunt. Illius corpus animam perdidit; illorum anima Deum. Sicut enim vita corporis anima est: sic vita animæ Deus. (Vita animæ, Deus.) Sicut exspirat corpus, cùm animam emittit: ita exspirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus, mors animæ: anima emissa, mors corporis. Mors corporis necessaria: mors animæ voluntaria.

3. Discumbebat ergo Dominus in domo Pharisæi cujusdam superbi. In domo ejus erat, ut dixi; & in pectore ejus non erat. In hujus verò (*Luca* 19. 6.) G Centurionis domum non intravit, & pectus possedit. Zacchæus verò Dominum & domo suscepit, & animo. Hujus tamen fides in humilitate laudatur. (Centurionis fides in humilitate. CAPUT II.) * Dixit enim, *Non sum dignus, ut sub* A *tectum meum intres.* * Et Dominus, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël:* secundùm carnem. Nam & iste jam Israëlites erat secundùm spiritum. Venerat Dominus ad Israëlem carnalem, id est, ad Judæos, ibi primùm quærere oves perditas, in quo populo, & de quo populo etiam corpus assumserat: *Non ibi inveni tantam fidem*, ipse dicit. Possumus nos metiri fidem hominum, sicut homines: ille qui interiora cernebat, ille quem nemo fallebat, perhi- B buit testimonium cordi hominis, audiens verba humilitatis, pronuntians sententiam sanitatis.

SERM. DE SCRIPTURIS. *CAPUT III.

ỳ. 9. In Centurione Gentes figuratæ.

4. Unde autem hoc præsumsit? *Et ego*, inquit, *homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit.* Potestas sum quibusdam sub me positis, positus sub potestate quadam super me. Si ergo ego, inquit, homo sub potestate, jubendi habeo po- C testatem; quid tu possis, cui omnes serviunt potestates? Erat autem iste de Gentibus: erat quippe centurio. Jam Judæa gens habebat militem [b] Romani imperii. Ibi iste militem agebat, quantum agere centurio poterat; & sub potestate, & habens potestatem; subditus obediens, subditos regens. Dominus autem, (quod intendat præcipuè necessariò Caritas Vestra,) quamvis in populo Judaico esset, jam pronuntiabat Ecclesiam toto orbe terrarum futuram, in quam D erat missurus Apostolos: ipse à Gentibus non visus & creditus, à Judæis visus & occisus. Quomodo enim domum hujus Dominus corpore non intravit, & ejus tamen fidem atque ipsam domum absens corpore, præsens majestate sanavit: sic & idem Dominus in solo Judæo populo corpore fuit: apud alias Gentes nec de virgine natus est, nec passus est, nec pedibus ambulavit, nec humana pertulit, nec divina mirabilia fecit. Nihil horum in ceteris Gentibus: & tamen de E illo impletum est, quod dictum erat, Populus quem non cognovi, servivit mihi. Quomodo, si non cognovit? In auditu auris obedivit mihi. (*Psal.* 17. 45.) Judæa gens cognovit, & crucifixit: orbis terrarum audivit, & credidit.

CAPUT IV. Mulier tāgēs fimbriā Christi, cùm eum turba premit.

5. Hanc quodam modo absentiam corporis sui & præsentiam virtutis suæ in omnibus Gentibus, & in illa muliere significavit, quæ fimbriam vestimenti ejus tetigerat, cùm requirit dicens, Quis me tetigit? Tamquam absens, requirit: tam- F quam præsens, sanat. Turbæ te, inquiunt discipuli, comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? (*Luca* 8. 45.) Quasi enim sic ambularet, ut à nullo prorsus corpore tangeretur, ita dixit, Quis me tetigit? Et illi, Turbæ te comprimunt. Et tamquam diceret Dominus, Tangentem quæro, non prementem. Sic etiam nunc est corpus ejus, id est, Ecclesia ejus. Tangit eam fides paucorum, premit turba multorum. Corpus enim Christi esse Ecclesiam, tamquam filii ejus, audistis: & si vultis, ipsi estis. G Apostolus multis locis hoc dicit: Pro corpore, inquit, ejus quæ est Ecclesia. (*Col.* 1. 24.) Et iterum: Vos autem estis corpus Christi & membra. (1. *Cor.* 12. 27.) Si ergo corpus ejus sumus, quod tunc corpus ipsius in turba patiebatur, hoc patitur Ecclesia ipsius. A

[a] Possidius in Indiculo cap. 9. Tractatum notat, *De Evangelio, ubi Centurio Dominum rogat pro puero suo.* Ejusdem Sermonis excerpta refert Florus ad Rom. 13. & 1. Cor. 8. & Coloss. 3.

[b] Editi, *habebat militem, habebat Romanum imperium.* Emendantur ad MSS.

turbis premitur: à paucis tangitur. Caro eam premit, fides tangit. Erigite igitur oculos, obsecro vos, qui habetis unde videatis. Habetis enim quod videatis. Erigite oculos fidei, tangite extremam fimbriam vestimenti, sufficiet ad salutem.

℣. 11. Impletum nunc quod in Evangelio prædicebatur.

6. Videte quod audistis ex Evangelio tunc futurum, nunc præsens est. *Ideo*, inquit, *dico vobis:* propter laudatam Centurionis fidem, tamquam alienigenæ carne, domestici corde. *Propterea*, inquit, *multi ab Oriente & Occidente venient.* Non omnes, sed *multi:* tamen ipsi *ab Oriente & Occidente:* istis duabus partibus totus orbis designatur. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob, in regno cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Filii autem regni*, Judæi scilicet. Unde filii regni? Quia Legem acceperunt, ad quos Prophetæ missi sunt, apud quos templum & sacerdotium fuit, qui celebrabant figuras omnium futurorum. Quarum enim rerum figuras celebraverunt, præsentiam non agnoverunt. * *Filii* ergo *regni ibunt*, inquit, *in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & stridor dentium.* Videmus Judæos reprobatos, videmus Christianos ab Oriente & Occidente vocatos ad quoddam convivium cæleste, ut recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob; ubi panis justitia, ubi potus sapientia.

Judæi quare filii regni. — *Caput IV.*

Reprehenduntur in idolio convivantes cum Paganis. *Florus ad 1. Cor. 8.*

7. Adtendite ergo, Fratres: hoc enim estis, ex hoc populo estis, jam tunc [a] prædicto, nunc præsentato. De his utique estis, qui vocati sunt ab Oriente & Occidente recumbere in regno cælorum, non in templo idolorum. Estote ergo corpus Christi, non [b] pressura corporis Christi. Habetis vestimenti fimbriam, quam tangatis, ut à profluvio sanguinis, id est, carnalium voluptatum fluxu sanemini. Habetis, inquam, vestimenti fimbriam, quam tangatis. Vestem putate Apostolos, sub textura unitatis adhærentes lateribus Christi. In his Apostolis erat tamquam fimbria minimus & novissimus Paulus: ipso dicente, Ego sum minimus Apostolorum. In veste novissimum & minimum, fimbria est. Fimbria cum contemtu adspicitur: sed cum salute tangitur. Usque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphizamur. Quid tam extremum, quid tam contemtibile? Tange, si fluxum sanguinis pateris: exiet virtus de illo cujus vestis est, & sanabit te. Fimbria modò tangenda proponebatur, quando ex eodem Apostolo legebatur. *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* * *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Quomodo putatis decipi posse simulacris homines, quæ à Christianis honorari putant? Novit, inquit, Deus cor meum. Sed frater tuus non novit cor tuum. Si infirmus es, cave majorem ægritudinem: si firmus es, cura fratris infirmitatem. Qui vident ista, ædificantur ad [c] alia, ut non tantùm ibi manducare, sed & sacrificare desiderent. Ecce perit infirmus in tua scientia frater. Audi frater: Si contemnebas infirmum, etiam fratrem contemnis? Expergiscere. Quid si in ipsum Christum peccas? Adtende enim quod nullo pacto possis contemnere. * *Sic autem*, inquit, *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Eant nunc, qui ista contemnunt, & recumbant in idolio: nonne erunt prementes, non tangentes? Et cùm recubuerint in idolio, veniant & impleant ecclesiam; non salutem accepturi, sed pressuram facturi.

(Margin: 1. Cor. 15. 9. — 1. Cor. 4. 11. — 1. Cor. 8. 10. — ℣. 11.)

Caput V. ℣. 12.

Majoris alicujus metu recumbentes in idolio.

8. Sed timeo, inquies, ne offendam majorem. Time prorsus, ne offendas majorem; & non offendis Deum. Qui enim times, ne offendas majorem, vide ne fortè sit major isto, quem times offendere. Majorem certè noli offendere. Hæc tibi regula proponitur. Nonne manifestum est, eum minimè offendendum, qui major est ceteris? Discute nunc majores tuos. Primi tibi sunt pater & mater: si rectè educantes, si in Christum nutrientes; audiendi in omnibus, obtemperandum eis in omni jussione; contra majorem nihil jubeant, & serviatur illis. Quis est, inquis, major eo qui me generavit? Ille qui te ipsum creavit. Generat enim homo, creat Deus. Unde generat homo, nescit: quid generaturus sit, nescit. Ille qui te vidit ut faceret, antè quàm esset quem fecit, certè major est patre tuo. Major sit patria & ipsis parentibus tuis; ut quidquid jusserint parentes contra patriam, non audiantur. Et quidquid jusserit patria contra Deum, non audiatur. Si enim sanari vis, si post fluxum sanguinis, si post duodecim annos in illo morbo, si post consumta omnia in medicis, & non recepta sanitate aliquando vis sana fieri, ô mulier, quam alloquor in typo Ecclesiæ, jubet illud pater tuus, & illud jubet populus tuus. Sed dicit tibi Dominus tuus, Oblivíscere populum tuum & domum patris tui. Quo bono? quo fructu? qua mercede? Quoniam concupivit, inquit, rex decorem tuum. Concupivit quod fecit: quoniam ut pulcram faceret, fœdam amavit. Pro infideli & fœda sanguinem fudit, fidelem ac pulcram reddidit, dona sua in te amavit. Quid enim sponso tuo contulisti? Quid in dotem à priore patre & priore populo accepisti? Nonne luxurias & pannos peccatorum? Abjecit pannos tuos, discidit cilicium tuum: misertus est, ut ornaret; ornavit, ut amaret.

(Margin: *Florus ad Coloss. 3.* — Observantia in majorem quæque sit ordinata. — *Psal. 44. 11.*)

Caput VI. Scandalum fratri, peccatum est in Christum.

9. Quid plura, Fratres? Christiani audistis, quia *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Nolite contemnere, si non vultis deleri de libro vitæ. Quamdiu conamur luculenter & delectabiliter vobis dicere, quod dolor noster cogit quomodocumque dicere, & tacere non permittit? Quicumque voluerint ista contemnere, in Christum peccant, videant quid agant. Paganos reliquos colligi volumus, lapides estis in via; venire volentes offendunt, & redeunt. Dicunt enim in cordibus suis, Quare nos relinquamus deos, quos Christiani ipsi nobiscum colunt? Absit à me, inquit, ut ego deos Gentium colam. Novi, intelligo, credo. Quid facis de conscientia infirmi, quam percutis? Quid facis de pretio, si contemnis quod emtum est? Vide quanti emtum est. *Peribit*, inquit, *infirmus in tua scientia:* quam te dicis habere, ut scias quia ni-

[a] MSS. *prædicato.*
[b] Florus & Colbertinus MS. *pressores.*

[c] Sic omnes MSS. & Florus. At editi, *ad idolia.*

Classis I.

hil est idolum, & animo cogites Deum, & sic recumbas in idolio. In hac scientia perit infirmus. Et ne contemnas infirmum, addidit, *propter quem Christus mortuus est.* Quem vis contemnere, pretium ipsius adtende, & cum morte Christi totum mundum appende. Et ne adhuc putares te in infirmum peccare, & leve duceres peccatum ac parvi penderes, *In Christum*, inquit, *peccatis.* Solent enim homines dicere, In hominem pecco, numquid in Deum? [a] Nega Christum Deum. Audes negare Christum Deum? An aliud, in idolio cùm recumberes, didicisti? Non admittit istam doctrinam Christi doctrina. Quæro ubi didiceris, non esse Christum Deum. Pagani hoc solent dicere. Vides quid faciunt mensæ malæ? Vides quoniam corrumpunt mores bonos colloquia mala? (1. Cor. 15. 33.) Tu ibi de Evangelio loqui non potes, & de idolis loquentes audis. Amittis ibi quòd Christus Deus est: & quod ibi bibis, in Ecclesia vomis. Fortè hîc audes loqui, fortè inter turbas audes murmurare: Numquid Christus non homo fuit? nonne crucifixus est? A Paganis hoc didicisti, salutem perdidisti, fimbriam non tetigisti. Tange & in hoc fimbriam, recipe salutem. Sicut eam te tangere docuimus in eo quod scriptum est, *Qui viderit fratrem in idolio recumbentem:* (1. Cor. 8. 10.) tange illam & de divinitate Christi. De Judæis dicebat eadem fimbria, Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. (Rom. 9. 5.) Ecce in quem verum Deum peccas, dum discumbis apud deos falsos.

Inepta excusatio recumbentiũ in idolio.

10. Non est, inquit, Deus; quia genium est [b] Carthaginis. Quasi si Mars aut Mercurius esset, Deus esset. Sed quomodo ab ipsis habeatur, adtende; non quid sit. Nam & ego tecum scio, quia lapis est. Si genium ornamentum est aliquod; cives Carthaginis bene vivant, & ipsi erunt genium Carthaginis. Si autem genium dæmonium est, audisti & ibi: *Quæ immolant Gentes, dæmonibus immolant, & non Deo: nolo vos socios fieri dæmoniorum.* (1. Cor. 10. 20.) Novimus quia non est Deus; utinam & ipsi sic norint: sed propter eos qui hoc non norunt infirmos, non debet percuti conscientia ipsorum. Hoc monet Apostolus. Nam & illi quòd numen habeant & pro numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid illic facit ara, si illud non habetur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, non est Deus. Jam dixi, Utinam sic ipsi norint hoc, quomodo novimus omnes nos. Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi [c] faciant, ara illa testatur. [d] Convicit omnium colentium mentes, non convincat recumbentes.

Caput VII. Corpus Christi premere & tangere.

11. Sed non [e] premant Christiani, si premunt Pagani. Corpus Christi est. Nonne hoc dicebamus, quia corpus Christi premebatur, & [f] non tangebatur? Tolerabat ille prementes, quærebat tangentes. Atque utinam, Fratres, à Paganis prematur corpus Christi, à quibus premi solet; Christiani non premant corpus Christi. Fratres, ad nos pertinet vobis dicere, ad nos pertinet Christianis loqui. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? ipse Apostolus ait. (1. Cor. 5. 12.) Illos aliter alloquimur, tamquam infirmos. Blandiendum est illis, ut audiant veritatem: in vobis secanda putredo est. Si quæritis unde vincantur Pagani, unde illuminentur, unde ad salutem vocentur: deserite sollemnitates eorum, deserite nugas ipsorum: & si non consentiunt veritati nostræ, [g] erubescant paucitati suæ.

Serm. de Scripturis.

Prælatus seu bonus seu malus, piis nocere non valet.

12. Bonus si fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tentator tuus est. Et nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approbare. Esto aurum. Adtende mundum istum tamquam fornacem aurificis: in uno angusto loco tria sunt, aurum, palea, ignis. Ad illa duo ignis apponitur, palea uritur, aurum purgatur. Cessit nescio quis minis, & adductus est ad idolium: væ mihi, quia paleam plango, cinerem video. Alius non cessit minis, non cessit [h] terroribus; adductus ad judicem, stetit in confessione sua, non est flexus ad [i] idolium: quid facit flamma? Nonne aurum purgat? State in Domino Fratres: potentior est qui vocavit vos. Minas impiorum ne timueritis. Inimicos patimini: habetis pro quibus oretis: prorsus non vos terreant. Hæc est sanitas, haurite hinc in isto convivio: hîc bibite, unde satiemini, non illic, unde insaniatis. State in Domino. Argentei estis, aurum eritis. Ista similitudo non à nobis est, de divina Scriptura est. Legistis, audistis: Sicut aurum in fornace probavit illos; & sicut holocausti hostiam accepit illos. (Sap. 3. 6.) Ecce quid eritis ad thesauros Dei. Estote divites de Deo: non eum facturi divitem, sed de illo [k] futuri divites. Impleat vos, aliud non admittatis ad cor vestrum.

Caput VIII. Observantia potestatum ordinata.

13. Numquid in superbiam vos erigimus, aut dicimus vobis ut adversùs potestates ordinatas contemtores sitis? Non hoc dicimus. Qui & hinc ægrotatis, tangite & hinc fimbriam illam vestimenti. Ipse dicit Apostolus, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. (Rom. 13. 1. & 2.) Sed quid, si illud jubeat, quod non debes facere? Hîc sanè contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum rerum gradus advertite. Si aliquid jusserit curator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsulem jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Nec hinc debet minor irasci, si major prælatus est. Rursum si aliquid ipse proconsul jubeat, & aliud jubeat imperator, numquid dubitatur isto contemto illi esse serviendum? Ergo si aliud imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Rectè, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc jam tibi assumenda est fides tua tamquam scutum, in quo possis omnia ignita jacula inimici exstinguere. (Ephes. 6. 16.)

[a] Am. & Er. *Negas.* Lov. *Negat.* Sed àptiùs Florus & aliquot MSS. *Nega.*
[b] Hinc facilè intelligas Sermonem *Carthagine* habitum fuisse.
[c] Plures MSS. *facit.* Am. & Er. *faciat.*
[d] Colbertinus MS. *Convincat hominum colentium mentes.* Florus, *Convincit hominum* &c.
[e] Am. Er. & aliquot MSS. *Sed non premantur Christiani, si premuntur Pagani.* Sic etiam Florus.
[f] Particula *non*, quæ in editis & pluribus MSS. desideratur, restituta hîc est ex Floro & ex vetere libro Fossatensi.
[g] Am. & plures MSS. *erubescunt.*
[h] Tres MSS. *tortoribus.*
[i] Sic Am. & Er. At Lov. & MSS. *ad idolum.*
[k] Fossatensis MS. *facturi divites.*

CLASSIS I. CAPUT IX. Dolus potentis mali novaculæ comparatur. *Psal.* 51. 4.

14. Sed insidiatur contra te potens, & molitur contra te potens: acuit novaculam unde capillos radat, non unde caput incidat. Quod dixi, modò audistis in Psalmo, Sicut novacula acuta fecisti dolum. Quare dolum potentis [a] mali novaculæ comparavit? Quia non admittitur, nisi ad superflua nostra. Sicut capilli in corpore nostro tamquam superflui videntur, & sine detrimento carnis raduntur: sic quidquid potest tibi facere iratus potens, inter superflua tua numera. Tollit paupertatem tuam: numquid tollit B divitias tuas? Paupertas tua, [b] divitiæ tuæ in corde tuo. Superflua tua potuit tollere, damno potuit afficere, permissus & usque ad lædendum corpus. Etiam ista vita, cogitantibus aliam vitam; ista, inquam, vita inter superflua deputanda est. Nam & Martyres contemserunt illam. Non vitam perdiderunt, sed vitam adquisierunt.

CAPUT X. Securitas piorum sub Dei præsidio.

15. CERTI ESTOTE, Fratres, inimicos non [c] admitti adversùs fideles, nisi quantum prodest tentandis & probandis fidelibus. Certi C estote, Fratres, nemo aliud dicat. Omnem curam vestram super Dominum mittite, prorsus vos ipsos totos projicite in illum. Non se subducit, ut cadatis. Ille qui nos creavit, & de ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit. Amen dico vobis, inquit, & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Capilli nostri numerati sunt Deo: quantò magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? Videte, quia minima nostra non contemnit Deus. Nam si contemneret, nec D crearet. Nam & capillos nostros ipse utique creavit, & numeratos habet. Sed modò cùm sint, inquis, fortè peribunt. Et hinc audi vocem ejus: Amen dico vobis, capillus capitis vestri non peribit. Quid times hominem, ô homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Laniatus membrorum Martyres pertulerunt, & timent Christiani injurias temporum Christianorum? Qui tibi fa- E cit injuriam modò, timens facit. Non dicit apertè, Veni ad idolum: non dicit apertè, Veni ad aras meas, ibi convivare. Et si dixerit, & nolueris, hoc conqueratur, hoc in postulationem, hoc in querimoniam deponat: Noluit venire ad aras meas, noluit venire ad templum quod veneror. Hoc dicat. Non audet dicere: sed alia machinatur dolosè. Para capillos, novaculam acuit: ablaturus est superflua tua, rasurus quidquid relicturus es. Tollat quidquid permanebit, si po- F test. Quid tulit potens nocens? quid magnum tulit? Quod fur, quod effractor; ut multùm sæviat, quod latro. Si & ad ipsum corpus occidendum permissus fuerit, quid tollit nisi quod latro? Honoravi, cùm dixi, latro. Nam qualiscumque latro, homo est. Quod febris, quod scorpius, quod fungus malus. Ista tota potentia sævientium est, facere quod fungus. Manducant homines fungum malum, & moriuntur. Ecce in qua fragilitate est vita humana: quam quan- G doque relicturus es, noli pro illa sic pugnare, ut tu relinquaris.

Matth. 10. 30. *Luca* 21. 18.

CAPUT XI.

[d] 16. Vita nostra Christus est: Christum attende. Pati venit, sed & glorificari: contemni, sed etiam exaltari: mori, sed etiam resurgere. Opus te terret, mercedem vide. Quare vis pervenire delicatus ad eam rem, ad quam non perducit nisi labor? Sed times ne perdas argentum tuum; quia ad argentum tuum cum magno labore pervenisti. Si ad argentum quod quandoque vel moriens amissurus es, non pervenisti sine labore; ad vitam æternam sine labore vis pervenire? Carior sit tibi illa, ad quam post omnes labores sic pervenies, ut numquam amittas. Si hoc tibi carum est, ad quod post omnes labores sic pervenisti, ut aliquando amissurus sis; quantò magis illa perpetua desiderare debemus?

SERM. DE SCRIPTURIS. Vita æterna laboris merces.

Idola nisi legitima potestas detur, non frangenda.

17. Verbis ipsorum ne credatis, nec timeatis. Hostes nos dicunt idolorum suorum. Sic præstet Deus, & det omnia in potestate, quomodo dedit quod fractum est. Hoc enim dicimus Caritati Vestræ, ne faciatis ista, quando in potestate vestra non est, ut faciatis illud. Pravorum hominum est, furiosorum Circumcellionum, & ubi potestatem non habent sævire, & velle mori properant sine caussa. Audistis quæ vobis legimus, omnes qui nuper in [e] Mappalibus adfuistis. Cùm data vobis fuerit terra in potestatem, (priùs ait, in potestatem, & sic dixit quæ facienda sunt:) aras eorum, inquit, destruetis, " lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cùm acceperitis potestatem, hoc facite. Ubi nobis non est data potestas, non facimus: ubi data est, non prætermittimus. Multi Pagani habent istas abominationes in fundis suis: numquid accedimus, & confringimus? Priùs enim agimus, ut idola in eorum corde frangamus. Quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos. Modò orandum est pro illis, non irascendum illis. Si movet dolor magnus, adversùm Christianos movet, adversùm fratres nostros movet, qui sic volunt intrare in ecclesiam, ut hîc corpus habeant, alibi cor. Totum intus esse debet. Si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus?

Deut. 7. 5. & 12. 3.

CAPUT XII. Idololatrarum justæ querimoniæ.

18. Sciatis autem, Carissimi, murmura illorum conjungere se cum hæreticis, cum Judæis. Hæretici, Judæi & Pagani unitatem fecerunt contra unitatem. Quia contigit, ut in aliquibus locis disciplinam acciperent Judæi propter improbitates suas: criminantur, & suspicantur, aut fingunt, quia talia de illis semper quæramus. Quia contigit, ut alicubi hæretici pœnas darent legibus pro impietate & furore violentiarum suarum: jam dicunt nos per omnia quærere aliquam incommoditatem ipsorum ad perniciem. Rursus quia contra Paganos placuit ut leges ferrentur, immo pro Paganis, si sapiant. (Sicut enim pueris insensatis ad lutum ludentibus, & manus inquinantibus, pædagogus cùm venit severus, lutum de manu excutit, codicem porrigit: ita voluit Deus per principes subditos sibi terrere corda insensata puerilia, ut abjiciant lutum de manibus, & aliquid utile faciant. Quid est utile de manibus? Frange esurienti panem tuum, & ege-

Isai. 58. 7.

[a] Sic potiores MSS. Editi verò, *mala*.
[b] Colbertinus MS. *Paupertas tua foris, divitiæ &c.*
[c] Plerique MSS. *admittit.*
[d] Sic plures MSS. Alii verò cum editis, *Via nostra.*
[e] Locum significat, ubi Cypriani martyris corpus quiescebat; de quo Victor in lib. 1. de persecutione Vandalica scribit, *Sed etiam foris muros* Carthaginis, *quascumque voluit* Geisericus, basilicas *occupavit, & præcipuè duas egregias & amplas S. martyris Cypriani, unam ubi sanguinem fudit, aliam ubi ejus sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur.*

Classis I.

num sine tecto induc in domum tuam. Et tamen pueri evadunt ab oculis pædagogi, & redeunt ad lutum furtim; & quando inveniuntur, abscondunt manus, ne videantur.) Quia ergo [a] voluit Deus, putant nos ubicumque quærere idola; quæ cum invenerimus, in omnibus locis frangere. Quare? Non ante nos sunt loca, in quibus sunt? Aut verè ignoramus ubi sint ista? Et tamen non facimus: quia non dedit in potestatem Deus. Quando dat Deus in potestatem? Quando Christianus erit cujus res est. Modò factum voluit cujus res est. Si nollet ipsum locum dare Ecclesiæ, & tantùm juberet in re sua non esse idola; puto quia debuit summa devotione fieri, ut à Christianis adjuvaretur absens Christiana anima, quæ [b] in terra vult Deo gratias agere, non vult ibi aliquid esse in contumeliam Dei. Huc accedit, quia Ecclesiæ dedit ipsa loca. Et in re Ecclesiæ idola futura erant? Fratres, ecce quid displicet Paganis. Parum est illis quia de villis ipsorum non illa tollimus, non illa frangimus: & in nostris volunt ea servari. Contra idola prædicamus, de cordibus illa tollimus: sumus persecutores idolorum: profitemur. Numquid servatores? Non facio ubi non possum; non facio ubi conqueritur dominus rei: ubi autem vult fieri, & gratias agit; reus ero, si non fecero.

* SERMO LXIII.

** Aliàs 3. inter additos à Parisiensibus.*

De verbis Evangelii Matth. 8. Et adscendente eo in naviculam *&c.*

1. DE lectione recentissima sancti Evangelii, donante Domino, alloquor vos, & in illo exhortor, ut contra tempestates & fluctus sæculi hujus non dormiat fides in cordibus vestris. Non enim re vera Dominus Christus mortem habuit in potestate, somnum non habuit in potestate; & fortè omnipotentem navigantem somnus pressit invitum. Hoc si credideritis, dormit in vobis: si autem in vobis vigilat Christus, vigilat fides vestra. Apostolus dicit, Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. (*Ephes.* 3. 17.) Ergo & somnus Christi signum est sacramenti. Navigantes sunt animæ in ligno sæculum transeuntes. Etiam navis illa Ecclesiam figurabat. Et singuli quippe templa sunt Dei, & unusquisque in corde suo navigat: nec facit naufragium, si bona cogitat.

2. Audisti convitium, ventus est: iratus es, fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convitio vindicari desideras: & ecce vindicatus es, & malo alieno * cedens, (** f. gaudens.*) fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus. Quid est, dormit in te Christus? Oblitus es Christum. Excita ergo Christum, recordare Christum, evigilet in te Christus: considera illum. Quid volebas? Vindicari. Excidit tibi, quia ipse cùm crucifigeretur, dixit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? (*Luca* 23. 34.) Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illum, recole illum. Memoria ipsius, verbum ipsius: memoria ipsius, jussio ipsius. Et dices apud te, si vigilat in te Christus, Qualis ego homo, qui volo vindicari? Qui sum ego, qui in hominem exsero comminationes? Morior fortè antè quàm vindicer. Et cùm anhelans irâ inflammatus, & sitiens vindictam, exiero de corpore, non me suscipit ille qui noluit vindicari: non me suscipit ille qui dixit, Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis. (*Luca* 6. 37. & 38.) Ergo compescam me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis mei. Imperavit Christus mari, facta est tranquillitas.

Serm. de Scripturis.

3. Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus vestris. Nata est tentatio, ventus est: turbatus es, fluctus est. Excita Christum, loquatur tecum. *Quis est hic, quando & venti & mare obediunt ei?* (*Matth.* 8. 27.) Quis est hic, cui obaudit mare? Ipsius est mare, & ipse fecit illud. (*Psal.* 94. 5.) Omnia per ipsum facta sunt. (*Johan.* 1. 3.) Magis imitare ventos & mare: obtempera Creatori. Sub jussione Christi mare audit, & tu surdus es? Mare audit, & ventus cessat, & tu sufflas? Quid? Dico, facio, fingo: quid est aliud nisi sufflare, & sub verbo Christi nolle cessare? Non vos vincat fluctus in perturbatione cordis vestri. Sed tamen quia homines sumus, si ventus impulerit, si affectum animæ nostræ moverit, non desperemus: Christum excitemus, ut in tranquillo navigemus, & ad patriam veniamus. Conversi ad Dominum, &c.

* SERMO LXIV.

** Aliàs de Diversis 119.*

De [c] verbis Evangelii Matth. 10. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, *&c.*

Habitus in sollemnitate Martyrum.

CAPUT I.

1. AUDISTIS, Fratres, cùm sanctum Evangelium legeretur, quemadmodum Dominus noster Jesus Christus disciplinâ suâ Martyres suos corroboraverit dicens, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* (*Matth.* 10. 16.) Considerate, Fratres mei, quid faciat. Si unus lupus inter multas oves veniat, quantacumque sint ovium millia, uno lupo in medio turbabuntur: & si non omnes laniantur, omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat ista ratio, quale consilium, qualis potestas, nec lupum ad oves admittere, sed in lupos oves mittere? *Mitto*, inquit, *vos sicut oves in medio luporum*: non ad limites luporum, sed *in medio luporum.* Erat ergo luporum agmen, oves paucæ. Cùm enim multi lupi occiderent paucas oves, conversi sunt lupi, & facti sunt oves.

2. [d] Audiamus ergo quid monuit, qui coronas promisit, & agonem præmisit; & qui * exspectat certantes, adjuvat laborantes. (** Exspectat, pro spectat.*) Cujusmodi certamen indixit? *Estote*, inquit, *astuti ut serpentes, & simplices sicut columbæ.* (*Matth.* 10. 16.) Hoc qui intellexerit & tenuerit, securus moritur, [e] quia non morietur. Nemo enim debet securus mo-

[a] Hîc apud Lov. additur, *terrere eos*: quod à ceteris libris abest.

[b] Omnes MSS. *quæ de terra, unde vult Deo gratias agere.*

[c] Notatur in Possidii Indiculo cap. 8.

[d] Hic ipse Sermo in Vigneriano Supplemento, ubi excusus sub isto exordio fuerat, *Memoriam Martyrum celebramus &c.* habet hoc loco additamentum hujuscemodi: *Omnibus tamen dicitur, & qui futuri erant in Domino credituri ante nos & post nos, omnibus dicitur, Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Per omnes gentes futura Ecclesia prædicata est: sicut promissam legimus, ita redditam cernimus, & sunt omnes gentes Christianæ. Antea oderant eos omnes gentes propter nomen ejus: modò autem omnes gentes clarificant nomen ejus, gentes omnes Christianæ germen Ecclesiæ catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Audiamus ergo quid monuit &c.*

[e] Sic Remigiensis vetus codex & Vignerius. At Lov. *& tenuerit, securus moritur. Quis autem securus moritur, nisi qui se &c.*

Classis I. Caput II.

ri, nisi qui se noverit sic moriturum, ut mors in A illo moriatur, vita coronetur?

3. Quapropter, Carissimi, exponendum est vobis, quamvis hinc jam sæpius dixerimus, quid sit esse simplices ut columbæ, astuti ut serpentes. Si jam simplicitas columbarum indicta est nobis, astutia serpentis quid facit in columbæ simplicitate? Amo in columba quòd fel non habet: timeo in serpente quòd venenum habet. Noli ex omni parte horrere serpentem: habet quod oderis, habet quod imiteris. Serpens enim cùm fuerit senectute præ- B gravatus, & senserit pondus vetustatis, coartat se per cavernam, & deponit tunicam veterem, ut novus [a] exsultet. Imitare illum, Christiane, qui audis Christum dicentem, Intrate per angustam portam. Et Paulus apostolus tibi dicit: Exuite vos veterem hominem cum actibus suis, & induite novum. Habes ergo quod imiteris in serpente. Noli mori pro vetustate, sed pro veritate. Qui moritur pro commodo temporali, pro vetustate moritur. Cùm autem exutus fueris om- C ni ista vetustate, imitatus es astutiam serpentis. Imitare illum & in hoc: serva caput tuum. Quid est, serva caput tuum? Tene apud te Christum. Si fortè aliquis vestrûm advertit aliquando, cùm voluerit colubrum occidere, quomodo pro capite suo totum corpus objicit ictibus ferientis. Illud in se feriri non vult, ubi se novit vitam habere. Et Christus vita nostra est. Ipse enim dixit, Ego sum via, & veritas, & vita. Audi & Apostolum: Caput viri Christus est. Qui er- D go Christum servat in se, caput suum servat pro se.

Serpentis astutia quomodo imitanda. — a — *Matth.* 7. 13. — *Coloss.* 3. 9. *Ephes.* 4. 22. & 24. — *Johan.* 14. 6. — 1. *Cor.* 11. 3.

Caput III. *Columbæ simplicitas imitanda.*

4. Jam verò quid opus est commendare multis verbis simplicitatem columbarum? Cavenda enim erant venena serpentis; ibi imitatio periclitabatur, ibi erat quod timeretur: columbam verò securus imitare. Adtende columbas in societate gaudere [b]: ubique simul volant, simul pascuntur, nolunt esse solæ, communione gaudent, caritatem servant, gemitibus amoris murmurant; E osculis filios generant. Nam quando columbæ, quod plerumque advertimus, inter se rixantur de cellulis suis, quodam modo pacata contentio est. Numquid quia rixantur, separantur? Simul volant, simul pascuntur, & ipsa inter se pacata est rixa. Videte rixam columbarum. Apostolus dicit, Si quis verbo nostro non obaudit per epistolam, hunc notate, & nolite commisceri cum eo. Ecce rixa: sed adtende quoniam columbarum rixa est, non luporum. Continuò subjecit, Et F non ut inimicum existimetis, sed corripite ut fratrem. Columba amat & quando rixatur: lupus odit & quando blanditur. Columbarum ergo simplicitatem habentes, & astutiam serpentum, sollemnia Martyrum celebrate in sobrietate mentis, non in ebrietate ventris, Deo laudes dicite. Ipse est enim Dominus Deus noster, qui Martyrum Deus; ipse coronator noster. Si bene luctati fuerimus, coronamur ab eo, qui coronavit eos quos imitari concupiscimus. G

b — 2. *Thess.* 3. 14. — *Ibidem* 15.

* SERMO LXV.

De [c] *verbis Evangelii Matth.* 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, *&c.*

Habitus in sollemnitate Martyrum.

Serm. de Scripturis. — * *Additus inter auditos à Parisiensibus.* — c

Caput I. *Timendo non timere.*

1. ADMONENT nos eloquia divina, quæ lecta sunt, timendo non timere, & non timendo timere. Advertistis, cùm sanctum Evangelium legeretur, Dominum Deum nostrum antè quàm pro nobis moreretur, firmos nos esse voluisse: sed admonendo ne timeremus, & admonendo ut timeremus. Ait enim, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Ecce ubi monuit ne timeremus. Videte ubi monuerit ut timeremus. *Sed eum,* inquit, *timete, qui potestatem habet & corpus & animam occidere in gehenna.* Ergo timeamus, ut non timeamus. Timor videtur ad ignaviam pertinere: timor infirmorum videtur esse, non fortium. Sed videte quid ait Scriptura: Timor Domini spes fortitudinis. Timeamus, ne timeamus: hoc est, prudenter timeamus, ne inaniter timeamus. Martyres sancti, propter quorum sollemnitatem hoc ex Evangelio recitatum est, timendo non timuerunt: quia Deum timendo, homines contemserunt.

Matth. 10. 28. — *Prov.* 14. 26.

Homini ab homine non metuendum.

2. Quid enim ab hominibus homini metuendum est? Et quid est unde alterum terreat, homo hominem? Terret, & dicit, Occído te: & non timet, ne cùm minatur, priùs moriatur. Occído, inquit. Quis dicit? cui dicit? Duos audio: unum terrentem, alterum metuentem: quorum unus est potens, alter infirmus, sed ambo mortales. Quid se ergo extendit in honore inflatior potestas, in carne æqualis infirmitas? Securus minetur mortem, qui non timet mortem. Si verò unde terret, timet; adtendat se, & ei cui minatur comparet se. Inveniat in eo cui minatur, parem conditionem; & à Domino simul cum illo petat miserationem. Homo est enim, & homini minatur, creatura creaturæ: sed una inflata sub Creatore, altera fugiens ad Creatorem.

Caput II. *Dei Martyrem non terret persecutio.*

3. Dicat ergo fortissimus Martyr, stans homo ante hominem: Non timeo, quia timeo. Tu quod minaris, si ille nolit, non facis: quod autem ille minatur, ut faciat à nullo impeditur. Deinde tu quod minaris, & si permitteris, quid facis? Usque ad carnem sævis, anima tuta est. Non occídes quod non vides: visibilis visibilem terres. Habemus ambo invisibilem Creatorem, quem simul timere debeamus; qui hominem ipsum ex visibili & invisibili creavit: visibilem de terra fecit, [d] invisibilem flatu suo animavit. Substantia ergo invisibilis, hoc est, anima quæ jacentem terram erexit de terra, non timet cùm percutis terram. Potes ferire habitaculum, numquid habitatorem? Fugit percusso vinculo colligatus, & erit in occulto coronatus. Quid ergo minaris, qui animæ nihil facere potes? Per meritum ejus cui facere nihil potes, resurget cui facere aliquid potes. Per meritum enim animæ resurget & caro: & habitatori reddetur, jam non ruitura, sed mansura. Ecce, (verba Martyris dico,) ecce [e] nec propter ipsam carnem meam ti-

d — e

[a] Bartholomæus de Urbino, in Milleloquio, *exsiliat.*
[b] Vignerius addit, *caritate fervere.*
[c] Recensetur in Possidii Indiculo cap. 9.

[d] Colbertinus MS. *invisibili flatum suum inspiravit.*
[e] Editi, *ecce propter*; omisso *nec*, quæ negatio hîc reperitur in Vaticano MS.

CLASSIS I.

meo comminantem. Caro mea subjacet potestati: sed etiam capilli capitis numerati sunt Creatori. Quid timeo ne carnem perdam, qui nec capillum perdo? Quomodo non adtendit carnem meam, cui sic nota sunt vilia mea? Ipsum corpus quod percuti & occidi potest, ad tempus [a] cinis erit, in æternum immortale erit. Sed cui hoc? Cui reddetur corpus ad vitam æternam etiam occisum, peremtum, dissipatum? cui reddetur? Ei qui non timuit [b] ponere animam suam, cùm non timet ne occidatur caro sua.

CAPUT III. Anima modo suo immortalis.

4. Etenim, Fratres, anima immortalis perhibetur, & est immortalis secundùm quemdam modum suum: quia est quædam vita, quæ potest præsentiâ suâ carnem vivificare. Per animam quippe caro vivit. Hæc vita mori non potest: & ideo anima immortalis est. Quare ergo dixi, Secundùm suum modum? Audite quare. Quoniam est quædam immortalitas vera, immortalitas quæ est omnimoda incommutabilitas: de qua dicit Apostolus loquens de Deo, Qui solus habet im- (1. Tim. 6. 16.)
C
" mortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem;
" quam nemo hominum vidit, sed nec videre po-
" test: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Si ergo Deus solus habet immortalitatem, certè anima mortalis est. Ecce quare dixi immortalem esse animam secundùm modum suum. Nam potest & mori. Intelligat Caritas Vestra, & nulla quæstio remanebit. Audeo dicere, anima potest mori, potest occidi. Certè immortalis est. Ecce audeo dicere, & immor- D talis est, & potest occidi: & ideo dixi, quoniam est quædam immortalitas, hoc est, omnimoda incommutabilitas, quam solus Deus habet, de
" quo dictum est, Qui solus habet immortalitatem. Nam si anima non potest occidi, quomodo dixit ipse Dominus cùm terreret nos, *Eum timete, qui potestatem habet & corpus & animam occidere in gehenna?*

Quomodo mori anima potest.

5. Adhuc confirmavi, non solvi quæstionem. Probavi, quia potest anima occidi. Contradici E Evangelio non potest, nisi ab anima impia. Ecce mihi occurrit & hîc, & venit in mentem quod dicam. Contradici non potest vitæ, nisi ab anima mortua. * Evangelium vita est, impietas & infidelitas mors animæ est. Ecce potest mori, & immortalis est. Quomodo ergo immortalis est? Quia semper aliqua vita est, quæ in illa numquam exstinguitur. Quomodo moritur? Non ut non sit vita, sed amittendo vitam. Etenim anima & vita est alicui rei, & habet etiam ipsa vi- F tam suam. Ordinem adtende creaturarum. Vita corporis anima est: vita animæ Deus est. Sicut adest vita corpori, id est, anima, ne moriatur corpus: sic debet adesse vita animæ, hoc est, Deus, ne moriatur anima. Corpus quomodo moritur? Animâ deserente. Animâ, inquam, deserente moritur corpus: & jacet cadaver paulò antè appetibile, modò aspernabile. Insunt membra, oculi, aures: sed hæ fenestræ sunt domûs, habitator abscessit. Qui plangit mortuum, ad fe- G nestras habitaculi frustra clamat: non est intus qui audiat. Quanta dicit plangentis affectus, quanta enumerat, quanta commemorat; & per quantam, ut ita dixerim, doloris insaniam quasi cum sentiente loquitur, cùm loquatur cum ab- A sente? Enumerat mores, enumerat indicia benevolentiæ circa se. Tu es qui mihi illud dedisti; illud & illud præstitisti: tu es qui sic & sic me dilexisti. Si adtendas, si intelligas, si insaniam doloris premas, qui te dilexit abscessit: frustra te domus patitur pulsatorem, in qua non potes invenire mansorem.

*CAPUT IV.

Vita animæ, Deus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT V. Mors tum corporis, tum animæ quibus indiciis cognoscitur.

6. Redeamus ad caussam, quam paulò antè dicebam. Mortuum est corpus. Quare? Quia discessit vita ejus, hoc est, anima. Vivit corpus, B & impius est, infidelis est, ad credendum durus, ad corrigendos mores ferreus: vivente corpore mortua est anima, per quam corpus vivit. Tanta enim res est anima, ut idonea sit vitam præstare corpori etiam mortua. Tanta, inquam, res est anima, tam excellens creatura, ut idonea sit etiam mortua carnem vivificare. Nam ipsa anima impii, anima infidelis, anima perversi, duri, mortua est: & tamen per ipsam mortuam vivit corpus. Ideo ibi est: movet ad operandum manus, ad ambulandum pedes, ad videndum intendit obtutum, ad audiendum auribus inclinatur; sapores dijudicat, dolores refugit, appetit voluptates. Omnia hæc corporis viventis indicia, sed ex animæ præsentia. Interrogo corpus, an vivat. Respondet mihi, Vides ambulantem, vides operantem, audis loquentem, cernis appetentem & fugientem, & non intelligis corpus vivere? Per hæc opera animæ intus constitutæ, intelligo corpus vivere. Et interrogo ipsam animam, an vivat. Habet & ipsa opera sua, per quæ ostendat vitam suam. Pedes ambulant, intelligo corpus vivere, sed animæ præsentiâ. Quæro, utrùm vivat anima. Pedes isti ambulant. Ecce de uno motu. De vita interrogo corpus & animam. Ambulant pedes, intelligo corpus vivere. Sed quò ambulant? Ad adulterium, inquit. Ergo mortua est anima. Sic enim veracissima Scriptura dixit, Mortua est vidua quæ in deliciis vivit. (1. Tim. 5. 6.) Cùm multum intersit inter delicias & adulterium, quomodo potest anima, quæ in deliciis mortua dicitur, in adulterio vivere? Mortua est. Sed nec sic quidem agens mortua est. Loquentem audio, vivit corpus. Non enim lingua in ore moveretur, & percuteret quibusque locis articulares sonos, nisi intus habitator esset; & quasi ad hoc organum musicus, qui linguâ suâ uteretur. Prorsus intelligo. Hoc modo corpus loquitur, corpus vivit. Sed interrogo, utrùm & anima vivat. Ecce loquitur corpus, vivit. Quid loquitur? Quomodo dicebam de pedibus, Ambulant, ecce vivit corpus: & quærebam, quò ambulant, ut intelligerem utrùm & anima viveret. Sic etiam cùm audio loquentem, intelligo quia corpus vivit: quæro quid loquatur, utrùm & anima vivat? Mendacium loquitur. Si mendacium loquitur, ergo mortua est. Unde hoc probamus? Ipsam veritatem interrogemus, quæ ait, Os quod mentitur, occidit animam. (Sap. 1. 11.) Quæro, Quare mortua est anima? Quod paulò antè dicebam, quæro, Quare mortuum est corpus? Quia discessit vita ejus anima. Quare mortua est anima? Quia deseruit eam vita ejus Deus.

CAPUT VI. Mors ani-

7. Breviter ergo his cognitis, scitote certumque tenete, corpus mortuum esse sine anima;

[a] Editi, *ad tempus cinis erit, mortale erit.* Colbertinus MS. *& occidi potest ad tempus, non morietur in æternum; immortale erit.* Vaticanus, *immune* (f. inanime) *erit, in æternum immortale erit.*
[b] Vaticanus MS. *perdere.*

Classis I.

animam mortuam esse sine Deo. Omnis homo sine Deo mortuam habet animam. Plangis mortuum: plange peccatorem magis, plange impium, plange infidelem. Scriptum est, Luctus mortui, septem dies; fatui autem & impii, omnes dies vitæ illorum. An verò non in te sunt viscera miserationis Christianæ; ut plangas corpus, à quo recessit anima, & non plangas animam, à qua recessit Deus? Hoc tenens Martyr respondeat comminatori, Quid me cogis, ut negem Christum? Cogis ergo ut negem veritatem? Si noluero, quid facis? Percutis corpus meum, ut recedat inde anima mea: sed ipsa anima mea * ad se habet corpus. Non est imprudens, non est insipiens. Tu vis ferire corpus meum: vis ut cùm timeo ne ferias corpus meum, & recedat inde anima mea, ego feriam animam meam, & recedat inde Deus meus? Non ergo timeas Martyr gladium percussoris: linguam tuam time, ne tu te percutias, & occidas non carnem, sed animam. Animam time, ne moriatur in gehenna ignis.

Mors animæ lugenda & timenda magis quàm corporis.

Eccli. 22. 13.

Caput VII.

Corporis & animæ mors æterna, quæ sit.

8. Inde ergo Dominus, *Qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehenna ignis.* Quomodo? quando mittetur in gehennam impius, ardebit ibi corpus, ibi anima? Mors corporis, sempiterna pœna: mors animæ, Dei absentia. Vis nosse quæ sit mors animæ? Intellige Prophetam dicentem, Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini. Timeat ergo anima mortem suam, & non timeat mortem corporis sui. Quia si timuerit mortem suam, & vixerit in Deo suo, non eum offendendo & à se repellendo, merebitur in fine recipere corpus suum; non ad pœnam æternam, sicut impii; sed ad vitam æternam, sicut justi. Illam mortem timentes, & illam vitam Martyres diligentes, promissa Dei exspectantes, minas persecutorum contemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt, & nobis celebranda illa sollemnia reliquerunt.

Isai. 26. 10.

* SERMO LXVI.

De verbis Evangelii Matth. 11. Cùm audisset Johannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? *&c.*

Prodit nunc primùm ex veteri codice .821. Colbertinæ bibliothecæ, ante annos circiter octingentos scripto.

1. Lectio sancti Evangelii quæstionem nobis proposuit de Johanne Baptista. Adjuvet nos Dominus ut solvamus eam vobis, [a] quomodo eam solvit nobis. Johannes Christi testimonio laudatus est, ut audistis; & sic laudatus, ut in natis mulierum non surrexisset major. Sed major illo erat natus ex Virgine. Quantum major? Ipse præco dicat, quantum intersit inter se & judicem suum, cujus præco est. Antecessit enim Christum Johannes, & nascendo, & prædicando: sed antecessit obsequendo, non se præferendo. Nam & Officium totum ante judicem ambulat; & qui ambulant priores, ipsi sunt posteriores. Quantum ergo testimonium perhibuit Johannes Christo? Ita ut diceret non se dignum esse, qui solveret corrigiam calceamenti ejus. Adhuc quid? Nos, inquit, de plenitudine ejus accepimus. Lucernam se confessus est de illo accensam, & ideo ad pedes ejus confugit, ne ad alta petens vento superbiæ exstingueretur. Tam quippe magnus erat, ut Christus putaretur: & si non ipse testis suus esset quia non erat ipse, remaneret error, & putaretur ipse. Qualis humilis? Deferebatur illi honor à populo, & ipse respuebat. Errabant homines in ejus magnitudine, & ipse se humiliabat. Nolebat crescere hominum verbis, quia comprehenderat Dei Verbum.

Johannis de Christo testimonium.

Johan. 1. 27.

Ibidem 16.

Serm. de Scripturis.

2. Ergo hoc Johannes de Christo: Christus de Johanne quid? Modò audivimus: *Cœpit dicere ad turbas de Iohanne, Quid existis in desertum videre? arundinem vento moveri?* Utique non; quia Johannes non circumflabatur omni vento doctrinæ. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Non; quia Johannes aspera erat veste vestitus: habebat enim vestem de pilis camelorum, non de plumis. *Sed quid existis videre? Prophetam? Ita: & major quàm Propheta.* Quare major quàm Propheta? Venturum Dominum prænuntiaverunt, quem videre desideraverunt, & non viderunt: huic autem præstitum est quod illi quæsierunt. Vidit Dominum Johannes, vidit; digitum in eum intendit, & ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ecce est. Jam venerat, & non agnoscebatur: & ideo & in ipso Johanne errabatur. Ecce est hic quem desideraverunt videre Patriarchæ, quem prænuntiaverunt Prophetæ, quem præsignavit Lex. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et ille bonum testimonium perhibuit Domino, & Dominus illi: *In natis mulierum*, inquit Dominus, *nemo surrexit major Iohanne baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo:* minor tempore, major Majestate. Se ipsum volens intelligi hoc dixit. Valde inter homines Johannes est magnus, quo solus inter homines major est Christus. Potest & sic distingui, & solvi: *In natis mulierum non surrexit major Iohanne baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.* Non sic quomodo paulò antè dixi. *Qui autem minor est in regno cælorum, major est:* regnum cælorum dixit, ubi Angeli sunt: qui ergo inter Angelos minor est, Johanne major est. Commendavit regnum quod desideremus: proposuit civitatem, cujus cives esse cupiamus. Quales ibi cives? quàm magni cives? Quisquis ibi minor est, Johanne major est. Quo Johanne? Quo nemo major surrexit in natis mulierum.

Christi testimonium de Johanne.

Matth. 11. 7.

ỳ. 8.

ỳ. 9.

Johan. 1. 29.

Matth. 11. 11.

V. lib. 1. contra adversar. Leg. & Proph. c. 5.

3. Audivimus verum & bonum testimonium & Johannis de Christo, & Christi de Johanne. Quid sibi ergo vult, quòd misit ad eum discipulos suos Johannes, cùm inclusus esset in carcere jam occidendus, & ait discipulis suis, *Ite dicite illi, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Ipsa est tota laudatio? Illa laudatio facta est dubitatio? Quid dicis Johannes? cui dicis? quid dicis? Judici dicis, præco dicis. Tu digitum intendisti, tu eum ostendisti: tu dixisti, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tu dixisti, Nos omnes de plenitudine ejus accepimus. Tu dixisti, Non sum dignus corrigiam calciamenti ejus solvere. Et modò tu dicis, *Tu es qui venis, an alium exspectamus?* Ille ipse non est? Tu quis es? Nonne tu es præcursor ipsius? Nonne tu es

Dissolvitur, an Johannes dubitaverit de Christo.

ỳ. 3.

a Nonnihil deesse hîc suspicamur. Fortè legendum, *Christus eam solvit nobis: quomodo eam solvit nobis?*

CLASSIS I. de quo prædictum est, *Ecce mitto Angelum meum* A
℣. 10. *ante faciem tuam, & præparabit viam tuam?* Quomodo viam præparas, & tu erras? Venerunt ergo discipuli Johannis: & Dominus ad illos,
℣. 4. *Ite, dicite Iohanni, * Cæci vident, surdi audiunt,*
℣. 5. *claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes evangelizantur: & beatus qui in me non fuerit scandalizatus.* Nolite suspicari Johannem scandalizatum esse in Christo. Et tamen verba quasi sic sonant: *Tu es qui venis?* Opera interroga: *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, le-* B *prosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:* & quæris an ego sum? Opera, inquit, mea, verba mea sunt. *Ite, renuntiate. Illis autem abeuntibus.* Ne fortè aliquis dicat, Bonus erat primò Johannes, & Spiritus Dei deseruit illum: ideo ista dixit post eorũ discessum; post discessum ipsorum quos miserat Johannes, Christus laudavit Johannem.

Solvitur difficultas. 4. Quid sibi ergo vult obscura quæstio? Luceat sol, unde illa lucerna accensa est. Prorsus ita solutio evidens solutio est. Johannes seorsum C habebat discipulos: non separatus, sed testis paratus. Oportebat enim ut talis perhiberet testimonium Christo, qui & ipse discipulos colligebat, qui ei poterat invidere, si non possit videre. Ergo quia pro magno habebant discipuli Johannis, magistrum suum Johannem; audiebant à Johanne testimonium de Christo, & mirabantur: moriturus, ab illo eos voluit confirmari. Sine dubio enim illi dicebant apud se ipsos, Iste de illo tanta dicit, ipse de se ista non dicit. *Ite di-* D *cite illi:* non quia ego dubito, sed ut vos instruamini. *Ite dicite illi:* quod ego soleo dicere, ab ipso audite: audistis præconem, confirmamini à judice. *Ite dicite illi, Tu es qui venis, an alium exspectamus?* Ierunt, & dixerunt; propter se, non propter Johannem. Et propter illos dixit Christus, *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Videtis me, agnoscite
℣. 6. me: videtis facta, factorem agnoscite. *Et beatus* E *qui in me non fuerit scandalizatus.* Sed de vobis dico, non de Johanne. Nam ut sciremus quia non de Johanne dixit: *Illis abeuntibus cœpit dicere ad turbas de Iohanne:* dixit laudes ejus veras verax, veritas.

Pauperum cura. 5. Puto satis istam solutam esse quæstionem. Sufficiat ergo usque ad ejus solutionem perduxisse sermonem. In mente habete pauperes: facite qui nondum fecistis: credite, non perditis; immo hoc solum perditis, quod non fertis ad F quadrigam. Jam reddendum est pauperibus quod obtulistis; qui obtulistis: & multùm minus habemus ad summam quam soletis offerre: excutite pigritiam. Ego factus sum mendicus mendicorum: quid ad me? Ego sim mendicus mendicorum, ut vos numeremini in numero filiorum.

* Aliàs 8. de verbis Domini.

* SERMO LXVII.

a *De [a] verbis Evangelii Matth.* 11. Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abs- G condisti hæc à sapientibus, *&c.*

CAPUT I. 1. Sanctum Evangelium cùm legeretur, audivimus exsultasse Dominum Je-
Matth. 11. 25. sum in Spiritu, & dixisse, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Huc usque interim verba Domini, si dignè, si diligenter, si quod primum est, piè consideremus, invenimus primitus, non semper cùm in Scripturis legimus confessionem, debere nos intelligere vocem peccatoris. Maximè autem hoc dicendum fuit, & hinc admonenda Caritas Vestra: quia mox ut hoc verbum sonuit in ore Lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audito scilicet quod Dominus ait, *Confiteor tibi, Pater.* In hoc ipso quod sonuit, *Confiteor*, pectora tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, *Confiteor tibi, Pater? Confiteor*, audistis: qui confitetur, non adtendistis. Nunc ergo advertite. Si, *Confiteor*, Christus dixit, à quo longè est omne peccatum; non solius est peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo, sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est utraque confessio, sive cùm te reprehendis, qui non es sine peccato; sive cùm illum laudas, qui non potest habere peccatum.

SERM. DE SCRIPTURIS. Confessio duplex, peccatoris & laudatoris.

Tundere pectus quid.

2. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua, laus ipsius est. Quare enim jam confiteris in accusatione peccati tui? in accusatione tui ipsius quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es? Scriptura quippe ait, A mortuo, quasi qui non sit, perit confessio. Si perit à mortuo confessio, qui confitetur vivit: & si peccatum confitetur, utique à morte revixit. Si peccati confessor revixit à morte, quis eum suscitavit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare, qui mortua carne non mortuus est. Etenim hoc suscitavit quod mortuum fuerat. Ille se suscitavit, qui vivebat in se, in carne autem sua suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo, Propter quod & Deus eum exaltavit: sed etiam Dominus se ipsum, id est, corpus suum; unde dicit, Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Mortuus est autem peccator, maximè ille quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est Lazarus. Parum enim erat, quia mortuus; etiam sepultus. Quisquis igitur malæ consuetudinis, malæ vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita ut in illo jam factum sit, quod in quodam Psalmo miserabiliter dicitur, Dixit stultus in corde suo, Non est Deus: fit talis, de quali dictum est, A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, dicens, Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret: vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est.

Peccatoris confessio etiam ipsa est Dei laudatio.

Eccli. 17. 26.

Philip. 2. 9.

Johan. 2. 19.

Lazari suscitatio peccatoris resurgentis figura.

Johan. 11. 17.

Psal. 13. 1.

Eccli. 17. 26.

3. Dicit ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarum adtende: cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo; sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, Quæ solveri-

CAPUT II. Ecclesia peccatores solvendo quid eis prosit.

Matth. 16. 19.

Johan. 11. 44.

[a] Citatur à Floro in epist. ad Rom. 1. & Ephes. 6.

CLASSIS I.

tis, soluta erunt? nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos, Solvite illum, & sinite abire.

Laudare Deum. a

Accusare nos ipsos.

4. Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, [a] bis Deum laudamus. Si piè nos accusamus, Deum utique laudamus. Quando Deum laudamus, tamquam eum qui sine peccato est, prædicamus: quando autem nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus. Hoc si feceris, nullam occasionem invenit inimicus, qua te circumveniat ante judicem. Cùm enim tu ipse fueris accusator, & Dominus liberator; quid erit ille nisi calumniator? Meritò ille hinc sibi tutelam providit adversùs inimicos, non conspicuos, carnem & sanguinem, miserandam potiùs, quàm cavendam; sed adversùs illos inimicos contra quos Apostolus nos hortatur ut armemur: Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem: id est, adversùs homines quos videtis sævire in vos. Vasa sunt, alius utitur: organa sunt, alius tangit. Immisit se, inquit, diabolus in cor Judæ, ut traderet Dominum. Ait aliquis: Quid ergo ego feci? Audi Apostolum: Neque detis locum diabolo. Tu mala voluntate locum dedisti: intravit, possedit, utitur. Si locum non dares, non possideret.

Florus ad Ephes. 6. — *Ephes. 6. 12.* — *Johan. 13. 2.* — *Ephes. 4. 27.*

CAPUT III. Inimici nostri invisibiles.

5. Ergo nos admonens ait, Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principes & potestates. Possit quisque putare adversùs reges terræ, adversùs potestates sæculi. Quare, ipsi non caro & sanguis? Semel dictum est, non adversùs carnem & sanguinem. Avertere ab omni homine. Qui ergo restant inimici? Adversùs principes & potestates spiritalis nequitiæ, rectores mundi. Quasi plus dedit diabolo & angelis ejus. Plus dedit, rectores mundi appellavit. Sed ne malè intelligas, exponit quid sit mundus, cujus sunt illi rectores. Rectores mundi, tenebrarum harum. Quid est, mundi, tenebrarum harum? Quibus est rector, dilectoribus suis & infidelibus, plenus est mundus. Has Apostolus appellat tenebras. Harum rectores, diabolus & angeli ejus. Hæ tenebræ non naturales sunt, non incommutabiles sunt: mutantur, & lux efficiuntur; credunt, & credendo illuminantur. Quod cùm in eis factum fuerit, audient, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Nam quando tenebræ, [b] non in Domino: iterum quando lux, non in te, sed in Domino. Quid enim habes quod non accepisti? Quia ergo sunt invisibiles inimici, invisibiliter sunt expugnandi. Quippe hostem visibilem vincis feriendo: invisibilem vincis credendo. Visibilis est hostis homo; visibile est & ferire: invisibilis est hostis diabolus; invisibile est & credere. Est ergo pugna invisibilis adversùs invisibiles inimicos.

Ephes. 5. 8. — b — *1. Cor. 4. 7.*

Unde præsidium contra inimicos.

6. Ab his inimicis quomodo se tutum dicit quidam? Hoc enim cœperam dicere, & necesse habui de istis inimicis aliquanta cum mora tractare. * Jam ergo cognitis inimicis, videamus tutelam. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Habes quid agas. Laudans invoca: sed Dominum laudans invoca. Si enim te laudaveris, ab inimicis tuis salvus non eris. Laudans invoca Dominum, & ab inimicis tuis salvus eris. Quia quid ait ipse Dominus? Sacrificium laudis glorificabit me; & ibi via est, ubi ostendam illi salutare meum. Ubi via? In sacrificio laudis. Noli pedem extra hanc viam mittere. In via esto: à via noli recedere: à laude Domini nec unguem, nedum pedem. Si enim volueris ab hac via deviare, & pro Domino te laudare, non eris salvus ab illis inimicis: quia de ipsis dictum est, Juxta semitam scandala posuerunt mihi. Quidquid ergo putaveris boni te habere abs te, deviasti à laude Dei. Quid jam miraris, si te seducit inimicus, quando tui ipsius seductor es? Audi Apostolum: Qui enim putat se aliquid esse, cùm nihil sit, se ipsum seducit.

*CAPUT IV. — *Psal. 17. 4.* — SERM. DE SCRIPTURIS. — *Psal. 49. 23.* — *Psal. 139. 6.* — *Gal. 6. 3.*

Gratia in Christo maximè elucet, & in latrone.

7. Dominum ergo adtende confitentem: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ. Confiteor tibi*, laudo te. Laudo te, non accuso me. Quantum autem pertinet ad ipsius hominis susceptionem, tota gratia, singularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille qui Christus est, si tollas gratiam, & tantam gratiam, qua unum oportebat esse Christum, & ipsum esse quem novimus? Tolle gratiam istam, quid Christus, nisi homo? quid nisi quod tu? Suscepit animam, suscepit corpus, suscepit plenum hominem: coaptat sibi, unam facit Dominus cum servo personam. Quanta ista gratia? Christus in cælo, Christus in terra: simul Christus & in cælo & in terra: nec duo Christi, sed idem Christus & in cælo & in terra. Christus apud Patrem, Christus in utero virginis: Christus in cruce, Christus apud inferos subveniens quibusdam: ea autem ipsa die Christus in paradiso cum latrone confitente. Et ibi latro quid meruit, nisi quia illam viam tenuit, ubi ostendit salutare suum? A qua tibi pes non exeat. In eo enim quòd se accusavit, Deum laudavit, & vitam suam beatam [c] fecit. Præsumsit quidem à Domino, & ait illi, Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Considerabat enim facinora sua, & pro magno habebat, si ei vel in fine parceretur. Dominus autem continuò, cùm ille diceret, Memento mei: sed quando? cùm veneris in regnum tuum. Amen, inquit, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Misericordia obtulit, quod miseria distulit.

c — *Luca 23. 42.*

CAPUT V. *Math. 11. 25.* Fides denegata superbis.

8. Audi ergo Dominum confitentem: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ.* Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confessio, ut dixi, laudem habet. *Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Quid est hoc, Fratres? A contrario sensu intelligite. *Abscondisti hæc*, inquit, *à sapientibus & prudentibus:* & non dixit, Revelasti ea stultis & imprudentibus: sed ait, *Abscondisti* quidem *à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falsò grandibus, verè autem tumentibus, opposuit non [d] insipientes, non imprudentes, sed parvulos. Qui sunt parvuli? Humiles. Ergo, *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* Nomine sapientium & prudentium, superbos intelligi, ipse exposuit, cùm ait, *Revelasti ea parvulis.* Ergo, Abscondisti non parvulis. Quid est, non parvulis? Non humilibus. Quid est, non

Sapientes & prudentes. d Parvuli.

[a] Fossatensis MS. *his Deum laudamus.*
[b] Hoc loco apud Lov. additur, *in te:* quod à ceteris libris abest.
[c] Am. Er. & aliquot MSS. *& vitam suam beatam præsumsit:* omisso verbo *fecit*, cujus loco duo MSS. habent *fixit*.
[d] Am. Er. & plerique MSS. *non sapientes, non prudentes.*

Classis I.

humilibus, nisi superbis? [a] O via Domini! Aut non erat, aut latebat, ut revelaretur nobis. Unde Dominus exsultavit? Quia revelatum est parvulis. Debemus esse parvuli; nam si voluerimus esse magni, quasi sapientes & prudentes, non nobis illud revelatur. Qui sunt magni? Sapientes & prudentes. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo te esse sapientem stultus factus es; dic te stultum, & sapiens eris. Sed dic, dic, & intus dic: quia sic est ut dicis. Si dicis, noli coram B hominibus dicere, & coram Deo non dicere. Prorsus quod ad te ipsum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid est enim aliud, esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? Denique de illis » sic ait, Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Antè quàm hoc dicerent, quid rursum? Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dic quia tu tibi lumen non es. Ut multum, oculus es; lumen non es. Quid prodest patens & sanus oculus, si lumen desit? Ergo dic, à te tibi lumen C non esse; & clama quod scriptum est, Tu illu- » minabis lucernam meam, Domine: lumine tuo, « Domine, illuminabis tenebras meas. Meæ enim nihil nisi tenebræ: tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me: non à me mihi lumen existens, sed lumen non participans, nisi in te.

Florus ad Rom. 1. — Rom. 1. 22. — Stultus tenebrosus in corde. — Ibidem 21. — Psal. 17. 29.

9. Sic & Johannes amicus sponsi, Christus putabatur, lumen putabatur. Non erat ille lumen; sed ut testimonium perhiberet de lumine. Quod autem erat lumen? Erat lumen verum. D Quid est verum? Quod illuminat omnem hominem. Si verum lumen quod illuminat omnem hominem; ergo & Johannem rectè dicentem, rectè confitentem, Nos autem de ple- » nitudine ejus accepimus. Vide si aliud dixit, quàm, Tu illuminabis lucernam meam, Domine. Denique jam illuminatus, testimonium perhibebat. Propter cæcos, lucerna diei testimonium perhibebat. Vide quia lucerna est: Vos, » inquit, misistis ad Johannem, & voluistis exsul- E » tare ad horam in lumine ejus: ille erat lucerna » ardens & lucens. Ille lucerna, hoc est, res illuminata, accensa ut luceret. Quæ accendi potest, potest & exstingui. Sed ut non exstinguatur, ventum superbiæ non patiatur. Ergo, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*, lumen se putantibus, & tenebræ erant; & eo quòd tenebræ erant, & lumen se putabant, nec illuminari potuerunt. Illi autem qui tenebræ erant, & te- F nebras se esse confitebantur, parvuli erant, non magni; humiles erant, non superbi. Rectè ergo » dicebant, Tu illuminabis lucernam meam, Domine. Se agnoscebant, Dominum laudabant, à via salutari non recedebant. Laudantes Dominum invocabant, & ab inimicis suis salvi erant.

Johannes non lumen, sed lucerna. — Johan. 1. 8. — Ibidem 16. — Johan. 5. 33. — Psal. 17. 4.

10. Conversi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque uberes gratias agamus, precantes toto animo singularem mansue- G tudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur; inimicum à nostris actibus & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, gubernet mentem, spiritales cogitationes concedat & ad beatitudinem suam perducat, per Jesum Christum Filium ejus. Amen.

Serm. de Scripturis.

* SERMO LXVIII.

* Aliàs de Diversis 21. b

Item de [b] *verbis Evangelii Matth.* II. Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, *&c.*

Caput I. — Matth. 11. 25. — Sapientes & prudentes, quibus abscondita sunt mysteria.

1. AUDIVIMUS Filium Dei dicentem, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ.* Quid ei confitetur? In quo eum laudat? *Quia abscondisti*, inquit, *hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Qui sunt sapientes & prudentes? Qui parvuli? Quæ ille occultavit sapientibus & prudentibus, & revelavit parvulis? Sapientes & prudentes illos significat, de quibus Paulus dicit, Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Etiam nunc adhuc fortasse quæris, qui sunt isti. Fortè illi sunt, qui multùm de Deo disputantes, falsa dixerunt: inflati doctrinis suis, Deum invenire & cognoscere minimè potuerunt, & pro Deo, cujus est incomprehensibilis invisibilisque substantia, putaverunt Deum esse aërem, ætherem, Deum esse solem, Deum esse aliquid quod sublimiter eminet in creatura. Adtendentes enim magnitudines & pulcritudines & fortitudines creaturarum, ibi remanserunt, Creatorem non invenerunt.

1. Cor. 1. 20.

2. Arguit illos liber Sapientiæ, ubi dicitur: Si enim tantum potuerunt valere, ut possent æsti- « mare sæculum, quomodo ejus Dominum non » faciliùs invenerunt? Accusati sunt, consumentes tempora sua & occupationes disputationum suarum in perscrutanda & quodam modo metienda creatura: quæsierunt meatus siderum, intervalla stellarum, itinera cælestium corporum, ita ut computationibus quibusdam ad eam scientiam pervenirent, ut prædicerent defectum Solis, defectum Lunæ; & quando prædicerent eveniret, eo die, & eâ horâ, tantum & tanta parte, ex quanta parte illi prædixerant. Magna industria, magna sollertia. Sed ibi Creatorem scrutati sunt positum non longè à se, & non invenerunt. Quem si invenissent, haberent apud se. Optimè itaque & rectissimè accusati sunt, qui potuerunt investigare numeros siderum, intervalla temporum, defectum luminum cognoscere & prædicere: rectè accusati sunt, quoniam à quo ista facta atque ordinata sunt, non invenerunt, quia quærere neglexerunt. * Tu autem non valde cura, si gyros siderum & cælestium terrenorumve corporum numeros ignores. Vide pulcritudinem mundi, & lauda consilium Creatoris. Vide quod fecit, ama qui fecit: tene hoc maximè. Ama qui fecit: quia & te ipsum amatorem suum ad imaginem suam fecit.

Sap. 13. 9. — * Caput II.

3. Ergo quia est mirum, quia talibus sapientibus occupatis circa creaturas, qui Creatorem negligenter quærere voluerunt, nec invenire potuerunt, abscondita sunt illa, de quibus dixit Christus, *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*: mirabilius est sapientes & prudentes deprehensos etiam qui cognoscere potuerunt. Revelatur enim, inquit, ira Dei de cælo super omnem impie- « tatem & injustitiam hominum, qui veritatem in «

Rom. 1. 18.

[a] Fossatensis MS. *Quasi via Domini aut non erat*, &c.

[b] Sermonibus Augustinianis Johannis Vlimmerii curâ pridem accessit iste Tractatus, descriptus ex Flori collectione, in qua tantus quantus hîc editur, jam exstabat ad 1. Cor. 1. 20. sub hoc titulo, *Ex Sermone de lectione Evangelii*: qui vel titulus indicat partem tantùm Sermonis exhiberi.

Classis I.

Ibidem 19. iniquitate detinent. Quæris fortasse quam veritatem detineant in iniquitate? Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Unde manifestum est? Sequitur, & dicit: Deus enim illis manifestavit. Adhuc quæris quomodo manifestaverit eis, quibus legem non dedit? Quomodo ergo?

Ibidem 20. Invisibilia enim ejus à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Fuerunt ergo quidam, non sicut Moyses famulus Dei, non sicut multi Prophetæ ista intuentes & intelligentes, adjuti Spiritu Dei, quem Spiritum fide hauserunt, faucibus pietatis biberunt, ore interioris hominis ructuaverunt. Non ergo tales: sed fuerunt alii dissimiles, qui per istam creaturam potuerunt pervenire ad intelligendum Creatorem, & dicere de his quæ fecit Deus: Ecce quæ fecit, gubernat & continet; ille ipse qui fecit, implet suâ præsentiâ ista quæ fecit. Potuerunt hoc dicere. Nam ipsos & in Actibus Apostolorum commemoravit Paulus: ubi cùm

Act. 17. 28. dixisset de Deo, In illo enim vivimus & movemur & sumus; quoniam apud Athenienses loquebatur, ubi isti doctissimi exstiterant, adjunxit continuò: Sicut & quidam secundùm vos dixerunt. Non est leve quod dixerunt: Quoniam in Deo vivimus & movemur & sumus.

Caput III.

4. Unde ergo dissimiles? unde vituperati? unde rectè accusati? Audi Apostoli verba, quæ dicere cœperam: Revelatur, inquit, ira Dei de cælo super omnem impietatem, & eorum scilicet qui legem non acceperunt: super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent. Quam veritatem? Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Quo manifestante? Deus enim eis manifestavit. Quomodo manifestavit? Invisibilia enim ejus à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas. Quare manifestavit? Ut sint inexcusabiles. Si manifestavit, ut sint inexcusabiles, unde ergo culpabiles? Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Caput IV. Glorificare Deum, & gratias agere, idem.

5. Quid est quod dicis, Non sicut Deum glorificaverunt? Nec gratias egerunt. Hoc est ergo glorificare Deum, gratias agere Deo? Hoc sanè. Quid enim pejus, si ad imaginem creatus, cognito Deo eris ingratus? Hoc est prorsus, hoc est, glorificare Deum, gratias agere Deo.

Præfat. c. ar. Missæ. Norunt fideles ubi & quando dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro. Quis autem gratias agit Deo, nisi qui sursum cor habet ad Dominum? Ergo illi culpabiles qui sunt inexcusabiles, quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt. Sed quid? Sed evanuerunt in cogitationibus suis. Unde evanuerunt, nisi quia superbi fuerunt? Evanescit & fumus in altum surgendo, & magis ignis lucet & roboratur humiliùs apprehendendo. Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Etiam fumus, cùm sit igne altior, obscurus est.

Caput V. Superbis absconduntur mysteria, parvulis revelantur.

6. Denique adtende quod sequitur, & vide unde tota caussa pendeat: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Sibi arrogando quod præstiterat Deus, tulit quod dederat Deus. Ergo superbis ipse abscondit se, qui per creaturam diligenter scrutantibus Creatorem insinuaverat

A nonnisi se. Bene ergo Dominus: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*: sive ab illis qui multiplicibus disputationibus & sollertissima inquisitione ad investigationem creaturæ pervenerunt, sed Creatorem minimè cognoverunt; sive ab illis, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt & gratias egerunt, & videre perfectè aut salubriter non potuerunt, quia superbi fuerunt. *Abscondisti* ergo *hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Quibus

B parvulis? Humilibus. Dic super quem requiescit Spiritus meus? Super humilem & quietum & trementem verba mea. Hæc verba Petrus tremuit; Plato non tremuit. Teneat piscator, quod perdidit nobilissimus disputator. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Abscondisti superbis, & revelasti humilibus. Quæ sunt ipsa? Non enim cùm hoc diceret, cælum & terram adtendebat, & quasi manu demonstrabat, cùm diceret hæc. Quis enim non

C videt hæc? Vident boni, vident mali: quia facit solem suum oriri super bonos & malos. Quæ sunt ergo ista? *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

Serm. de Scripturis.

Isai. 66. 2. Matth. 5. 45. Matth. 11. 27.

* SERMO LXIX.

* Alias 10. de verbis Domini.

De verbis Evangelii Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, [a] *&c.*

Caput I. Matth. 11. 25.

1. Audivimus in Evangelio Dominum exhilaratum spiritu dixisse Deo Patri,

D *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* * *Ita Pater, quoniam sic placitum est coram te.* * *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo agnoscit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis agnoscit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* In clamando laboramus, in audiendo laboratis. Audiamus ergo eum qui sequitur, & dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis.* Quare enim omnes laboramus,

ℽ. 26. ℽ. 27. ℽ. 28. Unde hic labor.

E nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustantur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis. Quid ergo dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis*, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promtu est: quoniam laborantes vocavit, quærerent fortè qua mercede vocati sunt: *Et ego vos*, inquit, *reficiam.*

ℽ. 29.

2. *Tollite jugum meum super vos, & discite à*

F *me*: non mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, & mortuos suscitare: sed, *quoniam mitis sum & humilis corde.* Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificii, quantò erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm construitur, in superna

Humilitate fundamentum ædificii spiritualis.

G consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.

Caput II. Visio promissa Dei videntis.

3. Quod est fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? Quò perventurum est cacumen ædificii? Citò dico, usque ad conspectum Dei.

[a] Titulo in pluribus probæ notæ MSS. additur, *Contra Nestorianos de Patre Domino.*

CLASSIS I

Videtis quàm excelsum est, quanta res est, con- A spicere Deum. Qui desiderat, & quod dico, & quod audit intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facilè illos vident: sed eos vident, qui oculos habent, & non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis & videntis, ut illum Deum videre concupiscamus, de quo dicit Scriptura (*Psal.* 93. 9.), Qui plantavit aurem, nonne audiet? qui finxit oculum, nonne considerat? Non ergo au- B dit, qui tibi fecit unde audias? & non videt, qui creavit unde videas? Bene in ipso Psalmo (*Ibidem* 8.) præloquitur & dicit, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Multi enim propterea mala faciunt, dum putant quòd non videantur à Deo. Et difficile est quidem, ut eum credant videre non posse: sed putant nolle. Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis quod scriptum est (*Psal.* 13. 1.), Dixit stultus in corde suo, Non est Deus. Insania ista paucorum C est. Sicut enim magna pietas, paucorum est: ita & magna impietas, nihilo minùs paucorum est. Hoc autem quod dico, turba dicit: Ecce modò inde cogitat Deus, ut sciat quid facio in domo » mea, & curat Deus quid velim agere in lecto » meo? [a] Quis dicit? Intelligite qui insipientes » estis in populo, & stulti aliquando sapite. Tu homo cùm sis, quia laboras si omnia domûs tuæ noveris & pertineant ad te omnia verba, omnia facta servorum tuorum, putas & Deum sic D laborare ut adtendat ad te, qui non laboravit ut crearet te? Oculum in te non intendit suum, qui fecit tuum? Non eras, & creavit te ut esses: non te curat, cùm jam sis, qui vocat ea quæ non sunt, tamquam sint (*Rom.* 4. 17.)? Non ergo tibi hoc promittas. Velis, nolis, videt te; & ab ejus oculis non est ubi abscondas te. Si enim adscenderis in cælum, ibi est: si descenderis in infernum, adest. Laboras, nolens recedere à factis malis, & volens non videri à Deo. Magnus labor. Facere E vis mala quotidie, suspicaris te non videri? Audi Scripturam dicentem (*Psal.* 93. 9.), Qui plantavit aurem, » nonne audiet? qui finxit oculum, nonne considerat? Ubi mala facta tua abscondis ab oculis Dei? [b] Si non vis recedere ab ipsis, multùm laboras.

CAPUT III. Peccatori fugiendum ad Deum.

4. Audi dicentem, *Venite ad me omnes qui laboratis.* Non [c] finis laborem fugiendo. Ab illo eligis fugere, non ad illum? Inveni quò, & fuge. Si autem propterea non potes ab illo fugere, quia ubique præsens est; de proximo fuge ad F Deum, qui præsens est, ubi stas. Fuge. Ecce fugiendo excessisti cælos, ibi est: descendisti ad inferos, ibi est: quascumque terrarum solitudines elegeris, ibi est qui dixit (*Jerem.* 23. 24.), Cælum & terram ego impleo. Ergo si cælum & terram ipse implet, & quò fugere ab illo non est; noli laborare: fuge ad præsentem, ne sentias venientem. Præsume te visurum bene vivendo, à quo vidéris & malè vivendo. Malè enim vivendo videri potes, videre non potes: bene autem vivendo & G vidéris, & vides. Quantò enim te familiariùs videbit qui coronat dignum, qui misericorditer vidit ut vocaret indignum? Nathanaël ait Domino, quem nondum sciebat, Unde me nosti? Ait ei Dominus (*Johan.* 1. 48.), Cùm esses sub arbore fici, vidi te. Videt te Christus in umbra tua: non te videbit in luce sua? Quid est enim, Cùm esses sub arbore fici, vidi te? Quid sibi hoc vult? quid significat? Recordare originale peccatum Adæ, in quo omnes morimur. Quando primò peccavit, de foliis ficulneis succinctoria sibi fecit (*Gen.* 3. 7.), significans in illis foliis pruritum libidinis, quò peccando pervenit. Inde nascimur, sic nascimur, in carne peccati nascimur, quam sola sanat similitudo carnis peccati. Ideo misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati (*Rom.* 8. 3.). Inde venit, sed sic non venit. Non enim eum virgo libidine, sed fide concepit. Venit in virginem, qui erat ante virginem. Quam creavit elegit, quam eligeret creavit. Adtulit virgini fecunditatem, non abstulit integritatem. Qui ergo sine pruritu foliorum ficûs venit ad te, cùm esses sub arbore fici, vidit te. Para te videre sublimiter, à quo visus es misericorditer. Sed quia magnum fastigium est, de fundamento cogita. Quo, inquis, fundamento? Disce ab illo, quoniam mitis est, & humilis corde. Hoc in te fodi fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium caritatis. Conversi ad Dominum, &c.

* SERMO LXX.

*Alias 9. de verbis Domini. [d]

Rursum de [d] *verbis Evangelii Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, *&c.*

CAPUT I.

1. MIRUM quibusdam videtur, Fratres mei, cùm audiunt Dominum dicentem (*Matth.* 11. 28.), *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* * *Tollite jugum meum super vos, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* * *Jugum enim meum lene est, & sarcina mea levis est:* (℣. 29. ℣. 30.) & considerant eos qui jugum ipsum intrepida cervice subierunt & E illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus hujus sæculi, ut non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur: cùm & Apostolus dicat (2. *Tim.* 3. 12.), Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur. Ait ergo aliquis, Quomodo jugum lene est, & sarcina levis, quando quidem illud jugum & sarcinam ferre, nihil est aliud, quàm piè vivere in Christo? Et quomodo dicitur, *Venite ad me omnes* F *qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* ac non potiùs dicitur, Venite qui vacatis, ut laboretis? Nam & vacantes invenit, quos conduxit in vineam, ut ferrent æstum diei (*Matth.* 20. 4.). Et sub illo jugo leni & sarcina levi, audimus Apostolum dicere (*Florus ad* 2. *Cor.* 6. 4.), « In omnibus commendantes nosmetipsos, « tamquam Dei ministros, in multa patientia, in « tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, « in plagis, &c. Et alio loco in eadem epistola (2. *Cor.* 11. 24. *&c.*), A « Judæis quinquies quadragenas, una minus, ac- G « cepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, « ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: & cetera pericula quæ numerari quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu-sancto juvante, non possunt.

Jugum Christi in speciem durum.

[a] Fossatensis MS. *Quid dicis?*
[b] Sic MSS. At editi affirmanter, *Si vis:* omisso *non.*
[c] Aliquot MSS. *Non est finis laborare* (vel *laboris*) *fugiendo ab illo. Eligis* &c.
[d] Citatur à Floro ad 2. Cor. 6. 4. Idemque Sermo, seu qui proximè antecedit, notatur à Possidio in Indiculo c. 8. vel 9.

CLASSIS I. CAPUT II. Unde lene fit jugum Christi.

2. Omnia ergo illa quæ commemoravit aspera & gravia, frequentiùs & abundantiùs sustinebat: sed profectò aderat ei Spiritus-sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renovaret de die in diem, & gustata requie spirituali in affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniret aspera, & omnia gravia relevaret. Ecce quàm suave jugum Christi portabat, & quàm levem sarcinam: ut omnia illa, quæ superiùs enumerata dura & immania omnis auditor horrescit, levem tribulationem diceret; intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, & sine ulla sollicitudine perfrui æterna felicitate justorum. Secari & uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquantò diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur.* In languida & incerta vacationis brevissimæ atque ultima vita, immanissimis bellis miles adteritur; pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendâ sævitiâ cæli & maris [a] importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas adquirant, majoribus quàm quibus adquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores; quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potûs angustias, ut bestiam capiant? & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sunt epulis necessariæ. Quamquam etsi aper cervusque capiatur, magis suave sit venantis animo quia captus est, quàm comedentis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis, ut numeros, & litteras, & disertas fallacias eloqui discant?

* f. Pro languida.

*CAPUT III. Amore dura quæque mitescunt.

3. Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur: * qui verò amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. OMNIA ENIM SÆVA & immania, prorsus facilia & propè nulla efficit amor. Quantò ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur qualibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit, Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. (Rom. 8 18.) Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista, Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. (Psal. 16. 4.) Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita divinæ pietatis dispensatione actum est, ut interior homo, qui renovatur de die in diem, (2. Cor. 4. 16.) non adhuc sub Lege positus, sed jam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium observationum, quod erat re vera grave jugum, sed duræ cervici convenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ caritatis, quidquid molestiarum exteriori homini forinsecùs intulisset ille princeps qui missus est foras, interiori gaudio leve fieret. NIHIL enim TAM FACILE est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi: & hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæviat iste mundus, verissimè Angeli nato in carne Domino clamaverunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: (Lucæ 2. 14.) quia ejus qui natus erat, suave jugum est, & sarcina levis. Et sicut dicit Apostolus, Fidelis Deus qui nos non sinit tentari supra id quod possumus ferre; sed facit cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere. (1. Cor. 10. 13.)

SERMO. Script.

* SERMO LXXI.

* Alias 11. de verbis Domini.

De verbis Evangelii Matth 12. Qui dixerit verbum contra Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Sive de* [b] *blasphemia in Spiritum-sanctum.*

CAPUT I. Prævia observatio de quæstione tractanda.

1. MAGNA quæstio est de recenti Evangelica lectione proposita, cui solvendæ, quantum ad nos adtinet, impares sumus: sed sufficientia nostra ex Deo est, quantum ejus adjutorium vel accipere vel capere possumus. Priùs ergo magnitudinem advertite quæstionis; ut cùm ejus molem humeris nostris impositam videritis, oretis pro laboribus nostris, atque in auxilio quod nobis præbetur, inveniatis ædificationem mentibus vestris. Cùm Domino fuisset oblatus dæmonium habens, cæcus & mutus, & curasset eum, ita ut loqueretur & videret, & stuperent omnes turbæ, dicentes: (Matth. 12. 22.) * *Numquid hic est filius David?* * *Pharisæi audientes dixerunt, Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* * *Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum divisum contra se, desolabitur, & omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.* * *Et si satanas satanam ejicit, adversùm se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?* (℣. 23. ℣. 24. ℣. 25. ℣. 26.) Hoc dicens, ex ipsorum confessione volebat intelligi, quòd in eum non credendo in regno diaboli esse delegissent, quod utique adversùm se divisum stare non posset. Eligant ergo Pharisæi quod voluerint. Si satanas satanam non potest ejicere, nihil contra Dominum quod dicerent, invenire potuerunt: si autem potest, multò magis sibi prospiciant, & recedant de regno ejus, quod adversùm se divisum stare non potest.

Pharisæi de regno diaboli recedere suis ipsorum verbis admonentur.

Diaboli ejectio per virtutem Christi.

2. In quo autem Dominus Christus ejiciat dæmones, ne dæmoniorum principem existiment, adtendant quod sequitur. *Et si ego, inquit, in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.* (℣. 27.) Dixit hoc utique de discipulis suis, illius populi filiis: qui certè discipuli Domini nostri Jesu Christi bene sibi conscii fuerant, nihil se malarum artium à bono magistro didicisse, ut in principe dæmoniorum

[a] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *impleti sunt mercatores.*
[b] Sic appellatur in Possidii Indiculo c. 10. & in Eugypii, Bedæ ac Flori collectione variis locis. Ejusdem Tractatus ipse meminit Augustinus in Enchiridii cap. 83. his verbis: *De qua quæstione difficili,* irremissibili videlicet peccato in Spiritum-sanctum, *in quodam propter hoc solum conscripto libello, enucleatissimè quantum potui disputavi.*

rum

rum ejicerent dæmones. *Ideo*, inquit, *ipsi judices* A *vestri erunt. Ipsi*, inquit, ipsi ignobilia & contemtibilia hujus mundi, in quibus non artificiosa malignitas, sed sancta simplicitas meæ virtutis apparet, ipsi testes mei, judices erunt vestri.

℣. 28. Deinde subjungit: *Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Quid est hoc? *Si ego*, inquit, *in Spiritu Dei dæmones ejicio*, nec aliter possunt & filii vestri ejicere, quibus non malignam doctrinam, sed fidem simplicem dedi: procul dubio pervenit in B vos regnum Dei, quo subvertitur regnum diaboli, cum quo & vos subvertimini.[a]

a Liberatio à diabolo per gratiam.

℣. 29. 3. Et quoniam dixerat, *Filii vestri in quo ejiciunt?* ut ostenderet gratiam in eis suam, non meritum illorum: *Aut quomodo potest quisquam*, inquit, *intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem, & sic domum ejus diripiet? Filii*, inquit, *vestri*, qui vel crediderunt in me, vel adhuc credituri sunt, & ejecturi dæmones, non in dæmonum principe, sed C in simplici sanctitate; qui certè vel fuerunt, vel hoc sunt quod etiam vos estis, id est, peccatores atque impii; & ideo in domo diaboli, & vasa diaboli: quomodo ab illo possent erui, quos prævalente iniquitate fortiter obtinebat, nisi alligaretur justitiæ meæ vinculis, & vasa ejus eriperem, quæ fuerant vasa iræ, & ea facerem vasa misericordiæ? Hoc est quod etiam beatus Apostolus superbis, & quasi de suis meritis gloriantibus increpans dicit: Quis enim te discernit? D Hoc est, à massa perditionis ex Adam & à vasis iræ quis te discernit? Et ne quisquam diceret, Justitia mea: Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Unde & de se ipso dicit, Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filii iræ, sicut & ceteri. Ergo & ipse vas erat in domo illius malè fortis, cùm esset Ecclesiæ persecutor, blasphemus, injuriosus, in malitia & invidia, sicut fatetur, agens. Sed ille qui alligavit fortem, ab eo vas perditionis eripuit, & vas electionis ef- E fecit.

1. Cor. 4. 7. Discretio ex massa perditionis.
Ibidem.
Ephes. 2. 3.

CAPUT II. Regnum Christi hæresibus & schismatis etiam excitatis indivisum.

4. Deinde ne putarent increduli & impii adversantes nomini Christiano, propter diversas hæreses & schismata eorum, qui sub nomine Christiano greges colligunt perditorum, etiam Christi regnum adversùm se esse divisum, consequenter adjungit: *Qui non est mecum, contra me* ℣. 30. *est; & qui non congregat mecum, spargit.* Non ait, Qui non est sub voce nominis mei, aut sub specie sacramenti mei: sed *Qui non est mecum, con-* F *tra me est.* Nec ait, Qui non congregat sub[b] voce nominis mei: sed, *Qui non congregat mecum, spargit.* Non ergo est adversùm se divisum regnum Christi: sed homines conantur dividere, quod emtum est pretio sanguinis Christi. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Et recedat, inquit, ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Nam si ab iniquitate non recedit, non pertinet ad regnum Christi, etiam nominans nomen Christi. Ut ergo aliqua, exempli gratiâ, G commemorem, spiritus avaritiæ & spiritus luxuriæ, quia ille contrahit, ille profundit, divisi sunt adversùm se; & ambo pertinent ad regnum diaboli. Apud idolorum cultores, spirtus Junonis & spiritus Herculis divisi sunt adversùm se; & ambo pertinent ad regnum diaboli. Paganus hostis Christi & Judæus hostis Christi, divisi sunt adversùm se; & ambo pertinent ad regnum diaboli. Arianus & Photinianus, ambo hæretici, & adversùm se ambo divisi. Donatista & Maximianista ambo hæretici, & adversùm se ambo divisi. Omnia vitia errorésque mortalium inter se contrarii, divisi sunt adversùm se, & omnes pertinent ad regnum diaboli: ideo non stabit regnum ejus. Justus autem & impius, fidelis & incredulus, catholicus & hæreticus, divisi quidem sunt adversùm se, sed non ambo pertinent ad regnum Christi. Novit Dominus qui sunt ejus. Nemo sibi de vocabulo blandiatur. Si vult sibi prodesse nomen Domini, recedat ab iniquitate qui invocat nomen Domini.

Beda ad 2. Tim. 2. 9.

CAPUT III. Difficultas quæstionis tractandæ.

5. Sed ista verba Evangelica etsi habebant aliquid obscuritatis, quod, adjuvante Domino, arbitror explanatum: non erant tamen tantæ C difficultatis, quantæ apparet esse quod sequitur: ℣. 31. *Ideo dico vobis, Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritûs autem blasphemia non remittetur.** ℣. 32. *Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quid ergo fiet de his quos lucrari cupit Ecclesia? Numquidnam correctis & ad eam ex quocumque errore venientibus spes falsa promittitur in remis- D sione omnium peccatorum? Quis enim non convincitur dixisse verbum contra Spiritum-sanctum, antè quàm Christianus vel catholicus fieret? Primò ipsi qui Pagani appellantur, multorum deorum falsorumque cultores & idolorum adoratores, cùm dicunt Dominum Christum magicis artibus fecisse miracula, nonne istis sunt similes, qui eum dixerunt in principe dæmoniorum ejecisse dæmonia? Deinde cùm quotidie nostram sanctificationem blasphemant, quid E aliud blasphemant quàm Spiritum-sanctum? Quid Judæi, qui dixerunt de Domino unde iste exortus est sermo, nonne usque adhuc verbum contra Spiritum-sanctum loquuntur, sic eum negantes esse in Christianis, sicut illi in Christo esse negaverunt? Neque enim & illi Spiritui-sancto[c] maledixerunt, aut non eum esse dicentes, aut esse quidem, sed Deum non esse, sed esse creaturam; aut ad dæmones ejiciendos nihil valere: non ista indigna, non aliquid simile de Spiritu- F sancto locuti sunt. Sadducæi enim Spiritum-sanctum negabant: Pharisæi verò eum esse, contra Sadducæorum hæresim defendebant; sed esse in Domino Jesu Christo negabant, quem dæmones ejicere in principe dæmoniorum putabant; cùm ejiceret ille in Spiritu-sancto. Ac per hoc & Judæi & quicumque hæretici Spiritum sanctum confitentur, sed eum negant esse in Christi corpore, quod est unica ejus Ecclesia; non utique nisi una catholica, procul dubio similes sunt G Pharisæis; qui tunc etiamsi esse Spiritum-sanctum fatebantur, negabant tamen eum esse in Christo, cujus opera in dæmonibus ejiciendis dæmoniorum principi tribuebant. Omitto quòd quidam hæretici ipsum omnino Spiritum-san-

℣. 31.
℣. 32. Peccatum in Spiritū-sanctū, quale in Paganis, Judæis & hæreticis, non irremissibile.

Act. 23. 8.

a Fossatensis MS. addit, *si non mutemini.*
b Lov. *sub invocatione.* Unus è veteribus libris, *sub professione:* Alii cum editis Am. & Er. *sub voce.*

c Editi, *non maledixerunt.* Abest *non* à MSS. & abesse oportet, ut concordent sequentia.

ctum vel non Creatorem, sed creaturam esse contendunt; sicut Ariani & Eunomiani & Macedoniani; vel eum prorsus ita negant, ut ipsum Deum negent esse Trinitatem, sed tantummodo esse Deum Patrem asseverant, & ipsum aliquando vocari Filium, aliquando vocari Spiritum-sanctum; sicut Sabelliani, quos quidam Patripassianos vocant, ideo quia Patrem perhibent passum: cujus cùm negant esse aliquem Filium, sine dubio negant esse Spiritum-sanctum. Photiniani quoque Patrem solum esse dicentes Deum, Filium verò nonnisi hominem, negant omnino esse tertiam personam Spiritum-sanctum.

6. Manifestum est igitur, & à Paganis, & à Judæis, & ab hæreticis blasphemari Spiritum-sanctum. Numquidnam ergo deserendi sunt, & sine ulla spe deputandi, quoniam fixa sententia est, *Qui verbum dixerit contra Spiritum-sanctum, non ei dimitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro*; & illi soli existimandi sunt ab hujus gravissimi peccati reatu liberi, qui ex infantia sunt catholici? Nam quicumque verbo Dei crediderunt, ut catholici fierent, utique aut ex Paganis, aut ex Judæis, aut ex hæreticis in gratiam Christi pacemque venerunt: quibus si non est dimissum quod dixerunt verbum contra Spiritum-sanctum, inaniter promittitur & prædicatur hominibus, ut convertantur ad Deum, & sive in baptismo sive in Ecclesia pacem remissionemque accipiant peccatorum. Neque enim dictum est, Non remittetur ei, nisi in baptismo: sed, *Non remittetur*, inquit, *neque in hoc sæculo, neque in futuro*.

Caput IV. De peccato in Spiritum-sanctum quod in baptizatis, opinio quorumdam improbatur.

7. Nonnullis videtur eos tantummodo peccare in Spiritum-sanctum, qui lavacro regenerationis abluti in Ecclesia, & accepto Spiritu-sancto, velut tanto postea dono Salvatoris ingrati, mortifero aliquo peccato se immerserint: qualia sunt vel adulteria, vel homicidia, vel ipsa discessio, sive omni modo à nomine Christiano, sive à catholica Ecclesia. Sed iste sensus unde probari possit, ignoro: cùm & pænitentiæ quorumque criminum locus in Ecclesia non negetur; & ipsos hæreticos ad hoc utique corripiendos dicat Apostolus, Ne fortè det illis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundùm ipsius voluntatem. (2. Tim. 2. 25.) Quis enim est fructus correctionis sine ulla spe remissionis? Postremò non ait Dominus, Qui fidelis catholicus dixerit verbum contra Spiritum-sanctum; sed, *Qui dixerit*, hoc est, quilibet dixerit, quicumque dixerit, *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Sive ergo sit ille Paganus, sive Judæus, sive Christianus, sive ex Judæis vel Christianis hæreticus, sive quodlibet aliud habeat nomen erroris, non dictum est ille aut ille; sed, *Qui dixerit verbum contra Spiritum-sanctum*, id est, blasphemaverit Spiritum-sanctum, *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Porrò autem si omnis error contrarius veritati & inimicus Catholicæ paci, sicut suprà ostendimus, dicit verbum contra Spiritum-sanctum, nec tamen cessat Ecclesia ex omni errore corrigere atque colligere, qui remissionem peccatorum & ipsum quem blasphemaverant accipiant Spiritum-sanctum; puto quòd grande secretum tam magnæ hujus quæstionis ostendimus. Lumen ergo expositionis à Domino requiramus.

Caput V. Quæstio omnium difficillima.

8. Erigite itaque, Fratres, erigite ad me aures, ad Dominum mentes. Dico Caritati Vestræ: Fortè in omnibus sanctis Scripturis nulla major quæstio, nulla difficilior invenitur. Unde ut vobis aliquid de me ipso fatear, semper in Sermonibus quos ad populum habui, hujus quæstionis difficultatem molestiamque vitavi: non quia nihil haberem, quod inde utcumque cogitarem; neque enim in re tanta petere, quærere, pulsare negligerem: sed quia ipsi intelligentiæ, quæ mihi aliquantùm aperiebatur, verbis ad horam occurrentibus me posse sufficere non putarem. Hodie autem lectiones audiens, de quibus vobis esset Sermo reddendus, cùm Evangelium legeretur, ita pulsatum est cor meum, ut crederem Deum velle aliquid hinc per meum ministerium vos audire.

Non omnem Spiritûs blasphemiam irremissibilem esse.

9. Priùs ergo ut advertatis & intelligatis, admoneo non dixisse Dominum, Omnis blasphemia Spiritûs non remittetur: neque dixisse, Qui dixerit quodcumque verbum contra Spiritum-sanctum, non remittetur ei: sed, *Qui dixerit verbum*. Illud enim si dixisset, nihil nobis omnino remaneret, unde disputare possemus. Quoniam si omnis blasphemia & omne verbum quod dicitur contra Spiritum-sanctum, non remitteretur hominibus; ex nullo genere impietatis eorum qui dono Christi & sanctificationi Ecclesiæ contradicunt, vel Paganorum, vel Judæorum, vel quorumlibet hæreticorum, nonnullorum etiam in ipsa Catholica imperitorum, quemquam Ecclesia lucraretur. Sed absit ut hoc Dominus diceret: absit, inquam, ut Veritas diceret omnem blasphemiam vel omne verbum quod contra Spiritum-sanctum diceretur, non habere remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Caput VI. Certam quamdam esse blasphemiam irremissibilem.

10. Exercere quippe nos voluit difficultate quæstionis, non decipere sententiæ falsitate. Quapropter non est necesse, ut omnem blasphemiam vel omne verbum quod dicitur contra Spiritum-sanctum, remissionem quisquam existimet non habere: sed necesse est planè, ut sit aliqua blasphemia & aliquod verbum, quod si dicatur contra Spiritum-sanctum, nullam umquam veniam remissionemque mereatur. Quia si omne acceperimus, quisnam poterit salvari? Si autem rursus nullum putaverimus, contradicimus Salvatori. Est ergo sine dubio aliqua blasphemia & aliquod verbum, quod si dictum fuerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur. Quod sit autem hoc verbum, quæri à nobis Dominus voluit; ideo non expressit. Quæri, inquam, voluit, non negari. Solent enim Scripturæ ita loqui, ut quando aliquid sic dicitur, ut neque ex toto neque ex parte dictum [a] finiatur, non sit necesse ut ex toto fieri possit, ut & ex parte non intelligatur. Ista ergo sententia ex toto, id est, universaliter pronuntiaretur, si diceretur, Omnis blasphemia Spiritûs non remittetur: aut, Qui dixerit qualecumque verbum contra Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Ex parte autem, id est, particulariter pronuntiaretur, si diceretur, Quædam blasphemia Spiritûs non remittetur. Quia ergo nec univer-

[a] Fossatensis MS. *diffiniatur*.

Classis I.

saliter nec particulariter enuntiata sententia est: (non enim dictum est, Omnis blasphemia Spiritûs; aut quædam blasphemia: sed tantummodo indefinitè dictum est, *Spiritûs blasphemia non remittetur:* nec dictum est, Qui dixerit quodcumque verbum, aut qui dixerit quoddam verbum: sed indefinitè, *Qui dixerit verbum:*) non est necesse, ut omnem blasphemiam vel omne verbum intelligamus: sed necesse est planè, ut quamdam blasphemiam & quoddam verbum voluerit intelligi Dominus; quamvis id exprimere noluerit, ut petendo, quærendo, pulsando, si quid recti intellectûs acceperimus, non viliter habeamus.

Caput VII. Locus Johannis 15. 22. de certo quodam Judæorum peccato.

11. Hoc ut manifestiùs videatis, illud adtendite quod ait idem ipse de Judæis, Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Neque enim ita dictum est, ut sine ullo peccato omnino vellet intelligi futuros fuisse Judæos, si non venisset & locutus eis fuisset. Plenos quippe invenit, oneratosque peccatis. Propter quod dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Unde, nisi sarcinis peccatorum & transgressionibus Legis? Quoniam Lex subintravit, ut abundaret delictum. Cùm ergo ipse etiam alibi dicat, Non veni vocare justos, sed peccatores; quomodo, si non venisset, peccatum non haberent, nisi quia sententia ista nec universaliter nec particulariter, sed indefinitè pronuntiata non omne peccatum cogit intelligi? Sed planè nisi aliquod peccatum intellexerimus, quod non haberent, nisi Christus venisset & locutus eis fuisset, falsam, quod absit, sententiam esse diceremus. Non ergo ait, Si non venissem & locutus fuissem eis, nullum peccatum haberent: ne Veritas mentiretur. Nec rursus definitè dixit, Si non venissem & locutus fuissem eis, quoddam peccatum non haberent: ne pium studium parum exerceretur. In omni quippe copia Scripturarum sanctarum pascimur apertis, exercemur obscuris: illic fames pellitur, hîc fastidium. Quia ergo non est dictum, Peccatum nullum haberent: non perturbemur, cùm peccatores Judæos, etiamsi Dominus non venisset, agnoscimus. Sed tamen quia dictum est, Si non venissem, peccatum non haberent: inde necesse est, etiamsi non omne, aliquod tamen eos ex adventu Domini, quod non habebant, contraxisse peccatum. Illud ipsum profectò est, quòd in præsentem sibique loquentem non crediderunt, cumque inimicum deputantes, quoniam vera dicebat, insuper occiderunt. Hoc peccatum tam magnum & horrendum, si non venisset & locutus eis fuisset, utique non haberent. Sicut ergo ibi cùm audimus, Peccatum non haberent; non omne, sed aliquod peccatum intelligimus: ita in hodierna lectione cùm audimus, *Spiritûs blasphemia non remittetur*; non omnem blasphemiam, sed quamdam: & cùm audimus, *Qui dicit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei*; non omne verbum, sed quoddam intelligere debemus.

De grat. & libero arbit. c. 2. — Matth. 11. 28. — Rom. 5. 20. — Matth. 9. 13.

De Spiritu-sancto hic dictum est.

12. Nam & hoc ipsum quod ait, *Spiritûs autem blasphemia non remittetur:* utique non omnis spiritûs, sed Spiritus-sancti blasphemiam necesse est intelligamus. Quod etsi planiùs alibi non diceret, quis tam vecors esset, ut aliud intelligeret? Secundùm hanc regulam locutionis, & illud accipitur, Nisi quis renatus fuerit ex [A] aqua & Spiritu. Non enim ait ibi, & Spiritu-sancto: & tamen hoc intelligitur. Nec quoniam dixit, ex aqua & Spiritu, omnem spiritum quisquam intelligere cogitur. Quocirca cùm audis, *Spiritûs autem blasphemia non remittetur:* sicut non omnem spiritum, ita non omnis spiritûs blasphemiam oportet accipias.

Joan. 3. 5.

Serm. de Scripturis.

Caput VIII. Evangelistæ alii de hac re consentientes cum Matthæo.

13. Audire jam velle vos video, quoniam non est omnis, quænam sit illa blasphemia Spiritûs, quæ non remittetur; & quod sit verbum, quo- [B] niam non est omne, quod si dictum fuerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Jam & ego vellem dicere, quod intentissimè exspectatis audire: sed tolerate aliquantas majoris diligentiæ moras, donec, adjuvante Domino, totum quod occurrit expediam. Alii quippe duo Evangelistæ, Marcus & Lucas, cùm de hac re loquerentur, non dixerunt, blasphemiam, seu verbum: ut intelligeremus non omnem blasphemiam, sed quam- [C] dam; nec verbum omne, sed quoddam. Quid ergo dixerunt? Apud Marcum ita scriptum est: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemaverint:* * *qui autem blasphemaverit in Spiritum-sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Apud Lucam ita: *Omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur ei: ei autem qui in Spiritum-sanctum blasphemaverit, non remittetur.* Numquid propter nonnul- [D] lam verborum diversitatem receditur ab ejusdem veritate sententiæ? Nam neque alia caussa est cur Evangelistæ eadem non eodem modo dicant, nisi ut inde discamus res verbis, non rebus verba præponere, nihilque aliud in loquente quærere, nisi voluntatem, propter quam insinuandam verba promuntur. Quid enim ad rem interest, utrùm dicatur, *Spiritûs blasphemia non remittetur:* an dicatur, *Qui blasphemaverit in Spiritum-sanctum, non ei remittetur?* Nisi fortè quòd [E] eadem res apertiùs isto modo quàm illo dicitur, & alium Evangelistam non destruit alius, sed exponit. *Spiritûs autem blasphemia*, clausè dictum est; quia non expressum est, cujus spiritûs. Non enim quicumque spiritus, Spiritus-sanctus est. Item potest dici spiritûs blasphemia, cùm spiritu quisque blasphemat: quomodo potest dici spiritûs oratio, cùm spiritu quisque orat. Unde dicit Apostolus, Orabo spiritu, orabo & mente. Cùm verò dictum est, *Qui blasphemaverit in Spi-* [F] *ritum-sanctum*, illæ ambiguitates solutæ sunt. Item quod scriptum est, *Non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti:* quid est aliud, quàm id quod secundùm Matthæum legitur, *Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro?* Aliis quippe verbis & alio loquendi modo eadem ipsa est expressa sententia. Et quod est apud Matthæum, *Qui dixerit verbum contra Spiritum-sanctum*, ne aliud aliquid quàm blasphemiam intelligeremus planiùs alii [G] dixerunt: *Qui blasphemaverit in Spiritum-sanctum.* Eadem tamen res ab omnibus dicta est: nec aliquis eorum à loquentis voluntate discessit, propter quam intelligendam verba dicuntur, scribuntur, leguntur, audiuntur.

Marci 3. 28. — ℣. 29. — Lucæ 12. 10. — 1. Cor. 14. 15.

Caput IX. Difficultas in verbis Marci.

14. Sed ait aliquis, Ecce accepi & intellexi, quia cùm dicitur blasphemia, nec exprimitur omnis aut quædam, potest quædam intelligi, aut

CLASSIS I.

omnis; sed non est necesse ut omnis; nisi autem quædam intelligatur, falsum est quod dicitur: ita & verbum si non dicatur omne, seu quoddam, non est necesse ut omne intelligatur; sed nisi vel quoddam fuerit intellectum, nullo modo, potest verum esse quod dicitur. Sed ubi legitur, *Qui blasphemaverit*, quomodo intelligo quamdam blasphemiam, ubi non legitur blasphemia; vel quoddam verbum, ubi non legitur verbum, sed tamquam generaliter dici videtur, *Qui blasphemaverit?* Huic contradictioni sic respondemus: Quia etiam hìc si diceretur, Qui blasphemaverit quamcumque blasphemiam in Spiritum-sanctum, nihil esset cur aliquam blasphemiam quærendam putaremus, quando omnem intelligere deberemus: sed quia omnis non potest intelligi, ne Paganis, Judæis, hæreticis, omnique hominum generi, qui diversis erroribus & contradictionibus suis blasphemant in Spiritum-sanctum, spes remissionis, si se correxerint, auferatur; restat utique ut in eo quod scriptum est, *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum*, ille intelligatur qui, non omni modo, sed eo modo blasphemaverit, ut ei numquam possit ignosci.

CAPUT X. *Jacobi* 1. 13. Tentatio duplex. *Deut.* 13 3. *Johan.* 6 5 &c.

15. Sicut enim in eo quod dictum est, Deus neminem tentat, non omni, sed quodam tentationis modo Deus neminem tentare intelligendus est: ne falsum sit illud quod scriptum est, Tentat vos Dominus Deus vester: & ne Christum negemus Deum, vel dicamus falsum Evangelium, ubi legimus, quia interrogabat discipulum tentans eum, ipse autem sciebat quid esset facturus. Est enim tentatio adducens peccatum, qua Deus neminem tentat: & est tentatio probans fidem, qua & Deus tentare dignatur. Ita cùm audimus, *Qui blasphemaverit in Spiritum-sanctum*, non omne blasphemandi genus debemus accipere, sicut nec ibi omne tentandi.

Marc. 16. 16. Salus credenti & baptizato promissa. *Jacobi* 2. 19. *Act.* 8. 13.

16. Item cùm audimus, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: non utique intelligimus eo modo credentem, quo & dæmones credunt & contremiscunt; nec in eo numero baptizatos, in quo magus Simon baptizari potuit, sed salvus esse non potuit. Sicut ergo cùm diceret, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, non omnes credentes & baptizatos, sed quosdam intuebatur; in ea scilicet constitutos fide, quæ Apostolo distinguente, per dilectionem operatur: ita cùm dixit, *Qui blasphemaverit in Spiritum-sanctum, non habet remissionem in æternum*, non omnem, sed quemdam blasphemantis in Spiritum-sanctum intendebat reatum, quo quisquis fuerit obligatus, nulla umquam remissione solvetur.

Gal. 5. 6.

CAPUT XI. *Joha.* 6. 57. Modus quidam manducandi carnem Christi proprius piorum. *Florus ad* 1. *Cor.* 11. 29. *Luca* 22. 21.

17. Illud etiam quod ait, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo: quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hìc poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd judicium sibi manducent & bibant; cùm ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Numquid & Judas magistri venditor & traditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum sacramentum carnis & sanguinis ejus cum ceteris discipulis, sicut apertiùs Lucas evangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Tam multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant & sanguinem bibunt, vel cùm manducaverint & biberint, apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocumque modo quisquam manducaverit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus; sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat. Sic igitur & in eo quod ait, *Qui blasphemaverit in Spiritum-sanctum, non habet remissionem in æternum*, non quocumque modo blasphemaverit, reus est hujus irremissibilis delicti; sed modo quodam, quem nos quærere atque intelligere voluit, qui hanc sententiam veram terribilemque depromsit.

SERM. DE SCRIPTURIS. 4. *Sent. lib.* 9. *cap.* 1.

CAPUT XII. Aggreditur solutionem quæstionis.

18. Quisnam sit autem iste blasphemandi modus, vel potiùs immoderatio, quænam sit ista blasphemia, & quod sit verbum contra Spiritum-sanctum, jam, quantum existimo, ipse ordo postulat ut dicamus, vestramque exspectationem tamdiu, sed necessariò detentam, non ulteriùs differamus. Nostis, Carissimi, in illa invisibili & incorruptibili Trinitate, quam fides nostra & catholica Ecclesia tenet & prædicat, Deum Patrem non Spiritus-sancti Patrem esse, sed Filii; & Deum Filium non Spiritus-sancti Filium esse, sed Patris; Deum autem Spiritum-sanctum non solius Patris, aut solius esse Filii Spiritum, sed Patris & Filii. Et hanc Trinitatem, quamvis servata singularum proprietate & [a] substantiâ personarum; tamen propter ipsam individuam & inseparabilem æternitatis, veritatis, bonitatis essentiam vel naturam, non esse tres deos, sed unum Deum. Ac per hoc pro captu nostro, quantum ista per speculum & in ænigmate, præsertim talibus, quales adhuc sumus, videre conceditur, insinuatur nobis in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu-sancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas. Quod ergo commune est Patri & Filio, per hoc nos voluerunt habere communionem & inter nos & secum, & per illud donum nos colligere in unum quod ambo habent unum, hoc est, per Spiritum-sanctum Deum & donum Dei. In hoc enim reconciliamur divinitati, eaque delectamur. Nam quid nobis prodesset quidquid boni nossemus, nisi etiam diligeremus? Sicut autem veritate discimus, ita caritate diligimus; ut & pleniùs cognoscamus, & beati cognito perfruamur. Caritas porrò diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Et quia peccatis alienabamur à possessione verorum bonorum, Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Est ergo Pater Filio veritati origo verax, & Filius de veraci Patre orta veritas, & Spiritus-sanctus à Patre bono & Filio bono effusa bonitas: omnium est autem non impar divinitas, nec separabilis unitas.

Trinitas Deus. Florus ad Rom. 5. Rom. 5. 5. 1. Pet. 4. 8.

19. Primùm ergo in nos, ad accipiendam vitam æternam, quæ in novissimo dabitur, de bonitate Dei munus venit ab initio fidei, remissio

Peccatorum remissio datur per Spiritum-sanctum.

[a] Colbertinæ bibliothecæ MS. notatus 821. *& subsistentiâ.*

Classis I.

peccatorum. Illis enim manentibus, manent quodam modo inimicitiæ adversùs Deum, & ab illo alienatio, quæ à nostro malo est: quoniam non mentitur Scriptura, dicens, Peccata vestra separant inter vos & Deum. Non itaque nobis infert bona sua, nisi auferat mala nostra. Et in tantum illa crescunt, in quantum ista minuuntur: nec illa perficientur, nisi ista finiantur. Jam verò quòd Dominus Jesus sic in Spiritu-sancto peccata dimittit, quemadmodum in Spiritu-sancto dæmones ejicit, hinc intelligi potest, quòd postea quàm resurrexit à mortuis, cùm dixisset discipulis suis, Accipite Spiritum-sanctum; continuò subjecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur. Nam & illa regeneratio, ubi fit omnium præteritorum remissio peccatorum, in Spiritu-sancto fit, dicente Domino, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Sed aliud est, nasci de Spiritu; aliud, pasci de Spiritu: sicut aliud est, nasci de carne, quod fit cùm parit mater; aliud est, pasci de carne, quod fit cùm lactat infantem, ad hoc conversum ut cum voluptate biberet, unde natus est ut viveret; ut inde accipiat vivendi alimentum, unde accepit nascendi initium. Primum itaque [a] credendum beneficium est benignitatis Dei in Spiritu-sancto remissio peccatorum. Unde ita cœpit & prædicatio Johannis baptistæ, qui præcursor Domini missus est. Sic enim scriptum est: In diebus autem illis venit Johannes baptista, prædicans in deserto Judææ, & dicens, Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum. Hinc & ipsius Domini, quod ita legitur: Exinde cœpit Jesus prædicare & dicere, Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cælorum. Ait autem Johannes inter cetera, quæ locutus est ad eos qui venerunt, ut ab illo baptizarentur: Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam: qui autem venturus est post me, fortior me est; cujus non sum dignus calciamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igni. Ait & Dominus, Johannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu-sancto, quem accepturi estis non post multos hos dies, usque ad Pentecosten. Quod autem dixit Johannes, Et igni, quamvis possit intelligi & tribulatio, quam pro nomine Christi credentes fuerant perpessuri; tamen non ab re est, eumdem Spiritum-sanctum etiam nomine ignis significatum videri. Propter quod & in adventu ejus dictum est, Visæ sunt illis linguæ divisæ, velut ignis; qui & insedit super unumquemque eorum. Hinc & ipse Dominus ait, Ignem veni mittere in mundum. Hinc & Apostolus ait, Spiritu ferventes: quoniam hinc fervet caritas. Diffunditur quippe in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Cui fervori contrarium est, quod Dominus ait, Refrigescet caritas multorum. Sed perfecta caritas perfectum donum est Spiritus-sancti. Prius est autem illud quod ad remissionem pertinet peccatorum: per quod beneficium eruimur de potestate tenebrarum; & princeps hujus mundi mittitur foras fide nostra, qui operatur in filiis infidelitatis, nulla [b] vi alia nisi societate & obligatione peccati. In Spiritu enim sancto, quo in unum Dei populus congregatur, ejicitur spiritus immundus, qui in se ipsum dividitur.

Isai. 59. 2. — Johan. 20. 22. & 23. — Johan. 3. 5. — Matth. 3. 1. & 2. — Matth. 4. 17. — Florus ad Rom. 12. — Matth. 3. 11. — Act. 1. 5. — Ignis, tribulatio. — Ignis, Spiritus-sanctus. — Act. 2. 3. — Luc. 12. 49. — Rom. 12. 11. — Rom. 5. 5. — Matth. 24. 12. — Coloss. 1. 13. — Johan. 12. 31. — Ephes. 2. 2.

Serm. de Scripturis.

Impœnitentia, peccatum in Spiritum-sanctum.

20. Contra hoc donum gratuitum, contra istam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est Spiritûs blasphemia, quæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Contra Spiritum enim sanctum, quo baptizantur quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit Ecclesia, ut cui dimiserit peccata, dimittantur ei, verbum valde malum & nimis impium, sive cogitatione, sive etiam linguâ suâ dicit, quem patientia Dei cùm ad pœnitentiam adducat; ipse secundùm duritiam cordis sui & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. Hæc ergo impœnitentia, sic enim uno aliquo nomine possumus utcumque appellare & blasphemiam, & verbum contra Spiritum-sanctum, quod remissionem non habet in æternum: hæc, inquam, impœnitentia, contra quam clamabant & præco & judex, dicentes, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum; contra quam Dominus os Evangelicæ prædicationis aperuit; & contra quam ipsum Evangelium in toto orbe prædicandum esse prædixit; ubi postea quàm resurrexit à mortuis, ait discipulis, Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem: hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro: quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro.

Rom. 2. 5. — Matth. 3. 2. & 4. 17. — Luca 24. 46.

Caput XIII. De nullo desperandum est in præsenti vita.

21. Sed ista impœnitentia vel cor impœnitens quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit; nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur & vivat. Paganus est hodie: unde scis, utrùm sit futurus crastino Christianus? Judæus infidelis est hodie: quid si cras credat in Christum? Hæreticus est hodie: quid si cras sequatur catholicam veritatem? Schismaticus est hodie: quid si cras amplectatur catholicam pacem? Quid si isti, quos in quocumque genere erroris notas, & tamquam desperatissimos damnas, antè quàm finiant istam vitam, agant pœnitentiam, & inveniant veram vitam in futuro? Proinde, Fratres, etiam ad hoc vos admoneat, quod ait Apostolus: Nolite ante tempus quidquam judicare. Hæc enim blasphemia Spiritûs, cui numquam est ulla remissio, (quam non omnem, sed quamdam intelleximus, eamque perseverantem duritiam cordis impœnitentis vel diximus vel invenimus, vel etiam quantum existimamus, ostendimus,) non potest in quoquam, ut diximus, dum in hac adhuc vita est, deprehendi.

Ezech. 18. 23. — 1. Cor. 4. 5.

Objectio diluitur.

22. Quod non ideo videatur absurdum, quia cùm homo usque in finem hujus vitæ in dura impœnitentia perseverans, diu multúmque loquatur adversùs hanc gratiam Spiritus-sancti, Evangelium tamen tam longam contradictionem cordis impœnitentis, quasi breve aliquid, verbum

[a] Lov. *credendum*: repugnantibus aliis editis & MSS. libris.

[b] Lov. *nulla alia re*. Ceteri ferè libri carent particulâ *re*: cujus tamen loco Fossatensis MS. & Eugypius habent, *vi*.

CLASSIS I.

appellavit, dicens, *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Hæc enim quamvis prolixa sit, & plurimis verbis contexta & producta blasphemia; solet tamen Scriptura etiam multa verba verbum appellare. Neque enim unum verbum locutus est quicumque Propheta, & tamen sic legitur: Verbum quod factum est ad illum vel illum Prophetam. Et Apostolus, Presbyteri, inquit, duplici honore honorentur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Non ait, in verbis; sed, in verbo. Et sanctus Jacobus, Estote, inquit, factores verbi, & non auditores tantùm. Non ait & ipse, verborum; sed, verbi: quamvis tam multa verba de Scripturis sanctis in ecclesia celebriter & sollemniter legantur, dicantur, audiantur. Sicut ergo quantocumque tempore quisquis nostrûm in prædicando Evangelio laboraverit, non verborum, sed verbi dicitur prædicator; & quantocumque tempore quisquis vestrûm nostram prædicationem diligenter atque instanter audierit, non verborum, sed verbi audiendi studiosissimus nuncupatur: ita eo more quo Scripturæ loquuntur, & quem novit Ecclesiastica consuetudo, quisquis universâ suâ vitâ, qua [a] istam gerit carnem, quantalibet longitudine protendatur, quæcumque verba vel ore vel sola cogitatione locutus fuerit corde impænitenti, contra remissionem peccatorum quæ fit in Ecclesia, verbum dicit contra Spiritum-sanctum.

1. Tim. 5. 17.

Jacobi 1. 22.

Omnis alia blasphemia, dimisso peccato in Spiritum-sanctum dimittitur, quare.

23. Ideo autem non solum verbum quod dictum fuerit contra Filium hominis, sed omne prorsus peccatum & blasphemia remittetur hominibus; quia ubi hoc peccatum non fuerit cordis impænitentis contra Spiritum-sanctum, quo in Ecclesia peccata solvuntur, cuncta alia dimittuntur. Qomodo autem hoc dimittetur, quod etiam remissionem impedit aliorum? Omnia ergo dimittuntur eis, in quibus hoc non est quod numquam dimittetur: in quibus est autem, [b] quoniam hoc numquam dimittitur, nec alia dimittuntur; quia omnium remissio vinculo istius impeditur. Non ergo propterea quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur; quia in Trinitate major est Filio Spiritus-sanctus, quod nullus umquam vel hæreticus dixit: sed quoniam quisquis restiterit veritati, & blasphemaverit veritatem, quod est Christus, etiam post tantam sui prædicationem apud homines, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis, quod est Filius hominis, idem ipse Christus, si non dixerit verbum illud cordis impænitentis contra Spiritum-sanctum, de quo dictum est, Qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu; & de quo item dictum est, Accipite » Spiritum-sanctum, si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: id est, si pænituerit eum, accipiet per hoc donum remissionem omnium peccatorum, simul & hujus, quod verbum dixit contra Filium hominis: quia peccato ignorantiæ sive contumaciæ vel cujuscumque blasphemiæ, non addidit peccatum impænitentiæ contra donum Dei & gratiam regenerationis vel reconciliationis, quæ fit in Ecclesia in Spiritu-sancto.

Johan 3. 5.

Johan. 20. 22.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT XIV. Non ideo Filii blasphemiam faciliùs quàm Spiritùs remitti, quia ille minor est in quantum homo.

24. Proinde nec illud sentiendum est, quod quidam putant, ideo remitti verbum quod dicitur contra Filium hominis, non remitti autem quod dicitur contra Spiritum-sanctum, quia propter susceptam carnem factus est Filius hominis Christus; qua carne utique major est Spiritus-sanctus, qui substantiâ propriâ æqualis est Patri & unigenito Filio secundùm ejus divinitatem, secundùm quam & ipse unigenitus Filius æqualis est Patri & Spiritui-sancto. Nam si hoc propterea dictum esset, profectò de omni cetera blasphemia taceretur, [c] ut hæc sola remissibilis videretur, quæ contra Filium hominis dicitur, quasi cùm homo solus putatur. Cùm verò præmissum sit, *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus:* quod etiam apud alium Evangelistam ita positum est; *Omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemaverint:* procul dubio & illa blasphemia quæ contra Patrem dicitur, ista generalitate concluditur: & tamen hæc sola irremissibilis definitur, quæ dicitur contra Spiritum-sanctum. Numquidnam & Pater formam servi accepit, qua sit major Spiritus-sanctus? Non utique: sed ideo post universalem commemorationem omnium peccatorum omnisque blasphemiæ, eminentiùs voluit exprimere blasphemiam, quæ dicitur contra Filium hominis; quia etiamsi in illo peccato fuerint homines obligati, quod commemoravit, ubi ait, Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: quod etiam in Evangelio secundùm Johannem valde grave ostendit esse peccatum, ubi ait de ipso Spiritu-sancto, cùm eum se missurum esse promitteret, Ille arguet mundum de peccato, & de justitia, & judicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me: tamen si non dixerit illa cordis impænitentis duritia verbum contra Spiritum-sanctum, etiam hoc quod dictum est contra Filium hominis remittetur.

Matth. 12. 31.

Marci 3. 28.

Johan. 15. 22.

Johan. 16. 8.

CAPUT XV. Peccata dimittere totius est Trinitatis.

25. Hìc fortassis aliquis quærat, utrùm tantummodo Spiritus-sanctus peccata dimittat, an & Pater & Filius? Respondemus, quòd & Pater & Filius. Ipse enim Filius de Patre dicit, Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater vester peccata vestra. Cui nos quoque dicimus in oratione Dominica, Pater noster, qui es in cælis. Atque inter cetera & hoc petimus, dicentes, Dimitte nobis debita nostra. De se autem ipse ait, Ut sciatis, quòd habeat Filius hominis potestatem in terra dimittendi peccata. Si ergo, inquis, & Pater & Filius & Spiritus-sanctus dimittunt peccata, cur illa impænitentia quæ numquam dimittetur, tantummodo ad Spiritûs blasphemiam dicitur pertinere; tamquam ille qui hoc impænitentiæ peccato fuerit obligatus, dono Spiritus-sancti resistere videatur, quòd eo dono fiat remissio peccatorum? Ubi & ego quæro, utrùm Christus ejecerit dæmonia, an & Pater & Spiritus-sanctus? Si enim tantummodo Christus, quid est quod ipse dicit, Pater autem in me manens, ipse facit opera? Ita enim dictum est, Ipse facit opera; tamquam Filius non faciat, sed Pater manens in Filio. Cur ergo alio loco dicit, Pater meus usque modò ope-

Matth. 6. 14.

Ibidem 9. & 12.

Matth. 9. 6.

Johan. 14. 10.

Johan. 5. 17.

[a] Eugypius & Fossatensis MS. *quam in ista gerit carne.*
[b] Sic MSS. At editi, *quomodo.*

[c] Editi, *hæc sola irremissibilis videretur:* omisso *ut*, quod habet Fossatensis MS. & Eugypius.

CLASSIS I.

Ibidem 19. *Johan. 15. 24.*

ratur, & ego operor? Et paulò pòst, Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Quod autem alio loco dicit, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, ita dicit quasi solus faciat. Si autem hæc ita dicuntur, ut tamen inseparabilia sint opera Patris & Filii, quid credendum est de Spiritu-sancto, nisi quia & ipse pariter operatur? Nam in eo ipso loco, unde exorta est ista quæstio, quam discutimus, cùm Filius ejiceret dæmonia, ipse tamen ait, *Si ego in Spiritu-sancto ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei.*

CAPUT XVI. Trinitatis potestas & operatio individua. *Florus ad 1. Cor. 12.*

26. Hìc fortè quis dicat, Spiritum-sanctum dari potiùs à Patre & Filio, quàm sua voluntate aliquid operari; & ad hoc pertinere quod dictum est, *In Spiritu-sancto ejicio dæmonia*, quòd non ipse Spiritus, sed Christus id faceret Spiritu: ut sic intelligatur quod dictum est, *In spiritu-sancto ejicio*, tamquam diceretur, Spiritu-sancto ejicio. Solent quippe ita loqui Scripturæ, *Psal. 73. 7.* Interfecerunt in gladio: id est, gladio. Succenderunt in igni: id est, igni. *Josue 5. 3.* Et accepit Jesus cultros petrinos, in quibus circumcideret filios Israël: id est, quibus circumcideret filios Israël. Sed qui propterea demunt Spiritui-sancto propriam potestatem, illud adtendant quod dictum à Domino legitur, *Johan. 3. 8.* Spiritus ubi vult spirat. Illud verò quod Apostolus ait, *1. Cor. 12. 11.* Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus: verendum est ne quisquam arbitretur, quòd ea non operetur Pater & Filius, cùm in eis operibus commemoraverit & donationes curationum, & operationes virtutum, ubi est utique & expulsio dæmoniorum. *Ibidem.* Cùm verò adjungit & dicit, Dividens propria unicuique prout vult: nonne manifestat etiam sancti Spiritûs potestatem, sed à Patre & Filio planè individuam? Si ergo hæc ita dicuntur, ut tamen inseparabilis intelligatur operatio Trinitatis; ita ut cùm operatio Patris dicitur, non eam sine Filio & Spiritu-sancto intelligatur operari; & cùm operatio Filii, non sine Patre & Spiritu-sancto; & cùm operatio Spiritus-sancti, non sine Patre & Filio; satis notum est rectè credentibus, vel etiam ut possunt intelligentibus, & illud ideo dictum esse de Patre, *Johan. 14. 10.* Ipse facit opera, quòd ab illo sit etiam origo operum, à quo est exsistentia cooperantium personarum; quia & Filius de illo natus est, & Spiritus-sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est Filius, & cum quo illi communis est idem Spiritus: & illud quod ait Dominus, *Johan. 15. 24.* Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, non ad Patrem vel Spiritum retulisse, quòd ei non sint in illis operibus cooperati; sed ad homines, à quibus leguntur multa facta miracula, & tamen à nullo quæ Filius fecit. *Beda ad 1. Cor. 12.* Et quod ait Apostolus de Spiritu-sancto, Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, non ideo dictum, quia non ei cooperatur Pater & Filius: sed quia in his operibus non sint multi sed unus Spiritus, & in diversis suis operationibus non est à se ipse [a] diversus. *a V. Suprà Serm. 52.*

27. Nec tamen inaniter, sed rationabiliter & veraciter dicitur Patrem dixisse, non Filium & Spiritum-sanctum, *Matth. 17. 5. Luca 3. 22.* Tu es Filius meus dilectus, in quo complacui. Sed hoc miraculum de cælo sonabilis verbi, quamvis ad personam Patris tantummodo noscamus pertinere, cooperatos esse tamen Filium & Spiritum-sanctum, non negamus. Neque enim quia tunc Filius carnem portans cum hominibus conversabatur in terra, ideo non erat etiam in sinu Patris tamquam unigenitum Verbum, quando illa de nube vox facta est; aut sapienter & spiritaliter credi potest, Deum Patrem operationem verborum suorum sonantium atque transeuntium à suæ Sapientiæ suique Spiritûs cooperatione separasse. Eodem modo cùm rectissimè dicamus, non Patrem, nec Spiritum-sanctum, sed Filium super mare ambulasse, *Matth. 14. 25.* cujus unius caro erat illa & plantæ fluctibus innitentes; illud tamen opus tanti miraculi Patrem & Spiritum-sanctum cooperatos esse quis abnuat? Sic enim & solum Filium verissimè dicimus ipsam suscepisse carnem, non Patrem aut Spiritum-sanctum; & tamen hanc incarnationem ad solum Filium pertinentem, quisquis negat cooperatum Patrem aut Spiritum-sanctum, non rectè sapit. Item dicimus, nec Patrem, nec Filium, sed solum Spiritum-sanctum, & in columbæ specie, *Matth. 3. 16.* & in linguis velut igneis apparuisse, *Act. 2. 3.* & dedisse pronuntiare illis in quos venerat, multis & variis linguis magnalia Dei: à quo tamen miraculo ad solum Spiritum-sanctum pertinente, cooperationem Patris & Verbi unigeniti separare non possumus. Ita singulorum quoque in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique operanti cooperantibus duobus, conveniente in tribus agendi concordiâ, non in uno deficiente efficaciâ peragendi. Quæ cùm ita sint, hinc est quòd Dominus Jesus in Spiritu-sancto dæmones ejicit. Neque enim & solus hoc implere non poterat, atque illud adjutorium tamquam huic operi non sufficiens assumebat; sed spiritum divisum in semetipsum, eo Spiritu congruebat expelli, quem Pater & Filius non divisi in semetipsis communiter habent.

CAPUT XVII. Peccata nō remittuntur extra Ecclesiam.

28. Sic & peccata, quia præter Ecclesiam non dimittuntur, in eo Spiritu dimitti oportebat, quo in unum Ecclesia congregatur. Denique si quemquam extra Ecclesiam suorum pæniteat peccatorum, & hujus tanti peccati quo alienus est ab Ecclesia Dei cor impænitens habeat, quid ei prodest illa pænitentia; cùm isto solo verbum dicat contra Spiritum-sanctum, quo extraneus est ab Ecclesia, quæ accepit hoc donum, *Florus ad Rom. 8. & Ephes. 4. & Philip. 2.* ut in ea in Spiritu-sancto fiat remissio peccatorum? Quam remissionem cùm Trinitas faciat, propriè tamen ad Spiritum-sanctum intelligitur pertinere. Ipse enim est Spiritus adoptionis filiorum, *Rom. 8. 15.* in quo clamamus, Abba, pater: ut ei possimus dicere, *Matth. 6. 12.* Dimitte nobis debita nostra. Et in hoc cognoscimus, sicut dicit apostolus Johannes, *1. Johan. 3. 24.* quoniam Christus manet in nobis, de Spiritu suo, quem dedit nobis. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, *Rom. 8. 16.* quòd sumus filii Dei. Ad ipsum enim pertinet societas, qua efficimur unum corpus unici Filii Dei. Unde scriptum est, *Philip. 2. 1.* Si qua igitur exhortatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas Spiritûs. Propter hanc societatem illi in quos primitus venit, linguis omnium gentium sunt locuti. Quia sicut per linguas [b] consociatior est societas

[a] Aliquot MSS. *divisus.*

[b] Duo MSS. *consolatio constat generis humani.* Sic etiam Flori collectio ad Ephes. 4. Sed ad Philip. 2. habet cum Eugyppio, *consociatio constat generis* &c.

Classis I.

generis humani: sic oportebat per linguas omnium gentium significari istam societatem filiorum Dei & membrorum Christi futuram in omnibus gentibus: ut quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Spiritum-sanctum, qui loquebatur linguis omnium gentium; ita se nunc ille agnoscat accepisse Spiritum-sanctum, qui tenetur vinculo pacis Ecclesiæ, quæ diffunditur in omnibus gentibus. Unde dicit Apostolus, *Ephes. 4. 3.* » Studentes servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis.

Caput XVIII. *Johan. 15. 26.* *Matth. 10. 20.* Spiritus-sanctus & Patris & Filii Spiritus est. *Gal. 4. 6.*

29. Quòd autem sit ipse Spiritus Patris, ipse Filius dicit, De Patre procedit. Et alio loco, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Quòd verò ipse sit & Spiritus Filii, Apostolus dicit, Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba, pater: hoc est, clamare facientem. Nos enim clamamus; sed in illo, id est, ipso diffundente caritatem in cordibus nostris, sine qua inaniter clamat quicumque clamat. Unde item *Rom. 8. 9.* dicit, Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ad quem ergo in Trinitate propriè pertineret hujus communio societatis, nisi ad eum Spiritum qui est Patri Filioque communis?

Extra Ecclesiam nō habetur Spiritus-sanctus. *Juda 1. 19.*

30. Hunc Spiritum quòd illi non habeant, qui sunt ab Ecclesia segregati, Judas apostolus apertissimè declaravit, dicens, Qui se ipsos segregant, animales, Spiritum non habentes. Unde in ipsa Ecclesia etiam illos qui per nomina hominum, quamvis in unitate ejus constitutorum, quædam schismata moliebantur, Paulus apostolus arguens, inter cetera ait, Animalis autem ho- *Beda & Florus ad 1. Cor. 2. 14.* mo non percipit quæ sunt Spiritûs Dei; stultitia » enim est illi, & non potest scire, quoniam spi» ritaliter dijudicatur. Ostendit quid dixerit, non percipit, id est, [a] scientiæ non capit verbum. Hos in Ecclesia constitutos parvulos, dicit nondum spiritales, sed adhuc carnales, & lacte alen- *Florus ad 1. Cor. 3. 2.* dos, non escâ. Quasi parvulis, inquit, in Chri» sto lac vobis potum dedi, non escam: nondum » enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis. Ubi dicitur, nondum, vel non adhuc, profectò non desperatur; [b] si eò tenditur, ut sit aliquan» do quod nondum est. Adhuc enim estis, inquit, carnales. Et ostendens unde sint carnales: Cùm enim sit, inquit, inter vos æmulatio, & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Atque idipsum planiùs aperiens: » Cùm enim quis dicat, Ego quidem, inquit, sum » Pauli; alius autem, ego Apollo; nonne homi» nes estis? Quid ergo Apollo? quid autem Pau» lus? Ministri, per quos credidistis. Hi ergo, id est, Paulus & Apollo, concordes erant in unitate Spiritûs & vinculo pacis: & tamen quia eos isti inter se dividere, & pro altero inflari adversùs alterum cœperant, dicuntur homines & carnales & animales, non valentes percipere quæ sunt Spiritûs Dei: & tamen quia non sunt ab Ecclesia segregati, parvuli appellantur in Christo; quos utique vel angelos vel deos esse cupiebat, quos arguebat quia homines erant, id est, in his contentionibus non quæ Dei sunt, sed quæ hominum sapiebant. De illis verò qui sunt

Homines & carnales, & animales, parvuli in Christo.

A ab Ecclesia segregati, non dictum est, Ea quæ sunt Spiritûs non percipientes; ne ad scientiæ perceptionem referretur: sed dictum est, Spiritum non habentes. Non est autem consequens, ut qui habet, etiam sciendo percipiat quod habet.

Serm. de Scripturis.

31. Habent ergo istum Spiritum in Ecclesia constituti parvuli in Christo, adhuc animales atque carnales, quid habeant percipere non valentes, id est, intelligere & nosse. Nam quomodo B essent parvuli in Christo, nisi renati ex Spiritu-sancto? Nec mirum videri debet, quòd quisque aliquid habet, & quod habet ignorat. Ut enim taceam de omnipotentis divinitate atque incommutabilis Trinitatis unitate; quis facilè scientiâ percipiat quid sit anima? & quis non habet animam? Postremò ut certissimè noverimus quòd parvuli in Christo non percipientes quæ sunt Spiritûs Dei, habent tamen Spiritum Dei; paulò pòst Paulum apostolum intueamur, quemad-C modum eos ipsos increpans ait, Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? * Hoc utique nullo modo diceret ab Ecclesia segregatis, qui dicti sunt Spiritum non habentes. *1. Cor. 3. 16.* *Caput XIX.

32. Sed nec ille dicendus est esse in Ecclesia, & ad istam societatem Spiritûs pertinere, qui ovibus Christi corporali tantùm commixtione ficto corde miscetur. Sanctus enim Spiritus disciplinæ fugiet fictum. Quapropter quicumque in D schismaticis vel hæreticis congregationibus, vel potiùs segregationibus baptizantur, quamvis non sint renati Spiritu, tamquam Ismaëli similes, qui secundùm carnem natus est Abrahæ, non sicut Isaac, qui secundùm spiritum, quia per repromissionem; tamen cùm ad Catholicam veniunt, & societati Spiritûs aggregantur, quem foris procul dubio non habebant, non eis repetitur lavacrum carnis. Non enim defuit etiam foris positis ista forma pietatis: sed accedit eis, E quæ nisi intus non potest dari, unitas Spiritûs in vinculo pacis. Tales quippe erant, antè quàm catholici essent, de qualibus dicit Apostolus, Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Potest enim esse visibilis forma palmitis etiam præter vitem: sed invisibilis vita radicis haberi non potest, nisi in vite. Proinde corporalia sacramenta, quæ portant & celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis: virtus verò pie-F tatis invisibilis & spiritalis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore.

Ficti catholici, hæretici & schismatici Spiritum-sanctum non habent. *Sap. 1. 5.* *Gal. 4. 31.* *2. Tim. 3. 5.*

33. Quæ cùm ita sint, remissio peccatorum, quoniam non datur nisi in Spiritu-sancto, in illa Ecclesia tantummodo dari potest, quæ habet Spiritum-sanctum. [c] Hoc enim fit remissione peccatorum, ne princeps peccati, spiritus qui in se ipsum divisus est, regnet in nobis, ut eruti à potestate spiritûs immundi, templum deinceps ef-G ficiamur Spiritus-sancti; & à quo mundamur accipiendo indulgentiam, ipsum accipiamus habitatorem ad faciendam, augendam, perficiendamque justitiam. Nam & in primo ejus adventu, cùm hi qui eum acceperant linguis omnium

Caput XX. Remissio peccatorū non extra Ecclesiam.

[a] Fossatensis codex & Bedæ collectio manuscripta ac inedita, *scientia non capit. Verùm hos in Ecclesia* &c. Am. & Er. *scientiam non capit verbi.*

[b] Am. Er. & Fossatensis liber, *sed eò tenditur.*

[c] Sic Am. Er. & plerique MSS. At Lov. *Hic enim fit remissio.* Fossatensis MS. *In hoc enim fit remissio.*

gentium

Classis I.

Act. 2. 37. & 38.

gentium loquerentur, & stupentes eos qui aderant alloqueretur apostolus Petrus; compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad Apostolos, Quid ergo faciemus, fratres? monstrate » nobis. Et dixit Petrus ad eos, Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum; » & accipietis donum Spiritus-sancti. Utique in Ecclesia utrumque factum est, id est, & peccatorum remissio, & doni hujus acceptio, in qua erat Spiritus-sanctus. Ideo autem in nomine Jesu Christi, quia cùm eumdem Spiritum-sanctum promitteret: Quem mittet, inquit, Pater in nomine meo. Neque enim habitat in quoquam Spiritus-sanctus sine Patre & Filio: sicut nec Filius sine Patre & Spiritu-sancto, nec sine illis Pater. Inseparabilis quippe est habitatio, quorum est inseparabilis operatio: sed singillatim plerumque per creaturæ significationes, non per suam substantiam demonstrantur; sicut sua temporum spatia syllabis occupantibus separatim voce pronuntiantur: nec tamen à se ipsis ullis intervallis momentisque temporum separantur. Non enim umquam dici possunt simul, cùm esse non possint nisi semper simul. Sed ut jam non semel diximus, ideo remissio peccatorum, qua in se divisi spiritûs evertitur & expellitur regnum, ideo societas unitatis Ecclesiæ Dei, extra quam non fit ipsa remissio peccatorum, tamquam proprium est opus Spiritus-sancti, Patre sanè & Filio cooperantibus, quia societas est quodam modo Patris & Filii ipse Spiritus-sanctus. Nam Pater non communiter habetur Pater à Filio & Spiritu-sancto: quia non est Pater amborum. Et Filius non communiter habetur Filius à Patre & Spiritu-sancto: quia non est Filius amborum. Spiritus autem sanctus communiter habetur à Patre & Filio: quia Spiritus est unus amborum.

Johan. 14. 26.

Caput XXI. Impœnitentiam irremissibilis blasphemiæ nomine intelligendã esse suadetur ex Luca.

34. Quisquis igitur reus fuerit impœnitentiæ contra Spiritum, in quo unitas & societas communionis congregatur Ecclesiæ, numquam illi remittetur: quia hoc sibi clausit, ubi remittitur: & meritò damnabitur cum spiritu qui in se ipsum divisus est, divisus & ipse contra Spiritum-sanctum qui in se ipsum divisus non est. Hoc & ipsa Evangelica testimonia nos admonent, si ea perscrutemur adtentiùs. Nam secundùm Lucam quidem non ibi hoc dicit Dominus, ubi respondet eis qui dixerunt quòd in principe dæmoniorum ejicit dæmones, non ei remitti qui blasphemaverit in Spiritum-sanctum. Unde apparet, non semel hoc à Domino dictum: sed ibi quoque non negligenter prætereundum quo loco dictum sit. Loquebatur enim de his, qui eum confessi essent, vel negassent coram hominibus; ubi ait: *Dico autem vobis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis con-* ỳ. 9. *fitebitur* [a] *in illo coram Angelis Dei.* * *Qui autem negaverit me coram hominibus, denegabitur coram Angelis Dei.* Et ne ex hoc apostoli Petri desperaretur salus, qui eum coram hominibus ter ne- ỳ. 10. gavit, continuò subjecit: *Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum-sanctum blasphemaverit, non remittetur:* illa scilicet blasphemia cordis impœnitentis, qua resistitur remissioni peccatorum, quæ fit in Ecclesia per Spiritum-sanctum. Quam blasphemiam Petrus non habuit; quem mox pœnituit quando amarè flevit; victoque spiritu qui in se ipsum divisus est, & qui eum vexandum popoścerat, contra quem pro illo Dominus rogavit ne deficeret fides ejus; accepit etiam ipsum cui non restitit, Spiritum-sanctum; ut non solùm ei remitteretur peccatum, sed per eum prædicaretur & daretur remissio peccatorum.

Luca 12. 8.

Serm. de Scripturis.

Matth. 26. 75. Lucæ 22. 31.

Ex aliis duobus Evangelistis idem insinuatur.

35. Apud duos autem alios Evangelistas quod narratur, ut de blasphemia Spiritûs hæc sententia diceretur, caussa exstitit ex commemoratione spiritûs immundi, qui in se ipsum divisus est. Dictum enim erat de Domino, quòd in principe dæmonum ejiceret dæmones: ibi se Dominus ait in Spiritu-sancto ejicere dæmones, ut Spiritus qui non est in se divisus, eum qui in se divisus est, vincat atque ejiciat; ille autem homo in ejus perditione remaneat, qui in hujus, qui in se divisus non est, pacem per impœnitentiam transire detrectat. Hoc enim Marcus ita narrat: *Amen dico vobis, quia omnia dimittentur hominibus peccata, & blasphemiæ quibus blasphemaverint:* * *qui autem blasphemaverit in Spiritum-sanctum, non habet remissionem in æternum; sed reus erit æterni delicti.* Hæc verba Domini cùm dixisset, sua deinde conjunxit dicens, *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet:* ut ostenderet, hinc fuisse exortam caussam, ut hoc diceret, eò quòd dixerant eum in Beelzebub principe dæmoniorum dæmones pellere. Non quia esset blasphemia quæ non remittetur, cùm & hæc remittatur, si recta pœnitentia consequatur: sed quòd hinc, ut dixi, caussa exstitit, ut à Domino illa sententia proferretur, facta mentione spiritûs immundi, quem adversùm se ipsum divisum Dominus ostendit, propter Spiritum-sanctum; qui non solùm adversùm se divisus non est, sed etiam quos colligit efficit indivisos, peccata quæ adversùm se divisa sunt dimittendo, eosque mundatos inhabitando: ut sit, quemadmodum scriptum est in Actibus Apostolorum, Multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Cui dono remissionis non resistit, nisi qui duritiam cordis impœnitentis habuerit. Nam & alio loco dixerunt Judæi de Domino, quòd dæmonium haberet, nec tamen ibi aliquid dixit de blasphemia Spiritus-sancti: quoniam non ita objecerunt spiritum immundum, ut in se divisus ex ore ipsorum possit ostendi, sicut Beelzebub à quo ejici dæmones posse dixerunt.

Marci 3. 28.

ỳ. 29.

ỳ. 30.

Act. 4. 32.

Johan. 7. 20. & 8. 48.

Caput XXII. Unitati Ecclesiæ corde impœnitenti resistere, blasphemia est irremissibilis.

36. In hac verò lectione secundùm Matthæum, multò manifestiùs aperuit Dominus quid hîc vellet intelligi: id est, quòd ipse dicat verbum contra Spiritum-sanctum, qui unitati Ecclesiæ corde impœnitenti resistit, ubi in Spiritu-sancto fit remissio peccatorum. Hunc enim Spiritum non habent, ut jam dictum est, qui etiam Christi sacramenta portantes atque tractantes, ab ejus congregatione sejuncti sunt. Nam ubi dixit de divisione satanæ adversùs satanam, & quòd ipse in Spiritu-sancto ejiceret dæmones, utique in spiritu qui non est adversùs se ipsum, sicut ille, divisus; ibi continuò, ne per illos qui sub nomine Christi extra ejus ovile conventicula sua congregant, quisquam putaret etiam regnum Christi adversùm se esse divisum, *Qui non est mecum*, inquit, *contra me est; & qui non con-*

Matth. 12. 30.

[a] Editi, *confitebitur illum.* At MSS. *in illo:* juxta Græcum, *ἐν αὐτῷ.*

CLASSIS I. *gregat mecum, spargit*: ut illos ostenderet ad se non pertinere, qui extrà congregando nollent congregare, sed spargere. Deinde subjunxit,
℣. 31. *Ideo dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; Spiritûs autem blasphemia non remittetur.* Quid est hoc? Ideo sola Spiritûs blasphemia non remittetur; quoniam qui non est cum Christo, contra ipsum est; & qui non cum illo congregat, spargit? Ideo utique. Qui enim non cum illo congregat, quomodolibet sub ejus nomine congreget, non habet Spiritum-sanctum.

CAPUT XXIII. Congregationes præter Ecclesiam non habent Spiritum-sanctum quo fit remissio peccatorũ.

37. Hîc omnino, hîc nos compulit non alibi intelligere fieri posse remissionem omnis peccati omnisque blasphemiæ, nisi in Christi congregatione, quæ non spargit. Congregatur quippe in Spiritu-sancto, qui non est contra se ipsum divisus, sicut ille immundus spiritus. Et propterea omnes congregationes, vel potiùs dispersiones, quæ se Christi Ecclesias appellant, & sunt inter se divisæ atque contrariæ, & unitatis congregationi, quæ vera est Ecclesia ejus, inimicæ, non quia videntur ejus habere nomen; idcirco pertinent ad ejus congregationem. Pertinerent autem, si Spiritus-sanctus, in quo consociatur hæc congregatio, adversùm se ipsum divisus esset. Hoc autem quia non est; (qui enim non est cum Christo, contra ipsum est; & qui cum illo non congregat, spargit:) ideo peccatum omne atque omnis blasphemia dimittetur hominibus in hac congregatione, quam in Spiritu-sancto, & non adversùs se ipsum diviso, congregat Christus. Ipsius autem Spiritûs blasphemia illa, qua fit ut corde impœnitenti huic tanto Dei dono usque in finem vitæ istius resistatur, non remittetur. Nam etsi quisquam ita sit contrarius veritati, ut Deo loquenti, non in Prophetis, sed in unico Filio, cùm propter nos eum, ut nobis in eo loqueretur, Filium hominis esse voluit, reluctetur; remittetur ei, cùm pœnitendo conversus fuerit ad Dei benignitatem; qui cùm mortem impii nollet, quantum ut revertatur & vivat, (Ezech. 33. 11.) dedit Ecclesiæ suæ Spiritum-sanctum, ut quicumque in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei. Qui verò huic dono exstiterit inimicus, ut non illud per pœnitentiam petat, sed ei per impœnitentiam contradicat, fit irremissibile; non quodcumque peccatum, sed contemta vel etiam oppugnata ipsa remissio peccatorum. (Peccatum irremissibile.) Atque ita dicitur verbum contra Spiritum-sanctum, cùm ex dispersione ad congregationem numquam venitur, quæ ad remittenda peccata accepit Spiritum-sanctum. Ad quam congregationem etiamsi per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum, reprobum & fictum aliquis accesserit corde non ficto; in ipso sancto Spiritu remissionem accipit peccatorum. Qui Spiritus in sancta Ecclesia, etiam isto tempore, quo velut area cum palea trituratur, sic operatur, ut nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat.

*CAPUT XXIV. Suffugium contra irremissibilem blasphemiam.

* Unum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impœnitens caveatur; nec aliter pœnitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur Ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, & societas Spiritûs in pacis vinculo custoditur. (SERM. DE SCRIPTURIS.)

38. Ut potui, difficillimam quæstionem, si tamen aliquatenus potui, Domino miserante atque adjuvante, tractavi. Quidquid tamen in ejus difficultate apprehendere non valui, non imputetur ipsi veritati, quæ salubriter pios, etiam cùm occultatur, exercet; sed infirmitati meæ, qui vel intelligenda conspicere, vel intellecta explicare non potui. De his autem quæ fortè potuimus & cogitando vestigare, & dicendo expedire, illi sunt agendæ gratiæ, à quo quæsivimus, à quo petivimus, ad quem pulsavimus, ut haberemus unde & nos meditando aleremur, & vobis loquendo ministraremus.

* SERMO LXXII.

(* Alias 12. de verbis Domini.)

De [a] *verbis Evangelii Matth.* 12. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, *&c.*

CAPUT I. Bona opera habere malus non potest.

1. ADMONUIT nos Dominus Jesus Christus, ut bonæ arbores simus, & fructus bonos habere possimus. Ait enim, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. De fructu enim arbor cognoscitur.* (Matth. 12. 33.) Ubi ait, *Facite arborem bonam, & fructum ejus bonum*: hoc utique non est admonitio, sed præceptum salubre, cui obedientia necessaria est. Quod autem dicit, *Facite arborem malam, & fructum ejus malum*: non præceptum est, ut facias; sed monitio, ut caveas. Contra hos enim dixit, qui putabant se, cùm mali essent, loqui bona posse, vel bona opera habere. Hoc Dominus Jesus dicit non posse. Priùs est enim mutandus homo, ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo quòd [b] malus est, bona opera habere non potest: si manet in eo quòd bonus est, mala opera habere non potest.

2. Quis autem à Domino bonus inventus est, cùm Christus pro impiis mortuus sit? (Mali non omnes inventi. Rom. 5. 6.) Omnes ergo malas arbores invenit, sed dedit potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus. (Johan. 1. 12.) Quisquis igitur homo hodie bonus est, id est, arbor bona, mala inventa est & bona facta est. Et si quando venit, malas arbores eradicare vellet; quæ remaneret, quæ non digna esset eradicari? Sed venit prærogare misericordiam, ut postea exerceret judicium, cui dicitur, Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine. (Psal. 100. 1.) Dedit ergo credentibus remissionem peccatorum, noluit cum eis & de præteritis chartis habere rationem. [c] Dedit remissionem peccatorum, fecit arbores bonas. * Distulit securim, dedit securitatem.

*CAPUT II.

3. De hac securi Johannes loquitur, dicens, Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. (Matth. 3. 10.) De hac securi comminatur pater-familiâs in Evangelio, dicens, Ecce triennium est quòd venio ad hanc arborem, & fructum ea non invenio. (Luca 13. 7.) [d] Nunc debeo locum evacuare: proinde amputetur. Et intercedit colonus, dicens, Domine, dimitte illam & hoc anno, circumfodiam illam, & adhibebo cophinum stercoris: si fecerit fructum, bene; sin mi-

[a] Hujus Sermonis meminit Possidius in Indiculo c. 9.
[b] Pauciores MSS. *quod malum est.* Et infrà, *quod bonum est.*
[c] Sic MSS. Editi verò, *Remissio enim peccatorum facit arbores bonas.*
[d] Sic nonnulli MSS. Alii autem cum Lov. *Non debeo locum evacuare?* At Am. & Er. *Nam debeo* &c.

CLASSIS I.

SERM. DE SCRIPTURIS.

nùs, venies, & amputabis eam. Tamquam per A triennium Dominus visitavit genus humanum, hoc est, tribus quibusdam temporibus. Primum tempus ante Legem; secundum in Lege; tertium modò est, quod tempus est gratiæ. Nam si non visitavit genus humanum ante Legem, unde Abel? unde Enoch? unde Noë? unde Abraham? unde Isaac? unde Jacob? quorum se Dominum dici voluit; & cujus omnes gentes erant, quasi trium hominum Deus esset, Ego sum, inquit, Deus Abraham, & Isaac, & Jacob. B In Lege autem si non visitaret, ipsam Legem non daret. Post Legem venit & ipse paterfamiliâs: passus est, mortuus est, resurrexit, Spiritum-sanctum dedit, Evangelium per totum orbem prædicari fecit, & adhuc quædam arbor infructuosa permansit. Est quædam adhuc pars generis humani, quæ adhuc se non corrigit. Intercedit colonus; pro plebe orat Apostolus: Flecto, inquit, genua mea pro vobis ad Patrem, ut in caritate radicati & fundati, valeatis apprehendere C cum omnibus sanctis quæ sit latitudo & longitudo, altitudo & profundum; cognoscere etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Flectendo genua, pro nobis intercedit apud patrem-familiâs, ne eradicemur. Ergo quia necesse est ut veniat, agamus ut fructuosos nos inveniat. Circumfossio arboris, est humilitas pænitentis. Omnis enim fossa humilis. Cophinus stercoris, sordes pænitentiæ. Quid enim stercore sordidius? D & tamen, si bene utaris, quid fructuosius?

Exodi 3. 14.

Ephes. 3. 14. & 17.

CAPUT III. Duæ radices caritas & cupiditas. *1. Tim. 6. 10.*

4. Sit ergo unusquisque arbor bona: non se arbitretur habere fructus bonos, si manet arbor mala. Non erit fructus bonus, nisi arboris bonæ. Muta cor, & mutabitur opus. Exstirpa cupiditatem, planta caritatem. Sicut enim radix est omnium malorum cupiditas: sic & radix omnium bonorum caritas. Quid ergo mussitant homines inter se, vel contendunt, dicentes, Quid E est bonum? O si scires, quid est bonum! Quod habere vis; non est valde bonum: quod esse non vis, hoc est bonum. Vis enim habere sanitatem corporis; hoc est bonum: nec tamen putes magnum bonum esse, quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis; ecce & hoc dico, bonum est; sed si bene usus fueris: bene autem non uteris, si malus fueris. Ac per hoc aurum & argentum malis malum est, bonis bonum est: non quia eos bonos aurum & argentum facit; sed F quia bonos invenit, in usum bonum convertitur. Honorem habere vis, bonum est: sed & hoc si bene utaris. Quàm multis honor occasio exitii fuit? Quàm multis honor ministerium boni operis fuit?

Quid est bonum.

CAPUT IV. Homo bona omnia vult habere præter se ipsum.

5. Discernamus ergo ista bona, si possumus: quia de bonis arboribus loquimur. Et hîc nihil est, quod sic quisque cogitare debeat, nisi ut in semetipsum oculos convertat, in se discat, se discutiat, se inspiciat, se quærat, & se inveniat: & G quod displicet, necet; quod placet, [a] optet & plantet. Cùm enim se homo inanem invenerit meliorum bonorum, ut quid est avidus externorum bonorum? Et quid prodest plena bonis arca, inani conscientia? BONA VIS HABERE, & bonus non vis esse? Non vides te erubescere debere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habet malum? Quid enim est quod velis habere malum? Dic mihi. Nihil omnino; non uxorem, non filium; non filiam, non servum, non ancillam, non villam, non tunicam, postremò non caligam: & tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia quæ circum-jacent oculis tuis, elegantia & pulcra tibi cara sunt; & tibi ipse vilis es ac fœdus? Si tibi possent respondere bona, quibus est plena domus tua, quæ habere optasti, perdere timuisti, nonne & tibi clamarent, Sicut tu nos bona vis habere, sic & nos volumus bonum habere dominum? Tacita voce interpellant contra te Dominum tuum: Ecce bona tanta dedisti huic, & ipse malus est. Quid ei prodest quod habet, quando eum qui omnia dedit, non habet?

CAPUT V. Verum bonum quid.

6. Quærit ergo aliquis admonitus his verbis meis, & fortè compunctus, quærit quid sit bonum, quale bonum, unde bonum. Bene intellexisti hoc te quærere debere. Respondebo quærenti, & dicam, HOC EST BONUM, quod non potes invitus amittere. Potes enim aurum perdere, & nolens; potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem: bonum verò quo verè bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. Quæro ergo quale sit hoc bonum? Psalmus quidam admonet nos rem magnam, fortè quam quærimus. Ait enim, Filii hominum, quò usque graves corde? Quò usque arbor illa in triennio? Filii hominum, quò usque graves corde? Quid est, graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et [b] ad hæc ergo ait quod quærendum est: Scitote quoniam Dominus magnificavit sanctum suum. Jam & Christus venit, jam magnificatus est, jam surrexit & adscendit in cælum, jam nomen ejus per totum mundum prædicatur: quò usque graves corde? Sufficiant præterita tempora: jam magnificato illo sancto, quò usque graves corde? Post triennium quid restat, nisi securis? Quò usque graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Adhuc vana, adhuc inutilia, adhuc pompatica & volatica, ita Christo sancto magnificato, adhuc ista requiruntur? Jam clamat veritas, & adhuc quæritur vanitas? Quò usque graves corde?

Psal. 4. 3.

Ibidem 4.

CAPUT VI. Cur mundus tam acriter flagellatur. *Luca 12. 48.*

7. Meritò fortiter flagellatur hic mundus: cognovit enim jam verba Domini mundus. Et servus, inquit, nesciens voluntatem domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit paucis. Quare? Ut quærat voluntatem domini sui. Servus ergo nesciens voluntatem, hoc erat mundus, antè quàm magnificaret sanctum suum; servus erat nesciens voluntatem domini sui, & ideo vapulabat paucis. Servus autem jam voluntatem sciens domini sui, hoc est modò, ex quo magnificavit Deitas sanctum suum; & non faciens voluntatem ejus, vapulabit multis. Quid ergo mirum, si mundus multùm vapulat? Servus est sciens voluntatem domini & faciens digna plagis. Non ergo recuset vapulare multis: quoniam si non vult audire præceptorem injustè, justè patietur ultorem. Vel non murmuret contra castigatorem, cùm videat se plagis dignum, ut misericordiam mereatur: per Christum Dominum nostrum, qui

[a] Aliquot MSS *aptet.*

[b] Am. Er. & MSS. *Et à tergo ait.*

Classis I. a

vivit & regnat [a] cum Deo Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO LXXIII.

* Aliàs de Diversis 46.

De verbis Evangelii Matth. 13. ubi Dominus Jesus parabolas seminantis exponit.

Caput I.

1. ET hesterno die & hodie, loquente Domino nostro Jesu Christo, parabolas seminantis audivimus. Qui adfuistis herì, recordamini hodie. Herì lectum est de illo seminante, qui cùm semina spargeret, aliud cecidit in viam, quod aves collegerunt; aliud in petrosis locis, quod æstu exaruit; aliud inter spinas, quod suffocatum est, & fecundari non potuit; aliud in terram bonam, & adtulit fructum centenum, sexagenum, trigenum. Hodie autem aliam parabolam rursus Dominus de seminante narravit, qui seminavit bonum semen in agro suo. Dormientibus hominibus venit inimicus, & superseminavit zizania. Quando herba erat, nondum apparebat: ubi cœpit fructus boni seminis apparere, ibi etiam zizania claruerunt. Offensi sunt servi patris-familiâs, videntes in bona segete multa zizania, & voluerunt eradicare, & permissi non sunt: sed dictum est eis, *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Exposuit autem etiam Dominus Jesus Christus istam parabolam; & boni seminis seminatorem se esse dixit, seminatorem zizaniorum inimicum hominem diabolum ostendit; tempus messis, finem sæculi; agrum suum, totum mundum. Sed quid ait? *In tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm zizania ad comburendum ea, triticum autem meum recondite in horreo.* Quid festinatis, inquit, servi zelo pleni? Videtis zizania inter frumentum, videtis malos Christianos inter bonos; eradicare vultis malos: quiescite, non est tempus messis. Veniat, & frumentum vos inveniat. Quid stomachamini? Quid ægrè toleratis malos permixtos bonis? In agro vobiscum esse possunt, in horreo non erunt.

(Margin: B — Matth. 13. 3.; Ibidem 24.; C — Mali inter bonos.; ℣. 30.; D; E)

Caput II. Una res multa nomina & duæ res unum interdum nomē sortiuntur in figuris Scripturæ.

2. Nostis autem illa tria hesterno die commemorata, ubi semen non profecit, viam, loca saxosa, loca spinosa, ipsa sunt zizania. Aliud nomen in alia similitudine acceperunt. Quia quando similitudines dantur, vel proprietas non exprimitur, per eas non veritas, sed similitudo veritatis exprimitur. Quod dico, scio paucos intellexisse: sed propter omnes loquimur. In rebus visibilibus via via est, saxosa loca loca saxosa sunt, spinosa loca loca spinosa sunt: quod sunt, hoc sunt; quia propriè nominantur. In parabolis autem & similitudinibus potest una res multis nominibus appellari: ideo non est incongruum ut dicerem vobis, via illa, loca illa saxosa, illa spinosa Christiani mali sunt, ipsi sunt & zizania. Nonne agnus Christus? nonne & leo Christus? Inter feras & pecora, qui agnus agnus, qui leo leo: utrumque Christus. Illa singula per proprietatem: ista utrumque per similitudinem. Plus etiam est quod accidit, ut per similitudinem multùm à se res distantes, vocentur uno nomine. Quod enim tam distat ab invicem, quàm Christus & diabolus? Tamen leo & Christus est appellatus, & diabolus. Christus leo: Vicit leo, de tribu Juda. Diabolus leo: Nescitis quia adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret? Ergo & ille leo & ille leo: ille leo, propter fortitudinem; ille leo propter feritatem: ille leo ad vincendum; ille leo ad nocendum. Ipse coluber diabolus est, serpens antiquus: numquid jussi sumus diabolum imitari, quando nobis dixit Pastor noster, Estote simplices ut columbæ, astuti ut serpentes.

(Margin: F; G — Apoc. 5. 5.; A — Serm. de Scripturis.; 1. Pet. 5. 8.; Apoc. 12. 9.; Matth. 10. 16.)

Caput III. Ad Christianos malos, ut mutentur. b

3. Ergo herì allocutus sum viam, allocutus sum loca saxosa, allocutus sum loca spinosa: & dixi, Mutamini, cùm potestis: dura [b] aratro versate, de agro lapides projicite, de agro spinas evellite. Nolite habere durum cor, unde citò verbum Dei pereat. Nolite habere tenuem terram, ubi radix caritatis alta non sedeat. Nolite curis & cupiditatibus sæcularibus offocare bonum semen, quod vobis spargitur laboribus nostris. Etenim Dominus seminat: sed nos operarii ejus sumus. Sed estote terra bona. Herì diximus, & hodie omnibus dicimus: Ferat alius centenum, alius sexagenum, alius trigenum. In alio major, in alio minor est fructus: sed omnes ad horreum pertinebunt. Herì ista diximus, hodie zizania alloquor: sed ipsi sunt oves zizania. O Christiani mali, ô qui implendo premitis Ecclesiam malè vivendo: corrigite vos antè quàm messis adveniat. Non dicatis, Peccavi, & quid accidit mihi? Non perdidit Deus potentiam: sed à te exigit pænitentiam. Hoc dico malis, & tamen Christianis; hoc dico zizaniis. In agro enim sunt: & fieri potest, ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum. Ideo & triticum alloquor.

(Margin: B; C; D)

Caput IV. Ad bonos Christianos, ut malos tolerent.

4. O vos Christiani qui bene vivitis, pauci inter multos suspiratis, pauci inter plurimos gemitis. Transiet hyems, veniet æstas, ecce aderit messis. Venient Angeli, qui possunt separare, & nesciunt errare. Nos in hoc tempore similes sumus servis illis, de quibus dictum est, *Vis imus & colligimus ea?* Volebamus enim, si fieri possit, nullum malum remanere inter bonos. Sed dictum est nobis, *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Quare? Tales enim estis, ut falli possitis. Denique audi: *Ne fortè, dum vultis eradicare zizania, eradicetis simul & triticum.* Quid boni facitis? Nonne messem meam vestrâ diligentiâ vastabitis? Venient messores: & exposuit qui sunt messores: *Messores autem Angeli sunt.* Nos homines sumus, Angeli messores sunt. Erimus quidem & nos, si cursum perfecerimus, æquales Angelis Dei: sed modò quando stomachamur contra malos, adhuc homines sumus. Et nos modò audire debemus: Quapropter qui se putat stare, caveat ne cadat. Putatis enim, Fratres mei, quia ista zizania non adscendunt apsidas? Putatis quia deorsum sunt, & sursum non sunt? Utinam hoc non simus. Mihi autem minimum est, ut à vobis judicer. Dico sanè Caritati Vestræ, & in apsidis sunt frumenta, sunt zizania; & in populis sunt frumenta, sunt zizania. Boni tolerent malos: mali mutentur, & imitentur bonos. Omnes, si fieri potest, ad Deum pertineamus: omnes malitiam sæculi hujus in illius misericordia evadamus. Quæramus dies bonos, quia in diebus malis sumus: sed in diebus malis non blasphememus, ut ad bonos dies pervenire possimus.

(Margin: ℣. 28.; E — ℣. 30.; ℣. 29.; ℣. 39.; F — 1. Cor. 10. 12.; 1. Cor. 4. 3.; G)

a Addititiam clausulam hanc esse vel ex eo conjectamus, quòd in illa plurimùm variant codices MSS.

b Sic vetus codex Germanensis. At editi, *dura corda versate.*

CLASSIS I.

SERMO LXXIV.

De verbis Evangelii Matth. 13. Ideo omnis Scriba eruditus in regno Dei *&c.*

Nunc primum prodit ex veteri libro Colbertinæ bibliothecæ notato 821. *Ejusdem tamen Sermonis excerptum jam exstabat in vulgata Bedæ, seu Flori collectione ad* 2. *Cor.* 3. *sub hoc titulo,* Ex Sermone de verbis Evangelii 17. *Quem re ipsa ordinem tenet in Colbertino codice suprà laudato.*

1. EVANGELICA lectio admonet nos quærere & explicare, quantum Dominus dederit, Caritati Vestræ, quis est *Scriba eruditus in regno Dei similis patri-familiàs proferenti de thesauro suo nova & vetera.* In hoc enim lectio ipsa conclusit: quæ sunt nova & vetera eruditi Scribæ. Quos autem veteres secundùm consuetudinem Scripturarum nostrarum Scribas appellaverint, notum est, videlicet qui Legis scientiam profiterentur. Tales enim in illo populo Scribæ appellabantur; non quales appellantur in officiis judicum, vel in consuetudine civitatum. Debemus enim non frustra intrare scholam, sed nosse in qua significatione Scripturarum verba teneamus: ne cùm aliquid de Scripturis sonuerit, quod in alio sæculari usu intelligi solet, aberret auditor, & cogitando quod consuevit, non intelligat quod audivit. Scribæ ergo erant qui Legis scientiam profitebantur, ad quos libri Legis pertinebant vel custodiendi, vel pertractandi, vel etiam scribendi & intelligendi.

Matth. 13. 52.

Scribæ Judæis quinam.

2. Tales Dominus noster Jesus Christus increpat, quòd habeant claves regni cælorum, neque ipsi intrent, neque alios intrare permittant; reprehendens scilicet Pharisæos & Scribas, doctores Legis Judæorum. De quibus alio loco ait, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Quare vobis dictum est, Dicunt enim, & non faciunt? nisi quia sunt quidam de quibus ostenditur quod » ait Apostolus, Qui prædicas non furandum, fu» raris; qui dicis non adulterandum, adulteras; » qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in » Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum » inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphema» tur in Gentibus. Certè de his manifestum est dicere Dominum, Dicunt enim, & non faciunt. Sunt ergo Scribæ illi, sed non eruditi in regno Dei.

Scribæ non eruditi in regno Dei. Lucæ 11. 52. Matth. 23. 3. Rom. 2. 21. &c.

3. Fortassis dicat aliquis vestrûm, Et quomodo potest malus homo bona loqui? cùm scri» ptum sit, ipso Domino dicente, Bonus homo » de bono thesauro cordis sui profert bona, & ma» lus homo de malo thesauro cordis sui profert ma» la. Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, » cùm sitis mali? Hàc dicit, Quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali? Hàc dicit, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Si dicunt, & non faciunt; mali sunt: si mali sunt; bona loqui non possunt: quomodo facimus quod ab ipsis audimus, cùm ab ipsis bona audire non possimus? Hoc quomodo solvatur advertat Sanctitas Vestra. Quidquid homo malus à se profert, malum est: quidquid homo malus de corde suo profert, malum est: ibi est enim thesaurus malus. Quidquid autem homo bonus de corde suo profert, bonum est: ibi enim est thesaurus bonus. Unde ergo illi mali bona proferebant? Quia in cathedra Moysi sedebant. Nisi prædixisset, Cathe-A dram Moysi sedent; numquam malos audiri jussisset. Aliud enim erat, quod de malo sui cordis thesauro proferebant; aliud quod de cathedra Moysi, tamquam præcones judicis personabant. Quod dicit præco, numquam præconi tribuetur, si ante judicem dicat. Aliud est quod præco loquitur in domo sua, aliud quod præco loquitur audiens à judice. Nam, velit nolit, præco sonat vocem punitionis & amici sui. Item, velit nolit, sonat vocem absolutionis & inimici sui. Da vo-B cem de corde ejus: absolvit amicum, punit inimicum. Da vocem de sella judicis: punit amicum, absolvit inimicum. Da vocem Scribarum de corde eorum: audies, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Da vocem de cathedra Moysi: audies, Non occides, Non adulterabis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dicas, Honora patrem & matrem: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hoc tu fac, quod per os Scribarum cathedra sonat: non quod C per cor Scribarum. Ita enim Domini sententiam utramque complectens, nec eris in una obediens, in altera reus; sed intelligis ambas concordare, & illud verum respicis, quia bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo profert mala: & illud, quia illi Scribæ bona non loquerentur de thesauro malo cordis sui, sed bona loqui possent de thesauro cathedræ Moysi.

Præfecti mali quomodo bona loquantur, & à subditis audiendi. Matth. 12. 35. Matth. 23. 2.

Serm. de Scripturis. Isai. 22. 13. Exodi 20. 13. &c.

4. Non te ergo & illa turbabunt verba Do-D mini dicentis, Unaquæque arbor ex fructu co» gnoscitur. Numquid colligunt de spinis uvas, » & de tribulis ficus? Ergo Scribæ & Pharisæi Ju» dæorum spinæ & tribuli: & tamen, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Colligitur ergo de spinis uva, & de tribulis ficus, sicut dedit tibi secundùm superiorem tractatum intellectum. Nam & aliquando in spinosa sepe vineæ implicant se vites, & de rubo pendent botri. Audito nomine spinarum contemturus es E uvam. Require radicem spinarum, & vide ubi invenias. Sequere radicem botri pendentis, & vide ubi invenias. Sic intellige aliud pertinere ad cor Pharisæi, & aliud ad cathedram Moysi.

Botrus in spinis. Lucæ 6. 44.

5. Sed quare illi tales? Quia velamen, inquit, positum est super cor eorum. Et non vident quia vetera transierunt & facta sunt omnia nova. Hinc illi tales, & quicumque etiam nunc tales. Unde vetera? Quia jamdiu prædicantur. Unde nova? Quia ad regnum Dei per-F tinent. Quomodo ergo tollitur velamen, dicit ipse Apostolus, Cùm autem transieris ad Dominum, auferetur velamen. Judæus ergo non transiens ad Dominum, non pertendit aciem mentis in finem. Quomodo illo tempore in hac figura filii Israël non pertendebant aciem oculorum suorum * in finem, id est, in faciem Moysi. Facies enim Moysi splendida figuram habebat veritatis: interpositum est velamen, quia non poterant intendere adhuc splendorem vultûs ejus filii Is-G raël. Quæ figura evacuatur. Sic enim dixit Apostolus: Quæ * evacuantur. Quare evacuantur? Quia veniente imperatore imagines tolluntur de medio. Ibi spectatur imago, ubi imperator præsens non est: ubi est autem ille cujus est imago, imago removetur. Imagines ergo præferebantur, antè quàm veniret imperator noster Dominus Jesus Christus. Imaginibus sublatis fulget

2. Cor. 3. 15. Veteres figuræ per Christum evacuatæ. 2. Cor. 5. 17. Florus ad 2. Cor. 3. 16.

* In 2. Cor. 3. 13. εἰς τὸ τέλος.

* Græc. τὸ καταργούμενον, quod evacuatur.

Classis I.

præsentia imperatoris. Ergo cùm transierit quisque ad Dominum, auferetur velamen. Sonabat enim vox Moysi per velum, & facies Moysi non apparebat. Sic & modò Judæis sonat vox Christi per vocem Scripturarum veterum: vocem earum audiunt, faciem sonantis non vident. Volunt ergo ut auferatur velamen? Transeant ad Dominum. Tunc enim non auferuntur vetera, sed conduntur in thesauro, ut jam sit Scriba eruditus in regno Dei, proferens de thesauro suo, nec nova sola, nec vetera sola. Nam si nova sola, aut vetera sola protulerit; non est Scriba eruditus in regno Dei proferens de thesauro suo nova & vetera. Si dicit ea, & non facit ea; de cathedra profert, non de thesauro cordis sui. Et verum dicimus Sanctitati Vestræ, quæ de veteri proferuntur, per novum illustrantur. Ideo transitur ad Dominum, ut auferatur velamen.

** Aliàs de Diversis 22.*

* SERMO LXXV.

De [a] *verbis Evangelii Matth.* 14. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, *&c.*

Caput I. Altior significatio latet in re gesta *Matth.* 14.

1. EVANGELII lectio, quam modò audivimus, admonet humilitatem omnium nostrûm, videre & cognoscere ubi simus, & quò nobis tendendum & festinandum sit. Non enim nihil significat navis illa portans discipulos, quæ contrario vento laborabat in fluctibus. Neque sine caussa Dominus relictis turbis adscendit in montem, ut solus oraret; deinde veniens ad discipulos suos, periclitantes invenit, ambulans super mare, & confirmavit eos adscendens in navem, fluctusque placavit. Quid autem mirum, si omnia placare potest, qui condidit omnia? Tamen postea quàm adscendit in navem, venerunt qui portabantur, dicentes, *Verè Filius Dei es tu.* (*Matth.* 14. 33.) Sed ante istam evidentiam turbati sunt, videntes eum super mare. Dixerunt enim, *Phantasma est.* (℣. 26.) Ille autem adscendens in navem, abstulit fluctuationem mentis de cordibus ipsorum, ubi jam ampliùs dubitatione periclitabantur mente, quàm corpore in fluctibus.

Caput II. Quid significet transitus maris in navi.

2. In omnibus tamen quæ fecit Dominus, admonet nos quemadmodum hîc vivamus. Nemo quippe in hoc sæculo non peregrinus est: quamvis non omnes ad patriam redire desiderent. Ex ipso autem itinere fluctus tempestatesque patimur: sed opus est vel in navi simus. Nam si in navi pericula sunt, sine navi certus interitus. Quantasvis enim vires habeat lacertorum qui natat in pelago, aliquando magnitudine maris victus absorbetur & mergitur. Opus est ergo ut in navi simus, hoc est, ut in ligno portemur, ut mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, crux est Domini, in qua signamur, & ab hujus mundi submersionibus vindicamur. Patimur fluctus: sed ille Deus est, qui opituletur nobis.

Christi in monte oratio. *Matth.* 14.

3. Quòd enim adscendit relictis turbis solus Dominus orare in montem, mons ille alta cælorum significat. Relictis enim turbis, solus Dominus post resurrectionem adscendit in cælum, & ibi interpellat pro nobis, sicut Apostolus dicit. (*Rom.* 8. 34.) Est ergo quod significat, relictis turbis, adscendit in montem ut solus oraret. Solus enim est adhuc primogenitus à mortuis, post resurrectionem corporis ad dexteram Patris, pontifex & advocatus precum nostrarum. Caput Ecclesiæ sursum est, ut cetera membra sequantur in finem. Si ergo interpellat pro nobis, quasi in montis verticem, super celsitudinem omnium creaturarum, solus orat.

Serm. de Scripturis.

Caput III. Navis jactata tempestate.

4. Interea navis portans discipulos, id est, Ecclesia, fluctuat & quatitur tempestatibus tentationum: & non quiescit ventus contrarius, id est, adversans ei diabolus, & impedire nititur ne perveniat ad quietem. Sed major est qui interpellat pro nobis. Nam in ista nostra fluctuatione in qua laboramus, dat nobis fiduciam, veniens ad nos, & confortans nos: tantùm ne turbati in navi excutiamus nos, & projiciamus in mare. Quia etsi turbatur navis, navis est tamen. Sola portat discipulos, & recipit Christum. Periclitatur quidem in mari: sed sine illa statim perditur. Tene te itaque in navi, & roga Deum. Deficientibus enim omnibus consiliis, cùm neque gubernacula suffecerint, & ipsa velorum extensio majori periculo quàm utilitati fuerit; dimissis humanis omnibus adjutoriis & viribus, sola restat nautis intentio deprecandi & voces ad Deum fundendi. Qui ergo præstat navigantibus, ut perveniant ad portum, numquid Ecclesiam suam dimissurus est, ut eam non perducat ad requiem?

Caput IV. Tempestas absente Domino.

5. Tamen, Fratres, maxima perturbatio in ista navi non est, nisi in absentia Domini. In Ecclesia constitutus, absentem habet Dominum? Quando habet absentem Dominum? Quando vincitur aliqua cupiditate. Quomodo enim quodam loco in sacramento dictum accipitur, Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locum diabolo: (*Florus ad Ephes.* 4. 26.) intelligitur autem, non de isto sole qui habet quamdam [b] sublimitatem inter cælestia visibilia, qui communiter videri potest & à nobis & à bestiis; sed de illa luce, quam non vident nisi pura corda fidelium, sicut dictum est, Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (*Johan.* 1. 9.) Hoc enim lumen visibilis solis etiam pecora minutissima & brevissima illuminat. Est ergo lumen verum justitia atque sapientia, quod desinit mens videre, cùm perturbatione iracundiæ fuerit tamquam nubilo superata: & tunc quasi occidit sol super iracundiam hominis. Sic & in ista navi, cùm absens est Christus, suis quisque tempestatibus quatitur & iniquitatibus & cupiditatibus suis. Dicit enim tibi Lex, verbi gratiâ, Ne falsum testimonium dicas. Si intelligas testimonii veritatem, lucem habes in mente: si autem turpis lucri cupiditate superatus, statueris animo falsum dicere testimonium, jam incipies absente Christo tempestate turbari, fluctuabis fluctibus avaritiæ tuæ, periclitaberis tempestate concupiscentiarum tuarum, & quasi absente Christo penè submergeris.

Caput V. Retrò respicere.

6. Quàm metuendum est, ne avertatur navis, & retrò respiciat: quod fit, cùm relicta spe cælestium præmiorum, ad ea quæ videntur & transeunt, detorquente cupiditate quisque con-

[a] Hunc citat Florus ad Ephes. 4. Eumdemque fortè Sermonem Possidius notat in Indiculo cap. 9. his verbis: *De Evangelica lectione, ubi Domino jubente Petrus super mare ambulavit.* Subsequentem verò in cap. 8. sic; *De eo quid Petrus in mari titubavit.*

[b] Apud Florum, *quamdam claritatem.*

Classis I.

vertitur. Nam & tentationibus libidinum qui perturbatur, & tamen in ea quæ intus sunt conspicit, non est usque adeo desperatus, veniam delictis suis deprecans, & intentus evincere atque transmeare rabiem sævientis maris. Qui verò ita detorquetur ab se, ut dicat in corde suo, Non videt Deus; non enim de me cogitat, aut curat an peccem: vertit proram, fertur procellâ, & unde veniebat impellitur. Sunt enim multæ cogitationes in cordibus hominum: & fluctibus hujus sæculi, & multis tempestatibus navis Christo absente turbatur.

Caput VI. Vigilia noctis quarta.

7. Quarta verò vigilia noctis, finis est noctis: una enim vigilia tribus horis constat. Significat ergo, quòd jam in fine sæculi subvenit Dominus, & videtur ambulare super aquas. Quamquam enim turbetur tentationum procellis hæc navis, videt tamen glorificatum Deum ambulare super omnes tumores maris; hoc est, super omnes hujus sæculi principatus. Antea enim dictum est ex voce passionis ejus, quia secundùm carnem cùm demonstraret humilitatis exemplum, evanuerunt adversùs eum fluctus maris, quibus cessit voluntate pro nobis, ut impleretur illa prophetia, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Non enim repulit falsos testes, nec sævientem clamorem dicentium, Crucifigatur. Rabida corda & ora furentium non potestate compressit, sed patientiâ toleravit. Fecerunt ei quanta voluerunt: quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Postea verò quàm resurrexit à mortuis, ut pro discipulis in Ecclesia tamquam in navi constitutis, & fide crucis suæ tamquam ligno portatis, & tentationibus hujus sæculi tamquam fluctibus maris periclitantibus, solus oraret; cœpit nomen ejus honorari & in hoc sæculo, in quo contemtus, accusatus, occisus est; ut qui venerat secundùm passionem carnis in altitudinem maris, & tempestas demerserat eum, jam superborum cervices tamquam spumam undarum sui nominis honore calcaret. Sicut nunc Dominum videmus tamquam ambulantem super mare, sub cujus pedibus totam hujus sæculi rabiem subjectam esse conspicimus.

Psal. 68. 3. — *Philip.* 2. 8. — Fides crucis.

Caput VII. Error discipulorum errores figurat hæreticorum. * Manichæorum.

8. Sed accedunt periculis tempestatum etiam errores hæreticorum; & non desunt qui sic tentent animos eorum qui sunt in navi, ut dicant Christum non fuisse natum de virgine, nec verum corpus habuisse, sed oculis visum esse quod non erat. Et istæ opiniones hæreticorum * nunc natæ sunt, quando jam nomen Christi per omnes gentes clarificatur, tamquam Christo jam ambulante super mare. Tentati discipuli dixerunt, *Quia phantasma est.* Sed ille nos adversùs istas pestes sua voce confirmat, dicens, *Fidite, ego sum; nolite timere.* Vano enim timore homines de Christo ista senserunt, adtendentes honorem ejus & majestatem: & non putant quòd sic potuerit nasci, qui sic meruit clarificari, tamquam expavescentes super mare ambulantem. Quo facto, honoris ejus excellentia figuratur: atque ita quòd phantasma esset, existimant. Sed cùm ille dicit, *Ego sum*: quid aliud dicit, nisi non [a] in se esse quod non est? Itaque si carnem ostendit, caro erat; si ossa, ossa erant; si cicatrices, cicatrices erant. Non enim erat in illo Est, & Non: sed Est in illo erat, sicut Apostolus dicit. Inde est vox illa, *Fidite, ego sum; nolite timere.* Hoc est, nolite sic expavescere meam dignitatem, ut mihi velitis auferre veritatem. Etsi super mare ambulo, etsi elationes & fastus sæculares tamquam rabidos fluctus sub pedibus habeo, tamen verus homo apparui, tamen verum de me Evangelium meum prædicat; quòd ex virgine natus sim, quòd Verbum caro factus sim; quòd verum dixi, Palpate & videte, quia spiritus ossa non habet, sicut me videtis habere: quòd manus dubitantis vera vulnerum meorum vestigia tractaverunt. Itaque, *Ego sum; nolite timere.*

ŷ. 26. — ŷ. 27. — Serm. de Scripturis. 2. *Cor.* 1. 19. — *Lucæ* 24. 39.

[a] In editis deest, *in*: quæ particula exstat in MS. Germanensi.

Caput VIII. Error alius itidem figuratus.

9. Non autem illos solos significat ista res, quòd putaverunt discipuli quia phantasma est: non illos solos designat, qui humanam carnem habuisse Dominum negant, & aliquando etiam eos qui in navi sunt cæca pravitate perturbant: sed etiam illos qui Dominum putant in aliquo fuisse mentitum, & ea quæ minatus est impiis, eventura esse non credunt. Quasi in parte sit verax & in parte mendax, veluti phantasma apparens in verbis, quasi quod est & non est. Sed qui bene intelligunt vocem dicentis, *Ego sum; nolite timere:* jam credunt omnia verba Domini, ut quemadmodum sperant præmia quæ promittit, ita pœnas timeant quas minatur. Sicut enim verum est quod dicturus est ad dexteram positis, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi: ita verum est quod audituri sunt ad sinistram constituti, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Nam & ista opinio, qua putant homines Christum non vera fuisse iniquis & perditis comminatum, ex hoc nata est, quia vident populos multos & innumerabiles turbas nomini ejus esse subjectas: ut ex eo illis videatur Christus phantasma esse, quia super mare ambulabat; id est, ideo videatur mentiri in comminatione pœnarum, quia quasi non potest perdere tam innumerabiles populos, qui nomini ejus & honori subjecti sunt. Sed audiant dicentem, *Ego sum.* Illi ergo non timeant, qui veracem in omnibus Christum credentes, non solùm id quod promisit appetunt, sed etiam fugiunt quod minatus est: quia etiamsi super mare ambulat, id est, omnia genera hominum in isto sæculo constituta illi subjecta sunt; tamen non est phantasma, & ideo non mentitur cùm dicit, Non omnis qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.

Matth. 25. 34. — *Ibidem* 41. — *Matth.* 7. 21.

Caput IX. Petrus ambulans super mare. ŷ. 28.

10. Quid ergo significat etiam quòd Petrus ausus est ad illum venire super aquas? Gestat enim Petrus Ecclesiæ plerumque personam. Quid ergo aliud dictum putamus, *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas:* nisi, Domine, si tu verax es, & in nullo mentiris, clarificetur etiam Ecclesia tua in isto sæculo, quia hoc de te prophetia prædicavit? Ambulet ergo super aquas, & sic ad te veniat illa cui dictum est, Vultum tuum deprecabuntur divites plebis. Sed quoniam Dominum laus humana non tentat; homines autem sæpe in Ecclesia humanis laudibus & honoribus perturbantur, & propè merguntur; ideo Petrus trepidavit in mari, magnam vim tempestatis exhorrens. Quis enim non timet

Psal. 44. 13.

CLASSIS I.

Isai. 3. 12.

illam vocem, Qui vos felices dicunt, in errorem „ vos mittunt, & conturbant semitas pedum vestrorum? Et quia luctatur animus adversùs concupiscentiam laudis humanæ, bonum est in tali periculo ad orationem & deprecationem convertatur: ne fortè qui laude mulcetur, vituperatione subruatur atque mergatur. In unda exclamet titubans Petrus, & dicat, *Domine, salva me.* Porrigit enim Dominus manum: & quamvis increpet, dicens, *Modicæ fidei, ut quid dubitasti?* quare non recto itinere illum intuens ad quem B tendebas, non nisi in Domino gloriatus es? Tamen à fluctibus rapit, & confitentem infirmitatem suam atque illius auxilium postulantem, perire non finit. Recepto autem Domino in navi, confirmata fide atque omni dubitatione sublata, sedatisque tempestatibus maris, ut jam ad terræ stabilitatem securitatemque veniatur, adorant omnes dicentes, *Verè Filius Dei es tu.* Hoc est enim gaudium sempiternum, quo perspicua veritas, & Verbum Dei, & Sapientia per quam C facta sunt omnia, & eminentia misericordiæ ejus, & cognoscitur & amatur.

** Aliàs 13. de verbis Domini.* a

* SERMO LXXVI.

Rursus in Matth. 14. *de* [a] *Domino ambulante super aquas maris, & de Petro titubante.*

CAPUT I. *Matth. 14. 25.*

Mare, sæculum. Petrus, Ecclesiæ typus.

1. EVANGELIUM quod recentissimè recitatum est de Domino Christo, qui super aquas maris ambulavit; & de D apostolo Petro, qui ambulans timendo titubavit, & diffidendo mersus, confitendo rursus emersit; admonet nos intelligere mare præsens sæculum esse, Petrum verò apostolum Ecclesiæ unicæ typum. Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promtissimus, sæpe unus respondet pro omnibus. Ipse denique Domino Jesu Christo requirente, quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursusque Domino interrogante & dicente, Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi. Unus pro multis dedit responsum, unitas in multis. Tunc ei Dominus „ ait, Beatus es Simon Bar-Jona, quia non reve„ lavit tibi caro & sanguis, sed Pater meus qui est „ in cælis. Deinde addidit, Et ego dico tibi. Tamquam diceret, Quia tu dixisti mihi, Tu es Christus Filius Dei vivi; & ego dico tibi, Tu es Petrus. Simon quippe antea vocabatur. Hoc autem ei nomen, ut Petrus appellaretur, à Domino impositum est: & hoc in ea figura, ut significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est. Ideo Petrus à petra, non petra à Petro: quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus; & super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognovisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam: id est, super me ipsum Filium Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te.

Matth. 16. 17. &c.

Florus ad 1. Cor. 1.

CAPUT II.

1. Cor. 1. 12.

Ecclesia non super homines, sed super Christum ædificata.

2. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant, Ego quidem sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego verò Cephæ, ipse est Petrus. A Et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus ubi cognovit se eligi, & Christum contemni: Divisus est, inquit, Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri; sed in nomine Christi: ut Petrus ædificaretur super petram, non petra super Petrum.

Petrus primò beatus & mox satanas dictus.

3. Idem ergo Petrus à petra cognominatus B beatus, Ecclesiæ figuram portans, apostolatûs principatum tenens, continuò post paululum jam audito quòd beatus esset, jam audito quòd Petrus esset, jam audito quòd supra petram [b] ædificandus esset, postea quàm audivit futuram Domini passionem, quia prædixerat eam citò futuram discipulis suis, displicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confessus fuerat vitæ fontem. Turbatus est, dicens, Absit à te, inquit, Domine, non fiet istud. Propitius esto tibi, Deus, nolo te mori. Petrus C dicebat Christo, Nolo te mori: sed meliùs dicebat Christus, Volo pro te mori. Denique continuò reprehendit, quem paulò antè laudaverat; & quem beatum dixerat, satanam appellat. Redi, inquit, post me satana, scandalum mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Quid nos vult facere ex hoc quòd sumus, qui sic culpat quòd homines sumus? Vultis scire quid nos velit facere? Audite Psalmum: Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi om- D nes. Sed humana sapiendo: Vos autem sicut homines moriemini. Idem ipse Petrus paulò antè beatus, postea satanas, in momento uno, infra pauca verba. Miraris differentiam nominum, differentias adtende caussarum. Quid miraris, quia paulò antè beatus, postea satanas? Adtende caussam quare beatus. Quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Ideo beatus, quia tibi non caro & sanguis revelavit. Si enim caro & sanguis hoc tibi reve- E laret; de tuo: quia verò non caro & sanguis tibi revelavit, sed Pater meus qui in cælis est; de meo, non de tuo. Quare de meo? Quia omnia quæ habet Pater, mea sunt. Ecce audisti caussam, quare beatus, & quare Petrus. Quare autem illud quod horrescimus, & repetere nolumus? quare, nisi quia de tuo? Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Matth. 16. 22.

Ibidem 23.

Psal. 81. 6.

Matth. 16. 17.

Johan. 16. 15.

CAPUT III.

In Petro firmi & infirmi figurati.

4. Hoc intuentes nos Ecclesiæ membrum, discernamus quid de Dei, quid de nostro. Tunc F enim non titubabimus, tunc in petra fundabimur, fixi & stabiles erimus adversùs ventos, imbres, flumina, tentationes videlicet præsentis sæculi. Illum tamen videte Petrum, qui tunc erat figura nostra: modò fidit, modò titubat; modò immortalem confitetur, modò timet ne moriatur. Proinde quia Ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos; nec sine firmis potest esse, nec sine infirmis: unde dicit Paulus apostolus, Debemus autem nos firmi infirmorum one- G ra sustinere: in eo quòd dixit Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi, firmos significat; in eo autem quòd trepidat & titubat, & Christum pati non vult, mortem timendo, vitam non agnoscendo, infirmos Ecclesiæ significat. In illo ergo uno apostolo, id est, Petro, in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur

Rom. 15. 1.

[a] Hujus Sermonis excerpta refert Florus ad 1. Cor. 1. & 15.

[b] MSS. ædificatus est.

Classis I.

Ecclesia, utrumque genus significandum fuit, id est firmi & infirmi: quia sine utroque non est Ecclesia.

Homo in se infirmus, potens in Domino. *Matth. 14. 28.*

5. Hinc est ergo & quod modò lectum est, *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Si tu es, jube me:* Non enim possum hoc in me, sed in te. Agnovit quid sibi esset à se, quid ab illo, cujus voluntate credidit se posse, quod nulla infirmitas humana possit. Ergo, *Si tu es, jube:* quia cùm jusseris, fiet. Quod ego non valeo præsumendo, tu potes jubendo. Et Dominus, *Veni*, inquit. *℣. 29.* Et sine ulla dubitatione Petrus ad verbum jubentis, ad præsentiam sustentantis, ad præsentiam regentis sine ulla cunctatione desiluit in aquas, & ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in se, sed in Domino. Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux; sed in Domino. *Ephes. 5. 8.* Quod nemo potest in Paulo, nemo in Petro, nemo in alio ullo Apostolorum, hoc potest in Domino. *Florus ad 1. Cor. 1.* Ideo bene Paulus utiliter se contemnens, illum commendans: Numquid Paulus, inquit, pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? *1. Cor. 1. 13.* Non ergo in me, sed mecum; non sub me, sed sub illo.

Caput IV. Infirmitatis propriæ cognitio necessaria ad gratiam obtinendā.

6. Ergo ambulavit Petrus super aquas in jussu Domini, sciens hoc se à se habere non posse. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret. Hi sunt firmi Ecclesiæ. Adtendite, audite, intelligite, agite. Neque enim agendum est cum firmis [a] alibi, ut sint infirmi: sed agendum est cum infirmis, ut sint firmi. Multos autem impedit à firmitate præsumtio firmitatis. NEMO ERIT A DEO FIRMUS, nisi qui se à se ipso sentit infirmum. Pluviam voluntariam segregans Deus hereditati suæ. *Psal. 67. 10.* Quid præceditis, qui quod dicturus sum nostis? Temperetur velocitas, ut sequatur tarditas. Hoc dixi, & hoc dico: audite, capite, facite. Nemo à Deo fit firmus, nisi qui se à se ipso sentit infirmum. Pluviam ergo voluntariam, sicut Psalmus dicit, voluntariam; non meritorum nostrorum, sed voluntariam. *Florus ad 1. Cor. 15.* Pluviam ergo voluntariam segregans Deus hereditati suæ: etenim infirmata est; tu verò perfecisti eam. Quia pluviam voluntariam segregasti, non adtendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiam. Infirmata est ergo ipsa hereditas, & agnovit se infirmam in se, ut firma esset in te. Non firmaretur, si non infirmaretur, ut abs te in te perficeretur.

Caput V. Paulus infirmitatem suam agnoscens perficitur.

7. Vide hujus hereditatis portiunculam Paulum, vide infirmatum, qui dixit, Non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. *1. Cor. 15. 9. &c.* Quare ergo Apostolus es? Gratiâ Dei sum quod sum. Non sum idoneus, sed gratiâ Dei sum quod sum, Infirmatus est Paulus, tu verò perfecisti eum. Jam verò quia gratiâ Dei est quod est, vide quid sequatur: Et gratia ejus in me non fuit vacua, sed plus omnibus illis laboravi. Vide ne præsumtione perdas, quod infirmitate meruisti. Bene hoc, bene: Non sum idoneus vocari Apostolus: Gratiâ ejus sum quod sum; & gratia ejus in me non fuit vacua: omnia optimè. Sed, Plus illis omnibus laboravi: quasi tibi cœpisti tribuere, quod paulò antè Deo dederas. Agnosce, & sequere: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Bene infirme: firmissimè eris exaltatus, quia non es ingratus. Tu es idem ipse Paulus in te parvus, in Domino magnus: Tu es qui ter Dominum rogasti, ut stimulus carnis, angelus satanæ, à quo colaphizabaris, auferretur à te. *2. Cor. 12. 8.* Quid tibi dictum est? quid audisti quando hoc petisti? Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. *Ibidem 9.* Etenim infirmatus est, tu verò perfecisti eum.

Serm. de Scripturis.

Petrus potens non in se, sed in Domino.

8. Sic & Petrus, *Jube me*, inquit, *venire ad te super aquas.* Homo audeo, sed non hominem rogo. Jubeat Deus homo, ut possit quod non potest homo. *Veni*, inquit. Et descendit, & cœpit ambulare super aquas: & potuit Petrus, quia jusserat petra. Ecce quid Petrus in Domino: quid in se? *Videns ventum validum, timuit; & cùm cœpisset mergi, exclamavit, Domine, pereo, libera me.* Præsumsit de Domino, potuit de Domino: titubavit ut homo, rediit ad Dominum. Si dicebam, Motus est pes meus. *Psal. 93. 18.* Psalmus loquitur, sancti Cantici vox est; & si agnoscamus, & nostra: immo si velimus, & nostra est. Si dicebam, Motus est pes meus. Quare motus, nisi quia meus? Et quid sequitur? Misericordia tua, Domine, adjuvabat me. Non virtus mea: sed misericordia tua. Numquid enim Dominus deseruit titubantem, quem audivit invocantem? Ubi est illud, Quis invocavit Deum, & desertus est ab eo? *Eccli. 2. 12.* Ubi & illud, Et omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit? *Joël. 2. 32.* Continuò porrigens adjutorium dexteræ suæ, levavit mergentem, increpavit diffidentem: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* De me præsumsisti, de me dubitasti?

Caput VI. In sæculi adversitate seu felicitate [b] timor tempestas est.

9. Eia Fratres, Sermo concludendus est. Adtendite sæculum quasi mare, ventus validus, & magna tempestas. Unicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum; ambulas super mare, sub pedibus tuis est sæculi [b] tumor. Amas sæculum; absorbebit te. Amatores suos vorare novit, non portare. Sed cùm fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi divinitatem. Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus sæculi adversitas? Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum, etiam singulo evenit privata calamitas, tunc putatur ventus adversus, ibi putatur invocandus Deus. Quando autem temporali felicitate sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem: interroga, sed tuam cupiditatem. Vide si tranquillitas est in te: vide si non te subvertit ventus interior: hoc vide. MAGNÆ VIRTUTIS EST, cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ, inquam, virtutis est, cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est, à felicitate non vinci. Disce calcare sæculum: memento fidere in Christo. Et si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic, Domine, pereo, libera me. Dic, Pereo; ne pereas. Solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. Conversi ad Dominum, &c.

[a] Aliquot MSS. *ut alibi sint infirmi.*

[b] Sic meliores MSS. Editi verò, *timor sæculi.*

CLASSIS I.

* Aliàs de Tempore 74.

* SERMO LXXVII.

De verbis Evangelii Matth. 15. Egressus Jesus de Genezareth, secessit in partes Tyri & Sidonis, & ecce [a] mulier Chananæa *&c.*

CAPUT I. Chananæa mulier humilitatis exemplū.

I. CHANANÆA ista mulier, quæ [b] modò nobis lectione Evangelica commendata est, præbet nobis humilitatis exemplum, & pietatis viam: ab humilitate in alta surgere ostendit. Erat autem, sicuti apparet, non de populo Israël, unde Patriarchæ, unde Prophetæ, unde parentes Domini nostri Jesu Christi secundùm carnem; unde ipsa virgo Maria, quæ peperit Christum. Non ergo ex isto populo erat hæc mulier: sed erat ex Gentibus. Nam, sicut audivimus, secessit Dominus in partes Tyri & Sidonis, & inde mulier Chananæa de finibus illis egressa, petebat beneficium instantissimè curandæ filiæ suæ, quæ malè à dæmonio vexabatur. Tyrus & Sidon non erant civitates populi Israël, sed Gentium; quamvis vicinæ illi populo. Clamabat ergo avida impetrandi beneficii, fortiterque pulsabat: & dissimulabatur ab [c] ea, non ut misericordia negaretur, sed ut desiderium accenderetur; nec solùm ut desiderium accenderetur, sed, sicut antè dixi, ut humilitas commendaretur. Clamabat ergo tamquam Domino non audiente, sed quod facturus erat in silentio disponente. Discipuli rogaverunt pro illa Dominum, & dixerunt, *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Et ille, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël.*

(Matth. 15. 22. &c. — ℣. 23. — ℣. 24.)

CAPUT II. Quomodo Christus [illegible] Israëlitis missus.

2. Hîc verborum istorum oritur quæstio: Unde nos ad ovile Christi de Gentibus venimus, si non est missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël? Quid sibi vult hujus secreti tam alta dispensatio, ut cùm Dominus sciret quare veniret, utique ut Ecclesiam haberet in omnibus Gentibus, non se missum dixerit, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël? Intelligimus ergo præsentiam corporis sui, nativitatem suam, exhibitionem miraculorum, virtutemque resurrectionis in illo populo eum ostendere debuisse; ita fuisse dispositum, sic ab initio commendatum, hoc prædictum, hoc impletum: quia Christus Jesus ad gentem Judæorum venire debuit videndus, occidendus, & lucraturus eos inde quos antè præscivit. Non enim damnata illa plebs est, sed ventilata. Ibi erat paleæ multitudo, ibi granorum occulta dignitas: ibi quod incenderetur, ibi unde horreum repleretur. Nam unde Apostoli, nisi inde? Unde Petrus? Unde ceteri?

(Solutio quæstionis)

Saulus in Paulum mutatus. (Florus ad 1. Cor. 1. 1. Reg. 18. 29. Act. 9. 1. &c.)

3. Unde ipse Paulus, primò Saulus? hoc est, primò superbus, pòst humilis. Nam quando Saulus, à Saüle nomen derivatum erat. Saül autem rex superbus: in regno autem David humilem persequebatur. Quando ergo Saulus, qui postea Paulus, tunc utique superbus, tunc persecutor innocentium, tunc vastator Ecclesiæ. Acceperat enim litteras (velut zelo synagogæ ardens, & insequens Christianum nomen,) à sacerdotibus, ut exhiberet quoscumque invenisset Christianos ad luenda supplicia. Cùm pergit, cùm anhelat cædes, cùm sitit sanguinem, cælesti Christi voce prostratus est persecutor, erectus est prædicator. Impletum in illo quod scriptum est in Propheta: Ego percutiam, & ego sanabo. Hoc enim percutit Deus, quod se in homine extollit adversùs Deum. Non est impius medicus, qui tumorem ferit, qui putredinem secat, aut urit. Dolorem ingerit: ingerit, sed ut perducat ad sanitatem. Molestus est: sed nisi esset, utilis non esset. Prostravit ergo Christus una voce Saulum, erexit Paulum: hoc est, prostravit superbum, erexit humilem. Nam quæ fuit ratio mutandi sibi nominis, ut cùm Saulus antea vocaretur, postea se Paulum dici vellet; nisi quia Sauli nomen in se agnovit, cùm persequeretur, fuisse superbiæ? Elegit ergo humile nomen, ut Paulus, hoc est minimus, vocaretur. Paulum enim, minimum est. Paulum nihil aliud est, quàm parvum. De quo nomine jam glorians, humilitatemque commendans, Ego, inquit, sum minimus Apostolorum. Unde ergo, unde iste, nisi ex populo Judæorum? Inde alii Apostoli, inde Paulus, inde quos commendat idem Paulus, quòd viderint Dominum post resurrectionem. Dicit enim eum visum ferme à quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.

(SERMO SCRIPTURIS. Deut. 32. 39. — Ratio mutati nominis Sauli in Paulū. — 1. Cor. 15. 9. — Ibidem 6.)

Judæi audito Petro conversi.

4. Ex illo autem populo etiam illi, qui, cùm Petrus loqueretur, commendans passionem, resurrectionem divinitatemque Christi, accepto Spiritu-sancto, quando illi omnes, in quos venit Spiritus-sanctus, linguis omnium gentium sunt locuti, compuncti spiritu, qui audiebant ex populo Judæorum, quæsierunt consilium salutis suæ, intelligentes se reos sanguinis Christi: quòd eum ipsi crucifixerint, ipsi occiderint, in cujus nomine occisi à se viderent tanta miracula fieri, viderent Spiritus-sancti præsentiam. * Quærentes ergo consilium, responsum acceperunt: Agite pænitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Jesu Christi, & dimittentur vobis peccata vestra. Quis desperaret sibi donanda peccata, quando crimen occisi Christi reis donabatur? Conversi sunt ex ipso populo Judæorum: conversi sunt, baptizati sunt. Ad mensam Domini accesserunt, & sanguinem quem sævientes fuderunt, credentes biberunt. Quemadmodum autem sint conversi, quàm planè atque perfectè, indicant Actus Apostolorum. Nam omnia quæ possidebant, vendiderunt, atque pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt; & distribuebatur unicuique sicut opus cuique erat: & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Et erat illis, sicut scriptum est, anima una & cor unum in Deum. Ecce sunt oves de quibus dixit; *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël.* Illis enim exhibuit præsentiam suam, pro illis in se sævientibus crucifixus oravit, dicens, Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Intelligebat medicus phreneticos mente perdita medicum occidentes, & occidendo medicum nescientes, sibi medicamentum facientes. De Domino enim occiso omnes [d] curati sumus, illius sanguine redemti, pane illius corporis à fame liberati. Hanc ergo

(* CAPUT III. — Act. 2. 37. — De tempore 1. Tract. — Act. 4. 34. &c. — Oves ad quas Christus missus. — Luca 23. 34.)

[a] Citatur in Flori collectione ad 1. Cor. 1.

[b] Editi, *quæ herì nobis* &c. Hîc nos Phimarconensem vetustissimum & optimæ notæ librum sequimur.

[c] Sic Phimarconensis MS. At editi, *ab eo.*

[d] Editi, *omnes nos.* Abest *nos* à MS.

Classis I.

præsentiam Christus Judæis exhibuit. Hoc ergo ait, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël:* ut illis præsentiam sui corporis exhiberet; non ut oves quas habebat in Gentibus, contemneret & præteriret.

Caput IV. Ad Gentes Christus non missus est, sed misit. Psal. 17. 45.

5. Ad Gentes enim ipse non ivit, sed discipulos misit. Et illic impletum est quod Propheta dixit; Populus quem non cognovi, servivit mihi. Videte quàm alta, quàm evidens, quàm expressa prophetia: Populus quem non cognovi, id est, cui præsentiam meam non exhibui, servivit mihi. Quomodo? Sequitur, In auditu auris obaudivit mihi: hoc est, non videndo, sed audiendo crediderunt. Ideo Gentium major laus. Illi enim viderunt, & occiderunt: Gentes audierunt, & crediderunt. Ad Gentes autem vocandas & congregandas, ut impleretur quod modò cantavimus, Congrega nos de Gentibus, ut confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua, ille Paulus apostolus missus est. Minimus ille factus magnus, non per se, sed per eum quem persequebatur, missus est ad Gentes, ex latrone pastor, ex lupo ovis. Missus est ad Gentes ille Apostolus minimus, & multùm laboravit in Gentibus, & per eum Gentes crediderunt. Testes sunt ejus epistolæ.

Psal. 105. 45. Florus ad 1. Cor. 1. Act. 9. 15.

Filia Archisynagogi & Hæmorroissa. Luc. 8. 41. &c.

6. Habes hoc & in Evangelio sacratissimè figuratum. Filia Archisynagogi quædam defuncta erat, pater ejus rogabat Dominum, ut iret ad eam: ægram reliquerat & in periculo constitutam. Ibat Dominus ad visitandam & sanandam ægram: interea mortua nuntiata est, & dictum est patri, Puella mortua est, noli jam vexare magistrum. Dominus autem qui sciebat se posse mortuos suscitare, non abstulit spem desperato, & ait patri, Noli timere, tantùm crede. Pergebat ad puellam: atque in itinere inter turbas, quomodo potuit, coartavit se quædam mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, & diuturno illo languore in medicos frustra omnia quæ habebat impenderat. Ubi fimbriam vestimenti ejus tetigit, sana facta est. Et Dominus, Quis me tetigit? Admirantes discipuli qui nesciebant quid esset factum, & videbant eum à turbis comprimi, & de una quæ leviter tetigerat fuisse sollicitum, responderunt, Turba te premit, & dicis, Quis me tetigit? Et ille: Tetigit me aliquis. Nam isti premunt, illa tetigit. Corpus ergo Christi multi molestè premunt, pauci salubriter tangunt. Tetigit me, inquit, aliquis. Ego enim sensi de me virtutem exiisse. At ubi vidit illa non se latuisse, provoluta est ante pedes ejus, & confessa est quid esset factum. Post hæc perrexit, pervenitque quò tendebat, & puellam filiam archisynagogi inventam mortuam suscitavit.

V. suprà Serm. 61. n. 5.

Caput V. Res de illis narrata licet verè gesta, tamen figura est. Marci 11. 13.

7. Factum quidem est, & ita ut narratur, impletum: sed tamen etiam ipsa, quæ à Domino facta sunt, aliquid significantia erant, quasi verba, si dici potest, visibilia & aliquid significantia. Quod maximè apparet in eo quòd præter tempus poma quæsivit in arbore, & quia non invenit, arbori maledicens aridam fecit. Hoc factum nisi figuratum accipiatur, stultum invenitur: primò quæsisse poma in illa arbore, quando tempus non erat ut essent in ulla arbore: deinde si pomorum jam tempus esset, non habere poma quæ culpa arboris esset? Sed quia significabat, quærere se non solùm folia, sed & fructum, id est, non solùm verba, sed & facta hominum; arefaciendo ubi sola folia invenit, significavit eorum pœnam qui loqui bona possunt, facere bona nolunt. Sic ergo & hîc. Nam utique mysterium est. Præscius omnium dicit, Quis me tetigit? Fit imperito similis Creator, & interrogat non solùm qui hoc sciebat, sed etiam qui cetera præsciebat. Aliquid est utique, quod nobis significante mysterio loquitur Christus.

Serm. de Scripturis.

Quid illis figuratur.

8. Filia illa Archisynagogi significabat populum Judæorum, propter quem venerat Christus, qui dixit, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant domûs Israël.* Illa verò mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, Ecclesiam figurabat ex Gentibus, ad quam Christus per præsentiam corporis non erat missus. Ad illam ibat, illius salutem intendebat: hæc intercurrit, tangit fimbriam quasi nescientis, id est, sanatur tamquam ab absente. Dicit ille, Quis me tetigit? quasi diceret, Non novi hunc populum. Populus quem non cognovi, servivit mihi. Tetigit me aliquis. Ego enim sensi virtutem de me exisse, id est, Evangelium emissum totum orbem implesse. Tangitur autem fimbria exigua pars vestimenti & extrema. Fac vestem Christi quasi Apostolos. Ibi fimbria Paulus erat: hoc est, extremus & minimus. Nam utrumque de se dixit, Ego sum minimus Apostolorum. Nam post omnes vocatus est, post omnes credidit, plus omnibus sanavit. Non erat missus Dominus, nisi ad oves quæ perierant domûs Israël. Sed quia & populus quem non cognoverat, serviturus erat, in obauditu auris obauditurus erat, nec de illo tacuit ibi constitutus. Ait enim quodam loco idem Dominus, Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili; oportet me & has adducere, ut sit unus grex & unus pastor.

1. Cor. 15. 9. Johan. 10. 16.

Caput VI. Chananææ perseverantia in petendo.

9. Inde mulier ista erat: ideo non contemnebatur, sed differebatur. *Non sum, inquit, missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël.* * Et illa clamando instabat, perseverabat, pulsabat, tamquam jam audisset, Pete, & accipe; quære, & invenies; pulsa, & aperietur tibi. Institit, pulsavit. Nam & Dominus quando dixit hæc verba, Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: suprà dixerat, Nolite sanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos: id est, post contemtum margaritarum vestrarum etiam molesti sint vobis. Nolite ergo illis projicere quæ contemnunt.

Matth. 7. 7. Ibidem 6.

10. Et unde discernimus, (tamquam responderent,) qui sint porci, qui sint canes? Hoc in ista muliere demonstratum est. Nam illi mulieri instanti respondit hoc, *Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus.* Canis es, una es ex Gentibus, idola adoras. Quid autem tam familiare canibus, quàm lapides linguere? *Non est* ergo *bonum, panem filiorum tollere, & mittere canibus.* Illa si recederet post hæc verba, canis accesserat, canis abscesserat: sed pulsando, homo facta est ex cane. Institit enim petendo, & ex ipso veluti convicio humilitatem ostendit, misericordiam impetravit. Neque enim commota est, aut succensuit, quòd canis appellata fuerit petens beneficium, rogans misericordiam: sed ait, *Ita Domine:* dixisti me canem, planè

℣. 26. Gentes quare canes. ℣. 27.

Classis I.

canis sum, agnosco nomen meum; Veritas loquitur: sed non ideo à beneficio repellenda sum. Prorsus canis: *sed & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Modicum quoddam & exiguum beneficium desidero: non mensam invado, sed micas quæro.

Caput VII. Humilitas commendata in Chananæa.

11. Videte quemadmodum humilitas commendata est. Canem illam Dominus dixerat: non dixit, Non sum: sed dixit, Sum. Et Dominus continuò, quia se agnovit canem: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti.* (ỳ. 28.) B Tu te agnovisti canem, ego te jam agnosco hominem. *O mulier, magna est fides tua*, petisti, quæsisti, pulsasti: accipe, inveni, aperiatur tibi. Videte, Fratres, quemadmodum in hac muliere quæ Chananæa erat, id est, quæ de Gentibus veniebat, & typum, hoc est, figuram Ecclesiæ gerebat, maximè humilitas commendata est. Etenim gens Judæa, ut ab Evangelio repelleretur, superbiâ inflata est, quòd Legem accipere meruisset, quòd de ipsa gente Patriarchæ C processerint, Prophetæ exstiterint, Moyses Dei servus miracula magna, quæ audivimus in Psalmo, (*Psal.* 105.) in Ægypto fecerit, per mare rubrum aquis recedentibus populum duxerit, Legem acceperit, quam ipso populo dederit. Erat unde extolleretur gens Judæa, & per ipsam superbiam factum est, ut Christo nollet humiliari auctori humilitatis, repressori tumoris, medico Deo, qui propter hoc, cùm Deus esset, homo factus est, D ut se homo hominem cognosceret. Magna medicina. Hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet nescio. Deus est, & fit homo: seponit divinitatem, id est, quodam modo sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat, [a] apparet quod acceperat. Fit ille homo, cùm sit Deus: & non se agnoscit homo hominem, id est, non se mortalem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se agnoscit peccatorem, non se agnoscit ægrotum, ut quærat vel ægrotus medicum: sed quod est periculosius, sanus sibi videtur. E

Magna contra superbiam medicina, Deus homo.

Caput VIII. Judæis ob superbiam rejectis, Gentes propter humilitatem in eorum locum suffectæ.

12. Ergo propter hoc ille populus non accessit, id est, propter superbiam: & dicti sunt ex arbore oleæ, hoc est, de illo populo à Patriarchis creato, fracti rami naturales, id est, Judæi meritò steriles spiritu superbiæ; & in illa olea insertus est oleaster. Oleaster populus ex Gentibus. Sic dicit Apostolus, quòd oleaster insertus sit in olea, rami autem naturales fracti sint. (*Rom.* 11. 17. *&c.*) Illi fracti propter superbiam: insertus oleaster propter humilitatem. Hanc humilitatem ostendebat mulier, dicens, Ita Domine, canis sum, F micas desidero. In hac humilitate etiam Centurio ille placuit: qui cùm desideraret puerum suum à Domino curari, & Dominus diceret, Ego ve- (*Matth.* 8. 7. *&c.*)
» niam & curabo eum; respondit ille, Domine,
» non sum dignus qui sub tectum meum intres, sed
» tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Non sum dignus qui sub tectum meum intres. Tecto non recipiebat, corde receperat. Quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior. Colles G enim aquam repellunt, valles implentur. Quid deinde, quid ad hoc Dominus, postea quàm dixit, Non sum dignus qui sub tectum meum in-
» tres, ad eos qui sequebantur? Amen dico vo-
» bis, non inveni tantam fidem in Israël: id

A est, in illo populo ad quem veni, non inveni tantam fidem. Tantam quid est? Tam magnam. Unde magnam? De minimo, id est, de humilitate grandem. Non inveni tantam fidem: similem grano sinapis, quantò minutiori, tantò ferventiori. Inserebat ergo jam Dominus oleastrum in oliva. Tunc hoc faciebat, quando dicebat, A-«
men dico vobis, non inveni tantam fidem in Is-«
raël.

Sermo de Scripturis.

Magna fides, sicut granum sinapis.

13. Denique vide quod sequitur. Ideo dico (*ibidem* ỳ. 11.) B vobis: (quia non inveni tantam fidem in Israël, id est, tantam cum fide humilitatem:) * Ideo dico vobis, quia multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Recumbent, inquit, requiescent. Non enim debemus illic carnales epulas cogitare, aut aliquid tale in illo regno concupiscere, ut non vitia mutemus virtutibus, sed vitia supponamus. Aliud est enim, desiderare regnum cælorum propter sapientiam & vitam C æternam; aliud, propter felicitatem terrenam, quasi illic habeamus eam opulentiorem atque majorem. Si divitem te in illo regno futurum putas, cupiditatem non amputas, sed mutas: & tamen dives eris, & nonnisi illic dives eris. Nam hîc indigentia tua colligit plurima. Quare multum habent divites? Quia multum indigent. Major indigentia quasi majores comparat facultates: illic ipsa indigentia morietur. Tunc verè dives eris, quando nullius indigens eris. Non enim D tu dives, & Angelus pauper, qui non habet jumenta & rhedas & familias. Quare? Quia non indiget: quia quantò fortior, tantò minùs indigus. Ergo ibi divitiæ, & veræ divitiæ. Epulas terræ hujus non ibi cogites. Epulæ enim terræ hujus medicamenta quotidiana sunt; ægritudini cuidam nostræ, cum qua nascimur, necessaria sunt. Ægritudinem istam sentit quisquis, cùm hora reficiendi transierit. Vis videre quanta ægritudo sit ista, ut tamquam acuta febris septem die- E bus necet? Ne te sanum putes. Sanitas immortalitas erit. Nam hæc longa ægritudo est. Quia quotidianis medicamentis fulcis morbum tuum; sanus tibi esse videris: detrahe medicamenta, & vide quid potes.

*Caput IX. Carnalia in regno cælorum non exspectanda.

Divitiæ hîc augmentum indigentiæ.

Sanitas hujus vitæ ægritudo.

14. Nam ex quo nascimur, necesse est ut moriamur. Morbus hic necesse est ut ad mortem perducat. Certè medici quando ægros inspiciunt, hoc dicunt. Verbi gratiâ, hydrops est iste, moritur: hic morbus non potest curari. Elephan- F tiosus est, nec morbus iste curari potest. Phthisicus est, quis hoc curat? Necesse est ut pereat, necesse est ut moriatur. Ecce jam dixit medicus, phthisicus est, non potest nisi moriatur: & tamen aliquando & hydrops non inde moritur, & elephantiosus non inde moritur, & phthisicus non inde moritur: & tamen necesse est ut quisquis natus fuerit, inde moriatur. Moritur inde, non potest aliter. Hoc & medicus & imperitus pronuntiat: sed & si tardiùs moritur, numquid G ideo non moritur? Quando ergo vera sanitas, nisi quando vera immortalitas? Si ergo vera immortalitas, nulla corruptio, nulla defectio, quid illic alimentis opus erit? Ergo cùm audis, Recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob: [b] non pares ventrem, sed mentem. Impleberis ibi: &

Caput X. Moriendi necessitas ab ipso ortu.

Vera sanitas, immortalitas.

Matth. 8. 11.

[a] Sic Phimarconensis MS. At editi, *quod apparet, acceperat*

[b] Aliquot hîc versus in priùs editis omissi restituuntur ex Phimarconensi MS.

Matth. 5. 6. ipse interior venter habet cibos suos. Secundùm istum ventrem dicitur, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Et verè saturabuntur, ut non esuriant.

15. Inserebat ergo jam oleastrum Dominus, » cùm dicebat, Multi ab Oriente & Occidente » venient & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum, id est, inserentur in oliva. Hujus enim olivæ radices sunt, Abraham & Isaac & Jacob: filii autem regni, hoc est Judæi increduli, ibunt in tenebras exteriores. Præciduntur rami naturales, ut inseratur oleaster. Sed unde rami naturales præcidi meruerunt, nisi superbiâ? unde oleaster inseri, nisi humilitate? Unde & ista mulier dixit, *Ita Domine: nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et inde audit, *O mulier, magna est fides tua!* Sic & ille Centurio: Non sum dignus ut sub tectum meum intres. Amen dico vobis, » non inveni tantam fidem in Israël. Discamus, aut teneamus humilitatem. Si nondum habemus, discamus: si habemus, non amittamus. Si nondum habemus, habeamus, ut inseramur: si jam habemus, teneamus, ne præcidamur.

(Margin: Rami naturales præciduntur, inseritur oleaster, quare. — Matth. 15. 27. — ℣. 28. — Matth. 8. 8. — Ibidem 10.)

(Margin: * Aliàs de Diversis 69.)

* SERMO LXXVIII.

De verbis Evangelii Matth. 17. Post dies sex assumsit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem fratrem ejus, *&c.*

1. INSPICIENDA nobis & tractanda est, Carissimi, visio ista, quam Dominus demonstravit in monte. Ipsa est enim de qua dixerat, Amen dico vobis, quia sunt hîc qui- » dam de circumstantibus, qui non gustabunt mor- » tem, donec videant Filium hominis in regno suo. Inde cœpit lectio quæ recitata est. *Dum hoc dixisset, post dies sex assumsit tres discipulos, Petrum, Iohannem & Iacobum, & adscendit in montem.* Ipsi tres erant quidam de quibus dixe- » rat, Sunt hîc quidam qui non gustabunt mor- » tem, donec videant Filium hominis in regno suo. Non parva quæstio est. Neque enim ille mons, regnum erat comprehensum. Quid est mons ei qui possidet cælum? Quod non solùm legimus, sed etiam oculis cordis quodam modo videmus. Regnum suum dicit, quod multis locis appellat Regnum cælorum. Regnum autem cælorum, est regnum sanctorum. Cæli enim enarrant gloriam Dei. De quibus cælis dictum est continuò in Psalmo, Non sunt loquelæ neque sermones, » quorum non audiantur voces eorum. In omnem » terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quorum, nisi cælorum? Ergo Apostolorum, & omnium verbi Dei fidelium prædicatorum. Regnabunt cæli cum eo qui fecit cælos. Hoc ut ostenderetur, videte quid factum est.

(Margin: Matth. 16. 28. — Matth. 17. 1. — Luce 9. 28. — Regnum Christi. — Psal. 18. 2. — Ibidem 4. & 5.)

2. Dominus ipse Jesus resplenduit sicut sol: vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix: & loquebantur cum eo Moyses & Elias. Ipse Jesus quidem, ipse splenduit sicut sol, se lumen esse significans quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod est iste sol oculis carnis, hoc ille oculis cordis: & quod iste carnibus, hoc ille cordibus. Vestimenta autem ejus, Ecclesia ejus. Vestimenta enim nisi ab induto contineantur, cadunt. Horum vestimentorum quædam quasi novissima fimbria Paulus fuit. Ipse enim dicit, Ego enim sum minimus Apostolorum. Et alio loco, Ego sum novissimus Apostolorum. In vestimento autem fimbria est novissima & minima. Proinde sicut illa mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, tactâ Domini fimbriâ, salva facta est: sic Ecclesia quæ ex Gentibus venit, Paulo prædicante salvata est. Quid mirum si per candida vestimenta signatur Ecclesia, cùm audiatis Isaiam prophetam dicentem, Et si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tamquam nivem dealbabo? Moyses & Elias, id est, Lex & Prophetæ quid valent, nisi cum Domino colloquantur? Nisi Domino perhibeant testimonium, quis leget Legem? quis Prophetas? Videte quàm breviter hoc Apostolus ait: Per Legem enim cognitio peccati: nunc autem sine Lege, justitia Dei manifestata est; ecce sol: testificata à Lege & Prophetis; ecce splendor.

(Margin: Matth. 17. 2. & 3. — Dominicæ transfigurationis allegoria. — Johan. 1. 9. — Vestimenta Christi. — Serm. de Scripturis. — 1. Cor. 15. 9. — Luca 8. 44. — Isai. 1. 18. — Rom. 3. 20. & 21.)

3. Videt hoc Petrus, & humana sapiens tamquam homo: *Domine bonum est*, inquit, *nos hic esse.* Tædium patiebatur à turba, invenerat solitudinem montis; ibi habebat Christum panem mentis. Ut quid inde discederet ad labores & dolores, habens in Deum sanctos amores, & ideo bonos mores? Bene sibi volebat esse: unde & adjunxit, *Si vis, faciamus hic tria tabernacula: Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Ad hæc Dominus nihil respondit: sed tamen Petro responsum est. Hæc enim eo loquente, nubes lucida venit, & obumbravit eos. Ille quærebat tria tabernacula: nobis unum esse, quod humanus sensus dividere cupiebat, responsum cæleste monstravit. Verbum Dei Christus, Verbum Dei in Lege, Verbum in Prophetis. Quid Petre quæris dividere? Magis te oportet adjungere. Tria quæris: intellige & unum.

(Margin: Petri vocum. — Matth. 17. 4. — Ibidem 5.)

4. Nube ergo obumbrante omnes, & quodam modo eis faciente unum tabernaculum, sonuit & vox de nube dicens, *Hic est Filius meus dilectus.* Ibi erat Moyses, ibi Elias: non est dictum, Hi sunt filii mei dilecti. Aliud est enim Unicus: aliud adoptati. Ille commendabatur, unde Lex & Prophetæ gloriabantur. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Ipsum audite.* Quia & in Prophetis ipsum audistis, & in Lege ipsum audistis. Et ubi non ipsum audistis? Hoc audito, illi ceciderunt in terram. Jam demonstratur nobis, in Ecclesia regnum Dei. Hîc Dominus, hîc Lex & Prophetæ: sed Dominus tamquam Dominus: Lex in Moyse, Prophetia in Elia; sed ipsi tamquam servi, tamquam ministri. Ipsi tamquam vasa: ipse tamquam fons. Moyses & Prophetæ dicebant, & scribebant: sed de illo implebantur quando fundebant.

(Margin: Vox de nube. — Prostratio discipulorum.)

5. Dominus autem porrexit manum, & excitavit jacentes. Deinde *neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Quid sibi hoc vult? Audistis cùm Apostolus legeretur, Quia videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et linguæ evacuabuntur, quando venerit illud quod modò speramus & credimus. Quòd illi ergo ad terram ceciderunt, hoc significaverunt, quòd morimur: quia dictum est carni, Terra es, & in terram ibis. Quando verò eos Dominus erexit, resurrectionem significavit. Post

(Margin: Ibidem 7. & 8. — Discipulorum erectio — 1. Cor. 13. 12. &c. — Gen. 3. 19.)

Classis I.

Solùs Jesus erectis iis videtur.

Johan. 1. 1.

resurrectionem ut quid tibi Lex? ut quid tibi A Prophetia? Ideo non apparet Elias, non apparet Moyses. Remanet tibi, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Remanet tibi, ut sit Deus omnia in omnibus. Ibi erit Moyses; sed jam non Lex. Videbimus ibi & Eliam; sed jam non Prophetam. Lex enim & Prophetæ testimonium perhibuerunt Christo, quia oporteret eum pati, & die tertia resurgere à mortuis, & intrare in gloriam suam. Ubi completur illud quod suis dilectoribus B repromisit, Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Et quasi diceretur, Quia diliges eum, quid illi dabis? Et ostendam me ipsum illi. Magnum donum, magna promissio. Non tibi servat Deus præmium aliquod suum: sed se ipsum. Avare, quare tibi non sufficit quod Christus promittit? Tu dives tibi videris; & si Deum non habes, quid habes? alter pauper; & si Deum habet, quid non habet?

Johan. 14. 21.

Præmium nobis promissum, ipse Deus.

Aliorum curanda salus ex caritate.

2. Tim. 4. 2.

6. Descende Petre: requiescere cupiebas in C monte; descende, prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa, cum omni longanimitate & doctrina. Labora, desuda, patere aliqua tormenta: ut quod in candidis vestimentis Domini intelligitur, per candorem & pulcritudinem rectæ operationis in caritate possideas. In laude enim caritatis, cùm Apostolus legeretur, audivimus, Non quærit quæ sua sunt. Non quærit quæ sua sunt; quoniam donat quæ possidet. Alio loco periculosiùs D dictum est, si non intellexeris. Secundùm enim ipsam caritatem præcipiens Apostolus fidelibus membris Christi, ait, Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius est. Avaritia namque hoc audito, fraudes parat, ut in negotio quasi alienum quærens, aliquem circumveniat, & quærat non suum, sed alienum. Compescat se avaritia, procedat justitia: audiamus, & intelligamus. Caritati dictum est, Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Verùm tu avare si resistas, & magis ad hoc præceptum redigis, ut E alienum concupiscas: perde tuum. Sed quomodo te novi, habere vis & tuum & alienum. Fraudem facis, ut habeas alienum: furtum patere, ut perdas tuum. Non vis quærere tuum, sed tollis alienum. Quod si facis, non facis bene. Audi ô avare, ausculta: Apostolus tibi alio loco apertiùs exponit hoc quod dixit, Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Ait de se ipso, Ego autem non quærens quod mihi utile est, sed F quod multis, ut salvi sint. Hoc Petrus nondum intelligebat, quando in monte vivere cum Christo desiderabat. Servabat tibi hoc, Petre, post mortem. Nunc autem ipse dicit, Descende laborare in terra, servire in terra, contemni, crucifigi in terra. Descendit vita, ut occideretur; descendit panis, ut esuriret; descendit via, ut in itinere lassaretur; descendit fons, ut sitiret: & tu recusas laborare? Noli tua quærere. Habe caritatem, prædica veritatem: tunc pervenies G ad æternitatem, ubi invenies securitatem.

1. Cor. 13. 5.

1. Cor. 10. 24.

Ibidem 33.

Serm. de Scripturis.

* SERMO LXXIX.

* Aliàs de Diversis.

Rursum de verbis Evangelii Matth. 17. ubi se Jesus demonstravit in monte tribus discipulis.

VISIONEM magnam in monte, ubi se Dominus Jesus tribus discipulis demonstravit, Petro, Jacobo, & Johanni, cùm sanctum Evangelium legeretur, audivimus. *Splenduit vultus ejus sicut sol:* hoc significat Evangelii claritatem, *Vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix:* hoc significat Ecclesiæ mundationem, cui dictum est per Prophetam, Et si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tamquam nivem dealbabo. Elias & Moyses colloquebantur ei: quia Evangelii gratia testimonium habet à Lege & Prophetis. In Moyse Lex, in Elia Prophetæ: ut breviter loquamur. Sunt enim beneficia Dei per Martyrem sanctum, quæ recitabuntur. Audiamus. Placuit Petro tria fieri tabernacula, Moysi unum, Eliæ unum, & Christo unum. Delectabat eum montis solitudo: tædium patiebatur à tumultu rerum humanarum. Sed tria tabernacula quare quærebat, nisi quia unitatem Legis, Prophetiæ & Evangelii nondum sciebat? Denique nube emendatus est. *Hæc eo loquente,* inquit, *ecce nubes lucida obumbravit eos.* Ecce unum tabernaculum nubes fecit: tu tria quare quærebas? *Et vox de nube, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc audite.* Loquitur Elias: sed *hunc audite.* Loquitur Moyses: sed *hunc audite.* Loquuntur Prophetæ, loquitur Lex: sed *hunc audite*, vocem Legis, & linguam Prophetarum. Ipse in illis sonuit, ipse in se ipso quando est dignatus apparuit. *Hunc audite:* hunc audiamus. Quando Evangelium loquebatur, putate quia nubes erat: inde nobis vox sonuit. Hunc audiamus: quod dicit faciamus, quod promisit speremus.

Matth. 17. 2.

Isai. 1. 18.

Libellus recitandus de beneficiis Dei per Martyrem sanctum Vide supra Sermones de S. Stephano.

℣. 5.

* SERMO LXXX.

* Aliàs ex Sirmondianis 34.

De verbis Evangelii Matth. 17. Nos quare eum non potuimus ejicere *&c. Ubi de oratione.*

1. DOMINUS noster Jesus Christus etiam in discipulis suis redarguit incredulitatem, sicut modò Evangelium cùm legeretur, audivimus. Cùm enim dixissent, *Nos quare eum non potuimus ejicere?* respondit, *Propter incredulitatem vestram.* Si Apostoli increduli, quis fidelis? Quid faciunt agni, si titubant arietes? Nec tamen eos misericordia Domini despexit incredulos: sed arguit, nutrivit, perfecit, coronavit. Nam & ipsi memores infirmitatis suæ, quodam loco in Evangelio, sicut legimus, dixerunt ei, Domine, auge nobis fidem. Domine, inquiunt, auge nobis fidem. Prima utilitas erat scientia, scire quod minus habebant: major felicitas, scire unde petebant. Domine, inquiunt, auge nobis fidem. Videte si non corda sua quasi ad fontem portabant, & ut eis unde implerent, aperiretur, pulsabant. Pulsari ad se voluit, non ut repelleret pulsantes, sed ut exerceret desiderantes.

Apostolorum incredulitas.

Matth. 17. 18. ℣. 19.

Luca 17. 5.

2. Putatis enim, Fratres, nescire Deum quid vobis necessarium sit? Scit præveniens desideria nostra, qui novit inopiam nostram. Denique cùm doceret orationem, & moneret discipulos

Deus etsi nostram inopiam novit, orandus tamen.

Classis I.

Serm. de Scripturis.

suos, ne in oratione multiloqui essent, Nolite, inquit, multiloqui esse; novit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, priùs quàm petatis ab eo. (Matth. 6. 7 & 8.) Aliud jam dicit Dominus. Quid est? Nolens ut multùm loquamur in oratione, dixit nobis, " Nolite multùm loqui quando oratis; scit " enim Pater vester quid vobis necessarium sit, " priùs quàm petatis ab eo. Si scit Pater noster quid nobis necessarium sit, priùs quàm petamus ab eo, quare loquimur vel parum? Quæ caussa est ipsius orationis, si jam novit Pater noster quid nobis necessarium sit? Dicit alicui, Noli me diu petere; novi enim quid tibi necessarium sit. Si nosti, Domine, quare vel petam? Tu non vis me habere diuturnam petitionem, immo jubes ut habeam penè nullam. Et ubi est illud alio " loco? Qui dicit, Nolite multùm loqui in oratione: alio loco dicit, Petite, & dabitur vobis? (Matth. 7. 7.) Et ne transeunter tibi putares esse prædictum ut peteres, addidit, Quærite, & invenietis. Et ne hoc transitorium existimares, vide quid adjunxerit, vide ubi conclusit, Pulsate, & aperietur vobis: vide quid adjunxerit. Voluit te ut accipias petere, ut invenias quærere, ut intres pulsare. Quomodo ergo, quia jam Pater noster scit quid nobis necessarium sit, quare petimus? quare quærimus? quare pulsamus? quare in petendo & quærendo & pulsando nos fatigamus, ut scientem instruamus? Alio loco Domini verba sunt, Oportet semper orare, & non deficere. (Luca 18. 1.) Si oportet semper orare, quomodo dicit, Nolite multiloqui esse? Quomodo oro semper, qui citò finio? Hàc me jubes citò finire, hàc jubes semper orare, & non deficere: quid est hoc? Et ut hoc intelligas pete, quære, pulsa. Ideo enim clausum est, non ut te spernat, sed ut exerceat. Ergo, Fratres, cohortari debemus ad orationem, & nos, & vos. Alia enim spes in nobis non est in multis malis præsentis sæculi, nisi pulsare in ipsa oratione, credere fixumque corde retinere, quia hoc tibi non dat Pater tuus, quod scit tibi non expedire. Quid enim desideres tu nosti; quid tibi prosit ille novit. Puta te esse sub medico, & esse infirmum, sicut & verum est: omnis enim vita ista nostra, infirmitas; & LONGA VITA NIHIL ALIUD quàm longa infirmitas. Puta ergo te sub medico ægrotare. Delectavit recentem, delectavit potum vini usurpare petere à medico. Non prohiberis petere, ne fortè non tibi noceat, & expediat tibi accipere. Noli dubitare petere: pete, noli cunctari; sed si non acceperis, noli contristari. Si hoc sub homine medico carnis tuæ, quantò magis sub Deo medico, creatore, reparatore & carnis & animæ tuæ?

Orandus Deus, ut à vitiis sanet.

3. Proinde, quoniam in hoc capitulo Dominus ad orationem hortatus est, ubi dixit, *Propter incredulitatem vestram non potuistis hoc dæmonium ejicere.* (Matth. 17. 19.) Ad orationem enim hortatus sic conclusit: *Hoc genus non ejicitur, nisi jejuniis & orationibus.* (℣. 20.) Si orat homo ut ejiciat dæmonium alienum, quantò magis ut ejiciat avaritiam suam? quantò magis ut ejiciat vinolentiam suam? quantò magis ut ejiciat luxuriam suam? quantò magis ut ejiciat immunditiam suam? Quanta sunt in homine, quæ si perseveraverint, non admittunt ad regnum cælorum? Videte, Fratres, quomodo rogatur medicus pro salute temporali, quomodo si quisquam desperatè ægrotet, numquid pudet illum, aut piget homini pedes tenere? peritissimo archiatro lacrymis vestigia lavare? Et quid, si dixerit ei medicus, Sanari aliter non potes, nisi te ligavero; adussero, secuero? Respondet, Fac quod vis, tantùm sana me. Quanto ardore desiderat paucorum dierum vapoream sanitatem, ut pro illa & ligari velit, & secari, & uri, & custodiri ne manducet quod delectat, ne bibat quod delectat, nec quando delectat? Totum patitur, ut seriùs moriatur: & non vult pauca pati, ut numquam moriatur. Si tibi dicat Deus, qui cælestis est super nos medicus: Tu sanari vis? quid dicturus es, nisi sanari? Fortè non dicis; quia sanum te putas; hoc est quod pejus ægrotas.

Ægrotorū duo genera.

4. Nam si duos ægrotos constituas, unum qui flendo medicum roget, alterum qui in ægritudine sua, mente perdita irrideat medicum; ille spem promittit flenti, plangit ridentem. Quare? nisi quia tantò periculosiùs ægrotat, quantùm se sanum putat? Sic erant & Judæi. Ad ægrotos venit Christus, omnes ægrotos invenit. Nemo sibi de sanitate blandiatur, ne renuntiet ad illum medicus. Omnes ægrotos invenit; Apostolica sententia est: Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. (Rom. 3. 23.) Cùm ergo omnes invenisset ægrotos, duo genera fuerunt ægrotorum. Alii veniebant ad medicum, inhærebant Christo, audiebant, honorabant, sequebantur, convertebantur. Ille accipiebat omnes sine ullo fastidio sanaturus, qui gratìs sanabat, qui omnipotentiâ curabat. Cùm ergo susciperet eos, & adjungeret sibi sanandos, illi exsultaverunt. Aliud verò genus ægrotorum, qui jam ægritudine iniquitatis mentem perdiderant, & se ægrotare nesciebant; insultaverunt illi, quia suscipiebat ægrotos, & dixerunt discipulis ejus, Ecce qualis est magister vester, qui cum peccatoribus & publicanis manducat. (Matth. 9. 11. &c.) Et ille, qui noverat quid essent, & [a] qui essent, respondit illis, " Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Et ostendit illis qui essent sani, & qui ægrotantes. " Non veni, inquit, vocare justos, sed peccatores. Si peccatores, inquit, ad me non accedunt, quare veni? propter quos veni? Si omnes sani sunt, quare tantus medicus de cælo descendit? quare nobis medicamentum non de armario suo, sed de sanguine suo fecit? Ergo illud genus ægrotorum qui mitiùs ægrotabant, qui se ægrotare sentiebant, ut sanarentur, medico cohærebant. Illi autem qui periculosiùs ægrotabant, medico insultabant, ægrotos calumniabantur. Ad extremum quò processit phrenesis ipsorum? Ut medicum tenerent, ligarent, flagellarent, spinis coronarent, ligno suspenderent, cruce necarent. Quid miraris? Medicum occidit ægrotus: sed eum medicus occisus sanavit phreneticum.

Christus medicus omnes ægrotos invenit.

Quo remedio per Christum sanati ægroti.

5. Primò enim non obliviscens in cruce personam suam, & demonstrans nobis patientiam suam, & exemplum præbens diligendi inimicos nostros; videns eos circumfremere, qui noverat morbum illorum, quia medicus, qui noverat phrenesim in qua mentem perdiderant, continuò ad Patrem, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. (Luca 23. 34.) Putatis autem, quia non illi Judæi maligni erant, sævi, cruenti, turbulenti,

[a] Colbertinus MS. *quid esset.*

Classis I.

inimici Filio Dei? Putatis quia vacavit vox illa, A & inanis fuit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Omnes videbat, sed suos futuros ibi cognoscebat. Denique mortuus est, quia sic expediebat, ut morte sua occideret mortem. Mortuus est Deus, ut compensatio fieret cælestis cujusdam mercimonii; ne mortem videret homo. Deus enim Christus, sed non ibi mortuus ubi Deus. Idem enim Deus, idem homo: unus enim Christus, Deus & homo. Homo adsumtus est, ut in melius mutaremur, non Deum ad deteriora detorsit. B Adsumsit enim quod non erat, non amisit quod erat. Cùm ergo Deus esset & homo, volens nos vivere de suo, mortuus est de nostro. Unde enim ipse moreretur non habebat: sed nec nos unde viveremus. Quid enim ille erat, qui non habebat unde moreretur? In principio erat Verbum; & Verbum erat apud " Deum, & Deus erat Verbum. Quære de Deo unde moriatur, non invenies. Nos autem morimur, qui sumus caro, [a] peccati carnem portans homo. C Peccatum quære unde vivat, non habet. Nec ille ergo potuit habere mortem de suo, nec nos vitam de nostro: sed nos vitam de ipsius, ille mortem de nostro. Qualia commercia! quid dedit, & quid accepit? Mercantes homines veniunt ad commercia, ad res mutandas. Nam antiqua commercia rerum mutatio fuit. Dabat homo quod habebat, & accipiebat quod non habebat. Verbi gratiâ, habebat triticum, sed hordeum non habebat; alter hordeum habebat, D & triticum non habebat: dabat ille triticum quod habebat, accipiebat hordeum quod non habebat. Quanti erat ut major copia vilem speciem compensaret! Ecce ergo alius dat hordeum, ut accipiat triticum: postremum alius dat plumbum, ut accipiat argentum; sed multum dat plumbum contra parum argentum: alius dat lanam, ut accipiat vestem. Et quis enumerat omnia? Tamen nemo dat vitam, ut accipiat mortem. E Non ergo vox medici pendentis in ligno inanis fuit. Ut enim moreretur pro nobis, quia Verbum mori non poterat, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Pependit in cruce, sed in carne. Ibi vilitas, quam contemserunt Judæi: ibi caritas, per quam liberati sunt Judæi. Pro ipsis enim dictum est, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Et non vacavit vox illa. Mortuus est, sepultus est, resurrexit, factis quadraginta diebus cum discipulis suis adscendit in cælum, misit Spiritum-sanctum in eos qui exspectabant promissum. F Illi accepto Spiritu-sancto impleti sunt, & cœperunt loqui linguis omnium gentium. Tunc Judæi qui aderant, expavescentes in nomine Christi loqui omnibus linguis homines idiotas, imperitos, quos inter se nutritos noverant in lingua una, expaverunt: unde hoc munus esset Petro loquente didicerunt. Ille hoc donavit, qui in ligno pependit. Ille hoc donavit, qui irrisus est pendens in ligno, ut daret Spiritum-sanctum sedens in cælo. Audierunt, G crediderunt illi de quibus dixerat, Pater ignosce il" lis, quia nesciunt quid faciunt. Crediderunt, baptizati sunt, atque est facta conversio. Quæ conversio? Sanguinem Christi, quem sævientes fuderunt, credentes biberunt.

Luca 23. 34.

Mercimonium cæleste.

Johan. 1. 1

Oratio Ch[illegible] pro crucifixoribus suis.

Johan. 1. 14.

Luca 23. 34.

Oratio in vitæ hujus periculis.

6. Ergo ut sermonem nostrum unde cœpimus concludamus, oremus, & de Deo præsumamus: vivamus quomodo jubet; & ubi titubamus in ipsa vita, ipsum invocemus, quomodo illum invocaverunt discipuli dicentes, Domine auge nobis fidem. Et Petrus præsumsit, & titubavit: nec tamen contemtus mersus est, sed sublevatus & erectus est. Etenim quod præsumsit unde erat? Non de suo erat: de Domini erat. Quomodo? Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquam. Ambulabat enim Dominus super aquas. Si tu es, jube me venire ad te super aquam. Scio " enim quia si tu es, jubes & fit. Et ille ait, Veni. Descendit in illius jussione, & trepidavit in sua infirmitate. Tamen quando trepidavit, ad illum exclamavit, Domine, inquit, libera me. " Tunc Dominus tenuit illi manum, & dixit, Mo- " dicæ fidei, quare dubitasti? Ipse invitavit, ipse nutantem & titubantem liberavit: ut impleretur quod dictum est in Psalmo, Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuva- " bat me.

Serm. de Scripturis.

Luca 17. 5.

Matth. 14. 28. &c.

Psal. 93. 18.

7. Duo ergo genera beneficiorum sunt, temporalia & æterna. Temporalia sunt salus, substantia, honor, amici, domus, filii, uxor; & cetera vitæ hujus, ubi peregrinamur. Ponamus nos ergo in stabulo vitæ hujus, quasi peregrini transituri, non quasi possessores mansuri. Æterna verò beneficia sunt, primùm ipsa vita æterna, incorruptio & immortalitas carnis & animæ, societas Angelorum, civitas cælestis, dignitas indeficiens, Pater & patria, ille sine morte, illa sine hoste. Hæc beneficia toto ardore desideremus, omni perseverantiâ petamus, non sermone longo, sed teste gemitu. Desiderium semper orat, etsi lingua taceat. Si semper desideras, semper oras. Quando dormitat oratio? Quando friguerit desiderium. Ergo illa beneficia sempiterna totâ aviditate postulemus, illa bona totâ intentione quæramus, illa bona securi petamus. Habenti enim illa bona prosunt, obesse non possunt. Temporalia verò ista aliquando prosunt, aliquando obsunt. Multis profuit paupertas, & nocuerunt divitiæ: multis profuit privata vita, & nocuit altus honor. Et iterum aliquibus profuit pecunia, profuit dignitas; bene utentibus profuit: malè autem utentibus non ablata plus nocuit. Ac per hoc, Fratres, petamus & ista temporalia moderatè, securi quia si accipimus, ille dat qui novit quid nobis expediat. Petisti, non est tibi datum quod petebas? Crede Patri, qui si tibi expediret, daret tibi. Ecce de te ipso fac tibi conjecturam. Qualis est enim apud te filius tuus nesciens res humanas, talis es & tu apud Dominum nesciens res divinas. Ecce ante te filius tuus tota die plorans, ut des illi cultrum, id est, gladium: negas te dare, non das, contemnis flentem, ne plangas morientem. Ploret, affligat se, collidat se, ut leves eum in equum: non facis, quia non potest eum regere, elidet & occidet illum. Cui negas partem, totum illi servas. Sed ut crescat, & totum possideat securè, non das illi modicum periculosum.

Beneficia temporalia & æterna quomodo petenda.

8. Ideo dicimus, Fratres, orate quantùm potestis. Abundant mala, & Deus voluit ut abundarent mala. Utinam non abundarent mali, & non abundarent mala. Mala tempora, laboriosa

Tempora mala unde, & quomodo ferenda.

[a] Fortè legendum sic: *qui sumus caro peccati; carnem portans homo peccati* &c.

tempora,

[Classis I.] tempora, hoc dicunt homines. Bene vivamus, & bona sunt tempora. Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora. Sed quid facimus? Non possumus ad bonam vitam convertere multitudinem hominum? Pauci qui audiunt bene vivant: pauci bene viventes multos malè viventes ferant. Grana sunt; in area sunt: paleas secum in area habere possunt, in horreo non habebunt. Ferant quod nolunt, ut veniant ad quod volunt. Quare contristamur & causamur Deum? Abundant mala in mundo, ut non ametur mundus. Magni viri, fideles sancti, qui contemserunt mundum speciosum: nos non possumus contemnere nec fœdum. Malus est mundus, ecce malus est, & sic amatur; quasi bonus esset. Quid est autem malus mundus? Non enim malum est cælum, & terra, & aquæ, & ea quæ sunt in eis, pisces, volatilia, arbores. Omnia ista bona sunt: sed malum mundum mali homines faciunt. Sed quoniam carere non possumus malis hominibus, quamdiu vivimus, sicut dixi, ad Dominum Deum nostrum gemamus; & mala feramus, ut ad bona perveniamus. Patrem-familiâs non reprehendamus; carus est enim. Ipse nos portat, non nos illum. Novit quemadmodum gubernet quod fecit: fac quod jussit, & spera quod promisit.

[* Aliàs ex Sirmondianis 33.]

* SERMO LXXXI.

De [a] *verbis Evangelii Matth.* 18. *ubi admonemur ab scandalis mundi cavere.*

[Contra scandala quomodo muniatur.] 1. Divinæ lectiones, quas modò, cùm recitarentur, audivimus, admonent nos adversùs scandala, quæ futura prædicta sunt, robur percipere virtutum, pectus munire Christianum, & hoc à misericordia Domini. [Psal. 8. 5.] Quid est enim homo, ait, nisi quod memor es ejus? [Matth. 18. 7.] *Væ mundo ab scandalis*, Dominus dicit, Veritas dicit: terret & monet, non vult esse nos incautos; nam non fecit utique desperatos. Contra hoc *Væ*, id est contra hoc malum metuendum, tremendum, cavendum, consolatur nos, & hortatur, & instruit illo loco Scriptura, ubi dicitur, [Psal. 118. 165.] Pax multa diligentibus legem tuam, & non est eis scandalum. Ostendit hostem cavendum, sed non cessavit ostendere murum munitum. Cogitabas tu audiens, *Væ mundo ab scandalis*, quò ires extra mundum, ne scandala patereris. Ergo propter cavenda scandala, quò ibis extra mundum, nisi fugias ad eum qui fecit mundum? Quomodo autem ad eum qui fecit mundum, confugere poterimus, nisi legem ejus, quæ ubique prædicatur, audiamus? Parum est audiamus, nisi diligamus. Securum te enim faciens Scriptura divina contra scandala non ait, Pax multa audientibus legem tuam. Non enim [Rom. 2. 13.] auditores legis justi sunt apud Deum. Sed quia factores legis justificabuntur, & fides per dilectionem operatur: [Gal. 5. 6.] Pax multa, inquit, diligentibus legem tuam; & non est eis scandalum. Concinit huic sententiæ etiam quod audiendo & respondendo cantavimus: [Psal. 36. 11.] Mites autem hereditate possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Quia, Pax multa diligentibus legem

A tuam. Ipsi enim mites, qui diligunt legem Dei. [Serm. de Scripturis.] « Beatus enim vir, quem tu erudieris, Domine, « & ex lege tua docueris eum, ut mitiges eum à « diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. [Psal. 93. 12. &c.] Quàm diversæ videntur Scripturæ voces, & in unam sententiam sic confluunt atque concurrunt, ut quidquid audire potueris de fonte illo uberrimo, adquiescas & tu, concordes veritati amicus, pace plenus, caritate fervidus, contra scandala munitus.

B 2. Propositum est ergo videre, vel quærere, vel discere, quomodo mites esse debemus: & ex hoc quod modò de Scripturis commemoravi, admonemur invenire quod quærimus. [Mites in pressura, contra scandalum securi.] Intenta sit paululùm Caritas Vestra; magna res agitur, ut mites simus: necessaria res in adversis. Neque enim res adversæ sæculi hujus vocantur scandala: scandala quæ sint, advertite. Nescio quis, verbi gratiâ, in necessitate aliqua constitutus urgetur pressurâ. Non est hoc scandalum; quia C pressurâ urgetur. Pressurâ & Martyres pressi sunt, sed non oppressi. Scandalum cave, non [b] valde pressuram. Pressura premit te, scandalum opprimit te. Quid ergo interest inter pressuram & scandalum? In pressura parabas servare patientiam, tenere constantiam, non relinquere fidem, non consentire peccato. Hoc si servas, aut si servaveris, pressura tibi ruina non erit: sed ad hoc valebit illa pressura, ad quod valet in torculari, non ut oliva opprimatur, sed ut oleum D liquetur. Denique si in ista pressura laudes Deo dicas, quàm utile prelum, unde à te liquor emanat? Sedebant in pressura Apostoli catenati, atque in illa pressura cantabant hymnum Deo. Quid premebatur? quid eliquabatur? Sedebat sub magna pressura Job in stercore, inops, sine ope, sine substantia, sine filiis, plenus, sed vermibus; quod quidem ad hominem pertinet exteriorem. Sed quia & intus Deo plenus erat, laudabat Deum, & pressura illa non illi erat scandalum. E Ubi ergo scandalum? Quando accessit [c] ei uxor, & ait, Dic aliquid in Deum, & morere. [Job. 2. 9.] Omnibus quippe ablatis à diabolo, exercitato Eva servata est, non ad consolationem, sed ad tentationem viri. Ecce ubi scandalum. Exaggeravit miserias ejus, miserias etiam suas cum illius, & cœpit persuadere blasphemiam. Illi autem, qui erat mitis, quia Deus ex lege sua docuerat eum, & mitigaverat à diebus malignis, pax multa erat in corde ejus diligentis legem Dei, & non erat F illi scandalum. Illa scandalum erat; sed illi non erat. Denique vide mitem, vide eruditum in lege Dei, lege Dei dico æternâ. Nam lex illa in tabulis data Judæis nondum erat temporibus Job; sed manebat [d] adhuc lex æterna in cordibus piorum, unde illa descripta est quæ populo data est. Quia ergo mitigatus erat lege Dei à diebus malignis, & pax ei multa erat diligenti legem Dei, vide quàm sit mitis, quid respondet. Hîc disce quod proposui; qui sint mites. G Locuta es, inquit, tamquam una ex insipientibus mulieribus. [Ibidem 10.] « Si bona percepimus de manu Domini, « mala non sustinemus?

3. Audivimus exemplo qui sint mites: definiamus eos verbis, si possumus. Mites sunt, qui- [Mites quinam sint.]

[a] Citatur à Floro ad Rom. 3. Habitus à Sirmondo notatur anno Christi 410. post Urbem captam à Gothis, cùm allato in Africam ejus cladis nuntio Roma funditus eversa periisse diceretur.

[b] Sic MSS. At Sirmondus, *non valet pressura.*

[c] Colbertinus liber, *quando accessit Eva & ait.*

[d] Sic Colbertinus MS. At Sirm. *sed manebat apud Deum lex* &c.

Classis I.

bus in factis omnibus bonis, in omnibus quæ A bene faciunt, non placet nisi Deus; in omnibus quæ mala patiuntur, non displicet Deus. Eia Fratres, adtendite ad hanc regulam, ad hanc normam; extendamus nos ad illam, quæramus incrementum, ut impleamus illam. Quid enim prodest, quia plantamus & rigamus, nisi Deus incrementum dederit? *1. Cor. 3. 7.* Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Audi qui vis mitis esse, qui vis mitigari à diebus malignis, qui diligis legem Dei; B ut non sit in te scandalum, & sit tibi pax multa, ut possideas terram, & delecteris in multitudine pacis: audi qui vis mitis esse. Quidquid boni facis, non tibi placeas. *Jacob. 4. 6.* Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ergo quidquid boni facis, non tibi placeat nisi Deus: quidquid mali pateris, non tibi displiceat Deus. Quid plura? Hoc fac, & vives. Non te [a] absorbebunt dies maligni; evades quod dictum est, *Væ mundo ab scandalis.* Cui mundo enim *Væ ab* C *scandalis*, nisi de quo dictum est, Et mundus eum non cognovit? *Johan. 1. 10.* Non illi mundo, de quo dictum est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. *2. Cor. 5. 19.* Mundus malus, mundus bonus: mundus malus, omnes in mundo mali; & mundus bonus, omnes in mundo boni. *Mundus bonus & mundus malus.* Sicut adtendimus plerumque agrum. Plenus est ager iste: quo fructu? Tritico. Itemque dicimus, & verum dicimus, Plenus est ager iste paleâ. Arbor est, plena est fructu. Alter dicit, plena est foliis. Et qui D dicit, plena est fructu, verum dicit: & qui dicit, plena est foliis, verum dicit. Nec plenitudo foliorum abstulit fructui locum, nec plenitudo fructuum turbam expulit foliorum. Utroque plena est: sed aliud quærit ventus, aliud cultor colligit. Sic ergo, cùm audis, *Væ mundo ab scandalis*, noli terreri, dilige legem Dei, non tibi erit scandalum.

Scandalū ab oculo, à manu & à pede.

4. Sed occurrit uxor, nescio quid mali persuadens. Diligis eam, sicut oportet diligi uxo- E rem: membrum tuum est. Sed *si oculus tuus scandalizat te, si manus tua scandalizat te, si pes tuus scandalizat te*, *Matth. 18. 8. & 9.* modò audisti Evangelium, *amputa, projice abs te.* Quisquis tibi carus est, quisquis tibi pro magno habetur à te, tamdiu [b] magnus sit, tamdiu dilectum membrum tuum sit, quamdiu non cœperit scandalizare, id est mali aliquid suadere. Audite quia hoc est scandalum. Constituimus exemplum de Job & uxore ejus: sed ibi non est nominatum scandalum. F Audi Evangelium: Dominus cùm de passione sua prædicaret, Petrus cœpit illi suadere ne pateretur. *Matth. 16. 23.* Redi retrò satanas, scandalum mihi es. Prorsus docuit te Dominus, qui tibi vivendi exemplum præbuit, & quid sit scandalum, & quomodo caveatur scandalum. Cui dixerat paulò antè, *Ibidem 17.* Beatus es Simon Bar-Jona, ostenderat illum membrum suum esse. At ubi cœpit scandalum esse, præcidit membrum: * refecit membrum, reposuit membrum. ** Videtur nonnihil deesse.* Scandalum ergo ti- G bi ille erit, qui tibi mali aliquid suadere cœperit. Et intendat Caritas Vestra: fit hoc plerumque, non malevolentiâ, sed perversâ benevolentiâ. Videt enim te amicus tuus, qui te diligit, vicissimque à te diligitur, pater tuus, frater tuus, filius tuus, conjux tua, videt te in malo, & vult te facere malum. *Serm. de Scripturis.* Quid est, videt te in malo? Videt te in aliqua pressurâ. Pressuram ipsam propter justitiam forsitan pateris: ideo pateris pressuram, quia non vis dicere falsum testimonium. Verbi gratiâ dixerim. Abundant exempla, quia *Væ mundo ab scandalis.* Ecce, verbi gratiâ, potens aliquis quærit à te, propter prædam suam, propter rapinam suam, ministerium falsi testimonii. *Florus ad Rom. 5.* Negas tu: negas falsum, ne neges verum. Ne multis immorer, ille irascitur, potens est, premit: accedit amicus, qui non vult te esse in pressura, non vult te esse in malo: Rogo te, fac quod tibi dicitur, quid magnum est? Jam fortè, quomodo & satanas Domino, Scriptum est de te, quia Angelis suis mandavit de te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. *Matth. 4. 6.* Fortè & iste amicus tuus, quia videt te Christianum, de Lege tibi vult persuadere, quod putat te debere facere. Fac [c] quod dicit. Quid? Hoc quod vult ille. Sed mendacium est, falsum est. Non legisti, Omnis homo mendax? *Psal. 115. 11.* Jam iste scandalum est. Amicus est, quid facturus es? Oculus est, manus est: *Amputa, & projice abs te.* Quid est, *Amputa & projice abs te?* Noli consentire. Hoc significat, *Amputa & projice abs te*, noli consentire. Membra enim nostra in corpore nostro consensione faciunt unitatem, consensione vivunt, consensione invicem conneсtuntur. Ubi dissensio, ibi morbus aut vulnus est. Ergo membrum tuum est: diliges eum. Sed scandalizat te: *Amputa eum, & projice abs te.* Noli consentire; averte illum ab auribus tuis, fortè correctus rediet.

Mendacium divina lege vetitum.

5. Quomodo facturus es hoc quod dico, amputaturus & abjecturus, & eo fortasse correcturus? quomodo facturus es, responde. De Lege voluit suadere mendacium. Ille enim ait, Dic. Et fortè non ausus est dicere, Dic mendacium: sed sic, Dic quod vult. Tu dicis, Sed mendacium est. Et ille, ut excuset, Omnis homo mendax. Et tu contrà, frater, Os quod mentitur, occidit animam. *Sap. 1. 11.* Adtende, non est leve quod audisti, Os quod mentitur, occidit animam. Quid mihi facit inimicus iste potens, qui me premit, quia miseraris me, & [d] miseret conditionis in me, & non vis me esse in malo; cùm velis me esse malum? Quid mihi facit potens iste, quid premit? Carnem. Corpus, dicis tu, premit: dico ego, perimit. Quantò mitiùs mecum agit ille, quàm ego, si mentitus fuero? Ille occidit carnem meam: ego occido animam meam. Iratus potens occídit corpus: *Os quod mentitur, occidit animam.* Corpus occídit; moriturum erat, etsi non occideretur: animam verò quam non occidit iniquitas, in æternum excipit veritas. Serva ergo quod servare potes: pereat quod quandoque periturum est. Respondisti; & tamen *Omnis homo mendax*, non solvisti. Responde illi & ad hoc, ne videatur sibi aliquid dixisse ad suadendum mendacium, testimonium de Lege proferens, urgens te de Lege contra Legem. In Lege enim scriptum est, Falsum testimonium ne dicas: *Deut. 5. 20.* & in Lege scriptum est, Omnis homo

a In Colbertino libro, *Non te absorbeant dies maligni, evadas* &c.

b Colbertinus MS. *tamdiu agnitus fuit.*

c Sic Florus & Colbertinus MS. At Sirmondus, *Fac, quid? dic quid? hoc quod ille.*

d Colbertinus MS *& misericordiam ponis in me.*

CLASSIS I.

mendax. Reſpice ad illud quod paulò antè commonui, quando mitem hominem verbis quibus potui, terminavi. MITIS eſt, cui in omnibus quæ bene facit, non placet niſi Deus; in omnibus quæ malè patitur, non diſplicet Deus. Hoc ergo ei reſponde, qui dicit, Mentire, quia ſcriptum eſt, Omnis homo mendax: Non mentior, » quia ſcriptum eſt, Os quod mentitur, occidit animam. Non mentior, quia ſcriptum eſt, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Non mentior, quia ſcriptum eſt, Falſum teſtimonium non dices. Urgeat licèt preſſuris carnem meam cui diſpliceo in veritate: audio Dominum meum, Nolite timere eos, qui corpus occidunt.

Pſal. 5. 7. — *Matth. 10. 28.*

Homines agant, non ut homines, ſed ut filii Dei.

6. Quomodo ergo omnis homo mendax? An fortè non es homo? Reſponde citò, & verum, Et homo non ſim, ne mendax ſim. Videte » enim: Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videret ſi eſt intelligens & requirens » Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles fa- » cti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque » ad unum. Quare? Quia filii hominum eſſe voluerunt. Ut autem eos ab his iniquitatibus tolleret, redimeret, curaret, ſanaret, mutaret filios hominum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quid ergo mirum? Homines eratis, ſi eratis filii hominum; omnes homines eratis, mendaces eratis, omnis enim homo mendax. Accedit vobis gratia Dei, dedit vobis poteſtatem filios Dei fieri. Audite vocem Patris mei dicentis, Ego dixi, Dii eſtis, & filii Altiſſimi omnes. Quoniam homines filii hominum, ſi non filii Altiſſimi, mendaces; quia omnis homo mendax. Si filii Dei, ſi gratiâ Salvatoris redemti, ſi pretioſo ſanguine comparati, ſi aquâ & Spiritu renati, ſi ad hereditatem cælorum prædeſtinati, utique filii Dei. Ergo [a] jam dii. Quid ad te vult mendacium? Adam enim purus homo, Chriſtus homo Deus, creator omnis creaturæ Deus. Adam homo, Chriſtus homo mediator Dei, Filius unicus Patris, Deus homo. Ecce tu longè à Deo homo, & Deus ſurſum longè ab homine: in medio ſe poſuit Deus homo. Agnoſce Chriſtum, & per hominem adſcende ad Deum.

Pſal. 13. 2. &c. — *Johan. 1. 12.* — *Pſal. 81. 6.*

Paganorũ ſcandalum ex preſſuris mundi.

7. Jam ergo correcti, & ſi aliquid egimus, mites, teneamus indeclinabilem confeſſionem. Diligamus legem Dei, ut evadamus quod dictum eſt, *Væ mundo ab ſcandalis.* Loquamur aliquid de ſcandalis, quibus mundus plenus eſt, & quomodo crebreſcant ſcandala, abundent preſſuræ. Vaſtatur mundus, calcatur torcular. Eia Chriſtiane, cæleſte germen, peregrini in terrâ, qui civitatem in cælo quæritis, qui Angelis ſanctis ſociari deſideratis, intelligite vos ſic veniſſe ut diſcedatis. Tranſitis per mundum, conantes ad eum qui creavit mundum. Non vos perturbent amatores mundi, qui volunt in mundo remanere, & velint nolint, coguntur migrare: non vos decipiant, non ſeducant. Preſſuræ iſtæ non ſunt ſcandala. Juſti eſtote, & exercitationes erunt. Tribulatio venit: quod volueris erit, aut exercitatio, aut damnatio. Qualem te invenerit, talis erit. Tribulatio ignis eſt: aurum te invenit? ſordes tollit: paleam te invenit? in cinerem vertit. Ergo preſſuræ quæ abundant, non ſunt ſcandala. Sed quæ ſunt ſcandala? Locutiones illæ, verba illa, quibus nobis dicitur, Ecce quid faciunt tempora Chriſtiana, ecce quæ ſunt ſcandala. Ad hoc enim tibi dicitur, ut tu, ſi amas mundum, blaſphemes Chriſtum. Et dicit tibi hoc amicus tuus, conſiliarius tuus: ergo oculus tuus. Dicit tibi hoc miniſter tuus, cooperarius tuus: ergo manus tua. Dicit tibi hoc fortè qui te ſuſtentat, qui te ab humilitate terrena ſublevat: ergo pes tuus. Abjice, amputa, projice abs te, noli conſentire. Reſponde talibus, quomodo reſpondebat ille, cui ſuadebatur falſum teſtimonium. Reſponde, & tu: dic homini dicenti tibi, Ecce temporibus Chriſtianis tantæ preſſuræ ſunt, vaſtatur mundus: reſponde tu, Hoc mihi antè quàm eveniret, prædixit Chriſtus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Preſſuræ deficientis mundi prædictæ.

8. Quare enim turbaris? Preſſuris mundi turbatur cor tuum, quomodo navis illa, ubi dormiebat Chriſtus. Ecce quæ cauſſa eſt, homo cordate, ut turbetur cor tuum: ecce quæ cauſſa eſt. Navis iſta, in qua Chriſtus dormit, cor eſt ubi fides dormit. Quid enim tibi novi dicitur, Chriſtiane, quid enim tibi novi dicitur? Temporibus Chriſtianis vaſtatur mundus, deficit mundus. Non tibi dixit Dominus tuus, Vaſtabitur mundus? Non tibi dixit Dominus tuus, Deficiet mundus? Quare credebas quando promittebatur, & turbaris quando completur? Ergo tempeſtas ſævit in cor tuum: cave naufragium, excita Chriſtum. Habitare, inquit Apoſtolus, Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Per fidem habitat in te Chriſtus. Fides præſens, præſens eſt Chriſtus: fides vigilans, vigilans eſt Chriſtus: fides oblita, dormiens eſt Chriſtus. Excitare, [b] commovere, dic, Domine perimus. Ecce quæ nobis dicunt Pagani: quæ nobis dicunt, quod eſt gravius, mali Chriſtiani. Exſurge Domine, perimus. Evigilet fides tua, incipit tibi loqui Chriſtus. Quid perturbaris? Hæc omnia prædixi tibi. Ideo prædixi, ut cùm veniſſent mala, ſperares bona, ut non deficeres in malis. Miraris quia deficit mundus? mirare quia ſenuit mundus. [c] Homo eſt, naſcitur, creſcit, ſeneſcit. Querelæ multæ in ſenecta: tuſſis, pituita, lippitudo, anxietudo, laſſitudo ineſt. Ergo ſenuit homo; querelis plenus eſt: ſenuit mundus; preſſuris plenus eſt. Parum tibi præſtitit Deus, quia in ſenectute mundi miſit tibi Chriſtum, ut tunc te reficiat, quando cuncta deficiunt? Neſcis hoc ſignificaſſe in ſemine Abrahæ? Nam ſemen Abrahæ, ait Apoſtolus, quod eſt Chriſtus. Non di- » cit, Et ſeminibus, tamquam in multis, ſed tam- » quam in uno, Et ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. Ideo ſeni Abrahæ natus eſt filius, quia erat utique Chriſtus in ipſius mundi ſenectute venturus. Venit cùm omnia veteraſcerent, & novum te fecit. Res facta, res condita, res peritura jam vergebat in occaſum. Neceſſe erat ut abundaret laboribus: venit ille & conſolari te inter labores, & promittere tibi in ſempiternum quietem. Noli adhærere velle ſeni mundo, & nolle juveneſcere in Chriſto, qui tibi dicit, Perit mun-

Matth. 8. 24. — *Epheſ. 3. 17.* — *Gal. 3. 16.*

[a] Sirmondus: *Ergo audi.* Emendatur ope Colbertini MS. qui paulò pòſt habet ſic: *Adam homo, homo Chriſtus, homo Deus, creator omnis creaturæ Deus. Adam homo, homo mediator Dei Filius unicus Patris Dei homo. Ecce &c.*

[b] In Colbertino libro, *commonere.*

[c] Sirmondus: *quia ſenuit mundus. Mundus homo eſt &c.* Vox *mundus* non repetitur in MSS.

CLASSIS I

dus, ſeneſcit mundus, deficit mundus, laborat A anhelitu ſenectutis. Noli timere, renovabitur juventus tua ſicut aquilæ.

Paganorũ in Chriſtianam religionem querelæ ex vaſtatione Romæ.

9. Ecce, inquit, Chriſtianis temporibus Roma perit. Fortè Roma non perit: fortè flagellata eſt, non interemta: fortè caſtigata eſt, non deleta. Fortè, Roma non perit, ſi Romani non pereant. Non enim peribunt, ſi Deum laudabunt: peribunt, ſi blaſphemabunt. Roma enim quid eſt, niſi Romani? Non enim de lapidibus & lignis agitur, de excelſis [a] inſulis & am- B pliſſimis mœnibus. Hoc ſic erat factum, ut eſſet aliquando ruiturum. Homo cùm ædificaret, poſuit lapidem ſuper lapidem; & homo cùm deſtrueret, expulit lapidem à lapide. Homo illud fecit, homo illud deſtruxit. Injuria fit Romæ, quia dicitur, cadit? Non Romæ, ſed fortè artifici ejus. Conditori ejus facimus injuriam, quia dicimus, Roma ruit, quam condidit Romulus? Mundus [b] arſurus eſt, quem condidit Deus. Sed nec quod fecit homo, ruit, niſi quando voluerit Deus; nec quod fecit Deus, ruit, niſi quando voluerit Deus. Si enim hominis opus non cadit, ſine voluntate Dei, opus Dei quando poteſt cadere per voluntatem hominis? Tamen [c] & mundum fecit tibi Deus caſurum; & ideo te condidit moriturum. Ipſe homo ornamentum civitatis, ipſe homo inhabitator, rector, gubernator civitatis, ſic venit ut eat, ſic eſt natus ut moriatur, ſic eſt ingreſſus ut tranſeat: Cælum & terra tranſibunt: quid ergo mirum, ſi aliquando D finis eſt civitati? Et fortè non modò finis eſt civitati: tamen aliquando finis erit civitati. Sed quare inter ſacrificia Chriſtianorum perit Roma? Quare inter ſacrificia Paganorum arſit mater ejus Troja? Dii, in quibus ſpem ſuam Romani poſuerunt, omnino Romani dii, in quibus ſpem Pagani Romani poſuerunt, ad Romam condendam de Troja incenſa migraverunt. Dii Romani ipſi fuerunt primò dii Trojani. Arſit Troja, tulit Æneas deos fugitivos: immo tulit deos [d] fu- E giens ſtolidos. Portari enim à fugiente potuerunt: fugere ipſi non potuerunt. Et cum ipſis diis veniens in Italiam, cum diis falſis condidit Romam. Longum eſt cetera perſequi: breviter tamen quod ipſorum litteræ habent commemorem. Auctor ipſorum omnibus notus ſic loquitur: „Urbem Romam, ſicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Æneâ „duce profugi ſedibus incertis vagabantur. Habebant ergo deos ſecum, condiderunt Romam F [e] in Latio, poſuerunt ibi colendos deos, qui colebantur in Troja. Inducitur à poëta ipſorum Juno iraſcens Æneæ & Trojanis fugientibus, & dicit,

Matth. 24. 35

Saluſt. in Catilin.

Æneid. 1.

„ Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
„ Ilium in Italiam portans victoſque Penates:

id eſt, deos victos portans ſecum in Italiam. Jam quando dii in Italiam victi portabantur, numen erat, [f] an omen? Diligite ergo legem Dei, & non ſit vobis ſcandalum. Rogamus vos, obſe- G cramus vos, exhortamur vos, eſtote mites, compatimini patientibus, ſuſcipite infirmos: & in A iſta occaſione multorum peregrinorum, egentium, laborantium, abundet hoſpitalitas veſtra, abundent bona opera veſtra. Quod jubet Chriſtus, faciant Chriſtiani, & tantùm ſuo malo blaſphemant Pagani.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO LXXXII.

* Aliis 16. de verbis Domini.

De verbis Evangelii Matth. 18. Si [g] peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum, *&c. Et de verbis Salomonis:* Annuens oculis cum dolo, congerit hominibus B mæſtitiam; qui autem arguit palàm, pacem facit.

CAPUT I. Obſervatio prævia in locum Matth. 7. 3.

1. ADMONET nos Dominus noſter non negligere invicem noſtra peccata, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas. Ejus quippe dixit acutum oculum ad ejiciendam feſtucam de oculo fratris ſui, qui trabem in oculo ſuo non habet. Quid C autem hoc ſit, breviter inſinuo Caritati Veſtræ. Feſtuca in oculo, ira eſt: trabes in oculo, odium eſt. Quando ergo qui odit reprehendit iraſcentem, feſtucam vult de oculo fratris ſui tollere: ſed trabe impeditur, quam ipſe portat in oculo ſuo. Feſtuca initium trabis eſt. Nam trabes quando naſcitur, priùs feſtuca eſt. Rigando feſtucam, perducis ad trabem: alendo iram malis ſuſpicionibus, perducis ad odium.

Feſtuca, ira; trabes, odium.

2. Multum autem intereſt inter peccatum D iraſcentis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filiis noſtris iraſcimur: odiſſe filios quis invenitur? In ipſis quoque pecoribus mater aliquando bucula ſugentem vitulum tædio quodam avertit iraſcens: ſed viſceribus amplectitur matris. Quaſi tædium facit, cùm impingit: [h] quæritur tamen, ſi deeſt. Nec damus aliter filiis diſciplinam, niſi aliquantùm iraſcendo & indignando: nec tamen daremus diſciplinam, niſi amando. * Uſque adeo non omnis qui iraſcitur, odit; ut E aliquando magis odiſſe convincatur, ſi non iraſcitur. Fac enim puerum velle in aqua fluminis ludere, cujus impetu pereat: tu ſi vides, & patienter permittis, odiſti: tua patientia, illius mors eſt. Quantò melius eſt, ſi iraſceris & corrigis, quàm non iraſcendo interire permittis? Odium ergo ante omnia vitandum eſt, trabes de oculo ejicienda eſt. Multùm quippe aliud eſt, quando quiſque iraſcens in aliquo verbi modum excedit, quod poſtea deleat pænitendo; F & aliud eſt, ſervare inſidias incluſas in corde. Multum poſtremò intereſt inter hæc verba Scripturæ, Turbatus eſt præ ira oculus meus. De illo autem quid dictum eſt? Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Multum intereſt inter turbatum oculum, & exſtinctum. Feſtuca turbat, trabes exſtinguit.

* CAPUT II.

Pſal. 6. 8.

1. Joan. 3. 15.

3. Hoc ergo primum nobis perſuadeamus, ut quod hodie admoniti ſumus, bene facere atque implere poſſimus, ante omnia non odiſſe. G Tunc enim quando trabes non eſt in oculo tuo, vides rectè quidquid fuerit in oculo fratris tui;

Odium ei qui odit graviùs nocet, quàm alteri.

[a] Apud Sirmondum omiſſa eſt vox *inſulis*, quæ hîc in MSS. exſtat, ad ſignificanda ædificia præcipua, quæ inſularium inſtar ſeparata à ceteris conſtant proprio murorum ambitu, undique vicos habentia.

[b] Petavianus MS. *caſurus eſt*. Hinc Colbertinus corruptè *carus eſt*.

[c] Sic Colbertinus MS. At Sirmondus, *Tamen mundum tibi caſurum condidit. Ipſe homo* &c. omiſſis verbis, *& ideo te* &c.

[d] Sirmondus hoc iterum loco, *fugitivos*: ubi MSS. *fugiens*.

[e] Colbertinus MS. *condiderunt Romam, & conſtituerunt ibi colendos deos*.

[f] Sirmondus: *nomen erat* ** *omen*. Reſarcitur locus per Colbertinum MS.

[g] Meminit Poſſidius in Indiculo c. 8. & Florus variis locis.

[h] Aliquot MSS. *queritur*.

CLASSIS I.

& vim pateris, donec ejicias de oculo fratris tui, quod vides nocere oculo fratris tui. Lumen quod in te est, non te permittit negligere lumen fratris tui. Nam si odisti, & vis corripere, quomodo emendas lumen, qui perdidisti lumen? Dixit enim & hoc apertè eadem Scriptura, ubi scriptum est, Qui odit fratrem suum, homicida est. Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris est usque adhuc. Odium, tenebræ sunt. Non potest autem fieri, ut qui odit alterum, non sibi priùs noceat. Illum enim lædere conatur extrinsecùs, se vastat intrinsecùs. Quantum autem animus noster corpore major est, tantum ei prospicere debemus, ne ipse lædatur. Lædit autem animum suum, qui odit alterum. Et quid facturus est ei quem odit? quid facturus? Tollit pecuniam, numquid fidem? Lædit famam, numquid conscientiam? Quidquid nocet, forinsecùs nocet: sibi adtende quid noceat. Intus enim sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed quia non sentit quid sibi mali faciat, in alterum sævit, eò periculosiùs * vivens, quò non sentit quid secum mali agit; quia & sæviendo sensum perdidit. Sævisti in inimicum tuum: te sæviente ille nudatus est, tu iniquus es. Multum interest inter nudum & iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quære quis gravius damnum perpessus est. Ille perdidit rem perituram, tu factus es periturus.

1 Johan. 2. 9.

* f. sæviens.

Quo animo frater corripiendus.

4. Ideo debemus amando corripere; non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. Tales si fuerimus, optimè facimus quod hodie admoniti sumus: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum.* * Quare illum corripis? Quia te doles, quòd peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optimè facis. Denique in ipsis verbis adtende, cujus amore id facere debeas, utrùm tui, an illius. *Si te audierit*, inquit, *lucratus es fratrem tuum.* Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Si faciendo lucraris, nisi fecisses, periërat. Quid est ergo quòd plerique homines ista peccata contemnunt, & dicunt, Quid magnum feci? In hominem peccavi. Noli contemnere. In hominem peccasti: vis nosse quia in hominem peccando peristi? Si te ille, in quem peccasti, corripuerit inter te & ipsum solum, & audieris illum, lucratus est te. Quid est, lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim quodam loco Apostolus, Sic " autem peccantes in fratres, & percutientes con" scientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi?

Matth. 18. 15.

* CAPUT III.

Florus ad 1. Cor. 8.

Peccatum in hominē non contemnendū.

1. Cor. 8. 12.

Hujus peccati remedium.

5. Nemo ergo dicat, Quia non peccavi in Deum, sed peccavi in fratrem. In hominem peccavi: leve peccatum est, vel nullum peccatum est. Fortè inde dicis, Leve est, quia citò curatur. Peccasti in fratrem: fac satis, & sanatus es. Citò fecisti mortiferam rem, sed remedium citò invenisti. Quis nostrûm speret regnum cælorum, Fratres mei, quando dicit Evangelium, Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis? Magnus terror; sed vide ibi remedium: Si obtuleris munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum ante altare. Non irascitur Deus, quia differs imponere munus tuum: TE QUÆRIT DEUS magis quàm munus tuum. Nam si malum animum gerens adversùs fratrem tuum, adveneris cum munere ad Deum tuum, respondet tibi, Tu peristi, mihi quid adtulisti? Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quàm quod tu invenisti in horreo tuo. Ergo relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & sic veniens offeres munus tuum. Ecce ille reatus gehennæ quàm citò solutus est. Nondum reconciliatus, eras gehennæ reus: reconciliatus, securus offers munus tuum ad altare.

Matth. 5. 22.

Ibidem 23.

"SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT IV.

6. Homines autem faciles sunt ad irrogandas injurias, & difficiles ad concordiam requirendam. Pete, inquit, veniam ab homine quem offendisti, ab homine quem læsisti. Respondet, Non me humiliabo. Vel Deum tuum audi, si fratrem tuum contemnis: Qui se humiliat, exaltabitur. Non vis te humiliare qui cecidisti? Multum interest inter se humiliantem & inter jacentem. Jam jaces, & humiliare te non vis? Bene diceres, Nolo descendere; si noluisses ruere.

Luca 14. 11.

Quid agere debeat, qui injuriam passus est.

7. Hoc ergo debet facere, qui fecit injuriam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audivimus hodie, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Si neglexeris, pejor es. Ille injuriam fecit, & injuriam faciendo gravi se ipsum vulnere percussit: tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel perisse, & negligis? Pejor es tacendo, quàm ille conviciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est injurias oblivisci: sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo *corripe eum inter te & ipsum solum*, [a] intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correctiorem, facis pejorem. *Corripe* ergo *eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum:* quia perierat, nisi faceres. *Si autem non te audierit*, id est, peccatum suum quasi justitiam defenderit, *adhibe tecum duos vel tres; quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* * *Si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam: si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Noli illum deputare jam in numero fratrum tuorum. Nec ideo tamen salus ejus negligenda est. Nam & ipsos Ethnicos, id est, Gentiles, & Paganos in numero quidem fratrum non deputamus; sed tamen eorum salutem semper inquirimus. Hoc ergo audivimus Dominum ita monentem, & tantâ curâ præcipientem, ut etiam hoc adderet continuò, *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, ligata erunt & in cælo; & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in cælo.* Cœpisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligas illum in terra: sed ut justè alliges, vide. Nam INJUSTA VINCULA disrumpit justitia. Cùm autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cùm solveris in terra, solutus

Matth. 18. 15.

℣. 15.

℣. 16.

℣. 17.

℣. 18.

11. q. 3. cap. Cœpisti.

[a] Editi Am. Er. & omnes MSS. *intuens correctioni.*

erit & in cælo. Multum præstas, non tibi, sed A illi: quia multum nocuit, non tibi, sed sibi.

Caput V. Conciliatur Evangelium cũ Salomone. * Prov. 10. 10. sec. LXX.

8. Hæc cùm ita sint, quid est quod ait Salomon, quod hodie ex alia lectione primitus audivimus, * *Annuens oculis cum dolo, congerit hominibus mæstitiam: qui autem arguit palàm, pacem facit?* Si ergo *qui arguit palàm, pacem facit*; quomodo, *Corripe illum inter te & ipsum solum?* Metuendum est, ne sibi contraria sint præcepta divina. Sed intelligamus esse ibi summam concordiam, non quemadmodum quidam * vani sa- B piamus, qui errantes opinantur contraria sibi esse duo Testamenta in libris Veteribus & Novis; ut ideo putemus hoc esse contrarium, quoniam illud est in Salomonis libro, hoc in Evangelio. Si enim aliquis imperitus & calumniator divinarum Scripturarum diceret, Ecce ubi sibi contradicunt duo Testamenta. Dominus dicit, *Corripe illum inter te & ipsum solum.* Salomon dicit, *Qui arguit palàm, pacem facit.* Ergo nescit Dominus quid præcepit? Salomon vult C contundi frontem peccantis: Christus parcit pudori erubescentis. Ibi enim scriptum est, *Qui arguit palàm, pacem facit:* hìc autem, *Corripe illum inter te & ipsum solum*; non palàm, sed in secreto & occultè. Vis nosse quisquis talia cogitas, non sibi repugnare duo Testamenta, quia illud in libro Salomonis, hoc in Evangelio reperitur? Apostolum audi. Certè Apostolus minister est novi Testamenti. Audi ergo apostolum Paulum Timotheo præcipientem & dicentem, D *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Jam non Salomonis liber cum Evangelio, sed Pauli apostoli epistola videtur confligere. Salomonem paululùm sine injuria seponamus: Christum Dominum & Paulum servum ejus audiamus. Quid dicis, Domine? *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum.* Quid dicis, Apostole, *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Quid facimus? Controversiam istam ve- E lut judices audimus? Absit. Immo sub judice constituti pulsemus, uti nobis aperiri impetremus: fugiamus sub alas Domini Dei nostri. Non enim Apostolo suo contrarium locutus est, quia & in illo ipse locutus est, sicut dicit, " An vultis experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus? Christus in Evangelio, Christus in Apostolo: Christus ergo utrumque dixit; unum ore suo, alterum ore præconis sui. Quia quando præco de tribunali aliquid dicit, non scribitur F in Gestis, Præco dixit: sed ille dixisse scribitur, qui præconi quod diceret imperavit.

* Manichæi. — 1 Tim. 5. 20. — Florus ad 1. Tim. 5. 20 — 2. Cor. 13. 3.

Caput VI. Correptio aliàs secreta, aliàs publica esse debet.

9. Duo ergo ista præcepta, Fratres, sic audiamus, ut intelligamus, & inter utraque præcepta pacati constituamur. Cum corde nostro nos concordemus, & Scriptura sancta in nulla parte discordat. Verum est omnino, utrumque verum est: sed discernere debemus, aliquando illud, aliquando illud esse faciendum; aliquando corripiendum fratrem inter te & ipsum so- G lum, aliquando corripiendum fratrem coram omnibus, ut & ceteri timorem habeant. Si aliquando illud, aliquando illud fecerimus; concordiam Scripturarum tenebimus, & in faciendo atque obtemperando non errabimus. Sed dicit mihi aliquis, Quando facio illud, quando illud? ne tunc corripiam inter me & ipsum solum, quando debeo coram omnibus corripere; aut tunc corripiam coram omnibus, quando debeo in secreto corripere.

Caput VII. Quando secreta esse debet, quando publica. 2. q. 1. c. Si peccaverit.

10. Citò videbit Caritas Vestra, quid quando facere debeamus: sed utinam facere pigri non simus. Intendite, & videte: *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Quare? Quia peccavit in te. Quid est, in te peccavit? Tu scis, quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit; secretum quære, cùm corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere; non es correptor, sed proditor. Adtende quemadmodum vir justus Joseph, tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit, antè quàm sciret unde illa conceperat: quia gravidam senserat, & se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio: & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Evangelium? Joseph autem cùm esset " vir justus, & nollet eam divulgare. Mariti dolor non vindictam quæsivit: Voluit prodesse peccanti, non punire peccantem. Cùm, inquit, nol- " let eam divulgare, voluit eam occultè dimitte- " re. Hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini " apparuit ei in somnis; & indicavit quid esset, quia non violavit viri thorum, quia de Spiritusancto conceperat Dominum amborum. Peccavit ergo in te frater tuus; si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis effecit. Dico enim, Fratres carissimi, quod & vos ipsi in vobis ipsis potestis agnoscere. Quando me audiente, fratri meo quisque injuriam facit, absit ut à me injuriam illam alienam putem. Prorsus & mihi fecit: immo & mihi plus fecit, cui putavit placere quod fecit. Ergo IPSA CORRIPIENDA SUNT coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs. Distribuite tempora, & concordat Scriptura.

Matth. 1. 19.

Caput VIII. Correptionis medicina curve secretò fiat.

11. Sic agamus, & sic agendum est, non solùm quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere; ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere & corrigere: quid si inimicus quærit audire quod puniat? Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publicè corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto; pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentam conscientiam; persuadeo pænitentiam. Hac caritate præditi esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quòd quasi non corripiamus: aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus. Sed fortè quod scis, & ego scio: sed non coram te corripio; quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus, nos non prodimus palàm, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus:

Classis I.

Florus ad Hebr. 13. Peccata carnis mortifera. [a] *Hebr. 13. 4.*

ante omnia oſtendentes homini in tali peccato conſtituto ſauciamque gerenti conſcientiam, illud vulnus eſſe mortiferum: quod aliquando qui committunt, neſcio qua perverſitate contemnunt; & neſcio unde ſibi teſtimonia [a] nulla & vana conquirunt, dicentes, Peccata carnis Deus non curat. Ubi eſt quod hodie audivimus, » Fornicatores & adulteros judicat Deus? Ecce attende, quiſquis tali morbo laboras. Quod dicit Deus audi: non quod tibi dicit favens peccatis tuis [b] animus tuus, aut eadem tecum iniquitatis catenâ ligatus amicus tuus, vel potiùs inimicus tuus & ſuus. Audi ergo quod dicit Apoſto- » lus: Honorabiles, inquit, nuptiæ in omnibus, « & thorus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros judicat Deus.

Caput IX. Vita citò emendanda.

12. Age ergo Frater, eſto correctus. Times ne te inſcribat inimicus; & non times ne te judicet Deus? Ubi eſt fides? Time cùm eſt quando timeas. Longè eſt quidem dies judicii: ſed uniuſcujuſque hominis dies ultimus longè eſſe non poteſt; quia brevis eſt vita. Et quia ipſa brevitas ſemper incerta, quando ſit dies tuus ultimus, neſcis. Corrige te hodie, propter cras. Proſit tibi & modò in ſecreto correptio. Palàm enim loquor, & in ſecreto arguo. Aures omnium pulſo: ſed conſcientias quorumdam convenio. Si dicerem, Tu adulter corrige te: primò fortè dicerem quod neſcirem; fortè quod temere audieram, ſuſpicarer. Non dico, Tu adulter corrige te: ſed, quiſquis in hoc populo adulter es, corrige te. Publica eſt correptio, ſed ſecreta correctio. Scio, quia ille qui timuerit, corrigit ſe.

Peccata carnis non contemnenda. *Caput X. *Florus ad 1. Cor. 3. 16.* *1. Petr. 1. 24.*

13. Non dicat in corde ſuo, Peccata carnis non curat Deus. * Neſcitis, inquit Apoſtolus, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Quiſquis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Nemo ſe fallat. Sed fortè ait aliquis, Templum Dei animus meus eſt, non corpus meum: adjecit etiam teſtimonium, Omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis ut flos fœni. Infelix interpretatio, punienda cogitatio. Fœnum dicta eſt caro, quia moritur: ſed quod ad tempus moritur, [c] non reſurgat cum crimine. Vis noſſe apertam etiam inde ſententiam? Neſcitis, inquit idem Apoſtolus, quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus-ſancti, quem habetis à Deo? ([d] Jam non contemnatis corporalia peccata: ecce quia & corpora veſtra templum in vobis ſunt Spiritus-ſancti, quem habetis à Deo.) Contemnebas corporale peccatum, contemnis quod peccas in templum? Ipſum corpus tuum templum in te eſt Spiritûs Dei. Jam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Eccleſia facere adulterium intra iſtos parietes, quid te eſſet ſceleratius? Modò autem tu ipſe es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum ſurgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deſerat te, & in ruinam » vertaris. Neſcitis, inquit, quia corpora veſtra (& hoc de fornicatione loquebatur Apoſtolus, ne contemnerent corporalia peccata) templum » in vobis eſt Spiritus-ſancti, quem habetis à Deo, » & non eſtis veſtri? Emti enim eſtis pretio magno. Si contemnis corpus tuum, conſidera pretium tuum.

1. Cor. 6. 19.

Serm. de Scripturis. Caput XI. Correctio non procraſtinanda.

14. Scio ego, & mecum omnis homo qui paulò attentiùs conſideraverit, neminem Deum timentem ſub verbis ejus non ſe corrigere, niſi qui putat, quia plus habet vivere. Ipſa res eſt quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, cras: & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce corvina: quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras; corvi vox. Geme ut columbus, & tunde pectus: ſed plagas tibi dando in pectus, cæſus correctus eſto; ne non videaris conſcientiam cædere, ſed malam conſcientiam pugnis pavimentare, ſolidiorem reddere, non correctiorem. Geme non inani gemitu. Fortè enim dicis tibi, Promiſit mihi Deus indulgentiam, quando me correxero, ſecurus ſum: lego divinam Scripturam, Iniquus in qua die converſus fuerit ab iniquitatibus ſuis, & fecerit juſtitiam, omnes iniquitates ejus obliviſcar. Securus « ſum, quando me correxero, dat mihi Deus indulgentiam de malis meis. Et quid ego dicturus ſum? contra Deum reclamaturus? Dicturus ſum Deo, Noli illi dare indulgentiam? Dicturus ſum hoc ſcriptum non eſſe, hoc Deum non promiſiſſe? Si iſta dixero, omnia falſa dico. Bene dicis, verum dicis: indulgentiam correctioni tuæ promiſit Deus, negare non poſſum: ſed dic mihi, rogo te; ecce ego conſentio & concedo & cognoſco quia indulgentiam Deus promiſit tibi, craſtinum enim diem quis tibi promiſit? Ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, ſi te correxeris; lege ibi mihi quantum victurus ſis. Non lego, inquis. Neſcis ergo quantum victurus ſis. Eſto correctus & ſemper paratus. Noli timere diem ultimum, tamquam furem, qui te dormiente effodiat parietem: ſed vigila, & corrige te hodie. Quid differs in craſtinum? Longa vita erit: ipſa longa, bona ſit. Prandium bonum longum nemo differt, & vitam malam longam vis habere? Utique ſi longa erit, meliùs bona erit: ſi brevis erit, bene factum eſt, ut bona produceretur. Sic autem homines negligunt vitam ſuam, ut nolint habere malam, niſi ipſam. Villam emis, bonam quæris; uxorem vis ducere, bonam eligis; filios tibi vis naſci, bonos optas; caligas locas, & non vis malas; & vitam amas malam. Quid te offendit vita tua, quam ſolam vis malam, ut inter omnia bona tua tu ſolus ſis malus?

Vox corvina. *Ezech. 18. 21. & 22.* Homines bona volunt habere omnia præter vitam.

Caput XII.

15. Ergo, Fratres mei, ſi aliquem veſtrûm vellem in parte corripere, fortè audiret me: multos veſtrûm publicè corripio; omnes me laudant; audiat me aliquis. Non amo in voce laudatorem, & in corde contemtorem. Cùm enim laudas, & non te corrigis, contra te teſtis es. Si malus es, & quod dico placet tibi, diſplice tibi: quia ſi malus diſplicueris tibi, correctus placebis [e] tibi, quod nudiuſtertius, niſi fallor, dixi. In omnibus verbis meis ſpeculum propono. Nec mea iſta ſunt verba: ſed Domino jubente loquor, quo terrente non taceo. Nam quis non eligeret tacere, & rationem de vobis non reddere? Sed jam ſuſcepimus onus, quod ab humeris noſtris excutere non poſſumus, nec debemus. Audiſtis, Fratres mei, cùm epiſtola ad Hebræos legere-

Paſtoris onus non abjiciendum. *Florus ad Hebr. 13. 17.*

[a] Aliquot MSS. *nonnulla & vana.*
[b] Am. Er. & MSS *favens peccatis tuis amicus tuus.*
[c] Am. & Er. *non reſurgit.* Tres MSS. *vide ut non reſurgat.*
[d] Verba iſthæc abſunt ab Am. Er & MSS.
[e] Lov. *placebis Deo*: diſſentientibus ceteris libris.

Classis I.

tur: Obedite præpositis vestris, & subditi estote; quia ipsi vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem reddituri pro vobis, ut cum gaudio hoc faciant, & non cum tristitia; non enim expedit vobis. Quando facimus ista cum gaudio? Quando videmus homines proficere in verbis Dei. Quando laborat cum gaudio operarius in agro? Quando adtendit arborem, & fructum videt; quando adtendit segetem, & [a] frugum in area prospicit ubertatem: non sine caussa laboravit, non sine caussa dorsum curvavit, non sine caussa manus adtrivit, non sine caussa frigus & æstum toleravit. Hoc est quod ait, Ut cum gaudio hoc faciant, & non cum tristitia; non enim expedit vobis. Numquid dixit, Non illis expedit. Non. Sed dixit, Non expedit vobis. Nam illi præpositi quando contristantur de malis vestris, expedit illis; ipsa tristitia prodest illis: sed non expedit vobis. Nihil autem nobis volumus expedire, quod non expedit vobis. Simul ergo in Dominico agro, Fratres, bonum operemur; ut simul de mercede gaudeamus.

* SERMO LXXXIII.

* Aliàs 15. de verbis Domini.

De verbis Evangelij Matth. 18. Quoties peccabit in me frater meus *&c.*

Caput I. 1. Hesterna die sanctum Evangelium admonuit nos non negligere peccata [b] fratrum nostrorum: *Sed si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* (Matth. 18. 15.) * *Si autem contemserit, adhibe tecum duos vel tres: ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* (ỳ. 16.) * *Si autem & ipsos contemserit, dic Ecclesiæ. Quòd si Ecclesiam contemserit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* (ỳ. 17.) Hodierna etiam die ad ipsam rem pertinet capitulum quod sequitur, quod modò cùm legeretur audivimus. (De remittendis injuriis.) Cùm enim dixisset hoc Dominus Jesus Petro, subjecit & interrogavit Magistrum, quoties ignosceret fratri qui in illum peccasset; & quæsivit utrùm sufficeret septies. Respondit illi Dominus, *Non solùm septies, sed etiam septuagies septies.* (ỳ. 21.) Deinde narravit similitudinem valde terribilem: quia simile est regnum cælorum homini patri-familiâs, (Ibidem 23.) qui posuit rationem cum servis suis: in quibus invenit debitorem decem millium talentorum. Et cùm jussisset, ut omnia quæ habebat, & omnis ejus familia, & ipse venderetur, & debitum solveretur, advolutus genibus domini sui, rogabat eum dilationem, meruit remissionem. Misertus est enim dominus ejus, sicut audivimus, & omne debitum dimisit illi. At ille debito liber, sed iniquitatis servus, postea quàm egressus est à facie domini sui, invenit etiam ipse debitorem suum, qui debebat, non decem millia talentorum, quantum ipsius debitum fuit, sed centum denarios: cœpit eum [c] suffocatum trahere, & dicere, *Redde quod debes.* (ỳ. 28.) At ille rogabat conservum, sicut & ipse rogaverat dominum: sed non talem iste invenit conservum, qualem ille dominum. Non solùm remittere illi debitum noluit: sed nec dilationem dedit. Contortum rapiebat ad solutionem, jam debito dominico liber. Displicuit conservis; & renuntiaverunt domino suo quid actum esset: & dominus fecit adesse servum, & dixit ei, *Serve nequam*, cùm mihi tanta deberes, misertus tui, *omnia dimisi tibi;* (ỳ. 32.) * *nonne ergo & te oportebat misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* (ỳ. 33.) Et jussit omnia, quæ illi dimiserat, exigi.

(Serm. de Scripturis.)

Caput II. 2. Ergo hanc similitudinem ad nostram instructionem proposuit, & admonendo perire nos noluit. *Sic*, inquit, *& vobis faciet Pater vester cælestis, si non remiseritis unusquisque vestrûm [d] fratri suo ex cordibus vestris.* (ỳ. 35.) Ecce, Fratres, res in aperto est, admonitio utilis, & valde salubris obedientia debetur, ut quod jussum est impleatur. Quia omnis homo & debitor est Dei, & debitorem habet fratrem suum. (Omnis homo debitor Dei, & debitorem habet fratrem.) Quis est enim qui non sit debitor Dei, nisi in quo nullum potest inveniri peccatum? Quis est autem qui non habeat debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccavit? Putas-ne quisquam in genere humano reperiri potest, qui non & ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, habens tamen & ipse debitorem. Ideo Deus justus constituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet & ipse cum suo. Duo sunt enim opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breviter ipse Dominus posuit in Evangelio, Dimittite & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. (Misericordiæ opera duo. Luca 6. 37.) Dimittite, & dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet. Date, & dabitur vobis, ad præstandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoscendo; & tu vis tibi ignosci quod peccas, & habes alium cui tu possis ignoscere. Rursus quod pertinet ad tribuendum beneficium; petit te mendicus, & tu es Dei mendicus. (Mendici Dei sumus.) Omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus: ante januam magni patris-familiâs stamus, immo etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere; & ipsum aliquid, ipse Deus est. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis à Deo, nisi Christum, qui dicit, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi? (Johan. 6. 51.) Ignosci vobis vultis? Ignoscite: Remittite, & remittetur vobis. Accipere vultis? Date, & dabitur vobis.

Caput III. 3. Sed quid in hac aperta præceptione movere possit, audite. In remissione ubi venia petitur, & ab ignoscente debetur, hoc potest movere, quod & Petrum movit. *Quoties debeo*, inquit, *ignoscere? Sufficit usque septies?* (Quoties ignoscendum fratri. Matth. 18. 21.) Non sufficit, ait Dominus: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* (ỳ. 22.) Jam tu enumera quoties in te peccaverit frater tuus. Si potueris pervenire usque ad septuagesimam & octavam culpam, ut transeas septuagies septies, tunc molire vindictam. Itane verum est quod dicit, & verè ita se res habet, ut si peccaverit septuagies septies, ignoscas; si autem peccaverit septuagies octies, jam liceat tibi non ignoscere. (V. infra Serm. in Luca 17. 3.) Audeo, audeo dicere, ut & si septuagies octies peccaverit, ignoscas. Si autem peccaverit, ut dixi, septuagies octies ignosce. Et si centies peccaverit, ignosce. Et quid dicam toties & toties? Omnino quoties peccaverit, ignosce. Ergo ego ausus sum supergredi mo-

a Am. & Er. *& fructu area.* Lov. *& ex fructu area.* Florus in excusis, *& fluctuare.* Plures MSS. *& fructum area.* Sed meliùs quidam, *& frugum in area.*

b MSS. alii, *peccata nostra:* alii cum Am. & Er, *peccata nostrorum:* omissa voce, *fratrum*,

c Am. Er. & plerique MSS. *cœpit eum in suffocatum trahere.*

d MSS. *fratribus vestris ex corde vestro.* Et sic editi Am. & Er.

dum

CLASSIS I.

dum Domini mei? Ille in septuagesimo & septimo numero ignoscendi limitem fixit: hunc ego limitem transilire præsumam? Non est verum, non sum ausus plus aliquid. Ipsum Dominum meum audivi loquentem in Apostolo suo, ubi modus & numerus præfixus non est. Ait enim,

Coloss. 3. 13.

» Donantes vobismetipsis, si quis adversùs aliquem » habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis. Audistis formam. Si septuagies septies peccata tibi donavit Christus, si huc usque ignovit, & ultrà negavit; pone & tu limitem, & ulteriùs noli ignoscere. Si autem Christus millia peccata peccatorum invenit, & tamen omnia donavit; noli subducere misericordiam, sed posce illius numeri solutionem. Non enim sine caussa Dominus septuagies septies dixit: cùm omnino nulla culpa sit, quam non debeas ignoscere. Ecce ille ipse servus, cujus debentis inventus est debitor, decem millia talentorum debebat. Puto enim, quia decem millia talentorum, ut parum sit, decem millia peccatorum sunt. Nolo enim dicere unum talentum, quòd omnia peccata concludat. Servus autem ille quantum ei debebat? Centum denarios debebat. Jam plus non est quàm septuagies septies? Et tamen iratus est Dominus, quia ei non dimisit. Non solùm enim centum plus sunt quàm septuaginta-septem: sed centum denarij fortè mille asses sunt. Sed quid ad decem millia talentorum?

CAPUT IV. *Omnia debita dimittenda.*

4. Ac per hoc omnes culpas, quæ in nos committuntur, parati simus ignoscere, si nobis desideramus ignosci. Si enim consideremus peccata nostra, & numeremus quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus; nescio utrùm dormiamus sine talento. Ergo quotidie petimus, quotidie divinas aures orando pulsamus, quotidie nos prosternimus & dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Matth. 6. 12.

Quæ debita tua? Omnia, an aliquam partem? Respondebis, Omnia. Sic ergo & tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc conditionem loqueris: hoc pacto & placito quando oras, » commemoras, ut dicas, Dimitte nobis, sicut & » nos dimittimus debitoribus nostris.

Insignis hac de re figura.

5. Quid sibi ergo vult septuagies septies? Audite, Fratres, magnum mysterium, admirabile sacramentum. Quando Dominus baptizatus est, Lucas evangelista sanctus ibi commemoravit generationes ejus, quo ordine, qua serie, quo [a] stemmate ad illam generationem ventum fuerit, qua natus est Christus. Matthæus cœpit ab

Matth. 1. 1.

Abraham, & venit usque ad Joseph descendendo: Lucas autem adscendendo cœpit numerare. Quare ille descendendo, ille adscendendo? Quia Matthæus generationem Christi commendabat, qua descendit ad nos; ideo quando natus est

Luca 3. 23. &c.

Christus cœpit numerare descendendo. Lucas autem quia tunc cœpit numerare, quando baptizatus est Christus; ibi est initium adscensionis: iste adscendendo numerare cœpit, numerando autem complevit generationes septuaginta-septem. A quo numerabat? Intendite à quo. Exorsus est numerare [b] à Christo usque ad ipsum Adam, qui primus peccavit, & nos cum peccati obligatione generavit. Pervenit usque ad Adam, & numerantur generationes septuaginta-septem: hoc est, à Christo usque ad Adam, quas diximus septuaginta-septem; & ab Adam usque ad Christum septuaginta-septem. Si ergo nulla generatio prætermissa est, nulla culpa præteritur, ubi non debeat ignosci. Nam ideo ipsius septuaginta-septem generationes enumeravit, quem numerum Dominus in peccatorum remissione commendavit; quoniam à baptismo cœpit enumerare, ubi omnia peccata solvuntur.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT V. *Alia figura de eodem.*

6. Et in hoc, Fratres, adhuc accipite sacramentum majus. In septuagesimo-septimo numero mysterium est remissionis peccatorum. Tot generationes inveniuntur à Christo usque ad Adam. Deinde paulò diligentiùs interroga ipsius numeri secretum, latebrasque ejus inquire: pulsa diligentiùs, ut aperiatur tibi. Justitia lege Dei constat: verum est. Nam lex in decem præceptis commendatur. Ideo ille debebat decem millia talentorum. Ipse est ille memorabilis Decalogus scriptus digito Dei, traditus populo per Moysen famulum Dei. Debebat ergo ille decem millia talentorum: omnia peccata significat, propter numerum legis. Debebat & ille centum denarios: non minùs ab eodem numero. Nam & centies centum fit decem millia; & decies deni, centum. Et ille decem millia talentorum, & ille decies [c] denos. A legitimo enim numero non recessum est, in quo utroque invenies utraque peccata. Uterque debitor, & uterque veniæ deplorator & impetrator: sed ille servus malus, servus ingratus, iniquus, noluit rependere quod accepit, noluit præstare quod illi indigno præstitum fuit.

Decalogus.

CAPUT VI. *Septuagesimo-septimo numero peccata omnia esse præsignata.*

7. Videte ergo, Fratres: Quisque incipit à baptismo; liber exit, dimissa sunt illi decem millia talentorum: & cùm exierit, invenire habet conservum suum debitorem. Observet ergo ipsum peccatum: quia numerus undenarius transgressio legis est. Lex enim denarius, peccatum undenarium. Lex enim per decem, peccatum per undecim. Quare peccatum per undecim? Quia transgressio denarij est, ut eas ad undenarium. In lege autem modus fixus est: transgressio autem peccatum est. Jam ubi transgrederis denarium, ad undenarium venis. Adeo magnum mysterium figuratum est, quando jussum est tabernaculum fabricari. Multa ibi numerosa dicta sunt, in magno sacramento. Inter cetera vela cilicina jussa sunt fieri, non decem, sed undecim: quia per cilicium ostenditur confessio peccatorum. Quid autem amplius quæris? Vis nosse omnia peccata contineri numero isto septuagesimo-septimo? Septuplum solet pro toto computari: quoniam septem diebus volvitur tempus, & finito septenario, rursus ad caput reditur, ut eadem forma [d] volvatur. Per hujusmodi formæ revolutiones sæcula transeunt: à septenario tamen numero non receditur. Omnia enim peccata dixit, quando septuagies septies dixit: quia illud undecim duc septies, fiunt septuagies septies. Omnia ergo dimitti peccata voluit, qui ea septuagesimo-septimo numero præsignavit. Nemo

Exodi 26. 7.

[a] Omnes propè MSS. *stegmate.* Quidam cum Am. *stigmate.*
[b] Hic Fossatensis MS. auctoritate addidimus, *à Christo.*
[c] Er. & Lov. *dena.* Am. & plerique MSS. *deni.* Sed castigatiùs Fossatensis codex, *denos:* supple, denarios debebat.
[d] Fossatensis MS. *revolvatur.* Mox Colbertinus, *Per hujusmodi formam revolutionis.*

CLASSIS I.

contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur, quando orat. Dicit enim Deus, Dimitte, & dimittetur tibi. Sed ego prior dimisi: dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te; & quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur Veritas; non enim fallit, aut fallitur Christus, qui subjecit, dicens, *Sic & vobis faciet Pater vester, qui in cælis est.* Invenis Patrem, imitare Patrem. Si enim imitari non vis, [a] exheredari disponis. *Faciet* ergo *ita vobis*, inquit, *Pater vester cælestis, si non remiseritis unusquisque fratribus vestris ex cordibus vestris.* Ne dicas in lingua, Ignosco, & corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus, minando vindictam. Novit Deus ubi dicas. Vocem tuam homo audivit: conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis, Dimitto: dimitte. Melius est cùm clamas ore, & dimittis in corde, quàm blandus ore, crudelis in corde.

Peccata dimissi replicantur non dimittenti.

Matth. 18. 35.

CAPUT VII. *Ita ignoscendum, ut non negligatur disciplina.*

8. Jam ergo obsecrant pueri indisciplinati, & nolunt vapulare, qui sic præscribunt nobis, quando volumus dare disciplinam: Peccavi, ignosce mihi. Ecce ignovi, & iterum peccat. Ignosce: ignovi. Peccat tertiò. Ignosce: tertiò ignovi. Jam quartò vapulet. Et ille, Numquid septuagies septies te fatigavi? Si hac præscriptione severitas disciplinæ dormiat, repressâ disciplinâ sævit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est? Corripiamus verbis, & si opus est, & verberibus: sed delictum dimittamus, culpam de corde abjiciamus. Ideo enim Dominus subdidit, *de cordibus vestris*, ut si per caritatem imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium quàm medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, & secatur: plorat urendus, & uritur. Non est illa crudelitas, absit ut sævitia medici dicatur. Sævit in vulnus, ut homo sanetur: quia si vulnus palpetur, homo perditur. Sic ergo ista monuerim, Fratres mei, ut fratres nostros qui peccaverint omni modo diligamus, de corde nostro caritatem in eos non dimittamus, & disciplinam, cùm opus est, demus: ne per solutionem disciplinæ crescat nequitia, & incipiamus propter Deum accusari: quia recitatum est nobis, Peccantes coram omnibus corripe, ut ceteri timorem habeant. Certè si quis, quòd solum verum est, distinguit tempora, & solvit quæstionem, verum est. Si peccatum in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est & apertum, publicè corripe: ut ille emendetur, & ceteri timeant.

1. Tim. 5. 20.

* SERMO LXXXIV.

** Aliàs 17. de verbis Domini.*

De verbis Evangelii Matth. 17. Si vis venire ad vitam, serva mandata.

1. DIXIT Dominus cuidam adolescenti, *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Non dixit, Si vis venire ad vitam æternam: sed, *Si vis venire ad vitam:* eam definiens vitam, quæ fuerit æterna vita. Hujus ergo vitæ amorem nos primitus commendemus. Etenim amatur & qualiscumque vita ista; & ipsam qualemcumque, ærumnosam, miseram, finire homines timent, & pavescunt. Hinc videndum est, hinc considerandum, quemadmodum amanda sit æterna vita; quando sic amatur misera ista & quandoque finienda vita. Considerate, Fratres, quantum amanda sit vita, ubi numquam finias vitam. Amas ergo istam vitam, ubi tantum laboras, curris, satagis, anhelas, & vix enumerantur quæ necessaria sunt in misera vita: seminare, arare, novellare, navigare, molere, coquere, texere: & post hæc omnia finire habes vitam. Ecce quæ pateris in misera ista quam diligis vita: & putas te semper victurum, & numquam moriturum? Templa, saxa, marmora, ferro plumboque consolidata, tamen cadunt: & homo numquam se putat moriturum? Discite ergo, Fratres, quærere æternam vitam, ubi ista non tolerabitis, sed in æternum cum Deo regnabitis. Qui enim vult vitam, sicut dicit Propheta, diligit videre dies bonos. Nam in diebus malis mors potiùs optatur, quàm vita. Nonne audimus & videmus homines in aliquibus tribulationibus & angustiis, conflictationibus & ægritudinibus dum sunt constituti, & vident se laborare, nihil aliud dicere, * Deus, mitte mihi mortem, accelera dies meos? Et aliquando venit ægritudo, curritur, adducuntur medici, solidi & munera promittuntur. Dicit tibi ipsa mors, Ecce adsum, quam paulò antè à Domino petebas, quid me modò fugere vis? Inveni te falsatorem, & miseræ vitæ amatorem.

Matth. 19. 17. Æterna vita quantū amanda sit, intelligitur ex amore hujus vitæ.

Serm. de Scripturis.

Psal. 33. 13.

** Suppl. nisi.*

2. De his autem diebus quos agimus, ait Apostolus, Redimentes tempus; quoniam dies mali sunt. Non sunt ergo dies mali quos agimus in corruptela hujus carnis, in tanta vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, ubi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? Ecce quàm malos dies: & nemo vult finire ipsos malos dies, multúmque hinc rogant homines Deum, ut diu vivant. QUID EST autem DIU VIVERE, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu vivere, quàm malos dies malis diebus addere? Et cùm crescunt pueri, quasi accedunt illis dies; & nesciunt quia minuuntur: & ipsa est falsa computatio. Crescentibus enim decedunt dies potiùs, quàm accedunt. Constitue alicui homini nato, verbi gratiâ, octoginta annos: quidquid vivit, de summa minuit. Et inepti homines gratulantur plurimis natalitiis, tam suis, quàm filiorum suorum. O virum prudentem! Si tibi vinum minuatur in utre, tristaris: dies perdis, & gaudes? Mali ergo sunt dies: & eò pejores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus, ut nemo velit finire ærumnosam vitam. Vera enim vita vel beata hæc est, cùm resurgemus & cum Christo regnabimus. Nam & impij resurrecturi sunt, sed in ignem ituri. Vita itaque non est, nisi beata. Et vita beata esse non potest, nisi æterna, ubi sunt dies boni; nec multi, sed unus. Ex consuetudine hujus vitæ appellati sunt dies. Dies ille nescit ortum, nescit occasum. Illi diei non succedit crastinus: quia non præcedit eum hesternus. Hunc diem, vel hos dies, & hanc vitam, & veram vitam in promissis habemus. Alicujus ergo operis merces est. Si enim mercedem amamus, in opere non deficiamus: & in æternum cum Christo regnabimus.

Ephes. 5. 16.

Vera ac beata vita æterna.

a Am. Er. & aliquot MSS. *exhereditari.*

Classis I.

* Alias de Tempore 205.

* SERMO LXXXV.

De verbis Evangelii Matth. 19. Si vis venire ad vitam, serva mandata, *&c.*

Caput I. Mandatorum observatio ad promerendam vitã. Matth. 19. 17.

1. EVANGELICA lectio, quæ modò personuit in auribus nostris, Fratres, auditorem magis atque factorem, quàm expositorem desiderat. Quid hac luce clarius, *Si vis venire ad vitam, serva mandata?* Quid ergo dicturus sum? *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Quis est qui nolit vitam? & tamen quis est qui velit servare mandata? Si mandata servare non vis, quare vitam quæris? Si ad opus piger es, quare ad mercedem festinas? Dixit se ille dives adolescens servasse mandata:
℣. 21. audivit præcepta majora; *Si vis perfectus esse, unum tibi deest, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* nec perdes, sed *habebis thesaurum in cælo; & veni sequere me.* Nam quid tibi prodest, si feceris, & non sequaris me? Abscessit autem tristis ac mæstus, sicut audistis: habebat enim multas divitias. Quod audivit ille, audivimus & nos. Os Christi, Evangelium est. (Evangeliũ, os Christi.) In cælo sedet: sed in terra loqui non cessat. Nos non simus surdi: nam ille clamat. Nos non simus mortui: nam ille tonat. Si majora non vis facere, minora fac. Onus majorum ad te multum est, vel minora prende. Quid ad utraque piger es? quid utrisque adversaris? Majora sunt, *Vende omnia*
℣. 18. *quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Minora sunt, *Non homicidium facias, Non adulteres,*
℣. 19. *Non falsum testimonium quæras, Non fureris.* * *Honora patrem & matrem, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Ista fac, Quid ad te clamo, ut vendas res tuas, cui extorquere non possum ne rapias alienas? Audisti, Non furaberis, tu rapis. Ante conspectum tanti Judicis,
*Caput II. jam te non furem teneo, sed raptorem. * Parce tibi, miserere tui. Adhuc vita ista dat tibi dilationem, noli abjicere correptionem. Fuisti herì fur; noli & hodie. Jam fortè & hodie fuisti; cras noli. Aliquando fini malum, & pro mercede exige bonum. Bona habere vis, & bonus esse non vis: contraria est vita tua votis tuis. Si magnum bonum est, habere villam bonam: quantum malum est habere animam malam?

Divites difficile salvantur.

2. Discessit dives contristatus, & ait Dominus
℣. 23. *Quàm difficile est, ut qui divitias habet, intret in regnum cælorum.* Et quàm esset difficile, similitudine proposita, ostendit tam esse difficile, ut omnino sit impossibile. Omne enim impossibile difficile est: sed non omne difficile impossibile
℣. 24. est. Quale difficile est, similitudinem adtende: *Amen dico vobis, facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Camelum intrare per foramen acûs: si diceret pulicem, impossibile esset. Denique hoc
℣. 25. audito, contristati sunt discipuli, & dixerunt, *Si ita est, quisnam poterit salvus fieri?* Quis divitum? Pauperes audite Christum, populo Dei loquor. (Pauperes quid cavere oportet.) Plures estis pauperes, vel vos apprehendite; & tamen audite. Quicumque de paupertate gloriamini, cavete superbiam, ne vincant vos humiles divites: cavete impietatem, ne vincant vos pii divites: cavete ebrietatem, ne vincant vos sobrij divites. Nolite de paupertate gloriari, si non debent illi de divitiis gloriari,

Serm. de Scripturis. Caput III.

A 3. Audiant divites, si tamen sunt; audiant Apostolum: Præcipe divitibus hujus mundi: quia sunt divites alterius sæculi. Pauperes sunt divites alterius sæculi, Apostoli sunt divites alterius sæculi, qui dicebant, Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Ut sciatis de quibus loquatur divitibus, addidit; hujus mundi. Audiant ergo Apostolum divites hujus mundi: Præcipe, inquit, divitibus hujus mundi, non superbè sapere. Primus vermis divitiarum superbia. Mala tinea, to- B tum rodit, & ad cinerem usque perducit. Præcipe ergo non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum: ne fortè dives dormias, & pauper surgas. Neque sperare in incerto divitiarum: (Apostoli verba sunt:) sed in Deo, inquit, vivo. Fur tibi tollit aurum, quis tollit tibi Deum? Quid habet dives, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet? Non ergo sperare in divitiis, ait, sed in Deo vivo, qui præstat nobis abundanter omnia ad fruendum; cum quibus omni- C bus & se ipsum.

1 Tim. 6. 17. — 2 Cor. 6. 10. — Divitibus quid præcipi velit Apostolus. — Vermis divitiarũ, superbia.

4. Si ergo non debent de divitiis sperare, non in eis fidere, sed in Deo vivo; de divitiis quid facturi sunt? Audi quid: Divites sint in operibus bonis. Quid est hoc? Expone Apostole. Multi enim quod nolunt facere, nolunt intelligere. Expone Apostole: noli dare occasionem mali operis per obscuritatem sermonis. Dic quid dixeris, Divites sint in operibus bonis. Audiant, intelligant: non permittantur se excusare, sed se D potiùs incipiant accusare, & dicere quod audivimus modò in Psalmo, Quoniam peccatum meum ego agnosco. Dic tu quid est, Divites sint in operibus bonis. * Facilè tribuant. Quid est, Facilè tribuant? Numquid & hoc non intelligitur? Facilè tribuant, communicent. Habes tu, non habet alius: communica, ut communicetur tibi. Communica hîc, & communicabis ibi. Communica hîc panem, & accipies ibi panem. Quem hîc panem? Quem colligis cum sudore & labore, E ex maledicto primi hominis. Quem ibi panem? Qui dixit, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Dives es hîc, sed pauper es ibi. Habes aurum, sed nondum tenes præsentem Christum. Eroga quod habes, ut accipias quod non habes. Divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent.

De divitiis quid præstandum. — Ibidem 18. — Psal 50. 5. — *Caput IV. — Johan. 6. 51.

5. Ergo perdituri sunt res suas? Communicent, dixit: non, Totum dent. Teneant sibi quantum sufficit, teneant plus quàm sufficit. Demus F inde quamdam partem. Quam partem? Decimam partem. Decimas dabant Scribæ & Pharisæi. Erubescamus, Fratres, Decimas dabant, pro quibus Christus nondum sanguinem fuderat. Decimas dabant Scribæ & Pharisæi: ne fortè aliquid magnum facere te putes, quia frangis panem pauperi; & vix est millesima ista facultatum tuarum. Et tamen non reprehendo: vel hoc fac. Sic sitio, sic esurio, ut & ad istas micas gaudeam. Sed tamen quid dixerit vivus, qui pro nobis mor- G tuus est, non tacebo. Nisi abundaverit justitia vestra, inquit, super Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Ille nos non palpat: medicus est, usque ad vivum pervenit. Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Scribæ & Pharisæi decimas dabant. Quid est? Interrogate vos ipsos. Videte

Quantum in pauperes erogandũ. — Luc. 18. 12. — Matth. 5. 20.

CLASSIS I.

quid faciatis, de quanto faciatis; quid detis, quid vobis relinquatis; quid misericordiæ impendatis, quid luxuriæ reservetis. Ergo, Facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

CAPUT V. Pauperes tenentur frenare cupiditates.

6. Admonui divites: audite pauperes. Vos erogate: vos [a] rapere nolite. Vos tribuite facultates: vos frenate cupiditates. Audite pauperes eumdem ipsum Apostolum: Est autem quæstus magnus. Quæstus est adquisitio lucri. Est autem quæstus magnus, inquit, pietas cum sufficientia. (1. Tim. 6. 6.) Communem habetis cum divitibus mundum: non communem habetis cum divitibus domum; sed habetis commune cælum, communem lucem. Sufficientiam quærite, quod sufficit quærite, plus nolite. Cetera gravant, non sublevant; onerant, non honorant. Quæstus magnus, pietas cum sufficientia. In primis pietas. (Pietas.) Pietas est Dei cultus. Pietas cum sufficientia. (Ibidem 7. &c.) Nihil enim intulimus in hunc mundum. An adtulisti huc aliquid? Sed nec vos divites aliquid adtulistis. Totum hîc invenistis, cum pauperibus nudi nati estis. Communis est in utroque infirmitas corporis; communis vagitus, miseriarum testis. Nihil enim intulimus in hunc mundum: (pauperibus loquitur:) sed nec auferre aliquid possumus. Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri. Qui volunt fieri, non qui sunt. Nam qui sunt, sint. Quod ad illos pertinet audierunt, ut divites sint in operibus bonis; facilè tribuant, communicent. * Audierunt ipsi.

*CAPUT VI.

Vos qui nondum estis, audite. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueos, & desideria multa & noxia. Non timetis? Audite quod sequitur: Quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Non times? Radix est enim omnium malorum avaritia. Avaritia est, velle esse divitem, non jam esse divitem. Ipsa est avaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum avaritiam? De agro tuo exstirpas radicem spinarum, & non exstirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? Purgas agrum tuum, unde fructum capiat venter tuus; & non purgas cor tuum, ubi habitet Deus tuus? Radix est enim omnium malorum avaritia, quam quidam sequentes, à fide pererraverunt, & inseruerunt se doloribus multis.

7. Audistis quid faciatis, audistis quid timeatis, audistis unde ematur regnum cælorum, audistis unde impediatur regnum cælorum. Omnes in verbo Dei concordate. Et divitem & pauperem Deus fecit. Scriptura loquitur: (Prov. 22. 2.) Dives & pauper occurrerunt sibi, fecit autem ambos Dominus. Dives & pauper occurrerunt sibi. In qua via nisi in ista vita? Natus est dives, natus est pauper. Occurristis vobis pariter ambulantes viam. Tu noli premere, tu noli fraudare. Iste eget, ille habet. Fecit autem ambos Dominus. Per eum qui habet, juvat egentem: per eum qui non habet, probat habentem. Audivimus, diximus: [b] timeamus, caveamus, oremus, perveniamus.

* SERMO LXXXVI.

SERM. DE SCRIPTURIS. * Alias de Diversis 43.

De [c] *verbis Evangelii Matth.* 19. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus *&c.*

CAPUT I. Thesaurus in cælo reponendus.

1. EVANGELIUM nos admonuit lectione præsenti, de thesauro cælesti loqui Caritati Vestræ. Neque enim, sicut infideles avari putant, Deus noster perdere nos voluit res nostras: si bene intelligatur, & piè credatur, & devotè accipiatur quod præceptum est nobis; non nobis præcepit ut perderemus, sed locum ostendit ubi poneremus. Nemo enim potest nisi cogitare de thesauro suo, & quodam cordis itinere divitias suas sequi. Si ergo in terra obruuntur, ima petit cor: si autem in cælo reservantur, sursum erit cor. (Sursum cor.) Si ergo volunt facere Christiani quod norunt se etiam profiteri: (neque enim hoc omnes qui audiunt noverunt; atque utinam non frustra noverint, qui noverunt:) qui ergo vult cor sursum habere, ibi, ibi ponat quod amat; & in terra positus carne, cum Christo habitet corde: & sicut Ecclesiam præcessit caput ejus, sic Christianum præcedat cor ejus. Quomodo membra itura sunt quò præcessit caput Christus, sic iterum resurgens iturus est quò nunc præcesserit cor hominis. Eamus ergo hinc, ex qua parte possumus: sequetur totum nostrum quò præcesserit aliquid nostrum. Domus terrena ruinosa est: domus cælestis æterna est. Quò venire disponimus, antè migremus.

CAPUT II. Consilium ...

2. Audivimus divitem quemdam à bono magistro quærentem consilium adipiscendæ vitæ æternæ. Magnum erat quod amabat, & vile erat quod contemnere nolebat. Itaque perverso corde audiens quem jam dixerat magistrum bonum, majore amore vilitatis, possessionem perdidit caritatis. Nisi vitam æternam consequi vellet, consilium de habenda vita æterna non requireret. Quid ergo est, Fratres, ut verba ejus quem magistrum bonum ipse dixerat, de fideli doctrina sibi depromta respueret? Magister ille bonus est antè quàm doceat, cùm docuerit malus? Antè quàm doceret, dictus est bonus. Non audivit quod voluit, sed audivit quod debuit: desiderans venerat, sed tristis abscessit. Quid si ei diceretur, Perde quod habes? quando tristis abscessit, quia dictum est, Bene serva quod habes. *Vade*, inquit, *vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* (Matth. 19. 21.) Fortè times ne perdas? Vide quid sequitur: *Et habebis thesaurum in cælo.* Custodem tibi thesaurorum tuorum fortè servulum aliquem posuisses: custos auri tui erit Deus tuus. Qui dedit in terra, ipse servat in cælo. Fortassis non dubitasset ille Christo commendare quod habebat, & ideo contristatus est, quia dictum est ei, *Da pauperibus:* tamquam in corde suo dicens, Si diceres, Da mihi, ego tibi in cælo servabo; non dubitarem dare Domino meo, magistro bono: nunc autem dixisti, *Da pauperibus.*

CAPUT III. Deus in pauperibus accipit.

3. Nemo timeat erogare pauperibus, nemo putet eum accipere cujus manum videt. Ille accipit qui jussit ut dares. Neque hoc ex nostro corde aut humana conjectura dicimus: ipsum audi & te monentem, & tibi securitatem scribentem. Esurivi, inquit, & dedistis mihi manduca- (Matth. 25. 35. &c.)

[a] Germanensis & Cisterciensis, *cupere.*
[b] Colbertinus MS. *teneamus.*
[c] In quibusdam libris inscribitur, *de Avaritia & Luxuria.* In Colbertino, *de Thesauro cælesti.* Vindingus autem ex Augustini verbis n. 17. inscribendum censet, *de faciendis eleemosynis.*

CLASSIS I. re. Et cùm enumeratis officiis eorum respondissent, Quando te vidimus esurientem? Ille respondit, Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Mendicat pauper, sed accipit dives: das ei qui consumat, accipit ille qui reddat. Neque hoc redditurus quod accipit: fœnerari se voluit, plus promittit quàm dederis. Exsere nunc avaritiam tuam, te puta fœneratorem. Certè si esses, objurgareris ab Ecclesia, confutareris verbo Dei, exsecrarentur te omnes fratres tui, tamquam crudelem fœneratorem, de lacrymis alienis adquirere cupientem. Esto fœnerator, nemo te prohibet. Pauperi vis dare, qui quando reddiderit planget: da idoneo, qui etiam hortatur ut recipias quod promittit.

Fœnus piũ & fœnus iniquum.

CAPUT IV. *Deus creditores ipse ut recipiãt convenit.*

4. Da Deo, & conveni Deum. Immò da Deo, & ut recipias [a] conveneris. Certè in terra quærebas debitorem tuum: quærebat & ille, sed ubi se absconderet à facie tua. Adieras judicem & dixeras, Jube illum debitorem meum conveniri. Ille audito hoc, discedit, & nec salutare te quærit: cui fortè [b] egenti salutem commodando præstiteras. Habes ergo cui eroges. Da Christo; ipse te convenit ultrò, ut recipias, & mirantem quia aliquid à te accepit. Nam illis ad dexteram positis ultrò ipse dicet, Venite benedicti Patris mei. Quò, Venite? Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Pro qua re? Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi potum: nudus eram, & vestistis me: hospes, & adduxistis: æger & in carcere, & visitastis. Et illi, Domine, quando te vidimus? Quid est hoc? Convenit debitor, & creditores excusant. Non vult eos fidelis debitor falli. Recipere dubitatis? Accepi, & ignoratis? Et respondet quemadmodum accepit: Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Non accepi per me: accepi per meos. Quod illis datum est, ad me pervenit: securi estote, non perdidistis. Minùs idoneos adtendebatis in terra: idoneum habetis in cælo. Ego, inquit, accepi, ego reddam.

Matth. 25. 34. &c.

Quid pro terrenis reddat.

5. Et quid accepi? quid reddo? Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare, & cetera. Terram accepi, cælum dabo: temporalia accepi, æterna restituam: panem accepi, vitam dabo. Immo etiam hoc dicamus, Panem accepi, panem dabo: potum accepi, potum dabo: hospitium accepi, domum dabo: æger visitatus sum, salutem dabo: in carcere visus sum, libertatem dabo. Panis quem dedistis pauperibus meis, consumtus est: panis quem ego dabo, & reficit, & non deficit. Det ergo nobis panem, panis ille qui de cælo descendit. Cùm panem dabit, se ipsum dabit. * Quid enim volebas, quando fœnerabas? Nummos dare, & nummos accipere: sed pauciores dare, plures accipere. Ego tibi, inquit Deus, omnia quæ dedisti, in melius commutabo. Si enim dares libram argenti & reciperes libram auri, quanto capereris gaudio? Inspice, & interroga avaritiam: Libram argenti dedi, libram auri recipio. Quid simile argentum & aurum? Magis ergo, quid simile terra & cælum? Et aurum & argentum hîc eras relicturus: tu autem hîc non perpetuò mansurus. Et aliud dabo, & plus dabo, & melius dabo, & æternum dabo. Sic ergo

*CAPUT V.

A compescatur avaritia nostra, Fratres, ut alia quæ sancta est, inflammetur. Omnino quæ vos prohibet ne bene faciatis, malè vos alloquitur: dominæ malæ servire vultis, non agnoscentes Dominum bonum. Et aliquando duæ dominæ occupant cor, & servum malum dignum servire talibus, in diversa disscindunt.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT VI. *Dominæ duæ contraria jubentes, avaritia & luxuria.*

6. Aliquando possident hominem duæ dominæ contrariæ, avaritia & luxuria. Avaritia dicit, Serva: luxuria dicit, Eroga. Sub duabus dominis diversa jubentibus, diversa exigentibus, quid B facturus es? Habent allocutiones suas ambæ. Et quando cœperis nolle obtemperare, & in libertatem tuam ire; quia jubere non possunt, blandiuntur. Et plus sunt cavenda earum blandimenta, quàm jussa. Quid dicit avaritia? Serva tibi, serva filiis tuis. Si egebis, nemo tibi dabit. Noli ad tempus vivere: consule tibi in futurum. Contrà luxuria: Vive cùm vivis, fac bene cum anima tua. Moriturus es, & quando nescis: cui C relicturus es, an sit possessurus ignoras. Tu demis & subtrahis gutturi tuo: ille fortè cùm mortuus fueris, calicem super te non ponet; aut si fortè calicem ponet, ipse inebriabitur, ad te nulla stilla descendet. Fac ergo bene cum anima tua, quando potes, cùm potes. Aliud jubebat avaritia: Serva tibi, consule tibi in posterum. Aliud luxuria: Eroga, fac cum anima tua bene.

CAPUT VII. *Ab earum jugo Christus liberat.*

7. Tædeat te, ô liber in libertatem vocate; tædeat te talium dominarum servitus. Agnosce D Redemtorem tuum, Manumissorem tuum. Illi servi: faciliora jubet, contraria non jubet. Amplius audeo dicere: Contraria jubebant avaritia & luxuria, ita ut ambabus obtemperare non posses: & dicebat una, Serva tibi, & consule in posterum: dicebat alia, Eroga, fac bene cum anima tua. Procedat Dominus tuus eadem dicturus, & contraria non dicturus Redemtor tuus. Si nolueris, domui ejus non est necessarius qui servit invitus. Adtende Redemtorem tuum, adten- E de pretium tuum. Venit ut redimat, sanguinem fudit. Carum te habuit, quem tam carò emerat. Agnoscis qui emerit, adtende unde redimat. Taceo de ceteris superbè in te dominantibus vitiis: innumerabilibus enim malis dominis serviebas. Has duas dico jubentes contraria, in diversa rapientes, avaritiam & luxuriam. Eripe te ab his, veni ad Deum tuum. Si servus eras iniquitatis, esto servus justitiæ. Verba quæ tibi dicebant, & contraria jubebant, ipsa audis à Domino tuo, F & non contraria jubet. Verba earum non tollit: sed potestatem tollit. Quid tibi dicebat avaritia? Serva tibi, consule in posterum. Verbum non mutatur, homo mutatur. Jam, si placet, compara consulentes. Illa avaritia est, ista justitia.

Avaritiæ consilium imprudens.

8. Ipsa contraria discute. Serva tibi, inquit avaritia. Pone te velle obtemperare: interroga ubi serves. Illa tibi monstratura est munitum locum, muratum cubiculum, arcam ferream. Omnia muni: fortè domesticus fur etiam interiora G perrumpet: & cùm pecuniæ tuæ consulis, vitæ tuæ timebis. Fortè dum multùm servas, qui vult eripere, cogitat & occidere. Postremò adversùs fures licèt quocumque munimine thesaurum tuum & vestem tuam communias; communi ea adversùs rubiginem & tineam. Quid facturus

[a] Editi, *& ut recipias conveni.* Paulòque pòst, *sed ubi se absconderat.* Castigantur subsidio Corbeiensis MS.

[b] Sic MSS. Editi verò, *cui fortè te quærenti commodando salutem egenti præstiteras.*

CLASSIS I.

es? Non est foris hostis auferens, sed est intus absumens.

CAPUT VIII. Aliud stolidum consilium.

9. Non ergo bonum consilium dedit avaritia. Ecce jussit ut serves, & non invenit dare locum ubi serves. Dicat etiam consequentia, Consule in posterum. In quantum posterum? In dies paucos & incertos. Dicit, Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum. Sed ecce vivat quantum putat avaritia, non quantum ostendit, non quantum docet, non quantum fidit; sed quantum putat vixerit, senuerit, finierit; adhuc senex incurvus, baculo innixus, lucrum quærit, & audit avaritiam dicentem, Consule in posterum. In quod posterum? Jam * exspirans loquitur. Propter filios tuos, inquit. Utinam vel illos senes non avaros haberemus, qui filios non habent. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nulla pietatis imagine excusantibus non cessat dicere, Consule in posterum. Sed fortè ipsi citò erubescunt: illos videamus qui filios habent, utrùm certi sint filios suos possessuros esse quæ reliquerint. Intendant cùm vivunt, filios aliorum, alios alienis improbitatibus quod habuerant amittentes, alios propriâ nequitiâ quod possederant consumentes: & remanent inopes filij divitum. Parcite nasci servi avaritiæ. Sed possidebunt hoc, inquit, filij mei. Incertum est: non dico, Falsum est: sed [a] quod feceris, incertum est. Postremò, fac certum: quid eis vis relinquere? Quod adquisisti tibi. Certè quod adquisisti relictum non erat, & habes. Si tu habere potuisti quod tibi relictum non est, poterunt ergo habere & illi quod tu non reliqueris.

* f. exspiranti.

CAPUT IX. Consilium Dei id jubet quod avaritia.

10. Refutata sunt consilia avaritiæ: sed Dominus eadem dicat, justitia jam loquatur: ipsa erunt verba, non ipsa sententia. Serva tibi, ait Dominus tuus, consule in posterum. Et hunc interroga, Ubi servabo? *Habebis thesaurum in cælo*: ubi fur non accedet, neque tinea corrumpet. In quantum posterum servabis? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hoc regnum quantorum dierum est, ostendit finis ipse sententiæ. Cùm de sinistris diceret, Sic ibunt illi in ambustionem æternam; ait de dexteris, Justi autem in vitam æternam. Hoc est consulere in posterum. Posterum, quod posteriora non habeat. Dies illi sine fine, dicti sunt dies, & dictus est dies. Ait enim quidam, Ut habitem in domo Domini in longitudinem dierum, cùm de illis diebus diceret. Et dies dictus est, Ego hodie genui te. Et illi dies unus dies: quia jam nec tempus: dies ille nec ab hesterno præceditur, nec crastino excluditur. Ergo in ipsum posterum consulamus: & non diversa sunt verba, quæ tibi dicebat avaritia; & eversa est avaritia.

Matth. 25. 34. — *Psal. 22. 6.* — *Psal. 2. 7.*

Avarorum falsa pietas in filios. *Vide suprà Serm. 9. n. 20. & 21.*

11. Restat ut dicas, Et quid ago de filiis meis? Audi & inde consilium Domini tui. Si tibi dicat Dominus tuus, Meliùs ego cogito qui creavi, quàm tu qui generasti: fortè quod dicas non habebis. Sed divitem illum adspecturus es qui tristis abscessit, & in Evangelio reprehensus est; & dices tibi fortè, Ille dives ideo malè fecit non vendere omnia, & dare pauperibus, quia filios non habebat: ego autem habeo filios; habeo quibus servem. Et in hac infirmitate consistit tibi Dominus tuus. * Audeam dicere per ejus misericordiam: audeam dicere aliquid, non de mea præsumtione, sed de ipsius miseratione. Serva & filiis tuis: sed audi me. Si, ut sunt humana, de filiis quisque suis aliquem amiserit: intendite Fratres, intendite, quia avaritia excusationem non habet, neque hîc, neque in futuro sæculo. Ecce & humana sunt: non enim optamus, sed exempla conspicimus. Amissus est aliquis Christianus, Christianum filium amisisti: non ergo amisisti, sed præmisisti. Neque enim ille decessit, sed præcessit. Interroga fidem tuam: certè & tu illò iturus es, quò ille antecessit. Rem brevem dico, cui puto quòd nemo respondeat. Vivit filius tuus? Interroga fidem tuam. Si ergo vivit, quare invaditur pars ejus à fratribus ejus? Sed dices, Numquid rediturus est, & possessurus? Mittatur ergo illi quò præcessit ille: ad rem suam venire non potest, res ejus ad eum ire potest. Vide cum quo sit. Si in palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi, Vende ibi partem meam, & mitte mihi: numquid invenires quid responderes? Modò cum Imperatore omnium imperatorum, & cum Rege omnium regum, & cum Domino omnium dominorum est filius tuus: mitte illi. Non dico, Necessarium habet ipse: Dominus ipsius, apud quem est filius tuus, eget in terra. Hîc vult accipere quod dat in cælo. Quod facere nonnulli avari solent, fac trajectitium: da in peregrinos, quod recipias in patria tua.

* CAPUT X.

SERM. DE SCRIPTURIS. Filio mortuo sua pars transmittenda.

CAPUT XI. Mortuo debetur, quod vivo servabatur.

12. Postremò jam de te nihil, de filio tuo loquor. Dubitas dare tuum, dubitas & reddere alienum: certè convinceris, quia non filiis tuis servabas. Ecce non das filiis tuis, quia tolles filiis tuis. Huic certè tolles. Quare indignus est accipere, quia cum digniore vivit? Meritò si ille cum quo vivit nollet accipere, jam domui tuæ, sed domui divinæ dives. Absit ergo ut tibi dicam, Da quod habes: sed dico tibi, Redde quod debes. Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, docens filios tuos mortem optare fratribus suis. Si de re fratris sui mortui ditiores erunt, vide quemadmodum se adtendant in domo tua. Quid ergo facies? Patrimonium dividis, & parricidia doces?

Christus filiis annumerandus in patrimonii divisione.

13. Sed nolo dicere de uno amisso, ne casus humanos videar minari. Meliùs quodam modo prosperiúsque loquamur. Non dico, unum minùs habebis, computa quia unum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem Creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus. Cùm enim tantum intersit, & frater esse dignatus est. Et cùm sit Patri Unicus, voluit habere coheredes. Ecce ille quàm largiter! tu quare tam steriliter? Duos filios habes, tertium illum computa: tres habes, quartus numeretur: quintum habes, sextus dicatur: decem habes, undecimus sit. Nolo ampliùs dicere: unius filij tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit & filiis tuis: quod autem malè servas filiis tuis, & tibi oberit & filiis. Dabis autem portionem unam, quam unius filij deputasti. Deputa te unum ampliùs genuisse.

CAPUT XII. *1. Cor. 7. 35.* Avaritiæ excusatio sublata.

14. Quid magnum, Fratres mei? Consilium do, numquid guttur ligo? Sicut ait Apostolus: Hæc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam. Puto, Fratres, quia parva & faci-

[a] Corbeiensis MSS. *sed feceris*: omisso, *quod*.

Classis I.

lis cogitatio est, putare patrem filiorum habere A unum filium ampliùs, & comparare talia prædia quæ possideas in æternum, & ipse & filij tui. Quid dicat avaritia, non habet. Clamastis ad verba ista. Loquimini contra illam; non vos vincat, non plus valeat in cordibus vestris, quàm Redemtor vester. Non plus valeat in corde vestro, quàm ille qui monet ut sursum corda habeamus. Jam ergo istam dimittamus.

Christus contra luxuriam idem consulit quod luxuria.

15. Luxuria quid dicit? Quid? Fac cum anima tua bene. Ecce dicit & Dominus, Fac cum anima B tua bene. Quod tibi dicebat luxuria, hoc tibi dicit justitia. Sed vide & hìc quomodo dicatur. Si cum anima tua vis facere bene, adtende illum divitem, qui ex consilio luxuriæ & avaritiæ volebat cum anima sua bene facere. Successit ei regio, & non habebat ubi reconderet fructus suos, & ait, Quid faciam? non habeo quò colligam. Inveni quid faciam: destruam apothecas veteres, & novas ædificabo, & replebo eas, & dicam animæ meæ: Habes multa bona, ju- C cundare. Audi consilium contra luxuriam: Stulte, anima tua hac nocte auferetur abs te: quæ præparasti, cujus erunt? Et quò itura est anima ista, quæ auferetur ab illo? Hac nocte auferetur, & nescit quò itura est.

Dives imprudens. Lucæ 12. 16. &c.

Caput XIII. Dives alter luxuriosus. Lucæ 16. 19.

16. Vide alium divitem luxuriosum, superbum. Epulabatur quotidie splendidè, & induebatur purpurâ & bysso: & pauper ulcerosus jacebat ad januam; micas de mensa divitis frustra concupiscebat: canes ulceribus pascebat, & à di- D vite non pascebatur. Uterque mortuus est: unus eorum sepultus est; de altero quid dictum est? » Ablatus est ab angelis in sinum Abrahæ. Videt dives pauperem, immo jam pauper divitem: desiderat de digito stillam aquæ in linguam suam, ab illo qui desideravit micam de mensa ejus. Certè vices mutatæ sunt. Frustra hoc dicit dives mortuus: non frustra hoc audiamus qui vivimus. Nam & ille voluit ad superos revocari, & non est permissus: voluit aliquem mortuorum E mitti ad fratres suos, nec hoc illi concessum est. Sed quid ei dictum est? Habent ibi Moysen & Prophetas. Et ille, Non audient, nisi aliquis à mortuis ierit. Ait illi Abraham, Si Moysen & Prophetas non audiunt, nec si quis à mortuis ierit, credent.

Caput XIV. Consilium Dei de faciendis eleemosynis nunc amplectendũ.

17. De faciendis ergo eleemosynis, & comparanda animæ requie in posterum, ut faciamus bene cum anima nostra, quod perversè dixit luxuria, dixit & Moyses, dixerunt & Prophetæ. F Audiamus cùm vivimus. Quia ibi frustra concupiscit audire, qui contemsit ista cùm audiret. An exspectamus ut aliquis & à mortuis resurgat, & dicat nobis, ut faciamus cum anima nostra bene? Jam & hoc factum est: non resurrexit pater tuus, sed resurrexit Dominus tuus. Ipsum audi, accipe bonum consilium. Noli parcere thesauris tuis, eroga quantum potes. Luxuriæ vox erat: Domini vox facta est. Eroga quantum potes, fac bene cum anima tua, ne auferatur hac nocte ani- G ma tua. Habetis in nomine Christi, quantum arbitror, Sermonem de faciendis eleemosynis. Vox ista vestra laudantium, tunc accepta est Domino, si videat & manus operantium.

* SERMO LXXXVII.

*Serm. de Scripturis. * Al. de 39. de verbis Domini.*

Habitus [a] die Dominica, ab eo quod scriptum est (in Evangelio Matth. 20.) Simile est regnum cælorum homini patri-familias, qui misit operarios in vineam suam.

Caput I. Colimus nos Deum, & colit nos Deus.

1. De sancto Evangelio præsenti tempori consonantem similitudinem audistis de his qui operantur in vinea. Est enim modò tempus vindemiæ corporalis. Est autem & spiritalis vindemia, ubi Deus gaudet ad fructum vineæ suæ. Colimus enim Deum; & colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, ut nos eum meliorem colendo faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando. Ille autem colit nos tamquam agricola agrum. Quòd ergo nos ille colit, meliores nos reddit; quia & agricola agrum colendo facit meliorem: & ipsum fructum in nobis quærit, ut eum colamus. Cultura ipsius est in nos, quòd non cessat verbo suo exstirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tamquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, exspectare fructum pietatis. Cùm enim istam culturam in cor nostrum sic acceperimus, ut eum bene colamus, non exsistimus ingrati agricolæ nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat. Et fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos beatiores.

Quomodo nos Deus colit.

2. Ecce audite, quia sicut dixi, colit nos Deus. Nam quia nos colimus Deum, non opus est ut probetur vobis. Omnis enim homo hoc habet in ore, quia homines colunt Deum. Quia verò Deus colit homines, quasi expavescit auditor quando audit: quia non est in usu hominum ut dicatur, quia Deus colit homines; sed quia Deum colunt homines. Debemus ergo probare vobis, quia & Deus colit homines; ne fortè putemur verbum indisciplinatum dixisse, & aliquis in corde suo disputet contra nos, & nesciens quid dixerimus reprehendat nos. Hoc ergo constitutum est demonstrare vobis, quia & Deus colit nos; sed jam dixi, sicut agrum, ut meliores nos faciat. Dominus dicit in Evangelio, Ego sum vitis, vos estis sarmenta, Pater meus est agricola. Quid facit agricola? Interrogo vos qui agricolæ estis, quid facit agricola? Puto quia agrum colit. Si ergo Pater Deus agricola est, habet agrum, & colit agrum suum, & exspectat inde fructum.

Johan. 15. 5.

Caput II. Matth. 21. 33. &c. Vinea à Deo plantata.

3. Denique plantavit vineam, sicut dicit ipse Dominus Jesus Christus, & locavit eam agricolis, qui redderent ei fructum temporibus propriis. Et misit ad eos servos suos, ut peterent mercedem vineæ. Illi autem contumeliis eos affecerunt, aliquos & occiderunt, & fructum reddere contemserunt. Misit alios, talia perpessi sunt. Et dixit ille pater-familiâs, cultor agri sui, & plantator & locator vineæ suæ: Mittam unicum filium meum, fortè vel ipsum verebuntur. Et misit, inquit, etiam filium suum. Dixerunt illi apud se ipsos, Hic est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas. Et occiderunt eum, & projecerunt extra vineam. Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet illis malis colonis? Responsum est, Malos malè perdet, & vineam

[a] Hunc Sermo titulum præfert in veteribus libris optimæ notæ Colbertino & Phimarconensi. In aliis verò MSS. minùs bene inscribitur, de verbis Domini secundum Iohan. Ego sum vitis &c.

CLASSIS I.

suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum in tempore suo. Plantata est vinea, lege data in cordibus Judæorum. Missi sunt Prophetæ, quærentes fructum, bonam vitam eorum: Prophetæ ab eis contumeliis affecti, & occisi sunt. Missus est & Christus unicus Filius patrisfamiliâs; & ipsum occiderunt heredem, & ideo perdiderunt hereditatem. In contrarium eis vertit malum consilium. Ut possiderent, occiderunt: & quia occiderunt, perdiderunt.

CAPUT III. Operarii ad vineæ culturam conducti. *Matth.* 20. 1. &c.

4. Et modò audistis similitudinem ex Evangelio sancto, quia *simile est regnum cælorum patri-familiâs, qui exiit conducere operarios ad vineam suam.* Exiit manè, & quos invenit conduxit; & placuit cum eis mercedem denarium. Exiit & horâ tertiâ, invenit alios, & adduxit ad opus vineæ. Et sextâ horâ hoc fecit, & nonâ hoc fecit. Exiit etiam & horâ undecimâ propè ad finem diei, invenit quosdam vacuos & stantes; & ait illis, Quid hîc statis? Quare non operamini in vinea? Responderunt, Quia nemo nos conduxit. Venite, inquit, & vos, & quod justum fuerit, dabo vobis. Mercedem denarium placuit. Isti qui unâ horâ erant operaturi, quando sibi auderent sperare denarium? Sed tamen se aliquid accepturos gratulabantur. Adducti sunt & [a] ipsi ad unam horam. Finito die, jussit omnibus reddi mercedem, à novissimis usque ad primos. Inde cœpit reddere ab eis qui horâ undecimâ venerant, jussit eis dare denarium. Illi qui primâ horâ venerant, videntes illos accepisse denarium, quem cùm ipsis placuerat, speraverunt se plus aliquid accepturos: ventum est & ad ipsos, & acceperunt denarium. Murmuraverunt adversùs patrem-familiâs, dicentes, Ecce nos qui sustinuimus ardorem diei & æstum, æquasti & pares fecisti illis qui unam horam operati sunt in vinea. Et ait pater-familiâs, justissimum responsum reddens uni eorum: Sodalis, non tibi feci injuriam: hoc est, non te fraudavi, quod placui reddidi tibi. Fraudem tibi non feci, quia quod pactus sum reddidi. Huic non volo reddere, sed donare. Non licet mihi facere quod volo de meo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Si alicui tollerem alienum, rectè reprehenderer, quasi fraudator & injustus: si alicui non redderem debitum, rectè reprehenderer, quasi fraudator & negator alieni: cùm verò debitum reddo, & cui volo etiam dono, nec cui debebam me potest reprehendere, & cui donavi debet ampliùs gaudere. Non erat quod responderetur: & æquati sunt omnes, & facti sunt novissimi primi & primi novissimi: æquando, non præposterando. Quid est, Facti sunt novissimi primi & primi novissimi? Quia tantumdem acceperunt & primi & novissimi.

CAPUT IV. Merces novissimis priùs reddita, quid sit.

5. Quid est ergo, quòd à novissimis cœpit reddere? Nonne omnes, sicut legimus, simul accepturi sunt? Legimus enim in alio loco Evangelii, quia dicturus est eis quos ponet ad dexteram, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. (*Matth.* 25. 34.) Si ergo omnes simul accepturi sunt, quomodo hîc intelligimus priores accepisse illos qui undecimâ operati sunt, & posteriores illos qui primâ? Si potuero sic dicere, ut perveniat ad intellectum vestrum, Deo gratias. Illi enim debetis gratias agere, qui vobis per nos erogat: non enim de nostro erogamus, Si interroges de duobus, verbi gratiâ, quis prior acceperit, qui post unam horam accepit, an qui post duodecimam; omnis homo respondet, quia prior accepit, qui post unam horam accepit, quàm qui post duodecimam. Sic ergo quamvis unâ horâ acceperint omnes, tamen quia alii acceperunt post unam horam, alii acceperunt post duodecimam horam, illi dicti sunt priores accepisse, qui post modicum temporis acceperunt. Primi justi, sicut Abel, sicut Noë, quasi primâ horâ vocati, felicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Alii justi post illos, Abraham, Isaac, Jacob, & quicumque erant sæculi ipsorum, quasi tertiâ horâ vocati, felicitatem resurrectionis accepturi sunt nobiscum. Alii justi, Moyses & Aaron, & quicumque cùm illis tamquam horâ sextâ vocati, felicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Post ipsos Prophetæ sancti tamquam nonâ horâ vocati, eamdem felicitatem nobiscum accepturi sunt. In fine sæculi omnes Christiani tamquam undecimâ horâ vocati, felicitatem illius resurrectionis cum illis accepturi sunt. Omnes simul accepturi sunt: sed videte illos primos, post quantum tempus accipiunt. Si ergo illi primi post multum tempus, nos post modicum tempus; quamvis simul accipiamus, priores videmur accepisse, quia merces nostra non tardabit.

SERMO DE SCRIPTURIS.

Vocati horâ primâ, tertiâ &c.

Denarius vita æterna.

6. Erimus ergo in illa mercede omnes æquales, tamquàm primi novissimi, & novissimi primi: quia denarius ille vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minùs: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est: quod non habet finem, nec tibi habebit, nec mihi. Alio modo ibi erit castitas conjugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis: alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis. Illud alio modo, illud alio modo: tamen quantum pertinet ad vivere in æternum, nec ille plus vivet illo, nec ille plus illo. Pariter enim sine fine vivunt, cùm in suis quisque claritatibus vivat: & ille denarius vita æterna est. Non murmuret ergo qui post multum tempus accepit, contra eum qui post modicum tempus accepit. Illi redditur, illi donatur; utrisque tamen una res donatur.

CAPUT V. Quomodo aliter intelliguntur vocati primâ, tertiâ &c.

7. Est & in ista vita simile aliquid, & exceptâ illâ solutione similitudinis hujus, qua intelliguntur primâ horâ vocati Abel & ipsius sæculi justi, tertiâ Abraham & ipsius sæculi justi, sextâ Moyses & Aaron & ipsius sæculi justi, nonâ Prophetæ & ipsius sæculi justi, undecimâ tamquam in fine sæculi Christiani omnes; exceptâ solutione ista similitudinis hujus, & in ista vita nostra potest adverti hæc similitudo. Tamquam enim primâ horâ vocantur, qui recentes ab utero matris incipiunt esse Christiani, quasi tertiâ pueri, quasi sextâ juvenes, quasi nonâ vergentes in senium, quasi undecimâ omnino decrepiti, unum tamen vitæ æternæ denarium omnes accepturi.

CAPUT VI. In eos qui vocati ad

8. Sed attendite & intelligite, Fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineam, quia securus est, quoniam quandocumque venerit, ipsum

a Colbertinus & Thim. MSS. *Adducti sunt ad vineam horâ undecimâ.*

CLASSIS I.

vineam venire differunt.

ipsum denarium accepturus est. Securus est quidem quòd ipse denarius illi promittitur; sed differre non jubetur. Numquid enim & illi qui sunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat paterfamiliâs, ut conduceret quos invenit horâ tertiâ, & conduxit, verbi gratiâ, dixerunt illi, Exspecta, non illuc imus nisi horâ sextâ? aut quos invenit horâ sextâ, dixerunt, Non imus nisi horâ nonâ? aut quos nonâ invenit, dixerunt, Non imus nisi undecimâ? Omnibus enim tantumdem daturus est: quare nos ampliùs fatigamur? Quid ille daturus sit, & quid facturus sit, penes ipsum consilium est: tu quando vocaris, veni. Merces enim cunctis æqualis promittitur: sed de ipsa hora operandi, magna quæstio est. Si enim illi, verbi gratiâ, qui vocati sunt horâ sextâ, in hac ætate corporis constituti, ubi juveniles anni fervent, sicut ipsâ horâ sextâ fervet; si dicerent illi juvenes vocati, Exspecta, audivimus enim in Evangelio, quia omnes unam mercedem accepturi sunt, cùm senes facti fuerimus horâ undecimâ veniemus, tantumdem accepturi, quare * laboraturi? Responderetur eis & diceretur, Laborare non vis, qui utrùm vivas usque ad senectam, nescis? Sextâ horâ vocaris, veni. Pater-familiâs tibi quidem etiam undecimâ venienti denarium promisit: sed utrùm vivas usque ad septimam, nemo tibi promisit. Non dico, usque ad undecimam, sed usque ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide ne fortè quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Si hoc rectè dicitur de infantibus, tamquam ad horam primam pertinentibus; si rectè dicitur de pueris, tamquam ad horam tertiam pertinentibus; si rectè dicitur de juvenibus, tamquam in horæ sextæ flagrantia constitutis; quantò magis rectè de decrepitis dicitur, Ecce jam hora undecima est, & adhuc stas, venire piger es?

* ampliùs laboraturi.

CAPUT VII. Quomodo pater-familiâs exiit vocare ad vineam.

9. An fortè non exiit ad te vocandum paterfamiliâs? Si non exiit, quid est quod loquimur? Nempe nos servi de familia ipsius sumus, conducere operarios missi sumus. Quid ergo stas? Finisti jam annorum numerum, festina ad denarium. Hoc est enim exire patrem-familiâs, innotescere: quoniam qui in domo est, in abdito est, non videtur ab eis qui foris sunt; cùm autem exiit de domo, videtur ab eis qui foris sunt. Christus, quando non intelligitur & non agnoscitur, in secreto est: quando autem agnoscitur, exiit conducere. Ex occulto enim processit ad notitiam: notus est Christus, ubique prædicatur Christus; gloriam Christi omnia quæcumque sunt sub cælo clamant. Fuit irrisibilis quodam modo & reprehensibilis inter Judæos, visus est humilis, contemtus est. Occultabat enim majestatem, promtam habebat infirmitatem. Contemtum est in illo quod promtum erat, nec cognitum quod occultum erat. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Numquid adhuc contemnendus est sedens in cælo, si contemtus est cùm penderet in ligno? Agitaverunt caput qui eum crucifixerunt, & ante crucem ejus stantes, & tamquam ad fructum suæ sævitiæ pervenientes, [a] insultantes dicebant, Si Filius Dei est, descendat de cruce. Alios salvos fecit, se ipsum salvum facere non potest? Descendat de cruce, & credimus in eum. Non descendebat, quia latebat. Multò enim faciliùs poterat de cruce descendere, qui potuit de sepulcro resurgere. Ad nostram informationem demonstrabat patientiam, differebat potentiam; & non est agnitus. Non enim tunc exierat conducere operarios, non exierat, non innotuerat. Tertio die resurrexit, demonstravit se discipulis, adscendit in cælum, & misit Spiritum-sanctum quinquagesimo die post resurrectionem, decimo post adscensionem. Missus Spiritus-sanctus implevit omnes qui fuerunt in uno conclavi, centum-viginti homines. Impleti illi Spiritu-sancto, cœperunt loqui linguis omnium gentium, expressa est vocatio, exiit ille conducere. Cœpit enim veritatis potentia omnibus innotescere. Nam tunc etiam unus accepto Spiritu-sancto, etiam unus loquebatur omnium gentium linguis. Modò autem in Ecclesia ipsa unitas tamquam unus loquitur omnium gentium linguis. Ad quam linguam religio Christiana non pervenit? ad quos fines non pertendit? Jam non est qui se abscondat à calore ejus: & adhuc fit mora ab eo qui stat in undecima.

1. Cor. 2. 8.

a Matth. 27. 40.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Act. 1. 15.

Ecclesia loquitur omnium gentium linguis.

Psal. 18. 7.

CAPUT VIII.

10. Manifestum est ergo, Fratres mei, omnino manifestum est, tenete, certi estote, quoniam Deus noster Jesus Christus, quando quisque se converterit ad fidem ipsius, à via sua vel superflua vel nequissima, omnia illi præterita dimittuntur, & omnino, tamquam donatis debitis, fiunt cum illo tabulæ novæ. Prorsus omnia dimittuntur. Nemo sit sollicitus, quòd aliquid ei non dimittatur. Sed iterum nemo perversè sit securus. Ista enim duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes. De his duobus malis pauca audite. Nam sicut liberat bona spes, & recta spes; ita decipit perversa spes. Priùs attendite quemadmodum decipiat desperatio. Sunt homines, qui cùm cogitare cœperint mala quæ fecerunt, non sibi putant ignosci posse; & dum non putant posse sibi ignosci, dant [b] animam jam perire, desperatione pereunt, dicentes in cogitationibus suis, Jam nulla nobis spes est; neque enim tanta illa quæ commisimus donari nobis aut ignosci possunt: quare ergo non satisfacimus cupiditatibus nostris? Impleamus saltem præsentis temporis voluptatem, quia nullam habemus in futuro mercedem. Faciamus quidquid libet, etsi non licet; ut habeamus suavitatem vel temporalem, quia percipere non meremur æternam. Talia dicentes desperando pereunt, sive antè quàm omnino credant, sive jam Christiani & in aliqua peccata & scelera malè vivendo prolapsi. Procedit ad eos Dominus vineæ, & tamquam desperantes & [c] vocanti tergum dantes, pulsat & clamat per Prophetam Ezechielem, In quacumque die conversus fuerit homo à via sua pessima, omnes iniquitates ejus obliviscar. Hac voce audita & credita, à desperatione recreantur, & ab illa altissima & profunda voragine, qua submersi fuerant, emergunt.

Desperatio & perversa spes occidunt animas.

Ezech. 18. 21.

CAPUT IX. Spes perversa qua differtur conversio.

11. Sed his timendum est, ne in aliam voraginem incurrant, & perversè sperando moriantur, qui desperando mori non potuerunt. Mutant enim cogitationes longè quidem diversas,

a Aliquot MSS. *exsultantes.*
b MSS. *animum.*

c Sic aliquot MSS. At editi, *&* *vacantes.*

Classis I.

sed non minùs perniciosas: & rursus incipiunt dicere in cordibus suis, Si quacumque die conversus fuero à via mea pessima, Deus misericors, sicut veraciter per Prophetam promisit, omnes iniquitates meas obliviscitur, quare hodie convertor, & non cras? Quare hodie, & non cras? [a] Eat hodiernus dies sicut hesternus, sit in nequissima voluptate, sit in flagitiorum gurgite, volutetur in mortifera delectatione: cras convertar, & finis est. Respondetur tibi, Cujus rei finis? Dicis, Iniquitatum mearum. Bene, [b] gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid si ante crastinum tuus erit finis? Ergo bene quidem gaudes, quia propter iniquitates tuas converso tibi indulgentiam Deus promisit: sed crastinum diem tibi nemo promisit. Aut si fortè promisit mathematicus, longè aliud est quàm [c] Deus. Multos mathematici fefellerunt, quia & sibi plerumque lucra promiserunt, & damna invenerunt. Ergo etiam propter istos malè sperantes, procedit pater-familiâs. Quemadmodum processit ad illos, qui malè desperaverant, & perierant desperando, & revocavit eos in spem: sic procedit etiam ad istos, qui malè sperando volunt perire: & dicit eis per alium librum, Ne tardes converti ad Dominum. Quomodo illis dixerat, In quacumque die iniquus conversus fuerit à via sua pessima, omnes iniquitates ejus obliviscar; & tulit eis desperationem, qua jam dederant animam suam perditioni, omni modo indulgentiam desperantes: sic procedit etiam ad istos, qui sperando & differendo volunt perire; & loquitur ad eos, & increpat eos, Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Ergo noli differre, noli quod patet contra te claudere. Ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostium: quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti: non pulsasti, & aperit, & foris remanes? Ne ergo differas. De misericordiæ operibus quodam loco Scriptura dicit, Ne dixeris, Vade & revertere, cras ego dabo; cùm possis continuò bene facere: non enim scis quid contingat sequenti die. Audisti præceptum non differendi ut in alium sis misericors, & differendo in te es crudelis? Non debes differre panem daturus, & differs indulgentiam accepturus? Si miserando alterum non differs, miserere & animæ tuæ placens Deo. Exhibe & animæ tuæ eleemosynam. Non dicimus ut tu ei des, sed ne repellas manum dantis.

Diem crastinũ Deus nemini promisit. — *Eccli. 5. 8.* — *Prov. 3. 28.* — *Eccli. 30. 24.*

12. Sed aliquando homines inde sibi plurimùm nocent, cùm alios offendere timent. Multùm valent & boni amici ad bonum, & mali amici ad malum. Ideo Dominus, ut pro salute nostra potentium amicitias contemnamus, noluit priùs eligere senatores, sed piscatores. Magna [d] artificis misericordia. Sciebat enim quia si eligeret senatorem, diceret senator, Dignitas mea electa est. Si priùs eligeret divitem, diceret dives, Opulentia mea electa est. Si priùs eligeret imperatorem, diceret imperator, Potestas mea electa est. Si priùs eligeret oratorem, diceret orator, Eloquentia mea electa est. Si eligeret philosophum, diceret philosophus, Sapientia mea electa est. Interim, inquit, differantur superbi isti, multùm tument. Distat autem inter magnitudinem & tumorem: utrumque grande est; sed non utrumque sanum est. Differantur ergo, inquit, isti superbi, aliqua soliditate sanandi sunt. Da mihi, inquit, priùs istum piscatorem. Veni tu pauper, sequere me; nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper, sequere me. Non est quod in te expavescatur, sed multum est quod in te impleatur. Tam largo fonti vas inane admovendum est. Dimisit retia piscator, accepit gratiam piscator, & factus est divinus orator. Ecce quid fecit Dominus, de quo dicit Apostolus, Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt tamquam quæ sint, ut ea quæ sunt evacuentur. Denique leguntur modò verba piscatorum, & colla subduntur oratorum. Tollantur ergo de medio inanes venti; tollatur de medio fumus, qui crescendo evanescit; prorsus pro salute ista contemnantur.

Caput X. Potentium amicitiam cum saluti abest, contemnendam docet Christus. — *Serm. de Scripturis.* — *1. Cor. 1. 27. & 28.*

13. Si quisquam corpore ægrotaret in civitate & esset ibi aliquis peritissimus medicus amicis ægroti potentibus inimicus: si quisquam ergo in civitate aliquo periculoso morbo corporis ægrotaret, & esset in eadem civitate peritissimus medicus amicis, ut dixi, ægrotantis potentibus inimicus, qui dicerent amico suo, Noli eum adhibere, nihil novit: dicerent autem, non judicante animo, sed invidente: nonne ille pro salute sua removeret amicorum potentium fabulas, & ut paucis diebus plus viveret, cùm illorum qualibet offensione, pellendo sui corporis morbo medicum illum, quem peritissimum fama commendaverat, adhiberet? * Ægrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. Jacet toto orbe terrarum ab Oriente usque in Occidentem grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens medicus. Humiliavit se usque ad mortalem carnem, tanquam usque ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, contemnitur: qui audiunt, liberantur. Contemnitur, cùm dicunt amici potentes, Nihil novit. Si nihil nosset, potentia ejus gentes non impleret. Si nihil [e] nosset, non esset antè quàm apud nos esset. Si nihil nosset, Prophetas ante se non mitteret. Nonne modò implentur quæ antè prædicta sunt? Nonne probat medicus iste artis suæ potentiam promissa complendo? Nonne per totum mundum perniciosi evertuntur errores, & triturâ mundi domantur cupiditates? Nemo dicat, Antea melior erat mundus quàm modò: ex quo cœpit iste medicus artem suam exercere, multa hîc videmus horrenda. Noli mirari. Antè quàm aliquis curaretur, munda à sanguine statio medici videbatur: immo jam tu hoc videns excute vanas delicias, veni ad medicum, sanitatis tempus est non voluptatis.

Christo medico obediendum, contemtis potentibus qui ei adversantur. — ** Caput XI.*

14. Curemur ergo, Fratres. Si [f] necdum medicum agnoscimus, non in eum tamquam phrenetici sæviamus, non ab eo tamquam lethar-

[a] MSS. alii, *Et hodiernus.* Alii cum Am. & Er. *Erit hodiernus.*
[b] Aliquot MSS *Bene gaudes.* Et infrà, *Ergo quid est? Bene gaudes quia propter* &c.
[c] Sic MSS. At editi, *longè aliud est. Quàm, ô Deus, multi* &c.
[d] Nonnulli MSS. *Magna ars misericordiæ.*
[e] Sic meliores MSS. At editi, *Si nihil esset, non esset antè quàm apud nos esset, Prophetas ante se* &c.
[f] Aliquot MSS. *si medicum agnoscimus.*

CLASSIS I.

gici avertamur. Multi enim sæviendo, multi dormiendo perierunt. Phrenetici sunt, qui non dormiendo insaniunt. Lethargici sunt, qui multùm dormiendo premuntur. Prorsus tales sunt homines. Contra istum medicum alii sævire in eum volunt, & quoniam ipse jam in cælo sedet, membra ejus fideles in terra persequuntur. Curat & tales. Multi ex eis conversi ex inimicis facti sunt amici, ex persecutoribus facti sunt prædicatores. Tales etiam ipsos Judæos, in se ipsum, cùm hîc esset, sævientes, tamquam phreneticos sanavit, pro quibus in ligno pendens oravit. Dixit enim, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Multi tamen eorum, sedato furore, tamquam phrenesi oppressa, cognoverunt Deum, cognoverunt Christum. Post adscensionem misso Spiritu-sancto, conversi sunt ad eum quem crucifixerunt, & in Sacramento credentes sanguinem ejus biberunt, quem sæviendo fuderunt.

Phrenetici. Lethargici. Luca 23. 34.

CAPUT XII.

15. Habemus exempla. Persequebatur membra ejus jam sedentis in cælo Saulus: persequebatur graviter in phrenesi, mente perdita, morbo nimio. At ille una voce de cælo clamans ei, Saule, Saule, quid me persequeris? percussit phreneticum, erexit sanum, occidit persecutorem, vivificavit prædicatorem. Etiam lethargici multi sanantur. Ipsis enim similes sunt, qui non sæviunt in Christum, nec malitiosi sunt adversùs Christianos, sed tantùm differendo languescunt verbis somnolentis, in lucem oculos extendere pigrescunt, & qui eos excitare volunt, molesti sunt. Recede à me, inquit languidus lethargicus, obsecro te, recede à me. Quare? Dormire volo, Sed morieris inde. Ille amore somni, Mori volo, respondet. Et caritas de super, Nolo. Plerumque istum caritatis affectum exhibet filius etiam patri seni morituro post paucos dies, jam utique ætate finita. Si lethargicum videt, & lethargico morbo premi suum patrem à medico agnoscit, dicente sibi, Excita patrem tuum, noli eum permittere dormire, si vis ut vivat. Adest puer seni, pulsat, vellicat, pungit, pietate molestus est: nec mori citò permittit ipsa senectute [a] cito moriturum; & si vixerit, gaudet filius, ut aliquantò plures dies vivat cum decessuro successurus. Quantò majore caritate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, sed apud Deum in æternum vivamus? Ament ergo nos, & faciant quod audiunt per nos, & colant quem colimus & nos, ut recipiant quod speramus & nos. Conversi ad Dominum &c.

Act. 9. 4.

* *Aliàs 18. de verbis Domini.* b

*SERMO LXXXVIII.

De [b] verbis Evangelii Matth. 20. ubi de duobus cæcis sedentibus secus viam, & clamantibus, Domine miserere nostri, fili David.

CAPUT I. *Medicus noster, Christus.*

1. BENE nobiscum novit Sanctitas Vestra, Dominum nostrum & salvatorem Jesum Christum medicum esse nostræ salutis æternæ; & ad hoc eum suscepisse infirmitatem naturæ nostræ, ne sempiterna esset infirmitas nostra. Assumsit enim corpus mortale, in quo occideret mortem. Et quamvis crucifixus est ex infirmitate nostra, sicut ait Apostolus; sed vivit ex virtute Dei. Ejusdem Apostoli verba sunt: Et quia jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur. Hæc ergo bene nota sunt fidei vestræ. Simul & hoc consequens est, ut noverimus omnia miracula, quæ corporaliter fecit, valere ad admonitionem nostram, ut percipiamus ab eo quod non est transiturum, neque finem habiturum. Oculos reddidit cæcis, quos erat utique mors aliquando clausura: resuscitavit Lazarum, iterum moriturum. Et quæcumque ad salutem corporum fecit, non ad hoc fecit, ut sempiterna essent: cùm tamen daturus sit etiam ipsi corpori in fine sempiternam salutem. Sed quia illa quæ non videbantur, non credebantur; per ista temporalia quæ videbantur ædificabat fidem ad illa quæ non videbantur.

2. Cor. 13. 4. Serm. de Scripturis. Rom. 6. 9. Miraculis corporalibus ædificabat fidē.

CAPUT II. *Ecclesiæ postea fides sine miraculis laudabilior.*

2. Nemo itaque, Fratres, dicat, non facere ista modò Dominum nostrum Jesum Christum, & propter hoc præsentibus Ecclesiæ temporibus priora præponere. Quodam quippe loco idem Dominus videntibus, & ideo credentibus, præponit eos qui non vident & credunt. Namque usque eò illo tempore discipulorum ejus nutabat infirmitas, ut quem videbant jam resurrexisse, etiam contrectandum putarent, ut crederent. Non sufficiebat oculis, quòd viderent, nisi & manus admoverentur membris, & cicatrices recentium vulnerum tangerentur: ut ille qui dubitabat discipulus, repentè tactis & cognitis cicatricibus exclamaret, Dominus meus & Deus meus. Cicatrices ostendebant eum, qui omnia vulnera in aliis sanaverat. Numquid non poterat Dominus sine cicatricibus resurgere? Sed in corde discipulorum vulnera noverat, propter quæ sananda cicatrices in corpore suo servaverat. Et quid Dominus illi jam confitenti ac dicenti, Dominus meus & Deus meus? Quia vidisti me, inquit, credidisti: beati qui non vident, & credunt. Quos dixit, Fratres, nisi nos? Non quia solos nos, sed & [c] post nos. Post parvum enim tempus, postea quàm ab oculis mortalibus recessit ut firmaretur fides in cordibus, quicumque crediderunt, non videntes crediderunt, & magnum meritum habuit fides eorum: cui fidei comparandæ, cor tantùm admoverunt pium, non & palpantem manum.

Johan. 20. 29. Cicatrices corporis sui cur servavit. Ibidem 28.

CAPUT III. *Miracula nunc majora Christus operatur.*

3. Hæc ergo fecit Dominus, ut invitaret ad fidem. Hæc fides nunc fervet in Ecclesia, toto orbe diffusa. * Et nunc majores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore; sic & melior salus animi, quàm salus corporis. Modò caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos sermoni Domini. Modò non resurgit mortale cadaver, resurgit anima, quæ mortua jacebat in vivo cadavere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur: sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt, ut credant qui non credebant, & benè vivant qui malè vivebant, & obediant qui non obediebant: & dicimus, Ille credidit; ac miramur, cùm audimus de his quos aliquando duros noveramus. Cur ergo nunc miraris credentem,

a Sic nonnulli codices. Alii verò cum editis, *permittit citò moriturum, & si vixerit (vel viderit) ut aliquantò plures dies vivat, cùm decesserit successurus.*

b In Possidii Indiculo cap. 8. inscribitur, *de duobus cæcis.* Ejusdem Sermonis excerpta retulit Florus ad 2. Cor. 6 & ad Ephes. 5.

c Hic unus MS. addit, *qui erunt.* Et proximo pòst loco abest vox *fides* à MSS.

Classis I.

innocentem, Deo servientem; nisi quia conspicis A videntem, quem noveras cæcum; conspicis viventem, quem noveras mortuum; conspicis audientem, quem noveras surdum? Nam videte aliter mortuos, de quibus mortuis dicebat Dominus cuidam ideo tardanti, ne Dominum sequeretur, quia sepelire patrem volebat: Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. (*Matth. 8. 22.*) Certè mortui sepultores non sunt corpore mortui: quia si hoc essent, mortua corpora sepelire non possent. Tamen mortuos eos vocat: ubi, nisi intus in anima? Sicut enim etiam visibiliter plerumque in domo B integra & salva dominus ejusdem domûs mortuus jacet; sic in corpore integro multi habent intus animam mortuam: & hos sic excitat Apostolus, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. (*Ephes. 5. 14.*) Ipse illuminat excæcatum, qui excitat mortuum. Ejus enim voce per Apostolum clamatur ad mortuum, Surge qui dormis. Cæcus luce illuminabitur, cùm surrexerit. Surdos autem quàm multos ante oculos suos Dominus C intuebatur, cùm diceret, Qui habet aures audiendi, audiat. (*Matth. 11. 15.*) Quis enim ante illum sine corporis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat?

Caput IV. *Oculus mentis, quo Deus videatur, mundatur per fidem.*

4. Item quales oculos quærebat, cùm loqueretur utique videntibus, sed videntibus per oculos carnis? Nam cùm ei diceret Philippus, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: bene quidem hoc intelligebat, ut demonstratus Pater posset sufficere; sed cui non sufficiebat æqua- D lis Patri, quomodo sufficeret Pater? (*Johan. 14. 8.*) Quare autem non sufficiebat? Quia non videbatur. Quare non videbatur? Quia nondum erat sanus oculus, unde posset videri. Hoc enim quod in carne Domini videbatur his oculis, non soli discipuli viderunt qui honoraverunt, sed & Judæi qui crucifixerunt. Qui ergo aliter se videri volebat, alios oculos requirebat. Et ideo sic respondit dicenti, » Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: Tanto » tempore, vobiscum sum, & non me cognovistis? E » Philippe, qui me vidit, vidit & Patrem. Et ut interim fidei oculos sanaret, priùs admonetur secundùm fidem, ut possit ad speciem pervenire. Et ne sic putaret Philippus cogitandum Deum, quomodo videbat in corpore Dominum Jesum Christum, statim subjecit: » Non credis, quia ego in » Patre, & Pater in me est? Jam dudum dixerat, » Qui me vidit, vidit & Patrem. Sed nondum habebat Philippus sanum oculum, unde videret Patrem: atque ideo nec unde videret ipsum Filium Patri coæqualem. F Itaque aciem mentis adhuc sauciam, & tantam lucem adspicere non valentem, sanandam atque firmandam fidei medicamentis fomentisque suscepit, & ait, » Non cre» dis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Qui ergo nondum potest videre quod demonstraturus est Dominus, non quærat priùs videre quod credat: sed priùs credat, ut possit oculus sanari quo videat. Sola enim forma servi exhibebatur servilibus oculis: (*Philip. 2. 6.*) quia ille qui non rapinam arbi- G tratus est esse æqualis Deo, si ab eis quos sanari voluit jam videri posset æqualis Deo, non opus haberet semetipsum exinanire, & formam servi accipere. Sed quia non erat unde videretur Deus, & erat unde videretur homo; qui Deus erat, factus est homo, ut id quod videbatur, sanaret illud unde non videbatur. Ipse enim

Serm. de Scripturis.

alio loco ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. (*Matth. 5. 8.*) Poterat utique Philippus respondere, & dicere, Domine, ecce te video: talisne est Pater, quale est hoc quod video? quoniam dixisti, » Qui me vidit vidit & Patrem. » Antè quàm hoc responderet Philippus, vel fortasse antè quàm cogitaret, cùm dixisset Dominus, » Qui me vidit, vidit & Patrem; continuò sub» junxit, » Non credis, quia ego in Patre, & Pater » in me est? Illo enim oculo nondum videre poterat, nec Patrem, nec æqualem Patri Filium: sed ut sanaretur oculus ad videndum, inunguendus erat ad credendum. Ideo antè quàm videas quod videre non potes, crede quod nondum vides. Ambula per fidem, ut pervenias ad speciem. Species non lætificabit in patria, quem fides non consolatur in via. Sic enim dicit Apostolus, Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. (*2. Cor. 5. 6.*) Statimque subnectit quare adhuc peregrinamur, quamvis jam crediderimus: Per fidem, inquit, ambulamus, non per speciem.

Caput V. *Opera nostra nunc tota est sanare oculum cordis.*

5. Tota igitur opera nostra, Fratres, in hac vita est, sanare oculum cordis, unde videatur Deus. Ad hoc sacrosancta mysteria celebrantur; ad hoc sermo Dei prædicatur; ad hoc exhortationes Ecclesiæ morales, id est, pertinentes ad corrigendos mores, ad emendandas carnales concupiscentias, ad renuntiandum non voce tantùm, sed mutatâ vitâ huic sæculo; ad hoc agunt quidquid agunt divinæ sanctæque litteræ, ut purgetur illud interius ab ea re quæ nos impedit ab adspectu Dei. Sicut enim oculus factus ad hanc lucem temporalem videndam, & quamvis cælestem, tamen corpoream atque conspicuam, non solùm hominibus, sed etiam vilissimis animantibus, (ad hoc enim factus est, ut hanc lucem videat); tamen si aliquid injectum fuerit, vel irruerit, unde turbetur, secluditur ab hac luce; & quamvis eum suâ præsentiâ circumfundat, ille tamen se avertit, atque absens est: non solùm autem absens fit perturbatione sua à luce præsenti; sed etiam pœnalis illi est lux, ad quam videndam factus est. Sic & oculus cordis perturbatus atque sauciatus avertit se à luce justitiæ, nec audet eam contemplari, nec valet.

Caput VI. *Studium mundandi cordis oculo.*

6. Quid turbat oculum cordis? Cupiditas, avaritia, iniquitas, concupiscentia sæcularis, turbat, claudit, excæcat oculum cordis. Et tamen quomodo quæritur medicus, cùm oculus carnis turbatus est, quomodo non differtur ut aperiatur atque purgetur, ut sanetur unde lux ista videatur? Curritur, nemo requiescit, nemo differt, si vel stipula in oculum cadat. Solem certè, quem sanis oculis videre volumus, Deus fecit. Multò est utique lucidior ille qui fecit: nec hujus generis lux est, quæ pertineat ad oculum mentis. Lux illa est æterna sapientia. Fecit autem te Deus, ô homo, ad imaginem suam. Daretne tibi unde videres solem quem fecit, & non tibi daret unde videres eum qui te fecit, cùm te ad imaginem suam fecerit? Dedit & hoc: utrumque dedit tibi. Sed multùm hos oculos exteriores diligis, multùm illum interiorem negligis: detritum portas atque sauciatum. Pœna tibi est, si se voluerit ostendere fabricator tuus: pœna est oculo tuo, antè quàm curetur atque sanetur. Nam & in paradiso peccavit Adam, & abscondit se à facie Dei. Cùm haberet ergo cor sanum puræ con-

Classis I.

scientiæ, gaudebat ad præsentiam Dei: postquam A peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare divinam, refugit in tenebras atque in densa lignorum, veritatem fugiens, umbras appetens.

Caput VII. & VIII. Ægroti ad poculum sumendum exemplo Christi invitamur.

7. Ergo, Fratres mei, quoniam & nos inde nati sumus, & sicut dicit Apostolus, In Adam omnes moriuntur: omnes enim nos duo homines aliquando fuimus: si nolumus obtemperare medico, ut non ægrotaremus; obtemperemus, ut ab ægritudine liberemur. Dedit nobis præcepta B medicus, sanis: dedit præcepta medicus, ne medico indigeremus. Non opus est, inquit, sanis medicus, sed ægrotantibus. Sani præcepta contemsimus, & experimento sensimus in quantam perniciem nostram * præceptum illud contemserimus. Ægrotare jam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus: sed non desperemus. Quia enim ad medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est. Non contemsit saucium contemtus à sano. Non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima cu- C stodire noluit, ne langueret: tamquam diceret, Certè experimento sensisti verum me dixisse, quando dixi, Noli tangere hoc. Sanare ergo tandem, & revivisce. Ecce porto infirmitatem tuam: bibe amarum calicem. Tu enim tibi fecisti præcepta illa mea, quæ sano data sunt tam dulcia, tam laboriosa. Contemta sunt, cœpisti laborare: sanari non potes, nisi amarum calicem biberis, calicem tentationum, quibus abundat D hæc vita, calicem tribulationum, angustiarum, passionum. Bibe, inquit, bibe, ut vivas. Et ne responderet ei languidus, Non possum, non fero, non bibo: prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia: prior audivit cùm dæmones expelleret, Dæmonium habet, & quòd in Beelzebub ejicit dæmonia. Unde ut ipse consolaretur ægros, ait, Si patrem-familiâs Beelzebub vocaverunt, quan- E tò magis domesticos ejus? Si dolores amari sunt: ligatus & flagellatus & crucifixus est. Si mors amara est: etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas: nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors crucis. Non enim frustra commendans ejus obedientiam Apostolus addidit, dicens, Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

1. Cor. 15. 22.

Matth 9. 12.

* f. præcepta illius.

Luc. 7. 33.

Matth. 10. 25.

Philip. 2. 8.

Caput IX. Crucem suam cur hic honoravit Christus.

8. Sed quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus sæculi, priùs honoravit crucem F in hoc sæculo; ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi: & quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magnâ fiduciâ servi ejus, etiam reges in fronte nunc portant. Non tantùm apparet modò qualem mortem pro nobis Dominus subire dignatus est: sicut ait Apostolus, Factus pro nobis maledictum. Et cùm ei pendenti Judæorum cæcitas insultaret, posset utique descendere de cruce, qui si nollet, non G esset in cruce: sed ampliùs erat de sepulcro resurgere, quàm de cruce descendere. Hæc ergo Dominus faciens divina, patiens humana, admonet nos corporalibus miraculis & patientiâ corporali, ut credamus, & sanemur ad conspicienda illa invisibilia quæ carnis oculus nescit.

Galat. 3. 13.

Hoc ergo agens curavit cæcos istos, de quibus nunc Evangelium recitatum est. Et in curando videte quid admonuerit ægrotum interiorem.

Serm. de Scripturis.

Caput X. Duorum cæcorum curatio quid significat.

9. Adtendite ipsius facti exitum & ordinem rerum. Sedentes illi in via duo cæci, transeunte Domino exclamabant, ut eorum misereretur. A turba verò, quæ cum Domino erat, compescebantur ne clamarent. Neque hoc sine mysterio derelictum putetis. Illi autem compescentem se turbam perseverantissimo clamore vincebant, ut perveniret vox eorum ad aures Domini: quasi non jam ille cogitata [a] prævenerit. Clamaverunt ergo duo cæci, ut audirentur à Domino, & à turbis comprimi nequiverunt. Transibat Dominus, & illi clamabant. Stetit Dominus, & sanati sunt. Nam *stetit* Dominus *Jesus, & vocavit eos, & ait, Quid vultis vobis faciam?* * *At illi dixerunt, Ut aperiantur oculi nostri.* Pro fide ipsorum fecit Dominus, instauravit oculos eorum. Si intelleximus jam interiorem ægrotum, interiorem surdum, interiorem mortuum; ibi quæramus & interiorem cæcum. Clausi sunt oculi cordis: transit Jesus, ut clamemus. Quid est, transit Jesus? Agit temporalia Jesus. Quid est, transit Jesus? Agit transitoria Jesus. Adtendite & videte quanta ejus gesta transierint. Natus est de virgine Maria: numquid semper nascitur? Infans lactatus est: numquid semper sugit? Per ætates cucurrit usque ad juventutem: numquid semper corporaliter crescit? Infantiæ pueritia, pueritiæ adolescentia, adolescentiæ juventus transeunti [b] cedentique successit. Ipsa etiam quæ fecit miracula, transierunt: leguntur & creduntur. Quia enim talia scripta sunt ut legi possint, transibant cùm fierent. Postremò ne in multis moremur, crucifixus est: numquid semper pendet in cruce? Sepultus est, resurrexit, adscendit in cælum: jam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur: & divinitas ejus semper manet, & immortalitas jam corporis ejus numquam deficiet. Sed tamen illa omnia quæ temporaliter ab eo gesta sunt, transierunt; & legenda scripta sunt, & credenda prædicantur. In illis ergo omnibus transiit Jesus.

Matth. 20. 32. ℣. 33.

Jesum transire quid.

Caput XI. Cæci duo, duo populi.

10. Quid duo cæci juxta viam sunt, nisi duo populi, ad quos sanandos venit Jesus? Ostendamus hos duos populos in Scripturis sanctis. Est in Evangelio scriptum, Habeo alias oves, quæ non sunt de hoc ovili; & illas oportet me adducere, ut sit unus grex & unus pastor. Qui sunt ergo duo populi? Unus Judæorum, & alius Gentium. Non sum missus, ait, nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israël. Quibus hoc dixit? Discipulis: quando illa Chananæa clamabat, quæ se esse canem confessa est, ut micas de mensa dominorum mereretur. Et quia meruit, jam duo demonstrati sunt ad quos venerat: Judaicus scilicet populus, de quo ait, Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israël: & Gentium populus, cujus typum prætendebat hæc mulier, quam primò respuerat, dicens, Non est bonum, panem filiorum mittere canibus: & cui dicenti, Ita Domine, nam & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum; responderat, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Inde enim erat & ille Centurio, de quo dicit idem Dominus, Amen dico vobis, non inveni tantam

Johan. 10. 16.

Matth. 15. 24.

Ibidem 26. &c.

Matth. 8. 10. &c.

[a] Sic MSS. Editi verò, *cogitata cognosceret.*

[b] Editi, *credentique successit.* Castigantur hic ex MSS.

CLASSIS I.

SERM. DE SCRIPTURIS.

fidem in Israël. Quia ille dixerat, Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Ita ergo Dominus ante passionem & clarificationem suam duos jam populos designabat; unum, ad quem venerat propter promissa Patrum; & alterum, quem propter misericordiam non repellebat: ut impleretur quod promissum erat Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Propterea & Apostolus jam post resurrectionem Domini & adscensionem, ubi contemtus est à Judæis, perrexit ad Gentes. Nec tamen Ecclesiis quæ de Judæis crediderant, tacuit: Eram, inquit, ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo. Tantùm autem audiebant, quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat: & in me, inquit, magnificabant Deum. Sic & angularis lapis dicitur Christus, qui fecit utraque unum. Angulus enim duos parietes copulat de diverso venientes. Quid tam diversum, quàm circumcisio & præputium, habens unum parietem de Judæa, alterum parietem de Gentibus? Sed angulari lapide copulantur. Lapidem enim quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Angulus in ædificio non est, nisi cùm duo parietes ex diverso venientes in [a] unum conveniunt, & quadam unitate junguntur. Isti ergo duo parietes secundùm typum, duo cæci erant clamantes ad Dominum.

Gen. 22. 18. — *Gal.* 1. 22. &c. — *Ephes.* 2. 20. Angularis lapis Christus. — *Psal.* 117. 22.

CAPUT XII. Transiens Jesus interpellatur, & sanat.

11. Adtendite nunc, Dilectissimi. Dominus transibat, cæci clamabant. Quid est, transibat? Transitoria opera faciebat, sicut jam diximus. Secundùm hæc transitoria opera fides nostra ædificatur. Credimus enim in Filium Dei, non tantùm quia Verbum Dei est, per quem facta sunt omnia: si enim semper in forma Dei manens æqualis Deo, non semetipsum exinaniret formam servi accipiens; nec sentirent cæci, ut possent clamare. Sed cùm operaretur transitoria, id est, humiliaret se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, clamaverunt duo cæci, *Miserere nostri, fili David.* Quia & hoc ipsum quod Dominus & creator David, etiam filius David esse voluit, in tempore hoc egit, transiens hoc fecit.

CAPUT XIII. Clamare ad Christum, quid.

12. Quid est autem, clamare ad Christum, Fratres, nisi gratiæ Christi congruere bonis operibus? Hoc dico, Fratres, ne fortè simus strepentes vocibus, & muti moribus. Quis est qui clamat ad Christum, ut pellatur interior cæcitas transeunte Christo, id est, dispensante nobis temporalia sacramenta, quibus admoneamur ad æterna capienda? Quis est qui clamat ad Christum? Qui contemnit mundum, clamat ad Christum. Qui spernit sæculi voluptates, clamat ad Christum. Qui dicit non linguâ, sed vitâ, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: clamat ad Christum. Qui dispergit, & dat pauperibus, ut justitia ejus maneat in sæculum sæculi: clamat ad Christum. Qui enim audit, & non surdus audit, Res vestras vendite, & date pauperibus: Facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cælo: tamquam vestigiorum sonitum Christi transeuntis audiens clamet ad hæc cæcus, id est, faciat ista. Vox ejus in factis sit. Incipiat mundum contemnere, inopi sua distribuere, pro A nihilo habere quæ homines amant, contemnat injurias, non appetat vindicari, paret maxillam percutienti, oret pro inimicis; si quis ei abstulerit sua, non repetat; si quid alicui abstulerit, reddat quadruplum.

Gal. 6. 14. — *Psal.* 111. 9. — *Lucæ* 12. 33.

CAPUT XIV. Turba prohibens clamare.

13. Cùm ista facere cœperit, omnes sui cognati, affines, amici commoventur. Qui diligunt sæculum, contradicunt. Quid insanis? Nimius es: numquid alii non sunt Christiani? Ista stultitia est, ista dementia est. Et cetera talia turba clamat, B ne cæci clament. Turba clamantes corripiebat: sed eorum clamores non vincebat. Intelligant quid faciant, qui volunt sanari. Et nunc Jesus transit: qui juxta viam sunt, clament. Hi sunt enim qui labiis honorant, cor autem eorum longè est à Deo. Ipsi sunt juxta viam, quibus præcipit Dominus obtritis corde. Nam cùm recitantur ea quæ fecit Dominus transeuntia, semper nobis exhibetur transiens Jesus. Quia usque in finem sæculi non desunt cæci sedentes ad viam. C Opus ergo est, ut clament illi juxta viam sedentes. Turba quæ cum Domino erat, compescebat clamorem quærentium sanitatem. Fratres, videtis quid dicam? Nescio enim quomodo dicam: sed plus nescio quomodo taceam. Hoc dico, & apertè dico. Timeo enim Jesum transeuntem & manentem: & ideo tacere non possum. Bonos Christianos, verè studiosos, volentes facere præcepta Dei, quæ in Evangelio scripta sunt, Christiani mali & tepidi prohibent. Turba D ipsa quæ cum Domino est, prohibet clamantes, id est, prohibet bene operantes, ne perseverando sanentur. Clament illi, non deficiant, neque ducantur quasi auctoritate turbarum; nec eos qui priores Christiani facti sunt, malè viventes, & bonis operibus invidentes imitentur. Non dicant, Quomodo isti vivunt tam multi, sic vivamus. Quare non potiùs quomodo dicit Evangelium? Quare vis vivere secundùm increpationem turbæ prohibentis, & non secundùm vestigia Domini E trauseuntis? Insultabunt, vituperabunt, revocabunt: tu clama quò usque pervenias ad aures Jesu. Nam qui perseveraverint in faciendo talia qualia præcepit Christus, & non adtenderint turbas prohibentes, neque magnipenderint quòd Christum videntur sequi, id est, quòd Christiani appellantur; sed plus amaverint lucem quam Christus est redditurus, quàm timuerint strepitum prohibentium: nullo modo separabuntur, & stabit Jesus, & sanabit eos.

Isai. 29. 13. *Matth.* 15. 8.

CAPUT XV. Quomodo oculi sanantur.

F 14. Quomodo enim sanantur oculi nostri? Quomodo per fidem sentimus Christum transeuntem temporali dispensatione, sic intelligamus Christum stantem incommutabili æternitate. Ibi enim sanatur oculus, quando intelligitur Christi divinitas. Percipiat hoc Caritas Vestra: adtendite quod dicam grande sacramentum. Omnia temporaliter gesta à Domino nostro Jesu Christo, fidem nobis inserunt. Credimus in Filium Dei, non solùm in Verbum per quod facta G sunt omnia; sed in ipsum Verbum factum carnem, ut habitaret in nobis, natum de virgine Maria, & cetera quæ fides habet, quæ nobis exhibita sunt, ut Christus transiret, & ut cæci vestigia transeuntis audientes, clamarent operibus, vitâ professionem fidei commemorantes. Jam ut clamantes sanentur, stat Jesus. Etenim jam stantem videt

[a] MSS. *in illum conveniunt.*

CLASSIS I.

1. Cor. 5. 16.

Stante Jesum quid.

Jesum, qui dicit, Et si noveramus Christum secundùm carnem, sed jam nunc non novimus. Christi enim divinitatem videbat, quantum in hac vita potest. Est divinitas Christi, est humanitas Christi. Divinitas stat, humanitas transit. Quid est, Divinitas stat, Non mutatur, non convellitur, non recedit. Non enim sic ad nos venit, ut à Patre discederet: nec ita adscendit, ut loco moveretur. Assumta [a] carne, locum mutavit: Deus autem assumens carnem, quia in loco non est, nec mutat locum. Tangamur stante Christo, sanentur oculi nostri. Sed quorum oculi? Clamantium scilicet, cùm transit: id est, bene operantium per eam fidem, quæ dispensata est temporaliter ad erudiendos nos parvulos.

Lux interior cum visibili comparatur.

15. Sanatis autem oculis, quid pretiosius habere poterimus, Fratres? Lumen hoc qui vident quod factum est, quod fulget de cælo, vel quod exhibetur de lucerna, gaudent. Et quomodo miseri videntur, qui hoc videre non possunt? Ego autem quare loquor, quare ista dico, nisi ut hortet omnes vos ad clamandum, cùm transit Jesus? Lucem commendo Sanctitati Vestræ amandam, quam fortè non videtis. Credite, dum nondum videtis; & clamate, ut videatis. Quanta putatur infelicitas hominum, qui lucem istam corporalem non vident? Excæcatus est aliquis: continuò dicitur, Iratum Deum habuit, aliquid mali commisit. Hoc uxor Tobiæ dicebat viro. Clamabat ille propter hœdum, ne de furto esset; nolebat sonum furti audire in domo sua: illa defendens factum suum, opprobrio percutiebat maritum: & cùm ille diceret, Reddite, si de furto est; illa respondebat insultans, Ubi sunt justitiæ tuæ? Quàm cæca erat, quæ furtum defendebat: & quàm lucem videbat, qui furtum reddi imperabat. Illa erat foris in luce solis: ille erat intus in luce justitiæ. Quis eorum erat in luce meliore?

Tob. 2. 21. &c.

CAPUT XVI.

16. Ad hanc lucem, Fratres, amandam hortamur Dilectionem Vestram: ut clametis operibus, cùm Dominus transit: sonet vox fidei; ut stans Jesus, id est, incommutabilis manens Dei Sapientia, & majestas Verbi Dei, per quod facta sunt omnia, aperiat oculos vestros. Idem Tobias monens filium suum, ad hoc monebat ut clamaret: id est, ad bona opera monebat. Dicebat illi ut daret pauperibus, præcipiebat ut eleemosynas faceret indigentibus, & docebat dicens, Fili, eleemosynæ non sinunt ire in tenebras. Consilium percipiendæ atque obtinendæ lucis cæcus dabat. Eleemosynæ, inquit, non sinunt ire in tenebras. Si ei filius responderet miratus, Quid ergo, pater, tu eleemosynas non fecisti, ut modò cæcus loquaris: tu nunc nonne in tenebris es, qui mihi dicis, Eleemosynæ non sinunt ire in tenebras? Noverat ille de qua luce doceret filium, noverat in interiore homine quod videbat. Filius patri porrigebat manum, ut ambularet per terram; & pater filio, ut habitaret in cælo.

Tob. 4. 11.

Clamandū inter turbas clamare prohibentes.

17. Breviter, ut concludam, Fratres, Sermonem istum, ex eo quod nos plurimùm tangit atque angit, videte esse turbas quæ corripiant cæcos clamantes. Omnes qui in hac turba sanari vultis, non vos deterreant: quia multi sunt no- A mine Christiani, & operibus impii; non vos deterreant à bonis operibus. Clamate inter turbas compescentes, revocantes, insultantes, malè viventes. Non enim solis vocibus comprimunt bonos Christianos mali, sed & malis operibus. Non vult bonus Christianus ire spectare. Hoc ipsum quòd frenat concupiscentiam suam, ne pergat ad theatrum, clamat post Christum, clamat ut sanetur. Alii concurrunt, sed fortè Pagani, fortè Judæi. Immo verò tam pauci essent B in theatris, ut erubescendo discederent, si Christiani ad theatra non accederent. Currunt ergo & illi, portantes sanctum nomen ad pœnam suam. Clama ergo non eundo, premens in corde tuo temporalem concupiscentiam; & tene te in clamore forti & perseveranti ad aures Salvatoris, ut stet Jesus, & curet te. Inter ipsas turbas clama, ne desperes de auribus Domini. Non enim & illi cæci ex illa parte clamaverunt, ubi turba non erat, ut ex ea parte audirentur, C ubi non esset impedimentum prohibentium. Inter ipsas turbas clamaverunt: & tamen Dominus audivit. Sic & vos etiam inter peccatores & luxuriantes, inter amatores sæcularium vanitatum, ibi clamate, ut sanet vos Dominus. Nolite per aliam partem clamare ad Dominum, nolite ad hæreticos ire, & ibi clamare ad Dominum. *Attendite, Fratres, quia in illa turba quæ clamare prohibebat, ibi sanati sunt qui clamabant.

SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT XVII.

Perseverantiâ contradictores vincuntur.

18. Nam & hoc adtendat Sanctitas Vestra, D quid sit perseverare in clamando. Dicam quod multi mecum experti sunt in nomine Christi: non enim cessat Ecclesia tales parere. Cùm quisque Christianus cœperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores & contradictores frigidos Christianos. Si autem perseveraverit, & eos superaverit perdurando, & non defecerit à bonis operibus: iidem ipsi jam obsequentur, qui antè prohibebant. Tamdiu enim E corripiunt & perturbant & vetant, quamdiu sibi cedi posse præsumunt. Si autem victi fuerint perseverantiâ proficientium, convertunt se, & dicere incipiunt, Magnus homo, sanctus homo, felix cui Deus concessit. Honorant, gratulantur, benedicunt, laudant: quomodo illa turba quæ cum Domino erat. Ipsa prohibebat ne cæci clamarent: sed pòst quàm illi ita clamaverunt, ut mererentur audiri & impetrare misericordiam Domini, ipsa turba rursum dicit, *Vocat vos Jesus.* F Jam & hortatores fiunt, qui paulò antè corripiebant ut tacerent. Solus autem ille non vocatur à Domino, qui non laborat in hoc sæculo. Sed quis in hac vita non laborat in peccatis & in iniquitatibus suis? Si autem omnes laborant, omnibus dictum est, Venite ad me omnes qui laboratis. Si autem omnibus dictum est, quare culpam tuam tribuis [b] invitatori tuo? Veni? Non tibi fit angusta domus ejus: pariter ab omnibus, totum à singulis possidetur regnum Dei: G crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur. Unicuique integrum est, quod concorditer habetur à multis.

Matth. 11. 28.

CAPUT XVIII.

Boni & mali in Ecclesia permisti.

19. Hoc tamen in mysterio lectionis hujus cognovimus, Fratres, quod aliis librorum sanctorum locis apertissimè sonat, esse intus in Ecclesia & bonos & malos, quod sæpe dicimus fru-

[a] Pauciores MSS. *Assumta caro.*

[b] Colbertinus MS. *imitatori tuo.*

Classis I. *Florus ad Ephes. 5.*

mentum & paleam. Nemo ante tempus deserat aream, toleret paleam in tritura, toleret in area. Quod enim toleret, in horreo non habebit. Veniet ventilator, qui dividet malos à bonis. Erit etiam corporalis separatio, quam modò spiritalis præcedit. A malis corde semper disjungimini, ad tempus cautè corpore copulamini. Nec tamen negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scilicet vestram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuscumque modis potestis, agite. Nec cùm invenitis in Scripturis & in exemplis sanctorum, sive qui ante, sive qui post Domini adventum in hac vita fuerunt, quòd mali bonos in unitate non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos malos. Duobus modis non te maculat malus: si non consentias, & si redarguas: hoc est, non communicare, non consentire. Communicatur, quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait, Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Et quia parum erat, non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ: Magis autem, inquit, & redarguite. Videte quemadmodum utrumque complexus est, Nolite communicare: magis autem & redarguite. Quid est, Nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, Magis autem & redarguite? Reprehendite, corripite, coërcete.

23. q. 4. A malis. — Malus bonum duobus modis non maculat. — *Ephes. 5. 11.*

Correctio non superbo animo facienda. *1. Cor. 10. 12.* *Gal. 6. 1. & 2.* *2. Tim. 2. 24. &c.*

20. Deinde in ipsa correctione vel coërcitione alienorum peccatorum cavendum est, ne se extollat qui alterum corripit; & Apostolica illa cogitanda sententia est, Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Si „præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, sicut „dicit idem Apostolus, vos qui spiritales estis, hu„jusmodi instruite in spiritu mansuetudinis, intendens te ipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius „onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Item alio loco, Servum, inquit, Domini non „oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, do„cibilem, patientem, in modestia corripientem „diversa sentientes: ne fortè det illis Deus pœni„tentiam ad cognoscendam veritatem, & resipi„scant à diaboli laqueis, à quo [a] capti tenentur „ad ipsius voluntatem. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultanter arguatis.

Unitas nunquam deserenda. *1. Cor. 13. 1.*

21. Qui autem deseruerit unitatem, violat caritatem: & quisquis violat caritatem, quodlibet magnum habeat, ipse nihil est. Si linguis hominum loquatur & Angelorum, si sciat omnia sacramenta, si habeat omnem fidem, ut montes transferat, si distribuat omnia sua pauperibus, si corpus suum tradat, ut ardeat, caritatem autem non habeat; nihil est, nihil ei prodest. UNIVERSA INUTILITER HABET, qui unum illud quo universis utitur non habet.* Amplectamur itaque caritatem, studentes servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Non nos seducant qui carnaliter intelligunt & corporalem separationem facientes, ab Ecclesiæ frumentis toto orbe diffusis spiritali sacrilegio separantur. Per totum enim mundum seminatum est bonum semen. Bonus ille seminator

*CAPUT XIX. Donatistarum separatio improbatur ex parabola zizaniorum. *Matth. 13. 24. &c.*

[a] Nonnulli MSS. *captivi tenentur.*

Serm. de Scripturis.

Filius hominis, non in Africa sola; sed ubique sparsit semen bonum. Inimicus autem superseminavit zizania. Sed tamen quid ait pater-familiâs? Sinite utraque crescere usque ad messem. „ Per quid crescere? Utique per agrum. Quis est ager? numquidnam Africa? Non. Quis est ergo? Non interpretemur nos, Dominus dicat: neminem sinamus aliquid pro arbitrio suspicari. Dixerunt enim Magistro discipuli, Enarra nobis parabolam zizaniorum. Et enarravit Dominus: Semen bonum, dixit, filii sunt regni; zizania verò, filii mali. Quis ea seminavit? Inimicus autem, inquit, qui ea seminavit, diabolus est. Quis est ager? Ager est, inquit, hic mundus. Quæ est messis? Messis est, ait, finis sæculi. Qui sunt messores? Messores, inquit, Angeli sunt. Numquid Africa est mundus? Numquid messis hoc tempus? Numquid messor Donatus? Per totum orbem terrarum exspectate messem, per totum orbem terrarum crescite in messem, per totum orbem terrarum zizania tolerate usque ad messem. Non vos seducant perversi, paleæ nimis leves, quæ evolant ante adventum ventilatoris ex area: non vos seducant. Tenete eos ad istam vel solam similitudinem zinaniorum, neque illos sinatis loqui ampliùs. Ille codices tradidit. Non: sed ille codices tradidit. Quilibet tradiderit, numquid infidelitas traditorum fidem Dei evacuavit? Quæ est fides Dei? Quam promisit Abrahæ, dicens, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quæ est fides Dei? Sinite utraque crescere usque ad „ messem. Per quid crescere? Per agrum. Quid est, Per agrum? Per mundum.

Gen. 26. 4.

Hîc illi dicunt: Creverat quidem utrumque per mundum, sed jam frumenta diminuta sunt, & in istam nostram regionem paucitatemque revocata. Non te permittit Dominus interpretari quod vis. Ipse qui exponit hanc parabolam, claudit os tuum, os sacrilegum, os impium, os profanum, os tibi contrarium, qui contradicis testatori, etiam te ad hereditatem vocanti? Quomodo claudit os tuum? Dicendo, Sinite utraque crescere usque ad messem. Si jam fuit messis, credamus esse frumenta diminuta. Quamquam ne tunc quidem minuentur, sed in horreum recondentur. Sic enim ait, Colligite primùm zizania, & alligate fasciculos, ad comburendum ea; fru„mentum autem recondite in horreum meum. Si „ ergo usque ad messem crescunt, post messem reconduntur; improbe, impie, quando minuuntur? Concedo in comparatione zizaniorum simul atque palearum frumenta esse pauciora: tamen utraque crescunt usque ad messem. Cùm enim abundat iniquitas, refrigescit caritas multorum: crescunt zizania, crescit palea. Sed quia toto agro deesse non potest frumentum, quod perseverando usque ad finem salvum fiat, crescunt utraque usque ad messem. Et si propter abundantiam malorum dictum est, Putas veniens Filius hominis inveniet fidem in terra? hocque nomine significantur quicumque legis prævaricatione imitantur eum, cui dictum est, Terra es, & in terram ibis: tamen & propter abundantiam bonorum, & propter eum cui dictum est, Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, etiam illud non tacitum est, Quia multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum „

Donatistarum commentum de frumentorum diminutione.

Matth. 13. 30. *Ibidem.* *Matth. 24. 12.* *Lucæ 18. 8.* *Gen. 3. 19.* *Gen. 15. 5.* *Matth. 8. 11.*

Abraham

Classis I.

*Caput XX.

Abraham & Isaac in regno Dei. * Utraque ergo crescunt usque ad messem, & suas sententias in Scripturis habent zizania vel paleæ, suas autem frumenta. Quas qui non intelligunt, confundunt, & confunduntur; atque ita perstrepunt cæca cupiditate, ut nolint obmutescere vel patefacta veritate.

Isai. 52.11. Locus male de corporali separatione intellectus à schismaticis. Florus ad 2. Cor. 6.

23. Ecce, inquiunt, dicit Propheta, Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis: quomodo ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire & recedere jubemur, ne tangamus immundum? Nos istam recessionem spiritaliter intelligimus, illi corporaliter. Nam & ego clamo cum Propheta, & qualiacumque simus vasa, utitur nobis Deus in dispensationem vestram: clamamus & nos, & dicimus vobis, Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis: sed contactu cordis, non corporis. Quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est autem exire inde, nisi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro uniuscujusque gradu atque persona salva pace fieri potest? Displicuit tibi quòd quisque peccavit, non tetigisti immundum. Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exegit, congruam, & quæ unitatem non violet, disciplinam, existi inde. Attendite in facta sanctorum, ne fortè nostra videatur interpretatio. Quomodo hæc verba intellexerunt sancti, sic utique intelligenda sunt. Exite inde, inquit Propheta. Priùs usitata ipsius verbi consuetudine assero istam sententiam, & postea ostendo non meam. Plerumque accusantur homines; & cùm accusati fuerint, defendunt se: cùm autem se ille qui accusatur homo, rationabiliter justéque defenderit, qui audiunt, dicunt, Exiit inde. Quò inde exiit? Manens loco, exiit inde. Quomodo inde exiit? Ratione reddita, & defensione justissima. Hoc est quod faciebant sancti, quando excutiebant pulverem de pedibus suis adversùs eos, qui sibi pacem nuntiatam non accipiebant. Exiit inde ille speculator, cui dictum est, Speculatorem posui te domui Israël. Illi enim dicitur, Si dixeris iniquo, & non se averterit ab iniquitate & à via sua; iniquus ille in sua iniquitate morietur, & tu animam tuam liberabis. Hoc si facit, exit inde, non separatione corporis, sed defensione operis sui. Fecit enim iste quod faciendum fuit: etiamsi ille non obtemperavit, cui obtemperandum fuit. Hoc est, Exite inde.

Lucæ 10.11. Ezech. 3.17. Ibidem 19.

Caput XXI. Prophetæ populi vitia reprehendebant, nec ab illo recedebant.

24. Clamavit ista Moyses, clamavit Isaias, clamavit Jeremias, clamavit Ezechiel. * Videamus si hoc ipsi fecerunt, si dimiserunt populum Dei, & se ad gentes alias transtulerunt. Quàm multa & quàm vehementer Jeremias increpavit in peccatores & sceleratos populi sui. Inter eos tamen erat, unum cum illis templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat: in ea hominum sceleratorum congregatione vivebat, sed clamando exibat inde. Hoc est exire inde, hoc est immundum non tangere, & voluntate non consentire, & ore non parcere. Quid dicam de Jeremia, de Isaia, de Daniel, de Ezechiel, de ceteris Prophetis, qui non recesserunt à populo malo, ne desererent bonos illi populo commixtos, ubi & ipsi tales esse potuerunt? Moyses ipse, Fratres, cùm acciperet legem in monte, populus deorsum idolum fecit. Populus Dei, populus ductus cedentibus fluctibus rubri maris, qui sequentes inimicos obruerant, post tanta signa & miracula in Ægyptiorum plagis ad mortem, & in sua protectione ad salutem, tamen idolum poposcit, idolum extorsit, idolum fecit, idolum adoravit, idolo sacrificavit. Indicat Deus famulo suo populi factum, & dicit eos se perditurum à facie sua. Intercedit Moyses ad ipsum populum rediturus: & habuit occasionem recedendi & exeundi ab eis, sicut isti intelligunt, ne immundum tangeret, ne cum talibus viveret; non fecit tamen. Et ne fortè hoc necessitate potiùs quàm caritate fecisse videretur, obtulit illi Deus alium populum: Faciam te, inquit, in gentem magnam: ut illos deleret. At ille non accepit, cohæret peccatoribus, petit pro peccatoribus. Et quomodo petit? Magna probatio dilectionis, Fratres. Quomodo petit? Videte illam, de qua sæpe locuti sumus, maternam quodam modo caritatem. Cùm Deus minaretur sacrilego populo, pia Moysi viscera tremuerunt, opposuit se pro illis iracundiæ Dei. Domine, inquit, si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti. Quàm paternis maternisque visceribus, quàm securus hoc dixerit, attendens justitiam & misericordiam Dei: ut quia justus est, non perderet justum, quia misericors est, ignosceret peccatoribus.

Serm. de Scripturis. Exodi 32.10. Ibidem 32.

Caput XXII. Corde recedendum à malis, non corpore.

25. Certè jam manifestum est prudentiæ vestræ, quomodo accipienda sint omnia talia testimonia Scripturarum: ut quando Scriptura sonat, recedere nos debere à malis, non aliud intelligere jubeamur, nisi ut corde recedamus; ne majus malum in separatione bonorum committamus, quàm in malorum conjunctione fugiamus, sicut ipsi Donatistæ fecerunt. Qui si verè boni malos arguerent, ac non potiùs ipsi mali bonos infamarent, qualeslibet pro pace tolerarent, qui Maximianistas receperunt tamquam integros, quos tamquam perditos antea damnaverunt. Certè manifestè dixit Propheta, Recedite & exite inde, & immundum ne tetigeritis. Ego ut intelligam quod dixit, adtendo quod fecit. Facto suo mihi exponit dictum suum. Dixit, Recedite. Quibus dixit? Utique justis. A quibus ut recederent, dixit? Utique à peccatoribus & iniquis. Quæro, à talibus utrùm ipse recesserit? Invenio quòd non recesserit. Ergo aliter intellexit. Nam utique prior faceret quod præcepit. Recessit corde, objurgavit atque arguit. Continendo se à consensu non tetigit immundum: objurgando autem exiit liber in conspectu Dei; cui neque sua Deus peccata imputat, quia non fecit; neque aliena, quia non approbavit; neque negligentiam, quia non tacuit; neque superbiam, quia in unitate permansit. Sic ergo, Fratres mei, quotquot habetis inter vos, qui adhuc amore sæculi prægravantur, avaros, perjuros, adulteros, spectatores nugarum, consultores mathematicorum, phanaticorum, augurum, [a] auspicum, ebriosos, luxuriosos, quidquid inter vos malorum esse nostis; quantum potestis, improbate, ut corde recedatis; & redarguite, ut exeatis inde; & nolite consentire, ut immundum non tangatis.

[a] Quidam MSS. cum Floro, *haruspicum*.

Classis I.

* SERMO LXXXIX.

* Alias 9. inter editos ex MSS. Carthusiæ majoris.

De verbis Evangelii Matth. 21. ubi Iesus [a] *arborem arefecit, & de illis Lucæ 24. ubi finxit se longiùs ire.*

a Maledictio fici quid nos admoneat.

1. LECTIO recentissima sancti Evangelii admonuit, terruit nos, ne folia habeamus & fructum non habeamus. Hoc autem breviter exponitur: ne verba adsint, & facta desint. Magnus terror! Quis non timeat, cùm in ipsa lectione oculis cordis aridam arborem videt, & sic ut ei dicatur, *Numquam ex te fructus nascatur in æternum.* (Matth. 21. 19.) Terror corrigat, correctio fructus proferat. Sine dubio enim Dominus Christus prævidebat arborem quamdam meritò aridam fieri, quòd haberet folia, & fructus non haberet. Ea est Synagoga, non vocata, sed reprobata. Nam & inde vocatus populus Dei, qui veraciter & sinceriter in Prophetis exspectabat salutare Dei Jesum Christum. Et quoniam fideliter exspectabat, meruit cognoscere præsentem. Inde enim Apostoli, inde tota turba præcedentium jumentum Domini & dicentium, *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* (Ibidem 9.) Turba erat magna fidelium Judæorum, ante fusum pro se sanguinem in Christo credentium magna turba erat. Non enim frustra Dominus ipse non venerat, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israël. (Matth. 15. 24.) In aliis autem crucifixus, jam in cælo exaltatus, invenit pænitentiæ fructum: nec aridos fecit, sed in agro excoluit, & verbo irrigavit. Inde erant illa quatuor millia Judæorum, qui crediderunt, postea quàm sancto Spiritu impleti discipuli, & qui cum eis erant, linguis omnium gentium loquebantur, (Act. 2. 4.) & per omnes gentes futuram Ecclesiam illa linguarum diversitate quodam modo prænuntiabant. Crediderunt tunc, & ipsæ oves erant, quæ perierant domûs Israël: sed quia venerat Filius hominis quærere & salvare quod perierat, (Luca 19. 10.) etiam ipsos invenit. Sed nescio ubi tamquam à lupis deprædati latebant in vepribus; & quia latebant in vepribus, ideo ad eos inveniendos non pervenit, nisi spinis passionis dilaceratus: tamen pervenit, invenit, redemit. Illi occiderant; non magis ipsum, quàm se. Salvi facti sunt per occisum pro se. Loquentibus enim Apostolis compuncti sunt qui pupugerant lanceâ, (Act 2. 37.) compuncti sunt conscientiâ: compuncti autem consilium quæsierunt, datum receperunt, pænitentiam egerunt, gratiam invenerunt, & credentes sanguinem biberunt quem sævientes fuderunt. Qui autem remanserunt mala & sterili progenie usque in hodiernum & usque in finem, in illa arbore figurati sunt. Modò venis ad eos, & invenis apud eos omnia eloquia Prophetarum. Sed ista folia sunt: Christus esurit, fructum quærit; sed ideo in eis fructum non invenit, quia se in eis non invenit. Non enim habet fructum, qui non habet Christum. Non autem habet Christum, qui Christi non tenet unitatem, qui non habet caritatem. Ergo per hanc connexionem non habet fructum qui non habet caritatem. Audi Apostolum: (Gal. 5. 22.) Fructus autem spiritûs caritas: commendaturus quasi botrum, hoc est, fructum. Fructus autem, inquit, » spiritûs, caritas, gaudium, pax, longanimitas.

a Recenset Possidius in Indiculo cap. 9.

A Noli mirari sequentia, ubi cœpit caritas.

Serm. de Scripturis.

Mons in mare missus ab Apostolis. Matth. 21. 21.

2. Ideo discipulis mirantibus arboris ariditatem, commendavit fidem, & ait illis, *Si habueritis fidem, & nihil discriminaveritis*, id est in omnibus Deo credideritis: non dixeritis, Hoc potest Deus, hoc non potest; sed de omnipotentis omnipotentia præsumseritis: *non solùm hoc facietis, sed & monti huic si dixeritis, Tollere & mittere in mare, fiet. Et quæcumque oraveritis credentes, accipietis.* Legimus miracula facta à B discipulis, immo facta à Domino per discipulos: Quia sine me, inquit, nihil potestis facere. (Johan. 15. 5.) Potuit Dominus multa sine discipulis, nihil discipuli sine Domino. Qui potuit facere & ipsos discipulos, non utique est adjutus ab ipsis ut faceret ipsos. Legimus Apostolorum miracula, nusquam autem legimus arborem ab his arefactam, aut montem in mare translatum. Quæramus ergo ubi factum sit. Non enim verba Domini vacare potuerunt. Si adtendas istas usitatas C & notas arbores & istos montes, non est factum. Si adtendas arborem de qua dixit, & montem ipsum Domini de quo Propheta dixit, Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini: (Isai. 2. 2.) si hæc adtendas, si hæc intelligas; & factum est, & per ipsos factum est. Arbor gens Judæa, sed iterum dico, reprobata, non vocata: arbor illa, quam commemoravimus, gens Judæa. Mons sicut docuit propheticum testimonium, ipse Dominus. Arida arbor, gens Judæa sine honore D Christi: mare, sæculum hoc omnibus Gentibus. Vide jam Apostolos loquentes ad arborem arefaciendam, & mittentes montem in mare. Loquuntur in Actibus Apostolorum ad Judæos contradicentes & verbo veritatis resistentes, hoc est, folia habentes, & fructum non habentes, & dicunt illis, Vobis primùm oportebat annuntia- (Act. 13. 46.) « re verbum Dei, sed quoniam repulistis illud: « Prophetarum verba loquimini, & non agnoscitis quem prænuntiarunt Prophetæ, hoc est, fo- E lia habentes: ecce convertimus nos ad Gentes. « Hoc enim etiam per Prophetam prædicatum est: Ecce posui te in lucem Gentium, ut sis salus usque in fines terræ. (Isai. 49. 6.) Ecce aruit arbor; & Christus ad Gentes, mons translatus in mare. Quomodo enim arbor non aresceret posita in vinea, de qua dictum erat, Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem? (Isai. 5. 6.)

Maledictionem arboris futurum aliquid præfigurasse.

3. Hoc ut Dominus commendaret prophe-ticè se fecisse, de hac scilicet arbore non solùm F voluisse exhibere miraculum, sed futurum aliquid miraculo commendasse, multa sunt quæ nos admonent nobisque persuadeant, immo ab invitis extorqueant. Primò quid arbor peccaverat, quoniam fructus non habebat, quem si suo tempore, hoc est, illorum pomorum, fructus non haberet, nulla esset utique ligni culpa; quia lignum sine sensu non habebat culpam. Huc accedit, quia sicut in alio Evangelista hoc ipsum narrante legitur, Tempus pomorum illorum (Marci 11. 13.) G non erat. Id enim tempus erat, quo ficus folia profert tenera, quæ novimus nasci ante fructus: hoc ideo probamus, quia passionis Domini dies propinquabat, & scimus quo tempore passus sit; & si hoc non adtenderemus, Evangelistæ utique dicenti, Non erat tempus ficorum, « credere deberemus. Ergo si miraculum fuerat tantum-

Classis I. | Serm. de Scripturis.

modo commendandum, & non aliquid prophe- ticè figurandum, multò clementius Dominus, & sua misericordiâ dignius, si quam arborem aridam inveniret, viridem redderet; sicut languentes sanavit, sicut leprosos mundavit, sicut mortuos suscitavit. Tunc verò à contrario, quasi adversùs regulam clementiæ suæ, invenit arborem virentem, præter tempus nondum fructum habentem, non tamen fructum agricolæ suo negantem, & aridam fecit: tamquam diceret homini, Non me ariditas hujus arboris delectavit, sed tibi volui insinuare non sine caussa hoc me facere voluisse, nisi quia tibi quod plus adtenderes volui commendare. Non istam arborem maledixi, non arbori non sentienti pœnam inflixi; sed te terrui, si quis advertis, ut esurientem Christum non contemneres, ut fructu potiùs opimari quàm foliis obumbrari diligeres?

4. Hoc unum est quod Dominus commendat se aliquid significare voluisse. Quid aliud? Esuriens accedit ad arborem, & quærit poma. Nesciebat tempus nondum esse? Quod cultor arboris sciebat, Creator arboris nesciebat? Quærit ergo fructum in arbore, quem nondum habebat. Quærit, an potiùs quærere se fingit? Nam si verè quæsivit, erravit. Sed absit ut erraret. Ergo finxit. Timens ne fingat, confiteris errasse. Aversaris errorem, incurris in fictionem. Æstuamus in medio. Si æstuamus, optemus pluviam; ut virescamus, ne aliquid indignum dicentes de Domino, potiùs arescamus. Evangelista quidem, *Venit*, inquit, *ad arborem, & fructum in ea non invenit*. (Matth. 21. 19.) Utique *non invenit*, non diceretur de illo, nisi qui vel * videre quæsiverat (* f. verè), vel quærere se finxerat, quem ibi non esse noverat. Unde non dubitamus, errantem Christum nullo modo dicamus. Quid, finxisse dicimus? anne hoc dicimus? Quomodo hinc exibimus? Dicamus, ne quid Evangelista dixerit de Domino alio loco, non auderemus dicere nos ex nobis ipsis. Quod Evangelista scripsit, dicamus; & cùm dixerimus, intelligamus. Sed ut intelligamus, priùs credamus. Nisi enim credideritis, non intelligetis, ait Propheta. (Isai. 7. 9.) Post resurrectionem Dominus Christus ambulabat in via cum duobus discipulis suis, à quibus nondum agnoscebatur; quibus velut viator tertius comitabatur. Ventum est ad locum, quò illi tendebant, & ait Evangelista; (Luca … 28.) Ipse autem finxit se longiùs ire. Illi autem tenebant eum more humanitatis dicentes; quòd jam vesperasceret, rogantes ut cum eis ibi maneret: susceptus hospitio, frangit panem, benedicto & fracto pane cognoscitur. Non ergo jam timeamus dicere, finxit quærere, si finxit se longiùs ire. Sed alia quæstio oboritur. Hesterna die diu commendavimus in [a] Apostolis veritatem, quomodo invenimus in ipso Domino fictionem? Dicendum ergo, Fratres, & insinuandum vobis pro mediocribus viribus nostris, quas Dominus pro vobis donat nobis, & commendandum est vobis quod in omnibus Scripturis regulariter teneatis. (Regula ad Scripturas interpretandas.) Omne quod dicitur sive fit, aut per suam proprietatem cognoscitur, aut significat aliquid figuratè; aut certè habet utrumque, & propriam cognitionem, & figuratam significationem. Tria proposui, exempla danda sunt, & unde nisi de sanctis Scripturis? Dictum quod propriè accipiamus; quia passus est Dominus, quia resurrexit, & adscendit in cœlum, quia resurrecturi sumus in fine sæculi, quia cum illo in æternum, si eum non contemnimus, regnaturi. Hoc dictum propriè accipe, noli figuras inquirere: sicut est dictum, ita & est. Sic etiam facta. Adscendit Apostolus Jerosolymam videre Petrum, fecit hoc Apostolus, factum est, ipsius proprium est. Narrat tibi rem gestam: gestum ipsum secundùm proprietatem. Per figuram dictum, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* (Matth. 21. 42. Psal. 117. 22.) Si lapidem propriè intelligamus, quem lapidem reprobaverunt ædificantes, & factus est in caput anguli? Si angulum propriè accipiamus, in cujus anguli capite factus est lapis iste? Si figuratè dictum admittamus, & capias figuratè, Lapis angularis Christus, caput anguli, caput Ecclesiæ. Quare angulus Ecclesia? Quia hinc Judæos, hinc Gentes vocavit, & quasi duo parietes de diverso venientes & in se convenientes suæ pacis gratiâ colligavit. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. (Ephes. 2. 14.)

5. Audistis dictum proprium, factum proprium, dictum figuratum: exspectatis factum figuratum. (Factum figuratum.) Multa sunt, sed interim quod occurrit ex admonitione lapidis angularis, quando unxit lapidem Jacob, quem ad caput posuerat cùm dormiret, (Gen. 28. 11. &c.) in quo somno magnum somnium viderat, scalas à terra in cœlum surgentes & * homines (* f. Angelos.) adscendentes & descendentes, incumbente super scalas Domino, intellexit quid debuerit figurare, unde nobis probaret ab illius visionis & revelationis intellectu se alienum non fuisse, lapidem pro Christo figuravit. Noli ergo mirari quòd unxit, quia Christus ab unctione nomen accepit. Dictus autem erat Jacob iste in Scriptura homo sine dolo. Ipse Jacob, nostis, appellatus est Israël. Ideo Dominus in Evangelio quando vidit Nathanael, Ecce, inquit, verè Israëlita, in quo dolus non est. (Johan. 1. 47. &c.) Et ille Israëlita nesciens adhuc qui cum illo loqueretur, respondit, Unde me nosti? Et Dominus ad eum, Cùm esses sub arbore fici, vidi te: tamquam diceret, Cùm esses in umbra peccati, prædestinavi te. Et ille, quia meminerat se fuisse sub arbore fici, ubi Dominus non erat, agnovit in illo divinitatem, & respondit, Tu es Filius Dei, tu es rex Israël. Ille sub arbore fici non factus est arida ficus: agnovit Christum. Et Dominus ad illum: Quia dixi, Cùm esses sub arbore fici, vidi te, ideo credis, majora horum videbis. Quæ sunt ista majora? Amen dico vobis, (Quia Israëlita ille, in quo dolus non est; respice ad Jacob in quo dolus non est; & recole, unde loquitur, lapidem ad caput, visionem in somno, scalas à terra in cælum, descendentes & adscendentes; & vide quid Dominus dicat Israëlitæ sine dolo;) videbitis cælum apertum; (Audi Nathanael sine dolo, quod vidit Jacob sine dolo;) videbitis cælum apertum, & Angelos adscendentes & descendentes, (ad quem?) ad Filium hominis. Ergo ille unctus erat ad caput Filius hominis: quia caput mulieris vir, caput viri Christus. (1. Cor. 11. 3.) Nec tamen dixit adscendentes à Filio hominis & descendentes ad Filium hominis, quasi tan-

[a] In eo fortè Sermone qui proximè ante istum notatur in Possidii Indiculo cap. 9. scilicet, *Ex Epistola ad Galatas, ubi Paulus Petrum reprehendit.*

Classis I.

tummodo sursum esset: sed adscendentes & descendentes ad Filium hominis. Audi sursum clamantem Filium hominis: Saule, Saule. Audi deorsum Filium hominis: Quid me persequeris?

Act. 9. 4.

Factum verè gestum & nihilo minùs figuratum. *Gal. 1. 18.*

6. *Audisti dictum proprium, quia resurrecturi sumus: factum proprium, quia sicut dictum est, Adscendit Paulus Jerosolymam videre Petrum. Dictum est figuratum, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*: factum figuratum, unctus lapis, qui fuit ad caput Jacob. Debetur exspectationi vestræ quod ex utroque fit, & propriè gestum est & significat figuratum. Novimus Abraham duos filios habuisse, unum ex ancilla, alium ex libera; propriè gestum, non solùm narratum, sed & factum: figuratum ibi exspectas? Hæc sunt duo Testamenta. Quod ergo figuratè dicitur, quodam modo fingitur. Sed quoniam * debet exitum significationis, & ipsa significatio * teneret fidem veritatis, vitat crimen falsitatis. Ecce exiit seminans seminare, & seminando cecidit in via, cecidit super petrosa loca, cecidit inter spinas, cecidit in terram bonam. Quis exiit seminare, aut quando exiit, aut in quas spinas, aut in quos lapides, aut in quam viam, aut in quem agrum. Si audis fictum, intelligis significativè: fictum est. Si enim verè homo seminator exiret, & semina, sicut audivimus, per hæc diversa jactaret, non erat fictum, sed nec mendacium. Nondum autem fictum, sed non mendacium. Quare? Quia significat aliquid, quod fictum est, non te decipit. Quærit intelligentem, non facit errantem. Hoc volens commendare Christus, poma quæsivit, figuratam ibi, non fallacem commendabat fictionem; ac per hoc laudabilem, non criminosam fictionem; non qua discussa * ea in facultatem, sed perscrutata si invenias veritatem.

Gal. 4. 22. — *f. habet. — *f. tenet. — *Matth. 13. 3.* — *f. eas in falsitatem, sed ea perscrutata ipsâ invenias &c.

7. Video quòd dicturus sit, Expone mihi hoc quod significabat, quòd finxit se longiùs ire. Si enim * significabat, fallacia est, mendacium est. Expositionibus nostris & discretissimis regulis debemus hoc dicere quid significabat adfictio quædam longiùs eundi: finxit se longiùs ire, & tenetur, ne longiùs eat. Quantum igitur, ad præsentiam corporalem absens putabatur Dominus Christus, absens putabatur, velut longiùs ibit. Tene fideliter, tene illum ad fractionem panis. Quid dicam? agnovistis? Si agnovistis, ibi Christum invenistis. Diutiùs de sacramento loquendum non est. Qui hoc sacramentum nosse differunt, longiùs ab eis Christus. Id teneant, non dimittant; invitent ad hospitium, & invitantur ad cælum.

*f. non significabat.

* SERMO XC.

Aliàs 14. ex editis à Sirmondo.

De verbis Evangelii Matth. 22. ubi de nuptiis filii Regis. Contra Donatistas, de caritate.

a *Habitus Carthagine in Restituta.*

Convivium Dominicum duplex, aliud hîc, fidelium; aliud in cælis, beatorum.

1. NUPTIAS filii regis ejusque convivium norunt omnes fideles, & apparatus mensæ Dominicæ omnium est voluntati propositus. Interest autem quomodo quis accedat, cùm accedere non vetatur. Scripturæ quippe sanctæ docent nos Dominica duo esse convivia; unum quò veniunt boni & mali, alterum quò non accedunt mali. Ergo convivium Domini, unde modò cùm Evangelium legeretur audivimus, habet utique bonos & malos. Omnes qui ab hoc convivio excusaverunt, mali sunt: sed non omnes qui intraverunt, boni sunt. Alloquor ergo vos, qui in hoc convivio boni discumbitis, quicumque adtenditis quod dictum est, Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Omnes qui tales estis, alloquor vos, ut foris non quæratis bonos, intus toleretis malos.

Serm. de Scripturis. — *1. Cor. 11. 29.*

Justi omnes hac in vita & mali sunt & boni.

2. Non dubito audire velle Caritatem Vestram, quinam isti sunt, de quibus alloquens disputavi, ut foris non quærant bonos, intus tolerent malos. Si omnes mali sunt intus, quos sum allocutus? Si autem omnes boni sunt intus, quos monui ut tolerent malos? Priùs ergo adjuvante Domino, de hac quæstione ut possumus, exeamus. Bonum si perfectè liquidóque perpendas, nemo bonus nisi unus Deus. Habes apertissimè Dominum dicentem, Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus Deus. Quomodo ergo nuptiæ illæ habent bonos & malos, si nemo bonus nisi unus Deus? Primò scire debetis, secundùm quemdam modum omnes nos esse malos. Prorsus secundùm quemdam modum omnes mali sumus: secundùm autem quemdam modum, non omnes boni sumus. Possumus enim nos Apostolis comparare? quibus ipse Dominus ait, Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris. Si consideremus Scripturas, unus ibi erat malus inter duodecim Apostolos, propter quem Dominus ait quodam loco, Et vos mundi estis, sed non omnes. Allocutus tamen in commune omnes ait, Si vos cùm sitis mali. Audivit hoc Petrus, audivit Johannes, audivit Andræas, audierunt ceteri omnes undecim Apostoli. Quid audierunt? Vos cùm sitis mali, nostis " bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater " vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se? " Audito quòd mali essent, desperaverunt: audito quòd Deus in cælis esset pater ipsorum, respiraverunt. Cùm sitis, inquit, mali: quid ergo debetur malis, nisi supplicium? Quantò magis, inquit, " Pater vester, qui in cælis est? quid debetur filiis, nisi præmium? In nomine malorum, metus pœnarum: in nomine filiorum, spes heredum.

Matth. 19. 17. — *Matth. 7. 11.* — *Johan. 13. 10.*

3. Secundùm quid ergo mali erant iidem ipsi, qui secundùm aliquid boni erant. Quibus enim dictum est, Cùm sitis mali, nostis bona " data dare filiis vestris: continuò subjectum, " Quantò magis Pater vester qui in cælis est? " Pater ergo malorum, sed non relinquendorum; quia medicus sanandorum. Secundùm ergo quemdam modum mali erant. Et tamen illi convivæ patris-familiâs in regis nuptiis, puto quia non erant de illo numero, de quibus dictum est, *Invitaverunt bonos & malos*, ut in numero malorum deputentur, quos audivimus exclusos in illo, qui inventus est non habere vestem nuptialem. Secundùm quid, inquam, mali erant qui boni erant: secundùm quid boni erant qui mali erant. Audi Johannem secundùm quid mali erant: Si dixerimus, quia non habemus peccatum; nos ipsos " seducimus, & veritas in nobis non est. Ecce secundùm quid mali erant: quia habebant peccatum. Secundùm quid boni erant? Si confessi fue-

Mali à convivio exclusi, qui nam intelligendi. *Matth. 22. 10.* — *1. Johan. 1. 8.*

a Sic in altero è MSS. Corbeiensibus inscribitur. Porrò de basilica Restituta dictum est suprà ad Sermonem 19.

Classis I. Ibidem 9.

rimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Si ergo dixerimus, secundùm hanc expositionem, quam audistis me de sanctis Scripturis, ut arbitror, protulisse, eosdem homines & bonos esse secundùm quemdam modum, & malos secundùm quemdam modum; si secundùm hunc sensum voluerimus accipere quod dictum est, *Invitaverunt bonos & malos*, id est eosdem ipsos & bonos & malos; si hoc voluerimus accipere; non permittimur, propter illum qui inventus est non habens vestem nuptialem, & non utcumque projectus, ut tantùm illo convivio privaretur, sed ut æterno in tenebrarum supplicio damnaretur.

Uno exclusos multos exclusos significari.

4. Sed dicit aliquis, Quid de uno homine? quid mirum? quid magnum, si servis patris-familiâs subrepsit unus in turba non habens vestem nuptialem? Numquid propter illum poterat dici, *Invitaverunt bonos & malos?* Intendite ergo, & intelligite, Fratres mei. Unus ille unum genus erat; nam multi erant. Respondeat hîc mihi diligens auditor, & dicat, Nolo mihi narres suspiciones tuas: probari mihi volo, quia unus ille multi erant. Aderit Dominus, probabo planè, nec longiùs requiram ut possim probare. In ipsis suis verbis Deus adjuvabit me, & quod vobis apertum sit ministrabit per me. Ecce *ingressus pater-familiâs, ut inspiceret discumbentes.* Videte, Fratres mei, quia non pertinuit ad servos, nisi invitare & adducere bonos & malos: videte quia non dictum est, Consideraverunt servi discumbentes, & ibi invenerunt hominem non habentem vestem nuptialem, & dixerunt ei. Non hoc scriptum est. Pater-familiâs inspexit, pater-familiâs invenit, pater-familiâs distinxit, pater-familiâs separavit. Hoc quidem prætereundum non fuit. Aliud autem probare suscepimus, quomodo multi essent ille unus. *Intravit* ergo *pater-familiâs inspicere discumbentes, & invenit hominem non habentem vestem nuptialem:* * *& ait illi, Amice, quomodo huc venisti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Talis enim interrogabat, cui ille fingere nihil poterat. Vestis quippe illa in corde, non in carne inspiciebatur: quæ si de super fuisset induta, etiam servis non fuisset occultata. Ubi sit induenda vestis nuptialis, accipite, ubi loquitur, Sacerdotes tui induantur justitiam. De ea veste dicit Apostolus, Si tamen induti, & non nudi inveniamur. Ergo inventus est à Domino qui servos latebat. Interrogatus obmutescit: ligatur, projicitur, damnatur unus à multis. Domine, dixeram, quia tu admones omnes admonere. Recolite mecum verba quæ audistis, & multos fuisse unum illum modò invenietis, modò judicabitis. Unum certè interrogaverat Dominus, uni dixerat, *Amice, quomodo huc intrasti?* Unus obmutuerat, & de ipso uno dictum fuerat, *Ligate illi manus & pedes, & mittite illum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Quare hoc? *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Quid huic manifestationi veritatis quispiam contradicat? *Mittite*, inquit, *illum in tenebras exteriores.* Illum certè unum, de quo dicit Dominus, *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Ergo pauci non mittuntur foras. Certè unus erat ille, qui non habebat vestem nuptialem. *Projicite eum.* Quare projicitur? *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Dimittite paucos; projicite multos. Certè unus erat. Unus omnino iste, non solùm multi erant, sed multitudine bonorum numerum superabant. Multi enim & boni: sed in comparatione malorum pauci sunt boni. Multa frumenta nata sunt: compara paleis, & pauca grana sunt. Iidem ipsi in se ipsis multi, in comparatione malorum pauci. Quomodo probamus quia in se ipsis multi? Multi ab Oriente & ab Occidente venient. Quò venient? Ad illud convivium, in quod boni & mali intrant. De alio convivio locutus adjunxit, Et recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cælorum. Illud est convivium, quò non accessuri sunt mali. Hoc quod modò est dignè accipiatur, ut ad illud perveniatur. Iidem ergo multi, qui pauci: multi in se ipsis, pauci in malorum comparatione. Ergo quid ait Dominus? Invenit unum, & ait, Projiciantur multi, remaneant pauci. Dicere enim, *Multi vocati, pauci verò electi*, nihil est aliud, quàm apertè ostendere, qui in isto convivio tales habeantur, ut ad aliud convivium perducantur, quò nullus accedet malorum.

V. infrà Serm. 95. — ℣. 11. — ℣. 12. — Psal. 131. 9. — 2. Cor. 5. 3. — ℣. 13. — ℣. 14. — Serm. de Scripturis. — Matth. 8. 11. — Ibidem.

Quænam sit vestis nuptialis.

5. Quid ergo est? Omnes qui acceditis ad mensam Dominicam, quæ hîc est, nolo esse cum multis separandis, sed cum paucis conservandis. Unde hoc poteritis? Accipite vestem nuptialem. Expone, inquies, nobis vestem nuptialem. Proculdubio illa vestis est, quam non habent nisi boni, in convivio relinquendi, servandi ad convivium quò nullus malus accedit, per Domini gratiam perducendi: ipsi habent vestem nuptialem. Quæramus ergo, Fratres mei, inter fideles qui sunt qui habent aliquid, quod mali non habent, & ipsa erit vestis nuptialis. Si sacramenta dixerimus, videtis quemadmodum sint malis bonisque communia. Baptismus est? Sine baptismo quidem nemo ad Deum pervenit: sed non omnis qui habet baptismum ad Deum pervenit. Non ergo possum intelligere baptismum esse vestem nuptialem, id est ipsum sacramentum; quam vestem video in bonis, video in malis. Fortè altare est, vel quod accipitur de altari. Videmus quia multi manducant, & judicium sibi manducant & bibunt. Quid ergo est? Jejunatur? Jejunant & mali. Ad Ecclesiam concurritur? Concurrunt & mali. Postremò miracula fiunt? non solùm boni faciunt & mali, sed aliquando non faciunt boni. Ecce in vetere populo magi Pharaonis miracula faciebant, Israëlitæ non faciebant: in Israëlitis solus Moyses & Aaron faciebant; ceteri non faciebant, sed videbant, timebant, credebant. Numquid meliores magi Pharaonis miracula facientes, quàm populus Israël, qui miracula facere non valebat, & ad Deum tamen populus pertinebat? In ipsa Ecclesia, Apostolum audi, "Numquid omnes Prophetæ? numquid omnes dona habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur?"

Exodi 7. — 1. Cor. 12. 29. &c.

Vestis nuptialis caritas.

6. Quæ est ergo vestis illa nuptialis? Hæc est vestis nuptialis: Finis autem præcepti est, Apostolus dicit, caritas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Hæc est vestis nuptialis. Non quæcumque caritas: nam plerumque videntur se diligere etiam homines participes malæ conscientiæ. Qui simul latrocinia faciunt, qui simul maleficia, qui simul histriones amant, qui simul aurigis & venatoribus cla-

1. Tim. 1. 5.

Classis I. — *Serm. de Scripturis.*

mant, plerumque diligunt se: sed non est in eis caritas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Talis caritas vestis est nuptialis. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum, inquit, ut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Advenerunt linguæ solæ, & dicitur eis, Quid huc intrastis non habentes vestem nuptialem? Si habuero, inquit, prophetiam, & sciero omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem B non habeam, nihil sum. Ecce sunt illa miracula hominum plerumque non habentium vestem nuptialem. Si hæc, inquit, habeam omnia, & Christum non habeam, nihil sum. Nihil, inquit, sum. Ergo prophetia nihil est? ergo scientia sacramentorum nihil est? Non illa nihil sunt: sed ego, si illa habeam, & caritatem non habeam, nihil sum. Quanta bona nihil prosunt sine uno bono? Si non habeam caritatem, si eleemosynas largior in pauperes, si ad confessionem nominis C Christi usque ad sanguinem, usque ad ignes accedo, possunt ista fieri & amore gloriæ, inania sunt. Quia ergo possunt fieri etiam amore gloriæ inania, non caritate pinguissima pietatis, etiam ipsa commemorat, & ipsa audi: Si distribuero omnia mea in usum pauperum, & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem non habeam, nihil mihi prodest. Hæc est vestis nuptialis. Interrogate vos, si habetis illam, securi estis in convivio Dominico. Duæ sunt in homine uno, cari- D tas & cupiditas. Caritas nascatur in te, si nondum nata est; & si nata est, alatur, nutriatur, crescat. Illa verò cupiditas, & si in hac vita exstingui penitus non potest; quia si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: in quantum autem est in nobis cupiditas, in tantum sine peccato non sumus: caritas crescat, cupiditas decrescat: ut aliquando illa perficiatur, hoc est caritas, cupiditas consumatur. Induite vos vestem nuptialem: vos al- E loquor, qui necdum habetis. Jam intus estis, jam ad convivium acceditis, & vestem in honorem sponsi nondum habetis: vestra adhuc quæritis, non quæ Jesu Christi. Vestis enim nuptialis in honore accipitur conjugationis, id est sponsi & sponsæ. Nostis sponsum: Christus est. Nostis sponsam: Ecclesia est. Deferte nubenti, deferte ducenti. Si istis bene detuleritis qui nubent, vos filii eritis. Ergo in hoc proficite. Diligite Dominum, & ibi discite diligere vos: ut cùm diligendo F Dominum dilexeritis vos, securi diligatis proximos sicut vos. Quando enim non invenio se ipsum diligentem, quomodo ei permitto proximum, quem diligat sicut se ipsum? Et quis est, inquit, qui non diligat se ipsum? Ecce quis est: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Numquid diligit se, qui amat carnem suam, & odit animam suam, malo suo, malo animæ suæ & carnis suæ? Quis autem diligit animam suam? Qui diligit Deum ex toto corde suo, & ex tota mente G sua. Jam tali [a] committo proximum. Diligite proximos, tamquam vos ipsos.

1. Cor. 13. 1. — *Ibidem 2.* — Bona cetera sine caritate non prosunt. — *Ibidem 3.* — Caritas & cupiditas in homine. — *Psal. 10. 6.*

7. Quis est, inquit mihi proximus? Omnis homo proximus tuus est. Nonne duos parentes habuimus omnes? Proxima sunt sibi cujusque generis animalia, columbus columbo, pardus pardo, aspis aspidi, pecus pecori, & non est proximus homo homini? Recolite institutionem creaturæ. Dixit Deus, protulerunt aquæ, natantia, cetos magnos, pisces, alites, similiaque protulerunt. Numquid de una ave omnes aves? Numquid de uno vulture omnes vultures? Numquid de uno columbo omnes columbi? Numquid de uno colubro omnes colubri; Numquid de una aurata omnes auratæ? Numquid de una ove omnes oves? Utique simul terra genera protulit omnia. Ventum est ad hominem, & non protulit terra hominem. Factus est nobis unus pater: nec saltem duo, pater & mater: factus est inquam nobis unus pater, nec saltem duo, pater & mater: sed de uno patre una mater; unus de nullo, sed à Deo factus est, & una de illo. Adtendite genus nostrum: de uno fonte manavimus: & quia ille unus in amaritudinem versus est, omnes ex oliva oleaster facti sumus. Venit & gratia. Generavit unus ad peccatum & ad mortem, tamen unum genus, tamen proximos sibi omnes; tamen non solùm similes, sed etiam cognatos. Venit unus contra unum: contra unum qui sparsit, unus qui colligit. Sic contra unum qui occidit, unus qui vivificat. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Sed quomodo de illo omnis qui nascitur, moritur: sic in Christo omnis qui credit, vivificatur. Sed si habeat vestem nuptialem, si invitetur servandus, non separandus.

Proximus, omnis homo. — *1. Cor. 15. 22.*

8. Habete itaque caritatem, Fratres mei. Exposui vobis vestem nuptialem, exposui vobis vestem. Laudatur fides, constat, laudatur: sed quæ fides, distinguit Apostolus. Nam quosdam gloriantes de fide, & non habentes bonos mores, objurgat apostolus Jacobus, & dicit, Tu credis quoniam unus est Deus, & bene facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt. Unde laudatus est Petrus, unde dictus est beatus, recolite mecum. Quia dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi? Ille non sonum verborum, sed affectum cordis intendit, qui beatum pronuntiavit. Nam vultis nosse beatitudinem Petri non in illis verbis fuisse? Hæc dixerunt & dæmones. Scimus qui sis, Tu es Filius Dei. Filium Dei confessus est Petrus: Filium Dei confessi sunt dæmones. Distingue domine, distingue. Distinguo planè. Petrus dixit in amore, dæmones à timore. Denique ille dicit, Tecum sum usque ad mortem. Illi dicunt, Quid nobis & tibi? Ergo qui venisti ad convivium, noli de sola fide gloriari. Distingue & ipsam fidem, & tunc in te agnoscitur vestis nuptialis. Distinguat Apostolus, doceat nos: Neque circumcisio, inquit, aliquid valet, neque præputium, sed fides. Dic quæ: numquid non & dæmones credunt & contremiscunt? Dico, inquit, audi, distinguo, modò distinguo: Sed fides, quæ per dilectionem operatur. Quæ ergo fides? qualis fides? Quæ per dilectionem operatur. Omnem, inquit, scientiam si habeam, & omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Habete fidem cum dilectione: nam dilectionem non potestis habere sine fide. Hoc moneo, hoc exhortor, hoc in nomine Domini doceo Caritatem Vestram, ut habeatis fidem cum dilectione: quia potestis habere fidem sine dilectione. Nam non vos exhortor ut habeatis fidem, sed carita-

Fides non qualibet laudatur. — *Jacobi 2. 19.* — *Matth. 16. 17.* — *Matth. 8. 29. Marci 1. 24.* — *Matth. 26. 35.* — *Gal. 5. 6.*

[a] Sic Corbeiensis MS. antiqua manu emendatus: nam habuit primùm sicuti Sirmondus ex eo edidit, *committo proximo.*

Classis I.

tem. Non potestis enim habere caritatem sine fide: caritatem enim dico Dei & proximi: unde potest ista esse sine fide? Quomodo amat Deum, qui non credit in Deum? Quomodo amat Deum stultus, qui dicit in corde suo, Non est Deus? Potest fieri ut credas venisse Christum, & non diligas Christum. Non potest autem fieri ut diligas Christum, & non dicas venisse Christum.

Caritas ad inimicos extendi debet.

9. Ergo habete fidem cum dilectione. Ista est vestis nuptialis. Amate invicem, qui Christum B diligitis: amate amicos, amate inimicos. Non sit vobis durum. Quid ergo perditis, ubi multum adquiritis? Quid pro magno rogas Deum, ut moriatur inimicus tuus? Non est vestis ista nuptialis. Adtende ipsum sponsum in cruce pro te pendentem, & pro suis inimicis Patrem rogantem: Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vidisti sponsum ista dicentem, vide & amicum sponsi cum veste nuptiali invitatum. Benedictum Stephanum adtendite, quomodo in- C crepat Judæos, tamquam sævus, tamquam iratus: Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus, vos restitistis Spiritui-sancto. Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri? Audisti quomodo linguâ sæviat. Adhuc tu paratus es dicere in quemlibet, atque utinam in eum dicas, qui Deum offenderit, non qui te. Offendit Deum & non increpas: offendit te, clamas: ubi est vestis illa nuptialis? Audistis ergo quomodo sævierit Stephanus: audite quomodo dilexerit. Offendit D eos quos increpabat, lapidatus est ab eis. Et cùm undique furentium manibus, & lapidum ictibus premeretur & tunderetur, priùs ait, Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum. Deinde postea quàm pro se stans oravit, pro illis qui lapidabant eum, genu fixit, & dixit, Domine ne statuas eis hoc delictum: ego moriar in carne, non illi in corde. Et hoc dicto obdormivit. Post hæc verba nihil addidit: dixit, & abiit: novissima ejus oratio pro inimicis fuit. Discite habere vestem E nuptialem. Ita & tu fige genua, & collide frontem in terra, & accessurus ad mensam Domini, ad convivium sanctarum Scripturarum, noli dicere, Si moriatur inimicus: Domine, si quid à te merui, occide inimicum meum. Quòd si fortè dicis, non times ne tibi respondeat, Si occidere vellem inimicum tuum, te priùs occiderem? An gloriaris, quia modò invitatus venisti? Cogita, paululùm antè quid fuisti. Nonne me blasphemasti? nonne me irrisisti? nonne nomen meum de F terra delere voluisti? Sed plaudis tibi, quia invitatus venisti. Si te occidissem inimicum, quem facerem amicum? Quid malè orando doces me, quod non feci in te? Immo ego, dicit tibi Deus, doceam te, ut imiteris me. In cruce pendens dixi, Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Docui hoc militem meum. Esto tyro meus contra diabolum. Aliter invictè nullo modo pugnabis, nisi pro tuis inimicis oraveris. Dic planè, dic etiam hoc, dic ut inimicum tuum persequaris: G sed scienter dic; distingue quod dicis. Ecce homo est inimicus tuus: responde mihi, quid in illo inimicetur tibi: numquid hoc quod homo est, inimicatur tibi? Non. Sed quid? Quod malus est. Quod homo est, quod ego feci, non tibi inimicatur. Dicit tibi, Ego hominem feci non malum: factus est malus per inobedientiam, qui potiùs Zabulo obedivit, quàm Deo. Quod ipse fecit, hoc tibi inimicatur: unde malus, tibi inimicus est; non unde homo est. Audio enim hominem, & malum: unum nomen est naturæ, alterum culpæ: sano culpam, & servo naturam. Hoc tibi dicit Deus tuus: Et ecce vindico te, occido inimicum tuum: de illo tollo quod malus est, servo quod homo est: numquid si fecero illum hominem bonum, non occidi inimicum tuum, & feci amicum tuum? Sic roga quod rogas, ut non homines pereant, sed ipsæ inimicitiæ pereant. Si autem hoc oras, ut homo moriatur; malus oras contra malum: & cùm dicis, Occide malum; respondet tibi, Quem [a] vestrûm?

Lucæ 23. 34.

Act. 7. 51. & 52.

Ibidem 58. &c.

Oratio contra inimicos quænam illicita, quænam licita.

Lucæ 23. 34.

Serm. de Scripturis.

10. Extendite ergo dilectionem, non usque ad conjuges & filios vestros. Ista dilectio etiam in pecoribus & passeribus invenitur. Scitis istos passeres & hirundines quemadmodum diligant conjuges, simul ova foveant, simul pullos nutriant, gratâ quadam & naturali bonitate, nullâ cogitatâ mercede. Non enim dicit passer, Nutriam filios meos, ut cùm senuero, pascant me. Nihil horum cogitat: gratìs amat, gratìs pascit: affectum parentis exhibet, retributionem non requirit. Et vos, novi, scio, sic amatis filios vestros. Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Hinc etiam multi * excitatis avaritiam vestram, quia filiis vestris adquiritis, eisque servatis. Sed extendite dilectionem, crescat ista dilectio: amare autem filios & conjuges, nondum vestis illa nuptialis est. Habete fidem ad Deum. Priùs diligite Deum. Extendite ad Deum; & quos poteritis, rapite ad Deum. Inimicus est: rapiatur ad Deum. Filius est, uxor est, servus est: rapiatur ad Deum. Peregrinus est: rapiatur ad Deum. Inimicus est, rapiatur ad Deum. Rape, rape inimicum: rapiendo non erit inimicus. Sic [b] proficiatur, sic caritas nutriatur, ut nutrita perficiatur: sic vestis nuptialis induatur: sic imago Dei, ad quam creati sumus, proficiendo resculpatur. Peccando enim obsolefacta erat, adtrita erat. Unde adtrita? unde obsolefacta? Cùm fricatur ad terram. Quid est, ad terram fricatur? Terrenis cupiditatibus teritur. Quamquam enim in imagine ambulet homo, tamen vanè conturbatur. Veritas quæritur in Dei imagine, non vanitas. Amando enim veritatem imago illa, ad quam creati sumus, resculpatur, & proprius nummus Cæsari nostro reddatur. Sic enim ex responsione Domini audistis, tentantibus Judæis dicentem Dominum, *Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census*, id est expressionem imaginis & superscriptionem. Ostendite mihi quid solvitis, quid paratis, quid à vobis exigitur, ostendite mihi. Ostenderunt illi denarium: & quæsivit cujus haberet imaginem & superscriptionem. Responderunt, *Cæsaris*. Cæsar iste & imaginem suam quærit. Cæsar non vult sibi perire quod jussit, & Deus non vult perire quod fecit. Cæsar, Fratres mei, non fecit nummum: monetarii faciunt; artificibus jubetur, suis ministris impe-

a Extendenda dilectio, ut omnes rapiat ad Deum.

1. Cor. 12. 14.

* f. excusatis. V. suprà Serm. 86. n. 11.

b

Psal. 38. 7.

Matth. 22. 18. & 19.

a Ita Corbeiensis MS. tametsi qui eo utebatur Sirmondus descripserit, *Quem malum?* Versus etiam aliquot ex eodem codice tum suprà, tum infrà post verba, *Habete fidem ad Deum*, restituimus omissos à Sirmondo.

b Sic exemplar MS. At Sirmondus, *perficiatur*.

CLASSIS I.

ravit. Imago exprimebatur in nummo: in nummo est imago Cæsaris. Et tamen quod alii impresserunt quæritur: ille thesaurizat; ille non vult sibi negari. Moneta Christi homo est. Ibi imago Christi, [a] ibi nomen Christi, munus Christi, & officia Christi.

Aliàs de Tempore 234.

* SERMO XCI.

De verbis Evangelii Matth. 22. ubi [b] Dominus interrogavit Judæos, cujus filium dicerent esse Christum.

CAPUT I. Christum esse messiã probatur contra Judæos.

1. INTERROGATI Judæi, sicut nunc ex Evangelio, cùm recitaretur, audivimus, quomodo esset Dominus noster Jesus Christus filius David, quem Dominum suum dixerit ipse David, respondere non potuerunt. Hoc enim in Domino noverant, quod videbant. Apparebat enim eis filius hominis: occultus autem erat Filius Dei. Hinc est, quòd eum & superari posse crediderunt, & ligno suspensum irriserunt, dicentes, Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus in eum. (*Matth. 27. 40.*) Aliud videbant, aliud non cognoscebant. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sciebant tamen Christum filium David. Nam etiam nunc ipsum sperant esse venturum. Latet eos quòd venerit, sed volentes latet. Neque enim si pendentem non agnoverunt, & regnantem agnoscere non debuerunt. In cujus enim nomine vocantur & benedicuntur omnes gentes, nisi in ejus quem putant Christum non fuisse? Ipse enim filius David, utique ex semine David secundùm carnem, filius est Abraham. Si autem dictum est ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes, (*Gen. 22. 17.*) & vident jam in Christo nostro benedici omnes gentes, quid exspectant quod jam [c] venit, & non timent quod venturum est? Lapidem enim se dixit ipse Dominus noster Jesus Christus, (*Luca 20. 17. & 18.*) prophetico ad se asserendum utens testimonio. Lapidem autem talem, ut si quis in eum offenderit, conquassetur; super quem autem lapis ille venerit, conterat eum. Quando enim in eum offenditur, humilis jacet: jacendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus conterit superbientem. Jam ergo Judæi illa offensione quassati sunt: restat ut ejus præclaro adventu etiam conterantur, nisi fortè cùm vivunt, agnoverint, ne moriantur. Patiens enim est Deus, & illos quotidie invitat ad fidem.

CAPUT II. (*Matth. 22. 42.*)

2. Sed cùm Judæi respondere non possent Domino proponenti quæstionem & dicenti, cujus filium dicerent Christum: atque illi responderent, filium David: addendo & proponendo, (℣. 43.) *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens,* (℣. 44.) * *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis?* (℣. 45.) * *Si ergo David*, inquit, *in spiritu dicit eum Dominum, quomodo est filius ejus?* Non dixit, Non est filius ejus: sed, *Quomodo est filius ejus? Quomodo* cùm dicit, verbum quærentis est, non negantis: tanquam si hoc eis diceret, Bene quidem dicitis Christum filium David; sed ipse David Dominum eum dicit; quem dicit ille Dominum, quomodo est filius? Dicerent Judæi, si instructi essent fide Christiana, quam nos tenemus; si contra Evangelium corda non clauderent, si vitam spiritalem in se habere voluissent, responderent instructi Ecclesiastica fide huic quæstioni, & dicerent, Quoniam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum (*Johan. 1. 1. &c.*): ecce quomodo est Dominus David. Sed quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: ecce quomodo est filius David. Sed nescientes obmutuerunt, nec ore saltem clauso aures aperuerunt, ut quod respondere non potuerunt interrogati, nossent edocti.

CAPUT III. Incarnati Verbi mysterium pius aperitur.

3. Sed quia magnum est nosse mysterium, quomodo sit Dominus David & filius David: quomodo sit una persona homo & Deus: quomodo sit in forma hominis minor Patre, in forma Dei æqualis Patri: quomodo [d] iterum dicit, &, Pater major me est (*Johan. 14. 28.*), &, Ego & Pater unum sumus (*Johan. 10. 30.*): quia magnum est sacramentum, ut capi possit, mores informandi sunt. Indignis enim clausum est, promerentibus aperitur. Nec lapides, nec vectes, nec pugni, nec calces sunt quibus pulsamus ad Dominum. Vita pulsat, vitæ aperitur. Corde petitur, corde quæritur, corde pulsatur, cordi aperitur. Cor autem hoc quod rectè petit, rectè pulsat & quærit, pium esse debet. Primò amare Deum gratìs; (*Amare Deũ gratis pietas est.*) hæc est enim pietas: nec sibi extra illum ponere mercedem, quam exspectet ex illo. Illo enim melius est nihil. Et quid carum petit à Deo, cui Deus ipse vilis est? Terram dat, & gaudes, amator terræ, & factus terra. Si gaudes, quando dat terram: quantò ampliùs gaudere debes, cùm se ipsum tibi dat, qui fecit cælum & terram? Gratìs ergo amandus est Deus. Nam diabolus hoc sancto Job nesciens quid in illo intus ageretur, magnum crimen objecit, dicens, Numquid gratìs colit Job Deum? (*Job. 1. 9.*)

CAPUT IV. Diaboli calumniosus adversarius.

4. Ergo si adversarius hoc objecit, timere debemus ne hoc nobis objiciatur. Cum magno enim calumnioso habemus negotium. Si quærit fingere quod non est, quantò magis objicere quod est? [e] Gaudeamus tamen, quia talis est judex, qui falli ab accusatore nostro non potest. Nam si hominem haberemus judicem, huic quidquid vellet fingeret inimicus. Nemo est diabolo astutior ad fingendum. Nam & nunc omnia falsa crimina de sanctis ipse confingit. Scit suas criminationes valere non posse apud Deum, inter homines illas spargit. Et hoc ei quid prodest, cùm dicat Apostolus, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ? (*2. Cor. 1. 12.*) Putatis tamen quia ille falsa crimina nullâ astutiâ confingit? Novit quid inde mali agat, nisi ei resistat vigilantia fidei. Ideo enim & de bonis mala spargit, (*Quare de bonis spargat mala.*) ut infirmi non putent aliquos esse bonos, & tradant se rapiendos libidinibus & dissipandos, dicentes apud se ipsos, Quis est enim qui servat mandatum Dei, aut quis est qui servat castitatem? Dum putat quia nemo, ipse fit nemo. Hoc ergo agit diabolus. Sed talis erat vir Job, de quo nihil posset confingere: nota enim erat & nimis clara vita ejus. Sed quia multas habebat divitias, hoc objecit, quod & si esset, in corde esse posset, in moribus apparere

[a] Apud Sirmondum deest, *ibi nomen Christi*. Habetur in exemplari MS. moxque in eodem codice pro *munus Christi*, legitur *nummus Christi*.
[b] Recensetur à Possidio in Indiculo cap. 8.
[c] Editi, *quod jam non venit*. Abest particula *non* à MSS.

[d] Cisterciensis liber, *quomodo verum dicit*. Sic etiam unus ex Colbertinis MSS. paulóque post idem codex, *mores reformandi sunt*.
[e] Aliquot MSS. *Evadimus tamen*. Quidam autem. *Et evasimus, quia* &c.

non

Classis I. non posset. Colebat Deum, faciebat eleemosynas; & quo corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus: sed Deus noverat. Perhibet Deus testimonium servo suo: diabolus calumniatur servo Dei. Permittitur ille [a] tentari, probatur Job, confunditur diabolus. Invenitur Job gratis colere Deum, gratis diligere: non quia aliquid dedit, sed quia se ipsum non abstulit. Ait enim, Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. (Job. 1. 21.) Ignis tentationis accessit; sed aurum, non B stipulam invenit: abstulit sordes, non convertit in cinerem.

Caput V. Post quæstionem de Christo, cur de moribus agitur.

5. Quia ergo ad sacramentum Dei intelligendum, quomodo Christus & homo & Deus sit, cor mundandum est; mundatur autem moribus, vita, castitate, sanctitate, dilectione, & fide quæ per dilectionem operatur: (Gal. 5. 6.) (hoc autem quod loquor, totum tamquam arbor est, quæ radicem habet in corde: neque enim facta procedunt nisi de cordis radice; ubi si plantaveris cupiditatem, C spinæ procedunt; [b] si plantaveris caritatem, fructus procedunt:) statim Dominus post istam quæstionem propositam Judæis, illis respondere non valentibus, subjecit de moribus loqui, ut ostenderet quare illi indigni fuerint intelligere quod interrogavit. Miseri enim superbi cùm respondere non possent, utique debuerunt dicere, Nescimus nos, Magister dic nobis. Obmutuerunt in propositione, nec os aperuerunt ad inquisitionem. Et statim Dominus de superbia illorum, D Cavete, inquit, ab Scribis, qui amant præsidere in synagogis, & diligunt primum locum in conviviis. (Matth. 23. 6. Marci 12. 38.) Non quia accipiunt, sed quia diligunt. Hic enim cor eorum accusavit. Accusator autem cordis esse non posset, nisi cordis inspector. Oportet enim ut servo Dei habenti aliquem honorem in Ecclesia deferatur primus locus: (Honores Ecclesiastici.) quia si non deferatur, malum est illi qui non defert: non tamen bonum est illi cui defertur. Oportet itaque ut in congregatione Christianorum Præpositi E plebis eminentiùs sedeant, ut ipsa sede distinguantur, & eorum officium satis appareat: non tamen ut inflentur de sede; sed ut cogitent sarcinam, unde sunt reddituri rationem. Quis autem novit, utrùm hoc ament, aut non ament? Res ista cordis est, judicem habere non potest nisi Deum. Ipse autem Dominus admonebat suos, ne inciderent in tale fermentum: quod alio loco dicit, Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. (Matth. 16. 6.) Et cùm putarent illi propterea hoc eum F dicere, quia panes non intulerant: respondit eis, Excidit vobis, quot millia saturati sunt ex quinque panibus? (Ibidem 9.) Tunc intellexerunt, inquit, quia fermentum doctrinam eorum dicebat. Amabant enim illi ista temporalia: æterna verò nec timebant mala, nec diligebant bona. Clauso corde intelligere non poterant quod Dominus interrogavit.

Caput VI. Unde fit animus capax ad intelligenda mysteria.

6. Quid autem faciat Ecclesia Dei, ut possit intelligere quod prima meruit credere? Faciat G capacem animum ad recipiendum quod dabitur. Quod ut fieret, id est, ut capax animus esset, Dominus Deus noster suspendit promissa, non abstulit. Ideo suspendit, ut nos extendamus: ideo A nos extendimus, ut crescamus: ideo crescimus, ut adtingamus. (Serm. de Scripturis.) Vide apostolum Paulum in suspensa extensum. Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim: Fratres, ego me non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. (Philip. 3. 12. &c.) Ille in terra currebat: palma de cælo pendebat. In terra ergo currebat: sed in spiritu adscendebat. Vide ergo extentum, vide B ad suspensa pendentem. Sequor, inquit, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

7. Ambulandum ergo est, nec pedes unguendi, nec jumenta quærenda, nec navis providenda. (Non adscendit in cælum nisi qui inhæret Christo.) Affectu curre, amore ambula, caritate adscende. Quid quæris viam? Inhære Christo, qui descendendo & adscendendo se ipsum fecit viam. Vis adscendere? Adscendentem tene. Etenim per te ipsum levari non potes. Quia nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo. (Johan. 3. 13.) Si nemo adscendit, nisi C qui descendit, ipse autem est Filius hominis Dominus noster Jesus; vis & tu adscendere? Membrum ipsius esto, qui solus adscendit. Etenim ille caput cum ceteris membris unus homo est. Et cùm adscendere nemo potest, nisi qui in ejus corpore membrum ipsius factus fuerit; impletur, Quia nemo adscendit, nisi qui descendit. Non enim potes dicere, Ecce quare adscendit, verbi gratiâ, Petrus, quare adscendit Paulus, quare D adscenderunt Apostoli, si nemo adscendit, nisi qui descendit? Respondetur tibi, Petrus, Paulus & ceteri Apostoli, & omnes fideles, quid audiunt ab Apostolo? Vos autem estis corpus Christi, & membra * ex parte. (1. Cor. 12. 27. * Græc. ἐκ μέρους.) Si ergo corpus Christi & membra [c] unius sunt, noli facere duos. Reliquit enim ille patrem & matrem, & adhæsit uxori suæ, ut essent duo in carne una. (Ephes. 5. 31.) Reliquit patrem, quia non hic se ostendit æqualem Patri: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. (Philip. 2. 7.) E Reliquit & matrem Synagogam, de qua carnaliter natus est. Adhæsit uxori suæ, id est, Ecclesiæ suæ. Quod testimonium & ipse cùm commemoraret, quòd separari non liceret conjugium demonstravit: Non legistis, inquit, quia Deus qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos? (Matth. 19. 4. &c.) Erunt duo, inquit, in carne una. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et quid est, Duo in carne una? Sequitur, & dicit: Igitur jam non duo, sed una caro. Nemo adscendit, nisi F qui descendit. (Johan. 3. 13.)

Caput VII. Christus & Ecclesia unus homo.

8. Nam ut noveritis, quia unus homo est sponsus & sponsa, secundùm carnem Christi, non secundùm divinitatem: nam secundùm divinitatem quod est ille, nos esse non possumus; quia ille creator, nos creatura; ille effector, nos facti; ille conditor, nos conditi: sed ut essemus cum illo unum in illo, caput nostrum esse voluit, accipiendo carnem ex nobis, in qua moreretur pro nobis: ut noveritis ergo quia hoc totum unus est Christus, per Isaiam dixit, Sicut sponso alligavit mihi G mitram, & sicut sponsam induit me ornamento. (Isai. 61. 10.) Ipse sponsus, ipse sponsa. Ipse planè sponsus in capite, sponsa in corpore. Erunt enim, inquit, duo in carne una: & non jam duo, sed una caro est.

[a] MSS. *damnari.*

[b] Hoc loco, *si plantaveris caritatem* &c. itemque infrà n. 6. istud, *Palma de cælo pendebat* &c. in priùs excusis prætermissum, restituitur ex MSS.

[c] Am. Er. & Colbertinus alter codex omittunt *unius*. Alter autem MS. ejus loco habet *unum*.

CLASSIS I.

Fide ac bonis operibus ad Dei viſionem pervenimus.

9. Itaque ad membra ipſius pertinentes, ut hoc ſacramentum intelligamus, ut dixi, Fratres, piè vivamus, Deum gratìs diligamus. Ipſe autem qui oſtendit peregrinantibus formam ſervi, ſervat pervenientibus formam Dei. De forma ſervi ſtravit viam, de forma Dei condidit patriam. Quia ergo multum eſt ad nos capere hoc, ſed non eſt multum credere hoc: Niſi enim credideritis, ait Iſaias, non intelligetis: ambulemus per fidem quamdiu peregrinamur à Domino, donec perveniamus ad ſpeciem, ubi videbimus facie ad faciem. Ambulantes per fidem, bene operemur. In bonis operibus gratuita ſit dilectio Dei, benefica ſit dilectio proximi. Deo enim quod præſtemus non habemus: ſed quia proximo habemus quod præſtemus, præſtando indigenti promerebimur abundantem. Inde unuſquiſque quod habet, præſtet alteri: quidquid plus habet largiatur inopi. Alius habet pecuniam: paſcat pauperem, veſtiat nudum, ædificet eccleſiam, operetur de pecunia quidquid boni poteſt. Alius habet conſilium: regat proximum, pellat tenebras dubitationis luce [a] pietatis. Alius habet doctrinam: eroget de cellario Domini, miniſtret conſervis cibaria, confortet fideles, revocet errantes, quærat perditos, quantum poteſt faciat. Eſt quod ſibi erogent etiam pauperes: alius claudo pedes accommodet, alius cæco ſuos oculos duces præbeat; alius viſitet infirmum, alius ſepeliat mortuum. Sunt iſta in omnibus, ut prorſus difficilè inveniatur aliquis qui non habeat unde aliquid alteri præſtet. Et illud extremum & magnum quod ait Apoſtolus, Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Iſai. 7. 9. — 2. Cor. 5. 6. & 7. — Gal. 6. 2.

* SERMO XCII.

** Aliàs de Tempore 235.*

De eiſdem verbis Evangelii Matth. 22.

CAPUT I. *Quæſtio Judæis facta de Chriſto.*

1. QUÆSTIONEM propoſitam Judæis, debent ſolvere Chriſtiani. Dominus enim Jeſus Chriſtus, qui eam Judæis propoſuit, ipſe non ſolvit, ſed Judæis, nobis autem ſolvit. Et commemorabo Caritatem Veſtram, & invenietis quia ſolvit. Primò nodum videte quæſtionis. Quæſivit à Judæis quid eis videretur de Chriſto, cujus eſſet filius: quia & ipſi ſperant Chriſtum. In Prophetis legerunt, venturum exſpectaverunt, præſentem occiderunt: quia ubi legebant venturum Chriſtum, ibi legebant quia occiſuri erant Chriſtum. Sed illius futurum adventum ſperabant in Prophetis: nam futurum ſuum facinus non videbant. Sic ergo eos interrogavit de Chriſto, non quaſi de incognito, aut cujus nomen numquam audiſſent, aut cujus adventum numquam ſperaſſent. Nam quoniam adhuc eum ſperant, ideo errant. Equidem & nos ſperamus eum; ſed venturum judicem, non venturum judicandum. Prophetæ autem ſancti utrumque prophetaverunt, venturum eum injuſtè priùs judicandum, venturum poſtea juſtè judicaturum.

Matth. 22. 42. *Quid ergo*, inquit, *vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt? Reſponderunt illi: David.* Prorſus de

ŷ. 43. Scripturis. At ille, *Quomodo David in ſpiritu*

ŷ. 44. *vocat eum Dominum, dicens, * Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam*

ŷ. 45. *inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? * Si ergo* A *David in ſpiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?*

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT II. *Chriſtus ſe filium David non negat.*

2. Hîc cavendum eſt, ne putetur Chriſtus ſe negaſſe filium eſſe David. Non ſe filium David negavit, ſed modum quæſivit. Dixiſtis filium eſſe David, non nego: ſed ille eum Dominum vocat; dicite mihi quomodo ſit filius, qui eſt & Dominus: dicite quomodo. Illi non dixerunt, ſed tacuerunt. Dicamus nos, exponente ipſo Chriſto. Ubi? Per Apoſtolum ſuum. Priùs unde proba- B mus, quia ipſe Chriſtus expoſuit? Apoſtolus dicit, An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Chriſtus? Ergo in Apoſtolo iſtam dignatus eſt ſolvere quæſtionem. Primùm per Apoſtolum loquens Chriſtus, quid dixit ad Timotheum? Memor eſto Chriſtum Jeſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum. Ecce Chriſtus filius eſt David. Quomodo eſt & Dominus David? Dic Apoſtole: Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbi- C tratus eſt eſſe æqualis Deo. Agnoſce Dominum David. Si agnoſcis Dominum David, Dominum noſtrum, Dominum cæli & terræ, Dominum Angelorum, æqualem Deo in forma Dei ſi agnoſcis: unde filius David? Adtende quod ſequatur. Apoſtolus Dominum David tibi oſtendit dicendo, Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Filius David unde? Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu D inventus ut homo: humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit. Reſurrexit Chriſtus ex ſemine David, filius David, quia exinanivit ſe. Quomodo exinanivit? Sumendo quod non erat, non perdendo quod erat. Exinanivit ſe, humiliavit ſe. Cùm eſſet Deus, homo apparuit. Contemtus eſt in terra ambulans, qui cælum fecit. Contemtus eſt quaſi homo, quaſi nullius virtutis. Non ſolùm contemtus, ſed E inſuper & occiſus. * Lapis erat jacens, offenderunt in eum Judæi, & quaſſati ſunt. Quid autem ait ipſe? Qui offenderit in lapidem iſtum, conquaſſabitur: ſuper quem venerit autem lapis iſte, conteret eum. Priùs jacuit, & offenderunt: veniet de ſuper, & conteret quaſſatos.

2. Cor. 13. 3. — 2. Tim. 2. 8. — Philip. 2. 6. &c.

* CAPUT III. *Matth. 21. 44.*

Chriſtus Deus & homo.

3. Accepiſtis & filium David, & Dominum David: Dominum David ſemper, filium David ex tempore: Dominum David natum de ſubſtantia Patris, filium David natum [b] ex Maria virgine, F conceptum de Spiritu-ſancto. Utrumque teneamus. Unum horum nobis erit æterna habitatio, alterum horum nobis eſt à peregrinatione liberatio. Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus niſi dignatus eſſet fieri homo, periſſet homo. Factus eſt quem fecit, ne periret quem fecit. Homo verus, Deus verus: Deus & homo totus Chriſtus. Hæc eſt Catholica fides. Qui negat Deum Chriſtum, Photinianus eſt: qui negat hominem Chriſtum, Manichæus eſt. Qui confitetur Deum æ- G qualem Patri Chriſtum & hominem verum, paſſum verè, ſanguinem fudiſſe verum: non enim veritas nos liberaret, ſi falſum pretium pro nobis daret: utrumque qui confitetur, Catholicus eſt. Habet patriam, habet viam. Habet patriam, In principio erat Verbum: habet patriam, Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt,

Johan. 1. 1. — Philip. 2. 6.

a Sic alter è Colbertinis MSS. Editi verò, *luce pectoris.*

b MSS. *natum de Spiritu-ſancto & virgine Maria.*

Classis I.

esse æqualis Deo. Habet viam, Verbum caro A factum est: habet viam, Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Ipse est patria quò imus, ipse via quà imus. Per ipsum ad ipsum eamus, & non errabimus.

Aliàs 23. de verbis Domini.

* SERMO XCIII.

De verbis Evangelii Matth. 25. Simile erit regnum cælorum decem virginibus *&c.*

Caput I. Decem virgines quænam intelligendæ in parabola Evangelii. *Matth.* 25. 1. & 2.

1. HESTERNO diē qui adfuistis, pro- B missionem nostram tenetis: quæ hodie non solis vobis, sed pluribus etiam qui convenerunt, Domino adjuvante, reddenda est. Quæ sint decem virgines, quarum sint quinque prudentes & quinque stultæ, non facilè indagari potest. Verumtamen secundùm ea quæ continet ipsa lectio, quam Caritati Vestræ etiam hodie volui recitari, quantum mihi Dominus intellectum donare dignatur, non mihi videtur ista parabola vel similitudo ad eas solas C pertinere, quæ propria & excellentiori sanctitate virgines in Ecclesia nominantur, quas etiam usitatiore vocabulo Sanctimoniales appellare consuevimus: sed, nisi fallor, hæc similitudo ad universam Ecclesiam pertinet. Quamvis etsi illas solas intelligeremus, quæ Sanctimoniales vocantur, numquid decem sunt? Absit, ut tanta virginum multitudo ad tam exiguum numerum revocetur. Fortè autem dicat aliquis, Quid si multæ sunt nomine, & tam paucæ sunt in veri- D tate, ut vix decem inveniantur? Non ita est. Nam si solas decem intelligi vellet bonas, non ibi ostenderet quinque fatuas. Si enim multæ sunt virgines quæ vocantur, quare contra quinque ostia domûs magnæ clauduntur?

In Psal. 75. n. 16. vocabulo utitur, Castimonialis.

Caput II. Virgines decem, animæ quælibet de Ecclesia Dei.

2. Intelligamus ergo, Carissimi, ad omnes nos, id est, ad universam omnino Ecclesiam pertinere istam parabolam, non ad solos præpositos, de quibus hesterno die locuti sumus; nec ad solas plebes; sed prorsus ad omnes. Quare er- E go quinque & quinque virgines? Istæ quinque & quinque virgines, omnes omnino sunt animæ Christianorum. Sed ut dicamus vobis, quod Deo inspirante sentimus, non qualescumque animæ, sed tales animæ quæ habent Catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei: & tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ. Quare ergo appellatæ sunt quinque, & quare virgines, priùs videamus; & deinde cetera consideremus. Omnis ani- F ma in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Nihil est enim quod sentimus ex corpore, nisi januâ quinquepartitâ, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut gustando, aut tangendo. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem, virginis nomen accepit.

Nec virginitas sufficit, nec opera bona.

3. Sed si bonum est, abstinere ab illicitis sen- G tiendi motibus, & ideo unaquæque anima Christiana virginis nomen accepit; quare quinque admittuntur, & quinque repelluntur? Et virgines sunt, & repelluntur. Parum est, quia virgines sunt: & lampades habent. Virgines, propter abstinentiam ab illicitis sensibus; lampades habent, propter opera bona. De quibus operi-

bus Dominus dicit, Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Item discipulis dicit, Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes. In lumbis accinctis, virginitas: in lucernis ardentibus, opera bona.

Serm. de Scripturis. *Matth.* 5. 16. *Luca* 12. 35.

Caput III. Virgo anima quælibet Christiana.

4. Non solet dici virginitas utique in conjugatis: tamen etiam ibi est fidei virginitas, quæ exhibet pudicitiam conjugalem. Nam ut noverit Sanctitas Vestra, non importunè secundùm animam & secundùm integritatem fidei, qua etiam fide ab illicitis abstinetur, & bona opera fiunt, unumquemque vel unamquamque animam virginem dici; tota Ecclesia quæ constat ex virginibus & pueris, & maritatis feminis & uxoratis viris, uno nomine virgo est appellata. Unde hoc probamus? Apostolum audi dicentem, non solis Sanctimonialibus, sed universæ prorsus Ecclesiæ: Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et quia hujus virginitatis corruptor, diabolus cavendus est, continuò ipse Apostolus cùm dixisset, Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo: adjunxit & ait, Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit in versutia sua, sic & vestri sensus corrumpantur à castitate quæ est in Christo. In corpore virginitatem paucæ habent: in corde omnes habere debent. Si ergo ab illicitis abstinentia bona est, unde virginitas nomen accepit, & opera bona laudabilia sunt, quæ significantur lampadibus; quare quinque admittuntur, & quinque repelluntur? Si & virgo est, & lampades fert, & tamen non admittitur; ubi se videt qui nec virginitatem ab illicitis servat, nec opera bona volens habere in tenebris ambulat?

2. Cor. 11. 2. *Ibidem* 3.

Caput IV. Præter cōtinentiam & opera bona, requiritur caritas.

5. De istis ergo, Fratres mei, de istis potiùs disputemus. Qui non vult videre quod malum est, qui non vult audire quod malum est, qui ab illicitis sacrificiorum nidoribus avertit odoratum, ab illicitis sacrificiorum cibis avertit gustatum, fugit complexum alienæ, frangit panem esurienti, hospitem inducit in domum, vestit nudum, concordat litigiosum, visitat ægrotum, sepelit mortuum: ecce virgo, ecce habet lampades. Quid quærimus ampliùs? Adhuc quæro. Quid adhuc quæris, inquit? Adhuc quæro: intentum me fecit Evangelium sanctum. Etiam ipsas virgines & ferentes lampades, alias dixit prudentes, alias stultas. Unde intuemur? unde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum, valde magnum. Putas non caritas est? Quærendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Unde mihi videatur oleo caritas significari, dicam vobis. Apostolus dicit, Adhuc supereminentiorem vobis viam demonstro. Supereminentiorem viam quam demonstrat? Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Ipsa est supereminens via, id est, caritas, quæ meritò oleo significatur. Omnibus enim humoribus oleum supereminet. Mitte aquam, & superinfunde oleum, oleum supereminet. Mitte oleum, superinfunde aquam, oleum supereminet. Si ordinem servaveris, vincit: si ordinem mutaveris, vincit. Caritas numquam cadit.

1. Cor. 12. 31. *1. Cor.* 13. 1. Oleum, caritas. *Ibidem* 8.

Caput V. Ite obviàm ipsi & quid.

6. Quid ergo, Fratres? Jam disceptemus de quinque virginibus prudentibus & quinque fa-

CLASSIS I.

tuis. Voluerunt ire obviàm sponso. Quid est, ire obviàm sponso? Corde ire, exspectare ejus adventum. Sed ille tardabat. Dum tardat ille, *dormierunt omnes.* Quid est *omnes?* Et fatuæ & sapientes, *obdormitaverunt omnes, & dormierunt.* Putamus, bonus est somnus iste? Quid est somnus iste? Ne fortè tardante sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescit caritas multorum. Siccine intellecturi sumus istum somnum? Non mihi placet: dico quare. Quia sunt ibi prudentes: & utique quando dixit Dominus, Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit caritas multorum; subjecit & ait, Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ubi vultis esse istas prudentes? Nonne in his qui perseveraverunt usque in finem? Non ob aliud, Fratres, non ob aliud prorsus admitterentur intrò, nisi quia perseveraverunt usque in finem. Non ergo eis obrepsit frigus caritatis, non in eis refriguit caritas; sed fervet usque in finem. Quia fervet usque in finem, ideo sponsi januæ patuerunt: ideo eis dictum est ut intrarent, sicut illi optimo servo, Intra in gaudium Domini tui. Quid est ergo, *Dormitaverunt omnes?* Est alius somnus, quem nemo evadit. Non recordamini Apostolum dicentem, De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres, id est, de his qui mortui sunt? Quare enim dormientes vocantur, nisi quia suo die resuscitantur? Ergo *dormierunt omnes.* Putas, quia prudens est, ideo non habet mori? Fatua sit virgo, prudens sit virgo, somnum mortis omnes patiuntur.

Virginum dormitio.

Matth. 24. 12.

Matth. 25. 5.

1. Thess. 4. 12.

Mortui, quare dormientes.

CAPUT VI.

7. Aliquando autem dicunt sibi homines, Ecce jam dies judicii venit, tanta mala fiunt, tantæ tribulationes crebrescunt; ecce omnia quæ Prophetæ dixerunt, penè completa sunt; jam dies judicii instat. Qui hoc dicunt, & fideliter dicunt, tamquam obviàm eunt sponso cogitationibus talibus. Sed ecce bellum super bellum, tribulatio super tribulationem, terræmotus super terræmotum, fames super famem, gens super gentem, & nondum venit sponsus. Cùm ergo exspectatur, ut veniat, dormiunt omnes illi qui dicunt, Ecce venit, & dies judicii hìc nos invenit. Cùm dicit, dormit. Ergo observet ad somnum suum, & perseveret in caritate usque ad somnum suum: exspectantem illum inveniat somnus. Puta enim quia dormivit. Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? *Dormierunt* ergo *omnes:* & de illis prudentibus, & de illis fatuis omnes dormierunt.

Psal. 40. 9.

Clamor media nocte.

8. Ecce *media nocte clamor factus est.* Quid est, *media nocte?* Quando non speratur, quando omnino non creditur. Noctem posuit pro ignorantia. Aliquis quasi computat sibi: Ecce ab Adam tot anni transierunt, & ecce complentur sex millia annorum, & continuò, quomodo quidam tractatores computaverunt, continuò veniet dies judicii: & veniunt, & transeunt computationes, & adhuc remoratur sponsi adventus, & dormiunt virgines quæ obviàm ierant. Et * ecce dum non speratur, dum dicitur, Sex millia annorum exspectabantur, & ecce transierunt, unde scimus jam quando veniet? Media nocte veniet. Quid est, Media nocte veniet?

*CAPUT VII.

A Dum nescis, veniet. Quare dum nescis, veniet? Ipsum Dominum audi: Non est vestrûm scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Dies Domini, ait Apostolus, tamquam fur in nocte, ita veniet. Ergo vigila nocte, ne furem patiaris. Nam somnus mortis, velis nolis, veniet.

SERM. XI SCRIPTURIS.

Act. 1. 17.

1. Thess. 5. 2.

9. Sed cùm factus fuerit clamor media nocte. Quis iste clamor, nisi de quo Apostolus dicit, In ictu oculi, in novissima tuba? Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. B Denique clamore facto media nocte, quo clamabitur, *Ecce sponsus venit*, quid sequitur? *Surrexerunt omnes.* Quid est, *Surrexerunt omnes?* Veniet hora, dixit ipse Dominus, quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, & procedent. Ergo ad novissimam tubam surrexerunt omnes. *Prudentes* autem illæ *tulerunt oleum secum in vasis suis: stultæ verò* illæ *non tulerunt oleum secum.* Quid est, *non tulerunt oleum secum in vasis suis?* Quid est, *in vasis suis?* In cordibus C suis. Unde dicit Apostolus, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ibi oleum, magnum oleum: de dono Dei est hoc oleum. Denique homines oleum mittere intrò possunt, olivam creare non possunt. Ecce habeo oleum: numquid tu creasti oleum? De Dei dono est. Habes oleum, porta tecum. Quid est porta tecum. Intus habe, ibi place Deo.

1. Cor. 15. 52.

Resurrectio virginum.

Johan. 5. 28.

Oleum in vobis.

2. Cor. 1. 12.

CAPUT VIII.

Oleum portare secum.

10. Etenim ecce istæ virgines stultæ, quæ non portaverunt oleum secum, abstinentiâ suâ D qua virgines appellantur, [a] & bonis operibus suis, quando lampades ferre videntur, hominibus volunt placere. Et si hominibus volunt placere, & ideo omnia ista laudabilia faciunt, oleum secum non portant. Tu ergo tecum porta, intus porta, ubi videt Deus: ibi porta testimonium conscientiæ tuæ. Qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum. Si ideo abstines ab illicitis, & facis bona opera, ut ab hominibus lauderis; non est intus oleum. Denique E cùm cœperint homines non laudare, deficiunt lampades. Intendat itaque Caritas Vestra: Antè quàm dormirent illæ virgines, non est dictum, quia exstinguebantur lampades illarum. Sapientium lampades ardebant de oleo [b] interno, de conscientiæ [c] securitate, de interiore gloria, de intima caritate. Ardebant tamen & illarum fatuarum. Quare tunc ardebant? Quia non deerant laudes hominum. Postea verò quàm surrexerunt, id est, in resurrectione à mortuis, cœpe-F runt aptare lampades suas, id est, præparare Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo caussæ suæ vacat, nemo est tunc qui non de se cogitet: non ergo erant qui oleum venderent; cœperunt deficere lampades, & converterunt se fatuæ ad quinque prudentes: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Hoc quærebant quod consueverant, id est, alieno oleo lucere, ad alienas laudes ambulare. *Date* G *nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.*

Oleum alienum.

Fatuæ virgines irridentur à sapientibus.

11. At illæ, *Ne fortè*, inquiunt, *non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Non consulentium, sed irridentium est

a Verba isthæc, *& bonis operibus suis, quando lampades ferre videntur*, absunt à MSS.

b Editi, *de oleo æterno.* Meliùs Victorinus codex, *interno.*

c Plerique MSS. *de conscientiæ suæ veritate.* Colbertinus, *de conscientiæ claritate.*

CLASSIS I.

ista responsio. Quare irridentium? Quia sapientes erant, quia sapientia erat in illis. Non enim sapientes de suo erant: sed illa in illis erat sapientia, de qua scriptum est in quodam libro, quæ dicit contemtoribus suis, cùm venerint ad mala, quæ illis minata est: Et ego vestræ perditioni superridebo. Quid mirum est, quia sapientes irrident fatuas? Quid est irridere?

Prov. 1. 26.

CAPUT IX.

Oleum ementes & vendentes.

12. *Ite ad vendentes, & emite vobis:* quæ non solebatis bene vivere, nisi quia vos homines laudabant, qui vobis oleum vendebant. Quid est, B oleum vendebant? Laudes vendebant. Qui vendunt laudes, nisi adulatores? Quantò magis non adquiesceretis adulatoribus, & intus oleum portaretis, & propter bonam conscientiam omnia bona opera faceretis: tunc diceretis, Emendabit » me justus in misericordia, & arguet me; oleum » autem peccatoris non impinguabit caput meum. Meliùs, inquit, emendet me justus, arguat me justus, colaphizet me justus, corrigat me justus, quàm impinguet caput meum oleum peccatoris. C Quid est oleum peccatoris, nisi blandimenta adulatoris?

Psal. 140. 5.

Prudentium virginum humilitas.

13. *Ite* ergo *ad vendentes*, hoc [a] facere consuestis. Nos autem non vobis damus. Quare? *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Quid est, *non sufficiat?* Non desperatione dictum est, sed sobriâ & piâ humilitate. Quamvis enim bonus habeat bonam conscientiam; unde scit, quemadmodum judicet ille qui [b] à nemine fallitur? Habet bonam conscientiam, non illum titillant crimina in corde D concepta, sed propter quotidiana quædam vitæ humanæ peccata, licèt bona conscientia sit, tamen dicit Deo, Dimitte nobis debita nostra: » quia fecit quod sequitur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Fregit panem esurienti ex corde, vestivit nudum ex corde: de oleo interiore fecit opera bona, & tamen in illo judicio trepidat ipsa bona conscientia.

Matth. 6. 12.

14. Vide quid est, *Date nobis oleum.* Audierunt, *Ite potiùs ad vendentes.* Quia laudibus hu- E manis bene vivere consuestis, vobiscum oleum non portatis: non autem nos damus; *ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Vix enim de nobis judicamus, quantò minùs possumus judicare de vobis? Quid est, Vix de nobis judicamus? Quia cùm » rex justus sederit in throno, quis gloriabitur ca- » stum se habere cor? Fortè tu non invenis aliquid in conscientia tua; & invenit ille qui meliùs videt, cujus acies divina penetrat altiora: videt fortè aliquid, invenit fortè aliquid. Quantò meliùs F illi dicis, Ne intres in judicium cum servo tuo? » Etiam quantò meliùs dicis, Dimitte nobis debita nostra? Quia & dicitur tibi propter illas [c] faces, propter illas lampades: Esurivi, & dedisti mihi manducare. Quid ergo? & illæ non illud fecerunt? Non fecerunt ante illum. Sed quomodo fecerunt? Quomodo prohibet Dominus, qui dixit, Cavete facere justitiam vestram coram ho- » minibus, ut videamini ab eis: alioquin non ha- » bebitis mercedem apud Patrem vestrum, qui in G » cælis est. Et nolite similes esse hypocritis, quan- » do oratis. Amant enim stare in plateis, & orare, » ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis,

Prov. 20. 8. & 9.

Psal. 142. 2.

Matth. 6. 1. &c.

A perceperunt mercedem suam. Emerunt oleum, « pretium dederunt: emerunt, non sunt fraudati laudibus humanis: quæsierunt laudes humanas, habuerunt. Istæ laudes humanæ in die judicii non eos adjuvant. Illæ autem quomodo fecerunt? Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant « bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, « qui in cælis est. Non ait, Vos. Non enim de tuo habes oleum. Jacta te, & dic, habeo: sed ab eo. Quid enim habes, quod non accepisti? Ergo il- B læ sic fecerunt, illæ sic.

SERMO DE SCRIPTURIS.

Matth. 5. 16.

1. Cor. 4. 7.

15. Non est autem mirandum, *cùm eunt emere*, cùm quærunt à quibus laudentur, & non inveniunt; cùm quærunt à quibus consolentur, & non inveniunt; aperta est janua, *venit sponsus* & sponsa, tunc glorificata cum Christo Ecclesia, ut singula membra ad totum se colligant. *Et intraverunt cum eo ad nuptias, & clausum est ostium.* Et illæ fatuæ postea venerunt: sed numquid oleum emerunt, aut à quibus emerent invenerunt? Ideo C januas clausas invenerunt: pulsare cœperunt, sed serò.

Pulsantibus ostium cur non aperitur.

CAPUT X.

16. Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est, Pulsate, & aperietur vobis: sed modò quando tempus est misericordiæ, non quando tempus est judicii. Non enim possunt confundi ista tempora, cùm misericordiam & judicium Domino suo cantet Ecclesia. Tempus est misericordiæ; age pænitentiam. Tempore judicii illam habes agere? Eris in virginibus illis, contra D quas clausum est ostium. *Domine, Domine, aperi nobis.* Numquid non pænitentiam egerunt, quia secum oleum non portaverunt? Et quid illis profuit sera pænitentia, quando eas irridebat vera sapientia? *Clausum est* ergo *ostium.* Et quid illis dictum est? *Non novi vos.* Non illas novit, qui omnia novit? Quid ergo est, *Non novi vos?* Improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia: hoc est autem magnum, & nescit vitia, & [d] judicat vitia. Nescit E faciendo, judicat arguendo. Sic ergo *non novi vos.*

Matth. 7. 7.

Psal. 100. 1.

17. Ierunt, intraverunt quinque prudentes. Quàm multi estis, Fratres mei, in nomine Christi: sint in vobis quinque prudentes, sed nolite quinque homines. Sint in vobis quinque prudentes, ad istam prudentiam quinarii numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando nescimus, veniet. Media nocte veniet, vigilate. Sic clausit Evangelium: *Vigilate, quia nescitis diem neque ho-* F *ram.* Si ergo dormituri sumus, quomodo vigilamus? Corde vigila, fide vigila, spe vigila, caritate vigila, operibus vigila: & quando corpore dormiveris, veniet tempus ut surgas. Cùm autem surrexeris, præpara lampades. Tunc non exstinguantur, tunc interiore conscientiæ oleo vegetentur: tunc sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur, tunc te introducat in domum, ubi numquam dormias, ubi numquam tua lampas possit exstingui. Hodie verò laboramus, & lam- G pades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationesque fluctuant: sed ardeat [e] in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignem potiùs, quàm exstinguat.

Quomodo prudentes quinque virgines imitandæ.

[a] In Colbertino libro, *hoc est, facere consuestis.*
[b] MSS. *qui neminem fallit? Habet conscientiam* &c. omisso *bonam.*
[c] Plerique MSS. *propter illas fatuas.*
[d] Unus è Colbertinis MSS. *& indicat vitia:* sed mox idem codex habet *judicat arguendo.*
[e] Editi, *in rubore.* Veriùs MSS. *in robore.*

Classis I.

*Aliàs 51. de Sanctis.

* SERMO CXIV.

De verbis Evangelii Matth. 25. ubi servus piger qui talentum acceptum noluit erogare damnatur.

DOMINI fratres & coepiscopi mei præsentiâ quidem suâ nos visitare & exhilarare dignati sunt: sed nescio quare nolunt me fessum adjuvare. Hoc ideo Caritati Vestræ dixi ipsis audientibus, ut quodam modo audientia vestra intercedat pro me apud illos, ut quando eos rogo faciant & ipsi sermonem. Erogent quod acceperunt, operari magis quàm excusare dignentur. A me autem fatigato & vix loquente, pauca libenter accipite. Habemus enim & * libellum de beneficiis Dei per sanctum Martyrem datis, pariter libentiùs audiamus. Quid ergo est? quid dicam vobis? Audistis in Evangelio & bonorum servorum meritum, & pœnam malorum. Et malitia tota servi illius reprobati graviterque damnati ista fuit, quia noluit erogare. Servavit integrum quod accepit: sed Dominus ejus lucra quærebat. Avarus est Deus ad salutem nostram. Si sic damnatur qui non erogavit, quid debent exspectare qui perdunt? Nos ergo dispensatores sumus, nos erogamus, vos accipitis. Lucra quærimus: bene vivite. Lucra enim erogationis nostræ ista sunt. Sed etiam ad vos nolite existimare non pertinere erogationem. Non potestis erogare de isto loco superiore, sed potestis ubicumque estis. Ubi reprehenditur Christus, defendite: murmuratoribus respondete, blasphematores corripite, ab eorum vos societate alienate. Sic erogatis, si aliquos lucramini. Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat. Unusquisque ergo in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere episcopatûs officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresim incurrant, ne uxor, ne filius, ne filia, ne ipse servus, quia tanti est emtus. Disciplina Apostolica præposuit dominum servo, & servum subdidit domino: Christus tamen pro ambobus unum pretium dedit. Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantia procurate. Hæc si facitis, erogatis: pigri servi non eritis, damnationem tam detestandam non timebitis.

** V. suprà Serm. 79. & infrà Sermones de S. Stephano. Matth. 25.*

Episcopus unde dictus. Episcopatûs officiū cuique patri-familiâs impositum.

Ephes. 6. 5. & Tit. 2. 9.

SERMO XCV.

De verbis Evangelii Marci 8. ubi miraculum septem panum refertur.

Nunc primùm prodit ex veteri codice Colbertinæ bibliothecæ notato 821. in quo inscribitur, Tractatus sancti Augustini secundùm Marcum de septem panibus. *Hujus Sermonis Fragmentum insigne dederat Florus ad 1. Cor. 13.*

Epulæ in Scripturis sanctis.

1. SCRIPTURAS sanctas exponentes vobis, quasi panes frangimus vobis. Vos esurientes accipite, & saginam laudis corde eructuate: & qui estis divites in epulis, nolite macri esse in operibus & factis bonis. Quod ego erogo vobis, non est meum. Quod manducatis, manduco: unde vivitis, vivo. Commune habemus in cælo cellarium: inde enim venit verbum Dei.

Serm. de Scripturis.

Miraculū septem panum allegoricè. *Marci 8. 6.*

2. Septem panes significant septiformem operationem Spiritus-sancti: quatuor millia hominum, Ecclesiam sub quatuor Evangeliis constitutam: septem sportæ fragmentorum, perfectionem Ecclesiæ. Hoc enim numero sæpissime perfectio figuratur. Unde est enim quod dictum est, Septies in die laudabo te? Numquid errat homo, qui totiens * laudaverit Dominum. Quid est ergo, Septies laudabo, nisi numquam à laude cessabo? Totum enim tempus significat qui dicit, septies. Unde septem dierum volumina sæculo provolvuntur. Quid est ergo, Septies in die laudabo te, nisi quod alio loco dicitur, Semper laus ejus in ore meo? Propter ipsam perfectionem ad septem Ecclesias scribit Johannes. Apocalypsis liber est sancti Johannis Evangelistæ: scribit ad septem Ecclesias. [a] Veraces estote, sportas agnoscite. Non enim fragmenta illa perierunt: sed quia & vos ad Ecclesiam pertinetis, vobis utique profecerunt. Quòd vobis ista expono, Christo ministro: vos cùm tranquillè auditis, discumbitis. Ego corpore sedeo, corde consisto, & sollicitus ministro vobis; ne fortè aliquem vestrûm offendat vasculum, non cibus. Epulas Dei nostis, sæpe audistis, mentes quærunt, non ventres.

*Psal. 118. 164. *f. non laudaverit.*

Psal 33. 2. Apoc. 1. 4.

Mysteria in iis qui saturati sunt de septem panibus.

3. Certè saginata sunt quatuor millia hominum de septem panibus: quid mirabilius? Et tamen parum erat, nisi etiam sportæ septem de fragmentis residuis implerentur. O magna mysteria! operabantur, & opera loquebantur. Facta illa si intelligas, verba sunt. Et vos ad quatuor millia pertinetis, quia sub Evangelio quaternario vivitis. Ad numerum non pertinuerunt pueri & mulieres. Sic enim dictum est, *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, exceptis pueris & mulieribus.* Quasi sine numero essent insensati & effeminati. Tamen manducent & ipsi. Manducent: fortè pueri crescunt, & non erunt pueri: fortè effeminati corriguntur, & castificantur. Manducent: erogamus, impendimus. Qui sint autem isti, Deus inspicit convivium suum, & si se non correxerint, qui novit invitare, novit & separare.

Matth. 15. 38.

Qualis quē ad convivium invitavit.

4. Nostis, Carissimi: recolite Evangelicam parabolam; quia intravit Dominus inspicere recumbentes in quodam convivio suo. Pater-familiâs qui invitaverat, sicut scriptum est, invenit ibi hominem non vestitum vestem nuptialem. Ad nuptias enim invitaverat sponsus ille speciosus formâ præ filiis hominum. Sponsus ille fœdus factus propter sponsam fœdam, ut eam faceret pulcram. Unde fœdus factus est pulcher? Si non probo, blasphemo. Dat mihi pulcritudinis ejus testimonium Propheta dicens, Speciosus formâ præ filiis hominum. Dat mihi deformitatis ejus testimonium alius Propheta dicens, Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem; sed vultus ejus abjectus, deformis positio ejus. O Propheta, qui dixisti, Speciosus formâ præ filiis hominum, contradicitur tibi: alius Propheta procedit contra te, & dicit, Mentiris: Vidimus eum. Quid est quod dicis, Speciosus formâ præ filiis hominum? Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem. Ergo isti Prophetæ duo in angulo pacis discordant? De Christo ambo dixerunt, de lapide an-

Matth. 22. 11. Psal. 44. 3. Isai. 53. 2.

[a] Ita Colbertinum exemplar, sed à secundâ manu: nam antea ferebat, *Voraces estote.* Locus profectò haud integer & illibatus.

Classis I.

gulari ambo dixerunt. In angulo concordant parietes. Si non concordaverunt, non est ædificium, sed ruina. Concordant Prophetæ, non eos dimittamus in rixa. Immo nos eorum pacem cognoscamus: nam illi litigare non norunt. O Propheta, qui dixisti, Speciosus formâ præ filiis hominum, ubi vidisti. Responde, responde, ubi vidisti? Cùm in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Ibi vidi. An tu dubitas eum qui æqualis est Deo, speciosum esse præ filiis hominum? Respondisti: respondeat ille qui dixit, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem. Dixisti: dic ubi vidisti. A verbis ipsius sumit exordium: ubi ille finivit, ibi iste incipit. Ubi ille finivit? Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Ecce ubi vidit speciosum formâ præ filiis hominum: dic tu, ubi vidisti quia non habebat speciem neque decorem. Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. De deformitate ipsius adhuc dicit: Humiliavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce ubi vidi. Concordant ergo ambo pacifici, & pacati sunt ambo. Quid est speciosius Deo? Quid deformius Crucifixo?

Philip. 2. 6.

Discumbēs sine veste nuptiali reprobatus. *Cant. 1. 7.* *Cant. 3. 6.* *Matth. 22. 11. &c.*

5. Iste ergo sponsus speciosus formâ præ filiis hominum, deformis factus ut pulcram faceret sponsam, cui dicitur, O decora inter mulieres: de qua dicitur, Quæ est ista quæ adscendit dealbata, illuminata, non colore mendacii fuscata: invenit ergo iste qui vocavit ad nuptias, hominem non habentem vestem nuptialem, & ait illi, Amice, quid huc intrasti non habens vestem nuptialem. At ille obmutuit. Non enim invenit quod responderet. Et ait pater-familiâs qui intraverat, Ligate illi manus & pedes, & projicite illum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. De tam parva culpa tam magna pœna? Magna enim. Parva dicitur culpa non habere vestem nuptialem: parva, sed non intelligentibus. Quando ille sic succenseret, quando ille sic judicaret, ut propter vestem nuptialem quam non habebat, mitteret eum ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores, ubi esset fletus & stridor dentium, nisi culpa esset valde gravis vestem non habere nuptialem. Dico: quia per me invitati estis, & si vos ille invitavit, per nos invitavit. In convivio estis omnes, habetote vestem nuptialem. Expono quæ est, ut omnes habeatis, & si aliquis me* non audit qui non habet, antè quàm veniat pater-familiâs & convivas suos inspiciat, mutetur in melius, accipiat vestem nuptialem, securus discumbat.

**f. nunc.*

Unus projectus multos figurat. V. suprà Serm. 90. n. 4.

6. Non enim verè, Carissimi, ille qui inde projectus est unum hominem significat: absit. Multi sunt. Et ipse Dominus qui hanc parabolam proposuit, Sponsus ipse convivii convocator & convivarum vivificator, ipse nobis exposuit, quia homo ille non unum hominem significat, sed multos, ibi, in ipso loco, in eadem parabola. Non eo longè, ibi expono, ibi frango & manducandum appono. Ait enim, cùm inde missus esset ille non habens vestem nuptialem in tenebras exteriores: ait ergo, & secutus adjunxit, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Unum hinc

Ibidem 14.

projecisti, & dicis, Multi enim sunt vocati, pauci electi. Sine dubio electi non sunt projecti: & ipsi erant pauci qui discumbentes remanserant; & multi erant in illo uno, quia ille unus unum corpus malorum est, qui non habet vestem nuptialem.

Serm. de Scripturis.

Vestis nuptialis, caritas. *Florus ad 1. Cor. 13.* *a Suprà Serm. 90. n. 5. & seq.*

7. Quid est vestis nuptialis? Quæramus illam in [a] litteris sanctis. Quid est vestis nuptialis? Sine dubio aliquid est quod mali & boni commune non habent: hoc inveniamus, & invenimus vestem nuptialem. In donis Dei quid est, quod commune non habent boni & mali? Quod homines sumus & pecora non sumus, Dei donum est: sed commune hoc cum bonis & malis. Quod nobis lux de cælo oritur, de nube pluviæ descendunt, fontes manant, agri fructificant, dona sunt, sed bonis malisque communia. Intremus ad nuptias, foris alios relinquamus, qui non venerunt vocati. Ipsos convivas, id est Christianos consideremus. Baptismus donum Dei est, habent illum boni & mali. Altaris sacramenta simul accipiunt boni & mali. Prophetavit Saül iniquus, & viro sancto atque justissimo infestus, dum eum persequeretur prophetavit. Numquid dicuntur credere soli boni? Et dæmones credunt, & contremiscunt. Quid facio? Excussi omnia, & ad vestem illam nondum perveni. Involucrum meum explicavi, omnia vel penè omnia consideravi, ad vestem illam nondum perveni. Quodam loco Paulus apostolus adtulit mihi magnum involucrum magnarum rerum; exposuit ante me, & dixi ei, Ostende mihi si fortè hîc illam vestem nuptialem reperisti. Cœpit excutere singula, & dicere, Si linguis hominum loquar & Angelorum, si habeam omnem scientiam, & prophetiam, & omnem fidem, ita ut montes transferam; si distribuero omnia mea pauperibus, & tradam corpus meum ut ardeam. Magnæ vestes: nondum tamen est illa nuptialis. Jam profer nobis nuptialem vestem. Quid nos, Apostole, suspendis? Prophetia fortè Dei donum est, quod non habent boni & mali. Si caritatem, inquit non habeam nihil sum, nihil mihi prodest. Ecce vestis nuptialis: induite vos, ô Convivæ, ut securi discumbatis. Nolite dicere, Ad istam vestem habendam pauperes sumus. Vestite, & vestimini. Hyems est: vestite nudos: nudus est Christus; & quicumque non habetis vestem nuptialem, dabit illam. Ad illum currite, ipsum rogate: novit sanctificare fideles suos, novit vestire nudos suos. Ut possitis vestem habentes nuptialem non timere tenebras exteriores, vincula membrorum & manuum & pedum; non deficiant opera. Si deficiunt, ligatis manibus quid facturus est? ligatis pedibus quò fugiturus est? Illam teneatis vestem nuptialem, induimini ipsam, & securi discumbite, quando venit inspicere. Dies judicii aderit: magnum spatium modò largitur, qui nudus erat aliquando vestiatur.

Jacobi 2. 19.

1. Cor. 13. &c.

[a] Sic in Flori collectione. At in Colbertino codice, *in vestibus sanctis*.

Classis I.

* SERMO XCVI.

* Aliàs de Diversis 47.

De verbis Evangelii Marci 8. Si quis vult me sequi, abneget semetipsum *&c. deque verbis* 1. *Iohan.* 2. Qui diligit mundum, non est dilectio Patris in eo.

Caput I. Marci 8. 34. Caritate fiunt præcepta levia.

1. DURUM videtur & grave quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget se ipsum. Sed NON EST DURUM NEC GRAVE quod ille impe- B rat, qui adjuvat ut fiat quod imperat. Nam & illud verum est quod ei dicitur in Psalmo, Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. (Psal. 16. 4.) Et illud verum est quod ipse dixit, Jugum meum lene est, & onus meum leve est. (Matth. 11. 30.) Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lene, caritas facit. Novimus quanta ipse amor faciat. Plerumque etiam ipse amor reprobus atque lascivus est: quanta homines dura perpessi sunt, quanta indigna & intolerabilia pertulerunt, ut C pervenirent ad id quod amaverunt? sive sit amator pecuniæ, qui vocatur avarus; sive sit honoris amator, qui vocatur ambitiosus; sive sit corporum pulcrorum amator, qui vocatur lascivus. Et quis posset enumerare omnes amores? Considerate tamen, quantum laborent omnes amatores, nec sentiunt quòd laborant: & tunc ab eis plus laboratur, quando à labore quisque prohibetur. Cùm ergo tales sint homines plures, quales sunt amores, nihilque aliud curæ esse debeat quomo- D do vivatur, nisi ut quod amandum est eligatur: quid miraris, si ille qui diligit Christum, & qui vult sequi Christum, amando negat se ipsum? Si enim perit homo amando se, profectò invenitur negando se.

Caput II. Amor sui, prima hominis perditio.

2. Prima hominis perditio, fuit amor sui. Si enim se non amaret, & Deum sibi præponeret, Deo esse semper subditus vellet: non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Hoc E est enim amare se, velle facere voluntatem suam. Præpone his voluntatem Dei: disce amare te, non amando te. Nam ut sciatis vitium esse se amare, sic Apostolus dicit: Erunt enim homines se ipsos amantes. (2. Tim. 3. 2.) Et numquid qui amat se,[a] fidit in se? Incipit enim deserto Deo amare se, & ad ea diligenda quæ sunt extra se, pellitur à se: usque adeo ut cùm dixisset idem Apostolus, Erunt homines se ipsos amantes, continuò subjiceret, amatores pecuniæ. Jam vides quia foris es. Amare te F cœpisti: sta in te, si potes. Quid is foras? Numquid pecuniâ dives factus es amator pecuniæ? Cœpisti diligere quod est extra te, perdidisti te. Cùm ergo pergit amor hominis etiam à se ipso ad ea quæ foris sunt, incipit cùm vanis evanescere, & vires suas quodam modo prodigus erogare. Exinanitur, effunditur, inops redditur, porcos pascit: & laborans in pastione porcorum, aliquando recordatur & dicit, Quanti mercenarii patris mei panem manducant, & ego fame hîc pe- G reo? (Luc. 15. 17.) Sed hoc quando dicit, quid narratum est de ipso filio, qui omnia effudit in meretricibus, qui habere voluit in potestate quæ bene illi apud patrem servabantur; habere illa voluit in arbitrio suo, effudit ea, factus est inops: quid de illo dicitur? Et reversus ad semetipsum. Si reversus

A est ad se, exierat à se. Quia ceciderat à se, & exierat à se, redit priùs ad se, ut redeat in illo unde ceciderat à se. (Serm. de Scripturis.) Sicut enim cadendo à se, remansit in se: sic redeundo ad se, non debet remanere in se, ne iterum exeat à se. Reversus ad semetipsum, ut non remaneret in semetipso, quid dixit? Surgam, & ibo ad patrem meum. (Ibidem 18.) Ecce unde ceciderat à se, ceciderat à patre suo: ceciderat à se, ad ea quæ foris sunt exiit à se. Redit ad se, & pergit ad patrem, ubi tutissimè servet se. Si ergo exierat à se, & à quo exierat, redeundo ad se, ut eat ad patrem, neget se. Quid est, neget se? Non præsumat de se, sentiat se hominem, & respiciat dictum propheticum, Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. (Jerem. 17. 5.) Subducat se sibi, sed non deorsum versùs. Subducat se sibi, ut hæreat Deo. Quidquid boni habet, illi tribuat à quo factus est: quidquid mali habet, ipse sibi fecit. Deus quod in illo malum est, non fecit: perdat quod fecit, qui inde defecit. *Abneget*, inquit, *se, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Caput III. Quò sequendus Christus, & qua via.

3. Quò sequendus est Dominus? Quò iit, novimus: eamdem sollemnitatem ante dies paucissimos celebravimus. Resurrexit enim, & adscendit in cælum: illò sequendus est. Planè desperandum non est, quia ipse promisit, non quia homo aliquid potest. Longè à nobis erat cælum antè quàm caput nostrum iisset in cælum. Jam quare desperemus, si membra illius capitis sumus? Illò ergo sequendus est. Et quis nolit eum sequi ad talem sedem? Maximè quia multùm timoribus & doloribus laboratur in terra. Quis nolit illò sequi Christum, ubi summa est felicitas, summa pax, perpetua securitas? Bonum est illò eum sequi: sed videndum est quà. Etenim verba ista Dominus Jesus non tunc dicebat, quando à mortuis jam resurrexerat. Nondum erat passus, venturus erat ad crucem, venturus ad exhonorationem, ad contumelias, ad flagella, ad spinas, ad vulnera, ad insultationes, opprobria, mortem. Quasi exasperata est via: pigrum te facit: non vis sequi. Sequere. Asperatum est quod sibi homo fecit, sed contritum est quod Christus redeundo calcavit. Nam quis non velit ire ad exaltationem? Omnes delectat celsitudo: sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non adscendere. A gradu incipe, & adscendisti. Istum gradum humilitatis nolebant adtendere duo illi discipuli, qui dicebant, Domine, jube ut unus nostrûm in regno tuo sedeat ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam. (Marci 10. 37.) Sublimitatem quærebant, gradum non videbant. Dominus autem ostendit gradum. Quid enim respondit? Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Qui quæritis apicem sublimitatis, potestis bibere calicem humilitatis? Ideo non utcumque ait, *Abneget seipsum, & sequatur me*: sed addidit, *Tollat crucem suam, & sequatur me.*

Caput IV. Ferenda crux & contemnendus mundus.

4. Quid est, *Tollat crucem suam*? Ferat quidquid molestum est: sic me sequatur. Cùm enim cœperit me moribus & præceptis meis sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi. Cum Christo ambulabant, qui cæcos clamare prohibebant.

Sive

[a] Germanensis vetus codex, *fiditat*: fortè pro *fiditur*.

CLASSIS I.

Sive ergo minas, sive blandimenta, sive quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in crucem verte; tolera, porta, noli succumbere. Videntur his verbis Domini exhortata martyria. Si persecutio est, nonne pro Christo debent cuncta contemni? Amatur mundus: sed præponatur à quo factus est mundus. Magnus est mundus: sed major est à quo factus est mundus. Pulcher est mundus: sed pulcrior est à quo factus est mundus. Blandus est mundus: sed suavior est à quo factus est mundus. Malus est mundus: & bonus est à quo factus est mundus. Quomodo potero absolvere & explicare quod dixi? Adjuvet Deus. Quid enim dixi? quid laudastis? Ecce quæstio est, & tamen jam laudastis. Quomodo malus est mundus, si bonus est à quo factus est mundus? Nonne Deus fecit omnia, & ecce bona valde? Nonne per singula testatur Scriptura, quòd bona fecerit Deus, dicendo, Et vidit Deus quia bonum est? Et universa in fine ita conclusit quemadmodum fecit Deus omnia, & ecce bona valde.

Gen. 1.

CAPUT V. Mundus quomodo malus, & à Deo bonus factus. *Johan. 1. 10.*

5. Quomodo ergo malus est mundus, & bonus est à quo factus est mundus? quomodo? Quoniam mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. Mundus per eum factus est, cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt: mundus eum non cognovit, amatores mundi; amatores mundi, & contemtores Dei: iste mundus eum non cognovit. Sic ergo malus est mundus, quia mali sunt qui Deo præferunt mundum. Et bonus est qui fecit mundum, cælum & terram & mare, & ipsos qui amant mundum. Solum enim quòd amant mundum & non amant Deum, in illis non ipse fecit. Ipsos autem, quod ad naturam pertinet, ipse fecit: quod ad culpam pertinet, non ipse fecit. Hoc est quod paulò antè dixi, Deleat homo quod fecit, & placebit ei qui eum fecit.

Mundus bonus ex malo factus.

6. Nam est & mundus bonus in ipsis hominibus; sed ex malo factus. Totum enim mundum, si homines ponas mundum, excepto quòd dicimus mundum cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt; si homines dicas mundum, totum mundum malum fecit, qui primò peccavit. Omnis massa in radice vitiata est. * Bonum hominem fecit Deus: sic habet Scriptura, Fecit Deus hominem rectum, & ipsi homines adinvenerunt cogitationes multas. A multis curre ad unum, dispersa collige in unum: conflue, munitus esto, mane apud unum: noli ire in multa. Ibi est beatitudo. Sed defluximus, in perditionem perreximus: omnes cum peccato nati sumus, & ad id quod nati sumus, malè vivendo & nos addidimus, & totus mundus factus est malus. Christus autem venit, & elegit quod fecit, non quod invenit: nam omnes malos invenit, & gratiâ suâ bonos fecit. Et factus est alter mundus; & mundum persequitur mundus.

*CAPUT VI. *Eccle. 7. 30.*

Mundus persequens mundum. *1. Johan. 2. 15. &c.*

7. Quis est mundus qui persequitur? De quo nobis dicitur, Nolite diligere mundum, & ea quæ in mundo sunt. Quisquis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo. Quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem perficit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum. Ecce ambos mundos dixi, & persequentem; & quem persequitur. Quis est mundus persequens? Omnia quæ in mundo sunt; concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre, sed ex mundo est: & mundus transit. Ecce iste est mundus persequens. * Quis est mundus quem persequitur? Quisquis fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum.

SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT VII.

Mundus in Scripturis duplex, redemtus & damnatus.

8. Sed ecce, ille qui persequitur; mundus vocatur: probemus, si & ille qui persecutionem patitur, mundus vocatur. An verò surdus es adversùs vocem Christi dicentis, vel potiùs Scripturæ sanctæ adtestantis, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? Si odit vos mundus, ait, scitote quia me priùs odio habuit. Ecce odit mundus. Quem, nisi mundum? Quem mundum? Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Persequitur mundus damnatus: persecutionem patitur mundus reconciliatus. Mundus damnatus, quidquid præter Ecclesiam: mundus reconciliatus, Ecclesia. Non enim venit Filius hominis, ait, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

2. Cor. 5. 19. *Johan. 15. 18.* *Johan. 3. 17.*

Omnibus jussum est ut se abnegent. *Rom. 8. 24.*

9. Sed in hoc mundo sancto, bono, reconciliato, salvato; immo salvando, nunc autem spe salvato, Spe enim salvi facti sumus: in hoc ergo mundo, hoc est Ecclesia, quæ tota sequitur Christum, universaliter dixit, *Qui vult me sequi, abneget semetipsum.* Non enim hoc virgines debent audire, & maritatæ non debent; aut viduæ debent, & nuptæ non debent: aut monachi debent, & conjugati non debent; aut clerici debent, & laïci non debent: sed universa Ecclesia, universum corpus, cuncta membra per officia propria distincta & distributa, sequantur Christum. Tota sequatur ipsa unica, sequatur columba, sequatur sponsa, sequatur redemta & dotata sanguine sponsi. Habet ibi locum suum integritas virginalis; habet ibi locum suum continentia vidualis; habet ibi locum suum pudicitia conjugalis: non ibi habet locum suum adulterium; non ibi habet locum suum illicita & punienda lascivia. Ista autem membra quæ habent ibi locum suum in genere suo, & in loco suo, & in suo modo, sequantur Christum; abnegent se, id est non præsumant de se; tollant crucem suam, id est, tolerent in mundo pro Christo quidquid intulerit mundus. Ament eum, qui solus non decipit, qui solus non fallitur, solus non fallit: ament eum, quia verum est quod promittit. * Sed quia non modò dat, titubat fides. Dura, persevera, tolera, porta dilationem, & tulisti crucem.

*CAPUT VIII.

Varii gradus sequentium Christum, quive in illis fit retrò respicere.

10. Non dicat virgo, Sola ibi ero. Non enim sola ibi erit Maria, sed erit ibi & Anna vidua. Non dicat nupta, Vidua ibi erit, non ego. Non enim erit ibi Anna, & non ibi erit Susanna. Sed planè inde se probent qui ibi futuri sunt, ut qui habent hîc inferiorem locum, non invideant, sed diligant in aliis meliorem locum. Etenim, verbi gratiâ, Fratres mei, ut advertatis: conjugalem vitam quisque elegit, continentem vitam quisque elegit; si ille qui elegit vitam conjugalem, concupiverit adulteria, retrò respexit; illud concupivit, quod illicitum est. Qui verò à continentia ad nuptias postea redire voluerit, retrò respexit: licitum elegit, & retrò respexit.

Classis I.

Ergo damnandæ sunt nuptiæ? Non. Non sunt damnandæ nuptiæ: sed ille qui eas elegit, quò accesserat vide. Jam antè ierat. Quando vivebat lascivè adolescens, nuptiæ ante illum erant; ad eas se tendebat: cùm verò elegit continentiam, nuptiæ post illum sunt. Memores estote, ait Dominus, uxoris Lot. (*Luca* 17. 32.) Uxor Lot retrò respiciendo remansit. Quisque ergo quò potuit pervenire, inde timeat retrò respicere: & ambulet in via, sequatur Christum: quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem intus sequatur ad palmam vocationis Dei in Christo Jesu. (*Philip.* 3. 13.) Conjugati præponant sibi innuptos; fateantur eos esse meliores: in eis diligant quod ipsi non habent; & in illis Christum ament.

* SERMO XCVII.

** Aliàs 21. de verbis Domini.*

De verbis Evangelii Marci 13. [a] De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.

Caput I. Præparatio ad novissimum diem.

1. Fratres, quod audistis modò monentem Scripturam atque dicentem, ut propter diem novissimum vigilemus, unusquisque de novissimo suo die cogitet: ne fortè cùm senseritis vel putaveritis longè esse novissimum sæculi diem, dormitetis ad novissimum vestrum diem. De die novissimo sæculi hujus audistis quid dixerit: *Quia nesciunt eum, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater.* (*Marci* 13. 2.) Ubi quidem magna quæstio est, ne carnaliter sapientes putemus aliquid Patrem scire, quod nesciat Filius. Nam utique cùm dixit, *Pater scit*: ideo hoc dixit, quia in Patre & Filius scit. Quid enim est in die, quod non in Verbo factum est, per quem factus est dies? Nemo ergo quærat novissimum diem, quando futurus sit: sed vigilemus omnes bene vivendo, ne novissima dies cujuscumque nostrûm nos inveniat imparatos, & qualis quisque hinc exierit suo novissimo die, talis inveniatur in novissimo sæculi die. Nihil te adjuvabit quod hîc non feceris. Unumquemque opera sua juvabunt, aut opera sua pressura sunt.

Caput II. Homini mortalitas ad humilitatem prodesse debet.

2. Et quomodo in Psalmo cantavimus Domino, Miserere mei Domine, quoniam conculcavit me homo? (*Psal.* 55. 2.) Homo dicitur, qui secundùm hominem vivit. Denique illis qui secundùm Deum vivunt, dicitur: Dii estis, & filii Excelsi omnes. (*Psal.* 81. 6.) Reprobis autem, qui vocati sunt ut essent filii Dei, & esse potiùs homines voluerunt, id est, secundùm hominem vivere: Vos autem, inquit, sicut homines moriemini, & sicut unus ex principibus cadetis. (*Ibidem* 7.) Etenim quòd mortalis est homo, ad disciplinam illi debet valere, non ad jactantiam. Unde se jactat vermis crastino moriturus? Dico Caritati Vestræ, Fratres: de diabolo debent erubescere mortales superbi. Ille enim etsi superbus, tamen immortalis [b] est: spiritus est, etsi malignus. Illi dies novissimus pœnalis servatur in finem: tamen mortem quam nos patimur, ille non patitur. Audivit autem homo, Morte morieris. (*Gen.* 2. 17.) Utatur bene pœnâ suâ. Quid est quod dixi, Utatur bene pœnâ suâ. Non inde eat ad superbiam, unde accepit pœnam; agnoscat se mortalem, & frangat elationem. Audiat sibi dici, Quid superbit terra & cinis? (*Eccli.* 10. 9.) Etiamsi superbit diabolus, non est terra & cinis. Ideo dictum est, Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. (*Psal.* 81. 7.) Non attenditis, quia mortales estis, & sicut diabolus superbi estis. Utatur ergo homo pœnâ suâ, Fratres: bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo. Quis nescit, quia pœna est, necesse esse ut moriamur; & quod est gravius, quando nescimus? Pœna certa est, hora incerta: & de ista pœna sola certi sumus in rebus humanis.

Caput III. Sola mors hìc certa.

3. Cetera nostra & bona & mala incerta sunt: sola mors certa est. Quid est quod dico? Conceptus est puer, fortè nascitur, fortè abortum facit. Ita incertum est: Fortè crescit, fortè non crescit: fortè senescit, fortè non senescit: fortè dives erit, fortè pauper: fortè honoratus, fortè humiliatus: fortè habebit filios, fortè non habebit: fortè ducet uxorem, fortè non ducet: & quidquid aliud nominaveris in bonis. Respice & ad mala: Fortè ægrotat, fortè non ægrotat: fortè à serpente percutitur, fortè non percutitur: fortè à bestia devoratur, fortè non devoratur. Et respice omnia mala: ubique est, Fortè erit, fortè non erit. Numquid potes dicere, Fortè moritur, fortè non moritur? Quomodo medici quando inspexerint valetudinem, & mortiferam esse cognoverint, hoc pronuntiant: Moritur, inde non evadit. Ex quo nascitur homo, dicendum est, Non evadit. Quando natus est, ægrotare cœpit. Quando mortuus fuerit, finit quidem ægritudinem: sed nescit utrùm pergat in pejorem. Finierat dives ille ægritudinem deliciosam, venit ad [c] tortuosam. (*Luca* 16. 22.) Pauper verò ille finiit ægritudinem, & pervenit ad sanitatem. Sed quod postea haberet hîc elegit; & quod ibi messuit, hîc seminavit. Ideo cùm vivimus, vigilare debemus, & eligere debemus quod in futuro teneamus.

Caput IV. Mundus per Christum victus.

4. Mundum non amemus. Premit amatores suos, non eos ad bonum adducit. Laborandum est in eo potiùs ne capiat, quàm timendum ne cadat. Ecce cadit mundus: stat Christianus; quia non cadit Christus. Nam quare dicit Dominus, Gaudete, quia ego vici mundum? (*Johan.* 16. 33.) Respondeamus ei, si placet: Gaude, sed tu. Si tu vicisti, tu gaude. Quare nos? Quare nobis dicit, Gaudete: nisi quia nobis vicit, nobis pugnavit? Ubi enim pugnavit? Quia hominem suscepit. Tolle quòd de virgine natus, tolle quòd semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: (*Philip.* 2. 7.) tolle hoc, ubi luctamen? ubi certamen? ubi tentatio? ubi victoria, quam non præcessit pugna? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. (*Johan.* 1. 1.) Numquid hoc Verbum Judæus crucifigeret? Numquid huic Verbo impius insultaret? Numquid hoc Verbum colaphis cæderetur? Numquid hoc Verbum spinis coronaretur? Ut autem ista pateretur, Verbum caro factum est: & ista passus resurgendo vicit. Ergo nobis vicit, quibus securitatem resurrectionis ostendit. Dicis ergo Deo, Miserere mei Domine, quoniam conculcavit me homo. (*Psal.* 55.) Tu te noli conculcare, & non te vincit homo. Ecce enim

[a] Possidius Sermones recensens in Indiculo cap. 8. titulum notat, *De novissimo die.*

[b] MSS. *tamen immortalis spiritus est, etsi malignus: illi dies &c.*

[c] Colbertinus MS. *ad mortuosam.* Fortè leg. *ad tormentuosam.*

Classis I.

homo potens terret te. Unde te terret? Spolio, damno, torqueo, occido. Et clamas tu, Miserere mei Domine, quoniam conculcavit me homo. Si verum dicis, te ipsum adtendis: quia times minas hominis, mortuus te conculcat: & quia non timeres, nisi esses homo, conculcat te homo. Quod est ergo remedium? O homo, hære Deo, à quo factus es homo: illi adhære, in ipso præsume, ipsum invoca, virtus tua ipse sit. Dic illi, In te, Domine, virtus mea. Et à comminationibus hominum cantabis; & quod postea cantes, (Ibidem 11.) ipse Dominus dicit, In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo.

(*Aliàs 44. de verbis Domini. a)

* SERMO XCVIII.

De verbis Evangelii Lucæ 7. & de [a] tribus mortuis, quos Dominus suscitavit.

(Caput I. Miracula Domini in corporibus & in animis.)

I. MIRACULA Domini nostri & Salvatoris Christi Jesu, omnes quidem audientes & credentes movent: sed alios atque alios aliter & aliter. Quidam enim corporalia ejus miracula stupentes, majora intueri non norunt: quidam verò ea quæ gesta audiunt in corporibus, nunc ampliùs in animis admirantur. (Johan. 5. 21.) Dicit ipse Dominus, Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius quos vult, vivificat. Non utique alios Filius, alios Pater; sed eosdem Pater & Filius: quia omnia Pater per Filium. Nemo ergo dubitet qui Christianus est, etiam nunc mortuos suscitari. Sed omnis homo habet oculos, quibus videre potest mortuos resurgere ita, ut resurrexit filius hujus viduæ, (Lucæ 7. 12.) qui modò ex Evangelio recitatus est: unde autem videant homines resurgere mortuos in corde, non omnes habent, nisi qui jam resurrexerunt in corde. Amplius est resuscitare semper victurum, quàm suscitare iterum moriturum.

(Caput II. Mortuorū duo genera.)

2. De juvene illo resuscitato gavisa est mater vidua: de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. Illius mors visibilis visibiliter plangebatur: illorum mors invisibilis [b] nec quærebatur, nec videbatur. Quæsivit ille qui noverat mortuos: ille solus noverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos Dominus venisset, non Apostolus diceret, (Florus ad Ephes. 5. 14.) Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Dormientem audis, cùm dicit, Surge qui dormis: sed mortuum intellige, cùm audis, Et exsurge à mortuis. Dicti sunt sæpe dormientes & mortui visibiliter. Et planè omnes, ei qui potest excitare, dormiunt. Mortuus enim tibi mortuus est, qui quantumlibet pulses, quantumlibet vellices, quantumlibet lanies, non expergiscitur. Christo autem ille dormiebat, cui dictum est, (Lucæ 7. 14.) *Surge*: & continuò surrexit. Nemo tam facilè excitat in lecto, quàm facilè Christus in sepulcro.

(Caput III. Tres mortui à Domino suscitati.)

3. Tres autem mortuos invenimus à Domino resuscitatos visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? (Johan. 21. 25.) Non enim omnia quæ fecit scripta sunt: Johannes hoc dicit, Multa alia fecit Jesus, quæ si A scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere. Multi ergo sunt alii sine dubio suscitati: sed non frustra tres commemorati. Dominus enim noster Jesus Christus ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi. Neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat: sed ut illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum qui videt litteras in codice optimè scripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulcritudinem; B sed quid sibi velint, quid indicent illi apices nescit; & est oculis laudator, mente non cognitor: alius autem & laudat artificium, & capit intellectum; ille utique qui non solùm videre quod commune est omnibus potest, sed etiam legere; quod qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodam modo innuerent, mirati sunt tantùm quia facta sunt: alii verò & facta mirati, & intellecta assecuti. C Tales nos in schola Christi esse debemus. Qui enim dicit Christum propterea tantùm fecisse miracula, ut non essent nisi miracula, potest illum dicere etiam nescire quòd non esset tempus pomorum, quando ficus quæsivit in arbore. Non enim erat illius pomi tempus, sicut Evangelista testatur: & tamen esuriens poma quæsivit in arbore. (Marci 11. 13.) Christus nesciebat, quod rusticus sciebat? Quod noverat arboris cultor, non noverat arboris creator? D Cùm ergo esuriens poma quæsivit in arbore, significavit se aliquid esurire, & aliquid aliud quærere: & arborem illam sine fructu foliis plenam reperit, & maledixit; & aruit. Quid arbor fecerat fructum non afferendo? Quæ culpa arboris infecunditas? Sed sunt qui fructum voluntate dare non possunt. Illorum est culpa sterilitas, quorum fecunditas est voluntas. Erant ergo Judæi habentes verba Legis & facta non habentes, pleni foliis & fructus non ferentes. E Hoc dixi, ut persuaderem Dominum nostrum Jesum Christum ideo miracula fecisse, ut aliquid illis miraculis significaret, ut excepto eo quòd mira & magna & divina erant, aliquid inde etiam disceremus.

(Serm. de Scripturis. — Miracula Christi propter significationem facta. — Apta similitudo.)

(Caput IV. Triū mortuorum suscitatio.)

4. Videamus ergo quid nos discere voluit in tribus mortuis, quos suscitavit. Resuscitavit filiam mortuam Archisynagogi, ad quam ægrotantem petebatur, ut eam de ægritudine liberaret. Et cùm pergit, mortua nuntiatur; & quasi jam frustra fatigaretur, renuntiatum est patri ejus, F Puella mortua est, quid adhuc fatigas magistrum? (Marci 5. 35.) Ille autem perrexit, & ait patri puellæ: Noli timere, tantummodo crede. Venit ad domum, & invenit jam obsequia funeri debita præparata, & dicit illis, Nolite flere: non enim est mortua puella, sed dormit. Verum dixit: dormiebat, sed illi à quo poterat excitari. Hanc excitans, reddidit vivam parentibus. Excitavit & hunc juvenem viduæ filium, (Lucæ 7. 12.) de quo nunc admoniti sumus, ut hinc ista quæ ipse largiri dignatur, cum Vestra Caritate loqueremur. G Modò audistis quomodo excitatus est. Appropinquabat Dominus civitati: & ecce efferebatur mortuus jam extra portam. Misericordiâ commotus, quòd flebat mater vidua & destituta unico filio, fecit quod audistis, dicens, *Adolescens tibi dico, surge.* (℣. 14.) Surrexit ille mortuus, cœpit lo-

[a] Recensetur à Possidio in Indiculo cap. 9. & citatur à Floro ad Ephes. 5.

[b] Omnes MSS. *illorum mors invisibilis alibi nec quærebatur.*

Classis I.

qui: & reddidit illum matri suæ. Excitavit & Lazarum de sepulcro. Et ibi cùm ægrotantem scirent discipuli cum quibus loquebatur, (diligebat autem illum,) Lazarus, inquit, amicus noster dormit. Illi putantes ægri somnum salubrem: Si dormit, inquiunt, Domine, salvus est. Et ille, Dico vobis, apertiùs jam loquens, Lazarus amicus noster mortuus est. Utrumque verum dicens: Mortuus est vobis, dormit mihi.

Johan. 11. 11. &c.

Caput V. Tria peccatorum genera, tribus illis mortuis figurata.

5. Ista tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum, quos hodieque suscitat Christus. Illa enim mortua filia Archisynagogi intus erat in domo, nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulcro, parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum jam elatum, nondum sepultum. Tertium restabat, ut & sepultum suscitaret: & hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo qui peccatum intus in corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est aliquâ concupiscentiâ. Dicit enim ipse Dominus, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Nondum accessit corpore, consensit in corde: mortuum intus habet, nondum extulit. Et ut fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente, Surge: condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem atque justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus intra latebras conscientiæ, tamquam intra domesticos parietes. Alii post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid jam isti, qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne & illi juveni dictum est, *Tibi dico, surge?* Nonne & ille redditus est matri suæ? Sic ergo & qui jam fecerit, si fortè commonitus & commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus redditur. Potuit [a] progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum: irascuntur cùm reprehenduntur; in tantum ut Sodomitæ quondam dicerent viro justo reprehendenti nequissimam voluntatem, Habitare venisti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potiùs reprehenderetur quàm factor. Tales consuetudine maligna pressi, tamquam sepulti sunt. Sed quid dicam, Fratres? Ita sepulti, ut de Lazaro dictum est, Jam putet. Moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis [b] dura consuetudinis, qua premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur.

Matth. 5. 28.

a

Consuetudo mala.

Gen. 19. 9.

b

6. Dictum est autem, Quatriduanus est. * Re vera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertium factum,

*Caput VI. Quatuor in peccatis progressus.

A quarta consuetudo. Sunt enim qui res illicitas obvias cogitationibus suis prorsus ita abjiciunt, ut nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non consentiunt: nondum perfecta mors est, sed quodam modo inchoata. Delectationi accedit consensio: jam est illa damnatio. Post consensionem in factum proceditur: factum in consuetudinem vertitur: & fit quædam desperatio, ut dicatur, Quatriduanus est, jam putet. Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia; & B difficultatem quamdam ostendit ibi. Infremuit spiritu, ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim & de mala consuetudine Dominus quatriduanos mortuos: nam & ipse quatriduanus Christo volenti resuscitare dormiebat. Sed quid ait? Videte genus resuscitationis. Processit de monumento C vivus, & ambulare non poterat. Et Dominus ad discipulos: Solvite eum, & finite abire. Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum. [c] Aliquid pertinere videte ad propriam majestatem Dei suscitantis. Increpatur aliquis in mala consuetudine positus, verbo veritatis. Quàm multi increpantur & non audiunt! Quis ergo agit intus cum illo qui audit? Quis vitam inspirat intrinsecùs? Quis est qui secretam pellit mortem, secretam dat vitam? Nonne post objurgationes, post increpa-D tiones dimittuntur hominess cogitationibus suis, & incipiunt secum volvere quàm malam vitam gerant, quàm pessima consuetudine premantur? Deinde displicentes sibi, mutare vitam instituunt. Resurrexerunt isti; revixerunt quibus displicet quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo ut qui revixit, solvatur, & ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait, Quæ solveritis in terra, soluta sunt & in E cælo.

Serm. de Scripturis.

Johan. 11. 44. c

Matth. 18. 18.

7. Hæc ergo, Carissimi, sic audiamus, ut qui vivunt, vivant; qui mortui sunt, reviviscant. Sive adhuc peccatum in corde conceptum est, & non processit in factum: pæniteat, corrigatur cogitatio, surgat mortuus intra domum conscientiæ. Sive jam quod cogitavit admisit; nec sic desperetur. Non surrexit mortuus intus, surgat elatus. Pæniteat facti, de proximo reviviscat: non eat in profundum sepulturæ, non accipiat de super con-F suetudinis molem. Sed fortè jam illi loquor, qui jam duro sui moris lapide premitur, qui jam urgetur consuetudinis pondere, qui jam quatriduanus putet. Nec ipse desperet: profundus mortuus est, sed altus est Christus. Novit clamando terrena onera rumpere, novit intrinsecùs per se ipsum vivificare, solvendum discipulis tradere. Agant etiam tales pænitentiam. Neque enim Lazaro resuscitato post quatriduum ullus putor in vivente remanserat. Ergo qui vivunt, vivant: G quicumque autem mortui sunt, in quacumque harum trium morte se invenerint, agant ut celeriter jam resurgant.

Caput VII. Resurgendum celeriter à peccato.

[a] Lov. *ad tempus progredi.* At ceteri editi & MSS. non habent *ad tempus*: cujus loco subintelligendum est, *in factum.*
[b] Sic Er. & MSS. At Lov. *vis diræ consuetudinis.*

[c] Lov. *Ad quid pertineat videte, ad proprium majestatis &c.* At Am. & Er. *Aliquid pertinere videte.* Et mox MSS. *ad propriam majestatem &c.*

CLASSIS I.

* Aliàs 13. ex homiliis 50.

* SERMO XCIX.

De verbis Evangelii Lucæ 7. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix *&c. De remissione peccatorum, contra Donatistas.*

CAPUT I. Mulier peccatrix ad pedes Domini recumbentis.

1. QUOD admonemur Domini eloquiis de divinis lectionibus, hinc credentes Deum velle nos loqui, proferimus Caritati Vestræ, illo adjuvante, Sermonem de remissione peccatorum. Evangelium enim cùm legeretur, adtentissimè audistis, & res gesta narrata atque versata est ante oculos cordis vestri. Vidistis enim, non carne, sed mente, Dominum Jesum Christum in domo Pharisæi recumbentem, & ab illo invitatum non fastidientem. (Lucæ 9. 36.) Vidistis etiam mulierem in civitate famosam, malâ utique famâ, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat, & quæsisse piâ impudentiâ sanitatem. Irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio: (noverat enim quanto morbo laboraret, & illi sanando idoneum esse ad quem venerat, sciebat:) accessit ergo, non ad caput Domini, sed ad pedes: & quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat. Priùs fudit lacrymas, sanguinem cordis; & lavit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis suis tersit, osculata est, unxit: tacita loquebatur; non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat.

CAPUT II. Pharisæi superbi cogitatio.

2. Quia ergo tetigit Dominum, rigando, osculando, tergendo, unguendo pedes ejus: Pharisæus qui invitaverat Dominum Jesum Christum, quia ex illo genere erat hominum superborum, de quibus Isaias propheta dicit, Qui dicunt, Longè recede à me, noli me tangere, quoniam mundus sum: (Isai. 65. 5.) putavit Dominum nescisse mulierem. Hoc apud se cogitabat, & dicebat in corde suo, *Hic si esset propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes.* Ideo eum nescire credidit, quia illam non repulit, quia accedentem non prohibuit, quia tangi se à peccatrice permisit. Nam illum nescisse, unde sciebat? Quid enim si sciebat, ô Pharisæe, invitator & irrisor Domini? Dominum pascis, & à quo pascendus sis, non intelligis. Unde scis, nescisse Dominum quæ fuerat illa mulier, nisi quia permissa est accedere, nisi quia illo patiente osculata est pedes ejus, nisi quia tersit, nisi quia unxit? Hæc enim non debuit permitti facere in pedibus mundis mulier immunda? Ad illius ergo Pharisæi pedes si talis mulier accessisset, dicturus erat quod
» Isaias de talibus dicit: Recede à me, noli me
» tangere, quoniam mundus sum. Accessit autem ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana: accessit confessa, ut rediret professa.

Dominus Pharisæi cogitationem castigat.

3. Audivit enim Dominus Pharisæum cogitantem. Jam hinc intelligat Pharisæus, si non poterat videre peccantem, qui potuit audire cogitantem. * Proposuit ergo homini similitudinem de duobus, qui debebant uni fœneratori. Etiam ipsum enim sanare cupiebat, ne gratìs apud eum panem comederet: ipsum pascentem esuriebat, ipsum emendare, ipsum mactare, ipsum manducare, ipsum in suum corpus trajicere volebat: sicut & illi mulieri Samaritanæ dixit, Sitio. (Johan. 4. 7.) Quid est, Sitio? Desidero fidem tuam.

* CAPUT III.

SERM. DE SCRIPTURIS.

A Dicuntur ergo verba Domini in hac similitudine; & agitur utrumque, ut & invitator ille sanetur cum suis condiscumbentibus, Dominum Jesum Christum pariter videntibus, pariter ignorantibus, & ut illa mulier habeat fiduciam confessionis suæ, nec pungatur ulteriùs aculeis conscientiæ suæ. *Debebat unus*, inquit, *quinquaginta denarios, alius quingentos; donavit ambobus: quis eum plus dilexit?* (Lucæ 7. 41. &c.) Respondit cui similitudo proposita erat, quod respondere utique ratio com- B pellebat. *Credo*, Domine, *cui plus donavit.* Et adtendens ad mulierem, dixit ad Simonem, *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc lacrymis suis lavit mihi pedes, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: illa ex quo ingressa est, non cessavit pedes meos osculari. Oleo caput meum non unxisti: illa autem pedes meos unxit unguento. Ideo dico, Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem modicum dimittitur, mo-* C *dicùm diligit.*

CAPUT IV. Ardua quæstio ex Domini verbis nata.

4. Oritur quæstio profectò solvenda, quæ adtentionem Vestræ Caritatis desiderat, ne fortè sufficere non possimus verbis ad totam ejus obscuritatem removendam & dilucidandam pro angustia temporis; maximè cùm caro ista æstibus fatigata, jam recreari desideret, & debitum suum poscens, animæ aviditatem impediens ostendat quod dictum est, Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma. (Matth. 26. 41.) Metuendum est, & D valde metuendum, ne in his verbis Domini non bene intelligentibus his qui concupiscentiis suis carnalibus favent, & ab eis in libertatem educi pigrescunt, subrepat illa sententia, quæ prædicantibus etiam Apostolis nata est in linguis maledicorum, unde dicit apostolus Paulus, Et sicut quidam dicunt nos dicere, Faciamus mala, ut veniant bona. (Rom. 3. 8.) Dicit enim aliquis, Si cui modicum dimittitur, modicùm diligit; cui autem plus dimittitur, plus diligit: expedit plus dili- E gere, quàm minùs diligere: oportet ut multùm peccemus, & multum debeamus, quod nobis dimitti cupiamus, ut dimissorem magnorum debitorum ampliùs diligamus. Peccatrix enim illa mulier quantò plus debebat, tantò dimissorem debitorum suorum ampliùs diligebat, Domino ipso dicente, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Quare autem dilexit multùm, nisi quia debebat multum? Denique addidit & adjunxit, *Cui autem modicum dimittitur, modi-* F *cùm diligit.* Nonne expedit, inquit, ut multum mihi dimittatur, quàm minus, unde ampliùs diligam Dominum meum? Videtis certè profunditatem quæstionis: scio, videtis. Videtis angustias temporis, & hoc videtis & sentitis.

CAPUT V. Exemplis res declaratur.

5. Accipite ergo pauca. Si magnitudini quæstionis satis non fecero, interim præsentem recondite sermonem, in futuro tenete debitorem. Da nunc duos homines, ut sub exemplis evidentioribus quod proposui cogitetis. Unus eorum G peccatis plenus est, diu pessimè vixit; alter eorum pauca peccavit: accedunt ambo ad gratiam, baptizantur ambo; intrant debitores, exeunt liberi: plus donatum est uni, minùs alteri. Interrogo quantum quisque diligat. Si invenero plus diligere eum, cui plura peccata dimissa sunt: utiliùs multa peccavit, utilior erat multa iniquitas, ne esset tepida caritas. Interrogo alium

CLASSIS I.

quantum diligat, invenio minùs: nam si invenio A
tantum & illum diligere, quantum & ille diligit cui multa donata sunt, quomodo respondebo verbis Domini, quomodo verum erit quod Veritas dixit, *Cui modicum dimittitur, modicùm diligit?* Ecce, ait aliquis, mihi modicum dimissum est, non multa peccavi; & tantum diligo, quantum iste, cui multa dimissa sunt. Tu verum dicis, an Christus? Ad hoc tibi dimissum est mendacium tuum, ut mendacii dimissori crimen imponas? Si modicum tibi dimissum est, modicùm diligis. B
Si enim modicum est tibi dimissum, & plurimùm diligis, contradicis ei qui dixit, *Cui modicum dimittitur, modicùm diligit.* Illi ergo plus credo, qui te plus novit. Parum tibi dimissum putas, prorsus parum diligis. Quid ergo, inquit, facere debui? Multa mala committere, ut multa essent, quæ posset ille mihi dimittere, ut ampliùs possem diligere? Angustat nos, sed Dominus qui hæc vera proposuit, ab angustiis liberet me.

CAPUT VI. Quæstio solvitur.

6. Dictum est hoc propter Pharisæum illum, C
qui vel nulla, vel pauca se putabat habere peccata. Non enim Dominum invitaret, nisi aliquantùm diligeret. Sed quàm parum erat? Non osculum dedit, non saltem aquam ad pedes, & si non lacrymas: non illo obsequio prosecutus est, quo illa mulier quæ noverat quid sanaretur, & à quo sanaretur. O Pharisæe, ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris: non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittitur. Quid ergo, inquit ille? Ego qui ho- D
micidium non feci, homicida deputandus sum? Qui adulterium non admisi, pro adulterio puniendus sum? Aut ista mihi dimittenda sunt, quæ non commisi? Ecce iterum constitue duos, & loquamur ad eos. Venit unus supplex peccator, coopertus spinis tamquam hericius, & nimis timidus támquam lepus. Sed petra est refugium hericiis & leporibus. Venit ergo ad petram, invenit refugium, accipit auxilium. Alius non multa commisit: quid ei faciemus, ut multùm diligat? E
quid persuadebimus? Contra Domini verba veniemus, *Cui modicum dimittitur, modicùm diligit?* Ita planè, cui modicum dimittitur. Sed ô tu qui dicis, te non multa commisisse: quare? quo regente? Deo gratias, quòd [a] motu & voce vestra intellexisse vos significastis. Jam, ut video, soluta quæstio est. Hic multa commisit, & multorum debitor factus est: ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat quod non commisit. F
Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantiâ, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit; & ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gra- G
tiam ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu quod non fecisti. Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit rector à quo factus est homo.

Psal. 103. 18.

Inter debita dimissa numerari vult quæ vitavimus peccata.

SERM. DE SCRIPTURIS. CAPUT VII. Deinceps de remissione peccatorum, quòd ab homine dimitti non possint.

7. Jam nunc quia ut potuimus, quæstionem profundam in tantilla temporis brevitate solvimus; aut si nondum solvimus, debitores, ut dixi, teneamur: illud potiùs breviter videamus de remissione peccatorum. Homo putabatur Christus & ab illo qui invitavit, & ab eis qui pariter discumbebant. Nescio quid illa peccatrix plus in Domino viderat. Nam quare fecit illa omnia, nisi ut sibi dimitterentur peccata? Noverat ergo illum posse peccata dimittere: illi autem noverant hominem non posse dimittere. Et credendum est quòd omnes, id est, & illi discumbentes, & illa mulier accedens ad pedes Domini, omnes hi noverant hominem non posse peccata dimittere. Cùm ergo omnes hoc nossent: illa quæ credidit eum dimittere posse peccata, plus quàm hominem esse intellexit. Denique cùm dixisset mulieri, *Dimittuntur tibi peccata tua:* continuò illi, *Quis est iste qui & peccata dimittit?* Quis est iste, quem jam mulier peccatrix cognovit? Tu recumbens quasi sanus, medicum ignoras: quia majore forsitan febre mentem etiam perdidisti. Nam & phreneticus ridens ploratur à sanis. Tamen illud bene nostis, bene tenetis: tenete, quia homo non potest peccata dimittere. Illa quæ sibi à Christo dimitti credidit, Christum non hominem tantùm, sed & Deum credidit. *Quis est iste*, inquiunt, *qui & peccata dimittit?* Et Dominus, *Quis est iste*, dicentibus, non dixit, Filius Dei, Verbum Dei: non hoc dixit, sed in eo quod putabant aliquantùm eos manere permittens, solvit quæstionem [b] motus illorum. Qui enim videbat discumbentes, audiebat cogitantes; conversus ad mulierem, *Fides tua*, inquit, *te salvam fecit.* Isti qui dicunt, *Quis est iste qui & peccata dimittit?* qui me putant hominem, hominem putent. *Fides tua te salvam fecit.*

CAPUT VIII. Donatistarum error & arrogantia.

8. Medicus bonus ægros non solùm præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcumque baptizo. Ex ipso numero & isti sunt, qui dicunt, Noli me tangere. Usque adeo ex ipso numero sunt, ut nuper in collatione nostra, quod etiam in Gestis ipsis [c] legere potestis, cùm eis à Cognitore esset consessus oblatus, ut sederent nobiscum, respondendum putarent, Scriptum est nobis, cum talibus non sedere, scilicet ne per contactum subselliorum ad eos velut nostra contagio perveniret. Vide si non est, « Noli me tangere, quia mundus sum. Alio autem die, ubi opportunius erat, commemoravimus eos hujus miserrimæ vanitatis, cùm ageretur de Ecclesia, quia mali in ea non contaminant bonos: respondimus eis, quia ideo nobiscum sedere noluerunt, & dixerunt, se Scripturâ Dei fuisse commonitos, quia videlicet scriptum est, Non sedi in concilio vanitatis: diximus, Si ideo nobiscum sedere noluistis, quia scriptum est, Non sedi in concilio vanitatis; quare nobiscum ingressi estis, cùm consequenter scriptum sit, « Et cum iniqua gerentibus non introibo? Ergo in hoc quod dicunt, Noli me tangere, quia mundus sum, similes sunt illi Pharisæo, qui Dominum invitaverat, & propterea putabat eum nescisse mulierem, quia non eam prohibuerit à contactu pedum suorum. Sed

Isai. 65. 5.

Psal. 25. 4.

[a] MSS. *quòd metu & voce vestra.*
[b] Editi, *& motus illorum.* Particula & abest à MSS.

[c] Sic potiores MSS. At editi, *loqui poterimus.* Vide librum ad Donatistas post Collationem cap. 5.

CLASSIS I

in alio melior Pharisæus, quia cùm putaret hominem Christum, non credebat ab homine posse dimitti peccata. Melior ergo Judæis quàm hæreticis apparuit intellectus. Judæi quid dixerunt? *Quis est hic, qui & peccata dimittit?* Audet sibi homo hoc usurpare? Quid contrà hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeat illi, non ego, sed Christus: O homo, quando ego à Judæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei [a] dedi. Non ego, respondet tibi Christus. O hæretice, tu cùm sis homo, dicis, Veni mulier, ego te salvam facio! Ego cùm putarer homo, dixi, *Vade mulier, fides tua salvam te fecit.*

CAPUT IX. Argumentum Donatistarum.

9. Respondent, nescientes, sicut ait Apostolus, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: respondent & dicunt, Si non dimittunt homines peccata, falsum est ergo quod ait Christus, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo. (Matth. 18. 18.) Nescis quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum-sanctum, [b] & ab ipso Spiritu-sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. (Peccata per Ecclesiam Spiritus-sanctus dimittit.) Nam quid es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus? Mecum quære medicum. Nam hoc ut evidentiùs ostenderet Dominus, ab Spiritu-sancto quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis, Accipite Spiritum-sanctum: & cùm dixisset, Accipite Spiritum-sanctum, continuò subjecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: (Johan. 20. 22.) hoc est Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid estis vos? Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? (1. Cor. 3. 16.) Et iterum, Nescitis, quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis à Deo? (1. Cor. 6. 19.) Deus ergo habitat in templo sancto suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua: per eos dimittit peccata; quia viva templa sunt.

CAPUT X. Peccata à Deo dimittuntur & per hominem, & præter hominem.

10. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem. Neque enim minùs idoneus est per se dare, qui potest per alium dare. Per Johannem quibusdam dedit, ipsi Johanni per quem dedit? Meritò volens Deus hoc ostendere, & huic veritati adtestari, cùm quidam in Samaria evangelizati essent, & baptizati essent, & baptizati à Philippo Evangelista, uno de septem diaconibus primitus electis, non acceperunt Spiritum-sanctum, & baptizati erant. Nuntiatum est discipulis, qui erant Jerosolymis, & venerunt ad Samariam, ut illi qui baptizati erant, per impositionem manûs eorum acciperent Spiritum-sanctum. (Spiritus-sanctus per ministerium hominum datus.) Et ita factum est: venerunt & imposuerunt eis manus, & acceperunt Spiritum-sanctum. Quia tunc sic dabatur Spiritus-sanctus, ut etiam appareret datus. Qui enim eum accipiebant, linguis omnium gentium loquebantur: ut significarent Ecclesiam in gentibus linguis omnium locuturam. Acceperunt ergo Spiritum-sanctum, & in eis evidenter apparuit. Quod cùm vidisset Simon, putans hoc esse hominum, voluit esse & suum. Quod hominum putavit, ab hominibus emere voluit. (Act. 8. 19. &c.) Quantam, inquit, vultis à me pecuniam sumere, ut per impositionem manuum mearum detur Spiritus-sanctus? Tunc eum detestatus Petrus ait, Non est tibi pars neque sors in hac fide. Donum enim Dei putasti pecuniâ comparandum? Pecunia tua tecum sit in perditionem: & cetera quæ ibi congruenter locutus est.

CAPUT XI. Spiritus datus absque hominum ministerio.

11. Quare autem hoc ego commemorare volui, intendat Caritas Vestra. Oportebat ut Deus priùs ostenderet se per homines operari: sed per se deinde, ne putarent homines, quod putavit Simon, hominum illud esse, non Dei. Quamquam & ipsi discipuli jam hoc noverant. Nam centum-viginti homines collecti erant, quando in eos per nullius manûs impositionem venit Spiritus-sanctus. (Act. 1. 15. & 2. 1.) Quis enim tunc eis manus imposuerat? Et tamen venit, & [c] primos implevit. Post illud scandalum Simonis, quid egit Deus? Videte doctorem, non sermonibus, sed rebus. Idem ipse Philippus, qui baptizaverat homines, & non in eos venerat Spiritus-sanctus, nisi convenissent Apostoli, & eis manus imposuissent, baptizavit eunuchum, id est, spadonem quemdam Candacis reginæ, qui adoraverat in Jerusalem, & rediens inde legebat in curru suo Isaiam prophetam, & non intelligebat. Admonitus Philippus accessit ad currum, exposuit lectionem, instruxit [d] fidem, evangelizavit Christum. Credidit eunuchus in Christum, & ait cùm venissent ad quamdam aquam, Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? (Act. 8. 36. &c.) Ait illi Philippus, Si credis in Jesum Christum? Respondit ille, Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Continuò descendit cum illo in aquam. Impleto baptismatis mysterio & sacramento, ne hominum putaretur donum Spiritus-sancti, non exspectatum est, sicut tunc, ut venirent Apostoli, sed continuò venit Spiritus-sanctus. Soluta est Simonis cogitatio, ne in tali cogitatione haberet imitatores.

CAPUT XII. Aliud exemplum in Cornelio centurione.

12. Deinde aliud mirabilius exemplum. Petrus venit ad centurionem Cornelium, ad hominem incircumcisum gentilem: cœpit prædicare Christum Jesum, & illi, & eis qui cum illo erant. (Act. 10. 25.) Adhuc loquente Petro, non dico, nondum imponente manum, sed nondum etiam baptizante, & cùm dubitarent qui erant cum Petro, utrùm incircumcisi baptizandi essent; (natum quippe erat inter Judæos qui crediderant, & eos qui fideles ex Gentibus facti erant, scandalum, id est, Judæos & Christianos, qui baptizabantur incircumcisi:) ut hanc Deus tolleret quæstionem, cùm loquitur Petrus, venit Spiritus-sanctus, implevit Cornelium, implevit eos qui cum illo erant. Et ipsa adtestatione rei magnæ, quasi clamatum est ad Petrum: Quid de aqua dubitas? jam ego hîc sum.

CAPUT XIII. Mundatio in baptismo non ex ministrorum meritis, sed ex Dei gratia.

13. Secura ergo quælibet anima à multa nequitia per Dominicam gratiam liberanda, tamquam immunda prostitutione mundanda in Ecclesia, credat, accedat ad pedes Domini, quærat vestigia Domini, confiteatur lacrymas fundens, tergat capillis suis. Pedes Domini, prædicatores Evangelii. Capilli mulieris, superfluæ possessiones. Tergat capillis, tergat prorsus, operetur misericordiam: & cùm terserit, osculetur;

[a] Colbertinus vetus codex, *non mihi. Respondet tibi ergo Christus.*
[b] In Colbertino MS. *per ipsum Spiritum-sanctum & ab ipso Spiritu-sancto volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid* &c.
[c] Sic aliquot MSS. Alii, *& primus.* At editi, *& prius.*
[d] Colbertinus MS. *inseruit fidem.*

Classis I.

accipiat pacem, ut habeat caritatem. Accessit ad talem, baptizata est à tali, qualis erat apostolus Paulus: audiat ab illo, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Baptizata est autem ab alio aliquo sua quærente, non quæ Jesu Christi: audiat à Domino, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Secura sit & in illo, sive in bonum Evangelistam incurrat, sive in eum qui quod dicit non facit. A Domino enim secura audit, *Vade mulier, fides tua te salvam fecit.*

1. Cor. 4. 16. Philip. 2. 21. Matth. 23. 3.

* Aliàs 7. de verbis Domini.

* SERMO C.

De [a] *verbis Evangelii Lucæ 9. ubi agitur de tribus, quorum unus dixit,* Domine sequar te quocumque ieris, *& reprobatus est; alius non audebat, & excitatus est; tertius differebat, & culpatus est.*

Caput I. Cur reprobatur qui profitetur se secuturũ Christum.

I. DE Capitulo Evangelii quod Dominus donavit, audite. Lectum est enim, Dominum Jesum differenter egisse, cùm obtulit se unus, ut eum sequeretur, & reprobatus est; alius non audebat, & [b] excitatus est; tertius differebat, & culpatus est. Quod enim dixit, *Domine, sequar te quocumque ieris,* quid tam promtum, quid tam impigrum, quid tam paratum, & quid ad tantum bonum aptissimum, sequi Dominum quocumque ierit? Miraris [c] hoc, dicens, Quid est hoc, quòd magistro bono Domino Jesu Christo invitanti discipulos, quibus daret regnum cælorum, displicuit tam paratus? Sed quia talis magister erat, qui futura prævideret, intelligimus, Fratres, istum hominem, si sequeretur Christum, sua quæsiturum fuisse, non quæ Jesu Christi. Ipse enim dixit, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Et iste de ipsis fuit, nec sic se ipse noverat, quomodo medicus inspiciebat. Nam si jam se fictum esse [d] spectabat, si jam dolosum & insidiosum se noverat, cui loqueretur non noverat. Ipse est enim de quo ait Evangelista, Non opus habebat, ut quisquam ei testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Quid ergo respondit? *Vulpes foveas habent, & volatilia cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Sed ubi non habet? In fide tua. Vulpes enim habent foveas in corde tuo, dolosus es: volatilia cæli habent nidos in corde tuo, elatus es. Dolosus & elatus, non me sequéris. Quomodo sequitur dolosus simplicitatem?

Luca 9. 57. Matth. 7. 21. Joan. 2. 25. Luca 9. 58.

Alter à Christo vocatus. ℣. 59

2. Et ad alterum continuò tacentem, & nihil dicentem, nihil promittentem dicit, *Sequere me.* Quantum mali in illo, tantum boni videbat in isto. *Sequere me*, dicis nolenti. Ecce habes hominem paratum, *Sequor te quocumque ieris:* & tu dicis nolenti, *Sequere me?* Istum, inquit, declino; quia video ibi foveas, video nidos. Quid ergo molestus es huic, quem provocas, & excusat? Ecce etiam compellis, & non venit; hortaris, & non sequitur. Quid enim dicit? *Ibo priùs sepelire patrem meum.* Fides cordis ejus Domino se ostendebat: sed pietas differebat. Dominus autem Christus quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisque pietatis. Hæc quidem & lex Dei habet, & ipse Dominus arguit Judæos, quia destruebant ipsum mandatum Dei. Et Paulus apostolus in epistola sua posuit, & dixit, Hoc est mandatum primum in repromissione. Quod? Honora patrem tuum, & matrem tuam. Deus utique dixit. Volebat ergo iste juvenis obtemperare Deo, & sepelire patrem suum: sed est locus, & est tempus, & est res, quæ huic rei, huic tempori, huic loco serviat. Honorandus est pater, sed obediendum est Deo. Amandus est generator, sed præponendus est Creator. Ego, inquit, ad Evangelium te voco, ad aliud opus mihi necessarius es: majus est hoc, quàm quod vis facere. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Pater tuus mortuus est: sunt alii mortui qui sepeliant mortuos. Mortui sepelientes mortuos qui sunt? Poteſtne mortuus à mortuis sepeliri? Quomodo involvunt, si mortui sunt? Quomodo portant, si mortui sunt? Quomodo plangunt, si mortui sunt? Et involvunt, & portant, & plangunt, & mortui sunt: quia infideles sunt.

Pietate carnali differre volens arguitur.

Serm. de Scripturis. Ephes. 6. 2. Parentes quomodo honorandi. ℣. 60. Mortui mortuos sepelientes.

* Caput II. Cant. 2. 4. Ordinatæ caritatem.

* Docuit nos quod scriptum est in Cantico canticorum, dicente Ecclesiâ, Ordinate in me caritatem. Quid est, Ordinate in me caritatem? Facite gradus, & cuique quod debetur, restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate parentes, sed præponite Deum parentibus. Adtendite matrem Machabæorum: Filij, inquit, nescio quomodo apparuistis in ventre. Concipere vos potui, parere vos potui; formare non potui: illum ergo audite, illum mihi præponite: nolite adtendere, ne sine vobis remaneam. Præcepit, & secuti sunt. Quod docuit mater filios, hoc docebat Dominus Jesus Christus istum cui dicebat, *Sequere me.*

2. Mach. 7. 22.

Tertius suos respiciens culpatur. ℣. 61.

3. Quia nunc alius discipulus misit se in medio, cui nemo aliquid dixit: *Prosequar te, Domine, ait, sed vado primùm renuntiare his qui in domo sunt.* Credo hic sensus est, Nuntiem meis, ne fortè quomodo fieri solet, quærant me. Et Dominus, *Nemo ponens manum super aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno cælorum.* Vocat te Oriens, & tu adtendis Occidentem. In hoc capitulo hoc discimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum justitiam. Talia enim sunt verba Apostoli: Adtendite, inquit, quid dicit Elias: Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua everterunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid illi dicit responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Solum te putas esse servum bene laborantem: sunt & alii me timentes, & non pauci. Nam septem millia ibi habeo. Et adjunxit, Sic ergo & in hoc tempore. Crediderunt enim aliqui Judæi, & multi fuerunt reprobati: sicut & ille qui vulpium foveas gestabat in animo. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt: id est, idem Christus est qui tunc, & modò, qui & illi tunc

℣. 62. Electio secundum gratiam. Floris ad Rom. 11. 2.

[a] Hic Sermo in Flori collectione ad Rom. 11. notatur *de verbis Evangelii decimus:* quo re ipsa ordine continetur in Colbertino codice 821.

[b] Aliquot MSS hîc & in Sermonis titulo, *citatus est.* Quidam, *suscitatus est.*

[c] Plerique MSS. *Miraris hodie: Quid est hoc &c.*

[d] MSS. *sperabat.*

CLASSIS I.

Eliæ dixit, Reliqui mihi. Quid est, Reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal. Non sunt mutati, sic sunt ut à me facti sunt. Et tu qui loqueris, nisi de me præsumeres, ubi esses? Nisi gratiâ meâ plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse genu flecteres? Gratiâ autem meâ plenus es; quia nihil de tua virtute, sed totum de mea gratia præsumsisti. Noli ergo in hoc gloriari, ut putes te in servitio tuo non habere conservos: sunt quos elegi, sicut & te, de me scilicet præsumentes: sicut ait Apostolus, Et nunc reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.

CAPUT III. Gratiæ Dei totum debent electi.

4. Cave, ô Christiane, cave superbiam. Licèt enim imitator sanctorum sis, totum semper gratiæ reputa: quia ut esset aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit. De ipsis denique reliquiis dixerat propheta Isaias commemorans, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, inquit, jam non ex operibus, id est, jam non de tuo merito extollaris: alioquin gratia jam non est gratia. Si enim [a] de tuo opere præsumis; ergo merces tibi redditur, non gratia condonatur. Si autem gratia est, gratis datur. Interrogo nunc, Credis, ô peccator, Christo? Dicis, Credo. Quid credis? Gratis universa peccata per ipsum tibi posse remitti? Habes quod credidisti. O gratia gratis data! Quid tu juste, credis te sine Deo non posse servare justitiam? Ipsius ergo totum reputa, quod justus es, pietati: quod autem peccator es, tuæ iniquitati adscribe. Esto accusator tuus, & ille erit indultor tuus. Omne enim crimen, facinus, vel peccatum, nostræ est negligentiæ: & omnis virtus & sanctitas, Dei est indulgentiæ. Conversi ad Dominum. [b]

Isaiæ 1. 9. Rom. 11. 5. &c.

* SERMO CI.

*Aliàs 427 de Sanctis.

De [c] *verbis Evangelii Lucæ* 10. Messis quidem multa *&c.*

CAPUT I. Messis in Judæis, sementis in Gentibus. Luca 10. 2.

1. IN lectione Evangelii, quæ modò recitata est, admonemur quærere quæ sit messis de qua Dominus ait, *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Tunc adjecit duodecim discipulis suis, quos & Apostolos nominavit, alios septuaginta duos, & misit illos omnes, sicut ex verbis ejus apparet, ad paratam messem. Quæ ergo erat illa messis? Non enim illa messis in his Gentibus erat, ubi nihil fuerat seminatum. Restat ergo, ut intelligamus istam messem fuisse in populo Judæorum. Ad illam messem venit Dominus messis, ad illam messem misit messores: ad Gentes autem non messores, sed seminatores. Intelligamus ergo messem factam in populo Judæorum, sementem in populis Gentium. Ex illa enim messe Apostoli electi sunt, ubi jam cùm meteretur, maturum erat; quia ibi Prophetæ seminaverunt. Delectat inspicere agriculturam Dei, & oblectari donis ejus, & operriis in agro ejus. In hac enim agricultura operabatur qui dicebat, Plus omnibus illis laboravi. Sed vires ei dabantur ad operandum à Domino messis: ideo subjecit, Non ego sum, sed gratia Dei mecum. Nam se in agricultura versari satis ostendit, ubi ait, Ego plantavi, Apollo rigavit. Hic autem Apostolus de Saulo Paulus, hoc est de superbo minimus: (Saulus enim à Saüle denominatur: paulùm autem modicùm est: unde nomen suum quodam modo interpretatus, ait, Ego sum minimus Apostolorum:) ipse ergo Paulus, id est, modicus & minimus missus ad Gentes, præcipuè ad Gentes se missum dicit. Ipse scribit, nos legimus, credimus, prædicamus. Ipse ergo dicit in epistola sua quæ est ad Galatas, vocatum se jam à Domino Jesu venisse Jerosolymam, & Evangelium cum Apostolis contulisse, dexteras sibi datas fuisse, & signum concordiæ, signum consonantiæ, quod ab se ipsi didicerant, eis in nihilo discrepabat. Deinde placuisse dicit inter se & ipsos, ut ipse ad Gentes, illi autem in circumcisionem irent; ille seminator, illi messores. Meritò etiam Athenienses, quamvis nescientes, nomen suum ei dixerunt. Audientes enim ab eo verbum, Quis est, inquiunt, hic seminator verborum?

SERM. DE SCRIPTURIS.

1. Cor. 15. 10. Ibidem. 1. Cor. 3. 6.

Paulus modicus.

Gal. 2. 1. &c.

Act. 17. 18.

CAPUT II. Messes duæ, Judæorum & Gentium.

2. Adtendite ergo, & delectet vos mecum inspicere agriculturam Dei & in ea messes duas, unam transactam, aliam futuram: transactam in populo Judæorum, futuram in populis Gentium. Probemus hoc: & unde nisi de Scriptura Dei Domini messis? Ecce habemus ibi præsenti capitulo dictum esse, *Messis multa, operarii autem pauci. Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Sed quia in illa messe futuri erant contradictores & persecutores Judæi: *Ecce*, inquit, *mitto vos sicut agnos in medio luporum.* Evidentiùs de hac messe aliquid ostendamus in Evangelio secundùm Johannem, ad puteum ubi fatigatus Dominus sedit, magna quidem acta sunt sacramenta, sed angustum tempus est, ut omnia pertractentur. Quod autem ad præsentem rem pertinet, audite. Suscepimus enim messem ostendere in populis, in quibus Prophetæ prædicaverunt: ideo enim illi seminatores, ut Apostoli possent esse messores. Samaritana mulier loquitur cum Domino Jesu, & inter cetera cùm dixisset ei Dominus, quomodo debeat adorari Deus: ait illa, Scimus quia veniet Messias, qui dicitur Christus, & omnia nos docebit. Et Dominus ad illam, Ego sum qui loquor tecum. Crede quod audis: quid quæris quod vides? Ego sum qui loquor tecum. Quod autem illa dixerat, Scimus quia Messias veniet, quem annuntiaverunt Moyses & Prophetæ, qui dicitur Christus, Jam enim spica messis erat. Gignenda acceperat Prophetas seminatores, Apostolos exspectabat matura messores. Mox ut hoc audivit credidit, & hydriam dimisit, & festinanter cucurrit, annuntiare Dominum cœpit. Discipuli tunc ierant ad emendos panes: qui redeuntes invenerunt Dominum loquentem cum muliere, & mirati sunt. Non sunt tamen ausi dicere ei, Quid vel quare cum illa loqueris? Admirationem apud se ha-

Luca 10. 2.

℣. 3.

Johan 4. 25.

[a] Florus & plerique MSS. *in tua opera præsumis.*

[b] Fossatensis vetus codex, *Conversi ad Dominum, ipsum deprecemur pro nobis, & pro omni plebe sua adstante nobiscum in atriis domûs suæ, quam custodire protegereque dignetur per Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui cum eo vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen* Eamdem conclusionem habet Colbertinus MS. 343. sed recentiore calamo adjectam.

[c] Huic Sermoni manifestè congruit ille titulus in Possidii Indiculo c. 9. *Ex Evangelio quod scriptum est, Messis multa, usque ad id quod ait, Pax vestra ad vos revertetur.*

Classis I.

buerunt, audaciam corde presserunt. Huic ergo Samaritanæ non erat novum nomen Christi, jam exspectabat venientem, jam crediderat esse venturum. Unde crediderat, si non Moyses seminaverat? Sed hoc expressiùs audite. Dominus tunc ad discipulos suos ait, Dicitis quia adhuc longè est æstas, levate oculos vestros, & videte albas regiones ad messem. Et adjungit, Alii laboraverunt, & vos in labores eorum intrastis. Laboravit Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Prophetæ, laboraverunt seminando; in adventu Domini matura messis inventa est. Missi messores cum falce Evangelii, portaverunt manipulos ad aream Dominicam, ubi Stephanus trituraretur.

Johan. 4. 35.

Caput III. Semen Evangelii Gentibus transmissum.

3. Hîc autem accedit Paulus ille, & ad Gentes mittitur. Et non tacet hoc in commendando gratiam, quam præcipuè propriéque suscepit. Ait enim in Scripturis suis, missum se esse prædicare Evangelium, ubi Christus non erat nominatus. Sed jam quia facta est illa messis, & omnes Judæi qui remanserunt, * messem adtendamus quod nos sumus. Seminatum est enim ab Apostolis & Prophetis. Ipse Dominus seminavit. Ipse enim in Apostolis fuit, quia & ipse messuit Christus. Non enim illi aliquid sine illo: ille perfectus est sine illis. Ipse enim illis ait, Quia sine me nihil potestis facere. Seminans ergo Christus jam in Gentibus quid dicit? Exiit seminans seminare. Ibi mittuntur messores metere, hîc exiit seminans seminare impiger. Quid enim pertimuit, quòd aliud cecidit in viam, aliud in petrosa loca, aliud inter spinas? Si istas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perveniret. Quid ad nos, quid nobis est jam de Judæis disputare, & loqui de palea: hoc solum ad nos, ne via simus, ne saxum, ne spinæ, sed terra bona. Paratum cor nostrum, unde tricenum, unde sexagenum, unde millenum & centenum: illud minus est, & illud plus est; sed totum triticum est. Via non sit, ubi conculcatum semen à transeuntibus velut avis auferat inimicus. Saxum non sit, ubi modica terra statim facit germinare, quod non possit solem portare. Spinæ non sint, cupiditates sæculi, sollicitudines vitæ vitiosæ. Quid enim pejus sollicitudine vitæ, quæ pervenire non permittit ad vitam? Quid miserius, quàm curando vitam, amittere vitam? Quid infelicius, quàm timendo mortem, cadere in mortem? Exstirpentur spinæ, paretur ager, suscipiantur semina, perveniatur ad messem, horreum desideretur, non ignis timeatur.

** f. addendum, messis non sūt.*

Johan 15 5.

Luca 8. 5.

Caput IV. Pastoris partes populo explicare quid prosit.

4. Ad nos itaque pertinet, quos qualescumque Dominus in agro suo constituit operarios, dicere ista vobis, seminare, plantare, rigare, aliquibus etiam arboribus circumfodere, & cophinum stercoris adhibere; pertinet ad nos hæc fideliter agere: ad vos, fideliter capere: ad Dominum, nos adjuvare operantes, vos credentes, omnes laborantes, sed mundum in illo vincentes. Quid ergo ad vos pertinet, dixi: quid ad nos pertineat, volo dicere. Sed fortè alicui ex vobis videtur, quia dixi superfluum aliquid me velle dicere, & apud se ipsum loquens in cogitatione dicit, O si jam dimittat nos! Jam dixit quid pertineat ad nos, quod ad ipsum pertinet quid ad nos? Puto melius esse in alterna & mutua caritate pertineamus ad vos. De una modò

Serm. de Scripturis.

A quidem vos familia estis, nos ex eadem quidem familia dispensatores sumus omnes, ad unum Dominum pertinemus omnes. Nec quod do, de meo do; sed de illius à quo accipio & ego. Nam si de meo dedero, mendacium dabo. Qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur. Debetis ergo audire quid pertineat ad dispensatorem, sive ut in vobis ipsis, si tales inveneritis, congratulemini, sive etiam in hoc ipso instruamini. Quàm multi enim in hoc populo futuri sunt dispensatores. Et nos ibi fuimus ubi estis: & nos qui videmur modò de superiore loco conservis metiri cibaria, ante paucos annos in inferiore loco cum conservis accipiebamus cibaria. Episcopus laicis loquor: sed inde scio quàm multis futuris episcopis loquor.

Johan. 8. 44.

Caput V. Præcepta prædicatoribus constituta, non carnaliter accipienda.

5. Ergo videamus quomodo nos intelligamus, quod præcepit Dominus eis quos mittebat Evangelium prædicare, & mente paratam messem videamus. *Nolite* inquit, *ferre sacculum aut peram, aut calceamenta; & neminem per viam salutaveritis.* * *Et in quamcumque domum intraveritis, dicite, Pax huic domui.* * *Si est illic filius pacis, requiescet super illum pax vestra: si quo minùs, ad vos revertetur* Si requievit, perdidit? Absit hoc à mente sanctorum. Ergo nec illud accipiendum est carnaliter: ac per hoc fortè nec saccus, nec calceamenta, nec pera; maximéque illud ubi nobis, si simpliciter sine discussione accipiamus, superbia videtur imposita, ne quemquam in via salutemus.

ỳ. 4. ỳ. 5. ỳ. 6.

Præceptum de sacculo non ferendo.

6. Adtendamus Dominum nostrum exemplum verum & adjutorium. Probemus quia adjutorium: Sine me nihil potestis facere. Probemus quia exemplum: Christus pro nobis passus est, (Petrus dicit,) nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Ipse Dominus noster loculos habuit in via, & ipsos loculos Judæ commendaverat. Patiebatur quidem furem: sed ego à Domino meo discere cupiens dico, Domine patiebaris furem, unde habebas unde tolleret? Me hominem miserum & infirmum monuisti nec sacculum portare: tu portasti loculos, & erat ubi furem patereris. Si non portares, nec ille inveniret quod auferret. Quid restat, nisi quod hîc dicat mihi, Intellige quod audis, *Nolite portare sacculum.* * Quid est sacculus? Pecunia clausa, id est, occulta sapientia. Quid est, *Nolite portare sacculum?* Nolite fieri sapientes penes vosmetipsos. Accipite Spiritum-sanctum. Fons in te debet esse, non sacculus; unde erogatur, non ubi includatur. Hoc est pera, quod est sacculus.

Johan. 15. 5.

1. Petr. 2. 21.

*Caput VI.

De calceamentis non inducendis.

7. Calceamenta quid sunt? Calceamenta nobis quibus utimur, coria mortuorum sunt, integmina pedum. Per hoc ergo jubemur renuntiare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses admonebatur, quando Dominus loquens ait, Solve calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est. Quid tam terra sancta, quàm Dei Ecclesia? In illa ergo stemus, calceamenta solvamus, id est, mortuis operibus renuntiemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me idem ipse Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Johannes diceret, Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. Sit ergo obedientia, non subrepat superba du-

Exodi 3. 5.

Lucæ 3. 16.

Classis I.

ritia. Ego, inquit, Evangelium impleo, quia nudo pede ambulo. Tu potes, ego non possum. Quod simul accipimus, custodiamus. Quomodo? Caritate flagremus, invicem diligamus: ac sic fit ut ego amem fortitudinem tuam, & tu portes infirmitatem meam.

De salute nemini dicenda in via.

8. Quid autem tibi videtur, qui non vis intelligere quemadmodum ista dicta sint, & cogeris praviter ipsi Domino calumniari de loculis & calceamentis; quid tibi videtur? Itane placet ut iter agentes occurramus caris nostris, & eos non salutemus majores, non resalutemus minores? Jamne Evangelium imples, quia salutaris & taces? Sic verò non viatori iter agenti, sed milliario similis eris iter ostendenti. Ergo stoliditatem deponamus, & verba Domini intelligamus, & in via neminem salutemus. Non enim sine caussa hoc jubemur, aut nollet nos facere quod juberet. * Quid ergo est, *Neminem salutaveritis in via?* Potest quidem & simpliciter sic accipi, quia jussit nos festinanter agere injuncta: & hoc ita dixerit, *Neminem per viam salutaveritis*, tamquam diceret, Omnia prætermittatis, dum quod injunctum est peragatis: ea locutione qua solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi. Nec longè pergamus: in eodem sermone paulò pòst dicit, *Et tu Capharnaum, quæ usque ad cælum exaltata es, usque in infernum depriméris.* Quid est, *usque ad cælum exaltata es?* Numquid civitatis illius mœnia nubes tetigerunt, aut ad sidera pervenerunt? Sed quid est, *in cælum exaltata es?* Nimiùm tibi felix videris, nimiùm potens, nimiùm superba es. Sicut ergo hoc exaggerandi gratiâ dictum est, *in cælum exaltaris*, ei civitati, quæ non usque in cælum exaltabatur, aut adscendebat: sic pro festinatione exaggerationis dictum est, Ita currite, sic agite quod injunxi, ut ne minimùm quidem vos retardent * agentes; sed omnia contemnentes, ad finem propositum festinate.

*Caput VII. Expositio primò obvia.

ỳ. 15.

*f. iter agentes.

Sensus alter reconditior.

*f. recondirum non difficile est intelligere.

9. Sed est aliud quod hîc magis * recogitem non dissimile intelligere, quod plus pertinet ad me & ad omnes dispensatores, sed & ad vos auditores. Qui salutat, salutem dicit. Nam & antiqui in epistolis suis sic scribebant, Ille illi salutem. Salutatio à salute nomen accepit. Quid ergo est, *Neminem in via salutaveritis?* Qui salutant in via, per occasionem salutant. Video vos citò intellexisse, nec tamen debeo jam finire. Non enim omnes citò intellexistis. Vidi in voce intelligentes, plures video silentio requirentes. Sed quia de via loquimur, tamquam in via ambulemus: veloces tardos exspectate, & pariter ambulate. Quid ergo dixi, Qui in via salutat, per occasionem salutat? Non ad eum ibat quem salutat. Aliud agebat, aliud occurrit: aliud petebat, aliud de transverso quod ageret invenit. Quid est ergo per occasionem salutare? Per occasionem salutem annuntiare. Quid est autem aliud, salutem annuntiare, quàm Evangelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem. Sunt ergo homines qui sua quærentes, non aliud prædicant Evangelium: de quibus Apostolus gemens dicit, Omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Et hi salutabant, hoc est, salutem annuntiabant, Evangelium prædicabant: sed aliud quærebant; & ideo per occasionem salutabant. Et quid est hoc? Si talis fueris, quisquis es facis: immo non talis quisquis facis, sed fortè aliquis talis qui facis. Si talis fueris, non facis, sed fit de te.

Evangeliũ per occasionem prædicare.

Philip. 2. 21.

Serm. de Scripturis.

Caput VIII. Prædicatores sua quærentes quomodo audiendi.

10. Nam & tales admisit Apostolus: non tamen ut tales essent, præcepit. Et ipsi agunt aliquid, & perficitur ex ipsis: aliud quærunt, & verbum annuntiant. Quid quærat annuntiator, ne cures: quod annuntiat, tenere velis; quod verò adtendit, non ad te pertineat. Salutem audi ab ore ipsius, salutem tene ab ore ipsius. Noli judex esse cordis ipsius. Si vides eum alia requirentem, quid ad te? Audi salutem: Quæ dicunt facite. Securum te fecit, qui dixit, Quæ dicunt facite. Mala faciunt: Quæ faciunt facere nolite. Bona faciunt, non in via salutant, non per occasionem Evangelium annuntiant: imitatores eorum estote, sicut & ipsi Christi. Bonus tibi prædicat: carpe uvam de vite. Malus tibi prædicat, carpe uvam pendentem in sepe. Botrus implicitè in palmite inter spinas crevit, & de spinis non germinavit. Planè quando tale aliquid vides & esuris, sollicitè carpe, ne cùm ad uvam manum mittis, lacereris à spinis. Hoc est quod dico: Sic audi quod bonum est, ne malos mores imiteris. Prædicet ex occasione, salutet in via: illi nocebit quòd non audivit præceptum Christi, *Neminem in via salutaveritis:* tibi non nocebit, qui sive à transeunte, sive à veniente salutem audis, salutem tenes. Apostolum audi, sicut præmiseram, admonentem ista. Quid enim? Dum omni modo, sive occasione, sive veritate Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim ipsum mihi proficere in salutem per vestram obsecrationem.

Matth. 23. 3.

1. Cor. 4. 16. V. suprà Serm. 74.

Philip. 18. & 19.

Caput IX. Prædicatores pacem ferre jussi.

11. Tales igitur Apostoli Christi prædicatores Evangelii, non salutantes in via, hoc est, non aliud quærentes vel agentes, sed germana caritate Evangelium annuntiantes, veniant ad domum & dicant, *Pax huic domui.* Non ore solùm dicunt: quo pleni sunt, fundunt: prædicant pacem, & habent pacem. Non sunt tales de quibus dictum est, Pax, pax, & non est pax. Quid est, Pax, pax, & non est pax? Prædicantes, non habent; laudant, & non amant; dicunt, & non faciunt. Sed tamen tu accipe pacem, sive occasione, sive veritate Christus annuntietur. Qui ergo plenus est pace; & salutat, *Pax huic domui, si est illic filius pacis, requiescet super eum pax illius; si quo minùs*, fortè enim non est illic filius pacis, nihil perdidit qui salutavit, *ad vos*, inquit, *revertetur.* Revertetur ad te, quæ non discessit à te. Hoc enim dicere voluit, Tibi prodest quod annuntiasti, nihil ei profuit qui non suscepit; non quia ille inanis remansit, ideo tu perdidisti mercedem; redditur tibi pro voluntate tua, redditur tibi pro caritate quam impendisti, reddet tibi qui te securum fecit voce Angelica, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.

Jerem. 8. 11.

Luca 2. 14.

* SERMO CII.

De verbis Evangelii Lucæ 10. Qui vos spernit, me spernit.

* Aliàs 24. de verbis Domini.

Caput I. Pastoribus debita reverentia.

1. DOMINUS noster Jesus Christus quod discipulis suis loquebatur illo tempore scribebatur, & nobis ad audiendum parabatur. Audivimus ergo verba ejus. Quid enim nobis prodesset, si videretur, & non

CLASSIS I.

auditur? Nec modò aliquid obest, quia non videtur, & tamen auditur. Dicit ergo, *Qui vos spernit, me spernit.* Si solis Apostolis dixit, *Qui vos spernit, me spernit:* spernite nos. Si autem sermo ejus pervenit ad nos, & vocavit nos, & in [a] eorum loco constituit nos: videte ne spernatis nos, ne ad illum perveniat injuria quam nobis feceritis. Si enim nos non timetis; illum timete qui dixit, *Qui vos spernit, me spernit.* Quid autem nos loquimur vobis, qui sperni nolumus à vobis, nisi ut de vestris bonis moribus gaudeamus? Periculorum nostrorum sint solatia, vestra bona opera. Vivite bene, ne moriamini malè.

Luca 10. 16.

Pastorum solatia.

Mors quænam verè bona vel mala sit.

2. Nec in his verbis quæ dixi, Vivite bene, ne moriamini malè, adtendatis eos qui fortè malè vixerunt, & in lectulis suis mortui sunt; & acta est pompa funeris eorum, & positi sunt in pretiosis sarcophagis, in sepulcris pulcherrimè & operosissimè fabricatis: & quia fortè dicit sibi unusquisque vestrûm, Vellem sic mori, putetis me rem vanam dicere voluisse; quoniam dixi velle me ut bene vivatis, ne malè moriamini.

*CAPUT II.

* Contrà fortè occurrit aliquis, qui & bene vixit, & secundùm opinionem hominum malè est mortuus: fortè à ruina est mortuus, à naufragio mortuus est, à bestiis mortuus est: & dicit unusquisque carnalis in corde suo, Quid est bene vivere? Ecce ille sic vixit, & sic est mortuus. Redite ergo ad cor: & si fideles estis, invenietis ibi Christum: ipse vobis loquitur ibi. Ego enim clamo: ille verò in silentio plus docet. Ego loquor per sonum sermonis: ille intus loquitur per timorem cogitationis. Ergo ipse inserat in corde vestro verbum meum: quoniam dicere ausus sum, Bene vivite, ne malè moriamini. Ecce quoniam fides est in cordibus vestris, & ibi est Christus, & ipse habet docere quod ego cupio personare.

Luca 18. 19. Divitis & Lazari cōtraria sors post mortem.

3. Recordamini in Evangelio divitem illum, & pauperem illum: divitem indutum purpurâ & bysso, & quotidianis epulis saginatum; pauperem verò illum jacentem ante januam divitis, esurientem, & de mensa ejus micas requirentem, ulceribus plenum, à canibus linctum. Recordamini ergo: unde recordamini, nisi quia ibi est Christus in cordibus vestris? Dicite mihi quid ipsum intus interrogaveritis, & responderit vobis. Sequitur enim, & dicit, Contigit mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in infernum. Cùm autem in tormentis esset, levavit oculos suos, & vidit Lazarum requiescentem in sinu Abrahæ. Tunc clamavit, dicens, Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intinguat digitum suum in aquam, & stillet in linguam meam, quia crucior in hac flamma. Superbus temporis, mendicus inferni. Pauper enim ille [b] perveniebat ad micam: ille verò non perveniebat ad guttam. De duobus ergo istis dicite mihi, quis est bene mortuus, & quis est malè mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaveritis, falsa vobis respondent. Multùm enim splendida sunt, & sæculariter fucata, quæ illi diviti morienti exhiberi potuerunt. Quæ potuerunt agmina plangentium esse servorum & ancillarum? quæ pompa clientium? qui splendor funeris? quod pretium sepulturæ? Credo eum aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus, Fratres, bene istum mortuum, an malè mortuum? Si oculos interrogatis, optimè mortuus est: si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessimè mortuus est.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT III. Mors unde mala censeri debet.

4. Si ergo sic moriuntur superbi rerum suarum conservatores, & nihil inde pauperibus largientes; quomodo moriuntur qui rapiunt res alienas? Verum ergo dixi, Vivite bene, ne malè moriamini, ne quomodo dives ille mortuus est. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. E contrà adtendite illum pauperem: nolite oculis, nam errabitis: fides adtendat, cor videat. Constituite illum ante oculos vestros jacentem in terra ulcerosum, venientes canes linguentes ulcera ejus. Sed cùm talem illum revocatis ante oculos vestros, continuò exspuitis, faciem avertitis, nares obturatis: cordis oculis videte. Mortuus est, & ablatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Familia divitis videbatur plangens: Angeli non videbantur gaudentes. Quid ergo respondit diviti Abraham? Memento Fili, quia percepisti bona in vita tua. Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti. Accepisti: sed transierunt dies; & totum perdidisti; & torquendus in inferis remansisti.

Luca 16. 25.

CAPUT IV. Hortatur ad bona opera.

5. Opportunum ergo est, Fratres, ut hæc vobis dicantur. Adtendite pauperes, sive jacentes, sive ambulantes: adtendite pauperes, facite opera bona. Qui soletis, facite: & qui non soletis, facite. Crescat numerus bene operantium: quoniam crescit & fidelium numerus. Quod facitis, quantum bonum sit nondum videtis: quia & rusticanus quando seminat, segetem non videt, sed terræ credit. Tu Deo quare non credis? Veniet messis nostra. Puta quia modò laborantes agimus, laborantes operamur recepturi, sicut scriptum est, Euntes, ibant & flebant jactantes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.

Psal. 125. 6.

* SERMO CIII.

*Aliàs 26. de verbis Domini.

De verbis [c] *Evangelii Lucæ* 10. Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam &c.

CAPUT I. Unitas commendatur.

1. VERBA Domini nostri Jesu Christi, quæ modò ex Evangelio recitata sunt, admonent nos, esse unum aliquid quò tendamus, quando in hujus sæculi multitudine laboramus. Tendimus autem adhuc peregrinantes, nondum manentes; adhuc in via, nondum in patria; adhuc desiderando, nondum fruendo. Tamen tendamus, & sine pigritia & sine intermissione tendamus, ut aliquando pervenire valeamus.

Christus pascendum se præbere dignatur.

2. Martha & Maria duæ sorores erant, ambæ non solùm carne, sed etiam religione germanæ; ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne præsenti concorditer servierunt. Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini. Sed

[a] Aliquot MSS. *& in eo loco nos constituit.*
[b] Lov. *non perveniebat ad micam:* repugnantibus editis aliis & MSS.

[c] Inter Sermones in Possidii Indiculo cap. 9. titulus invenitur, *De Evangelio, ubi Domino Martha ministravit.*

CLASSIS I.

tamen suscepit famula Dominum, ægra Salvatorem, creatura Creatorem. Suscepit autem spiritu pascenda, in carne pascendum. Voluit enim Dominus formam servi accipere, & acceptâ formâ servi in illa pasci à servis, dignatione, non conditione. Nam & ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnem, in qua esuriret quidem, & sitiret: sed nescitis quia in eremo (Matth. 4. 11.) esurienti Angeli ministrabant? Ergo quòd pasci voluit, pascenti præstitit. Quid autem mirum, si (3. Reg. 19. 6.) & de sancto Elia præstitit viduæ, quem priùs corvo ministrante pascebat? Numquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? [[a] Nequaquam. Non pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat:] sed religiosam viduam, per obsequium exhibitum servo suo, benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est Dominus, tamquam (Johan. 1. 11.) hospes, qui in sua propria venit, & sui eum non receperunt: sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; adoptans servos, & fratres faciens; redimens captivos, & faciens C coheredes. Ne quis tamen vestrûm forsitan dicat, O beati qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt! Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando jam Dominum non vides in carne: non tibi abstulit (Matth. 25. 40.) istam dignationem. Cùm uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

CAPUT II. (Marthæ & Mariæ officium utrumque bonum.)

3. Hæc de Domino pascendo in carne, sed pascente in spiritu, pauca pro tempore dixerimus: veniamus ad caussam, quam de unitate proposui. D Martha Dominum pascere disponens & præparans, circa multum ministerium occupabatur: Maria soror ejus pasci à Domino magis elegit. Deseruit quodam modo sororem suam circa multum ministerium laborantem, & sedit ipsa ad pedes Domini, & vacans audiebat verbum ejus. (Psal. 45. 11.) Auris fidelissima audierat: Vacate, & videte, quoniam ego sum Dominus. Illa turbabatur, ista epulabatur: illa multa disponebat, ista unum adspiciebat. Utrumque officium bonum: sed tamen E quod sit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, * patienter audiamus. Quid (* f. pariter.) sit melius, jam cùm legeretur audivimus, & me (Melius tamen Mariæ.) commemorante iterum audiamus. Interpellat Martha hospitem, ad judicem deponit postulationem piarum querelarum, quòd eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio adjuvare neglexerit. Non respondente illa, sed tamen præsente, judicat Dominus. Maria caussam suam tamquam otiosa judici maluit committere, nec F in respondendo voluit laborare. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Respondit ergo Dominus, qui in verbo non laborabat, quia Verbum erat. Quid er- (Luca 10. 41.) go dixit? *Martha, Martha.* Repetitio nominis indicium est dilectionis, aut fortè movendæ intentionis: ut audiret adtentiùs, bis vocata est, *Martha, Martha*, audi: *Tu circa multa es occu-* (ỷ. 42.) *pata;* * *unum autem opus est*: id est, unum necessarium est. Non unum opus quasi singulare opus: G sed opus est, expedit, necessarium est, quod unum hoc elegerat Maria.

CAPUT III. (Unum necessarium.)

4. Unum cogitate, Fratres mei, & videte in ipsa multitudine si delectat, nisi unum. Ecce Deo propitio quàm multi estis: quis vos ferret, nisi unum saperetis? Unde in multis quies ista? Da A unum, & populus est: tolle unum, & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum: Obsecro autem vos, fratres. Multitudini dicebat: sed omnes unum facere volebat. Obsecro autem vos, (1. Cor. 1. 10.) „fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in „vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem „sensu, & in eadem scientia. Et alio loco: Unanimes, unum sentientes, nihil per contentionem, (Philip. 2. 2. & 3.) neque per inanem gloriam. Et Dominus ad Patrem de suis: Ut sint unum, sicut & nos unum B (Johan. 17. 22.) sumus. Et in Actibus Apostolorum: Multitudinis autem credentium erat una anima & cor (Act. 4. 32.) unum. Ergo magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in unum. (Psal. 33. 3.) Quia unum est necessarium, unum illud supernum, unum ubi Pater & Filius & Spiritus-sanctus sunt unum. Videte nobis commendari unitatem. Certè Trinitas est Deus noster. Pater non est Filius, Filius non est Pater, Spiritus-sanctus nec Pater est, nec C Filius, sed amborum Spiritus: & tamen ista tria non tres dii, non tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens, ipsa Trinitas unus Deus: quia unum necessarium est. * Ad hoc unum non nos perducit, nisi multi habeamus cor unum.

*CAPUT IV. (Bonum Marthæ ministerium.)

5. Bona sunt ministeria circa pauperes, & maximè circa sanctos Dei servitia debita, obsequia religiosa. Redduntur enim, non dantur, dicente Apostolo, Si nos vobis spiritalia seminavimus, (1. Cor. 9. 11.) magnum est, si carnalia vestra metamus? Bona D sunt, exhortamur ad hæc, & in verbo Domini (Hebr. 13. 2.) ædificamus vos, nolite pigri esse ad suscipiendos sanctos. Aliquando nescientes, suscipiendo quos nesciebant, Angelos susceperunt. Bona sunt hæc: melius est tamen quod elegit Maria. Illud (Melior pars Mariæ.) enim habet ex necessitate occupationem: istud autem ex caritate suavitatem. Vult homo occurrere quando ministrat; & aliquando non potest: quæritur quod deest, paratur quod adest; distenditur animus. Nam si Martha ad illa sufficeret, E adjutorium sororis non posceret. Multa sunt, diversa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt: etsi bona sunt, transitoria sunt. Marthæ autem quid ait Dominus? *Maria meliorem partem elegit.* (Luca 10. 4.) Non tu malam, sed illa meliorem. Audi unde meliorem: *Quæ non auferetur ab ea.* A te auferetur aliquando onus necessitatis: æterna est dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea quod elegit. Non aufertur, sed tamen augetur. In hac autem vita augetur, in alia vita perficie- F tur, numquam auferetur.

CAPUT V. (Marthæ ministeriũ ad Mariæ quietem tendit.)

6. Ceterùm tu Martha, pace tua dixerim, in bono ministerio benedicta, pro isto labore tuo mercedem quæris, quietem. Modò occupata es circa multum ministerium, pascere vis mortalia corpora, licèt sanctorum: numquid cùm veneris ad illam patriam, invenies peregrinum, quem suscipias hospitio? invenies esurientem, cui panem frangas? sitientem, cui potum porrigas? ægrum, quem visites? litigantem, quem con- G cordes? mortuum, quem sepelias? Omnia ista ibi non erunt: sed quid ibi erit? Quod Maria elegit: ibi pascemur, non pascemus. Ideo hoc ibi erit plenum atque perfectum, quod hîc elegit Maria: de illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat. Nam vultis nosse quid ibi erit? Dominus ipse dicit de servis suis: Amen di- (Luca 12. 37.)

[a] Istud, *Nequaquam. Non pascendo defecerat* &c. abest à sincerioribus MSS.

Classis I.

co vobis, quia faciet eos recumbere, & transibit, & ministrabit illis. Recumbere quid est, nisi vacare? Recumbere quid est, nisi requiescere? Quid est, Transibit & ministrabit illis? Priùs transit, & sic ministrat. Sed ubi? In illo convivio superno, de quo dicit, Amen dico „ vobis, multi ab Oriente & Occidente venient, „ & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob „ in regno cælorum. Ibi Dominus pascit, sed priùs hinc transit. Nam ut noveritis, Pascha transitus interpretatur. Venit Dominus, fecit divina, passus est humana. Numquid adhuc conspuitur? Numquid adhuc expalmatur? Numquid adhuc spinis coronatur? Numquid adhuc flagellatur? Numquid adhuc crucifigitur? Numquid adhuc lanceâ vulneratur? Transivit. Denique & Evangelium sic loquitur, quando Pascha fecit cum discipulis suis. Quid dicit Evangelium? Cùm autem venisset hora, ut Jesus transiret de hoc mundo ad Patrem. Ergo ille transivit, ut pascat: nos sequamur, ut pascamur.

Matth. 8. 11. — *Johan. 13. 1.*

**Aliàs 27. de verbis Domini.*

* SERMO CIV.

Rursus in illud Evangelii Lucæ 10. ubi de Martha & Maria.

Caput I. Marthæ & Mariæ officia comparantur.

1. SANCTUM Evangelium cùm legeretur, audivimus à femina religiosa susceptum esse Dominum hospitio, eaque Martha vocabatur. Et cùm esset ipsa occupata in cura ministrandi, soror ejus Maria sedebat ad pedes Domini, & audiebat verbum ejus. Laborabat illa, vacabat ista: illa erogabat, hæc implebatur. Verumtamen Martha laborans multùm in illa occupatione & negotio ministrandi, interpellavit Dominum, & de sorore sua conquesta est, quòd eam laborantem non adjuvaret. Dominus autem pro Maria respondit Marthæ; & ipse ejus factus est advocatus, qui judex fuerat interpellatus. *Martha*, inquit, *circa multa es occupata*, * *quando* * *unum est necessarium.* * *Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Audivimus enim & interpellationem interpellantis, & sententiam judicis. Quæ sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini verbi Domini. Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum: intenta Maria quomodo pasceretur à Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jocundabatur. Cùm ergo Maria suaviter audiret verbum dulcissimum, & corde intentissimo pasceretur, interpellato Domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus, Surge, & adjuva sororem tuam? Mira enim suavitate tenebatur: quæ profectò major est mentis quàm ventris. Excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata? Attendamus, inspiciamus, perscrutemur quod possumus: ut pascamur & nos.

Lucæ 10. 41. ℣. 41. ℣. 43.

Ministerium Marthæ nõ reprehensum à Christo.

2. Quid enim? putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupaverat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? Quomodo rectè reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittant homines quod ministrant egentibus; eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis; vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini; occupentur circa scientiam salutarem; nihil eis curæ sit, quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis visitandus, quis redimendus, quis sepeliendus: vacent opera misericordiæ, uni instetur scientiæ. Si melior pars est, cur non omnes hoc faciunt, quando ipsum Dominum in hac caussa patronum habemus? Non enim timemus in hac re, ne offendamus ejus justitiam, cùm patronam teneamus ejus sententiam.

Serm. de Scripturis.

Caput II. Melior pars Mariæ.

3. Et tamen ita non est: sed sicut dixit Dominus, ita est. Quomodo intelligis, non est: est autem quomodo intelligere debes. Ecce adverte: *Circa multa es occupata, quando unum est necessarium. Maria meliorem partem elegit.* Non tu malam: sed illa meliorem. Sed unde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Præponitur unum multis. Non enim à multis unum, sed multa ab uno. Multa sunt quæ facta sunt, unus est qui fecit. Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, quàm multa sunt! Quis ista enumeret? quis horum multitudinem cogitet? Quis hæc fecit? Deus omnia. Ecce bona valde. Bona valde quæ fecit: quantò melior ille qui fecit? Attendamus igitur occupationes nostras circa multa. Necessarium est ministerium corpora refecturis. Quare hoc? Quia esuritur, quia sititur. Misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti; quia invenisti esurientem: tolle famem; cui frangis panem? Tolle peregrinationem; cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem; cui præparas vestem? Non sit ægritudo; quem visitas? Non sit captivitas; quem redimis? Non sit rixa; quem concordas? Non sit mors; quem sepelis? In illo sæculo futuro non erunt ista mala: ergo nec ista ministeria. Bene ergo Martha circa corporalem Domini, quid dicam, necessitatem an voluntatem? ministrabat carni mortali. Sed quis erat in carne mortali? In „ principio erat Verbum, & Verbum erat apud „ Deum, & Deus erat Verbum: Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Ecce Martha cui ministrabat. Ergo, *Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hoc enim elegit, quod semper manebit: *non auferetur ab ea.* Circa unum se voluit occupari. Jam tenebat: Mihi autem adhærere Deo, bonum est. Sedebat ad pedes capitis nostri. Quantò humiliùs sedebat, tantò ampliùs capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. *Circa multa es occupata: porrò unum est necessarium.* Jam hoc sibi Maria elegit. Transit labor multitudinis, & remanet caritas unitatis. Ergo quod elegit, *non auferetur ab ea.* A te autem quod elegisti, (utique hoc sequitur, utique hoc subintelligitur,) à te quod elegisti auferetur. Sed bono tuo auferetur, ut quod melius est detur. Auferetur enim à te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa jam in portu est.

Gen. 1. 31. — *Johan. 1. 1.* — *Ibidem 14.* — *Psal. 72. 28.*

Caput III. Duæ vitæ in Martha & Maria figuratæ.

4. Videtis ergo, Carissimi, & quantùm arbitror, jam intelligitis, in his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerant Domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ: videtis ergo, & magnum aliquid intelligitis, quicumque intelligitis; quod audire & scire debetis, etiam qui non intelligitis; in his duabus mulieribus, duas vitas

Classis I.

esse figuratas, præsentem & futuram, laboriosam & quietam, ærumnosam & beatam, temporalem & æternam. Duæ sunt vitæ: de illis vos copiosiùs cogitate. Quid habeat hæc vita, non dico mala, non iniqua, non nefaria, non luxuriosa, non impia; sed laboriosa & ærumnis plena, timoribus castigata, tentationibus sollicita: hanc ipsam innocentem vitam dico, qualem decebat habere Martham: hanc ergo, quantum potestis, inspicite; & de hac, ut dixi, copiosiùs quàm loquimur cogitate. Vita verò iniqua aberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum Maria: & si aliquando fuit, Domino intrante fugit. Remanserunt ergo in illa domo, quæ susceperat Dominum, in duabus feminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles: una laboriosa, altera otiosa; nulla facinorosa, nulla desidiosa. Ambæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles: sed una laboriosa, altera otiosa: nulla facinorosa, quam cavere debet laboriosa; nulla desidiosa, quam cavere debet otiosa. Erant ergo in illa domo istæ duæ vitæ, & ipse fons vitæ. In Martha erat imago præsentium, in Maria futurorum. Quod agebat Martha, ibi sumus: quod agebat Maria, hoc speramus. Hoc agamus bene, ut illud habeamus plenè. Nam quid inde habemus? Inquantum habemus? Quamdiu hîc sumus, quantum est quod inde habemus? Nam & modò inde aliquid agimus, remoti à negotiis, sepositis familiaribus curis, convenistis, statis, auditis. Inquantum hoc agitis, Mariæ similes estis. Et faciliùs vos [a] quod agit Maria, quàm ego qui prærogo. Si quid tamen dico, Christi est: [b] ideo vos pascit, quia Christi. Quia panis communis est, unde & ego vobiscum vivo. Nunc autem vivimus, si vos Fratres statis in Domino. Nolo in nobis, sed in Domino. Quia „neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: „sed qui incrementum dat Deus.

Duæ vitæ. — *1. Thess. 3. 8.* — *1. Cor. 3. 7.*

** Aliàs 19. de verbis Domini.*

* SERMO CV.

De verbis Evangelii Lucæ 11. Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, &c.

Caput I. Ad petendum à Deo similitudinibus Christus hortatur.

1. AUDIVIMUS nos exhortantem Dominum nostrum, cælestem magistrum, & fidelissimum consiliarium, eumdem hortatorem, ut petamus, & datorem cùm petimus. Audivimus eum in Evangelio hortantem nos eum petere instanter, & pulsare usque ad similitudinem improbitatis. Proposuit enim nobis, exempli gratiâ: Si quis vestrûm haberet amicum, à quo nocte peteret tres panes, cùm illi amicus de via venisset, & quod ei apponeret non haberet: si autem ille respondeat jam se requiescere, & servos suos secum, nec debere illius precibus inquietari, ille autem pulsando instet & perseveret, nec pudore territus abscedat, sed necessitate coactus immineat: surrecturum illum, etsi non propter amicitiam, certè propter illius improbitatem, & daturum ei quantos voluerit. Quantos autem voluit? Nihil plus ille voluit quàm tres. In hac ergo similitudine adjunxit hortationem Dominus, & omnino stimulavit nos petere, quærere, pulsare, donec accipiamus quod petimus, quod quærimus, quod pulsamus, usus exemplo à contrario: sicut de illo judice qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur, & tamen cùm eum quædam vidua interpellaret quotidie, tædio victus dedit quod beneficio non potuit invitus. Dominus autem noster Jesus Christus inter nos petitor, cùm Patre dator, non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere: plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari: & utique si non liberati fuerimus, nos miseri remanebimus. Nam ille quod nos hortatur, propter nos hortatur.

Lucæ 11. 5. — *Serm. de Scripturis.* — *Lucæ 18. 2.*

Caput II. Amicus de via veniens reficiendus.

2. Evigilemus, & hortanti credamus; promittenti obsequamur; & ad dantem gaudeamus. Fortassis enim & nobis aliquando venit amicus de via, & non invenimus quod ei apponeremus; & necessitatem passi sumus, & accepimus & nobis & illi. Fieri enim non potest, nisi ut aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem, quod respondere non possit: & tunc se invenit non habere, quando coactus est dare. Venit tibi amicus de via, id est, de vita hujus sæculi, in qua omnes velut peregrini transeunt, nec ullus quasi possessor manet; sed omni homini dicitur, Refectus es, transi; age iter, da venturo locum. Aut fortè de via mala, hoc est, de vita mala, fatigatus nescio quis amicus tuus, non inveniens veritatem, qua audita & percepta beatus fiat, sed lassatus in omni cupiditate & egestate sæculi, venit ad te, tamquam ad Christianum, & dicit, Redde mihi rationem, fac me Christianum. Et interrogat quod fortè tu per simplicitatem fidei nesciebas: & non est unde reficias esurientem, & te admonitus invenis indigentem; & cùm vis docere, cogeris discere: & dum erubescis eum qui interrogavit, quod quærebat non in te inveniens, compelleris quærere, ut merearis invenire.

Eccli. 29. 33.

Amicus alius media nocte interpellatus ut det tres panes.

3. Et ubi quæras? Ubi, nisi in Dominicis libris? Fortassis quod ille interrogavit, in libro positum est, sed obscurum est. Fortè dixit hoc Apostolus in epistola sua. Sic dixit, ut legere possis, intelligere non possis: transire non permitteris. Urget enim interrogator; ipsum Paulum, aut Petrum, aut aliquem Prophetam interrogare non sineris. Jam enim requiescit familia ista cum Domino suo, & sæculi hujus ignorantia valida est, hoc est, nox media, & urget amicus esuriens. Tibi fortè sufficiebat simplex fides, illi non sufficit. Numquid deserendus est? numquid de domo projiciendus est? * Ergo ad ipsum Dominum, ad ipsum cum quo familia requiescit, pulsa orando, pete, insta. Non quomodo amicus ille in similitudine positus, tædio victus surget & dabit. Dare vult: tu pulsans nondum accepisti; pulsa, dare vult. Et quod dare vult, differt, ut ampliùs desideres dilatum, ne vilescat citò datum.

** Caput III.*

Tres panes dati.

4. Cùm autem perveneris ad tres panes, hoc est, ad cibum & intelligentiam Trinitatis, habes & unde vivas, & unde pascas. Nec peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo civem domesticum facias: nec timeas ne finias. Non panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet. Panis est, & panis est; & panis est: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus.

[a] Hic editi addunt, *intenditis*: quod à MSS. abest.

[b] Lov. *ideo vos pascit Christus*: refragantibus editis aliis & MSS.

Æternus Pater, coæternus Filius, coæternus Spiritus-sanctus. Incommutabilis Pater, incommutabilis Filius, incommutabilis Spiritus-sanctus. Creator & Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Pastor & vitæ dator, & Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Cibus & panis æternus, & Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Disce, & doce; vive, & pasce. Deus qui tibi dat, nihil melius quàm se tibi dat. Avare, quid aliud quærebas? Aut si aliud petas, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit?

Caput IV. Fides, spes, caritas, Dei dona.

5. Sed opus est ut habeas caritatem, habeas fidem, habeas spem: ut possit tibi dulce esse quod datur. Et hæc ipsa tria sunt, fides, spes, caritas. Et hæc ipsa dona Dei sunt. Nam fidem ab ipso accepimus: Sicut Deus, inquit, unicuique partitus est mensuram fidei. (Rom. 12.3.) Et spem ab ipso accepimus, cui dicitur, In quo spem dedisti mihi. (Psal. 118. 49.) Et caritatem ab ipso accepimus, de quo dicitur, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. (Rom. 5. 5.) Sed hæc itidem tria aliquantulùm sunt diversa; sed omnia Dei dona. Manent enim tria hæc, fides, spes, caritas: major autem horum caritas. (2 Cor. 13. 13.) In illis panibus non est dictus aliquis panis major aliis: sed simpliciter petiti, & dati tres panes.

Tria eadē rursus significata.

6. Ecce alia tria: *Quis est vestrûm, à quo petit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?* (℣. 11.) *Aut quis est vestrûm, à quo petit piscem, numquid serpentem porriget ei?* (℣. 12.) ** Aut à quo petit ovum, numquid porriget ei scorpionem?* (℣. 13.) ** Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se?* Tria ergo rursus ista consideremus, ne fortè ibi sint illa tria, fides, spes, caritas: major autem horum caritas. Pone ergo tria, panem, piscem, ovum: major horum panis. (Panis, caritas. Piscis, fides.) Ideo bene panem intelligimus in his tribus caritatem. Propterea pani lapidem opposuit: quia duritia contraria est caritati. Piscem fidem intelligimus. Dixit quidam sanctus, & nos dicere delectat: Piscis bonus, pia est fides. Vivit inter fluctus, nec frangitur aut solvitur fluctibus. Vivit inter tentationes tempestatesque hujus sæculi, pia fides: sævit mundus, & integra est. Tantùm contrarium fidei serpentem illum observa. In fide enim desponsata est illa, cui dicitur in Canticis canticorum, Veni de Libano sponsa mea, veniens & pertransiens ab initio fidei. (Cant. 4. 8.) Ideo & desponsata, quia desponsationis initium fides est. Promittitur enim ab sponso aliquid, & promissa fide detinetur. Opposuit autem Dominus serpentem pisci, diabolum fidei. Propterea desponsatæ huic dicit Apostolus, Desponsavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. (2 Cor. 11. 2.) Et; Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic & vestri sensus corrumpantur à castitate quæ est in Christo: (Ibidem 3.) id est, quæ est in fide Christi. Habitare enim, inquit, Christum per fidem in cordibus vestris. (Ephes. 3. 17.) Diabolus ergo non corrumpat fidem, non devoret piscem.

Caput V. Ovum, spes.

7. Restat spes, quæ, quantum mihi videtur, ovo comparatur. Spes enim nondum pervenit ad rem: & ovum est aliquid, sed nondum est pullus. Quadrupedes ergo filios pariunt, aves autem spem filiorum. Spes ergo ad hoc nos hortatur, ut præsentia contemnamus, futura exspectemus; ea quæ retrò sunt obliviscentes, cum Apostolo in anteriora extendamur. Sic enim dicit: Unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. (Philip. 3. 13.) Nihil ergo tam inimicum est spei, quàm retrò respicere, id est, in eis rebus, quæ præterlabuntur & transeunt, spem ponere: sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dandæ quandoque numquam transibunt. Quando autem scatet tentationibus mundus, velut pluvia Sodomæ sulfurea, metuendum est exemplum uxoris Lot. (Gen. 19. 26.) Retrò enim respexit; & ubi respexit, ibi remansit. In salem conversa est, ut prudentes condiret exemplo. Apostolus Paulus de hac spe ita loquitur: Spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. (Rom. 8. 24. ℣. 25.) Quod enim videt quis, quid sperat? ovum est. Est ovum, & pullus nondum est. Et testudine tectum est: non videtur, quia operitur: cum patientia exspectetur; fervescat, ut vivificat. Intende, extendere in anteriora, obliviscere præterita. Quæ enim videntur, temporalia sunt. Non respicientes, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. (2. Cor. 4. 18.) In illa ergo quæ non videntur, extende spem: exspecta, sustine. Noli retrò respicere. Ovo tuo scorpium time. Vide quia de cauda percutit, quam retrò habet. Non ergo scorpius perimat ovum tuum, mundus iste spem tuam, ut ita dicam, veneno eo contrario, quo retrario. Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, ut retrò respicias? id est, ut in rebus præsentibus, (nec præsentibus, non enim dicenda sunt præsentia numquam stantia,) spem tuam ponas; & ab eo quod promisit Christus & nondum dedit, sed quia fidelis est dabit, avertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte.

Caput VI. Clades & vastationes quomodo Christianis utiles.

8. Ideo enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax: & de ipsis amaritudinibus conatur mundus avertere ab eo quod intendis in anteriora, & retrò convertere. De ipsis amaritudinibus, de ipsis tribulationibus murmuras, & dicis, Ecce pereunt omnia Christianis temporibus. Quid strepis? Non hoc promisit mihi Deus, quòd ista non peribunt: non hoc mihi promisit Christus. Æterna promisit æternus: si credidero, ex mortali fiam æternus. Quid strepis ô munde immunde? quid strepis? Quid avertere conaris? Tenere vis periens: quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta [a] mentiris? Ego si habeo spem, si teneo spem, ovum meum non est ab scorpione percussum. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. (Psal. 33. 2.) Felix sit mundus, evertatur mundus: Benedicam Dominum, qui fecit mundum. Benedicam prorsus. Secundùm carnem bene fit, secundùm carnem malè fit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Nam si benedico quando bene est, & blasphemo quando malè est; suscepi scorpionis aculeum, compunctus retrò respexi; quod absit à nobis. Dominus dedit, (Job. 1. 21.)

Dominus

a In Fossatensi codice additur, *dulcia*.

CLASSIS I. » Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita fa- » ctum est: sit nomen Domini benedictum.

Civitas & regnum in cælis æternum eos manent.

9. Manet civitas quæ nos carnaliter genuit. Deo gratias. Utinam & spiritaliter generetur, & nobiscum transeat ad æternitatem. Si non manet civitas quæ nos carnaliter genuit, manet quæ nos spiritaliter genuit. * Ædificans Jerusalem Dominus. Numquid dormitando ædificium suum perdidit, aut non custodiendo hostes admisit? Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Et quam civitatem? B Non dormit, neque dormitabit, qui custodit Israël. Quid est Israël, nisi semen Abrahæ? Quid est semen Abrahæ, nisi Christus? Et semini tuo, inquit, quod est Christus. Et nobis quid? Vos au- » tem Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundùm » promissionem heredes. In semine tuo, inquit, » benedicentur omnes gentes. Civitas sancta, civitas fidelis, civitas in terra peregrina, in cælo fundata est. O fidelis, noli corrumpere spem, noli amittere caritatem, accinge lumbos tuos, ac- C cende, prætende lucernas tuas, exspecta Dominum, quando veniat à [a] nuptiis. Quid expavescis, quia pereunt regna terrena? Ideo tibi cæleste promissum est, ne cum terrenis perires. Nam ista peritura prædicta sunt, prædicta omnino. Non enim negare possumus, quod prædictum est. Dominus tuus quem exspectas, dixit tibi, Exsurget gens super gentem, & regnum super regnum. Habent mutationes terrena regna: Veniet ille de quo dictum est, Et regni ejus non D erit finis.

CAPUT VII. Psal. 146. 2. Psal. 126. 1. Psal. 120. 4. Gal. 3. 16. &c. Lucæ 12. 35. Marci 13. 8. Lucæ 1. 33.

Terreno regno æternitas adulatoriè promissa.

10. Qui hoc terrenis regnis promiserunt, non veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt. Poëta illorum quidam induxit Jovem loquentem, & ait de Romanis:

Virg. lib. 6. Æneid.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. . . Non planè ita respondet veritas. Regnum hoc, quod sine fine dedisti, ô qui nihil dedisti, in terra est, an in cælo? Utique in terra. Et si esset in cælo, Cælum & E terra transient. Transient quæ fecit ipse Deus: quantò citiùs quod condidit Romulus? Fortè si vellemus hinc exagitare Virgilium, & insultare, quare hoc dixerit: in parte tolleret nos, & diceret nobis, Et ego scio, sed quid facerem qui Romanis verba vendebam, nisi hac adulatione aliquid promitterem quod falsum erat? Et tamen & in hoc cautus fui, quando dixi, Imperium sine fine dedi, Jovem ipsorum induxi, qui hoc diceret. Non ex persona mea dixi rem falsam, F sed Jovi imposui falsitatis personam: sicut Deus falsus erat, ita mendax vates erat. Nam vultis nosse quia ista noveram? Alio loco, quando non Jovem lapidem induxi loquentem, sed ex persona mea locutus sum, dixi, Non res Romanæ perituraque regna. Videte quia dixi peritura regna Dixi peritura regna, non tacui. Peritura veritate non tacuit: semper mansura adulatione promisit.

Lucæ 21. 33. Georg. 2.

CAPUT VIII. Constantia in ferendis adversis.

11. Non ergo deficiamus, Fratres: finis erit terrenis omnibus regnis. Nunc si finis est, Deus G videt. Fortè enim nondum est, & infirmitate quadam, vel misericordiâ, vel miseriâ hoc optamus, ut nondum sit: numquid tamen ideo non erit? Figite spem in Deum, æterna concupiscite, A æterna exspectate. Christiani estis, Fratres, Christiani sumus. Non ad delicias Christus in carnem descendit: toleremus potiùs præsentia quàm diligamus: adversorum est manifesta pernicies, prosperorum falsa blandities. Time mare & quando [b] malacia est. Omnino non frustra audiamus, Sursum cor. Quid ponimus cor in terra, cùm videamus quia evertitur terra? Nos non possumus nisi exhortari vos, ut habeatis quod dicatis, & quod pro spe vestra respondeatis insultatoribus & blasphematoribus nominis Christiani. Nemo vos murmurando avertat ab exspectatione futurorum. Omnes qui propter istas adversitates blasphemant Christum nostrum, cauda scorpionis sunt. Nos ovum nostrum sub alis illius gallinæ ponamus Evangelicæ, quæ clamat, Jerusalem, Jerusalem, illi falsæ & perditæ, quotiens volui colligere filios tuos, tamquam gallina pullos suos, & noluisti? Non nobis dicatur, Quotiens volui, & noluisti? Illa enim gallina divina sapientia est: sed assumsit carnem, ut pullis congrueret. Videte gallinam hispidam plumis, dimissis alis, voce fracta, & quassa, & lassa, & languida congruere parvulis suis. Ovum ergo nostrum, id est, spem nostram sub alis illius gallinæ ponamus.

SERM. DE SCRIPTURIS. b Sursum cor. Matth. 23. 37. Gallina Evangelica.

CAPUT IX. Romæ vastatio religioni Christianæ sive idololatriæ exstinctioni falsò tributa. 1. Cor. 4. 12.

12. Animadvertistis fortè, quomodo gallina concidat scorpionem. Utinam ergo & istos blasphemantes, in terra reptantes, de cavernis prodeuntes, & malè pungentes, illa gallina concidat & devoret, in corpus suum trajiciat, & in ovum vertat. Non irascantur: commoti videmur; sed maledicta maledictis non reddimus. Maledicimur & benedicimus, blasphemati deprecamur. Sed non dicat de Roma, dictum est de me: [c] O si taceat de Roma: quasi ego insultator sim, & non potiùs Domini deprecator, & vester qualiscumque exhortator. Absit à me, ut insultem. Avertat Deus à corde meo, & à dolore conscientiæ meæ. Ibi multos fratres non habuimus? non adhuc habemus? Portio peregrinantis Jerusalem civitatis non ibi magna degit? non ibi [d] temporalia pertulit? sed æterna non perdidit. Quid ergo dico, cùm de illa non taceo, nisi quia falsum est, quod dicunt de Christo nostro, quòd ipse Romam perdiderit, quòd dii lapidei Romam tuebantur & lignei? Adde pretium, ærei. Adde plus, argentei & aurei: Idola gentium argentum & aurum. Non dixit, lapis; non dixit, lignum; non dixit, testa: sed quod pro magno habent, argentum & aurum. Tamen ipsum argentum & aurum oculos habent, & non vident. Dii aurei & dii lignei ad pretium dispares sunt: ad habere oculos & non videre, pares sunt. Ecce qualibus Romam docti homines custodibus commiserunt, habentibus oculos, & non videntibus. Aut si Romam servare potuerunt, quare ipsi antè perierunt? Inquiunt: Tunc periit Roma. Tamen perierunt. Non, inquiunt, ipsi perierunt, sed simulacra eorum. Quomodo ergo custodirent tecta vestra, qui non potuerunt custodire simulacra sua? Alexandria olim tales deos perdidit. Constantinopolis ex quo condita est in magnam civitatem, quoniam à Christiano imperatore condita est, olim deos ipsos falsos perdidit: & tamen & crevit, & crescit, & manet. Quamdiu vult Deus

Psal. 113. 4.

a Omnes MSS. *ad nuptias.*
b Lov. *& quando tranquillum est.* Am. & Er. *& quando mollities est,* At MSS. *malitia,* seu veriùs, *malacia est.*

c Editi, *dictum est de meo. Sed taceat de Roma.*
d Aliquot MSS. *tempora pertulit.* Quidam, *temporalia protulit.*

Classis I. a

manet. Non enim & illi civitati, quia hoc dicimus, æternitatem promittimus. Carthago in nomine Christi manet, & olim eversa est [a] Cælestis; quia non fuit cælestis, sed terrestris.

Caput X. Eversis idolis non exinde Romanã cladem accidisse. b

13. Et illud quod dicunt non est verum, quia continuò diis perditis Roma capta est, afflicta est. Prorsus non est verum: antè simulacra ipsa eversa sunt; & sic victi sunt Gotthi cum Rhadagayso. Mementote Fratres, mementote: non est longum, pauci [b] anni sunt, recordamini. Eversis in urbe Roma omnibus simulacris, Rhadagaysus rex Gotthorum cum ingenti exercitu, multo numerosiore quàm Alarici fuit, venit. Paganus homo erat Rhadagaysus: Jovi sacrificabat quotidie. Nuntiabatur ubique, quòd à sacrificiis non desisteret Rhadagaysus. Tunc omnes isti, Ecce nos non sacrificamus, ille sacrificat, vinci habemus à sacrificante, quibus non licet sacrificare. Deus ostendens quia non in istis sacrificiis est ipsa temporalis salus, ipsa regna terrena, victus est Rhadagaysus, adjuvante Domino, miro modo. Postea venerunt Gotthi non sacrificantes, etsi fide Christiana non Catholici, tamen idolis inimici, venerunt idolis adversantes, & ipsi ceperunt: vicerunt de idolis præsumentes, & perdita idola adhuc quærentes, & perditis adhuc sacrificare cupientes. Sed ibi erant & nostri, & afflicti sunt: sed noverant dicere, Benedicam Dominum in omni tempore. Afflicti sunt in regno terreno: sed regnum cælorum non perdiderunt: immo ad illud capessendum exercitatione tribulationum meliores effecti sunt. Et si in tribulationibus non blasphemaverunt, tamquam integra vasa de fornace exierunt, & Dominica benedictione repleti sunt. Isti autem blasphematores, terrena sectantes, terrena desiderantes, in terrenis spem ponentes, cùm ista velint nolint perdiderint, quid tenebunt? ubi remanebunt? Foris nihil, intus nihil: inanis arca, inanior conscientia. Ubi requies? ubi salus? ubi spes? Veniant ergo, desinant blasphemare, discant adorare: scorpii pungentes à gallina comedantur, in corpus trajicientis convertantur; in terra exerceantur, in cælo coronentur.

De civit. Dei lib. 3. cap. 23.

Psal. 33. 2.

* SERMO CVI.

** Aliàs 30. de verbis Domini.*

De verbis Evangelii Lucæ 11. Nunc vos Pharisæi quod foris est paropsidis lavatis, *&c.*

Caput I. Pharisæorum exterior munditiεs.

1. Audistis sanctum Evangelium, quomodo Dominus Jesus, in eo quod Pharisæis dicebat, suos utique discipulos commonebat, ne in corporis mundatione putarent esse justitiam. Omni enim die Pharisæi, antè quàm pranderent, abluebant se aquâ: quasi quotidiana lavatio possit cordis esse mundatio. Denique quales essent, ostendit. Ille dicebat qui videbat: non enim tantùm facies eorum, sed etiam interiora cernebat. Denique ut hoc sciatis, ille Pharisæus, cui respondit Christus, apud se ipsum cogitavit, voce non sonuit, & ille tamen audivit. Apud se enim reprehendit Dominum Christum, quia sic venit ad convivium ejus

A non lotus. Ille cogitabat, hic audiebat, ideo respondebat. Quid ergo respondit? *Nunc vos Pharisæi quod foris est paropsidis lavatis: intus autem pleni estis dolo & rapinâ.* O venire ad prandium! quomodo [c] non pepercit homini à quo fuerat invitatus? Magis objurgando pepercit, ut correcto in judicio parceret. Deinde quid ostendit nobis? Quia & baptismum, quod semel adhibetur, per fidem mundat. Fides autem intus est, non foris. Unde dicitur & legitur in Actibus

Serm. de Scripturis. *Lucæ 11. 39.* c

B Apostolorum, Fide mundans corda eorum. Et apostolus Petrus in epistola sua ita loquitur: Sic, inquit, & vobis dedit similitudinem de arca " Noë, quomodo octo animæ salvæ factæ sunt per " aquam. Et adjunxit, Sic & vos simili formâ bap- " tisma salvos faciet, non carnis depositio sor- " dium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hanc " conscientiæ bonæ interrogationem Pharisæi contemnebant, & quod erat foris lavabant: intus inquinatissimi permanebant.

Act. 15. 9. *1. Pet. 3. 21.*

C 2. Et quid eis ait postea? *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Laudata est eleemosyna, facite & probate. Sed paulisper adtendite: Pharisæis dictum est. Pharisæi isti Judæi erant, quasi egregii Judæorum. Nobiliores enim atque doctiores tunc Pharisæi vocabantur. Baptismo Christi abluti non erant: in Christum Filium Dei unigenitum, qui inter illos ambulabat, & ab eis non agnoscebatur, nondum crediderant. Quomodo ergo eis dicit, *Da-*

Caput II. ŷ. 41. Eleemosyna an Pharisæis fide mundare possit.

D *te eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis?* Si audirent illum Pharisæi, & darent eleemosynas, jam secundùm verbum ejus munda illis essent omnia; quid opus erat ut crederent in eum Si autem mundari non possent, nisi credentes in eum qui fide mundat cor; quid est, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis?* Adtendamus, & fortè ipse exponit.

E 3. Cùm hæc dixisset, sine dubio cogitaverunt illi quia dabant eleemosynas. Et quomodo dabant? Omnia sua decimabant, de omnibus suis fructibus decimam partem detrahebant, & ipsam dabant. Non facilè hoc aliquis facit Christianus. Ecce quod faciebant Judæi. Non triticum solum, sed & vinum & oleum: neque hoc solum, sed etiam & res contemtibiles propter præceptum Dei, cyminum, rutam, mentam, & anethum totum decimabant: id est, decimam partem detrahebant, & eleemosynas dabant.

Eleemosynæ Pharisæorum insufficientes.

Matth. 23. 23.

F Credo ergo, quia revocaverunt ad se, & putaverunt Dominum Christum inaniter loqui, quasi eis qui non facerent eleemosynas: cùm ipsi scirent opera sua, quòd & minutissima & contemtibilia fructuum suorum decimabant, & eleemosynas dabant. Irriserunt illum apud se talia dicentem, quasi hominibus qui eleemosynas non facerent. * Hoc Dominus sciens, continuò subjunxit, *Verumtamen væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentam, cyminum & rutam, & omne olus.* Ut sciatis, novi eleemosynas vestras. Certè istæ

* Caput III. ŷ. 42.

G sunt eleemosynæ vestræ, istæ sunt decimæ: etiam minuta quæque & contemtibilia fructuum vestrorum decimatis: *Et relinquitis graviora Legis, judicium & caritatem.* Adtendite. Reliquistis ju-

[a] Editi, *eversa est à scelestis.* Castigamus ad MSS. *eversa est Cælestis.* Quæ nimirum dea à Paganis Afris colebatur. Ejus Augustinus meminit in lib 2. de civit. Dei c 4. & in Psal. 61 n. 7. & in 98 n. 14. De ipsius apud Carthaginem templo famosissimo in Christianæ religionis usum vindicato, quod anno 399. Aurelio antistite contigit, scribit Prosper in lib. de prædict. 3. cap. 38.

[b] Nempe Gotthorum cum Rhadagayso duce strages incidit in annum 406. Urbis verò clades à Gotthis sub Alarico pertinet ad annum 410.

[c] Am. Er. & MSS. *quomodo pepercit*; absque negante particula.

Classis I.

dicium & caritatem, & decimatis olera. Non est hoc facere eleemosynam. *Et hæc*, inquit, *oportet facere*, *& illa non omittere.* Quæ facere? *Judicium & caritatem*, *justitiam & misericordiam*; *& illa non omittere* Facite illa: sed ista præponite.

Vera eleemosyna quæ fieri jubetur.

4. Si hæc ita sunt, quid illis dixit, *Facite eleemosynam*, *& ecce omnia munda sunt vobis?* Quid est, *Facite eleemosynam?* Facite misericordiam. Quid est, Facite misericordiam? Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim es misericors alteri, si crudelis sis tibi? *Date eleemosynam*, *& omnia munda sunt vobis.* * Facite veram eleemosynam. Quid est eleemosyna? Misericordia. Audi Scripturam: Miserere animæ tuæ placens Deo. Fac eleemosynam, miserere animæ tuæ placens Deo. Mendicat ante te anima tua, redi ad conscientiam tuam. Quicumque malè vivis, quicumque infideliter vivis, redi ad conscientiam tuam: & ibi invenis mendicantem animam tuam, invenis egentem, invenis pauperem, invenis ærumnosam, invenis fortè nec egentem, sed egestate obmutescentem. Nam si mendicat, esurit justitiam. Quando inveneris talem animam tuam, (intus in corde tuo sunt illa,) fac priùs eleemosynam, da illi panem. Quem panem? Si Pharisæus interrogaret, diceret illi Dominus, Fac eleemosynam cum anima tua. Hoc enim illi dixit: sed ille non intellexit, quando enarravit illis eleemosynas quas faciebant, & putabant latere Christum; & ait illis, Novi quia facitis, decimatis mentam & anethum, cyminum & rutam: sed ego alias eleemosynas loquor: contemnitis judicium & caritatem. In judicio & caritate fac eleemosynam cum anima tua. Quid est in judicio? Respice, & inveni; displice tibi, pronuntia in te. Et quid est caritas? Dilige Dominum Deum in toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua; dilige proximum tuum tamquam te ipsum: & fecisti misericordiam priùs cum anima tua, in conscientia tua. Hanc autem eleemosynam si prætermittis, da quod vis, dona quantum vis; retrahe de fructibus tuis, non decimas, sed dimidias; novem partes da, & unam tibi dimitte: nihil facis, quando tecum non facis, & tecum pauper es. Anima tua vescatur, ne fame pereat. Da illi panem. Quem panem, inquit? Ipse tecum loquitur. Tu si audires, & intelligeres, & crederes [a] Domino, ipse tibi diceret, Ego sum panis vivus, qui descendi de cælo. Nonne istum panem primùm dares animæ tuæ, & faceres cum illa eleemosynam? Si ergo credis, debes facere, ut priùs pascas animam tuam. Crede in Christum, & mundabuntur quæ intus sunt: & quæ foris sunt munda erunt. Conversi ad Dominum [b] &c.

Caput IV. — Eccli. 30. 24. — Matth. 22. 37. &c. — Johan. 6. 41.

* SERMO CVII.

* Aliàs de Tempore 196. & de Diversis 28.

De verbis Evangelii Lucæ 12. Dico vobis, abstinete ab omni avaritia.

Caput I. Præceptum de cavenda omni avaritia.

1. QUI Deum timetis, non dubito quin verbum ejus cum timore audiatis, & cum hilaritate faciatis; ut quod promisit, modò speretis, pòst accipiatis. Dominum modò audivimus præcipientem nobis, Christum Jesum filium Dei. Præcepit nobis Veritas, quæ nec fallit, nec fallitur: audiamus, timeamus, caveamus. Quid ergo præcepit? *Dico*, inquit, *vobis*, *abstinete ab omni avaritia.* Quid est, *ab omni avaritia?* Quid est, *ab omni?* Quare addidit, *ab omni?* Posset enim sic dicere, Cavete ab avaritia. Pertinuit ad eum, ut adderet, *ab omni*: & diceret, *Cavete ab omni avaritia.*

Serm. de Scripturis. — Luca 12. 15.

Qua occasione datū à Christo.

2. Quare hoc dixerit, velut occasio ipsa unde natus est sermo, apparet nobis in sancto Evangelio. Interpellavit enim eum quidam contra fratrem suum, qui totum patrimonium abstulerat, & fratri suo partem suam non reddebat. Quàm bonam ergo caussam habuerit iste interpellator, advertitis. Non enim rapere quærebat aliena, sed sua à parentibus sibi relicta quærebat: ipsa Domino interpellato & judicante poscebat. Habebat iniquum fratrem: sed justum judicem invenerat contra iniquum fratrem. Deberet ergo perdere in tam bona caussa istam occasionem? Aut quis diceret fratri ejus, Redde partem suam fratri tuo, si Christus non diceret? Ille judex hoc dicturus erat, quem fortè frater ditior & raptor præmio corrumpebat? Miser ergo & paternis opibus destitutus tali ac tanto judice invento accedit, interpellat, rogat, caussam suam brevissimè exponit. Ut quid enim opus erat caussam perorare, quando ei loquebatur, qui cor poterat & videre? *Domine*, inquit, *dic fratri meo*, *ut dividat mecum hereditatem.* Non ei dixit Dominus, Veniat frater tuus. Sed nec misit, ut adesset, aut cùm adfuisset, interpellatori dixit, Proba quod dicebas. Petebat dimidiam hereditatem, petebat in terra dimidiam: in cælo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat, quàm ille postulabat.

℣. 13.

3. *Dic fratri meo*, *ut dividat mecum hereditatem.* Caussa justa, caussa brevis. * Sed audiamus & judicantem & docentem. *Homo*, ait. *Homo*: qui enim pro magno habes istam hereditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere aliquid plùs quàm est homo. Quid plus illum volebat facere, cui volebat avaritiam tollere? Quid eum plus volebat facere? Dico vobis: Ego dixi, Dii estis, & filii Altissimi omnes. Ecce quod eum volebat facere, inter deos numerare qui avaritiam non [c] habet. *Homo*, *quis me constituit divisorem inter vos?* Et Paulus apostolus servus ipsius, quando dicebat, Obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, nolebat esse divisor. Denique monuit eos qui ad ipsius nomen currebant, & Christum dividebant: Unusquisque vestrûm dicit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi. Divisus est Christus? numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Videte ergo, quàm mali sint homines, * qui volunt esse divisum, qui noluit esse divisor. *Quis me*, inquit, *constituit divisorem inter vos?*

*Caput II. Divisor hereditatis Christus esse nolens quid doceat. — Psal. 41. 6. — ℣. 14. — 1. Cor. 1. 10. — Ibidem 12. &c. — Donatistæ notantur.

4. Petisti beneficium: audi consilium. *Ego dico vobis*, *cavete ab omni cupiditate.* * Fortè, inquit, tu avarum & cupidum diceres, si quæreret aliena: ego autem dico, cupidè & avarè non appetas nec tua. Hoc est, *ab omni. Cavete*, inquit, *ab omni avaritia.* Magnum pondus. Si

*Caput III. Avaritiæ damnatur qui vel sua cupidè servat.

[a] Am. Er. & MSS. *& crederes Dominum.*
[b] Precatio post Sermones consueta hîc in editis & MSS. repræsentatur integra, sed non aliter atque habetur suprà in fine Sermonis 67, nisi quòd hîc in multis libris ita desinit: *Per Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*
[c] Am. & Er. *non habent.*

Classis I.

forte hoc pondus infirmis imponitur; rogetur A ut qui imponit, vires dare dignetur. Non enim leviter habendum est, Fratres mei, quando Dominus noster, Redemtor noster, Salvator noster, qui mortuus est pro nobis, qui sanguinem suum pretium dedit, ut redimeret nos, advocatus & judex noster; non est leve, quando dicit, *Cavete*. Novit ille quantum mali sit: nos non novimus, illi credamus. *Cavete*, inquit. Quid? unde? *Ab omni avaritia*. Meum servo, non alienum tollo. *Cavete ab omni avaritia*. Non B solùm avarus est, qui rapit aliena: sed & ille avarus est, qui cupidè servat sua. Sed si sic culpatur qui cupidè servat sua; quomodo damnatur qui rapit aliena? *Cavete*, inquit, *ab omni cupiditate: quia non in abundantia hominis est vita ejus ex his quæ ibi habet*. Multa qui recondit, quantum inde tollit ut vivat? Cùm tulerit inde, & quodam modo cogitatione separaverit quod sufficiat unde vivat, videat cetera cui remaneant: ne fortè cùm servas unde vivas, colligas unde moriaris. C Ecce Christus, ecce veritas, ecce severitas. *Cavete*, dicit veritas: *Cavete*, dicit severitas. Si non amas veritatem, time severitatem. *Non in abundantia hominis est vita ejus ex his quæ habet*. Crede illi, non te fallit. Contrà tu dicis, Immo in abundantia hominis est vita ejus ex his quæ habet. Ille te non fallit: tu te fallis.

Caput IV. Dives improbè servare proponit, non erogare.

5. Ex hac ergo occasione, quia interpellator ille partem suam quærebat, non alienam invadere cupiebat, nata est ista sententia Domini, D ut non diceret, Cavete ab avaritia: sed adderet, *ab omni avaritia*. Parum fuit: dat alterum exemplum de quodam divite, cui successerat regio.

℣. 16. *Erat*, inquit, *homo dives, cui successerat regio*. Quid est, *successerat*? Magnos fructus adtulerat regio quam possidebat. Quàm magnos fructus? Ut non inveniret ubi poneret: factus est subitò per abundantiam angustus, avarus antiquus. Quot enim anni jam transierant, & tamen horrea illa suffecerant? Tantum ergo natum est, ut E loca non sufficerent quæ solebant. Et quærebat consilium miser, non quomodo erogaret, quod plus natum erat, sed quomodo reservaret: & cogitando invenit consilium. Quasi sapiens sibi visus est, inveniendo consilium. Prudenter cogitavit, sapienter vidit. Quid vidit sapienter?

℣. 18. *Destruam*, inquit, *horrea vetera, & faciam nova*

℣. 19. *ampliora, & implebo ea: * & dico animæ meæ*. Quid dicis animæ tuæ? *Anima, habes multa bona in annos plurimos reposita, requiesce, manduca*, F *bibe, epulare*. Hoc dixit sapiens inventor consilii animæ suæ.

℣. 20. 6. *Et Deus ad illum:* qui nec cum stultis loqui dedignatur. * Aliquis vestrûm fortè dicat,

*Caput V. Animæ consulendum non ut habeat bona, sed ut ipsa sit bona.

Et quomodo Deus cum stulto locutus est? O Fratres mei, cum quantis stultis hîc loquitur, quando Evangelium recitatur? Quando lectum est, qui audiunt & non faciunt, stulti non sunt? Quid ergo ait Dominus? Quia ille sibi iterum in inveniendo consilio sapiens videbatur. *Stulte*, G inquit: *Stulte*, qui tibi sapiens videris: *Stulte*, qui dixisti animæ tuæ, *Habes multa bona reposita in annos plurimos: hodie repetitur à te anima tua*. Cui dixisti, *Habes multa bona:* hodie repetitur, & nullum habet bonum. Contemnat hæc bona, & sit ipsa bona; ut quando repetitur, exeat secura. Quid enim est iniquius homine, qui multa bona habere vult, & bonus ipse esse non vult? Indignus es qui habeas, qui non vis esse quod vis habere. Numquid enim vis habere villam malam? Non utique, sed bonam. Numquid uxorem malam? Non, sed bonam. Numquid denique casulam malam? Numquid vel caligam malam? Quare animam solam malam? Non hîc dixit stulto huic vana cogitanti, horrea ædificanti, & ventres pauperum non videnti: non illi ait, Hodie anima tua rapietur ad gehennam: nihil horum dixit: sed, *repetitur à te*. Non tibi dico anima tua quò sit itura: hinc tamen ubi illi tanta servas, velis nolis, est migratura. Ecce stulte, cogitasti implere horrea nova majora, quasi non sit quid inde fiat.

Serm. de Scripturis

Caput VI. Signum Christi in fronte intus portantes securi sunt inter malos.

7. Sed fortasse ille nondum fuit Christianus. Nos audiamus, Fratres, quibus credentibus Evangelium recitatur, à quibus qui illa dixit adoratur, cujus signum à nobis in fronte portatur, & in corde habetur. Interest enim plurimum ubi habeat homo signum Christi, utrùm in fronte, an & in fronte & in corde. Audistis [a] quid hodie Ezechiel sanctus propheta loquebatur, quemadmodum antè quàm mitteret Deus exterminatorem populi iniqui, misit primitus signatorem, & ait illi, Vade, & da signum in frontibus eorum qui gemunt & mærent de peccatis populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Non dixit, quæ fiunt * extra ipsos; sed, in medio eorum. Gemunt tamen & mærent: & ideo signati sunt in fronte; in fronte interioris hominis, non exterioris. Est enim frons in facie, est frons in conscientia. Denique aliquando quando interior frons pulsatur, exterior obrubescit: aut pudore obrubescit, aut timore pallescit. Est ergo frons hominis interioris. Ibi signati sunt illi, ne vastarentur: quia etsi peccata quæ fiebant in medio eorum, non corrigebant; tamen dolebant, & ipso se dolore separabant; & separati Deo, oculis hominum mixti erant. Signantur occultè, non læduntur apertè. Mittitur postea vastator, & dicitur ei, Vade, vasta, non parcas minoribus, majoribus, masculis, feminis: sed ad eos qui habent in fronte signum, non appropinques. * Quanta securitas vobis data est, Fratres mei, qui estis in hoc populo gementes, & mærentes iniquitates quæ fiunt in medio vestrûm, & non facientes?

Ezech. 9. 4.

* Hæc in Donatistas.

Ibidem 6.

*Caput VII. Omnis avaritia, et peccatis præcidenda.

8. Ut autem iniquitates non faciatis, *Cavete ab omni avaritia*. Dico vobis latiùs, quid est *ab omni avaritia*. In libidine avarus est, cui uxor non sufficit sua. Et ipsa idololatria dicta est avaritia: quia & in ipsa divinitate avarus est, cui non sufficit Deus unus & verus. Quæ sibi facit multos deos, nisi avara anima? Quæ sibi facit * martyres falsos, nisi avara anima? *Cavete ab omni avaritia*. Ecce amas tua, & jactas te, quia non quæris aliena: vide quid mali facias non audiendo Christum dicentem, *Cavete ab omni avaritia*. Ecce amas tua, non tollis aliena: de labore habes, de justitia habes: heres relictus es, donavit tibi quem promeruisti: navigasti, periclitatus es, fraudem non fecisti, mendacium non jurasti, quod Deus voluit adquisisti: & servas cupidè tamquam in bona conscientia, quia non habes de malo, & non quæris aliena. Si non audieris illum qui dixit, *Cavete ab omni avaritia*, audi quanta mala facturus es propter tua. Ecce contigit, verbigra-

* Donatistarum martyres indicantur.

[a] MSS. *Audistis quando Ezechiel.*

Classis I.

tiâ, ut fieres judex. Non corrumperis, quia non A quæris aliena: nemo tibi dat præmium, & dicit, Judica contra adversarium meum. Absit, homo qui non quæris aliena, quando tibi hoc persuaderi potest? Vide quid mali facturus sis propter tua. Ille qui vult ut malè judices, & pro ipso feras sententiam contra adversarium ipsius, fortè potens homo est, & potest tibi calumniam facere, ut perdas tua. Adtendis potentiam ipsius, cogitas illam, cogitas tua quæ servas, quæ amas: non quæ possedisti, sed quibus malè inhæsisti. Adten- B dis viscum tuum, propter quod liberas virtutis non habes pennas: & dicis apud te ipsum, Offendo hominem istum, multum potest ad tempus: suggeret de me mala, & proscribor, & perdo quod habeo. Judicaturus es malè, non cùm quæris aliena, sed cùm servas tua.

Caput VIII. Rursus de periculo avari vel sua cupidè servantis.

9. Da mihi hominem qui audivit Christum, da mihi hominem qui cum timore audivit, *Cavete ab omni cupiditate*: & non mihi dicat, Ego homo pauper sum, plebeius, mediocris, gregalis, quan- C do spero me judicem futurum? Non timeo istam tentationem, cujus periculum ante oculos posuisti. Ecce dico & pauperi quid timere debeat. Vocat te dives & potens, ut pro illo dicas falsum testimonium. Quid facturus es modò? Dic mihi. Habes bonum peculium: laborasti, adquisisti, servasti. Exigit ille, Dic pro me falsum testimonium, & tantum & tantum dono tibi. Tu qui non quæris aliena, Absit à me, inquis: non quæro quod mihi noluit Deus dare, non accipio: re- D cede à me. Non vis accipere quod do? quod habes tollo. Ecce modò te proba, modò te interroga. Quid me adtendis? Intus te adtende, intus te vide, intus te examina: sede ad te, & constitue te ante te, & in eculeum præcepti Dei extende te, & timore torque te, & noli te palpare: responde tibi. Ecce si hoc quisquam minetur, quid facies? [a] Tollo tibi quod cum tanto labore adquisisti, nisi pro me falsum testimonium dixeris. Da illum: *Cavete ab omni avaritia*. O serve meus, di- E cet tibi, quem redemi & liberum feci, quem de servo fratrem adoptavi, quem in corpore meo membrum posui, audi me: Tollat quod adquisisti, me tibi non tollet. Ne pereas, servas tua? Nonne tibi dixi, *Cavete ab omni cupiditate?*

Caput IX. Avaritia vitæ etiam ipsa cavenda.

10. Ecce turbaris, ecce fluctuas: cor tuum quasi navis tempestatibus quatitur. Dormit Christus: excita dormientem, & non patieris tempestatem sævientem. Ipsum excita, qui nihil hîc habere voluit, & totum habes, qui usque ad cru- F cem pro te pervenit, cujus nudi atque pendentis ossa ab insultantibus numerata sunt: & cave ab omni avaritia. Parum est avaritia pecuniæ: cave avaritiam vitæ. Horrenda avaritia, metuenda avaritia. Aliquando homo contemnit quod habet, & dicit, Non dico falsum testimonium: non dico. Dicis mihi, Tollo quod habes. Tolle quod habeo: non tollis quod intus habeo. Non enim pauper remanserat qui dicebat, Dominus dedit, Job. 1. 21.
" Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita fa- G
" ctum est: ergo sit nomen Domini benedictum.
" Nudus exii de utero matris meæ, nudus revertar
" in terram. Nudus foris, intus vestitus. Nudus foris à pannis, & putribilibus pannis, intus vestitus. Unde? Sacerdotes tui induantur justitiâ. Sed quid si dicat, cùm contemseris ea quæ possides, quid si dicat, Occido te? Responde illi, si Christum audisti, Occides me? Meliùs tu [b] occides carnem meam, quàm ego per linguam falsam animam meam. Quid facturus es mihi? Occisurus es carnem: exit anima libera, in fine sæculi & ipsam quam contemsit carnem receptura. Quid ergo mihi facturus es? Si autem falsum testimonium dixero pro te, de lingua mea occido me; & non in carne occido me: Os enim quod mentitur, occidit animam. Fortè hoc non dicis. Unde non dicis? Vivere vis: plus vis vivere, quàm Deus constituit? Certè caves ab omni avaritia? Huc usque Deus voluit ut vivas, quò usque iste ad te accessit. Fortè te occisurus est, ut martyrem faciat. Noli habere cupiditatem vivendi: & non habes [c] æternitatem moriendi. Videtis quia ubique avaritia illa, cùm plus volumus quàm opus est, facit nos peccare? Caveamus ab omni avaritia, si volumus frui æternâ sapientiâ.

Serm. de Scripturis. Psal. 131. 9.

* SERMO CVIII.

* Aliàs 39. de verbis Domini.

De verbis Evangelii Lucæ 12. Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes, & vos similes *&c. deque verbis Psalmi* 33. Quis est homo qui vult vitam *&c.*

Caput I. De exspectando adventu Domini.

1. DOMINUS noster Jesus Christus & venit ad homines, & abscessit ab hominibus, & venturus est ad homines. Et tamen hîc erat quando venit, nec recessit quando abscessit, & ad eos venturus est quibus dixit, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Secundùm formam ergo servi, quam suscepit pro nobis, quodam tempore natus est, & occisus est, & resurrexit, & non jam moritur, nec mors ei ultrà dominabitur: secundùm divinitatem autem, qua æqualis est Patri, in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & " mundus eum non cognovit. De hoc audistis mo- " dò Evangelium, quid monuerit nos, [d] cautos nos faciens, & volens esse expeditos & paratos ad exspectanda novissima: ut post novissima, quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies, quæ non habet finem. Beati qui participes facti fuerint. Erunt autem tunc securi, qui modò non sunt securi: & iterum tunc timebunt, qui modò timere nolunt. Ad hanc exspectationem & propter hanc spem Christiani facti sumus. Nonne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amemus sæculum. Ab amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum speremus & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiscentiis, hoc est, lumbos accinctos habere debemus: & fervere & lucere in operibus bonis, hoc est, lucernas ardentes habere. Dixit enim ipse Dominus discipulis suis alio loco Evangelii, Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub " modio, sed super candelabrum, ut luceat omni- " bus qui in domo sunt. Et ut ostenderet unde di- " cebat, subjecit & ait, Sic luceat lumen vestrum " coram hominibus, ut videant bona facta vestra, "

Matth. 28. 20. — Rom. 6. 9. — Johan. 1. 10. — Christiani quare facti sumus. — Sæculum istud non amandum. — Matth. 5. 15. — Ibidem 16.

[a] Editi, *Credo tibi, quia quod cum tanto labore adquisisti, minime perdere vis. Minatur tibi, Nisi pro me falsum testimonium dixeris, tollo illud: sed si pro me falsum testimonium dixeris, do illud.* Cavete &c. Breviùs & nitidiùs nos ex MSS.

[b] Verbum *occides* abest à MSS.

[c] In Colbertino MS. *hereditatem moriendi.*

[d] In MSS. additur, *vel admonuerit.*

CLASSIS I.

& glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

CAPUT II. Tria in Evangelio commendata.

2. Ideo lumbos nostros accinctos esse voluit, & lucernas ardentes. Quid est, lumbos accinctos? *Declina à malo.* (Luca 12. 35.) Quid est lucere? quid est lucernas ardentes habere? Hoc est, *Et fac bonum.* Quid est quod adjunxit & ait, *Et vos similes estote hominibus exspectantibus dominum suum quando veniat à nuptiis:* (Psal. 33. 15. Luca 12. 36.) nisi quod in illo Psalmo sequitur, *Inquire pacem, & sequere eam?* (Psal. 33. 15.) Hæc tria, hoc est, abstinentia à malo, & operatio boni, & spes præmii æterni commemorata sunt in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est, Quia docebat eos Paulus de continentia, de justitia, & spe vitæ æternæ. (Act. 24. 25.) Ad continentiam pertinet, *Sint lumbi vestri accincti.* Ad justitiam pertinet, *Et lucernæ ardentes* [a]. Ad exspectationem Domini pertinet, quæ est spes vitæ æternæ. Ergo, *Declina à malo,* hæc est continentia, hi sunt lumbi accincti: *Et fac bonum,* hæc est justitia, hæ sunt lucernæ ardentes: *Quære pacem & sequere eam,* hæc est exspectatio futuri sæculi: ergo, *Similes estote hominibus exspectantibus dominum suum quandò veniat à nuptiis.*

CAPUT III. Dies boni frustra hîc quærūtur.

3. Habentes autem ista præcepta & promissa, quid quærimus in terra dies bonos, ubi eos invenire non possumus? Scio enim quia eos quæritis, quando aut ægrotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abundant in isto sæculo. Quoniam quando ætas vergit ad finem, & senex plenus est querelis, & nullis gaudiis. Inter omnes tribulationes, quibus conteritur genus humanum, non quærunt homines nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hîc habere non possunt. Quia & longa hominis vita tantâ brevitate constringitur ad universi sæculi illius latitudinem, quasi si una gutta ad universum mare. Quid ergo est vita hominis, etiam illa quæ longa dicitur? Longam vitam dicunt, quæ in sæculo isto brevis est: &, sicut dixi, abundant gemitus usque ad decrepitam senectutem. Hoc totum modicum & breve est: & tamen quomodo quæritur ab hominibus, quantâ diligentiâ, quanto labore, quantâ curâ, quantâ vigilantiâ, quanto opere quærunt homines, ut diu hîc vivant & senescant? (Diu vivere, quid.) Ipsum autem diu vivere quid est, nisi ad finem currere? Habuisti hesternum diem, habere vis & crastinum diem. Sed cùm iste transierit & crastinus, minùs illum habes. Ideo optas ut lucescat dies, ut propinquet tibi quò tu non vis pervenire. Exhibes aliquam sollemnitatem amicis tuis, audis ibi à bene optantibus dici tibi, Multos annos vivas: vis ut veniat quod illi dixerunt. Quid? Ut veniant anni & anni, & non vis veniat finis annorum? Studia tua contraria sunt: ambulare vis, & pervenire non vis.

CAPUT IV. Vita & dies boni ubi quærendi.

4. Verumtamen, ut dixi, si tanta cura inest hominibus, ut quotidianis, magnis perpetuisque laboribus cupiant, ut tardiùs moriantur: quantâ curâ agendum est, ut numquam moriantur? Inde nemo vult cogitare. Quotidie quæruntur in isto sæculo dies boni, ubi non inveniuntur: & nemo vult sic vivere, ut illuc perveniat ubi inveniuntur. Ideo admonet eadem Scriptura, & dicit, *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* (Psal. 33. 13.) Sic interrogavit Scriptura, ut sciret quid illi responderetur: sciens quòd omnes homines vitam quærerent, & dies bonos. Pro desiderio ipsorum interrogavit, tamquam sibi de omnium corde responderetur, Ego volo: sic dixit, *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* Quemadmodum etiam istâ horâ, qua vobis loquor, cùm audistis me dixisse, *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* omnes respondistis in corde vestro, Ego. Nam & ego qui vobiscum loquor, vitam volo & dies bonos: quod quæritis vos, hoc quæro & ego.

SERMO DE SCRIPTURIS.

5. Quomodo si aurum nobis omnibus esset necessarium, & ego ad aurum unà vobiscum pervenire volens, & esset alicubi in agro vestro, in loco vestræ potestati subdito, & viderem vos quærentes aurum, & dicerem vobis, Quid quæritis? responderetis mihi, Aurum. Et ego vobis dicerem, Aurum quæritis, & ego aurum quæro: quod quæritis, & ego quæro: sed non ibi quæritis ubi possimus invenire. * Ergo audite me, ubi possimus invenire: vobis non tollo, locum vobis ostendo: immo sequamur omnes eum, qui novit ubi sit quod quærimus. (*CAPUT V.) Sic & nunc, quia desideratis vitam & dies bonos, non possumus vobis dicere, Nolite desiderare vitam & dies bonos: sed illud dicimus, Nolite hîc quærere in hoc sæculo vitam & dies bonos, ubi boni esse non possunt. Nonne vita ipsa morti similis est? Dies autem ipsi properantes transeunt; quia hodiernus dies hesternum exclusit: crastinus ideo nascitur, ut excludat hodiernum. Ipsi dies non stant: tu quare cum illis vis stare? Desiderium ergo vestrum, quo vultis vitam & dies bonos, non solùm non reprimo, sed etiam vehementiùs accendo. Prorsus quærite vitam, quærite dies bonos: sed ubi possunt inveniri, ibi quærantur.

6. Vultis enim audire mecum consilium ejus, qui novit ubi sint dies boni, & ubi sit vita? (Quid agendum ut obtineantur dies boni.) Audite non à me, sed mecum simul. Ait enim nobis quidam, *Venite filii, audite me.* Et concurramus, & stemus, & aures arrigamus, & corde intelligamus Patrem qui dixit, *Venite filii, audite me, timorem,* inquit, *Domini docebo vos.* (Psal. 33. 12.) Et quam rem vult docere, & cui rei utilis est timor Domini, sequitur: * *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* (*CAPUT VI. Ibidem 13.) Respondemus omnes, Nos volumus. Quod sequitur audiamus. *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* (Ibidem 14.) Modò dic, Ego. Jam dudum quando dicebam, *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* omnes respondebamus, Ego. Eia respondeat mihi aliquis, Ego. Ergo, *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Dic modò, Ego. Ergo dies bonos & vitam vis, cohibere linguam tuam à malo non vis, & labia tua ne loquantur dolum? Ad mercedem alacer, ad opus piger. Et cui non operanti redditur merces? Utinam in domo tua vel operanti mercedem reddas. Nam scio quia non operanti non reddis. Quare? Quia nihil operanti nihil debes. Et Deus proposuit mercedem. (Vita, & dies boni.) Quam mercedem? *Vitam & dies bonos,* quam omnes desideramus, & ad quos dies omnes venire conamur. Promissam mercedem daturus est. Quam mercedem? *Vitam &*

[a] Non addit, *in manibus vestris.* Quæ verba in excusis quidem Bibliis Vulgatæ nunc insunt Versioni, sed ab ipsa olim aberant in MSS. Bibliis Germanensibus nostris & Corbeiensibus, sicuti absunt à textu Græco. Eumdem locum absque istis verbis refert Augustinus suprà in Serm. 93. n. 3. in Serm. de Continentia cap. 7. in quæst. Evangel. lib. 2. cap. 25. &c.

Classis I. *dies bonos*. Et qui sunt dies boni? Vita sine fine, requies sine labore. A

7. Magnam mercedem proposuit: in tanta proposita mercede, videamus quid jussit. Jam enim mercede tantæ pollicitationis & amore mercedis accensi, paremus jussioni ejus vires nostras, latera, lacertos. Quasi jussurus est onera grandia nos portare, fortè aliquid fodere, fortè
* Caput VII. Lingua cohibenda. aliquam machinam erigere? * Non tibi jussit rem laboriosam, sed membrum quod inter omnia membra citò moves, ipsum tibi præcepit cohibere. *Cohibe linguam tuam à malo.* Non est labor erigere fabricam, & labor est tenere linguam? *Cohibe linguam tuam à malo.* Noli loqui mendacium, noli loqui criminationes, noli loqui calumnias, noli loqui falsa testimonia, noli loqui blasphemias. *Cohibe linguam tuam à malo.* Vide quomodo irasceris, si quis de te malè loquatur. Quomodo irasceris alteri, quando de te malè loquitur: sic irascere tibi, quando de altero malè loqueris. *Labia tua ne loquantur dolum.* Quod est intus in corde tuo, hoc dicatur foris. Non aliud pectus tegat, & aliud lingua proferat. *Declina à malo, & fac bonum.* Nam quomodo dicturus sum ei, Vesti nudum, qui adhuc vult spoliare vestitum? Nam qui premit civem suum, quomodo habet suscipere peregrinum? Ergo per ordinem, priùs *declina à malo, & fac bonum:* priùs accinge lumbos tuos, & tunc accende lucernam. Et cùm hoc feceris, securus exspecta *vitam & dies bonos. Quære pacem, & sequere eam:* & tunc bona fronte dices Domino, Feci quod jussisti, redde quod promisisti.

* Aliàs 1. de verbis Domini.

SERMO CIX.

a *De verbis Evangelii Lucæ.* 12. Faciem cæli & terræ nostis probare *&c. deque istis*, Si vadis [a] cum adversario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo, *&c.*

Caput I. Tempore misericordiæ utendū ad pænitentiam. 1. Evangelium audivimus, & in eo Dominum eos arguentem, qui faciem cæli norunt probare, & tempus fidei regni cælorum appropinquantis nesciunt invenire. Judæis autem hoc dicebat: sed etiam ad nos sermo pervenit. Dominus autem ipse Jesus Christus Evangelii sui prędicationem ita cœpit: Agite pænitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum. Similiter & Johannes baptista & præcursor ipsius ita cœpit: Agite pænitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum. Et modò corripit eos Dominus, qui nolunt agere pænitentiam, appropinquante regno cælorum. Regnum cælorum, sicut ipse ait, non veniet cum observatione. Et iterum ipse ait, Regnum cælorum intra vos est. Prudenter ergo accipiat unusquisque monita præceptoris, ut non perdat tempus misericordiæ Salvatoris, quæ modò impenditur, quamdiu generi humano parcitur. Ad hoc enim parcitur homini, ut convertatur, & non sit qui damnetur. Viderit Deus quando veniat finis sæculi: est tamen modò tempus fidei. Finis sæculi utrùm hîc aliquem nostrûm inveniat, nescio: & fortasse non inveniet. Tempus cuique nostrûm, proximum est, quia mortales sumus. Inter casus

(Matth. 4. 17. — Matth. 3. 2. — Luca 17. 20. — Ibidem 21.)

ambulamus. Si vitrei essemus, minùs casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? Et tamen servatur, & durat per sæcula. Etsi enim casus vitreo vasi timentur, senectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores sumus: quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate utique nostra quotidie formidamus; & si ipsi casus non accedant, tempus ambulat: vitat homo ictum, numquid vitat exitum? vitat quæ extrinsecùs eveniunt, numquid quod B intus nascitur pellitur? Denique nunc lumbricos gignunt interiora, nunc morbus quilibet subitò occupat: postremò quàntumvis homini parcatur, novissimè senectus cùm venerit, non est [b] quò differatur.

(c Serm. de Scripturis. — Vitro fragiliores sumus. — b)

Caput II. Quis sit adversarius ille cui consentire jubemur. 2. Proinde audiamus Dominum, in nobis ipsis agamus quod præcepit. Videamus quis est ille adversarius, de quo nos terruit, dicens, *Si vadis cum adversario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo; ne fortè tradat te principi,* C *& princeps ministro, & mittaris in carcerem, unde non exies, donec solvas novissimum quadrantem.* (Luca 12. 58.) Quis est iste adversarius? Si diabolus: jam liberati sumus ab illo. Quale pretium pro nobis datum est, ut ab illo redimeremur? De quo dicit Apostolus, loquens de ipsa redemtione nostra, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ. (Col. 1. 13.) Redemti sumus, diabolo renuntiavimus: quomodo dabimus operam liberari ab illo, ne nos iterum captivos faD ciat peccatores? Sed non est ipse adversarius, de quo nos Dominus commonet. Alio enim loco alius Evangelista sic illud posuit, ut si utraque verba jungamus, & utraque verba sibi Evangeliorum duorum comparemus, adversarium istum citò intelligamus. Ecce enim hîc quid dixit? *Cùm vadis ad principem cum adversario tuo, da operam in via liberari ab eo.* (Luca 12. 58.) Alius autem Evangelista hoc ipsum sic posuit: *Esto consentiens adversario tuo citò cùm es cum illo in via.* (Matth. 5. 25.) E Cetera similia sunt: *ne fortè adversarius tradat te judici, judex ministro, minister in carcerem.* Ambo Evangelistæ similiter hoc explicaverunt. Unus dixit, *Da operam in via liberari ab illo:* alter dixit, *Consenti illi.* Non enim poteris liberari ab illo, nisi ei consenseris. Vis liberari ab illo? *Consenti illi.* Numquid diabolus est, cui debeat consentire Christianus?

Caput III. Adversarius noster, sermo Dei. V. suprà Serm. 9. cap. 3. 3. Quæramus ergo istum adversarium, cui debemus consentire, ne tradat nos judici, & juF dex ministro: quæramus illum, & consentiamus illi. Si peccas, adversarius tuus sermo Dei est. Verbi caussâ, Forsitan delectat te inebriari: dicit tibi, Noli. Delectat te spectare & nugari: ille dicit tibi, Noli. Delectat te adulterari: dicit tibi sermo Dei, Noli. In quibuscumque peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi, Noli. Adversarius est voluntatis tuæ, [c] donec fiat auctor salutis tuæ. O quàm bonus adversarius, quàm utilis adversarius! Non quærit nostram G voluntatem, sed utilitatem. Adversarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes semonem Dei: esto tibi amicus, & concordas cum ipso. Non homicidium feceris: audi, & concordasti. Non (Exodi 20. 13. &c.)

a Possidius in Indiculo cap. 8. hunc fortè Sermonem notat his verbis, *De Evangelio ubi scriptum est, Concorda cum adversario tuo, cùm es cum illo in via.*

b MSS. *quod differatur.*

c Isthæc verba, *donec fiat auctor salutis tuæ*, absunt à MSS. & ab editis Am. & Er.

Classis I.

furtum facias: audi, & concordasti. Non mœchaberis: audi, & concordasti. Non falsum testimonium dicas: audi, & concordasti. Non concupiscas uxorem proximi tui: audi, & concordasti. Non concupiscas rem proximi tui: audi, & concordasti. In his omnibus cum tuo isto adversario concordasti: & tibi quid perdidisti? Non solùm nihil perdidisti: sed & te ipsum, qui perieras, invenisti. Via, vita ista est: si concordaverimus cum illo, si consenserimus illi; finitâ [a] viâ, non timebimus judicem, ministrum, carcerem.

Caput IV. Anni homini magis decedunt, quàm accedunt.

4. Quando finitur via? Non omnibus unâ horâ finitur. Unusquisque habet horam, quando finiat viam. Via, vita ista dicta est: finisti istam vitam, finisti viam. * Ambulamus; & ipsum vivere, accedere est. Nisi fortè putatis, quia tempus accedit, & nos stamus? Non potest fieri. Quomodo accedit tempus, accedimus & nos: & non anni nobis accedunt, sed magis decedunt. Valde errant homines, quando dicunt, Puer iste adhuc minùs sapit, accedunt illi anni, & prudens erit. Adtende quid dicas. Accedunt, dixisti: ego ostendo quia decedunt, cùm tu dicis, Accedunt. Et audi quàm facilè id probo. Putemus nos scisse annos ipsius ex quo natus est: verbi gratiâ, ut bene illi optemus, octoginta annos victurus est, perventurus est ad senectutem. Scribe octoginta annos. Vixit unum annum: quot habes in summa? quot tenebas? Octoginta. Deduc unum. Vixit decem: septuaginta restiterunt. Vixit viginti: sexaginta restiterunt. Certè accedebant: quid est hoc? Veniunt, ut abeant anni nostri: veniunt, inquam, ut eant. Non enim veniunt, ut stent nobiscum: sed cùm transeunt per nos, terunt nos, & minùs minùsque valere nos faciunt. Talis est via, in qua venimus. Quid facturi sumus cum adversario illo, id est, cum sermone Dei? Concorda cum illo. Nescis enim quando via finiatur. Cùm via finita fuerit, judex restat, & minister, & carcer. At si servaveris adversario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris: pro judice invenies patrem, pro ministro sævo Angelum tollentem in sinum Abrahæ, pro carcere paradisum. Quàm citò in via cuncta mutasti, quia tuo adversario consensisti.

* SERMO CX.

*Aliàs 31. de verbis Domini

De verbis Evangelii Lucæ 13. ubi dicitur de arbore ficulnea, per triennium fructum non ferente; ac de [b] muliere habente decem & octo annos in infirmitate: necnon de verbis Psalmi 9. Exsurge Domine, non prævaleat homo; judicentur gentes in conspectu tuo.

Caput I. Ficus sterilis per triennium quid significet.

1. De arbore ficulnea, quæ triennium habebat & fructum non afferebat, & de muliere quæ decem & octo annos habebat in infirmitate, quod Dominus donaverit audite. Arbor ficulnea, genus humanum est. Triennium autem, tria sunt tempora: unum ante Legem, alterum sub Lege, tertium sub gratia. Non est autem importunum, ut arbor ficulnea intelligatur genus humanum. Primus enim homo quando peccavit, foliis ficulneis pudenda velavit: hæc velavit, unde nati sumus, membra. Quæ enim ante peccatum fuerant glorianda, post peccatum pudenda sunt facta. Denique antea nudi erant, & non confundebantur. Non enim erat unde erubescerent, quando peccatum non præcesserat: nec poterant de sui Creatoris operibus erubescere, quia operibus Creatoris sui bonis nullum adhuc malum opus suum miscuerant. Nondum enim manducaverant de ligno scientiæ boni & mali, unde manducare prohibiti erant. Postea ergo quàm manducaverunt & peccaverunt, natum est de illis genus humanum: id est, homo de homine, obnoxius de debitore, mortalis de mortali, peccator de peccatore. Hos ergo appellat in hac arbore, qui per omne tempus fructum dare noluerunt: & propter hoc imminebat securis radicibus arboris infructuosæ. Intercedit colonus, differtur supplicium, ut adhibeatur auxilium. Qui autem intercedit colonus, est omnis sanctus, qui intra Ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam. Et quid orat? *Domine, dimitte [c] illam & hoc anno*: id est, tempore isto sub gratia, parce peccatoribus, parce infidelibus, parce sterilibus, parce infructuosis. *Circumfodio ei, & adhibeo cophinum stercoris: * si fecerit fructum; bene; sin autem minùs, venies & amputabis eam. Venies*: quando? In judicio venies, quando venturus es judicare vivos & mortuos. Interim modò parcitur. Quid est autem fossa? quid est circumfodere, nisi humilitatem & pænitentiam docere? Fossa enim humilis terra est. Cophinum stercoris, in bono intellige. Sordes sunt, sed fructum dant. Sordes cultoris, dolores sunt peccatoris. Qui agunt pænitentiam, in sordibus agunt: si tamen intelligant, & veraciter agant. Huic ergo arbori dicitur, Agite pænitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum.

Gen. 3. 7. — Serm. de Scripturis. — ℣. 8. — ℣. 9. — Matth. 3. 2.

Caput II. Mulier decem & octo annis in infirmitate.

2. Quid illa mulier decem & octo annos habens in infirmitate? Sex diebus Deus perfecit opera sua. Ter seni, decem & octo faciunt. Quod ergo significavit triennium in arbore, hoc decem & octo anni in illa muliere. Curva erat, sursum adspicere non poterat: quia Sursum cor, sine caussa audiebat. Sed erexit eam Dominus. Est ergo spes, sed filiis, quò usque veniat dies judicii. Multum sibi dat homo. Et quid est homo? Justus homo magnum aliquid est homo. Sed tamen justus homo, gratiâ Dei est justus homo. Nam, Quid est homo, nisi quòd memor es ejus? Vis vidêre quid est homo? Omnis homo mendax. Cantavimus, *Exsurge Domine, non prævaleat homo*. Quid est, *non prævaleat homo*? Nonne Apostoli homines erant? Nonne Martyres homines erant? Ipse Dominus Jesus Deus esse non desistens, homo esse dignatus est. Quid est ergo, *Exsurge Domine, non prævaleat homo*? Si omnis homo mendax: Exsurge veritas, non prævaleat falsitas. Homo ergo, si vult esse aliquid boni, non sit de suo proprio. Si enim de suo esse voluerit, mendax erit. Si verax esse voluerit de Dei, non de suo erit.

Lucæ 13. — Homo nec de suo, sed de gratia Dei bonus. — Psal. 8. 5. — Ps. 115. 11. — Psal. 9. 20.

3. Ergo, *Exsurge Domine, non prævaleat homo*. Tantum valuit mendacium ante diluvium, ut post diluvium octo homines remansissent. Per ipsos terra rursus impleta est hominibus mendacibus,

Prophetarum, non prævaleat homo. — 1. Petr. 3. 20.

a Aliquot MSS. *finitâ vitâ*.

b Sermonem Possidius in Indic. cap. 8. recenset, *De muliere curva* XVIII. *annos habente in infirmitate*.

c MSS. *dimitte illi*. Et sic alibi veteres libri, quoties hunc locum refert Augustinus.

Classis I.

cibus, & electus eſt populus Dei. Facta ſunt miracula multa, prærogata divina beneficia. Ad terram promiſſionis perductus eſt, ab Ægyptiorum ſervitute liberatus: Prophetæ in illo excitati ſunt, templum accepit, ſacerdotium accepit, unctionem accepit, legem accepit. Sed de ipſo poſtea dictum eſt, Filii alieni mentiti ſunt mihi. * Ad extremum miſſus eſt ille per Prophetas antè promiſſus. *Non prævaleat homo*, vel quia Deus factus eſt homo. Sed etiam ipſe faciens divina contemtus eſt, præſtans tam multa beneficia prehenſus eſt, flagellatus eſt, ſuſpenſus eſt. Huc uſque prævaluit homo, Dei Filium prehendere, Dei Filium flagellare, Dei Filium ſpinis coronare, Dei Filium ligno ſuſpendere. Tantum prævaluit homo: ſed quò uſque, niſi quò uſque depoſitus de ligno, poſitus eſt in ſepulcro? Si ibi remanſiſſet, verè homo prævaluiſſet. Sed prophetia iſta etiam ipſum Dominum Jeſum alloquitur, dicens, *Exſurge Domine, non prævaleat homo.* Domine, in carne venire dignatus es, Verbum caro factus, Verbum ſuper nos, caro inter nos, Verbum caro inter Deum & hominem: virginem unde naſcereris ſecundùm carnem elegiſti, virginem concipiendus inveniſti, natus virginem reliquiſti. Sed non agnoſcebaris: apparebas, & latebas. Apparebat infirmitas, latebat poteſtas. Hoc totum factum eſt, ut ſanguinem funderes, quod eſt pretium noſtrum. Feciſti tanta miracula, valetudinibus ægrotorum ſanitatem tribuiſti, beneficia multa præſtitiſti, & recepiſti mala pro bonis. Inſultatum eſt tibi, in ligno pependiſti: agitatum eſt ante te caput ab impiis, & dictum eſt, Si Filius Dei es, deſcende de cruce. Itane tu perdideras potentiam, an potiùs demonſtrabas patientiam? Et tamen illi inſultaverunt, & tamen illi irriſerunt, tamen illi te occiſo quaſi victores diſceſſerunt. Ecce in ſepulcro jaces: *Exſurge Domine, non prævaleat homo.* Non prævaleat impius inimicus, non prævaleat cæcus Judæus. Cùm enim crucifigereris, prævaluiſſe ſibi viſus eſt Judæus cæcus. *Exſurge Domine, non prævaleat homo.* Factum eſt, omnino factum eſt. Et quid reſtat, niſi ut *judicentur gentes in conſpectu tuo?* Reſurrexit enim, ſicut noſtis, adſcendit in cælum: inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Pſal. 17. 46. — *Caput III. — Matth. 27. 40.

Caput IV. Judicii venturi certitudo impletis tot aliis prædictionibus.

4. Eia arbor infructuoſa, non derideas, quia parcitur tibi: dilata eſt ſecuris, noli eſſe ſecura: veniet, & amputaberis. Crede quia venturus eſt. Iſta omnia quæ vides, non erant. Chriſtianus populus toto orbe terrarum aliquando non erat. In prophetia legebatur, in terra non videbatur: modò autem & legitur, & videtur. Ipſa Eccleſia ſic eſt completa. Non ei dictum eſt, Vide filia, & audi: ſed, Audi, & vide. Audi prædicta, vide completa. Quomodo ergo, Fratres cariſſimi, non erat natus Chriſtus de virgine, promiſſus eſt, & natus eſt: non fecerat mirabilia, promiſſa ſunt, & fecit: nondum erat paſſus, promiſſum eſt, & factum eſt: non reſurrexerat, prædictum eſt, & impletum eſt, nomen ejus per totum mundum non erat, prædictum eſt, & impletum eſt: idola deleta & fracta non erant, prædictum eſt, & impletum eſt: hæretici impugnantes Eccleſiam non erant, prædictum eſt, & impletum eſt. Sic & dies judicii nondum eſt; ſed quia prædictus eſt, implebitur. An fieri poteſt,

Pſal. 44. 11.

A ut qui in tantis verax apparuit, de die judicii mendax ſit? Promiſſorum ſuorum nobis chirographum fecit. Non debendo enim; ſed promittendo debitorem ſe Deus fecit: id eſt, non mutuò accipiendo. Non poſſumus ergo ei dicere, Redde quod accepiſti. Quoniam quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Non poſſumus dicere ei, Redde quod accepiſti: ſed planè dicimus, Redde quod promiſiſti.

Serm. de Scripturis. — Deus debitor, non ex acceptis, ſed ex promiſſis. — Rom. 11. 35.

5. Inde namque eſt, quòd audemus quotidie B dicere, Adveniat regnum tuum: ut adveniente regno ejus, & nos cum illo regnemus. Quod nobis his verbis promiſſum eſt: Tunc dicam illis, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Sed planè ſi fecerimus quod ibi ſequitur, Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Promiſit patribus noſtris; ſed cautionem fecit, quam legeremus & nos. Si faciat nobiſcum rationem, qui dignatus eſt facere cautionem, & dicat, Legi C te debita mea, hoc eſt, debita promiſſionum mearum, & computate quæ reddidi, computate etiam quæ debeo: ecce quàm multa reddidi; modicum eſt quod debeo: pro modico quod reſtat, infidelem me promiſſorem eſſe putabitis? Quid reſpondebimus contra manifeſtiſſimam veritatem? Ergo qui ſterilis eſt, agat pænitentiam, & faciat fructum dignum pænitentiæ. Qui curvus eſt, terram intuetur, terrena felicitate lætatur, iſtam ſolam putat eſſe vitam beatam, ubi beatus eſſe D poſſit, aliam non credit: quicumque tam curvus eſt, erigatur: ſi per ſe ipſum non poteſt, invocet Deum. Numquid enim & mulier illa per ſe ipſam erecta eſt? Væ illi eſſet, ſi manum ille non porrexiſſet.

Caput V. — Matth. 6. 10. — Regnum Dei promiſſum. — Matth. 25. 34.

* SERMO CXI.

* Aliàs 32. de verbis Domini.

De verbis Evangelii Lucæ 13. ubi regnum Dei dicitur ſimile fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria. *Deque eo quod ibi ſcriptum eſt*, Domine, ſi pauci ſunt qui ſalvantur?

E

1. Tria ſata farinæ, de quibus Dominus loquebatur, genus humanum eſt. Recolite diluvium: unde ceteri repararentur, tres remanſerunt. Tres filios habebat Noë, de ipſis reparatum eſt genus humanum. Mulier illa ſancta quæ abſcondit fermentum, ſa- F pientia eſt. Ecce clamat orbis totus in Eccleſia Dei, Ego cognovi, quia magnus eſt Dominus. Certè pauci ſunt qui ſalvantur. Recolitis quæſtionem ex Evangelio nobis modò propoſitam: *Domine*, dictum eſt, *ſi pauci ſunt qui ſalvantur?* Dominus ad hoc quid? Non ait, Non pauci, ſed multi ſunt qui ſalvantur. Non hoc dixit. Sed quid dixit, cùm audiſſet, *Si pauci ſunt qui ſalvantur? Contendite intrare per anguſtam portam.* Quando audis ergo, *Pauci ſunt qui ſalvan-* G *tur*, confirmavit Dominus quod audivit. Per anguſtam portam pauci intrant. Alio loco ipſe ait, Arta via eſt & anguſta, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui ingrediuntur per illam: lata autem & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad interitum; & multi ſunt qui ambulant per illam. Quid gaudemus ad multitudines? Audite me pauci. Scio quia multi auditis, & pauci obauditis. Aream vi-

Caput I. — Luc. 13. 21. — Tria ſata farinæ. — Pſal. 134. 5. — Pauci ſalvantur. — Luca 13. 23. — ℣. 24. — Matth. 7. 13. & 14.

Classis I.

Salvandi multi sunt inter se, sed aliorum comparatione pauci.

deo, grana quæro. Et vix videntur grana, quando area trituratur: sed futurum est, ut ventiletur. Pauci ergo qui salvantur in comparatione multorum periturorum. Nam ipsi pauci magnam massam facturi sunt. Cùm venerit ventilator ferens ventilabrum in manu sua, mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum: paleas autem comburet igni inexstinguibili. (Luca 3. 17.) Non subsannet palea granum: hoc verum loquitur, neminem fallit. Estote ergo inter multos multi, sed in comparatione quorumdam multorum pauci. Tanta massa processura est de hac area, ut impleat horreum cæli. Non enim contrarius sibi esset Dominus Christus, qui dixit, Pauci sunt qui intrant per angustam portam, multi per latam viam pereunt: contrarius sibi esset, qui alio loco dixit, Multi ab Oriente & Occidente venient. (Matth. 8. 11.) Multi certè pauci: & pauci,[a] & multi. Alii ergo pauci, alii multi? Non. Sed ipsi pauci qui multi: pauci in comparatione perditorum, multi in societate Angelorum. Audite Carissimi. Apocalypsis hoc habet scriptum: Post hæc vidi ex omni lingua & gente & tribu venientes cum stolis albis & palmis, multitudinem quam nemo dinumerare potest. (Apoc. 7. 9.) Hæc est massa sanctorum. Quanto clariore voce dictura est area ventilata, à turba impiorum & malorum falsorumque Christianorum segregata, ad ignes æternos separatis his qui premunt, non tangunt: (mulier enim quædam fimbriam tangebat, turba Christum premebat:) (Luca 8. 44.) segregatis ergo omnibus damnandis, massa purgata stans ad dexteram, nullum sibi timens misceri malorum, nullum timens perdere bonorum, regnatura cum Christo, quantâ fiduciâ dictura est, Ego cognovi, quia magnus est Dominus. (Psal. 134. 5.)

Caput II. Objurgatio & ad eleemosynam exhortatio.

2. Si ergo, Fratres mei, granis loquor, si agnoscunt quod dico, prædestinati in vitam æternam, operibus loquantur, non vocibus. Cogimur loqui vobis quod non debuimus. Invenire enim in vobis debuimus quod laudaremus, non quærere quod admoneremus. Ecce tamen breviter dico, non immoror. Agnoscite hospitalitatem, per hanc perventum est ad Deum. Suscipis hospitem, cujus & tu es comes in via: quia omnes peregrini sumus. (Christianus quis.) Ipse est Christianus, qui & in domo sua & in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria enim nostra sursum est, ibi hospites non erimus. Nam unusquisque hìc, & in domo sua hospes est. Si non est hospes, non inde transeat. Si transiturus est, hospes est. Non se fallat, hospes est: velit nolit, hospes est. Sed dimittit illam domum filiis suis, hospes hospitibus. Quare? Et in stabulo si esses, non alio veniente discederes? Hoc facis & in domo tua. Cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis. Nec mansurus manes, nec mansuris relinques. Si omnes transimus, aliquid quod transire non potest operemur: ut cùm transierimus, & illò venerimus unde non transeamus, opera nostra bona ibi inveniamus. Custos est Christus, quid times ne perdas quod erogas? Conversi ad Dominum, &c.

Et post sermonem:

Quod novit Caritas Vestra, suggerimus. Dies anniversarius ordinationis [b] domni senis Aurelii crastinus illucescit, rogat & admonet per humilitatem meam Caritatem Vestram, ut ad basilicam Fausti devotissimè convenire dignemini. Deo gratias.

Serm. de Scripturis.

* SERMO CXII.

*Alias 33. de verbis Domini.

De verbis Evangelii Lucæ 14. Homo quidam fecit cœnam magnam, *&c.*

[c] *Habitus in basilica Restituta.*

Caput I. Judæi ad cœnam invitati, nos ducti & coacti.

1. Lectiones sanctæ propositæ sunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid sermonis, adjuvante Domino, proferamus. In lectione Apostolica gratiæ aguntur Domino de fide Gentium, utique ideo, quia ipse fecit. In Psalmo diximus, Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. (Psal. 79. 8.) In Evangelio, ad cœnam vocati sumus: immo alii vocati, nos non vocati, sed ducti: non solùm ducti, sed etiam coacti. Sic enim audivimus, quia *Homo quidam fecit cœnam magnam.* (Luc. 14. 16.) Quis est iste homo, nisi mediator Dei & hominum homo Christus Jesus? (1. Tim. 2. 5.) Misit ut venirent invitati, quia hora jam venerat, ut venirent. Qui sunt invitati, nisi per præmissos vocati Prophetas? Quando? Olim ex quo mittuntur Prophetæ, invitant ad cœnam Christi. Mittuntur ergo ad populum Israël. Sæpe missi sunt, sæpe vocaverunt, ut ad horam cœnæ venirent. Illi autem invitantes acceperunt, cœnam repudiaverunt. Quid est, Invitantes acceperunt, cœnam repudiaverunt? Prophetas legerunt, & Christum occiderunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis cœnam nescientes præparaverunt. Paratâ jam cœnâ, immolato Christo, post resurrectionem Christi commendatâ quam sciunt fideles, cœnâ Domini, ejusque manibus & ore firmatâ, missi sunt Apostoli, ad quos missi fuerant antè Prophetæ. Venite ad cœnam.

Caput II. Tres excusationes venire nolentium.

2. Excusaverunt qui venire noluerunt. Et excusaverunt, quomodo? Tres fuerunt excusationes: *Unus dixit, Villam emi, eo videre illam: habe me excusatum.* (℣. 18.) * *Alius dixit, Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.* (℣. 19.) * *Tertius dixit, Uxorem duxi, habe me excusatum: venire non possum.* (℣. 20.) Putamus non istæ sunt excusationes, quæ impediunt omnes homines, qui ad istam cœnam venire detrectant? Quæramus eas, discutiamus, inveniamus: sed ut caveamus. (Villa empta, dominatio superba.) In villa emtâ, dominatio notatur: ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere, dominari delectat. Vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est major potestas, illi subdamur, ut tuti esse valeamus. *Villam emi, habe me excusatum.* Inventa superbia, venire noluit.

Quinque juga boum, curiositas quinque sensuum.

3. *Alius dixit, Quinque juga boum emi.* Nonne sufficeret, Boves emi? Aliquid procul dubio est, quod nos ad quærendum & intelligendum obscuritate sui provocat: & quia clausum est, ut pulsemus, hortatur. Quinque juga boum, sensus carnis hujus. Quinque numerantur * sensus

*Caput III.

a Quidam MSS. *& pauci multi*: omisso *&*.
b Ita in MSS. At apud Lov. *domini*.

c Sic titulus habet in vetere codice Cisterciensium sanctæ Crucis in Jerusalem de Urbe.

Classis I.

carnis hujus, quod omnibus notum est; & qui fortè non advertunt, commoniti sine dubio recognoscunt. Sensus ergo carnis hujus quinque inveniuntur. In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustatus in faucibus, tactus in omnibus membris. Alba & nigra & quoquo modo colorata, lucida & obscura videndo sentimus. Rauca & canora, audiendo sentimus. Suave olentia & grave olentia, odorando sentimus. Dulcia & amara, gustando sentimus. Dura & mollia, lenia & aspera, calida & frigida, gravia & levia, tangendo sentimus. Quinque sunt, & juga sunt. Sed quia juga sunt, in tribus prioribus sensibus faciliùs apparet. Duo sunt oculi, duæ aures, geminæ nares: ecce tria juga. In faucibus, id est, sensu gustandi, geminatio quædam invenitur, quia nihil gustando sapit, nisi linguâ & palato tangatur. Voluptas carnis quæ ad tactum pertinet, occultiùs geminatur. Est enim & forinsecùs & intrinsecùs. Ergo & ipsa gemina est. Quare boum dicuntur juga? Quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boves enim terram versant. Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati: nolunt credere aliquid, nisi ad quod sui corporis sensu quinquepartito perveniunt. In eis quinque sensibus totius voluntatis sibi regulas ponunt. Non, inquit, credo ego, nisi quod video. Ecce quod novi, ecce quod scio. Album est, nigrum est, rotundum est, quadratum est, sic vel sic coloratum est: novi, sentio, teneo: natura ipsa me docet. Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere. Vox est: sentio, quia vox est; bene cantat, malè cantat, suavis est, rauca est: novi, scio, pervenit ad me. Bene olet, malè olet: scio, sentio. Hoc dulce est, hoc amarum; hoc salsum, hoc fatuum. Quid mihi plus dicas nescio. Tangendo novi quid durum est, quid molle sit; quid lene sit, quid asperum sit; quid caleat, quid frigeat. Quid mihi plus demonstraturus es?

Caput IV. Impedimentum fidei.

4. Tali impedimento tenebatur apostolus noster Thomas, qui de Domino Christo, id est, de Christi resurrectione nec solis oculis credere voluit. Nisi misero, inquit, digitos meos in clavorum & vulnerum loca, & nisi manum meam in latus ejus misero, non credam. Et Dominus qui posset sine ullo vestigio vulneris resurgere, servavit cicatrices, quæ à dubitante tangerentur, & cordis vulnera sanarentur. Et tamen vocaturus ad cœnam contra excusationem quinque jugorum boum, Beati, inquit, qui non vident, & credunt. Nos, Fratres mei, ad cœnam vocati, ab istis quinque jugis non sumus impediti. Non enim faciem carnis Domini videre in hoc tempore concupivimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentem auribus admittere desideravimus: nullum in illo temporalem odorem quæsivimus. Perfudit eum quædam mulier pretiosissimo unguento, domus illa odore impleta est: sed nos ibi non fuimus; ecce non olfecimus, & credimus. Cœnam manibus suis consecratam discipulis dedit: sed nos in illo convivio non discubuimus; & tamen ipsam cœnam fide quotidie manducamus. Nec magnum putetis in illa cœna, quam suis manibus dedit, sine fide interfuisse:

Johan. 20. 25.

Ibidem 29.

Johan. 12. 3.

Cœna manibus Domini consecrata.

melior exstitit fides postea, quàm tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus qui credidit: ibi fuit Judas qui tradidit. Quàm multi & modò in ipsa cœna, quamvis illam tunc mensam non viderint, nec panem quem Dominus gestavit in manibus, oculis suis adspexerint, vel faucibus gustaverint, tamen quia ipsa est quæ nunc præparatur, quàm multi etiam nunc in ipsa cœna judicium sibi manducant & bibunt?

Serm. de Scripturis.

1. Cor. 11. 29.

Caput V. Curiositate sensuum nihil opus est ad salutem.

5. Unde autem tamquam occasio nata est Domino, ut de ista cœna loqueretur? Dixerat unus de discumbentibus: (in convivio enim erat, quò fuerat invitatus:) *Beati qui manducant panem in regno Dei.* Quasi in longinqua iste suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi? Noli parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista cœna. Ecce credimus in Christum, [a] cum fide accipimus. In accipiendo novimus quid cogitemus. Modicum accipimus, & in corde saginamur. Non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit. Non ergo etiam sensum illum externum quæsivimus; nec diximus, Crediderint qui Dominum ipsum resurgentem, si verum est quod dicitur, viderunt oculis, manibus palpaverunt: nos non tangimus, quare credimus? Si talia cogitaremus, quinque illis jugis boum à cœna impediremur. Ut noveritis, Fratres, istorum quinque sensuum, non delectationem, quæ permulcet & ingerit voluptatem, sed curiositatem quamdam notatam fuisse, non ait, *Quinque juga boum emi*, eo pascere illa: sed, *eo probare illa.* Qui vult probare, per juga boum non vult dubitare, quomodo sanctus Thomas per juga noluit dubitare. Videam, tangam, digitos mittam. Ecce, inquit, digitos tuos mitte per latus meum, & noli esse incredulus. Occisus sum propter te: per locum quem vis tangere, sanguinem fudi, ut redimerem te; & adhuc dubitas de me, nisi tetigeris me? Ecce & hoc præsto, ecce & hoc exhibeo: tange, & crede; inveni locum vulneris, sana vulnus dubitationis.

Lucæ 14. 15.

Johan. 6. 41.

Caput VI. Uxor, voluptas carnis.

6. *Tertius dixit, Uxorem duxi.* Ista voluptas est carnis, quæ multos impedit: utinam foris, & non intus. Sunt homines qui dicunt: Non est homini bene, nisi cui adsunt carnis deliciæ. Ipsi sunt quos notat Apostolus, dicentes, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Quis huc inde surrexit? Quis nobis, quod ibi agitur, dixit? Hoc nobiscum tollimus, quod in hoc tempore bene est nobis. Qui hoc dicit, uxorem duxit, carnem amplexatur, carnis voluptatibus jocundatur, à cœna excusatur: observet ne fame interiore moriatur. Adtendite Johannem, sanctum apostolum & evangelistam: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. O qui ad cœnam Domini venitis, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Non dixit, Nolite habere; sed, Nolite diligere. Habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum, viscum est spiritalium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas sicut columbæ? Quando volabis, ubi verè requiescas? quando hîc, ubi malè hæsisti, perversè requiescere voluisti. Nolite diligere mundum, tuba divina est. Continuò hujus tubæ [b] verbis orbi terrarum & universo

1. Cor. 15. 32.

1. Johan. 2. 15.

Psal. 54. 7.

[a] Sic Am. Er. & omnes MSS. At Lov. *quem fide accipimus.* Et infrà, *Modicum quid accipimus.*

[b] MSS. omittunt *verbis.* Quidam ejus loco habent, *sono.* At Fossatensis MS. *Cantu continuo hujus tubæ.*

CLASSIS I.

„ dicitur mundo, Nolite diligere mundum, nec ea „ quæ in mundo sunt. Quisquis dilexerit mundum, „ non est caritas Patris in illo. Quoniam omnia „ quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis sunt, „ & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Ab imo cœpit, quo Evangelium terminavit. Inde ille cœpit, ubi Evangelium terminum posuit. Concupiscentia carnis, *Uxorem duxi.* Concupiscentia oculorum, *Quinque juga boum emi.* Ambitio sæculi, *Villam emi.*

Oculorum nomine ceteri sensus significati.

7. Ideo autem à parte totum per solos oculos commemorati sunt isti sensus, quia oculorum est in quinque sensibus principatus. Propterea cùm propriè ad oculos pertineat visus, ipsum videre per omnes quinque sensus solemus appellare. Quomodo? Primò quod ad ipsos oculos pertinet, dicis: Vide quàm candidum est, intende & vide quàm [a] candidum est: hoc ad oculos pertinet. Audi & vide quàm canorum est. Numquid conversim potes dicere, Audi & vide quàm candidum est? Hoc quod dicitur, Vide, per omnes sensus currit: ceterorum autem sensuum proprietas non per se recurrit. Intende & vide quàm canorum est: odora & vide quàm suave est: gusta & vide quàm dulce est: tange & vide quàm molle est. Utique quoniam sensus sunt, sic potiùs diceremus: Audi & senti quàm canorum est: odora & senti quàm suave est: gusta & senti quàm dulce est: tange & senti quàm calidum est: palpa & senti quàm lene est: palpa & senti quàm molle est. Nihil horum. Nam & ipse Dominus post resurrectionem cùm apparuit discipulis suis, cúmque cernentes adhuc titubarent in fide, putantes se spiritum videre, Quid, inquit, dubitatis, & quare cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte „ manus meas & pedes meos. Et parum est, Vide„ te: Tangite, inquit, & palpate, & videte. Intendite & videte, palpate & videte: in solis oculis videte, in omnibus sensibus videte. Quia interiorem fidei sensum quærebat, exterioribus corporis sensibus adjacebat. Nos nihil ab istis exterioribus sensibus in Domino carpsimus, auditu audivimus, corde credidimus: & ipsum auditum non ab illius ore, sed ab ore prædicatorum ejus, ab ore illorum quijam [illegible], & nos ructuando invitabant.

Luca 24. 38. & 39.

CAPUT VIII. Ad cœnam venire nemo cunctetur.

8. Tollamus ergo de medio excusationes vanas & malas, & veniamus ad cœnam, qua intrinsecùs saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, non nos extollat, vel non nos terreat curiositas illicita, & avertat à Deo: non nos impediat voluptas carnis à voluptate cordis. Veniamus, & saginemur. Et qui venerunt, nisi mendici, debiles, claudi, cæci? Illic autem non venerunt divites sani, quasi bene ambulantes, & acutè cernentes; multùm de se præsumentes, & ideo desperatiores, quantò superbiores. Veniant mendici, quia ille invitat qui propter nos pauper factus est, cùm dives esset, ut illius paupertate mendici ditaremur. Veniant debiles: quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Veniant claudi qui ei dicant, Compone gressus meos in semitis tuis. Veniant cæci qui dicant, Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte. Tales venerunt ad horam; illis priùs [b] invitatis, sua excusatione reprobatis: venerunt ad horam, intraverunt de plateis & vicis civitatis. *Et respondit servus, qui missus erat, Domine, factum est ut jussisti, & adhuc locus est.* Exi, inquit, *in vias & sepes, & quos inveneris coge intrare.* Quos inveneris, ut dignentur, noli exspectare; coge intrare. Magnam cœnam, magnam domum paravi, non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis & vicis Gentes: veniant de sepibus hæretici, hîc inveniunt pacem. Nam qui construunt sepes, divisiones quærunt. Trahantur à sepibus, evellantur ab spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperavit: Coge, inquit, intrare. Foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas.

2. Cor. 8. 9.
Matth. 9. 12.
Psal. 16. 5.
Psal. 12. 4.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Luca 14. 22. ℣. 23.

V. lib. de correctione Donatist. seu Epist. 185. n. 24.

* SERMO CXIII.

De verbis Evangelii Lucæ. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis *&c.*

** Aliàs 35. de verbis Domini.*

CAPUT I. Amici beneficos suos recepturi in cælum quinam sint.

1. QUOD admonemur, admonere debemus. Recens Evangelica lectio admonuit facere amicos de mammona iniquitatis, ut eos qui faciunt, recipiant & ipsi [c] in tabernacula æterna. Qui sunt qui habebunt tabernacula æterna, nisi sancti Dei? Et qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna, nisi qui eorum indigentiæ serviunt, & quod eis opus est, hilariter subministrant? Recordemur ergo, in novissimo judicio Dominum esse dicturum eis qui stabunt ad dexteram ejus, Esurivi, & dedistis mihi manducare: & cetera quæ nostis. Et cùm illi quærerent quando ei obsequia ista præbuissent, respondit, Quando uni ex minimis meis „ fecistis, mihi fecistis. Isti minimi sunt qui recipiunt in tabernacula æterna. Hoc dixit dextris, quia fecerunt: hoc [d] dixit sinistris, quia facere noluerunt. Sed dextri qui fecerunt, quid acceperunt, vel potiùs quid accepturi sunt? Venite, in„ quit, benedicti Patris mei, possidete paratum „ vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi „ enim, & dedistis mihi manducare. Quando uni „ ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Minimi ergo qui sunt Christi? Illi sunt, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quidquid habuerunt, pauperibus distribuerunt; ut Deo sine sæculari compede expediti servirent, & ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi. Quare minimi? Quia humiles, quia non elati, non superbi. Appende minimos istos, & grave pondus invenies.

Matth. 25. 35. &c.

Minimi Christi quinam.

CAPUT II. Mammona iniquitatis.

2. Sed quid est, quod ait eos esse amicos de mammona iniquitatis? Quid est mammona iniquitatis? Primùm quid est mammona? Verbum est enim quod Latinum non est. Hebræum verbum est, cognatum linguæ Punicæ. Istæ enim linguæ sibi significationis quadam vicinitate sociantur. Quod Punici dicunt mammon, Latinè lucrum vocatur. Quod Hebræi dicunt mammona, Latinè divitiæ vocantur. Ut ergo Latinè totum dicamus, hoc ait Dominus noster Jesus Christus, Facite vobis amicos de divitiis iniquitatis. Hoc quidam malè intelligendo rapiunt res

[a] Lov. *quàm calidum est:* dissentientibus ceteris libris.
[b] Aliquot MSS. *illis priùs in vanitatis sua excusatione reprobatis.*
[c] Plures MSS. *& ipsi sint in tabernaculis æternis.* Et mox nonnulli, *Qui sunt qui habent* &c.

[d] Fossatensis vetus codex, *hoc non dixit sinistris.* Paulò pòst melioris notæ MSS. *Sed dextris qui fecerunt, qui acceperunt, vel potiùs qui accepturi sunt.* Hos nimirum dextros à minimis distinctos ostendit Augustinus.

Classis I. Eleemosyna non de rapinis, sed de justis laboribus facienda.

alienas, & aliquid indè pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim, Rapere res alienas, mammona est iniquitatis; erogare inde aliquid, maximè egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, immo de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligatis. De justis laboribus facite eleemosynas: ex eo quod rectè habetis date. Non enim corrupturi estis judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Si enim (B) deprædareris aliquem invalidum, tu validior & potentior, & veniret tecum ad judicem hominem quemlibet in hac terra, habentem judicandi aliquam potestatem, velletque tecum caussam dicere, si tu de præda & spoliatione illa inopis dares aliquid judici, ut pro te judicaret, judex ille vel tibi placeret? Nempe pro te judicavit, & tamen tanta vis est justitiæ, ut & tibi displiceat. Noli tibi talem pingere Deum, noli collocare in templo cordis tui tale idolum. Non est talis Deus (C) tuus, qualis non debes esse nec tu. Si tu non sic judices, sed justè judices; etiam sic melior est te Deus tuus: non est inferior: justior est, fons justitiæ est. Quidquid boni fecisti, inde sumsisti; & quidquid boni eructuasti, inde bibisti. Laudas vas, quia habet inde aliquid, & vituperas fontem? Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & usuris. Fidelibus dico, eis quibus Christi Corpus erogamus dico. Timete, corrigite vos: ne dicam postea, Tu facis & tu facis. Et puto; quia si fece- (D) ro, non mihi debetis irasci, sed vobis, ut corrigamini. Ad hoc enim valet quod dictum est in Psalmo, Irascimini, & nolite peccare. *Psal. 4. 5.* Volo vos irasci, sed ut non peccetis. Ut autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo pænitens, nisi homo irascens sibi? Ut accipiat veniam, de se ipso exigit pœnam; & rectè dicit Deo, Averte oculos tuos à peccatis meis, *Psal. 50. 11.* quoniam peccatum meum ego agnosco. Si tu agnoscis, & ille ignoscit. Qui faciebatis, nolite (E) facere: non licet.

Caput III.

3. Sed jam si fecistis, & pecunias tales habetis, & inde saccellos implestis, inde [a] thesaurizabatis: de malo est quod habetis, jam nolite malum [b] addere; & facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Numquid Zacchæus de bono habebat? *Lucæ 19. 2.* Zacchæus imitandus. Legite & videte. Major erat publicanorum, id est, cui vectigalia publica conferebantur: inde habebat divitias. Multos presserat, multis abstulerat, multa congesserat. Intravit domum ejus (F) Christus, & venit salus super domum ejus: sic » enim ait ipse Dominus, Hodie salus domui huic facta est. Sed ipsam salutem videte. Primò desiderabat Dominum videre, quia staturâ parvus erat: sed turbâ impediente adscendit in arborem sycomori, & vidit transeuntem. Ille » autem adspexit eum, & ait, Zacchæe descende, apud te oportet me manere. Tu pendes, sed non te suspendo, hoc est, non te differo. Volebas videre transeuntem, hodie me apud te invenies ha- (G) bitantem. Ingressus est ad eum Dominus: repletus ille gaudio ait, Dimidium rerum mearum do pauperibus. Ecce quomodo currit, qui currit

(A) facere amicos de mammona iniquitatis. Et ne reus aliunde teneretur: Si cui aliquid tuli, ait, quadruplum reddam. Inflixit sibi condemnationem, ne incurreret damnationem. Ergo qui habetis de malo, facite inde bonum. Qui non habetis de malo, nolite adquirere de malo. Esto bonus tu qui [c] bonum facis de malo: & cùm cœperis aliquid boni facere de malo, noli remanere tu malus. Nummi tui convertuntur in bonum, & tu remanes malus?

Serm. de Scripturis.

Caput IV. Mammona iniquitatis cur dictæ divitiæ.

(B) 4. Est quidem & alius intellectus, nec ipsum tacebo. Mammona iniquitatis, divitiæ sunt sæculi omnes, undecumque sint. Undecumque enim congregentur, mammona iniquitatis est, id est, divitiæ sunt iniquitatis. Quid est, divitiæ sunt iniquitatis? Pecunia est, quam nomine divitiarum appellat iniquitas. Si enim veras divitias quæris, aliæ sunt. Talibus Job nudus abundabat, *Job. 1. 21.* quando in Deum cor plenum habebat, & laudes Deo perditis omnibus rebus tamquam gemmas (C) pretiosissimas proferebat. De quo thesauro, si nihil habebat? Ipsæ sunt veræ divitiæ. Istæ autem ab iniquitate appellantur divitiæ. Habes illas, non reprehendo: hereditas venit, pater tuus dives fuit, & dimisit tibi. Honestè adquisisti: de justis laboribus plenam domum habes, non reprehendo. Tamen etiam sic noli illas dicere divitias. Nam si dicis illas divitias, amabis illas: & si amaveris illas, peribis cum illis. Perde, ne [d] pereas: dona, ut adquiras: semina, ut me- (D) tas. Has divitias noli appellare; quia veræ non sunt. Paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus. Quales divitiæ sunt, propter quas latronem times, propter quas times servum tuum, ne te occiso auferat, & fugiat? Si veræ divitiæ essent, securitatem tibi darent.

Caput V. Divitiæ quæ veræ, & quæ falsæ.

5. Ergo illæ sunt veræ divitiæ, quas cùm habuerimus, perdere non possumus. Et ne fortè propter illas furem timeas, ibi erunt ubi nullus (E) auferat. Audi Dominum tuum: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, quò fur non accedat. *Matth. 6. 20.* Tunc erunt divitiæ, quando eas migraveris. Quamdiu in terra sunt, divitiæ non sunt. Sed divitias vocat illas mundus, [e] iniquitas vocat. Deus ideo mammona iniquitatis, quia divitias illas vocat iniquitas. Audi Psalmum: Domine, *Psal. 143. 11. &c.* « libera me de manu filiorum alienorum, quorum « os locutum est vanitatem, & dextera eorum dex- « tera iniquitatis. Quorum filii sicut novellæ con- « stabilitæ à juventute sua. Filiæ eorum composi- (F) « tæ, circumornatæ sicut similitudo templi. Cel- « laria eorum plena, eructuantia ex hoc in illud. « Boves eorum crassi, oves eorum fecundæ, mul- « tiplicatæ in itineribus suis. Non est ruina mace- « riæ, neque transitus, neque clamor in plateis eo- « rum. Vidisti [f] Psalmum, qualem felicitatem descripsit: sed audi quid sit, quos proposuit filios iniquitatis. Quorum os locutum est vanitatem, & « dextera eorum dextera iniquitatis. Ipsos propo- « suit, & dixit felicitatem eorum tantùm super ter- (G) « ram. Et quid adjunxit? Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Sed qui dixerunt? Filii alieni, alienigenæ, & non pertinentes ad semen Abrahæ: ipsi dixerunt populum beatum, cui hæc sunt. Qui

[a] Sic aliquot MSS. Alii verò, *thesaurizastis.* At editi, *thesaurizabitis.*
[b] Am. Er. & MSS. *malum facere.*
[c] MSS. *qui facis de malo:* & omittunt *bonum.*

[d] Nonnulli codices, *perde, ne perdas.*
[e] Sic Am. Er. & aliquot MSS. At Lov. *iniquitatis vocat Deus. Ideo &c.* Quidam ex veteribus libris, *iniquitates vocat Deus.*
[f] MSS. *Vidisti Deus qualem &c.*

Classis I. dixerunt? Quorum os locutum est vanitatem. Ergo vanum est, dicere beatos esse eos quibus hæc sunt. Et tamen dicitur ab eis, quorum os locutum est vanitatem. Ab ipsis dicuntur istæ divitiæ, quæ vocantur mammona iniquitatis. A

6. Tu autem quid dicis? Quia illi filii alieni, quia illi quorum os locutum est vanitatem, dixerunt beatum esse populum cui hæc sunt: tu quid dicis? Falsæ sunt istæ divitiæ, da mihi veras. Reprehendis ista, ostende quod laudas. Vis ut contemnam hoc, ostende quod præferam. Dicat ipse Psalmus. B
" Qui enim dixit, Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt; tale nobis dat responsum, quasi diceremus illi, id est, ipsi Psalmo, Ecce hoc nobis tulisti, & nihil nobis dedisti: ecce ista, ecce ista contemnimus, unde vivimus? unde beati erimus? Quia qui locuti sunt, ipsi de se ipsis recipient. Homines enim divitias habentes beatos esse dixerunt. Tu quid dicis? * Respondet quasi sic interrogatus, & dicit, Illi dicunt divites beatos: ego dico, Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius. Audisti veras divitias, fac amicos de mammona iniquitatis, & eris beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius, Aliquando transimus viam, & videmus amœnissimos & uberes fundos, & dicimus, Cujus est ille fundus? Asseritur illius: " & nos dicimus, Beatus homo: vanitatem loquimur. Beatus cujus est illa domus, beatus cujus est ille fundus, beatus cujus est illud pecus, beatus cujus est ille servus, beatus cujus est illa familia. Tolle vanitatem, si vis audire veritatem. Beatus est, cujus est Dominus Deus ipsius. Non enim cujus est fundus iste, beatus est: sed cujus est ille Deus. Sed ut apertissimè beatitudinem rerum annunties, dicis quòd beatum te fecit fundus tuus. Quare? Quia inde vivis. Nam quando laudas pro magno fundum tuum, hoc dicis: Ipse me pascit, inde vivo. Adtende unde vivas. Ille est unde vivis, cui dicis, Apud te est fons vitæ. Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius. O Domine Deus meus, ô Domine Deus noster, ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis: nolumus de terrenis istis, & vanissimis, & caducæ vitæ transitoriis. Non loquatur os nostrum vanitatem. Fac nos beatos de te, quia non perdemus te. Cùm tenuerimus te, nec te perdemus, nec nos peribimus. Fac nos beatos de te, quia Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius. Nec irascitur si dixerimus de Deo, fundus noster. Legimus enim, quoniam Dominus pars hereditatis meæ. Magna res, Fratres, & hereditas ipsius sumus, & hereditas nostra est: quia & colimus eum, & colit nos. Nulla est injuria illi quia colit nos. Quia si nos colimus illum ut Deum nostrum, ille colit nos ut agrum suum. Et ut sciatis quia colit nos, audite eum quem misit nobis: Ego sum, inquit, vitis, vos estis palmites, Pater meus agricola. Ergo colit nos. Sed si fructum reddamus, parat horreum. Si autem sub tanto cultore [a] steriles esse voluerimus, & pro frumento spinas protulerimus: nolo dicere quod sequitur, ad gaudium finiamus. Conversi ad Dominum, &c.

*Caput VI. Veræ divitiæ.

Psal. 35. 10.

Psal. 15. 5.

Colimus nos Deum, & colit nos Deus.

Johan. 15. 1.

[a] Am. Er. & omnes MSS *stirpes esse voluerimus*.

SERMO CXIV.

De verbis Evangelii Lucæ 17. Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum, *&c. de remissione peccatorum.*

Habitus ad Mensam sancti Cypriani, præsente Comite Bonifacio.

Nunc primùm vulgatur ex Manuscriptis duobus, uno Romano, bibliotheca Patrum Cisterciensium sanctæ Crucis in Ierusalem de Vrbe, notato 60. *altero Parisiensi, Colbertinæ bibliothecæ* 821. *jam suprà laudato, qui codex Sermonem cum illa repræsentat epigraphe,* Habitus ad Mensam *&c.*

1. SANCTUM Evangelium, quod modò cùm recitaretur audivimus, de remissione nos admonuit peccatorum. Hinc admonendi estis ex sermone nostro. Ministri enim sumus verbi, non nostri, sed utique Dei & Domini nostri, cui nemo sine gloria servit, quem nemo sine pœna contemnit. Ipse ergo Dominus Deus noster, qui manens apud Patrem fecit nos, & factus pro nobis refecit nos; ipse Dominus Deus noster Jesus Christus ait nobis quod modò audivimus in Evangelio: *Si peccaverit in te*, inquit, *frater tuus, corripe illum; & si pænitentiam egerit, dimitte illi: * & si septies in die peccaverit in te, & veniens dixerit, Pænitet me, dimitte illi. Septies in die*, noluit intelligi, nisi quotiescumque; ne fortè peccet octies, & nolis ignoscere. Quid est ergo *septies*? Semper, quotiescumque peccaverit eumque pænituerit. Hoc enim est, Septies in die laudabo te: quod est in alio Psalmo, Semper laus ejus in ore meo. Et quare septies pro eo quod est semper ponatur, certissima ratio est: septem quippe diebus venientibus & redeuntibus totum volvitur tempus.

2. Quisquis ergo Christum cogitas, & cupis accipere quod promisit, noli esse piger facere quod præcepit. Quid enim promisit? Vitam æternam. Et quid præcepit? Dari fratri tuo veniam. Tamquam diceret tibi, Tu homo da homini veniam, ut ego Deus ad te veniam. Sed ut omittam, vel potiùs intermittam altiora illa divina promissa, in quibus nos Creator noster facturus est æquales Angelis suis, ut cum illo & in illo & de illo sine fine vivamus: ut hoc interim non dicam, hoc ipsum quod juberis fratri tuo dare, à Deo tuo non vis accipere? Hoc ipsum, inquam, quod juberis fratri tuo dare, à Domino tuo non vis accipere? Dic mihi si non vis, & noli dare. Quid est hoc, nisi ut poscenti ignoscas, si tibi poscis ignosci? Aut si non habes quod tibi ignoscatur, audeo dicere, noli ignoscere. Quamquam nec hoc dicere debui. Etsi non habes quod tibi ignoscatur, ignosce.

3. Dicturus es mihi modò, Sed ego non sum Deus, homo sum peccator. Deo gratias, quòd confiteris esse peccata tua. Ergo ignosce, ut dimittantur tibi. Hortatur nos tamen ipse Dominus Deus noster ut imitemur eum. Primò ipse Deus Christus, de quo apostolus Petrus dixit, " Christus pro nobis passus est, relinquens vobis " exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui pec- " catum non fecit, nec inventus est dolus in ore " ejus. Et utique ipse non habebat peccatum, &

Fratri quoties in nos peccaverit & pænituerit, ignoscendum.

Lucæ 17. 3.

ṽ. 4.

Psal. 118. 164.

Psal. 33. 2.

Venia fratri danda ut à Deo accipiatur.

Dei exemplo danda debita.

1. Petri 2. 21.

CLASSIS I.

mortuus est pro peccatis nostris, & sanguinem suum fudit in remissionem peccatorum. Suscepit pro nobis quod non debebat, ut nos à debito liberaret. Non debebat mori, nec nos vivere: quare? Quia peccatores eramus. Nec mors debebatur illi, nec vita nobis: quod ei non debebatur accepit, quod nobis non debebatur dedit. Sed quoniam de remissione agitur peccatorum, [a] ne multum ad vos putetis imitari Christum, Apostolum audite dicentem, Donantes vobismetipsis, sicut & Deus in Christo donavit vobis. Estote ergo imitatores Dei. Apostoli verba sunt, non mea: Estote ergo imitatores Dei. Certè superbum est imitari Deum? Audi Apostolum: Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi. Filius diceris: si respuis imitationem, quare quæris hereditatem?

(Coloss. 3. 13. Ephes. 5. 1.)

4. Hoc dicerem si nihil peccati haberes, quod tibi relaxari desiderares. Modò autem quisquis es, homo es: justus sis licèt, homo es; laïcus sis, homo es; monachus sis, homo es; clericus sis, homo es; episcopus sis, homo es; apostolus sis, homo es. Vocem apostoli audi: » Si dixerimus » quia peccatum non habemus, nos ipsos [b] seducimus. Ille, ille, ille Johannes & Evangelista, quem Dominus Christus præ ceteris diligebat, qui supra pectus ejus discumbebat, ipse ait, » Si dixerimus: non dixit, Si dixeritis quia peccatum non » habetis: sed, Si dixerimus quia peccatum non » habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Junxit se in culpa, ut jungeretur & in » venia. Si dixerimus: videte quis dicat: Si dixeri» mus quia peccatum non habemus, nos ipsos sedu» cimus, & veritas in nobis non est. Si autem con» fessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, » qui dimittat nobis peccata & mundet nos ab om» ni iniquitate. Quomodo mundat? Ignoscendo, non quasi * inveniens quod puniat, sed inveniens quod dimittat. Ergo si habemus peccata, Fratres, ignoscamus [c] petentibus. Non inimicitias in corde nostro contra alterum retineamus. Plus enim inimicitiæ retentæ vitiant ipsum cor nostrum.

(Peccator peccanti ignoscat. 1. Johan. 1. 8. * f. non quasi non inveniens.)

5. Volo ergo te ignoscentem, quia teneo veniam postulantem. Rogaris, ignosce: rogaris, & rogabis; rogaris, ignosce; tu rogabis ut ignoscatur tibi. Ecce [d] veniet tempus orandi: in verbis quæ dicturus es, teneo te. Dicturus es, Pater noster qui es in cælis. Non enim eris in numero filiorum, si non dicturus es, Pater noster. Ergo » dicturus es, Pater noster qui es in cælis. Sequere: » Sanctificetur nomen tuum. Dic adhuc: Adveniat » regnum tuum. Adhuc sequere: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Vide quid adjungas: » Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ubi sunt divitiæ tuæ? Ecce mendicas. Interim tamen unde agitur, dic adhuc post, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Dic adhuc quod sequitur: Dimitte nobis debita nostra. Venisti ad verba mea: Dimitte, inquit, nobis debita nostra. Quo jure? quo pacto? quo placito? quo chirographo recitato? Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Parum est quòd non dimittis: adhuc & Deo mentiris. Conditio posita est, fixa est lex: Dimitte, sicut dimitto. Ergo non dimittis, nisi dimittas. Dimitte, sicut dimitto. Petenti vis ut dimittatur tibi, petenti dimitte. Preces istas Juris-peritus cæli dictavit: non te fallit, secundùm cælestem ejus vocem posce: dic, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: & fac quod dicis. Qui mentitur in Precibus, beneficio caret: qui mentitur in Precibus, & perdit caussam & invenit pœnam. Et si aliquis mentitur imperatori, cùm venerit, convincitur quia mentitur: quando autem tu orando mentiris in ipsa oratione convinceris. Non enim Deus ut te convincat testes ad te quærit. Qui tibi dictavit Preces, advocatus est tuus: si mentiris, testis est: si non te corrigis, judex erit tuus. Ergo & dic, & fac. Quia si non dicis, contra jus petendo non impetras: si autem dicis & non facis, etiam mendacii reus eris. Non est quâ versus iste transeatur, nisi quod dicimus impleatur. Numquid delere istum versum poterimus de oratione nostra? An vultis ut illud ibi sit, Dimitte nobis debita nostra: & deleamus quod sequitur, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Non delebis, ne antè delearis. In oratione ergo dicis, Da; dicis, Dimitte: ut accipias quod non habes, & relaxetur tibi quod deliquisti. Ergo vis accipere, da: vis ut dimittatur tibi, dimitte. Brevis complexio est. Ipsum Christum audi alio loco: Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur vobis. *Quid dimitteris? Quod in vobis alii peccaverunt. Quid & vobis dimittetur? Quod peccastis. Dimittite. Date, & dabitur vobis quod desideratis, vitam æternam. Fulcite pauperis vitam temporalem, sustentate pauperis vitam [e] præsentalem, & pro isto tam parvo terrenoque semine accipietis messem vitam æternam. Amen.

(Venia à Deo in oratione petitur cum pacto dandæ aliis veniæ. Matth. 6. 9. &c. SERM. DE SCRIPTURIS. Luca 6. 37. & 38.)

* SERMO CXV.

(* Aliàs 36. de verbis Domini.)

De verbis Evangelii Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere *&c. Deque duobus qui in templum adscenderunt ut orarent: ac de parvulis Christo oblatis.*

CAPUT I.

1. LECTIO sancti Evangelii ædificat nos ad orandum & credendum, & non de nobis, sed de Domino præsumendum. Quæ ad orandum major hortatio, quàm ut nobis de judice iniquo proponeretur similitudo? Judex enim iniquus, nec Deum timens, nec hominem reverens, audivit tamen viduam interpellantem se, victus tædio, non pietate inclinatus. Si ergo exaudivit qui oderat quòd rogabatur, quomodo [f] exaudit qui ut rogemus hortatur? Cùm ergo nobis istâ è contrario comparatione Dominus suaderet, *Quia oportet semper orare, & non deficere:* adjecit & ait, *Verumtamen cùm venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? Unde & Apostolus beatus, cùm ad orandum exhortaretur, ait, Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivum, ubi caput aquæ siccatur, adjunxit atque ait, Quomodo autem invocabunt in quem non cre-

(Luca 18. 1. ℣. 8. Rom. 10. 13. Ibidem 14.)

[a] Hîc Romanus codex addit, *inde loquamur.*
[b] In Romano MS. *decipimus.*
[c] Romanus MS. *pænitentibus.* Et sic infrà loco *Petenti*, habet *Pænitenti vis ut dimittatur tibi, pænitenti dimitte.*
[d] Rom. codex, *venit.* Et infrà, *tenebo te.*

[e] Romanus codex caret his verbis, *sustentate pauperis vitam præsentalem.* Et Sermonem ita concludit, *accipietis messem vitæ æternæ per Jesum Christum.*
[f] Editi, *quomodo non exaudit.* Abest *non* à MSS.

CLASSIS I.

diderunt? Ergo ut oremus, credamus; & ut ipsa A non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Fides, inquam, fundit orationem, fusa oratio etiam ipsi fidei impetrat firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. (Luca 22. 46.) Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem. Quid est, in tentationem intrare, nisi à fide exire? Intantum enim tentatio proficit, inquantum fides deficit; & intantum tentatio deficit, inquantum fides proficit. Nam ut apertiùs noverit Caritas Vestra, de fide ne deficeret & » periret, dixisse Dominum, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: eo loco Evangelii ait, Hac nocte postulavit satanas vexare vos sicut tri- (Ibidem 31. & 32.) » ticum; & ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat » fides tua. Rogat qui tuetur, & non rogat qui periclitatur? Quod autem ait Dominus, *Cùm venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* de fide dixit, quæ perfecta est. Ipsa enim vix invenitur in terra. Ecce plena est Dei Ecclesia: quis huc accederet, si nulla esset fides? Quis non montes transferret, si plena esset fides? Adtendite ipsos Apostolos: dimissis omnibus suis, calcata spe sæculi, Dominum non sequerentur, nisi magnam haberent fidem; & tamen si plenam haberent fidem non dicerent Domino, Auge nobis fidem. (Luca 17. 5.) Vide etiam illum utrumque de se confitentem, (vide fidem, & non plenam fidem,) qui cùm obtulisset Domino filium suum à malo dæmonio sanandum, & esset interrogatus utrùm crederet, respondit & ait, Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. (Marci 9. 23.) Credo, inquit, credo Domine: ergo est fides. Sed adjuva incredulitatem meam: ergo non plena est fides.

CAPUT II.

2. Sed quia fides non est superborum, sed humilium, *Dixit ad quosdam qui sibi justi videbantur, & spernebant ceteros, similitudinem hanc:* (Luca 18. 9.) (℣. 10.) * *Duo homines adscenderunt in templum orare, unus* (℣. 11.) *Pharisæus, & alter publicanus.* * *Pharisæus dicebat, Gratias tibi, Deus, quia non sum sicut ceteri homines.* Diceret saltem, sicut multi homines. Quid est, *sicut ceteri homines*, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, ceteri peccatores. *Non sum sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri.* Et ecce tibi ex vicino publicano majoris tumoris occasio. *Sicut*, inquit, *publicanus iste.* Ego, inquit, solus sum, iste de ceteris est. Non sum, inquit, talis qualis iste, per justitias (℣. 12.) meas, quibus iniquus non sum. *Iejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo.* Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies. Adscendit orare: noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est, non Deum rogare, sed se laudare; insuper & roganti in- (℣. 13.) sultare. *Publicanus autem de longinquo stabat:* & Deo tamen ipse propinquabat. Cordis conscientia removebat, pietas applicabat. *Publicanus autem de longinquo stabat:* sed Dominus eum de pro- (Psal. 137. 6.) pinquo adtendebat. Excelsus enim Dominus, & humilia respicit. Excelsos autem, qualis erat ille Pharisæus, à longè cognoscit. Excelsa quidem Deus à longè cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humilitatem publicani. Parum est, quia de longinquo stabat: *nec oculos suos ad cælum levabat?* Ut adspiceretur, non adspiciebat. Respicere (SERM. DE SCRIPTURIS.) sursum non audebat: premebat conscientia, spes sublevabat. Adhuc audi: *Percutiebat pectus suum.* Pœnas de se ipso exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. *Percutiebat pectus suum, dicens, Domine, propitius esto mihi peccatori.* Ecce qui rogat. Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse sè agnoscit? De Pharisæo & publicano accepisti controversiam; audi sententiam: audisti superbum accusatorem, audisti reum humi- B lem; audi nunc judicem. *Amen dico vobis.* (℣. 14.) Veritas dicit, Deus dicit, judex dicit: *Amen dico vobis, descendit justificatus de templo publicanus ille, magis quàm ille Pharisæus.* Dic Domine caussam. Ecce video publicanum justificatum magis de templo descendere quàm Pharisæum. Quæro quare. Quæris quare? Audi quare. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Audisti sententiam, cave caussam malam: aliud dico, Audisti sententiam, cave su- C perbiam.

CAPUT III. Contra Pelagianos. a

3. Videant nunc, audiant ista nescio qui impiè garrientes, & de suis [a] viribus præsumentes: audiant qui dicunt, Deus me hominem fecit, justum ipse me facio. O pejor & detestabilior Pharisæo! Pharisæus ille superbè quidem justum se dicebat, sed tamen inde ille Deo gratias agebat. Justum se dicebat, sed tamen Deo gratias agebat. *Gratias tibi, Deus, quia non sum sicut ceteri homines. Gratias tibi Deus:* gratias Deo agit, D quia non est sicut ceteri homines: & tamen tamquam superbus & inflatus reprehenditur; non quia Deo gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat. *Gratias tibi, quia non sum sicut ceteri homines, injusti.* Ergo tu justus; ergo nihil rogas; ergo jam plenus es; ergo non est ten- (Job 7. 1.) tatio vita humana super terram; ergo jam plenus es; ergo jam abundas; ergo jam non est quare dicas, Dimitte nobis debita nostra? Quid est ergo qui impiè oppugnat gratiam, si reprehendi- E tur qui superbè agit gratias?

CAPUT IV. Parvulis baptismus Christi necessarius. b

4. Et ecce post dictam controversiam prolatamque sententiam procedunt & parvuli, immo apportantur & offeruntur tangendi. Cui tangendi, nisi medico? Certè [b] sani: cui offeruntur infantes tangendi? Cui? Salvatori. Si Salvatori, utique salvandi. Cui, nisi illi qui venit quærere, & salvare quod perierat? Ubi isti perierant? Quantum ad ipsos propriè adtinet, innocentes video, reatum quæro. Unde? Apostolum audio: Per F unum hominem intravit peccatum in orbem ter- (Rom. 5. 12.) rarum. Per unum, inquit, hominem peccatum « intravit in mundum, & per peccatum mors, & « ita in omnes homines pertransivit, in quo om- « nes peccaverunt. Veniant ergo parvuli, veniant: audiatur Dominus, *Sinite parvulos venire ad me.* (℣. 16.) Veniant parvuli, languidi ad medicum, veniant perditi ad redemtorem: veniant, nemo prohibeat. In ramo adhuc nihil commiserunt: sed in radice perierunt. Benedicat Dominus pusillos (Psal. 113. 13.) G cum magnis: Tangat medicus & pusillos & magnos. Caussam parvulorum commendamus majoribus. Loquimini pro tacentibus, orate pro flentibus. Si non frustra estis majores, estote tutores: tuemini eos qui adhuc caussam suam agere non possunt. Communis fuit perditio, sit communis inventio: simul perieramus, simul inveniamur in

[a] Am. Er. & MSS. *& de suis virtutibus*

[b] Sic MSS. Editi verò, *Certè insani.*

Classis I. in Christo. Dispar est meritum, sed communis est gratia. Nihil habent mali, nisi quod de fonte traxerunt: nihil mali habent, nisi quod de origine traxerunt. Non eos impediant à salute, qui ad id quod traxerunt multa addiderunt. Qui major est ætate, major est & iniquitate. Sed gratia Dei delet quod traxisti, delet & quod addidisti. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia. Rom. 5. 5.

*Aliàs 4. ex additis à Parisiensibus.

* SERMO CXVI.

De verbis Evangelii Lucæ 24. Stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis, *&c.*

Caput I. 1.

Lucæ 24. Apparuit Dominus post resurrectionem discipulis suis, sicut audistis, & salutavit eos, dicens; *Pax vobis.* Hæc est pax, & salutatio salutis: nam & ipsa salutatio à salute nomen accepit. Sed quid melius, quàm ut ipsa salutet hominem? Salus enim nostra Christus est. Ipse est enim salus nostra, qui vulneratus est pro nobis, & confixus est clavis in ligno; & depositus de ligno, positus in sepulcro. De sepulcro autem surrexit, sanatis vulneribus, servatis cicatricibus. Hoc enim discipulis suis expedire judicavit, ut cicatrices ejus servarentur, unde cordis vulnera sanarentur. Quæ vulnera? Vulnera infidelitatis. Apparuit enim oculis eorum veram exhibens carnem: & putaverunt se spiritum videre. Non leve vulnus hoc cordis est. Denique hæresim malignam fecerunt, qui in isto vulnere remanserunt. Sed non putamus vulneratos fuisse discipulos, quia citò sanati sunt? Cogitet Caritas Vestra, si in isto vulnere remansissent, ut putarent corpus sepultum non resurrexisse, sed spiritum imagine corporis humanos oculos illusisse: si in ista fide, immo in ista perfidia remansissent, non eorum vulnera, sed mors plangi deberet. Manichæorum hæresis.

Caput II. 2. Sed quid ait Dominus Jesus? *Quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum?* Si adscendunt in cor vestrum cogitationes, de terra veniunt cogitationes. Bonum est homini, non ut cogitatio adscendat in cor ejus, sed ut sursum adscendat ipsum cor ejus: ubi volebat Apostolus ponere corda credentium, quibus dicebat, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. In qua gloria? Resurrectionis. In qua gloria? Audi Apostolum dicentem de hoc corpore, Seminatur in ignominia, resurget in gloria. Istam gloriam Apostoli Magistro suo, Christo suo, Domino suo dare nolebant: resuscitare eum potuisse corpus suum de sepulcro non credebant: spiritum eum putabant, & carnem videbant, nec ipsis oculis suis fidem habebant. Et credimus eis nos annuntiantibus & non ostendentibus. Ecce ipsi Christo se ipsum ostendenti non credebant. Malum vulnus: prodeant medicamenta cicatricum. *Quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum?* *Videte manus meas & pedes meos*, ubi clavis confixus fui. *Palpate & videte.* Sed videtis, & non videtis. *Palpate & videte.* Quid? *Quia spiritus ossa &* ŷ. 38. Dubitatio discipulorum. Coloss. 3. 1. &c. 1. Cor. 15. 43. ŷ. 38. ŷ. 39.

carnem non habet, sicut me videtis habere. * Hæc dicens, (sic recitatum est,) *ostendit eis manus & pedes.* Serm. de Scripturis. ŷ. 40.

3. *Et adhuc trepidantibus & mirantibus præ gaudio.* Jam gaudium erat; & adhuc trepidatio permanebat. Res enim incredibilis erat facta, sed tamen facta. Numquid nunc incredibile est, quia resurrexit caro Domini de sepulcro? Totus hoc credidit mundus: qui non credidit, remansit immundus. Tunc tamen incredibile erat: & persuadebatur non solùm oculis, sed & manibus, ut per sensum corporis fides in cor descenderet, & in cor fides descendens posset prædicari per mundum, non videntibus aut tangentibus, & tamen sine dubitatione credentibus. *Habetis hic*, inquit, *aliquid quod manducetur?* Quanta addit ad ædificium fidei [a] structor bonus? Non esuriebat, & manducare quærebat. Et manducavit potestate, non necessitate. Agnoscant ergo discipuli verum corpus, quod agnovit ipsis prædicantibus mundus. Caput III. ŷ. 41. Resurrectionis Christi fides quo modo persuadebatur.

4. Si fortè aliqui hæretici sunt, qui adhuc habent in corde, quòd exhibuerit se oculis Christus, & vera caro non erat Christi; jam ponant illud, persuadeat illis Evangelium. Nos eos reprehendimus, quia hoc sapiunt: damnabit ille, si hoc sapere perseverant. * Tu quis es, qui non credis corpus in sepulcro positum resurgere potuisse? Si Manichæus es, qui nec crucifixum credis, quia nec natum credis; omnia eum falsa ostendisse prædicas. Ille falsa ostendit, & tu verum dicis? Tu non mentiris ore; sed ille mentitus est corpore? Ecce arbitraris apparuisse oculis quod non erat; spiritum fuisse, non carnem. Audi illum: amat te, ne damnet te. Audi illum dicentem: ecce tibi dicit, infelix; tibi loquitur: Quid turbatus es, & cogitationes adscendunt in cor tuum? *Videte*, inquit, *manus meas & pedes meos. Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Hæc dicebat veritas, & fallebat? Corpus erat, caro erat; quod sepultum fuerat, apparebat. Pereat dubitatio, sequatur digna laudatio. Contra Manichæos. *Caput IV.

5. Ostendit ergo discipulis se. Quid est se? Caput Ecclesiæ suæ. Ecclesia futura per mundum ab ipso prævidebatur, à discipulis nondum videbatur. Caput ostendebat, corpus promittebat. Quid enim secutus adjunxit? *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, dum adhuc essem vobiscum.* Quid est hoc, *dum adhuc essem vobiscum?* Numquid non tunc cum illis erat, cum illis loquebatur? Quid est, *cùm adhuc essem vobiscum?* Vobiscum mortalis, quod jam non sum. Vobiscum eram, quando moriturus eram. Quid est, *vobiscum?* Cum morituris moriturus. Modò jam non vobiscum: quia cum morituris numquam ulteriùs moriturus. Hoc ergo dicebam vobis. Quid? * *Quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me.* Dixi vobis, quia oportebat omnia impleri. *Tunc aperuit illis sensum.* Veni ergo, Domine, fac claves, aperi, ut intelligamus. Ecce omnia dicis, & non crederis. Putaris spiritus, tangeris, pulsaris, & adhuc trepidant qui te tangunt. De Scripturis admones, & adhuc non intelligunt. Clausa sunt corda, aperi, & intra. Fecit: *Tunc aperuit illis sensum.* Aperi, Domine, & dubitanti de Christo aperi cor. Aperi ei sensum, qui phantasma fuisse ŷ. 44. *Caput V. Item ŷ. 44. ŷ. 45.

[a] MSS *fidei instructor.*

CLASSIS I. credit Christum. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.*

6. *Et dixit eis.* Quid? *Quoniam sic oportebat.*

℣. 46. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat.* Quid? *Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.*

Ecclesia per omnes gentes futura promittitur.

Viderunt hoc, viderunt patientem, viderunt pendentem, videbant post resurrectionem præsentem viventem. Quid ergo non videbant? Corpus, id est, Ecclesiam. Illum videbant, illam non videbant. Sponsum videbant, sponsa adhuc latebat. Promittat & ipsam. *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Hoc sponsus est: *quid de sponsa? *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem.* Hoc nondum videbant discipuli: Ecclesiam per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem, nondum videbant. Caput videbant; & de corpore capiti credebant. Per hoc quod videbant, quod non videbant credebant. Similes illis sumus & nos: videmus aliquid, quod ipsi non videbant; & non videmus aliquid, quod ipsi videbant. Quid nos videmus, quod ipsi non videbant? Ecclesiam per omnes gentes. Quid non videmus, quod ipsi videbant? Christum in carne constitutum. Quomodo illi illum videbant, & de corpore credebant: sic nos corpus videmus, de capite credamus. Invicem nos adjuvent visa nostra. Adjuvit eos visus Christus, ut futuram Ecclesiam crederent: adjuvat nos visa Ecclesia, ut Christum resurrexisse credamus. Impleta est fides illorum, impletur & nostra: impleta est illorum de capite, impletur nostra de corpore. Totus Christus & illis innotuit, & nobis innotuit: sed totus ab eis non est visus, nec à nobis totus est visus. Ab eis caput est visum, corpus creditum: à nobis corpus visum, caput creditum. Nulli tamen deest Christus: in omnibus plenus est, & adhuc ei restat corpus. Crediderunt ipsi, crediderunt per illos Jerosolymitani multi; credidit Judæa, credidit Samaria. Accedant membra, accedat ædificium fundamento. Fundamentum » enim nemo potest ponere, ait Apostolus, nisi quod » est positum, quod est Christus Jesus. Insaniant Judæi, impleantur zelo: lapidetur Stephanus, servet lapidantium vestimenta Saulus, Saulus futurus Paulus apostolus. Occidatur Stephanus, perturbetur Ecclesia Jerosolymitana: discedant inde ligna ardentia, accedant & incendant. Ligna enim quodam modo in Ecclesia Jerosolymitana ardebant Spiritu-sancto, quando erat illis in Deum anima una, & cor unum. Lapidato Stephano passa est illa congeries persecutionem: sparsa sunt ligna, & accensus est mundus.

*CAPUT VI. ℣. 47.

Ab Apostolis Christus, Ecclesia à nobis cernitur.

1. Cor. 3. 11.

Act. 7. 57.

Act. 4. 32.

CAPUT VII. Saulus mutatus in prædicatorem Evangelii.

7. Denique hæc secutus furens Saulus ille, accepit epistolas à principibus sacerdotum, & cœpit ire sæviens, anhelans cædem, sitiens sanguinem, undecumque posset, quos posset vinctos trahere, ad supplicium rapere, se effuso sanguine satiare. Sed ubi Deus, ubi Christus, ubi Stephani coronator? ubi nisi in cælo? Videat & Saulum, irrideat sævientem, clamet de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Ego in cælo sum, tu in terra; & tamen persequeris me. Caput non tangis, sed membra mea calcas. Sed quid facis? quid proficis? Durum tibi est contra stimulum calcitrare. Quantumcumque calces mittas, te vexas. Pone ergo furorem, cape sanitatem. Pone malum consilium, appete bonum auxilium. Voce illa prostratus est. Quis est prostratus? Persecutor. Ecce victus est una voce. Quid ibas? quid sæviebas? Quos quærebas, modò sequeris: quos persequebaris, modò pro illis persecutionem pateris. Surgit prædicator, qui prostratus est persecutor. Audivit Domini vocem. Excæcatus est, sed in corpore, ut illuminaretur in corde. Perductus ad Ananiam, de pluribus catechizatus, baptizatus, processit Apostolus. Dic, prædica: prædica Christum, dissemina, ô bone aries, jamdudum lupus. Vide illum, adtende illum, qui sæviebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce « Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mun- « dus crucifixus est, & ego mundo. Funde Evan- « gelium: quod corde concepisti, ore dissemina. Audiant gentes, credant gentes: pullulent gentes, nascatur de sanguine Martyrum sponsa Domino purpurata. Et ex illa quàm multi accesserunt, quàm multa membra capiti cohæserunt, & cohærent nunc, & credunt? Et baptizati sunt isti, & baptizabuntur alii, & post nos venient alteri. Tunc, inquam, in fine sæculi accedent lapides fundamento, lapides vivi, lapides sancti, ut in fine ædificetur totum ædificium ab illa Ecclesia; immo ab ista ipsa Ecclesia, quæ modò cantat canticum novum, dum domus ædificatur. Sic enim habet ipse Psalmus, Quando domus « ædificabatur post captivitatem. Et quid? Can- « tate Domino canticum novum, cantate Domi- « no omnis terra. Quàm magna domus! Sed quando cantat canticum novum? Cùm ædificatur. Quando dedicatur? In fine sæculi. Fundamentum ipsius jam dedicatum est: quia adscendit in cælum, & non moritur. Quando & nos surrexerimus, ut numquam moriamur, tunc dedicabimur.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Gal. 6. 14.

Psal. 95. 1.

*SERMO CXVII.

*Alias ... de verbis Domini ...

De verbis [a] *Evangelii Iohan. 1.* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, *&c. Contra Arianos.*

1. CAPITULUM Evangelii quod lectum est, Fratres dilectissimi, purum oculum cordis inquirit. Dominum enim nostrum Jesum Christum accepimus secundùm divinitatem ad condendam universam creaturam, secundùm humanitatem ad reparandam lapsam creaturam, evangelizante Johanne. In ipso autem Evangelio qualis & quantus vir Johannes fuerit, invenimus, ut ex dignitate dispensatoris intelligatur quanti pretii sit Verbum, quod per talem dici potuit: immo quàm nullius pretii sit quod superat omnia. Pretio enim aut comparatur res venalis, aut subjicitur, aut excedit eam. Quando tantò quisque comparat quantò valet, æquatur pretium rei quæ comparatur: quando viliùs, subjicitur ei: quando cariùs, superat eam.

CAPUT ... Verbum Dei ... intelligatur quo pretio comparandum.

[a] Designatus videtur à Possidio in Indiculo cap. 5 ubi inter opuscula Augustini contra Arianos Tractatum recenset, *De In principio erat Verbum.* Citatur quoque à Floro ad Hebr. 1. Quamquam verò apud Lovanienses iste Sermo absque Augustini nomine, quod ipsi curarunt non dubiis tantummodo Sermonibus præfigendum, editus reperiatur, cum hac censura, *Videtur nonnullis Sermo consarcinatus & non totus esse D. Augustini.* Nobis tamen non licebat in dubiorum Sermonum classem ipsum rejicere: quippe cujus partes omnes optimè cohærere, quique Augustini doctrinam, differendi methodum & usitatas eidem voces exhibere, si quis alius, deprehendebatur. Neque verò morari debuit stilus, hîc, ut in extemporaneis Concionibus esse solet, aliquantò diffusior & inæqualis. Pertinet fortè ad priores annos Augustini.

Classis I.

Verbo autem Dei nec æquari aliquid potest, nec A ad mutationem subjici, nec superponi aliquid. Subjici enim omnia possunt Verbo Dei, quia *omnia per ipsum facta sunt*: non tamen subjiciuntur, quasi pretium sint Verbi, ut quisque det aliquid, ut illud accipiat. Tamen si dici potest, & admittit nomen hoc ratio aliqua vel loquendi consuetudo, pretium comparandi Verbi ipse comparator est, qui se ipsum pro se ipso dederit huic Verbo. Itaque quando aliquid emimus, quærimus aliquid quod demus, ut habeamus B rem dato pretio quam volumus emere. Et extra nos est quod damus; & si apud nos erat, fit extra nos illud quod damus, ut sit apud nos illud quod comparamus. Quidquid pretii invenerit qui emit aliquid, necesse est ut tale inveniat, ut det quod habet, & accipiat quod non habet; maneat tamen ille à quo abscedit pretium, & accedat illud pro quo dat pretium. Qui autem vult comparare Verbum hoc, qui vult habere, non quærat extra se ipsum quod det, se ipsum det. C Quod cùm fecerit, non se amittit, sicut amittit pretium, quando aliquid emit.

Johan. 1. 3.

Caput II. Pretium Verbi ipse homo.

2. Verbum ergo Dei propositum est omnibus: comparent qui possunt; possunt autem qui piè voluerint. In illo enim Verbo pax: & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Ergo qui vult comparare, det se ipsum. Quasi pretium est hoc Verbi, si dici aliquo modo potest, quando nec se perdit qui dat, & adquirit Verbum pro quo se dat, & se ipsum in Verbo adquirit cui se dat. Et D quid dat Verbo? Non aliquid ab ipso alienum, pro quo se dat; sed quod per ipsum Verbum factum est, hoc ei redditur ut reficiatur. *Omnia per ipsum facta sunt.* Si omnia, utique & homo. Si cælum, si terra, si mare, si omnia quæ in ipsis sunt, si universa creatura; utique ille manifestiùs, qui ad imaginem Dei factus per Verbum factus est homo.

Luca 2. 14.

a Johan. 1. 1.

Verbum Dei forma quædam non formata.

3. [a] Non modò, Fratres, tractamus, quomodo possit intelligi quod dictum est, *In principio* E *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ineffabiliter potest intelligi: non verbis hominis fit, ut intelligatur. Verbum Dei tractamus, & dicimus quare non intelligatur. Non nunc dicimus ut intelligatur, sed dicimus quid impediat ne intelligatur. Est enim forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formatorum: forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, [b] exsistens omnibus & funda- F mentum quoddam in quo sint, & fastigium sub quo sint. Si dicis quia omnia in illo sunt, non mentiris. [c] Dictum est enim ipsum Verbum Sapientia Dei: habemus autem scriptum, Omnia in Sapientia fecisti. Ergo in illo sunt omnia: & tamen quia Deus est, sub illo sunt omnia. Dicimus quàm incomprehensibile sit quod lectum est: tamen lectum est, non ut comprehenderetur ab homine, sed ut doleret homo quia non comprehendit, & inveniret unde impeditur à com- G prehensione, & removeret ea, & inhiaret perceptioni incommutabilis Verbi, ipse ex deteriore in melius commutatus. Non enim Verbum pro-

b

c Psal. 103. 24.

ficit aut crescit accedente cognitore: sed integrum, [d] si permanseris; integrum, si recesseris; integrum, cùm redieris; manens in se, & innovans omnia. Ergo est forma omnium rerum, forma infabricata, sine tempore, ut diximus, & sine spatiis locorum. Quidquid enim loco capitur, [e] circumscribitur. Forma circumscribitur finibus, habet metas unde & quò usque sit. Deinde quod loco capitur & mole quadam & spatio distenditur, minus est in parte, quàm in toto. Faciat Deus ut intelligatis.

Serm. de Scripturis.

d Forma sine tempore & loco.

e

Caput III.

4. Quotidie autem de corporibus, quæ ante oculos nostros sunt, quæ videmus, quæ tangimus, inter quæ sumus, possumus judicare corpus quodlibet in loco habere formam. Omne autem quod spatium loci occupat, minus est in parte quàm in toto. Pars corporis humani, verbi gratiâ, brachium: utique minus est brachium quàm totum corpus. Et si minus est [f] brachium, breviorem locum occupat. Item caput, quia pars est corporis, in minore loco est, & minus est quàm totum corpus, cui caput est. Sic omnia quæ sunt in loco, minora sunt in parte quàm in toto. Nihil tale de illo Verbo sentiamus, nihil tale cogitemus. Non de suggestione carnis spiritalia imaginemur. Non est ille Sermo, non est ille Deus minor in parte quàm in toto.

f

In rebus divinis pia ignorantia melior quàm præsumta sciĕtia.

5. Sed non potes tale aliquid cogitare. Magis pia est talis ignorantia, quàm præsumta scientia. Loquimur enim de Deo. Dictum est, *Et Deus erat Verbum.* De Deo loquimur, quid mirum, si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quàm temeraria professio scientiæ. Adtingere aliquantùm mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile. Ad mentem Deus pertinet, intelligendus est: [g] ad oculos corpus, videndum est. Sed corpus oculo comprehendere te putas? Omnino non potes. Quidquid enim adspicis, non totum adspicis. Cujus hominis faciem vides, dorsum non vides eo tempore quo faciem vides: & quando dorsum vides, eo tempore faciem non vides. Non sic ergo vides, ut comprehendas: sed quando adspicis aliam partem, quam non videras, nisi memoria tecum faciat ut memineris te vidisse unde recedis, numquam te dixeris aliquid vel in superficie comprehendisse. Tractas quod vides, versas huc atque illuc, vel ipse circuis ut totum videas. Uno ergo adspectu totum videre non potes. Et quamdiu versas ut videas, partes vides: & contexendo quia vidisti alias partes, videris totum inspicere. Non autem hîc oculorum visus, sed memoriæ vivacitas intelligitur. Quid ergo de illo Verbo, Fratres, dici potest? Ecce de corporibus dicimus subjacentibus oculis nostris, non illa possunt comprehendere adspectu: quis ergo oculus cordis comprehendit Deum? Sufficit ut adtingat, si purus est oculus. Si autem adtingit, tactu quodam adtingit incorporeo & spiritali, non tamen comprehendit; & hoc, si purus est. Et homo fit beatus contingendo corde illud quod semper beatum manet: & est illud ipsa beatitudo perpetua, & unde fit homo vivus, vita perpetua;

g

Oculo cordis Deus incomprehensibilis.

Dei contione fit homo beatus.

[a] Lov. *Nam modò*: refragrantibus ceteris libris.
[b] Lov. & aliquot MSS. *eminens.* Alii libri, *exsistens.*
[c] Plerique MSS *& dictum est. ipsum est enim Verbum* &c.
[d] Hic apud Lov. additur *manet*: quod à ceteris libris abest.

[e] In quibusdam libris sic verba interpunguntur: *circumscribitur formâ, circumscribitur finibus:*
[f] MSS. *Et si minus est, id est brevius, breviorem* &c.
[g] Nonnulli MSS. *ab oculis cordis videndus est.*

CLASSIS I.

SERM. DE SCRIPTURIS.

unde fit homo sapiens, sapientia perfecta; unde homo fit illuminatus, lumen sempiternum est. Et vide quemadmodum tu contingendo efficeris quod non eras, non illud quod contingis facis esse quod non erat. Hoc dico, Deus non crescit ex cognitore, sed cognitor ex cognitione Dei.

Deus ex nostra cognitione non crescit.

*CAPUT IV.

* Ne putemus, Fratres carissimi, quia beneficium præstamus Deo, quia diximus pretium nos dare quodam modo. Non enim unde augeatur, illi damus, qui & te lapso integer est, & te redeunte integer manet, paratus videri ut beatificet conversos, & aversos puniat cæcitate. Vindicat enim primò in anima aversa à se, [a] exordio pœnarum, ipsa cæcitate. Qui enim se avertit à lumine vero, id est, à Deo, jam cæcus efficitur. Nondum sentit pœnam, sed jam habet.

Verbum coæternum Patri asseritur contra Arianos.

6. Itaque Verbum Dei, Fratres carissimi, incorporaliter, inviolabiliter, incommutabiliter, sine temporali nativitate, natum tamen intelligamus à Deo. Putamusne possumus aliquo modo persuadere quibusdam infidelibus non abhorrere à vero, quod dicitur à nobis fide catholica, quæ contraria est Arianis, à quibus Ecclesia Dei sæpe tentata est, cùm carnales homines id faciliùs accipiunt quod videre consueverunt? Ausi sunt enim quidam dicere, Major est Pater Filio, & præcedit eum tempore: id est, major est Filio Pater, & minor est Patre Filius, & à Patre in tempore præceditur. Et sic disputant: Si natus est, utique erat Pater antè quàm Filius illi esset natus. Adtendite: adsit ipse nobis, adjuvantibus orationibus vestris, & pia intentione excipere cupientibus quod ipse donaverit, quod ipse suggesserit: adsit nobis, ut possimus quoquo modo explicare quod cœpimus. Tamen, Fratres, antè dico, si non potuero ego explicare, non rationem putetis, sed hominem defecisse. Itaque vos hortor & deprecor ut oretis: adsit misericordia Dei, & ita rem à nobis dici faciat, ut vos audire oportet, & nos dicere. Hoc ergo illi dicunt, Si Filius Dei est, natus est. Hoc fatemur. Non enim esset Filius, si natus non esset. Manifestum est, admittit fides, approbat Ecclesia catholica, verum est. Adjungunt deinde, Si natus est Patri Filius, erat Pater antè quàm ei Filius nasceretur. Hoc respuit fides, respuunt aures catholicæ, anathematur, extrà est qui hoc sapit, non pertinet ad participationem societatemque sanctorum. Ergo ait, Rationem mihi redde, quomodo & Filius potuit nasci Patri, & coævus esse ei à quo natus est?

CAPUT V.

Divina carnalibus insinuare difficile.

7. Et quid facimus, Fratres, quando carnalibus spiritalia insinuamus: si tamen & nos ipsi non carnales sumus, quando carnalibus ista spiritalia intimamus, homini assuefacto nativitate terrena, & videnti istius creaturæ ordinem, ubi successus & decessus, gignentes & genitos ætate distinguit? Post patrem enim nascitur filius, patri utique moriturо successurus. Hoc in hominibus, hoc in aliis animantibus invenimus, parentes priores tempore, filios tempore posteriores. [b] Hac consuetudine videndi, carnalia transferre illi ad spiritalia cupiunt, & intentione carnalium faciliùs seducuntur. Non enim ratio audientium sequitur talia prædicantes, sed consuetudo, quæ etiam ipsos involvit, ut talia prædicarent. Et quid facimus nos? Silebimus? Utinam liceret. Forsitan enim silendo aliquid dignum de re ineffabili cogitaretur. Nam quidquid potest fari, non est ineffabile. Ineffabilis est autem Deus. Si enim raptum se dicit usque in tertium cælum apostolus Paulus, & dicit se audisse ineffabilia verba; quantò magis ipse ineffabilis, qui talia demonstravit, quæ fari non possit cui demonstrata sunt? Itaque, Fratres, melius erat si possemus tacere, & dicere, Hoc habet fides, sic credimus: Non potes capere, parvulus es: patienter [c] tolerandum, donec pennas nutrias; ne cùm volare implumis volueris, non sit illa aura libertatis, sed casus temeritatis. Quid illi contrà? O si haberet quod diceret, diceret mihi! Deficienti ista excusatio est. Victus est [d] veris, qui respondere non vult. Ille cui hoc dicitur, si non respondeat, etsi in se ipso victus non est, vincitur tamen in titubantibus fratribus. Audiunt enim fratres infirmi, & putant re vera non esse quod dicatur: & forsitan verum putant, non esse quod dicatur, non tamen non esse quod sentiatur. Homo enim nihil potest dicere, quod non etiam sentire possit: potest etiam aliquid sentire, quod dicere non possit.

2. Cor. 12. 4.

Similitudines ad refellendos Arianos adhibendæ.

8. Tamen servata illius majestatis ineffabilitate, ne cùm aliquas similitudines contra illos dederimus, putet nos aliquis per istas similitudines jam pervenisse ad id quod nec dici nec cogitari à parvulis potest; (certè & si potest ab aliquibus majoribus, potest ex parte, potest in ænigmate, potest per speculum; nondum autem facie ad faciem:) demus & nos aliquas similitudines adversùs illos, unde illi refellantur, non unde illud capiatur. Etenim cùm dicimus valde posse fieri, posse intelligi, ut & natus sit, & coæternus sit ei à quo natus est, ut hoc refellant, & quasi falsum esse demonstrent, similitudines nobis dant. Unde? De creatura: & dicunt nobis, Homo utique erat antè quàm generaret filium, major est filio suo: & equus erat antè quàm generaret filium, & ovis, & cetera animalia. Similitudines adhibent de creaturis.

CAPUT VI.

Similitudinibus tamen non nititur nostra fides de Verbo.

9. Quid, nobis laborandum est, ut & nos inveniamus similitudines earum rerum quas adstruimus? Quid, si non invenirem, non rectè possem dicere, Nativitas Creatoris fortasse similitudinem in creatura non habet? Quantò enim superat ea quæ hìc sunt in eo quod ibi est, tantò superat ea quæ hìc nascuntur in eo quod ibi natus est. Omnia per Deum hìc sunt: & quid tamen est comparandum Deo? Sic omnia quæ hìc nascuntur, illo efficiente nascuntur. Et sic forsitan non invenitur aliqua similitudo nativitatis ejus, quomodo non invenitur & substantiæ ejus, & immutabilitatis, divinitatis, majestatis ejus. Quid enim simile hìc inveniri potest? Si ergo forsitan nec nativitatis similitudo inveniatur, numquid inde oppressus sum, quia non inveni similitudines Creatori omnium, in creatura cupiens invenire quod esset simile Creatori?

10. Et re vera, Fratres, non sum inventurus

[a] Ita duo MSS. Alii cum Lov. *exordium pœnarum.* Editiones autem Am. & Er. sententiam hanc totam prætereunt, *Vindicat enim primò in anima* &c.
[b] Aliquot MSS. *Hanc consuetudinem videndi carnalia.*

[c] Lov. *tolerandus.* Ceteri ferè libri editi & MSS. *tolerandum.*
[d] Sic omnes MSS. Editi autem, *Victus est, nescit, qui respondere non vult.*

CLASSIS I. Similitudines nativitatis Filii Dei imperfectæ in creaturis.

temporales similitudines, quas æternitati possim comparare. Sed & tu quas invenisti, quid sunt? Quid enim invenisti? Quia pater major est tempore quàm filius: & ideo vis ut Filius Dei tempore minor sit quàm Pater æternus, quia invenisti minorem filium patre temporali. Da mihi æternum patrem hîc, & invenisti similitudinem. Filium minorem invenis patre in tempore, filium temporalem minorem patre temporali. Numquid invenisti mihi filium temporalem minorem æterno patre?* Quia ergo in æternitate stabilitas est, in tempore autem varietas; in æternitate omnia stant, in tempore alia accedunt, alia succedunt: potes invenire minorem filium in varietate temporis succedentem patri, quia etiam patri suo ipse successit non æterno patri temporalis. Quid ergo possumus, Fratres mei, in creatura invenire coæternum, quando in creatura nihil invenimus æternum? Inveni æternum patrem in creatura, & invenio coæternum filium. Si autem non invenis æternum, & vincunt se in tempore; sufficit ut ad similitudinem inveniamus coævum. Aliud est enim coæternum, aliud coævum. Coævos quotidie dicimus eos, qui eamdem habent mensuram temporum: non alter ab altero præceditur tempore, ambos tamen esse cœpisse, quos dicimus coævos. Si potuerimus invenire coævum quod nascitur ei à quo nascitur; si possunt inveniri coæva duo, generans & generatus: hîc invenimus coæva, ibi intelligamus coæterna. Si hîc invenero genitum ex eo esse cœpisse ex quo cœpit generator, intelligimus certè Filium Dei ex eo esse non cœpisse, ex quo non cœpit generator. Ecce fortasse, Fratres, invenimus aliquid in creatura, quod de alia re nascatur, & tamen ex eo tempore esse incipiat, ex quo cœpit illud unde nascitur. Hoc ex eo ex quo illud cœpit, illud ex eo ex quo illud non cœpit. Hoc ergo coævum, illud coæternum.

*CAPUT VII. Florus ad Hebr. 1.

Coævum & coæternũ.

CAPUT VIII. In coævis similitudo quædam Verbi coæterni Deo.

11. Arbitror Sanctitatem Vestram jam intellexisse quod dico, non posse comparari temporalia æternis; sed posse ex aliqua tenui & parva similitudine coæva coæternis. Inveniamus itaque coæva, & de Scripturis admoneamur ad has similitudines. Legimus in Scripturis de ipsa Sapientia, Candor est enim lucis æternæ. Item legimus, Speculum sine macula Dei majestatis. Ipsa Sapientia dicta est candor lucis æternæ, dicta est imago Patris: hinc capiamus similitudinem, ut inveniamus coæva, ex quibus intelligamus coæterna. O Ariane, si invenero genitorem non præcedere tempore illud quod genuit, si genitum non esse minorem tempore illo à quo generatus est; justum est ut concedas mihi posse ista coæterna inveniri in Creatore, quando coæva in creatura inveniri potuerunt. Jam quidem aliquibus fratribus hoc occurrere puto. Nam prævenerunt aliqui ex quo dixi, Candor est enim lucis æternæ. Ignis enim lucem fundit, lux ab igne funditur. Quid à quo exsistat, si quæramus, quotidie cùm lucernam accendimus admonemur rei cujusdam invisibilis & inenarrabilis, ut lucerna aliqua intelligentiæ nostræ in ista nocte sæculi possit accendi. Adtende eum qui lucernam accendit. Non accensâ lucernâ, nondum est ignis, nondum est & fulgor qui ab igne exit. Interrogo autem ego, & dico, Fulgor ab igne exsistit,

Sap. 7. 26. Ibidem.

Ignis & lux coæva.

an ignis à fulgore? Omnis anima mihi respondet; (voluit enim Deus inseminare omni animæ initia intellectûs, initia sapientiæ:) omnis mihi anima respondet, & nemo dubitat, quòd splendor ille de igne exsistit, non ignis de splendore. Ponamus ergo ignem patrem illius splendoris: quia jam prælocuti sumus coæva nos quærere, non coæterna. Si lucernam accendere cupio, nondum est ibi ignis, nondum & ille splendor: mox autem ut accendero, simul cum igne & splendor exsistit. Da hîc mihi ignem sine splendore, & [a] credo tibi Patrem fuisse sine Filio.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT IX. Alia coæva, imago & res unde nascitur.

12. Adtendite: dicta est ut potuit à nobis tanta res dici, Domino adjuvante intentionem orationis vestræ & præparationem cordis vestri, excepistis quantum capere potuistis. Illa tamen ineffabilia sunt. Nihil dignum putetis dictum, vel eo ipso quo coæva coæternis comparantur, temporalia semper manentibus, exstinguibilia immortalibus. Sed quia dictus est Filius & imago Patris, accipiamus & hinc aliquam similitudinem in rebus longè differentibus, ut prælocuti sumus. Imago exsistit de speculo hominis intuentis speculum. Non nobis potest suffragari ad evidentiam rei hujus, quam explicare utcumque conamur. Etenim dicitur mihi, Ille qui adtendit speculum, jam utique erat, & jam natus erat. Exsistit imago mox ut adspector exstiterit. Nam ille qui inspicit, erat & antè quàm accederet ad speculum. Quid ergo inveniemus, unde possimus eruere talem similitudinem, sicut eruimus de igne & splendore? Faciamus [b] à minimo. Facilè nostis quemadmodum aqua corporum sæpe reddat imagines. Hoc dicimus, quando quisque vel transit super aquam vel stat, videt ibi imaginem suam. Ponamus ergo aliquid natum super aquam, velut virgultum aut herbam, nonne cum imagine sua nascitur? Mox ut incipit exsistere, incipit cum illo exsistere imago ejus, non præcedit nascendo imaginem suam: non mihi ostenditur natum esse aliquid super aquam, & postea apparuisse imaginem ejus, cùm illud sine imagine priùs appareret; sed nascitur cum imagine sua: & tamen imago ab illo, non illud ab imagine. Nascitur ergo cum imagine sua, & simul esse incipiunt virgultum & imago ejus. Numquid non fateris imaginem esse de illo virgulto, non virgultum de imagine genitum? Ergo de illo virgulto confiteris imaginem. Itaque & generans, & quod genitum est, simul esse cœperunt. Ergo coæva sunt. Si semper virgultum, semper & imago de virgulto. Quod autem de alio est, utique natum est. Potest ergo semper esse generans, & semper cum illo quod de illo natum est. Ibi enim æstuabamus, ibi laborabamus, quomodo intelligeretur sempiterna nativitas. Ergo Filius Dei secundùm hoc dicitur, quòd & Pater est, quòd habet de quo sit: non secundùm hoc, quòd prior esset Pater, & postea Filius. Semper Pater, semper Filius de Patre. Et quia quidquid de aliquo est, natum est; semper igitur Filius natus. Semper Pater, semper de illo imago; quomodo imago illa virgulti de virgulto nata est, & si semper virgultum, semper nata esset & imago de virgulto. Non potuisti invenire coæterna genita æternis genitoribus, & invenisti coæva nata temporalibus gignenti-

[a] Unus è Colbertinis MSS. *cedo*.

[b] Am. Er. & MSS. *Faciamus hoc animo*.

Classis I

Caput X. In similitudinibus allatis est inæqualitas.

bus. Intelligo coæternum Filium natum æterno gignenti. Quod enim est temporali coævum, hoc est æterno coæternum.

13. Hîc [a] jam modicum est quod advertatis, Fratres, propter blasphemias. Semper enim dicitur, Ecce dedisti similitudines: sed splendor qui funditur de igne, minùs lucet quàm ipse ignis; & imago virgulti minùs utique habet proprietatem, quàm illud virgultum unde imago est. Habent ista similitudinem, sed non habent omnimodam æqualitatem: quare non videntur esse ejusdem substantiæ. Quid ergo dicemus, si dicat aliquis, Talis est ergo Filius ad Patrem, qualis ad ignem splendor, & imago ad virgultum? Ecce intellexi æternum Patrem, intellexi coæternum Filium: tamen sicut effusum splendorem minùs igne lucentem, aut sicut effusam imaginem minùs quàm virgultum exsistentem dicimus? Non: sed æqualitas omnimoda est. Non credo, ait, quia non invenisti similitudinem. Sed crede Apostolo, quia potuit videre quod [b] dixi. Ait enim, Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Æqualitas omni modo conjungitur. Et quid dixit? Non rapinam. Quare? Quia illud est rapina, quod alienum est.

b *Philip.* 2. 6

Filii Dei coæternitas & æqualitas ex duobus collatis similitudinum generibus.

14. Tamen ex duabus istis collationibus & generibus duobus, similitudinem fortassis invenimus in creatura, quomodo intelligamus Filium & coæternum Patri & nequaquam minorem. Sed non illud possumus invenire in uno genere similitudinum: jungamus ambo genera. Quomodo ambo genera? Unum unde ipsi dant similitudines, & alterum unde nos dedimus. Dederunt enim illi similitudines ex his quæ nascuntur in tempore, & præceduntur tempore ab eis à quibus nascuntur, sicut homo de homine. Major ille tempore prior natus: sed tamen homo & homo, id est ejusdem substantiæ. Homo enim hominem generat, & equus equum, & pecus pecudem. Ad eamdem substantiam generant ista; sed non ad idem tempus. Diversa sunt tempore; sed non sunt diversa naturâ. Quid ergo hîc laudamus in ista nativitate? Certè æqualitatem naturæ. Quid autem deest? Æqualitas temporis. Teneamus hîc unum quod laudatur, id est, æqualitatem naturæ. In illo autem genere similitudinum, quod nos dedimus de splendore ignis & de imagine virgulti, æqualitatem naturæ non invenis, invenis coævitatem. Quid hîc laudamus? Coævitatem. Quid deest? Æqualitas naturæ. Conjunge quæ laudas. In creaturis enim deest aliquid quod laudas, in Creatore deesse nihil potest: quia quod invenis in creatura, à Creatore artifice processit. Quid ergo in coævis? nonne hoc Deo dandum quod ibi laudas? Quod autem deest non tribuendum majestati, in qua nullus defectus est. Ecce offero tibi genitis coæva gignentia: laudas ibi coævitatem, sed disparilitatem reprehendis. Quod reprehendis, noli tribuere Deo: quod laudas, tribue: & tribuis illi ex isto genere similitudinum pro coævitate coæternitatem, ut coæternus sit natus cum eo à quo natus sit. De alio autem similitudinum genere, quæ & ipsa creatura Dei est, & debet laudare Creatorem, quid ibi laudas? Æqualitatem naturæ. Jam propter illam distinctionem dederas coæternitatem; da propter istam, æqualitatem; & perfecta est

Serm. de Scripturis.

A nativitas ejusdem substantiæ. Quid enim dementius, Fratres mei, quàm ut in aliquo laudem creaturam, quod non sit in Creatore? Laudo in homine æqualitatem naturæ, & non credo in eo qui fecit hominem? Quod de homine natum est, homo est; & quod de Deo natum est, non id erit quod ille de quo natum est? Non versor in operibus quæ Deus non fecit. Laudent ergo Creatorem omnia opera sua. Invenio hîc coævum, cognosco ibi coæternum. Hîc æqualitatem invenio naturæ, ibi intelligo æqualitatem
B substantiæ. Totum ergo ibi quod hîc ex partibus singulis & rebus singulis invenitur. Totum ergo ibi simul, & non hoc solum quod in creaturis: totum invenio ibi, sed tamquam in Creatore, tantò amplius, quòd hæc visibilia, illa invisibilia; hæc temporalia, illa æterna; hæc commutabilia, illa incommutabilia; hæc corruptibilia, illa incorruptibilia. Postremò in ipso homine ea quæ invenimus homo & homo, duo homines sunt: ibi
C Pater & Filius unus Deus.

Cordis oculus mundandus ut videatur Deus.

15. Domino Deo nostro gratias ago inenarrabiles, quòd ex hoc loco scrupulosissimo & laboriosissimo infirmitatem meam liberare dignatus est, petentibus vobis. Ante omnia tamen servate hoc, quidquid de creatura potuimus colligere, aut sensu corporis, aut cogitatione animi, inenarrabiliter transcendere Creatorem. Sed vis illum mente contingere? Purga mentem, purga cor tuum. Mundum fac oculum, unde illud quidquid
D quid est, possit adtingi. Mundum fac oculum cordis: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Non autem mundato corde, quid potuit misericordiùs procurari aut donari ab eo, nisi ut illud Verbum, de quo tanta & tam multa diximus, & nihil dignum diximus; nisi ut illud Verbum, per quod facta sunt omnia, fieret quod nos sumus, ut adtingere possimus illud quod non sumus? Non enim Deus sumus: sed possumus mente vel cordis acie interiore videre Deum.
E Peccatis acies nostræ obtritæ, obtusæ, infirmitate dejectæ cupiunt videre: sed in spe sumus, in re nondum sumus. Filii Dei sumus. Hoc ait Johannes, qui ait, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: qui supra pectus Domini discumbebat, qui secreta ista de sinu illius cordis hauriebat: ipse ait, Dilectissimi, filii Dei sumus; & nondum apparuit quid erimus: scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.
F Hoc nobis promittitur.

Matth. 5. 8

Johan. 1. 1

1. *Johan.* 3. 2

Verbum incarnatione quasi lac factum, ut à nobis caperetur.

16. Sed ut perveniamus, si nondum possumus videre Verbum Deum, audiamus Verbum carnem: quia carnales facti sumus, audiamus Verbum carnem factum. Ideo enim venit, ideo suscepit infirmitatem nostram, ut possis firmam locutionem capere Dei portantis infirmitatem tuam. Et verè dictum est lac. Lac enim dat parvulis, ut cibum sapientiæ det majoribus. Lactare
G patienter, ut avidè pascaris. Quomodo enim fit etiam lac, quo lactantur infantes? Nonne esca erat in mensa? Sed invalidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est: quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis quod capere possimus. Sic Verbum caro factum est, ut lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes. Verùm

a Am. & Er. *Hinc etiam est modicum.*

b Aliquot MSS. *quod dixit.*

CLASSIS I.

hoc intereſt, quia quando cibum mater incarnatum lac facit, cibus in lac convertitur: incommutabiliter autem manens Verbum carnem aſſumſit, ut eſſet quodam modo contextum. Quod eſt, non corrupit, non commutavit, ut per habitum tuum tibi loqueretur, non in hominem transmutatus atque converſus. Inconvertibilis enim & incommutabilis, & omnino inviolabilis manens, factus eſt quod tu ad te, quod ipſe ad Patrem.

Humilitas à Verbo incarnato diſcenda.

17. Ipſe enim infirmis quid dicit, ut poſſint recuperato illo viſu Verbum ex aliqua parte adtingere, per quod facta ſunt omnia? Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. *Matth 11. 28. & 29.* Quid magiſter Filius Dei, Sapientia Dei, per quem facta ſunt omnia, concionatur? Vocat humanum genus, & dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, & diſcite à me. Putabas fortè dicturam Sapientiam Dei, Diſcite quomodo cælos feci & aſtra: omnia etiam in me, antè quàm fierent, numerata erant; quomodo in virtute rationum incommutabilium etiam capilli veſtri numerati ſunt. Hæc putabas & talia eſſe dicturam? Non. Sed priùs illud. Quoniam mitis ſum, & humilis corde. Ecce quod capiatis, videte, Fratres, certè parvum eſt. Ad magna nos tendimus, parva capiamus, & magni erimus. Vis capere celſitudinem Dei? Cape priùs humilitatem Dei. Dignare eſſe humilis propter te, quia Deus dignatus eſt humilis eſſe propter eumdem te: non enim propter ſe. Cape ergo humilitatem Chriſti, diſce humilis eſſe, noli ſuperbire. Confitere infirmitatem tuam, jace patienter ante medicum: Cùm ceperis humilitatem ejus, ſurgis cum illo: non quaſi & ipſe ſurgat ſecundùm quod Verbum eſt; ſed tu potiùs, ut magis magiſque à te capiatur. Intelligebas primò titubanter atque hæſitanter; intelligis poſtea certiùs & clariùs: Non ille creſcit; ſed tu proficis, & quaſi tecum videtur ſurgere. Sic eſt, Fratres. Credite præceptis Dei, & facite illa, & donabit vobis robur intelligentiæ. Non præſumatis, & quaſi anteponatis ſcientiam præcepto Dei; ne inferiores, non ſolidiores remaneatis. Arborem adtendite: ima petit priùs, ut ſurſum excreſcat: figit radicem in humili, ut verticem tendat ad cælum. Numquid nititur niſi ab humilitate? Tu autem ſine caritate vis excelſa comprehendere; ſine radice auras petis? Ruina eſt iſta, non incrementum. Habitante Chriſto per fidem in cordibus veſtris, in caritate radicamini atque fundamini, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

* Aliàs 13. ex Sirmondianis.

* SERMO CXVIII.

De eiſdem verbis Evangelii Johan. 1. In principio erat Verbum; *&c.*

Verbum Dei æternum, genitum, non factum. *Johan. 1. 1. Gen. 1. 1.*

1. OMNES qui multa verba quæritis hominis, intelligite unum Verbum Dei: *In principio erat Verbum.* In principio autem fecit Deus cælum & terram. Sed erat Verbum, quando audivimus, In principio fecit Deus. Agnoſcamus Creatorem: Creator eſt enim qui fecit; creatura autem quod fecit. Non erat enim creatura quæ facta eſt, ſicut ſemper erat Verbum Deus, per quem facta eſt. Quando autem audivimus, *Erat Verbum*, apud quem erat?

SERM. DE SCRIPTURIS.

A Intelligimus Patrem, qui non fecit nec creavit idem Verbum, ſed genuit. In principio enim fecit Deus cælum & terram. Per quid fecit? *Erat Verbum*, * *& Verbum erat apud Deum:* ꝟ. 2. ſed quale Verbum? Sonabat & tranſibat? Numquid cogitabatur & volvebatur? Non. Recordabatur, & proferebatur? Non. Ergo quale Verbum? Quid à me quæris multa? *Deus erat Verbum.* Quando audimus, *Deus erat Verbum*, non duplicamus ꝟ. 1. Deum; ſed intelligimus Filium. Verbum enim B Dei Filius eſt. Ecce Filius, & quid niſi Deus? Nam *Deus erat Verbum.* Quid Pater? Utique Deus. Si pater Deus, & Filius Deus, duplicamus Deum? Abſit. Pater Deus, Filius Deus: ſed Pater & Filius unus Deus. Non eſt enim unicus Filius factus, ſed natus. In principio fecit Deus cælum & terram: ſed erat Verbum à Patre. Ergo factum eſt Verbum à Patre? Non. *Omnia per* ꝟ. 3. *ipſum facta ſunt.* Si per ipſum omnia facta ſunt, numquid & ipſe per ſe ipſum factus eſt? Per quem C audis facta eſſe omnia, noli putare factum eſſe inter omnia. Nam ſi & ipſe factus eſt, non per illum facta ſunt omnia, ſed inter cetera factus eſt ipſe. Dicis, factus eſt: numquid per ſe? Quis eſt qui faciat ſe? Si ergo factus eſt, quomodo per ipſum facta ſunt omnia? Ecce & ipſe factus eſt, ſicut tu dicis, non ego, quia genitum non nego. Si ergo dicis factum eſſe, quæro per quid, quæro per quem. Per ſe ipſum? Ergo erat, antè quàm fieret, ut faceret ſe ipſum. Si autem omnia per ipſum D facta ſunt, intellige quia non eſt factus ipſe. Si non potes intelligere, crede ut intelligas. Præcedit fides, ſequitur intellectus: quoniam Propheta dicit, Niſi credideritis, non intelligetis. *Iſai. 7. 9.* *Erat Verbum.* Noli ergo quærere tempus ei, per quem facta ſunt tempora. *Erat Verbum.* Sed tu dicis, Aliquando non erat Verbum. Mentiris, nuſquam legis. Ego autem lego tibi, *In principio erat Verbum.* Quid quæris ante principium? Si autem aliquid invenire potueris ante principium, E ipſum erit principium. Inſanit qui aliquid quærit ante principium. Quid ergo dicit quia fuit ante principium? *In principio erat Verbum.*

Similitudine oſtenditur coæternum eſſe Deo Patri Filium.

2. Sed dicis, Et erat Pater, & ante Verbum? Quid quæris? *In principio erat Verbum.* Quod invenis intellige: noli quærere quod non potes invenire. Nihil eſt ante principium. *In principio erat Verbum.* Splendor Patris Filius eſt. De ſapientia Patris, quod eſt Filius, dictum eſt, Candor eſt enim lucis æternæ. *Sap. 7. 26.* Quæris Filium ſi- F ne Patre? Da mihi lucem ſine candore. Si aliquando non erat Filius, Pater lux obſcura erat. Quomodo enim non obſcura lux erat, ſi candorem non habebat? Ergo ſemper Pater, ſemper Filius. Si ſemper Pater, ſemper Filius. Quæris à me utrùm natus ſit Filius? Reſpondeo, natus. Non enim eſſet Filius, ſi non natus. Sed cùm dico, Semper Filius; hoc dico, Semper eſt natus. Et quis intelligit, Semper eſt natus? Da mihi ſempiternum ignem, & do tibi ſempi- G ternum ſplendorem. Benedicimus Deum, qui dedit nobis ſacras Scripturas. In ſplendore lucis nolite eſſe cæci. Candor de luce gignitur, & tamen gignenti coæternus eſt candor. Semper lux, ſemper candor ejus. Genuit candorem ſuum: ſed numquid fuit ſine candore ſuo? Generare ſempiternum liceat Deo. Rogo audite de quo loquimur: audite, advertite, credite, intelligite.

Classis I.

De Deo loquimur. Filium Patri coæternum fatemur & credimus. Sed homo, inquit, quando generat filium, major est qui generat, & minor qui generatur. Ecce verum est: in hominibus major est qui generat, & minor qui generatur, & pervenit ad robur patris sui. Sed quare, nisi quia cùm ille crescit, ille senescit? Stet pater in tempore, & crescendo eum sequitur filius, & videbis æqualem. Sed ecce do tibi unde intelligas. Ignis generat splendorem coævum. Non invenis in hominibus nisi minores filios, majores patres; non invenis coævos: sed do tibi, sicut dixi, splendorem coævum igni patri suo. Generat enim ignis splendorem, sed numquam sine splendore. Cùm ergo videas splendorem igni esse coævum, permitte Deum generare coæternum. Qui intelligit, gaudeat: qui autem non intelligit, credat. Quoniam verbum Prophetæ evacuari non potest: Nisi credideritis, non intelligetis. (Isai. 7. 9.)

* SERMO CXIX.

*Aliàs de diversis 24.

De eisdem verbis [a] *Johan.* I. In principio erat Verbum *&c.*

Caput I. Verbum æternum apud Deum.

1. DOMINUM nostrum Jesum Christum factum esse hominem quærendo perditum hominem, neque umquam tacuit prædicatio nostra, & semper habuit fides vestra: hunc autem Dominum nostrum, qui homo factus est propter nos, Deum semper fuisse apud Patrem, & semper futurum esse, immo semper esse; quia ubi tempus non præterit, non est ibi fuit & erit. Quod enim dicitur fuit, jam non est; quod dicitur erit, nondum est: sed semper est, quia verè est, hoc est, incommutabilis est. Modò nos admonuit Evangelicum capitulum, magnum divinumque secretum. Hoc enim principium Evangelii sanctus Johannes ructuavit, quia de pectore Domini bibit. Recordamini enim, & lectum est vobis nuperrimè, quomodo ipse sanctus Johannes evangelista in sinu Domini discumbebat. (Jhan. 13. 23. ibidem 25.) Quod apertè exponere volens, ait, Super pectus Domini: ut intelligeremus quid dixerit, in sinu Domini. Ille enim qui super pectus Domini discumbebat, putamus quid bibebat? Non putemus, sed potemus: modò enim & nos audivimus quod bibamus.

Caput II. Johan. 1. 1. Verbum Dei non est factum.

2. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* O prædicare! ô saginam Dominici pectoris eructuare! *In principio erat Verbum.* Quid quæris quid ante erat? *In principio erat Verbum.* Si factum esset Verbum, (non est enim factum per quod facta sunt omnia:) si factum esset Verbum, Scriptura diceret, In principio fecit Deus Verbum: quomodo dixit in Genesi, In principio fecit Deus cælum & terram. (Gen. 1. 1.) Non ergo in principio fecit Deus Verbum: quia, *In principio erat Verbum.* Hoc Verbum quod in principio erat, ubi erat? Sequere: *Et Verbum erat apud Deum.* Sed solemus, audiendo quotidie humana verba, vile habere nomen hoc Verbi. Hîc noli habere vile nomen Verbi: *Deus erat Verbum. Hoc*, id est Verbum, *erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.*

Serm. de Scripturis. Caput III. Verbum Dei incomprehensibile.

3. Extendite corda vestra, adjuvate paupertatem sermonis nostri. Quod dicere potuero, audite: quod non potuero, cogitate. Quis comprehendat Verbum manens? Omnia verba nostra sonant & transeunt. Quis comprehendat Verbum manens, nisi qui in ipso manet? Vis comprehendere Verbum manens? Noli sequi flumen carnis. Caro quippe ista fluvius est: non enim manet. Tamquam de fonte quodam secreto naturæ nascuntur homines, vivunt homines, moriuntur homines: nec unde veniant novimus, nec quò eant novimus. Latet aqua, donec progrediatur ex fonte: currit, & apparet in flumine: sed rursus latet in mari. Contemnamus fluvium istum manantem, currentem, desinentem, contemnamus. Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis sicut flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit. Vis manere? Verbum autem Domini manet in æternum. (Isai. 40. 6. &c.)

Caput IV. Verbum caro factum.

4. Sed ut subveniret nobis, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quid est, *Verbum caro factum est?* Aurum fœnum factum est. Fœnum factum est ad succendendum: succensum est fœnum, sed mansit aurum: & in fœno non periit, & fœnum mutavit. Quomodo mutavit? Resuscitavit, vivificavit, in cælum levavit, ad Patris dexteram collocavit. Ut autem diceretur, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, quid præcessit recolamus paululùm. *In sua propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Fieri*, quia non erant: ipse autem in principio erat. *Dedit* ergo *eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ecce sunt, in quacumque sint ætate carnis: videtis [b] infantes: videte & gaudete. Ecce sunt: sed ex Deo nati sunt. Vulva matris, aqua baptismatis.

Caput V. Incarnationis mysterium suadetur.

5. Nemo pauperculo animo sentiat, & volvat apud se ipsum [c] mendicissimas cogitationes, & dicat sibi, Quomodo *in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt*: & ecce *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis?* Audite unde factum est. Certè credentibus in nomine ejus dedit potestatem filios Dei fieri. Nec ipsi quibus dedit potestatem filios Dei fieri, putent impossibile esse filios Dei fieri. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Nolite putare multum esse ad vos, fieri filii Dei: propter vos filius hominis factus est, qui erat Filius Dei. Si factus est ipse, ut minus esset qui plus erat; non potest facere ex eo quod minus eramus, ut aliquid plus esse possimus? Descendit ad nos, & non ad illum adscendemus? Accepit pro nobis mortem nostram, & non nobis daturus est vitam suam? Passus est propter te mala tua, & non tibi daturus est bona sua?

Caput VI.

6. Sed quomodo, inquit, fieri potuit, ut Verbum Dei, quo gubernatur mundus, per quod &

[a] Tres qui subsequuntur in Johannis exordium Sermones, apud veteres libros inscribuntur habiti *in die Pascha.* Ex iis haud dubiè sunt, quos Possidius in Indiculo cap. 10. notat, *Per vigilias Paschæ Tractatus viginti tres.* Ei namque tempori congruenter & quàm opportunè dicebatur de 1. capite Evangelii Johannis, unde filios Dei se factos esse intelligerent recèns baptizati, quod ipsis collatum beneficium hîc cap 4. & 5. manifestiùs commendatur.

[b] Regius & Victorinus MSS. *Videtis infantes, videtis & gaudetis. Ecce sunt. Numquid non filii Dei sunt: non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Vulva matris* &c.

[c] Editi, *mendacissimas.* At optimæ notæ Germanensis MS *mendicissimas.* Refer ad superiora verba, *pauperculo animo.*

creata

Classis I.

Incarnatio opus omnipotentis Verbi.

creata sunt & creantur universa, coartaret se in virginis carnem, dimitteret mundum, & desereret Angelos, in utero unius feminæ includeretur? Nec nosti divina cogitare. Verbum Dei, (tibi loquor, ô homo, de omnipotentia Dei Verbi tibi loquor,) prorsus totum potuit, quia & Verbum Dei omnipotens est, & manere apud Patrem, & venire ad nos; & in carne procedere ad nos, & apud ipsum latere. Neque enim, si natus ex carne non esset, non esset. Erat ante carnem suam: ipse creavit matrem suam. Elegit in qua conciperetur; creavit de qua crearetur. Quid miraris? Deum tibi loquor: *Deus erat Verbum.*

Caput VII. Similitudine explicatur incarnatio Verbi.

7. De Verbo aliquid ago, & verbum humanum fortè aliquid simile potest; quamvis longè impar, longè discretum, ex nulla particula comparandum, tamen vobis aliqua similitudine insinuandum. Ecce ego verbum quod vobis loquor, in corde meo priùs habui; processit ad te, nec recessit à me: cœpit esse in te, quod non erat in te; mansit apud me, cùm exiret ad te. Sicut ergo verbum meum prolatum est sensui tuo, nec recessit à corde meo: sic illud Verbum prolatum est sensui nostro, nec recessit à Patre suo. Verbum meum erat apud me; & processit in vocem: Verbum Dei erat apud Patrem, & processit in carnem. Sed numquid ego possum id facere de voce mea, quod potuit ille de carne sua? Ego enim volantem vocem meam tenere non possum: ille carnem suam non solùm tenuit, ut nasceretur, viveret, ageret; sed etiam mortuam suscitavit, & vehiculum quoddam in quo processit ad nos, ad Patrem levavit. Vestem dicas carnem Christi, vehiculum dicas, & quomodo fortè ipse significare dignatus est, jumentum ipsius dicas; quia in ipso jumento levavit eum qui fuerat à latronibus sauciatus: postremò, quod ipse apertiùs dixit, templum dicas: hoc templum jam novit mortem, ad dexteram Patris sedet: in ipso templo venturus est judicare vivos & mortuos. Quod nos monuit præcepto, demonstravit exemplo. Quod ostendit in carne sua, hoc sperare debes in carne tua. Hæc est fides; tene quod nondum vides. Opus est ut in eo, quod non vides, credendo permaneas; ne cùm videris, erubescas.

Lucæ 10. 34.

Johan. 2. 19.

* Aliàs de Diversis 84.

* SERMO CXX.

De eisdem verbis Johan. 1. In principio erat Verbum &c.

Johan. 1. 1. Verbum Dei incomprehensibile in Evangelio revelatum.

1. EVANGELII Johannis principium; *In principio erat Verbum.* Sic cœpit, hoc vidit, & transcendens universam creaturam; montes, aëra, cælos, sidera, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, omnes Angelos, omnes Archangelos; transcendens omnia, in principio Verbum vidit, & bibit. Super omnem creaturam vidit, de pectore Domini bibit. Ipse est enim Johannes Evangelista sanctus, quem præcipuè diligebat Jesus; ita ut super pectus ejus recumberet. Ibi erat hoc secretum, ut inde biberetur, quod in Evangelio ructuaretur. Felices qui audiunt & intelligunt. Sequentis felicitatis sunt, qui & si non intelligunt, credunt. Quantum est enim hoc videre Dei Verbum, quis humanis explicet verbis?

Serm. de Scripturis.

2. Erigite corda vestra, Fratres mei, quantum potestis erigite: quidquid vobis per imaginationem cujuslibet corporis occurrerit, respuite. Si occurrerit tibi Verbum Dei, quomodo cogitas lucem solis hujus; quantumlibet pandas, quantumlibet extendas; nullos ejus lucis fines in cogitatione constituas; ad Verbum Dei nihil est. Quidquid tale cogitat anima, minus est in parte, quàm in toto. Cogita Verbum ubique totum. Intelligite quod dico: quantum possum, coarto me per angustias meas propter vos. Intelligite quod dico. Ecce lux ista de cælo, quæ solis nomine appellatur, cùm processerit, illustrat terras, explicat diem, facit formas, coloresque discernit. Magnum bonum, magnum omnibus mortalibus Dei donum: magnificent eum opera sua. Si tam pulcher est sol: solis factore quid pulcrius? Et tamen videte, Fratres: ecce diffundit radios suos per universam terram, patentia penetrat, clausa resistunt: lucem suam mittit per fenestras; numquid & per parietem? Verbo Dei totum patet; Verbum Dei nihil latet. Videte aliam differentiam; quàm longe sit à Creatore creatura, maximè corporalis. Quando in Oriente est sol, in Occidente non est. Lux quidem ejus de illo grandi corpore effusa, pertendit usque in Occidentem; sed ipse ibi non est. Quando occidere cœperit, tunc ibi erit. Quando oritur, in Oriente est: quando occidit, in Occidente est. Per ista duo opera sua, nomina locis dedit. Quia in Oriente est quando oritur ad Orientem, fecit Orientem vocari: quia in Occidente est quando occidit ad Occidentem, fecit Occidentem vocari. Nocte nusquam apparet. Numquid Verbum Dei sic est? Numquid quando est in Oriente, non est in Occidente; aut quando est in Occidente, non est in Oriente? aut aliquando deserit terras, & it sub terras, aut post terras? Ubique totum est. Quis hoc explicet verbis? Quis hoc videt? Quo documento vobis probabo quod dico? Homo loquor, hominibus loquor: infirmus loquor, infirmioribus loquor. Et tamen, Fratres mei, audeo dicere, quod vobis dico, vel per speculum, vel in ænigmate, utcumque video; utcumque intelligo & in corde meo de hac re verbum. Sed quærit exire ad vos, & dignum non invenit vehiculum. Vehiculum verbi, sonus est vocis. Quod dico apud me, quæro vobis dicere, & verba deficiunt. Volo enim dicere de Dei Verbo. Quanto Verbo, quali Verbo? *Omnia per ipsum facta sunt.* Opera videte, & Operatorem expavescite. *Omnia per ipsum facta sunt.*

Verbum Dei ubique totum.

ỿ. 3.

Verbi divini excellentia intelligenda ex humani verbi proprietate.

3. Redi mecum humana infirmitas, redi ergo. Humana ipsa comprehendamus, si possumus. Homines sumus & nos qui loquimur, & hominibus loquimur, & sonum vocis edimus. Ad aures hominum sonum vocis nostræ perducimus, & per nostræ vocis sonum & intellectum quomodocumque per aurem in corde ponimus. Hinc ergo quod possumus, ut possumus, eloquamur, hoc comprehendamus. Si autem neque hoc comprehendere valuerimus, ad illud quid sumus? Ecce auditis me: verbum facio. Si quis hinc exeat & interrogetur foris quid hîc agitur, respondet, Verbum Episcopus facit. Verbum facio de Verbo. Sed quale verbum, de quali Verbo? Mortale verbum, de immortali Verbo; mutabile verbum, de immutabili Verbo; transitorium verbum, de

CLASSIS I.

æterno Verbo. Tamen adtendite verbum meum. Dixeram enim vobis, Verbum Dei ubique totum est. Ecce facio vobis verbum: ad omnes pervenit quod dico. Ut ad omnes perveniret quod dico, numquid divisistis quod dico? Si pascerem vos, ut non mentem vestram, sed ventrem implere vellem, & ponerem vobis panes quibus saturaremini; nonne panes meos divideretis inter vos? Numquid possent panes mei ad unumquemque vestrûm pervenire? Si ad unum pervenirent, ceteri nihil haberent. Ecce loquor, & omnes habetis. Parum est quia omnes habetis: & omnes totum habetis. Pervenit ad omnes totum, ad singulos totum. O mirabilia verbi mei. Quid est ergo Verbum Dei? Aliud audite. Dixi: quod dixi, processit ad vos, & non recessit à me. Pervenit ad vos, nec separatum est à me. Antè quàm dicerem, ego habebam, & vos non habebatis: dixi, & vos habere cœpistis, & ego nihil perdidi. O miraculum verbi mei! Quid est ergo Verbum Dei? De parvis magna conjicite. Considerate terrena, laudate cælestia. Creatura sum, creatura estis: & tanta miracula fiunt de verbo meo in corde meo, in ore meo, in voce mea, in auribus vestris, in cordibus vestris. Quid est Creator? O Domine audi nos. Fac nos, quia fecisti nos. Fac nos bonos, quia fecisti nos homines illuminatos. Isti albati, illuminati, audiunt per me verbum tuum. Illuminati enim gratiâ tuâ adsistunt tibi. Hic est dies quem fecit Dominus. Sed hoc laborent, hoc orent, ut cum [a] isti dies transierint, non fiant tenebræ, qui facti sunt lux miraculorum Dei & beneficiorum.

(Recèns baptizati in albis.)

* SERMO CXXI.

(* Aliàs de Diversis 85. & de Tempore 28. aut in Appendice 27.)

De verbis [b] *Evangelii Iohan.* 1. Mundus per ipsum factus est *&c.*

(b Johan. 1. 10. Mundus duplex.)

1. MUNDUS per Dominum *factus est, & mundus eum non cognovit.* Qui mundus per eum factus est, qui mundus eum non cognovit? Non enim mundus qui per eum factus est, ipse eum non cognovit. Quis est mundus qui per eum factus est? Cælum & terra. Quomodo eum non cognovit cælum, quando in ejus passione sol obscuratus est? Quomodo eum terra non cognovit, quando illo in cruce pendente contremuit? Sed *mundus eum non cognovit*, cujus princeps est ille, de quo dictum est, Ecce venit princeps mundi hujus, & in me nihil invenit. Homines mali mundus vocantur, homines infideles mundus vocantur. Inde acceperunt nomen, ex eo quod amant. Amando Deum, efficimur dii: ergo amando mundum, dicimur mundus. Sed Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. *Mundus* ergo *eum non cognovit*, numquid omnes?

(Johan. 14. 30. Mundus malus.) (2. Cor. 5. 19.)

2. *In sua propria venit, & sui eum non receperunt.* Omnia sunt ipsius, sed propria ipsius dicuntur, unde mater ejus erat, unde carnem acceperat, ad quos adventûs sui præcones antè præmiserat, quibus legem dederat, quos de Ægyptia servitute liberaverat, quorum patrem carnalem elegit Abraham. Quia verùm dixit, Antè Abraham ego sum. Nec sic dixit, Antè quàm Abraham esset, aut antè quàm Abraham fieret, ego [c] factus sum. *In principio* enim *Verbum erat*, non factum erat. Ergo, *In propria venit*, ad Judæos venit. *Et sui eum non receperunt.*

(ỳ. 11.) (SERM. DE SCRIPTURIS.) (Johan. 8. 58.)

3. *Quotquot autem receperunt eum.* Utique enim ibi Apostoli, qui illum receperunt. Ibi illi, qui ante jumentum ejus ramos ferebant. Præcedebant & sequebantur, & vestimenta sua sternebant; & magna voce clamabant, Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. Tunc Pharisæi dixerunt ei, Compesce pueros, non tibi ista clament. Et ille, Si isti tacebunt, lapides clamabunt. Nos videbat, quando ista dicebat: Si isti tacebunt, lapides clamabunt. Qui lapides, nisi qui colunt lapides? Si parvuli Judæi tacebunt, majores & minores Gentes clamabunt. Qui lapides, nisi de quibus dicit ipse Johannes iste, qui venit ut testimonium perhiberet de lumine? Cùm enim videret ipsos Judæos superbire de genere Abrahæ, ait illis, Generatio viperarum. Illi se dicebant filios Abrahæ: & iste illis dicebat, Generatio viperarum. Abrahæ faciebat injuriam? Absit. Ex moribus dabat eis nomen. Quia si essent filii Abrahæ, imitarentur Abraham: sicut eis & ipse ait, qui dicunt ei, Nos liberi sumus, & nemini servivimus umquam, nos patrem habemus Abraham. Et ille: Si filii Abrahæ essetis, facta Abrahæ faceretis. Vos vultis me occidere, quia veritatem vobis dico, hoc Abraham non fecit. Inde generati estis; sed degenerastis. Ergo quid Johannes? Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira? Quia veniebant baptizari baptismo Johannis in pænitentiam. Quis vobis ostendit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pænitentiæ: Et nolite dicere in cordibus vestris, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Potens est enim Deus de lapidibus istis, quos [d] videbat in Spiritu; illis dicebat, & nos prævidebat: Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. De quibus lapidibus: Si isti tacebunt, lapides clamabunt. Modo audistis, & clamastis. Impletum est, Lapides clamabunt. De Gentibus enim venimus, in parentibus nostris lapides adoravimus. Ideo & canes dicti sumus. Recordamini quid audierit mulier illa, quæ clamabat post Dominum, quia erat Chananæa, idolorum cultrix, ancilla dæmoniorum. Quid dixit ei Jesus? Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus. Numquam advertistis, quemadmodum canes lapides unctos linguunt? Sic sunt omnes simulacrorum cultores. Sed venit vobis gratia. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ecce habetis modo natos: *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quibus dedit? *His qui credunt in nomine ejus.*

(ỳ. 12.) (Matth. 21. 9.) (Luca 19. 39. & 40.) (Johan. 1. 8.) (Matth. 3. 7.) (Johan. 8. 33.) (Ibidem 39. & c.) (V. Serm. 77. n. 10.) (Matth. 15. 26.) (Recèns baptizati.)

4. Et quomodo filii Dei fiunt? *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis: sed ex Deo nati sunt.* Accepta potestate ut filii Dei fierent, ex Deo nati sunt. In-

(ỳ. 13.) (Nativitas duplex.)

[a] MSS. *ut cùm festi dies transierint.*

[b] Duobus in locis hunc eumdem Sermonem repræsentat Lovaniensium editio, scilicet in Appendice, quò per ipsos ex classe de Tempore, ubi priùs exstabat, rejectus est tamquam spurius: præterea que in classe de Diversis, ubi tamquam genuinus exhibetur inter Augustinianos.

[c] Editi, *ego sum*: omisso, *factus*. Emendantur ad Floriacensem librum. Certè Lovanienses hunc alioqui locum Augustino in Johan. Tract. 43. differenti contrarium judicantes rejecerunt Sermonem in Appendicem.

[d] Apud Am. Er. & in Appendice Lov. *Quos prævidebat in spiritu, de illis dicebat: nos siquidem prævidebat.*

Classis I. tendite ergo: Isti ex Deo nati sunt: *non ex sanguinibus*, qualis est prima nativitas, qualis est nativitas misera, veniens de miseriis. Sed qui ex Deo nati sunt, quid erant? unde primò nati erant? Ex sanguinibus: mixtis sanguinibus masculi & feminæ, commixtione carnis masculi & feminæ, inde nati erant. Modò unde? Ex Deo nati sunt. Prima nativitas ex masculo & femina: secunda nativitas ex Deo & Ecclesia.

5. Ecce ex Deo nati sunt: unde factum est ut ex Deo nascerentur, qui primò ex hominibus B
ṽ. 14. nati sunt? Unde factum est, unde? *Et Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.* Magna mutatio: ille factus caro, isti spiritus. Quid est hoc? Qualis dignatio, Fratres mei. Erigite animum ad a speranda & capienda potiora. Nolite vos[a] addicere cupiditatibus sæcularibus. Pretio emti estis: propter vos Verbum caro factum est: propter vos qui erat Filius Dei, factus est filius hominis; ut qui eratis filii hominum, efficeremini filii Dei. Quid erat ille, quid factus est? Quid eratis vos, C quid facti estis? Erat ille Filius Dei. Quid factus est? Filius hominis. Eratis vos filii hominum. Quid estis facti? Filii Dei. Communicavit nobiscum mala nostra, nobis daturus bona sua. Sed ille ipso quo factus est filius hominis, distat à nobis. Nos filii hominum per concupiscentiam carnis: ille filius hominis per fidem virginis. Mater cujuslibet hominis concubuit & concepit: unusquisque autem natus est de homine patre suo, & de homine matre sua. Christus autem natus est D de Spiritu-sancto & Maria virgine. Accessit ad nos, sed à se non multùm recessit; immo à se quod Deus est numquam recessit: sed addidit quod erat naturæ nostræ. Accessit enim ad id quod non erat, non amisit quod erat. Factus est filius hominis: sed non cessavit esse Filius Dei. Per hoc Mediator in medio. Quid est, in medio? Nec sursum, nec deorsum. Quomodo nec sursum, nec deorsum? Nec sursum, quia caro: nec deorsum, quia non peccator. Sed tamen in quantum E Deus, semper sursum. Nec enim sic venit ad nos, ut dimitteret Patrem. A nobis ivit, & non nos dimisit: ad nos veniet, & illum non dimittet.

*Aliàs 40. de verbis Domini. b

* SERMO CXXII.

De[b] *verbis Evangelii Johan.* I. Cùm esses sub ficu, vidi te *&c.*

Caput I. Nathanaël sub ficu, genus humanum sub peccato.

I. QUOD dictum audivimus à Domino Jesu Christo Nathanaëli, si bene in- F telligamus, non ad ipsum pertinet solum. Ipse quippe Dominus Jesus sub ficu vidit omne genus humanum. Isto enim loco intelligitur per arborem fici significasse peccatum. Non ubique hoc significat, sed hoc loco, ut dixi, eâ scilicet significandi congruentiâ, qua nostis pri-
Gen. 3. 7. mum hominem, quando peccavit, foliis ficulneis fuisse subtectum. His foliis enim pudenda texerunt, quando de peccato suo erubuerunt: & quæ Deus illis membra, ipsi sibi pudenda fece- G runt. Non enim erubescendum est de opere Dei: sed confusionem præcessit caussa peccati. Si non præcessisset iniquitas, numquam erubesceret nuditas. Nudi enim erant, & non confundebantur. Non enim commiserant unde confunderentur.

A Hoc autem dixi, quare? Ut per ficum intelligamus significatum esse peccatum. Quid est ergo, *Cùm esses sub ficu, vidi te?* Cùm esses sub peccato, vidi te. Et ad rem gestam quidem respiciens, recordatus est Nathanaël se fuisse sub ficu, ubi non erat Christus. Non ibi autem erat præsentiâ corporali: scientiâ verò spiritali ubi non est? Et quoniam sciebat se solum fuisse sub ficu, ubi Dominus Christus non erat: quando dixit ei, *Cùm esses sub arbore ficu, vidi te*; & agnovit in illo divinitatem, & exclamavit, *Tu es rex Israël.* ṽ. 49.

Serm de Scripturis. Johan. I. 48.

2. Dominus ait, *Quia dixi tibi, Vidi te cùm esses sub arbore ficu, inde miraris; majora horum videbis.* Quæ sunt ista majora?* Et dixit, *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei adscendentes & descendentes super Filium hominis.* Recolamus veterem historiam conscriptam in libro sancto, id est, in Genesi. Quando Jacob in loco obdormivit, lapidem ad caput posuit; & in somnis vidit scalam à terra pertingentem usque ad cælum: & Dominus incumbebat super eam: Angeli autem adscendebant & descendebant per eam. Hoc vidit Jacob. Somnium hominis non scriberetur, nisi magnum in illo aliquod figuraretur mysterium, & magnum aliquid prophetatum in illa visione intelligeretur. Denique ipse Jacob quia intellexit quid viderit, posuit ibi lapidem, & perfudit oleo. Nam agnoscitis chrisma: agnoscite & Christum. Ipse est enim lapis, quem reprobaverunt ædificantes; ipse factus est in caput anguli. Ipse est lapis, de quo ipse dixit, Quicumque offenderit in lapidem illum, conquassabitur: super quem verò venerit lapis ille, conteret eum. Offenditur in jacentem: veniet autem super eum, cùm venerit de alto judicare vivos & mortuos. Væ Judæis, quia cùm jaceret humiliter Christus, offenderunt in eum. Non est, dicunt, homo iste à Deo, qui solvit sabbatum. Si Filius Dei est, descendat de cruce. Insane, jacet lapis, & ideo rides. Sed cùm rides, cæcus es: cùm cæcus es, offendis: cùm offendis, conquassaris: cùm quassatus fueris illo modò jacente, postea veniente de super contereris. Ergo unxit lapidem Jacob. Numquid idolum fecit? Significavit, non adoravit. Modò ergo audite, Nathaëlem istum adtendite, per cujus occasionem Dominus Jesus exponere nobis voluit visionem Jacob.

ṽ. 50. *Caput II ṽ. 51. Somnium Jacob figura fuit. Gen. 28. 11. Psal 117. 22. Matth. 21. 44. Johan. 9. 16. Matth. 27. 40.

3. Nostis qui in schola Christi eruditi estis, Jacob ipsum esse & Israël. Duo sunt nomina: nam homo unus fuit. Primùm nomen Jacob, quando natus est, accepit, quod interpretatur Supplantator. Quando autem illi gemini nati sunt, prior natus est frater Esaü, & inventa est manus illius minoris in pede majoris. Tenebat pedem fratri suo præcedenti nascendo, postea & ipse secutus est. Et propter hoc factum, quia plantam tenuit fratri suo, appellatus est Jacob, id est, Supplantator. Postea verò cùm rediret de Mesopotamia, luctatus est cum eo Angelus in via. Quæ virtus comparari potest Angeli & hominis? Ergo mysterium est, ergo sacramentum est, ergo prophetia est, ergo figura est, ergo intelligamus. Videte enim etiam luctaminis modum. Dum luctatur, prævaluit Angelo Jacob. Magna significatio. Et cùm prævaluisset Angelo homo, te-

Caput III. De duplici nomine & de lucta Jacob. Gen 25. 25. Gen. 32. & 35.

[a] Am. Er. & Appendix Lov. *nolite adjicere cupiditatibus sæcularibus.* Supple *animum.*

[b] Hujus Sermonis mentionem facit Augustinus in subsequenti Tractatu, *cap.* 3.

Classis I. nuit illum; tamen ipse homo eum, quem vicerat, tenuit. Et ait illi, Non te dimitto, nisi be-
Gen. 32. 26. nedixeris mihi. Quando victor à victo benedicebatur, Christus figurabatur. Angelus ergo ille, qui intelligitur Dominus Jesus, ait ad Jacob, Jam
Gen. 35. 10. non vocaberis Jacob, sed erit nomen tuum Israël: quod interpretatur, Videns Deum. Deinde tetigit nervum femoris ejus, id est latitudinem femoris, & aruit ei: & factus est claudus Jacob. Ipse est ille victus. Tantum potuit ille victus, ut &
a femur tangeret, & claudum faceret. Ergo [a] vo-
Johan. 10. 18. lens victus est. Potestatem enim habuit ponendi virtutem suam, & potestatem habuit assumendi eam? Non irascitur victus, quia non irascitur crucifixus. Nam & benedixit eum, dicens, Non vocaberis Jacob, sed Israël. Tunc supplantator factus est videns Deum. Et tetigit, sicut dixi, femur ejus, & fecit eum claudicare. Adtende in Jacob populum Judæorum, illa millia sequentium & præcedentium jumentum Domini, qui juncti Apostolis adorabant Dominum, & clamabant,
Matth. 21. 9. Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. Ecce Jacob benedictus. Jam claudus remansit in eis, qui modò Judæi sunt. Latitudo enim femoris, significat multitudinem generis. De quibus Psalmus, cùm Gentes credi-
Psal. 17. 45. turas prophetasset, dicens, Populus quem non » cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Non ibi fui, & auditus sum: hîc fui, & oc- » cisus sum. Populus quem non cognovi, servivit
Rom. 10. 17. mihi, in auditu auris obedivit mihi. Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Chri-
Psal. 17. 46. sti. Et sequitur: Filii alieni mentiti sunt mihi: » de Judæis. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alie- » ni inveteraverunt, & claudicaverunt à semitis suis. Assignavi vobis Jacob, & benedictum & claudum.

Caput IV. Abraham cur primū nomen suū cum posteriore non retinet, Jacob verò è contra.

4. Verùm ex hac occasione non est prætereundum, quod potest fortasse sua sponte vestrûm aliquem commovere: quid sibi vult, quòd cùm mutatum esset nomen Abrahæ avi hujus Jacob, (nam & ipse priùs Abram vocabatur, & Deus mutavit illi nomen, & dixit, Non vocaberis Abram, sed Abraham;) ex illo non est vocatus
Gen. 17. 5. Abram. Quærite in Scripturis, & videbitis superiùs antè quàm acciperet aliud nomen, non est vocatus nisi Abram: postea quàm accepit, non est vocatus nisi Abraham. Iste autem Jacob, quando accepit aliud nomen, eadem verba audivit, Non
Gen. 32. 28. & 35. 10. vocaberis Jacob, sed vocaberis Israël. Quærite Scripturas, & videte quia utrumque semper vocatus est, & Jacob & Israël. Accepto alio nomine Abram, non aliud est vocatus nisi Abraham: accepto alio nomine Jacob, & Jacob vocatus est, & Israël. Nomen Abrahæ in hoc sæculo explicandum fuit: hîc est enim factus pater multarum gentium, unde nomen accepit. Nomen autem Israël ad alterum sæculum pertinet, ubi videbimus Deum. Populus ergo Dei, populus Christianus, in hoc tempore & Jacob est & Israël, Jacob in re, Israël in spe. Supplantator enim fratris dicitur populus minor populi majoris. Numquid nos supplantavimus Judæos? Sed supplantatores dicimur illorum, quia nostri caussa sunt supplantati. Nisi excæcati essent, Christus non crucifigeretur: si Christus non crucifigeretur, san-

A guis ille pretiosus non funderetur: si sanguis ille non funderetur, orbis terrarum non redimeretur. Sermo de Scripturis.
Quia ergo nobis profuit cæcitas illorum, ideo à minore fratre major supplantatus est, & appellatus est minor Supplantator. Sed quamdiu hoc?

Caput V. Israëli in fine credenti visio Dei promissa.

5. Veniet tempus, veniet finis sæculi, & credet totus Israël: non illi qui modò sunt, sed filii ipsorum qui tunc erunt. Nam modò isti per vias suas ambulantes ibunt ad loca sua, transibunt ad
B damnationem perpetuam. Quando autem factus fuerit unus totus populus, fiet illud quod canimus, Satiabor, dum manifestabitur gloria tua. Dum Psal. 16. 15.
venerit promissio, quæ nobis promittitur, ut videamus facie ad faciem. Modò videmus per speculum in ænigmate & ex parte: quando autem uterque populus jam purgatus, jam resuscitatus, jam coronatus, jam in immortalem formam & in incorruptionem perpetuam commutatus, videbit Deum facie ad faciem, & jam non erit Jacob, sed solus
C erit Israël; tunc eum in persona hujus sancti Nathanaël videbit Dominus, & dicet, *Ecce verè* Johan. 1. 47.
Israëlita, in quo dolus non est. Quando audis, *Ecce verè Israëlita*; veniat tibi in mentem Israël: cùm venerit tibi in mentem Israël; veniat tibi in mentem somnium illius, in quo somnio scalam vidit à terra usque ad cælum, Dominum superincumbentem, Angelos Dei adscendentes & descendentes. Hoc somnium Jacob vidit. Post hoc autem appellatus est Israël: id est, post pau-
D lulum veniens de Mesopotamia & agens iter. Si ergo Jacob vidit scalam, qui est & Israël appellatus; est autem & Nathanaël iste verè Israëlita, in quo dolus non est: ideo cùm miratus esset quia dixit ei Dominus, *Sub arbore fici vidi te*; dixit ℣. 48.
ei, *Majus his videbis*. Et item dixit ei somnium ℣. 50.
Jacob. Cui dixit? Ei quem appellavit Israëlitam, in quo dolus non esset. Quasi qui diceret, Cujus nomine te appellavi, ipsius somnium in te apparebit: noli festinare mirari, majora horum vide-
E bis. *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei* ℣. 51.
adscendentes & descendentes ad Filium hominis. Ecce quod vidit Jacob: ecce quare perfudit lapidem oleo Jacob: ecce quare Christum [b] pro- b
pheta significavit & figuravit Jacob. Illud enim factum prophetia erat.

Caput VI. Christus & hîc & sursum est.

6. Nunc quid exspectetis, novi: quid à me velitis audire, intelligo. Dicam & hoc breviter, ut Dominus donat: *adscendentes & descendentes Angelos ad Filium hominis.* Quomodo si des-
F cendunt ad illum, hîc est; si adscendunt ad illum, sursum est? Si autem ad illum adscendunt, ad illum descendunt, & sursum est, & hîc est. Nullo pacto fieri potest, ut ad illum adscendant, & ad illum descendant, nisi & ibi sit quò adscendunt, & hîc sit quò descendunt. Quomodo probamus & illic eum esse, & hîc eum esse? Respondeat nobis Paulus, qui primò Saulus. Expertus est illud ipse, quando priùs erat persecutor, & postea factus est prædicator: priùs Jacob, postea Philip. 3. 5.
G Israël: qui erat & ipse de genere Israël, de tribu Benjamin erat. In illo videamus Christum sursum, Christum deorsum. Primò ipsa Domini vox Act. 9. 4.
de cælo hoc ostendit: Saule, Saule, quid me persequeris? Numquid Paulus in cælum adscenderat? Numquid Paulus saltem lapidem in cælum

a Sic aliquot MSS. Alii verò cum editis, *Ergo si volens victus est.*

b Editi, *prophetam*. At plerique MSS. *propheta*: fortè pro, *in prophetia*.

Classis I.

miserat? Christianos persequebatur, ipsos ligabat, ipsos occidendos trahebat, ipsos ubique latentes quærebat, ipsis inventis nulla ratione parcebat. Cui ait Dominus Christus, Saule, Saule. Unde clamat? De cælo. Ergo sursum est. Quid me persequeris? Ergo deorsum est. Omnia, etsi breviter, ut potui, exposui Caritati Vestræ. Erogavi quod ad me pertinet: quod autem ad vos pertinet, pauperes cogitate. Conversi ad Dominum &c.

* Aliàs 41. de verbis Domini.

* SERMO CXXIII.

De verbis Evangelii Iohan. 2. Vocatus est autem & Jesus & discipuli ejus ad nuptias *&c.*

Caput I. Humilitas Christi medicina superbiæ nostræ.

1. SCITIS Fratres, in Christum enim credentes didicistis, & assiduè etiam nos ministerio nostro commendamus vobis, quòd medicina tumoris hominis, humilitas est Christi. Non enim perisset homo, nisi [a] superbiâ tumuisset. Initium enim, sicut Scriptura dicit, omnis peccati, superbia. Contra initium peccati, initium justitiæ necessarium fuit. Si ergo initium omnis peccati superbia; unde sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignatus esset humilis fieri? Erubescat homo esse superbus; quoniam factus est humilis Deus. Nam quando dicitur homini ut humiliet se, dedignatur: & ut velint homines vindicari quando læduntur, superbia facit. [b] Cùm humiliari dedignantur, vindicari volunt: quasi pœna cuique prodesse possit aliena. Læsus & injuriam passus, vindicari vult: de aliena pœna sibi quærit medicamentum, & adquirit grande tormentum. Ideo in omnibus Dominus Christus humiliari dignatus est, præbens nobis viam: si tamen dignemur ambulare per eam.

a Eccli 10.15.

Caput II. Johan. 2. Cur Christus esuriens non fecit panem de lapide, sicut in nuptiis vinum de aqua.

2. Ecce inter cetera Filius virginis venit ad nuptias: qui cùm apud Patrem esset, instituit nuptias. Quomodo facta est prima mulier, per quam venit peccatum, de viro sine femina: sic vir, per quem deletum est peccatum, de femina sine viro. Per illum ruimus, per hunc surgimus. Et quid in ipsis nuptiis fecit? De aqua vinum. Quid potentius? Qui poterat talia facere, dignatus est indigere. Qui fecit de aqua vinum, potuit facere & de lapidibus panem. Eadem potentia erat: sed tunc diabolus tentavit, ideo Christus non fecit. Scitis enim quia quando tentatus est Dominus Christus, hoc ei suggessit diabolus. Esurivit enim, quia & hoc dignatus est, quia & hoc ad humilitatem pertinuit. Esurivit panis, sicut defecit via, sicut vulnerata est sanitas, sicut mortua est vita. Cùm ergo esuriret, ut nostis, ait illi tentator, Si Filius Dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant. Et respondit tentatori, docens te respondere tentatori. Ad hoc enim pugnat imperator, ut milites discant. Quid respondit? Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Et non fecit de lapidibus panes, qui utique sic potuit facere, sicut de aqua vinum. Ejusdem enim potentiæ est facere de lapide panem: sed non fecit, ut voluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur, nisi contemnatur. Et cùm vicisset diabolum tentatorem, venerunt Angeli, & ministrabant ei. Qui

Matth. 4. Ibidem 4.

A ergo tantum poterat, quare illud non fecit, & hoc fecit? Lege, immo recole, quod modò audisti, quando fecit hoc, id est, de aqua vinum: quid addidit Evangelista? *Et crediderunt in eum discipuli ejus.* Numquid tunc diabolus fuerat crediturus?

Serm. de Scripturis. Johan. 2. 11.

Caput III. Via ad patriã Christus humilis.

3. Qui ergo tanta potuit, esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, comprehensus est, cæsus est, crucifixus est, occisus est. Ista est via: ambula per humilitatem, ut venias ad æternitatem. B Deus Christus patria est quò imus: homo Christus via est quà imus. Ad illum imus, per illum imus: quid timemus ne erremus? Non recessit à Patre, & venit ad nos. Ubera sugebat, & mundum continebat. In præsepi jacebat, & Angelos pascebat. Deus & homo, idem Deus qui homo, idem homo qui Deus. Sed non unde homo, inde Deus. Deus, quia Verbum: homo, quia Verbum caro factum est; & Deus manendo, & hominis carnem assumendo; addendo quod non C erat, non perdendo quod erat. Ergo & modò jam passus per ipsam humilitatem, jam mortuus, jam sepultus, jam resurrexit, jam adscendit in cælum, ibi est & sedet ad dexteram Patris: & hìc est egens in pauperibus suis. Etiam hesterno die hoc commendavi Caritati Vestræ, propter illud quod dixit Nathanaëli, *Majus his videbis. Dico enim vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei adscendentes & descendentes ad Filium hominis.* Quæsivimus quid esset, & diu D locuti sumus: numquid & hodie eadem replicare debemus? Qui adfuerunt recordentur: breviter tamen commemoro.

In superiore Sermone. Johan. 1. 50. & 51.

Caput IV. Christus & sursum & deorsum.

4. Non diceret, *adscendentes ad Filium hominis*, nisi sursum esset: non diceret, *descendentes ad Filium hominis*, nisi & deorsum esset. Ipse sursum, ipse deorsum: sursum in se, deorsum in suis: sursum apud Patrem, deorsum in nobis. Unde & vox illa ad Saulum, Saule, Saule, quid me persequeris? Non diceret, Saule, Saule, ni- E si quia sursum erat. Sursum eum Saulus non persequebatur: non diceret, Quid me persequeris, qui sursum erat, nisi esset & deorsum. Timete Christum sursum, agnoscite deorsum. Habe Christum sursum largientem, hìc agnosce indigentem. Hìc pauper est, ibi dives est. Quòd hìc pauper est Christus, pro nobis ipse loquitur, Esurivi, sitivi, nudus fui, hospes fui, in carcere fui. Et quibusdam dixit, Ministrastis mihi: quibusdam dixit, Non mihi ministrastis. Ecce pro- F bavimus Christum pauperem: Christum divitem quis nescit? Et hìc ad ipsas divitias pertinebat, ut aquam in vinum verteret. Si dives est qui habet vinum, qualis dives est qui facit vinum? Ergo dives & pauper Christus: tamquam Deus dives, tamquam homo pauper. Jam & ipse homo dives adscendit in cælum, sedet ad dextram Patris: adhuc tamen hìc pauper esurit, sitit, nudus est.

Act. 9. 4. Matth. 25. 35. Christus & dives & pauper.

Caput V. Omnis homo pauper & mendicus Dei.

5. Tu quid es? Dives, an pauper? Multi mihi G dicunt, Pauper sum: & verum dicunt. Agnosco pauperem aliquid habentem, agnosco & indigentem. Sed habet quidam multum auri & argenti. O si agnoscat se pauperem! Agnoscit se pauperem, si agnoscit juxta se pauperem. Quid enim? Quantumvis habeas quicumque dives es, Dei

a Am. Er. & plerique MSS. *nisi superbiam suscepisset.* Quidam, *nisi superbia suscepisset.*

b MSS. *superbia facit, quia humiliari dedignantur.* Et nonnulli, *dedignatur.*

Classis I.

mendicus es. Venitur ad horam orationis, & ibi te probo. Petis. Quomodo non pauper es, qui petis? Plus addo, Panem petis. An non es dicturus, Panem nostrum quotidianum da nobis? Qui panem quotidianum petis, pauper es, an dives? Et tamen Christus dicit tibi, Da mihi ex eo quod dedi tibi. Quid enim adtulisti, quando huc venisti? Omnia quæ creavi, creatus hîc invenisti: nihil adtulisti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare non donas. Quia tu plenus es, & pauper inanis est. Primordia vestra adtendite: ambo nudi nati estis. Et tu ergo nudus natus es. Multa hîc invenisti: numquid tecum aliquid adtulisti? De meo quæro: da, & reddo. Habuisti me largitorem, fac citò debitorem. Parum est quod dixi, Habuisti me largitorem, fac me debitorem: habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, cælestia reddam. Temporalia mihi das, æterna restituam. Te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Matth.6. 11.

* SERMO CXXIV.

**Aliàs 42. de verbis Domini.*

De verbis Evangelii Iohan. 5. Est autem Jerosolymis Probatica piscina &c.

a Caput I. Ægroti ad piscinam sanatio fuit figurativa.

1. [a] Recentissima in auribus nostris sonuit Evangelica lectio, & ad cognoscendum quid sibi vellent quæ lecta sunt, fecit adtentos. Hoc de me exspectari arbitror, hoc me pro viribus expositurum, Domino adjuvante, polliceor. Procul dubio enim non frustra fiebant illa miracula, & aliquid nobis pro æterna salute figurabant. Nam salus corporis quæ reddita est homini, quanti temporis fuit? Quæ est enim vita vestra, dicit sancta Scriptura? Vapor est, inquit, ad modicum apparens, deinceps exterminabitur. Quòd ergo illius hominis corpori ad tempus reddita est sanitas, reddita est nonnulla vapori diuturnitas. Non itaque pro magno illud habendum est: Vana salus hominis. Et illud recolite, Fratres, illud Propheticum & Evangelicum, quia in Evangelio legitur hoc testimonium: Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis ut flos fœni; fœnum aruit, flos decidit, Verbum Domini manet in æternum. Verbum Domini etiam fœno dat honorem, & honorem non transitorium: dat enim & carni immortalitatem.

Jacobi 4.15. Psal.59.13. Isai.40. 6. Jacobi 1.10. 1.Pet.1.24.

Caput II. Psal.59.13. Tota hæc vita tribulatio est.

2. Sed priùs transit tribulatio vitæ hujus, de qua nobis præstat auxilium, cui diximus, Da nobis auxilium de tribulatione. Tota quippe ista vita intelligentibus tribulatio est. Sunt enim duo tortores animæ, non simul torquentes, sed cruciatum alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt, Timor & dolor. Quando tibi bene est, times: quando malè est, doles. Sæculi hujus quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas? Tenenda est in hoc fœno & in diebus fœni via tutior, Verbum Dei. Cùm enim dictum esset, Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis ut flos fœni; fœnum aruit, flos decidit: quasi nos quæramus, Quæ fœno spes? quæ flori fœni stabilitas? sed Verbum, inquit, Domini manet in æternum: Et unde, inquis, ad me Verbum Domini? Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Verbum enim Domini tibi dicit, Noli respuere promissum meum, quia non respui fœnum tuum. Hoc ergo quod nobis præstitit Verbum Domini, ut ad ipsum nos teneremus, ne cum flore fœni transiremus: hoc ergo quod nobis præstitit, ut Verbum caro fieret, suscipiens carnem, non mutatum in carnem; manens & assumens, manens quod erat, assumens quod non erat: hoc ergo quod nobis præstitit, etiam piscina illa significat.

Tortores animæ, timor & dolor.

Johan. 1. 14.

Sermo de Scripturis.

Johan. 5.

Caput III. Piscinæ probaticæ significatio.

3. Breviter dico: Aqua illa, Judaïcus populus erat: quinque porticus, Lex. Quinque enim libros scripsit Moyses. Ergo aqua quinque porticibus cingebatur, sicut ille populus Lege coërcebatur. Aquæ perturbatio, in illo populo est Domini passio. Qui descendebat sanabatur, non-nisi unus: quia [b] ipsa est unitas. Quibuscumque ista displicet Christi passio, superbi sunt: nolunt descendere, non sanantur. Et ego, inquit, crediturus sum Deum in carne, Deum natum ex femina, Deum crucifixum, flagellatum, mortuum, vulneratum, sepultum? Absit ut hoc credam de Deo, indignum est. Cor loquatur, non cervix. Superbo videtur indigna Domini humilitas, ideo à talibus longè fit sanitas. Noli te extollere: si vis sanari, descende. Expavescere pietas debuit, si Christus in carne mutabilis diceretur. Nunc autem commendat tibi veritas immutabilem Christum, quantum adtinet ad Verbum. In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: non quod sonaret, & transiret; quia Deus erat Verbum. Manet ergo Deus tuus immutabilis. O verax pietas: manet Deus tuus: noli timere, non perit; & per ipsum nec tu peris. Manet, nascitur ex femina, sed in carne. Verbum autem & matrem fecit. Qui erat antè quàm fieret, fecit sibi in qua fieret. Infans fuit, sed in carne. Suxit, crevit, alimenta sumsit, per ætates cucurrit, ad juventam pervenit, sed in carne. Fatigatus dormivit, sed in carne. Esuriem sitimque passus est, sed in carne. Comprehensus, ligatus, flagellatus, contumeliis affectus, postremò crucifixus, occisus, sed in carne. Quid expavescis? Verbum Domini manet in æternum. Qui respuit istam Dei humilitatem, non vult sibi à mortifero tumore superbiæ sanitatem.

Humilitas Christi per superbiam non respuenda.

Johan. 1. 1. "

Caput IV. Christus mortalitatem suscepit, ut daret immortalitatem.

4. Præstitit ergo Dominus Jesus Christus per carnem suam carni nostræ spem. Suscepit enim quod noveramus in hac terra, quod hîc abundabat, nasci & mori. Nasci & mori, hîc abundabat: resurgere & in æternum vivere, non hîc erat. Invenit hîc viles merces terrestres, adtulit peregrinas cælestes. Si expavescis mortem, ama resurrectionem. Dedit tibi auxilium de tribulatione sua: nam vana remanserat salus tua. Salutem itaque in hoc mundo peregrinam, hoc est, sempiternam, Fratres, agnoscamus & diligamus, & in hoc mundo tamquam peregrini vivamus. Transire nos cogitemus, & minus peccabimus. Agamus potiùs Domino Deo nostro gratias, quia hujus vitæ ultimum diem & brevem esse voluit & incertum. A prima infantia usque ad decrepitam senectutem, breve spatium est. Quod tam diu vixerat, quid ei profuisset, si Adam hodie mortuus esset? Quid diu est, ubi finis est? Hesternum diem nemo revocat: hodiernus crastino urgetur, ut transeat. Ipso parvo spatio bene vivamus, ut illò eamus unde non transeamus. Et modò cùm loquimur, utique transimus.

Brevitas hujus vitæ.

a Omnes MSS. *Reverentissima.*

b MSS. *ipse est unitas*: id est, significativè.

CLASSIS I.

Verba currunt, & horæ volant: sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic ista felicitas nostra. Totum transit: sed non expavescamus: Verbum Domini manet in æternum. Conversi ad Dominum, &c.

*Alias 15. ex Sirmondianis.

* SERMO CXXV.

Rursum in Iohan. 5. De [a] *quinque porticibus, ubi multitudo languentium jacebat, & de piscina Siloë.*

Eadem à tractatore Scripturarum non frustra repetuntur.

1. NEc auribus, nec cordibus vestris rudia repetuntur: reparant tamen audientis affectum, & quodam modo commemorata innovant nos: nec piget ea quæ nota sunt audire, quia semper dulcia sunt, quæ Domini sunt. Sic est expositio divinarum Scripturarum, sicut sunt ipsæ divinæ Scripturæ: etsi notæ sunt, leguntur tamen ad commemorationem. Sic & expositio earum, etsi nota est, repetenda est tamen, ut qui obliti sunt commemorentur, vel qui fortè non audierunt, audiant; & qui tenent quod audire consueverunt, repetendo fiat ut oblivisci non possint. Meminimus enim de hoc capitulo Evangelii jam nos locutos Caritati Vestræ. Nec piget tamen eadem vobis commemorare, sicut non piguit eamdem vobis lectionem repetere. Apostolus Paulus dicit quadam in epistola, Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Ita & nos eadem dicere vobis, nobis non pigrum, vobis autem tutum. *Philip. 3. 1.*

Quinque porticus Legem Moysi figurabant.

2. Quinque porticus, in quibus jacebant infirmi, Legem significant, quæ primò data est Judæis & populo Israël per famulum Dei Moysen. Etenim Moyses ipse, minister Legis, quinque libros fecit. Propter numerum ergo librorum, quos ille scripsit, quinque porticus Legem figurabant. Quia verò Lex non data est quæ sanaret infirmos; sed quæ proderet & ostenderet: sic enim dicit Apostolus, Si enim data esset Lex, quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus: propterea in illis porticibus jacebant ægroti, non sanabantur. Quid enim ait? Si data esset Lex, quæ posset vivificare. Non ergo illæ porticus, quæ figurabant Legem, sanare poterant ægrotos. Dicit mihi aliquis; Quare ergo data est? Ipse exposuit apostolus Paulus: Conclusit, inquit, Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Qui enim ægrotabant; sanos se esse putabant. Acceperunt Legem, quam implere non poterant; didicerunt in quo morbo essent, & imploraverunt manus medici: voluerunt sanari, quia cognoverunt se laborare: quod non cognoscerent, nisi datam Legem implere non possent. Innocens enim homo sibi videbatur, & ex ipsa superbia innocentiæ falsæ insanior fiebat. Ad domandam ergo superbiam, & ad denudandam, data est Lex; non ad liberandos ægrotos, sed ad convincendos superbos. Ergo adtendat Caritas Vestra: ad hoc data est Lex, quæ proderet morbos, non quæ tolleret. Ideo ergo ægroti illi, qui in domibus suis secretiùs ægrotare possent, si illæ quinque porticus non essent, prodebantur oculis omnium in illis porticibus, sed à porticibus non sanabantur. Utilis ergo erat Lex ad prodenda peccata, quia reus homo abundantiùs factus ex prævaricatione Legis, posset edomata superbiâ implorare auxilium miserantis. Adtendite Apostolum: Lex subintravit, ut abundaret delictum, ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia. Quid est, Lex subintravit, ut abundaret delictum? Sicut alio loco dicit, Ubi enim non est rex, nec prævaricatio. Peccator homo potest dici ante legem, prævaricator non potest. Cùm autem accepta lege peccaverit, non solùm peccator, sed etiam prævaricator invenitur. Cùm ergo prævaricatio adjuncta sit peccato, ideo abundavit delictum. Abundante autem delicto, discit humana superbia tandem subjici, & confiteri Deo, & dicere, Infirmus sum. Dicere etiam verba illa Psalmi, quæ non dicit nisi anima humiliata, Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam; quoniam peccavi tibi. Dicat ergo hoc anima infirma, saltem convicta per prævaricationem, & non sanata, sed demonstrata per Legem. [b] Audi & ipsum Paulum ostendentem tibi, quia & Lex bona est, & tamen nisi gratia Christi non liberat à peccato. Lex enim prohibere potest, & jubere: afferre medicinam, ut sanetur illud quod non permittit hominem implere Legem, non potest, sed gratia illud facit. Ait enim Apostolus, Condelector enim Legi Dei secundùm interiorem hominem. Id est, jam video quia quod reprehendit Lex, malum est; & quod jubet Lex, bonum est. Condelector enim Legi Dei secundùm interiorem hominem. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati. Hoc ex pœna peccati, ex traduce mortis, ex damnatione Adam, repugnat legi mentis, & captivat legi peccati, quæ est in membris. Convictus est iste; accepit legem ut convinceretur; vide quid ei profuit quòd convictus est. Audi verba sequentia: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Legis ad sanandum impotentia. — *Galat. 3. 21. & 22.* — Lex quare data. — *Rom. 5. 20.* — *Rom. 4. 15.* — *Psal. 40. 5.* — *Rom. 7. 22.* — *Rom. 7. 24.*

Ægrotus unus aquâ motâ curatus quid significat.

3. Intendite ergo. Erant illæ porticus Legem significantes, portantes ægrotos, non sanantes; prodentes, non curantes. Sed quis curabat ægrotos? Qui descendebat in piscinam. Quando autem descendebat æger in piscinam? Cùm Angelus signum dabat de aquæ motu. Sic enim erat sanctificata illa piscina, ut Angelus veniret, & moveret aquam. Homines aquam videbant: sed ex motu aquæ turbatæ intelligebant præsentiam Angeli. Si quis tunc descendisset, curabatur. Quare ergo ille ægrotus non curabatur? Consideremus verba ipsius: *Hominem, inquit, non habeo, ut cùm mota fuerit aqua, deponat me in piscinam: cùm enim venio, descendit alius.* Ergo tu non potes postea descendere, si alter ante te descendat? Significatum est hîc, quia non curabatur nisi unus ad motum aquæ. Quisquis prior descendisset, ipse solus curabatur: quicumque autem postea descendisset, ad illum motum aquæ non sanabatur; sed exspectabat donec iterum moveretur. Quid sibi vult ergo hoc sacramentum? Non enim sine caussa est. Intendat Caritas Vestra. Aquæ positæ sunt in Apocalypsi in figura populorum, *Johan. 5. 7.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

[a] Meminit Possidius in Indiculo cap. 8.

[b] Carcassonensis MS. *Audiat ipsum Paulum ostendentem sibi.*

Nam cùm multas aquas vidisset, quæsivit Johan- A
nes in Apocalypsi quid esset, & dictum est ei
Apoc.17.15. populos esse. Aqua ergo illa populum significa-
bat Judæorum. Sicut enim populus ille tenebatur
quinque libris Moysi in Lege, sic & aqua illa
quinque porticibus cingebatur. Quando turba-
ta est aqua? Quando turbatus est populus Ju-
dæorum. Et quando turbatus est populus Ju-
dæorum, nisi quando venit Dominus Jesus Chri-
stus? Passio Domini, aquæ turbatio. Turbati
sunt enim Judæi, quando passus est Dominus. B
Ecce ad ipsam perturbationem pertinet quod
Johan. 5. 18. modò legebatur. Volebant illum Judæi occide-
re, non solùm quia ista faciebat sabbatis, sed
quia Filium Dei se dicebat, æqualem se faciens
Deo. Aliter enim se dicebat Filium Dei Christus,
Psal. 81. 6. aliter dictum est hominibus, Ego dixi, Dii estis,
& filii Altissimi omnes. Nam si sic se faceret fi-
lium Dei, quomodo quicumque homo potest
dici filius Dei; (per gratiam enim Dei dicuntur ho-
mines filii Dei;) non irascerentur Judæi. Sed quia C
alio modo illum intelligebant dicere Filium Dei
Johan. 1. 1. se esse, secundùm quod est, In principio erat
Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus
erat Verbum: & secundùm id quod dicit Aposto-
Philip. 2. 6. lus, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam
» arbitratus est esse se æqualem Deo: videbant ho-
minem, & irascebantur, quia æqualem se Deo
faciebat. Ille autem noverat se æqualem, sed ubi
illi non videbant. Quod enim illi videbant, cru-
cifigere volebant: quod non videbant, ab eo ju- D
dicabantur. Quid videbant Judæi? Quod videbant
Johan. 14. 8. & Apostoli, quando dixit Philippus, Ostende
nobis Patrem, & sufficit nobis. Quid autem non
videbant Judæi? Quod nec ipsi Apostoli, quan-
Ibidem 9. do respondit Dominus, Tanto tempore vobiscum
» sum, & non cognovistis me? Qui me videt, videt &
Patrem. Hoc ergo in illo Judæi quia videre non
poterant, tamquam hominem superbum & im-
pium habebant, æqualem se facientem Deo. Tur-
batio erat, turbabatur aqua, Angelus venerat. E
Isai. 9. 6. sec. LXX. Dictus est enim & Dominus magni consilii An-
gelus, quia nuntius voluntatis Patris. Angelus
enim Græcè, Latinè nuntius est. Et habes Do-
minum dicentem annuntiare se nobis regnum cæ-
lorum. Venerat ergo ille magni consilii Angelus,
sed Dominus omnium Angelorum. Et propter
hoc Angelus, quia carnem suscepit: Dominus
Johan. 1. 3. autem Angelorum, ex eo quòd omnia per ipsum
facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si enim
omnia, & Angeli. Et ideo ipse factus non est, F
quia per ipsum facta sunt omnia. Quod autem
factum est, sine Verbo operante factum non est.
Caro autem, quæ facta est mater Christi, nasci
non potuit, nisi per Verbum, quod de illa po-
stea natum est, crearetur.

4. Turbabantur ergo Judæi. Quid est hoc?
Ut quid ista facit sabbatis? Et maximè ad ipsa ver-
Johan. 5. 17. ba Domini: *Pater meus usque nunc operatur, &*
Requies Dei septimo die. *ego operor.* Turbavit illos quod carnaliter intel-
ligebant, quia septimo die requievit Deus ab G
Gen. 2. 2. omnibus operibus suis. Scriptum est enim in Ge-
nesi, & optimè scriptum est, & rationabile qua-
re scriptum est. Illi autem putantes quasi Deum
fatigatum post omnia requievisse septimo die,
& ideo benedixisse eum, quia in eo à lassi-
tudine refectus est, non intelligebant stulti,
quia qui verbo fecit omnia, fatigari non po-

tuit. Legant, & dicant mihi, quomodo posset SERM. DE SCRIPTURIS.
fatigari Deus dicens, Fiat, & factum est. Ho-
die si sic faciat homo, quomodo fecit Deus,
quis fatigatur? Dixit, Fiat lux, & facta est Gen. 1. 3. &c.
lux. Item, Fiat firmamentum, & factum est:
aut si dixit, & factum non est, fatigatus est.
Alio loco breviter, Ipse dixit, & facta sunt; ip- Psal. 32. 9.
se mandavit, & creata sunt. Qui ergo sic fa-
cit, quomodo laborat? Si autem non labo-
rat, quomodo requiescit? Sed in illo sabbato,
ubi requiescere dictum est Deum ab omnibus
operibus suis, in requie Dei requies nostra signi-
ficata est: quia erit sabbatum hujus sæculi, cùm
transierint sex ætates. Quasi sex dies sæculi tran- Sex ætates mundi.
seunt. Unus dies ab Adam usque ad Noë tran-
siit; alius à diluvio usque ad Abraham transiit;
tertius ab Abraham usque ad David transiit; quar-
tus à David usque ad transmigrationem Baby-
loniæ transiit; quintus à transmigratione Baby-
loniæ usque ad adventum Domini nostri Jesu
Christi. Modò sextus dies agitur. In sexta æta-
te, in sexto die sumus. Ergo reformemur ad
imaginem Dei, quia sexto die factus est homo Gen. 1. 27.
ad imaginem Dei. Quod ibi fecit formatio,
hoc in nobis reformatio: & quod ibi fecit
creatio, hoc in nobis recreatio. Post istum
diem in quo modò sumus, post istam ætatem,
ventura est requies quæ promittitur sanctis, quæ
præfigurabatur in illis diebus. Quia & re verâ Quomodo requievit Deus, & semper operatur.
post omnia quæ fecit in mundo, nihil fecit postea
novum in creatura. Ipsæ creaturæ convertentur
& commutabuntur. Nam ex quo institutæ sunt
creaturæ, nihil ampliùs additum est. Sed tamen,
nisi ille qui fecit, mundum regeret, caderet quod
factum est; non potest nisi administrare illud quod
fecit. Quia ergo nihil additum est creaturæ, re-
quievisse dictus est ab omnibus operibus suis:
quia verò quod fecit gubernare non cessat, re-
ctè dixit Dominus, *Pater meus usque nunc opera-
tur.* Intendat Caritas Vestra. Perfecit, requie-
visse dictus est: perfecit enim opera, & nihil ad-
didit. Gubernat quod fecit: ergo non cessat. Sed
quanta facilitate fecit, tanta facilitate guber-
nat. Nolite enim putare, Fratres, quia non la-
borabat cùm conderet, & laborat quia regit;
quomodo in navi laborant qui fabricant navem,
laborant qui gubernant; homines enim sunt. Ille
enim quanta facilitate dixit, & facta sunt, tanta
facilitate & judicio per Verbum gubernat omnia.

5. Non quia videntur perversæ res humanæ, Dei providentia in ordinatione malorum.
videatur nobis non esse gubernationem rerum
humanarum. Omnes enim homines in locis suis
ordinantur: sed unicuique videtur quia ordinem
non habent. Tu tantùm vide quid velis esse:
nam quomodo volueris esse, novit artifex ubi te
ponat. Pictorem adtende. Ponuntur ante illum va-
rii colores, & novit ubi ponat quemque colorem.
Certè peccator niger color esse voluit: ideo nescit
ordo artificis ubi eum ponat? Quanta ordinat de
nigro colore? quanta ornamenta facit pictor? Fa-
cit inde capillos, facit barbam, facit supercilia:
non facit frontem, nisi de albo. Tu vide quid ve-
lis esse: non cures ubi te ordinet qui non novit er-
rare, scit ubi te ponat. Sic enim per leges istas
mundi videmus hoc fieri. Effractor esse voluit nes-
cio quis: novit lex judicis, quia contra legem fe-
cit; novit lex judicis ubi illum ponat: ordinat il-
lum optimè. Ille quidem malè vixit: sed non malè
ordinavit

Classis I.

ordinavit lex. Ex effractore erit [a] metallicus: de opere metallici quanta opera construuntur? Illius pœna damnati ornamenta sunt civitatis. Sic ergo Deus novit ubi te ponat. Noli putare quia turbas consilium Dei, si perversus esse volueris. Qui creare te noverat, ordinare te non novit? Bonum est tibi, ut illuc coneris, ut bono loco poneris. Quid dictum est de Juda ab Apostolo? Abiit in locum suum. Operante utique divinâ providentiâ, quia per malam voluntatem malus esse voluit, non autem Deus malum ordinando fecit. Sed

Act. 1. 25.

B quia ipse malus peccator esse voluit, fecit quod voluit, sed passus est quod noluit. In eo quòd fecit quod voluit, peccatum ejus deprehenditur: in eo quòd passus est quod noluit, ordo Dei laudatur.

Judæorum turbatio ex duplici capite.

6. Hoc quare dixi? Ut intelligatis, Fratres, quod optimè dictum sit à Domino Jesu Christo, *Pater meus usque modò operatur*. Quia non deserit creaturam, quam fecit. Et dixit, *Quomodo operatur, & ego operor*. Jam ibi se significavit æqualem Deo. *Pater meus*, ait, *usque modò operatur, & ego operor*. Illis carnalis sensus de sabbato turbatus est. Putabant enim fatigatum Dominum requievisse, ut nihil operaretur. Audiunt, *Pater meus usque modò operatur*: turbantur. *Et ego operor*: fecit se æqualem Deo, turbantur. Sed nolite jam expavescere. Turbatur aqua, sanari habet ægrotus. Quid est hoc? Ideo turbantur illi, ut patiatur Dominus. Patitur Dominus, funditur pretiosus sanguis, redimitur peccator, donatur gratia peccanti, & dicenti, Miser ego homo, » quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia » Dei per Dominum nostrum Jesum Christum. Sed quomodo curatur? Si descendat. Sic enim erat illa piscina, quò descenderetur, non quò adscenderetur. Possent enim esse & tales piscinæ, sic instructæ, ut adscenderetur ad illas. Quare autem illa talis facta est, quò descenderetur? Quia passio Domini humilem quærit. Descendat humilis, non sit superbus, si vult sanari. Quare autem unus? Quia unica est Ecclesia per totum orbem terrarum, unitas salvatur. Ubi ergo salvatur unus, unitas significatur. Per unum unitatem intellige. Ab unitate ergo noli recedere, si non vis immunis esse ab ista salute.

Johan. 5. 17.

Rom. 7. 24.

Ægrotus descendendo in piscinam curatus.

Unus tantùm sanatus.

Infirmitas triginta annorum.

7. Quid sibi ergo vult quod triginta & octo annos infirmus erat? Scio, Fratres, me ista jam dixisse: sed & qui legunt obliviscuntur, quantò magis qui rarò audiunt? Intendat ergo paululùm Caritas Vestra. In quadragenario numero completio justitiæ figuratur. Completio justitiæ, quia hîc vivimus in labore, in ærumnis, in continentia, in jejuniis, in vigiliis, in tribulationibus; ipsa est exercitatio justitiæ, ferre tempus hoc, & ab hoc sæculo quodam modo jejunare; non à cibo carnis, quod rarò facimus; sed ab amore sæculi, quod semper facere debemus. Ille ergo implet legem, qui se abstinet ab isto sæculo. Non enim potest amare quod æternum est, nisi destiterit amare quod temporale est. Intendite amorem hominis: sic putate quasi manum animæ. Si aliquid tenet, tenere aliud non potest. Ut autem possit tenere quod datur, dimittat quod tenet. Hoc dico, videte quia apertè dico: Qui amat sæculum, amare Deum non potest; occupatam habet manum. Dicit illi Deus, Tene quod do.

Justitiæ perfectio quadragenario numero significata.

Amor sæculi non compatitur amorem Dei.

A Non vult dimittere quod tenebat: non potest accipere quod offertur. Numquid dixi, Non possideat nescio quis? Si potest, si hoc de illo exigit perfectio, non possideat. Si non potest, aliqua necessitate impeditus, possideat, non possideatur; teneat, non teneatur: Dominus sit rei suæ, non servus: sicut dicit Apostolus, De cetero, fratres, tempus breve est, superest ut & « qui habent uxores, tamquam non habentes sint; « & qui emunt, tamquam non possidentes; & qui «

Serm. de Scripturis.

1. Cor. 7. 29. &c.

B gaudent, tamquam non gaudentes, & qui flent « tamquam non flentes, & qui utuntur hoc sæculo, tamquam non utantur: præterit enim figura « hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse. « Quid est, Noli amare quod possides in hoc sæculo? Non teneat manum tuam, unde tenendus est Deus. Non occupetur amor tuus, quo potes ad Deum tendere, & inhærere ei qui te creavit.

8. Dicis, & respondes mihi, Et Deus scit quia innocenter possideo. Tentatio probat. Tur-

Possessio rerum temporalium unde innocens agnoscitur.

C batur tibi quod possides, & blasphemas. Modò talia patiebamur. Turbatur quod possides, & non inveniris qui eras, & ostendis aliud esse in voce tua nunc, & aliud pridie in voce tua. Atque utinam tuum vel cum clamore defendas, & non alienum cum audacia usurpare coneris: & quod pejus est, ne reprehendaris, quod alienum est tuum esse dicis. Sed quid opus est? Illud moneo, illud dico, Fratres, & ego fraternè moneo; Deus jubet, & ego commoneo, quia commoneor. Ille

D terret me, qui tacere non sinit. De me exigit quod dedit. Dedit enim erogandum, non servandum. Si autem servavero, & abscondero, dicit mihi, Serve nequam & piger, quare non dedisti pecuniam nummulariis, & ego veniens cum « usuris eam exigerem? Et mihi quid proderit, quia nihil perdidi ex eo quod accepi? Parum est Domino meo, avarus est: sed avaritia Dei salus nostra est. Avarus est, nummos suos quærit, imaginem suam colligit. Dares, inquit, pecuniam «

Lucæ 19. 23.

E nummulariis, & ego veniens cum usuris exigerem. « Et si fortè oblivio faceret, ut non vos commonerem; vel tentationes & tribulationes quas patimur, admonerent vos. Certè audistis verbum Dei. Benedictus Dominus & gloria ipsius. Congregati enim estis, & suspendimini in verbo dispensatoris Dei. Non ad carnem nostram adtendatis, per quam vobis exhibetur: quia esurientes non adtendunt ad vilitatem vasculi, sed ad caritatem cibi. Probat vos Deus. Congregati estis,

F laudatis verbum Dei; tentatio probabit quomodo audiatis: habebitis negotia, in quibus ostendatur quales estis. Nam & qui hodie convitiosè clamat, herì libenter audiebat. Ideo præmoneo, ideo dico, ideo non taceo, Fratres mei, quia veniet interrogandi tempus. Dominus enim interrogat justum & impium. Certè hoc cantastis, certè simul cantavimus: Dominus interrogat justum & impium. Et quid sequitur? Qui « autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Et

Psal. 10. 6.

G alio loco, In cogitationibus impii interrogatio erit. Non ubi ego te interrogo, ibi interrogat Deus. Ego interrogo linguam tuam, Deus interrogat cogitationem tuam. Novit autem quomodo audias, & novit quomodo exigat, qui jubet ut dem. Erogatorem me esse voluit, exactionem

Sap. 1. 9.

[a] Id est, metalli pœnam subibit, ad secanda marmora, vel alia id genus damnabitur: uti observat Sirmondus. Effractores enim parietum, præsertim nocturnos, fustibus cæsos in metallum dari solitos, auctor est Ulpianus L. 2. D. De effractoribus & expilatoribus.

Classis I.

sibi servavit. Monere, docere, corripere nostrum est: salvare verò & coronare, aut damnare & in gehennas mittere, non est nostrum. Judex autem tradet ministro, minister in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem.

Matth. 5. 25. & 26.

Quadragenarius numerus in Jejunio Moysi, Eliæ & Christi.

9. Redeamus ergo ad rem. Perfectio justitiæ quadragenario numero demonstratur. Quid est quadragenarium numerum implere? Continere se ab amore hujus sæculi. Continentia à rebus temporalibus, ne perniciosè amentur, quasi jejunare est ab isto sæculo. Ideo Dominus quadraginta diebus jejunavit, & Moyses, & Elias. Qui ergo dedit servis jejunare posse quadraginta diebus, non potuit octoginta vel centum jejunare? Quare noluit ampliùs quàm dederat servis, nisi quia in ipso quadragenario numero est mysterium jejunii, continere ab isto sæculo? Quid est hoc dicere? Quod ait Apostolus: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Ipse ergo implet numerum quadragenarium. Et quid ostendit Dominus? Quia hoc Moyses fecit, hoc Elias, hoc Christus, hoc & Lex, hoc & Prophetæ, hoc & Evangelium docet: ne aliud putes esse in Lege, aliud in Prophetis, aliud in Evangelio. Omnes Scripturæ nihil te aliud docent, nisi continentiam ab amore sæculi, ut amor tuus currat in Deum. Figuratur quia hoc docet Lex, quadraginta diebus jejunavit Moyses. Figuratur quia hoc docent Prophetæ, quadraginta diebus jejunavit Elias. Figuratur quia hoc docet Evangelium, quadraginta diebus jejunavit Dominus. Ideo & in monte ipsi tres apparuerunt, Dominus in medio, Moyses & Elias à lateribus. Quare? Quia ipsum Evangelium testimonium habet à Lege & Prophetis. Quare autem in quadragenario numero est perfectio justitiæ? In Psalterio dictum est, Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi. Quod significat decem præcepta Legis, quam Dominus non venit solvere, sed adimplere. Ipsa autem Lex per orbem terrarum, quatuor angulos habere constat, Orientem, Occidentem, Meridianum, & Aquilonem, sicut dicit Scriptura. Unde & vas, quod portabat figurata omnia animalia, quod demonstratum est Petro, quando dictum est, Macta, & manduca, ut ostenderentur Gentes crediturae & intraturæ in corpus Ecclesiæ, sicut quod manducamus in corpus nostrum intrat, quatuor lineis dimissum est de cælo, (ipsæ sunt quatuor partes orbis terrarum,) totum orbem crediturum ostendit. Ergo in quadragenario numero continentia à sæculo est. Hæc est Legis plenitudo: Legis autem plenitudo caritas. Ideo ante Pascha quadraginta diebus jejunamus. Signum enim est ante Pascha vitæ hujus nostræ laboriosæ, ubi in laboribus & ærumnis & continentia implemus Legem. Post Pascha autem, id est, resurrectionis Domini dies celebramus, significantes resurrectionem nostram. Ideo quinquaginta dies celebrantur: quia denarii merces additur quadragenario, & fit quinquagenarius. Quomodo est merces denarius? Non legistis, quia qui ad vineam conducti sunt, sive illi qui primâ, sive qui sextâ, sive qui novissimâ horâ, non potuerunt accipere nisi denarium? Justitiæ nostræ cùm addita fuerit merces ejus, in quinquagenario erimus. Jam tunc non nobis vacabit nisi laudare Deum. Ideo per illos dies Halleluia dicimus. Halleluia enim laus Dei est. In ista fragilitate mortalitatis, in isto quadragenario hîc, velut ante resurrectionem, gemamus in orationibus, ut tunc [a] laudemus. Modò tempus est desiderandi, tunc tempus erit amplectendi & fruendi. Non deficiamus in tempore quadragenario, ut gaudeamus in tempore quinquagenario.

Gal. 6. 14.

Rom. 3. 21.

Psal. 143. 9.

Act. 10. 13.

Quadragesima ante Pascha.

Quinquaginta dies post Pascha.

Matth. 20. 2.

Serm. de Scripturis.

Lex non impletur sine caritate.

10. Quis est autem qui implet Legem, nisi qui habuerit caritatem? Interroga Apostolum, Plenitudo Legis caritas. Omnis enim Lex in uno sermone impleta est, in eo quod scriptum est, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Sed præceptum caritatis geminum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc præceptum magnum est. Alterum huic simile: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Domini verba sunt in Evangelio: In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Sine dilectione gemina Lex impleri non potest. Quamdiu non impletur Lex, infirmitas est. Ideo duo minùs habebat, qui triginta-octo annos infirmus erat. Quid est, duo minùs habebat? Duo præcepta illa non implebat. Quid prodest quia cetera implentur, si illa non implentur? Triginta-octo habes? si illa duo non habueris, cetera nihil tibi proderunt. Minùs habes duo, sine quibus nihil valeant cetera, si non habueris duo præcepta, quæ perducunt ad salutem. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si sciero omnia sacramenta & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnem substantiam meam, & si tradidero corpus meum ut ardeam; caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Apostoli verba sunt. Illa ergo omnia quæ dixit, quasi triginta-octo anni sunt: sed quia caritas ibi non erat, infirmitas erat. Quis ergo ab ista infirmitate sanabit, nisi qui venit dare caritatem? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Et quia venit dare caritatem, & caritas perficit Legem; meritò dixit, Non veni Legem solvere, sed implere. Sanavit ægrotum, & dixit illi ut ferret grabatum suum, & iret in domum suam. Hoc & paralytico, quem sanavit, dixit. Quid est ferre grabatum nostrum? Voluptatem carnis nostræ. Ubi infirmi jacemus, quasi lectus noster est. Sed qui sanati fuerint, continent & ferunt eam, non ab ipsa carne continentur. Ergo sanus contine fragilitatem carnis tuæ, ut signo quadragenarii jejunii ab isto sæculo, impleas quadragenarium numerum, * qui sanavit illum ægrotum, qui non venit Legem solvere, sed implere.

Rom. 13. 10. Gal. 5. 14. Matth. 22. 37. &c.

1. Cor. 13. 1. &c.

Johan. 13. 34.

Matth. 5. 17.

Johan. 5. 9. Marci 2. 9.

* f. quia.

Temporalia animo dimittenda.

11. Hoc audito, dirigite cor vestrum in Deum. Nolite vos fallere. Tunc vos interrogate, quando bene est in sæculo; tunc vos interrogate, si amatis hunc mundum, aut si non amatis; discite dimittere, antè quàm dimittamini. Quid est dimittere? Animo non amare. Cùm adhuc tecum est quod amissurus es, aut vivus, aut moriens illud dimittis, non potest tecum esse semper: cùm ergo adhuc tecum est, solve amorem: paratus esto in vo-

[a] Carcassonensis MS. *ut tunc laudemus, cùm videimus.*

CLASSIS I.

luntate Dei, suspendere in Deum. Tene te ad illum, quem non amittis invitus: ut si contigerit ut amittas ista temporalia, dicas, Dominus dedit, " Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita fa- " ctum est: sit nomen Domini benedictum. Si autem contigerit, & hoc vult Deus, ut illa quæ habes tecum sint usque in finem; solutus ab hac vita, accipis denarium [a] quinquagenarium, & fit in te perfectio beatitudinis, cùm cantas Halleluia. Hæc habentes in memoria quæ commemoravi, valeant ut non diligatis sæculum. Mala est amicitia ipsius, fallax est, inimicum facit * Deum. Citò in una tentatione offendit Deum homo, & fit inimicus. Immo non tunc fit inimicus; sed tunc proditur inimicus fuisse. Nam quando diligebat & laudabat, inimicus erat; sed nec ipse sciebat, nec alii. Accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris. Itaque, Fratres, dilectio mundi, & amicitia mundi inimicos Deo facit. Et ipse non exhibet quod promisit, mendax est, & fallit. Ideo homines non cessant sperare in isto sæculo, & quis pervenit ad omnia quæ sperat? Sed ad quæcumque pervenerit, continuò hoc vilescit ei quò pervenit. Incipiunt alia desiderari, alia cara sperantur: quæ dum venerint, quidquid tibi venit, vilescit. Tene ergo Deum, quia numquam vilescit, quia pulcrius nihil est. Propterea enim vilescunt ista, quia non possunt stare, quia non sunt quod ipse. Tibi enim, ô anima, non sufficit, nisi qui te creavit. Quidquid aliud apprehendis, miserum est: quia tibi solus ille potest sufficere qui ad similitudinem suam te fecit. Ex ipsa voce dictum est, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Ibi tantùm potest esse securitas: & ubi potest esse securitas, quodam modo ibi erit satietas insatiabilis. Nam neque satiaberis, ut velis discedere; neque aliquid deerit, ut quasi inopiam patiaris.

Job 1. 21.

* *f.* Deo.

Tentatio plerumque peccatorem non facit, sed prodit.

Johan. 14. 8.

* *Aliàs* 32. *ex homiliis* 50.

* SERMO CXXVI.

De [b] *verbis Evangelii Iohan. 5.* Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.

CAPUT I. 1.

Fides intellectum præcedere debet.

ARCANA & secreta regni Dei priùs quærunt credentes, quò faciant intelligentes. Fides enim gradus est intelligendi: intellectus autem meritum fidei. Aperte hoc Propheta dicit omnibus præproperè & præposterè intelligentiam requirentibus, & fidem negligentibus. Ait enim, Nisi credideritis, non intelligetis. Habet ergo & fides ipsa quoddam lumen suum in Scripturis, in Prophetia, in Evangelio, in Apostolicis lectionibus. Omnia enim ista quæ nobis ad tempus recitantur, lucernæ sunt in obscuro loco, ut nutriamur ad diem. Dicit apostolus Petrus, Habemus certiorem pro- " pheticum sermonem, cui benefacitis intenden- " tes tamquam lucernæ in obscuro loco, donec " dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

Isai. 7. 9.

2. *Petr.* 1. 19.

Perversum est credere nolle nisi quod videas.

2. Videtis ergo, Fratres, quantum sint perversi & properando vitiosi, qui tamquam immaturi conceptus ante ortum quærunt abortum; qui nobis dicunt, Quid me jubes credere quod non video? Videam aliquid, ut credam. Jubes

A credere, dùm non videam: ego videre volo, & videndo credere, non audiendo. Dicat Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Adscendere vis, & gradus oblivisceris. Utique perversè. O homo, si jam tibi possem ostendere quod videres, non hortarer ut crederes.

SERM. DE « SCRIPTURIS.

3. Ergo fides est, sicut alibi definitum est, sperantium substantia, convictio rerum, quæ non videntur. Si non videntur, quomodo convincuntur quia sunt? Unde enim sunt ista quæ vides, ni-
B si ex illo quod non vides? Utique vides aliquid, ut credas aliquid, & ex eo quod vides, credas quod non vides. Ne sis ingratus ei qui te fecit videre, unde possis credere quod nondum potes videre. Dedit tibi Deus oculos in corpore, rationem in corde; excita rationem cordis, erige interiorem habitatorem interiorum oculorum tuorum, assumat fenestras suas, inspiciat creaturam Dei. Est enim aliquis intus qui per oculos videat. Nam quando * aliquando in me cogitas averso
C interiùs habitatore, quæ sunt ante oculos tuos non vides. Fenestræ enim frustra patent, quando qui per eas adtendit absens est. Non ergo oculi vident, sed quidam per oculos videt: erige illum, excita illum. Non enim denegatum est tibi: rationale animal te Deus fecit, præposuit te pecoribus, ad imaginem suam te formavit. Siccine uti illis debes, ut pecus; tantùm ut videas quid addas ventri, non menti? Erige ergo rationalem adspectum, utere oculis ut homo, intende
D cælum & terram, ornamenta cæli, fecunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum: intende facta, & quære factorem: adspice quæ vides, & quære quem non vides. Crede in eum quem non vides, propter ista quæ vides. Et ne sermone meo te exhortatum putes, Apostolum audi dicentem, Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ " facta sunt, conspiciuntur. "

CAPUT II.

Hebr. 11. 1.

Ex creaturis quæ videntur, assurgendum ad Creatorem qui non videtur.

* *f.* aliunde cogitas. *vel* in te, *pro* in me.

Rom. 1. 20.

4. Postponebas ista, nec adtendebas ut ho-
E mo, sed ut animal irrationale. Clamavit ad te Propheta, & frustra clamavit, Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Videbas ergo ista, & postponebas. Quotidiana miracula Dei non facilitate, sed assiduitate viluerant. * Quid enim difficilius cognitione, quàm ut nascatur homo, moriendo discedat in secreta qui erat, nascendo procedat in publica qui non erat? Quid tam mirabile, quid tam difficile cognitu? Deo autem facile factu. Mirare ista, expergiscere: insolita nosti mirari, majora sunt quàm quæ
F videre consuevisti? Mirati sunt homines Dominum Deum nostrum Jesum Christum de quinque panibus saginasse tot millia; & non mirantur per pauca grana impleri segetibus terras. Quæ aqua erat vinum factum, viderunt homines, & obstupuerunt: quid aliud fit de pluvia per radicem vitis? Ipse illa fecit, ipse ista: illa ut pascaris, ista ut mireris. Sed utraque miranda sunt, quia opera Dei sunt. Videt homo insolita & miratur: unde
G est ipse homo qui miratur? ubi erat? unde processit? unde forma corporis? unde membrorum distinctio? unde habitus iste speciosus? de quibus primordiis? de quàm contemtibilibus? Et miratur alia, cùm sit ipse mirator magnum miraculum. Unde ergo ista quæ vides, nisi ex illo quem

Miracula insolita fecit Christus, ut & in quotidianis quæ viluerant, agnosceretur factor.

Psal. 31. 9.

* CAPUT III.

Matth. 14. 21.

Johan. 2. 9.

[a] Sirmondus, *quadragenarium*. Corrigitur ex Carcass. MS. & ex dictis n. 9.

[b] Inter Tractatus contra Arianos recensetur in Possidii Indic. c. 5.

non vides? Sed, ut dicere cœperam, quia tibi ista viluerant, venit ipse ad facienda insolita, ut & in ipsis solitis agnosceres artificem tuum. Venit ille cui dictum est, Innova signa. Cui dictum est, Mirifica misericordias tuas. Largiebatur enim eas; largiebatur, & nemo mirabatur. Venit ergo parvus ad parvos, venit medicus ad ægrotos, qui poterat venire cùm vellet, redire cùm vellet, facere quidquid vellet, judicare ut vellet. Et hoc quod vellet, ipsa justitia est; & quod ille vult, inquam, ipsa justitia est. Non enim iniquum est quod ille vult, aut æquum potest esse quod non vult. Venit suscitare mortuum, mirantibus reddere luci hominem, qui erat in luce, qui quotidie qui non erant, producit ad lucem.

Eccli. 36. 6.
Psal. 16. 7.

CAPUT IV. Miraculũ nativitatis ex virgine in Christo exhibitum.

5. Fecit ista, & contemtus est à multis, plus adtendentibus non quàm magna faceret, sed quàm parvus: tamquam dicentibus apud se, Ista divina sunt, sed iste homo est. Duo ergo vides, divina & hominem. Si divina non possunt fieri, nisi à Deo, vide ne in homine lateat Deus. Adtende, inquam, quæ vides, crede quæ non vides. Non te deseruit, qui vocavit ut credas: quamvis juberet te illud credere, quod non potes videre; non tamen te dimisit nihil videntem, unde possis credere quod non vides. Parvane signa, parvane indicia sunt Creatoris ipsa creatura? Venit etiam, fecit miracula. Non poteras videre Deum, poteras hominem: Deus factus est homo, ut in uno tibi esset & quod videres, & quod crederes. In » principio erat Verbum, & Verbum erat apud » Deum, & Deus erat Verbum. Audis, & nondum vides. Ecce venit, ecce nascitur, ecce de femina procedit, qui fecit masculum & feminam. Qui fecit masculum & feminam, non factus est per masculum & feminam. Contemturus enim eras fortè qui nasceretur, non contemnis quomodo nasceretur: quia semper erat antè quàm nasceretur. Ecce, inquam, assumsit corpus; indutus est carne, processit ex utero. Jamne vides? jam, inquam, vides carnem:* interrogo, sed carnem ostendo: vides aliquid, & non vides aliquid. Ecce in ipso partu, ecce jam duo sunt, & quod videas, & quod non videas; sed ut per ipsum quod vides, credas quod non vides. Contemnere cœperas, quia vides qui natus est: crede quod non vides, quia de virgine natus. Quantulus est, inquit, qui natus est? Sed quantus est, qui de virgine natus est? Et ille qui de virgine natus est, miraculum temporale tibi adtulit: non est natus de patre, scilicet de patre homine, & natus est de carne. Sed non tibi videatur impossibile, quia natus est per solam matrem, qui fecit hominem ante patrem & matrem.

Johan 1. 1.

* Locus mendosus.

CAPUT V. Miraculo nativitatis Christi movemur ad credendum Deum Verbum.

6. Adtulit ergo tibi temporale miraculum, ut tu eum quæras & mireris æternum. Etenim ipse qui tamquam sponsus processit de thalamo suo, de utero scilicet virginali, ubi sanctæ nuptiæ factæ sunt, Verbum & caro; adtulit, inquam, miraculum temporale: sed ipse est æternus, ipse est Patri coæternus, ipse est qui in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Fecit tibi unde sanareris, ut videre posses quod non videbas. Quod contemnis in Christo, nondum est contemplatio sanati, sed medicamentum ægroti. Noli festinare ad visionem sanorum. Angeli vident, Angeli gaudent, Angeli

Psal. 16. 6.
Johan. 1. 1.

pascuntur & vivunt: nec deficit unde pascuntur, nec minuitur esca ipsorum. In sublimibus thronis, in partibus cælorum, in his quæ supra cælos sunt, videtur Verbum ab Angelis, & gaudetur: & manducatur, & permanet. Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Hæc est salus nostra, medicina infirmorum, cibus sanorum.

Explicandum quomodo Filius faciat quæ viderit Patrem facientem. Johan 5. 19.

7. Et loquebatur hominibus, & dicebat quod audistis, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Jamne, putamus, est aliquis qui intelligat? Jamne, putamus, est aliquis in quo proficit collyrium carnis ad intuendum utcumque splendorem divinitatis? Locutus est, loquamur & nos: ille, quia Verbum; nos, quia de Verbo. Quare autem nos utcumque de Verbo? Quia ad similitudinem Verbi per Verbum. Quantum ergo capimus, quantum illius ineffabilitatis participes esse possumus, loquamur & nos, nec contradicatur nobis. Præcessit enim fides nostra, ut dicamus, Credidi propter quod locutus sum. Loquor ergo quod credo: utrùm etiam utcumque video, ille magis videt; hoc videre vos non potestis. Sed cùm dixero, qui videt quod dico, sive credat & me videre quod dixi, sive non credat, quid ad me illud? Sinceriter videat, & de me quod vult credat.

Psal 115. 10.

CAPUT VI. Arianorum error in verbis Dominicis.

8. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Hîc Arianorum error exsurgit: sed exsurgit, ut cadat; quia non humiliatur, ut surgat. Quid est quod te movit? Filium minorem vis dicere. Audisti enim, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Minorem vis ex hoc Filium dici: novi hoc, novi, hoc te movit: crede minorem non esse, videre nondum potes, crede, hoc est quod paulò antè dicebam. Sed quomodo, inquies, contra verba ipsius crediturus sum? Ipse dicit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Adtende & quod sequitur: *Quæcumque enim facit Pater, eadem & Filius facit:* non dixit, talia. Paululùm adtendat Caritas Vestra, ne vobismetipsis strepitum faciatis. Tranquillo corde opus est, pia & devota fide, intentione religiosa: non in me vasculum, sed in illum adtendite qui panem ponit in vasculo. Adtendite ergo paululùm. In his enim quæ suprà diximus hortantes ad fidem, ut animus imbutus fide sit intellectûs capax, ea quæ dicta sunt, festiva, læta, facilia, sonuerunt, exhilaraverunt mentes vestras, secuti estis, intellexistis quæ dixi. Quæ verò dicturus sum, spero aliquos intellecturos: vereor tamen non omnes intellecturos. Et quia Deus nobis proposuit per lectionem Evangelii unde dicamus, nec vitare possumus quod proposuit magister; fortè vereor ne qui non intellexerint, qui fortassis plures erunt, putent me frustra sibi locutum: sed tamen propter eos qui intellexerint non frustra loquor. Lætetur qui intelligit, patienter ferat qui non intelligit: quod non intelligit ferat, & ut intelligat [a] differat.

Refellit Arianos.

9. Non ergo ait, Quæcumque Pater facit, talia Filius facit: tamquam alia faciat Pater, & alia Filius. Videbatur enim tamquam hoc dixisse, cùm superiùs diceret, *Non facit à se Filius quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Inten-

[a] Editi, *differat:* mendosè pro *differat:* quomodo habetur in Tractatu 18 super Johan. n. 1.

CLASSIS I.

de: neque ibi ait, Nisi quod audierit Patrem jubentem; sed, *Viderit*, inquit, *Patrem facientem.* Si ergo carnalem intellectum, vel potiùs sensum interrogemus, quasi duos sibi proposuit artifices, Patrem & Filium; Patrem facientem nullo viso, Filium facientem à Patre viso. Carnalis adhuc adspectus est. Verumtamen ut ea quæ superiora sunt intelligamus, ista humiliora & abjecta non declinemus. *Primò sic nobis ante oculos constituamus aliquid, putemus esse duos fabros, patrem & filium. Fecit pater arcam, quam filius facere non poterat, nisi patrem videret facientem: adtendit arcam quam fecit pater, & fecit arcam aliam talem, non eamdem. Differo paululùm verba quæ sequuntur, & jam interrogo Arianum: Siccine intelligis, quomodo proposui? Fecit Pater aliquid, quod cùm videret Filius Patrem facientem, fecit & ipse tale aliquid? Hoc enim videntur sonare verba, quibus permotus es? Neque enim ait, Non potest à se facere Filius quidquam, nisi quod audierit Patrem jubentem. Sed ait, *Non potest à se facere Filius quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ecce si sic intelligis, fecit Pater, & adtendit Filius, ut videret & ipse quod faceret; faceret autem aliud aliquod tale, quale fecerat Pater. Hoc quod fecit Pater, per quem fecit? Si non per Filium, si non per Verbum; incurristi in blasphemiam Evangelii. Omnia enim per ipsum facta sunt. Ergo jam quod fecerat Pater, per Verbum fecerat: si per Verbum fecerat, per Filium fecerat. Quis est alius qui adtendit, ut faciat aliud aliquid quod viderit Patrem facientem? Non soletis dicere duos Filios habere Patrem: unus est Unicus de illo genitus. Per misericordiam verò suam, solus ad divinitatem, & non solus ad hereditatem. Coheredes Unico suo fecit Pater: non quos de sua substantia sicut ipsum genuit; sed quos de familia sua per ipsum adoptavit. In adoptionem quippe filiorum vocati sumus, sicut sancta Scriptura testatur.

Carnalem ipsorum sensum explodit.

CAPUT VII.

Quæ fecit Pater nonnisi per Filium; fecit.

Johan. 1. 3.

Ephes. 1. 5.

CAPUT VIII.

Non alia Pater, alia Filius, sed eadem opera Trinitas facit.

10. Quid ergo dicis? Ipse Unicus loquitur: ipse Filius unigenitus in Evangelio loquitur: ipsum Verbum nobis verba fecit, ipsum audivimus dicentem, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Jam fecit Pater ut videat quod faciat Filius: & tamen nihil facit Pater nisi per Filium. Certè turbaris hæretice; certè turbaris: sed tamquam helleboro accepto turbaris, ut saneris. Jam te non invenis, sententiam tuam & carnalem intuitum tuum, quantum arbitror, etiam ipse condemnas. Repone oculos carnis post te; erige si aliquid habes in corde, divina intuere. Audis quidem humana verba per hominem, per Evangelistam, per Evangelium audis humana verba, sicut homo: sed de Verbo Dei audis, ut humana audias, divina cognoscas. Exagitavit magister, ut erudiret; seminavit quæstionem, ut moveret intentionem. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Consequens erat quòd diceret, Quæcumque enim Pater facit, talia facit Filius. Non hoc ait: sed, *Quæcumque Pater facit, hæc eadem & Filius facit.* Non alia Pater facit, alia Filius facit: quia omnia quæ Pater facit, per Filium facit. Suscitavit Lazarum Filius, numquid Pater eum non suscitavit? Illuminavit Filius cæcum, numquid Pater non illuminavit?

Johan. 11.

Johan. 9.

A Pater per Filium in Spiritu-sancto. Trinitas est: sed una operatio, una majestas, una æternitas, una coæternitas, & opera eadem Trinitatis. Non alios homines creat Pater, alios Filius, alios Spiritus-sanctus: unum eumdemque hominem & Pater & Filius & Spiritus-sanctus creat; & Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus Deus creat.

SERM. DE SCRIPTURIS.

11. Adtendis pluralitatem personarum; sed unitatem Divinitatis agnosce. Propter pluralitatem enim personarum dictum est, Faciamus B hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non ait, Faciam hominem; & adtende cùm facio, ut possis & tu alterum facere. Faciamus, inquit; pluralitatem audio: ad imaginem nostram; item pluralitatem audio. Ubi ergo singularitas Divinitatis? Lege sequentia: Et fecit Deus hominem. Dicitur, Faciamus hominem: & non dicitur, Fecerunt dii hominem. Intelligitur unitas in eo quod dictum est, Fecit Deus hominem.

CAPUT IX.

Trinitas personarū & unitas Divinitatis.

Gen. 1. 26.

Ibidem 27.

12. Ubi est ergo intentio illa carnalis? Con- C fundatur, abscondatur, perimatur: loquatur nobis Verbum Dei. Jam pii, jam credentes, jam imbuti fide & comparato aliquo merito intelligentiæ, convertamus nos ad ipsum Verbum, ad fontem luminis, & dicamus simul, Domine, eadem fecit Pater quæ tu; quia quidquid facit Pater, per te facit. Te Verbum audivimus in principio: non vidimus, sed credimus. Ibi consequenter audivimus, quia omnia per te facta sunt. Omnia ergo quæ facit Pater, per te facit. Eadem D ergo facis quæ Pater. Quid est quare dicere voluisti, *Non potest Filius à se facere quidquam?* Video enim æqualitatem quamdam tibi cum Patre, in eo quod audio, *Quæcumque Pater facit, hæc eadem Filius facit:* agnosco æqualitatem, hîc intelligo, hîc capio ut possum: Ego & Pater unum sumus. Quid est, quòd non potes facere quidquam, nisi quod videris Patrem facientem? Quid est hoc?

Sensus verborum Christi imbutis antè recta fide, perquirendus.

Johan. 1. 3.

Johan. 10. 30.

13. Fortè dicat mihi, immo dicat nobis om- E nibus: Hoc enim quod dixi, *Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem:* videre meum quomodo intelligis? videre meum quid est? Sequestra paululùm formam servi, quam propter te suscepit. Etenim in illa forma servi Dominus noster oculos & aures habebat in carne, & illa forma humana qualem & nos portamus eadem figura corporis erat, eadem lineamenta membrorum. Caro illa venerat ex Adam: sed non erat ille Adam. Ergo Dominus ambu- F lans sive in terra, sive in mari, sicut ei placuit, sicut voluit, quia quidquid voluit, potuit; inspexit quod voluit: jecit oculos, vidit; avertit oculos, & non vidit; à tergo erat qui sequebatur, antè erat qui videretur; oculis corporis quod antè erat, videbat. * Divinitatem verò nihil latebat. Sepone, sepone, inquam, paululùm formam servi: formam Dei vide, in qua erat antè quàm mundus fieret; in qua erat æqualis Patri: per eum hoc accipe & intellige quid tibi ait, Qui cùm in G forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Ibi eum vide, si potes; ut possis videre quid sit videre ipsius. In principio erat Verbum. Quomodo videt Verbum? Habetne oculos Verbum, an in illo se inveniunt oculi nostri, & oculi non carnales, sed oculi piorum cordium? Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Difficultas intelligendi isthæc verba ex eo quòd non intelligatur videre ipsius Verbi.

* CAPUT X.

Philip. 2. 6.

Matth. 5. 8

CLASSIS I.

In Christo forma servi mortalibus ostendebatur, forma Dei beatis servabatur.

14. Adspicis Christum hominem & Deum: A ostendit tibi hominem, servat tibi Deum. Et vide quia Deum tibi servat, qui se tibi hominem ostendit. Qui diligit me, inquit, mandata mea » custodit: qui diligit me, diligetur à Patre meo, » & ego diligam eum. Et tamquam diceretur, Quid » ei dabis, quem diligis? Et ostendam, inquit, me ipsum illi. Quid est hoc, Fratres? Quem jam videbant, ipse se illis demonstraturum promittebat. Quibus? A quibus videbatur, an à quibus & non videbatur? Sic loquens Apostolo cuidam ait, B quærenti videre Patrem, ut sufficeret ei, & dicenti, Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Et ille stans ante oculos servi, in forma servi, servans oculis deificati formam Dei, ait illi, Tanto » tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? » Qui me videt, videt & Patrem. Patrem quæris videre, me vide: vides me, & non vides me. Vides quod pro te assumsi, non vides quod pro te servavi. Audi mandata, purga oculos. Quia qui diligit me, mandata mea custodit, & ego diligam C eum. Tamquam custodienti mandata mea, & tamquam sanato per mandata mea, ostendam me ipsum illi.

Johan. 14. 21.

Ibidem 8. &c.

CAPUT XI. Videre Verbi non aliud à Verbo.

15. Si ergo, Fratres, videre non possumus quid sit videre Verbi, quò imus? quam visionem fortè præproperè exigimus? quid nobis ostendi volumus quod videre non possumus? Ideo ista dicta sunt quæ desideramus videre, non quod jam possimus capere. Videre enim Verbi si videas, fortè in eo quod vides videre Verbi, ipsum Ver- D bum videbis; ut non aliud sit Verbum, aliud videre Verbi, ne ibi sit aliquid * coaugmentatum & copulatum & duplex & compaginatum. Simplex enim aliquid est ineffabili simplicitate. Non quemadmodum homo, aliud est homo, aliud videre hominis. Nam aliquando exstinguitur quod est videre hominis, & manet homo. Hoc est quod dicebam dicturum me aliquid, quod non possent omnes intelligere: etiam Dominus faciat, ut aliqui intellexerint. Fratres mei, ad hoc ex- E hortatur, ut videamus, videre Verbi ultra vires nostras esse; quia parvæ sunt, nutriantur, perficiantur. Unde? Mandatis. Quibus mandatis? Qui diligit me, mandata mea custodit. Quæ mandata? Jam enim crescere volumus, jam roborari, jam perfici, ut videamus videre Verbi. Dic jam Domine, quæ mandata? Mandatum novum do vobi, ut vos invicem diligatis. Hanc ergo, Fratres, caritatem de ubertate fontis hauriamus, istam capiamus, in ea nutriamur. Cape per quod sis ca- F pax. Caritas te gignat, caritas nutriat, caritas perficiat, caritas roboret; ut videas videre Verbi, non aliud esse Verbum, & aliud videre ipsius; sed ipsum quod est videre Verbi, hoc esse Verbum: & citò fortè intelliges, quia illud quod dictum est, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, tale est, ac si diceret, Non esset Filius, nisi de Patre nasceretur. Sufficiat, Fratres, novi id me dixisse, quod cogitatum fortè aperiatur multis, sæpe verbis di- G ctum fortè obscuretur.

* f. coagmentatum.

Johan. 14. 21

Caritas capaces reddit ad capienda divina.

Johan. 13. 34.

Sensus loci propositi.

Confer Tract. 18. & 20. in Johannem.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO CXXVII.

De verbis Evangelii Iohan. 5. Amen, amen dico vobis, quia veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent, *&c. necnon de verbis Apostoli*, 1. Cor. 2. Quod [a] oculus non vidit, *&c.*

** Aliàs 64. de verbis Domini*

CAPUT I. Spes Christianorum de iis est quæ non videntur. Florus ad 1. Cor. 2.

1. SPES nostra, Fratres, non de isto tempore, neque de hoc mundo est, neque B in ea felicitate qua excæcantur homines qui obliviscuntur Deum. Hoc nosse primitus & Christiano corde tenere debemus, non ad præsentis temporis bona nos factos esse Christianos; sed ad nescio quid aliud, quod Deus jam promittit, & homo nondum capit. De hoc enim bono dictum est, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Ergo quia hoc bonum tam magnum, tam præclarum, tam ineffa- C bile, non invenit hominem perceptorem, tenuit Deum promissorem. Nunc enim quod ei promissum est, homo [b] cæcus corde non percipit: nec ei potest ostendi in præsenti, quid ipse cui promittitur sit futurus. Quia & infans natus si posset verba loquentis intelligere, cùm ipse loqui non posset, nec ambulare, nec aliquid agere, sed sicut eum videmus infirmum, jacentem, indigum opis alienæ, tantummodo intelligere posset eum qui sibi loqueretur, & diceret ei, Ec- D ce sicut vides me ambulantem, operantem, loquentem; post paucos annos talis eris: adtendens se & illum, quamvis quod promitteretur, videret; tamen suam considerans infirmitatem, non crederet, & [c] videret tamen quod promittebatur. Nobis autem tamquam infantibus in hac carne atque infirmitate jacentibus, & magnum est quod promittitur, & non videtur: & erigitur fides qua credimus quod non videmus, ut mereamur videre quod credimus. Quicumque E [d] irridet hanc fidem, ut ideo putet non sibi esse credendum, quia non videt; quando venerit quod non credebat, erubescit; confusus separatur, separatus damnatur. Qui autem crediderit, segregatur ad dexteram, & stabit cum magna fiducia & lætitia inter illos quibus dicetur, Veni- » te benedicti Patris mei, percipite regnum quod » vobis paratum est ab origine mundi. Conclusit » autem Dominus, cùm hæc verba diceret, sic: Ibunt isti in ambustionem æternam, justi autem F in vitam æternam. Hæc est vita æterna, quæ nobis promittitur.

1. Cor. 2. 9.

Apta similitudo.

Matth. 25. 34.

Ibidem 46.

Vita æterna nobis promissa quantum amanda.

2. Quia amant homines vivere in hac terra, promissa est illis vita; & quia multùm timent mori, promissa est illis æterna. Quid amas? Vivere. Hoc habebis. Quid times? Mori. Non patieris. Hoc sufficere visum est humanæ infirmitati, ut diceretur, Habebis vitam æternam. Capit hoc mens humana, utcumque ex hoc quod agit, quod futurum est capit. Sed quantum capit ex G hoc parvo quod agit? Quia vivit, & mori non vult; amat vitam æternam, vult semper vivere, numquam mori. Sed & illi qui [e] torquebuntur in pœnis, velle habent mori, & non possunt. Non ergo magnum est diu vivere, aut semper

[a] Meminit Possidius in Indiculi capite 9. *De eo quod scriptum est, Quod oculus non vidit* &c Florus quoque citat ad 1. Cor. 2.
[b] Phimarconensis MS. *homo angusto corde.*

[c] Lov. *& si videret.* Abest *si* ab Am Er. & multis MSS.
[d] Phimarcon. codex, *Quicumque infirmus est in hac fide.*
[e] Plures MSS. *torquentur.*

CLASSIS I. — *CAPUT II. — SERM. DE SCRIPTURIS.

vivere : sed magnum est beatè vivere. * Amemus A vitam æternam : & ex eo noverimus quantum pro vita æterna laborare debemus, cùm videmus homines amatores præsentis vitæ temporalis atque finiendæ, sic pro illa laborare, ut quando venerit metus mortis, quidquid possunt faciant, non ut auferant, sed ut differant mortem. Quantum homo laborat, quando mors imminet, fugiendo, latendo, quidquid habet dando, & se redimendo, laborando, cruciatus molestiasque sustinendo, medicos adhibendo, & quidquid aliud B homo potest? Videte quia consumtis laboribus & facultatibus suis, ut aliquantùm vivat, potest facere: ut semper vivat, non potest. Si ergo laboretanto, tanto conatu, tantis impendiis, tantâ instantiâ, tantâ vigilantiâ, tantâ curâ agitur, ut aliquantùm plus vivatur: quomodo agendum est, ut semper vivatur? Et si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, & vivant paucos dies, ne perdant paucos dies: quàm stulti sunt, qui sic vivunt, ut perdant C æternum diem?

Quid sit æterna vita, & quanti emenda.

3. Hoc solum ergo nobis promitti potest, ut dulcescat nobis utcumque munus Dei, ex hoc quod habemus modò: quia de munere ipsius habemus ut vivamus, ut salvi simus. Ponamus ergo nobis ante oculos talem vitam, cùm promittitur æterna, ut removeamus ab illa quidquid hîc molestum patimur. Faciliùs enim invenimus quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Ecce hîc vivimus, vivemus & ibi. Salvi sumus quando hîc D non ægrotamus, neque aliquid dolet in corpore: salvi erimus & ibi. Et quando nobis bene est in hac vita, nullas pœnas patimur: nullas patiemur & ibi. Pone ergo hîc hominem viventem, salvum, nullas pœnas patientem: si ei donaret quisquam ut semper sic esset, & hoc bonum non [a] desineret, quantum gauderet? quantum extolleretur? quomodo se non caperet lætitia sine pœna, sine cruciatu, sine fine vitæ? Si hoc solum nobis promitteret Deus, quod dixi, quod E modò, quibus potui, verbis descripsi & commendavi; quanti erat emendum, si venale esset, quantum dandum erat, ut emeretur? * Sufficeret quidquid haberes, etiam si totum mundum possideres. Et tamen venale est: eme si vis. Nec multùm exæstues de re magna propter pretii magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Ad aliquid ergo magnum & pretiosum comparandum parares aurum, vel argentum, vel pecuniam, vel fructus aliquos pecorum aut frugum, qui in F tua possessione nascerentur, ut emeres nescio quid hoc magnum & præclarum, quo viveres in hac terra felix. Et hoc eme, si vis. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista te valet. Tantum valet, quantum es tu. Te da, & habebis illam. Quid turbaris? quid exæstuas? Numquid quæsiturus es te, aut emturus es te? Ecce tu qui es, qualis es, da te illi rei, & habebis illam. Sed malus sum, inquies, & fortè me non accipit. Dando te illi, bonus eris. Ut huic fidei promissioni- G que te des, hoc est bonum esse. Cùm autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris: & habebis, non quod dixi solùm, salutem, incolumitatem, vitam, & sine fine vitam; non hoc solùm habebis, adhuc alia tollo. Non ibi erit lassari & dormire: non ibi erit esurire & sitire: non ibi erit crescere & senescere; quia nec nasci erit, ubi integri numeri manent. Numerus qui est, ipse est; nec opus est ut augeatur, quia non ibi fit ut minuatur. Ecce quanta tuli, & nondum dixi quid ibi erit. Ecce jam vita est, jam incolumitas est, jam nulla pœna, nulla fames, nulla sitis, nullus defectus, nihil horum; & tamen nondum dixi, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.* Si enim dixi, falsum est quod scriptum est, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.* Unde enim adscenderet in cor meum, ut dicerem *quod in cor hominis non adscendit?* Creditur, & non videtur: non solùm non videtur, sed nec dicitur. Quomodo ergo creditur, si non dicitur? Quis credit quod non audit? Si autem audit ut credat, dicitur: si dicitur, cogitatur: si cogitatur & dicitur, & in auribus hominum intrat. Et quia non diceretur nisi cogitaretur, & in cor hominis adscendit. Jam ecce ista quæstio tantæ rei conturbat nos, ut non possimus verbis explicare quæstionem. Quis explicat rem?

*CAPUT II. — Pretium vitæ æternæ. — *CAPUT III. — Vita æterna verbis hominis non dicitur.

CAPUT IV.

4. Adtendamus itaque Evangelium, modò Dominus loquebatur, & faciamus quod ipse dixit: *Qui credit in me*, inquit, *transitum facit à morte in vitam, & in judicium non venit.* * *Amen dico vobis, quia veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* * *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Generando dedit: quia genuit, dedit. Filius enim de Patre est, Pater non est de Filio: sed Pater Filii Pater est, & Filius Patris est Filius. Verumtamen Filius de Patre genitus, non Pater de Filio: & semper Filius; semper ergo genitus. Quis hoc capiat semper genitum? Omnis enim homo, cùm audit genitum, occurit illi: Ergo erat tempus, quando non erat iste qui genitus est. Quid ergo dicimus? Non sic: non erat tempus ante Filium; quia omnia per ipsum facta sunt. Si omnia per ipsum facta sunt, & tempora per ipsum facta sunt; quomodo possent esse tempora ante Filium, per quem facta sunt tempora? Tolle ergo omnia tempora, semper cum Patre Filius. Si semper cum Patre Filius, & tamen Filius, semper genitus: si semper genitus, semper cum genitore erat qui genitus est.

Johan. 5. 24. — *ṽ. 25.* — *ṽ. 26.* — Filius semper genitus à Patre. — *Johan. 1. 3.*

5. Numquam hoc vidi, inquies tu, aliquem generantem, & semper cum illo quem generavit: sed præcessit ille qui generavit, & secutus est tempore ille qui generatus est. Bene dicis, Numquam hoc vidi: quia hoc ad illud pertinet, *quod oculus non vidit.* Quæris quomodo dicatur? Non potest dici: quia *nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.* Credatur, & colatur. Cùm creditur, colitur; cùm colitur, [b] crescitur; cùm crescitur, capitur. Adhuc enim in ista carne, quamdiu peregrinamur à Domino, ad Angelos sanctos, qui hæc vident, infantes sumus, lactandi fide, pascendi specie. Sic enim dicit Apostolus: Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Venturi sumus ad speciem, quæ nobis sic promittitur per Johannem in epistola ejus: Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Filii Dei sumus jam per gratiam, per fidem, per

Generatio sempiterna Filii Dei explicari non potest. — *2 Cor. 5. 6. & 7.* — *1. Johan. 3. 2.*

[a] Omnes MSS. *finiret.*

[b] In editis hoc & proximo loco, *creditur*: pro *crescitur*, quod verbum in melioris notæ MSS. reperimus; in aliis verò, *crescit.*

CLASSIS I.

sacramentum, per sanguinem Christi, per redemtionem Salvatoris: Filii Dei sumus, & nondum » apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparue» rit, ei similes erimus; quoniam videbimus eum » sicuti est.

CAPUT V. Deus cibus mentis beatæ.

6. Ecce ad quid nutrimur capiendum, ecce ad quid nutrimur percipiendum, comedendum: ut tamen quod comeditur non minuatur, & qui comedit vegetetur. Nam modò cibus vegetat comedendo; sed minuitur cibus qui comeditur: quando autem cœperimus comedere justitiam, comedere sapientiam, comedere illum immortalem cibum, & nos vegetamur, & cibus ille non minuitur. Si enim novit oculus pasci luce, nec tamen minuit lucem; non enim minor erit lux, quia videtur à pluribus; plurium oculos pascit, & tamen tanta est quanta erat; & illi pascuntur, & illa non minuitur: si Deus dedit hoc luci, quam fecit ad oculos carnis; quid est [a] ipse lux ad oculos cordis? Si ergo laudaretur tibi aliquis cibus magnus, quem pransurus esses, parares ventrem: laudatur tibi Deus, para mentem.

Resurrectio animæ per fidem.

7. Ecce quid tibi dicit Dominus tuus: *Veniet hora*, inquit, *& nunc est. Veniet hora*, & ipsa hora *nunc est, quando*: quid? *quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent.* Qui ergo non audierint, non vivent. Quid est, *qui audierint?* Qui obedierint. Quid est, *qui audierint?* Qui crediderint & obtemperaverint, ipsi vivent. Ergo antè quàm crederent & obedirent, mortui jacebant: & ambulabant, & mortui erant. Quid valebant, quia ambulabant mortui? Et tamen si quis inter illos moreretur corpore, currerent, sepulcrum pararent, involverent, portarent, sepelirent mortui mortuum: de quibus dictum est, Sine mortuos sepeliant mortuos suos. Tales mortui sic suscitantur verbo Dei, ut vivant in fide. Qui mortui erant in infidelitate, verbo excitantur. De ipsa hora dixit Dominus, *Veniet hora, & nunc est.* Verbo enim suo suscitabat mortuos infideles: de quibus dicit Apostolus, Surge » qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit » te Christus. Hæc resurrectio mentium est, hæc resurrectio interioris hominis est, hæc resurrectio animæ est.

Matth. 8. 22.

Ephes. 5. 14.

CAPUT VI. Resurrectio corporis aliis in bonum, aliis in malum.

8. Sed non ista sola est, restat & corporis. Qui resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore. Non enim omnes resurgunt in anima: omnes resurrecturi sunt in corpore. In anima, inquam, non omnes resurgunt: sed qui credunt & obediunt: quia *qui audierint, vivent.* Sicut autem ait Apostolus, Non omnium est fides. Si ergo non omnium est fides, non omnes resurgunt in anima. Cùm venerit hora resurrectionis corporis, omnes resurgent: boni sint, mali sint; omnes resurgent. Sed qui priùs resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore: qui non priùs resurgit in anima, malo suo resurgit in corpore. Qui resurgit in anima, resurgit in corpore ad vitam: qui non resurgit in anima resurgit in corpore ad pœnam. Quia ergo Dominus commendavit nobis resurrectionem istam animarum, ad quam omnes debemus festinare, in qua laborare ut vivamus, & vivendo usque in finem perseveremus; restabat ut commendaret nobis etiam resurrectionem corporum, quæ futura est in fine sæculi. Sed audite quomodo & ipsam commendavit.

2. Thess. 3. 2.

[a] Plerique MSS. *ipsa lux.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

A 9. Cùm dixisset, *Amen dico vobis, quia veniet hora; & nunc est, quando mortui*, id est, infideles, *audient vocem Filii Dei*, id est, Evangelium; *& qui audierint*, id est, qui obedierint, *vivent*, id est, justificabuntur, & infideles jam non erunt: cùm ergo hoc dixisset, quoniam vidit docendos nos esse & de resurrectione carnis, non sic relinquendos, secutus est, & ait, *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Hoc ad suscitandas mentes, B hoc ad vivificandas mentes. Deinde adjecit, *Et potestatem dedit ei & judicium facere, quoniam Filius hominis est.* Iste Filius Dei, Filius hominis est. Etenim si Filius Dei, Filius Dei maneret, & Filius hominis non fieret, filios hominum non liberaret. Ipse qui fecerat hominem, factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Sic autem factus est homo, ut maneret Filius Dei. Factus est enim homo suscipiendo quod non erat, non perdendo quod erat: manens Deus, factus est homo. C Accepit te, non consumtus est in te. Talis ergo ad nos venit, Filius Dei Filius hominis; faciens & factus, creator & creatus; creator matris, creatus ex matre: talis ad nos venit. Secundùm id quod Filius Dei est, ait *Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* Non dixit, Filii hominis: veritatem enim commendabat, in qua æqualis est Patri. *Et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso*: non partiD cipando, sed *in semetipso.* Nos enim non habemus vitam in nobis ipsis, sed in Deo nostro. Ille autem Pater vitam in semetipso habet: & talem genuit Filium, qui haberet vitam in semetipso; non fieret vitæ particeps, sed ipse vita esset, cujus nos vitæ participes essemus: planè ut haberet vitam in semetipso, & esset ipse vita. Ut autem fieret Filius hominis, à nobis accepit. Filius Dei in semetipso; Filius hominis ut esset, à nobis accepit. De suo Filius Dei, de nostro Filius hoE minis. Quod minus est, à nobis accepit: quod plus est, nobis dedit. Nam & mortuus est ex illo quod Filius hominis est, non secundùm illud quod Filius Dei. Mortuus est tamen Filius Dei: sed secundùm carnem mortuus, non secundùm Verbum quod caro factum est, & habitavit in nobis. Ergo quòd est mortuus, de nostro mortuus est: quòd vivimus, de ipsius vivimus. Nec ille potuit mori de suo, nec nos vivere de nostro. Hoc ergo tamquam Deus, tamquam unigenitus, F tamquam generanti æqualis, commendavit nobis Dominus Jesus, quod si audierimus vivemus.

Incarnationis Filii Dei causa & ratio.

Filius Dei in seipso vita.

Quomodo mortuus sit.

Johan. 1. 14.

CAPUT VII.

10. Sed *& potestatem*, inquit, *dedit ei & judicium facere, quoniam Filius hominis est.* Ergo ad judicium illa forma ventura est. Forma hominis ventura est ad judicium: ideo ait, *Potestatem dedit ei & judicium facere, quoniam Filius hominis est.* Judex hîc erit Filius hominis; forma illa hîc judicabit quæ judicata est. Audite, & intelligite: jam hoc Propheta dixerat, Videbunt in quem G pupugerunt. Ipsam formam videbunt, quam lanceâ percusserunt. Sedebit judex, qui stetit sub judice. Damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. Ipse veniet, forma illa veniet. Hoc & in Evangelio habes: cùm ante oculos discipulorum suorum iret in cælum, stabant illi & adtendebant, & sonuit vox Angelica, Viri Galilæi, quid statis? &c.

ỷ. 27. Christus judex in forma servi.

Zach. 12. 10.

Johan 19. 37.

Act. 1. 11.

Classis I.

» &c. Hic Jesus sic veniet, quomodo eum videtis A
» euntem in cælum. Quid est, sic veniet? In ipsa forma veniet. *Potestatem enim dedit ei judicium facere, quoniam Filius hominis est.* Videte autem qua ratione hoc oportebat, & hoc rectum erat, ut judicandi viderent judicem. Judicandi enim erant & boni & mali. Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Restabat ut in judicio forma servi & bonis & malis ostenderetur, forma Dei solis bonis servaretur.

Matth. 5. 8.

Deum videre, summa felicitas.

11. Quid enim accepturi sunt boni? Ecce jam B dico, quod paulò antè non dixi; & tamen dicendo non dico. Dixi enim quia erimus illic salvi, erimus incolumes, erimus viventes, erimus sine pœnis, erimus sine fame & siti, erimus sine defectu, erimus sine orbitate oculorum nostrorum. Totum hoc dixi: & quid habebimus plus, non dixi. * Videbimus Deum. Hoc autem tantum erit, & tanta res erit, ut in ejus comparatione nihil sit totum. Dixi quòd viventes erimus, quòd salvi & incolumes, quòd fa- C mem sitimque non patiemur, quòd in lassitudinem non cademus, quòd somnus non nos premet. Totum hoc quid est ad illam felicitatem, qua Deum videbimus? Quia ergo Deus ipse ut est, modò ostendi non potest, quem tamen videbimus; ideo *quod oculus non vidit, nec auris audivit*, hoc videbunt boni, hoc videbunt pii, hoc videbunt misericordes, hoc videbunt fideles, hoc videbunt qui habebunt bonam sortem in resurrectione corporis, quia habuerunt bonam D obedientiam in resurrectione cordis.

** Caput VIII.*

1. Cor. 2. 9.

Forma servi ab omnibus videbitur, forma Dei à solis piis.

Isai. 26. 10. sec. LXX.

12. Ergo & malus Deum visurus est? de quo dicit Isaias, Tollatur impius, ne videat claritatem Dei. Ergo & impii & pii videbunt formam illam: & cùm fuerit dicta sententia, Tollatur impius, ne videat claritatem Dei; restat ut circa pios & bonos impleatur quod Dominus ipse promisit, cùm hîc in carne esset, & videretur non solùm à bonis; sed etiam à malis. Loquebatur inter bonos & malos, & conspicuus omnibus, E Deus occultus, homo manifestus; Deus regens homines, homo apparens inter homines: loquebatur ergo inter illos, & dicebat, Qui dili-
» git me, mandata mea custodit; & qui diligit me,
» diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Et
» quasi diceretur illi, Et quid ei dabis? Et ostendam, inquit, me ipsum illi. Quando hoc dixit? Quando ab hominibus videbatur. Quando hoc dixit? Quando & ab eis videbatur, à quibus non diligebatur. Quomodo ergo se ostensurus erat F dilectoribus suis, nisi quia talem qualem non videbant dilectores sui? Ergo quia forma Dei servabatur, forma hominis ostendebatur: per formam hominis hominibus loquens, conspicuus & visibilis, & bonis & malis omnibus ostendebat se, dilectoribus suis servabat se.

Johan. 14. 21.

Caput IX. Post resurrectionem vita æterna in visione Dei.

1. Johan. 3. 2.

13. Quando se demonstraturus est dilectoribus suis? Post resurrectionem corporis, quando tolletur impius, ne videat claritatem Dei. Tunc enim, cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam G videbimus eum sicuti est. Ipsa est vita æterna. Nam totum quidquid dicebamus, nihil est ad illam vitam. Quia vivimus, quid est? Quia salvi sumus, quid est? Quia videbimus Deum: magnum. Ipsa est vita æterna: ipse hoc dixit, Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Hæc est vita æterna, ut cognoscant, videant, capiant, norint quod crediderant, percipiant quod nondum capere poterant. Jam videat mens, quod oculus non viderat, nec auris audierat, nec in cor hominis adscenderat: hoc illis dicetur in fi-
« ne, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum,
« quod vobis paratum est ab initio mundi. Ibunt ergo illi mali in ambustionem æternam. Justi autem quò? In vitam æternam. Quid est vita æterna?
« Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum
« verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

Johan. 17. 3.

Serm. de Scripturis.

Matth. 25. 34.

Caput X. Resurrectio carnis futura.

14. Loquens ergo de futura resurrectione corporis, & non nos dimittens, ait, *Potestatem dedit ei & judicium facere, quoniam Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia veniet hora.* Ibi non addidit, *& nunc est:* quia ista hora postea erit, quia ista hora in fine sæculi erit, quia ista hora novissima erit, in novissima tuba erit. *Nolite mirari*, quia hoc dixi, *Dedit ei potestatem & judicium facere, quoniam Filius hominis est. Nolite mirari.* Ideo dixi, quia hominem ab hominibus oportet judicari. Quibus hominibus judicandis? Quos invenit vivos? Non solùm. Sed quid? *Veniet hora, quando hi qui sunt in monumentis.* Quomodo expressit carne mortuos? *qui sunt in monumentis*, quorum jacent sepulta cadavera, quorum favillæ tectæ sunt, quorum ossa dispersa sunt, quorum caro jam non est, & tamen Deo integra est. *Veniet hora, quando omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus, & prodient omnes.* Boni sint, mali sint, audient vocem, & exient. Rumpentur omnia vincula inferorum: omne quod periit, immo perisse putatur restituetur. Si enim Deus fecit hominem qui non erat, non potest reparare quod erat?

Caput XI. Mortuorū suscitatio à Deo, non minùs credibilis quàm creatio.

15. Puto quia cùm dicitur, Deus mortuos suscitaturus est, non res incredibilis dicitur: quia de Deo, non de homine dicitur. Magna res est quæ fiet, & incredibilis res est quæ fiet. Sed non fit incredibilis, quia vide qui facit. Ille dicitur quòd suscitabit te, qui creavit te. Non eras, & es; & factus, non eris? Absit, ne credas. Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit quod non erat: & tamen fecit quod non erat; & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis quos fecit quod non erant? Hoc est quod rependimus Deo, qui non eramus, & facti sumus? Hoc illi rependimus, ut eum resuscitare quod fecit non posse credamus? Hæc est merces, quam illi reddit creatura sua? Ideo te feci, dicit tibi Deus, ô homo, antè quàm esses, ut non mihi credas futurum te esse quod eras, qui potuisti esse quod non eras? Sed ecce, inquit, in sepulcro quod video, favilla est, cinis est, ossa sunt: & hoc item accipiet vitam, cutem, pulpas, carnem, & resurget? quid, favilla ista, ossa ista, quæ video in sepulcro? Vel in sepulcro vides favillam, vides ossa: in utero matris tuæ nihil erat. Hoc vides, vel favilla sunt, vel ossa sunt: tu antè quàm esses, nec favilla erat, nec ossa erant: & tamen factus es, cùm omnino non esses: & non credis, quia ossa ista, (quoquo modo sunt, qualiacumque sunt, sunt tamen,) recipient formam quam habebant, cùm tu acceperis quod non habebas? Crede: quia si credideris hoc, tunc suscitabitur anima tua. Et si suscitabitur anima tua [a] nunc; *Veniet hora, &*

[a] Sic plures MSS. Editi autem, *anima tua: tunc veniet* (aut *venit*) *hora*.

Classis I.

nunc est: tunc bono tuo resurget caro tua, quando veniet hora, ut omnes qui sunt in monumentis, audiant vocem ejus, & prodeant. Non enim quia audis & prodis, jam gaudere debes: audi
℣. 29. quod sequitur, *Qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Conversi ad Dominum, &c.

*Aliàs 43. de verbis Domini.

* SERMO CXXVIII.

a

De verbis [a] *Evangelii Iohan.* 5. Si ego testimonium perhibeo de me, *&c. deque verbis Apostoli, Gal.* 5. Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Caro enim concupiscit, *&c.*

Caput I. Testimonium Christi etiam de seipso quàm verum sit.

I. AUDIVIMUS verba sancti Evangelii: & hoc potest aliquem permovere, quod ait Dominus Jesus, *Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum.* Quomodo ergo non est verum testimonium veritatis? Nonne ipse est qui dixit, Ego sum via, & veritas, & vita? Cui ergo credendum est, si veritati non est credendum? Profectò enim non vult credere nisi falsitati, qui non eligit credere veritati. Dictum est ergo hoc secundùm ipsos, ut sic intelligas, & ex his verbis hunc sensum concipias: *Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum*, id est, sicut putatis. Ille enim noverat verum esse de se testimonium suum: sed propter infirmos, propter incredulos, propter non intelligentes, sol lucernas quærebat. Fulgorem quippe solis lippitudo eorum ferre non poterat.

Johan 5.31. *Johan.* 14. 6.

Cur quæsitum testimonium Johannis.

2. Ideo quæsitus est Johannes, qui testimonium perhiberet veritati: & audistis quid ait: *Vos venistis ad Iohannem.* * *Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluistis exsultare ad horam in lumine ejus.* Lucerna ista ad illorum confusionem parata est, quia de hoc dictum est ante tantum tempus in Psalmis, Paravi lucernam Christo meo. » Ut quid lucernam soli? Inimicos ejus induam con» fusione: super ipsum autem florebit sanctificatio mea. Denique hinc sunt confusi quodam loco per ipsum Johannem, quando dixerunt Domino Judæi, In qua potestate ista facis? Dic nobis. » Quibus respondit, Dicite mihi & vos, Baptis» mum Johannis de cælo est, an ex hominibus? Audierunt, & tacuerunt. Cogitaverunt enim » apud se citò. Si dixerimus, ab hominibus; lapi» dabit nos populus: quia prophetam habent Jo» hannem. Si dixerimus, de cælo; dicturus est no» bis. Quare ergo non credidistis ei? Quia Johannes perhibuit Christo testimonium. Angustati in cordibus suis quæstionibus suis, & illaqueati laqueis suis, responderunt, Nescimus. Quæ potuit alia vox esse tenebrarum? Rectum est quidem homini, ut quando nescit, dicat, Nescio. Quando autem scit, & dicit, Nescio: testis est contra se. Utique noverant excellentiam Johannis, & quia de cælo erat baptismum ejus: sed nolebant adquiescere cui testimonium perhibuit Johannes. At ubi dixerunt, Nescimus: respondit eis Jesus? Nec ego dicam vobis in qua potestate ista facio. Et confusi sunt, & impletum est, » Paravi lucernam Christo meo, inimicos ejus in» duam confusione.

℣. 33. ℣. 35. *Psal.* 131. 17. *Luca* 20. 4. *&c.*

Serm. de Scripturis.

Caput II. In Martyribus Christus sibi ipse perhibet testimonium.

3. Martyres nonne testes sunt Christi, & testimonium perhibent veritati? Sed si diligentiùs cogitemus, quando illi Martyres perhibent testimonium, ipse sibi perhibet testimonium. Ipse enim habitat in Martyribus, ut perhibeant testimonium veritati. Audi unum ex Martyribus, ipsum apostolum Paulum: Numquid experimentum vultis accipere ejus, qui in me loquitur Christus? Dum perhibet ergo testimonium Johannes, Christus sibi perhibet testimonium, qui habitat in Johanne. Perhibeat testimonium Petrus, perhibeat Paulus, perhibeant ceteri Apostoli, perhibeat Stephanus; ipse sibi perhibet testimonium, qui habitat in omnibus. Ipse enim sine illis Deus est, illi sine illo quid sunt?

2. *Cor.* 13.3.

4. De ipso dictum est, Adscendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus. Quid est, captivavit captivitatem? Vicit mortem. Quid est, captivavit captivitatem? Mortem procuravit diabolus, & ipse diabolus de morte Christi est captivatus. Adscendit in altum. Quid altius cælo novimus? Evidenter & ante oculos discipulorum suorum adscendit in cælum. Hoc scimus, hoc credimus, hoc fatemur. Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum-sanctum. Qui tale dat donum, qualis ipse est? Magna est enim misericordia Dei: donum dat æquale sibi; quia donum ejus Spiritus-sanctus est, & unus Deus tota Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Quid nobis præstitit Spiritus-sanctus? Apostolum audi: Caritas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris. Unde tibi, ô mendice, caritas Dei diffusa est in corde tuo? Quid, aut in quo caritas Dei diffusa est in corde humano? Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus. Quare in vasis fictilibus? Ut eminentia virtutis sit Dei. Denique cùm dixisset, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris: ne putaret quisque à se sibi esse quòd diligit Deum, continuò addidit, per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. * Ut ergo ames Deum, habitet in te Deus, & amet se de te, id est, ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te.

Psal. 67. 19. *Ephes.* 4. 8. *Act.* 1. 9. *Florus ad Rom.* 5. *Rom.* 5. 5. Caritas ex Spiritu-sancto. 2 *Cor.* 4. 7.

Caput III. Lucta animæ & carnis.

5. Lucta est enim in isto corpore: quamdiu vivimus, pugnamus; quamdiu pugnamus, periclitamur: sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Pugnam nostram, modò cùm Apostolus legeretur, audistis. *Omnis*, inquit, *Lex in uno sermone impletur, in eo quod est, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ista dilectio de Spiritu-sancto est. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Priùs vide si jam nosti diligere te ipsum; & committo tibi proximum, quem diligas sicut te ipsum. Si autem nondum nosti diligere te; timeo ne decipias proximum tuum sicut te. Si enim amas iniquitatem, non diligis te. Psalmus testis est: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Si autem odisti animam tuam, quid tibi prodest quia diligis carnem tuam? Si odisti animam tuam, & diligis carnem tuam, resurget caro tua; sed ut torqueatur [b] anima tua. Ergo priùs anima diligenda est, quæ Deo subdenda est, ut ordinem suum servitus ista custodiat, anima Deo, animæ caro. Vis serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua. Debes regi, ut possis regere. Nam lucta ista tam peri-

Rom. 8. 37. *Gal.* 5. 14. *Psal.* 10. 6. [b] Subdenda anima Deo, animæ caro.

[a] Hunc Florus ad Rom. 5. vocat Sermonem 44. de verbis Evangelii: & postea ad Galat. 5. Sermonem de Apostoli verbis appellat.

[b] Fossatensis vetus codex, *cum anima tua.*

Classis I

culosa est, ut si dimiserit rector, ruina sequatur. A

Gal. 5. 15.

6. Quæ lucta? *Si autem mordetis & comeditis invicem, videte ne ab invicem consumamini.*

*Caput IV. ℣. 16 Florus ad Gal. 5.

* *Dico autem, Spiritu ambulate.* Apostoli verba dico, quæ modò recitata sunt de epistola ipsius: *Dico autem, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Dico autem, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis:* non dixit, ne habueritis: neque hoc dixit, ne feceritis: sed, *ne perfeceritis.*

Apostolus de pugna carnis & Spiritûs.

Quid sit autem hoc, adjuvante Domino, dicam ut potero: adestote, ut intelligatis, B si spiritu ambulatis. *Dico autem, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Sequatur: ne fortè aliquid, ut hoc quod hîc obscurum est, in ejus sequentibus verbis faciliùs possit intelligi. Dixi enim, non frustra Apostolum noluisse dicere, Concupiscentias carnis ne habueritis: neque hoc saltem voluisse dicere, Concupiscentias carnis ne feceritis: sed dixisse, *Concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Ipsam nobis luctam proposuit. In hoc prœlio versamur, si Deo C

℣. 17.

militamus. Quid ergo sequitur? *Caro enim concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis, faciatis.* Hoc si non intelligatur, periculosissimè auditur. Ideo sollicitus ne malè homines intelligendo pereant, suscepi hæc verba Apostoli, adjuvante Domino, exponere Vestræ Caritati. Vacat nobis, matutinâ cœpimus, hora prandii non urget: ad istum diem, id est sabbatum, maximè hi adsolent convenire, D qui esuriunt verbum Dei. * Audite, & adtendite, dicam quantum potero diligenter.

*Caput V. Apostolus malè intellectus.

7. Quid est hoc ergo quod dixi, Periculosè auditur, si non intelligatur? Multi concupiscentiis carnalibus & damnabilibus victi, committunt quæque facinora atque flagitia, & immunditiis tam pessimis volutantur, quæ turpe est etiam dicere; & dicunt sibi ista verba Apostoli. Videquid dixit Apostolus, *Ut non ea quæ vultis, illa faciatis.* Nolo facere, cogor, compellor, vincor, facio quæ nolo, sicut ait Apostolus. E *Quia caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem, ut non ea quæ vultis, illa faciatis.* Videtis quàm periculosè auditur, si non intelligitur. Videtis quemadmodum pertineat ad officium pastoris, opertos fontes aperire, & aquam puram, innoxiam, sitientibus ovibus ministrare.

Rom. 7. 19.

Officium Pastoris, explanare difficiles locos Scripturæ.

8. Noli ergo vinci, quando pugnas. Videte quale bellum proposuit, qualem pugnam, qua- F lem rixam, intus, intra te ipsum. *Caro concupiscit adversùs spiritum.* Si non concupiscit & spiritus adversùs carnem, fac adulterium. Si autem spiritus concupiscit adversùs carnem, luctam video, victum non video, pugna est. *Concupiscit caro adversùs spiritum:* delectat adulterium. Fateor quia delectat. Sed *spiritus concupiscit adversùs carnem:* delectat & castitas. Ergo vincat spiritus carnem: aut certè non vincatur à carne. Adulterium tenebras quærit, castitas lucem de- G siderat. Quomodo vis innotescere, sic vive: quomodo vis hominibus innotescere, etiam præter oculos hominum sic vive; quoniam qui fecit te, & in tenebris videt te. Quare laudatur castitas publicè ab omnibus? Quare non laudant adulterium nec adulteri? Qui ergo quærit veritatem, venit ad lucem. * Sed delectat adulterium. Con-

Pugna interior sic gerenda, ut Spiritus non vincatur à carne.

Johan. 3. 21.

*Caput VI.

Serm. de Scripturis.

tradicatur, resistatur, repugnetur. Non enim non habes unde pugnes. Deus tuus est in te, Spiritus bonus datus est tibi. Et tamen permittitur ipsa caro concupiscere adversùs spiritum, suggestionibus pravis & delectationibus genuinis. Fiat quod ait Apostolus, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit, Non sit. Jam est ibi. Quod ideo peccatum vocatur, quia merito peccati contigit. Non enim in paradiso caro concupiscebat adversùs spiritum, aut erat ibi ista pugna, ubi pax erat sola: sed facta transgressione, postea quàm homo noluit servire Deo, & donatus est sibi; nec sic donatus sibi, ut possit saltem possidere se; sed ab eo possessus, à quo deceptus; cœpit caro concupiscere adversùs spiritum. Et hoc in bonis concupiscit adversùs spiritum: nam in malis non habet contra quem concupiscere. Ibi enim concupiscit adversùs spiritum, ubi est Spiritus.

Rom. 6. 12.

9. Quod enim ait, *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem*, noli putare spiritui hominis tantum datum. Spiritus Dei est qui pugnat in te adversùs te, adversùs illud quod est in te contra te. Noluisti enim stare ad Dominum; cecidisti, fractus es; quomodo vas quando de manu hominis cadit in terram, fractus es. Et quia fractus es, ideo adversus es tibi, ideo es contra te. Nihil sit in te contra te, & integer stabis. * Nam ut noveris ad Spiritum-sanctum hoc officium pertinere; alio loco dicit Apostolus, Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. In his verbis jam extollebat se homo, quasi spiritu suo facta carnis possit mortificare. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Expone nobis, Apostole, quo spiritu. Habet enim & homo spiritum ad naturam propriam pertinentem, quo homo est. Homo enim constat ex corpore & spiritu. Et de ipso spiritu hominis dictum est, Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Video ergo & ipsum hominem habere spiritum suum pertinentem ad naturam suam, & audio te dicentem, Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quæro quo spiritu: meo, an Dei? Audio enim verba tua, & adhuc ambiguitate promoveor. Spiritus enim cùm dicitur, & hominis est aliquando, & pecoris spiritus dicitur, sicut scriptum est, per diluvium mortuam esse omnem carnem, quæ habebat in se spiritum vitæ. Ac per hoc & pecoris spiritus dicitur, & hominis spiritus dicitur. Aliquando & ventus spiritus dicitur; sicut habetur in Psalmo, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis. Cùm ergo multis modis dicatur spiritus, quo spiritu dixisti, ô Apostole, facta carnis mortificanda: meo, an Dei? Audi quod sequitur, & intellige. Sublata est quæstio sequentibus verbis. Cùm enim dixisset, Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: continuò addidit, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Agis, si agaris; & bene agis, si à bono agaris. Ergo quod dixit tibi, Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; & ambiguum tibi erat de quo spiritu dixerat, in sequentibus verbis intellige præceptorem, agnosce Redemtorem. Etenim ille Redemtor tibi Spiritum dedit, quo mortifices facta carnis. * Quotquot enim Spiritu Dei

Pugnare contra carnis concupiscentias munus est Spiritus-sancti in nobis.

*Caput VII.

Rom. 8. 13.

1. Cor. 2. 11.

Gen. 6. 17. & 7. 27.

Psal. 148. 8.

Rom. 8. 13.

Ibidem 14.

Bene agit qui à bono agitur.

* *Hinc incipiebat Tractat. de pugna animæ, olim in Tom. 9.*

CLASSIS I. — SERM. DE SCRIPTURIS.

aguntur, hi filii sunt Dei. Non sunt filii Dei, si non aguntur Spiritu Dei. Si autem Spiritu Dei aguntur, [a] pugnant: quia magnum habent adjutorem. Non enim Deus sic nos spectat pugnantes, quomodo spectat populus Venatores. Populus Venatori favere potest, periclitantem adjuvare non potest.

CAPUT VIII. *Sancti hic non faciunt quæ volũt, quomodo.*

10. Sic ergo & hìc, *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem.* Et quid est, *Ut non ea quæ vultis, faciatis?* Hìc enim periculum est mali intellectoris. Sit nunc officium qualiscumque expositoris. *Ut non ea quæ vultis, faciatis.* Adtendite sancti quicumque pugnatis. Prœliantibus loquor. Intelligunt qui pugnant: non me intelligit qui non pugnat. Nam qui pugnat, non dico intelligit me, sed prævenit me. Quid vult homo castus? Ut nulla omnino surgat in membris ejus concupiscentia adversaria castitati. Pacem vult, sed nondum habet. Quando enim ad illud ventum fuerit, ubi nulla omnino exsurgat concupiscentia adversanda, nullus erit hostis cum quo luctemur; nec exspectatur ibi victoria, quia de hoste jam victo triumphatur. Audi ipsam victoriam, ipso Apostolo dicente, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. (1. Cor. 15. 53 &c.) Audi voces triumphantium: Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Percussisti, vulnerasti, dejecisti: sed vulneratus est pro me, qui fecit me. O mors, ô mors, vulneratus est pro me, qui fecit me, & de morte sua vicit te. Et tunc triumphantes dicturi sunt, Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus?

CAPUT IX. *Vult homo non esse concupiscentias, nec facit quod vult.*

11. Modò autem, quando caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, contentio mortis est: non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas: velimus nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt. Premuntur, nondum exstinguuntur. Quamdiu caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Numquid hoc etiam cùm mortuus fuerit homo? Absit. Deponis carnem, quomodo tecum trahis concupiscentias carnis? Sed si bene pugnasti, reciperis ad quietem. De qua quiete coronandus es, non damnandus: ut postea perducaris ad regnum. Ergo quamdiu hìc vivitur, Fratres, sic est, sic & nos qui senuimus in ista militia, minores quidem hostes habemus: sed tamen habemus. (*Augustinus jam senex.*) Fatigati sunt quodam modo hostes nostri jam etiam per ætatem: sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscumque motibus infestare senectutis quietem. Acrior pugna juvenum est: novimus eam, transivimus per eam. *Caro* ergo *concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; ut non ea quæ vultis, faciatis.* Quid enim vultis, ô sancti, ô boni prœliatores, ô fortes milites Christi? quid vultis? Ut non sint omnino concupiscentiæ malæ. Sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. Modò enim interim pugnatur. *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; ut non ea quæ vultis, faciatis*: id est, ut omnino nullæ sint concupiscentiæ carnis.

CAPUT X. *Pugnandũ ne regnet peccatum.*

12. Sed facite quod potestis; quod ait ipse Apostolus alio loco, quod commemorare jam cœperam: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus. (Rom. 6. 12.) Ecce quod nolo; mala desideria surgunt: sed noli obedire. Arma te, sume instrumenta bellorum. (*Arma nostra.*) Præcepta Dei, arma tua sunt. Si bene me audis, & ex eo quod loquor, armaris. Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quamdiu enim portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum: sed non regnet. Quid est, non regnet? Id est, ad obediendum desideriis ejus. Si cœperitis obedire, regnat. Et quid est obedire, nisi ut exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc doctore præclarius. Quid vis jam ut exponam tibi? Fac quod audisti. Non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato. Dedit tibi Deus potestatem per Spiritum suum, (*Potestas nobis data.*) ut membra tua teneas. Surgit libido, tene tu membra: quid factura est quæ surrexit? Tu tene membra: noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato: noli armare adversarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido surrexit, tene tu membra: tene tu manus ab omni scelere: tene tu oculos, ne malè adtendant: tene aures, ne verba libidinis libenter audiant: tene totum corpus, tene latera, tene summa, tene ima. Quid facit libido? Surgere novit, vincere non novit. Surgendo assiduè sine caussa, discit & non surgere.

CAPUT XI. *Concupiscentias perficere quid sit.*

13. Redeamus ergo ad verba, quæ obscura de Apostolo proposueram, & plana jam esse videbimus. Hoc enim proposueram, quod non dixit Apostolus, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne habueritis: quia necesse est ut habeamus illas. Quare ergo non dixit, Concupiscentias carnis ne feceritis? Quia facimus eas; concupiscimus enim. Ipsum concupiscere, facere est. Sed ait Apostolus. Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. (Rom. 7. 17.) Ergo quid tibi cavendum est? Hoc sine dubio, ne perficias. Surrexit libido damnabilis, surrexit, suggessit: non audiatur. Ardet, non se compescit, & velles ut non arderet. Et ubi est, *Ut non ea quæ vultis, faciatis?* Noli dare membra. Ardeat sine caussa, & consumit se. In te ergo fiunt ipsæ concupiscentiæ. Fatendum est, fiunt. Ideo dixit, *Ne perfeceritis.* Sed non perficiantur. Decrevisti facere, perfecisti. Perfecisti etenim, si decernas faciendum esse adulterium, & ideo non facias, quia locus non est inventus, quia opportunitas non datur, quia fortè illa casta est, de qua videris esse commotus: ecce jam illa casta est, & tu adulter es. Quare? Quia perfecisti concupiscentias. Quid est, perfecisti? In animo tuo faciendum esse adulterium decrevisti. Jam, quod absit, si & membra fuerint operata, in mortem devolutus es.

CAPUT XII. *In tribus mortuis à Christo suscitatis tres peccatorum gradus.*

14. Suscitavit Christus mortuam in domo filiam Archisynagogi. (Marci 5.) In domo erat, elata nondum erat. Sic est homo qui flagitium decrevit in corde: mortuus est, sed intus jacet. Si autem usque ad membrorum perpetrationem pervenerit, elatus est foras. Sed & juvenem filium viduæ suscitavit Dominus, quando extra portam civitatis mortuus efferebatur. (Luca 7.) Sic ergo audeo quid dicere:

[a] Aliquot MSS. *pugnent.*

Classis I.

Decrevisti in corde tuo, si te revocaveris ab actu tuo, sanatus eris antè quàm perpetres. Si enim egeris in corde tuo pœnitentiam, quia rem malam, & scelestam, & flagitiosam damnabilemque decreveras; ibi ubi mortuus jacebas intus, sic intus surrexisti. Si autem perfeceris, jam foras elatus es: sed habes qui tibi dicat, Juvenis, tibi dico, surge. Etiamsi perpetrasti, pæniteat te, de proximo redi: noli in sepulcrum venire. Sed & hîc mihi tertius mortuus est, qui etiam perductus est ad sepulcrum. Jam supra se habet consuetudinis pondus, moles B eum terrena multùm premit. Multùm enim exercitatus est in flagitiis, consuetudine sua nimia prægravatur. Clamat & Christus, Lazare, prodi foras. Homo enim pessimæ consuetudinis jam putet. Meritò ibi Christus clamavit: nec solùm clamavit, sed magna voce clamavit. Ad Christi enim clamorem etiam tales, licèt mortui, licèt sepulti, licèt putentes, resurgent tamen & ipsi, resurgent. De nullo enim jacente desperandum est sub tali suscitatore. Conversi ad Dominum C &c.

Johan. 11.

* Aliàs 45. de verbis Domini.

* SERMO CXXIX.

a

De [a] *verbis Evangelii Iohan.* 5. Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, *&c. Contra Donatistas.*

Caput I. 1.

AD Evangelicam lectionem, quæ recèns sonuit in auribus nostris, advertat Caritas Vestra, dum pauca loquimur quæ D Dominus donat. Ad Judæos Dominus loquebatur Jesus, & dicebat eis, *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me.* Deinde post paulu-

Johan. 5. 39.

ỷ. 43. lum, *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, &*
non accepistis me: si alius venerit in nomine suo,
ỷ. 44. *illum accipietis.* Deinde post paululum, *Quomodo*
potestis mihi credere, gloriam ab invicem exspectan-
tes, & gloriam quæ à Deo solo est, non quærentes?
ỷ. 45. Ad extremum ait, *Non ego vos accuso apud Pa-* E
trem: est qui vos accusat Moyses, in quem vos spe-
ỷ. 46. *ratis.* * *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan*
ỷ. 47. *& mihi: de me enim ille scripsit.* * *Cùm autem verbis illius non creditis, quomodo potestis mihi credere?* Ad hæc proposita nobis divinitus, ex ore lectoris, sed ministerio Salvatoris, audite pauca non numeranda, sed appendenda.

* Caput II. Christi verba ad discipulos, ad nos pariter spectant.

2. Nam ista omnia facile est intelligere de Judæis. * Sed cavendum est, ne cùm illos nimis adtendimus, à nobis oculos auferamus. Discipulis F enim suis Dominus loquebatur: & utique quod illis loquebatur, & nobis posteris loquebatur. Neque enim ad illos [b] solos pertinet quod ait, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: sed ad omnes etiam postea futuros Christianos, & usque in finem sæculi proventuros. Loquens ergo illis ait, Cavete à fermento Pharisæorum. Tunc putaverunt ideo Dominum dixisse hoc, quia panes non tulerant: non intellexerunt, quia Cavete à fermento Pharisæorum, hoc dictum est, G Cavete à doctrina Pharisæorum. Quæ fuit doctrina Pharisæorum, nisi quam modò audistis? *Gloriam ab invicem quærentes, gloriam ab invicem exspectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes.* De his apostolus Paulus ita dicit: Testimonium eis perhibeo, quia zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. Zelum, inquit, Dei habent: novi, scio, apud illos fui, talis fui. Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam? Quid est hoc, Apostole, non secundùm scientiam? Expone nobis quam commendes scientiam, quam doleas in illis non esse, & in nobis velis esse. Secutus adjunxit, & quod clausum posuerat, aperuit. Quid est, Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam? Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Ignorare ergo Dei justitiam & suam velle constituere, hoc est, gloriam ab invicem exspectare & gloriam quæ à solo Deo est non requirere, hoc est fermentum Pharisæorum. Ab hoc cavere Dominus jubet. Si servis jubet, & Dominus jubet, caveamus; ne audiamus, Ut quid mihi dicitis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?

b Matth. 28. 20.

Matth. 16. 6.

Serm. de Scripturis.

Rom. 10. 2.

Florus ad Rom. 10.

Ibidem 3.

Matth. 7. 21.

Caput III. Judæorum infidelitas.

3. Relinquamus ergo paululùm Judæos, quibus Dominus tunc loquebatur. Foris sunt, audire nos nolunt. Ipsum Evangelium oderunt, falsa testimonia in Dominum procuraverunt, ut damnarent vivum: alia testimonia emerunt pecuniâ contra mortuum. Quando eis dicimus, Credite in Jesum: respondent nobis, In hominem mortuum credituri sumus? Cùm autem addimus, Sed resurrexit: respondent, Absit; discipuli ejus furati sunt eum de sepulcro. Amant falsitatem Judæi [c] emtores, & contemnunt veritatem Domini Redemtoris. Quod loqueris, Judæe, parentes tui pecuniâ emerunt; & hoc in te remansit, quod emerunt. Adtende potiùs eum qui emit te, non qui mendacium emit tibi.

c

Verba Christi in Judæos, Ecclesiæ conveniunt in Donatistis.

4. Sed istos ut diximus, relinquamus: istos adtendamus fratres nostros, cum quibus agimus. Nam Christus caput est & corpus. Caput in cælo est, corpus in terra est: caput Dominus est, corpus Ecclesia ejus. Sed meministis dictum, Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ait Apostolus, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Si ergo duo sunt in carne una, duo sunt in voce una. Caput nostrum, Dominus Christus, locutus est ad Judæos ea quæ audivimus, cùm Evangelium legeretur, caput ad inimicos suos: loquatur & corpus, id est, Ecclesia, ad inimicos suos. Nostis ad quos loquatur. [d] Quid habet loqui? Non dixi de meo, ut vox una sit: quia caro una, vox una. Hoc ergo illis dicamus: voce Ecclesiæ loquor. O fratres, filii dispersi, oves errantes, rami præcisi, quid mihi calumniamini? Quid me non agnoscitis? *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me:* Judæis dicit caput nostrum, quod vobis corpus dicit: Quæretis me, & non invenietis. Quare? Quia non scrutamini Scripturas, quæ testimonium perhibent de me.

Ephes. 5. 31. & 32.

d

Johan. 7. 36.

Caput IV. Testimonia veteris Testamenti de Christo & Ecclesia.

5. Testimonium pro capite: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tamquam in multis; sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Testimonium pro corpore ad Abraham, quod commemoravit Apostolus. Abrahæ dictæ sunt promissiones. Vivo ego, dicit Dominus, per memetipsum juro, quia obaudisti vocem meam, & non pepercisti dilecto filio tuo propter me, nisi be-

Gal. 3. 16.

Gen. 22. 16. &c.

[a] Citatur à Floro ad Rom. 10.
[b] Abest *solos*, ab Am. Er. & plerisque MSS.

[c] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *emtoris.*
[d] Sic MSS. At editi, *Qui habet.*

CLASSIS I.

» nedicens benedicam te, & implendo implebo se-
» men tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam ma-
» ris, & benedicentur in semine tuo omnes gentes
terræ. Habes testimonium pro capite, habes pro corpore. Audi aliud breve, & propè unâ sententiâ complexum pro capite & pro corpore. De resurrectione Christi Psalmus loquebatur:
Psal. 56. 12. Exaltare super cælos Deus. Continuò pro corpore, Et super omnem terram gloria tua. Audi
Psal. 21, 17. &c. testimonium pro capite: Foderunt manus meas &
» pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea:
» ipsi verò consideraverunt & conspexerunt me,
» diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem
» meam miserunt sortem. Audi continuò pro cor-
Ibidem 28. pore, post pauca verba: Commemorabuntur, &
» convertentur ad Dominum universi fines terræ;
» & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ
» gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse
» dominabitur gentium. Audi pro capite: Et ipse
Psal. 18. 6. tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Et in ipso Psalmo audi pro corpore: In omnem ter-
Ibidem 5. ram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

CAPUT V. Novi Testamenti testimonium pro Christo & Ecclesia.

6. Hæc Judæis, & istis nostris. Quare? Quia istas Scripturas veteris Testamenti & Judæi accipiunt, & nostri isti accipiunt. Sed ipsum Christum, quem illi non accipiunt, videamus si isti accipiunt. Dicat & ipse, dicat & pro se qui caput est, & pro corpore suo quod est Ecclesia, quia & in nobis caput loquitur pro corpore. Audi pro capite: Resurrexit à mortuis, invenit discipulos hæsitantes, dubitantes, præ gaudio
Luca 24. 45. &c. non credentes; aperuit illis sensum, ut intellige-
» rent Scripturas, & dixit eis, Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die. Habes pro capite; dicat
» & pro corpore: Et prædicari in nomine ejus
» pænitentiam & remissionem peccatorum per om-
» nes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Dicat ergo Ecclesia inimicis suis, dicat. Dicit planè, non tacet: sed illi audiant. Fratres, audistis testimonia, jam noscite me. *Scrutamini Scripturas, in quibus vos speratis vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me.* Quæ dixi, non sunt de meo, sed de Domini mei: & tamen adhuc [a] aversamini, adhuc tergiversamini. *Quomodo potestis mihi credere, gloriam ab invicem exspectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes?*
Rom. 10. 2. Quia ignorantes Dei justitiam, zelum Dei habetis, sed non secundùm scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam, & vestram volentes constituere, justitiæ Dei non estis subjecti. Quid est aliud, ignorare Dei justitiam, & suam velle constituere, nisi dicere, Ego sanctifico, ego justifico; quod ego dedero, hoc sanctum est? Dimitte Deo quod Dei est: agnosce, homo, quod hominis est. Ignoras Dei justitiam, & tuam vis constituere. Justificare [b] me vis: sufficit tibi ut mecum justificeris.

CAPUT VI.

Johan. 5. 43.

7. De antichristo dictum est, & omnes sic intelligunt quod ait Dominus, *Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: si alius venerit in nomine suo, hunc suscipietis.* Sed audiamus & Jo-
1. Johan. 2. 18. hannem: Audistis quia venit antichristus, & nunc antichristi multi facti sunt. Quid autem expa-
Antichristi scelus imitantur Donatistæ. vescimus in antichristo, nisi quia nomen suum honoraturus est, & nomen [c] Domini contemtu-

SERM. DE SCRIPTURIS.

rus? Quid aliud facit qui dicit, Ego justifico? Respondetur ei, Ego ad Christum veni, non pedibus, sed corde veni: ubi Evangelium audivi, ibi credidi, ibi baptizatus sum: quia in Christum credidi, in Deum credidi. Et ille, Non es mundus. Quare? Quia non ibi fui. Dic quare non sum mundatus, homo qui baptizatus sum in Jerusalem, homo qui baptizatus sum, verbi gratiâ, apud Ephesios, ad quos datam epistolam legis, & quorum pacem spernis? Ecce ad Ephesios scripsit Apostolus: fundata est Ecclesia, manet usque nunc; & uberiùs manet, multipliciùs manet, tenet quod accepit ab Apostolo, Si quis annun- *Gal. 1. 9.*
tiaverit vobis præter quàm quod accepistis, anathema sit. Quid ergo? quid mihi dicis? Mundus non sum? Ibi baptizatus, mundus non sum? Etiam non es. Quare? Quia ego ibi non fui. Sed qui ubique est, ibi fuit. Qui ubique est, ibi fuit, in cujus nomen credidi. Tu nescio unde veniens, immo non veniens, sed volens ut ego ad te veniam, hîc positus dicis mihi, Non es rectè baptizatus, quia ego ibi non fui. Vide quis ibi fuit. Quid dictum est Johanni? Super quem videris Spi- *Johan. 1. 33.*
« ritum descendentem quasi columbam, hic est qui
« baptizat. Ipsum [d] habes quærentem te: immo quia mihi ab ipso baptizato invidisti, ipsum perdidisti.

CAPUT VII. Quæ sit Catholicorum, quæ Donatistarum doctrina.

8. Intelligite ergo, Fratres mei, vocem nostram & illorum, & videte quid eligatis. Nos hoc dicimus: Simus sancti, Deus scit; simus iniqui, & hoc magis ipse scit: vos in nobis spem non ponatis, qualescumque simus. Si boni sumus, facite quod scriptum est, Imitatores mei estote, sicut *1. Cor. 4. 16.*
& ego Christi. Si autem mali sumus, nec sic deserti estis, nec sic sine consilio remansistis: audite dicentem, Quæ dicunt, facite; quæ autem *Matth. 23. 3.*
faciunt, facere nolite. Illi autem contrà, Nisi boni fuerimus, peristis. Ecce est alius qui veniet in nomine suo. Ergo vita mea ex te pendebit, & salus mea ex te religabitur? Itane oblitus sum fundamentum meum? Nonne petra erat Christus? *1. Cor. 10. 4.*
Nonne qui ædificat super petram, ipsum non *Matth. 7. 25.*
dejicit ventus, pluvia, flumina? Veni ergo mecum, si vis, super petram, & noli mihi esse velle pro petra.

Donatistæ nec Moysi nec Christo credunt vel resurgenti.

9. Dicat ergo & novissimum illud Ecclesia, *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi; de me enim ille scripsit:* quia corpus sum ejus, de quo scripsit. *Johan. 5. 46.*
Et de Ecclesia Moyses scripsit. Nam Moysi verba dixi, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Moyses hoc in primo libro scripsit, Si cre- *Gen. 22. 18.*
deretis Moysi, crederetis & Christo. Quia Moysi contemnitis, necesse est ut Christi verba contemnatis. Habent ibi, inquit, Moysen & Pro- *Luca 16. 29.*
« phetas, audiant illos. Non, pater Abraham,
« sed si quis à mortuis venerit, ipsum audient. Et
« ille: Si Moysen & Prophetas non audiunt, nec
« si quis à mortuis resurrexerit, credent. Hoc de Judæis dictum est: ergo non dictum de hæreticis?

CAPUT VIII.

* A mortuis resurrexerat qui dicebat, Oportebat *Luca 24. 46.*
Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die. Hoc credo. Credo, inquit. Credis? Quare non
« credis quod sequitur. Quia credis, Oportebat
« Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die;
hoc dictum est de capite: crede, & quod sequitur

[a] Aliquot MSS. *adversamini.*
[b] Lov. *Justificare te vis:* dissentientibus aliis libris editis & MSS.
[c] Plures MSS. *Dei.*
[d] Quidam MSS. *Ipsum habens quærerem te?*

Classis I. — de Ecclesia, Prædicari in nomine ejus pænitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes. Quare credis de capite, & non credis de corpore? Quid tibi fecit Ecclesia, ut eam velis quodam modo decollare? Tollere vis Ecclesiæ caput, & capiti credere, corpus relinquere, quasi exanime corpus. Sine caussa capiti, quasi famulus devotus blandiris. Qui decollare vult, & caput & corpus conatur occidere. Erubescunt negare Christum, & non erubescunt negare verba Christi. Christum nec nos vidimus oculis, nec vos. Judæi viderunt, & occiderunt. Nos non vidimus, & credimus: verba ipsius nobiscum sunt. Comparate vos Judæis: illi contemserunt pendentem in ligno, vos contemnitis sedentem in cælo: illis suggerentibus stetit titulus Christi, vobis stantibus deletur baptismus Christi. Sed quid restat, Fratres, nisi oremus & pro superbis, oremus & pro elatis, qui se sic extollunt? Dicamus pro illis Deo, Cognoscant, quia tibi nomen Dominus: & non homines, sed tu solus altissimus super omnem terram. Conversi ad Dominum, &c.

Donatistæ in Christũ injurii.

Psal. 82. 19.

SERMO CXXX.

De verbis Evangelii Johan. 6. ubi narratur miraculum de quinque panibus & duobus piscibus.

Prodit nunc primùm ex veteri codice Colbertinæ bibliothecæ 821. Citatur à Beda seu Floro ad Galat. 3. & ad Hebr. 2.

1. Miraculum grande factum est, Dilectissimi, ut de quinque panibus & duobus piscibus saturarentur quinque hominum millia, & residua fragmentorum implerent duodecim cophinos. Grande miraculum: sed non multùm mirabimur factum, si attendamus facientem. Ille multiplicavit in manibus frangentium quinque panes, qui in terra germinantia multiplicat semina, ut grana pauca mittantur & horrea repleantur. Sed quia illud omni anno facit, nemo miratur. Admirationem tollit, non facti vilitas, sed assiduitas. Dominus autem quando ista faciebat, non solùm per verba, sed etiam per ipsa miracula intelligentibus loquebatur. Quinque panes significabant quinque libros Legis Moysi. Lex vetus hordeum est ad Evangelicum triticum. Magna in illis libris de Christo mysteria continentur. Unde ait ipse, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Sed quomodo in hordeo medulla sub palea latet, sic in velamento mysteriorum Legis latet Christus. Ut* panis mysteria illa exponuntur, & dilatantur: sic & panes illi crescebant, quando frangebantur. Et hoc quod vobis exposui, panem vobis fregi. Quinque millia hominum significant plebem sub quinque libris Legis constitutam. Duodecim cophini sunt duodecim Apostoli, qui & ipsi de fragmentis Legis impleti sunt. Duo pisces sunt, aut duo præcepta dilectionis Dei & proximi, aut duo populi ex circumcisione & præputio, aut duæ illæ sacræ personæ regis & sacerdotis. Hæc cùm exponuntur, franguntur: cùm intelliguntur, manducantur.

Johan. 6. Miraculi significatio.

Johan. 5. 46.

** f. Legis.*

2. Convertamur ad eum qui ista fecit. Ipse est panis, qui de cælo descendit: sed panis qui reficit, & non deficit: panis qui sumi potest, consumi non potest. Ipsum panem etiam manna significabat. Unde dictum est, Panem cæli dedit illis, panem Angelorum manducavit homo. Quis est panis cæli, nisi Christus? Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Si enim hoc non factus esset, carnem ipsius non haberemus: si carnem ipsius non haberemus, panem altaris non manducaremus. Festinemus ad hereditatem, quia magnum inde pignus accepimus. Fratres mei, *desideremus vitam Christi, quia tenemus pignus mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra? In terris istis, in isto sæculo maligno quid abundat, nisi nasci, laborare & mori? Discutite res humanas, convincite me, si mentior: adtendite omnes homines, utrùm ad aliud sint in hoc sæculo, quàm nasci, laborare & mori. Hæc sunt mercimonia regionis nostræ, ista hîc abundant. Ad tales merces Mercator ille descendit. Et quoniam omnis mercator dat & accipit; dat quod habet, & accipit quod non habet; quando aliquid comparat, dat pecuniam, & accipit quod emit: etiam Christus in ista mercatura dedit & accepit. Sed quid accepit? Quod hîc abundat, nasci, laborare & mori. Et quid dedit? Renasci, resurgere & in æternum regnare. O bone Mercator, eme nos. Quid dicam, eme nos, cùm gratias agere debeamus, quia emisti nos? Pretium nostrum erogas nobis, sanguinem tuum bibimus, erogas ergo nobis pretium nostrum. Et Evangelium legimus, instrumentum nostrum. Servi tui sumus, creatura tua sumus: fecisti nos, redemisti nos. Emere potest quisque servum suum, creare non potest: Dominus autem servos suos & creavit & redemit: creavit, ut essent; redemit, ne semper captivi essent. Incidimus enim in principem hujus sæculi, qui seduxit Adam & servum fecit, & cœpit nos tamquam vernaculos possidere. Sed venit Redemtor, & victus est deceptor. Et quid fecit Redemtor noster captivatori nostro? Ad pretium nostrum tetendit muscipulam crucem suam: posuit ibi quasi escam sanguinem suum. Ille autem potuit sanguinem istum fundere, non meruit bibere. Et in eo quòd fudit sanguinem non debitoris, jussus est reddere debitores; fudit sanguinem innocentis, jussus est recedere à nocentibus. Ille quippe sanguinem suum ad hoc fudit, ut peccata nostra deleret. Unde ergo ille nos tenebat, deletum est sanguine Redemtoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorum nostrorum. Istæ erant catenæ captivorum. Venit ille, alligavit fortem vinculis passionis suæ: intravit in domum ejus, id est, in corda eorum ubi ipse habitabat, & vasa ejus arripuit. Nos sumus vasa. Ista impleverat ille amaritudine sua. Hanc amaritudinem etiam nostro Redemtori in felle propinavit. Impleverat ergo nos ille tamquam vasa sua: Dominus autem noster arripiens vasa ejus, & sua faciens, fudit amaritudinem, implevit dulcedine.

Christus panis factus incarnatione. Johan. 6. 41.

Serm. de Scripturis.

Psal. 77. 24. & 25.

** Florus ad Hebr. 2.*

Mercator Christus.

Redemtor noster, quomodo.

Matth. 12. 29.

3. Amemus ergo eum, quia dulcis est. Gustate, & videte quia suavis est Dominus. Timendus est; sed plus amandus est. Homo & Deus est: unus Christus homo & Deus est; quomodo unus homo, anima & corpus: non autem Deus & homo duæ personæ. In Christo duæ sunt quidem substantiæ, Deus & homo: sed una persona, ut Trinitas maneat, non accedente homine qua-

Amandus Christus. Psal. 33. 9.

V. epist. 169. n. 8.

Classis I.

ternitas fiat. Quomodo ergo fieri potest, ut nostri non misereatur Deus, propter quos homo factus est Deus? Multum est quod fecit: mirabilius est quod fecit, quàm quod promisit; & ex eo quod fecit, debemus credere quod promisit. Hoc enim quod fecit, vix crederemus, nisi & videremus. Ubi videmus? In populis credentibus, in multitudine ad eum adducta. Quia *impletum est, quod promissum est Abrahæ: & ex his quæ videmus, credimus quæ non videmus. Unus homo fuit Abraham, & dictum est illi, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Si ad se adtenderet, quando crederet? Unus homo erat, & jam senex erat, & uxorem sterilem habebat, & ætate jam ita progressam, ut concipere non posset, etiamsi sterilis non fuisset. Non erat prorsus unde aliquid speraretur. Sed promittentem adtendebat, & credebat quod non videbat. Ecce ille quod credidit, nos videmus. Ergo ex his quæ videmus, debemus credere quæ non videmus. Genuit Isaac, non vidimus: & Isaac genuit Jacob, & hoc non vidimus: & Jacob genuit duodecim filios, & ipsos non vidimus: & duodecim filii ejus genuerunt populum Israël; magnum populum videmus. Jam cœpi ea dicere, quæ videmus. De populo Israël nata est virgo Maria, & peperit Christum; & ecce in Christo benedicuntur omnes gentes. Quid verius? quid certius? quid apertius? Desiderate mecum futurum sæculum, qui congregati estis ex Gentibus. In hoc sæculo implevit Deus promissum suum de semine Abrahæ. Quomodo ergo non dabit nobis æterna promissa sua, quos fecit esse semen Abrahæ? Hoc enim dicit Apostolus: Si autem vos Christi, (Apostoli verba sunt,) ergo Abrahæ semen estis.

Ex eo quod Deus fecit, credibile sit quod promisit.

* *Florus ad Gal.* 3.

Gen. 12. 3.

Gal. 3. 29.

4. Magnum aliquid cœpimus esse; nemo se contemnat: nihil fuimus; sed aliquid sumus. Diximus Domino, Memento quia pulvis sumus: sed ille de pulvere hominem fecit, & pulveri vitam dedit, & in Christo Domino nostro jam ipsum pulverem ad cæli regna perduxit. Quia hinc accepit carnem, hinc accepit terram, & terram levavit in cælum, qui fecit terram & cælum. Si ergo duæ res novæ adhuc non factæ proponerentur nobis, & quæreretur à nobis, Quid est mirabilius, ut qui Deus est fiat homo, aut qui homo est fiat homo Dei? quid est mirabilius, quid est difficilius? Quid nobis promisit Christus? Quod nondum videmus: hoc est, ut simus homines ipsius, & regnemus cum illo, & non moriamur in æternum. Quasi hoc difficilè creditur, ut homo natus perveniat ad eam vitam, ubi numquam moriatur. Hoc est quod excusso corde credimus, excusso dico à mundi pulvere, ne ipse pulvis claudat nobis oculos fidei. Hoc est quod jubemur credere, quia cùm mortui fuerimus, etiam cum corporibus mortuis in vita erimus, ubi numquam moriamur. Mirabile hoc est: sed mirabilius est quod fecit Christus. Quid est enim incredibilius, ut vivat semper homo, aut ut aliquando moriatur Deus? Accipere homines vitam à Deo credibilius est: accipere Deum mortem ab hominibus, puto quia incredibilius est. Et jam factum est: credamus & quod fu-

Psal. 102. 14.

Quod præstitit Christus, mirabilius est quàm quod promittit.

A turum est. Si factum est quod est incredibilius, non nobis dabit quod est credibilius? Potens est enim Deus Angelos homines facere, qui semina terrena & horribilia homines fecit. Quid erimus? Angeli. Quid fuimus? Pudet recordari: cogor considerare, & erubesco dicere. Quid fuimus? Unde Deus homines fecit? Quid fuimus antè quàm omnino essemus? Nihil eramus. Quando in ventribus matrum eramus quid eramus? Sufficit quod recolitis. Tollite animos ab eo unde

B facti estis, & cogitate quod estis. Vivitis: sed vivunt & herbæ & arbores. Sentitis: sentiunt & pecora. Homines estis: pecora transistis, superiores pecoribus estis; quia intelligitis quanta præstitit nobis. Vivitis, sentitis, intelligitis, homines estis. Isto autem beneficio quid comparari potest? Christiani estis. Hoc enim si non acceperimus, quid nobis prodesset quia homines essemus? Christiani ergo sumus, ad Christum pertinemus. Sæviat mundus, non nos frangit; quia

C ad Christum pertinemus. Blandiatur mundus, non nos seducit; ad Christum pertinemus.

Sermo de Scripturis.

5. Magnum patronum invenimus, Fratres. Nostis quia tendunt se homines de patronis suis. Minanti alicui, respondet cliens majoris, Salvo capite Domini mei illius nihil mihi facis. Quantò fortiùs & certiùs nos dicimus, Salvo capite nostro, nihil nobis facis. Quoniam patronus noster caput est nostrum. Quicumque se tendunt de aliquo homine patrono, clientes sunt ejus: nos

D patroni nostri membra sumus. * Præstet nobis in se, & nemo nos evellat ab eo. Quoniam quoscumque in hoc mundo labores perpessi fuerimus, totum quod transit nihil est. Venient bona, quæ non transibunt: per labores ad ea venitur. Sed cùm perventum fuerit, nemo inde nos avellit. Clauduntur portæ Jerusalem, accipiunt etiam vectes, ut dicatur illi civitati, Lauda Jerusalem "Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam "confortavit vectes portarum tuarum, benedixit "

E filios tuos in te. Qui posuit fines tuos pacem. " Portis clausis, vectibus missis, nullus exit amicus, nullus intrat inimicus. Ibi veram & certam habemus securitatem, si hîc non dimiserimus veritatem.

Christianorum sub patrono Christo securitas.

* *f. Portet nos.*

Psal. 147. 12. &c.

* SERMO CXXXI.

* *Aliàs:* *de verbis Apostoli.* 2

De verbis [a] *Evangelii Iohan.* 6. Nisi manducaveritis carnem *&c. deque verbis Apostoli & Psalmorum, contra Pelagianos.*

F

[b] *Habitus ad Mensam S. Martyris Cypriani, VIIII. Kal. Octobris die Dominica.*

b

1. AUDIVIMUS veracem Magistrum, divinum Redemtorem, humanum Salvatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo: [c] corpus dixit escam, sanguinem potum. Sacramentum fi-

G delium agnoscunt fideles. Audientes autem quid aliud quàm audiunt? Cùm ergo commendans talem escam & talem potum diceret, *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum,*

Caput Corporis & sanguinis Christi sacramentum.

c *Florus ad* 1. *Cor.* 10.

Johan. 6. 54.

[a] Florus citat duobus locis: & quidem ad 1. Cor. 10. Sermonem appellat *de corpore & sanguine Domini*; quomodo Algerus cont. Bereng. At in Philip 2. Sermonem *de verbis Apostoli* 2. vocat. Quo loco in vera Bedæ collectione MS. dicitur Sermo *de Nisi manducaveritis* &c.

[b] Locum & diem habiti Sermonis ita prænotatum accepimus ex veteri codice bibliothecæ PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem de Urbe. Dies porrò Dominicus cum nono Kalendas Octobris coincidebat anno 417. & ad hunc ipsum de facto annum pertinent Apostolicæ Sedis rescripta, de quibus hîc in fine Sermonis.

[c] Am. & Er. *quod corpus.* MSS. verò, *quorum corpus.*

Classis I.

meum, non habebitis vitam in vobis; (& hoc di-
ceret de vita, quis alius quàm ipſa vita? Erit au-
tem illi homini mors, non vita, qui mendacem
putaverit vitam,) ſcandalizati ſunt diſcipuli ejus,
non quidem omnes, ſed plurimi, dicentes apud
ỳ. 61. ſe ipſos, *Durus eſt hic ſermo, quis eum poteſt au-
dire?* Cùm autem hoc Dominus apud ſemetip-
a ſum cognoviſſet, & [a] murmura cogitationis au-
diſſet, cogitantibus, nec voce ſonantibus reſpon-
dit, ut ſe auditos eſſe cognoſcerent, & talia co-
ỳ. 62. gitare deſinerent. Quid ergo reſpondit? *Hoc vos*
ỳ. 63. *ſcandalizat?* * *Si ergo videritis Filium hominis ad-
ſcendentem, ubi erat priùs?* Quid ſibi vult, *Hoc
vos ſcandalizat?* Putatis quia de hoc corpore meo
quod videtis, partes facturus ſum, & membra
mea conciſurus, & vobis daturus? Quid *ſi ergo
videritis Filium hominis adſcendentem, ubi erat
prius?* Certè qui integer adſcendere potuit, con-
ſumi non potuit. Ergo & de corpore ac ſangui-
ne ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem, & tam
magnam breviter ſolvit de ſua integritate quæ-
ſtionem. Manducent ergo qui manducant, &
bibant qui bibunt; eſuriant & ſitiant: vitam man-
ducent, vitam bibant. Illud manducare, refici
eſt: ſed ſic reficeris, ut non deficiat unde refi-
ceris. Illud bibere quid eſt, niſi vivere? Mandu-
ca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra
eſt vita. Tunc autem hoc erit, id eſt, vita uni-
cuique erit corpus & ſanguis Chriſti; ſi quod in
ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate
ſpiritaliter manducetur, ſpiritaliter bibatur. Au-
ỳ. 64. divimus enim ipſum Dominum dicentem, *Spiri-
tus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quid-
quam. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus &*
ỳ. 65. *vita ſunt.* * *Sed ſunt*, inquit, *quidam, qui non cre-
dunt.* Ipſi dicebant, *Durus eſt hic ſermo, quis eum
poteſt audire?* Durus eſt, ſed duris: hoc eſt, in-
credibilis, ſed incredulis.

Caput II. Fides donum Dei.

2. Sed ut doceret nos etiam ipſum credere
doni eſſe, non meriti: *Sicut*, inquit, *dixi vobis,
nemo venit ad me, niſi cui datum fuerit à Patre*
ỳ. 66. *meo.* Ubi autem hoc Dominus dixerit, ſi ſupe-
riora Evangelii recolamus, inveniemus eum di-
ỳ. 44. xiſſe, *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me,
traxerit eum.* Non dixit, duxerit; ſed, *traxerit.*
Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo mi-
raris? Crede, & venis; ama, & traheris. Ne arbi-
treris iſtam aſperam moleſtamque violentiam:
dulcis eſt, ſuavis eſt: ipſa ſuavitas te trahit. Nonne
ovis trahitur, cùm eſurienti herba monſtratur?
Et puto quia non corpore impellitur, ſed deſide-
rio colligatur. Sic & tu veni ad Chriſtum: noli
longa itinera meditari; ubi credis, ibi venis. Ad
illum enim qui ubique eſt, amando venitur, non
navigando. Sed quoniam etiam in tali itinere
abundant fluctus & tempeſtates diverſarum ten-
tationum: in crucifixum crede, ut fides tua lignum
poſſit adſcendere. Non mergéris, ſed ligno por-
Gal. 6. 14. taberis. Sic, ſic in hujus ſæculi fluctibus naviga-
bat ille, qui dicebat, Mihi autem abſit gloriari,
niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Gratiæ violentia ſuavis.

Nec fides nec bona vita propriis viribus arroganda.

3. Mirum eſt autem, quod prædicato Chri-
ſto crucifixo, audiunt duo, unus contemnit, al-
ter adſcendit. Qui contemnit, imputet
ſibi: qui adſcendit, non arroget ſibi. Audivit enim

A à veraci Magiſtro, *Nemo venit ad me, niſi da-
tum fuerit ei à Patre meo.* Gaudeat, quia da-
tum eſt: gratias agat danti corde humili, non ar-
roganti; ne quod humilis meruit, ſuperbus amit-
tat. * Nam etiam qui jam in ipſa via juſta ambu-
lant, ſi ſibi eam tribuerint & viribus ſuis, pe-
reunt de illa. Ideo humilitatem nos docens ſancta
Scriptura per Apoſtolum dicit, *Cum timore &
tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini.* Et ne
ſibi aliquid inde darent, quia dixit, *operamini*: con-
B tinuò ſubjunxit, *Deus enim eſt qui operatur in vo-
bis & velle, & operari, pro bona voluntate.
Deus eſt qui operatur in vobis*: ideo *cum ti-
more & tremore*, vallem facite, imbrem ſuſci-
pite. Depreſſa implentur, alta ſiccantur. Gratia
pluvia eſt. Quid ergo miraris, ſi Deus ſuperbis re-
ſiſtit, humilibus autem dat gratiam? Ideo *cum ti-
more & tremore*, id eſt, cum humilitate. Noli
altum ſapere, ſed time. Time, ut implearis: no-
li altum ſapere, ne ſicceris.

Serm. de Scripturis. — Beda & Florus ad Philip. 2. — * Caput III. — Philip. 2. 12. — Ibidem 13. — Jacob. 4. 6. — Rom. 11. 20.

C 4. Sed jam, inquis, ambulo viam [b] iſtam:
opus erat ut diſcerem, opus erat ut per doctri-
nam Legis ſcirem quid agerem: habeo liberum
voluntatis arbitrium; quis me ab iſta via ſepara-
bit? * Si legas diligenter, invenies quemdam de
ſua quadam abundantia, quam tamen acceperat,
extollere ſe cœpiſſe; Dominum autem miſeri-
cordem, ut doceret humilitatem, quod dederat
abſtuliſſe; illum verò ſubitò inopem remanſiſſe,
& miſericordiam Dei recordatione confeſſum di-
D xiſſe, *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor
in æternum. Ego dixi in abundantia mea.* Sed
ego dixi, homo dixi: Omnis homo mendax: *Ego
dixi.* Ergo *Ego dixi in abundantia mea*: tanta
erat abundantia, ut hoc dicere auderem: *Non
movebor in æternum.* Quid deinde? *Domine in vo-
luntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Averti-
ſti autem faciem tuam à me, & factus ſum con-
turbatus.* Oſtendiſti, inquit, mihi, quia illud
quo abundabam, de tuo erat. Oſtendiſti mihi
E unde peterem, cui [c] tribuerem quod accepe-
ram, cui gratias agere deberem, ad quem curre-
rem ſitiens, unde implerer, & quo impletus eſ-
ſem ad quem cuſtodirem. *Fortitudinem* enim
meam ad te cuſtodiam: quo te largitore [d] implear,
te ſervatore non perdam. *Fortitudinem meam ad
te cuſtodiam.* Hoc ut oſtenderes mihi, *avertiſti
faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Con-
turbatus*, quia ſiccatus; ſiccatus, quia exaltatus.
Dic ergo ſiccus & aridus, ut rurſus implearis:
F *Anima mea velut terra ſine aqua tibi.* Dic, *Ani-
ma mea velut terra ſine aqua tibi.* Tu enim dixe-
ras, non Dominus dixerat, *Non movebor in æter-
num.* Tu dixeras præſumens de te; ſed non de
tuo, & quaſi putabas de tuo.

Gratia juſtificato, ut in via juſta ambulet, neceſſaria. — * Caput IV. — Pſal. 29. 7. — Pſal. 115. 11. — Pſal. 29. 8. — Pſal. 58. 10. — Pſal. 142. 6.

5. Quid ergo Dominus dicit? *Servite Domino
in timore, & exſultate ei cum tremore.* Sic & Apo-
ſtolus, *Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſa-
lutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in
vobis.* Ergo exſultate cum tremore. *Ne quando*
G *iraſcatur Dominus.* Video quia clamando præve-
nitis. Quid enim dicturus ſum ſcitis, clamando
prævenitis. Et hoc unde habetis, niſi quia docuit
ad quem credendo veniſtis? Hoc ergo dicit: au-
dite quod noſtis; non doceo, ſed commemoro

Caput V. — Pſal. 2. 11. — Ambulans in via juſta, ſi id ſibi tribuat, perit de via juſta.

[a] Sic MSS. At editi, *murmur ac cogitationes.*
[b] Aliquot MSS. *viam juſtam.*
[c] Er. & Lov. *cui retribuerem.* Caſtigantur ex Am. & ex MSS.

[d] Sic MSS. At Lov. *quo te largitorem impleam.* Am. & Er. *quod te largiente impleam.*

Classis I.

prædicando: immo nec doceo, quia nostis; nec commemoro, quia meministis; sed simul dicamus quod nobiscum tenetis. Hoc Dominus dicit: *Apprehendite disciplinam, & exsultate*, sed *cum tremore*, ut semper humiles teneatis quod accepistis. *Ne quando irascatur Dominus*, utique superbis, sibi quod habent tribuentibus, non illi à quo habent gratias agentibus. *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Numquid dixit, Ne quando irascatur Dominus, & non veniatis ad viam justam? Numquid, Ne quando irascatur Dominus, & non vos perducat ad viam justam, aut non vos admittat ad viam justam? Jam in illa ambulatis, nolite superbire, ne etiam de illa pereatis. *Et pereatis*, inquit, *de via justa. Cùm exarserit in brevi ira ejus* super vos. Non in longum. Ubi superbis, ibi quod acceperas perdis. * His territus homo quasi diceret, Quid ergo faciam? Sequitur, *Beati omnes qui confidunt in eo*: non in se, sed *in eo*. Gratiâ salvi facti sumus, non ex nobis, sed Dei donum est.

Caput VI.
Ephes. 2. 8.
In Pelagianos.

6. Fortè dicatis, Quid sibi vult, quod hoc sæpe dicit? Iterum hoc, & tertiùm hoc: & propè numquam loquitur, nisi quando hoc dicit. Utinam non sine caussa dicam. Sunt enim homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ. Verum est, magnas arbitrii liberi vires homo, cùm conderetur, accepit; sed peccando amisit. In mortem lapsus est, infirmus factus est, à latronibus semivivus in via relictus est: in jumentum suum levavit eum transiens Samaritanus, quod interpretatur custos; ad stabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? Adhuc curatur. Sed sufficit, inquit, mihi quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Numquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Accepi, inquit, remissionem omnium peccatorum. Prorsus verum est. Deleta sunt cuncta peccata in sacramento baptismatis, cuncta prorsus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt. Sed hoc est quod infusum est in via, oleum & vinum. Retinetis Carissimi, semivivus ille in via à latronibus sauciatus, quomodo sit consolatus, accipiens oleum & vinum vulneribus suis. Jam utique errori ejus indultum fuit, & tamen sanatur languor in stabulo. Stabulum si agnoscitis, Ecclesia est. Stabulum modò, quia vivendo transimus: domus erit, unde numquam migrabimus, cùm ad regnum cælorum sani pervenerimus. Interim in stabulo libenter curemur, non adhuc languidi de sanitate gloriemur; ne nihil aliud superbiendo faciamus, nisi ut numquam curando sanemur.

Luca 10. 30.
Remissio peccatorũ in baptismo.
Languor post baptismum.

7. *Benedic anima mea Dominum.* Dic animæ tuæ, dic: Adhuc in hac vita es, adhuc carnem fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam; adhuc post integritatem remissionis accepisti remedium orationis; adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui, Dimitte nobis debita nostra. Dic ergo animæ tuæ, humilis vallis, non erectus collis; dic animæ tuæ, *Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Quas retributiones? Dic, enumera, gratias age. Quas retributiones? *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis.* Hoc factum est in baptismo. Quid fit modò? *Qui sanat omnes languores tuos.* Hoc fit modò: agnosco. Sed quamdiu hîc sum, corpus quod corrumpitur aggravat animam. Dic ergo & quod sequitur, *Qui redimit de corruptione vitam tuam.* Post redemtionem de corruptione quid restat? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Ibi rectè, Ubi est mors aculeus tuus? Quæris locum ejus, & non invenis. Quid est aculeus mortis? Quid est, Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est peccatum? Quæris, & nusquam est. Aculeus enim mortis, est peccatum. Apostoli, non mea verba sunt. Tunc dicetur, Ubi est mors aculeus tuus? Nusquam erit peccatum, nec quod te capiat, nec quod te impugnet, nec quod conscientiam titillet. Tunc non dicetur, Debita nostra dimitte nobis. Sed quid dicetur? Domine Deus noster pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis.

Caput VII.
Psal. 102. 1.
Sap. 9. 15.
Gratiæ beneficia quatuor.
Matth. 6. 12.
Remissio peccatorũ.
Curatio languoris.
Serm. de Scriptu. R. S.
Redemtio ab omni corruption & concupiscentia.
1. Cor. 15. 54. &c.
Isai. 26. 12.

8. Denique post redemtionem ab omni corruptione, quid restat nisi corona justitiæ? Ipsa certè restat, sed etiam in ipsa vel sub ipsa non sit caput turgidum, ut recipiat coronam. Audi, attende Psalmum, quàm nolit corona illa turgidum caput. Cùm dixisset, *Qui redimit de corruptione vitam tuam*: *Qui coronat te*, inquit. Jam hîc dicturus eras, *Coronat te*, merita mea fatentur, virtus mea fecit hoc: debitum redditur, non donatur. Audi potiùs Psalmum. Nam & hoc tu dicis: Omnis homo mendax. Audi, Deus quid dicat: *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* De misericordia te coronat, de miseratione te coronat. Non enim dignus fuisti quem vocaret, & vocatum justificaret, justificatum glorificaret. Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Nam ei qui operatur, merces non imputabitur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Apostolus loquitur, Non secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Te autem coronat in miseratione & misericordia: & si tua merita præcesserunt, dicit tibi Deus, Discute [a] bene merita tua, & videbis quia dona sunt mea.

Caput VIII.
Gratiæ postremum beneficiũ, corona justitiæ.
Psal. 115. 11.
Rom. 11. 5.
Rom. 4. 4.

9. Hæc est ergo justitia Dei. Quomodo dicitur, Domini salus, non qua salvus est Dominus, sed quam dat eis quos salvos facit: sic & Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, justitia Dei dicitur, non qua justus est Dominus, sed qua justificat eos quos ex impiis justos facit. * Quidam verò, quomodo aliquando Judæi, & Christianos se dici volunt, & adhuc ignorantes Dei justitiam, suam volunt constituere, etiam temporibus nostris, temporibus apertæ gratiæ, temporibus nunc revelatæ priùs occultæ gratiæ, temporibus nunc in area manifestæ gratiæ, quæ aliquando latebat in vellere. Paucos intellexisse video, plures non intellexisse, quos ego nequaquam tacendo fraudabo. Quidam de antiquis justis Gedeon petivit à Domino signum, & dixit, Peto Domine, ut vellus hoc quod in area pono, compluatur, & area sicca sit. Factum est: complutum est vellus, area tota sicca erat. Expressit manè vellus in pelve; quoniam humilibus datur gratia: & in pelve nostis quid fecerit Dominus discipulis suis. Item petivit alterum signum: Volo, inquit, Domine, ut vellus siccum sit, area

Justitia Dei, quæ Judæis & Pelagianis ignota est.
Psal. 3. 9.
Caput IX.
Gratia in veteri Testamento occulta, in novo revelata.
Judic. 6.

a Sic MSS. Editi verò, *bona merita tua*.

Classis I.

compluta. Et hoc factum est. Repete tempus veteris Testamenti, gratia occulta est in nube, tamquam imber in vellere. Adtende modò tempus novi Testamenti, discute gentem Judæorum, quasi vellus siccum invenies: orbis verò totus tamquam illa area plenus est gratiâ non occultâ, sed manifestâ. Unde multùm plangere cogimur fratres nostros, qui non contra occultam, sed contra apertam gratiam manifestamque contendunt. Ignoscitur Judæis. Quid Christiani? quare inimici gratiæ Christi? Quare de vobis præsumentes? quare ingrati? Quare enim Christus venit? Numquid natura hîc non erat? Natura non erat, quam multùm laudando [a] decipitis? Numquid Lex hîc non erat? Sed ait Apostolus, Si per Legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Quod ait Apostolus de Lege, hoc nos istis dicimus de natura: Si per naturam justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. (Gal. 2. 21.)

Caput X. (Rom. 10. 2.)

10. Quod ergo dictum est de Judæis, hoc omnino in istis videmus. Zelum Dei habent. Testimonium illis perhibeo, quia zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. Quid est, non secundùm scientiam? Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Fratres mei, compatimini mecum. Ubi tales inveneritis, occultare nolite, non sit in vobis perversa misericordia: prorsus ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac caussa [b] duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Caussa finita est: utinam aliquando finiatur error. Ergo ut advertant monemus, ut instruantur docemus, ut mutentur oremus. Conversi ad Dominum, &c.

(Concilia contra Pelagianos.)

*SERMO CXXXII.

(*Aliàs 46. de verbis Domini.)

De [c] verbis Evangelii Johan. 6. Caro mea verè esca est, & sanguis meus verè potus est. Qui manducat meam carnem *&c.*

Caput I. Ad regenerationis gratiam invitantur Catechumeni.

1. Sicut audivimus, cùm sanctum Evangelium legeretur, Dominus Jesus Christus exhortatus est promissione vitæ æternæ ad manducandum carnem suam & bibendum sanguinem suum. Qui audistis hæc, [d] nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati & fideles estis, quid dixerit, nostis. Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel Audientes vocantur, potuerunt esse cùm legeretur audientes, numquid & intelligentes? Ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui jam manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent, & quid bibant: ne, sicut dicit Apostolus, judicium sibi manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent. Per istos dies [e] magistri pascunt, Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid caussæ est, ô audientes, ut mensam videatis, & ad epulas non accedatis? Et fortè modò cùm Evangelium legeretur, dixistis in cordibus vestris, Putamus quid est quod dicit, *Caro mea verè esca est, & sanguis meus verè potus est?* Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Velatum est: sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, & solvisti quæstionem. Quod enim dixit Dominus Jesus, jam fideles noverunt. Tu autem Catechumenus diceris, diceris Audiens, & surdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia verba quæ dicta sunt audis: sed aures cordis adhuc clausas habes, quia quod dictum est non intelligis. Disputo, non dissero. Ecce Pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat festivitas, ducat ipsa curiositas: ut sciàs quid dictum sit, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* Ut scias mecum quid dictum sit, pulsa, & aperietur tibi: Et ut tibi dico, Pulsa, & aperietur tibi: ita & ego pulso, aperi mihi. Auribus personans, ad pectus pulso. (1. Cor. 11. 29.) (Serm. de Scripturis. Johan. 6. 56.) (ỳ. 57.)

Caput II. Conjugati fideles, jā corpus Christi manducantes, de castitate servanda admonentur.

2. Sed si Catechumeni exhortandi sunt, Fratres mei, ut ad tantam gratiam regenerations accedere non morentur: quanta nobis cura esse debet in ædificandis fidelibus, ut prosit eis quòd accedunt, non sibi tales epulas in judicium manducent & bibant? Ut autem non in judicium manducent & bibant, bene vivant. Estote exhortatores non sermonibus, sed moribus vestris: ut illi qui non sunt baptizati, sic festinent sequi vos, ut non pereant imitando vos. Qui conjugati estis, fidem thori servate uxoribus vestris. Reddite quod exigitis. Vir à femina exigis castitatem, præbe illi exemplum, non verbum. Tu es caput, quà is vide. Hàc enim debes ire, quà illi non sit periculosum sequi: immo tu ipse quà vis eam sequi, illuc debes ambulare. Ab imbecilliore sexu exigis fortitudinem: carnis concupiscentiam ambo habetis; qui fortior est, prior vincat. Et tamen quod dolendum est, multi viri à feminis vincuntur. Servant feminæ castitatem, quam viri servare nolunt: & in eo quod non servant, se viros videri volunt; quasi propterea sit fortior sexu, ut eum faciliùs subjuget inimicus. Lucta est, prœlium est, pugna est. Vir fortior est feminâ, vir caput est feminæ. Femina pugnat, & vincit: tu hosti succumbis? Stat corpus, & jacet caput? Qui autem uxores nondum habetis, & tamen ad mensam Dominicam jam acceditis, & carnem Christi manducatis, & sanguinem bibitis, si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales eas vultis ad vos venire, tales vos debent & ipsæ invenire. Quis juvenis est, qui non castam velit ducere uxorem? Et si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris, intactus esto. Puram quæris, noli esse impurus. Non enim illa potest, & tu non potes. Si fieri non posset, nec illa posset. Quia verò illa potest, doceat te quia fieri potest. Et illam, ut possit, Deus regit. Sed tu gloriosior eris, si feceris. Quare gloriosior? Illam premit parentum custodia, refrenat infirmioris sexûs ipsa verecundia: postremò leges timet, quas tu non times. Ideo ergo gloriosior eris, si feceris: quia tu si feceris, Deum (Ephes. 5. 23.)

[a] Nonnulli codices, *desipitis.*
[b] Carthaginense videlicet ac Milevitanum, quæ sunt epistolæ inter Augustinianas 175. & 176. Rescripta verò iisdem conciliis per Innocentium Romanum Pontificem ineunte anno 417. data, locum inter ejusdem epistolas habent ordine 181. & 182.
[c] Citatur à Floro ad 1. Cor. 15.

[d] Omnes MSS. *Qui audistis hæc, aliqui jam hoc facitis, aliqui nondum. Qui enim baptizati &c.* nisi quòd nonnulli habent, *jam hæc facitis.*
[e] Apud Lov. *magistri.* At in ceteris libris editis & MSS. *magistrat..*

Classis I

*Caput III.

times. Habet illa multa quæ timeat præter Deum: tu solum Deum times. Sed tu quem times, major est omnibus. * Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, videris; intras, videris: lucerna ardet, videt te; lucerna exstincta est, videt te: in cubiculum intras, videt te; in corde versaris, videt te. Ipsum time, illum cui cura est ut videat te; & vel timendo castus esto. Aut si peccare vis, quære ubi te non videat, & fac quod vis.

Continentiæ voto obstricti.

3. Qui verò jam vovistis, corpus artiùs castigate, & concupiscentiæ frenos nec ad ipsa quæ permissa sunt, patiamini relaxare; ut non solùm à concubitu illicito divertatis, sed etiam licitum contemnatis adspectum. Mementote in quocumque sexu sitis, sive mares, sive feminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra. Angeli enim non nubunt, neque uxores ducunt. Hoc erimus, cùm resurrexerimus. Quantò vos meliores, qui quod erunt homines post resurrectionem, hoc vos incipitis esse ante mortem? Servate gradus vestros: servat enim vobis Deus honores vestros. Comparata est resurrectio mortuorum stellis in cælo constitutis. Stella enim ab stella differt in gloria, ut Apostolus dicit: sic & resurrectio mortuorum. Aliter enim ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit castitas conjugalis, aliter ibi lucebit sancta viduitas. Diversè lucebunt: sed omnes ibi erunt. Splendor dispar, cælum commune.

Matth. 22. 30.

Florus ad 1. *Cor.* 15. 41.

Caput IV. Gradus cuique suus servandus.

4. Cogitantes ergo gradus vestros, servantes & professiones vestras, accedite ad carnem Domini, accedite ad sanguinem Domini. Qui se scit aliter esse, non accedat. Compungimini magis sermone meo. Congratulantur enim qui sciunt servare conjugibus, quod à conjugibus exigunt; qui sciunt servare omni modo continentiam, si hanc Deo voverunt: qui verò audiunt me dicentem, Quicumque non servatis castitatem, nolite accedere ad illum panem, contristantur. Et ego nollem hoc dicere: sed quid facio? Timebo hominem, ut taceam veritatem? Ergo si illi servi non timent Dominum, etiam ego non timeam? quasi non sciam dictum esse, Serve nequam & piger, tu dares, & ego exigerem. Ecce dedi, Domine Deus meus; ecce in conspectu tuo & Angelorum tuorum & in conspectu ipsius plebis tuæ erogavi pecuniam tuam: timeo enim judicium tuum. Ego dedi, tu exige. Etsi non dicam; facturus es. Ergo hoc potiùs dico, Ego dedi, tu converte, tu parce. Fac pudicos qui fuerunt impudici, ut simul in tuo conspectu, cùm judicium venerit, gaudeamus, & qui erogavit, & cui erogatum est. Placet hoc? Placeat. Quicumque impudici estis, corrigite vos, dum vivitis. Ego enim verbum Dei loqui possum, impudicos autem in nequitia perseverantes, de judicio & damnatione Dei liberare non possum.

Matth. 25. 26.

* SERMO CXXXIII.

* *Aliàs* 8. *inter editos ex MSS. Carthusiæ majoris.* a

De verbis Evangelii Iohan. 7. [a] *ubi Iesus non se adscensurum ad diem festum dixerat, & tamen adscendit.*

1. Propositum est nobis, in adjutorio Domini, de hoc recentissimo Evangelii capitulo disputare, nec est parva quæstio, ne periclitetur veritas, & falsitas glorietur. Sed neque veritas perire potest, neque falsitas superare. Quid autem quæstionis habeat ista lectio, parumper accipite; & facti intenti per propositam quæstionem, orate ut sufficiamus ad solutionem. Dies festus erat Judæorum scenopegia: hi dies sunt, quantum videtur, quos hodieque observant, quando casas* vocant. Est enim illis ista sollemnitas de fabricatione tabernaculorum; quoniam tabernaculum σκηνὴ dicitur, scenopegia est tabernaculi fabricatio. Hi dies festi apud Judæos agebantur: & appellabatur unus dies festus, non quia uno die fiebat, sed quia continuata festivitate peragebatur; sicut dies festus Paschæ, sicut dies festus azymorum, & tamen, sicut manifestum est, ille festus dies agitur per aliquot dies. Erat ergo in Judæa ista sollemnitas, Dominus Jesus in Galilæa erat, ubi & nutritus est, ubi & consanguineos atque cognatos habuit, quos Scriptura fratres appellat. *Dixerunt ergo ei*, sicut lectum audivimus, *fratres ejus, Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua quæ facis.* * *Nemo enim in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse. Si hæc facis, manifesta te mundo.* Deinde subjungit Evangelista, *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Si ergo non in eum credebant, invidiosa verba subjiciebant. *Respondit eis Iesus, Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum.* * *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt.* * *Vos adscendite in diem festum hunc. Ego* [b] *non adscendo ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* Deinde sequitur Evangelista, *Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæam* * *ut autem adscenderunt fratres ejus, tunc & ipse adscendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi occultè.* Huc usque extenditur quæstio, cetera aperta sunt.

Serm. de Scripturis.

Iohan. 7. 2.

* *f. fabricant.*

Iohan. 7. 3.

ỳ. 4.

ỳ. 5.

ỳ. 6.

ỳ. 7.

ỳ. 8.

b

ỳ. 9.

ỳ. 10.

2. Quid ergo quæritur? quid movet? quid in periculo est? Ne Dominus, immo ut apertiùs dicamus, ne ipsa veritas credatur esse mentita. Si enim volumus mentitum putari, mentiendi auctoritatem infirmus accipiet. Audivimus dicere mentitum esse. Qui enim putant esse mentitum, hoc dicunt, Dixit se non adscensurum ad diem festum & adscendit. Primò ergo, quantum in angusto tempore possumus, videamus utrùm mentiatur, qui dicit aliquid, & non facit. Verbi enim caussâ, dixi amico, Cras te videbo: occurrit major necessitas, quæ retineret; non ideo falsum dixi. Quando enim promisi, hoc sentiebam quod dicebam. Quando autem aliud majus occurrit, quod impedivit fidem promissionis meæ, non mentiri volui, sed promissum implere non potui. Ecce, quantum arbitror, non laboravi, ut persuaderem, sed tantummodo admonui prudentiam vestram, non mentiri eum, qui promittit aliquid, & non facit, si ut non faciat, aliud occurrerit, quod ejus impediat promissionem, non quod convincat falsitatem.

Christum in eo loco non esse mentitum.

3. Sed ait qui me audit, Numquid hoc potes de Christo dicere, quia vel non potuit implere quæ volebat, vel futura nesciebat? Bene agis, bene suggeris, rectè commones: sed ô homo partire mecum sollicitudinem. Quem non audemus dicere minùs valentem, audemus dicere men-

Mentiri pejus est quàm falli.

a Recensetur in Possidii Indiculo cap. 9.

b In Græco est οὔπω, *nondum*: & sic in aliquot Latinis Bibliis.

Classis I.

tientem? Ego quidem, quantum existimo, quantum pro mea infirmitate judicare possum, eligo ut homo in aliquo fallatur, quàm ut in aliquo mentiatur. Falli enim pertinet ad infirmitatem, mentiri ad iniquitatem. (Psal. 5. 7.) Odisti, inquit, Domine, " omnes qui operantur iniquitatem. Et continuò, " Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Aut tantumdem valet iniquitas & mendacium; aut plus est Perdes, quàm Odisti. Neque enim qui odio habetur, continuò perditione punitur. Verùm sit illa quæstio, utrùm aliquando mentiri necesse sit: non enim modò discutio: latebrosa est, multos sinus habet; non vacat omnes secare, & ad vivum pervenire. Ergo ejus curatio in tempus aliud differatur; fortassis enim sine sermone nostro divina opitulatione sanabitur. Sed quid distuli, quid volo hodie tractare, intendite & distinguite. An aliquando mentiendum sit, hanc dixi difficilem & latebrosissimam quæstionem, hanc differo. Utrùm autem Christus mentitus sit, utrùm Veritas aliquid falsum dixerit, hoc hodie suscepimus admoniti ex Evangelica lectione.

Falli & mentiri quomodo differant.

4. Quid autem intersit inter falli & mentiri, breviter dico. Fallitur qui putat verum esse quod dicit, & quia verum putat, ideo dicit. Hoc autem quod dicit qui fallitur, si verum esset, non falleretur: si non solùm verum esset, sed etiam verum esse sciret, non mentiretur. Fallitur ergo, quia falsum est, & verum putat; dicit autem nonnisi quia verum putat. Error est in humana infirmitate, sed non est in conscientiæ sanitate. Quisquis autem falsum putat esse & pro vero asserit, ipse mentitur. Videte, Fratres mei, distinguite nutriti in Ecclesia, eruditi in Scripturis Dominicis, non rudes, non rustici, non idiotæ. Sunt enim inter vos docti & eruditi viri & quibuscumque litteris non mediocriter instructi: & qui illas litteras quæ liberales vocantur, non didicistis, plus est quod in sermone Dei nutriti estis. Si laboro in explicando quod sentio, adjuvate me & adtentione audiendi & prudentiâ cogitandi. Nec adjuvabitis, nisi adjuvemini. Unde invicem pro nobis oremus, & commune adjutorium pariter exspectemus. Fallitur, qui cùm sit falsum, verum putat esse quod dicit; mentitur autem, qui falsum esse aliquid putat, & pro vero dicit, sive illud verum sit, sive falsum. Intuemini quid addiderim, sive illud verum sit, sive falsum, tamen qui falsum putat & verum asserit, mentitur: fallere affectat. Quid enim ei prodest, quia verum est? Interim ipse hoc falsum putat, & dicit tamquam verum sit. Verum est in se illud quod dicit, in se verum est; apud illum falsum est, non hoc habet conscientia ejus quod loquitur; aliud in se cogitat verum esse, aliud foras profert pro veritate. Duplex cor est, non simplex: non quod ibi habet hoc profert. (Eccli. 1. 14. Psal. 11. 3.) Duplex cor olim reprobatum. Labia dolosa in corde & corde loquuti sunt mala. Sufficeret ut diceret, in corde loquuti sunt mala, ubi est labia dolosa? Quid est dolus? Cum aliud agitur, aliud obtenditur. Labia dolosa non simplex cor; & quia non simplex cor, ideo in corde & corde; ideo bis corde, quia duplex cor.

Nec falli potest Christus, nec mentiri.

5. Dominum ergo Jesum Christum quid existimamus, quia mentitus est? Si minus est falli, quàm mentiri, quem dicere non audemus falli, A dicere audemus mentiri? Ille verò nec fallitur, nec mentitur: sed omnino sicut scriptum est, (de illo quippe intelligitur, de illo debet intelligi,) Nihil falsum dicitur regi, & nihil falsum exiet de ore ejus. Si regem quemlibet hominem dixit, regem Christum regi homini præponamus. Si autem, quod verius intelligitur, Christus est de quo dixit; (ei quippe falsum nihil dicitur, quia non fallitur; ex ejus ore nihil falsi procedit, quia non mentitur:) quæramus quomodo capitulum Evan- B gelicum intelligamus, & non voraginem mendacii quasi cælesti auctoritate construamus. Est autem absurdius quærere exponere veritatem & locum præparare mendacio. Quid me doces, rogo te, qui capitulum hoc exponis mihi, quid me vis docere? Nescio utrùm audeas dicere, Falsitatem. Nam si ausus fueris hoc dicere, averto aures, & obturo spinis, ut si coartare tentaveris, etiam punctus abscedam absque exposito Evangelio. Dic mihi quid me velis docere, & solvi- C sti quæstionem. Dic, oro te: Ecce adsum; aures patent, cor paratum est, doce. Sed quæro quid? Non eo per multa. Quid docturus es? Quamcumque doctrinam in medio versaturus, quidquid nervorum in disputatione adhibiturus, hoc solum dic, unum de duobus interrogo, Veritatem me docturus es, an falsitatem? Quid putamus eum responsurum, ne abscedat; ne hiantem & verba exprimere conantem continuò deseram: quid promissurus est, nisi veritatem? Audio, sto, D exspecto, intentissimè exspecto. Ecce ille, qui promittebat se docturum me veritatem, de Christo insinuat falsitatem. Quomodo igitur veritatem docturus, Christum mendacem dicturus? Si Christus mentitur, sperandum est mihi quod tu mihi verum dicturus es?

Serm. de Scripturis.

Ex ipsa Evangelii veritate Christus à mendacio vindicatus.

6. Vide aliud. Quid dicit? Mentitus est Christus? Ubi, rogo te? Ubi dixit, *Non adscendo ad diem festum*, & adscendit. Ego quidem perscrutari velim istum locum, ne fortè non sit Christus E mentitus. Immo quia non dubito Christum non esse mentitum, locum istum aut perscrutabor & intelligam, aut non intelligens differam. Christum tamen mentitum esse non dicam. Fac me non intellexisse: discedam nesciens. Melius est enim cum pietate nescire, quàm cum insania judicare. Tamen tentamus discutere, ne fortè illo adjuvante, qui Veritas est, aliquid inveniamus, aliquid & inveniamur, & ipsum aliquid non erit in veritate mendacium. Nam si quærendo, men- F dacium invenio; non aliquid, sed nihil invenio. Ergo quæramus ubi dicis Christum esse mentitum. Quia dixit, inquit, *Non adscendo ad diem festum*, & adscendit. Unde scis eum dixisse? Quid si ego dicam, immo non ego, sed aliquis, absit enim ut hoc ego dicam: quid si dicat alius, Hoc Christus non dixit; unde convincis, unde probaturus es? Codicem aperturus, lectionem inventurus, homini demonstraturus, immo cum magna fiducia pectoris resistenti codicem impactu- G rus, Tene, adtende, lege, Evangelium portas. Quid ergo, rogo te, quid conturbas * paululum? Noli urgere, dic planiùs, tranquilliùs. Ecce Evangelium porto, & quid hinc? Ille, Evangelium loquitur Christum dixisse quod negas. Et ideo credes hoc dixisse Christum, quia loquitur Evangelium? Ideo planè, inquit. Ego multùm miror, quomodo dicas mentiri Christum & non

* f. parvulum.

CLASSIS I

mentiri Evangelium. Sed ne fortè, cum dico Evangelium, codicem adtendas, membranam & atramentum cogites Evangelium, quid dicat vide Græcum nomen: Evangelium est bonus nuntius, vel bona annuntiatio. Nuntius ergo non mentitur, & qui eum misit, mentitur? Iste nuntius, Evangelista scilicet, ut nomen etiam dicamus, iste Johannes qui hoc scripsit, de Christo mentitus est, an verum dixit? Elige quod vis, ego ad utrumque te audire paratus sum. Si mentitus est, non est unde probes Christum illa dixisse. Si verum dixit, de fonte falsitatis veritas non fluit. Quis est fons? Christus: rivulus sit Johannes. Venit ad me rivulus, & dicis mihi, Bibe securus: & cum de ipso fonte me terreas, cùm in fonte esse falsitatem dicas, dicis mihi, Bibe securus. Quid bibo? Quid dixit Johannes, Christum esse mentitum? Unde venit Johannes? A Christo. Vera mihi dicturus est, qui ab illo venit; cùm mentiebatur ille, à quo venit? Legi planè in Evangelio, Johannes super pectus Domini discumbebat: sed puto quia veritatem bibebat. (Johan. 13. 23.) Quid vidit super pectus Domini discumbens? Quid bibit? quid, nisi quod ructuavit? (Johan. 1. 1. &c.) » In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, » & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud » Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso » factum est nihil. Quod factum est, in eo vita est, » & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lu» cet, & tenebræ eam non comprehenderunt: tamen lucet, & si ego fortè obscuritatis aliquid habeo, nec comprehendere ad perfectum valeam, » illa lucet. Fuit homo missus à Deo, cui nomen » erat Johannes: hic venit ut testimonium perhi» beret de lumine, ut omnes crederent per ipsum. Non erat ille lumen: quis? Johannes: quis? Johannes baptista. De ipso enim dicit Johannes Evangelista, Non erat ille lumen: de quo dicit Dominus, Erat lucerna ardens & lucens. (Johan. 5. 35.) Sed lucerna & accendi & exstingui potest. Quid ergo? * unde distinguis? (* Locus mendosus.) De quo loco quæris? Cui lucerna testimonium perhibebat, erat lumen verum. (Johan 1. 9.) Ubi addidit Johannes verum, ibi tu quæris mendacium. Adhuc audi ipsum Johannem Evangelistam ructuantem quod biberat: (Ibidem 14.) Et vidimus, inquit, gloriam ejus. Quid vidit? quam » gloriam vidit? Gloriam tamquam Unigeniti à » Patre, plenum gratiâ & veritate. Vide igitur, vide ne fortè debeamus disputationes infirmas vel temerarias cohibere, & de veritate nihil falsi præsumere, dare Domino quod debetur: fonti gloriam demus, ut securi impleamur. (Rom. 3. 4.) Deus autem verax: omnis autem homo mendax. Quid est hoc? Deus plenus est: omnis homo inanis est; si vult impleri, accedat ad plenum. (Psal. 33. 6.) Accedite ad eum, & illuminamini. Porrò si homo inanis est, quia mendax est, & quærit impleri, & cum festinatione atque aviditate currit ad fontem, impleri vult, inanis est. Sed tu dicis, Cave fontem, est ibi mendacium. Quid aliud dicis quàm, Est ibi venenum?

(Solutio quæstionis.) 7. Jam, inquit, omnia dixisti, jam me cohibuisti, jam castigasti. Dic mihi quomodo non sit mentitus, qui dixit, *Non adscendo*, & adscendit? Dicam, si potero: parum tibi non sit, quia etsi non te constitui in veritate, prohibui tamen à temeritate. Dicam tamen, quod & tu jam, si meministi verba quæ commendavi, puto quia

(SERM. DE SCRIPTURIS.)

A cognoscis. Ipsa verba solvunt quæstionem. Multis diebus agebatur ille dies festus. Ad istum, utique hodiernum diem, inquit, festum, istum utique hodiernum quando illi sperabant, non adscendit; sed quando ipse disponebat. Denique adtende quod sequitur. *Hæc cùm dixisset, mansit ipse in Galilæa.* Ergo non adscendit ad istum diem festum. Volebant enim fratres ejus, ut ipse prior iret; ideo illi dixerant, *Transi hinc in Judæam.* Non dixerant, Transeamus, quasi co-

B mites ejus futuri; aut, Sequere nos in Judæam, tamquam priores ituri; sed tamquam præmissuri. Hoc ille voluit, ut illi præcederent: hoc vitavit, commendans hominis infirmitatem, occultans divinitatem; hoc vitavit, sicut cùm in Ægyptum fugit. (Matth. 2. 14.) Non enim erat impotentiæ: sed & hoc veritatis, ut daret exemplum cavendi: ne quisquam servus ejus diceret, Non fugio, quia turpe est; cùm fortè expediret ut fugeret. Dicturus suis, Cùm vos persequuti fuerint in (Matth. 10. 23.)

C hac civitate, fugite in aliam: hoc ipse exemplum præbuit. Nam quando voluit, prehensus est; quando voluit, natus est. Hoc ergo, ne illi prævenirent, & eum venturum esse nuntiarent, & præpararentur insidiæ: *Non adscendo*, inquit, *ad diem festum*. (Johan. 7. 8.) Dixit, *Non adscendo*, ut occultaretur: addidit *istum*, ne mentiretur. Aliquid intulit, aliquid abstulit, aliquid distulit: nihil tamen falsi dixit, quia nihil falsi de ejus ore procedit. Denique postea quàm hæc dixit, *Ubi autem ad-* (ỳ. 10.)

D *scenderunt fratres ejus:* Evangelium loquitur; adtende, lege quod mihi offerebas; vide si non ipsa lectio solvit quæstionem, vide si aliunde sumsi quod dicerem. Hoc ergo Dominus exspectabat, ut priores illi adscenderent, ne venturum prænuntiarent, *Postea quàm adscenderunt fratres ejus, adscendit etiam ipse tunc ad diem festum, non evidenter, sed quasi occultè.* Quid *quasi occultè?* Ibi facit quasi occultè. Quid *quasi occultè?* Quia nec hoc erat occultè. Non enim

E verè latére conabatur, qui in potestate habebat quando teneretur. Sed in illa, ut dixi, occultatione exemplum præbebat cavendi insidias inimicorum infirmis discipulis, qui potentiam non habebant, quando nollent ne prehenderentur. Nam ille etiam palàm adscendit posteà, & docebat eos in templo, & dicebant nonnulli, Ecce (Ibidem 25. & 26.) « hic est, ecce docet. Certè dicebant nostri prin- « cipes, quia apprehendere eum volebant: ecce « palàm loquitur, & nemo in eum manum mit- «

F tit.

(Altera solutio.) 8. Jam verò si nos ipsos adtendamus, si corpus ejus cogitemus, quia & nos ipse est. Nam etsi nos ipse non essemus, non esset verum, (Matth. 25. 40.) Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Si nos ipse non essemus, non esset verum, Saule, Saule, (Act. 9. 4.) quid me persequeris? Ergo & nos ipse, quia nos membra ejus, quia nos corpus ejus, quia ipse caput nostrum, quia totus Christus caput & corpus. (Ephes. 1. 22.) Fortè ergo nos prævidebat, quia dies festos

G Judæorum non eramus acturi, & hoc est, *Ego non adscendo ad diem festum istum.* Ecce nec Christus, nec Evangelista mentitus est; quorum duorum si alterum necesse est eligere, daret mihi veniam Evangelista, nullo modo veracem ipsi veritati præponerem: missum ei à quo missus est, non præferrem. Sed Deo gratias, quantum arbitror, renudatum est quod obscurum erat. Adju-

Classis I.

vabit ad Deum pietas vestra. Ecce, sicut potui, solvi quæstionem, & in Christo & in Evangelista. Tene mecum amicè veritatem, amplectere sine contentione caritatem.

*Aliàs 48. de verbis Domini. a

* SERMO CXXXIV.

*De verbis** *Evangelii Johan.* 8. Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, *&c.*

Caput I. Magister omnium Christus.

1. NOVIT Caritas Vestra, omnes nos unum magistrum habere, & sub illo condiscipulos esse. Nec ideo magistri vestri sumus, quia de loco superiore loquimur vobis: sed magister est omnium qui habitat in omnibus nobis. Ipse modò in Evangelio nobis omnibus loquebatur, & dicebat nobis, quod etiam ego dico vobis: dicit autem ille de nobis, & nobis & vobis, *Si manseritis in verbo meo*, non utique in meo, qui modò loquor; sed in ejus, qui modò ex Evangelio loquebatur. *Si manseritis in verbo meo*, inquit, *verè discipuli mei estis.* Ad discipulum parum est accedere, sed manere. Non ergo ait, Si audieritis verbum meum; aut, Si accesseritis ad verbum meum; aut, Si laudaveritis verbum meum: sed videte quid dixerit, *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis*, * *& cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Quid dicimus, Fratres? manere in verbo Dei, labor est, an non est? Si labor est, adtende magnum præmium: si labor non est, gratis accipis præmium. Maneamus ergo in eo, qui manet in nobis. Nos, si in illo non manserimus, cadimus: ille autem, si in nobis non manserit, non ideo domum perdidit. Novit enim ille manere in se, qui numquam deserit se. Absit autem ab homine, ut maneat in se, qui perdidit se. Ergo nos in illo manemus indigentiâ: ipse in nobis manet misericordiâ.

Johan. 8.31. — ỳ. 32. — Manere in verbo Dei.

Caput II. Præmium manentis in verbo Christi.

2. Jam ergo si propositum est quid facere debeamus, quid accepturi sumus videamus. Indixit enim opus, & promisit mercedem. Quod est opus? *Si manseritis in verbo meo.* Breve opus: verbo breve, magnum opere: *Si manseritis.* Quid est, *Si manseritis?* Si in petra ædificaveritis. O quàm magnum est hoc, Fratres, super petram ædificare, quàm magnum est! Venerunt flumina, " flaverunt venti, descendit pluvia, & impegerunt " in domum illam, & non cecidit: fundata enim " erat supra petram. Quid est ergo in verbo Dei manere, nisi nullis tentationibus cedere? Præmium quod est? *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Compatimini nobis, quia vocem meam sentitis obtusam: adjuvate me tranquillitate. O præmium! *Cognoscetis veritatem.* Fortè aliquis diceret, Et quid mihi prodest, cognoscere veritatem? *Et veritas liberabit vos.* Si non delectat veritas, delectet libertas. In consuetudine Latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur: & maximè in eo consuevimus audire hoc verbum, ut quicumque liberatur, intelligatur periculum evadere, molestiis carere. Liberari autem propriè dicitur liberum fieri: quomodo salvari, salvum fieri; sanari, sanum fieri; sic liberari, liberum fieri. Ideo dixi, Si non delectat veritas, delectet libertas. Hoc in Græca lingua evidentiùs sonat, nec potest aliter intelligi. Et ut noveritis quia aliter intelligi non potest; lo-

Matth. 7. 24. — Liberari duobus modis dicitur.

A quente Domino, responderunt Judæi, *Nos nemini servivimus umquam, quomodo tu dicis, Veritas liberabit vos?* Id est, Veritas liberos vos faciet, quomodo dicis nobis, qui nemini umquam servivimus? Quos vides, inquiunt, non habere servitutis necessitatem, quomodo polliceris eis libertatem?

Serm. de Scripturis. — ỳ. 33.

3. Audierunt quod debuerunt: sed non fecerunt quod debuerunt. Quid audierunt? Quia dixi, *Veritas liberabit vos:* adtendistis vos quia non B servitis homini, & dixistis, *Nemini servivimus umquam.* * *Omnis*, Judæus & Græcus, dives & pauper, honoratus & privatus, imperator & mendicus, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Si agnoscant homines servitutem, videbunt unde accipiant libertatem. Ingenuus est aliquis captivatus à barbaris, ex ingenuo factus est servus: audit homo miserator, considerat se habere pecuniam, fit redemtor, pergit C ad barbaros, dat pecuniam, redimit hominem. Planè reddidit libertatem, si abstulit iniquitatem. Sed quis abstulit iniquitatem, homo homini? Ille qui serviebat apud barbaros, à redemtore suo redemtus est: & multum interest inter redemtorem & redemtum; tamen sub domina iniquitate fortè conservi sunt. Interrogo redemtum, Habes peccatum? Habeo, inquit. Interrogo redemtorem, Habes peccatum? Habeo, inquit. Ergo nec tu te jactes redemtum, nec tu te extollas redemtorem: sed fugite ambo ad verum liberatorem. D Parum est, quia qui sub peccato sunt, servi dicti sunt; & mortui dicuntur. Quod timet homo ne faciat illi captivitas, jam illi fecit iniquitas. Quid enim, quia videntur vivere, numquid ideo erravit ille qui dixit, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos? Ergo mortui omnes sub peccato, servi mortui, serviendo mortui, moriendo servi.

*Caput III. Servitus peccati. — ỳ. 34. — Matth. 8. 22.

4. Quis ergo liberat à morte & à servitute, nisi in mortuis liber? Quis est in mortuis liber, E nisi inter peccatores sine peccato? Ecce venit princeps mundi, ipse dicit Redemtor noster, Liberator noster: Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet. Tenet quos decepit, quos seduxit, quibus peccatum mortemque persuasit; in me nihil inveniet. Veni Domine, veni Redemtor, veni: agnoscat te captivus, fugiat te captivator; tu esto mihi liberator. Ille me perditum invenit, in quo diabolus nihil quod caro agit invenit. Invenit in illo carnem princeps hujus sæ- F culi, invenit: & qualem carnem? Mortalem, quam possit tenere, quam possit crucifigere, quam possit occidere. Erras deceptor, non fallitur Redemtor: erras. Vides in Domino carnem mortalem, non est caro peccati: similitudo est carnis peccati. Misit enim Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati. Vera caro, mortalis caro: sed non peccati caro. Misit enim Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de « peccato damnaret peccatum in carne. Misit enim « G Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati: « in carnem, non tamen in carnem peccati; sed in similitudinem carnis peccati. Propter quid? Ut de peccato, quod certè nullum in se erat, damnaret peccatum in carne: ut justitia Legis « impleretur in nobis, qui non secundùm carnem « ambulamus, sed secundùm spiritum. «

A peccati servitute & morte non liberat nisi Christus. — Jacobi 14.3. — Similitudo carnis peccati in Christo. — Rom. 8.3.

a Hujus Sermonis meminit Augustinus infrà, in Sermone qui aliàs erat de verbis Apostoli 6. cap. 8.

CLASSIS I. *CAPUT IV. Solutio quæstionis.

5. Si ergo similitudo erat carnis peccati, non caro peccati, quomodo Ut de peccato damnaret peccatum in carne?* Solet & similitudo capere nomen ejus rei, cujus est similitudo. Homo dicitur verus: sed etiam si pictum in pariete ostendas, & quæras quid sit, respondetur, Homo. Peccatum ergo appellata est caro habens similitudinem carnis peccati, ut esset sacrificium pro peccato. Dicit idem Apostolus alio loco, Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. *2.Cor.5.21.* Eum qui non noverat peccatum: quem qui non noverat peccatum, nisi eum, qui dixit, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet? *Johan. 14. 30.* Eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit: eum ipsum Christum nescientem peccatum, fecit pro nobis Deus peccatum. Quid est hoc, Fratres? Si diceretur, Fecit in illum peccatum, aut, Fecit illum habere peccatum; intolerabile videretur: quomodo toleramus quod dictum est, Fecit eum peccatum, ut ipse Christus sit peccatum? Qui noverunt Scripturas veteris Testamenti, recognoscunt quod dico. Non enim semel dictum est, sed aliquotiens, crebermè, peccata dicta sunt sacrificia pro peccatis. *Peccata, sacrificia pro peccatis.* Offerebatur, verbi gratiâ, pro peccato hircus, aries, quodlibet: ipsa victima quæ offerebatur pro peccato, peccatum nominabatur. *V. Serm. de verbis Ap. aliàs 6. cap. 8.* Peccatum ergo dicebatur sacrificium pro peccato: ita ut alicubi dicat Lex, sacerdotes ponere debere manus suas super peccatum. *Levit. 4. 29. sec. LXX.* Ergo, Eum qui non noverat peccatum, fecit pro nobis peccatum: id est, sacrificium pro peccato [a] factus est. Peccatum oblatum est, & deletum est peccatum. Fusus est sanguis Redemtoris, & deleta est cautio debitoris. Ipse est sanguis qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum.

CAPUT V.

6. Quid est ergo quòd insipienter exsultasti, meus captivator, quia carnem mortalem habuit meus Liberator? Si habuit peccatum, vide: si aliquid tuum in eo invenisti, tene. Verbum caro factum est. *Johan. 1. 14.* Verbum creator est, caro creatura est. Quid ibi tuum, inimice? Et Verbum Deus est, & anima hominis creatura est, & caro hominis creatura est, & caro mortalis Dei creatura est. Peccatum quære. Sed quid quæras? Veritas loquitur: Veniet princeps mundi hujus, & in me nihil inveniet. *Johan. 14. 30.* Non ergo non invenit carnem, sed nihil suum, id est, nullum peccatum. Decepisti innocentes, fecisti nocentes. Occidisti innocentem; peremisti quem non debebas, redde quod tenebas. Quid ergo ad horam exsultasti, quia invenisti in Christo carnem mortalem? Muscipula tua erat: unde lætatus es, inde captus es. Ubi te exsultasti aliquid invenisse, inde nunc doles quod possederas perdidisse. Ergo, Fratres, qui credimus in Christum, maneamus in verbo ejus. Si enim manserimus in verbo ejus, verè discipuli ejus sumus. Non enim soli illi duodecim, sed omnes qui manemus in verbo ejus, verè discipuli ejus sumus. Et cognoscemus veritatem, & veritas liberabit nos: *Johan. 14. 6.* id est, Christus Filius Dei, qui dixit, Ego sum veritas, liberos nos faciet, hoc est, liberabit nos, non à barbaris, sed à diabolo; non à corporis captivitate, sed ab animæ iniquitate. Solus est qui sic liberat. Nemo se liberum dicat, ne servus remaneat. Non remanebit in servitute anima nostra, quia quotidie dimittuntur debita nostra.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO CXXXV.

** Aliàs 41. ex homiliis 50.*

De verbis Evangelii Iohan. 9. Ego veni, ut faciam opera ejus, qui misit me. *Contra Arianos. Et de eo quod ait illuminatus ille qui erat cæcus natus,* Scimus quia peccatores Deus non exaudit.

CAPUT I. Cæcitas omnium hominum à nativitate.

1. DOMINUS Jesus, sicut audivimus cùm sanctum Evangelium legeretur, aperuit oculos homini, qui cæcus erat natus. Fratres, si adtendamus hereditariam pœnam nostram, totus mundus cæcus est. Ideo venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ad illuminatorem, currant, credant, accipiant lutum de saliva factum. Saliva quasi Verbum est, terra caro est. Lavent faciem in piscina Siloæ. Pertinuit autem ad Evangelistam exponere nobis quid significet Siloa, & ait, *quod interpretatur missus.* *Johan. 9. 7.* Quis est ipse missus, nisi qui dixit in ipsa lectione, *Ego*, inquit, *veni, ut faciam opera ejus qui me misit?* *Ibidem 4.* Ecce Siloa, lavate faciem, baptizamini, ut illuminemini, & videatis [b] qui antè non videbatis.

Locus ab Arianis calumniosè usurpatus.

2. Ecce primùm ad hoc quod dictum est, oculos aperite: *Ego*, inquit, *veni ut faciam opera ejus qui me misit.* Jam hîc exsistit Arianus, & dicit, Ecce videtis quia Christus non fecit opera sua, sed Patris qui eum misit. Numquam hoc diceret, si videret, hoc est, si in ipso qui missus est, tamquam in Siloa, faciem lavaret. Quid ergo dicis? Ecce, inquit, ipse dixit. Quid dixit? *Veni, ut faciam opera ejus qui me misit.* Non ergo sua? Non. Et quid est quod ait ipse Siloa, ipse missus, ipse Filius, ipse Unicus quem tu [c] quereris esse degenerem? Quid est quod ait, Omnia quæ habet Pater, mea sunt? *Johan. 16. 15.* Tu dicis, quia opera aliena faciebat, quia dixit, *Faciam opera ejus qui me misit.* Ego dico, quia Pater res alienas habebat: secundùm cor tuum loquor. Unde mihi vis præscribere quia dixit Christus, *Veni, ut faciam opera ejus*, quasi non mea, sed *ejus qui misit me?*

CAPUT II. Opera Patris & Filii eadem.

3. Interrogo te, Domine Christe, solve quæstionem, [d] fini contentionem. Omnia, inquit, quæ habet Pater, mea sunt. Ergo Patris non sunt, si tua sunt? Non enim ait, Omnia quæ habet Pater, dedit mihi: quamvis si & hoc dixisset, æqualitatem ostendisset. Sed molestum est quod dixit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Si intelligas, Omnia quæ habet Pater, Filii sunt; omnia quæ habet Filius, Patris sunt. Audi illum alio loco, Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. *Johan. 17. 10.* Finita est quæstio, de his quæ habet Pater & Filius: [e] concordes habent, tu noli litigare. Opera Patris quæ dicit opera sua; [f] quia & tua mea sunt: quia illius Patris dicit opera, cui dixit, Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Ergo opera mea tua sunt, & opera tua mea sunt. Quæcumque enim Pater facit: ipse dixit, Dominus *Johan. 5. 19.*

a In MSS. *factus est peccatum, oblatus est, &c.*
b Sic MSS. Editi verò, *quod.*
c Am. Er. & MSS. *quaris.*
d Sic aliquot MSS. Alii cum editis, *fine contentione.*

e Editi, *Concordiam habent.* At MSS. *concordes.*
f MSS. non habent, *quia & tua mea sunt.* Fortè legendum, *Opera Patris quæ dicit, opera sua sunt.*

dixit,

CLASSIS I. dixit, Unigenitus dixit, Filius dixit, Veritas dixit. Quid dixit? Quæcumque Pater facit, hæc & Filius facit similiter. Magna expressio, magna veritas, magna æqualitas. Omnia quæ Pater facit, hæc facit & Filius. Sufficeret, Omnia quæ Pater facit, hæc facit & Filius. Non sufficit; addo, similiter. Quare addo, similiter? Quia solent dicere non intelligentes, & nondum apertis oculis ambulantes, solent dicere, Pater fecit jubendo, Filius obsequendo, ergo [a] dissimiliter. Si autem similiter, quomodo ille, sic ille: sic quæ ille, hæc iste.

CAPUT III. Filius Dei consubstantialis & coæternus Patri.

4. Sed jubet Pater, inquit, ut faciat Filius. Carnaliter quidem sapis, sed sine præjudicio veritatis, cedo tibi. Ecce Pater jubet, Filius obsequitur: numquid ideo non est ejus naturæ Filius, quia ille jubet, ille obsequitur? Da mihi duos homines, patrem & filium: homines sunt duo; qui jubet, homo est; qui obsequitur, homo est: qui jubet & qui obsequitur, unam habent eamdemque naturam. Numquid ille qui jubet, non de natura sua genuit filium? Numquid ille qui obsequitur, obsequendo naturam perdidit? Accipe ergo interim, quomodo accipis duos homines, Patrem jubentem, Filium obsequentem, tamen Deum & Deum. Sed simul isti duo sunt homines, simul ille unus Deus: hoc est divinum miraculum. Interim si vis ut tecum agnoscam obsequium, priùs mecum agnosce naturam. Hoc genuit Pater, quod ipse est. Si aliud genuit Pater, quàm quod est ipse, non verum genuit Filium. Pater dicit ad Filium, Ex utero ante luciferum genui te. (Psal. 109. 3.) Quid est, ante luciferum? Per luciferum significantur tempora. Ergo ante tempora, ante omne quod ante dicitur; ante omne quod non est, vel ante omne quod est. Non enim ait Evangelium, In principio fecit Deus Verbum; quomodo dixit, In principio fecit Deus cælum & terram: (Gen. 1. 1.) aut, In principio natum est Verbum; aut, In principio Deus genuit Verbum. Sed quid ait? Erat, erat, erat. (Johan. 1. 1.) Audis, Erat, crede. In principio » erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & » Deus erat Verbum. Totiens audis, Erat: noli quærere tempus, quia semper erat. Ille ergo qui semper erat, & cum Filio semper erat, quia potens est Deus sine tempore generare; ille dixit ad Filium, Ex utero ante luciferum genui te. Quid est, Ex utero? Deus habuit uterum? Putabimus Deum per membra corporalia esse dispositum? Absit. Et quare dixit, Ex utero, nisi ut intelligeretur de sua substantia genuisse. Ergo ex utero hoc processit, quod erat ipse qui genuit. Nam si aliud erat qui genuit, aliud autem ex utero processit; monstrum est, non filius.

CAPUT IV. Ut Filius opera Patris, sic Pater opera Filii facit.

5. Ergo faciat Filius opera ejus qui misit eum, faciat & Pater opera Filii. Certè voluit Pater, efficit Filius. Ecce ostendo, quia vult Filius, & facit Pater. Ubi ostendis, inquis? Modò ostendo. Pater volo. (Johan. 17. 24.) Jam ego si calumniari vellem, ecce Filius jubet, & Pater facit. Quid vis? Ut ubi ego sum, & illi sint mecum. Evasimus, illic erimus: ubi est ille: illic erimus, evasimus. Quis [b] delet Omnipotentis Volo. Audis voluntatem potestatis, audi & potestatem voluntatis. Sicut Pater, » inquit, suscitat mortuos, & vivificat; sic & Fi- » lius quos vult, vivificat. (Johan. 5. 21.) Quos vult. Ne dicas, A Illos vivificat Filius, quos jubet Pater ut vivificet. Quos vult vivificat. Ergo quos vult Pater, & quos vult ipse; quia ubi est una potestas, una voluntas est. Habeamus ergo in corde non cæco, Patris & Filii unam eamdemque naturam: quia verus est Pater, verus est Filius. Quod est, hoc genuit; quia genitus non degeneravit.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT V. Peccatorũ etiam orationes exaudiri.

6. Nescio quid potest movere in verbis illius qui cæcus erat, & fortè multos non bene intelligentes facit desperare. Ait enim inter cetera B sua verba, idem cui oculi aperti sunt: *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* (Johan. 9. 31.) Quid facimus, si peccatores Deus non exaudit? Audemus rogare Deum, si peccatores non exaudit? Date mihi qui roget, ecce est qui exaudiat. Date qui roget, discutite genus humanum ab imperfectis ad perfectos. Adscende à verno ad æstatem: hoc enim cantavimus, Æstatem & vernum tu fecisti: id est, jam spiritales & adhuc carnales tu fecisti; (Psal. 73. 17.) quia & ipse Filius dicit, Imperfectum meum viderunt oculi tui. (Psal. 138. 16.) C Imperfectum quod est in corpore meo, viderunt oculi tui. Et quid deinde? Habent spem qui imperfecti sunt? Habent planè. Audi quod sequitur: Et in libro tuo omnes « scribentur. Sed fortè, Fratres, spiritales rogant & exaudiuntur, quia non sunt peccatores. Quid faciunt carnales? quid faciunt? peribunt? Deum non rogabunt? Absit. Da mihi illum publicanum. Veni, publicane, sta in medio, ostende tuam spem, ne infirmi perdant spem. Ecce enim adscen- D dit publicanus cum Pharisæo orare, & dejecta facie in terram dicebat, longè stans, tundens pectus: Domine, propitius esto mihi peccatori. (Luca 18. 13.) Et descendit justificatus magis, quàm ille Pharisæus. Qui dixit, Propitius esto mihi peccatori: verum dixit, an falsum? Si verum dixit, peccator erat; & exauditus est, & justificatus est. Quid est ergo quod dixisti tu, cui Dominus oculos aperuit, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit?* Ecce peccatores Deus exaudit. Sed lava interiorem E faciem tuam, fiat in corde, quod factum est in facie tua; & videbis quia peccatores Deus exaudit. Fefellit te imaginatio cordis tui. Adhuc est quod tibi faciat. Certè projectus est iste de synagoga: audivit, venit ad eum, & dixit ei, *Tu credis in Filium Dei?* (Johan. 9. 35. ℣. 36.) Et ille *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Videbat, & non videbat: videbat oculis, sed adhuc corde non videbat. Ait illi Dominus: *Et vides eum*, hoc est, oculis: *& qui* (℣. 37.) *loquitur tecum, ipse est.* * *Tunc prostratus adoravit* (℣. 38.) F *eum.* Tunc lavit faciem cordis.

CAPUT VI. Nullus hîc sine peccato.

7. Incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata vestra, orate ut [c] deleantur, orate ut minuantur, orate ut vobis proficientibus ipsa deficiant: tamen nolite desperare, & peccatores orate. Quis enim non peccavit? A sacerdotibus incipe. Sacerdotibus dixit, Priùs offerte sacrificia pro peccatis vestris, & sic pro populo. (Levit. 16. Hebr. 7. 27.) Sacrificia convincebant sacerdotes: ut si quis se justum & sine peccato diceret, responderetur ei, Non adtendo quod loqueris, sed quid G offeras: victima tua convincit te. Quare offers pro peccatis tuis, si nulla habes peccata? An in sacrificio mentiris Deo? Sed fortè sacerdotes veteris populi peccatores erant, novi populi non sunt peccatores. Certè, Fratres, quia Deus vo-

[a] MSS. *ergo dic similiter.*
[b] Am. & Er. *Quis dedit? Omnipotens volo.* Lov. *Quis dicit? Omnipotens. Volo.* Restituitur locus ex MSS.
[c] Sic MSS. At editi, *depellantur.*

CLASSIS I.

luit, sacerdos ipsius sum, peccator sum, vobiscum pectus tundo, vobiscum veniam rogo, vobiscum Deum propitium spero. Sed fortè Apostoli sancti, primi, summi arietes gregis, pastoris membra pastores, fortè ipsi non habebant peccatum. Verè habebant & ipsi, habebant: non irascuntur, quia confitentur. Ego non auderem. Primùm ipsum Dominum audi dicentem Apostolis, Sic orate. Quomodo illi sacerdotes sacrificiis convincebantur, sic isti oratione. Sic orate. Et inter cetera quæ jussit orare, & hoc posuit, B Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di- (Matth. 6. 12.) » mittimus debitoribus nostris. Quid dicunt Apostoli? Quotidie sibi debita petunt dimitti. Debitores intrant, absoluti exeunt, & ad orationem debitores redeunt. Ista vita non est sine peccato, ut quotiens oratur, totiens peccata dimittantur.

8. Sed quid dicam? Illi fortè quando didicerunt orationem, adhuc infirmi erant. * Fortè dicet hoc aliquis, Quando illos docuit orationem C Dominus Jesus, adhuc parvuli erant, infirmi erant, carnales erant: nondum erant spiritales, qui non habent peccatum. Quid ergo, Fratres? Facti spiritales orare cessarunt? Debuit ergo Christus dicere, Modò talia orate, & dare spiritalibus alteram orationem. Una est, ipsa est, ipse est qui dedit: ipsam ergo orate in Ecclesia. Sed tollamus controversiam, quando dicis spiritales esse sanctos Apostolos, quò usque pateretur Dominus, carnales erant, hoc es dicturus. Denique quod ve- D rum est, illo pendente trepidaverunt, & tunc desperaverunt Apostoli, quando credidit latro. Petrus ausus est sequi, quando Dominus ad passionem ductus est, ausus est sequi, qui ad domum pervenit, & (Matth. 26. 69) in atrio fatigatus est, ad ignem stabat, & friguit: ad ignem stetit, timore frigido congelavit. Interrogatus ab ancilla, negavit Christum semel: interrogatus iterum, negavit: interrogatus tertiò, negavit. Deo gratias, quia cessavit interrogatio: si non cessaret interrogatio, diu repeteretur nega- E tio. Ergo postea quàm surrexit, tunc eos confirmavit, tunc facti sunt spiritales. Jam ergo non habebant peccatum? Spiritales Apostoli scribebant spiritales epistolas, Ecclesiis mittebant: non habebant peccatum, hoc dicis. Non tibi credo, ipsos interrogo. Dicite sancti Apostoli, postea quàm surrexit Dominus, & confirmavit vos Spiritu-sancto misso de cælo, cessastis habere peccatum? Dicite nobis, obsecro. Audiamus, ne desperent peccatores, ne desinant rogare Deum, quia non F sunt sine peccato. Dicite nobis. Ait unus ipsorum. Et quis? Quem Dominus ampliùs diligebat, (Johan. 13. 23.) & qui super pectus Domini discumbebat, & regni cælorum quod ructuaret secretum bibebat. Ipse eum interrogo: Habetis peccatum, an non? Respondet, & dicit, Si dixerimus quia peccatum (1. Johan. 1. 8.) » non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Johannes autem ille est, qui dixit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud (Johan. 1. 1.) Deum, & Deus erat Verbum. Videte quanta G transcenderat, ut perveniret ad Verbum. Talis ac tantus, qui volavit sicut aquila super nubes, qui mentis serenitate cernebat, In principio erat » Verbum: ipse dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & justus est, ut dimittat

*CAPUT VII. Apostoli etiam post Christi resurrectionem peccato obnoxii.

A nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. Ergo orate.

SERMO DE SCRIPTURIS.

SERMO CXXXVI.

In eamdem lectionem Evangelii Iohan. 9. de illuminatione cæci nati.

Nunc primùm publicatur ex veteri codice Colbertinæ bibliothecæ notato 821. Habentur duo ejusdem Sermonis fragmenta in Bedæ seu Flori collectione.

B 1. AUDIVIMUS lectionem sancti Evangelii, quam solemus: sed bonum est commoneri; bonum est ab oblivionis veterno memoriam renovare. Denique vetustissima lectio, quasi nova, nos delectavit. Cæcum à nativitate illuminavit Christus: quid miramini? Salvator est Christus: hoc reddidit beneficio, quod minùs fecerat in utero. Quando autem ei oculos minùs faciebat, non utique errabat; sed ad miraculum differebat. Dicitis fortè, C Unde scis? Ab ipso audivi: modò illud dixit: simul audivimus. Quando enim interrogaverunt eum discipuli ejus, & dixerunt, *Domine, quis* (Johan. 9. 2.) *peccavit, iste aut parentes ejus, quoniam cæcus natus est?* Quid respondit, mecum audistis. *Ne-* (℣. 3.) *que hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut ostendantur opera Dei in ipso.* Ecce quare differebat, quando minùs oculos faciebat. Non fecit, quod faceret; non fecit, quod facturum se esse sciebat, quando oportebat. Nec arbitremi- D ni, Fratres, parentes ejus nullum habuisse peccatum, aut ipsum non, quando natus est, contraxisse originale peccatum, propter quod peccatum remittendum parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Sed cæcitas illa non fuit propter peccatum parentum, non fuit propter peccatum ipsius; *sed ut manifestarentur opera Dei in ipso.* Omnes enim, quando nati sumus, peccatum originale traximus; & tamen non cæci nati sumus. Interroga diligenter, Et cæci nati sumus. E Quis enim non cæcus natus est? sed in corde. Dominus autem Jesus, quia utrumque creaverat, utrumque curavit.

Cæci nati illuminatio.

2. Vidistis cæcum istum oculis fidei, vidistis etiam ex cæco videntem: sed audistis errantem. In quo errabat cæcus iste, dico: primùm quia Christum prophetam putabat, Dei Filium nesciebat. Deinde audivimus unam responsionem ipsius prorsus falsam: ait enim, *Scimus quia pec-* (℣. 31.) *catores Deus non exaudit.* Si peccatores Deus non F exaudit, quam spem habemus? Si peccatores Deus non exaudit, ut quid oramus, & testimonium peccati nostri tunsione pectoris dicimus? Ubi est certè ille Publicanus, qui cum Pharisæo (Lucæ 18. 10.) adscendit in templum, & illo Pharisæo jactante, ventilante merita sua, ille stans longè, & oculis fixis in terra, & tundens pectus suum, confitebatur peccata sua. Et descendit iste, qui confitebatur peccata sua, justificatus de templo, magis quàm ille Pharisæus. Certè peccatores Deus G exaudit. Sed ille qui ista dixit, nondum laverat faciem cordis de Siloa. In oculis ejus præcesserat sacramentum: sed in corde nondum erat effectum gratiæ beneficium. Quando lavit faciem cordis sui cæcus iste? Quando eum Dominus foras missum à Judæis, intromisit ad se. Invenit enim eum, & dixit ei, sicut audivimus: *Tu credis in Fi-* (℣. 35.) *lium Dei?* Et ille, *Quis est, Domine, ut credam* (℣. 36.)

Cæci etiam putantes peccatores non exaudiri.

CLASSIS I.

in eum? Certè jam videbat oculis: jam corde? Nondum. Exspectate: modò videbit. Respondit ei Jesus, *Ego sum, qui loquor tecum.* Numquid dubitavit? Continuò faciem lavit. Loquebatur enim cum illo Siloa, *quod interpretatur missus.* Quis est missus, nisi Christus? Qui sæpe testatus est dicens, Voluntatem facio Patris mei, qui me misit. Ergo ipse erat Siloa. Accessit corde cæcus, audivit, credidit, adoravit: faciem lavit, vidit.

(℣. 37. — ℣. 7. — Johan. 4. 34. & 5. 30. & 6. 38.)

Judæorum cæcitas, calumniantium solvi sabbatum à Christo.

3. Illi autem qui eum foras miserunt, cæci remanserunt, quando quidem Domino calumniabantur, quia sabbatum erat, quando lutum fecit de sputo, & inunxit oculos cæci. Quando enim Dominus verbo curabat, apertè calumniabantur Judæi. Non enim sabbato operabatur aliquid, quando dicebat, & fiebat. Aperta calumnia erat: jubenti calumniabantur, loquenti calumniabantur: quasi ipsi per sabbatum non loquerentur. Possum dicere quia non solùm per sabbatum, sed nullo die loquuntur, quoniam à veri Dei laudibus recesserunt. Tamen ut dixi, Fratres, aperta calumnia erat. Dicebat Dominus homini, Extende manum tuam: fiebat sanus, & calumniabantur quia per sabbatum curabat. Quid fecit? quid operatus est? quod onus tulit? Sed modò spuere in terram, lutum facere, & homini oculos inungere, operari est. Nemo dubitet, operari erat. Dominus sabbatum solvebat: sed non ideo reus. Quid est quod dixi, Sabbatum solvebat? Lux ipse venerat, umbras removebat. Sabbatum enim à Domino Deo præceptum est, ab ipso Christo præceptum, qui cum Patre erat, quando Lex illa dabatur: ab ipso præceptum est, sed in umbra futuri. Nemo ergo » vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei fe» sti, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est » umbra futurorum. Venerat quem venturum ista nuntiabant. Quid delectant umbræ? Judæi aperite oculos: sol præsens est. *Nos scimus.* Quid scitis, ô corde cæci? quid scitis? *Quia non est iste homo à Deo, qui sic solvit sabbatum.* Sabbatum, miseri, Sabbatum ipsum Christus prædicavit, quem dicitis non esse à Deo. Sabbatum carnaliter observatis, salivam Christi non habetis. Attendite in terra sabbati etiam salivam Christi. & intelligetis per sabbatum prophetatum Christum. Sed vos quia salivam Christi in terra super oculos vestros non habetis, ideo ad Siloam non venistis, & faciem non lavistis, & cæci remansistis, bono cæci ejus, immo jam non cæci nec carne, nec corde. Accepit in sputo lutum, inuncti sunt ejus oculi, accessit ad Siloam, lavit faciem, in Christum credidit, vidit, non remansit in illo judicio valde terribili: *Ego in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.*

(Matth. 12. 13. — Coloss. 2. 16. — ℣. 24. — ℣. 16. — ℣. 39.)

Cæcitas Judæorum quomodo Christi adventu aucta est.

4. Magnus terror! *Vt qui non vident videant:* bene. Salvatoris officium est, professio medicinæ est, *Vt qui non vident videant.* Quid est, Domine, quod addidisti, *Vt qui vident cæci fiant?* Si intelligamus, verissimum & rectissimum est. Quid est tamen, *qui vident?* Judæi sunt. Ergo vident? Secundùm verba sua vident: secundùm veritatem non vident. Quid est ergo, *vident?* Videre se putant, videre se credunt. Videre enim se credebant, quando contra Christum Legem defendebant. *Nos scimus:* ergo vident. Quid est, *Nos scimus*, nisi nos videmus? Quid est, *quia homo iste non est à Deo, quia sic solvit sabbatum?* Videntes sunt: quod Lex dicebat, legebant. Præceptum est enim, ut lapidaretur qui solveret sabbatum. Ideo istum dicebant non esse à Deo sed videntes cæci erant quia * in judicium venit in mundum ille judex futurus vivorum & mortuorum, Quare venit? *Vt qui non vident videant:* qui se non videre confitentur, illuminentur. *Et qui vident cæci fiant:* id est, qui cæcitatem suam non confitentur, graviùs obdurentur. Denique impletum est, *Qui vident cæci fiant:* Legis defensores, Legis tractatores, Legis doctores, Legis intellectores auctorem Legis crucifixerunt. O cæcitas! ipsa est quæ ex parte Israël facta est. Ut crucifigeretur Christus, & plenitudo Gentium intraret, cæcitas ex parte Israël facta est. Quid est, *Vt qui non vident videant?* Ut plenitudo Gentium intraret cæcitas ex parte Israël facta est. Totus orbis cæcus jacebat: sed venit ille, *ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Ignoratus est à Judæis, crucifixus est à Judæis: de sanguine suo collyrium fecit cæcis. Duriores facti, [a] cæci facti qui se jactabant videre lucem, crucifixerunt lucem. Quanta cæcitas! Lucem occiderunt: sed crucifixa lux cæcos illuminavit.

(SERM. DE SCRIPTURIS. — Num. 15. 36. — * Florus ad Rom. 11. — Rom. 11. 25.)

Pauli de Legis impotentia & de Judæorum cæcitate testimonium.

5. Audi videntem, qui cæcus erat. Ecce in quam crucem malè offenderunt, qui cæcitatem suam medico confiteri noluerunt. Remanserat illis Lex. Quid facit Lex sine gratia? O miseri, quid fecit Lex sine gratia. Quid facit terra sine Christi saliva? * Quid facit Lex sine gratia, nisi magis reos? Quare? Quia Legis auditores & non factores, ac per hoc peccatores, prævaricatores. Mortuus est puer hospitæ hominis Dei, & missus est baculus per servum, & positus est super faciem ipsius, & non revixit. Quid facit Lex sine gratia? Apostolus jam videns, jam ex cæco illuminatus, quid dicit? Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Intendite: respondeamus, & dicamus: quid est quod dixit? Si data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Si non poterat vivificare, ut quid data est? Sequutus adjunxit, Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Promissio illuminationis, promissio dilectionis ex fide Jesu Christi, ut daretur credentibus, scriptura illa, id est, Lex, conclusit omnia sub peccato. Quid est, conclusit omnia sub peccato? Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces. Quid est, conclusit Scriptura omnia sub peccato? Fecit delictorem etiam prævaricatorem. Nam sanare non potuit peccatorem. Conclusit omnia sub peccato: sed qua spe? Spe gratiæ, spe misericordiæ. Accepisti Legem; [b] facere voluisti, non potuisti: à superbia cecidisti, languorem tuum vidisti. Curre ad medicum, lava faciem. Opta Christum, confitere Christum, crede in Christum: accedit spiritus litteræ, & eris salvus. Nam si Spiritum litteræ detrahas, littera occidit: si occidit, ubi spes? Spiritus autem vivificat.

(* Florus ad Gal. 3. — 4. Reg. 4. 29. — Gal. 3. 21. — Ibidem 22. — Rom. 7. 7. — 2. Cor. 3. 6.)

Elisæus baculum præmittens, tum ipse veniens ad suscitandū

6. Accipiat ergo Giezi servus Elisæi baculum, tamquam Legem acceperit servus Dei Moyses. Accipiat baculum, accipiat, currat, præcedat, præveniat, baculum super faciem pueri mor-

[a] Florus, *cæciores facti: quia se jactabant &c.*

[b] Florus, *stare voluisti.*

Classis I.

mortuum, quid adumbret.

tui ponat. Et factum est: accepit, cucurrit, baculum super faciem pueri mortui posuit. Sed ut » quid? cui baculum? Si data esset Lex quæ posset » vivificare, puer resuscitatus esset baculo: sed quia conclusit Scriptura omnia sub peccato, adhuc jacet mortuus. Sed quare conclusit omnia sub peccato? Ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Veniat ergo Elisæus, qui misit baculum per servum ad convincendum mortuum: veniat ipse, ipse veniat, ipse hospitium mulieris introeat, adscendat ad puerum, inveniat mortuum, conformet se membris mortui, non mortuus, sed vivus. Hoc enim fecit: faciem super faciem, oculos super oculos, manus super manus, vestigia super pedes posuit, coartavit se, contraxit se, cùm magnus esset parvum se fecit. Contraxit se; ut ita dicam, minoravit se. Quia cùm in forma Dei esset, exinanivit se, formam servi accipiens. Quid est, conformavit se vivus mortuo? Quid sit, quæritis? Apostolum audite: Misit Deus Filium suum. Quid est, conformavit se mortuo? Hoc dicat, sequatur, & ipse dicat: In similitudinem carnis peccati. Hoc est conformare se mortuo vivum: venire ad nos in similitudinem carnis peccati, non in carne peccati. Mortuus jacebat in carne peccati, conformavit se illi similitudo carnis peccati. Mortuus est enim qui quare moreretur non habebat. Mortuus est in mortuis solus liber; quoniam universa caro hominum erat utique caro peccati. Quomodo revivisceret, nisi ille qui non habebat peccatum conformans se mortuo, veniret in similitudinem carnis peccati? O Domine Jesu, passe pro nobis, non pro te, non habens culpam, & sustinens pœnam, [a] ut & culpam solvas & pœnam.

Philip. 2 6. *Rom.* 8 3.

Aliàs 49. de verbis Domini b

* SERMO CXXXVII.

In Evangelii Johan. caput 10. *De* [b] *pastore, & mercenario, & fure.*

Caput I. Sanitas membrorum in unitate & caritate.

1. Non ignorat fides vestra, Carissimi, & ita vos didicisse novimus, docente Magistro de cælo, in quo spem vestram posuistis, quia Dominus noster Jesus Christus, qui jam pro nobis passus est & resurrexit, caput est Ecclesiæ, & est corpus ejus Ecclesia, & in ejus corpore unitas membrorum & compago caritatis, tamquam [c] sanitas exsistit. Quicumque autem in caritate friguerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille, qui jam exaltavit caput nostrum, etiam infirma membra sanare: dum tamen non nimia impietate præcidantur, sed hæreant corpori donec sanentur. Quidquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est: quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Cùm ergo sit ille caput Ecclesiæ, & sit corpus ejus Ecclesia, totus Christus & caput & corpus est. Resurrexit jam ille. Caput ergo habemus in cælo. Caput nostrum interpellat pro nobis. Caput nostrum sine peccato & sine morte, jam propitiat Deum pro peccatis nostris: ut & nos in fine resurgentes, & immutati in gloriam cælestem, sequamur caput nostrum. Quò enim caput, & cetera membra. Sed dum hîc sumus, membra sumus; ne desperemus, quia secuturi sumus caput nostrum.

Serm. de Scripturis.

Caput II. Unitas Christi & membrorum.

2. Videte enim, Fratres, dilectionem ipsius capitis nostri. Jam in cælo est, & hîc laborat, quamdiu hîc laborat Ecclesia. Hîc Christus esurit, hîc sitit, nudus est, hospes est, infirmatur, in carcere est. Quidquid enim hîc patitur corpus ejus, se dixit pati: & in fine segregans ipsum corpus suum ad dexteram, & reliquos à quibus modò conculcatur segregans ad sinistram, dicturus est his qui sunt ad dexteram, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Quibus meritis? Esurivi enim, & dedistis mihi » manducare; & cetera sic exsequitur, tamquam ipse accepisset: usque adeo ut illi non intelligentes respondeant & dicant, Domine, quando te vi- « dimus esurientem, hospitem, & in carcere? Et « dicit eis, Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sic etiam in nostro corpore caput sursum est, pedes in terra sunt: tamen in aliqua constipatione & coartatione hominum, quando tibi aliquis pedem calcat, nonne dicit caput, Calcas me? Nec caput tuum, nec linguam tuam quisquam calcavit: sursum est, in tuto est, nihil ei mali contigit; & tamen quia per connexionem caritatis unitas est à capite usque ad pedes, non se inde lingua separavit, sed dixit, Calcas me: cùm eam nemo contigerit. Quomodo ergo lingua, quam nemo contigit, dicit, Calcas me: sic Christus caput, quod nemo calcat, dixit, Esurivi, & dedistis mihi manducare. Et illis qui hoc non fe- « cerunt, dixit, Esurivi, & non dedistis mihi man- « ducare. Et quomodo conclusit? Sic: Ibunt illi in « ambustionem æternam, justi autem in vitam æter- « nam.

Matth. 25. 34. &c.

Caput III. Janua Christus.

3. Cùm ergo Dominus nunc loqueretur, dixit se esse pastorem, dixit se esse & januam. Utrumque ibi habes, & *Ego sum janua*, & *Ego sum pastor.* Janua est in capite, pastor in corpore. Dicit enim Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre, amas me? Respondit, Domine, amo. Pasce oves meas. Et tertiò, Petre, amas me? Contristatus est Petrus, quòd eum tertiò interrogavit: quasi ille qui vidit conscientiam negatoris, non videret fidem confitentis. Noverat illum semper, noverat illum & quando se Petrus ipse non noverat. Tunc enim se non noverat, quando dixit, Tecum ero usque ad mortem: & quàm esset infirmus, nesciebat. Quomodo plerumque re vera & infirmis contingit, ut ægrotus nesciat quid in illo agatur, medicus autem sciat: cùm ille ægritudinem ipsam patiatur, medicus non patiatur. Magis dicit medicus quid agatur in altero, quàm ille qui ægrotat quid agatur in se ipso. Petrus ergo tunc infirmus, Dominus autem medicus. Iste dicebat se habere vires, qui non habebat: ille autem tangens venam cordis ejus, dicebat quòd ter eum esset negaturus. Et ita factum est quomodo prædixit medicus, non quomodo præsumsit ægrotus. Ergo post resurrectionem suam Dominus interrogavit eum, non nesciens quo ille animo confiteretur amorem Christi, sed ut trina confessione amoris, deleret trinam negationem timoris.

Johan. 10. 7. & 11. *Johan.* 21. 15. Petrus infirmus sibi ipsi ignotus. *Luca* 22. 33.

Caput IV. Quid à Petro exigitur.

4. Ergo hoc Dominus exigit à Petro, Petre, amas me? Quasi, Quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia amas me? Quid erat præstaturus Petrus resurgenti Domino, & eunti

a Hîc in MS. repetitur, *non habens culpam, & pœnam sustinens.*

b Notatur à Possidio in Indiculi cap. 8. & à Floro citatur ad 1. Cor. 4. & ad Philip. 1.

c Lov. *tamquam sanitatis:* dissidentibus ceteris libris.

CLASSIS I.

in cælum, atque sedenti ad dexteram Patris? Quasi diceret, Hoc mihi dabis, hoc mihi præstabis, si amas me, ut pascas oves meas: per januam intres, non per aliam partem adscendas. Audistis, cùm Evangelium legeretur, *Qui intrat per januam, pastor est: qui autem ex alia parte adscendit, fur est & latro; & dissipare quærit, & spargere, & tollere.* Quis est qui intrat per januam? Qui intrat per Christum. Quis est iste? Qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi: ut cùm Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim vult Deus videri, cùm sit homo, non imitatur illum, qui cùm Deus esset, homo factus est. Tibi autem non dicitur, Esto aliquid minus quàm es: sed, Cognosce quod es. Cognosce te infirmum, cognosce te hominem, cognosce te peccatorem; cognosce quia ille justificat, cognosce quia maculosus es. Appareat in confessione tua macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi. Quia confessio peccatorum invitat medicum sanaturum: quomodo in ægritudine qui dicit, Sanus sum, non quærit medicum. Numquid non ad templum adscenderat Pharisæus ille & publicanus? Ille de sua sanitate gloriabatur, iste vulnera sua medico ostendebat. Dicebat enim ille, Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut publicanus iste. Gloriabatur super alterum. Ergo si publicanus ille sanus esset, invideret illi Pharisæus; quia non haberet super quem extolleretur. Quomodo ergo venerat, qui sic invidebat? Non erat utique sanus: & cùm se sanum diceret, non descendit curatus. Ille autem ad terram oculos dejiciens, & non audens in cælum tollere, percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Et quid dicit Dominus? Amen dico vobis, quia descendit justificatus de templo publicanus, magis quàm Pharisæus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Qui ergo se exaltant, per alteram partem volunt adscendere ad ovile: qui autem se humiliant, per januam intrant ad ovile. Ideo de illo dixit, *intrat:* de illo, *adscendit.* Qui adscendit, videtis, qui alta petit, non intrat, sed cadit. Ille autem qui se submittit, ut per januam intret, non cadit, sed pastor est.

Johan. 10. 1. &c. Imitare per januã in ovile. *Luca 18. 10.* *Ibidem 14.*

CAPUT V. Tres personæ ad ovile venientes.

5. Sed tres personas dixit Dominus, & debemus illas investigare in Evangelio, pastoris, mercenarii & furis. Cùm legeretur, puto quòd animadvertistis, designavit pastorem, designavit mercenarium, designavit furem. Pastorem dixit animam suam ponere pro ovibus & intrare per januam. Furem dixit & latronem adscendere per aliam partem. Mercenarium dixit, lupum vel etiam furem, si videat, fugere; quia non est illi cura de ovibus: mercenarius est enim, non pastor. Ille intrat per januam, quia pastor est; ille adscendit per aliam partem, quia fur est: ille videns eos qui volunt tollere oves, timet & fugit, quia mercenarius est, quia non est illi cura de ovibus: mercenarius est enim. Si invenerimus tres istas personas, invenit Sanctitas Vestra & quos diligatis, & quos toleretis, & quos caveatis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cavendus est latro. Sunt homines in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, qui ex occasione evangelizant, quærentes ab hominibus commoda sua, sive pecuniaria, sive honorum vel laudis humanæ. Quomodolibet volentes accipere munera evangelizant, & non tam salutem ejus quærunt cui annuntiant, quàm commodum suum. Ille autem qui audit salutem ab eo qui non habet salutem, si ei crediderit quem ille annuntiat, neque in illo spem posuerit, per quem illi annuntiatur salus: qui annuntiat, habebit detrimentum; cui annuntiatur, habebit lucrum.

Pastor. Fur. Mercenarius. *Florus ad Philip. 1.* Diligendus est pastor, mercenarius tolerandus, cavendus latro. SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT VI. Dictum Christi in Pharisæos, spectare & ad malos de Ecclesia pastores. *Matth. 23. 2.*

6. Habes Dominum dicentem de Pharisæis, Cathedram Moysi sedent. Non eos solos significabat Dominus: quasi verò eos qui crederent in Christum, ad Judæorum scholam mitteret, ut ibi discerent quemadmodum iter sit ad regnum cælorum. Nonne ideo Dominus venit, ut institueret Ecclesiam, ipsosque Judæos bene credentes & bene sperantes & bene diligentes segregaret tamquam frumenta à paleis, & faceret unum parietem circumcisionis, cui conjungeretur alius paries ex præputio Gentium, quibus duobus parietibus de diverso venientibus esset ipse lapis angularis? Nonne ergo idem Dominus de duabus istis plebibus in uno futuris dixit, *Habeo & alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili?* Loquebatur autem Judæis: *Oportet me*, inquit, *& eas adducere, ut sit unus grex, & unus pastor.* Ideo duæ naves erant, unde vocaverat discipulos. Duas [a] ipsas plebes significabant, quando miserunt retia, & levaverunt tantam vim & tantum numerum piscium, ita ut penè retia rumperentur: Et oneraverunt, inquit, duas naves. Duæ naves significabant unam Ecclesiam, sed de duabus plebibus factam, conjunctam in Christo, quamvis de diverso venientem. Hoc significant etiam duæ uxores, habentes unum virum Jacob, Lia & Rachel. Has duas significant etiam duo cæci, qui sedebant juxta viam, quos Dominus illuminavit. Et si advertatis Scripturas, in multis locis invenietis significari duas Ecclesias, quæ non sunt duæ, sed una. Ad hoc enim valet lapis angularis, ut ex duabus faciat unam. Ad hoc valet ille pastor, ut de duobus gregibus faciat unum. Ergo Dominus docturus Ecclesiam, & habiturus scholam suam præter Judæos, sicut modò videmus, numquid credentes in se, ad Judæos missurus erat, ut discerent? Sed nomine Pharisæorum & Scribarum significavit quosdam in Ecclesia sua futuros, qui dicerent, & non facerent: se autem figuraverat in persona Moysi. Etenim personam ejus gerebat Moyses, & velum ante se ideo ponebat, quando loquebatur populo; quia quamdiu illi in Lege carnalibus gaudiis & voluptatibus dediti erant, & regnum terrenum quærebant, velamen positum erat contra faciem eorum, ne viderent Christum in Scripturis. Ablato enim velamine, postea quàm passus est Dominus, visa sunt secreta templi. Ideo cùm in cruce penderet, scissum est velum templi à summo usque deorsum: & apertè dicit apostolus Paulus, Cùm autem transieris ad Christum, auferetur velamen. Qui autem non transierit ad Christum, quamvis legat Moysen, velamen positum est super cor ejus, sicut dicit Apostolus. Cùm ergo præfiguraret quosdam tales futuros Dominus in Ecclesia sua, quid ait? Scribæ & Pharisæi cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite.

Ecclesia una ex Judæis & Gentibus. *Johan. 10. 16.* *Luca 5. 2.* *Gen. 29.* *Matth. 20. 30.* *Matth. 27. 51.* *2. Cor. 3. 16.* *Matth. 23. 2. & 3.*

[a] Sic MSS. Editi autem, *Duas personas plebis.*

Classis I

Caput VII. Clerici mali pervertere nitentes Evangelium, dum exemplo suo laicos ad peccatum trahunt.

7. Quando illud audiunt clerici mali quod in ipsos dicitur, volunt pervertere. Nam audivi quosdam pervertere velle istam sententiam. Numquid non, si illis liceret, delerent illam de Evangelio? Quia verò delere illam non possunt, pervertere illam quærunt. Sed adest Domini gratia & misericordia, nec sinit eos facere; quia circumsepsit veritate sua omnes sententias suas, & libravit; ut quisquis inde aliquid præcidere voluerit, aut inducere malè legendo vel interpretando, ille qui cor habet, quod præcisum est de Scriptura jungat Scripturæ, & legat superiora vel inferiora, & inveniet sensum quem volebat ille malè interpretari. Quid ergo putatis dicere istos de quibus dicitur, Quæ dicunt, facite? Quia re vera [a] laicis dicitur. Laicus enim qui vult bene vivere, cùm adtenderit clericum malum, quid sibi dicit? Dominus dixit, Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite. Ambulem viam Domini, non sequar istius mores. Audiam ab illo, non verba ipsius, sed Dei. Sequar Deum, sequatur ille cupiditatem suam. Quia si voluero apud Deum sic me defendere, ut dicam, Domine, vidi malè viventem illum clericum tuum, & ideo malè vixi: nonne mihi dicturus est, Serve nequam, non à me audieras, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite? Malus autem laicus, infidelis, non pertinens ad gregem Christi, non pertinens ad frumentum Christi, qui tamquam palea in area toleratur, quid sibi dicit, quando cœperit illum arguere verbum Dei? Exi: quid mihi loqueris? Ipsi episcopi, ipsi clerici non illud faciunt, & me cogis ut faciam. Quærit sibi non patronum ad caussam malam, sed comitem ad pœnam. Nam numquam eum ille defensurus est in die judicii, quemcumque malum voluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes quos seducit, non seducit cum quibus regnet, sed cum quibus damnetur: sic omnes qui sequuntur malos, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regnum cælorum.

Perversa interpretatio Evangelii.

8. Quomodo ergo pervertunt isti hanc sententiam, quando illis dicitur malè viventibus, Meritò dictum est à Domino, Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite? Rectè dictum est, inquiunt. Dictum est enim vobis, ut quæ dicimus, faciatis; quæ autem nos facimus, vos non faciatis. Nos enim offerimus sacrificium, vobis non licet. * Videte versutias hominum: quid dicam? mercenariorum. Nam si pastores essent, ista non dicerent. Ideo Dominus ut os illis clauderet, secutus est, & dixit, Cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Quid est ergo, Fratres? Si diceret de sacrificio offerendo; diceret, Dicunt enim, & non faciunt? Faciunt enim sacrificium, Deo offerunt. Quid est quod dicunt, & non faciunt? Audi quid sequatur: Alligant » enim onera gravia & importabilia, & imponunt » ea super cervices hominum, quæ ipsi uno digito nolunt tangere. Apertè exprobravit, descripsit & ostendit. Sed illi quando sic volunt pervertere sententiam, ostendunt quia nihil quærunt in Ecclesia, nisi commoda sua; nec Evangelium legerunt: si enim nossent ipsam paginam, & totum legissent, numquam hoc dicere auderent.

*Caput VIII. — Matth. 23. 2. & 3. — Ibidem 4.

Serm. de Scripturis.

Malos pastores esse in Ecclesia similes Pharisæorum.

9. Sed apertiùs adtendite, quia habet tales Ecclesia. Ne quis dicat nobis, Prorsus de Pharisæis dixit, de Scribis dixit, de Judæis dixit: nam tales non habet Ecclesia. Qui sunt ergo illi, de quibus Dominus dicit, Non omnis qui mihi dicit, Domine, Domine intrabit in regnum cælorum? Et addidit, Multi dicent mihi in illa die, « Domine, Domine, nonne in tuo nomine pro- « phetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & in nomine tuo manducavimus & bibi- « mus? Numquid in nomine Christi, Judæi faciunt ista? Certè manifestum est, quia de his dicit qui nomen Christi habent. Sed quid sequitur? Tunc dicam illis, Numquam vos cognovi. Recedite « à me omnes qui operamini iniquitatem. Audi A- « postolum gementem de talibus. Dicit alios annuntiare Evangelium per caritatem, alios per occasionem: de quibus dicit, Annuntiant Evangelium non rectè. Rem rectam, sed ipsi non recti. Quod annuntiant, rectum est; sed qui annuntiant, non sunt recti. Quare non est rectus? Quia aliud quærit in Ecclesia, non Deum quærit. Si Deum quæreret, castus esset; quia legitimum maritum anima Deum habet. Quisquis a Deo præter Deum aliquid quærit, non castè Deum quærit. Videte, Fratres: si uxor amet maritum quia dives est, non est casta. Non enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat, & pauperem amat. Si enim propterea amat, quia dives est; quid si, (quomodo sunt casus humani,) proscribatur, & subitò egens remaneat? Renuntiat illi fortè: quia quod amabat, non maritus erat, sed res ejus. Si autem verè maritum amat, etiam pauperem plus amat: quia cum misericordia amat.

Matth. 7. 21. — Ibidem 22. — Ibidem 23. — Florus 1 Philip. 1. 17. — Pastor quis mercenarius, quis castus. — Uxor casta.

Caput IX. Deus castè quærendus.

10. Et tamen, Fratres, Deus noster numquam pauper esse potest. Dives est, ipse fecit omnia, cælum & terram, mare & Angelos. Quidquid videmus, quidquid non videmus in cælo, ipse fecit. Sed tamen non divitias amare debemus, sed eum qui fecit illas. Non enim tibi promisit nisi se. Inveni aliquid pretiosius, & hoc tibi dabit. Pulcra est terra, cælum & Angeli: sed pulcrior est qui fecit hæc. Qui ergo annuntiant Deum, amantes Deum; qui annuntiant Deum, propter Deum, pascunt oves, & non sunt mercenarii. Ipsam castitatem exigebat ab anima Dominus noster Jesus Christus, quando dicebat Petro, Petre amas me? Quid est, Amas me? Castus es? Non est cor tuum adulterum? Non tua quæris in Ecclesia, sed mea? Si ergo talis es, & amas me, pasce oves meas. Non enim eris mercenarius, sed eris pastor.

Johan 21. 15.

11. Illi autem non castè annuntiabant, de quibus gemit Apostolus. Sed quid dicit? Quid enim? dum omni modo, sive occasione, sive veritate Christus annuntietur. Permisit ergo esse mercenarios. Pastor veritate Christum annuntiat, mercenarius occasione Christum annuntiat, aliud quærens. Tamen & ille Christum annuntiat, & ille Christum. Audi vocem pastoris Pauli: Sive occasione, sive veritate Christus annuntietur. Ipse pastor voluit habere mercenarium. Faciunt enim ubi possunt, utiles sunt quantum possunt. Quando autem ad alios usus quærebat Apostolus, cujus vias imitarentur infirmi: Misi vobis, inquit, Timotheum, qui vos commonefaciat vias

De Mercenariis quomodo utiles. Philip. 1. 18. — 1. Cor. 4. 17.

[a] Ita Colbertinus codex. Alii quidam MSS. *re vera à fidelibus laicis dicitur.* Editi verò, *à sanis laicis dicitur.*

meas. Et quid ait? Misi pastorem qui vos commoneret vias meas: id est, qui quomodo ego ambulo, & ipse ambulat. Et mittens pastorem, quid ait? Neminem enim habeo tam unanimem, » qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Nonne cum illo erant multi? Sed quid sequitur? » Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Jesu Christi: id est, Ego vobis pastorem mittere volui; nam multi mercenarii sunt: sed non oportuerat ut mercenarius mitteretur. Ad alias res & negotia peragenda mittitur mercenarius: ad illas autem quas tunc volebat Paulus, pastor erat necessarius. Et vix invenit unum pastorem inter multos mercenarios: quia pauci pastores, multi mercenarii. Sed quid dicitur de mercenariis? Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. De pastore autem quid ait Apostolus? Quisquis autem mundaverit se ab hujusmodi, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum semper. Non ad quasdam res paratum, & ad quasdam non paratum; sed ad omne bonum opus paratum. Hæc de pastoribus dixi.

Philip. 2. 20. &c. — Pastores pauci, mercenarii multi. — *Matth. 6. 2.* — *2. Tim. 2. 21.*

Caput X.

12. De mercenariis autem jam dicemus. *Mercenarius quando videt lupum insidiantem ovibus, fugit.* Hoc Dominus dixit. Quare? *Quia non est ei cura de ovibus.* Tamdiu ergo est utilis mercenarius, quamdiu non videt lupum; quamdiu non videt furem & latronem: cùm autem viderit, fugit. Et quis est de mercenariis, qui [a] non fugit de Ecclesia, quando videt lupum & latronem? Abundant lupi, abundant latrones. Ipsi sunt qui adscendunt per alteram partem. Qui sunt isti qui adscendunt? Qui de parte Donati volunt deprædari oves Christi, ipsi per alteram partem adscendunt. Non per Christum intrant: quia non sunt humiles. Quia superbi sunt, adscendunt. Quid est, adscendunt? Extolluntur. Unde adscendunt? Per alteram partem: unde de parte dici volunt. Qui in unitate non sunt, de altera parte sunt, & de ipsa parte adscendunt, id est, extolluntur, & volunt tollere oves. Quomodo adscendunt, videte. Nos, inquiunt, sanctificamus, nos justificamus, nos facimus justos. Ecce [b] quò adscenderunt. Sed qui se exaltat, humiliabitur. Potens est Dominus Deus noster humiliare eos. Lupus autem diabolus est: insidiatur ut decipiat, & qui illum sequuntur; nam dictum est, quòd induti quidem pellibus ovium, intus autem sunt lupi rapaces. Si viderit mercenarius aliquem [c] loqui prava, aut sentire secundùm perniciem animæ suæ, aut aliquid facere sceleratum & obscœnum, & tamen quia videtur habere alicujus momenti personam in Ecclesia, unde si sperat commoda, mercenarius est: & cùm videt hominem perire in peccato, videt illum sequi lupum, videt illius guttur morsu trahi ad supplicium; non illi dicit, Peccas; non illum objurgat, ne perdat commoda sua. Hoc est ergo, *Cùm viderit lupum, fugit:* non illi dicit, Sceleratè facis. Non corporis, sed animæ hæc fuga est. Quem vides corpore stare, fugit animo, cùm videt peccatorem, & non illi dicit, Peccas; cùm etiam consilium cum illo habet.

Mercenarius fugiens. — *Joban. 10. 12. & 13.* — Donatistæ, lupi & latrones. — *Luca 14. 11.* — *Matth. 7. 15.*

Caput XI.

13. Fratres mei, numquid non adscendit aliquando aut presbyter aut episcopus, & non dicit aliud de superiore loco, nisi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne scelera admittantur? Non possunt dicere aliud, qui cathedram Moysi sedent, & ipsa de illis loquitur, non ipsi. Quid est ergo, Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus; Et, Omnis arbor ex fructu cognoscitur? Pharisæus potest bona loqui? Pharisæus spina est: quomodo de spina lego uvam? Quia tu Domine dixisti, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. De spinis me jubes uvam decerpere, cùm dixeris, Numquid colligunt de spinis uvam? Respondet tibi Dominus, Non jussi te de spinis uvam legere: sed vide, adtende bene, ne fortè, ut fieri solet, vitis cùm circùm errat per terram, involuta sit in spinis. Nam aliquando invenimus illud, Fratres mei, vitem positam super caricem, quia ibi habet sepem spinosam, extendit palmites suos, & inserit in sepem spinosam, & pendet inter spinas botrus; & qui videt botrum carpit, non tamen de spinis, sed de vite, quæ circumplexa est spinis. Sic ergo illi spinosi sunt: sed sedendo in cathedra Moysi, involvit eos vitis, & pendent ad eos botri, id est, verba bona, præcepta bona. Tu lege uvam, non te pungit spina, quando legis, Quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite. Pungit autem te spina, si quod faciunt facis. Ut ergo legas uvam, & non inhæreas spinis, Quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite. Facta ipsorum spinæ sunt, verba ipsorum uva est, sed de vite, id est, de cathedra Moysi.

Serm. de Scripturis. — Uva de spinis quomodo legatur. — *Matth. 23. 2.* — *Matth. 7. 16.* — *Matth. 23. 3.*

14. Fugiunt ergo isti, quando vident lupum, quando vident latronem. Hoc autem dicere cœperam, quia de loco superiore non possunt dicere isti, nisi Bene facite, nolite perjurare, nolite fraudare, nolite aliquem circumvenire. Aliquando autem sic vivunt, ut de tollenda aliena villa, cum episcopo consilium habeatur, & petatur ab ipso tale consilium. Aliquando nobis contigit, experti dicimus: nam non crederemus. Multi à nobis consilia mala petunt, consilia mentiendi, circumveniendi; putantes quia placent nobis. Sed in nomine Christi, si Domino placet quod dicimus, nullus [d] talis nos tentavit, & invenit quod volebat in nobis. Quia si vult ipse qui nos vocavit, pastores sumus, non mercenarii. Sed quod ait Apostolus, Mihi minimum est, ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque ego meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum; « sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judi- « cat me, Dominus est. Non ideo bona est conscientia mea, quia vos illam laudatis. Quid enim laudatis, quod non videtis? Ille laudet, qui videt: ille etiam corrigat, si quid ibi videt quod ejus oculos offendit. Quia & nos non dicimus perfectè nos sanos; sed tundimus pectus nostrum, & dicimus Deo, Propitius esto, ne peccem. Tamen puto, coram illo enim loquor, nihil aliud à vobis quærens nisi salutem vestram; & gemimus plerumque in peccatis fratrum nostrorum, & [e] vim patimur, & torquemur animo, & aliquando corripimus illos: immo numquam non corripimus. Testes sunt omnes, qui recordantur

Mercenarii fugientes, dum iniquis favēt. — Augustinus non mercenarius. — *Florus ad 1. Cor. 4. 3. & 4.*

[a] Am. Er & omnes MSS. *qui fugit:* absque negante particula.
[b] Nonnulli MSS. *Ecce quomodo adscendunt.*
[c] Sic unus è Colbertinis codicibus. Ceteri MSS. *aliquem loqui peccata.* Editi verò, *aliquem peccare.*

[d] MSS. *nullus illud tentavit, & invenit in nobis.* Sic etiam Am. & Er. nisi quòd pro, *illud*, habent *illum.*
[e] Colbertinus MS. *& compatimur.*

CLASSIS I.

CAPUT XII. De ovibus quæ ratio reddenda à pastore.

quod dico, quotiens sunt à nobis correpti fratres peccantes, & vehementer correpti.

15. Modò consilium nostrum tracto cum Sanctitate Vestra. In nomine Christi plebs Dei estis, plebs catholica estis, membra Christi estis: Non estis divisi ab unitate. Communicatis membris Apostolorum, communicatis memoriis sanctorum Martyrum, diffusorum per orbem terrarum, & pertinetis ad curam nostram, ut rationem de vobis bonam reddamus. Tota autem ratio nostra quæ est, scitis. Domine scis quia dixi, B scis quia non tacui, scis quo animo dixi, scis quia flevi tibi, cùm dicerem, & non audirer. Ipsa puto quod integra ratio nostra est. Securos enim nos fecit Spiritus-sanctus per Ezechielem prophetam. Nostis ipsam lectionem de speculatore: Fili, ait, hominis, speculatorem posui te domui Israël: si me dicente ad impium, Impie morte morieris, non dixeris: hoc est, ego enim tibi dico, ut dicas; si non annuntiaveris, veneritque gladius, & tulerit eum, id est, quod minatus sum C peccatori; ille quidem impius in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Quare? Quia non dixit. Si autem speculator viderit gladium venientem, & cecinerit tubâ, ut fugiat; & non se observaverit, id est, non se correxerit, ut non eum inveniat in supplicio, quod minatur Deus; veneritque gladius, & tulerit aliquem; ille quidem impius in iniquitate sua mortuus est; tu autem, inquit, animam tuam liberasti. Et in illo loco Evangelii D quid aliud dicit servo? cùm diceret, Domine sciebam te molestum sive durum hominem, quia metis ubi non seminasti, & colligis ubi non sparsisti; & timens abii, & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est. Et ille, Serve, inquit, nequam & piger, magis quia me sciebas molestum & durum esse, metere ubi non seminavi, & colligere ubi non sparsi, ipsa avaritia mea debuit te docere, quia lucrum quæro de pecunia mea. Oportuit te ergo ut dares pecuniam meam E nummulariis, & ego veniens cum usuris exegissem quod meum est. Numquid dixit, Dares & exigeres? Nos ergo, Fratres, damus; veniet ille qui exigat. Orate, ut paratos nos inveniat.

Ezech. 33. 7. &c.

Luca 19. 20. &c.

*l Al. 50. de verbis Domini. a

* SERMO CXXXVIII.

De [a] *verbis Evangelii Iohan.* 10. Ego sum pastor bonus, &c. *Contra Donatistas.*

CAPUT I. Bonus pastor cur commendatus in singulari.

Johan. 10. 11.

℣. 12. & 13.

Florus ad 1. Cor. 13.

1. AUDIVIMUS Dominum Jesum commendantem nobis boni pastoris officium. In qua commendatione admo- F nuit nos utique, ut intelligi datur, bonos esse pastores. Et tamen ne intelligeretur perverso modo multitudo pastorum: *Ego sum*, inquit, *pastor bonus.* Et unde sit pastor bonus, consequenter ostendit: *Pastor*, inquit, *bonus animam suam ponit pro ovibus.* * *Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit: quoniam non est ei cura de ovibus; mercenarius est enim.* Pa- G stor ergo bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne & ipse animam pro ovibus posuit? Quid Paulus? Quid ceteri Apostoli? Quid eorum tempora consequentes beati episcopi martyres? Quid etiam sanctus iste Cyprianus? Nonne omnes pastores boni; non mercenarii, de quibus dicitur, Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam? Omnes ergo isti pastores boni, non solùm quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, sed caritate.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Matth. 6. 2.

CAPUT II. Martyrii sine caritate nihil prodest.

2. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine martyrii se jactant, ut hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi sunt. Si autem scire vultis in quo numero habendi sunt, pastorem bonum Paulum apostolum audite: quoniam non omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ovibus, sed potiùs contra oves. Si linguis, inquit, hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Si scicro omnia sacramenta, & habuero omnem prophetiam, & omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Magna ergo res est postremò fides montes transferens. Illa quidem magna sunt: sed si ego hæc sine caritate habeam, inquit, non illa, sed ego nihil sum. Sed adhuc istos non tetigit, qui falso martyrii nomine in passionibus gloriantur. Audite ut eos tangat; immo potiùs ut transfodiat. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam: [b] Jam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur: caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur & ad sanguinis fusionem, venitur & ad corporis incensionem: & tamen nihil prodest; quia caritas deest. Adde caritatem, prosunt omnia: detrahe caritatem, nihil prosunt cetera.

1. Cor. 13. 1. &c.

CAPUT III. Caritas quantum bonum.

Matth. 7. 22.

3. Quale bonum est caritas ista, Fratres? Quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid utilius? quid securius? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt, Domine, in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo dæmonia ejecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec respondebit ille, Non fecistis. Non enim in conspectu tanti judicis mentiri audebunt, aut jactare quæ non fecerunt. Sed quia caritatem non habuerunt, respondet omnibus illis, Non novi vos. Quomodo autem habet vel exiguam caritatem, qui etiam convictus non amat unitatem? Hanc Dominus unitatem commendans pastoribus bonis, [c] noluit multos appellare pastores. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli ceteri, & posteriores sancti episcopi, beatusque Cyprianus. Omnes hi pastores boni: & tamen ille pastoribus bonis non commendavit pastores bonos, sed pastorem bonum. *Ego sum*, inquit, *pastor bonus.*

CAPUT IV. Petrum aliosque esse pastores bonos.

4. Interrogemus Dominum qualicumque sensu, & humillima disceptatione cum tanto patre-familiâs colloquamur. Quid dicis, Domine, bone pastor? Tu enim bonus pastor, qui bonus agnus; idem pastor & pascua, idem agnus & leo. Quid dicis? Audiamus; & adjuva, ut intelligamus. *Ego sum*, inquit, *pastor bonus.* Quid Petrus?

[a] Citatur à Floro ad 1. Cor. 13. Habitum esse Carthagine post Collationem cum Donatistis, intelligimus ferè ex illis verbis n. 1. *iste Cyprianus*: & n. 3. *qui etiam convictus* &c.

[b] Colbertinus codex 821. & Florus, *numquid jam nihil sum?*

[c] Am. & Er. addunt hîc, *non commendans pastores bonos.* Lov. autem absque negatione, *commendans pastores bonos*: quod abest à MSS.

CLASSIS I.

aut non pastor, aut malus? Videamus, si non pastor. Amas me? Tu ei dixisti, Domine, Amas me? & respondit, Amo. Et tu ei, Pasce oves meas. Tu, tu Domine, interrogatione tua, firmamento oris tui, amatorem fecisti pastorem. Pastor est ergo, cui pascendas oves credidisti. Ipse commendasti, pastor est. Videamus jam utrùm non bonus. Ipsa id interrogatione & responsione ejus invenimus. Quæsisti, utrùm amet te: respondit, Amo. Vidisti cor, quia verum respondit. Non est ergo bonus, qui amat tantum bonum? Unde illa responsio ex intimis prolata visceribus? Unde ille Petrus testes oculos tuos habens in corde suo, contristatus quòd eum non solum semel, sed iterum & tertiò interrogasti, ut trina confessione amoris, deleret trinum peccatum negationis; unde ergo contristatus, quòd sæpe interrogatus esset ab eo qui sciret quod interrogabat, & donaverat quod audiebat; unde contristatus, talia verba retulit, Domine, tu scis omnia, ipse nosti quoniam te amo? Itane ille talia confitens, immo profitens mentiretur? Veraciter ergo respondit amorem tuum, & de intimo corde protulit amantis vocem. Tu autem dixisti, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Ergo & pastor, & bonus pastor: nihil quidem ad potestatem ac bonitatem pastoris pastorum: sed tamen etiam ipse & pastor, & bonus: & ceteri tales pastores boni.

Johan. 21. 15.
Matth. 12. 35.

CAPUT V. Unus tamen bonus pastor Christus.

5. Quid est ergo, quòd pastoribus bonis commendas unum pastorem, nisi quia in uno pastore doces unitatem? Et exponit apertiùs ipse Dominus per ministerium nostrum, ex ipso Evangelio commemorans Caritatem Vestram, & dicens, Audite quid commendavi, *Ego sum pastor bonus*, dixi: quia omnes ceteri, omnes pastores boni membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Ergo & pastor [a] pastorum, & pastores pastoris, & oves cum pastoribus sub pastore. Quid sunt hæc, nisi quod dicit Apostolus? Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum est corpus; sic & Christus. Ergo si sic & Christus, meritò Christus in se habens omnes pastores bonos, unum commendat, dicens, *Ego sum pastor bonus*. Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitate unum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit. Qui mecum non colligit, spargit. Ergo audite ipsam unitatem vehementiùs commendatam: *Habeo*, inquit, *alias oves, quæ non sunt de hoc ovili*. Loquebatur enim primo ovili de genere carnis Israël. Erant autem alii de genere fidei ipsius Israël, & extrà erant adhuc, in Gentibus erant, prædestinati, nondum congregati. Hos noverat qui prædestinaverat: noverat qui redimere sanguine suo fuso venerat. Videbat eos, nondum videntes eum: noverat eos, nondum credentes in eum. *Habeo*, inquit, *alias oves, quæ non sunt de hoc ovili*: quia non sunt de genere carnis Israël. Sed tamen non erunt extra hoc ovile, quia *oportet me eas adducere, ut sit unus grex & unus pastor*.

1. Cor. 12. 12.
Matth. 12. 30.
Johan. 10. 16.

Sponsæ ad Christum affectus.

6. Meritò huic pastori pastorum, amata ejus, sponsa ejus, pulcra ejus, sed ab ipso pulcra facta, priùs peccatis fœda, post indulgentiâ & gratiâ formosa, loquitur amans & ardens in eum, & dicit ei, *Ubi pascis?* Et videte quemadmodum, quo affectu hîc erigatur amor spiritalis. Meliùs multo

Cant. 1. 6.

A isto affectu delectantur, qui aliquid ex hujus amoris dulcedine gustaverunt. Illi hoc bene audiunt, qui amant Christum. In ipsis enim hoc, & de ipsis cantat Ecclesia in Canticis canticorum: qui amant Christum, quasi fœdum, & solum formosum. Vidimus enim eum, inquit, & non habebat speciem neque decorem. Talis in cruce apparuit, talem se spinis coronatus exhibuit, fœdum & sine decore, quasi amissâ potentiâ, quasi non Filium Dei. Talis visus est cæcis. Ex persona quippe Ju-
B dæorum hoc dixit Isaias, Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Quando dicebatur, Si Filius Dei est, descendat de cruce. Alios salvos fecit, se ipsum non potest. Et percutientes de calamo in caput, Prophetiza nobis Christe, quis te percussit. Quia non habebat speciem neque decorem. Talem Judæi videbatis. Quia cæcitas ex parte Israël facta est, donec plenitudo Gentium intraret, donec aliæ oves venirent. Quia ergo cæcitas facta est, ideo decorum sine decore vidistis. Si
C enim cognovissetis, numquam Dominum gloriæ crucifixissetis. Fecistis autem, quia non cognovistis. Et tamen ille qui vos quasi fœdus toleravit, pro vobis formosus oravit: Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Si enim sine decore, quid est quòd amat ista, quæ dicit, *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea?* Quid est quòd amat? quid est quòd ardet? quid est quòd tantum ne ab illo aberret, timet? Quid est quòd tantum delectatur in ipso, cui sola pœna est, esse sine ip-
D so? Quid esset unde amaretur, nisi formosus esset? Verùm quomodo illa sic amaret, si ille illi sic appareret, quomodo cæcis persequentibus, & quid faciant nescientibus? Qualem ergo illa amavit? Speciosum formâ præ filiis hominum. Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Ergo de ipsis labiis tuis *annuntia mihi, quem dilexit anima mea. Annuntia*, inquit, *mihi, ô quem dilexit*, non caro mea, sed
E *anima mea. Annuntia mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie: ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.*

SERM. DE SCRIPTURIS.
Isai. 53. 6.
Marci 15. 19. & 31.
Matth. 26. 68.
Rom. 11. 25.
1. Cor. 2. 8.
Lucæ 23. 34.
Cant. 1. 6.
Psal. 44. 3.

CAPUT VII. Sponsæ verba ut intelligenda.

7. Obscurum videtur, obscurum est: quia thalami sacri mysterium est. Ipsa enim dicit, *Introduxit me rex in cubiculum suum*. Talis cubiculi hoc secretum est. Sed vos qui ab isto cubiculo profani non estis, audite quod estis, & dicite cum illa, si amatis cum illa: amatis autem cum illa, si estis in illa. Dicite omnes, & tamen una dicat, quia unitas dicit: *Annuntia mihi, quem dilexit anima*
F *mea*. Erat enim illis in Deum una anima & cor unum. *Annuntia mihi, ubi pascis, ubi cubas in meridie*. Quid significat meridies? Magnum fervorem magnumque splendorem. Ergo notum fac mihi qui sint sapientes tui, spiritu ferventes, & doctrinâ fulgentes. Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. Ipsis inhæream in corpore tuo, ipsis socier, cum ipsis te fruar. Dic mihi ergo, *annuntia mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie*; ne incurram in eos qui alia
G de te dicunt, alia de te sentiunt; alia de te credunt, alia de te prædicant: & greges suos habent, & sodales tui sunt; quia de mensa tua vivunt, & mensæ tuæ sacramenta pertractant. Sodales enim dicti sunt, quòd simul edant, quasi simul edales. Tales exprobrantur in Psalmo: Si enim inimicus meus super me magna locutus fuisset, abscondis-

Cant. 1. 3.
Act. 4. 32.
Psal. 89. 12.
Sodales, quasi simul edales.
Psal. 54. 13. & c.

[a] Sic MSS. At Lov. *Ergo & pastor ipse est pastorum, & pastores multi sunt unius pastoris, & oves cum pastoribus sunt sub pastore.*

CLASSIS I.

» sem me utique ab eo: & si is qui oderat me, su- A
» per me magna locutus fuisset, absconderem me
» utique ab eo: tu verò unianimis meus, dux meus,
» & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas
» cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.
Quare contra domum Domini modò cum dissen-
1. Johan. 2. 19. su, nisi quia ex nobis exierunt, sed non erant ex
nobis? Ideo, ô tu, *quem dilexit anima mea*, ne
in tales incidam, sodales tuos, sed quales fuerunt
Judic. 14. sodales Samson, non servantes amico fidem, sed
volentes ejus corrumpere uxorem. Ergo ne in ta- B
les incurram, *ne fiam super eos*, id est, incidam
in eos, *velut operta*, velut latens & obscura, non
velut in monte constituta. *Annuntia* ergo *mihi*,
ô *quem dilexit anima mea*, *ubi pascis*, *ubi cubas*
in meridie; qui sunt sapientes & fideles, in qui-
bus maximè requiescis: ne fortè sicut latens in-
curram in greges, non tuos, sed sodalium tuorum.
Johan. 21. 15. Nam tu Petro non dixisti, Pasce oves tuas; sed
Pasce oves meas.

CAPUT VIII. Sponsi responsum.

8. Respondeat ergo amatæ huic pastor bonus, C
& speciosus formâ præ filiis hominum: respon-
deat ei quam formosam fecit ex filiis hominum.
Audite quid respondeat, intelligite, cavete quod
terret, amate quod monet. Quid ergo respon-
det? Quàm non blandè, sed blanditiis severita-
tem reddit. Corripit, ut constringat, ut servet.
Cant. 1. 7. *Nisi cognoveris temetipsam*, inquit, ô *pulcra inter*
mulieres: quantumlibet enim sint aliæ pulcræ
donis viri tui, hæreses sunt, ornatu, non visceri-
bus; pulcræ sunt foris, & extrinsecùs nitent, no- D
Psal. 44. 14. mine justitiæ se dealbant: Omnis autem pulcritu-
do filiæ regis intrinsecùs. *Nisi* ergo *cognoveris te-*
metipsam, quia una es, quia per omnes gentes es,
quia casta es, quia colloquio perverso malorum
sodalium corrumpi non debes. *Nisi cognoveris te-*
2. Cor. 11. 2. *metipsam*, quia rectè te mihi desponsavit ille vir-
ginem castam exhibere Christo; rectéque mihi te
ipsam exhibeas, ne malis colloquiis, sicut serpens
Evam seduxit astutiâ suâ, sic & tui sensus corrum-
pantur à castitate mea. *Nisi* ergo talem *cognoveris* E
temetipsam, exi tu: exi. Aliis enim dicturus sum, In-
Matth. 25. 21. tra in gaudium Domini tui. Tibi non dicam, In-
tra: sed, *Exi*: ut sis inter eos qui ex nobis exie-
runt. *Exi tu*. Sed *nisi cognoveris temetipsam*, tunc
exi. Si autem cognoveris temetipsam, intra. *Si*
autem *non cognoveris*, *exi tu in vestigiis gregum*, *&*
pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum. *Exi in*
vestigiis, non gregis, sed *gregum*: *& pasce*, non si-
cut Petrus oves meas, sed *hœdos tuos*: *in taberna-*
culis, non pastoris, sed *pastorum*; non unitatis, F
sed dissensionis; non ibi posita, ubi est unus grex
& unus pastor. Confirmata est, ædificata est,
amata fortior facta est, parata mori pro viro, &
vivere cum viro.

CAPUT IX. Sponsæ verba pravè usurpata à Donatistis.

9. Hæc verba quæ commemoravimus de san-
ctis Canticis canticorum, de sponsi & sponsæ
epithalamio quodam: spiritales enim nuptiæ sunt,
in quibus nobis magna castitate vivendum est;
quia Ecclesiæ concessit Christus in spiritu, quod
a mater ejus [a] habuit in corpore, ut & mater & G
virgo sit: hæc ergo verba Donatistæ accipiunt
ad sensum suum perversum multo aliter. Et quem-
admodum non tacebo, & quid eis respondeatis,
adjuvante Domino, quantum potero, breviter

SERM. DE SCRIPTURIS.

admonebo. Cùm eos urgere cœperimus luce
unitatis Ecclesiæ diffusæ toto orbe terrarum, &
poposcerimus ut ostendant ipsi de Scripturis
aliquod testimonium, ubi Deus prædixit in
Africa futuram Ecclesiam, quasi perditis cete-
ris gentibus; hoc solent testimonium in ore ha-
bere, & dicere: Africa in meridie est; interro-
gans ergo, inquiunt, Ecclesia Dominum ubi pas-
cat, ubi cubet; respondet ille, *In meridie*: ut
quasi vox interrogantis sit, *Annuntia mihi*, *quem*
dilexit anima mea, *ubi pascas*, *ubi cubes*: & vox
quasi respondentis, *In meridie*, hoc est, in Afri-
ca. Si ergo quæ interrogat, Ecclesia est, & Do-
minus ubi pascit respondet, in Africa, quia in
Africa erat Ecclesia: quæ interrogat, non erat in
Africa. *Annuntia*, inquit, *mihi*, *quem dilexit*
anima mea, *ubi pascas*, *ubi cubes*; & respon-
det ille cuidam Ecclesiæ præter Africam, *In*
meridie, in Africa cubo, in Africa pasco, qua-
si [b] in te non pasco. Porrò si quæ interrogat, b
Ecclesia est, quod nullus ambigit, quod nec ipsi
contradicunt; & audiunt nescio quid de Africa:
hæc ergo quæ interrogat præter Africam est; &
quia Ecclesia est, est præter Africam Eccle-
sia.

CAPUT X. Refelluntur Donatistæ.

10. Ecce accipio in meridie esse Africam:
quamquam magis in meridie sub sole medii diei
Ægyptus quàm Africa. * Illic autem in Ægy-
pto, quomodo pastor est iste, qui norunt agnos-
cunt: qui non norunt, requirant quàm ma-
gnum illic gregem colligat, quantam numero-
sitatem sanctorum atque sanctarum habeat con-
temnentium penitus mundum. Grex ille tan-
tum crevit, ut etiam inde superstitiones expu-
lerit. Ut ergo omittam, quomodo inde omnem
idolorum superstitionem, quæ illic valida fuerat,
[c] crescendo fugaverit: accipio quod dicitis, ô c
sodales mali; accipio prorsus, assentio Africam in
meridie esse, & Africam significatam in eo quod
dictum est, *Ubi pascis*, *ubi cubas in meridie?* Sed d
& vos [d] æquè adtendite adhuc ista verba spon-
sæ esse, nondum sponsi. Adhuc sponsa dicit,
Annuntia mihi, *quem dilexit anima mea*, *ubi pa-* «
scis, *ubi cubas in meridie*, *ne fortè fiam sicut oper-* «
ta. Surde, cæce, si in meridie vides Africam,
quare in operta non intelligis feminam? *Annun-*
tia mihi, dicit, *quem dilexit anima mea*. Utique
virum alloquitur, cùm dicit, *quem dilexit*. Quo-
modo si diceret, Annuntia mihi, quam dilexit
anima mea; intelligeremus sponsum hæc loqui
ad sponsam: sic cùm audis, *Annuntia mihi*, *quem*
dilexit anima mea, *ubi pascis*, *ubi cubas*; illuc
adde, ad hujus verba pertinent & quæ sequun-
tur, *in meridie*. Quæro *ubi pascas in meridie*, *ne*
fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.
Audio prorsus, accipio de Africa quod intelli-
gis; *in meridie*, ipsa significata est. Sed Ecclesia
Christi, sicut intelligis, transmarina alloquitur
sponsum suum, timens errorem incidere Africa-
num. O *quem dilexit anima mea*, *annuntia mihi*,
doce me. Audio enim in meridie, id est, in Afri-
ca, duas esse partes, immo multas concisiones.
Annuntia ergo *mihi ubi pascis*, quæ oves ad te
pertinent, quod ovile illic me jubes amare, cui
me debeo sociare. *Ne fortè fiam velut operta*.

[a] Lov. *habet*, dissentientibus editis aliis & MSS.
[b] Editi, *quasi te non pasco*: omissa particulâ *in*, quam habent plerique MSS.
[c] Sic MSS. At editi, *credendo*.
[d] Sic Fossatensis codex. Alii verò MSS. cum editis, *æquitatem*.

CLASSIS I. Illudunt enim quasi latenti, insultant quasi perditæ, quasi nusquam alibi exsistenti. *Ne* ergo *quasi operta*, quasi latens fiam, *super greges*, id est, super congregationes hæreticorum, *sodalium tuorum*, Donatistarum, Maximianistarum, Rogatistarum, ceterarumque [a] pestium extrà colligentium; & ideo spargentium, rogo te, annuntia mihi, si illic pastorem meum requiram, ut non in gurgitem rebaptizationis incurram. Hortor vos, obsecro vos per sanctitatem talium nuptiarum, amate hanc Ecclesiam, estote in tali Ecclesia, estote talis Ecclesia: amate pastorem bonum, virum tam pulcrum, neminem fallentem, neminem perire cupientem. Orate & pro dispersis ovibus: veniant & ipsi, agnoscant & ipsi, ament & ipsi: ut sit unus grex & unus pastor. Conversi ad Dominum, &c.

* Aliàs 51. de verbis Domini.

* SERMO CXXXIX.

De verbis Evangelii Johan. 10. Ego & Pater unum sumus.

CAPUT I. 1. DOMINUS Deus, Jesus Christus, Filius Dei unicus, natus de Deo Patre sine aliqua matre, & natus de virgine matre sine homine patre, audistis quid dixerit, *Ego & Pater unum sumus.* (Johan. 10. 30.) Sic accipite hoc, sic credite, ut mereamini intelligere. Fides enim debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium. Propheta enim apertissimè dixit, Nisi credideritis, non intelligetis. (Isai. 7. 9.) Quod ergo simpliciter prædicatur, credendum est: quod subtiliter disputatur, intelligendum est. Primitus ergo ad * imbuendas vestras mentes per fidem prædicamus vobis Christum Dei Patris Unicum. Quare additur, Unicum? Quia cujus est Unicus multos filios habet gratiâ. Ceteri ergo omnes sancti filii Dei sunt gratiâ, solus ille naturâ. Qui gratiâ filii sunt, non sunt quod Pater. Denique nullus sanctorum ausus est dicere, quod ille Unicus ait, *Ego & Pater unum sumus.* Numquid non Pater est & noster? Si non est Pater noster, quomodo dicimus orantes, Pater noster qui es in cælis? (Matth. 6. 9.) Sed nos filii sumus, quos voluntate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit quidem & nos, sed quomodo dicitur, adoptatos, adoptantis generatos beneficio, non naturâ. Denique & hoc dicti sumus, quia vocavit nos Deus in adoptionem filiorum: homines adoptati sumus. (Ephes. 1. 5.) Ille dicitur Unicus, Unigenitus; quia hoc est quod Pater: nos autem homines sumus, Deus est Pater. Quia ergo ille hoc est quod Pater; dixit, & verum dixit, *Ego & Pater unum sumus.* Quid est, *unum sumus?* Unius naturæ sumus. Quid est, *unum sumus?* Unius substantiæ sumus.

* Catechumenos alloqui videtur.

Christus quomodo Dei Patris unicus.

CAPUT II. Filius Dei & Pater sunt unius substantiæ.

2. Fortè minùs intelligitis quid est unius substantiæ. Laboremus, ut intelligatis; adjuvet Deus & me loquentem, & vos audientes: me, ut ea dicam quæ vera sunt & apta sunt vobis; vos autem, ante omnia & præcipuè ut credatis; deinde ut quomodo potestis intelligatis. Quid est ergo, unius substantiæ? Similitudines vobis adhibeam, ut quod minùs intelligitur, exemplo clarescat. Ut puta, aurum est Deus, aurum est & Filius ejus. De terrenis si ad cælestia non sunt dandæ similitudines, quomodo scriptum est, Petra autem erat Christus? (I. Cor. 10. 4.) Ergo quidquid est Pater, hoc est & Filius: sicut dixi, verbi gratiâ, Aurum est Pater, aurum est Filius. Nam qui dicit, Non est ipsius substantiæ Filius cujus est Pater: quid aliud dicit nisi, Aurum est Pater, argentum est Filius? Si aurum est Pater, argentum est Filius; degeneravit à Patre unicus Filius. Homo hominem generat: cujus substantiæ est pater qui generat, ipsius substantiæ est filius qui generatur. Quid est, ipsius substantiæ? Homo est ille, homo & ille: animam habet ille, animam & ille: carnem habet ille, carnem & ille: quod est ille, hoc & ille.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Arianorũ objectio. 3. Sed respondet mihi & dicit hæresis Ariana. Quid mihi dicit? Adtende quod dixisti. Quid dixi? Quia filius hominis comparandus est Filio Dei. Planè comparandus: sed non, ut putas, ad proprietatem; sed ad similitudinem. Tu autem quidvis hinc facere, dic. Non vides, dicit, quia major est pater qui genuit, & minor est filius qui generatus est? Quomodo ergo vos dicitis? dicite mihi: quomodo ergo vos dicitis, quia æquales sunt Pater & Filius, Deus & Christus; cùm videatis, quia homo quando generat filium, minor est filius, & major est pater? Homo sapiens, in æternitate tempora inquiris; ubi non sunt tempora, quæris ætates. Quando major est pater, minor est filius, ambo temporales sunt: ille crescit, quia ille senescit. Nam per naturam homo pater, per naturam, ut dixi, non genuit minorem; sed per ætatem. Vis nosse, quia per naturam non genuit minorem? Exspecta, crescat, & patri erit æqualis. Puer enim parvulus vel crescendo pervenit ad magnitudinem patris sui. Tu autem sic dicis minorem Dei Filium natum, ut numquam crescat & ad sui Patris magnitudinem vel crescendo perveniat. Jam ergo filius hominis natus ex homine, meliore conditione natus est quàm Filius Dei. Quomodo? Quia ipse crescit, & pervenit ad magnitudinem patris sui. Christus autem, si sicut dicitis, ideo [b] minor natus est, ut remaneat minor, & non sit exspectandus saltem ætatis accessus. Sic ergo dicis, quia est in natura diversitas. Sed quare hoc dicis, nisi quia non vis ejusdem substantiæ credere Filium, cujus substantiæ est Pater? Postremò priùs confitere ipsius esse substantiæ, & dic minorem. Adtende hominem, homo est. Quæ est substantia ejus? Homo est. Quid ille quem generat? Minor est, sed homo est. Ætas dispar est, æqualis natura est. Dic & tu, Quod est Pater, hoc est Filius, sed minor est Filius. Dic, fac gradum, dic ejusdem substantiæ, sed minorem, & pervenis ad æqualem. Non enim parum accedis, non parum propinquas veritati, qua confitearis æqualem, si ejusdem substantiæ confessus fueris & minorem. Sed non est ejusdem substantiæ, hoc dicis. Ergo quia hoc dicis, Aurum est & argentum: tale est quod dicis, quale si homo generaret equum. Alterius enim substantiæ est homo, alterius equus. Si ergo Filius alterius substantiæ est quàm Pater, monstrum generavit Pater. Quando enim creatura, id est, mulier parit quod non est homo, monstrum dicitur. Ut autem non sit monstrum, hoc est qui natus est, quod est ille qui genuit, id est, homo & homo, equus & equus, columba & columba, passer & passer.

CAPUT III. 4. Creaturis suis dedit, ut quod sunt, hoc ge-

[a] Plerique MSS. *bestiarum*. Fortè legendum est, *partium*.

[b] Sic optimæ notæ Colbertinus MS. At editi, *minoratus est*.

Classis I.

Quanta blasphemia dicere Filium Dei alterius substantiæ.

nerent. Creaturis suis dedit Deus, creaturis mortalibus, terrenis dedit, donavit, ut hoc quod sunt generent; & putas quia hoc sibi non potuit ipse servare, qui est ante sæcula? Qui non habet initium temporis, generaret filium non hoc quod ipse est, generaret degenerem? Audite quanta blasphemia sit dicere, unicum Dei Filium alterius esse substantiæ. Prorsus si ita est, degener est. Si dicas alicui filio hominis, Degener es, quanta injuria est? Et quomodo dicitur filius hominis degener? Ut puta, pater ipsius fortis est, ille timidus & ignavus. Quicumque illum viderit, & vult corripere, adtendens patrem ipsius virum fortem, quid ei dicit? Porrò vade degener. Quid est, degener? Fortis vir fuit pater tuus, & tu timore contremiscis. Ille cui hoc dicitur, vitio degener est, naturâ par est. Quid est, naturâ par est? Homo est, quod est & pater ipsius. Sed ille fortis, ille ignavus; ille audax, ille timidus: tamen homo & homo. Vitio ergo degener est, non naturâ. Tu quando dicis Unicum Filium, Unum Patris Filium degenerem esse, non aliud dicis, nisi quia non hoc est quod Pater: & non jam natus, degener factus est dicis; sed generatus est. Istam blasphemiam quis ferat? Qualibuscumque oculis si istam blasphemiam videre possent, fugerent eam, & catholici fierent.

Caput IV.

Ariani per Filii injuriam Patrem falsò honorant.

5. Sed quid dicam, Fratres? Non eis irascamur: sed pro eis oremus ut det eis Dominus intellectum; quia fortè hoc nati sunt. Quid est, hoc nati sunt? Hoc acceperunt à parentibus suis, quod tenent. Præponunt genus veritati. Fiant quod non sunt, ut possint servare quod sunt: hoc est, fiant catholici, ut possint servare quod homines sunt: ut non in illis pereat Dei creatura, accedat Dei gratia. Putant enim quia Patrem honorent per contumeliam Filii. Quando illi dixeris, Blasphemas: respondet, Quare blasphemo? Quia dicis Filium non hoc esse, quod Pater est. Et ille mihi, Immo tu blasphemas. Quare? Quia æquare vis Patri Filium. Æquare volo Patri Filium, numquid extraneum? Gaudet Pater, quando illi æquo Filium Unicum: gaudet, quia non invidet. Et Deus quia Filio Unico non invidet, ideo hoc quod ipse est generavit. Tu & Filio facis injuriam, & ipsi Patri, in cujus honorem vis contumeliam facere Filio. Certè enim ideo dicis non esse ejusdem substantiæ Filium, ne injuriam facias Patri ipsius. Ego tibi citò ostendo, quia injuriam facis ambobus. Quomodo, inquit? Si dicam Filio alicujus, Degener, non es similis patri tuo: degener, non hoc es quod pater. Audit illud filius, & irascitur, & dicit, Ergo degener natus sum? Audit illud pater, & plus irascitur. Iratus autem quid dicit? Ergo ego filium degenerem generavi? Ergo si aliud sum, aliud generavi, monstrum generavi. Quid est, quia cùm vis uni deferre per alterius injuriam, ambobus facis injuriam? Filium offendis, sed Patrem non propitiabis. Cùm de Filii contumelia honoras Patrem, & Filium offendis & Patrem. A quo fugis? ad quem fugis? Numquid irascente tibi Patre, fugis ad Filium? Quid tibi dicit? Ad quem fugis, quem degenerem fecisti? Numquid offenso Filio curris ad Patrem? Dicit & ipse tibi, Ad quem fugis, quem degenerem genuisse dixisti? Sufficiat vobis, hoc tenete, hoc memoriæ commendate, hoc in vestra fide conscribite. Hoc autem ut intelligatis, ad Deum Patrem & Filium, qui unum sunt, preces fundite.

Serm. de Scripturis.

* SERMO CXL.

* Aliàs ex Sirmondianis 16.

De [a] *verbis Evangelii Johan.* 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit. *Contra quoddam dictum* [b] *Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto Comite constitutus in Africa blasphemabat.*

Fides in Christum. Johan. 12. 44.

1. Quid est quod audivimus, Fratres, dicentem Dominum, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit?* Bonum est nobis credere in Christum; maximè quia ipse apertè etiam dixit istud quod audistis, hoc est, quoniam ipse lux venerat in mundum, & qui credit in eum, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Bonum est ergo credere in Christum. Magnum bonum est credere in Christum: & magnum malum est non credere in Christum. Sed quia Christus Filius de Patre est quidquid est, Pater autem non est de Filio, sed Pater est Filii; commendat quidem in se fidem, sed honorem revocat ad auctorem.

Ibidem 46. & Johan. 8. 12.

Nativitates Christi duæ.

2. Hoc enim firmum & fixum tenete, si vultis perseverare Catholici, quia Deus Pater Deum Filium genuit sine tempore, & fecit ex Virgine in tempore. Nativitas illa excedit tempora: nativitas ista inluminat tempora. Ambæ tamen nativitates mirabiles: illa sine matre, ista sine patre. Quando genuit Deus Filium, de se genuit, non de matre: quando genuit mater filium, virgo genuit, non de viro. De Patre natus est sine initio: de matre natus est [c] hodie certo initio. De Patre natus fecit nos: de matre natus refecit nos. De Patre natus est, ut essemus: de matre natus est, ne periremus. Genuit autem Pater æqualem sibi, & totum quidquid est Filius, habet de Patre. Quod autem Deus Pater est, non habet de Filio. Itaque dicimus Patrem Deum de nullo, Filium Deum de Deo. Propterea omne quod Filius facit mirabiliter, omne quod dicit veraciter, ei tribuit de quo est; nec esse potest aliud, quàm ille de quo est. Adam factus est homo: potuit esse aliud, quàm est factus. Factus est enim justus, & potuit esse injustus. Unigenitus autem Dei Filius, quod est, hoc mutari non potest: in aliud converti non potest, minui non potest, quod erat non esse non potest, non esse Patri æqualis non potest. Sed planè ille, qui omnia Filio dedit nascenti, dedit non indigenti; sine dubio & ipsam æqualitatem cum Patre Pater dedit Filio. Quomodo Pater dedit? numquid minorem genuit, & addidit illi ad formam, ut faceret æqualem? Si hoc fecisset, indigenti dedisset. Jam verò dixi vobis, quod firmissimè tene-

[a] Apud Sirmondum inscribitur, *In die Natalis Domini.* Apud veteres etiam, quos vidimus codices, exstat inter Sermones de Christi Natali, cum titulo propè eodem: quo nos diem, non in qua Sermo habitus ab Augustino, sed in qua legendus in Ecclesia erat, indicari arbitramur.

[b] Segisvultum Comitem Prosper in Chronico narrat in Africam missum fuisse Hierio & Ardabure Coss. hoc est anno Christi 427. Cum eo tunc fuisse Maximinum episcopum, Maximinus ipse profitetur initio collationis, quam Hippone habuit cum Augustino. *Ego*, inquit, *in hanc civitatem ...... missus à Comite Segisvulto contemplatione pacis adveni.* Pertinet ergo hîc Sermo ad annum circiter 428.

[c] Vocem, *hodie*, hîc & in Sermonis fine ab iis additam suspicamur, quorum consilio institutum fuit, ut idem Sermo in Christi Nativitate legeretur.

Classis I. | Serm. de Scripturis.

re debetis, id est, totum quod est Filius Pater dedit, sed nascenti, non indigenti. Si nascenti dedit, non indigenti, & æqualitatem sine dubio dedit, & æqualitatem dando æqualem genuit. Et licet alius sit ille, alius iste; non tamen aliud est ille, aliud iste: sed quod ille, hoc & iste. Non qui ille, hic & iste: sed quod ille, hoc & iste.

Johan. 12. 49.

3. *Qui me misit*, inquit, audistis: *Qui me misit*, inquit, *ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*: * *& scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Johannis Evangelium est, tenete. *Qui me misit, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar: & scio quia mandatum ejus vita æterna est.* O si donet, ut dicam quod volo! Facit enim mihi angustias inopia mea, & copia illius. *Ipse*, inquit, *mandatum mihi dedit quid dicam, & quid loquar: & scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Quære in Epistola Johannis hujus Evangelistæ quid de Christo dixit. Credamus, inquit, in verum Filium ejus Jesum Christum. Ipse est verus Deus, & vita æterna. Quid est, Verus Deus, & vita æterna? Verus Filius Dei, verus Deus est, & vita æterna. Quare dixit, in verum Filium ejus? Quia multos filios habet Deus, propterea discernendus erat, addendo quòd verus esset Filius. Non tantùm dicendo quòd est Filius; sed addendo, ut dixi, quòd est verus Filius: ideo discernendus erat, propter multos filios, quos habet Deus. Nos enim filii sumus gratiâ, ille naturâ. Nos facti à Patre per ipsum: ille quod Pater, hoc & ipse est: numquid quod Deus est, sumus & nos?

ỳ. 50. | *1. Johan. 5. 20.* | Verus Filius Dei cur dictus Christus.

Johan. 10. 30. | Unum se esse cum Patre neno præter Christum dicere ausit.

4. Sed quidam de transverso, nesciens quid loquatur ait, Propterea dictum est, Ego & Pater unum sumus, quia habent inter se concordem voluntatem, non quia ipsa est natura Filii, quæ est natura Patris. Nam & Apostoli, (& hoc ille[a] dixit, non ego:) nam & Apostoli unum sunt cum Patre & Filio. Horrenda blasphemia! Et Apostoli, inquit, unum sunt cum Patre & Filio, quia obediunt voluntati Patris & Filii. Hoccine ausus est dicere? Dicat ergo Paulus, Ego & Deus unum sumus. Dicat Petrus, dicat quilibet Propheta, Ego & Deus unum sumus. Non dicit: absit ut dicat. Novit se aliam esse naturam, salvandam naturam: novit se aliam esse naturam, illuminandam naturam. Nemo dicit, Ego & Deus unum sumus. Quantumcumque proficiat, quantumcumque sanctitate præpolleat, quantolibet culmine virtutis excellat, numquam dicit, Ego & Deus unum sumus: quia si habet virtutem, & ideo hoc dicit; hoc dicendo, quod habebat, amisit.

Æqualitas Filii cum Patre.

5. Æqualem ergo Patri credite Filium: sed tamen de Patre Filium, Patrem verò non de Filio. Origo apud illum, æqualitas apud istum. Nam si æqualis non est, verus filius non est. Quid enim dicimus, Fratres? Si æqualis non est, minor est: si minor est, interrogo salvandam naturam malè credentem, quomodo minor natus est. Respondee, Minor crescit, an non? Si crescit, ergo & Pater senescit. Si autem quod natus est, hoc erit; si minor natus est, & minor erit: cum detrimento suo perfectus erit, cum detrimento formæ Patris perfectus natus, numquam perventurus est ad formam Patris. Sic impii addicitis Filium: sic hæretici blasphematis Filium. Quid ergo Catholica fides dicit? Filius Deus de Patre Deo: Pater Deus non de Filio Deus. Sed Filius Deus æqualis Patri, æqualis natus, non minor natus; non æqualis factus, sed æqualis natus. Quod est ille, hoc & iste qui natus est. Aliquando fuit Pater sine Filio? Absit. Tolle aliquando, ubi tempus non est. Semper Pater, semper Filius. Sine initio temporis Pater, sine initio temporis Filius: numquam Pater ante Filium, numquam Pater sine Filio. Sed tamen quia Filius Deus de Deo Patre, Pater autem Deus, sed non de Deo Filio; non nobis displiceat honorificentia Filii in Patre. Honorificentia enim Filii Patri tribuit honorem, non suam minuit divinitatem.

Verbum Dei mandatum Patris. | *Johan. 12. 50.* | *1. Johan. 5. 20.*

6. Quia ergo dicebam, quod proposueram, *Et scio*, ait, *quia mandatum ejus vita æterna est.* Intendite, Fratres, quod dico: *Scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Et legimus apud ipsum Johannem de Christo, Ipse est verus Deus, & vita æterna. Si mandatum Patris vita æterna est, & Christus Filius ipse est vita æterna; mandatum Patris ipse Filius est. Quomodo enim non est mandatum Patris, quod est Verbum Patris? Aut si mandatum à Patre Filio datum carnaliter accipitis, tamquam dixerit Pater Filio, Hoc mando tibi, hoc illud volo facias: quibus verbis locutus est unico Verbo? Numquid quando mandatum dabat ad Verbum, verba quærebat? Quia ergo vita æterna est Patris mandatum, & ipse Filius est vita æterna, credite & accipite, credite & intelligite, quia Propheta dicit, Nisi credideritis, non intelligetis. Non capitis? dilatamini. Apostolum audite: Dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus. Qui hoc nolunt credere, ante quàm capiant, infideles sunt. Quia verò infideles esse voluerunt, imperiti remanebunt. Credant ergo, ut intelligant. Prorsus mandatum Patris vita æterna est. Ergo mandatum Patris ipse Filius est, qui hodie natus est: mandatum non à tempore datum, sed mandatum natum. Exercet mentes Evangelium Johannis, limat & excarnat, ut de Deo non carnaliter, sed spiritaliter sapiamus. Sufficiant ergo ista, Fratres, vobis: ne in longitudine disputationis subrepat somnus oblivionis.

Isai. 7. 9. | *2. Cor. 6. 14.*

* SERMO CXLI.

Aliàs 55. de verbis Domini.

De verbis [b] *Evangelii Iohan.* 14. Ego sum via, & veritas, & vita.

Caput I. | *Johan. 14. 6.* | *Florus ad Rom. 1.*

1. INTER cetera, cùm sanctum Evangelium legeretur, audistis quod ait Dominus Jesus, *Ego sum via, & veritas, & vita.* Veritatem & vitam omnis homo cupit: sed viam non omnis homo invenit. Deum esse quamdam vitam æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiam hujus sæculi philosophi viderunt. Veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem, ubi sunt omnes rationes rerum omnium creatarum, viderunt quidem, sed de longinquo; viderunt, sed in errore positi: & idcirco ad eam tam magnam & ineffabilem & beatificam possessionem, qua via perveniretur, non invenerunt. Nam qui

Veritas à Philosophis hujus sæculi inventa, non via.

[a] Maximinus in Collatione Aug. cum ipso, & lib. 2. cont. eumd. c. 22.

[b] Hunc, opinamur, Sermonem notat Possidius in Indic. cap. 8. his verbis: *Ex Evangelio, Ego sum via; veritas & vita; Sermo habitus cùm Pagani ingrederentur.* Totum ferè exscripsit Florus ad Rom. 1.

CLASSIS I.

viderunt etiam ipsi, (quantum videri ab homine A potest,) creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum, Paulus apostolus testis est, cui utique debent credere Christiani. Ait enim, cùm de talibus loqueretur, Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem. Ista, sicut recognoscitis, Pauli apostoli verba sunt. Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent. Numquid dixit eos non detinere veritatem? Sed veritatem B in iniquitate detinent. Bonum est quod tenent: sed malum est ubi tenent. Veritatem in iniquitate detinent.

Rom. 1. 18. &c.

Unde ab illis inventa veritas.

2. Occurrebat autem, ut diceretur ei, Unde illi impii veritatem detinent? Numquid Deus ad quemquam eorum locutus est? Numquid legem acceperunt, sicut Israëlitarum populus per Moysen? Unde ergo detinent veritatem, vel in ipsa iniquitate? * Audite quod sequitur, & ostendit. Quia quod notum est Dei, inquit, manifestum C est in illis: Deus enim illis manifestavit. Manifestavit illis quibus legem non dedit? Audi quomodo manifestavit. Invisibilia enim ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundum, ornatum cæli, fulgorem dispositionemque siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium: interroga terram fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, [a] hominibus exornatam: interroga mare, quantis & qualibus natatilibus plenum: interroga D aëra, quantis volatilibus viget: interroga omnia, & vide si non sensu suo tamquam tibi respondent, Deus nos fecit. Hæc & philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt. Quid ergo? quare revelatur ira Dei super ipsam impietatem? Quia veritatem in iniquitate detinent? Veniat, ostendat quomodo. Jam enim dixit, quomodo cognoverunt. Invisibilia ejus, id est, Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ut E sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum honorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Apostoli verba sunt, non mea: Et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Quod curiositate invenerunt, superbiâ perdiderunt. Dicentes se esse sapientes, id est, donum Dei sibi tribuentes, stulti facti sunt. Verba, inquam, Apostoli sunt: Dicentes se esse F sapientes, stulti facti sunt.

*CAPUT II.

CAPUT III. Stultitia colentium idola.

3. Ostende, proba stultitiam ipsorum. Ostende Apostole, & sicut ostendisti nobis unde potuerunt pervenire ad cognitionem Dei, quoniam invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ita nunc ostende quomodo dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Audi: Quia immutaverunt, ait, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & G serpentium. [b] Figuras enim istorum animalium, sibi deos Pagani fecerunt. Invenisti Deum, & colis idolum. Invenisti veritatem, & ipsam veritatem in injustitia detines. Et quod per Dei opera cognovisti, per opera hominis perdis. Totum considerasti, cæli, terræ, maris, elementorumque omnium ordinem collegisti: istud non vis adtendere, quòd mundus opus est Dei, idolum opus est fabri. Si faber idolo, sicut dedit figuram, daret & cor, ab ipso idolo faber adoraretur. Quomodo enim, ô homo, faber tuus Deus est, sic homo idoli faber est. Quis est Deus tuus? Qui te fecit. Quis est Deus fabri? Qui illum fecit. Quis est Deus idoli? Qui fecit illud. Ergo si idolum cor haberet, nonne fabrum adoraret qui illud fecit? Ecce in qua iniquitate veritatem tenuerunt, & ad possessionem illam quam viderunt, viam perducentem non invenerunt.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT IV. Christus factus via. *Johan. 1. 4.*

4. Christus autem, quia ipse est apud Patrem veritas & vita, Verbum Dei, de quo dictum est, Vita erat lux hominum: quia ergo ipse est apud Patrem veritas & vita, & non habebamus quà iremus ad veritatem, Filius Dei qui semper in Patre veritas & vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, & pervenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere quà ad illum venias, præter ipsum. Si enim via esse ipse noluisset, semper erraremus. Factus ergo via est quà venias. Non tibi dico, quære viam. Ipsa via ad te venit: surge & ambula. Ambula moribus, non pedibus. Multi enim bene ambulant pedibus, & malè ambulant moribus. Aliquando enim ipsi bene ambulantes, præter viam [c] currunt. Invenies quippe homines bene viventes, & non Christianos. Bene currunt: sed in via non currunt. Quantò plus currunt, plus errant; quia à via recedunt. Si autem tales homines perveniant ad viam, & teneant viam, ô quanta securitas est, quia & bene ambulant, & non errant. Si autem non tenent viam, quantumvis bene ambulent, heu quàm dolendum est. Melius est enim in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare. Hæc satis sint Caritati Vestræ. Conversi ad Dominum, [d] &c.

* SERMO CXLII.

De [e] iisdem verbis Evangelii Iohan. 14. Ego sum via &c.

** Aliàs 54. de verbis Dom. & 34. ex hom. 50.*

CAPUT I. Via tota Christus.

1. ERIGUNT nos divinæ lectiones, ne desperatione frangamur: & rursus terrent, ne superbiâ ventilemur. Tenere autem viam mediam, [f] veram, rectam, tamquam inter sinistram desperationis & dexteram præsumtionis, difficillimum esset nobis, nisi Christus diceret, *Ego sum*, inquit, *via, & veritas, & vita.* Tamquam diceret, Quà vis ire? *Ego sum via.* Quò vis ire? Ego sum *veritas.* Ubi vis permanere? Ego sum *vita.* Securi ergo ambulemus in via: sed insidias timeamus juxta viam. Inimicus insidiari non audet in via; quia Christus est via: sed juxta viam planè non desinit. Unde & in Psalmo dicitur, Juxta semitas scandala posuerunt mihi. Dicit & alia Scriptura, Memento quia in medio laqueorum ingrederis. Isti laquei inter quos ingredimur, non sunt in via: sed tamen sunt juxta viam. Quid formidas, quid metuis,

Johan. 14. 6.

Psal. 139. 6.

Eccli. 9. 20.

a Plerique MSS. *in omnibus exornatam.*
b Am. & aliquot MSS. *Figurâ.*
c Plures MSS. *corruunt.*
d In plerisque MSS. clausula Sermonis hæc est, *Conversi ad Dominum, gratias agamus ei qui vivit & regnat in sæcula sæculorum.*

e Tractatus iste continetur in MSS. duplicis generis, eoque factum est ut in antiquioribus excusis bis ederetur, primo quidem brevior inter Sermones de verbis Domini, secundo autem loco prolixior inter homilias quinquaginta, quantus hîc exhibetur.
f Colbertinus codex, *viam rectam.*

si in via ambulas? Tunc time, si deseris viam. Nam ideo etiam permittitur inimicus ponere juxta viam laqueos, ne securitate exsultationis via deseratur, & in insidias incidatur.

Via Christus humilis.

2. Via Christus humilis: Christus veritas & vita, Christus excelsus & Deus. Si ambules in humili, pervenies ad excelsum. Si infirmus humilem non asperneris, in excelso fortissimus permanebis. *Caput II.* * Quæ enim caussa humilitatis Christi, nisi infirmitas tua? Valde enim & irremediabiliter te obsidebat infirmitas tua & hæc res fecit ut veniret ad te tantus medicus. Si enim vel sic ægrotares, ut tu posses ire ad medicum, poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas. Sed quia tu ire non potuisti ad eum, ille venit ad te. Venit docens humilitatem, qua redeamus: quia superbia nos redire non sinebat [a] ad vitam; & ipsa fecerat nos à vita recedere. Exaltatum enim humanum cor adversùs Deum, & negligens in ipsa sanitate præcepta salutaria, decidit anima in infirmitatem: discat audire infirma [b] quem contemsit fortis. Audiat ut surgat, quem sprevit ut caderet. Audiat tandem experimento edocta, quod præcepto noluit obtinere. Docuit enim eam miseria sua, quid mali sit à Domino fornicari. Recedere enim ab illo simplici & singulari bono, in istam multitudinem voluptatum, in amorem sæculi corruptionemque terrenam, fornicari est à Domino. Et quodam modo fornicantem allocutus est, ut rediret: sæpissime per Prophetas increpat tamquam fornicariam, non tamen desperatam; quia in manu habet etiam mundationem fornicariæ, qui increpat fornicariam.

Fornicari à Domino.

Caput III. Objurgatio peccatoris, ut salubriter confundatur.

3. Non enim sic increpat, ut insultet: sed ad [c] confusionem vult perducere, ut sanet. Exclamavit Scriptura vehementer, nec palpavit adulando, quos voluit reparare sanando. Adulteri, nescitis, quia amicus hujus mundi inimicus Deo constituitur? *Jacobi 4. 4.* Amor mundi adulterat animam, amor fabricatoris mundi castificat animam: sed nisi de corruptione erubuerit, ad amplexus illos castos redire non concupiscit. Confundatur ut redeat, quæ se jactabat ne rediret. Superbia ergo impediebat animæ reditum. Qui autem increpat, non facit peccatum, sed ostendit peccatum. Quod nolebat anima videre, ponitur ei ante oculos; & quod post dorsum habere cupiebat, ad faciem illi admovetur. Vide te in te. Quid vides stipulam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? *Matth. 7. 3.* Revocatur ad se anima, quæ ibat à se. Sicut à se ierat, sic à Domino suo ibat. Se enim respexerat, sibique placuerat, suæque potestatis amatrix facta fuerat. Recessit ab illo, & [d] non remansit in se: & à se repellitur, & à se excluditur, & in exteriora prolabitur. Amat

A mundum, amat temporalia, amat terrena: quæ si se ipsam amaret, neglecto à quo facta est, jam minus esset, jam deficeret amando quod minus est. Minus est enim ipsa quàm Deus; & longè minus, tantóque minus, quantò minus est res facta quàm factor. Ergo amandus [e] erat Deus; & amandus est Deus ita, ut si fieri potest, nos ipsos obliviscamur. Quis ergo est iste transitus? Oblita est anima se ipsam, sed amando mundum: [f] obliviscatur se, sed amando artificem mundi.
B Pulsa ergo & à se, quodam modo perdidit se, nec facta sua novit videre, justificat iniquitates suas: effertur & superbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in potestatibus, in divitiis, in potentia vanitatis. Arguitur, corripitur, ostenditur sibi, displicet sibi, confitetur fœditatem, desiderat pulcritudinem, & quæ ibat effusa, redit confusa.

Caput IV.

4. Contra illam videtur orare, an pro illa, qui dicit, Imple facies eorum ignominiâ? *Psal. 82. 17.* Adversarius apparet, inimicus apparet. Audi quod sequi-
C tur, & vide utrùm orare possit amicus. Imple, inquit, facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine. Oderat eos, quorum facies ignominiâ impleri cupiebat? Vide quemadmodum amat eos, quos vult quærere nomen Domini. Amat tantùm, an odit tantùm? an & odit & amat? Immo & odit & amat. Odit tua, amat te. Quid est, Odit tua, amat te? Odit quod fecisti, amat quod fecit Deus. Quæ sunt enim tua nisi peccata? Et quid es tu, nisi quod fecit deus [g] ho-
D minem ad imaginem & similitudinem suam? Negligis quod factus es, diligis quod fecisti. Amas extra te opera tua, negligis in te opus Dei. Meritò is, meritò laberis, meritò & à te ipso pergis: meritò audis, Spiritus ambulans, & non revertens. *Psal. 77. 39* Audi potiùs vocantem, & dicentem, Convertimini ad me, & convertar ad vos. *Zach. 1. 3.* Non enim Deus avertitur, & convertitur: manens corripit, incommutabilis corripit. Aversus est, quia tu te avertisti. Tu ab illo fecisti casum, non
E ipse à te fecit occasum. *Tract. 2. in Evang. Johan. n. 8.* Ergo audi dicentem tibi, Convertimini ad me, & convertar ad vos. Hoc est enim, convertor ad vos, quia convertimini ad me. Fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. Quò enim fugies à Deo fugiens? Quò fugies fugiens ab illo qui nullo loco continetur, & nusquam absens est? Qui conversum liberat, punit aversum. Habes judicem fugiens, patrem habeto rediens.

Odium peccatoris cum ejus amore.

Tumor humilitatis medicamento sanandus.

5. Tumuerat autem superbiâ, & ipso tumore
F per angustum redire non poterat. * Clamat ille qui factus est via, Intrate per angustam portam. *Caput V.* *Matth. 7. 13.* Conatur ingredi, impedit tumor: & tantò magis perniciosè conatur, quantò magis impedit tumor. Tumidum enim [h] vexat angustia; vexa-

[a] Sic editi & MSS. in classe Sermonum de verbis Domini. At in classe homiliarum 50. editi Am. Er. & MSS. habent hoc modo, *nos redire non sinebat: quia & superbia fecerat recedere exaltatum humanum cor adversùs Deum.*

[b] Am. Er. & MSS. in classe Serm. de verbis Dom. *illum quem contemsit incolumis.* Paulóque post iidem libri, *quod præcepto docta noluit obtinere. Docuit enim eam miseria sua, quam fecit negligentem felicitas, heù quid mali sit à Domino fornicari, de se præsumendo; ô quàm bonum sit adhærere Domino, semper humile sentiendo. Recedere enim ab illo simplici & singulari bono, in istas multitudinum voluptates, & in amorem sæculi corruptionesque terrenas accedere, hoc est fornicari à Domino. Huic clamatur,* (Jerem. 3. 3.) *Facies fornicaria facta est tibi, & impuderata facta es tota. Videamus nunc objurgationis consilium. Non enim sic increpat, ut insultet: sed ad confusionem vult perducere præsumtionem, ut sanet. Exclamavit Scriptura* &c.

[c] Germanensis & Remigiensis MSS. *ad confessionem.* Sed minùs bene.

[d] In MSS. homiliarum 50. *& remansit in se.* Mox in aliis MSS. Sermonum de verbis Dom. *Ideo & à se pellitur:* quo modo etiam apud Am. & Er. ibidem.

[e] Am. Er. & MSS. in classe Serm. de verb. Dom. habent sic, *Ergo amandus est Deus pro amore ejus, ita ut* &c. excepto Fossatensi libro, in quo legitur, *Ergo amandus est Deus, ita ut si fieri potest, pro amore ejus* &c.

[f] Sic omnes propè MSS. At editi in classe homil. 50. *sed amando mundum oblita est se. Sed non amando artificem mundi pulsa est & à se. Pulsa ergo* &c. MSS. Sermonum de verbis Dom. *Pulsa est ergo à se, quod amando perdidit se: & quia nec facta sua* &c. Sic ferè Am. & Er. ibidem.

[g] In MSS. Sermonum de verbis Domini deest, *hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

[h] MSS. homiliarum 50. *Tumidum enim vexatum ampliùs tumebit; ampliùs tumens* &c.

CLASSIS I.

tus autem ampliùs tumebit; ampliùs tumens quando intrabit? Ergo detumescat. [a] Unde detumescit? Accipiat humilitatis medicamentum: bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre; bibat poculum humilitatis. Quid se artat? Non sinit moles, non magna, sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus tumidus videatur: detumescat, ut magnus sit, ut certus, ut solidus. Non ista desideret, non de ista pompa rerum labentium corruptibiliumque glorietur: audiat eum ipsum qui dixit, Intrate per angustam portam, dicentem, *Ego sum via*. Quasi enim quæreret tumidus, Quà intrabo? *Ego sum via*, inquit, per me intra: non nisi per me ambulas, ut intres [b] per januam. Nam sicut dixit, *Ego sum via*: ita etiam, Ego sum janua. Quid quæris quà redeas, quò redeas, quà intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est. Breviter ergo dicit, Humilis esto, mitis esto. Audiamus hoc apertissimè dicentem, ut [c] videas quà sit via, quæ sit via, quò sit via. Quò vis venire? Certè fortè avaritiâ omnia vis possidere. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, inquit. Fortasse dicturus es, Christo sunt tradita, numquid mihi? Audi Apostolum dicentem: audi, ut dixi jam dudum, ne desperatione frangaris; audi quomodo amatus es non amandus, audi quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam esset in te quod amari dignum esset. Amatus es priùs, ut dignus fieres qui amareris. Etenim christus, sicut ait Apostolus, pro impiis mortuus est. An fortè impius amari merebatur? Quæro quid merebatur impius? Damnari, respondes. Christus tamen pro impiis mortuus est. Ecce quid tibi præstitum est impio, jam pio quid servatur? Quid præstitum est impio? » Christus pro impiis mortuus est. Desiderabas autem omnia possidere: noli per avaritiam, per pietatem hoc quære, per humilitatem hoc quære. Si enim ita quæsieris, possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia, & cum ipso omnia possidebis. [d]

Johan 14. 6. — b Christus & via & janua. Johan. 10. 7. — Matth. 11. 27. — Rom. 5. 6.

CAPUT VI. Rom. 8. 32. Christus medicus poculum prior ægroto bibit.

6. Non hæc nos quasi ratiocinando dicimus. Ipsum audi Apostolum dicentem: Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit » illum: quomodo non & cum illo omnia no- » bis donavit? Avare, ecce habes omnia. Omnia quæ amas, ut [e] non impediaris à Christo, contemne, & ipsum tene in quo possis omnia possidere. Ipse ergo medicus nihil tali indigens medicamento, tamen ut exhortaretur ægrotum, bibit quod opus ei non erat: tamquam recusantem alloquens, & trepidum erigens bibit prior. Calicem, inquit, quem ego bibiturus sum: qui in me non habeo quod ab illo calice sanetur, bibiturus sum tamen, ne tu dedigneris bibere, cui opus est ut bibas. Jam videte, Fratres, si ampliùs ægrotare debet genus humanum acceptâ tantâ medicinâ. Jam humilis Deus, & adhuc superbus homo? Audiat, discat. Omnia mihi, inquit, tradita sunt à Patre meo. Si desideras omnia, mecum habebis: si desideras Patrem, per me habebis, & in me habebis. Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius. Noli desperare: veni ad Filium. Audi quod sequitur: Et cui voluerit Filius revelare. Dicebas, Non possum. Per [f] angustum me vocas: non possum intrare per angustum. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Sarcina vobis tumor vester est. Veni- « te ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & « ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, « & discite à me.

Matth. 20. 22. — Matth. 11. 27. — Ibidem.

« SERM. DE SCRIPTURIS. — f Ibidem 28.

CAPUT VII. Christus à se vult, non mirabilia facere, sed humiles esse discamus.

7. Clamat magister Angelorum, clamat Verbum Dei, quo rationales omnes mentes sine defectu pascuntur, cibus reficiens & integer permanens, clamat, & dicit, Discite à me. Exaudiat populus dicentem, Discite à me. Respondeat, Quid discimus à te? A magno enim artifice nescio quid audituri sumus, cùm dicit, Discite à me. Quis est qui dicit, Discite à me? Qui formavit terram, qui divisit mare & aridam, qui creavit volatilia, qui creavit animalia terrena, qui creavit omnia natantia, qui posuit in cælo sidera, qui distinxit diem & noctem, qui firmavit ipsum firmamentum, qui lucem à tenebris separavit, ipse dicit, Discite à me. Numquid fortè hoc nobis dicturus est, ut ista cum illo faciamus? Quis hoc potest? Solus Deus facit. Noli, inquit, timere, non te onero. Hoc à me disce, quod propter te factus sum. Discite à me, inquit, non formare creaturam, quæ per me facta est. Nec illa quidem dico discatis, quæ quibusdam donavi quibus volui, non omnibus, suscitare mortuos, illuminare cæcos, aperire aures surdorum: nec ista pro magno velitis discere à me. Gavisi discipuli & exsultantes redierunt, dicentes, Ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subjecta sunt. Ait « illis Dominus, Nolite in hoc gaudere, quia dæ- « monia vobis subjecta sunt: gaudete potiùs, quia « nomina vestra scripta sunt in cælo. Quibus voluit donavit expellere dæmonia, donavit quibus voluit mortuos suscitare. Facta sunt hæc miracula & ante incarnationem Domini: suscitati sunt mortui, mundati sunt leprosi; legimus hæc. Et quis fecit tunc, nisi ille qui postea homo Christus post David, sed Deus Christus ante Abraham? Ipse donavit hæc omnia, ipse per homines fecit: nec omnibus tamen hæc dedit. Numquid quibus non dedit desperare debent, & dicere se ad eum non pertinere, quia hæc dona accipere non meruerunt? In corpore membra sunt: aliud potest illud membrum, aliud illud. Compegit corpus Deus, non tribuit auri ut videat, nec oculo ut audiat, nec fronti ut olfaciat, nec manui ut gustet; non dedit hæc: sed omnibus membris sanitatem dedit, compagem dedit, unitatem dedit, spiritu omnia pariter vivificavit & univit. Sic ergo non dedit quibusdam mortuos suscitare, aliis non dedit disputare: omnibus tamen quid dedit? Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. « Quoniam audivimus dicentem, Mitis sum & humilis corde: Fratres mei, tota medicina nostra ista est, Discite à me, quoniam mitis sum & hu- « milis corde. Quid prodest, si miracula faciat, & sit superbus, non sit mitis & humilis corde? Nonne in illo numero deputabitur eorum, qui venturi sunt in fine & dicturi, Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtu-

Lucæ 10. 17. — 4. Reg. 4. & 5. — Matth. 7. 22.

a MSS. Sermonum de verb. Dom. editique Am. & Er. ibidem, *Ergo detumescat, si cupit ingredi. Unde autem detumescat?*

b MSS. homiliarum 50. *ut intres, parum est: Ego sum via. Intratur per januam: dixit etiam, Ego sum janua. Quid quæris* &c.

c MSS. Sermonum de verbis Dom. *videamus.*

d Hîc Sermo definit in MSS. Sermonum de verbis Domini: nec reliquum habetur nisi in codicibus homiliarum 50.

e Hîc Germanensis & Remigiensis MSS. carent particulâ negativâ.

f MSS. hoc & proximo loco, *per angustam.*

CLASSIS I. „tes multas fecimus? Sed quid audient? Non novi vos. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

CAPUT VIII. Caritas sine inflatione. 8. Quid ergo prodest ut discamus? Quoniam mitis sum, inquit, & humilis corde. Caritatem inserit, & germanissimam caritatem, sine confusione, sine inflatione, sine elatione, sine fallacia: hoc inserit qui dicit, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Quando potest habere sincerissimam caritatem superbus & inflatus? Necesse est ut invideat. An fortè qui invidet, amat, & nos erramus? Absit, ut quisquam sic erret, ut invidum dicat habere caritatem. Ergo quid dicit Apostolus? Caritas non æmulatur. (1. Cor. 13. 4.) Quare non æmulatur? Non inflatur: caussam statim subjecit, unde abstulerit æmulationem caritati. Quia non inflatur, non æmulatur. Primò quidem illud dixit, Caritas non æmulatur: sed quasi tu quæreres, Quare non æmulatur? addidit, Non inflatur. Si ergo ideo æmulatur, quia inflatur: si non inflatur, non æmulatur. Si caritas non inflatur, & ideo non æmulatur; caritatem inserit qui ait, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. (Matth. 11. 29.)

(1. Cor. 13. 1. &c.) Sine caritate non profuntalia Dei munera. 9. Jam quilibet habeat quod vult, jactet se unde vult. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum ut æramentum sonans aut cymbalum tinniens. Quid sublimius munere linguarum diversarum? Æramentum est, cymbalum tinniens est, si auferas caritatem. Audi alia munera: Si sciam omnia sacramenta. Quid excellentius? quid magnificentius? Audi adhuc aliud: Si habeam omnem prophetiam & omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Accessit ad ampliora, Fratres. Quid aliud dixit? Si distribuam omnia mea pauperibus. Quid potest fieri perfectius? Quando quidem diviti propter perfectionem hoc Dominus imperavit, dicens, Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. (Matth. 19. 21.) Jam ergo perfectus est, quia vendidit omnia sua, & dedit pauperibus? [a] Non: ideo addidit, Et veni, sequere me. Vende omnia, inquit, da pauperibus, & veni, sequere me. Quare te sequor? Jam venditis omnibus, distributis pauperibus, nonne perfectus sum? quid opus est ut te sequar? Sequere me, ut discas, quoniam mitis sum & humilis corde. Potest enim quisquam vendere omnia sua, & dare pauperibus, nondum mitis, nondum humilis corde? Certè potest. Si enim omnia mea distribuero pauperibus. Et adhuc audi. Nam quidam relictis omnibus quæ haberent, jam secuti Dominum, sed nondum ad perfectum secuti, (ad perfectum enim sequi, est imitari,) non potuerunt ferre tentationem passionis. Jam Petrus, Fratres, ex his erat qui dimiserant omnia, & secuti erant Dominum. Nam divite illo cum tristitia recedente, ubi conturbati discipuli interrogaverunt quo quis tandem posset esse perfectus, & eos consolatus est Dominus, dixerant Domino, Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo nobis erit? (Ibidem 27.) Et dixit Dominus, quid eis hîc daret, quid in futurum reservaret. Tamen iste jam ex eorum numero erat, qui hæc fecerant. At ubi ventum est ad articulum passionis, ad vocem unius ancillæ ter negavit eum, cum quo se moriturum esse promiserat.

SERM. DE SCRIPTURIS. CAPUT IX. Ad perfectionem & ad caritatem imitatione Christi pervenitur. 10. Intendat ergo Caritas Vestra: Vade, inquit, omnia tua vende, da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me. Perfectus est Petrus, jam Domino in cælo sedente ad dexteram Patris, tunc perfectus est & maturus factus. Ad passionem ergo cùm sequeretur Dominum, non erat perfectus: at ubi cœpit non esse in terra quem sequeretur, tunc perfectus est. Immo verò semper ante te habes quem sequaris: Dominus exemplum in terra posuit, [b] cùm Evangelium tibi reliquit, in Evangelio tecum est. Non enim mentitus est, dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. (Matth. 28. 20.) Ergo sequere Dominum. Quid est, Sequere Dominum? Imitare Dominum. Quid est, Imitare Dominum? Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Quia si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Exhortor ergo Caritatem Vestram ad ipsam caritatem: non autem exhortarer ad caritatem, nisi aliqua caritate. Quod ergo inchoatum est, exhortor ut impleatur; & quod cœptum est, rogo ut perficiatur. Et pro me à vobis rogari quæso, ut & in me perficiatur quod vos moneo. Omnes enim imperfecti sumus, & ibi perficiemur ubi perfecta sunt omnia. Paulus apostolus dicit, Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. (Philip. 3. 13.) Ipse dicit, Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim. (Ibidem 12.) Et quisquam hominum se audet de perfectione jactare? Immo confiteamur imperfectionem, ut mereamur perfectionem.

* SERMO CXLIII.

(* Aliàs 60. de verbis Domini.)

De verbis Evangelii Johan. 16. Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam, *&c.*

CAPUT I. Fides in Christum ad justificationem necessaria. 1. MEDICINA omnium animæ vulnerum, & una propitiatio pro delictis hominum est, credere in Christum: nec omnino quisquam mundari potest, sive ab originali peccato, quod ex Adam traxit, in quo omnes peccaverunt, & filii iræ naturaliter facti sunt; sive à peccatis quæ ipsi non resistendo carnali concupiscentiæ, sed eam sequendo, eique serviendo in flagitiis & facinoribus, addiderunt; nisi per fidem coadunentur & compaginentur corpori ejus, qui sine ulla illecebra carnali & mortifera delectatione conceptus est, nec eum in delictis mater in utero aluit, & peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (Psal. 50. 7. 1. Petr. 2. 22.) In eum quippe credentes, filii Dei fiunt; quia ex Deo nascuntur per adoptionis gratiam, quæ est in fide Jesu Christi Domini nostri. Quapropter, Carissimi, meritò idem Dominus & Salvator noster hoc unum peccatum dicit, de quo arguit mundum Spiritus-sanctus, quia non credit in eum. *Ego, inquit, veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* (Johan. 16. 7.) * *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* (℣. 8.) * *De peccato quidem, quia non crediderunt in me:* (℣. 9.) * *de justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:* (℣. 10.) * *de judicio autem, quia princeps* (℣. 11.)

[a] Sic MSS. Editi verò, *Nam ideo addidit.*

[b] MSS. *Evangelium ubi reliquit.*

CLASSIS I

hujus mundi judicatus est.

CAPUT II.

Peccatum infidelitatis in Christum cur solum arguitur.

2. De hoc ergo uno peccato voluit mundum argui, quòd non credunt in eum: videlicet quia in eum credendo cuncta peccata solvuntur, hoc unum imputari voluit, quo cetera colligantur. Et quia credendo nascuntur ex Deo, & filii Dei fiunt: Dedit enim, inquit, illis potestatem filios Dei fieri, credentibus in eum. Qui ergo credit in Filium Dei, inquantum adhæret illi, & fit etiam ipse per adoptionem filius & heres Dei, coheres autem Christi, intantum non peccat. Unde dicit Johannes, Qui natus est ex Deo, non peccat. Et ideo peccatum unde mundus arguitur hoc est, quòd non credunt in eum. Hoc est peccatum de quo itidem dicit, Si non venissem, peccatum non haberent. Numquid enim alia innumerabilia peccata non habebant? Sed adventu ejus hoc unum peccatum accessit non credentibus, quo cetera tenerentur. In credentibus autem quia hoc unum defuit, factum est ut cuncta dimitterentur credentibus. Nec ob aliud apostolus Paulus, Omnes, inquit, peccaverunt, & egent gloriâ Dei; ut qui crediderit in eum, non confundatur: sicut & Psalmus dicit, Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non confundentur. Qui ergo in se gloriatur, confundetur: non enim sine peccatis invenietur. Ille itaque tantummodo non confundetur, qui in Domino gloriatur. Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Itaque cùm de Judæorum infidelitate loqueretur, non ait, Etenim si quidam illorum peccaverunt, numquid peccatum eorum fidem Dei evacuabit? Quomodo enim diceret, Si quidam illorum peccaverunt; cùm ipse dixerit, Omnes enim peccaverunt? Sed ait, Si quidam illorum non crediderunt, numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Ut hoc peccatum expressiùs demonstraret, quo uno clauditur adversùs cetera, ne per Dei gratiam relaxentur. * De quo uno peccato per adventum Spiritus-sancti, hoc est, per donum ipsius gratiæ quod fidelibus datur, mundus arguitur, dicente Domino, *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.*

Johan. 1. 12. — 1. Johan. 3. 9. — Johan. 15. 22. — Rom. 3. 23. — Rom. 9. 33. — Psal. 33. 6. — Rom. 3. 3.

*CAPUT III.

Spiritus-sancti magnum munus post Christi adscensionē.

3. Non autem esset meritum grande credentium & beatitudo gloriosa, si semper Dominus in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo sanctus hoc magnum munus adtulit credituris, ut eum quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobria & spiritalibus desideriis ebria suspirarent. Unde & ille discipulus, qui se dixerat non crediturum, nisi cicatrices ejus manu tetigisset, cùm contrectato corpore Domini quasi evigilans exclamasset, Dominus meus & Deus meus: ait illi Dominus, Quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt & crediderunt. Hanc beatitudinem Spiritus-sanctus paraclitus adtulit, ut ab oculis carnis servi formâ remotâ, quam de virginis utero accepit, in ipsam Dei formam, in qua Patri æqualis etiam cùm in carne apparere dignatus est permansit, purgata mentis acies tenderetur: ut eodem Spiritu repletus Apostolus diceret, Etsi noveramus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. Quia & carnem Christi non secundùm carnem, sed secundùm spiritum novit, qui virtutem resurrectionis ejus, non palpando curiosus, sed credendo certus agnoscit: non dicens in corde suo, Quis adscendit in cælum? hoc est Christum deducere; aut, Quis descendit in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere. Sed propè est, inquit, verbum in ore tuo, quia Dominus est Jesus: & si credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hæc, Fratres, Apostoli verba sunt, ipsius sancti Spiritus sancta ebrietate ructuantis.

Johan. 20. 29. — 2. Cor. 5. 16. — SERM. DE SCRIPTURIS. — Rom. 10. 6. &c.

CAPUT IV.

Justitia fidei à Spiritu-sancto post recessum Christi.

4. Cùm ergo hanc beatitudinem, qua non videmus & credimus, nullo modo haberemus, nisi eam à Spiritu-sancto acciperemus; meritò dictum est, *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam illum ad vos.* Semper quidem divinitate nobiscum est: sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper ejus corpus carnaliter videremus, & numquam spiritaliter crederemus; qui fide justificati & beatificati, idipsum Verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia, & quod caro factum est, ut habitaret in nobis, corde mundato contemplari mereremur. Et [a] si non manu tangendo, sed corde creditur ad justitiam; rectè de justitia nostra mundus arguitur, qui non vult credere nisi quod videt. Ut autem nos haberemus justitiam fidei, de qua mundus argueretur incredulus, propterea Dominus ait, *De justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Tamquam diceret, Hæc erit justitia vestra, ut credatis in me mediatorem, quem resuscitatum ad Patrem isse [b] certissimè habebitis, quamvis eum carnaliter non videatis; ut per ipsum reconciliati, Deum spiritaliter videre possitis. Unde figuram Ecclesiæ gestanti mulieri, cùm ei post resurrectionem ad pedes caderet, Noli me tangere, inquit: nondum enim adscendi ad Patrem. Quod mysticè dictum intelligitur. Noli me per corporeum contactum carnaliter credere: spiritaliter autem credes, id est, fide spiritali me tanges, cùm adscendero ad Patrem. Quia beati qui non vident, & credunt. * Et hæc est justitia fidei, qua mundus carens, de nobis qui eâ non caremus, arguitur: quia justus ex fide vivit. Sive ergo quia in illo resurgentes, & in illo ad Patrem venientes invisibiliter & in justificatione perficimur; sive quia non videntes & credentes ex fide vivimus, quoniam justus ex fide vivit: propterea dixit, *De justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.*

Johan. 20. 17. — Habac. 2. 4. Rom. 1. 17.

*CAPUT V.

Inexcusabilis infidelitas mundi.

5. Nec inde se mundus excuset, quòd à diabolo impeditur, ne credat in Christum. Credentibus enim princeps mundi mittitur foras, ut jam non operetur in cordibus hominum, quos Christus per fidem cœperit possidere; sicut operatur in filiis diffidentiæ, quos ad tentandos & tribulandos justos plerumque concitat. Quia enim missus est foras, qui intrinsecùs dominabatur, extrinsecùs prœliatur. Etsi ergo per ejus persecutiones Dominus dirigit mites in judicio; tamen jam ipse hoc ipso quo foras missus est, judicatus est. Et de hoc judicio mundus arguitur: quia frustra de diabolo queritur, qui non vult credere in Christum, quem judicatum, id est, foras missum, & propter nostram exercitationem forinsecùs oppugnare permissum, non solùm viri,

Johan. 12. 31. — Ephes. 2. 2. — Psal. 24. 9.

[a] Ita MSS. Editi verò, *Et sic.*

[b] MSS. *certissimum habebitis.*

Classis I.

sed etiam mulieres, & pueri, & puellæ martyres A vicerunt. Sed in quo vicerunt, nisi in illo in quem crediderunt, & quem non videntes dilexerunt, & quo dominante in cordibus suis pessimo dominatore caruerunt? Et hoc totum per gratiam, hoc est, per donum Spiritus-sancti. Rectè itaque idem Spiritus arguit mundum, & *de peccato*, quia non credit in Christum: *& de justitia*, quia qui voluerunt crediderunt, quamvis in quem crediderunt non viderunt; & per ejus resurrectionem se quoque in resurrectione perfici speraverunt: B *& de judicio*, quia ipsi si vellent credere, à nullo impedirentur, *quoniam princeps hujus mundi jam judicatus est.*

* Aliàs 61. de verbis Domini. a

*SERMO CXLIV.

De [a] verbis eisdem Evangelii Johan. 16. Ipse arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio.

Caput I. Peccatum incredulitatis cur solum arguitur. Johan. 16. 8.

1. Cum Dominus & Salvator noster Jesus Christus de adventu Spiritus-sancti, quem se missurum esse promisit C & misit, multa diceret; ait inter cetera, *Ipse arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Neque hoc cùm dixisset, sermonem trajecit in aliud: sed ipsa aliquantò expressiùs insinuare dignatus est. ℣. 9. *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me:* ℣. 10. * *de justitia autem, quia ad Patrem vado:* ℣. 11. * *de judicio verò, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.* Oboritur D ergo nobis intelligendi desiderium, cur peccatum hominum quasi solum esset, non credere in Christum, ita de hoc solo dixit, quòd mundum Spiritus-sanctus argueret: si autem manifestum est præter hanc infidelitatem alia multa hominum esse peccata, cur de hoc solo mundum Spiritus-sanctus arguat. An quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur; propterea hoc unum præ ceteris imputat Deus, per quod fit ut cetera non solvantur, dum non cre- E dit in humilem Deum homo superbus? Sic enim Prov. 3. 34. Jacobi 4. 6. scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Gratia quippe Dei, donum Dei est. Donum autem maximum ipse Spiritus-sanctus est; & ideo gratia dicitur. (Spiritus-sanctus, gratia Dei dicitur.) Cùm enim Rom. 3. 23. omnes peccassent, & egerent gloriâ Dei; quia Rom. 5. 12. per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt: ideo gratia, quia gratìs datur. Ideo gratìs datur, quia non quasi merces redditur F post discussionem meritorum, sed donum datur post veniam delictorum.

Caput II. Credere Christum, & credere in Christum, differunt.

2. De peccato igitur arguuntur infideles, id est, dilectores mundi: nam ipsi significantur mundi nomine. Cùm enim dicitur, *Arguet mundum de peccato*; non alio quàm quòd non crediderunt in Christum. Hoc denique peccatum si non sit, nulla peccata remanebunt, quia justo ex fide vivente cuncta solvuntur. Sed multum interest, utrùm quisque credat ipsum esse Chri- G stum, & utrùm credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, & quodam modo unitur in eum, & membrum in corpore ejus efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & caritas.

Serm. de Scripturis.

Justitia de qua arguitur mundus.

3. Quid sibi etiam vult quod ait, *De justitia, quia ad Patrem vado?* Et primò quærendum est, si de peccato mundus arguitur, cur & de justitia? Quis enim de justitia rectè argui possit? An de peccato quidem suo, de justitia verò Christi mundus arguitur? Non video quid aliud possit intelligi: quando quidem, *De peccato*, inquit, *quia non crediderunt in me; de justitia verò, quia ad Patrem vado.* Illi non crediderunt, ipse ad Patrem vadit. Illorum ergo peccatum, ipsius autem justitia. Sed cur in eo solo voluit nominare justitiam, quia vadit ad Patrem? Num non justitia est etiam quòd huc venit à Patre? An illa potiùs misericordia est quòd à Patre ad nos venit, justitia verò quòd ad Patrem vadit?

Caput III. Justitia quòd Christus vadit ad Patrem, quare.

4. Ita, Fratres, expedire arbitror, ut in tanta profunditate Scripturarum, in quibus fortè verbis absconditum aliquid latet quod opportunè aperiendum sit, tamquam simul fideliter inquiramus, ut salubriter invenire mereamur. Cur ergo hanc appellat justitiam quia vadit ad Patrem, & non etiam quia venit à Patre? An quia misericordia est quòd venit, ideo justitia est quòd vadit? ut & in nobis discamus impleri non posse justitiam, si pigri fuerimus prærogare misericordiam, non quæ nostra sunt quærentes, sed & quæ aliorum. Quod cùm monuisset Apostolus, continuò de ipso Domino conjunxit exemplum: Nihil, inquit, per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate mentis alter alterum existimantes superiorem sibi; non quæ sua sunt unusquisque intendentes, sed & quæ aliorum. Deinde statim addidit, Singuli quique hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (Philip. 2. 5. &c.) Hæc est misericordia, qua venit à Patre. Quæ igitur justitia est, qua vadit ad Patrem? Sequitur & dicit: Propter quod & Deus eum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Hæc est justitia, qua vadit ad Patrem.

Caput IV. Solus Christus adscendit in cælum.

5. Sed si solus vadit ad Patrem, quid nobis prodest? Ut quid ab Spiritu-sancto de hac justitia mundus arguitur? Et tamen nisi solus iret ad Patrem, non alio loco diceret, Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. (Florus ad Gal. 3. Johan. 3. 13.) Sed etiam Paulus apostolus dicit, Nostra enim conversatio in cælis est. (Philip. 3. 20.) Sed quare hoc? Quia item dicit, Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt (Coloss. 3. 1.)

[a] In Possidii Indiculo cap. 8. reperitur titulus, *De eo quod scriptum est, Ille arguet mundum* &c. huic maximè conveniens Sermoni, qui etiam à Floro citatur ad Galat. 3.

Classis I.

» sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, A
» & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quomodo ergo ille solus? An ideo solus, quia Christus unus est cum omnibus membris suis, tamquam caput cum corpore suo? Quæ autem corpus ejus, nisi Ecclesia? Sicut dicit idem doctor: Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Cùm ergo nos ceciderimus, & propter nos ipse descenderit, quid est, Nemo adscendit, nisi qui descendit; nisi quia nemo adscendit, nisi [a] unum cum eo factus, & tamquam mem- B brum compactus in ejus corpore qui descendit? Sic & discipulis dicit, Quia sine me nihil potestis facere. Aliter est enim unum cum Patre, & aliter unum nobiscum. Unum cum Patre est, quia una substantia est Patris & Filii: unum cum Patre est, quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Unus autem nobiscum factus est, quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens: unus nobiscum factus est, secundùm semen Abrahæ, in quo be- C nedicentur omnes gentes. Quod cùm commemorasset, ait Apostolus: Non dicit, Et seminibus, tamquam in multis; sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Et quia & nos ad id pertinemus quod est Christus, nobis simul incorporatis & illi capiti cohærentibus, unus est Christus. Et quia & nobis dicit, Ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem heredes. Si enim unum est semen Abrahæ, & illud unum semen Abrahæ non intelligitur nisi Christus; hoc D autem semen Abrahæ etiam nos sumus: hoc ergo totum, id est, caput & corpus, unus est Christus.

Unus Christus ex capite & membris. — 1. Cor. 12. 27. — Johan. 15. 5. — Christus aliter est unum cum Patre, aliter unum nobiscum. — Gal. 3. 16. — Gal. 3. 29.

Caput V. Justitia Christi quomodo nostra.

6. Et ideo nos non debemus ab illa justitia separatos putare, quam Dominus ipse commemorat, dicens, *De justitia, quia ad Patrem vado.* Cum Christo enim & nos resurreximus, & nos cum capite nostro [b] Christo sumus, interim fide & spe: complebitur autem spes nostra in ultima resurrectione mortuorum. Cùm autem com- E plebitur spes nostra, tunc complebitur etiam justificatio nostra. Quam completurus Dominus, quid sperare debeamus, ostendit in carne sua, (hoc est, in capite nostro,) in qua resurrexit & adscendit ad Patrem. Quia sic scriptum est, Tra- » ditus est propter delicta nostra, & resurrexit pro- » pter justificationem nostram. Arguitur ergo mundus *de peccato*, in eis qui non credunt in Christum: *& de justitia*, in eis qui resurgunt in membris Christi. Unde dictum est, Ut nos simus ju- F stitia Dei in ipso. Si enim non in ipso, nullo modo justitia. Si autem in ipso, totus nobiscum vadit ad Patrem, & hæc implebitur in nobis perfecta justitia. Propter hoc & *de judicio* mundus arguitur, *quia princeps hujus mundi jam judicatus est:* id est, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in hoc mundo, quem diligunt, & ideo mundus vocantur: sicut nostra conversatio in cælis est, si resurrexerimus cum Christo. Ergo quemadmodum nobiscum, id est, cum G corpore suo unus est Christus: sic cum omnibus impiis quibus caput est, cum quodam corpore suo unus est diabolus. Quapropter sicut nos non separamur à justitia, de qua Dominus dixit, *Quia ad Patrem vado:* sic impii non separantur ab illo judicio, de quo dixit, *Quia princeps hujus mundi jam judicatus est.*

Rom. 4. 25. — 2. Cor. 5. 21.

[a] Am. & MSS. *unus cum eo factus.*
[b] MSS. *Christus sumus.*

Serm. de Scripturis.

* SERMO CXLV.

** Aliàs 3. inter editos ex MSS. Carthusiæ majoris. c*

De [c] verbis Evangelii Johan. 16. Usque nunc nihil petiistis in nomine meo. *Et de verbis Lucæ* 10. Domine, ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subjecta sunt.

1. Sanctum Evangelium cùm legeretur, audivimus quod modò verè debeat omnem intentam animam movere ad quærendum, non ad deficiendum. Qui enim non movetur, nec mutatur. Sed est motus periculosus, de quo scriptum est, Ne des ad movendum pedes meos. Motus autem alius est quærentis, pulsantis, petentis. Quod ergo lectum est omnes audivimus: sed puto quia non omnes intelleximus. Commemorat quod mecum quæratis, mecum petatis, pro quo accipiendo mecum pulsetis. Aderit enim, sicut speramus, gratia Domini, ut, cùm volo vobis ministrare, & ego merear accipere. Quid est, obsecro vos, quod Dominum dixisse modò audivimus discipulis suis? *Usque nunc nihil petiistis in nomine meo.* Nonne illis discipulis loquitur, quos cùm misisset, data potestate ad prædicandum Evangelium & magnalia facienda, reversi sunt gaudentes & dixerunt ei, *Domine, ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subjecta sunt?* Recognoscitis, recolitis, quod de Evangelio commemoravi, in omni loco & omni sententia veridico, nusquam falso, nusquam fallente. Quomodo ergo verum est, *Usque modò nihil petiistis in nomine meo*: & *Domine, ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subjecta sunt?* Movet certè animum, ad cognoscendum quæstionis hujus secretum. Ergo petamus, quæramus, pulsemus. * Hoc in nobis fidelis pietas, non carnis inquietudo, sed animi subjectio, ut ille nobis aperiat, qui nos videt pulsantes.

*Locus Johannis quomodo conciliandus cum verbis Lucæ. — Psal. 65. 9. — Johan. 16. 24. — Luca 10. 17. — * f. Sit, vel Pulset.*

2. Quid ergo det Dominus ministrandum vobis, intenti, hoc est, esurientes accipite: quod cùm dixero, sine dubio probabitis sanis faucibus cordis quod de cellario Dominico vobis apponatur. Dominus Jesus sciebat unde posset anima humana, hoc est, mens rationalis ad imaginem Dei facta satiari, tamquam ipsa eo ipso satietur. Noverat hoc, & illam ea plenitudine adhuc carere sciebat. Noverat se apparere, noverat se latére. Sciebat quid in illo demonstraretur, quid absconderetur. Noverat hoc. Quàm multa, inquit Psal- « mus, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam « abscondisti timentibus te, perfecisti autem sperantibus in te. Dulcedinem tuam & magnam & multam abscondisti timentibus te. Si timentibus te abscondis, quibus aperis? Perfecisti sperantibus in te. Quæstio gemina nata est, sed alterutra solvitur ex altera. Alterum si quis inquirat, quid est hoc, Abscondisti timentibus te, perfecisti sperantibus in te? Alii timent, alii sperant? non ii ipsi sunt timentes Deum, sperantes in Deum? Quis in eum sperat, qui non eum timet? quis eum piè timet, & in eum spem non habet? Ergo priùs ista solvatur. De sperantibus & timentibus volo aliquid dicere.

Timentibus absconditur, dulcedo Dei, revelatur sperantibus. — Psal. 30. 20.

3. Lex timorem habet, gratia spem. Quid

Timor sub Lege, spes sub gratia.

[c] Notatur in Possidii Indiculo cap. 9.

Classis I.

autem intereſt inter Legem & gratiam, quandoquidem unus dator & Legis & gratiæ? Lex terret de ſe ipſo præſumentem, gratia adjuvat in Deum ſperantem. Lex, inquam, terret: nolite contemnere, quia breve eſt; appendite, & magnum eſt. Videte quid dixerim, ſumite quod miniſtramus, probate unde ſumamus. Lex terret de ſe ipſo præſumentem, gratia adjuvat in Deum ſperantem. Quid dicit Lex? Multa, & quis enumerat? Unum præceptum parvum & modicum inde commemoro, quod commemoravit Apoſtolus, valde
Rom. 7. 7. parvum: videamus quis ſupportat. Non concupiſces. Quid eſt, Fratres? Audivimus Legem, ſi gratia non ſit, pœnam tuam audiſti. Quid mihi jactas, quiſquis audiens hoc de te præſumis, quid mihi jactas innocentiam? quid tibi de illa blandiris? Potes dicere, Non rapui res alienas: audio, credo, fortaſſis & video, non rapis res alienas. Non concupiſces, audiſti. Non accedo ad uxorem alienam: & hoc audio, credo, video. Non concupiſces, audiſti. Quid te foris circùm inſpicis, & non intus inſpicis? Inſpice, & videbis aliam legem in membris tuis. Intus inſpice, quid
Ibidem 23. tranſis te? Deſcende in te. Videbis aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati, quæ eſt in membris tuis. Meritò tibi abſconditur dulcedo Dei. Captivat te lex poſita in membris tuis, repugnans legi mentis tuæ. De dulcedine illa quæ tibi abſconditur, ſancti Angeli bibunt: non
* f. potare. potes dulcedinem * pati & guſtare captivus. Concupiſcentiam neſciebas, niſi Lex diceret, Non concupiſces. Audiſti, timuiſti, tentaſti pugnare,
Ibidem 8. non potuiſti ſuperare. Occaſione enim accepta » peccatum per mandatum operatum eſt mortem. Certè recognoſcitis, Apoſtoli verba ſunt, Oc- » caſione accepta peccatum per mandatum ope- » ratum eſt in me omnem concupiſcentiam. Quid te jactabas ſuperbus? Ecce armis tuis te vicit ini-
* f. munitionem. micus. Tu certè mandatum quærebas ad * monitionem: ecce per mandatum invenit hoſtis in-
Ibidem 11. trandi occaſionem. Occaſione enim accepta pec- » catum per mandatum fefellit, inquit, me, &
* f. per id. per * eum occidit. Quid eſt quod dixi? Armis tuis te vicit inimicus. Audi eumdem Apoſtolum ſe-
Ibidem 12. &c. quentem & dicentem: Itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum & bonum.
* Manichæis. Jam reſponde reprehenſoribus * Legis: Apoſtoli auctoritate reſponde, Mandatum ſanctum, lex » ſancta, mandatum juſtum & bonum. Quod ergo » bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit: ſed » peccatum ut appareat, per bonum mihi opera- » tum eſt mortem. Quare hoc, niſi quia mandato accepto timuiſti, non dilexiſti? Timuiſti pœnam, non amaſti juſtitiam. Qui timet pœnam, optat ſi fieri poteſt, facere quod libeat, & non habere quod timeat. Prohibet Deus adulterium, concupiſti uxorem alienam, non accedis, non facis, occaſio data eſt, habes tempus, patet locus, deeſt conſcius, tu tamen non facis, unde? Quia times pœnam. Sed nullus ſciet. Numquid nec Deus? Ita planè, quia ſcit Deus quod facturus es, non facis: ſed & ipſum Deum minantem tremis, non præcipientem diligis. Quare non facis? Quia ſi feceris, in gehennam mitteris. Ignem times. O ſi caſtitatem amares, non faceres, etſi omni modo impunitus eſſe deberes. Si tibi Deus diceret, Ecce fac, non te damnabo; in

A gehennam te non damnabo, ſed faciem meam tibi negabo. Si propter hanc comminationem non faceres, amore Dei non faceres, * timore judicii. Sed faceres, fortè enim ſic faceres: non enim meum eſt judicare. Adjuvat gratia, quæ ſanctos facit, ſi ſic non facis, quia horres contaminationem adulterii, quia diligis præceptorem, ut exigas promiſſorem, non quia times damnatorem: jam gratiæ eſt, hoc tibi noli aſſumere, viribus tuis noli tribueree. Dlectatione facis, bene;
B caritate facis, bene; annuo, conſentio. Caritas de te operatur, quando volens facis. Jam guſtas dulcedinem, ſi ſperas in Dominum.

Serm. de Scripturis.

* f. non.

4. Sed unde tibi iſta caritas? ſi tamen eſt: timeo enim ne adhuc timendo non facias, & magnus tibi videaris. Jam ſi caritate non facis, verè magnus es. Habes caritatem? Habeo, inquis. Unde? A me ipſo. Longe es à dulcedine, ſi à te ipſo habes? Te ipſum amabis, quia unde habes amabis. Sed convinco quòd non habes. Quòd
C enim putas à te ipſo habere rem tantam, inde non credo quòd habeas. Si enim haberes, ſcires unde haberes. Caritatem à te habes, quaſi leve aliquid, quaſi breve aliquid? Si linguis hominum loquereris & Angelorum, caritatem autem non haberes, æramentum eſſes tinniens & cymbalum concrepans. Si ſcires omnia ſacramenta & omnem haberes ſcientiam, omnem prophetiam & omnem fidem, ita ut montes transferres, caritatem autem non haberes, prodeſſe tibi iſta non poſſent.
D Si diſtribueres omnia tua pauperibus, & traderes corpus tuum ut arderes, caritatem autem non haberes, nihil eſſes. Quanta eſt iſta caritas, quæ ſi defuerit, nihil proſunt omnia? Compara eam non fidei tuæ, non ſcientiæ tuæ, non linguæ tuæ, minoribus rebus, oculo corporis tui, manui, pedi, ventri, alicui membro extremo compara caritatem, numquid ex aliqua parte iſta minima caritati ſunt comparanda? Ergo oculum & naſum à Deo habes, & caritatem à te habes? Si carita-
E tem, quæ ſuperat omnia, tu tibi dediſti, vilem tibi Deum feciſti. Quid tibi plus poteſt dare Deus? Quidquid dederit, minus eſt. Omnia caritas vincit, quam tu tibi dediſti. Sed ſi habes, non tibi dediſti. Quid enim habes, quod non accepiſti? Quis mihi, quis tibi dedit? Deus. Agnoſce datorem, ne ſentias damnatorem. Credendo de Scripturis Deus tibi dedit caritatem, magnum bonum, caritatem omnia ſuperantem. Deus tibi dedit: quia caritas Dei
F diffuſa eſt in cordibus noſtris; fortè à te? abſit; per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Caritas nō ex nobis, ſed ex Deo.

1. Cor. 13. 1.

1. Cor. 4. 7.

Rom. 5. 5.

5. Redite mecum ad captivum illum, redite mecum ad propoſitionem meam. Lex terret de ſe præſumentem, gratia adjuvat in Deum ſperantem. Vide enim illum captivum. Videt aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ & captivum ſe ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris ejus. Ecce vincitur, ecce tra-
G hitur, ecce captivatur, ecce ſubjugatur. Quid ei profuit, Non concupiſces? Audivit, Non concupiſces, ut noſſet hoſtem, non ut vinceret. Concupiſcentiam enim, id eſt hoſtem ſuum, neſciebat, niſi Lex diceret, Non concupiſces. Jam vidiſti hoſtem; pugna, libera te, aſſere te in libertatem, premátur jocunda ſuggeſtio, perimatur illicita delectatio. Armare, habes legem,

Hominis præſumtio per Legem, captivitas per gratiā tollitur.

Rom. 7. 23.

Ibidem 7.

Classis I.

procede, vince, ſi potes. Quid enim eſt quod ex aliquantula jam gratia Dei condelectaris legi Dei ſecundùm interiorem hominem? Sed vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ: non repugnantem & nihil valentem, ſed captivum te ducentem in lege peccati. Ecce

Pſal. 30. 20.

unde timenti tibi abſconditur multitudo illa dulcedinis: abſconditur timenti, quomodo perficitur ſperanti? Clama ſub hoſte, quia habes oppugnatorem, habes & adjutorem qui te exſpectat pugnantem, ſublevat laborantem; ſed ſi inveniat ſperantem: odit enim ſuperbientem. Sub

Rom. 7. 24.

hoſte ergo quid clamas? Miſer ego homo. Jam videtis, quoniam clamaſtis. Sit iſte clamor veſter, quando fortè ſub hoſte laboratis, dicite, in intimis præcordiis dicite, ſana fide dicite, Miſer ego homo. Miſer ego, ideo miſer quia ego. Miſer ego homo, & quia ego, & quia homo.

Pſal. 38. 7.

Vanè enim conturbatur. Quamvis enim in imagine perambulet homo: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Numquid tu? Ubi ſunt vires tuæ, ubi eſt præſumtio tua? Certè * aliqua taces: taces, ſed taces à te extollendo, non à Deo invocando. Tace & clama. Quia & ipſe Deus tacet & clamat; tacet à judicio, non tacet à præcepto: ſic & tu tace ab elatione, noli ab invocatione; ne dicat tibi Deus,

* f. clamas & taces.

Iſai. 42. 14.

Tacui, numquid ſemper tacebo? Exclama ergo, Miſer ego homo. Agnoſce te victum, vires tuas confunde, & dic, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quid dixeram? Lex terret de ſe præſumentem. Ecce homo de ſe præſumebat, tentavit pugnare, non potuit ſuperare, victus eſt, proſtratus eſt, ſubjugatus eſt, captivatus eſt. Didicit de Deo præſumere, & quem lex terruit de ſe præſumentem, reſtat ut gratia adjuvet in Deum ſperantem. Hoc confi-

Rom. 7. 24. & 25.

dens dicit, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Jam vide dulcedinem, guſta, ſapiat tibi: audi Pſalmum, Guſtate & videte quo-

Pſal. 33. 9.

niam ſuavis eſt Dominus. Factus eſt tibi ſuavis, quia liberavit te. Amarus tibi fuiſti, cùm præſumeres in te. Bibe dulcedinem, accipe pignus tanti * horrei.

* f. olei.

Diſcipuli ſub lege nondum à cupiditatibus liberi.

6. Diſcipuli ergo Domini Jeſu Chriſti adhuc ſub lege * mundi, adhuc nutriendi, adhuc corrigendi, adhuc dirigendi. Adhuc enim concupiſcebant: cùm lex dicat, Non concupiſces. Pace dixerim eorum ſanctorum arietum, ducum gregis, pace eorum dixerim, quia verum dico: Evangelium loquitur: contendebant quis eſſet eorum major, & adhuc in terra Domino conſtituto, principatûs diſſenſione fluctuabant. Hoc unde, niſi ex fermento vetere? hoc unde niſi ex lege in membris, repugnante legi mentis? Faſtigium quærebant: enimvero cupiebant; quis major eſſet cogitabant: ideo altitudo eorum de puero confunditur. Vocat ad ſe Jeſus humilem ætatem, ut domet timidam cupiditatem. Meritò ergo & quando redierunt, & dixerunt, *Domine, ecce dæmonia ſubjecta ſunt nobis in nomine tuo:* (Gaudebant de nihilo: quantum erat, quid erat, ad illud quod Deus promittebat?) Dominus ergo, magiſter bonus, ſedans timorem, ædificans firmitatem, ait illis, *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis ſubjecta ſunt.* Quare hoc?

* f. mundi.
Exodi 20. 17.
Lucæ 22. 24.
Matth. 18. 2.
Luca 10. 20.

A

Quia multi venient in nomine meo dicentes, Ecce in nomine tuo dæmonia ejecimus; & dicam eis, Non novi vos. *Nolite in hoc gaudere, ſed gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Adhuc ibi eſſe non poteſtis, & tamen jam ibi ſcripti eſtis. Gaudete ergo. Et illud, *Adhuc nihil petiiſtis in nomine meo.* Quod enim petiiſtis ad quod volo dare, nihil eſt. Quid enim petiiſtis in nomine meo? Ut dæmonia vobis ſubjecta eſſent? *In hoc gaudere nolite*, hoc eſt, nihil eſt quod pe-

Serm. Scripturis.
« Matth. 7. « 22.
Johan. 16. 24.
Temporalia à Deo petentes, nihil petunt.

B

tiiſtis: ſi enim aliquid eſſet, gaudere juberet. Ergo non omnino nihil erat, ſed quia ad illam magnitudinem præmiorum Dei exiguum erat. Non enim verè Paulus apoſtolus non erat aliquid; & tamen in comparatione Dei, Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat. Et vobis dicimus, & nobis dicimus, & nobis & vobis dicimus, quando petimus in nomine Chriſti temporalia iſta. Certè enim petiiſtis. Nam quis non petat? Alius ſanitatem petit, ſi ægrotat; alius libe-

1. Cor. 3. 7.

C

rationem petit, ſi in carcere conſtitutus eſt; alius portum rogat, ſi in navi turbatur; alius victoriam rogat, ſi cum hoſte confligit; & in nomine Chriſti totum rogat, & nihil eſt quod rogat. Quid ergo rogandum eſt? *Petite in nomine meo.* Et non dixit quid, ſed in verbis intelligimus quid petere debeamus. *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Petite, & accipietis, in nomine meo.* Sed quid? Non nihil: quid autem? *Ut gaudium veſtrum ſit plenum:* id eſt, hoc petite

Johan 16. 24.

D

quod vobis ſufficiat. Nam quando * petis nihil: Qui bibet de hac aqua, ſitiet iterum. Mittit in puteum hydriam cupiditatis, levat unde bibat, ut iterum ſitiat. *Petite ut gaudium veſtrum ſit plenum:* id eſt, ut ſatiemini, non ut ad tempus delectemini. Petite quod vobis ſufficiat: dicite vocem Philippi, Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Dicit vobis Dominus, Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe qui me videt, videt & Patrem. Ergo *

* f. temporalia petis, petis nihil.
Johan. 14. 8.
Ibidem 9.

E

gratias agite Chriſto pro vobis infirmantibus, & fauces ſatiandas parate Chriſti divinitati. Converſi ad Dominum &c.

* f. deeſt, laboranti, vel quid ſimile.

* SERMO CXLVI.

* Aliàs 61. de verbis Domini.

De [a] *verbis Evangelii Iohan.* 21. Simon Johannis diligis me? *&c.*

Caput I.

1. LECTIONE hodierna animadvertit Caritas Veſtra, dictum eſſe Petro à Domino per interrrogationem, *Diligis me?* Cui reſpondebat ille, *Scis Domine, quia amo te.* Hoc ſecundò, hoc tertiò: & ad ſingula verba reſpondentis dicebat Dominus, *Paſce agnos meos.* Commendabat Petro Chriſtus agnos ſuos paſcendos, qui paſcebat & Petrum. Quid enim Petrus poterat præſtare Domino, maximè jam immortale corpus gerenti, & in cælum adſcenſuro? Tamquam ei diceret, *Amas me?* In hoc oſtende quia amas me, *Paſce oves meas.* Ergo,

F

Johan. 21. 15.
Officium paſtoris & ovium.

G

Fratres, cum obedientia audite oves vos eſſe Chriſti: quia & nos cum timore audimus, *Paſce oves meas.* Si nos cum timore paſcimus & timemus pro ovibus; ipſæ oves quomodo pro ſe debent timere? Pertineat ergo ad nos cura, ad vos obedientia; ad nos vigilantia paſtoralis, ad vos humilitas gregis. Quamquam & nos qui vo-

[a] Poſſidius in Indiculo cap. 7. Sermonem recenſet his verbis, *Ex Evangelio ubi Dominus oves ſuas Petro commendat.*

Classis I.

bis videmur loqui de superiore loco, cum timo- A
re sub pedibus vestris sumus; quoniam novimus quàm periculosa ratio de ista quasi sublimi sede reddatur. Proinde Carissimi, catholica germina, membra Christi, cogitate quale caput habeatis. Filii Dei, cogitate qualem patrem inveneritis. Christiani, cogitate quæ vobis hereditas promittatur. Non talis qualis in terra possideri à filiis non potest, nisi cùm mortui fuerint parentes eorum. Nullus enim in terra possidet hereditatem patris, nisi mortui. Nos vivo B
patre nostro possidebimus quod donabit: quia pater noster mori non poterit. Plus addo, plus dico, & verum dico: ipse pater erit hereditas nostra.

Hereditas nostra, Deus ipse.

Caput II. Recèns baptizatos cavere jubet à malis Christianis & à schismaticis.

2. Congruenter vivite, maximè vos candidati Christi, recèns baptizati, modò regenerati, sicut vos antè admonui, & modò dico, & sollicitudinem meam pronuntio; quia timorem mihi majorem ingessit præsens Evangelica lectio: Observate vos, nolite imitari malos Christianos. C
Nolite dicere, Faciam hoc, quia multi fideles hoc faciunt. Hoc non est defensionem parare animæ, sed comites ad gehennam inquirere. Crescite in hac area Dominica: in hac invenietis bonos, qui & vobis placeant, si & vos boni fueritis. Numquid enim peculium nostrum estis? Hæretici & schismatici de furtis Dominicis peculia sibi fecerunt, & greges non Christi, sed suos contra Christum pascere voluerunt. Planè in ipsis deprædationibus suis titulum illius posue- D
runt, ut prædæ ipsorum quasi defenderentur per titulum potentis. Quid facit Christus quando tales convertuntur, qui foris ab Ecclesia titulum ejus baptismatis acceperunt? Ejicit prædatorem, titulum non deponit, & possidet domum: quia invenit ibi titulum suum. Quid opus est, ut mutet nomen suum? Numquid adtendunt quod ait Dominus Petro, *Pasce agnos meos, pasce oves meas?* Numquid dixit ei, Pasce agnos tuos: aut, Pasce oves tuas? Exclusis autem, quid dixit in Canticis E
canticorum ad Ecclesiam? Loquens sponsus ad sponsam ait, Nisi cognoveris temetipsam, pulchra inter mulieres, exi tu. Tamquam dicens, Non ego te ejicio, exi tu, nisi temetipsam cognoveris, pulcra inter mulieres, nisi cognoveris te in speculo Scripturæ divinæ, nisi adtenderis, ô mulier pulcra, speculum quod te falso nitore non fallit; nisi cognoveris quia de te dictum est, Super omnem terram gloria tua: quia de te dictum est, Dabo tibi gentes hereditatem tuam, F
& possessionem tuam terminos terræ: & alia innumerabilia testimonia, quæ catholicam Ecclesiam commendant. Nisi ergo cognoveris, partem non habes, heredem te non potes facere. Ergo exi tu in vestigiis gregum, non in societate gregis: & pasce hœdos tuos, non quomodo Petro dictum est, *oves meas*. Petro dicitur, *oves meas*; schismaticis dicitur, hœdos tuos. Hîc *oves*, ibi hœdos: hîc *meas*, ibi tuos. Recolite dexteram & sinistram judicis nostri: recolite ubi sta- G
bunt hœdi, & ubi oves: & apparebit vobis ubi dextera, ubi sinistra, candida & nigra, luminosa & tenebrosa, pulchra & deformis, acceptura regnum & inventura supplicium sempiternum.

Cant. 1. 7.
Psal. 56. 12.
Psal. 2. 8.
Matth. 25. 33.

[a] In altero è Colbertinis MSS. notatur *habitus sabbato Pascha:* id est, uti habet codex Victorinus, *sabbato post Pascha.*

* SERMO CXLVII.

Serm. de Scripturis.
* Alias 24. de Sanctis. a

De [a] *eisdem verbis Evangelii Johan.* 21. Simon Johannis, diligis me plus his? *&c.*

Caput I. Petri præsumtio & negatio. b

1. Apostolum Petrum primum omnium Apostolorum meministis in Domini passione fuisse turbatum. [b] A se turbatum, sed à Christo innovatum. Fuit enim priùs audax præsumtor, & postea factus est timidus negator. Promiserat se pro Domino moriturum, cùm priùs pro illo esset Dominus moriturus. Quando ergo dicebat, Tecum ero usque ad mortem, & Animam meam pro te ponam; respondit ei Dominus, Animam tuam pro me pones? Amen dico tibi, priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Ventum est ad horam: & quia Deus erat Christus, homo autem Petrus, impleta est Scriptura, Ego dixi in pavore meo, Omnis homo mendax. Dicit autem Apostolus, Quoniam Deus verax, omnis autem homo mendax. Verax Christus, mendax Petrus.

Matth. 26. 35.
Johan. 13. 37. & 38.
Psal. 115. 11.
Rom. 3. 4.

Petri amor in Christum verus.
Johan. 21. 15.

2. Modò quid? Interrogat eum Dominus, sicut audistis cùm Evangelium legeretur, & dicit ei, *Simon Johannis, diligis me plus his?* Respondit ille, & dixit, *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Et iterum Dominus hoc interrogavit, & tertiò hoc interrogavit. Et respondenti dilectionem, commendavit gregem. Per singula enim dicebat Dominus Jesus Petro dicenti, *Amo te: Pasce agnos meos, pasce oviculas meas.* * In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum, sed bonorum, qui sciant oves Christi pascere Christo, non sibi. Numquid modò Petrus mendax erat, aut amare se Dominum mendaciter respondebat? Veraciter hoc respondebat: hoc enim respondebat, quod in corde suo videbat. Quando autem dixerat, Animam meam pro te ponam, de futuris voluit præsumere viribus. Omnis autem homo qualis sit tunc cùm loquitur, fortè scit; qualis crastino futurus sit, quis scit? Revocabat ergo oculos suos ad cor suum Petrus, quando interrogabatur à Domino, & fidens respondebat quod ibi videbat: *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Quod tibi dico, tu scis: quod hîc video in corde meo, vides & tu. Non ausus est tamen dicere quod Dominus interrogaverat. Non enim simpliciter Dominus dixerat, *Diligis me?* sed addiderat, *Plus his diligis me?* id est, Plus me diligis quàm isti? De aliis discipulis dicebat: ille non potuit dicere nisi, *Amo te:* non ausus est dicere, plus his. Noluit iterum esse mendax. Suffecerat ei testimonium perhibere cordi suo: non debuit esse judex cordis alieni.

* Caput II. Unitas omnium pastorum in Petro figurata.

Caput III. Petrus desertus à Christo, & pòst roboratus.
1. Cor. 10. 4.

3. Verax ergo Petrus, an verax in Petro Christus? Quando autem voluit Dominus Jesus Christus, deseruit Petrum, & inventus est homo Petrus: quando autem placuit Domino Jesu Christo, implevit Petrum, & inventus est Petrus verax. Veracem Petrum petra fecerat: Petra enim erat Christus. Et quid ei nuntiavit, quando tertiò respondit amare se Christum, & tertiò Dominus Petro suas oviculas commendavit? Prænuntiavit ei passionem suam. *Cùm esses*, inquit, *junior*, ℣. 18.
cingebas te, & ibas quò volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alter te cinget, &

[b] Plures MSS. carent his verbis, *A se turbatum, sed à Christo innovatum.*

Classis I. ℣. 19.

feret quò tu non vis. Evangelista nobis exposuit A quid dixerit Christus. *Hoc autem dicebat*, inquit, *significans qua morte clarificaturus esset Deum:* id est, quia pro Christo fuerat crucifigendus: hoc est enim, *Extendes manus tuas.* Ubi est ille negator? Deinde post hæc ait Dominus Christus, *Sequere me.* Non sic quomodo priùs, quando vocavit discipulos. Nam & tunc dixit, *Sequere me*: sed tunc ad doctrinam, modò ad coronam. Numquid non quando negavit Christum, occidi timuit? Hoc timuit pati, quod passus est Christus. Sed jam timere non debuit. Videbat enim in carne viventem, quem viderat in ligno pendentem. Resurgendo Christus abstulit mortis timorem: & quoniam abstulerat mortis timorem, meritò interrogabat Petri amorem. Ter negaverat timor, ter confessus est amor. Trinitas negationis, desertio veritatis: trinitas confessionis, testimonium dilectionis.

Ibidem. (*Sequere me*)

*Aliàs de Diversis 10.

* SERMO CXLVIII.

C

De verbis Actuum Apost. 5. Nonne manens tibi manebat, *&c. die Dominico octavarum Paschæ dictus ad sanctos Martyres viginti.*

Caput I. Ananiæ & Sapphiræ nō severior correptio, mors temporalis.

I. Cum lectio legeretur de libro qui inscribitur *Actus Apostolorum*, animadvertistis quid contigerit eis, qui cùm villam vendidissent, subtraxerunt de pretio villæ, & ante pedes Apostolorum, quasi totum pretium, posuerunt. Continuò correpti exspiraverunt ambo, vir & uxor ejus. Nonnullis videtur nimis severa ista fuisse correptio, ut propter pecuniam de re sua subtractam, homines morerentur. Non hoc Spiritus-sanctus avaritiâ fecit, sed Spiritus-sanctus mendacium sic punivit. Nam verba audistis beatissimi Petri, dicentis, *Nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate?* Si nolles vendere, quis te cogeret? Si velles offerre dimidium, quis exigeret totum? Si enim dimidium offerendum erat, dimidium dicendum erat. Pro toto dimidium, hoc est puniendum mendacium. Non tamen videatur, Fratres, severa correptio, mors temporalis. Atque utinam huc usque vindicta processerit. Quid enim magnum mortalibus contigit quandocumque morituris? Sed per illorum temporalem pœnam Deus sciri voluit disciplinam. Credendum est autem quòd post hanc vitam eis pepercerit Deus: magna est enim ejus misericordia. De mortibus autem quæ contingunt ex vindicta, ait quodam loco apostolus Paulus, corripiens eos qui malè tractabant corpus & sanguinem Christi, & dicens, Propterea in vobis multi infirmi & ægri, & dormiunt sufficientes: id est, quantum sufficit ad disciplinam imponendam. Multi in vobis dormiunt, hoc est, moriuntur. Flagello enim Domini corripiebantur: ægrotabant, & moriebantur. Et subjecit post hæc verba, & ait, Si enim nos ipsos » judicaremus, à Domino non judicaremur. Cùm » judicamur autem à Domino corripimur, ne cum » mundo damnemur. Quid si ergo huic viro & uxori ejus tale aliquid contigit? Correpti sunt mortis flagello, ne supplicio punirentur æterno.

(Margin: D; Act. 5. 4.; E; F; 1. Cor. 11. 30.; Ibidem 31. & 32.; G)

Caput II. Vota Deo reddenda.

2. Hoc tantum adtendat Caritas Vestra, quia si Deo displicuit detrahere de pecunia quam voverant Deo, & utique illa pecunia usibus hominum fuerat necessaria: quomodo irascitur Deus, quando vovetur castitas, & non exhibetur; quando vovetur virginitas, & non exhibetur? Vovetur enim ad usus Dei, & non ad usus hominum. Quid est quod dixi, ad usus Dei? Quia de sanctis Deus facit sibi domum, facit sibi templum, in quo habitare dignetur: & utique sanctum vult permanere templum suum. Potest ergo virgini B sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua numquid non manens tibi manebat, & antequam eam voveres, in tua fuerat potestate? Quæcumque autem hoc fecerint, voverint talia, & non reddiderint; non se putent temporalibus mortibus corripi, sed æterno igne damnari.

Serm. de Scripturis.

*Aliàs de Diversis 14.

* SERMO CXLIX.

In quo [a] *quæstiones propositæ ex Actibus Apostolorum cap.* 10. *& ex Evangelio solvuntur, seu de quatuor quæstionibus: Prima de visione Petri. Secunda de verbis Evangelii*, Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, *&c. Et paulò pòst,* Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis, *&c. Tertia de verbis Evangelii,* Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. *Quarta*, de dilectione inimici.

Caput I. Quæstiones solvendæ, 1. de visione Petri.

I. Ante diem Dominicum superiorem, memini me [b] propositarum de Scripturis quarumdam quæstionum factum esse debitorem Sanctitati Vestræ. Est autem, quantum Dominus dare dignatur, solvendi tempus, ne diutiùs debeamus, nisi solam caritatem, quæ semper redditur, & semper debetur. De visione Petri dixeramus quærendum esse, quid sibi velit *vas* illud, *tamquam linteum submissum de cælo quatuor lineis, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & serpentia, & volatilia cæli:* & quod dictum est Petro voce divina, *Occide & manduca:* & quod ter factum est & assumtum.

Act. 10. 11. &c.

Voracitas non imperata Petro. * Caput II.

2. Adversùs eos quidem qui voracitatem à Domino Deo imperatam Petro arbitrantur, facile est disputare. * Primò, quia etiamsi ad litteram velimus accipere quod dictum est, *Occide, & manduca:* non occidere & manducare peccatum est, sed immoderatè uti donis Dei, quæ tribuit ad usus homini.

Judæorum abstinentia ab immundis animalibus figurativa erat.

3. Judæi enim acceperant certa animalia quæ manducarent, & certa à quibus abstinerent: quod in significatione rerum futurarum eos accepisse, manifestat apostolus Paulus, dicens, Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei « festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est « umbra futurorum. Itaque jam temporibus Ecclesiæ dicit alio loco, Omnia munda mundis, sed malum est homini qui per offensionem manducat. Erant enim qui tempore illo, quo ista scribebat Apostolus, carnibus vescebantur, in offensionem quorumdam infirmorum. Immolaticia enim caro eorum pecorum quæ haruspices immolabant, tunc in macello vendebatur, & multi fratres abstinebant se ab edendis carnibus, ne

Coloss. 2. 16. Tit. 1. 15. Rom. 14. 20.

[a] Sic titulus notatur in Possidii Indiculo cap. 8. At in MSS. inscribitur, *De visione Petri.*

[b] Huc spectare videtur illud in fine Sermonis inter Sirmondianos aliàs decimi-noni, qui Dominicâ in Albis habitus fuit: *Deinde Scripturarum quæstiones, quas hesterna die proposui, & angustiâ temporis impediente non solvi, fateor me debere: sed certè, quia dies qui sequuntur jam exactiones etiam pecuniæ permittunt jure forensi & publico, hoc à me potiùs vos exigite jure Christiano.*

vel

CLASSIS I.

vel ignari incurrerent in eas carnes, de quibus sacrificium idolis factum erat. Unde alio loco idem Apostolus, ne timore conscientia trepidaret, ait, Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes, propter conscientiam. Domini est enim terra & plenitudo ejus. Et iterum: Si quis autem vos vocaverit ex infidelibus, & volueritis ire; omnia quæ apponuntur vobis manducate, nihil dijudicantes propter conscientiam. Si quis autem vobis dixerit, quòd immolatitium est; nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam. Omne ergo in his rebus sive mundum sive immundum, non in contactu carnis, sed in conscientiæ puritate, aut in macula constitutum est.

1. Cor. 10. 25. &c.

CAPUT III. Animalia Judæis prohibita, figura sunt.

4. Unde data est licentia Christianis, quæ Judæis non est data. Omnia enim animalia quæ Judæis prohibita sunt manducare, signa sunt rerum, & sicut dictum est, umbræ futurorum. Sicut illa circumcisio significat circumcisionem cordis, quam illi in carne gestabant, & in corde repudiabant: sic & epulæ illæ præcepta mysteriorum sunt, & signa futurorum. Veluti quod scriptum est eis, ut quæ sunt ruminantia & fissa ungulâ, ipsa manducent; quibus autem vel utrumque vel unum horum defuerit, non manducent: homines quidam significantur, non pertinentes ad societatem sanctorum. Fissa enim ungula ad mores, ruminatio verò ad sapientiam pertinet. Quare ad mores fissa ungula? Quia difficilè labitur. Lapsus enim peccati signum est. Ruminatio autem ad [a] sapientiæ doctrinam quomodo pertinet? Quia dixit Scriptura, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum. Qui ergo audit, & negligentiâ fit obliviosus, quasi glutit quod audivit; ut jam in ore non sapiat, auditionem ipsam oblivione sepeliens. Qui autem in lege Domini meditatur die & nocte, tamquam ruminat, & in quodam quasi palato cordis verbi sapore delectatur.

Deut. 14.

Fissa ungula. Ruminatio.

a Prov. 21. 20. sec. LXX.

*CAPUT IV.

*Hoc ergo quod præceptum est Judæis, significat quòd ad Ecclesiam, id est, ad corpus Christi, ad gratiam societatemque sanctorum non pertinent illi, qui aut negligentes auditores sunt, aut malos mores habent, aut in utroque vitio reprehenduntur.

Judaicarum observationum præcepta cur leguntur Christianis.

5. Sic cetera quæ ad hunc modum præcepta sunt data Judæis, umbraticæ sunt significationes futurorum. Postea quàm venit lux mundi Dominus noster Jesus Christus, tantummodo ut intelligantur, non etiam ut observentur, leguntur. Data est ergo licentia Christianis, ut secundùm hanc vanam consuetudinem non faciant, sed manducent quod velint, cum moderatione, cum benedictione, cum gratiarum actione. Fortassis ergo & Petro ita dictum est, *Occide, & manduca*; ut non jam teneret observationes Judæorum: non tamen ei quasi gurges ventris & fœda voracitas imperata est.

CAPUT V. Visio Petri figurativa. Vas. Lineæ quatuor.

6. Sed tamen ut intelligatis hoc in figura esse monstratum, erant in illo vase serpentia. Numquidnam poterat manducare serpentes? Quid ergo sibi vult ista significatio? Vas illud Ecclesiam significat: quatuor lineæ, quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarum, per quas tenditur Ecclesia catholica, quæ ubique diffusa est. Quicumque ergo voluerit in partem ire, & ab universo conscindi, non pertinet ad quatuor linearum sacramentum. Si autem ad visionem Petri non pertinet, nec ad claves quæ datæ sunt Petro. A quatuor enim ventis dicit Deus congregari sanctos suos in fine: quia nunc per omnes istos quatuor cardines fides Evangelica dilatatur. Animalia ergo illa, Gentes sunt. Omnes enim Gentes quæ immundæ erant, in erroribus & superstitionibus & concupiscentiis suis, antè quàm veniret Christus, illo adveniente donatis sibi peccatis mundæ sunt factæ. Unde jam post remissionem peccatorum, quare non recipiantur in corpus Christi, quod est Ecclesia Dei, cujus personam Petrus gestabat?

SERM. DE SCRIPTURIS.

Matth. 24. 31.

CAPUT VI. Petrus personam gerit Ecclesiæ.

7. Petrus enim in multis locis Scripturarum apparet quòd personam gestet Ecclesiæ; maximè illo in loco ubi dictum est, Tibi trado claves regni cælorum. Quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveris in terra, erunt soluta & in cælo. Numquid istas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Johannes & Jacobus non accepit, & ceteri Apostoli? Aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est. Ergo Petrus figuram gestabat Ecclesiæ, Ecclesia corpus est Christi. Recipiat igitur jam mundatas Gentes, quibus peccata donata sunt; unde miserat ad illum Cornelius gentilis homo, & qui cum illo gentiles erant. Hujus eleemosynæ acceptæ mundaverant eum ad quemdam modum: restabat ut tamquam cibus mundus incorporaretur Ecclesiæ, hoc est, corpori Domini. Petrus autem trepidabat tradere Gentibus Evangelium: quia illi qui crediderant ex circumcisione, prohibebant Apostolos tradere incircumcisis Christianam fidem; & dicebant non eos debere accedere ad participationem Evangelii, nisi suscepissent circumcisionem, quæ tradita erat patribus eorum.

Matth. 16. 19.

Gentium receptio intra Ecclesiam. Act. 10.

CAPUT VII.

8. Vas ergo illud dubitationem istam sustulit: & ideo post illam visionem admonitus est ab Spiritu-sancto, ut descenderet & iret cum eis qui venerant à Cornelio, & perrexit. Cornelius enim & qui cum illo erant, tamquam ex illis animalibus habebantur, quæ in vase fuerant demonstrata: quos tamen jam mundaverat Deus, quia eleemosynas eorum inde acceptaverat. Occidendi ergo erant & manducandi, id est, ut interficeretur in eis vita præterita, qua non noverant Christum; & transirent in corpus ejus, tamquam in novam vitam societatis Ecclesiæ. Nam & ipse Petrus cùm ad eos venisset, commemoravit breviter quid sibi in illa visione monstratum sit. Ait enim, *Et vos scitis, quàm illicitum sit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi Deus ostendit, neminem communem aut immundum hominem dicere.* Quod utique tunc ostendit Deus, cùm vox illa sonuit, *Quæ Deus mundavit, tu ne immunda dixeris.* Et postea veniens ad fratres in Jerosolymam, cùm quidam tumultuarentur, quòd Gentibus Evangelium traderetur, reprimens eorum commotionem, etiam ipsum visum commemoravit: quod nisi ad eamdem intelligentiam pertineret, commemorandum non esset.

Act. 10. 28.

℣. 15.

Act. 11.

a Germanensis MS. *ad sapientiam doctrina.*

CLASSIS I. SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT VIII. Linteum.

9. * Fortassis quæratur etiam illud, quare linteum erat, in quo erant illa animalia. Non utique sine caussa. Novimus enim, quòd linteum tinea non consumit, quæ vestes alias corrumpit. Excludat unusquisque de corde suo corruptiones malarum concupiscentiarum, atque ita incorruptibiliter firmetur in fide, ut pravis cogitationibus tamquam tineis non penetretur, si vult ad sacramentum illius lintei pertinere, quo figuratur Ecclesia.

CAPUT IX. Trina submissio.

10. Quare ter de cælo submissum est? Quia ipsæ omnes Gentes, quæ pertinent ad quatuor partes orbis terræ, qua disseminatur Ecclesia, quam significabant quatuor lineæ, quibus vas illud connectebatur, in nomine Trinitatis baptizantur. In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, credentes innovantur, ut pertineant ad societatem communionemque sanctorum. Quatuor ergo lineæ & trina submissio, etiam duodenarium Apostolorum numerum ostendit: tamquam ternis per quatuor deputatis. Quater enim tria, duodecim fiunt. Satis, ut arbitror, de ista visione tractatum est.

CAPUT X. Quæstio 2. ex Evangelio. Matth. 5. 16.

11. Alia quæstio à nobis dilata erat, quare Dominus in ipso sermone quem in monte habuit, dixit discipulis suis, *Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et paulò pòst in eo ipso sermone ait, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et, * *Sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Fluctuat plerumque operator inter hæc duo præcepta, & cui obtemperet nescit: quando utique Domino vult obtemperare, qui utrumque præcepit. Quomodo lucebunt opera nostra coram hominibus, ut videant bona facta nostra; & quomodo rursus erit eleemosyna nostra in abscondito? Si hoc observare voluero, in illud offendo: si illud observavero, hinc pecco. Ergo uterque Scripturæ locus ita temperandus est, ut ostendantur divina præcepta adversa sibi esse non posse. Nam ista quæ videtur pugna in verbis, pacem intellectoris inquirit. * Habeat quisque cum Dei verbo in corde concordiam, & Scripturæ nulla discordia est.

Matth. 6. 1. ℣. 4. V. supra Serm. 47. n. 13. & Serm. 54. n. 1.

CAPUT XI. Locorum pravâ interpretatione discordia.

12. Propone ergo hominem eleemosynam facientem, sic ut omnino nesciat aliquis, si fieri potest, nec ille cui datur; ut ejus etiam oculos vitans ponat potiùs quod inveniat, quàm porrigat quod accipiat. Quid potest facere amplius, ut abscondat eleemosynam suam? Iste utique incurrit in illam sententiam, & non facit quod Dominus ait, *Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra.* Nemo videt facta ejus bona, non invitat ad imitandum. Erunt ceteri steriles, quantum in ipso est, dum putant à nemine fieri quod præcepit Deus, si hoc homines agant, ut non videantur bona opera eorum: cùm major misericordia in eum fiat, cui proponitur bonæ imitationis exemplum, quàm cui porrigitur reficiendi corporis alimentum. Propone alterum eleemosynas suas apud populum ventilantem atque jactantem, nihil aliud in eis quàm velle laudari: luceant opera ejus coram hominibus. Videtis quia non offendit in illud præceptum: sed offendit in alterum dicentis Domini, *Sit eleemosyna tua in abscondito.* Talis qui

A fuerit, etiam pigrescit, si exsistant aliqui impii, qui fortè reprehendant quod facit. Pendet ex lingua laudantium: similis est autem virginibus, quæ non portant oleum secum. Nostis enim quinque virgines stultas, quæ oleum secum non portaverunt; alias autem sapientes, quæ oleum secum portaverunt. Omnium lampades lucebant: sed aliæ non habebant secum unde illam pascerent lucem, & ab eis quæ habebant ita distinguebantur, ut illæ stultæ, illæ sapientes dicerentur.

Virgines oleum non ferentes. Matth. 25.

B Quid est ergo, ferre oleum secum, nisi habere conscientiam placendi Deo de bonis operibus, & non ibi finem gaudii sui ponere, si homines laudent, qui conscientiam videre non possunt? Quia facit enim, potest videre homo: quo autem animo faciat, Deus videt.

CAPUT XII. Conciliantur loca in speciem contraria. 1. Cor. 4. 16. & 11. 1.

13. Proponamus ergo aliquem præceptum utrumque servantem, utrique obedientem. Porrigit panem esurienti, & porrigit coram illis quos vult facere imitatores suos; imitatus etiam Apo-

C stolum dicentem, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Porrigit ergo pauperi panem, manifestus in opere, devotus in corde. Utrùm laudem suam ibi quærat, an gloriam Dei, nullus hominum videt, nullus hominum judicat: sed tamen illi qui studio benevolo ad imitandum parati sunt, quod bonum fieri vident, etiam pio animo fieri credunt; & laudant Deum, cujus præcepto & dono talia fieri vident. Apparet ergo opus ejus, ut videant homines, & glorificent Patrem, qui

D in cælis est: ipse autem effectus ejus in corde est, ut sit eleemosyna ejus in abscondito, & Pater qui videt in abscondito, reddat ei. Servavit iste modum quem debuit, nullius præcepti contemptor, sed utriusque perfector. Cavit enim, ne fieret justitia ejus coram hominibus, id est, ne ibi haberet finem, ut ab hominibus laudaretur; quando non se ipsum, sed Deum voluit in opere suo bono laudari. Ea verò voluntas quia intus est in ipsa conscientia, facta est eleemosyna illa in

E abscondito, ut ille retribuat, cui nihil absconditur. Quis enim potest cor suum hominibus demonstrare cùm facit, ut ostendat qua intentione animi faciat?

Sensus legitimus utriusque loci ex ipsis Christi verbis eruitur.

14. Nam & ipsa verba, Fratres, satis perpensè à Domino dicta sunt. Attendite quomodo dicat: *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini*, inquit, *ab eis.* Si ibi posuit finem, ubi dixit, *ut videamini ab eis:* iste finis est reprehensibilis atque culpabilis, usque ad hominum laudem

F velle benefacere, nihil amplius inde quærere. Quisquis ergo ideo tantùm facit, ut videatur ab hominibus, reprehenditur à Domino in ista sententia. * Illic verò ubi jubet videri bona facta nostra, non ibi finem posuit, ut tantummodo homines hominem videant, & hominem laudent: sed transit ad gloriam Dei, ut usque ad illam perducatur operantis intentio. *Luceant*, inquit, *opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra:* sed non hoc debes quærere. Quid ergo?

*CAPUT XIII.

G Addit & dicit, *& glorificent*, inquit, *Patrem vestrum, qui in cælis est.* Hoc si quæris, ut glorificetur Deus, noli timere ne videaris ab hominibus. Etiam sic intus est eleemosyna tua in abscondito; ubi solus ille, cujus gloriam quæris, te videt hoc quærere. Unde apostolus Paulus, postea quàm Evangelii persecutor prostratus est, & erectus est prædicator, dicit, Eram autem ignotus

Gal. 1. 22. & 24.

facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo. Tantùm autem audientes erant, quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat; & in me, inquit, magnificabant Deum. Non gaudebat quia homo qui acceperat, cognoscebatur; sed quia Deus qui dederat, laudabatur. Ipse enim dixit, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et tamen alio loco dicit, Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Et ista similis quæstio est. Sed quid adjungit? Non quærens, inquit, quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant. Hoc est, quod illo loco ait, Et in me magnificabant Deum: quod etiam Dominus dicit, *Vt glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Tunc enim salvi fiunt, cùm in operibus quæ fieri per homines vident, eum glorificant, à quo hæc homines acceperunt.

Gal. 1. 10.

1. Cor. 10. 33.

15. Restant duæ quæstiones: sed vereor ne oneri sim jam fastidientibus, item timeo ne fraudem adhuc esurientes. Memini tamen quid solverim, & quid debeam. * Restat enim videre, quid sit, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:* & de dilectione inimici, cur antiquis videbatur data licentia ut odissent inimicos, quorum nobis imperatur dilectio. Sed quid facio? Si breviter de his disseram, fortassis non ita ut oportet intelligar: si diutiùs, timeo ne plus gravem vos onere sermonis, quàm fructu expositionis sublevem. Sed certè si minùs quàm satis est, intellexeritis; adhuc me tenete debitorem, ut alio tempore ista pleniùs disserantur. Tamen nunc non oportet ea sic relinqui, ut omnino nihil inde dicatur. Sinistra est animi cupiditas carnalis, dextera est animi caritas spiritalis. Si ergo cùm quisque facit eleemosynam, miscet cupiditatem temporalium commodorum, ut in opere illo aliquid tale conquirat; miscet sinistræ conscientiam operibus dexteræ. Si autem simplici caritate & purâ coram Deo conscientiâ homini subvenit, nihil aliud intuens, nisi ut illi placeat qui hæc jubet, nescit sinistra quid facit dextera.

* CAPUT XIV. Quæstio 3. de Evangelio, ut sinistra nesciat opus dexteræ.

Matth. 6. 3.

Matth. 5. 43.

16. De dilectione autem inimici difficilior est quæstio, nec ea brevitate solvi potest. Sed cùm auditis, orate pro nobis: & fortè Dominus Deus citò dabit, quod putamus esse difficile. Ex uno enim horreo vivimus; quia in una familia sumus. Quod ergo nos putamus esse valde intus in abdito, fortè ipse qui promittit ponit in limine, ut facillimè dari possit petentibus. Dilexit inimicos ipse Dominus Christus: pendens enim in cruce ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Secutus est ejus exemplum Stephanus, cùm lapides in eum jacerentur; & ait, Domine, ne statuas illis hoc delictum. Dominum imitatus est servus, ut nemo servorum sit piger, & putet hoc esse factum quod à solo Domino fieri poterat. Si ergo multum est ad nos imitari Dominum, imitemur conservum. Ad eamdem quippe gratiam vocati omnes sumus. Quare ergo antiquis dictum est, *Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum?* Quia fortassis & ipsis [a] verum dictum est; sed nobis apertiùs pro temporum distributione, per ejus præsentiam qui videbat quid quibus vel tegendum esset vel aperiendum. Si enim habemus inimicum, quem numquam diligere jubemur; est autem diabolus: Diliges proximum tuum, hominem; & oderis inimicum tuum, diabolum. Sed quia in ipsis hominibus sæpe existunt inimicitiæ in animis eorum, qui per infidelitatem dant locum diabolo, & ejus vasa fiunt, ut operetur in filiis diffidentiæ; potest autem fieri, ut relinquat homo malitiam suam, & convertatur ad Dominum; & dum adhuc sævit, dum adhuc persequitur, diligendus est, & orandum pro illo, & bene illi faciendum: ita & primum præceptum implebis, ut diligas proximum tuum hominem, & oderis inimicum tuum diabolum; & secundum, ut diligas inimicos tuos homines, & ores pro eis qui te persequuntur.

CAPUT XV. Quæstio 4 de inimici dilectione & odio.

Luca 23. 34.

Act. 7. 59.

SERM. DE SCRIPTURIS.

17. Nisi fortè putas non orasse Christianos illo tempore pro Saulo persecutore Christianorum. Fortassis ad ejus conversionem vox illa Stephani martyris exaudita est. In illo enim persecutorum ejus numero fuit, & lapidantium vestimenta servavit. Idem etiam ad Timotheum scribens ait, Obsecro primùm omnium fieri deprecationes, adhortationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, uti quietam & tranquillam vitam agamus. Jubebat ergo orari pro regibus: & tunc reges persequebantur Ecclesias. Sed quas tunc pro se orantes persequebantur, nunc pro se exauditas defendunt.

CAPUT XVI. Orandum pro persequentibus.

Act. 7. 57.

1. Tim. 2. 1. & 2.

18. Vis ergo & illud antiquorum custodire præceptum? Dilige proximum tuum, hoc est omnem hominem. Ex duobus enim primis parentibus omnes nati, omnes utique proximi sumus. Certè enim ipse Dominus Jesus Christus qui diligi præcipit inimicos, in duobus illis præceptis totam Legem & Prophetas pendere testatus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam teipsum. Nihil ibi præcepit de dilectione inimici. Non ergo totum hæc duo præcepta continent? Absit. Quia cùm dicit, Diliges proximum tuum, ibi sunt omnes homines, etiamsi fuerint inimici: quia etiam secundùm spiritalem propinquitatem nescis quid tibi sit in præscientia Dei homo, qui tibi ad tempus videtur inimicus. Quia enim patientia Dei ad pænitentiam eum adducit, fortassis cognoscet & sequetur ducentem. Si enim Deus ipse qui novit qui sint in peccatis perseveraturi, qui relicturi justitiam & irrevocabiliter ad iniquitatem lapsuri, tamen facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos, invitans utique ad pænitentiam per patientiam, ut qui neglexerint ejus bonitatem, experiantur in fine severitatem; quanta sollicitudine placabilem oportet esse hominem, ne fortè nesciens qualis futurus sit, cùm præsentes ejus inimicitias adtenderit, oderit eum cum quo in æterna felicitate regnabit? Imple ergo præceptum primum, Dilige proximum tuum, omnem hominem; & oderis inimicum tuum, diabolum. Imple & secundum, Dilige inimicos tuos, sed homines: ora pro eis qui te persequuntur, sed pro hominibus: bene fac eis qui te oderunt, sed hominibus.

CAPUT XVII. Proximi nomine inimicus etiam diligendus præcipitur.

Matth. 22. 37. &c.

Matth. 5. 45.

19. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus. Et hîc quæstio

CAPUT XVIII. De loco Apostoli. Rom. 12. 20.

[a] Ita in MSS. At in editis deest *verum*.

CLASSIS I.

Psal. 119. 4.

est. Quomodo enim quisque diligit, quem vult ardere carbonibus? Sed si intelligatur, nulla contentio est. De illis enim vastatoribus carbonibus dicitur, qui dantur homini adversùs linguam subdolam. Cùm enim quisque benefecerit inimico, & non victus malo ejus, vicerit in bono malum, plerumque illum inimicitiarum suarum pænitebit, & irascetur sibi, quòd tam bonum hominem læserit. Ipsa verò ustio, pænitentia est, quæ tamquam carbones ignis inimicitias ejus malitiasque consumit.

** Aliàs in Tom. 6.*

* SERMO CL.

a

De [a] *verbis Actuum Apost.* 17. Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi disserebant cum eo *&c.*

Habitus Carthagini.

CAPUT I. Paulus apud Athenienses prædicans.

Act. 17. 18.

1. ADVERTIT nobiscum Caritas Vestra, cùm legeretur liber Actuum Apostolorum, Paulum locutum esse Atheniensibus, & ab eis qui prædicationem veritatis irridebant, dictum fuisse verborum seminatorem. Dictum est quidem ab irridentibus, sed non respuendum est à credentibus. Erat enim re vera ille seminator verborum, sed messor morum. Et nos licèt tantilli & nequaquam illius excellentiæ comparandi, in agro Dei, quod est cor vestrum, verba Dei seminamus, & uberem messem de vestris moribus exspectamus. Verumtamen unde admonemur loqui Caritati Vestræ, quod ipsa lectione continetur, hortamur adtentiùs advertatis, si quo modo adjuvante Domino Deo nostro dicimus aliquid, quod nec facilè, nisi dicatur, ab omnibus possit intelligi; neque cùm intellectum fuerit, debeat ab ullo contemni.

1. Cor. 1. 23.

2. Apud Athenas loquebatur. Athenienses in omni litteratura atque doctrina per alios populos magnâ famâ pollebant. Ipsa erat patria magnorum philosophorum. Inde se per ceteras Græciæ atque alias orbis terras varia & multiplex doctrina diffuderat. Ibi Apostolus loquebatur, ibi annuntiabat Christum crucifixum, " Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, " ipsis verò vocatis Judæis & Græcis Christum " Dei virtutem & Dei sapientiam. Hoc annuntiare inter superbos & doctos quanti periculi fuerit, vestrum est cogitare. Denique sermone finito, audita illi resurrectione mortuorum, quæ præcipua fides est Christianorum, alii irridebant; dicebant autem alii, *Audiemus te de hoc iterum.* Nec defuerunt qui crediderunt, atque in eis nominatur quidam Dionysius Areopagites, id est Atheniensium principalis: (Areopagos enim Atheniensium curia vocabatur:) & mulier quædam nobilis, & alii. Facta est ergo loquente Apostolo tripartita illa multitudo, per quosdam gradus mirâ distinctione disposita, irridentium, dubitantium, credentium. *Quidam* enim, ut scriptum esse audivimus, *irridebant*: *quidam dicebant*, *Audiemus te de hoc iterum*; isti dubitantes erant: aliqui crediderunt. Inter irridentes & credentes, medii sunt dubitantes. Qui irridet, cadit: qui credit, stat: qui dubitat, fluctuat. *Audiemus te de hoc iterum*, inquiunt: incertum, an casuri essent cum irridentibus, an staturi cum credentibus.

Fides Christianorum. *Act. 17. 32.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT II.

Matth. 13.

* Numquid tamen inaniter laboravit seminator ille verborum? Ille verò si formidaret irridentes, non perveniret ad credentes: quomodo seminator ille Evangelicus, quem commemorat Dominus, (nam utique hoc erat Paulus,) si trepidaret mittere semina, ne aliud caderet in via, aliud inter spinas, aliud in loca petrosa; numquam semen posset etiam ad terram optimam pervenire. Et nos seminemus, spargamus: corda præparate, fructum date.

Epicurei & Stoici cum Apostolo conferentes.

3. Hoc quoque, si meminit Caritas Vestra, cùm legeretur audivimus, quod quidam ex philosophis Epicureis & Stoicis conferebant cum Apostolo. Qui sint vel fuerint philosophi Epicurei & Stoici, id est, quid senserint, quid verum esse putaverint, quid philosophando sectati sint, procul dubio multi vestrûm nesciunt: sed quoniam Carthagini loquimur, multi sciunt. [b] Adjuvent ergo modò nos dicturos vobis. Ad rem quippe valde pertinet, quod puto esse dicendum. Audiant nos & nescientes & scientes: nescientes instruantur, scientes commoneantur: illi cognoscant, illi recognoscant.

CAPUT III. Beata vita ab omnibus appetitur.

4. Primò generaliter audite omnium philosophorum commune studium, in quo studio communi habuerunt quinque divisiones & differentias sententiarum propriarum. Communiter omnes philosophi studendo, quærendo, disputando, vivendo appetiverunt apprehendere vitam beatam. Hæc una fuit caussa philosophandi: sed puto quòd etiam hoc philosophi nobiscum commune habent. Si enim à vobis quæram quare in Christum credideritis, quare Christiani facti fueritis; veraciter mihi omnis homo respondet, Propter vitam beatam. Appetitio igitur beatæ vitæ philosophis Christianisque communis est. Sed res tam consona ubi inveniri possit, inde quæstio est, deinde discretio. Nam vitam beatam appetere, vitam beatam velle, vitam beatam concupiscere, desiderare, sectari, omnium hominum esse arbitror. Unde me video parum dixisse hunc appetitum beatæ vitæ philosophis Christianisque communem: debui enim dicere, omnium hominum, prorsus omnium bonorum & malorum. Nam & qui bonus est, ideo bonus est ut beatus sit; & qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret. De bonis facilis quæstio est, quòd beatam vitam quærant, ideo boni sint. De malis fortè aliqui dubitant, utrùm & ipsi beatam vitam quærant. Sed si separatos malos & à bonis discretos interrogare possem & dicere, Vultis beati esse? nemo diceret, Nolo. Verbi gratiâ, pone aliquem furem: quæro ab illo, Quare furtum facis? Ut habeam, inquit, quod non habebam. Quare vis habere quod non habebas? Quia miserum est non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere. Sed in eo impudens est & errat, quia de malo vult beatus fieri. Bonum est enim omnibus beatum esse. Unde ergo ille perversus? Quia bonum quærit & malum facit. Quid quærit er-

[a] Censura huic Tractatui in Tomo 6 hæc ab Erasmo præfixa est, *Non omnino malus, sed nihil aut quàm minimum habens Augustini.* Contrà nos quidem judicamus, & omnino bonum Sermonem, & nihil habentem nisi Augustini. Ejus meminit Possidius in Indiculo cap. 1. his verbis, *De lectione Actuum Apostolorum, ubi Epicurei & Stoici cum apostolo Paulo contulerunt.*

[b] Colbertinus MS. *Audiunt.*

CLASSIS I.

go? Quid adſpirat cupiditas malorum ad mercedem bonorum? Beata vita merces bonorum eſt: bonitas opus eſt, beatitudo merces eſt. Deus opus jubet, mercedem proponit: dicit, Hoc fac, & hoc accipies. Ille autem malus reſpondet nobis, Niſi malè fecero, beatus non ero. Tamquam dicat aliquis, Ad bonum non pervenio, niſi malus fuero. Non vides, quia bonum & malum contraria ſunt? Bonum quæris, & malum facis? In contrarium curris, quando pervenis?

CAPUT IV. Epicureorum & Stoicorum opinio de beata vita.

5. Relinquamus ergo iſtos, fortè opportunum erit ut ad eos redeamus, cùm de philoſophis quod inſtituimus peregerimus. Non enim arbitror ſine cauſſa, per neſcientes actum eſſe aliquid magnum diſpenſante divinâ ipsâ providentiâ, ut cùm eſſent plurimæ philoſophorum ſectæ in civitate Athenienſi, non contulerint cum apoſtolo Paulo niſi Stoici & Epicurei. Cùm enim audieritis quid ſentiant in ſectis ſuis, videbitis quàm non fruſtra factum ſit, ut ex omnibus philoſophis ſoli cum Paulo conferrent. Neque enim ille eligere ſibi potuit quibus altercantibus reſponderet, ſed divina ſapientia omnia gubernans hos ei appoſuit, in quibus diſſenſionis philoſophorum tota propè cauſſa conſiſteret. Breviter ergo dico: indocti credant nobis, docti judicent de nobis. Puto quia mentiri non audeo indoctis, judicibus doctis; maximè quia dico aliquid, ubi pariter & docti & indocti poſſint veraciter judicare. Hoc ergo priùs dico, hominem conſtare ex anima & corpore. Hîc non peto ut credatis, ſed & vos peto ut judicetis. Non enim timeo, ne in hoc dicto malè quiſquam judicet de me, qui agnoſcit ſe. Homo ergo, quod nemo ambigit, conſtat ex anima & corpore. Subſtantia iſta, res iſta, perſona iſta quæ homo dicitur, beatam vitam quærit: & hoc noſtis; nec inſto ut credatis, ſed admoneo ut agnoſcatis. Homo, inquam, id eſt res iſta non parva, præcedens omnia pecora, omnia volatilia, omnia & natatilia, & quidquid carnem gerit & homo non eſt: homo ergo conſtans ex anima & corpore; ſed non qualicumque anima, nam & pecus conſtat ex anima & corpore: homo ergo conſtans ex anima rationali & carne mortali, quærit beatam vitam. Quæ res faciat beatam vitam cùm cognoverit homo, niſi hanc teneat, hanc ſequatur, hanc ſibi vindicet, aſſumat ſi poteſtas eſt, petat ſi difficultas eſt, beatus eſſe non poteſt. Tota igitur quæſtio eſt, quid faciat beatam vitam. Conſtituite nunc ante oculos veſtros Epicureos, Stoicos, & Apoſtolum: quod etiam ſic dicere potui, Epicureos, Stoicos, Chriſtianos. Interrogemus priùs Epicureos, quæ res faciat vitam beatam. Reſpondent, Voluptas corporis. Hîc jam credatis peto, quia judices habeo. Utrùm enim hoc dicant, hoc ſentiant Epicurei, neſcitis, quia illas litteras non legiſtis; ſed ſunt hîc qui legerunt. Redeamus ad interrogandos. Quid dicitis Epicurei, quæ res facit beatam vitam? Reſpondent, Voluptas corporis. Quid dicitis Stoici, quæ res facit vitam beatam? Reſpondent, Virtus animi. Intendat mecum Caritas Veſtra, Chriſtiani ſumus, inter philoſophos diſceptamus. Videte quare illæ tantùm duæ ſectæ procuratæ ſunt cum Apoſtolo collaturæ. Nihil eſt in homine, quod ad ejus ſubſtantiam pertineat atque naturam, præter corpus & animam. Horum duorum in uno, hoc eſt in corpore, Epicurei poſuerunt beatam vitam: in alio, id eſt anima, Stoici poſuerunt beatam vitam. Quantum ad hominem pertinet, ſi ab illo ſibi eſt vita beata, nihil reſtat præter corpus & animam. Aut corpus eſt cauſſa beatæ vitæ, aut anima eſt cauſſa beatæ vitæ: ſi plus quæris, ab homine recedis. Hi ergo qui beatam vitam hominis in homine poſuerunt, alibi ponere omnino non potuerunt, niſi aut in corpore, aut in anima. Horum qui in corpore poſuerunt, principatum Epicurei tenuerunt: horum qui in anima poſuerunt, principatum Stoici tenuerunt.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT V. Epicureorum opinio ab Apoſtolo improbata.

6. Ecce ſunt, conferunt cum Apoſtolo; aliquidne plus habeat Apoſtolus; an verò uni harum duarum ſectæ neceſſariò conſentire deberet, ut etiam ipſe cauſſam beatæ vitæ, aut in corpore, aut in anima poneret. Nunquam poneret Paulus in corpore: hoc enim magnum non eſt; cùm ipſi minimè ponant cauſſam beatitudinis in corpore, qui meliùs ſentiunt de corpore. Nam Epicurei & de corpore & de anima hoc idem ſentiunt, quod utrumque mortale eſt. Et quod eſt gravius & deteſtabilius, priùs dicunt animam poſt mortem diſſolvi quàm corpus. Adhuc, inquiunt, poſt efflatum ſpiritum manente cadavere, & integris membrorum lineamentis aliquantum durantibus, anima mox ut exierit, veluti fumus vento diverberata diſſolvitur. Non ergo miremur quòd ſummum bonum, id eſt, beatitudinis cauſſam in corpore poſuerunt, quod ſe melius quàm animam habere ſenſerunt. Numquid hoc faceret Apoſtolus? Abſit ut poneret in corpore ſummum bonum. Summum enim bonum eſt cauſſa beatitudinis: immo verò doluit Apoſtolus, quoſdam è numero Chriſtianorum elegiſſe ſententiam Epicureorum, non hominum, ſed [a] porcorum. Ex hoc enim numero erant illi corrumpentes mores bonos colloquiis malis, & dicentes, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Epicurei contulerunt cum Paulo apoſtolo: ſunt & Chriſtiani Epicurei. Quid enim ſunt aliud dicentes quotidie, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? Quò pertinet, Nihil erit poſt mortem, umbræ enim tranſitus eſt vita noſtra. Dixerunt enim apud ſe cogitantes non rectè inter cetera, Coronemus nos roſis, antè quàm marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, ubique relinquamus ſigna lætitiæ; quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

De anima quid Epicurei ſentiunt.

a 1. Cor. 15. 32. & 33.

Chriſtiani quidam moribus Epicurei.

Sap. 2. 8.

CAPUT VI.

7. Hoc ſi atrociùs objurgemus, ſi his cupiditatibus vehementiùs reſiſtamus, dicent & quod ſequitur, Opprimamus pauperem juſtum. Et tamen dicere vel in hoc loco poſiti non timemus, Nolite eſſe Epicurei. Cogitate quidem illud, quod dictum eſt ab his non rectè loquentibus, Cras enim morimur: ſed non omni modo moriemur; manet enim poſt mortem quod ſequitur mortem. Comes morienti aut vita erit, aut pœna. Nemo dicat, Quis huc inde reverſus eſt? Dives ille purpuratus ſerò redire voluit, & permitti non potuit. Stillam ſitiens inquiſivit, qui eſurientem pauperem faſtidivit. Nemo ergo dicat, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Si vultis dicere, Cras enim moriemur: non prohibeo; ſed aliud antè dicite. Epicurei quip-

Ibidem 10.

Luc. 16. 23.

[a] Colbertinus MS. pecorum.

CLASSIS I.

pe velut non victuri post mortem, quasi aliud nihil habentes nisi quod delectat carnem, dicunt, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Christiani verò post mortem victuri, & felices potiùs victuri post mortem, non dicant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur: sed tenete quod dicitur, Cras enim moriemur: & dicite, Jejunemus & oremus, cras enim moriemur. Addo planè aliud, addo tertium, nec quod præcipuè observandum est prætermitto, ut de jejunio tuo fames pauperis satietur; aut si jejunare non potes, magis pascas, cujus saturitate tibi venia concedatur. Dicant ergo Christiani, Jejunemus & oremus & donemus, cras enim moriemur. Aut si duas res volunt dicere, ego eligo ut dicant, Donemus & oremus, quàm Jejunemus & non donemus. Absit ergo ut Apostolus in corpore poneret summum bonum hominis, id est, beatitudinis caussam.

Jejunium cum oratione & eleemosyna.

8. Sed cum Stoicis non indecens fortasse luctamen est. * Ecce enim interroganti ubi ponant efficiens beatæ vitæ, id est, quod facit in homine beatam vitam: respondent, non corporis voluptatem, sed animi esse virtutem. Quid Apostolus? annuit? Si annuit, annuamus. Sed non annuit: revocat enim Scriptura eos qui confidunt in virtute sua. Epicureus itaque in corpore ponens summum hominis bonum, in se spem ponit. Sed enim Stoicus in animo ponens summum hominis bonum, in re quidem meliori hominis posuit; sed etiam ipse in se spem posuit. Homo est autem & Epicureus & Stoicus. Maledictus igitur omnis qui spem suam ponit in homine. Quid ergo? Jam constitutis ante oculos nostros tribus, Epicureo, Stoico, Christiano, interrogemus singulos. Dic Epicuree, quæ res faciat beatum? Respondet, Voluptas corporis. Dic Stoice? Virtus animi. Dic Christiane? Donum Dei.

** CAPUT VII.* *Stoicorum opinio Apostolo nō probata.* *Psal. 48. 7.* *Jerem. 17. 5.*

9. Itaque, Fratres, velut ante oculos nostros Epicurei & Stoici cum Apostolo contulerunt, & collatione sua nos quid rejicere & quid deberemus eligere docuerunt. Est virtus animi res laudabilis, prudentia mala & bona discernens, justitia sua cuique distribuens, temperantia libidines cohibens, fortitudo molestias æquanimiter sustinens. Magna res, laudabilis res: lauda Stoice quantum potes; sed dic unde habes? Non virtus animi tui te facit beatum, sed qui tibi virtutem dedit, qui tibi velle inspiravit, & posse donavit. Scio quia fortassis irrisurus es me, & eris in eis de quibus scriptum est, quia Paulum irridebant. Si tu via es, ego semino: seminator enim verborum sum pro modulo meo. Quod fuit convicium tuum, officium est meum. Ego semino: cadit in te quod semino, tamquam in terram duram. Ego non sum piger; & invenio terram bonam. Quid tibi faciam? Reprehensus es, & oraculo divino reprehensus es. Inter illos es, qui confidunt in virtute sua: inter illos es, qui spem ponunt in homine. Virtus te delectat; bona res delectat: scio, sitis; sed virtutem tibi manare non potes. [a] Siccus es; si tibi ostendero fontem vitæ, fortè deridebis. Dicis enim apud te, De ista rupe bibiturus sum? Accedit virga, & manavit aqua. Judæi enim signa petunt; sed tu Stoice non es Judæus: scio, Græcus es; & Græci sapientiam quærunt.

CAPUT VIII. *Rejiciendæ Epicureorum & Stoicorum de felicitate sententiæ.* *Philip. 2. 13.* *Act. 17. 32.* *1 Cor. 1. 22. &c.*

Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Scandalizatur Judæus, subsannat Græcus. Judæis enim scandalum, Gentibus autem stultitiam: sed ipsis vocatis Judæis & Græcis, hoc est, ipsi Paulo ex Saulo, & Dionysio Areopagitæ, & talibus his, talibus & illis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Jam non irrides rupem: agnosce virgam crucem, Christum fontem; & si sitis, bibe virtutem. Esto fonte saginatus, gratiarum actiones fortasse ructuabis: quod ab illo habes, jam non tibi dabis, sed in ructuatione exclamabis, Diligam te, Domine, virtus mea. Jam non dices, [b] Virtus animi mei me facit beatum. Non eris inter illos, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor ipsorum; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Quid est enim, dicentes se esse sapientes, nisi à se habere, sibi sufficere? Stulti facti sunt: meritò stulti. Stultitia vera, est falsa sapientia. Sed eris inter illos, de quibus dicitur, Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt, & in nomine tuo* exsultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur; quoniam gloria virtutis eorum tu es. Virtutem quærebas; dic, Domine, virtus mea. Beatam vitam quærebas; dic, Beatus homo quem tu erudieris, Domine. Beatus enim populus, cujus non voluptas carnis, cujus non virtus propria; sed beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius. Hæc est patria beatitudinis, quam omnes volunt, sed non omnes rectè quærunt. Nos autem ad talem patriam non nobis viam quasi corde nostro machinemur, & erraticas semitas moliamur: venit inde & via.

SERM. DE SCRIPTURIS. *Psal. 17. 2.* *Rom. 1. 21. & 22.* *Psal. 88. 16. &c.* *Psal. 17. 2.* *Psal. 93. 12.* *Psal. 143. 15.*

10. Quid vult enim beatus, quid vult, nisi non falli, non mori, non dolere? Et quid quærit? Plus esurire, & plus manducare? Quid si melius est, non esurire? Nemo beatus est, nisi qui vivit in æternum sine ullo timore, sine ulla fallacia. Nam falli odit anima. Quantum falli oderit anima naturaliter, hinc intelligi potest, quoniam qui mente alienata rident, plorantur à sanis: & eligit homo utique ridere, quàm flere. Si duo ista proponantur, Ridere vis, an flere? quis est qui respondeat, nisi ridere? Iterum si proponantur ista duo, Falli vis, an verum tenere? omnis homo respondet, Verum tenere. Et ridere eligit, & verum tenere: de duobus illis, risu & fletu, ridere; de duobus istis, fallacia & veritate, verum tenere. Sed tantum prævalet invictissima veritas, ut eligat homo sana mente flere, quàm mente alienata ridere. Ibi ergo in illa patria veritas erit, fallacia & error nusquam. Sed & veritas erit, & flere non erit. Erit enim & verum [c] ridere, & de veritate gaudere, quia ibi vita erit. Nam si dolor erit, vita non erit: neque enim vita dicenda est sempiternus immortalisque cruciatus. Ideo Dominus non appellans vitam quam habituri sunt impii, quamvis in igne victuri sint: vitam non finiunt, ne pœnam finiant: Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur: tamen eam noluit appellare vitam, sed hanc appellavit vitam quæ beata & æterna est. Unde interrogante illo divite Dominum, Quid boni faciam, ut vitam æternam consequar? Et ipse quidem vitam æternam non nominabat, nisi beatam. Nam ha-

Beatitudo & ad beatitudinem via Christus. *Matth. 25. 41.* *Isai. 66. 24.* *Matth. 19. 16.*

[a] Sic MSS. At editi, *Si cura sit tibi ostendere* &c.
[b] Sic Colbertinus MS. Editi verò, *Animus meus facit beatum.*
[c] In Michaelino MS. *videre.*

CLASSIS I.

bebunt impii æternam, sed non beatam vitam, A quia cruciatibus plenam. Ergo ille ait, Domine quid boni faciam, ut vitam æternam consequar? Respondit illi Dominus de mandatis. Ait ille, Hæc omnia feci. Sed quando respondit de mandatis, quid ait? Si vis venire ad vitam. Non ei dixit beatam; quia misera nec vita dicenda est. Non ei dixit æternam; quia ubi mortis timor est, nec vita dicenda est. Ergo vita, quæ hoc nomine digna est, ut vita dicatur, non est nisi beata; & beata non est, nisi æterna. Hanc vo- B lunt omnes, hanc volumus omnes, veritatem & vitam: sed ad tam magnam possessionem, ad tam grandem felicitatem quà itur? Instruxerunt sibi vias erroris philosophi: alii dixerunt, Hàc: alii, Non hàc, sed hàc. Latuit eos via, quia Deus superbis resistit. Lateret & nos, nisi venisset ad nos. Ideo Dominus, Ego, inquit, sum via. Piger viator, venire nolebas ad viam: ad te venit via. Quærebas quà ires: Ego sum via. Quærebas quò ires: Ego sum veritas & vita. Non erra- C bis quando is ad illum, per illum. Hæc est doctrina Christianorum, non planè conferenda, sed incomparabiliter præferenda doctrinis philosophorum, immunditiæ Epicureorum, superbiæ Stoicorum.

Jacob. 4. 6. — Johan. 14. 6.

* SERMO CLI.

a Aliàs de Tempore 45.

De [a] *verbis Apostoli, Rom.* 7. Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago, *&c.*

Caput I. Locus Apostoli male intelligentibus periculosus.

1. LECTIO divina, quæ de apostoli Pauli epistola recitata est, quotienscumque legitur, timendum est, ne malè intellecta det hominibus occasionem quærentibus occasionem. Proclives sunt quippe homines ad peccandum, & vix se tenent. Ubi ergo audierint Apostolum dicentem, *Non enim quod volo, facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago:* agunt malum, & quasi displicentes sibi quia agunt malum, putant se Apostolo esse similes, qui dixit, *Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago.* Nonnumquam ergo legitur, & [b] tunc nobis ingerit necessitatem disputandi, ne homines malè sumentes salubrem cibum vertant in venenum. Sit ergo intenta Caritas Vestra, donec quod Dominus donaverit, dicam vobis: ut ubi me fortè laborare videritis in difficultate alicujus obscuritatis, adjuvetis me affectu pietatis.

Rom. 7. 15.

Justi vita hic bellū, nondum triumphus. Florus ad Rom. 8.

2. Priùs ergo recolite, quod Deo propitio, F soletis audire, vitam justi in isto corpore adhuc bellum esse, nondum triumphum. Hujus autem belli aliquando erit triumphus. Ideo Apostolus dixit, & voces belli, & voces triumphi. Voces belli modò audivimus, *Non enim quod volo ago; sed quod odi, illud facio.* * *Si autem quod odi, illud facio; consentio Legi, quoniam bona est.* * *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* * *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris* G *meis.* Quando audis repugnantem, quando audis captivantem, bellum non agnoscis? * Vox ergo triumphi nondum est: sed quia futura est,

*Rom. 7. 15. — ℣. 16. — ℣. 18. — ℣. 23. — * Caput II.*

docet te idem Apostolus, dicens, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: ibi est vox triumphi: tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Dicant triumphantes, Ubi est mors contentio tua? Dicemus ergo, quandoque dicemus; & ipsum quandoque non erit longè. Non enim tantum remanet de sæculo, quantum jam exemtum est. Hoc igitur tunc dicemus. Modò autem in isto bello, ne malè intelligentibus lectio ista tuba sit hostis, non nostra, unde ille incitetur, non unde vincatur; advertite, obsecro, Fratres mei, & qui certatis certate. Qui enim nondum certatis, non estis intellecturi quod dico: qui jam certatis, intellecturi estis. Vox mea in aperto, vestra erit in silentio. Priùs illud recolite quod scripsit ad Galatas, unde hoc bene possit exponi. Ait enim, fidelibus loquens, baptizatis loquens, quibus utique in sancto lavacro omnia fuerant dimissa peccata: his tamen loquens, sed pugnantibus loquens, ait, Dico autem, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Non dixit, ne feceritis: sed, ne perfeceritis. Quare hoc? Sequitur & dicit, Caro enim concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Quòd si Spiritu ducimini, non ad- D huc estis sub Lege: utique, sed sub gratia. Si Spiritu ducimini: quid est, duci Spiritu? Spiritui Dei consentire jubenti, non carni concupiscenti. Tamen concupiscit & * resistit; & vult aliquid, & non vis tu: persevera, ut nolis tu.

*Serm de Scripturis — 1. Cor. 15. 53. &c. — Vox triumphi. — Gal. 5. 16. &c. — * f. resistis.*

3. Desiderium tamen tuum tale esse debet ad Deum, ut nec sit ipsa concupiscentia cui resistas. Videte quid dixerim, Desiderium, inquam, tuum tale esse debet ad Deum, ut omnino non sit ipsa concupiscentia cui resistere oporteat. Re- E sistis enim, & non consentiendo vincis: sed melius est hostem non habere, quàm vincere. Hostis iste aliquando non erit. Refer animum ad vocem triumphi, & vide si erit. Ubi est mors contentio tua? Non erit. Ubi est mors aculeus tuus? Quæres locum ejus, & non invenies. Non enim hæc, quod maximè debetis audire: non enim hæc quasi alia natura est, sicut insaniunt Manichæi. Languor noster est, vitium nostrum est. Non separatum alibi erit, sed sanatum nusquam erit. Ergo, Concupiscentias carnis ne perfeceritis. Melius quidem erat implere quod Lex dixit, *Ne concupiscas.* Plenitudo est ista virtutis, perfectio justitiæ, palma victoriæ, *Ne concupiscas.* Hoc quia modò impleri non potest, vel illud impleatur quod sancta Scriptura item dicit, Post concupiscentias tuas non eas. Melius est eas non habere: sed quia sunt, noli post eas ire. [c] Nolunt post te ire: noli post eas ire. Si velint post te ire, non erunt; quia contra mentem tuam non rebellabunt. Rebellant, rebella; pugnant, pugna; expugnant, expugna: hoc solum vide, ne vincant.

Caput III. Concupiscentiæ interitus in votis esse debet. — 1. Cor. 15. 55. — Manichæorum insania. — Rom. 7. 7. — Eccli. 18. 30.

4. Ecce aliquid inde ponam, unde cetera intelligatis. Nostis esse homines sobrios: paucio-

Caput IV.

[a] Hunc Florus totum ferè exscripsit ad Rom. 8. sub hocce titulo, *Ex Sermone primo.* Paulò ante subsequentem dictus est, eadem in urbe, quod postea intelliges, Carthaginensi.

[b] In quibusdam MSS. *& nunc.*

[c] Lov. *Volunt post te ire: noli post eas ire. Si nolint post te ire.* Sed meliùs ceteri editi & MSS. quos hîc sequimur.

CLASSIS I.

Quomodo concupiscentiæ & consuetudini malæ resistendum.

res sunt, sed sunt. Nostis esse & ebriosos: abundant. Baptizatus est sobriùs: quantum pertinet ad ebrietatem, non habet cum qua pugnet: habet alias concupiscentias, cum quibus pugnet. Sed ut de ceteris intelligatis, unius tantummodo hostis certamen in medio constituamus. Baptizatus est & ebriosus: audivit, & cum timore audivit, inter cetera mala, quibus hominibus malè viventibus intercluditur regnum Dei, commemoratam esse & ebrietatem: quia ubi dictum

1. Cor. 6. 9. & 10.

est, Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures; ibi additum est, Neque ebriosi &c. regnum Dei possidebunt. Audivit, & timuit. Baptizatus est, dimissa sunt illi omnia, quibus inebriatus est: restat adversaria consuetudo. Ergo habet cum qua pugnet renatus. Præterita ejus vitia omnia dimissa sunt ei: observet, vigilet, pugnet, ne aliquando inebrietur. Surgit ergo illa concupiscentia potandi, titillat animum, ingerit faucibus siccitatem, insidiatur sensibus: vult etiam ipsum, si potest fieri, penetrare murum, adire inclusum, trahere captivum. Pugnat, repugna. O si & ipsa non esset! Si consuetudine mala accessit, bona consuetudine [a] morietur: tu tantùm noli ei satisfacere, noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare. Tamen quamdiu est, hostis est. Si ei non consentias, & numquam inebrieris, minor & minor erit quotidie. Nam sunt vires illius subjectio tua. Si enim ei cesseris, & inebriatus fueris, das ei vires. Numquid contra me, & non contra te? Ego de loco superiore moneo, dico, prædico: quid mali futurum sit ebriosis, antè denuntio. Non est quod dicas, Non audivi: non est quod dicas, Exigit Deus animam meam de manu illius, qui mihi tacuit. Sed laboras, quia tibi validum adversarium mala consuetudine ipse fecisti. Non laborasti, ut [b] nutrires eum: labora, ut vincas eum. Et si minùs idoneus es adversùs eum, roga Deum. Tamen si te non vicerit, quamvis ipsa tua mala consuetudo luctata sit tecum, si te non vicerit, fecisti quod ait apostolus Paulus, Concupiscentias carnis ne perfeceritis. Facta est concupiscentia titillando: sed non est perfecta [c] potando.

Gal. 5. 16.

CAPUT V.

Concupiscentia nobis innata & ex primo peccato orta.

5. Quod dixi de ebrietate, hoc de omnibus vitiis, hoc de omnibus cupiditatibus. Cum aliquibus enim nati sumus, aliquas consuetudine fecimus. Nam propter illas, cum quibus nati sumus, baptizantur infantes, ut solvantur à reatu propaginis, [d] non malæ, quam non habuerunt, consuetudinis. Ergo semper pugnandum est; quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest quamdiu vivimus: quotidie minui potest, finiri non potest. Per illam dictum est hoc nostrum mortis corpus. De ipsa dicit Apostolus, *Condelector enim Legi Dei secundùm interiorem hominem.* * *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Tunc nata est ista lex, quando transgressa est prima Lex. Tunc nata est, inquam, ista lex, quando contemta & transgressa est prima Lex. Quæ est prima Lex? Quam in paradiso ac-

d Florus ad Rom. 7.

Rom. 7. 22. ℣. 23.

A cepit homo. Nonne nudi erant, & non confundebantur? Quare nudi erant, & non confundebantur, nisi quia nondum erat lex in membris repugnans Legi mentis? Fecit homo factum puniendum, & invenit motum pudendum. Manducaverunt contra interdictum, & aperti sunt oculi eorum. Quid enim? priùs in paradiso clausis vel cæcis oculis oberrabant? Absit. Nam Adam unde nomina imposuit volatilibus & bestiis, quando ad eum cuncta animalia adducta sunt? Quibus B nomina imponebat, si non videbat? Deinde dictum est, Vidit mulier lignum, quia placeret oculis ad videndum. Ergo oculos apertos habebant; & nudi erant, & non confundebantur. Aperti sunt autem oculi eorum ad aliquid quod numquam senserant, quod in motu sui corporis numquam expaverant. Aperti sunt oculi ad intuendum, non ad videndum: & quia senserunt pudendum, curaverunt tegendum. * Consuerunt, inquit, folia ficulnea, & fecerunt sibi succinctoC ria. Quod texerunt, ibi senserunt. Ecce unde trahitur originale peccatum, ecce unde nemo nascitur sine peccato. Ecce propter quod Dominus non sic concipi voluit, quem virgo concepit. Solvit illud, qui venit sine illo: solvit illud, qui non venit ex illo. Unde unus & unus: unus ad mortem, unus ad vitam. Homo primus ad mortem, homo secundus ad vitam. Sed quare ad mortem ille homo? Quia tantùm homo. Quare ad vitam iste homo? Quia Deus & homo.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Gen. 2. 25.

Ibidem 20.

Gen. 3. 6.

Ibidem 7.

*CAPUT VI.

Originale peccatum ex concupiscentia.

Christus sine peccato conceptus, ut solveret peccatum.

D 6. Non ergo quod vult agit Apostolus: quia vult non concupiscere, & tamen concupiscit; ideo non quod vult agit. Numquid illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subjugatum ad fornicationem & adulteria? Absit. Non adscendant tales cogitationes in cor nostrum. Luctabatur, non subjugabatur. Sed quia nolebat, nec hoc habere, contra quod luctaretur, ideo dicebat, *Non quod volo ago.* Concupiscere nolo, & concupisco. Non ergo quod volo E ago: sed tamen concupiscentiæ non consentio. Non enim aliter diceret, Concupiscentias carnis ne perfeceritis: si eas ipse perficeret. Sed constituit tibi ante oculos pugnam suam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixisset beatus Apostolus, quando videres moveri concupiscentiam in membris tuis, cui tu non consentires; tamen cùm eam moveri videres, forsitan de te desperares, & diceres, Si ad Deum pertinerem, sic non moverer. Vide Apostolum pugnantem, & noli te facere F desperantem. *Video aliam legem*, inquit, *in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ.* Et quia nolo ut repugnet: caro enim mea est, ego ipse sum, pars mea est: *Non quod volo ago; sed quod odi malum, hoc ago*; quia concupisco.

Apostoli pugna contra concupiscentiam.

Gal. 5. 16.

7. Quod ergo bonum ago? Quia concupiscentiæ malæ non consentio. Ago bonum, & non perficio bonum: & concupiscentia hostis mea agit malum, & non perficit malum. Quomodo ago bonum, & non perficio bonum? Ago boG num, cùm malæ concupiscentiæ non consentio: sed non perficio bonum, ut omnino non concupiscam. Rursus ergo & hostis mea quomodo agit malum, & non perficit malum? Agit malum, quia movet desiderium malum: non per-

CAPUT VII.

Agere nec perficere seu bonum seu malum quid sit.

a Sic MSS. At editi, *morigeretur.*
b Cisterciensis MS. *ut non nutrires eum.*
c Editi, *sed non est perfecta consentiendo, potando.* Abest *consentiendo* à MSS.
d Sic optimæ notæ codex Floriacensis & Cisterc. At editi, *propaginis mala, quam habuerunt. Consuetudini ergo semper repugnandum est.*

ficit

Classis I. ficit malum, quia me non trahit ad malum. Et in A isto bello est tota vita sanctorum. Jam quid dicam de immundis, qui nec pugnant? Subjugati pertrahuntur: nec pertrahuntur, quia libenter sequuntur. Hæc, inquam, est pugna sanctorum; & in hoc bello semper homo periclitatur, quò usque moriatur. Sed in fine, id est, in triumpho illius victoriæ quid dicitur? immo quid dicit Apostolus jam præmeditans triumphum? Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Vox trium- B phantium. Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum: cujus punctione facta est mors. Peccatum quasi scorpius est: pupigit nos, & mortui sumus. Sed quando dicitur, Ubi est mors aculeus tuus? quo aculeo facta es, non quem fecisti. Quando ergo dicitur, Ubi est mors aculeus tuus? utique non erit; quia peccatum non erit. Aculeus autem mortis est peccatum. Contra peccatum data est Lex. Sed virtus peccati Lex. Quomodo virtus peccati Lex? Sub- C intravit, ut abundaret delictum. Quomodo hoc? Quia fuit ante Legem homo peccator; data Lege atque transgressa, factus est & prævaricator. Peccato tenebantur [a] homines rei: Lege data, plus prævaricatione facti sunt rei.

(1. Cor. 15. 54. &c.) (Rom. 5. 20.)

(Caput VIII. Gratiâ Christi perimenda aliquando concupiscentia. Florus ad Rom. 7. ℽ. 23.)

8. Ubi spes, nisi quod sequitur, Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia? Ideo iste miles & quodam modo in isto bello exercitatissimus, tam exercitatus, ut esset & dux, cùm laboraret in hoc bello contra hostem, & diceret, D *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, legem fœdam, legem miseram, vulnus, tabem, languorem; subjunxit, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et gementi subventum est. Quomodo subventum est? *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Liberabit te à lege mortis hujus, id est, à corpore mortis hujus, *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* E Quando corpus habebis, ubi nulla concupiscentia remanebit? Cùm mortale hoc induerit immortalitatem & corruptibile hoc induerit incorruptionem, & dicetur morti, Ubi est mors contentio tua? Et non erit. Ubi est mors aculeus tuus? Et nusquam erit. Modò quid? Audi; *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Mente servio legi Dei*, non consentiendo: *carne autem legi peccati*, concupiscendo. Et *mente legi Dei*, & *carne legi peccati*. Et hâc delector, & ibi concupis- F co; sed non vincor: titillat, insidiatur, pulsat, trahere conatur: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nolo semper vincere; sed volo aliquando ad pacem venire. Nunc ergo, Fratres, tenete istum modum: mente servite legi Dei, carne autem legi peccati; sed ex necessitate, quia concupiscitis, non quia consentitis. Aliquando ista concupiscentia sic insidiatur sanctis, ut faciat dormientibus quod non G potest vigilantibus. Unde omnes acclamastis, nisi quia omnes agnovistis? Pudet hîc immorari: sed non pigeat inde Deum precari. Conversi ad Dominum, &c.

(ℽ. 24.) (ℽ. 25.) (1. Cor. 15.) (Rom. 7. 25.)

[a] Editi, *omnes rei*. At MSS. *homines rei*. Paulóque post, *plus prævaricationis facti sunt rei*.

SERMO CLII.

Serm. de Scripturis.

De sequentibus verbis Apostoli, Rom. 7. & 8. usque ad, Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati *&c.*

Prodit nunc primùm ex veteri codice Floriacensi, antè omnes circiter 800. *scripto, in quo proximè subjicitur superiori Sermoni. Maximam ejus partem dederat Beda, sive Florus ad Rom.* 7. *& Galat.* 4. *Habitum Carthagine credimus, deque hoc ipso Sermone, non autem de* 154. *ut antè cum Lovaniensibus opinabamur, loqui Augustinum postea ad Carthaginenses in Sermone* 155. *cap.* 8. Jam aliquando exposuimus vobis hoc *&c.*

1. MEMINISSE debet Caritas Vestra, disputasse * me vobis de quæstione difficillima ex apostoli Pauli epistola, ubi dicit, *Non enim quod volo ago; sed quod odi, illud facio.* Qui ergo adfuistis, meministis: adestote nunc animo, ut adstruatis ad id quod audistis. Sequitur enim lectio, quæ hodie recitata est, quam quidem lector inde cœpit: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne:* * *ut justitia legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Illa verò quæ tunc lecta sunt, nec tractata verba, ista sunt quæ sequuntur: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.* * *Nulla ergo condemnatio est his nunc, qui sunt in Christo Iesu.* * *Lex enim spiritûs vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis.* * *Quod enim impossibile erat* [b] *Legis, in quo infirmabatur per carnem.* Et sequitur quod hodie lectum est: *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Difficultas non est in obscuris sensibus, quando adjuvat Spiritus. Adjuvet ergo nos orantibus vobis; quia ipsum desiderium quod vultis intelligere, oratio est ad Deum. Ab ipso ergo oportet ut exspectetis auxilium. Nos enim, quomodo rustici in agro, forinsecùs operamur. Si autem nullus esset, qui intrinsecùs operaretur, nec semen terræ figeretur, nec in agro cacumen exiret, nec roboraretur virga & perveniret ad trabem: nec rami, nec fructus, nec folia nascerentur. Ideo dixit ipse Apostolus, discernens operationem operariorum & Creatoris: Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Et adjunxit, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Si Deus intrinsecùs incrementum non det, inanis est iste sonus ad aures vestras. Si autem det, valet aliquid quod plantamus & rigamus, & non est inanis labor noster.

(* In superiore Serm.) (Rom. 7. 15.) (Rom. 8. ℽ. 3.) (ℽ. 4.) (Rom. 7. 25.) (Rom. 8. 1.) (ℽ. 2.) (ℽ. 3.) (1. Cor. 3. 6. & 7.)

2. Jam dixi vobis sic esse accipiendum quod ait Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*: ut carni nihil plus permittatis, nisi desideria, sine quibus non potest esse. Si autem desideriis malis consenseritis, & non contra illa luctati fueritis, victi plangetis: & optandum est ut plangatis, ne & sensum doloris perdatis. * Quantum ergo est in votis nostris, in voluntate nostra, in oratione nostra, quando dicimus, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo; hoc utique cupimus, ut nec ipsa mala desideria exsistant de carne nostra. Sed

(Rom. 7. 25.) (* Florus ad Rom. 7.) (Matth. 6. 13.)

[b] In Floriacensi exemplari constanter est genitivo casu *Legis*, ut in Græco τοῦ νόμου.

Classis I.

quamdiu hîc vivimus, efficere non valemus. Propter hoc ait, *Perficere autem bonum non invenio.* Facere quid invenio? Non consentire malo desiderio. *Perficere non invenio:* non habere malum desiderium. Restat ergo in hac pugna, ut mente non consentiente malis concupiscentiis, servias legi Dei; carne autem concupiscente, sed te non consentiente, servias legi peccati. Agit caro desideria sua; age & tu tua. Non opprimuntur, non exstinguuntur à te desideria ejus; non exstinguat tua: ut in certamine labores, non victus traharis.

℣. 18.

Rom. 8. 1.

Concupiscentiæ malum in baptizatis sine reatu.

3. Sequitur ergo & dicit Apostolus, *Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu.* Etsi habent desideria carnis, quibus non consentiunt; etsi lex in membris eorum repugnat legi mentis eorum, & captivare vult mentem: tamen quia per gratiam baptismatis & lavacri regenerationis solutus est & ipse reatus, cum quo eras natus, & quidquid antea consensisti malæ concupiscentiæ, sive quolibet flagitio, sive quolibet facinore, sive qualibet mala cogitatione, sive qualibet mala locutione, omnia deleta sunt in illo fonte, quò servus intrasti, unde liber existi: quia ergo hæc ita sunt, *Nulla nunc condemnatio est his, qui sunt in Christo Iesu.* Nulla est nunc, anteà fuit. Ex uno omnes in condemnationem. Hoc malum fecerat generatio, sed hoc bonum fecit regeneratio. *Lex enim Spiritûs vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis.* Inest in membris, sed reum te non facit. Liberatus es ab illa; liber pugna; sed vide ne vincaris, & iterum fias servus. Laboras pugnando, sed lætaberis triumphando.

Rom. 5. 16.

℣. 2.

Manichæorum error cavendus.

4. Dixi autem vobis, & maximè meminisse debetis, ne fortè propter istam pugnam, sine qua homo esse non potest, etiam qui justè vivit; immo ille in ea est, qui justè vivit; nam nec pugnat, sed trahitur, qui justè non vivit: ergo ne putetis propter hoc quasi duas ex diversis principiis esse naturas, sicut insaniunt Manichæi, quòd quasi non sit caro ex Deo. Falsum est, utrumque ex Deo est. Sed natura humana *istam in semetipsa meruit ex peccato. Ergo languor est: sanatur, & non est. Discordia modò quæ est in spiritu & carne, pro concordia laborat; spiritus ideo laborat, ut caro cum illo concordet. Quemadmodum si in una domo litem inter se habeant vir & uxor; ad hoc debet laborare vir, ut domet uxorem. Domata uxor subjugetur viro: subjugata uxore viro, fiat pax in domo.

** f. litem*

Lex triplex.

5. Cùm autem dixisset, *Lex spiritûs vitæ in Christo Iesu liberabit te à lege peccati & mortis:* proposuit nobis intelligendas ipsas leges. Intuemini eas, & discernite: satis vobis necessaria est ista discretio. *Lex*, inquit, *spiritûs vitæ*, ecce una lex: *liberavit te à lege peccati & mortis*, ecce altera lex. Et sequitur: *Quod enim impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem*, ecce tertia lex. Aut fortè ista est ex duabus? Inquiramus, & Domino adjuvante videamus. De lege illa bona quid dixit? *Lex spiritûs vitæ liberavit te à lege peccati & mortis.* Istam non dixit invalidam fuisse ad efficiendum: *Liberavit*, inquit, *te lex spiritûs vitæ à lege peccati & mortis.* Lex illa bona liberavit te ab ista lege mala. Lex enim mala quæ est? *Video aliam legem in mem-*

℣. 3.

Serm. de Scripturis.

A *bris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quare & ipsa lex dicta est? Rectè omnino. Admodum enim legitimè factum est, ut homo qui noluit obedire Domino suo, non ei serviret caro ipsius. Supra te Dominus tuus, infra te caro tua. Servi meliori, ut serviat tibi inferior. Contemsisti superiorem, torqueris ab inferiore. Ista est ergo lex peccati, ipsa est & mortis. Per peccatum enim mors. Qua die manducaveritis, mor-

Lex peccati.

Gen. 2. 17.

B te moriemini. Ista ergo lex peccati trahit spiritum, & subjugare contendit. *Sed condelector legi Dei secundùm interiorem hominem.* Ac per hoc fit illa pugna, & in ipso certamine dicitur, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Lex spiritûs vitæ liberavit te à lege peccati & mortis.* Lex enim ipsa spiritûs vitæ quomodo te liberavit? Primò omnium indulgentiam peccatorum dedit. Ipsa est enim lex, de qua in Psalmo dicitur Deo, Et de lege tua miserere mei. Lex

Rom. 7. 22.

℣. 25.

Rom. 8. 2.

Psal. 118. 29.

C misericordiæ, lex fidei, non factorum. Quæ est ergo lex factorum? Jam audistis legem fidei bonam: *Lex spiritûs vitæ liberavit te à lege peccati & mortis.* **Quod enim impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem.* Hæc ergo lex tertio loco quæ nominata est, nescio quid quasi non implet: lex autem illa spiritûs vitæ implevit; quia te de lege peccati & mortis liberavit. Lex itaque ista, quæ loco tertio nominata est, ipsa Lex quæ data est populo per Moysen in monte

Lex fidei.

Lex factorum.

Rom. 8. 3.

D Sina, ipsa dicitur lex factorum. Ipsa minari novit, non subvenire; jubere novit, non juvare. Ipsa est quæ dixit, *Non concupisces.* Unde dicit Apostolus, *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Et quid mihi profuit, quia Lex dixit, *Non concupisces? Occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit.* Prohibitus sum concupiscere, nec implevi jussa, sed victus sum. Ante legem fui peccator: accepta lege factus sum prævaricator. *Pec-*

Rom. 7. 7.

℣. 11.

E *catum* enim *occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit.*

6. *Itaque*, inquit, *lex quidem sancta.* Bona est ergo & ista lex: (quia & ipsam reprehendunt Manichæi, quomodo carnem.) De illa dicit Apostolus, *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* * *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Apostoli verba sunt; videte

℣. 12.

Lex Moysi defenditur contra Manichæos.

℣. 13.

F & adtendite. *Itaque lex quidem sancta.* Quid tam sanctum, quàm *Non concupisces?* Non esset mala legis prævaricatio, nisi ipsa esset bona. Si enim non esset bona, non esset malum prævaricari rem malam. Quia verò malum est eam prævaricari, ergo bona est. Quid tam bonum, quàm *Non concupisces? Lex* ergo *sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Quomodo satiat? quomodo inculcat? Quasi contra calumniatores clamat. Quid dicis Manichæe?

G Lex quæ data est per Moysen mala est? Mala est, dicunt. O portenta, ô frontem! Tu dixisti semel, Mala: audi Apostolum dicentem, *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Taces aliquando? *Quod ergo bonum est*, inquit, *mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Et hîc *per bonum:* sic reum

CLASSIS I. SERM. DE SCRIPTURIS.

a ^[a] accusat, ut à laude Legis non recedat. *Per* A *bonum mihi*, inquit, *operatum est mortem.* Per quod bonum? Mandatum. Per quod bonum? Legem. Quomodo operatum est mortem? *Ut appareat peccatum; ut fiat supra modum peccatum, delinquens per mandatum.* Ideo *supra modum.* Quando delinquebat sine mandato, ^[b] minus erat: quando delinquit per mandatum, excedit modum. Quando enim non prohibetur aliquis, putat quia bene facit. Prohibitus, incipit nolle facere: vincitur, trahitur, subjugatur: B jam restat illi gratiam invocare; quia non potuit legem servare.

Tres Leges.

Rom. 8. 2. 7. Ac per hoc Lex illa, de qua dictum est, *Lex enim spiritûs vitæ liberavit te à lege peccati & mortis*, Lex est fidei, lex est Spiritûs, lex est gratiæ, lex est misericordiæ. Illa verò lex peccati & mortis, non est lex Dei, sed peccati & mortis. Illa verò altera, de qua dicit Apostolus, *Lex sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum*, Lex est Dei, sed facto- C rum, lex operum: operum lex, quæ jubet non juvat: lex quæ tibi ostendit, non tollit peccatum. Ab alia tibi lege ostenditur peccatum, ab alia tollitur. Duo sunt Testamenta,

Gal. 4. 21. &c. vetus & novum. Audi Apostolum dicentem, Di- » cite mihi sub Lege volentes esse, Legem non le- » gistis? Scriptum est enim quòd Abraham duos » filios habuit, unum de ancilla, & unum de li- » bera. Sed is quidem qui de ancilla, secundùm » carnem natus est; qui autem de libera, per pro- D » missionem: quæ sunt in allegoria. Hæc enim » sunt duo Testamenta, unum quidem in monte » Sina in servitutem generans, quæ est Agar an-

Florus ad Gal. 4. cilla Sarræ, quæ data est Abrahæ, & peperit Ismaëlem servum. Est ergo Testamentum vetus pertinens ad Agar, in servitutem generans. Quæ » autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est » mater nostra. Ergo filii gratiæ, filii sunt liberæ:

2. Cor. 3. 6. filii litteræ, filii sunt ancillæ. Quære filios ancil-

Rom. 8. 2. læ: Littera occidit. Quære filios liberæ: Spiri- E tus autem vivificat. *Lex Spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit te à lege peccati & mortis*, unde

℣. 3. te non potuit liberare Lex litteræ. *Quod enim impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem.* Rebellabat enim caro tua, subjugabat te caro tua; audiebat Legem, & plus incitabat concupiscentiam tuam. Infirmabatur ergo Lex litteræ per carnem: ac per hoc impossibile erat legis litteræ liberare à lege peccati & mortis.

Item ℣. 3. Christi caro sola nō caro peccati. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem car-* F *nis peccati*: non in carne peccati. In carne quidem, sed non in carne peccati. Cetera ergo

c ^[c] omnium hominum caro, caro peccati: sola illius, non caro peccati; quia non eum mater concupiscentiâ, sed gratiâ concepit: tamen habens similitudinem carnis peccati; unde & nutriri, & esurire, & sitire, & dormire, & fatigari, & mori potuit. *In similitudine carnis peccati misit Deus Filium suum.*

Item ℣. 3. De peccato in Christo quomodo damnatum peccatum. 9. *Et de peccato damnavit peccatum in carne.* G De quo peccato? Quod peccatum? *De peccato damnavit peccatum in carne: * ut justitia legis impleatur in nobis.* Jam illa justitia legis impleatur in nobis; jam illa justitia quæ jubetur, im-

℣. 4. pleatur in nobis per Spiritum qui adjuvat: id est, A Lex litteræ impleatur in nobis per Spiritum vitæ: *qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* De quo ergo peccato Dominus, quod peccatum damnavit? Video, video quidem quod peccatum damnavit, video prorsus: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mun- Johan. 1. 29. di. Quod peccatum? Omne peccatum, omne nostrum peccatum ^[d] damnavit. Sed de quo pecca- d to? Ipse non habebat peccatum: de illo dictum est, Qui peccatum non fecit, nec inventus est 1. Petri 2. 22. B dolus in ore ejus. Nullum prorsus, nec trahendo, nec addendo: nullum peccatum habuit, nec originis, nec propriæ iniquitatis. Originem virgo demonstrat; conversatio verò ejus sancta satis ostendit nihil eum fecisse unde dignus esset morte. Ideo ait, Ecce venit princeps hujus mun- Johan. 14. 30. & 31. di, (diabolum significans,) & in me nihil inveniet. Non inveniet quare me occidat princeps mortis. Et quare ergo moreris? Sed ut sciant « omnes, quia voluntatem Patris mei facio, eamus « C hinc. Et perrexit ad passionem mortis, mortem voluntariam, non necessitatis, sed arbitrii. Pote- Johan 10. 17. & 18. statem habeo ponendi animam meam, & pote- « statem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit « eam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo « eam. Si miraris potestatem, intellige majestatem. Ut Deus loquitur, Christus loquitur.

10. De quo ergo peccato damnavit pecca- Quorumdam sententia de loco Apostoli. tum? Intellexerunt quidam, & pervenerunt ad sensum non improbum. Sed tamen quid dixerit D Apostolus, quantum mihi videtur, indagare minimè potuerunt. Rem tamen non malam dixerunt: hanc vobis priùs dico, & deinde quid mihi videatur, & quod ipsa Scriptura divina ostendat esse verissimum. Cùm * turbarentur: De quo * f. interrogarentur. peccato damnavit peccatum? Habebat peccatum? hoc dixerunt, De peccato damnavit peccatum, de peccato non suo; tamen de peccato damnavit peccatum. Si ergo non de suo, de cujus? De peccato Judæ, de peccato Judæorum. E Unde enim fudit sanguinem in remissionem peccatorum? Quia crucifixus est à Judæis. Quo tradente? Juda. Judæi quando illum occiderunt, Judas illum tradidit. Bene fecerunt, an peccaverunt? Bene dictum est, & verè dictum est, quia & de peccato Judæorum Christus damnavit omne peccatum, quia illis persequentibus fudit sanguinem, quo delevit omne peccatum. Verumtamen alio loco vide quid dicat Apostolus: Pro 2. Cor. 5. 20. Christo, inquit, legatione fungimur, tamquam « F Deo hortante per nos obsecramus pro Christo, « id est tamquam Christus vos obsecret, pro illo vos obsecramus, reconciliari Deo. Et sequitur: Eum qui non noverat peccatum. Deus cui vos Ibidem 21. obsecramus reconciliari, eum qui non noverat peccatum, id est Christum Deum, eum Christum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis « fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Numquid « hîc potest intelligi peccatum Judæ, peccatum Judæorum, peccatum cujusque alterius hominis? G Cùm audias, Eum qui non noverat peccatum, « peccatum pro nobis fecit. Quis? quem? Deus « Christum. Deus Christum fecit pro nobis peccatum. Non dixit, fecit pro nobis peccantem: sed, fecit eum peccatum. Si nefas est dicere peccasse Christum, quis ferat peccatum esse Christum?

a Sic Florus. At Floriacensis MS. *causatur.*
b Floriacensis codex, *in usu.* Prætulimus lectionem Flori.

c Florus, *omnis hominum caro.*
d Florus, *peccatum dimisit & damnavit.*

Et tamen non possumus Apostolo contradicere. A Non ei possumus dicere, Quid est quod loqueris? Si enim hoc Apostolo dixerimus, ipsi Christo dicimus. Ait enim alio loco, (2. Cor. 13. 3.) » An vultis experimentum ejus accipere, qui in me loquitur » Christus?

(Verior interpretatio Apostoli.) 11. Quid igitur est? Intendat Caritas Vestra magnum altumque mysterium. Felices eritis, si intellectum dilexeritis, & ad dilectum perveneritis. Prorsus, prorsus Christus Dominus noster, Jesus Salvator noster, Redemtor noster peccatum factus est, ut nos essemus justitia Dei in ipso. B (Christus peccatum factus, quomodo.) Quomodo? Audite Legem. Qui noverunt, sciunt quod dico: & qui non noverunt, legant, vel audiant. In Lege peccata vocabantur etiam sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur. Habes, cùm victima pro peccato adduceretur, dicit Lex, (Levit. 4.) Ponant manus suas sacerdotes super peccatum, id est, super victimam pro peccato. Et quod est aliud quàm Christus sacrificium pro peccato? (Ephes. 5. 2.) Sicut & Christus, inquit, dilexit vos, & tradi- C » dit semetipsum pro vobis oblationem & hostiam » Deo in odorem suavitatis. Ecce de quo peccato damnavit peccatum: de sacrificio quod factus est pro peccatis, inde damnavit peccatum. Ipsa est *Lex Spiritùs vitæ*, quæ *liberavit te à lege peccati & mortis*. Quia Lex illa altera, Lex litteræ, Lex jubens, bona est quidem; *Mandatum, sanctum, & justum, & bonum:* sed *infirmabatur per carnem*, & quod jubebat in nobis impleri non poterat. Alia ergo Lex, ut dicere cœperam, ti- D bi ostendat peccatum, alia tollat: ostendat peccatum Lex litteræ, tollat peccatum Lex gratiæ.

* SERMO CLIII.

(* Aliàs 4. de verbis Apostol.. a)

De [a] *verbis Apostoli*, *Rom.* 7. Cùm essemus in carne, passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti, *&c. Contra Manichæos apertè, & tacitè contra Pelagianos.* E

CAPUT I. 1. AUDIVIMUS, concorditerque respondimus, & Deo nostro consona voce cantavimus, (Psal. 93. 12.) Beatus vir quem tu erudieris Domine, & ex lege tua docueris eum. Silentium si præbeatis, audietis. Non invenit locum sapientia, ubi non est patientia. Nos loquimur, sed erudit Deus: nos loquimur, sed Deus docet. Non enim beatus dictus est quem docet homo, sed quem tu erudieris Domine. Nos plantare possumus & rigare: sed Dei est incre- F (1. Cor. 3. 7.) mentum dare. Qui plantat & qui rigat, forinsecùs operatur: qui dat incrementum, intrinsecùs opitulatur. (Locus Apostoli exponendus quàm difficilis.) Quæ nobis lectio de sancti Apostoli epistola proposita sit ad loquendum, quàm difficilis, quàm latebrosa, quàm (si non intelligatur aut malè intelligatur) periculosa; puto, Fratres, immo scio, quia nobis cùm recitaretur, audistis; & fluctuastis, si advertistis; aut si aliqui & intellexistis, quàm sit arduum sine dubitatione vidistis. Hanc itaque lectionem totumque ipsum G molestum & obscurum, sed intelligentibus salubrem epistolæ Apostoli locum suscepimus, adjuvante misericordiâ Dei, exponere differendo. Caritati Vestræ debitores nos esse scio, exactores vos esse sentio. Quemadmodum nos, ut ista percipiatis, oramus: sic & vos orate, ut ea vobis explicare valeamus. Si enim oratio nostra concordet; & vos faciet Deus idoneos auditores, & nos debiti hujus fidelissimos redditores.

CAPUT II. 2. *Cùm enim essemus in carne*, ait Apostolus, *passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti.* (Rom. 7. 5. Florus ibidem.) Hìc videtur, (quod non intelligentibus primum & grande periculum est,) Apostolus reprehendere & culpare Legem Dei. Dicit aliquis, Absit hoc ab animo qualiscumque Christiani: quis hoc vel insanus audeat de Apostolo suspicari? (Hoc loco abutuntur Manichæi.) Et tamen, Fratres mei, verba ista malè intellecta, fomitem insaniæ furori Manichæorum subministrarunt. Manichæi enim Legem Dei per Moysen datam, dicunt non à Deo datam, & eam Evangelio contrariam esse contendunt. Et quando cum eis agitur, his testimoniis Apostoli Pauli quæ non intelligunt, conantur convincere, quid dicam, catholicos non intelligentes, & non potiùs negligentes? Non enim multum est, si quis velit esse diligens, post calumnias ab hæretico auditas, saltem considerare in codice circumstantiam lectionis. Quod si fecerit; ibi mox inveniet unde adversarium loquacem redarguat, unde hostes Legis rebellesque prosternat. Etsi enim tardus est ad intelligenda verba Apostoli, manifesta ibi laus est expressa Legis Dei.

(Manichæorum calumnia refellenda ex consequentibus.) 3. Videte enim priùs & advertite. *Cùm enim essemus in carne*, ait, *passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur.* Hìc jam Manichæus erigit cervicem, exaltat cornua, impetit te, facit impetum: Ecce, inquit, *passiones peccatorum quæ per Legem sunt.* Quomodo bona est Lex, per quam in nobis sunt passiones peccatorum, & operantur in membris nostris, ut fructum ferant morti? Lege, aliquantum progredere, totum audi patienter, etsi non intelligenter. Hoc enim quod ait, *Passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris*, multum est ut intelligas: sed priùs esto mecum Legis laudator, & tunc fieri mereberis intellector. Clausum cor habes, & clavem accusas? Ecce interim quod non intelligimus, paululùm seponamus, ad laudem Legis quæ aperta est veniamus. *Passiones*, inquit, *peccatorum, quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Nunc ergo evacuati sumus à Lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritùs, & non in vetustate litteræ.* Adhuc videtur Legem arguere, culpare, improbare, detestari: sed non intelligentibus. Cùm enim dicit, *Cùm essemus in carne, passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. * Nunc ergo evacuati sumus à Lege mortis,* ℣. 6. *in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritùs, & non in vetustate litteræ*, quasi utique videtur Legem accusare atque culpare. Vidit hoc & ipse, vidit, sensit se non intelligi, & contra obscuritatem verborum suorum cogitationes hominum commoveri: sensit quid posses dicere, sensit quid posses contradicere: & prior hoc voluit dicere, ut tu non invenias quod diceres.

CAPUT III. 4. *Quid ergo dicemus*, inquit? Hoc sequitur.

[a] Citat Beda ad Rom. 7. ibique totum ferè transscripsit Florus. Hujus etiam meminit ipse Augustinus in Sermone sequenti, postridie apud Carthaginem pronuntiato.

Classis I.

ỳ. 7. Apostolus ipse Legis reprehensores ibidem damnat.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Uno verbo Legem absolvit, Legis accusatorem damnavit. Auctoritatem Apostoli contra me proferebas, ô Manichæe, & dicebas mihi, cùm Legem reprehenderes, Ecce audi Apostolum, lege Apostolum: *Passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Nunc ergo evacuati sumus à Lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ.* Jactabas te, clamabas, dicebas, Audi, lege, vide: ista dixeras, & jam verso tergo ire cupiebas. Exspecta, audivi te, audi me: immo nec ego te, nec tu me; sed ambo simul audiamus Apostolum, qui solvit se, & alligat te. *Quid ergo dicemus*, inquit? *Lex peccatum est?* Hoc dicebas, *Lex peccatum est*, hoc nempe dicebas. Ecce audisti quod dicebas, audi quod dicas. Legem Dei peccatum esse dicebas, quando eam cæcus & improvidus reprehendebas. Errasti: vidit Paulus errorem tuum. Quod dicebas, ipse dixit. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?* Quod dicebas, hoc dicimus? *Lex peccatum est? Absit.* Si Apostoli sequebaris auctoritatem, appende verbum, & cape inde consilium. Audi, *Lex peccatum est? Absit.* Audi, *Absit.* Si Apostolum sequeris, si ejus auctoritatem plurimi pendis, audi, *Absit:* & quod sentiebas, à te absit. *Quid ergo dicemus?* Quid dicemus, quia dixi, *Passiones peccatorum quæ per Legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti:* quia dixi, *Evacuati sumus à Lege mortis, in qua detinebamur:* quia dixi, *Serviamus in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ: Lex peccatum est? Absit.* Quare ergo Apostole tanta illa dixisti?

Caput IV.

Item ỳ. 7.

5. Lex absit ut sit peccatum: *Sed peccatum*, inquit, *non cognovi, nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Jam modò interrogo te, Manichæe, modò te interrogo, responde mihi. Mala est Lex quæ dicit, *Non concupisces?* Hoc nec luxuriosus mihi & nequam aliquis responderit. Etenim & ipsi homines flagitiosi quando reprehenduntur, erubescunt; & quando sunt inter castos, lascivire non audent. Si ergo malam dicis esse Legem, quæ dicit, *Non concupisces:* impunè vis concupiscere; accusas Legem, quia percutit libidinem. Fratres mei, si non audiremus Apostolum dicentem, *Lex peccatum est? Absit:* sed tantummodo verba Legis commemorantem, ubi dictum est, *Non concupisces:* etiam Legem illo non laudante, nos tamen laudare deberemus; illam laudare, nos accusare. Ecce Lex, ecce de super tuba divina clamat homini, *Non concupisces. Non concupisces*, reprehende si potes, fac si reprehendere non potes. Audisti, *Non concupisces*, reprehendere non audes. Quia bonum est quod dixit, *Non concupisces:* malum est concupiscere. Malum culpat Lex, à tuo malo te prohibet Lex. Ergo concupiscere malum culpat Lex, à tuo malo te prohibet Lex. Ergo fac quod jubet Lex, noli facere quod vetat Lex, noli concupiscere.

Lex concupiscere malum prohibens, non est mala.

Concupiscentiæ malum ante Legem ignotum.

6. Sed quid ait Apostolus? *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Ibam enim post concupiscentiam meam, & quà trahebat currebam, ejusque illecebras blandas, & ex carnali suavitate jocundas magnam felicitatem arbitrabar. Laudatur enim peccator, ait Lex, in

Psal. 9. 3.

desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. * Invenis hominem concupiscentias suas carnales sectantem, totumque se illis servum donantem, aucupari undique voluptates, fornicari, inebriari, (non dico ampliùs) fornicari, inquam, inebriari. Hæc dixi quæ licitè committuntur, sed non Dei legibus. Quis enim aliquando ad judicem ductus est, quia meretricis lupanar intravit? Quis aliquando in publicis tribunalibus accusatus est, quia per suas lyristrias lascivus immundusque defluxit? Quis aliquando habens uxorem, quia ancillam suam viciavit, crimen invenit? Sed in foro, non in cælo; in lege mundi, non in lege Creatoris mundi. Luxuriosus autem, immundus atque lascivus felix dicitur: abundare voluptatibus, frui deliciis. Jam verò si se etiam vino ingurgitet, si bibat mensuras sine mensura; parum est quia non invenit crimen, etiam viri fortis accipit nomen: tantò nequior, quantò sub poculo invictior. Cùm laudantur ista, & dicitur, Felix est, magnus est, bene est illi: & non solùm hoc non putatur esse peccatum, sed etiam putatur vel Dei donum, vel certè suave, blandum & licitum bonum: procedit Lex Dei, & dicit, *Non concupisces.* Ille homo qui putabat magnum bonum esse, magnamque felicitatem existimabat, ea quæ posset, suæ concupiscentiæ non negare, sequi quà trahit, audit, *Non concupisces;* & cognoscit esse peccatum. Deus dixit, homo audivit, Deo credidit, peccatum suum vidit; quod bonum putabat, malum esse cognovit: voluit frenare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit se, conatus est, victus est. Qui fuit antea nescius malorum suorum, factus est doctus, & pejùs est victus: cœpit esse non solùm peccator, sed etiam prævaricator. Peccator enim & antea erat: sed antè quàm Legem audiret, peccatorem se esse nesciebat. Legem audivit, peccatum vidit: conatus est vincere, superatus atque prostratus est: factus est & Legis prævaricator, qui fuit antea nescius peccator. Hoc dicit Apostolus, *Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.*

Serm. de Scripturis.

*Caput V.

ỳ. 8. Concupiscentia per Legem aucta, non victa.

7. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Minor erat concupiscentia, quando ante Legem securus peccabas, nunc autem oppositis tibi obicibus Legis, fluvius concupiscentiæ quasi frenatus est paululùm, non siccatus: sed increscente impetu qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat, quando tuam movebat libidinem, omnis est autem quando transcendit & Legem. Vis nosse quàm magna sit? Vide quid ruperit: *Non concupisces.* Non homo dixit, Deus dixit, Creator dixit, Judex æternus dixit, non quicumque dixit. Fac ergo quod dixit. Non facis? observa judicantem qui dixit. Sed quid facias, ô homo? Ideo non vicisti, quia de te præsumsisti.

Caput VI. Præsumens de seipso vincitur.

8. Attende ergo nunc verba superiora, quæ videbantur obscura. *Cùm enim essemus in carne.* Verba quæ superiora diximus, unde cœpit lectio quæ obscura videbatur, adtendite: *Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per Legem sunt.* Unde per Legem sunt? Quia eramus in carne. Quid est, quia eramus in carne? Præ-

CLASSIS I

sumebamus de carne. Num enim qui loquebatur Apostolus, jam exierat de ista carne, aut eis loquebatur qui jam exierant morte de ista carne? Non utique; sed secundùm hujus vitæ modum, & qui loquebatur, & quibus loquebatur, in carne erant. Quid ergo est, *Cùm essemus in carne*, nisi cùm de carne præsumeremus, hoc est, de nobis confideremus? Homini enim dictum est, & de hominibus dictum est, Videbit omnis caro salutare Dei. Quid est, Videbit omnis caro, nisi videbit omnis homo? Et quid est, Verbum caro factum est, nisi Verbum homo factum est? Non enim Verbum & caro erat, & anima ibi non erat: sed carnis nomine homo significatus est, in eo quod legitur, Verbum caro factum est. Ergo *Cùm essemus in carne*, id est, in concupiscentiis carnis versaremur, ibique totam spem nostram tamquam in nobis poneremus: *passiones peccatorum, quæ per legem sunt*, auctæ sunt per legem. Prohibendo enim fecerunt legis prævaricatorem; quia ille qui prævaricator est factus, Deum non habuit adjutorem. *Operabantur* ergo *in membris nostris, ut fructum ferrent*, cui nisi, *morti*? Si damnandus erat peccator, quàm spem habet prævaricator?

Beda ad Rom. 7. — *Isai. 40. 5. Luca 3. 5. Johan. 1. 14.*

Confidendum non in se, sed in Deo.

9. Ergo, ô homo, vicit te concupiscentia tua; vicit, quia in malo loco te invenit: invenit te in carne, ideo te vicit. * Migra inde: quid expavescis? Non tibi dixi ut moriaris. Noli expavescere, quia dixi, Migra de carne. Non tibi dixi ut moriaris: immo audeo dicere, dixi ut moriaris. Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. In carne vivens, noli esse in carne. Omnis caro fœnum, Verbum autem Domini manet in æternum. Dominus fiat refugium tuum. Instat concupiscentia, urget te, magnas vires accepit adversùm te, prohibitione Legis grandior facta est, majorem hostem pateris: sit Dominus refugium tuum, turris fortitudinis à facie inimici. Noli ergo esse in carne, in spiritu esto. Quid est, in spiritu esto? In Deo spem pone. Nam si posueris spem in ipso spiritu, quo homo es; iterum spiritus tuus in carnem relabitur, quia non dedisti eum illi à quo suspendatur. Non se continet, si non continetur. Noli remanere in te, transcende & te: in illo te pone qui fecit te. Nam si spem in te habueris, accepta Lege prævaricator eris. Invenit te hostis nudum refugio, invadit te: [a] vide ne fortè rapiat, velut leo, & non sit qui eruat. Adtende verba Apostoli Legem laudantis, se accusantis, reum se sub Lege facientis, & personam fortè tuam in se transfigurantis, & dicentis tibi, *Peccatum non cognovi, nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* * *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum est.* Quid est, *mortuum est?* Latet, non apparet omnino, tamquam sepultum ignoratur. *Adveniente autem mandato, peccatum revixit.* Quid est, *revixit?* Apparere cœpit, sentiri cœpit, rebellare adversùm me cœpit.

CAPUT VII. — Isai. 40. 6. — Psal. 60. 4. — a Psal. 49. 22. — ℣. 7. — ℣. 8. — ℣. 9.

10. *Ego autem mortuus sum.* Quid est, *mortuus sum?* Prævaricator factus sum. *Et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam.* Videte quia Lex laudatur, *mandatum quod erat in vitam.* * Qualis enim vita est, non concupiscere? O vita dulcis! Dulcis est quidem voluptas concupiscentiæ: verum est, nec eam homines sequerentur, nisi dulcis esset. Theatrum, spectaculum, meretrix lasciva, turpissima cantilena, dulcia sunt ista concupiscentiæ; dulcia planè, suavia, delectabilia: sed, Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut Lex tua, Domine. Suavia sunt, dulcia sunt, delectabilia sunt: sed audi meliora; « Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut Lex tua, Domine. » Felix anima quæ hujusmodi delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis serenitate purgatur. Quem autem delectat lex Dei, & sic delectat, ut omnes delectationes lasciviæ vincat, non sibi arroget istam delectationem: Dominus dabit suavitatem. Quid dicam? Domine, da mihi illam suavitatem, vel illam? Suavis es, Domine, & in tua suavitate doce me justitias tuas. In tua suavitate doce me, & doces me. Tunc disco ut faciam, si in tua suavitate doceas me. Ceterùm QUAMDIU BLANDITUR iniquitas & dulcis est iniquitas, amara est veritas. In tua suavitate doce me: ut suavis sit veritas, dulcedine tua contemnatur iniquitas. Multò melior est & suavior veritas, sed sanis suavis est panis. Quid melius & præclarius pane cælesti? Sed si non obstupefacit dentes iniquitas. Scriptura enim dicit, Sicut uva acerba dentibus noxia est, « & fumus oculis, sic iniquitas utentibus eâ. Quid prodest quia panem laudatis, si malè vivitis? Quod laudatis non manducatis. Cùm ergo audis verbum, cùm audis verbum justitiæ & veritatis, & laudas; multò laudabilius est, si facias. Fac ergo quod laudas. An dicturus es, Volo, sed non valeo? Quare non vales? Quia sanitas non est. Unde sanitatem perdidisti, nisi quia peccando Creatorem offendisti? Ergo ut ejus panem, quem laudas, cum suavitate, id est, cum sanitate manduces, dic illi, Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. * Ergo, inquit, *inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem.* Erat enim sibi antea ignotus peccator, factus est manifestus prævaricator. Ecce inventum est illi in mortem, quod erat in vitam.

*CAPUT VIII. — SERM. DE SCRIPTURIS. Delectatio Legis Dei, & delectatio concupiscentiæ. Psal. 118. 85. — Psal. 84. 13. — Psal. 118. 68. — Prov. 10. 26. — Psal. 40. 5. — *CAPUT IX.*

11. *Occasione autem*, inquit, *accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit.* Sic factum est primò in paradiso: *Fefellit*, inquit, *me occasione accepta per mandatum.* Vide serpentem mulieri illi susurrantem. Quæsivit ab ea, quid dixerit Deus: respondit illa, Dixit nobis Deus, « De omni ligno, quod est in paradiso, edetis; de « ligno autem scientiæ boni & mali non edetis. Ex « eo si ederitis, morte moriemini. Hoc est Dei mandatum. Contrà serpens, Non, inquit, mor- « te moriemini. Sciebat enim Deus, quia qua die « ederitis, aperientur oculi vestri, & eritis tam- « quam dii. *Occasione* ergo *accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit.* Gladio quem portabas, te inimicus occidit; armis tuis te vicit, armis tuis te interemit. Recipe mandatum: scito esse arma, non quibus occidat te, sed quibus à te occidatur inimicus. Sed noli præsumere de viribus tuis. Vide parvum David contra Goliam, vide parvum contra ingentem; sed in nomine Domini præsumentem. Tu venis ad

℣. 11. — Gen. 3. 1. &c. — Homo superbus gladio proprio occisus. — 1 Reg. 17. 45.

a Verbum *vide* abest ab Am. Er. & à MSS. qui sic subsequentia connectunt, *Ne fortè rapiat velut leo, & non sit qui eruat, adtende &c.*

Classis I. —— me, inquit, cum clypeo & lancea, ego in nomine A Domini omnipotentis. Sic, sic; aliter non: omnino aliter non prosternitur inimicus. Qui præsumit de viribus suis, antequam pugnet ipse prosternitur.

Caput X. Apostolus Legis laudator.

12. Videte tamen Carissimi, videte etiam atque etiam Paulum apostolum contra furorem Manichæorum esse Legis divinæ apertissimum laudatorem, videte quid adjungat: ỳ. 12. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Beda in Rom. 7. Numquid uberiùs laudari potest? Paulò antè verbo illo quod dixit, *Absit*, defen- B derat à crimine, non laudaverat. Aliud est à crimine objecto defendere, aliud debito præconio prædicare. Crimen objectum fuit, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?* Defensio, *Absit*. Uno verbo defenditur veritas; quia magna est Apostoli defendentis auctoritas. Quid diu defendat? 2. Cor. 13. 3. Sufficit, *Absit*. An vultis, inquit, experimen" tum accipere ejus, qui in me loquitur Christus? Modò autem: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* C

ỳ. 13. 13. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* Quia bonum non est mors. *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Mors non est lex, sed peccatum est mors. Jam dudum autem dixerat, *Sine lege peccatum mortuum est.* Ubi vos admonueram, quia *mortuum est*, dixit, absconditum latet, non apparet. Modò videte quàm verè ita dictum sit: *Peccatum*, inquit, *ut appareat peccatum.* Non dixit ut sit; quia erat & quando non apparebat. D *Peccatum ut appareat peccatum.* Quid est, *ut appareat peccatum?* Quia *concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Non ait, Concupiscentiam non habebam: sed, *concupiscentiam nesciebam.* Sic etiam hîc non ait, Ut sit peccatum: sed, *ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Quam mortem? *Ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Adtende, *supra modum peccator*: quare *supra modum*? Quia jam & prævaricatio. E Rom. 4. 15. Ubi enim lex non est, nec prævaricatio.

Caput XI. Peccatum ex primo homine tractum.

14. Videte ergo, Fratres, videte genus humanum à prima illius primi hominis morte fluxisse. Etenim peccatum à primo homine intravit Rom. 5. 12. in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. Pertransiit, verbum adtendite, quod audistis: considerate, videte quid est, pertransiit. Pertransiit: inde est & parvulus reus; peccatum nondum fecit, sed traxit. Etenim illud peccatum non in fonte man- F sit, sed pertransiit: non in illum aut illum, sed in omnes homines pertransiit. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus prævaricator. Venit ad sanandos de virgine Salvator. Quia ad te non quà venisti, venit: (Non enim ille de concupiscentia maris & feminæ, non Luca 1. 35. de illo vinculo concupiscentiæ. Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te. Dictum est hoc virgini, dictum est fide ferventi, non concupiscentiâ " carnis æstuanti: Spiritus-sanctus superveniet in G " te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quæ tale obumbraculum haberet, quando ardore a libidinis æstuaret?)[a] Quia ergo non quà venisti ad te venit, liberat te. Ubi te invenit? Venumdatum sub peccato, jacentem in morte primi hominis, trahentem peccatum primi hominis, habentem reatum antequam habere posses arbitrium. Ecce ubi te invenit, quando parvulum invenit. Sed parvuli ætatem excessisti: ecce crevisti, primo peccato multa addidisti; legem accepisti, prævaricator exstitisti. Sed noli esse sollicitus: Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia. Rom. 5. 20. Conversi ad Dominum, &c.

Serm. de Scripturis.

SERMO CLIV.

*Aliàs 5. de verbis Apostol.

De verbis Apostoli, Rom. 7. Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, &c. Contra Pelagianos, qui [b] dicunt hominem sine peccato esse posse in hac vita. B b

Habitus ad Mensam S. martyris Cypriani.

Caput I.

1. HESTERNAM lectionem de sancti apostoli Pauli epistola, qui Sermoni adfuistis, audistis: illam lectio sequitur quæ hodie recitata est. Adhuc versatur ille difficilis & periculosus locus, quem vobis in adjutorio Do- C mini nostri, quantum me religioso apud eum adjuvatis affectu, pro viribus, quas dare dignatur, exponere & enodare suscepimus. Patientiam mihi præbeat Caritas Vestra, ut si habeo propter obscuritatem rerum difficilem disputationem, saltem habeam facilem vocem. Si enim utrumque sit difficile, multùm laboratur: & utinam non sine caussa laboretur. Ut autem prosit labor noster, sit patiens auditus vester. Quia Legem non culpat Apostolus, hesterno die audientibus, quan- D tum existimo, satisfecimus. Ibi quippe ait, *Quid* Rom. 7. 7. *ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces,* * *Occasione autem accepta, peccatum per man-* ỳ. 8. *datum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum est,* id est, latet, non apparet. *Ego autem vivebam aliquando* ỳ. 9. *sine lege: adveniente autem mandato, peccatum revixit.* * *Ego autem mortuus sum, & inventum est* ỳ. 10. E *mihi mandatum quod erat in vitam,* (Quid enim tam pertinens ad vitam, quàm, *Non concupisces?*) Florus ad Rom. 7. *hoc esse in mortem.* * *Peccatum enim occasione ac-* ỳ. 11. *cepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit:* concupiscentiam terruit, non exstinxit; terruit, non oppressit; fecit timorem pœnæ, non amorem justitiæ. *Itaque*, inquit, *lex quidem* ỳ. 12. *sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* * *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?* ỳ. 13. *Absit.* Non enim lex mors, sed peccatum mors. F Quid ergo ex occasione mandati? *Sed peccatum ut appareat peccatum*: latebat enim quando mortuum dicebatur: *per bonum mihi operatum est mortem; ut*, addita prævaricatione, *fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum*; quia prævaricatio peccato non adderetur, si non esset mandatum. Alio enim loco dicit apertè idem Apostolus, Ubi enim lex non est, nec prævarica- Rom. 4. 15. tio. Quid ergo? Quid dubitamus ad hoc datam esse Legem, ut inveniret se homo? Quando enim Lex ad quid data. G Deus non prohibebat à malo, latebat se homo: vires suas languidas non invenit, nisi quando legem prohibitionis accepit. Invenit ergo se, in malis invenit se. Quò fugit se? Quocumque enim fugerit se, sequitur se. Et quid ei prodest de se invento scientia, * quam sauciat conscientia? * f. quem.

[a] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *Qui ergo.*

[b] Sic inscribitur apud Bedam in 2. Cor. 12. Ibidem citatur à Floro, & ab utroque ad Rom. 7. Locum porrò habiti Sermonis hîc adnotamus ex vetere codice PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem de Urbe.

CLASSIS I. CAPUT II.

2. Loquitur ergo & in ista lectione, quæ hodie recitata est, ille qui invenit se. *Scimus*, inquit, *quia lex spiritalis est, ego autem carnalis*
℣. 14. *sum, venumdatus sub peccato.* * *Quod enim operor,*
℣. 15. *ignoro. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.* Quæritur hoc loco magnâ diligentiâ quis intelligatur, utrùm ipse Apostolus qui loquebatur; an alium aliquem in se transfiguravit, quem tangeret in se, sicut dixit quodam loco,

De se ipso an hîc loquatur Apostolus.

1. Cor. 4. 6. » Hæc autem omnia transfiguravi in me & Apollo » propter vos, ut in nobis discatis. Si ergo Apostolus loquitur, (quod nemo dubitat,) & cùm dicit, *Non quod volo ago; sed quod odi, illud facio*, non de altero, sed de se ipso dicit: quid sumus intellecturi, Fratres mei? Itane apostolus Paulus nolebat, verbi gratiâ, facere adulterium, & faciebat adulterium? nolebat esse avarus, & erat avarus? Quis autem nostrûm audeat se induere tali blasphemiâ, ut de Apostolo hoc sentiat? Fortè ergo alius est aliquis: fortè tu es, aut tu es, aut ille est, aut ego sum. Si ergo aliquis nostrûm est, [a] ipsum quasi de ipso audiamus, & non irati nos corrigamus. Si autem ipse est, fortè enim & ipse est; non sic intelligamus quod dixit, *Non quod volo ago; sed quod odi, illud facio*, tamquam vellet esse castus, & esset adulter; aut vellet esse misericors, & esset crudelis; aut vellet esse pius, & esset impius. Non ad hoc accipiamus, *Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.*

CAPUT III. Apostolus nec ipse sine concupiscentia.

3. Sed ad quid? Volo non concupiscere, & concupisco. Lex quid dixit? *Non concupisces.* Homo Legem audivit, vitium agnovit: bellum indixit, captivitatem invenit. Sed fortè aliquis homo, non Apostolus. Quid ergo dicimus, Fratres mei? Non habebat ullam concupiscentiam Apostolus in carne sua, quam habere nollet; cui tamen exsistenti, titillanti, suggerenti, sollicitanti, æstuanti, tentanti non consentiret? Dico Caritati Vestræ, Si crediderimus Apostolum nullam prorsus habuisse infirmitatem concupiscentiæ cui reluctaretur, multum credimus de illo: atque utinam ita sit. Non enim invidere nos oportet Apostolis, sed Apostolos imitari. Verumtamen, Carissimi, audio ipsum Apostolum confitentem, nondum eum ad tantam perfectionem justitiæ pervenisse, quantam in Angelis esse credimus: quorum Angelorum æqualitatem speramus, si ad hoc quod volumus perveniamus. Quid enim aliud nobis Dominus promittit in resurrectione,
Matth. 22. 30. ubi ait, In resurrectione mortuorum neque nubent, » neque uxores ducent; non enim incipient » mori, sed erunt æquales Angelis Dei?

Apostolum loqui de propria sua imperfectione.

4. Dicit ergo aliquis, Et tu unde scis quia Paulus apostolus Angeli justitiam & perfectionem nondum habebat? Non facio injuriam Apostolo, non credo nisi Apostolo, alium testem non quæro; suspicantem non audio, nimiùm laudantem non curo. Dic mihi sancte Apostole de te ipso, ubi nemo dubitat quia de te ipso loqueris. Nam ubi dixisti, *Non quod volo ago; sed quod odi, illud facio*: exsistunt * qui dicant, quòd alium in te nescio quem transfiguraveris laborantem, deficientem, [b] victum, captivum. Tu mihi dic de te, ubi nemo dubitat quia loqueris de te.
Philip. 3. 13. &c. » Fratres, ait Apostolus, ego me ipsum non arbi» tror apprehendisse. Et quid facis? Unum autem, » quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt exten» tus, secundùm intentionem, ait, non secundùm » perfectionem; secundùm intentionem sequor ad » palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Supra jam dixerat, Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim. Adhuc contradicitur & dicitur, Dicebat ista Apostolus, quia nondum pervenerat ad immortalitatem; non quia nondum pervenerat ad justitiæ perfectionem. Jam ergo tam justus erat quàm sunt Angeli, sed nondum immortalis sicut sunt Angeli. Sic, inquiunt, sic est prorsus. Modò dixisti, Tam erat justus quàm sunt Angeli, sed nondum immortalis sicut sunt Angeli. Ergo perfectionem justitiæ jam tenebat, sed sequendo palmam supernam, immortalitatem quærebat.

* Pelagiani. V. De grat. a Chr. l. 1. c. 39. Contra Jul. l. 2. c. 3. 4. 8. & l. 6. c. 23.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Ibidem 12.

CAPUT IV. Infirmitatem animi sui confitetur Apostolus.

5. Dic nobis sancte Apostole alium aliquem manifestiorem locum, non ubi quæris immortalitatem, sed ubi confiteris infirmitatem. Et hîc jam susurratur, jam contradicitur. Videor mihi audire quorumdam cogitationes, & hîc dicitur mihi, Verum est, novi quid dicturus es: confitetur infirmitatem, sed carnis, non mentis; confitetur infirmitatem, sed corporis, non animi: in animo autem est perfecta justitia, non in corpore. Nam quis ignorat utique Apostolum in corpore fuisse fragilem, corpore fuisse mortalem, sicut dicit, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus? Quid tibi ergo cum vase fictili? De thesauro aliquid loquere. Si aliquid minùs habuit, si erat quod ei ad aurum justitiæ posset addi, inveniamus. Ipsum audiamus, ne injuriosi existimemur. Et ne magnitudine revelationum mearum, Apostolus dicit: In magnitudine revelationum mearum ne extollar. Nempe hîc agnoscitis Apostolum habentem magnitudinem revelationum, & timentem elationis præcipitium. Ut ergo noveris, quia & ipse Apostolus, qui volebat alios salvos facere, adhuc curabatur: ut noveris quia & ipse adhuc curabatur: si magnipendis ipsius honorem, audi quid medicus ei apposuerit ad tumorem: audi non me, ipsum audi. Audi confitentem, ut sentias docentem. Audi: Et ne magni» tudine revelationum mearum extollar. Ecce jam » possum dicere apostolo Paulo, Ne extollaris, sancte Apostole? Tu ne extollaris, adhuc cavendum est? Tu ne extollaris, adhuc timendum est? Tu ne extollaris, adhuc huic infirmitati medicina quærenda est?

2 Cor. 4. 7.

2. Cor. 12. 7. Beda & Florus ibidem.

CAPUT V. Tumoris epithema Apostolo datum.

6. Quid mihi, inquit, dicis tu? Et tu audi quid sim; & noli altum sapere, sed time. Audi quomodo brevis agnus ingrediatur, ubi aries sic periclitatur. Ne magnitudine, inquit, revelationum » mearum extollar, datus est mihi stimulus carnis » meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Qualem tumorem timuit, qui mordacissimum epithema accepit. Jam ergo modò dic quia tanta in illo erat justitia, quanta est in Angelis sanctis. An fortè & Angelus sanctus in cælo, ne extollatur, accipit stimulum angelum satanæ, à quo colaphizetur? Absit hoc de sanctis Angelis suspicari. Homines sumus, Apostolos sanctos homines agnoscamus; vasa electa, sed adhuc fragilia, adhuc in hac carne peregrinantes, nondum in cælesti patria triumphantes. Ergo quoniam Dominum ter rogavit, ut ab illo iste stimulus auferretur, nec auditus est ad voluntatem, quia exauditus est

a Floriacensis MS. *nosmetipsos quasi de ipso, audiamus.*

b Plures MSS. *vinctum.*

CLASSIS I. est ad sanitatem; fortè non indecenter ipse loquitur, ubi dicit, *Scimus autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum.* ℣. 14.

Gal. 6. 1. 7. Ergo carnalis Apostolus, qui aliis dicebat, Vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis: alios tamquam spiritales alloquitur, & ipse carnalis est? Sed quid dixit & ipsis spiritalibus, quia nondum erant in perfectione cælesti & Angelica, nondum erant in illius patriæ securitate, sed in hujus peregrinationis sollicitudine versabantur; quid eis dixit? Certè spiritales eos vocavit: Vos, inquit, qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne & tu tenteris. Ecce, quem spiritalem jam appellavit, timuit illi tentationis fragilitatem, unde posset tentari spiritalis, etsi non ex mente, utique ex carne. Spiritalis enim, quia secundùm spiritum vivit; adhuc autem ex parte mortali carnalis: idem spiritalis, idemque carnalis. Ecce spiritalis: *Mente servio legi Dei.* Ecce carnalis: *carne autem legi peccati.* Idem ergo ipse & spiritalis & carnalis? Idem planè, quamdiu hîc vivit, sic est.

Sanctus quisque in hac vita carnalis & spiritalis.

℣. 25.

8. Noli mirari quisquis es, quicumque carnalibus concupiscentiis cedis atque consentis, qui eas vel bonas putas ad explendam libidinis satu-ritatem, vel certè sic jam vides malas, ut eis tamen cedendo consentias, & quò ducunt sequaris, & ea quæ mala suggerunt perpetres; totus carnalis es. Tu, tu quisquis talis es, totus carnalis es. * Si autem concupiscis quidem, quod Lex vetat, cùm dicit, *Non concupisces*; servas tamen aliud quod item Lex jubet, Post concupiscentias tuas non eas: mente spiritalis es, carne carnalis. Aliud est enim, non concupiscere; aliud, post concupiscentias suas non ire. Non concupiscere, omnino perfecti est; post concupiscentias suas non ire, pugnantis est, luctantis est, laborantis est. Ubi fervet pugna, quare desperatur victoria? Quando erit victoria? Quando absorbebitur mors in victoriam. Tunc enim vox erit triumphantis, non sudor pugnantis. Quæ futura est vox illa triumphantis, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem? Vides victorem, audi exsultantem, exspecta triumphantem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est? Ecce erat, & non est. Ubi est mors contentio tua? Ecce mortis contentio: *Non quod volo ago.* Ecce mortis contentio: *Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum.* Si ergo Apostolus de se ipso dicit; si dico, non confirmo: si Apostolus dicit, *Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum:* mente enim spiritalis, corpore carnalis: quando totus spiritalis? Cùm, Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale. Modò ergo quando fervet mortis contentio, *non quod volo ago*: ex parte spiritalis, ex parte carnalis; ex parte meliore spiritalis, ex parte inferiore carnalis. Adhuc confligo, nondum vici: magnum mihi est, non vinci. *Non quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.* Quid facis? Concupisco. Etsi concupiscentiæ non consentio, etsi post concupiscentias meas non eo: tamen adhuc concupisco: & utique etiam in ipsa parte ego sum.

Quis totus carnalis, quis ex parte vel totus spiritalis.

*CAPUT VI. Deut 5. 20. Eccli. 18. 30.

1. Cor. 15. 54. &c.

Beda ad Rom. 7.

1. Cor. 15. 44.

*CAPUT VII. ℣. 25. * 9. Non enim ego in mente, & alius in carne. Sed quid? *Igitur ipse ego*: quia ego in mente,

A ego in carne. Non enim duæ naturæ contrariæ, sed ex utraque unus homo: quia unus Deus, à quo factus est homo. *Igitur ipse ego*, ego ipse, *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Mente non consentio legi peccati: sed tamen nollem esset in membris meis lex ulla peccati. Quia ergo nollem, & tamen est; *non quod volo ago*: quia concupisco, & nolo, *non quod volo ago; sed quod odi, illud facio.* Quid odi? Concupiscere. Odi concupiscere, & tamen ago illud carne, non B mente: *quod odi, illud facio.*

SERM. DE SCRIPTURIS. *Idem carnalis simul & spiritalis.*

10. *Si autem quod nolo, illud facio; consentio legi, quoniam bona est.* Quid est hoc, *Si quod nolo, illud facio; consentio legi, quoniam bona est?* Consentires legi, si quod vellet faceres: facis quod lex odit, quomodo consentis legi? Prorsus *Si quod nolo, hoc facio; consentio legi, quoniam bona est.* Quomodo? Quia jubet lex, *Non concupisces.* Quid volo ego? Non concupiscere? Volendo quod vult lex, *consentio legi, quo-C niam bona est.* Si diceret lex, *Non concupisces*, & ego vellem concupiscere; non consentirem legi, & omnino ab illa voluntatis perversitate diversus exsisterem. Dicente enim lege, *Non concupisces*, & ego velim concupiscere; non consentio legi Dei. Quid modò? quid dicis, ô lex? *Non concupisces.* Et ego nolo concupiscere, & ego nolo; quod non vis, nolo: ideo consentio, quia quod non vis, nolo. Non implet legem infirmitas mea: sed legem laudat voluntas mea. D Ergo si quod nolo, hoc ago; ideo consentio legi, quia nolo quod non vult, non quia ago quod nolo. Ipsum enim agere concupiscere est, non concupiscentiæ consentire: ne aliquis jam in Apostolo peccandi sibi quærat exemplum, & det malum exemplum. *Non quod volo ago.* Quid enim lex dicit? *Non concupisces.* Et ego nolo concupiscere, & tamen concupisco; quamvis concupiscentiæ meæ assensum non præbeam, quamvis post eam non eam. Resisto enim, averto men-E tem, nego arma, teneo membra; & tamen fit in me quod nolo. Quod non vult lex, nolo cum lege; quod non vult, nolo: ergo consentio legi.

℣. 16. *Consentiens cum lege.*

11. Sed quia ego sum in carne, ego sum in mente; sed magis ego sum in mente, quàm in carne. Quia enim ego sum in mente, ego sum in regente: mens enim regit, caro regitur: & magis sum ego in eo quo rego, quàm in eo in quo regor. * Quia ergo magis ego in mente: *Nunc* F *autem jam non ego operor illud. Nunc autem*, quid est? *Nunc autem*, jam redemtus, qui fui antea sub peccato venumdatus, jam acceptâ gratiâ Salvatoris, ut mente condelecter legi Dei, *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me.* Iterum ergo *in me*: audi quod sequitur, *hoc est in carne mea bonum. Velle enim mihi adjacet. Scio.* Quid scis? *Quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Jam dudum dixeras, *Quod operor, ignoro.* G Si ignoras, quomodo scis? Modo dicis, *Ignoro*; modò dicis, *Scio*: ego quomodo intelligam, nescio. An hoc est quod intelligo? Ubi enim ait, *Quod operor, ignoro*: dixit *ignoro*, non approbo, non accepto, non mihi placet, non consentio, non laudo. Non enim & Christus eos ignorabit, quibus dicturus est, Non novi vos. Prorsus etiam hoc intelligo, *Quod enim operor, ignoro*: quia

*CAPUT VIII. ℣. 17.

℣. 18.

Ignorare peccatum.

Matth. 7. 23.

quod non facio, ignoro. *Non enim ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum.* Ideo ignoro: quia non ego facio, sicut dictum est de Domino, *2.Cor.5.21.* Eum qui non noverat peccatum. Quid est, non noverat? Ergo non noverat quod arguebat? non noverat quod puniebat? Si ergo non noverat quod puniebat, injustè puniebat. Quia verò justè puniebat, noverat quod puniebat. Et tamen peccatum non noverat, quia peccatum non fecerat. *Quod enim operor, ignoro: non enim quod volo ago; sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, hoc facio; consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem*, acceptâ jam gratiâ, *non ego operor illud:* libera est mens, caro captiva. *Non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.*

Item ℣. 18. 12. *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non adjacet.* Adjacet velle, perficere non adjacet. Non dixit facere, sed *perficere*. Non enim nihil facis.

Caput IX. Perficere legem in hac vita sanctis non conceditur.

* Rebellat concupiscentia, & non consentis; delectat uxor aliena; & non annuis; mentem avertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam, profers adversùs eam sententiam, mundans conscientiam. Nolo, inquis, non facio. Puta quia delectat, non facio, habeo cui condelecter. ℣. 22. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem.* Quid tu de carne tua tumultuaris? Quid delectationes stultas, temporales, fluxas, vanas, noxias, tumultuosè suggeris, & eas quasi garrula mihi narras? *Psal. 118. 85.* Narraverunt mihi injusti delectationes. Inde est & ista concupiscentia. Narrat mihi delectationes, sed non sicut lex tua, Domine. *Condelector enim legi Dei*: non de me, sed de gratia Dei. Tu concupiscentia in carne tumultuaris, mentem tibi non subdis. *Psal. 55. 5.* In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Me, me, hoc est, mente non consentiente, tumultuatur caro. In Deo, inquit, sperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Sicut nec aliena, ita nec mea. Qui ergo in se hæc agit, nihil facit? Multum facit: magnum est quod facit, sed tamen non perficit. Quid est enim perficere? Ubi est mors contentio tua? Ergo, *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non.*

℣. 19. 13. *Non enim quod volo, facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago.* ℣. 20. Et repetit, * *Si autem quod nolo ego, hoc facio*, id est, concupisco; *jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum.* ℣. 21. * *Invenio ergo legem mihi volenti facere bonum.* [a] Bonum invenio legem; bonum est lex, bonum aliquid est lex. Unde probo? Quia implere volo. *Invenio ergo legem mihi volenti facere bonum; quoniam mihi malum adjacet.* Et hoc *mihi*. Non enim caro non mea, aut de alia substantia caro, aut de alio principio caro, aut anima ex Deo & caro de gente tenebrarum. Absit. *Luca 10. 30.* Languor repugnat sanitati. Semivivus jacet in via, *Psal. 102. 3.* curatur adhuc, sanantur omnes languores ejus. *Non quod volo ago; sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo ego, illud facio; invenio ergo legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.* Quod malum?

Caput X.

℣. 22. ℣. 23. *Beda ibid.* 14. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem.* * *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis:* captivum, sed ex carne: captivum, sed ex parte. Nam mens repugnat, & condelectatur legi Dei. Sic enim intelligere debemus, si de se ipso Apostolus loquitur. Jam ergo si mens non consentit peccato titillanti, suggerenti, blandienti, si mens non consentit, quoniam habet alias interiùs delectationes suas, delectationibus carnis ex nulla parte conferendas: si ergo non consentit, & est in me quiddam mortuum, [b] & quiddam vivum, mors adhuc contendit, sed mens viva non consentit. Numquid ipsa mors non est in te? Numquid illud quod mortuum est, non pertinet ad te? Adhuc tibi est contentio. Quid etiam inde sperandum est?

15. *Miser ego homo*: etsi non in mente, tamen in carne miser homo. ℣. 24. Non enim in mente homo, & in carne non homo. Quis enim umquam carnem suam odio habuit? *Ephes. 5. 29.* *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quid est hoc, Fratres? Quasi carere vult corpore. Quid festinas? Si tantùm ibi est intentio tua, ut corpore careas; mors quandoque ventura est, & te ab isto corpore mortis dies adveniens ultimus procul dubio liberabit. Quid est quòd pro magno gemis? Quid est quòd dicis, *Quis me liberabit?* Mortalis loqueris, moriturus loqueris. Separatio mentis à carne quandoque ventura est: propter brevitatem vitæ numquam longè est, propter quotidianos casus quando sit, nescis. Ergo sive festines, sive tardes, omnis vita humana brevis est: quid pro magno gemis, & dicis, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Caput XI. ℣. 25. In resurrectione soli justi liberantur de corpore mortis.

16. Et adjungit: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Pagani enim qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non morientur? non quandoque die ultimo à carne solventur? non illo die à corpore mortis hujus liberabuntur? Tu quid est quod pro magno gratiæ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum vis tribuere, quia de corpore mortis hujus liberaberis? Respondet tibi Apostolus, si sensum ejus cepimus, immo quia Domino adjuvante, sine dubio cepimus; respondet tibi Apostolus, & dicit, Scio quid loquar. Paganos dicis liberari à corpore mortis hujus, quia veniet dies ultimus vitæ hujus, & solventur ad tempus à corpore mortis hujus. Veniet & dies, quando omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus; *Joan. 5. 28. & 29.* & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: Ecce liberati à corpore mortis hujus. Qui mala fecerunt, in resurrectionem judicii: Ecce redierunt ad corpus mortis hujus. Corpus mortis hujus redit ad impium, nec inde aliquando solvetur. Tunc non erit vita æterna, sed mors æterna, quia pœna æterna.

Caput XII.

17. Tu autem, ô Christiane, roga quantum potes, exclama & dic, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondetur tibi: securus efficeris, non de te, sed de Domino tuo; securus efficeris de pignore tuo. Spera cum Christo regnum Christi, jam pignus tenes sanguinem Christi. Dic, dic, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ut respondeatur tibi, *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* *Corpus sanctorum post resurrectionem immortale.* Non enim sic liberaberis de corpore mortis hujus, ut hoc corpus non habeas. Habebis, sed jam

a MSS. *Bonam.*

b Am. Er. & MSS. carent his verbis, *& quiddam vivum.*

[Classis I.] non mortis hujus. Ipsum erit, sed non ipsum erit. Ipsum erit, quia ipsa caro erit: non ipsum erit, quia mortale non erit. Sic, sic liberaberis à corpore mortis hujus, ut mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. A quo? per quem? *Gratiâ Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum.* [1. Cor. 15. 21. & 22.] Quia per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur: inde est quòd gemis. In Adam omnes moriuntur: inde est quòd gemis, inde est quod cum morte confligis, inde est corpus mortis hujus. Sed sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. [a] Vivificatus accepto corpore immortali, ubi dicas, Ubi est mors contentio tua? liberatus eris à corpore mortis hujus: non tamen virtute tua, sed *gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Conversi ad Dominum, &c.

* SERMO CLV.

[*Aliàs 6. de verbis Apostoli.]

De verbis [b] *Apostoli, Rom.* 8. Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Jesu *&c. Contra Pelagianos.*

Habitus in basilica SS. Martyrum Scillitanorum.

[Caput I.] 1. HESTERNA lectio sancti Apostoli eò usque terminata est, ubi dictum est, [Rom. 7. 25. Beda & Florus ad Rom. 8.] *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* In qua conclusione demonstravit Apostolus, ad hoc se dixisse quæ suprà dixerat, *Iam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum;* [Concupiscentia cur vocetur peccatum.] quia non mente operabatur consentiendo, sed carne concupiscendo. Hoc enim peccati nomine appellat, unde oriuntur cuncta peccata, id est, ex carnali concupiscentia. Quidquid enim est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione. [Peccatum quomodo regnum amittit.] Huic ergo illicitæ delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus; [Rom. 6. 12.] non regnat peccatum in nostro mortali corpore. Peccatum enim antè regnum perdit, & sic perit. In hac ergo vita, quantum ad sanctos adtinet, regnum perdit, in alia perit. Hîc enim regnum perdit, quando post concupiscentias nostras non imus: ibi autem perit, quando dicetur, [1. Cor. 15. 55.] Ubi est mors contentio tua?

2. Ergo cùm dixisset Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati;* non dando membra committendis iniquitatibus, sed tantùm concupiscendo, nec tamen illicitæ concupiscentiæ manus dando: ergo cùm dixisset, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati:* subjecit & ait, [*Caput II. Rom. 8. 1.] * *Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu.* [Quomodo in sanctis nulla hic damnatio.] His qui sunt in carne condemnatio est: his qui sunt in Christo Jesu nulla condemnatio est. Ne putares hoc postea futurum, ideo addidit, *nunc.* Postea illud exspecta, ut nec concupiscentia sit in te, contra quam contendas, cum qua confligas, cui non consentias, quam frenes & domes: pòst exspecta, quia nec ipsa erit. Si enim quod nobiscum contendit ex mortali corpore etiam postea erit; Ubi est mors contentio tua, falsum erit. Quid ergo postea futurum sit, [c] sciamus. Tunc enim fiet sermo qui scriptus est, [Serm. de Scripturis. 1. Cor. 15. 54. &c.] Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis est peccatum, virtus autem peccati lex. Quia ex prohibitione auctum est desiderium, non exstinctum. Lex peccato dedit virtutem, tantummodo per litteram jubendo, non per spiritum subveniendo. Ergo tunc non erit hoc, sed quid nunc? Quid sit nunc, quæris? Quod & paulò antè dixit: [Rom. 7. 17.] *Nunc autem jam non ego operor illud:* & ibi *nunc.* Quid est, *non ego operor illud?* Non consentio, non annuo, non decerno, semper mihi displicet: membra mea teneo. Et magnum est hoc: cùm sit ex carne concupiscentia, & ad carnem pertineant corporis membra, quando non regnat peccatum, id est, carnis concupiscentia; plus habet juris mens ad tenenda membra carnis, ne dentur in arma iniquitatis, quàm ipsa concupiscentia carnis ad movenda membra carnis. Itaque concupiscentia est carnis, & membra carnis: mens tamen quia dominatum habet; si tamen de super adjuvetur, ne cùm ei multum contra Dei gratiam damus, non regem, sed tyrannum faciamus: tantum ergo valet mens, sic regit cùm regitur, ut de membris ipsius carnis, contra concupiscentiam carnis ipsius, possit agere quod ait Apostolus, [Rom. 6. 12. & 13.] Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus; nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.

3. *Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu.* [*Caput III.] * Non sint solliciti, si concupiscentiis illicitis titillantur: non sint solliciti, quòd videtur adhuc esse lex in membris repugnans legi mentis. *Nulla* enim *condemnatio est.* Sed quibus? Etiam *nunc* quibus? *Qui sunt in Christo Iesu.* Et ubi est illa sententia, de qua dicebat paulò antè, [Rom. 7. 23.] *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis?* Sed *me* dicebat ex carne, non ex mente. Ubi ergo illa lex, si *nulla condemnatio est his, qui sunt in Christo Iesu? Lex enim spiritûs vitæ in Christo Iesu.* [Rom. 8. 2. A lege peccati nemo liber nisi per gratiam.] *Lex enim*, non illa in monte Sina per litteram: *Lex enim*, non illa in vetustate litteræ; sed *Lex spiritûs vitæ in Christo Iesu, liberavit te à lege peccati & mortis.* Ut enim condelecteris legi Dei secundùm interiorem hominem, unde haberes, nisi lex spiritûs vitæ in Christo Jesu liberaret te à lege peccati & mortis? Ideo mens humana ne tibi tribuas, ne multùm superbias; immo ne omnino superbias, ô mens humana, quòd non consentis desideriis carnis, quòd lex peccati non te de arce deponit: *Lex spiritûs vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis.* Non te illa Lex liberavit, de qua suprà dictum est, [Rom. 7. 6.] *Vt serviamus in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ.* Quare illa non liberavit? Nonne & ipsa digito Dei scripta est? Nonne digitus Dei Spiritus-sanctus intelligitur? Lege Evangelium, & vide quia ubi dicit unus Evangelista, Domino di-

[a] Plerique MSS. *Vivificaberis.*

[b] Plura ex hoc Sermone collegit Beda ad Rom. 7. & Florus ad eamdem epist. & ad Hebr. 11. Habitum in basilica Martyrum Scillitanorum docet præfixus eidem Sermoni titulus in veteri codice Romano PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem. Hæc verò, quæ apud Carthaginem exstabat, basilica laudatur à Victore in lib. 1. de persecutione Vandalica.

[c] Nonnulli MSS. *scimus.*

Classis I. cente, Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia: A
alius dicit, Si ego in digito Dei ejicio dæmonia.
Matt. 12. 28. Lucæ 11. 20. Si ergo & Lex illa digito Dei scripta est, hoc est, Spiritu Dei; quo Spiritu victi magi Pharaonis dixerunt, Exodi 8. 19. Digitus Dei est hic: si ergo & ipsa, immo cùm & ipsa Spiritu Dei, hoc est, digito Dei conscripta sit, quare non de illa dicitur, *Lex enim spiritûs vitæ in Christo Iesu?*

Lex peccati & mortis quænam. 4. Lex enim mortis non ipsa dicitur, lex peccati & mortis non illa Lex dicitur, quæ data est in monte Sina. B * Caput IV. * Lex peccati & mortis illa dicitur, de qua gemens ait, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Sed illa Lex, ipsa est quæ dicta est, *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Et subjecit, *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Quid est, *supra modum?* Ut addatur Lex Moysi cur data. prævaricatio. C Data est ergo Lex illa, ut inveniretur infirmitas. Parum est hoc, non solùm ut inveniretur, sed etiam ut augeretur, & vel sic medicus quæreretur. Si enim levis morbus esset, contemneretur: si morbus contemneretur, medicus non quæreretur: si medicus non quæreretur, Rom. 5. 20. morbus non finiretur. Ideo ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia: quæ delevit cuncta peccata quæ invenit, & ad non peccandum voluntati nostræ conanti adjutorium subministravit; ut ipsa voluntas nostra non in se ipsa, sed D Psal. 43. 9. in Deo laudaretur. In Deo enim laudabimur Psal. 33. 3. tota die. Et, In Domino laudabitur anima mea, » audiant mites, & jocundentur. Audiant mites: nam superbi & litigiosi non audiunt. Ergo quare non ipsa est Lex digito Dei scripta, quæ dat adjutorium hoc gratiæ, de qua loquimur? Quare? 2. Cor. 3. 3. Quia in tabulis lapideis scripta est, non in tabulis cordis carnalibus.

Caput V. Veteris ac novæ Legis concordia. Florus ad Hebr. 12. 5. Denique, Fratres mei, in magno mysterio E videte concordiam, videte distantiam; concordiam Legis, distantiam plebis. Celebratur Pascha in veteri populo, sicut nostis occisione agni cum azymis: ubi occisio ovis Christum significat, azyma autem novam vitam, hoc est, sine vetustate fermenti. Unde nobis Apostolus dicit, 1. Cor. 5. 7. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova con- » spersio, sicut estis azymi: Pascha enim nostrum » immolatus est Christus. Celebratum est ergo Pascha in illo veteri populo, nondum in luce fulgente, sed in umbra significante celebratum F est: & post quinquaginta dies à celebratione Paschæ, sicut computans inveniet qui voluerit, datur Lex in monte Sina, scripta digito Dei. Venit verum Pascha, immolatur Christus: transitum facit à morte ad vitam. Transitus enim interpretatur Hebraicè Pascha: quod expressit Evan- Johan. 13. 1. gelista dicens, Cùm autem veniret hora, ut » transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem. Celebratur ergo Pascha, resurgit Dominus, facit transitum à morte ad vitam, quod est Pascha: & G numerantur quinquaginta dies, & venit Spiritus-sanctus, digitus Dei.

Caput VI. Legum earumdem differentia. 6. Sed videte ibi quomodo, & hîc quomodo. Ibi plebs longè stabat, timor erat, amor non erat: Nam usque adeo timuerunt, ut dicerent ad Moysen, Loquere tu ad nos, & non nobis loquatur Dominus, ne moriamur. Descendit er- Serm. de Scripturis. go, sicut scriptum est, Deus in Sina in igne: sed plebem longè stantem territans, & digito suo Exodi 20. 19. scribens in lapide, non in corde. Huc autem quando venit Spiritus-sanctus, congregati erant Act. 2. 1. &c. fideles in unum: nec in monte terruit, sed intravit in domum. De cælo quidem factus est subitò sonus, quasi ferretur flatus vehemens: sonuit, sed nullus expavit. Audisti sonum, vide & ignem; quia & in monte utrumque erat, & ignis & sonitus: sed illic etiam fumus, hîc verò ignis serenus. Visæ sunt enim illis, inquit Scriptura, « linguæ divisæ, velut ignis. Numquid de longinquo territans? Absit. Nam insedit super unum- « quemque eorum, & cœperunt linguis loqui, si- « cut Spiritus dabat eis pronuntiare. Audi linguam loquentem, & intellige Spiritum, non in lapide, sed in corde scribentem. *Lex* ergo *spiritûs vitæ,* scripta in corde, non in lapide; *in Christo Iesu,* in quo celebratum est verissimum Pascha; [a] *liberavit te à lege peccati & mortis.* Nam ut noveris ipsam esse distantiam evidentissimam veteris & novi Testamenti; unde & dicit Apostolus, Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis 2. Cor. 3. 3. carnalibus: Dominus apud Prophetam dicit, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consum- Jerem. 31. 31. mabo super domum Jacob testamentum novum, « non secundùm testamentum quod constitui pa- « tribus eorum, in die qua apprehendi manum eo- « rum, & eduxi eos de terra Ægypti. Deinde ipsam differentiam evidenter ostendens: Dans, in- « quit, leges meas in cordibus eorum: in cordi- « bus, inquit, eorum superscribam eas. Si ergo scribatur lex Dei in corde tuo, non foris terreat, sed intus mulceat; tunc *Lex spiritûs vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis.*

Caput VII. §. 3. Legis infirmitas ex carne. 7. *Quod enim impossibile erat Legis.* Hoc enim sequitur in lectione Apostoli, *Quod impossibile erat Legis.* Et ne ipsa culparetur, quid subjunxit? *In quo infirmabatur per carnem.* Lex enim jubebat, & non implebat; quia caro, ubi non erat gratia, invictissimè resistebat. Et lex *infirmabatur per carnem: quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum.* Quomodo ergo lex mihi opitularetur jubens per litteram, & non dans gratiam? *Infirmabatur per carnem.* Quid fecit Deus, cùm hoc impossibile esset legis, & infirmaretur per carnem? *Deus Filium suum misit.* Per quid infirmabatur lex, & propter quid erat hoc impossibile legis? *Infirmabatur per carnem.* Quid ergo Deus? Contra carnem misit carnem: immo etiam pro carne misit carnem. Peccatum enim carnis occidit, carnis substantiam liberavit. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* In carne quidem vera, sed non in carne peccati. Christus in similitudine carnis peccati. Quid autem, *in similitudinem carnis peccati?* Id est, ut esset caro, vera caro. Et unde similitudo carnis peccati? Quia de peccato mors: mors est utique in omni carne peccati; de qua dicit Apostolus, Ut evacuaretur corpus peccati. Rom. 6. 6. Quia ergo mors est in omni carne peccati: sed utrumque ibi est, & mors & peccatum in carne cetera. In carne peccati & mors est, & peccatum: in similitudine carnis peccati mors erat, & peccatum non erat. Si enim caro peccati esset, & merito peccati pœnam mortis lueret, non diceret ipse Johan. 14. 30. Dominus, Ecce venit princeps mundi, & in me

[a] MSS. hîc & infrà, *liberabit.*

Classis I.

nihil inveniet. Quare ergo me occidit? Quia quæ (A) non rapui, tunc exsolvebam. (Psal. 68. 5.) Prorsus quod fecit de tributo, hoc fecit de morte. Exigebatur tributum, didrachma: (Matth. 17. 23. &c.) Quare, inquit, tu & discipuli tui non redditis tributum? Vocavit ad se Petrum, & ait ei, Reges mundi à quibus exigunt tributum, à filiis suis, an ab alienis? Responsum est, Ab alienis. Ergo, inquit, liberi sunt filii. Tamen ne scandalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum, & qui primus surrexerit, id est primogenitus à mortuis; aperi, inquit, os ejus, & invenies ibi staterem, id est, duas didrachmas, (B) quatuor drachmas: quia didrachma, id est, duæ drachmæ, in caput exigebatur. Invenies ibi staterem, hoc est, quatuor drachmas, da eis pro me & te. Quid est, Pro me & te? Ipse Christus, Petrus, Ecclesia Christi, Ecclesiæ quatuor Evangelia. Mysterium latebat: Christus tamen tributum non debitum persolvebat. Sic persolvit & mortem: non debebat, & persolvebat. Ille nisi indebitum solveret, numquam nos à debito liberaret. (C)

Caput VIII. Christus peccatum factus.

8. *Quod* ergo *impossibile erat Legis*, quæ faciebat prævaricatorem, quia nondum mens convicta quæsierat Salvatorem; *in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* Quomodo ergo non habebat peccatum, si de peccato damnavit peccatum? Jam aliquando [a] exposuimus vobis hoc: (a Suprà in Ser. 152. n. 10. & 11.) sed qui meminerunt, recognoscant; qui non audierunt, audiant; qui obliti sunt, recolant. Peccatum vocabatur in (D) Lege sacrificium pro peccato. Assiduè Lex hoc commemorat: non semel, non iterum, sed sæpissime peccata dicebantur sacrificia pro peccatis. Tale peccatum erat Christus. Quid enim dicamus? Peccatum habebat? Absit. Peccatum non habebat, & peccatum erat. Peccatum erat, dixi, secundùm illam intelligentiam, quia sacrificium pro peccato. Audi quia hoc modo peccatum erat, ipsum Apostolum audi. De illo loquens ait, (2. Cor. 5. 21.) Eum qui non noverat peccatum. Ipsam (E) sententiam vobis exponebam, quando ista dicebam: Eum, inquit, qui non noverat peccatum, id est, Dominum nostrum Jesum Christum, Deus Pater eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: eum ipsum Christum qui non noverat peccatum, Deus Pater pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Videte duo, justitia Dei, non nostra; in ipso, non in nobis. Inde illi magni sancti, de quibus dicit Psalmus, (Psal. 35. 7.) Justitia tua sicut montes Dei. Et quasi diceretur in (F) ipso Psalmo, ubi dictum est, Justitia tua: non enim justitia eorum, sed Justitia tua velut montes Dei: (Psal. 120. 1. & 2.) Levavi enim oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi; sed non à montibus: Auxilium enim meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Ergo cùm dixisset, Justitia tua sicut montes Dei; quasi quæreretur, Ut quid ergo [b] alii nascuntur, qui non pertinent ad justitiam Dei? subjecit, Judicia tua sicut multa abyssus. Quid est, sicut multa abyssus? Altum est, impenetrabile est, inaccessum est humanæ intentioni. (G) (Rom. 11. 33.) Divitiæ enim Dei inscrutabiles: inscrutabilia judicia ejus, investigabiles viæ ejus. Ergo & hîc, *Misit Deus Filium suum*, propter præscitos, & (A) prædestinatos, vocandos, justificandos, glorificandos: (Serm. de Scripturis.) ut montes Dei dicant, Si Deus pro nobis, quis contra nos? (Rom. 8. 31.) * *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*, (ỳ. 3.) * *ut justitia legis impleretur in nobis.* (ỳ. 4.) Non implebatur per se, impleta est per Christum. Non enim venit legem solvere, sed implere. (Matth. 5. 17.)

Caput IX. Ambulare secundum carnem & secundùm Spiritum.

9. Sed quomodo *justitia legis impleretur in nobis*, vel quomodo impletur nobis, vel quibus (B) nobis? Vis audire in quibus nobis? *Qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Quid est, secundùm carnem ambulare? Carnalibus concupiscentiis consentire. Quid est, secundùm spiritum ambulare? Adjuvari spiritu in mente, & concupiscentiis carnis non obedire. Sic ergo impletur in nobis lex, impletur in nobis justitia Dei. Modò interim impletur, Post concupiscentias tuas non eas. (Eccli. 18. 30.) Post concupiscentias tuas, cùm audis, illicitas accipe. (Justitia legis quomodo nunc impletur.) Post concupiscentias tuas non eas, debet impleri ex voluntate (C) nostra adjuta gratiâ Dei; debet impleri, Post concupiscentias tuas non eas. Quidquid enim illa concupiscentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, sive in factis, sive in dictis, sive in cogitationibus; totum deletum est sacro baptismate, omnia debita delevit una indulgentia. Restat ergo cum carne conflictus: quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas. Inest, titillat delectatio illicitæ concupiscentiæ: pugna; resiste, (D) noli consentire; & impletur hîc, Post concupiscentias tuas non eas: quia & si quando subrepunt, & usurpant sibi oculum, aurem, linguam, volaticam cogitationem, nec sic desperemus de salute nostra. Ideo quotidie dicimus, Dimitte nobis debita nostra. (Matth. 6. 12.) *Justitia*, inquit, *legis impleretur in nobis.*

Caput X.

10. Sed in quibus nobis? *Qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* (ỳ. 4.) * *Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui* (ỳ. 5.) (E) *autem secundùm spiritum, quæ sunt spiritûs.* * *Prudentia enim carnis mors est: prudentia autem spiritûs vita & pax.* (ỳ. 6.) * *Prudentia enim carnis inimica in Deum. Legi enim Dei non est subjecta: neque enim potest.* (ỳ. 7.) Quid est, *neque enim potest?* Non homo non potest, non anima non potest, non denique ipsa caro, quia Dei creatura, non potest: sed prudentia carnis non potest, vitium non potest, non natura. Quomodo si diceres, claudicatio rectæ ambulationi non est subjecta: neque (F) enim potest. (Prudentia carnis & spiritûs.) Pes potest, sed claudicatio non potest. Tolle claudicationem, & videbis rectam ambulationem. Sed quamdiu claudicatio est, non potest: sic quamdiu prudentia carnis est, non potest. Non sit prudentia carnis, & homo potest. *Prudentia spiritûs vita & pax.* Quod ergo ait, *Prudentia carnis inimica in Deum*, noli sic accipere, quasi inimica ista possit lædere Deum. Resistendo inimica est, non occidendo. Illi autem nocet, in quo est prudentia carnis: (G) quia vitium naturæ nocet, in qua natura inest. Medicina autem ideo inventa est, ut pellatur vitium, & sanetur natura. Venit ergo Salvator ad genus humanum, nullum sanum invenit, ideo magnus medicus venit.

[a] Mittit ad Sermonem 134. de verbis Evangelii Johan. 8. vel potiùs ad 152. Hunc enim, in quo eamdem sententiam Apostoli ex epistola ad Romanos susceperat exponendam, his mox verbis notare videtur Augustinus: *Ipsam*, inquit, *sententiam vobis exponebam, quando ista dicebam.*

[b] Sic MSS. Editi verò, *Ut quid ergo aliqui* &c.

Classis I. Manichæorum error.

11. Hoc propterea dixi, quia Manichæi volentes aliam contra Deum inducere naturam mali, aliquantùm de hoc Apostoli testimonio errorem suum existimant adjuvari, & putant quasi naturaliter dictum, quia dictum est, *non potest*, *inimica est in Deum: Legi enim Dei non est subjecta*, *neque enim potest:* & non adtenderunt non de carne dictum esse, *non potest*; non de homine dictum esse, *non potest*; non de anima dictum esse, *non potest*; sed de prudentia carnis. Prudentia ista vitium est. * Vis nosse quid est, *sapere secundùm carnem? Mors est.* Sed ille ipse unus homo, eademque natura à Domino Deo vero & bono condita, herì sapiebat secundùm carnem, hodie sapit secundùm spiritum: expulsum est vitium, sanata est natura. Nam quamdiu esset prudentia illa carnis, omnino legi Dei subjecta esse non posset. Quamdiu enim inest per vitium claudicatio, nullo modo potest esse recta ambulatio. Sanato autem vitio, reparata est natura. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

*Caput XI.

Ephes. 5. 8.

℣. 8. In carne non esse.

12. Videte ergo quid sequitur: *Qui autem in carne sunt*, id est, qui in carne confidunt, qui concupiscentias suas sequuntur, qui in his habitant, qui earum voluptatibus oblectantur, qui in earum delectationibus beatam felicemque vitam constituunt, ipsi sunt in carne; *Deo placere non possunt.* Non enim sic dictum est, *Qui autem in carne sunt*, *Deo placere non possunt*; quasi dictum esset, In hac vita cùm sunt homines, Deo placere non possunt. Ergo non placuerunt sancti Patriarchæ? Ergo non placuerunt sancti Prophetæ? Ergo non placuerunt sancti Apostoli? Non placuerunt sancti Martyres, qui antequam corpus deponerent patiendo, Christum confitendo, non solùm voluptatem contemnebant, sed dolores quoque patientissimè perferebant? Placuerunt, sed in carne non fuerunt. Portabant carnem, non portabantur à carne. Jam enim paralytico dictum erat, Tolle grabatum tuum. *Qui* ergo *in carne sunt*, quemadmodum dixi, quemadmodum jam exposui, non in hoc sæculo vivendo, sed carnis concupiscentiis consentiendo, *Deo placere non possunt.*

Marci 2. 11.

Caput XII. ℣. 9. Non in carne, sed in Spiritu esse.

13. Denique audite ipsum, quæstionem sine ulla dubitatione solventem. Vivis utique in hoc corpore loquebatur: & tamen adjunxit, *Vos autem non estis in carne.* Putas est aliquis hîc in nobis, cui dictum est? Ecce populo Dei dixit, Ecclesiæ dixit: Romanis quidem scribebat; sed universæ Christi Ecclesiæ dixit; sed tritico dixit, non paleæ; massæ dixit latenti, non stipulæ apparenti. Unusquisque in corde suo agnoscat. Nos auribus loquimur, conscientias non videmus: tamen secundùm ea quæ superiùs locuti sumus, existimo in nomine Christi esse in plebe Christi quibus dictum est, *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Non estis in carne*, quia non facitis opera carnis consentiendo concupiscentiis carnis: *sed* estis *in Spiritu*, quia secundùm interiorem hominem condelectamini legi Dei: & hoc est, *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Nam si de spiritu vestro præsumitis, adhuc in carne estis. Si ergo non estis in carne, ut in Spiritu Dei sitis; tunc enim in carne non estis. Nam si recedat Spiritus Dei, pondere suo spiritus hominis revolvitur in carnem, redit ad facta carnalia, redit ad concupiscentias sæculares: & erunt illius hominis pejora novissima quàm erant prima. Sic ergo habete liberum arbitrium, ut imploretis auxilium. *Non estis in carne*, & hoc ex viribus vestris? Absit. Unde ergo? * *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet*, *hic non est ejus.* Non ergo se extendat, non se jactet, non sibi arroget virtutem propriam, egena & vitiata natura. O humana natura! ô Adam, quando sanus eras, non stetisti, & tuis viribus surrexisti? *Si quis Spiritum Christi non habet:* (Ipse enim Spiritus Dei, qui Spiritus Christi; & Patris est enim & Filii.) *Si quis Spiritum Christi non habet*, non se fallat, *hic non est ejus.*

Serm. de Scripturis.

Luca 11. 26.

*Caput XIII.

De carne quid sperandum.

14. Ecce, adjuvante ipsius misericordiâ, Spiritum Christi habemus: ex ipsa [a] dilectione justitiæ, integra fide, catholica fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus. Sed quid de carne illa mortali? Quid de lege in membris nostris repugnante legi mentis? Quid de illo gemitu, *Miser ego homo?* Audi: *Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam.* Ergo de corpore mortuo propter peccatum, jam desperandum est? Nulla spes est? Sic dormit, ut non adjiciat ut resurgat? Absit. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*, *spiritus autem vita est propter justitiam.* Remansit tristitia de nostro corpore. Nemo autem carnem suam odio habuit. Videmus quàm sollicitè curetur sepultura mortuorum. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*, *spiritus autem vita est propter justitiam.* Jam dicebas ad consolationem, Vellem quidem & corpus meum esset in vita: sed quia non potest, sit vel spiritus meus, sit vel anima mea. Exspecta, noli esse sollicitus.

℣. 10.

Ephes. 5. 29.

Caput XIV. ℣. 11. Carnis restitutio & immortalitas piis promissa.

15. *Si enim Spiritus ejus*, *qui suscitavit Iesum à mortuis*, *habitat in vobis*; *qui suscitavit Christum Iesum à mortuis*, *vivificabit & mortalia corpora vestra.* Quid timetis? Quid etiam pro ipsa carne solliciti estis? Capillus capitis vestri non peribit. Adam peccando damnavit in mortem corpora vestra: sed Jesus, *si est Spiritus ejus in vobis*, *vivificabit & mortalia corpora vestra*; quia suum sanguinem dedit pro salute vestra. Promissum reddi dubitas, qui tale pignus tenes? Sic ergo, homo, non erit mortis illa contentio, sic implebitur quod dictum est, *Miser ego homo*, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quia Christus Jesus, *si Spiritus ejus habitat in vobis*, *vivificabit & mortalia corpora vestra.* Sic liberaberis de corpore mortis hujus, non corpus non habendo, vel alterum habendo, sed non ulteriùs moriendo. Si enim non adderet, *mortis hujus*, & diceret, *Quis me liberabit de corpore?* fortè suggereretur error cogitationi humanæ, & diceretur, Vides quia non vult Deus nos esse cum corpore? *De corpore*, inquit, *mortis hujus.* Mortem tolle, & bonum est corpus. Detrahatur mors novissima inimica, & erit mihi in æternum caro mea amica. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit. Etsi spiritus concupiscit contra carnem, & caro concupiscit adversùs spiritum; etsi modò rixa est in ista domo, maritus litigans, non perniciem, sed concordiam quærit uxoris. Absit,

Luca 12. 7.

Rom. 7. 24.

Ephes. 5. 29.

[a] Florus, *ex ipsa delectatione justitiæ.* Sic etiam Beda, qui postea pro *catholica fide*, habet *catholica pace.*

Classis I. Fratres mei, absit ut spiritus concupiscendo contra carnem oderit carnem. Vitia carnis odit, prudentiam carnis odit; contentionem mortis odit. (1 Cor. 15. 53. &c.) Corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, seminetur corpus animale, resurgat corpus spiritale, & videbis plenam perfectamque concordiam, videbis creaturam laudare Creatorem. *Si ergo Spiritus ejus qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus qui habitat in vobis*: non propter merita vestra, sed propter munera sua. Conversi ad Dominum, &c.

* SERMO CLVI.

(*Aliàs 13. de verbis Apostoli. a)

De [a] *verbis Apostoli, Rom.* 8. Ergo, Fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus, *&c. Contra Pelagianos.*

Habitus in basilica Gratiani, die natali Martyrum Bolitanorum.

(Caput I. In Scripturis quædam clausa, quædam aperta.)

1. VERBI Dei altitudo exercet studium, non denegat intellectum. Si enim omnia clausa essent, nihil esset unde revelarentur obscura. Rursus si omnia tecta essent, non esset unde alimentum perciperet anima, & haberet vires quibus posset ad clausa pulsare. In lectionibus Apostolicis superioribus, quas Caritati Vestræ, quantum Dominus adjuvare dignatus est, exposuimus, multum laborem & sollicitudinem passi sumus. Compatiebamur vobis, & solliciti eramus & pro nobis & pro vobis. Quantum autem existimo, adjuvit Dominus & nos & vos; & ea quæ prorsus difficillima videbantur, sic per nos enodare dignatus est, ut nulla quæstio remaneret, quæ conturbet mentem piam. Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum; & homo aliquando nimiùm mente perversa timet intelligere, ne cogatur quod intellexerit facere. (Psal. 35. 4.) De talibus ait Psalmus, Noluerunt intelligere, ut bene agerent. Vos autem, Carissimi, quia bonum est bene sentire de vobis, exigitis intellectum, exigit Deus fructum. (Psal. 110. 10.) Intellectus enim, sicut scriptum est, bonus omnibus facientibus eum. Hoc tamen quod restat & hodie recitatum est, quamvis non habeat tantam difficultatem, quantam habuerunt superiora, quæ jam, ut potuimus, adjuvante Domino, transvecti sumus, desiderat tamen intentionem vestram: velut enim conclusio fit, propter illa quæ dicta sunt in superioribus lectionibus, ubi laborabatur, ne fortè reus constitueretur Apostolus omnium quodam modo peccatorum dicendo, (Rom. 7. 15.) *Non enim quod volo ago.* Deinde ne lex videretur aut sufficere posse homini habenti liberum arbitrium, etiamsi nullum ultrà auxilium divinum porrigeretur, aut certè frustra data fuisse crederetur, dicta est & caussa quare sit lex data, quia & ipsa in adjutorium data est, sed non sicut gratia.

(Caput II. Lex cur data.)

2. Data est enim, sicut jam exposuimus, & tenere debetis, & vobis vehementiùs & diligentiùs nos commendare debemus; data est ut inveniret se homo, non * ut morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo crescente medicus quæreretur. (* Sup. à m Serm. 155. c. 4.) Et quis est iste medicus, nisi qui dixit, Non est opus sanis medicus, sed male habentibus? (Matth. 9. 12.) Qui ergo non confitetur Creatorem, negat superbus auctorem. Qui autem negat ægritudinem suam, superfluum judicat Salvatorem. Ergo & in natura nostra Creatorem laudemus, & propter vitium, quod nobis inflximus, Salvatorem quæramus. Et quomodo quærimus Salvatorem? Ut det legem? Parum est: Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino esset ex lege justitia. (Gal. 3. 21. Florus ibidem.) Si ergo non est data lex quæ posset vivificare, quare data est? Sequitur, & ostendit quare sit data: quia etiam sic in adjutorium data est, ne te sanum putares. Si ergo data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Et quasi quæreremus, Quare ergo data est? Sed conclusit, inquit, Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. (Ibidem 22.) Quando audis promissorem, exspecta factorem. Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se: sed jam vulnerata & saucia, non est idonea per liberum arbitrium sanare se. (Gratiæ medicinalis necessitas.) Si enim volueris intemperanter vivere ut ægrotes, ad hoc medicum non requiris: ad labem sufficis tibi. Cùm autem intemperanter agens cœperis esse ægrotus, non sic potes ab ægritudine liberare te, quomodo potuisti per intemperantiam te in ægritudinem præcipitare. Et tamen medicus etiam sano præcipit temperantiam. Bonus medicus hoc facit, non vult esse necessarius ægrotanti. Sic etiam Dominus Deus creato homini sine vitio temperantiam præcipere dignatus est: quam si ille servasset, medicum postea morbo suo non desideraret. Sed quia non servavit, languidus factus est, cecidit, infirmus creavit infirmos, id est, infirmus genuit infirmos. Et tamen in omnibus, qui nascuntur, infirmis Deus quod bonum est operatur, formando corpus, vivificando corpus, alimenta præbendo, pluviam suam & solem suum super bonos & malos dando: non est unde accusent bonum, nec mali. Insuper etiam genus humanum justo suo judicio condemnatum noluit in interitum sempiternum relinquere: sed misit & medicum, misit salvatorem, misit eum qui gratis sanaret; parum est qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat, Sanem te, & do tibi mercedem? Optimè fecit. Sciebat enim se divitem venisse ad pauperem: & sanat ægrotos, & sanatis donat, & non aliud quàm se ipsum donat. Salvator est adjutorium languidi, ipse salvator est præmium sanati.

(Caput III. Rom. 8. 12.)

3. *Ergo, Fratres*, quod hodie admoniti estis, *debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus.* Ad hoc enim adjuti sumus, ad hoc Spiritum Dei accepimus, ad hoc etiam in laboribus nostris quotidianum adjutorium postulamus. (Lege uti legitimè.) Lex cui minatur non implendo quod jubet, eum facit esse sub se: hi sunt sub lege, non sub gratia. Bona est lex, si quis eâ legitimè

[a] Citatur à Beda & Floro ad Rom. 8. & ad Galat. 3. Locum diemque habiti Sermonis, quem hîc notamus, exhibuit vetus codex PP. Cisterciensium in Jerusalem de Urbe. Porro Kalendarium Carthaginense nuperrimè repertum natalitia *Sanctorum Volitanorum* seu *Bolitanorum* adsignat XVI. *Kal. Nov.* Ex quo diem habes, non hujus tantummodo, sed etiam superioris Sermonis, qui tertio ante hunc die dictus intelligitur ex illis verbis hîc cap. 13. *Jam nudiustertius qui adfuistis, audistis* &c. necnon Sermonis 26. (pronuntiati, ut recentiùs didicimus, in basilica Theodosiana,) in cujus 8. capite iste 156. Sermo sic indicatur, *quod etiam hesterno die commemoravimus.* Ad annum verò 417. pertinere videntur isti Sermones, sive ad idem circiter tempus quo scriptus est liber de Gratia Christi.

CLASSIS I.

Gal. 3. 21.

utatur. Quid est ergo legitimè uti lege? Per legem agnoscere morbum suum, & quærere ad sanitatem divinum adjutorium. Quia, sicut dixi, & sæpe dicendum est, Si lex posset vivificare, omnino ex lege esset justitia: nec quæreretur salvator, nec veniret Christus, nec sanguine suo ovem perditam quæreret. Sic enim dicit alio loco idem Apostolus, Nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Quæ igitur utilitas legis, & quod adjutorium? Quia conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Itaque lex, inquit, pædagogus noster erat in Christo Jesu. Ex ista similitudine rem, de qua loquor, adtendite. Pædagogus puerum non ducit ad se ipsum, sed ad magistrum: sed cùm puer bene institutus jam creverit, sub pædagogo non erit.

Gal. 2. 21. Gal. 3. 22. Ibidem 24. Lex pædagogus.

CAPUT IV.

4. Tractans de his Apostolus etiam alio loco: valde enim assiduè hoc commendat; sed utinam non surdis. Commendat autem hoc assiduè, commendans fidem Gentibus; quia fide impetrant adjutorium, ut impleant legem, non per legem, sed vires implendi impetrantes per fidem: ad hoc assiduè dicit & commendat ista Apostolus, propter Judæos, qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur: ac per hoc quia libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur, Ignorantes Dei justitiam, id est, ex fide justitiam datam à Deo, & suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non clamante fide impetratam, justitiæ Dei, sicut dicit, non sunt subjecti. Finis enim legis Christus, ait, ad justitiam omni credenti. Ergo cùm de his tractat, opposuit sibi, Quid ergo lex? Quasi, Quæ utilitas legis? Respondit: Prævaricationis gratiâ posita est. Hoc est quod dicit alibi, Lex subintravit, ut abundaret delictum. Et ibi quid addidit? Ubi » autem abundavit delictum, superabundavit gra» tia. Quia in leviore ægritudine contemnebatur adjutorium medicinæ: crevit morbus, & quæsitus est medicus. Quid ergo lex? Prævaricationis gratiâ posita est: unde humiliaretur cervix superborum multum sibi tribuentium, & voluntati suæ tantum arrogantium, ut sibi liberum arbitrium posse putarent ad justitiam sufficere: quæ tunc quando erat integra libertate, id est, in paradiso, ostendit vires suas, ostendit quantum possent, sed ad ruendum, non ad surgendum. Lex ergo prævaricationis gratiâ posita » est, donec veniret semen cui promissum est, » dispositum per Angelos in manu mediatoris.

Rom. 10. 3. Ibidem 4. Legis utilitas. *Beda & Florus ad Gal. 3. Rom. 5. 20. Gal. 3. 19.*

CAPUT V.

Gal. 3. 20. Mediatoris necessitas.

5. Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Quid est, Mediator unius non est? Quia inter duos utique mediator est. Si unus est Deus, & mediator non est unius: inter quid & Deum quærimus mediatorem? quia mediator unius non est, Deus autem unus est. Inter quid & quid sit mediator, invenimus ipso Apostolo dicente: Unus enim Deus, & unus media» tor Dei & hominum, homo Christus Jesus. Si non jacéres, mediatorem necessarium non haberes: quia verò jaces, & surgere non potes, mediatorem quodam modo Deus tibi porrexit brachium suum. Et brachium Domini cui revelatum est? Nemo ergo dicat: Quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia; ergo peccemus, ergo quod volumus faciamus. Qui hoc dicit, ægritudinem amat, non sanitatem. Gratia medicina est. Qui vult semper ægrotare, ingratus est medicinæ. *Ergo, Fratres*, accepto adjutorio, porrecto nobis de super divino auxilio, brachio Domini, & [a] ipso brachio Domini porrecto nobis auxilio Spiritu-sancto, *debitores sumus non carni, ut secundùm carnem ambulemus.* Quia fides bene operari non potest, nisi per dilectionem. Ipsa est enim fidelium fides, ne sit dæmonum fides: quia & dæmones credunt, & contremiscunt. Illa est ergo laudabilis fides, ipsa est vera gratiæ fides, quæ per dilectionem operatur. Ut autem habeamus dilectionem, & ex ea possimus habere bonam operationem, numquid eam nobis dare nos possumus, cùm scriptum sit, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis? Caritas usque adeo est donum Dei, ut Deus vocetur, apostolo Johanne dicente, Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.

1. Timoth. 2. 5. SERM. II SCRIPTURÆ. *Isai. 53. 1. Johan. 12. 30. Beda & Florus ad Rom. 8.* Fides laudabilis; quæ. *Jacobi 2. 19. Gal. 5. 6. Rom. 5. 5. 1. Johan. 4. 16.*

CAPUT VI.

6. *Ergo, Fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. * Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini.* [b] Non quia caro malum est: nam & ipsa Dei creatura est, & ab eo condita à quo & anima; nec illa, nec illa pars Dei, sed & illa & illa creatura Dei. Ergo caro non est malum: sed secundùm carnem vivere malum est. Deus summè bonus est, quia summè est qui ait, Ego sum qui sum. Deus ergo summè bonus est: anima magnum bonum, sed non summum bonum. Cùm autem audis, Deus summè bonus est, noli putare de Deo tantùm Patre dictum, sed de Patre & Filio & Spiritu-sancto. Hæc enim Trinitas unum sunt, & unus est Deus, & summè bonus est. Ita planè unus est Deus, ut quando de ipsa Trinitate interrogaris, hoc respondeas: ne fortè cùm audieris, Unus est Deus, putes ipsum esse Patrem, ipsum esse Filium, ipsum esse Spiritum-sanctum. Non ita est, sed qui Pater est in illa Trinitate, non est Filius: qui Filius est in illa Trinitate, non est Pater: qui Spiritus-sanctus est in illa Trinitate, nec Filius est, nec Pater; sed Spiritus Patris, idemque Spiritus Filii. Ipse est enim unus Spiritus-sanctus & Patris & Filii, coæternus Patri & Filio, consubstantialis, æqualis. Hæc tota Trinitas, unus Deus summè bonus. Anima verò, ut dixi, creata à summo bono, non tamen summum bonum, sed magnum bonum. Item caro nec summum bonum, nec magnum bonum; sed tamen parvum bonum. Anima ergo magnum bonum, sed non summum bonum; vivens inter summum bonum & parvum bonum, id est, inter Deum & carnem, inferior Deo, carne superior; quare non vivit secundùm summum bonum, sed vivit secundùm parvum bonum? Hoc planiùs dicitur, Quare non vivit secundùm Deum, sed vivit secundùm carnem? Debitrix enim est non carni, ut secundùm carnem vivat. Caro debet secundùm ipsam vivere, non ipsa secundùm carnem. Ipsa vivat secundùm ipsam,

Rom. 8. 12. & 13. [b] Secundùm carnem vivere malum est. *Exodi 3. 14.* Anima secundùm Deum, caro secundùm animam vivat.

[a] Fossatensis codex, *& cum ipso brachio Domini porrecto nobis in auxilium Spiritu-sancto.* Colbertinus, *& ipso brachio Domini porrigente nobis auxilium Spiritus-sancti.* Beda verus, *& ipso brachio Domino porrecto nobis ad auxilium Spiritu-sancto.*

[b] In Bedæ & Flori collectione, *Jam suprà dixerat, Prudentia carnis mors est. Non quia caro &c.*

quæ

CLASSIS I.

quæ vivit de ipſa. Certè unaquæque ſecundùm A hoc vivat, unde vivit. Unde vivit caro tua? De anima tua. Unde vivit anima tua? De Deo tuo. Unaquæque harum ſecundùm vitam ſuam vivat. Caro enim ſibi non eſt vita: ſed anima carnis eſt vita. Anima ſibi non eſt vita: ſed Deus eſt animæ vita. Anima ergo quæ debet ſecundùm Deum vivere; non enim debitrix eſt carni, ut ſecundùm carnem vivat: ergo quæ ſecundùm Deum debet vivere, ſi ſecundùm ſe ipſam vivat, deficit; ſecundùm carnem vivit & proficit? Tunc autem B rectè vivit caro ſecundùm animam, ſi anima vivat ſecundùm Deum. Nam ſi anima, non dico ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſe ipſam, ut dixi, voluerit vivere: dicturus vobis ſum quid ſit ſecundùm ſe ipſam vivere; bonum eſt enim, ut hoc noveritis, & valde ſalubre.

CAPUT VII. Epicurei ſecundùm carnem viventes, Stoici ſecundùm animam.

7. Fuerunt philoſophi ſæculi hujus, alii putaverunt non eſſe beatitudinem, niſi ſecundùm carnem vivere, & bonum hominis in voluptate corporis poſuerunt. Iſti philoſophi Epicurei dicti ſunt, ab Epicuro quodam auctore, magiſtro C ſuo, & qui alii ſimiles eorum. Exſtiterunt autem alii ſuperbi, quaſi à carne ſe removentes, & totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua conſtituentes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua. Vocem Pſalmi in vobis affectus pietatis agnovit: ſcitis, noſtis, agnoviſtis quomodo irriſi ſunt in ſancto Pſalmo, qui confidunt in virtute ſua. (Pſal. 48. 7.) Tales fuerunt philoſophi, qui Stoici nuncupati ſunt. Illi ſecundùm carnem viventes, iſti D ſecundùm animam viventes, nec illi nec iſti ſecundùm Deum viventes. Ideo cùm ad urbem Athenienſium, ubi iſtæ philoſophorum diſciplinæ ſtudio & contentione fervebant, veniſſet apoſtolus Paulus, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, ubi vos gaudeo noſtrum agnoſcendo & recolendo prævenire ſermonem, ſicut ibi ſcriptum eſt, Contulerunt cum illo quidam philoſophorum Epicureorum & Stoicorum: (Act. 17.) contulerunt cum illo ſecundùm carnem viventes, contulerunt cum E illo ſecundùm animam viventes, contulit cum illis ſecundùm Deum vivens. Dicebat Epicureus, Mihi frui carne, bonum eſt. Dicebat Stoicus, Mihi frui mea mente, bonum eſt. Dicebat Apoſtolus, Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt. (Pſal. 72. 28.) Dicebat Epicureus, Beatus cujus eſt in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus, Immo beatus cujus eſt in fructu virtus animæ ejus. Dicebat Apoſtolus, Beatus cujus eſt nomen Domini ſpes ejus. (Pſal. 39. 5.) Errat Epicureus: falſum eſt enim, F eſſe hominem beatum, cujus eſt in fructu voluptas carnis ejus. Fallitur & Stoicus: falſum eſt enim, & omnino *mendoſiſſimum, beatum eſſe hominem, cujus eſt in fructu virtus animæ ejus. Beatus ergo, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus. (Ibidem.) Et quia illi vani ſunt & mentiuntur: Et non reſpexit, inquit, in vanitates & inſanias mendaces.

* f. mendaciſſimum.

CAPUT VIII. Anima ſecundùm ſe vivens eſt carnalis.

8. *Ergo, Fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus*, ſicut Epicurei. Sed etiam ſi ſecundùm ſe ipſam [a] vivere voluerit anima, carnalis erit; carnem ſapit, de carne non G ſurgit. Non eſt enim quemadmodum inde ſurgat, qui brachium porrectum jacenti non tenet. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis*: Ubi enim dictum eſt, Quid faciat mihi homo? ibi dictum eſt, Quid faciat mihi caro? (Pſal. 55. 5. & 11.) *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*. Non iſta morte, cùm de corpore exitur; iſta enim moriemini, etſi ſecundùm ſpiritum vixeritis: ſed illa morte, de qua Dominus in Evangelio terribiliter dicit, Eum timete, qui habet poteſtatem & animam & corpus perdere in gehennam ignis. (Matth. 10. 28.) *Si ergo ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*.

CAPUT IX. Opus noſtrum in hac vita, mortificatio carnis.

9. *Si autem ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*. (Item ℣. 13.) Hoc eſt opus noſtrum in hac vita; actiones carnis ſpiritu mortificare; quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. Quàm multa enim proficientes non jam delectant, quæ antea delectabant. Quando ergo delectabat, & non ei conſentiebatur, mortificabatur: quia jam non delectat, mortificatum eſt. Calca mortuum; tranſi ad vivum: calca jacentem, conflige cum reſiſtente. Mortua eſt enim delectatio una, ſed vivit altera: & illam, dum non conſentis, mortificas; cùm cœperit omnino non delectare, mortificaſti. Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſtra. In hoc agone cùm confligimus, Deum habemus ſpectatorem: in hoc agone cùm laboramus, Deum poſcimus adjutorem. Si enim nos ipſe non adjuvat, non dico vincere, ſed nec pugnare poterimus.

Præſumtio de ſe cavenda in carnis mortificatione. V. lib. de gratia & libero arb. c. 11.

10. Cùm ergo dixiſſet Apoſtolus; *Si autem ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*: id eſt, illas concupiſcentias carnis, quibus non conſentire magna laus eſt, quas non habere perfectio eſt: ſi has actiones carnis morbidas, & de morte habentes contentionem, ſpiritu mortificaveritis, vivetis. Hìc jam metuendum eſt, ne quiſquam rurſus ad mortificandas actiones carnis de ſpiritu ſuo præſumat. Non ſolùm enim Deus ſpiritus eſt: ſed & anima tua ſpiritus eſt, & mens tua ſpiritus eſt. Et cùm dicis, Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati: (Rom. 7. 25.) quia ſpiritus concupiſcit adversùs carnem, & caro adversùs ſpiritum. (Gal. 5. 17.) Ergo ne ad carnis actiones mortificandas de ſpiritu tuo præſumas, & ſuperbiâ pereas, & tibi ſuperbo reſiſtatur, non humili gratia concedatur: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: (Jacobi 4. 6.) * ne fortè ergo ſuboriretur tibi iſta ſuperbia, vide quid ſequatur. Cùm enim dixiſſet, *Si ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*: ne hìc ſe extolleret humanus ſpiritus, & ad hoc opus ſe idoneum firmumque jactaret, ſubjecit, & ait, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*. (℣. 14.) Quid te ergo jam volebas extollere, ubi audiſti, *Si ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*? Dicturus enim eras, Hoc poteſt voluntas mea, hoc poteſt liberum arbitrium meum. Quæ voluntas? quod liberum arbitrium? Niſi ille regat, cadis: niſi ille erigat, jaces. Quomodo ergo ſpiritu tuo, cùm audias Apoſtolum dicentem, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*? Tu te vis agere, à te ipſo vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodeſt quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Sive Epicureus eris, ſive Stoicus eris, inter filios Dei non eris. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*. Non qui ſecundùm carnem ſuam vivunt, non qui ſecundùm ſpiritum ſuum vivunt; non qui carnis voluptate ducuntur, non qui ſpiritu ſuo aguntur: ſed, *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*.

* CAPUT X.

CAPUT XI.

11. Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non

[a] MSS. *ſi ſecundùm ſe ipſam ſibi vivere voluerit.*

Classis I

Ad bonum & agimur & agimus. a

agimus. Respondeo, Immo & agis, & ageris; & tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, [a] agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas; agnosce quid confitearis, quando dicis, Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. *Quotquot enim*, inquit, *Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*: non litterâ, sed Spiritu: non Lege præcipiente, minante, promittente; sed Spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. *Scimus*, inquit idem Apostolus, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si non esses operator, ille non esset cooperator.

Psal. 26. 9. — *Rom. 8. 28.*

Pelagianũ dogma. V. lib. de grat. Christi c. 7. 26. & seq.

12. Sed hîc fortiter vigilate, ne fortè dicat spiritus vester, Si subtraxerit se cooperatio Dei & adjutorium Dei, spiritus meus facit hoc: etsi cum labore, etsi cum aliqua difficultate potest, tamen implere potest. Quomodo si aliquis dicat, Remis quidem pervenimus, sed cum aliquo labore: ô si ventum habeamus, faciliùs perveniremus. Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus-sancti. Prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed malè. Ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dico tibi, Sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem: quamquam non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: &, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati: &, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.

Nihil boni sine adjutorio Dei.

Libertas sine gratia qualis. 2. Petri 2. 19. — *Johan. 8. 34. & 36.*

Caput XII. Gratia non tantùm ut faciliùs, sed omnino ut facere possis necessaria. b c

13. Prorsus hoc credite, sic vos agere bona voluntate. Quia vivitis, utique agitis. Non enim adjutor est ille, si nihil agatis: non enim cooperator est ille, si nihil operamini. Sic vos tamen scitote agere [b] bona, ut sit rector Spiritus adjutor: qui si defuerit, nihil boni omnino agere valeatis. Non sicut quidam dicere cœperunt, qui coartati sunt aliquando gratiam confiteri: & benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt; accedendo enim proficere [c] poterunt, & ad id quod verè rectum est pervenire. Jam ergo dicunt adjutricem esse gratiam Dei, ad faciliùs facienda. Ista sunt enim verba eorum: Ad hoc » dedit, inquiunt, Deus gratiam suam hominibus, » ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, » faciliùs possint implere per gratiam. Velo faciliùs, remo difficiliùs: tamen & remo itur. Jumento faciliùs, pedibus difficiliùs: sed tamen & pedibus pervenitur. Non est sic. Magister enim verus qui neminem palpat, neminem fallit, verax doctor idemque Salvator, ad quem nos duxit molestissimus pædagogus, cùm de bonis operibus, id est, de sarmentorum & palmitum fructibus loqueretur, non ait, Sine me quidem potestis facere aliquid, sed faciliùs per me: non ait, Fructum vestrum sine me potestis facere, sed uberiorem per me. Non hoc dixit. Legite quid dixerit: Evangelium sanctum est, omnium superba colla subduntur. Non hæc dicit Augustinus, hæc dicit Dominus. Quid dicit Dominus? Sine me nihil potestis facere. Jam nunc [d] cùm auditis, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*, nolite vos demittere. Neque enim templum suum sic de vobis ædificat Deus, quasi de lapidibus qui non habent motum suum: levantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi: Et vos tamquam lapides vivi coædificamini in templum Dei. Ducimini, sed currite & vos: ducimini, sed sequimini: quia cùm secuti fueritis, verum erit illud, quia sine illo nihil facere potestis. Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

Serm. de Scripturis. — *Johan. 15. 5.* d — *Ephes. 2. 22.* — *Rom. 9. 16.*

Caput XIII. Lex vetus & nova.

14. Fortè dicturi eratis, Et Lex sufficit nobis. Lex timorem dedit: & videte quid hinc subjunxit Apostolus, cùm diceret, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*: quia cùm Spiritu Dei aguntur, caritate aguntur: Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis: secutus adjunxit, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Quid est, *iterum?* Quomodo terrente molestissimo pædagogo. Quid est, *iterum?* Sicut in monte Sina accepistis spiritum servitutis. Dicit aliquis, Alius est spiritus servitutis, alius spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret Apostolus, *iterum.* Idem ergo spiritus, sed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione. Jam nudiustertius qui adfuistis [e] audistis, quomodo longè positam plebem, voces, ignis, fumus in monte terrebat; quomodo autem veniens Spiritus-sanctus, idem ipse digitus Dei, quinquagesimo die post umbram Paschæ quomodo venerit, & igneis linguis super unumquemque eorum insederit. Jam ergo non in timore, sed in dilectione; ut non servi, sed filii simus. Qui enim ADHUC IDEO BENE AGIT, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat. Timor servus est, caritas libera est; & ut sic dicamus, timor est servus caritatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. FAC, FAC VEL TIMORE POENÆ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet: quia consummata caritas foras mittit timorem. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Novum Testamentum est, non vetus. Vetera transierunt, & ecce nova facta sunt omnia: omnia autem ex Deo.

Rom. 5. 5. — *v. 15.* — *Exodi 19. 16.* Spiritus servitutis & libertatis. — e *Exodi 20. 18.* — *Act. 2.* — *1. Johan. 4. 18.* — *2. Cor. 5. 17.*

Caput XIV. Abba & pater, quia duo populi in Christo.

15. Denique quid sequitur? Quid ergo accepimus, quasi diceres: *Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Dominus timetur, pater amatur. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Clamor iste cordis est, non faucium, non labiorum: intus sonat, auribus Dei sonat. Clauso ore, labiisque immotis, Susanna istâ voce clamabat. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Cor [f] clamet, Pater noster qui es in cælis. Ergo quare non tantùm *pater?* Quid sibi vult, *Abba, pater?* Si enim quæras quid sit *Abba*, respondetur tibi, *pater.* Abba

Dan. 13. — *Matth. 6. 9.* f

[a] Sic Beda & Florus. At editi Lov. Er. Am *agentibus adjutor est.*
[b] Lov. *Sic vos tamen scitote agere, ut sit rector Spiritus & adjutor*: sed dissentientibus ceteris libris.
[c] Ita nonnulli MSS. At editi, *potuerunt.*
[d] MSS. *Jam nunc quod audistis.* Et paulò pòst, *nolite vos dimittere.*
[e] Concioni superiori, cujus capite 6. de hac ipsa re dictum fuit.
[f] Aliquot MSS. *Cor clamat.*

Classis I

enim Hebraicè pater dicitur. Quare voluit utrumque Apostolus ponere? Quia videbat lapidem angularem, quem reprobaverunt ædificantes, & factus est in caput anguli, (Psal. 117. 22) non sine caussa angularem dictum, nisi quia in osculum recipit utrumque parietem de diverso venientem. Hinc circumcisio, inde præputium, tantum à se & inter se longè, quantum ab angulo longè: quantum autem ad angulum propè, & inter se utique propè. In angulo autem inter se juncti. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. (Ephes. 2. 14.) Ergo inde circumcisio, inde præputium, parietum concordia, anguli gloria. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.*

Caput XV. Spiritus arra potiùs quàm pignus. V. suprà Ser. 23. c. 8. & 9.

16. Qualis res est, si pignus tale est? Nec pignus, sed arra dicenda est. Pignus enim quando ponitur, cùm fuerit res ipsa reddita pignus aufertur. Arra autem de ipsa re datur, quæ danda promittitur; ut res quando redditur, impleatur quod datum est, non mutetur. Unusquisque ergo adtendat cor suum, utrùm ex intimis cordis medullis & sincera caritate dicat, Pater. Non modò quæritur quanta sit ipsa caritas, utrùm magna, an parva, an mediocris: utrùm vel sit, quæro. Si nata est, latendo crescit, crescendo perficietur, perfecta permanebit. Non enim perfecta vergit in senium, & à senectute veniet ad mortem: ad hoc perficietur, ut æterna permaneat. Vide enim quid sequitur. *Clamamus, Abba, pater.* (℣. 16.) * *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei.* Non spiritus noster reddit testimonium spiritui nostro, quia sumus filii Dei: sed Spiritus Dei, arra reddit testimonium pro ea re quæ nobis promissa est. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei.*

℣. 17. Hereditas filiorum Dei.

17. *Si autem filii, & heredes.* Non enim inaniter filii. Hæc est merces: *Et heredes.* Hoc est quod paulò antè dicebam, quia medicus noster & sanitatem nobis donat, & mercedem insuper largiri dignatur. Quæ est illa merces? Hereditas. Sed non quomodo est hominis patris hereditas. Relinquit enim filiis suis, non possidet cum filiis suis: & tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare quod non possit auferre. Moriens enim tolleret secum? Puto quia si posset, nihil hîc filiis suis dimisisset. Heredes Dei sic sunt, ut ipse Deus sit hereditas [a] nostra, (Psal. 15. 5.) cui dicit Psalmus, Dominus pars hereditatis meæ. *Heredes quidem Dei:* si parum vobis est, audite, quo ampliùs gaudeatis: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Conversi ad Dominum, &c.

* Aliàs 23. de verbis Apostoli.

*SERMO CLVII.

De [b] *verbis Apostoli, Rom.* 8. Spe salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes.

Caput I. I. Rom. 8. 24.

Sicut Apostolum dixisse meminit Sanctitas vestra, Fratres carissimi, *Spe salvi facti sumus: Spes autem*, inquit, *quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat?* (℣. 25.) * *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.* Hinc vobis exhortatorium & consolatorium præbere sermonem, admonet nos ipse Dominus Deus noster, cui dicitur in Psalmo, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. (Psal. 141. 6.) Ipse, inquam, qui spes nostra est in terra viventium, jubet ut vos alloquamur in hac terra morientium: ut non respiciatis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Quia ergo quod non videmus speramus, & per patientiam exspectamus: meritò nobis in Psalmo dicitur, Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. (Psal. 26. 14.) Mundi enim promissa semper fallunt, Dei autem promissa numquam fallunt. Sed quia mundus quod pollicetur, hîc videtur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus; Deus autem quod pollicetur, in terra viventium nobis daturus est: multi fatigantur exspectare veracem, & non erubescunt amare fallacem. De talibus dicit Scriptura, Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diverterunt in vias pravas. (Eccli. 2. 16.) Cùm etiam viriliter agentibus & corde confortato Deum sustinentibus, filii sempiternæ mortis insultare non cessant, jactantes suas delicias temporales, quæ ad tempus obdulcant fauces eorum, postea verò amariores felle invenient eas. Dicunt enim nobis, Ubi est quod vobis promittitur post hanc vitam? Quis huc inde reversus est, & indicavit vera esse quæ creditis? Ecce nos in nostrarum voluptatum satietate lætamur, quia quod videmus, speramus: vos autem in laboribus continentiæ cruciamini, credendo quod non videtis. Deinde subjungunt quod commemoravit Apostolus: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. (1. Cor. 15. 33.) Sed videte quid ipse cavendum monuerit: Corrumpunt, inquit, mores bonos colloquia mala. Sobrii estote [c] justè, & nolite peccare.

Spes Christianorum de æternis. Mundo fallaci creditur, non Deo.

Caput II. Patientia & mansuetudo necessaria.

2. Cavete ergo, Fratres, ne talibus colloquiis mores vestri corrumpantur, evertatur spes, enervetur patientia, & divertatis in vias pravas. Immo verò mites atque mansueti tenete vias rectas, quas vos docet Dominus: de quibus Psalmus dicit, Diriget mites in judicio, docebit mansuetos vias suas. (Psal. 24. 9.) Patientiam quippe in laboribus hujus vitæ, sine qua non potest custodiri spes futuræ vitæ, nemo potest perpetuò retinere, nisi mitis atque mansuetus; qui non resistit voluntati Dei, cujus jugum lene est & sarcina levis, sed credentibus Deo, & sperantibus in eum, & diligentibus eum. Ita quippe mites atque mansueti non solùm consolationes ejus amabitis, sed etiam flagella ejus tamquam boni filii tolerabitis; ut quoniam quod non videtis speratis, per patientiam exspectetis. Sic agite, sic ambulate. In Christo enim ambulatis, qui dixit, Ego sum via. (Johan. 14. 6.) Quomodo in illo ambulandum sit, discite, non solùm ejus verbo, sed etiam ejus exemplo. Huic enim proprio Filio non pepercit Pater, sed pro nobis omnibus tradidit illum: (Rom. 8. 32.) non utique nolentem, neque recusantem, sed pariter volentem: quia una est voluntas Patris & Filii secundùm æqualitatem formæ Dei, in qua cùm esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo: (Philip. 2. 6.) & singulariter obedientem, secundùm quod semetipsum

[a] Fossatensis MS. *h reditas eorum.*
[b] Tractatum hunc retulit Florus ad Rom. 8.
[c] Am. Er. & aliquot MSS. *justi*, ut nunc Vulgata. Sed non minùs bene Lov. *justè*, juxta Græc. δικαίως: sicuti etiam habebat aliàs Vulgata in MSS. quibusdam Latinis Bibliis.

CLASSIS I.

Ephes. 5. 2.

evacuavit formam servi accipiens. Nam ipse dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Sic ergo Pater proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, ut & ipse Filius traderet semetipsum pro nobis.

CAPUT III. Videmus in capite nostro quod speramus.

3. Traditus ergo ille excelsus, per quem facta sunt omnia, traditus propter formam servi in opprobrium hominum & abjectionem plebis, in contumeliam, in flagella, in mortem crucis, docuit nos exemplo passionis, cum quanta patientia in illo ambulemus: & firmavit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illo patienter sperare debeamus. *Si enim quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Quod non videmus quidem, speramus: sed corpus sumus illius capitis, in quo jam perfectum est quod speramus. De illo enim dictum est, quòd ipse sit caput corporis Ecclesiæ, primogenitus, ipse primatum tenens. Et de nobis scriptum est, Vos autem estis corpus Christi & membra. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*, securi; quoniam qui resurrexit caput nostrum est, servat spem nostram. Et quia priùs quàm resurgeret, flagellatum est caput nostrum, firmavit patientiam nostram. Scriptum est enim, Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Non itaque in flagello deficiamus, ut in resurrectione gaudeamus. Ita enim verum est, quòd flagellat omnem filium quem recipit, ut nec Unico suo pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit eum. Intuentes ergo eum, qui sine peccati merito flagellatus est, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, non timeamus ne abjiciamur flagellati; sed potiùs confidamus quia recipiemur justificati.

(Coloss. 1. 18. — 1. Cor. 12. 27. — Hebr. 12. 6. — Rom. 8. 32. — Rom. 4. 25.)

CAPUT IV. Nec modò sine gaudio sumus.

4. Quamvis enim nondum venerit nostri gaudii plenitudo: nec modò tamen sine gaudio relicti sumus; quia spe salvi facti sumus. Ideo & ipse Apostolus, qui ait, *Si quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus:* dicit alio loco, Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Habentes ergo talem spem, multâ fiduciâ utamur: & sermo noster in gratia conditus sit sale, ut sciamus quemadmodum oporteat unicuique respondere. Dicendum est enim eis, qui cùm perdidissent, vel numquam suscepissent sustinentiam, nobis sustinentibus Dominum, (quia quod non videmus sperantes, per patientiam exspectamus,) etiam insultare audent, cùm imitari deberent: Ubi sunt deliciæ vestræ, propter quas ambulatis per vias pravas? Non dicimus, Ubi erunt, cùm hæc vita transierit; sed modò ubi sunt? Cùm hesternum diem hodiernus abstulerit, & hodiernum crastinus ablaturus sit, quid eorum quæ diligitis, non transcurrit & transvolat? Quid non fugit penè antequam capitur, cùm ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda. Ipsius horæ unius, quæ præsens videtur, nihil est præsens: omnes enim partes ejus, & omnia momenta fugitiva sunt.

(Rom. 8. 25. — Rom. 12. 12. — 2. Cor. 3. 12. — Coloss. 4. 6. — Fluxæ peccatorum deliciæ.)

CAPUT V.

5. Propter quid peccat homo, si non excæcatus est cùm [a] peccat, vel cùm peccaret adtendat. Poterat videre quia voluptas transitura sine prudentia desideratur; vel cùm transierit, cùm pænitentia cogitatur. Nos irridetis, quia speramus æterna, quæ non videmus; cùm vos eis quæ videntur temporalibus subditi, nesciatis qualis vobis dies crastinus illucescat: quem sæpe bonum sperantes, malum invenitis; nec si bonus fuerit, eum ne fugiat tenere poteritis. Nos irridetis, quia speramus æterna: quæ cùm venerint non transibunt; quia nec ipsa veniunt, sed semper manent: nos autem ad illa veniemus, cùm per viam Dominicam ista quæ transeunt transierimus. A vobis verò temporalia nec sperari aliquando desinunt, & tamen crebrò sperata vos fallunt: nec cessant vos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia. Nonne ipsa sunt quæ concupita [b] inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? Utimur eis & nos secundùm peregrinationis nostræ necessitatem: sed non in eis gaudia nostra figimus, ne illis labentibus subruamur. Utimur enim hoc mundo tamquam non utentes, ut veniamus ad eum qui fecit hunc mundum, & in eo maneamus, ejus æternitate perfruentes.

(SERM. DE SCRIPTURIS. — Vanitas temporalium. — 1 Cor. 7. 31.)

CAPUT VI. Spei nostræ certitudo.

6. Quid est autem quod dicitis, Quis huc inde venit, & quid apud inferos geratur, quis hominibus indicavit? Et hinc vobis os clausit, qui mortuum quarta die resuscitavit, & ultrà non moriturus die tertio resurrexit, & antequam moreretur, qualis vita morientes excipiat, tamquam ille quem nihil lateret, & in paupere quiescente & in divite ardente narravit. Sed illi ista non credunt, qui dicunt, Quis huc inde reversus est? Credituros se volunt videri, si quis parentum suorum revivisceret. Sed maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. Ideo ergo Deus homo factus, mori & resurgere voluit; ut & quod futurum esset homini, in hominis carne ostenderetur, & Deo tamen, non homini crederetur. Et certè Ecclesia fidelium toto orbe diffusa, jam ante oculos eorum est. Legant eam ante tot sæcula uni homini promissam, qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium. Quod ergo uni Abrahæ credenti promissum est, jam videmus impletum; & quod universo orbi promittitur credenti, desperamus esse venturum? Eant nunc & dicant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Illi se adhuc cras dicunt morituros, veritas autem illos jam cùm ista dicunt, invenit mortuos. Vos autem Fratres, filii resurectionis, cives sanctorum Angelorum, Dei heredes, & Christi coheredes, cavete imitari eos, qui cras [c] exspirando moriuntur, & hodie bibendo sepeliuntur. Sed sicut dicit idem Apostolus, Ne corrumpant vestros mores bonos colloquia mala; sobrii estote justè, & nolite peccare: ambulantes angustam, sed certam viam ducentem ad latitudinem Jerusalem cælestis, quæ mater nostra æterna est; firmissimè sperate quod non videtis, patienter exspectate quod nondum habetis; quia veracem promissorem Christum fidelissimè retinetis.

(Johan. 11. 39. — Lucæ 16. 19. — Jerem. 17. 5. — Rom. 4. 18. — 1. Cor. 15. 32. & 34.)

[a] Colbertinus MS. *cùm peccat? Vel si cùm peccaret adtenderet, poterat videre &c.*

[b] Florus, *madescunt.*

[c] Aliquot MSS. *exspectando.* Am. & Er. *sperando.*

Classis I.

* SERMO CLVIII.

a Aliàs 16. de verbis Apostoli.

De a verbis Apostoli, Rom. 8. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit illos & justificavit; *&c.* Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Contra Pelagianos.*

Caput I. Rom. 8. 31. Prædestinatis nemo nocere valet.

1. APOSTOLUM beatum audivimus exhortantem & confirmantem nos, cùm diceret nobis, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Pro quibus autem sit Deus, superiùs B ostendit, ubi ait: *Quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, illos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* * *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Deus pro nobis, ut prædestinaret nos; Deus pro nobis, ut vocaret nos; Deus pro nobis, ut justificaret nos; Deus pro nobis, ût glorificaret nos. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Prædestinavit, antequam essemus; vocavit, cùm aversi essemus; justificavit, cùm C peccatores essemus; glorificavit, cùm mortales essemus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Prædestinatis à Deo, vocatis, justificatis, glorificatis, qui vult adversari, paret se, si potest bellare adversùs Deum. Ubi enim audivimus, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* nisi qui Deum vincit, non lædit nos. Et quis est qui vincit omnipotentem? Quicumque reluctari voluerit, sibi nocet. Hoc est, quod & Paulo adhuc Saulo de cælo Christus clamavit: Non tibi expedit contra sti- D mulum calcitrare. Sæviat, sæviat quantum potest; qui calces adversùs stimulum mittit, nonne in se ipsum sævit?

℣. 30. ℣. 31. Florus ibidem. Act. 9. 5.

Caput II. Deus nobis debitor factus ex promissis. b

2. In his autem quatuor rebus, quas commendavit Apostolus insignes, b quæ pertinent ad eos, pro quibus est Deus, id est, prædestinatione, vocatione, justificatione, glorificatione; in his ergo quatuor rebus considerare debemus quid jam habeamus, & quid adhuc exspectemus. In his enim quæ jam habemus, laude- E mus Deum largitorem: in his quæ nondum habemus, teneamus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, Debes mihi quia dedi tibi: & aliter dicimus, Debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis, Debes mihi, quia dedi tibi: à te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum. Quando autem dicis, Debes mihi, quia promisisti mihi: tu nihil dedisti, & tamen exigis. Bonitas enim F ejus qui promisit, dabit, ne in malitiam fides convertatur. Qui enim fallit, malus est. Deo autem numquid dicimus, Redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus. Non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum, maximè dicente nobis Apostolo, Quis enim cognovit " sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, " aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Il- G lo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti: & hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti.

Rom. 11. 34. & 35.

Caput III.

3. Nemo ergo dicat, Ideo me vocavit Deus, A quia colui Deum. Quomodo coluisses, si vocatus non fuisses? Si propterea te vocavit Deus, quia coluisti Deum: ergò prior dedisti, & retribuit tibi. Nonne istam tibi vocem Apostolus tollit, cùm dicit, Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Sed ecce quando vocatus es, vel jam eras. c Quomodo prædestinareris, nisi quando non eras? Quid Deo dedisti, quando qui aliquid dares, non eras? Quid ergo fecit Deus, quando prædestinavit qui non erat? Quod ait B Apostolus, Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. Si jam esses, non prædestinareris; nisi aversus esses, non vocareris; nisi impius esses, non justificareris; nisi terrenus & abjectus esses, non glorificareris. Quis ergo prior " dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & " per ipsum & in ipso sunt omnia. Quid ergo reddimus? Ipsi gloria. Quia non eramus, quando sumus prædestinati; quia aversi eramus, quando sumus vocati; quia peccatores eramus, quando C sumus justificati: agamus Deo gratias, ne remaneamus ingrati.

Serm. de Scripturis. Vocati & prædestinati sumus gratis. c Rom. 4. 17.

4. Proposueramus autem considerare de his quatuor rebus quid jam consecuti fuerimus, quid adhuc adipiscendum exspectemus. Prædestinati enim jam sumus & antequam essemus. Vocati sumus, quando Christiani facti sumus. Jam ergo & hoc habemus. * Justificati, quid? Quid est, justificati? Audemus dicere, jam hoc tertium habere nos? Et erit quisquam nostrûm qui audeat D dicere, Justus sum? Puto enim hoc esse, Justus sum, quod est, peccator non sum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Johannes, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Quid ergo? Nihil habemus de justitia? An habemus, sed non totum habemus? Hoc ergo quæramus. Si enim aliquid habemus, & aliquid non habemus: crescat quod habemus, & implebitur quod non habemus. Ecce enim baptizati sunt homines, om- E nia illis peccata dimissa sunt, justificati sunt à peccatis; negare non possumus: restat tamen lucta cum carne, restat lucta cum mundo, restat lucta cum diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur; aliquando vincit, aliquando perimitur: quomodo de stadio exeat adtenditur. Nam si dixerimus, quia peccatum " non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in " nobis non est. Item si dixerimus, quia justitiæ nihil habemus, adversùm Dei dona mentimur. F Si enim justitiæ nihil habemus, nec fidem habemus: si fidem non habemus, Christiani non sumus. Si autem fidem habemus, jam aliquid habemus justitiæ. Ipsum aliquid, vis nosse quantum sit? Justus ex fide vivit: justus, inquam, ex fide vivit; quia credit quod non videt.

Justificati utrùm jam simus. * Caput IV. 1. Johan. 1. 8. Lucta hic in justificatis manens. Habac. 2. 4. Rom. 1. 17.

Caput V. Justificatio aliqua verè per fidem.

5. Patres, arietes sancti, duces Apostoli, quando annuntiaverunt, non solùm viderunt oculis, sed etiam manibus tractaverunt: & tamen Dominus servans nobis donum fidei, cuidam dis- G cipulorum suorum tractanti, palpanti, veritatem digitis inquirenti & invenienti, exclamanti, Dominus meus & Deus meus; ait ipse Dominus & Deus, Quia vidisti, credidisti. Et nos futuros intuens, Beati, inquit, qui non viderunt, & cre- " diderunt. Non vidimus, audivimus, & credidi-

Johan. 20. 28. & 29.

a Citatur à Floro ad Rom. 8. & 11. ad 1. Cor. 13. & ad Gal. 5.
b Florus, *in his qui pertinent ad Deum.*

c Am. & Er. *Quando prædestinareris non eras.* Florus, *Ut prædestinareris quando non eras, quid Deo &c.* MSS omnes omittunt *nisi.*

Classis I. — *Serm. de Scripturis.*

mus. Beati prædicti sumus, & de justitia nihil habemus? Venit Dominus carnaliter ad Judæos, & occisus est: non venit ad nos, & acceptus est. Populus quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obedivit mihi. *Psal. 17. 45.* Nos sumus, & de justitia nihil habemus? Omnino habemus. Grati simus ex eo quod habemus, ut addatur quod non habemus, & non perdamus quod habemus. Ergo & hoc tertium jam agitur in nobis. Justificati sumus: sed ipsa justitia, cùm proficimus, crescit. Et quomodo crescit dicam, & vobiscum quodam modo conferam, ut unusquisque vestrûm jam in ipsa justificatione constitutus, accepta scilicet remissione peccatorum per lavacrum regenerationis, accepto Spiritu-sancto, proficiens de die in diem, videat ubi sit, accedat, proficiat & crescat, donec consummetur, non ut finiatur, sed ut perficiatur.

Florus ad 1. Cor. 13.

Caput VI. Fides justificans à fide dæmonum discernitur per spem & caritatem.

6. Incipit homo à fide: quid pertinet ad fidem? Credere. * Sed adhuc ista fides discernatur ab immundis spiritibus. Ad fidem quid pertinet? Credere. Sed ait apostolus Jacobus, Et dæmones credunt, & contremiscunt. *Jacobi 2.* Si tantùm credis, & sine spe vivis, vel dilectionem non habes: Et dæmones credunt, & contremiscunt. Quid magnum est, si dicis Christum Filium Dei? Hoc dixit Petrus, & audivit, Beatus es Simon Bar-jona: *Matth. 16. 17.* hoc dixerunt dæmones, & audierunt, Obmutescite. Ille beatus, dicitur ei, Quia non revelavit tibi caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Illi autem audiunt, Obmutescite: & hoc ipsum dicunt, & repelluntur. Una vox est: sed Dominus radicem interrogat, non florem. Unde dicitur ad Hebræos, Ne qua radix amaritudinis sursum germinans molestet, & per illam contaminentur multi. *Hebr. 12. 15.* Priùs ergo discerne fidem tuam à fide dæmonis. Unde [a] eam discernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. *Spes.* Adde ergo fidei spem. Et quæ spes est, nisi de aliqua conscientiæ bonitate? Speique ipsi adde caritatem. De super eminentem viam habemus, dicente Apostolo, Supereminentem viam vobis demonstro: *1. Cor. 12. 31. & 13. 1.* *Caritas.* Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: & cetera enarrat bona, & sine caritate nihil prodesse confirmat. Maneant ergo hæc, fides, spes, caritas: major autem horum caritas. Sectamini caritatem. Discernite ergo fidem vestram. Jam estis de prædestinatis, vocatis, justificatis. Paulus Apostolus dicit, Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides. *Gal. 5. 6. Florus ibidem.* Dic adhuc Apostole, adde, discerne; quia, Et dæmones credunt, & contremiscunt: ergo adde, & discerne; Dæmones enim credunt, & contremiscunt quod oderunt. Distingue Apostole, & circumcide fidem meam, & discerne caussam meam de gente non sancta. *Psal. 42. 1.* Planè distinguit, discernit, circumcidit. Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. *Gal. 5. 6.*

Caput VII. Cultus gratuitus Dei.

7. Unusquisque ergo, Fratres mei, inspiciat se intus, [b] appendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quæ faciat cum caritate, non exspectans retributionem temporalem; sed promissum Dei, faciem Dei. Non enim **A** quidquid tibi Deus promittit, valet aliquid [c] præter ipsum Deum. Omnino me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi se ipsum Deum. *Qui solus animam satiat.* Quid est tota terra? Quid est totum mare? Quid est totum cælum? Quid sunt omnia sidera? Quid sol? Quid luna? Quid exercitus Angelorum? Omnium istorum Creatorem [d] sitio: ipsum esurio, ipsum sitio, ipsi dico, Quoniam apud te est fons vitæ. *Psal. 35. 10.* Qui mihi dicit, Ego sum panis, qui de cælo descendi. *Johan. 6. 41.* Esuriat & sitiat peregrinatio mea, **B** ut satietur præsentia mea. Arridet mundus multis rebus, pulcris, fortibus, variis: pulcrior est ille qui fecit, fortior & clarior ille qui fecit, suavior ille est qui fecit. Satiabor, cùm manifestabitur gloria tua. *Psal. 16. 15.* Fides ergo quæ per dilectionem operatur si est in vobis, jam pertinetis ad prædestinatos, vocatos, justificatos: ergo crescat in vobis. Fides enim quæ per dilectionem operatur, sine spe esse non potest. Cùm autem venerimus, jam erit ibi fides? Dicetur nobis, Crede? Non utique. **C** Videbimus [e] eum, contemplabimur eum. Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. *1. Johan. 3. 2.* Quia nondum apparuit, ideo fides. Filii Dei sumus, prædestinati, vocati, justificati: filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Modò ergo fides, antequam appareat quod erimus. Scimus quòd cùm apparuerit, similes ei erimus. Numquid quia credimus? Non. Quare ergo? Quoniam videbimus eum sicuti est.

Caput VIII. Spes, in hac peregrinatione solatium.

8. Quid spes? erit ibi? Spes jam non erit, quando **D** erit res. Etenim ipsa spes peregrinationi necessaria est, ipsa est quæ consolatur in via. Viator enim quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia pervenire sperat. Tolle illi spem perveniendi, continuò franguntur vires ambulandi. Ergo & spes quæ hîc est, ad justitiam pertinet peregrinationis nostræ. Ipsum Apostolum audi: *Adoptionem*, inquit, *exspectantes, in nobismetipsis ingemiscimus adhuc.* *Rom. 8. 23.* Ubi est gemitus, jam non potest dici illa felicitas, de qua Scriptura dicit, Transiit labor & gemitus. *Isai. 35. 10. & 51. 11.* **E** Ergo *adhuc*, inquit, *in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes redemtionem corporis nostri.* Adhuc ingemiscimus. Quare? *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Si enim videt quis, quid sperat?* * *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* *℣. 24. ℣. 25.* In hac ergo patientia Martyres coronabantur; desiderabant quæ non videbant, contemnebant quæ ferebant. In hac spe dicebant, *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius?* *v. 35.* **F** * *Quia propter te.* Et ubi est propter quem? *℣. 36.* *Quia propter te*, inquit, *mortificamur tota die. Propter te.* Et ubi est, Beati qui non viderunt, & crediderunt? *Johan. 20. 29.* Ecce ubi est, in te est, quia & fides ipsa in te ipso est. An fallit nos Apostolus, qui dicit habitare Christum per fidem in cordibus nostris? *Ephes. 3. 17.* Modò per fidem, tunc per speciem: modò per fidem, quamdiu in via, quamdiu in **G** peregrinatione. Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. *2. Cor. 5. 6. & 7.*

Caput IX.

9. Si hoc est fides, quid erit species? Audi quid erit: Ut sit Deus omnia in omnibus. *1. Cor. 15. 28.*

[a] In MSS. *Unde enim discreta.*
[b] MSS. *ab se pendat se.*
[c] MSS. *apud ipsum Deum.*

[d] Editi, *scio.* Sed plures MSS. *sitio.*
[e] Sic Colbertinus MS. At editi hoc & proximo loco pro *eum*, habent *enim.*

Classis I.

Deus beatis erit omnia in omnibus.

est, Omnia? Quidquid hîc quærebas, quidquid hîc pro magno habebas, ipse tibi erit. Quid hîc volebas, quid amabas? Manducare & bibere? Ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit potus. Quid hîc volebas? Sanitatem corporis fragilem, transeuntem? Ipse tibi immortalitas erit. Quid hîc quærebas? Divitias? Avare, quid enim tibi sufficit, si Deus ipse non sufficit? Sed quid amabas? Gloriam, honores? Deus tibi erit gloria: cui & modò dicitur, Gloria mea & exaltans caput meum. Jam enim exaltavit caput meum. Caput nostrum Christus est. Sed quid miraris? Quia caput, & cetera membra exaltabuntur; tunc erit Deus omnia in omnibus. Hoc modò credimus, hoc modò speramus: cùm venerimus, tenebimus; & jam visio erit, non fides: cùm venerimus, tenebimus; & jam res erit, non spes. Caritas quid? numquid & ipsa modò est, & tunc non erit? Si amamus credendo & non videndo; quomodo amabimus videndo & tenendo? Ergo caritas erit, sed perfecta erit: sicut Apostolus ait, Fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum caritas. Hanc habentes, & in nobis nutrientes, securi illo adjuvante perseverantes in eo, dicamus, *Quis nos separabit à caritate Christi?* donec ipse misereatur, ipse perficiat. *Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oves occisionis.* Et quis supportat? quis omnia tolerat? *Sed in his omnibus superamus.* Unde? *Per eum qui dilexit nos.* Ergo, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Psal. 3. 4.

Caritas sola semper manet.

1. Cor. 13. 13.

℣. 37.

* Aliàs 17. de verbis Apostoli.

* SERMO CLIX.

De [a] *verbis eisdem Apostoli, Rom. 8. seu de justificatione: nec non de verbis Jacobi* 1. Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, *&c.*

Caput I. Justificatio hîc in nobis imperfecta.

1. HESTERNO die de justificatione nostra, quæ nobis est à Domino Deo nostro, sermo productus est, ministrantibus nobis, donante illo, audientibus vobis. Et cùm simus in hac vita onerati sarcinâ corruptibilis carnis, non utique sine peccato; quia si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: justificatos tamen nos esse secundùm modum peregrinationis nostræ, viventes ex fide quò usque fruamur specie, claruit, quantum arbitror, Caritati Vestræ. Incipitur ergo à fide, ut perveniatur ad speciem: via curritur, patria quæritur. In peregrinatione dicit anima nostra, Quoniam ante
» te est omne desiderium meum, & gemitus meus
» à te non est absconditus. In patria verò nullus orandi locus erit, sed tantùm laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deest. Quod hîc creditur, ibi videtur; quod hîc speratur, ibi tenetur; quod hîc petitur, ibi accipitur. Perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam sancti Martyres pervenerunt. Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim, pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. Certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem. Quibusdam verò adhuc imperfectis, & tamen ex parte justificatis, ad Hebræos dicit Apostolus, Nondum enim usque ad sanguinem pugnastis, adversùs peccatum certantes. Si ergo illi nondum usque ad sanguinem, procul dubio aliqui usque ad sanguinem. Qui usque ad sanguinem? Utique sancti Martyres; de quibus lectio sancti apostoli Jacobi modò audita est. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Perfectis jam dicitur, qui etiam possunt dicere, Proba me, Domine, & tenta me. *Scientes,* inquit, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.*

1. Joban. 1. 8.

Psal. 37. 10.

Perfecta justificatio in Martyribus.

Injuria est, pro Martyre orare.

Serm de Scripturis.

Hebr. 12. 4. Florus ibidem.

Jacob. 1. 2.

Psal. 25 2.

Jacobi 1. 3. & 4.

Caput II. Justitiæ amor admittit aliquot gradus. Primus gradus.

2. Amanda est enim justitia; & in hac justitia amanda gradus sunt proficientium. Priùs est ut amori justitiæ non præponantur omnia quæ delectant. Ipse est primus gradus. Quid est quod dixi? Ut inter omnia quæ delectant, plus te delectet ipsa justitia: non ut alia non delectent; sed plus ipsa delectet. Delectant enim quædam naturaliter infirmitatem nostram, ut cibus & potus delectant esurientes atque sitientes; ut nos delectat hæc lux, quæ de cælo funditur sole exorto, vel quæ de sideribus & luna fulget, vel quæ in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum: delectat canora vox & suavissima cantilena, delectat odor bonus; delectant etiam tactum nostrum quæcumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et hæc omnia, quæ nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, ut dixi, oculos spectacula ista magna naturæ: sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum. Hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum: sed delectant auditum etiam cantica histrionum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant olfactum flores & aromata, & hæc Dei creatura: delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectat gustum cibus non prohibitus: delectant gustum etiam epulæ sacrilegorum sacrificiorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant conjugales amplexus: delectant etiam meretricum. Hoc licitè, illud illicitè. Videtis ergo, Carissimi, esse in istis corporis sensibus licitas & illicitas delectationes. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes; & ei delectationi qua licitè delectaris, præpone justitiam.

Delectationes sensuum licitæ & illicitæ.

Caput III. Delectatio mentis de justitia & fide.

3. Constituamus ante oculos, propter hoc quod dixi, exemplum certaminis. Interrogo utrùm ames justitiam: respondebis, Amo. Quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur, nisi quod delectat. Delectare in Domino, Scriptura dicit. Dominus autem justitia est. Non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus similis est Deus; & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia. Melior est fides quàm caro, melior est fides quàm aurum, & melior est fides quàm argentum, quàm pecunia, quàm prædia, quàm familia, quàm divitiæ; & ista omnia videntur, fides non videtur. Cui ergo similiorem putabimus Deum, visibilibus, an invisibilibus? pretiosis, an vilibus? De vilioribus loquar. Habes duos servos, unum deformem corpore, alium pulcherrimum; sed illum deformem fidelem, alterum

Psal. 36. 4.

[a] Citat Florus ad Rom. 6. & Hebr. 12. Habitus est proximo post superiorem Sermonem die, fortè natali Martyrum.

CLASSIS I.

infidelem. Dic mihi quem plus diligas: & video te amare inviſibilia. Quid ergo, quando plus amas ſervum fidelem, licèt corpore deformem, quàm pulcrum infidelem, erraſti, & fœda pulcris præpoſuiſti? Utique non: ſed pulcriora fœdis præpoſuiſti. Contemſiſti enim oculos carnis, & erexiſti oculos cordis. Interrogaſti oculos carnis, & quid tibi renuntiaverunt? Iſte pulcher eſt, ille fœdus. Repuliſti eos, eorum teſtimonium reprobaſti: erexiſti oculos cordis in ſervum fidelem, & [a] in ſervum infidelem: iſtum inveniſti fœdum carne, illum pulcrum: ſed pronuntiaſti & dixiſti, Quid fide pulcrius? quid infidelitate deformius?

CAPUT IV. *Juſtitia præ omnibus licitis delectationibus amanda.*

4. Ergo præ omnibus voluptatibus, hoc eſt delectationibus etiam licitis, amanda eſt juſtitia. Si enim habes ſenſus interiores, omnes illi interiores ſenſus delectantur delectatione juſtitiæ. Si habes oculos interiores, vide juſtitiæ lumen: Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. (*Pſal. 35. 10.*) De illo lumine dicit Pſalmus, Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte. (*Pſal. 12. 4.*) Item ſi habes aures interiores, audi juſtitiam. Tales aures quærebat, qui dicebat, Qui habet aures audiendi, audiat. (*Luc. 8. 8.*) Si habes olfactum interius, audi Apoſtolum: Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. (*2. Cor. 2. 15.*) Si habes guſtatum interius, audi: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. (*Pſal. 33. 9.*) Si habes tactum interius, audi quid ſponſa cantet de ſponſo: Siniſtra ejus ſub capite meo, & dextera ejus amplectetur me. (*Cant. 2. 6.*)

Juſtitiæ delectatio anteponenda ceteris delectationibus.

5. Exemplum ergo, ut dicere cœperam, hujus certaminis proponamus. Videamus, Fratres mei, quiſnam ſit; interrogo, & reſpondeat, quod dicturus ſum, utrùm ſic delectetur juſtitiâ, ut eam ceteris ad hos ſenſus corporis pertinentibus delectationibus anteponat. Ecce delectat te aurum tuum, oculos tuos delectat: metallum eſt pulcrum, fulgentiſſimum, delectat. Pulcrum eſt, non nego: nam ſi pulcrum negavero, Creatori injuriam facio. Venit ergo tentator, & dicit tibi, Tollo tibi aurum, niſi dixeris pro me falſum teſtimonium: ſi autem dixeris, addo tibi. Decertant in te duæ delectationes: modò interrogo te quid præponas, quid te plus delectet, aurum, an veritas; aurum, an verum teſtimonium? An hoc lucet, & illud non lucet? Fides quæritur in vero teſtimonio. Aurum lucet, fides non lucet? Erubeſce, habeto oculos: quod amabas in ſervo tuo, redde Domino tuo. Jam dudum enim cùm interrogarem de duobus ſervis tuis, uno deformi fideli, alio pulcro infideli, quem magis diligeres; reſpondebas mihi juſtè, & præponebas quod præponendum fuit. Redi in te, quia modò agitur de ipſo te. Certè amaſti ſervum fidelem: Dominus tuus indignus eſt, ſi te habeat ſervum fidelem? Et tu ſervo tuo fideli pro magno quid promittebas? Ut multùm diligeres, ſummum præmium libertatis. Quid magnum promittebas fideli ſervo tuo? Libertatem temporalem. Nonne videmus multos ſervientes non egentes, & liberos mendicantes? Et exigebas ab eo fidem, cui promittebas libertatem: nec ei ſervas fidem, qui tibi promittit æternitatem?

CAPUT V. *Juſtitia cũ delectatio-*

6. Longum eſt, per ſingulos corporis ſenſus excurrere: ſed quod de oculis dixi, hoc de ceteris intelligite; & præponite delectationi carnis, A delectationem mentis. Carnem quippe veſtram delectant illicitæ voluptates: mentem veſtram delectet inviſibilis, pulcra, caſta, ſancta, canora, dulcis juſtitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ. Hinc Apoſtolus dicit, Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire [b] immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ſic nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. (*Rom. 6. 19.*) B Quid dixi? Humanum dico: quod poteſtis portare, dico. Quando exhibuiſtis membra veſtra iniquitati ad flagitia perpetranda, timore adducti eſtis, an delectatione invitati? Quid dicitis? Reſpondete nobis, quia & qui bene vivitis, malè aliquando fortaſſe vixiſtis. Quando peccabatis, delectabamini in peccatis veſtris; timor vos adducebat ad peccandum, an ſuavitas peccati? Reſpondebitis, ſuavitas. Ad peccatum ſuavitas adC ducit, & ad juſtitiam timor impingit? Probate vos, inſpicite vos. Tollat aurum qui minatur: ſuavior eſt juſtitia, lucidior eſt juſtitia. Non det aurum qui promittit: præponenda eſt auro juſtitia, delectando præponenda eſt, fulgentior eſt, lucidior eſt, ſuavior eſt, dulcior eſt. Jam ergo ſi quis ſe probat, & in hoc certamine ſuperavit, audivit Apoſtolum dicentem, Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sine dubio pepercit infirmitati: & neſcio quid gratius minùs D idoneis dicere tentavit.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Ne ex amore ſectãda.

Florus ibidem.

CAPUT VI. *Pro juſtitia non ſolùm contemnenda voluptas, ſed etiam ferendus dolor.*

7. Ecce, inquit, hoc dico quod capere poteſtis: Exhibuiſtis membra veſtra deliciis illicitis, peccatorum ſuavitate ducti eſtis, ut illa faceretis; ducat vos ad recta facta ſuavitas & dulcedo juſtitiæ: amate juſtitiam, quomodo amaſtis iniquitatem. Digna eſt juſtitia, quæ à vobis impetret ut exhibeatis illi, quod exhibuiſtis iniquitati: hoc eſt, Humanum dico, hoc eſt, quod infirmitas veſtra tolerare adhuc poteſt. Quid ergo ſuſpendit E Apoſtolus? quid diſtulit dicere? Quid diſtulit, dicam, ſi potero. Appende juſtitiam & iniquitatem: tantumne digna eſt juſtitia, quantum digna fuit iniquitas? Sic amanda eſt iſta, quomodo amata eſt illa? Abſit ut ſic, ſed & utinam vel ſic. Ergo plus? Plus omnino. In iniquitate ſecutus es voluptatem, pro juſtitia tolera dolorem. In injuſtitia, inquam, ſecutus es delectationem, pro juſtitia tolera dolorem: hoc eſt plus. Ecce neſcio quis ætatis lubricæ impudicus adoleſcens, F ſuavitate illiciente injecit oculos in conjugem alienam, amavit, cupit pervenire; quærit tamen latére: ſic enim amat voluptatem, ut plus timeat dolorem. Quare quærit latére? Timet apprehendi, ligari, adduci, includi, produci, torqueri, occidi. Hæc omnia timendo, in illa appetitione ſuavitatis ſuæ latebras quærit: aucupatur abſentiam mariti, ipſum adjutorem flagitii ſui timet invenire, quia conſcio ſe formidat implicare. Et videmus eum ſuavitate duci: ſed ſuavitas illa non G eſt tanta, ut vincat etiam timorem & dolorem timoremque pœnarum. Da mihi pulcram juſtitiam, da mihi fidei pulcritudinem: procedat in medium, oſtendat ſe oculis cordis, inſpiret fervorem amatoribus ſuis. Jam tibi dicitur, Frui me vis? Contemne quidquid te aliud delectat, contemne pro me. Ecce contemſiſti, parum eſt illi: Humanum

[a] Sic MSS. Editi autem, *& non in ſervum pulcrum.*

[b] Am. Er. & MSS. *ſervire injuſtitiæ & iniquitati.*

Classis I. Humanum est hoc, propter infirmitatem carnis A vestræ. Parum est ut contemnas quidquid te delectabat: contemne quidquid te terrebat; contemne carceres, contemne vincula, contemne equuleum, contemne tormenta, contemne mortem. Hæc vicisti, me invenisti. In utroque gradu amatores justitiæ vos probate.

Caput VII. Martyres perfecti amatores justitiæ. 8. Invenimus forsitan aliquos qui præponant justitiæ delectationem voluptatibus & delectationi corporis sui: qui autem pro illa pœnas, dolores, mortemque contemnat, putas est aliquis in B vobis? Saltem cogitemus, quod profiteri non audemus. Quid cogitamus? Ubi cogitamus? Millia Martyrum adjacent oculis nostris, ipsi veri amatores perfectique justitiæ. De illis dictum est, *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis; scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet.* (Jacobi 1. 2. &c.) Quid addi potest, ut opus perfectum habeat? Amat, ardet, fervet, calcat omnia quæ delectant, & transit: venit ad C aspera, horrenda, truculenta, minantia, calcat, frangit, & transit. O amare, ô ire, ô sibi perire, ô ad Deum pervenire! Qui animam suam amat, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet illam. (Matth. 10. 39.) Sic armandus est amator justitiæ, sic armandus est amator invisibilis pulcritudinis. Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quæ in aure auditis, super tecta prædicate. (Ibidem 27.) Quid est, Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine? Quæ dico & D auditis mente, dicite præsumentes. Et quod in aure auditis, super tecta prædicate. Quid est, In aure auditis? In secreto auditis; quia profiteri & confiteri adhuc timetis. Quid est ergo, Super tecta prædicate? Domus vestræ, corpora vestra; domus vestræ, carnes vestræ. Adscende in tectum, calca carnem, & prædica verbum.

Caput VIII. Ex Deo est, si quid justitiæ habemus. 9. Sed priùs, Fratres mei, plangite quod eratis, ut quod nondum estis, esse possitis. Hoc quod loquor magnum est. Et unde nobis ma- E gnum? Summum est, perfectum est, optimum est: unde nobis? Audite unde nobis: *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio.* (Jacobi 1. 17.) Inde est quod habemus bonum, inde est quod nondum habemus. Non habetis? Petite, & accipietis. Si vos, ait Salvator, si vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis dabit bona petentibus se? (Matth. 7. 7. & 11.) F Examinet se ergo omnis homo, & quidquid in se boni invenerit, quod pertineat ad justificationem nostram, agat gratias illi qui dedit; & agendo gratias illi qui dedit, ab illo petat & & quod nondum dedit. Non enim tu in accipiendo proficis, & ille in dando deficit. Quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas; fons vincit sitientem.

* SERMO CLX.

Serm. de Scripturis. * Aliàs 11. inter editos ex Carthusiæ MSS. a

De [a] *verbis Apostoli*, 1. *Cor.* 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Et de versu Psalmi* 70. In tua justitia erue me, & exime me.

1. ADMONITI ab Apostolo sumus, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*; (1. Cor. 1. 31.) eique Domino cantavimus, *In tua justitia erue me, & exime me.* (Psal. 70. 3.) Hoc est ergo in Do- B mino gloriari, non in sua, sed in ejus justitia gloriari. Hæc autem justitia latuit eos, qui de sua justitia gloriantur. (Gloriëtur homo in Domino, non in sua justitia.) Et hoc maximè vitium apparuit in Judæis novum Testamentum recusantibus & in vetere homine remanentibus. Frustra & infructuosè in suis codicibus legerant atque cantaverant, *In tua justitia erue me.* Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. (Rom. 10. 3.) Nemo ergo tamquam de sua justitia glorietur, etiamsi justus C est. De sua quippe justitia glorianti dictum est, Quid enim habes quod non accepisti? (1. Cor. 4. 7.) Ergo *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quid enim securius, quàm in illo gloriari, de quo nemo potest omnino confundi? Nam si gloriatus fueris in homine, potest inveniri aliquid in homine, immò multa inveniri possunt in homine, de quibus confundatur, qui in illo gloriatur. Cùm autem audis non esse in homine gloriandum, utique nec in te: non enim tu non homo. Si ergo gloriaris D in te, in homine gloriaris: & hoc est stultius & exsecrabilius. Quia si gloriatus fueris in homine justo aliquo vel alio sapiente, ille non in se gloriatur in quo tu gloriaris; tu autem si in te gloriaris, non sapiens, non justus es: si autem non oportet in homine sapiente gloriari, multò minùs oportet in insipiente gloriari. Qui autem gloriatur in se, in insipiente gloriatur. Eo enim ipso insipiens convincitur, qui in se ipso gloriatur. Ergo *qui gloriatur, in Domino glorietur:* ni- E hil tutius, nihil securius. Si potes, habes quod apprehendas, in Domino gloriatus non confunderis. Non enim aliquid reprehensionis inveniri potest in illo, quo in gloriaris. Ac per hoc & ille, qui non dicebat, In mea justitia erue me; sed, *In tua justitia erue me:* hoc priùs dixit, *In te speravi, Domine, non confundar in æternum.* (Psal. 70. 1.)

2. Numquid enim aliud est, in quo erraverunt Judæi, aut quo alio vitio ab Evangelica gratia extorres facti sunt, nisi uno illo de quo Apo- F stolus non tacuit, quod paulò antè commemoravi? (Judæi propriæ justitiæ opinione excæcati.) Testimonium, inquit, eis perhibeo, quia zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. (Rom. 10. 2.) Ubi laudavit, etiam reprehendit. Unde ergo illi vitiosi? Quia utique quamvis zelum Dei habeant, non secundùm scientiam. Et quasi consuleremus Apostolum, & diceremus, Quid est quod dixisti, non secundùm scientiam? Quæ est ista scientia, quam illi non habent, qui tamen zelum Dei habent? Quam scientiam non habent, vis audi- G re? Attende quod sequitur: Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Si ergo zelum Dei habes, & vis habere secundùm scientiam, & pertinere ad Testamentum novum, ad quod Judæi propterea pertinere non potuerunt, quia zelum Dei non secundùm scientiam habuerunt, agnos-

[a] Meminit Possidius in Indiculo cap. 9. citatque Beda & Florus ad Gal. 6.

ce Dei justitiam, & noli tuam velle constituere hanc ipsam, si quam habes: si bene vivis, si præcepta Dei facis, noli tuum putare; hoc est enim velle suam justitiam constituere. Agnosce à quo acceperis & habes quod accepisti. Non enim ha- » bes, quod non accepisti. Si autem accepisti, » quid gloriaris, quasi non acceperis? Cùm enim gloriaris, quasi non acceperis, in te gloriaris: & ubi est, *Qui gloriatur, in Domino glorietur?* Datum tene, sed datorem agnosce. Spiritum suum se daturum cùm promitteret Dominus, Si » quis sitit, inquit, veniat ad me, & bibat. Qui » credit in me flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus. Unde in te hoc flumen? Recordare tuam pristinam siccitatem. Nisi enim siccus fuisses, non sitisses: si non sitisses, non bibisses. Quid est, si non sitisses, non bibisses? Nisi tu te inanem invenisses, in Christum non credidisses. Antequam » diceret, Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus: » priùs dixit, Si quis sitit, veniat & bibat. Ideo flumen habebis aquæ vivæ, quia bibis: non bibis, si non sitis: si autem sitiebas, quare tamquam de tuo flumine gloriari volebas? Ergo *qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Johan. 7. 37. & 38.

3. *Et ego*, inquit, *Fratres, veniens ad vos veni non in elatione verbi aut sapientiæ, annuntians vobis* * *mysterium Dei.* Dicit etiam, *Numquid dixi me scire aliquid in vobis, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum?* Etsi hoc solum sciebat, nihil est quod nesciebat. Magnum est scire Christum crucifixum: sed ante oculos parvulorum tamquam involutum posuit thesaurum. *Christum*, inquit, *crucifixum.* Quanta habet intus iste thesaurus? Deinde alio loco, cùm metueret quibusdam, ne per philosophiam & inanem fallaciam seducerentur à Christo, thesaurum scientiæ & sapientiæ Dei promisit in Christo. Cave- » te, inquit, ne quis vos seducat per philosophiam » & inanem seductionem, secundùm elementa » mundi, non secundùm Christum, in quo sunt » omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Christus crucifixus, thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Nolite ergo, inquit, nomine sapientiæ decipi. Ad hoc involucrum vos advocate, hoc vobis ut evolvatur, orate. Stulte hujus mundi philosophe, quod quæris nihil est: * quem non quæris. Quid prodest, quia multùm sitis, & fontem calcando pertransis? Contemnis humilitatem, quia non intelligis majestatem. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Iesum Christum*, inquit, *crucifixum.* * *Non dixi aliquid me in vobis scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum:* humilitatem ejus, quam irrident superbi, ut fiat in eis, Increpasti superbos; maledicti enim qui declinant à mandatis tuis. Et quod est mandatum ejus, nisi ut credamus in eum, & diligamus invicem? In quem credamus? In Christum crucifixum. Quod non vult audire superbia, hoc audiat sapientia. Mandatum ejus est, ut credamus in eum. In quem? In Christum crucifixum. Hoc est mandatum ejus, ut credamus in Christum crucifixum. Hoc omnino: sed superbus iste, erecta cervice, tumenti gutture, elatâ linguâ, inflatis buccis irridet Chri- » stum crucifixum. Maledicti ergo qui declinant à mandatis tuis. Quare irrident, nisi quia vilem vesticulam forinsecùs circumdatam vident, latentem intus thesaurum non vident? Videt carnem, videt hominem, videt crucem, videt mortem, ista contemnit. Mane, noli transire, noli spernere, noli insultare. Exspecta, scrutare: fortè est aliquid intus quod te multùm delectet. Si invenias *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.* Videt oculus carnem: est infra carnem quod oculus non videt. Audit auris tua vocem: est ibi quod auris non audivit. Adscendit in cor tuum, quasi de terrenis cogitationibus, homo crucifixus & mortuus: est illic quod in cor hominis non adscendit. Adscendunt enim in cor nostrum usitatæ cogitationes: Adscendit, inquit, in cor Moysi visitare fratres suos; humana est ista * conditio. Et cùm discipuli de ipso Domino dubitarent, & apud se ipsos dicerent, cùm subitò resurrexisse conspicerent, Ipse est, non est; caro est, spiritus est: hoc eis dicit, Quid cogitationes adscendunt in cor vestrum?

1. Cor. 2. 1. — ** f. martyrium.* — *ỳ. 2.* — Scire Christum crucifixum magna sapientia. — *Coloss. 2. 8. & 3.* — ** Hic aliquid deest.* — *ỳ. 8.* — *ỳ. 2.* — *Psal. 118. 21.* — Superbia hominem prohibet à fide in Christum. — *ỳ. 9.* — *Exodi 2. 11.* — ** f. cogitatio.* — *Lucæ 24. 38.*

4. Quæramus ergo, si possumus, non quod in cor nostrum possit adscendere, sed quò cor nostrum mereatur adscendere. Merebitur enim in regnante glorificari, qui didicerit in crucifixo gloriari. Unde videns ipse Apostolus, non solùm quò adscendat, sed etiam quà adscendat. Multi enim viderunt quò, nec viderunt quà: amaverunt celsitudinis patriam, sed ignoraverunt humilitatis viam. Sciens ergo Apostolus, & cogitans & præmeditans, non solùm quò, sed etiam quà, [a] Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Poterat dicere, in sapientia Domini nostri Jesu Christi; & verum diceret: poterat, in majestate; & verum diceret: poterat, in potestate; & verum diceret: sed dixit, in cruce. Ubi mundi philosophus erubuit, ibi thesaurum Apostolus reperit: non contemnendo vile involucrum, pervenit ad pretiosum involutum. Absit, inquit, mihi gloriari, nisi in « cruce Domini nostri Jesu Christi. Bonam sarci- « nam sustulisti, ibi totum est quod quæsisti; & quid ibi magnum lateret, ostendisti. Quale adjutorium? Per quem mihi, inquit, mundus crucifixus est & ego mundo. Quando tibi crucifigeretur mundus, nisi pro te crucifigeretur per quem factus est mundus? Ergo *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quo Domino? Christo cruxifixo. Ubi humilitas, ibi majestas; ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita. Si vis ad illa pervenire, noli ista contemnere.

Humilitas crucis via ad celsitudinem. — *Gal. 6. 14.* — *Beda & Florus ibidem.* — *Ibidem.*

5. Audisti in Evangelio filios Zebedæi. Quærebant altitudinem, dicentes ut unus eorum sederet ad dexteram tanti patris-familias, alter ad sinistram. Magnam planè illi celsitudinem requirebant, magnam: sed quoniam postponebant quà, vocat eos Christus ab eo quò ire volebant, ad illud quà ire debebant. Quærentibus quippe tantam celsitudinem quid respondit? Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quem calicem, nisi humilitatis, nisi passionis? quem biburus & in se transformans infirmitatem nostram ait Patri, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Istos ipsos in se transformans, qui

Filii Zebedæi celsitudinem appetentes ad viam vocantur. — *Matth. 20. 22.* — *Matth. 26. 39.*

[a] Florus ad Galat. 6. post citatum Sermonem qui nunc ordine est 27. subjungit hujusce Tractatûs fragmentum ab istis verbis, *Mihi inquit absit gloriari &c.* cum hoc titulo, *Ex eodem Sermone.* Sed castigandus Florus ex Beda, qui id ibidem notat excerptum, *Ex sermone de Apostolo, Qui gloriatur in Domino glorietur.*

Classis I. talem calicem bibere recusabant, & altitudinem A
quærebant, humilitatis viam negligebant, Po-
» testis bibere, inquit, calicem, quem ego bibi-
turus sum? Christum quæritis excelsum; redite
ad crucifixum. Vultis regnare & gloriari in se-
Gal. 6. 14. dibus Christi; priùs discite dicere, Mihi absit
» gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.
a [a] Hæc est doctrina Christiana, humilitatis præce-
ptum, humilitatis commendatio, ut non glorie-
mur, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.
Nam non est magnum in Christi sapientia glo- B
riari: magnum est in cruce Christi gloriari; un-
de tibi insultat impius, inde glorietur pius; un-
de insultat superbus, inde glorietur Christianus.
Noli erubescere de cruce Christi: ideo in fron-
te tamquam in sede pudoris signum ipsum acce-
pisti. Recole frontem tuam, ne linguam expa-
vescas alienam.

Circumcisio veteris Testamenti, crux novi signũ. 6. Signum veteris Testamenti circumcisio in
latenti carne: signum novi Testamenti crux in
in libera fronte. Ibi enim occultatio est, hîc re- C
velatio: illud est sub velamine, hoc in facie.
2. Cor. 3. 15. Quamdiu enim legitur Moyses, velamen super
cor eorum positum est. Quare? Quia non transie-
Ibidem 16. runt ad Christum. Cùm enim transieris ad Chri-
stum, auferetur velamen: ut qui habebas in occul-
to circumcisionem, in fronte portes crucem. Nos
Ibidem 18. autem revelata facie gloriam Domini speculan-
» tes, in eamdem imaginem, inquit, transforma-
» mur, de gloria in gloriam, tamquam à Domini
Spiritu. Ne hoc tibi tribuas, ne hoc tuum putes, D
ne ignorans Dei justitiam & tuam volens consti-
tuere, justitiæ Dei non sis subjectus. Transi ergo
ad Christum, ô qui gloriaris de circumcisione.
b Inde enim vis gloriam habere, quod verecun-
daris ostendere. [b] Signum est, verum est, à Deo
præceptum est: sed occultationis signum est. No-
vum enim Testamentum in veteri velabatur: ve-
tus Testamentum in novo revelatur. Ideo signum
ab occulto transeat in manifestum, & incipiat esse
in fronte quod latebat sub veste. Nam in eo si- E
gno Christum esse prænuntiatum quis ambigat?
1. Cor. 10. 4. Inde cultellus petrinus: Petra autem erat Chri-
V. Ser. 169. cap. 2. stus. Inde octavus dies circumcisionis, & Domi-
nicus resurrectionis. Ideo Apostolus inde tran-
siens, inde veniens, transiens scilicet ad Chri-
stum, ut auferatur velamen, novit unde glorie-
Gal. 6. 14. tur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Do-
mini nostri Jesu Christi. Quid enim priùs dixe-
Ibidem 13. rat? Neque enim qui circumcisi sunt, ii legem
» custodiunt; sed volunt vos circumcidi, ut in F
» vestra carne glorientur. Tu quid Apostole?
Transfer signum ad frontem. Mihi autem absit
c » gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Chri-
sti. [c] Hîc habeo, inquit, quod ignorabam. Ve-
Isai. 9. 2. nit Testamentum novum, revelatum est quod
occultabatur. Qui sedebant in umbra mortis,
lumen ortum est eis. Revelatum est eis quod oc-
cultabatur: quod latebat, in aperto est. Venit
ipsa petra, omnes nos spiritu circumcidit, &
suæ humilitatis signum in redemtorum fronte G
defixit.

Gloriatio sit in cruce Christi, nõ in nostra justitia. 7. Jam gloriatio in cruce sit Christi: non nos
pudeat humilitatis excelsi. Quamdiu discretio
ciborum, & carnis circumcisio? Quorum Deus Serm. de Scripturis.
venter, & gloria in pudendis eorum. Illis futura Philip. 3. 19.
prænuntiabantur, jam facta credantur. Non si-
mus ingrati ei qui venit; si exspectavimus ut
veniret. Sed unde Judæi ab hac gratia extorres,
alieni, fugitivi? Quia zelum Dei habent, sed non Rom. 10. 2.
secundùm scientiam. Quam scientiam? Ignoran-
tes, inquit, Dei justitiam, & suam volentes con-
stituere: non tenentes Deum nisi in præceptis,
& suis viribus se arbitrantes implere posse præ-
cepta, adjutorium * devitarunt. Finis enim legis Ibidem 4.
Christus, perfectio legis Christus, ad justitiam * f. Dei ignorãt.
omni credenti. Et quid facit Christus? Justificat
impium. Credendo quippe in eum qui justificat Rom. 4. 5.
impium, non pium, sed impium; faciens pium,
quem reperit impium: credenti ergo in eum, qui «
justificat impium, deputatur fides ejus ad justi- «
tiam. Si enim Abraham ex operibus justificatus Ibidem 2.
est, tamquam ipse fecerit, tamquam sibi hoc ip-
se præstiterit; habet gloriam, sed non apud
Deum. *Qui autem gloriatur, in Domino glorie-*
tur; & securus dicat, *In tua justitia erue me, &*
exime me. Eruit enim & eximit in se sperantes;
non suis viribus, quod acceperint, tribuentes. Et
hoc ipsum enim est sapientiæ, scire cujus est do- Sap. 8. 21.
num. Quis hoc dixit? Qui rogavit Deum, ut da-
ret illi continentiam. Quæ justitia, quæ particu-
la justitiæ impleri potest, sine aliqua continen-
tia? Delectat enim peccare: nam si non delecta-
ret, non fieret. Minùs autem delectat justitia,
aut non delectat, aut minùs quàm dignum est,
delectat. Unde hoc, nisi de languoribus animæ?
Panis in fastidio est, & delectat venenum. Unde
iste languor sanabitur, obsecro vos? Itane à no-
bismetipsis & per nosmetipsos? Qui omnes ido-
nei fuimus vulnerare nos, quis nostrûm est
idoneus curare quod fecit? Sic & in ipsis deli-
ctis, quis non cùm voluerit, vulnerat se? Sed non
quis cùm voluerit, sanat se. Sit ergo animus pius,
sit fideliter Christianus, sit gratiæ non ingratus.
Agnoscatur medicus: numquam se sanat ægro-
tus.

* SERMO CLXI.

*Aliàs 18. de verbis Apostoli.

De [d] *verbis Apostoli*, 1. *Cor.* 6. Nolite errare: d
neque fornicatores, neque idolis servientes...
regnum Dei possidebunt. Nescitis quia corpo-
ra vestra membra Christi sunt? *&c.*

1. APOSTOLUM audivimus, cùm lege- Caput I. Fornicatio fugienda.
retur, corripientem & coercentem 1. Cor. 6. 15.
humanas libidines, & dicentem, *Nes-* Florus ibid.
citis quia corpora vestra membra Christi sunt?
Tollens ergo membra Christi, faciam membra me-
retricis? Absit. Corpora ergo nostra membra Injuriam Christo facit fornicator.
Christi esse dixit; quoniam Christus caput no-
strum est, eo quòd homo factus est propter nos:
caput de quo dictum est, Ipse Salvator corporis Ephes. 5. 23.
nostri. Corpus autem ejus Ecclesia est. Si ergo Col. 1. 18.
Dominus noster Jesus Christus tantummodo ani-
mam humanam susciperet, membra ejus non es-
sent nisi animæ nostræ: quia verò & corpus sus-
cepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex
anima & corpore constamus; profectò illius

[a] Hinc incipiebat Sermo alias 15. inter editos à Parisiensibus, qui hanc solùm partem repererant in vetere Lectionario Carthusiano aut Germanensi ad diem Exaltationis S. Crucis.

[b] Ita in Germanensi Lectionario. At editi ex majoris Carthusiæ MSS. *Et signum verum est, à Deo præceptum est.*

[c] Lectionarium Germanense, *Hinc.* Quo quidem ex Lectionario habes quæ sequuntur deinceps post verba *quod ignorabam.* Reliqua enim deerant in editis ex majoris Carthusiæ MSS.

[d] Ex hoc Sermone quædam Florus ad 1. Cor. 6. & 7.

CLASSIS I.

membra sunt & corpora nostra. Si ergo unusquisque cupiens fornicari, vilescebat sibi, & in se ipso contemnebat se ipsum; non in se contemnat Christum: non dicat, Faciam, nihil sum:

Isai. 40. 6. Omnis caro fœnum. Sed corpus tuum membrum est Christi. Quò ibas? Redi. Quò te tamquam præcipitare cupiebas? PARCE IN TE CHRISTO, agnosce in te Christum.

1. Cor. 6. 15. *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Meretrix est enim, quæ tibi ad adulterium consentit: & fortè ipsa Christiana tollit membra Christi, & facit membra adulteri. Invicem in vobis contemnitis Christum, nec agnoscitis Dominum vestrum, nec cogitatis pretium vestrum. Qualis autem ille Dominus, qui servos suos fecit fratres suos? Sed parum erat fratres suos, nisi faceret membra sua. Itane tanta dignitas viluit? Quia tam benignè præstita est, non honor ei retribuitur? Si non præstaretur, desideraretur: quia præstita est, contemnitur?

CAPUT II. Fornicator in Spiritum-sanctum injuriosus.

2. Hæc autem corpora nostra, quæ dicit Apostolus membra esse Christi, propter corpus Christi, quod ex genere corporis nostri suscepit; hæc ergo corpora nostra dicit idem Apostolus templum esse in nobis Spiritus-sancti, quem ha-

1. Cor. 6. 19. bemus à Deo. Propter corpus Christi corpora nostra membra sunt Christi: propter inhabitantem Spiritum Christi, corpora nostra sunt templum Spiritus-sancti. Quid horum in te contemnis? Christum, cujus membrum es? an Spiritum-sanctum, cujus templum es? Ipsam meretricem, quæ tibi consentit ad malum, non audes fortasse introducere in cubiculum tuum, ubi habes lectum tuum conjugalem: sed quæris aliquem abjectum in domo tua & turpem locum, in quo turpiter voluteris. Defers ergo honorem cubiculo uxoris tuæ, & non defers templo Dei tui? Non introducis impudicam, ubi dormis cum conjuge tua, & tu ipse is ad impudicam, cùm sis templum Dei? Puto quia melius est templum Dei, quàm cubiculum uxoris tuæ. Quocumque enim ieris, Jesus videt te; qui fecit te, & perditum redemit te, & pro mortuo mortuus est pro te. Tu te non agnoscis: sed ille à te oculos non avertit, non ad

Psal. 33. 16. adjuvandum, sed ad puniendum. Oculi enim Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. Continuò subjecit, & terruit eos qui sibi malam securitatem dabant, qui sibi dicebant, Faciam: non enim Deus me tam turpia facientem dignatur adtendere. Audi quid sequitur, cujus sis adtende; quoniam quocumque ieris, Je-

Ibidem 17. sus videt: Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Sed

Psal. 141. 6. de qua terra? Ubi dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium.

CAPUT III. Fornicatio excludit à regno Dei.

3. Fortè enim malus, iniquus, adulter, impudicus, fornicarius gaudet quia facit, & senescit in quo libido non senescit, & dicit apud se, „ Certè verum est, Vultus autem Domini super „ facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Ecce ego jam senui, qui ab ineunte ætate usque in hodiernum diem tanta committo, multos castos ante me sepelivi, multorum castorum funera juvenum ad sepulcrum ipse deduxi, & pudicis impudicus supervixi. Quid est quod dicitur, quia Vultus Domini super facientes ma- „ la, ut perdat de terra memoriam eorum? Est alia terra ubi non est impudicus, est alia terra in re-

SERM. XI DE SCRIPTURIS.

A gno Dei. *Nolite errare: neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, * neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.* *1. Cor.* 6. 9. ṽ. 10. Hoc est, perdet de terra memoriam eorum. Multi enim talia committentes, spem sibi ponunt: propter eos qui perditè viventes spem sibi ponunt in regno Dei, quò non accessuri sunt, dictum est, Perdet de terra memoriam eorum. Erit enim cælum novum, & terra B nova, quam justi inhabitabunt. Ibi impii, ibi mali, ibi nequissimi habitare non sinuntur. Eligat modò qui talis est, ubi desideret habitare, cùm tempus est ut possit mutari.

CAPUT IV. Habitatione duæ, in igne, aut in regno.

4. Duæ quippe habitationes sunt; una in igne æterno, alia in regno æterno. Puta quia in igne æterno aliter ille, aliter ille torquebuntur: ibi erunt tamen, ibi omnes cruciabuntur; minùs ille, plus ille. Quia tolerabilius erit Sodomæ in die judicii, quàm alteri civitati: *Matth.* 10. 15. & quidam cir- C cumeunt mare & terram, facere unum proselytum, quem cùm fecerint, faciunt eum filium *Matth.* 23. 15. gehennæ duplo quàm sunt ipsi. Puta quia alii duplo, alii simplo; puta quia alii plus, alii minùs: non est regio ubi tibi eligas locum. Quæcumque ibi mitiora tormenta sunt, pejora sunt, quàm quæ formidas in isto sæculo. Cogita quomodo tremas, si tibi aliquis calumnietur, ne mittaris in carcerem: & tu ipse contra te malè vivis, ut mittaris in ignem? Contremiscis, conturba- D ris, * pallescis, ad ecclesiam curris, episcopum videre desideras, ad pedes ejus volutaris. Quærit, quare? Libera me, inquis. Quid agitur? Quid tibi facturus

Pro corpore quantum timetur.

Ecce ille mihi calumniatur. Et quid tibi facturus est? Domine, concutior; Domine, in carcerem mittor; miserere mei, libera me. Ecce quomodo timetur carcer, quomodo timetur conclusio; & non timetur gehennæ exustio. Postremò quando augetur calamitas, & pressura sævit atrocior, & usque ad mortem sævit, quando bonum E videtur homini ne moriatur, ne occidatur, debere succurri omnes clamant, adjutoria cuncta implorantur; subvenite, currite propter animam. Tota exaggeratio calamitatis est, quia dicitur, propter animam. Succurrendum est quidem, nec huic timori adjutorium denegandum: faciendum quod fieri potest, à quo potest.

CAPUT V. Mors animæ plus timenda quàm corporis.

5. Verumtamen ego interrogare volo periclitantem, & isto nomine mea viscera commoventem; quoniam dicit, Curre propter animam. Fa- F cilè huic ego respondeo, Ego quidem curro propter carnem tuam, utinam tu curreres propter animam tuam. Et tu noveris, quia propter corpus tuum curro, non propter animam tuam. Meliùs audio Christum vera dicentem, quàm te timore falso murmurantem. Ipse enim Dominus dicit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, *Matth.* 10. 28. animam autem non possunt occidere. Certè propter animam tuam me vis currere: ecce quem times, & sub cujus comminationibus expallescis, G non potest occidere animam tuam: usque ad corpus sævit, tu noli sævire in animam tuam. Ab illo occidi non potest, à te potest; non lanceâ, sed linguâ. Inimicus qui te percutit, finit hanc vitam: Os autem quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1. 11. Ex his ergo quæ in hoc tempore homines timent, conjiciant quæ timere debeant. Timet enim carcerem, & non timet gehennam? Timet quæstio-

narios tortores, & non timet infernales angelos? Timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni? Postremò timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori?

Vita animæ & vita corporis unde.

6. Ille qui te occisurus est, quem times, quem exhorrescis, quem fugis, à cujus timore non sineris dormire, & ipsum in somnis si vides, cùm dormieris, expavescis, quid est facturus tibi? Exclusurus est de carne tua animam tuam: anima tua exclusa quò eat, vide. Neque enim potest ille aliter carnem tuam occidere, nisi inde excludat animam tuam, per quam vivit caro tua. Præsentiâ quippe animæ tuæ caro vivit, & quamdiu in carne tua præsens est anima tua, necesse est ut vivat caro tua. Ille autem qui tuam mortem quærit, ejicere vult de carne tua vitam tuam, qua vivit caro tua.

*Caput VI.

* Putas, non est aliqua vita, qua vivit ipsa anima tua? Est enim anima vita quædam, qua vivit caro tua. Putas nulla alia vita est, qua vivit ipsa anima tua; aut quomodo habet caro tua vitam, animam qua vivit caro tua, sit & ipsa anima tua, ut habeat aliquam vitam suam? & quomodo caro, cùm moritur, exspirat animam vitam suam, sic & anima, quando moritur, exspirat aliquam vitam suam? Si invenerimus quæ sit hæc vita, non corporis tui, quod est anima tua; sed vita vitæ corporis tui, hoc est, vita animæ tuæ: si invenerimus eam, ex hac morte, qua times ne de carne ejiciatur anima tua, puto quia plus debes timere illam mortem, ne vita animæ tuæ projiciatur de anima tua. Breviter ergo dicam. Et quid multis teneor? Vita corporis anima est, vita animæ Deus est. Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in corpore, ut & corpora nostra templum sint Spiritus-sancti, quem habemus à Deo. Venit enim Spiritus ad animam nostram: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis: & totum possidet qui principale tenet. In te quippe illud principatur, quod melius est. Tenens Deus quod melius est, id est, cor tuum, mentem tuam, animam tuam, profectò per meliorem possidet & inferiorem, quod est corpus tuum. Sæviat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam: anima tua non excludat à se vitam suam. Si rectè plangis, & putas te miserabiliter dicere potenti inimico tuo, Noli ferire, parce sanguini meo: non tibi dicit Deus, Miserere animæ tuæ placens Deo? Anima tua fortè dicit, Roga illum, ne feriat: nam dimitto te. Si enim percusserit, manere tecum non possum. Roga, ne feriat, si vis ut non te dimittam. Quæ tibi dicit, si vis ut non te dimittam? Tu ipse: tu enim qui loqueris, anima es. Si ergo percusserit carnem, tu fugis, tu exis, tu migras, jacet terra in terra. Ubi erit quod animavit terram? quod flatu Dei tibi datum est, ubi erit? Si non efflavit vitam suam, id est, Deum suum, in illo erit quem non perdidit, in illo erit quem non à se exclusit. Si autem obtemperas infirmitati animæ tuæ, dicenti tibi, Ferit, & dimitto te: non times Deum dicentem tibi, Peccas, & dimitto te?

Animæ vita Deus. — 1. Cor. 6. 19. — Rom. 5. 5. — Eccli. 30. 24.

Caput VII. Timor vanus & timor utilis.

7. De timore vano timorem utilem capiamus. Timor vanus est omnium hominum timentium amittere temporalia, quandoque migraturorum, & migrare trepidantium, volentium semper differre quod non possunt auferre. Vanus est iste

A timor hominum: & tamen est; & vehemens est, & resisti ei non potest. Hinc increpandi, hinc objurgandi, hinc plangendi, hinc lugendi homines, timentes mori, & nihil aliud agentes, nisi seriùs mori. Quare non agunt non mori? Quoniam quidquid agunt, non efficiunt ut non moriantur. Possunt autem aliquid agere, quò efficiant ut numquam moriantur? Nullo modo. Prorsus quidquid egeris, quantumcumque invigilaveris, quocumque fugeris, quælibet muni-
B menta quæsieris, quibuslibet divitiis te redemeris, quibuslibet calliditatibus hostem fefelleris, non fallis febrem. Nihil enim aliud agis, ut non citò ab hoste moriaris, nisi ut seriùs aliquando à febre moriaris. Habes quod agas, ut numquam moriaris. Si times mortem, ama vitam. Vita tua Deus est, vita tua Christus est, vita tua Spiritus-sanctus est. Non illi places malè agendo. Templum ruinosum non inhabitat, templum sordidum non ingreditur. Sed geme ad illum, ut mun-
C det sibi locum; geme ad illum, ut ædificet templum sibi: quod tu destruxisti, ipse construat; quod tu exterminasti, ipse reformet; quod tu dejecisti, ipse erigat. Clama ad Deum, clama interiùs, clama ubi audit: quia & ibi peccas, ubi videt; ibi clama, ubi audit.

Timore pœnæ malum non faciens, nondum laudandus.

8. Et cùm timorem correxeris, & utiliter timere cœperis, non temporales cruciatus, sed æterni ignis supplicia, & ideo adulter non fueris: hinc enim loquebamur, propter Apostolum,
D qui dixit, *Corpora vestra membra Christi sunt*: cùm ergo ideo adulter esse non cœperis, quia times ardere in igne sempiterno, nondum laudandus es: non quidem ita dolendus, ut antè, sed tamen nondum laudandus.

1. Cor. 6. 15.

*Caput VIII.

* Quid enim magnum est, timere pœnam? Magnum est, sed amare justitiam. Interrogo te, & invenio te. Tu inspice interrogationem meam sonantem, & fac de te ipso interrogationem silentem. Dico ergo tibi, Libidine cùm victus habes consentientem,
E quare non committis adulterium? Et respondebis, Quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, & cum illo ardeam. Quid? dicturus sum, Malè times? quomodo tibi dicebam de adversario, quia quærebat corpus tuum occidere. Ibi enim rectè dicebam, Malè times, securum te fecit Dominus tuus, dicens, Nolite timere eos, qui corpus occidunt. Modò cùm dicis mihi, Gehennam ti-
F meo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum? Malè times? vanè times? Non audeo, quando quidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem; & ait, ubi dixit, « Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant: sed eum timete, qui « habet potestatem & corpus & animam occidere « in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. « Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum com-
G minationem geminaverit, dicturus ego sum, Malè times? Ista non dicam. Planè time, nihil meliùs times; nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, Si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice te ipsum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times,

Lucæ 12. 4.

castitatem nondum amas, caritatem nondum habes: serviliter times; formido est mali, nondum [a] dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis; littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & [b] veniet caritas, intrat in cor tuum; & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres: caritas id agit, ut nolis facere, etiam si impunè possis admittere.

Gehennæ timor ad quid utilis.

CAPUT IX. Caritas timorem alium pellit, alium introducit.

9. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis. Sectamini caritatem, intret caritas, admittite illam, timendo peccare, admittite amorem non peccantem, admittite amorem bene viventem. Illâ, ut dicere cœperam, intrante, incipit timor exire. Quantò plus illa intraverit, tantò timor minor erit. Cùm illa tota intraverit, nullus timor erit: quia perfecta caritas foras mittit timorem. Intrat ergo caritas, pellit timorem. Non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa; sed illum castum, permanentem in sæculum sæculi. Servilis timor est, quo times cum diabolo ardere: timor castus est, quo times Deo displicere. Considerate Carissimi, & ipsos humanos interrogate affectus. Timet servus offendere dominum suum, ne jubeat eum verberari, jubeat in compedes mitti, jubeat carcere includi, jubeat eum pistrino conteri. Hæc timens servus non peccat: sed quando senserit absentes oculos domini sui, nec habuerit testem à quo possit convinci, facit. Quare facit? Quia pœnam timebat, non justitiam diligebat. Vir autem bonus, vir justus, homo liber (nam solus justus est liber; Omnis enim qui facit peccatum, servus peccati est:) delectatur ipsâ justitiâ: & si possit sine teste peccare, testem reformidat & Deum: & si possit audire Deum dicentem sibi, Video te cùm peccas, non te damnabo, sed displices mihi: ille nolens displicere oculis patris, non formidolosi judicis, timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur, sed ne offendat gaudium paternum, ne displiceat oculis amantis. Si enim amat ipse, & amantem sui dominum sentit, non facit quod displicet amanti se.

1. Johan. 4. 18.

Psal. 18. 10.

Timor servilis. Timor castus.

Johan 8. 34.

CAPUT X. Vis impuri amoris.

10. Lubricos & inhonestos [c] amatores attendite; si quis amore feminæ lascivus & nequam vestit se aliter quàm illi placet, vestit se aliter quàm amatæ suæ placet, aut ornat se aliter quàm illi placet. Illa dixerit, Nolo habeas talem byrrhum; non habet: si per hyemem illi dicat, In [d] lacerna te amo; eligit tremere, quàm displicere. Numquid illa cui displicet, damnatura est? numquid in carcerem missura? numquid tortores adhibitura? Hoc solum ibi timetur, Non te videbo: hoc solum ibi contremiscitur, Faciem meam non videbis. Si hoc impudica dicit, & terret: Deus dicit, & non terret? Sanè plurimùm; sed si amamus. Si autem non amamus, non inde terremur; sed terremur ut servi, de igne, de gehenna, de atrocissimis tartareis minis, de exaggeratissimis diaboli angelis, ejusque suppliciis? Vel inde terreamur. Si illud minùs amamus, vel illa timeamus.

CAPUT XI. Virgines sacras amor facit.

11. Non ergo fiant fornicationes. Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Licita sunt matrimonia, nihil ampliùs requiratis. Non enim grande onus impositum [e] est. Virginibus major amor imposuit majus onus. Virgines quod licebat noluerunt, ut plus placerent ei cui se devoverunt. Ambierunt illam majorem pulcritudinem cordis sui. Quid jubes? Tamquam dicerent, Quid jubes? Ne adulteræ simus, hoc præcipis? Amando te, plus facimus quàm jubes. De virginibus, ait Apostolus, præceptum Domini non habeo. Ergo quare hoc faciunt? Consilium autem do. Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeo acceptaverunt præceptum, ut non recusarent consilium: ut plus placerent, plus se ornaverunt. Corporis enim hujus, id est, exterioris hominis ornamenta quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris majora detrimenta: quantò autem minùs appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulcris homo interior adornatur. Unde dicit & Petrus, Ornantes se non in tortis crinibus. Cùm enim dixisset, Ornantes se; quid aliud à carnalibus, quàm visibilia ista ornamenta putarentur? Continuò tulit cogitationi quod cupiditas inquirebat. Non, inquit, in tortis crinibus, neque auro, vel margaritis, vel veste pretiosa; sed ille absconditus cordis homo, qui est ante Deum dives. Neque enim Deus divitias daret exteriori homini, & inopem relinqueret interiorem: dedit invisibili divitias invisibiles, & invisibilem ornavit invisibiliter.

1. Cor. 3. 16. & 17.

1. Cor. 7. 1. Florus ibid.

Ornamenta feminarum.

1. Petr. 3. 3. 1. Tim. 2. 9.

CAPUT XII. Virginum sacrarum amor.

12. His ornamentis studentes Dei puellæ, sanctæ virgines, nec quod licebat appetierunt, nec quod cogebantur consenserunt. Multæ enim etiam parentum suorum contrarios conatus [f] igne superni amoris superaverunt. Iratus est pater, ploravit mater: non curavit illa, cui ante oculos versabatur speciosus formâ præ filiis hominum. Ei quippe se ornari desideravit, ut tota ejus curam gereret. Quia quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo viro placeat: quæ autem innupta est, cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo. Videte quid sit amare. Non dixit, Cogitat ne damnetur à Deo. Adhuc enim iste timor ille servilis est, custos quidem malorum, ut abstineant se à malis, & abstinendo digni sint ad se admittere caritatem. Sed illæ non cogitant quemadmodum non puniantur à Deo, sed quomodo placeant Deo, pulcritudine interiore, decore occulti hominis, decore cordis, ubi illius oculis nudæ sunt: nudæ intus, non foris; integræ & intus & foris. Vel virgines doceant conjugatos & conjugatas, non ire in adulterium. Illæ faciunt plus quàm licet, illi non faciant quod non licet.

Psal. 44. 3.

1. Cor. 7. 34.

[a] Plerique MSS. *nondum delectatio boni.*

[b] Sic Am. Er. & nonnulli MSS. At Lov. *& veniat caritas: intret in cor tuum.*

[c] MSS. *amores.*

[d] Am. *In laterna.* Meliùs alii libri, *In lacerna.* Genus est vestis fimbriatæ & vilioris.

[e] Lov. *impositum est virginibus, major amor imposuit majus onus virginibus. Quod licebat* &c. Correximus ad codices MSS.

[f] MSS. *ignita superni amoris.* Unus è Colbertinis, *ignita ardore superni amoris.* Florus, *ignita superno amore.*

Classis I.

* Aliàs fragmentum 3.

*SERMONIS CLXII.

De verbis Apostoli, 1. Cor. 6. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat.

Fragmentum,

In Eugipii collectione repertum, & citatum à Floro ad 1. Cor. 6.

1. Cor. 6. 18. 1. QUÆSTIO de epistola Corinthiorum beati Pauli apostoli, ubi dicit, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat*: nescio si possit ad liquidum dissolvi, quamvis possit, donante Domino, aliquid inde probabiliter dici: ita enim profunda est.
Nam cùm superiùs in eadem epistola Apostolus
℣. 9. diceret, *Nolite errare: neque fornicatores, neque*
℣. 10. *idolis servientes, neque adulteri, * neque molles,*
neque masculorum concubitores, neque fures, neque
avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapa-
℣. 15. *ces regnum Dei possidebunt.* Et paulò pòst, *Ne-*
scitis, ait, *quoniam corpora vestra membra sunt*
Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam mem-
℣. 16. *bra meretricis? Absit. * An nescitis, quia qui ad-*
hæret meretrici, unum corpus est? Erunt enim, in-
℣. 17. *quit, duo in carne una. * Qui autem adhæret Do-*
℣. 18. *mino, unus spiritus est. * Fugite fornicationem.* At-
que ibi subjunxit, *Omne peccatum quodcumque fe-*
cerit homo, extra corpus est; qui autem fornica-
℣. 19. *tur, in corpus proprium peccat. * An nescitis quia*
corpus vestrum, templum in vobis Spiritus-sancti
℣. 20. *est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? * Em-*
ti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Cùm ergo multa & horrenda in hoc capitulo priùs enumerasset hominum peccata, quibus non dabitur regnum Dei; quæ tamen nonnisi per corpus perpetrari ab hominibus possunt; quod corpus utique jam fidelium, templum esse dicit Spiritus-sancti, quem habemus à Deo; ipsaque membra corporis nostri, membra esse asseverat Christi: de quibus arguendo & quodam modo interrogando, ait, *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* responderitque sibi, *Absit.* subjungat adhuc & dicat, *Nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus est. Erunt enim, inquit, duo in carne una: qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* & concludat, *Fugite fornicationem.* Sequitur tamen ipse, & dicit, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat*: quasi verò illa quæ dinumeravit peccata, dicens, *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt*: ista omnia facinora & flagitia, numquid * nonnisi per corpus fieri aut exerceri possunt? Quis hoc sani capitis homo negaverit? Totum quippe istum locum Apostolus, propter ipsum corpus jam emtum pretio magno, id est, Christi sanguine pretioso, templum Spiritus-sancti factum à Domino, ne talibus flagitiis pollueretur, sed potiùs inviolatum tamquam Dei habitaculum servaretur, agebat & de-

* f. delendum non.

Florus ad 1. Cor. 6.

Serm. de Scripturis.

A fendebat. Quare ergo subjungere voluit hoc, unde difficilis quæstio nasceretur; id est, ut diceret, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?* Cùm sive ipsa fornicatio, sive alia hujusmodi, quæ nonnisi per corpus fiunt peccata turpitudini & fornicationi simillima, nonnisi per ipsum corpus gerantur atque exerceantur? Quid enim? poteritne esse quispiam (ut cetera superiùs memorata taceam,) fur, vel ebriosus, B vel maledicus, vel rapax, extra operationem corporis hujus? Quamvis nec ipsa idololatria, neque ipsa avaritia, præter servitium corporis hujus poterit ad usum fructumque suum pervenire. Quid est ergo, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat?* Primùm, quia in corpore isto homo constitutus, quidquid solo tantùm animo poterit iniquè concupiscere, dici non potest extra corpus hoc hominem facere, cùm constet C eum carnali sensu & carnali prudentiâ hoc agere, isto adhuc circumseptum corpore. Nam & quod in Psalmo scriptum est, Dixit impius in corde suo, Non est Deus: idem beatus Paulus apostolus non potuit utique separare à corporali opere, illo loco ubi ait, Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Quia videlicet nonnisi in corpore constitutus impius potuit dicere, Non est Deus. D Ut taceam quod in alia epistola ipse Doctor gentium dicit, Manifesta autem sunt opera carnis: & exsequitur, Quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Numquid enim non videtur nobis extra corpus fieri cetera illa quæ ibi interposuit, æmulationes, ani- E mositates, dissensiones, invidias, hæreses? & tamen operibus carnis ista tribuit Doctor gentium in fide & veritate. Quid est ergo, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est;* & unum tantummodo fornicationis peccatum nominans, ait, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat?*

Psal. 13. 1.

2. Cor. 5. 10.

Gal. 5. 19. &c.

2. Apparet igitur cuivis tardo & obtunso, quàm sit ista quæstio difficilis: quam Dominus piæ intentioni nostræ, si aliquantulùm dignatus fuerit F dilucescere atque revelare, poterimus aliquid rationabiliter dicere. Videtur enim beatus Apostolus, in quo loquebatur Christus, aut exaggerare voluisse fornicationis malum super cetera omnia peccata, quæ etsi per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum & obnoxium, quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis, commisceri facit animum vis ingens libidinis cum ipso corpore, & unum cum ipso quodam G modo adglutinari & devinctum esse; in tantum ut nihil aliud ipso momento & experimento hujus tam magni flagitii cogitare homini liceat, aut intendere, nisi quod sibimet addicit mentem, quam captivam subdit ipsa submersio, & quodam modo absorbitio libidinis & concupiscentiæ carnalis; ut hoc esse videatur quod dictum est, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat:*

Solutio difficultatis. Cur sola fornicatio dicitur peccatum in corpus proprium.

Classis I.

quia tunc fit propriè & familiariter servum corporis cor hominis fornicantis, in tempore maximè ipsius nequissimæ operationis: in tantum ut ipse Apostolus inculcatiùs volens commendare cavendum hominibus hoc malum, dixerit, *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Et exsecrans atque detestans responderit, *Absit. An nescitis*, inquit, *quoniam qui adhæret meretrici unum corpus est? Erunt enim*, *inquit*, *duo in carne una.* Numquid hoc posset dici de aliis atque aliis quibuscumque facinoribus hominum? Liberum est enim animo humano in aliis quibusque sceleribus, & unum aliquid eorum operari, & eo ipso tempore alibi cogitatione distendi: quod in fornicationis ipso opere atque tempore non licet animo, ad aliud aliquid cogitandum liberum esse. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso & in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus suus esse; sed simul totus homo dici possit quòd caro sit, & spiritus vadens & non revertens. (*Psal* 77. 39.) Sic ergo possumus intelligere, quia *omne peccatum quodcumque fecerit homo*, *extra corpus est*; *qui autem fornicatur*, *in corpus proprium peccat*: ut videatur, ut dixi, Apostolus in tantum exaggerare voluisse fornicationis malum, ut in comparatione hujus fornicationis, cetera extra corpus habenda esse duxerit quæcumque peccata; solo hoc tantummodo fornicationis malo in corpus proprium peccari dixerit, quia majore libidinis ardore, quo superior nullus est, voluptas ipsius corporis tenet servum, efficitque captivum.

Generalis fornicatio, qua non adhæretur Deo.

3. Hæc dicta sint de speciali fornicatione hujus corporis. Verùm quia non solùm fornicatio in sacris litteris specialiter, sed etiam generaliter arguitur & nominatur; conemur, Deo adjuvante, & hinc aliquid probabiliter dicere. Generalis igitur fornicatio apertè manifestatur in Psalmo, ubi dicitur, Quoniam ecce qui longè se faciunt à te, peribunt; perdidisti omnem qui fornicatur abs te. (*Psal.* 72. 27.) Ubi subsequenter, qualiter ista generalis fornicatio evadi & effugi possit, adjunxit dicens, Mihi autem adhærere Deo, bonum est. (*Ibidem* 28.) Ut exinde facilè advertamus, illam esse generalem fornicationem animæ humanæ, qua non adhærens quisque Deo, adhæret mundo. Unde beatus apostolus Johannes dicit, Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in eo. (1. *Johan.* 2. 15.) Et apostolus Jacobus dicit, Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? (*Jacobi* 4. 4.) Breviter ergo definitum est, non posse habere dilectionem Dei, qui habuerit dilectionem mundi; & inimicum esse Dei, qui amicus esse voluerit mundi. Ad hoc etiam pertinet quod Dominus in Evangelio dicit, (*Matth.* 6. 24. &c.) » Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum patietur, & alterum contemnet. » Et concludit, Non potestis Deo servire & mammonæ. Ista est ergo generalis, ut dictum est, animæ fornicatio, omnia omnino in se continens, qua non adhæretur Deo, dum adhæretur mundo: ut sic etiam intelligere valeamus, secundùm istam generalem fornicationem, quod ait Apostolus, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*; *qui autem fornicatur*, *in corpus proprium peccat.* Quia si non fornicetur anima humana, adhærendo Deo, nec adhærendo mundo, quæcumque alia peccata, à concupiscentia carnali prorsus aliena potuerit pro ipsa fragilitate mortalitatis, vel ignorando, vel negligendo, vel obliviscendo, vel non intelligendo homo incurrere, hoc sit quod dictum est, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo*, *extra corpus est*: quia nullum hîc corporalis vel temporalis concupiscentiæ peccatum poterit reperiri; unde meritò extra corpus esse quodlibet tale peccatum, dici videtur. Quòd si adhærens mundo mundanus homo, longè se facit à Deo, fornicando ab ipso Deo, in corpus proprium peccat: quia corporali concupiscentiâ in quæque temporalia & carnalia, carnali sensu & prudentiâ humanus animus trahitur atque distrahitur, creaturæ serviens potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula.

Serm. de Scripturis.

Apostoli interpretatio duplex.

4. Sic ergo, quantum mihi videtur, salva fide, intelligi potest utriusque fornicationis malum, tam specialis, quàm universalis, in hoc uno capitulo tanti & tam magni doctoris, ubi ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo*, *extra corpus est*; *qui autem fornicatur*, *in corpus proprium peccat*: ut aut exaggeratio facta sit ab Apostolo hujus specialis fornicationis, qua in corpus proprium peccari rectè intelligitur; quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur, & ineffabiliter vel inevitabiliter affigitur; ut in comparatione hujus tanti mali, cetera peccata extra corpus esse videantur, etiamsi per corpus exerceantur. Quemadmodum solius fornicationis vis quædam imperiosæ libidinis, conditioni suæ subdit, propriumque ipsius corporis mancipium pessimum facit, tempore maximè ipsius immundissimæ operationis, ut aliud quid præter quod agit in ipso corpore, non sit liberum humanæ menti vel cogitare, vel intendere. Si autem etiam generalem significare voluit Apostolus fornicationem, propter quam dixisse videatur, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo*, *extra corpus est*; *qui autem fornicatur*, *in corpus proprium peccat*: sic accipiendum est & intelligendum, ut quisque dum non adhæret Deo, quia adhæret mundo, omnia temporalia diligens & concupiscens, meritò in corpus proprium peccare dicatur, id est, universæ concupiscentiæ carnali deditus & subditus factus, tamquam totus creaturæ servus ab ipso Creatore alienus, per illam initium omnis peccati superbiam, cujus superbiæ initium est, ut scriptum est, apostatare à Deo. (*Eccli.* 10. 15.) A quo generali fornicationis malo quisque alienus, quodcumque aliud peccatum potuerit ut homo corruptibilis adhuc & mortalis incurrere, hoc intelligatur extra corpus esse; id est, extra corporeæ & temporalis omnis concupiscentiæ malum, alienum esse, extra corpus, ut sæpe dictum est, esse. Tantummodo enim carnalis & generalis concupiscentiæ malo per omnia fornicatur anima à Deo, tamquam corporalibus & temporalibus desideriis & delectationibus illigata & devincta, in corpus proprium peccat, cujus universaliter concupiscentiæ serviens, incurvatur mundo, & alienatur à Deo: quod est, ut dictum est, Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo. Propter quod generalis fornicationis cavendum malum, beatus Johannes admonet, dicens, (1. *Johan.* 2. 15. &c.) Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo; quoniam quæ in mun- « do sunt, concupiscentia carnis est, & concupi- « scentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est «

ex

Classis I. „ex Patre, ſed ex mundo. Et mundus tranſit, & A „concupiſcentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, ſicut ille manet in æternum. Iſta ergo dilectio mundi, quæ univerſalem in ſe concupiſcentiam continet mundi, generalis eſt fornicatio, qua peccatur in corpus proprium; eo quòd omnibus corporalibus & viſibilibus & temporalibus deſideriis & voluptatibus humanus indeſinenter ſervit animus, ab ipſo Creatore univerſorum deſolatus atque derelictus.

*Aliàs 3. de verbis Apoſtoli.

* SERMO CLXIII.

De verbis Apoſtoli, *Galat.* 5. Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis.

a *Habitus* a *in baſilica Honoriana VIII. Kal. Octobris.*

Caput I. Templi antea profani, dedicatio.

1. SI conſideremus, Fratres, ante gratiam Domini quid fuerimus, & per gratiam Domini quid eſſe cœperimus; profectò invenimus, quia ſicut homines in melius commutantur, ita etiam terrarum loca quæ priùs con- C tra Dei gratiam fuerunt, nunc Dei gratiæ dedicantur. Nos enim, ſicut dicit Apoſtolus, tem- „plum Dei vivi ſumus, propter quod dicit Deus, „Inhabitabo in illis, & deambulabo. Quæ autem hîc ſimulacra fuerunt, figi noverant, ambulare non noverant. Deambulat autem in nobis præſentia majeſtatis, ſi latitudinem invenerit caritatis. Ad hoc nos exhortans Apoſtolus ait, Dilatamini, ne ſitis jugum ducentes cum infidelibus. Si dilatemur, deambulat in nobis Deus: ſed ut di- D latemur, operetur ipſe Deus. Si enim latitudinem caritas facit, quæ non novit anguſtias; vide quia Deus ſibi in nobis latitudinem facit, ipſo dicente Apoſtolo, Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis. Propter hanc latitudinem, inquam, in nobis deambulat Deus.

2. Cor. 6. 16.

Ibidem 13. & 14.

Rom. 5. 5.

Caput II.

2. Modò Apoſtoli epiſtola cùm recitaretur,
Gal. 5. 16. audivimus, *Spiritu ambulate*, *& concupiſcentias*
℣. 17. *carnis ne perfeceritis.* * *Caro enim concupiſcit ad- E verſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem. Hæc enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis.* Baptizatis dicebat: ſed templum Dei adhuc ædificabat, nondum dedicabat. Videte, Fratres mei, quemadmodum cùm loca ipſa terrena in melius convertuntur, alia diruuntur atque franguntur, alia in meliores uſus commutantur; ſic & nos ſumus. Opera carnis fuerunt in
℣. 19. nobis. Audiſtis cùm commemorarentur: *Manifeſta autem ſunt*, inquit, *opera carnis*, *quæ ſunt* F
℣. 20 *fornicationes*, *immunditiæ*, * *idolorum ſervitus*, *veneficia*, non beneficia, id eſt, non à bonis dicta, ſed à venenis; *contentiones*, *inimicitiæ*, *hære-*
℣. 21. *ſes*, * *invidiæ*, *ebrietates*, *& his ſimilia*; dejicienda ſunt, non mutanda: *quæ prædico*, inquit, *vobis*, *ſicut prædixi*, *quoniam qui talia agunt*, *regnum Dei non poſſidebunt.* Iſta in nobis, tamquam idola frangenda ſunt. In uſus autem meliores vertenda ſunt ipſa corporis noſtri membra, ut quæ ſerviebant immunditiæ cupiditatis, ſerviant G gratiæ caritatis.

In nobis, uti in profano templo, alia dejicienda, alia conſecranda.

Florus ad Gal. 5.

Caput III. Ædificatio per fidem, dedicatio per reſurrectionem.

3. Sed videte quid dixerit, & diligenter advertite. Operarii Dei ſumus, adhuc ædificatur templum Dei. In capite ſuo jam dedicatum eſt; quoniam Dominus reſurrexit à mortuis, devicta morte, mortalitate conſumta adſcendit in cælum: quia ſcriptus de illo erat Pſalmus dedicationis domûs. Ideo poſt paſſionem dicit, Convertiſti luctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & accinxiſti me jocunditate, ut pſallat tibi gloria mea, & non compungar. Facta eſt ergo illa poſt paſſionem dedicatio in reſurrectione. Ergo & noſtra modò fit ædificatio per fidem, ut fiat & ipſa dedicatio per ultimam reſurrectionem. Denique poſt iſtum Pſalmum dedicationis domûs, ubi oſtenditur reſuſcitatio capitis noſtri, B alius eſt Pſalmus poſt iſtum, non ante iſtum, cujus ſic habet titulus: Quando domus ædificabatur poſt captivitatem. Recolite captivitatem, ubi antea fuerimus, quando totum mundum velut maſſam infidelium diabolus poſſidebat. Propter hanc captivitatem Redemtor advenit; pretium noſtrum ſanguinem ſuum fudit: fuſo ſuo ſanguine, captivitatis noſtræ inſtrumenta delevit. Lex, inquit Apoſtolus, ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato. Antea ſub peccato venumdati, ſed poſtea gratiâ liberati. Poſt illam captivitatem, domus modò ædificatur; & ut ædificetur, evangelizatur. Sic enim incipit Pſalmus ipſe, Cantate Domino canticum novum. Et ne putes domum iſtam in uno angulo ædificari, ſicut ædificant ſchiſmatici vel hæretici, adtende quod ſequitur: Cantate Domino omnis terra.

Serm. de Scripturis.

Pſal. 29. 12. & 13.

Pſal. 95. 1.

Rom. 7. 14.

Pſal. 95. 1.

Caput IV. Novum canticum.

4. Cantate Domino canticum novum: contra canticum vetus, Teſtamentum novum, quia priùs Teſtamentum vetus: novus homo, ut deponatur vetus homo. Exuite vos, inquit, veterem hominem cum actibus ſuis; & induite novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Ergo, Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate, & ædificate; cantate, & bene canite. Annuntiate diem ex die ſalutare ejus: annuntiate diem ex die Chriſtum ejus. Quid eſt enim ſalutare ejus, niſi Chriſtum ejus? Pro iſto ſalutari orabamus in Pſalmo, Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Deſiderabant hoc ſalutare antiqui juſti, de quibus Dominus dicebat diſcipulis, Multi voluerunt videre quæ vos videtis, & non potuerunt. Et ſalutare tuum da nobis. Dixerunt hoc antiqui juſti, Salutare tuum da nobis: Chriſtum tuum cùm in hac carne vivimus, videamus. Videamus in carne, qui nos liberet à carne: veniat caro mundans carnem; patiatur caro, & redimat animam & carnem. Et ſalutare tuum, Domine, da nobis. In hoc deſiderio erat ille ſanctus ſenex Simeon: in hoc, inquam, deſiderio erat ſenex ille ſanctus & de Deo bene meritus Simeon; ſine dubio & ipſe dicebat, Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. In hoc deſiderio, in talibus precibus reſponſum accepit, quia non guſtaret mortem, niſi vidiſſet Chriſtum Domini. Natus eſt Chriſtus, veniebat ille, ille ibat: ſed donec veniret ille, ille ire nolebat. Jam ſenectus matura excludebat, ſed ſincera pietas detinebat. At ubi venit, at ubi natus eſt, at ubi eum portari matris manibus vidit, & divinam infantiam pia ſenectus agnovit; accepit eum in manus ſuas, & dixit, Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Ecce unde dicebat, Oſtende nobis Domine mi-

Col. 3. 9. Epheſ. 4. 24.

Salutare Dei Chriſtus ab antiquis deſideratus. Pſal. 84. 8.

Luca 10. 24.

Simeon.

Luca 2. 26.

Ibidem 29.

* Sic in Romano codice MS. PP. Ciſtercienſium S. Crucis in Jeruſalem. Citat hunc Sermonem Florus ad 1. Cor. 15. & Gal. 5.

sericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Impletum est desiderium senis, mundi ipsius senectute vergente. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum veterem invenit. Ergo si mundum veterem invenit, audiat mundus: Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Destruatur vetustas, novitas surgat.

Caput V.

Psal. 95. 2. 5. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino. Videte certamen ædificantium. Cantate Domino, benedicite nomen ejus. Bene nuntiate, quod est Græcè evangelizate. Quid? Diem ex die. Quem diem ex die? Salutare ejus. Quem diem ex die? Lumen ex lumine, Filium de Patre, salutare ejus. *Ibidem 3.* Annuntiate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Ecce quomodo domus ædificatur post captivitatem. *Ibidem 4. & 5.* Terribilis est super omnes deos. Super quos deos? Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Sanctos fecit, *Psal. 18. 2. &c.* Apostolos fecit. Quoniam cæli enarrant gloriam Dei. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit sonus eorum: quia omnis terra cantat canticum novum.

1. Cor. 3. 10. 6. Audiamus ergo & Apostolum, architectum magistri: Ut sapiens, inquit, architectus fundamentum posui. Audiamus ergo istum architectum, quædam nova construentem, quædam vetera dejicientem. *Florus ad Gal. 5. 16.* *Spiritu*, inquit, *ambulate*, nova est ista constructio: *& concupiscentias carnis ne perfeceritis*, veterum est ista destructio. *℣. 17.* *Caro enim*, inquit, *concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis.* Adhuc enim ædificamini, nondum dedicamini. *Ut non ea quæ vultis faciatis.* * Quæ enim vultis? Ut omnino nullæ sint concupiscentiæ malarum & illicitarum delectationum. Quis sanctus non hæc velit? Sed non efficit: quamdiu hîc vivitur, hoc non impletur. *Caro enim concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut ea quæ vultis facere*, ut nullæ sint in vobis prorsus rerum illicitarum concupiscentiæ, *non possitis.* Quid ergo restat? *Spiritu ambulate*; *&*, quia non potestis efficere ut concupiscentias carnis consumatis, *concupiscentias carnis ne perficiatis.* Consumere quidem illas atque finire, & penitus exstirpare omni modo velle debetis: sed quamdiu sunt in vobis, & est alia lex in membris vestris repugnans legi mentis vestræ, *concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Quid enim vultis? Ut omnino non sint concupiscentiæ carnis. Non vos permittunt implere quod vultis; nolite eas permittere implere quod volunt. Quid vultis? Ut omnino non sint. Sed sunt. *Caro concupiscit adversùs spiritum*: concupiscat spiritus adversùs carnem. *Ut non ea quæ vultis faciatis*, id est, ut non sint in vobis ipsæ concupiscentiæ carnis: nec ipsæ faciant quod volunt, ut opus earum perficiatis. Si non tibi in totum ceditur, noli & tu cedere. Priùs æquatur pugna, ut aliquando sit victoria.

Caput VI. Lucta carnis & spiritûs.

Caput VII. Victoria post resurrectionem. 1. Cor 15. 26. & 53.

7. Etenim procul dubio, Fratres mei, erit: credamus, speremus, amemus, erit aliquando victoria, in dedicatione domûs, quæ modò ædificatur post captivitatem. Novissima enim inimica destruetur mors, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit im-
A mortalitatem. Præmeditamini verba triumphantium: Ubi est mors contentio tua? Triumphantium ista vox est, non pugnantium. Pugnantium autem vox est, *Psal. 6. 3. &c.* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde; & tu Domine usque quò? Vide laborantem in certamine. *Cur differtur victoria.* Et tu Domine usque quò? Quid est, Usque quò? Quò usque probes quia ego subvenio. Si enim citò subvenirem, lucta-
B men non sentires: si luctamen non sentires, tamquam de tuis viribus superbires; & per istam superbiam numquam ad victoriam pervenires. *Isai. 58. 9.* Dictum est quidem, Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum. Sed Deus & cùm differt adest, & quòd differt adest, & differendo adest: ne præproperam cùm implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem.

Serm. de Scripturis.

Caput VIII. 2. Cor. 12. 7. Medicamentum elationis in Paulo.

8. Non enim, Fratres mei, apostolo Paulo non aderat, qui cùm certaret, ne extolleretur,
C timebat. In magnitudine, inquit, revelationum mearum ne extollar. Videte in conflictatione certantem, nondum in securitate triumphantem. In magnitudine revelationum mearum ne extollar. Quis dicit, Ne extollar? O terror, ô tremor! Quis dicit, Ne extollar? Cùm tanta ejus verba sint retundentia elationem, compescentia tumorem, & dicit, Ne extollar? Parum est quia dicit, Ne extollar: videte medicamentum, quod sibi dicit appositum. Ne extollar, inquit, datus est
D mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ. O venenum, quod non curatur nisi veneno! Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, ne caput extolleretur. *Theriaca.* O antidotum, quod quasi de serpente conficitur, & propterea theriacum nuncupatur! *Gen. 3. 5.* Serpens enim ille superbiam persuasit. Gustate, & eritis sicut dii: superbiæ persuasio ista est. Unde cecidit, inde dejecit. Meritò ergo venenum serpentis de serpente sanatur. Quid ait
E Apostolus? Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me. Ubi est, Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum? Propter quod, non semel, sed iterum & tertiò Dominum rogavi. *Psal. 6. 4.* Nonne tunc & ipse dicebat, Et tu Domine usque quò? Sed numquid quia differebat, ideo non aderat, & falsum erat, Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum? Quid enim? medicus quando dat quod desideras, adest; quando secat, non adest? Nonne sub medici ferramento clamas ut parcat;
F & quia magis adest, magis secat? Denique ut scias quia aderat, videte quid ter roganti responderit. *2. Cor. 12. 9.* Dixit, inquit, mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Ego, inquit, novi: medicus optimus, Ego, inquit, novi in quem tumorem pergat quod volo sanare. Quiesce, adhibeam quod scio. Sufficit tibi gratia mea: non tibi sufficit voluntas tua. Hæc erant utique verba certantis, & in certamine periclitantis, & divinum auxilium postulantis.

Caput IX.

G 9. Triumphantis autem verba quæ erunt? Verba certantis, dum domus ædificatur: verba triumphantis, cùm domus in ultimo dedicatur. *1. Cor. 15. 55.* Ubi est mors contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum. Sic ista dicebat Apostolus, quasi ipse jam ibi esset. Denique post hæc verba, quæ constat esse de futura perceptione, non de præsenti confli-

Classis I. Florus ad 1. Cor. 15.

ctatione; quando quidem dicit, Tunc fiet: non A modò fit, sed tunc fiet. Quid tunc fiet? Sermo » qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. » Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Tunc fiet ut nusquam sit aculeus mortis, nusquam possit inveniri peccatum. Quid festinas? Tunc fiet, tunc fiet. Mereatur in te humilitas, ut tunc in te fiat; ne superbia non permittat ut vel tunc in te fiat. Tunc fiet. Modò interim dum pugnas, dum laboras, dum periclitaris, dic, dic, Dimitte nobis debita nostra. Dic omnino dum pu- B gnas, dic, verum dic, ex animo dic: Si dixerimus » quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Tu tibi diabolus eris. Nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Non enim verum dicimus, dicendo nos non habere peccatum; cùm hîc non simus sine peccato. Dicamus ergo veritatem, ut aliquando inveniamus securitatem. Sit veritas in pugna, ut adquiratur securitas in victoria. Tunc » fiet, Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis est peccatum. C

Humilitate victoria obtinenda. Matth. 6. 12. 1. Johan. 1. 8.

Caput X. Lex sine gratia. 1. Cor. 3. 6.

10. Sed de lege præsumis, quia data est tibi lex, & datum est tibi præceptum. Bonum est tibi, ut Spiritus te vivificet, ne littera occidat. Volo ut velis; sed non sufficit ut velis. Adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis. Nam vis videre quid valeat sine Spiritu adjuvante littera jubens? Ibi dixit. Cùm dictum est, Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est pecca» tum: continuò subjunxit, Virtus autem peccati lex. Quid est, Virtus peccati lex? Non mala ju- D bendo, vel bona prohibendo: immo verò mala » prohibendo, & bona jubendo. Virtus autem peccati lex: quia, Subintravit, inquit, lex ut abundaret delictum. Quid est, ut abundaret delictum? Quia ubi gratia non erat, auxit prohibitio desiderium: & cùm quasi de [a] propria præsumitur virtute, factum est grande vitium. Sed quid fecit gratia? Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia. Venit Dominus; totum quod de Adam traxisti, totum quod tuis pravis moribus E addidisti, totum dimisit, totum delevit; orationem docuit, gratiam promisit; certamen indixit, laboranti subvenit, victorem coronavit. Itaque, inquit Apostolus, Lex quidem sancta, & man» datum sanctum, & justum, & bonum. Quod er» go bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed » peccatum ut appareat peccatum. Nam quando non prohibebaris, erat: sed non apparebat. Nam » concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi Lex di» ceret, Non concupisces. Occasione igitur ac- F » cepta, peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Ecce quid est, Littera occidit.

1. Cor. 15. 55. Rom. 5. 20. Gratiæ beneficia. Rom. 7. 12. &c. 2. Cor. 3. 6.

Caput XI. Necessitas divini adjutorii.

11. Si vis ergo evadere legem minantem ad Spiritum fuge adjuvantem. Quod enim lex imperat, fides sperat. Clama ad Deum tuum, adjuvet te. Non remaneas sub littera reus, sed Spiritu suo te adjuvet Deus: ne tibi similis sit superbus Judæus. Cùm enim aculeus mortis esset peccatum, virtus autem peccati lex, quid ageret humana infirmitas, in qua fatigabatur voluntas? G Velle, inquit, adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Quid ergo ageret? Ecce aculeus mortis peccatum, ecce virtus peccati lex. Sed lex subintravit, ut abundaret delictum. Si enim lex posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato. Quomodo conclusit? Ne vagareris, ne præcipitareris, ne mergereris; cancellos tibi fecit lex, ut non inveniendo quà exires, ad gratiam convolares. Sed conclusit Scriptura omnia sub « peccato, ut promissio. Qui promittit, quod facit promittit, non quod tu facis. Si tu facturus esses, prænuntiator esset Deus, non promissor. Sed conclusit, inquit, Scriptura omnia sub pec« cato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur cre« dentibus. Audi, daretur. Quid superbis? Audi, daretur. Quid enim habes, quod non accepisti? Ergo quia aculeus mortis est peccatum, virtus autem peccati lex; & hoc de bona providentia Dei, ut concluderentur homines sub peccato, & quærerent adjutorem, quærerent gratiam, quærerent Deum, non de sua virtute præsumerent; ideo & hîc cùm dixisset, Aculeus autem mortis peccatum, virtus autem peccati lex: Quid times? quid laboras? quid sudas? Audi quod sequitur: Gra« tias autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Certè tu tibi das victoriam? Gratias Deo, qui dedit nobis vi« ctoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. «

2. Cor. 15. 56. Rom. 7. 18. Rom. 5. 20. Gal. 3. 21. & 22.

*Serm. de Scripturis. 1. Cor. 4. 7. 1 Cor. 15. 56. Ibidem 57.

Caput XII. Invocandum Dei adjutoriū.

12. Ergo cùm cœperis laborare pugnans contra concupiscentias carnis, spiritu ambula, spiritum invoca, donum Dei quære. Et si lex in membris repugnat legi mentis tuæ ex parte inferiori, id est, à carne, captivum te tenet sub lege peccati: & hoc emendabitur, & hoc transiet in jura victoriæ. Tu tantùm clama, tu tantùm invoca. Oportet semper orare, & non deficere. Invoca omnino, invoca adjutorium. Adhuc te loquente, dicit, Ecce adsum. Pòst intellige, & audis dicentem animæ tuæ, Salus tua ego sum. Cùm ergo lex carnis repugnare cœperit legi mentis, & captivum te ducere in lege peccati, quæ est in membris tuis: orando dic, confitendo dic, Miser ego homo. Quid enim aliud est homo? Quid est homo, nisi quòd memor es ejus? Dic, Miser ego homo: quia nisi venisset Filius hominis, periisset homo. Exclama in angustiis, Quis me « liberabit de corpore mortis hujus? ubi lex in mem« bris meis repugnat legi mentis meæ. Condele« ctor enim legi Dei secundùm interiorem homi« nem. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? « Si hoc fideliter, si humiliter dicis; verissimè respondetur, Gratia Dei per Jesum Christum Domi« num nostrum. Conversi ad Dominum, &c.

Lucæ 18. 1. Psal. 34. 3. Rom. 7. 24. Psal. 8. 5.

* SERMO CLXIV.

*Aliàs 22. de verbis Apostoli.

De [b] verbis Apostoli, Gal. 6. Invicem onera vestra portate. *Et de istis*, Unusquisque onus suum portabit. *Contra Donatistas, paulò post habitam Carthagine Collationem pronuntiatus.*

Caput I. Lex Christi à portantibus invicem onera sua impletur.

1. Omnes nos per Apostolum admonet veritas, ut invicem onera nostra portemus: & in eo ipso quo nos admonet, ut invicem onera nostra portemus, quo fructu id faciamus ostendit, adjungens & dicens, *Et sic adimplebitis legem Christi*: quæ non implebitur, nisi invicem onera nostra portemus. Quæ sint onera ista, & quemadmodum portanda sint, quoniam quidem omnes pro nostris viribus conari debemus implere legem Christi, adjuvante Do-

Gal. 6. 2.

[a] Aliquot MSS. *de proprio præsumitur virtus, factum est* &c. Sic etiam Florus in MSS. qui tamen in editis habet, *virtus facta est grande vitium.*

[b] Ex eodem Sermone quædam transtulit Florus ad Gal. 6.

Classis I. | Serm. de Scripturis.

mino conabor ostendere. Quod me demonstraturum esse proposui, mementote ut exigatis: & cùm reddidero, non petatis. Hoc me demonstraturum esse proposui, adjuvante Domino intentionem meam & pro me orationes vestras, quæ sint onera quæ invicem nos jubet ut portemus Apostolus, & quemadmodum portanda sint. Hoc si fecerimus, illud ubi fructum posuit, sua sponte consequetur, ut impleamus legem Christi.

Onera distinguenda.

2. Dicit aliquis, Obscurè enim Apostolus locutus est, ut tu coneris exponere, quæ sint ista onera, vel quemadmodum invicem sustinenda? Est illic quæstio, quæ nos cogit onera distinguere. Et in ipso quippe capitulo lectionis
ṽ. 5. habes ibi positum, *Unusquisque autem proprium onus portabit.* Jam ergo occurrit sensibus vestris, Si unusquisque onus proprium portabit, quomo-
ṽ. 2. do dicit, *Invicem onera vestra portate?* Nisi quia onera distinguenda sunt, ne sibi contraria loqui putetur Apostolus. Non enim longè, non enim in alia epistola, non enim in hac ipsa longè superiùs aut inferiùs; sed in eo ipso loco, ita ut sibi sint eadem verba contigua, utrumque posuit, & quia unusquisque proprium onus portabit, & quod admonuit & hortatus est, ut invicem onera nostra portemus.

Caput II. Onerum duo genera.

3. Alia ergo sunt onera, in quibus unusquisque proprium portat, nec portat cum alio alter, nec projicit in alterum: & alia sunt onera, in quibus rectè dicis fratri, Porto tecum, aut Porto pro te. Si ergo distinctione opus est, non est facilis intellectus. Contra eos ergo qui putabant posse hominem contaminari peccatis alienis, respondit Apostolus, *Unusquisque onus proprium portabit.* Item contra eos quibus per hoc possit negligentia subintrare, ut quasi securi facti quòd non contaminarentur peccatis alienis, neminem curarent corrigere, *Invicem onera vestra portate.* Breviter dictum, breviterque distinctum est: & quantum existimo, manifestationem veritatis non impedivit. Nam & breviter audistis, & citò intellexistis. Corda vestra non vidi: sed testes cordis voces audivi. Jam ergo tamquam de intellectis securi, aliquantò latiùs disseramus; non ut intelligendum insinuetur, sed ut quod intellectum est, commendetur.

Sua cuique onera, peccata.

4. Onera quæ unusquisque sua portat, peccata sunt. Has detestabilium onerum sarcinas portantibus hominibus, & sub eis frustra sudantibus, Dominus dicit, Venite ad me omnes
Matth. 11. 28. » qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quomodo reficit peccatis oneratos, nisi indulgentiâ peccatorum? Concionator mundi, de quadam specula excelsæ auctoritatis exclamat, Audi genus humanum, audite filii Adam, audi genus laboriosum & infructuosum: video laborem vestrum, videte donum meum. Scio, laboratis & onerati estis; & quod est miserius, perniciosas sarcinas vestris humeris alligatis: ad hæc, quod pejus est, onera addi vobis petitis, non deponi.

Concionator mundi, Christus.

Caput III. Onus avaritiæ.

5. Quis nostrûm brevi tempore potest multiplicitatem & varietatem harum differere sarcinarum? Tamen inde pauca commemoremus, & de his cetera conjectemus. Vide hominem oneratum sarcinâ avaritiæ, vide illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, & laborando sarcinam addentem. Quid exspectas, ô avare, amplectens onus tuum, & catenis cupiditatis alligans malam sarcinam sub humeros tuos? Quid exspectas? quid laboras? quid inhias? quid concupiscis? Nempe satiare avaritiam. O vota inania & facta nequissima! Exspectas ergo satiare avaritiam? Illa te potest premere, tu illam non potes satiare. An fortè non est gravis? Usque adeo sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est gravis avaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ, & ista duo nequissima onera secumque pugnantia premunt te, & dilaniant te. Non enim paria imperant, non enim similia jubent. Pigritia dicit, Dormi: avaritia dicit, Surge. Pigritia dicit, Noli pati frigidos dies: avaritia dicit, Tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit, Quiesce: illa non sinit quiescere. Jubet, non solùm Procede, sed & Naviga trans mare, quære terras quas ignoras. Merces in Indiam deportandæ sunt: non nosti linguam Indorum, sed intelligibilis videtur sermo avaritiæ. Venies ignotus ad ignotum; das, accipis, emis, portas; periclitatus pervenisti, cum periculis redis, exclamas in mari exagitatus tempestate, Deus libera me. Non audis respondentem, Quare? Misi te? Avaritia tibi jussit, ut adquireres quod non habebas: ego tibi jussi, ut sine labore ante ostium tuum pauperi dares quod habebas. Illa te ad Indos misit ad reportandum aurum: ego tibi ad ostium Christum posui, à quo emeres regnum cælorum. Laboras in jussione avaritiæ, in jussione mea non laboras. Ambo jussimus, non audisti me: cui obaudisti liberet te.

Onus pigritiæ.

Caput IV. Pro sarcinis cupiditatis suscipienda sarcina caritatis.

6. Quàm multi has sarcinas portant? Quanti mihi modò contra ipsas sarcinas loquenti sub ipsis positi exclamant? Cum sarcinis intrarunt, cum sarcinis exeunt: avari ingressi sunt, avari discedunt. Ego loquendo contra istas sarcinas laboravi. Si clamatis, ponite quod portatis. Postremò me nolite audire, Imperatorem vestrum audite clamantem, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Non enim venitis, nisi laborare desinatis. Vultis ad me currere, sed cum gravibus sarcinis non potestis. Venite, inquit, ad « me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos « reficiam. Do veniam præteritorum peccatorum, tollam quod premebat oculos vestros, sanabo quod nocuit humeris vestris. Tollam quidem sarcinas, sed inanes à sarcinis non dimittam: tollam sarcinas malas, & imponam bonas. Cùm enim dixisset, Et ego vos reficiam; adjunxit, Tollite jugum meum super vos. Malè te subjugaverat cupiditas, salubriter te subjuget caritas.

Matth. 11. 28. — *Ibidem v. 29.*

7. Tollite jugum meum super vos, & discite « à me. Si vobis viluit humanum qualecumque magisterium, discite à me. Christus clamat magister, unicus Dei Filius, solus verax, verus, veritas clamat, Discite à me. Quid? Quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt? Numquid hoc ab eo discere poterimus, mundum fabricare, cælum luminibus implere, diei noctisque vicissitudines ordinare, tempora & sæcula jubere percurrere, seminibus vim tribuere, animalibus terram replere? Nihil horum nos jubet discere magister cælestis: illa facit ut Deus. * Sed quia iste Deus & homo esse dignatus est, in eo quòd Deus est, audi ut re-

Christus magister quid à se disci velit. — *Johan. 1. 1.* — ** Caput V.*

Classis I.

creeris; in eo quòd homo est, audi ut imiteris. A Discite, inquit, à me; non mundum fabricare, & creare naturas: nec illa quidem alia quæ hîc latens Deus, homo manifestus effecit; nec ipsa dicit, Discite à me febres ab ægrotantibus pellere, fugare dæmonia, mortuos suscitare, ventis & fluctibus imperare, super aquas ambulare: nec hoc dicit, Discite à me. Hæc enim dedit quibusdam discipulis suis, quibusdam non dedit: hoc autem, Discite à me, omnibus dicit; ab hoc præcepto nemo se excuset, Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde. B Quare dubitas hanc sarcinam ferre? Hæc sarcina gravis est, humilitas & pietas? Hæc sarcina gravis est, fides, spes, caritas? Istæ enim humilem, istæ mitem reddunt. Et vide quia oneratus non eris, si ipsum audieris. Jugum enim meum lene est, & sarcina mea levis est. Quid est, levis est? Quid si habet pondus, sed minus? plus habet avaritia, minus justitia? Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ sunt [a] volaturi. C Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu si misericordiam velis præbere avi, præsertim æstate, & dicas, Miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc; in terra remanebit, cui subvenire voluisti. * Porta ergo pennas pacis, alas accipe caritatis. Hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi.

Sarcina Christi levis.

Matth. 11. 30.

Caput VI. Cupiditatis aut caritatis quisque suæ onus portat.

8. Distincta sunt onera. Videte nunc, nescio D quis avarus intrat: nosti illum avarum, stat tecum, & tu non es avarus; sed etiam misericors, das pauperi quod habes, non inhias in ea quæ non habes; audis dicentem Apostolum, Præcipe divitibus hujus mundi, non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. E Audisti, agnovisti, didicisti, tenuisti, fecisti. Fac quod facis, noli pigrescere, noli cessare. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Bene fecisti homini, ingratus est homo: non te pæniteat bene fecisse, ne fundas pænitendo quod implesti miserando: dic in corde tuo, Non videt iste in quem feci, videt ille propter quem feci; quia iste si videret, si ingratus non esset, sibi potiùs quàm mihi prodesset. Ad Deum me teneam, quem non latet quod facio; non solùm quod facio, F sed etiam quo corde facio: illum sperem retributorem, qui facti mei non quærit testem. Talis es, & fortè in populo Dei stat juxta te avarus raptor, inhians rebus alienis. Quem nosti talem, & fidelis est, vel potiùs fidelis vocatur, non eum potes de ecclesia pellere, non habes aliquem aditum castigando & corripiendo corrigere, accessurus est tecum ad altare: noli timere; *Unusquisque proprium onus portabit.* Memento Apostoli, ut securus accedas: *Unusquisque* G *proprium onus portabit.* Tantummodo non tibi dicat, Porta mecum. Nam si cum illo communicare volueris avaritiam, onus non minuetur, sed duo gravabuntur. Portet ergo sarcinam suam, & tu tuam: quoniam quando ex humeris Dominus tuus talem sarcinam excussit, alteram imposuit;

1. Tim. 6. 17. &c.

Matth. 10. 22.

[a] MSS. *volatori.*

excussit cupiditatis, imposuit caritatis. Ergo secundùm cupiditates *malas unusquisque sarcinam suam portat, malus malam, bonus bonam.

Serm. de Scripturis.

*f. suas.

9. Converte te jam & ad illud præceptum, *Invicem onera vestra portate.* Habes enim sarcinam Christi, unde portes cum altero onus proprium. Pauper est, dives es: onus illius paupertas est; tu tale onus non habes. Vide ne fortè cùm te interpellaverit pauper, tu dicas, *Unusquisque onus proprium portabit.* Hîc alterum præceptum audi: *Invicem onera vestra portate.* Paupertas non est onus meum, sed est onus fratris mei. Vide ne divitiæ sint majus onus tuum. Nam non habes onus paupertatem, sed habes onus divitias. Si bene intendas, onus est. Ille alterum onus habet, tu alterum. Porta cum illo, & portet tecum, ut invicem onera vestra portetis. Quod est onus paupertatis? Non habere. Quod est divitiarum onus? Plus quàm opus est habere. Et ille oneratus est, & tu oneratus es. Porta cum illo non habere, portet tecum plus habere; ut fiant æquales sarcinæ vestræ. Si enim dederis indigenti, minuis illi non habenti onus ipsius, quod erat non habere: si ei dederis, incipit habere; minutum est illi onus, quod vocatur non habere: minuit & ipse onus tuum, quod vocatur plus habere. Duo ambulatis viam Dei in peregrinatione hujus sæculi: tu portabas sumtus magnos superfluos, ille autem sumtus non habebat: adhæsit tibi, comes tuus esse desiderans: noli negligere, noli spernere, noli relinquere. Non vides quantum portes? Nihil portanti & non habenti da inde aliquid; & comitem adjuvabis, & te relevabis. Apostolica sententia satis, quantum opinor, exposita est.

Caput VII. Onera quæ communicanda. Paupertas, onus.

Divitiæ, onus.

10. Non vobis fumos vendant qui dicunt, Sancti sumus, non portamus sarcinas vestras, ideo vobis non communicamus. Majores isti portant sarcinas divisionis, majores portant sarcinas præcisionis, sarcinas schismatis, sarcinas hæresis, sarcinas dissensionis, sarcinas animositatis, sarcinas falsorum testimoniorum, sarcinas calumniosarum criminationum. Istas sarcinas conati sumus, & conamur deponere de humeris fratrum nostrorum. Illi amant illas tenentes ad se, minores esse nolunt, quia ipsis sarcinis tumuerunt. Nam & qui ponit sarcinam, quam gestabat collo, quasi minor fit; sed pondus posuit, non staturam.

Donatistæ in schismate post Collationem pertinaces.

11. Sed ego, inquis, non communico peccatis alienis. Quasi hoc tibi dicam, Veni, communica peccatis alienis. Non hoc dico, novi quid dicat Apostolus: sed illud dico, Propter peccata aliena, si vera essent, & non tua magis essent, gregem Dei mixtum ovibus & hœdis non desereres; aream Dominicam, quamdiu palea trituratur, non relinqueres; retia Dominica, quamdiu bonos & malos pisces ad littus trahunt, non disrumperes. Et quomodo, inquis, ferrem quem novi malum? Nonne meliùs ipsum ferres, quàm te foras efferres? Ecce quomodo ferres: Si adtenderes Apostolum dicentem, *Unusquisque proprium onus portabit*; liberaret te ista sententia. Non enim cum illo communicares avaritiam, sed communicares cum illo Christi mensam. Et quid tibi obesset, si cum illo communicares Christi mensam? Apostolus dicit, Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Sibi, non tibi. * Sane si judex es, si judicandi potesta-

1. Cor. 11. 29.

*Caput VIII.

Classis I.

tem accepisti, ecclesiasticâ regulâ, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coërce, corripe, excommunica, degrada: Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina.

Cæcilianus absens & innocens damnatus.

12. Sed damnatus est, inquiunt, Cæcilianus. Damnatus? A quibus? Primò absens, deinde à Traditoribus innocens. Allegata sunt ista, Gestis inserta, probata sunt. Enervare quidem vires veritatis conati sunt, & inanium nebulis [a] prosecutionum ejus serenitatem nebulare, quantum potuerunt, enisi sunt. Adfuit Dominus, vicit serenitas ejus nebulas eorum. Et videte quomodo nescientes absolverunt Ecclesiam orbis terrarum, cujus communione gaudemus, qualescumque in ea simus. Non ipsos nos, sed ipsam tuemur, defendimus, obtinemus, aream Dominicam defendendo, pro area Dominica clamo. Tu quis in ea sim, nolo cures: ventilabrum exspecto. Nolo, inquam, hoc cures: aut si curare vis, noli cum lite curare, ut possis fratrem sanare. Cura paleam, si potes: sed triticum noli relinquere, si paleam curare non potes. Excutiuntur aliquando de area Dominica & paleæ; interdum & grana, sed non longè. Sunt autem operarii boni, circumeunt aream, & ea quæ foris excussa sunt, quibusdam mundatoriis trahunt & revocant in aream, etsi trahendo, etsi cogendo. Mundatoria instrumenta sunt leges istæ mundanæ. Revoca, etiam cum terra trahe triticum, ne propter terram pereat triticum. Damnatus est, inquiunt, Cæcilianus. Damnatus est semel absens, ter absolutus est præsens. Respondimus eis; & homines indociles, quantum potuimus, breviter de suis factis admonuimus, & diximus, Quid recitatis contra Cæcilianum concilium septuaginta Episcoporum, sententias in absentem proferentium? Plures prolatæ sunt à Maximianistarum concilio contra absentem Primianum. Diximus, Absens ab illis damnatus est Cæcilianus, absens ab istis damnatus est Primianus. Quomodo isti non præjudicant absenti Primiano, sic & illi præjudicare non potuerunt absenti Cæciliano.

Matth. 3. 12. — *Leges Imperatorum contra Donatistas.* — *Cæcilianus ter absolutus.* — *Primianus.*

Donatistæ suâ ipsorũ sententiâ damnati.

13. Quid eos putatis in hac angustia respondisse? Quid enim dicerent? Quà evaderent inclusi retibus veritatis? Ut hæc retia violenter rumperent, quid dixerunt breviter & absolutè pro nobis? Et quidem multa, & penè omnia pro nobis, sicut Gesta indicabunt, quæ jam proponenda Vestra Caritas lectura est. * Sed hoc loco rogo vos, & obsecro per Christum, ut teneatis, dicatis, in ore semper habeatis. Non potuit enim pro nobis brevior, & certior, & liquidior ferri sententia. Quid ergo dixit, cùm hoc objiceremus, Sic non præjudicant isti Cæciliano, quomodo nec illi Primiano? Et ille * defensor illorum: Nec caussa caussæ præjudicat, nec persona personæ. O responsum breve, liquidum, verum! Non enim scivit quid dixit; sed Caïphæ similis, cùm esset
» pontifex prophetavit: Nec caussa caussæ præ-
» judicat, nec persona personæ. Si nec caussa caussæ, nec persona personæ præjudicat, ergo unusquisque sarcinam suam portat. Eat nunc & objiciat tibi Cæcilianum: non tibi cuicumque homini, sed ipsi orbi terrarum objiciat Cæcilianum. Quod cùm facit, innocentem objicit innocentibus. Prorsus Gesta indicabunt liquidissimè. Purgatus est Cæcilianus. Sed fac eum non purgatum, fac criminosum inventum: audi vocem tuam ab orbe terrarum, Nec caussa caussæ, nec persona personæ præjudicat. Anima hæretica, insanabilis, animosa, cùm tu in te sententiam dicas, judicem * quid accusas? Si illum ego corrupi, ut judicaret pro me; te quis corrupit, ut damnares te?

** Caput IX.* — ** Indic. Collat. 3. c. 372.* — *Johan. 11. 49.* — ** Marcellinum.*

Serm. de Scripturis.

Caput X. Donatistas quid in errore detineat.

14. Utinam hæc aliquando cogitent, vel serò cogitent, vel detumescente animositate cogitent, ad se redeant, se interrogent, se discutiant, sibi respondeant, pro veritate non timeant eos, quibus falsitatem diutissimè vendiderunt. Ipsos enim timent offendere; erubescunt humanæ infirmitati, & non erubescunt invictissimæ veritati. Utique hoc timent, ne dicatur eis, Quare ergo nos decepistis? quare nos seduxistis? quare tanta mala & falsa dixistis? Respondere deberent, si Deum timerent, HUMANUM fuit errare, diabolicum est per animositatem in errore manere. Melius quidem erat, si numquam erraremus: sed vel quod secundum est faciamus, ut errorem aliquando emendemus. Decepimus, quia decepti eramus: falsa [b] prædicavimus, qui prædicantibus falsa credidimus. Dicant suis, Simul erravimus, simul ab errore recedamus. Duces vobis fuimus ad foveam, & secuti estis cùm duceremus ad foveam, & nunc sequimini cùm ducimus ad Ecclesiam. Possent ista dicere: indignantibus dicerent, iratis dicerent; aliquando & illi ponerent indignationem, amarent vel serò unitatem.

Patientia in ipsos exhibenda.

15. Nos tamen, Fratres, patientes circa illos simus. In fervore sunt & tumore oculi quos curamus. Non dico ut curare cessemus; sed ut non insultationibus ad majores amaritudines provocemus; rationem leniter reddamus, non de victoria superbè exsultemus. Servum enim Domi-
» ni litigare non oportet, Apostolus dicit, sed mi-
» tem esse ad omnes, docibilem, patientem, in
» modestia corripientem diversa sentientes: ne
» fortè det illis Deus pænitentiam, & resipiscant
» à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundùm ipsius voluntatem. Patienter ergo ferte, si sani estis patienter ferte, inquantum sani estis. Nam quis perfectè sanus? Cùm Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur mundum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Ergo quamdiu tales sumus, hoc nobis debemus, ut invicem onera nostra portemus. Conversi ad Dominum, &c.

2. Tim. 2. 24. — *Prov. 20. 8. & 9.*

* SERMO CLXV.

** Aliàs de verbis Apostoli.*

De verbis Apostoli, Ephes. 3. Peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra *&c. deque gratia & libera voluntate, contra Pelagianos.*

Habitus [c] in basilica Majorum.

Caput I. Spes collocanda in Deo, non in viribus liberi arbitrii.

1. APOSTOLUM audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus; consonant omnes divinæ lectiones, ut spem non in nobis, sed in Domino collocemus. *Peto*, inquit Apostolus, [d] *non infirmari in tri-*

[a] Editi, *persecutionum*. Veriùs MSS. *prosecutionum*, id est litigationum.

[b] Sic MSS. Editi verò, *falsa præjudicavimus, qui præjudicantibus falsa credidimus.*

[c] Sic in Romano codice MS. PP. Cisterciensium. Citatur Sermo à Floro ad Rom. 9. & ad Ephes. 3.

[d] In editis plerumque, non tamen semper, *vos non infirmari.* At in MSS. vix aliquando ponitur *vos*; quæ vox à Græco abest.

CLASSIS I.

bulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. A *Peto*, inquit, *non infirmari*, id est, ut non infirmemini, quando auditis me pati pro vobis tribulationes; quia hæc est gloria vestra. Petit ergo eos, ut non infirmentur; quod non faceret, nisi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim responderent, Quid nos petis quod in potestate non habemus? numquid non viderentur sibi justum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus, nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, ubi & ipsi aliquid agerent, non diceret, *Peto*. Et si diceret, Jubeo, nisi eos nosset adhibere posse jussioni suæ voluntatem, sine caussa hoc verbum de ejus ore procederet. Sed rursus sciens sine Dei adjutorio infirmam esse hominis voluntatem, non solùm ne dicerent, Voluntatis arbitrium non habemus, dixit, *Peto:* verùm etiam ne dicerent, Voluntatis arbitrium sufficit

Gratiæ & liberi arbitrii concursus.

℣. 14. nobis, videte quid addidit, *Hujus rei gratiâ*. Cujus rei gratiâ, nisi quam suprà dixerat, *Peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ est* C *gloria vestra?* Quia ergo voluntatis habetis arbitrium, *Peto*. Quia verò vobis voluntatis non sufficit arbitrium ad implendum quod peto,

℣. 15. *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Do-*

℣. 16. *mini nostri Iesu Christi, * ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. * Vt det vobis.* Quid, *det vobis?* Quod peto à vobis, rogo det vobis. Peto enim à vobis, propter arbitrium voluntatis: rogo det vobis, propter auxilium majestatis.

CAPUT II. A Deo petitur hoc ipsum quod ab homine exigitur.

2. Sed Apostoli verba prævenimus. Adhuc fortasse exspectatis audire, qui textum ejusdem lectionis memoriâ non tenetis, utrùm re vera ideo Apostolus pro ipsis ad Patrem genua flectat, ut det illis quod dixerat eis, *Peto*. Mementote ergo quid petierit ab ipsis. *Peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis:* hoc ab ipsis petit. Modò videte quid illis petit: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corro-* E *borari*. Quid est aliud, nisi non infirmari? *Virtute corroborari*, inquit, *per Spiritum ejus*. Iste Spiritus gratiæ. Videte quid petit. Hoc à Deo petit, quod ab hominibus exigit: quia ut Deus velit dare, debes & tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam divinæ bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis? *Det*, inquit, *vobis*. Non enim habetis, nisi det vobis. *Det vobis virtute corroborari per Spiritum ejus*. Si enim dederit vobis virtute corroborari, F ibi dabit vobis non infirmari. *In* [a] *interiore homi-*

℣. 17. *ne * habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Totum hoc det vobis. *In caritate radicati*

℣. 18. *& fundati, * ut prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis*. Quid comprehendere? Det vobis per Spiritum suum virtute corroborari, & habitare in interiore homine vestro Christum per fidem, atque ita in caritate radicati & fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis: quid? *Quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, &* G *profundum*. Altitudo quidem in Latina lingua utrumque significat: & quod sursum versùs est, altitudinis nomen habet; & quod in profundum altum est, altitudinis nomen habet. Ideo bene respondit interpres ad id quod sursum altum est, altitudinem dicere; ad illud quod deorsum altum est, profundum dicere.

SERM. DE SCRIPTURIS.

*CAPUT III. In quatuor dimensionibus mysterium crucis.

3. Quid est ergo, Fratres mei, exponam hoc ego vobis. [b] Facilius fortè si cuiquam sit, quid ergo? quia latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profundum, quatuor ista quæ dicit Apostolus, minùs idoneus sum vel comprehendere vel proferre, transibo ab hoc? An fortè pulsabo, & ut vobis salubre aliquid proferam, vestris orationibus adjuvabor? Quid pergis corde B homo Christiane, per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cæli, profunditatem abyssi? Quando ista comprehendis vel mente vel corpore? hoc est, sive cogitando sive carnis oculis intuendo, quando ista comprehendis? Ipsum audi Apostolum dicentem tibi: « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Et nos in illa gloriemur, vel quia super illam incumbimus. In illa gloriemur omnes, ô boni Fratres, in illa gloriemur. Ibi fortè C invenieraus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem, & profundum. His enim Apostoli verbis crux quodam modo nobis ante oculos constituta est. Habet enim latitudinem, in qua manus figuntur: habet longitudinem, quod inde usque ad terram ducitur lignum: habet & altitudinem, quod ab ipso transverso, in quo figuntur manus, excedit aliquantùm, ubi caput crucifixi ponitur: habet & profundum, hoc est quod in terra figitur, & non videtur. * Videte D magnum sacramentum. Ab illo profundo quod non vides, surgit totum quod vides.

Florus ad Ephes. 3.

Gal. 6. 14.

*CAPUT IV.

4. Ubi ergo est latitudo? Confer te ad vitam moresque sanctorum, qui dicunt, « Absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Invenimus in moribus eorum latitudinem caritatis: unde illos admonet ipse Apostolus, dicens, Dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus. Et quia ipse latus erat, qui eos ad latitudinem exhortabatur, audi quid dicat: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii; cor nostrum dilatatum est. Latitudo ergo CARITAS est, quæ SOLA BENE OPERATUR. Latitudo facit, ut hilarem datorem diligat Deus. Si enim angustiam passus fuerit, tristis dabit: si tristis dabit, perit quod dabit. Opus est ergo latitudine caritatis, ne pereat quidquid boni facis. Sed quoniam ait Dominus, Ubi abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum: da mihi & longitudinem; quæ est longitudo? Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hæc est longitudo crucis, ubi totum corpus porrigitur: ubi quodam modo statur, quo stando perseveratur. Si ergo quæris, qui in cruce gloriaris, habere crucis latitudinem; habeto bene operandi virtutem. Si vis habere crucis longitudinem; habeto perseverandi longanimitatem. Si autem vis habere crucis altitudinem; nosce quid audias, & ubi audias, Sursum cor. Quid est, Sursum cor? Ibi spera, ibi ama: inde pete virtutem, ibi exspecta mercedem. Nam si bene operaris, & hilariter tribuis, videris habere latitudinem. Si in iisdem bonis operibus usque in finem perseveraveris, videris habere longitudinem. Sed si omnia hæc non propter supernam mercedem facis, altitudinem non habebis; & illa jam nec latitudo erit,

Latitudo crucis.

2. Cor. 6. 13. & 14.

Ibidem 11.

2. Cor. 9. 7.

Matth. 24. 12.

Lõgitudo.

Matth. 10. 22.

Altitudo.

Sursum cor.

[a] Lov. *in interiorem hominem*. At Am. Er. & MSS. *in interiore homine*; & sic legi solet apud Augustinum.

[b] Ita Benignianus MS. Editi verò sic, *quod facilius fortè sit cuiquam, quàm sibi sit quis. Quid ergo? Quia latitudinem &c.*

nec longitudo. Quid est enim habere altitudinem, nisi cogitare Deum, amare Deum, & gratìs amare ipsum Deum adjutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmii largitorem, postremò ipsum præmium deputare, non aliud ab ipso quàm ipsum exspectare? Si amas, gratìs ama: si verè amas, ipse sit merces quem amas. An verò tibi cara sunt omnia, & vilis est ille qui condidit omnia?

5. Hæc ut possimus, flexit genua sua pro nobis Apostolus, utique ideo ut detur nobis. Terret enim & Evangelium: Vobis datum est scire mysterium regni, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei. Quis autem habet cui dabitur, nisi cui datum est? Qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quis autem non habet, nisi cui non est datum? * Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum crucis. De profundo nescio quo judiciorum Dei, quæ perscrutari contemplarique non possumus, procedit omne quod possumus. De profunditate, inquam, nescio qua judiciorum Dei, quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus, procedit omne quod possumus. Quod possum, video: unde possim, non video; nisi quia & hoc hactenus video, quòd novi esse à Deo. Quare autem illum, & non illum: multum est ad me, abyssus est, profundum crucis est; admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. Quid possum exclamare de ista profunditate? Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! Gentes illuminantur, Judæi excæcantur. Quidam parvuli sacramento baptismatis abluuntur, quidam verò parvuli in morte primi hominis relinquuntur. Quàm magnificata sunt opera „ tua, Domine! Nimis profundæ factæ sunt cogi- „ tationes tuæ. Et sequitur: Vir imprudens non „ cognoscit, & stultus non intelligit hæc. Quid non intelligit stultus & imprudens? Quia vel profundum est. Nam si stultus non intelligit, & sapiens intelligit, non est nimis profundum. Sed si sapiens intelligit quia profundum est, stultus non intelligit quia vel profundum est.

Matth. 13. 11. & 12.

*Caput V. Profundũ crucis, quòd gratia alii detur, alii non detur.

Psal. 91. 6.

6. Ideo multi de isto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt. Aliqui dixerunt, quòd animæ sursum in cælo peccant, & secundùm sua peccata ad corpora pro meritis diriguntur, & dignis ibi quasi carceribus includuntur. Ierunt post cogitationes suas; volentes disputare de Dei profundo, mersi sunt in profundum. Occurrit enim eis Apostolus, volens gratiam commendare, & elegit illos geminos in utero Rebeccæ, & dicit, Nondum enim natis, nec qui aliquid egerint boni aut mali. Vide quemadmodum tulit vanis hominibus phantasias conversationis animarum ante corpus in cælo. Si enim ibi jam conversatæ sunt, jam aliquid boni egerunt vel mali, & pro meritis suis ad corpora terrena [a] detrusæ sunt. Si placet, contradicamus Apostolo, qui dixit, Nondum natis, nec qui aliquid egerint boni aut mali. Hoc autem quia propter Apostoli evidentem sententiam respuit catholica fides, quòd animæ in cælis priùs vivant & conversentur, & illic recipiendorum corporum merita assumant, modò isti * novelli

Error de animarum peccato ante corpus, unde.

Florus ad Rom. 9.

Rom. 9. 11.

* Pelagiani.

A non audent dicere.

7. Sed quid dicunt? Aliqui (sicut audivimus) ipsorum ita disputant: Prorsus, inquiunt, pro meritis suis omnes homines moriuntur, quia peccaverunt; non enim esset mors, nisi veniens de peccato. Optimè quidem & verè dictum est, Non esset mors, nisi veniens de peccato. Sed ego, cùm hoc audio, ideo laudo, quia illam primam mortem intueor & illius primi hominis peccatum. Audio enim Apostolum: Sicut in B Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Per unum hominem pecca- „ tum intravit in mundum, & per peccatum mors; „ & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Omnes enim unus fuerunt. Sic te audio dicentem mortem hominis de peccato esse? Non, inquit. Et quid dicis? Omnem hominem Deus immortalem creat [b] modò. Mirabilis novitas. Quid dicis? Prorsus, inquit, omnem hominem Deus immortalem creat. Qua- C re ergo moriuntur parvuli infantes? Nam si dicam, Quare moriuntur grandes homines: dicturus es mihi, Peccaverunt. Ergo de majorum ætate non disputabo: parvulorum infantiam contra te testem citabo. Non loquuntur, & convincunt: tacent, & quod dico probant. Ecce infantes in suis utique operibus innocentes sunt, nihil secum nisi quod de primo homine traxerunt habentes: quibus propterea est gratia Christi necessaria, ut in Christo vivificentur, qui in D Adam mortui sunt; ut quia inquinati sunt generatione, purgentur regeneratione. Ipsos ergo testes citabo. Responde mihi, Quare moriuntur, si omnes homines immortales nascuntur, & quoniam peccant, ideo moriuntur? Quid putatis dici potuisse? Quæ aures ferant? Peccaverunt & ipsi. Ubi peccaverunt? Rogo te, quando peccaverunt? quomodo peccaverunt? Bonum & malum quid sit nesciunt. Peccatum accipiunt, qui præceptum non capiunt? Proba mihi pec- E catores infantes: quod dixisti, verè quia oblitus es quod fuisti, proba mihi peccata infantium. An quia plorant, peccant? quia motibus quasi mutorum animalium, molestias repellunt, voluptates accipiunt, ideo peccant? Si motus isti peccata sunt, ampliores peccatores in baptismo fiunt: quia cùm baptizantur, vehementissimè reluctantur. Quare illis in tanta reluctatione non imputatur peccatum, nisi quia nullum est adhuc voluntatis arbitrium?

Serm. de Scripturis.

Caput VI. Mors non nisi ex peccato.

1. Cor. 15. 22.

Rom. 5. 12.

Parvulorũ mors ex peccato primi hominis.

F 8. Sed aliud dico: Isti quia nati sunt, ut arbitraris, peccarunt. Nam si non peccarent, inquis, non morerentur. Quid de illis dicis qui in utero moriuntur? O angustia! Et ipsi, inquit, peccarunt, ideo moriuntur. Mentiris, an falleris? Contradicit Apostolus, Nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali. Magis Apostolum audio quàm te: magis Apostolo credo quàm tibi. Nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali. Si autem hoc testimonium refellis, vade tibi potiùs ad illas vagationes, & dic, Quia in cælo peccarunt, & inde in corpora præcipitantur. Non dico, inquit. Quare non dicis? Quia dicit Apostolus, Nondum natis, nec ali- G quid agentibus boni aut mali. Si ergo non eos accusas in cælo, quare accusas in utero? Ad

Parvuli in utero extincti.

Rom. 9. 11.

[a] MSS. *diruta sunt.*

[b] Verba in quibusdam libris sic interpunguntur: *immortalem creat, Modò mirabilis novitas.*

utrumque

Classis I. utrumque respondet Apostolus; & eis respondet A qui dicunt, In cælo peccaverunt; & eis respondet qui dicunt, In utero peccaverunt, quia ad utrumque valent illa verba quæ * dicunt, antequam nascerentur, nihil egisse vel boni vel mali. Quare ergo moriuntur? Et hîc te auditurus sum, & non potiùs Magistrum gentium?

* f. dicit.

Caput VII. 9. Dic mihi, Paule apostole, quare moriuntur? Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. B Ecce primus homo totam massam damnabilem fecit: veniat, veniat Dominus noster, secundus homo; veniat, veniat; ex alio tramite veniat, per virginem veniat; vivus veniat, mortuos inveniat: moriatur, ut morienti subveniat, mortuos ad vitam transferat, mortuos redimat à morte, servet vitam in [a] morte, occidat mortem de morte. Sola est ista gratia parvulorum, sola majorum: sola liberat pusillos cum magnis. C Quare illum, & quare illum; quare non illum atque illum; nolo à me quæras. Homo sum: profundum crucis adverto, non penetro; expavesco, non scrutor. Inscrutabilia sunt judicia ejus, investigabiles sunt viæ ejus. Homo sum, homo es: homo erat qui dicebat, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Homo dicebat, homini dicebat. Audiat homo, ne pereat homo, propter quem Deus factus est homo. In hac ergo crucis profunditate, in hac rerum tanta obscuritate teneamus quod cantavimus: non D de nostra virtute præsumamus, non ingenioli nostri viribus in hac quæstione aliquid arrogemus: Psalmum dicamus, cum Psalmo dicamus, Miserere mei Deus, miserere mei. Quare? Quia virtutem habeo qua te promerear? Non. Quare? Quia voluntatis arbitrium gero, unde gratiam tuam meritum meum præcedat? Non. Sed quare? Quoniam in te confidit anima mea. Magna scientia, ista confidentia. Conversi ad Dominum, &c.

Rom. 5. 12. Gratia parvulis & majoribus subveniens. Gratiæ mysterium inscrutabile. Rom. 11. 33. Rom. 9. 20. Psal. 56. 2.

* Alias de Diversis 25.

* SERMO CLXVI.

Sermo de verbis Apostoli, Ephes. 4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem: *& Psalmi* 115. Omnis homo mendax.

Caput I. Ephes. 4. 25. Mendaciū prohibitū homini.

I. HANC sententiam, quam dixit Apostolus, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem*, non esse contrariam illi sententiæ, quæ dicta est in Psalmo, *Omnis homo mendax*, F si Dominus dat intellectum, breviter exponemus. Quid ergo est, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem:* &, *Omnis homo mendax?* An impossibilia per Apostolum Deus jubet? Non. Quid ergo jubet? Audeo dicere: sed sine contumelia dictum accipiatis, quia & in me ipsum dico: hoc jubet Deus, ut non simus homines. Si enim dicerem, Jubet Deus, ut non sitis homines; acerbè forsitan acciperetis: & me itaque conjunxi, ne quis irascatur.

Psal. 115. 11.

Caput II. Homines cur objurgātur quòd sint homines.

2. Plus enim dico Sanctitati Vestræ: G invenimus Apostolum tamquam crimen objecisse hominibus, quia homines sunt: objurgans enim illos hoc dixit. Quomodo nos irati dicimus alicui, Pecus es: sic ille corripiens in flagello Dominicæ disciplinæ, objecit hominibus quia homines erant. A Quid illos fieri volebat, quibus crimen erat quia homines erant? Cùm enim sit inter vos, inquit, æmulatio & contentio; nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo; nonne homines estis? Exprobrans & objurgans ait, Nonne homines estis? Quid ergo eos fieri volebat, nisi quod in Psalmo dicitur, Ego dixi, Dii estis & filii Altissimi? Hoc quidem dixit Deus: ad hoc enim vocat. Sed quid subjungit? B Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Et ibi opprobrium objectum est, cùm dicitur, Vos autem sicut homines moriemini. Homo enim Adam, & non filius hominis: Christus autem filius hominis, & Deus. Ad mendacium vetus homo pertinet, id est, Adam; ad veritatem novus homo filius hominis, hoc est, Christus Deus. Si deponis mendacium, exue Adam; si loqueris veritatem, indue Christum: & non tibi erunt contraria C quæ modò in Scripturis sunt posita. Quia & Apostolus exuendum hominem veterem & induendum novum monens, dicit, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem:* & Psalmus illos admonebat & plangebat, qui nolentes exuere Adam & induere Christum, non novi homines, sed tantùm homines esse cupiebant; qualibus dicitur, Nonne homines estis? Et in vos cadit quod dictum est, *Omnis homo mendax.*

Serm. de Scripturis. 1. Cor. 3. 3. & 4. Psal. 81. 6. In vetere homine mendaciū, in novo veritas.

Caput III. 3. Si homo vis esse, mendax eris. Noli velle D esse homo, & non eris mendax. Indue Christum, & eris verax: ut quæ locutus fueris, non tua sint quasi propria, & abs te instituta, sed illustrantis te & illuminantis veritatis. Nam si spoliaberis lumine, remanebis in tenebris tuis, & non poteris nisi mendacia loqui. Ait enim ipse Dominus, Qui loquitur mendacium, de suo loquitur: quia *omnis homo mendax.* Qui ergo loquitur veritatem, non de suo loquitur, sed de Dei. Non quidem ita, ut eum loqui dicamus aliena: fiunt enim E sua, cùm amat quod accipit, & gratias agit illi qui dedit. Nam si ablata fuerit homini illustratio veritatis, remanebit tamquam nudus indumento luminis, & non poterit nisi mendacia loqui. Hoc enim in illo remanebit, quod in Psalmo scriptum est, *Omnis homo mendax.*

Johan. 8. 44. Quomodò quæ Dei sunt, fiant nostra.

Caput IV. 4. Non est ergo unde quisquam calumnietur, & dicat mihi, Mentiar, quia homo sum. Dicam enim & ego fidentissimè, Noli esse homo, ut non mentiaris. Ergo, inquit, homo non F ero? Non utique. Ut enim non sis homo, ad hoc vocatus es ab illo, qui propter te factus est homo. Noli succensere. Non enim ita tibi dicitur, ut homo non sis, ut pecus sis: sed ut sis inter eos, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Deus enim Deum te vult facere; non naturâ, sicut est ille quem genuit; sed dono suo & adoptione. Sicut enim ille per humanitatem factus est particeps mortalitatis tuæ: sic te per exaltationem facit participem immortalitatis suæ. Age igitur G gratias, & amplectere quod donatum est, ut merearis perfrui quò vocatus es. Noli esse Adam, & non eris homo. Si non homo, non utique mendax: quia *omnis homo mendax.* Et cùm cœperis non mentiri, noli tibi tribuere & extolli, quasi ex tuo proprio: ne vento superbiæ, tamquam lucerna quæ aliunde accenditur, exstinguaris, &

Vocatus es ut non sis homo, sed filius Dei. Johan. 1. 12.

[a] Am. Er. & plures MSS. *in mortem:* sed minùs benè.

CLASSIS I.

remaneas rursus in mendacio tuo. Nolite ergo mentiri, Fratres. Jam enim veteres homines eratis: accessistis ad gratiam Dei, facti estis homines novi. Mendacium ad Adam pertinet, veritas ad Christum. *Deponentes* ergo *mendacium, loquimini veritatem*, ut & caro ista mortalis quam adhuc habetis de Adam, præcedente novitate spiritûs, mereatur & ipsa innovationem & commutationem tempore resurrectionis suæ: ac sic totus homo deificatus inhæreat perpetuæ atque incommutabili veritati.

*Aliàs 24. de verbis Apostoli.

SERMO CLXVII.

De verbis [a] *Apostoli*, *Ephes.* 5. Videte quomodo cautè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

CAPUT I. Ephes. 5. 15. Florus ibidem. Dies mali unde.

1. APOSTOLUM, cùm legeretur, audistis; immo omnes audivimus, dicentem nobis, *Videte quomodo cautè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Dies malos, Fratres, duæ res faciunt, malitia & miseria. Per malitiam hominum & miseriam hominum [b] ducuntur dies mali. Ceterùm dies isti, quantum pertinet ad spatia horarum, ordinati sunt: ducunt vices, agunt tempora; oritur sol, occidit sol, transeunt tempora. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi non sunt molesti? Ergo dies malos, sicut dixi, duæ res faciunt, miseria hominum, & malitia hominum. Sed miseria hominum communis est: non debet malitia esse communis. Ex quo enim lapsus est Adam, & de paradiso expulsus, numquam fuerunt dies, nisi mali. Istos pueros qui nascuntur, interrogemus, quare à ploratu incipiunt, qui [c] & ridere possunt. Nascitur, & statim plorat: post nescio quot dies ridet. Quando plorabat nascens, propheta suæ calamitatis erat: lacrymæ enim testes sunt miseriæ. Nondum loquitur, & jam prophetat. Quid prophetat? In labore se futurum, vel in timore. Et si bene vixerit & justus fuerit, certè in mediis positus tentationibus semper timebit.

CAPUT II. 2. Tim. 3. 12. Florus ibidem. Justi hîc numquam sine persecutione.

2. Quid ait Apostolus? Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur. Ecce quia dies mali sunt, sine persecutione vivere hîc justi non possunt. Qui inter malos vivunt, persecutionem patiuntur. Omnes mali persequuntur bonos, non ferro & lapidibus, sed vitâ & moribus. Numquid aliquis sanctum Lot persequebatur in Sodomis? (Gen. 19.) Nemo illi molestus erat: & tamen inter impios vivebat, & inter immundos, superbos, blasphemos, persecutionem patiebatur, non vapulando, sed malos videndo. Quisquis me audis, & nondum vivis in Christo piè, incipe in Christo piè vivere, & probas quod dico. Denique Apostolus cùm commemoraret pericula sua, (2. Cor. 11. 26.) Periculis, inquit, in mari, » periculis in fluminibus, periculis in deserto, pe» riculis in latronibus, periculis in falsis fratribus. Cetera pericula quiescere possunt, pericula à falsis fratribus quiescere usque in finem sæculi non noverunt.

Florus ad Ephes. 5.

3. Redimamus tempus; quoniam dies mali

A sunt. Exspectatis à me fortè scire, quid est tempus redimere. Dicturus sum quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicam, quoniam ipsi pauci qui me audituri sunt, inter malos vivunt. Redimere tempus, hoc est, quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus. Perde ergo: ex eo quod perdis, pretium est temporis. Certè quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut

SERM. DE SCRIPTURIS. Redimere tempus.

B vinum, aut oleum, aut lignum, aut aliquam supellectilem: das & accipis, aliquid amittis, aliquid adquiris, hoc est emere. Nam si nihil amittas, & habeas quod non habebas; aut invenisti, aut donatum accepisti, aut hereditate adquisisti. Quando autem aliquid amittis ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes, emtum est; quod amittis, pretium est. Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid; sic perde nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus re-

C dimere.

CAPUT III. Proverbium Punicum cum Christi præcepto consentiens.

4. Proverbium notum est Punicum, quod quidem Latinè vobis dicam, quia Punicè non omnes nostis. Punicum enim proverbium est antiquum: Nummum quærit pestilentia; duos illi da, & ducat se. Numquid non hoc proverbium de Evangelio videtur natum? Nam quid aliud dixit Dominus, quàm, Redimentes tempus, quando ait, Si quis vult judicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pal- (Matth. 5. 40.)

D lium? Judicio vult tecum contendere, & tunicam tuam tollere, vult avocare te [d] litibus à Deo tuo: non habebis quietum cor, non habebis tranquillum animum, everteris cogitationibus tuis, irritaris adversùs ipsum adversarium tuum. Ecce tempus perdidisti. Quantò ergo melius est ut nummum amittas, & tempus redimas? Fratres mei, in caussis vestris & in negotiis vestris, quando ad nos judicanda veniunt, si homini Christiano dico, ut pro tempore redimendo perdat ali-

E quid suum; quantò majore curâ & fiduciâ debeo dicere, ut reddat alienum? Ambos enim Christianos audio. Jam ille calumniosus, qui vult alteri facere * caussam, & tollere ab illo vel pro compositione, gaudet ad ista verba. [e] Apostolus dixit, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Facio ergo calumniam Christiano illi, velit nolit, dat mihi aliquid ut tempus redimat, quia Episcopum audivit. Dic mihi, si illi dicturus sum,

*f. calumniam.

F Perde aliquid, ut sis otiosus; tibi non sum dicturus, Calumniose, perdite, fili diaboli; quare res alienas auferre moliris? Caussam non habes, & calumniâ plenus es. Si ergo illi dixero, Illi da aliquid, ut recedat à calumnia; tu ubi eris, qui habebis de calumnia pecuniam? Ille qui propter vitandam calumniam tempus à te redimit, hîc tolerat dies malos: tu autem qui de calumniis pasceris, hîc habebis dies malos, & post istos habiturus es in die judicii pejores. Sed hoc fortè ri-

G des, quia pecuniam rapis. Ride, ride, & contemne: ego erogem, veniet qui exigat.

[a] Citat Florus ad Ephes. 5. & 2. Tim. 3.
[b] MSS. plerique, *dicuntur.* Sic etiam Florus.
[c] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *qui nec ridere possunt.*

[d] Am. Er. & MSS. *avocare te habet litibus &c.* Florus, *vult avocare te damno & litibus &c.*
[e] MSS. *Episcopus dixit.*

CLASSIS I.

*Alias 17. ex homiliis 50.

* SERMO CLXVIII.

De verbis Apostoli, Ephes. 6. Pax fratribus, & caritas cum fide. Sive de gratia Dei, [a] secundum vasis electionis confessionem atque doctrinam, quoniam fides misericordiæ Dei donum est.

CAPUT I. Filius fidei Abrahæ facit, qui promisit.

1. LECTIONIBUS, canticis, sermonibusque divinis, & quod est præcipuum, gratiâ suâ ædificet Dominus cor vestrum; ut quod verum auditis, non audiatis ad judicium, sed ad præmium. Faciet hoc, quoniam qui promisit, potens est & facere. Ita credidit Abraham, dans gloriam Deo, nudè & plenissimè credens, quoniam quæ promisit potens est & facere. Magnum nostrum gaudium, nos promisit Abrahæ: nos promissionis filii sumus. Quando enim dictum est Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes, nos promissi sumus. Ergo ipse nos fecit filios fidei Abrahæ, qui potens est facere quod promisit. Nemo dicat, Ego feci. Non enim promittit Deus, & facis tu. Potest autem rectè dici, quia quæ promittis tu, facit Deus. Tu enim infirmus es, tu omnipotens non es. Quando ergo promittis, nisi Deus faciat, inanis est promissio tua. Dei autem promissio non pendet ex te, sed ex illo. Sed ego, inquis, credidi. Concedo. Verum dicis: tu credidisti, sed non tibi tu fidem dedisti. * Unde autem credidisti, nisi ex fide? Fides in te donum Dei est.

Rom. 4. 20. &c. — Gal. 4. 28. — Gen. 22. 18. — *CAPUT II.

2. Audi Apostolum ipsum [b] fidei disputatorem, & gratiæ magnum defensorem: audi eum dicentem, *Pax fratribus, & caritas cum fide.* Magna tria dixit, Pax, caritas, fides. A fine cœpit, ad initium terminavit. Initium est enim in fide, finis in pace. Qua enim credimus, ipsa est fides. Sed fides debet esse Christianorum, non dæmoniorum. Nam sicut dicit Jacobus apostolus, Et dæmones credunt, & contremiscunt. Et dæmones dixerunt Christo, Tu es Filius Dei. Confitebantur dæmones, quod non credebant homines. Illi tremuerunt, illi occiderunt. Quid enim, quia dixerunt dæmones, Tu es Filius Dei, scimus qui sis; ideo regnaturi sunt cum Filio Dei? Absit. Discernenda est ergo fides dæmonum à fide sanctorum. Planè discernenda vigilanter & diligenter. Nam & Petrus hoc dixit Domino dicenti, Quem me esse dicitis? Tu es Christus Filius Dei vivi. Et Dominus, Beatus es Simon Bar-jona. O Domine, hoc tibi dixerunt & dæmones: quare ipsi non sunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore. Ideo initium est à fide. Sed quali fide? Quam definivit Apostolus, Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides. Dic quæ fides? Quæ per dilectionem operatur. Hanc dæmones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur: sed soli servi Dei, soli sancti Dei, soli fide filii Abrahæ, soli filii dilectionis, filii promissionis: ideo dicta est *& caritas.* Tria illa dicta sunt ab Apostolo, *Pax fratribus, & caritas cum fide. Pax fratribus.* Unde pax? *& caritas.* Unde caritas? *cum fide.* Si enim non credis, non amas. Dixit ergo Apostolus, sic incipiens à fine, & veniens ad initium: *Pax, caritas, cum fide.* Nos dicamus, Fides, caritas, pax. Crede, ama,

Ephes. 6. 23. — Fides Christianorum alia à fide dæmonum. — Jacobi 2. 19. — Marci 3. 11. — Matth. 16. 15. &c. — Gal. 5. 6. — Fides filiorum Dei, cum caritate. — Fides initium salutis.

A regna. Si enim credis, & non amas; adhuc non discrevisti fidem tuam ab eis qui tremebant & dicebant, Scimus qui sis, Filius Dei. Ergo tu ama: quia caritas cum fide ipsa te perducit ad pacem. * Quam pacem? Veram pacem, plenam pacem, solidam pacem, securam pacem; ubi nulla pestis, nullus hostis. Ipsa pax est finis omnium desideriorum bonorum. *Caritas cum fide*: & si sic dicas, bene dicis, Fides cum caritate.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Marci 1. 23. — *CAPUT III. Pax vera.

3. Magna ergo bona commemoravit Apostolus, *Pax fratribus, & caritas cum fide:* * magna bona. Sed dicat, unde bona ista: unde sunt, à nobis, an à Deo? Si dicis, à nobis; in te gloriaris, non in Deo. Si autem didicisti, quod ait & ipse Apostolus, Ut qui gloriatur, in Domino glorietur; confitere pacem, caritatem cum fide, non tibi esse nisi à Deo. Sed respondes mihi, Tu hoc dicis, proba quod dicis. Probo: ipsum Apostolum testem vocabo. Ecce habetis: Apostolus dixit, *Pax fratribus, & caritas cum fide.* Ipse dixit. Quid ipse dixit? Vide, sequitur, *Pax fratribus, & caritas cum fide, à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.* Quid ergo habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Nam si gloriatus est Abraham, ex fide gloriatus est. Quæ est fides plena & perfecta? Quæ credit ex Deo esse omnia bona nostra, & ipsam fidem. Iterum dicit Apostolus, Misericordiam consecutus sum. O confessio! Non ait, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed, ut fidelis essem, misericordiam consecutus sum.

Omnia bona, & ipsa etiam fides à Deo est. — * De grat. & libero arb. c. 18. — 2. Cor. 2. 31. — 1. Cor. 4. 7. — Fides plena. — 1. Cor. 7. 25.

4. Veniamus ad ejus primordia, videamus Saulum sævientem, spectemus furentem, spectemus odia anhelantem, sanguinemque sitientem. Spectemus, Fratres, eum, magnum spectaculum. Ecce post Stephani necem, post effusum testis Dei lapidibus sanguinem, ubi vestimenta servabat lapidantium, ut & in eorum etiam manibus lapidaret, tunc dispersi sunt fratres, qui erant Jerosolymis congregati; & ille sæviens cui parum erat vidisse & fudisse sanguinem Stephani, accepit litteras à principibus sacerdotum, ut iret Damascum, & quoscumque ibi inveniret Christianos, vinctos adduceret. Et ibat. Hæc Pauli via erat, cujus via nondum erat Christus; adhuc Sauli, nondum Pauli. Ibat. Quid habebat in corde? Quid, nisi malum? Date mihi merita ejus. Si merita quæris, damnationis sunt, non liberationis. Ibat ergo sævire in membra Christi, ibat sanguinem fundere, ibat lupus pastor futurus: sic ibat. Non enim poterat aliter ire ad illa, propter quæ ibat. Et cùm sic ambulat, cogitat, anhelat cædes; cùm ducit pedes ejus ira, movet membra odium, dum pergit & ambulat, obtemperat mancipium crudelitati: & ecce vox de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Ecce quare dixit, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Erat infidelis; parum est, erat in ipsa infidelitate crudelis: sed misericordiam consecutus est, ut fidelis esset. Quid dicturus es Deo dicenti, Hoc volo? Ergo, Domine, ille qui tanta fecit, tanta mala in sanctos tuos facere cupiebat, tali eum misericordiâ dignum existimas? Hoc volo. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

CAPUT IV. Gratia data infideli & persecutori crudeli. — Act. 7. 57. — Act. 9. — Act. 9. 4. — 1. Cor. 7. 25. — Matth. 20. 15.

[a] Titulus in editis libris fuerat imprudenter confusus cum Sermonis exordio, quod ab istis verbis ducebatur, *Secundum vasis electionis confessionem &c.*

[b] MSS. *de fide disputantem.*

CLASSIS I.

*CAPUT V. Et fides & oratio ex Dei gratia. Rom. 10. 14.

5. * Habete fidem: sed ut habeatis fidem, orate [a] fide. Sed orare fide non possetis, nisi fidem haberetis. Non enim orat, nisi fides. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? aut quomodo prædicabunt, si non mittantur? Ideo loquimur, quia missi sumus. Audite nos, audite illum per nos. Ergo ait aliquis, Invocamus Deum, ut det nobis perseverare in his bonis quæ habemus, & [b] addat bona quæ non habemus. Præcessit ergo fides quæ rogat. Certè totum dat Deus. Ut enim daret mihi, rogavi: ut rogarem, priùs credidi. Ergo mihi dedi quod credidi, & Deus dedit quod credens oravi. Solvatur quæstio: non enim parva est. Hoc te video loqui, quia tu prior dedisti aliquid Deo, ut cetera daret tibi. Dedisti quippe illi fidem tuam, & orationem tuam. Et ubi est quod ait Apostolus, Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Ecce qualis vis esse. Ergo prior dedisti Deo, & hoc dedisti quod tibi non dedit Deus? Invenisti unde dares? Homo mendice unde habuisti? Ergo unde dares aliquid habuisti? Quid enim habes, quod non accepisti? Ergo de Dei das Deo: ex eo quod tibi dedit, à te accipit. Nam mendicitas tua, nisi ipse prior dedisset, inanissima remaneret.

b Pelagiana objectio. V. lib. de grat. & libero arb. c. 14.

Rom. 11. 34. & 35.

Fidem donū Dei esse probat oratio facta pro Saulo infideli.

6. Audite unde hoc evidentiùs probetis. Ecce vos quia credidistis, accepistis: quid dicimus de his qui nondum crediderunt, qualis erat Saulus, qui nondum crediderat? Accepit autem ut crederet: postea quàm credidit Christo, tunc cœpit invocare Christum. Ab illo accepit ut crederet, & credendo invocaret, invocando cetera acciperet. * Quid putamus, Fratres? Saulus antequam crederet, orabant pro illo qui crediderant, an non orabant? Dicatur mihi, si non pro illo orabant, quare dixit Stephanus, Domine, ne statuas illis hoc peccatum? Orabatur & pro illo, & pro aliis infidelibus, ut crederent. Ecce nondum habebant fidem, & orationibus fidelium accipiebant fidem. Nondum habebant quod Deo offerrent; quia [c] nondum erant misericordiam consecuti, ut fideles essent. Denique postea quàm Saulus iste conversus est, una voce elisus & levatus, elisus persecutor, levatus prædicator: postea quàm cœpit evangelizare fidem, quam aliquando vastabat, quid de se dixit? Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo: tantùm autem audiebant, quia is qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat; & in me magnificabant Deum. Numquid dixit, Et in me magnificabant me? Et in me, qui evangelizabam fidem, quam aliquando vastabam, non me magnificabant, sed Deum. Ergo ipse fecit, ut Saulus depositâ tunicâ [d] veteri, peccatis pannosâ, cædibus sanguineâ, ut depositâ istâ tunicâ, acciperet tunicam humilitatis, & fieret de Saulo Paulus.

*CAPUT VI.

Act. 7. 59.

Gal. 1. 23. & 24.

CAPUT VII. 1. Cor. 15. 9.

7. Quid est Paulus? Minimus. Ego enim sum minimus Apostolorum. Ecce quid est Paulus. Paulum enim Latinè modicum est. Sic loquimur, quando dicimus, Post paulum video te: Paulo pòst facio illud. Quid est, paulo pòst? Modico pòst: post paulum, post modicum. Quare ergo Paulus? Quia modicus. Modicus, quia novissimus. Ego enim sum, inquit, novissimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Bene dicis: unde debuisti damnari, ab eo accepisti unde debeas coronari. A quo accepisti unde debeas coronari? A quo accepit, vultis audire? Nolite me, ipsum audite: Non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei; sed gratia Dei sum id quod sum. Ergo quod eras, iniquitate tua eras: quod es, gratiâ Dei es. Et gratia ejus, inquit, vacua in me non fuit. Ecce evangelizat fidem, quam aliquando vastabat: nec gratia ipsa vacat in illo, qui ait, In me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi. Observa, erigere te cœpisti. Ubi es Paule? Certè modicus eras. Plus omnibus illis laboravi. Dic unde? Quid enim habes quod non accepisti? Statim respexit: & cùm dixisset, Plus omnibus illis laboravi; quasi expavit ad verba sua: & mox subjecit se humilem Paulum, Non autem ego, sed gratia Dei mecum.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Paulus, id est modicus, gratiæ in se collatæ prædicator.

1. Cor. 15. 9. & 10.

1. Cor. 4. 7.

1. Cor. 15. 10.

8. Ergo, Fratres mei, ut noveritis etiam fidem à Domino Deo esse nobis, * orate pro illis qui nondum crediderunt. Si quis habet amicum fortè infidelem, moneo illum ut oret pro illo. Verè opus est ut ego illum moneam? Maritus Christianus est, uxor infidelis est: non orat pro uxore sua, ut credat? Uxor est Christiana, maritus infidelis est: non orat mulier religiosa pro marito suo, ut credat? Quando hoc orat qui orat, quid orat, nisi ut Deus det illi fidem? Ergo donum Dei est fides. Nemo se extollat, nemo sibi arroget, quasi sibi aliquid dederit. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

* f. orationis

Oratur pro infidelibus, ut credant.

1. Cor. 1. 31.

* SERMO CLXIX.

* Aliàs 15 de verbis Apostoli.

De verbis Apostoli, Philip. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritui Dei servimus &c. *Contra Pelagianos.*

Habitus [e] ad Mensam S. martyris Cypriani.

CAPUT I.

1. AD Apostolicam lectionem aures & animum intendat Sanctitas Vestra, adjuvando nos affectu [f] vestro apud Dominum Deum nostrum, ut ea quæ ille nobis revelare dignatur, ad vos aptè atque salubriter proferre possimus. Ergo cùm legeretur, audistis dicentem apostolum Paulum, *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritui Dei servimus.* Scio plerosque codices habere, *Qui spiritu Deo servimus.* Quantum autem inspicere potuimus, plures Græci hoc habent, *Qui spiritui Dei servimus.* Sed non ibi quæstio est. Manifestum est enim utrumque, & congruum regulæ veritatis, quia & spiritui Dei servimus, & non carne, sed spiritu Deo servimus. Carne enim servit Deo, qui de rebus carnalibus sperat se placere Deo. Cùm verò & ipsa caro ad bona opera spiritui subditur, spiritu servimus Deo: quia carnem domamus, ut spiri-

Philip. 3. 3.

Spiritu Deo servire, quid sit.

[a] Vox *fide* hoc & proximo loco redundare videtur.
[b] Sic MSS. Editi autem, *& addere bona.*
[c] MSS. *quia misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent.*
[d] Sic MSS. At editi, *tunicâ veteris peccati pannosâ.*

[e] Sic in Romano PP. Cisterciensium exemplari. Sermonem citat Florus ad Rom. 5. & 9. ad Ephes. 2. ad Philip. 2. & 3.
[f] Am. Er. & plerique MSS. *affectu apud Dominum Deum nostrum, ut ea quæ illic nobis &c.*

Classis I.

tus obtemperet Deo. Spiritus enim regit, caro regitur: nec spiritus bene regit, si non regatur.

Circumcisio & justitia quomodo nos sumus.

2. Cùm ergo ait, *Nos sumus circumcisio*; videte quid voluerit intelligi in illa circumcisione, quæ in umbra data est significante, quæ remota est luce veniente. Cur autem non dixerit, Nos habemus circumcisionem; sed, *Nos sumus circumcisio*: sic accipite hoc voluisse Apostolum dicere, Nos sumus justitia. Circumcisio enim justitia est. Magis autem commendat, quòd dicit B dicendo nos esse justitiam, quàm dicendo nos esse justos: ita tamen ut cùm justitiam dicit esse, justos intelligamus. Non enim sumus illa incommutabilis justitia, cujus participes facti sumus: sed quemadmodum dicitur, Magna ibi juventus est, pro multis juvenibus; sic dicitur justitia, ut intelligantur justi. Audite hoc ipsum evidentiùs, eodem dicente Apostolo, Ut nos, inquit, simus justitia Dei in ipso. Nos simus justitia, non nostra, sed Dei, ab illo accepta, non à nobis as- C sumta; impartita, non usurpata; donata, non rapta. Cuidam enim rapina erat esse æqualis Deo: & quoniam quæsivit rapinam, invenit ruinam. Dominus autem noster Jesus Christus, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo. Cui enim æqualitas Dei natura erat, rapina non erat. Sed tamen semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, ut nos essemus justitia Dei in ipso. Si enim ille paupertatem vitaret, nos paupertate non careremus. D Pauper enim ille factus est, cùm dives esset; ut » illius paupertate, sicut scriptum est, nos ditaremur. Divitiæ illius quid nos facturæ sunt, cujus paupertas nos divites facit? Apostolus ergo non tibi negavit circumcisionem, sed exposuit; lucem prætendit, umbram removit.

2. Cor. 5. 21. Justitia nostra ex Dei dono. Florus ad Philip. 2. 2. Cor. 8. 9.

Caput II. Circumcisio spiritalis gloriantium in Christo. Philip. 3. 19. Psal. 110. 10.

3. *Nos sumus*, inquit, *circumcisio, qui spiritu Deo servimus, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fidentes.* Respexit quosdam in carne fidentes: ipsi erant qui de carnis circumcisione E gloriabantur. De quibus alio loco dicit, Quorum Deus venter est, & gloria in pudendis eorum. Intellige tu circumcisionem, & esto circumcisio: intellige, & esto. Intellectus enim bonus, sed omnibus qui faciunt eum. Non utique frustra octavo die jussus est infans circumcidi, nisi quia petra, qua circumcidimur, Christus erat. Cultellis enim petrinis circumcisus est populus: Petra autem erat Christus. Quare ergo octavo die? Quia in hebdomadibus idem primus qui octavus. F Completis enim septem diebus, reditur ad primum. Finitur septimus, Dominus sepultus: reditur ad primum, Dominus resuscitatus. Domini enim resuscitatio promisit nobis æternum diem, & consecravit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipse videtur propriè ad Dominum pertinere: quia eo die Dominus resurrexit. Reddita est petra, circumcidantur qui volunt dicere, *Nos enim sumus circumcisio*. Traditus est enim propter peccata nostra, & resurrexit pro- G pter justificationem nostram. Justificatio tua, circumcisio tua, non est à te. Gratiâ salvi facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus. Ne fortè dicas, Promerui, & ideo accepi. Non putes te promerendo accepisse, qui non promerereris, nisi accepisses. Gra-

Gen. 17. 12. Levit. 12. 3. Josue 5. 2. 1. Cor. 10. 4. Circumcisio quare octavo die fiebat. Dominicus dies. Rom. 4. 25. Ephes. 2. 8. Florus ibidem.

A tia præcessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito; emisti, non gratis accepisti. Pro nihilo, inquit, salvos facies eos. Quid est, Pro nihilo salvos facies eos? Nihil in eis invenis unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita mea. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes.

Serm. de Scripturis. Psal. 55. 8.

Caput III. Philip. 3. 3. 1. Cor. 1. 31. Fidere in carne. ℣. 4.

4. *Nos* ergo, inquit, *sumus circumcisio*, *qui spiritui Dei servimus, & gloriamur in Christo Iesu.* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Et non in carne fidentes.* Et quid est, fidere in carne? Audite, inquit. *Quamquam ego*, inquit, *habeam fiduciam & in carne. Si quis alius in carne putat se habere fiduciam, magis ego.* Ne arbitremini, inquit, me hoc contemnere, quod non habeo. Quid magnum est, si homo abjectus, plebeius, ignobilis, contemnat nobilitatem, & tunc exhibeat veram humilitatem? *Quamquam ego*, inquit, *habeam fiduciam & in carne.* Ideo vos, inquit, doceo contemnere, quoniam videtis me habere quod contemnam. *Si quis alius in carne putat se habere fiduciam, magis ego.*

℣. 5. Paulo caussa gloriandi in carne quæ fuerit.

5. Et audi in carne fiduciam: *Cirumcisione octavi diei*; id est, non proselytus, non advena ad populum Dei, non major circumcisus, sed à parentibus natus Judæus, habeo circumcisionem octavi diei. *Ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm Legem Pharisæus.* Primarii quidam erant, & quasi ad nobilitatem Judaicam segregati, non contemtibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi. Nam dicitur hoc verbum, quasi segregationem interpretari, quomodo in Latina lingua dicitur egregius, quasi à grege separatus. Fuerunt autem Israëlitæ, id est, ex genere Israël, etiam illi qui separati fuerant à templo. Remansit autem ad templum tribus Juda, & tribus Benjamin. Tribus Levi in sacerdotibus, tribus Juda regia, & tribus Benjamin, hoc solum [a] remansit ad Jerusalem & ad templum Dei, quando facta est separatio illa in servo Salomonis. Non ergo leviter accipiatis quod ait, *tribu Benjamin*: inhærens Judæ, non recedens à templo. *Hebræus ex Hebræis, secundùm Legem Pharisæus*, * *secundùm æmulationem persequens Ecclesiam.* Inter merita sua commemorat quòd fuerit persecutor: *secundùm æmulationem*, inquit. Quam æmulationem? Non eram, inquit, piger Judæus: quidquid erat quod Legi meæ adversarium videretur, impatienter ferebam, acriter insequebar. Hæc apud Judæos nobilitas: sed apud Christum quæritur humilitas. Ideo ibi iste Saulus, hîc Paulus. Saulus à Saüle nomen derivatur. Qui fuerit Saül, nostis: ipsius electa est statura [b] proceris. Sic eum describit Scriptura, quòd supereminens esset omnibus, quando electus est ut ungueretur in regem. Non fuit sic Paulus, sed factus Paulus. Paulus enim parvus, ideo Paulus modicus. Ergo, *secundùm æmulationem*, inquit, *persequens Ecclesiam.* Hinc intelligant homines, qualis apud Judæos fuerim, qui Christi Ecclesiam persequebar æmulatione traditionum paternarum.

Pharisæi. Egregius. 3. Reg. 12. ℣. 6. 1. Reg. 9. 2.

Caput IV. Item ℣. 6.

6. Addit, *Secundùm justitiam quæ est in Lege, qua fuerim sine querela.* Novit Caritas Ve-

[a] Sic MSS. Editi verò, *remanserat in Jerusalem.*

[b] Lov. *procera.* Alii editi & MSS. *proceris.*

CLASSIS I.

Ambulare in lege sine querela. *Luca* 1. 6.

stra, dictos esse sine querela ambulasse in omnibus justificationibus Domini Zachariam & Elisabeth. In omnibus, inquit Scriptura, justificationibus Domini ambulantes sine querela. Ecce hoc erat & Paulus noster, quando Saulus erat. In lege sine querela ambulabat: & quod in eo fuit sine querela, hoc de illo faciebat magnam querelam. Quid ergo putamus, Fratres, esse sine querela secundùm justitiam, quæ in lege est, malum est? Si malum est, secundùm justitiam quæ in lege est, esse sine querela; ergo aliquid mali est lex? Sed habemus eumdem Apostolum dicentem, Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Si lex sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum; secundùm justitiam quæ est ex lege sancta, conversari sine querela, quomodo potest non esse bonum? quomodo potest non esse sanctum? An fortè sanctum est? Audiamus ipsum Apostolum; videte quid dicat: *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum damna esse duxi.* Damna sua dicit, & inter damna sua computat, quòd in justitia, quæ est in lege, fuerit sine querela. *Verumtamen*, inquit, *& arbitror omnia damna esse propter eminentem scientiam Christi Iesu Domini nostri.* Adtendo, inquit, laudes meas, comparo eminentiæ Domini nostri Jesu Christi. Illud sitio, hoc contemno. Parum est hoc: *Propter quem arbitror*, inquit, *omnia non solùm detrimenta esse, verùm & stercora existimavi esse, ut Christum lucrifacerem.*

Rom. 7. 12. — ℣. 7. — ℣. 8.

CAPUT V. Justitia ex lege cur à Christo removeat.

7. Quæstio major exorta est, ô Paule! Si secundùm justitiam, quæ in lege est, versabaris sine querela, & hoc in detrimentis tuis, in damnis, in stercoribus computas, ut Christum lucrifacias; ergo justitia illa à Christo prohibebat? Obsecro te, expone hoc paululùm. Deo potiùs dicamus, ut illuminet & nos, à quo ipse illuminatus est, qui epistolam istam scripsit nobis, non atramento, sed Spiritu Dei vivi. Videtis, Carissimi, quàm sit arduum, quàm difficile intelligere hoc, cùm constet legem sanctam esse, & mandatum sanctum, & justum, & bonum; constetque omnino inter fideles catholicos; ita ut nemo dissentiat, nisi qui non vult esse catholicus, hanc legem non datam nisi à Domino Deo nostro; secundùm istam justitiam, quæ in lege est, conversari sine querela, impedimentum fuisse Apostolo, ne veniret ad Christum; nec eum venisse ad Christum, nisi hoc quod fuit secundùm justitiam, quæ in lege est, sine querela, inter damna & detrimenta & stercora computasset. Sequamur ergo, & accedamus aliquantùm, ne fortè in ipsis verbis Apostoli elucescat nobis aliquid, unde ista removeatur & solvatur obscuritas. *Detrimenta*, inquit, *credidi hæc omnia, & stercora existimavi, ut Christum lucrifaciam.* Intendite, obsecro. Damna, detrimenta, stercora ista existimavi, in quibus etiam illud commemoro, quòd fuerim sine querela secundùm justitiam, quæ in lege est. *Existimavi* ergo *hæc omnia detrimenta & stercora, ut Christum lucrifaciam,* * *& inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est.* Qui prævenistis intellectu expositionem, arbitramini vos tamquam veloces in via cum tardioribus ambulare. Celeritas aliquantùm reprimatur, ne comes tardior deseratur. *Vt Christum*, inquit, *lucrifaciam, & inveniar in illo, non ha-*

℣. 9.

SERM. DE SCRIPTURIS.

A *bens meam justitiam, quæ ex lege est.* Si meam dixerat, quare addidit *ex lege*? Si enim ex lege est, quomodo tua est? Numquid tu tibi imposuisti legem? Deus legem dedit, Deus legem imposuit, Deus legi suæ te obtemperare præcepit. Lex si non te doceret quemadmodum vivere deberes, quomodo posses habere justitiam sine querela secundùm legem? si secundùm legem habes, quomodo dicis, *Non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est à Deo?*

CAPUT VI. Solutioně quæstionis aggreditur. a *Exodi* 20. 16. Justitia ex lege, cùm legi timore obeditur.

B 8. Jam ergo dicam ut potero: revelet melius qui vos possidet, donet & intellectum & affectum. Donabit enim effectum, si donabit affectum. [a] Hoc est enim quod volo dicere: Lege Dei proposita, ipsa enim dixit, Non concupisces: Lege ergo Dei proposita, exceptis illis carnalibus sacramentis, quæ fuerunt umbræ futurorum; lege Dei proposita quisquis tumuerit, & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, C sed timendo pœnam; fuit quidem secundùm justitiam, quæ ex lege est, homo sine querela; non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui: potest hoc, potest fortassis; unde? Timore pœnæ. Quamquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. Terrore ingenti armorum atque telorum, & circumdantis forsitan multitudinis vel obviàm euntis, etiam leo revocatur à præda: & tamen leo D venit, leo redit; prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia est, qua justitiâ tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est, pœnam timere? Quis eam non timet? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quòd latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam si E fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus; latratu canum & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus: ipse tamen semper est lupus. In ovem vertatur. Facit enim & hoc Dominus: sed ipsa est justitia ejus, non tua. Nam quamdiu habes tuam, potes timere pœnam, non amare justitiam. * Ergo, Fratres mei, habet delicias suas iniquitas, & justitia non habet? Delectat malum, & non delec- F tat bonum? Delectat omnino: sed, Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Ille nisi prior det suavitatem, terra nostra non habebit nisi sterilitatem. Hanc ergo justitiam concupivit Apostolus, delectatus est: memor fuit Dei, & delectatus est: concupivit anima ejus, & æstuavit in atria Domini; & viluerunt omnia, quæ pro magno habebat, facta sunt damna, detrimenta, stercora.

Timore pœnæ concupiscentia non tollitur.

* CAPUT VII. Justitiæ delectatio donum Dei. *Psal.* 84. 13. *Psal.* 76. 4. *Psal.* 83. 3.

9. Hinc enim erat & illud, quòd Ecclesiam G persequebatur secundùm æmulationem paternarum traditionum; inde erat, quia suam justitiam constituebat, non justitiam Dei quærebat. Videte enim, quia inde persequebatur Ecclesiam. Quid ergo dicemus? ait alio loco ipse Apostolus: Quia gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam. Sed quam? Justitiam au-

Saulus Ecclesiæ persecutor, quia justitiam suam constituens. *Gal.* 1. 14. *Rom* 9. 30. *&c.* *Florus ibidem.*

a Hic apud Lov. additur, *Donabit autem affectum, si donaverit intellectum*: quod ab aliis editis & à nostris MSS. abest.

Classis I. " tem quæ ex fide est. Gentes autem quæ non sectabantur justitiam, quæ ex lege est, quasi propriam suam, quæ fit de timore pœnæ, non de amore justitiæ; quia non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem quæ ex fide est. Israël autem, inquit, persequens legem justitiæ in legem [a] justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide. Quid est, Quia non ex fide? Non speravit in Deum, non illam petivit à Deo, non credidit in eum qui justificat impium: (Rom. 4. 5.) non fuit similis publicano oculos in terram dejicienti, pectus suum percutienti, & dicenti, Domine, propitius esto mihi peccatori. (Luc. 18. 13.) Ergo persequens legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis. Ecce unde Saulus persequebatur Ecclesiam. Quando enim persequebatur Ecclesiam, in lapidem offensionis offendebat. Christus humilis in terra jacebat: in cælis quidem & ipse erat, levata illò carne sua à mortuis resuscitata; sed nisi & in terra Christus jaceret, non ipse Saulo clamaret, Quid me persequeris? (Act. 9. 4.) Ergo ille jacebat, quia humilitatem præferebat: ille offendebat, quia non videbat. Et totum hoc non videre, unde erat? De tumore superbiæ. Quid est, De tumore superbiæ? Quasi de justitia sua. Ex lege quidem, sed sua. Quid est, Ex lege? Quia in mandatis legis. Quid est, De sua? Tamquam de viribus suis. Amor deerat, amor justitiæ, amor caritatis Christi. Et unde illi amor? Solus illum possidebat timor, sed caritati venturæ locum in corde servabat. Cùm sæviret erectus, jactabundus, glorians apud ipsos Judæos, quòd secundùm æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam; cùm sibi videretur excelsus, audivit de super vocem Domini nostri Jesu Christi, jam in cælo sedentis, & adhuc humilitatem commendantis, Saule, inquit, Saule, quid me persequeris? (Act. 9. 4. & 5.) Durum est tibi, adversùs stimulum calces mittere. Possem te dimittere: tu enim vexareris punctionibus meis, non ego frangerer calcibus tuis: sed non te dimitto. Sævis, & misereor. Quid me persequeris? Non enim timeo te, ne iterum crucifigas me: sed volo agnoscas me, ne occidas non me, sed te.

(Caput VIII. Deut. 32. 39. Justitiam suam horruit Paulus, ut haberet justitiam à Deo.) 10. Horruit ergo Apostolus, percussus & prostratus, erectus & instructus. Factum enim est in illo: Ego percutiam, & ego sanabo. Non enim ait, Sanabo, & percutiam: sed, Percutiam, & sanabo. Percutiam te, & dabo tibi me. Sic prostratus horruit justitiam suam, in qua erat certè sine querela, laudabilis, magnus, quasi gloriosus apud Judæos: detrimenta existimavit, damna credidit, stercora deputavit, *ut inveniretur in illo non habens suam justitiam, quæ ex lege est; sed eam quæ per fidem est Christi*, *quæ est*, inquit, *ex Deo*. Illi autem qui offenderunt in lapidem offensionis, quid de illis dicit ipse Apostolus? (Rom. 9. 32. & 33.) Quia non, inquit, ex fide, sed tamquam ex operibus. Quia ipsi quasi suâ justitiâ offenderunt in lapidem offensionis: sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali; & qui crediderit in eum, non confundetur. (Isa. 28. 16.) Qui enim crediderit in eum, non habebit suam justitiam, quæ ex lege est, quamvis sit bona lex; sed implebit ipsam legem, non suâ justitiâ, sed datâ ex Deo. Ita enim non confun- A detur. Caritas enim est legis plenitudo. (Rom. 13. 10.) Et unde ista caritas diffusa est in cordibus nostris? (Rom. 5. 5.) Non utique à nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Offenderunt ergo illi in lapidem offensionis, & petram scandali. (Rom. 9. 32.) Et ait de illis, Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis in salutem. (Rom. 10. 1.) Deprecatur Apostolus pro non credentibus, ut credant; pro aversis, ut convertantur. Videtis quia nec ipsa conversio sine Dei adjutorio. Deprecatio, inquit, B ad Deum pro illis ad salutem. Testimonium enim perhibeo, quia zelum Dei habent. (Ibidem 2.) Sic habebat & ipse: zelum Dei habebat. Sed quomodo ipse habebat? Quomodo illi habebant: Sed non secundùm scientiam. Quid est hoc, non secundùm scientiam? Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere. (Ibidem 3.) Unde iste correctus inquit, *Non habens meam justitiam.* Illi volunt suam constituere, adhuc eos delectat in stercore jacére. Ego non habeo meam justi- C tiam, sed eam quæ est per fidem Christi, justitiam ex Deo; justitiam, inquam, ex Deo, qui justificat impium.

(Caput IX. Justitia nobis vera non est nisi ex gratia.) 11. Tolle te, tolle, inquam, te à te, impedis te: si tu te ædificas, ruinam ædificas. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. (Psal. 126. 1.) Noli ergo velle habere justitiam tuam. Certè ex lege est, nempe ex lege est: certè Deus dedit legem, & quia justitia ex lege est, non sit tua. Apostolus Paulus loqui- D tur: mihi amantes justitiam suam non calumnientur. Ecce ubi illum habes: aperi, lege, audi, vide. Tuam justitiam noli habere: stercora illam deputat Apostolus, quamvis sit ex lege, tamen quia suam. Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. (Rom. 10. 3.) Noli putare quia Christianus vocaris, ideo te non posse offendere in lapidem offensionis. (In Christū offendit, qui derogat gratiæ ipsius.) Cujus gratiæ derogas, in ipsum offendis. Minus est offendere Christum in cruce penden- E tem, quàm in cælo sedentem. Justitia sit, sed ex gratia sit, à Deo tibi sit; non tua sit. Sacerdotes tui, inquit, induantur justitiam. (Psal. 131. 16.) Vestis accipitur, non cum capillis nascitur: pecora de suo vestiuntur. Hanc prædicat apostolus Paulus: à Deo tibi sit. Geme ut impetres, plora ut impetres, crede ut impetres. Qui, inquit, invocaverit nomen Domini, salvus erit. (Joel 2. 32.) An putatis sic dictum esse, Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quasi à febre, aut à peste, aut à po- F dagra, aut aliquo dolore corporis? Non sic, sed salvus erit, justus erit. Quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. (Matth. 9. 12.) Exposuit cùm dixit, Non veni vocare justos, sed peccatores. (Ibidem 13.)

(Caput X. ℣. 9.) 12. Videte ergo quid sequitur. *Et inveniar*, inquit, *in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est*; quamvis ex lege, tamen meam: *sed eam quæ est per fidem Christi*; quæ impetratur à Deo, *quæ est ex Deo, justitiam in fide*, * *ad cognoscendum eum*, (℣. 10. Magnum est cognoscere virtutem resurrectionis Christi.) G *& virtutem resurrectionis ejus.* Aliquid magnum est, agnoscere virtutem resurrectionis Christi. Hoc putatis esse magnum, quia carnem suam resuscitavit? Ipsam dixit virtutem resurrectionis ejus? Nonne erit etiam nostra in fine sæculi resurrectio? Nonne & nostrum corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet (1. Cor. 15. 54.)

[a] MSS. hoc & proximo loco, *in legem non pervenit*, omissa voce *justitiæ*.

Rom. 6. 9. Resurrectio nostra mirabilior.

immortalitatem? Nonne quomodo ipse resurrexit à mortuis, & jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur, sic & nos, mirabiliùs, ut ita dicam? Nam illius caro non vidit corruptionem, nostra de cinere reparatur. Magnum est quidem, quia præcessit in exemplo, &* dedit nobis quid speraremus: sed non hoc est solum illi qui de justitia loquebatur non sua, sed illa quæ ex Deo est, & ibi nominavit virtutem resurrectionis Christi: agnosce ibi justificationem tuam. Ex illius enim resurrectione justificamur, tamquam à petra circumcidamur. Propterea inde cœpit, *Nos sumus circumcisio.* Unde circumcisio? A petra. Qua petra? Christo. Quomodo? Octavo die. Quomodo resurrexit Dominus Dominico die.

* *f.* ostendit.

Caput XI. Justificatio nostra ex gratia, non sine nostra voluntate. *1. Cor. 15. 55.*

13. Hanc ergo, Fratres mei, justificationem & habeamus inquantum habemus, & augeamus inquantum minores sumus, & perficiamus cùm illuc venerimus, ubi dicetur, Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus? Sed totum ex Deo: non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest [a] præter voluntatem tuam. Demonstratum est quid agere debeas: jussit lex, Non facias illud, non illud; fac hoc atque illud. Demonstratum est tibi, jussum est tibi, apertum est tibi, [b] si tibi est cor, intellexisti quid facias: roga ut facias, si cognoscis virtutem resurrectionis Christi. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Quid est, propter justificationem nostram? Ut justificet nos, ut justos faciat nos. Eris opus Dei, non solùm quia homo es, sed etiam quia justus es. Melius est enim justum esse, quàm te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, & justum tu te facis; melius aliquid facis quàm fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem. Tamen ipse justificat, ne sit justitia tua, ne redeas ad damna, ad detrimenta & stercora, invenire in illo non habens justitiam tuam, *quæ ex lege est, sed justitiam per fidem Christi, quæ est ex Deo: justitiam ex fide, ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis ejus, & communicationem passionum ejus.* Et ipsa virtus tua erit; communicatio passionum Christi, virtus tua erit.

Rom. 4. 25.

Communicatio passionum Christi ex caritate.

14. Quid autem erit in communicationibus passionum Christi, si caritas non erit? Nonne inveniuntur torti latrones in tanta fortitudine corporum, ut quidam eorum non solùm conscios prodere noluerint, sed nec nomina sua confiteri dignati sint, inter cruciatus, inter tormenta, effossis lateribus, & penè perditis membris, manserit animus in obstinatione nequissima? Vide ergo quid amabant. Facere tamen ista sine magno amore non poterant. Sed non sic amator Dei. Deus non amatur, nisi de Deo. Amavit ille nescio quid aliud de carne, sicut homo. Quodlibet amaverit, socios suos amaverit, conscientiam scelerum amaverit, gloriam in facinoribus amaverit, quodlibet amaverit; multùm amavit, qui torqueri potuit, deficere non potuit. Si ergo ille non potuit, qui torqueri potuit, deficere non potuit; si ergo ille non potuit tanta perferre sine amore; nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore.

Caput XII. *1. Cor. 13. 3.* Caritas & dilatatio cordis à Spiritu sancto.

15. Sed quæro quo amore. Non sit cupiditas, sed sit caritas. Si enim, inquit, tradidero corpus meum ut ardeam, & caritatem non habeam; nihil mihi prodest. Ut prosit tibi communicatio passionum Christi, caritas adsit. Unde tibi caritas? O mendicissima infirmitas, unde tibi caritas Dei? Vis ostendo tibi unde sit tibi? Ipsum interroga horrearium Dominicum. Si enim in te fuerit caritas Dei, communicabis Christi passionibus & verus eris martyr. In quo caritas coronatur, ipse erit verus martyr. Unde ergo tibi? Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ait ipse Apostolus, ut eminentia virtutis sit Dei, & non ex nobis. Ergo unde tibi caritas, nisi quia diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis? Ecce ad quod geme. Contemne spiritum tuum, accipe Spiritum Dei. Non timeat spiritus tuus, ne cùm cœperit in te habitare Spiritus Dei, angustias patiatur in corpore tuo. Cùm habitare in corpore tuo cœperit Spiritus Dei, non inde excludet spiritum tuum: noli timere. Si divitem aliquem hospitio susci-pias, pateris angustias, ubi maneas tu non invenis, ubi illi lectus paretur, ubi conjunx, ubi filii, ubi familia. Quid ago, inquis? Quò eo? quò migrabo? Suscipe divitem Spiritum Dei: dilataberis, non angustaberis. Dilatasti gressus tuos subter me: dicis. Hospiti tuo dicturus es, Dilatasti gressus meos subter me. Quando non hîc eras, angustias patiebar: implesti cellam meam, & non me exclusisti, sed angustiam meam. [c] Cùm enim dicit, Caritas Dei diffusa est, ipsa diffusio latitudinem significat. Non ergo timeas angustias, recipe hospitem istum: & non sit hospes quasi de transeuntibus. Non enim [d] habet dare discedendo: veniens habitet in te, & dedit. Ipsius esto, non te deserat, non inde migret: tene illum omnino, & dic illi, Domine Deus noster, posside nos.

2. Cor. 4. 7.

Florus ad Rom. 5.

Psal. 17. 37.

Isai. 26. 13. sec. LXX.

Caput XIII. *Rom. 6. 4.*

16. Ergo ad hoc, inquit, habeamus justitiam, quæ ex Deo est, ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis ejus, & communicationem passionum ejus, conformati morti ipsius. Consepulti enim, inquit, sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus surrexit à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus. Morere, ut vivas: sepelire, ut resurgas. Cùm enim sepultus fueris, & resurrexeris; tunc verum erit, Sursum cor. Sapuit quod dixi. Numquid iste sermo saperet, nisi esset in vobis interna dulcedo? *Conformatus*, inquit, *morti ipsius*, * *si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum.* De justitia loquebatur, justitia quæ est ex fide Christi, justitia quæ à Deo est, & sic cuncta exsecutus est. Et cùm justitiam quæreret, dicens, *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed justitiam quæ est*

℣. 11. ℣. 9.

[a] Sic MSS. At editi, *non potest nisi per voluntatem.*
[b] Am. Er. & aliquot MSS. *apertum est tibi cor.*
[c] Lov. *sed angustiam meam dilatasti.* Verbum, *dilatasti*, abest ab Am. Er. & à MSS.
[d] MSS. *debet dare.* Et paulò pòst iidem libri cum Am. & Er. pro *& dedit*, ferunt *& debet.*

ex

Classis I.

ex fide Christi, quæ est ex Deo: dicit modò, *Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum.* Quare dixisti, *Si quo modo occurram?* * *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo apprehendam, in quo & apprehensus sum à Christo Iesu.* Prævenit me justitia ipsius, sequatur illum mea. Tunc autem sequetur mea, si non sit mea. *Si quo modo occurram. Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Cœperunt mirari, qui hoc audiebant dicentem Apostolum: *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Quid est quod nondum acceperat? Fidem habebat, virtutem habebat, spem habebat, caritate flagrabat, virtutes operabatur, invictissimè prædicabat, omnes persecutiones tolerabat, in omnibus patiens, amans Ecclesiam, sollicitudinem omnium Ecclesiarum corde gestans: quid nondum acceperat? *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Quid est quod dicis? Dicis, & miramur; dicis, & stupemus. Novimus enim quid audiamus: quid dicis? *Fratres,* ait. Quid est quod dicis? quid dicis? *Ego me non arbitror apprehendisse.* Nolite, inquit, in me falli: plus me ipse novi quàm vos. Si nescio quid mihi desit; nescio quid adsit. *Ego me ipsum non arbitror apprehendisse. Vnum autem:* hoc non me arbitror apprehendisse. Multa habeo, & unum nondum apprehendi. Unam petii à Domino, hanc requiram. Quid petisti, aut quid requiris? Ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Ut quid? Ut contempler delectationem Domini. Ipsum est unum, quod se dicebat nondum apprehendisse Apostolus: & quantum illi deerat, in tantum nondum perfectus erat.

[Margin: ℣. 12. Apostolus imperfectū se profitetur. — ℣. 13. — Psal. 26. 4.]

Caput XIV. Lucæ 10. Marthæ & Mariæ officia.

17. Meministis, Fratres mei, Evangelicæ illius lectionis, ubi duæ sorores Dominum susceperunt, Martha & Maria. Certè recolitis, Martha in multo ministerio conversabatur, & occupata erat circa curam [a] domûs; quippe Dominum hospitio receperat & discipulos ejus. Satagebat omni curâ religiosissimâ, ne sancti apud eam ullam paterentur injuriam. Cùm ergo esset occupata circa multum ministerium, Maria soror ejus sedebat ad pedes Domini, & verbum ejus audiebat. Illa in labore stomachabunda, quòd illam videret sedentem, & de suis laboribus nihil curantem, interpellavit Dominum: Placet, inquit, tibi Domine, quòd soror mea deseruit me, & ecce tantum in ministerio laboro? Et Dominus, Martha, Martha, circa multum es occupata. Porrò unum est necessarium. Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Tu bonam, sed ista meliorem. Tu bonam, (Bonum est enim conversari in obsequio sanctorum:) sed ista meliorem. Denique quod tu elegisti, transit. Ministras esurientibus, ministras sitientibus, ministras lectulos dormituris, præbes domum habitare volentibus: omnia ista transeunt. Erit tempus ubi nemo esuriat, neque sitiat, nemo dormiat. Ergo cura tua auferetur à te. Maria meliorem elegit partem, quæ non auferetur ab ea. Non auferetur: contemplari elegit, verbo vivere elegit. Qualis erit vita de Verbo sine verbo? Modò ista vivebat de Verbo, sed sonante verbo. Erit vita de Verbo, nullo sonante verbo. Ipsum Verbum vita est. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa erat una, ut contemplaretur delectationem Domini. Hoc in sæculi hujus nocte non possumus. Manè adstabo tibi, & contemplabor. Ergo, *Ego,* inquit, *me non arbitror apprehendisse. Vnum autem.*

[Margin: Contemplatio. — Serm. de Scripturis. — 1. Johan. 3. 2. — Psal. 5. 5.]

Caput XV. ℣. 14. Proficiendum semper in via ad Deum.

18. Quid ergo facio? *Quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus,* * *secundùm intentionem sequor.* Adhuc sequor: *ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Adhuc sequor, adhuc proficio, adhuc ambulo, adhuc in via sum, adhuc me extendo, nondum perveni. Ergo si & tu ambulas, si te extendis, si ea quæ ventura sunt cogitas; obliviscere præterita, noli in ea respicere, ne ibi remaneas ubi respexeris. Mementote uxoris Lot. *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus.* Dixerat, Non sum perfectus: & dicit, *Quotquot perfecti, hoc sapiamus. Ego me non arbitror apprehendisse. Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim:* & dicit, *Quotquot perfecti, hoc sapiamus.* Perfecti, & non perfecti: perfecti viatores, nondum perfecti possessores. Et ut noveritis quòd perfectos viatores dicat; qui jam in via ambulant, perfecti viatores sunt: ut scias viatores eum dixisse, non habitatores, non possessores; audi quod sequitur: *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus. Et si quid aliter sapitis,* ne fortè subrepat vobis, quia vos aliquid estis. Qui autem se ipsum putat esse aliquid, cùm nihil sit, se ipsum seducit. Et qui se putat aliquid scire, necdum scit quemadmodum oporteat scire. Ergo, *Et si quid aliter sapitis,* quasi parvuli; *id quoque vobis Deus revelabit.* * *Verumtamen in quo pervenimus, in eo ambulemus.* Ut revelet nobis Deus & quod aliter sapimus, in quo pervenimus, non in eo remaneamus, sed in eo ambulemus. Videtis quia viatores sumus. Dicitis, Quid est ambulare? Breviter dico, Proficere; ne fortè non intelligatis, & pigriùs ambuletis. Proficite Fratres mei, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim aliquis est intus tecum, cui erubescas, & jactes te. Est ibi, sed cui placet humilitas, ipse te probet. Proba & te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit; & peristi: Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retrò redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retrò redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Melius [b] it claudus in via, quàm cursor præter viam. Conversi ad Dominum, &c.

[Margin: Luca 17. 32. — ℣. 15. — Gal. 6. 3. — 1. Cor. 8. 2. — ℣. 16.]

* SERMO CLXX.

Aliàs de Tempore 49.

De iisdem verbis [c] *Apostoli, Philip.* 3. Secundùm justitiam quæ ex lege est, qui fuerim sine querela, *&c. deque verbis Psalmi* 142. Exaudi me in tua justitia *&c. ac postremò de lectione Evangelii Iohan.* 6. Voluntas Patris est, ut omnia quæ dedit mihi, non pereant, *&c.*

Caput I. Justitia ex lege Apostolo damnum videtur.

1. Divinæ lectiones omnes ita sibi connectuntur, tamquam una sit lectio: quia omnes ex uno ore procedunt. Multa sunt ora ministerium sermonis gerentium:

a MSS. *circa curam. Domo quippe Dominum &c.*
b MSS. alii, *Meliùs vel claudus:* alii, *Melius est claudus.*

c Recenset Possidius in Indiculo cap 8.

Classis I.

Philip. 3. 6. ℣. 7. ℣. 8.

sed unum est os ministros implentis. Audivimus A Apostolicam lectionem, & fortè aliquem moveat quod ibi scriptum est, *Secundùm justitiam quæ ex lege est, qui fuerim sine querela.* * *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum damna esse duxi.* Deinde secutus ait, *Non solùm damna, sed etiam stercora existimavi esse, ut Christum lucrifaciam,* * *& inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed justitiam quæ est ex fide Iesu Christi.* Quomodo enim stercora existimavit & damna, secundùm justitiam quæ ex B lege est, conversari sine querela? Quis enim legem dedit? Nonne ipse legem præmisit, qui postea reis legis cum indulgentia venit? Sed his eum credimus venisse cum indulgentia, quos reos lex tenebat. Numquid autem lex reos tenebat eos, qui secundùm justitiam quæ ex lege est, conversati sunt sine querela? Si ergo indulgentiam & veniam peccatorum reis legis adtulit Dominus, non adtulit Paulo apostolo, qui dicit sine querela se in lege conversatum? Sed ipsum audiamus alio loco: C

℣. 9.

Tit. 3. 5.

» Non ex operibus, inquit, quæ nos fecimus, sed » secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis. Et iterum, Qui

1. Tim. 1. 13.

» priùs fui blasphemus & persecutor & injuriosus: » sed misericordiam consecutus sum, & reliqua. Hàc se constituit conversatum in lege sine querela, hàc talem se confitetur fuisse peccatorem, ut omnis peccator propterea de se non desperet, quia Paulus meruit indulgentiam.

Caput II. Dictum Apostoli sic accipiendum, ut caveatur error Manichæorum de lege veteri.

2. Videte Fratres, & vim sermonis hujus in- D tuemini, quomodo Paulus apostolus damna existimat & stercora, ubi sine querela dicit se conversatum fuisse. Hàc impletor legis, hàc reus legis, uno eodemque tempore, ante baptismum, ante gratiam. Sed non sine caussa damna esse dicit: ne subintrent cogitationes noxiæ, hoc ideo dixisse apostolum Paulum, quòd alius dederit legem, alius Evangelium: sicut Manichæus mente perversa sentit, & reliqui hæretici, qui dixerunt, alium fuisse datorem legis, quæ E data est per Moysen, alium autem largitorem Evangelicæ gratiæ; illum quidem Deum malum, illum verò Deum bonum. Quid miramur, Fratres? In obscuritate legis, tamquam in clausis ostiis, caliginem passi sunt; quia non pietate pulsaverunt. Invenimus aliquando eumdem Paulum apertissimè dicere, legem bonam esse: quam tamen ideo datam dicit esse, ut abundaret peccatum; & ideo abundasse peccatum, ut superabundaret gratia. Præsumebant enim homines de vi- F ribus suis, & faciendo quidquid sibi licere arbitrabantur, peccabant in legem Dei [a] occultam. Unde ista lex manifesta promulgata est eis, qui omnino sibi rei esse non videbantur. Data est illis lex, non quæ sanaret, sed quæ ægrotantes probaret. Lex præcucurrit ante medicum, ut se ægrotus, qui se sanum putabat, inveniret ægrotum: & dixit, Non concupisces. Et quia ante datam legem prævaricatio nondum erat; Ubi enim non est, inquit, lex, nec prævaricatio: antea sine le- G ge peccabatur, data verò lege postea quàm peccatum est, ampliùs peccatum est; quia cum prævaricatione peccatum est. [b] Invenit se homo vinci à cupiditatibus suis, quas mala consuetudine adversùm se nutriebat; qui etiam cum vinculo &

Rom. 7. 12. Rom. 5. 20. Lex ad quid data.

Rom. 7. 7. Rom. 4. 15.

obligatione peccati ex Adam fuerat propagatus. Unde dicit Apostolus, Fuimus & nos aliquando naturâ filii iræ. Inde est, quòd nec unius diei infantem mundum dicit à peccato: non ex eo quod commisit, sed ex eo quod contraxit.

Serm. de Scripturis. Originale peccatum. Ephes. 2. 3. Job. 14. 4.

Caput III. Peccatum in Christo nullum. Psal. 50. 6.

3. Audi Psalmum interiora dicentem, & peccatorum nostrorum secretiora canentem. Ex persona enim generis humani dicitur Christo, Tibi soli peccavi, & malignum coram te feci. Non ex persona unius David hoc dicit, sed ex Adam persona, de quo est genus humanum. Audi enim sequentia, Tibi, inquit, soli peccavi, & mali- « gnum coram te feci, ut justificeris in sermoni- « bus tuis. Christo dicitur: unde hoc intelligimus? Audi quod sequitur: Et vincas, cùm judicaris. Non est judicatus Deus Pater, non est judicatus Deus Spiritus sanctus: non invenimus nisi solum Filium in ista carne, quam de nostra massa suscipere dignatus est, judicatum: non ex nodo concupiscentiæ hominis & feminæ: virgo credidit, virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Et ideo dicitur, Et vincas, « cùm judicaris. Judicatus est enim, & vicit; quia sine peccato judicatus est. Patientiæ fuit sustinere judicium, non reatûs. Multi innocentes judicantur, sed in ipsis caussis quas agunt. Nam de reliquo, peccato non carent; quia sicut ante homines facti, sic ante Deum cogitationis peccatum est. Factum tuum coram [c] oculis Dei, cogitatio tua est. Testis facti est ipse judex: accusatrix facti ipsa conscientia. Ergo ille verè innocens judicatus est, & ideo vicit. Solus enim vicit, non de judice Pontio Pilato, neque de Judæis sævientibus; sed de ipso diabolo, qui omnia nostra peccata rimatur diligentiâ invidentiæ.

Johan. 14. 30.

* Caput IV. Mundus, peccatores & dilectores mundi.

4. Et quid ait Dominus Jesus de ipso diabolo? Ecce venit princeps mundi hujus. * Jam sæpe dictum est Caritati Vestræ, mundum istum appellari peccatores. Et quare peccatores nomine mundi appellantur? Quia dilectione mundi inhabitant mundum. Qui enim non diligunt mundum, non habitant in eo quod non diligunt. Nostra, inquit, conversatio in cælis est. Si ergo qui diligit Deum, in cælo habitat cum Deo; qui diligit mundum, in mundo cum principe habitat mundi. Omnes itaque dilectores mundi, ipsi sunt mundus: habitatores mundi, non carne, quod omnes justi; sed animo, quod soli peccatores, quibus princeps est diabolus. Quomodo dicitur domus habitatores domûs: secundùm quam sententiam dicimus malam domum esse marmoratam, & bonam domum esse fumigatam. Invenis domum fumosam, quam boni habitant, & dicis, Bona domus. Invenis domum marmoratam & laqueatam, quam possident iniqui, & dicis, Mala domus: domum appellans non parietes & receptacula corporum, sed ipsos habitatores. Sic mundum appellavit Scriptura habitatores mundi per concupiscentiam dilectionis, non per conversationem corporis. Ergo, Ecce, inquit, venit princeps mundi, & in me nihil invenit. In solo ipso nihil invenit diabolus. Et tamquam diceretur ei, Quare ergo moreris? Ibi sequitur, Sed ut sciant omnes, quia voluntatem Patris mei facio; surgite, eamus hinc. Surgit, & it ad passionem. Quare? Quia voluntatem Patris mei facio. Pro-

Philip. 3. 20.

Johan. 14. 30. Solus Christus innocens. Ibidem ℣. 31.

[a] In Colbertino MS. *occultè.*
[b] Hic MSS. addunt, *Ubi verò cum prævaricatione peccatum est.*

[c] Colbertinus codex, *Factum tuum coram oculis hominum, coram oculis Dei cogitatio tua est.*

Classis I.

Psal. 50. 6.

pter hanc ergo singularem innocentiam ait Psalmus, Tibi soli peccavi, & malignum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris: quia nihil mali in te invenit. Quare autem in te invenit, ô genus humanum? Quia sequitur & dicit, Ego enim in iniquitate conceptus sum, & in peccatis [a] concepit me mater mea. Dicit hoc David. Quære unde natus sit David; invenies de legitima uxore, de nullo adulterio. Secundùm quam ergo propaginem dicit, In iniquitate conceptus sum, nisi quia ibi est quiddam de mortis propagine, quod secum trahit omnis qui ex conjunctione viri & feminæ nascitur?

Ibidem 7. — Originale peccatum.

Caput V.

Exodi 20. 16. — Rom. 7. 22. &c.

5. Habens ergo unusquisque concupiscentiam, adtendat legem dicentem, Non concupisces: invenit in se quod lex prohibet, & fit reus legis. Inveniens autem in se cui subditus est, incipiat jam dicere, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Cognovit se ægrotum, imploret medicum: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Respondeat medicus, Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Gratia Dei, non merita tua. Quare ergo te dixisti in lege cum justitia sine querela conversatum? Adtendite: Sine querela dixit hominum. Est enim quædam justitia, quam potest homo implere, ut nullus hominum queratur de homine. Dicit enim, Non concupiscas alienum. Tu si non rapueris alienum, nulla querela erit hominum. Ergo aliquando concupiscis, & non rapis. Sed sententia Dei supra te est, quia concupiscis: reus es legis, sed in oculis legislatoris. Sine querela vivis: quare ergo ista damna? quare ista stercora? Constrictior est aliquantò nodus iste: sed solvet qui solet. Hoc autem non ego solus pia subjectione, sed omnes pia intentione mereamur. Quidquid faciebant Judæi, unde homines non quererentur, & esset ipsis conversatio in lege sine querela, sibi tribuebant, & ipsam justitiam secundùm legem viribus suis [b] adsignabant: implere non poterant, sed in tantum faciebant, inquantum poterant; sibi tribuendo, nec hoc piè implebant.

Conversatio sine querela secundùm legem.

Caput VI. Justitia hominis nisi à Deo, nulla.

Psal. 142. 1.

6. Hoc ergo dicit legem implere, hoc est, non concupiscere. Quis hoc qui vivit, potest? Adjuvet nos Psalmus, qui modò cantatus est, *Exaudi me in tua justitia*: hoc est, non in mea. Si diceret, Exaudi me in justitia mea: tamquam meritum vocaret. Vocat quidem in nonnullis locis & suam justitiam: sed hîc meliùs discernit, quia & suam quando dicit, datam dicit: quomodo dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quomodo, nostrum; quomodo, da? Ergo hîc distinctiùs loquens ait, *Exaudi me in tua justitia*. Et sequitur, * *Et non intres in judicium cum servo tuo*. Quid est *Non intres in judicium cum servo tuo?* Non stes mecum in judicio, exigendo à me omnia quæ præcepisti, exigendo omnia quæ jussisti. Nam reum me invenies, si in judicium intraveris mecum. Opus est ergo, inquit, mihi misericordiâ tuâ potiùs, quàm liquidissimo judicio tuo. Quare ergo, *Ne intres in judicium cum servo tuo?* Sequitur, & dicit, *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Servus enim sum: quare mecum stas in judicio? [c] Misericordiâ Domini utar. Quare? *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Quid dixit? Quamdiu vivitur in hac vita, nemo justificatus est, sed in conspectu Dei. Non frustra addidit, *in conspectu tuo*: nisi quia potest esse justificatus aliquis in conspectu hominum, ut & illud impleatur, *Secundùm justitiam quæ ex lege est, qui fuerim sine querela*, in conspectu hominum. Refer ad conspectum Dei: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*.

Luce 11. 3.

Psal. 142. 1. ℣. 2.

Serm. de Scripturis.

Caput VII. Justitia hujus vitæ ad justitiam futuram collata quàm nihili facienda.

7. Quid ergo facturi sumus? Clamemus, *Ne intres in judicium cum servo tuo*. Clamemus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Hoc ergo Psalmum audivimus, hoc Apostolum audivimus; quia cùm fuerit illa justitia secundùm quam vivunt Angeli, cùm fuerit illa justitia ubi nulla erit concupiscentia, inde unusquisque metiatur se quid est modò, & quid erit tunc; & inveniet in comparatione illius justitiæ, istam damna esse & stercora. Quisquis autem putat se modò posse implere justitiam, cùm vixerit bene atque innocenter secundùm probabilitatem existimationis humanæ; in via remansit: non desiderat melius, quia implesse se putat; maximéque sibi tribuens, erit superbus. Et MELIOR EST PECCATOR HUMILIS, quàm justus superbus. Ideo ait, *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est*, sicut Judæi putabant; *sed justitiam quæ ex fide est Christi Iesu*. Deinde secutus ait, *Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum*. Ibi se credidit impleturum esse justitiam, id est, plenam se habiturum justitiam. In comparatione resurrectionis illius, stercus est tota vita quam gerimus. Adhuc Apostolum audi apertiùs dicentem, *Si quo modo occurram in resurrectionem * justorum: non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim*. Et contexit deinde, *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse*. Quomodo comparat justitiam justitiæ, salutem saluti, fidem speciei, peregrinationem civitati?

* f. mortuorum.

Caput VIII. Perfectæ justitiæ desiderio cõtemnenda præsens justitia.

8. Adtendite quomodo hoc impleat: *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Unum autem*. Quid *unum*, nisi ex fide vivere, spe salutis æternæ, ubi erit plena & perfecta justitia, in cujus comparatione damna sunt quæ transitura sunt, & stercora quæ reprobanda sunt. Quid ergo? *Unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*. Et ad eos qui de sua [d] perfectione possent præsumere, *Quotquot autem perfecti sumus, hoc sapiamus*. Jam dudum dixerat se imperfectum, nunc autem perfectum. Quare, nisi quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum? *Quotquot autem perfecti sumus, hoc sapiamus. Et si quid fortè aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelabit*: id est, ut si vos in aliquo profectu animi justificatos probatis, legendo Scripturas, & inveniendo quæ sit vera & perfecta justitia, inveniatis vos reos, & desiderio futurorum damnetis præsentia, vivatis ex fide & spe & caritate; & intelligatis quia quod adhuc creditis, nondum videtis; quod ad-

[a] Sic in Colbertino MS. At in editis, *peperit me*.
[b] Colbertinus MS. *viribus suis observabant*.

[c] MSS. *Misericorde Domino utar*.
[d] Vox *perfectione* abest ab Am. Er. & MSS.

Classis I.

huc speratis, nondum tenetis; quod adhuc desideratis, nondum impletis. Et si talis est caritas peregrinantium, qualis erit videntium? Ergo ille qui docebat justitiam Dei, & non constituebat suam, clamabat de Psalmo, *Exaudi me in tua justitia. Et non intres in judicium cum servo tuo; quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Caput IX. Exodi 33. 20. Perfecta justitia & felicitas cùm videbitur Deus.

9. Secundùm hanc vitam dicitur Moysi, Nemo faciem Dei vidit, & vixit. Non enim vivendum est in hac vita, ut illam faciem videamus. Moriendum est mundo, ut Deo in sempiternum vivamus. Tunc non peccabimus, non solùm factis, sed nec concupiscentiis, cùm illam faciem videbimus, quæ vincit omnes concupiscentias. Tam enim dulcis est, Fratres mei, tam pulcra, ut illâ visâ nihil aliud possit delectare. Satietas erit insatiabilis, nullum fastidium; semper esuriemus, semper saturi erimus. Audi ipsas duas sententias de Scriptura: Qui bibunt me, dicit Sapientia, adhuc sitient; & qui edunt me, adhuc esurient. Sed ne putes quia ibi erit indigentia & fames, audi Dominum: Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum. Sed dicis, Quando erit? Quandocumque erit, tamen exspecta Dominum, sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Numquid tanta restant, quanta peracta sunt? Intende ab Adam usque ad hodiernum diem, quot sæcula evoluta sunt, & ecce jam non sunt. Pauci dies remanent quodam modo: sic enim dicendum est quod remanet in comparatione transactorum sæculorum. Exhortemur invicem, exhortetur nos ille qui venit ad nos, qui cucurrit viam, & dixit, Sequimini: qui adscendit prior in cælum, ut caput de sublimioribus subveniat ceteris membris in terra laborantibus; qui dixit de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Ergo nemo desperet: reddetur nobis in fine quod promissum est; ibi implebitur illa justitia.

Eccli. 24. 29. Johan. 4. 13. Psal. 26. 14. Act. 9. 4.

Caput X. Johan. 6. 39. Dies noster, Christus.

10. Audistis & Evangelium his sermonibus concordare. *Voluntas*, inquit, *Patris est, ut omnia quæ dedit mihi non pereant, sed habeant vitam æternam; & ego resuscitabo eos in novissimo die.* Se ipsum primo die, nos novissimo die. Primus dies ad caput Ecclesiæ. Dies enim noster Dominus Christus, non facit occasum. Novissimus dies, erit finis sæculi. Nolo dicas, Quando iste erit? Generi humano longè erit, unicuique hominum propè erit; quia novissimus dies est cujusque dies mortis. Etenim cùm hinc exieris, recipiéris pro meritis, & resurges ad recipienda quæ gessisti. Tunc Deus coronabit, non tam merita tua, quàm dona sua. Quidquid tibi donavit, si servasti, cognoscet. Nunc ergo, Fratres, desiderium nostrum non sit, nisi in cælum; non sit, nisi ad vitam æternam. Nemo sibi placeat, quasi qui hîc justè vixerit, & comparet se illis qui malè vivunt, secundùm Pharisæum qui se justificabat, qui non audierat Apostolum, *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Ergo non acceperat adhuc hoc quod desiderabat. Pignus acceperat, sic dixit: Qui dedit nobis pignus Spiritum. Cujus rei pignus erat, ad hoc pervenire cupiebat: participatio quædam, sed distat. Aliter modò participamus, aliter tunc participabimus. Modò per fidem, per spem, in eodem Spiritu: tunc autem species erit, res erit; idem autem Spiritus, idem Deus, eadem plenitudo. Qui clamat absentibus, exhibebit præsentibus: qui vocat peregrinos, nutriet & alet in patria.

Toto desiderio tendendum in cælum. Lucæ 18. 11. 2. Cor. 5. 5.

Serm. de Scripturis.

Caput XI. Via nostra, Christus.

11. Via nobis factus est Christus, & desperamus nos perventuros? Via ista finiri non potest, præcidi non potest, corrumpi non potest, nec pluviâ, nec diluviis, nec à latronibus obsideri. Ambula securus in Christo, ambula; ne offendas, ne cadas, ne retrò respicias, ne in via remaneas, ne à via recedas. Ista omnia præcave tantùm, & pervenisti. Cùm perveneris, tunc jam gloriare ex hoc: noli in te. Nam qui se laudat, Deum non laudat; sed se à Deo avertit: quomodo qui vult recedere ab igne, ignis calidus remanet, sed ille frigescit: quomodo qui vult remanere à lumine, si recesserit, lumen in se lucidum remanet, sed ille tenebratur. Non recedamus à calore Spiritûs, à lumine veritatis. Vocem modò audivimus, tunc autem facie ad faciem videbimus. Nemo sibi placeat, nemo alii insultet. Omnes [a] sic velimus proficere, ut non invideamus proficientibus, non insultemus deficientibus: & erit in nobis cum gaudio impletum quod promissum est in Evangelio, *Et ego resuscitabo eos in novissimo die.*

*SERMO CLXXI.

* Aliàs 37. de verbis Domini. b

De [b] *verbis Apostoli, Philip. 4.* Gaudete in Domino semper *&c.*

Caput I. Gaudium sit in Domino, non in sæculo. Florus ad Philip. 4. Jacobi 4. 4. Matth. 6. 24.

1. Gaudere nos Apostolus præcipit, sed in Domino, non in sæculo. Quicumque enim voluerit amicus esse hujus mundi, sicut Scriptura dicit, inimicus Dei reputabitur. Sicut autem non potest homo duobus dominis servire: sic nemo potest gaudere & in sæculo, & in Domino. Multùm inter se hæc duo gaudia differunt, suntque omnino contraria. Quando gaudetur in sæculo, non gaudetur in Domino: quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in sæculo. Gaudium in Domino semper augeatur: gaudium in sæculo semper minuatur, donec finiatur. Non ideo ista dicuntur, quoniam in hoc sæculo cùm sumus, gaudere non debemus: sed ut etiam in hoc sæculo constituti, jam in Domino gaudeamus. Sed ait aliquis, In sæculo sum: utique si gaudeo, ibi gaudeo ubi sum. Quid enim? quia es in sæculo, in Domino non es? Audi eumdem Apostolum ad Athenienses loquentem, & in Actibus Apostolorum dicentem de Deo & de Domino Creatore nostro, In illo vivimus, & movemur, & sumus. Qui enim ubique est, ubi non est? Nonne ad hoc nos exhortabatur? *Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis.* Magnum est hoc, quod adscendit super omnes cælos, & proximus est eis qui versantur in terris. Quis est iste longinquus & proximus, nisi qui nobis misericordiâ factus est proximus?

Dominus nobis proximus. Act. 17. 28. Philip. 4. 5. & 6.

Caput II. Samaritanus homini sauciato subveniens Christus.

2. Totum enim genus humanum est homo ille, qui jacebat in via semivivus à latronibus relictus, quem contemsit transiens Sacerdos & Levites, & accessit ad eum curandum eique opitulandum transiens Samaritanus. Ut autem narraret hoc, unde caussa descendit? Quemdam quæ-

[a] Colbertinus MS. *si volumus proficere, non invideamus proficientibus.*

[b] Citatur in Flori collectione ad Philip. 4.

CLASSIS I. rentem quæ sint optima præcepta & summa in Lege, admonuit duo esse, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Ille autem, Et quis est mihi proximus? Et narravit Dominus, Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jerico. Ostendit illum quodam modo Israëlitam. Et incidit in latrones. Cùm exspoliassent, & plagas ei graves irrogassent, dimiserunt eum in via semivivum. Transiit Sacerdos, utique genere proximus, præteriit jacentem. Transiit Levites, & hic genere proximus, jacentem etiam ipse contemsit. Transiit Samaritanus, genere longinquus, misericordiâ proximus, fecitque quod nostis. In quo Samaritano se voluit intelligi Dominus Jesus Christus. Samatitanus enim custos interpretatur. Ideo surgens à mortuis, jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur: quia non dormit, neque dormitat qui custodit Israël. Denique quando conviciis tantis blasphemabant Judæi, dixerunt illi, Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Cùm ergo duo essent verba conviciosa objecta Domino, dictumque illi esset, Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? poterat respondere, Nec Samaritanus sum, nec dæmonium habeo: respondit autem, Ego dæmonium non habeo. Quod respondit, refutavit: quod tacuit, confirmavit. Negavit se habere dæmonium, qui se noverat dæmoniorum exclusorem: non se negavit infirmi custodem. Ergo *Dominus in proximo est*; quia Dominus nobis factus est in proximo.

Luca 10. 27. &c.

Rom. 6. 9.

Psal. 120. 4.

Johan. 8. 48.

CAPUT III. Incarnatione Deus homini factus est proximus.

3. Quid tam longinquum, quid tam remotum, quàm Deus ab hominibus, immortalis à mortalibus, justus à peccatoribus? Non loco longè, sed dissimilitudine. Nam solemus etiam ita loqui, cùm de duobus hominibus dicimus, quando diversi sunt mores: Iste longè est ab illo. Etiamsi juxta steterint, etiamsi viciniùs inhabitent, etiamsi unâ catenâ colligentur; longè est pius ab impio, longè est innocens à reo, longè est justus ab injusto. Si hoc de duobus hominibus dicitur, quid de Deo & hominibus? Cùm ergo longè à nobis esset immortalis & justus, tamquam à mortalibus & peccatoribus, descendit ad nos, ut fieret nobis proximus ille longinquus. Et quid fecit? Cùm haberet ipse duo bona, & nos duo mala; ille duo bona, justitiam & immortalitatem; nos duo mala, iniquitatem & mortalitatem: si utrumque malum nostrum suscepisset, par noster factus esset, & liberatore nobiscum opus haberet. Quid ergo fecit, ut esset proximus nobis? Proximus non hoc quod nos, sed prope nos. Duo adtende: Justus est, immortalis est. In duobus tuis malis, una est culpa, altera est pœna: culpa est quòd injustus es, pœna est quia mortalis es. Ille ut esset proximus, suscepit pœnam tuam, non suscepit culpam tuam: & si suscepit, delendam suscepit, non faciendam. Justus & immortalis, longè ab injustis & mortalibus. Peccator mortalis, longè eras à justo immortali. Non est factus ille peccator, quod tu: sed factus est mortalis, quod tu. Manens justus, factus est mortalis. Suscipiendo pœnam, & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam. *Dominus* ergo *in proximo est, nihil solliciti fueritis*. Etsi super omnes cælos adscendit corpore, non recessit majestate. Ubique præsens est, qui fecit omnia.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAPUT IV. Philip. 4. 4. Gaudium in sæculo.

4. *Gaudete in Domino semper.* In sæculo gaudium quod est? Gaudere de iniquitate, gaudere de turpitudine, gaudere de dedecore, de deformitate. De his omnibus gaudet sæculum. Quæ omnia non essent, nisi homines voluissent. Alia sunt quæ faciunt homines, alia quæ patiuntur; etsi nolunt, ferunt. Quid ergo est hoc sæculum, & quod est gaudium sæculi? Dico, Fratres, breviter quantùm possum, quantùm Deus adjuvat, festinanter, breviter dico. SÆCULI LÆTITIA, est impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine fœdentur, nihil mali patiantur: & videte sæculi gaudium. Ista mala quæ commemoravi, non castiget fames, non belli timor, non aliquis timor, non aliquis morbus, non aliquæ adversitates; sed sint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in securitate malæ mentis: ecce videte sæculi gaudium. Sed non cogitat Deus sicut homo: alia est Dei cogitatio, alia hominis. MAGNÆ MISERICORDIÆ EST, [a] nequitiam impunitam non relinquere: & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò flagello dignatur castigare.

Impunitas, maxima Dei vindicta.

5. Nam vis nosse, nulla pœna quanta sit pœna, non tamen justo, sed peccatori, cui est temporalis pœna, ne succedat æterna? * Vis ergo nosse, nulla pœna quanta sit pœna? Psalmum interroga: Irritavit Dominum peccator. Exclamavit vehementer, adtendit, consideravit, exclamavit: Irritavit Dominum peccator. Quare, obsecro? quid vidisti? Qui autem hoc exclamavit, vidit peccatorem impunè luxuriantem, malè facientem, bonis abundantem, & exclamavit: Irritavit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? Quid enim vidisti? Præ magnitudine iræ suæ non requirit. Intelligite Fratres Christiani, misericordiam Dei. Quando castigat mundum, non vult damnare mundum. Præ magnitudine iræ suæ non exquirit. Ideo non exquirit, quia multùm irascitur. Magna est ira ejus. Parcendo sævit, sed justè sævit. Est enim severitas, quasi sæva veritas. Si ergo aliquando sævit parcendo, bonum est nobis ut subveniat castigando. Et tamen si facta generis humani consideremus, quid patimur? Non secundùm peccata nostra fecit nobis. Filii enim sumus. Unde hoc probamus? Mortuus est pro nobis Unicus, ne remaneret unus. Noluit esse unus, qui mortuus est unus. Multos enim filios Dei fecit unicus Filius Dei. Emit sibi fratres sanguine suo, probavit reprobatus, redemit venditus, honoravit injuriatus, vivificavit occisus. Dubitas quod dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua? Ergo, Fratres, *gaudete in Domino*, non in sæculo: id est, gaudete in veritate, non in iniquitate: gaudete in spe æternitatis, non in flore vanitatis. Ita gaudete: & ubicumque, & quamdiucumque hîc fueritis, *Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis.*

* CAPUT V. Psal. 9. 4.

Severitas.

Psal. 102. 10.

[a] Sic aliquot MSS. At editi, *nequitiæ impunitatem non relinquere.*

Classis I.

*Aliàs 32. de verbis Apostoli. a

*SERMO CLXXII.

De [a] *verbis Apostoli*, 1. *Thessal.* 4. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. *Et de operibus misericordiæ, quibus mortui adjuvantur.*

Caput I. 1. *Thess.* 4. 12. Tristitia de mortuis, qualis prohibetur.

1. ADMONET nos beatus Apostolus, *ut de dormientibus*, hoc est, mortuis carissimis nostris, *non contristemur, sicut & ceteri qui spem non habent*, spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æternæ. Nam ideo & dormientes eos appellat Scripturæ veracissima consuetudo, ut cùm dormientes audimus, evigilaturos minimè desperemus. Unde etiam cantatur in Psalmo, Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? (*Psal.* 40. 9.) Est ergo de mortuis eis qui [b] diligunt, quædam tristitia quodam modo naturalis. Mortem quippe horret, non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia quæ ita creata sunt, ut suo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam; quantò magis homo, qui sic fuerat creatus, ut si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret? Hinc itaque necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantùm præcedere secuturos; tamen mors ipsa quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus, ut non contristemur; sed *non sicut ceteri qui spem non habent.* Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.

2. Proinde pompæ funeris, agmina exsequiarum, sumtuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum.

*Caput II. Orationes & sacrificium ac eleemosynæ pro defunctis.

* Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum caussâ opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem (*Gal.* 5. 6.)

Serm. de Scripturis.

A operatur, ejusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hîc essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Non enim actum est, nisi cùm hîc viverent, ut eos hæc aliquid
B adjuvarent, cùm hîc vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.

Luctus & officia defunctis exhibenda.

3. Permittantur itaque pia corda carorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lacrymas fundant conditione mortali; quas citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululùm à nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, sive quæ funeribus
C exhibentur, sive quæ dolentibus adhibentur, ne sit justa querela dicentium, Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inveni. (*Psal.* 68. 21) Sit pro viribus cura sepeliendi & sepulcra construendi: quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt: nec solùm in corporibus Patriarcharum aliorumque sanctorum, & humanis cadaveribus quorumcumque jacentium; verùm etiam in ipsius Domini corpore prædicati atque collaudati sunt, qui ista
D fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant.

*Aliàs 33. de verbis Apostoli. c

*SERMO CLXXIII.

E *De* [c] *eisdem verbis Apostoli*, 1. *Thessal.* 4.

Caput I. In defunctorum [illegible] quid recogitandum.

1. QUANDO celebramus dies fratrum defunctorum, in mente habere debemus, & quid sperandum, & quid timendum sit. Secundùm hoc enim sperandum est, quoniam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: (*Psal.* 115. 15.) secundùm hoc autem timendum est, quia mors peccatorum pessima. (*Psal.* 33. 22.) Ideoque propter spem, In memoria æterna erit justus: propter timorem, (*Psal.* 111. 7.)
F ab auditu malo non timebit. Erit enim auditus quo nullus sit pejor, quando dicetur sinistris, Ite in ignem æternum. (*Matth.* 25.) Ab hoc auditu malo justus non timebit. Erit enim ad dexteram inter illos, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. In hac autem vita, quæ media ante summa bona & ante summa mala ducitur, in medio bonorum malorumque mediorum, id est, in neutra parte summorum; quia & bona quæcumque hîc fuerint homini, in comparatio-
G ne bonorum æternorum nulla sunt; & mala quæ-

[a] De Sermonis hujus integritate dubitandi ansam præbet Florus (qui est Beda vulgatus) ad 1. Thess. 4. quando præmisso hocce titulo, *Ex Sermone de iisdem verbis Apostoli*, quo nonnisi fragmentum dari significatur, id nihilo minùs totum subjicit, quod hîc habetur. Auget verò dubitationem, cùm ibidem post hunc ipsum Sermonem proximè adjungit subsequentis Sermonis cap. 3 fragmentum in hæc verba, *Item ex eodem Sermone. Non tantùm ait ut non contristemini* &c. Sic nimirum habetur in veteri codice Corbeiensi: ubi nunc tamen in Bedæ editis est, *Item ex Ser.* 2. *de eadem lectione. Non tantùm ait ut non contristemini* &c.

[b] Sic MSS. Editi verò, *qui diliguntur.*

[c] In MSS. inscribitur, *De celebritate defunctorum atque resurrectione mortuorum*: qui titulus apprime convenit cum Sermonis exordio; sed hoc nescimus an verè sit Augustini. Suspicamur additum ab iis qui Sermonem in ista celebritate legendum instituerunt. Quippe si non fallit Florus in MS. Corbeiensi, altera pars hujusce Sermonis, quam ipse ad 1. Thess. 4. refert, excerpta est ex eodem Sermone, ex quo Sermo superior.

Classis I.

cumque in hac vita experitur homo, in comparatione ignis æterni nec * comparanda sunt: in hac ergo medietate vitæ, illud quod audivimus nunc ex Evangelio, tenere debemus, Qui credit, inquit, in me, licèt moriatur, vivit. Et vitam pronuntiat, & mortem non negat. Qui credit in me, licèt moriatur, vivit. Quid est, licèt moriatur; vivit? Licèt moriatur corpore, vivit spiritu. Deinde adjungit, Et qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Certè licèt moriatur; quomodo, si non morietur? Sed licèt moriatur ad tempus, non morietur in æternum. Sic ista solvitur quæstio, ut non sint inter se contraria verba veritatis, & possint instruere affectum pietatis. Ergo licèt corpore morituri simus, vivimus si credimus.

*f. computanda. Johan. 11. 25.

Caput II. Resurrectionis fides, solatium in morte carorum. Prov. 8. 35. sec. LXX. Johan. 8. 37.

2. Est autem fides nostra maximè discreta ab omni fide gentilium in resurrectione mortuorum. Hanc enim illi omnino non recipiunt: quia ubi recipiant, non habent. A Domino enim præparatur voluntas hominis, ut sit fidei receptaculum. Dicit Judæis Dominus, Sermo meus non capit in vobis. Ergo in his capit, in quibus invenit quod capiat. In his enim invenit quod capiat sermo qui capit, quos Deus pollicendo non decipit. Ille enim qui quærit ovem perditam, & quam quærit novit, & ubi quærat, & quomodo ejus membra dispersa colligat, & in [a] unam salutem redigat, & ita restituat ut eam ulteriùs non perdat. [b] Consolemur ergo nos invicem, & in his sermonibus nostris. Potest non dolere cor humanum defuncto carissimo: meliùs tamen cùm dolet sanatur cor humanum, quàm non dolendo fit inhumanum. Maria Domino cohærebat, & mortuum fratrem dolebat. Sed quid miraris quia Maria dolebat tunc, cùm ipse Dominus flebat? Movere autem quemvis potest, quomodo flebat mortuum, se continuò jubente victurum? Non mortuum flebat, quem ipse suscitavit; sed mortem, quam sibi homo peccando comparavit. Si enim peccatum non præcessisset, sine dubio mors secuta non fuisset. Secuta est ergo mors etiam corporis, quam præcessit mors animæ. Mors animæ præcessit [c] deserendo Deum, & mors corporis secuta est deserente animâ. Hàc deseruit volens, hàc coacta est deserere nolens. Tamquam illi diceretur, Recessisti ab eo quem diligere debuisti, recede ab eo quod dilexisti. Quis enim vult mori? Prorsus nemo: & ita nemo, ut beato Petro diceretur, Alter te cinget, & feret quò tu non vis. Si ergo nulla esset mortis amaritudo, non esset magna Martyrum fortitudo.

Luc. 15. 4. Florus ad 1. Thess. 4. Johan. 11. Mors pœna peccati. Johan. 21. 18.

Caput III. 1. Thess. 4. 12. Consolatio in mortuorum luctu.

3. Ideo & Apostolus, *De dormientibus*, inquit, *nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut & gentes, quæ spem non habent.* Non tantùm ait, ut non contristemini; sed, *ut non sic contristemini, quemadmodum gentes, quæ spem non habent.* Necesse est enim ut contristemini: sed ubi contristaris, consoletur te spes. Quomodo enim non contristaris, ubi corpus quod vivit ex anima, fit exanime, discedente animâ? Qui ambulabat jacet, qui loquebatur tacet, clausi oculi lucem non capiunt, aures nulli voci patescunt: omnia membrorum officia conquieverunt; non est qui moveat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nonne ista est domus, quam nescio quis invisibilis habitator ornabat? Discessit qui non videbatur, remansit quod cum dolore videatur. Ista est caussa tristitiæ. Si hæc est caussa tristitiæ, sit hujus tristitiæ consolatio. Quæ consolatio? *Quia ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in novissima tuba descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent primi: * deinde nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviàm Christo in aëra.* Numquid & hoc ad tempus? Non: sed quid est? *Et ita semper cum Domino erimus.* Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio: detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem. In tanta spe non decet esse triste templum Dei. Ibi habitat bonus consolator, ibi qui non fallit, promissor. Quid mortuum diu plangamus? Quoniam mors amara est? Per illam transivit & Dominus. Sufficiant hæc pauca Caritati Vestræ: consoletur vos abundantiùs qui non migrat de corde vestro; sed ita dignetur habitare, ut nos dignetur etiam in fine mutare. Conversi ad Dominum, &c.

Serm. de Scripturis. Ibidem 15. ỳ. 16.

*SERMO CLXXIV.

* Aliàs 8. de verbis Apost. i.

De verbis Apostoli, 1. Tim. 1. Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, *&c. deque lectione Evangelii Lucæ 19. ubi de Zacchæo. Contra Pelagianos.*

Habitus [d] in basilica Celerinæ, die Dominica.

Caput I. 1. Tim 1. 15. Florus ibidem. Adventus Christi in mundum ratione carnis intelligendus.

1. Audivimus beatum apostolum Paulum dicentem, *Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Humanus* ergo *sermo & omni acceptione dignus.* Quare humanus, & non divinus? Procul dubio nisi iste humanus sermo etiam divinus esset, dignus omni acceptione non esset. Sed sic est sermo iste humanus & divinus, quomodò est ipse Christus & homo & Deus. Si ergo rectè intelligimus sermonem istum, non solùm humanum esse, verùm etiam divinum; quare Apostolus humanum maluit dicere, quàm divinum? Procul dubio enim qui non mentiretur, si diceret divinum, non sine caussa maluit dicere humanum. Hoc ergo elegit, per quod Christus in mundum venit. Venit enim per quod homo erat. Nam per quod Deus erat; semper hîc erat. Ubi enim non est Deus, qui dixit, Cælum & terram ego impleo? Christus est certè virtus & sapientia Dei; de qua dicitur, Adtingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Ergo in hoc mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. Et hîc erat, & venit: hîc erat per divinam majestatem, venit per humanam infirmitatem. Quia ergo venit per infirmitatem humanam, ideo prædicans adventum ejus, dixit, *Humanus sermo.* Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei di-

Jerem. 23. 24. Sap. 8. 1. Johan 1. 10.

[a] Sic MSS. At editi, *in unam salutem reducat.* An fortè pro, *in unum ovile reducat?*

[b] Reliquum Sermonis, si excipias clausulam, *Sufficiant hæc pauca &c.*, habetur in Collectione Flori, sed alio sententiarum ordine. Nam ejus excerptum ab istis verbis incipit, cap. 3. *Non tantùm ait ut non contristemini* &c. postque verba, *Per illam transivit & Dominus*; subjungit, *Consolemur ergo nos* &c.

[c] Editi, *deserente Deo.* Sed MSS. & Florus, *deserendo Deum.*

[d] Locus & dies hîc notatur ex veteri codice PP. Cistercensium in Jerusalem de Urbe. Citat eumdem Sermonem Florus ad 1. Tim. 1.

Incarnationis necessitas.

gnaretur esse humanus. Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem, & maximè qui hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est qui in se ipso suscepit hominem?

Caput II.

Incarnationis caussa peccatum. Luca 19. 10.

2. Ergo, *Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Adtende Evangelium: *Venit enim Filius hominis quærere & salvare quod perierat.* Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inventus est homo. Perierat homo per liberam voluntatem: venit Deus homo per gratiam liberatricem. Quæris quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem. Quæris quid valeat ad auxilium Deus & homo? Adtende in eo gratiam liberantem. Nusquam potuit sic ostendi, quantum valeat voluntas hominis usurpata per superbiam, ad [a] vitandum sine adjutorio Dei malum; non potuit plus & manifestiùs exprimi, quàm in homine primo. Et ecce periit primus homo, & ubi esset, nisi venisset secundus homo? Quia & ille homo, ideo & iste homo, & ideo *humanus sermo*. Prorsus nusquam sic apparet benignitas gratiæ & liberalitas omnipotentiæ Dei, * quàm in homine mediatore Dei & hominum, homine Christo Jesu. Quid enim dicimus, Fratres mei? In fide catholica nutritis loquor, vel in pacem catholicam lucratis. Novimus & tenemus mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, in quantum homo erat, ejus esse naturæ, cujus & nos sumus. Non enim alterius naturæ caro nostra & caro illius, nec alterius naturæ anima nostra & anima illius. Hanc suscepit naturam, quam salvandam esse judicavit. Nihil minus habebat in natura, sed nihil habebat in culpa. Natura pura, sed non sola humana. Ibi erat Deus, ibi erat Verbum Dei. Et sicut tu unus homo, anima es & caro: sic & ille unus Christus, Deus & homo. Audebit ergo aliquis dicere, quia natura nostra in illo mediatore primùm per liberum arbitrium promeruit Deum, & sic suscipi meruit, ut esset homo & Deus unus Christus Jesus? Ecce nos possumus dicere virtutibus nostris, moribus nostris, conversatione vitæ nostræ meruisse ut efficiamur filii Dei: possumus dicere, Accepimus præceptum, si servaverimus & bene vixerimus, recipiemur in numerum filiorum Dei. Numquid & ille priùs vixit filius hominis, & bene vivendo factus est filius Dei? Inde cœpit, & inde incœpit, & susceptione factus est. Verbum enim caro factum est, ut habitaret in nobis. Verbum Dei, unicus Dei Filius assumsit animam & carnem hominis, non antea se promerentis, nec ad illam percipiendam sublimitatem virtute propria laborantis, sed omnino gratìs. Nihil enim præcessit illam susceptionem: [b] susceptione factus est. Virgo concepit: ante conceptum virginis homo mediator? Non utique priùs justus fuit. Quomodo enim justus fuit, qui nec fuit? Virgo concepit, & susceptione hominis inde cœpit. Meritò dictum est, Vidimus gloriam ejus, gloriam tamquam unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate. Amas liberam voluntatem tuam, dicturus es patri tuo, Da mihi substantiam meam quæ me contingit. Quid te tibi committis? Meliùs te potest servare, qui te potuit, antequam esses, creare. * Agnosce ergo Christum, gratiâ plenus est. Hoc tibi vult fundere, quo plenus est: hoc tibi dicit, Quære dona mea, obliviscere merita tua; quia si ego quærerem merita tua, non venires ad dona mea. Noli te extollere, pusillus esto, Zacchæus esto.

Liberi arbitrii infirmitas cernitur in Adamo.

Gratiæ donum in Christo perspicitur.

* f. quomodo.

1. Tim. 2. 5.

Johan. 1. 14.

Johan. 1. 14.

Luca 15. 12.

Serm. de Scripturis.

* Caput III.

Luca 19. 3. Zacchæi factum allegoricè.

3. Sed dicturus es, Si Zacchæus fuero, præ turba non potero videre Jesum. Noli esse tristis, adscende lignum, ubi pro te pependit Jesus, & videbis Jesum. Et quale genus ligni adscendit Zacchæus? Sycomorum. In regionibus nostris aut omnino nusquam, aut rarò fortè alicubi nascitur: in illis autem partibus multum est hujus generis ligni & pomi. Sycomora dicuntur poma quædam ficis similia: sed tamen distant aliquid; quod possunt nosse qui viderunt vel gustaverunt. Quantum tamen indicant interpretatione nominis, sycomora fici fatuæ Latinè interpretantur. Jam vide Zacchæum meum, vide illum, obsecro te, volentem in turba videre Jesum, & non valentem. Humilis enim erat, turba superba erat: & ipsa turba ad videndum bene Dominum, sicut solet turba, se ipsam impediebat: adscendit à turba, & vidit Jesum non impediente turbâ. Turba enim dicit humilibus, humilitatis viam gradientibus, injurias suas Deo dimittentibus, vindictam de inimicis non requirentibus, turba insultat, & dicit, Indefense, qui te non potes vindicare. Turba impedit, ne videatur Jesus: turba glorians & exsultans quando se potuerit vindicare, impedit ne videatur ille qui pendens ait, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hunc ergo volens videre Zacchæus, in quo figurabatur persona humilium, non adtendit turbam impedientem; sed adscendit sycomorum, quasi fatui pomi lignum. Nos enim, inquit Apostolus, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum: adtende sycomorum: Gentibus autem stultitiam. Denique de cruce Christi nobis insultant sapientes hujus mundi, & dicunt, Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Quale cor habemus? Non utique vestrum. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Non enim vestrum cor habemus. Sed dicitis cor nostrum stultum. Dicite quod vultis: nos adscendamus sycomorum, & videamus Jesum. Ideo enim vos Jesum videre non potestis, quia sycomorum adscendere erubescitis. Apprehendat Zacchæus sycomorum, adscendat humilis crucem. Parum est, adscendat; ne de cruce Christi erubescat, in fronte illam figat, ubi sedes pudoris est: ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur unde non erubescatur. Puto quia tu irrides sycomorum: & ipsa me fecit videre Jesum. Sed tu irrides sycomorum, quia homo es: stultum autem Dei sapientius est, quàm hominum.

Luca 23. 34.

1. Cor. 1. 23.

Sycomorus, Crux Christi.

1. Cor. 3. 19.

Crux in fronte.

1 Cor. 1. 25.

4. Et vidit Dominus ipsum Zacchæum. Visus est, & vidit: sed nisi visus esset, non videret. Quos enim prædestinavit, illos & vocavit. * Ipse est qui Nathanaëli dixit, jam quasi testimonio suo adjuvanti Evangelium, & dicenti, A Nazareth potest aliquid boni esse? Dominus ad illum, Priùs quàm te Philippus vocaret, cùm esses sub arbore fici, vidi te. Nostis unde sibi succinctoria fecerunt

Gratia prævenientis necessitas.

Rom. 8. 30.

* Caput IV.

Johan. 1. 46.

Ibidem 48.

[a] Editi, *ad utendum*. Emendantur ope Benigniani MS. & Flori.

[b] Hìc editi addunt, *Susceptus est Dei filius*. Abest à Benign. MS.

CLASSIS I.

Gen. 3. 7.

fecerunt primi peccatores Adam & Eva. Quando peccaverunt, de foliis fici succinctoria sibi fecerunt & pudenda texerunt: quia quod eos puderet peccando fecerunt. Ergo si succinctoria sibi primi peccatores fecerunt, unde originem ducimus, in quibus perieramus, ut veniret ille quærere & salvare quod perierat, de foliis fici ad pudenda tegenda fecerunt; quid aliud dictum » est, Cùm esses sub arbore fici, vidi te; nisi, non venires ad purgatorem peccati, nisi prior te vidisset in umbra peccati? Ut videremus, visi sumus; ut diligeremus, dilecti sumus. Deus meus misericordia ejus præveniet me.

Psal. 58. 11.

5. Jam ergo Dominus, qui Zacchæum in corde susceperat, in domum ejus dignatus est suscipi: & dixit, *Zacchæe*, [a] *festinans descende, quoniam in domo tua oportet me manere.* Magnum beneficium ille arbitrabatur, Christum videre. Qui magnum & ineffabile beneficium putabat, transeuntem videre, subitò meruit in domo habere. Infunditur gratia, operatur fides per dilectionem; suscipitur Christus in domum, qui jam habitabat in corde. Dicit Christo Zacchæus, *Domine, dimidium rerum mearum do pauperibus, & si quid aliquem fraudavi, quadruplum reddo.* Quasi diceret, Ideo mihi dimidium teneo, non quod habeam, sed unde reddam. Verè ecce quod est suscipere Jesum, in cor suscipere. Ibi enim erat Christus, in Zacchæo erat, & de illo sibi dicebat, quod ex ore ejus audiebat. Sic enim Apostolus dicit, Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.

Luca 19. 5. — a Suscipere Jesum in cor. — ℣. 8. — Ephes. 3. 17.

Qui sani sibi videntur, insaniunt in medicum. b

6. Jam ergo quia Zacchæus erat, quia princeps publicanorum erat, quia valde peccator erat; quasi [b] sana illa turba, quæ impediebat videre Jesum, admirata est, & reprehendit quòd in domum peccatoris intrasset Jesus. Hoc erat reprehendere quòd in domum ægroti intravit medicus. * Quia ergo velut peccator Zacchæus irrisus est, irrisus est autem ab insanis sanatus, Dominus respondit irridentibus, *Hodie salus huic domui facta est.* Ecce quare intravi, *salus hodie facta est.* Utique si Salvator non intrasset, salus in illa domo facta non esset. Quid ergo miraris ægrote? Voca & tu Jesum, noli tibi sanus videri. Cum spe ægrotat, qui medicum suscipit: desperatè ægrotat, qui per insaniam medicum cædit. Qualis ergo ejus insania, qui medicum occidit? Quanta verò bonitas & potentia medici, qui de sanguine suo, insano interfectori suo medicamentum fecit? Neque enim ille qui venerat quærere & salvare quod perierat, pendens sine caussa dicebat, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Insani sunt, medicus sum: sæviant, patienter fero; cùm occiderint, tunc sanabo. Simus ergo inter illos quos sanat. *Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere*: magnos, pusillos, *peccatores salvos facere. Venit Filius hominis quærere & salvare quod perierat.*

* CAPUT V. — Luca 19. 9. — Sanguis medici medicamentum suo interfectori. Luca 23. 34. — 1. Tim. 1. 15. — Luca 19. 10.

CAPUT VI. Originale peccatum probatur.

7. Qui dicit infantilem ætatem non habere quod salvet Jesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Jesum. Qui dicit, inquam, infantilem ætatem non habere quod salvet Jesus in ea, nihil aliud dicit quàm Christum Dominum fidelibus infantibus, id est, in Christo baptizatis infantibus non esse Jesum. Jesus enim quid est? Interpretatur Jesus, Salvator. Salvator est Jesus. Quos non salvat, non habendo quod in eis salvet, non est illis Jesus. Jam si corda vestra tolerant, aliquibus baptizatis Christum non esse Jesum, nescio utrùm fides vestra in regula sana possit agnosci. Infantes sunt, sed membra ejus fiunt. Infantes sunt, sed sacramenta ejus accipiunt. Infantes sunt, sed mensæ ejus participes fiunt, ut habeant in se vitam. Quid mihi dicis, Sanus est, non habet vitium? Quare cum illo curris ad medicum, si non habet vitium? Non times ne dicat tibi, Aufer hinc eum quem putas sanum? Filius hominis non venit, nisi quærere & salvare quod perierat. Quare illum ad me affers, si non perierat?

SERM. DE SCRIPTURIS. — Christus etiam infantibus est Jesus. — Parvulorū baptismu & communio.

CAPUT VII. Caussa quare Christus venit.

8. *Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum.* Quare venit in mundum? *Peccatores salvos facere.* Alia caussa non fuit, quare veniret in mundum. Non eum de cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Hæc est caussa cur veniret, *peccatores salvos facere.* Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum. Quare vocabis nomen ejus Jesum? Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Vocabis nomen ejus Jesum. Quare Jesum? quæ ratio est hujus nominis? Audi quare: Ipse enim salvum faciet populum suum. Unde? A peccatis eorum. Populum suum à peccatis eorum. Numquid ad istum populum non pertinent parvuli, quem salvum faciet Jesus à peccatis eorum? Pertinent planè, pertinent, Fratres mei. Sic habete in corde, sic credite, cum ista fide parvulos ad gratiam Christi portate; ne si hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus respondetis, linguâ vestrâ occidatis. Prorsus, Fratres, qui non cum ista fide cum parvulo cucurrerit, fingit. Sanus est, nihil mali habet, nihil vitii habet; sed tollam illum ad medicum. Quare? Quia sic solet fieri. Non times ne tibi dicat medicus, Tolle hinc tecum ipsum; non est opus sanis medicus, sed malè habentibus?

Matth. 1. 21. « — Ratio nominis Jesu. « — Parvuli Salvatore egent. — Fides recta sit respondentium pro ipsis in baptismo. — Matth. 9. 12.

CAPUT VIII. Parvulis regeneratio necessaria. c

9. Commendaverim Caritati Vestræ caussam eorum, qui pro se loqui non possunt. Omnes parvuli tamquam pupilli considerentur, etiam qui nondum parentes proprios extulerunt. Omnis prædestinatorum numerus parvulorum [c] populum Dei quærit tutorem, qui exspectat Dominum salvatorem. Universam massam generis humani in homine primo venenator ille percussit; nemo ad secundum transit à primo, nisi per baptismatis sacramentum. In parvulis natis & nondum baptizatis agnoscatur Adam: in parvulis natis & baptizatis & ob hoc renatis agnoscatur Christus. Qui Adam non agnoscit in parvulis natis, nec Christum agnoscere poterit in renatis. Sed quare, inquiunt, jam baptizatus homo fidelis, jam dimisso peccato, generat eum qui est cum primi hominis peccato? Quia carne illum generat, non spiritu. Quod natum est de carne, caro est. Et si exterior homo noster, ait Apostolus, corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Ex eo quod in te renovatur, non generas parvulum: ex eo quod in te corrumpitur,

Objectio contra peccatum originale. — Johan. 3. 6. — 2. Cor. 4. 16.

[a] Verbum *festinans* abest ab Am. Er. & MSS.
[b] Fossatensis MS. *quasi insana.*

[c] Editi, *populus Dei.* Correximus ex MSS. & ex Floro.

Classis I

generas parvulum. Tu ut non in æternum moriaris natus es, & renatus es: ille adhuc natus, renatus nondum est. Si tu renascendo vivis, sine ut & ille renascatur & vivat: sine, inquam, renascatur, sine renascatur: quare contradicis? Quare novis disputationibus antiquam fidei regulam frangere conaris? Quid est enim quod dicis, Parvuli non habent omnino vel originale peccatum? Quid est quod dicis, nisi ut non accedant ad Jesum? Sed tibi clamat Jesus, Sine parvulos venire ad me. Conversi ad Dominum, &c.

[Regula antiqua fidei, baptizare parvulos.] [Marci 10. 14.]

[*Aliàs 9. de verbis Apostoli. a]

*SERMO CLXXV.

De eisdem [a] *verbis Apostoli*, 1. *Tim.* 1. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, *&c.*

[Caput I. Incarnationis Christi caussa.] [1. Tim. 1. 15. Florus ibid.]

1. Quod lectum est modò de sancto Evangelio, hoc & Paulus apostolus dicit, cujus verba ista sunt: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla caussa est medicinæ. Si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipse ægrotus genus humanum est. Sed non omnium est fides. Novit Dominus qui sunt ejus. Superbiebant Judæi, extollebant se, alta sapiebant, justos se putabant, & Dominum colligentem peccatores insuper accusabant. Qui ergo superbiebant & alta sapiebant, relicti sunt in montibus, ad nonaginta-novem pertinent. Quid est, relicti sunt in montibus? Relicti sunt in tumore terreno. Quid est, ad nonaginta-novem pertinent? In sinistra sunt, non in dextera. Nonaginta enim & novem in sinistra numerantur: unum adde, ad dexteram transitur. Venit ergo, ut ipse alio loco dicit: Venit Filius hominis quærere & salvare quod perierat. Totum enim perierat: ex quo peccavit unus, ubi erat totum periit totum. Sed venit unus sine peccato, qui salvos faceret à peccato. Isti autem superbiendo, quod est pejus, & ægrotabant, & sanos se esse credebant.

[2. Thess. 3. 2.] [2. Tim. 2. 19.] [Matth. 18. 12.] [Luca 19. 10.]

[Judæorum periculosior ægritudo.]

2. Periculosiùs ægrotant, qui mentem febribus perdiderunt. Illi rident, & sani plorant. Ridet enim phreneticus: sed non est sanus. Porrò autem qui mentis est sanæ, plorat phreneticum ridentem. *Primùm, si duo ista proponas, quid est melius, ridere, an plorare? Quis non sibi eligat ridere? Denique propter dolorem salubrem pænitentiæ, in fletu Dominus posuit officium, in risu beneficium. Quomodo? Quando ait in Evangelio, Beati qui plorant, quoniam ridebunt. Ergo in ploratu officium est, in risu est præmium sapientiæ. Risum enim pro gaudio posuit, non cachinnationem, sed exsultationem. Ergo si duo ista proponas, & quæras quid horum sit melius, ridere, an plorare: omnis homo plorare non vult, & ridere vult. Porrò si addas personas ad istos affectus, & ita proponas cum personis: Quid est melius, ridere phreneticum, an plorare sanum? Eligit sibi homo fletum cum sanitate, quàm risum cum amentia. Tantum valet mentis sanitas, ut etiam cum planctu eligatur. Isti ergo qui sanos se pu-

[*Caput II.] [Luca 6. 21.]

[a] Citatur à Floro ad 1. Tim. 1.

[Serm. di Scripturis.] [Judæi in medicum insanientes.]

A tabant; multò periculosiùs & desperatiùs ægrotabant; & ipsa ægritudine qua mentes perdiderant, etiam medicum cædebant. Parum est, cædebant: dicam totum; non solùm cædebant, sed etiam occidebant. Ille autem etiam cùm occideretur, medicus erat; vapulabat, & curabat; patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremò audiebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, undique circumfremebatur; B & medicus erat.

[Christus interfectoribus suis medicamentum parat de suo sanguine.] [Luca 23. 34.] [*Caput III.]

3. Agnoscis phreneticos, agnosce & medicum. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæviebant, & medici sanguinem sæviendo fundebant: ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat.* Non enim verè frustra dixit, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Orat Christianus, & exauditur; orat Christus, & non exau- C ditur? Nam qui exaudit cum Patre, quia Deus est, quomodo non exauditur homo, quod pro nobis factus est? Prorsus exauditus est. Ibi erant, ibi sæviebant: de his erant qui reprehendebant eum, & dicebant, Ecce cum publicanis & peccatoribus convescitur. Erant in ipso populo, à quo ipse medicus occidebatur, & in ejus sanguine etiam ipsis antidotum parabatur. Cùm enim Dominus non solùm sanguinem funderet, verùm etiam ipsam suam mortem ad medicamenti con- D fectionem impenderet: resurrexit ad demonstrandum resurrectionis exemplum. Patientiâ suâ passus est, ut doceret patientiam nostram; & in resurrectione sua præmium patientiæ demonstravit. Item, ut nostis, & omnes confitemur, adscendit in cælum, deinde ab eo Spiritus-sanctus est missus, antè promissus. Dixerat enim discipulis suis, Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. Venit ergo & promissio ipsius, venit Spiritus-sanctus, implevit discipulos, cœpe- E runt loqui linguis omnium gentium: signum in illis procedebat unitatis. Loquebatur enim tunc unus homo omnibus linguis; quia locutura erat unitas Ecclesiæ in omnibus linguis. Expaverunt qui audiebant. Noverant enim homines idiotas fuisse, unius tantùm linguæ; & mirabantur vel ut stupebant, quòd unius linguæ homines, vel multum duarum, linguis omnium gentium loquerentur: suspensi sunt stupore, perdiderunt elationem, de monte facti sunt valles. Jam si hu- F miles sunt, valles sunt; quod infuderis capiunt, non dimittunt. Si venerit aqua super altitudinem, decurrit & defluit: si venerit aqua ad concavum & humilem locum, & capitur & stat. Tales jam illi erant, stupebant, mirabantur, perdiderant sævitiam.

[Marci 2. 16.] [Luca 24. 49. Act. 2.]

[Caput IV. Interfectorum Christi conversio.] [Psal. 31. 4. Act. 2. 37. &c. b]

4. Denique loquente sibi Petro, compuncti sunt, & factum est in illis quod Psalmus prædixerat, Conversus sum in [b] ærumnam, cùm configeretur spina. Quid est spina? Compunctio pæni- G tentiæ. Sic habes & verba ipsa Scripturæ in Actibus Apostolorum: Compuncti sunt corde, & dixerunt ad Apostolos, Quid faciemus? Quare dixerunt, Quid faciemus? Novimus quid fecimus: quid faciemus? Quantum ad nostrum factum adtinet, desperatio est salutis: sit ergo in vestro consilio, si fieri potest, spes aliqua sanitatis. No-

[b] Ita MSS. juxta Græcum LXX. At editi, *in ærumna.*

Classis I.

vimus quid fecerimus, dicite quid faciamus. A Quid est quod fecimus? Non enim quemcumque hominem occidimus; & multum mali fecissemus, si quemcumque hominem innocentem occidissemus. Latronem elegimus, innocentem occidimus; mortuum elegimus, medicum occidimus: dicite quid faciemus? Et Petrus, Agite pænitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Jesu Christi; ut transeatis de nonaginta-novem ad centum: quia cùm* nonaginta & novem essetis, pænitentiam vobis necessariam non putabatis, B & Domino colligenti peccatores & volenti eos facere pænitentes, insuper insultabatis. Modò ergo compuncti, quia cognovistis peccatum vestrum, agite pænitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Jesu christi; baptizetur in ejus nomine, quem occidistis sine crimine: & remittuntur vobis peccata vestra. Reducti sunt in spem: doluerunt, gemuerunt, conversi sunt, sanati sunt. Ipsi erant illi; Pater, ignosce illis, C quia nesciunt quid faciunt.

* f. deest in.

Luca 23. 34.

Caput V. Peccatores Christus amat ut nō semper sint peccatores.

5. Unusquisque ergo, Carissimi, quando audit Dominum Jesum Christum non venisse propter justos, sed propter peccatores, non amet esse peccator: ne fortè dicat in corde suo, Si justus fuero, non me amat Christus; si peccator fuero, amat me: quia propter peccatores descendit, non propter justos. Respondet enim tibi, Si medicum agnovisti, febrem quare non timuisti? Utique medicus ad ægrotum venit, con- D stat: sed ideo venit medicus ad ægrotum, ne ille sit semper ægrotus. Quid ergo dicimus? quid pronuntiamus? quid definimus? Ægrotum amat medicus, an sanum? Quod vult facere amat; non quod invenit. Ad ægrotum quidem venit, ad sanum non venit: noli adtendere quia ad illum venit, ad illum non venit: plus enim amat sanum, quàm ægrotum. Nam, ut noveritis quia plus amat sanum, quàm ægrotum; numquid faceret quod odisset? E

1. Tim. 1. 15.

Paulus quomodo peccatorū primus.

6. Ergo Paulum apostolum adtende: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Dixit, *quorum primus ego sum.* Quomodo erat primus? Ante illum non fuerunt peccatores tot Judæi? Ante illum non fuerunt peccatores in genere humano? Ante illum in omnibus hominibus [a] nemo peccato tenebatur? Adam non ante illum fuit, qui primus peccavit, & nos omnes in mortem præcipitavit? F Quid est, *quorum primus ego sum?* Ad quos venit, primus ego sum? Sed nec hoc verum est. Primus electus est Petrus, primus Andreas, primi alii Apostoli; tu Apostolus es novissimus: quomodo dicis, *quorum primus ego sum?* Ergo Apostolus novissimus, primus peccator. Et hoc quomodo primus peccator? Ante te peccavit Petrus, quando ipsum Dominum ter negavit. Nolo dicere, quia & ipse nisi peccator inventus esset, de sinistra ad dexteram non transisset. G

Matth. 4. 18.

Matth. 26. 70.

Caput VI. Primus peccatorū, quia omnibus pejor.

7. Quid est ergo, *quorum primus ego sum?* Quia omnibus pejor sum. Ergo pejorem voluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicumque vult ædificare, quid dicit? Quis est hîc primus structor? quis est primus faber? Aut si curari vult, Quis est hîc primus medicus? Non utique interrogat quis prior sit ætate, aut quis prior sit professione; sed quis prior sit arte. Quomodo illi in arte primi, sic iste in iniquitate primus. Quare Paulus in iniquitate primus? Recolite Saulum, & invenietis. Adtenditis Paulum, obliti estis Saulum: adtenditis ad pastorem; obliti estis lupum. Nonne ille est, cui ad lapidandum Stephanum manus una non sufficiebat, & aliorum vestimenta servabat? Nonne ipse est, qui Ecclesiam ubique persequebatur? Nonne ipse est, qui litteras acceperat à principibus sacerdotum? Quia parum illi erat persequi Christianos, qui erant in Jerusalem: sed volebat ad alia loca venire, ubi eos inveniret, & ligaret, & puniendos adduceret. Nonne cùm iter agens spirat & anhelat cædes, de cælo percussus est, & vocem Domini ad salutem fulminatus audivit? Dum ambulat, prosternitur; ut videat, excæcatur. Ipse est ergo qui primus erat persecutor, illo pejor non fuit.

Serm. de Scripturis.

Act. 7. 57.

Act. 9. 11.

Caput VII. Pauli conversio.

Act. 9. 11. &c.

8. Audite unde plus intelligatis. Ananiæ loquebatur ipse Dominus Christus, jam illo prostrato, jam erecto: & dicebat ei, Vade ad vicum illum, ibi invenies Saulum à Tarsis Ciliciæ, loquere ei. Quoniam vidit virum Ananiam intrantem ad se, & baptizantem se. Ille audivit nomen Sauli, & inter manus ipsius medici tremuit. Quod est autem dulcius, Saulus unde vocaretur, credo quia recolitis, & propter eos qui non recolunt, commemorem. Saül erat ille persecutor David. In David Christus erat, in David Christus præfigurabatur, in Saüle Saulus præfigurabatur: tamquam David Saüli de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Ananias ovis interpretatur: loquebatur ovi pastor, & timebat ovis lupum. Tanta hujus lupi fama præcesserat, ut non se putaret tutam ovis, nec inter manus pastoris. Et Dominus ad illum, quasi ad ovem trementem. Ille enim cùm audisset hoc, dixit, Domine, audivi de isto homine quanta mala fecit sanctis tuis in Jerusalem, & modò dicitur epistolas accepisse à principibus sacerdotum, ut quoscumque tenuerit, alligatos ducat. Quò me mittis? ovem ad lupum? Sed ille non audivit hanc excusationem. Jam enim dixerat paucis oviculis suis, Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Si missæ sunt oves in medio luporum, quare trepidas ire, Anania, ad eum qui jam non est lupus? Lupum timebas: sed respondet tibi Dominus Deus tuus, De lupo ovem feci; facio de ove pastorem.

1 Reg. 18. 9. &c.

Matth. 10. 16.

9. Quomodo ergo ipse Saulus postea Paulus gratulatur se ad Dei [b] pervenisse misericordiam, quia primus, hoc est excellens in peccatis inventus est: * *Et tamen misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem, propter eos qui credituri sunt illi in vitam æternam:* ut dicant sibi omnes, Si Paulus sanatus est, ego quare despero? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur vulneribus meis illas manus non aptabo? ad illas manus non festinabo? Ut hoc dicerent homines, ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus. Quia quò venit medicus, quærit aliquem ibi desperatum, & ipsum sanat: & si pauperrimum inveniat, tamen desperatum inveniat; non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Dicam

* Caput VIII. Christi medici ars commendata in curatione Pauli.

[a] Sic unus è Colbertinis MSS. At editi, *non peccato tenebatur Adam? Non ante illum fuit* &c.

[b] Omnes MSS. *pertinuisse.*

CLASSIS I.

ergo quod cœperam. Quomodo ergo Saulus congratulatur se à Christo, quia peccator erat, assumtum atque sanatum, nec dixit, Maneam in peccato, quia propter me venit Christus, non propter justum: ita etiam tu, qui audieras quia Christus propter peccatores venit, noli tibi dormire in dulci stratu; sed audi ipsum Paulum dicentem, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Noli amare stratum peccati. Totum stratum ejus vertisti in infirmitate ejus: dictum est antea. Surge, sanus esto, sanitatem ama, & noli rursus per superbiam de dextera ire ad sinistram, de valle ad montem, de humilitate ad tumorem. Cùm factus fueris sanus, id est, cùm justè cœperis vivere, Deo tribue, non tibi. Non enim laudando te, salvus factus es; sed contra te pronuntiando. Nam si te laudaveris per superbiam, graviùs ægrotabis. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Conversi ad Dominum, &c.

Ephes. 5. 14. *Psal.* 40. 4. *Luca* 18. 14.

* SERMO CLXXVI.

** Aliàs 10. de verbis Apostoli.*

De [a] *tribus lectionibus, Apostoli*, 1. *Tim.* 1. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, *&c. Psalmi* 94. Venite adoremus, & prosternamur ei, *&c. ac Evangelii, Lucæ* 17. *ubi de decem leprosis à Domino mundatis. Contra Pelagianos.*

CAPUT I. Lectiones & cantus in Ecclesia.

1. DE divinis lectionibus quod Dominus admonere dignatur, intenti audite Fratres, illo dante, me ministrante. Primam lectionem audivimus Apostoli: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* * *Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem suam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Hoc de Apostolica lectione percepimus. Deinde cantavimus Psalmum, exhortantes nos invicem, una voce, uno corde dicentes, *Venite adoremus, & prosternamur ei, & fleamus coram Domino qui fecit nos:* & ibi *præveniamus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei.* Post hæc, Evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit, & unum ex eis alienigenam gratias agentem mundatori suo. Has tres lectiones, quantum pro tempore possumus, pertractemus, dicentes pauca de singulis; & quantum conari possumus, adjuvante Domino, non in aliqua earum sic immorantes, ut aliis duabus impedimentum afferamus.

1. *Tim.* 1. 15. ℣. 16. *Psal.* 94. 6. ℣. 2. *Luca* 17. 12.

Gratiarum actio ab omnibus debita medico.

2. Proponit nobis Apostolus scientiam gratiarum actionis. Mementote quid ultima Evangelica lectio resonet, quomodo Jesus Dominus laudat gratias agentem, ingratos improbat, mundatos in cute, leprosos in corde. * Quid ergo Apostolus? *Fidelis*, inquit, *sermo & omni acceptione dignus.* Quis est iste sermo? *Quia Christus Iesus venit in mundum.* Ut quid? *Peccatores salvos facere.* Quid tu? *Quorum primus ego sum.* Qui dicit, vel non sum peccator, vel non fui, ingratus est Salvatori. Nullus hominum in ista, quæ ex Adam defluit massa mortalium, nullus omnino hominum non ægrotus, nullus sine gratia Christi sanatus. Quid de parvulis * pueris, si ex Adam ægroti? Nam & ipsi portantur ad Ecclesiam: & si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur. Accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur: ut quoniam quòd ægri sunt alio peccante prægravantur, sic cùm [b] hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur. Nemo ergo vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc à majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit. Quoniam non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Quid necessarium ergo habuit infans Christum, si non ægrotat? Si sanus est, quare per eos qui eum diligunt, medicum quærit? Si quando portantur infantes, dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, & veniunt ad Christum; quare non eis dicitur in Ecclesia qui eos apportant, Auferte hinc innocentes istos: non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: non venit Christus vocare justos, sed peccatores? Numquam dictum est: sed nec aliquando dicetur. Quisque ergo quod potest, Fratres, loquatur pro eo qui loqui pro se non potest. Pro magno commendantur episcopis patrimonia pupillorum, quantò magis gratia parvulorum? Pupillum tuetur episcopus, ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur. Clamet plus pro parvulo, cui timet ne à parentibus occidatur: clamet cum Apostolo, *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum*, nullam aliam ob caussam, nisi *peccatores salvos facere.* Qui venit ad Christum, habet quod in eo sanetur: qui non habet, non est caussa quare medico offeratur. Eligant parentes unum de duobus, aut confiteantur in parvulis suis sanari peccatum, aut eos medico offerre desinant. Hoc nihil est aliud quàm velle medico sanum offerre. Quid offers? Baptizandum. Quem? Infantem. Cui offers? Christo. Ei certè qui *venit in mundum.* Ita, inquit. Quare venit in mundum? *Peccatores salvos facere.* Ergo quem offers, habet quod in illo salvum fiat? Si dixeris, Habet; confitendo deles: si dixeris, Non habet; negando tenes.

* CAPUT II. 1. *Tim.* 1. 15.

Peccatum originale in parvulis.

** f. quæris.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

Matth. 9. 12.

Pupillorũ tutores episcopi.

CAPUT III. Paulus quomodo peccatorũ primus.

3. *Peccatores*, inquit, *salvos facere, quorum primus ego sum.* Ante Paulum non erant peccatores? Certè vel ipse Adam ante omnes, & plena peccatoribus terra deleta diluvio, & deinceps quàm multi. Unde verum est, *ego primus sum?* Primum se dixit, non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine. Magnitudinem peccati sui adtendit, unde se primum dixit peccatorum; quomodo dicuntur inter advocatos, verbi gratiâ, primi: primus est iste, non quia plures annos habet, ex quo caussas agit; sed quia ex quo cœpit, ceteros superavit. Dicat ergo Apostolus alio loco unde primus sit peccatorum: Ego, inquit, sum « novissimus Apostolorum, qui non sum dignus « vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam « Dei. Nemo acrior inter persecutores: ergo nemo prior inter peccatores.

Beda & Florus. 1. *Cor.* 15. 9.

4. *Sed misericordiam*, inquit, *consecutus sum.* Et quare sit misericordiam consecutus, exponit caussam: *Ut in me*, inquit, *ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Christus, inquit, daturus veniam conversis ad se peccatoribus usque ad inimicos suos, me primò ele-

℣. 16. In Pauli curatione spes salutis allata desperatis.

[a] Hunc citant Beda & Florus ad 1. Tim. 1.

[b] Am. Er. & MSS. *cùm hi sani sunt.*

Classis I.

* Caput IV.

git acriorem inimicum; quem cùm sanaret, nemo in ceteris desperaret. * Faciunt hoc medici, quando ad ea loca veniunt ubi ignoti sunt, quos curent primitus eligunt desperatos; ut in eis & benevolentiam exerceant, & commendent doctrinam; ut unusquisque in illo loco dicat proximo suo, Vade ad illum medicum, securus esto, sanat te. Et ille, Me sanat? Non vides quid patiar? [a] Ego novi quid simile: tu quod pateris, & ego quidem passus sum. Sic dicit Paulus unicuique ægroto, & de se volenti desperare: Qui curavit me, misit me ad te, & dixit mihi, Illi desperanti vade, & dic quid habuisti, quid in te sanavi, quàm citò sanavi. (Act. 9.) De cælo vocavi, una voce percussi & dejeci, [b] aliâ erexi & elegi, tertiâ implevi & misi, quartâ liberavi & coronavi. Vade, dic ægrotis, clama desperatis: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Quid timetis? Quid trepidatis? *Quorum primus ego sum.* Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotantibus, stans jacentibus, securus desperantibus. *Ideo enim misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem.* Morbum meum diu pertulit, & sic abstulit; tamquam bonus medicus phreneticum patienter toleravit, sustinuit me ferientem se, donavit mihi feriri pro se. *Omnem,* inquit, *longanimitatem ostendit in me, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.*

Caput V. Salus nostra ex Deo, non ex nobis.

5. Nolite ergo desperare. Ægroti estis, accedite ad eum, & sanamini: cæci estis, accedite ad eum, & illuminamini. Et qui [c] sani estis, ei gratias agite: & qui ægrotatis, ad eum sanandi currite: dicite omnes, (Psal. 94. 6.) *Venite adoremus, & prosternamur ei*[d], *& ploremus coram Domino qui fecit nos,* & homines, & salvos. Nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos; aliquid illo melius fecimus. Melior est enim salvus homo, quàm quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hominem, & tu te fecisti bonum hominem; quod tu fecisti melius est. Noli te extollere super Deum: subde te Deo, adora, prosternere, confitere illi qui fecit te: quia nemo recreat, nisi qui creat; nemo reficit, nisi qui fecit. Hoc & in alio Psalmo, (Psal. 99. 3.) Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Sanè quando te fecit, quid tu faceres non habebas: quando autem jam es, habes & tu ipse quod facias; (Gratiæ beneficia.) ad medicum curras, medicum implores, qui ubique est. Et ut implorares, excitavit cor tuum, & posse implorare donavit tibi. (Philipp. 2. 13.) Deus est enim, inquit, qui operatur in vobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Quia ut haberes bonam voluntatem, illius vocatio præcessit. Clama, (Psal. 58. 11.) Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Ut esses, ut sentires, ut audires, ut consentires, prævenit te misericordia ejus. Prævenit te in omnibus: præveni & tu in aliquo iram ejus. (Confessio duplex.) In quo, inquis, in quo? Confitere ista omnia à Deo te habere quidquid boni habes, à te quidquid mali. Ne in bonis tuis illum contemnas, te laudes; ne in malis tuis illum accuses, te excuses: ipsa est vera confessio. Ille qui in tantis bonis prævenit te, venturus est ad te, & inspecturus dona sua & mala tua, quomodo bono ejus usus fueris, inspicit te. Ergo quia in omnibus istis donis prævenit te, vide in quo tu prævenias faciem venturi: audi Psalmum, (Psal. 94. 6.) *Præveniamus faciem ejus in confessione. Præveniamus faciem ejus:* antequam veniat, propitietur; antequam adsit, placetur. Habes enim sacerdotem per quem possis placare Deum tuum, & ipse cum Patre Deus est ad te, qui homo est propter te. Ita jubilabis in Psalmis, præveniens faciem ejus in confessione. Jubila in Psalmo: præveniens faciem ejus in confessione, accusa te; jubilans in Psalmo, lauda illum. Accusando te, & laudando eum qui fecit te; veniet qui mortuus est pro te, & vivificabit te.

Sermo de Scripturis

Caput VI. Doctrina varia & inconstans lepra mentis.

6. Hoc tenete, in hoc persistite. Nemo variet, nemo leprosus sit. Doctrina inconstans, non habens unum colorem, mentis lepram significat: & istam Christus mundat. Fortè in aliquo variasti, & inspexisti, & in melius sententiam commutasti; & quod varium erat, unius coloris effectum est. Noli tibi tribuere, ne sis inter novem qui gratias non egerunt. Unus egit gratias: (Lucæ 17. 18.) ceteri Judæi erant: ille alienigena erat, gentes alienigenas significabat, numerus ille Christo decimas dedit. Illi ergo debemus quòd sumus, quòd vivimus, quòd intelligimus: quòd homines sumus, quòd bene viximus, quòd rectè intelleximus, illi debemus. Nostrum nihil nisi peccatum quod habemus. Quid enim habes, quod non accepisti? (1. Cor. 4. 7.) Vos ergo, maximè qui scitis quid audiatis, [d] curandum ab ægritudine, mundatum à varietate sursum cor ponite, & Deo gratias agite.

* SERMO CLXXVII.

De [e] verbis Apostoli, 1. Tim. 6. Nihil in hunc mundum intulimus, sed nec auferre aliquid possumus, &c.

* Aliàs 10. inter editos ex majoris Carthusiæ MSS.

1. SERMONIS nostri propositio, Apostolica lectio. *Nihil,* inquit, *intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus:* (1. Tim. 6. 7.) * *victum & tegumentum habentes, his contenti simus.* (ỳ. 8.) * *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum, & in desideria multa & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* (ỳ. 9.) * *Radix enim est omnium malorum avaritia, quam quidam appetentes à fide pererraverunt, & inseruerunt se doloribus multis.* (ỳ. 10.) Digna res quæ intentos vos faciat ad audiendum, & nos promtos ad loquendum. (Avaritia verbis apud omnes damnatur, non factis.) His verbis constituitur ante oculos nostros avaritia: accusatur, non defendatur: immo accusata damnetur, ne defensor ejus cum illa damnetur. Nescio quo autem modo id agit avaritia in cordibus hominum, ut omnes, vel ut veriùs & cautiùs dicam, penè omnes verbis eam constituant ream, & factis velint habere susceptam. Dixerunt in illam multi & multa & magna & gravia & vera, & poëtæ & historici & oratores & philosophi, & omne litterarum & professionum genus multa dixit in avaritiam. Magnum est autem non illam habere, & multò plus est non eam habere, quàm de vitiis ejus non tacere.

[a] Florus, *Ego novi, inquit, quod pateris, & ego passus sum.*
[b] Beda, *postea erexi & elegi, tertiò implevi & misi, quartò liberavi & coronavi.*
[c] Nonnulli codices, *sanati estis.*

[d] In quibusdam libris, *curatum.*
[e] Meminit Possidius in Indiculo cap. 8. Et citat aliquoties Beda ad 1. Tim. 6. scilicet in vera illa collectione ipsius quæ apud nos exstat, nondum vulgata.

CLASSIS I.

Christianis quæ fugiendæ avaritiæ doctrina traditur.

2. Quid autem interest inter philosophos, verbi gratiâ, accusantes avaritiam, & Apostolos eamdem ipsam accusantes? quid interest? Si advertamus, discimus aliquid, quod proprium non habet, nisi schola Christi. Ecce quod modò commemoravi, *Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre aliquid possumus, habentes victum & tegumentum his contenti simus*, multi dixerunt. Etiam hoc, *Radix omnium malorum avaritia*, fuerunt qui dicerent. Illud quod sequitur, nemo
℣. 11. dixit illorum: *Tu autem homo Dei, hæc fuge; sectare verò justitiam, fidem, caritatem, cum his qui invocant nomen Domini de corde puro.* Talia nullus dixit illorum. Longè est à crepantibus buccis soliditas pietatis. Quapropter, Carissimi, quoniam sunt extra societatem nostram qui & avaritiam accusaverunt & contempserunt; ne nobis magni videantur aut hominibus Dei, propterea, *Tu autem homo Dei.* Si ullo modo compararentur, primitus discernere & tenere debemus propter Deum nos facere quod facimus. Nam si veri Dei cultus afferatur, quilibet amator avaritiæ reprobatur. Verumtamen incutere nobis debet majorem curam regula pietatis. Turpe est enim, & nimis pudendum & dolendum, si cultores idolorum inventi sunt avaritiæ domitores, & cultor Dei unius ab avaritia subjugetur, & fiat avaritiæ mancipium, cujus sanguis fit pretium. Addidit
℣. 13. Apostolus, & dixit Timotheo, *Testificor coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Iesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem*, (hoc ab illis quantum longè est, vide:)
℣. 14. *ut serves mandatum irreprehensibile usque in ad-*
℣. 15. *ventum Domini nostri Iesu Christi*, * *quem temporibus propriis ostendit beatus & solus potens, Rex*
℣. 16. *regum & Dominus dominantium*, * *qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum.* Hujus familiæ facti sumus, in hujus familiam adoptati sumus; hujus filii non nostris meritis, sed ipsius gratiâ sumus. Nimis grave est & nimis horribile, ut avaritia nos teneat in terris; cùm illi dicamus, Pater noster, qui es in cœlis, cujus desiderio vilescunt omnia; nec nata nobis sunt inter quæ nati sumus, quia propter illum renati sumus. Sint hæc ad necessitatis usum, non ad caritatis affectum: sint tamquam stabulum viatoris, non tamquam prædium possessoris. Refice, & transi. Iter agis, adtende ad quem venisti; quia magnus est qui ad te venit. Discedendo de hac vita, locum facis venienti: stabuli est ista conditio: cedes, ut alius accedat, Sed si vis ad locum tutissimum pervenire, Deus à te non recedat,
Psal. 22. 3. cui dicimus, Deduxisti me per semitas justitiæ » tuæ, propter nomen tuum: non propter meritum meum.

Itineri hujus vitæ necessaria sine cupiditate habeantur.

3. Aliud est ergo iter mortalitatis, aliud iter pietatis. Iter mortalitatis commune est, illuc enim ambulant omnes nati: illuc nonnisi renati. Ad illud pertinet nasci, crescere, senescere, mori. Propter hoc necessarius est victus & tegumentum. Sufficientes sint hujus itineris sumtus. Quare te gravas? Quare tantum portas in via brevi, non unde ad hanc viam finiendam juveris, sed unde potiùs ad hanc viam * finiendam graviùs onereris? Nimiùm quippe mirabile est, quod tibi

* *f. deest non.*

A vis ut contingat: oneras te, multum portas, premit te in hac via pecunia, & per hanc viam premit te avaritia. Avaritia enim cordis est immunditia. Nihil tollis de hoc mundo, quem amasti: sed tollis vitium, quod amasti. Si perseveranter amas mundum;' qui fecit mundum, non te invenit mundum. Si ergo in usum temporalem moderata pecunia sit viatici, in eo fine constituto qui scriptus est, Sine amore, inquit, pecuniæ, modus sufficiens est præsentibus. Vide ante omnia
B quid præstruxit: Sine amore, inquit: ita manum mitte, ut cor inde solvas. Nam si pecuniæ per amorem cor alligare volueris, inseris te doloribus multis: & ubi erit, *Tu autem homo Dei hæc fuge?* Non enim ait, Relinque, & desere: sed, *Fuge*, quasi hostem. Quærebas [a] fugere cum auro, fuge aurum: cor tuum fugiat, & servus est tuus. Cupiditas non sit, pietas tamen non desit; est quod facias de auro, si dominus es auri, non servus. Si dominus auri es, facis de
C illo quod bonum est: si servus, facit de te quod malum est. Si dominus auri es, vestitus de te Dominum laudat: si servus auri es, spoliatus de te blasphemat. Servum autem te facit cupiditas, liberum caritas. Inde servus, si non fugeris. *Tu autem homo Dei, hæc fuge.* In hac caussâ si non vis esse servus, esto fugitivus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Hebr. 13. 5.

Beda nondum vulgatus ad 1. Tim. 6.

4. Audisti quid fugias, habes & quod secteris. Non enim inaniter fugis, aut sic relinquis ut non apprehendas. *Sectare* ergo *justitiam, fidem,*
D *pietatem, caritatem.* Hæc te divitem faciant. Hæ divitiæ intus sint: fur ad eas non accedit, nisi mala voluntas ei dederit locum. Muni arcam interiorem, hoc est, conscientiam. Has divitias non tibi latro, non quilibet potentissimus inimicus, non irruens hostis aut barbarus, non denique naufragium poterit auferre, unde si nudus exeas, plenus exis. Neque enim verè inanis erat, qui quamvis forinsecùs nihil habere videretur, dicebat, Dominus dedit, Dominus abstulit; si-
E cut Domino placuit, ita factum est: sit nomen » Domini benedictum. Laudabilis ista plenitudo, ingentes divitiæ; inanis auro, plenus Deo; inanis omni transitoria facultate, plenus sui Domini voluntate. Quid quæritis aurum tantis laboribus, & peregrinationibus? Amate has divitias, & modò implemini: fons earum non latet, si cor patet: aperit cor clavis fidei, & aperit & mundat ubi ponas. Noli tibi angustus videri: divitiæ tuæ, Deus tuus, quando intravit, ipse dilatavit.

Divitiæ interiores sectandæ.

Job. 1. 21.

Hebr. 13. 5.

F 5. Ergo, Sine amore pecuniæ modus sufficiens est præsentibus: quare præsentibus? Quia, *Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre aliquid possumus:* ideo præsentibus, non futuris. Sed quæ res decipit hominem ad avaritiæ computum? Quid si diu vivo? Qui dat vitam, dat unde vita sustentetur. Postremò sint reditus, quare quæritur & thesaurus? Redit aliquid de negotio, redit aliquid de artificio, redit aliquid de pretio: sufficiat, non thesaurizetur; ne ubi po-
G nes thesaurum tuum, ibi remaneat & cor tuum, & ut sursum sit, frustra audias, falsumque respondeas. Quando enim respondes ad illud sacratissimum verbum & voce subscribis, ab ipso corde intus non accusaris? Quamvis pressum & oppressum cor tuum, non tibi intus dicit, Sub terra me ponis, quare mentiris? Ergone tibi non

1. Tim. 6. 7.

Thesaurizare hic volentium inepta excusatio.

Sursum cor.

[a] Beda, *Quærebas, fuge: ne pereas cum auro, fuge aurum.*

Classis I

Matth. 6. 21.

dicit, Nonne ibi sum, ubi thesaurus tuus? Ergo mentiris. An verò ille mentitur, qui dixit, Ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum. Tu dicis, Non illic erit. Veritas dicit, Illic erit. Sed non illic erit, quia non amo. Factis proba. Non amas, sed dives es. Bene quidem adtendis, & discernis te: ab eo qui dives est, discernis eum, qui vult dives esse. Inter divitem esse, & divitem velle esse, justa discretio, negari non potest. Ibi facultas est, hîc cupiditas.

Beda ad 1 Tim 6.9. Divitiarū cupiditas insatiabilis.

6. Nam & ipse Apostolus non ait, Qui divites sunt: sed, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, & desideria multa & noxia*: volendo fieri, non exsistendo. Ideo ait *desideria*. Desiderium est enim in homine, quo vult pervenire. Nam nemo desiderat quod habet.

Eccle. 5. 9.

Insatiabilis est quidem avaritia; nec tamen in ipsis qui multum habent, desiderium dicendum est ejus rei quam habent, sed quam volunt addere. Habet istam villam, desiderat habere & illam, quam non habet; sed cùm habuerit, aliam desiderabit; non tamen desiderabit quod habuit, sed quod non habuit. Volendo ergo dives esse, desiderat, æstuat, sitit; & tamquam hydropisis morbo, plus bibendo, plus sitit. Mira ista similitudo est in corporis morbo, omnino avarus in corde hydrops est. Nam hydrops in carne, humore plus est, humore periclitatur, & humore non satiatur: sic hydrops in corde, quantò plus habet, tantò plus eget. Quando minus habebat, minora volebat, paucioribus gaudebat, exiguis buccellis exhilarabatur: quia verò impletus est, distentus abundantissimus factus est* hereditatis. Quotidie bibit, venit & sitit. Si hoc habebo, illud potero; parum possum, quia parum habeo. Cùm & hoc habueris, plus habes velle: egestas aucta est, non potestas.

* Locus mendosus.

Divitiæ sine cupiditate si habeantur, non culpandæ.

7. Sed non amo, inquis, quod habeo, ut sursum cor habeam. Planè consentio; si non amas, potest esse sursum cor tuum. Quare enim non sit sursum cor liberum? Sed vide si non amas, ipse tibi fideliter renuntia, non à me accusatus, sed à te interrogatus. Planè, inquis, non amo: dives quidem sum, sed quia jam sum, non autem volo esse, ut incidam in tentationem & laqueum, & desideria multa & noxia, quæ mergunt hominem in perditionem. Grave malum, horrendum, periculosum, exitiosum. Jam sum, inquis, dives, non esse volo. Jam es dives, jam inquis, non esse vis. Non, inquis. Si non esses, nolles? Nollem, inquis. Jam ergo quia es, & verbum Dei te foris divitem invenit, intus divitem fecit; accipe quæ divitibus dicta sunt. Hoc enim quod his dicebatur verbis, *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus: victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem*, & cetera. *Qui volunt*, inquit, *divites fieri*; tamquam ad pauperes dicebantur. Hæc verba Apostoli pauperem te invenerunt? Dic illa, & dives es: dic in corde ex corde, Nihil intuli in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possum; victum & tegumentum habens, his contentus sum. Nam si voluero dives fieri, incidam in tentationem & laqueum. Dic, & consiste ubi inventus es. Noli te inserere doloribus multis; ne cùm volueris te

Pauperi cavenda cupiditas divitiarum.

A exuere, lanieris. Sed dives inventus es? Sunt & alia verba, quæ recitemus: non existimet ad se nihil dictum qui dives inventus est. Eidem Timotheo dicit, eidem Apostolus dicit, sed pauperi dicit Timotheo: Timotheus enim pauper erat, sicut Paulus. Quid ergo Timotheo de hoc dicturus est, homini pauperi, quod pertineat ad eos qui inventi sunt divites? Audi quid: *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus mundi*: quia sunt & divites Dei; & veri divites [a] non sunt nisi divites Dei,

Serm. de Scripturis.

ℽ. 17.

B qualis erat ipse Paulus, qui ait, Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Avaro autem non sufficit. Ergo, *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus mundi*. Quid eis dicam? Nolite velle esse divites? Jam divites inventi sunt: audiant quod ad eos dictum est, ubi caput est, *non superbè sapere*. Adhuc habentur divitiæ multúmque amantur. Nidus colligitur superbiæ, ubi nutriatur & crescat; quod pejus est, non volet, sed maneat. Ergo ante omnia, *non superbè sapere*. Ut intelligat, sapiat,

a Philip. 4. 11. Divitiis cavenda superbia.

C cogitet se mortalem, & mortales pauperes pares. Ambos enim terra nudos excepit, ambos exspectat mors, ambos non timet febris. Habet eam pauper strato terreno, sed nec dives eam venientem lecto terret argenteo. Ergo, *Præcipe hujus mundi divitibus, non superbè sapere*. Agnoscant pauperes suos: pauperes homines sunt & homines; dissimilis vestis, sed similis cutis: & si dives mortuus condítur aromatibus, non erit nulla putredo; sed sera; seriùs putrescit,

D numquid non putrescit? Sed ponamus, non ambo putrescant: tamen non ambo non sentiunt? *Præcipe divitibus hujus mundi non superbè sapere*. Non superbè sapiant; & verè tales erunt, quales videri esse volunt; sine amore possidebunt, non possidebuntur.

8. Sed quæ sequantur vide: *Non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum*. Amas aurum; fac, si potes, certum, ut non timeas amittere. Congregasti facultatem; [b] da tibi, si po-

Spes in divitiis non ponenda. Beda ad 1. Tim. 1. 17. b

E tes, securitatem. *Neque sperare in incerto divitiarum*. Tolle inde spem, ubi fixisti. *Sed in Deo vivo*. Ibi fige spem, ibi anchoram cordis tui, ut tempestas sæculi non te inde abrumpat: *in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*. Si *omnia*, quantò magis se? Et verè ad fruendum ipse nobis erit omnia. Nam non mihi videtur dictum, *Qui dedit nobis omnia abundanter ad fruendum*, nisi se ipsum. Videtur enim aliud esse uti,

Frui & uti.

F aliud frui. Utimur enim pro necessitate, fruimur pro jocunditate. Ergo ista temporalia dedit ad utendum, se ad fruendum. Si ergo se, quare dictum est *omnia*, nisi quia scriptum est, Ut sit Deus omnia in omnibus? Ergo ibi cor ad fruendum, ut sit sursum cor. Solve te hinc, sed alliga ibi: periculosum est tibi in his tentationibus sine vinculo remanere.

1. Cor. 15. 28.

9. *Non sperare in incerto divitiarum*: non tamen nusquam; *sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum*. Quid tam omnia, quàm qui fecit omnia? Non enim ab illo fierent hæc omnia, nisi ea nosset. Quis audeat dicere, Hoc fecit Deus, quod non noverat? Quod noverat fecit. Habebat ergo antequam fecit: sed

Homini sufficit solus Deus.

G habebat miris modis, non sicut fecit, ut fecit temporalia & transeuntia, sed sicut facit artifex.

[a] Eliri, & veri divites. Non ait, Ego enim &c. Locum restituimus ex Bedæ collectione.

[b] Beda, fac tibi, si potes &c.

Classis I.

Habet intus quod operatur foris. Ibi ergo sunt omnia præcipua, immortalia, indeficientia, permanentia, & ipse Deus omnia in omnibus: sed sanctis suis ipse erit omnia in omnibus. Ipse ergo sufficit, solus sufficit, de quo dictum est,

Johan. 14. 10.

Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Sed,

Ibidem 9.

Tanto, inquit, tempore, vobiscum sum, & non » cognovistis me? Qui me vidit, & Patrem vidit. Omnia Deus Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Meritò solus sufficit. Si avari sumus, ipsum amemus. Si opes desideramus, solus nos satiare poterit, de quo dictum est, Qui satiat in bonis desiderium tuum.

Psal. 102. 5.

Avaritiæ crimen & pœna.

Hoc peccatori non sufficit? Hoc tantum, tam magnum bonum peccatori non sufficit? Volendo habere omnia, plus perdidit omnia: quia, *Radix est omnium malorum avaritia.*

℣. 10.

Meritò per Prophetam increpat animæ peccatrici & à se fornicanti, & dicit, Existimasti, si à » me discederes, aliquid te amplius habituram. Sed quomodo ille filius minor, ecce porcos pavisti:

Luca 15. 15.

ecce omnia perdidisti; ecce egens remansisti, & serò fessus redisti. Jam intellige quia id quod tibi pater dabat, tutiùs ipse servabat. Existimasti si à me recessisses, aliquid amplius te habituram. O anima peccatrix & impleta fornicationibus, facta turpis, facta decolor, facta immunda, & sic amata. Redi ergo ad pulcrum, ut ad pulcritudinem redeas: redi, & dic illi qui tibi solus sufficit, Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.

Psal. 72. 27.

Quid ergo sufficit, nisi quod sequitur? Mihi autem adhærere Deo bonum est.

Ibidem 28.

Ergo sursum cor, non in terra, non in [a] mendacissimo thesauro, non in loco putredinis. *Radix est enim omnium malorum avaritia.* Et in ipso Adam radix omnium malorum avaritia fuit. Plus enim voluit, quàm accepit, quia Deus illi non suffecit.

Divitiæ piis operibus impendendæ.

10. Quid ergo sis facturus ex his quæ habes, dives adtende. Jam non superbè sapis: rectè. Non speras in incerto divitiarum, sed speras in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: laudabiliter. Noli ergo piger esse in his, quæ sequentur. *Divites sint in operibus bonis.*

℣. 18.

Hæc videamus; & quod non videmus, credamus. Dicebas, Aurum habeo, sed non amo: sed non amare tuum intus est; si quid de te mereor, proba & mihi; quod non abscondis Deo tuo, proba & fratri tuo. Unde, inquis, probabo? Ex eo quod sequitur, *Divites sint in operibus bonis, ut facilè tribuant.*

Beda ibidem.

Ad hoc dives esto, ut facilè tribuas. Pauper enim vult tribuere, & non potest: apud illum difficultas, apud te facilitas. Hoc tibi prosit quòd dives es, quia cùm volueris facere, statim facis. *Facilè tribuant, communnicent.*

℣. 19.

Divitiis emenda vera vita.

Numquid perdunt? *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum.* Et ne ipsum aurum & argentum & prædia, & ea quæ pulcra videntur in facultatibus hominum, etiam ibi desideremus, cùm dicitur nobis, Illuc migrate, thesaurum vestrum ibi ponite: admonuit nos contra carnales cogitationes, & subjecit, *Ut apprehendant veram vitam:* non aurum, quod in terra remansit, non facultates putredinis, non bona transeuntia, sed *veram vitam.* Quodam modo ergo migramus, quando hoc illuc transit, neque hoc ibi habebimus, quod hinc transferimus. Quo-

Serm. di Scripturis.

A dam modo Dominus Deus noster mercatores nos vult esse, mutationem nobiscum facit: quod hîc abundat damus, quod ibi abundat accipimus: quemadmodum plerique trajectitias merces faciunt, aliud dant alibi, & quò veniunt aliud accipiunt. Verbi gratiâ, dicit amico suo, Accipe hîc à me aurum, & da mihi in Africa oleum: & migrat & non migrat: jam quod desiderat accepit. Talis est ista mutatio, qualis, Fratres mei, nostra mercatio. Quid damus, & quid accipimus? Hoc damus quod nobiscum auferre non possumus, etsi vellemus. Quare ergo perit? Id quod minus est detur, ut quod est majus ibi inveniatur. Damus terram, & accipimus cælum; damus temporalia, & accipimus æterna; damus putrescentia, & accipimus immortalia: postremò damus quod dedit Deus, & accipimus ipsum Deum. Non ergo simus pigri in ista mutatione rerum, in ista mercatura optima & ineffabili. Prosit quia hîc sumus, prosit quia nati sumus, prosit quia peregrinamur. Non inopes remaneamus.

Tinea malæ cogitationis revocans à faciendis eleemosynis.

11. Non intret arcam cordis tinea malæ cogitationis: non dicatur, Non dabo, ne cras non habeam. Noli multum cogitare de futuris: immo multum cogita de futuris; sed de longè futuris: *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Hæc ita, quemadmodum dixit Apostolus, [b] Non ut aliis refectio, vobis autem angustia, sed ex æqualitate.

2. Cor. 8. 13.

Habe: tantùm noli amare, servare, thesaurizare, incubare reconditis, hoc est de incertis sperare. Quàm multi divites dormierunt, pauperes surrexerunt. Propter istam enim cogitationem, cùm dixisset, Sine amore modus pecuniæ sufficiens est præsentibus.

Hebr. 13. 5.

Propter malas cogitationes, quæ dicunt, Si thesaurum non habuero, quis mihi dabit, cùm egere cœpero? Deinde, Abundat unde vivam, sufficit mihi unde vivam: sed quid si impinguat mihi calumnia, unde me redimam? Quid si mihi necesse sit litigare, unde sumtus impendam? Quamdiu omnia mala quæ possunt evenire generi humano narrare & computare non poteris, plerumque una calamitas turbat computum numerantis, & totum quod numerabatur, non solùm perit, sed nec in digitis remanebit? Ideo contra istum cogitationis vermiculum, contra malignam tineam apposuit Deus in Scriptura sua, quomodo solent apponi vestibus odoramenta quædam, ne tineent. Quid cogitabas-ne tibi calamitates? non timebas unam grandem? Adtende quod sequitur, Sine « amore modus pecuniæ sufficiens est præsentibus. « Ipse enim dixit, Non te derelinquam, non te « deseram. Timebas mala nescio quæ, propterea pecuniam servabas: tene fidejussorem; hoc Deus tibi dicit, Non te derelinquam, non te deseram. « Homo si promitteret, crederes; Deus promittit, & dubitas? Promisit, scripsit, cautionem fecit: esto securus. Lege quod tenes, cautionem tenes, ipsum debitorem tenuisti, à quo tua debita relaxari petisti.

[a] Non malè quidem: sed fortè legendum, *mendicissimo*, qua voce libenter utitur Augustinus.

[b] In excusis deerat *Non*: & pro *ex æqualitate*, legebatur *ex eo quisque*. Emendare oportuit ad 2. Cor. 8. quo loco Vulgata quidem habet, *Non ut aliis sit remissio*: at Augustinus legere solet, *refectio*.

SERMO

Classis I. Alias 19. de verbis Apostoli. a

* SERMO CLXXVIII.

De [a] *verbis Apostoli*, *Tit.* I. Ut potens sit exhortari in doctrina sana & contradicentes arguere. *Contra rerum alienarum raptores.*

Caput I. Episcoporum onus.

1. Beati Apostoli epistola cùm legeretur de constituendis episcopis, commemoravit nos sine dubio respicere in nos: & vos commemoravit non judicare nos; maximè quia omnes audivimus capituli Evangelii recentis lectionis novissimam sententiam: Nolite judicare personaliter, sed justum judicium judicate. (Johan. 7. 24.) Personam itaque judicando nemo accipit alienam, si non accipit suam. Beatus Apostolus ait quodam loco, Non sic pugno, quasi aërem cædens, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne fortè aliis prædicans ipse reprobus inveniar. (1. Cor. 9. 26. & 27.) Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremit? Inter multa ergo, [b] quibus scripsit Apostolus, qualis esse episcopus debeat, etiam illud audivimus, unde modò forsitan loqui & disputare sufficiat. (b Florus ad Tit. 1.) Si enim singula discutere, & de singulis, ut dignum est, disputare conemur; nec nostræ vires sufficiunt ad loquendum, nec vestræ ad audiendum. Quid ergo est quod volo dicere, si adjuvet me qui terruit me? Inter cetera ait *episcopum potentem esse debere in doctrina sana, ut contradicentes redarguere possit.* Magnum opus est, gravis sarcina, clivus arduus. Sed sperabo, inquit, in Deum, quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. (Psal. 90. 1.) Nulla enim caussa est, quæ magis faciat hominem dispensatorem Dei pigriorem ad redarguendos contradicentes, quàm timor verbi asperi.

Caput II. Avarus suorum reconditor damnatur.

2. Priùs ergo quid sit, *contradicentes redarguere*, ut Dominus donaverit, exponam vobis. Contradicentes non uno modo intelligendi sunt. Paucissimi enim nobis contradicunt loquendo: sed multi malè vivendo. Quando mihi audet dicere Christianus, bonum esse rapere res alienas? quando quidem non audet dicere, bonum esse tenaciter servare res suas. Numquid enim dives ille, cui successerat regio, & non inveniebat ubi poneret fructus suos, & se consilium invenisse gaudebat destruendi veteres apothecas, & construendi novas ampliores, ut impleret eas, & diceret animæ suæ, Anima, habes multa bona in multum tempus, lætare, jocundare, satiare: (Luca 12. 16.) numquid ergo iste dives aliena quærebat? Fructus suos colligere disponebat, ubi poneret consulebat, non de cujusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumvento simplice; sed tantummodo de suis colligendis cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter servabat sua; & hinc intelligite quid exspectent, qui rapiunt aliena. Cùm ergo se prudentissimum consilium invenisse arbitraretur, de apothecis veteribus angustis dejiciendis, & amplioribus novis ædificandis, & omnibus suis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiscendis atque rapiendis; ait illi Deus, Stulte: ubi tibi sapiens videris, ibi stulte. Stulte, inquit, hac nocte repetunt à te animam tuam, (Ibidem 20.) A hæc quæ præparasti cujus erunt? Si servaveris, tua non erunt: si erogaveris, tua erunt. Quid, inquit, reponis, quod relicturus es? Ecce increpatus est stultus malè recondens. (« Serm. de Scripturis.) Si stultus est qui recondit sua, vos invenite nomen ei qui tollit aliena. Si sordidus est reconditor suorum, ulcerosus est raptor alienorum. Sed non qualis ille ulcerosus, qui jacebat ante januam divitis, & cujus canes linguebant ulcera. (Luca 16. 20.) Ille enim ulcerosus erat in corpore; [c] raptor, in corde.

Caput III. Dives quia immisericors, punitur.

B 3. Fortassis aliquis respondeat, & dicat, Non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, Stulte. Non sic dicit Deus, Stulte, quomodo homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum, judicium est. Numquid enim Deus stultis daturus est regnum cælorum? Quibus autem non est daturus regnum cælorum, quid eis restat, nisi pœna gehennarum? Conjicere hoc videmur: apertè hoc manifestéque videamus. Nam & ille dives, ante cujus januam jacebat pauperrimus C ulcerosus, non est dictus raptor rerum alienarum. Erat quidam dives, inquit, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. (Luca 16. 19. «) Dives, inquit, erat: non dixit, calumniator; non dixit, pauperum oppressor; non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor; non dixit, pupillorum spoliator; non dixit, uiduarum persecutor; nihil horum: sed, Erat quidam dives. Quid magnum est? Dives erat, de suo dives erat. Cui aliquid tulerat? An fortè ille D auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam ejus acciperet, si crimina ejus absconderet, qui nobis dicit, Nolite personaliter judicare? (Johan. 7. 24.) Si vis ergo audire crimen divitis illius, noli amplius quærere, quàm audis à Veritate. Dives erat, induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Quod ergo ejus crimen? Jacens ante januam ulcerosus, & non adjutus. Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immisericors erat. Numquid enim, Carissimi, si pauper ille ante ja- E nuam jacens sufficientem panem à divite acciperet, diceretur de illo quia cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. Propter hanc solam [d] inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congruè dignéque pascebat, mortuus est & sepultus; & cùm apud inferos in tormentis esset, levavit oculos suos, & vidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid pluribus immorer? Desideravit guttam, qui non dedit micam: [e] non acce- F pit justâ sententiâ, qui non dedit crudeli avaritiâ. Si hæc ergo pœna est avarorum, quæ pœna raptorum?

Caput IV. Raptoris eleemosynæ Deo nō acceptæ.

4. Sed ait mihi raptor rerum alienarum, Ego similis illius divitis non sum. Agapes facio, vinctis in carcere victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas? Tollere noli, & dedisti. Cui dederis, gaudet; cui abstuleris, plorat: quem duorum istorum exauditurus est Dominus? Dicis ei cui dederis, Gratias age quia ac- G cepisti. Sed alter tibi ex alia parte dicit, Ego gemo cui abstulisti. Et penè totum tenuisti, & exiguum illi dedisti. Si ergo quod alteri abstulisti egentibus dedisses, nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus, Stulte, jussi ut dares, sed non

[a] Nonnulla ex hoc Sermone retulit Florus ad Tit. 1. & Hebr. 12.
[b] Sic Am. Er. & MSS At Lov. *qua.*
[c] Lov. *non raptor in corde:* refragantibus editis aliis & aliquot MSS.
[d] Quidam MSS. *immanitatem.*
[e] Am. Er. & Lov. *Nonne accepit justam sententiam &c.*

CLASSIS I.

SERM. DE SCRIPTURIS.

de alieno. Si habes, da de tuo: si non habes quod des de tuo, meliùs nulli dabis, quàm alteros spoliabis. Dicturus est Dominus Christus, cùm in judicio suo sederit, & alios ad dexteram & ad sinistram alios separaverit, bene operantibus, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Sterilibus autem, qui nihil boni in pauperes operati sunt, Ite in ignem æternum. Et quæ dicturus est bonis? Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, & cetera. Et respondebunt illi, Domine, quando te vidimus esurientem? Et ille ad eos, Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Intellige ergo stulte, qui vis eleemosynam facere de rapina, quoniam si quando pascis Christianum, pascis Christum; quando spolias Christianum, spolias Christum. Adtendite quid sinistris dicturus est: Ite in ignem æternum. Quare? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; nudus fui, & non vestistis me. Ite. Quò? In ignem æternum. Prorsus ite. Quare? Nudus fui, & non vestistis me. Si ergo in ignem æternum ibit cui dicturus est Christus, Nudus fui, & non vestisti me: quem locum in igne æterno habebit cui dicturus est, Vestitus fui, & spoliasti me?

Matth. 25. 34. &c.

CAPUT V.
Paganorū res rapere non licet.
*f. tunc.

5. Hîc fortasse ut evadas hanc vocem, ne dicat tibi Christus, Vestitus fui, & spoliasti me, mutata consuetudine, cogitas spoliare Paganum, & vestire Christianum. Et * hîc respondebit tibi Christus, immo nunc respondebit tibi per servum qualemcumque ministrum suum: respondebit tibi Christus, & dicet, Etiam hîc parce damnis meis. Cùm enim Christianus spolias Paganum, impedis fieri Christianum. Etiam & hîc fortasse respondebis adhuc, Ego non odio pœnam ingero, sed dilectione potiùs disciplinæ: ideo spolio Paganum, ut per hanc asperam & salubrem disciplinam faciam Christianum. Audirem & crederem, si quod abstulisti Pagano, redderes Christiano.

Raptores redarguit.

6. Diximus contra unum vitium rapinarum, quo res humanæ usquequaque vastantur: diximus, & nemo nobis contradicit. Quis enim audet apertissimæ loquendo contradicere veritati. Non ergo facimus quod Apostolus monuit, non contradicentes redarguimus, obedientes alloquimur, laudantes instruimus, non contradicentes redarguimus. Ita verò non contradicunt linguâ, sed vitâ. Moneo, rapit; doceo, rapit; præcipio, rapit; arguo, rapit: quomodo non contradicit? Dicam ergo quod de hac re sufficere existimo. Abstinete vos, Fratres, abstinete vos, Filii, abstinete vos à consuetudine rapiendi: & vos qui sub manibus raptorum gemitis, abstinete vos à cupiditate rapiendi. Alius potens est, & rapit: tu in manu raptoris gemis, quia rapere non potes, ideo non facis. Habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupiditatem.

Tit. 1. 9.

CAPUT VI.
Eccli. 31. 8. &c.
Res inventa restituenda.

7. Beatum sancta Scriptura dicit, qui post aurum non abiit; qui potuit transgredi, & non est transgressus; qui facere mala potuit, & non fecit. Tu autem dicis, Numquam negavi rem alienam. Quia fortè nemo tibi commendavit, aut fortè

A commendavit, sed sub testibus commendavit. Dic mihi, reddidisti, quando à solo solus, ubi Deus inter vos fuerat, accepisti? Si tunc reddidisti, si mortuo qui commendavit, nescienti filio reddidisti; tunc te laudabo, quia post aurum non isti; quia potuisti transgredi, & non es transgressus; quia potuisti mala facere, & non fecisti. Si fortè alienum sacculum solidorum, ubi nemo te vidit, in via invenisti, & sine ulla mora cujus fuerat reddidisti. Eia, fratres, re-
B dite ad vos, inspicite vos, interrogate vos, vera respondete vobis, & judicate vos non secundùm personam, sed justum judicium judicate. Ecce Christianus es, ecclesiam frequentas, verbum Dei audis, de lectione verbi Dei lætissimè commovéris. Tu laudas tractantem, ego quæro facientem: tu, inquam, laudas dicentem, ego quæro facientem. Christianus es, frequentas ecclesiam, amas verbum Dei, & libenter audis. Ecce hoc quod propono, in eo te examina,
C in eo te appende, in eo adscende mentis tuæ tribunal, & constitue te ante te, & judica te: & si pravum inveneris, corrige te. Propono ergo. Deus dicit in Lege sua, inventionem esse reddendam: Deus in Lege sua dicit, quam primo populo dedit, pro quibus Christus nondum erat mortuus, inventionem tamquam alienum esse reddendam; si quisquam, verbi gratiâ, in via inveniat alienum sacculum solidorum, debere reddere. Sed nescit cui? Non se excusat ignorantia, si [a] non domine-
D tur avaritia.

Deut. 22. 3.

CAPUT VII.
Exemplum eximium de restituenda re aliena.

8. Dicam Vestræ Caritati, quoniam dona Dei sunt; & sunt in populo Dei qui non frustra audiunt verbum Dei: dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis; tam pauper, ut [b] proscholus esset grammatici: sed planè Christianus, quamvis ille esset paganus grammaticus; melior ad velum, quàm in cathedra. Invenit sacculum, nisi fortè me numerus fallit, cum solidis ferme ducentis: memor legis propo-
E suit [c] pittacium publicè. Reddendum enim sciebat; sed cui redderet, ignorabat. Proposuit pittacium publicè: Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento & lecto pittacio, venit ad hominem. Et ne fortè quæreret alienum, quæsivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. Et cùm omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio,
F & quærens vicem rependere, tamquam decimas obtulit illi solidos viginti: qui noluit accipere. Obtulit vel decem: noluit accipere. Saltem rogavit vel quinque acciperet: noluit ille. Stomachabundus homo projecit sacculum: Nihil perdidi, ait; si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, Fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus, spectator Deus. Victus tandem ille quod offerebatur accepit: con-
G tinuò totum pauperibus erogavit, unum solidum in domo sua non dimisit.

CAPUT VIII.

9. Quid est? Si aliquid egi in cordibus vestris,

[a] Colbertinus codex, *si dominatur avaritia*: omissâ negante particulâ, nec minùs rectè.

[b] Proscholum Ausonius Epigr. 23. in Professor. *subdoctorem* vocat. Sed erat ille, non tam docendis pueris, quàm iis ad auditorium introducendis præfectus, ut scilicet compositè ad magistrum accederent. Locus ipsius ante velum, proscholium vocabatur. *Vela* quippe, ut dicit Augustinus in lib. 1. Confession. cap. 13. n. 22. *pendebant liminibus grammaticarum scholarum*. Unde hîc proscholum grammatico pagano Christiana fide præstantem laudans, *Melior*, ait, *ad velum, quàm in cathedra*.

[c] Pittacium seu pictacium dicitur schedula membranea, vel tabella ad scribendum comparata.

Classis I. si verbum Dei insedit in vobis, si requiem invenit apud vos, facite hoc, Fratres mei: nolite putare damnum vos pati, si feceritis; magnum lucrum est, si feceritis quod dico. Perdidi viginti solidos, perdidi ducentos, quingentos. Quid perdidisti? De domo tua perierant: alter perdiderat, non tu. Terra communis est, in una domo estis, in hoc mundo ambo viatores, hujus (* f. viæ.) * vitæ unum stabulum intrastis. Posuit ille, oblitus est ille; cecidit ab illo, tu invenisti alibi. Quis invenisti? Christianus. Quis invenisti? Qui legem audisti, Christianus qui legem audisti. Quis invenisti? Qui cùm audires multa laudasti, tu invenisti. Si ergo veraciter laudasti, redde quod invenisti. Si ergo non reddidisti quod invenisti; quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote fideles inventores, & tunc iniquos vituperate raptores. Nam quod invenisti & non reddidisti, rapuisti. (14. q. 5. Si quid.) Quantum potuisti, fecisti: quia plus non potuisti, ideo non plus fecisti. Qui alienum negat, si possit, & tollit. Quòd non tollis, timor prohibet: non bonum facis, sed malum metuis.

(Timor servilis nequitiam cordis non num. impedit.) 10. Quid est magnum, timere malum? Magnum est, non facere malum: magnum est, amare bonum. Nam & latro timet malum; & ubi non potest, non facit: & tamen latro est. * Deus enim (* Caput IX.) cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare: vigilant pastores, latrant canes: nihil potest, non aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus est tamen & fremens & tremens. Interroga ergo te, quisquis vis judicare; & vide si tunc non facis malè, quando potes facere, & ab homine non puniri: tunc times Deum. Nemo est ibi, nisi tu & ille cui facis malum, & Deus qui ambos videt: vide, ibi time. Parum est quod dico, Vide, ibi time malum: ibi ama bonum. Nam etiamsi timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. (Florus ad Hebr. 12.) Audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid est quod dixi? Quia si timore gehennæ non facis malum, non amore justitiæ facis bonum.

(Caput X. Amor justitiæ castus unde probatur.) 11. Aliud est, timere pœnam; aliud est, amare justitiam. Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non cælum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitoresque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum: quia (1. Johan. 3. 2.) dictum est, Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus, scimus autem quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi, Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta; non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantùm tibi negabo. Si expavisti, amasti; si hoc

A quod dictum est, Faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putasti; gratis amasti. (Serm. de Scripturis.) Si ergo sermo meus invenit in cordibus vestris aliquam scintillam gratuiti amoris Dei, ipsam nutrite: ad hanc augendam vos advocate prece, [a] humilitate, dolore pænitentiæ, dilectione justitiæ, operibus bonis, gemitibus sinceris, conversatione laudabili, amicitiâ fideli. Hanc scintillam boni amoris flate in vobis, B nutrite in vobis: ipsa cùm creverit, & flammam dignissimam & amplissimam fecerit, omnium cupiditatum carnalium fœna consumit.

* SERMO CLXXIX.

(* Aliàs de Diversis 27.)

De verbis apostoli Jacobi, cap. 1. Sit autem unusquisque vestrûm velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. *Ac de illis ibidem*, Estote autem factores verbi, & non auditores tan-C tùm *&c.*

(Caput I. Dicendum de utroruque officio, auditorum & prædicatorum verbi Dei. Jacobi 1. 22.) 1. VERBI Dei assiduos auditores, beatus Jacobus apostolus convenit, dicens, *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* Neque enim eum cujus verbum est, aut per quem dicitur verbum; sed vosmetipsos fallitis. Ex hac ergo sententia manante de fonte veritatis, per os Apostolicum veracissimum, audemus & nos exhor-D tari vos: & cùm exhortamur vos, respicere nos. Verbi Dei enim INANIS EST FORINSECÙS PRÆDICATOR, qui non est intus auditor. Nec ita aversi ab humanitate & fideli consideratione sumus, ut pericula nostra non intelligamus, qui verbum Dei populis prædicamus. Consolatur autem nos, quia ubi periclitamur in ministeriis nostris, adjuvamur orationibus vestris. Nam ut noveritis, Fratres, quàm tutiore loco stetis quàm nos, ipsius Apostoli aliam sententiam pro-E fero dicentis, *Sit autem unusquisque vestrûm velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* (℣. 19.) Priùs itaque de hoc officio nostro loquar, propter hanc sententiam, qua admonemur esse velociores ad audiendum, tardiores ad loquendum: ut cùm officium nostrum qui sæpe loquimur, excusavero, tunc veniam ad id quod primò proposui.

(Caput II. Audire verbum Dei tutius est quàm prædicare.) 2. Oportet nos exhortari vos, ut non sitis auditores tantùm verbi, sed etiam factores. Quod F ergo sæpe vobis loquimur, quis non, parum advertens necessitatem nostram, judicat nos, cùm legit, *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum?* Ecce studium vestrum nos non permittit istam servare sententiam. Debetis ergo orare, sublevare, quem cogitis periclitari. Verumtamen, Fratres mei, dicam vobis, quod volo credatis; quia hoc in corde meo non videtis. Ego qui vobis assiduè loquor, jubente domno & [b] fratre meo Episcopo vestro, G & exigentibus vobis, tunc solidùm gaudeo, dum audio. Gaudium, inquam, meum tunc solidum est, quando audio, non quando prædico. Tunc enim securus delector. Voluptas illa non habet inflationem. Non ibi formidatur præcipitium elationis, ubi est petra solidæ veritatis. Et ut sciatis ita esse, audite ubi dictum est, Auditui meo (Psal. 50. 10.)

[a] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *prece humilitatis.*

[b] Hinc intelligas Sermonem habitum Carthagine.

dabis exsultationem & lætitiam. Ibi gaudeo, ubi A audio. Deinde secutus adjunxit, Exsultabunt ossa humiliata. Ubi audimus ergo, humiles sumus: ubi autem prædicamus, & si non elatione periclitamur, certè vel frenamur. Et si non extollor, periclitor ne extollar. Ubi autem audio, sine fraudatore fruor, sine teste delector. Noverat hoc gaudium etiam amicus ille sponsi, qui dicebat, *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus » autem sponsi stat, & audit eum.* Et ideo stat, quia audit eum. Quia & primus homo audiendo Deum stetit, audiendo serpentem cecidit. Ergo » *amicus sponsi stat, & audit eum: & gaudio,* inquit, » *gaudet propter vocem sponsi.* Non propter vocem suam, sed propter vocem sponsi. Vocem tamen sponsi quam intus audiebat, foras populis non claudebat.

Johan. 3. 29.

Caput III.

Luca 10. 39. &c.

Mariæ & Marthæ officia.

3. Hanc partem sibi elegerat etiam illa Maria, quæ ministrante & circa multum ministerium occupata sorore sua, sedebat ad pedes Domini, & otiosa verbum ejus audiebat. Johannes C stabat, illa sedebat: sed illa corde stabat, & ille humilitate sedebat. Statio enim significat permansionem, sessio humilitatem. Et ut sciatis quia statio permansionem significat, hanc permansionem dicitur diabolus non habuisse; de quo dictum est, *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Item quia sessio significat humilitatem, ille Psalmus ostendit, ubi admonet de pænitentia, & dicit, *Surgite postquam sedistis, qui manducatis panem doloris.* Quid est, *Surgite postquam sedistis?* *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quid autem boni habeat auditio, ipse Dominus testis est, loquens de Maria quæ sedebat ad pedes ejus, & verbum ejus audiebat. Cùm enim soror ejus occupatissima circa ministerium, à germana sua desertam se esse quereretur, ab interpellato Domino audivit, *Martha, Martha,* » *circa multa es occupata: porrò unum est neces-* » *sarium. Maria meliorem partem elegit, quæ* » *non auferetur ab ea.* Numquid malum erat quod E Martha agebat? Quis nostrûm satis explicet verbis, quantum sit bonum hospitalitatem ministrare sanctis? Si quibuslibet sanctis, quantò magis capiti & præcipuis membris, Christo & Apostolis? Nonne unusquisque vestrûm habens hoc hospitalitatis bonum, quando audit quid Martha faciebat, dicit apud se ipsum, O beata, ô felix, quæ suscipere Dominum meruit, cujus hospites Apostoli facti sunt, ambulantes in carne! Nec tu deficias, quia non potes quod Mar- F tha, suscipere Christum in domum tuam cum Apostolis suis: facit te ipse securum: *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Opus ergo magnum est, valde magnum, quod præcipit Apostolus, dicens, *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.* Quam laudans in epistola ad Hebræos dicit, *Per hanc quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.* Magnum ergo ministerium, magnum donum. Et tamen Maria meliorem partem elegit; quia so- G rore sollicitâ, laborante, multa curante, illa vacabat, sedebat, audiebat.

Johan. 8. 44.

Psal. 126. 2.

Luca 14. 11.

Pars Marthæ bona.

Luca 10. 41. &c.

Hospitalitatis bonũ.

Matth. 25. 40.

Rom. 12. 13.

Hebr. 13. 2.

Pars Mariæ melior, quia non aufertur.

4. Ostendit tamen Dominus, unde fuerit illa pars melior. Continuò quippe cùm dixisset, *Maria meliorem partem elegit;* quasi quæreremus, ut scire vellemus unde meliorem, subjunxit & ait, *Quæ non auferetur ab ea.* * Quid intelligimus, Fratres mei? Si ideo meliorem partem elegit, quia non auferetur ab ea; sine dubio Martha eam partem elegerat, quæ auferretur ab ea. Planè auferetur ab omni homine, qui ministrat sanctis ea quæ sunt corpori necessaria, auferetur ab eo quod facit. Non enim semper ministraturus est sanctis. Cui enim ministrat, nisi infirmitati? cui ministrat, nisi mortalitati? cui ministrat, nisi esurienti ac sitienti? Hæc omnia non erunt, cùm corruptibile hoc induerit incor- B ruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Cùm enim transierit ipsa necessitas, nullum erit ministerium necessitatis. Auferetur labor, sed reddetur merces. Cui tunc ministrabitur cibus, ubi esurit nemo? cui potus, ubi sitit nemo? cui hospitium, ubi peregrinus est nemo? Dominus ergo cum discipulis suis, ut posset mercedem hujus operis reddere, dignatus est indigere. Esuriebat & ipse, & sitiebat: non quia cogebatur, sed quia dignabatur. Bonum enim erat, ut per quem facta sunt omnia, esuriret: sic enim felix esset qui pasceret. Et quando Dominum quisque pascebat, quid dabat? quis dabat? unde dabat? cui dabat? Quid dabat? Cibum pani dabat. Quis dabat? Ille utique dabat, qui plus accipere volebat. Unde dabat? numquid de suo? Quid enim habebat, quod non acceperat? Cui dabat? Nonne illi qui creaverat & quod accipiebat, & à quo accipiebat? Magnum hoc ministerium, magnum hoc opus, magnum donum. Et tamen Maria D meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Pars ergo Marthæ transit: sed, ut dixi, merces pro illa data non transit.

*Caput IV.

Serm. de Scripturis.

Marthæ opus aufertur, non merces.

Caput V.

Pars Mariæ quomodo non transit.

5. Pars verò Mariæ non transit. Videte quomodo non transeat. Unde delectabatur Maria quando audiebat? Quid manducabat? quid bibebat? Scitis quid manducabat, quid bibebat? Ipsum Dominum interrogemus, qui talem suis præparat mensam, ipsum interrogemus. *Beati,* inquit, *qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* De isto fonte, de isto horreo justitiæ sancta Maria sedens ad pedes Domini, quasdam esuriens micas accipiebat. Tantum enim Dominus tunc dabat, quantum illa capiebat. Totum autem tantum quantum in illa sua futura mensa daturus est, nec ipsi discipuli, nec ipsi Apostoli capere tunc poterant, quando illis dicebat, *Adhuc habeo vobis multa dicere, sed non potestis illa audire modò.* Unde ergo Maria, ut dixi, delectabatur? Quid manducabat, quid bibebat avidissimis cordis faucibus? Justitiam, veritatem. Veritate delectabatur, veritatem audiebat: veritati inhiabat, veritati suspirabat. Veritatem esuriens manducabat, sitiens bibebat: & ipsâ reficiebatur, & unde pascebatur non minuebatur. Unde Maria delectabatur? quid manducabat? Immoror, quia delector. Audeo dicere, ipsum manducabat quem audiebat. Si enim veritatem manducabat, nonne ipse dixit, *Ego sum veritas?* Et quid ampliùs dicam? Manducabatur, quia panis erat: *Ego sum, inquit, panis qui de cælo descendi.* Iste panis est qui reficit, nec deficit.

Matth. 5. 6.

Johan. 16. 12.

Johan. 14. 6.

Johan. 6. 41.

Caput VI.

Veritate pasci, pars Mariæ quæ non transit.

6. Intendat itaque Caritas Vestra. Ecce diximus ministrare sanctis, cibum parare, potum ministrare, mensam ponere, pedes lavare, lectum sternere, tecto suscipere; nonne omne hoc transiturum est? Quis autem audet dicere, modò nos

Classis I.

pasci veritate, non pasci autem cùm venerimus ad immortalitatem? Nonne si pascimur modò micis, tunc plenam habebimus mensam? De ipso enim cibo spiritali Dominus dicebat, quando laudavit fidem Centurionis, & dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Et ideo dico vobis, quia multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Absit à cogitationibus nostris, ut illos cibos in mensa illius regni cogitemus, de qualibus dicit Apostolus, Esca ventri, & venter escis; Deus autem & hunc & has evacuabit. Quare evacuabit? Quia fames non erit ibi. Quod manducabitur, non finitur. Nam & hoc præmium sanctis suis promittens in illo regno, ait, Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere; & transiet, & ministrabit eis. Quid est, faciet eos recumbere, nisi faciet requiescere, faciet vacare? Quid est, transibit vel transiet, & ministrabit eis? Post hunc transitum ministrabit eis. Hîc enim transitum fecit Christus: veniemus ad eum quò transivit, ibi jam non transit. Nam & Pascha in Hebræa lingua transitus interpretatur. Hoc Dominus ostendit, immo Evangelista, ubi de Domino dixit, Cùm autem venisset hora ut transiret de hoc mundo ad Patrem. Si ergo hîc nos pascit, & sic pascit; ibi quomodo pascet? Quod ergo elegit Maria, crescebat, non transibat. Delectatio enim cordis humani de lumine veritatis, de affluentia sapientiæ, delectatio cordis humani, cordis fidelis, cordis sancti, non invenitur voluptas, cui possit aliqua ex parte comparari, ut vel minor dicatur. Quod enim dicis, Minus est, quasi crescendo par erit. Nolo dicere, minor: non comparo; alterius generis est, longè aliud est. Quid est enim modò quod omnes adtenditis, omnes auditis, omnes excitamini, & quando verum aliquid dicitur, delectamini? Quid vidistis? quid tenuistis? Quis color apparuit oculis vestris? quæ forma, quæ figura, quæ statura, quæ lineamenta membrorum, quæ corporis pulcritudo? Nihil horum. Et tamen amatis. Quando enim sic laudaretis, si non amaretis? Quando amaretis, si nihil videretis? Me itaque non ostendente formam corporis, lineamenta, colorem, pulcros motus, me non ostendente, vos tamen videtis, amatis, laudatis. Si hæc delectatio veritatis dulcis est nunc, multò dulcior erit tunc. Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Matth. 8. 10. & 11. — *1. Cor. 6. 13.* — *Luc. 12. 37.* — *Johan. 13. 1.* — Delectatio de lumine veritatis.

Caput VII. Factores verbi & intus & foris esse debemus.

7. Ostendi, sicut potui, quantum me Dominus adjuvare dignatus est, dulcissimæ Caritati Vestræ, quàm tutiore loco stetis audiendo, quàm nos prædicando. Hoc enim modò vos facitis, quod tunc omnes facturi sumus. Non enim erit tunc aliquis magister verbi, sed magistrum Verbum. Illud ergo sequitur, quod ad vos pertinet facere, ad nos monere. Vos enim estis auditores verbi, nos prædicatores. Intus autem ubi nemo videt, omnes auditores sumus: intus in corde, in mente, ubi vos docet ille, qui vos admonet laudare. Ego enim forinsecùs loquor, ille intus excitat. Omnes ergo intus auditores sumus; & omnes & foris & intus in conspectu Dei factores esse debemus. Unde intus factores? Quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Et potest esse mœchus, nullo hominum vidente, sed Deo puniente. Quis est ergo intus factor? Qui non ad concupiscendum videt. Quis est foris factor? Frange panem tuum esurienti. Hoc enim cùm fit, videt & proximus: sed quo animo fit, non videt nisi Deus. *Estote* ergo, Fratres mei, *factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos*: non Deum, non eum qui prædicat. Ego enim, vel quisquis vobis prædicat verbum, cor vestrum non videt: quid agatis intus in cogitationibus vestris, judicare non potest.* Quia homo non potest, intuetur Deus, cui cor humanum non potest occultari. Ipse videt quo studio audias, quid cogites, quid teneas, quantum proficias de supplementis suis, quàm instanter ores; quemadmodum depreceris Deum ex eo quod non habes, quomodo gratias agas ex eo quod habes: ille novit qui exacturus est. Nos pecuniam Dominicam erogare possumus: veniet exactor qui dixit, Serve nequam, dares pecuniam meam nummulariis, & ego veniens cum usuris exigerem.

Matth. 5. 28. — Serm. de Scripturis — *Isai. 58. 7.* — *f. Quod. — *Matth. 25. 27*

Caput VIII. Auditores verbi ædificantes alii super petram, alii super arenam.

8. Nolite ergo, Fratres mei, fallere vosmetipsos, quia venistis studiosè ad audiendum verbum, si non facitis quod auditis deficiendo. Cogitate si pulcrum est audire, quantò magis facere. Si non audis, auditum negligis, nihil ædificas. Si audis, & non facis, ruinam ædificas. Domini Christi est de hac re proposita congruentissima similitudo: Qui audit, inquit, verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ædificat domum suam super petram. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit. Quare non cecidit? Fundata enim erat super petram. Ergo audire & facere, ædificare est super petram. Ipsum enim audire ædificare est. Qui autem, inquit, audit verba mea hæc, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificat. Et ipse ædificat. Quid ædificat? Ecce ædificat domum suam: sed quia non facit quod audit, & audiendo ædificat super arenam. Ergo super arenam, qui audit & non facit, ædificat: super petram, qui audit & facit: nec super arenam, nec super petram ædificat, qui omnino non audit.* Vide autem quid sequatur: Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit; & facta est ruina ejus magna. Spectaculum miserabile.

Matth. 7. 24. &c. — *Caput IX.

9. Ait ergo aliquis: Quod non sum facturus, quid mihi opus est audire? Audiendo enim, inquit, & non faciendo, ruinam ædificabo. Nonne tutius est nihil audire? Ipsam quippe partem Dominus in sua similitudine proposita adtingere noluit, sed intelligendam dedit. In hoc enim sæculo, pluvia, venti, flumina non quiescunt. Non ædificas super petram, ut veniant, & non te dejiciant? Non ædificas super arenam, ne cùm venerint, domum dejiciant? Ergo sine ullo tecto, quia nihil audis, sic remanebis. Venit pluvia, veniunt flumina: numquid ideo tutus, quia raperis nudus? Considera ergo, qualem tibi elegeris partem. Non eris, ut putas, non audiendo securus: necesse est te nudum sine ullo tecto obrui, tolli, submergi. Si ergo malum est super arenam ædificare, malum est nihil ædificare; restat ut non sit bonum nisi in petra ædificare. Malum est ergo non audire: malum est audire & non facere; restat audire & facere. *Estote ergo factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.*

Non audire, quasi non ædificare, malum est.

CLASSIS I.

*CAPUT X. Auditor negligens prædicatoris vitia ne causetur.

10. *Post hanc exhortationem timeo ne non verbo erigam, sed desperatione confringam. Fortassis enim aliquis, vel unus, vel duo, vel certè plures, in ista vestra frequenti præsentia judicat me, & dicit, Vellem scire, si iste qui mihi loquitur, omnia facit quæ vel ipse audit, vel ceteris dicit. Huic respondeo: Mihi autem minimum est, ut à vobis dijudicer, aut ab humano die. Quoniam & ego ipse ex aliqua parte, quid nunc sim, possum scire; quid cras futurus sim, nescio. Sed tibi de me, ô quisquis ita movéris, Dominus securitatem dedit. Si enim facio quæ dico vel quæ audio; imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Si autem dico, & non facio; Dominum audite: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Ergo si bene de me sentis, laudas me: si malè sentis, accusas me, sed non excusas te. Quomodo enim te excusabis, si in malum prædicatorem veritatis verbum Dei tibi dicentem, & sua mala opera facientem contorqueas accusationem; cùm Dominus tuus, redemtor tuus, effusor pretii, aggregans te militiæ suæ, & faciens de servo suo fratem suum, non te desinat commonere, & » dicat, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, » facere nolite? Dicunt enim, inquit, & non faciunt. Bona dicunt, mala faciunt: tu audi bona, & noli facere mala. Hîc respondebis: Quomodo audio bona ab homine malo? Numquid colligunt de spinis uvas? [a]

1. Cor. 4. 3. — Ibidem 16. — Matth. 23. 3. — Matth. 7. 16.

*SERMO CLXXX.

*Aliàs 28. de verbis Apostoli. [b]

De verbis [b] *apostoli Iacobi*, *cap.* 5. Ante omnia nolite jurare, *&c.*

CAPUT I. De cavenda juratione admonitio.

1. PRIMA lectio quæ nobis hodie recitata est apostoli Jacobi, oblata nobis est ad differendum, & quodam modo indicta. Intentos enim vos fecit, admonens ante omnia ne juretis. Difficilis quæstio est. Hoc peccatum quem non reum teneat, si jurare peccatum est? Nam perjurium peccatum esse, & grande peccatum, nemo dubitat. Sed non ait Apostolus, de cujus lectione tractamus, *Ante omnia, fratres mei*, nolite perjurare, sed *nolite jurare*. Præcessit etiam ipsius Domini Jesu Christi in Evangelio similis admonitio: Audistis, inquit, » quia dictum est antiquis, Non perjurabis: ego » autem dico vobis, Nolite jurare, neque per cæ» lum, quia sedes Dei est; neque per terram, quia » scabellum est pedum ejus; neque per caput tuum » jurabis, quia non tibi est potestas facere unum » capillum album aut nigrum. Sit autem sermo ve» ster, Est, est; Non, non: si quid amplius est, à malo est. Huic Dominicæ admonitioni memorata Apostoli lectio omnino sic congruit, ut nihil aliud Deus jussisse videatur: quia nullus alius hoc dixit, quàm ille qui per Apostolum dixit: *Ante omnia*, inquit, *fratres mei*, *nolite jurare*, *neque per cælum*, *neque per terram*, *neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester*, *Est*, *est*: *Non*, *non.* Nisi quòd iste addidit, *Ante omnia:* ex quo multùm fecit intentos, auxitque difficultatem quæstioni.

Jacobi 5. 12. — Matth. 5. 33. &c. — Jacobi 5. 12.

CAPUT II.

2. Invenimus enim jurasse sanctos, jurasse A primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum. Juravit Dominus, & non pænitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec. Æternitatem sacerdotii Filio cum juratione promisit. Habes etiam, Per memetipsum juro, dicit Dominus. Et illud juratio est, Vivo ego, dicit Dominus. Quomodo homo per Deum, sic Deus per se ipsum. Non est ergo peccatum jurare? Durum est hoc dicere: & quoniam diximus Deum jurasse, quàm bla- B sphemum est hoc dicere. Jurat Deus qui peccatum non habet: non ergo est peccatum jurare: sed magis peccatum est pejerare. Fortasse quis dicat non esse proponendum de Domino Deo jurationis exemplum. Deus enim est, & fortè illi soli competit jurare, qui non potest pejerare. Homines enim falsum jurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur. Aut enim putat homo verum esse quod falsum est, & temere jurat: aut scit vel putat falsum esse, & tamen pro vero jurat, & C nihilo minùs cum scelere jurat. Distant autem ista perjuria, quæ duo commemoravi. Fac illum jurare, qui verum putat esse, pro quo jurat: verum putat esse, & tamen falsum est. Non ex animo iste perjurat, fallitur, hoc pro vero habet quod falsum est, non pro re falsa sciens jurationem interponit. Da alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse; & jurat tamquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda? Quis D enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur. Fac alium, putat falsum esse, & jurat tamquam verum sit, & fortè verum est. Verbi gratiâ, ut intelligatis, Pluit in illo loco? interrogas hominem; & putat non pluisse, & ad negotium ipsius competit, ut dicat, Pluit: sed putat non pluisse; dicitur ei, Verè pluit? Verè, & jurat: & tamen pluit ibi, sed ille nescit, & putat non pluisse; perjurus est. Interest, quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam E non facit, nisi mens rea. Quis est autem qui non fallatur, etsi noluit fallere? Quis est homo cui non subrepat fallacia? Et tamen juratio ab ore non discedit, frequentatur: plura sunt plerumque juramenta, quàm verba. Si discutiat homo quotiens juret per totum diem, quotiens se vulneret, quotiens gladio linguæ se feriat & transfigat, quis in illo locus invenitur sanus? Quia ergo grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, Noli jurare.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Psal. 109. 4. — Gen. 22. 16. — Num. 14. 28. — Juratio licèt à Deo usurpata homini tamen fugienda. — 22. q. 2. Homines. 3. Sent. dist. 39. c. 2. — Perjurium quot modis contingit.

CAPUT III. Periculum perjurii in juratione.

F 3. Quid tibi dicturus sum homo, Verum jura? Ecce verum jura, non peccas: si verum juras, non peccas. Sed homo inter tentationes positus, carne involutus, calcans terram sub terra, dum corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, inter ista multa tua cogitata incerta, volatica, conjecturas humanas, fallacias humanas, quando non subrepit tibi quod falsum est, posito in regione falsitatis? Vis ergo longè G esse à perjurio? Jurare noli. Qui enim jurat, aliquando verum jurare potest; qui autem non jurat, mendacium jurare numquam potest. Juret ergo Deus, qui jurat securus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat,

Sap. 9. 15.

[a] Vlimmerius huic Sermoni aliqua deesse adnotavit ante Lovanienses. In nostro re ipsa Germanensi codice, unde forsitan descriptus & publicatus fuit, imperfectus invenitur, errore amanuensis, qui ad hæc verba, *de spinis uvas*, subjunxit postremam partem Sermonis 49.

[b] Citatur à Floro ad 1. Cor. 15.

Classis I.

quia nec falli potest. Cùm enim jurat, se adhibet testem. Quomodo tu cùm juras, Deum adhibes testem: sic ipse cùm jurat, se testem adhibet. Tu quando illum adhibes testem, fortè (Exodi 20. 7.) supra mendacium tuum, accipis in vanum nomen Domini Dei tui. Ne ergo mendacium jures, noli jurare. Ipsa est angustia. Perjurium præcipitium. Qui jurat, juxtà est: qui non jurat, longè est. Peccat & graviter, qui falsum jurat: non peccat, qui verum jurat: sed nec ille peccat, qui omnino non jurat. Sed qui non jurat, & non peccat, longè est à peccato: qui autem verum jurat, non peccat, sed propè est ad peccatum. Fac te ambulare in aliquo loco, ubi à parte dextera spatiosa sit terra, nec usquam angustias patiaris; à sinistra præceps locus est. Ubi eligis ambulare? Super finem terræ in labio præcipitii, an inde longè? Puto quia inde longè. Sic & qui jurat, in fine ambulat; & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis, deorsum is; si lapsus fueris, deorsum is. Et quid te excipit? Perjurii pœna. Ergo volebas verum jurare: audi consilium Dei, Noli jurare.

Caput IV. (22. q. 1. Si peccatum. Levit. 19. 12. Verum jurare fas est; non jurare, tutius.)

4. Si peccatum esset juratio, nec in veteri Lege diceretur, Non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum. Non enim peccatum præciperetur nobis. Sed ait tibi Deus tuus, Si juraveris, non damnabo: si verum juraveris, non damnabo. Sed numquid si non juraveris, damnabo? Duo sunt, inquit, quæ non damno umquam, veram jurationem, & nullam jurationem: damno autem falsam jurationem. Falsa juratio, exitiosa est; vera juratio, periculosa est; nulla juratio, secura est. Scio esse difficilem quæstionem, & Caritati Vestræ fateor, semper illam vitavi. Nunc autem cùm die Dominico debito reddendi sermonis recitaretur eadem lectio, divinitus mihi [a] inspiratum esse credidi, ut inde tractarem. Hinc me dicere Deus voluit: hinc vos audire. Obsecro ne contemnatis, obsecro ut cor stabiliatis, linguæ mobilitates mutetis. Non frustra est omnino, non vacat quòd cùm eam, ut dixi, quæstionem semper devitare voluerim, imposita est necessitati meæ, ut imponatur & Caritati Vestræ.

Caput V. (1. Cor. 15. 31. Florus ibidem. Juratio ab Apostolo adhibita. 22. q. 1. Ut noveritis.)

5. Ut noveritis, verum jurare non esse peccatum, invenimus & apostolum Paulum jurasse: Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Per vestram gloriam, juratio est. Non quasi sic ait, Per vestram gloriam morior, quasi vestra gloria me facit mori: quomodo si diceret, Per venenum mortuus est, per gladium mortuus est, per bestiam mortuus est, per inimicum mortuus est, id est, faciente inimico, faciente gladio, faciente veneno, & similia: non sic dixit, Per vestram gloriam. (De jurejur. Ecsi Christus.) Ambiguitatem Græcus sermo dissolvit. Inspicitur in epistola Græca, & invenitur ibi juratio, quæ non est ambigua, Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Νὴ τὸν θεόν, ubi dixerit Græcus, jurat. Quotidie auditis Græcos, & qui Græcè nostis, Νὴ τὸν θεόν: quando dicit, Νὴ τὸν θεόν, juratio est, Per Deum. Ergo nemo dubitet jurasse Apostolum, cùm dixit, Per vestram gloriam fratres, (& ne putemus eum per humanam gloriam jurasse,) quam habeo in Christo Jesu

A Domino nostro. Est alio loco juratio prorsus certa & expressa: Testem Deum invoco super animam meam. Apostolus dicit, Testem Deum invoco super animam meam, quia parcens vobis nondum veni Corinthum. (Serm. de Scripturis. 2. Cor. 1. 23.) Et alio loco ad Galatas: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. (Gal. 1. 20.)

Caput VI. Varii modi jurandi.

6. Intendite quæso, & advertite: & si non tam plausibilis sermo vobis sit, propter angustias quæstionis; utilis tamen est, si ad viscera vestra perveniat. Ecce juravit Apostolus. Non vos fallant, qui nescio quomodo volentes ipsas jurationes discernere, vel potiùs non intelligere, dicunt non esse jurationem, quando dicit homo, Scit Deus, Testis est Deus, Invoco Deum super animam meam verum me dicere. Invocavit, inquit, Deum, testem fecit Deum: numquid juravit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, nisi invocato Deo teste mentiri. Itane verò, quisquis es pravi cordis, & perversi cordis, si dicas, Per Deum, juras; si dicas, Testis est Deus, non juras? Quid est enim, Per Deum; nisi, Testis est Deus? Aut quid est, Testis est Deus; nisi, Per Deum?

(Jurare quid sit. 3 Sent. dist. 39. cap Hic quæritur.)

7. Quid est autem jurare, nisi jus Deo reddere, quando per Deum juras; jus saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam juras; jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras? Quod autem jus debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi caritatis, veritatis, & non falsitatis? Maximè autem per Deum cùm fit, ipsa est vera juratio: quia & cùm dicit quisque, Per meam salutem, salutem suam Deo obligat: quando dicit, Per filios meos, oppignerat Deo filios suos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum verum, si falsum falsum. Cùm ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam quisque in juratione nominans, quidquid nominat obligat Deo; quantò magis quando pejerat per ipsum Deum? Timet enim falsum jurare per filium suum, & non timet falsum jurare per Deum suum? Fortassis hoc dicens in animo suo, Timeo per filium meum falsum jurare, ne moriatur: Deo autem qui non moritur, etsi falsum per eum juretur, quid mali contingit? Bene quidem dicis, nihil mali contingit Deo, quando falsum juras per Deum: sed contingit mali multum tibi, qui fallis proximum, cui testem adhibes Deum. Si aliquid teste filio tuo faceres, & amico vel proximo tuo vel cuilibet homini diceres, Non feci, & tangeres filio tuo caput, quo teste fecisti, & diceres, Per hujus salutem, quia non feci: exclamaret fortè filius tuus sub paterna manu tremens, nec tamen paternam manum, sed divinam tremens, Noli pater, non tibi vilis sit salus mea; Deum super me invocasti, ego te vidi, fecisti, noli pejerare; te quidem habeo genitorem, sed plus & tuum & meum timeo Creatorem.

Caput VII. Perjurium animæ mortiferum.

8. Sed quia Deus, quando per eum juras, non tibi dicit, Ego te vidi, noli jurare, fecisti: sed times ne te iste occidat, tu te antè occidis. Quia ergo non dicit, Ego te vidi, putas quia non vidit? Et ubi est quod dicit, Tacui, tacui, numquid semper tacebo? (Isai. 42. 14.) Et tamen plerumque dicit, Ego te vidi: sed aliter quando vindicat in perjurum. Sed non in omnes vindicat: ideo homines [b] ædificantur ad exemplum. Ego scio, ille mihi

[a] Aliquot MSS. *imperatum*.

[b] Sic MSS. Editi verò, *educantur ad exemplum*.

Classis I.

falsum juravit, & vivit. Ille tibi falsum juravit, & vivit? Falsum juravit, & vivit: ille falsum juravit. Tu falleris. Si tu oculos haberes unde mortem hujus videres, si & tu in eo quod est mori, & non mori, non fallereris, videres hujus mortem. Et modò intende Scripturam; & ibi invenies jacentem, quem putas viventem. Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis ceteris membrorum satis utitur, viventem putas. Vivit, sed corpus ejus: mortua est autem anima ejus, mortuum est quod melius est ejus. Vivit habitaculum, mortuus est habitator. Quomodo, inquies, cùm vivat corpus, mortua est anima; cùm corpus non viveret, nisi vivificatum ab anima? Quomodo ergo mortua est anima, de qua vivit corpus? Audi ergo, & disce: Corpus hominis creatura Dei est, & anima hominis creatura Dei est. De anima Deus vivificat carnem, ipsam item animam vivificat de se ipso, non de se ipsa. Vita ergo corporis anima est, vita ergo animæ Deus est. Moritur corpus, cùm recedit anima: moritur ergo anima, si recedit Deus. Recedit anima, cùm corpus percutitur gladio: & putas quia non recedit Deus, cùm ipsa anima feritur perjurio? Vis videre quia mortuus est, de quo loqueris? Lege Scripturam: Os quod mentitur, occidit animam. Sed tu præsentem Deum ultorem putas, si ille qui te juratione falsa deceperit, continuò exspiret. Si exspiret ante oculos tuos, exspiravit caro ipsius. Quid est, exspiravit caro ipsius? Spiritum quo vivificabatur, ejecit. Hoc est, exspiravit excluso spiritu, quo vivebat caro. Pejeravit, exclusit spiritum quo vivebat anima. Exspiravit, sed nescis; exspiravit, sed non vides. Carnem enim jacentem sine anima vides, animam miseram sine Deo videre non potes. Crede ergo, adhibe oculos fidei. Nemo perjurus impunitus, prorsus nemo, cum illo est pœna sua. Si haberet in cubiculo suo tortorem carnis, punitus esset: habet in secreto cordis sui tortorem conscientiæ suæ, & impunitus vocatur? Et tamen quid dicis? Vivit, gaudet, luxuriatur qui mihi mendacium juravit: quid est, quòd me mittis ad invisibilia? Quia & ipse Deus, per quem juravit, invisibilis est. Juravit per invisibilem, feritur pœnâ invisibili. Sed vivit, inquit, & quodam modo scatet & bullit luxuriis. Si hoc ita est, quòd scatet luxuriis, quòd bullit luxuriis, vermes sunt animæ mortuæ. Denique omnis homo prudens, qui tales luxuriantes perjuros adtendit, sano cordis olfactu, avertit se, non vult videre, non vult audire. Unde se ista sanitas avertit, nisi quia putet anima mortua?

Vita corporis anima, vita animæ Deus.

Sap. 1. 11.

Caput VIII. Cur dicitur à juratione ante omnia abstinendum.

9. Breviter ergo audite, Fratres mei, concludam sermonem, figens in cordibus vestris curam salubrem: *Ante omnia nolite jurare*. Quare, *Ante omnia?* Si magnum est facinus pejerare, nulla autem culpa est verum jurare, quare, *Ante omnia nolite jurare?* Debuit enim dicere, Ante omnia nolite pejerare. *Ante omnia*, inquit, *nolite jurare*. Jurare enim pejus est, quàm furari? Jurare pejus est, quàm adulterare? Non dico falsum jurare; jurare dico: jurare pejus est, quàm hominem occidere? Absit. Hominem occidere, adulterare, furari, peccatum est: jurare non est peccatum; sed falsum jurare, peccatum est. Quare ergo,

Serm. de Scripturis.

A *Ante omnia?* Isto verbo quod ait, *Ante omnia*, cautos nos fecit adversùs linguam nostram. *Ante omnia*, ait, ut adtendatis præ ceteris, ut vigiletis ne subrepat vobis consuetudo jurandi. Tamquam in specula ita te posuit contra te: *Ante omnia*, levavit te super cetera, unde te adtendas. Considerat enim te jurare, Per Deum, per Christum occido illum: & hæc quotiens per diem, quotiens per horam? Non aperis os, nisi ad talem jurationem. Nolles ut diceret tibi, *Ante om-*
B *nia*, ut te adversùs consuetudinem intentissimum redderet, ut omnia tua inspiceres, omnes motus linguæ tuæ diligentissimè custodires, esses custos malæ consuetudinis tuæ, ad eam constringendam? Audi, *Ante omnia*. Dormiebas, pungo, *Ante omnia*, spinas admoveo. Quid est, *Ante omnia?* Ante omnia vigila, ante omnia intentus esto.

Caput IX. Jurâdi consuetudini aliquando obnoxius Augustinus.

10. Juravimus & nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam. Dico
C Caritati Vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frenavimus. Frenata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit. Denique non vobis dicimus, non nos jurare. Si enim hoc dicimus, mentimur. Quantum ad me pertinet, juro; sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus. Cùm videro non mihi credi nisi faciam,
D & ei qui mihi non credit non expedire quod non credit, hac perpensa ratione & consideratione librata, cùm magno timore dico, Coram Deo; aut, Testis est Deus; aut, Scit Christus sic esse in animo meo: & video quia plus est, id est, quia amplius est quàm Est, est; Non, non: sed quod amplius est, à malo est; & si non à malo jurantis, à malo est non credentis. Denique non ait, Si amplius facit, malus est: &, Sit in ore vestro, Est, est, Non non; si quis amplius facit, malus
E est: sed, Sit in ore vestro, Est, est; Non, non; quod autem amplius est, à malo est. Sed quære cujus. Sed tamen aliud habet humana pessima consuetudo. Et cùm tibi creditur, juras; & cùm nemo exigit, juras; & horrentibus hominibus perjuras; non taces jurando, vix es sanus non jurando. Nisi fortè putatis, Fratres, quia si sciret apostolus Paulus credere sibi Galatas, adderet jurationem & diceret, Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Vi-
F debat ibi eos qui credebant; videbat & alios qui non credebant. Ergo noli dicere, Non juro, si fortè exigitur. A malo est enim quod facis; sed illius qui exigit. Nam tu quomodo te purges non habes, quomodo satisfacias negotio quod instat, non invenis. Sed aliud est, cùm exigitur juratio; aliud, cùm offertur: & hoc ipsum quod offertur, aliud cùm offertur non credenti; aliud cùm ventilatur & credenti.

22. quæst. 1. Si peccati.

Juratio qua conditione adhibenda.

Matth. 5. 37.

De eli. Significatis. De jurejur. Est Christus.

Gal. 1. 20.

Caput X. Juramentum ab alio exigens, quomodo peccet.

11. Tene ergo linguam & consuetudinem, quantum potes: non quomodo quidam, quando
G illis dicitur, Verum dicis? non credo. Non fecisti? non credo: Deus judicet, jura mihi. Et ipse qui exigit jurationem, multum interest si nescit illum falsum juraturum, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit, Jura mihi, ut fides ei fiat; non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, novit fecisse,

22. q. 5. Qui exigit. 3 Sent. dist. 39. cap.

Classis I.

cisse, vidit fecisse; & cogit jurare, homicida est. A Ille enim suo perjurio se perimit: sed iste manum interficientis & expressit & pressit. Cùm verò aliquis sceleratus fur audit, Jura si non tulisti, jura si non fecisti, ab eo qui nescit an fecit: ille tunc, Christiano non licet jurare; quando ab illo exigitur jusjurandum, non licet jurare; Christianus sum, non mihi licet. Capta talem, averte te ab illo, dissimula à negotio de quo loquebaris; misce alias fabulas, & invenies eum millies jurantem, qui semel jurare noluit. Istam ergo consuetudi- B nem quotidianam, crebram, sine caussa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante jurandi, avertite à vobis, amputate à linguis vestris, circumcidite ab ore vestro.

Caput XI. Jurandi consuetudini operosiùs resistendum.

12. Sed consuetudo est, solet dici. Solet dici, quando non dico. Hoc est, *Ante omnia*. Quid est, *Ante omnia*? Præ ceteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto, quàm ad alia. Major consuetudo majorem intentionem flagitat, non rei levis consuetudo. Si de manu aliquid faceres, fa- C ciliùs manui tuæ imperares ne faceret; si pedibus aliquò eundum esset, pigritiâ retardante excitares te ut surgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motûs, in udo posita est, facilè in lubrico labitur. Quantò illa citiùs & faciliùs movetur, tantò tu adversùs illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si Christianum te esse cogitaveris. Nam tantum mali habet juratio, ut qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides: tu non times Deum D præsentem, Deum viventem, Deum scientem, Deum manentem, Deum in contemtorem vindicantem? Claudit ille templum super lapidem, & it ad domum suam: ipse super Deum suum clausit, & tamen quando illi dicitur, Jura per Jovem, præsentis oculos timet.

Caput XII. 22. q. 3. Ecce dico. Falsum jurare per idola, perjurium est.

13. Et ecce dico Caritati Vestræ, & qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. Unde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant quia E nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id quod sanctum putas, falsum juras. Sed ego [a] illud sanctum non puto. Sanctum putat cui juras. Non enim quando juras tibi juras, aut lapidi juras; sed proximo juras. Homini juras ante lapidem: sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem: sed punit te Deus fallentem.

Jurandi consuetudo quomodo convellitur.

14. Ante omnia ergo, Fratres mei, obsecro vos, ne sine caussa me Deus hæc loqui compu- F lerit. Dico enim ante ipsum quod dixi, sæpe me istam quæstionem devitasse: timui ne monendo & præcipiendo plus reos facerem non audituros: hodie autem plus timui ne loqui recusarem, quod loqui juberer. Quasi verò parvus sit fructus sudoris hujus mei, si omnes qui mihi acclamaverunt, clament & contra se, ne falsum jurent adversùm se: si tot homines qui me adtentissimè audierunt, adtenti sint adversùs consuetudinem suam, & admoneant se hodie, cùm ad domos G suas venerint, cùm consuetudinem suam lapsu linguæ repetiverint; admoneat proximus proximum: Hoc est quod hodie audivimus, hoc est quod obstricti sumus. Non fiat hodie, certè cùm recens sermo est. Expertus loquor: non fiat hodie, pigriùs fit cras. Si & cras factum non fue- A rit, minùs laborat qui custodit; adjuvatur enim consuetudine superioris diei. Triduo moritur pestis, de qua laboramus: & gaudebimus de fructu vestro; quia magno bono abundabitis, si tam magno malo carebitis. Conversi ad Dominum, &c.

[a] Sic MSS. Editi verò, *illum*.

Serm. de Scripturis.

* SERMO CLXXXI.

* Aliàs 29. de verbis Apostoli.

De verbis epistolæ I. *Johannis, cap.* I. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Contra Pelagianos.*

Caput I. Nemo hîc vivit sine peccato, 1. Johan. 1. 8. ÿ. 9.

1. Beatissimus Johannes apostolus salubriter & veraciter scribens, inter cetera ait, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* * *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* His verbis docuit beatus Johannes, immo ipse Dominus Jesus non se tacens per Johannem, neminem in ista carne, in isto corruptibili corpore, in ista terra, in isto maligno sæculo, in ista vita tentationibus plena, neminem hîc vivere sine peccato. Absoluta sententia est, nec expositore indiget: *Si dixerimus quia peccatum non habemus.* Quis est enim qui non habet peccatum? Sicut Scriptura dicit, Nec infans, cujus est vita diei unius super terram. Talis parvulus peccatum non fecit, sed de parentibus traxit. Ergo nullo modo quisquam potest dicere, non se habuisse peccatum. Sed accessit per fidem ad lavacrum regenerationis homo fidelis, & omnia dimissa sunt ei; jam sub gratia vivit, in fide vivit, membrum Christi factus est, templum Dei factus est: & tamen sic quomodo membrum Christi & templum Dei factus est, si dixerit se non habere peccatum, se ipsum seducit, & veritas in eo non est; prorsus mentitur, si dicat, Justus sum.

Job. 14. 4. sec. LXX.

II. Pelagianorum error, justos hîc sine peccato reperiri.

2. Sunt autem quidam inflati utres, spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiæ morbo tumentes, ut dicere audeant, inveniri homines absque peccato. Dicunt ergo, justos prorsus in hac vita nullum habere peccatum. Hæretici autem sunt Pelagiani, iidemque Cælestiani, qui hoc dicunt. Et cùm responsum illis fuerit, Quid est quod dicitis? Ergo vivit hîc homo sine peccato, & non habet omnino ullum peccatum, nec facto, nec verbo, nec cogitatione? Respondent de illo superbiæ vento, quo pleni sunt: quem ventum utinam finirent, reflarentur & tacerent, id est, humiles fierent, non elati: respondent inquam, Prorsus isti homines sancti, fideles Dei, nec facto, nec verbo, nec cogitatione possunt ullum habere peccatum. Et cùm eis dicitur, Qui sunt isti justi, qui sine peccato sunt? Respondent & dicunt, Tota Ecclesia. Mirari potuissem, si invenirem unum, duos, tres, decem, quot quærebat Abraham. Abraham enim à quinquaginta usque ad decem descendit: tu hæretice respondes, & dicis mihi totam Ecclesiam. Unde hoc probas? Probo, inquis. Proba, rogo te. Magnum enim mihi gaudium affers, si docere potueris, totam prorsus Ecclesiam in singulis quibusque fidelibus suis nullum habere peccatum. Probo, inquis. Dic unde? Apostolus loquitur. Quid loquitur Apostolus

Gen. 18. 24.

Argumentum Pelagianorum.

Classis I. — *Ephes. 5. 25.*

lus? Christus, inquit, dilexit Ecclesiam. Audio, & Apostoli verba esse cognosco. Mundans eam „ lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi glorio„ sam Ecclesiam, non habentem maculam aut ru„ gam, aut aliquid hujusmodi. Audivimus de nube magna tonitrua. Nubes enim Dei Apostolus. Verba ista sonuerunt, & tremere nos fecerunt.

Caput III. Refutantur ab ipsorum de se ipsis professione.

3. Sed dicite nobis, antequam quæramus quomodo ista verba Apostolus dixerit; dicite, inquam, nobis, utrùm vos justi estis, an non? Respondent, Justi sumus. Ergo non habetis peccatum? Per omnes dies, per omnes noctes nihil mali facitis, nihil mali dicitis, nihil mali cogitatis? Non audent dicere, Nihil. Sed quid respondent? Nos quidem peccatores sumus; sed de sanctis loquimur, non de nobis. Hoc vos interrogo, Christiani estis? Non dico, Justi estis? Christiani estis? Non audent negare: Christiani, inquiunt, sumus. Fideles ergo estis? Baptizati estis? Baptizati, inquiunt, sumus. Dimissa sunt vobis cuncta peccata? Dimissa, inquiunt. Quomodo ergo estis peccatores? Sufficit mihi unde vos repellam. Vos Christiani estis, baptizati estis, fideles estis, membra Ecclesiæ estis, & habetis maculas & rugas? Quomodo ergo est Ecclesia isto tempore sine macula & ruga, cùm vos sitis ruga ejus & macula? Aut si non vultis esse Ecclesiam, nisi eam quæ sine macula & ruga est, cum rugis vestris & maculis præcidite vos à membris ejus, præcidite vos à corpore ejus. Sed quid adhuc dicam ut se ab Ecclesia segregent, cùm hoc jam fecerint? Hæretici enim sunt, jam foris sunt: cum tota munditia sua foris remanserunt. Redite, & audite; audite, & credite.

Hæretici, extra Ecclesiam sunt.

Mendax humilitas Pelagianorum.

4. Fortè dicturi estis, in corde vestro tumido & inflato, Numquid potuimus dicere, quia justi sumus? Necesse utique erat propter humilitatem, ut diceremus nos peccatores esse. Propter humilitatem ergo mentiris? Justus es, sine peccato es: sed propter humilitatem dicis te peccatorem. Quomodo te accipiam tamquam Christianum in alterum testem, quem contra te ipsum teneo falsum testem? Justus es, sine peccato es, & dicis te habere peccatum. Testis ergo falsus es contra te. Non accipit Deus mendacem humilitatem tuam. Inspice vitam tuam, vide conscientiam tuam. Ergo justus es, sed non potes nisi dicere te peccatorem? Audi Johannem, ipse tibi repetit quod etiam superiùs veraciter dixit: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus*, *nos ipsos seducimus*, *& veritas in nobis non est.* Tu non habes peccatum, & dicis te habere peccatum; veritas in te non est. Quia non dixit Johannes, *Si dixerimus quia peccatum non habemus*, humilitas in nobis non est: sed dixit, *nos ipsos seducimus*, *& veritas in nobis non est.* Ergo mentimur, si dixerimus nos non habere peccatum. Si mendacium timuit Johannes, tu mendacium non times, ut cùm sis justus, dicas te esse peccatorem? Quomodo ergo te accipiam ad alienam caussam testem, qui in caussa tua mentiris? Sanctos reos constituis, dum contra te falsum testimonium dicis. Quid facturus es alteri, qui te infamas? Quomodo alter tuam calumniam devitabit, quando te tuæ linguæ mendacio reum facis?

Serm. de Scripturis.

Caput IV. Mendaciū specie humilitatis, peccatum est. 22. q. 2. Cùm humilitatis. 4. Sent. dist. 21. cap. Sicut autem.

5. *Iterum te interrogo alio modo: Justus es, aut peccator? Respondes, Peccator. Mentiris, quia non quod te esse corde credis, hoc ore dicis. Ergo & si non eras peccator, esse incipies dum mentiris. Dicis enim, Humilitatis caussâ nos dicimus peccatores esse; nam Deus videt quia justi sumus. Cùm ergo humilitatis caussâ mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?

Ecclesiam hîc non esse sine peccato, liquet ex Dominica oratione.

6. Postremò omittamus Johannis verba: ecce in corpore Ecclesiæ, quam dicis non habere maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi, & esse sine peccato, ecce veniet hora orationis, oratura est tota Ecclesia: & tu quidem foris es; veni ad orationem Dominicam, veni ad trutinam, veni, dic, Pater noster, qui es in cælis. Seque„ re, Sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum „ tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in ter„ ra: Panem nostrum quotidianum da nobis ho„ die. Sequere, & dic, Dimitte nobis debita nostra. Responde hæretice, quæ sunt debita tua? An fortè pecuniam mutuam à Deo accepisti? Non, inquit. Non te ego ampliùs interrogabo de hoc: ipse enim Dominus expositurus est, quæ sint debita quæ nobis petimus relaxari. Dicamus ergo sequentia: Sicut & nos dimittimus „ debitoribus nostris. Exponat hoc Dominus: Si „ enim dimiseritis hominibus peccata, (ergo debita vestra peccata sunt,) dimittet vobis & Pa„ ter vester peccata vestra. Redi ergo hæretice ad orationem, si obsurduisti contra veram fidei rationem. Dimitte nobis debita nostra, dicis, an non dicis? Si non dicis, etsi præsens fueris corpore, foris tamen es ab Ecclesia. Ecclesiæ enim oratio est, vox est de magisterio Domini veniens. Ipse dixit, Sic orate: Discipulis dixit, Sic orate: Discipulis dixit, Apostolis dixit, & nobis qualescumque agniculi sumus dixit, Arietibus gregis dixit, Sic orate. Videte quis dixerit, & quibus dixerit. Veritas Discipulis, Pastor pastorum „ Arietibus: Sic orate, Dimitte nobis debita no„ stra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Rex militibus, Dominus servis, Christus Apostolis, veritas hominibus loquebatur, sublimitas humilibus loquebatur. Scio quid in vobis agatur: ego vos appendo, ego de trutina mea renuntio, prorsus dico quid in vobis agitur. Hoc enim ego „ plus quàm vos scio. *Dicite, Dimitte nobis de„ bita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Matth. 6. 9. &c.

Caput V. Tota Ecclesia hîc petit sibi dimitti peccata.

7. Interrogo te, homo juste, sancte, homo sine macula & ruga; interrogo te, inquam, Oratio ista [a] Ecclesiæ est, fidelium est, an catechumenorum? Certè utique regeneratorum est, id est, baptizatorum: postremò, quod totum superat, filiorum est. Nam si non est filiorum, qua fronte dicitur, Pater noster, qui es in cælis? Ubi ergo estis, ô justi & sancti? In membris Ecclesiæ hujus estis, an non estis? Ibi eratis, sed jam non estis ibi. Et utinam jam præcisi accepta ratione audiant & credant. Ergo si tota Ecclesia dicit, Dimitte nobis debita nostra, reprobus est qui hoc non dicit. Et nos quidem cùm dicimus,

[a] Lov. *Oratio ista ex Deo est*, *Ecclesia est.* Am. & Er. omittunt *Ecclesia est.* MSS. verò non habent *ex Deo est.*

CLASSIS I.

debita nostra, quò usque id quod petimus accipiamus, reprobi sumus, quia peccatores sumus: sed quod vos non facitis, nos faciendo, id est peccata nostra confitendo mundamur; si tamen faciamus quod dicimus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ubi es ergo hæretice Pelagiane vel Cælestiane? Ecce tota Ecclesia dicit, Dimitte nobis debita nostra. Habet ergo maculas & rugas. Sed confessione ruga extenditur, confessione macula abluitur. Stat Ecclesia in oratione, ut mundetur confessione: & quamdiu hîc vivitur, sic stat. Et cùm de corpore exierit unusquisque, dimittuntur ei [a] omnia, quæ talia habebat ut dimitterentur debita; quia & quotidianis precibus dimittuntur: & tunc exit mundatus, & thesaurizatur Ecclesia in thesauros Domini aurum purum; ac per hoc in thesauros Domini Ecclesia est sine macula & ruga. Et si ibi sine macula & ruga est, hîc quid orandum est? Ut venia percipiatur. Qui dat veniam, maculam extergit: qui ignoscit, rugam extendit. Et ubi extenditur ruga nostra? Tamquam in tendicula magni fullonis, in cruce Christi. In ipsa enim cruce, id est, in ipsa tendicula pro nobis sanguinem fudit. Et nostis fideles quale testimonium perhibeatis sanguini quem accepistis. Certè enim dicitis, Amen. Nostis qui sit sanguis qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum. Ecce quomodo fit Ecclesia sine macula & ruga, tamquam bene mundata in tendicula crucis extenditur: sed hîc omnino [b] potest id agi. Exhibet sibi Ecclesiam gloriosam Dominus, non habentem maculam aut rugam. Agit hoc & hîc, exhibet ibi. Hoc enim agit, ut non habeamus maculam aut rugam. [c] Magnus est qui agit, bene curat, doctissimus artifex est. Extendit in ligno, & facit nos sine ruga, quos abluendo fecerat sine macula. Ipse qui venit sine macula & sine ruga, extensus est in tendicula; sed propter nos, non propter se, ut nos faceret sine macula & ruga. * Rogemus ergo eum ut faciat, & postquam fecerit, ad horrea nos ducat, ibique nos reponat, ubi pressorium non erit.

Hîc agitur ut Ecclesia in cælis fit sine macula & ruga.

Matth. 26. 28.

*CAPUT VI.

8. Tu ergo qui loquebaris, sine macula & ruga es? Quid hîc facis in Ecclesia, quæ dicit, Dimitte nobis debita nostra? Debita se habere confitetur, quæ relaxentur. Qui non confitentur, non ideo non habent: sed ideo eis non relaxabuntur. Confessio nos sanat, & vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lacrymæ non fictæ de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata, sine quibus esse non possumus. Confessio, inquam, nos sanat, dicente apostolo Johanne, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Non autem, quia dico quòd non possumus hîc esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cetera mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei & bonæ spei Christianus: sed illa sola, quæ quotidiano orationis penicillo tergantur. Humiles & devoti dicamus quotidie, Dimitte nobis debita nostra: sed si faciamus quod sequitur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sponsio hæc cum Deo, vera sponsio & fixa conditio est. Tu homo es, & habes debitorem, & debitor etiam tu es. Accedis ad Deum, qui habet debitores, & debitor non est, ut postules tibi debita relaxari. Sed hoc tibi dicit, Ego debita non habeo, tu habes debita; debes enim mihi: sed etiam frater tuus debet tibi. Debitor meus es, habes & tu debitorem. Debitor meus es, quia peccasti in me: habes debitorem fratrem, quia peccavit in te. Quod feceris cum debitore tuo, facio & ego cum meo: id est, si dimittis, dimitto; si tenes, teneo. Tu contra te tenes, qui alteri non dimittis. Nemo ergo dicat se esse sine peccato: sed non tamen ideo debemus amare peccatum. Oderimus [d] ea, Fratres; etsi non sumus sine peccatis, oderimus tamen ea: & maximè à criminibus nos abstineamus; abstineamus, quantum possumus, à levibus peccatis. Ego, ait, nescio quis, non habeo peccata. Se ipsum decipit, & veritas in eo non est. Prorsus oremus, ut Deus dimittat: sed faciamus quod dicitur, dimittamus & nos debitoribus nostris. Cùm dimittimus, & dimittitur nobis. Quotidie dicimus hoc, & quotidie facimus, & quotidie fit in nobis. Non hîc sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.

Remedia peccatorũ sine quibus vivi non potest.

Mortifera non facit Christianus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Conditio qua nobis relaxantur quotidiana peccata.

* SERMO CLXXXIII.

*Aliàs 30. de verbis Apostoli.

De [e] *verbis epistolæ* 1. *Johan. cap.* 4. Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sunt, *&c. Contra Manichæos.*

CAPUT I. Non cuilibet spiritui credendum. 1. Johan. 4. 1.

1. QUANDO Johannes apostolus legebatur, audivimus loquentem per eum Spiritum-sanctum, & dicentem, *Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Repeto, quia necessarium est ut repetam, & hoc mentibus vestris, quantum Dominus adjuvat, vehementer inculcem. *Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Quoniam multi pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum.* Præcepit Spiritus-sanctus, ne omni spiritui credamus: & caussam cur hoc præceperit, dixit. Quæ illa caussa est? *Quoniam multi*, inquit, *pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum.* Quisquis ergo ista præcepta contemserit, & omni spiritui credendum putaverit, necesse est incurrat in pseudoprophetas, & quod pejus est, blasphemet veros prophetas.

CAPUT II. Ex Deo nõ est, qui negat Christũ in carne venisse.

2. Hîc jam ex isto præcepto homo cautus effectus dicturus est mihi, Audivi, teneo, obtemperare desidero, quia & ego in pseudoprophetas nolo incurrere. Quis enim hoc velit, à mendacibus decipi? Siquidem pseudopropheta est mendax propheta. Da mihi hominem religiosum, non vult fallere: da mihi hominem impium, sacrilegum, fallere vult, falli non vult. Cùm ergo nolint fallere boni, falli autem nec boni velint nec mali, quis est qui in pseudoprophetam velit incurrere? Verba dico consulentis me: sed utique in pseudoprophetam nemo nisi invitus incurrit. Audivi præceptum Johannis, immo Domini per Johannem, *Nolite omni spiritui credere.* Ecce ac-

[a] Sic MSS. At Lov. *dimittuntur ei peccata, quia talia habebat* &c.

[b] Benignianus MS. *omnino non potest id agi*: sed refragantibus ceteris libris. In subsequenti sententia facilè crederemus legendum, *Exhibet ibi Ecclesiam*: si non *sibi* vox Apostoli esset in ipso de quo disputatur loco Ephes. 5. 27.

[c] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *Magnum est, quia hoc agit.*

[d] In omnibus MSS. *eum.*

[e] Sermonis hujus mentio fit in subsequenti: subsequentis verò excerpta dat Florus ad Rom. 8. & Philip. 2.

cipio, ita volo. Addit, & dicit, *Sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Unde probo? Probare vellem, si errare non possem. Certè nisi probavero spiritus qui ex Deo sunt, incurram necesse est in spiritus qui ex Deo non sunt, & ex hoc seducar à pseudoprophetis. Quid agam? Quomodo observem? O si sanctus Johannes, quomodo nobis dixit, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt*; dicere dignaretur, quomodo probentur spiritus qui ex Deo sunt!

ỳ. 2. Noli esse sollicitus, & hoc audi. *Hinc cognoscitur spiritus Dei:* hoc certè exspectabas audire, ut probares spiritus qui ex Deo sunt. *Hinc cognoscitur spiritus Dei:* Johannes dixit, non ego: hoc sequitur in lectione quam tracto. Cùm enim nos propterea faceret sollicitos & cautos, ne omni spiritui credamus, sed probemus spiritus qui ex Deo sunt, quia multi pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum; continuò vidit quid desideraremus, occurrit exspectationi, injecit oculum tacitæ cogitationi. Gratias Deo, quia & hoc per illum loqui dignatus est. *Hinc cognoscitur spiritus Dei.* * *Omnis spiritus.* Eia audite, audite, intelligite, discernite, inhærete veritati, resistite falsitati. *Hinc cognoscitur spiritus Dei.* Unde, rogo te? Hoc est quod audire cupiebam.

Caput II.

ỳ. 2. *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est:*
ỳ. 3. * *& omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.* Interim ergo, Carissimi, repellite ab auribus vestris omnem disputatorem, prædicatorem, scriptorem, susurratorem, qui negat Jesum Christum in carne venisse. Ergo repellite Manichæos à domibus, ab auribus, à cordibus vestris. Manichæi enim Christum in carne venisse apertissimè negant. Spiritus ergo illorum non sunt ex Deo.

Manichæorum in ipso loco Johannis insidiæ.

3. Hîc video unde velit lupus obrepere, agnosco, & quantum valeo, devitandum esse demonstro. Hinc, in eo quod dixi, vel potiùs ab Apostolo dictum commemoravi; quia *Omnis spiritus qui negat Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est*; insidiatur Manichæus in hoc verbo, & dicit mihi, Ecce spiritus qui negat Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est: unde est ergo? Si ex Deo non est, inquit, unde est? Numquid enim potest esse, nisi aliunde? Si ergo, inquit, ex Deo non est, & aliunde est, vides esse duas naturas. Invenimus lupum: retia salubria tendamus, venemur, capiamus, captum trucidemus. Trucidemus planè; moriatur error, vivat homo. Ecce in eo quod dixi, Capiamus, trucidemus; moriatur error, vivat homo, ibi solvitur quæstio. Sed recolite quod proposui, ne obliti quæstionem, non intelligatis solutionem. *Omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.* * Et Manichæus continuò, Et unde est? Si ex Deo non est, aliunde est. Si aliunde est, * docui duas esse naturas. Hanc quæstionem tenete, & mentes ad illa mea verba revocate, ubi dixi, Capiamus, trucidemus; moriatur error, vivat homo. Error non est ex Deo, homo ex Deo est. Redite ad quæstionem: *Omnis spiritus qui non confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo non est.* Dico & ego, Omnia per ipsum facta sunt. Omnis spiritus laudet Dominum. Sed si non omnis spiritus ex Deo est, quomodo

Error de duabus naturis.

Caput III.

* *f.* docuit.

Johan. 1. 3.

Psal. 150. 6.

spiritus qui ex Deo non est laudat Dominum? Prorsus omnis spiritus laudet Dominum. Utrumque video, languidum intelligo; vitium sanetur, natura liberetur. Vitium natura non est, sed naturæ inimicum est. Sana unde langues, remanet unde laudes. Medicina vitia persequitur, non naturam. *Omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.* In quantum non confitetur Christum in carne venisse, in tantum ex Deo non est; quia iste error qui non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est. Fratres, quid est quod renascimur? Si bene nati sumus, quid est quod renascimur? Natura quæ corrupta fuerat, reparatur; natura quæ lapsa fuerat, erigitur; natura quæ deformis jacebat, gratiâ reformatur. Solus enim Creator, Pater, Filius & Spiritus-sanctus; trina unitas, una trinitas; sola illa natura immutabilis, incommutabilis, nec defectui, nec profectui obnoxia, nec cadit, ut minùs sit; nec transcendit, ut plus sit; perfecta, sempiterna, omni modo immutabilis, sola illa natura. Creatura verò bona, sed Creatori impar valde. Vis adhærere diabolo desertori, si [a] æquare contendis condita Conditori.

Caput IV. *Manichæorum error, animam esse partem Dei, confutatur.*

4. Agnoscat anima conditionem suam: non est Deus. Cùm se anima putat Deum, offendit Deum: non invenit salvatorem, sed invenit damnatorem. Quoniam Deus quando animas malas damnat, non se damnat: si autem anima hoc est quod Deus, se damnat. Demus honorem Deo nostro, Fratres, cui clamamus, Libera nos à malo. [b] Et si susurret tibi, ut in oratione invenias tentationem, & dicat tibi, Quid est quod clamasti, Libera nos à malo? Certè non est malum? Responde illi, Ego sum malus: & si liberaverit me à malo, ero de malo bonus: liberet me à me, ne incurram in te. Hoc dic Manichæo, Si Deus liberaverit me à me, non incurram in te: quia si Deus liberaverit me à me malo, ero bonus; si bonus ero, sapiens ero; si sapiens ero, non errabo: si non errabo, à te decipi non potero. Liberet ergo Deus me à me, & non incurro in te. Meum est enim vitium, ut errem & credam tibi: quoniam anima mea impleta est illusionibus. Non sum mihi ipse lumen: nam si essem, numquam errassem. Ideo pars Dei non sum, quia substantia Dei, natura Dei, errare non potest: ego autem erro; nam & tu ipse confiteris, sapientem te dicis, ab errore me liberare conaris. Unde ergo erro, si natura Dei sum? Erubesce, da honorem Deo. Ego dico quia multùm adhuc erras: sed sicut tu ipse confiteris, erraveras. Erraverat ergo natura Dei? Ierat in immunditiam natura Dei? Adulteria committebat natura Dei? Stupra illicita faciebat natura Dei? Cæca nesciebat quà iret natura Dei? Facinoribus & flagitiis obruebatur natura Dei? Erubesce, da honorem Deo.

Matth. 6. 13.

Psal. 37. 8.

Caput V. *Lumen sibi esse homo non potest.*

5. Lumen tibi esse non potes, non potes, non potes. Erat lumen verum. In comparatione Johannis dictum est, Erat lumen verum. Numquid non & Johannes lucerna? Ille erat lucerna ardens & lucens, Dominus dixit. Numquid lucerna lumen non est? Sed erat lumen verum. Lucerna & accendi potest, & exstingui potest: lumen verum accendere potest, exstingui non potest. Erat ergo lumen verum, quod illuminat

Johan. 1. 9.

Johan. 5. 35.

[a] Fossatensis codex, *si æquari vis Conditori.*

[b] Editi, *succurret.* Meliùs MSS. *susurret:* subaudi, *Manichæus.*

CLASSIS I.

omnem hominem venientem in hunc mundum. Illuminandi sumus, non lumen sumus. Expergiscere, clama mecum: Dominus illuminatio mea. *Psal. 26. 1.* Quid est ergo quod dicis? Ergo non sunt mala? Sunt mala, sed mutantur; & ipsa erunt bona: quia ipsa mala, vitio sunt mala, non naturâ. *Mala non ex natura, sed ex vitio naturæ.* Quid est, Libera nos à malo? Nonne possemus & possumus hæc verba dicere, Libera nos à tenebris? A quibus tenebris? A nobis ipsis, si quæ in nobis sunt reliquiæ tenebrarum, donec in totum lux efficiamur, nihil habentes in nobis quod resistat caritati, quod repugnet veritati, quod subjaceat infirmitati, quod conditione mortalitatis deficiat. Tunc totum videte quid erit, quando erit, Corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate. *1. Cor. 15. 53. &c.* Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum. Ubi malum?

CAPUT VI. *Mala hominis duo, error & infirmitas.*

6. Modò mala hominum quæ? Error & infirmitas. Aut nescis quid agas, & errando laberis; aut scis quid agi debeat, & infirmitate superaris. Ergo omne malum hominis error & infirmitas. Contra errorem clama, Dominus illuminatio mea. *Psal. 26. 1.* Contra infirmitatem adde, Et salus mea. Crede, bonus esto: tu es malus, tu eris bonus. Noli dividere. Natura in te sananda est, non separanda. Vis nosse quid es? Tenebræ. Quare tenebræ? Homo qui dicis, Corrumpitur Deus, aliquid his tenebris potest esse profundius? Crede, agnosce Christum in carne venisse, accepisse quod non erat, non amisisse quod erat; hominem in se mutasse, non in hominem fuisse mutatum. Agnosce, & tu ipse ex malo eris bonus, ex tenebris eris lux. An mentior, & non est unde convincam? Apostolum accipis, si te non fingis accipere; Apostolum legis, & deciperis, & decipis. Unde deciperis? Errando malo tuo te ipso. Si autem credideris, erroremque discusseris, audies ab Apostolo, *Ephes. 5. 8.* Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux. Sed addidit, lux, sed ubi? In Domino. Ergo tenebræ in te, lux in Domino. Quia non tibi potes lucere, accedendo illuminaris, recedendo tenebraris: quia non tibi lumen tu ipse es, aliunde illuminaris. *Psal. 33. 6.* Accedite ad eum, & illuminamini.

CAPUT VII. *De eodem Johannis loco quæstio alia differtur in subsequentem Sermonem.*

7. Scio, Carissimi, de ista lectione sancti Johannis in re una multùm me fuisse immoratum, nec vos esse fatigandos ultrà video, vel ultra capacitatem replendos; & nostra infirmitas cogitanda est. Nam hæc verba sancti Johannis habent adhuc magnas latebras suas. Interim eos qui negant Christum in carne venisse, repellite. Constat enim eos non esse ex Deo. In quantum errant, in quantum peccant, in quantum blasphemant, non sunt ex Deo: sanentur, & ex Deo erunt; quia & naturâ ex Deo erant. Hinc quantumcumque disputavi, adtendite Scripturas. Nolite credere eis qui negant Christum in carne venisse. Sed certè dicturus es mihi, Ergo qui dicit Christum in carne venisse, ex Deo est? Audiamus Donatistas, quia confitentur Christum in carne venisse; audiamus Arianos, quia confitentur Christum in carne venisse; audiamus Eunomianos, quia confitentur Christum in carne venisse; audiamus Photinianos, quia confitentur Christum in carne venisse. Si enim omnes spiritus qui confitentur Christum in carne venisse, ex Deo sunt, quàm multæ sunt hæreses mendaces, deceptrices, insanæ, confitentur tamen Christum in carne venisse. Quid ergo dicturi sumus? Quomodo istam quæstionem soluturi? Quomodocumque solvenda sit, hodie solvi non potest. Tenete me debitorem: sed Deum pro me & pro vobis orate adjutorem. Conversi ad Dominum, &c.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO CLXXXIII.

Alias 31. de verbis Apostoli. a

Rursum de [a] *verbis epistolæ* 1. *Iohannis, cap.* 4. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

CAPUT I. *Quæstio tractanda.*

1. VESTRÆ Caritatis exspectatio, mei debiti exactio est. Non dubito meminisse vos, quid in adjutorio Domini de sancti Johannis lectione promiserim. Cùm ergo audistis lectorem, credo vos cogitasse me debere esse debiti redditorem. Magnam quippe quæstionem Sermone in longum procedente distulimus, quomodo rectè possit intelligi quod ait in epistola sua beatus Johannes, non Baptista, sed Evangelista: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* *1. Johan. 4. 2.* Videmus enim multas hæreses confiteri Christum in carne venisse, & tamen non eas possumus dicere ex Deo esse. Negat Christum in carne venisse Manichæus. Non est laborandum, neque vobis diutiùs suadendum, quòd iste error non sit ex Deo. Sed Arianus confitetur Christum in carne venisse, Eunomianus, Sabellianus, Photinianus. Quid istis convincendis quærimus testes? Quis tot numerat pestes? Sed interim ut quæ sunt notiora tractemus. Multis quippe hæreses illæ, quas nominavi, ignotæ sunt, & est ista ignorantia tutior. Certè quod novimus, Donatista confitetur Christum in carne venisse: & tamen absit ut sit hîc error ex Deo. Ut de recentioribus hæreticis loquar, Pelagianista confitetur Christum in carne venisse: tamen omnino non est hic error ex Deo.

CAPUT II. *Hæretici in hoc conveniunt, ut negent Christum in carne venisse.*

2. Proinde, Carissimi, diligenter consideremus, quoniam non dubitamus veram esse sententiam, *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est:* convincendi sunt isti quòd non confiteantur Christum in carne venisse. Nam si eis istam concesserimus confessionem, ex Deo illos esse fatebimur. Quomodo vos ab eorum erroribus vel prohibemus, vel deterremus, vel adversùs eos scuto veritatis defendimus? Adjuvet nos Dominus, quia & vestra exspectatio pro nobis oratio est, ut convincantur isti quia non confitentur Christum in carne venisse.

Arianus quomodo id negat.

3. Arianus audit, & prædicat partum virginis Mariæ. Confitetur ergo Christum in carne venisse? Non. Quomodo probamus? Si adjuvet Dominus intelligentias vestras, facillimè. Quid est quod exigimus? Utrùm confiteatur Jesum Christum in carne venisse. Quomodo confiteri potest, in carne venisse Jesum Christum, qui negat ipsum Christum? Quis enim est Christus? Beatum Petrum interrogemus. Modò cùm Evangelium legeretur, audistis, cùm quæsisset Dominus ipse Jesus Christus, quem illum dicerent homines Filium hominis; *Matth. 16. 13. &c.* responderunt discipuli opiniones alienas, & dixerunt, Alii Johannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophe-

[a] Citat Florus ad Rom. 8. & Philip. 2.

Classis I.

tis. Qui hæc confitebantur vel confitentur, Jesum Christum plus quàm hominem non noverunt. Si autem Jesum Christum plus quàm hominem non noverunt, Jesum Christum utique non noverunt. Si enim tantummodo homo est, & nihil ampliùs, non est ipse Jesus Christus. Vos ergo, inquit, quem me esse dicitis? Respondit Petrus, unus pro omnibus, quia unitas in omnibus: Tu es Christus Filius Dei vivi.

Caput III. Arianus, quomodo negat Christum in carne venisse.

4. Ecce habes confessionem veram, confessionem plenam. Jungere enim debes utrumque, quod de se Christus, & quod de Christo Petrus. Quid de se Christus? Quem me dicunt homines esse Filium hominis? Quid de Christo Petrus? Tu es Christus Filius Dei vivi. Utrumque conjunge, & venit Christus in carne. Hoc de se Christus quod minus est, hoc de Christo Petrus quod majus est. Respondit de veritate humilitas, & de humilitate veritas: hoc est de veritate Dei humilitas, & de humilitate hominis veritas. Quem me dicunt homines esse, inquit, Filium hominis? Dico ego quod factus sum propter vos: dic tu Petre quis est qui fecit vos. Qui ergo confitetur Jesum Christum in carne venisse, profectò confitetur Filium Dei in carne venisse. Dicat nunc Arianus, utrùm confiteatur Christum in carne venisse. Si Filium Dei confitetur in carne venisse, Christum confitetur in carne venisse. Si Filium Dei negat Christum, nescit Christum: alium pro alio dicit, non ipsum dicit. Quid est enim Filius Dei? Quomodo quærebamus, quid est Christus; & audiebamus, quòd sit Filius Dei: quæramus, quid est Filius Dei. Ecce Filius Dei, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. In principio erat Verbum. Quid dicis Ariane? In principio, sicut dicit Genesis, fecit Deus cælum & terram: tu autem dicis, In principio fecit Deus Verbum. Factum enim dicis Verbum, creaturam dicis Verbum. Tu ergo dicis, In principio fecit Deus Verbum: sed Evangelista dicit, In principio erat Verbum. Et ideo in principio fecit Deus cælum & terram, quia erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Factum dicis. Si factum dicis, Filium negas.

Johan. 1. 1. & 2.

Gen. 1. 1. Florus ad Philip. 2.

Caput IV.

5. Filium enim quærimus naturâ, non gratiâ; Filium unicum, unigenitum, non adoptatum. Talem Filium quærimus, tam verum Filium quærimus, qui cùm in forma Dei esset, Apostoli verba sunt, propter rudes commemoro, ne mea verba putentur: illum Filium quærimus, qui cùm in forma Dei esset, sicut dicit Apostolus, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo. Non rapina, quia natura. Natura erat, rapina non erat. Non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo. Non erat ei rapina, natura erat: sic erat ex æternitate, sic erat coæternus gignenti, sic erat æqualis Patri, sic erat. Semetipsum exinanivit: ut confiteamur Jesum Christum in carne venisse. Semetipsum exinanivit. Quomodo? Amittendo quod erat, an assumendo quod non erat? Sequatur Apostolus; audiamus: Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Sic se exinanivit, formam servi accipiens, non formam Dei amittens. Forma servi accessit, non forma Dei discessit. Hoc est confiteri Christum in carne venisse. Arianus autem qui non confitetur æqualem, non confitetur Filium. Si non confitetur

Philip. 2. 6.

A Filium, non confitetur Christum. Qui non confitetur Christum, quomodo confitetur Christum in carne venisse?

Serm. de Scripturis.

Caput V. Eunomianus.

6. Sic & Eunomianus par ejus, socius ejus, non multùm diversus. Etenim dicuntur Ariani confessi fuisse, quia vel similis est Patri Filius: & si non æqualis dixerunt, sed similis. Ille, nec similis. Et iste ergo negat Christum. Si enim Christus verus Patri æqualis est & similis, profectò qui negat æqualem, negat Christum; qui negat simi-
B lem, negat Christum. Qui ergo negat æqualem & similem, negat in carne venisse Christum. Quæro enim, Venit in carne Christus? Respondet, Venit. Et putamus quia confitetur. Interrogo, Quis Christus venit in carne, æqualis Patri, an inæqualis? Respondet, Inæqualis. Inæqualem ergo Patri dicis venisse in carne: negas Christum in carne venisse, quia Christus æqualis est Patri.

Sabellianus.

7. Sabellianum audi. Ipse est Filius, qui est
C & Pater. Hoc dicit, hinc pungit, hinc venena diffundit. Ipse est, inquit, Pater. Quando vult, Filius est: quando vult, Pater est. Non est ipse Christus. Et tu erras, si hunc Christum dicis in carne venisse; quia iste Christus non est, negas Christum in carne venisse.

Photinus.

8. Quid dicis Photine? Ait Photinus, Christus solùm homo est, Deus non est. Formam servi confiteris, formam Dei negas. Et Christus in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi
D consors est nobis. Et tu negas Christum in carne venisse.

Donatistæ.

9. Donatista quid? Donatistæ plurimi hoc confitentur de Filio quod nos, quòd æqualis sit Patri Filius, ejusdemque substantiæ: alii verò eorum, ejusdem quidem substantiæ confitentur, sed æqualem negant. Quid opus est disputare de his qui negant æqualem? Si enim negant æqualem, negant Filium. Si negant Filium, negant Christum. Si negant Christum, quomodo con-
E fitentur in carne venisse Christum?

Caput VI.

10. De illis subtilior disputatio est, qui hoc confitentur quod nos, unigenitum Filium æqualem Patri, ejusdem substantiæ, æterno coæternum: & tamen Donatistæ sunt. Dicamus eis, Verbis confitemini, factis negatis. Aliquis enim negat factis. Non omnis qui negat, verbo negat. Planè sunt homines qui factis negant. Interrogemus Apostolum: Omnia, inquit, munda mundis; immundis autem & infidelibus nihil
F est mundum, sed pollutæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur enim Deum se nosse, factis autem negant. Quid est, negare factis? Superbire, & schismata facere; non in Deo, sed in homine gloriari. Ita factis negatur Christus: unitatem quippe amat Christus. Postremò ecce quomodo & ipsi Christum negant, ut apertiùs loquamur. Nos eum dicimus Christum, de quo ait Johannes Baptista, Qui habet sponsam, sponsus est. Bonum conjugium, sanctæ nuptiæ. Spon-
G sus Christus, sponsa Ecclesia. Ab sponso cognoscimus sponsam. Dicat nobis ipse sponsus, quam habet sponsam: dicat, ne fortassis erremus, & invitati ad nuptias sancta vota turbemus: dicat, ostendat primò se ipsum sponsum.

Tit. 1. 15. & 16.

Johan. 3. 29.

Caput VII.

11. Post resurrectionem ait discipulis suis, Non sciebatis quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis

Luca 24. 46. &c.

Classis I.

de me? Tunc, Evangelista sequitur & dicit, Tunc [A] aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quia sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die. Ecce sponsus, quem confessus est Petrus, hoc est Filium Dei vivi, oportebat ut pateretur, & tertio die resurgeret. Et factum erat: impletum videbant, caput tenebant, corpus quærebant. Quod est caput? Ipse Christus: passus est, tertio die resurrexit: caput est Ecclesiæ. Corpus quod est? Ipsa Ecclesia. Videbant ergo discipuli caput, corpus non vi- [B] debant. Ergo eos corpus non videntes, doceat caput. Dic Domine Jesu, dic sancte sponse, instrue nos de corpore tuo, de sponsa tua, de dilecta tua, de columba tua, quam dotasti sanguine tuo, dic: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die. Ecce sponsus: dic de sponsa, imple tabulas matrimoniales. Audite sponsam, Et prædicari, inquit. Hoc enim sequitur. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus [C] pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Ubi te abscondis? Per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Sic est factum. Legimus promissum, videmus impletum. Ecce lux mea, ubi est obscuritas tua? Ergo Christus sponsus est hujus Ecclesiæ, quæ prædicatur in omnes gentes, & pullulat & crescit usque ad fines terræ, incipientibus ab Jerusalem: hujus sponsus est Christus. Tu quid dicis, cujus sponsus est Christus? Partis Donati? Non est ipse, non est ipse. [D] Homo bone, non est ipse: immo homo male, non est ipse. Ad nuptias venimus, tabulas legamus, & non litigemus. Ergo si tu dicis, Christus est sponsus partis Donati; ego tabulas lego, & invenio esse Christum sponsum Ecclesiæ diffusæ toto orbe terrarum. Si dicis, Ipse est, & non est ipse, negas Christum in carne venisse.

Caput VIII. Pelagianista. a

12. [a] Pelagianista restat, non ex hæresibus omnibus, sed eis quas pro parvo tempore commemoravi. Jam enim dixi, Quis numerat tot pestes? [E] Quid dicis Pelagianista? Audite quid dicit. Videtur confiteri Christum in carne venisse: sed discussus invenitur negare. Christus enim in carne venit, quæ similitudo esset carnis peccati, non esset caro peccati. Apostoli verba sunt, Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati. Non in similitudinem carnis, quasi caro non esset caro; sed in similitudinem carnis peccati, quia caro erat, sed peccati caro non erat. Iste autem Pelagius & ceteram carnem omnis infantis carni Christi conatur æquare. Non est, Ca- [F] rissimi. Non pro magno commendaretur in Christo similitudo carnis peccati, nisi omnis cetera caro esset caro peccati. Quid ergo prodest, quia dicis Christum in carne venisse, & omnium infantium carni eum conaris æquare? Et tibi hoc dico quod Donatistæ, Non est ipse. Ecce video Ecclesiam matrem testimonium reddentem ipsis uberibus suis. Accurrunt matres cum parvulis filiis, ingerunt Salvatori salvandos, non Pelagio [G] damnandos. Mater quælibet mulier pietate currens cum parvulo filio dicit, Baptizetur, ut salvetur. Pelagius contrà, Quid salvetur? Non est quod in eo salvetur, nihil habet vitii, nihil ex

Rom. 8. 3. Florus ibidem.

traduce damnationis adtraxit. Si æqualis est Christo, quare quærit Christum? Ecce dico tibi, Sponsus Filius Dei qui venit in carne, salvator est & majorum & minorum, salvator est & grandium & infantium, & ipse est Christus: tu autem dicis salvatorem Christum majorum, non minorum: non est ipse. Si non est ipse, negas & tu Christum in carne venisse.

Serm. de Scripturis.

Caput IX. Hæreticis commune est & malis catholicis, negare incarnationē Christi.

13. Et si discutiamus omnes hæreses, invenimus eas negare Christum in carne venisse. Omnes hæretici negant Christum in carne venisse. Quid miramini, si Pagani negant Christum in carne venisse? Quid miramini, si Judæi negant Christum in carne venisse? Quid miramini, si Manichæi apertissimè negant Christum in carne venisse? Sed dico Caritati Vestræ, etiam omnes mali catholici verbis confitentur Christum in carne venisse, factis autem negant. Nolite ergo esse tamquam de fide securi. Adjungite fidei rectæ vitam rectam, ut Christum confiteamini in carne venisse, & verbis vera dicendo, & factis bene vivendo. Nam si confiteamini verbis, & factis negetis; fides talium malorum propè est fides dæmoniorum. Audite me, Carissimi, audite me, ne sit vobis testis sudor hic meus, audite me. Jacobus apostolus cùm de fide & operibus loqueretur adversùs eos, qui sibi putabant fidem sufficere, & opera bona habere nolebant, ait, Tu credis quia unus est Deus; bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. Numquid ideo dæmones ab æterno igne liberabuntur, quia credunt, & contremiscunt? Ecce modò quod audistis in Evangelio, quod ait Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi: legite, & invenietis dixisse dæmones, Scimus qui sis, Filius Dei. Petrus tamen laudatur, dæmon compescitur. Una vox, facta diversa. Unde separantur istæ duæ confessiones? Laudatur amor, damnatur timor. Non enim amore dicebant hoc dæmones, Tu es Filius Dei. Timore hoc dicebant, non amore. Denique illi in confessione dicebant, Quid nobis & tibi? Petrus autem, Tecum sum usque ad mortem.

Jacobi 2. 19.

Matth. 16. 17.

Marci 1. 24.

Caput X. Et recta fides & bona vita ex Deo.

14. Sed & ipse Petrus unde, Fratres mei, unde illi dicere ex amore, Tu es Christus Filius Dei vivi? Unde illi? Itane de suo? Absit. Bene, quòd ipsum Evangelii capitulum utrumque demonstrat, quid Petrus de Dei, quid de suo. Utrumque ibi habes: lege, non est quod à me exspectes audire. Commemoro Evangelium, Tu es Christus Filius Dei vivi. Et Dominus ad eum, Beatus es Simon Bar-jona. Quare? De tuo beatus? Non. Quia caro & sanguis non revelavit tibi: hoc enim es tu. Non tibi revelavit caro & sanguis; sed Pater meus, qui in cælis est. Et sequitur, & dicit cetera quæ commemorare longum est. Paulò pòst Dominus ibi, post hæc verba sua, quibus approbavit fidem Petri, eamque petram esse monstravit, cœpit ostendere discipulis suis, quia oportebat eum venire Jerosolymam, & multa pati, & reprobari à senioribus & scribis & sacerdotibus, & occidi, & tertio die resurgere. Ibi Petrus de suo expavit, & horruit mortem Christi, expavit æger medicinam suam. Absit à te, Domine, inquit: propitius tibi esto, non fiat hoc. Et ubi

Matth. 16. 17.

Ibidem 21.

[a] Hunc ipsum Johannis locum Augustinus in varias hæreses cùm itidem intorqueret, eamdem epistolam homiliis decem anno 416. tractans, nihil ibi dixit de Pelagianorum errore. Hunc ergo Sermonem aliquanto pòst tempore habuit, præsertim quia hæreticos illos ex Pelagii nomine hic appellat: cujus tamen nomini aliquamdiu parcendum judicavit, sic eum faciliùs posse corrigi sperans, uti ait in Retractat. lib. 2. c 33.

est, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam? Oblitus es Petre? Oblitus es, Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis? Oblitus es. Oblivio illa de ipsius; trepidatio, horror & timor mortis, totum de Petri: immo de Simonis, non de Petri. Et Dominus, Vade retrò satanas. Beatus es Simon Bar-jona: Vade retrò satanas. Beatus es Simon Bar-jona; sed de Dei. Vade retrò satanas; unde? Recolite unde beatus. Jam dixi, Quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est. Unde satanas? Dicat Dominus: Neque enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Johan. 10. 18. *Johan.* 15. 13.

15. Sperate in Dominum, & veræ fidei bona facta conjungite. Confitemini Christum in carne venisse, & credendo, & bene vivendo, & utrumque ab illo acceptum tenete, ab illo augendum & perficiendum sperate. Maledictus enim omnis, qui spem suam ponit in homine. Et bonum est homini, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Conversi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque veras gratias agamus, precantes toto animo singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur; inimicum quoque à nostris actibus & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spiritales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat: per Jesum Christum Filium ejus. Amen.

Jerem. 17. 5.

SANCTI

SANCTI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI SERMONUM AD POPULUM II. CLASSIS,

IN QUA CONTINENTUR SERMONES DE TEMPORE.

* Aliàs de Diversis 56.

*SERMO CLXXXIV.

In [a] *Natali Domini nostri* JESU CHRISTI, *I.*

CAPUT I. Incarnationis mysterium sapientibus mundi absconditum.

NATALIS Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, quo Veritas de terra orta est, & dies ex die [b] in nostrum natus est diem, anniversario reditu nobis hodie celebrandus illuxit: exsultemus & jocundemur in eo. Quid enim nobis præstiterit tantæ sublimitatis humilitas, fides habet Christianorum, remotum est à cordibus impiorum; quoniam abscondit Deus hæc à sapientibus & prudentibus, & revelavit ea parvulis. (Matth. 11. 25.) Teneant ergo humiles humilitatem Dei: ut in hoc tanto adjumento, tamquam in infirmitatis suæ jumento, perveniant ad altitudinem Dei. Sapientes autem illi & prudentes, dum alta Dei quærunt, & humilia non credunt, ista prætermittentes, & propter hoc nec ad illa pervenientes, inanes & leves, inflati & elati, & tamquam inter cælum & terram [c] in ventoso medio pependerunt. Sunt enim sapientes & prudentes, sed hujus mundi, non illius à quo factus est mundus. Nam si esset in eis vera sapientia, quæ Dei est & Deus est, intelligerent à Deo carnem potuisse suscipi, nec eum in carnem potuisse mutari: intelligerent eum assumsisse quod non erat, & permansisse quod erat; & in homine ad nos venisse, & à Patre non recessisse; & [d] id eum perseverasse quod est, & nobis apparuisse quod sumus; & corpori infantili potentiam esse inditam, & mundanæ moli non esse subtractam. Cujus opus est apud Patrem manentis mundus universus, hujus opus est ad nos venientis virginis partus. Dedit quippe indicium majestatis ejus virgo mater, quàm virgo ante conceptum, tam virgo post partum; à viro prægnans inventa, non facta: gravida masculo, sine masculo: felicior atque mirabilior fecunditate addita, integritate non perdita. Hoc tam grande miraculum malunt illi fictum putare, quàm factum. Ita in Christo homine & Deo, credere quoniam non possunt humana, contemnunt; quoniam non possunt contemnere divina, non credunt. Nobis autem quantò illis abjectius, tantò sit gratius in humilitate Dei hominis corpus: & quantò illis est impossibilior, tantò sit divinior in hominis nativitate virginis partus.

CAPUT II. Natalis Christi cunctis lætitiæ causa.

2. Proinde Natalem Domini frequentiâ & festivitate debita celebremus. Exsultent viri, exsultent feminæ: Christus vir est natus, ex femina est natus; & uterque sexus est honoratus. Jam ergo ad secundum hominem transeat, qui in primo fuerat antè damnatus. Mortem nobis persuaserat femina: vitam nobis peperit femina. Nata est similitudo carnis peccati, qua mundaretur caro peccati. Non itaque caro culpetur, sed ut natura vivat, culpa moriatur: quia sine culpa natus est, in quo is qui in culpa fuerat, renascatur. Exsultate pueri sancti, qui Christum præcipuè sequendum elegistis, qui conjugia non quæsistis. Non ad vos per conjugium venit, quem sequendum invenistis; ut donaret vobis contemnere per quod venistis. Vos enim venistis per carnales nuptias, sine quibus ille spiritales venit ad nuptias: & vobis dedit spernere nuptias, quos præcipuè vocavit ad nuptias. Ergo unde nati estis, non quæsistis; quia eum qui non ita natus est, plus quàm [e] ceteri dilexistis. Exsultate virgines sanctæ: virgo vobis peperit, cui sine corruptione nubatis; quæ nec concipiendo, nec pariendo potestis perdere quod amatis. Exsultate justi: Natalis est Justificatoris. Exsultate debiles & ægroti: Natalis est Salvatoris. Exsultate captivi: Natalis est Redemtoris. Exsultent servi: Natalis est dominantis. Exsultent liberi: Natalis est liberantis. Exsultent omnes Christiani: Natalis est Christi.

Nativitas Christi duplex.

3. Hìc de matre natus istum diem sæculis commendavit, qui de Patre natus sæcula cuncta creavit. Nec illa nativitas ullam habere potuit matrem, nec ista quæsivit hominem patrem. Denique natus est Christus & de patre, & de matre; & sine patre, & sine matre: de patre Deus, de matre homo; sine matre Deus, sine patre homo. *Generationem* ergo *ejus quis enarrabit?* Sive illam sine tempore, sive istam sine semine; illam sine initio, istam sine exemplo; illam quæ numquam non fuit, istam quæ nec antea nec postea fuit; illam quæ non habet finem, istam quæ initium illic habet, ubi finem.* Meritò ergo Prophetæ nun-

*CAPUT III.

[a] Sermones *de Natali Domini* habitos ab Augustino Possidius in Indiculo cap. 9. testatur, & rursum 10. cap. notat de hoc eodem festo septem; ubi Sermonem tamen aliquem distinctè non designat.

[b] Isthæc verba, *in nostrum natus est diem:* & paulò infrà, *tamquam in infirmitatis suæ jumento:* & aliquantò pòst, *à viro prægnans inventa* &c. itemque ad Sermonis finem, *& cujus ubera sugebat, eam veritate pascebat:* aliaque passim in antè editis omissa restituimus ad veterum codicum fidem.

[c] Lov. *invento medio.* Sed MSS. concinniùs, *in ventoso medio.*

[d] Sic MSS. At editi, *& apud Patrem perseverasse quod sumus, & corpore infantili esse indutum, & mundanæ moli non esse subtractum.* Ceterà quæ hìc MSS. subsidio redintegrantur loca nihil juvat referre.

[e] In editis, *cetera.* Veriùs in MSS. *ceteri.*

CLASSIS II.

Admiranda in Deo infante.

tiaverunt nasciturum, cæli verò atque Angeli A natum. Jacebat in præsepio continens mundum: & infans erat & Verbum. Quem cæli non capiunt, unius feminæ sinus ferebat. Illa regem nostrum regebat; in quo sumus, illa portabat; panem nostrum illa lactabat. O manifesta infirmitas, & mira humilitas, in qua sic latuit [a] tota divinitas! Matrem cui subjacebat infantia, regebat potentia: & cujus ubera sugebat, eam veritate pascebat. Perficiat in nobis sua munera, qui sumere non abhorruit etiam nostra primordia: B & ipse faciat nos Dei filios, qui propter nos fieri voluit hominis filius.

Aliàs de Diversis 62.

* SERMO CLXXXV.

In [b] *Natali Domini, II.*

CAPUT I. Verbi incarnatione Veritas orta de terra.

1. NATALIS Domini dicitur, quando Dei Sapientia se demonstravit infantem, & Dei Verbum sine verbis vocem carnis emisit. Illa tamen occulta divinitas, & C Magis cælo teste significata, & pastoribus Angelica voce nuntiata est. Hanc igitur anniversaria sollemnitate celebramus diem, qua impleta est prophetia dicens, *Veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit.* (*Psal. 84. 12.*) Veritas quæ est in sinu Patris, de terra orta est, ut esset etiam in sinu matris. Veritas qua mundus continetur, de terra orta est, ut femineis manibus portaretur. Veritas qua beatitudo Angelorum incorruptibiliter alitur, de terra orta est, ut carnalibus uberibus lactaretur. D Veritas cui cælum non sufficit, de terra orta est, ut in præsepio poneretur. Cujus bono in tanta humilitate venit tanta sublimitas? Nulli utique suo; sed magno, si credimus, nostro. Expergiscere homo: pro te Deus factus est homo. *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* (*Ephes. 5. 14.*) Pro te, inquam, Deus factus est homo. In æternum mortuus esses, nisi in tempore natus esset. Numquam liberareris à carne peccati, nisi suscepisset similitudinem carnis peccati. E Perpetua te possideret miseria, nisi fieret hæc misericordia. Non revixisses, nisi tuæ morti convenisset. Defecisses, nisi subvenisset. Perisses, nisi venisset.

CAPUT II. Justitia incarnatione Christi nobis allata.

2. Celebremus læti nostræ salutis & redemtionis adventum. Celebremus festum diem, quo magnus & æternus dies ex magno & æterno die venit in hunc nostrum tam brevem temporalem diem. Hic *est nobis factus justitia, & sanctificatio, & redemtio: ut, quemadmodum scriptum est,* F *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* (*1. Cor. 1. 30. & 31.*) Ut enim superbiæ Judæorum similes non essemus, qui *ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti:* (*Rom. 10. 3.*) propterea cùm dixisset, *Veritas de terra orta est;* mox addidit, *Et justitia de cælo prospexit:* (*Psal. 84. 12.*) ne sibi eam mortalis infirmitas arrogaret, ne ista sua diceret, & se homo à se ipso justificari, hoc est à se justum fieri credens, Dei justitiam recusaret. *Veritas* ergo *de terra orta est:* Christus qui dixit, *Ego sum veritas,* (*Johan. 14. 6.*) G de virgine natus est. *Et justitia de cælo prospexit:* quoniam credens in eum qui natus est, non homo à se ipso, sed à Deo justificatus est. *Veritas de terra orta est:* quia *Verbum caro factum est.* (*Johan. 1. 14.*) *Et justitia de cælo prospexit:* quia *omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est.* (*Jacobi 1. 17.*) *Veritas de terra orta est*, caro de Maria. *Et justitia de cælo prospexit:* quia *non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* (*Johan. 3. 27.*)

3. *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ* [c] *Dei.* (*Rom. 5. 1. & 2.*)

* CAPUT III. Gloria Dei in hominū gratuita justificatione.

* His, Fratres, quæ mecum recognoscitis, paucis Apostolicis verbis, pauca verba Psalmi hujus admiscere delectat, & consonantiam reperire. *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum:* quia *justitia & pax osculatæ sunt invicem.* (*Psal. 84. 11. & 12.*) *Per Dominum nostrum Iesum Christum:* quia *Veritas de terra orta est. Per quem & accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei.* Non ait, gloriæ nostræ, sed *gloriæ Dei:* quia *justitia*, non de nobis processit, sed *de cælo prospexit.* Ergo *qui gloriatur*, non in se, sed *in Domino glorietur.* (*1. Cor. 1. 31.*) Hinc enim & nato ex virgine Domino, cujus diem Natalem hodie celebramus, præconium vocis Angelicæ factum est; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (*Luca 2. 14.*) In terra enim pax unde, nisi quia *Veritas de terra orta est*, id est, Christus de carne natus est? Et *ipse est pax nostra qui fecit utraque unum:* (*Ephes. 2. 14.*) ut essemus homines bonæ voluntatis, suaviter connexi vinculis unitatis. In hac igitur gratia gaudeamus, ut sit gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ: (*2. Cor. 1. 12.*) ubi non in nobis, sed in Domino gloriemur. (*1. Cor. 1. 31.*) Hinc enim dictum est, *Gloria mea, & exaltans caput meum.* (*Psal. 3. 4.*) Nam quæ major [d] gratia Dei nobis potuit illucescere, quàm ut habens unigenitum Filium, faceret eum hominis filium; atque ita vicissim hominis filium, faceret Dei filium? Quære meritum, quære caussam, quære justitiam; & vide utrùm invenias nisi gratiam.

Aliàs de Tempore 19.

* SERMO CLXXXVI.

Natali Domini, III.

CAPUT I. Christus virginis partu editus.

1. GAUDEAMUS, Fratres: lætentur & exsultent gentes. Istum diem nobis non sol iste visibilis, sed Creator ipsius invisibilis consecravit; quando eum pro nobis visibilem factum, à quo invisibili & ipsa creata est, visceribus fecundis & genitalibus integris virgo mater effudit. Concipiens virgo, [e] pariens virgo, virgo gravida, virgo feta, virgo perpetua. Quid miraris hæc, ô homo? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Antè quàm enim, fieret, erat: & quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit sibi matrem, cùm esset apud Patrem: & cùm fieret ex matre, mansit in Patre. Quomodo Deus esse desisteret, cùm homo esse cœpit, qui genitrici suæ præstitit ne desisteret virgo esse, cùm peperit? Proinde quòd Verbum caro factum est, non Verbum in carnem pereundo cessit; sed caro [f] ad Verbum,

Incarnatione Deus esse non destitit.

[a] Sic MSS. At Lov. *tanta divinitas.*

[b] Hunc Maximo tribuit Navarricus codex: Augustino ceteri MSS. cujus re vera stilum hìc deprehendes & ingenium, non Maximi.

[c] Concordat Græcis, qui nec habent quod additur in Vulgata, *filiorum.* Unde & Theophilactus interpretatur in spe bonorum, quæ nobis obvenient, non ex merito nostro, sed ut glorificetur Deus. Nec secus exponit Chrysostomus.

[d] Colbertinus MS. *gloria Dei.*

[e] MSS. *permanens virgo.*

[f] Aliquot MSS. *sed carni Verbum* &c. Et quidam, *sed caro Verbum, ne ipsa periret, accepit.*

Classis II.

ne ipsa periret, accessit: ut quemadmodum homo est anima & caro, sic esset Christus Deus & homo. Idem Deus qui homo, & qui Deus idem homo: non confusione naturæ, sed unitate personæ. Denique qui Filius Dei generanti est coæternus semper ex Patre, idem filius hominis esse cœpit ex virgine. Ac sic & Filii divinitati est addita humanitas; & tamen non est personarum facta quaternitas, sed permanet trinitas.

Caput II. Verbo non mutato factus est idem Dei & hominis filius.

2. Non ergo vobis subrepat quorumdam sententia minùs adtentorum in regulam fidei & in Scripturarum oracula divinarum. Dicunt enim, Qui filius est hominis, factus est Filius Dei; qui verò Filius est Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est adtenderunt; sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim adtenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit? Hoc verum est: sed etiam sic, id est, nequaquam in deterius divinitate mutata, Verbum tamen caro factum est. Neque enim ait Evangelium, Caro Verbum facta est: sed ait, *Verbum caro factum est.* (Johan. 1. 14.) Verbum autem Deus; quia *Deus erat Verbum.* Et quid caro, nisi homo? Non enim sine anima in Christo hominis caro. [a] Unde ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* (Matth. 26. 38.) Si ergo Verbum Deus, & homo caro, quid est aliud, *Verbum factum est caro*, nisi, Qui Deus erat, factus est homo? Ac per hoc qui erat Dei Filius, factus est hominis filius, assumtione inferioris, non conversione potioris; accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat. Nam quomodo in Regula fidei confiteremur, credere nos in Filium Dei qui natus est ex virgine Maria, si non Filius Dei, sed filius hominis natus est ex virgine Maria? (Regula fidei, symbolum.) Quis enim Christianus neget ex illa femina filium hominis natum? sed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factum. *Deus enim erat Verbum*, & *Verbum caro factum est.* Confitendum est igitur, eum qui Filius Dei erat, ut de virgine Maria nasceretur, assumtâ formâ servi filium hominis factum, quod erat manentem, quod non erat assumentem: esse incipientem quo [b] minor est Patre, & semper manentem in eo quòd unum sunt ipse & Pater.

Caput III. Dei Filium eumdem esse filium hominis ex incarnatione.

3. Nam si ille qui semper est Dei Filius, non ipse est factus hominis filius, quomodo de illo dicit Apostolus, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed se ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo?* (Philipp. 2. 6. &c.) Neque enim alius, sed ipse in forma Dei æqualis Patri, qui est utique unigenitus Dei Filius, *semetipsum exinanivit, in similitudinem hominum factus.* Neque alius, sed idem ipse in forma Dei æqualis Patri, *humiliavit*, non alium, sed *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quod totum non fecit Dei Filius, nisi in ea forma qua est hominis filius. Item si ille qui semper est Dei Filius, non est ipse factus hominis filius, quomodo dicit Apostolus ad Romanos, *Segregatus in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem?* (Rom. 1. 1. &c.) Ecce Fillius Dei, quod utique semper erat, factus est ex semine David secundùm carnem, quod non erat. Item si ille qui est Dei Filius, non est ipse factus filius hominis, quomodo *misit Deus Filium suum factum ex muliere?* (Rom. 8. 3.) Quo nomine secundùm Hebræam linguam non virgineum decus negatur, sed femineus sexus ostenditur. Quis enim à Patre est missus, nisi unigenitus Dei Filius? Quomodo ergo ex muliere factus, nisi quia idem ipse qui erat apud Patrem Dei Filius, missus factus est hominis filius? De Patre natus sine temporis die, de matre natus hoc die. Istum enim diem quem creavit, in quo crearetur elegit, sicut factus est de matre quam fecit. Nam & ipse dies à quo deinceps incrementum lucis accipit dies, opus Christi significat, à quo interior homo noster renovatur de die in diem. (2. Cor. 6. 16.) Æterno quippe creatori in tempore creato ille dies debuit esse natalis, cui [c] creatura congrueret temporalis.

[a] MSS. non habent, *Unde ait, Tristis est* &c.
[b] MSS. *quo major est Pater.*

[c] Vox *creatura* abest à Corbeiensi & Navarrico MS.

Serm. de Tempore.

* SERMO CLXXXVII.

In Natali Domini, IV.

* Aliàs de Tempore 17.

Caput I. Mira in Christo infante dissidentium attributorum convenientia.

1. LAUDEM Domini loquetur os meum: ejus Domini, per quem facta sunt omnia, & qui factus est inter omnia: qui est Patris revelator, matris creator: Filius Dei de Patre sine matre, filius hominis de matre sine patre: magnus dies Angelorum, parvus in die hominum: Verbum Deus ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tempore: conditor solis, conditus sub sole: cuncta sæcula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans de utero matris: ibi manens, hinc procedens: effector cæli & terræ, sub cælo exortus in terra: ineffabiliter sapiens, sapienter infans: mundum implens, in præsepio jacens: sidera regens, ubera lambens: ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi; ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit: nec adtingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suaviter destitit; (Sap. 8. 1.) quando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus est, non inclusus; ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quàm suavis est Dominus.

Caput II. Verbum à Patre non recessisse adventu in carnem, similitudine mōstratur.

2. Quid hoc miramur de Verbo Dei, cùm sermo iste quem promimus ita liber sensibus influat, ut eum & recipiat, & non includat auditor? Nam nisi reciperetur, neminem instrueret: si includeretur, ad alios non veniret. Et utique sermo iste verbis syllabisque dividitur: nec tamen ex eo tamquam ex cibo ventris singulas particulas tollitis; sed omnes totum auditis, totum singuli capitis. Nec timemus dum loquimur, ne totum audiendo unus absumat, nec alter possit habere quod sumat: sed ita vos adtentos esse volumus, nullius aurem mentemque fraudantes, ut & totum singuli audiatis, & totum ad audiendum ceteris relinquatis. Neque hoc fit alternis temporibus, ut cùm sermo qui dicitur ad te primùm intraverit, exeat à te, ut ad alium possit intrare: sed simul ad omnes venit, & totus ad singulos pervenit. Et si totus memoriâ teneri valuisset, sicut ad totum audiendum omnes venistis, ita cum toto singuli rediretis. Quantò ma-

Classis II. gis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, & quod in se manens innovat omnia; quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec morulis brevibus longisque variatur, nec vocibus texitur, nec silentio terminatur; quantò magis hoc tantum & tale Verbum potuit matris uterum assumto corpore fecundare, & de sinu Patris non emigrare? hinc ad oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illustrare? hinc ad
a terras procedere, inde cælos [a] extendere? hinc homo fieri, inde homines facere?

Caput III. Verbum incarnatione non mutatum.

3. Nemo ergo credat Dei Filium conversum & commutatum esse in hominis filium: sed potiùs credamus & non consumtâ divinâ & perfectè assumtâ humanâ substantiâ, manentem Dei Filium, factum hominis filium. Neque enim
Johan. 1. 14. quia dictum est, *Deus erat Verbum*, & *Verbum caro factum est*; sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus: quando in ipsa carne quod
Matth. 1. 23. Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cùm id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro ista in qua procedat assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur: hoc idem tamen profertur in sono, quod antè sonuerat in silentio; atque ita verbum cùm fit vox, non mutatur in vocem; sed manens in mentis luce, & assumta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem. Non cùm ipsa vox in silentio cogitatur, quæ vel Græcæ est, vel Latinæ, vel linguæ alterius cujuslibet: sed cùm ante omnem linguarum diversitatem res ipsa quæ dicenda est, adhuc in cubili cordis quodam modo nuda est intelligenti, quæ ut inde procedat loquentis voce vestitur. Verumtamen utrumque hoc, & quod cogitatur intelligendo, & quod sonat loquendo, mutabile atque dissimile est: neque illud manebit, cùm oblitus fueris; neque hoc, cùm silueris: Verbum autem Domini manet in æternum, & incommutabiliter manet.

Caput IV. Verbum incarnatū Deus & homo.

4. Et cùm carnem assumsit ex tempore, ut ad temporalem vitam nostram procederet, non in carne amisit æternitatem, sed etiam carni præstitit immortalitatem. Ita ipse *tamquam sponsus*
Psal. 18. 6. *procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam. Qui cùm in forma Dei esset, non*
Philip. 2. 6. & 7. *rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*: sed ut propter nos fieret quod non erat, *semetipsum exinanivit*; non formam Dei perdens, sed *formam servi accipiens*: & per hanc *in similitudinem hominum factus*; nec propriâ substantiâ, sed *habitu inventus ut homo*. Hoc enim totum quod sumus vel in anima vel in corpore, nostra natura est, illius habitus: nos nisi hoc essemus, non essemus; ille si hoc non esset, esset utique Deus. Et cùm hoc esse cœpit quod non erat, homo factus est, permanens Deus: ut non unum horum, sed utrumque verissimè diceretur; & propter quod
Johan. 14. 28. homo factus est, *Quoniam Pater major me est*;
Johan. 10. 30. & propter quod permansit Deus, *Ego & Pater unum sumus*. Nam si Verbum in carnem, hoc est, Deus in hominem mutatus converteretur, non esset verum, nisi *Pater major me est*; quia homine major est Deus: illud autem falsum esset, *Ego & Pater unum sumus*; quia non sunt unum

A Deus & homo. Sed forsitan posset dicere, Ego & Pater, non unum sumus, sed unum fuimus. Quod enim erat & esse destitit, non est utique, sed fuit. Nunc autem, & propter veram formam servi, quam acceperat, verum dixit, *Pater major me est*: & propter veram formam Dei, in qua permanebat, verum dixit, *Ego & Pater unum sumus*. Exinanivit ergo se apud homines, non ita factus quod non erat, ut non esset quod erat: sed occultans quod erat, & demonstrans quod factus erat.

Serm. de Tempore.

B Proinde quia virgo concepit & peperit filium, propter manifestam servi formam, *Puer natus est nobis*. Isai. 9. 6. Quia verò Dei Verbum quod manet in æternum, caro factum est, ut habitaret in nobis, propter Dei formam latentem, sed manentem, sicut nuntiavit Gabriel, vocamus nomen ejus Matth. 1. 23. Emmanuel. Factus est enim homo, permanens Deus, ut & filius hominis rectè vocetur *Nobiscum Deus*: non alter Deus, alter homo. Exsultet itaque in credentibus mundus, quibus salvandis
C venit per quem factus est mundus. Conditor Mariæ, natus ex Maria: filius David, Dominus David: semen Abrahæ, qui est ante Abraham: factor terræ, factus in terra: creator cæli, creatus sub cælo. Ipse est dies quem fecit Dominus, & dies
b cordis nostri ipse est [b] Dominus. Ambulemus in lumine ejus, exsultemus & jocundemur in eo.

*SERMO CLXXXVIII.

* Aliàs de Tempore 25.

In Natali Domini, V.

Caput I. Verbum Dei explicari ab homine non potest.

D 1. Filium Dei, sicuti est apud Patrem æqualis illi & coæternus, in quo condita sunt omnia in cælo & in terra, visibilia & invisibilia, Verbum Dei & Deum, vitam & lucem hominum, si laudare moliamur; non mirum est quòd nulla humana cogitatio, nullus sermo sufficiat. Quomodo enim laudare dignè valeat lingua nostra, quem cor nostrum adhuc videre non valet, ubi oculum condidit quo
E c possit videri, si [c] purgetur iniquitas, si sanetur infirmitas, & fiant beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt? Non mirum est, inquam, nos non invenire, quibus verbis unum Verbum dicamus, in quo dictum est ut essemus, qui de illo aliquid diceremus. Hæc enim verba cogitata atque prolata mens nostra format, illo autem Verbo ipsa formatur. Nec eo modo facit homo verba, quo modo est factus ipse per Verbum: quia nec eo modo genuit Pater unicum Verbum, quo
F modo fecit cuncta per Verbum. Deum quippe genuit Deus; sed simul gignens & genitus unus est Deus. Mundum autem fecit Deus; mundus transit, & permanet Deus. Et sicut ea quæ facta sunt, se ipsa utique non fecerunt: sic à nullo factus est, per quem fieri omnia potuerunt. Non igitur mirum, si homo factus inter omnia, verbis non explicat Verbum, per quod facta sunt omnia.

Caput II. Verbum æternum nostri causâ natum in tempore.

G 2. Huc itaque paululùm aures & animos advertamus, si fortè valeamus aliquid congruum dignumque dicere, non ex eo quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: sed ex eo quod *Verbum caro factum est*: si fortè dicatur à nobis per quod *habitavit in nobis*; si fortè ibi possit esse dicibilis,

[a] MSS. *excedere.*
[b] Sic MSS. Editi verò, *Domini.*

[c] Sic aliquot MSS. At editi, *fugetur.*

Classis II.

ubi voluit esse visibilis. Propter hoc enim & istum celebramus diem, quo nasci est dignatus ex virgine: [a] quam generationem suam fecit ab hominibus utcumque narrari. In illa verò æternitate, in qua Deus de Deo natus est, *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isai. 53. 8.) Ibi talis dies non est, qui sollemniter celebretur. Neque enim transit anniversario volumine rediturus; sed manet sine occasu, quia non cœpit exortu. Est ergo illud unicum Dei Verbum, illa vita, illa lux hominum, æternus quidem dies: iste autem in quo humanæ carni copulatus, factus est tamquam sponsus procedens de thalamo suo, nunc hodiernus est, cras fit hesternus. Verumtamen hodiernus natum ex virgine commendat æternum, quia æternus natus ex virgine consecravit hodiernum. Quas itaque laudes caritati Dei dicamus, quas gratias agamus? Qui nos ita dilexit, ut propter nos fieret in tempore, per quem facta sunt tempora; & multis servis suis in mundo minor esset ætate, ipso mundo antiquior [b] æternitate; homo fieret qui hominem fecit, crearetur ex matre quam creavit, portaretur manibus quas formavit, sugeret ubera quæ implevit, in præsepi mutâ vagiret infantiâ [c] Verbum, sine quo muta est humana eloquentia.

Caput III. Verbum infans doctor humilitatis.

3. Vide, ô homo, quid pro te factus est Deus: doctrinam [d] tantæ humilitatis agnosce, etiam in nondum loquente doctore. Tu quondam in paradiso tam facundus fuisti, ut omni animæ vivæ nomina imponeres: propter te autem Creator tuus infans jacebat, & nomine suo nec matrem vocabat. Tu in latissimo fructuosorum nemorum prædio te perdidisti, obedientiam negligendo: ille obediens in angustissimum diversorium mortalis venit, ut mortuum quæreret moriendo. Tu cùm esses homo, Deus esse voluisti, ut perires: ille cùm esset Deus, homo esse voluit, ut quod perierat inveniret. Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset nisi humilitas sublevare divina.

Maria Christum sine virginitatis damno peperit.

4. Celebremus ergo cum gaudio diem, quo peperit Maria Salvatorem, conjugata conjugii creatorem, virgo virginum principem; & data marito, & mater non de marito; [e] virgo ante conjugium, virgo in conjugio; virgo prægnans, virgo lactans. Sanctæ quippe matri omnipotens Filius nullo modo virginitatem natus abstulit, quam nasciturus elegit. Bona est enim fecunditas in conjugio: sed melior integritas in [f] sanctimonio. Homo igitur Christus qui utrumque præstare posset ut Deus, (idem namque homo, idem Deus,) numquam sic daret matri bonum quod conjuges diligunt, ut auferret melius propter quod virgines matres esse contemnunt. Virgo itaque sancta Ecclesia celebrat hodie virginis partum. Huic enim dicit Apostolus, *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* (2. Cor. 11. 2.) Unde *virginem castam* in tot populis utriusque sexûs, in tot non solùm pueris & virginibus, verùm etiam conjugatis patribus, matribusque? Unde inquam *virginem castam*, nisi in fidei, spei, & caritatis integritate? Virginitatem proinde Christus Ecclesiæ facturus in corde; priùs Mariæ servavit in corpore. Humano quippe conjugio sponso femina traditur, ut virgo jam non sit: Ecclesia verò virgo esse non posset, nisi sponsum cui traderetur, filium virginis invenisset.

Serm. de Tempore

* SERMO CLXXXIX.

* Aliàs de Diversis 55.

In Natali Domini, VI.

Caput I. Christus dies de die.

1. SANCTIFICAVIT nobis, Fratres, istum diem, dies qui fecit omnem diem. De quo Psalmus canit, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus:* [g] *benedicite de die in diem salutare ejus.* (Psal. 95. 1. & 2.) Quis est dies de die, nisi Filius de Patre, lumen de lumine? Sed dies ille hunc genuit diem, qui de virgine natus est hodie. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Diem dico Patrem Deum. Quid est dies, nisi lumen? Non oculorum carnalium, non lumen commune cum pecoribus; sed lumen quod Angelis lucet, lumen cui videndo corda purgantur. Transit ista nox in qua modò vivimus, in qua nobis accenduntur lucernæ Scripturarum: & veniet illud quod in Psalmo canitur, *Manè adstabo tibi, & contemplabor te.* (Psal. 5. 5.)

2. Dies ergo ille, Verbum Dei, dies qui lucet Angelis, dies qui lucet in illa unde peregrinamur patria, vestivit se carne, natusque est de Maria virgine. * Mirabiliter natus. Quid mirabilius virginis partu? Concipit, & virgo est; parit, & virgo est. Creatus est de ea quam creavit: adtulit ei fecunditatem, non corrupit ejus integritatem. Maria unde? Ex Adam. Adam unde? De terra. Si Maria de Adam, & Adam de terra, ergo & Maria terra. Si autem Maria terra, agnoscamus quod cantamus, *Veritas de terra orta est.* (Psal. 84. 12.) Quale nobis beneficium præstitit? *Veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit.* Judæi enim, sicut dicit Apostolus, *ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* (Rom. 10. 3.) Unde potest homo esse justus? à semetipso? Quis pauper sibi dat panem? Quis nudus cooperitur, nisi acceperit vestem? Unde justitia? Quæ justitia sine fide? *Iustus enim ex fide vivit.* (Rom. 1. 17.) Qui sine fide se dicit justum, mentitur. Quoniam mentitur in quo non est fides; si vult dicere verum, convertat se ad veritatem. Longè enim veritas erat, quæ de terra orta est. Dormiebas, venit ad te: gravi opprimebaris somno, excitavit te: viam tibi fecit per se, ne perderet te. Ergo *Veritas de terra orta est*, quia Christus de virgine natus est: *justitia de cælo prospexit*, ut per justitiam homines resipiscerent, qui per injustitiam desipuerunt.

* Caput II. Mirabilis ortus Christi ex virgine.

Justitia ortu Christi nobis allata.

Caput III. Regenerationis beneficium ex humana Christi generatione.

3. Mortales eramus, peccatis opprimebamur, pœnas nostras portabamus. Omnis homo quando nascitur, à miseria inchoat. Noli quærere prophetantem: interroga nascentem, vide flentem. Cùm hæc esset in terra Dei indignatio,

[a] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *& in qua generationem* &c.
[b] Sic meliores MSS. At editi, *antiquior sine vetustate.*
[c] Apud Lov deest *Verbum*: quod exstat in ceteris libris.
[d] Am. Er. & MSS. *tandem.*
[e] Hic editi addunt, *sed castior quàm si de marito.* Verbis istis carent meliores MSS
[f] Editi, *in sanctimonia.* At MSS. *in sanctimonio*: quam vocem eodem significatu adhibet in Enarratione Psal. 99. n. 13. *Invenis,* ait, *sanctimoniales indisciplinatas: numquid ideo sanctimonium reprehendendum est?*
[g] Augustinus non rarò legit, *bene nuntiate diem de die*, pro, *de die in diem*: quod fortè hîc ma'è mutatum est; quando quidem sequitur, *Quis est dies de die.* Sermonem in MSS. incassum quæsivimus.

Classis II. qualis subitò facta est dignatio? *Veritas de terra orta est.* Creavit omnia, creatus est inter omnia. Fecit diem, venit in diem. Dominus Christus in æternum sine initio apud Patrem, habet & Natalem. In principio Verbum, qui nisi haberet humanam generationem, nos ad divinam non perveniremus regenerationem, natus est, ut renasceremur. Christus natus est, nemo dubitet renasci: generatus est, non regenerandus. Cui enim necessaria erat regeneratio, nisi cujus damnata est generatio? Fiat itaque in cordibus nostris misericordia ejus. Portavit eum mater in utero: portemus & nos in corde. Gravidata est virgo incarnatione Christi: gravidentur pectora nostra fide Christi. Peperit virgo Salvatorem: pariat anima nostra salutem, pariamus & laudem. Non simus steriles: animæ nostræ Deo sint fecundæ.

Caput IV. Generatio Christi duplex.

4. Generatio Christi à patre sine matre, & à matre sine patre: ambæ mirabiles. [a] Prima, æterna; secunda, temporalis. Natus est æternus de æterno. Quid miraris? Deus est. Sit consideratio divinitatis: & perit caussa admirationis. Transeat admiratio, adscendat laudatio: fides adsit, crede quod factum est. Parumne pro te humiliatus est Deus? Qui Deus erat, factus est. Angustum erat diversorium, involutus pannis, in præsepe positus est, quis non admiretur? Ille qui mundum implet, in diversorio locum non invenit. In præsepio positus cibus noster est factus. Accedant ad præsepe duo animalia, duo populi. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* (Isai. 1. 3.) Noli erubescere Dei esse jumentum: Christum portabis, non errabis; ambulas per viam, sedet super te. Sedeat super nos Dominus, & quò vult nos dirigat: jumentum ipsius simus, ad Jerusalem eamus. Ipso insidente non opprimimur, sed elevamur: ipso ducente, non errabimus, per ipsum ad ipsum eamus; ut cum nato hodie puero in perpetuum gaudeamus.

* SERMO CXC.

** Aliàs de Diversis 61.*

In Natali Domini, VII.

Caput I. Diem quo nasceretur Christus mysterii caussâ elegit.

1. Dominus noster Jesus qui erat apud Patrem antequam natus esset ex matre, non solùm virginem de qua nasceretur, sed & diem quo nasceretur, elegit. Errantes homines plerumque eligunt dies, alius novellandi, alius ædificandi, alius proficiscendi, & aliquando etiam alius uxorem ducendi. Quod cùm facit, ideo facit, ut inde aliquid natum feliciter nutriatur. Nemo tamen potest eligere diem, quo ipse nascatur. Sed ille potuit utrumque eligere, qui utrumque potuit & creare. Nec ita elegit diem, sicut eligunt qui fata hominum inaniter de siderum dispositione suspendunt. Non enim per diem felix factus est qui est natus; sed felicem fecit diem, quo nasci est ipse dignatus. Nam & dies nativitatis ejus, habet mysterium lucis ejus. Sic enim dicit Apostolus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* (Rom. 13. 12.) Agnoscamus diem, & simus dies. Nox enim eramus, cùm infideliter vivebamus. Et quoniam ipsa infidelitas quæ totum mundum vice noctis obtexerat, minuenda fuerat fide crescente; ideo die Natalis Domini nostri Jesu Christi, & nox incipit perpeti detrimenta, & dies sumere augmenta. Habeamus ergo, Fratres, sollemnem istum diem; non sicut infideles propter hunc solem, sed propter eum qui fecit hunc solem. Quod enim Verbum erat, caro factum est, ut propter nos posset esse sub sole. (Johan. 1. 14.) Carne quippe sub sole: majestate autem super universum mundum, in quo condidit solem. Nunc verò & carne super B istum solem, quem pro Deo colunt, qui mente cæci verum justitiæ non vident solem.

Caput II. Nativitates Christi duæ.

2. Diem ergo istum Christiani, non divinæ nativitatis celebremus, sed humanæ, scilicet qua contemperatus est nobis; ut per invisibilem visibilem factum, à visibilibus ad invisibilia transiremus. Debemus enim fide catholica retinere duas esse nativitates Domini; unam divinam, alteram humanam: illam sine tempore, hanc in tempore. Ambas autem mirabiles: illam sine matre, istam sine patre. C Si istam non comprehendimus, illam quando enarramus? Quis comprehendat novitatem novam, inusitatam, unicam in mundo, incredibilem credibilem factam, & toto mundo incredibiliter creditam; ut virgo conciperet, virgo pareret, virgo pariens permaneret? Quod humana ratio non invenit, fides capit: & ubi humana ratio deficit, fides proficit. Quis enim dicat non potuisse Dei Verbum per quod facta sunt omnia, facere sibi carnem etiam sine matre, sicut primum D hominem sine patre fecit & matre? Sed quoniam utrumque sexum, id est, masculi & feminæ, ipse utique creavit; ideo utrumque sexum etiam nascendo voluit honorare, quem venerat liberare. (Cur nasci ex femina voluit.) Lapsum certè primi hominis nostis, quia non est ausus serpens loqui viro, sed ad eum dejiciendum femineo usus est ministerio. Per infirmiorem, obtinuit fortiorem: & qui per alterum penetravit, de utroque triumphavit. Ideo ut non possemus mortem nostram in femina ve- E lut motu justi doloris horrere, eamque credere sine reparatione damnatam; Dominus veniens quærere quod perierat, utrumque voluit honorando commendare, quia utrumque perierat. In nullo igitur sexu debemus injuriam facere Creatori: utrumque ad sperandam salutem commendavit Nativitas Domini. Honor masculini sexûs est in carne Christi: honor feminini est in matre Christi. Vicit serpentis astutiam gratia Jesu Christi.

Caput III. Christus propter nos infans in præsepi.

F 3. Uterque ergo sexus in eo qui hodie natus est renascatur, & celebret hodiernum diem: quo die non Dominus Christus esse cœpit, sed qui erat semper apud Patrem, carnem quam accepit ex matre, in hanc lucem protulit: matri fecunditatem afferens, integritatem non auferens. Concipitur, nascitur, infans est. Quis est iste infans? Infans enim dicitur, quòd non possit fari, id est loqui. Ergo & infans, & Verbum est. Per carnem tacet, per Angelos docet. Nuntiatur G pastoribus princeps pastorque pastorum: & in præsepi jacet fidelium cibaria jumentorum. Prædictum enim fuerat per Prophetam: *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* (Isai. 1. 3.) Ideo in asello sedit, quando Jerusalem cum laudibus multitudinis præcedentis & consequentis

[a] Videtur deesse membrum alterum sententiæ. Sunt & alii quidam loci fortè minùs integri: sed iis sanandis necessaria exemplaria nos deficiunt.

Classis II.

intravit. Et nos agnoſcamus, ad præſepe accedamus, cibaria manducemus, Dominum rectoremque portemus; ut ad cæleſtem Jeruſalem illo ducente veniamus. Infirma eſt Chriſti ex matre nativitas; ſed ex Patre ampla majeſtas. Habet in diebus temporalibus temporalem diem; ſed ipſe eſt dies æternus ex æterno die.

Pſal. 95. 1. & 2. Celebranda Chriſti nativitas.

4. Meritò Pſalmi ejus tamquam voce tubæ cæleſtis accendimur, ubi audimus, *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomen ejus.* Agnoſcamus ergo, & annuntiemus *diem ex die*, qui in carne natus eſt iſto die. Dies Filius ex die Patre, Deus ex Deo, lumen ex lumine. Hoc eſt enim ſalutare, de quo alibi dicitur, *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nos; illuminet vultum ſuum ſuper nos: ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.* Quod dixit, *in terra*; hoc repetivit, *in omnibus gentibus*: & quod dixit, *viam tuam*; hoc repetivit, *ſalutare tuum.* Ipſum Dominum dixiſſe meminimus, *Ego ſum via.* Et modò cùm Evangelium legeretur, audivimus Simeonem beatiſſimum ſenem reſponſum accepiſſe divinum, quòd non guſtaret mortem, niſi priùs vidiſſet Chriſtum Domini. Qui cùm accepiſſet in manibus infantem Chriſtum, & cognoviſſet parvulum magnum, *Nunc dimittis*, inquit, *Domine ſervum tuum, ſecundùm verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Bene ergo nuntiemus *diem ex die, ſalutare ejus.* Annuntiemus *in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.* In præſepi jacet, ſed mundum continet: ubera ſugit, ſed Angelos paſcit: pannis involvitur, ſed immortalitate nos veſtit: lactatur, ſed adoratur: locum in diverſorio non invenit, ſed templum ſibi in credentium cordibus facit. Ut enim fieret fortis infirmitas, infirma facta eſt fortitudo. Magis ergo miremur, quàm contemnamus ejus etiam carnalem nativitatem; & ibi agnoſcamus tantæ propter nos celſitudinis humilitatem. Inde accendamus caritatem, ut perveniamus ad ejus æternitatem.

Pſal. 66. 2. — *Johan. 14. 6.* — *Lucæ 2. 29. &c.* — *Pſal. 95. 2. 2. & 3.*

Aliàs de Diverſis 60.

* SERMO CXCI.

In [a] *Natali Domini VIII.*

Caput I. 1. Verbum ut indigna pro indignis ferret incarnatū eſt.

VERBUM Patris per quod facta ſunt tempora, caro factum, Natalem ſuum nobis fecit in tempore: & in ortu humano habere voluit unum diem, ſine cujus nutu divino nullus volvitur dies. Ipſe apud Patrem præcedit cuncta ſpatia ſæculorum: ipſe de matre in hac die curſibus ſe ingeſſit annorum. Homo factus, hominis factor: ut ſugeret ubera, regens ſidera; ut eſuriret panis, ut ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas accuſaretur, judex vivorum & mortuorum à judice mortali judicaretur, ab injuſtis juſtitia damnaretur, flagellis diſciplina cæderetur, ſpinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, vita moreretur. Ad hæc atque hujuſmodi ſuſtinenda pro nobis [b] indigna, ut liberaret indignos; quando nec ille aliquid mali, qui propter nos tanta pertulit mala, nec nos boni aliquid merebamur, qui per eum tanta accepimus bona: propter hæc ergo, qui erat ante omnia ſæcula ſine initio dierum Dei Filius, eſſe in noviſſimis diebus dignatus eſt hominis filius; & qui de Patre natus, non à Patre factus erat, factus eſt in matre quam fecerat; ut ex illa ortus hîc aliquando eſſet, quæ niſi per illum numquam & nuſquam eſſe potuiſſet.

Serm. de Tempore.

Pſal. 84. 12. Virginitate matris illæſa natus Chriſtus.

2. Sic adimpletum eſt quod prædixerat Pſalmus, *Veritas de terra orta eſt.* Maria virgo ante conceptum, virgo poſt partum. Abſit enim ut in ea terra, hoc eſt in ea carne unde orta eſt veritas, periret integritas. Nempe poſt reſurrectionem ſuam, cùm ſpiritus putaretur eſſe, non corpus, *Palpate*, inquit, *& videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Et tamen illius juvenilis corporis ſoliditas, non patentibus foribus ſe ad diſcipulos intromiſit. Cur ergo qui potuit per clauſa oſtia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra parvus exire? Sed neque hoc, neque illud volunt credere increduli. Ideo potiùs fides utrumque credit; quia infidelitas utrumque non credit. Ipſa eſt quippe infidelitas, cui nulla in Chriſto videtur eſſe divinitas. Porrò ſi fides Deum natum credit in carne, Deo non dubitat utrumque poſſibile; ut & corpus majoris ætatis non reſerato aditu domûs, intus poſitis præſentaret, & ſponſus infans de thalamo ſuo, hoc eſt utero virginali, illæſa matris virginitate procederet.

Lucæ 24. 38. — *Johan. 20. 19.* — *V. epiſtolam 137. n. 8.* — *Pſal. 18. 6.*

Caput II. *Florus ad 2. Cor. 11.* c

3. Illic namque unigenitus Dei Filius humanam ſibi dignatus eſt conjungere naturam, ut ſibi capiti immaculato immaculatam [c] conſociaret Eccleſiam: quam Paulus apoſtolus virginem vocat, non ſolas in ea conſiderans etiam corpore virgines, ſed incorruptas omnium deſiderans mentes. *Deſponſavi enim vos*, inquit, *uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Eccleſia ergo imitans Domini ſui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & mater eſt & virgo. Nullo itaque modo virginitatem matri ſuæ naſcendo Chriſtus ademit, qui Eccleſiam ſuam de fornicatione dæmonum redimendo virginem fecit. Ex cujus incorrupta virginitate procreatæ virgines ſanctæ, quæ terrenas nuptias contemnentes, eſſe etiam carne virgines elegiſtis, gaudentes celebrate ſollemniter hodierno die virginis partum. Ille quippe eſt natus ex femina, qui non eſt à maſculo ſatus in femina. Qui vobis attulit quod amaretis, matri non abſtulit quod amatis. Qui ſanat in vobis quod traxiſtis ex Eva, abſit ut vitiaret quod dilexiſtis in Maria.

2. Cor. 11. 2. Eccleſia mente & virgo & mater.

Caput III. Virginitas Mariæ imitanda.

4. Illa igitur cujus veſtigia ſectamini, & ut conciperet, cum viro non manſit; & cùm pareret, virgo permanſit. * Imitamini eam quantum poteſtis; non fecunditate, quia hoc non poteſtis ſalva virginitate. Sola utrumque potuit, quorum vos unum habere voluiſtis; quia hoc perditis, ſi utrumque habere velitis. Sola utrumque potuit, quæ omnipotentem peperit, per quem potuit. Solum enim unicum Dei Filium, iſto unico modo fieri oportebat filium hominis. Nec

a Citat Florus ad 2. Cor. 11. Huic autem Sermoni prolixius in pluribus MSS. præfixum eſt exordium, in hæc verba: UNIGENITUS *Chriſtus Dei Filius, verus ſol juſtitiæ, ita terris illuxit, ut non deſereret cælos: & ibi æternè manens, & hîc temporaliter tranſiens; ibi ſempiternum conſtituens diem, hîc humanum patiens diem*, &c. Totum damus infrà in Syllabo MSS. ad calcem hujus Tomi.

b Sic aliquot MSS. Editi autem loco *indigna*, habebant *ſe inclinans.*

c Editi, *conſignaret.* Sed aptiùs Florus, *conſociaret.*

Classis II

tamen ideo non est vobis aliquid Christus, quia A [a] unius est virginis fetus. Ipsum quippe vos, quem filium edere non potuistis carne, sponsum invenistis in corde: & talem sponsum, quem & redemtorem sic teneat [b] felicitas vestra, ut peremtorem non timeat virginitas vestra. Qui enim matri virginitatem nec corporali abstulit partu, multò magis in vobis eam spiritali servat amplexu. Nec propterea vos steriles deputetis, quia virgines permanetis. Nam & ipsa pia integritas carnis, ad fecunditatem pertinet mentis. Agite B quod ait Apostolus (1. Cor. 7. 32.): quoniam non cogitatis ea quæ sunt mundi, quomodo placeatis maritis; cogitate quæ Dei sunt, quomodo illi in omnibus placeatis; ut non uterum fetibus, sed animum fecundum possitis habere virtutibus. Postremò omnes alloquor, omnibus dico; universam virginem castam, quam desponsavit Apostolus Christo, ista voce compello. Quod miramini in carne Mariæ, agite in penetralibus animæ. Qui corde credit ad justitiam, concipit Christum (Rom. 10. 10.): qui ore confitetur ad salutem, parit Christum. Sic in mentibus vestris & fecunditas exuberet, & virginitas perseveret.

* SERMO CXCII.

(* Aliàs de Tempore 16.)

In [c] Natali Domini, IX.

(Caput I. Psal. 84. 12. Incarnatio Filii Dei propter homines, quàm admiranda.)

1. HODIE *Veritas de terra orta est*, Christus de carne natus est. Gaudete sollemniter, & sempiternum diem hodierno quoque admoniti cogitate, æterna dona spe firmissima concupiscite; filii Dei esse accepta potestate præsumite. Propter vos temporalis effectus est temporum effector, propter vos in carne apparuit mundi conditor, propter vos creatus est creator. Quid adhuc mortales mortalibus rebus oblectamini, & fugitivam vitam, si fieri posset, tenere conamini? Spes longè clarior effulsit in terris, ut terrenis vita promitteretur in cælis. Hoc ut crederetur, res incredibilior prærogata est. Deos facturus qui homines erant, homo factus est qui Deus erat: nec amittens quod erat, fieri voluit ipse quod fecerat. Ipse fecit quod esset, quia hominem Deo addidit, [d] non Deum in homine perdidit. Miramur virginis partum, & novum ipsum nascendi modum incredulis persuadere conamur, quòd in utero non seminato germen prolis exortum est, & à complexu carnis viscera immunia filium hominis protulerunt, cujus patrem hominem non tulerunt: quòd virginitatis integritas & in conceptu clausa, & in partu incorrupta permansit. Mira est ista potentia, sed plus est miranda misericordia, quòd ille qui sic nasci potuit, [e] nasci voluit. Erat enim jam unicus Patri, qui unicus natus est matri: & ipse est factus in matre, qui [f] sibi fecerat matrem: sempiternus cum Patre, hodiernus ex matre: post matrem de matre factus, ante omnia de Patre non factus: sine quo Pater numquam fuit, sine quo mater numquam fuisset.

(Serm. de Tempore. * Caput II. Virginibus, viduis & conjugatis ex Christi nativitate lætitiæ causa.)

2. * Exsultate virgines Christi, consors vestra est mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex vobis natus est, vobis natus est. Verumtamen si verbi ejus memineritis, sicut meminisse debetis; estis etiam vos matres ejus, quia voluntatem facitis Patris ejus. Ipse enim dixit, *Quicumque facit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater & soror & mater est* (Matth. 12. 50). Exsultate viduæ Christi: [g] qui fecundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiæ sanctitatem. Exsulta etiam castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris: quod amisistis in corpore, in corde servate. Ubi jam non potest esse à concubitu caro integra, sit in fide virgo conscientia, secundùm quam virgo est omnis Ecclesia. In Maria Christum pia virginitas peperit: in Anna Christum viduitas parvum grandæva cognovit: in Elisabeth Christo conjugalis castitas & anilis fecunditas militavit. Omnes gradus fidelium membrorum capiti contulerunt, quod ipsius [h] gratiâ C conferre potuerunt. Proinde quia veritas & pax & justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite; ut quod egit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum virginis pertinetis, quando Christi membra estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia. Nam ipsa quoque & mater & virgo est: mater visceribus caritatis, virgo integritate fidei [i] & pietatis. Populos parit, sed unius membra sunt, cujus ipsa est corpus D & conjunx; etiam in hoc similitudinem gerens illius virginis, quia & in multis mater est unitatis.

(Ecclesia mater est & virgo.)

(Caput III. Veritas de terra, justitia de cælo.)

3. Omnes itaque unanimes, castis mentibus & affectibus sanctis, diem Natalis Domini celebremus: quo die, sicut istum sermonem exorsi sumus, *Veritas de terra orta est* (Psal. 84. 12). Jam enim & quod in eodem Psalmo sequitur, factum est. Nam ille qui de terra ortus est, hoc est, de carne natus est, quia de cælo venit, & super omnes est (Johan. 3. 31); procul E dubio cùm adscendit ad Patrem, etiam *justitia de cælo prospexit*. Hanc enim justitiam verbis suis ipse commendat, promittendo Spiritum-sanctum: *Ipse*, inquit, *arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me* (Johan. 16. 8. &c.). Hæc est justitia, quæ de cælo prospexit. *A summo* enim *cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum cæli* (Psal. 18. 7). Ne verò F quisquam contemneret veritatem, quia de terra orta est, cùm sicut sponsus processit de thalamo suo, id est, de utero virginali, ubi Verbum Dei creaturæ humanæ quodam ineffabili conjugio copulatum est: ne hoc ergo quisquam contemneret, & quamvis mirabiliter natum, & dictis factisque mirabilem, tamen propter similitudinem carnis peccati nihil ampliùs Christum quàm hominem crederet, cùm dictum esset, *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam* (Psal. 18. 6): continuò subjunctum G

[a] Ita Regius MS. Alii cum editis, *unus*.

[b] Aliquot MSS *fidelitas*.

[c] Hunc dubium habuerunt Lovanienses; ob idque Verlinus facilè credidit spurium, alicui tamen ex Augustini discipulis, quòd ipsius hîc doctrinam deprehenderet, tribuendum putans. At Vindingus crisim illius emendans legitimum affirmavit, nec ullâ sanè Augustino injuriâ, cujus nomine prænotatur in MSS.

[d] Plures MSS. omittunt verba, *non Deum in homine perdidit*: & horum loco habent, *ut hominibus appareret*.

[e] Lov. *sic nasci voluit*. Abest *sic* ab Am. Er. & præcipuis MSS.

[f] Floriacensis MS. *qui non factus, sed genitus, sibi fecerat matrem*.

[g] Sic Am Er. & MSS. At Lov. *quia fecundam fecit virginitatem ille cui vovistis* &c.

[h] Editi, *gratia*. Meliùs MSS. *gratiâ*.

[i] Ita in MSS. At in excusis, *integritate fidei. Pietatis populos parit, sed ejus membra sunt*, &c.

est,

CLASSIS II.

SERM. DE TEMPORE.

est, *A summo cælo egressio ejus.* Quod ergo audis, *Veritas de terra orta est*, dignatio est, non conditio; misericordia est, non miseria. Veritas ut de terra oriretur, de cælo descendit: sponsus ut de thalamo suo procederet, à summo cælo egressio ejus. Inde est quòd hodie natus est, quo die minor dies nullus in terris, à quo tamen incrementa dies sumunt. Qui ergo inclinatus est, & nos erexit, minimum elegit diem, sed unde lux crescit: ipso suo tali adventu, nos etiam tacitus tamquam sonitu magni clamoris exhortans, ut qui pauper propter nos factus est, in illo divites esse discamus; qui propter nos formam servi accepit, in illo libertatem accipiamus; qui propter nos de terra ortus est, in illo cælum possideamus.

Die minimo anni cur natus Christus.

* Aliàs de Diversis 58.

* SERMO CXCIII.

In Natali Domini, X.

1\. ANGELORUM vocem, per quam Dominus Jesus Christus natus virginis partu, pastoribus nuntiatus est, cùm Evangelium legeretur, audivimus: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Festa vox & gratulatoria, non uni feminæ, cujus uterus prolem ediderat; sed generi humano, cui virgo pepererat Salvatorem. Dignum enim erat, & hoc prorsus decebat, ut ei [a] fetæ quæ Dominum cæli & terræ procreaverat, & post editum fetum integra manserat, non mulierculæ humanis sollemnitatibus, sed Angeli divinis laudibus, fetalia celebrarent. Dicamus ergo & nos, & quanta possumus cum exsultatione dicamus, qui non pecorum pastoribus eum natum nuntiamus, sed ejus Natalitia cum ejus ovibus celebramus: dicamus, inquam, & nos fideli corde, devota voce, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et hæc verba divina, has Dei laudes, hoc Angelicum gaudium, quanta valemus consideratione perspectum, fide & spe & caritate meditemur. Sicut enim credimus & speramus & desideramus, erimus & nos gloria in excelsis Deo, cùm resurgente corpore spiritali rapti fuerimus in nubibus obviàm Christo: si modò cùm in terra sumus, pacem cum bona voluntate sectemur. In [b] excelsis quippe vita, quia ibi regio vivorum; & ibi dies boni, ubi Dominus idem ipse est, & anni ejus non deficiunt. Quisquis autem vult vitam, & diligit videre dies bonos, cohibeat linguam suam à malo, & labia ejus non loquantur dolum; declinet à malo, & faciat bonum: & ita sit homo bonæ voluntatis. Et quærat pacem, ac sequatur eam: quia *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Lucæ 2. 14.

Psal. 33. 13.

Rom. 7. 18.

2\. Quòd si dicis, ô homo, Ecce *velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: & condelectaris legi Dei secundùm interiorem hominem, vides autem aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captivum te ducentem in lege peccati quæ est in membris tuis:* persiste in bona voluntate, & exclama quod sequitur, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ipse est enim pax in terra hominibus bonæ voluntatis, post bellum in quo *caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, ut non quæ vultis illa faciatis:* quoniam *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Persistat igitur bona voluntas adversùs concupiscentias malas, & persistens imploret auxilium gratiæ Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum. Repugnatur illi à lege membrorum carnalium, & ecce jam etiam captivatur: imploret auxilium, non fidat viribus suis; & saltem fessa, non dedignetur esse confessa. Aderit enim qui dixit eis quos jam videbat credentes in eum, *Si permanseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis; & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Aderit & liberabit veritas de corpore mortis hujus. Ideo quippe *Veritas*, cujus Natalitia celebramus, *de terra orta est*, ut sit pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Nam quis idoneus est velle & posse, nisi inspirando adjuvet ut possimus, [c] qui vocando præstitit ut velimus? Quia ubique misericordia ejus prævenit nos, ut vocaremur qui nolebamus, & ut impetremus posse quod volumus. Dicamus ergo ei, *Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Statui quidem, & quia [d] imperasti, promisi obedientiam: sed quoniam video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis; *humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundùm verbum tuum.* Ecce *velle adjacet mihi:* ergo *voluntaria oris mei approba Domine:* ut fiat pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Dicamus ista, & si qua alia suggerit pietas, sanctis instructa lectionibus: ut nati ex virgine Domini celebritatem non inaniter frequentemus, [e] inchoati bona voluntate, perficiendi plenissima caritate; quæ & diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.

Gal. 5. 17.

Ephes. 2. 14.

Johan 8. 31. & 32.

Psal. 84. 12.

Psal 118. 106.

Ibid. 107.

Rom. 5. 5.

* Aliàs de Tempore 23.

* SERMO CXCIV.

In [f] Natali Domini, XI.

CAPUT I.

Psal. 32. 1.

Nativitas Christi duplex.

1\. AUDITE filii lucis, adoptati in regnum Dei, Fratres carissimi audite, audite, & exsultate justi in Domino, ut vos rectos possit decere laudatio. Audite quod nostis, recolite quod audistis, amate quod creditis, prædicate quod amatis. Sicut anniversarium celebramus hunc diem, sic huic diei debitum exspectate sermonem. Natus est Christus, Deus de Patre, homo de matre. De Patris immortalitate, de matris virginitate. De patre sine matre, de matre sine patre. De patre sine tempore, de matre sine semine. De patre principium vitæ, de matre finis mortis. De patre ordinans omnem

[a] Sic MSS. Editi verò, *ut ei gignenti, quæ Dominum cæli terræque procreaverat, & post editam sobolem integra manserat:* pauloque pòst, *partum celebrarent castissimum.* Quo loco MSS. quidam, *festalia:* sed plerique & potiores, *fetalia celebrarent.*

[b] Ita MSS. At Lov. *In cælis quippe erimus gloria in excelsis Deo, quia ubi regio vivorum, & ibi dies boni* &c.

[c] Editi, *& quia vocando persistit, & quia ubique misericordia ejus prævenit nos.* Emendantur ex MSS.

[d] Lov. *impetravi.* Veriùs MSS. *imperasti.*

[e] Hîc etiam locus MSS. ope resarcitus, sic apud Lov. habebat, *in coacta bona voluntate, perficiendo plenissimè caritatem.*

[f] Citat Florus ad 2. Cor. cap 5. & cap. 8. sed utroque loco vocat Sermonem *de Epiphania.* Hadrianus autem Papa *de natali Domini* appellat in epistola ad Elipandum & episcopos Hispaniæ.

CLASSIS II.

* CAPUT II. Dies nativitatis Christi & Johannis.

diem, de matre consecrans istum diem. [a] * Præmisit enim hominem Johannem, qui tunc nasceretur, cùm dies inciperent minui; & natus est ipse, cùm dies inciperent crescere: ut ex hoc præfiguraretur quod ait idem Johannes, *Illum oportet crescere, me autem minui.* (Johan. 3. 30.) Debet enim vita humana in se deficere, in Christo proficere, *ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit:* (2 Cor. 5. 15. Florus ibidem.) & dicat unusquisque nostrûm quod dicit Apostolus, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* (Gal. 2. 20.) *Illum* enim *oportet crescere, me autem minui.*

Verbum Angelorũ in cælis, & hominum in præsepio cibus.

2. Laudant eum condignè omnes Angeli ejus, quorum cibus æternus est, incorruptibili eos saginâ vivificans; quia Verbum Dei est, cujus vitâ vivunt, cujus æternitate semper vivunt, cujus bonitate semper beatè vivunt. Illi eum condignè laudant, Deum apud Deum, & dant gloriam in excelsis Deo. *Nos autem plebs ejus & oves manuum ejus*, (Psal. 94. 7.) pro modulo infirmitatis nostræ pacem per bonam voluntatem reconciliati mereamur. Ipsorum enim Angelorum verè hodierna vox est, quam nato nobis Salvatore exsultando fuderunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (Luca 2. 14.) Laudant ergo illi competenter, laudemus & nos obedienter. Sunt illi nuntii ejus, sumus & nos pecora ejus. Implevit in cælo mensam ipsorum, implevit in terra præsepe nostrum. Plenitudo enim mensæ ipsorum est, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* (Johan. 1. 1.) Plenitudo præsepii nostri est, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* (Ibidem 14.) Ut enim panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus est homo. Illi laudant vivendo, nos credendo: illi fruendo, nos petendo: illi capiendo, nos quærendo: illi intrando, nos pulsando.

Verbi visione post hanc vitam satiabimur.

3. Quis enim hominum omnes thesauros sapientiæ & scientiæ noverit in Christo occultos, (Col. 2. 3.) atque in paupertate carnis ejus absconditos? Quia *propter nos pauper factus est, cùm dives esset, ut illius paupertate ditaremur.* (2. Cor. 8. 9. Florus ibid.) Cùm enim mortalitatem assumeret, mortemque consumeret, in paupertate se ostendit: sed divitias dilatas promisit, non ablatas amisit. * Quàm [b] multa multitudo dulcedinis ejus, quam abscondit timentibus se, perficit autem sperantibus in se! (* CAPUT III. Psal. 30. 20.) Ex parte enim scimus, donec veniat quod perfectum est. (1. Cor. 13. 9.) Cui capiendo ut idonei præstaremur, ille æqualis Patri in forma Dei, in forma servi factus [c] similis nobis, reformat nos ad similitudinem Dei; & factus filius hominis unicus Filius Dei, multos filios hominum facit filios Dei: & nutritos servos per visibilem formam servi, perficit liberos ad videndam formam Dei. *Filii* enim *Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus.* (1. Johan. 3. 2.) Et *scimus, quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nam qui sunt illi sapientiæ scientiæque thesauri, quæ illæ divitiæ divinæ, nisi quia sufficiunt nobis? Et quæ illa multitudo dulcedinis, nisi quia satiat nos? *Ostende* ergo *nobis Patrem, & sufficit nobis.* (Johan. 14. 8.) Et in quodam Psalmo quidam ex nobis, vel in nobis, vel pro nobis, ait illi, *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua.* (Psal. 16. 15.) Ipse autem & Pater unum sunt: (Johan. 10. 30.) & qui ipsum videt, videt & Patrem. (Johan. 14. 9.) Ergo *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* (Psal. 23. 10.) Convertens nos, ostendet nobis faciem suam; & salvi erimus, & satiabimur, & sufficiet nobis. (Psal. 79. 4.)

* CAPUT IV.

4. Dicat itaque illi cor nostrum, *Quæsivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram; ne avertas faciem tuam à me.* (Psal. 26. 8.) Et respondeat ipse cordi nostro, *Qui diligit me, mandata mea custodit; & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi.* (Johan. 14. 21.) Videbant utique eum oculis illi quibus hoc dicebat, & sonum vocis ejus auribus audiebant, & humano corde hominem cogitabant: sed quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, (1. Cor. 2. 9.) eumdem ipsum se promittebat ostendere diligentibus se. Quod donec fiat, donec ostendat nobis quod sufficiat nobis, donec eum fontem vitæ potemus & satiemur; interim dum ambulantes per fidem peregrinamur ab eo, dum esurimus & sitimus justitiam, [d] & formæ Dei pulcritudinem ineffabili ardore desideramus, formæ servi Natalem devoto obsequio celebremus. Nondum contemplari possumus quòd genitus est ante luciferum à Patre, [e] frequentemus quòd nocturnis horis est natus ex virgine. (Psal. 71. 17.) Nondum capimus, quòd ante solem permanet nomen ejus, agnoscamus in sole positum tabernaculum ejus. (Psal. 18. 6.) Nondum contuemur Unicum permanentem in Patre suo, recordemur sponsum procedentem de thalamo suo. Nondum idonei sumus convivio Patris nostri, agnoscamus præsepe Domini nostri Jesu Christi.

* SERMO CXCV.

* Alias de Tempore 12.

In [f] Natali Domini, XII.

Nativitas Christi duplex, utraque inenarrabilis.

1. FILIUS Dei idemque filius hominis Dominus noster Jesus Christus, sine matre de Patre natus, creavit omnem diem; sine patre de matre natus, consecravit hunc diem; divina nativitate invisibilis, humana visibilis, utraque mirabilis. Proinde quod de illo Propheta prædixit, *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isa. 53. 8.) de qua potiùs dictum sit, judicare difficile est; utrùm de illa ubi numquam non natus coæternum habet Patrem, an de ista ubi aliquando na-

[a] Hoc loco Lovanienses addiderant, *In hac enim die ad salvanda omnia, oritur lux mundo, defunctis resurrectio, vita mortalibus. Ac propterea hodie utraque Salvatoris & salutis nostræ nativitas celebranda est. Nascitur ergo salus hominum Christus, quem Prophetæ testantur. Nascitur ex virgine, sicut Isaias declarat, dicens, Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Probat ergo veritatem salutis, ordo nativitatis. Concipit virgo, virilis ignara consortii, impletur uterus nullo libatus amplexu: sed quod Spiritu-sancto castus venter excipit, pura membra servaverunt. Videte miraculum matris Dominicæ. Virgo concipit, virgo parturit, virgo post partum permansit. Gloriosa virginitas, & præclara fecunditas. Virtus mundi nascitur; & nullus gemitus parturientis sentitur. Vacuatur uterus, infans excipitur; nec tamen virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo nascente, meritum cresceret castitatis; nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta; nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritalis. Natus ergo puer, ponitur in præsepe. Et hæc sunt Dei prima cunabula; nec regnator cæli has dedignatur angustias, cui habitaculum virgineus venter idoneus fuit.* Pleraque hæc verba, quibus hîc nostri MSS. & antiquiores editi carent, reperies in Sermone Appendicis 121. Sed veriùs sunt Ambrosiani cujusdam Sermonis de Natali Domini, teste Cassiano in lib. de Incarnatione 7.

[b] Regius MS. *magna.*

[c] Sic Am Er. & MSS. At Lov. *factus est nobis similis. Reformavit nos ad similitudinem Dei: & factus filius hominis, factus est similis homini. Unicus Filius Dei multos &c.*

[d] Particulam & omittunt plures MSS. qui infrà loco *desideramus*, habent *desideremus.*

[e] Floriacensis MS. *pensamus.*

[f] Sermo iste Lovaniensibus dubius fuit; ac subinde spurius Verlino. Vindingo autem germanus videtur; & nostra opinione Augustino, cui MSS. tribuunt, non est indignus.

CLASSIS II.

tus, in qua fieret, jam fecerat matrem: utrùm A de illa ubi semper natus est, qui semper erat; quis enim enarrabit quomodo natum sit lumen de lumine, & unum lumen utrumque sit? quomodo natus sit Deus de Deo, nec deorum numerus creverit? quomodo velut de re transacta dicatur quòd natus est, cùm tempus in illa nativitate nec transierit, quo præterita esset; nec præcesserit, quo futura esset; nec præsens fuerit, quasi adhuc fieret, & perfecta non esset? Hanc ergo generationem quis enarrabit; cùm id B quod enarrandum est supra tempora maneat, sermo autem enarrantis in tempore transeat? Istam quoque ex virgine generationem quis enarrabit, cujus conceptus in carne non carnaliter factus, cujus ortus ex carne ubertatem nutrienti adtulit, integritatem parienti non abstulit? Quamlibet itaque earum, sive utramque *generationem ejus quis enarrabit?*

2. Hic est Dominus Deus noster, hic est mediator Dei & hominum homo Salvator noster, C qui natus de Patre creavit & matrem; creatus de matre glorificavit & Patrem: sine femineo partu unicus Patri, sine virili complexu unicus matri. Hic est speciosus formâ præ filiis hominum, sanctæ filius Mariæ, sanctæ sponsus Ecclesiæ; quam suæ genitrici similem reddidit: nam & nobis eam matrem fecit, & virginem sibi custodit. Ad hanc quippe dicit Apostolus, *Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* De qua rursus dicit, matrem nostram non ancillam, sed D liberam, cujus multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum. Est ergo & Ecclesiæ, sicut Mariæ, perpetua integritas, & incorrupta fecunditas. Quod enim illa meruit in carne, hæc servavit in mente: nisi quòd illa peperit unum, hæc parit multos, in unum congregandos per unum.

(Christus virginis filius, virginis sponsus. — 2. Cor. 11. 2. — Gal. 4. 26. & 27.)

3. Hic est ergo dies, quo venit in mundum, per quem factus est mundus; quo carne factus est præsens, virtute numquam absens: quia in hoc E mundo erat, & in sua venit. In mundo erat, sed mundum latebat: quia lux lucebat in tenebris, & eam tenebræ non comprehendebant. Venit ergo in carne, carnis vitia mundaturus. Venit [a] in medicinali terra, unde curaret interiores oculos nostros, quos exterior nostra excæcaverat terra: ut eis sanatis, qui fuimus antea tenebræ, lux efficiamur in Domino; & non jam lux in tenebris luceat præsens absentibus, sed appareat certa cernentibus. Ad hoc processit sponsus de thalamo suo, & exsultavit ut gigas ad F currendam viam. Speciosus ut sponsus, fortis ut gigas, amabilis & terribilis, severus & serenus, pulcher bonis, asper malis. Manens in sinu Patris, implevit uterum matris. In quo thalamo, id est, Virginis utero, natura divina sibi copulavit humanam: ubi Verbum caro factum est pro nobis, ut à matre procedens, habitaret in nobis; ut ad Patrem præcedens, ubi habitemus præparet nobis. Hunc ergo diem læti sollemniter celebremus; & æternum diem, per eum qui nobis æter- G nus in tempore natus est, fideliter exoptemus.

(Cur Christus in carne venit. — Johan. 1. 4. — Psal. 18. 6.)

SERM. DE TEMPORE.

* SERMO CXCVI.

In Natali Domini, XIII.

(* Alias de Diversis 59.)

CAPUT I. Christi Nativitates duæ sunt.

1. Hodiernus dies Natalis Domini nostri Jesu Christi nobis festus illuxit. Natalis dies, quo natus est dies. Et ideo hodie, quia ex hodierno crescit dies. Nativitates Domini nostri Jesu Christi, duæ sunt; una divina, altera humana: ambæ mirabiles; illa sine femina matre, ista sine viro patre. Quod ait sanctus Isaias propheta, *Generationem ejus quis enarrabit?* ad ambas generationes referri potest: Quis dignè enarret [b] generantem Deum? Quis dignè enarret virginis partum? Illud sine die, hoc certo die: utrumque sine humana æstimatione, & cum magna admiratione. Illam primam adtendite generationem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Cujus Verbum? Ipsius Patris. Quod Verbum? Ipse Filius. Numquam Pater sine Filio. Et tamen qui numquam sine Filio, genuit Filium. Et genuit, & non cœpit. Sine initio generato nullum est initium. Et tamen Filius, & tamen genitus. Dicturus est homo, Quomodo genitus, & non habet initium? Si genitus, habet initium: si non habet initium, quomodo genitus? Quomodo, nescio. Quæris ab homine quomodo sit genitus Deus? Interrogatione tua laboro: sed Prophetam appello: *Generationem ejus quis enarrabit?* Veni mecum ad istam generationem humanam, veni mecum ad istam, in qua se ipsum exinanivit formam servi accipiens: si fortè vel ipsam capere possimus, si fortè vel de ipsa aliquid loqui valeamus. Etenim quis capiat, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo?* Quis hoc capiat? quis hoc dignè cogitet? Cujus mens hoc audeat perscrutari? cujus lingua audeat pronuntiare? cujus valeat cogitatio capere? Interim hoc omittamus: multum est ad nos. Ut autem non multum esset ad nos, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Ubi? In virgine Maria. Inde ergo aliquid loquamur, si fortè possumus. Angelus nuntiat, virgo audit, credit, & concipit. Fides in mente, Christus in ventre. Virgo concepit, miramini: virgo peperit, plus miramini: post partum, virgo permansit. Generationem ergo istam quis enarrabit?

(Isai. 53. 8. — Johan. 1. 1. — Filius sine initio semper genitus à Patre. — Philip. 2. 6.)

CAPUT II. Tres vitæ, conjugalis, vidualis, & virginalis, Christo adtestantur.

2. Dico quod vos delectet, Carissimi. Tres vitæ sunt in Ecclesia membrorum Christi: conjugalis, vidualis, virginalis. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicitiæ futuræ erant in sanctis membris Christi; omnes istæ vitæ tres adtestatæ sunt Christum. Prima, conjugalis: quando Maria virgo concepit, Elisabeth uxor Zachariæ & ipsa conceperat; hujus Judicis præconem ferebat in utero. Venit ad eam sancta Maria, tamquam ad cognatam suam salutandam. Exsultavit infans in utero Elisabeth. Ille exsultavit, illa prophetavit. Habes adtestantem pudicitiam conjugalem. Ubi vidualis? In Anna. Audistis modò cùm Evangelium legeretur, quòd esset sancta prophetissa vidua octoginta & quatuor annorum, quæ septem annis vixerat cum viro suo; frequentans tem-

(Luca 1. — Luca 2. 36.)

[a] Editi, *medicina in terram.* At optimæ notæ Floriacensis MS. *in medicinali terra.* Cujus etiam codicis ope, inferiùs verba, *Speciosus ut sponsus, fortis ut gigas:* itemque hæc, *habitaret in nobis, ut ad Patrem præcedens:* quæ in excusis deerant, restituimus.

[b] Editi, *generatum Deum* At Regium exemplar, quod unum repperimus hujus Sermonis MS. habet, *generantem Deum.*

plum Domini, serviens in orationibus nocte & die. Et ipsa vidua agnovit Christum. Vidit parvum, agnovit magnum. Et ipsa adtestata est. Habes & in ista vitam vidualem. In Maria, virginalem. Eligat sibi quisque de istis tribus quam voluerit. Qui præter istas esse voluerit, in membris Christi esse non disponit. Non dicant conjugatæ, Nos ad Christum non pertinemus. Habuerunt maritos sanctæ feminæ. Non se extollant virgines. Quantò magnæ sunt, humilient se in omnibus. Omnia exempla salutis proposita sunt ante oculos nostros. Nemo exorbitet. Nemo præter uxorem: melius sine uxore. Si pudicitiam conjugalem quæris; habes Susannam: si vidualem; habes Annam: si virginalem; habes Mariam.

Caput III. Deus nostri causâ infans.

3. Dominus Jesus homo esse voluit propter nos. Non vilescat misericordia: jacet in terra Sapientia. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* O cibus & panis Angelorum: de te implentur Angeli, de te satiantur, & non fastidiunt: de te vivunt, de te sapiunt, de te beati sunt. Ubi es propter me? In diversorio angusto, in pannis, in præsepio. Propter quem? Qui regit sidera, sugit ubera: implet Angelos, fatur in sinu Patris, tacet in sinu matris. Sed locuturus est competente ætate impleturus Evangelium nobis. Propter nos passurus, propter nos moriturus, ad exemplum præmii nostri resurrecturus, ante oculos discipulorum in cælum adscensurus, ad judicium de cælo venturus. Ecce qui in præsepi jacebat, diminutus est, sed non perdidit se: accepit quod non erat, sed mansit quod erat. Ecce habemus infantem Christum, crescamus cum illo.

Caput IV. Kalendarum Januariarum sollemnitas superstitiosa.

4. Satis hæc sint Caritati Vestræ. Quia multos hîc video propter sollemnitatem, oportet ut dicam. Kalendæ Januariæ venturæ sunt. Christiani estis [a] omnes; Deo propitio, Christiana est civitas. Duo genera hominum hîc sunt, Christiani & Judæi. Non fiant illa quæ odit Deus: per lusum iniquitas, per jocum improbitas. Non sibi faciant homines Judices, ne veniant in manus veri Judicis. Audite, Christiani estis, membra Christi estis. Cogitate quid estis, cogitate quanti emti estis. Postremò si vultis scire quid facitis: ego eis dico, qui faciunt. Nolite ad injuriam vestram referre, quibus ista displicent: eis dico qui faciunt, & quibus placent. Vultis nosse quid facitis, & qualem tristitiam nobis ingeritis? [b] Faciunt illud Judæi. Vel sic erubescite, ne fiat. Natali Johannis, id est ante sex menses, (tot enim menses inter se habent præco & Judex,) de sollemnitate superstitiosa [c] pagana, Christiani ad mare veniebant & ibi se baptizabant. Absens eram: sed sicut comperi per disciplinam Christianorum presbyteri permoti, quibusdam dignam & ecclesiasticam disciplinam dederunt. Murmuraverunt inde homines, & dixerunt quidam, Quantum erat ut indicaretur nobis? Si antè præmoneremur, non faceremus. Ipsi præmonuissent presbyteri, non fecissemus. Ecce episcopus præmonet, moneo, prædico, denuntio. Audiatur episcopus jubens, audiatur episcopus monens, audiatur episcopus rogans, audiatur episcopus adjurans. Adjuro per ipsum qui hodie natus est: adjuro, obstringo, nemo faciat. Ego me absolvo. Melius est ut monens audiar, quam tristis sentiar.

SERMONIS CXCVII.

De [d] Kalendis Ianuariis, contra Paganos,

FRAGMENTA,

Reperta in Bedæ & Flori collectione in Paulum. Ad Rom. cap. 1.

1. REVELATUR *enim ira Dei de cælo super omnem impietatem.* Quorum, nisi & Judæorum & Gentium? Sed ne diceretur, Quare super impietatem Gentium? Numquam enim gentes legem acceperunt & prævaricatores facti sunt? Rectè revelatur ira Dei super Judæos, quibus data est lex, & eam observare noluerunt: Gentibus autem non est data. Intuemini, Fratres, & intelligite quomodo omnes reos ostendit, & omnes salutis indigere ac misericordiæ Dei. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum, eorum qui veritatem in iniquitate detinent.* Videte quemadmodum non dixerit, Non habent veritatem: sed *Veritatem*, inquit, *in iniquitate detinent.* Et quasi quæreres dicens, Quomodo possunt habere veritatem, qui legem non acceperunt? Sequitur, *Quia quod notum est*, inquit, *Dei, manifestum est in illis.* Et quomodo potuit manifestum esse in illis quod notum est Dei, qui legem non acceperunt? Sequitur, & dicit, *Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Utique subaudimus, intellecta conspicitur. Cur enim adtendat opera, & non quærat artificem? Adtendis terram fructificantem, adtendis mare plenum animalibus suis, adtendis aërem plenum volatilibus, adtendis cælum fulgere stellis, & cetera, & non quæris tanti operis artificem? Sed dicis mihi, Ista video, illum non video. Ad ista videnda corporis oculos dedit, ad se videndum mentem dedit. Neque enim & animam hominis vides. Sicut ergo ex motibus & administratione corporis animam, quam non vides, intelligis: sic ex administratione totius mundi, & ex regimine ipsarum animarum intellige Creatorem. Sed parum est intelligere. Nam illi intellexerunt; & vide quid ait Apostolus: *Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum magnificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Quo merito, nisi superbiæ? Nam vide sequentia: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Non enim debebant sibi arrogare quod ille donaverat, nec se jactare ex eo quod non à se ipsis, sed ab illo habebant. Quod illi utique reddendum fuit, ut ad hoc tenendum quod videre poterant, ab illo sanarentur qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem servarent, & possent purgari, atque illi beatissimæ contemplationi cohærerent. Quia verò superbia erat in eis, interposuit se falsus & fallax & superbus, qui eis promitteret quòd per partes nescio quas superbiæ purgarentur animæ illorum, &

Rom. 1. 18. — ỳ. 19. — ỳ. 20. — ỳ. 21. — ỳ. 22.

[a] Regius MS. *Christiani estis: omnis, Deo propitio &c.* An fortè paulò pòst legendum *hic sint*, id est ponamus hîc esse?

[b] Regius MS. *Faciant:* quod fortè dicit Augustinus, Judæorum hac in re religionem opponendo, ut quod Judæi numquam faciant, facere erubescant Christiani.

[c] Regius MS. *paganissima.*

[d] Duos *de Kalendis Januariis*, inter Tractatus contra Paganos recenset Possidius in Indiculo cap. 1.

Classis II. fecit cultores dæmoniorum. Inde ſacra omnia A quæ celebrantur à paganis, quæ valere dicunt ad purgationem animarum ſuarum. Et audi Apoſtolum conſequenter hæc dicentem, quia pro mercede ſuperbiæ iſta receperunt; quia non ſic honorificaverunt Deum, ut honorificandus eſt
℣. 23. Deus. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Jam ſimulacra ſunt. Et iſta quidem omnium Græcorum aliarumque gentium, quæ ſimilitudinem hominum habent. Quia verò non eſt major & ſu- B perſtitioſior idololatria quàm Ægyptiorum; nam Ægyptus perfudit mundum figmentis talibus, qualia deinceps dicit Apoſtolus: cùm dixiſſet, *In ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*; addidit, *& volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Numquid enim, Fratres, in aliis templis vidiſtis ſimulacrum capite canino vel taurino, ceterorumque animalium irrationabilium figmenta? Hæc enim idola Ægyptiorum ſunt. Utrumque enim genus complexus, ait Apoſto- C lus, *In ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.*
℣. 24. * *Propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Hæc mala eorum; ex impietate ſuperbiæ ſunt. Iſta verò peccata quia de ſuperbia, non ſolùm peccata, ſed etiam ſupplicia ſunt. Cùm enim dicit, *Tradidit illos Deus,* jam de vindicta eſt cujuſdam peccati, ut hæc fa-
℣. 25. ciant. *Qui commutaverunt veritatem Dei in men-* D *dacium.* Quid eſt, *commutaverunt veritatem Dei in mendacium? In ſimilitudinem* ſcilicet *imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Et ne quiſquam eorum diceret, Non ſimulacrum colo, ſed quod ſignificant ſimulacra; ſubjecit ſtatim, *Et coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Intelligite prudenter. Aut ſimulacrum enim colunt, aut creaturam. Qui ſimulacrum colit, convertit veritatem Dei in mendacium. Nam mare veri- E tas eſt: Neptunus autem, mendacium factum ab homine, converſa veritate Dei in mendacium: quia Deus fecit mare; homo autem, ſimulacrum Neptuni. Sic, Deus fecit ſolem: homo autem ſimulacrum ſolis faciendo, convertit veritatem Dei in mendacium. Sed ne dicant, Non colo ſimulacrum, ſed ſolem colo, ideo dixit, *Coluerunt creaturam potiùs, quàm Creatorem.*

Ex eodem Sermone, Beda & Florus ad 1. Cor. 1.

2. Sed forſitan dicet aliquis, Etſi ipſe humi- F liter natus eſt, in diſcipulorum nobilitate jactare ſe voluit. Non elegit reges, aut ſenatores, aut philoſophos, aut oratores: immo verò elegit plebeios, pauperes, indoctos, piſcatores. Petrus piſcator, Cyprianus orator. Niſi fideliter præcederet piſcator, non humiliter ſequeretur orator. Non de ſe quiſquam deſperet abjectus: teneat Chriſtum, & ſpes ejus falſa non erit &c.

Ex eodem Sermone, Beda & Florus ad 1. Cor. 3. G

3. Quid volebat Simon, niſi laudari in miraculis, extolli ſuperbiâ? Ipſa enim eum computlit, ut pecunia emendum putaret donum Spiritus-ſancti. Cui ſuperbiæ contrarius Apoſtolus, in humilitate manendo, in meridie fervens ſpiri-
1. Cor. 3. 7. tu, fulgens prudentiâ, dicit, *Neque qui plan-* A *tat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus.* Quia dixerat, *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Et iterum, *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Vide quomodo ſe coli reſpuit pro Chriſto, & non vult ſe fornicanti animæ oſtentare pro ſponſo. Nonne magnum videtur plantare & rigare? Sed *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat.* Quomodo timuit? Non ſe dicit aliquid ad ſalutem eorum B quos in Chriſto ædificare cupiebat.

Serm. de Tempore. Ibidem 6. 1. Cor. 1. 13.

Ex eodem Sermone, Beda & Florus ad Gal. 1.

4. Nec ipſe Apoſtolus voluit in ſe poni ſpem, ſed in veritate quam annuntiabat. Quod per ipſum dicebatur melius erat, quàm ipſe per quem annuntiabatur. *Licèt ſi nos,* inquit. Parum eſt, audi ſequentia: *aut Angelus,* inquit, *de cælo annuntiaverit vobis aliquid præter quàm quod accepiſtis, anathema ſit.* Videbat poſſe falſum C mediatorem transfigurare ſe in Angelum lucis, & aliquid falſum annuntiare. Sicut ergo ſuperbi homines volunt ſe adorari pro Deo, ſibi arrogare quidquid poſſunt, ſe nominari, & ſi fieri poteſt Chriſtum ipſum gloriâ tranſire: ita diabolus & angeli ejus. Donatum Donatiſtæ pro Chriſto habent. Si audiant aliquem paganum detrahentem Chriſto, forſitan patienter ferant, quàm ſi audiant detrahentem Donato. Gal. 1. 8.

Ex eodem Sermone, Beda & Florus ad Gal. 4. D

5. Quia ipſe Chriſtus loquitur in ſanctis ſuis, dicente Apoſtolo, *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* Et licèt dicat, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus;* non quia ſe ipſum, ſed quia illum in ſe diligi volebat: perhibet tamen teſtimonium quibuſdam, dicens, *Quia ſicut angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.* In omnibus ergo ſanctis ſuis ipſe eſt aman- E dus, qui ait, *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.* Non enim ait, Dediſtis illis: ſed, *Dediſtis mihi.* Tanta eſt caritas capitis erga corpus ſuum. 2. Cor. 13. 3. 1. Cor. 3. 7. Gal. 4. 14. Matth. 25. 35.

Ex eodem Sermone, Beda & Florus ad Coloſſ. 2.

6. Quid eſt Juno? Juno, inquiunt, eſt aër. Jam dudum invitabat ut mare coleremus in ſimulacro telluris: nunc invitat ut aërem colamus. Elementa ſunt iſta, quibus mundus iſte conſiſtit. Hoc ergo apoſtolus Paulus in epiſtola ſua pro- F ponens, *Cavete,* inquit, *ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm elementa mundi hujus.* Ipſos enim tangebat, qui quaſi prudentibus idola exponunt. Ideo cùm diceret *philoſophiam*; in eodem loco ait, *ſecundùm elementa hujus mundi:* non quaſi qualeſcumque adoratores ſimulacrorum, ſed quaſi doctiores interpretatores ſignorum cavendos eſſe admonens. Col. 2. 8.

* SERMO CXCVIII.

De Kalendis Ianuariis, II. G

* Aliàs 7. ex Sirmondianis.

1. Admonemus Caritatem Veſtram, Fratres, quoniam vos quaſi ſollemniter hodie conveniſſe conſpicimus, & ad hunc diem ſolito frequentiùs congregatos; ut memineritis, quod modò cantaſtis, ne ſit lingua perſtrepens corde muto; ſed quod ſonuiſtis vo-

ce ad aures invicem vestras, clametis affectu ad aures Dei. Hoc enim cantabatis, *Salva nos Domine Deus noster, congrega nos de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo.* Et modò si sollemnitas gentium, quæ fit hodierno die in lætitia sæculi atque carnali, in strepitu vanissimarum & turpissimarum cantionum, in conviviis & saltationibus turpibus, in celebratione ipsius falsæ festivitatis, si ea quæ agunt gentes non vos delectent, congregabimini ex gentibus.

Psal. 105. 47.

Sollemnitas Kalendarum Januariarum.

Separatio nostra à gentibus Christiana fide, spe, & caritate.

2. Vos certè cantavistis, & adhuc divini cantici sonus recens est in auribus vestris, *Salva nos Domine Deus noster, & congrega nos de gentibus.* Quis potest congregari de gentibus, nisi cùm fit salvus? Qui ergo miscentur gentibus, salvi non sunt; salvantur autem qui congregantur de gentibus, salute fidei, salute spei, salute sincerissimæ caritatis, salute spiritali, salute promissorum Dei. Qui ergo credit, sperat, & amat, non continuò salvus dicendus est. Interest enim quid credat, quid speret, & quid amet. Nemo quippe vivit in quacumque vita, sine tribus istis animæ affectionibus, credendi, sperandi, amandi. Si non credis quod credunt gentes, non speras quod sperant gentes, non amas quod amant gentes; congregaris de gentibus, segregaris, hoc est separaris de gentibus. Nec te terreat commixtio corporalis in tanta separatione mentis. Quid enim tam separatum, quàm ut credant illi dæmones deos, credas tu qui unus & verus est Deus? sperent illi inania sæculi, speres tu æternam vitam cum Christo? ament illi mundum, ames tu artificem mundi? Qui ergo aliud credit, aliud sperat, aliud amat, vitâ probet, factis ostendat. Acturus es celebrationem strenarum, sicut paganus, lusurus aleâ, & inebriaturus te: quomodo aliud credis, aliud speras, aliud amas? Quomodo libera fronte cantas, *Salva nos Domine Deus noster, & congrega nos de gentibus?* Segregaris enim de gentibus, mixtus corpore gentibus, dissimili vitâ. Et quanta sit ista segregatio, videte; si modò facitis, si modò probatis. Jam enim Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, qui propter nos homo factus est, dedit pro nobis pretium. Itaque suum dedit ille pretium: ad hoc dedit, ut redimat, ut congreget de gentibus. Si autem misceris gentibus, non vis sequi eum qui te redemit: misceris autem gentibus vitâ, factis, corde, talia credendo, talia sperando, talia diligendo: ingratus es redemtori tuo, nec agnoscis pretium tuum, sanguinem agni immaculati. Ut ergo sequaris redemtorem tuum, qui te redemit sanguine suo, noli te miscere gentibus similitudine morum atque factorum. Dant illi strenas, date vos eleemosynas. Avocantur illi cantionibus luxuriarum, avocate vos sermonibus Scripturarum: currunt illi ad theatrum, vos ad ecclesiam: inebriantur illi, vos jejunate. Si hodie non potestis jejunare, saltem cum sobrietate prandete. Hoc si feceritis, bene cantastis, *Salva nos Domine Deus noster, & congrega nos de gentibus.*

Piis operibus secernuntur Christiani à paganis.

3. Itaque multi luctabuntur hodie in corde suo cum verbo quod audierunt. Diximus enim, Nolite strenas dare, date pauperibus. Parum est ut tantum detis, amplius etiam date. Non vultis amplius? vel tantum date. Sed dicis mihi,

A Quando strenas do, mihi accipio & ego. Quid ergo, quando das pauperi, nihil accipis? Certè non hoc credas, quod gentes credunt; certè non hoc speres, quod gentes sperant. Ecce si dicis te nihil recipere cùm pauperi dederis, factus es pars gentilium: sine caussa cantasti, *Salva nos Domine Deus noster, & congrega nos de gentibus.* Noli oblivisci illius præscriptionis, ubi dicitur, *Qui dat pauperibus, numquam egebit.* Oblitus es jam quid dicturus Dominus eis, qui pauperibus *Prov. 28. 27.*
B dederunt, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum?* & quid dicetur eis qui non dederint, *Mittite eos in ignem æternum?* Modò qui libenter audierunt quid dixit, cum his certè stant qui non libenter audierunt. Ego nunc Christianis veris loquor. Si aliud creditis, aliud speratis, aliud amatis; aliter vivite, & distantem fidem, spem, & caritatem vestram distantibus moribus approbate. Audite Apostolum commonentem: *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus. Quæ* *Matth. 25. 34.* *2. Cor. 6. 14 &c.*
C *enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luminis ad tenebras? quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templi Domini cum idolis?* Et alibi dicit, *Quæ enim immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo vos*, inquit, *socios fieri dæmoniorum.* Ergo Deos ipsorum delectant mores eorum. Ille autem qui dixit, *Nolo vos fieri socios dæmoniorum*, voluit ut ab illis qui dæmonibus servirent, vitâ & moribus separarentur. Etenim illa dæmonia delectan- *1. Cor. 10. 20. & 21.*

Dii falsi malis moribus cultorum suorum delectantur.

D tur canticis vanitatis, delectantur nugatorio spectaculo, & turpitudinibus variis theatrorum, insaniâ circi, crudelitate amphitheatri, certaminibus animosis eorum, qui pro pestilentibus hominibus lites & contentiones usque ad inimicitias suscipiunt, pro mimo, pro histrione, pro pantomimo, pro auriga, pro venatore. Ista facientes, quasi thura ponunt dæmoniis de cordibus suis. Spiritus enim seductores gaudent seductis; & eorum quos seduxerint atque deceperint, malis *Ephes. 4. 20. & 21.*
E moribus & vitâ turpi infamique pascuntur. *Vos autem*, sicut dicit Apostolus, *non ita didicistis Christum: si tamen eum audistis, & in ipso edocti estis.* * *Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; sicut filii lucis ambulate:* ut & nos, qui vobis verbum Domini prædicamus, possimus vobiscum & de vobis in illa perpetua luce gaudere. *Ephes. 5. 7. & 8.*

*SERMO CXCIX.

** Aliàs de Tempore 34.*

F *In [a] Epiphania Domini, I.*

CAPUT I. Christus Judæos & gentes in se mox copulat.

1. NUPER celebravimus diem, quo ex Judæis Dominus natus est: hodie celebramus, quo à gentibus adoratus est. *Quoniam salus ex Judæis*: sed hæc *salus usque ad fines terræ.* Nam & illo die pastores adoraverunt, hodie Magi. Illis Angeli, istis autem stella nuntiavit. Utrique de cælo didicerunt, cùm regem cæli in terra viderunt, ut esset *gloria in excelsis* *Joan. 4. 22.* *Isai. 49. 6.* *Luca 2. 14.*
G *Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ipse est enim pax nostra, qui fecit uraque unum.* Jam hinc infans natus atque annuntiatus ostenditur lapis ille angularis, jam in ipso primordio nativitatis apparuit. Duos ex diverso parietes in se copulare jam cœpit, pastores à Judæa, Magos *Ephes. 2. 14. &c.*

[a] In Possidii Indiculo cap. 10 Tractatus de hac sollemnitate septem, ac præterea quatuor capite 1. sic in MSS. notantur, *De Epiphania duo. Item de Epiphania, contra quos suprà, duo*, id est contra Paganos. Hunc primum & alterum proximè subsequentem citat Facundus lib. 1. c. 4.

Classis II.

ab Oriente perducens: ut duos conderet in se in unum novum hominem, faciens pacem, pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Ideoque illi ipso die de proximo accedentes, de longinquo isti hodie venientes, duos dies celebrandos posteris signaverunt, unam tamen lucem mundi utrique viderunt.

Magorum fides & cæca infidelitas Judæorum.

Matth. 2. 2.

2. Sed hodie de istis loquendum est, quos de remotis terris fides duxit ad Christum. Venerunt enim, & quæsierunt eum, dicentes, *Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Nuntiant & interrogant, credunt & quærunt; tamquam significantes eos qui ambulant per fidem, & desiderant speciem. Nonne alii reges Judæorum jam totiens in Judæa nati erant? Quid est, quòd iste ab alienigenis in cælo agnoscitur, in terra quæritur; in alto fulget, in humili latet? In Oriente Magi vident stellam, & in Judæa natum intelligunt regem. Quis est iste rex tam parvus, tam magnus; nondum in terris loquens, jam in cælis edicta proponens? Verumtamen propter nos, quibus de Scripturis suis sanctis innotescere voluit, ipsos etiam Magos quibus tam clarum signum in cælo dederat, & quorum cordibus se in Judæa natum esse revelaverat, Prophetis tamen suis de se credere voluit. Quærendo enim civitatem, in qua natus erat, quem videre & adorare cupiebant, necesse habuerunt percontari principes Judæorum; ut illi de sancta Scriptura, quam in ore, non in corde gestabant, infideles fidelibus de gratia [a] fidei responderent, mendaces à se, veraces contra se. Quantum enim erat, ut illis quærentibus Christum comites fierent, cùm ab eis audissent, quòd visâ stellâ ejus venirent eum adorare cupientes; ipsi eos ad Bethleem Judæ, quam de libris divinis indicaverant, ducerent, pariter viderent, pariter intelligerent, pariter adorarent? Nunc verò aliis demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate. Facti sunt eis tamquam [b] lapides ad milliaria: viatoribus ambulantibus aliquid ostenderunt, sed ipsi stolidi atque immobiles remanserunt. Magi quærebant, ut invenirent: Herodes quærebat, ut perderet: Judæi civitatem nascentis legebant, tempus venientis non intelligebant. Inter Magorum pium amorem, & Herodis crudelem timorem, illi evanuerunt Bethleem demonstrantes: Christum autem qui ibi natus est, non tunc quæsitum, sed visum [c] postea negaturi, nec tunc infantem, sed loquentem postea necaturi. Felix potiùs infantum ignorantia, quos Herodes persecutus est territus, quàm istorum scientia quos consuluit perturbatus. Illi pro Christo potuerunt pati, quem nondum poterant confiteri: isti docentis non secuti sunt veritatem, cujus nascentis potuerunt nosse civitatem.

* Facundus l. 1. c. 4.

* Caput II. Error de sidereis fatis.

3. * Magos sanè ad ipsum propriè locum, ubi Deus Verbum infans erat, illa stella perduxit. * Hîc jam erubescat stultitia sacrilega, & quædam, ut sic dicam, indocta doctrina, quæ ideo putat Christum sub stellarum decreto esse natum, quia scriptum est in Evangelio, quando natus est, stellam ejus Magos in Oriente vidisse. Quod verum non esset, nec si homines sub decreto ejusmodi nascerentur: quia non sicut Dei Filius propria voluntate, sed naturæ mortalis conditione nascuntur. Nunc autem tantum abhorret à vero, sub [d] stellato fato natum esse Christum, ut nullum hominum ita nasci credat quisquis rectè credit in Christum. Sed de genituris hominum vani homines loquantur quod insipienter opinantur, negent voluntatem qua peccant, confingant necessitatem qua peccata defendant; perditos mores, per quos in terra ab hominibus detestantur, in cælo etiam figere conentur, & à sideribus manare mentiantur: videat tamen unusquisque eorum quemadmodum non vitam, sed familiam suam qualicumque potestate regendam putet; quando quidem ista sentiendo servos suos in domo peccantes verberare non sinitur, nisi priùs deos suos in cælo radiantes blasphemare cogatur. Christum tamen isti nec secundùm suas vanissimas conjecturas, & non sanè fatidicos, sed planè falsidicos libros, possunt ideo putare sub stellarum decreto esse natum, quia eo nato stellam Magi in Oriente viderunt. Hinc enim potiùs Christus non sub dominatu ejus, sed Dominus ejus apparuit; quia illa non in cælo sidereas vias tenuit, sed hominibus quærentibus Christum viam usque ad locum, in quo natus fuerat, demonstravit. Unde non ipsa Christum fecit mirabiliter vivere, sed ipsam fecit Christus mirabiliter apparere: nec ipsa Christi mirabilia decrevit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia demonstravit. Ipse enim natus ex matre, de cælo terræ novum sidus ostendit, qui natus ex Patre cælum terramque formavit. Eo nascente lux nova est in stella revelata, quo moriente lux antiqua est in sole velata. Eo nascente superi novo honore claruerunt, quo moriente inferi novo timore tremuerunt, quo resurgente discipuli novo amore exarserunt, quo adscendente cæli novo obsequio patuerunt. Celebremus ergo devota sollemnitate & hunc diem, quo cognitum Christum Magi ex gentibus adoraverunt; sicut celebravimus illum diem, quo natum Christum pastores ex Judæa viderunt. Ipse enim Dominus Deus noster elegit Apostolos ex Judæa pastores, per quos congregaret salvandos etiam ex gentibus peccatores.

*SERMO CC.

In Epiphania Domini, II.

* Aliàs de Tempore 30.

Caput I. Manifestationis Christi sollemnitas.

1. AD partum virginis adorandum Magi ab Oriente venerunt. Hunc diem hodie celebramus, huic debitam sollemnitatem sermonemque persolvimus. Illis dies iste primus illuxit, anniversaria nobis festivitate rediit. Illi erant primitiæ gentium, nos populus gentium. Nobis hoc lingua nuntiavit Apostolorum, stella illis tamquam lingua cælorum: & nobis iidem Apostoli, tamquam cæli, enarraverunt gloriam Dei. Cur enim non agnoscamus eos cælos, qui facti sunt sedes Dei? sicut scriptum est, *Anima justi, sedes est sapientiæ.* Per hos enim cælos ille cælorum fabricator & habitator intonuit, quo tonitru mundus contremuit, & ec-

Psal. 18. 1.

Sap. 7.

[a] Sic MSS. Editi verò, *de gratia Dei.*

[b] Editi, *lapides à milliario.* At MSS. alii, *lapides ad milliaria:* lii, *lapidea milliaria*

[c] Sic MSS. At editi hîc omittunt *postea negaturi*; & infrà pro *necaturi*, habent *negaturi.*

[d] Nonnulli MSS. *sub stella & fato:* & quidam, *sub stellarum fato.*

CLASSIS II.

ce jam credit. Magnum sacramentum. In præsepi tunc jacebat, & Magos ab oriente ducebat. Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cælo; [a] ut agnitus in cælo manifestaretur in stabulo, & appellaretur *Epiphania* dies iste, quod Latinè manifestatio dici potest: simul ejus celsitudinem humilitatemque commendans, ut qui in aperto cælo signis sidereis monstrabatur, [b] in angusto diversorio quæsitus inveniretur; invalidus infantilibus membris, involutus infantilibus pannis, adoraretur à Magis, timeretur à malis.

Herodis terror.

2. Timuit enim eum rex Herodes, eisdem sibi Magis nuntiantibus, cùm adhuc quærerent parvulum, quem cognoverant cælo teste jam natum. Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cunæ terrebant infantis? Quantò consultiùs nunc reges, non sicut Herodes, interficere quærunt; sed sicut Magi potiùs, adorare delectantur, jam præsertim eum qui & ipsam mortem quam cupiebat inimicus inferre, etiam pro ipsis inimicis ab inimicis sustinuit, eamque in suo corpore occisus occidit. Piè timeant nunc reges ad Patris dexteram jam sedentem, quem rex ille impius timuit adhuc matris ubera lambentem. Audiant quod scriptum est: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore.* (Psal. 2. 10. & 11.) Ille enim rex, ultor impiorum regum, & rector piorum, non ita natus est, ut reges nascuntur in sæculo; quia & ille natus est, cujus regnum non est de hoc sæculo. Nobilitas fuit nascentis, in virginitate parientis; & nobilitas parientis, in divinitate nascentis. Denique cùm tam multi jam nati atque defuncti essent reges Judæorum, numquam quemquam eorum adorandum Magi quæsierunt: quia nec quemquam eorum cælo loquente didicerunt.

CAPUT II. Judæorum cæcitas in ipsa illuminatione Magorum.

3. Verumtamen, quod prætereundum non est, hæc Magorum illuminatio magnum testimonium cæcitatis exstitit Judæorum. In terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non agnoscebant. Apud eos isti infantem invenerunt, quem illi apud se [c] docentem negaverunt. In his terris de longinquo isti peregrini puerum Christum nondum verba promentem adoraverunt, ubi cives illi juvenem miracula facientem crucifixerunt. Isti in membris parvis Deum agnoverunt, illi in factis magnis nec tamquam homini pepercerunt: quasi plus fuerit videre novam stellam in ejus nativitate fulgentem, quàm solem ejus in morte lugentem. * Jam verò quòd eadem stella, quæ Magos perduxit ad locum, ubi erat cum matre virgine Deus infans, quæ utique poterat eos & ad ipsam perducere civitatem, se tamen subtraxit, nec eis prorsus apparuit, donec de civitate, in qua Christus nasceretur, iidem ipsi interrogarentur Judæi, ut ipsi eam secundùm divinæ Scripturæ testimonium nominarent, ipsi dicerent, *In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est, Et tu Bethleem terra Juda non es minima in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui reget populum meum Israël:* (Matth. 2. 5. & 6. Mich. 5. 2.) quid aliud hîc significavit divina providentia, nisi apud Judæos solas divinas litteras remansuras, quibus gentes instrueren-

(* Facundus l. 1. c. 4.)

(Scripturæ apud Judæos propter gentiũ fidem relictæ.)

A tur, illi excæcarentur; quas portarent non ad adjutorium salutis suæ, sed ad testimonium salutis nostræ? Nam hodie cùm præmissas prophetias de Christo proferimus, jam rerum completarum luce declaratas, si fortè Pagani, quos lucrari volumus, dixerint non eas tanto antè prædictas, sed post rerum eventum, ut hæc quæ facta sunt prophetata putarentur, à nobis esse confictas; Judæorum codices recitamus, ut tollatur dubitatio Paganorum: qui jam in Magis illis figurabantur, quos Judæi de civitate in qua natus est Christus, divinis eloquiis instruebant, & eum ipsi nec requirebant, nec agnoscebant.

(SERM. DE TEMPORE.)

CAPUT III. Christo caritate cum Judæis gẽtes cohærent.

4. Nunc ergo Carissimi, gratiæ filii & heredes, videte vocationem vestram, & manifestato Judæis & gentibus Christo tamquam angulari lapidi perseverantissima dilectione cohærete. Manifestatus enim est in ipsis cunabulis infantiæ suæ his qui propè, & his qui longè erant; (Ephes. 2. 17.) Judæis in pastorum propinquitate, gentibus in Magorum longinquitate. Illi ipso die quo natus est, isti ad eum hodie advenisse creduntur. Manifestatus ergo est, nec illis doctis, nec istis justis. Prævalet namque imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegiis Magorum. Utrosque sibi lapis ille angularis applicuit; quippe qui venit stulta mundi eligere, ut confunderet sapientes; (1. Cor. 1. 27.) & non vocare justos, sed peccatores; (Matth. 9. 13.) ut nullus magnus superbiret, nullus [d] infimus desperaret. Unde Scribæ & Pharisæi dum nimis docti & nimis justi sibi videntur, cujus nascentis civitatem ostenderunt Prophetica eloquia recitantes, hunc reprobaverunt ædificantes. Sed quia factus est in caput anguli, (Psal. 117. 22.) & quod natus ostendit, passus implevit; huic nos inhæreamus cum alio pariete habente reliquias Israël, quæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. (Rom. 11. 5.) Eos enim pastores illi præfigurabant de proximo conjungendos, ut & nos, quorum ex longinquo vocationem Magorum significabat adventus, jam non peregrini & inquilini, sed cives sanctorum & domestici Dei maneamus, coædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide exsistente Christo Jesu: (Ephes. 2. 19.) qui fecit utraque unum, ut in uno amemus unitatem, & ad colligendos * ramos qui etiam de oleastro inserti, per superbiam fracti hæretici sunt facti, quoniam potens est Deus iterum inserere illos, (Rom. 11. 23.) habeamus infatigabilem caritatem.

(* Donatistas intelligit.)

* SERMO CCI.

(* Aliàs de Tempore 31.)

In Epiphania Domini, III.

CAPUT I. Manifestatio Christi facta Gentibus.

1 ANTE paucissimos dies Natalem Domini celebravimus: hodierno autem die manifestationem, qua manifestari gentibus cœpit, sollemnitate non minùs debita celebramus. Illo die natum pastores Judæi viderunt: hodie Magi ab Oriente venientes adoraverunt. Natus quippe fuerat lapis ille angularis, pax duorum parietum ex circumcisione & præputio, non ex parva diversitate venientium; ut in illo copularentur, qui factus est pax nostra, & fecit utraque unum. (Ephes. 2. 14.) Hoc in pastoribus Judæo-

rum;

[a] Floriacensis MS. *Agnitus est è calo, ut appellaretur Epiphania dies iste.*

[b] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *monstrabatur magnus, in angusto diversorio quæsitus inveniretur invalidus, infantilibus in membris natus, infantilibusque pannis involutus &c.*

[c] Editi omittunt *docentem.* Habent MSS. & ex his quidam *necaverunt*, pro *negaverunt.*

[d] Sic potiores MSS. At editi, *infirmus.*

Classis II.

rum, & Magis gentium præsignatum est. Inde cœpit, quod in universo mundo fructificaret & cresceret. Nos itaque duos dies, nativitatis & manifestationis Domini nostri, spiritali lætitiâ gratissimos habeamus. Judæi pastores ad eum Angelo nuntiante, gentiles Magi stellâ demonstrante perducti sunt. Hæc stella vanas computationes astrologorum divinationesque confudit, cùm stellarum adoratoribus Creatorem cæli & terræ adorandum potiùs demonstravit. Nam ipse novam stellam declaravit natus, qui antiquum solem obscuravit occisus. Illa luce inchoata est fides gentium, illis tenebris accusata est perfidia Judæorum. Quid erat illa stella, quæ nec umquam antea inter sidera apparuit, nec postea demonstranda permansit? Quid erat, nisi magnifica lingua cæli, quæ narraret gloriam Dei, quæ inusitatum virginis partum inusitato fulgore clamaret, cui postea non apparenti Evangelium toto orbe succederet? Quid denique Magi venientes dixerunt? *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Quid est hoc? Nonne tam multi antea reges erant nati Judæorum? Quid tantopere alienæ gentis regem nosse & adorare cupierunt? *Vidimus enim*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Numquid hoc tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent regem Judæorum, qui rex est etiam sæculorum?

(Stella lingua cæli. — Matth. 2. 2.)

Caput II.

2. Hinc & Pilatus nonnullâ utique aurâ [a] veritatis afflatus est, quando in ejus passione titulum scripsit, *Rex Judæorum*: quem Judæi conati sunt mendosi emendare. Quibus ille respondit, *Quod scripsi, scripsi*: Quia prædictum erat in Psalmo, *Tituli inscriptionem ne corrumpas.* Advertamus itaque magnum hoc & mirabile sacramentum. Magi ex gentibus erant, ipse etiam Pilatus ex gentibus: illi stellam viderunt in cælo, ille titulum scripsit in ligno: utrique tamen non regem gentium, sed Judæorum vel quærebant, vel agnoscebant. Judæi verò ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo consenserunt. Jam igitur præsignabatur quod postea ipse Dominus dixit, *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum: filii autem regni ibunt in tenebras exteriores.* Nam Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Unde illi orienti, hoc est nascenti; ille autem occidenti, hoc est morienti, adtestabantur regi Judæorum: ut cum Abraham & Isaac & Jacob, ex quibus Judæi ducebant originem, recumberent in regno cælorum; non ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem: ut ille de quo Apostolus loquitur, olivæ inserendus jam præmonstraretur oleaster. Propterea quippe non rex gentium, sed Judæorum ab eisdem gentibus, vel quærebatur, vel agnoscebatur; quia oleaster ad olivam, non ad oleastrum oliva veniebat. Rami tamen frangendi, hoc est, infideles Judæi, & Magis inquirentibus ubi Christus nasceretur, *In Bethleem Judæ*, respondebant; & Pilato exprobrante, quòd regem suum crucifigi vellent, pertinacissimè sæviebant. Itaque Magi adoraverunt, Judæis ostendentibus locum Christi nascentis; quia in Scriptura, quam Judæi acceperunt, Christum cognoscimus. Pilatus ex gentibus manus lavit, Judæis mortem Christi petentibus; quia sanguine quem Judæi fuderunt, nostra peccata diluimus. Sed de testimonio Pilati per titulum, in quo scripsit regem Judæorum esse Christum, alius est disserendi locus: quo passionis est tempus.

(Johan. 19. 19. — In Pilato & Magis significatæ gentes ab Oriente & Occidente congregandæ. — [a] Psal. 56. 1. — Matth. 8. 11. — Rom. 11. 24. — Matth. 2. 5. — Matth. 27. 24.)

(Serm. de Tempore.)

Caput III.

3. Nunc verò quod adtinet ad manifestationem nati Christi, de cujus manifestationis die, quæ Græco vocabulo *Epiphania* nominatur, qua manifestari cœpit gentibus cùm eum Magi adoraverunt, quæ restant pauca dicamus. Nam etiam atque etiam considerare delectat; quemadmodum Magis quærentibus ubi Christus nasceretur, Judæi responderunt, *In Bethleem Judæ*: nec tamen ad eum venerunt ipsi, sed eis abscedentibus, Magos ad eum locum in quo infans erat, eadem stella perduxit: ut ostenderetur quòd & civitatem poterat demonstrare, sed ad hoc se aliquantùm subtraxerat, ut Judæi possent interrrogari. Ad hoc sunt autem interrogati Judæi, ut demonstraretur eos non ad suam, sed ad gentium salutem & agnitionem testimonia divina portare. Propter hoc enim illa gens regno suo pulsa est & dispersâ per terras, ut ejus fidei cujus inimici sunt, ubique testes fieri cogerentur. Perdito quippe templo, sacrificio, sacerdotio, ipsoque regno, in paucis veteribus sacramentis nomen genusque custodiunt; ne permixti gentibus sine discretione dispereant, & testimonium veritatis amittant: velut Caïn accipiente signum, ut eum nullus occidat, qui fratrem justum invidus & superbus occidit. Hoc nimirum etiam in quinquagesimo-octavo Psalmo non incongruenter intelligi potest, ubi Christus ex persona sui corporis loquitur & dicit; *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviscantur legis tuæ.* In eis quippe inimicis fidei Christianæ demonstratur gentibus quomodo prophetatus est Christus: ne fortè, cùm vidissent tanta manifestatione impleri prophetias, putarent easdem Scripturas à Christianis esse confictas, cùm de Christo prædicta recitarentur, quæ completa cernuntur. Proferuntur ergo codices à Judæis, atque ita Deus demonstrat nobis in inimicis nostris; quos ideo non occidit, hoc est, de terris non penitus perdidit, ne obliviscerentur legis ipsius: quam propterea legendo, & quædam ejus quamvis carnaliter observando, meminerunt, ut sibi sumant judicium, nobis præbeant testimonium.

(Judæi ad gentium salutem Scripturarum custodes. — Math. 2. 5. — Gen. 4. 15. — Psal. 58. 12.)

*SERMO CCII.

In Epiphania Domini, IV.

(* Aliàs de Tempore 32.)

Caput I.

1. HODIERNI diei per universum mundum nota sollemnitas quid nobis afferat festivitatis, quidve anniversaria repetitione commemoret, anniversario quoque sermone tempus admonet ut loquamur. *Epiphania* quippe Græcè, Latinè manifestatio dici potest. Hoc enim die Magi Dominum adorasse perhibentur; stellâ scilicet apparente commoniti, & præcedente perducti. Eo quippe die quo natus est, illi stellam in Oriente viderunt; & quem natum indicaverit, agnoverunt. Ex illo igitur die ad hunc diem occurrerunt, Herodem regem nuntio terruerunt, Judæis ex Prophetica scriptura respondentibus, Bethleem civitatem, ubi Dominus natus fuerat, invenerunt. Ad ipsum deinde

(Epiphania, manifestatio Christi.)

[a] MS. *aurâ pietatis.* Et infrà loco *mendosi*, plures habent *mendosè*.

CLASSIS II

Dominum stellâ eadem ducente venerunt, demonstratum adoraverunt; aurum, thus, & myrram obtulerunt; alio itinere redierunt. Manifestatus est quidem & die ipso nativitatis suæ Dominus pastoribus ab Angelo admonitis; quo etiam die per stellam & illis est longè in Oriente nuntiatus: sed isto die ab eis est adoratus. Suscepit ergo devotissimè istum diem celebrandum universa Ecclesia gentium: quia & illi Magi quid jam fuerunt, nisi primitiæ gentium? Israëlitæ pastores, Magi gentiles: illi propè, isti longè: utrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt. *Veniens* quippe, sicut Apostolus dicit, *evangelizavit pacem nobis, qui eramus longè, & pacem his qui propè. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, & duos condidit in se, in unum novum hominem, faciens pacem, & commutavit utrosque in uno corpore Deo, interficiens inimicitias in semetipso.*

Ephes. 2. 17. &c.

CAPUT II. Primitiæ gentium in Magis delibatæ.

2. Meritò istum diem numquam nobiscum hæretici Donatistæ celebrare voluerunt: quia nec unitatem amant, nec Orientali Ecclesiæ, ubi apparuit illa stella, communicant. Nos autem manifestationem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, qua primitias gentium delibavit, in unitate gentium celebremus. Tunc enim puer priùs quàm sciret vocare patrem aut matrem, sicut de illo fuerat prophetatum, accepit virtutem Damasci, & spolia Samariæ: id est, antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virutem Damasci, illud scilicet unde Damascus præsumebat. In divitiis quippe civitas illa secundùm sæculum florens aliquando præsumserat. In divitiis autem principatus auro defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt. Spolia verò Samariæ iidem ipsi erant, qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria posita est. Illic enim populus Israël aversus à Domino, ad idola colenda conversus est. Debellaturus scilicet Christus gladio spiritali per universum orbem regnum diaboli, hæc prima puer spolia idololatriæ dominationi detraxit, ut ad se adorandum Magos conversos à peste illius superstitionis averteret, & in hac terra nondum loquens per linguam, loqueretur de cælo per stellam; ut & quis esset, & quò, & propter quos venisset, non voce carnis, sed virtute Verbi, quod caro factum est, demonstraret. Hoc enim Verbum, quod in principio erat Deus apud Deum, jam etiam caro factum, ut habitaret in nobis, & ad nos venerat, & apud Patrem manebat; sursum Angelos non deserens, & deorsum ad se homines per Angelos colligens; & cælestibus habitatoribus secundùm Verbum incommutabili veritate fulgebat, & propter angustum diversorium in præsepi jacebat. Ab ipso in cælo demonstrabatur stella, & ipsum adorandum demonstrabat in terra. Et tamen infans tam potens, tam magnus, parvulus propter inimicitias Herodis in Ægyptum portantibus parentibus fugit: ita nondum sermone, sed factis jam suis membris loquens, & tacitus dicens, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Mortalem quippe carnem, in qua nos præfiguraret, gerebat, in qua erat etiam pro nobis opportuno tempore moriturus. Unde à Magis illis non solùm aurum honorandus, & thus adorandus, verùm etiam myrrham sepeliendus acceperat. Quales etiam fuissent pro ejus nomine morituri, quàm innocentes, quàm humiles, ostendit in parvulis, quos Herodes occidit. Nam ex quibus tota Lex pendet & Prophetæ, etiam illum numerum præceptorum significavit bimatus illorum.

Isai. 8. 4.

Matth. 10. 23.

SERM. DE TEMPORE.

Matth. 22. 40.

CAPUT III. Judæi Christum suis ritibus & Scripturis ostendunt.

3. Jam verò quem non facit intentum, quid sibi velit quòd Magorum inquisitioni, ubi Christus nasceretur, Judæi de Scriptura responderunt, & ipsi cum eis non adoraverunt? Nonne hoc videmus etiam nunc, quando ex ipsis sacramentis, quibus eorum duritia subditur, nihil aliud quàm Christus, in quem nolunt credere, ostenditur? Nonne & quando occidunt ovem & Pascha manducant, gentibus Christum demonstrant, quem cum eis ipsi non adorant? Nam illud quale est, quod sæpe de testimoniis Propheticis, quibus Christus prænuntiatus est, quibusque hominibus dubitantibus, ne fortè à Christianis illa conscripta sint, non adhuc futura, sed facta, ad Judæorum codices provocamus, ut animos dubitantium confirmemus? Nonne etiam tunc Judæi Christum ostendunt gentibus, quem nolunt adorare cum gentibus?

Exodi 12. 9.

CAPUT IV. Pristina vita post pœnitentiam non repetenda.

4. Nos ergo, Carissimi, quorum erant illi Magi primitiæ, nos hereditas Christi usque ad terminos terræ, propter quos cæcitas ex parte in Israël facta est, ut plenitudo gentium intraret, cognito Domino & Salvatore nostro Jesu Christo, qui propter nos consolandos tunc jacuit in angusto diversorio, nunc propter sublimandos sedet in cælo; sic eum annuntiemus in hac terra, in hac regione carnis nostræ, ut non quà venimus redeamus, nec prioris nostræ conversationis vestigia repetamus. Hoc est enim quod & illi Magi non quà venerant redierunt. Via mutata, vita mutata est. Et nobis cæli enarraverunt gloriam Dei; & nos ad Christum adorandum fulgens ex Evangelio veritas, tamquam de cælo stella, perduxit; & nos prophetiam in gente Judaica celebratam, tamquam indicium Judæorum non nobiscum pergentium, fideli aure percepimus; & nos regem & sacerdotem & pro nobis mortuum Christum agnoscentes atque laudantes, tamquam in auro & thure & myrrhâ honoravimus: superest ut eum evangelizantes novam viam carpamus, non quà venimus redeamus.

Rom. 11. 25.

Psal. 18. 1.

* SERMO CCIII.

** Aliàs de Diversis 64.*

In Epiphania Domini, V.

CAPUT I. Epiphaniæ festivitas meritò instituta.

1. EPIPHANIA Græcæ linguæ vocabulo, Latinè manifestatio dici potest. Hodierno igitur die manifestatus Redemtor omnium gentium, fecit sollemnitatem omnibus gentibus. Cujus itaque nativitatem ante dies paucissimos celebravimus, ejusdem manifestationem hodie celebramus. Dominus ergo noster Jesus Christus ante dies tredecim natus, à Magis hodie traditur adoratus. Quia factum est, Evangelii loquitur veritas: quo die autem factum sit, ubique clamat tam præclaræ istius sollemnitatis auctoritas. Justum enim visum est, quod & verè justum est, ut quoniam illi Magi primi ex gentibus Christum Dominum cognoverunt, & nondum ejus sermone commoti, stellam sibi apparentem & pro infante Verbo visibiliter loquentem, velut linguam cæli, secuti sunt, ut diem salutis primitiarum suarum gentes gratanter

Matth. 2.

Classis II.

agnoscerent, & eum Domino Christo cum gratiarum actione sollemni obsequio dedicarent. Primitiæ quippe Judæorum ad fidem revelationemque Christi in illis pastoribus exstiterunt, qui ipso die quo natus est, eum de proximo veniendo viderunt. Illis Angeli, istis stella nuntiavit. Illis dictum est, *Gloria in excelsis Deo:* in istis impletum est, *Cæli enarrant gloriam Dei.* Utrique sanè tamquam initia duorum parietum de diverso venientium, circumcisionis & præputii, ad angularem lapidem cucurrerunt: ut esset pax eorum, faciens utraque unum.

Luca 2. 14. Psal. 18. 2. Ephes. 2. 14.

Caput II. In Judæis gratia prior, in gentibus humilitas amplior.

2. Verumtamen illi Deum, ex eo quòd Christum viderant, laudaverunt: isti autem visum Christum etiam adoraverunt. In illis gratia prior, in istis humilitas amplior. Fortasse ergo illi pastores minùs rei, de salute alacriùs exsultabant: isti autem Magi multis onerati peccatis, submissiùs indulgentiam requirebant. Hæc est illa humilitas, quam plus in eis qui ex gentibus erant, quàm in Judæis, divina Scriptura commendat. Ex gentibus enim erat ille Centurio, qui cùm Dominum in toto pectore suscepisset, se tamen dixit indignum, ut in domum ejus intraret, nec ab eo ægrum suum voluit videri, sed salvum juberi. Sic interiùs præsentem corde retinebat, cujus à suo tecto præsentiam honorificè revocabat. Denique Dominus, *Non inveni*, inquit, *tantam fidem in Israël.* Illa etiam Chananæa ex gentibus erat, quæ cùm se à Domino audisset canem, & cui panis filiorum mitteretur indignam, micas tamquam canis exegit: & ideo non esse meruit, quia id quod fuerat non negavit. Nam & ipsa audivit à Domino, *O mulier, magna est fides tua.* Humilitas in ea fecerat fidem magnam; quia se ipsam fecerat parvam.

Matth. 8. 5. Matth. 15. 22.

*Caput III. Rom. 11. 17. Gentium omnium salus figurata.

3. Veniunt ergo pastores de proximo videre, & Magi de longinquo veniunt adorare. *Hæc est humilitas qua inseri meruit oleaster in olivam, & olivam dare contra naturam; quia naturam meruit mutare per gratiam. Nam cùm hoc oleastro totus silvesceret & amaresceret mundus, per insertionis gratiam pinguefactus enituit. Veniunt enim ab extremo terræ, secundùm Jeremiam, dicentes, *Verè mendacia coluerunt patres nostri.* Et veniunt, non ab una orbis parte, sed sicut Evangelium secundùm Lucam loquitur, *ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone & Meridie*, qui recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Sic totus orbis ex partibus quatuor Trinitatis gratiâ vocatur in fidem. Secundùm quem numerum, cùm quatuor ter ducuntur, duodenarius numerus Apostolicus consecratus est; tamquam universi orbis salutem ex quatuor mundi partibus, in Trinitatis gratiam præfigurans. Hunc enim numerum etiam discus ille significavit, qui demonstratus est Petro plenus omnibus animalibus, tamquam omnibus gentibus. Nam & ipse quatuor lineis suspensus è cælo ter submissus assumtus est; ut quaterni duodecim facerent. Ideo fortasse post Natalem Domini duodecim diebus additis, Magi primitiæ gentium ad Christum videndum adorandumque venerunt, & non solùm accipere propriam, sed omnium quoque gentium salutem significare meruerunt. Celebremus ergo devotissimè etiam istum diem; & Dominum Jesum, quem primitiæ illæ nostræ adoraverunt jacentem in diversorio,

Jerem. 16. 19. Luca 13. 29. Act. 10. 11.

A nos habitantem adoremus in cælo. Hoc quippe in eo illi venerati sunt futurum, quod nos veneramur impletum. Adoraverunt primitiæ gentium inhiantem uberibus matris: adorant gentes sedentem ad dexteram Dei Patris.

Serm. de Tempore.

* SERMO CCIV.

In Epiphania Domini, VI.

* *Aliàs 7. ex Vignerianis.*

Epiphania, Christi manifestatio.

1. ANTE paucos dies Natalem Domini celebravimus: Epiphaniam hodie celebramus; quo Græco vocabulo significatur manifestatio, & refertur ad illud quod ait Apostolus, *Sine dubio magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Ambo itaque dies ad manifestationem pertinent Christi. In illo quippe natus est homo ex homine matre, qui sine initio Deus erat apud Patrem. Sed carni est manifestatus in carne; quia caro eum videre non poterat, sicut erat in spiritu. Et illo quidem die, qui Natalis ipsius nuncupatur, viderunt eum pastores Judæorum: hodierno autem die, qui Epiphania propriè, hoc est manifestatio dicitur, adoraverunt eum Magi gentium. Illis eum Angeli, istis verò stella nuntiavit. Cælos Angeli habitant, & sidera exornant: utrisque ergo cæli enarraverunt gloriam Dei.

1. Tim. 3. 16. Psal. 18. 2.

Christus Judæis & gentibus adunandis angularis lapis. Ephes. 2. 15. &c.

2. Utrisque enim natus est lapis angularis; *ut*, quemadmodum dicit Apostolus, *duos conderet in se, in unum novum hominem, faciens pacem, & commutaret utrosque in uno corpore Deo per crucem.* Quid enim est angulus, nisi conjunctio duorum parietum, qui ex diverso veniunt, & illic quodam modo osculum pacis inveniunt? Inimica quippe inter se fuerunt circumcisio & præputium, hoc est Judæi & gentes, propter duo inter se diversa atque contraria, inde veri unius Dei cultum, hinc multorum atque falsorum. Cùm itaque illi essent propè, isti autem longè, utrosque adduxit ad se, qui *commutavit utrosque in uno corpore Deo*, sicut idem Apostolus consequenter adjungit, *per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Et *veniens evangelizavit pacem, vobis* inquit, *qui eratis longè, & pacem iis qui propè; quia per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.* Videte si non & duos parietes ex inimicitiarum diversitate venientes, & angularem lapidem demonstravit Dominum Jesum, ad quem de diverso utrique accesserunt, in quo utrique concordaverunt, hoc est, & qui ex Judæis in eum, & qui ex gentibus crediderunt; tamquam diceretur eis, Et vos de propinquo, & vos de longinquo, *accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.* Scriptum est enim, *Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum; & qui crediderit in eum, non confundetur.* Qui audierunt & obedierunt, hinc atque inde utrique venerunt, pacem tenuerunt, inimicitias finierunt: utrorumque primitiæ pastores & Magi fuerunt. In eis cœpit bos agnoscere possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Ex Judæis animal cornutum, ubi Christo crucis cornua parabantur. Ex gentibus animal auritum, unde prædictum erat, *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obaudivit mihi.* Ipse namque possessor bovis & dominus asini in præsepi jacebat, & ambobus alimentum commune præbebat. Quia ergo pax venerat eis qui erant lon-

Psal. 33. 6. 1. Pet. 2. 6. Isai. 1. 3. Psal. 17. 45.

gè, & pax eis qui erant propè; pastores Israelitæ tamquam propè inventi, eo die quo natus est Christus, ad eum venerunt, viderunt & exsultaverunt: Magi autem gentiles, tamquam longè inventi, tot diebus interpositis ab illo quo natus est, hodie pervenerunt, invenerunt, adoraverunt. Oportebat itaque nos, hoc est, Ecclesiam quæ congregatur ex gentibus, hujus diei celebrationem, quo est Christus primitiis gentium manifestatus, illius diei celebrationi, quo est Christus ex Judæis natus, adjungere, & tanti sacramenti memoriam geminata sollemnitate servare.

Ex Judæis alii reprobati, alii electi.
Ephes. 4. 3.

3. Quando duo parietes isti cogitantur, unus ex Judæis, alius ex gentibus, angulari lapidi cohærendo, servantes unitatem spiritûs in vinculo pacis; non offendat animum reproborum multitudo Judæorum, in quibus fuerunt ædificantes, id est, volentes esse Legis doctores: sed quales dicit Apostolus, *Non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Per hanc enim mentis cæcitatem, lapidem reprobaverunt, qui factus est in caput anguli. Sed non fieret in caput anguli, nisi duobus populis de diverso venientibus præberet pacificam, gratiâ copulante, juncturam. Non ergo cogitentur in Israëlitico pariete persecutores & interfectores Christi, quasi legem ædificantes & fidem destruentes, angularem lapidem reprobantes & ruinam civitati miseræ fabricantes. Nec ista ibi cogitetur numerositas Judæorum dispersa per terras, ad divinarum, quas nescientes ubique portant, testimonium litterarum. In his enim claudicat Jacob, cui tacta & arefacta femoris latitudo, qua significaretur à semitis suis claudicans generis multitudo. Sed in pariete sancto, qui ex eis ad pacem lapidis angularis accessit, illi cogitentur in quibus benedictus est Jacob. Idem quippe & benedictus & claudus: benedictus in sanctificatis, claudus in reprobatis. Illi in isto pariete cogitentur, quorum abundantia præcedebat & sequebatur asellum Salvatoris, clamans, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Illi cogitentur qui discipuli inde electi, & Apostoli facti sunt. Cogitetur Stephanus in Græca lingua coronæ nomine appellatus, & prior post resurrectionem Domini martyrio coronatus. Cogitentur etiam ex ipsis persecutoribus tot millia credentium, quando venit Spiritus sanctus. Cogitentur Ecclesiæ, de quibus Apostolus dicit, *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo: tantùm autem audientes erant, quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat; & in me magnificabant Deum.* Isto modo Israëliticus paries cogitetur, & parieti ex gentibus venienti, qui nunc est conspicuus, adjungatur: atque ita lapis angularis priùs in præsepio positus, usque ad cæli culmen erectus, non frustra prædictus Christus Dominus invenitur.

1. Tim. 1. 7.
Psal. 117. 22.
Gen. 32. 25.
Jacob & benedictus & claudus.
Matth. 21. 9.
Gal. 1. 22. *&c.*

* *Aliàs de Diversis* 68.

* SERMO CCV.

In [a] *Quadragesima*, I.

Quadragesimæ tempore crux castigandi corporis assumenda.

1. OBSERVATIONEM Quadragesimæ, sollemni reditu præsentatam, hodierno die ingredimur: quo vobis sollemniter etiam exhortatio nostra debetur; ut Dei A sermo per nostrum officium ministratus, jejunaturos corpore, pascat in corde; ac sic interior homo cibo suo refectus, exterioris castigationem possit agere, & robustiùs sustinere. Congruit enim nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem jam propinquantem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus, sicut dicit Apostolus, *Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis.* In B hac quidem cruce, per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuò debet pendere Christianus. Non enim est in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Psalmo dicitur, *Confige clavis à timore tuo carnes meas:* Carnes, sunt carnales concupiscentiæ; clavi, sunt præcepta justitiæ: his illas timor Domini configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. Unde item dicit Apostolus, *Obsecro itaque vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis* C *corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Crux ergo ista, in qua Dei servus non solùm non confunditur, sed etiam gloriatur dicens, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* crux, inquam, ista non quadraginta dierum est, sed totius hujus vitæ, quæ mystico numero quadraginta istorum significatur dierum; sive quòd homo ducturus hanc vitam, sicut nonnulli asserunt, die- D bus quadraginta formatur in utero; sive quòd Evangelia quatuor cum denaria lege concordant; & quater deni istum numerum signant, nobisque in hac vita Scripturas utrasque necessarias esse demonstrant; sive aliâ qualibet probabiliore caussâ, quam potest intellectus melior & luculentior invenire. Unde & Moyses & Elias & ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt: ut insinuaretur nobis & in Moyse & in Elia & in ipso Christo, hoc est, in Lege & Prophetis & in ip- E so Evangelio, id nobiscum agi, ne conformemur & hæreamus huic sæculo, sed crucifigamus hominem veterem, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione agentes; sed induamus Dominum Jesum; & carnis curam ne fecerimus in concupiscentiis. Sic semper hîc vive Christiane: si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere. Si autem hoc faciendum est per hanc totam vitam, quan- F tò magis per istos Quadragesimæ dies, quibus non solùm agitur, verùm etiam significatur hæc vita?

Serm. de Tempore.
Gal. 5. 24. Beda & Florus ibidem.
Christianus perpetuò debet pendere in cruce.
Psal. 118. 120.
Rom. 12. 1.
Gal. 6. 14.
Crux totius vitæ nostræ.
Rom. 13. 13. & 14.

2. Per alios ergo dies non graventur corda vestra in crapula & ebrietate: per hos autem etiam jejunate. Per alios dies, adulteria, fornicationes, omnesque illicitas corruptelas nolite contingere: per hos autem etiam à conjugibus abstinete. Quod vobis demitis jejunando, eleemosynis addite prærogando. Tempus quod redden- G do conjugali debito occupabatur, supplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus affectibus solvebatur, puris precibus prosternatur. Manus quæ amplexibus implicabantur, orationibus extendantur. Vos autem qui etiam per alios dies jejunatis, per hos augete quod facitis. Qui

Luca 21. 34.
Pia opera ferventiùs exercenda per Quadragesimam.

[a] Possidius in Indiculo cap. 10. recenset, *de Quadragesima ante Pascha Tractatus quinque.* Sex tamen aut septem hîc habes; è quibus unum hunc citant Beda & Florus ad Gal. 5.

Classis II.

per alios dies perpetuâ continentiâ crucifigitis corpus, per hos Deo vestro crebrioribus & intentioribus inhærete orationibus. Omnes unanimes, omnes fideles fideliter, omnes in hac peregrinatione unius patriæ desiderio suspirantes, & amore ferventes. Donum Dei, quod ipse non habet, nullus in altero invideat, nullus irrideat. In spiritalibus bonis, tuum deputa, quod amas in fratre: suum deputet, quod amat in te. Nemo sub abstinentiæ specie, mutare affectet potiùs, quàm resecare delicias; ut pretiosos cibos quærat, quia carne non vescitur, & inusitatos liquores, quia vinum non bibit: ne per occasionem quasi domandæ carnis, magis agat negotium voluptatis. Alimenta quidem mundis munda sunt omnia: sed in nullo est munda luxuria.

A litibus in primis jejunandum. Isai. 58. 3. &c.

3. Præ ceteris, Fratres, à litibus & discordiis jejunate. Mementote Prophetam quibusdam exprobrantem atque clamantem, *In diebus jejunii vestri, inveniuntur voluntates vestræ, quòd omnes qui sub jugo vestro sunt stimulatis, & cæditis pugnis; auditur in clamore vox vestra*: & cetera talia. Quibus commemoratis adjunxit, *Non hoc jejunium ego elegi, dicit Dominus.* Si clamare vultis, illum frequentate clamorem, de quo scriptum est (Psal. 141. 2.), *Voce mea ad Dominum clamavi.* Ille quippe non est litis, sed caritatis; nec carnis, sed cordis. Non est talis ille, de quo dicitur (Isai. 5. 7.), *Exspectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem; & non justitiam, sed clamorem. Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis* (Luca 6. 37. & 38.). Hæ sunt duæ alæ orationis, quibus volat ad Deum: si illud quod committitur, ignoscit delinquenti, & donat egenti.

* Aliàs de Diversis 70.

* SERMO CCVI.

In Quadragesima, II.

Quadragesimæ tempus operibus pietatis & humilitatis fervere debet.

1. ANNIVERSARIO reditu Quadragesimæ tempus advenit, quo vobis exhortatio nostra debetur: quia & vos tempori congrua Domino opera vestra debetis: quæ tamen non Domino utilia possint esse, sed vobis. Orationibus, jejuniis, eleemosynis & alia quidem tempora debent Christiano fervere: verumtamen & illos qui diebus aliis in his pigri sunt, debet ista sollemnitas excitare; & ii qui per alios dies ad ista sunt alacres, nunc ea debent ferventiùs exercere. Tempus quippe humilitatis nostræ vita in hoc sæculo est, quam dies significant isti, Domino pro nobis Christo, qui semel moriendo passus est, velut annis omnibus revoluta sollemnitate passuro. Quod enim semel in toto tempore factum est, ut vita nostra novaretur; celebratur annis omnibus, ut in memoriam revocetur. Si ergo veracissimæ pietatis affectu, toto peregrinationis hujus tempore, quo in mediis tentationibus vivimus, humiles corde esse debemus: quantò magis his diebus, quibus ipsum tempus humilitatis nostræ non solùm vivendo agimus, sed etiam celebrando significamus? Humiles esse nos docuit humilitas Christi, quia impiis moriendo cessit: excelsos nos facit celsitudo Christi, quia pios resurgendo præcessit. *Si enim commortui sumus*, ait Apostolus (2. Tim. 2. 11. & 12.), *& convivemus: si toleramus, & conregnabimus.* Unum horum modò, tamquam ejus propinquante passione; alterum post Pascha, tamquam ejus re-

Serm. de Tempore.

A surrectione completa, devotione debita celebramus. Tunc enim post dies hujus humilitatis, etiam nostræ celsitudinis tempus, etsi nondum videndo agere vacat; jam tamen præmeditando significare delectat. Nunc itaque orationibus ingemiscamus instantiùs: tunc uberiùs exhilarabimur laudibus.

Oratio fulcienda jejunio & eleemosyna.

2. Sed orationibus nostris, quibus ad Deum faciliùs volando perveniant, eleemosynis & jejuniis pennas pietatis addamus. Hinc autem in- B telligit animus Christianus, quantum remotus esse debet à fraude alienæ rei; quando sentit SIMILE ESSE FRAUDI, si superflua sua non tribuerit indigenti. Dominus dicit (Luca 6. 37. & 38.), *Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis.* Hæc duo genera eleemosynarum, tribuendi & ignoscendi, clementer & ferventer operemur; qui nobis à Domino ut bona tribuantur, & mala non retribuantur, oramus. *Date*, inquit, *& dabitur vobis.* Quid verius, quid justius; ut qui C dare detrectat, se fraudet ipse, nec accipiat? Si impudenter agricola quærit messem, ubi se novit non præmisisse semen; quantò impudentiùs quærit Deum divitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit. Deum ergo nostrum egentem non spernamus in paupere, ut egentes satiemur in divite. Habemus egentes, & egemus: demus ergo, ut accipiamus. Verumtamen quid est quod damus? Et pro isto exiguo, D visibili, temporali atque terreno, quid est quod accipere desideramus? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit* (1. Cor. 2. 9.). Nisi ipse promitteret, impudentiæ fuisset dare ista, & accipere velle illa: & nolle dare nec ista: * quæ tamen ista nec ipsa haberemus, nisi dante illo, qui exhortatur ut demus. Qua igitur fronte in utrisque speramus dantem, si in minimis contemnimus imperantem? *Dimittite, & dimittetur vobis.* Hoc est, Ignoscite, & ignoscetur vobis. Conser- E vus conservo reconcilietur; ne justè servus à Domino puniatur. In hoc genere eleemosynæ, nullus est pauper. Potest hoc facere ut in æternum vivat, etiam qui ad tempus non habet unde vivat. Gratìs datur, dando cumulatur, quæ non consumitur, nisi quando non erogatur. Cujus ergo usque ad hos dies inimicitiæ perdurarunt, confundantur atque finiantur. Finiantur, ne finiant: non teneantur, ne teneant: perimantur per redemtorem, ne perimant retentorem.

Duo genera eleemosynarum.

In paupere pascitur Deus.

* Aliquid hic supplendum.

Nemo pauper in altero eleemosynæ genere.

Jejunia Deo accepta.

F 3. Jejunia vestra non sint talia, qualia Propheta condemnat, dicens (Isai. 58. 5.), *Non hoc jejunium elegi, dicit Dominus.* Arguit enim jejunia litigiosorum: quærit piorum. Arguit opprimentes: quærit relaxantes. Arguit inimicantes: quærit liberantes. Inde enim per hos dies à rebus licitis desideria vestra frenatis, ne illicita committatis. Nullis diebus se ingurgitet vino, nec adulterio, qui diebus istis temperat à conjugio. Ita oratio nostra humilitate & caritate, jejunando & dan- G do, temperando & ignoscendo, bona tribuendo & mala non retribuendo, à malo declinando & bona faciendo, quærit pacem, & consequitur eam. Volat enim talibus oratio pennis adminiculata virtutum: & quò Christus pax nostra præcessit, faciliùs perfertur in cælum.

CLASSIS II.

Serm. de Tempore.

* Aliàs de Diversis 71.

* SERMO CCVII.

In Quadragesima, III.

Eleemosyna isto maximè tempore eroganda.

1. IN adjutorio misericordiæ Domini Dei nostri, tentationes sæculi, insidiæ diaboli, mundi labor, carnis illecebra, turbulentorum temporum fluctus, & corporalis omnis atque spiritalis adversitas, eleemosynis, & jejuniis, atque orationibus superandæ sunt. Hæc cùm per totam vitam fervere debeant Christiano; tum maximè propinquante [a] sollemnitate Paschali, quæ suo reditu anniversario nostras excitat mentes, innovans in eis memoriâ salutari, quod Dominus noster unicus Dei Filius misericordiam præstitit nobis, jejunavit oravitque pro nobis. Eleemosyna quippe Græcè, misericordia est. Quæ autem major esse misericordia super miseros potuit, quàm illa quæ cæli creatorem de cælo deposuit, & terreno corpore terræ induit conditorem; eum qui in æternitate Patris manet æqualis, mortalitate coæquavit & nobis, formam servi mundi Domino imposuit; ut ipse panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, vita moreretur? Hoc autem ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, exstingueretur iniquitas, ardesceret caritas. Quæ major misericordia, quàm creari creatorem, servire dominatorem, vendi redemtorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem? Nobis de præbendis eleemosynis præcipitur ut panem demus esurienti: ille se ipsum ut nobis daret esurientibus, priùs pro nobis se tradidit sævientibus. Præcipitur nobis ut peregrinum recipiamus: ille pro nobis in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Ipsum denique benedicat anima nostra, qui propitius fit omnibus iniquitatibus ejus, qui sanat omnes languores ejus, qui redimit de corruptione vitam ejus, qui eam coronat in miseratione & misericordia: qui satiat in bonis desiderium ejus. Exerceamus itaque eleemosynas nostras tantò impensiùs, tantòque frequentiùs, quantò propinquior fit dies, qua nobis prærogata eleemosyna celebratur. Quia JEJUNIUM SINE MISERICORDIA ei nihil est qui jejunat.

Johan. 1. 11.

Psal. 102. 3. &c.

Jejunium & abstinentia qualis requiritur.

Philip. 2. 8.

2. Jejunemus etiam humiliantes animas nostras, appropinquante die quo magister humilitatis humiliavit semetipsum, factus subditus usque ad mortem crucis. Imitemur ejus crucem, abstinentiæ clavis edomitas concupiscentias configentes. Castigemus corpus nostrum, & servituti subjiciamus: & ne per indomitam carnem ad illicita prolabamur, in ea domanda aliquantùm & licita subtrahamus. Crapula & ebrietas etiam per dies ceteros devitanda: per hos autem dies etiam concessa prandia removenda. Adulteria & fornicationes semper exsecranda atque fugienda: his autem diebus & à conjugibus temperandum est. Facile tibi obtemperabit caro, ne inhæreat alienis, quæ refrenari consueverit & à suis. Sanè cavendum est ne mutes, non minuas voluptates.

Minuendæ voluptates, non mutandæ.

Videas enim quosdam pro usitato vino, inusitatos liquores exquirere, & aliorum expressione pomorum, quod ex uva sibi denegant, multo suaviùs compensare; cibos extra carnes multiplici A varietate ac jocunditate conquirere; & suavitates quas alio tempore consectari pudet, huic tempori quasi opportunè colligere: ut videlicet observatio Quadragesimæ non sit veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio. Hæc, Fratres, ne vobis persuasa subrepant, quantâ potestis vigilantiâ providete. Parsimonia jejuniis conjungatur. Sicut ventris castiganda saturitas, ita gulæ irritamenta cavenda sunt. Non humanorum alimentorum genera B detestanda, sed carnalis est delectatio refrenanda. Esaü non pingui vitulo vel volatilibus saginatis, sed immoderatè concupitâ lenticulâ reprobatus est. Sanctum David aquam plus justo desiderasse pænituit. Non operosis ergo neque pretiosis, sed in promtu positis & quibusque vilioribus alimentis est corpus à jejunio reficiendum, vel potiùs fulciendum.

Gen. 25. 30.

1. Paral. 11. 18.

Oratio jejunantis libera sit à cupiditate & odio.

3. His diebus adminiculis piarum eleemosynarum & frugalium jejuniorum oratio nostra in C superna sustollitur: quia nec impudenter à Deo misericordia petitur, cùm ab homine homini non negatur, nec serena cordis petentis intentio carnalium voluptatum phantasmatibus nubilis impeditur. Sit autem oratio casta, ne fortè non quod caritas, sed quod cupiditas quærit, optemus; ne inimicis mali aliquid imprecemur; ne in quos nocendo vel vindicando non possumus, orando sæviamus. Certè sicut nos apti efficimur ad orandum eleemosynis & jejuniis, sic & ipsa D nostra oratio facit eleemosynas, cùm dirigitur atque profunditur, non pro amicis tantùm, verùm etiam pro inimicis, & jejunat ab ira & odio & à perniciosissimis vitiis. Si enim nos jejunamus à cibis, quantò potiùs illa à venenis? Denique nos debitis opportunisque temporibus alimentorum perceptione reficimur: numquam illam escis talibus oblectemus. Perpetua suscipiat ista jejunia: quia est illi cibus proprius, quem sumere sine intermissione præcipitur. Semper ergo E jejunet ab odio, semper dilectione pascatur.

Quomodo oratio facit eleemosynas.

* Aliàs de Diversis 72.

* SERMO CCVIII.

In Quadragesima, IV.

Quadragesimalis abstinentia qualis esse debet.

1. SOLLEMNE tempus advenit, quo Vestram commoneamus & exhortemur in Domino Caritatem: quamquam ipsum tempus, etiam tacentibus nobis, satis vos admoneat & hortetur; ut jejuniis & orationibus F & eleemosynis solito instantiùs & alacriùs ferveatis. Sed ministerium nostri sermonis accedit, ut & vocis hujus tubâ, vires suas spiritus vester adversùs carnem dimicaturus accipiat. Sint ergo vestra jejunia sine litibus, clamoribus, cædibus: ut etiam qui sub jugo vestro sunt, remissionem cautam sentiant & benignam: ut aspera severitas refrenetur, non ut salubris disciplina solvatur. Cùm verò aliquo genere ciborum etiam concessorum atque licitorum, caussâ castigandi corporis G abstinetis, mementote omnia munda mundis: ne quid putetis immundum, nisi quod infidelitas inquinaverit. *Immundis enim & infidelibus*, ait Apostolus, *nihil est mundum.* Sed planè fidelium corpora cùm servituti subjiciuntur, proficit spiritali saluti, quidquid corporali minuitur voluptati. Ideoque cavendum est, ne pre-

Tit. 1. 15.

[a] Colbertinus MS. *appropinquante Dominicâ, qua suo &c.*

Classis II.

Restringendæ deliciæ, non mutandæ.

tiosas escas vel pro aliis alias, vel etiam pretiosiores A sine carnibus animalium requiratis. Cùm enim corpus castigatur, & servituti subjicitur, restringendæ sunt deliciæ, non mutandæ. Quid enim interest in quali cibo concupiscentia immoderata culpetur? Non utique de solis carnibus, sed etiam de quibusdam pomis & [a] agriculturæ alimentis Israëlitarum concupiscentia divinâ voce damnata est. (Gen. 25. 30.) Et Esaü, non propter offam suillam, sed propter lenticulam defricatam, sua primogenita perdidit. B Ut omittam quid esuriens (Matth. 4. 3.) Dominus tentatori etiam de ipso pane responderit: qui certè non suam carnem quasi rebellem domabat, sed quid in talibus tentationibus respondere debeamus misericorditer admonebat. Quapropter, Carissimi, à quibuscumque cibis vobis placuerit abstinere; mementote ut propositum vestrum piâ temperantiâ conservetis, non ut Dei creaturam sacrilego errore damnetis. Quicumque etiam estis conjugibus alligati, nunc maximè Apostolica monita nolite contemnere, C (1. Cor. 7. 5.) ut invicem abstineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. Quod enim & aliis diebus utiliter fit, nimis inverecundum est si modò non fiat. Arbitror onerosum non esse debere, anniversaria observatione sollemnibus diebus hoc facere conjugatos, quod viduæ ex quadam vitæ parte professæ sunt, quod totâ vitâ sanctæ virgines susceperunt.

Eleemosynæ opera amplificanda.

2. Jam verò eleemosynas his diebus augere, quodam modo ex debito est. Ubi enim justiùs D quàm miserendo impenditis, quod vobis abstinendo demitis? Et quid iniquius, quàm ut quod minus erogat abstinentia, servet permanens avaritia, aut consumat dilata luxuria? Intendite itaque quibus debeatis quod vobis denegatis: ut quod detrahit temperantia voluptati, addat misericordia caritati. Quid jam dicam de illo opere misericordiæ, ubi nihil de apothecis, nihil de sacculo impenditur, sed ex corde dimittitur; quod magis si maneat, quàm si recedat, incipit E esse damnosum? Iram dico adversùs aliquem in corde servatam. Quid autem stultius, quàm inimicum forinsecùs devitare, & multò pejorem in præcordiis intimis retinere? Unde Apostolus dicit, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Moxque subjungit, *Neque detis locum diabolo.* (Ephes. 4. 26. & 27.) Tamquam hoc agat, qui non citò iram pellit ex animo, ut per illam velut per januam aditum præstet diabolo. Primitus itaque agendum est, ut super iram non occidat iste sol; ne deserat ipsam F mentem justitiæ sol. Sed in cujus pectore adhuc usque permansit, pellat eam saltem jam proximus dies Dominicæ passionis, qui non est iratus interfectoribus suis, pro quibus in ligno pendens & precem fudit & sanguinem. In cujuscumque ergo vestrûm pectore usque ad istos sanctos dies fronte impudentissima perduravit, nunc inde saltem ira discedat, ut oratio secura procedat: nec offendat, aut palpitet, aut sub conscientiæ stimulis obmutescat, cùm ad eum locum venerit, G ubi dicendum est, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (Matth. 6. 12.) Aliquid petituri estis ne vobis retribuatur, & aliquid ut tribuatur. *Remittite* ergo, *& remittetur vobis: date, & dabitur vobis.* (Luc. 6. 37. & 38.) Hæc, Fratres, etiam si non admoneam, perpetua meditatione curare debetis. Cùm verò tot divinorum testimoniorum ministra vox nostra, diei quoque præsentis celebritate juvetur; timere non debeo ne me, vel potiùs omnium Dominum in me, aliquis vestrûm fortè contemnat: sed sperare potiùs quòd grex ejus agnoscens ejus esse quod dicitur, eum efficaciter exaudiendus exaudiat.

[a] Ita Victorinus MS. Alii verò cum Lov. *& agricolis alimentis.*

Serm. de Tempore.

* SERMO CCIX.

In Quadragesima, V.

* *Aliàs de Diversis 73.*

Quadragesimali observatione finiendæ inimicitiæ.

1. SOLLEMNE tempus advenit, quando de anima adtentiùs cogitanda & corpore castigando Vestram commoneam Caritatem. Hi sunt enim quadraginta dies sacratissimi toto orbe terrarum, quos propinquante Pascha universus mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, prædicanda devotione concelebrat. Si quæ inimicitiæ, quæ vel nasci non debuerunt, vel citò mori debuerunt, & tamen usque ad hoc tempus sive negligentiâ, sive pertinaciâ, sive non modestâ, sed superbâ verecundiâ, inter fratres perdurare potuerunt; saltem modò finiantur. Super quas sol non debuit occidere, saltem post multos solis ortus & occasus, etiam ipsæ suo tandem aliquando exstinguantur occasu, nec ulteriùs ullo renoventur exortu. Negligens inimicitias finire obliviscitur; pertinax veniam non vult concedere, cùm rogatur; superbè verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt: sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. Qui se concordiæ recolit neglectorem, excutiat expergiscendo torporem: qui se cupit esse sui debitoris exactorem, Dei se cogitet debitorem: qui erubescit petere ut sibi frater ignoscat, vincat per bonum timorem malum pudorem: ut noxiis inimicitiis finitis, ut eis mortuis, vos vivatis. Totum hoc caritas agit, quæ non agit perperam. (1. Cor. 13. 4.) Caritas, Fratres mei, in quantum adest, exerceatur bene vivendo: in quantum autem minùs est, impetretur petendo.

Tria vitia, quibus inimicitiæ vivunt.

Orationes eleemosynis adminiculandæ.

2. Ut autem nostræ orationes congruis adminiculis adjuventur, quoniam in his diebus ferventiores eas habere debemus; etiam eleemosynas ferventiùs erogemus. Ipsis adjiciatur, quod nobis jejunando & à cibis solitis abstinendo detrahitur. Quamvis eas debeat largiores habere, qui propter aliquam necessitatem corporis sui & consuetudinem alimentorum non potest abstinere, ut hoc addat pauperi, quod sibi detrahit: sed ideo plus det pauperi, quia sibi non detrahit; ut quoniam minùs potest orationes suas castigatione corporis adjuvare, abundantiorem in corde pauperis includat eleemosynam, quæ pro illo possit orare. De Scripturis sanctis hoc est saluberrimum amplectendumque consilium: *Include*, inquit, *eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit.* (Eccli. 29. 15.)

Abstinentia qualis suscipienda.

3. Admonemus etiam eos qui se à carnibus abstinent, ne vasa in quibus sunt coctæ tamquam immunda devitent. Sic enim loquens Apostolus, ait, *Omnia munda mundis.* (Tit. 1. 15.) Quod enim fit in hujusmodi observationibus sanâ doctrinâ, non fit caussâ immunditiæ devitandæ, sed concupiscentiæ refrenandæ. Unde & illi qui sic se à carnibus

CLASSIS II.

temperant, ut alias escas & difficilioris præparationis & pretii majoris inquirant, multùm errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam. Quomodo istis dicturi sumus, ut quod sibi detrahunt dent pauperi; à quibus solitus ita cibus relinquitur, ut in alio comparando sumtus augeatur? Estote ergo his diebus & crebriùs jejunantes, & vobis parciùs impendentes, & egenis largiùs tribuentes. A conjugali quoque concubitu, hi dies postulant continentiam: *ad tempus*, ait Apostolus, *ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter intemperantiam vestram.* Non est hoc arduum atque difficile diebus paucis fidelibus conjugatis, quod à certo vitæ articulo usque in finem sanctæ viduæ susceperunt, quod totâ vitâ sanctæ virgines faciunt. Atque in his omnibus ferveat devotio, comprimatur elatio. Nemo sic gaudeat de bono largitatis, ut bonum amittat humilitatis. Omnia verò cetera Dei dona non faciunt prodesse aliquid, nisi adsit vinculum caritatis.

1. Cor. 7. 5.

* Aliàs de Diversis 74.

* SERMO CCX.

In Quadragesima, VI.

CAPUT I. In Quadragesima considerandum anni tempus & dierum numerus.

1. SOLLEMNE tempus advenit, quod ampliùs quàm per anni cetera spatia, nos orationibus atque jejuniis animam humiliare, & corpus castigare commoneat. Cur autem hoc propinquante sollemnitate Dominicæ passionis, & cur quadragesimi numeri mysterio celebretur, quoniam solet movere nonnullos, meritò de hac re quod dicendum Dominus donare dignatus est, ad Vestram Caritatem proferre suscipimus. Quos autem ista non ad litigandum, sed ad cognoscendum quærere novimus, eorum fide atque pietate multùm adjuvamur, ut dicenda impetrare possimus.

Quæstio, cur eo tempore jejunetur, ante baptismi celebrationem.

2. Hoc enim solet facere quæstionem, cur ipse Dominus Jesus Christus, qui humano corpore assumto ad hoc utique hominibus homo factus apparuit, ut nobis & vivendi & moriendi & resurgendi præberet exemplum, non antè quàm baptizaretur, sed postea quàm baptizatus est jejunavit. Sic enim scriptum est in Evangelio: *Baptizatus autem confestim adscendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem super se. Et ecce vox de cælis dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. * Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Nos autem cum eis qui baptizandi sunt, ante diem baptismi eorum, qui dies Paschalis appropiat, jejunamus, post quem diem per dies quinquaginta jejunia relaxamus. Quod meritò movere deberet, si baptizare vel baptizari nisi die Paschali sollemnissimo non liceret. At cùm per totum annum, sicut unicuique vel necessitas fuerit vel voluntas, non prohibeatur à baptismo, id donante illo qui dedit eis potestatem filios Dei fieri; anniversariam verò Domini passionem, nonnisi certo anni die, quod Pascha dicitur, liceat celebrari: baptismi sacramentum à Pascha procul dubio distinguendum est. Hoc enim omni die licet accipere: illud uno & certo anni die fas est agere. Hoc ad innovandam vitam datur: illud ad religionis memoriam commendatur. Sed quòd ad illum diem longè major baptizandorum numerus confluit, non gratia uberior salutis hîc distat, sed lætitia major festivitatis invitat.

Matth. 3. 16. & 17.

Matth. 4. 1. & 2.

Responsio.

Johan. 1. 12.

SERM. DE TEMPORE.

CAPUT II. Baptismus Johannis à baptismo Christi discernendus.

3. Quid quòd etiam baptismus Johannis, quem tunc Christus accepit, à baptismo ipsius Christi, quem fideles ejus accipiunt, discernendus est; nec ideo ille quo baptizatus est Christus, melior est isto quo baptizatur Christianus, quia Christiano melior est Christus; sed ideo magis istud baptismum, quia Christi est, illi præponitur? Johannes enim baptizavit Christum, cùm se Christo confiteretur minorem: Christus autem baptizat Christianum, qui se ostendit & Johanne majorem. Sicut circumcisione carnis, quamvis eam & Christus accepit, & nemo Christianus nunc accipit, melius est sacramentum resurrectionis Christi, quo ad exspoliandam carnalem ac veterem vitam circumciditur Christianus, ut audiat Apostolum dicentem, *Sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Sicut ipsum vetus Pascha, quod agni occisione celebrare præceptum est, non ideo quia hoc cum discipulis celebravit Christus, melius est quàm Pascha nostrum, quo immolatus est Christus. Pertinuit enim ad præbendum nobis humilitatis & devotionis exemplum, ut illa etiam sacramenta veniens suscipere dignaretur, quibus venturus ipse prænuntiabatur: ut hinc ostenderet quanta religione nos oportet hæc suscipere sacramenta, quibus jam venisse nuntiatur. Non ergo quia Christus post acceptum Johannis baptismum continuò jejunavit, tamquam regulam observationis dedisse credendus est, ut post ipsius Christi baptismum acceptum, continuò jejunare necesse sit: sed planè illo exemplo docuit jejunandum esse, quando fortè acriore luctamine cum tentatore confligimus. Ob hoc enim Christus, qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, ut Christianus magisterio ejus instructus non possit à tentatore superari. Sive ergo continuò post baptismum, sive quolibet intervallo temporis interposito, quando simile prœlium tentationis infertur homini, jejunandum est: ut & corpus impleat de castigatione militiam, & animus impetret de humiliatione victoriam. In illo ergo Dominico exemplo illius caussa jejunii, non Jordanis tinctio, sed diaboli tentatio fuit.

Rom. 6. 4.

Sacramenta veteris Legis cur suscepit Christus.

Quando tentatio infertur, jejunandum.

CAPUT III. Cur Quadragesimale jejunium ante Pascha.

4. Cur autem nos ante sollemnitatem passionis Dominicæ jejunemus, & illa jejuniorum relaxatio quinquagesimo die perficiatur, hæc ratio est. Omnis qui rectè jejunat, aut animam suam in gemitu orationis & castigatione corporis humiliat ex fide non ficta, aut [a] ab illecebra carnali inopiâ aliquâ spiritali veritatis & sapientiæ delectatione suspensa ad famem sitimque tolerandam descendit ejus intentio. De utroque jejunii genere Dominus respondit interrogantibus cur discipuli ejus non jejunarent. Nam de illo primo, quod habet animæ humiliationem: *Non possunt*, inquit, *lugere filii sponsi, quamdiu cum eis est sponsus. Sed veniet hora quando auferetur*

Matth. 9. 15.

[a] Locus perplexus, quem B. Thoma in Catena ad Mat. 9. ita refert, *aut illecebras carnales spiritalis sapientiæ delectatione suspendit. De utroque &c.*

ab

Classis II.

ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. De illo autem altero, quod habet epulas mentis, ita consequenter locutus est: *Nemo assuit pannum novum vestimento veteri, ne major scissura fiat: neque mittunt vinum novum in utres veteres, ne & utres rumpantur, & vinum effundatur; sed vinum novum in utres novos mittunt, & utraque servantur.* Proinde quia jam sponsus ablatus est, utique nobis filiis illius pulcri sponsi, lugendum est. Speciosus enim formâ præ filiis hominum, cujus diffusa gratia in labiis ejus, inter manus persequentium non habuit speciem neque decorem, & ablata est de terra vita ejus. Et rectè lugemus, si flagramus desiderio ejus. Beati quibus eum licuit ante passionem tunc habere præsentem, interrogare sicut vellent, & audire sicut audire deberent. Illos dies concupierunt videre patres ante adventum ejus, neque viderunt: quia in alia dispensatione fuerant ordinati, per quos venturus annuntiaretur, non à quibus veniens audiretur. De his enim ad discipulos loquitur dicens, *Multi justi & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* In nobis autem illud impletum est, quod ipse itidem dicit, *Venient dies, quando desiderabitis videre unum de diebus istis, & non poteritis.*

Ibidem 16. & 17. — Ablato sponso filiis lugendum. — Psal. 44.3. — Isai 53. 2. & 8. — Matth. 13. 17. — Lucæ 10. 24. — Lucæ 17. 22.

Caput IV. — Cur gemendum & jejunandum in hac vita.

5. Quis non sancti desiderii flammâ uratur? quis non hîc lugeat? quis non laboret in gemitu suo? quis non dicat, *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* Credimus quippe in eum jam sedentem ad dexteram Patris: sed tamen quamdiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo, nec eum dubitantibus vel negantibus & dicentibus, *Ubi est Deus tuus*, valemus ostendere. Meritò Apostolus ejus concupiscebat dissolvi, & esse cum illo: manere autem in carne non sibi optimum ducebat, sed necessarium propter nos. Ubi cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ; quoniam deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Inde tentatio est vita humana super terram: & in hac sæculi nocte circuit leo quærens quem devoret. Non Leo de tribu Juda, rex noster: sed leo diabolus, adversarius noster. Ille autem quatuor animalium de Apocalypsi Johannis figuras in se uno exprimens, natus ut homo, operatus ut leo, immolatus ut vitulus, volavit ut aquila. *Volavit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum.* Posuit tenebras, & facta est nox, in qua pertranseunt omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes, tentatores videlicet per quos diabolus quærit quem devoret; non quidem habentes potestatem, nisi in eis quos acceperint: quia & in Psalmo ipso ita sequitur, *Quærentes à Deo escam sibi.* In tam periculosa & tentationibus plena hujus sæculi nocte quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus judicetur qui devorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Unde jejunandum & orandum est.

Psal. 41.4 — 2. Cor. 5.6. — Philip. 1.23. — Sap. 9. 14. — Job. 7.1. — 1. Petr. 5.8. — Apoc. 4. — Psal. 17.11. & 12. — Psal. 103. 20. &c.

Caput V. — Jejunium ante sollemnitatem passionis Christi maximè conveniens.

6. Et quando potiùs, quando instantiùs, quàm propinquante ipsa Dominicæ passionis sollemnitate, qua celebritate anniversaria quodam modo nobis ejusdem noctis memoria resculpitur, ne oblivione deleatur, ne nos non corpore, sed spiritu dormientes, ille rugiens devorator inve-

Serm. de Tempore.

A niat. Nam & ipsa Dominica passio, quid nobis aliud in capite nostro Christo Jesu, quàm ipsam vitæ hujus tentationem maximè commendavit? Unde adveniente jàm mortis suæ tempore, Petro dixit, *Postulavit satanas vexare vos sicut triticum; & ego rogavi, Petre, pro te, ne deficiat fides tua: vade & conforta fratres tuos.* Et planè confortavit nos per apostolatum, per martyrium, per epistolas suas. Ubi etiam noctem, de qua loquor, admonens formidandam, consolatione B prophetiæ tamquam nocturni luminis, ut cauti vigilaremus, edocuit. *Habemus*, inquit, *certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, tamquam lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.*

Lucæ 22. 31. & 32. — 2. Petri 1. 19.

7. Sint ergo lumbi nostri accincti, & lucernæ ardentes, & nos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando veniat à nuptiis. Nec dicamus invicem nobis, *Manducemus & C bibamus, cras enim moriemur.* Sed eò magis, quò incertus est mortis dies, & molestus est vitæ dies, jejunemus & oremus, cras enim moriemur. *Pusillum*, inquit, *& non videbitis me; & iterum pusillum, & videbitis me.* Hæc est hora de qua dixit, *Vos tristes eritis, sæculum autem gaudebit:* id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. *Sed iterum*, inquit, *videbo vos, & gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemo auferet à vobis.* In hac spe fidelissimi promissoris etiam D nunc utcumque gaudemus, donec veniat illud uberrimuum gaudium, cùm similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & gaudium nostrum nemo auferet à nobis. Hujus enim spei tam gratum & gratuitum etiam pignus Spiritumsanctum accepimus, qui in cordibus nostris inenarrabiles gemitus operatur sanctorum desideriorum. *Concepimus enim*, sicut ait Isaias, *& parturivimus spiritum salutis.* Et *mulier cùm parturit*, ait Dominus, *tristitia est illi, quoniam venit dies* E *ejus: sed cùm pepererit, fit gaudium magnum, quoniam natus est homo in sæculum.* Hoc erit gaudium, quod nemo auferet à nobis; quo in æternum lumen ex hac fidei conceptione transfundemur. Nunc ergo jejunemus, & oremus, cùm dies parturitionis est.

Lucæ 12. 35. — 1. Cor. 15. 32. — Dies nunc laboris & tristitiæ. — Johan. 16. 19. — Ibidem 20. &c. — 1. Johan. 3. 2. — Isai. 26.18. — Johan. 16. 21.

8. Hoc totum corpus Christi per totum orbem diffusum, id est, tota hoc agit Ecclesia, & illa unitas quæ dicit in Psalmo, *A finibus terræ ad te clamavi, dum angeretur cor meum.* * Unde F jam nobis elucet cur Quadragesima instituta sit hujus humiliationis sollemnitas. Quæ enim à finibus terræ clamat, cùm angitur cor ejus, à quatuor orbis terræ partibus clamat, quas frequenter etiam Scriptura commemorat, Oriente & Occidente, Aquilone & Meridie. Per hoc totum ille decalogus Legis, jam non per litteram tantummodo metuendus, sed per gratiam caritatis implendus, indictus est. Unde quater multiplicatis decem, videmus quadraginta compleri. Sed G adhuc in labore tentationis, cum venia delictorum. Quis enim perfectè implet, *Non concupisces?* Unde jejunandum & orandum est: à bono tamen opere non cessandum. Cui labori merces illa redditur in fine, quæ denarii nomine nuncupatur. Sicut autem ternarius à tribus, quaternarius à quatuor; ita denarius à decem nomen accepit: qui conjunctus quadragenario tamquam

Jejunium quadragenario numero cur institutum. — Psal. 60.3. — * Caput VI. — Exodi 20. 17. — Deut. 5.21.

Classis II.

Quinquagenarii ratio.

merces labori redditur. Quinquagenarii numeri figura tempus illius gaudii significat, quod nemo auferet à nobis: cujus in hac vita nondum functionem habemus; sed tamen post sollemnitatem Dominicæ passionis à die resurrectionis ejus per dies quinquaginta, quibus jejunia relaxamus, hoc in Dominicis laudibus personante Halleluia celebramus.

Quadragesimæ tempus abstinentiâ & piis operibus magis fervere debet.

9. Nunc itaque, in persona Christi, ut non circumveniamini à satana, exhortor vos, Dilectissimi, ut quotidianis jejuniis, largioribus eleemosynis, ferventioribus orationibus Deum propitietis. Nunc tempus est, quo & conjugati ab uxoribus, & nuptæ à suis viris abstineant, ut orationibus vacent: quamquam & per totum annum certis diebus hoc facere debeant: & quantò crebriùs, tanto utique meliùs: quia & qui concessa immoderatè appetit, eum qui concessit offendit. Oratio quippe spiritalis res est, & ideo tantò est acceptior, quantò magis suæ naturæ implet effectum. Tantò magis autem spiritali opere funditur, quantò magis animus qui eam fundit, à carnali voluptate suspenditur.

*Caput VII.

* Quadraginta diebus jejunavit Moyses Legis administrator, quadraginta Elias excellentissimus Prophetarum, quadraginta ipse Dominus testimonium habens à Lege & Prophetis. Inde cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem qui tam longum jejunium perpetuare non possumus, ut per tot dies & noctes nihil alimentorum, sicut & illi, accipiamus, saltem quantum possumus faciamus; ut exceptis diebus per quos certis de caussis mos Ecclesiæ prohibet jejunare, Domino Deo nostro vel quotidiano vel crebro jejunio placeamus. Sed numquid sicut à cibo & potu abstinentia per tot dies non potest esse continua, sic & à concubitu non potest? cùm videamus in nomine Christi multos utriusque sexûs ab hac re penitus immunia membra Deo dicata servare. Puto non esse magnum, ut totâ Paschali sollemnitate possit conjugum castitas, quod potest totâ vitâ virginitas.

Caput VIII.

10. Jam verò illud, quamquam admonere non debui, quando quidem tempus humiliandæ animæ quantum potui maximè commendavi; tamen propter hominum errores, qui per vaniloquas seductiones & pravas consuetudines nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant, tacere non possum. Sunt quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potiùs quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis quàm veteres concupiscentias castigantes; qui copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates & sapores superare contendunt: vasa in quibus coctæ sunt carnes tamquam immunda formidant, & in sua carne ventris & gutturis luxuriam non formidant: jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem; sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis tamquam pecora præsepibus irruunt; numerosioribus ferculis corda obruunt ventresque distendunt; artificiosis & peregrinis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copiâ compescatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiant jejunando.

Deliciosi Quadragesimæ observatores.

Caput IX.

11. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut

A aliorum expressione pomorum alios sibi liquores, non salutis caussâ, sed jocunditatis, exquirant: tamquam non sit Quadragesima piæ humilitatis observatio, sed novæ voluptatis occasio. Quantò enim honestius, si stomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino usitato & modico sustentetur, quàm quærantur vina quæ vindemiam nesciunt, quæ torcularia non noverunt; non ut potus mundior eligatur, sed ut frugalior improbetur? Quid autem absurdius, quàm tempore quo caro artiùs castiganda est, tantas carni suavitates procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nolit Quadragesimam præterire? Quid inconvenientius, quàm in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possint divitum patrimonia sustinere? Cavete ista, Dilectissimi: cogitate quod scriptum est, *Post concupiscentias tuas non eas.* Quod saluberrimum præceptum si omni tempore observandum est, quantò ampliùs his diebus, quando ita turpe est si cupiditas nostra ad inusitatas laxetur illecebras, ut meritò culpetur qui non restrinxerit usitatas.

Serm. de Tempore.

Abstinentia à vino delicata.

B

Eccli. 18. 30.

C

Caput X.

Misericordiæ opera in pauperes.

12. Præcipuè sanè pauperum mementote, ut quod vobis parciùs vivendo subtrahitis, in cælesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minùs accipit Christianus. Castigatio volentis, fiat sustentatio non habentis. Voluntaria copiosi inopia, fiat necessaria inopis copia. Sit etiam in animo placabili & humili D misericors ignoscendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam: ut non possideamur à satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum. Et hæc enim MAGNI LUCRI ELEEMOSYNA EST, debitum relaxare conservo, ut tibi relaxetur à Domino. Utrumque opus bonum cælestis magister discipulis commendavit dicens, *Remittite, & remittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Mementote servi illius, cui omne debitum dominus E ejus quod donaverat, replicavit, quia conservo ipse debenti sibi centum denarios misericordiam non rependit, quam de talentorum decem millibus quæ debebat accepit. In hoc genere operis boni EXCUSATIO NULLA EST, ubi sola voluntas tota facultas est. Potest quisque dicere, Ne stomachus doleat, jejunare non possum. Potest etiam dicere, Volo dare pauperi; sed unde, non habeo: aut tantum habeo, ut timeam egere, si dedero. Quamquam & in his operibus excu- F sationes plerumque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt. Verumtamen quis est qui dicat, Ideo non ignovi veniam petenti, quia me valetudo impedivit, aut quia manus qua porrigerem non fuit? Dimitte, ut dimittatur tibi. Carnis hîc opus nullum est, nullum vel carnis suæ membrum in adjutorium animæ assumitur, ut hoc impleatur, quod rogatur. Voluntate agitur, voluntate perficitur. Fac securus, da securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. G Jam verò, Fratres, videte quid mali sit, ut pænitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est ut inimicum adhuc diligat. Quæ cùm ita sint, cùm scriptum sit, *Sol non occidat super iracundiam vestram:* considerate Carissimi, utrùm Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicitias non vult finire, quas numquam debuit exercere.

Alterum misericordiæ genus in ignoscendo.

Lucæ 6. 37. & 38.

Matth. 18. 27.

Ephes. 4. 26.

CLASSIS II.

* Alias 40. inter homilias 50.

* SERMO CCXI.

In [a] Quadragesima, VII.

De fraterna concordia, & condonatione offensarum.

CAPUT I. Finiendæ querelæ in Quadragesima.

1. DIES isti sancti, quos agimus in observatione Quadragesimæ, commonent nos de fraterna concordia loqui vobis, ut quicumque habet adversus alium querelam, finiat, ne finiatur. Nolite ista contemnere, Fratres mei. Cùm enim vita ista mortalis & fragilis, quæ inter tot terrenas tentationes periclitatur, & orat ne submergatur, non potest esse in quovis justo sine qualibuscumque peccatis; unum est remedium per quod vivere possimus, quia docuit nos magister Deus dicere in Oratione, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Pactum & placitum cum Deo fecimus, & conditionem solvendi debiti in cautione subscripsimus. Dimitti nobis plenâ fiduciâ petimus, si & nos dimittimus: si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus; ne nos ipsos fallamus. Homo se non fallat, Deus neminem fallit. Humanum est irasci: & utinam nec hoc possemus. Humanum est irasci: sed non debet iracundia tua, natus surculus brevis, suspicionibus irrigari, & ad trabem odii pervenire. Aliud est enim ira, aliud odium. Nam sæpe etiam pater irascitur filio, sed non odit filium: irascitur, ut corrigat. Si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur. Propterea dictum est, *Festucam in oculo fratris tui vides; trabem autem in oculo tuo non vides.* Culpas in alio iram, & tenes odium in te ipso. In comparatione odii, ira festuca est. Sed festucam si nutrias, trabes erit. Si evellas & projicias, nihil erit.

Matth. 6. 12.

Pactum dimittendi ut dimittatur nobis.

Aliud ira, & aliud odium.

Matth. 7. 3.

In tenebris & carcere est qui odit.

2. Si advertistis, beati Johannis, cùm ejus epistola legeretur, debuit vos terrere sententia. Ait enim, *Tenebræ transierunt, lux vera jam lucet.* Deinde secutus adjunxit, *Qui se dicit in lumine esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* * Sed fortè tales tenebras esse homo putet, quales patiuntur in carceribus inclusi. Utinam tales essent! Et tamen in talibus nemo vult esse. In his autem carcerum tenebris possunt includi & innocentes. In talibus enim tenebris inclusi sunt Martyres. Tenebræ circumquaque fundebantur, & lux [b] fulgebat in cordibus. In illis tenebris carceris oculis non videbant, sed amore fraternitatis Deum videbant. Vultis scire quales sunt istæ tenebræ, de quibus dictum est, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc?* In alio loco dicit, *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Qui odit fratrem suum, ambulat, exit, intrat, procedit, nullis catenis oneratus, nullo carcere inclusus: reatu tamen ligatus est. Noli illum putare sine carcere esse: carcer ejus, cor ejus est. Cùm audis, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc*: ne fortè contemnas tales tenebras, adjungit, & dicit, *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Odis fratrem tuum, & securus ambulas? & concordare non vis, quamvis ideo Deus spatium det tibi? Ecce jam homicida es; & adhuc vivis: si Dominum iratum haberes, cum odio fratris subitò rapereris. Parcit Deus tibi; parce tu tibi, concorda cum fratre tuo. At fortè tu vis, & ille non vult? Sufficiat tibi. Habes unde illum doleas: te solvisti. Dic, si vis concordare, & ille non vult; dic securus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

1. Johan. 2. 8. & 9.

* CAPUT II.

1. Johan. 3. 15.

A

SERM. DE TEMPORE

CAPUT III. Ignoscendum, ut possis Dominicam orationem dicere.

3. Fortè peccasti in illum, vis cum illo concordare, vis ei dicere, Frater, ignosce mihi quod B peccavi in te. Ille non vult ignoscere, non vult dimittere debitum: quod ei debes, non vult tibi dimittere. Ipse observet, quando habet orare. Quando venturus est, qui tibi noluit dimittere quod in eum fortè peccasti, quando venturus est ad Orationem, quid facturus est? Dicat, *Pater noster, qui es in cælis.* Dicat, accedat: *Sanctificetur nomen tuum.* Adhuc dic: *Veniat regnum tuum.* Sequere: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Adhuc ambula: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Dixisti: quod sequitur C vide ne fortè velis transcendere, & aliud dicere. Non est quà transire possis; ibi teneris. Dic ergo, & verum dic: aut si non habes quare dicas, *Dimitte nobis debita nostra*, noli dicere. Et ubi est illud quod idem Apostolus dixit, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est?* Si autem mordet conscientia fragilitatis, & in hoc sæculo ubique abundantia iniquitatis; dic ergo, *Dimitte nobis debita* D *nostra.* Sed quod sequitur vide. Noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es; *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus: si autem dicturus, falsum es dicturus. Ergo dic, & verum dic. Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluisti relaxare peccatum?

Matth. 6. 9. &c.

1. Johan. 1. 8.

CAPUT IV. Securus apud Deum est, cui petenti negatur venia à fratre.

4. Illum admonui: modò [c] te consolor, ô quisquis es, si tamen es, qui dixisti fratri tuo, Dimitte mihi quod in te peccavi: si dixisti ex toto E corde, si vera humilitate, non ficta caritate, quomodo Deus videt in corde unde dixisti, sed ille noluit tibi dimittere, noli esse sollicitus. Servi estis ambo, habetis Dominum: conservo tuo debes, noluit tibi dimittere: interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiserit Dominus, si potest, exigat servus. Dico aliud: Admonui ergo eum, qui noluit dimittere fratri suo, cùm petat ille dimitti sibi, ut faciat quod nolebat; ne, quando orat, non accipiat quod desiderat. Admonui F & illum, qui petivit veniam peccati sui à fratre suo, & non accepit; ut in eo quod non impetravit à fratre suo, securus sit de Domino suo. Est & aliud quod admoneam: Peccavit in te frater tuus, & noluit tibi dicere, Dimitte mihi quod in te peccavi. Abundant verba ista: utinam illa Deus eradicet de agro suo, hoc est de cordibus vestris. Quàm multi sunt enim, qui sciunt se peccasse in fratres suos, & nolunt dicere, Dimitte mihi. Non erubuerunt peccare, & erubescunt G rogare: non erubuerunt de iniquitate, & erubescunt de humilitate. * Ipsos ergo in primis admoneo. Quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, & revocatis vos ad vos, & consideratis vos, & justum judicium fertis [d] in vos,

De iis qui veniam ab homine petere erubescunt.

* CAPUT V.

[a] In Cambronensi codice inscribitur Lovaniensium testimonio, Sermo habitus Dominicâ V. Quadragesimæ. At in Regio codice prænotatur tantùm Dominicâ quintâ, omisso verbo habitus.

[b] MSS. vigebat.

[c] Sic MSS. At editi, modò consulo.

[d] Am. Er. & MSS. in vobis.

CLASSIS II.

intus in cordibus vestris, & invenitis vos non debuisse facere quod fecistis, non debuisse dicere quod dixistis, petite veniam fratres à fratribus vestris, facite fratribus quod ait Apostolus, *Donantes vobis ipsis, sicut & Deus in Christo donavit vobis*: facite, nolite erubescere [a] veniam petere. Perinde omnibus dico, viris & feminis, minoribus & majoribus, laicis & clericis: dico & mihi ipsi. Omnes audiamus, omnes timeamus. Si peccavimus in fratres nostros, si adhuc inducias vivendi accepimus, non ideo morimur: adhuc enim vivimus, nondum damnati sumus: dum vivimus, faciamus quod jubet Pater, qui erit Deus judex: & petamus veniam à fratribus, quos fortè peccando in eos aliquid offendimus, aliquid læsimus. Sunt personæ humiles pro ordine sæculi hujus, à quibus si petas veniam, extolluntur in superbiam: hoc est quod dico, aliquando dominus peccat in servum suum: quia etsi ille dominus est, ille servus; ambo tamen alieni servi sunt, quia [b] ambo Christi sanguine redemti sunt. Tamen durum videtur, ut hoc etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si fortè dominus peccat in servum suum injustè litigando, injustè cædendo; dicat ille, Ignosce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire. [c] Quid ergo? Ante oculos Dei pæniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum: & si non potest servo dicere, quia non oportet, Da mihi veniam; blandè illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio.

Ephes. 4. 32.

Venia à quibusdam nonnisi tacite & blandiendo petenda.

CAPUT VI. Nolenti petere veniam, quomodo ignoscendum ex animo.

5. Restat ut eos alloquar, in quos alii peccaverunt, & illi qui in eos peccaverunt, veniam petere noluerunt. Illos enim jam sum allocutus, qui petentibus veniam fratribus dare noluerunt. Nunc ergo cùm alloquor vos omnes, quoniam dies sancti sunt, ne discordiæ vestræ remaneant; credo quia cogitastis aliqui in cordibus vestris, qui scitis vos cum fratribus vestris aliquas habere discordias, & invenistis quòd non ipsi vos in eos peccaveritis, sed illi in vos. Etsi non modò mihi loquimini, quia meum est loqui in hoc loco, vestrum autem tacere & audire: tamen fortè cogitando loquimini, & dicitis vobis, Volo concordare, sed ille me læsit, ille in me peccavit, & non vult veniam postulare. Quid ergo? dicturus sum, Vade ad illum, & tu pete veniam? Absit. Nolo mentiaris: nolo dicas, Da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim tibi prodest, cùm tu fueris tuus accusator? Quid expetas tibi ignosci, ab eo quem non læsisti, aut in quem non peccasti? Nihil tibi prodest, nolo facias: nosti, bene discussisti, scis quia in te peccavit, non tu in illum. Scio, inquit. In ista [d] tuta scientia, sit tua conscientia. Noli venire ad fratrem tuum qui in te peccavit, & ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alii

A pacifici, qui illum objurgent, ut à te priùs veniam petat: tu tantùm paratus esto ignoscere, prorsus paratus esto ex corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti. Habes adhuc quod ores: ora pro illo, ut petat à te veniam; quia scis ei nocere si non petat, ora pro illo ut petat. Dic Domino in oratione tua, Domine, scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potiùs peccasse in me, & obesse illi quod peccavit in me, si veniam non petat à me; ego

B bono animo peto ut ignoscas ei.

SERM. DE TEMPORE.

CAPUT VII. Officulæ donandæ exemplo Christi.

6. Ecce dixi vobis quod maximè per istos dies jejuniorum vestrorum, observationum vestrarum, continentiæ vestræ, mecum agere debeatis, ut cum fratribus vestris concordetis. Gaudeam & ego de pace vestra, qui contristor litibus vestris: ut omnes donantes vobismetipsis, si quis habet adversùs aliquem querelam, securi agamus Pascha, securi celebremus ejus passionem, qui nihil cuiquam debebat, & pretium pro debentibus sol-

C vit: Dominum Jesum Christum dico, qui in neminem peccavit, & propè in illum omnis mundus peccavit; nec exegit supplicia, sed promisit præmia. Habemus ergo ipsum testem in cordibus nostris, quia si in aliquem peccavimus, vero corde veniam postulemus; si aliquis in nos peccavit, veniam dare parati simus, & pro inimicis nostris oremus. Non exspectemus vindicari, Fratres. Quid est, vindicari, nisi malo alieno pasci? Scio quotidie venire [e] homines, genua fi-

D gere, frontem terræ concutere, aliquando vultum suum lacrymis rigare; & in ista tanta humilitate ac perturbatione dicere, Domine, vindica me, occide inimicum meum. Planè ora, ut occidat inimicum tuum, & salvet fratrem tuum: occidat inimicitias, salvet naturam. Sic ora, ut vindicet te Deus: pereat qui te persequebatur, sed maneat qui tibi reddatur.

Vindicari.

* SERMO CCXII.

* Aliàs de Diversis 75.

E

In traditione Symboli, I.

Feriâ [f] secundâ post Dominicam quintam Quadragesimæ.

1. TEMPUS est ut Symbolum accipiatis, quo continetur breviter, propter æternam salutem, omne quod creditis. Symbolum autem nuncupatur à similitudine quadam, translato vocabulo; quia symbolum

Symbolū unde dictum.

F inter se faciunt mercatores, quo eorum societas, pacto fidei teneatur. Et vestra societas est commercium spiritualium, ut similes sitis negotiatoribus bonam margaritam quærentibus. Hæc est caritas, quæ diffundetur in cordibus vestris per Spiritum-sanctum, qui dabitur vobis. Ad hanc pervenitur ex fide, quæ isto Symbolo contine-

Matth. 13. 45.

Rom. 5. 5.

[a] MSS. non habent, *veniam petere.*

[b] Hìc apud Lov. additur, *ambo Christiani*: quod à ceteris libris abest.

[c] Er. & Lov. addunt, *si pæniteat eum.* Id non habent MSS.

[d] Aliquot MSS. *tua scientia*: fortè non malè, si pòst legatur, *sit tuta conscientia.* Porrò in Regio MS. habetur, *Ista tua scientia sit tua sententia.*

[e] Sic MSS. Editi verò, *venire hominem, genua figere, fronte terram concutere.*

[f] Sic inscribitur apud Lov. At in Victorino MS. notatur, *Dominicâ in ramis palmarum.* In Regio, *Feriâ secundâ*: post ipsam videlicet Dominicam palmarum; quando quidem isti Dominicæ adsignatur Sermo qui hunc in eodem codice antecedit. Testatur quidem Isidorus in lib. 1. de offic. Eccl. c. 27. Symbolum Competentibus tradi die Dominica palmarum: sed non erat Ecclesiarum omnium una & constans ubique consuetudo. Nam ex Ordinis Romani præscripto Symbolum feriâ quartâ hebdomadæ quartæ simul cum Oratione Dominica tradebatur, reddendum sabbato sancto Paschæ: eumdemque ritum describit Amalarius Fortunatus lib. 1. de offic. c. 8. In Africa verò, ætate Augustini, Symboli seorsim traditio fiebat die ante Pascha seriùs ocyùs quinto decimo, dieque ab hinc octavo redditio: post redditionem Symboli mox subsequebatur traditio Dominicæ Orationis, reddendæ post octo dies. Mos iste liquidò explicatur exordio Sermonum 58. & 59. Redditionem alteram Symboli faciendam die sabbati in vigiliis Paschæ commemorat Augustinus in eodem Ser. 58. n 1. & n. 13. ibique disertè significat Orationis redditionem non incidere in eumdem diem sabbati Paschalis: hanc tamen ipse in Ser. 227. die Paschæ habito, indicat jam factam, his verbis, *Ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis.*

Classis II.

tur: ut credatis *in Deum Patrem omnipotentem*, A invisibilem, immortalem, regem sæculorum, visibilium & invisibilium creatorem: & quidquid aliud dignè de illo vel ratio sincera, vel Scripturæ sanctæ auctoritas loquitur. Nec ab ista excellentia Dei Filium separetis. Neque enim sic ista de Patre dicuntur, ut ab illo aliena sint qui dixit, Ego & Pater unum sumus. (Johan 10. 29.) Et de quo Apostolus ait, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. (Philip. 2. 6.) Rapina quippe usurpatio est alieni: cùm illa æqualitas B natura sit. Ac per hoc quomodo non erit omnipotens Filius, per quem facta sunt omnia? cùm etiam sit virtus & sapientia Dei, (1 Cor. 1. 24.) de qua scriptum est, quod cùm sit una, omnia potest. (Sap. 7. 27.) Est autem etiam naturâ invisibilis, in ea ipsa forma, in qua æqualis est Patri. Naturâ quippe invisibile est Verbum Dei, (Johan. 1. 1.) quod in principio erat, & Deus erat: in qua natura etiam immortalis omnino, id est omni modo incommutabilis manet. Nam & anima humana secundùm quemdam modum C dicitur immortalis: sed non est vera immortalitas, ubi tanta est mutabilitas, per quam & deficere & proficere potest. Unde mors ejus est, alienari à vita Dei per ignorantiam quæ est in illa: vita verò ejus, currere ad fontem vitæ, ut in lumine Dei videat lumen. Secundùm quam vitam etiam vos per Christi gratiam reviviscetis à morte quadam, cui renuntiatis. Verbum autem Dei quod est unigenitus Filius, cum Patre semper incommutabiliter vivit; nec deficit, quia D permansio non minuitur; nec proficit, quia perfectio non augetur. Est etiam ipse sæculorum visibilium & invisibilium creator: quia sicut dicit Apostolus, (Coloss. 1. 16.) In ipso condita sunt omnia in cælo » & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, si- » ve dominationes, sive principatus, sive potesta- » tes; omnia in ipso & per ipsum creata sunt, & omnia illi constant. Sed quoniam semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens; per hanc formam servi invi- E sibilis visus est: quia *natus est de Spiritu sancto* [a] *& Maria virgine*. In hac forma servi infirmatus est omnipotens: quia *passus est sub Pontio Pilato*. Per hanc formam servi, immortalis mortuus est: quia *crucifixus est & sepultus*. Per hanc formam servi, rex sæculorum *die tertio resurrexit*. Per hanc formam servi visibilium & invisibilium creator *adscendit in cælum*, unde numquam recessit. Per hanc formam servi, *sedet ad dexteram Patris*, qui est brachium Patris: de quo dicit Propheta, (Isai. 53. 1.) F Et brachium Domini cui revelatum est? In hac forma servi, *venturus est judicare, vivos & mortuos*: in qua particeps esse voluit mortuorum, cùm sit vita vivorum. Per ipsum nobis Spiritus-sanctus missus est à Patre, & ab ipso. Spiritus Patris & Filii ab utroque missus, à nullo genitus: unitas amborum, æqualis ambobus. Hæc Trinitas unus Deus est, omnipotens, invisibilis, rex sæculorum, visibilium & invisibilium creator. Neque enim tres dominos, aut tres omnipotentes, G aut tres creatores, aut quidquid aliud de excellentia Dei dici potest dicimus: quia nec tres dii, sed unus Deus. Quamvis in hac Trinitate Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus-sanctus nec Filius sit nec Pater: sed ille Pater Filii, ille Filius Patris, ille Spiritus Patris & Filii.

Credite, ut intelligatis. Nisi enim credideritis, non intelligetis. (Serm. de Tempore. Isai. 7. 9.) Ex hac fide gratiam sperate: in qua vobis *peccata omnia dimittentur*. Hinc enim salvi eritis, non ex vobis: Dei enim donum est. Post hanc etiam mortem, quæ in omnes pertransit, quæ vetustati primi hominis debetur, sperate etiam in fine *vestrorum corporum resurrectionem*: non ad passiones dolorum, sicut resurrecturi sunt impii; nec ad gaudia carnalium desideriorum, sicut putant stulti: sed sicut Apostolus ait, Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, (1. Cor. 15. 44.) ut jam non aggravet animam; nec ullam quærat refectionem, quia nullam patietur defectionem. (Sap. 9. 15.)

2. Hinc igitur brevem sermonem de universo Symbolo vobis debitum reddidi, in quo Symbolo quod audieritis, totum in isto sermone nostro breviter collectum agnoscetis. (Symbolum memoriâ tenendum, quare.) Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo debetis scribere; sed audiendo perdiscere: nec cùm didiceritis, scribere; sed memoriâ semper tenere atque recolere. Quidquid enim in Symbolo audituri estis, in divinis sacrarum Scripturarum litteris continetur. Sed quòd ita collectum & in formam quamdam redactum non licet scribi, commemoratio fit promissionis Dei, ubi per Prophetam prænuntians Testamentum novum dixit, Hoc est Testamentum quod ordinabo eis (Jerem. 31. 33.) post dies illos, dicit Dominus, dando legem « meam in mente eorum, & in corde eorum scri- « bam eam. Hujus rei significandæ causâ, audiendo Symbolum discitur: nec in tabulis, vel in aliqua materia, sed in corde [b] scribitur. Præstabit ille qui vos vocavit ad suum regnum & gloriam, ut ejus gratiâ regeneratis vobis, etiam Spiritu-sancto scribatur in cordibus vestris; ut quod creditis diligatis, & fides per dilectionem operetur in vobis; ac sic Domino Deo largitori bonorum omnium placeatis, non serviliter timendo pœnam, sed liberaliter amando justitiam. Hoc est ergo Symbolum, quod vobis per scripturas & sermones ecclesiasticos insinuatum est: sed sub hac brevi forma fidelibus consistendum & proficiendum est.

* SERMO CCXIII.

In traditione Symboli, II.

* Aliàs de Tempore 119.

Caput I. Symbolum quid.

1. SYMBOLUM est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam; paucis verbis dicitur, unde multum adquiratur. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Vide quàm citò dicitur, & quantum valet. Deus est, & Pater est: Deus potestate, Pater bonitate. Quàm felices sumus, qui Dominum nostrum patrem invenimus. Credamus ergo in eum, & omnia nobis de ipsius misericordia promittamus, quia omnipotens est: (Deus quomodo omnipotens.) ideo in Deum Patrem omnipotentem credimus. Nemo dicat, G Non mihi potest dimittere peccata. Quomodo non potest omnipotens? Sed dicis, Ego multum peccavi. Et ego dico, Sed ille omnipotens est. Et tu, Ego talia peccata commisi, unde liberari & mundari non possum. Respondeo, Sed ille omnipotens est. Videte quid ei cantetis in Psalmo, Benedic, inquit, anima mea Domino, & (Psal. 102. 2. & 3.) «

[a] Sic in MSS. At in editis, *ex Maria virgine*.

[b] Editi hic *discitur*; Sed meliùs in Sct. Appendicis 243. *scribitur*.

Classis II. Serm. de Tempore.

„ noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui pro„ pitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Ad hoc nobis est ejus omnipotentia necessaria. Nam universæ creaturæ ad hoc erat necessaria, ut crearetur. Omnipotens est ad facienda majora & minora: omnipotens est ad facienda cælestia & terrestria: omnipotens est ad facienda immortalia & mortalia: omnipotens est ad facienda spiritalia & corporalia: omnipotens est ad facienda visibilia & invisibilia: magnus in magnis, nec parvus in minimis. Postremò omnipotens est ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Nam ego dico quanta non possit. Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest: quæ si posset, non esset omnipotens. Credite ergo in eum, & confitemini. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Ideo cùm credideritis, oportet ut confiteamini, quando Symbolum reddetis. Accipite modò quod teneatis, & postea reddatis, & numquam obliviscamini.

Rom. 10. 10.

Caput II. Christus Filius Dei unicus.

2. Post hoc quid? *Et in Iesum Christum. Credo*, dicis, *in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Si Filium unicum, ergo Patri æqualem. Si Filium unicum, ergo ejusdem substantiæ cujus est Pater. Si Filium unicum, ergo ejus omnipotentiæ cujus est Pater. Si Filium unicum, ergo Patri coæternum. Hoc in se, & apud se, & apud Patrem. Propter nos quid? ad nos quid? *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex virgine Maria.* Ecce quà venit, quis, ad quos. Per virginem Mariam, in qua operatus est Spiritus-sanctus, non homo maritus; qui fecundavit castam, & servavit intactam. Sic ergo carne indutus est Dominus Christus, sic factus est homo qui fecit hominem, assumendo quod non erat, non perdendo quod erat. Verbum enim caro factum est, & habitavit in nobis. Non Verbum in carnem versum est, sed Verbum manens carne accepta, invisibilis semper, factus est visibilis quando voluit, & habitavit in nobis. Quid est, in nobis? In hominibus. Factus unus ex hominum numero, unus & unicus. Unicus Patri. Nobis quid? Et nobis unicus Salvator: nemo enim præter ipsum salvator noster. Et nobis unicus Redemtor: nemo enim præter ipsum redemtor noster: non auro, non argento, sed sanguine suo.

Quomodo incarnatus.

Johan. 1. 14.

Christus nobis unicus Salvator.

Caput III. Christus Filius Dei quomodo mortuus & sepultus.

3. Ergo ipsa, ubi emti sumus, ejus commercia videamus. Cùm enim dictum esset in Symbolo, *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex virgine Maria:* jam quid pro nobis? *Passus est*, sequitur, *sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Qui Filius Dei unicus Dominus [a] noster crucifixus; Filius Dei unicus Dominus noster sepultus est. Homo crucifixus est, homo sepultus: Deus non est mutatus, Deus non est occisus, & tamen secundùm hominem occisus. Si enim cognovissent, ait Apostolus, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et Dominum gloriæ ostendit, & crucifixum confessus est. Quia si quis etiam tuam tunicam illæsa carne tua conscindat, tibi facit injuriam: nec sic clamas pro veste tua, ut dicas, Conscidisti tunicam meam; sed, Conscidisti me, fila de me fecisti. Loqueris ista integer, & verum dicis, & de carne tua nihil detraxit qui læsit. Sic & Dominus Christus crucifixus est. Dominus est, unicus Patri est; Salvator noster est, Dominus gloriæ est: tamen crucifixus est; sed in carne, & sepultus in sola carne. Nam ubi sepultus est, & quando sepultus est, tunc ibi nec anima fuit. Sola carne in sepulcro jacebat, & tamen confiteris *Iesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex virgine Maria*, qui Jesus Christus, unicus Filius Dei, Dominus noster. *Sub Pontio Pilato crucifixus*, qui Jesus Christus, unicus Dei Filius, Dominus noster. *Et sepultus*, qui Jesus Christus, unicus Dei Filius, Dominus noster. Sola caro jacet, & tu dicis, Dominus noster? Dico, planè dico: quia vestem intueor, & vestitum adoro. Caro illa illius vestimentum fuit: quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, non formam Dei amittens; in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo.

1. Cor. 2. 8.

Philip. 2. 6.

Caput IV.

4. Non contemnamus solam carnem: quando jacuit, tunc nos emit. Quare nos emit? Quia non semper jacuit: *Tertia* enim *die resurrexit à mortuis.* Hoc sequitur in Symbolo. Cùm confessi fuerimus ejus passionem, confitemur & resurrectionem. In passione quid egit? Docuit quid toleremus. In resurrectione quid egit? Ostendit quid speremus. Hîc opus, ibi merces: opus in passione, merces in resurrectione. Nec, quia resurrexit à mortuis, hîc remansit. Sed quid sequitur? *Adscendit in cælum.* Et modò ubi est? *Sedet ad dexteram Patris.* Intellige dexteram, ne quæras ibi sinistram. Dextera Dei dicitur æterna felicitas. Dextera Dei dicitur ineffabilis, inæstimabilis, incomprehensibilis beatitudo atque prosperitas. Hæc est dextera Dei. Ibi sedet. Quid est, Ibi sedet? Ibi habitat. Sedes enim dicuntur, ubi quisque habitat. Num enim quando illum vidit Stephanus sanctus, mentiebatur qui dicebat, Sedet ad dexteram Patris? Quomodo enim dicit Stephanus. „ Ecce ego video cælum apertum, & Filium hominis stantem ad dexteram Dei? „ Quia ille vidit stantem, mentiebatur fortè qui dicebat tunc, Sedet ad dexteram Patris? Sedet ergo, dictum est, manet, habitat. Quomodo? Quomodo tu. Quo statu? Quis dicet? Dicamus quod docuit, dicamus quod novimus.

Dextera Dei, æterna felicitas.

Act. 7. 55.

Caput V. Salvator noster, judex noster & advocatus.

5. Quid? *Inde venturus judicaturus vivos & mortuos.* Confiteamur Salvatorem, ne timeamus judicem. Qui enim modò in eum credit, & præcepta ejus facit, & diligit eum, non timebit quando veniet judicare vivos & mortuos: non solùm non timebit, sed ut veniat optabit. Quid enim nobis felicius, quàm quando venit quem desideramus, quando venit quem amamus? Sed timeamus, quia judex noster erit. Qui modò est advocatus noster, ipse tunc erit judex noster. Audi Johannem: „ Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si „ autem confessi fuerimus peccata nostra, dixit, „ fidelis est & justus, qui dimittat nobis peccata, „ & mundet nos ab omni iniquitate. Hæc scripsi „

1. Johan. 1. 8. &c.

[a] In editis, *Quia Filius Dei unicus Dominus non crucifixus, Filius Dei unicus Dominus non sepultus.* mendosissimè. Sic enim id quod mox affirmat & ex Apostolo probat, Filium Dei crucifixum negare videbatur: quo videlicet argumento permotus Emmanuel Sa rejiciendum hunc Sermonem existimavit. Errata corriguntur ex altero inferiùs loco, ubi sine vitio in iisdem editis eadem sententia bis terque repetitur.

Classis II.

„ vobis, ut non peccetis: & si quis peccaverit, A
„ advocatum habemus apud Patrem Jesum Chri-
„ stum justum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum. Si haberes caussam apud aliquem judicem agendam, & instrueres advocatum, esses susceptus ab advocato, ageret caussam tuam sicut posset; & si non illam finisset, & audires illum judicem venturum; quantum gauderes, quia ipse potuit esse judex tuus, qui fuit paulò antè advocatus tuus? Et modò ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat. Advocatum eum ha- B bemus, & judicem timeamus? Immo quia advocatum præmisimus, securi judicem venturum speremus.

Caput VI.

6. Transitum est in Symbolo quod pertinet ad Jesum Christum Filium Dei unicum Dominum nostrum: sequitur, *Et in Spiritum-sanctum*, ut compleatur Trinitas, Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Et de Filio multa sunt dicta, quia Filius suscepit hominem, Filius Verbum caro factum est, non Pater, non Spiritus-sanctus: sed carnem C Filii tota Trinitas fecit. Inseparabilia enim sunt opera Trinitatis. Sic ergo accipite Spiritum-sanctum, ut non credatis minorem esse quàm Filium, & minorem esse quàm Patrem. Pater enim & Filius & Spiritus-sanctus tota Trinitas unus Deus. Nihil ibi distat, nihil varium, nihil defectivum, nihil alteri contrarium; æquale semper, invisibile & incommutabile Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Liberet nos Trinitas à multitudine peccatorum.

Caput VII. Sancta Ecclesia catholica quæ.

7. Jam quod sequitur ad nos pertinet. *Sanctam* D *Ecclesiam*. Sancta Ecclesia nos sumus: sed non sic dixi, nos, quasi ecce qui hîc sumus, qui me modò audistis. Quotquot hîc sumus, Deo propitio, Christiani fideles in hac ecclesia, id est, in ista civitate, quotquot sunt in ista regione, quotquot sunt in ista provincia, quotquot sunt & trans mare, quotquot sunt & in toto orbe terrarum: quoniam à solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini. (Psal. 112. 3.) Sic se habet Ecclesia catholica mater nostra vera, vera illius sponsi E conjunx. Honoremus eam, quia tanti Domini matrona est. Et quid dicam? Magna est sponsi & singularis dignatio; meretricem invenit, virginem fecit. (Inventa meretrix & facta virgo.) Quia meretrix fuit, non debet negare, ne obliviscatur misericordiam liberantis. Quomodo non erat meretrix, quando post idola & dæmonia fornicabatur? Fornicatio cordis in omnibus fuit: in paucis carne, in omnibus corde. Et venit, & virginem fecit. Ecclesiam virginem fecit. In fide virgo est. In carne paucas habet vir- F gines sanctimoniales: in fide omnes virgines debet habere & feminas, & viros. Ibi enim debet esse castitas & puritas & sanctitas. Nam vultis nosse quàm virgo sit? Apostolum Paulum audite, amicum sponsi audite zelantem sponso, non sibi. (1. Cor. 11. 2. & 3.) Aptavi vos, inquit, uni viro. Ecclesiæ dicebat: & cui Ecclesiæ? Quocumque litteræ illæ pervenire potuerunt. Aptavi vos uni viro virginem ca-
„ stam exhibere Christo. Timeo autem dixit, ne
„ sicut serpens Evam decepit astutiâ suâ. Serpens G ille numquid corporaliter concubuit cum Eva? Et tamen virginitatem cordis ejus exstinxit. Hoc
„ timeo, dicit, ne corrumpantur mentes vestræ à
„ castitate, quæ est in Christo. Virgo est ergo Ecclesia: virgo est, virgo sit. Caveat seductorem, ne inveniat corruptorem. Virgo est Ecclesia. Dicturus es mihi fortè, Si virgo est, quomodo pa-

(Mariæ similis & parit & virgo est.)

parit filios? Aut si non parit filios, quomodo dedimus nomina nostra, ut de ejus visceribus nascemur? Respondeo, Et virgo est, & parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit. Numquid non virgo sancta Maria & peperit, & virgo permansit? Sic & Ecclesia, & parit, & virgo est. Et si consideres, Christum parit: quia membra ejus sunt qui baptizantur. Vos estis, inquit Apostolus, corpus Christi & membra. (1. Cor. 12. 27.) Si ergo membra Christi parit, Mariæ simillima est.

Caput VIII. Remissio peccatorũ in baptismo & oratione Dominica.

8. *Remissionem peccatorum*. Hæc in Ecclesia si non esset, nulla spes esset: remissio peccatorum si in Ecclesia non esset, nulla futuræ vitæ & liberationis æternæ spes esset. Gratias agimus Deo, qui Ecclesiæ suæ dedit hoc donum. Ecce venturi estis ad fontem sanctum, diluemini baptismo, salutari lavacro regenerationis renovabimini; eritis sine ullo peccato, adscendentes de illo lavacro. Omnia quæ vos præterita persequebantur, ibi delebuntur. Ægyptiis insequentibus Israëlitas si- (Exodi 14.) milia erant vestra peccata, persequentibus, sed usque ad mare rubrum. Quid est, usque ad mare rubrum? Usque ad fontem Christi cruce & sanguine consecratum. Quod enim rubrum est, rubet. Non vides quomodo rubeat pars Christi? Interroga oculos fidei. Si crucem vides, adtende & cruorem. Si vides quod pendet, adtende quod fudit. Lanceâ perforatum est latus Christi, & manavit pretium nostrum. (Johan. 19. 34.) Ideo signo Christi signatur baptismus, id est, aqua ubi tinguimini, & quasi in mari rubro transitis. Peccata vestra, hostes vestri sunt. Sequuntur, sed usque ad mare. Cùm vos intraveritis, evadetis, illa delebuntur: quomodo evadentibus per siccum Israëlitis, aqua cooperuit Ægyptios. Et quid dicit Scriptura? Unus ex eis non remansit. (Psal. 105. 11.) Peccasti multa, peccasti pauca; peccasti magna, peccasti parva: * quod est minus ex eis non remansit. (* f. delebuntur omnia, & magna & parva: quod est, Unus ex eis non remansit.) Sed quoniam victuri sumus in isto sæculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in oratione Dominica & quotidiana, quam post octo dies accepturi estis. In illa invenietis quasi quotidianum baptismum vestrum, ut agatis Deo gratias qui donavit hoc munus Ecclesiæ suæ, quod confitemur in Symbolo: ut cùm dixerimus, *Sanctam Ecclesiam*; adjungamus, *Remissionem peccatorum*. (Quotidianus baptismus.)

Caput IX. Carnis resurrectio qualis promissa.

9. Post hæc, *Carnis resurrectionem*. Iste jam finis est. Sed finis sine fine erit resurrectio carnis. Sed erit postea nulla mors carnis, nullæ angustiæ carnis, nulla fames & sitis carnis, nullæ afflictiones carnis, nulla senectus & lassitudo carnis. Noli ergo horrere carnis resurrectionem. Bona ejus vide, mala obliviscere. Prorsus quidquid querelarum est carnalium modò, tunc ibi non erit. Æterni erimus, æquales Angelis Dei. (Matth. 22. 30.) Unam cum Angelis sanctis civitatem habebimus, à Domino possidebimur, hereditas ejus erimus, & ipse hereditas nostra erit: quoniam ipsi dicimus modò, Dominus pars hereditatis meæ. (Psal. 15. 5.) Et de nobis dictum est Filio ipsius, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. (Psal. 2. 8.) Possidebimus, & possidebimur; tenebimus, & tenebimur. Quid dicam? Colimur, & colimus. Sed colimus ut Deum, colimur ut ager. Ut sciatis quia colimur, Dominum audite: Ego sum vitis vera, vos estis sarmenta, Pater meus agricola. (Johan. 15. 1.) Si agricola dicitur, agrum colit. Quem agrum? Colit nos. Et agri-

CLASSIS II. | SERM. DE TEMPORE.

cola terræ hujus visibilis arare potest, fodere potest, plantare potest; rigare, si aquam invenerit, potest: numquid potest incrementum dare, germen educere in terram, radicem figere, in auras promovere, robur addere ramis, fructibus onerare, foliis honestare, numquid agricola potest? Agricola tamen noster Deus. Pater omnia ista potest in nobis. Quare? Quia credimus in Deum Patrem omnipotentem. Ergo tenete quod & proposuimus vobis, & quomodo Deus dare dignatus est exposuimus.

SERMO CCXIV.

In traditione Symboli, III.

Prodit nunc primùm ex Remigiano libro antè annos circiter octingentos descripto.

1. PRo modulo ætatis [a] rudimentorumque nostrorum, pro tyrocinio suscepti muneris atque in vos dilectionis affectu, qui jam ministrantes altari, quò accessuri estis, adsistimus, nec ministerio sermonis vos fraudare debemus. Apostolus dicit, Quoniam si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo quia Dominus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem. Hoc in vobis ædificat Symbolum, quod & credere & confiteri debetis, ut salvi esse possitis. Et ea quidem, quæ breviter accepturi estis, mandanda memoriæ & ore proferenda, non nova vel inaudita sunt vobis. Nam in sanctis Scripturis & in Sermonibus Ecclesiasticis ea multis modis posita soletis audire. Sed collecta breviter & in ordinem certum redacta atque constricta tradenda sunt vobis; ut fides vestra ædificetur, & confessio præparetur, & memoria non gravetur. Hæc sunt quæ fideliter retenturi estis, & memoriter reddituri. (Post [b] hanc prælocutionem pronuntiandum est totum Symbolum, sine aliqua interposita disputatione: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & cetera quæ sequuntur in eo. Quod Symbolum nostis quia scribi non solet: quo dicto, adjungenda est hæc disputatio.)

Rom. 10. 9. & 10.

Symbolum fidei cur institutum.

2. Ista quæ breviter audistis, non solùm credere, sed etiam totidem verbis memoriæ commendare & ore proferre debetis. Sed quoniam munienda sunt adversùs diversa sentientes & à diabolo captivatos, qui insidiantur fidei, cùm adversantur saluti: mementote ita credere *omnipotentem Deum*, ut nulla omnino natura sit, quam ipse non condidit. Et ideo peccatum punit, quod ipse non fecit; quia eo fœdatur natura, quam fecit. Omnes ergo visibiles invisibilesque creaturas, vel quidquid rationabili mente potest esse particeps incommutabilis veritatis, sicuti Angelus & homo; quidquid vivit & sentit, quamvis careat intellectu, sicut sunt cuncta animalia, in terra, in aquis, in aëre, gradientia, reptilia, natatilia; quid-

Credere omnipotétem Deum oportet, creatorem universorum.

A quid sine intellectu, sine aliquo sensu, quoquo modo dicitur vivere, sicut sunt ea quæ radicibus figuntur in terra, & in auras germinando erumpunt atque consurgunt; quidquid solâ corpulentiâ locum occupat, sicut lapis, atque ipsius mundanæ molis quæcumque cernuntur vel etiam tanguntur elementa; hæc omnia fecit omnipotens, mediis ima & summa conjungens, & universa quæ creavit locis congruis temporibusque disponens. Fecit autem non ex aliqua materie, quam

B ipse non fecit. Non enim aliena formavit, sed ipse quod formaret instituit. Qui enim dicit quòd aliquid facere de nihilo non potuerit, quomodo credit quòd omnipotens fecerit. Sine dubio quippe negat omnipotentem, qui dicit quòd mundum Deus facere non posset, si unde faceret non haberet. Nam quæ est omnipotentia, ubi tanta est indigentia, ut ad sui operis effectum, quemadmodum faber, pervenire non posset, nisi eum materies quàm ipse non instituit adjuvaret? Ab his

C igitur opinionibus & erroribus purget animum, qui credit in omnipotentem Deum. Illa enim quæ dicitur informis rerum materies, formarum capax & subjecta operi Creatoris, in omnia est convertibilis, quæ placuerit facere Conditori. Non eam Deus velut sibi coæternam, unde mundum fabricaret, invenit: sed eam ipse ex omnino nihilo, cum rebus quas de illa fecit, instituit. Nec fuit ante res ipsas, quæ factæ videntur ex ipsa:

D ac per hoc omnipotens ex nihilo primitus cuncta fecit, cum quibus fecit pariter unde fecit. Materies itaque cæli & terræ, sicut hæc in principio sunt creata, simul cum ipsis est creata: nec fuit unde fierent quæ Deus in principio fecit: & tamen facta sunt quæ omnipotens fecit, quæ facta composuit, implevit, ornavit. Si enim quæ in principio fecit, ex nihilo utique fecit; etiam ex his quæ fecit quidquid voluerit facere potens est, quia omnipotens est.

3. Nec ideo credant iniqui Deum non esse

E omnipotentem, quia multa contra ejus faciunt voluntatem. Quia & cùm faciunt quod non vult, hoc de eis facit quod ipse vult. Nullo modo igitur omnipotentis vel mutant, vel superant voluntatem: sive homo justè damnetur, sive misericorditer liberetur, voluntas omnipotentis impletur. Quod ergo non vult omnipotens, hoc solum non potest. Utitur ergo malis, non secundùm eorum pravam, sed secundùm suam rectam voluntatem. Nam sicut mali naturâ suâ bonâ, hoc

F est, bono ejus opere malè utuntur; sic ipse bonus etiam eorum malis operibus bene utitur, ne omnipotentis voluntas aliqua ex parte vincatur. Si enim non haberet quod bonus de malis justè ac bene faceret, nullo modo eos vel nasci vel vivere sineret; quos malos ipse non fecit, quia homines fecit: quia non peccata quæ sunt contra naturam, sed naturas ipsas creavit. Malos tamen eos futuros præscius ignorare non potuit: sed sicut noverat quæ ipsi essent mala facturi; sic

Omnipotens iniquis multa contra ejus voluntatem facientibus non superatur.

[a] Hinc habitus Sermo intelligitur anno 391 quo cœpit Augustinus creatus Hipponensis presbyter altari ministrare; primus fortè quem ille dixit post eum secessum, de quo sibi usque ad Pascha permittendo egit apud Valerium in epistola 21. Confer exordium Sermonis 216.

[b] Verba sunt Sermonem suum scribentis, cui religio erat Symbolum ipsum scripto tradere: *Quod Symbolum*, ait, *nostis quia scribi non solet.* qua de re suprà in Ser. 212. n. 2. Ceterùm quòd Sermonem quem dixisset Augustinus, aliquando etiam dictum conscriberet, testatur ipse in lib. 15. de Trinitate c. 27. Suspicari etiam licet, aliquid hîc ab ipso additum, cùm alterum de fide & Symbolo Sermonem, cui Sermo iste in Remigiano MS. proximè conjungitur, in Retract. lib. 1. cap. 17. recognosceret. Eodem forsitan tempore addidit infrà n. 8. exemplum, quo de Servis Dei observat sæpissime dici, *Tot annos ille in illo vel illo monasterio sedit.* Id enim exempli anno 391. quo hunc Sermonem habitum putamus, proferre vix poterat. Si tamen aliunde satis constat monasticæ vitæ genus ipso primùm auctore sic invectum in Africam, ut non aliqua illic antè xstarent monasteria.

Classis II.

etiam noverat quæ bona de illis esset ipse facturus. Quis verbis explicet, quis æquiperet laudibus, quantum nobis bonum contulerit passio Salvatoris, cujus in remissione peccatorum sanguis effusus est? Et tamen tantum hoc bonum per malitiam Zabuli, per malitiam Judæorum, per malitiam Judæ traditoris impletum est. Nec eis juste tribuitur bonum, quod per illos Deus, non ipsi hominibus contulerint: sed eis juste retribuitur supplicium, quoniam nocere voluerunt. Sicut autem aliquid invenire potuimus, quo manifestum esset nobis, quemadmodum Deus etiam malis operibus & Judæorum & Judæ traditoris bene usus est ad nostram redemtionem ac salutem: sic in universa creatura occultis atque abditis finibus, quos nec oculorum nec mentis acie penetramus, novit quemadmodum malis Deus bene utatur, ut in omnibus quæ nascuntur & administrantur in mundo, voluntas omnipotentis impleatur.

Omnipotens id solum non potest, quod non vult.

4. Sed quoniam dixi hoc solum omnipotentem non posse, quod non vult: ne quis me temere dixisse arbitretur aliquid omnipotentem non posse; hoc & beatus Apostolus dixit. Si non credimus, ille qui fidelis permanet, negare se ipsum non potest. (2. Tim. 2. 13.) Sed quia non vult, non potest; quia & velle non potest. Non enim potest justitia velle facere quod injustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Unde admonemur Deum omnipotentem, non hoc solùm quod ait Apostolus, Negare seipsum non potest, sed multa non posse. Ecce ego dico, & ejus veritate dicere audeo, quod negare non audeo: Deus omnipotens non potest mori, non potest mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Hæc atque hujusmodi absit ut possit omnipotens. Ac per hoc non solùm ostendit veritas omnipotentem esse, quòd ista non possit; sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse, qui hæc possit. Volens enim est Deus quidquid est; æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est: est autem omnipotens; ergo quidquid vult potest. Et ideo quod non vult, esse non potest; qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quidquid vult potest. De quo & Psalmus dicit, In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit. (Psal. 134. 6.)

Christus Filius Dei unicus.

5. Deus igitur omnipotens, qui quæcumque voluit fecit omnia, genuit unicum Verbum per quod facta sunt omnia: sed hoc non de nihilo, sed de se ipso: ideo non fecit, sed genuit. In principio enim fecit cælum & terram: (Gen. 1. 1.) non autem fecit in principio Verbum; quia, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. (Johan. 1. 1.) Hic est Deus de Deo: Pater autem Deus, sed non de Deo. Hic est Filius Dei unicus; quia de substantia Patris, coæternus, æqualis Patri filius nullus alius est. Verbum Deus: non sicut verbum, cujus sonus & corde cogitari potest, & ore proferri; sed, sicut dictum est, quod breviùs & meliùs dici non potest, Deus erat Verbum. Apud Patrem incommutabiliter manens, & incommutabilis etiam ipse cum Patre: de quo dicit Apostolus, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. (Philip. 2. 6.) Esse quippe æqualem Patri, natura illi est, non rapina. Sic credimus *in Jesum Christum Filium Dei Patris unicum, Dominum nostrum.*

Serm. de Tempore

Nativitas Christi de Spiritu-sancto ex virgine.

6. Sed quia ille, qui in forma Dei non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, per quem creati sumus, ut quod perierat quæreret & salvaret, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo: sic in eum credimus quòd *natus sit de Spiritu-sancto & virgine Maria.* Utraque enim ejus nativitas mira est, & divinitatis & humanitatis. Illa est de patre sine matre, ista de matre sine patre: illa est sine aliquo tempore, ista in acceptabili tempore: illa æterna, ista opportuna: illa sine corpore in sinu Patris, ista cùm corpore, quo non violata est virginitas matris: illa sine ullo sexu, ista sine ullo virili complexu. Ideo autem dicimus *natum de Spiritu-sancto & Maria virgine*, quia cùm sancta virgo inquisisset ab Angelo, Quomodo fiet istud? ille respondit, Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. (Lucæ 1. 34. & 35.) Deinde addidit, Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Non ait, Quod nascetur ex te, vocabitur filius Spiritus-sancti. Susceptus quippe à Verbo totus homo, id est, anima rationalis & corpus; ut unus Christus, unus Deus Dei Filius non tantùm Verbum esset, sed Verbum & homo; totum hoc Dei Patris est Filius propter Verbum, & hominis filius propter hominem. Per id quod Verbum est, æqualis est Patri:* per id quod homo est, major est Pater. (* f. propter.) Et simul cum homine Filius Dei est, sed propter Verbum, à quo susceptus est homo: & simul cum Verbo filius hominis est, sed propter hominem, qui est susceptus à Verbo. Propter cujus sanctam in virginis utero conceptionem, non concupiscentiâ carnis urente factam, sed fidei caritate fervente, ideo dicitur *natus de Spiritu-sancto & virgine Maria:* ut unum eorum pertineat, non ad gignentem, sed ad sanctificantem, alterum verò ad concipientem atque parientem. Propterea, inquit, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Quia sanctum, ideo de Spiritu-sancto; quia nascetur ex te, ideo de virgine Maria; quia Filius Dei, ideo Verbum caro factum est. (Johan. 1. 14.)

Christus filius Dei crucifixus, mortuus & sepultus.

7. Oportebat autem ut in homine assumto, non solùm invisibilis videretur, & Patri coæternus temporaliter nasceretur; verùm etiam incontrectabilis teneretur, insuperabilis ligno suspenderetur, inviolabilis clavis configeretur, & vita & immortalis in cruce moreretur, in monumento sepeliretur: hoc totum Dei Filius Dominus noster Jesus Christus. Unde consequens est ut eumdem ipsum Filium Dei unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, non solùm hominem ex homine natum, verùm etiam usque ad mortem & sepulturam humana passum, & corde credamus ad justitiam, & ore confiteamur ad salutem. Cùm enim sit totus Filius Dei unicus Dominus noster Jesus Christus Verbum & homo, atque ut expressiùs dicam, Verbum, anima, & caro; ad totum refertur quod in sola anima tristis fuit usque ad mortem; quia Filius Dei unicus Jesus Christus tristis fuit: (Matth. 26. 38.) ad totum refertur quod in solo homine *crucifixus est*, quoniam Filius Dei unicus Jesus Christus crucifixus est: ad totum refertur quod in sola carne *sepultus est.* Ex quo enim cœpimus dicere credere nos *in Jesum Christum*

Filium ejus unicum Dominum nostrum, ex illo quidquid aliud de illo dicimus, non subauditur nisi Jesus Christus Filius Dei unicus Dominus noster. Nec miremini: sic enim dicimus Filium Dei unicum Jesum Christum Dominum nostrum sepultum, cùm sola caro ejus sepulta sit; quemadmodum, verbi gratiâ, dicimus apostolum Petrum hodie jacére in sepulcro, cùm & illud verissimè dicamus, eum in requie cum Christo gaudere. Eumdem quippe apostolum dicimus: non enim duo apostoli Petri, sed unus est. Eumdem ergo ipsum dicimus, & in solo corpore jacére in sepulcro, & in solo spiritu gaudere cum Christo. Additur autem *sub Pontio Pilato*, sive unde colligatur temporis veritas, sive unde Christi plus commendetur humilitas, quòd sub homine judice sit tanta perpessus, qui judex vivorum & mortuorum est cum tanta potestate venturus.

Christi resurrectio & adscensio.

8. *Tertio* verò *die resurrexit* in carne vera, sed nequaquam ulteriùs moritura. Hoc discipuli ejus oculis manibusque probaverunt; nec eorum fidem deciperet tanta bonitas, nec falleret veritas. Sed propter brevitatem citò subjungitur quòd *adscendit in cælum.* Nam quadraginta diebus fuit cum discipulis suis; ne tam magnum resurrectionis ejus miraculum, si eorum oculis citò subtraheretur, ludificatio putaretur. Ubi nunc *sedet ad dexteram Patris:* quod fidei oculis prudenter debemus intueri; ne arbitremur in aliqua sede immobiliter fixum, ut ei stare vel ambulare non liceat. Non enim quia Stephanus sanctus eum stantem videre se dixit, ideo vel ille falsum vidit, vel Symboli hujus verba turbavit. Absit hoc putare, absit hoc dicere. Sed illius habitatio in excelsa & ineffabili beatitudine ita significata est, ut illic sedere diceretur. Unde etiam sedes habitationes dicuntur; velut cùm interrogamus ubi sit aliquis, & respondetur, in sedibus suis. Et de Servis Dei maximè ac sæpissime dicitur, Tot annos ille in illo vel illo monasterio sedit: hoc est, requievit, commoratus est, habitavit. Nec sancta Scriptura hoc genus locutionis ignorat. Ille quippe Semei à rege Salomone in Jerusalem civitate jussus habitare, addita comminatione, ut, si quando inde auderet exire, pœnas debitas lueret, per tres ibi annos sedisse perhibetur, quod intelligitur habitasse. Dextera verò ipsa Patris non ita dicitur secundùm humani corporis situm, tamquam Filio sit ipse ad sinistram, si ei secundùm istos corporeos situs habitusque membrorum Filius collocatur ad dexteram. Sed *ad dexteram Dei* dicitur, honoris & felicitatis inenarrabilis celsitudo. Sicut de sapientia dictum legitur, Sinistra ejus sub capite meo, & dextera ejus amplectitur me. SI enim SUBTER JACUERIT TERRENA COMMODITAS, tum de super amplectitur æterna felicitas.

Sessio ad dexteram Patris. Act. 7. 55.

3 Reg. 2. 38. ἐκάθισε sec. LXX.

Cant. 2. 6.

Christus visibili formâ judex veniet.

9. De sublimi ergo habitatione cælorum, ubi nunc est ejus etiam immortale jam corpus, Dominus noster Jesus Christus *ad judicandos vivos mortuosque venturus est*, secundùm evidentissimum Angelicum testimonium, quod scriptum est in Actibus Apostolorum. Intuentes enim discipuli Dominum adscendentem in cælum, & eum suspensis adspectibus deducentes, audierunt Angelos dicere, Viri Galilæi quid hîc statis? Hic Jesus, qui receptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Rex pressa est multa & diversa continens humana præsumtio. In ea forma judicabit Christus, in qua judicatus est. Sic enim eum viderunt Apostoli adscendentem in cælum, quando audierunt sic esse venturum. Illa forma erit conspicua vivis & mortuis, bonis & malis: sive bonos intelligamus nomine appellatos esse vivorum, malosque mortuorum; sive illos vivos accipiamus, quos nondum finisse istam vitam inveniet ejus adventus, mortuos autem quos ejus præsentia suscitabit, sicut ipse in Evangelio loquitur, dicens, Veniet hora, quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, & procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt in resurrectionem judicii. Et illi videbunt in forma hominis in quem crediderunt, & illi quem contemserunt. Formam verò Dei, qua æqualis est Patri, impii non videbunt. Tolletur enim impius, sicut dicit Propheta, ne videat claritatem Domini. Et, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc de Jesu Christo Filio Dei unico Domino nostro satis dicta sint.

Act. 1. 11.

Serm. de Tempore.

Johan. 5. 28. & 29.

Isai. 26. 10. sec. LXX.

Matth. 5. 8.

Spiritus-sanctus de Patre procedês Deus.

10. Credimus enim *in Spiritum-sanctum*, de Patre procedentem, nec tamen filium: super Filium manentem, nec Filii patrem: de Filii accipientem, nec tamen Filii filium: sed Spiritum Patris & Filii; Spiritum sanctum & ipsum Deum. Non enim haberet tale templum, si non esset Deus, unde dicit Apostolus, Nescitis quia corpora vestra templum in vobis Spiritus-sancti est, quem habetis à Deo. Non creaturæ templum, sed Creatoris. Absit enim à nobis, ut templum simus creaturæ: cùm dicat Apostolus, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. In hac Trinitate non est aliud alio majus aut minus, nulla operum separatio, nulla dissimilitudo substantiæ. Unus Pater Deus, unus Filius Deus, unus Spiritus-sanctus Deus. Nec tamen Pater & Filius & Spiritus-sanctus tres dii, sed unus Deus. Ita ut non sit ipse Pater qui Filius, nec Filius sit qui Pater, nec Spiritus-sanctus sit aut Pater aut Filius: sed Pater Filii Pater, & Filius Patris Filius, & Spiritus-sanctus Patris & Filii Spiritus: & singulus quisque Deus, & ipsa Trinitas unus Deus. Hæc fides imbuat corda vestra, & confessionem dirigat. Hoc audiendo credite, ut intelligatis; ut quod creditis, intelligere proficiendo valeatis.

Johan. 15. 26.

Johan. 1. 32.

Johan. 16. 14.

1. Cor. 6. 19.

1. Cor. 3. 17.

Trinitatis m y iü.

Ecclesia sancta catholica.

11. *Sanctam* quoque *Ecclesiam*, matrem vestram, tamquam supernam Jerusalem sanctam civitatem Dei, honorate, diligite, prædicate. Ipsa est quæ in hac fide, quam audistis, fructificat & crescit in universum mundum, Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis: quæ malos in fine separandos, à quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione sacramentorum. Hæc propter sua frumenta inter paleas modò gementia, quorum in novissima ventilatione massa horreis debita declarabitur, claves accepit regni cælorum; ut in illa per sanguinem Christi, operante Spiritu-sancto, fiat *remissio peccatorum.* In hac Ecclesia reviviscet anima, quæ mortua fuerat peccatis, ut convivificetur Christo, cujus gratiâ sumus salvi facti.

Col. 1. 6.

1. Tim. 3. 15.

Resurrectio carnis.

12. Sed nec de ista carne mortali, quòd resurrectura sit in sæculi fine, dubitare debemus. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

1. Cor. 15.

Classis II.

Ibidem 42. & 43. — Luca 21. 18.

Seminatur in corruptione, surget in incorruptio- » ne: seminatur in contumelia, surget in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Hæc est Christiana, hæc catholica, hæc apostolica fides. Credite Christo dicenti, Capillus capitis vestri non peribit: & infidelitate depulsa, quanti valeatis, potiùs cogitate. Quid enim nostrum à Redemtore nostro contemni potest, quorum capillus contemni non potest? Aut quomodo dubitabimus quòd animæ & carni nostræ vitam daturus sit æternam, qui pro nobis animam & carnem, & suscepit in qua moreretur, & posuit cùm moreretur, & recepit ne mors timeretur? Omnia quæ traduntur in Symbolo pro modulo nostro, Fratres mei, Vestræ exposui Caritati. Quod ideo Symbolum dicitur, quia ibi nostræ societatis fides placita continetur, & ejus confessione tamquam signo dato Christianus fidelis agnoscitur. Amen.

* Aliàs ex Vignerianis 16.

* SERMO CCXV.

In redditione Symboli.

[a] Symbolum fidei animo semper versandum. — 1. Cor. 3. 11.

1. SACROSANCTI[a] martyrii Symbolum, quod simul accepistis, & singuli hodie reddidistis, verba sunt in quibus matris Ecclesiæ fides supra fundamentum stabile, quod est Christus Dominus, solidata firmatur. Funda- » mentum enim aliud nemo potest ponere, præter » id quod positum est, quod est Christus Jesus. Accepistis ergo, & reddidistis, quod animo & corde semper retinere debetis, quod in stratis vestris dicatis, quod in plateis cogitetis, & quod inter cibos non obliviscamini; in quo etiam dormientes corpore, corde vigiletis. Renuntiantes enim diabolo, pompis & angelis ejus mentem atque animam subtrahentes, oblivisci oportet præteritorum, & vetustate prioris vitæ contemta, cum novo homine vitam quoque ipsam sanctis moribus innovare; & sicut Apostolus dicit, quæ retrò sunt obliti, atque in ea quæ antè sunt extenti, sequi ad palmam supernæ vocationis Dei; & credere quod nondum vides, ut meritò possis ad id quod credideris pervenire. Quod enim vi- » det quis, quid sperat? Si autem quod non vide- » mus speramus, per patientiam exspectamus.

Philip. 3. 13. — Rom. 8. 24. & 25. — De Deo quid credendum.

2. Fides ergo hæc & salutis est regula, *credere nos in Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem*, regem sæculorum, immortalem & invisibilem. Ipse est quippe Deus omnipotens, qui in primordio mundi cuncta ex nihilo fecit, qui est ante sæcula, qui fecit & regit sæcula. Non enim tempore augetur, aut loco distenditur, aut aliquâ materiâ concluditur aut terminatur: sed manet apud se & in se ipso plena & perfecta æternitas, quam nec comprehendere humana cogitatio potest, nec lingua narrare. Nam si munus quod promittit sanctis suis, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit: quomodo potest ipsum qui promittit, aut mens concipere, aut cor cogitare, aut lingua narrare?

1. Cor. 2. 9. — De Christo.

3. Credimus *& in Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum*, Deum verum de Deo vero, Dei Patris Filium Deum: sed non duos Deos. Ipse enim & Pater unum sunt: & per Moysen populo insinuat dicens, Audi Israel mandata vitæ, Dominus Deus tuus Deus unus est. Si autem vis cogitare quemadmodum æternus Filius de æterno Patre sine tempore natus sit; redarguit te Isaias Propheta, qui dicit, Generationem ejus quis enarrabit? Nativitatem itaque Dei ex Deo nec cogitare poteris, nec narrare: credere tantùm tibi permittitur, ut salvus esse possis: sicut Apostolus dicit, Credere enim oportet qui ad Deum accedit, quia est, & quærentibus eum mercedis redditor erit. Si verò nativitatem ejus secundùm carnem, quam pro nostra salute dignatus accepit, scire desideras; audi, & crede natum de Spiritu-sancto ex Maria virgine. Quamquam & hanc ipsam nativitatem ejus quis enarrabit? Quis enim dignè æstimare potest Deum propter homines [b] nasci voluisse, sine virili semine virginem concepisse, sine corruptione peperisse, & post partum in integritate permansisse? Dominus enim noster Jesus Christus uterum virginis dignatus intravit, membra feminæ immaculatus implevit, matrem sine corruptione fetavit, à se ipso formatus exivit, atque integra genitricis viscera * reservavit; ut eam de qua nasci dignatus est, & matris honore perfunderet, & virginis sanctitate. Quis hoc cogitat? quis enarrat? Ergo & hanc nativitatem ejus quis enarrabit? Cujus enim mens ad cogitandum, cujus ad enuntiandum lingua sufficiat, non solùm quod in principio erat Verbum, non habens ullum nascendi principium; verùm etiam quod Verbum caro factum est, eligens virginem quam sibi faceret matrem, faciens matrem quam servaret & virginem; Dei Filius nulla matre concipiente, hominis Filius nullo homine seminante; fecunditatem feminæ veniendo afferens, integritatem nascendo non auferens? quid est hoc? quis dicat? quis taceat? Et mirum dictu: quod eloqui non valemus, silere non sinimur; sonando prædicamus, quod nec cogitando comprehendimus. Tantum quippe Dei donum nec effari possumus, quoniam sumus ad ejus enarrandam magnitudinem parvuli; & tamen laudare compellimur, ne tacendo remaneamus ingrati. Sed Deo gratias, quia id quod competenter non potest dici, potest fideliter credi.

Serm. de Tempore. — Johan. 10. 30. — Deut. 6. 4. — Nativitas ejus æterna & temporaria, utraque inenarrabilis. — Isai. 53. 8. — Hebr. 11. 6. — In carne natus est illæsa matris virginitate. — * f. reseravit. — Johan. 1. 1. — Ibidem 14.

4. Credimus ergo *in Jesum Christum Dominum nostrum, natum de Spiritu-sancto ex virgine Maria.* Nam & ipsa beata Maria, quem credendo peperit, credendo concepit. Cùm enim promisso sibi filio, quæsisset quemadmodum fieret, quoniam virum non cognosceret; utique solus ei modus cognoscendi atque pariendi notus erat, quem quidem ipsa experta non fuerat, sed ex aliis feminis naturâ frequentante didicerat, ex viro scilicet & femina hominem nasci: responsum ab Angelo accepit, Spiritus-sanctus su- « perveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit « tibi; propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Quæ cùm dixisset Angelus, illa fide plena, & Christum priùs mente quàm ventre concipiens, Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Fiat, inquit, sine virili semine conceptus in virgine;

Maria credendo concepit sine viro. — Luca 1. 35. — Ibidem 38.

[a] Editi, *mysterii Symbolum*. Meliùs, nostra opinione, Laudunensis ecclesiæ codex vetustissimus, *martyrii Symbolum*, id est profitendæ fidei. Paulò pòst vox *hodie*, quæ in editis deerat, restituitur ex eodem MS. & ex Corbeiensi.

[b] Hîc duo MSS. addunt, *hominem*.

CLASSIS II.

SERM. DE TEMPORE.

nascatur de Spiritu-sancto & integrâ feminâ, in A quo renascatur de Spiritu-sancto integra Ecclesia. Sanctum quod nascetur de homine matre sine homine patre, vocetur Dei Filius; quoniam qui natus est de Deo Patre sine ulla matre, mirabiliter oportuit ut fieret hominis filius; in ea carne natus, ut per clausa viscera parvus exiret, in qua resuscitatus per clausa ostia magnus intraret. Mira sunt hæc, quia divina sunt; ineffabilia, quia & inscrutabilia: non sufficit explicando os hominis, quia nec investigando cor hominis. Credidit B Maria, & in ea quod credidit factum est. Credamus & nos, ut & nobis possit prodesse quod factum est. Quamvis ergo mirabilis sit etiam ista nativitas: tamen cogita, o homo, quid pro te Deus tuus, Creator pro creatura susceperit; ut Deus in Deo manens, æternus cum æterno vivens, æqualis Filius Patri, pro reis & pro peccatoribus servis formam servi non dedignaretur induere. Neque enim hoc meritis humanis est exhibitum. Nam pro iniquitatibus nostris pœnas potiùs C merebamur: sed si iniquitates observasset, quis sustinuisset? Pro impiis ergo & pro peccatoribus servis Dominus factus est homo, de Spiritu-sancto & virgine Maria nasci dignatus est.

Christus nostri gratiâ natus in carne.

Pro nobis mortuus.

5. Parum hoc forsitan videatur, quòd pro hominibus Deus, pro peccatoribus justus, pro reis innocens, pro captivis rex, pro servis Dominus carne humanitatis indutus advenit, in terris visus est & cum hominibus conversatus est: *crucifixus* insuper, *mortuus & sepultus est.* Non cre- D dis? Dicis fortè, Quando hoc factum est? Audi quo tempore: *sub Pontio Pilato.* In significatione tibi etiam nomen judicis positum est, ne vel de tempore dubitares. Crede ergo Filium Dei crucifixum sub Pontio Pilato & sepultum. Majorem autem hac caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Putas, nemo? Omnino nemo. Verum est, Christus hoc dixit. Interrogemus Apostolum, etiam respondeat nobis. Christus, inquit, pro impiis mortuus E est. Et iterum dicit, Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Ecce ergo in Christo majorem invenimus caritatem, quia animam suam non pro amicis, sed pro suis tradidit inimicis. Quantus ergo Dei amor erga homines & qualis affectio, sic amare etiam peccatores, ut amore eorum moreretur. Commendat enim caritatem suam in nobis, Apostoli verba sunt, quia cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Crede ergo hoc F & tu, & pro salute tua noli erubescere confiteri. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Denique ne dubitares, ne erubesceres, quando primùm credidisti, signum Christi in fronte tamquam in domo pudoris accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam. Qui enim, inquit ipse Dominus, confusus me fuerit coram hominibus, confundet illum Filius hominis coram Angelis Dei. Noli ergo erubescere ignominiam crucis, quam G pro te Deus ipse non dubitavit excipere; & dic cum Apostolo, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Et respondet tibi idem ipse Apostolus, Non me judicavi aliquid scire in vobis, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Ille qui ab uno populo est tunc crucifixus, in omnium populorum est nunc cordibus fixus.

Johan. 15. 13. — *Rom. 5. 6.* — *Ibidem 10.* — *Ibidem 8.*

Crux non erubescenda. — *Rom. 10. 10.* — *Marci 8. 38.* — *Gal. 6. 14.* — *1 Cor. 2. 2.*

6. Tu autem, quisquis es qui de potentia magis quàm de humilitate vis gloriari, accipe consolationem, habe exsultationem. Qui enim crucifixus sub Pontio Pilato & sepultus est, *Tertia die resurrexit à mortuis.* Fortè & hîc dubitas, fortè trepidas. Quando tibi dictum est, Crede natum, crede passum, crucifixum, mortuum & sepultum; quasi de homine faciliùs credidisti: nunc quia dicitur, *Tertia die resurrexit à mortuis*, dubitas ô homo? Ut de multis unum proferamus exemplum; Deum adtende, omnipotentem cogita, & noli dubitare. Si enim potuit te, cùm non esses, ex nihilo facere; cur non potuit hominem suum, quem jam fecerat, à mortuis excitare? Credite ergo, Fratres: ubi de fide agitur, longo uti sermone non opus est. Sola hæc fides est, quæ Christianos ab omnibus hominibus discernit & separat. Nam quia mortuus est & sepultus, & Pagani modò credunt, & Judæi tunc viderunt: quia verò tertia die resurrexit à mortuis, nec Paganus nec Judæus admittit. Discernit ergo à mortuis perfidis vitam fidei nostræ, resurrectio mortuorum. Nam & apostolus Paulus cùm Timotheo scriberet, Memento, inquit, Jesum Christum resurrexisse à mortuis. Credamus ergo, Fratres, & quod in Christo factum credimus, hoc futurum speremus in nobis. Deus enim qui promittit, non fallit.

Resurrectionis Christi fides. — *Hæc fides Christianos discernit.* — *2. Tim. 2. 8.*

7. Postquam ergo resurrexit à mortuis, *adscendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris.* Adhuc fortè non credis. Audi Apostolum: Qui descendit, inquit, ipse est & qui adscendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia. Vide ne quem non vis credere resurgentem, sentias vindicantem. Qui enim non crediderit, jam judicatus est. Nam qui modò sedet ad dexteram Patris advocatus pro nobis, inde *venturus est judicare vivos & mortuos.* Credamus ergo; ut sive vivamus, sive moriamur, Domini simus.

Christi sessio ad dexteram Patris. — *Ephes. 4. 10.* — *Johan. 3. 18.* — *Rom. 14. 8.*

8. Credamus *& in Spiritum-sanctum.* Deus enim est; quia scriptum est, Deus spiritus est. Per ipsum *remissionem* accipimus *peccatorum*; per ipsum *resurrectionem* credimus *carnis*; per ipsum *vitam* speramus *æternam.* Sed videte ne numerando errorem patiamini, & me putetis tres Deos dixisse, quia unum Deum tertiò nominavi. Una est in Trinitate substantia deitatis, una virtus, una potestas, una majestas, unum nomen divinitatis; sicut ipse Christus dixit discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis, Ite, baptizate Gentes, non in multis nominibus, sed in uno nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Credentes ergo divinam Trinitatem, & trinam unitatem, cavete, Dilectissimi, ne quis vos ab Ecclesiæ catholicæ fide ac unitate seducat. Qui enim vobis aliter evangelizaverit, præter quàm quod accepistis, anathema sit. Apostolum, non me audite, qui ait, Sed & si nos, aut Angelus de cælo aliter vobis evangelizaverit, præter quàm quod accepistis, anathema sit.

De Spiritu-sancto, remissione peccatorũ, &c. — *Johan. 4. 24.* — *Matth. 28. 19.* — *Gal. 1. 8. & 9.*

9. Videtis certè, Carissimi, etiam in ipsis sancti Symboli verbis, quomodo conclusioni omnium regularum, quæ ad sacramentum fidei pertinent, quasi supplementum quoddam additum, ut diceretur, *per sanctam Ecclesiam.* Fugite ergo, quantum potestis diversos & varios deceptores, quorum sectas & nomina præ multitudine sui, nunc longum est enarrare. Multa enim habemus

In Ecclesia catholica vivendum.

Classis II. dicere vobis; sed non potestis illa portare modò. Unum vestris precibus commendo, ut ab eo qui catholicus non est, animum & auditum vestrum omnimodis avertatis: quò *remissionem peccatorum & resurrectionem carnis & vitam æternam*, per unam veram & *sanctam Ecclesiam catholicam* apprehendere valeatis; in qua discitur Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus Deus; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum.

* Alias de Diversis 8.

* SERMO CCXVI.

Ad Competentes.

Caput I. a b

1. RUDIMENTA [a] ministerii nostri, & vestri conceptûs quo fidei [b] concipitis utero generari cælesti gratiâ, adjuvanda sunt ore: ut & noster vos sermo salubriter alloquatur, & nos vester conceptus utiliter consoletur. Nos instruimus sermonibus, vos proficite moribus. Spargimus sermonem verbi, fructum reddite fidei. Omnes secundùm vocationem, qua vocati sumus à Domino, in ejus via semitaque curramus; nullus retrò respiciat. Veritas enim quæ nec fallit, nec fallere potest, apertè denuntiat, *Nemo ponens manum super aratrum, & respiciens retrò, aptus erit regno cælorum.* (Luc. 9. 62.) Hoc nempe vos concupiscere, ad hoc ambire omnibus mentis vestræ conatibus, ipsum vestrum nomen, quòd Competentes vocamini, ostendit. (Competentes quinam.) Quid enim aliud sunt Competentes, quàm simul petentes? Nam quomodo condocentes, concurrentes, considentes, nihil aliud sonat, quàm simul docentes, simul currentes, simul sedentes: ita etiam Competentium vocabulum non aliunde quàm de simul petendo atque unum aliquid appetendo compositum est. Et quod illud est unum, quod petitis vel concupiscitis, nisi quod quidam abjectis desideriis carnalibus & superatis terroribus sæculi clamat intrepidus? *Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum: si exsurgat in me bellum, in hoc ego sperabo.* (Psal. 26. 3. 6.) Et quæ illa sit exprimens, adjunxit & dixit, *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ.* Atque hujus regionis & habitationis beatitudinem explanans, connectit & exprimit, *Ut contempler delectationem Domini, & protegar à templo ejus.*

Caput II. Hortatur ut contemnentes sæculum...

2. Videtis contyrones mei, ad quam delectationem Domini venietis, cùm delectationem sæculi abjicitis? Si despicitis mundum, habebitis cor mundum, & videbitis eum qui fecit mundum: & sicut ille vicit, ita & vos in ejus gratia vincetis hunc mundum. Quem profectò jam jamque superabitis atque calcabitis, si non de vestris viribus, sed de Dei misericordissimi adjutorio præsumatis. Nolite vos despicere, quia nondum apparuit quod eritis. Scitote autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei eritis, dum apparuerit quod eritis. (1. Johan. 3. 2.) Scitote autem, quoniam videbitis eum, non qualis in temporis plenitudine venit ad nos, sed qualis semper manens condidit nos. Exuite vos veterem hominem, ut induamini novo. (Coloss. 3. 9.) Pactum vobiscum Dominus inchoat. Vixistis sæculo, carni vos & sanguini dedistis, imaginem hominis terreni portastis. Sicut ergo imaginem portastis A ejus qui de terra est, ita etiam ejus qui de cælo est ultrà portate. *Humanus sermo*, quia ideo Verbum caro est factum, *ut sicut exhibuistis corpora vestra arma iniquitatis peccato, ita nunc exhibeatis membra vestra arma justitiæ Deo.* (Rom. 6. 19.) In perniciem adversùs vos vester oppugnator vestris jaculis armabatur: in salutem vestram adversùs eum vicissim membris vestris vester protector armetur. Nihil vobis ille nocebit, si membra vestra vobis auferentibus non tenebit. Iste B vos jure derelinquet, si ab eo vestrum votum voluntasque dissentiet.

Caput III. De regno cælorum emendo cogitent.

3. Ecce cum auctione & mercatu fidei, regnum vobis cælorum venale proponitur: inspicite & congerite vestræ conscientiæ facultates, thesauros cordis vestri unanimiter congregate. Et tamen gratis emitis, si gratam gratiam quæ vobis offertur, agnoscitis. Nihil impenditis, & tamen magnum est quod adquiritis. Non sitis viles vobis, quos cunctorum Creator & vester C tam caros æstimat, ut vobis quotidie Unigeniti sui pretiosissimum sanguinem fundat. (Non abjectè de se sentiant.) Non sic eritis viles si pretiosum distinguatis à vili; si non creaturæ, sed Creatori serviatis; si vobis inferiora vestra non fuerint dominata, ut immaculati à capitali magnoque peccato mundemini; (Psal. 18. 14.) si non in vobis semen verbi Dei, quod etiam nunc spargit cælestis agricola in agro cordis vestri, aut tamquam in via indignorum transitu conculcetur, aut tamquam inter petrosa durissimæ conscientiæ vestræ stoliditate jam germinans comprimatur, aut inter spinas cupiditatum vestrarum perniciosis aculeis suffocetur. (Matth. 13. Luca 8.) D Si à tam damnosæ damnandæque terræ sterilitate abhorreatis, fructifera vos profectò terra uberrimaque suscipiet, & cum magno gaudio seminatori & compluturi vestro multiplicatam centeni reddetis ubertatem; (Bonorum operum fructus reddant.) aut si ad hoc impares fortè fueritis, sexageni fructûs usuras exsolvetis: quòd si nec ad hoc occurretis, non erit vester ingratus etiam E trigeni proventus: quia cælestibus omnes horreis excipientur, omnes in æterna requie recondentur. De omnium fructibus cælestis panis ille conficietur, & omnis operarius in Dominica vinea sine dolo laborans, ipso abundanter ac salubriter saturabitur: dum tanti seminatoris, pluitoris, & rigatoris, atque ipsius incrementi datoris, Evangelica prædicatione gloria diffamatur.

Caput IV. Ad Deum conversi tendant ad æternam vitam.

4. Accedite ergo ad eum in obtritione cor- F dis: quoniam propè est omnibus qui obtriverunt cor, & ipse vos humiles spiritu salvos faciet. (Psal. 33. 19.) Certatim accedite, ut illuminemini. Estis enim adhuc in tenebris, & tenebræ in vobis. Eritis autem lux in Domino, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Johan. 1. 9.) [c] Confortamini sæculo, reformamini Deo. Babylonicæ captivitatis vos aliquando jam tædeat. Ecce Jerusalem mater illa cælestis, in viis hilariter invitans occurrit, & obsecrat ut velitis vitam, & diliga- G tis videre dies bonos, quos numquam habuistis, nec umquam in hoc sæculo habebitis. Ibi enim deficiebant, sicut fumus, dies vestri: quibus augeri, minui; & quibus crescere, deficere; & quibus adscendere, vanescere fuit. Qui vixistis pec-

[a] Habitus itaque Sermo anno 391. quo presbyter Hipponensis creatur Augustinus. Vide notam in exordium Sermonis 214. eodem tempore pronuntiati. In Possidii Indiculo cap. 10. notatur *Exhortatorius ad Competentes Tractatus unus.*

[b] An legendum, *incipitis?* ut quos hîc alloquitur, significet tum primùm factos ex Catechumenis Competentes, perceptione fidei & petitione baptismi. Item infrà loco *ore*, fortè meliùs *oratione*.

[c] In Germanensi MS. *Conformamini*: fortè pro *Conformabamini*.

CLASSIS II.

cato annos multos & malos, desiderate vivere A Deo: non multos annos quandoque finiendos, & ad intereundum in umbra mortis currentes; sed bonos, & in veritate vivacis vitæ propinquos; ubi nulla fame, nulla siti lassabitis; quia cibus vester fides, potus sapientia erit. Nunc enim in Ecclesia in fide benedicitis Dominum: tunc autem in specie affluentissimè rigabimini de fontibus Israël.*

CAPUT V. Hic vitæ æternæ desiderio lugeant, & membra mortificet.

5. Sed in hac interim peregrinatione sint vobis lacrymæ vestræ panis die ac nocte; dum di- B centibus vobis quotidie, Ubi est Deus vester? non potestis carnalibus demonstrare quod oculus non vidit, nec auris audivit, aut in cor hominis adscendit. Donec veniatis & appareatis ante oculos Dei vestri, nolite deficere. Veniet enim & ipse promissa persolvere, qui se sponte professus est debitorem: qui nihil ab aliquo mutuatus est, & suo promisso debitor esse dignatus est. Nos debebamus; & tantum debebamus, quantum peccaveramus. Venit ille sine debito; quia C sine ullo peccato: invenit nos damnoso ac damnando fœnore oppressos, & quæ non rapuerat exsolvens, nos à sempiterno debito misericorditer liberavit. Nos admiseramus culpam, exspectabamus pœnam: ille non factus socius culpæ nostræ, sed factus particeps pœnæ; simul & culpæ esse voluit donator & pœnæ. Ipse est enim qui ex usuris & iniquitate eruet animas credentium, atque ex corde in unoquoque dicentium, *Credo videre bona Domini in terra viventium.* D Hæc terra, non terreno vel mortuo, sed cælesti quodam modo ac vivo corde concupiscenda est. Ipsa est enim, cui in Psalmo alio flagrans quidam ejus amore & alacriter cantans dicit, *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium.* Ad quam illi tendunt, qui vitaliter mortificant membra sua super terram: non membra quibus corporis mundi hujus compago consistit, sed illa membra quibus animæ virilitas miserabiliter infirmatur. Apertissimè ea dinumerans ac designans E Vas electionis Paulus apostolus dicit, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, perturbationem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est idolorum servitus.* Ecce quæ in hac terra morientium mortificare debeatis, qui in illa terra viventium vivere concupiscitis. Sic ergo efficiamini membra Christi, ut non ea tollatis, & faciatis membra meretricis. Quæ enim turpior, quæ dedecorosior est meretrix, quàm ipsa quæ prima posita F est fornicatio, & ultima avaritia? Quam idolorum servitutem veraciter appellavit; quia non solùm in corporis luxu, sed etiam in animæ fluxu agnoscere & vitare debetis, ne illam perditionem minacis & casti sponsi ac justi judicis incurratis, cui dicitur, *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.* Quantò justiùs, quantò utilius, in cordis ad eum castitate singuli quique clamabitis, *Mihi adhærere Deo, bonum est?* Hanc adhæsionem illa dilectio præstat, de qua similiter dici- G tur, *Dilectio sine simulatione, odio habentes malum, adhærentes bono.*

Psal. 41. 4. 1. Cor. 2. 9. Psal. 26. 13. Psal. 141. 6. Coloss. 3. 5. Psal. 72. 27. Ibidem 28. Rom. 12. 9.

CAPUT VI. Quod illis certamen indictum.

6. Ecce ubi est stadium vestrum, ecce ubi lucta certantium, ecce ubi cursus currentium, ecce ubi ferientium pugillatus. Si vultis perniciosissimum collectatorem fidei lacertis elidere, A prosternite mala, complectimini bona. Si vultis sic currere, ut comprehendatis; fugite iniquum, consequimini justum. Si vultis sic pugillare, ut non aërem cædatis, sed hostem viriliter feriatis; castigate corpus vestrum, & in servitutem redigite, ut ab omnibus abstinentes ac legitimè certantes, bravii cælestis & incorruptæ coronæ participes triumphetis. Quod in vobis adjurato vestri Redemtoris nomine facimus, hoc vestri cordis scrutatione & contribulatione complete. B Nos precibus ad Deum & increpationibus inveterati hostis dolis [a] resistimus: vos votis & vestri cordis contritione persistite, ut eruamini de potestate tenebrarum, & transferamini in regnum claritatis ejus. Hoc est nunc opus vestrum, & hic labor vester. Digna in eum nos suis nequitiis maledicta congerimus: vestra vos potiùs aversione ac pia renuntiatione gloriosissimum ei certamen indicite. Adterendus, vinciendus, excludendus est Dei & vester, ac sui potiùs inimicus. C Nam furor ejus & in Deum protervus, & adversùm vos nefarius, & in se perniciosus ostenditur. Anhelet usquequaque cædes, supponat muscipulas, exacuat multiplices & dolosas linguas suas: omnia venena ejus, obtestato nomine Salvatoris, vestris cordibus effundite.

SERM. DE TEMPORE.

Exorcismus adjurato Christi nomine. Maledicta in diaboli. Expulsio diaboli.

CAPUT VII. Ad spiritalem tenacem scientiam cooperentur Christo & Ecclesiæ.

7. Quidquid facinorosissimis suggestionibus, quidquid flagitiosissimis illecebris immittebat, nunc exhaurietur, nunc publicabitur. Nunc populabitur captivitas ejus, qua vos tyrannicè pos- D sidebat. Avertetur à vobis jugum, quo vos immaniter deprimebat, & ejus cervicibus imponetur: tantùm vos in liberationem vestram, Redemtori vestro vestrum præbete consensum. Sperate in eum omne concilium novæ plebis, & popule qui nasceris, quem fecit Dominus, enitere ut salubriter pariaris, ne feraliter abortiaris. Ecce uterus matris Ecclesiæ, ecce ut te pariat, atque in lucem fidei producat, laborat in gemitu suo. Nolite vestrâ impatientiâ viscera E materna concutere, & partûs vestri januas angustare. Popule qui crearis lauda Deum tuum: lauda qui crearis, lauda Dominum tuum. Quia lactaris, lauda: quia aleris, lauda: quia nutriris, profice sapientiâ & ætate. Ille quoque has moras partûs temporalis admisit, qui nec brevitate temporis deficit, nec longitudine ulla temporis proficit, sed à diebus æternis cunctas angustias & tempus exclusit. Nolite hîc, sicut benignus parvulum nutritor admonet, pueri effi- F ci mentibus, sed malitiâ parvuli estote, mentibus perfecti sitis. Ut Competentes competenter adolescite in Christo, ut in virum perfectum juveniliter accrescatis. Lætificate, ut scriptum est, profectu sapientiæ vestræ patrem vestrum, & nolite defectu vestro contristare matrem vestram.

1. Cor. 14. 20. Prov. 10. 1. & 15. 20.

CAPUT VIII. Novæ regenerationis gratia.

8. Amate quod eritis. Eritis enim filii Dei, & filii adoptionis. Hoc vobis gratìs dabitur, gratísque conferetur. In quo largiùs uberiúsque abundabitis, quantò plus grati ei, à quo hæc ac- G cepistis, fueritis. Ad eum ambite, qui novit qui sint ejus. Tunc autem non dedignabitur vos inter eos qui ejus sunt nosse, si nominantes nomen Domini, ab injustitia recedatis. Parentes carnis vestræ habetis, vel habuistis in sæculo, qui vos in laborem atque ad pœnam mortemque genuerunt: sed quia feliciori orbitate potest unusquis-

[a] Germanensis MS. insistimus dolis.

Classis II.

Psal. 26. 10. *Psal. 21. 11.*

que vestrûm de talibus dicere, *Pater meus & mater mea dereliquerunt me*; illum Patrem Christiane agnosce, qui illis relinquentibus suscepit te ex utero matris tuæ, cui quidam fidelis fideliter dicit, *De ventre matris meæ tu es protector meus*. Pater Deus est, mater Ecclesia. Longè aliter ab his generabimini, quàm ab illis geniti fueratis. Hos partus, non labor, non miseria, non fletus, non mors; sed facilitas, felicitas, gaudium, vitaque suscipiet. Per illos lamentabilis generatio, per hos optanda generatio est. Illi nos generando in æternam pœnam generant, propter veterem culpam: isti regenerando, nec pœnam faciunt remanere, nec culpam. Hæc est illa regeneratio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. Humiles quærite: quod cùm inveneritis, ad securam altitudinem venietis. Infantia vestra innocentia erit, pueritia reverentia, adolescentia patientia, juventus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud quàm canus sapiensque intellectus. Per hos articulos vel gradus ætatis, non tu evolveris, sed permanens innovaris. Non enim ut decidat prior secunda succedet, aut tertiæ ortus secundæ erit interitus, aut quarta jam nascitur ut tertia moriatur: non quinta quartæ invidebit ut maneat, nec quintam sexta sepeliet. Cùm simul ætates istæ non veniant, tamen in anima pia & justificata pariter & concorditer perseverant. Hæ te ad septimam perennem quietem pacemque perducent. * Tamen sexties, ut legimus, de necessitatibus ætatis mortiferæ liberatum, jam in septima non te tangent mala. Non enim certabunt quæ non erunt, aut prævalebunt quæ nec audebunt. Ibi secura immortalitas, ibi immortalis securitas.

Psal. 23. 6. — Ætates spirituales. — * Caput IX. — *Job 5. 19.*

Psal. 147. 13.

9. Et unde hæc, nisi de immutatione dexteræ Excelsi, qui benedicet filios tuos in te, qui ponet terminos tuos pacem? Excitamini ergo ad hæc, concreti, discreti; concreti bonis, discreti à malis: electi, dilecti, præsciti, vocati, justificandi, glorificandi: ut crescentes, juvenescentes, ac senescentes in fide ac maturitate virium, non corruptione [a] membrorum, in senecta uberi, tranquilli annuntietis opera Domini, qui fecit vobis magna, qui potens est: quia magnum nomen ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Vitam quæritis, currite ad eum qui est fons vitæ: & fugatis tenebris fumosarum cupiditatum vestrarum, videbitis lumen in lumine Unigeniti illius vestri atque clementissimi Redemtoris, & fulgentissimi illuminatoris. Si salutem quæritis, sperate in eum qui salvos facit sperantes in se. Si ebrietatem deliciasque sectamini, nec ipsas negabit. Tantùm venite & adorate, procidite & plorate ante eum qui fecit vos: & inebriabit vos ab ubertate domûs suæ, & torrente deliciarum suarum potabit vos.

Caput X. — Cavenda superbia & adhibenda vigilantia.

10. Sed cavete, ne veniat vobis pes superbiæ; & vigilate, ne vos manus moveant peccatorum. Primum ne contingat, orate ut ab occultis vestris mundet vos: secundum verò ne irruat & dejiciat vos, petentes ut ab alienis parcat vobis; jacentes surgite, surgentes state, stantes adsistite, adsistentes persistite. Nolite ultrà ferre jugum: disrumpite potiùs vincula eorum, & abjicite à vobis jugum ipsorum, ne iterum servitutis jugo adtineamini. *Dominus in proximo est; nihil solliciti fueritis.* Manducate nunc panem doloris: veniet tempus, quando post panem tristitiæ panis vobis lætitiæ ministretur. Sed meritum illius, hujus est tolerantia. Aversio & fuga tua panem luctûs commeruit: convertere, compungere, & redi ad Dominum tuum. Paratus est ille compuncto & redeunti panem gaudii erogare; si non dissimules nec differas pro fuga tua flebiliter ærumnosus orare. In tantis ergo catervis molestantium induite vos cilicio, & [b] humiliate in jejunio animam vestram. Redditur humilitati, quod superbiæ denegatum est. Et vos quidem cùm scrutaremini, atque ipsius fugæ ac desertionis persuasor in Trinitatis tremendæ omnipotentia debitè increparetur, non estis induti cilicio: sed tamen vestri pedes in eodem mysticè constiterunt.

Serm. de Tempore. — *Philip. 4. 5.* — Scrutiniũ.

Caput XI. — *Luca 15.*

11. Calcanda sunt vitia velleraque caprarum: sinistrorum hœdorum conscindendi sunt panni. Cum prima stola ultrò vobis occurret misericors pater, qui ad vestram depellendam pestiferam famem etiam saginatum vitulum non distulit immolare. Ejus carnibus pascemini, ejus sanguine potabimini: cujus effusione peccata dimittuntur, debita donantur, maculæ deterguntur. Ut pauperes manducate, & tunc saturabimini: ut & vos de illis sitis, de quibus dicitur, *Manducabunt pauperes, & saturabuntur*: ac saturati salubriter ejus panem gloriamque ructate. Currite ad eum, & convertimini: ille est enim qui convertit aversos, prosequitur fugitivos, invenit perditos, humiliat superbos, pascit famelicos, solvit compeditos, illuminat cæcos, purgat immundos, recreat fatigatos, suscitat mortuos, atque nequitiæ spiritibus possessos & captos eripit. A quibus quia vos nunc immunes esse probavimus; gratulantes vobis admonemus vos, ut sanitas quæ apparuit in vestro corpore, hæc in vestris cordibus conservetur. [c]

Psal. 21. 27.

SERMO CCXVII.

De oratione Christi, Iohan. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, ibi sint ipsi.

Habitus paulò ante Pascha.

Prodit nunc primùm ex MSS. Germanensi & Floriacensi.

Christus orat, & dat quod orat.

1. DOMINUS Christus, qui nos exaudit cum Patre, orare pro nobis dignatus est Patrem. Quid felicitate nostra certius, quando ille pro nobis orat, qui dat quod orat? Est enim Christus homo & Deus: orat ut homo, dat quod orat ut Deus. Quod autem tenere debetis, ideo totum Patri adsignat, quia Pater non de illo est, ipse de Patre est. Fonti unde natus est, totum dat. Sed & ipse fons natus est. Ipse est enim fons vitæ. Ergo Pater fons fontem genuit. Genuit quidem fontem fons; sed & generans fons & genitus fons: quemadmodum generans Deus & genitus Deus, unus est Deus. Pater non est Filius, Filius non est Pater,

[a] In Germanensi codice, *morborum.*
[b] Sic Germ. codex. At editi, *& humiliamini in jejunio animarum vestrarum.*

[c] Apud Lov. assutus hîc erat finis Sermonis 85. ab illis scilicet verbis, *Dominus dives & pauper occurrerunt sibi. In qua via, nisi in ista vita? Natus est* &c.

Classis II

Spiritus-sanctus amborum nec Pater nec Filius: A sed Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus est Deus. Ædificamini in unitate, ne cadatis in separatione.

2. Audistis quid pro nobis oraret, immo quid vellet. Dixit: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, ibi sint ipsi. Volo*, inquit, *ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* O domus beata! ô patria secura! Non habet hostem, non habet pestem. Securi ibi vivemus, migrare non quæremus, tutiorem locum non inveniemus. Quidquid B hîc elegeris in terra, ad timorem eligis, non ad securitatem. Elige tibi locum, dum es in malo loco, id est in hoc sæculo, in hac vita tentationibus plena, elige in hac mortalitate gemitibus & timoribus plena: dum es in malo loco, elige tibi locum, quò migres de malo loco. Non poteris ad locum bonum migrare de loco malo, nisi bene feceris in loco malo. Qualis locus est ille, ubi nemo esurit? Ergo si vis habitare in loco bono, ubi nemo esurit; in loco malo frange panem C tuum esurienti. In loco illo beato nemo est peregrinus: omnes in patria sua vivunt. Si ergo vis esse in loco bono, ubi nemo est peregrinus; in loco malo non habentem quò intret, suscipe in domum tuam. Peregrino præbe hospitium in loco malo, ut venias ad locum bonum, ubi hospes esse non possis. In loco bono nemo indiget vestimento: frigus ibi non est, æstus ibi non sunt: ut quid tectum, ut quid indumentum? Ibi non erit tectum, sed protectio. Ecce & ibi invenimus D tectum: *Sub umbra alarum tuarum sperabo.* Ergo in hoc loco malo præbe non habenti tectum, ut sis in loco bono, ubi habeas tale tectum, ut non quæras facere sarta tecta: quia non ibi stillat imber. Est perpetuus fons veritatis: sed imber ille lætificat, non humectat: imber iste, ipse est fons vitæ. Quid est enim, *Apud te est fons vitæ*; & *Verbum erat apud Deum?*

Johan. 17. 24. — Locus bonus, quò nobis migrandum de hoc loco malo. — *Psal. 56. 2.* — *Psal. 35. 10.* — *Johan. 1. 14.*

3. Ergo Carissimi facite bene in loco malo, ut veniatis ad locum bonum, de quo ait qui no- E bis eum præparat, *Volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* Adscendit præparare, ut nos ad paratum securi veniamus. Ipse præparavit: in illo manete. Parva tibi domus est Christus? Jamne passionem ipsius times? Resurrexit à mortuis, & non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur. Locus malus, dies mali, sæculum hoc. Sed bene faciamus in loco malo, & bene vivamus in diebus malis. Transit locus malus & dies mali: & veniet locus bonus æternus, & dies boni æter- F ni: & ipsi dies boni unus dies erunt. Hîc enim quare sunt mali dies? Quia transit unus, ut veniat alius. Transit hodiernus, ut veniat crastinus: transit hesternus, ut veniat hodiernus. Ubi nihil transit, unus est dies. Et dies Christus est, & Pater dies: sed Pater dies de nullo die, Filius dies ex die. Commendavit ergo nobis Dominus Jesus Christus in passione sua labores & contritiones præsentis sæculi: in resurrectione sua commendavit æternam vitam & beatam futuri sæcu- G li. Toleremus præsentia, speremus futura. Ideo in diebus istis dies agimus significantes laborem præsentis sæculi, in jejuniis & observatione conterentes animas nostras: in diebus autem venturis dies significamus futuri sæculi, nondum ibi sumus. Significamus dixi, non tenemus. Usque ad passionem enim contritio: post resurrectionem laudatio.

Bene agendo in loco malo pervenitur ad locum bonum. — *Rom. 6. 9.* — Dies Quadragesimæ. Dies Quinquagesimæ post Pascha.

Serm. de Tempore

* SERMO CCXVIII.

* *Alias de Diversis 76.*

De [a] passione Domini in parasceve.

Caput I. Passionis Dominicæ mysteria explicada.

1. Cujus sanguine delicta nostra deleta sunt, sollemniter legitur passio, sollemniter celebratur; ut annua devotione memoria nostra lætiùs innovetur, & ipsa frequentatione populorum fides nostra clariùs illustretur. Exigit ergo à nobis sollemnitas, ut de passione Domini vobis sermonem, qualem donat ipse, reddamus. Et quidem ad salutem nostram & vitæ hujus transigendæ utilitatem, in his quæ passus est ab inimicis Dominus noster exemplum patientiæ nobis præbere dignatus est; ut pro Evangelica dignitate, si hoc ipse voluerit, nihil tale perpeti recusemus. Verumtamen quia nec in ipsa carne mortali aliquid ille necessitate, sed omnia voluntate perpessus est; rectè creditur etiam significare aliquid voluisse in singulis quibusque factis, quæ circa ejus passionem gesta atque conscripta sunt.

Caput II. Quid significet quod Christus crucem suam portavit. — *Matth. 16. 24.*

2. Ac primùm, quòd traditus ut crucifigeretur crucem suam ipse portavit; continentiæ signum dedit, & demonstravit præcedens, quid facere debeat qui eum sequi voluerit. Hoc etiam verbo commonuit, ubi ait, *Qui diligit me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Tollit enim quodam modo crucem suam, qui regit mortalitatem suam.

Caput III. Calvariæ locus. — *Psal. 39. 13.*

3. Quòd in loco Calvariæ crucifixus est; significavit in passione sua remissionem omnium peccatorum, de quibus in Psalmo dicitur, *Multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei.*

Caput IV. Latrones à dextris & à sinistris. — *Matth. 5. 10.* — *1. Cor. 13. 3.*

4. Quòd duo cum illo ab utroque latere crucifixi sunt; ostendit alios sibi dextros, alios sinistros esse passuros: dextros, de quibus dicitur, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam:* sinistros autem, de quibus dicitur, *Et si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Caput V. Titulus super Crucem. — *Psal. 2. 6.*

5. Quòd titulus est positus super ejus crucem, in quo scriptum erat, *Rex Judæorum*; illud ostendit, quia nec occidendo efficere potuerunt, ut eum regem non haberent, qui eis manifestissimè eminentissima potestate secundùm sua opera redditurus est. Unde in Psalmo canitur, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

Caput VI. Cur tribus linguis conscriptus. — *Psal. 2. 7.*

6. Quòd tribus linguis titulus conscriptus erat, Hebræâ, Græcâ, & Latinâ; non solùm Judæis, sed etiam Gentibus eum regnaturum fuisse declaratum est. Proinde in eodem Psalmo cùm dixisset, *Ego autem constitutus sum rex super Sion montem sanctum ejus*, ubi scilicet Hebræa lingua regnavit; continuò tamquam Græca, Latinaque subjungens, *Dominus*, inquit, *dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: pete à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ.* Non quia Græca & Latina solæ sunt gentium linguæ: sed quia ipsæ maximè excellunt; Græca, propter studium litterarum;

[a] Possidius in Indiculo c. 10. notat *de Domini passione Tractatus duos.* Fragmenta Sermonis de passione proferunt Beda & Florus, quæ in subjecto Sermone non leguntur.

Classis II. — * f. potentiam. — Cur rex Judæorum, & non gentium. — Isa. 2. 3. — Psal. 46. 4.

terarum; Latina, propter * peritiam Romanorum. Quamvis in illis tribus linguis Christo subjuganda universitas gentium omnium monstraretur: non tamen illic scriptum est & rex Gentium, sed tantummodo Judæorum, ut commendaretur origo seminis, in proprietate nominis. *Lex* enim *à Sion prodiet*, dictum est, *& verbum Domini ab Ierusalem.* Nam qui sunt qui dicunt in Psalmo, *Subjecit plebes nobis, & gentes sub pedibus nostris;* nisi de quibus dicit Apostolus, *Si enim spiritalibus eorum communicaverunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis?*

Caput VII. Judæi apud Pilatum agentes de mutando titulo. — Matth. 21. 43. — Rom. 11. 1. — Matth. 8. 11. & 12. — Psal. 56. 1. 57. 1. &c.

7. Quòd suggesserunt principes Judæorum Pilato, ne absolute scriberet quòd sit rex Judæorum, sed quòd ipse regem se dixerit Judæorum; ramis illis fractis ita Pilatus inserendum figurabat oleastrum: quia homo erat ex gentibus, gentium scribens confessionem, de quibus meritò ipse Dominus dixit, *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti justitiam.* Nec ideo tamen, non est rex ille Judæorum. Radix enim portat oleastrum, non oleaster radicem. Et quamvis illi rami per infidelitatem fracti sint: non ideo Deus repulit plebem suam, quam præscit. *Et ego*, inquit, *Israëlita sum.* Et quamvis filii regni, qui noluerunt Dei Filium regnare sibi, eant in tenebras exteriores: tamen multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent, non cum Platone & Cicerone, sed cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Pilatus quidem regem Judæorum scripsit, non regem Græcorum aut Latinorum, quamvis Gentibus regnaturum. Et quod scripsit scripsit, neque infidelium suggestione mutavit: cui tantò ante prædictum erat in Psalmis, *Tituli inscriptionem ne corrumpas.* Omnes gentes credunt in regem Judæorum: omnibus gentibus regnat, sed tamen rex Judæorum. Tantum valuit illa radix, ut insertum oleastrum in se possit ipsa [a] mutare, oleaster autem olivæ nomen non possit auferre.

Caput VIII. Vestes in quatuor partes divisæ.

8. Quòd in quatuor partes divisa vestimenta ejus milites abstulerunt; per quatuor orbis partes peragratura sacramenta ejus significaverunt.

Caput IX. Inconsutilis tunica sorti commissa. — Rom. 5. 5. — Act. 8. 21.

9. Quòd unam tunicam inconsutilem de super textam sortiti sunt, potiùs quàm partiti; satis demonstratum est sacramenta visibilia, quamvis & ipsa indumenta sint Christi, posse tamen habere quoslibet hæc, sive bonos, sive malos; sincerissimam verò fidem, quæ per dilectionem operatur unitatis integritatem, quia dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum qui datus est nobis, non pertinere ad quoslibet, sed occultâ Dei gratiâ tamquam sorte donari. Unde Simoni qui baptismum habebat, & istam non habebat, à Petro dictum est, *Non est tibi sors, neque pars in ista fide.*

Caput X. Mater commendata à moriente. — Johan. 2. 4.

10. Quòd in cruce cognitam matrem dilecto discipulo commendavit; congruenter tunc humanum affectum, quando ut homo moriebatur, ostendit. Ista hora nondum venerat, quando aquam in vinum conversurus eidem matri dixerat, *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Non enim de Maria sumserat quod habebat in divinitate, sicut de Maria sumserat quod pendebat in cruce.

Caput XI. Johan. 19. 28. — Serm. de Tempore. — Johan. 1. 11. Acetum in spongia datum. — Lucæ 23. 34.

11. Quòd dixit, *Sitio*; fidem quærebat à suis: sed quia *in propria venit, & sui eum non receperunt*; pro suavitate fidei, acetum perfidiæ dederunt, & hoc in spongia. Verè spongiæ comparandi, non solidi, sed tumidi; non recto confessionis aditu aperti, sed insidiarum tortuosis anfractibus cavernosi. Sanè ille potus habebat & hyssopum, quæ humilis herba radice fortissima petræ dicitur inhærere. Erant quippe in illo populo, quibus hoc facinus ad humiliandam pænitendo animam post abjiciendo servabatur. Noverat eos ipse, qui hyssopum cum aceto accipiebat. Nam & pro eis oravit, sicut alius Evangelista testatur, cùm pendens in cruce dixit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Caput XII. Johan. 19. 30. Vox ultima & inclinatio capitis. — Psal. 68. 22. — Johan. 10. 18. — Gen. 49. 9.

12. Quòd ait, *Perfectum est, & inclinato capite reddidit Spiritum*; non necessitatem, sed potestatem suæ mortis ostendit, donec omnia quæ pro illo prophetata erant perficerentur exspectans: quia & hoc scriptum erat, *Et in siti mea potaverunt me aceto:* tamquam potestatem habens ponendi animam suam, sicut & ipse testatus est. Et reddidit Spiritum per humilitatem, hoc est, capite inclinato; recepturus eum per resurrectionem, capite sublevato. Istam mortem & capitis inclinationem magnæ potestatis fuisse, Jacob ille Patriarcha in Judæ benedictione prænuntians, *Adscendisti*, inquit, *recumbens, dormisti sicut leo*: per adscensionem mortem, per leonem significans potestatem.

Caput XIII. Crura latronibus, non Christo confracta. b

13. Jam verò quòd illis duobus crura confracta sunt; illi autem non, quia defunctus est; quare factum sit, ipsum Evangelium declaravit. Oportebat enim ut isto etiam signo demonstraret in ejus [b] prænuntiata prophetia commendatum esse Pascha Judæorum, ubi hoc præceptum est, ut ovis ossa non frangerent.

Caput XIV. Sanguis & aqua è lateris vulnere.

14. Quòd latus lanceâ percussum in terra sanguinem & aquam manavit; procul dubio sacramenta sunt quibus formatur Ecclesia; tamquam Eva facta de latere dormientis Adam, qui erat forma futuri.

Caput XV. Joseph & Nicodemus sepelientes. — Johan. 12. 24.

15. Quòd Joseph & Nicodemus eum sepeliunt; sicut nonnulli nomina interpretati sunt, Joseph interpretatur auctus; Nicodemus autem, quia nomen est Græcum, pluribus notum est, quòd ex victoria & populo sit compositum; quia νῖκος victoria est, δῆμος populus. Quis est ergo moriendo auctus, nisi qui dixit, *Granum tritici si non moriatur, solum remanet; si autem moriatur, multiplicatur?* Et quis etiam moriendo persecutorem populum vicit, nisi qui eos resurgendo judicabit?

* SERMO CCXIX.

In [c] vigiliis Paschæ, I.

* Aliàs de Diversis 77. — c Vigiliæ sacræ. — 1. Johan. 2. 15. & 16.

Beatus Paulus apostolus exhortans nos ad imitationem suam, inter alia multa suæ virtutis insignia, dicit etiam, *In vigiliis sæpius.* Quantò ergo alacriùs in hac vigilia, velut matre omnium sanctarum vigiliarum, vigilare debemus, in qua totus vigilat mundus? Non ille mundus, de quo scriptum est, *Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo: quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculo-*

a Sic Regius MS. At Lov. *monstrare.*
b Regius codex, *prænuntianda.*

c In Possidii Indiculo cap. 10. legitur, *Per vigilias Paschæ Tractatus viginti tres.*

rum, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre. Talem quippe mundum, id est filios infidelitatis, regunt diaboli & angeli ejus: contra quos nobis esse colluctationem idem dicit Apostolus, ubi ait, Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs principes & potestates, & rectores mundi, tenebrarum harum.* Quod & nos fuimus aliquando, nunc autem lux in Domino. Luce itaque vigiliarum, resistamus rectoribus tenebrarum. Non ergo ille mundus in hac sollemnitate vigilat: sed ille de quo dicitur, 2. Cor. 5. 19. *Deus erat* B *in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum.* Quamquam tam clara sit vigiliæ hujus celebritas toto orbe terrarum, ut etiam illos vigilare carne compellat, qui corde, non dicam, dormiunt, sed tartarea impietate sepulti sunt. Vigilant etiam ipsi nocte ista, de qua etiam visibiliter redditur, quod tantò antè promissum est, Psal. 138. 12. *Et nox tamquam dies illuminabitur.* Fit hoc in cordibus piorum, quibus dictum est, Ephes. 5. 8. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* C Fit hoc etiam in æmulis [a] omnium, & qui vident in Domino, & qui invident Domino. Vigilat ergo ista nocte & mundus inimicus, & mundus reconciliatus. Vigilat iste, ut laudet medicum liberatus: vigilat ille, ut blasphemet judicem condemnatus. Vigilat iste, mentibus piis fervens & lucescens: vigilat ille, dentibus suis frendens & tabescens. Denique istum caritas, illum iniquitas: istum Christianus vigor, illum diabolicus livor nequaquam dormire in hac D celebritate permittit. Unde ab ipsis etiam nostris inimicis nescientibus admonemur quemadmodum debeamus vigilare pro nobis, si propter nos vigilant etiam qui invident nobis. Eorum quippe qui nullo modo Christi sunt nomine consignati, tamen ista nocte multi dolore, multi pudore; nonnulli etiam qui fidei propinquant, Dei jam timore non dormiunt. Diversis caussis excitat eos ista sollemnitas. Quomodo ergo debet gaudendo vigilare Christi amicus, quando & E dolendo vigilat inimicus? Quomodo in tanta Christi gloria inardescat vigilare Christianus, quando erubescit dormire Paganus? Quomodo decet eum, qui hanc domum magnam intravit, in tanta ejus festivitate vigilare, quando jam vigilat qui disponit intrare? Vigilemus ergo, & oremus; ut & forinsecùs & intrinsecùs hanc vigiliam celebremus. Deus nobis loquatur in lectionibus suis; Deo loquamur in precibus nostris. Si eloquia ejus obedienter audiamus, in nobis habitat F quem rogamus.

* SERMO CCXX.

In vigiliis Paschæ, II.

* Aliàs de Diversis 78

Quis mortuus pro nobis.

SCIMUS, Fratres, & fide firmissima retinemus, semel Christum mortuum esse pro nobis; pro peccatoribus justum, pro servis Dominum, pro captivis liberum, pro ægrotis medicum, pro miseris beatum, pro egenis opu- G lentum, pro perditis quæsitorem, pro venditis redemtorem, pro grege pastorem, & quod est omnibus mirabilius, pro creatura creatorem: servantem tamen quod semper est, tradentem quod factus est: Deum latentem, hominem apparentem; virtute vivificantem, infirmitate morientem; divinitate immutabilem, carne passibilem: ut ait Apostolus, *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Rom. 4. 25. Hoc semel factum esse, optimè nostis. Et tamen sollemnitas tamquam sæpius fiat, revolutis temporibus iterat, quod veritas semel factum tot Scripturarum vocibus clamat. Nec tamen contraria sunt veritas & sollemnitas, ut ista mentiatur, illa verum dicat. Quod enim semel factum in rebus veritas indicat, hoc sæpius celebrandum in cordibus piis sollemnitas renovat. Veritas quæ facta sunt, sicut facta sunt aperit: sollemnitas autem non ea faciendo, sed celebrando, nec præterita præterire permittit. Denique *Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1. Cor. 5. 7. Ille utique semel occisus, qui jam non moritur, mors ei ultrà non dominabitur. Proinde secundùm vocem veritatis, semel Pascha dicimus factum, & ulteriùs non futurum: secundùm autem vocem sollemnitatis, omni anno dicimus Pascha venturum. Sic intelligi arbitror quod in Psalmo scriptum est, *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem sollemnem celebrabunt tibi.* Psal. 75. 11. Nisi enim quod de rebus temporaliter gestis dicitur cogitatio memoriæ commendaret, nullas post tempus reliquias inveniret. Ideo cogitatio hominis intuens veritatem Domino confitetur: reliquiæ verò cogitationis quæ sunt in memoria, notis temporibus non cessant celebrare sollemnia, ne ingrata cogitatio judicetur. Ad hoc pertinet noctis hujus tam præclara sollemnitas, ubi vigilando tamquam resurrectionem Domini per cogitationis reliquias operemur, quam semel factam cogitando veriùs confitemur. Quos ergo fecit doctos prædicata veritas, absit ut faciat irreligiosos deserta sollemnitas. Hæc istam noctem per totum mundum fecit illustrem. Hæc demonstrat Christianorum agmina populorum, hæc confundit tenebras Judæorum, hæc evertit idola Paganorum.

Serm. de Tempore. Sollemnitas Paschæ.

* SERMO CCXXI.

In [b] vigiliis Paschæ, III.

* Aliàs de Diversis 79.

Quòd in Genesi dies à luce, nunc à nocte computentur.

DICENDUM est cur tanta celebritate hodierna potissimùm nocte vigilemus. Quòd die tertio resurrexerit à mortuis Dominus Christus, nullus ambigit Christianus. Hac autem nocte hoc factum esse, sanctum Evangelium contestatur. Totum enim diem à præcedente nocte computari non dubium est: non secùndùm dierum ordinem qui commemoratur in Genesi: quamquam & illic tenebræ præcesserunt. Nam tenebræ erant super abyssum, cùm dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. 3. Sed quia illæ tenebræ nondum erant nox, nondum enim præcesserat dies: divisit quippe Deus inter lucem & tenebras, & priùs lucem vocavit diem, deinde tenebras noctem; & facta luce usque ad alterum manè commemoratus est dies unus: manifestum est illos dies à luce cœpisse, & transacta luce usque ad manè singulos terminatos. Sed posteaquàm creatus homo à luce justitiæ ad peccati tenebras declinavit, à quibus eum Christi gratia liberat, factum est ut nunc dies à noctibus computemus: quia non à luce ad tenebras, sed à tenebris ad lucem venire conamur, & Domino adju-

[a] Theodericensis MS. ovium.

[b] Totus exstat inter Eugypii excerpta.

 vante fieri speramus. Sicut & Apostolus dicit, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus itaque opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis.* (Rom. 13. 12.) Dies igitur Dominicæ passionis quo crucifixus est, jam transactam noctem propriam sequebatur ; ideoque clausus & terminatus est usque ad Parasceven, quam Judæi etiam Cœnam puram vocant, ab ejus noctis exordio incipientes sabbati observationem. Deinde sabbati dies à sua nocte incipiens, finitus est vespere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominici diei: quoniam eum Dominus suæ resurrectionis gloriâ consecravit. Illius itaque noctis ad initium Dominici diei pertinentis, nunc ista sollemnitate memoriam celebramus : illam noctem agimus vigilando, qua Dominus resurrexit ; & illam vitam, de qua paulò antè dicebamus, meditamur, ubi nec mors ulla, nec somnus est, quam in sua carne nobis inchoavit, quam sic excitavit à mortuis, ut jam non moriatur, & mors ei ultrà non dominetur. Nam quando venientes ad sepulcrum ejus, à quibus diligentibus quærebatur, diluculo corpus non invenerunt, responsumque acceperunt ab Angelis, quòd jam resurrexerat ; manifestum est quòd ea nocte resurrexit, cujus extremitas illud diluculum fuit. Deinde cui resurgenti paulò diutiùs vigilando concinimus, præstabit ut cum illo sine fine vivendo regnemus. Sed & si fortè his horis, quibus nos ducimus istam vigiliam, illius adhuc corpus in sepulcro erat, nondumque resurrexerat ; nec sic vigilando sumus incongrui : quia ille dormivit ut vigilemus, qui est mortuus ut viveremus.

A stibus, non in illa superiore tranquillitate cælestium, habitant isti nequissimi spiritus, contra quos nobis colluctatio spiritalis indicitur : ut devictis angelis malis, illo præmio perfruamur, quo Angelis bonis incorrupta æternitate sociemur. Unde alio loco idem Apostolus, cùm significaret tenebrosum diaboli principatum, *Secundùm spiritum*, inquit, *mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris hujus, qui nunc operatur in filiis infidelitatis.* (Ephes. 2. 2.) Quod ergo est spiritus mundi hujus, hoc B sunt rectores mundi. Et sicut illic exposuit quid dixerit mundum, *in filiis infidelitatis :* sic etiam hîc, cùm addidit, *tenebrarum harum.* Et quod ibi ait, *principem potestatis aëris* ; hoc isto loco, *in cælestibus.* Gratias itaque Domino Deo nostro, qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ. (Col. 1. 13.) Ab illis ergo tenebris Evangelica luce distincti, & ab illis potestatibus sanguine pretioso redemti, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Nam quicum- C que habetis fidem quæ per dilectionem operatur, missus est princeps hujus mundi foras à cordibus vestris : sed forinsecùs tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. (Diabolus è cordibus piorum ejectus.) Non ergo detis locum diabolo, quicumque ex parte penetrare volenti : sed qui eum foras misit patiendo pro vobis, adversùs eum habitet intus in vobis. Cùm vobis ille dominaretur, *fuistis aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino : sicut filii lucis ambulate.* Adversùs tenebras earumque re- D ctores in matre luce vigilate, & Patrem luminum [b] de sinu matris lucis orate.

* SERMO CCXXII.

(* Aliàs de Diversis 80.)

In [a] Vigiliis Paschæ, IV.

(Vigilandū adversùs diabolum.)

CÙM vos, Dilectissimi, ad vigilandum & orandum ipsa sollemnitas sanctæ hujus noctis hortetur ; etiam nostrum vobis tamen sollemniter debetur alloquium, ut adversùs contrarias & invidas potestates rectoresque tenebrarum, velut contra nocturnas bestias, Dominicum gregem etiam vox pastoralis exsuscitet. *Non est enim nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem,* sicut Apostolus dicit, id est adversùs homines mortali corpore infirmos : *sed adversùs principes & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum, adversùs spiritalia nequitiæ in cælestibus.* (Ephes. 6. 12. Florus ibidem.) Nec ideo sanè diabolum & angelos ejus, quos Apostolus his verbis significat, mundi hujus existimetis esse rectores, de quo scriptum est, *Et mundus per eum factus est.* (Rectores mundi diabolus & angeli ejus. Johan. 1. 10.) Nam eos rectores mundi cùm etiam ipse dixisset, ne quis mundum intelligeret, qui plerisque Scripturarum locis cæli & terræ nomine nuncupatur, continuò tamquam exponendo addidit, *tenebrarum harum*, hoc est infidelium. Propter quod jam fidelibus dicit, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* (Ephes. 5. 8.) Sunt ergo ista spiritalia nequitiæ in cælestibus ; non ubi sidera disposita effulgent, & sancti Angeli commorantur ; sed in hujus aëris infimi caliginoso habitaculo, ubi & nebula conglobatur : & tamen scriptum est, *Qui cooperit cælum nubibus.* (In cælestibus quinam habitant. Psal. 146. 8. Psal. 49. 11.) Ubi & aves volitant : & tamen dicuntur volatilia cæli. In his ergo cæle-

* SERMO CCXXIII.

(* Aliàs de Diversis 81.)

In vigiliis Paschæ, V.

1. IN libro qui appellatur Genesis, Scriptura dicit, *Et vidit Deus lucem quia bona est. Et divisit Deus inter lucem & tenebras : & voca-* (Gen. 1. 4. Dies, fideles baptizati.)
E *vit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem.* Si ergo Deus vocavit diem lucem, sine dubio illi quibus dicit apostolus Paulus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, dies erant : (Ephes. 5 8. Florus ibidem.) quoniam ille qui jussit de tenebris lumen clarescere, illuminavit eos. (2. Cor. 4. 6.) [c] Infantes isti, quos cernitis exteriùs dealbatos, interiùsque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant, cùm peccatorum suorum nocte premerentur, tenebræ fuerunt. Nunc autem quia mun- F dati sunt lavacro indulgentiæ, quia irrigati fonte sapientiæ, quia perfusi luce justitiæ : *Hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus & lætemur in eo.* (Psal. 117. 24.) Audiat nos dies Domini, audiat nos dies factus à Domino : audiat, & obaudiat ; ut exsultemus & lætemur in eo. (Hortatur ut bonos imitentur, tolerent malos.) Quoniam, sicut ait Apostolus, hoc est gaudium & corona nostra, si vos statis in Domino. (Philip. 4. 1.) Audite ergo nos, ô novelli filii castæ matris : immo audite nos, filii virginis matris. Quoniam *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem* G *lux in Domino : ut filii lucis ambulate*, filiis lucis adhærete ; atque ut hoc ipsum planiùs dicam, bonis fidelibus adhærete. Sunt enim, quod pejus est, fideles mali. Sunt fideles qui vocantur, & non sunt. Sunt fideles, in quibus Sacramenta Christi patiantur injuriam : qui sic vivunt, ut & ipsi pe-

[a] Florus hunc citat ad Ephes. 6. & subsequentem ad Ephes. 5.
[b] Sic MSS. Editi verò, *in sinu matris orate :* omisso *lucis*.

[c] Hoc nomine vocabant baptismo novissimè renatos, etiamsi ætate senes.

reant, & alteros perdant. Pereunt quippe ipsi, A malè vivendo: perdunt verò alios, malè vivendi exempla præbendo. Vos ergo, Dilectissimi, nolite talibus jungi. Bonos quærite, bonis adhærete: boni estote.

Bonorum & malorũ permixtio in Ecclesia.

2. Neque miremini multitudinem Christianorum malorum, qui ecclesiam implent, qui ad altare communicant, qui episcopum, vel presbyterum de bonis moribus disputantem magnis vocibus laudant: per quos impletur quod congregator noster prædixit in Psalmo, *Annuntiavi, &* B *locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* In Ecclesia hujus temporis possunt esse nobiscum: in illa verò, quæ post resurrectionem futura est, congregatione sanctorum esse non poterunt. Ecclesia enim hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos; habitura post judicium sine ullis malis omnes bonos. Hæc area continet messem ab Apostolis seminatam, à sequentibus usque in præsens tempus bonis doctoribus irriga- C tam, non parum etiam inimicorum persecutione contritam; sed quod solum restat, nondum superna ventilatione purgatam. Veniet autem ille de quo reddidistis in Symbolo, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos:* & sicut Evangelium loquitur, *habebit ventilabrum in manu sua, & expurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Quod dico audiant & antiqui fideles. Qui granum est, cum tremore gau- D deat, & permaneat, & ab area non recedat. Non se judicio suo velut à palea conetur exuere: quoniam si se voluerit modò à palea separare, non poterit in area permanere. Et cùm venerit ille qui sine errore discernit, quod in area non invenerit, ad horreum non levabit. Incassum se de spica tunc grana jactabunt, quæcumque nunc ab area recesserunt. Implebitur illud horreum, atque claudetur. Quidquid extra remanserit, flamma vastabit. Qui ergo bonus est, Carissimi, to- E leret malum: qui malus est, imitetur bonum. In hac quippe area possunt in paleas grana deficere; possunt rursus grana de paleis consuscitari. Quotidie fiunt ista, Fratres mei: plena est vita hæc suppliciis atque solatiis. Quotidie qui videbantur boni, labuntur & pereunt: & rursus qui videbantur mali, convertuntur & vivunt. *Non vult enim Deus mortem impii, tantùm ut revertatur & vivat.* Audite me grana, audite me qui estis quod esse desidero: audite me grana. F Nolite contristari de permixtione palearum: non erunt vobiscum in æternum. Quantum est hoc quod premit palea? Deo gratias, quia levis est. Nos tantùm grana simus, & quantacumque fuerit, non gravabit. Fidelis est enim Deus, qui non permittet nos tentari supra id quod possumus; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possimus. Audiant nos & paleæ; ubicumque sunt, audiant. Nolo hîc sint: alloquamur eas tamen, ne fortè sint. Ergo audite me G paleæ: quamvis, si auditis, paleæ non eritis. Audite ergo. Prosit vobis Dei patientia. Granorum conjunctio, commonitio, grana vos faciat. Non vobis desunt imbres verborum Dei: non sit sterilis in vobis ager Dei. Ergo reviresscite, granascite, maturascite. Qui enim vos seminavit, spicas vult invenire, non spinas.

Psal. 39. 6.

Matth. 3. 12.

Ezech. 18. 23.

1. Cor. 10. 13.

Serm. de Tempore.

* SERMO CCXXIV.

* Aliàs de Tempore 164.

In die Paschæ, I.

Ad populum & ad Infantes, seu eo die baptizatos.

Caput I. Gratia baptizatis collata.

1. HODIERNO [a] die qui baptizati sunt, & renati sunt in Christo Jesu, alloquamur eos, & vos in eis, & ipsos in vobis. Ecce facti estis membra Christi. Si cogitetis quid facti estis, omnia ossa vestra dicent, *Domine, quis similis tibi?* Non enim dignè cogitari potest illa dignatio Dei, & deficit omnis sermo sensusque humanus, venisse vobis gratuitam gratiam nullis meritis præcedentibus. Ideo & gratia dicitur, quia gratìs datur. Quam gratiam? Ut sitis membra Christi, filii Dei, ut sitis fratres Unici. Si ille Unicus, unde vos fratres, nisi quia ille Unicus naturâ, vos gratiâ fratres facti? Quia ergo membra Christi facti estis, admoneo vos: timeo vobis, non tantum à Paganis, non tantum à Judæis, non tantum ab hæreticis, quantum à malis catholicis. Eligite vobis in populo Dei quos imitemini. Nam si turbam imitari volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes non eritis. Abstinete vos à fornicatione, à rapinis, à fraudibus, à perjuriis, ab illicitis rebus, à jurgiis: ebrietas repellatur à vobis: adulterium sic timete quomodo mortem; mortem, non quæ animam solvit à corpore, sed ubi anima semper ardebit cum corpore.

Psal. 34. 10.

Bonos imitentur, non malos.

Caput II. Carnis peccata diabolus levia facit, cùm sint gravia & mortifera.

2. Fratres mei, filii mei, filiæ meæ, sorores meæ, scio agere diabolum partes suas, nec quiescere loqui in cordibus eorum, quos obligatos suis vinculis tenet: scio fornicatoribus, adulteris qui contenti non sunt conjuge sua, dicere diabolum in cordibus eorum, Non sunt magna carnis peccata. Contra hanc diaboli susurrationem debemus habere Christi incarnationem. Hoc est unde Christianos decipit inimicus per carnis illecebras, cùm eis facit leve quod grave est, lene quod asperum, dulce quod amarum est. Sed quid prodest quia satanas facit leve, quod Christus ostendit grave? Numquid novum aliquid facit diabolus dicere Christianis fidelibus, Nihil grave est quod facis? In carne tua peccas: numquid in spiritu? Facilè deletur carnis peccatum, facilè à Deo venia datur? Quid magnum facit? Artificium suum facit, quod in paradiso dixit, *Manducate, & eritis sicut dii: nequaquam moriemini.* Deus dixerat, *Qua die manducaveritis, morte moriemini.* Venit inimicus, & ait, *Non moriemini, sed aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.* Dimissa est [b] jussio Dei, & audita est persuasio diaboli. Tunc inventa est vera jussio Dei, & falsa deceptio diaboli. Numquid profuit, obsecro vos, quia dixit mulier, *Serpens seduxit me?* Numquid valuit excusatio? Si valuit excusatio, quare secuta est damnatio?

Gen. 3. 4. & 5.

Caput III. Incontinentes corripiuntur & excommunicantur.

3. Ideo vobis dico, Fratres mei, filii mei, qui habetis uxores, ut nihil aliud noveritis: & qui non habetis, & ducere vultis, integros vos ad eas servate, sicut integras vultis eas invenire. Vos qui continentiam Deo vovistis, nolite retrò respicere. Ecce dico vobis, ecce clamo vobis,

[a] In MSS. aliquot exordium aliud est, ut habes infrà in Syllabo.

[b] MSS. *minatio Dei.*

Classis II.

ego me absolvo: erogatorem me Deus posuit, non exactorem. Et tamen ubi possumus, ubi datur locus, ubi conceditur, ubi scimus, corripimus, objurgamus, anathematizamus, excommunicamus: & tamen non corrigimus. Quare? Quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Modò quia loquor, quia moneo, quid opus est nisi exaudiat me Deus pro vobis, & agat aliquid in vobis, hoc est, in cordibus vestris? Breviter dico, & vobis commendo, & fideles terreo, & vos ædifico. Membra Christi estis: nolite me, sed Apostolum audite: *Tollens*, inquit, *membra Christi, faciam membra meretricis?* Sed dicit nescio quis, Meretrix non est quam habeo, concubina mea est. O sancte Episcope, meretricem fecisti concubinam meam! Numquid ego dixi? Apostolus clamat, & ego incurri calumniam. Ego te volo esse sanum: in me quare furis sicut insanus? Habes uxorem, qui hoc dicis? Habeo, inquis. Bene: velis nolis, illa quæ præter uxorem tecum dormit, jam dixi, meretrix est. Ecce vade, & dic ei, quia injuriam tibi fecit Episcopus. Habes uxorem tuam legitimam, & alia tecum dormit: quæcumque est illa, jam dixi, meretrix est. Sed servat tibi uxor tua fidem, nec novit alium nisi te solum, & non disponit se nosse alterum. Cùm sit ergo illa casta, tu quare fornicaris? Si illa te unum, tu quare duas? Sed dicis, Ancilla mea concubina mea est, numquid ad uxorem alienam vado? numquid ad meretricem publicam vado? An non licet mihi in domo mea facere quod volo? Dico tibi, non licet. In gehennam vadunt, qui hoc faciunt, in sempiterno igne ardebunt.

(1. Cor. 3. 7. — 1. Cor. 6. 15. — Meretrix est quæcumque concubina præter uxorem.)

Caput IV.

4. Vel hîc liceat mihi loqui, & dicere. Corrigant se qui tales sunt, dum vivunt; ne postea velint, & non possint: quia subitò venit mors, & non est qui corrigatur, sed qui in ignem mittatur. Et quando veniat ipsa novissima hora, nescitur, & dicitur, Corrigo. Quando corrigis, quando mutaris? Cras, inquis. Ecce quotiens dicis, Cras, cras: factus es corvus. Ecce dico tibi, cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina. Nam ille corvus, cujus vocem imitaris, exiit de arca, & non rediit. Tu autem frater redi in Ecclesiam, quam tunc illa arca significabat. Sed vos me audite, ô baptizati; audite me, vos per sanguinem Christi renati: obsecro vos per nomen quod super vos invocatum est, per illud altare ad quod [a] accessistis, per sacramenta quæ accepistis, per judicium futurum vivorum & mortuorum; obsecro vos, obstringo vos per nomen Christi, ut non imitemini eos quos tales esse cognoscitis; sed illius sacramentum maneat in vobis, qui de ligno descendere noluit, sed voluit de sepulcrò resurgere.

(Morũ correctio non differenda. — Corvina vox. — Gen. 8. 7.)

* Aliàs de Diversis 83.

* SERMO CCXXV.

In [b] die Paschæ, II.

Ad Infantes.

Caput I. Christus quid erat ante incarnationem.

1. COMMENDAT nobis divinæ circa nos altitudinem gratiæ Filius Dei sine tempore natus ex Patre. Quid enim erat antequam esset in homine? Putate vos quæsisse atque dixisse. Putamus enim, Fratres mei, antequam Christus de Maria virgine nasceretur, erat, an non erat? Putate nos quærere, unde non licet dubitare. His itaque cogitationibus ipse Dominus respondit, quando ei dictum est, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Respondit enim, & dixit, *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Ergo erat, sed homo nondum erat. Ne fortè aliquis dicat, Angelus erat: sanctum Evangelium dixit vobis, quia Christus erat. Et quæritis quid erat? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Ecce quod erat, *In principio erat Verbum.* Non est in principio factum Verbum, sed *erat Verbum.* De isto autem mundo audi quid dicit Scriptura: *In principio fecit Deus cælum & terram.* Quæritis per quod fecit? *In principio erat Verbum*, per quod fieret cælum & terra. Non est factum, sed *erat Verbum.* Jam restat quærere quale verbum: quia verba dicuntur & nostra. Nostra quidem verba cogitatione concipiuntur, voce pariuntur; & tamen cogitata & prolata transeunt. Illud autem quid? *Et verbum erat apud Deum.* Dic ubi erat, dic quid erat. Jam dixi. Sanctum Evangelium dixit tibi: *In principio erat Verbum.* Dic ubi erat, dic quid erat. *Et Verbum erat apud Deum.* Sed ego quæsivi quale Verbum. Vultis audire quid erat? *Et Deus erat verbum.* O Verbum! quale Verbum? Quis explicet verbum? *Et Deus erat Verbum.* Sed fortè factum à Deo? Absit. Audi quid dicit sanctum Evangelium: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quid est, *omnia?* Quidquid factum est à Deo, per ipsum factum est. Et quomodo ipse factus est, qui omnia fecit? Numquid ipse se fecit? Postremò si ipse se fecit, qui se faceret erat. Si ergo erat qui se faceret, [c] numquam non erat.

(Serm. de Tempore. — Johan. 8. 53. — Johan. 1. 1. — Gen. 1. 1.)

Incarnatio Christi opus est totius Trinitatis.

2. Quomodo in virgine tale Verbum? *Omnia per ipsum facta sunt.* Quid est, *omnia?* Quidquid factum est à Deo, per ipsum factum est. Noli frater, ab isto tanto opere separare Spiritum-sanctum. A quo tanto opere? Non parvum opus, magnum opus sunt Angeli: carnem Christi sedentem ad dexteram Patris adorant Angeli. * Tale ergo opus operatus est maximè Spiritus-sanctus. In isto opere cognominatus est, quando sanctæ Virgini per Angelum futurus nuntiatus est filius. Illa quia proposuerat virginitatem, & erat maritus ejus, non ablator, sed custos pudoris: immo non custos, quia Deus custodiebat; sed testis pudoris virginalis fuit maritus, ne de adulterio gravida putaretur: quando ei nuntiavit Angelus, ait, *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Si cognoscere disponeret, non miraretur. Illa admiratio, propositi est testificatio. *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Quomodo fiet? Et Angelus ad eam, *Spiritus-sanctus superveniet in te.* Ecce quomodo fiet quod quæris: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et bene dixit, *Obumbrabit tibi:* ne tua virginitas æstum libidinis sentiat. Et cùm prægnans esset, dictum est de illa, *Inventa est Maria habens de Spiritu-sancto in utero.* Operatus est ergo Spiritus-sanctus carnem Christi.

(* Caput II. — Virginitatis propositum in Maria. — Lucæ 1. 34. — Matth. 1. 18.)

[a] In Remigiano MS. *acceditis:* & infrà, *accipitis.*

[b] Apud Lov. inscribitur, *de nativitate Domini:* in Vaticano MS. *de Trinitate.* Sed ex cap. 4. liquet habitum esse in die Paschæ: quo nimirum die baptizatis legebatur initium Evangelii Johannis, ut ex eo caperent altitudinem divinæ gratiæ, quâ Filius Dei natus hominis filius ipsos homines regeneratos fecerat filios Dei. Sunt in eamdem rem suprà, habiti eodem die, Sermones 119. 120. & 121.

[c] Sic Vaticanus MS. At editi, *numquid non erat.*

Operatus est & ipse unigenitus Filius Dei carnem A suam. Unde probamus? Quia inde ait Scriptura, *Sapientia ædificavit sibi domum.* (Prov. 9. 1.)

(Incarnatione quomodo Verbum non recessit à Patre.) 3. Ergo animadvertite: Tantus Deus, Deus apud Deum, Verbum Dei per quod facta sunt omnia, quomodo in utero includitur? Primùm ut ibi esset Verbum, deseruit cælum? Ut esset in utero virginis Verbum, deseruit cælum? Et unde Angeli viverent, si Verbum deseruit cælum? Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Adhuc B cogitatio humana erret per nebulas suas, deficiat, quærat, dicat, ut inveniat, quomodo Verbum Dei in utero virginis, per quod facta sunt omnia, Angelos non deseruit, Patrem non deseruit. Quomodo in illo utero includi potuit? Esse potuit, includi non potuit. Quomodo, inquit, esse potuit tantus in loco tantillo? Ergo cepit uterus, quod non capit mundus. Nec minoratus est, ut esset in utero. In utero erat, & tantus erat. Quantus erat? Dic quantus erat, dic quod erat. (* Caput III.) * *Et* C *Verbum erat apud Deum.* Dic quod erat. *Et Deus erat Verbum.* Et ego scio, inquam, qui tecum loquor; nec ego comprehendo: sed cogitatio facit nos extendi, extensio dilatat nos, dilatatio nos capaces facit. Nec facti capaces totum comprehendere poterimus: sed verbo meo vobiscum ago. Ecce quod dico, quod dicturus sum, hoc audite, hoc comprehendite verbum meum, hoc est verbum humanum. Si autem nec hoc comprehendere poteritis, videte ab illo D quàm longè sitis. Certè miramur quomodo Christus carnem accepit, de virgine natus est, & à Patre non recessit: ecce ego qui vobiscum loquor, antequam ad vos venirem, cogitavi antè quod vobis dicerem. Quando cogitavi quod vobis dicerem, jam in corde meo verbum erat. Non enim vobis dicerem, nisi antè cogitarem. Inveni te Latinum, Latinum tibi proferendum est verbum. Si autem Græcus esses, Græcè tibi loqui deberem, & proferre ad te verbum Græcum. E Illud verbum in corde nec Latinum est, nec Græcum: prorsus antecedit linguas istas quod est in corde meo. Quæro illi sonum, quæro quasi vehiculum; quæro unde perveniat ad te, quando non recedit à me. Ecce audistis quod est in corde meo, jam est & in vestro. In meo est & in vestro est: & vos habere cœpistis, & ego non perdidi. Sicut verbum meum assumsit sonum, per quem audiretur: sic Verbum Dei assumsit carnem, per quam videretur. Quantum potui, di- F xi. Et quid dixi? Quoniam quis dixi? Homo loqui volui de Deo. Tantus est, talis est, ut nec eum loqui possimus, nec eum tacere debeamus.

(Caput IV. Ab ebrietate caveri debet.) 4. Gratias tibi ago, Domine, quia quod dico, vel dicere volui, tu scis: tamen de micis mensæ tuæ pavi conservos meos: pasce & tu ac nutri interiùs quos regenerasti. Ecce multitudo ista quid fuit? *Tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Talibus enim Apostolus dicit, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* (Ephes. 5. 8.) O vos qui G baptizati estis, *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Si lux, utique dies: vocavit enim Deus lucem diem. (Gen. 1. 5.) Fuistis tenebræ, fecit vos lucem, fecit vos diem: de vobis cantavimus, *Hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus & jocundemur in eo.* (Psal. 117. 24.) Fugite tenebras. Ebrietas ad tenebras pertinet. Nolite discedere sobrii, & redire ebrii: & post meridiem videbimus vos. Spiritus-sanctus habitare cœpit, non migret: nolite illum excludere de cordibus vestris. Bonus hospes, inanes invenit, implet vos: esurientes invenit, pascit vos: postremò sitientes invenit, inebriat vos. Ipse vos inebriet: Apostolus enim ait, *Nolite inebriari vino, in quo est omnis luxuria.* (Ephes. 5. 18. Ebrietas sancta.) Et quasi volens nos docere unde inebriari debeamus: *Sed implemini*, inquit, *Spiritu-sancto; cantantes vobismetipsis, hymnis, & psalmis, & canticis spiritalibus, cantantes in cordibus vestris Domino.* Qui lætatur in Domino, & cantat laudes Domino magna exsultatione, nonne ebrio similis est? Probo istam ebrietatem: *Quoniam apud te, Deus, fons vitæ est, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* (Psal. 35. 9. & 10.) Unde? *Quia apud te, Deus, fons vitæ est, & in lumine tuo videbimus lumen.* Spiritus Dei & potus & lux est. Si invenires fontem in tenebris, lucernam accenderes, ut pervenires ad eum. Noli accendere lucernam ad lucis fontem: ipse tibi lucet, & ad se te ducet. Cùm veneris ad bibere, accede & illuminare. *Accedite ad eum, & illuminamini:* (Psal. 33. 6.) nolite recedere, ne contenebremini. Domine Deus voca, & accedatur ad te: firma, ne recedatur. Fac filios tuos novos, de parvulis senes, [a] sed non de senibus mortuos. In ista enim sapientia senescere licet, mori non licet.

* SERMO CCXXVI.

(* Aliàs de Diversis 81.)

In die Paschæ, III.

Ad populum & ad Infantes.

SIc audistis prædicari Dominum Christum, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* (Johan. 1. 1.) Ipse est enim Dominus Christus, qui si non se humiliaret, sed semper sic manere voluisset, homo perisset. Agnoscimus Verbum Deum apud Deum, agnoscimus Patri æqualem unigenitum Filium, agnoscimus lumen de lumine, diem ex die. Ipse est dies, qui fecit diem: à die non factus, sed genitus. Si ergo dies de die, non factus, sed genitus est; quis est dies quem fecit Dominus? (Psal. 117. 24.) Quare dies? Quia lux est. *Et vocavit Deus lucem diem.* Quæramus quem diem fecit Dominus, ut exsultemus & jocundemur in eo. In prima conditione mundi legitur, quia *tenebræ erant super abyssum, & Spiritus Dei ferebatur super aquam. Et dixit Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et divisit Deus inter lucem & tenebras; & lucem vocavit diem, & tenebras vocavit noctem.* (Gen. 1. 2. &c.) Ecce dies quem fecit Dominus. Sed numquid ipse est, in quo exsultare & jocundari debemus? Est alius dies quem fecit Dominus, quem magis debemus agnoscere, & in eo jocundari & exsultare. Quoniam dictum est fidelibus in Christum credentibus, *Vos estis lux mundi.* (Matth. 5. 14.) Si lux, utique dies: quia hîc lucem vocavit diem. Ferebatur ergo etiam hesterno die Dei Spiritus super aquam, & tenebræ erant super abyssum, quando isti Infantes adhuc sua peccata portabant. Quando ergo illis per Spiritum Dei peccata dimissa sunt, tunc dixit Deus, *Fiat lux: & facta est lux. Ecce dies quem fecit Dominus, exsultemus & jocundemur in* (Psal. 117. 24.)

[a] Lov. *de parvulis senes, de non senibus mortuos.* Hunc & alios plures locos emendamus ad Vaticanum MS.

eo. Alloquamur istum diem Apostolicis verbis. A O dies quem fecit Dominus, fuisti aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. *Fuistis*, inquit, *aliquando tenebræ*. Fuistis, aut non? Recolite facta vestra, si non fuistis. Respicite conscientias vestras, quibus renuntiastis. Quia ergo *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux*, non in vobis, sed *in Domino, sicut filii lucis ambulate*. Satis sint vobis pauca ista, quoniam & post laboraturi sumus, & de Sacramentis altaris hodie Infantibus disputandum est.

Ephes. 5. 8.

* SERMO CCXXVII.

* Aliàs de Diversis 83.

In die Paschæ, IV.

Ad Infantes, de Sacramentis.

MEMOR sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, Sermonem quo exponerem mensæ Dominicæ Sacramentum, quod modò etiam videtis, & cujus nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus & sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, [a] vos estis quod accepistis. Apostolus enim dicit, *Vnus panis, unum corpus, multi sumus*. Sic exposuit Sacramentum mensæ Dominicæ: *Vnus panis, unum corpus, multi sumus*. Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonnè multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic & vos antè [b] jejunii humiliatione & exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit Baptismum & aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis [c] nostri, Spiritus-sancti est sacramentum. In Actibus Apostolorum advertite, quando legitur. Modò * incipit liber ipse legi. Hodie cœpit liber, qui vocatur Actuum Apostolorum. Qui vult proficere, habet unde. Quando convenitis ad ecclesiam, tollite fabulas vanas; intenti estote ad Scripturas. Codices vestri nos sumus. Adtendite ergo, & videte, quia venturus est Pentecoste Spiritus-sanctus. Et sic veniet: in linguis igneis se ostendit. Inspirat enim caritatem, qua ardeamus in Deum, & contemnamus mundum, & fœnum nostrum exuratur, & cor quasi aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus-sanctus, post aquam ignis: & efficimini panis, quod est corpus Christi. Et ideo unitas [d] quodam modo significatur. Tenetis sacramenta ordine suo. Primò post orationem, admonemini sursum habere cor. Hoc decet membra Christi. Si enim membra Christi facti estis, caput vestrum ubi est? Membra habent caput. Si caput non præcessisset, membra non sequerentur. Quò ivit caput vestrum? Quid reddidistis in Symbolo? *Tertia die resurrexit à mortuis, adscendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.* Ergo in cælo est caput nostrum. Ideo cùm dicitur, *Sursum cor*; respondetis, *Habemus ad Dominum.* B Et ne hoc ipsum quod cor habetis sursum ad Dominum, tribuatis viribus vestris, meritis vestris, laboribus vestris, quia Dei donum est sursum habere cor, ideo sequitur episcopus, vel presbyter [e] qui offert, & dicit, cùm responderit populus, *Habemus ad Dominum sursum cor: Gratias agamus Domino Deo nostro*, quia sursum cor habemus. [f] *Gratias agamus, quia nisi donaret, in terra cor haberemus. Et vos adtestamini, *Dignum & justum est* dicentes, ut ei gratias agamus qui nos fecit sursum ad nostrum C caput habere cor. Deinde post sanctificationem sacrificii [g] Dei, quia nos ipsos voluit esse sacrificium suum, quod demonstratum est, ubi impositum est primum illud, sacrificium Dei & nos, id est signum rei quod sumus: ecce ubi est peracta sanctificatio dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur, *Pax vobiscum*: & osculantur se Christiani in osculo sancto. Pacis signum est: sicut osten- D dunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde ejus non recedat. Magna ergo sacramenta, & valde magna. Vultis nosse quomodo commendentur? Ait Apostolus, *Qui manducat corpus Christi, aut bibit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quid est indignè accipere? Irridenter accipere, contemtibiliter accipere. Non tibi videatur vile, quia vides. Quod vides, transit: sed quod significatur E invisibile, non transit; sed permanet. Ecce accipitur, comeditur, consumitur: numquid corpus Christi consumitur? numquid Ecclesia Christi consumitur? numquid membra Christi consumuntur? Absit. Hîc mundantur: ibi coronantur. Manebit ergo quod significatur [h] æternaliter, quamquam transire videatur. Sic ergo accipite, ut vos cogitetis, ut unitatem in corde habeatis, sursum cor semper figatis. Spes vestra non sit in terra, sed in cælo: fides vestra F firma sit in Deum, acceptabilis sit Deo. Quia quod modò hîc non videtis, & creditis; visuri estis illic, ubi sine fine gaudebitis.

1. Cor. 10. 17.

* V. Ser. alias 93. de Diversis.

* SERMO CCXXVIII.

* Aliàs 17. ex Vignerianis.

In die Paschæ, V.

Ad populum & ad Infantes.

1. POST laborem noctis præteritæ, quoniam etsi spiritus promtus est, caro tamen infirma, diu vos tenere sermone G non debeo, & tamen sermonem vobis debeo.

[a] Lov. *in remissionem peccatorum, si bene accipitis*: omisso, *vos estis quod accepistis*, quod nos ex MSS. restituimus.

[b] Lov. *ante jejunii humiliationem exorcismi sacramento quasi molebamini.* Floriacensis vetus codex, *antè jejuniis, humiliatione, exorcismis quasi molebamini.* Aliorum quorumdam MSS. est lectio quam elegimus. Confer Fragmentum Ser. 229. & lib. de fide & operibus c 6.

[c] Floriacensis MS. loco *nostri*, habet *nutritus*, seu *nutrit...*

[d] Omnes MSS. *quomodo.*

[e] Floriacensis MS. non habet, *qui offert & dicit cùm responderit populus.* Sed horum loco in interlineari spatio à secunda manu additum est, *postquam responsum est.*

[f] Hîc & infrà verba quædam in editis omissa restituuntur ex MSS.

[g] In loco perplexo libris MSS. insistimus. Quippe non concinniùs apud Lov. hîc habetur, *sacrificii dicitur, qua*: & paulò pòst omittitur, *ubi impositum est.*

[h] Vox *æternaliter* à Floriacensi libro abest.

Classis II.

Sermones de Tempore.

Dies sacramentis Infantium deputati.

Dies istos, quibus post passionem Domini A nostri Deo cantamus Halleluia; festos habemus in lætitia usque ad Pentecosten, quando missus est de cælo promissus Spiritus-sanctus. Ex his diebus, septem vel octo qui nunc aguntur, Sacramentis Infantium deputantur. Qui paulò antè vocabantur Competentes, modò vocantur Infantes. Competentes dicebantur, quoniam materna viscera, ut nascerentur, petendo pulsabant: Infantes dicuntur, quia modò nati sunt Christo, qui priùs nati fuerant sæculo. In illis est B novata, quæ in vobis debet esse firmata: & qui jam fideles estis, non eis exempla, quibus pereant, sed quibus proficiant præbeatis. Intendunt enim vos modò nati, quomodo vivatis olim nati. Hoc faciunt qui etiam secundùm Adam nascuntur: priùs parvuli sunt; pòst mores majorum cùm sentire cœperint, quid imitentur adtendunt. Et quoniam quò duxerit major, sequitur minor; optandum est ut bonâ viâ major eat, ne sequendo major & minor pereant. Itaque vos, Fratres, C qui jam quodam modo per ætatem regenerationis parentes estis, alloquor vos, ac exhortor, ut ita vivatis, ut cùm eis qui vos imitantur, gaudeatis, non pereatis. Adtendit modò natus nescio quem fidelem ebriosum: timeo ne dicat sibi, Quare ille fidelis est, & tantum bibit? Adtendit nescio quem fœneratorem, tristem datorem, truculentum exactorem, & dicit sibi, Faciam & ego. Respondetur ei, Jam fidelis es, noli facere; baptizatus es, renatus es, mutata est spes, mutentur mores. D Et ille, Quare ille & ille fideles sunt? Nolo dicere alia; quis enim commemoret omnia? Ideo Fratres mei, quando malè vivitis, qui jam fideles estis, & de vobis & de istis malam rationem Deo reddetis.

Infantibus exempla probitatis præbeant alii fideles.

Infantes hortatur ut imitentur bonos.

2. Jam ipsos alloquor, ut grana sint in area, ut paleam quæ vento circumfertur, non sequantur, cum qua pereant; sed maneant pondere caritatis, ut perveniant ad regnum immortalitatis. Vos ergo fratres, vos filii, vos novella germina matris Ecclesiæ, obsecro vos per quod ac- E cepistis, ut adtendatis in eum qui vos vocavit, qui dilexit vos, qui perditos quæsivit vos, qui inventos illuminavit vos, ut non sectemini vias perditorum, in quibus errat nomen fidelium: non enim quæritur quid vocentur, sed utrùm nomini suo consonent. Si natus est, ubi est nova vita? Si fidelis est, ubi est fides? Audio nomen, agnoscam & rem. Eligite vobis quos imitemini, Deum timentes, ecclesiam Dei cum timore intrantes, verbum Dei diligenter audientes, memoriâ retinentes, cogitatione ruminantes, factis F implentes, ipsos eligite quos imitemini. Non dicat cor vestrum, Et ubi inveniemus tales? Estote tales, & invenietis tales. Omnis res similis ad similem cohæret: si perditus vixeris, non se tibi junget nisi perditus. Incipe bene vivere, & videbis quanti socii te circumdent, de quanta fraternitate gratuleris. Postremò, non invenis quod imiteris? Esto quod alius imitetur.

3. Sermonem ad altare Dei debemus hodie G Infantibus de Sacramento altaris. Tractavimus ad eos de sacramento Symboli, quod credere debeant: tractavimus de sacramento Orationis dominicæ, quomodo petant; & de sacramento fontis & Baptismi. Omnia hæc & disputata audierunt, & tradita perceperunt: de Sacramento autem altaris sacri, quod hodie viderunt, nihil adhuc audierunt; hodie illis de hac re Sermo debetur. Propterea hic Sermo brevis esse debet, & propter laborem nostrum, & propter ædificationem illorum.

SERMONIS CCXXIX.

De[a] Sacramentis fidelium, feriâ 2. Paschæ,

FRAGMENTUM,

In Bedæ & Flori Collectione repertum, ad 1. Cor. 10.

Quia passus est pro nobis, commendavit nobis in isto Sacramento corpus & sanguinem suum; quod etiam fecit & nos ipsos. Nam & nos, corpus ipsius facti sumus, & per misericordiam ipsius quod accipimus, nos sumus. Recordamini, & vos non fuistis, & creati estis. Ad aream Dominicam comportati estis: laboribus boum, id est annuntiantium Evangelium, triturati estis. Quando Catechumeni differebamini, in horreo servabamini. Nomina vestra dedistis; cœpistis moli jejuniis & exorcismis. Postea ad aquam venistis, & consperſi estis, & unum facti estis: accedente fervore Spiritus-sancti cocti estis: & panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo unum videtis esse quod factum est, sic unum estote vos, diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam caritatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt: quia illi quærunt divisionem, cùm panis iste indicet unitatem. Sic & vinum in multis racemis fuit, & modò [b] in unum est. Unum est in suavitate calicis, post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem & contritionem, jam in nomine Christi tamquam ad calicem Domini venistis: & ibi vos estis in mensa, & ibi vos estis in calice. Nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, simul bibimus: quia simul vivimus.

* SERMO CCXXX.

** Alias de Diversis 89.*

In diebus Paschalibus, I.

De versu Psalmi 117. Hic est dies, quem fecit Dominus.

Sicut Domino nostro cantavimus, ita illo adjuvante faciamus. Omnis enim dies à Domino factus est: non tamen sine caussa de aliquo præcipuè scriptum est, *Hic est dies quem fecit Dominus.* Legimus cùm Deus conderet cælum & terram, quia dixit, *Fiat lux. Et facta est lux. Et vocavit Deus lucem, diem; & tenebras, noctem.* Sed est alius dies certus nobis & præcipuè commendandus, de quo dicit Apostolus, *Sicut in die honestè ambulemus.* Dies iste vulgaris quotidianus, oriente sole & occidente perficitur. Est alius dies, quo fulget verbum Dei in cordibus fidelium, & pellit tenebras, non oculorum, sed morum malorum. Ipsum ergo agnoscamus, in ipso gaudeamus. Audiamus Apostolum dicentem,

Psal. 117. 24.

Gen. 1. 3. &c.

Rom. 13. 13.

a Florus Bedam secutus sub hoc titulo citat. Sic postea quoque Algerus in lib. 1. de Sacramento c. 3. & 19. Ejusdem argumenti Sermonem habes non tantùm suprà in ipso die Paschæ quartum, sed etiam infrà in die Pentecostes postremum.

b Sic in MSS. & apud Algerum. At in Beda vulgato legitur, & modò unum est.

CLASSIS II. tem, *Filii enim lucis sumus, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.* * *Sicut in die honestè ambulemus. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induite Dominum Iesum Christum. Et carnis providentiam, ne feceritis in concupiscentiis.* Hoc si facitis, toto corde cantatis, *Hic est dies, quem fecit Dominus.* Quod enim cantatis, vos estis, si bene vivatis. Quàm multi per hos dies inebriantur? Quàm multi per hos dies, parum est quia inebriantur, insuper etiam turpiter crudeliterque rixantur? Tales non cantant, *Hic est dies, quem fecit Dominus.* Respondet eis Dominus, Tenebræ estis: non ego feci vos. Si vultis esse dies, quem fecit Dominus, bene vivite: & [a] habebitis lucem veritatis, quæ numquam occasum faciet in cordibus vestris.

1 Thess. 5. 5. Rom. 13. 13. & 14.

* Aliàs de Tempore 141.

* SERMO CCXXXI.

In [b] diebus Paschalibus, II.

De resurrectione Christi secundùm Marcum.

CAPUT I. Discipuli non credentes meritò objurgati.

1. RESURRECTIO Domini nostri Jesu Christi ex more legitur his diebus ex omnibus libris sancti Evangelii. In hac lectione animadvertimus, quomodo ipse discipulos suos prima membra sua, hærentes lateri suo objurgavit Dominus Jesus: quia quem dolebant occisum fuisse, non credebant vivum esse. Patres fidei, nondum fideles: magistri, ut crederet totus orbis terrarum quod prædicaturi fuerant, & propter quod fuerant morituri, nondum credebant. Quem viderant mortuos suscitasse, non credebant resurrexisse. Meritò ergo objurgabantur: ostendebantur sibi, ut innotescerent sibi qui essent per se ipsos, qui futuri essent per illum. Sic etiam Petrus demonstratus est sibi, quando Domini imminente passione præsumsit, & veniente ipsa passione titubavit. Vidit se in se, doluit se in se, flevit se in se: conversus est ad eum qui fecerat se. Ecce isti adhuc non credebant, cùm jam viderent. Qualis illius dignatio, qui nobis dedit credere quod non videmus? Nos credimus eorum verbis, illi non credebant oculis suis.

Marci 16. 14.

Matth. 26.

Sacramentum passionis & resurrectionis Christi quodnam sit.

2. Resurrectio autem Domini nostri Jesu Christi nova vita est credentium in Jesum, & hoc est sacramentum passionis & resurrectionis ejus, quod valde nosse & agere debetis. Non enim sine caussa vita venit ad mortem. Non sine caussa fons vitæ unde bibitur ut vivatur, bibit hunc calicem qui ei non debebatur. Non enim Christo debebatur mori. * Unde venerit mors, originem ipsius quæramus. Pater mortis peccatum est. Si enim numquam peccaretur, nemo moreretur. Legem Dei, hoc est, præceptum Dei cum conditione homo primus accepit; ut si servaret, viveret; si corrumperet, moreretur. Non se se credendo moriturum, fecit unde moreretur; & invenit verum fuisse quod dixerat qui legem dederat. Inde mors, inde mortalis, inde labor, inde miseria, inde etiam post mortem primam mors secunda, id est, post mortem temporalem mors sempiterna. Huic ergo conditioni mortis, his legibus inferni obstrictus nascitur omnis homo: sed [c] præter illum hominem, qui homo factus est, ne periret homo. Non enim legibus mortis venit obstrictus: ideo dictur in Psalmo, *Inter mortuos liber.* Quem sine concupiscentia virgo concepit, quem & virgo peperit, & virgo permansit. Qui vixit sine culpa, qui [d] non est mortuus propter culpam: communicans nobiscum pœnam, non communicans culpam. Pœna culpæ mors: Dominus Jesus Christus mori venit, peccare non venit: communicando nobiscum sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam. Quam pœnam solvit? Quæ nobis debebatur post istam vitam. Ergo crucifixus est, ut in cruce ostenderet veteris hominis nostri occasum: & resurrexit, ut in sua vita ostenderet nostræ vitæ novitatem. Sic enim doctrina docet Apostolica: *Traditus est*, inquit, *propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Hujus rei signum circumcisio data erat Patribus, ut octavo die circumcideretur omnis masculus. Circumcisio fiebat in cultellis petrinis: quia petra erat Christus. In ista circumcisione significabatur exspoliatio carnalis vitæ octavo die per Christi resurrectionem. Septimus enim dies hebdomadis sabbato completur. Sabbato Dominus jacuit in sepulcro [e], septimâ sabbati: resurrexit octavâ. Resurrectio ipsius innovat nos. Ergo octavo die resurgendo circumcidit nos. In ipsa spe vivimus.

* CAPUT II. Mortis paginem peccatum.

SERM. DE TEMPORE.

Psal. 87. 6.

Rom. 4. 25.

Gen. 17. 12. Jos. 5. 2. 1 Cor. 10. 4.

CAPUT III. Bona vita mortem comprehendit & resurrectionem.

3. Audiamus Apostolum dicentem, *Si resurrexistis cum Christo.* Quomodo resurgimus, qui nondum mortui sumus? Quid est ergo quod voluit dicere Apostolus, *Si resurrexistis cum Christo?* Numquid ille resurrexisset, nisi prius mortuus fuisset? Viventibus loquebatur, nondum morientibus, & jam resurgentibus? Quid sibi vult? Videte quid dicat: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis.* Ipse dicit Apostolus, non ego: sed tamen verum dicit; & ideo dico & ego. Quare illud dico & ego? *Credidi propter quod locutus sum.* Si bene vivimus, mortui sumus, & resurreximus. Qui autem nondum mortuus est, nec resurrexit, malè adhuc vivit: & si malè vivit, non vivit: moriatur, ne moriatur. Quid est, moriatur, ne moriatur? Mutetur, ne damnetur. *Si resurrexistis cum Christo*, verba repeto Apostoli, *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.* Hæc sunt verba Apostoli. Ei qui nondum mortuus est, dico ut moriatur: ei qui adhuc malè vivit, dico ut mutetur. Si enim malè vivebat, & jam non malè vivit, mortuus est: si bene vivit, resurrexit.

Coloss. 3. 1.

Psal. 115. 1.

Coloss. 3. 1. &c.

CAPUT IV. Bene vive-

4. Sed quid est bene vivere? Quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram. Quamdiu terra

[a] Aliquot MSS. *habete*; & infrà, *occasum faciat.*
[b] In Floriacensi codice perantiquo prænotatur, *Habitus secundâ feriâ.* Non secus in aliis MSS. nisi quòd omittitur verbum *Habitus.*
[c] Ita omnes MSS. At editi, *sed propter illum hominem Deus factus est homo.*

[d] Sic MSS. Editi verò, *qui est mortuus propter culpam non suam. Nam mortuus est propter nostram. Pœna culpæ mors* &c.
[e] Sic MSS. At editi, *jacuit in sepulcro: octavo autem die resurgendo nos innovavit. Nos ergo octavo die resurgendo circumcidit; nos in ipsa spe vivimus.*

CLASSIS II.

re, quid. Gen. 3. 19. Psal. 71. 9. Psal. 4. 3.

es, & in terram vadis? Quamdiu lingis terram? A Amando terram, utique lingis terram, & efficeris ejus inimicus, de quo dicit Psalmus, *Et inimici ejus terram lingent.* Quid eratis? Filii hominum. Quid estis? Filii Dei. *Filii hominum quò usque graves corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quod mendacium quæritis? [a] Dico modò. Beati esse vultis, scio. Da mihi hominem latronem, sceleratum, fornicatorem, maleficum, sacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis seu facinoribus obrutum, qui non velit beatè vivere. Scio, omnes B vultis beatè vivere: sed unde homo beatè vivit, hoc non vultis quærere. Quæris aurum, quia putas te de auro beatum futurum: sed aurum te non facit beatum. Quare quæris mendacium? Quare vis esse in isto sæculo sublimatus? Quia honore hominum & pompâ sæculi putas te beatum futurum: sed pompa sæculi non te facit beatum. Quare quæris mendacium? Et quidquid hîc aliud quæris, cùm sæculariter quæris, cùm amando C terram quæris, cùm lingendo terram quæris; propterea quæris, ut sis beatus: sed nulla res terrena te facit beatum. Quare non cessas quærendo mendacium? Unde ergo eris beatus? *Filii hominum quò usque graves corde?* Non vultis esse graves corde, qui terrâ oneratis cor vestrum? Quò usque fuerunt graves corde homines? Antequam veniret Christus, antequam resurgeret Christus, fuerunt homines graves corde. *Quò usque graves corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis* D *mendacium?* Volentes beati esse, eas res quæritis unde miseri sitis. Fallit vos quod quæritis: mendacium est, quod quæritis.

Beatam vitam in terra quærere, mendaciū.

Beata vita ubi quærenda.

5. Beatus vis esse? Ostendo, si vis, unde sis beatus. Sequere ibi: *Quò usque graves corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

*CAPUT V.

* *Scitote.* Quid? *Quoniam Dominus magnificavit sanctum suum.* Venit Christus ad miserias nostras, esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coro- E natus est, sputis illitus est, alapis cæsus, ligno confixus, lanceâ vulneratus, in sepulcro positus; sed tertio die resurrexit, finito labore, mortua morte. Ecce ibi oculum habete in ejus resurrectione; quia ita magnificavit sanctum suum, ut resuscitaret eum à mortuis, & daret ei honorem in cælo sedendi ad dexteram suam. Ostendit tibi quid debeas sapere, si vis beatus esse: hîc enim esse non potes. In hac vita beatus esse non potes: nemo potest. Bonam rem quæris, sed F terra ista non est regio ejus rei quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam. Sed non est hîc. Aurum si quæreres in loco ubi non est, ille qui novit quia non est ibi, nonne diceret tibi, Quid fodis, quid terram sollicitas? Fossam facis quò descendas, non ubi aliquid invenias. Quid es responsurus admonenti te? Aurum quæro. Et ille, Non tibi dico, Nihil est quod quæris: sed, Non est ubi quæris. Sic & tu quando dicis, Beatus esse volo: bonam rem quæris, sed non est hîc. G Si habuit hîc illud Christus, habebis & tu. In regione mortis tuæ, quid ille invenit, attende: veniens de alia regione quid hîc invenit, nisi quod hîc abundat [b]? Manducavit tecum, quod abundat in cella miseriæ tuæ. Acetum hîc bibit, fel hîc habuit. Ecce quid in cella tua invenit. Sed ad magnam mensam suam te invitavit, mensam cæli, mensam Angelorum, ubi ipse panis est. Descendens ergo & ista mala inveniens in cella tua, & non dedignatus est talem mensam tuam, & promisit tibi suam. Et quid nobis dicit? Credite, credite vos venturos ad bona mensæ meæ, quando non sum dedignatus mala mensæ vestræ. Malum tuum tulit, & bonum suum non dabit? utique dabit. Vitam suam promisit nobis: sed incredibilius est quod fecit. Mortem suam prærogavit nobis: tamquam diceret, Ad vitam meam vos invito, ubi nemo moritur, ubi verè vita beata est, ubi cibus non corrumpitur, ubi reficit & non deficit. Ecce quò vos invito, ad regionem Angelorum, ad amicitiam Patris & sancti Spiritus, ad cœnam sempiternam, ad fraternitatem meam; postremò ad me ipsum, ad vitam meam vos invito. Non vultis credere, quia dabo vobis vitam meam? Tenete pignus mortem meam. Modò ergo cùm in ista carne corruptibili vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore justitiæ cum Christo vivamus: beatam vitam non accepturi, nisi cùm ad illum venerimus, qui venit ad nos, & cum illo esse cœperimus, qui mortuus est pro nobis.

SERM. DE TEMPORE. b

* SERMO CCXXXII.

*Aliàs de Tempore 144. c

In diebus [c] Paschalibus, III.

De resurrectione Christi secundùm Lucam.

CAPUT I. Resurrectio secundùm quatuor Evangelistas recitari solita. d

1. RESURRECTIO Domini nostri Jesu Christi & hodie recitata est; sed de altero libro Evangelii, qui est secundùm Lucam. Primò enim lecta est secundùm Matthæum, hesterno autem die secundùm [d] Marcum, hodie secundùm Lucam: sic habet ordo Evangelistarum. Sicut enim passio ipsius ab omnibus Evangelistis conscripta est, sic dies isti septem vel octo dant spatium, ut secundùm omnes Evangelistas resurrectio Domini recitetur. Passio autem quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundùm Matthæum. Volueram aliquando, ut per singulos annos secundùm omnes Evangelistas etiam passio legeretur: factum est; non audierunt homines quod consueverant, & perturbati sunt. Qui autem amat litteras Dei, & non vult esse semper idiota, omnia novit, & omnia diligenter inquirit. Sed sicut cuique Deus partitus est mensuram fidei, sic quisque proficit.

Passio non nisi secundùm Matthæum.

Rom. 12. 3.

CAPUT II. Incredulitas discipulorum ad resurrectionem Christi.

2. Nunc attendamus quod hodie, cùm legeretur, audivimus: nam quod herì commendavi Caritati Vestræ, expressiùs hodie audivimus, infidelitatem discipulorum: ut intelligamus quantum ejus beneficio nobis præstitum est, ut quod non vidimus, sic credamus. Vocavit eos, instruxit eos, vixit cum eis in terra, fecit ante eorum oculos tanta mirabilia usque ad mortuos suscitandos. Mortuos resuscitavit, carnem suam posse

[a] Sic MSS. At editi, *Mundum:* omisso verbo, *Dico.*
[b] Quidam MSS. addunt, *labores, dolores, mortem.*
[c] Multis in MSS. inscribitur, *Feriâ secundâ:* quo solùm indicatur ea die legendus in Ecclesia. Nam in optimæ notæ codice Floriacensi prænotatur, *Habitus tertiâ feriâ.* Et certè hîc n. 2. & 8. significat Augustinus pridie dictum fuisse Sermonem superiorem, cui tamen in plerisque codicibus præfigitur titulus idem *Feriâ secundâ.*
[d] Nonnumquam tamen secundùm Lucam priùs legebatur, posteriùs secundùm Marcum, uti patet ex Ser. 239. n. 2. & Ser. 247. n. 1.

Classis II.

resuscitare non credebatur. Venerunt mulieres ad monumentum: corpus in monumento non invenerunt; resurrexisse Dominum ab Angelis audierunt: feminæ viris nuntiaverunt. Et quid scriptum est? quid audistis? *Visa sunt ista ante oculos eorum quasi deliramenta.* (Luc. 24. 11.) Magna infelicitas conditionis humanæ. (Gen. 3. 6.) Quando locuta est Eva quod dixerat serpens, audita est citò. Mulieri mentienti creditum est, ut moreremur: non est creditum feminis vera dicentibus, ut viveremus. Si non erat credendum feminis, quare Adam credidit B Evæ? Si feminis credendum, quare sanctis mulieribus non crediderunt discipuli? Et ideo in hoc facto consideranda est benigna dispensatio Domini nostri. Nam hoc est quod egit Dominus Jesus Christus, ut priùs illum sexus femineus resurrexisse nuntiaret. Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo: quia virgo Christum pepererat, femina resurrexisse nuntiabat. Per feminam mors, per feminam vita. Sed non crediderunt discipuli ut C dixerant feminæ: delirare putaverunt, quando tamen vera nuntiabant.

Caput III. Discipuli abeunt in alienorum opiniones de Christo.

3. Ecce alii duo ambulabant in via, & loquebantur secum de his quæ acciderant in Jerusalem, de iniquitate Judæorum, de morte Christi: ambulabant fabulantes, & quasi mortuum dolentes, resurrexisse nescientes. Apparuit & ipsis, factus est tertius viator, miscuit cum eis amica colloquia. Oculi eorum tenebantur, ne agnoscerent eum. Oportebat enim, ut meliùs cor instrueretur: D cognitio differtur: quærit ab eis quid inter se loquerentur, ut quod ipse sciebat illi faterentur. Et quod audistis, mirari cœperunt, quia de re clara & tam manifesta velut à nesciente interrogabantur. (Luc. 24. 18. &c.) *Tu solus*, inquiunt, *peregrinus es in Ierusalem, & nescis quæ ibi gesta sunt?* At ille dixit, *Quæ? De Iesu Nazareno, qui fuit propheta potens factis & dictis.* Hoc est, ô discipuli? Propheta erat Christus, Dominus prophetarum? Judici vestro nomen præconis imponitis. Ad alienorum verba E devenerant. Quid est quod dixi, alienorum verba? Recolite, quando ipse Jesus ait discipulis suis, (Matth. 16. 13. &c.) *Quem me homines esse dicunt filium hominis?* responderunt opiniones alienas. *Alii dicunt quòd Elias es, alii quia Iohannes Baptista, alii quia Ieremias, aut unus ex Prophetis.* Verba ista alienorum erant, non discipulorum. Ecce ad ipsa verba discipuli venerunt. *Nunc ergo vos quem me esse dicitis?* Respondistis mihi opiniones alienas, fidem vestram volo audire. Tunc ait Petrus, unus F pro omnibus, [a] quia unitas in omnibus: (Petri de Christo confessio.) *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Non quicumque unus ex Prophetis, sed Filius Dei vivi; adimpletor Prophetarum, creator & Angelorum. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Audivit quod decuit illum audire ex hac voce, & tali voce. *Beatus es Simon Bar-Iona; quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non* G *vincent eam. Tibi dabo claves regni cælorum; & quæcumque solveris in terra, soluta erunt & in cælo; & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & in cælo.* Fides hoc meruit audire, non homo. Nam ipse homo quid erat, nisi quod ait Psalmus, (Psal. 115. 11.) *Om-* A *nis homo mendax?*

Serm. de Tempore.

Caput IV. Petri mox humana cogitatio de Christo. [b]

4. Denique continuò post hæc verba denuntiavit illis passionem suam & mortem. Expavit Petrus, & ait, *Absit à te, Domine, non fiet istud.* (Matth. 16. 22. & 23.) Tunc Dominus, *Redi post me satanas.* Petrus satanas? Ubi sunt illa verba, *Beatus es Simon Bar-Iona?* Numquid beatus satanas? *Beatus*, de [b] Dei: *satanas*, de hominis. Denique ipse Dominus exposuit quare illum dixerit satanam: *Non enim sapis quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominis.* Unde tunc beatus? *Quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est.* Unde postea satanas? *Non sapis quæ Dei sunt;* quæ quando sapiebas, beatus eras: *sed sapis quæ hominum sunt.* Ecce quomodo alternabat anima discipulorum, quasi ex ortu & occasu: modò stabat, modò jacebat; modò illuminabatur, modò tenebrabatur; quia de Dei illuminabatur, de suo tenebrabatur. Unde illuminabatur? *Accedite ad eum, & illuminamini.* (Psal. 33. 6.) Unde tenebrabatur? *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* (Johan. 8. 44.) Filium Dei vivi dixerat, & timebat ne moreretur, cùm Filius Dei esset, & ad hoc venisset, ut moreretur. Nisi ille venisset ut moreretur, nos unde viveremus?

Caput V. Nec mors Christo, nec vita nobis debebatur.

5. Unde nobis vita, unde illi mors? Ipsum attende: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* (Johan. 1. 1.) Quære ibi mortem. Ubi? unde? quomodo? Erat Verbum, Verbum apud Deum, Deus Verbum. Si invenis ibi carnem & sanguinem, invenis mortem. Ergo illi Verbo unde mors? Nobis autem hominibus in terra positis, mortalibus, corruptibilibus, peccatoribus, unde vita? Non erat illi unde haberet mortem, non habebamus nos unde haberemus vitam: accepit ille mortem de nostro, ut daret nobis vitam de suo. Quomodo ille mortem de nostro? *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* (Ibidem 14.) Accepit hinc à nobis, quod offerret pro nobis. Vita autem unde nobis? *Et vita erat lux hominum.* Ipse nobis vita, nos illi mors. Sed qualis mors? Dignatione, non conditione; quia dignatus est, quia voluit, quia misertus est: potestate mortuus est. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* (Johan. 10. 18.) Hoc Petrus nesciebat, quando audita morte Domini expavit. Sed ecce jam dixerat Dominus moriturum se, & resurrecturum tertia die. Factum est quod prædixerat, & non credebant qui audierant. *Ecce jam triduum est, ex quo ista facta sunt; & nos putabamus quia ipse esset redemturus Israël.* (Luc. 24. 21.) Sperabatis, jam desperatis? de spe cecidistis? Levat vos qui vobiscum ambulat. Discipuli erant, ipsum audierant, cum ipso vixerant, magistrum ipsum noverant, ab illo instructi erant, & non potuerunt imitari & habere fidem latronis pendentis in cruce.

Caput VI. Latronis fides quàm magna, cùm titubant discipuli.

6. Sed fortè aliqui vestrûm nesciunt quod dixi de latrone, non audiendo passionem secundùm omnes Evangelistas. Iste enim evangelista Lucas narravit quod dico. Quia duo latrones crucifixi sunt cum Christo, dixit hoc & Matthæus: sed unus eorum latronum quia insultavit Domino, & alter eorum quia credidit in Christum, (Luc. 23. 40. Matth. 27. 38.) Matthæus non dixit, Lucas dixit. Recolamus fidem latronis, quam non invenit Christus post

[a] Hîc ex MSS. addimus, *quia unitas in omnibus.* Plura superiùs & inferiùs in editis omissa restituuntur eorumdem MSS. auctoritate.

[b] Editi, *de Deo*; & infrà, *de homine.* At MSS. *de Dei*; subaudi, dono: & *de hominis*; supple, malo.

CLASSIS II.

resurrectionem in discipulis suis. Pendebat in cruce Christus, pendebat & latro: in medio ille, illi à lateribus. Insultat unus, credit alter, judicat medius ille. Ille enim qui insultabat, hoc dixit, *Si Filius Dei es, libera te.* Et alius ad illum, *Tu non times Deum. Si nos propter facta nostra meritò patimur, ipse quid fecit?* Et conversus ad eum, *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Magna fides: huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubaverunt ipsi qui viderunt Christum mortuos suscitantem: credidit ille qui videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubaverunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid ei dixerit Dominus audiamus. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Tu differs te, ego agnosco te. Quando speraret latro, de latrocinio ad judicem, de judice ad crucem, de cruce ad paradisum? Denique ipse adtendens merita sua, non dixit, Memento mei, ut liberes me hodie: sed, *cùm veneris in regnum tuum*, tunc *mei memor esto;* ut si mihi tormenta debentur, vel quò usque veneris in regnum tuum. Et ille: Non sic: invasisti in regnum cælorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti. *Hodie mecum eris in paradiso.* Non te differo: tantæ fidei hodie reddo quod debeo. Latro dicit, *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Non solùm credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Pendenti, crucifixo, cruento, hærenti: *Cùm veneris*, inquit, *in regnum tuum:* Et illi, *Nos sperabamus.* Ubi spem latro invenit, discipulus perdidit.

Luca 23. 39. &c.

CAPUT VII. In fractione panis agnoscitur Dominus.

7. Deinde jam, Carissimi, magnum sacramentum quod cognovimus, audite. Ambulabat cum illis, suscipitur hospitio, panem frangit, & cognoscitur. Et nos non dicamus quia Christum non cognovimus: novimus, si credimus. Parum est, novimus si credimus: habemus si credimus. Habebant illi Christum in convivio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde, quàm in domo. Cor enim nostrum interius nobis est, [a] quàm sit domus nostra. Jam verò ubi eum debet fidelis agnoscere? Agnoscit qui fidelis est: qui autem catechumenus est, ignorat. Sed januam contra illum nemo claudat, ut [b] noverit.

Ad pænitentes. *In superiori Ser. 231. n. 2. & 3.

8. Hesterno * die monui, & admoneo Caritatem Vestram, quia resurrectio Christi est in nobis, si bene vivamus; si vita vetus nostra mala moriatur, & quotidie nova proficiat. Abundant hîc pænitentes: quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pænitentes, & eunt orare pænitentes. Discutio pænitentes, & invenio malè viventes. Quomodo pænitet quod fit? Si pænitet, non fiat. Si autem fit, nomen errat, crimen manet. Aliqui ipsi sibi pænitentiæ locum petierunt; aliqui excommunicati à nobis in pænitentiæ locum redacti sunt: & qui sibi petierunt, hoc volunt facere quod faciebant; & qui à nobis excommunicati in pænitentiæ locum redacti sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pænitentium. Qui debet esse locus humilitatis, [c] fit locus iniquitatis. Vobis dico, qui vocamini pænitentes, & non estis: vobis dico. Quid

SERM. DE TEMPORE

A vobis dicam? Laudo vos, in hoc non laudo: sed gemo & plango. * Et quid faciam, factus [d] vile canticum? Mutamini, mutamini, rogo. Vitæ finis, incertus est. Omnis homo cum casu suo ambulat. Quid differtis bene vivere, cùm putatis, quia longa erit vita? Longam vitam putatis, & mortem subitaneam non timetis? Sed ecce longa sit: [e] & quæro unum pænitentem, & non invenio. Quantò meliùs longa bona, quàm mala vita erit? Longam cœnam malam nemo ferre, B longam vitam malam omnes volunt habere. Utique si grande est quod vivimus, bonum sit ipsum grande. Quid enim vis mali, dic mihi, in omnibus tuis actibus, cogitationibus, cupiditatibus? Terram malam non vis, segetem malam non vis utique, sed bonam; arborem bonam, equum bonum, servum bonum, amicum bonum, filium bonum, uxorem bonam. Et quid hæc magna commemoro? quando quidem vestem ipsam malam non vis habere, sed bonam; caligam postremò C ipsam non vis nisi bonam? Aut da mihi aliquid te velle quod malum est, nec te velle aliquid bonum. Puto, villam malam non vis, sed bonam; solam animam malam vis? Quid te offendisti? Quid de te malè tu ipse meruisti? Inter bona tua non vis esse malum, nisi te solum. Putate quia dico quod soleo, & facitis quod soletis. Ego coram Deo excutio vestimenta mea. Timeo ne mihi imputetur, quia non dico. Officium meum impleo, fructum vestrum quæro, D de bonis operibus vestris gaudium habere volo, non pecuniam. Non enim qui bene vivit, divitem me facit. Et tamen bene vivat, & facit. Divitiæ meæ nonnisi spes vestra est in Christo. Gaudium meum, solatium meum, & respiramentum periculorum meorum in his tentationibus nullum est, nisi bona vita vestra. Obsecro vos, Fratres, si obliti estis vestri, misereminí mei.

*CAPUT VIII. Vitæ finis.

V. Ser. 72. n. 5. & Ser. 82. n. 14.

E

* SERMO CCXXXIII.

In diebus Paschalibus, IV.

De resurrectione Christi secundùm Marcum. [f]

Aliàs de Diversis 86.

CAPUT I. Resurrectionis fides propria Christianorum.

1. AUDISTIS lectionem sancti Evangelii de resurrectione Christi. In resurrectione Christi constabilita est fides nostra. Passionem Christi & Pagani & impii & Judæi crediderunt: resurrectionem nonnisi Christiani. F Passio Christi significat miserias hujus vitæ: resurrectio Christi ostendit beatitudinem futuræ vitæ. In præsenti laboremus: in futura speremus. Modò tempus est operis: tunc mercedis. Qui piger est in exhibendo opere, impudens est in exigenda mercede. Audistis quid dixerit discipulis suis post resurrectionem. Misit eos ad Evangelium prædicandum, & factum est: prædicatum est Evangelium, pervenit ad nos. Et ecce, *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis* G *terræ verba eorum.* Ambulando & ambulando, Evangelium pervenit ad nos, & ad fines terræ. Breviter constituit nobis, loquens discipulis suis, quid faciamus, quid speremus. Ait enim, sicut

In Psal. 18. 5.

[a] Floriacensis MS. *quasi domus nostra.* Mox plures MSS. *Jam verò ubi eum debeat fidelis agnoscere, agnoscit qui fidelis est.*
[b] MSS. plures, *ut non intret,*
[c] Sic MSS. At editi, *sit locus humilitatis.*

[d] Aliqnot MSS. *factus sum vile canticum.* Alii non habent *sum.*
[e] Plures MSS. carent his verbis, *& quæro unum pænitentem, & non invenio.* Eorumque loco habent, *videte ut bona sit.*
[f] Citat Florus ad Rom. 8.

CLASSIS II. Marci 16. 16. audistis quando loquebatur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Exigitur à nobis fides, offertur salus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Pretiosum est quod nobis promittitur, gratìs fit quod jubetur. A

Salus credentibus promissa discernenda à salute temporali. Psal. 59. 13. 2. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quid enim? qui hæc audiebant, salvi non erant? Nonne multi salvi credunt, salvi sunt & antè quàm credant? Salvi planè: sed vana salus hominum. Qualis est ista salus, quæ tibi cum jumento tuo communis est? Verumtamen etiam ipsa unde, nisi ab illo, de quo scriptum est, *Homines & jumenta salvos facies Domine?* Et addidit, *Secundùm multitudinem misericordiæ tuæ, Deus.* Tanta est enim multitudo misericordiæ tuæ, ut veniat à te salus in istam carnem mortalem hominum, veniat & ad carnem pecorum. Hæc est multitudo misericordiæ tuæ. Filiis tuis quid? Ecce *homines & jumenta salvos facies, Domine.* Nihil nobis amplius? Quod hominibus quibuscumque, quod pecoribus, hoc præstatur & nobis? Non planè hoc. * Sed quid? Audi: *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.* Christus est fons vitæ. Habebamus salutem cum jumentis, quò usque veniret ad nos fons vitæ: fons vitæ venit ad nos, & fons vitæ mortuus est propter nos. Negabit vitam suam, qui nobis erogavit mortem suam? Ipsa est salus, quæ non est vana. Quare? Quia non transit. (Psal 35. 7. &c. — B — *CAPUT II. — C — Christus est fons vitæ. — D)

Homines & filii hominum in quo differant. 3. Bene animadvertenda est ista distinctio, *Homines & jumenta salvos facies, Domine: Homines*, pertinentes ad hominem. *Filii autem hominum*, pertinentes ad filium hominis, *sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Constituite vobis ante oculos duos homines. Erigite fidem, evigilet cor vestrum: recordamini hominem, in quo decepti sumus: recordamini hominem, à quo redemti sumus. Ille homo numquid filius hominis? E Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo Dominus Christus assiduè se dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis: ut recordemur in illo mortem, in isto vitam; in illo peccatum, in isto remissionem peccatorum; in illo vinculum, in isto libertatem; in illo damnationem, in isto absolutionem. Duo ergo isti homines significati sunt in his verbis, *Homines & jumenta salvos facies, Domine. Homines*, pertinentes ad hominem: *& jumenta*, simul F cum jumentis eos *salvos facies.* Homo enim in honore positus non intellexit, sicut scriptum est: Psal. 48. 13. *Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insensatis, & similis factus est eis.* Propterea, *Homines & jumenta*, quibus similes facti sunt homines, quia non intellexerunt, & eis quibus dominari creati sunt, comparati sunt, *salvos facies.*

*CAPUT III. Salus hic vera non inventa à Christo. 4. Numquid ipsa est salus, de qua dictum est, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit?* G * Alia est illa salus, longè alia. Angeli hanc habent: nolite eam quærere in terra. Magna est, sed non est hîc. Non est ista res de ista regione, non est hîc talis salus. Sursum cor. Quid hîc quæris in terra salutem hanc? Ipsa salus huc venit, & mortem nostram hîc invenit. Numquid Dominus noster Jesus Christus, quando venit ad nos in carne, invenit hîc salutem istam in regione nostra? Magnum quid huc adtulit mercator iste de regione sua veniens: mercator iste invenit in regione nostra quod hîc abundat. Quid hîc abundat? Nasci & mori. Plena est terra his mercibus, nasci & mori. Natus est, & mortuus est. Sed qua viâ natus est? Ad istam regionem venit, sed non eâ viâ qua & nos venit. De cælo enim venit à Patre. Et tamen natus est mortalis. Natus est de Spiritu-sancto ex virgine Maria. Numquid nos sic de Adam & Eva? Nos per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam. Maria enim virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiæ æstu; quoniam ne pateretur hunc æstum, ideo ei dictum est, *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te.* Virgo ergo Maria non concubuit & concepit: sed credidit & concepit. Natus est enim mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia in similitudine carnis peccati: non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Quid habet caro peccati? Mortem & peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati: si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit, Salvator venit: mortuus est, sed mortem occidit: finivit in se quam timebamus; suscepit illam, & occidit illam; quomodo summus venator leonem cepit, & necavit. (SERM. DE TEMPORE. Florus ad Rom. 8. — Christus natus mortalis, ut mortem auferret. — Lucæ 1. 35. — Rom. 8. 3.)

Mors in Christo mortua. *CAPUT IV. 5. Ubi est mors? Quære in Christo, jam non est: sed fuit, & mortua est ibi. * O vita mors mortis! Bono animo estote, morietur & in nobis. Quod præcessit in capite, reddetur in membris: morietur & in nobis mors. Sed quando? In fine sæculi, in resurrectione mortuorum, quam credimus, & de qua non dubitamus. *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ipse salvus erit.* Sequere quod timeas: *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Ergo mors morietur in nobis, victura est in damnatis. Ubi mors nesciet mortem, sempiterna mors erit: quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur, & non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphantium, ut habeatis quod meditemini, quod corde cantetis, quod toto animo speretis, quod fide & bono opere requiratis. Audite verba triumphantium, quando non erit mors; quando & in nobis, sicut & in capite nostro, morietur mors. Paulus apostolus dicit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam.* Dixi vobis quia morietur mors in nobis: *Absorpta est mors in victoriam.* Ista est mors mortis. Absorbebitur, ut non appareat. Quid est, ut non appareat? Ut non sit, nec intus, nec foris. *Absorpta est mors in victoriam.* Gaudeant triumphantes; gaudeant, dicant quod sequitur, *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Ubi est? Cepisti, possedisti, vicisti, & tibi addixisti; percussisti, & occidisti; *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Nonne confregit illum Dominus meus? O mors, quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi peristi. Ista salute *salvus erit, qui crediderit, & baptizatus fuerit. Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Fugite condemnationem, amate & sperate salutem æternam. (1. Cor. 15. 53. &c.)

CLASSIS II.

* Aliàs de Diversis 87.

Serm. de Tempore.

* SERMO CCXXXIV.

In diebus Paschalibus, V.

De [a] resurrectione Christi secundùm Lucam.

1. RESURRECTIO Domini secundùm omnes quatuor Evangelistas legitur his diebus. Ideo enim necessarium est, ut legantur omnes, quia singuli non dixerunt omnia; sed quæ alius prætermisit, alius dixit: & B quodam modo sibi dederunt locum omnes, ut necessarii essent omnes. Marcus Evangelista, cujus hesterno die Evangelium recitatum est, breviter dixit quod Lucas uberiùs prosecutus est, de duobus quibusdam discipulis, qui non erant de numero quidem duodecim, sed tamen discipuli erant: quibus iter agentibus Dominus apparuit, & cum eis ambulavit. Ille enim tantummodo dixit, quia apparuit duobus iter agentibus: iste verò Evangelista Lucas, & quid illis dixerit, & C quid eis responderit, & quò usque cum eis ambulaverit, & quomodo eum in panis fractione cognoverint; omnia hæc dixit, sicut audivimus.

Discipuli de Christo dubitantes, à latrone victi.

2. Quid ergo, Fratres, quid hîc discutimus? Ædificamur ad credendum resurrexisse Dominum Christum. Jam credebamus quando Evangelium audivimus, & in hanc ecclesiam hodie credentes ingressi sumus: & tamen nescio quomodo cum gaudio auditur, quod memoriâ renova- D tur. Quomodo vultis lætificetur cor nostrum, quando videmur istis qui in via ambulabant, & quibus Dominus apparuit, esse meliores? Nos enim credimus, quod illi nondum credebant. Spem perdiderant, & nos non dubitamus, unde illi dubitabant. Crucifixo Domino spem perdiderant: hoc apparuit in verbis illorum, quando eis dixit, *Qui sunt isti sermones, quos habetis inter vos, & quare tristes estis?* Et illi, *Tu solus peregrinaris in Ierusalem, & nescis quæ ibi contigerunt?* Et respondit ille, *Quæ?* Sciens omnia de se ipso quærebat: quia se in ipsis esse cupiebat. *Quæ*, dixit. Et illi, *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, magnus in dictis & factis.* Ecce meliores sumus. Illi dicebant Christum prophetam: nos eum novimus Dominum prophetarum. *Fuit*, inquiunt, *propheta, magnus in factis & dictis. Et quomodo eum principes sacerdotum crucifixerunt: & ecce tertia dies est, ex quo hæc omnia facta sunt. Nos autem sperabamus.* Sperabatis: jam non speratis? Hic est omnis discipulatus vester? In cruce latro vos vicit. Vos obliti estis eum qui docebat: ille agnovit cum quo pendebat. *Nos sperabamus.* Quid sperabatis? *Quia ipse erat redemturus Israël.* Quod sperabatis, & illo crucifixo perdidistis, hoc latro crucifixus agnovit. Ait enim Domino: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Ecce quia ipse erat redemturus Israël. Crux illa, schola erat. Ibi docuit Magister latronem. Lignum pendentis, G cathedra factum est docentis. Sed qui reddidit se vobis, revocet spem vobis. Sic & factum est. Mementote tamen Carissimi, quemadmodum Dominus Jesus ab eis, quorum oculi tenebantur ne illum agnoscerent, in fractione panis voluit se agnosci. Norunt fideles quid dicam: norunt

Lucæ 24. 17. &c.

Lucæ 23. 42.

Florus ad 1. Cor. 10.

A Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. Ibi illi agnoverunt, exsultaverunt, ad alios perrexerunt: jam scientes invenerunt, narrantes quod viderant, Evangelio addiderunt. Dicta sunt, facta sunt, scripta sunt: pervenerunt ad nos.

Fides Christianos à paganis & Judæis discernens.

3. Credamus in Christum crucifixum; sed eum, qui die tertio resurrexit. Ipsa est fides, quæ nos distinguit ab eis, distinguit à Paganis, distinguit à Judæis; fides qua credimus Christum resurrexisse à mortuis. Apostolus dicit Timotheo: *Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis, ex semine David, secundùm Evangelium meum.* Itemque ipse Apostolus, *Quia si credideris in corde tuo*, inquit, *quia Dominus est Iesus, & confessus fueris ore tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Ipsa est salus, de qua hesterno die disputavi. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Scio vos credere: salvi eritis. Corde retinete, ore proferte, quia Christus resurrexit à mortuis. Sed fidem habete Christianorum, non dæmoniorum. Ecce enim distinguo ista vobis: quod meum est, distinguo; secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, distinguo vobis. Cùm distinxero, eligite, diligite. Ecce dixi, Fides ista, qua credimus Christum Jesum resurrexisse à mortuis, distinguit nos à Paganis. Quære à Pagano, utrùm crucifixus fuerit Christus: clamat, Valde. Utrùm resurrexerit, negat. Quære à Judæo, utrùm crucifixus sit Christus: confitetur crimen parentum suorum; confitetur crimen, ubi habet & partem. Bibit enim quod ei parentes sui propinaverunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Sed quære ab illo, utrùm resurrexerit à mortuis: negabit, irridebit, accusabit. Distincti sumus. Credimus enim nos Christum ex semine David secundùm carnem resurrexisse à mortuis. Numquid hoc dæmones nescierunt, aut ista dæmones non crediderunt, quæ E & viderunt? Adhuc antequam resurrexisset, clamabant & dicebant, *Scimus qui sis, Filius Dei.* Discernebamus nos à Paganis, credendo Christum resurrexisse: si aliquid possumus, à dæmonibus nos discernamus. Quid est, obsecro vos, quid est quod dixerunt dæmones? *Scimus qui sis, Filius Dei.* Et audiunt, *Obmutescite.* Nonne hoc dixerunt quod & Petrus, quando quæsivit ab eis & dixit, *Quem me dicunt homines esse?* Et cùm opiniones respondissent alienas, addidit & in- F terrogavit dicens, *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondit Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hoc dæmones, hoc Petrus: hoc maligni spiritus, hoc Apostolus. Et audiunt dæmones, *Obmutescite*: audit Petrus, *Beatus es.* Quod discernebat illos, hoc discernat & nos. Unde hoc dæmones clamabant? Timendo. Unde Petrus? Diligendo. Eligite, diligite. Ipsa est fides, quæ Christianos à dæmonibus discernit; fides non quæcumque. Nam ait apostolus Jacobus, *Tu credis*: epistola hoc habet apostoli Jacobi: *Tu credis, quia unus est Deus: bene facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt.* Ipse hoc dixit, qui in eadem epistola scripsit, *Si fidem habeat aliquis, opera autem non habeat, numquid potest fides salvare eum?* Et apostolus Paulus discernens, ait, *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium*,

2. Tim. 2. 8. Florus ibidem.

Rom. 10. 9.

* In superiore Sermone. Marci 16. 16.

Fides Christianorum quonam differt à fide dæmonum.

Matth. 27. 25.

Marci 1. 24.

Matth. 16. 15. &c.

Jacobi 2. 19.

Ibidem 14.

Gal. 5. 6.

[a] Citat Florus ad 1. Cor. 10. & ad 2. Tim. 2. Habitus est proximo die post superiorem Sermonem ex n. 3.

Classis II.

sed fides quæ per dilectionem operatur. Discrevimus, distinximus: immo distinctam invenimus, distinctam legimus, distinctam esse didicimus. Quomodo distinguimur fide: sic distinguamur & moribus, sic distinguamur & operibus, accensi caritate, quam dæmones non habebant. Quo igne & illi duo in via ardebant. Cognito enim Christo & ab eis discedente, dixerunt apud se, *Nonne cor nostrum erat ardens in via, cùm aperiret nobis Scripturas?* Ardete: ne ardeatis igne quo arsuri sunt dæmones. Ardete igne caritatis, ut à dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cælum levat. Quidquid molestiarum passi fueritis in terra; quantumcumque Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus; summa petit ardor dilectionis. Similitudinem accipite. Si faculam teneas ardentem, rectam capite sursum teneas; flammæ crinis surgit in cælum: deprime faculam, flamma in cælum it: fac faculam capite deorsum, numquid & flammam deponis in terram? Quacumque ardens vergit, flamma aliam viam nescit, cælum petit. Spiritu ferventes accendimini igne caritatis: fervere facite vos laudibus Dei, & moribus optimis. Alter calidus, alter frigidus: calidus frigidum accendat: & qui parum ardet, optet augmentum, oret adjumentum. Dominus paratus est dare: nos [a] pansis cordibus optemus accipere. Conversi ad Dominum, &c.

Luc. 24. 32.

a

* Aliàs de Tempore 140.

* SERMO CCXXXV.

In diebus Paschalibus, VI.

De eadem lectione Evangelii Lucæ 24.

Caput I. Evangelistæ salva narrationis veritate variant.

b

HESTERNO die, [b] id est nocte, lecta est ex Evangelio resurrectio Salvatoris. Lecta est autem ex Evangelio secundùm Matthæum: hodie verò, sicut audistis pronuntiare Lectorem, recitata est nobis Domini resurrectio, sicut Lucas Evangelista conscripsit. Quod sæpe admonendi estis, & memoriter tenere debetis; non vos debet movere quod alius Evangelista dicit, si quid alius prætermittit: quia & ille qui prætermittit quod alius dicit, dicit aliquid quod ille prætermiserat. Aliqua verò singuli dicunt, & alii tres non dicunt; aliqua duo dicunt, & alii non dicunt; aliqua tres dicunt, & unus non dicit. Auctoritas autem tanta est Evangelii sancti, ut quia in eis loquebatur Spiritus unus, verum sit etiam quod dixerit unus. Hoc ergo quod modò audistis, quia Dominus Jesus, postea quàm resurrexit à mortuis, invenit duos in via ex discipulis suis, colloquentes invicem de his quæ contigerant; & dixit illis, *Qui sunt sermones isti, quos loquimini vobiscum, & estis tristes*, &c. solus dixit Lucas Evangelista. Breviter hoc adtigit Marcus; quia apparuit duobus in via: sed quid illi dixerint Domino; vel quid eis dixerit Dominus, prætermisit.

Lucæ 24. 17.

Marci 16. 12.

Christus cum discipulis in via.

2. Quid ergo ista lectio contulit nobis? Magnum aliquid, si intelligamus. Apparuit Jesus: videbatur oculis, & non agnoscebatur. Magister ambulabat cum illis in via, & ipse erat via: & nondum illi ambulabant in via; sed invenit eos exorbitasse de via. Quando enim cum illis fuerat ante passionem, omnia prædixerat, passurum se fuisse, moriturum, tertio die resurrecturum: omnia prædixerat; sed [c] mors illius, illorum oblivio fuit. Sic perturbati sunt, quando eum viderunt in ligno pendentem, ut obliviscerentur docentem, non exspectarent resurgentem, nec tenerent promittentem. * *Nos*, inquiunt, *sperabamus quia ipse erat redemturus Israël.* O discipuli, sperabatis; ergo jam non speratis? Ecce Christus vivit, & spes mortua est in vobis. Prorsus vivit Christus. Vivens Christus mortua discipulorum corda invenit: quorum oculis & apparuit & non apparuit; & videbatur & abscondebatur. Nam si non videbatur, quomodo illum interrogantem audiebant, interroganti respondebant? In via cum illis tamquam comes ambulabat, & ipse dux erat. Utique videbant, sed non agnoscebant. *Tenebantur enim oculi eorum*, sicut audivimus, *ne eum agnoscerent.* Non tenebantur, ne viderent: sed *tenebantur, ne eum agnoscerent.*

Serm. de Tempore. Matth. 20. 18.

c

* Caput II. Lucæ 24. 21.

Christus cur agnosci voluit in fractione panis.

3. Eia, Fratres, ubi voluit Dominus agnosci? In fractione panis. Securi sumus, panem frangimus, & Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, nisi ibi; propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus ejus carnem. Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis ecclesiam non sine caussa ingrederis, quisquis verbum Dei cum timore & spe audis, consoletur te fractio panis. Absentia Domini, non est absentia: habeto fidem, & tecum est quem non vides. Illi, quando cum eis Dominus loquebatur, nec fidem habebant: quia eum resurrexisse non credebant, non resurgere posse sperabant. Perdiderant fidem, perdiderant spem. Ambulabant mortui cum vivente, ambulabant mortui cum ipsa vita. Cum illis ambulabat vita; sed in eorum cordibus nondum [d] renovata erat vita. * Et tu ergo, si vis habere vitam, fac quod fecerunt, ut agnoscas Dominum. Hospitio susceperunt. Similis enim erat Dominus tamquam in longinqua pergenti, illi verò tenuerunt eum. Et postea quàm venerunt ad locum, quò tendebant, dixerunt, *Jam hic nobiscum mane, declinavit enim in vesperum dies.* Tene hospitem, si vis agnoscere Salvatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentavit se ipsum in fractione panis. Discite ubi Dominum quæratis; discite ubi habeatis, discite ubi agnoscatis, quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid quod meliùs intelligunt in ista lectione, quàm illi qui non noverunt.

* Caput III. Hospitalitis merces.

d

Christus absentavit se corpore ut ædificetur fides.

4. Dominus Jesus cognitus est; & posteà quàm cognitus est, nusquam comparuit. Abscessit ab eis corpore, qui tenebatur fide. Ideo enim Dominus absentavit se corpore ab omni Ecclesia, & adscendit in cælum, ut fides ædificetur. Si enim non nosti nisi quod vides, ubi est fides? Si autem credis & quod non vides, cùm videris gaudebis. Ædificetur fides, quia reddetur species. Veniet quod non videmus, veniet, Fratres, veniet: sed vide quomodo te inveniet. Nam veniet quod dicunt homines, Ubi est, quando est, quomodo

[a] Sic meliores MSS. At Lov. *pancis.*

[b] Aliquot MSS. omittunt, *id est nocte.* Et infrà loco *secundùm Matthæum*, iidem codices habent *secundùm Marcum.*

[c] Editi, *sed sermo.* Meliùs MSS. *sed mors.*

[d] Am. & Er. omittunt, *renovata:* cujus loco Regius MS. *revocata.*

est, quando erit, quando venturum est? Certus A esto, veniet: nec solùm veniet, sed & si nolis veniet. Væ qui non crediderunt; erit enim his magnus tremor; & magnum gaudium eis qui crediderunt. Gaudebunt fideles, confundentur infideles. Fideles dicturi sunt, Gratias tibi, Domine: vera audivimus, vera credidimus, vera speravimus, vera cernimus. Infideles autem dicturi sunt, Ubi est, quod non credebamus? ubi est, quod illa quæ legebantur, mendacia putabamus? [a] [Laudandi ergo qui non vident & credunt: quia cùm viderint, gaudebunt. Caussâ salutis nostræ suscepit Dominus carnem; in qua suscepit & mortem. Resurrexit die tertio, jam non ulteriùs moriturus; & receptâ quam deposuerat carnis substantiâ, primus nobis resurrectionis incorruptibilis fecit exemplum. Adscendens in eodem corpore ad Patrem, sedet ad dexteram Dei, judicium Patris communicans potestate, quem venturum ad judicium speramus vivorum ac mortuorum: ut & nos de nobis credamus, de ipso pulvere eamdem carnem accipere, eadem ossa, eamdem semper mansuram membrorum reparationem. Omnes sumus resurrecturi: sed non omnes lætaturi. *Veniet dies*, inquit, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; & procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò malè egerunt, in resurrectionem judicii.*] Ita fiet, ut confusioni reddatur supplicium, [b] fiduciæ reddatur præmium. *Ibunt enim illi in ambustionem æternam: justi autem in vitam æternam.* Conversi ad Dominum &c.

Johan. 5. 28. & 29.

Matth. 25. 46.

SERMO CCXXXVI.

* Aliàs de Diversis 88.

In diebus Paschalibus, VII.

De eadem lectione Evangelii Lucæ 24.

1. DOMINUS noster Jesus Christus, sicut Apostolus dicit, *mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Sicut morte ipsius seminamur, sic resurrectione ipsius germinamus. Etenim morte ipsius significatur mors vitæ nostræ. De hac re audi Apostolum: *Consepulti*, inquit, *sumus Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ille non habuit quod emendaret in cruce: quia sine peccato adscendit in crucem. Nos in cruce ejus emendemur, & ibi ponamus quod malè contraximus, ut justificari ejus resurrectione possimus. Distinguere enim ita debetis: *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Non dixit, Traditus est propter justificationem nostram, & resurrexit propter delicta nostra. In ejus traditione delictum sonat, in ejus resurrectione justitia sonat. Ergo moriatur delictum, & resurgat justitia.

Rom. 4. 25. Mors Christi propter aliud, & propter aliud resurrectio. Rom. 6. 4.

2. Istam spem, hoc donum, hanc promissionem, hanc tantam gratiam, quando mortuus est Christus, discipuli ejus de animo perdiderunt, & in ejus morte ab spe deciderunt. Ecce annuntiabatur illis resurrectio ejus, & videbantur illis verba nuntiantium quasi deliramentum. Quasi deliramentum facta erat veritas. Si quando prædicatur resurrectio in isto tempore, & videtur alicui esse deliramentum, nonne omnes dicunt habere illum grande tormentum? Nonne omnes detestantur, abhorrent, aversantur, aures claudunt, audire nolunt? Ecce quod erant discipuli, mortuo Christo: quod nos exhorremus, hoc erant illi. Hoc malum habebant arietes, quod horrent agni. Deinde isti duo, quibus apparuit in via, & tenebantur oculi eorum, ne illum agnoscerent, ubi erat cor, indicant verba; & quid agatur in animo, vox testis est, sed nobis: nam illi etiam cor patebat. De illius morte loquebantur inter se. Adjunxit se illis ipse quasi tertius viator; & via in via cœpit colloqui, commiscuit sermonem. Quærit quid inter se loquerentur, cùm omnia sciret; ut eos ad confessionem tamquam nesciens provocaret. Et dicunt illi, *Tu solus peregrinaris in Ierusalem, & nescis quid actum sit in illa istis diebus, de Iesu Nazareno, qui fuit propheta magnus?* Jam non Dominus, sed propheta. Hoc enim eum putabant fuisse, cùm mortuus esset. Adhuc honorabant quasi prophetam; nondum agnoscebant Dominum, non solùm prophetarum, sed etiam Angelorum. *Quomodo*, inquiunt, *seniores nostri & principes sacerdotum tradiderunt eum in damnationem mortis. Et ecce jam tertius est dies, ex quo ista gesta sunt. Nos autem sperabamus, quia ipse erat redemturus Israël.* Ipse est totus labor? Sperabatis, jam desperatis? Videtis quia perdiderant spem. Cœpit ergo eis exponere Scripturas, ut illic magis agnoscerent Christum, ubi deseruerant Christum. Ideo enim desperaverant Christum, quia viderant mortuum. Ille verò aperuit eis Scripturas, ut agnoscerent quia si mortuus non fuisset, Christus esse non posset. Docuit de Moyse, docuit de subsequentibus Scripturis, docuit de Prophetis, quod illis dixerat, *quia oportebat Christum mori, & sic intrare in gloriam suam.* Audiebant, gaudebant, suspirabant; & quomodo ipsi confessi sunt, ardebant: & præsentem lucem non agnoscebant.

Spes discipulis morte Christi ablata.

Luca 24. 18. &c.

3. Quale autem mysterium, Fratres mei? Intrat ad eos, fit eis hospes; & qui per totam viam non agnoscebatur, in fractione panis agnoscitur. Discite hospites suscipere, ubi agnoscitur Christus. An nescitis quia si quem Christianum susceperitis, ipsum suscipitis? Nonne ipse dicit, *Hospes fui, & suscepistis me?* Et quando ei dicitur, *Domine, quando te vidimus hospitem?* Respondet, *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Cùm ergo Christianus Christianum suscipit, serviunt membra membris; & gaudet caput, & sibi imputat datum, quod membro ejus fuerit erogatum. Hîc ergo pascatur Christus esuriens, accipiat potum sitiens, vestiatur nudus, suscipiatur peregrinus, visitetur ægrotus. Hoc habet necessitas itineris. Sic in ista peregrinatione vivendum est, ubi eget Christus. Eget in suis, & in suis, plenus est in se. Sed qui eget in suis, plenus est in se, egentes adducit ad se. Ibi non erit fames, non erit sitis, non erit nuditas, non erit ægritudo, non erit peregrinatio, non erit labor, non erit dolor. Scio quia ista ibi non erunt, & nescio quid ibi erit. Ista enim quæ ibi non erunt,

Hospitalitatis meritum.

Matth. 25. 35. &c.

[a] Hæc addiderunt Lovanienses. Non habebant Am. & Er. nec nostri MSS. qui hîc post verba *mendacia putabamus*, proximè subjiciunt, *Ita fiet ut confusioni* &c. Nec malè sic res cohærent. Itaque fragmentum esse id suspicamur alterius cujuspiam Sermonis fortè de Symbolo.

[b] In MSS. *lætitiæ.*

Classis II. erunt, novi: illud autem quod ibi inventuri sumus, A nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Amare possumus, desiderare possumus, in hac peregrinatione tanto bono suspirare possumus: dignè hoc cogitare & verbis explicare non possumus. Certè ego non possum. Ergo, Fratres mei, quærite quis possit. Si invenire potestis; & me vobiscum discipulum trahite. Illud scio, quoniam *qui potens est*, sicut Apostolus ait, *facere super quàm petimus, aut intelligimus*, illuc perducet, ubi fiat quod scriptum B est, *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Totum negotium nostrum, laus Dei erit. Quid laudabimus, si non [a] amabimus; & illud amabimus, quod videbimus? Verum enim videbimus, & ipsum verum Deus erit, quem laudabimus. Ibi inveniemus quod hodie cantavimus, Amen, Verum est: Halleluia, Laudate Dominum.

1. Cor. 2. 9. Ephes. 3. 20. Psal. 83. 5.

* SERMO CCXXXVII.

*Aliàs de Tempore 145.

In [b] diebus Paschalibus, VIII.

De ultima lectione Evangelii Lucæ 24. cum refutatione Manichæorum.

Caput I. Discipulis spiritum, non carnē Christi se videre putantibus, similes Manichæi.

1. De resurrectione Domini quod sequebatur in Evangelio secundùm Lucam, hodie terminatum est, ubi audivimus apparuisse Dominum in medio discipulorum suorum disceptantium de resurrectione ejus, & non credentium. Tam verò eis inopinatum fuit & incredibile, ut nec videntes viderent. Videbant enim vivum, quem planxerant mortuum: videbant in medio sui stantem, quem doluerant in cruce pendentem. Videbant ergo; & quia suis oculis non credebant, ut verum viderent, falli se putabant. *Existimabant enim*, sicut audistis, *se spiritum videre*. Quod postea crediderunt de Christo pessimi hæretici, priùs hoc crediderunt titubantes Apostoli. Sunt enim hodie qui non E credunt carnem habuisse Christum: quia & partum virginis destruunt, & nolunt eum natum ex femina credere. *Verbum caro factum est*, prorsus [c] alienant à sua fide, vel potiùs à sua infidelitate. Totam istam dispensationem salutis nostræ, quòd factus est homo pro inveniendo homine, qui Deus fecerat hominem; totum hoc, quòd Christus in remissionem peccatorum nostrorum verum, non falsum sanguinem fudit, & de vero suo sanguine chirographum peccatorum nostrorum delevit; hoc totum hæretici damnabiles evacuare conantur. Totum hoc, ut Manichæi credunt, quod apparuit oculis hominum, spiritus fuit, caro non fuit.

Lucæ 24. 37. Negantes carnem Christi, totum mysterium redemtionis nostræ evacuant. Johan. 1. 14.

2. Ecce loquitur Evangelium. Stabat Dominus inter discipulos suos, nondum credentes quòd resurrexerat. Videbant eum, & putabant se spiritum videre. Si nihil mali est, credere Christum spiritum fuisse, non carnem; si nihil mali est, dimittantur in ista opinione di- G scipuli. * Attendite, ut intelligatis quod volo dicere: Deus autem donet ut dicam, id est, sic dicam, quomodo vos audire expedit. Ecce hoc ipsum repeto. Aliquando ipsi detestabiles, carnem detestantes, & secundùm carnem viventes, aliquando hoc dicunt, & sic decipiunt: Qui meliùs credunt de Christo, illi qui dicunt quia carnem habuit, an nos qui dicimus, Deus erat, spiritus erat, & oculis hominum non corpus, sed Deus apparebat? Quid est melius, caro, an spiritus? Quid responsuri sumus, nisi spiritum carne esse meliorem? Si ergo, dicit, confiteris quia spiritus melior sit quàm caro; melius ego de Christo sentio, qui eum spiritum fuisse dico, non carnem. O infelix error! Quare? Ego carnem dico fuisse Christum? Tu dicis spiritum: ego spiritum & carnem. Non tu melius dicis, sed minus dicis. Audi ergo totum quod dico ego: id est, quod dicit catholica fides, quod dicit fundatissima & serenissima veritas. Tu qui dicis spiritum tantùm fuisse Christum; quod est & spiritus noster, id est, anima nostra, hoc dicis tantùm fuisse Christum: audi quid dicas. Dico quod dicis. Erat ipse spiritus ex ea natura & substantia, unde & noster est spiritus. Quanto minus dicas, adtende. Erat ibi Verbum, erat ibi caro. Tu dicis, Humanus spiritus solus. Ego dico, Verbum, spiritus, corpus: Deus & homo. Si duo nolo dicere, si duas res nolo dicere; isto utor compendio, Deus & homo. Et verus Deus, & verus homo. Nihil falsum in humanitate, nihil falsum in divinitate. Sed de ipso homine si quæris à me, duo iterum dico, Anima humana, & caro humana. Tu ho- D mo es propter animam & carnem: ille Christus propter Deum & hominem. Ecce quod dico.

* Caput II. Non ætendit de Christo sentire, qui cum dicunt spiritum fuisse sine carne.

Serm. de Tempore.

3. Sed tu melius te dicere putas, quia dicis, Spiritus erat, spiritus apparebat, spiritus videbatur, spiritus in homine conversabatur. Hoc dicis: ut dixi, hoc putabant & discipuli. Si nihil mali dicis, si bonum est quod dicis: bonum erat & quod discipuli putabant. Si Dominus sic eos dimisit, ut hoc putarent; dimittendus es & tu. Hoc enim credebant quod & tu: si bonum est quod tu credis, bonum erat quod illi credebant. Sed non erat bonum. * Ait illis Dominus, *Quid turbati estis?* Perturbatio credidit, quod credis. Quid? Putabant se spiritum videre. Et Dominus ad hæc: *Quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum?* Cogitationes istæ terrenæ sunt. Si enim cælestes essent, descenderent in cor, non adscenderent. Quare enim dicitur nobis, Sursum cor, nisi ut terrenæ cogitationes non ante se inveniat cor nostrum, quod sursum posuerimus? Ergo, *Quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos, palpate & videte.* Si parum est vobis adtendere; manus mittite. Si parum est, adtendere, nec sufficiat tangere; palpate. Nec, Tangite, solùm dixit: sed, Palpate & contrectate. Probent sibi manus vestræ, si mentiuntur oculi vestri: *Palpate & videte*, oculos in manibus habete. Quid palpate, & quid videte? *Quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Errabas cum discipulis, corrigere cum discipulis. Humanum est, concedo. Putatis spiritum Christum: hoc & Petrus, hoc & ceteri qui spiritum puta-

Manichæorum error in discipulorum reprehensione damnatus.

*Caput III. Lucæ 24. 38. Discipuli spiritum se videre putantes, reprehenduntur.

[a] Editi hoc & proximo loco, *amavimus*. At Victorinus MS. *amabimus*. Quo etiam ex codice restituitur hæc sententia, *Verum enim videbimus &c.* quæ in editis desideratur.

[b] In optimæ notæ Floriacensi MS. inscribitur *Tractatus quartâ feriâ.*

[c] Sic in MSS. At in editis alia inducta est vocum interpunctio, omisso verbo *alienant*.

CLASSIS II. / SERM. DE TEMPORE.

verunt se videre; sed in isto errore non remanserunt, A ut scias prorsus hoc fuisse in cordibus eorum. Medicus eos non dimisit sic: accessit, medicamentum adhibuit: vulnera in cordibus videbat; & unde vulnera cordium curaret, in corpore cicatrices ferebat.

*CAPUT IV. De Christo quid credendum.

4. Sic ergo credamus. Scio quia sic creditis: sed ne fortè in agro isto Domini sit herba mala, etiam eos alloquor quos non video. Nemo credat de Christo, nisi quod de se credi voluit Christus: ante quem nobis expedit, ut creda- B mus quod credi de se voluit, qui nos redemit, qui salutem nostram quæsivit, qui pro nobis sanguinem fudit; qui pro nobis quod non ei debebatur pertulit, qui nobis quod nobis non debebatur adtulit: hoc credamus. Christus quid est? Filius Dei, Verbum Dei. Quid est Verbum Dei? Quod dici non potest per verbum hominis, hoc est Verbum Dei. Quæris à me, quid sit Verbum Dei? Si tibi vellem dicere quid sit verbum hominis, non explico, fatigor, hæsito, C succumbo, non possum explicare vim verbi humani. Ecce antequam dicam vobis, quod volo dicere, jam verbum est in corde meo; nondum à me dictum est, & apud me est: dicitur à me, & pervenit ad te, & non recedit à me. Intenditis, ut audiatis verbum à me; mentes vestras pasco, cùm loquor. Divideretis inter vos cibum, si afferrem ventribus, nec totus perveniret ad singulos; sed quantò plures estis, tantò in plura frusta quod ponerem divideretis, & tantò D minus quisque acciperet, quantò major esset accipientium multitudo. Modò autem cibum adtuli mentibus; dico, Accipite, sumite, comedite: accepistis, comedistis, & non divisistis. Quidquid loquor, & omnibus totum est, & singulis totum est. Ecce quomodo non potest satis explicari, quantam vim habet hominis verbum: & dicitis mihi, Quid est Verbum Dei? Verbum Dei pascit Angelorum tot millia. Mente enim pascuntur, mente implentur. Implet Angelos, implet E mundum, implet virginis uterum: nec ibi spatiatur, nec hîc angustatur. Quid est Verbum Dei? Ipse dicat: breviter de se dicit; sed magnum est quod dicit: *Ego & Pater unum sumus.* Nolo numeres, verba appende. Quid ergo? Plura verba de uno verbo non sufficiunt explicando. *Verbum* ergo quod non potest explicari, *caro factum est, & habitavit in nobis.* Suscepit totum quasi plenum hominem, animam & corpus hominis. Et si aliquid scrupulosius vis audire; quia F animam & carnem habet & pecus: cùm dico animam humanam & carnem humanam, totam animam humanam accepit. Fuerunt enim qui hinc hæresim facerent, & dicerent quia anima Christi non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem; sed Verbum Dei fuit illi pro mente, pro intellectu, pro ratione. Nolo sic credas. Totum redemit, qui totum creavit: totum suscepit, totum liberavit Verbum. Ibi mens hominis & intellectus, ibi anima vivificans G carnem; ibi caro vera & integra: peccatum solum non ibi.

Verbum Dei.

Johan 10. 30.

Johan. 1. 14. Incarnatione suscepit totum hominem.

SERMO CCXXXVIII.

In diebus Paschalibus, IX.

De eadem lectione Evangelii Lucæ 24.

Prodit nunc primùm ex veteri Vindocinensis Abbatiæ codice annorum ferè 800.

Christus verus & vera Ecclesia ex loco Lucæ agnoscitur.

1. SIC [a] sacra perennisque Evangelica lectio nobis demonstrat verum Christum, & veram Ecclesiam, ne in aliquo eorum erremus, aut sancto sponso aliam pro alia subponamus, aut sanctæ sponsæ non suum virum sed alium importemus. Ergo ne in aliquo eorum erremus, tamquam matrimoniales eorum Evangelii tabulas audiamus.

Contra Manichæos & Priscillianistas, Christum habere veram carnē.

2. De Domino Christo non defuerunt, nec desunt, qui sic falluntur, ut eum veram carnem habuisse non crederent. Audiant, quod modò audivimus. In cælo est, sed hîc sonat: ad dexteram Patris sedet, sed inter nos loquitur. Ipse se indicet, ipse se manifestet. Quid opus est ut alium de illo testem quæramus? Ipsum potiùs audiamus. Apparuit discipulis suis, & subitò stetit in medio eorum. Cùm legeretur audistis. Illi autem turbati sunt: existimabant enim se spiritum videre. Hoc est quod putant, qui eum veram carnem habere non credunt: Manichæi sunt, Priscillianistæ sunt, & aliæ quæcumque nec nominandæ pestes. Non enim putant Christum nihil esse, hoc non putant: sed spiritum putant esse, carnem non habuisse. Quid tu Catholica? quid tu sponsa, non adultera? Ergo quid tu, nisi quod ab eo didicisti? Non enim alium meliorem de illo quàm ipsum testem invenire potuisti. Ergo quid tu? Et Verbum & spiritum hominis & carnem hominis Christum esse didicisti. Quid didicisti de Verbo? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Quid didicisti de spiritu hominis? *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quid didicisti de carne? Modò audi. Ignosce illis qui hoc putant, quod priùs errantes discipuli putaverunt. Sed illi in errore non perseveraverunt. Nam hoc putaverunt discipuli, quod hodie putant Manichæi, quod hodie putant Priscillianistæ, non fuisse veram carnem in Domino Christo, sed tantummodo spiritum. Videamus si dimisit eos errare. Videte quàm malus sit error, quem medicus festinabat sanare, noluit confirmare. Putaverunt ergo se spiritum videre: & ille qui sciebat malas istas cogitationes esse, de eorum cordibus eradicans, *Quid turbati estis*, dixit? *quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos: tangite, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Tene contra omnes omnium insanas cogitationes, tene quod accepisti: alioquin peristi. Christus verum Verbum, unigenitum, æqualis Patri, verus humanus spiritus, vera caro sine peccato. Hæc mortua est, hæc resurrexit, hæc pependit in ligno, hæc jacuit in sepulcro, hæc sedet in cælo. Volebat Dominus Christus persuadere discipulis, quia illud quod videbant, ossa & caro erant: sed tu contradicis. Ille ergo mentitur, & tu verum dicis? tu ædificas,

Johan. 1. 1.

Johan. 19. 30.

Luc. 24. 38. &c.

[a] Exordium in MS. exemplari, verbis aliquot erasis & quæ tituli loco esse debuerant substitutis, ita nunc habet, *De vero sponso, id est Christo, & vera sponsa, id est Ecclesia catholica, sic sacra perennisque Evangelica lectio* &c. Hunc & superiorem Sermonem confer cum Sermone 116.

Classis II

& ille decipit? Quare mihi hoc voluit persuadere Christus, nisi quia sciebat quid mihi prodest credere, & quid mihi nocet non credere? Sic ergo credite. Ipse est sponsus. A

Contra Donatistas, Ecclesiam esse toto orbe diffusam.

Lucæ 24. 42. &c.

3. Audiamus & de sponsa: quia nescio qui rursus faventes adulteris, volunt veram subvertere, falsamque subponere. Audiamus & de sponsa. Cùm ergo tetigissent pedes, manus, carnem, ossa; adjecit Dominus, & ait, *Habetis hìc aliquid quod* [a] *manducare?* ut etiam communicato cibo probaretur verus homo. Accepit, manducavit B dedit; & cùm adhuc trepidarent præ gaudio, ait illis, *Nonne hæc dicebam vobis, cùm adhuc essem vobiscum.* Quare modò non cum illis erat? Quid est, *cùm adhuc essem vobiscum?* Cùm adhuc mortalis essem, quod & vos estis. Quid ergo dicebam vobis? *Quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege & in Prophetis & in Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas; & dixit eis, Quia sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia.* Tollite veram carnem, C non erit vera passio, non erit vera resurrectio. Ecce habes sponsum: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.* Tene caput: audi de corpore. Quid enim modò debemus ostendere? Qui audivimus sponsum, agnoscamus & sponsam. *Et prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum.* Ubi? undè? quò usque? *Per omnes Gentes, incipientibus ab Ierusalem.* Ecce habes sponsam. Nemo tibi fabulas vendat, non latret rabies hæreticorum de angulo. D Toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est: omnes Gentes* habent Ecclesiam. Nemo vos fallat: ipsa est vera, ipsa est Catholica. Christum non vidimus, hanc videmus: de illo credamus. Apostoli è contra illum videbant, de ista credebant. Unam rem illi videbant, aliam credebant: & nos è contra unam rem videmus, aliam credamus. Videbant illi Christum, credebant Ecclesiam, quam non videbant: videmus & nos Ecclesiam, credamus in Christum, quem non videmus; & tenentes E quod videmus, perveniemus ad eum quem nondum videmus. Cognoscentes itaque sponsum & sponsam, in tabulis eorum eos agnoscamus, ne in tam sanctis nuptiis litigemus.

* f. habet Ecclesia.

* Aliàs de Tempore 146.

* SERMO CCXXXIX.

In diebus Paschalibus, X.

De resurrectione Christi secundùm Marcum & Lucam. F

Caput I. Resurrectio secundùm quatuor Evangelistas recitari solita.

1. HODIERNO die jam ecce tertiò audivimus ex Evangelio Domini nostri resurrectionem: quemadmodum me vobis locutum esse meministis: quoniam hoc moris est, ut secundùm omnes Evangelistas resurrectio Domini recitetur. Marci Evangelium est, quod modò, cùm legeretur, audivimus. Marcus autem meruit istam dispensationem, cùm in numero illorum duodecim non fuisset, quemadmodum G & Lucas. Nam cùm sint quatuor Evangelistæ, Matthæus, Johannes, Marcus, & Lucas; duo sunt ex illis duodecim Apostolis, id est, Matthæus & Johannes. Sed illorum præcessio A infecunda non fuit, ut consequentes comites non haberent. Marcus & Lucas Apostolorum non pares, sed suppares fuerunt. Ideo namque voluit Spiritus-sanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Evangelium conscribendum duos, ne putaretur gratia evangelizandi usque ad Apostolos pervenisse, & in illis fontem gratiæ defecisse. Cùm enim dicat Dominus de spiritu suo & de verbo suo, quòd si quis perceperit dignéque habuerit, fiet in eo fons B aquæ salientis in vitam æternam: fons utique manando se indicat, non remanendo: per Apostolos pervenit gratia ad alios, & missi sunt evangelizare. Quoniam qui vocavit primos, ipse vocavit secundos: ipse vocavit etiam usque ad novissimum tempus corpus Unigeniti sui, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam.

Serm. de Tempore.

Johan. 4. 14.

Caput II.

Marci 16. 12.

2. Quid ergo audivimus Marcum dicentem? Quòd apparuerit Dominus in via duobus, sicut dixit & Lucas, cujus Evangelium herì audivimus: C *Apparuit*, inquit, *duobus in via in alia effigie.* Lucas autem hoc ipsum aliis verbis dixit, sed ab eadem sententia non deviavit. Lucas enim quid dixit? *Tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent.* Marcus autem quid dixit? *Apparuit eis in alia effigie.* Quod ille dixit, *Tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent:* hoc iste dixit, *in alia effigie.* Alia enim effigies visa est, retentis oculis, non [b] apertis. Quid ergo, Fratres, quoniam Lucas dixit, quod credo vos de lectione hesterna recentissimè D meminisse, quòd cùm benedictum frangeret panem, aperti sunt oculi eorum; quid putamus, si tunc aperti sunt oculi eorum, ergo clausis oculis in via cum illo comitabantur, & poterant scire ubi gressus ponerent, si clausos oculos haberent? Aperti sunt ergo ad cognitionem, non ad visionem. Dominus itaque noster Jesus Christus ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur: quia ibi [c] percipitur, ubi vita æterna percipitur. Hospitio E suscipitur, qui domum parat in cælo. Ait enim secundùm Evangelistam Johannem, *Multæ mansiones sunt apud Patrem meum: alioquin dicerem vobis, Ibo parare vobis locum. Sed si iero & paravero, iterum veniens assumam vos.* Hospes in terra esse voluit Dominus cæli, peregrinus in mundo, per quem factus est mundus: hospes esse dignatus est, ut tu haberes suscipiendo benedictionem; non quia ille indigebat, cùm hospes intrabat.

Lucæ 24. 16.

b Christus in panis fractione agnoscitur.

c

Johan. 14. 2.

Hospes esse Christus cur voluerit.

Caput III.

3. Reg. 17. Elias ad viduam mittitur pascendus, ut beneficium præstetur pascenti.

F 3. Eliam sanctum famis tempore per corvum Dominus pascebat: & quem persequebantur homines, ei serviebant aves. Afferebat servo Dei corvus manè panes, & ad vesperam carnes. Non indigebat ergo ille, quem Deus ministris avibus pascebat: & tamen quamvis Elias non indigeret, mittitur ad viduam in Sarepta, & dicitur ei, *Vade ad illam viduam, pascet te.* Defecerat Deus, ut Elias ad viduam mitteretur? Sed si Deus servo suo sine humano ministerio G semper præberet panem, vidua unde haberet mercedem? Mittitur ergo non indigens ad indigentem, non esuriens ad esurientem; & dicit ad eam, *Vade, & affer mihi pusillum, ut manducem.* Illa modicum habebat, quod consumtu-

[a] Sic plerumque veteres MSS. in eo Lucæ loco; ubi editi habere solent, *manducetur.*

[b] Ita Sermo 37. in Appendice editionis operum Fulgentii recentissimæ. At hìc Am. Er. & Lov. *non apparentis.*

[c] In Fulgentii Appendice Ser. 37. *quia ibi percipitur vita æterna.*

CLASSIS II. SERM. DE TEMPORE.

ra fuerat, & moritura. Respondit, quantum A haberet, Prophetæ intimavit: & ait illi Propheta, *Vade, priùs affer mihi.* Illa non dubitavit, sed adtulit. Obtulit refectionem, & meruit benedictionem. Benedixit sanctus Elias hydriam farinæ, & capsacem olei. Illud in domo repositum erat consumendum; & illud oleum in palo pendebat finiendum: accessit benedictio, & [a] vasa illa thesauri facti sunt. Laguncula olei facta est fons olei, farina parva uberrimas segetes superavit. B

CAPUT IV. Super pauperem non sese efferat, qui ipsum juvat.

4. Si Elias non indigebat, Christus indigebat? *Ideo, Fratres mei, admonet nos Scriptura sancta, quia plerumque servos suos quos potest pascere Deus, ideo facit indigentes, ut inveniat operantes. Nemo superbiat, quia dat pauperi: Christus pauper fuit. Nemo superbiat, quia hospitem suscipit: Christus hospes fuit. Melior est susceptus, quàm suscipiens; ditior accipiens, quàm tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat: qui dabat, ab illo cui dabat, acceperat quod C dabat. Nemo ergo superbiat, Fratres mei, quando dat pauperi: non dicat in animo suo, Ego do, ille accipit: ego suscipio, ille indiget tecto. Fortè quo tu indiges, plus est. Fortè quem suscipis justus est: ille indiget pane, tu veritate; ille indiget tecto, tu cælo; ille indiget pecuniâ, tu justitiâ.

Fœnerandum Deo. *V. Tom. 4. in Psal. 36. Ser. 3. n. 6.*

5. Fœnerator esto, eroga quod recipias. Noli timere, ne te fœneratorem judicet Deus. Prorsus, prorsus esto fœnerator. Sed Deus tibi dicit: D Quid vis? Fœnerare vis? Quid est fœnerare? Minus dare, & plus accipere. Ecce mihi da, dicit tibi Deus: ego accipio minus, & do plus. Quid? Centuplicia, & vitam æternam. Quem quæris cui des, unde crescat pecunia tua, homo quem quæris, quando accipit, gaudet; quando reddit, plorat: ut accipiat, precatur; ne reddat, calumniatur. Da quidem & homini, & noli te avertere ab eo qui mutuum petit. *Matth. 5. 42.* Sed tantum accipe, quantum dedisti. Non ploret cui dedisti: nam E beneficium perdidisti. Et si hoc ipsum quod datum est, vel quod accepit exigitur, fortè ad manum nondum habet: pertulisti petentem, exspecta non habentem: cùm habuerit, reddet tibi. [b] Noli facere angustias ei, cujus angustias relaxasti. Ecce tu dedisti, & exigis: sed non habet unde reddat: cùm habuerit, reddet tibi. Noli clamare & dicere, Numquid fœnus quæro? Tantum peto, quantum dedi: quod dedi, hoc accipiam. Bene facis, sed nondum habet. Non es fœne- F rator, & vis cui præstitisti, ut quærat fœneratorem, ut tibi reddat. Si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem patiatur; quare vis ut propter te alium fœneratorem patiatur? Premis, suffocas: etsi tantum exigis, quantum dedisti; suffocando tamen & angustias faciendo, non beneficium dedisti, sed potiùs majores angustias intulisti. Sed fortè dicis, Habet unde reddat: habet domum, vendat: habet possessionem, vendat. Quando à te petivit, ideo petivit ne vende- G ret: propter te non faciat, qui subvenisti ne fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus, hoc vult Deus.

CAPUT V. Christus cur egenus factus est.

6. Sed avarus es? Dicit tibi Deus, Esto avarus, esto quantum potes avarus: sed me converni pro avaritia tua. Dicit tibi Deus, Me conveni, ego filium meum divitem pauperem pro te feci. *2. Cor. 8. 9.* Propter nos enim pauper factus est Christus, cùm dives esset. Aurum quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Familiam quæris? ille fecit. Pecora quæris? ille fecit. Possessiones quæris? ille fecit. Quid quæris [c] tantùm quæ fecit? Ipsum accipe qui fecit. Cogita quemadmodum te dilexit. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* *Johan. 1. 3.* Omnia per ipsum, & ipse inter omnia. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Qui fecit hominem factus est homo: factus est quod fecit, ne periret quem fecit. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Adtende divitias: quid ditius eo, per quem facta sunt omnia? Et tamen ille cùm dives esset, mortalem carnem accepit in utero virginis. Infans natus est, pannis infantilibus involutus est, in præsepi positus est, patienter exspectavit ætates, patienter tempora pertulit, per quem facta sunt tempora. Suxit, vagivit, infans apparuit. Sed jacebat, & regnabat: in præsepi erat, & mundum continebat: à matre nutriebatur, & à Gentibus adorabatur: à matre nutriebatur, & ab Angelis nuntiabatur: à matre nutriebatur, & stellâ fulgente declarabatur. Tales divitiæ, talis paupertas: divitiæ, ut crearereris; paupertas, ut restituereris. Quòd ille ergo pauper susceptus est hospitio quasi pauper, dignatio fuit suscipientis, non miseria egentis.

CAPUT VI. Christus in paupere eget.

7. Fortè dicis tibi, O beati qui meruerunt Christum suscipere! O si ego tunc fuissem! ô si unus fuissem de duobus illis, quos invenit in via! Tu esto in via, non deerit hospes Christus. Putas enim jam non tibi licere suscipere Christum? Unde, inquis, licet? Jam resurgens manifestatus est discipulis suis, adscendit in cælum, ibi est ad dexteram Patris; non est venturus nisi in ultimo sæculo ad judicandos vivos & mortuos: venturus autem in claritate, non in infirmitate; daturus regnum, non quæsiturus hospitium. Quando dabit regnum, excidit tibi quod dicturus est, *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* *Matth. 25. 40.* Ille dives, egens est usque in finem sæculi. Eget prorsus, non in capite, sed in membris suis. Ubi eget? In quibus doluit, quando dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* *Act. 9. 4.* Obsequamur ergo Christo. Nobiscum est in suis, nobiscum est in nobis: nec frustra dixit, *Ecce ego vobiscum sum usquè ad consummationem sæculi.* *Matth. 28. 20.* Hæc faciendo agnoscimus Christum in bonis operibus, non corpore, sed corde; non oculis carnis, sed oculis fidei. *Quia vidisti, credidisti,* ait cuidam discipulo suo incredulo, qui dixerat, *Non credam, nisi tetigero.* Et Dominus, *Veni, tange, & noli esse incredulus.* *Johan. 20. 27. &c.* Tetigit, & clamavit, *Dominus meus & Deus meus.* Et Dominus: *Quia vidisti me, credidisti.* Ipsa est tota fides tua, quia credis quod vides: laudo eos qui non vident, & credunt; quia cùm viderint, gaudebunt.

[a] In Vaticano libro, *& illud quod erat modicum thesauri facti sunt.*

[b] Reliquum capitis hujus quarti, quod in antè editis deërat, restituitur ex Vaticano MS. aliaque passim loca ejusdem codicis ope redintegrantur. Totus ferè iste de fœnerando locus insertus est Sermoni Appendicis octogesimo octavo, qui aliàs 48. fuit inter homilias 50.

[c] Vaticanus codex, *Quid quæris tanta quæ fecit? Ipsum quære qui fecit.*

Classis II.

* Alias de Tempore 139.

* SERMO CCXL.

In diebus Paschalibus, XI.

De resurrectione corporum, contra Gentiles.

Caput I. Evangelistarum in historia resurrectionis varietas sine discordia.

1. Per hos dies, sicut recolit Caritas Vestra, sollemniter leguntur Evangelicæ lectiones ad resurrectionem Domini pertinentes. Omnes enim Evangelistæ quatuor, neque de passione, neque de resurrectione ejus tacere potuerunt. Nam quia multa fecit Dominus Jesus, non omnes omnia conscripserunt: sed alius ista, alius illa; summâ tamen concordiâ veritatis. Multa etiam commemorat Johannes Evangelista facta esse à Domino Jesu Christo, quæ à nullo eorum conscripta sunt. Tanta facta sunt, quanta tunc fieri debuerunt: tanta scripta sunt, quanta nunc legi debuerunt. Ut autem ostendantur Evangelistæ omnes quatuor, in eo quod simul omnes dicunt & non prætermittunt, id est, vel de passione, vel de resurrectione Christi, non inter se dixisse contraria, valde operosus est labor. Nonnulli enim putaverunt eos inter se esse contrarios, cùm ipsi essent contrarii animæ suæ. Et ideo data est opera ab eis qui potuerunt, adjuvante Domino, ut ostenderentur inter se non esse contrarii. Sed, sicut dixi, si hoc vobis ostendam, & in populo velim ista tractare, multitudo audientium priùs obruitur tædio, quàm [a] reveletur scientia veritatis. Sed scio fidem vestram, id est, fidem hujus totius multitudinis, & eorum qui hodie hîc non sunt, & tamen fideles sunt; novi fidem eorum sic esse certam de veritate Evangelistarum, ut expositione mea non indigeant. Qui novit quomodo ista defendat, doctior est, non fidelior. Habet fidem, habet facultatem defendendi fidem. Alius non habet facultatem & copiam & doctrinam defendendi fidem, sed habet ipsam fidem. Ille autem qui novit defendere fidem, titubantibus est necessarius, non credentibus. In defensione enim fidei, curantur vulnera dubitationis vel infidelitatis. Qui ergo defendit fidem, bonus est medicus: sed in te non est infidelitatis morbus. Quando ille novit curare quod tu non habes? Novit ille ponere medicamentum, sed in te non est vitium. *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.*

Defensio fidei titubantibus necessaria.

Matth. 9. 12.

Caput II. Resurrectio contra infideles probatur ex omnipotentia Dei.

2. Tamen quæ possunt expeditiùs dici pro tempore, & commodiùs audiri, [b] subticere vobis non est consilii. De ipsa resurrectione, cujus in se ipso Dominus præmisit exemplum, ut sciremus quid etiam in corporibus nostris in fine sæculi sperare debeamus, multi multa disputant; aliqui fideliter, aliqui infideliter. Qui fideliter disputant, scire volunt diligentiùs quid respondeant infidelibus: qui autem infideliter disputant, argumentantur contra animas suas, disputando contra potentiam omnipotentis, dicentes, Unde fieri potest, ut mortuus resurgat? Dico ego, Deus est qui facit, & tu dicis, Fieri non potest? Non dico, Da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed, da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest. Quem tu ergo credis, (quasi pagano loquor:) quem tu credis Deum omnipotentem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorem. Si dixeris, Non potest fieri, derogas omnipotenti. Si autem credis illum omnipotentem, me quare respuis ista dicentem?

Serm. de Tempore

Caput III. Caro resurget sine vitio.

3. Si diceremus carnem resurrecturam, ut esuriat, ut sitiat, ut ægrotet, ut laboret, ut corruptionibus subjiciatur; meritò credere non deberes. Habet enim modò caro ista has vel necessitates vel calamitates. Et hoc unde? Caussa peccatum est. In uno peccavimus, & omnes ad corruptionem nati sumus. Malorum omnium nostrorum caussa peccatum est. Non enim sine caussa homines mala ista patiuntur. Justus est Deus, omnipotens est Deus: nullo modo ista pateremur, si non mereremur. Sed cùm essemus in pœnis, ad quas venimus de peccatis, Dominus noster Jesus Christus voluit esse in pœnis nostris sine peccatis suis. Sustinendo sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam. Culpam solvit, peccata donando: pœnam solvit, à mortuis resurgendo. Hoc promisit, & nos in spe ambulare voluit: perseveremus, & ad rem perveniemus. Caro resurget incorruptibilis, caro resurget sine vitio, sine deformitate, sine mortalitate, sine onere, sine pondere. Quæ nunc tibi facit tormentum, postea tibi erit ornamentum. Ergo si bonum est habere corpus incorruptibile, quare hoc facturum Deum volumus desperare?

Calamitatum omnium caussa peccatum.

Caput IV. Philosophorum de animæ conditione post mortē opiniones.

4. Philosophi sæculi hujus, qui magni fuerunt & docti, & ceteris meliores, animam humanam immortalem esse senserunt: nec solùm senserunt, sed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, & ipsas defensiones suas conscriptas posteris reliquerunt. Sunt libri, leguntur. Ideo istos philosophos dixi aliis fuisse meliores in comparatione pejorum; quia fuerunt philosophi qui dicerent, homini, cùm mortuus fuerit, nullam vitam postea remanere. Talibus illi utique præponendi sunt. Et in quo erant illi meliores, quamvis in multis à veritate deviantes, tamen in quo erant isti superiores, veritati fuerant propinquantes. Hi ergo qui senserunt atque dixerunt animas humanas immortales, de malis hominum, de ærumnis erroribusque mortalium quæsierunt caussas, quantum homines potuerunt; & dixerunt, sicut potuerunt, præcessisse nescio quæ in alia vita peccata, quorum peccatorum merito ista corpora velut carcerem animæ mererentur. Deinde quæsitum est ab eis, quid postea cùm fuerit homo mortuus, quid erit. Et hîc contriverunt ingenia sua; & laboraverunt, quantum potuerunt, reddere hominibus rationem, vel sibi, vel aliis: & dixerunt, animas hominum malè viventium immundas pessimis moribus, cùm exierint de corporibus, rursus continuò revolvi ad alia corpora, & pœnas hîc luere quas videmus: eas verò animas quæ bene vixerunt, cùm exierint de corporibus, ire ad superna cælorum, requiescere ibi in stellis & luminibus istis conspicuis, vel quibuscumque cælestibus abditisque secretis, oblivisci omnium præteritorum malorum, & rursus delectari redire ad corpora, & venire iterum ad ista patienda. * Hoc ergo interesse voluerunt inter animas peccatorum & animas justorum, quia peccatorum

* Caput V.

[a] MSS. relevatur, aut. relevetur.

[b] MSS. subtrahere.

animas de proximo statim cùm exierint de corporibus, dicunt revolvi ad altera corpora; justorum autem animas diu esse in requie; non tamen semper, sed rursus delectari corporibus, & de summis cælis post tantam justitiam ad ista mala facere ruinam.

Sapientia mundi Deo stultitia. 1.Cor.1.20.

5. Hoc dixerunt valde magni philosophi. Isto plus invenire nihil potuerunt philosophi mundi hujus, de quibus dicit Scriptura nostra, *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.* Si sapientiam, quantò magis stultitiam? Si sapientia mundi B stultitia est apud Deum, vera stultitia mundi quàm longè est à Deo? Est tamen quædam stultitia mundi hujus, quæ pervenit ad Deum, de qua dicit Apostolus, *Quoniam in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et dicit, *Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Venit Dominus Christus, sapientia Dei: cælum tonat, ranæ taceant. Quod dixit veritas, hoc est verum. Quod dixit, in malo quidem esse genus humanum causâ peccati, manifestum est. Sed qui crediderit in mediatorem, qui constitutus est medius inter Deum & homines: (inter Deum justum & homines injustos, medius homo justus, humanitatem habens de imo, justitiam de summo; & ideo medius: hinc unum, & inde D unum: quia si utrumque inde, ibi esset; si utrumque hinc, nobiscum jaceret, & medius non esset:) qui ergo crediderit in mediatorem, & fideliter ac bene vixerit, exiet quidem de corpore, & erit in requie; postea verò recipiet corpus, non ad tormentum, sed ad ornamentum, & vivet cum Deo in æternum. Non est quòd eum delectet ut redeat: quia secum habet corpus. Ergo Carissimi, quoniam proposui vobis hodie quid dicant etiam philosophi mundi hujus, quorum Deus sapien- E tiam tamquam veram stultitiam reprobavit, crastino, adjuvante Domino, exponere poterimus.

Ibidem 21. &c.

Resurrectio promissa piis credentibus in Mediatorem.

* SERMO CCXLI.

In diebus Paschalibus, XII.

De resurrectione corporum, contra Gentiles.

* Aliàs de Tempore 143.

Caput I. Resurrectio fides Christianorum.

1. PROPRIA fides est Christianorum, re- F surrectio mortuorum. Hanc in se ipso, id est, resurrectionem mortuorum, caput nostrum Christus ostendit, & exemplum fidei nobis præstitit; ut hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite. Hesterno die vobis insinuavimus, sapientes gentium, quos philosophos dicunt, ipsos qui in eis excellentissimi fuerunt, scrutatos fuisse naturam, & de operibus artificem cognovisse. Prophetas non audierunt, legem Dei non acceperunt: sed eis Deus quodam G modo silens ipsius mundi operibus loquebatur, & eos ad quærendum artificem rerum, mundi species invitabat: nec potuerunt in animum inducere, cælum & terram sine auctore constare. De his beatus Paulus apostolus ita loquitur: *Revelatur*, inquit, *ira Dei de cælo super omnem impietatem.* Quid est, *super omnem impietatem?* Non

In superiore Sermone

Deus à philosophis cognitus ex operibus mundi.

Rom. 1. 18. &c.

A solùm super Judæos, qui Dei legem acceperunt, & legis datorem offenderunt; verùm etiam super omnem impietatem gentium revelatur ira Dei de cælo. Et ne quisquam diceret, Quare cùm ipsi legem non acceperint? secutus adjunxit, *Et injustitiam eorum, qui veritatem in iniquitate detinent.* Jam tu responde: Quam veritatem? Non enim acceperunt legem, non enim audierunt Prophetam. Audi quam veritatem: *Quoniam quod notum est*, inquit, *Dei, manifestum est in illis.* Unde manifestum? Adhuc audi: *Deus enim illis manifestavit.* Si adhuc quæris, Quomodo manifestavit, quibus legem non dedit? Audi quomodo: *Invisibilia enim ejus à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Invisibilia enim ejus*, hoc est, invisibilia Dei: *à constitutione mundi*, id est, ex quo constituit mundum: *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, illa per hæc intellecta conspiciuntur. *Sempiterna quoque*, verba Apostoli dico, ipsa adtexo: *Sempiterna quoque virtus ejus & divinitas*, subaudis, intellecta conspiciuntur. *Vt sint inexcusabiles.* Quare inexcusabiles? *Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Non dixit, nescientes Deum: sed, *cognoscentes.*

Caput II. Pulcritudo creaturarum, confessio est Creatoris.

2. Unde cognoscentes? Ex his quæ fecit. Interroga pulcritudinem terræ, interroga pulcritudinem maris, interroga pulcritudinem dilatati & diffusi aëris, interroga pulcritudinem cæli, interroga ordinem siderum, interroga solem fulgore suo diem clarificantem, interroga lunam splendore subsequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia quæ moventur in aquis, quæ morantur in terris, quæ volitant in aëre; latentes animas, perspicua corpora; visibilia regenda, invisibiles regentes: interroga ista. Respondent tibi omnia: Ecce vide, pulcra sumus. Pulcritudo eorum, confessio eorum. Ista pulcra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher? In ipso denique homine, ut possent intelligere & cognoscere Deum universi mundi creatorem; in ipso, inquam, homine interrogaverunt hæc duo, corpus & animam. Hoc interrogabant quod & ipsi gestabant: videbant corpus, animam non videbant. Sed corpus nisi de animo non videbant. Videbant enim per oculum, sed intus erat qui per fenestras adspiciebat. Denique discedente habitatore, jacet domus: discedente qui regebat, cadit quod regebatur: & quoniam cadit, cadaver vocatur. Nonne ibi oculi integri? Etsi pateant, nihil vident. Aures adsunt; sed migravit auditor: linguæ organum manet; sed abscessit musicus, qui movebat. Interrogaverunt ergo ista duo, corpus quod videtur, animam quæ non videtur: & invenerunt melius esse illud quod non videtur, quàm illud quod videtur; meliorem animam latentem, deteriorem carnem apparentem. Viderunt ista, intuiti sunt, discusserunt utrumque, & invenerunt utrumque mutabile in ipso homine. Mutabile corpus per ætates, per corruptiones, per alimenta, per refectiones, per defectiones, per vitam, per mortem. Transierunt ad animam, quam utique comprehenderant meliorem, & etiam invisibilem mirabantur: invenerunt & ipsam mutabilem; modò velle, modò nolle; modò scire, modò nescire; modò meminisse, modò oblivisci; modò timere, modò audere; modò ire in sapien-

Ab hominis cognitione ad cognitionem Dei quomodo pervenerint philosophi.

Cadaver.

Classis II.

tiam, modò in ſtultitiam deficere. Viderunt & A ipſam mutabilem, tranſierunt & ipſam: quæſierunt enim aliquid immutabile.

Caput III. Philoſophi licet Deum cognitum idololatræ.

3. Sic ergo pervenerunt ad cognoſcendum Deum qui fecit, per iſta quæ fecit. *Sed non ſicut Deum honorificaverunt, aut gratias egerunt:* ipſe dicit Apoſtolus. *Sed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Sibi arrogando quod acceperant, perdiderunt quod tenebant. Dicentes ſe quaſi magnos eſſe, ſtulti facti ſunt. Et quò pervenerunt? *Et immutaverunt,* inquit, *gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Idola dicit. Et parum erat facere idolum ad ſpeciem hominis, & ad ſui operis ſimilitudinem addicere artificem: parum fuit hoc. Sed inſuper quid? *Et volucrum & quadrupedum & ſerpentium.* Omnia quippe iſta muta animalia & irrationabilia, illi quaſi magni ſapientes, deos ſibi fecerunt. Reprehendebam, quando adorabas imaginem hominis: quid C tibi faciam, quando adoras imaginem canis, imaginem colubri, imaginem [a] crocodili? Pervenerunt uſque ad iſta. Quantum quærentes in ſuperna evecti ſunt, tantum cadentes in profunda demerſi ſunt. Altiùs enim mergitur, quod de alto cadit.

De animarum ſtatu poſt mortem quid ſenſerint Philoſophi.

4. Hi ergo, ſicut heſterno die vos commonui, quæſierunt quid poſtea, id eſt, quid poſt hanc vitam. Quæſierunt ſicut homines: ſed quando invenirent, cùm homines eſſent? Doctrinam D Dei non habuerunt, Prophetas non audierunt: non potuerunt invenire, ſuſpicati ſunt. Retuli vobis herì ſuſpiciones illorum. * Exeunt animæ malæ, inquiunt; & quia immundæ ſunt, continuò in alia corpora revolvuntur: exeunt animæ ſapientium atque juſtorum; & quia bene vixerunt, volant ad cælum. Age bellè, bellè illis inveniſti locum: volantes ad cælum perveniunt. Et quid ibi? Ibi erunt, inquiunt, & requieſcent cum diis: ſedes eorum erunt ſtellæ. Non malum habitacu- E lum illis inveniſtis: vel ibi illas dimittite, nolite illas dejicere. Sed, inquiunt, poſt longa tempora, facta penitus oblivione veterum miſeriarum, incipiunt velle reverti in corpora; & delectabit eas venire, & rurſus veniunt ad iſta patienda, ad iſta toleranda, ad obliviſcendum Deum, ad blaſphemandum Deum, ad ſequendas corporis voluptates, ad pugnas contra libidines. Veniunt ad iſtas miſerias, unde, & quò? Dic mihi, quare? Quia obliviſcuntur. Si omnia mala obliviſcuntur, F obliviſcantur & delectationem carnis. Hoc ſolum [b] malo ſuo meminerunt, unde ruerunt. Veniunt: quare? Quia delectat eas rurſus in corporibus habitare. Unde delectat, niſi per memoriam, quia ibi aliquando habitaverunt? Dele totam memoriam, & fortè reſiduam facies ſapientiam: nihil remaneat quod revocet.

*Caput IV.

Caput V. Virgilio non placet doctrina de animarum reditu in corpora.

5. Exhorruit quidam auctor ipſorum, cui demonſtrabatur, vel qui inducebat apud inferos demonſtrantem patrem filio ſuo. Noſtis enim hoc G propè omnes; atque utinam pauci noſſetis. Sed pauci noſtis in libris, multi in theatris, quia Æneas deſcendit ad inferos, & oſtendit illi pater ſuus animas Romanorum magnorum venturas in corpora: expavit ipſe Æneas, & ait,

Serm. de Tempore.

Virg. 6. Æn.

« O pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora?

Credendumne eſt, inquit, quòd eant ad cælum, & iterum redeant? Quæ lucis miſeris tam dira cupido? Meliùs filius intelligebat, quàm pater exponebat. Reprehendit cupiditatem animarum rurſus in corpora redire volentium. Dixit diram cupiditatem, dixit eas miſeras; nec erubuit eas. B Ad hoc Philoſophi perduxiſtis, ut purgentur animæ, perveniant ad ſummam munditiam, & per ipſam munditiam obliviſcantur omnia, & per obliviones miſeriarum redeant ad miſerias corporum. Dicite, obſecro: Nonne hæc etiam ſi vera eſſent, meliùs neſcirentur? Etiam ſi vera eſſent, inquam, quæ ſine dubio falſa, quia fœda ſunt; nonne meliùs neſcirentur? An fortè dicturus es mihi, Non eris ſapiens, ſi iſta neſcieris? Ut quid illa ſciam? poſſumne eſſe modò melior, C quàm tunc ero in cælo? Si in cælo, quando ero melior & perfectior, obliviſcar omnia quæ hîc didici, & hæc ibi melior neſciturus ſum; ſine me modò illa neſcire. In cælo habitantem dicis omnia obliviſcentem: ſine in terra eſſe horum omnium neſcientem. Deinde rogo te, Sciunt ſe iſtæ animæ in cælo, paſſuras eſſe rurſus hujus vitæ miſerias, an neſciunt? Elige quod volueris. Si ſciunt ſe paſſuras eſſe tantas miſerias, quomodo ſunt beatæ, miſerias ſuas futuras cogitantes? quomodo ſunt D beatæ, ubi ſunt ſine ſecuritate? Sed video quid eligas: dicturus es, Neſciunt. Laudas ergo ibi hanc ignorantiam, quam me nunc habere non ſinis, docendo me in terra, quod me neſciturum dicis in cælo. Neſciunt, inquis. Si neſciunt, & non ſe putant eſſe paſſuras, errando ſunt beatæ. Quod enim paſſuræ ſunt, putant ſe non paſſuras: quod falſum putare, quid eſt aliud quàm errare? Erunt ergo errore felices; erunt beatæ, non æternitate, ſed falſitate. * Liberet nos veritas, ut E verè beati eſſe poſſimus: quoniam non [c] vacat ſermo Redemtoris noſtri, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Ipſe enim dixit, *Si manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

Animas in ea opinione beatas eſſe non poſſe.

*Caput VI.

[c] Johan. 8. 36.

Ibidem 31.

6. Deinde audite aliud pejus, aliud dolendum vel potiùs irridendum. Hîc ſapiens, hîc philoſophe, hoc eſt, in terra, (verbi gratiâ, Pythagoras, Plato, Porphyrius, & neſcio quis alius ipſorum,) quare philoſopharis? Propter vi- F tam, inquit, beatam. Quando habebis iſtam vitam beatam? Cùm hoc corpus, inquit, reliquero in terra. Modò ergo miſera vita geritur, ſed ſpes eſt beatæ vitæ: ibi beata vita geritur, ſed ſpes eſt miſeræ vitæ. Ergo ſpes noſtræ infelicitatis eſt felix, & felicitatis infelix. Abjiciamus hæc, & vel rideamus quia falſa ſunt, vel doleamus quia magna exiſtimantur. Sunt enim iſta, Fratres mei, magna magnorum deliramenta doctorum. Quantò meliùs tenemus magna G magnorum ſacramenta ſanctorum? Amore corporum dicunt redire animas purgatas, mundatas, ſapientes, purgatas animas amore corporum redire ad corpora. Ergo anima purgata ſic amat? Nonne amor iſte magnæ ſunt ſordes?

Spes hîc eſſet felicior quàm in illa felicitate.

7. Sed corpus eſt omne fugiendum. * Ma-

*Caput VII.

[a] In veteribus libris ſcriptum eſt, *corcodrilli.*
[b] Sic MSS At editi, *mali ſui.*

[c] Lov. *non fraudat nos ſermo* &c. diſſentientibus ceteris libris.

Porphyrii sententia de fugiendo omni corpore. V. lib. de Civit. Dei lib. 22. c. 26.

gnus eorum philosophus posteriùs Porphyrius, A fidei Christianæ acerrimus inimicus, qui jam Christianis temporibus fuit; sed tamen ab ipsis deliramentis erubescendo, à Christianis ex aliqua parte correptus, dixit, scripsit: Corpus est omne fugiendum. Omne dixit, quasi omne corpus vinculum ærumnosum sit animæ. Et prorsus si corpus qualecumque est fugiendum, non est ut laudes ei corpus, & dicas, quomodo Deo docente fides nostra laudat corpus: quia & corpus quod modò habemus, quamvis habeamus hinc pœ- B

Sap. 9. 15.

nam de peccato, & corpus quod corrumpitur, aggravet animam: tamen habet corpus istud speciem suam, dispositionem membrorum, distinctionem sensuum, erectam staturam, & cetera quæ bene considerantes stupent. Verumtamen illud omnino incorruptibile, omnino immortale, omnino ad movendum agile & facile erit. Sed ait Porphyrius, Sine caussa mihi laudas corpus: qualecumque sit corpus; si vult esse beata anima, corpus est omne fugiendum. Hoc dicunt C

Refellitur.

philosophi: sed errant, sed delirant. Citò probo: nolo diutiùs disputare; quia illa quæ prædicata est debet habere subditum. Duo enim sunt invicem sibi connexa, prædicata & subdita. Superat omnia Deus: huic cuncta sunt subdita. Et anima si habet aliquem honorem apud Deum, debet habere aliquid subditum. Sed nolo hinc diutiùs disputare, libros vestros lego: mundum istum animal dicitis, id est, cælum, terram, maria, omnia quæ sunt ingentia corpora, immensa D usquequaque elementa; totum hoc, universumque corpus, quod ex his elementis omnibus constat, dicitis esse animal magnum, id est, habere animam suam, sed sensus corporis non habere; quia extrinsecùs nihil est quod sentiri possit: habere tamen intellectum, hærere Deo: & ipsam animam mundi vocari Jovem, vel vocari Hecatem, id est, quasi animam universalem mundum regentem, & unum quoddam animal facientem. Eumdemque mundum æternum esse dici- E tis, semper futurum, finem non habiturum. Si ergo æternus est mundus, & sine fine manet mundus, & animal est mundus; anima ista semper tenetur in mundo: certè corpus est omne fugiendum? Quid est quod dicebas, Corpus est omne fugiendum? Ego dico beatas animas incorruptibilia corpora semper habituras. Tu qui dicis, Corpus est omne fugiendum, occide mundum. Tu dicis ut fugiam de carne mea: fugiat Juppiter tuus de cælo & terra. F

Caput VIII. Rursum ex Platonis verbis confutatur.

8. Quid quod invenimus eumdem Platonem, magistrum istorum omnium, in libro quodam suo quem scripsit de constitutione mundi, inducere Deum fabricatorem deorum, facientem scilicet deos cælestes, stellas omnes, solem & lunam? Dicit ergo Deum opificem deorum cælestium: dicit ipsas stellas habere animas intellectuales, quæ intelligunt Deum, & corpora visibilia quæ cernuntur. Dico, ut intelligatis: Sol iste quem videtis, non videretur, nisi corpus esset: hoc verum est. Stella ulla vel luna non videre- G tur, nisi corpus esset: verum dicit. Ideo dicit & Apostolus, *Et corpora cælestia, & corpora terrestria.* Et sequitur, *Alia gloria cælestium, alia & terrestrium.* Et rursus dicens de gloria cælestium corporum Apostolus adjunxit, & ait, *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim ab stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum.* Videtis, quia promissa est sanctorum corporibus claritas, & diversa species claritatis, quia diversa sunt merita caritatis. Sed illi quid dicunt? Stellæ istæ quas videtis, corpora quidem sunt, sed habent suas animas intellectuales, & sunt dii. Interim de corporibus, quia corpora sunt, verum dicunt: sed utrùm habeant animas suas, ut quid discutio? Modò veniamus ad rem. Inducitur Deus à Platone ipso alloqui deos, quos fecit de corporali & de incorporali substantia, atque inter cetera dicere illis, Quoniam estis orti, « immortales esse & indissolubiles non potestis. Jam « ad istam vocem illi intremiscere poterant. Quare? Quia immortales esse cupiebant, & mori nolebant. Ergo ut eis auferret timorem, secutus adjunxit atque ait, Non tamen dissolvemi- « ni, neque vos ulla mortis fata periment, nec « erunt valentiora quàm consilium meum, quod « majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, « quàm illa quibus colligati estis. Ecce Deus dat « securitatem diis à se factis: securitatem illis dat immortalitatis: securitatem illis dat, quòd non relinquant globos corporum suorum. Certè corpus est omne fugiendum? Quantum existimo, responsum est illis, sicut intelligere potestis: sicut & nos loqui possumus, quantum hora sermonis permittit, quantum vestra capacitas sinit, responsum est eis. Jam verò quid & ipsi dicant de resurrectione corporum quasi acutè, ut non eis, sicut arbitrantur, etiam nos respondere possimus, multum est ut hodie vobis dicam. Sed quia semel promisi vobis, per istos dies istam de resurrectione carnis quæstionem esse versandam, ad ea quæ restant, adjuvante Domino, & aures & corda in crastinum præparate.

1\. Cor. 15. 40.

* SERMO CCXLII.

* Aliàs de Tempore 147.

In diebus Paschalibus, XIII.

De resurrectione corporum, contra Gentiles.

Caput I. Resurrectionis fides manifestò probata, imprudenter ab hominibus impugnatur.

1\. Diebus his sanctis resurrectioni Domini dedicatis, quantum donante ipso possumus, de carnis resurrectione tractemus. Hæc enim fides est nostra, hoc donum in Domini nostri Jesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, non solùm prænuntiare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerunt cum illo, viderunt; & cùm expavescerent, & spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solùm verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum: parumque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum. Ait enim, *Quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum?* Putaverunt enim se spiritum videre. *Quid turbati estis,* inquit, *& cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos: palpate, & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Contra istam evidentiam disputant homines. Quid enim aliud facerent homines, qui ea quæ sunt hominum sapiunt, quàm disputarent de Deo contra Deum? Ille enim Deus est, illi homines sunt. Sed Deus *novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* In

Lucæ 24. 38. &c.

Psal. 93. 11.

Classis II. — Serm. de Tempore.

In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt: quod non solent, non credunt. Præter consuetudinem facit Deus miracula, quia Deus est. Majora quidem miracula sunt, tot quotidie homines nasci qui non erant, quàm paucos resurrexisse qui erant: & tamen ista miracula non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate viluerunt. Resurrexit Christus, absoluta res est. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, posita est * in sepulcro. Exhibuit illam vivam, qui vivebat in illa. Quare miramur? Quare non credimus? Deus est qui fecit: considera auctorem, & tolle dubitationem.

* subaudi, caro.

Caput II. Contra resurrectionem carnis obtendunt, Si corruptio non erit, cur manducabitur?

2. Quærunt ergo homines, utrùm corruptio ista corporis, quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum. Dicimus non futuram. Respondent nobis, Si corruptio non erit, quare manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducavit? Modò Evangelium cùm legeretur, audivimus, quia cùm exhiberet se vivum oculis manibusque discipulorum suorum, parum illi visum est ad demonstrandam evidentiam corporalem: sed addidit, *Habetis hic aliquid quod manducetur? Et obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis: & manducavit, & reliquias dedit illis.* Dicitur ergo nobis, Si corruptio corporis non resurget, quare manducavit Dominus Christus? Legistis quia manducavit, numquid legistis quia esurivit? Quòd manducavit, potestatis fuit, non egestatis. Si desideraret manducare, egeret. Rursus si manducare non posset, minùs valeret. Numquid & Angeli, quando suscepti sunt hospitio à patribus nostris, non manducaverunt; & tamen corruptibiles non fuerunt?

Gen. 18. Tobiæ 12.

Si carnis vitia non resurgent, cur in Christo cicatrices.

3. Rursus dicunt, Resurgent vitia; quæ erant in corpore humano, cum quibus moritur homo? Respondemus, Non resurgent vitia. Et dicitur nobis, Quare ergo Dominus cum suorum vulnerum cicatricibus resurrexit? Quid ad hoc dicimus, nisi quia & hoc potestatis fuit, non necessitatis? Sic resurgere voluit, sic se voluit quibusdam dubitantibus exhibere. In illa carne cicatrix vulneris, sanavit vulnus incredulitatis.

Caput III. Parvulorum resurrectio qualis.

4. Adhuc disputant, & quærunt à nobis, Parvuli qui moriuntur, parvuli resurrecturi sunt? an ætas erit plena reviviscentium, quorum erat parva morientium? Hoc quidem in Scripturis definitum non invenimus. Incorruptibilia corpora & immortalia resurrectura promissa sunt. Sed si parva ætas redditur, si statura pusilla revocatur, numquid & propterea infirmitas revocatur? Si parvi erunt, numquid jacebunt, & ambulare non poterunt? Credibilius tamen accipitur & probabilius & rationabilius, plenas ætates resurrecturas, ut reddatur munere, quod accessurum erat tempore. Non enim credituri sumus etiam senectam resurrecturam anhelam & curvam. Postremò corruptionem tolle, & quod vis adde.

Terrenum corpus quomodo in cælo erit.

5. Sed, inquis, quomodo erit terrenum corpus in cælo? Philosophi enim gentium, illi valde magni, quorum vobis jam vel insanas vel certè humanas sententias intimavi; (quæsierunt quippe ista non spiritu Dei, sed conjecturâ cordis humani;) hinc maximè faciunt quæstionem, tractant subtiliter de momentis ponderum & ordine elementorum: & dicunt, quod etiam videmus, mundum sic esse dispositum, ut ima sit terra tamquam in fundo ejus; secunda aqua superfundatur terræ; tertius aër veniat; quartus æther cuncta cooperiat. Illud elementum supernum, quod æthera appellant, ignem dicunt esse liquidum & purum, inde sidera esse formata; ibi nihil posse esse terrenum, quoniam ordo ponderum non admittit. Si dicamus eis nostra corpora in terra nova esse victura, & in cælo non futura; audacter & temere, immo infideliter dicimus. Credere enim debemus talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, ibi simus. Nam si respondemus, ad solvendam de ordine ponderum quæstionem, in terra nos esse victuros; de ipso corpore Domini nobis est quæstio, cum quo adscendit in cælum.

Caput IV. Lucæ 24. 50. & 51. Christi corpus in cælo.

6. Audistis quod de Evangelio modò recens sonuit in auribus nostris: *Elevatis manibus suis benedixit eis; & factum est, dum benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Qui ferebatur in cælum? Dominus Christus. Qui Dominus Christus? Dominus Jesus. Quid enim, separaturus es hominem à Deo, & facturus es aliam personam Dei, aliam hominis, ut jam non sit Trinitas, sed quaternitas? Quomodo tu homo anima es & corpus: [a] sic Dominus Christus Verbum, anima & corpus. Sed Verbum non recessit à Patre: & ad nos venit, & Patrem non deseruit; & in utero carnem accepit, & mundum rexit. Quid ergo levatum est in cælum, nisi quod sumtum est de terra? id est, caro illa, corpus illud, de quo loquens ad discipulos ait, *Palpate, & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Credamus hoc, Fratres: & si argumenta philosophorum difficilè solvimus; illud quod demonstratum est in Domino, sine difficultate fidei teneamus. Illi garriant, nos credamus.

Ibidem 39.

Caput V. Deo volente fit quod aliàs fieri non potest.

7. Sed non potest, inquiunt, esse terrenum corpus in cælo. Quid si hoc velit Deus? Responde contra Deum, & dic, Non potest Deus. Nonne & tu quicumque paganus, dicis omnipotentem Deum? Nonne in libro Platonis, quod hesterno die demonstravi, legitur dixisse Deus non factus diis à se factis, « Quoniam estis orti, immortales quidem esse & indissolubiles non potestis; « non tamen dissolvemini, neque ulla vos mortis « fata perimen; nec erunt valentiora quàm consilium meum, quod majus est vinculum ad per- « petuitatem vestram, quam illa quibus estis colligati? « Totum ad voluntatem suam redegit Deus, qui potest & quod impossibile est. Nam quid est aliud, Non potestis esse immortales, sed ut non moriamini ego facio; nisi & quod fieri non potest ego facio?

De civit. Dei lib. 22 c. 26. In superiore Sermone n. 8.

Caput VI. Corporum ordo ex diversitate ponderum.

8. Volo tamen aliquid etiam de diversitate ponderum disputare. Rogo te, dic mihi, Terra terra est, Aqua aqua est, Aër aër est, Æther id est cælum, & ignis ille liquidus cælum est. Quatuor nempe ista quasi [b] gradatim construxerunt & ædificaverunt mundum, hoc est, ex his quatuor ædificatus est mundus. Quære quid in imo sit, terra est: quid desuper, aqua est: quid super aquam, aër est: quid super aërem, cælum

[a] Sic MSS. At editi, *Quomodo tu homo anima es & corpus, & sicut anima & corpus unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* Sed Verbum &c.

[b] Sic aliquot MSS. Alii verò cum editis *ista gravida.*

Classis II.

est, æther est. Quid corpora solida quæ tenentur atque tractantur? Non humida dico, quæ labuntur & fluunt; corpora dico tractabilia, unde sunt? Terræ deputanda sunt, an aquæ, an aëri, an ætheri? Responsurus es, Terræ. Terrenum ergo corpus est lignum? Planè terrenum. In terra nascitur, in terra alitur, in terra crescit. Tractabile est, non fluxibile. Redi mecum ad illum ordinem ponderum. Terra in fundamento est: ordinem sequere. Quid super terram? Aqua. Quare lignum natat super aquam? Terrenum est corpus: si revoces ad illum ordinem ponderum, sub aqua esse debuit, non supra. Invenimus inter terram & lignum aquam mediam: subtèr terram, supèr aquam, & super aquam iterum terram, quando quidem lignum terra est. Perdidisti illum ordinem, tene fidem. Ergo terrena corpora inventa sunt super elementum, quod secundum est in ordine elementorum, quando natant ligna, neque merguntur.

Terrenum corpus cōtra ponderum ordinem super aquam.

Caput VII.

Plumbum super aquã.

9. Adtende aliud, quod plus mireris. Corpora ipsa gravissima, & tamen terrena, quæ mox ut dimissa fuerint super aquam, continuò demerguntur, & ad ima profunda perveniunt, sicut est ferrum, postremò sicut est plumbum. Quid enim plumbo gravius? Accedit tamen manus artificis ad plumbum, facit inde aliquod vas concavum, & natat plumbum super aquam. Ergone non dabit Deus corpori meo, quod dat artifex plumbo? Deinde aquam ipsam ubi ponitis? Redite ad ordinem elementorum. Certè respondebitis, quòd aqua sit super terram. Quare ergo antequam currant in terra, pendent in nubibus flumina?

Corporum graviorum celerior quorumdam motus.

10. Revoca inde considerationem tuam & cogitationem ad ea quæ dicturus sum, si Domino adjuvante potuero. Quid faciliùs movetur, quid velociùs agitatur, gravius corpus, an levius? Quis non respondeat, Levius? Leviora enim corpora faciliùs moventur, velociùs aguntur: graviora difficiliùs atque tardiùs. Certè regulam fixisti, certè considerasti, & circumspectis omnibus respondisti, quia faciliùs moventur & velociùs aguntur corpora leviora, quàm graviora. Ita est, dicis. Responde ergo mihi. Quare levissima aranea tardè se movet, & gravis equus velociter currit? De ipsis hominibus loquar: majus corpus hominis gravius est; brevius corpus quod minus habet ponderis, levius est. Ita verò est, sed si alius portet. Si autem ipse homo corpus suum portet, validus currit, macer languore vix ambulat. Appende macrum & robustum hominem; illum languore vix paucas libellas appendentem, illum salubritate corporis multa pondo in carne sua gerentem: tenta tu ambos tollere; gravis est validus, levis est macilentus. Recedat portator, appareat ambulator; ipsos dimitte sibi, agant corpora sua: video macrum vix passum moventem, video validum robustumque currentem. * Si hoc valet sanitas, immortalitas quid valebit?

Caput VIII.

Corpora spiritalia post resurrectionem, unde dicta.

11. Dabit ergo Deus miram facilitatem, miram levitatem. Non sine caussa illa corpora spiritalia nuncupata sunt. Non ideo dicta sunt spiritalia, quia erunt spiritus, non corpora. Nam ista quæ modò habemus, dicuntur animalia corpora: & tamen animæ non sunt, sed corpora. Quomodo nunc ista animalia dicuntur, & animæ non sunt: sic illa spiritalia dicuntur, sed non sunt spiritus, quia corpora erunt. Quare dicitur spiritale corpus, Carissimi, nisi quia ad nutum spiritûs serviet? Nihil tibi contradicet ex te, nihil in te rebellabit adversùs te. Non ibi erit quod Apostolus gemit, *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem.* Gal. 5. 17. Non ibi erit, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7. 23. Hæc bella non ibi erunt: pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Ubi volueris, eris: sed à Deo non recedes. Ubi volueris, eris: sed quocumque ieris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris.

Resurrectionis promissio tot aliis Dei promissionibus jam impletis confirmatur.

12. Nemo ergo fallat, nemo argumentetur, nemo sua suspicione deliret: quod nobis promisit Deus, venturum esse certissimè teneamus. Quando videbatur Christus, Fratres mei, quando spiritus putabatur, ut se corpus esse persuaderet, non solùm præbebat oculis videndum, sed etiam manibus contrectandum. Quibus ad exhibendam fidei veritatem in corpore, dignatus est etiam non necessitate, sed potestate cibum sumere: tamen adhuc illis præ gaudio [a] trepidantibus, firmamentum cordis adhibuit de sanctis Scripturis; & ait illis, *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum*, sicut Evangelium loquitur, quod modò lectum est, *ut intelligerent Scripturas; & dixit eis, Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem.* Luca 24. 44. &c. Illud non vidimus, sed hoc videmus. Quando ista promittebantur, nondum videbantur. Apostoli Christum præsentem videbant: sed toto orbe terrarum diffusam Ecclesiam non videbant: videbant caput, & de corpore credebant. Habemus vices nostras, habemus gratiam dispensationis & distributionis nostræ: ad credendum certissimis documentis, tempora nobis in una fide sunt distributa. Illi videbant caput, & credebant de corpore: nos videmus corpus, credamus de capite.

* SERMO CCXLIII.

Alias de Diversis 6.

In diebus Paschalibus, XIV.

De resurrectione Domini secundùm Iohannem, in illud cap. 20. Noli [b] me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum. *Et de membrorum usu post resurrectionem.*

Caput I.

Difficultas in verbis Domini nolentis se à Maria tangi ante adscensionem.

1. NARRATIO resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundùm Evangelistam Johannem hodie legi cœpit. Hoc enim scitis, & commendaveram vobis, secundùm omnes quatuor Evangelistas istis diebus resurrectionem Domini recitari. In his ergo quæ audivimus, illud tantùm solet movere, quare dixerit Dominus Jesus mulieri quærenti corpus ejus, & eum jam vivum agnoscenti, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum.* Johan. 20. 17. Dixi

[a] Aliquot MSS. *titubantibus.*

[b] Hunc locum ab Augustino tractatum ad plebem testatur Possidius in Indiculo c. 8.

CLASSIS II. autem vobis, & meminisse debetis, non omnia omnes dicere; sed dici ab aliis, quæ ab aliis prætermissa sunt. Non tamen ita, ut inter se repugnare credendi sint, si absit contentio, & adsit pietas intelligentis. Nam sicut legitur apud Evangelistam Matthæum, postea quàm resurrexit, occurrit duabus mulieribus, in quibus & ista erat; Matth. 28. 9. & dixit eis, *Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum:* & utique ad Patrem nondum adscenderat. Quomodo ergo huic nunc dicitur, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum?* Sic enim verba ista videntur sonare, quasi tunc eum posset tangere Maria, quando adscendisset in cælum. Si in terra positum non tangit, in cælo sedentem quis mortalium potest tangere?

CAPUT II. Tangere Christum quid. 2. Sed ille tactus fidem significat. Tangit Christum, qui credit in Christum. Nam & illa mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, dixit apud Matth. 9. 21. se ipsam, *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Fide tetigit, & sanitas subsecuta est, quam præsumsit. Denique ut nossemus quid sit verè tangere, Dominus continuò dixit discipulis suis, *Quis me tetigit?* Et dixerunt discipuli, Luca 8. 45. & 46. *Turbæ te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit?* Et ille, *Tetigit me aliquis.* Quasi dicens, Turba premit, fides tangit. Videtur ergo ista Maria, cui dixit Dominus, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum*, Ecclesiæ gestare personam, quæ tunc in Christum credidit, cùm adscendisset ad Patrem. Ecce vos interrogo, quando credidistis; interrogo Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam, cujus persona erat in una femina: & una voce mihi respondet, Tunc credidi, cùm Jesus adscendisset ad Patrem. Quid est, Tunc credidi, nisi tunc tetigi? Multi carnales Christum tantummodo hominem putaverunt, divinitatem in illo latentem non intellexerunt. Non bene tetigerunt, quia non bene crediderunt. Vis bene tangere? Intellige Christum ubi est Patri coæternus, & tetigisti. Si autem hominem putas, & nihil ampliùs putas, tibi nondum adscendit ad Patrem.

CAPUT III. Difficultas de usu membrorũ post resurrectionem. 3. Adhibuit ergo Dominus Jesus speciem corporis sui humanis sensibus, ad confirmandam carnis resurrectionem. Nihil nos aliud docere voluit, ostendendo se vivum in corpore post resurrectionem suam, nisi ut credatur à nobis resurrectio mortuorum. Cùm ergo integra instauranda sint omnia, quæri solet ab eis qui scire desiderant, & rursus proponi solet ab eis qui litigare desiderant, quæstio difficilis de usu membrorum. Dicunt enim, corpus nostrum habere omnia membra sua, & apparere quæ membra quibus sint operibus necessaria. Quis enim nesciat, quis non videat, ad videndum nos habere oculos, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, nares ad olfaciendum, dentes ad mandendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum; illa etiam membra quæ pudenda dicuntur, ad generandum? Porrò autem interiora etiam viscera, quæ ne horrerent adspectibus, voluit Deus esse contecta; interiora nostra & intestina quæ dicuntur, ad quos usus valeant, & multi hominum, & meliùs medici cognoverunt. Argumentantur ergo & dicunt nobis, Si aures habebimus ut audiamus, oculos ut videamus, linguam ut loquamur; dentes quare habebimus, si non manducabimus, fauces, pulmones, stomachum, intestina quà cibi transeunt, & pro nostræ valetudinis temperie commutantur; postremò illa ipsa membra quæ vocantur pudenda, quare, inquiunt, habebimus, ubi nulla erit generatio, nulla digestio?

CAPUT IV. Membra corporis erũt aut ad usum, aut ad speciem. 4. Quid eis respondeamus? Nunquidnam dicturi sumus sine intestinis nos resurrecturos, ad similitudinem statuarum? Nam de dentibus facilè respondetur. Dentes enim non tantùm nos adjuvant ad mandendum, verùm etiam ad loquendum; sicut plectrum nervos, sic linguam nostram, ut syllabas sonet, percutientes. Cetera ergo membra nostra erunt ad speciem, non ad usum; ad commendationem pulcritudinis, non ad indigentiam necessitatis. Numquid quia vacabunt, ideo indecora erunt? Et quidem nunc quia imperiti sumus, & caussas rerum ignoramus, si videantur interiora nostra, horrentur potiùs quàm diliguntur. Quis enim novit, quemadmodum sibi invicem connexa sint membra, & Harmonia membrorum. quibus numeris coaptata? Unde vocatur etiam harmonia; quod verbum dictum est de Musica: ubi videmus certè in cithara nervos distentos. Si omnes nervi similiter sonent, nulla est cantilena. Diversa distentio diversos edit sonos: sed diversi soni ratione conjuncti, pariunt, non videntibus pulcritudinem, sed audientibus suavitatem. Istam rationem quisquis in membris humanis didicerit, tantùm miratur, tantùm delectatur, ut omni visibili pulcritudini ista ratio ab intelligentibus præferatur. Modò eam nescimus; sed tunc sciemus: non quia nudabuntur, sed quia etiam cooperta latére non poterunt.

CAPUT V. Nec interiora membra, nec ipsa corda latebunt post resurrectionem. 5. Respondebit mihi aliquis, & dicet, Quomodo si cooperta erunt, latére non poterunt? Corda nostra non latebunt, & viscera latebunt? Cogitationes, Fratres mei, cogitationes quas modò non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate sanctorum. Nemo ibi vult tectum esse quod cogitat, quia nemo ibi malè cogitat. Unde ait Apostolus, *Nolite ante tempus* 1. Cor. 4. 5. *quidquam judicare:* id est, ne temere judicetis, quod non videtis quo corde quis faciat. Si aliquid fit, quod & bono corde fieri potest, noli reprehendere: noli tibi amplius quàm humanitas exigit usurpare. Cor videre, Dei est: hominum autem non est, nisi de his quæ manifesta sunt judicare. *Nolite ergo*, inquit, *ante tempus quidquam judicare.* Quid est *ante tempus?* Sequitur, & dicit: *Donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum.* Quas dixerit tenebras, consequentibus verbis evidenter ostendit: *illuminet*, inquit, *abscondita tenebrarum.* Quid est hoc? Audi quod sequitur: *Et manifestabit cogitationes cordis.* Hoc est illuminare abscondita tenebrarum, manifestas facere cogitationes cordis. Modò ergo cogitationes nostræ nobis ipsis, singulis quibusque in luce sunt, quia novimus eas: sed proximis nostris in tenebris sunt, quia non vident eas. Ibi quod nosti te cogitare, & alter sciturus est. Quid times? Modò vis abscondere, modò times publicari cogitationes tuas: fortè enim aliquid mali aliquando cogitas, fortè aliquid turpe, fortè aliquid vanum. Nihil ibi nisi bonum, nihil nisi honestum, nihil nisi verum, nihil nisi purum, nihil nisi sincerum quando ibi fueris cogitabis. Quomodo vis videri modò faciem tuam, sic tunc voles videri conscientiam tuam. * Nam *CAPUT VI.

Classis II.

Omnes invicem noti erunt.

& ipsa agnitio, Carissimi, ipsa agnitio nonne A omnium nostrûm erit? Putatis quia me cognituri estis, ideo quia me nostis, & patrem meum non estis cognituri, quem non nostis, aut nescio quem episcopum, qui ante multos annos in hac Ecclesia fuit? Omnes noscetis. Qui ibi erunt, non ideo se agnoscent, quia facies videbunt: majori notitiâ ibi erit invicem agnitio. Sic videbunt omnes, & multò excellentiùs, quomodo hîc solent videre Prophetæ. Divinè videbunt, quando Deo pleni erunt. Nec quod offendat erit, nec B quod lateat cognitorem.

Membra alia ad usum, alia ad decorē.

6. Erunt ergo ibi membra integra, etiam quæ hîc pudenda sunt, sed ibi pudenda non erunt. Non ibi erit sollicitum integritatis decus, ubi non erit libidinis dedecus. Ecce etiam hîc, ubi omnium quodam modo nostrorum operum necessitas mater est, quæ necessitas tunc non erit, tamen invenimus aliqua quæ Deus posuit in corporibus ad nullos usus, sed ad solum decus. * Jam dudum per membra currebam: & nunc ea paulò diligentiùs retexamus. Oculos habemus ad videndum, aures ad audiendum, nares ad olfaciendum, os & linguam ad loquendum, dentes ad mandendum, guttur ad vorandum, stomachum ad suscipiendum & coquendum, intestina ad trajiciendos cibos ad ima, & illa quæ pudenda appellantur, vel ad egestionem, vel ad generationem: ad operandum manus, ad ambulandum pedes. Barbæ quis usus, nisi sola est pulcritudo? Quare Deus barbam creavit in homine? Speciem D video, usum non quæro. Apparet feminæ quare habeant ubera, utique ut parvulos lactent: mammillas viri quare habent? Interroga usum, nullus est: interroga speciem, decet mammillatum pectus & viros. Virili pectori mammillas detrahe, & vide quantam pulcritudinem demseris, quantam ingesseris fœditatem.

*Caput VII.

Caput VIII. In beatorū corporibus pulcritudo erit omnibus numeris absoluta.

7. Sic ergo, Carissimi, sic credite, sic tenete, multorum membrorum ibi usum non futurum, sed decus nullius defuturum. Nihil indecorum E erit ibi, summa pax erit, nihil discordans, nihil monstruosum, nihil quod offendat adspectum, in omnibus Deus laudabitur. Nam si nunc in ista infirmitate carnis & tenera operatione membrorum apparet tanta corporis pulcritudo, quæ illicit libidinosos, & ad quærendum excitat sive studiosos sive curiosos; & si inveniatur in corpore ratio numerorum, non alius artifex horum, alius invenitur esse cælorum, sed idem ipse [a] creator infimorum atque summorum: quantò ma- F gis ibi, ubi erit libido nulla, nulla corruptio, nulla deformis pravitas, nulla ærumnosa necessitas, sed interminata æternitas, pulcra veritas, summa felicitas?

Beatorum actio quænam erit.

8. Sed dicis mihi, Quid acturus sum? Usus membrorum ibi non erit, quid acturus sum? Nulla actio tibi videtur stare, videre, amare, laudare? * Ecce dies isti sancti, qui post resurrectionem Domini celebrantur, significant futuram vitam post resurrectionem nostram. Sicut enim G Quadragesimæ dies ante Pascha significaverunt laboriosam vitam in hac ærumna mortali: sic isti dies læti significant futuram vitam, ubi erimus cum Domino regnaturi. Vita quæ significatur Quadragesimâ ante Pascha, modò habetur: vita quæ significatur quinquaginta diebus post re-

*Caput IX. Quadragesima ante Pascha & quinquaginta dies post Pascha.

surrectionem Domini, non habetur, sed speratur, & sperando amatur; & in ipso amore Deus qui promisit ista, laudatur, & ipsæ laudes Halleluia sunt. Quid est enim Halleluia? Verbum est Hebræum, Halleluia, Laudate Deum. Hallelu, Laudate; ia, Deum: Halleluia ergo laudate Deum sonamus, & invicem nos excitamus ad laudandum Deum: concordibus cordibus meliùs quàm citharæ chordis, dicimus laudes Deo, cantamus Halleluia. Et cùm cantaverimus, propter infirmitatem recedimus, ut corpora reficiamus. Quare reficimus, nisi quia deficimus? Deinde tanta est infirmitas carnis, tanta hujus vitæ molestia, ut quælibet magna res veniat in fastidium. Quomodo desideravimus istos dies ad annum venturos, cùm modò abirent; & quanta aviditate ad illos venimus per temporis intervallum? Si diceretur nobis, Sine cessatione dicite Halleluia, excusaremus. Quare excusaremus? Quia lassi non possemus, quia & ad ipsum bonum fastidio fatiga- C remur. Ibi nullus defectus, nulla fastidia. State, laudate, *qui statis in domo Domini, in atriis domûs Dei nostri.* Quid quæris, quid ibi facturus sis? *Beati*, ait, *qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Serm. de Tempore

Halleluia.

In futura vita laus Dei sine cessatione, sine fastidio.

Psal. 133. 1.

Psal. 83. 5.

* SERMO CCXLIV.

In diebus Paschalibus, XV.

De [b] eadem lectione Evangelii Johan. 20.

* Aliàs 17. ex Sirmondianis. b

1. EX Evangelio secundùm Johannem resurrectio Domini cœpit hodie recitari. Audivimus, & fidei oculis vidimus erga Dominum Jesum piæ mulieris affectum. Quærebat Jesum, sed tamen adhuc tamquam corpus requirebat hominis mortui, & diligebat tamen tamquam magistrum bonum. Non intelligebat eum resurrexisse à mortuis, non credebat; & quòd à monumento remotum lapidem vidit, credens ablatum inde corpus quod quærebat, nuntiavit discipulis rem dolendam. Cucurrerunt duo, quorum unus erat Petrus, alius Johannes. Ipse est enim quem diligebat Jesus, utique præ ceteris: nam omnes ut Dominus diligebat. Cucurrerunt, ut viderent utrùm verum diceret mulier, sublatum esse corpus de monumento. Venerunt, adtenderunt, non invenerunt corpus, & crediderunt. Sed quid crediderunt? Quod credere non debuerunt. Quando ergo audistis, *Et crediderunt*, fortè putastis eos credidisse quod credere debuerunt, hoc est, resurrexisse Dominum à mortuis. Non hoc crediderunt, sed quod nuntiaverat mulier. Denique ut sciatis hoc eos credidisse, subjecit mox Evangelista, & ait, *Nondum enim noverant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Ubi est fides? ubi est totiens veritas contestata? Nonne eis ipse Dominus Jesus ante passionem aliquotiens dixit tradendum se esse, occidendum, & resurrecturum? Loquebatur adhuc surdis. Jam Petrus ei dixerat, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Jam audierat, *Beatus es Simon Barjona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.* Talis fides Domino crucifixo absorpta est. Tamdiu enim Petrus Filium

Resurrectionem Christi nec Magdalena credebat, nec Apostoli.

Et Johan. 20. 8.

Ibidem 9.

Matth. 16. 17. & 18.

Fides Petri passo Domino absorpta.

[a] Sic aliquot MSS. At editi loco *creator*, habent *laudatur*.

[b] Citat Florus ad Philip. 2.

CLASSIS II. Dei credidit, donec videret in ligno pendentem, donec videret clavis affixum, donec videret mortuum, donec videret sepultum. Tunc perdidit quod tenebat. Ubi petra? ubi firmitas petræ? Petra erat ipse Christus, ille autem à petra Petrus. Ideo surrexerat petra, ut firmaret Petrum: nam perierat Petrus, nisi viveret petra.

Christus agnoscitur à Magdalena.

2. Postea tamen, quando Dominus dixit mulieri, *Maria*, conversa agnovit eum, & appellavit magistrum, *Raboni*. (*Johan. 20. 16.*) Manifestata est huic mulieri resurrectio Domini. Quid sibi ergo vult, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum?* (*Ibidem 17.*) Quæstio mirabilis multis modis.

Difficultas in verbis Domini ad Magdalenam.

Primò quia vetuit se tangi, quasi malè posset tangi à tangente. Deinde quia rationem reddens quare se tangi noluerit & prohibuerit, ait, *Nondum enim adscendi ad Patrem meum*: quasi diceret, Tunc me tanges, cùm adscendero ad Patrem meum. In terra positum tangere prohibebatur, & eum tangere poterat in cælo sedentem? Dixeram enim, Quid est, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum?* Plus addo: Quando resurrexit, sicut & ipse dicit, & alii Evangelistæ, & audivimus jam, cùm lectiones sanctæ legerentur, apparuit discipulis suis; & cùm spiritum eum putarent, ait illis, *Quid turbati estis, & quare cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos. Palpate, & videte.* (*Lucæ 24. 38.*) Numquid jam adscenderat? Nondum adscenderat ad Patrem suum, & dixit discipulis suis, *Palpate, & videte*. Ubi est, *Noli me tangere?* Hìc fortè aliquis dicturus est, Tangi à viris voluit, à mulieribus noluit. Si feminam horreret, non nasceretur ex femina. Verumtamen quidquid hoc est quod potest facere qualemcumque quæstionem, ut dicatur Dominum se, antequam ad Patrem adscenderet, à viris tangi voluisse, à mulieribus noluisse; ait Evangelista Matthæus. (*Matth. 28. 9.*) Ipse enim narravit, occurrisse mulieres Domino resurgenti, in quibus erat & ipsa Maria, & tenuisse pedes ejus. Coartata est quæstio multis modis, quid sibi velit, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum*. Totum quidquid locutus sum, ad hoc locutus sum, ut quæstionis difficultas augeretur: videtis validam, & quasi insolubilem. Adjuvet me Dominus, ut solvatur. Qui dignatus est eam proponere, dignetur exponere. Orate mecum effectum: ad me aures, ad illum cor. Quod mihi suggerere dignatur, communicabo vobis. Qui melius intelligit, doceat me: sic doctor sum, ut indocilis non sim. Qui autem melius non intelligit, quod intelligit audiat à me.

Discipulorum de Christo fides ante resurrectionem qualis erat.

3. Dominum Jesum, sicut audivimus, sicut apparet, hominem putabant discipuli, & secundùm hoc fidem suam librabant: altiùs non erigebant. In terra cum Christo ambulabant. Quod factus erat propter nos, hoc noverant: quod nos fecit, non noverant. Ipse est Christus & factor, & factus. Vide factorem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* (*Johan. 1. 1. & c.*) Vide factum: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. (*Ibidem 14.*) Videmus ergo Jesum, sed prædicata jam nobis fide Apostolorum. Quod nos novimus, illi nondum noverant. Non facio

A injuriam. Non audeo dicere ignorantes: sed tamen video ignorantiam confitentes. Non noverant, postea didicerunt; quod jam nos novimus. Christum & Deum & hominem, Christum & factorem rerum & factum in rebus, Christum & creatorem hominis & creatum hominem; nos novimus, illi nondum. Deus Christus æqualis est Patri: tantus est, quantus ille; talis est, qualis ille: hoc est quod ille; non hic est, qui ille. Hoc est quod ille; quia ille Deus, & ille Deus; (*De Christo quid credendum.*)

B ille omnipotens, & ille omnipotens; ille immutabilis; & ille immutabilis: hoc est quod ille. Non hic est, qui ille; quia ille Pater, hic Filius. Hoc quicumque novit, illi adscendit ad Patrem: qui hoc non novit, nondum illi adscendit Christus ad Patrem; parvulus cum illo est, in terra cum illo est, æqualis omnipotenti nondum illi est. Proficienti adscendit, cum illo qui proficit adscendit. Quid est ergo, *Noli me tangere?* Tactus fidem significat. Tangendo enim acceditur ad (*Tangere Christum, est in ipsũ credere.*)

C eum, qui tangitur. Mulierem illam videte, quæ fluxum sanguinis patiebatur. Dixit in corde suo, *Sanabor, si tetigero fimbriam vestimenti ejus*. (*Matth. 9. 21.*) Accessit & tetigit, sanata est. Quid est, accessit & tetigit? Propinquavit & credidit. Ut sciatis eam credendo tetigisse, Dominus dixit, *Tetigit me aliquis*. (*Lucæ 8. 45. & 46*) Quid est, *Tetigit me*, nisi credidit in me? Et ut noveritis hoc esse *Tetigit me*, quod est credidit in me; *Responderunt discipuli, & dixerunt ei, Turbæ te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit?* Si solus am-

D bulares, si spatium tibi ambulandi turba fecisset, si nemo juxta te esset, bene diceres, *Tetigit me aliquis*. Turba premit te, tu unum tangentem commemoras. Et ille repetiit, *Tetigit me aliquis*. Priùs enim dixerat, *Quis me tetigit?* & postea, *Tetigit me aliquis*. [a] Nostis, quia dicitis, *Turbæ te comprimunt. Tetigit me aliquis*. Turba ista premere novit, tangere non novit. Constat hoc eum significare voluisse dicendo, *Quis me tetigit? Tetigit me aliquis*. Ut illum tactum fidem creda-

E mus esse tangentis, vel potiùs credentis accessum. Quid sibi ergo vult, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum?* Quod me vides, hoc me putas: *nondum adscendi ad Patrem*. Hominem me vides, hominem me putas: sum quidem homo, sed non hìc stet fides tua. Noli me sic tangere, ut hominem tantummodo credas. *Nondum enim adscendi ad Patrem meum*. Adscendo ad Patrem meum, & tange me: id est, profice, intellige me æqualem Patri; & tunc (*Fidei tactũ qualem exigat Christus.*)

F tange; & salva eris. *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum*. Quòd descendi vides, quòd adscendi nondum vides. *Nondum enim adscendi ad Patrem meum*. Memetipsum exinanivi *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. (*Philip. 2. 7.*) Hoc crucifixum est, hoc sepultum, hoc resuscitatum. Illud autem, *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*, (*Ibidem 6.*) nondum vides. Quòd adscendi nondum vides. Noli tan-

G gendo terram, cælum perdere: noli remanendo in homine, in Deum non credere. *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem.*

Ariani & Photiniani Christum recta fide non tangunt.

4. Procedat Arianus: priùs procedat Photinianus. [b] Respondemus Photiniano, Noli tan-

[a] Sirmondus, *Nescitis*: diffidentibus omnibus MSS.

[b] Hoc loco apud Florum additur, *Hæretici qui Dominum Jesum nisi hominem omnino non noverunt, Homuncionistæ dicuntur. Isti, inquam, hæretici Homuncionistæ dicuntur, quia Christum nonnisi hominem credunt*: quæ verba absunt ab omnibus exemplaribus hujus Sermonis.

CLASSIS II.

gere. Quid est, Noli tangere? Noli sic credere: nondum tibi Christus adscendit ad Patrem. Procedat Arianus. Ego, inquit, Deum credo Christum, sed minorem. Nec tibi adhuc adscendit ad Patrem. Cùm adscenderit ad Patrem, extende te, ut tangas: extende te, tange Deum. Et ego, inquit, Deum profiteor; sed alterius naturæ, & alterius substantiæ; creatum, non per quem creata sunt omnia; factum, non in principio Verbum sine tempore. Adhuc ergo infrà es; nondum tibi adscendit ad Patrem. Vis adscendat tibi ad Patrem? Crede *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Rapina non erat, quia natura erat. Rapina usurpatur, natura cognoscitur. *In forma Dei non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Sic est natus, & semper natus; & natus, & semper natus, & sine initio natus. Tu quid dicis, Ariane? Erat tempus, quando non erat Filius. Vides quia nondum tibi adscendit ad Patrem? Noli tangere, noli sic credere. Non est tempus inter Patrem & Filium. Genuit Pater, natus est Filius: sine tempore ille genuit, sine tempore natus est, per quem facta sunt tempora. Sic tange, & adscendit tibi ad Patrem. Verbum, sed coæternum Deo: Sapientia Dei, sed sine qua numquam Pater fuit. Respondere tibi habet caro tua, & confabulatura tecum, dictura tibi in tenebris, Quomodo natus is fuit? Tenebræ tecum loquuntur. Exponatur mihi, clamas: clamo, exponatur mihi. Quid tibi vis exponatur? Natus est, an non natus? Non enim esset Filius, nisi natus. Si ergo natus est, fuit tempus quando non erat. Falsum est hoc: terra loqueris, de terra loqueris. Expone ergo mihi, ait, quomodo natus, si semper fuit. Non expono, non expono; non possum. Non expono: sed pro me Prophetam oppono,

Isai. 53. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?*

**Aliàs de Tempore 155.*

* SERMO CCXLV.

In diebus Paschalibus, XVI.

De eadem lectione Evangelii Iohan. 20.

CAPUT I. 1. ET hodie resurrectio Domini recitata est de sancto Evangelio. Lectum est autem Evangelium secundùm Johannem. Audivimus quæ in aliis libris Evangelii non audieramus. Omnibus quidem communis est prædicatio veritatis, & de uno fonte omnes biberunt: sed in prædicatione Evangelii, sicut sæpe commonui Caritatem Vestram, alia omnes, alia tres, alia duo, alia singuli posuerunt. Modò ergo quod audivimus secundùm Johannis Evangelium, quia Maria vidit Dominum, & dixit ad eam Dominus, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem*, solus Evangelista Johannes commemorat. Hinc ergo loquendum est Sanctitati Vestræ. Visis etiam linteaminibus in sepulcro, Dominum non resurrexisse crediderant, sed ablatum esse. Ipse Johannes, (se ipsum enim dicit, *quem diligebat Iesus*,) cùm audisset nuntiantibus mulieribus & dicentibus, *Tulerunt Dominum meum de monumento*, cucurrit cum Petro, & adtendit in monumentum, vidit sola linteamina, & credidit. Quid credidit? Non quia resurrexerat, sed quia de monumento perierat. Hoc sequentia verba testantur. Sic enim scriptum est, quod

Johan. 20. 17.

Christum resurrexisse non credebant Apostoli.

Ibidem 2.

A modò audivimus: *Adtendit, vidit, & credidit: nondum enim sciebat Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Apparuit ergo quid credidit: quod fidei non erat, hoc credidit: credidit, sed falsum credidit. Apparuit ei postea Dominus, fugavit falsum, inseruit verum.

SERM. DE TEMPORE.

Ibid. 8. & 9.

CAPUT II.

Difficultas in Christi verbis ad Magdalenam.

2. Tamen illud quod solet movere lectorem & auditorem non incuriosum neque negligentem, quomodo sit dictum, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem*: hîc videamus, Do- B mino ipso adjuvante, quid dictum sit. Movet enim hoc, quid est, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem.* Quando enim adscendit ad Patrem? Sicut indicant Actus Apostolorum, quadragesimo die post resurrectionem suam, quem diem in nomine ipsius celebraturi sumus: tunc adscendit ad Patrem; tunc eum discipuli qui manibus tetigerunt, oculis deduxerunt. Tunc insonuit Angelica vox, *Viri Galilæi, quid statis, intuentes in cælum? Hic Iesus qui assumtus est à vo-* C *bis, sic veniet quomodo eum vidistis euntem in cælum.* Si ergo tunc adscendit ad Patrem, quid dicimus, Fratres mei? Maria non poterat eum tangere in terra stantem, & poterat tangere in cælo sedentem? Si hîc non poterat, quantò minùs poterat ibi? Quid est ergo, *Noli me tangere, non enim adscendi ad Patrem?* Sic enim sonant verba, tamquam diceret, Tunc me tange, cùm adscendero; antequam adscendam, noli me tangere. O Domine, hîc es, & non tango; cùm D adscenderis, tangam? Deinde si antequam ad Patrem adscenderet, tactum horrebat humanum, quomodo se discipulis non solùm videndum, sed etiam contrectandum præbuit, quando dixit, *Quid cogitatis in cordibus vestris? Videte manus meas & pedes meos: palpate, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Incredulus etiam ille discipulus Thomas tetigit latus perforatum, & exclamavit, *Dominus meus & Deus meus.* Quando tetigit, nondum E adscenderat Jesus ad Patrem. An fortè aliquis insipiens dixerit, Antequam ad Patrem adscenderet, viri eum poterant tangere, mulieres autem non poterant, nisi cùm ad Patrem adscenderet? Absurda est ista cogitatio, & perversa sententia. Prorsus quod audivit Maria, audiat Ecclesia. Hoc omnes audiant, omnes intelligant, omnes faciant. Quid ergo est, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem?* Quòd me vides, hominem solum putas, Patri æqualem esse adhuc F nescis: noli me tangere talem, noli in hominem solum credere, sed Verbum æquale genitori intellige. Quid ergo est, *Noli me tangere?* Noli credere. Quid noli credere? Quia hoc solum sum quod vides. Adscendam ad Patrem, & tunc tange. Tibi adscendo, quando intellexeris æqualem. Quando enim me putas minorem, nondum adscendo tibi.

Act. 1.

Luca 24. 38. &c.

Johan. 20. 28.

Noli tangere, id est, noli hominem tantùm credere.

CAPUT III.

3. Tangere autem, credere esse, puto quia facilè possumus intelligere de illa muliere, quæ G tetigit fimbriam vestimenti Christi, & salva facta est. Recordamini Evangelium: Dominus Jesus Christus ibat ad visitandam Archisynagogi filiam, quæ primò nuntiata fuit infirma, postea mortua. Illo pergente, ecce mulier de transverso venit, quæ fluxu sanguinis laborabat per duodecim annos, & in medicis frustra curantibus & non sanantibus, omnia sua consumserat: dixitque in

Classis II. corde suo, *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* *Matth. 9. 21.* Hoc ipsum dicere, jam tangere fuit. Denique audi sententiam: cùm salva facta esset secundùm fidem suam, ait Dominus Jesus Christus, *Lucæ 8. 45. & 46.* *Tetigit me aliquis.* Et discipuli, *Turbæ te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit?* Et ille, *Tetigit me aliquis; nam ego scio virtutem exiisse de me.* Gratia processit, ut illa sanaretur, non ut ille minueretur. Dicunt ergo discipuli, Premunt te turbæ, & tu unum aut unam sensisti? Et ille, *Tetigit me aliquis*: illi premunt, ista tetigit. Quid est, illi premunt, ista tetigit? Judæi affligunt; Ecclesia credidit.

Caput IV. Dominicorum verborum sensus. 4. Secundùm hunc ergo intellectum, quo videmus mulierem tetigisse, quod est credidisse, secundùm hoc dictum est ad Mariam, *Noli me tangere*: adscendam, & tange. Tunc enim tange, *Johan. 1. 1.* quando cognoveris, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Verbum quidem caro factum est, Verbum incontaminatum, immaculatum, immutabile manet, & integrum. Sed quia tu hominem solum vides, Verbum non vides; nolo credas in carnem, & relinquas Verbum. Totus Christus tibi appareat, quia æqualis est Patri in Verbo. Noli ergo, inquit, modò tangere: quia nondum vides qui sim. Ecclesia ergo, cujus figuram Maria gerebat, audiat quod audivit Maria. Tangamus omnes, si credamus. Jam adscendit ad Patrem, sedet ad dexteram Patris. Confitetur hoc hodie *In Symbolo.* universa Ecclesia: Adscendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Hoc audiunt qui baptizantur: hoc credunt antequam baptizentur. Quando ergo credunt, Maria tangit Christum. Intellectus obscurus, sed sanus: incredulis clausus, fide pulsanti est apertus. Ipse ergo Dominus Jesus Christus & ibi est, & nobiscum est; & cum Patre est, & in nobis est; & ab illo non recedit, & nos non deserit: & orare docet, ut magister; & cum Patre exaudit, ut Filius.

** Aliàs 19. ex Vignerianis.*

*SERMO CCXLVI.

In diebus Paschalibus; XVII.

De eadem lectione Evangelii Johan. 20.

1. Multis modis Dominus Jesus post resurrectionem apparuit fidelibus suis: habuerunt unde scriberent omnes *Evangelistarum sine falsitate varietas.* Evangelistæ, sicut eis subministrabat spiritus recordationis rerum, quas scriberent. Alius aliud dixit, alius aliud. Prætermittere aliquis potuit aliquid verum, non dicere aliquid falsum. Omnia ista computate unum dixisse: verè enim unus dixit, quia unus Spiritus in omnibus fuit. Hodie quid audivimus? Illud, quòd non credebant discipuli resurrexisse Jesum. Et non ei crediderunt, hoc ipsum antè prænuntianti. Res manifesta est, & propterea scripta est, ut Deo magnas gratias agamus, quia in eum credidimus, quem in terra non vidimus: illorum oculis & manibus vix persuasum est, quod nos credimus.

Discipuli credunt ablatum corpus Domini. Johan. 20. 8. & 9. 2. Audistis quia intravit in monumentum discipulus ejus, *& vidit linteamina posita, & credidit: nondum enim noverat Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Sic audistis, sic lectum est: *Vidit, & credidit; nondum enim noverat Scripturas.* Ergo debuit dici, Vidit, & non credidit; nondum enim noverat Scripturas. Quid ergo A est, *Vidit linteamina, & credidit?* Quid credidit? Quod dixerat mulier, *Tulerunt Dominum de monumento.* *Serm. de Tempore.* Si enim audistis, immo quia audistis, hoc dixerat illa mulier: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum.* *Ibidem 2.* Hoc audito cucurrerunt: & intravit in monumentum, vidit linteamina, & credidit quod dixerat mulier, ablatum esse Christum de monumento. Quare credidit ablatum esse & furatum Christum de monumento? quare? *Nondum enim noverat Scri-* B *pturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Intraverat, non invenerat. Resurrexisse eum credere debuit, non furatum esse.

3. Quid sibi ergo vult? Solemus vobis inde omni anno loqui. *Apparitio Christi Magdalenæ.* Sed lectio ipsa sollemniter legitur; & Sermo ipse sollemniter reddatur. Quare dixit Dominus Christus mulieri jam agnoscenti. Primò enim dixerat, *Quem quæris? quid ploras?* *Ibidem 15.* Illa autem putabat eum esse hortulanum. Et re vera; si consideres quomodò olera ip- C sius simus; hortulanus est Christus. Nonne est hortulanus, qui posuit granum sinapis in horto suo? id est, semen minimum & fervidum: & crevit & adscendit, & fecit arborem tantam, ut etiam volucres cæli requiescerent in ramis ejus. *Si habueritis*, ipse dicit, *fidem, sicut granum sinapis.* *Matth. 17. 19.* Modicum videtur granum sinapis, nihil contemtibilius adspectu; nihil fortius gustu. Quod quid est aliud, nisi maximus ardor & intima vis fidei in Ecclesia? Ergo meritò putavit eum hor- D tulanum; & ait illi, *Domine*, honorificentiæ caussâ: *Johan. 20. 15. &c.* quia beneficium petebat, ideo Dominum vocabat. *Si tu abstulisti eum*, inquit, *ostende mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Quasi diceret, Mihi necessarius est, tibi non. O mulier necessarium tibi putas mortuum Christum: vivum agnosce. Tu mortuum quæris: sed ipse tecum vivus loquitur. Nihil autem nobis mortuus prodesset, nisi à mortuis resurrexisset. Et qui quærebatur mortuus, vivum se ostendit. Quomodo vivum? Proprio E nomine ipsam appellavit: *Maria.* Et continuò illa nomine suo audito, *Raboni* respondit. Hortulanus enim potuit dicere, *Quem quæris? quid ploras? Maria*, non posset dicere nisi Dominus. Nomine ipse appellavit, qui ad regnum cælorum vocavit. Hoc nomen dixit, quod in libro suo ipse scripserat, *Maria.* Et illa, *Raboni*: quod est magister. Ipsum cognoverat, à quo ut cognosceretur illuminabatur: jam qui priùs hortulanus putabatur, Christus videbatur. Et Dominus ad illam, *Noli me* F *tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum.*

Quomodo intelligenda verba Christi ad Magdalenam. 4. Quid sibi hoc vult? *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad patrem meum.* Si non illum poterat tangere in terra stantem, poterat tangere in cælo sedentem? Tamquam diceret, Modò noli me tangere; tunc me tanges cùm adscendero ad Patrem. Recolat Caritas Vestra hesternam lectionem; quando apparuit discipulis Dominus, & putaverunt se spiritum videre: ille autem volens eis hunc tollere errorem, præbuit se G tangendum. Quid dixit? Heri lectum est: inde Sermo fuit. *Quid turbati estis*, inquit, *& cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos: palpate & videte.* *Lucæ 24. 38. & 39.* Numquid jam adscenderat ad Patrem, quando dicebat, *Palpate & videte?* Præbet se tangendum discipulis suis, non tangendum, sed palpandum, ut fides fiat veræ carnis, veri corporis, ut exhibea-

Classis II.

tur etiam tactibus humanis soliditas veritatis: præbet ergo se palpandum manibus discipulorum; & mulieri dicit, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum.* Quid sibi vult? Viri non potuerunt eum tangere nisi in terra, mulieres eum habebant tangere in cælo? Quid est ergo tangere, nisi credere? Fide enim tangimus Christum: & melius est manu non tangere, & fide tangere, quàm manu palpare, & fide non tangere. Non magnum fuit manu Christum tangere. Judæi tetigerunt quando comprehenderunt, tetigerunt quando ligaverunt, tetigerunt quando suspenderunt: tetigerunt, & malè tangendo, quod tetigerunt, perdiderunt. Tangendo fide, ô Ecclesia catholica, fides te salvam facit? Tu tantùm fide tange, id est, fideliter accede, & firmiter crede. Si Christum tantummodo hominem putaveris, in terra tetigisti. Si Christum Deum credideris æqualem Patri, tunc tetigisti quando adscendit ad Patrem. Ergo adscendit nobis, quando illum rectè intelligimus. Semel tunc illo in tempore adscendit, sed modò quotidie adscendit. O quàm multis necdum adscendit, & quàm multis adhuc in terra jacet? Quàm multi dicunt, Homo fuit magnus? Quàm multi dicunt, Propheta fuit? Quàm multi antichristi exstiterunt, qui dicerent, ut Photinus: Homo fuit, plus nihil habuit; sed omnes homines pios & sanctos excellentiâ sapientiæ & justitiæ superavit: nam Deus non fuit. O Photine, in terra tetigisti, festinasti tangere, [a] præcipitasti te: & ideo ad patriam non pervenisti, quia in via errasti.

Tangere fide.

Johan. 20. 17.

Cur Christus distinctè dicit, Patrem meum &c.

5. Deinde verba ipsius audiamus. *Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Quare non ad Patrem nostrum, & Deum nostrum; sed cum distinctione *Patrem meum & Patrem vestrum? Patrem meum,* quia unicus sum; *Patrem vestrum*, gratiâ, non naturâ. *Patrem meum*, quia hoc semper fui: *Patrem vestrum*, quia ego vos elegi. *Deum meum & Deum vestrum:* Unde Deus Christi Pater? Pater ejus, quia genuit eum: unde Deus ejus? Quia & creavit. Genuit eum Verbum unigenitum; creavit eum ex semine David secundùm carnem. Ergo & Pater Christi, & Deus Christi: Pater Christi, secundùm divinitatem; Deus Christi, secundùm infirmitatem. Audi unde Deus Christi; Psalmum interrogemus: *De ventre matris meæ*, inquit, *Deus meus es tu.* Ante ventrem matris meæ Pater meus, de ventre matris meæ Deus meus. Quare ergo & ibi distinctio, putà *Patrem meum & Patrem vestrum?* Est distinctio, quia aliter Pater unigeniti Filii, aliter Pater noster: illius Pater per naturam, noster per gratiam. Debuit ergo dicere, *ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum nostrum.* Quia Deus creaturæ, si sit Deus, & ideo Christi, quia & creatura Christus secundùm hominem: Pater Christi distinctè, quia creator Christus; Deus Christi, quare distinctè, cùm secundùm hominem creatura Christus, creatura & nos? Secundùm hominem Christus utique servus, *formam servi accipiens*, juxta Apostolum. Quare ergo *Deum meum & Deum vestrum* ibi distinctè? Distinctè planè. Nos enim omnes Deus noster per propaginem peccati formavit: ille & homo aliter factus est. Ille de virgine natus est: [b] illum mulier non concupiscendo, sed credendo concepit. Ille propaginem peccati ex Adam non traxit. Nos omnes per peccatum nati sumus: ille sine peccato natus est, qui peccata mundavit. Ergo & ibi distinctio, *Deum meum & Deum vestrum.* Ex semine enim creati estis, ex masculo & femina, ex concupiscentia carnis venistis cum propagine peccati, quibuscumque Scriptura dicit, *Quis mundus in conspectu tuo? Nec infans, cujus unius diei est vita super terram.* Denique cum infantibus curritur, ut solvatur illis quod non vivendo addiderunt, sed quod nascendo traxerunt. Non sic Christus. *Deum meum & Deum vestrum: Deum meum,* propter similitudinem carnis peccati; *Deum vestrum,* propter carnem peccati.

Psal. 21. 11.

Philip. 2. 7.

Serm. de Tempore.

Job. 14. 4. sec. LXX.

6. Huc usque de lectione Evangelica, quæ pertinet ad resurrectionem Domini, quam scripsit Johannes Evangelista, sermonem fecisse sufficerit: propterea quia legendæ erunt aliæ lectiones ipsius Evangelii Johannis de ipsa resurrectione Domini. Nemo enim de resurrectione ejus copiosiùs narravit quàm sanctus Johannes, ita ut uno die legi non possit: sed legitur & alio, legitur & tertio, quò usque finiatur quidquid & Johannes sanctus de Domini resurrectione scripsit.

SERMO CCXLVII.

In diebus Paschalibus, XVIII.

De alia lectione Evangelii Iohan. 20.

Augustino restitutus nunc primùm ex veteri codice PP. Cisterciensium S. Crucis in Ierusalem de Vrbe. Erat olim inter Sermones Fulgentii, sed novâ demum ipsius operum editione collocatur in suppostitiorum Appendice.

1. RESURRECTIO Domini nostri Jesu Christi secundùm veritatem quatuor Evangelistarum hesterno die videtur esse completa. Primo enim die lecta est resurrectio secundùm Matthæum, alio die secundùm Lucam, tertio secundùm Marcum, quarto, id est hesterno secundùm Johannem. Sed quoniam Johannes & Lucas de ipsa resurrectione & quæ contigerunt post resurrectionem, plurima scripserunt, quæ non possunt una lectione recitari; & herì audivimus aliquid secundùm Johannem, & hodie, & adhuc aliæ lectiones restant. Hodie ergo quid audivimus? Quia ipso die quo resurrexit, id est Dominico die, cùm serò factum esset, & essent discipuli in uno loco, & ostia clausa essent propter timorem Judæorum, apparuit Dominus in medio eorum. Ipso ergo die, sicut Evangelista Johannes testis est, bis apparuit discipulis suis, manè & serò. Ex eo quòd manè apparuit, etiam ipsa lectio recitata est: quòd verò eodem die serò rursus apparuerit, modò cùm recitaretur audivimus. Non opus erat ut à me ista commemorarentur, sed ut à vobis adverterentur: propter quorumdam verò minorem intelligentiam vel majorem negligentiam oportuit commemorare, ut sciatis non solùm quid audistis, sed etiam de qua Scriptura vobis legitur quod audistis.

Resurrectio ex quatuor Evangeliis recitata.

Johan. 20. 19.

[a] Floriacensis MS. *sententiam præcipitasti; ad veritatem Patri æqualis non pervenisti. Deinde verba &c.*

[b] Tres sequentes versus, qui Vignerio exciderant, mendosum fortè exemplar legenti, huc revocantur, aliaque passim errata corriguntur ex MSS.

2. Videamus

CLASSIS II.

Christi ad discipulos per ostia clausa intrantis miraculum ex aliis miraculis suadetur.

2. Videamus ergo quid nobis ad loquendum hodierna lectione proponitur. Ipsa quippe lectio admonet nos, & quodam modo loquitur nobis, ut aliquid dicamus, quemadmodum Dominus qui in ea soliditate corporis resurrexit, ut non solùm videretur à discipulis, sed etiam tangeretur, potuerit illis apparere ostiis clausis. Nonnulli enim de hac re ita moventur, ut penè periclitentur, afferentes contra miracula divina præjudicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: Si corpus erat, si caro & ossa erant, si hoc surrexit de sepulcro, quod pependit in ligno; quomodo per clausa ostia intrare potuit? Si non potuit, dicunt, Non est factum. Si potuit, quomodo potuit? Si comprehendis modum, non est miraculum: & si miraculum tibi non videtur, propinquas ut neges quia & de sepulcro resurrexit. Respice ab initio miracula Domini tui, & redde mihi de singulis rationem. Vir non accessit, & virgo concepit. Redde rationem, quomodo sine masculo virgo conceperit. Ubi defecerit ratio, ibi est fidei ædificatio. Ecce habes unum in Domini conceptu miraculum: audi etiam in partu. Virgo peperit, & virgo permansit. Jam tunc Dominus antequam resurgeret, per clausa ostia natus est. Quæris à me & dicis, Si per clausa ostia intravit, ubi est corporis modus? Et ego respondeo, Si super mare ambulavit, ubi est corporis pondus? Sed fecit illud Dominus tamquam Dominus. Numquid ergo cùm resurrexit, destitit esse Dominus? Quid quòd & Petrum fecit ambulare super mare? Quod in illo divinitas potuit, in isto fides implevit. Sed Christus, quia potuit; Petrus, quia Christus adjuvit. Si ergo * cœperis humano sensu miraculorum discutere rationem, timeo ne perdas fidem. Nescis nihil esse impossibile Deo? Quicumque ergo tibi dixerit, Si intravit per ostia clausa, non erat corpus: responde tu illi à contrario, Immo si tactus est, corpus erat; si manducavit, corpus erat: & fecit illud miraculo, non naturâ. Nonne admirandus est quotidianus cursus ipse naturæ? Omnia miraculis plena sunt: sed assiduitate viluerunt. Redde mihi rationem: aliquid interrogo de consuetis & solitis: redde rationem, quare tam magnæ arboris fici semen tam modicum est, ut videri vix possit, & humilis cucurbita tam grande semen parit. In illo tamen grano seminis exiguo, vix visibili, si consideres animo, non oculis; in illa exiguitate, illis angustiis, & radix latet, & robur insertum est, & folia futura * alligata sunt, & fructus qui apparebit in arbore, jam est * præmissus in semine. Non opus est multa percurrere: de quotidianis rebus nemo reddit rationem, & exigis à me de miraculis rationem. Evangelium ergo lege, & crede facta, quæ mira sunt. Plus est quod fecit Deus, & non miraris quod excedit omnia opera: nihil erat, & mundus est.

Matth. 14. 25.

* al. conetis.

* al. occultata.

* al. promissus.

Confirmatur ex dicto Domini de camelo, qui Deo faciente potest intrare per foramen acûs.

3. Sed non potuit, inquis, corporis moles transire per ostia, quæ clausa erant. Quanta erat illa moles, rogo te? Tanta utique, quanta est in omnibus: numquid tanta, quanta est in camelo? Non utique tanta. Lege Evangelium, audi ipsum: difficultatem divitis intrantis in regnum cælorum cùm voluisset ostendere, ait, *Faciliùs intrat camelus per foramen acûs, quàm dives in* A *regnum cælorum.* Hoc audito discipuli, considerantes nullo modo fieri posse, ut camelus per foramen acûs intraret, contristati sunt apud se, dicentes, *Si ita est, quisnam poterit salvare semetipsum?* Si faciliùs intrat camelus per foramen acûs quàm dives in regnum cælorum; nullo modo potest camelus intrare per foramen acûs; nullus ergo divitum salvari potest. Respondit Dominus, *Quæ hominibus impossibilia sunt, Deo facilia sunt.* Potest Deus & camelum per foramem acûs trajicere, & B divitem introducere in regnum cælorum. Quid mihi de ostiis clausis calumniaris? Ostia clausa habent vel rimam: compara rimam ostiorum foramini acûs, compara molem carnis humanæ magnitudini camelorum; & noli calumniari divinitati miraculorum.

Luca 18. 25. &c.

SERM. DE TEMPORE.

* SERMO CCXLVIII.

In diebus Paschalibus, XIX.

* Aliàs de Tempore 148.

C *De lectione Evangelii Iohan. 21. & de [a] duabus piscationibus, una ante passionem, altera post resurrectionem.*

CAPUT I. Piscatio ad mare Tiberiadis non sine mysterio.

1. ET hodie lectio recitata est de his quæ facta sunt post resurrectionem Domini secundùm Evangelistam Johannem. Audivit nobiscum Caritas Vestra, Dominum Jesum Christum ad mare Tiberiadis ostendisse se discipulis suis; & qui eos jam fecerat piscatores D hominum, invenit eos adhuc piscatores piscium. Per totam noctem nihil ceperunt: viso autem Domino, & eo jubente retia mittentes, ceperunt quantum numerum audistis. Numquam hoc Dominus juberet, nisi aliquid significare vellet, quod nobis nosse expediret. Quid ergo pro magno potuit ad Jesum Christum pertinere, si pisces caperentur, aut si non caperentur? Sed illa piscatio, nostra erat significatio. Recolamus ergo vobiscum duas illas piscationes discipulorum factas jubente E Domino Jesu Christo, unam ante passionem, alteram post resurrectionem. In his ergo duabus piscationibus tota figuratur Ecclesia, & qualis est modò, & qualis erit in resurrectione mortuorum. Modò enim habet sine numero multos, & bonos & malos: post resurrectionem autem habebit certo numero solos bonos.

In piscationibus duabus figura Ecclesiæ præsentis ac futuræ.

CAPUT II. Piscatio prima.

2. Recordamini ergo primam piscationem; ubi videamus Ecclesiam qualis est in isto tempore. Dominus Jesus invenit discipulos suos piscantes, quando primùm eos vocavit, ut sequerentur F eum. Tunc tota nocte nihil ceperunt. Eo autem viso, audierunt ab illo, *Mittite retia. Domine*, inquiunt, *per totam noctem nihil cepimus, sed ecce in verbo tuo rete mittimus.* Miserunt, jubente omnipotente. Quid potuit aliud fieri, nisi quod ille voluisset? Sed tamen eodem ipso facto aliquid nobis, ut dixi, quod nosse expediat, significare dignatus est. Missa sunt retia. Adhuc Dominus nondum erat passus; nondum resurre- G xerat. Missa sunt retia: ceperunt tantum piscium, ut duo navigia implerentur; & ipsa retia eadem piscium multitudine scinderentur. Tunc illis dixit, *Venite, & faciam vos piscatores hominum.* Acceperunt ab illo retia verbi Dei, miserunt in mundum tamquam in mare profundum: cepe-

Luca 5. 4. &c.

Matth. 4. 19.

[a] In Possidii Indiculo cap. 8. Tractatus iste sive sequentes notantur his verbis, *De centum-quinquaginta tribus piscibus, ex Evangelio Johannis.*

runt quantam multitudinem Christianorum cernimus & miramur. Duo autem illa navigia, duos populos significabant, Judæorum & Gentium, Synagogæ & Ecclesiæ, circumcisionis & præputii. Illorum enim duorum navigiorum, tamquam duorum parietum de diverso venientium, lapis angularis est Christus. Sed quid audivimus? Ibi premebantur navigia præ multitudine. Sic fit modò: multi Christiani qui malè vivunt, Ecclesiam premunt. Parum est quia premunt: & retia disrumpunt. Nam si non essent retia scissa, schismata non essent commissa.

Ephes. 2.

Caput III. Secunda piscatio.

3. Transeamus ergo ab ista piscatione, quam toleramus; & ad illam veniamus, quam ardenter optamus & fideliter exoptamus. Ecce Dominus mortuus est, sed resurrexit: apparuit ad mare discipulis suis, jubet eos retia mittere, non quomodocumque. Intendite. Nam in prima piscatione non illis dixit, Mittite retia in dexteram, aut in sinistram. Quia si diceret, in sinistram; soli mali significarentur: si diceret, in dexteram; soli boni figurarentur. Ideo non dixit, vel in dexteram, vel in sinistram, quia permixti erant capiendi boni cum malis. Jam modò post resurrectionem qualis erit Ecclesia, audite, discernite, gaudete, sperate, comprehendite. *Mittite*, inquit, *retia in dexteram partem.* Jam dexteri capiuntur: nulli mali timeantur. Scitis enim quia dixit se separaturum esse oves ab hœdis; oves positurum ad dexteram, hœdos ad sinistram: sinistris dicturum, *Ite in ignem æternum*; dexteris dicturum, *Accipite regnum.* Ecce unde, *Mittite retia in dexteram partem.* Miserunt, ceperunt: certus est numerus; nemo est ibi super numerum. Modò autem quanti super numerum accedunt ad altare, in populo Dei videntur, & in libro vitæ non scribuntur. Ibi ergo certus numerus est. De quibus piscibus & vos esse affectate; non audiendo tantùm & laudando, sed intelligendo & bene vivendo. Mittuntur ergo retia, capiuntur pisces magni. Quis est enim ibi tunc parvus, quando erunt æquales Angelis Dei? Capiuntur ergo pisces magni, centum-quinquaginta & tres. Dicet mihi aliquis, Et tot erunt sancti? Absit à nobis, ut tantam paucitatem esse sanctorum & in illo regno futurorum etiam de sola ista Ecclesia suspicemur. Certus numerus erit: sed millia millium erunt de populo Israëlitico. Johannes sanctus in Apocalypsi de solo populo Israël duodecies duodena millia dicit futuros, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt. At verò de ceteris gentibus venire dicit cum stolis albis tanta millia hominum, quæ numerare nemo potest.

Johan. 21. 6. — *Matth. 25.* — *Psal. 39. 6.* — *Matth. 22.* — *Johan. 21. 11.* — *Apoc. 7. & 14.*

Caput IV. Numerus piscium quid mysterii habeat.

4. Aliquod ergo signum vult iste numerus, & anniversaria sollemnitate sermonis hujus commemorare vobis debeo, quod omni anno soletis audire. Centum-quinquaginta & tres pisces, numerus est significans millia millium sanctorum atque fidelium. Quare autem isto numero tot millia, quæ futura sunt in regno cælorum, Dominus significare dignatus est? Audite quare. Scitis Legem datam esse per Moysen populo Dei, & in ipsa Lege præcipuum commemorari decalogum, id est, decem præcepta Legis. Quorum est unum præceptum de colendo uno Deo; secundum præceptum, *Ne accipias nomen Domini Dei tui in vanum*: tertium præceptum de observatio-

Exodi 20. 3.

A ne sabbati, quod Christiani spiritaliter observant, Judæi carnaliter violant. Ista tria præcepta ad Deum pertinent, reliqua septem ad homines: propter illa duo principalia, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tamquam te ipsum. In his duobus mandatis, tota Lex pendet & Prophetæ.* Quia ergo duo sunt ista præcepta, in illo decalogo tria pertinent ad dilectionem Dei, & septem ad dilectionem proximi. Quæ B sunt septem pertinentia ad hominem? *Honora patrem tuum & matrem, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dixeris, Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces rem proximi tui.* * Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur gratiâ Dei. Si ergo legem nemo implet viribus suis, nisi Deus adjuvet Spiritu suo; jam recolite quemadmodum Spiritus-sanctus septenario numero commendatur, sicuti sanctus Propheta dicit, im-C plendum hominem Spiritu Dei, sapientiæ & intellectûs, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, Spiritu timoris Dei. Istæ septem operationes commendant septenario numero Spiritum-sanctum, qui quasi descendens ad nos, incipit à sapientia, finit ad timorem. Nos autem adscendentes incipimus à timore, perficimur in sapientia. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini.* Si ergo Spiritu opus est, ut lex possit impleri, accedant septem ad decem, fit numerus decem & septem. D Si computes ab uno usque ad decem & septem, fiunt centum-quinquaginta & tres. Non opus est omnia nunc numerare, apud vos numerate: sic computate, unum & duo & tria & quatuor sunt decem. Quomodo decem sunt unum & duo & tria & quatuor, sic adde ceteros numeros usque ad decem & septem: & invenis numerum sacrum fidelium atque sanctorum in cælestibus cum Domino futurorum.

Matth. 22. &c. — **Caput V. Præcepta nullus implet, nisi adjutus gratiâ.* — *Isa. 11. 2.* — *Eccli. 1. 16.*

SERMO CCXLIX. E

** Aliàs 21. ex Vignerianis.*

In diebus Paschalibus, XX.

De eadem lectione & duabus piscationibus.

Piscatio jussu Domini facta duplex.

1. Audivimus Evangelium, quemadmodum Dominus Jesus, post resurrectionem apparuit discipulis piscantibus ad mare Tiberiadis. Quando eos vocavit primùm, dixerat eis, *Venite post me, &* F *faciam vos piscatores hominum.* Et tunc quidem quando vocati sunt, ad ejus verbum mittentes retia, ceperunt magnam multitudiem piscium; sed numerus non est dictus. Deinde in ipsa piscatione prima, non eis dixerat, *Mittite rete in dexteram partem:* sed tantùm dixerat, *Mittite*; nec in dexteram dixit, nec in sinistram. Captus est autem tantus piscium numerus, ut esset sine numero, & onerata sunt navigia eorum. Et quomodo onerata sunt? Sic loquitur Evangelium, *ut* G *penè mergerentur.* Tunc eis dixit quod commemoravi, *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Ad ipsa retia pertinemus, sumus quidem illis retibus capti; sed non remanemus captivi. Non timeat capi homo: si capi potest, decipi non potest. Sed quid sibi vult ista postrema piscatio, de qua hodie lectum est Evangelium? Apparuit Dominus piscatoribus stans in

Matth. 4. 9. — *Luca 5. 4.* — *Ibidem 7.*

Classis II.

littore, & quæsivit ab eis utrùm haberent pulmentarium. Dixerunt se nòn habere; nihil enim ceperant tota nocte. Et ait illis, *Mittite in dexteram partem*: quod tunc non dixerat. Et fecerunt; & non poterant trahere retia præ multitudine piscium. Inventi sunt autem pisces centum-quinquaginta-tres. Et quoniam in illa prima piscatione dictum erat quia præ multitudine piscium retia rumpebantur; pertinuit ad curam Evangelistæ in ista piscatione dicere, *Et cùm tam magni essent, non est scissum rete.*

Johan. 21. 6.

Ibidem 11.

Piscationes duæ statum Ecclesiæ præsentis & futuræ adumbrāt.

2. Discernamus piscationes duas, unam ante resurrectionem, alteram post resurrectionem. In illa mittuntur passim retia: non nominatur dextera, ne intelligantur soli boni: non nominatur sinistra, ne intelligantur soli mali: ergo permixti boni & mali. Et retia præ multitudine rumpebantur. Rupta retia significant schismata. Videmus, sic est, sic fit. Implentur navigia duo, propter populos duos de circumcisione & præputio: & sic implentur, ut premantur, & penè mergantur. Hoc quod significat, gemendum est. Turba turbavit Ecclesiam. Quàm magnum numerum fecerunt malè viventes, prementes & * gementes? Sed propter pisces bonos non sunt mersa navigia. * Differamus illam piscationem novissimam post resurrectionem. Malus ibi nullus, magna securitas, sed si bonus eris. Inter malos estote boni, & eritis sine malis boni. In ista piscatione est quòd moveamini: inter malos estis. O qui fideliter me auditis, ô vos ad quos non perit quod dico, ô vos quibus verbum non per aures transit, sed in cor descendit, ô vos qui plus timetis malè vivere quàm malè mori: (quia si bene vixeris, malè mori non poteris: vos ergo qui me auditis, ut non solùm credatis, sed etiam bene vivatis; vivite bene, & inter malos vivite bene, retia nolite disrumpere. Qui multùm sibi placuerunt, & quasi malos sustinere noluerunt, retia ruperunt, in mari perierunt. Vivite inter malos bene, non vobis suadeant mali Christiani malè vivere. Non dicat cor tuum, Ego solus sum bonus. Si cœperis esse bonus; crede esse & alios, si tu esse potueris. Ne adulteretis, ne fornicemini, ne fraudem faciatis, ne furemini, ne falsum testimonium dicatis, ne falsum juretis, ne inebriemini, ne commendatum negetis, ne inventum alicujus in vico non reddatis. Hæc & talia facite, securi inter malos pisces. Intra eadem retia natatis; sed venietis ad littus, post resurrectionem in dextera inveniemini. Ibi nullus est malus. Quid enim, quia legem nostis, quia Dei mandata cognoscitis, quia scitis quid sit bonum & malum, quid vobis prodest, si non faciatis? Nonne ipsâ scientiâ punitur conscientia? Sic discite, ut faciatis.

* f. penè mergentes.

* f. Differamus.

Donatistarum schismata.

F

Mandata Dei non nisi per gratiam impleri, intelligitur in numero piscium captorum.

3. Mandata Dei propter magnum perfectionis mysterium decalogo continentur. Decem præcepta Legis sunt scripta in tabulis lapideis digito Dei, hoc est Spiritu-sancto: in una tabula præcepta quæ ad Deum pertinent, in altera G quæ ad hominem pertinent. Quare hoc? Quia in dilectione Dei & proximi tota Lex pendet & Prophetæ. Sed quid valent ista decem? Data est lex, sed *si data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia.* Nosti legem, & non facis legem; *Littera occidit:* ut autem facias quod nosti, *Spiritus autem vivificat.* Accedant

Matth. 22. 40.

Gal. 3. 21.

2. Cor. 3. 6.

A ad decem septem. Sicut enim lex decalogo significatur, ita Spiritus-sanctus septiformis ostenditur. Ipse invocatur super baptizatos, ut det illis Deus, secundùm Prophetam, Spiritum sapientiæ & intellectûs: ecce duo. Spiritum consilii & fortitudinis: ecce quatuor. Spiritum scientiæ & pietatis: ecce sex. Spiritum timoris Domini: ecce septem. Quando ista septem accesserunt, fiunt decem. Quid dixi? Quasi absurdum est: Cùm septem ad decem accesserunt, fiunt decem: qua- B si oblitus sum numerare. Ergo dicere debui, Cùm septem ad decem accesserunt, fiunt decem & septem. Hoc omnes norunt: nam cùm dicerem, Cùm septem ad decem accesserunt, fiunt decem; pueri isti non me ridebant? Et tamen dico, & repeto, nec erubesco. Cùm intellexeritis, non reprehendetis computantem, sed amabitis disputantem. Decem sunt illa præcepta legis: sed enumeravi & septem cooperationes Spiritus-sancti. Cùm ista septem accesserint, fiunt decem: C cùm Spiritus sanctus accesserit, impletur lex. Si autem ista septem non accesserint, non fiunt illa decem: in littera erunt, sed littera occidit; scientia prævaricatorem facit. Accedat Spiritus, & impletur lex, adjutorio Dei, non viribus tuis. Ergo vide: non valde amemus pertinere ad illa decem. *Si enim ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Sed quò pertineamus? ad illa septem? Tale est ac si facere possimus, sed quid facimus nesciamus. Ergo ad decem septem perti- D neamus. Lex jubet, Spiritus juvat: lex agit tecum, ut scias quid facias; Spiritus, ut facias. Ergo ad decem-septem pertineamus, & computemus decem septem, & inveniemus nos in centum-quinquaginta-tribus. Jam nostis, sæpe dixi, sæpe ostendi. Ab uno usque ad quatuor decem sunt: sed si omnes addas. Unum sequantur duo: adde & duo, jam tria sunt: post duo sequantur tria, jam sex sunt: post tria sequantur quatuor, jam decem sunt. Quid me rumpo? Quod nostis loquor. Ad- E dite ceteros numeros, & pervenietis. Cùm perveneritis ad decem & septem, ad centum & quinquaginta & tres crescendo pervenietis. Quid est crescendo? Proficiendo tamquam gradatim pervenietis ad dexteram. Obedite nobis, computate vobis.

Serm. de Tempore.

Isai. 11. 2.

Gal. 2. 21.

* SERMO CCL.

In diebus Paschalibus, XXI.

* Aliàs 21. ex Vignerianis.

De eadem lectione & duabus piscationibus.

Ignobiles cur priùs electi à Christo.

1. DOMINUS Jesus infirma mundi eligens, ut confunderet fortia; & colligens Ecclesiam suam de toto orbe terrarum, non cœpit ab imperatoribus, aut à senatoribus, sed à piscatoribus. Quæcumque enim dignitates fuissent priùs electæ, sibi hoc auderent tribuere, non Dei gratiæ. Hoc consilium secretum Dei, hoc consilium Salvatoris nostri exponit Apostolus, ubi dicit, *Videte enim vocationem vestram, fratres*, Apostoli verba sunt, *quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, ut quæ sunt evacuentur, ut non glorietur omnis caro coram illo.* Hoc & Pro-

1. Cor. 1. 26. &c.

CLASSIS II.

Isai. 40. 4.

pheta dixit: *Omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, æqualitas campi constituetur.* Denique hodie ad gratiam Domini pariter accedunt nobiles & ignobiles, doctus & imperitus, pauper & dives. Ad istam gratiam accipiendam non se præponit superbia humilitati, nihil scienti, nihil habenti. Sed quid eis dixit?

Matth. 4. 19.

Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Si illi piscatores non præcessissent, nos quis cepisset? Modò magnus est quilibet orator, si potuerit bene exponere de quo scripsit piscator.

Piscationũ duarum discrimen & mysterium.

2. Cùm ergo piscatores piscium elegisset Dominus Jesus Christus, & fecisset piscatores hominum, in ipsis etiam piscationibus eorum aliquid nos voluit admonere de vocatione populorum. Duas piscationes adtendite necessaria distinctione discretas: unam, quando Dominus elegit eos de piscatoribus, & fecit eos discipulos suos; alteram, quam modò audivimus, cùm sanctum Evangelium legeretur, post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi: illam ante resurrectionem, istam post resurrectionem. Quid intersit inter ambas piscationes, valde debemus adtendere: navigium est instructionis nostræ nova Evangelii prædicatio, in quo & piscantes invenit,

Luca 5. 4. &c.

quibus & ait, *Mittite retia.* Dixerunt illi, *Tota nocte nil cepimus*, frustra laboravimus; *ecce in nomine tuo mittemus retia.* Miserunt, & tantum ceperunt, ut implerent duas naviculas, quæ piscium multitudine ita premebantur, ut propemodum mergerentur. Deinde ipsa multitudine piscium disrupta sunt retia. Tunc ait illis, *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Tunc relictis

Prima piscatione boni & mali significantur congregandi.

retibus & naviculis, secuti sunt Christum. Modò post resurrectionem exhibuit nobis Dominus Christus aliam piscationem, distantem ab illa superiore. Tunc enim, *Mittite retia*, dixit: nec in sinistram, nec in dexteram partem; sed tantùm, *Mittite retia*, dictum est. Si enim diceret in sinistram, malos solos significaret; si in dexteram, solos bonos. Quia ergo nec in dexteram nec in sinistram dixit, boni & mali significantur, de quibus loquitur Evangelium alio loco: quia misit pater-familias servos suos paratâ cœnâ, & adduxerunt

Matth. 22. 10.

quos invenire potuerunt, bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Talis est modò Ecclesia, plena bonis & malis. Multitudine impletur Ecclesia: sed multitudo ista aliquando premit, & propè ad naufragium conatur adducere.

Periculum ex malorũ felicitate.

Malè viventium multitudo bene viventes ita perturbat, ut qui bene vivit, stultum se putet, quando adtendit alios malè vivere: maximè quia secundùm bona hujus sæculi inveniuntur multi felices nocentes, & inveniuntur multi infelices innocentes. Et quàm metuendum est ne naufragio prematur atque mergatur! Quàm metuendum est, Carissimi, ne dicat qui bene vivit, Quid mihi prodest, quia bene vivo? Ecce enim ille malè vivit & honoratior est me. Mihi quid prodest quia bene vivo? Periclitatur: timeo ne mergatur. Alloquar eum, ut de profundo erigatur. Qui bene vivis, bene vive: noli fatigari, noli retrò respicere. Vera est promissio Domini tui dicentis.

Matth. 24. 13.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Adtendo, inquis, quòd alius malè vivit, & felix est. Falleris, infelix est: & eò est infelicior, quò sibi videtur felicior. Insania est, quòd non agnoscit miseriam suam. Si videres febrien-

Serm. de Tempore

A tem ridentem, tu plangeres insanientem. Quod tibi promissum est, nondum venit. Ille qui tibi felicior videtur, rebus visibilibus & temporalibus pascitur, ipsis lætatur: nec adtulit ea, nec auferet ea. Nudus ingressus est, nudus est exiturus. A falsis gaudiis venturus est ad veros dolores. Tibi autem quod promissum est, nondum venit. Dura, ut pervenias; persevera, ne deficiendo te ipsum fraudes: nam Deus te fallere non potest. Ecce dixi breviter, ne navigia merganB tur. Accessit aliud ad illam piscationem detestabilius, ut retia rumperentur. Rupta sunt retia, hæreses factæ sunt. Quid enim aliud sunt schismata, nisi scissuræ? Sic ferenda & toleranda est prima piscatio, ut nemo tædio fatigetur: quamvis scriptum sit, *Tædium tenuit me pro peccatoribus relinquentibus legem tuam.* Navigium clamat, quòd prematur à multitudine, tamquam ipsa navis habet hanc vocem: *Tædium tenuit me, pro peccatoribus relinquentibus legem tuam.* Etsi premeris, vide semper ne mergaris. Tolerandi sunt

Schismata.

Psal. 118. 53.

C mali modò, non separandi. Misericordiam & judicium Domino canto: priùs misericordia prærogatur, & postea judicium exercetur. Separatio in judicio fiet. Modò audiat me bonus, ut sit melior: audiat & malus, ut sit bonus; cùm tempus est pœnitentiæ, nondum sententiæ. Transeamus ab ista piscatione, quæ habet gaudia mixta lacrymis: gaudia, quia colliguntur boni; mixta lacrymis, quia vix feruntur mali.

Psal. 100. 1.

Altera piscatio.

D 3. Ad illam piscationem novissimam animum convertamus: ibi reficiamur, ibi consolemur. Et ideo ipsa post resurrectionem Domini facta est, quia significavit Ecclesiam, qualis post resurrectionem futura est. Ecce dicitur discipulis piscantibus; Dominus dicit, qui & priùs dixit: sed priùs, quid mitterent; modò, quò mitterent, id est, in dexteram partem navigii. Ergo illi modò capiuntur, qui ad dexteram stabunt: illi capiunE tur, quibus dictum est, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Mittunt, & capiunt. Ibi numerus non est dictus in prima piscatione, sola multitudo dicta est, numerus non est definitus. Multi sunt enim super numerum modò, id est, veniunt, intrant, implent ecclesias. Ipsi implent theatra, qui ecclesiam. Super numerum implent: ad numerum illum qui futurus est in vita æterna, non pertinent, nisi mutentur, cùm vivunt. Et numquid omnes mutantur? Quomodo nec illi boni omnes perseverant. Ideo illis dictum est, *Qui perseveF raverit usque in finem, hic salvus erit.* Et illis qui adhuc mali sunt, dicitur, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Ergo ibi numerus non est dictus, quia multi super numerum facti sunt. Dixit Psalmus, *Annuntiavi, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Modò in dexteram, non super numerum: centum-quinquaginta-tres sunt, sed magni. Hoc enim dictum est, *Et cùm tam magni essent, non est scissum rete.* Tunc enim congregatio sanctorum erit,

Matth. 25. 34.

Numerus piscium in hac sola dictus.

Matth. 24. 13.

Ezech. 33. 11.

Psal. 39. 6.

Johan. 21. 11.

G divisiones & scissuræ hæreticorum non erunt: pax erit, & perfecta unitas erit. Nemo minùs, nemo plus erit, integer numerus erit. Sed valde pauci sunt; si centum-quinquaginta-tres tantùm sunt. Absit à nobis, ut tot soli sint in hac plebe: quantò magis in universa Ecclesia Dei? Apocalypsis ipsius Johannis Evangelistæ ostendit, visam fuisse tantam multitudinem sanctorum & in illa

Mysterium numeri piscium.

Apoc. 7. 9.

Classis II. — Isai. 11. 2. — Psal. 110. 10. — Lex sine gratia nihil valet. — 2. Cor. 3. 6. — Decem præceptorum distinctio. — Matth. 22. 40. — Auxilium Dei ad implendam Legem necessarium.

æternitate felicium, quantam numerare nemo possit. Sic ibi habetur scriptum. Et tamen omnes ad numerum istum pertinent, ad centum-quinquaginta-tres. Ad paucitatem ampliorem volo redigere numerum istum. Centum quinquaginta tres sunt, pauciores illos faciamus. Decem & septem sunt isti centum-quinquaginta-tres. Quare decem? quare septem? Decem, propter legem: septem, propter Spiritum. Septenaria enim forma, propter perfectionem quæ prædicatur in donis Spiritus-sancti. *Requiescet*, inquit Isaias propheta, *super eum Spiritus-sanctus.* Et cùm dixisset Spiritum-sanctum, enumeravit septem virtutes. *Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis:* habes quatuor. *Spiritus scientiæ & pietatis, Spiritus timoris Domini.* A sapientia cœpit, ad timorem terminavit: tamquam descendens locutus est à summis ad ima, à sapientia ad timorem. Ab imis ad summa, à timore ad sapientiam: *Initium enim sapientiæ timor Domini.* Hoc est donum gratiæ: istâ septenariâ virtute in dilectis Dei operatur Spiritus-sanctus, ut aliquid lex valeat ibi. Nam si tollas Spiritum, quid valet lex? Prævaricatorem facit. Ideo dictum est, *Littera occidit.* Jubet, & non facit. Non occidebat, antequam tibi juberetur; & si tenebat providentia peccatorem, non tamen tenebat prævaricatorem. Jubetur, & non facis; prohibetur, & facis: ecce littera occidit. Lex autem decem præcepta habet. Præceptum primum legis est, colendum esse unum Deum, nullum alium, nullum idolum faciendum. Præceptum secundum est. *Non accipies nomen Dei tui in vanum.* Præceptum tertium est, Observa diem sabbati, sed spiritaliter, non carnaliter quomodo Judæi. Ista tria præcepta ad dilectionem Dei pertinent. Sed quia, *In his duobus præceptis*, ait, *tota Lex pendet & Prophetæ*, id est, in dilectione Dei, & in dilectione proximi: cùm audisti quid pertineat ad dilectionem Dei, unitas, veritas, quies; adtende quid pertineat ad dilectionem proximi. *Honora patrem tuum, & matrem tuam:* habes quartum præceptum. *Non mœchaberis:* habes quintum. *Non homicidium facies:* habes sextum. *Non furtum facies:* habes septimum. *Non falsum testimonium dices:* habes octavum. *Non concupisces rem proximi tui:* habes nonum. *Non concupisces uxorem proximi tui:* habes decimum. Qui dicit, *Non concupisces*, interna pulsat, interiora percutit. Concupiscentia negotium agit. Ecce ista Lex est in decem: quid prodest cùm didiceris, & non feceris? Prævaricator eris. Ut autem facias, auxilium necessarium est. Unde auxilium? De Spiritu. Ergo *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Ad decem accedant septem, fiunt decem & septem. In isto numero est omnis multitudo perfectorum, sed quomodo perveniant ad centum-quinquaginta-tres, soleo vobis dicere, & multi præveniunt me: sollemniter tamen Sermo reddendus est. Multi obliti sunt, aliqui nec audierunt: qui autem non sunt obliti & audierunt, patienter ferant, ut alii commemorentur, & instruantur. Quando duo ambulant in via, unus celerior & alter tardior, in potestate celerioris est, ut comes non deseratur. Nihil perdit, qui audit quod sciebat; & in eo quod nihil perdit etiam gaudere debet, quia instruitur qui nesciebat. Decem & septem numera, ab uno usque ad decem & septem, ita ut omnes addas, & pervenies ad centum-quinquaginta-tres. Quid à me exspectatis? Numerate vobis.

Serm. de Tempore.

* SERMO CCLI.

In diebus [a] *Paschalibus, XXII.*

De eadem lectione & duabus piscationibus.

* Aliàs de Diversis 4.

Caput I. Piscationes Domini jussu factæ duæ. Luca 5. — Johan. 21. — In prima piscatione tria significata sunt. — Mixtura bonorum & malorū. — Luca 5. 7. — Pressura turbarum. — Separationes hæreticorum.

1. LIBERATORIS nostri piscatio, nostra est liberatio. Duas autem advertimus in sancto Evangelio Domini piscationes, id est, quando ad verbum ipsius missa sunt retia: unam priùs, quando discipulos elegit; & hanc alteram, quando à mortuis resurrexit. Illa piscatio significavit Ecclesiam, qualis est modò: ista verò post resurrectionem Domini, significavit Ecclesiam, qualis futura est in fine sæculi. Denique in illa priori piscatione, jussit mitti retia, & non dixit in quam partem; sed tantummodo ut mitterentur, præcepit. Miserunt discipuli: non dictum est, in dexteram; non dictum est, in sinistram. Pisces enim homines significabant: si ergo diceretur in dexteram, soli boni futuri erant; si diceretur in sinistram, soli mali. Quia verò permixti futuri erant in Ecclesia & boni & mali, sine differentia missa sunt retia; ut caperentur pisces significantes mixturam bonorum & malorum. Deinde & hoc ibi scriptum est, quia tantum ceperunt piscium, ut duæ naviculæ impletæ mergerentur, hoc est, ad submersionem premerentur. Non enim submersa sunt illa duo navigia, sed periclitata. Unde periclitata? Multitudine piscium. Significatum est hinc, quia per multitudinem quam collectura erat Ecclesia, periclitatura erat disciplina. Et hoc adjunctum est in illa piscatione, atque narratur, quia & retia præ multitudine piscium disrupta sunt. Disrupta retia quid significaverunt, nisi futura schismata? Tria ergo ista in illa piscatione significata sunt, mixtura bonorum & malorum, pressura turbarum, separationes hæreticorum. Mixtura bonorum & malorum; quia nec in dexteram, nec in sinistram missa sunt retia: pressura turbarum; quia tantum captum est, ut naviculæ premerentur: separationes hæreticorum; quia tanta fuerat multitudo, ut retia rumperentur.

Caput II. Altera piscatione significatus electorum numerus. — Johan. 21. 6. — Rete missum in dexteram, quia soli boni colligendi. — Matth. 25. 31.

2. Respicite nunc ad piscationem istam, quæ hodie recitata est. Facta est enim post resurrectionem Domini, ut significaret talem futuram Ecclesiam post nostram resurrectionem. *Mittite*, inquit, *rete in dexteram partem.* Discretus est ergo numerus eorum, qui ad dexteram stabunt. Meministis enim, Dominum dixisse venturum se esse cum Angelis suis, & quòd congregabuntur ante eum omnes gentes; & dividet eas, sicut pastor dividit oves ab hœdis: oves ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram. Ovibus dicturus est, *Venite, percipite regnum:* hœdis dicturus est, *Ite in in ignem æternum. Mittite in dexteram.* Tamquam diceret, Jam resurrexi, Ecclesiam volo significare, quæ erit in resurrectione mortuorum. *Mittite in dexteram.* Missa sunt retia in dexteram:

[a] In homiliarum collectione Alcuini sive Pauli diaconi studio adornata, & Parisiis apud Johannem Parvum anno 1537. impressa, legendus ponitur feriâ quartâ Paschæ, ibique prænotatur, *Sermo sancti Maximini:* sed manifesto errore, pro *sancti Augustini*.

Classis II.

nec poterant ea levare præ multitudine piscium. Et ibi dicta est multitudo: sed hîc certus numerus, & multitudo, & magnitudo: ibi autem non est dictus numerus. Modò enim antequam veniat resurrectio, & separentur boni à malis, illud impletur quod ait Propheta, *Annuntiavi, & locutus sum.* Quid est, *Annuntiavi, & locutus sum?* Retia misi. Et quid? *Multiplicati sunt super numerum.* Est numerus, sunt super numerum. Numerus ad sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo. Super numerum modò in Ecclesiam intrare possunt, in regnum cælorum non possunt. * Quare admoneo, ut eripiatis vos de præsenti sæculo malo. Quare admoneo, ut qui vultis vivere, non imitemini malos Christianos. Non dicatis, Quare? ille non fidelis est, & inebriatur? Quare? ille non fidelis est, & concubinas habet? Quare? ille non fidelis est, & quotidie fraudes facit? Quare? ille non fidelis est, & mathematicos consulit? Modò enim qui volueritis esse grana, tunc inveniemini in massa. Qui autem volueritis palea esse, inveniemini in magno acervo, sed magno igne incendendo.

Psal. 39. 6.

Numerus, ad electos: super numerum, ad reprobos spectat.

* Caput III.

3. Quid ergo? *Adduxerunt*, inquit, *retia ad littus.* Petrus adtraxit retia ad littus: modò cùm Evangelium legeretur, audistis. Ubi audis littus, intellige finem maris: ubi audis finem maris, intellige sæculi finem. In illa piscatione non ad littus adtracta sunt retia: sed ipsi pisces qui capti sunt, in naviculas fusi sunt. Hîc autem traxerunt ad littus. Spera finem sæculi. Venturus est finis; bono dextrorum, malo sinistrorum. Et quot pisces? *Adtraxerunt*, inquit, *retia habentia pisces centum-quinquaginta-tres.* Et adjecit Evangelista rem necessariam: *Et cùm tanti*, id est, tam magni *essent, non est scissum rete.* Magni erunt, sed hæreses non erunt: & ideo magis hæreses non erunt, quia magni erunt. Qui sunt magni? Lege verba ipsius Domini in Evangelio, & invenies magnos. Ait enim quodam loco, *Non veni Legem & Prophetas solvere, sed adimplere.* * *Amen enim dico vobis, quoniam quicumque solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit:* solverit & docuerit sic; *solverit* malè vivendo, *& docuerit* bona docendo: *minimus vocabitur in regno cælorum.* Sed in quo regno cælorum? In Ecclesia quæ modò est; quia & ipsa vocatur regnum cælorum. Nam si non vocaretur regnum cælorum & ista Ecclesia, quæ colligit bonos & malos, non diceret ipse Dominus in parabola loquens, *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, quæ congregat omnia genera piscium.* Sed ecce quid sequitur? *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare.* Sagenæ, retia sunt: *congregat omnia genera piscium.* Sed quid? Trahunt illa ad littus. Hoc in parabola Dominus dicit. Et cùm traxerint ad littus, sedent, *& colligunt bonos, & mittunt in vascula, malos autem projiciunt.* Et exposuit quod proposuit. Quid enim ait? *Sic erit in consummatione sæculi.* Intellexistis littus? *Veniunt*, inquit, *Angeli, & colligunt malos de medio justorum, & mittunt in caminum ignis ardentis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Tamen regnum cælorum est appellata Ecclesia. Et quando quidem mare habet pisces simul natantes & bonos & malos, in isto regno cælorum, id est, in Ecclesia hujus temporis minimus vocatur ille, qui docet bona, & agit mala: quia ibi est & ipse. Non enim non est ibi: ibi est in regno cælorum, id est, in Ecclesia, qualis est isto tempore. Docet bona, agit mala: necessarius est, mercenarius est. *Amen dico vobis*, ait, *perceperunt mercedem suam.* Prodest aliquid. Nam si nihil prodessent, qui bona docent & malè vivunt, non diceret ipse Dominus suo populo, *Scribæ & Pharisæi cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Quare? *Dicunt enim, & non faciunt.*

Johan. 21. 8. & 11. &c.

Littus, finis sæculi.

Non scissũ rete, quia nullæ hæreses.

Matth. 5. 17. &c.

* Caput IV.

Quis magnus, & quis minimus, in regno cælorum.

Matth. 13. 47. &c.

Minimus.

Serm. de Tempore.

Matth. 6. 2.

Matth. 23. 2. & 3.

4. Intendat ergo Caritas Vestra: volo enim exponere qui sunt pisces magni. *Qui solverit*, inquit, *unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* Ibi erit, sed minimus. *Qui autem fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Ecce sunt illi pisces magni, ad dexteram capti: *Qui fecerit, & sic docuerit:* bona fecerit, bona docuerit; non sibi loquenti malè vivendo contradixerit, cùm malæ vitæ testem habeat linguam bonam. *Qui* ergo *fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Et sequitur: *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Modò quomodo intelligis regnum cælorum? Illud unde dicitur dextris, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* * *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum.* Quid est, *plus quàm Scribarum & Pharisæorum?* Respice Scribas illos & Pharisæos, qui cathedram Moysi sedent, de quibus dictum est, *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt.* Ergo justitia Pharisæorum est, dicere & non facere. Abundet justitia vestra super Scribarum & Pharisæorum, ut & bona dicatis, & bene vivatis.

Caput V.

Magnus in regno cælorum.

Matth. 5. 19. &c.

Matth. 25. 34.

* *Matth.* 5. 20.

Matth. 23. 3.

5. Jam ergo de numero centum-quinquaginta-trium piscium quid opus est eadem retexere? Nostis illa. A decem & septem nascitur numerus crescens. Incipe ab uno, perveni ad decem & septem, ut omnes addas; id est, unum addas ad duos, & fiant tres; addas tres, & fiant sex: addas quatuor, & fiant decem. Sic omnes adde usque ad decem & septem, & pervenis ad centum-quinquaginta-tres. Tota ergo intentio nostra esse non debet, nisi quid sibi volunt decem & septem: ibi est enim fundamentum centum-quinquagita-trium. Quid sibi volunt decem & septem? In Lege agnosce decem. Decem præcepta data sunt [a] prima: decalogus dicitur scriptus in tabulis digito Dei. In decem agnosce Legem, in septem agnosce Spiritum-sanctum. Septenario enim numero commendatur Spiritus-sanctus. Ideo non nominatur in Lege sanctificatio, nisi septimo die. Fecit Deus lucem: non dictum est, Sanctificavit eam. Fecit firmamentum: non dictum est, Sanctificavit firmamentum. Discrevit mare à terra, jussit germinare terram: non dictum est, Sanctificavit. Fecit lunam & sidera: non dictum est, Sanctificavit. Jussit animalia procedere de aquis natantia & volantia: non dictum est, Sanctificavit. Jussit de terra exire animalia quadrupedia & omnia repentia: non dictum est, Sanctificavit. Fecit ipsum hominem: non dictum est, Sanctificavit. * Ventum est ad septimum diem, ubi requievit; & ipsum sanctificavit. Per requiem suam Deus sanctificavit re-

Caput VI.

Numerus piscium 153. quid significet.

Spiritus-sanctus septenario commendatus.

Gen. 1.

* Caput VII.

[a] In homiliarum collectione, *data sunt. Primò decalogus.*

quiem nostram. Ibi ergo erit sanctificatio nostra plena, ubi cum illo sine fine requiescemus. Nam quare Deus requiesceret? Non enim operando fatigatus est. Tu si verbo facias, non fatigaris: si jubeas, & continuò fiat, stas, integer manes. Pauca verba dixit, unde totum fecit, & subitò lassatus est?

Sanctificatio nostra plena.

6. Ergo Legem agnosce in decem; Spiritum-sanctum agnosce in septem. Jungatur Spiritus Legi. Quia si acceperis Legem, & defuerit tibi adjutorium Spiritûs, non imples quod legis, non imples quod tibi jubetur: sed homo sub Lege insuper prævaricator tenetur. Accedat Spiritus, adjuvet; & fit quod jubetur. Si desit Spiritus, littera occidit te. Quare littera occidit te? Quia prævaricatorem te faciet. Nec potes te excusare de ignorantia, quia legem accepisti. Jam quod faceres didicisti, ignorantia te non excusat, Spiritus te non adjuvat: ergo periisti. Sed quid ait apostolus Paulus? *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Unde Spiritus vivificat? Quia facit impleri litteram, ne occidat. Isti sunt sancti, qui faciunt Legem Dei ex dono Dei. Lex jubere potest, juvare non potest. Accedit adjutor Spiritus; & fit jussum Dei cum gaudio, cum delectatione. Nam multi faciunt ex timore. Sed qui faciunt Legem, timendo pœnam, mallent non esse quod timerent. Qui autem faciunt Legem amando justitiam, gaudent & ibi, quia non habent inimicam.

Lex non impletur sine Dei adjutorio. — *2. Cor. 3. 6.* — *Non timore pœnæ lex impletur, sed amore justitiæ.*

Caput VIII.

7. Ideo dicit Dominus, *Concorda cum adversario tuo citò, dum es cum illo in via.* Quis est adversarius tuus? Sermo Legis. Quæ est via? Vita ista. Quomodo est ille adversarius? Dicit, *Non mœchaberis*: & tu vis mœchari. Dicit, *Non concupiscas rem proximi tui*: & tu vis rapere res alienas. Dicit, *Honora patrem & matrem*: & tu contumeliosus es in parentes. Dicit Lex, *Noli dicere falsum testimonium*: tu à mendacio non recedis. Quando vides quia ille sermo aliud jubet, & tu aliud facis, est adversarius tuus. Adversarium habes malum, non tecum intret in secretarium: compone dum es cum illo in via. Adest Deus qui vos concordet. Quomodo vos concordat Deus? Donando peccata, & inspirando justitiam, ut fiant opera bona. Cùm ergo concordaveris cum adversario, id est, cum decalogo Legis, per Spiritum-sanctum, pertinebis ad decem & septem. Cùm pertinueris ad decem & septem, jam exincrescet numerus ad centum-quinquaginta-tres. Eris ad dexteram coronandus: ne remaneas ad sinistram damnandus.

Matth. 5. 25. — *Sermo Dei adversarius noster.* — *Exodi 20.*

* SERMO CCLII.

In diebus Paschalibus, XXIII.

De eadem lectione & duabus piscationibus.

** Aliàs de Diversis 5.*

Caput I.

1. Multis & variis modis, & altitudinem divinitatis suæ, & misericordiam humanitatis, in Scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus ostendit, quemadmodum solet, in mysteriis & sacramentis; ut petentes accipiant, & quærentes inveniant, & pulsantibus aperiatur. Hoc enim etiam quod lectum est hodie de sancto Evangelio quærit intellectorem, & facit gaudium spiritale, cùm fuerit intellectum. Intendat Sanctitas Vestra

Piscatio jussu Domini facta non sine mysterio.

A quid sibi velit, quòd eo modo se Dominum discipulis demonstrasse sancta Scriptura testatur, quomodo Evangelista narrat. Perrexerunt enim discipuli piscatum, & tota nocte nihil ceperunt. Dominus autem apparuit eis manè in littore, interrogavit utrùm haberent pulmentarium: illi se dixerunt non habere. Ait illis, *Mittite retia in dexteram partem, & invenietis.* Qui quasi emturus venerat, gratis tanta largitus est; & largitus de mari, tamquam de creatura sua. Magnum quidem miraculum. Miserunt statim, & tantum

Johan. 21. 6.

B ceperunt, ut præ multitudine piscium extrahere retia non possent. Sed hoc tantum miraculum si adtendas quis fecerit, non est mirum: multa enim majora jam fecerat. Non enim qui ante resurrectionem mortuos suscitaverat, magnum aliquid post resurrectionem fuit quòd pisces capi fecit. Ergo interrogare debemus ipsum miraculum, quid nobis interiùs loquatur. Non enim sine caussa non dixit utcumque, Mittite retia: sed, *Mit-*

C *tite in dexteram partem.* Deinde pertinuit ad Evangelistam dicere & numerum piscium. Pertinuit etiam dicere, *Et cùm tanti essent*, id est, tam magni, *retia non sunt disrupta.* Hoc loco recordari nos fecit, aliquando ad jussum Domini missa esse retia, quando elegit discipulos, antequam pateretur ipse. Ibi erat Petrus, Johannes & Jacobus. Miserunt retia, ceperunt pisces innumerabiles; & cùm unum navigium impletum esset, quæsierunt se adjuvari à vicino navigio: &

Altera piscatio ante passionem. — *Lucæ 5. 4.*

D impleta sunt duo navigia piscibus, (hoc ante resurrectionem,) sanè tam multis, ut retia rumperentur. Quare ibi numerus nullus dicitur? Quare ibi retia rumpebantur, hîc non rupta sunt? Quare ibi non dictum est, ut ad dexteram partem mitterentur retia, hîc autem dixit, *Mittite retia in dexteram partem?* Non est utique sine caussa. Non enim faciebat ista Dominus quasi frustra & inaniter. Verbum Dei est Christus, qui non solùm sonis, sed etiam factis loquitur hominibus.

Etiam factis loquitur Christus.

Caput II.

E 2. Hoc ergo nobis propositum est, quod cum Vestra Caritate tractemus, quid sibi velit ista diversitas. Etenim retia illa quæ missa sunt antea, & ceperunt innumerabilem piscium numerum, & oneraverunt duas naves, & retia rumpebantur, & non sunt missa in dexteram partem retia; sed neque dictum est, in sinistram. Jam mysterium captionis illius impletur hoc tempore. Illud autem alterum mysterium, quod non sine caussa post resurrectionem fecit, jam non moriturus,

Discrimen duarum piscationum.

F sed semper vivus futurus; non solùm divinitate, qua numquam mortuus est, sed etiam corpore, quo pro nobis mori dignatus est. Non ergo frustra illud ante passionem, hoc post resurrectionem. Illic nec in dexteram, nec in sinistram, sed tantùm, *Mittite retia*: hîc autem, *Mittite in dexteram.* Ibi nullus numerus, sed sola copiosa multitudo, ut duas naves penè mergeret; nam & hoc dictum est ibi: est hîc autem & numerus, & magnitudo piscium. Deinde ibi retia rumpe-

G bantur, hîc pertinuit ad Evangelistam dicere, *Et cùm tam magni essent, retia non sunt disrupta.* Numquid non videmus, Fratres, verbum Dei retia esse, & hoc sæculum mare, & omnes qui credunt intra illa retia includi? Si fortè quis dubitat hoc significare, adtendat ipsum Dominum in parabola hoc dixisse, quod in miraculo ostendit. Ait enim, *Simile est regnum cælorum sagenæ*

Retia, verbum Dei; mare, sæculum. — *Matth. 13. 47. &c.*

CLASSIS II

missæ in mare, quæ congregat ex omni genere piscium. Quam, cùm impleta esset, educentes, traxerunt illam ad littus; & juxta littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in fine sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Apparet ergo signum habere fidei, retia missa in mare. An non est mare hoc sæculum, ubi se invicem homines quasi pisces devorant? An parvæ procellæ & fluctus tentationis perturbant hoc mare? An parva pericula sunt navigantium, id est, in ligno crucis patriam cælestem quærentium? Manifestissima ergo similitudo est.

CAPUT III.

3. Illud tantùm videamus, Fratres, (quia resurrectio Domini novam vitam significat, quam habebimus, cùm hoc sæculum transierit,) quomodo primùm verbum Dei missum est in hoc mare, id est, in hunc mundum. In hoc sæculum fluctibus turbulentum, & tempestatibus periculosum, & naufragiis molestum, missum est verbum Dei, & cepit multos, ita ut implerentur duo navigia. Quæ sunt duo navigia? Populi duo. Quibus populis duobus, tamquam duobus parietibus lapis angularis factus est Dominus, ut eos in se conjungeret ex diverso venientes. Venit enim populus Judæorum ex alia longè consuetudine: venit autem populus Gentium ab idolis. Venit ex circumcisione populus Judæorum: venit ex præputio populus Gentium. Ex diverso venerunt: sed in lapide angulari junguntur. Numquam enim angulum faciunt parietes, nisi è diverso venientes. In Christo ergo concordaverunt duo populi, vocati ex Judæis qui erant propè, & ex Gentibus qui erant longè. Nam quia propè erant Judæi, (jam enim unum Deum colebant,) quando crediderunt in Christum, adtende quid fecerint. Quidquid habuerunt, vendiderunt, & posuerunt pretia prædiorum suorum ante Apostolorum pedes: & distribuebatur unicuique, prout cuique opus erat. Liberati sunt sarcinis negotiorum sæcularium, & levibus humeris secuti sunt Christum: subdiderunt collum jugo leni, & amplectentes lapidem angularem ex propinquo, pacati sunt. Venit autem & populus Gentium ex longinquo, & ipse pervenit ad illum lapidem, & convenit in pace. Istos duos populos significant duæ illæ naves. Sed tanta multitudine piscium impletæ sunt, ut penè mergerentur. Legimus enim & inter ipsos, qui de Judæis crediderant, exstitisse carnales, qui pressuram faciebant Ecclesiæ, & prohibebant Apostolos Gentibus loqui Evangelium, dicentes, Non est missus Christus nisi circumcisis: ut si vellent Evangelium accipere Gentes, circumciderentur. Unde apostolus Paulus missus ad Gentes, odiosus eis factus erat verum prædicans, qui de Judæa crediderant. Volebat enim Apostolus, ut ex diverso veniens populus Gentium, tamen angulum tangeret, ubi firma pax erat. Carnales ergo illi exigentes circumcisionem, non pertinebant ad numerum spiritalium: neque jam videbant transactis sacramentis carnalibus venisse illum, cujus præsenti luce umbræ fugarentur. Tamen quia seditiones faciebant, quasi multitudine sua mergebant navem.

Duo navigia, duo populi. *Ephes. 2.*

Act. 4. 34.

Submersionis periculum ex multitudine.

Periclitatur navis Judæorum. *Gal. 4. 16*

CAPUT IV.

4. Adtendamus etiam navem Gentium. Videamus si non tanta multitudo collecta est in Ecclesiam, ut vix ibi appareant grana frumenti in tam multo numero palearum. Quàm multi raptores, quàm multi ebriosi, quàm multi maledici, quàm multi spectatores theatrorum! Nonne ipsi implent ecclesias, qui implent & theatra? Et talia plerumque seditionibus quærunt in ecclesiis, qualia solent in theatris. Et plerumque si aliquid spiritaliter dicatur aut jubeatur, resistunt, reluctantur, sequentes carnem, repugnantes Spiritui-sancto. Unde Judæos quoque Stephanus accusabat. In ista civitate, Fratres mei, nonne experti sumus, quod recordatur nobiscum Sanctitas Vestra, quanto periculo nostro de ista basilica ebriositates expulerit Deus? Nonne seditione carnalium penè mergebatur nobiscum navis? Unde hoc, nisi de illo numero piscium innumerabili? Deinde etiam illud ibi dictum est, quia retia rumpebantur. Disruptis retibus, hæreses & schismata facta sunt. Retia quidem omnes concludunt: sed impatientes pisces, nolentes venire ad cibum Domini, ubi possunt impingunt se, & rumpunt, & exeunt. Et retia quidem illa per totum expanduntur: qui rumpunt autem, per loca rumpunt. Donatistæ ruperunt in Africa, Ariani ruperunt in Ægypto, Photiniani ruperunt in Pannonia, Cataphryges ruperunt in Phrygia, Manichæi ruperunt in Perside. Quot locis sagena illa disrupta est? Et tamen quos includit, perducit ad littus. Perducit quidem, sed numquid [a] qui ruperunt retia? Omnes mali exeunt. Non quidem exeunt, nisi mali: remanent autem & boni & mali. Nam unde perducitur sagena ad littus cum piscibus & bonis & malis, de qua in parabola locutus est Dominus?

SERM. DE TEMPORE. Navis Gentium.

Act. 7. 51.

V. epistolas Augustini 22. & 29.

Retia rupta, hæreses & schismata.

CAPUT V.

5. Hanc enim similitudinem habet etiam area, cùm trituratur. Est palea, sunt frumenta: sed tamen qui adtendunt aream, difficilè vident nisi paleam. Diligentia opus est, ut frumenta in palea inveniantur. Venti autem perflant undique aream. Et cùm trituratur, antequam subrigatur ut possit ventilari, numquid non patitur ventos? Ventus flat ex hac parte, verbi gratiâ, tollit paleas: inde rursus flat, tollit ad alteram partem. A quacumque parte tollit paleas, & mittit in sepem, & in spinas, & quolibet. Non potest frumentum inde tollere: non tollit ventus nisi paleas. Sed tamen cùm tulerint undique flantes venti paleas, numquid solum triticum in area remanebit? Non inde it nisi palea: remanet autem & palea & frumentum. Quando it omnis palea? Quando venerit Dominus ferens ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum, paleam autem comburet igni inexstinguibili. Meliùs intendat Sanctitas Vestra quid dicam. Aliquando enim venti qui tollunt paleam de area, iterum flant à sepe ubi hæserat palea, & eam revocant in aream. Sicut, verbi gratiâ, nescio quis homo in Catholica constitutus, passus est aliquam tentationem tribulationis. Vidit sibi carnaliter subveniri posse in negotio suo apud Donatistas: dictum est illi, Non tibi subvenietur, nisi hîc communicaris. Flavit ventus, projecit in spinas. Si contingat illi negotium habere sæculare rursus, quod non possit finiri nisi in Ecclesia catholica, non adtendens ubi sit, sed ubi negotia sua commodiùs explicet, quasi flante vento ab altera parte sepis,

In area Domini palea semper aliqua cum frumento.

Matth. 3. 12.

Venti paleas ad aream reflant.

[a] MSS. *Sed numquid corruperunt, (vel corrumpunt) retia?* Videtur legendum sic, *Sed numquid cùm rumpunt retia, omnes mali exeunt?*

CLASSIS II. CAPUT VI.

pis, revocatur ad aream Domini. A

Carnalia quærentes, sive sint intrà, sive foris, palea sunt.

6. Isti ergo, Fratres, qui carnalia quærunt in Ecclesia, & non sibi proponunt quid promittat Deus: quia hîc sunt tentationes, pericula, difficultates; post temporales autem labores, requiem sempiternam promittit, & Angelorum sanctorum societatem: sibimet ergo ista non proponentes, sed carnalia desiderantes in Ecclesia, sive sint in area, sive sint foris, palea sunt. Nec ad illos valde gaudemus, nec palpamus eos vanis adulationibus. Bonum est illis, ut fiant frumentum. Hoc B enim interest inter illas veras paleas, & istos carnales homines, quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium, homini autem Deus dedit liberum arbitrium. Et si vult homo, herì fuit palea, hodie fit frumentum: si à verbo Dei se avertat, hodie fit palea. Et non est quærendum, nisi quales inveniat ultima ventilatio.

Palea potest fieri frumentum.

CAPUT VII. *Ecclesia post resurrectionem nonnisi bonos habitura significatur.*

7. Adtendite jam, Fratres, etiam illam Ecclesiam beatam, mysticam, magnam, quam significant centum-quinquaginta-tres pisces. Ista C enim qualis sit, audivimus, & novimus, & videmus: illa autem qualis futura sit, in prophetia nobis est; sed adhuc nondum pervenit experimento. Sed tamen licet de futura gaudere, quamvis præsentem nondum videamus. Missa sunt tunc retia, nec in dexteram, nec in sinistram: captura enim erant & bonos & malos. Si enim diceretur, in dexteram; non ibi intelligerentur mali: si diceretur, in sinistram; non ibi intelligerentur boni. Quando autem bonos & malos ha- D bitura erant, passim missa sunt retia, & ceperunt, ut tractavimus, iniquos & justos. Nunc autem jam futura Ecclesia in illa Jerusalem sancta, ubi patebunt omnium corda mortalium, non est metuendum ne intret aliquis in illam Ecclesiam qui malus est. Non enim sub pelle mortalitatis teget astutiam cordis nequissimi. Jam enim venit Dominus: & ideo post resurrectionem jubet ut mittantur hæc retia in dexteram, jam non morituris. Et fit quod Apostolus ait, *Quò usque veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis: & tunc laus erit unicuique à Deo:* quando publicabuntur E conscientiæ, quæ modò teguntur. Tunc ergo boni soli erunt ibi, pellentur mali. Ad dexteram enim missa sunt retia, iniquos habere non potuerunt.

1 Cor. 4. 5.

CAPUT VIII. *Centum-quinquaginta-tres pisces quid significent.*

8. Quare ergo centum-quinquaginta-tres? Numquid tot erunt sancti? Nam si computentur, non solùm omnes fideles, qui in bona vita exie- F runt de corpore, sed soli Martyres; unus dies passionis Martyrum si computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum. Ergo centum-quinquaginta-tres pisces, quid sibi volunt, sine dubio conquirendum est. Quid sibi volunt quinquaginta? In isto enim numero, id est, in quinquaginta mysterium est: quia ter multiplicati quinquaginta, fiunt centum-quinquaginta. Nam ideo videtur additus ternarius numerus, ut admoneamur ex qua multiplicatione facti sint cen- G tum-quinquaginta-tres: ac si diceretur, centum-quinquaginta in tria divide. Nam si diceretur centum-quinquaginta-duo, ex illo numero qui supercrevit admoniti, divideremus in septuaginta-quinque: quoniam septuaginta-quinque bis ducti, faciunt centum-quinquaginta. Divisionem quippe binariam binarius numerus additus indicaret. Si diceretur centum-quinquaginta-sex, in vigenos-quinos partiri debuimus, ut fierent eorum sex partes. Nunc autem quia dictum est centum-quinquaginta-tres, in tres partes debemus dividere totum illum numerum, id est, centum-quinquaginta. Hujus ergo numeri pars tertia, quinquaginta sunt. Itaque nostra tota consideratio in quinquagenario numero figenda est.

SERM. DE TEMPORE.

CAPUT IX. *Quinquaginta dies, & Halleluia post Pascha antiquæ traditionis.*

9. Numquid fortè ipsi sunt quinquaginta isti dies, quos nunc celebramus? Non enim sine causa, Fratres mei, consuetudinem antiquæ traditionis tenet Ecclesia, ut per istos quinquaginta dies Halleluia dicatur. Halleluia enim laus est Dei. Significatur ergo nobis laborantibus actio quietis nostræ. Cùm enim post istum laborem ad illam requiem veniemus, solum negotium laus Dei erit, actio nostra ibi Halleluia est. Quid est Halleluia? Laudate Deum. Quis laudet Deum sine defectu, nisi Angeli? Non esuriunt, non sitiunt, non ægrotant, non moriuntur. Nam & nos diximus Halleluia, & cantatum est manè hîc, & cùm jam adessemus, paulò antè diximus Halleluia. Odor nos quidam divinæ laudis, & illius quietis adtingit, sed ex majore parte mortalitas premit. Lassamur enim dicendo, & membra nostra reficere volumus: & si diu dicatur Halleluia, onerosa nobis est laus Dei, propter molem corporis nostri. Nam plenitudo sine cessatione in Halleluia, post hoc sæculum & post laborem erit. Quid ergo, Fratres? Dicamus quantum possumus, ut semper dicere mereamur. Ibi cibus noster Halleluia, potus Halleluia, actio quietis Halleluia, totum gaudium erit Halleluia, id est, laus Dei. Quis enim laudat aliquid sine defectu, nisi qui fruitur sine fastidio? Quantum ergo erit robur in mente, quanta immortalitas & firmitas in corpore, ut neque mentis deficiat intentio in contemplatione Dei, neque membra succumbant in continuatione laudis Dei?

CAPUT X. *Quinquagenarii & quadragenarii numeri mysterium.*

10. Quare ergo quinquaginta dies in hoc mysterio celebrantur? Dominus quadraginta dies fecit cum discipulis post resurrectionem, sicut Actus Apostolorum testantur: post quadraginta dies adscendit in cælum, & decimo die postea quàm adscendit, misit Spiritum-sanctum. Quo impleti Apostoli, & omnes qui convenerant in unum, locuti sunt linguis, & fecerunt illa magnalia, quæ legentes & credentes amplectimur, cum magna fiducia loquentes verbum Dei. Quadraginta dies fecit in terra cum discipulis, ante passionem autem quadraginta dies jejunavit: non invenis alium jejunasse quadraginta diebus, præter Dominum, & Moysen, & Eliam. Dominus tamquam Evangelium, Moyses tamquam Lex, Elias tamquam prophetia: quia Evangelium testimonium habet à Lege & Prophetis. Ideo & in monte, quando voluit ostendere Dominus noster Jesus gloriam suam, inter Moysen & Eliam stetit. Medius in honore ipse fulgebat: Lex & Prophetæ à lateribus adtestabantur. Quadragenarius ergo numerus tempus hoc significat, in quo laboramus in sæculo: quia sapientia nobis hîc dispensatur temporaliter. Aliter enim visio sapientiæ immortalis sine tempore, aliter autem temporaliter dispensatur. Fuerunt enim Patriarchæ, & transierunt hinc: temporalis fuit dispensatio ipsorum. Non dico, temporaliter vivunt; nam semper vivunt, & cum Deo vivunt. Sed temporalis

Act. 1. *Act. 2.*

Quadragenarius numerus, hoc tempus significat.

CLASSIS II.

dispensatio verbi per eos facta est. Non enim A modò loquuntur hîc; sed scripta sunt quæ locuti sunt, & leguntur in tempore. Venerunt Prophetæ tempore proprio, & abjerunt. Venit Domi. tempore proprio: nam numquam recessit præsentiâ majestatis, numquam recedit divinitate ubique constitutus; sed quomodo in Evangelio dictum est, *In hoc mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit: in sua propria venit, & sui eum non receperunt.* Quomodo hîc erat, & quomodo venit, nisi quia hîc B erat majestate, venit humanitate? Quod enim venit in carne, temporaliter nobis sapientiam ipse ministravit: temporaliter per Legem, temporaliter per Prophetas, temporaliter per Scripturas Evangelii. Cùm transierint enim tempora, videbimus ipsam sapientiam sicut est, quæ retribuit denarium numerum. Septenarius enim numerus indicat creaturam: quia sex diebus Deus operatus est, & septimo ab operibus quievit. Ternarius verò numerus conditorem Patrem & Filium & Spiritum-sanctum insinuat. Perfecta est sapientia, creaturam C creatori piè subdere; discernere conditorem à conditione, artificem ab operibus. Qui commiscet artifici opera, nec artem intelligit, nec artificem: qui autem discernit, impletur sapientiâ. Iste est ergo denarius, plenitudo sapientiæ. Sed quando temporaliter distribuitur; quia in quaternario numero est insigne temporalium, quater ductus denarius, quadragenarium numerum facit. Et annus quadrifariè variatur, verno, æstate, au- D tumno & hyeme: & maximè apparet in tempore quaternaria quædam vicissitudo. Quatuor etiam ventos Scriptura commemorat. Per quatuor enim cardines perrexit Evangelium, quod in tempore dispensatur: & ipsa est catholica Ecclesia, quæ quatuor partes orbis obtinuit. Ergo denarius hoc modo quadragenarium numerum facit.

CAPUT XI. Quadragenario bene gesto additur denarius.

11. Ideo quadraginta diebus illi jejunaverunt, significantes in isto tempore necessariam esse abstinentiam ab amore rerum temporalium. Hoc E enim significant per tot dies perpetua illa jejunia, quadraginta diebus. Unde & populus ille Israël quadraginta annos per eremum ductus est, antequam terram promissionis regnaturus intraret. Sic & nos in vita ista, ubi maxima sollicitudo est, ubi timor, ubi pericula tentationum, temporali dispensatione quasi per eremum ducimur. Sed cùm bene gesserimus quadragenarium numerum, id est, bene vixerimus in ista temporali dispensatione, secundùm præcepta Dei ambulantes, acci- F piemus mercedem denarium illum fidelium. Quia & Dominus quando ad vineam mercenarios conduxit, mercedem illis denarium dedit. Omnibus denarium, & quos manè conduxerat, & quos medio die, & quos fine diei, omnibus denarium dedit. Quia si fuerit ab ineunte ætate quisque fidelis, denarium accepturus est; jam non per temporum distributionem, sed in æterna contemplatione sapientiam discernentem creatorem à creatura; ut creatore perfruatur, de G creatura laudet creatorem. Sed credidit aliquis juvenis, & priore tempore suo non fuit fidelis; denarium est accepturus. Sed credidit senex, jam in occasu diei quasi hora undecimâ conductus ad vineam; & ipse denarium percepturus est. Itaque

Matth. 20. 2.

ad quadragenarium illum bene gestum, adde mercedem denarii, & fiet quinquagenarius numerus, qui significat Ecclesiam futuram ubi semper laudabitur Deus. Sed quia in nomine Trinitatis vocati sunt omnes, ut in quadragenario numero bene vivant, & denarium accipiant, ipsum quinquagenarium ter multiplica, & fiunt centum-quinquaginta. Adde ipsum mysterium Trinitatis, fiunt centum-quinquaginta-tres, qui piscium numerus in dextera inventus est: in quo tamen numero innumerabilia sunt millia sanctorum. Unde nulli mali projicientur, quia non ibi erunt: nec ullo schismate retia disrumpentur, quæ sunt vincula unitatis & pacis.

SERM. DE TEMPORE. Quinquagenarius numerus signat Ecclesiam futuram.

CAPUT XII. Quadraginta dies ante, & quinquaginta post Pascha.

12. Satis esse arbitror expositum grande mysterium. Sed scitis, quòd ad nos pertinet bene operari tempore quadragesimo, ut possimus Dominum laudare in quinquagesimo. Ideo quadraginta illos dies, antequam vigilemus, in labore & jejunio & abstinentia celebramus: significant enim præsentiam hujus temporis. Post resurrectionem autem Domini, quia isti dies significant lætitiam sempiternam: (Nondum hoc sunt, sed hoc significant. In mysterio res est, Fratres, nondum in effectu. Non enim quando celebratur Pascha, crucifigitur Dominus: sed quomodo præterita anniversariâ celebratione significamus, sic & futura quæ nondum sunt.) isto ergo tempore relaxantur jejunia; significat enim numerus dierum istorum quietem futuram. Sed videte Fratres, ne per multam ebriositatem quasi permissi magna effusione, carnaliter volentes celebrare istos dies, non mereamini quod significant in sempiternum cum Angelis celebrare. Fortè enim quemcumque ebrium reprehendero, dicturus est, Tu nobis tractasti, quia isti dies lætitiam sempiternam significant; tu nobis insinuasti, quia hoc tempus gaudium angelicum & cæleste prænuntiat: non ergo debui mecum bene facere? Utinam bene, & non malè. Significat enim tibi gaudium, si fueris templum Dei. Si autem immunditiâ vinolentiæ impleas templum Dei, sonat tibi Apostolus, *Quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Sit hoc conscriptum in cordibus Sanctitatis Vestræ, meliorem esse hominem minùs intelligentem & meliùs viventem, quàm multùm intelligentem & non bene viventem. Plenitudo quidem est & beatitudo perfecta, ut citò quisque intelligat & bene vivat: sed si fortè utrumque non potest, melius est bene vivere, quàm citò intelligere. Qui enim bene vivit, meretur ampliùs intelligere: qui malè vivit, & quod intelligit perdet. Sic dictum est, *Qui habet, dabitur ei; qui autem non habet, & id quod videtur habere, auferetur ab eo.*

Carnalis festorum celebratio.

1. Cor. 3. 17.

Perfecta, beatitudo.

Matth. 25. 29.

* SERMO CCLIII.

In [a] diebus Paschalibus, XXIV.

*Aliàs de Tempore 149.

De ultima lectione Evangelii Johannis 21.

CAPUT I. Petrus ob trinam negationem, ter interrogatus de sua dilectione.

1. EVANGELIUM sancti Johannis apostoli, quod dicitur *secundùm Johannem,* hodie terminatum est, de his quæ narravit, quomodo apparuerit Dominus post resurrectionem discipulis suis. Compellavit ergo apostolum Petrum, illum præsumtorem & ne-

[a] In vetere Floriacensi codice prænotatur *habitus die sabbato.* Eidem diei in MSS. adsignatur, qui in eamdem lectionem compositus est Sermo suprà 147. Ad quem etiam diem pertinet fortè ejusdem argumenti Sermo 146.

Classis II. — Johan. 21. 15.

gatorem, cùm loqueretur ei jam vivus morte de- A victa, & dicebat, *Simon Iohannis*, (ſic enim appellabatur Petrus,) *amas me?* Reſpondebat ille quod erat in corde ipſius. Si Petrus reſpondebat quod in corde habebat; Dominus quare quærebat, qui cor videbat? Denique ipſe etiam Petrus mirabatur, & cum quodam tædio audiebat quærentem, quem noverat ſcientem. Semel dictum eſt, *Amas me?* Reſponſum eſt, *Diligo te, Domine, tu ſcis.* Et iterum, *Amas me? Domine, tu omnia noſti; tu ſcis quia diligo te,* Et B tertiò, *Amas me?* Contriſtatus eſt Petrus. Quid contriſtaris Petre, quia ter reſpondes amorem? Oblitus es trinum timorem? Sine interroget te Dominus: medicus eſt qui te interrogat, ad ſanitatem pertinet quod interrogat. Noli tædio affici. Exſpecta, impleatur numerus dilectionis, ut deleat numerum negationis.

Dilectionē Chriſtus poſtulat ſibi erga oves ſuas impendi.

2. Ubique tamen, ubique, id eſt, in ipſo ternario numero interrogationis ſuæ Dominus Jeſus reſpondenti amorem commendat agnos ſuos, & C dicit, *Paſce agnos meos, paſce oves meas:* tamquam diceret, Quid mihi retribuis, quia diligis me? Dilectionem tuam oſtende in ovibus meis. Quid mihi præſtas, quia diligis me; quando ego tibi præſtiti, ut diligeres me? Sed dilectionem tuam erga me, habes ubi oſtendas, habes ubi exerceas: *paſce agnos meos.* * Qualiter autem eſſent paſcendi agni Dominici, oves tanto pretio comparatæ quantâ eſſent dilectione paſcendæ, in conſequentibus demonſtravit. Poſtquam enim D Petrus impleto legitimo numero trinæ reſponſionis profeſſus eſt ſe eſſe Domini dilectorem, commendatis ſibi ovibus ejus, audit de ſua futura paſſione. Hîc demonſtravit Dominus, ſic diligendas oves ſuas ab eis quibus eas commendat, ut parati ſint mori pro eis. Sic idem Johannes in Epiſtola ſua ait, *Sicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

*Caput II. — 1. Johan. 3. 16.

Petrus de ſe antè infirmus, nūc ex gratia Chriſti maturus ad paſſionem. — Johan. 13. 37.

3. Reſponderat ergo Domino Petrus per ſuperbam quamdam præſumtionem, quando ei E dixerat, *Animam meam pro te ponam.* Nondum acceperat vires, quibus impleret promiſſum. Modò jam ut poſſit hoc facere, impletur caritate. Ideo ei dicitur, *Amas me?* Et reſpondet, *Amo:* quia hoc non implet niſi caritas. Quid eſt ergo, Petre? quando negaſti, quid timuiſti? Totum quod timuiſti, hoc erat, mori. Vivus tecum loquitur, quem mortuum vidiſti: noli jam timere mortem; in illo [a] victa eſt, quam timebas. Pe- F pendit in cruce, confixus eſt clavis, ſpiritum reddidit, lanceâ percuſſus eſt, in ſepulcro poſitus. Hoc timuiſti, quando negaſti; ne hoc patereris, timuiſti; & mortem timendo, vitam negaſti. Modò intellige: quando timuiſti mori, tunc es mortuus. Mortuus eſt enim negando: ſed reſurrexit plorando. Quid deinde ait illi? *Sequere me:* ſciens ejus maturitatem. Si enim meminiſtis, immo quia meminerunt, qui legerunt; commemorentur etiam qui non meminerunt, aut cogno- G ſcant qui non legerunt. Dixerat Petrus, *Sequar te quocumque ieris.* Et Dominus ad illum, *Non potes me ſequi modò: ſequèris autem poſtea.* Modò, inquit, non potes: promittis, ſed ego video vires tuas. Ego venam cordis inſpicio, & quod verum eſt ægroto renuntio. *Non potes me ſequi modò.* Sed iſta medici renuntiatio, non eſt deſperatio: * adjunxit, & ait, *Sequèris autem poſtea.* Eris ſanus, & ſequèris me. Jam quia videt quid agatur in corde ipſius, & videt quod donum dederit dilectionis animæ ipſius, dicit ei, *Sequere me.* Ego certè dixeram, *Non potes modò:* ego modò dico, *Sequere me.*

Johan. 21. 19. — Johan. 13. 36.

Serm. de Tempore. — *Caput III.

Quæſtio de verbis Domini, quomodo velit manere Johannem donec veniat. — Johan. 21. 21. & 22.

4. Sed nata eſt quædam quæſtio non omittenda. Cùm dixiſſet Dominus Petro, *Sequere me:* reſpexit Petrus ad diſcipulum quem diligebat Jeſus, id eſt, ad ipſum Johannem, qui Evangelium hoc ſcripſit; & ait Domino, *Domine, iſte quid?* Scio quia diligis eum, quomodo ego ſequor, & ipſe non ſequitur? Ait Dominus, *Sic eum volo manere, donec veniam: tu me ſequere.* Ipſe verò Evangeliſta, ipſe qui ſcripſit, de quo dictum eſt hoc, *Sic eum volo manere, donec veniam:* ſecutus adjunxit verba ſua in Evangelio, & ait, natam fuiſſe famam inter fratres propter hoc verbum, quia diſcipulus ille non eſſet moriturus. Et ut tolleret iſtam opinionem adjunxit, *Non autem dixit, eum non fuiſſe moriturum: ſed tantùm dixit, Sic eum volo manere, donec veniam: tu me ſequere.* Hanc ergo opinionem, qua putabatur Johannes non moriturus, abſtulit Johannes ipſe conſequentibus verbis ſuis, & ne hoc credatur, ait, Non hoc dixit Dominus, ſed dixit hoc. Quare illud autem dixerit, Johannes non expoſuit, ſed nobis reliquit propter quod pulſemus, ſi fortè aperiatur nobis.

Caput IV. Verba illa Domini duobus modis intelligi poſſunt.

Primò de paſſione nō à Johanne ſubeunda.

5. Quantum mihi Dominus donare dignatur, quantum mihi videtur, (videtur autem & meliùs melioribus,) ſic puto iſtam ſolvi quæſtionem duobus modis: aut de paſſione Petri dixit Dominus, quod dixit; aut de Evangelio Johannis. Quod eſt de paſſione: ut ſit, *Sequere me*, patere pro me, patere quod ego. Crucifixus eſt enim Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus. Expertus eſt clavos, expertus eſt cruciatus. Johannes autem nihil eorum expertus eſt: hoc eſt, *Sic eum volo manere*, ſine vulnere, ſine cruciatu dormiat, & exſpectet me. *Tu me ſequere*, patere quod ego: ſanguinem fudi pro te, funde pro me. Uno ergo iſto modo exponi poteſt, quod dictum eſt, *Sic eum volo manere, donec veniam: tu me ſequere.* Nolo ut ipſe patiatur, tu patere. Secundùm autem Evangelium Johannis, hoc mihi videtur intelligi: quoniam Petrus ſcripſit de Domino, ſcripſerunt & alii: ſed ſcriptura eorum magis circa humanitatem Domini eſt occupata. Dominus enim Chriſtus & Deus eſt, & homo. Quid eſt homo? Anima & caro. Quid eſt ergo Chriſtus? Verbum, anima & caro. Sed qualis anima? quia & pecora habent animas. Verbum, rationalis anima & caro: hoc totum Chriſtus. Sed de divinitate Chriſti in litteris Petri [b] aliquid: in Evangelio autem Johannis multum eminet. *In principio erat Verbum*, ipſe dixit. Tranſcendit nubes, & tranſcendit ſidera, tranſcendit Angelos, tranſcendit omnem creaturam, pervenit ad Verbum, per quod facta ſunt omnia. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt.* Quis videt, quis cogitat, quis dignè ſuſcipiat, quis dignè pronuntiet? Tunc

Secundò de Johannis Evangelio non bene intelligendo niſi in futura felicitate. — Johan. 1. 1.

[a] Editi, *vita eſt.* At MSS. *victa eſt.* Et mox ex iis nonnulli, *quem timebas mori.*

[b] Sic aliquot MSS. Alii verò, *non aliquid.* Editi, *non aliud.*

Classis II. a

a habet bene intelligi, quando venerit Christus. A *Sic eum volo manere, donec veniam.* Exposui sicut potui: potest ipse meliùs in cordibus vestris.

* Aliàs de Tempore 151.

* SERMO CCLIV.

In diebus Paschalibus, XXV.

Caput I. Tristitiæ tẽpus priùs tempore lætitiæ.

1. SIc se habet, Fratres mei, sic se habet miseria nostræ conditionis & Dei miseratio, ut tempus mæstitiæ tempus lætitiæ B præcedat: id est, ut prius sit tempus mæstitiæ, posterius tempus lætitiæ; prius sit tempus laboris, posterius quietis; prius sit tempus calamitatis, posterius felicitatis. Sic se habet miseria nostræ conditionis, ut diximus, & divina miseratio. Tempus enim mæstitiæ, laboris, miseriæ, peccata nostra nobis pepererunt: tempus verò lætitiæ, quietis, felicitatis, non venit de meritis nostris, sed de gratia Salvatoris. Aliud meremur, aliud speramus: meremur mala, speramus C bona. Hoc facit misericordia ejus, qui creavit nos.

Tristitia unde esse debet.

2. Sed tempore miseriæ nostræ, &, sicut Scriptura loquitur, diebus nativitatis nostræ, nosse debemus unde debeat esse ipsa tristitia. Tristitia enim sic est, quomodo stercus. Stercus non loco suo positum, immunditia est. Stercus non loco suo positum, immundam facit domum: loco suo positum, fertilem facit agrum. Videte stercoris locum ab agricola provisum. Ait Aposto- D lus, *Et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* Et alio loco, *Tristitia*, inquit, *secundùm Deum pænitentiam in salutem impænitendam operatur.* Qui secundùm Deum tristis est, in pænitentiam tristis est de peccatis suis. Tristitia de iniquitate * propriam justitiam parturit. Priùs tibi displiceat quod es, ut possis esse quod non es. * *Quæ secundùm Deum est*, inquit, *tristitia, pænitentiam in salutem impænitendam operatur. Pænitentiam*, inquit, *in salutem.* Qualem E salutem? *Impænitendam.* Quid est, *Impænitendam?* Cujus te omnino pænitere non possit. Habuimus enim vitam, cujus nos debuimus pænitere: habuimus vitam pænitendam. Sed non possumus pervenire ad vitam impænitendam, nisi per malæ vitæ pænitentiam. Numquid, Fratres, ut dicere cœperam, in massa tritici purgata invenies stercus? Tamen ad illum nitorem, ad illam speciem & pulcritudinem per stercus pervenitur: rei pulcræ fœditas via fuit.

2. Cor. 2. 2.
2. Cor. 7. 10.
* f. propria.

* Caput II. Pænitentia impænitenda.

Infructuosæ arbori stercus adhibitum figura pænitentiæ.
Luca 13. 7. &c.

3. Meritò etiam Dominus dicit in Evangelio F de quadam arbore infructuosa, *Jam ecce triennium est, quòd venio ad eam, & fructum in ea non invenio: præcidam illam, ne mihi agrum impediat.* Intercedit colonus: intercedit jam securi imminente infructuosis radicibus, & penè feriente: intercedit colonus, quomodo intercessit Deo Moyses: intercedit colonus, & dicit, *Domine dimitte illam & hoc anno; circumfodio ei, & adhibeo cophinum stercoris; si fecerit fructum, bene;* G *si quo minùs, præcides eam.* Arbor ista genus est humanum. Visitavit istam arborem Dominus tempore Patriarcharum, quasi primo anno. Visitavit eam tempore Legis & Prophetarum, quasi secundo anno. Ecce in Evangelio tertius annus illuxit. Jam quasi præcidi debuit: sed interpellat

Serm. de Tempore.

misericors misericordem. Qui enim se volebat exhibere misericordem, ipse sibi opposuit intercessorem. Dimittatur, inquit, & hoc anno: circumfodiatur ei fossa; signum est humilitatis: adhibeatur cophinus stercoris, si fortè det fructum. Immo quia dat fructum, ex parte non dat fructum, veniet Dominus ejus, & dividet eam. Quid est, dividet? Quia sunt boni, & sunt mali: modò autem in uno cœtu, tamquam in uno corpore sunt constituti.

Luca 12. 46.

Caput III. Tristitia de sæculi rebus perniciosa.

4. Ergo, Fratres mei, ut dixi, stercoris locus opportunus dat fructum, importunus autem locum facit immundum. Nescio quis tristis est, inveni nescio quem tristem: stercus video, locum quæro; dic amice, unde tristis es? Perdidi, inquit, pecuniam. Locus immundus, fructus nullus. Audiat Apostolum, *Tristitia mundi mortem operatur.* Non solùm fructus nullus, sed & magna pernicies. Sic & de ceteris rebus ad gaudia sæcularia pertinentibus, quas res longum est enumerare. Video alium tristantem, gementem, flentem: multum stercoris video, & ibi locum quæro. Et cùm viderem tristem, flentem; inspexi & orantem. Orans nescio quid mihi bonæ significationis ingessit: sed adhuc locum quæro. Quid enim si iste orans, gemens, magno fletu mortem roget inimici sui? Etiamsi sic jam plorat, jam rogat, jam orat; locus immundus, fructus nullus. Plus est quod invenimus in Scripturis: rogat ut moriatur inimicus ipsius, incidit in maledictionem Judæ: *Oratio ejus fiat in peccatum.* Inspexi alium rursus gementem, flentem, orantem: stercus agnosco, locum quæro. Intendi autem orationi ejus, & audio dicentem, *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Gemit peccatum: agnosco agrum, exspecto fructum. Deo gratias: bono loco est stercus; non ibi vacat; fructum parturit. Hoc est verè tempus fructuosæ mæstitiæ, ut conditionem mortalitatis nostræ, abundantiam tentationum, subreptiones peccatorum, adversantes cupiditatum, rixas concupiscentiarum contra bonas cogitationes semper tumultuantium doleamus: hinc tristes simus.

2. Cor. 7. 10.
Psal. 108. 7.
Psal. 40. 5.
Quæ hic lugenda.

Caput IV. Duo tempora, Quadragesimæ & Quinquagesimæ, quid significent.

5. Hoc tempus miseriæ nostræ & gemitûs nostri, quadraginta dies illi significant ante Pascha: lætitiæ verò, quæ posterior erit, quietis, felicitatis, vitæ æternæ, regni sine fine, quod nondum est, his diebus quinquaginta, quibus diebus Deo laudes dicuntur, significatur. Significantur enim nobis duo tempora; unum ante resurrectionem Domini, alterum post resurrectionem Domini: unum in quo sumus, alterum in quo nos futuros esse speramus. Tempus mæroris, quod significant dies Quadragesimæ, & significamus & habemus: tempus autem lætitiæ & quietis & regni, quod significant dies isti, significamus per Halleluia, sed nondum habemus laudes. Sed nunc suspiramus ad Halleluia. Quid est, Halleluia? Laudate Deum. Sed nondum habemus laudes: in Ecclesia frequentantur laudes Dei post resurrectionem, quia nobis erit perpetua laus post resurrectionem nostram. Domini passio tempus nostrum significat, in quo nunc flemus. Flagella, vincula, contumeliæ, sputa, spinea corona, vinum fellitum, in spongia acetum, insultationes, opprobria, postremò ipsa crux, in ligno

Halleluia quid.

a Editi, *Tunc hunc qui bene intelligit.* Emendantur veterum codicum auctoritate, è quibus nonnulli omittunt particulam *bene.*

Classis II

membra ſacra pendentia, quid nobis ſignificant, A niſi tempus quod agimus, tempus mæroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis? Ideo fœdum tempus: ſed fœditas iſta ſtercoris ſit in agro, non in domo. Mæror ſit de peccatis, non de cupiditatibus fraudatis. Fœdum tempus: ſed ſi bene utamur, fidele tempus. Quid fœtidius agro ſtercorato. Pulcrior fuit ager, antequam cophinum ſtercoris haberet; perductus eſt ager ad fœditatem; ut veniret ad ubertatem. Ergo fœditas hujus temporis ſignum eſt: ſed nobis ſit iſta B fœditas tempus fertilitatis. * Videamus ergo cum Propheta, quid dicat, *Vidimus eum.* Qualem? *Non habentem ſpeciem neque decorem.* Quare? Alium Prophetam interroga: *Dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Dinumerata ſunt oſſa pendentis. Fœda ſpecies, crucifixi ſpecies: ſed iſta fœditas pulcritudinem parturit. Quam pulcritudinem? Reſurrectionis. Quia *ſpecioſus formâ præ filiis hominum.*

*Caput V. — Iſai. 53. 2. — Pſal. 21. 18. — Pſal. 44. 3.

Debitor Deus quia promiſit, non quia accepit.

6. Laudemus ergo, Fratres, Dominum; quia C ejus fidelia promiſſa retinemus, nondum accepimus. Parum putatis, quia promiſſorem tenemus, ut jam debitorem exigamus? Promiſſor Deus debitor factus eſt bonitate ſua, non prærogantiâ noſtrâ. Quid ei dedimus, ut eum debitorem teneamus? An fortè quod audiſtis in Pſalmo, *Quid retribuam Domino?* Primò quando dicit, *Quid retribuam Domino*, verba ſunt debitoris, non debitum exigentis. Prærogatum eſt illi: *Quid retribuam Domino?* Quid eſt, *Quid retribuam?* Re- D pendam. Pro qua re? *Pro omnibus quæ retribuit mihi.* Quid retribuit mihi? Primò nihil eram, & fecit me; perieram, quæſivit me; quærens invenit me, captivum redemit me, emtum liberavit me, de ſervo fratrem fecit me. *Quid retribuam Domino?* Non habes quod retribuas. Quando ab illo totum exſpectas, quid habes retribuere? Sed exſpecta: neſcio quid vult dicere. Cur quærit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Circumſpiciens undique quid retribuat, E quaſi invenit. Quid invenit? *Calicem ſalutaris accipiam.* Retribuere cogitabas, adhuc accipere quæris. Vide, rogo. Si adhuc accipere quæris, adhuc debitor eris, quando retributor? Si ergo ſemper debitor eris, quando retribues? Non invenis quod retribuas: niſi quod dederit, non habebis.

Pſal. 115. 12.

Deo retribuere aliquid non valemus.

Homo de ſuo non habet niſi mendaciũ.

7. Vide, quando dicebas, *Quid retribuam?* ad illud pertinet quod dixiſti, *Omnis homo mendax.* Qui enim voluerit dicere, quia retribuet aliquid F Deo, mendax eſt; (Omnia ab illo ſperanda ſunt; à nobis ipſis præter illum nihil niſi fortè peccatum:) & mendacium de ſuo loquitur. Verè plenè de ſuo abundat homo; mendacium omnino hîc habet & theſaurum mendaciorum: cor ſuum mentiatur, quantum poteſt, non deficit; fingat quidquid poteſt, mentiatur quidquid poteſt. Quare? Quia quod gratis habet, de ſe habet, non illud emit. Quando venitur ad veritatem, ſi verax vult eſſe, non erit de ſuo. * Mendax Petrus G de ſuo. Ubi mendax? Promiſit nobis Dominus paſſionem: & dicit, *Abſit à te, non fiat illud.* *Omnis homo mendax.* Unde mendax? Ipſum Dominum audi: *Non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominis.* Verax autem Petrus, quando? *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Unde iſta veritas homini mendaci? Ecce homo dicit, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Quis dicit? Petrus. Quid erat Petrus? Homo, qui dixit verum. Certè, *Omnis homo mendax.* Ecce, ecce lingua ejus, ecce * lingua de lingua ejus: quomodo, *Omnis homo mendax?* Audi, quia *Omnis homo mendax*, quia de ſuo. Ergo unde Petrus verax? Audi ipſam veritatem, *Beatus es Simon Bar-jona.* Unde beatus? de ſuo? Abſit. *Quia tibi non revelavit caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in cælis eſt.*

Idem 11.

*Caput VI. Mendax Petrus. — Matth. 16. 22. &c.

Serm. de Tempore.

* f veritas.

Laudandus Deus nunc & ſemper.

8. Laudemus ergo Dominum, Cariſſimi, laudemus Deum; dicamus Halleluia. Significemus iſtis diebus diem ſine fine; ſignificemus locum immortalitatis, tempus immortalitatis: feſtinemus ad domum æternam. *Beati qui habitant in domo tua; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Lex dicit, Scriptura dicit, veritas dicit. Venturi ſumus ad domum Dei, quæ eſt in cælis. Ibi non quinquaginta diebus Deum laudabimus: ſed quemadmodum ſcriptum eſt, *in ſæcula ſæculorum.* Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod videbimus deficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod laudabimus tacebit: ſempiternum totum erit, ſine fine erit. Laudemus, laudemus; ſed non ſolis vocibus, laudemus & moribus: laudet lingua, laudet vita: ſed habeat caritatem infinitam. Converſi ad Dominum, &c.

Pſal. 83. 5.

* SERMO CCLV.

* Aliàs de Diverſis 1.

In diebus Paſchalibus, XXVI.

De Halleluia.

Caput I. Halleluia, piorum hîc ſolatium, ſola erit actio beatorum.

1. Quoniam voluit Dominus, ut Caritatem Veſtram in Halleluia [a] videremus, de Halleluia vobis verbum debemus. Non ſim oneri, ſi commemoro quod noſtis: quia & ipſum Halleluia quotidie dicimus, & quotidie delectamur. Noſtis enim quia Halleluia, Latinè dicitur Laudate Deum: & in hoc verbo conſonantes ore & conſentientes corde, exhortamur nos invicem ad laudandum Deum. Eum tantùm homo ſecurus laudat, qui non habet unde diſpliceat. Et in hoc quidem tempore peregrinationis noſtræ ad ſolatium viatici dicimus Halleluia; modò nobis Halleluia canticum eſt viatoris: tendimus autem per viam laborioſam ad quietam patriam, ubi retractis omnibus actionibus noſtris, non remanebit niſi Halleluia.

Caput II. Mariæ & Marthæ diverſa officia. Lucæ 1. 39.

2. Iſtam partem ſuaviſſimam ſibi Maria elegerat, quæ vacabat, diſcebat, laudabat: Martha verò ſoror ejus, circa plurima fuerat occupata. Equidem agebat rem neceſſariam, ſed non permanſuram: agebat rem viæ, nondum patriæ: agebat rem peregrinationis, nondum poſſeſſionis. Suſceperat enim Dominum, & eos qui cum illo erant. Et Dominus carnem habebat: & ſicut pro nobis dignatus eſt carnem ſuſcipere, ita dignatus eſt eſurire & ſitire. Et ex eo quòd dignatus eſt eſurire & ſitire, dignatus eſt paſci ab eis quos ipſe ditavit: dignatus eſt ſuſcipi, non inopiâ, ſed gratiâ. Agebat ergo Martha quod pertinebat ad neceſſitatem eſurientium & ſitientium: parabat converſatione ſollicita, quod manducaretur & biberetur à ſanctis & ab ipſo Sancto ſanctorum in domo ejus. Magnum opus, ſed tranſitorium. Numquid eſurire & ſitire ſemper

[a] Habuit ergo Sermonem in loco peregrino, fortè Carthagine anno 418. quo Synodus ibi contra Pelagianos Kalendis Maii celebrata eſt.

CLASSIS II.

erit? Quando inhærebimus purissimæ illi & perfectissimæ bonitati, non erit [a] quare servire necessitati. Beati erimus, nullo indigentes; multum habentes, nihil quærentes. Et quid est quod habebimus, ut nihil quæramus? [b] Dixi: quod creditis, postea videbitis. Quod ergo diximus, multum habentes & nihil quærentes, id est, nullo indigentes; quid est ipsum quod habebimus? Servientibus sibi Deus, colentibus eum, credentibus in eum, sperantibus in eum, amantibus eum quid dabit?

CAPUT III. Beneficia Dei in omnes & bonos & malos. Sanitas à Deo.

3. Videmus enim quanta det in hoc tempore diffidentibus de illo, desperantibus de illo, aversis ab illo, blasphemantibus illum, videmus quanta dona largiatur. Ab illo est enim primò sanitas: quæ sic dulcis est, ut in fastidium numquam veniat. Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quidquid habet quid prodest diviti? Ab illo est ergo, id est, à Domino Deo nostro quem colimus, à vero Deo in quem credimus, & in quo speramus, & quem diligimus; ab illo est tanta res, sanitas. Videte tamen, cùm sit magna res sanitas, quomodo eam det & bonis & malis, & blasphematoribus suis & laudatoribus suis. Et quid dicam? Utrique homines sunt. Omni pecore melior est & malus homo. Dat sanitatem etiam jumentis & draconibus, usque ad muscas & vermiculos donat sanitatem; & salvat omnia qui creavit omnia. Ut ergo alia omittamus; quia nihil melius invenimus quàm est sanitas: non solùm eam dat Deus hominibus, sed & pecoribus, sicut dicit Psalmus: *Homines & jumenta salvos facies Domine, sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* (Psal. 35. 7. & 8.) Sic enim es, quia Deus es; ut bonitas tua non remaneat in summis, & deserat infima. Pervenit ab Angelis usque ad extrema & minuta animalia. Pervenit enim à fine usque in finem pertendens fortiter sapientia, & disponit omnia suaviter: (Sap. 8. 1.) & in ipsa dispositione suavitatis ejus, suavis est omnibus sanitas.

Deum aliquid servare bonis.

4. Cùm ergo tantum bonum det & bonis & malis, & hominibus & jumentis; quid est, Fratres mei, quod servat bonis? Jam enim dixerat, *Homines & jumenta salvos facies Domine, sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* * Et deinde adjunxit, *Filii autem hominum.* Qui sunt isti? Quasi alii sunt homines, de quibus paulò antè dixerat, *Homines & jumenta salvos facies Domine:* & alii filii hominum. Aliud enim sunt homines quàm filii hominum, & aliud sunt filii hominum quàm homines? Quid sibi ergo vult ista distinctio? Nisi fortè quia homines pertinent ad hominem, filii hominum ad filium hominis: homines ad hominem, filii hominum ad filium hominis. Est enim quidam homo, qui non fuit filius hominis. Qui enim primus factus est, homo fuit, filius hominis non fuit. Quid ergo nobis venit per hominem, & quid nobis venit per filium hominis? Commemoro quod venit per hominem, & Apostoli verba dico: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (Rom. 5. 12.) Ecce quod nobis propinavit homo; ecce quod de parente bibimus, & vix digerimus. Si hoc per hominem, quid per filium hominis?

*CAPUT IV. Homines & filii hominum in quo differant.

SERM. DE TEMPORE.

Proprio, inquit, *Filio non pepercit.* Si *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non & cum illo omnia nobis* [c] *donabit?* (Rom. 8. 32.) Item, *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic & per obedientiam unius hominis justi constituentur multi.* (Rom. 5. 19.) Per illum ergo peccatum, per Christum justitia. Omnes ergo peccatores ad hominem pertinent: omnes justi ad filium hominis. Quid ergo miramini, quia peccatores, quia impii, quia iniqui, quia Dei contemtores, à Deo aversi, sæculi dilectores, amplectentes iniquitatem, odio habentes veritatem, hoc est, homines pertinentes ad hominem; quid miramini, quia habent istam sanitatem, cùm audiatis Psalmum, *Homines & jumenta salvos facies Domine?* (Psal. 35. 7. & 8.) Ne extollerent se ipsi homines, quia habent temporalem sanitatem, addita sunt illis jumenta. Quid est ergo unde gaudes, homo? Nonne tibi cum asino tuo commune est, & cum gallina tua, cum quocumque animante in domo tua, cum istis passeribus? nonne tibi sanitas corporis cum his omnibus communis est?

CAPUT V. Piis promissa delectatio laudis Dei, quæ non datur impiis.

5. Quære ergo quod promissum est filiis hominum, & audi quod sequitur: *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Interim sperabunt, quàm diu in via sunt. *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* * *Spe enim salvi facti sumus.* (* Rom. 8. 24.) Hoc non pertinet ad homines & jumenta, sperare sub tegmine alarum Dei. Et ecce spes lactat nos, nutrit nos, confirmat nos, & in ista laboriosa vita consolatur nos, in ipsa spe cantamus Halleluia. Ecce spes quantum gaudium habet. Res ipsa quid erit? Quid erit quæris? Audi quod sequitur: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* (Psal. 35. 9.) Huius rei spes est. Sitimus, esurimus, opus est ut satiemur: sed in via fames, in patria satietas. Quando satiabimur? *Satiabor cùm manifestata fuerit gloria tua.* (Psal. 16. 15.) Modò autem gloria Dei nostri, gloria Christi nostri latet: & cum illo abscondita est & nostra. Sed *cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.* (Col. 3. 4.) Tunc erit Halleluia in re: modò autem in spe. Spes illam cantat, amor cantat modò, amor cantabit & tunc: sed modò cantat amor esuriens, tunc cantabit amor fruens. Quid est enim Halleluia, Fratres mei? Dixi vobis, laus Dei est. Ecce modò verbum auditis, & in audiendo delectamini, & in delectatione laudatis. Si rorem sic amatis, fontem ipsum quomodo amabitis? Quod est enim stomacho ructanti ructatio, hoc est cordi saginato laudatio. Si enim laudamus quod credimus, quomodo laudabimus cùm viderimus? Ecce quod sibi Maria elegerat: sed significabat vitam illam, nondum tenebat.

CAPUT VI. Duæ vitæ in Martha & Maria adumbratæ.

6. Duæ sunt vitæ: una pertinens ad delectationem, altera pertinens ad necessitatem. Quæ ad necessitatem, laboriosa est: quæ ad delectationem, voluptuosa est. Sed intra intrò, noli foris quærere delectationem: ne tumescas de illa, & per angustum intrare non possis. Ecce quomodo Maria Dominum videbat in carne, & Dominum audiebat per carnem, sicut audistis, cùm epistola ad Hebræos legeretur, quasi per velum. (Hebr. 10. 20.) Nul-

[a] Editi, *quærere*. Meliùs Germanensis MS. *quare*.
[b] Editi, *Dixi, quod si creditis, postea videbitis.* Abest *si* à MS. Itaque verbum *Dixi* respicit ad superiorem sententiam, *inhærebimus purissimæ illi & perfectissimæ bonitati.*
[c] Editi, *donavit*. At MS. *donabit*: juxta Græcum χαρίσεται.

Classis II

lum erit velum, quando videbimus facie ad faciem. Maria ergo sedebat, hoc est vacabat, & audiebat, & laudabat: Martha verò circa plurimum ministerium occupata erat. Et dicit ei Dominus, *Martha, Martha, circa multa es occupata: porrò unum est necessarium.* Unum verum: multa non erunt necessaria. Antequam perveniamus ad unum, multis indigemus. Unum nos extendat, ne multa distendant & abrumpant ab uno. Ipsum unum dixit apostolus Paulus, quia nondum perceperat. *Ego*, inquit, *non me arbitror apprehendisse. Unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus.* Non distentus, sed extentus. Unum enim extendit, non distendit. Multa distendunt, unum extendit. Et quamdiu extendit? Quamdiu hîc sumus. Cùm venerimus, colligit, non extendit. *Unum autem, quæ retrò oblitus in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem:* Ecce extentionem: numquam distentionem. *Secundùm intentionem sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Ordo verborum est: *Unum autem sequor.* Tunc ergo veniemus, & uno perfruemur: sed ipsum unum omnia nobis erit. Quid enim diximus, Fratres, quando cœpi loqui? Quid est ipsum multum quod habebimus, quando non indigebimus? quid est multum quod habebimus? Hoc proposueram dicere: quid nobis dabit Deus, quod non dabit illis? *Tollatur impius, ne videat claritatem Dei.* * Ergo claritatem suam nobis dabit Deus, qua fruamur: unde tolletur impius, ne videat claritatem Dei. Totum multum nostrum quod habebimus, ipse Deus erit. Avare, quid quærebas accipere? Quid quærit à Deo, cui non sufficit Deus?

Lucæ 10. 41. & 42. Unum necessarium. — Philipp. 3. 13. — Dei fruitio erit beatis bonorum omnium loco. — Isai. 26. 10. — * Caput VII.

7. Sed quando dicitur, quia Deum habebimus, & ipso solo contenti erimus, immo ipso solo sic delectabimur, ut nihil aliud requiramus; quia & in uno ipso fruemur, & in nobis invicem ipso fruemur: (Quid enim sumus, si Deum non habemus? aut quid aliud in nobis quàm Deum debemus diligere, aut quia habemus, aut ut habeamus?) quando ergo dicitur quia cetera subtrahuntur, & solus Deus erit quo delectemur; quasi angustatur anima, quæ consuevit multis delectari; & dicit sibi anima carnalis, carni addicta, carnalibus cupiditatibus implicata, visco malarum cupiditatum involutas pennas habens, ne volet ad Deum, dicit sibi, Quid mihi erit, ubi non manducabo, ubi non bibam, ubi cum uxore mea non dormiam, quale mihi gaudium erit? Hoc gaudium tuum de ægritudine est, non de sanitate. Certè ipsa caro tua in hoc tempore aliquando ægrotat, aliquando sana est. Intendite, ut aliquid dicam, unde capiatis, exemplum rei quam non possum dicere. Sunt quædam ægrotantium desideria: ardent desiderio aut alicujus fontis, aut alicujus pomi; & sic ardent, ut existiment quia si sani fuerint, frui debeant ipsis desideriis suis. Venit sanitas, & perit cupiditas. Quod desiderabat, fastidit: quia hoc in illo febris quærebat. Et qualis est ista sanitas, in qua convalescit ægrotus? * Sanitas ista qua dicimur sani, quid est? Sed tamen hinc capite exemplum. Quia cùm multa sint ægrotantium desideria, quæ ista sanitas tollit; quomodo illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit immortalitas: quia sanitas nostra immortalitas est. Recolite Apostolum, & videte quid erit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et erimus æquales Angelis Dei. Numquid illi miseri sunt, qui non epulantur? Nonne ideo beatiores, quia istis non indigent? An verò quilibet dives æquabitur Angelis? Angeli verè divites sunt. Quid dicuntur divitiæ? Facultates. Angeli habent magnas facultates, qui habent magnas facilitates. Audis cùm laudatur dives: Quantum magnus est, dominus est, dives est, potens est. Quantum magnum, ut eat quò vult, jumenta adsunt, sumtus adsunt, servi adsunt, ministeria adsunt. Omnia ista habet dives: quò vult it, laborem non patitur. Angelus ubi voluerit, ibi erit: nec dicit, Junge; nec dicit, Sterne; quod cum superbia dicunt divites, & tumescere inde volunt, quia habent quibus dicant, Junge & sterne. Infelix, verba ista sunt infirmitatis, non facultatis. Non ergo indigebimus: & ideo beati erimus. Pleni enim erimus, sed Deo nostro: & omnia quæ hîc pro magno desideramus, ipse nobis erit. Pro magno cibum hîc quæris: Deus tibi cibus erit. Amplexum carnis hîc quæris: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Divitias hîc quæris: quomodo tibi deerunt omnia, quando illum habebis qui fecit omnia? Et ut verbis Apostoli te faciam securum, de illa vita hoc dixit: *Ut sit Deus omnia in omnibus.*

Carnalis cogitatio de futura felicitate. — Gaudium carnale de mentis ægritudine venit. — Caput VIII. Vera sanitas nostra, immortalitas. — Serm. de Tempore. — 1. Cor. 15. 53. — Matth. 22. 30. — Divitiæ terrenæ, non facultatis sed infirmitatis argumenta. — Psal. 72. 28. — 1. Cor. 15. 28.

* SERMO CCLVI.

In diebus Paschalibus, XXVII.

De Halleluia.

* Aliàs ex Sirmondianis 18.

1. QUONIAM placuit Domino Deo nostro, ut hîc [a] constituti præsentiâ corporali, etiam cum Vestra Caritate illi cantaremus Halleluia, quod Latinè interpretatur, Laudate Dominum; laudemus Dominum, Fratres, vitâ & linguâ, corde & ore, vocibus & moribus. Sic enim sibi dici vult Deus Halleluia, ut non sit in laudante discordia. Concordent ergo priùs in nobis ipsis lingua cum vita, os cum conscientia. Concordent, inquam, voces cum moribus: ne fortè bonæ voces testimonium dicant contra malos mores. O felix Halleluia in cælo, ubi templum Dei Angeli sunt! Ibi enim concordia summa laudantium, ubi est exsultatio secura cantantium: ubi nulla lex in membris repugnat legi mentis; ubi non est rixa cupiditatis, in qua periclitetur victoria caritatis. Hîc ergo cantemus Halleluia adhuc solliciti, ut illic possimus aliquando cantare securi. Quare hîc solliciti? Non vis ut sim sollicitus, quando lego, *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Non vis ut sim sollicitus, quando mihi adhuc dicitur, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* Non vis ut sim sollicitus, ubi sic abundat tentatio, ut nobis ipsa præscribat oratio, quando dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Quotidie [b] petitores, quotidie debitores. Vis ut sim securus, ubi quotidie peto indulgentiam pro peccatis, adjutorium pro periculis? Cùm enim dixero propter præterita

Laudare Deum oportet vitâ & linguâ. — Concordia & securitas perfecta laudantium Deum non nisi in cælo. — Job. 7. 1. — Marci 14. 38. — Matth. 6. 12.

[a] Inde patet hunc etiam Sermonem habitum esse in loco peregrino.
[b] Sic Victorinus codex. At Theodericensis Sirmondo consentiens, parcitores. Regius, parcitores & petitores. Vaticanus, pariatores. Huic nomini cognata est vox pariatoria in Enar. Psal. 61. n. 4.

peccata, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* continuò propter futura pericula addo & adjungo, *Ne nos inferas in tentationem.* Quomodo est autem populus in bono, quando mecum clamat, *Libera nos à malo?* Et tamen, Fratres, in isto adhuc malo cantemus, Halleluia Deo bono, qui nos liberat à malo. Quid circùm inspicis unde te liberet, quando te liberat à malo? Noli longè ire, noli aciem mentis circumquaque distendere. Ad te redi, te respice. Tu es adhuc malus. Quando ergo Deus te ipsum liberat à te ipso, tunc te liberat à malo. Apostolum audi; & ibi intellige à quo malo sis liberandus. *Condelector*, inquit, *legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est.* Ubi? *captivantem*, inquit, *me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Putavi quia captivavit te sub nescio quibus ignotis barbaris: putavi quia captivavit te sub nescio quibus gentibus alienis, vel sub nescio quibus hominibus dominis. *Quæ est*, inquit, *in membris meis.* Exclama ergo cum illo, *Miser ego homo, quis me liberabit?* Unde quis liberabit? Dic unde. Alius dicit ab Optione, alius de carcere, alius de barbarorum captivitate, alius de febre atque languore: dic tu, Apostole, non quò mittamur, aut quò ducamur; sed quid nobiscum portemus, quid nos ipsi simus, dic: *De corpore mortis hujus.* De corpore mortis hujus? *De corpore*, inquit, *mortis hujus.*

Rom. 7. 22. &c.

2. Alius dicit, Corpus mortis hujus non ad me pertinet: carcer meus est ad tempus, catena mea est ad tempus: in corpore mortis sum ego; non corpus mortis sum ego. Argumentaris, ideo non liberaris. Ego enim, inquit, spiritus sum; caro non sum, sed in carne sum: cùm fuero liberatus à carne, quid erit mihi deinde cum carne? Huic argumentationi vultis, Fratres, ut ego respondeam, an Apostolus? Si ego respondero, contemnetur fortassis magnitudo verbi propter vilitatem ministri. Taceo potiùs. Audi mecum Doctorem gentium: audi mecum Vas electionis, ut à te tollatur controversia dissensionis. Audi, sed dic priùs quod dicebas. Nempe hoc dicebas, Non sum ego caro, sed spiritus sum. In carcere meo gemo: quando fuerit hoc vinculum & hoc ergastulum dissolutum, ego liber abscedo. Terra terræ redditur, spiritus cælo recipitur: vado ego, dimitto quod non sum. Ergo hoc dicebas? Hoc, inquit. Non tibi ego respondeo: responde Apostole, responde, obsecro te. Prædicasti, ut audireris; scripsisti, ut legereris; totum factum est, ut crederereris. Dic, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Unde te liberat? *De corpore mortis hujus.* Sed non es tu ipse corpus mortis hujus? Respondet, *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Sed *ipse ego*: quomodo per diversa ipse tu? Mente, inquit, quia diligo: carne, quia concupisco: victor quidem, si non consentio: adhuc tamen luctactor, urgente adversario. Et quomodo cùm fueris, ô Apostole, ab hac carne liberatus, jam non eris tu nisi spiritus? Respondet Apostolus, morte jam imminente, debito quod nemo evadit, Carnem non in æternum pono, sed ad tempus sepono. Ergo rediturus es ad corpus mortis hujus? Et quid? Ipsius verba

Error quorumdam, carnem nō pertinere ad hominem.

A potiùs audiamus. Quomodo redis ad corpus, unde tam pia voce liberandum te esse clamasti? Respondet, Redeo quidem ad corpus, sed jam non mortis hujus. Audi, imperite, contra quotidianas lectionum voces surde: audi quomodo redit ad corpus quidem, sed non mortis hujus. Non quia aliud erit corpus, sed quia *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Fratres mei, quando dicebat Apostolus corruptibile hoc, mortale hoc, B quodam modo carnem sua voce tangebat. Non ergo aliud. Non, inquit, pono corpus terrenum, & accipio corpus aëreum, aut accipio corpus æthereum. Ipsum accipio, sed non jam mortis hujus. Quia *oportet corruptibile*, non aliud, sed *hoc*, *induere incorruptionem*; & *mortale*, non aliud, sed *hoc*, *induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam.* Cantetur Halleluia. *Tunc fiet sermo qui scriptus est*: qui sermo, non jam pugnantium, sed C triumphantium: *Absorpta est mors in victoriam.* Cantetur Halleluia. *Ubi est mors aculeus tuus?* Cantetur Halleluia. *Aculeus autem mortis est peccatum.* Sed *quæres locum ejus, & non invenies.*

Serm. de Tempore.

1 Cor. 15. 53. &c.

Psal. 36. 10.

3. Sed etiam hîc inter pericula, inter tentationes, & ab aliis, & à nobis cantetur Halleluia. *Fidelis enim Deus, qui non permittat*, inquit, *vos tentari super id quod potestis.* Ergo & hîc cantemus Halleluia. Adhuc est homo reus, sed fidelis est Deus. Non ait, Non permittat vos tentari: D sed, *Non permittat vos tentari super id quod potestis; sed faciat cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.* Intrasti in tentationem: sed faciet Deus etiam exitum, ne pereas in tentatione: ut quomodo vas figuli, formeris prædicatione, coquaris tribulatione. Sed quando intras, exitum cogita: quia fidelis est Deus, *custodiet Dominus introitum tuum, & exitum tuum.* Porrò autem, cùm factum fuerit corpus hoc immortale & incorruptibile, quando perierit tota tentatio; E quia *Corpus quidem mortuum est*: quare mortuum est? *propter peccatum. Spiritus autem vita est*, Apostoli verba sunt: quare? *propter justitiam.* Remittimus ergo mortuum corpus? Non, sed audi: *Si autem spiritus ejus, qui suscitavit Christum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra.* Modò enim corpus animale, tunc spiritale. *Factus est* enim *primus homo in animam viventem, novissimus homo in spiritum vivifican-* F *tem.* Ideo *vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* O felix illic Halleluia! ô secura! ô sine adversario! ubi nemo erit inimicus, nemo perit amicus. Ibi laudes Deo, & hîc laudes Deo: sed hîc à sollicitis, ibi à securis; hîc à morituris, ibi à semper victuris; hîc in spe, ibi in re; hîc in via, illic in patria. Modò ergo, Fratres mei, cantemus, non ad delectationem quietis, sed ad solatium laboris. Quomodo solent cantare viatores; canta, sed G ambula: laborem consolare cantando, pigritiam noli amare: canta, & ambula. Quid est ambula? Profice, in bono profice. Sunt enim, secundùm Apostolum, quidam proficientes in pejus. Tu si proficis, ambulas: sed in bono profice, in recta fide profice, in bonis moribus profice: canta, & ambula. Noli errare, noli redire, noli remanere. Conversi ad Dominum &c.

Halleluia hîc inter tentationū peicula quomodo cantandū.

1. Cor. 10. 13.

Psal. 120. 8.

Rom. 8. 10.

Ibidem 11.

1. Cor. 15. 45.

2. Tim. 3. 13.

SERMO

CLASSIS II.

SERMO CCLVII.

In [a] diebus Paschalibus, XXVIII.

De versu Psalmi 115. Omnis homo mendax.

Prodit nunc primùm ex veteri libro Floriacensi ante annos circiter 800. *descripto.*

Deus corde laudandus.

1. QUOD Hebraicâ linguâ dicitur Halleluia, Latinè est Laudate Dominum. Laudemus ergo Dominum Deum nostrum, non tantùm voce, sed etiam corde. Quoniam qui corde laudat, interioris hominis voce laudat. Vox ad homines, sonus est; vox ad Deum, affectus est.

Homo de suo mendax, ad Deũ confugiat, ut sit verax. Psal. 115. 11. Johan 20. 25.

2. Dixit quidam in ecstasi sua, sicut legistis, sicut audistis, *Omnis homo mendax*. Inde fuit, qui non credebat, nisi tetigisset corpus Domini. Mendacium ei videbatur, quod condiscipuli ejus verum loquebantur: & parum illi erat veritatem audire, volebat & tangere. Exhibuit autem illi hoc Dominus in his quæ sequuntur in Evangelio postea recitanda. Quicumque autem audit, *Omnis homo mendax*, non se debet figere in mendacio, & nolle inde surgere, tamquam ratiocinari apud se rationem inaniter, tamquam homo mendax, & dicere sibi, Quando non ero homo? Si autem quamdiu hîc sum homo, ero mendax; meliùs ego mendax ero, quàm mentiatur Scriptura quæ dicit, *Omnis homo mendax*. Si enim ego verax, Scriptura mendax erit. Sed quia Scriptura mendax esse non potest, ego mendax ero. Hæc ibi garriens requiescere sibi securus videtur, tamquam in portu mendacii, ubi faciat naufragium. Bene tibi requiescere, quasi in isto portu, cupiebas: audi scopulum, in quem incurras; *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. (Psal. 5. 7.) Et ista Scriptura Dei est, quæ dicit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Ergo omnes perditurus est, quia *Omnis homo mendax*. Sed quid nobis dictum est? quid admoniti sumus? Quia de nostro mendaces sumus. Si autem veraces esse volumus, ad Dominum confugiamus. De illius veraces sumus, de nostro mendaces.

Petrus mẽdax à se ipso, verax Dei beneficio. Matth. 16. 17. &c.

3. Audite hoc uno exemplo, brevi & magno: brevi, quia citò dicitur; magno, quia sapienter appenditur. Petrus unus ostendit hoc quod volo dicere. Quando dixit Domino Christo, *Tu es Christus Filius Dei vivi*: quid respondit? *Beatus es Simon Bar-Jona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est*. Verum dixisti, sed non de tuo. Unde ergo? *Pater meus qui in cælis est, tibi revelavit*. Inde beatus, quia de Dei; non nisi miser de tuo? Post hæc, ubi ei Dominus ait, *Beatus es, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est*: post hæc verba, cœpit Dominus Christus prænuntiare passionem & mortem suam. Ibi continuò Petrus: *Absit à te, Domine. Omnis homo mendax*. Ecce paulò antè Petrus verax, ecce modò Petrus mendax. Sed unde Petrus verax? *Non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est*. Unde Petrus mendax? *Redi post me satanas; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Omnis homo mendax*. Dictum est ergo nobis, *Omnis homo mendax*, ut fugiamus nos ipsos, & curramus ad Deum, qui solus est verax.

SERM. DE TEMPORE.

SERMO CCLVIII.

In diebus Paschalibus, XXIX.

Quem [b] *dixit ad basilicam majorem.*

De versu Psalmi 117. Hic est dies quem fecit Dominus.

Prodit nunc primùm ex Floriacensi libro suprà laudato.

1. QUOD cantavimus Deo, *Hic est dies quem fecit Dominus*, hinc loquamur quod dederit. Hîc Scriptura utique prophetica aliquid nos intelligere voluit, aliquem diem non vulgarem, non conspicuum oculis carnis, non eum diem qui oritur & occidit, sed diem qui potuit scire ortum, nescire occasum. Videamus quod suprà dixerat idem Psalmus: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* * *A Domino factus est, iste est mirabilis in oculis nostris*. Et sequitur, *Hic est dies quem fecit Dominus*. Exordium diei hujus à lapide angulari sumamus. Quis est lapis angularis, quem reprobaverunt Judæorum doctores? Legis enim periti doctores Judæorum reprobaverunt eum, dicentes, *Non est iste à Deo, qui solvit sabbatum*. Jam dixistis, *Non est iste à Deo, qui solvit sabbatum. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Quomodo in caput anguli? Quare angularis lapis dictus est Christus? Quia omnis angulus duos parietes de diverso pacificat. Venerunt Apostoli de circumcisione, venerunt de gente Judæorum; venerunt inde & illæ turbæ, quæ præcedebant & sequebantur jumentum ejus, dicentes quod in hoc ipso Psalmo est, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Venerunt inde tot Ecclesiæ, de quibus dicit apostolus Paulus, *Eram ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo: tantùm autem audiebant, quia ille qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat; & in me magnificabant Deum*, Judæi, sed adhærentes Christo, sicut Apostoli, venientes & credentes Christo, & unum parietem facientes. Restabat alius paries, Ecclesia de Gentibus veniens: invenerunt se. Pax in Christo, unitas in Christo, qui fecit utraque unum. Ipse est dies, quem fecit Dominus. Totum diem intellige, caput & corpus: caput Christus, corpus Ecclesia. Iste est dies quem fecit Dominus.

Psal. 117. 24. Dies à Domino factus Christi Ecclesiâ ex Judæis & Gentibus. ỳ. 22. ỳ. 23. ỳ. 24. Johan. 9. 16. Matth. 21. 9. Psal. 117. 26. Gal. 1. 22. &c. Ephes. 2. 14.

Gen. 1. 2. &c. Baptizati dies ex tenebris facti.

2. Recolite primam mundi conditionem. *Tenebræ erant super abyssum, & Spiritus Dei superferebatur super aquam. Et dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux. Et divisit Deus lucem à tenebris, & lucem vocavit diem, tenebras autem vocavit*

[a] Semesi tituli residua hæc verba in MS. vix leguntur, scilicet, *Tractatus die Dominica, quem dixit ad memoriam sanctorum*. Diem ibi intelliges Dominicam post Pascha. Nam Sermo in eodem codice proximè antè collocatus, quem suprà ordine 253. posuimus, ibidem notatur *habitus die sabbato*: tametsi 253. ille sermo sit de ultima lectione Johannis; iste autem 257. in die non ultimæ lectionis pronuntiatus significetur n. 2. Lectionem porrò hanc non ultimam Johannis ex capite 20. recitatam fuisse in die Dominica octavarum Paschæ intelliges ex Sermone 259. n. 1.

[b] Titulus in MS. exemplari est, *Incipit alius Sermo, quem dixit ad basilicam majorem, eadem die*, supple Dominicâ: siquidem ibi subsequitur Sermonem superiorem die Dominicâ prænotatum. In basilicam verò illam *majorem*, seu fortè *majorum*, quæ apud Carthaginem erat, vide Notam ad Sermonem 19.

noctem. Cogitate tenebras iſtorum, antequam A venirent ad remiſſionem peccatorum. Tenebræ ergo erant ſuper abyſſum, antequam * iſta fuiſſent dimiſſa peccata. Sed Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas: deſcenderunt iſti in aquam, ſuper aquas ferebatur Spiritus Dei, pulſæ ſunt tenebræ peccatorum. Iſte eſt dies quem fecit Dominus. Huic diei Apoſtolus dicit, *Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Numquid dixit, Fuiſtis tenebræ in Domino? *Tenebræ* in vobis; *lux in Domino. Vocavit* autem *Deus lucem diem:* quia ipſius gratiâ fit quod fit. Illi per ſe ipſos tenebræ eſſe potuerunt: lux fieri, niſi Dominus feciſſet, non potuerunt. Quia *iſte eſt dies, quem fecit Dominus:* non ipſe dies, ſed Dominus.

[* f. iſtis, id eſt baptizatis.]

[Epheſ. 5. 8.]

B

[Thomas factus dies.]

3. Numquid non homo erat Thomas, unus de diſcipulis, quaſi homo de turba? Dicebant ei condiſcipuli ejus, *Vidimus Dominum.* Et dicebat ipſe, *Niſi tetigero, niſi digitum miſero in latus ejus, non credam.* Evangeliſtæ tibi annuntiant, C & non credis. Ipſis credidit mundus, & non credit diſcipulus. De ipſis dictum eſt, *In omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Exeunt verba eorum, perveniunt uſque in fines terræ; credit totus mundus: annuntiant omnes uni, & non credit. Nondum erat dies, quem fecerat Dominus. Adhuc tenebræ erant in abyſſo, in profunditate cordis humani: tenebræ ibi erant. Veniat ille, caput diei hujus veniat, & dicat patiens, mitis, non iratus, quia D medicus: Veni, inquit: veni tange hoc, & crede. Dixiſti, *Niſi tetigero, niſi digitum miſero, non credam.* Veni, tange; *mitte digitum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Veni, mitte digitum. Sciebam vulnera tua, ſervavi tibi cicatricem meam. Sed planè mittens manum ſuam complevit fidem. Quæ eſt enim fidei plenitudo? Ut non credatur Chriſtus tantùm homo, nec credatur Chriſtus tantummodo Deus, ſed homo & Deus. Ipſa eſt fidei plenitudo: quia *Verbum caro factum* E *eſt, & habitavit in nobis.* Ergo iſte diſcipulus oblatis ſibi tangendis cicatricibus & membris Salvatoris ſui, ubi tetigit, exclamavit, *Dominus meus & Deus meus.* Hominem tetigit, Deum cognovit: & tetigit carnem, reſpexit ad Verbum; quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Verbum hoc paſſum eſt carnem ſuam ſuſpendi in ligno: Verbum hoc paſſum eſt in carne ſua clavos figi: Verbum hoc paſſum eſt carnem ſuam lanceâ transforari: Verbum hoc paſſum eſt car- F nem ſuam in ſepulcro poni: Verbum hoc reſuſcitavit carnem ſuam, obtulit adſpectibus diſcipulorum videndam, præbuit manibus contrectandam. Tangunt, exclamant, *Dominus meus & Deus meus.* Iſte eſt dies quem fecit Dominus.

[Johan. 20. 25.]

[Pſal. 18. 5.]

[Johan. 1. 14.]

[Johan. 20. 28.]

* SERMO CCLIX.

[* Aliàs ex Sirmondianis 19.]

In die Dominico octavarum Paſchæ.

[In futurâ vitam eſſe debet Chriſtianorum intentio.]

1. HODIERNUS dies magno ſacramen- G to perpetuæ felicitatis eſt nobis. Non enim ſicut iſte dies tranſiturus eſt, ſic tranſitura eſt & vita, quam dies iſte ſignificat. Itaque, Fratres, exhortamur & obſecramus vos in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem nobis peccata dimiſſa ſunt, qui voluit pretium noſtrum eſſe ſanguinem ſuum, qui nos indignos qui vel ſervi ejus diceremur, fratres facere dignatus eſt, ut omnis intentio veſtra, quare Chriſtiani eſtis, & nomen ejus in fronte & in corde portatis, non dirigatur niſi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis eſt futura: ubi perpetua quies, ſempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla triſtitia, nulla mors. Quam vitam noſſe non poſſunt, niſi qui experiuntur: experiri autem non poterunt, niſi qui credunt. Si enim exigatis, ut quod vobis promittit Deus, demonſtremus vobis, non poſſumus. Sed audiſtis quomodo concluſit Evangelium Johannis: *Beati qui non vident, & credunt.* Et videre vultis, & ego. Pariter credamus, & ſimul videbimus. Non ſimus duri adversùs verbum Dei. Numquid enim, Fratres, dignum eſt, ut Chriſtus deſcendat modò de cælo, & cicatrices ſuas nobis oſtendat? Ideo illi incredulo oſtendere dignatus eſt, ut objurgaret dubios, & inſtrueret credituros.

[Serm. de Tempore.]

[Johan. 20. 29.]

[Octavi & ſeptimi diei myſterium.]

2. Octavus ergo iſte dies in fine ſæculi novam vitam ſignificat: ſeptimus quietem futuram ſanctorum in hac terra. Regnabit enim Dominus [a] in terra cum ſanctis ſuis, ſicut dicunt Scripturæ, & habebit hîc Eccleſiam, quò nullus malus intrabit, ſeparatam atque purgatam ab omni contagione nequitiæ; quam ſignificant centum-quinquaginta-tres illi piſces, de quibus jam, quantum memini, aliquando tractavimus. Nam Eccleſia hîc primò apparebit in magna claritate & dignitate & juſtitia. Non ibi libebit decipere, non mentiri, non ſub ovis pelle lupum latére. *Veniet enim Dominus,* ſicut ſcriptum eſt, *& illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.* Iniqui ergo non ibi erunt: jam enim ſeparabuntur. Tunc tamquam maſſa purgata apparebit, veluti in areâ, multitudo ſanctorum, & ſic mittetur in horreum cæleſte immortalitatis. Sicut enim frumentum priùs ubi trituratur, ibi purgatur; & locus ubi frumenta pertulerunt trituram, ut à palea mundarentur, decoratur dignitate maſſæ purgatæ. Videmus quippe in area poſt ventilationem, acervum palearum ex una parte, & acervum frumenti ex alia. Quò autem palea deſtinata ſit, novimus; & quemadmodum agricolis faciant frumenta lætitiam. Quomodo ergo apparet in area priùs frumentum à palea ſeparatum, & cùm gaudium fecerit poſt tantos labores inſpecta illa congeries, quæ latebat in palea, quæ non videbatur, quando triturabatur; deinde in horreum mittitur, atque in ſecreto ſervatur: ſic in iſto ſæculo, videtis quomodo trituratur hæc area; ſed palea frumento ita permixta eſt, ut difficilè diſcernatur, quia nondum ventilata eſt. Sic ergo poſt ventilationem diei judicii apparebit maſſa ſanctorum, fulgens dignitate, præpotens meritis, & miſericordiam liberatoris ſui præ ſe gerens. Et ipſe erit ſeptimus dies. Quaſi primus dies ſit in toto ſæculo tempus quod eſt ab Adam uſque ad Noë, ſecundus à Noë uſque ad Abraham, & quomodo jam dividit Evan-

[a Regnum Chriſti & ſanctorum in terra poſt ſeparationem malorum.]

[1. Cor. 4. 5.]

[a] Additur hîc, *in terra*, auctoritate Vaticani MS. Ceterùm de illo regno & ſabbatiſmo ſanctorum in terra poſt reſurrectionem, quem mille annos duraturum putabant, mutatâ ſententiâ ſic demum loquitur Auguſtinus in lib. 20. de Civitate Dei c. 7. *Quæ opinio eſſet utcumque tolerabilis, ſi aliqua deliciæ ſpiritales in illo ſabbato affuturæ ſanctis per Domini præſentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Conſule ejuſdem operis librum 22. c. 30.

Matth. 1.

gelium Matthæi, tertius ab Abraham usque ad A David; quartus à David usque ad transmigrationem in Babyloniam, quintus à transmigratione usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. Ab adventu ergo Domini sextus agitur; in sexto die sumus. Et ideo quomodo formatus est homo in Genesi sexto die ad imaginem Dei, sic & in isto tempore, quasi sexto die totius sæculi, renovamur in baptismo, ut recipiamus imaginem Conditoris nostri. Sextus autem dies iste cùm transierit, veniet requies post illam ventilationem, & sabbatizabunt sancti & justi Dei. Post septimum autem, cùm apparuerit in area dignitas messis, fulgor, meritumque sanctorum, ibimus in illam vitam & in illam requiem, de qua dictum, *Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Tunc velut ad caput reditur. Quomodo enim cùm peracti fuerint isti septem dies, octavus ipse est qui primus: sic post terminatas & peractas ætates septem sæculi transeuntis, ad illam immortalitatem beatitudinemque rediemus, de qua lapsus est homo. Et ideo octavæ complent sacramenta infantium. Hinc & ipse septenarius numerus septies multiplicatus facit quadragintanovem; & addito uno tamquam reditur ad caput, & fiunt quinquaginta: qui numerus à nobis usque ad Pentecosten in mysterio celebratur. Qui etiam secundùm illam divisionem quadragesimi numeri, cui accedit tamquam merces denarius, diversa ratione idem rursus apparet. Ambæ quippe rationes ad eumdem quinquagenarium numerum redeunt. Qui ter multiplicatus propter mysterium Trinitatis, facit centum-quinquaginta. Addito quippe ipso ternario, tamquam teste atque indice triplicationis & Trinitatis, intelligimus Ecclesiam in illis piscibus centum-quinquaginta-tribus.

Gen. 1. 26.

Sabbatismus sanctorum in terra.

1. Cor. 2. 9.

Misericordiæ opera commendat.

3. Sed interim modò, donec veniamus ad illam requiem, isto tempore quo laboramus, & in nocte sumus, quamdiu non videmus quod speramus, & in eremo iter agimus, donec ad Jerusalem cælestem, veluti ad terram promissionis fluentem lac & mel, veniamus: nunc ergo cùm tentationes non cessant, bene operemur. Medicina [a] semper adsit, veluti propè quotidianis adhibenda vulneribus. Est autem medicina in bonis operibus misericordiæ. Si enim vis impetrare misericordiam Dei, esto misericors. Si tu negas homini, cùm tu homo sis, humanitatem; negabit tibi & Deus divinitatem, hoc est incorruptionem immortalitatis, qua nos facit Deos. Non enim à te quidquam indiget Deus: tu autem indiges à Deo. Nihil à te ille petit, ut beatus fit: tu autem, nisi ab illo accipias, beatus esse non poteris. Quid ab illo accipis? Nescio utrùm auderes conqueri si ab illo, qui omnia condidit, acciperes aliquid quod [b] excellentissimum condidit. At ille non aliquid ex iis quæ condidit; sed se ipsum tibi dat ad fruendum, se ipsum omnium conditorem. Quid enim ex iis quæ facta sunt ab illo, pulcrius & melius potest esse eo qui fecit? Et quomodo tibi dabit, an quasi meritis tuis? Si quæris quid merueris, adtende peccata tua: audi sententiam Dei in transgressorem hominem latam: *Terra es, & in terram ibis.* Quoniam comminatio præcessit, cùm præceptum da-

Gen. 3. 19.

Gen. 2. 17.

retur: *Qua die tetigeritis, morte moriemini.* Si peccatorum meritum quæris, quid occurrit nisi supplicium? Obliviscere ergo merita tua, ne tibi faciant in corde terrorem: aut noli potiùs oblivisci, ne per superbiam repellas misericordiam. Commendamus nos, Fratres, Deo operibus misericordiæ. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Confitere, quoniam habet Deus misericordiam, & vult peccata donare confessis. Sed offer illi sacrificium. B Miserere hominis homo, & tui miserebitur Deus. Tu homo, & alter homo, duo miseri. Deus autem non est miser, sed misericors. Si autem miser non miseratur miserum, quomodo exigit misericordiam ab illo qui numquam erit miser? Videte quid dicam, Fratres. Quicumque est contra naufragum crudelis, verbi gratiâ, tam diu crudelis est, donec contingat illi naufragium. Si autem contigerit, recordatus in pristinam vitam, quando viderit naufragum, percutit illum similis C aliquando miseria; & quem non poterat ad misericordiam flectere societas humanitatis, flectit consortium calamitatis. Servo quàm citò miseretur, qui aliquando servivit. Mercenarium mercede fraudatum quàm citò dolet, qui mercenarius fuit. Homini filium suum plangenti amarissimè compatitur, qui aliquando tale aliquid planxit. Ergo quantamvis duritiam cordis humani solvit similitudo miseriæ. Si ergo tu, qui aut miser fuisti, aut times ne miser sis: (quamdiu enim D hîc vivis, & timere debes quod non fuisti, & meminisse quod fueris, & cogitare quid sis:) positus ergo & in memoria præteritarum miseriarum, & in timore futurarum, & afflictione præsentium, non misereris calamitosi hominis & egentis ope tua, & exspectas ut misereatur tibi ille, quem numquam tangit miseria? Et tu non das ex eo quod à Deo accepisti, & vis ut det tibi Deus ex eo quod à te non accepit?

Opera misericordiæ superare debent offensiones nostras.

4. Misericordiam, Fratres mei, omnes qui E ituri estis ad domos vestras, & ex hoc vix nos videbimus, nisi per aliquam sollemnitatem, misericordiam operamini, quia abundant peccata. Alia requies, alia via non est, qua perveniamus ad Deum, qua reintegremur, qua reconciliemur ei, quem periculosissimè offendimus. Venturi sumus in conspectum ejus: loquantur ibi pro nobis opera nostra; & ita loquantur, ut superent offensiones nostras. Quod enim amplius fuerit, hoc obtinebit, vel ad pœnam, si peccata meruerint; vel F ad requiem, si opera bona. Misericordia autem gemina est in Ecclesia: una in eo titulo, quo nemo impendit pecuniam, nemo etiam vel laborem; altera quæ de nobis exigit aut officium operis, aut impendia pecuniæ. Illa quæ à nobis exigit nihil erogationis vel laboris, in animo constituta est, ut ignoscas ei qui in te peccavit. Ad hanc eleemosynam impendendam thesaurus tuus in corde tuo est: ibi te explicas coram Deo. Non tibi dicitur, Profer sacculum, aperi arcam, re- G signa horreum: neque hoc tibi dicitur, Veni, ambula, curre, festina, intercede, loquere, visita, labora. Stans uno loco projecisti de pectore tuo quod tenes contra fratrem tuum, fecisti misericordiam, nullo sumtu, nullo labore, sola bonitate, sola misericordiæ cogitatione. Nam si dicamus, Erogate res vestras pauperibus; duri videbimur. Cer-

Misericordia gemina.

[a] Sic Vaticanus MS. Alii cum Sirmondo, *quod absit.*

[b] Sirmondus, *non excellentissimum.* Abest non à Vaticano MS.

tè vel nunc lenes & faciles sumus, quando dicimus, Impendite unde nihil minuetis, dimittite ut dimittatur vobis. Dicamus tamen etiam istud, Date & dabitur vobis. Conjunxit hæc Dominus in præcepto, & ista duo misericordiæ genera expressit. *Dimittite, & dimittetur vobis:* (Lucæ 37.6.) misericordia est ignoscentis. *Date & dabitur vobis:* misericordia est erogantis. Vide si non amplius Deus dat nobis. Tu ignoscis homini, in quo te læsit homo hominem: ignoscit tibi Deus, in quo offendisti homo Deum. Numquid enim hoc est hominem lædere, quod est Deum offendere? Ergo plus tibi dedit: quia tu hoc dimisisti, in quo homo læsus est; hoc ille dimittit, in quo Deus offensus est. Adtendite aliam misericordiam dispensationis. Tu das panem, ille dat salutem; tu das sitienti poculum liquoris alicujus, ille tibi dat poculum sapientiæ suæ. Numquid ista vel comparanda sunt, quod das, & quod accipis? Ecce quomodo fœnerandum est. Si quis vult esse fœnerator, omnino non prohibemus: sed illum fœneretur, qui non sit pauper plura & majora reddendo, & cujus est etiam hoc ipsum qualecumque quod ei das, ut amplius meliusque recipias.

Eleemosyna eroganda cum humilitate & hilaritate.

5. Illud etiam moneo Sanctitatem Vestram, ut sciatis eum duplam misericordiam facere, qui pauperibus sic dat aliquid, ut ipse eroget. Non enim debet esse sola benignitas largientis, sed & humilitas ministrantis. Nescio quomodo, Fratres mei, animus ejus qui porrigit pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati compatitur, quando ponitur manus habentis in manum indigentis. Quamvis ille det, ille accipiat, conjunguntur minister & cui ministratur. Non enim jungit nos calamitas, sed humilitas. Abundantia vestra erit vobis, si Domino placet, & filiis vestris. Sed de ista terrena abundantia nulla mentio est, quam videtis obnoxiam tantis casibus. Jacet in domo thesaurus quietus, Dominum quietum esse non sinit. Timetur latro, timetur effractor, timetur servus infidelis, timetur vicinus malus & potens. Quantò plus tenetur, tantò plus timetur. Si autem erogas Deo in pauperes, non perdis, & securus efficeris, quia ipse Deus custodit tibi in cælo, qui & tibi necessaria dat super terram. An fortè times, ne perdat Christus quod illi commendaveris? Nonne dispensatorem unusquisque eligit de familia sua fidelem, cui committat pecuniam suam? Qui etsi habet in potestate non auferre, non tamen habet in potestate non perdere. Quid fide Christi prolixius? quid omnipotentiâ divinius? Nec auferre tibi aliquid potest, quia ipse dedit tibi spe quod illi dares: nec aliquid perdere, quia universa omnipotens tenet. Reficitis viscera, quando agapes facitis. Quia videmur nos ministrare, & nostra dantur, & per nos dantur; & tamen ea dantur, quæ nobis Deus dedit. Bonum est, Fratres, etiam manu vestrâ dispensetis: valde gratum est Deo. Ipse accipit, & dabit tibi, qui ante tibi quàm deberet quod dares dedit. Debet erogationis officio conjungi ministrationis officium. Cùm tibi liceat duas mercedes habere, quare perdis unam? Sed quisquis minùs idoneus est omnibus dare, det pauperibus pro viribus, cum hilaritate. *Hilarem autem datorem diligit Deus.* (2. Cor. 9.7.) Omni pretio comparandum propositum est regnum cælorum. Non est ut dicat aliquis habens duos denarios, idoneum se non esse ad comparandum. Tanto Evangelica illa vidua comparavit. (Lucæ 21.2.)

Dies feriati.

6. Peracti sunt dies [a] feriati, succedent jam illi conventionum, exactionum, litigiorum: videte quomodo in his vivatis, Fratres mei. De vacatione dierum istorum mansuetudinem debetis concipere, non jurgiorum consilia meditari. Sunt enim homines, qui propterea vacaverunt per dies istos, ut cogitarent malitias, quas exercerent post dies istos. Petimus vos, ut ita vivatis, tamquam qui Deo rationem reddituros vos sciatis de tota vita, non de solis istis quindecim diebus. Deinde Scripturarum quæstiones, [b] quas hesterna die proposui, & angustiâ temporis impediente non solvi, fateor me debere. Sed certè, quia dies qui sequuntur jam exactiones etiam pecuniæ permittunt jure forensi & publico, hoc à me potiùs vos exigite jure Christiano. Modò enim omnes sollemnitatis gratiâ veniunt: post istos dies amor legis adducat à me exigi quod promisi. Qui enim dat, per me dat vobis: ipse utique dat omnibus nobis. Novi quippe Apostolum dicentem, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem: nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* (Rom. 13.7. & 8.) Sola dilectio est semper reddenda; nemo à tali debito alienus est. Quod enim debeo, Fratres, in nomine Domini redditurus sum. Sed fateor vobis, non officio segnibus, sed exigentibus reddo.

* SERMO CCLX.

(* Aliàs de Diversis 11.)

Habitus [c] eodem die in ecclesia Leontiana, de monitis baptizatorum.

Octavæ Infantium.

Ne moras faciamus, acturi multa, regeneratis in baptismo, qui hodie miscendi sunt populo, brevis, sed gravis Sermo reddendus est. Vos qui baptizati estis, & hodie completis sacramentum octavarum vestrarum, breviter accipite & intelligite translatam fuisse figuram circumcisionis carnis, ad circumcisionem cordis. Die octavo circumciduntur carne secundùm veterem Legem: & hoc propter Dominum Christum, qui post diem septimum sabbatorum octavo Dominico resurrexit. Cultellis petrinis jussum est circumcidi: Petra erat Christus. (1. Cor. 10.4.) Infantes appellamini, quoniam regenerati estis, & novam vitam ingressi estis, & ad vitam æternam renati estis, si hoc quod in vobis renatum est, malè vivendo non suffocetis. Reddendi estis populis, miscendi estis plebi fidelium: cavete ne imitemini malos fideles, immo falsos fideles: qua-

Falsi fideles.

[a] Dies quindecim, ut mox dicet: hoc est septeni ante Pascha, totidem post Pascha, quibus diebus lites omnes & contentiones partium cessabant, ex lege Theodosii, quæ est L. 11. Cod. Theod. de Feriis: *Sacros quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero, vel sequuntur, in eadem* feriarum *observatione numeramus.*

[b] Quæstiones fortè quæ suprà in Sermone 149. tractantur.

[c] Cum hoc titulo in editis & in Germanensi MS. subsequitur Sermonem suprà ordine 148 habitum *die Dominico octavarum Paschæ.* Eidem diei multis in libris adsignatur Sermo qui suprà est 224. *ad Infantes.* Possidius in Indiculo c. 8. & 10. notat Tractatus *de die octavarum*, seu *de octavis Infantium duos.* Hos Baronius in Martyrolog. 5. Jan. perperam existimavit ad diem octavam festi SS. Innocentium spectasse. Infantes, interprete Augustino, sunt baptismo regenerati; quorum ipse numquam fortè diem octavam, sed octavas aliquoties commemorat. De his haud dubiè in epist. 55. n. 35. scribit, *Tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit.* V. item epist. 34. n. 3.

CLASSIS II. si confitendo fideles, sed malè vivendo infideles. A Videte, quia testificor vobis coram Deo & Angelis ejus: castitatem servate, sive conjugalem, sive omnimodæ continentiæ. Quisque quod vovit reddat. Qui non habetis uxores, licet vobis ducere uxores, sed quarum mariti non vivunt. Feminæ quæ non habent viros, licet eis nubere, sed eis viris quorum uxores non vivunt. Qui habetis uxores, nihil mali faciatis præter uxores. Reddite quod exigitis. Fides vobis debetur, fidem debetis. Fidem debet maritus uxori, uxor B marito; ambo Deo. Quicumque continentiam vovistis, reddite quod vovistis: quia non exigeretur, si non vovissetis. Quod potuit licere, non licet: non quia nuptiæ damnantur, sed qui retrò respicit damnatur. Cavete à fraudibus in negotiis vestris. Cavete à mendaciis & perjuriis. Cavete à verbositate & luxuria. Quæcumque non vultis fieri vobis, nolite facere aliis, & hominibus & Deo. Quid vos onerem? *Hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* C

Continentia servanda pro suo cuique gradu.

Votum continentiæ nō reddens, damnatur.

Philip. 4. 9.

*SERMO CCLXI.

*Aliàs de Diversis 11.

In die[a] quadragesimo Adscensionis Domini, I.

Habitus Carthagine in basilica Fausti.

CAPUT I. Adscensio Domini sic celebrāda, ut cum ipso adscēdamus.

1. RESURRECTIO Domini, spes nostra: adscensio Domini, glorificatio nostra. Adscensionis enim hodie solemnia celebramus. Si ergo rectè, si fideliter, si D devotè, si sanctè, si piè adscensionem Domini celebramus, adscendamus cum illo, & sursum cor habeamus. Adscendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum enim cor habere debemus, sed ad Dominum. Sursum enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Illi enim dicimus qui adscendit, *Domine refugium factus es nobis.* Resurrexit enim, ut spem nobis daret, quia resur- E git quod moritur: ne moriendo desperaremus, & totam vitam nostram morte finitam putaremus. Solliciti enim eramus de ipsa anima; & ille nobis resurgendo & de carne securitatem dedit. Ergo adscendit, quis? Qui descendit. Descendit, ut sanaret te: adscendit, ut levaret te. Cadis, si levaveris te: manes, si levaverit te. Sursum ergo cor, sed ad Dominum, refugium est: sursum cor, sed non ad Dominum, superbia est. Dicamus ergo illi resurgenti, *Quoniam tu es Domine spes mea*: adscen- F denti autem, *Altissimum posuisti refugium tuum.* Quomodo enim ad eum cor sursum habentes, superbi erimus, qui propter nos humilis factus est, ne superbi remaneremus?

Sursum cor, quandonam pietatis, quandonam superbiæ.

Psal. 89. 1.

Psal. 90. 9.

CAPUT II. Christus semper Deus.

2. Deus Christus, hoc semper: numquam hoc desinet, quia numquam cœpit. Si enim per gratiam ejus aliquid incipit, quod numquam desinat; ille quomodo desinet, qui numquam cœpit? Quid est quod incipit, & numquam desinet? Immortalitas nostra initium habebit, finem non habebit. G Non enim jam habemus, quod cùm habere cœperimus, non amittemus. Semper ergo Deus Christus. Et qualis Deus? Quæris qualis? Patri æqualis. Noli ergo quærere in æternitate qualitatem, sed felicitatem. Qualis Deus Christus, cape, si potes. Ecce dico, non te fraudabo. Quæris qualis Deus Christus? Audi me, immo audi mecum: simul audiamus, simul discamus. Non enim quia loquor & vos auditis, ideo vobiscum non audio. Quæris ergo, cùm audis, Deus est Christus, Qualis Deus Christus? Audi mecum: non, inquam, me audi, sed mecum. In hac enim schola omnes sumus condiscipuli. Cælum est cathedra magistri nostri. Audi ergo qualis Deus Christus. *In principio erat Verbum.* Ubi? *Et Verbum erat apud Deum.* Sed verba quotidie solemus audire. Noli sic cogitare, quomodo soles audire, *Deus erat Verbum.* Qualis quæro. Nam ecce jam Deum credo: sed qualis Deus sit, quæro. *Quærite faciem ejus semper.* Nemo quærendo deficiat, sed proficiat. Proficit quærens, si pietas quærat. Quomodo quærit pietas, quomodo vanitas? Pietas quærit credendo, vanitas litigando. Si enim litigare mecum velis, mihique dicere, Quem Deum colis? Qualem Deum colis? Ostende mihi quod colis: respondebo, Etsi est quod ostendam, non est cui.

SERM. DE TEMPORE

Johan. 1. 1.

Psal. 104. 4.

Dei notitiam vanitas litigando quærit, pietas credendo.

3. Nec ego audeo dicere, jam me cepisse quod quæris. Ingredior enim, quantum possum, post vestigia illius tanti athletæ Christi, apostoli scilicet Pauli dicentis, *Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse. Ego me ipsum: Ego*, quid est, & *me ipsum?* Ego qui *plus omnibus illis laboravi.* Novi, Apostole, quomodo dicas, *Ego.* Expressio est, non elatio. Nam vis audire quomodo dicat, *Ego?* Cùm dixisset, *Plus omnibus illis laboravi:* & quasi nos ad illum, Quis? & ille ad nos, *Non ego autem, sed Dei gratia mecum.* Ille ergo cum quo tanta gratia Dei erat, ut posteriùs vocatus plus præcedentibus laboraret; dicit tamen, *Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse.* Ibi ego, ubi non apprehendit. Humanæ quippe infirmitatis est, non apprehendere. Ubi autem levatus est in tertium cælum, & audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, non dixit, *Ego.* Sed quid dixit? *Scio hominem ante annos quatuordecim. Scio hominem:* & ipse homo erat qui loquebatur, & quod in eo factum est, quasi alterum fecit, ideo non defecit. Noli ergo contendere, noli litigare, exigendo à me qualem Deum colo. Non enim idolum est, & digitum extendo, & dico tibi, Ecce Deum quem colo: aut aliquod sidus est, aut aliqua stella, aut sol, aut luna; & extendo digitum in cælum, & dico, Ecce quod colo. Non est quò digitus extendatur: sed est quò mens extendatur. Vide ipsum non comprehendentem, & tamen quærentem; sequentem, inhiantem, suspirantem, desiderantem: vide illum, quid intendat vide, ad Deum suum, utrùm digitum, an verò animum. Quid ait? *Non me arbitror apprehendisse. Unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ sunt antè extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo. Sequor*, inquit: ambulo, inquit, in via sum. Sequere, si potes: simul ad patriam veniamus, ubi non à me quæras, nec ego à te. Simul ergo modò credendo quæramus, ut simul postea videndo gaudeamus.

CAPUT III. Pauli in Dei cognitione modestia.

Philip. 3. 13.

1. Cor. 15. 10.

2. Cor. 12. 2.

4. Nam quis tibi ostendit, qualis sit Deus Christus? Ecce quod dignatus est dicere per servum suum, dicat & per istum servum suum, conservis meis, servis suis. Dictum est tibi, *In principio erat Verbum.* Quærebas ubi esset, responsum

CAPUT IV. Mundandū cor, quo videatur Deus.

[a] Sermones de die Adscensionis Domini recenset Possidius in Indiculo cap. 8. 9. & 10.

est, *Verbum erat apud Deum.* Et ne verba contemneres ex consuetudine locutionis humanæ, audisti, *Deus erat Verbum.* Adhuc quæris qualis Deus? *Omnia per ipsum facta sunt.* Ama illum: quidquid amas, ab illo est. Non amemus creaturam, neglecto Creatore: sed adtendamus creaturam, & laudemus Creatorem. Non tibi possum ostendere Deum meum: ostendo quæ fecit, recolo quæ fecit. *Omnia per ipsum facta sunt.* Fecit nova non novus; fecit temporalia sempiternus; fecit mutabilia, qui nescit mutari. Facta B inspice, lauda factorem: crede, ut munderis. Videre enim vis? Bonam rem, magnam rem vis: hortor, ut velis. Videre vis? *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.* Priùs ergo cogita de corde mundando: hoc habeto negotium, ad hoc te advoca, insta huic operi. Quod vis videre mundum est, immundum est unde vis videre. Cogitas Deum quasi aliquam istorum oculorum immensam vel multiplicem lucem, auges tibi spatia quanta vis: non ponis finem ubi non vis, C ponis ubi vis. Phantasmata sunt ista cordis tui, immunditia est ista cordis tui. Tolle, abjice. Si terra tibi in oculum caderet, & velles ut ostenderem tibi lucem; priùs tui oculi quærerent mundatorem. Tantum immunditiæ est in corde tuo: ibi avaritia non parva immunditia est. Congeris quod tecum non tollas. Nescis quia cùm congeris, ad cor tuum lutum trahis? Unde videbis ergo quod quæris?

Matth. 5. 8.

Caput V. Deus habitare vult in corde mundo.

5. Tu mihi dicis, Ostende mihi Deum tuum. D Ego tibi dico, Adtende paululùm ad cor tuum. Ostende, inquis, mihi Deum tuum. Adtende, inquio, paululùm ad cor tuum. Quidquid ibi vides quod displicet Deo, tolle inde. Venire ad te vult Deus, Dominum ipsum Christum audi: *Ego & Pater veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Ecce quid promittit Deus. Si ego promitterem venturum me in domum tuam, mundares eam: Deus in cor tuum venire vult, & piger es ei domum mundare? Non amat habitare E cum avaritia, cum muliere immunda & insatiabili, cui tu jubenti serviebas, & Deum videre quærebas. Quid fecisti, quod Deus jussit? Quid non fecisti, quod avaritia jussit? Quid fecisti, quod Deus jussit? Ego ostendo quid habitet in corde tuo, qui vis videre Deum. Hoc enim dixeram, Est quod ostendere, sed cui non est. Quod Deus jussit, quid fecisti? Quod avaritia jussit, quid distulisti? Jussit Deus ut nudum vestires; tremuisti: jussit avaritia ut vestitum exspoliares, in- F sanisti. Si fecisses quod Deus jussit, quid tibi dicam, haberes illud & illud? Ipsum Deum haberes. Si fecisses quod Deus jussit, Deum haberes. Fecisti quod avaritia jussit, quid habes? Scio, dicturus es mihi, Habeo quidquid abstuli. Ergo auferendo habes. Habes aliquid apud te, qui perdidisti te? Habeo, inquis. Ubi, ubi, rogo te? Certè aut in cubiculo, aut in saccello, aut in arca: nolo amplius dicere. Ubicumque habes, modò certè tecum non habes. Certè modò cogi- G tas in arca te habere: fortè periit, & nescis; fortè cùm redis, non invenis quod dimisisti. Cor tuum quæro: ibi quid habeas, interrogo. Ecce implesti arcam tuam, & fregisti conscientiam tuam. * Vide plenum: disce esse plenus. *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Nem- A pe omnia perdiderat. Unde ergo istas gemmas laudis Domino proferebat?

Johan. 14. 23.

Avaritiæ homo servit, non Deo.

*Caput VI. Job. 1. 21.

6. Munda ergo cor, quantum potes: id age, id operare. Et ut ille mundet ubi maneat, roga, supplica, humiliare. Non capis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat; & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ecce quare non capis. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quæ sunt tenebræ, nisi opera mala? Quæ sunt tenebræ, nisi cupiditates malæ, superbia, avaritia, ambitio, invidentia? Omnia ista tenebræ sunt: ideo non comprehendis. Nam lux lucet in tenebris: sed da qui comprehendat.

Tenebræ cupiditates & opera mala.

Johan. 1. 1. &c.

7. Vide ergo, ne fortè hoc quomodocumque possis accipere: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Per hominem Christum tendis ad Deum Christum. Multum est ad te Deus: sed homo factus est Deus. Quod longè erat à te, per hominem factum est juxta te. Ubi maneas, Deus est: quà eas, homo est. Idem ipse Christus, & quà eas, & quò eas. Ipse ergo *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Assumsit quod non erat, non amisit quod erat. Apparebat homo, & latebat Deus. Occisus est homo, & offensus est Deus: sed resurrexit homo, & inventus est Deus. Cogita ergo quanta fecit ut Deus, quanta passus est ut homo. Occisus est, sed non in divinitate: ipse Christus occisus est. Non enim duo, Deus & homo; ut jam non faciamus vel noverimus Trinitatem, sed quaternitatem. Homo quidem homo, & Deus Deus; sed totus Christus homo & Deus: ipse ergo Christus homo & Deus. Quomodo tu homo corpus & animus: sic totus Christus homo & Deus. Ergo totus Christus, caro, anima, & Deus. * Idem ipse aliquid dicit, quod ad Deum pertinet; aliquid dicit, quod ad animam pertinet; aliquid dicit, quod ad carnem pertinet: totum ad Christum pertinet. Quid dicit ut Deus? *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* * *Quæcumque Pater facit, hæc eadem & Filius facit similiter.* * *Ego & Pater unum sumus.* Quid dicit Christus secundùm animam suam? *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quid dicit Christus secundùm carnem? *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* * *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hæc sunt thesauri sapientiæ & scientiæ.

Deus homo factus manet semper Deus.

Una persona Deus & homo in Christo.

*Caput VII.

Johan. 5. 26.

* Ibid. 19.

*Johan. 10. 30.

Matth. 26. 38.

Johan. 2. 19.

* Lucæ 24. 39.

8. Certè tota Lex in duobus præceptis pendet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ.* In Christo habes totum. Deum tuum vis diligere? Habes in Christo: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Proximum vis diligere? Habes in Christo: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Caput VIII.

Matth. 22. 37. &c.

Præceptum utrumque dilectionis erga Christum impletur.

9. Mundet nos gratiâ suâ: mundet nos opitulationibus & consolationibus suis. Fratres mei, per ipsum & in ipso obsecro vos, in bonis operibus abundetis, in misericordia, benignitate, bonitate. Citò dimittite quod in vos peccatur.

Caput IX. Bona opera frequentanda.

Classis II.

Nemo teneat iram adversùs alium, ne interclu- A dat ſibi orationem ad Deum. Hæc enim omnia, quia in hoc ſæculo ſumus, quia etſi proficimus, et ſi juſtè vivimus, ſine peccato hîc non vivimus. Non enim peccata ſola ſunt illa quæ crimina nominantur, adulteria, fornicationes, ſacrilegia, furta, rapinæ, falſa teſtimonia: non ipſa ſola peccata ſunt. Adtendere aliquid quod non debebas, peccatum eſt: audire aliquid libenter, quod audiendum non fuit, peccatum eſt: cogitare aliquid, quod non fuit cogitandum, peccatum eſt. B

Peccata præter crimina, ſunt alia minora.

Caput X. Remedia quotidiana.

10. Sed dedit Dominus noſter poſt illud lavacrum regenerationis alia quotidiana remedia. Quotidiana noſtra mundatio, Dominica oratio. Dicamus, & verum dicamus, quia & ipſa eleemoſyna eſt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* * *Date eleemoſynas, & omnia munda ſunt vobis.* Mementote, Fratres, ad dextram ſtaturis quid dicturus eſt. Non dicet, Illa & illa magna feciſtis: ſed, *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.* Ad ſiniſtram ſtaturis non eſt dicturus, Illa & illa mala feciſtis: ſed, *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare.* Illi pro eleemoſyna, in vitam æternam: iſti propter ſterilitatem, in ignem æternum. Modò eligite aut dextram aut ſiniſtram. Nam rogo vos, quam habere poterit ſpem ſalutis piger in remediis, creber in morbis? * Sed parvi morbi ſunt? Congerie premunt. Minora peccata ſunt quæ habeo. Non ſunt multa? Nam quomodo minora ſunt, quæ premunt, obruunt: quid minutius pluviæ D guttis? Flumina implent. Quid minutius granis tritici? Horrea implent. Tu adtendis quia minora ſunt, & non adtendis quia multa ſunt. Adtendere noſti: numera, ſi potes. Sed planè quotidianum remedium dedit Deus.

Matth. 6. 12. * Luca 11. 41. Matth. 25. 35. &c.

* Caput XI. Minora peccata multitudine obruunt.

Caput XII. Pſal. 67. 19.

11. Magna miſericordia ejus qui *adſcendit in altum, & captivavit captivitatem.* Quid eſt, *captivavit captivitatem?* Occidit mortem. Captivitas captivata eſt: mors mortua eſt. Quid ergo? Hoc ſolum fecit qui *adſcendit in altum, & captivavit captivitatem?* Ergo dimiſit nos? *Ecce ego vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſæculi.* Ergo illud adtende, *Dedit dona hominibus.* Aperi ſinum pietatis, excipe donum felicitatis. E

Matth. 28. 20.

* Aliàs de Diverſis 13.

* SERMO CCLXII.

In die Adſcenſionis Domini, II.

Habitus in baſilica Leontiana.

Caput I. 1.

DOMINUS Jeſus, Patris unigenitus F & gignenti coæternus, pariter inviſibilis, pariter immutabilis, pariter omnipotens, pariter Deus; propter nos, ut noſtis, & accepiſtis, & tenetis, factus eſt homo, formâ aſſumtâ humanâ, non amiſsâ divinâ: potens occultus, infirmus manifeſtus; ſicut noſtis, natus eſt, ut renaſceremur; mortuus eſt, ne nos in æternum moreremur. Ille continuò, id eſt, die tertio reſurrexit: nobis reſurrectionem carnis in fine promiſit. Exhibuit ſe diſcipulorum oculis videndum, manibuſque tractandum; perſuadens quod G factus erat, non auferens quod ſemper erat. Converſatus eſt cum eis diebus quadraginta, ſicut audiſtis, intrans & exiens, manducans & bibens; A non jam indigentiâ, ſed totum potentiâ: & manifeſtans eis carnis veritatem, in cruce infirmitatem, à ſepulcro immortalitatem.

Sermo de Tempore.

Caput II. Sancti Leontii ſollemnitas. a

2. Hodiernum ergo diem adſcenſionis ipſius celebramus. Occurrit autem huic Eccleſiæ [a] alia vernacula ſollemnitas. Conditoris baſilicæ hujus ſancti Leontii hodie depoſitio eſt. Sed dignetur obſcurari ſtella à ſole. Ergo de Domino potiùs, quod cœperamus, loquamur. Gaudet bonus ſervus, quando laudatur Dominus.

Caput III. Adſcenſionis fides & celebritas per totum orbem.

B 3. Hodierno ergo die, hoc eſt, quadrageſimo poſt reſurrectionem ſuam, Dominus adſcendit in cælum. Non vidimus: ſed credamus. Qui viderunt prædicaverunt, & orbem terrarum impleverunt. Scitis qui viderunt, & qui nobis indicaverunt: de quibus prædictum eſt, *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ergo & ad nos venerunt, & nos de ſomno excitaverunt. Ecce celebratur hodiernus dies toto orbe terrarum. C

Pſal. 18. 4. & 5.

Adſcenſionis Chriſti prophetia. Pſal. 56. 12.

4. Recolite Pſalmum. Cui dictum eſt, *Exaltare ſuper cælos Deus?* Cui dictum eſt? Numquid Deo Patri diceretur, *Exaltare,* qui numquam eſt humiliatus? * Exaltare tu: tu qui fuiſti in ventre matris incluſus; tu qui in illa factus es, quam feciſti; tu qui in præſepi jacuiſti; tu qui ubera tamquam parvulus in [b] vera carnis ſuxiſti; tu qui portans mundum, portabaris à matre: tu quem Simeon ſenex parvulum agnovit, magnumque laudavit: tu quem vidua Anna vidit ſugentem, & cognovit omnipotentem: tu qui eſuriſti D propter nos, ſitiſti propter nos, fatigatus es in via propter nos: (Numquid eſurit panis, aut ſitit fons, aut fatigatur via?) tu qui omnia iſta pertuliſti propter nos: tu qui dormiſti, & tamen non dormitas, cuſtodiens Iſraël: poſtremò, tu quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, & non poſſederunt: tu apprehenſe, ligate, flagellate, ſpinis coronate, in ligno ſuſpenſe, lanceâ percuſſe, tu mortue, tu ſepulte, *Exaltare ſuper cælos Deus.* E Exaltare, inquit, exaltare ſuper cælos, quia Deus es. Sede in cælo, qui pependiſti in ligno. Judex exſpectaris venturus, qui exſpectatus es judicatus. Quis iſta credat, niſi illo faciente, qui erigit de terra inopem, & de ſtercore exaltat pauperem? Ille ipſe inopem carnem ſuam erigit, & collocat eam cum principibus populi ſui, cum quibus judicaturus eſt vivos & mortuos. Cum eis collocavit hanc inopem carnem, quibus dicit, *Sedebitis ſuper duodecim ſedes, judicantes duodecim tribus Iſraël.* F

* Caput IV. b

Caput V.

Pſal. 112. 7.

Matth. 19. 28.

5. *Exaltare* ergo *ſuper cælos Deus.* Jam factum eſt, jam impletum eſt. Sed dicimus, Quomodo futurum prædictum eſt, *Exaltare ſuper cælos Deus*; non vidimus, ſed credimus: * ecce ante oculos noſtros eſt quod ſequitur, *Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* Non credat illud, qui non videt iſtud. Quid eſt enim, *Et ſuper omnem terram gloria tua?* G niſi, ſuper omnem terram Eccleſia tua, ſuper omnem terram [c] matrona tua, ſuper omnem terram ſponſa tua, dilecta tua, columba tua, conjunx tua. Ipſa eſt gloria tua. *Vir quidem,* ait Apoſtolus, *non debet velare caput, cùm ſit ima-*

* Caput VI.

c

1. Cor. 11. 7.

[a] Editi, *à tabernaculo.* Veriùs Germ. MS. *vernacula.* Eodem ſignificatu hanc vocem adhibuerat Cicero in lib. 9. 15. ad Pætum, *antique & vernacula feſtivitatis.* De illa autem Leontii Hipponenſis epiſcopi ſollemnitate Auguſtinus in epiſt. 29.

[b] Floriacenſis MS. *in vera carne.*

[c] Floriacenſis MS. non habet, *ſuper omnem terram matrona tua.*

go & gloria Dei: mulier autem gloria viri. Si A mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi. [a]

* SERMO CCLXIII.

De Adscensione Domini, III.

* Aliàs de Tempore 174. & de Diversis 90.

Glorificatio & victoria Christi completa est resurrectione & adscensione.

1. GLORIFICATIO Domini nostri Jesu Christi resurgendo & adscendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ Dominico celebravimus: adscensionem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque. Ideo enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet: & ideo adscendit, ut nos de super protegeret. Habemus ergo Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum priùs pendentem in ligno, nunc sedentem in cælo. Pretium nostrum dedit, cùm penderet in ligno: colligit quod emit, cùm sedet in cælo. Cùm enim omnes collegerit, quos utique per tempora colliget, in fine temporis veniet, & quomodo scriptum est, *Deus manifestus veniet:* (Psal. 49. 3.) non quemadmodum C primitus venit occultus, sed sicut dictum est, manifestus. Occultum enim oportebat eum venire, ut judicaretur: manifestus autem veniet, ut judicet. Si enim priùs manifestus venisset, judicare manifestum quis auderet? Quando quidem dicit apostolus Paulus, (1. Cor. 2. 8.) *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est. Exsultavit enim diabolus, quando primum hominem seducendo dejecit in D mortem. Seducendo primum hominem, occidit: occidendo novissimum, primum de laqueis perdidit. Facta est ergo victoria Domini nostri Jesu Christi, cùm resurrexit & adscendit in cælum; & impletum est quod audistis, cùm Apocalypsis legeretur, (Apoc. 5. 5.) *Vicit leo de tribu Juda.* Ipse leo dictus est, qui agnus occisus est: (Christus, leo, & agnus.) leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam: leo quia invictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte sua vicit leonem, qui circuit quæ- E rens quem devoret. Dictus est enim diabolus leo, (Diabolus, leo.) feritate, non virtute. Apostolus quippe Petrus ait, (1. Petr. 5. 8.) *Vigilare vos oportet adversùs tentationes, quia adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret.* Sed quomodo circuit, dixit: *Sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Quis non incurreret in dentes leonis hujus, nisi vicisset leo de tribu Juda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exsultavit diabolus, quando mortuus est Christus, & ipsa morte Christi est F diabolus victus: tamquam in muscipula escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi præpositus mortis. Ad quod gaudebat, inde illi tensum est. Muscipula diaboli, crux Domini: (Muscipula diaboli.) esca qua caperetur, mors Domini. Et ecce surrexit Dominus noster Jesus Christus. Ubi est mors quæ pependit in ligno? Ubi est insultatio Judæorum? Ubi est typhus & superbia caput ante crucem agitantium & dicentium, (Matth. 27. 40.) *Si filius Dei est, de-*

A *scendat de cruce?* Et plus fecit, quàm illi insultando exigebant. Plus enim est de sepulcro resurgere, quàm de ligno descendere.

2. Jam verò quanta gloria est quòd adscendit in cælum? quòd sedet ad dexteram Patris? (Adscensio Christi pignus nostræ adscensionis.) Sed hoc oculis non videmus, quia nec pendentem in ligno vidimus. Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Hodie enim, sicut audistis, Fratres, Dominus noster Jesus Christus adscendit in cælum: adscendat cum illo & cor B nostrum. Audiamus Apostolum dicentem, (Coloss. 3. 1. & 2.) *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Sicut enim ille adscendit, nec recessit à nobis: sic & nos cum illo ibi jam sumus, quamvis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Ille jam exaltatus est super cælos. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta & Angelica cælestis habitatio, quia dixit, (Johan. 3. 13.) *Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Sed hoc dictum est propter unitatem, qua caput nostrum est, & nos corpus ejus. Cùm adscendit in cælum, nos ab illo non separamur. Qui de cælo descendit, non nobis invidet cælum: sed quodam modo clamat, Membra mea estote, si adscendere vultis in cælum. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cælis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetustatem. Facilè corpus levabitur in alta cælorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. [b]

3. Nam & illud nonnullos calumniantibus (Christum cum corpore adscendisse.) hæreticis movet, quemadmodum Dominus sine corpore descenderit, cum corpore adscenderit, velut contrarium sit illis verbis quibus ait, (V. lib. de Agone Christ. c. 25.) *Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit.* Corpus, inquiunt, quod non descendit de cælo, quomodo potuit adscendere in cælum? Quasi ille dixerit, Nihil adscendit in cælum, nisi quod de cælo descendit; sed ait; Nemo adscendit, nisi qui descendit. Hoc enim ad personam, non ad personæ habitum retulit. Descendit sine corporis indumento, adscendit cum corporis indumento. Nemo tamen nisi qui descendit adscendit. Nam si nos sibimet tamquam sua membra ita coaptavit, ut etiam nobis conjunctis idem ipse sit; quantò magis illud corpus, quod de virgine assumsit, aliam non potest in illo habere personam? Quis enim vel in montem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum dicit non eum solum qui descenderit adscendisse, si cùm descendisset exutus, adscendat indutus; aut cùm descendisset inermis, adscendat armatus? Quemadmodum ergo de hoc dicitur, Nemo adscendit nisi qui descendit, quamvis cum ea re eam qua non descendit adscenderit: sic nemo in cælum nisi Christus adscendit; quia de cælo, nisi Christus, nemo descendit; quamvis sine corpore de-

[a] Sermo in Floriacensi codice auctior est hisce verbis: *Ipsa est sancta Catholica: ipsa est toto orbe diffusa. Ipsa est seges crescens inter zizania. Respice illam de cælo, propter quam es irrisus in ligno. Irriserunt te Judæi, & pendens orasti pro eis; hoc de te meruerunt persequentes: quid de te meruerunt credentes? quibus dignatus es promittere dicens, Et accipietis virtutem Spiritûs-sancti supervenientem in vos, & eritis mihi testes. Ubi? In Jerusalem, ubi occisus sum. In Ierusalem, parum est. Non tantum pretium dedisti, ut hoc solum emeres. Dic adhuc: valde angusta est Ierusalem nomini tuo. In Ierusalem & tota Iudæa & Samaria, & usque in fines terræ. Venisti ad fines: quare contentiones non finis? Nemo mihi jam dicat, Ecce hic est. Sileat humana allocutio, audiatur divina prædicatio: In Ierusalem & in tota Iudæa & Samaria, & usque in fines terræ. Ecclesiam suam nobis novissimis servis Dominus commendavit. Commendavit filiis matrem: prævidit enim malorum filiorum futura litigia. Prævidit homines partes sibi facientes de re aliena. Quare ergo non dividant, quod non comparaverunt? Hæc est itaque, Fratres carissimi, sancta ut dixi Catholica, quæ ubique est; & quæ numquam nubit, & quotidie parit.* Sunt quidem hæc & superioribus non malè cohærentia, & non ab Augustino aliena, sed huc fortè adscita ex aliis Tractatibus: nam eadem paucis exceptis leguntur in Sermone 265.

[b] Hîc Sermo desinit apud Am. Er. & in nostris MSS.

scenderit,

ſcenderit, cum corpore adſcenderit; adſcenſuris & nobis non virtute noſtra, ſed noſtra & illius unitate. Duo quippe ſunt in carne una; ſacramentum magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia. Unde & ipſe dicit, *Igitur jam non duo, ſed una caro.*

Epheſ. 5. 31. & 32. — Matth. 19. 6.

Chriſtus quadraginta diebus jejunavit, & totidem dies egit cum diſcipulis poſt reſurrectionem.

4. Et ideo jejunavit, cùm tentaretur ante mortem cibo adhuc indigens: manducavit autem & bibit, cùm glorificaretur poſt reſurrectionem jam cibo non indigens. Illic enim oſtendebat in ſe noſtrum laborem, hîc autem in nobis ſuam conſolationem, quadraginta diebus utrumque definiens. Nam quadraginta diebus jejunavit, cùm tentaretur in eremo, ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, ante mortem carnis ſuæ; & rurſum quadraginta diebus cum diſcipulis fuit, ſicut Petrus in Actibus Apoſtolorum loquitur, intrans & exiens, manducans & bibens, poſt reſurrectionem carnis ſuæ. Quo numero quadrageſimo hujus ſæculi ſignificare videtur excurſus in his qui vocantur ad gratiam, per eum qui non venit legem ſolvere, ſed adimplere. Decem namque ſunt præcepta legis. Jam gratia Chriſti diffuſa per mundum & quadripartitus mundus, & decem quadriplicata quadraginta faciunt: quoniam *qui redemti ſunt à Domino, de regionibus congregavit eos, ab Oriente & Occidente & Aquilone & Mari.* Jejunans itaque quadraginta diebus ante mortem carnis, velut clamabat, *Abſtinete vos à deſideriis hujus ſæculi.* Manducans autem & bibens quadraginta diebus poſt reſurrectionem carnis, velut clamabat, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Jejunium quippe eſt in tribulatione certaminis: quoniam qui in agone contendit, ab omnibus abſtinens eſt: cibus autem in ſpe pacis, quæ perfecta non erit, niſi cùm corpus noſtrum, cujus exſpectamus redemtionem, induerit immortalitatem. Quod nondum adipiſcendo gloriamur, ſed ſperando jam paſcimur. Utrumque Apoſtolus ſimul nos agere oſtendit dicens, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes:* tamquam illud eſſet in cibo, hoc in jejunio. Simul enim cùm viam Domini carpimus, & à vanitate præſentis ſæculi jejunemus, & futuri promiſſione reficiamur; hîc non apponentes cor, illuc paſcentes ſurſum cor.

Pſal. 106. 2. & 3. — Matth. 28. 20. — 1. Cor. 9. 25. — Rom. 12. 12.

SERMO CCLXIV.

De Adſcenſione Domini, IV.

Prodit nunc primùm ex veteri Vindocinenſis Abbatiæ codice annorum ferè 800.

Dicendum de myſterio adſcenſionis Chriſti.

1. MULTA ſunt divinarum Scripturarum recondita ſacramenta, ſive quæ adhuc nos ipſi quærenda habemus, ſive quæ jam humilitati noſtræ Dominus revelare dignatus eſt: ſed aperiendi hæc Sanctitati Veſtræ tempus non ſufficit. Novi enim maximè his diebus impleri eccleſiam talibus, qui citiùs vellent diſcedere, quàm venire; & oneroſos nos habent, ſi aliquando diutiùs colloquamur: qui tamen in prandiis ſuis, ad quæ feſtinant, ſi teneantur uſque ad veſperam, nec laborant, nec recuſant, nec ſaltem aliquando ullo pudore diſcedunt. Tamen ne fraudemus eos, qui eſurientes veniunt, etſi breviter, non tacebimus hujus rei ſacramentum, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum eo corpore, in quo reſurrexit, adſcendit.

Chriſtus poſt reſurrectionem converſatur cum diſcipulis, ut in fide confirmentur.

2. Sanè propter infirmitatem diſcipulorum ſuorum; (non enim deerant etiam in illo numero, quos diabolus infidelitate tentaret, ita ut quidam diſcipulus ejus in ipſa ſpecie in qua noverat, non tamen magis fidem haberet viventibus membris, quàm recentibus cicatricibus:) ergo ad eorum confirmationem dignatus eſt poſt reſurrectionem vivere cum illis quadraginta diebus integris, ab ipſo die paſſionis ſuæ uſque in hodiernum diem, intrans & exiens, manducans & bibens, ſicut dicit Scriptura; confirmans hoc redditum eſſe oculis eorum poſt reſurrectionem, quod ablatum erat per crucem. Verumtamen non illos voluit in carne remanere, nec carnali dilectione diutiùs retinere. Eo enim animo volebant eum eſſe ſemper carnaliter ſecum, quo animo etiam Petrus timebat eum pati. Videbant enim ſecum magiſtrum, confortatorem & conſolatorem & protectorem hominem, quales videbant ſe ipſos. Si tale aliquid non viderent, abſentem credebant; cùm ubique ille majeſtate ſit præſens. Tuebatur autem eos re vera, quemadmodum ipſe dicere dignatus eſt, tamquam gallina pullos ſuos. Sicut enim gallina propter infirmitatem pullorum & ipſa infirmatur. Si enim recordamini, ante oculos noſtros ſunt tantæ aves, quæ pullos faciunt; non videmus aliquam avem infirmari cum pullis, niſi gallinam: & ideò de illa Dominus ſimilitudinem duxit; quia propter infirmitatem noſtram & ipſe ſuſceptione carnis infirmari dignatus eſt. Oportebat autem ut erigerentur aliquantùm, & jam inciperent eum ſpiritaliter cogitare, tamquam Verbum Patris, Deum apud Deum, per quem facta ſunt omnia: & non eos ſinebat caro, quam videbant. Proderat ergo illis confirmari in fide per converſationem ejus ſecum quadraginta diebus: ſed plus proderat eis, ut ſe ab oculis eorum ſubtraheret; & qui in terra tamquam frater converſatus fuerat, de cælo tamquam Dominus ſubveniret; diſcerentque illum cogitare ſecundùm Deum. Hoc enim Evangeliſta Johannes ſonuit: ſi quis advertat, ſi quis intelligat. Ait enim Dominus, *Non turbetur cor veſtrum.* * *Si me diligeretis*, inquit, *gauderetis, quia vado ad Patrem; quoniam Pater major me eſt.* Et alio loco, dicit, *Ego & Pater unum ſumus.* Tantamque ſibi æqualitatem vindicat, non rapinâ, ſed naturâ, ut hoc diceret cuidam diſcipulo dicenti ſibi, *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis:* & ille, *Philippe, tanto tempore vobiſcum ſum, & Patrem neſcitis? Qui me vidit, vidit & Patrem.* Quid eſt, *Qui me vidit?* Si ſecundùm oculos carnis, viderunt & qui crucifixerunt. Quid eſt ergo, *Qui me vidit*, niſi qui intellexit, qui oculo cordis vidit. Quomodo enim ſunt aures interiores, quas quærebat Dominus, cùm diceret, *Qui habet aures audiat*, cùm ante illum nullus ſurdus ſtaret: ſic eſt etiam adſpectus interior cordis, quo ſi quis viderat Dominum, viderat Patrem: quia æqualis eſt Patri.

Act. 1. 3. — Adſcendit in cælum, ne remaneant in carne. — Matth. 23. 37. — Johan. 14. 1. — * Ibid. 28. — Johan. 10. 30. — Johan. 14. 8. &c. — Matth. 11. 15.

Filius Dei naturâ æqualis Patri, miſericordiâ ad mortem uſque infirmatus.

3. Audi Apoſtolum volentem nobis commendare miſericordiam ipſius, quia propter nos infirmatus eſt, ut ſub alis ſuis pullos colligeret, docens alios etiam diſcipulos, ut & ipſi compaterentur infirmitati infirmorum, qui ad aliquam firmitatem de infirmitate communi adſcendiſſent: cùm ille de cæleſti firmitate ad infirmitatem no-

stram descenderit: ait illis, *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Dignamini, inquit, imitari Filium Dei per compassionem cum parvulis. *Qui cùm in forma Dei esset.* Jam dicendo, *in forma Dei esset*, æqualem ostendit Deo. Non enim forma minor est quàm ille cujus forma est. Si enim minor est, forma non est. Tamen ne aliquis dubitaret, adjecit, & posuit ipsum Verbum, unde ora sacrilegis clauderet: *Qui cùm in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quid est, Fratres carissimi, quòd ait Apostolus, *Non rapinam arbitratus est?* Quia naturaliter æqualis. Cui ergo erat rapina æqualitas Dei? Primo homini, cui dictum est, *Gustate, & eritis sicut dii.* Voluit per rapinam tendere se ad æqualitatem, & per pœnam perdidit immortalitatem. Ille enim cui rapina non erat, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Si ergo non rapina; natura, integra societas & summa ipsa comparatio. Sed quid fecit? *Semetipsum*, ait, *exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Parum erat dicere mortem, & genus mortis ostendit. Quare & genus mortis? Quia multi ad mortem sunt parati: multi enim dicunt, Non timeo mori, sed vellem in lectulo meo mori, circumdatus filiis, nepotibus, lacrymis uxoris. Mortem quidem videntur isti non recusare, sed eligendo genus mortis, de timore puniuntur. Ille autem elegit genus mortis, sed quod est deterius omnibus. Quomodo sibi eligunt homines melius genus mortis, sic ipse deterius elegit, hoc quod exsecrabile erat omnibus Judæis. Non enim timuit mori per falsos testes, per sententiam judicis, qui veniet judicare vivos & mortuos: non timuit mori per ignominiam crucis, ut omnes credentes ab omni ignominia liberaret. Ergo *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* tamen naturaliter æqualis Deo; fortis in virtute majestatis, infirmus compassione humanitatis: fortis, ut faceret omnia; infirmus, ut reficeret omnia.

Philip. 2. 5. &c.

Gen. 3. 5.

4. Quod ergo ait Johannes adtendite: *Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem; quoniam Pater major me est.* Quomodo æqualis, sicut dicit Apostolus? Sicut ipse Dominus, *Ego & Pater unum sumus.* Et alio loco, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Quomodo hîc, *Quia Pater major me est?* Vox ista, Fratres, quantum Dominus adspirat advertere, quodam modo exprobrantis fuit & consolantis. Fixi enim erant in homine, & Deum cogitare non poterant. Tunc enim cogitarent Deum, si ab illis & ab eorum oculis homo auferretur, ut amputata familiaritate quæ cum carne erat facta, discerent vel absente carne divinitatem cogitare. Ergo hoc eis ait: *Si me diligeretis, gauderetis, quia eo ad Patrem.* Quare? Ut cùm eo ad Patrem, possitis me cogitare æqualem Patri. Propterea enim *major me est:* adhuc cùm videtis me in carne, adhuc major me est Pater. Videte si suscepistis: non enim noverant nisi hominem cogitare. Hoc dico aliquantò planiùs, propter fratres nostros tardiores: qui autem intellexerunt, ferant tarditatem ceterorum, & imitentur ipsum Dominum, *qui cùm in forma Dei esset, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem. Si me diligeretis*, quid est

Christus abire vult, ut absente carne divinitas ipsius cogitetur.
Johan. 14. 28
Johan. 10. 30.

V. lib. 1. de Trinitate c. 7.

A hoc? *Si me diligeretis, gauderetis, quia eo ad Patrem. Si me diligeretis*, quid aliud est, quàm non me diligitis? Quid ergo diligitis? Carnem quam videtis. Ipsam enim non vultis ab oculis discedere. *Si* autem *me diligeretis:* quid est *me? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* quod ait ipse Johannes. Si ergo sic me diligeretis, quomodo per me facta sunt omnia, *gauderetis, quoniam vado ad Patrem.* Quare? *Quoniam Pater major me* B *est.* Adhuc cùm me videtis in terra, major me est Pater. Discedam ab oculis vestris; tollatur ab adspectibus caro mortalis, quæ propter vestram mortalitatem suscepta est; indumentum hoc, quod humilitate suscepi, incipiatis non videre: levetur tamen in cælum, ut discatis quid speretis. Non enim dimisit hîc ipsam tunicam, quam hîc voluit indui. Nam si hîc illam dimisisset, desperarent omnes de resurrectione carnis. Modò enim levavit eam in cælum, & sunt qui dubitent C de carnis resurrectione. Si Deus in se illam ostendit, homini negaturus est illam? Deus enim accepit illam miseratione, homo autem conditione. Et tamen ostendit illam, confirmavit illos, & levavit illam. Subducto autem ab oculis carnali adspectu, jam illi hominem non viderunt. Si quid erat in cordibus eorum tractum de desiderio carnali, quasi contristatum est in ipsis. Congregati sunt tamen in unum, & cœperunt orare. Ille autem missurus erat post istum decem diebus D interpositis Spiritum-sanctum, ut Spiritus-sanctus impleret eos amore spiritali, auferens eis desideria carnalia. Faciebat eos jam sic intelligere Christum quomodo erat Verbum Dei, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia. Non autem possent impleri tali intellectu, nisi carnalis caritas ab eorum oculis discessisset. Et ideo dixit, *Si me diligeretis, gauderetis, quia eo apud Patrem; quoniam Pater major me est.* Secundùm hominem major me est, æqualis secundùm Deum: E æqualis secundùm naturam, major secundùm Filii misericordiam. Humiliavit enim eum, non infra se tantùm, sed & infra Angelos, sicut Scriptura dicit. Non est minor; & si aliquantum susceptione carnis ab æqualitate Patris videtis recessisse Filium, unde numquam recedit: sed accipiendo carnem, (accepit enim hominem,) non mutatus est. Quomodo qui accipit vestem, non vertitur in vestem, sed manet ipse integer homo intus: & si senator accipiat vestem servilem, si F fortè non potest intrare ad consolandum aliquem in carcere compeditum cum ipsa senatoria veste, accipit habitum carceris, videtur sordidus habitus per humanitatem, sed intus manet dignitas senatoria tantò magis integra, quantò majore misericordiâ voluit quod humilitatis erat induere. Sic & Dominus manens Deus, manens Verbum, manens sapientia, manens virtus divina, manens in gubernatione cælorum, manens in G administratione terrarum, implens Angelos, totus ubique, totus in mundo, totus in Patriarchis, totus in Prophetis, totus in omnibus sanctis, totus in utero Virginis, ad induendam carnem, ad conjungendam sibi tamquam sponsam, ut procederet de thalamo suo sponsus, ut desponsaret Ecclesiam virginem castam. Ad hoc ergo minor Patre, quia homo: æqualis autem Patri, quia Deus. Tollite ergo de medio deside-

Johan. 1. 1.

Psal. 8. 6.
Filius Dei in se non minor per incarnationem.

ria carnalia. Tamquàm hoc diceret Apostolis A suis, Non vultis me dimittere: (quomodo unusquisque non vult dimittere amicum suum, tamquam dicens, Esto nobiscum aliquantùm, refrigeratur anima nostra quando te videmus:) sed melius est ut istam carnem non videatis, & divinitatem cogitetis. Tollo me à vobis exteriùs, & me ipso impleo vos interiùs. Numquid enim secundùm carnem & cum carne intrat in cor Christus? Secundùm divinitatem possidet cor: secundùm carnem per oculos loquitur ad cor, & B admonet foras; habitans intus, ut interiùs nos convertamur, & vivificemur ex ipso, & formemur ex ipso; quia forma est omnium infabricata.

Christus post resurrectionem cum discipulis agit dies quadraginta, ut significet necessariam hic semper fidem incarnationis.

5. Ergo si quadraginta dies fecit cum discipulis suis, non sine caussa quadraginta dies fecit. Fortè sufficerent viginti, sufficerent triginta: quadraginta dies dispensatio est totius hujus sæculi. Aliquando inde tractavimus propter denarium numerum quater ductum. Commemoro vos qui audistis. Dena- C rius enim numerus totam sapientiam significat. Hæc sapientia dispensata est per quatuor partes mundi, per totum orbem terrarum: & tempora quadrifariâ dispositione dispertiuntur. Nam annus quatuor tempora habet: & mundus quatuor cardines habet. Decem ergo quater ducti quadragenarium numerum habent. Ideo autem quadraginta diebus jejunavit Dominus, ostendens nobis abstinentiam ab omni corruptione esse debere fidelibus, quamdiu sunt in hoc mundo. D Quadraginta diebus jejunavit Elias, gestans personam Prophetiæ, ostendens quia & in Prophetia hoc docetur. Quadraginta diebus jejunavit Moyses, qui gerebat personam Legis, ostendens quia & in Lege hoc docetur. Quadraginta annis ductus est populus Israël in eremo. Quadraginta diebus arca in diluvio fluctuavit, quæ arca Ecclesia est: lignis imputribilibus facta; ligna imputribilia sunt animæ sanctorum & justorum: habens tamen animalia munda & immunda; quia E quamdiu vivitur in hoc sæculo & per baptismum tamquam per diluvium Ecclesia purgatur, non potest nisi habere bonos & malos: ideo arca illa & munda & immunda habebat. Sed postea quàm exivit inde Noë, non fecit sacrificium Deo nisi de mundis animalibus. Unde debemus intelligere quia in arca ista & munda & immunda animalia sunt, sed post diluvium istum non accipit Deus nisi eos qui se mundaverunt. Ergo totum hoc tempus quod videtur, Fratres, pro quadraginta F diebus habetote. Totum hoc tempus, quamdiu hîc sumus, arca est in diluvio: quamdiu baptizantur Christiani & per aquam mundantur, natare videtur arca in fluctibus, quæ quadraginta diebus in aqua versabatur. Dominus autem manens cum discipulis per quadraginta dies, significare dignatus est quia per istud tempus necessaria est omnibus fides Incarnationis Christi: quæ infirmis est necessaria. Si esset jam oculus, qui videret *In principio erat Verbum*, qui videret, qui G teneret, qui amplecteretur, qui frueretur, non opus erat ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis: sed quia ad illud tenendum & fruendum excæcatus erat oculus interior pulvere peccatorum, jam non erat unde intelligeretur Verbum; quod dignatus est caro fieri, ut mundaretur quo possit postea videri, quod modo non potest. Quia ergo dispensatio carnis Christi huic vitæ fidelibus necessaria est, per quam tendant ad Dominum; cùm autem ventum fuerit ad speciem illam Verbi, omnis carnalis dispensatio non erit necessaria: ideo conversatio ipsius in carne post resurrectionem per quadraginta dies erat necessaria, ut demonstraret tamdiu esse necessariam fidem Incarnationis Christi, quamdiu in ista vita docetur arca in diluvio fluctuare. Ecce quod dico, Fratres: credite in Jesum Christum natum de Maria virgine, crucifixum resurrexisse. Non opus est ut interrogemus post istud sæculum, quia jam illud accepimus in fide: tenemus illud; infirmitati nostræ necessarium est. Putate ergo caritatem gallinæ illius, quæ protegit infirmitatem nostram: putate esse jumentum misericordis illius transeuntis, in quod levavit languidum, qui vulneratus erat. Levavit enim illum, quò? In jumentum suum. Jumentum Domini caro est. Ergo cùm transierit hoc sæculum, quid tibi dicetur? Quia rectè credidisti in carnem Christi, modò fruere majestate & divinitate Christi. Necessarius fuit infirmus infirmo, necessarius erit fortis forti.

Lucæ 10. 33.

Carnis resurrectio futura.

6. Quia & tu deponere habes ipsam infirmitatem, juxta quod audisti in Apostolo, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Quia *caro & sanguis*, ait, *regnum Dei non possidebunt.* Quare non possidebunt? quia non resurget caro? Absit: resurget caro, sed quid fit? Immutatur, & fit ipsa corpus cæleste & Angelicum. Numquid carnem habent Angeli? Sed hoc interest, quia ista caro resurget, ista ipsa quæ sepelitur, quæ moritur; ista quæ videtur, quæ palpatur, cui opus est manducare & bibere, ut possit durare; quæ ægrotat, quæ dolores patitur, ipsa habet resurgere, malis ad pœnas sempiternas, bonis autem ut commutentur. Cùm fuerit commutata, quid fiet? Jam corpus cæleste vocabitur, non caro mortalis: quia, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Mirantur autem si facit Deus de carne corpus cæleste, qui de nihilo fecit omnia. In carne constitutus Dominus de aqua vinum fecit, & mirum est si de carne corpus cæleste facere potuerit? Nolite ergo dubitare de Deo quia potens est illud facere. Angeli ut essent nihil erant, sed ipsius majestate sunt quod sunt. Qui potuit te facere cùm non esses, non potest reparare quod fueras, & non potest dare honorem claritatis fidei tuæ propter ipsam incarnationem suam? Ergo cùm transierint ista, veniet nobis illud quod ait Johannes, *Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus: scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est.* Ad istam visionem vos parate, interim quamdiu in carne estis credite in Christum incarnatum; & sic credite, ut non putetis seductos vos esse aliqua falsitate. Numquam enim mentitur veritas: nam si mentitur, quò imus ad consilium? quid facimus? cui nos credimus? Ergo veritas, Verbum verum, sapientia vera, virtus Dei vera: *Verbum caro factum est*, vera caro. *Palpate, & videte*, ait, *quia spiritus ossa & nervos non habet, sicut me videtis habere.* Vera enim ossa erant, veri nervi, veræ cicatrices: verum quidquid tangebatur, verum quidquid intelligebatur. Tangebatur homo, in-

1. Cor. 15. 53

Ibidem 50.

1. Johan. 3. 2.

Johan. 1. 14.

Lucæ 24. 39.

telligebatur Deus: tangebatur caro, intelligebatur A sapientia: tangebatur infirmitas, intelligebatur potentia. Totum verum. Tamen deinde caro in cælum præcessit, id est caput. Sequentur cetera membra. Quare? Quia oportet ut dormitionem accipiant membra ista aliquantùm, & resurgant tempore suo omnes. Si & Dominus tunc vellet resurgere, non esset in quem crederemus. Ideo voluit primitias dormientium * liberare Deo in se ipso, ut cùm in illo videres quod redditum est, in te sperares quod donandum est. Erit B omnis populus Dei æquatus Angelis & sociatus. Nemo ergo vobis dicat, Fratres, Credunt stulti Christiani quia caro resurget: quis resurgit? aut quis resurrexit? aut quis huc inde venit ab inferis, & dixit vobis? Christus inde venit: ô miser, ô cor humanum perversum & præposterum. Si avus ipsius resurgeret, crederet illi: Dominus mundi resurrexit, & non vult credere.

* f. libare.

Trinitatis mysterium.

7. Tenete itaque, Fratres mei, veram, germanam, catholicam fidem. Filius æqualis est Pa- C tri, donum Dei Spiritus-sanctus æqualis est Patri, & ideo Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus Deus, non tres dii: non gradibus sibi adjecti, sed majestate adunati, & unus Deus. Sed Filius tamen propter nos, *Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Et ut noveritis, Fratres, quia verè Trinitas ista æqualis est, & non est dictum quia *Pater major* D *me est*, nisi propter carnem, quam suscepit Dominus: quare de Spiritu-sancto numquam dictum est, Minor est, nisi quia ipse non suscepit carnem? Videte quid dixi: perscrutamini omnes Scripturas, levate omnes paginas, legite omnes versus; numquam invenietis quia Spiritus-sanctus minor sit quàm Deus. Ille ergo dictus est minor, qui propter nos factus est minor, ut per illum nos efficeremur majores.

* SERMO CCLXV.

De [a] Adscensione Domini, V.

* Aliàs 6. inter additos à Parisiensibus.

[a] Caput I. Veritas resurrectionis Christo per quadraginta dies cum discipulis agente confirmata.

1. SOLLEMNITATE diei hujus admonemus scientes, instruimus negligentes. Adscensum Domini in cælum hodie sollemniter celebramus. Dominus enim Salvator noster, posito corpore, & recepto corpore, postea quàm resurrexit à mortuis, exhibuit se discipulis viventem, quem desperaverant morientem. Postea quàm se reddidit oculis intuendum, manibus contrectandum, ædificans fidem, exhibendo veritatem; quoniam parum fuit humanæ fragilitati & infirmæ trepidationi tam magnum miraculum uno die exhibere, & inde subtrahere; conversatus est cum eis in terra, sicut audivimus, cùm liber Actuum Apostolorum legeretur, conversatus est cum eis in terra quadraginta diebus, intrans & exiens, manducans & bibens: ut exhiberet veritatem, non quòd haberet necessitatem. Ipso ergo quadragesimo die, quem hodie celebramus, eis videntibus, & videndo deducentibus, adscendit in cælum.

Act. 1 3.

Adventus Christi ad judicium

2. Tunc ergo postea quàm id quod videbant adscendere mirabantur, sursum tamen ire gaudebant; capitis enim præcessio, spes membrorum est; audierunt & Angelicam vocem, *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Hic Iesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Quid est, *sic veniet?* In ea forma veniet: ut impleatur quod scriptum est, *Videbunt in quem pupugerunt. Sic veniet.* Ad homines veniet, homo veniet; sed Deus homo veniet. Veniet verus homo & Deus, ut faciat homines deos Adscendit judex cæli, sonuit præco cæli. Bonam caussam habeamus, ut futurum judicium non timeamus. Adscendit enim: viderunt qui nobis nuntiaverunt. Qui non viderunt, crediderunt: alii [b] non credentes irriserunt. *Non enim omnium est fides*. Et quia *non omnium est fides, & novit Dominus qui sunt ejus*, quid disceptamus quòd adscendit in cælum Deus? Miremur potiùs quia descendit in infernum Deus. Mortem Christi miremur, resurrectionem verò laudemus potiùs quàm miremur. Perditio nostra, peccatum nostrum: sanguis Christi, pretium nostrum. Resurrectio Christi, spes nostra: adventus Christi, res nostra. Ille ergo qui est ad dexteram Patris, exspectandus est donec veniat. Dicat anima nostra sitiens illi, Quando veniet? Et, *Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Qnando veniet? Veniet: sed quando veniet? Optas ut veniat: utinam paratum te inveniat.

Serm. de Tempore.

prænuntiatus.

Ibidem 11.

Zach. 12. 10.

1.

2. Thess. 3. 2.

2. Tim. 2. 19.

Psal. 41. 3.

Caput II. Discipulorum inquisitio de tempore futuri adventûs Christi.

3. Verumtamen ne putemus nos solos habere hoc desiderium de Domino nostro, ut dicamus, Quando veniet? Habuerunt hoc desiderium & discipuli ejus. Si possem vobis dicere inhiantibus, exspectantibus, suspensis, nosse cupientibus, quando veniat Dominus Deus noster, si possem vobis dicere, qualis vobis viderer? Sed si hoc ex me non vos speratis audire posse; qui si speratis, desipitis: ipsum certè Dominum Jesum Christum in corpore præsentem, viventem, loquentem, si ante oculos vestros & ante manus vestras haberetis, scio quia præ isto desiderio in- E terrogaretis, & diceretis ei, Domine, quando venturus es? Discipuli ipsi Dominum Jesum Christum præsentem interrogaverunt. Non potestis interrogare quod interrogaverunt, audite quod audierunt. Etenim illi tunc erant, nos nondum eramus: quibus tamen si credamus, & nobis interrogaverunt, & nobis audierunt. Ergo discipuli Christi deducturi adspectu adscensurum Christum interrogaverunt, & dixerunt ei, *Domine, si hoc tempore præsentaberis?* Cui dicebant? F Quem præsentem videbant. *Si hoc tempore præsentaberis?* Et quid est illud? Nonne præsentem videbant? nonne præsentem audiebant? nonne præsentem etiam tangebant? Quid est hoc, *Si hoc tempore præsentaberis?* nisi quia noverant præsentiâ Christi futurum judicium, ut videretur à suis & ab alienis? Nam quando resurrexit, non est visus nisi à suis. Hoc ergo sciebant, & fide retinebant, futurum esse tempus quando judicatus judicaret, quando reprobatus probaret & G reprobaret; quando conspicuus utrique hominum generi alios poneret ad dexteram, alios ad sinistram, dicturus quod utrique audirent, oblaturus quod non utrique acciperent, comminaturus quod non utrique pertimescerent. Sciebant futurum; sed quando, quærebant. *Si hoc*

Act. 1. 6.

[a] Hujus excerptum apud Eugypium reperies, & apud Florum ad Rom. 5.

[b] Colbertinus codex caret particulâ *non*.

Classis II.

tempore præsentaberis? Non utique nobis; nam & modò videmus te: sed præsentaberis etiam his, qui non crediderunt in te. *Si hoc tempore præsentaberis, dic nobis, & quando regnum Israël?* Hoc quæsierunt, *Si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israël?* Quod regnum? De quo dicimus, *Veniat regnum tuum.* Quod regnum? De quo audituri sunt ad dexteram positi: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Quando dicturus est etiam sinistris, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Terribilis vox, tremenda vox: sed, *In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timebit.* Istis hoc, illis illud: in utroque verax, quia in utroque justus.

Matth. 6. 10.
Matth. 25. 34.
Ibidem 41.
Psal. 111. 7.

Caput III. Responsum Christi.
* f. ut.
Act. 1. 6.

4. Sed quod quærebant, si audierunt, audiamus: si non audierunt, quod audierunt teneamus;* & quod venturum est, non timeamus. *Domine, si hoc tempore præsentaberis?* Et nos æstimantes nos præsentem videre Dominum in corpore constitutum, dicamus illi, *Domine, si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israël?* Quando regnum tuorum, quando regnum humilium, quamdiu typhus superborum? Certè hoc est quod quærebatis, hoc est quod audire desiderabatis. Videamus quid responderit. Non dedignentur audire agni, quod audierunt arietes. Audiamus quid dixit ipse Dominus. Quibus? Petro, Johanni, Andreæ, Jacobo, ceteris tantis & talibus, tam dignis: sed quos invenit indignos, & fecit dignos. Quid eis respondit dicentibus, *Si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israël?* * *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quid est hoc? Dicitur Petro, *Non est vestrum:* & dicis tu, Meum est? *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quod creditis, bene creditis: quia venturum est. Quando venturum sit, quid ad te? Quando venerit, præpara te. *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Curiositas abscedat, pietas succedat. Quid ad te quando veniet? Sic vive, quasi hodie venturum sit; & non timebis, cùm venerit.

Ibidem 7.

Caput IV. Christus bonus magister, docens quod expedit scire.

5. Videte autem ordinem & disciplinam magistri boni, magistri singularis, magistri solius. Non dixit quod interrogaverunt, & dixit quod non interrogaverunt. Sciebat enim quod interrogaverunt non eis expedire ut nossent: quod autem sciebat eis expedire, etiam non eis interrogantibus dixit. *Non est vestrum scire*, inquit, *tempora.* Quò tibi tempora? Hoc agitur ut evadas tempora, & quæris tempora. *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Et quasi diceretur ei, Et quid est nostrum? Modò audiamus quid ad nos maximè pertineat, modò audiamus. Quæsitum est quod non oporteat dici: sed dictum est quod oporteat audiri. *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Sed quid est vestrum scire?

Caput V.
Ibidem 8.
Ecclesia unica ubique diffusa prædicatur contra schismaticos.

6. *Sed accipietis virtutem Spiritus-sancti supervenientem in vos, & eritis mihi testes.* Ubi? *In Ierusalem.* Consequens erat ut hoc audiremus: his enim verbis Ecclesia prædicatur, Ecclesia commendatur, unitas annuntiatur, divisio accusatur. Apostolis dictum est, *Et eritis mihi testes.* Fidelibus dicitur, vasis Dei dicitur, vasis misericordiæ dicitur, *Eritis mihi testes.* Ubi? *In Ierusalem*, ubi occisus sum: *& in tota Iudæa & Samaria, & usque in fines terræ.* Ecce quod audite, ecce quod tenete. Sponsa estote, & sponsum securi exspectate. Sponsa Ecclesia est. Ubi futura prædicata est, quam illi testes annuntiarent; ubi futura prædicata est? Multi enim dicturi sunt, Ecce hîc est. Audirem, si non & alius diceret, Ecce hîc est. Quid tu dicis? Ecce hîc est. Jam ibam: sed revocat alius simili voce, Ecce hîc est. Tu ex una parte, Ecce hîc est: alius ex parte alia, Ecce hîc est. Dominum interrogemus, Dominum interpellemus. Sileant partes, totum audiamus. Dicit unus ex uno angulo, Ecce hîc est: alius ex alio angulo, Non, sed ecce hîc est. Tu Domine dic: tu assere quam redemisti, ostende quam dilexisti. Ad nuptias tuas invitati sumus, ostende sponsam tuam, ne vota tua litigando turbemus. Dicit planè, ostendit planè: non deserit inquirentes, non amat litigantes. Dicit discipulis suis, & non quærentibus dicit; quia contendentibus contradicit. Et ideo fortasse hoc ab Apostolis nondum quærebatur, quia grex Christi nondum à latronibus dividebatur. Nos experti dolores divisionis, studiosè coagulum quæramus unitatis. Apostoli quærunt tempus judicii, & Dominus respondet locum Ecclesiæ. Non respondit quod quæsierunt, sed nostros prævidebat dolores. *Eritis*, inquit, *mihi testes in Ierusalem.* Parum est. Non pro hoc tantum pretium dedisti, ut hoc solum emeres. *In Ierusalem.* Dic adhuc, *Et usque in fines terræ.* Venisti ad fines: quare contentiones non finis? Nemo mihi dicat jam, Ecce hîc est: Non, sed ecce hîc. Sileat humana præsumtio, audiatur divina prædicatio, teneatur vera promissio: *In Ierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & usque in fines terræ.* His dictis *nubes suscepit eum.* Jam non opus erat, ut aliquid adderetur, ne aliunde cogitaretur.

Serm. de Tempore.

Caput VI. Verba novissima Christi à schismaticis contemta.

7. Fratres, pro magno audiri solent verba novissima parentis ituri in sepulcrum, & contemnuntur Domini verba novissima adscendentis in cælum? Existimemus Dominum nostrum testamentum scripsisse, & in testamento suo novissima verba posuisse. Prævidit enim malorum filiorum futura litigia, prævidit homines partes sibi conantes facere de possessione aliena. Quare enim non dividant, quod non emerunt? Quare non concidant, pro quo pretium non dederunt? Sed ille tunicam desuper textam nusquam consutilem dividi noluit: sorte provenit. In illa veste unitas commendata est, in illa veste caritas prædicata est, ipsa est desuper texta. De terra est cupiditas, desuper caritas. Agite, Fratres: testamentum scripsit Dominus, novissima verba posuit. Videte, obsecro vos, & moveat vos, quomodo & nos, moveat, si fieri potest.

Tunica Christi inconsutilis. Johan. 19. 23.

Caput VII. Christi duæ glorificationes.

8. Duæ sunt glorificationes secundùm suscepti hominis formam: una, qua surrexit à mortuis tertio die; alia, qua adscendit in cælum ante oculos discipulorum suorum. Duæ sunt istæ, quæ commendantur, glorificationes ejus jam factæ. Restat una & ipsa in conspectu hominum, cùm se judicio præsentabit. De Spiritu-sancto hoc erat dictum per Johannem Evangelistam, *Spiritus autem nondum fuerat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Spiritus autem nondum fuerat datus:* quare nondum fuerat datus? *Quia Iesus nondum erat glorificatus.* Exspectabatur ergo, ut glorificato Jesu daretur Spiritus. Meritóque bis glorificatus,

Johan. 7. 39.
Spiritus-sanctus bis datus.

Classis II.

resurgendo & adscendendo, bis dedit Spiritum. A Unum dedit, & unus dedit, unitati dedit, & tamen bis dedit. Primò postea quàm resurrexit, (Johan. 20. 22.) dixit discipulis suis, *Accipite Spiritum-sanctum.* Et insufflavit in faciem eorum. Habes semel. Deinde promittit adhuc se missurum Spiritum-sanctum, & dicit, (Act. 1. 8.) *Accipietis virtutem Spiritus-sancti supervenientem in vos.* Et alio loco, (Luca 24. 49.) *In civitate sedete: ego enim impleam promissionem Patris, quam audistis*, inquit, *ex ore meo.* Postea quàm adscendit, decem diebus ibi factis misit Spiri- B tum-sanctum: ipse est sollemnis futurus Pentecostes.

Caput VIII. Spiritus-sāctus ideo bis datus, ut duo præcepta caritatis commendarentur.

9. Videte, Fratres mei. Quærat à me aliquis, quare bis dedit Spiritum-sanctum? Multi multa dixerunt, & sicut homines quæsierunt: & aliquid dixerunt quod non est contra fidem; alius hoc, alius illud, utrumque quod non excederet regulam veritatis. Si dicam me scire, quare bis dederit, mentiar vobis. Nescio. Qui se dicit scire quod nescit, temerarius est: qui se negat scire C quod scit, ingratus est. Ergo fateor vobis, quare bis dederit Dominus Spiritum-sanctum, adhuc quæro: ad aliquid certius pervenire cupio. Adjuvet me Dominus orantibus vobis, ut quod donare dignatur, & vobis non taceatur. Ergo nescio. Quid tamen existimem nondum sciens, nondum pro certo tenens, sicut certissimum teneo dedisse; quid ergo existimem, non tacebo. Si hoc est, confirmet Dominus: si aliud est quod (Florus ad Rom. 5.) verius appareat, donet Dominus. Ergo arbitror, D sed arbitror, ideo bis datum esse Spiritum sanctum, ut commendarentur duo præcepta caritatis. Duo sunt enim præcepta, & una est caritas: (Matth. 22. 37. &c.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*: &, *Diliges proximum tuum, tamquam te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ.* Una caritas, & duo præcepta: unus Spiritus, & duo data. Non enim alius datus est priùs, & alius datus est postea: quia non alia caritas diligit proximum, E quàm illa quæ diligit Deum. Non ergo alia caritas est. Qua caritate proximum, ipsa caritate diligimus & Deum. Sed quia aliud est Deus, aliud proximus; una caritate diliguntur, non sunt tamen unum qui diliguntur: quia ergo magna est primitus commendanda dilectio Dei, secunda dilectio proximi; à secunda autem incipitur, ut ad primam perveniatur: (1. Johan. 4. 20.) *Si enim fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere poteris?* ideo fortè infor- F mans nos ad dilectionem proximi, dedit in terra conspicuus & proximis proximus Spiritum-sanctum, insufflando in faciem eorum; & ab hac maximè caritate quæ in cælis est, de cælo misit Spiritum-sanctum. Spiritum-sanctum accipe in terra, & diligis fratrem: accipe de cælo, & diligis Deum. Quia & in terra quod accepisti, de cælo est. In terra Christus dedit, sed de cælo est quod dedit. Ille enim dedit, qui de cælo descendit. Hîc invenit cui daret, sed inde adtulit quod G daret.

Caput IX. Caritas Spiritus-sancti donum.

10. Quid est ergo, Fratres? An fortè commemoro & hoc, quomodo caritas ad Spiritum-sanctum pertineat? Paulum audite: (Rom. 5. 3. &c.) *Non solùm autem*, inquit, *sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem; spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Unde caritas Dei diffusa est in cordibus nostris? Unde? Quid tibi dabas? Quid quasi de tuo præsumebas? (1. Cor. 4. 7.) *Quid enim habes, quod non accepisti?* Ergo unde, nisi quod sequitur, *Per Spiritum-sanctum qui datus est nobis?*

Serm. de Tempore.

Caritas nō habetur extra Ecclesiam.

11. Caritas ista non tenetur, nisi in unitate Ecclesiæ. Non illam habent divisores: sicut dicit Apostolus Judas, (Juda 1. 19.) *Hi sunt qui se ipsos segregant, animales, Spiritum non habentes. Qui se ipsos segregant*: quare segregant? Quia *animales, Spiritum non habentes.* Ideo defluunt, quia coagulum non habent caritatis. Ipsa caritate plena est gallina illa propter pullos infirmata, cum pullis humilians vocem suam, extendens alas suas: (Matth. 23. 37.) *Quotiens*, inquit, *volui colligere filios tuos?* Colligere, non dividere. Quia *habeo*, inquit, (Johan. 10. 16.) *alias oves, quæ non sunt de hoc ovili: oportet me & ipsas adducere, ut sit unus grex & unus pastor.* Meritò non audivit fratrem contra fratrem interpellantem, & dicentem, (Luca 12. 13. & 14.) *Domine, dic fratri meo dividat mecum hereditatem. Domine*, inquit, *dic fratri meo.* Quid? *Dividat mecum hereditatem.* Et Dominus, *Dic homo.* Quare enim vis dividere, nisi quia homo? Cùm enim dicit alius, (1. Cor. 3. 4.) *Ego sum Pauli; alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Dic homo, Quis constituit me divisorem hereditatis inter vos?* Colligere veni, non dividere. *Ideo*, inquit, (Luca 12. 15.) *dico vobis cavete ab omni cupiditate.* Cupiditas enim cupit dividere, sicut caritas colligere. Quid est autem, *Cavete ab omni cupiditate*, nisi, implemini caritate? Nos caritatem pro captu nostro habentes interpellamus Dominum contra fratrem, sicut & ille contra fratrem: sed non hac voce, non hac postulatione. Ille enim dixit, *Domine, dic fratri meo dividat mecum hereditatem.* Nos dicimus, Domine, dic fratri meo teneat mecum hereditatem.

Caput X. Ecclesiæ unitas Christo glorificato quoties commendata.

12. Videte ergo, Fratres, quid maximè diligatis, quid fortiter teneatis. Glorificatus Dominus resurgendo, commendat Ecclesiam: glorificandus adscendendo, commendat Ecclesiam: Spiritum-sanctum mittens de cælis commendat Ecclesiam. Resurgens enim, quid dicit discipulis suis? (Luca 24. 44. &c.) *Hæc dicebam vobis, cùm adhuc essem apud vos, quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me. Et tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Ubi est Ecclesiæ commendatio? *Et prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum.* Et hoc ubi? *Per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem.* Hoc resurrectione glorificatus. Quid adscensione glorificandus? Quod audistis, (Act. 1.) *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Judæa & Samaria, & usque in fines terræ.* Quid ipso adventu Spiritus-sancti? Venit Spiritus-sanctus: quos primùm implevit, linguis omnium gentium loquebantur. Unusquisque homo loquens omnibus linguis, quid aliud significavit, quàm unitatem in omnibus linguis? Hoc tenentes, in hoc roborati, in hoc firmati, in hoc inconcussa caritate defixi, laudemus pueri Dominum, & dicamus Halleluia. Sed in una parte? Et unde? & quò usque? (Psal. 112.) *A solis ortu usque ad occasum laudate nomen Domini.*

CLASSIS II.

* Alias 5. inter editos ex majoris Carthusiæ MSS.

* SERMO CCLXVI.

In [a] vigiliis Pentecostes.

De versu Psalmi 140. Emendabit me justus, *&c. Contra Donatistas.*

Psalmi versus malè intellectus à Donatistis.

Psal. 140. 5.

1. INTER alia divina eloquia, quæ, cùm Psalmus cantaretur, audivimus, placet adjuvante Domino istam potissimùm discutere & pertractare sententiam, qua dictum est, *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Nonnulli enim crediderunt oleum peccatoris, oleum esse hominis; quia *omnis homo mendax.* Oleum autem Christi, quia nullum habuit omnino peccatum, etsi per peccatorem ministretur, non est oleum peccatoris. Cùm tres considerandi animo occurrant, à quo datur, cui datur, per quem datur: non timeamus oleum peccatoris, quia non intercipit medius minister beneficium largitoris.

Psal. 115. 11.

Spiritus-sancti adventus die Pentecostes.

2. Certè enim sollemnitatem modò celebramus adventûs Spiritus-sancti: nam die Pentecostes, qui dies jam cœpit, erant uno in loco centum-viginti animæ, in quibus Apostoli & mater Domini & alii utriusque sexûs orantes & exspectantes promissum Christi, hoc est adventum Spiritus-sancti. Non erat inanis spes exspectantis, quia non erat fallax pollicitatio promittentis: quod exspectabatur advenit, & vasa munda, à quibus susciperetur, invenit. *Visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, qui & insedit super unumquemque eorum, & cœperunt loqui linguis, sicut Spiritus dabat eis pronuntiare.* Unusquisque homo linguis omnibus loquebatur, quia futura Ecclesia in omnibus linguis prænuntiabatur. Unus homo signum erat unitatis: omnes linguæ in uno homine, omnes gentes in unitate. Qui pleni erant, loquebantur: & qui inanes erant, mirabantur, & quod est reprehensibilius, mirabantur & calumniabantur. Dicebant enim, *Hi ebrii sunt & musto pleni.* Quàm stulta & calumniosa reprehensio! Homo ebrius non alienam linguam discit, sed suam perdit. Verumtamen per ignorantes & calumniantes veritas loquebatur. Jam quippe illi pleni erant vino novo, quia facti erant utres novi. Sed utres novos utres veteres mirabantur, & calumniando nec innovabantur, nec implebantur. Sed repressâ tandem calumniâ, mox ubi sermocinantibus rationemque reddentibus & Christi gratiâ prædicantibus aures Apostolis præbuerunt, audiendo compuncti sunt, compunctione mutati sunt, mutati crediderunt; credentes, hoc quod in aliis mirabantur, accipere meruerunt.

Act. 2. 3.

Unitas Ecclesiæ catholicæ donro linguarum significata.

Matth. 9. 17.

Spiritus-sanctus donum, non hominis ministri, sed Dei.

3. Deinde cœpit Spiritus-sanctus dari per ministerium Apostolorum. Illi manus imponebant, & ille veniebat. Sed hoc non erat hominum: non sibi arroget minister plus quàm quod ut minister. Alius est donator, alius ministrator. Hoc quippe testatus est Spiritus, ne homines sibi arrogarent quod Dei erat. Hinc enim voluit Simon inflari, qui existimans hoc hominibus esse tribuendum, pecuniam promisit Apostolis, ut & ad ipsius manûs impositionem veniret Spiritus-sanctus. Gratiam non noverat. Nam si gratiam agnosceret, gratis haberet. Ideo quia voluit emere Spiritum, non meruit redimi abs

Act. 8. 18.

A Spiritu. Quid es homo; quòd te inflare vis? Sufficit tibi ut implearis, non ut infleris. Qui impletur, dives est: qui inflatur, inanis est. Sed per homines, inquiunt, dabatur. Numquid ideo erat hominum quod dabatur? Sed non poterat dari, inquiunt, nisi per homines sanctos. Numquid in ipsos per homines venerat? Apostoli manus imponebant; & Spiritus-sanctus veniebat: quando ad ipsos venit, ipsis quis manus imposuit?

SERM. DE TEMPORE

Donatistarum error, non dari Spiritum-sanctum nisi per sanctos ministros.

4. Accipite & tenete divina exempla: sed eloquia
B Dei sunt, Scripturæ auctoritas, fides verborum, veritas exemplorum. Totum legimus, totum credamus. Per manûs impositionem Apostolorum datus est multis Spiritus-sanctus: sed per quos dabatur, acceperant. Quando acceperant? Quando in uno conclavi centum-viginti homines erant: unusquisque eorum orabat, nullus manum imponebat; orantibus supervenit, orantes implevit, impletos ministros fecit, & per ipsos suum dedit. Adhuc audite. Philippus evan-
C gelista, qui prædicavit Evangelium in Samaria, unus erat de septem diaconibus: nam in ministerii necessitate duodecim Apostolis septem diacones additi erant; ex quibus erat unus, ut dixi, Philippus, qui propter promtum prædicationis eloquium, evangelista propriè meruit appellari. Quamvis omnes hoc agerent; iste, ut dixi, in Samaria Evangelium prædicavit: crediderunt multi in Samaria, credentes baptizati sunt. Ut autem audierunt Apostoli miserunt ad eos Pe-
D trum & Johannem, ut baptizatis manus imponerent, & eis manus imponendo, impetrarent Spiritum-sanctum invocantes. Simon admiratus tantam gratiam Apostolorum, pecuniam dare voluit, quasi illud, quod invocabatur, venale proponeretur: sed repulsus est, & tantâ gratiâ indignus inventus est. Acceperunt ergo illi Spiritum-sanctum per manus Apostolorum. Tunc ergo quia Simon ille hominum esse putaverat donum Dei, ne apud infirmos hæc suspicio firmaretur,
E postea Eunuchus quidam Candacæ reginæ veniebat de Jerusalem, quò ierat ut oraret, & sedens in curru legebat Isaiam prophetam. Tunc Spiritus-sanctus ait Philippo, ut accederet ad currum. Ille qui in Samaria baptizaverat, & nemini manum imposuerat, & Apostolis nuntiaverat, ut per illorum adventum & manus impositionem ab eo baptizati Spiritum-sanctum accipere mererentur, accedit ad currum, interrogat Eunuchum utrùm intelligeret, quod legebat. Respon-
F det ille, posse se intelligere, si habeat expositorem: rogat Philippum, ut currum adscenderet, adscendit, sedit cum illo, invenit eum legentem in Isaia propheta quod de Christo fuerat prænuntiatum, *Sicut ovis ad immolandum ductus est*, & cetera, quæ sunt ejusdem circumstantia lectionis. Tunc interrogans utrùm de se ipso Propheta diceret, an de alio, apertâ occasionis januâ evangelizavit Christum januam salutis. Cùm hæc in itinere aguntur, ventum est ad aquam, & ait
G Eunuchus Philippo, *Ecce aqua, quis me prohibet baptizari?* Ait Philippus, *Si credis, fieri potest.* Et ille, *Credo Filium Dei esse Iesum.* Descenderunt in aquam, baptizavit eum Philippus. Postea quàm adscenderunt ab aqua, venit super Eunuchum Spiritus-sanctus. Ecce Philippus ibi erat, qui in Samaria baptizaverat, & ad eos ba-

Spiritus-sanctus sine hominum ministerio aliquando datus.

Act. 8. 5. &c.

Ibidem 27. &c.

Isai. 53. 7.

Act. 8. 36. &c.

[a] Possidius in Indiculo cap. 9. recenset cum alio Sermone in iisdem vigiliis habito, quem reperies suprà ordine 29.

ptizatos Apostolos duxerat, baptizavit, nec manus imposuit: sed ut ostenderet Spiritus non verum suspicatum esse Simonem, quòd hominum donum esset Spiritus Dei, in hominem venit liberaliter, & liberum fecit. Venit ut Deus, & implevit: venit ut Dominus, & redemit.

Philippus diaconus alius ab apostolo.

5. Fortè aliquis dicat de contentiosis, quia Philippus non erat diaconus qui baptizaverat in Samaria, sed apostolus erat; quia & inter Apostolos Philippus nominatur, & qui propriè Evangelista appellatus est unus de diaconibus septem. Sed suspicentur quod volunt, citò solvo quæstionem. Apostolus fuerit; an diaconus, quod lectio tacuit, sit hoc incertum. Illud tamen scriptum est, quia mox ut adscenderet de aqua, venit Spiritus-sanctus [a] super spadonem. Nemo ibi commemorat manûs impositionem. Fortè & hoc parum est: dicit enim ille, Aliquis prorsus imposuit illi manum, sed hoc tacuit Scriptura.

Spiritus-sanctus Cornelio sine manus impositione & ante baptismum datus.

6. Ergo quid dicis? Hoc, inquit, dico, quia in primos illos centum-viginti re vera, quia tunc primùm veniebat Spiritus-sanctus, sine impositione manûs advenit, ex illo autem jam in neminem venit, nisi fuisset manus imposita. Oblitus es Cornelium centurionem: lege diligenter, & intellige prudenter. Cornelius centurio, sicut in eodem libro Actuum Apostolorum legitur, ubi etiam adventus Spiritus-sancti prædicatur. Ad centurionem Cornelium Angelus missus est, nuntiavit illi acceptas eleemosynas ejus, exauditas orationes: proinde eum debere mittere ad Petrum, qui habitaret in Joppe in domo Simonis coriarii, eumque accersendum. Tunc autem magna quæstio inter Judæos & Gentes versabatur, id est, inter eos qui de Judæis, & eos qui de Gentibus crediderant, utrùm Evangelium ministrandum esset incircumcisis. Erat inde magna cunctatio, cùm mittit Cornelius. Interim admonetur Petrus, agitur negotium regni cælorum, & hîc & ibi, ab illo qui ubique est. Cùm enim hæc apud Cornelium aguntur, interim & Petrus in Joppe esurivit, adscendit orare cùm ei refectio pararetur, orantis mens alienata est; sed ab infimis ad superna; non ut deviaret, sed ut videret. Venit illi discus de cælo submissus, quasi esurienti cæleste ferculum. Erat autem discus iste quatuor lineis alligatus, habens omnia genera animalium, munda & immunda, & voce supernâ pulsatus est esuriens, *Petre surge, macta, & manduca.* Adtendit ille, vidit in disco immunda animalia, quæ non solebat tangere, & respondit voci, *Absit à me, Domine: numquam commune & immundum intravit in os meum.* Et vox ad illum, *Quæ Deus mundavit, tu immunda ne dixeris.* Non Petro carnalis cibus offerebatur, sed mundatus Cornelius nuntiabatur. Hoc autem factum est ter, & receptum est vas in cælum. Evidens mysterium. Discus est orbis terrarum. Quatuor lineæ discum continentes, quatuor orbis cardines, quos Scriptura commemorat, dicens, *Ab Oriente & Occidente, & ab Aquilone & Mari.* Animalia, omnes gentes. Ter submissus discus, commendatio Trinitatis. Petrus, Ecclesia; esuriens Petrus, Ecclesia desiderans fidem Gentium. Vox cælestis, sanctum Evangelium. *Macta, & manduca:* occide quod sunt, fac quod es. Petro discrepante

Act. 10. — Luca 13. 29. — Act. 10. 13. &c.

A de jussu, subitò nuntiatum est quòd quidam milites missi à Cornelio vellent eum videre. Et Spiritus-sanctus Petro, *Vade cum eis, ego eos misi.* Pergit Petrus jam de visione non cunctabundus, sed certus: & sicut legitur, nuntiatur Cornelio, occurit humiliter, prosternitur humiliter: levatur humiliùs. Pervenitur domum, inveniuntur multi alii congregati. Narratur Petro quæ caussa fuerit mittendi ad eum, & gratiæ aguntur quòd venerit Petrus. Ergo aperto ore B suo evangelizare cœpit Gentibus incircumcisis, unde illa magna quæstio versabatur, gratiam Domini Jesu Christi. Erant quidam cum Petro, qui ex Judæis crediderant, qui possent moveri, si baptizarentur incircumcisi: ibi planè Petrus ait, *Vos scitis, Fratres, quemadmodum abominandum sit Judæo accedere vel conjungi Gentili, sed mihi Deus ostendit neminem communem aut immundum hominem dicere.* [b] Ille esuriens respexit ad discum.

*b Ex his refellit Donatistas.

7. Ubi sunt qui dicebant, (propterea enim totum narravi, propter quod volo dicere:) ubi sunt C qui dicebant per hominis potestatem dari Spiritum-sanctum? Evangelizante Petro, Cornelius & omnes qui cum illo * erant gens, hoc est gentiles, crediderunt, & subitò antequam baptizarentur impleti sunt Spiritu-sancto? Quid hîc respondet humana præsumtio? Non solùm ante impositas manus, sed ante ipsum baptismum venit Spiritus-sanctus; de potestate, non de necessitate. Venit ante baptismi ablutionem, ut auferret D controversiam circumcisionis. Posset enim à calumniantibus vel non intelligentibus dici Petro, Malè fecisti dare Spiritum-sanctum. Ecce impletum est, ecce demonstratum est, quod Dominus ait, *Spiritus ubi vult inspirat.* Ecce impletum est, ecce monstratur quàm verum Dominus dixerit, *Spiritus ubi vult inspirat.* Et tamen arrogantiæ spiritum nondum hæreticus superbus exspirat. Adhuc dicit, Meum est, noli ab illo accipere, sed à me. Respondes, Quæro quod Dei E est. Ille, Non legisti, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum?* Ergo oleum tuum est? Si tuum est, nolo: si tuum est, malum est. Si autem Dei est, & per te malum bonum est. Cœnum non inquinat solis radium, & tu inquinas Dei oleum? Ideo autem malo tuo habes, quia quod bonum est malus habes; quod Dei est, malus accepisti: quia separatus non collegisti, sed sparsisti. Qui manducant indignè, judicium sibi manducant & bibunt: quia manducant F indignè, non manducant? Indigno buccellam Christus Judæ dedit, & ille hanc ad judicium accepit. Numquid à malo accepit? numquid malum accepit? Sed ideo reus est, quia à bono bonum malus accepit. Non est ergo oleum peccatoris, oleum salutaris. Bene accipiatur, & bonum est: etsi malè accipiatur, bonum est. Væ hominibus bonum malè accipientibus.

*f. erant audientes. — Johan. 3. 8. — Psal. 140. 5. — 1. Cor. 11. 29. — Johan. 13. 26.

8. Vide tamen Scripturæ sensum, ne fortè aliquid admoneat, quod intelligentiæ pateat meliori. G *Emendabit me*, inquit, *justus in misericordia:* etsi cædit, amat, diligit objurgator; decipit adulator: ille miseretur, ille circumvenit. Dura est virga cædentis, molle est oleum blandientis. Etenim omnes adulatores caput unguunt, non viscera sanant. Ama objurgatorem, cave adulatorem.

[a] Non sic hodie Vulgata: sed Augustino consentiunt libri aliquot Græci, ipseque Hieronymus in dialogo contra Luciferianos c 4.

[b] Prætervivit amanuensis sequentia verba Scripturæ, quæ maximè ad rem faciebant.

CLASSIS II. torem. Si enim amas veridicum objurgatorem, & caves fallacem adulatorem, potes dicere quod cantatum est, *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris*, hoc est blandimentum adulatoris, *non impinguet caput meum*. Pingue caput, grande caput est: grande caput, superbum caput est. Melius est cor sanum, quàm grande caput: sed cor sanum facit virga objurgantis, grande caput facit oleum peccatoris, hoc est assentatio adulatoris. Si caput grande fecisti, cave pondus capitis, ne in præcipitium B perducaris. Hæc, quantum existimo, pro tempore de hac una Psalmi sententia sufficienter locuti sumus, Domino adjuvante, & corda vestra in secreto ædificante.

*Aliàs de Tempore 186.

* SERMO CCLXVII.

In [a] die Pentecostes, I.

CAPUT I. Solennitas adventus Spiritus-sancti.

1. HODIERNI diei solennitas Domini Dei magni & magnæ gratiæ, quæ superfusa est super nos, recordationem facit. Ideo enim solennitas celebratur, ne quod semel factum est, de memoria deleatur. Solennitas enim ab eo quod solet in anno, nomen accepit: quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non siccatur æstate, sed per totum annum fluit: ideo perenne, id est, per annum; sic & solenne, quod solet in anno celebrari. Celebramus hodie adventum Spiritus-sancti. Dominus enim Spiritum-sanctum de cælo misit, quem in terra pro- D misit. Et quia sic promiserat de cælo esse missurum, *Non potest ille venire*, ait, *nisi ego abiero; dum autem abiero, mittam illum ad vos*: passus est, mortuus est, resurrexit, adscendit; restabat ut impleret quod promisit. Hoc exspectantes discipuli ejus, animæ, ut scriptum est, centum viginti, decuplato numero Apostolorum; duodecim enim elegit, & in centum-viginti Spiritum misit: hoc ergo promissum exspectantes in una domo erant, orabant: quia desiderabant jam ipsa fide, quod ipsa oratione, ipso spiritali desiderio; utres novi erant, vinum novum de cælo exspectabatur, & venit. Jam enim fuerat magnus botrus ille calcatus & glorificatus. Legimus enim in Evangelio, *Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.*

Johan. 16. 7.

Act. 1. 15.

Johan. 7. 39.

CAPUT II. Donum linguarũ.

2. Jam quid respondit, audistis, magnum miraculum. Omnes qui aderant, unam linguam didicerant. Venit Spiritus-sanctus, impleti sunt, cœperunt loqui linguis variis omnium gentium, F quas non noverant, nec didicerant: sed docebat ille qui venerat; intravit, impleti sunt, fudit. Et tunc hoc erat signum, quicumque accipiebat Spiritum-sanctum, subitò impletus Spiritu, linguis omnium loquebatur, non illi solùm centum-viginti. Docent nos litteræ ipsæ, postea crediderunt homines, baptizati sunt, acceperunt Spiritum-sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt. Expaverunt qui aderant, alii admirantes, alii irridentes: ita ut dicerent, *Isti ebrii sunt, mu- G sto pleni sunt*. Ridebant, & aliquid verum dicebant. Impleti enim erant utres novo vino. Audistis cùm Evangelium legeretur, *Nemo mittit vinum novum in utres veteres*: spiritalia non capit carnalis. Carnalitas vetustas est, gratia novitas est. Quantocumque homo in melius fuerit innovatus, tantò amplius capit, quod verum sapit. Bulliebat mustum, & musto bulliente linguæ gentium profluebant.

Act. 10. 46. &c.

Act. 2. 13.

Matth. 9. 17.

SERM. DE TEMPORE.

CAPUT III. Cur donum linguarum non modò conceditur.

3. Numquid modò, Fratres, non datur Spiritus-sanctus? Quisquis hoc putat, non est dignus accipere. Datur & modò. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentium, sicut loquebatur qui tunc Spiritu-sancto implebatur? Quare? Quia quod illud significabat, impletum est. Quid est illud? Quando celebravimus * Quadragesimam, recolite, quia commendavimus vobis Dominum Jesum Christum Ecclesiam suam commendasse & adscendisse. Quærebant discipuli, Quando erit finis sæculi? Et ille, *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Adhuc promittebat quod hodie complevit: *Accipietis virtutem Spiritus-sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & usque in fines terræ*. Ecclesia tunc in una domo erat, C accepit Spiritum-sanctum: in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. Ecce quod prætendebat modò. Nam quòd illa Ecclesia parva linguis omnium gentium loquebatur, quid est, nisi quòd Ecclesia ista magna à solis ortu usque ad occasum linguis omnium gentium loquitur? Modò impletur quod tunc promittebatur. Audivimus, videmus. *Audi filia, & vide*: ipsi reginæ dictum est, *Audi filia, & vide*: audi promissum, vide completum. Non te fefellit Deus tuus, non te fefellit sponsus tuus, non te fefellit qui suo sanguine te dotavit: non te fefellit qui de fœda pulcram, de immunda virginem fecit. Tu tibi promissa es: sed promissa in paucis, impleta in multis.

*f. diem quadragesimam. In Sermone 265.

Act. 1. 7. & 8.

Psal. 44. 11.

CAPUT IV. Spiritus-sanctus, tãquam anima corporis Ecclesiæ, extra eam non habetur.

4. Nemo ergo dicat, Accepi Spiritum-sanctum, quare non loquor linguis omnium gentium? Si vultis habere Spiritum-sanctum, intendite, Fratres mei: spiritus noster quo vivit omnis homo, anima vocatur; spiritus noster quo vivit E singulus quisque homo, anima vocatur: & videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus simul adest membris, ut vivant: vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris & oculus; sed tamen vivit: vivit auris, vivit lingua: officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei: in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus-sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus-sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, immo de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid præcisum sequitur anima? Cùm in corpore esset, vivebat; præcisum amittit vitam. Sic & homo Christianus catholicus est, dum in corpore vivit; præcisus hæreticus factus est, membrum

[a] In Possidii Indiculo c. 10. notatur, *De adventu Spiritus-sancti Tractatus unus.*

Classis II.

amputatum non sequitur spiritus. Si ergo vultis A vivere de Spiritu-sancto, tenete caritatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem, Amen.

Aliàs 20. ex Sirmondianis.

* SERMO CCLXVIII.

In [a] die Pentecostes, II.

a Spiritus-sanctus dono linguarum unitatem Ecclesiæ catholicæ commendat.

1. PROPTER adventum Spiritus-sancti hodiernus dies sollemnis est nobis, à resurrectione Domini quinquagesimus, B septem septimanis multiplicatus. Sed computantes septem septimanas, quadraginta-novem invenietis: unus additur, ut nobis unitas commendetur. Quid ipse adventus Spiritus-sancti, quid egit? Præsentiam suam unde docuit? unde monstravit? Linguis omnium gentium locuti sunt omnes. Erant autem in uno loco centum-viginti: per decem duodenarius Apostolorum numerus sacratus mysterio est decuplatus. Quid ergo, singuli in quos venit Spiritus-sanctus, singulis lin- C guis omnium gentium sunt locuti, illi aliâ linguâ, & illi aliâ, & quasi diviserunt inter se linguas omnium gentium? Non sic: sed unusquisque homo, unus homo linguis omnium gentium loquebatur. Loquebatur unus homo linguis omnium gentium: unitas Ecclesiæ in linguis omnium gentium. Ecce & hîc unitas Ecclesiæ catholicæ commendatur toto orbe diffusæ.

b Spiritus-sanctus extra Ecclesiam non habetur.

2. Qui ergo habet Spiritum-sanctum, [b] in Ecclesia est, quæ loquitur omnium linguis. Qui- D cumque præter hanc Ecclesiam est, non habet Spiritum-sanctum. Ideo enim Spiritus-sanctus in omnium linguis gentium se demonstrare dignatus est, ut ille se intelligat habere Spiritum-sanctum, qui in unitate Ecclesiæ continetur, quæ linguis omnibus loquitur. *Vnum corpus*, Paulus dicit apostolus: *unum corpus, & unus spiritus.* Membra nostra adtendite. Multis membris constitutum est corpus, & vegetat membra omnia unus spiritus. Ecce humano spiritu, quo sum E ego ipse homo, membra omnia colligo: impero membris ut moveantur, intendo oculos ad videndum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum. Officia membrorum dispartita sunt, sed [c] unus spiritus continet omnia. Multa jubentur, multa fiunt: unus jubet, uni servitur. Quod est spiritus noster, id est anima nostra, ad membra nostra; hoc Spiritus-sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia. Ideo Apo- F stolus, cùm corpus unum nominasset, ne intelligeremus mortuum corpus: *Vnum*, inquit, *corpus.* Sed rogo te, vivit hoc corpus? Vivit. Unde? De uno spiritu. *Et unus spiritus.* Adtendite ergo, Fratres, in nostro corpore, & dolete eos, qui de Ecclesia præciduntur. In membris nostris, quamdiu vivimus, cùm sani sumus, implent omnia membra officia sua. Si unum membrum dolet alicunde, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore est, dolere potest, exspira- G re non potest. Quid est enim exspirare, nisi spiritum amittere? Jam verò si membrum præcidatur de corpore, numquid sequitur spiritus? Et tamen membrum agnoscitur quid est; digitus est, manus est, brachium est, auris est: præter corpus habet formam, sed non habet vitam. Sic & homo ab Ecclesia separatus. Quæris ab illo sacramentum, invenis: quæris baptismum, invenis: quæris symbolum, invenis. Forma est: nisi intus spiritu vegeteris, frustra foris de forma glorians.

Ephes. 4. 4.

Beda & Florus ibidem.

Serm. de Tempore.

Unitas commendata in creatione rerum.

3. Carissimi, multùm Deus commendat unitatem. Hoc ipsum vos moveat, quòd in principio creaturarum, quando Deus cuncta constituit, fecit sidera in cælo, in terra autem herbas & ligna, dixit, *Producat terra*, & producta sunt ligna, & cuncta virentia: dixit, *Producant aquæ natantia & volatilia*, & factum est sic: *Producat terra animam vivam omnium pecorum & bestiarum*, & factum est sic. Numquid Deus de ave una fecit ceteras aves? numquid de uno pisce omnes pisces? de uno equo omnes equos? de una bestia omnes bestias? Numquid non multa simul terra produxit, & multiplicibus fetibus multa complevit? Ventum est ad hominem faciendum, & factus est unus, de uno genus humanum. Nec duos facere voluit separatim, masculum & feminam: sed unum, & de uno unam. Quare sic? Quare ab uno genus humanum inchoatur, nisi quia generi humano unitas commendatur? Et Dominus Christus ex una, * unitas virgo est; tenet virginitatem, servat incorruptionem.

Gen. 1.

Et in Christi ortu.

* f. ex una unitas.

Ecclesiæ catholicæ unitatem Christus commendat Apostolis.

Luca 24. 38. &c.

4. Ipse Dominus Ecclesiæ unitatem commendat Apostolis: ostendit se, putant illi spiritum se videre: expavescunt, confirmantur, dicitur eis, *Quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in cor vestrum? Videte manus meas: palpate, & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Ecce adhuc illis turbatis præ gaudio, accipit cibum, non egestate, sed potestate; accipit coram illis: commendat contra impios corporis veritatem, commendat Ecclesiæ unitatem. Quid enim ait? *Nonne hæc sunt quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum, quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me? Tunc aperuit illis sensum*, Evangelium loquitur, *ut intelligerent scripturas. Et dixit eis, Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Ecce caput nostrum; ecce caput, ubi sunt membra? Ecce sponsus, ubi est sponsa? Matrimoniales tabulas lege: sponsum audi. Sponsam quæris? Ab ipso audi: nemo illi tollit suam, nemo supponit alienam: ab ipso audi. Ubi quæris Christum? In fabulis hominum, an in veritate Evangeliorum? Passus est, resurrexit tertio die, ostendit se discipulis suis. Jam ipsum habemus: illam ubi quærimus? Ab ipso interrogemus: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Ecce jam factum est, jam videtur. Dic ô Domine, tu dic Domine, ne nos erremus: *Et prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem.* Cœpit ab Jerusalem, & pervenit ad nos. Et ibi est, & hîc. Non enim ut ad nos veniret, inde discessit: excrevit, non migravit. Hoc commendavit continuò post resurrectionem suam. Fecit cum illis quadraginta dies: adscensurus in cælum ipsam rursus Ecclesiam commendavit. Sponsus profecturus sponsam suam amicis suis commendavit: non ut amet aliquem

a A Beda & Floro citatur ad Ephes 4.

b Hoc & alio quodam infrà loco verba à Sirmondo prætermissa restituit codex Vaticanus.

c In MSS. *unitas spiritûs.*

ipsorum; sed ipsum tamquam sponsum, illos tamquam amicos sponsi, neminem eorum tamquam sponsum. Hoc zelant amici sponsi, & non eam admittunt lascivo amore corrumpi. Oderunt quando sic amantur. Attendite zelantem amicum sponsi: cùm videret sponsam per amicos sponsi quodam modo fornicari, ait, *Audio in vobis schismata esse, & ex parte credo.* * *Nuntiatum est mihi de vobis, fratres, ab his qui sunt Chloës, quia contentiones sunt in vobis, & unusquisque vestrûm dicit, Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego autem Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* O amicum! Amorem sponsæ alienæ repellit à se. Non vult se amari pro sponsa, ut possit regnare cum sponso. Commendata est ergo Ecclesia: & quando adscendit in cælum, sic illis dixit, qui quærebant de fine sæculi, *Dic nobis quando ista fient, & quando tempus adventûs tui?* Et ille, *Non est vestrûm scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Audi quid noveris à magistro, discipule: *Sed accipietis virtutem Spiritus-sancti supervenientem in vos.* Et factum est: quadragesimo die adscendit in cælum, & ecce hodierno die adveniente Spiritu-sancto implentur omnes qui aderant, loquuntur linguis omnium gentium. Item ipsa unitas per linguas omnium gentium commendatur. Commendatur à Domino resurgente, commendatur à Christo adscendente; confirmatur ab Spiritu-sancto hodie veniente.

1. Cor. 11. 18.
* 1. Cor. 1. 11. &c.
Matth. 24. 3.
Act. 1. 6. &c.

* Aliàs 21. ex Sirmondianis.

* SERMO CCLXIX.

In die Pentecostes, III.

Adventus Spiritus-sancti cum dono linguarum prænuntiat unitatem Ecclesiæ per omnes gentes.

1. ADVENTUM Spiritus-sancti anniversaria festivitate celebramus. Huic sollemnis congregatio, sollemnis lectio, sollemnis sermo debetur. Illa duo persoluta sunt, quia & frequentissimi convenistis, & cùm legeretur, audistis. Reddamus & tertium: non desit obsequium linguæ nostræ ei, qui & linguas omnes indoctis donavit, & linguas doctorum in omnibus gentibus subjugavit, & diversas linguas gentium ad unitatem fidei congregavit. *Factus est enim subitò de cælo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ divisæ, velut ignis, qui & insedit super unumquemque eorum, & cæperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare.* Flatus enim ille non inflavit, sed vegetavit: ignis ille non cremavit, sed excitavit. Impletum est in eis quod fuerat tantò antè prophetatum, *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum:* ut deinde ad prædicandum Evangelium distributi, quod sequitur, facerent, *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quid enim aliud Spiritus-sanctus prænuntiabat in linguis omnium gentium, quas donabat eis, qui unam tantùm suæ gentis linguam didicerant, (quod indicium præsentiæ suæ tunc esse voluit,) nisi omnes gentes Evangelio credituras, ut primò unusquisque fidelium, postea verò ipsa unitas Ecclesiæ linguis omnibus loqueretur? Quid ad hæc dicunt, qui Christianæ societati, quæ in omnibus gentibus fructificat & crescit, nolunt incorporari atque conjungi? Numquidnam possunt negare, etiam nunc in Christianos venire Spiritum-sanctum? Cur ergo nunc neque apud nos, neque apud illos quisquam loquitur linguis omnium gentium, (quod tunc erat adventûs ejus indicium,) nisi quia nunc impletur quod tunc significabatur? Tunc enim & unus fidelis linguis omnibus loquebatur: & nunc unitas fidelium linguis omnibus loquitur. Itaque etiam nunc omnes linguæ nostræ sunt, quoniam membra sumus corporis in quo sunt.

Act. 2. 2. &c.
Psal. 18. 4. & 5.
Contra Donatistas.

Schismaticos, etsi baptismum habeant, non tamen habere Spiritum-sanctum.

2. Nec immeritò rectè intelligitur; quamvis ipsos baptismum Christi habere fateamur; hæreticos non accipere vel schismaticos Spiritum-sanctum, nisi dum compagini adhæserint unitatis per consortium caritatis. Tunc enim gentium linguæ etiam ipsorum erunt: quia ubi sunt illæ, ibi & ipsi erunt, in eodem scilicet Christi corpore ubique crescente, servantes unitatem spiritûs in vinculo pacis. Hoc vinculum quem non alligat, servus est. *Non enim accepimus*, sicut Apostolus ait, *spiritum servitutis iterum in timore; sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Proinde veraciter sapimus, ideo linguis omnium gentium demonstrasse illo tempore præsentiam suam Spiritum-sanctum, ut etiam hoc tempore, quo se non ita demonstrat, non eum intelligatur habere, quamvis sacramento baptismi imbuatur, quisquis ab unitate omnium gentium separatur. Et ne putaretur consequens esse, ut quisquis baptismum Trinitatis habuerit, habeat etiam Spiritum-sanctum; propterea etiam in ipsa unitate facta est tanta distinctio, ut inveniamus quosdam baptizatos Spiritum-sanctum postea meruisse, cùm ad illos in Samariam venissent Apostoli, quibus absentibus fuerant baptizati: alios autem, quod singulare occurrit exemplum, eum ante baptismum percepisse; sicut loquente Petro, Cornelio & eis qui cum illo erant, superna potestate concessum est, cui homo contradicere nihil potest. Super alios mox baptizatos advenit; sicut super illum spadonem, cui Philippus ex propheta Isaia evangelizaverat Christum. Super alios per manuum impositionem Apostolorum, sicut maximè plurimos. Super alios, nullo manum imponente, sed cunctis orantibus; sicut eo ipso die, quem sollemniter hodie celebramus, cùm essent in uno conclavi centum-viginti animæ cum Apostolis. Super aliquos, nec aliquo manum imponente, nec aliquo orante, sed verbum Dei cunctis audientibus; sicut super illos, quos paulò antè commemoravi, Cornelium & domesticos ejus. Cur igitur modò sic, modò autem sic, nisi ne aliquid hinc humanæ superbiæ, sed totum divinæ gratiæ potestatique tribuatur? Hæc itaque distinctio inter acceptionem baptismi, & acceptionem Spiritus-sancti, satis nos instruit, ne habere hos continuò Spiritum-sanctum putemus, quos habere baptismum non negamus. Quantò magis illos, quos non solùm nulla * caritas Christianæ unitatis armavit? *Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris;* non utique per nos ipsos, sed sicut sequitur, *per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Quamobrem sicut tunc indicabant adesse Spiritum-sanctum in uno homine linguæ omnium gentium: sic eum nunc caritas indicat unitatis omnium gentium.

Ephes. 4. 3.
Rom. 8. 15.
Act. 8. 17.
Act. 10. 44.
Act. 8. 38.

Spiritus-sanctus sacramenta & sine sacramentis datus.

* Deest aliquid.
Rom. 5. 5.

3. *Animalis autem homo*, Apostoli verba sunt, *non percipit quæ sunt Spiritûs Dei.* Et utique ani-

1. Cor. 2. 14.

CLASSIS II.

1. Cor. 1. 12. & 13. — Schismaticos animales esse, nec habere Spiritum-sanctum. — Judæ 19.

males increpat, quibus ait, *Unusquisque vestrûm* A *dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Sicut enim spiritales unitate gaudent, sic animales dissensionibus student. De his & Judas apostolus apertissimè scribens, *Hi sunt*, inquit, *qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Quid evidentius? quid expressius? Desinant itaque insipientes sibi blandiri, nobisque dicere, Quid ac- B cepturi sumus, cùm ad vos accesserimus, cùm jam nos baptismum Christi habere fateamini? Respondemus eis, Habetis baptismum Christi, venite ut habeatis & Spiritum Christi. Timete quod scriptum est, *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* (Rom. 8. 9.) Induistis Christum formâ sacramenti: induite imitatione exempli. *Quoniam Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* (1. Pet. 2. 21.) Nolite esse *habentes formam pietatis, virtutem autem* C *ejus abnegantes.* (2. Tim. 3. 5.) Quæ autem major est virtus pietatis, quàm caritas unitatis? Dicitur in Psalmis, *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum valde.* (Psal. 118. 96.) Quod mandatum, nisi de quo dictum est, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis?* (Johan. 13. 34.) Quare latum, nisi quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris?* (Rom. 5. 5.) Quare omnis consummationis est finis, nisi quia *plenitudo legis est caritas*; & *omnis lex in hoc sermone recapitulatur, in eo quod scriptum est, Diliges proxi-* D *mum tuum tamquam te ipsum?* (Rom. 13. 9 & 10. Gal. 5. 14.) Ita autem proximos tamquam vos ipsos diligitis, ut cùm mali aliquid, quod nec visum, nec probatum est in vobis, credi de vobis nolitis, id quod nec vidistis, nec probatum accepistis, de toto terrarum orbe credatis. — Donatistas carere caritate.

Eos factis non posse dicere, Dominus Jesus.

4. Videmini vobis dicere, *Dominus Iesus.* Et fortè non intelligentes adtenditis ad id quod Apostolus ait, *Nemo dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu-sancto.* (1. Cor. 12. 3.) Sed hoc quod ait, *dicit*, signa- E tè positum est, & proprio quodam modo. *Nemo* enim *dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu-sancto*: sed si *dicit* factis, non solis verbis. Nam possunt dicere, *Dominus Iesus*, etiam de quibus ait, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* (Matth. 23. 3.) Omnes hæreses, quas utique etiam vos improbatis, dicunt, *Dominus Iesus.* Nec utique segregaturus est de regno cælorum eos, quos invenerit in Spiritu-sancto; & tamen ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in re-* F *gnum cælorum.* (Matth. 7. 21.) Sed, *Nemo dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*: nemo planè, sed eo modo quo dictum est, id est factis. Unde secutus adjunxit, *Sed is qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Dicit enim & de quibusdam idem Apostolus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* (Tit. 1. 16.) Quemadmodum negatur factis, sic dicitur factis. Hoc modo dicendi *nemo dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu-sancto.* Si ergo unitati non accesseritis, G segregantes vosmetipsos, animales eritis, Spiritum non habentes. Si autem fictè accesseritis, *Spiritus-sanctus disciplinæ effugiet fictum.* (Sap. 1. 5.) Tunc ergo vos sanctum Spiritum habere cognoscite, quando mentem vestram per sinceram caritatem unitati consenseritis hærere. Hæc eis respondeamus dicentibus, Quid accepturi sumus? nosque ipsos, Fratres, exemplum illis bonorum operum præbeamus, nec quia stamus superbientes, nec de jacentibus desperantes.

SERM. DE TEMPORE.

*SERMO CCLXX.

In [a] die Pentecostes, IV.

* Aliàs 21. ex Sirmondianis.

De Spiritu-sancto dicendum cur die quinquagesimo post Pas. ha missus sit.

1. QUONIAM sanctam sollemnitatem celebramus diei tam sanctæ, ut hodie venerit ipse Spiritus-sanctus, admonet nos tam festiva & grata sollemnitas, de ipso dono Dei, gratia Dei, & abundantia misericordiæ ejus in nos, id est de ipso Spiritu-sancto aliquid loqui. In schola Domini condiscipulis loquimur. Magistrum enim habemus unum, in quo omnes sumus unum: qui nos, ne fortè de magisterio superbire audeamus, admonuit, & ait, *Nolite vocari ab hominibus Rabbi; unus est enim magister vester Christus.* (Matth. 23. 8.) Sub hoc ergo magistro, cujus cathedra cælum est, quia erudiendi sumus litteris ejus, advertite pauca quæ dicam, donante ipso qui jubet ut dicam. Qui nostis recolite, qui ignorabatis accipite. Sæpe movet animum piè curiosum, si tamen admittatur humana fragilitas & infirmitas talia perscrutari. Immo admittitur. Non enim quod in Scripturis sanctis tegitur, ideo clausum est ut negetur, & non potiùs ut pulsanti aperiatur, dicente ipso Domino, *Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* (Matth. 7. 7.) Sæpe ergo movet studiosorum animum, quare quinquagesimo die post Dominicam passionem & resurrectionem missus fuerit promissus Spiritus-sanctus.

Cur Spiritus-sanctus non posset venire, nisi abeunte Christo. — Johan. 16. 7.

2. Ubi primùm illud admoneo Caritatem Vestram, ut aliquantùm vos considerare non pigeat, quare dictum sit ab ipso Domino, *Non potest ille venire, nisi ego abiero.* Quasi aliquid, ut secundùm carnalem sensum loquamur, quasi aliquid in supernis Dominus Christus servaret, & inde descendens hoc quod servabat, sancto Spiritui commendasset, & ideo ad nos venire non posset, nisi ille rediisset qui commendatum reciperet; aut quasi nos utrumque ferre non valeremus, nec utriusque possemus tolerare præsentiam. Quasi verò alter ab altero separetur; aut quando ad nos veniunt, ipsi angustias patiantur, ac non potiùs nos dilatemur. Quid sibi ergo vult, *Non potest ille venire, nisi ego abiero? Expedit enim*, inquit, *vobis ut ego eam. Nam si non iero, Paraclitus non veniet ad vos.* Hoc ergo quid sit, quantum vel capimus, vel æstimamus, vel ipso donante percipimus, vel quæ credimus loquimur, breviter accipiat Caritas Vestra. Videtur mihi, quòd discipuli circa formam humanam Domini Christi fuerant occupati, & tamquam homines in homine humano tenebantur affectu. Volebat autem eos affectum potiùs habere divinum, atque ita de carnalibus facere spiritales: quod non fit homo nisi dono Spiritus-sancti. Hoc ergo ait, Mitto vobis donum, quo efficiamini spiritales: donum scilicet Spiritus-sancti. Spiritales autem fieri non poteritis, nisi carnales esse destiteritis. Carnales verò esse desistetis, si forma carnis à vestris oculis auferatur, ut forma Dei vestris cordibus inseratur. Ex hac enim humana forma Dominus, hoc est forma servi; (Se Philip. 2. 7.)

Humanitas Christi, in qua humano affectu hærebant, oculis discipulorum auferri debuit.

[a] Citat Florus ad 2. Cor. 3. hoc in MSS. tituló, *Ex Sermone de quinquagesima Pascha*: pro quo pejùs in excusis, *Ex Ser. de Pascha.*

Classis II.

metipsum exinanivit formam servi accipiens : ex hac igitur forma servi Petri etiam tenebatur affectus, quando eum quem multùm amabat, mori timebat. Amabat enim Dominum Jesum Christum, sicut homo hominem; sicut carnalis carnalem, non sicut spiritalis majestatem. Unde hoc probamus? Quia cùm interrogasset ipse Dominus discipulos suos, quis ab hominibus diceretur, & aliorum opiniones recolendo dixissent, quòd alii eum dicerent Johannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis; ait illis, *Vos autem quem me esse dicitis?* Et Petrus unus pro ceteris, unus pro omnibus, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Hoc optimè, veracissimè: meritò tale responsum accipere meruit, *Beatus es Simon Bar-Iona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi*, quia tu dixisti mihi; dixisti, audi; dedisti confessionem, recipe benedictionem: ergo, *Et ego dico tibi, Tu es Petrus*: quia ego petra, tu Petrus; neque enim à Petro petra, sed à petra Petrus; quia non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: non supra Petrum, quod tu es; sed supra petram, quam confessus es. *Ædificabo* autem *Ecclesiam meam*: ædificabo te, qui in hac responsione figuram gestas Ecclesiæ. Hoc & cetera, propter quod dixerat Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi*: & audierat, ut meministis, *Non tibi revelavit caro & sanguis*, id est humana mens, humana infirmitas, humana imperitia; *sed Pater meus qui in cælis est.* Deinde cœpit Dominus Jesus suam prædicere passionem, & ostendere quanta esset ab impiis perlaturus. Hîc Petrus expavit, & timuit ne periret morte Christus Filius Dei vivi. Utique Christus Filius Dei vivi, bonus de bono, Deus de Deo, vivus de vivo, fons vitæ & vera vita, perdere mortem venerat, non perire à morte. Tamen ut homo Petrus exterritus, cujus erat, ut dixi, circa Christi carnem humanus affectus, *Propitius*, inquit, *tibi esto, Domine, absit, non fiat istud.* Et Dominus talia verba dignâ & congruâ responsione confutat. Quomodo illi confessioni dignam laudem dedit, sic etiam huic trepidationi dignam correptionem: *Redi*, inquit, *retrò Satanas.* Ubi est illud, *Beatus es Simon Bar-Iona?* Distingue verba laudantis, & coërcentis: distingue caussas confessionis, & trepidationis. Caussa confessionis: *Non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est.* Caussa trepidationis, *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis sunt.* Nollemus ergo ut talibus diceretur, *Expedit enim vobis ut ego vadam? Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Nisi adspectibus carnalibus vestris humana forma subtrahatur, divinum aliquid capere, sentire, cogitare minimè poteritis. Hoc sit satis. Inde oportebat, ut post resurrectionem & adscensionem Domini Jesu Christi, ejus de Spiritu-sancto promissio compleretur. Sic enim & ipse Johannes Evangelista ex persona sua dixerat, quando Jesus eumdem significans Spiritum-sanctum clamaverat, dicens, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; & flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Secutus enim Evangelista ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant ii, qui in eum credituri erant. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Glorificatus est

Matth. 16. 15. &c.

Petra super quam ædificata Ecclesia, ipse est Christus.

Johan 7. 37. &c.

A ergo Dominus noster Jesus Christus resurrectione & adscensione; & misit Spiritum-sanctum.

Serm. de Tempore.

3. Sicut autem didicimus ex libris sanctis, quadraginta dies complevit cum discipulis suis post resurrectionem, manifestans eis, ne aliquid fictum existimarent, resuscitati corporis veritatem, intrans cùm eis & exiens, manducans & bibens. Quadragesimo autem die, quem ante hos decem dies celebravimus, in eorum conspectu adscen- B dit in cælum, promissus ut ibat ita venturus; hoc est in forma humana; qua judicatus est, in illa judicaturus. Voluit alia die quàm adscendit mittere Spiritum-sanctum; non saltem post biduum, vel triduum, sed post decem dies. Hæc quæstio perscrutari & interrogare nos compulit nonnullas latebras numerorum. Quadraginta dies quater habent decem. Commendatur hoc numero, quantum mihi videtur, sacramentum. Homines enim hominibus loquimur; & rectè Scriptura- C rum tractatores dicimur, non nostrarum opinionum affirmatores. Numerus ergo iste quadragenarius, quater habens decem, significat, ut mihi videtur, sæculum hoc, quod nunc agimus & peragimus; agimur & peragimur; cursu temporum, rerum instabilitate, decessione & successione, rapacitate volatica, & quodam fluvio rerum non consistentium. Sæculum hoc ergo significatur hoc numero, propter mundi quadripartita tempora, quæ implent annum; quadri- D partitos etiam cardines ipsius mundi, notos omnibus, & sæpe ab Scriptura sacra commemoratos, *ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Meridie.* Per hæc ergo tempora quadripartita, & per mundum quadripartitum, prædicatur lex Dei, tamquam denarius numerus. Unde & decalogus primitus commendatur. In decem enim præceptis lex constituta est: propterea quia videtur in isto denario numero quædam perfectio. Usque ad eum quippe numerum progressus est E numerantis, & inde redit ab uno usque ad decem, rursus ad unum. Sic centena, sic millena; sic suprà, denariis quibusdam complicantibus, infinitè crescit silva numerorum. Perfecta itaque lex in denario, & lex prædicata per mundum quadripartitum, quater deni quadraginta fiunt. Docemur autem, in hac conversatione sæculi hujus cùm sumus, abstinere nos à cupiditatibus sæcularibus: quod significat jejunium quadragenarium notum omnibus Quadragesimæ nomine. F Hoc tibi præcepit Lex, hoc Prophetia, hoc Evangelium. Ideo quia hoc Lex, jejunavit quadraginta diebus Moyses: quia hoc Prophetia, jejunavit diebus quadraginta Elias: quia hoc Evangelium, jejunavit quadraginta diebus Dominus Christus. Impletis ergo post quadraginta dies aliis decem diebus, denario numero semel; denario numero simpliciter, non quadrupliciter, venit Spiritus-sanctus, ut lex impleatur per gratiam. Lex enim sine gratia littera est occidens. G *Si enim data esset lex*, inquit, *quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Ideo, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Non ut aliud impleas, quàm tibi per litteram jubetur: sed sola littera reum facit, gratia & à peccato liberat, & litteram donat impleri. Unde fit per gratiam

Post quadragesimũ diem Adscensionis cur decimo die venerit Spiritus-sanctus.

Act. 1. 3.

Quadragenarii numeri sacramentum.

Lucæ 13. 29.

Denarii mysteriũ.

Spiritus-sanctus die decimo venit, ut significetur legem impleri per gratiam.

Gal. 3. 21. & 22.

2. Cor. 3. 6. Florus ibidem.

> Lex sine gratia quomodo littera est occidens.

remissio omnium peccatorum, & fides quæ per dilectionem operatur. Nolite ergo putare damnatam esse litteram, quia dictum est, *Littera occidit.* Hoc est enim, littera reos facit. Datur præceptum, non adjuvaris gratiâ: continuò te invenis non solùm non operatorem legis, sed etiam reum prævaricationis. *Vbi enim non est lex, nec prævaricatio.* (Rom. 4. 15.) Non ergo reprehensa est lex, cùm dictum est, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*, quasi illam condemnaret, & istum laudaret: sed *Littera occidit*, sola littera sine gratia. Exemplum accipite. Hac locutione dictum est, *Scientia inflat.* (1. Cor. 8. 1.) Quid est, *Scientia inflat?* Scientia damnata est? Si inflat, meliùs imperiti remanebimus. Sed quoniam adjunxit, *Caritas verò ædificat*; quomodo ubi adjunxit, *Spiritus autem vivificat*, dedit intelligi, littera sine spiritu occidit, cum spiritu vivificat, & impleri litteram facit; sic scientia sine caritate inflat, caritas cum scientia ædificat.

> Spiritus-sanctus missus ut impleretur lex.

Ergo missus est Spiritus-sanctus, ut lex impleretur, & fieret quod ipse Dominus dixerat, *Non veni legem solvere, sed adimplere.* (Matth. 5. 17.) Hoc donat credentibus, hoc donat fidelibus, hoc donat eis quibus dat Spiritum-sanctum. Quantò fit eo quisque capacior, tantò ad operandam legem fit facilior.

> Lex caritate impletur, non timore pœnæ.

4. Dico enim Dilectioni Vestræ, quod & vos considerare, & facilè videre poteritis: Caritas implet legem. Timor pœnarum facit hominem operari, sed adhuc serviliter. Si enim propterea facis bonum, quia times pati malum, aut propterea non facis malum, quia times pati malum; si aliquis tibi promitteret impunitatem, statim comprehenderes iniquitatem. Diceretur tibi, Securus esto, nihil patieris mali, fac, faceres. Timore enim pœnæ revocabaris, non [a] dilectione justitiæ. Nondum enim de te caritas operabatur. Vide ergo quemadmodùm caritas operetur. Sic amemus quem timemus, ut eum casto amore timeamus.

> Timor alius castus, alius servilis.

Nam & uxor casta timet virum. Sed discerne istos timores. Uxor casta timet ne à viro absente deseratur: uxor adultera timet ne à viro superveniente comprehendatur. Caritas ergo implet legem: quia *perfecta caritas foras mittit timorem*: (1. Johan. 4. 18.) timorem scilicet servilem, de peccato venientem. Nam *timor Domini castus permanet in sæculum sæculi.* (Psal. 18. 10.)

> Caritas ex Spiritu-sancto.

Si ergo caritas implet legem, unde est ista caritas? Recolite, advertite, & videte, quia donum Spiritus-sancti est caritas. *Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* (Rom. 5. 5.) Meritò itaque impletis decem diebus, quo numero legis etiam perfectio commendatur, Dominus Jesus Christus misit Spiritum-sanctum: quia gratia donat nobis implere legem, quam non venit solvere, sed adimplere.

> Spiritus-sanctus commendatus in septenario numero.

5. Spiritus autem sanctus in Scripturis sanctis septenario numero solet commendari, non denario: lex denario, Spiritus-sanctus septenario. Quia lex denario, notum est: quia Spiritus sanctus septenario, commemoramus. Primò in ipso libro, in capite libri qui inscribitur Genesis, enumerantur opera Dei. Fit lux, fit cælum, quod appellatum est firmamentum inter aquam & aquam; nudatur arida, separatur mare à terra, datur terræ omnium stirpium fecunda conceptio; fiunt luminaria majus & minus, sol & luna, & cetera sidera; producunt aquæ fetus suos, terra suos; fit homo ad imaginem Dei: complet Deus opera sua omnia sexto die: in nullis operibus Dei tot enumeratis atque completis sonuit sanctificatio. Dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux; & vidit Deus lucem, quia bona est*: (Gen. 1. 3. &c.) non dixit, Sanctificavit Deus lucem. *Fiat firmamentum, & factum est; vidit Deus quia bonum est*: nec dictum est, quia sanctificatum est firmamentum. Ita & cetera, ne in rebus manifestissimis immoremur, usque ad illa quæ sextâ die facta sunt, cùm homine creato ad imaginem Dei, enumerantur omnia, nihil sanctificatum dicitur.

> Sanctificatio & vacatio septimæ diei.

Ventum est ad septimum diem, ubi nullum opus factum est, sed vacatio Dei insinuatur, & sanctificavit Deus diem septimum. In septenario dierum numero prima sonuit sanctificatio, Scripturarum locis omnibus quæsita, & hîc primitus inventa. Ubi quies commemoratur, quies etiam nostra insinuatur. Non enim laboravit Deus, ut quietis indigeret; & quasi post laborem die feriato gratularetur, sanctificavit eum diem, quo vacare permissus est. Carnalis est ista cogitatio. Insinuata est nobis quies post bona omnia opera nostra, sicut insinuata est Dei quies post omnia bona opera sua. *Fecit enim Deus omnia, & ecce omnia bona valde. Et requievit Deus in die septima ab omnibus operibus suis quæ fecit.* Requiescere vis & tu? Fac primò opera bona valde. Sic data est Judæis observatio sabbati carnaliter, sicut cetera, significantibus sacramentis. Vacatio enim quædam imperata est: vacatio illa quod significat, tu age. Vacatio enim spiritalis, tranquillitas est cordis: tranquillitas autem cordis provenit de serenitate bonæ conscientiæ. Ergo ille verè observat sabbatum, qui non peccat. Ita enim præcipitur illis, quibus observandum sabbatum præcipitur, *Omne opus servile non facietis.* (Levit. 23. 7.) *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* (Johan. 8. 34.) Septenarius ergo numerus dicatus est Spiritui-sancto, sicut denarius legi. Hæc & Isaias propheta insinuat hoc in loco, ubi dicit, *Implebit eum Spiritus sapientiæ & intellectus*, (numera,) *consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, Spiritus timoris Dei.* (Isai. 11. 2.) Veluti descendens ad nos gratia spiritalis, à sapientia incipit, terminat ad timorem. Nos autem adscendentes, ab imo ad summa tendentes, incipere debemus à timore, & terminare ad sapientiam. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini.* (Psal. 110. 10.) Longum est, & supergreditur vires nostras, etiamsi non vestram aviditatem, omnia testimonia commemorare de septenario numero, quòd adtinet ad Spiritum sanctum. Ista ergo suffecerint.

> Lex per denarium & Spiritus-sanctus per septenarium in quinquagenario commendatus.

6. Illud nunc adtendite, quemadmodum, quoniam per gratiam Spiritus-sancti lex impletur, & denarius numerus commemorandus fuit & commendandus, sicut jam ostendimus, & septenarius propter ipsam gratiam Spiritus-sancti. Commendabat Christus denario numero, post decem dies mittens Spiritum-sanctum, ipsam legem, quam jubebat impleri. Ubi ergo invenimus hîc commendationem numeri septenarii maximè propter ipsum Spiritum-sanctum? Habes in Tobiæ libro ipsam festivitatem, id est Pentecosten, constare de septimanis. (Tobiæ 2. 1. sec. LXX.) Quomodo? Septenarium multiplica per ipsum, hoc est septem per septem, quod in scholis discitur; septies septeni, fiunt quadra-

[a] Aliquot MSS. *delectatione.*

CLASSIS II.

ginta & novem. Ad hanc septenarii formam, ratione septem per septem: (quoniam ipse Spiritus-sanctus colligit nos, & congregat nos: unde & ipsum adventûs sui primum signum dedit, ut illi qui eum acciperent, etiam singuli linguis omnibus loquerentur. Congregatur enim unitas corporis Christi ex omnibus linguis, per omnes scilicet gentes toto terrarum orbe diffusas. Et quòd unus tunc omnibus linguis loquebatur, ipsam unitatem in linguis omnibus futuram testabatur. Dicit autem Apostolus, *Sufferentes invicem in dilectione*, quod est caritas: *satis agentes servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*. Quia ergo Spiritus-sanctus ex multis in unum colligit nos: capitur autem per humilitatem, repellitur per superbiam. Aqua est enim, cor humile tamquam locum concavum quærens, ubi consistat: elatione autem superbiæ, tamquam tumore collis, repulsa labitur: unde dictum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quid est, *dat gratiam?* Dat Spiritum-sanctum. Implet humiles, quia capaces invenit.) Ergo quia hæc ita sunt, ad quadraginta novem, qui efficiuntur de septem per septem, ut fiat Pentecoste, unus additur, & unitas commendatur.

Ephes. 4. 2. & 3.

Jacobi 4. 6.

De duabus piscationibus & de piscibus 153 captis post resurrectionem.

7. Quia infirmitatem nostram adjuvat apud Dominum Deum nostrum studium Caritatis Vestræ, aliquid accipite, quantum mihi videtur, tantò dulcius cùm expositum fuerit, quantò abstrusius si non exponatur. Ante resurrectionem Dominus jussit discipulis suis, ut in mare mitterent retia, quando eos elegit. Miserunt, ceperunt piscium multitudinem innumerabilem, ita ut retia rumperentur, & onerata navigia mergerentur. Non autem præcepit in quam partem mitterent retia, sed tantùm ait, *Mittite retia.* Si enim præcepisset ut in dexteram partem mitterent, solos bonos significaret capi: si in sinistram, solos malos. Quia verò passim missa sunt, nec in dexteram, nec in sinistram; & bonos & malos. Hæc est Ecclesiæ significatio præsentis temporis, in hoc sæculo. Nam & illi servi missi ad invitatos exierunt; & quoscumque invenerunt bonos & malos adduxerunt, & impletæ sunt nuptiæ recumbentium. Congregantur ergo nunc & boni & mali. Quare autem & schismata fiunt, si non retia dirumpunt? Quare plerumque turbarum carnalium malè tumultuantium scandalis urgetur Ecclesia, si non & navigia premunt? Hoc ergo Dominus ante resurrectionem. Post resurrectionem autem invenit piscantes similiter discipulos suos: jussit idem mitti retia, non utcumque & passim, quia jam post resurrectionem. Post resurrectionem enim jam corpus ejus, quod est Ecclesia, malos non habebit. *Mittite*, inquit, *retia in dexteram partem.* Missa sunt retia, eo jubente, in dexteram partem, & capti sunt pisces certi numeri. Nam illi sine numero, illi quibus significabatur Ecclesia, quæ nunc agitur, tamquam ex illa captura, *Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Intelliguntur ergo quidam supernumerarii, quodam modo superflui: colliguntur tamen. Ibi verò in dextera capiuntur pisces, & numerati, & magni. *Qui enim fecerit*, inquit, *& sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Ergo capti sunt pisces magni numero centum-quinquaginta-tres. Quem non moveat, non frustra istum numerum commemorari? Non enim verè nihil significans Dominus, aut hoc ipsum diceret, *Mittite retia*; aut pertineret ad eum ut in partem dexteram mitterentur. Significat etiam iste numerus centum-quinquaginta-tres: & pertinuit ad Evangelistam dicere, quasi respexisset primam illam capturam, ubi retia disrupta schismata significaverant; quia in illa Ecclesia vitæ æternæ nulla erunt schismata, quia nulla dissensio; omnes magni, quia caritate pleni: quasi ergo illud quod primò factum est ad significanda schismata respexisset, pertinuit ad eum dicere in ista secunda captura, *Et cùm tam magni essent, retia non sunt disrupta.* Quid itaque dextera pars significaverit, dictum est, quia omnes boni. Quid magnitudo, dictum est, quia *qui fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Quid etiam illud quòd retia non sunt disrupta, dictum est, quia tunc non sunt schismata. Quid ergo centum-quinquaginta-tres? Numerus iste non utique ipse erit sanctorum numerus. Neque enim centum-quinquaginta-tres erunt sancti; cùm soli illi, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, duodecies duodena millia commemorentur. Sed iste numerus, tamquam arbor, à quodam semine videtur succrescere. Semen autem hujus magni numeri quidam minor numerus est, qui est decem & septem. Decem & septem faciunt centum-quinquaginta-tres. Si verò computes ab uno usque ad decem & septem, & addas numeros omnes. Nam si ab uno usque ad decem & septem numeros non addas, quos commemoras totos, non erunt nisi decem & septem. Si autem ita numeres: unum, duo, tria; sicut unum & duo & tria faciunt sex, sex quatuor & quinque faciunt quindecim: sic pervenis usque ad decem & septem, portans in digitis centum-quinquaginta-tres. Jam ergo recole, quod paulò antè commemoravi & commendavi, & vide quos, & quid significent decem & septem. Decem, lex; septem, Spiritus-sanctus. Unde quid intelligimus? nisi eos futuros in Ecclesia resurrectionis æternæ, ubi schismata non erunt, ubi mors non timebitur, quia post resurrectionem futura est; eos ergo ibi futuros, & cum Domino victuros in æternum, qui legem impleverint per gratiam Spiritus-sancti & Dei donum, cujus festa celebramus.

Lucæ 5. 4.

Matth. 22. 10.

Johan. 21. 6.

Psal. 39. 6.

Matth. 5. 19.

SERM. DE TEMPORE.

Johan. 21. 11.

Apoc. 14.

* SERMO CCLXXI.

In die [a] Pentecostes, V.

* Aliàs de Tempore 187.

DIES nobis, Fratres, gratus illuxit, quo sancta Ecclesia fidelium fulget adspectibus, fervet in cordibus. Celebramus quippe istum diem, quo Dominus Jesus Christus post resurrectionem adscensione glorificatus misit Spiritum-sanctum. Sic enim scriptum est in Evangelio, cùm diceret, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ:* Evangelista secutus exponit, & ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ie-*

Johan. 7. 37. &c.

[a] Fuit hic Sermo dubius Lovaniensibus, quem videlicet observarunt manuscriptos libros alios Augustino, alios Fulgentio tribuere. Sed in ætatem Augustini meliùs quadrat istud infrà de Donatistis, *Licèt enim etiam ipsi hodie sollemniter congregentur.* Augustino contra Verlinum asserit in critico Augustiniano Vindingus.

CLASSIS II. *sus nondum fuerat glorificatus.* Restabat ergo ut A clarificato Jesu, cùm resurrexit à mortuis & adscendit ad cælos, jam daretur Spiritus-sanctus, ab eo missus, à quo promissus: sicut & factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectionem diebus cum discipulis suis conversatus, adscendit in cælum, & die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum-sanctum, sicut scriptum est: (Act. 2. 2. &c.) quia *factus est subitò sonus de cælo, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ divisæ sicut ignis, qui insedit super* B *unumquemque; & cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare.* Flatus ille à carnali palea corda mundabat; ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat; linguæ illæ quibus loquebantur à Spiritu-sancto impleti, per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam præsignabant. (Gen. 11. 7.) Sicut enim post diluvium superba impietas hominum turrim contra Dominum ædificavit excelsam, quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut C unaquæque gens linguâ propriâ loqueretur, ne ab aliis intelligeretur: sic humilis fidelium pietas earum linguarum diversitatem Ecclesiæ contulit unitati; ut quod discordia dissipaverat, colligeret caritas, & humani generis tamquam unius corporis membra dispersa ad unum caput Christum compaginata redigerentur, & in sancti corporis unitatem dilectionis igne conflarentur. Ab hoc itaque dono Spiritus-sancti prorsus alieni sunt, qui oderunt gratiam pacis, qui societatem D non retinent unitatis. Licèt enim etiam ipsi hodie sollemniter congregentur, licèt istas audiant lectiones, quibus Spiritus-sanctus est promissus & missus: ad judicium audiunt, non ad præmium. Quid enim eis prodest percipere auribus, quod cordibus respuunt; & ejus diem celebrare, cujus lumen oderunt? Vos autem, Fratres mei, membra corporis Christi, germina unitatis, filii pacis, hunc diem agite læti, celebrate securi. Hoc enim in vobis impletur, quod illis diebus E quando venit Spiritus-sanctus, præsignabatur. Quia sicut tunc qui Spiritum-sanctum percipiebat, etiam unus homo linguis omnibus loquebatur: sic & nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa unitas loquitur, in qua constituti Spiritum-sanctum habetis, qui à Christi Ecclesia loquente omnibus linguis, nullo schismate dissidetis.

* Aliàs 16. ex Vignerianis.

* SERMO CCLXXII.

F *In [a] die Pentecostes postremus.*

Ad Infantes ante altare de Sacramento.

HOc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset, quid sibi vellet, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est & calix; quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei fortè sufficiat: sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta, *Nisi crediderītis, non intelligetis.* (Isai. 7. 9.) Potestis enim modò dicere mihi, Præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest enim in animo cujusquam cogitatio talis suboriri: Dominus noster Jesus Christus, novimus unde acceperit carnem; de virgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem ætatem perductus est, [[b] à Judæis persecutionem passus est, ligno suspensus est,] in ligno interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit, in cælum adscendit; illuc levavit corpus suum; inde est venturus ut judicet vivos & mortuos, ibi est modò sedens ad dexteram Patris: quomodo est panis corpus ejus? & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista, Fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus, *Vos autem estis corpus Christi & membra.* (1. Cor. 12. 27.) Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Dominica positum est: mysterium vestrum accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis enim, Corpus Christi; & respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hìc de nostro afferamus, ipsum Apostolum identidem audiamus, qui cùm de isto Sacramento loqueretur, ait, *Unus panis, unum corpus multi sumus;* (1. Cor. 10. 17.) intelligite & gaudete; unitas, veritas, pietas, caritas. *Unus panis:* quis est iste unus panis? *Unum corpus multi.* Recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini. Quando baptizati estis, quasi conspersi estis. Quando Spiritus-sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. Jam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum, satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum consperguntur, tamquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta, *Erat illis anima una, & cor unum in Deum:* (Act. 4. 32.) sic & de vino. Fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita & Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Conversi ad Dominum, &c.

[a] In omnibus MSS. prænotatur *habitus die Pentecostes.* Refertur totus à Floro in Paulum, ad 1. Cor. 10. necnon à Fulgentio in fine epistolæ nunc ordine 12. ad Ferrandum de duabus quæstionibus, post isthæc verba: *Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit? quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio sacramentum. Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumturus altaris. Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. Beatus quoque Augustinus de hac re Sermonem fecit admodum luculentum, & aptum ædificationi atque instructioni fidelium: quem Sermonem totum epistolæ malui subjungere, quia nec est prolixus, & in ipsa brevitate magnæ instructionis ac suavitatis est plenus.*

[b] Hoc non ex Augustini MSS. sed tantùm ex epistola Fulgentii.

SANCTI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI SERMONUM AD POPULUM III. CLASSIS,

IN QUA EXHIBENTUR SERMONES DE SANCTIS.

*Alias de Diversis 101.

* SERMO CCLXXIII.

In Natali Martyrum [a] *Fructuosi episcopi, Augurii & Eulogii diaconorum.*

CAPUT I. Mors animæ timenda, non corporis.

DOMINUS Jesus Martyres suos non solùm instruxit præcepto, sed & firmavit exemplo. Ut enim quod sequerentur haberent passuri, prior ille passus est pro eis: iter ostendit, & viam fecit. Mors aut animæ est, aut corporis. Sed anima non potest mori, & potest mori: mori non potest, quia sensus ejus numquam perit; mori autem potest, si Deum perdit. Sicut enim est ipsa anima sui corporis vita; sic Deus est ipsius animæ vita. Quomodo ergo corpus moritur, quando illud dimiserit anima, id est vita ipsius: sic anima moritur, quando illam dimiserit Deus. Ut autem animam non dimittat Deus, sit semper in fide, ut non timeat mortem pro Deo; & non moritur dimissa à Deo. Restat ergo ut mors quæ timetur, corpori timeatur. Sed etiam inde Dominus Christus securos Martyres suos fecit. Quomodo enim incerti essent de integritate membrorum, qui securitatem acceperant de numero capillorum? *Capilli*, inquit, *vestri numerati sunt.* Alio autem loco apertiùs dicit: *Dico enim vobis, quia capillus capitis vestri non peribit.* Dicit veritas; trepidat infirmitas?

Deus animæ vita.

Matth. 10. 30. Luca 12. 7. Luca 21. 18.

CAPUT II. Sollemnitates Martyrum ad exhortationem fidelium.

2. Beati sancti, in quorum Memoriis celebramus diem passionis illorum; illi acceperunt pro temporali salute æternam coronam, sine fine immortalitatem: nobis dimiserunt in istis sollemnitatibus exhortationem. Quando audimus quomodo passi sunt Martyres, gaudemus & glorificamus in illis Deum: nec dolemus quia mortui sunt. Etenim si mortui pro Christo non essent, numquid usque hodie viverent? Quare non faceret confessio, quod factura fuerat ægritudo? Audistis persequentium interrogationes, audistis confitentium responsiones, cùm sanctorum passio legeretur. Inter cetera quale erat illud beati Fructuosi episcopi? Cùm ei diceret quidam, & peteret ut eum in mente haberet, & oraret pro illo, respondit, *Me orare necesse est pro Ecclesia catholica, ab Oriente usque ad Occidentem diffusa.* Quis enim orat pro singulis? Sed neminem singulorum præterit, qui orat pro universis. Ab eo nullum membrum prætermittitur, cujus oratio pro toto corpore funditur. Quid ergo vobis videtur admonuisse istum, à quo rogabatur ut oraret pro eo? quid putatis? Sine dubio intelligitis. Commemoramini à nobis. Rogabat ille ut oraret pro illo. *Et ego*, inquit, *oro pro Ecclesia catholica, ab Oriente usque ad Occidentem diffusa.* Tu si vis ut pro te orem, noli recedere ab illa, pro qua oro.

S. Fructuosi responsum.

CAPUT III. Responsum Eulogii diaconi.

3. Quale est etiam illud sancti Diaconi, qui cum Episcopo suo passus & coronatus est? Ait illi judex, *Numquid & tu Fructuosum colis?* Et ille, *Ego non colo Fructuosum, sed Deum colo, quem colit & Fructuosus.* Quomodo nos admonuit, ut Martyres honoremus, & cum Martyribus Deum colamus? Neque enim tales esse debemus, quales Paganos dolemus. Et quidem illi mortuos homines colunt. Illi quippe omnes, quorum nomina auditis, quibus templa constructa sunt, homines fuerunt; & in rebus humanis habuerunt plerique eorum & penè omnes regiam potestatem. Auditis Jovem, auditis Herculem, auditis Neptunum, auditis Plutonem, Mercurium, Liberum & ceteros: homines fuerunt. Non ista solùm in fabulis poëtarum, sed etiam in historia gentium declarantur. Qui legerunt, noverunt: qui non legerunt, credant eis qui legerunt. Illi ergo homines beneficiis quibusdam temporalibus res humanas sibi conciliaverunt, & ab hominibus vanis & vana sectantibus ita coli cœperunt, ut dii vocarentur, dii haberentur, tamquam diis templa ædificarentur, tamquam diis supplicaretur, tamquam diis aræ construerentur, tamquam diis sacerdotes ordinarentur, tamquam diis victimæ immolarentur.

Martyres honorandi, Deus colendus.

Mortuis hominibus cultus à Paganis impensus.

CAPUT IV. Templum & sacrificium uni vero Deo debitum.

4. Templum autem solus Deus verus habere debet, sacrificium soli Deo vero offerri debet. Ista ergo quæ debentur ritè & integrè uni vero Deo, exhibebant miseri decepti multis falsis diis. Hinc humanam miseriam perversus error obsedit: hinc omnium prostratis mentibus diabolus incubabat. At ubi gratia Salvatoris & misericordia Dei tandem respexit indignos; impletum est quod prophetice prædictum est in Cantico canticorum: *Exsurge aquilo, & veni auster; & perfla hortum meum, & fluent aromata.* Tamquam dictum est, *Exsurge aquilo.* Aquilonia enim pars mundi frigida est. Sub diabolo tamquam sub aquilone animæ friguerunt, & caritatis calore perdito gelaverunt. Sed quid ei dicitur? *Exsurge aquilo.* Sufficit quòd incubuisti, sufficit quòd

Cant. 4. 16.

[a] Tarracone in Hispania, tempore Galieni, Æmiliano & Basso Coss. passi sunt, die 21. Januarii, feriâ quartâ. In hunc 21. Januarii diem prædictis Consulibus incidit quarta feria anno Christi 259. Passionis eorum acta, inque ipsis Martyrum responsa quæ hîc refert Augustinus, reperies apud Surium & Bollandum. Sermonem hunc citat Florus ad 2. Cor. 2.

possedisti, sufficit quòd super prostratos recubui- A sti: *exsurge. Veni auster*, ventus de parte lucis atque fervoris: *& perfla hortum meum, & fluent aromata.* Ista paulò antè aromata legebantur.

Caput V. Aromata, Sancti & Martyres. *Cant. 1. 3. 2. Cor. 2. 15. & 16. Florus ibid.*

5. Quæ sunt ista aromata? De quibus dicit ipsa Dominica sponsa, *Post odorem unguentorum tuorum curremus.* Cujus odoris memor apostolus Paulus dicit, *Christi bonus odor sumus in omni loco, & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt.* Magnum sacramentum: *Christi bonus odor sumus in omni loco, & in his qui salvi fiunt, & in his* B *qui pereunt. Quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis ad mortem. Et ad hæc* intelligenda *quis idoneus?* Quomodo bonus odor alios vegetat, alios necat? Bonus odor, non malus. Non enim ait, Bonus odor bonos vegetat, & malus odor malos necat. Non ait, Aliis quidem sumus odor bonus ad vitam, aliis odor malus ad mortem. Non hoc ait: sed, *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Væ miseris, quos bonus odor occidit. Si ergo bonus odor estis, ô C Paule, quare iste odor alios occidit, alios vegetat? Quòd alios vegetat, audio, intelligo: quòd alios occidit, difficilè assequor: maximè quia dixisti, *Et ad hæc quis idoneus?* Non est mirum quia non sumus idonei. Faciat nos idoneos, cujus odor erat de quo loquimur. Citò enim mihi respondet Apostolus, Intellige, *Christi bonus odor sumus in omni loco, & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt.* Nos tamen bonus odor, *aliis odor vitæ ad vitam, aliis odor* D *mortis ad mortem.* Odor iste vegetat diligentes, necat invidentes. Si enim non esset claritudo sanctorum, invidia non surgeret impiorum. Cœpit persecutionem pati odor sanctorum: sed quomodo ampullæ unguentorum, quantò magis frangebantur, tantò ampliùs odor diffundebatur.

Caput VI. Beata Agnes.

6. Beati, quorum passio recitata est. Beata Agnes sancta, cujus passionis hodiernus est dies. Virgo quæ quod vocabatur, erat. Agnes Latinè agnam significat, Græcè castam. Erat quod vo- E cabatur: meritò coronabatur. Quid ergo, Fratres mei, quid vobis dicam de hominibus illis, quos Pagani pro diis coluerunt, quibus templa, sacerdotia, altaria, sacrificia exhibuerunt? quid vobis dicam, non illos esse comparandos Martyribus nostris? Etiam hoc ipsum injuria est, quia vel dico. Quibuscumque, qualibuscumque infirmis fidelibus, licèt adhuc carnalibus & lacte alendis, non cibo, absit ut illi sacrilegi comparentur. Contra unam aniculam fidelem Christianam quid va- F let Juno? Contra unum infirmum & trementem omnibus membris senem Christianum quid valet Hercules? Vicit Cacum, vicit Hercules leonem, vicit Hercules canem Cerberum: vicit Fructuosus totum mundum. Compara virum viro. Agnes puella [a] tredecim annorum, vicit diabolum. Eum puella ista vicit, qui de Hercule multos decepit.

Dii paganorum nō comparandi Martyribus.

Caput VII. Templa & sacrificia non Martyribus, sed Deo soli exhibētur.

7. Et tamen, Carissimi, nos Martyres nostros, quibus illi nulla ex parte sunt conferendi, pro G diis non habemus, non tamquam deos colimus. Non eis templa, non eis altaria, non sacrificia exhibemus. Non eis sacerdotes offerunt: absit. Deo præstantur. Immo Deo ista offeruntur, à quo nobis cuncta præstantur. Etiam apud Memorias sanctorum Martyrum cùm offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres sancti. Advertite: in recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis dici apud Memoriam sancti Theogenis, [b] à me, vel ab aliquo fratre & collega meo, vel aliquo presbytero, Offero tibi, sancte Theogenis? aut offero tibi, Petre? aut offero tibi, Paule? Numquam audistis. Non fit: non licet. Et si dicatur tibi, Numquid tu Petrum colis? responde quod de Fructuoso respondit Eulogius: Ego Petrum non colo, sed Deum colo, quem colit & Petrus. Tunc te amat Petrus. Nam si volueris pro Deo habere Petrum, offendis petram, & vide ne pedem frangas, offendendo in petram.

Martyres loco meliore recitantur ad altare. b

Caput VIII. Sancti cultum Deo debitum impendi sibi horrent. c

8. Ut noveritis verum esse quod dico: audite, admoneo vos. In Actibus Apostolorum cùm magnum miraculum fecisset apostolus Paulus in Lycaonia, cives ejusdem [c] regionis sive provinciæ putaverunt deos descendisse ad homines, & crediderunt esse Barnabam Jovem, Paulum autem Mercurium, quia ipse erat in sermone promtissimus. Hoc credentes adtulerunt vittas & victimas; & voluerunt illis offerre sacrificium. Illi continuò non irriserunt, sed expaverunt; vestimenta sua continuò consciderunt, & dixerunt eis, *Fratres, quid facitis? Et nos sicut vos homines sumus passibiles: sed annuntiamus vobis Deum verum. Convertimini ab his vanis.* Videtis quomodo sancti horruerunt coli se pro diis. Item beatus Johannes Evangelista, qui scripsit Apocalypsim, cùm illa mira quæ sibi ostendebantur stuperet, expavescens quodam loco cecidit ad pedes Angeli, à quo sibi omnia monstrabantur. Et ait illi Angelus, cui nullus homo est comparandus, *Surge, quid facis? Deum adora. Nam ego conservus tuus sum, & fratrum tuorum.* Oderunt Martyres lagenas vestras, oderunt Martyres sartagines vestras, oderunt Martyres ebrietates vestras. Sine injuria eorum dico, qui tales non sunt: illi ad se referant, qui talia faciunt: oderunt ista Martyres, non amant talia facientes. Sed multò plus oderunt, si colantur.

Act. 14. 14.

Apoc. 19. 10.

Caput IX. In diebus Martyrum cogitandū de ipsorum sequendis vestigiis.

9. Ideo Carissimi exsultate in diebus sanctorum Martyrum: orate, ut sequamini vestigia Martyrum. Non enim homines estis, & illi homines non fuerunt: non enim nati estis, & illi aliunde nati sunt: non enim alterius generis carnem portaverunt, quàm vos portatis. Ex Adam omnes sumus, in Christo omnes esse conamur. Ipse Dominus noster, ipsum caput Ecclesiæ, unigenitus Filius Dei, Verbum Patris per quod facta sunt omnia, non alterius generis carnem habuit quàm nos. Ideo voluit de virgine hominem suscipere, de una ex genere humano [d] carne nasci. Nam si aliunde faceret sibi corpus, quis crederet quia carnem portabat, quam portamus & nos? Sed tamen ille carnem in similitudinem carnis peccati, [e] nos carnem peccati. Non enim ex virili semine, aut ex masculi & feminæ concupiscentia: sed quid? Nuntio Patris. Et tamen cùm sit

a Vetustissimus Floriacensis codex non habet, *tredecim annorum.*

b Quædam hîc ex Floriacensi libro restituuntur verba, quibus patet Sermonem habitum esse Augustino jam episcopo. Theogenis porrò, (cujus nominis episcopus Hipponensis adfuit Carthaginensi concilio, de quo in lib. 6. de baptismo contra Donatistas,) passio in martyrologiis celebratur die 26. Januarii.

c Ita Floriacensis MS. At editi, *ejusdem civitatis.*

d Vox *carne* abest à Floriacensi libro.

e In MSS. loco, *nos*, habetur *non.*

Classis III.

mirabiliter natus, mortalis nasci dignatus est, & mori pro nobis, & sanguine suo redimere nos, secundùm quod homo est. Videte quod dico, Fratres: & ipse Christus cùm sit Deus, cùm sit cum Patre unus Deus, cùm sit Verbum Patris, unigenitus, æqualis Patri & coæternus; tamen in quantum homo esse dignatus est, maluit sacerdos dici, quàm sibi exigere sacerdotem; maluit sacrificium esse, quàm poscere; in quantum homo est. Nam in quantum Deus est, totum quod Patri debetur, & unigenito Filio debetur. Ideo, Carissimi, veneramini Martyres, laudate, amate, prædicate, honorate: Deum Martyrum colite. Conversi ad Dominum, &c.

Martyres laudandi & amandi, Deus Martyrum colendus.

* SERMO CCLXXIV.

** Aliàs 8. inter editos à Parisiensibus.*

In Natali [a] *Martyris Vincentii, I.*

[a] Vincentius ubique vicit.

MAGNUM spectaculum spectavimus oculis fidei, Martyrem sanctum Vincentium ubique vincentem. Vicit in verbis, vicit in pœnis; vicit in confessione, vicit in tribulatione; vicit exustus ignibus, vicit submersus fluctibus: postremò vicit tortus, vicit mortuus. Quando caro ejus, in qua erat trophæum Christi victoris, de navicula mittebatur in mare, tacitè dicebat, *Dejicimur, sed non perimus.* (2. Cor. 4. 9.) Quis istam patientiam militi suo donavit, nisi qui pro illo prior sanguinem fudit? Cui dicitur in Psalmo, *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à juventute mea.* (Psal. 70. 5.) Magnum certamen magnam comparat gloriam; non humanam, nec temporalem, sed divinam & sempiternam. Fides pugnat; & quando fides pugnat, carnem nullus expugnat. Quia etsi laniatur, etsi laceratur; quando perit qui sanguine Christi redemtus est? Potens homo non potest perdere quod emit auro suo, & Christus perdit quod emit sanguine suo? Sed hoc totum non ad hominis, sed ad Dei gloriam referatur. Ab ipso verè est patientia, vera patientia, sancta patientia, religiosa patientia, recta patientia, Christiana patientia donum Dei est. Nam & multi latrones patientissimè torquentur; & non cedentes & tortorem vincentes, postea æterno igne puniuntur. [b] Caussa discernit Martyrem à patientia, immo à duritia sceleratorum. Par est pœna, sed dispar est caussa. Martyrum voce cantavimus: (dixerat enim ista Vincentius in orationibus suis:) *Judica me Deus, & discerne caussam meam à gente non sancta.* (Psal. 42. 1.) Discreta est caussa ejus: quia pro veritate, pro justitia, pro Deo, pro Christo, pro fide, pro Ecclesiæ unitate, pro individua caritate certavit. Quis ei donavit istam patientiam? quis? Indicet nobis Psalmus. Ibi enim legitur, ibi cantatur: *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab illo enim patientia mea.* (Psal. 61. 2.) Quisquis putat sanctum Vincentium viribus suis ista potuisse, nimis errat. Quisquis enim viribus suis hoc se posse præsumserit, etsi videtur vincere patientiâ, vincitur à superbia. Bene vincere, hoc est, universas machinas vincere. Illecebras dum ministrat, vincitur per continentiam: pœnas & tormenta infligit, vincitur per patientiam: errores suggerit, vincitur per sapientiam. Ad extremum, cùm omnia hæc victa fuerint, suggerit animæ, Euge, euge, quantum potuisti? quantum certasti? Quis tibi comparatur? Quàm bene vicisti? Respondeat illi anima sancta, *Confundantur & revereantur, qui dicunt mihi, Euge, euge.* (Psal. 69. 4.) Quando ergo vincit, nisi cùm dicit, *In Domino laudabitur anima mea; audiant mites, & jocundentur?* (Psal. 33. 3.) Mites enim sciunt quod dico: quia in illis habitat verbum, in illis habitat exemplum. Nam qui non est mitis, nescit quid sapiat quod dictum est, *In Domino laudabitur anima mea.* Omnis enim non mitis, superbus, asper, elatus, in se vult laudari, non in Domino. Qui autem dicit, *In Domino laudabitur anima mea:* non dicit, Audiant gentes, & jocundentur; audiant homines, & jocundentur: sed, *Audiant mites, & jocundentur.* Audiant quibus sapit. Mitis enim erat Christus: *Sicut ovis ad immolandum ductus est.* (Isai. 53. 7.) Propterea mitis, quia sicut ovis ad immolandum ductus est. *Audiant mites, & jocundentur.* (Psal. 33. 3.) Quia sapiunt quod dictum est, *Gustate, & videte quàm suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eum.* (Ibidem 9.) Longam lectionem audivimus, brevis est dies: longo Sermone etiam nos tenere vestram patientiam non debemus. Novimus quia patienter audistis, & diu stando & audiendo tamquam Martyri compassi estis. Qui audit vos, amet vos, & coronet vos.

Christi sanguine redemtus non perit. — Patientia donum Dei. — Victoria perfecta de universis machinis inimici.

Serm. de Sanctis.

* SERMO CCLXXV.

** Aliàs 9. inter editos à Parisiensibus.*

In Natali Martyris Vincentii, II.

Vincentii in pœnis fortitudo ex adjutorio Christi.

1. MAGNUM & multùm mirandum spectaculum noster animus cepit: nec inanissimam & perniciosissimam, sicut solet in theatris quarumque nugarum, sed planè utilissimam & fructuosissimam voluptatem oculis interioribus hausimus, cùm beati Vincentii gloriosa passio legeretur. Erat videre invictam Martyris animam contra insidias antiqui hostis, contra sævitiam impii judicis, contra dolores mortalis carnis, acerrima conflictatione certantem, & in adjutorio Domini cuncta superantem. Ita planè, Carissimi, ita prorsus fuit: in Domino laudemus hanc animam, ut audiant mites, & jocundentur. (Psal. 33. 3.) Quas voces audierit, quas reddiderit, quæ tormenta devicerit, decursa lectio declaravit, & nobis tamquam in conspectu quæ gesta sunt posuit. Tanta pœna erat in membris, tanta securitas in verbis, tamquam alius torqueretur, alius loqueretur. Et verè alius: prædixit enim hoc Dominus, & promisit Martyribus suis dicens, *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* (Matth. 10. 20.) In Domino ergo laudetur hæc anima. Nam *quid est homo, nisi quòd memor es ejus?* (Psal. 8. 5.) Aut quæ vires pulveris, nisi illo adjuvante, qui nos fecit ex pulvere? *Ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. Cor. 1. 31.) Si enim diabolicus & seductor spiritus plerumque implet vel fallaces vates, vel falsos martyres suos, ut tormenta corporis vel ipsi sibi ingerant, vel ingesta contemnant: quid magnum est Domino Deo nostro ad confirmandam prædicationem nominis sui, ipsorum prædicatorum carnem quidem in manus persequentium tradere, mentem verò in arcem libertatis assumere; ut etiam dum illa patitur iniquitatem, hæc afferat veritatem? scilicet ut victores non tolerantia faciat, sed justitia: quoniam Martyres discernit

Martyres discernit caussa, non pœna.

[b] Possidius Sermones *de Natali S. Vincentii* recenset in Indiculi capite 9. & 10. Eo die festo habitus est Sermo suprà ordine 4.

[b] MSS. *Merces discernit.*

cauſſa, non pœna. Multi enim dolores tolera- A verunt pertinaciâ, non conſtantiâ; vitio, non virtute; pravo errore, non rectâ ratione; diabolo poſſidente, non perſequente. In noſtro autem vincente Vincentio, ille quidem vincebat, qui poſſidebat: ſed ille poſſidebat, qui principem hujus mundi miſerat foras; ut etiam pugnans extrinſecùs ſuperaretur, qui jam fuerat ſuperatus, ne intus dominaretur. Ille quippe qui miſſus eſt foras, non ceſſans tamquam leo rugiens circuit requirendo quem devoret. Sed eum expugnat B ille pro nobis, qui eo excluſo regnat in nobis.

Johan. 12. 31. — *1. Pet. 5. 8.*

Diabolus in Vincentii tormentis magis tortus quàm Vincentius.

2. Denique magis diabolus non victo Vincentio, quàm Vincentius perſequente diabolo torquebatur. Quantò enim erant illa truculentiora & exquiſitiora tormenta, tantò magis tortus de torquente triumphabat; & ex illa carne tamquam ex terra ſuo ſanguine irrigata, de qua plus dolebat inimicus, palma creſcebat. Sed quia ille latenter ſævit, & latenter victus affligitur; maniſeſtè apparebat in præſide homine, quid in oc- C culto diabolus pateretur, & ille inviſibilis adverſarius per ſui vaſculi, quod impleverat, crepantis rimulas prodebatur. Voces enim hujus hominis, oculi, vultus, & turbulentus totius corporis motus, indicabant quàm graviora tormenta ſentiret interiùs, quàm erant quæ Martyri infligebat exteriùs. Si conſideremus perturbationem torquentis & tranquillitatem tormenta patientis, videre facillimum eſt quis erat ſub pœnis, quis ſupra pœnas. Quæ gaudia erunt in [a] vir- D tute regnantium, quando tanta ſunt pro veritate morientium? Quid erit cum corporis incorruptione fons vitæ, quando ros ejus inter tormenta tam dulcis eſt? Et quid faciet impiis æterna flamma, quos ita vaſtat irati cordis inſania? Quid paſſuri ſunt, cùm judicabuntur, qui jam cùm judicant cruciantur? Judicia futura ſanctorum quid habitura ſunt poteſtatis, cùm in hac vita tribunal judicis cataſta torſerit Martyris?

Corpus Martyris exanime divino præſidio non deſtitutum.

3. Magnum autem Dominus teſtimonium E præbet teſtibus ſuis, cùm ille qui [b] rexit corda certantium, nec corpora deſerit mortuorum, velut de hujus ipſius beati Vincentii corpore præclariſſimum miraculum exhibuit; ut id quod inimicus omnino non apparere cupierat, ſategerat, fecerat, tam præſenti nutu divino proderetur, & religioſiùs humandum venerandumque demonſtraretur, ut victricis pietatis & devictæ impietatis præclara in eo memoria perduraret. Verè *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus:* F quando nec terra carnis vitâ deſerente contemnitur; & inviſibili animâ de domo viſibili diſcedente, habitaculum ſervi curâ Domini cuſtoditur, & in gloriam Domini à conſervis fidelibus honoratur. Quid enim agit Deus, mira opera faciendo circa ſanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium perhibet, ſibi non perire quod moritur, & ut hinc intelligatur in quali honore ſecum habeat animas occiſorum, quando caro exanimis tanto [c] effectu divinitatis ornatur? Sicut enim G de membris Eccleſiæ loquens Apoſtolus, ſimilitudinem adhibuit de membris corporis noſtri, quoniam *quæ inhoneſta ſunt noſtra, his abundantiorem honorem circumponimus:* ita providentia Creatoris cadaveribus Martyrum tam præclara miraculorum teſtimonia præſtando, abundantiorem honorem exſanguibus reliquiis hominum circumponit, & quod vitâ emigrante tamquam deforme jam remanet, ibi evidentiùs præſens vitæ dator apparet.

Pſal. 115. 15. — Reliquiis ſanctorum divinitus honor conciliatus. — *1. Cor. 12. 23.*

* SERMO CCLXXVI.

** Aliàs 12. de Sanctis.*

In feſto Martyris Vincentii, III.

CAPUT I. Martyris fortitudo à Christo eſt.

1. IN paſſione, quæ nobis hodie recitata eſt, Fratres mei, evidenter oſtenditur judex ferox, tortor cruentus, Martyr invictus. In cujus corpore pœnis variis exarato, jam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant. Tot convicta miraculis perſiſtebat impietas, tot vexata ſuppliciis non cedebat infirmitas: agnoſcatur ergo operata divinitas. Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret, niſi in eo Dominus habitaret? In his enim omnibus ille agnoſcendus, ille glorificandus, ille laudandus eſt, qui & in prima vocatione dedit fidem, & in ſuprema paſſione virtutem. Vultis noſſe quia utrumque donatum eſt? Audite apoſtolum Paulum: *Vobis*, inquit, *donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo.* Acceperat hæc utraque Levita Vincentius, acceperat & habebat. Si enim non accepiſſet, quid haberet? Habebat in ſermone fiduciam, habebat in paſſione tolerantiam. Nemo ergo de ſuo corde præſumat, quando profert ſermonem; nemo de ſuis viribus confidat, quando ſuffert tentationem: quia & ut bona prudenter loquamur, ab illo eſt noſtra ſapientia; & ut mala fortiter perferamus, ab illo eſt noſtra patientia. Recolite Dominum Chriſtum ſuos in Evangelio diſcipulos admonentem: recolite Martyrum Regem cohortes ſuas armis ſpiritalibus inſtruentem, bella monſtrantem, adjutoria miniſtrantem, præmia pollicentem: qui cùm dixiſſet diſcipulis ſuis, *In hoc mundo preſſuram habebitis;* mox unde territi conſolarentur, adjunxit dicens, *Sed confidite, ego vici mundum.* Quid ergo miramur, Cariſſimi, ſi in illo Vincentius vicit, à quo victus eſt mundus? *In hoc*, inquit, *mundo preſſuram habebitis:* ut ſi premit, non opprimat; ſi oppugnat, non expugnet.

Philip. 1. 29. — *Johan. 16. 33.*

CAPUT II. Duplex mundi acies contra milites Christi, blanditiæ & terrores.

2. Duplicem mundus aciem producit contra milites Chriſti. Advertite, Fratres. Duplicem dixi aciem producit mundus contra milites Chriſti. Blanditur enim, ut decipiat; terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena; & victus eſt mundus. Ad utroſque aditus occurrit Chriſtus, & non vincitur Chriſtianus. Si conſideretur in iſta paſſione humana patientia, incipit eſſe incredibilis; ſi agnoſcatur divina potentia, deſinit eſſe mirabilis. Tanta graſſabatur crudelitas in Martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce, tantaque pœnarum aſperitas ſæviebat in membris, & tanta ſecuritas ſonabat in verbis; ut miro modo putaremus Vincentio patiente, alium non loquentem torqueri. Et verè, Fratres, ita erat: prorſus ita erat: alius loquebatur. Promiſit enim & hoc teſtibus ſuis Chriſtus in Evangelio, quos ad hujuſmodi certamina præparabat. Sic enim ait: *Nolite præmeditari quomodo aut*

Matth. 10. 19. & 20.

[a] Aliquot MSS. *in veritate regnantium.*
[b] In quibuſdam MSS. *erexit.*
[c] Sic MSS. At editi, *affectu divinitatis coronatur.*

quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Caro ergo patiebatur, & Spiritus loquebatur. Et loquente Spiritu, non solùm convincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas.

Caput III. Vincentius tormentis suis non tàntum vastatus, quantum Dacianus.

3. Clariorem nobis Martyrem tot tormenta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confossus, non deserebat pugnam, sed acriùs iterabat. Putares quòd eum duraret flamma, non ureret; & tamquam figuli fornax lutum molle B suscipiens, duram redderet testam. Poterat Martyr noster dicere Daciano, Jam non urit ignis tuus carnem meam, quia *exaruit velut testa virtus mea.* (Psal. 21. 16.) Et quoniam veraciter scriptum est, *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis;* (Eccli. 27. 6.) probatus est atque decoctus illo igne Vincentius: arsit verò & crepuit Dacianus. Si enim non ardebat, unde clamabat? Quid enim erant verba irascentis, nisi fumus ardentis? Ergo Martyri nostro refrigerium in corde habenti, C flammas extrinsecùs admovebat: sed ipse facibus furoris accensus, tamquam clibanus intus ardebat, & habitatorem suum diabolum concremabat. Per furiosas enim Daciani voces, per truces oculos & minaces vultus & totius corporis motus ille habitator ejus interior monstrabatur; & per hæc signa visibilia, tamquam per sui vasculi, quod impleverat, crepantis rimulas videbatur. Non tantùm Martyrem cruciabant tormenta, quantùm illum vastabat insania.

Caput IV. Vincentii gloria post passionem, etiam in hoc mũdo.

D 4. Sed jam, Fratres, illa omnia transierunt, & ira Daciani, & pœna Vincentii. Nunc autem pœna Daciano, corona verò manet Vincentio. Denique his præmissis futuræ videlicet retributionis finibus, etiam in hoc mundo Martyrum gloriam demonstremus. Quæ hodie regio, quæve provincia ulla, quò usque vel Romanum imperium, vel Christianum nomen extenditur, Natalem non gaudet celebrare Vincentii. Quis autem E hodie Daciani vel nomen audisset, nisi Vincentii passionem legisset? Quòd verò tantâ curâ servavit Dominus Martyris corpus, quid aliud demonstravit, nisi se gubernasse viventem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Dacianum vivens Vincentius, vicit & mortuus. Vivens tormenta calcavit, mortuus maria transnatavit. Sed ipse inter undas gubernavit cadaver exstinctum, qui inter ungulas animum donavit invictum. Non flexit flamma tortoris cor ejus, non mersit aqua maris corpus ejus. F Sed in his & hujusmodi omnibus nihil est aliud, nisi *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* (Psal. 115. 15.)

* Aliàs de Diversis 102.

*SERMO CCXLXXVII.

In festo Martyris Vincentii, IV.

In quo disputatur de corpore spiritali post resurrectionem, & utrùm ejusmodi corporis oculis videri Deus possit.

Habitus in [a] *basilica Restituta.*

Caput I. Vincentii cadaver invictum.

1. OCULIS fidei certantem exspectavimus Martyrem, & amavimus totum invisibiliter pulcrum. Qualis enim decoris habebat spiritum, cujus fuit & cadaver in- A victum? Dominum confessus est vivus: inimicum superavit & mortuus. Quid putamus, Fratres, quòd istum honorem providentia & consilium omnipotentis Creatoris cùm etiam defuncto corpori detulit, Martyri aliquid præstitit? Quid enim, si non sepeliretur, ignorabat ille unde suscitaretur? Illi & in victoria corona, & in resurrectione servata est vita æterna. Sed de corpore ejus, Ecclesiæ præstita est consolationis memoria. Sic plerumque Deus de servis suis præstat servis suis [b] quadam dignatione, donans quod magis prosit ei cui datur, quàm ei de quo datur. Sic Eliam sanctum Deus per avem pascebat: non autem misericordia Dei & omnipotentia defecerat, ut semper sic pasceret. Mittitur tamen pascendus ad viduam: non quia non erat quomodo Dei servus aleretur, sed ut fidelis vidua benedictionem mereretur. Præstitit ergo sanctorum corpora Ecclesiis suis ad memorias orationum, non ad glorias Martyrum. Illi enim habent integram gloriam suam apud Creatorem suum. Nec ipsi corpori aliquid timent, quoniam non est quod timeant. Magis si parcant corpori, nocent & corpori. Si autem per fidem non parcant corpori, præstant & corpori.

Reliquiæ sanctorum ad fidelium consolationem. [b]

3 Reg. 17. 9.

Corpora sanctorum data Ecclesiis ad memorias orationum, non ad glorias Martyrum.

Caput II. Martyr corpori nõ parcendo, ipsi consulit.

2. Ecce hoc adtendite, & fidem vestram interrogate. Sanctus Vincentius si formidine tormentorum negaret Christum, videretur corpori pepercisse: quadam autem conditione mortali, corpore solveretur. Quid ageret in resurrectione, cùm in æternum ignem præcipitaretur? Negans Christum, negatur à Christo. *Qui negaverit me*, inquit, *coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui est in cælis.* (Luca 12. 9.) Ecce negaret, quiescerent illi tortores, & vulnerato animo sanum esset corpus; immo occiso animo, viveret corpus: quid prodesset in æternum mortuo brevis corporis vita? Veniret dies, quam commemorat Dominus, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent*: (Johan. 5. 28. & 29.) sed cum magna differentia. Omnes procedent, sed non omnes ad eamdem rem procedent. Omnes surrecturi, sed non omnes immutandi. *Qui enim bene fecerunt*, inquit, *in resurrectionem vitæ; qui autem malè, in resurrectionem judicii.* Cùm dicit, *Omnes qui in monumentis sunt*, procul dubio manifestat corporum resurrectionem. Judicium autem cùm audis, ne tibi tamquam de temporali judicio blandiaris, ponitur judicium pro pœna æterna. Secundùm hoc dictum est, *Qui autem non credit, jam judicatus est.* (Johan. 3. 18.) Hæc ergo differentia separatura est justos ab injustis, fideles ab infidelibus, confessores à negatoribus, amatores vitæ periturae ab amatoribus vitæ æternæ, separatura est illa discretio. *Et ibunt justi in vitam æternam, impii verò in ignem æternum.* (Matth. 25. 46.) Ibi cum corpore torquebuntur, qui corpori pepercerunt. Timendo enim tormenta corporis, corpori pepercerunt; & parcendo corpori, Christum negaverunt; & negando Christum, [c] pœnas æter- G nas etiam corpori distulerunt. Si distulerunt, numquid abstulerunt?

Judicium, pro pœna æterna.

Caput III. Corpus nõ contemserunt Martyres, sed ei bene cõsuluerunt.

3. Ergo prudenter Martyres Christi, non sua corpora contemserunt. Perversa est ista, & mundana philosophia, eorum qui non credunt corporum resurrectionem. Videntur enim sibi quasi

[a] In vetere libro Colbertino inscribitur, *De basilica in vallis gloriosi Martyris Vincentii restituta.*

[b] Plerique MSS. *quamdam dignationem donans, quæ magis &c*

[c] Aliquot MSS. *pœnis æternis etiam corpora distulerunt.*

Classis III.

A magni corporis contemtores, quia ipsa corpora quasi pro carceribus se habere arbitrantur, quò detrusas putant animas, quòd alibi antè peccaverunt. Deus autem noster & corpus fecit & spiritum; & utriusque creator est, & utriusque recreator; utriusque institutor, utriusque etiam restitutor. Non ergo carnem tamquam inimicam, vel contemserunt, vel persecuti sunt Martyres. *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit.* Magis ei consuluerunt, quando eam negligere videbantur: quando in ea fideliter persistentes, B temporalia tormenta tolerabant, æternam etiam ipsi carni gloriam comparabant.

Ephes. 5. 29.

Caput IV. Corporis gloria post resurrectionem.

4. Quæ sit autem futura in resurrectione gloria carnis hujus, quis explicet verbis? Nemo adhuc nostrûm habendo expertus est. Nunc carnem onerosam portamus; quia indigam, quia infirmam, quia mortalem, quia corruptibilem. *Corpus* enim *quod corrumpitur; aggravat animam.* Sed noli hoc in resurrectione metuere. *Oportet ut corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem.* C Quod nunc est onus, erit honor: quod nunc sarcina, tunc levamen. Non enim habebit pondus, ut corpus habere te sentias. Videte Carissimi: quando sanum est corpus nostrum, etiam hoc fragile atque mortale, quando suarum partium temperamento moderatum est, quando in eo nihil ejus adversùs aliud rixatur, non calor superat & urget algorem, non copiâ frigoris fervor exstinguitur, & dum luctatur affligit; D non humorem siccitas sorbet, non inundat humor & premit; sed omnia quibus constat concordi inter se juncturâ librata sunt, quæ sanitas dicitur. Est autem, ut breviter dicam, sanitas corporis, eorum concordia quibus constat. Hæc ergo sanitas, id est membrorum humorumque concordia in re corruptibili, in re egena & infirma, in re quæ adhuc esurire & sitire potest, stando lassari, sedendo refici, rursus sedendo lassari, esuriendo deficere, vescendo refici; E non succurrere defectionibus præteritis nisi aliis inchoatis: quidquid enim aliud ad refectionem ceperis lassus, initium est alterius lassitudinis; quia in re, quam sumsisti ut succurreres, si perseveres, & inde fatigaberis: in hoc ergo infirmo & corruptibili corpore, quid est ipsa sanitas qualiscumque? Neque enim hæc, quæ in carne mortali & corruptibili dicitur sanitas, ullo modo Angelorum sanitati comparanda est, quorum nobis æqualitas in resurrectione promittitur. F * Hæc tamen sanitas, ut dixi, qualiscumque quid habet delectationis, quàm exoptabile bonum est omnibus? Quantam rem habet pauper, cùm hanc solam habet; quantam non habet dives, cùm hanc solam non habet? Quid se jactat copiosum? Febris lectum non formidat argenteum: non timet pompam divitis, non timet jacula bellatoris.

Sap. 9. 15.

1. Cor. 15. 53.

Sanitas corporis, concordia eorum quibus cõstat.

Luca 20. 36.

* Caput V.

G 5. Quid ergo sanitas hæc ipsa, quam rectè Martyres contemserunt, quia in ipsa carne aliam speraverunt? Tamen quia illam nondum experti sumus, ex ista quam novimus, illam utcumque conjiciamus. Quid est sanitas? Si dicas mihi, Quid est videre? Quantum ad corpus adtinet, respondebo tibi fortasse, formas coloresque sentire. Si dicas mihi, Quid est audire? Respondebo, sonos sentire. Si dicas, Quid est olfacere? Respondebo, odores sentire. Quid est tangere?

Sanitas est nihil sentire, scilicet molestum & onerosum.

A Dura vel mollia, calida vel frigida, aspera & lenia, gravia vel levia sentire. Quid est sanitas? Nihil [a] sentire. Sed & hæc ipsa in nobis modò aliorum comparatione vilescunt. Acutè vides: acutiùs te forsitan aquila. Acutè audis: sunt bestiolæ quæ audiunt acutiùs. Acutè olfacis: canem sagacem non vincis. Acutè sapores gustando dijudicas: sunt animalia quæ inexpertas herbas discernunt, & quod est noxium non adtingunt. Nam tu quamlibet acutè discernas cibum, imprudens irruis in venenum. B Acutè sentis tangendo: quàm multæ aves æstatem futuram præsentiunt, & loca demutant; hyemem imminere præsentiunt, ad loca calidiora demigrant? quod tu cùm venerit sentis, antequam veniat illa præsentiunt. Et hoc ipsum quod in sanitate laudavi, nihil sentit lapis, nihil arbor, nihil cadaver.

Serm de Sanctis.

6. Nam præses ille Dacianus in corde nihil sentiebat, quando in nihil sentiens cadaver sæviebat? Quid enim jam faciebat nihil sentienti, C qui potuit & à sentiente superari? Fecit tamen quidquid potuit, fecit iratus. Sed qui jam nihil [b] in palàm patiebatur, in occulto coronabatur. Tenebat enim sententiam Domini sui: qui cùm vellet nos securos facere de his qui corpus occidunt, *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant.* Quomodo postea non habent quid faciant, quando insanus ille de Vincentii corpore tanta fecit? Sed Vincentio quid fecit, qui etiam sentienti nihil D fecit? Ergo non sic non sentire, ut non sentit lapis, ut non sentit arbor, ut non sentit cadaver; sed vivere in corpore, & nihil ex ejus onere sentire, hoc est sanum esse. Et tamen quantumlibet sit homo in hac vita sanus, sentit etiam sani corporis pondus. Aggravat animam etiam sanum corpus quod corrumpitur, id est, corruptibile. Aggravat animam, id est, non obtemperat animæ ad nutum omnis voluntatis. Obtemperat in multis: movet manus ad operandum, pedes ad am- E bulandum, linguam ad loquendum, oculos ad videndum, ad sentiendas voces intendit auditum: in his omnibus corpus obsequitur. Mutandi loci cupiditas sentit onus, sentit pondus: non tanta facilitate movetur corpus ad perveniendum, quò desiderat. Desiderat aliquis amicum videre in corpore constitutus, in corpore constitutum: illum novit esse in longinquo, multæ mansiones interjacent: animo jam præcessit, corpore quando pervenit, tunc sentit quale onus portet. Non F potuit ad celeritatem præsumtam obedire voluntati pondus carnis: non potuit ea celeritate rapi, qua voluit, qua eam portat animus. Tardum & onerosum est.

Caput VI. Dacianus sæviens in corpus mortuum.

Matth. 10. 28. Luca 12. 4.

Vivere in corpore, & nihil ex ejus onere sentire, est sanum esse.

Sap. 9. 15.

Onus corporis in hac vita semper manet.

7. Putamusne habet aliquid ipsum corpus, unde probetur velocitas corporis? Pedes dicemus? Quid tardius? Ipsi sunt qui perveniunt, & desideria vix sequuntur, & molimenta moliendo perveniunt. Sed fac quemquam ita velocem, ut sunt quędam animalia, quibus nec comparanda est veloci- G tas nostra; fac quemquam ita velocem, ut sunt aves: non eo ictu pervenit, quò voluerit. Diu volant aves migrando, & aliquando fessæ insidunt arboribus navium. Ergo si etiam sicut aves volare possemus, præ desiderio perveniendi tardi essemus. Cùm verò fuerit corpus spiritale, de quo dictum est, *Seminatur corpus animale, surget corpus spi-*

Caput VII. Quærendũ aliquid in hoc corpore unde intelligatur velocitas corporis futuri spiritalis.

1. Cor. 15. 44.

[a] Colbertinus MS. *Nihil adversum sentire.*

[b] Plures MSS. *à palàm sæviente patiebatur.*

Classis III.

ritale; quanta ibi facilitas, quanta celeritas, quanta obedientia volentis? In nullo pondus, in nullo egestas, in nullo lassitudo, in nullo ex alia parte renitentia & reluctatio. A

Caput VIII. De corpore spiritali ex occasione dicendum.

8. Quale illud corpus erat, quod Dominus per claustra trajecit? Intendite obsecro, si possim adjuvante Domino qualibuscumque verbis exspectationi vestræ aut satisfacere, aut non multùm deesse. Nata nobis occasio est de corpore spiritali aliquid disputandi ex passione Martyris, à quo sic vidimus & mirati sumus corpus inter B tormenta contemni. Diximus enim quia non parcendo corpori, eidem etiam corpori consulebat: ne fortè fugiendo temporales pœnas, & Christum negando, idem ipsum corpus pœnis sempiternis & atrocissimis suppliciis destinaret. Hinc ergo hortari vos cupiens, & me ipsum ad præsentia contemnenda, futura speranda: *Etenim in hoc habitaculo ingemiscimus gravati*, & tamen mori nolumus, & exui pondere formidamus; *nolumus enim spoliari, sed supervestiri, ut* C *absorbeatur mortale à vita*: hac ergo occasione de spiritali corpore suscepi aliquid loqui vobis, & primitus commendandam putavi hanc ipsam hujus fragilis & corruptibilis corporis sanitatem, ut ex ipsa magnum aliquid inveniamus. Invenimus in ipsa sanitate nihil sentire. Etenim multa habemus intus in visceribus nostris; quis ea nostrûm sciret, nisi in corporibus laniatis videret? Viscera nostra, interiora nostra, quæ dicuntur intestina, unde novimus? Et tunc est bonum, quando illa non D sentimus. Quando enim illa non sentimus, tunc sani sumus. Dicis alicui, Observa stomachum. Respondet tibi, Quid est stomachus? Felix ignorantia: nescit ubi habeat, quod semper sanum habet. Si sanum non haberet, sentiret: si sentiret, non bono suo sciret.

1. Cor. 5. 4.

Caput IX. Celeritas corporum cælestium.

9. Sed quamvis laudata corporis sanitate venimus ad celeritatem motûs, & invenimus nos plumbeos quodam modo. Quanta est celeritas cælestium corporum? Vis nosse quanta sit? In- E tueris solem, & tibi videtur quasi non moveatur, & tamen movetur. Fortè dicis, Movetur, sed tardiùs. Vis nosse quanta celeritate moveatur? Vis ratione colligere, quod non sentis adspectu? Si rectâ viâ ab Oriente usque in Occidentem in hac terra veredis quisque curreret, per quot dies perveniret? qualibet equorum velocitate ferretur, quot mansiones ageret? Spatium itineris ab initio Orientis usque ad finem Occidentis sol, qui tibi videtur stare, uno die con- F ficit, & una nocte ad ortum redit. Nolo dicere, quia obscurum est, & ad persuadendum difficile, vel fortassis incertum, quàm sint spatia cælestia multò quàm terrestria latiora. Cùm ergo videamus tantam celeritatem cælestium corporum, quæ nobis videntur cùm adtenduntur non moveri; cui celeritati comparare possumus corpus Angelicum? Adfuerunt etiam, & quando voluerunt se conspiciendos tangendosque præbuerunt. Lavit Angelis pedes Abraham. Non solùm G lavit illa corpora, verùm etiam contrectavit. Apparuerunt, ut voluerunt, quando voluerunt, quibus voluerunt. Nihil difficultatis, nihil omnino tarditatis sentiunt. Sed non eos videmus currentes, non eos videmus de loco in locum migrantes, ut noscemus ab oculis hominum discedentes: quando voluerunt, pervenerunt. Non est ergo unde

Angelorũ corpora.

Gen. 18. 4.

Serm. de Sanctis.

etiam de istis evidentissimum celeritatis hujus præbeamus exemplum. Omittamus incognita, & de inexpertis nihil temere præsumere audeamus.

Caput X. Radii oculi celeritas.

10. In hoc ipso corpore, quod gestamus, invenio aliquid, cujus ineffabilem mirer celeritatem. Quid est hoc? Radius oculi nostri, quo tangimus quidquid cernimus. Quod enim vides, oculi tui radio contingis. Si velis videre longiùs, & interponatur aliquod corpus, irruit radius in corpus objectum, & transire non permittitur ad id quod videre desideras; & dicis impedienti, Exi, obstas mihi. Columnam vis videre, homo in medio stat, impedit aciem tuam. Radius tuus emissus est, sed pervenit usque ad hominem, usque ad columnam pervenire non sinitur: incurrit in aliud aliquid, non permittitur. Ecce qui tibi obstabat, discessit è medio, pervenit acies quò volebat. Modò discute, & si potes, inveni atque responde, utrùm acies ista, radius iste oculi tui citiùs pervenit ad proximum, tardiùs ad longinquum. Vidisti hominem in proximo constitutum, tantâ morâ illum vidisti, tantâ morâ ad eum radium oculi tui tetendisti, tantâ morâ ad eum oculi tui radio pervenisti, quantâ morâ pervenis & ad illam columnam quam volebas videre, & quia homo interpositus erat, non poteras: non ad ipsum citiùs, & ad illam tardiùs: & ecce ipse in proximo erat, & illa longiùs. Si ambulare velles, citiùs ad hominem, quàm ad columnam pervenires: quia videre voluisti, tam citò ad hominem, quàm ad columnam pervenisti. Nihil est hoc de columna & de homine. Jace adhuc oculos, vides longè parietem: mitte longiùs, pervenis ad solem. Quantum est inter te & solem? Quis illa intervalla metiatur? Quis ullo acumine cogitationis æstimet quantum à te longè sit sol? Et tamen mox ut oculum aperueris, ecce tu hîc es, radius tuus ibi est. Mox ut videre voluisti, videndo pervenisti. Non quæsisti machinas quibus nitereris, non scalas quibus adscenderes, non funes quibus levareris, non pennas quibus volares. Oculum aperuisse, hoc est pervenisse.

Caput XI. Celeritati radii ex oculo emissi resurrectio comparata.

11. Quid ergo ista celeritas? quanta est? quid sibi vult? Corporis nostri est, de carne nostra emittitur. Radios nos habemus, & non miramur. Videndo utimur, considerando expavescimus. Non invenis aliquid quod huic compares celeritati, quantum adtinet ad corporis celeritatem. Meritò huic celeritati apostolus Paulus facilitatem resurrectionis comparavit, dicens, *In ictu oculi*. Ictus oculi est, non in palpebris claudendis & aperiendis: nam hoc tardiùs agitur, quàm videtur. Tardiùs palpebram levas, quàm dirigis radium. Citiùs radius tuus pervenit ad cælum, quàm palpebra levata ad supercilium. Videtis quid sit ictus oculi: videtis quam facilitatem Apostolus resurrectioni corporum dederit. Quàm tardè ista creata atque formata sunt? Recolamus moras conceptûs, & in ipsis uteris matrum coalescentium semina parvulorum; per temporum numerum membra formata, diebus certis, mensibus multis, quò usque illud quod intus creatum atque formatum est proferatur in lucem. Deinde quantâ morâ crescit, quantâ morâ succedit adolescentia pueritiæ, juventus adolescentiæ, senectus juventuti, mors omnibus. Accedit etiam alia mora: videtur integrum re-

1. Cor. 15. 52.

cens cadaver, in putredinem solvitur; & ad ipsam resolutionem necessaria sunt tempora, donec in tabem defluat, siccetur in cinere: & ab ipsis primordiis uteri usque ad cinerem extremum sepulcri quanta interjacet mora? quot dies? quæ temporum spatia? Venit ad resurgendum, in ictu oculi reparatur.

Caput XII. Ex resurrectionis futuræ facilitate intelligenda facilitas corporis spiritalis.

12. Attendite ergo Fratres, & comparate quæ comparanda sunt, rebus quibus comparanda sunt. Celeriùs movetur ista caro in ambulando, quàm formata est, quàm nutrita est, quàm B crevit, quàm ad habitum juvenilem pervenit, integramque ætatem & staturam percepit: celeriùs movetur in ambulando, quàm hoc in illa fiat. Porrò autem resurrectio fiet in ictu oculi: quanta erit celeritas movendi, si tanta potuit esse resurgendi? Laniata sunt corpora à sævientibus: toto licèt mundo dissipentur membra mortuorum, per totam terram cineres dispergantur; de toto tam grandi sinu totum quod sparsum est in ictu oculi reparatur. Miramur radiorum nostrorum, qui funduntur ex oculis, nimiam quamdam, C & nisi experiremur, incredibilem celeritatem: mirabilior est in corpore, quod futurum est, spiritali facilitas. In ictu quidem oculi resurget: sed Dominus noster, quod radius oculi nostri non potest, corpus etiam per claustra trajecit. Post resurrectionem in loco uno constitutis discipulis suis, subitò apparuit ostiis clausis. Quà nos videre non possumus, ille potuit & intrare. Nemo dicat, Hoc quidem potuit, sed Domini corpus, D numquid continuò etiam meum poterit? Et hinc accipe ab Spiritu, qui de Apostolo loquebatur, plenam securitatem. De ipso quippe Domino dictum est, *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ.*

Hæc mirabilior celeritate radii oculi.

Johan. 20. 19.

Philip. 3. 21.

Caput XIII. An Deus videbitur per corpus spiritale.

13. De isto ergo tali corpore, de hujus corporis tanta facilitate, tanta celeritate, tanta sanitate, nihil temere ac præsumenter definire audeat humana fragilitas. Quales erimus, sciemus E cùm fuerimus. Antequam simus, temerarii non simus, ne illud non simus. Quærit aliquando humana curiositas, & dicit sibi, Putasne per illud spiritale corpus videbimus Deum? Citò quidem responderi potest: In loco non videtur Deus, per partes non videtur Deus, spatiis diffusus intervallisque separatus non videtur Deus. Quamvis impleat cælum & terram, non ideo tamen dimidius est in cælo, dimidius in terra. Nam aër iste si implet cælum & terram; pars ejus quæ in cælo est, non est in terra. Et quidquid aqua implet, F implet quidem spatium quo capitur; sed dimidia est in dimidio spatio, dimidia in alio dimidio, tota in toto. Non est tale aliquid Deus. Hoc omnino noli dubitare, quoniam non est corpus Deus. Per spatia diffundi, locis capi, habere partes dimidias, tertias, quartas, totas, corporum proprium est. Nihil tale Deus; quia ubique totus Deus: non alibi dimidius, & alibi alio dimidio constitutus; sed ubique totus. Implet cælum & terram: sed totus est in cælo, totus in G terra. *In principio erat Verbum.* Ut etiam de ipso Filio hoc idem audias, quia & Filius cum Patre unus est Deus: non æqualis mole, sed divinitate. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil.* Et paulò pòst, *Et*

Deus non potest videri in loco ad modum corporis.

Johan. 1. 1. &c.

A *lux lucet in tenebris.* Iste Unigenitus totus manens apud Patrem, totus lucet in tenebris, totus in cælo, totus in terra, totus in virgine, totus in infante; non alternis temporibus tamquam de loco ad locum migrando. Nam & tu totus es in domo tua, & totus in ecclesia: sed quando in ecclesia, non in domo tua; quando in domo tua, non in ecclesia. Non ergo ille sic totus in cælo, totus in terra, totus in virgine, totus in infante, (ut aliud nihil commemorem,) quasi migrando de cælo in terram, de terra in virginem, de virgine in infantem, sed ubique simul totus. Non enim quasi aqua refunditur, aut quasi terra molimine separatur atque transfertur. Quando totus in terra est, cælum non deserit: sed & cùm cælum implet, à terra non recedit. *Adtingit* enim *à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

Sap. 8. 1.

Caput XIV. Si per corpus spiritale videri possit substantia quæ non videtur in loco, adhuc incompertũ.

14. Si ergo substantiam, quæ non videtur in loco, poterunt vel tunc corporales oculi videre, cùm fuerit corpus spiritale, si poterunt aliqua vi occulta, aliqua vi inexperta & prorsus incognita, nec ulla æstimatione percepta, si poterunt, possint. Oculis enim videmus, non nostris oculis invidemus. Tantum non conemur Deum perducere ad locum, non conemur Deum includere in loco, non conemur Deum per spatia locorum quasi aliqua mole diffundere; non audeamus hoc, non cogitemus. Maneat substantia divinitatis in sua & propria dignitate. Nos certè, *quàm possumus, in melius mutemus, non Deum in deterius commutemus. Maximè quia definitum aliquid inde in Scriptura non invenimus, aut nondum invenimus. Nam neque hoc audeo præsumere, non in ea esse quod valeat inveniri. Aut non est, aut latet, aut me latet. Si quid in alterutram partem potuerit ab aliquo inveniri, libenter accipio, & me instructum nisi gratias egero, non homini dicenti, sed ei qui per hominem docet, ingratus ero. Absit autem ut dator gratiæ, me esse permittat ingratum. Hoc tantùm dico, quia oculi qui per intervalla locorum vident quod vident, id est, ut spatium sit inter videntem, & illud quod videtur; aliter enim isti oculi non vident: nam si ab eis aliquid multùm in longinquo removeris, ideo non vident, quia radii ad longè posita non perveniunt; si autem ad eos aliquid propinquiùs admoveris, nisi sit intervallum aliquod inter oculos videntis & corpus quod videtur, videri omnino non potest; nam si propiùs admovendo oculos ipsos, quibus aliquid videtur, contingas, perdito spatio amittitur visio. Hoc ergo dico, quoniam tales oculi, qui non nisi per intervalla & spatia locorum vident quidquid vident; nec nunc possunt videre Deum, nec tunc poterunt, quia ille non est in loco. Aut ergo aliud erit quod videre possint, & quod in loco videri non potest: aut si manebit in eis non posse videre nisi in loco, non videbunt eum qui non est in loco.

* f. cùm.

Caput XV. De corpore spiritali, deque invisibili Dei natura quid jam certum.

15. Hoc autem donec de spiritali corpore diligentiùs requiratur, quod aut intelligatur aut rectè credatur, teneamus corpus resurrecturum, teneamus formam corporis nostri hanc futuram, quam vel Christus exhibuit, vel in occulto promisit. Teneamus corpus spiritale futurum, non animale, sicut nunc est. Evidenter enim expressum est, & contradici non potest: *Seminatur corpus animale,*

1. Cor. 15. 44.

CLASSIS III.

animale, resurget corpus spiritale. Teneamus Pa- A trem & Filium & Spiritum-sanctum naturâ propriâ, substantiâ propriâ, pariter & æqualiter esse invisibilem, quia pariter & æqualiter credimus immortalem, pariter & æqualiter credimus incorruptibilem. Uno autem loco simul hæc posuit Apostolus: *Regi autem sæculorum, immortali, invisibili, incorruptibili, soli Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Deus solus, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, immortalis, invisibilis, incorruptibilis: non modò invisibilis, B & postea visibilis; quia non modò incorruptibilis, & postea corruptibilis. Sicut immortalis semper, sicut incorruptibilis semper; ita & invisibilis semper. Si mutatur invisibilitas, metuendum est ne mutetur immortalitas. Puto propterea ipse Apostolus invisibilem in medio posuit, inter immortalem & incorruptibilem. De quo ambigi poterat, ne posset everti, ex utroque latere communivit. * Teneamus istam indeclinabilem confessionem. Non est simile offendere in creatu- C ram, & offendere in Creatorem. Certè qualitates creaturarum disserendo quæramus, & si in aliquo fallimur, in quod pervenimus in eo ambulemus. Tunc enim si quid aliter sapimus, & hoc nobis Deus revelabit. Unde hesterno die diutiùs disputavimus: [a] *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nos mundandis cordibus modis omnibus instemus, omni conatu invigilemus; omni prece, quantum possumus, impetremus, ut cor mundemus. Et si de his quæ forinsecùs sunt D cogitamus: *Mundate*, ait, *quæ intus sunt, & quæ foris sunt mundata erunt.*

1. Tim. 1. 17.

*CAPUT XVI.

Philip. 3. 15.

Matth. 5. 8. a

Matth. 23. 26.

Visio Dei an carni promissa in loco Lucæ 3. 6.

16. Fortassis alicui videatur tam clarum esse testimonium de carne, quàm de corde: quia scriptum est, *Videbit omnis caro salutare Dei.* Habemus de corde evidentissimum testimonium, *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* Habemus & de carne, *Videbit omnis caro salutare Dei.* Jam quis dubitaret visionem Dei carni esse promissam, nisi moveret, quid est salutare E Dei? Immo quia non movet, non enim dubii sumus: salutare Dei Christus Dominus est. Dominus itaque noster Jesus Christus si in sola divinitate videretur, nemo dubitaret carnem visuram esse substantiam Dei; quia, *Videbit omnis caro salutare Dei.* Quia verò Dominus noster Jesus Christus, & oculis cordis mundis, perfectis, Deo plenis videri potest quantum adtinet ad ejus divinitatem; visus est autem & in corpore, secundùm quod scriptum est, *Post hæc in terris visus* F *est, & cum hominibus conversatus est:* unde scio quomodo dictum sit, *Videbit omnis caro salutare Dei?* Quia videbit Christum, dictum est, nemo dubitet: * sed utrùm in corpore Dominum Christum, an sicut *erat in principio Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* hinc ambigitur, hoc quæritur. Noli me urgere uno testimonio: citò confiteor: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Dicunt hoc esse, Videbit omnis caro Christum Dei. Sed visus est Christus & G in carne, non quidem carne mortali, si adhuc illa spiritalis mutatio caro dicenda est; quia & ipse post resurrectionem sic dixit videntibus, & tangentibus, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Videbitur & sic: non solùm visus est, sed &

Salutare Dei, Christus per carnem videbitur.

Baruch. 3. 38.

*CAPUT XVII.

Lucæ 24. 39.

videbitur. Et fortè tunc perfectiùs implebitur quod dictum est, *omnis caro.* Modò enim vidit eum caro, sed non omnis caro: tunc verò in judicio venientem cum Angelis suis ad judicandos vivos & mortuos, cùm audierint vocem ejus omnes qui sunt in monumentis, & processerint alii ad resurrectionem vitæ, alii ad resurrectionem judicii, ipsam formam videbunt, quam pro nobis suscipere dignatus est, non solùm justi, sed etiam iniqui, alii ad dexteram, alii ad sinistram: quia & qui occiderunt, *videbunt in quem pupugerunt. Videbit* ergo *omnis caro salutare Dei.* Corpus per corpus: quia in [b] vero corpore veniet judicaturus. Sed ad dexteram positis, & in regnum cælorum missis, sic se demonstraturus est, quomodo jam in corpore videbatur: & tamen dicebat, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi.* Hoc Judæus impius non videbit. *Tolletur* enim *impius, ne videat claritatem Dei.*

SERM. DE SANCTIS.

Christus in judicio videbitur ab omni carne.

Johan. 5. 28.

Johan. 19. 37.

b

Johan. 14. 21.

Isai. 26. 10. sec. LXX.

17. Simeon justus vidit eum & corde, quia cognovit infantem; & oculis vidit, quia portavit infantem. Utroque modo videns eum, agnoscens Dei Filium, & amplectens de virgine procreatum, *Nunc dimittis*, inquit, *Domine servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Videte quid dixerit. Tenebatur enim quò usque & oculis videret, quem fide cernebat. Corpus parvulum accepit, corpus amplexus est; corpus videndo, id est, Dominum in carne cernendo ait, *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Unde scis, ne sic videat omnis caro salutare Dei? Ne autem desperemus eum in ea forma venturum ad judicium, quam pro nobis accepit, non in qua semper æqualis Patri permansit; audiamus & hinc vocem Angelorum. Ante oculos discipulorum suorum cùm ferretur in cælum, & illi adtenderent, eumque corde desideratum adspectu deducerent, audierunt ab Angelis, *Viri Galilæi quid statis adspicientes in cælum? Hic Iesus qui acceptus est à vobis, sic veniet quomodo vidistis eum euntem in cælum.* Sic ergo, sic veniet, quomodo abscessit in cælum. Visibilis veniet ad judicium; quia visibilis abscessit in cælum. Nam si visibilis abscessit & invisibilis veniet, quomodo sic veniet? Si autem sic veniet, visibilis ergo veniet; & *videbit omnis caro salutare Dei.*

CAPUT XVIII. Simeõ hîc oculis vidit salutare Dei.

Lucæ 2. 29.

Visibilis Christus in judicio futuro.

Act. 1. 11.

18. Non hoc ideo dixi: (mementote quantum potestis, ut ea discamus, usque quò invenerimus, quæ nondum novimus: quod autem novimus, non opus est ut discamus, sed Domino adjuvante, doceamus:) non ergo hoc ideo dixi, quia carnem visuram negavi; sed quia quærenda sunt testimonia clariora, si fortè poterunt inveniri. Nam hoc quod prolatum est, videtis quale sit. Pro nobis enim magis facit, vel pro ipsa veritate, vel pro his qui quasi certò contendunt, carnem non visuram omnino ullo modo Deum, nec in resurrectione mortuorum. Nos hinc non contendimus, sed repetendo acutos commemoramus, tardis inculcamus. Licèt multis tædiosi simus, dicimus tamen. Deus non videtur in loco, quia non est corpus; quia ubique totus est, quia non in parte minor, & in parte major est. Hoc firmissimè teneamus. Si autem caro illa tantam acceperit mutationem, ut possit per eam videri

CAPUT XIX. De difficultate proposita, deque Deo & de corpore futuro spiritali quid tenendum.

[a] Hac de re Ser. 53. in die unius Virginis Mart. fortè Agnetis.

[b] Colb. MS. *in uno eodem corpore venit judicãdus, veniet judicaturus.*

quod non videtur in loco; omnino ita sit. Sed quærendum est, unde doceatur. Et si nondum docetur, nondum negetur; sed certè vel dubitetur. Ita tamen ut carnem resurrecturam non dubitetur, spiritale corpus futurum ex animali non dubitetur, corruptibile hoc & mortale hoc induere immortalitatem & incorruptionem non dubitetur: ut *in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Certè si nimis inquirendo in aliquo fortè deviamus; saltem in creatura, non in Creatore deviemus. Conetur unusquisque quantum potuerit, corpus convertere in spiritum, dum tamen in corpus non convertat Deum.

Philip. 3. 16.

* SERMO CCLXXVIII.

* Aliàs de Diversis 34.

De [a] vocatione apostoli Pauli, & commendatione Dominicæ orationis.

Pro sollemnitate conversionis S. Pauli, I.

Caput I. Paulus ex persecutore prædicator Christi. Florus ad 1. Tim. 1.

1. Hodie lectio de Actibus Apostolorum hæc pronuntiata est, ubi apostolus Paulus ex persecutore Christianorum, annuntiator Christi factus est. Hodie in illis regionibus etiam loca ipsa testantur, quod tunc gestum est: & nunc legitur, & creditur. Utilitas autem rei gestæ hujus hæc est, quam Apostolus ipse commemorat in epistolis suis. Dicit enim ad hoc sibi veniam datam omnium peccatorum suorum, & illius furoris atque insaniæ qua pertrahebat Christianos ad necem, qui minister erat furoris Judæorum, sive in lapidatione sancti Martyris Stephani, sive in ceteris exhibendis & adducendis ad pœnam; ut nemo de se desperet, qui fuerit magnis peccatis involutus, & magnis sceleribus irretitus, quasi veniam non sit accepturus, si conversus fuerit ad eum, qui pendens in cruce oravit pro persecutoribus dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Factus est ille ex persecutore prædicator & doctor gentium. *Fui primò*, inquit, *blasphemus & persecutor & injuriosus: sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Gratiâ enim Dei salvi efficimur à peccatis nostris, in quibus ægrotamus. Illius, illius medicina est, quæ sanat animam. Nam se ipsa vulnerare potuit, sanare non potuit.

Gratiæ Dei exemplum in Paulo datum, ne aliquis peccator desperet.

Lucæ 23. 34.

1. Tim. 1. 13. & 16.

Ægrotare & convalescere non æquè habet homo in potestate.

2. Namque & in ipso corpore in potestate habet homo ægrotare, convalescere autem non ita habet in potestate. Si enim excedat modum, & intemperanter vivat, faciatque illa quæ sunt incommoda valetudini, & expugnantia sanitatem, uno die, si vult, cadit in morbos; non autem cùm ciciderit, convalescit. Ut enim ægrotet, se ipsum adhibet ad intemperantiam: ut autem convalescat, medicum adhibet ad salutem. Non enim potest, ut diximus, in potestate habere recipiendam sanitatem, quomodo habet in potestate amittendam. * Sic etiam secundùm animam, ut peccando in mortem caderet homo, ut ex immortali mortalis fieret, ut subderetur diabolo seductori, fuit in ejus libero arbitrio; quo ad inferiora declinando superiora deseruit, & aurem præbendo serpenti, aurem clausit ad Deum, atque constitutus inter præceptorem & seductorem, magis seductori quàm præceptori obtemperare delegit. Unde enim audivit Deum, inde audivit diabolum. Quare ergo non potiùs meliori credidit? Ideoque invenit verum esse quod prædixerat Deus, falsum quod promiserat diabolus. Hæc prima origo malorum nostrorum, hæc radix omnium miseriarum, hoc semen mortis ex propria & libera voluntate primi hominis; qui sic est factus, ut si obediret Deo, semper beatus & immortalis esset; si negligeret & contemneret præceptum ejus, qui volebat in illo salutem perpetuam custodire, in morbum mortalitatis irrueret. Tunc ergo medicus à sano contemtus est, nunc curat ægrotum. Alia sunt enim præcepta, quæ dat medicina ad tenendam sanitatem; sanis enim dantur, ne ægrotent: alia sunt autem, quæ jam ægroti accipiunt, ut recuperent quod amiserunt. * Bonum erat homini, ut obediret medico, cùm sanus esset, ne medicus illi opus esset. *Non est* enim *opus sanis medicus, sed ægrotantibus.* Propriè quippe medicus dicitur, per quem sanitas recuperatur. Nam semper Deus medicus opus est etiam sanis, ut sanitas ipsa teneatur. Bonum ergo illi erat tenere perpetuam sanitatem, in qua conditus erat. Contemsit, abusus est, intemperantiâ suâ decidit in malam valetudinem hujus mortalitatis: audiat vel modò præcipientem medicum, ut possit inde surgere, quò per peccatum ipse decubuit.

* Caput II.

Ex liberâ hominis voluntate semen mortis.

* Caput III. Matth. 9. 12. Medicus propriè quis.

3. Sed planè, Fratres, quemadmodum in ipsa medicina sanus faciendo quæ imperat sapientia salutis, manet in eo quod habet; si autem cœperit ægrotare, incipit audire præceptum, & incipit facere, si verè curat recipere bonam & integram valetudinem; cùm autem cœperit id facere, non continuò jam sanus est; sed diu observando pervenit ad illam sanitatem, quam minùs temperando perdiderat: hoc illi autem prodest quòd jam incipit observare, ne augeat ægritudinem, & ut non solùm deterior non fiat, sed etiam incipiat meliùs habere, qui paulatim fit sanus: spes est enim perfectæ sanitatis, quando incipit homo minùs minùsque ægrotare. Sic etiam justè vivere in hac vita, quid est aliud, nisi audire præcepta legis, & facere? Numquid ergo quicumque faciunt præcepta legis, jam sani sunt? Nondum: sed ut sani fiant, faciunt. Non deficiant faciendo: quia paulatim recipitur quod semel amissum est. Si enim citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.

Ægrotus præcepta medici observando nonnisi paulatim fit sanus.

4. Cecidit quisque, verbi gratiâ, in morbum corporis per intemperantiam, natum est illi aliquid in corpore, quod opus est etiam secari: sine dubio dolores passurus est: sed dolores illi non erunt infructuosi. Si dolores sectionis pati non vult, vermes putredinis patietur. Incipit ergo dicere medicus, Observa illud atque illud, hoc noli tangere; noli isto cibo uti vel potu, inquietus esse ad illam rem noli. Incipit facere, jam observans est præceptorum; sed nondum sanus.

Caput IV. Cum præceptis medici ferendus etiam dolor sectionis.

[a] Cum hoc titulo ediderunt post Vlimmerium Lovanienses: quibus veterrimum Germanense exemplar, immo & Possidius in Indiculo c. 8. suffragatur Florus tamen in 1. Cor. 3. & 1. Thess. 4. & 1. Tim. 1. Sermonem *de conversione apostoli Pauli appellat.* Baronius in Martyrolog. 25. Jan. putat in sollemnitate conversionis S Pauli habitum ab Augustino. Hujus verò sollemnitatis in antiquo Carthaginensis Ecclesiæ Kalendario recèns vulgato, nulla mentio. Et certè infrà cap. 14 his verbis, *Si non illas* amaritudines odiorum *dimiserunt, vel per istos dies videant* &c. designari videtur Paschale tempus; quo, ut notum est, tempore legebatur olim & exponebatur liber Actuum Apostolorum.

Classis III.

Quò ergo valet quod observat? Ne pestis quæ illi accidit augeatur, atque ut etiam minuatur. Quid ergo sequitur? Accedat oportet ad observationem præceptorum etiam medici secantis manus, & dolores salubres infligentis. Si ergo ille positus in ulcere putrido dicat, Quid mihi prodest, quia observo præcepta, si dolores patior sectionis? Respondetur, Sed utroque curaberis, & observantiâ præceptorum, & tolerantiâ dolorum. Tantum est enim quod fecisti tibi, non observando cùm sanus esses. Adquiesce itaque medico, donec saneris: meritum est enim ulceris tui, quidquid pateris molestiarum.

Caput V. Christus medicus quomodo nos paulatim sanat. Matth. 9. 12. & 13.

5. Sic venit ad afflictum & laborantem medicus Christus, qui ait, *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores.* Vocat peccatores ad pacem, vocat ægrotantes ad sanitatem. Imperat fidem, imperat continentiam, temperantiam, sobrietatem; refrenat concupiscentiam avaritiæ: dicit quid faciamus, quid observemus. Qui observat hæc, jam potest dici justè vivere secundùm præceptum medicinæ: sed nondum recepit illam sanitatem & illam integram valetudinem, quam Deus promittit per Apostolum, dicens, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus?* Tunc plena sanitas erit, & cum Angelis sanctis æqualitas. Sed modò antequam fiat, Fratres mei, cùm cœperimus observare præcepta, quæ medicus præcipit, quando patimur etiam aliquas tentationes & tribulationes, non putemus nos sine caussa observare, quia major dolor videtur sequi præcepta illa quæ observas. Quòd enim pateris tribulationes, manus est secantis medici, non sententia judicis punientis. Fit hoc, ut perfecta sit sanitas: patiamur, feramus dolores. Dulce peccatum est: per amaritudines ergo tribulationis perniciosa dulcedo digeratur. Delectabat te, quando fecisti malum: sed incidisti in infirmitatem faciendo. A contrario medicina est, facit tibi ad tempus dolorem, ut recipias perpetuam sanitatem. Utere illâ, & noli repellere.

1. Cor. 15. 53. &c.

Caput VI. Antidotū contra omnia peccata. Matth. 6. 12.

6. Sanè ante omnia illud antidotum non recedat, quod contra omnes putredines, contra omnium peccatorum venena plurimùm valet, ut dicas, & verum dicas Domino Deo tuo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc enim pactum cum ægrotis medicus conscripsit atque firmavit. Quoniam duo sunt genera peccatorum, unum quo in Deum, alterum quo in hominem peccatur. Unde etiam duo sunt præcepta illa, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Et in his continetur etiam decalogus præceptorum Legis, ubi tria præcepta pertinent ad dilectionem Dei, septem ad proximi: de quibus satis aliquando tractavimus.

Duobus peccatorū generibus duo opponūtur præcepta. Matth. 22. 37.

Caput VII. Peccat in Deum, qui in se corrumpit tēplum ejus. Florus ad 1. Cor. 3.

7. Quomodo ergo duo sunt præcepta, sic & duo genera peccatorum. Aut enim in Deum peccatur, aut in hominem. Peccatur autem in Deum, etiam corrumpendo templum ejus in te: etenim Deus redemit te sanguine Filii sui. Quamquam & antequam redimereris, cujus servus eras, nisi ejus qui condidit omnia? Peculiariter quodam modo te habere voluit redemtum sanguine Filii sui. *Et non estis vestri*, inquit Apostolus: *emti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Ergo ille à quo redemtus es, fecit te domum suam. Numquid tu vis everti domum tuam? Sic nec Deus suam, hoc est, te ipsum. Si tibi non parcis propter te ipsum, parce tibi propter Deum, qui te fecit templum suum. *Templum* enim *Dei sanctum est*, inquit, *quod estis vos.* Et *qui templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Quæ peccata homines quando faciunt, putant se non peccare, quia nulli homini nocent.

Serm. de Sanctis. 1. Cor. 6. 19. & 20.

1. Cor. 3. 17.

Caput VIII. Corruptores sui, non innocentes.

8. Hoc itaque volo intimare Sanctitati Vestræ, quantum breve tempus admittit, quid mali faciant, qui se ipsos corrumpunt voracitate, ebrietate, fornicatione; & reprehendentibus respondent, Feci de ratione mea, de possessione mea: cui quid rapui? cui quid abstuli? contra quem feci? Bene mihi fit volo, ex eo quod Deus mihi dedit. Videtur iste innocens, quòd quasi nulli noceat. Sed quomodo est innocens, qui non parcit sibi? Ille enim innocens est, qui nulli nocet: quia dilectionis proximi regula ab ipso est. Hoc enim dixit Deus, *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Quomodo ergo in te salva est dilectio proximi, quando dilectio tui per intemperantiam vulneratur? Deinde dicit tibi Deus, Cùm per ebrietatem corrumpere te vis, non cujuslibet domum evertis, sed domum meam. Ubi habitabo? In istis ruinis? in istis sordibus? Si hospitem reciperes aliquem servum meum, reficeres & mundares domum, quò intraret servus meus: non mundas cor, ubi habitare ego volo?

Innocens quis.

Caput IX. Modus in rerum cōcessarum usu difficilè tenetur.

9. Unam ergo rem commemoravi, Fratres, ut videatis quomodo peccent, qui se ipsos corrumpunt, cùm sibi innocentes videntur. Sed quoniam in ipsa fragilitate & mortalitate vitæ hujus difficile est ut homo non excedat modum aliquantùm in his rebus, quibus ad necessitatem utitur, adhibendum est illud remedium, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* si dicatur, & verè dicatur. Adulterium facere prohiberis, ne noceas proximo. Quomodo enim non vis accedi ad tuam, sic non debes accedere ad alienam uxorem. Si autem tuâ intemperantiùs usus fueris, numquid videris nocere alicui, quia uteris tuâ? Sed eo ipso concesso immoderatiùs utendo, corrumpis in te templum Dei. Nemo te accusat extraneus: sed quod responsum dabit conscientia tua Deo dicenti per Apostolum, *Vt sciat unusquisque vestrûm suum vas possidere in sanctificatione & honore; non in morbo desideriorum, sicuti gentes, quæ ignorant Deum?* Quis est autem habens uxorem, qui eo modo utatur uxore, ut non excedat legem liberos procreandi? Ad hoc enim data est: convincunt te tabulæ quæ scribuntur in matrimonio. Pactus es quemadmodum duceres: sonat tibi scriptura pactionis, *liberorum procreandorum caussâ.* Non ergo accedas, si potes, nisi liberorum procreandorum caussâ. Si modum excesseris, contra illas tabulas facies & contra pactum. Nonne manifestum est? Eris mendax, & pacti violator: & quærit in te Deus integritatem templi sui, & non invenit; non quia tuâ usus es, sed quia immoderatè usus es. Nam & vinum de apo-

Florus ad 1. Thess. 4.

Usus uxoris immoderatus, nisi liberorum procreandorū caussâ fiat. 1. Thess. 4. 4.

Classis III.

theca tua bibis, & tamen si sic bibis, ut inebrieris, non quia re tua usus es, ideo non peccasti: donum enim Dei convertisti ad corruptionem tuam.

Caput X. Deus ipse offenditur usu rerum concessarū immoderato.

10. Quid ergo, Fratres? Certè manifestum est, & renuntiat omnium conscientia, quia difficile est sic uti rebus concessis, ut non aliquantulùm excedatur modus. Quando autem excesseris modum, offendis Deum, cujus templum es. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* (1. Cor. 3. 18. &c.) Nemo se fallat: *Quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Dicta sententia est, teneris reus. B Quid dicturus es in orationibus tuis, quando rogabis Deum, quem offendis in templo suo, quem pellis de templo suo? Quomodo mundabis rursus in te domum Dei? Quomodo eum reduces ad te? quomodo, nisi dicendo ex vero corde tuo, & verbis & factis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?*

Remedium contra peccata ejusmodi immoderationis.

Quis enim te accusabit immoderatè utentem tuo cibo, tuo potu, tua conjuge? Nemo accusabit hominum: C sed tamen quia Deus arguit, exigens de te integritatem templi sui & incorruptionem habitationis suæ, dedit tibi remedium, tamquam dicens, Si excedendo modum offendis me, & ego tenebo te reum, ubi te nullus hominum accusat; dimitte homini quod in te peccavit, ut dimittam tibi quod peccas in me.

Caput XI. Contemto illo remedio non remanet spes ulla salutis.

11. Tenete istud fortiter, Fratres. Qui enim & ad hujusmodi antidotum renuntiaverit, nulla illi spes salutis omnino remanebit. D Qui mihi dixerit, Non [a] remitto peccata, quæ in me fortè homines peccant: non est unde illi promittam salutem. Non enim possum ego promittere, quod non promittit Deus. Ero enim non dispensator verbi Dei, sed dispensator serpentis. Serpens enim promisit bonum peccanti, Deus autem mortem minatus est. Quid enim illi evenit, nisi quod minatus est Deus? Et longè ab eo factum est, quod ille pollicitus est. Vultis ergo, Fratres, ut dicam vobis, E Etsi peccaveritis, etsi non dimiseritis peccata hominibus, prorsus salvi eritis, cùm venerit Christus Jesus, omnibus indulgentiam dabit? Non dico, quia non [b] audio: non dico quod mihi non dicitur. Promittit quidem Deus indulgentiam peccatori, sed præterita omnia dimittens conversis, credentibus, baptizatis. Hoc lego, hoc audeo promittere, hoc promitto, & quod promitto promittitur mihi. Et cùm legitur, omnes audimus: condiscipuli enim sumus, F unus magister est in ista schola.

Caput XII. Peccata gravia, quæ pænitentiæ laborem exigunt vehementiorem.

12. Omnia ergo præterita conversis dimittuntur: ceterùm hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis & contritionis spiritûs & tribulationis pænitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ. Si enim tu te cœperis judicare, si tibi cœperis displicere; Deus veniet, ut misereatur. Si tu te punire volueris, parcet ille. Qui autem agit bene pænitentiam, suus ipse punitor est. G Sit oportet ipse severus in se, ut in eum sit misericors Deus: quomodo dicit David, *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* (Psal. 50. 11.) Sed quo merito? Ait in ipso Psalmo, *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper.* (Ibidem 5.) Si ergo tu agnoscis, ille ignoscit.

Serm. de Sanctis.

Levia peccata multitudine opprimunt, nisi à Deo dimittantur.

Sunt autem peccata levia & minuta, [c] quæ devitari omnino non possunt, quæ quidem videntur minora, sed multitudine premunt. Nam & acervus frumenti minutissimis granis colligitur, & tamen onerantur inde naves: & si ampliùs onerentur, demerguntur. Unum fulmen dejicit aliquem, & occidit: sed & si pluvia sit nimia, minutissimis guttis tamen multos interficit. Illud uno ictu perimit, illa ex multitudine exstinguit. Magnæ bestiæ uno morsu occidunt hominem: minutæ autem cùm fuerint multæ congregatæ, plerumque interimunt, & talem perniciem inferunt, ut pœnis hujusmodi gens superba Pharaonis judicari meruerit. Si ergo, quamvis minuta sint ista peccata, tamen quia tam multa sunt, ut congregata acervum faciant, quo te premant; bonus est Deus, qui etiam ipsa dimittit, sine quibus non potest ista vita duci. Quomodo autem dimittit, si tu non dimittas, quæ in te committuntur?

Caput XIII. Sentinare debita debitoribus nostris dimittendo.

13. Sententia ista sic est in corde hominis, quomodo cadus, unde sentinatur navis in pelago. Non potest enim nisi aquam admittere per rimas compaginis suæ. Paulatim tamen adhibendo tenuem liquorem, facit multam collectionem, ita ut si non exhauriatur, navem opprimat. Sic & in ista vita habemus quasdam mortalitatis fragilitatisque nostræ rimulas, per quas intrat peccatum de fluctibus hujus sæculi. Arripiamus, tamquam sitellam, istam [d] sententiam, ut sentinemus, ne demergamur. Dimittamus debita debitoribus nostris, ut dimittat nobis Deus debita nostra. Per hanc sententiam (si fiat, ut verè dicatur,) exhauris quidquid influxerat. Sed cautus esto: adhuc enim in mari es. Nam cùm hoc semel feceris, non sufficit, nisi perveneris trajecto isto mari ad illam patriæ soliditatem & firmitatem, ubi nullis fluctibus quatiaris, nec dimittas quod in te non admittitur, nec tibi dimitti velis quod non admittis.

Caput XIV. Odium citò deponendum, ne corrumpat cor.

14. Satis me hoc commendasse arbitror Caritati Vestræ, & commendo propter fluctus istos, in quibus periclitamur, remedium salutare teneamus. Et videte etiam quantum peccet, qui nocere studet innocenti; cùm ille jam non sit ferendus, qui non dimittit quod ei quisque nocuerit. Attendant ergo fratres nostri, & videant adversùs quos habebant aliquas amaritudines odiorum. Si non illas dimiserunt, vel per istos dies videant quid faciant ista de cordibus eorum. Aut certè si se tutos putant, mittant acetum in vasa, in quibus bonum vinum servare consueverunt. Non mittunt, & cauti sunt, ne testa vitietur: & odium mittunt in cor suum, non timentes ne quid ibi corruptionis operetur? Servate ergo, Fratres, ut nulli noceatis, quantum potestis: & si qua vobis immoderatio de usu isto concessarum rerum, vitæ humanæ infirmitate subrepserit, quoniam pertinet ad corruptionem templi Dei; tenete atque versate, ut ea quæ in vos committuntur, citò dimittatis hominibus, ut Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.

[a] Vlimmerius & MSS. *non relinquo.*
[b] Sic Germanensis codex. At editi, *audeo.*
[c] In Germanensi & in Colbertino libro MS. *& minuta de vita humana, quæ non possunt nisi committi: videntur minora, sed &c.*
[d] Editi, *istam sentinam.* Meliùs MSS. *sententiam.*

Classis III. * Aliàs 24. ex Sirmondianis.

* SERMO CCLXXIX.

De [a] Paulo apostolo.

Pro sollemnitate conversionis ejusdem, II.

In Pauli mutatione impletur prophetia Jacob de Benjamin.

1. VERBA Apostoli audivimus, immo per Apostolum verba Christi loquentis in illo, quem de persecutore prædicatorem fecit, percutiens & sanans, occidens & vivificans; occisus agnus à lupis, & faciens agnos de lupis. Prædictum erat in præclara prophetia, cùm Jacob sanctus patriarcha benediceret filios suos, præsentes tangens, futura prospiciens, prædictum erat quod in Paulo contigit. Erat enim Paulus, sicut ipse testatur, de tribu Benjamin. (Philip. 3. 5.) Cùm autem Jacob benedicens filios suos venisset ad Benjamin benedicendum, ait de illo, *Benjamin lupus rapax*. (Gen. 49. 27.) Quid ergo? Si lupus rapax, semper rapax? Absit. Sed quid? *Manè rapiet, ad vesperum dividet escas*. Hoc in apostolo Paulo completum est, quia & de illo prædictum erat. Jam, si placet, inspiciamus illum manè rapientem, ad vesperum escas dividentem. *Manè* & *vesperum* posita sunt pro eo ac si diceretur, priùs & postea. Sic ergo accipiamus, Priùs rapiet, postea dividet escas. Adtendite raptorem: *Saulus*, inquit, sicut Actus Apostolorum testantur, *acceptis litteris à principibus sacerdotum, ut ubicumque inveniret viæ Dei sectatores, adtraheret & adduceret*, utique puniendos, *ibat spirans & anhelans cædes*. (Act. 9. 1. &c.) Hic est ille manè rapiens. Nam & quando lapidatus est Stephanus primus martyr pro nomine Christi, evidentiùs aderat & Saulus. Et sic aderat lapidantibus, ut non ei sufficeret si tantùm suis manibus lapidaret. Ut enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis sæviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando. Audivimus, *Manè rapiet*: videamus, *ad vesperum dividet escas*. Voce Christi de cælo prostratus est, & accipiens interdictum sæviendi, cecidit in faciem suam; priùs prosternendus, deinde erigendus; priùs percutiendus, postea sanandus. Non enim in illo Christus postea viveret, nisi occideretur in eo quod malè antè vixisset. Quid ergo prostratus audivit? *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi adversùs stimulum calcitrare*. Et ille, *Quis es Domine?* Et vox de super, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*. Membris adhuc in terra positis caput in cælo clamabat, & non dicebat, Quid persequeris servos meos, sed *Quid me persequeris?* Et ille, *Quid me vis facere?* Jam parat se ad obediendum, qui priùs sæviebat ad persequendum. Jam informatur ex persecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles. Audivit quid facere debeat. Cæcus sanè factus est: ut interiore luce fulgeret cor ejus, exterior ad tempus erepta est; subtracta est persecutori, ut redderetur prædicatori. Et eo tamen tempore, quo cetera non videbat, Jesum videbat. Ita & in ipsa ejus cæcitate mysterium informabatur credentium; quoniam qui credit in Christum, ipsum intueri debet, cetera nec nata computare; ut creatura vilescat, & Creator in corde dulcescat.

A 2. Videamus ergo. Adductus est ad Ananiam, & Ananias interpretatur ovis. Ecce lupus rapax adducitur ad ovem sequendam, non rapiendam. Sed ne repentinum ovis expavesceret lupum, ipse pastor de cælo, qui hæc omnia faciebat, nuntiavit ovi lupum venturum, sed non sæviturum. Et tamen tam immanis fama lupum illum præcesserat, ut non posset ovis audito ejus nomine non conturbari. Nam cùm Dominus Jesus eidem Ananiæ nuntiaret Paulum jam venisse ut crede-

SERM. DE SANCTIS. Paulus ad Ananiam, lupus ad ovem captivus adducitur.

B ret, & ad eum Ananiam ire debere, ait Ananias, *Domine audivi de isto homine, quia multa mala operatus est in sanctos tuos: & nunc litteras accepit à principibus sacerdotum, ut ubicumque invenerit tui nominis sectatores, pertrahat*. (Act. 9. 13. &c.) Dominus autem ad illum, *Sine, & ego ei ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo*. Mira & magna res geritur. Lupo sævitia interdicitur, lupus ad ovem captivus adducitur. Tanta autem præcesserat fama lupi raptoris, ut ejus nomine audi-

C to, timeret ovis etiam sub manu pastoris. Confortatur, ne jam putet sævientem, ne timeat tumentem. Ab agno pro ovibus mortuo fit ovis secura de lupo.

Christus mitis & humilis, quomodo nec fileat, nec mitescat.

3. Deinde ille, cui præcedente Dominico cantavimus, *Domine, quis similis tibi? Ne sileas, neque mitescas Deus*: qui tamen dicit, *Venite ad me, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde*: videamus quemadmodum utrumque exhibet, & in se ostendit sua eloquia consonare. Mi- (Psal. 82. 2. Matth. 11. 28. & 29.)

D tis est & humilis corde, quia *sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum*. (Isai. 53. 7.) Ligno suspensus pertulit odiorum flammas injustas, sustinuit ministras pessimi cordis linguas: quibus linguis illi percusserunt immaculatum, crucifixerunt justum. De quorum linguis dictum erat, *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta*. (Psal. 56. 5.) Et quid fecit lingua? gladius acutus quid fecit? Occidit. Quid occidit? Occidit vitam mors, ut à

E vita occideretur mors. Quid ergo, quid fecit lingua eorum gladius acutus? Audi quid fecit: vide quid sequitur. *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua*. (Ibidem 6.) Ecce quid fecit gladius acutus. Exaltatum super cælos novimus Dominum, non videndo, sed credendo: super omnem terram gloriam ejus, legendo, credendo, videndo. Vide ergo mitem & humilem corde, ut ad istam gloriam trophæum mortificatæ carnis adduceret. Vide illum mitem. Pendens dicebat,

F *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. (Luca 23. 34.) Et, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Discamus à te, quia mitis es & humilis corde. Ubi magis apparere vel potuit, vel debuit dignius, quàm in ipsa cruce? Cùm in ligno membra penderent, cùm clavis confixæ manus & pedes essent, cùm adhuc illi sævirent linguis, cùm se sanguine fuso non satiarent, cùm ægrotantes medicum non agnoscerent: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Tamquam diceret, Ego

G veni ægros curare: quòd me non agnoscunt, febris immanitas facit. Mitis ergo & humilis corde dicit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*.

Erga Paulum exhibet utrum-

4. Quid ergo, *Ne sileas, neque mitescas Deus?* Impleat & hoc. Ecce non siluit: clama-

[a] In codice Regio & Victorino titulus est, *In conversione S. Pauli*. Sed tamen Sirmondo, cujus primùm curâ ex istis codicibus vulgatus est hic Sermo, Bedam sive Florum sequi placuit, qui constanter citat, *Ex Sermone de Paulo apostolo*, ad Rom. 11. & 8. & 10. & ad Philip. 2. Ceterùm ex hoc uno Sermone membratim dissecto conflati fuerant duo, scilicet qui in antè editis est Sermo 14. de Sanctis, & 36. de Diversis.

Classis III. vit de cælo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* A Fecit, *Non sileas*: exhibeat, *Et non mitescas.* Primò quia non pepercit errori ejus, quia non pepercit sævitiæ, quia anhelantem cædes voce prostravit, sævienti lumen eripuit, captivum ad Ananiam, quem persequens quærebat, adduxit. Ecce non mitis, ecce sæviens, non in hominem, sed in errorem. Parum est hoc: adhuc non sileat, neque mitescat. Ananiæ timenti & trementi audi-to illius lupi famosi nomine, *Ego*, inquit, *ostendam illi. Ego illi ostendam.* Vide minantem, vide adhuc B sævientem: *Ego illi ostendam. Ne sileas, neque mitescas Deus.* Ostende persecutori, non solùm bonitatem, verùm etiam severitatem tuam. Ostende, patiatur quod fecit, discat & pati quod faciebat, sentiat & ipse quod aliis inferebat. *Ego*, inquit, *illi ostendam quæ illum oporteat pati.* Sed tamquam sæviens dicit, & implet quod dictum est, *Ne sileas, neque mitescas Deus.* Non inde recedat, *Discite à me quoniam mitis sum, & humilis corde. Ego illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo.* Ostendisti terrorem; subveni, ne patiatur & pereat C quem fecisti, quem invenisti. Minax est, non silet, non mitescit, minatur. *Ego illi ostendam, quæ illum oporteat pati pro nomine meo.* Ubi terror, ibi salus. Qui faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O sævitia misericors! Vides illum præparare ferrum: secturus est, non peremturus; curaturus, non occisurus. Christus dicebat, *Ego illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo.* Sed quo fine? Ipsum qui patiebatur audi. D *Non sunt condignæ passiones hujus temporis.* Ipse dicit qui patiebatur, & sciebat pro quo nomine patiebatur, & quo fructu patiebatur. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Sæviat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis, quidquid potest faciat: quid faciet ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior, contra id quod spero. Hoc sentio, illud credo. Et tamen plus valet quod cre- E do, quàm quod sentio. Quidquid est quod [a] sævit pro nomine Christi, si potest [b] vivi, tolerabile est: si non potest vivi, migrare hinc facit. Non exstinguit, sed accelerat. Quid accelerat? Ipsum præmium, ipsam dulcedinem; quæ cùm venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine.

Non sileas, & non mitescit. *Act. 9. 16.* *Rom. 8. 18. Florus ibidem.* Tribulationes temporales futuræ gloriæ spe parvi pendendæ.

5. Iste ergo, Fratres, iste vas electionis, primò Saulus à Saüle. Recordamini enim qui nostis litteras Dei, quis erat Saül. Rex pessimus, persecutor sancti servi Dei David: & ipse, si me- F ministis, de tribu Benjamin. Inde iste Saulus, ducto secum tramite sæviendi, sed in sævitia non permansurus. Postea, si Saulus à Saüle, Paulus unde? Saulus à rege sævo, cùm superbus, cùm sæviens, cùm cædes anhelans: Paulus autem unde? Paulus, quia modicus. Paulus humilitatis nomen est. Paulus, postea quàm adductus est ad Magistrum, qui ait, *Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde.* Inde Paulus. Usum Latinæ locutionis advertite: quia paulum, modi- G cum dicitur. Paulò pòst videbo te: Paulùm hîc exspecta: id est, Post modicum videbo te, modicum hîc exspecta. Audi ergo Paulum: *Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum.* Prorsus *ego sum minimus Apostolorum.* Et alio loco, *Ego sum novissimus Apostolorum.*

Saulus unde appellatus. *Florus ad Rom. 1.* Paulus, modicus & humilis. *1. Cor. 15. 9.* *1. Cor. 4. 9.*

6. Et minimus, & novissimus, tamquam fimbria de vestimento Domini. Quid tam exiguum, quid tam novissimum, quàm fimbria? Hac tamen tactâ, mulier à fluxu sanguinis sanata est. In modico isto magnus erat, in minimo grandis habitabat; & tantò minùs à se magnum excludebat, quantò magis minor erat. Quid miramur magnum habitare in angusto? Magis in minimis habitat. Audi illum dicentem, *Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem & quietum & trementem verba mea.* Ideo altus habitat in humili, ut humilem exaltet. *Excelsus enim est Dominus, & humilia respicit; excelsa autem à longè cognoscit.* Humilia te, & propinquabit tibi: extolle te, & recedet à te.

SERM. DE SANCTIS. Humiles Deus exaltat. *Matth. 9. 20.* *Isai. 66. 2.* *Psal. 137. 6.*

7. Minimus ergo iste quid dicit? Quod audivimus hodie: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Multi credunt corde, & erubescunt confiteri ore. Sciatis, Fratres, propè jam neminem esse Paganorum, qui non apud se ipsum miretur, & sentiat impleri prophetias de Christo exaltato super cælos; quia vident super omnem terram gloriam ejus. Sed cùm se invicem timent, sibimet invicem erubescunt, faciunt à se longè salutem: quia *ore confessio fit ad salutem.* Quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre quod corde conceptum est? Intus fidem Deus videt: sed parum est. Ne confitearis humilem, times superbos; & ei præponis superbos, qui pro te displicuit superbis. Humilem times confiteri Filium Dei. Magnum Verbum Dei, virtutem Dei, sapientiam Dei non erubescis confiteri: natum, crucifixum, mortuum erubescis confiteri. Altus, excelsus & æqualis Patri, per quem facta sunt omnia, per quem factus es & tu, factus est quod tu; factus est propter te homo, propter te natus, propter te mortuus. Ægrote quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis? Elige tempus. Nunc est tempus: postea contemtus ille veniet admirandus, judicatus ille veniet judicaturus, occisus ille veniet excitaturus, exhonoratus ille veniet honoraturus. Modò, & postea: modò in fide res est, postea in manifestatione erit. Elige hoc tempore quam partem teneas in futuro. De Christi nomine erubescis? Ex eo quod erubescis modò hominibus, habes erubescere, cùm venerit in gloria sua redditurus quod promisit bonis, quod minatus est malis. Ubi eris tu? Quid facies? si te adtendat ille excelsus, & dicat tibi, Erubuisti de humilitate mea, non eris in claritate mea. Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris impudentia; si impudentia dicenda est: sed tamen, Fratres, extorsi mihi ut hoc dicerem, nec prorsus timerem.

De Christo crucifixo non erubescendum. *Rom. 10. 10. Florus ibidem.*

8. Nolo enim erubescamus de Christi nomine. Insultetur nobis quòd credimus in crucifixum, in occisum. Planè in occisum; sed de quo nisi sanguis manaret, chirographum peccatorum nostrorum adhuc maneret. Prorsus in occisum credidi: sed hoc in illo occisum est quod sumsit de me, non unde fecit me. Prorsus in occisum credo, sed in quem occisum? Qui venit aliquis, & accepit aliquid. Quis venit? *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ecce quis venit: quid accepit? *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in*

De Christi morte cur non erubescendũ. *Philip. 2. 6. & 7. Florus ibidem.*

[a] Sirmondus & quidam MSS. *sentit.*

[b] Quidam codices hoc & proximo loco pro *vivi*, habent *vinci.*

CLASSIS III.

similitudinem hominum factus. Ille factor factus, ille creator creatus. Sed in quo factus & creatus? In forma servi, accipiendo formam servi, non amittendo formam Dei. In hac ergo forma servi, in eo quod à nobis pro nobis accepit, & natus est, & passus est, & resurrexit, & adscendit in cælum. Quatuor res dixi. Natus est, mortuus est, resurrexit, & adscendit in cælum. Duo prima, duo novissima: duo prima, natus est, mortuus est; duo novissima, resurrexit, adscendit in cælum. In duobus primis conditionem tuam tibi ostendit: in duobus novissimis mercedis exemplum præbuit. Nasci & mori noveras: plena est his duobus regio mortalium. Quid hîc abundat in omni carne, nisi nasci & mori? Hoc homo cum pecore habet: hanc ergo vitam cum pecoribus communem ducimus. Nati sumus, morituri sumus. Istud nondum noveras, resurgere, & in cælum adscendere. Duo noveras, duo non noveras: suscepit quod noveras, ostendit quod non noveras: patere quod suscepit, spera quod ostendit.

Christus suscepit duo mala nostra, ut daret duo bona sua.

9. Quid enim, si nolis mori, non es moriturus? Quid times, quod vitare non potes? Times, quod etsi nolis, erit; & non times, quod etsi nolis, non erit. Quid est quod dixi? Omnibus hominibus natis constituit Deus mortem, per quam de isto sæculo emigrent. Exceptus eris à morte, si exceptus fueris à genere humano. Quid facis? Numquid tibi modò dicitur, Elige utrùm velis esse homo. Jam homo es, venisti. Quomodo hinc exeas, cogita: natus es, moriturus es. Fuge, cave, repelle, redime: mortem potes differre, non auferre. Veniet, etsi nolis: veniet quando nescis. Quid ergo times, quod etsi nolueris, erit? Time potiùs, quod si nolueris, non erit. Quid est hoc? Impiis, infidelibus, blasphemis, perjuris, iniquis, & omnibus malis gehennæ ignes ardentis & æternas flammas minatus est Deus. Primò compara hæc duo, mortem ad momentum, & pœnas in æternum. Times mortem ad momentum, veniet, etsi nolis: time pœnas in æternum, quæ non venient, si nolueris. Multò majus est quod timere debes, & in potestate habes ne veniat tibi; & majus est, & longè majus, incomparabiliter majus quod timere debes, & in potestate habes ne veniat tibi. Etenim si bene vixeris, si malè vixeris, moriturus es: non effugies, ut non moriaris, seu vivendo bene, seu vivendo malè. At verò si elegeris hîc bene vivere, in æternas pœnas non mitteris. Quia verò eligere non potes hîc, ne moriaris: elige cùm vivis, ne in æternum moriaris. Hæc est fides, hoc Christus ostendit moriendo & resurgendo. Moriendo ostendit, quod velis nolis passurus es: resurgendo ostendit, quod si bene vixeris, accepturus es. Hîc *corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem.* Sed times confiteri, ne insultent tibi homines, non qui non crediderunt; nam & ipsi intus credunt: sed ne insultent tibi qui confiteri erubescunt. Audi quod sequitur. G Dicit enim Scriptura, *Omnis qui crediderit in eum, non confundetur.* Hæc meditare, in his esto: hæc

Mors non timenda temporalis, sed æterna.

Rom. 10. 10. &c.

B C D E F (margin letters)

A est esca non ventris, sed mentis. Ille qui manè rapiebat, ipsas escas ad vesperum dividebat. Conversi ad Dominum, &c.

SERM. DE SANCTIS.

* SERMO CCLXXX.

In [a] Natali Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, I.

* Aliàs de Diversis. 103.

CAPUT I. Perpetua & Felicitas perpetuæ felicitatis præmium insigni martyrio adeptæ.

1. HODIERNUS dies anniversaria replicatione nobis in memoriam revocat, & quodam modo repræsentat diem, B quo sanctæ famulæ Dei Perpetua & Felicitas coronis martyrii decoratæ, perpetua felicitate floruerunt, tenentes nomen Christi in prœlio, & simul invenientes etiam suum nomen in præmio. Exhortationes earum in divinis revelationibus, triumphosque passionum, cùm legerentur, audivimus; eaque omnia verborum digesta & illustrata luminibus, aure percepimus, mente spectavimus, religione honoravimus, caritate laudavimus. Debetur tamen etiam à nobis tam devotæ C celebritati Sermo sollemnis, quem si meritis earum imparem profero, impigrum tamen affectum gaudio tantæ festivitatis exhibeo. Quid enim gloriosius his feminis, quas viri mirantur faciliùs, quàm imitantur? Sed hoc illius potissimùm laus est, in quem credentes, & in cujus nomine fideli studio concurrentes, secundùm interiorem hominem, nec masculus, nec femina inveniuntur, ut etiam in his quæ sunt feminæ corpore, virtus mentis sexum carnis abscondat, & in D membris pigeat cogitare, quód in factis non potuit apparere. Calcatus est ergo draco pede casto & victore vestigio, cùm erectæ demonstrarentur scalæ, per quas beata Perpetua iret ad Deum. Ita caput serpentis antiqui, quod fuit præcipitium feminæ cadenti, gradus factum est adscendenti.

CAPUT II.

2. Quid hoc spectaculo suavius? quid hoc certamine fortius? quid hac victoriâ gloriosius? Tunc cùm bestiis sancta objicerentur corpora, toto amphitheatro fremebant gentes, & populi meE ditabantur inania. Sed qui habitat in cælis, irridebat eos, & Dominus subsannabat eos. Nunc autem posteri illorum, quorum voces in carnem Martyrum impiè sæviebant, merita Martyrum piis vocibus laudant. Neque tunc tanto concursu hominum ad eos occidendos cavea crudelitatis impleta est, quanto nunc ad eos honorandos Ecclesia pietatis impletur. Omni anno spectat cum religione caritas, quod uno die cum sacrilegio commisit impietas. Spectaverunt & illi, sed F longè voluntate dissimili. Illi clamando faciebant, quod mordendo bestiæ non implebant. Nos autem & quod fecerunt impii, miseramur, & quod pii passi sunt, veneramur. Illi viderunt oculis carnis, quod cordis immanitati refunderent: nos adspicimus oculis cordis, quod illis ereptum est, ne viderent. Illi mortua lætati sunt corpora Martyrum, nos mentes mortuas dolemus illorum. Illi sine lumine fidei Martyres putaverunt exstinctos, nos fidelissimo intuitu cernimus coronatos. Denique illorum insultatio facta est nostra exsultatio. Et hæc quidem religiosa & sempiterna: illa verò tunc impia, nunc planè jam nulla.

Psal. 2. 1. &c.

[a] Possidius in Indiculo cap. 10. recenset *de Natali Perpetuæ & Felicitatis Tractatus tres.* Quartum nomine Augustini prænotatum, è Vaticano Ms. eruit Holstenius, dubios inter Sermones collocandum. De his Martyribus Tertullianus in libro de anima c. 55 & Martyrologia Nonis Martii. Locum & tempus quo passæ sunt, inquirit Henricus Valesius, præfatione ad earum Acta Parisiis impressa. Eas porrò Carthagine, ubi corpora ipsarum sepulta Victor in l. 1 de pers. Vand. scripsit, contendit martyrium consummasse: & quidem non apud Tuburbum Mauritaniæ, uti in multis martyrologiis ferebatur, passas fuisse probat; sed de Tuburbo majore, quæ erat Proconsularis provinciæ civitas, dicere prætermisit. Annum deinde earumdem passioni, non Severi tertium, sed undecimum, qui fuit Christi 203. meliùs adsignari demonstrat.

CLASSIS III. * CAPUT III. Martyrum cur maxima præmia. Vitæ hujus laboriosæ amor.

3. Præmia Martyrum, Carissimi, maxima A credimus, & rectissimè credimus. Sed si certamina diligenter intueamur, nequaquam illa tam magna esse mirabimur. Nam vitæ hujus quamvis laboriosæ ac temporalis, tamen tanta dulcedo est, ut cùm homines non possint efficere ne moriantur, tamen multis & magnis conatibus agant ne citò moriantur. Pro morte auferenda nihil fieri potest, & pro ea differenda fit quidquid potest. Certè omni animæ laborare molestum est: & tamen etiam ab his, à quibus B nihil seu boni, seu mali, post hanc vitam speratur, omnibus laboribus agitur, ne labor omnis morte finiatur. Quid illi, qui vel errore post mortem futuras falsas & carnales delicias suspicantur, vel recta fide quietem quamdam ineffabiliter tranquillissimam & beatissimam sperant, nonne etiam ipsi satagunt, & magnis curis agunt ne citò moriantur? Quid sibi enim aliud volunt pro victu necessario tot labores, tanta servitus, sive medicinæ, sive aliorum obsequiorum, quam vel exi- C gunt ægroti, vel exhibetur ægrotis, nisi ne ad terminum mortis citò veniatur? Quanti itaque comparanda est in futura vita nulla mortis illatio, cujus tam pretiosa est in hac vita sola dilatio? * Tanta quippe est etiam hujus ærumnosæ vitæ nescio quæ suavitas, tantusque in natura utcumque viventium horror mortis, ut nec illi mori velint, qui per mortem ad vitam transeunt, in qua mori non possint.

* CAPUT IV.

Martyres & mortem & dolores pro Christo contempserunt.

4. Hanc igitur vivendi tantam jocunditatem D metumque moriendi caritate sincera, spe certa, fide non ficta Martyres Christi præcipua virtute contemnunt. In his promittentem minantemque mundum post tergum relinquentes, in anteriora se extendunt. Hæc variè sibilantis calcantes caput serpentis adscendunt. Omnium quippe victor est cupiditatum, qui tamquam tyrannum subjugat amorem vitæ hujus, cujus satellites sunt omnes cupiditates. Nec est omnino quo in hac vita vinculo teneatur, quisquis vitæ ipsius amore E non tenetur. Timori autem mortis & corporales dolores solent utcumque conferri. Nam aliquando ille, aliquando iste vincit in homine. Mentitur tortus, ne moriatur; mentitur & moriturus, ne torqueatur. Verum dicit, non ferendo tormenta, ne pro se mentiendo torqueatur. Sed superet horum quilibet in mentibus quibuslibet. Martyres Christi pro nomine & justitia Christi utrumque vicerunt: nec mori, nec dolere timuerunt. Vicit in eis qui vixit in eis; ut qui F non sibi, sed illi vixerunt, nec mortui morerentur. Ipse eis exhibebat spiritales delicias, ne sentirent corporales molestias; quantum non defectioni, sed exercitationi sufficeret. Nam ubi erat illa femina, quando ad asperrimam vaccam se pugnare non sensit, & quando futurum esset quod jam fuerat, inquisivit? Ubi erat? Quid videns, ista non viderat? Quo fruens, ista non senserat? Quo amore alienata, quo spectaculo avocata, quo poculo inebriata? Et adhuc hærebat G nexibus carnis, adhuc moribunda membra gestabat, adhuc corruptibili corpore gravabatur. Quid cùm resolutæ his vinculis animæ Martyrum post labores periculosi certaminis, triumphis Angelicis exceptæ atque refectæ sunt, ubi non eis dicitur, Implete quod jussi; sed, Accipite quod promisi? Qua nunc jocunditate spiritaliter epulantur? Quàm securi in Domino, & quàm sublimi honore gloriantur, quis terreno docere possit exemplo?

SERM. DE SANCTIS.

CAPUT V. Felicitas Martyrum alia ante, alia post resurrectionem.

5. Et hæc quidem vita, quam nunc beati Martyres habent, quamvis jam nullis possit sæculi hujus felicitatibus vel suavitatibus comparari, parva particula promissionis agitur, immo solatium dilationis. Veniet autem retributionis dies, ubi corporibus redditis, totus homo recipiat quod meretur. Ubi & illius divitis membra quæ quondam temporali purpurâ decorabantur, æterno igne torreantur, & caro pauperis ulcerosi mutata inter Angelos fulgeat: quamvis etiam nunc ille guttam ex digito pauperis apud inferos sitiat, & ille in sinu justi deliciosè requiescat. Sicut enim plurimum distat inter lætitias miseriasve somniantium & vigilantium; ita multum interest inter tormenta vel gaudia mortuorum & resurgentium: non quòd spiritus defunctorum sicut dormientium necesse sit falli; sed quòd alia est animarum sine ullis corporibus requies, alia cum corporibus cælestibus claritas & felicitas Angelorum, quibus æquabitur resurgentium multitudo fidelium: in qua gloriosissimi Martyres præcipuâ sui honoris luce fulgebunt, ipsaque corpora in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur.

Luca 16. 19.

CAPUT VI. Sollemnitates Martyrum, quo animo celebrandæ.

6. Unde sollemnitates eorum, sicut facimus, devotissimè celebremus, sobria hilaritate, casta congregatione, fideli cogitatione, fidenti prædicatione. Non parva pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus. Illi magni, nos parvi: sed benedixit Dominus pusillos cum magnis. Præcesserunt, præminuerunt. Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu: si non gloriâ, certè lætitiâ: si non meritis, votis: si non passione, compassione: si non excellentiâ, connexione. Non nobis parum videatur quòd ejus corporis membra sumus, cujus & illi, quibus æquiparari non possumus. *Quia si unum membrum patitur, compatiuntur omnia membra; ita cùm glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Gloria capiti, unde consulitur & superioribus manibus, & infimis pedibus. Sicut ille unus animam suam pro nobis posuit: ita & imitati sunt Martyres, & animas suas pro fratribus posuerunt; atque ut ista populorum tamquam germinum copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine irrigaverunt. Fructus laboris ergo illorum etiam nos sumus. Miramur eos, miserantur nos. Gratulamur eis, precantur pro nobis. Illi corpora sua tamquam vestimenta straverunt, cùm pullus Dominum portans in Jerusalem duceretur: nos saltem velut ramos de arboribus cædentes, de Scripturis sanctis hymnos laudesque decerpimus, quas in commune gaudium proferamus. Omnes tamen eidem Domino paremus, eumdem magistrum sequimur, eumdem principem comitamur, eidem capiti subjungimur, ad eamdem Jerusalem tendimus, eamdem sectamur caritatem, eamdemque amplectimur unitatem.

Psal. 113. 13.

1. Cor. 12. 26.

Martyres miserantur nos, ac precantur pro nobis.

Matth. 21. 7. &c.

* SERMO CCLXXXI.

* Aliàs de Diversis 104.

In Natali Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, II.

CAPUT I. In Perpetua & Felicitate Christus invictus.

1. REFULGET & præeminet inter comites Martyres & meritum & nomen Perpetuæ & Felicitatis, sanctarum Dei famularum. Nam ibi est corona gloriosior, ubi sexus

Classis III.

fexus infirmior. Quia profectò virilis animus in feminas majus aliquid fecit, quando sub tanto pondere fragilitas feminea non defecit. Bene inhæserant uni viro, cui virgo casta unica exhibetur Ecclesia. (2. Cor. 11. 2.) Bene, inquam, inhæserant illi viro, à quo virtutem traxerant, qua resisterent diabolo: ut feminæ prosternerent inimicum, qui per feminam prostraverat virum. Ille in eis apparuit invictus, qui pro eis factus est infirmus. Ille eas ut meteret, fortitudine implevit; qui eas ut seminaret, semetipsum exinanivit. Ille eas ad hos honores laudesque perduxit, qui pro eis opprobria & crimina audivit. Ille fecit feminas viriliter & fideliter mori, qui pro eis dignatus est de femina misericorditer nasci.

Caput II. Perpetuæ victoria de diabolo.

2. Delectat autem piam mentem tale spectaculum contueri, quale sibi beata Perpetua de se ipsa revelatum esse narravit, virum se factam certasse cum diabolo. Illo quippe certamine in virum perfectum etiam ipsa currebat, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. (Ephes. 4. 13.) Meritò ille vetus ac veterator inimicus, ne ullas præteriret insidias, qui per feminam deceperat virum, quia viriliter secum agentem feminam sensit, per virum eam superare tentavit. Nec maritum supposuit, ne illa quæ jam superna cogitatione habitabat in cælis, suspicionem desiderii carnis erubescendo permaneret fortior; sed patrem verbis deceptionis instruxit, ut religiosus animus, qui non molliretur voluptatis instinctu, pietatis impetu frangeretur. Ubi sancta Perpetua tanta patri moderatione respondit, ut nec præceptum violaret, quo debetur honor parentibus, nec dolis cederet, quibus *altior agebat inimicus. (* f. astutior.) Qui undique superatus, eumdem patrem ejus virgâ percuti fecit; ut cujus verba contemserat, saltem verbera condoleret. Ibi verò doluit illa senis parentis injuriam; & cui non præbuit assensum, servavit affectum. Oderat quippe in illo stultitiam, non naturam; & ejus infidelitatem, non originem suam. Majore igitur gloriâ tam dilectum patrem malè suadentem fortiter repulit, quem vapulantem videre sine mærore non potuit. Proinde & dolor ille nihil retraxit robori fortitudinis, & aliquid addidit laudibus passionis. *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8. 28.)

Caput III. Felicitatis partus & martyriū.

3. Felicitas verò etiam in carcere prægnans fuit. In parturiendo femineam conditionem feminea voce testata est. Non aberat Evæ pœna, sed aderat Mariæ gratia. Exigebatur quod mulier debebat: opitulabatur quem virgo pepererat. Denique editus est partus, immaturo mense maturus. Actum est enim divinitus, ut non suo tempore onus uteri poneretur, ne suo tempore honor martyrii differretur. Actum est, inquam, divinitus, ut indebito die fetus ederetur, dum tamen tanto comitatui debita Felicitas redderetur: ne si defuisset, non solùm socia Martyribus, verùm etiam ipsorum Martyrum præmium defuisse videretur. Hoc enim erat nomen ambarum, quod munus est omnium. Nam cur omnia Martyres perferunt, nisi ut perpetua felicitate glorientur? Hoc ergo illæ vocabantur, ad quod cuncti vocantur. Et ideo cùm esset in illo cer-

A tamine plurimus comitatus, harum duarum nominibus omnium est significata perennitas, omnium signata sollemnitas.

Serm. de Sanctis.

* SERMO CCLXXXII.

* Aliàs de Diversis 105.

In Natali Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, III.

Caput I. De nominibus Martyrum Perpetuæ & Felicitatis.

1. DUARUM sanctarum Martyrum festum diem hodie celebramus, quæ non solùm eminuerunt excellentibus in B Passione virtutibus, verùm etiam pro tanto labore pietatis mercedem suam ceterorumque sociorum propriis vocabulis signaverunt. Perpetua quippe & Felicitas nomina duarum; sed merces est omnium. Neque enim omnes Martyres in certamine passionis atque confessionis ad tempus fortiter laborarent, nisi ut perpetua felicitate gauderent. Divinâ ergo providentiâ gubernante istæ non solùm Martyres, verùm etiam conjunctissimæ comites, sicut factum est, esse debuerunt, ut unum suæ gloriæ diem signarent, com- C munemque sollemnitatem celebrandam posteris propagarent. Sicut enim exemplo gloriosissimi certaminis ut imitemur hortantur; ita suis nominibus munus inseparabile nos accepturos esse testantur. Ambæ invicem teneant, invicem nectant. Alteram sine altera non speramus. Nam nec prodest perpetua, si felicitas non sit; & felicitas deserit, si perpetua non sit. * Hæc de vocabulis Martyrum, quibus consecratus est dies, pro D tempore pauca suffecerint.

* Caput II. Feminæ de hoste victrices.

2. Quod autem adtinet ad istas quarum sunt ista vocabula, sicut audivimus, cùm earum passio legeretur, sicut memoriæ traditum novimus, istæ tantarum virtutum atque meritorum, non solùm feminæ, verùm etiam mulieres fuerunt. Quarum altera & mater, ut ad infirmitatem sexûs impatientior adderetur affectus, ut in omnibus eas hostis adtentans, tamquam non valentes dura & crudelia persecutionis onera sustinere, cessuras E sibi continuò, & suas crederet mox futuras. Sed illæ interioris hominis cautissimo & fortissimo robore omnes ejus obtuderunt insidias, impetusque fregerunt.

Caput III. Cur Martyrum comitum nomina non pariter celebrantur.

3. In hoc insignis gloriæ comitatu etiam viri Martyres fuerunt, eodem ipso die etiam viri fortissimi passione vicerunt; nec tamen eumdem diem suis nominibus commendaverunt. Quod non ideo factum est, quia feminæ viris morum dignitate prælatæ sint: sed quia & muliebris infir- F mitas inimicum antiquum miraculo majore devicit, & virilis virtus propter perpetuam felicitatem certavit.

* SERMO CCLXXXIII.

* Aliàs de Diversis 41.

In natali Martyrum [a] *Massilitanorum.*

[a] Caput I. Gratia Dei prædicanda in festis Martyrū.

1. FORTITUDINEM sanctorum Martyrum sic in eorum passione miremur, ut gratiam Domini prædicemus. Neque enim & illi in se ipsis laudari voluerunt, sed in il- G lo cui dicitur, *In Domino laudabitur anima mea.* (Psal. 33. 3.) Hoc qui intelligunt, non superbiunt: cum tremore petunt, cum gaudio accipiunt: perseverant, jam non amittunt. Quia enim non superbiunt,

[a] Sic in priùs editis prænotatur, sic in ipsa Bedæ & Flori collectione ad 1. Cor. 2. Tametsi hîc sub finem Sermonis unus Martyr laudatur, non plures. Prodiit nimirum Sermo iste ex Lectionariis, quibus in MSS. Tractatus videmus truncatos plerumque ac festivitatibus diversis cum insigni mutatione aptatos. Hunc in antiquo Germanensi Lectionario inter Sermones de S. Vincentio descripserant legendum *in Refectorio.* Massilitanorum Martyrum sollemnitas incidit in diem 9. Aprilis.

mites sunt. Et ideo cùm dixisset, *In Domino laudabitur anima mea :* addidit, *Audiant mites, & jocundentur.* Quid caro infirma, quid vermis & putredo esset, nisi quod cantavimus verum esset, *Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea?* Etenim ut mala omnia pro fide Martyres tolerarent, virtus eorum patientia nominatur. Duo sunt enim quæ in peccata homines aut illiciunt, aut impellunt; voluptas, aut dolor: voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates, necessaria est continentia; contra dolores, patientia. Hoc enim modo suggeritur humanæ menti, ut peccet: aliquando dicitur, Fac, & hoc habebis: aliquando autem, Fac, ne hoc patiaris. Voluptatem præcedit promissio, dolorem comminatio. Ut ergo habeant homines voluptatem, vel non patiantur dolorem, peccant. Ideo Deus contra ista duo, quorum est unum in blanda promissione, alterum in terribili comminatione, & promittere dignatus est, & terrere; promittere regnum cælorum, terrere de suppliciis inferorum. * Dulcis est voluptas, sed dulcior Deus. Malus est dolor temporalis, sed pejor est ignis æternus. Habes quod ames pro mundi amoribus, immo pro immundis amoribus. Habes quod timeas, pro mundi terroribus.

Psal. 61. 6.

Voluptas & dolor, duo incitamenta ad peccandum.

*Caput II.

2. Sed parum est moneri, nisi impetres adjuvari. Præsens ergo Psalmus, quem cantavimus, docuit nos, à Deo utique esse patientiam nostram contra dolores. Unde invenimus ab ipso esse & continentiam nostram, quæ necessaria est contra voluptates? Habes evidentissimum testimonium: *Et cùm scirem*, inquit, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Ergo si habes aliquid à Deo, & nescis à quo habeas, non eris muneratus, quia remanes ingratus. Si nescis à quo habeas, non agis gratias: non agendo gratias, & quod habes perdis. *Qui enim habet dabitur ei.* Quid est, plenè habere? Scire unde habeas. *Qui autem non habet*, id est, nescit unde habeat, *& quod habet auferetur ab eo.* Denique sicut idem ait, *Hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Sic & apostolus Paulus ait, cùm commendaret nobis gratiam Dei in Spiritusancto: * *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* Et quasi diceretur illi, Unde discernis? Secutus adjunxit, *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Ergo Spiritus Dei, Spiritus est caritatis: spiritus hujus mundi, spiritus est elationis. Qui habent spiritum hujus mundi superbi sunt, ingrati sunt Deo. [a] Multi dona ejus habent, sed non colunt eum à quo habent: ideo sunt infelices. Aliquando unus habet dona majora, alter habet minora: verbi gratiâ, intelligentiam, memoriam. Dona Dei sunt. Invenis aliquando hominem acutissimum, memorem ad incredibilem admirationem: invenis alium parvo intellectu, memoriâ non tenaci, sed utroque parvo præditum: illum autem superbum, istum humilem: istum de parvis Deo gratias agentem, illum majora sibi tribuentem. * Melior est incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quàm se extollens de magno. Illum enim qui de parvo gratias agit, ad magnum

Patientia & continentia, dona Dei.

Sap. 8. 21. — *Matth. 13. 12* — *Beda & Florus ad 1. Cor. 2.* — *Sap. 8. 21.*

*Caput III. — *1. Cor. 2. 12.*

Cognitio gratiæ Dei & gratitudo.

*Caput IV.

Deus admittit: qui autem de magnis gratias non agit, & quod habet amittit. *Qui enim habet, dabitur ei: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Quomodo non habet, si habet? Non habens habet, qui nescit unde habeat. Tollitur enim à Deo res sua, & remanet illi iniquitas sua. Ergo *nemo est continens, nisi Deus det.* Habes munus contra voluptates: Quoniam *hoc ipsum*, inquit, *erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: nemo est continens, nisi Deus det.* Habes munus contra dolores: *Quoniam ab ipso est*, inquit, *patientia mea.* Ergo * *sperate in eum omne concilium plebis.* In eum sperate, nolite vestris viribus fidere. Illi confitemini mala vestra, ab illo sperate bona vestra. Sine illius adjutorio nihil eritis, quantumcumque superbi fueritis. Ergo ut humiles esse valeatis, *effundite coram illo corda vestra.* Et ne in vobis malè remaneatis, dicite quod sequitur, *Deus adjutor noster est.*

Matth. 13. 12. — *Sap. 8. 21.* — *Psal. 61. 6.* — * *Ibid. 9.*

3. Hunc adjutorem, ut vinceret, beatus Martyr habuit, quem miramur, cujus sollemnitatem hodie celebramus. Sine illo non vinceret. Et si dolores vinceret, diabolum non vinceret. Aliquando enim victi à diabolo, vincunt dolores; non habentes patientiam, sed duritiam. Ille ergo adjutor adfuit, ut donaret ei veram fidem, faceret ei bonam caussam, & pro bona caussa donaret patientiam. Tunc enim est patientia, quando præcedit bona caussa. Non enim & ipsam fidem alius quàm Deus donat. Breviter utrumque commendavit Apostolus, & caussam pro qua patiamur, & patientiam qua mala perferamus, à Deo nobis esse. Exhortans enim Martyres ait, *Quia vobis donatum est pro Christo.* Ecce caussa bona, quia pro Christo: non pro sacrilegio contra Christum, pro hæresi & schismate contra Christum. Christus enim ait, *Qui mecum non colligit, spargit.* Ergo, *Vobis*, inquit, *donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo.* Hæc est vera patientia. Hanc ergo patientiam diligamus, hanc teneamus: & si nondum habemus, petamus; & rectè cantamus, *Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.*

Caput V. Vera & falsa patientia.

Philip. 1. 29. — Contra donatistas. — *Luca 11. 23.*

* SERMO CCLXXXIV.

In natali Martyrum [b] Mariani & Iacobi.

* *Aliàs 1. inter editos ex majoris Carthusiæ MSS.*

1. HODIERNO die reddendi nostri debiti, propitio Deo, tempus illuxit. Cùm ergo devoti sint debitores, quare tumultuantur exactores? Si omnium mentes quietas habeamus, ad omnes potest pervenire quod reddimus. De passione & gloria sanctorum Martyrum Sermo debetur. Quoniam ergo illi gloriosissimè passi sunt, patientiam nobis indicunt. Pertulerunt ergo illi turbas sævientes, nos habeamus populos adquiescentes, quia vidimus credentes. Laudanda est Martyrum constantia, sed ei laudandæ quæ sufficit eloquentia? Quando impleo loquendo, quod vestris cordibus factum est jam credendo? Unde autem tantum donum patientiæ? Unde, nisi unde omne datum optimum? Unde datum optimum, nisi unde donum perfectum? Sic enim & ibi scriptum est, *Patien-*

Martyrum patientia, donum Dei.

Jacobi 1. 17.

[a] Sic aliquot libri. At Lov. *Multa.*

[b] Marianus Lector & Jacobus Diaconus in martyrologiis celebrantur 30. Aprilis: in antiquo autem Ecclesiæ Carthaginensis Kalendario die 6. Maii. Martyrium in Valeriani & Galieni persecutione apud Lambesam Numidiæ civitatem simul consummarunt.

Classis III. Ibidem 17.

tia autem opus perfectum habet. Omne, inquit, *datum optimum & omne donum perfectum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio.* Ad humanas mentes mutabiles de fonte immutabili descendit patientia, quæ & ipsas faciat immutabiles. Unde homini placere Deo, nisi à Deo? Unde homini bona vita, nisi à fonte vitæ? Unde homini illuminatio, nisi ab æterno lumine? *Quoniam apud te est*, inquit, *fons vitæ. Apud te est*, inquit: poteram dicere à me; sed si dixero à me, recedo à te. *Apud te* ergo *fons vitæ. In lumine tuo*; non in nostro: *In lumine tuo videbimus lumen.* Ergo, *Accedite ad eum, & illuminamini.* Fons est vitæ, accede, bibe, & vive: lumen est, accede, cape, & vide. Si non influat ille, siccus eris.

Psal. 35. 10. — Psal. 33. 6.

Martyres blanditiis carnalium parentum tentati.

2. Hinc ergo Martyres nostri, hinc biberunt: hinc ebriati non agnoverunt suos. Quàm multos enim Martyres sanctos putamus propinquante passione, blanditiis suorum fuisse tentatos, conantium eos ad hujus vitæ temporalem & vanam & fugitivam dulcedinem revocare? Sed illi qui de fonte, qui est apud Deum, sitientes biberant, & inebriati erant, Christum confitendo ructuabant; suos carnales & vino erroris ebrios, malè amantes, & suadendo à vita revocantes non adtendebant, non agnoscebant. Non ex illis erat Mariani mater, non ex illis malè suadentibus, carnaliter blandientibus, amando decipientibus: non erat ex illis sancti Mariani mater. Nomen non inane portabat, non frustra[a] Maria vocabatur: mulier quidem illa, non virgo, non intacta de Spiritu-sancto, sed tamen pudica de marito, tale pignus pepererat, quod ad gloriosissimam passionem suis potiùs exhortationibus deducebat, quàm inde suis malis blanditiis revocabat. O sancta & tu Maria, impar quidem merito, sed par voto; felix & tu. Peperit illa Martyrum Principem, peperisti tu Principis Martyrem: peperit illa testium Judicem, peperisti tu Judicis testem. Felix partus, felicior affectus. Quando peperisti gemuisti, quando amisisti exsultasti. Quid est hoc, quando peperisti gemuisti, exsultasti quando amisisti? Non frustra, nisi quia non amisisti. Ubi dolor non erat, fides erat. Carnalem dolorem de corde fides spiritalis excluserat. Videbas te filium non amittere, sed præmittere: totum quod gaudebas, sequi volebas.

Mariani mater Maria in filii sui passione exsultat.

Fortitudo Martyrum non ab ipsis, sed à Deo.

3. Miramur ista, laudamus ista, amamus ista. O beati Martyres, unde vobis ista? Scio vobis corda humana: unde vobis ista divina? Ego dico, A Deo: quis est qui dicat, A vobis? Quis est qui vos malè laudando invideat vobis? Nescio quis dicit à vobis hæc esse? Respondete illi, *In Domino laudabitur anima mea.* Nescio quis dicit à vobis hæc esse? Respondete illi, si mites estis, respondete, *In Domino laudabitur anima mea.* Respondete & hoc in populo Dei, *Audiant mites, & jocundentur.* Nescio quis dicit à vobis hæc esse? Respondete illi, *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum ei fuerit de super.* Nobis enim & vobis ait Dominus Jesus, *Sine me nihil potestis facere. Sine me*, inquit, *nihil potestis facere*: & vobis hoc dictum est; agnoscite verba pastoris, cavete adulationem deceptoris: superbia ista, impia, iniqua, ingrata, scio quia displicet vobis. Martyres sancti passi estis pro Christo, sed vobis profuit quod passi estis, non Christo. Quid vobis deesset, nisi vobis donatum esset? Hæc repellite ab auribus vestris inimici venena serpentis. Lingua illa est, quæ dixit, *Eritis sicut dii.* Præcipitavit hominem arbitrium liberum ingratum: arbitrium liberatum dicat nunc Domino, *Patientia Israel, Domine.* Quid infidelis superbis? laudas Martyrum patientiam, quasi à se ipsis possent esse patientes? Apostolum potiùs audi gentium doctorem, non infidelium deceptorem. Certè in Martyribus patientiam pro Christo laudas, & eam ipsis assignas? Audi potiùs apostolum Martyres alloquentem, & corda humana sedantem. Audi, inquam, dicentem, *Quia vobis donatum est pro Christo.* Audi pietatem exhortantem, non adulationem fallentem: *Vobis*, inquit, *donatum est.* Donatum est, audi: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo. Vobis donatum est*: quid ad hanc sententiam addi potest? *Vobis donatum est*: agnosce donatum, ne perdas usurpatum. *Vobis*, inquit, *donatum est, pro Christo*: quid pro Christo, nisi pati? Sed non suspiceris, audi sequentia: *non solùm ut credatis in eum*; quia & hoc donatum est: sed non hoc solùm donatum est; *verùm etiam ut patiamini pro eo*, & hoc donatum est. Convertat dorsum Martyr ad infidelem & ingratum adulatorem: convertat faciem ad benignissimum largitorem, & ipsam passionem suam imputet Deo, non tamquam de suo hoc obtulerit Deo; sed potiùs dicat, *In Domino laudabitur anima mea, audiant mites & jocundentur.* Et cùm ei dixeris, Quid est quòd *In Domino laudabitur anima mea?* In te ergo laudatur? Ille contrà, *Nonne Deo subdita erit anima mea? Ab ipso enim patientia mea.* Quare ergo mea? Sinum aperui, & libenter accepi; ab ipso mea. Et ab ipso, & mea; & quia ab ipso, ideo tutiùs mea. Mea est, sed à me mihi non est. Ut habeam donum meum, agnosco datorem Deum. Nam si non agnosco datorem Deum, tollit Deus bonum suum, & remanet malum meum, per arbitrium meum.

Psal. 33. 3. — Johan. 3. 27. — Johan. 15. 5. — Gen. 3. 5. — Jerem. 17. 13. — Philip. 1. 29. — Psal. 33. 3. — Psal. 61. 6.

Ex multitudine cor ad unum gratiâ Dei converti- tur.

4. Ait fidelis Scriptura, *Fecit Deus hominem rectum & ipsi exquisierunt cogitationes multas. Fecit Deus*, inquit, *hominem rectum, & ipsi*: unde ipsi, nisi per liberum arbitrium? *Et ipsi exquisierunt cogitationes multas.* Rectum dixerat factum, & tamen non ait, Et ipsi exquisierunt cogitationes pravas, quia dixerat rectum; aut cogitationes iniquas; sed dixit, multas. Ab ista multitudine, *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Liberet nos Deus ab ista multitudine cogitationum humanarum, & * liberet nos ab uno, ut simus in illo unum ex multitudine. Conflet nos igne caritatis, ut uno corde sequamur unum, ne in multa decidamus ex uno, & in multis dispergamur relicto uno. De hoc enim uno Apostolus loquebatur, cùm diceret, *Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse*: quid? *Unum autem*: quid unum? *Ea quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, sequor.* Unum sequor; unum inquit, sequor: sed non me arbitror apprehendisse; quia deprimit corpus, quod corrumpitur, sensum multa cogitantem. Ecce quò ibant Mar-

Eccle. 7. 30. — Sap. 9. 15. — * f. levet nos ad unū.

[a] Consentiunt eorumdem Martyrum Acta apud Surium & Bollandianos, necnon in Baronii Annalibus ad an. 262. Sed Baronius eo loco, *O te felicem merito Mariam, ô te beatam & filio tuo matrem & nomine!* pro *Mariam*, malè legit *Mariani*; ac Martyris matri nomen *Beata* imponit.

tyres; quando fervebant, multum strepitum non curabant, quia unum amabant. Desiderium videte Martyrum: *Vnam*, inquit, *petii à Domino. Vnam petii*: vale, inquit, facio multitudini sæculari. *Vnam petii*: unam utique beatitudinem, unam felicitatem, unam veram, non multas falsas. *Vnam*, inquit, *petii à Domino*, *hanc requiram.* Quæ est ista una? *Vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ.* Ut quid hoc? *Vt contempler delectationes Domini.* Martyres sancti quando illam delectationem cogitabant, tunc illis mala omnia & acerba atque aspera vilescebant. Erat delectatio contra delectationem: erat delectatio contra dolorem. Delectatio illa contra utrumque pugnabat, & contra sævientem mundum, & contra blandientem. Respondebat mundo, Quid blandiris? Dulcius est quod amo, quàm id quod polliceris. Audio dicentem mihi Deum, immo Scripturam sanctam, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Ecce iterum bona multitudo, quia non dissentiens, sed in uno.

Martyres unius delectationis Dei amore in mundi blanditiis & acerbitatibus victores. Psal. 26. 4. Psal. 30. 20.

5. Non ergo mirum est, Fratres mei: scitis quo loco Martyres recitentur? Non pro illis orat Ecclesia. Nam meritò pro aliis defunctis dormientibus orat Ecclesia: pro Martyribus non orat, sed eorum potiùs orationibus se commendat. Certaverunt enim adversùs peccatum usque ad sanguinem. Impleverùnt quod scriptum est, *Certa pro veritate usque ad mortem.* Promissa mundi contemserunt: sed parum est; parum est enim lethum contemnere, parum est aspera tolerare: ubi usque ad sanguinem certamen, ibi gloriosissima & plena victoria. Nam prima Domino nostro Principi Martyrum tentamenta sunt blandimenta proposita: *Dic lapidibus istis ut panes fiant. Tibi dabo omnia regna ista. Videamus si suscipiunt te Angeli; quia scriptum est, Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Ista læta mundi sunt: in pane, concupiscentia carnis; in promissione regnorum, ambitio sæculi; in curiositate tentationis, concupiscentia oculorum: hæc omnia de sæculo sunt; sed blandiuntur, non sæviunt. Adtendite Martyrum Ducem exemplorum certamina proponentem, & certantes misericorditer adjuvantem. Quare se permisit tentari, nisi ut doceret resistere tentatori? Promittit mundus carnalem voluptatem: responde illi, Delectabilior est Deus. Promittit mundus honores & sublimitates sæculares: responde illi, Altius est omnibus regnum Dei. Promittit mundus superfluas vel damnabiles curiositates: responde illi, Sola non errat veritas Dei. Cùm ista triplici tentatione Dominus fuisset tentatus, quia in omnibus illecebris mundi hujus tria sunt, aut voluptas, aut curiositas, aut superbia: quid ait Evangelista? *Postquam perfecit diabolus omnem tentationem*: omnem, sed ad illecebras pertinentem. Restabat alia tentatio in asperis & duris, in sævis, in atrocibus atque immitibus restabat alia tentatio. Hoc sciens Evangelista, quid peractum esset, quid restaret, ait, *Postquam complevit diabolus omnem tentationem, recessit ab eo ad tempus.* Discessit ab eo, id est, insidians serpens, venturus est rugiens leo; sed vincet eum, qui conculcabit leonem & draconem. Revertetur: introibit in Judam, faciet magistri traditorem. Adducet Judæos, non jam adulantes, sed sævientes: vasa sua possidens clamabit linguis omnium, *Crucifige, crucifige.* Ibi Christum victorem quid miramur? Deus omnipotens erat.

Orationibus Martyrum se commendat Ecclesia. Eccli. 4. 33. Martyrum plena victoria. Matth. 4. 3. &c. Tentatio Domini triplex ad illecebras pertinens. Luca 4. 13. Aliud tentationis genus in tormentis. Psal. 90. 13.

6. Propter nos pati voluit Christus. Ait apostolus Petrus, *Pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Pati te docuit, & patiendo te docuit. Parum erat verbum, nisi adderetur exemplum. Et quomodo docuit, Fratres? Pendebat in cruce, Judæi sæviebant: in asperis clavis pendebat, sed lenitatem non amittebat. Illi sæviebant, illi circumlatrabant, illi pendenti insultabant; quasi uno summo medico in medio constituto, phrenetici circumquaque sæviebant. Pendebat ille, & sanabat. *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Petebat, & tamen pendebat: non descendebat, quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat. Denique quia verba petentis Domini, ejusdemque misericordiam exaudientis, quia Patrem petiit, & cum Patre exaudivit; quia illa verba non potuerunt inaniter fundi, post resurrectionem suam sanavit, quos pendens insanissimos toleravit. Adscendit in cælum, misit Spiritum-sanctum; nec se illis ostendit post resurrectionem, sed solis fidelibus discipulis suis, ne quasi insultare se occidentibus voluisse videretur. Plus enim erat, amicos docere humilitatem, quàm inimicis exprobrare veritatem. Resurrexit: plus fecit quàm illi exigebant, non credendo, sed insultando & dicendo, *Si filius Dei est, descendat de cruce.* Et qui de ligno descendere noluit, de sepulcro surrexit. Adscendit in cælum, misit inde Spiritum-sanctum: implevit discipulos, correxit timentes, fecit fidentes. Petri trepidatio in fortitudinem prædicatoris repentè conversa est. Unde hoc homini? Quære Petrum præsumentem, invenis Petrum negantem: quære Deum adjuvantem, Petrum invenis prædicantem. Ad horam trepidavit infirmitas, ut præsumtio vinceretur, non ut pietas deleretur. Implet ille Spiritu suo, & facit prædicatorem fortissimum, cui præsumenti prædixerat, *Ter me negabis.* Præsumserat enim ille de viribus suis, non de Dei dono, sed de libero arbitrio. Dixerat enim, *Tecum ero usque ad mortem.* Dixerat in abundantia sua, *Non movebor in æternum.* Sed qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam, & factus est conturbatus. *Avertit*, inquit, *Dominus, faciem suam*: ostendit Petro Petrum; sed postea respexit, & Petrum firmavit in petra. Imitemur ergo, Fratres mei, quantum possumus, in Domino passionis exemplum. Implere poterimus, si ab illo poscamus adjumentum, non præveniendo, sicut Petrus præsumens; sed sequendo & orando, sicut Petrus proficiens. Quando enim Petrus ter negavit, quid Evangelista dicit, adtendite: *Et respexit eum Dominus, & recordatus est Petrus.* Quid est, *respexit eum?* Non enim Dominus in facie corporali eum respexit. Non sic est: tamquam commemorando respexit. Evangelium legite. Dominus in interioribus domûs judicabatur, Petrus in atrio tentabatur. Ergo *respexit eum Dominus*, non corpore, sed majestate; non oculorum carnis intuitu, sed misericordiâ altissimâ. Ille quia averterat faciem suam, respexit eum, & factus est liberatus. Ergo præsumtor periisset, nisi Redemtor respexisset. Et ecce lacrymis suis ablutus, correptus & ere-

1 Pet. 2. 21. Patientiæ exemplum in Domino & in Martyribus conservis nostris præstitum. Luca 23. 34. Matth. 27. 40. Matth. 26. 34. Psal. 29. 7. &c. Luca 22. 61.

ptus prædicat Petrus. Prædicat qui negaverat: credunt qui erraverant. Valet in phreneticis medicina illa sanguinis Domini. Bibunt credentes quod fuderunt sævientes. Sed multum est ad me, inquit, imitari Dominum. Ex gratia Domini imitare conservum, imitare Stephanum, imitare Marianum & Jacobum. Homines erant, conservi erant; sicut tu nati, sed ab illo qui non sic natus est, coronati.

*Aliàs 4. inter editos ex majoris Carthusiæ MSS.

* SERMO CCLXXXV.

In die Natali [a] *Martyrum Casti & Æmilii.*

a Martyrum sic celebrãda sollemnia, ut eos delectet imitari.

1. Sanctorum Martyrum non magna solùm, sed etiam pia virtus, (Ipsa est enim utilis virtus, immo ipsa est vera & sola dicenda virtus, quæ non militat typho, sed Deo.) admonet nos Caritati Vestræ loqui, eamque admonere, ita sollemnia Martyrum celebrare, ut vestigia Martyrum sequendo delectet imitari. Non enim & ipsi quòd fortes exstiterunt, de suo habuerunt. Non usque ad illos fons ille manavit. Qui dedit ipsis, potens est dare & nobis: quoniam unum pretium datum est pro omnibus nobis.

Martyrem non facit pœna, sed caussa.

2. Illud ergo præcipuè commonendi estis, quod assiduè commoneri, & semper cogitare debetis, quòd Martyrem Dei non facit pœna, sed caussa. Justitia enim nostra, non cruciatibus, delectatur Deus: nec quæritur in omnipotentis veracisque judicio, quid quisque patiatur, sed quare patiatur. Ut enim cruce Dominica nos signemus, non fecit hoc Domini pœna, sed caussa. Nam si pœna hoc fecisset, hoc & latronum similis pœna valuisset. Unus locus erat trium crucifixorum, in medio Dominus, qui *inter iniquos deputatus est.* Duos latrones hinc atque inde posuerunt: sed caussam similem non habuerunt. Lateribus pendentis adjungebantur, sed longè separabantur. Illos facinora sua, illum crucifixerunt nostra. Verumtamen etiam in uno ipsorum satis apparuit, quantum valeret, non cruciatus pendentis, sed pietas confitentis. Adquisivit latro in dolore, quod Petrus perdiderat in timore: scelus admisit, crucem adscendit; caussam mutavit, paradisum comparavit. Meruit omnino caussam mutare, qui non contemsit in Christo similitudinem pœnæ. Judæi contemserunt miracula facientem, ille credidit in pendentem. Consortem crucis Dominum agnovit, & regno cælorum credendo vim fecit. Tunc in Christum latro credidit, quando fides Apostolica trepidavit. Meritò audire meruit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Hoc quidem sibi ipse non promiserat: magnæ quidem se misericordiæ commendabat, sed & sua merita cogitabat. *Domine*, inquit, *memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quò usque veniret Dominus in regnum suum, in pœnis se futurum sperabat, & saltem in ejus adventu misericordiam in se fieri flagitabat. Proinde se latro, sua merita cogitans, differebat: sed Dominus latroni, quod desperaverat, offerebat; tamquam diceret, Tu petis ut meminerim tui, dum venero in regnum meum:

Isai. 53. 12.

Latronis in cruce fides caussam patientis mutavit.

Luca 23. 43.

A *Amen, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Agnosce cui te commendas; quem credis venturum, antequam veniam, ubique sum. Ideo quamvis in inferna descensurus, habeo te hodie in paradiso; non alteri commendatum, sed mecum. Ad homines enim mortales & ad ipsos mortuos descendit humilitas mea, de paradiso autem numquam discedit divinitas mea. Ita factæ sunt tres cruces, tres caussæ. Unus latronum Christo insultabat; alter sua mala confessus Christi se mi-
B sericordiæ commendabat. Crux Christi in medio non fuit supplicium, sed tribunal: de cruce quippe insultantem damnavit, credentem liberavit. Timete insultantes, gaudete credentes: hoc faciet in claritate, quod fecit in humilitate.

Tres cruces.

Crux Christi, tribunal judicis.

3. Munera divina de profundo Dei judicio veniunt: mirari ea possumus, investigare non possumus. *Quis* enim *cognovit sensum Domini?* Et, *Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Sequens per omnia vestigia Christi
C Petrus conturbatur, & negat: respicitur, & plorat; fletus tergit, quod timor infecerat. Non fuit illa Petri desertio, sed eruditio. [b] Amare quippe Dominum interrogatus in corde suo præsumserat se pro eo etiam moriturum. Viribus suis hoc tribuerat: nisi paulisper à regente desereretur, non sibi demonstraretur. Ausus est dicere, *Animam meam pro te ponam.* Animam suam pro Christo præsumtor se positurum esse jactabat, pro quo nondum posuerat Liberator. Denique
D cùm timore turbatur, sicut Dominus prædixerat, ter negat eum, pro quo se promiserat moriturum. Sicut scriptum est, *Respexit illum Dominus.* At ille *amarè flevit.* Amara erat recordatio negationis, ut dulcis esset gratia redemtionis. Nisi desertus, non negaret; nisi respectus, non fleret. Odit Deus præsumtores de viribus suis, & tumorem istum in eis, quos diligit, tamquam medicus secat. Secando quidem infert dolorem: sed firmat postea sanitatem. Itaque resurgens Dominus
E commendat Petro oves suas, illi negatori; sed negatori, quia præsumtori; postea pastori, quia amatori. Nam quare ter interrogat amantem, nisi ut compungat ter negantem? Proinde perfecit postea Petrus gratiâ Dei, quod primò non potuit fiduciâ sui. Nam postea quàm illi oves, non Petri, sed suas commendavit, ut non pasceret sibi, sed Domino, annuntiavit ei passionem futuram, quam primò perdiderat; quoniam præproperè festinabat. *Cùm senior*, inquit, *factus fueris, al-*
F *ter te cinget, & feret quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus erat Dominum.* Factum est, pervenit Petrus ad passionem, qui lacrymis diluerat negationem. Quod ei promiserat Salvator, non potuit auferre tentator.

Munera gratiæ ex profundo Dei judicio daniur. Rom. 11. 33. & 34.

b

Petrus præsumtor paulisper deseritur, ut sibi demõstretur.

Luca 22. 61.

Præsumtores odit Deus.

Johan. 21. 18. & 19.

4. Tale aliquid factum esse arbitror etiam in his Martyribus sanctis [c] Casto & Æmilio, quorum diem hodie celebramus. Fortasse & ipsi de suis viribus antea præsumserunt, & ideo defecerunt. Ostendit eis qui essent ipsi, qui ipse. Re-
G pressit præsumentes, & vocavit credentes: adjuvit pugnantes, coronavit vincentes. Denique jam de illis gaudebat inimicus in prima congressione, quando cesserunt doloribus, in suis eos parti-

Castus & Æmilius in tormentis unde victi primùm, unde pòst victores.

c

[a] Sermo notatus est in Possidii Indiculo cap. 9. Martyrum verò istorum natalitia in martyrologiis & in Carthaginensi Kalendario consignata sunt XI Kal. Junii.
[b] Aliquot MSS. *Amorem quippe Domino interrogante.*

[c] Cyprianus in libro de lapsis. *Sic, sic Casto & Æmilio aliquando Dominus ignovit: sic in prima congressione devictos, victores in secundo prælio reddidit; ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus antè cessissent.*

bus computabat; jam exsultabat, jam suos habe- A bat: sed quantum eis concessum est, Domino miserante; alii Martyres diabolum vicerunt tentantem, isti etiam triumphantem. Itaque, Fratres mei, meminerimus quorum celebritatem hodie celebramus: nec velimus imitari quod victi sunt, sed potiùs quod vicerunt. Ideo magnorum casus non latuerunt, ut timeant qui de se præsumserunt. Ubique nobis humilitas magistri boni diligentissimè commendatur. Quando quidem & SALUS NOSTRA IN CHRISTO, humili- B litas Christi est. Nulla enim nostra salus esset, nisi Christus humilis pro nobis fieri dignatus esset. Meminerimus de nobis ipsis non esse præfidendum. Deo commendemus quod habemus: ab illo imploremus quod minus habemus.

Martyres advocati nostri, & tamen unus advocatus noster Christus.

5. Martyrum perfecta justitia est, quoniam in ipsa passione perfecti sunt. Ideo pro illis in Ecclesia non oratur. Pro aliis fidelibus defunctis oratur, pro Martyribus non oratur: tam enim perfecti exierunt, ut non sint suscepti nostri, sed C advocati. Neque hoc in se, sed in illo cui capiti perfecta membra cohæserunt. Ille est enim verè advocatus unus, qui interpellat pro nobis, sedens ad dexteram Patris: sed advocatus unus, sicut & pastor unus. Nam *oportet*, inquit, *me & eas oves adducere, quæ non sunt de hoc ovili.* Ut Christus pastor, Petrus non pastor? Immo & Petrus pastor, & ceteri tales sine ulla dubitatione pastores. Nam si non pastor, quomodo ei dicitur, *Pasce oves meas?* Sed tamen verus pastor, qui pascit D oves suas. Petro enim dictum est, non, Pasce oves tuas, sed *meas*. Petrus ergo non in se, sed in corpore pastoris est pastor. Nam si oves suas pasceret, continuò fierent hœdi, quos pasceret.

(1. Johan. 2. 1. — Rom. 8. 34. — Johan. 10. 16. — Johan. 21. 17.)

Extra Ecclesiam nō oves Christi, sed hœdi pascuntur à schismaticis.

6. Contra hoc enim quod Petro dicitur, *Pasce oves meas*; dicitur in Canticis canticorum, *Nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres.* Cui dicitur, utique agnoscimus, & in illa nos etiam audimus. Ecclesia quippe hoc audit à E Christo, sponsa audit à sponso: *Nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres, exi tu.* Quàm mala vox, *Exi. A nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis.* Huic tristi voci, quod est, *Exi*, contraria est in bono illa vox gratulabilis, *Intra in gaudium Domini tui.* Ergo, *Nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres*, ô catholica pulcra inter hæreses: *nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres, exi tu:* non enim ego te ejicio, sed *exi tu.* A nobis enim exierunt, *qui* F *segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Non enim dictum est, Ejecti sunt, sed, *Exierunt.* Hoc & in primis peccantibus justitia divina servavit. Tamquam enim jam pronos proprio pondere, dimisit eos de paradiso, non exclusit. *Nisi* ergo *cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres, exi tu:* non ego te ejicio, *exi tu.* Ego te in corpore meo volo sanari, tu putredinem tuam appetis amputari. Hoc illis dictum est, qui prævidebantur exituri, ut possint se G agnoscere & cavere mansuri. Quare enim & illi exierunt, nisi quia se non agnoverunt? Si enim agnoscerent, ibi viderent non suum, sed Dei esse quod darent. Ego do: meum est quod do; & ideo sanctum est, quia ego do. Non te agnovisti, meritò existi. Noluisti enim audire dicentem, *Nisi*

(Cant. 1. 7. — 1. Johan. 2. 19. — Matth. 25. 21. — Judæ 19. — Gen. 3. 23.)

Donatistarum vox.

cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres. Pulcra enim aliquando eras, quando sponsi tui membris inhærebas. Noluisti ergo audire & appendere quid sit, *Nisi cognoveris temetipsam:* quia utique fœdam te invenit, quia de fœda pulcram fecit, quia de nigra dealbavit. *Quid enim habes quod non accepisti?* Non ergo advertis quemadmodum dictum sit, *Nisi cognoveris temetipsam, exi tu.* Et putasti te pascere debere oves tuas, non quomodo dictum est Petro, *Pasce oves meas.* Sed vide quid tibi adjunxerit, qui tibi ista prædixit: *Exi tu in vestigiis gregum:* non gregis, sed *gregum.* Nam ibi pascuntur oves Christi, ubi est unus grex & unus pastor. *Exi* ergo *tu in vestigiis gregum*, divisibilis, divisa, conscissa: *Exi tu in vestigiis gregum: & pasce hœdos tuos*; non sicut Petrus, *oves meas*, sed *hœdos tuos: in tabernaculis pastorum*, non in tabernaculo pastoris. Petrus intrat caritate, tu exis animositate: quia Petrus cognovit semetipsum, ideo se flevit de se præsumentem, & invenire meruit adjuvantem: ideo *exi tu.* Ille *oves meas*, tu *hœdos tuos.* Ille in tabernaculo pastoris, tu *in tabernaculis pastorum.* Quid ergo jactas pœnam tuam malam, quæ non habes caussam bonam?

(Serm. de Sanctis. — 1. Cor. 4. 7.)

Martyres in Ecclesiæ unitate honorandi.

7. Martyres itaque intus honoremus in tabernaculo pastoris, in membris pastoris, habentes gratiam, non audaciam; pietatem, non temeritatem; constantiam, non pertinaciam; collectionem, non divisionem. Proinde si vultis Martyres veros imitari, caussam vobis eligite, ut dicatis Domino, *Judica me Domine, & discerne caussam meam à gente non sancta.* Discerne, non pœnam meam; nam habet hanc & gens non sancta; sed caussam meam, quam non habet nisi gens sancta. Caussam ergo vobis eligite, caussam bonam & justam tenete, & in adjutorio Domini nullam pœnam timete. Conversi ad Dominum, &c.

(Psal. 42. 1.)

* SERMO CCLXXXVI.

(* Aliàs de Diversis 39.)

In Natali [a] Martyrum Protasii & Gervasii.

CAPUT I. Martyres Græcè, Latinè Testes.

1. MARTYRES, nomen est Græcum, sed jam isto nomine consuetudo utitur pro Latino: Latinè autem Testes dicuntur. Sunt ergo Martyres veri, sunt falsi: quia sunt testes veri, sunt falsi. Sed ait Scriptura, *Testis falsus non erit impunitus.* Si testis falsus non erit sine pœna, nec testis verus sine corona. Et facile quidem fuit, Domino Jesu Christo & veritati, quia Deus est, testimonium perhibere; sed usque ad mortem, magnum opus fuit. Fuerunt quidam, quos Evangelium notat, principes Judæorum, qui crediderant in Dominum Jesum: sed propter Judæos, inquit, non audebant publicè confiteri. Et continuò nota addita est [b] capiti; secutus enim ait Evangelista, *Amaverunt enim hominum gloriam magis, quàm Dei.* Fuerunt ergo qui erubescerent coram hominibus confiteri Christum: fuerunt verò alii jam meliores, qui non erubescerent coram hominibus confiteri Christum, sed non eum possent confiteri usque ad mortem. Dona enim Dei sunt hæc: & aliquando gradatim in anima nutriuntur. * Attendite priùs, & istos tres testes comparate inter se; unum qui credit in Christum, & vix timidè

(Prov. 19. 5. & 9. — Testis Christi usque ad mortem nō omnis qui in eum credit. — Johan. 12. 43. — * CAPUT II. Credentium tres gradus.)

[a] De his Mediolanensibus Martyribus in Carthaginensi Kalendario & in martyrologiis die 19. Junii.

[b] Vox *capiti* non in omnibus inest MSS.

Classis III.

susurrat Christum; alium qui credit in Christum, A & publicè confitetur Christum; tertium qui credit in Christum, & paratus est in sua confessione mori pro Christo. Prior ille tam infirmus est, ut pudor eum vincat, non timor: secundus jam habet firmam frontem, sed nondum usque ad sanguinem: tertius * totum, ut nihil sit amplius quod restet. Implet enim quod scriptum est, *Certa pro veritate usque ad mortem.*

*Subaudi, habet, vel implet.

Eccli. 4. 33.

2. De Petro quid dicimus? Prædicavit Christum, missus est, evangelizavit adhuc ante Do- B mini passionem. Novimus enim missos Apostolos, ut Evangelium prædicarent: missus est, & prædicavit. Quantum vicerat illos Judæos, qui timebant publicè confiteri? Sed tamen adhuc non erat similis Protasio & Gervasio. Jam Apostolus erat, primus erat, Domino cohærebat. Dictum illi erat, *Tu es Petrus*: sed nondum erat Protasius aut Gervasius, nondum erat Stephanus, nondum erat [a] Nemesianus puer; nondum hoc erat Petrus: nondum erat quod mulieres quæ- C dam, quod puellæ, quod Crispina, quod Agnes; nondum erat Petrus, quod istarum muliebris infirmitas. * Laudo Petrum: sed priùs erubesco pro Petro. Quàm promta anima! sed nesciens se metiri. Nam utique si promta non esset, non diceret Salvatori, Moriar pro te. *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed medicus qui noverat venam cordis inspicere, prænuntiavit accessionis periculum. *Tu*, inquit, *pro me animam tuam ponis?* Agnosce ordinem. D Ego prior pono. *Tu pro me animam tuam ponis? Amen dico tibi, priùs quàm gallus cantet, ter me negabis.* Prænuntiavit medicus, quod nesciebat ægrotus. Invenit se ergo ægrotus falsum præsumsisse, quando interrogatus est, *Tu de illis es?* Quæ interrogavit ancilla, febris fuit. Ecce febris accessit, ecce hæret: quid dicam? Ecce periclitatur, ecce moritur Petrus. Quid est enim aliud mori, quàm vitam negare? Negavit Christum, negavit vitam, mortuus est. Sed ille qui resuscitat mortuos, *res-* E *pexit eum Dominus, & flevit amarè.* Negando periit, flendo resurrexit. Et mortuus est prior pro illo Dominus, sicut oportebat: & mortuus est postea pro Domino Petrus, sicut ordo ipse postulabat: & secuti sunt Martyres. * Strata est via priùs spinosa, & pedibus Apostolorum contrita, facta lenior secuturis.

Petrus ante mortem Domini infirmior Martyribus ac puellis quibusdam.

Matth. 16. 18.

*Caput III.

Matth. 26. 35.

Johan. 13. 38.

Matth. 26. 69.

Petrus vitam negando moritur.

Luca 22. 61.

*Caput IV.

3. Quasi semine sanguinis impleta est Martyribus terra, & de illo semine seges surrexit Ecclesiæ. Plus asseruerunt Christum mortui, quàm F vivi. Hodie asserunt, hodie prædicant: tacet lingua, sonant facta. Tenebantur, ligabantur, includebantur, producebantur, torquebantur, urebantur, lapidabantur, percutiebantur, bestiis subrigebantur. In omnibus suis mortibus quasi viles irridebantur: sed *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Tunc in conspectu Domini tantùm pretiosa, modò & in conspectu nostro. Tunc enim quando opprobrium erat esse Christianum, vilis erat mors sanctorum in con- G spectu hominum: detestabantur, exsecrationi habebantur: pro maledicto objiciebatur, Sic moriaris, sic crucifigaris, sic incendaris. Modò ista maledicta quis fidelis non optat?

Martyres Christum plus asseruerunt mortui, quàm vivi.

Psal. 115. 15.

Mors eorũ pretiosa.

Serm. 51 Sanctis.

4. Celebramus ergo hodierno die, Fratres, memoriam in hoc loco positam sanctorum Protasii & Gervasii, Mediolanensium Martyrum. Non eum diem quo hîc posita est, sed eum diem hodie celebramus, quando inventa est pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus per Ambrosium episcopum, hominem Dei: cujus tunc tantæ gloriæ Martyrum etiam ego testis fui. Ibi eram, Mediolani eram, facta miracula novi, adtestante Deo pretiosis mortibus sanctorum suorum: ut per illa miracula jam non solùm in conspectu Domini, sed etiam in conspectu hominum esset mors illa pretiosa. Cæcus notissimus universæ civitati illuminatus est, cucurrit, adduci se fecit, sine duce reversus est. Nondum audivimus quòd obierit: fortè adhuc vivit. In ipsa eorum basilica, ubi sunt eorum corpora, totam vitam suam serviturum se esse devovit. Nos illum gavisi sumus videntem, reliquimus servientem.

Caput V. Protasii & Gervasii detectio miraculis illustrata.

V. Aug. Confess. lib. 9. c. 7. De civitate Dei lib. 22. c. 8.

5. Non cessat Deus adtestari: & novit quomodo ipsa miracula sua debeat commendare. Novit agere, ut magnificentur: novit agere, ne vilescant. Non omnibus donat per Martyres sanitatem: sed omnibus promittit imitatoribus Martyrum immortalitatem. Quod non omnibus dat, non quærat cui non dat; nec murmuret adversùs eum quia non dat, ut det quod in fine promisit. Nam & qui modò sanantur, post paululum aliquando moriuntur: qui in fine resurgunt, cum Christo vivent. * Præcessit caput, exspectat membra secutura: implebitur totum corpus, Christus & Ecclesia. Ibi nos computet scriptos: & in hac vita quod expedit det. Novit enim ille quid expediat filiis suis. *Si ergo vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Quæ bona? numquid temporalia? Dat & ipsa; sed & infidelibus dat. Dat & ipsa; sed & impiis dat, sed & blasphematoribus suis dat. Bona quæramus, quæ non nobis sint cum malis communia. Novit ille Pater dare ista bona filiis suis. Modò petit ab illo filius suus sanitatem corporis: & non dat, adhuc flagellat. Sed numquid pater, quando flagellat, non præstat? Profert flagellum, sed cogita quale præparet patrimonium. *Flagellat*, inquit, *omnem filium quem recipit. Quem enim diligit Dominus, corripit.* Ideo ista dico, Fratres mei, ne contristemini quando petitis, & non accipitis, & arbitremini quòd ante oculos vos non habeat Deus, si ad tempus non exaudiat voluntatem vestram. Non enim semper ægrum exaudit medicus ad voluntatem, quamvis ejus sine dubio procuret atque appetat sanitatem. Non dat quod petit: sed quod non petit, hoc procurat. Petit frigidam, non dat. Crudelis factus est, qui venit sanare? Artis est, non crudelitatis. Non dat ad horam quod delectat: ut sanus possit omnia, nondum sano negantur aliqua.

Per Martyres nõ omnibus sanitas, sed eorum imitatoribus immortalitas datur.

*Caput VI.

Matth. 7. 11.

Hebr. 12. 6.

Æger non exauditur ad voluntatem, sed ad sanitatem.

6. Considerate promissiones Dei. Istis ipsis Martyribus quid, putatis quia omne quod postulaverunt dedit? Non. Multi se optaverunt dimitti, & cum aliquo miraculo dimitti, quomodo

Caput VII. Martyribus & Machabæis

[a] In recentioribus MSS. *Messanus.* At in antiquissimo Germanensi, ut in editis libris, *Nemesianus.* Martyrem hunc non habet Romanum martyrologium. In Kalendario Carthaginensi notatur X. *Kal. Jan. Sancti Nemesiani* celebritas, istius fortè pueri memoriæ dedicata, quem videlicet hîc laudat Augustinus quasi Martyrem vulgo notissimum. Alius est Nemesianus ex Africa episcopus in martyrologiis celebratus IV. Idus Septembris.

CLASSIS III

dimissi sunt tres pueri de camino. Qualis vox re- A gis Nabuchodonosor? *Quoniam*, inquit, *speraverunt in eum, & verbum regis immutaverunt.* Quale testimonium perhibet, qui conabatur occidere? Incendi illos voluit, qui postea per illos credidit. Si illi in igne morerentur, occultè coronarentur, huic non prodesset. Ideo ad tempus [a] servati sunt, ut crederet infidelis, ut laudaret Deum, qui damnaverat illos. Ipse fuit Deus trium puerorum, qui fuit Deus Machabæorum. Illos de igne liberavit, illos in igne mori fecit. Mutatus est? Plus illos quàm B illos diligebat? Major corona data est Machabæis. Certè illi evaserunt ignes, sed ad pericula istius sæculi servati sunt: illi in ignibus omnia pericula finierunt. Non ulteriùs restabat ulla tentatio, sed sola coronatio. Ergo plus acceperunt Machabæi. * Excutite fidem vestram, oculos cordis proferte, nolite humanos: habetis enim alios intus, quos vobis Dominus fecit, qui vobis oculos cordis aperuit, quando fidem dedit. Ipsos oculos interrogate: qui plus acceperunt, Ma- C chabæi, an tres pueri? Fidem interrogo. Homines sæculi hujus amatores si interrogem: Ego inter tres pueros volebam esse, dicit mihi anima infirma. Erubesce matri Machabæorum, quæ voluit filios suos ante se mori, quia sciebat non mori.

Plus præstitum quàm tribus pueris ab igne liberatis. Dan. 3. 95.

2 Mach. 7.

* CAPUT VIII.

7. Ego [b] aliquando memoror de libellis miraculorum Martyrum, quæ in conspectu vestro leguntur. Ante dies lectus est quidam libellus, ubi cuidam ægrotæ quæ doloribus acerrimis tor- D quebatur, cùm dixisset, Ferre non possum; ait illi ipse Martyr qui sanare venerat, Quid si martyrium duceres? Multi ergo ducunt martyrium in lecto: prorsus multi. Est quædam persecutio satanæ, occultior & astutior quàm tunc fuit. Jacet fidelis in lecto, torquetur doloribus, orat, [c] non exauditur: immo exauditur, sed probatur, sed exercetur, sed ut recipiatur filius, flagellatur. Ergo cùm torquetur doloribus, venit linguæ tentatio, accedit ad lectum aut muliercula ali- E qua, aut vir, si vir dicendus est; & dicit ægroto, Fac illam ligaturam, & sanus eris: adhibeatur illa præcantatio, & sanus eris. Ille & ille & ille, interroga, sani inde facti sunt. Non cedit, non obtemperat, non cor inclinat; certat tamen. Vires non habet, & diabolum vincit. Fit martyr in lecto, coronante illo qui pro illo pependit in ligno.

Libelli de miraculis Martyrum lecti in Ecclesia.

Martyriū in lecto.

* SERMO CCLXXXVII.

In Natali [d] S. Johannis Baptistæ, qui est VIII. *Kalendas Iulii.*

* *Aliàs de Diversis 40.*

CAPUT I. *Natalis dies Christi tantùm & Johannis ab Ecclesia celebratus.*

1. PROLIXA narratio, sed compensatur labor auditoris dulcedine veritatis. Illustrem nativitatem beatissimi Johannis præconis & præcursoris Christi, cùm sanctum Evangelium legeretur, audivimus. Hinc adtendat Caritas Vestra, quàm magni hominis nativitas facta sit. Natalis dies carnis nulli Propheta- G rum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum A celebravit Ecclesia: solos duos Natales celebrat, hujus & Christi. Tempora ipsa quibus nati sunt ambo, magnum mysterium præfigurant. Johannes magnus erat homo, sed homo. Tam magnus autem erat homo, ut quidquid plus illo esset, Deus esset. *Qui post me venit, major me est.* Dixit hoc Johannes: *Ipse major me est.* Si major te est, quid est quòd ipsum majorem te, audivimus dicentem, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Iohanne Baptista?* Si nemo hominum est B te major, quid est ille qui te major est? Quis sit, vis audire? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

SERM. DE SANCTIS.

Matth. 3. 11.

Matth. 11. 11.

Johan. 1. 1.

2. Et quomodo Verbum Dei Deus, per quod facta sunt omnia, quod natum est sine initio temporis, per quod facta sunt tempora, diem natalem invenit in tempore? Quomodo, inquam, Verbum per quod facta sunt tempora, diem natalem invenit in tempore? Quæris quomodo? Audi ipsum Evangelium: *Verbum caro factum est, & ha-* C *bitavit in nobis.* * Natalis Christi natalis est carnis, non Verbi: sed ideo natalis est Verbi, quia *Verbum caro factum est.* Natum est Verbum, sed in carne natum est, non in se. In se autem est quidem à Patre, sed diem natalem non habet in tempore.

Christus hîc diem habet natalem ut homo, non ut Deus.

* CAPUT II.

3. Natus est Johannes, natus est & Christus: annuntiatus Johannes ab Angelo, annuntiatus Christus ab Angelo. Utrumque magnum miraculum. Servum præcursorem parit sterilis de fe- D mina viro, Dominum possessorem parit virgo sine viro. Magnus homo Johannes: sed plus quàm homo Christus; quia & homo & Deus. Magnus homo; sed humiliandus erat homo, ut exaltaretur Deus. Denique quia humiliandus erat homo, audi ipsum hominem: *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere.* Si se dignum diceret, quantum se humiliaret? Nec hoc se dixit dignum. Omnino prostravit se, & prostravit se sub petra. Lucerna enim erat, & vento superbiæ E timebat exstingui.

Mirabilis utraque nativitas, Christi & Johannis, licèt tanta sit inter eos distantia.

Johan. 1. 27.

Johan. 5. 35.

4. Denique quia humiliandus erat omnis homo Christo, ac per hoc & Johannes; & quòd exaltandus erat Deus homo Christus, demonstravit & dies natalis, & genera passionum. * Natus est Johannes hodie: ab hodierno minuuntur dies. Natus est Christus octavo Kalendas Januarias: ab illo die crescunt dies. Johannes in passione capite est deminutus, Christus in ligno est exaltatus. Quàm bene nuntiatus est virgini Ma- F riæ, quàm [e] verè, quàm sanctè, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Credebat, sed modum quærebat. Et quid audivit? *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi*, ipse Spiritus-sanctus, id est, *virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et propterea hoc quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Erit in te conceptus, libido non erit concupiscentiæ. Non erit æstus, ubi umbram facit Spiritus-sanctus. Sed quia corpori nostro sunt G æstus, sufficiant hæc Caritati Vestræ: bene cogitata plura erunt.

Christi & Johannis in die natali & in passione differentia quid significavit.

* CAPUT III.

Luca 1. 34. & 35.

[a] Sic aliquot MSS. At editi, *coronati sunt*: ac paulò pòst, *qui damnaverat Deum.*

[b] Ita in pluribus MSS, At in excusis, *Ego quia mando memoria de libellis miraculorum Martyris.* Porrò libellorum ejusmodi dandorum & in populo recitandorum consuetudinem se auctore introductam Augustinus in lib. 22. de civitate Dei cap. 8. de miraculis sanitatum per Martyrem Stephanum factis agens testatur; ibique significat libellos non ante biennium dari cœpisse. Hæc verò scribebat sub finem anni 426.

[c] Editi juxta Germanensem MS *orat, exauditur; immo non exauditur.* Verior visa est aliorum MSS. lectio, hîc restitura.

[d] Sermones de Natali Johannis Baptistæ plures notat Possidius in Indiculo cap. 8. 9. & 10.

[e] Germanensis MS. *quàm verè sancta.*

SERMO

CLASSIS III. · SERM. DE SANCTIS.

*Alias 23. ex Sirmondianis.

*SERMO CCLXXXVIII.

In Natali [a] Johannis Baptistæ, II.
De voce & verbo.

Celebritas nativitatis S. Johannis.

1. Dei hodiernæ festivitas anniversario reditu memoriam renovat, natum esse Domini præcursorem ante mirabilem mirabiliter; cujus nativitatem considerare nos & laudare maximè hodie convenit. Ad hoc enim & dies anniversarius huic miraculo dedicatus est, B ut beneficia Dei & excelsi magnalia non deleat oblivio de cordibus nostris. Johannes ergo præco Domini missus ante illum, sed factus per illum. *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* (Johan. 1. 3.) Missus homo ante hominem Deum, agnoscens Dominum suum, annuntians Creatorem suum; jam in terra præsentem mente discernens, digito ostendens. Ipsius enim verba sunt ostendentis Dominum & testimonium perhibentis, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* (Ibidem 29.) C Meritò ergo sterilis peperit præconem, virgo judicem. In matre Johannis sterilitas accepit fecunditatem: in matre Christi fecunditas non corrupit integritatem. Si vestra patientia, & quietum studium, & adtentum silentium præbeat mihi copiam, adjuvante Domino; dicere quod donat ut dicam, erit procul dubio fructus adtentionis vestræ, & operæ pretium studii nostri, ut aliquid quod ad magnum sacramentum pertineat, insinuem auribus & cordibus vestris. D

Johannes plus quàm Propheta, subjecto Christum commendat.

2. Fuerunt Prophetæ ante Johannem, & multi, & magni, & sancti, digni Deo, Deo pleni, Salvatoris prænuntiatores, veritatis adtestatores. Verumtamen de nullo eorum dici potuit, quod dictum est de Johanne, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Iohanne Baptista.* (Matth. 11. 11.) Quid ergo sibi vult ista magnitudo præmissa ante magnum? Ad testimonium magnæ humilitatis. Tam enim magnus erat, ut Christus posset putari. Posset Johannes abuti errore hominum, & non laborare persuadere se esse Christum, quia hoc jam illi, qui eum audiebant & videbant, illo non dicente putaverant. E Non erat ei opus seminare errorem, sed confirmare. At ille sponsi amicus humilis, sponso zelans, non se pro sponso adulterum supponens, perhibet testimonium amico suo, & eum qui verè sponsus erat, sponsæ commendat: ut ametur in illo, odit se amari pro illo. *Qui habet,* inquit, *sponsam, sponsus est.* (Johan. 3. 29.) Et quasi diceres, Quid tu? *Amicus autem,* inquit, *sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* F *Stat, & audit*: discipulus audit magistrum; quia audit, stat; quia si non audit, cadit. Hinc magnitudo Johannis maximè commendatur; quia cùm posset putari Christus, maluit Christo testimonium perhibere, illum commendare; se humiliare, quàm pro ipso accipi, & à se decipi. Meritò dictus est amplius quàm Propheta. De Prophetis enim, qui fuerunt ante adventum Domini, Dominus ipse ita loquitur: *Multi Prophetæ & justi* G *voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* (Matth. 13. 17.) Etenim illi qui implebantur Spiritu Dei, ut annuntiarent Christum venturum, concupiscebant, si fieri posset, in terra videre præsentem. Unde Simeon ille differebatur exire de sæculo, ut videret natum, per quem conditum est sæculum. (Luca 2. 25.)

A Et ille quidem infantem vidit Verbum Dei in carne: sed nondum docebat, nondum magistri personam professus erat, qui jam apud Patrem Angelis magister erat. Simeon ergo vidit, sed infantem: Johannes autem jam prædicantem, jam discipulos eligentem. Ubi? Ad flumen Jordanis. Inde enim cœpit magisterium Christi. Ibi baptismus Christi commendatus est futurus: quia susceptus est baptismus præveniens, & viam parans, & dicens, *Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus.* (Matth. 3. 3.) Baptizari enim voluit Dominus à servo, ut viderent quid accipiunt qui baptizantur à Domino. Inde ergo cœpit, unde meritò prophetia præcesserat: *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ.* (Psal. 71. 8.) Ad ipsum flumen, unde cœpit dominari Christus, vidit Johannes Christum, cognovit, testimonium perhibuit. Magno se humiliavit, ut à magno exaltaretur humilis. Et se amicum sponsi dixit: & qualem amicum? fortassis æqualem? Absit: longè infrà. Quantùm longè? *Non sum dignus*, ait, *corrigiam calceamenti ejus solvere.* (Marci 1. 7.) Hic Propheta, immo ampliùs quàm Propheta, prænuntiari meruit per Prophetam. De illo namque dixit Isaias, quod hodie nobis lectum est, (Isai. 40. 3. &c.) *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt tortuosa in directum, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei. Exclama: quid exclamabo? Omnis caro fœnum, & omnis claritas ejus ut flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit: Verbum autem Domini manet in æternum.* Adtendat Caritas Vestra. Johannes interrogatus quis esset, utrùm Christus esset, utrùm Elias, utrùm propheta, *Non sum*, inquit, *Christus, nec Elias, nec propheta.* (Johan. 1. 20. &c.) Et illi: *Quis ergo es? Ego sum vox clamantis in deserto.* Vocem se dixit. Habes Johannem vocem. Quid habes Christum, nisi Verbum? Vox præmittitur, ut Verbum postea intelligatur. Et quale Verbum? Audi illud tibi clarè ostendentem: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* (Ibidem 1. &c.) Si omnia, & Johannes. Quid miramur, si Verbum fecit sibi vocem? Vide, vide utrumque ad flumen, & vocem & Verbum. Vox Johannes, Verbum Christus.

Vocem inter & verbum quid discriminis.

3. Quæramus quid intersit inter vocem & verbum: adtenti quæramus; non parva res est, nec parvam intentionem desiderat. Dabit Dominus, ut nec ego in explicando fatiger, nec vos in audiendo. Ecce duo quædam, vox & verbum. Quid est vox? quid est verbum? Quid? Audite quod in vobis ipsis approbetis, & vobis ipsis à vobismetipsis interrogati respondeatis. Verbum, si non habeat rationem significantem, verbum non dicitur. Vox autem, etsi tantummodo sonet, & irrationabiliter perstrepat, tamquam sonus clamantis, non loquentis, vox dici potest, verbum dici non potest. Nescio quis ingemuit, vox est: ejulavit, vox est. Informis quidam sonus est, gestans vel inferens strepitum auribus sine aliqua ratione intellectûs. Verbum autem, nisi aliquid significet, nisi aliud ad aures ferat, aliud menti inferat, verbum non dicitur. Sicut ergo dicebam, si clames, vox est: si dicas, Homo, verbum

[a] Meminit Possidius in Indiculo c. 8. & Florus ad 1. Cor. 13.

est; si dicas, pecus, si Deus, si mundus, vel aliquid A aliud. Has enim omnes voces significantes dixi, non inanes, non sonantes & nihil docentes. Si ergo jam distinxistis inter vocem & verbum, audite quod miremini in his duobus, Johanne & Christo. Verbum valet plurimùm & sine voce: vox inanis est sine verbo. Reddamus rationem, & quod proposuimus, si possumus, explicemus. Ecce voluisti aliquid dicere: hoc ipsum quod vis dicere, jam corde conceptum est; tenetur memoriâ, paratur voluntate, vivit intellectu. Et hoc B ipsum quod vis dicere, non est alicujus linguæ. Res ipsa, quam vis dicere, quæ corde concepta est, non est alicujus linguæ, nec Græcæ, nec Latinæ, nec Punicæ, nec Hebrææ, nec cujusquam gentis. Res est tantùm corde concepta, parata procedere. Ergo, ut dixi, res est quædam, sententia quædam, ratio corde concepta, parata procedere, ut insinuetur audienti. Sic igitur quomodo nota est ei, in cujus corde est, verbum est, jam notum dicturo, nondum audituro. Ecce ergo C verbum jam formatum, jam integrum, manet in corde: quærit procedere, ut dicatur audienti. Adtendit ille, qui concepit verbum quod dicat, & notum habet verbum sibi in corde suo, adtendit cui dicturus est. Loquar in nomine Christi auribus eruditis in Ecclesia: & audeo etiam aliquid jam quod sit subtilius, insinuare non rudibus. Intendat ergo Caritas Vestra. Videte verbum corde conceptum, quærit procedere, ut dicatur: adtendit cui dicatur. Invenit Græcum, D Græcam vocem quærit, qua procedat ad Græcum. Invenit Latinum, Latinam vocem quærit, qua procedat ad Latinum. Invenit Punicum, Punicam vocem quærit, qua procedat ad Punicum. Remove diversitatem auditorum, & verbum illud, quod corde conceptum est, nec Græcum est, nec Latinum, nec Punicum, nec cujusquam linguæ. Talem vocem quærit procedendi, qualis adsistit auditor. Modò, Fratres, ut aliquid propositum sit quod intelligatis, concepi corde E ut dicam, Deus. Hoc quod concepi corde, magnum aliquid est. Non enim duæ syllabæ sunt Deus; non enim vox ista brevis est Deus. Deum volo dicere, intendo cui dicam. Latinus est? Deum dico. Græcus est? Θεὸν dico. Latino dico Deum, Græco dico Θεόν. Inter Deum & Θεὸν distat sonus: litteræ aliæ sunt hîc, aliæ sunt ibi: in corde autem meo, in eo quod volo dicere, in eo quod cogito, nulla est diversitas litterarum, nullus sonus varius syllabarum: hoc est quod est. F Ut enuntiaretur Latino, alia vox adhibita est; ut Græco, alia. Si Punico enuntiare vellem, aliam adhiberem; si Hebræo, aliam; si Ægyptio, aliam; si Indo, aliam. Quàm multas voces faceret personarum mutatione verbum cordis, sine ulla sui mutatione vel varietate? Pergit ad Latinum voce Latinâ, ad Græcum Græcâ, ad Hebræum Hebrææ. Ad audientem pervenit, nec à loquente discedit. Numquid enim quod dicendo in alio facio, ego amitto? Sonus ille adhibitus medius in te ali- G quid propagavit, à me non emigravit. Deum jam ego cogitabam: tu nondum audieras vocem meam; hac auditâ, cœpisti & tu habere quod cogitabam: sed ego non perdidi quod habebam. Ergo in me, tamquam in cardine cordis mei, tamquam in secretario mentis meæ, præcessit verbum vocem meam. Nondum sonuit vox in ore meo, & inest jam verbum cordi meo. Ut autem exeat ad te quod corde concepi, ministerium vocis inquirit.

4. Si possim, adjuvante intentione vestra & orationibus, dicere quod volo, puto quia gaudebit qui intelliget: qui autem non intelliget, ignoscat homini laboranti, Deo supplicet miseranti. Etenim & quod loquor inde est. Inde unde loquor, inest cordi quod dicam: sed vocum ministeria laborant ad aures vestras. Quid ergo, Fratres? quid ergo? Certè intendistis, certè jam intelligitis, quia verbum erat in corde meo, antequam sibi adhiberet vocem, in qua procederet ad aures vestras. Puto quia intelligant omnes homines: quia quod mihi accidit, hoc omni loquenti. Ecce jam scio quod volo dicere, corde teneo, ministerium vocis inquiro: antequam sonet vox in ore meo, jam tenetur verbum in corde meo. Præcessit ergo verbum vocem meam, & in me prius est verbum, posterior vox: ad te autem, ut intelligas, prior venit vox auri tuæ, ut verbum insinuetur menti tuæ. Nosse enim non posses quod in me fuerat ante vocem, nisi in te fuerit post vocem. Ergo si vox Johannes, verbum Christus: ante Johannem Christus, sed apud Deum; post Johannem Christus, sed apud nos. Magnum sacramentum, Fratres. Intendite, accipite magnitudinem rei etiam atque etiam. Delectat enim me intellectus vester, & audaciorem facit ad vos, adjuvante illo quem prædico, tantillus tantum, homo qualiscumque Verbum Deum. Ipso ergo adjuvante, audacior fio ad vos, & præmissa ista informatione distinctionis vocis & verbi, quæ consequantur insinuo. Personam gerebat Johannes vocis in sacramento: nam non ipse solus vox erat. Omnis enim homo annuntiator Verbi, vox Verbi est. Quod enim est sonus oris nostri ad verbum, quod in corde gestamus; hoc omnis anima pia prædicatrix ad illud Verbum, de quo dictum est, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Quanta verba, immo quantas voces facit verbum corde conceptum! Quantos prædicatores fecit Verbum apud Patrem manens! Misit Patriarchas, misit Prophetas, misit tot & tantos prænuntiatores suos. Verbum manens voces misit, & post multas præmissas voces, unum ipsum Verbum venit tamquam in vehiculo suo, in voce sua, in carne sua. Collige ergo tamquam in unum omnes voces, quæ præcesserunt Verbum, & eas omnes constitue in persona Johannis. Harum omnium sacramentum ille gestabat, harum omnium persona sacrata & mystica ille unus erat. Ideo propriè dictus est vox, tamquam omnium vocum signaculum atque mysterium.

Vocis ministerio opus est ut verbũ insinuetur mẽti auditoris.

Johan. 1. 1.

5. Ergo adtendite jam quò pertineat, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Adtendite, si possim eloqui; si, non dicam, insinuare, sed saltem cogitare sufficiam, quo modo, qua ratione, qua intentione, qua caussâ, secundùm distinctionem quam locutus sum vocis & verbi, dixerit ipsa vox, ipse Johannes, *Illum oportet crescere, me autem minui.* O magnum & mirabile sacramentum! Adtendite personam vocis, in qua persona erant sacramenta omnium vocum, dicentem de persona Verbi, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Quare? Adtendite. Apostolus dicit: *Ex parte scimus, & ex parte prophetamus; cùm autem vene-*

Vocis ministerium minuitur, crescente profectu mentis ad Verbum.

Johan. 3. 30.

1. Cor. 13. 9. Florus ibidem.

CLASSIS III.

rit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur. Quid est perfectum? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hoc est perfectum. Quid est perfectum, dicat & apostolus Paulus: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Hunc æqualem Deo Patri, hoc Verbum Dei apud Deum, per quod facta sunt omnia, videbimus sicuti est, sed in fine. Nam nunc, quod Evangelista Johannes dicit, *Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Dilectissimi,* B *scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Hæc visio nobis promittitur, ad hanc visionem erudimur, ad hanc visionem corda mundamus. *Beati* enim, inquit, *mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Ostendit carnem suam; ostendit servis, sed formam servi; tamquam propriam vocem suam, inter multas voces, quas præmisit, ipsam etiam carnem suam ostendit. Pater quærebatur, quasi jam ipse sicuti est videretur: qui æqualis Patri C Filius, in formâ servi servis loquebatur. *Domine,* ait illi Philippus, *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Omnis intentionis suæ finem quærebat, hoc est, profectûs sui terminum, quò cùm pervenisset, nihil amplius jam requireret. *Ostende,* inquit, *nobis Patrem, & sufficit nobis.* Bene, Philippe, bene, optimè intelligis quòd tibi sufficit Pater. Quid est *sufficit*? Nihil ultrà quæres: implebit te, satiabit te, perficiet te. Sed vide ne fortè sufficiat tibi & iste quem audis. Solus sufficit, D an cum Patre? Sed quomodo solus, quando numquam discedit à Patre? Ergo respondeat Philippo volenti videre: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui vidit me, vidit & Patrem.* Quid est, *Philippe, qui vidit me, vidit & Patrem,* nisi, Tu me non vidisti, ideo quæris Patrem? *Philippe, qui me vidit, vidit & Patrem.* Tu autem vides me, & non vides me. Non vides enim me qui feci te; sed vides quod factus sum propter te. *Qui me,* inquit, *vidit, vi-* E *dit & Patrem.* Unde, nisi quia *in forma Dei non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo?* Quid ergo Philippus videbat? Quod *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Hoc videbat Philippus, formam servi, liber futurus ad formam Dei. Ergo omnium vocum persona Johannes, Verbi persona Christus. Omnes voces necesse est minuantur, quando ad Christum videndum proficimus. Quantò enim proficis ad F videndam sapientiam, tantò minùs tibi vox est necessaria. Vox in Prophetis, vox in Apostolis, vox in Psalmis, vox in Evangelio. Veniat illud, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Cùm eum viderimus sicuti est, numquid ibi recitabitur Evangelium? Numquid prophetias audituri sumus? Numquid epistolas Apostolorum lecturi sumus? Quare? Quia deficiunt voces, crescente verbo: quia *Illum oportet crescere, me autem minui.* Et G Verbum quidem per se ipsum nec crescit, nec deficit in se. In nobis autem crescere dicitur, cùm proficiendo in illum crescimus: sicut crescit in oculis lux, cùm acie convalescente videtur ampliùs, quæ acie languente minùs utique videbatur. Et minor erat oculis ægris, major est oculis sanis: cùm ipsa per se ipsam nec antè imminuta

Philip. 2. 6. — 1. Johan. 3. 2. — Johan 3. 1. — Matth. 5. 8. — Johan. 14. 8. &c. — Philip. 2. 6. & 7.

A sit, nec postmodum creverit. Minuitur ergo ministerium vocis, cùm fit mentis profectus ad Verbum. Ita oportet Christum crescere, Johannem autem minui. Hoc eorum indicant passiones. Nam Johannes minutus est, cæsus capite; Christus exaltatus est, crevit * tamquam in cruce. Hoc eorum indicant natales dies. Nam à Natali Johannis incipiunt dierum detrimenta; à Christi autem, renovantur augmenta.

SERMO DE SANCTIS. — * f. extentus.

* SERMO CCLXXXIX.

In Natali Iohannis Baptistæ, III.

* Aliàs 3. ex Vignerianis.

1. CAUSSA hodiernæ celebris congregationis nostræ, Natale est Johannis Baptistæ, cujus mirabilem conceptum & partum, cùm Evangelium legeretur, audivimus. Magnum mysterium, Fratres mei: mater Johannis & sterilis erat & anus, pater senex: prorsus in utroque desperata posteritas. Sed quia Deo impossibile nihil est, promissus est filius non credenti. Vox ablata est patri, cui defuit fides: jam enim fuerat scriptum, *Credidi, propter quod locutus sum.* Non credidit, & non locutus est. Interea etiam virgo concepit, & hoc sublime miraculum longéque præstantius. Concipit sterilis præconem, virgo judicem. Johannes de masculo & femina, Christus de sola femina. Comparandus est fortè Johannes Christo? Absit. Non tamen frustra tantus tantum præcessit. Si enim, potestatem conatui meo ipso dignante atque donante Domino Deo nostro, potuero explicare quod sentio, nec mea vilitas deseretur, nec exspectatio vestra fraudabitur. Si autem minùs potuero explicare quod sentio, supplebit in cordibus vestris Dominus Deus noster, quod mihi fortè pro infirmitate mea subtraxerit. Hoc ideo præloquutus sum, quoniam quid velim dicere, ego scio, vos nescitis; & quæ sit difficultas in exponendo ego jam sentio. Commendandum autem erat vobis, ut in ipsa intentione vestra possitis orare pro nobis.

Johannes non sine caussa tam mirabiliter natus & tā magnus. — Psal. 115. 10.

2. Hominem concepit Elisabeth, hominem Maria: Elisabeth mater Johannis, Maria mater Christi: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum & hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre; qui fecit primum hominem sine patre & matre? Primus ille noster casus fuit, quando femina per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum, & admissus est malè suadens. Si primus noster casus fuit, cùm femina concepit corde venena serpentis; non mirandum quòd salus nostra facta est, cùm femina concepit in utero carnem omnipotentis. Uterque ceciderat sexus, uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus, per mulierem nobis reddita est salus.

Johannes homo tantùm, Christus Deus & homo.

3. Quid sibi ergo vult Johannes? Unde interpositus? unde præmissus? Dicam si potuero. Dominus noster Jesus Christus de Johanne dixit, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Iohanne Baptista.* Si comparetur hominibus Johannes, omnes superat ille homo, non eum vincit nisi Deus homo. Johannes præmissus est ante Dominum. Tanta in illo excellentia erat, tanta gratia, ut ip-

Johannes tam excellens homo, ut Christus putaretur. Matth. 11. 11.

CLASSIS III.

se putatus sit Christus. Christum enim exspectabant Judæi; quia & in ipsis Prophetis, quos & ipsi legerunt, prænuntiatus est Christus. Exspectabant absentem, occiderunt præsentem: cùm putant non esse ipsum, defecerunt ipsi, & mansit ipse. Non tamen omnes defecerunt, & de Judæis multi crediderunt. Ergo quia Christus exspectabatur; videte gloriam Johannis: cùm enim in illo adverteretur tanta gratia, cùm baptizaret in pænitentia, & pararet viam Domino velut præmissus metator, miserunt ad illum Judæi, & B dixerunt, *Quis es tu? Numquid tu Elias, aut propheta? aut tu es Christus? Non sum*, inquit, *Christus, nec Elias, nec propheta. Et tu*, inquiunt, *quis es? Ego sum*, inquit, *vox clamantis in eremo.* Johannes respondit Judæis quærentibus quis esset, & jam putare incipientibus quòd ipse esset Christus, *Ego vox clamantis in eremo.* Audistis, si intenti fuistis, lectionem Propheticam, quæ primò recitata est. Ibi scriptum est, C *Vox clamantis in eremo, parate viam Domino, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt tortuosa in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.* Deinde dixit Dominus per Prophetam, *Exclama, & dixi, Quid exclamabo?* Et Dominus ibi apud Prophetam, *Omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis ut flos fœni; fœnum aruit, & flos decidit, Verbum autem Domini manet in æternum.* Johannes dixit, *Ego vox clamantis in eremo, parate viam Domi-* D *no:* hoc est dicere, De me prædictum est à Propheta, quòd ego futurus eram clamans in eremo. Ad Johannem ergo pertinet dicere, *Omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis ut flos fœni; fœnum aruit, & flos decidit, Verbum autem Domini manet in æternum.* Verbum concipitur in utero virginis; clamat in eremo vox Verbum. Vox si verbum non sit, strepitus est aurium fortè, nam nec hoc fortè dici posset. Omne verbum vox, non omnis vox verbum. Si homo ore pa- E tente clamet quantùm potest, vox est, verbum non est. Quæ est autem vox quæ dicitur verbum? Ubi intelligitur aliquid, vox significans verbum est. Sed ecce necdum sonat, dicere volo aliquid, jam verbum est in corde meo. Verbum est in corde, & nondum vox in ore. Potest ergo esse verbum sine voce, & potest esse vox sine verbo. Adde vocem verbo, procedit in notitiam verbum. Quid ergo Christus ad Mariam? Verbum occultum. Præmissa est vox ut præcederet F Verbum. Quid est Johannes? *Vox clamantis in eremo.* Quid est Christus? *In principio erat Verbum.* Quid tu vox? Quid tu homo? *Omnis caro fœnum, & omnis claritas hominis ut flos fœni; fœnum aruit, & flos decidit, Verbum autem Domini manet in æternum.* Tene te ad Verbum; pro te enim suscepit fœnum Verbum. Incarnatum Verbum Christus. Sed *omnis caro fœnum, & omnis honor carnis ut flos fœni:* contemnamus præsentia, speremus futura. *Omnis vallis implebitur,* G omnis humilitas exaltabitur: *& omnis mons, & collis humiliabitur,* omnis superbia dejicietur. Depone montes, imple valles, & facta est campi æqualitas. Da mihi divites & honoratos de flore fœni; ipsi audiant, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Da mihi pauperes desperatos, conscios infirmitatis suæ; non desperent, credant in eum qui venit propter omnes. Illi erigantur, illi premantur. Venturus ille campum inveniat, non lapidem ubi pedem offendat. Ideo enim dicebat ipse Johannes, *Parate viam Domino*; non mihi, sed Domino; à quo missus sum, non quod ego sum.

Johan. 1. 21. &c.

Johannis de seipso ac de Christo testimonium.

Isai. 40. 3. &c.

Jacobi 4. 6.

SERM. DE SANCTIS.

4. Sed dicunt Judæi, *Numquid tu es Christus?* Iste si non esset vallis implenda, sed mons humiliandus, invenerat occasionem decipiendi. Illi enim audire ab eo volebant quod crederent. Tantum enim mirabantur ejus gratiam, ut quod diceret, sine dubio crederent. Ecce invenerat occasionem decipiendi generis humani: si diceret, Ego sum Christus, crederent illi. Si jactaret se per nomen alienum, perderet meritum proprium. Si jactaret se quasi Christus, nonne ipse sibi responderet, Quid te extollis? *Omnis caro fœnum, & claritas ejus ut flos fœni; fœnum aruit, flos decidit.* Intellige quid manet in æternum: *Verbum autem Domini manet in æternum.* Agnovit se: meritò Dominus lucernam eum dixit. Dominus de Johanne hoc ait, *Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluistis exsultare ad horam in lumine ejus.* Johannes autem Evangelista quid de illo dicit? *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine; non erat ille lumen.* Quis? Johannes Baptista. Quis hoc dicit? Johannes Evangelista: *Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Tu dicis, *Non erat ille lumen:* de quo dicit ipsum lumen, *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Sed novi, inquit, quale lumen dicam; novi in cujus luminis comparatione non est lucerna lumen. Audi quid sequitur: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Johannes non omnem illuminat hominem, Christus omnem hominem. Et Johannes agnovit se lucernam, ne vento superbiæ exstingueretur. Lucerna & accendi, & exstingui potest. Verbum Dei exstingui non potest, lucerna semper potest.

Johannes nominis Christi superbam usurpationẽ cavet.

Johan. 5. 35.

Johan. 1. 6. &c.

5. Missus est ergo summus homo, qui perhiberet testimonium ei, qui plus esset quàm homo. Quando enim ille, quo nemo major exsurrexit in natis mulierum, dicit, *Non sum ego Christus*, & humiliat se Christo, aliquid plus homine intelligendus est. Nam si quæris summum hominem Johannem, plus homine Christus est: sic intellige præcursorem, ut quæras judicem; sic audi præconem, ut timeas judicem. Missus est, prædixit venturum. Et quale testimonium Johannes perhibet Christo? Quale audi: *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Intellexisti homo quid ageres? *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Quid igitur de Christo? *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* Quid est, *Nos omnes?* Ergo Patriarchæ, & Prophetæ & Apostoli sancti, vel ante incarnationem præmissi vel ab incarnato missi, *omnes nos de plenitudine ejus accepimus.* Nos vasa sumus, ille fons est. Ergo si intelleximus mysterium, Fratres mei, Johannes homo est, Christus Deus est: humilietur homo, & exaltetur Deus. Ut humilietur homo, eo die natus est Johannes, quo dies incipiunt decrescere. Ut exaltetur Deus, eo die natus est Christus, quo dies incipiunt crescere. Magnum sacramentum. Ideo celebramus Natalem Johannis, sicut Christi, quoniam ipsa nativitas plena est myste-

Johannes præcursor maximus homo, ut Christus agnoscatur plus quàm homo.

Johan. 1. 27.

Lucæ 14. 11.

Johan. 1. 16.

CLASSIS III.

rio. Quo mysterio? Altitudinis nostræ. In homine minuamur, in Deo crescamus. In nobis humiliemur, ut in illo exaltemur. Impletum est passionibus amborum hujus tantæ rei sacramentum. Ut minueretur homo, caput perdidit Johannes: ut exaltaretur Deus, Christus ligno suspensus est. Ad hoc missus est Johannes, ut eum imitemur, & ad Verbum nos teneamus. Quantumcumque se jactet humana superbia, de quavis excellentia sanctitatis, quis erit quod Johannes? Quisquis es qui te magnum putas, non eris quod Johannes. Nondum natus erat, & jam nasciturum Dominum exsultans in utero prænuntiabat. Quid excellentius ista sanctitate? Imitare: audi quid dicat de Christo. *Nos de plenitudine ejus accepimus.* Lucerna in nocte fontem tibi ostendit, inde & ipse bibit: *Nos enim*, inquit, *de plenitudine ejus omnes accepimus. Nos omnes*: ille fons, nos vasa: ille dies, nos lucernæ. Magna infirmitas hominum: per lucernam quæritur dies.

Non Johannes solus, sed & Apostoli lucernæ. *Matth. 5. 14.*

6. Sed & Apostoli, Fratres mei, lucernæ sunt diei. Nolite putare quia Johannes solus est lucerna; & Apostoli non sunt. Ait illis Dominus, *Vos estis lux mundi.* Et ne putarent quia talis lux erant, qualis dictus est lux, de quo dictum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: continuò docuit illos veram ipsam lucem. Cùm dixisset, *Vos estis lux mundi*: adjunxit, & ait, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio.* Quod vos dixi lucem, lucernam vos dixi: nolite exsultare in superbia vestra, ne flammula exstinguatur. Non vos pono sub modio: sed ut luceatis, in candelabro eritis. Quod est candelabrum lucernæ? Audite candelabrum: estote lucernæ, & habebitis candelabrum. Crux Christi est magnum candelabrum. Qui vult lucere, non erubescat de ligneo candelabro. Audi, ut intelligas quia candelabrum crux Christi est. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent*: non sicut tu quæris glorificari, quæris exstingui: *glorificent Patrem vestrum qui est in cælis.* Per bona opera vestra glorificent Patrem vestrum. Ut lucernæ esse possitis, accendere vos non potuistis, ponere vos supra candelabrum non potuistis: ille glorificetur, qui vobis hoc præstitit. Audi ergo Paulum apostolum, audi lucernam in candelabro exsultantem. *Mihi autem*, ait, (clamant qui noverunt quid sequitur:) *Mihi autem*: quid tibi autem? *Absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* In candelabro glorior: si se candelabrum subtrahat, cado. *Absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Laudastis, & favistis. Crucifigatur vobis mundus, crucifigimini mundo. Quid est hoc? Felicitatem non quæratis de mundo: abstinete vos à felicitate mundi. Blanditur mundus, caveatur corruptor: minatur mundus, non timeatur oppugnator. Si bona mundi non te corruperint, si mala mundi non te corruperint, crucifixus est tibi mundus, crucifixus es mundo. Gloriare in candelabro: serva lucerna in candelabro semper humilitatem, ut teneas splendorem: observa, ne superbiâ exstinguaris. Conserva quod factus es, ut de factore glorieris. Quid enim eras homo? Omnis homo, adtende quid natus es: etsi nobilis natus es, nudus natus es. Quid est nobilitas? Nativitas pauperis & divitis æqualis est nuditas. An fortè quia nobilis natus es, quantum vis vivis? Quando nescisti, intrasti: quando non vis, exis. Postremò sepulcra inspiciantur, & ossa divitum agnoscantur.

Candelabrum lucernæ, crux Christi.

Gal. 6. 14.

SERM. DE SANCTIS.

* SERMO CCXC.

*Aliàs 44. inter homilias 50.

In Natali Iohannis Baptistæ, IV.

I. SANCTUS [a] Johannes, non Evangelista, sed Baptista, missus est ante faciem Christi præparare vias ejus. Testimonium Christi de Johanne est, *In natis mulierum non surrexit major Iohanne Baptista.* Testimonium Johannis de Christo est, *Qui venit post me, major me est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Utrumque testimonium consideremus, quod perhibuit Dominus servo, & quod perhibuit servus Domino. Quod est testimonium Domini de servo? *In natis mulierum non surrexit major Iohanne Baptista.* Quod est testimonium servi de Domino? *Qui venit post me, major me est.* Si ergo in natis mulierum non surrexit major Johanne Baptista; qui major illo est, quid est? Johannes magnus homo, sed homo: Christus Johanne major, quia Deus & homo. Ambo mirabiliter nati, præco & judex, lucerna & dies, vox & Verbum, servus & Dominus. De sterili servus, de virgine Dominus. Ipse Dominus fecit sibi servum in utero sterili, de sene patre, & de anicula matre: & idem ipse Dominus fecit sibi carnem in utero virginis, sine homine patre, qui fecit primum hominem sine patre & matre. *Nemo surrexit in natis mulierum major Iohanne Baptista.* Tam magnus visus est Johannes, ut à nonnullis etiam Christus putaretur. Nec in superbia sua alienum est secutus errorem, nec ausus est dicere, Sum quod putatis: sed, quod bonum erat ei, se agnovit, ut ad pedes Domini, & ad corrigiam calceamenti servus humiliaretur, ne vento superbiæ lucerna exstingueretur.

CAPUT I. Testimonium Johannis de Christo & Christi de Johanne. *Matth. 11. 11.*

Johan. 1. 27.

2. Denique quia in magno sacramento natus est Johannes, ipsius solius [b] justi natalem diem celebrat Ecclesia. Et Natalis Domini celebratur, sed tamquam Domini. Date mihi alium servum præter Johannem inter Patriarchas, inter Prophetas, inter Apostolos, cujus natalem diem celebret Ecclesia Christi. Passionum diem servis plurimis celebramus: nativitatis diem nemini, nisi Johanni. Audistis quando Evangelium legebatur, qui ordo fuerit amborum nascentium, præcursoris & Dominatoris, & quod paulò antè dixi, præconis & judicis, vocis & Verbi. Angelus Gabriel nuntiat Johannem, idem ipse Angelus Gabriel nuntiat Dominum Jesum Christum. Præcedit ille, sequitur ille: ille præcedit obsequendo, sequitur ille [c] regendo. Sequitur enim nascendo, antecedit regendo: quia & ipsum Johannem creavit Christus, post quem creatus est Christus, & creator & creatus: creator ante matrem, creator matris,

CAPUT II. Natalis Christi & Johannis cur celebretur, non aliorum.

[a] Exordium credimus decurtatum: & certè nonnullis in MSS. post titulum præmittitur, *Cujus hodie celebramus natalem diem præcursoris Domini.*

[b] Sic MSS. Editi verò, *justè.*

[c] Hoc loco tres MSS. *regnando*: sed omnes infrà, *regendo.*

creatus in matre. Et quid dicam, creator ante A matrem? *Ante Abraham ego sum*, ipse dixit, Evangelium loquitur: audite, vel legite. Sed parum est, ante Abraham creator: ante Adam creator, ante cælum & terram creator, ante omnes Angelos universamque creaturam spiritalem, Thronos, Dominationes, Principatus & Potestates, ante omnia creator. Quia *in principio*, non est factum Verbum, sed *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* B Si omnia, visibilia & invisibilia, cælum & terra, & virgo Maria: quia & virgo Maria de terra, & Christus factor terræ factus est de terra, quia *veritas de terra orta est.*

Johan. 8. 58. *Johan. 1. 1. &c.* *Psal. 84. 12.*

Caput III. Johannes ideo tantus homo, ut Christo se humilians, eum plus quàm hominem esse ostendat.

3. Breviter ergo commendo Caritati Vestræ magnum sacramentum. Quoniam multi futuri erant, qui putarent Christum non esse nisi hominem, nihil esse amplius quàm hominem: ideo magnus homo, quo major in hominibus non fuit, perhibuit ei testimonium Johannes, subditus, in- C clinatus, humiliatus. In quantum se humilem reddidisset, si solvere corrigiam calceamenti ejus, dignum se esse dixisset? Adtendite in magno [a] sacramento corrigiam calceamenti. Quantum humilis exstitisset, & si se Johannes dixisset dignum? [b] Quid fecit, dicendo se indignum? Propterea notatus est dies nativitatis ejus, & celebrationi Ecclesiæ commendatus.

Zachariæ & Mariæ eadem ferè verba, non eadem incredulitas. *Caput IV.

4. Verùm interest plurimum, non solùm in matribus, quòd illa virgo, illa mulier fuerit ste- D rilis; illa de Spiritu-sancto pariens Filium Dei Dominum nostrum, illa de viro suo sene pariens præcursorem Domini.* Et illud adtendite. Non credidit Zacharias. Quomodo non credidit? Quæsivit ab Angelo per quid cognosceret quod promittebat, quoniam ipse erat senex, & uxor ejus processerat in diebus suis. Et dixit illi Angelus, *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, propter quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Idem ip- E se Angelus venit ad Mariam, nuntiat Christum nasciturum ex ea in carne, & Maria tale aliquid dicit. Ille enim dixit, *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.* Et dicitur ei, *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc implebuntur, propter quod non credidisti verbis meis.* Et accepit supplicium taciturnitatis, merito infidelitatis. Quid dixerat Propheta de Johanne? *Vox clamantis in eremo.* Tacet Zacharias generaturus vocem. Quia F non credidit, tacuit: meritò obmutuit quò usque vox nasceretur. Si enim rectè dictum est, immo quia valde rectè dictum est in sancto Psalmo, *Credidi, propter quod locutus sum:* quia non credebat, meritò non loquebatur. Sed rogo, Domine, cum audientibus me pariter pulso, aperi nobis, expone nobis quid sibi velit hæc quæstio. Caussas quærit Zacharias ab Angelo, per quid cognosceret quod illi annuntiatum est, quoniam senex erat, & uxor ejus progressa in diebus suis: di- G citur ei, *Quoniam non credidisti, eris tacens.* Nuntiatur Christus virgini Mariæ, & ipsa caussam quærit, & dicit Angelo, *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* Et ille, *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, & uxor mea progressa in diebus suis.* Et illa, *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* Illi dicitur, Tacebis, quia non credis: illi autem caussa exponitur, silentium non imponitur. *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* Et Angelus, *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce quomodo fiet quod quæris, ecce quomodo virum non cognoscis & paries, ecce quomodo: quia *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Non timeas æstum libidinis, sub tantæ umbraculo sanctitatis. Quare hoc? Si verba adtendamus, aut ambo crediderunt, aut ambo dubitaverunt, Zacharias & Maria. Sed nos verba valemus audire: Deus potest & corda interrogare.

Luca 1. 20. &c. *Isai. 40. 3.* *Psal. 115. 10.* *Luca 1. 34. &c.*

Caput V. Zacharias desperando interrogat, Maria inquirendo.

5. Intelligimus, Carissimi, quoniam Zacharias quando ait, *Per quid cognoscam hoc, ego enim sum senex, & uxor mea progressa in diebus suis*, desperando dixit, non inquirendo: Maria verò quando è contra ait, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, inquirendo dixit, non desperando. Dum interrogavit, non de promissione dubitavit. O verè gratiâ plena! Sic est enim ab Angelo salutata, *Ave gratiâ plena.* Quis hanc explicet gratiam? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & invenitur homo factus qui fecit, ne periret quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. O gratia! Ut hoc haberemus, quid digni [c] eramus?

Gratia Dei quàm maxima in incarnatione Verbi. *Johan. 1. 14.*

Divites, id est superbi, exinaniendi sunt: & esurientes, id est humiles, implendi. *Caput VI. *Luca 1. 53.*

6. Sed videte quid dicat ipsa sancta Maria, plena fide, plena gratiâ, mater futura, virgo permansura. Quid dicit inter cetera, de quibus singulis loqui, valde multum est?* Quid ait? *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Qui sunt esurientes? Humiles, indigentes. Qui sunt divites? Superbi & inflati. Non vos longè mitto: ostendo vobis modò in uno templo divitem de illis qui dimittuntur inanes, & pauperem de illis qui implentur bonis. *Adscenderunt duo in templum orare, unus Pharisæus; & alter publicanus. Pharisæus dicebat.* Quid dicebat? Adtende divitem indigesta ructantem, crapulam exhalantem, sed superbiæ, non justitiæ: *Deus*, inquit, *gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines, raptores, injusti, adulteri, sicut publicanus iste. Iejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Rogare venerras, an te laudare? Totum te habere dixisti: nihil tamquam egens petisti. Quomodo ergo orare venisti? *Gratias tibi ago, Domine.* Non dicit, Domine, da mihi gratiam. *Quia non sum sicut ceteri homines, raptores, injusti, adulteri.* Ergo tu solus justus? *Quia non sum sicut publicanus iste.* Insultas, non exsultas. *Iejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* O divitem exinaniendum!* Veni, veni pauper, esuriens publicane: immo ibi sta, ubi stas. *Publicanus enim de longinquo stabat.* Sed Dominus humili appropinquabat. *Nec oculos in cælum audebat levare.* Quò oculos non levabat, ibi cor habebat. *Sed percutiebat pectus suum, dicens, Domine, propitius esto mihi peccatori.* O esurientem bonis implendum?

Luca 18. 10. &c. Pharisæus, dives: publicanus, pauper. *Caput VII.

[a] Sic tres MSS. Alii autem cum editis, *in magno Christo.*
[b] Sic meliores MSS. Alii verò, *qui se fecit dicendo indignum.* At Lov. *quod dicendo fecisset se indignum.*
[c] Sic Am. Er. & MSS. At Lov. *quo digni non eramus.*

Classis III.

7. Audiſti Domine controverſiam, prome ſententiam. Audite ſententiam inter partes prolatam. Non appellat victus, quia non eſt ad quem. Non enim appellat à Filio ad Patrem. Deus enim *Pater non judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio.* Dicat ergo ſententiam inter partes veritas. *Amen*, inquit, *dico vobis, quia deſcendit hic juſtificatus de templo, magis quàm ille Phariſæus.* Quare hoc, rogo te? qua juſtitiâ? Vis audire? *Quoniam omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* A quo iſte exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. Quia *eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Vade nunc, & ventila divitias tuas: jacta te, & dic, Dives ſum. Quàm dives? Si volo, juſtus ſum; ſi nolo, juſtus non ſum. In poteſtate habeo juſtum eſſe, & juſtum non eſſe. Non audis in Pſalmo, *Qui confidunt in virtute ſua?* Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi ſenſum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit: tu das tibi ipſi juſtitiam? Quid eſt caro, quid ſunt ſenſus, quid eſt anima, quid eſt mens, quid eſt intelligentia ſine juſtitia? Nonne omnia iſta, ſi juſtitiâ careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam dives es, ut cùm Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? Male dives, exinaniende dives: ſi tamen habes quod te habere dixiſti: *Quid habes, quod non accepiſti?* Nec ſaltem à ſuperbo & divite illo Phariſæo, de his quæ te habere dixiſti, gratias Domino agere didiciſti.

Dominicū judicium de Phariſæo & publicano. — Johan. 5. 22. — Luca 18. 14. — Pelagianos redarguit ipſo Phariſæo ſuperbiores. — Pſal. 48. 7. — 1. Cor. 4. 7.

*SERMO CCXCI.

In Natali Iohannis Baptiſtæ, V.

* Aliàs 4. ex Vignerianis.

Johannis nativitas mirabilis propter Chriſtum.

1. QUEM diem celebramus hodiernum vobis dici non opus eſt, quia omnes, cùm Evangelium legeretur, audiſtis. Hodie accepimus ſanctum Johannem Domini præcurſorem, ſterilis filium nuntiantem virginis filium, ſed tamen ſervum nuntiantem Dominum. Quia enim venturus erat per virginem Deus homo, præceſſit eum de ſterili mirabilis homo: ut cùm ſe indignum dicit, cujus calceamenti corrigiam ſolvat mirabilis homo, agnoſcatur Deus homo. Mirare Johannem, quantùm potes: Chriſto proficit quod miraris. Proficit, inquam, Chriſto, non quia tu præſtas aliquid Chriſto, ſed ut tu proficias in Chriſto. Mirare ergo Johannem, quantùm potes. Audiſti quod mireris. Annuntiatur per Angelum patri ſacerdoti: vocem aufert Angelus patri non credenti; remanet mutus, in filii nativitate exſpectans linguam. Concepit ſterilis, concepit & anus: gemina infecunditas, ſterilitas & ætas. Dicitur ab Angelo qualis futurus ſit: impletur in eo quod dicitur; & quod maximè mirandum eſt, impletur Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ. Deinde veniente Mariâ ſanctâ, exſultat in utero; & quem non poterat vocibus, ſalutat motibus. Naſcitur, dat patri vocem; pater loquens dat filio nomen: mirantur omnes tantam gratiam. Quid enim aliud quàm gratia? Ubi enim Johannes iſte promeruit Deum? Ubi promeruit Deum, antequam eſſet qui promereretur? O gratia gratis data!

Ex magnitudine Johannis majeſtas Chriſti.

2. Mirantur omnes, obſtupeſcunt, & motu cordis ſui dicunt, ut ſcriberetur nobis quod legeretur: *Quid putas erit puer iſte? Nam manus* A *Domini cum illo. Quid putas erit puer iſte?* Excedit metas humanæ naturæ. Novimus pueros: ſed, *quid putas erit puer iſte?* Quare dicis, *Quid putas erit puer iſte?* *Manus enim Domini cum illo.* Quia manus Domini cum illo eſt, jam ſcimus; ſed quid erit, neſcimus. Utique valde magnus erit, qui tam magnus cœpit. Quid erit, qui tantillus tantus eſt? quid erit? Hebeſcit humana infirmitas, omnium conſiderantium corda contremiſcunt: *Quid putas erit puer iſte?* Magnus erit: B ſed quid erit qui major illo erit? Valde iſte magnus erit: ſed quid erit qui iſto magno major erit? Si ille qui modò cœpit eſſe, tam magnus erit, quid erit qui erat? Sed quid dixi, qui erat? Ante Johannem & Zacharias erat, multò magis ante Johannem & Abraham & Iſaac & Jacob erant. Ante Johannem certè cælum & terra erant. Quid erit qui in principio erat? *In principio* enim, quod eſt ante Johannem, & ante omnem hominem, *fecit Deus cælum & terram.* Sed per quid C fecit quæris? In principio non fecit Deus Verbum, ſed erat Verbum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat*, non qualecumque, ſed *Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt.* Et noviſſimo tempore factus eſt qui erat, ne periret quod fecerat. *Quid putas erit puer iſte? Manus enim Domini cum illo eſt.* Si puer tam magnus erit, quia eſt cum illo manus Domini; quid ipſa manus Domini? Chriſtus enim manus Domini, Filius Dei manus Dei, Verbum Dei manus Dei. D Quæ eſt enim manus Dei, niſi per quam facta ſunt omnia? *Quid putas erit puer iſte? Manus enim Domini cum illo.* O humana infirmitas, quid factura es in judice, quæ ſic hæſitas in præcone? Sed etiam hîc quid dixi? Redeo ad conſiderationem conſuetudinis humanæ. Et quid dixi? Præconem dixi, judicem dixi: & præco homo, & judex homo. Quod apparebat dixi, quod latebat quis dixerit? *Verbum caro factum eſt:* non tamen Verbum in carnem verſum eſt. Verbum ca- E ro factum eſt, accipiendo quod non erat; non amittendo quod erat. Ecce admirati ſumus præconis ejus nativitatem, quam hodie celebramus, ſed propter quem facta eſt videamus.

Serm. de Sanctis. — ſti intelligenda. — Luca 1. 66. — Gen. 1. 1. — Johan. 1. 1. — Ibidem 14.

3. Venit Angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Eliſabeth uxorem ejus, matrem Johannis: venit, inquam, Angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Eliſabeth, quare? Quia Johannes per Zachariam futurus erat in Eliſabeth. Ergo Angelus annuntians venturum Johannem naſcen- F do, non venit ad exceptorium ventris, ſed ad fontem ſeminis. Nuntiavit amborum futurum filium, ſed patri nuntiavit. Venturus enim erat Johannes de connubio maſculi & feminæ. Ecce iterum ipſe Gabriel venit ad Mariam, non ad Joſeph: unde erat caro illa cœptura, unde erat initium habitura, ad ipſam Angelus venit. Patri autem ſacerdoti Zachariæ quomodo Angelus futurum filium prænuntiavit? *Noli*, inquit, *timere Zacharia, exaudita eſt oratio tua.* Quid enim, G Fratres mei, ſacerdos ille ideo intraverat in ſancta ſanctorum, ut filios precaretur à Domino? Abſit. Dicit aliquis, unde hoc probas? Non enim indicavit Zacharias quid rogaverit. Unum eſt quod breviter dico: Si petiſſet filium, crederet annuntiatum. Angelus dicit quòd ei filius naſceretur, ille non credit: certè hoc rogaverat? Quis rogat ſine ſpe? Aut quis non credit in ſpe?

Angelus ad Zachariā & ad Mariam miſſus. — Luca 1. 13. — Oratio Zachariæ quomodo exaudita.

CLASSIS III. Si non speras, quare petis? si speras, quare non credis? Quid ergo? *Exaudita est*, inquit, *oratio tua: nam ecce concipiet Elisabeth, & pariet tibi filium.* Quare? Quia *exaudita est oratio tua.* Si diceret Zacharias, Quare? hoc rogavi? Utique Angelus nec falleretur, nec falleret, quando dicebat, *Exaudita est oratio tua: nam ecce paritura est uxor tua.* Sed quare hoc dictum est? Quia ille pro populo sacrificabat: sacerdos pro populo sacrificabat, populus Christum exspectabat: Johannes Christum annuntiabat.

Maria inter mulieres benedicta. 4. Angelus verò idem ipse ad Mariam virginem: *Ave*, inquit, *gratiâ plena, Dominus tecum:* jam tecum est qui erit in te. *Benedicta tu inter mu-* Lucæ 1.28. *lieres.* Proprietate Hebraicæ linguæ omnes feminas mulieres dici solere Scriptura sancta testatur: ne fortè mirentur aut scandalizentur, qui non solent Scripturas audire. Dominus quo- Num. 31. 17. sec. LXX. dam Scripturarum loco apertè dicit, *Segregate mulieres, quæ non cognoverunt virum.* Ipsam denique recolite originem nostram: quando facta est Gen. 2. 22. Eva de latere viri, quid dicit Scriptura? *Detraxit ei costam; & ædificavit eam in mulierem.* Jam mulier vocatur, de viro quidem sumta, sed nondum viro conjuncta. Jam ergo cùm auditis ab Angelo, *Benedicta tu inter mulieres:* sic accipite, ac si more nostro diceretur, Benedicta tu inter feminas.

Zachariæ & Mariæ similis interrogatio, animus dissimilis. 5. Promittitur Zachariæ filius, promittitur & sanctæ Mariæ filius, & dicit etiam ipsa penè ipsa verba, quæ dixerat Zacharias. Quid enim dixerat Zacharias? *Unde mihi hoc? Ego enim sum* Lucæ 1. 18. *senex, & uxor mea sterilis, & progressa in diebus* Ibidem 34. *suis.* Quid & Maria sancta? *Quomodo fiet istud?* Similis vox, dissimile cor. Vocem similem aure audiamus, cor autem dissimile Angelo pronuntiante noscamus. Peccavit David, & à Propheta 2. Reg. 12. 13. correptus dixit, *Peccavi:* continuò ei dictum est, *Dimissum est tibi peccatum.* Peccavit Saül, & à 1. Reg. 15. 30. Propheta correptus dixit, *Peccavi:* nec ei dimissum est peccatum, sed mansit ira Dei super eum. Quid est hoc, nisi quòd similis vox, dissimile cor? Homo enim est vocis auditor, Deus cordis inspector. In illis ergo verbis Zachariæ non fuisse fidem, sed dubitationem & desperationem Angelus vidit, Angelus indicavit, vocem tollendo, infidelitatem damnando. Sancta verò Maria: *Quomodo fiet istud? Quia virum non* Propositũ virginitatis. *cognosco?* Agnoscite propositum virginis. Quando diceret, concubitura cum viro, *Quomodo fiet istud?* Si enim fieret, quomodo de omnibus infantibus fieri solet, non diceret, Quomodo fiet? Sed illa propositi sui memor, & sancti voti conscia, quia noverat quid voverat; dicendo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco:* quoniam non noverat hoc fieri, ut filii nascerentur nisi conjugatis & concumbentibus cum viris suis, quod ipsa proposuerat ignorare; dicendo, *Quomodo fiet istud*, modum quæsivit, non de Dei omnipotentia dubitavit. *Quomodo fiet istud?* Quis modus est, quo fiet istud? Annuntias mihi filium, habes meum paratum animum, dic mihi modum. Potuit enim virgo sancta metuere, aut certè ignorare consilium Dei, quomodo eam vellet habere filium, quasi improbasset virginis votum. Quid enim si diceret, Nube, conjungere viro? * f. quod vovit Deo. Non diceret Deus, accepit enim votum virginis, * quomodo Deus. Et hoc ab illa accepit,

A quod ipse donavit. Dic mihi ergo, nuntie Dei, SERM. DE SANCTIS. *quomodo fiet istud?* Vide Angelum scientem illam quærentem, non diffidentem. Quia ergo vidit eam quærentem, non diffidentem, non se negavit instruentem. Audi quomodo: erit virginitas tua, tu tantùm crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra est fides tua, intacta erit & integritas tua. Denique audi quomodo fiet istud: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obum-*

B *brabit tibi.* Tale umbraculum nescit libidinis æstum. *Propterea*, quia *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi;* quia fide concipis, quia credendo, in utero, non concumbendo habebis: *propterea quod nascetur de te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

6. Quid es, quæ postea paritura es? Unde meruisti? unde hoc accepisti? unde fiet in te qui fecit te? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Maria ex gratia mater Filii Dei. Virgo es, sancta es, votum vovisti; sed multum

C quod meruisti, immo verò multum quod accepisti. Nam unde hoc meruisti? Fit in te qui fecit te, fit in te per quem facta es: immo verò per quem factum est cælum & terra, per quem facta sunt omnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiendo carnem, non amittendo divinitatem. Et Verbum jungitur carni, & Verbum copulatur carni; & hujus tanti conjugii thalamus, uterus tuus; & hujus, inquam, tanti conjugii, id est Verbi & carnis thalamus uterus tuus: unde *ipse sponsus proce-* Psal. 18. 6.

D *dit de thalamo suo.* Invenit te virginem conceptus, dimittit virginem natus. Dat fecunditatem, non tollit integritatem. Unde tibi hoc? Protervè virginem videor interrogare, & quasi importunè aures verecundas ista mea voce pulsare. Sed video virginem verecundantem, & tamen respondentem, meque admonentem: Quæris à me unde mihi hoc? Verecundor tibi respondere bonum meum, Angeli audi ipsius salutationem, & in me agnosce tuam salutem. Crede

E cui credidi. Unde mihi hoc quæris? Angelus respondeat. Dic mihi Angele, unde Mariæ hoc? Jam dixi, cùm salutavi: *Ave gratiâ plena.* Lucæ 1. 28.

* SERMO CCXCII.

* Aliàs 23. de Sanctis.

De Natali Iohannis Baptistæ, VI.

In quo disputatur contra Donatistas.

1. DEI hodiernæ sollemnitas, sollemnem CAPUT I.

F desiderat tanta exspectatione Sermonem. Ergo, adjuvante Domino, ministrabimus vobis quod dederit, recolentes & animo tenentes nostræ officium servitutis, ut loquamur, non tamquam magistri, sed tamquam ministri; non discipulis, sed condiscipulis; quia nec servis, sed conservis. Magister autem unus est nobis, cujus schola in terra est, & cathedra in cælo: cujus præcursor Johannes est natus, cujus nativitatis dies hodiernus traditur, hodie celebra-

G tur. Hoc majorum traditione suscepimus, hoc ad posteros imitanda devotione transmittimus. Johannis ergo non Evangelistæ, sed Baptistæ Natalem hodie celebramus. Qua primâ re positâ, occurrit quæstio non prætereunda, quare Natalem, quo est ortus ex utero Johannes, potiùs celebremus, quàm cujuslibet Apostoli vel Martyris vel Prophetæ vel Patriarchæ? Si interrogemur, Johannis nativitas cur celebretur, non aliorum.

Classis III.

rogemur, quid respondebimus? Quantum mihi A videtur, quantum mearum virium mediocritati occurrit, hæc caussa est: Discipuli Domini nati, & per ætatis accessum ad annos capaciores perducti, in discipulatum assumti sunt; illorum postea fides Domino adhæsit, sed nullius illorum nativitas Domino militavit. Recordemur & Prophetas, recolamus Patriarchas, nati sunt homines, ætatis accessu repleti Spiritu-sancto prophetaverunt Christum: nati sunt, ut postea prophetarent. Johannis autem ipsa nativitas Dominum B Christum prophetavit, quem conceptum ex utero salutavit.

Caput II. Cur tantus homo Johannes, nec inter discipulos Domini, sed discipulos habens cũ Domino.

2. Istâ, ut potuimus, solutâ quæstione, alteram aggrediamur, pro viribus quas dederit Dominus. Occurrit enim alia quæstio aliquantò, ut mihi videtur, obstrusior, & ad perscrutandum laboriosior, in qua me multùm adjuvabit vestra intentio, & pro mea exiguitate ad Dominum deprecatio. Johannes iste tantâ excellens gratiâ, ut quemadmodum dictum est, Dominum etiam ex C utero salutaret, nondum loquendo, sed exsultando; cujus gratia in Deum jam tunc erat aperta, quando ejus caro in carne erat inclusa: hic ergo Johannes non invenitur inter discipulos Domini, sed invenitur potiùs discipulos habuisse cum Domino. Quid est hoc? Quis est iste homo? Homo [a] tantus, quis homo tantus? quantus tantus homo? Tamen non sequebatur inter discipulos Dominum, & sequebantur eum discipuli: absit ut dicam, contra Dominum; sed tamen quasi D extra Dominum. Discipulos habebat Christus, discipulos habebat Johannes: docebat Christus, docebat Johannes. Quid jam dicam? Baptizabat Johannes, baptizabat Christus. Plus hîc de baptismo dico, à Johanne baptizatus est Christus. Ubi sunt qui de ministerio baptismi arrogantiâ tumidæ animositatis inflantur? Ubi sunt voces carentes humilitate, elatæ superbiâ, Ego baptizo, ego baptizo? Quid dixisses, si Christum baptizare meruisses? Magna jam, quantum advertit San- E ctitas Vestra, apparere & eminere caussa cœpit, qua fuerat & Christus à Patre mittendus, & Johannes à Christo præmittendus. Prior missus est Johannes, sed sicut ab obsequentibus antecedit judex. Posterior homo creatus est Christus, sed Johannem creavit Deus Christus. Erat igitur Johannes homo perfectus quidem, & cujus tanta gratia commendata est, ut ipse de illo Dominus diceret, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Iohanne Baptista.* Iste ergo tam magnus F agnoscit Dominum in parvo magnum: agnoscit homo eum qui venerat homo Deus. Si enim in natis mulierum, hoc est, in hominibus, nemo exsurrexit major Johanne Baptista; quisquis Johanne plus est, non tantùm homo, sed & Deus est. Debuit ergo tantus iste, & discipulos proprios habere, & cum discipulis suis magistrum omnium Christum cognoscere. Quod enim est majus testimonium veritatis, quàm se humiliando eum agnoscere, cui æmulando poterat invide- G re? Putari Christus potuit, & noluit: existimari Christus potuit, & noluit. Dixerunt homines, cùm fallerentur in eo, Num fortè hic est Christus? Respondit ille quod non erat, ut maneret quod erat. Inde quippe Adam lapsus perdidit quod erat, quia id quod non erat usurpavit. Re-

Donatistarum voces superbæ.

Matth. 11. 11.

colebat hoc homo iste magnus, sed ut parvo Christo minimus: noverat hoc, recolebat hoc, & tenebat; quia recipere quod ille perdiderat cogitabat. Homo ergo iste, ut dixi, magnus Johannes, cui Dominus testimonium tale perhibuit, quem sic veritas commendavit, ut diceret, *In natis mulierum non exsurrexit major Iohanne Baptista*; potuit credi Christus, immo jam ab eis qui ejus magnitudinis gratiâ fallebantur, credebatur Christus: & in illo errore morerentur, nisi ab illo confitente corrigerentur. Respondit ergo ita putantibus, & ait, *Non sum ego Christus.* Johan. 1. 20. Tamquam diceret, Certè in honorem meum ita fallimini; & certè mihi hoc putando magnam additis laudem: sed ego me debeo agnoscere, ut vobis errantibus ille possit ignoscere. Si enim quod non erat fallaciter putaretur, ab illo qui erat veraciter amputaretur.

Sermo de Sanctis.

Caput III. Christus ut humilitatis viam doceret, baptizatus & incarnatus.

3. Præmissus est ergo Johannes, ut Dominum humilem baptizaret. Baptizari enim Dominus propter humilitatem voluit, non propter iniquitatem. Dominus Christus quare est baptizatus? Dominus Christus Dei Filius unigenitus, quare est baptizatus? Inveni quare est natus, & ibi invenies quare sit baptizatus. Ibi quippe invenies humilitatis viam, quam pede superbo non carpis: quam nisi humili pede calcaveris, ad celsitudinem, quò perducit, pervenire non poteris. Baptizatus est propter te, qui descendit propter te. Vide quantus factus sit tantillus: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Philip 2. 6. Florus ibidem. Non enim erat rapina, sed erat natura æqualitas Filii cum Patre. Johannes si se Christum putari vellet, illi rapina esset. *Non ergo rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Erat enim, & sine rapina erat, coæternus ab æterno natus erat. Tamen *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, hoc est formam hominis accipiens. *Qui cùm in forma Dei esset*, non formam Dei accepisset: ergo *cùm in forma Dei esset*, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Sic accepit quod non erat, ut non perderet quod erat. Manens Deus, hominem assumsit. Formam servi accepit, & factus est Deus homo, à quo Deo factus est homo. *Vide ergo, quæ majestas, quæ potestas, quæ sublimitas, quæ cum Patre æqualitas venit propter nos ad indumentum formæ servilis: & intellige illam à magistro tanto humilitatis viam; quoniam plus est quòd voluit homo fieri, quàm quòd voluit ab homine baptizari.

*Caput IV.

Baptizari cur à Johanne voluit.

4. Baptizat ergo, inquam, Johannes Christum, servus Dominum, vox Verbum. Mementote enim, *Ego sum vox clamantis in eremo*: & mementote, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Johan. 1. 23. Ibidem 14. Baptizat ergo, inquam, Johannes Christum, servus Dominum, vox Verbum, creatura Creatorem, lucerna solem; sed solem, qui fecit hunc solem; solem de quo dictum est, *Ortus est mihi sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Malach. 4. 2. De quo impii serò pænitentes in fine in judicio Dei dicturi sunt, *Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt illa omnia, tamquam umbra:* Sap. 5. 8. & 9. & cum umbris qui secuti sunt umbras. *Ergo*, inquiunt, *erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol* [b] *non est ortus nobis.* Ibidem 6. Illis non est ortus Christus, à quibus non est agnitus Christus,

[a] Sic MSS. At editi, *tantùm.*

[b] Editi, *sol intelligentiæ.* Vox *intelligentiæ* abest à MSS.

CLASSIS III. Sol ille justitiæ, sine nube, sine nocte: ipse non oritur malis, non oritur impiis, non oritur infidelibus. Nam solem istum de cælo corporeum quotidie facit oriri super bonos & malos. Baptizavit ergo, ut dixi, creatura Creatorem, lucerna solem: & non se extulit baptizator, sed subdidit baptizando. [a] Nam venienti ad se dixit, *Tu venis ad me baptizari? Ego à te debeo baptizari.* Magna confessio, & secura lucernæ in humilitate professio. Illa si contra solem extolleretur, vento superbiæ citò exstingueretur. Hoc est ergo quod Dominus prævidit, quod baptismo suo Dominus docuit. Baptizari voluit tantus à tantillo; ut brevè explicem, salvator à salvando. Nam meminerat Johannes alicujus fortassis, quamvis tantus esset, ægritudinis suæ. Nam unde, *Ego à te debeo baptizari?* Certè Domini baptismus salus: quia *Domini est salus. Nam vana salus hominum.* Unde ergo, *Ego à te debeo baptizari*, si non opus habebat curari? Mira autem in ipsa Domini humilitate medicina: ille baptizabat, & ille sanabat. Si enim Christus *salvator omnium hominum, maximè fidelium*: Apostolica & vera sententia est, quia Christus salvator omnium hominum: nemo dicat, Non opus habeo salvatore. Qui hoc dicit, se medico non humiliat, sed in morbo suo perit. Si salvator omnium hominum, ergo & Johannis: neque enim Johannes non homo. Magnus quidem homo, sed tamen homo. Ille salvator omnium hominum: agnoscit itaque ille salvatorem suum. Neque enim Johannis non erat salvator Christus. Non hoc dicit ipse, qui humiliter confitetur, dicens, *Ego à te debeo baptizari.* Et Dominus, *Sine modò, impleatur omnis justitia.* Quid est, *omnis justitia?* Humilitate commendavit justitiam: justitiam nobis maximè humilitate magister cælestis & verus Dominus commendavit. Quòd enim baptizabatur, ad humilitatem pertinebat: & ideo quod ad humilitatem pertinebat facturus, dixit, *Impleatur omnis justitia.*

Matth. 5. 45. — Matth. 3. 14. — Psal. 3. 9. — Psal. 53. 13. — 1. Tim. 4. 10.

Donatistæ locum Evangelii de arbore & ejus fructu ad ministrũ baptismi perperam transferunt.

5. Prævidit multos inflaturos se de ministerio baptismi, & dicturos, Ego baptizo. Et, Qualis sum ego qui baptizo, talem facio quem baptizo. Unde hoc probas? Probo, inquit. Quibus testimoniis? Evangelicis, inquit. Audiamus nescio quem novum Evangelistam contra antiquum Baptistam. Quibus ergo testimoniis Evangelicis probas, quòd qualis es, talem facis eum quem baptizas? Quoniam scriptum est, inquit, *Arbor bona bonos fructus facit.* Scriptum recito, Evangelium fero: *Arbor bona bonos fructus facit, arbor mala malos fructus facit.* Agnosco Evangelium: sed tu te, quantùm arbitror, non agnoscis. Et ut te patienter aliquantùm feram, expone quod loqueris, non me intellexisse interim deputa. Dic mihi quò pertineant hæc testimonia, quid adjuvent ad solvendam hujusmodi de baptismate quæstionem. Arbor, inquit, bona, bonus baptizator est. Arbor, inquit, bona, sicut illi dicunt: arbor bona, inquit, bonus baptizator est; fructus ejus bonus, qui ab illo baptizatur: tunc enim erit fructus bonus, si ille fuerit arbor bona. Quid dicis de Christo & Johanne? Evigila, expergiscere, perstringit oculos tuos splendor perspicuæ veritatis; vide quid præmissum est ante nos; lege Evangelium: Johannes baptizavit Christum. Dicturus es, Johannes arbor, fructus Christus? Creaturam vocabis arborem, & fructum Creatorem? Ideo voluit Dominus Christus à Johanne baptizari, non ut per baptismum iniquitate careret, sed ut iniquitati os clauderet. Ecce qui baptizat, inferior est; qui baptizatur, dicturus sum, melior? Hoc fortè ad me multum est intelligi. Ad homines redi, ambos vide homines. Ananias Paulum baptizavit. Anania Paulus melior fuit. Numquam fructus arbore melior fuit. Arbor enim profert fructum, non profertur à fructu.

Matth. 7. 17.

SERM. DE SANCTIS.

6. Tu quid tibi adsumas, non vides? Ipse Dominus ait, *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus.* Multi errantes & seducentes venerunt in nomine Christi, nullum audivimus dicentem, Ego sum Christus. Innumerabiles hæretici venerunt omnes in nomine Christi, id est in nomine Christi palliati venerunt, parietem luteum splendido nomine dealbantes venerunt, & neminem audivimus dicentem, Ego sum Christus. Quid ergo? Dominus nescivit quid prædixit? An potiùs nos ad intelligendum secreta ipsa ad apertionem secreti de somno excitavit, ut perscrutemur & pulsemus, ut nobis aperiatur quod tectum est, & aperto tecto ad Dominum submittamur, ut sicut ille paralyticus, à Domino sanari mereamur? Prorsus invenimus istos dicentes, Ego sum Christus; non his verbis, sed quod pejus est, factis. Non audaciâ verborum istorum. Quis enim eos audit? Quis ad aures vel ad cor, tam insipientes deceptus admittit? Si dicat ei qui eum baptizaturus est, Ego sum Christus: avertit faciem suam ab illo, relinquit hominis arrogantiam manifestam, quærit Dei gratiam. Non ergo ita ille, Ego sum Christus. Sed quoniam alio modo, Ego sum Christus: videte quemadmodum. Christus sanat, Christus mundat, Christus justificat: homo non justificat. Quid est justificare? Justum facere. Quomodo mortificare, mortuum facere; vivificare, vivum facere: sic & justificare, justum facere. Ecce de transverso baptizator quidam, non per januam intrans, sed per maceriam descendens; non pastor & custos, sed fur & latro; de transverso ait, Ego baptizo. Si sicut minister, [a] audeo: [b] noli addere; quidquid amplius est à malo est. Et tamen addit, non dubitat. Quid addit? Ego justifico, ego justum facio. Hoc est enim, Ego sum arbor bona, ex me nascatur qui vult esse fructus bonus. Paululùm, si sapienter admittis, audi; pauca verba sunt, & nisi fallor, lucida sunt. Tu ergo justificas, tu justum facis? Ergo, * inquit, credat in te quem justificas. Dic, aude dicere, Crede in me; qui non dubitas dicere, Justificaris à me. Turbatur, fluctuat, excusat. Quid enim opus est, inquit, ut dicam illi, Crede in me? Crede in Christum, dico. Hæsitasti, dubitasti: aliquantùm ad nos dignatus es descendere. Confessus es aliquid, unde saneris. Dixisti aliquid rectum, unde prava tua cetera corrigantur. Audi jam non me, sed te. Certè enim non audes dicere, Crede in me. Absit, inquit. Et tamen audes dicere, Justifico te. Audi, & disce, quia unde non audes dicere,

Donatistæ se pro Christo jactare convincuntur. — Matth. 24. 5. — Marci 2. 4. — Matth. 5. 37. — * f. inquam.

[a] Hîc olim Sermo desinebat apud Am. Er. & Lov. Reliquam partem Vignerius in supplemento dederat, sed profectò graviter sauciam multis in locis, quæ nunc demum sanantur veterum librorum subsidio.

[b] Aliquot MSS. *audio*.

CLASSIS III.

Crede in me, inde debes non audere dicere, Justifico te. Apostolus loquitur, cui cedes, cui velis nolis, subdéris. Non enim Apostolo tamquam homini, sed ei de quo dicit Apostolus, *An vultis experimentum accipere ejus, qui in me loquitur Christus?* Audi ergo non Apostolum, sed Christum per Apostolum. Quid dicit Apostolus? *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Intendite, obsecro, videte quàm planum est, quàm apertum est: *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Quisquis crediderit in eum qui justificat impium, qui de impio facit pium: quisquis ergo crediderit in eum qui justificat impium, qui justum facit eum qui impius erat, deputatur fides ejus ad justitiam. Modò dic, si audes, Justifico te. Vide quomodo tibi respondi ex Apostolo: Si justificas me, credam in te; quia *credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Justificas me? credam in te. Si enim tu me justificas, ego ero credens in eum qui justificat me, id est, qui justificat impium: securus credo, quia deputatur fides mea ad justitiam. Si ergo non audes dicere, Justifico te; immo si non audes dicere, Crede in me: cave jam ne dicas, Justifico te. Perdite, inveni te; ne perdas & me & te.

2. Cor. 13. 3.

Rom. 4. 5.

Locus Evangelii de arbore & fructu quomodo intelligendus.

Matth. 7. 17.

* Matth. 12. 35.

7. Nam illud quod proposuisti de arbore & de fructu, propono tibi aliquid de exemplis, ut discas intelligere quod dictum est, *Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit.* Ego enim sic intelligo, quomodo & ipse Dominus exponit. Quid est, *Arbor bona bonos fructus facit?* * *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Homines arbores posuit, thesauros actus posuit. Qualis homo est, tales actus habet. Si bonus homo est, bonos actus habet; si malus homo est, malos actus habet: non potest bonus homo malos actus habere, nec malus homo bonos actus habere. Quid evidentius? quid liquidius? quid apertius? Modò autem te arborem facis bonam qui baptizas, & fructum facis eum quem baptizas; ut qualis es tu, talis sit ille. Absit ab illo, & vide quàm perversè intelligis. Est apud vos aliquis, aut fuit aliquando adulter vel occultus. Sed quod nescio, inquit, non me contaminat. Non inde ago; alia quæstio est: de baptismo volo aliquid dicere; hoc enim suscepimus. Occultus adulter est: ergo fictus est; non adulter fictus, sed adulter verus, fictus castus. Istum ergo adulterum hominem fictum, magisque fictum, quia latet; nam si apertus sit adulter, jam fictus non est: istum ergo adulterum fugiet profectò Spiritus-sanctus. Evidens quippe est prolata sententia: *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum.* Cùm ergo sit iste adulter occultus, utique baptizat. Ecce video hominem baptizatum ab adultero occulto: natus est fructus, ubi est arbor bona? Baptizatus est, innocens est, facta est in illo remissio peccatorum; ergo justificatus est impius, natus est fructus bonus: quæro de qua arbore? Dic, responde mihi; arbor illa occultus adulter est, mala arbor est; si hujus arboris iste fructus, malus fructus est. Sententia Domini est, *Arbor mala malos fructus facit.* Respondebis, ut istum fructum bonum esse commendes, non eum de illa arbore natum. Non enim quia nescis tu illam arborem malam, ideo non est mala: tantò est pejor, quantò magis ignoratur. Tantò enim magis ignoratur, quantò perditâ astutiâ occultat factum suum. Nam si apertus adulter esset, vel confessione sanabilis esset. Pessima arbor, & tamen ecce fructus bonus. Unde natus? an fortè non natus? Natus, inquis. Quæro unde: quid dicturus es? Unde natus est iste? Non est quid dicat, nisi de Deo: nescio utrùm aliud dicturus est, quàm ex Deo. Si hoc de omnibus diceret, & non se, cùm sit arbor mala, fingendo ostenderet bonam, faceretque pejorem, de omnibus diceret quòd ex Deo nascuntur; habet Evangelii evidentem sententiam, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Ergo redi ad istum: ex Deo natus est? Ex Deo. Quare iste ex Deo? Quia fructus bonus de arbore mala nasci non potuit. Castus baptizator arbor bona est, non est fictus; verè castus baptizavit, fructus bonus de arbore bona. Ecce & iste * fructus bonus, de qua arbore natus est? Dic de mala, si audes. Non audeo, inquit. Ergo & ipse de bona? De bona. De qua bona? Ex Deo. Ille quid? Ex homine casto. Paululùm intende: intelligamus quod dicimus. Iste ab homine casto baptizatus, ex arbore bona, id est, ex homine bono, natus est fructus bonus. Ille ab adultero occulto baptizatus, ex arbore mala natus est fructus, quid? Bonus. Non potest fieri. Si bonus est fructus: ergo arborem muta. Fructum istum bonum confiteris, illum hominem malum, quia occultus adulter est: arborem muta huic fructui. Mutavi, inquis: ideo dixi, Ex Deo. Jam compara istos duos natos: illum baptizavit castus manifestus; hunc baptizavit adulter occultus: ille ex homine, iste ex Deo natus est. Feliciùs ergo natus est ex adultero occulto, quàm ille ex casto manifesto.

Sap. 1. 5.

SERM. 8 DE SANCTIS.

Johan. 1. 12. & 13.

* scilicet quem adulter baptizavit.

Ex Johannis & Apostoli verbis Donatistas redarguit.

8. Meliùs ergo Johannem audis, ô hæretice; meliùs audis præcursorem [a] recursor; meliùs audis humilem, ô superbe; meliùs audis lucernam ardentem, ô lucerna exstincta. Audi Johannem, cùm veniretur ad eum: *Ego quidem baptizo vos in aqua.* Et tu, si te agnoscas, minister es aquæ. *Ego*, inquit, *baptizo vos in aqua; qui veniet autem, major me est.* Quantum major te est? *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Quantum se humiliaret, si se dignum diceret? Ne hoc quidem dixit dignum se esse, corrigiam calceamenti solvere. *Ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Quid te pro Christo subponis? *Ipse baptizat in Spiritu-sancto.* Ergo ipse justificat. Tu quid dicis? Ego baptizo in Spiritu-sancto, ego justifico. Certè non dicis, Ego sum Christus? Certè non es de illis, de quibus dictum est, *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus?* Captus es: atque utinam vel captus inveniaris, qui non captus perieras. Bonum est ad escam magni regis capi retibus veritatis. Noli ergo jam dicere, Ego justifico, ego sanctifico: ne convincaris dicere, Ego sum Christus. Dic potiùs quod amicus sponsi, non qui te velis jactare pro sponso: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Audi etiam & ipsum, de quo agimus, amicum sponsi. Certè cum Chri-

Luca 3. 16.

Ibidem & Johan. 1. 33.

1 Cor. 3. 7.

[a] Vignerius, *præcursor*. At plerique MSS. *recursor*.

sto quasi discipulos habebat, & Christi discipulus non erat: audi illum confitentem se Christi discipulum. Vide illum inter Christi discipulos, & tantò certiorem, quantò humiliorem; tantò humiliorem, quantò majorem. Vide illum facientem quod scriptum est, *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Jam dixit, *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*: sed non in hoc se discipulum demonstravit. *Qui de cælo*, inquit, *venit*, *super omnes est: nos autem omnes de plenitudine ejus accepimus.* Ergo & ipse inter discipulos erat, qui cum Christo discipulos colligebat. Audi apertiùs fatentem se discipulum: *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, & audit eum.* Et ideo stat, quia audit eum. *Stat & audit*; quia si non audiat, cadit. Meritò ille, *Auditui meo dabis*, inquit, *exsultationem & lætitiam.* Quid est, *auditui meo?* Audire illum, non audiri velle pro illo. Et ut noverimus quia in eo quòd audit eum, humilitatem commendat: cùm dixisset, *Auditui meo dabis exsultationem & lætitiam*; continuò subjunxit, *& exsultabunt ossa humiliata.* Stat ergo & audit eum. *Exsultabunt ossa humiliata*, quia franguntur elata. Nullus ergo sibi servus potestatem Domini assumat. Gaudeat se esse in familia, & si est præpositus, proferat in tempore conservis cibaria; sed unde & ipse vivat, non ut de ipso illi vivant. Nam quid est proferre in tempore cibaria, nisi proferre Christum, laudare Christum, commendare Christum, prædicare Christum? hoc est, proferre in tempore cibaria. Nam ut esset ipse Christus cibaria jumentorum suorum, natus in præsepi positus est.

Eccli. 3. 20. — Johan. 1. 27. — Johan. 3. 31. — Ibidem 29. — Psal. 50. 10. — Matth. 24. 45.

* Aliàs 5. ex Vigneriani.

* SERMO CCXCIII.

In Natali [a] Iohannis Baptistæ, VII.

Johannis & Christi in nativitate comparatio.

1. SANCTI Johannis, cujus nativitatem, cùm Evangelium legeretur, mirantes audivimus, sollemnitatem hodie celebramus. Quanta est gloria judicis, si tanta est præconis? Qualis est venturus via, si talis est qui præparat viam? Nativitatem Johannis quodam modo consecratam observat Ecclesia: nec invenitur ullus in Patribus, cujus nativitatem sollemniter celebremus: celebramus Johannis, celebramus & Christi: hoc vacare non potest, & si fortè à nobis pro tantæ rei dignitate minùs explicatur, fructuosiùs tamen & altiùs cogitatur. Nascitur Johannes de anicula sterili, nascitur Christus de juvencula virgine. Johannem parit sterilitas, Christum integritas. In nativitate Johannis ætas congrua non erat parentalis, in nativitate Christi complexus non exstitit maritalis. Ille Angelo prædicante nuntiatur, iste Angelo nuntiante concipitur. Non creditur Johannes nasciturus, & fit pater mutus: creditur Christus, & fide concipitur. Fit priùs adventus fidei in cor virginis, & sequitur fecunditas in utero matris. Et tamen propè eadem verba sunt Zachariæ dicentis, cùm Angelus Johannem nuntiaret, *Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, & uxor mea jam processit in diebus suis*: & Mariæ sanctæ Angelo nuntiante partum ejus futurum, *Quomodo fiet istud? Quoniam virum non cognosco.* penè eadem verba. Illi dicitur, *Ecce eris tacens*,

Luca 1. 18. &c.

A *nec potens loqui, quò usque fiant hæc, propter quod non credidisti verbis meis, quæ adimplebuntur tempore suo.* Illi autem, *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ille corripitur, illa instruitur. Illi dicitur, Quia non credidisti: illi dicitur, Accipe quod quæsisti. Propemodum eadem verba sunt, *Per quid cognoscam hoc?* &, *Quomodo fiet istud?* Sed eum qui verba audiebat, & cor videbat, non la-
B tebat. In utriusque verbis cogitatio latebat; sed homines, non Angelum latebat: immo non latebat eum, qui loquebatur per Angelum. Postremò nascitur Johannes, dum jam lux minuitur, & nox incipit crescere: nascitur Christus, dum nox accipit detrimentum, & dies augmentum. Et tamquam hoc signum nativitatis amborum Johannes ipse respiciens, dicit, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Proposuimus inquirenda, & discutienda prædiximus: sed hoc prælo-
C quutus sum, & si omnibus tanti mysterii finibus perscrutandis non sufficimus, vel facultate, vel tempore; meliùs vos docebit qui loquitur in vobis, etiam absentibus nobis, quem piè cogitatis, quem corde suscepistis, cujus templa facti estis.

Johan. 3. 30.

2. Videtur ergo Johannes interjectus quidam limes Testamentorum duorum, veteris & novi. Nam eum esse, ut dixi, quodam modo limitem Dominus ipse testatur dicens, *Lex & Prophetæ usque ad Iohannem Baptistam.* Sustinet ergo
D personam vetustatis, & præconium novitatis. Propter personam vetustatis, de senibus nascitur: propter personam novitatis, in visceribus matris Propheta declaratur. Nondum enim natus ad sanctæ Mariæ adventum, exsultavit in utero matris. Jam ibi designatus erat, designatus antequam natus: cujus præcursor esset ostenditur, antequam ab eo videretur. Divina sunt hæc, & mensuram humanæ fragilitatis excedunt. Postremò nascitur, accipit nomen, lingua solvitur
E patris. Refer quod factum est ad significantem imaginem rerum: tantùm quod factum est ne non factum putes, quoniam quid significaret forsitan dices. Hoc quod factum est, refer ad significationem rerum, & vide magnum mysterium. Zacharias tacet, & amittit vocem, donec Johannes nasceretur præcursor Domini, & aperiret vocem. Quid est silentium Zachariæ, nisi prophetia latens, & ante prædicationem Christi quodam modo occulta & clausa? Aperitur illius
F adventu, clara fit venturo eo qui prophetabatur. Hoc est apertio vocis Zachariæ in nativitate Johannis, quod est discissio veli in cruce Christi. Johannes si se ipsum nuntiaret, Zachariæ os non aperiret. Solvitur lingua, quia nascitur vox: nam Johanni jam prænuntianti Dominum dictum est, *Tu quis es?* Et respondit, *Ego sum vox clamantis in eremo.*

Johannes quidam limes veteris & novi Testamenti. — Luca 16. 16. — Ideo & de senibus nascitur, & in utero exsultat. — Zachariæ os prius clausum, & pòst apertum. — Johan. 1. 23.

3. Vox Johannes, Dominus autem *in principio erat Verbum.* Johannes vox ad tempus, Chri-
G stus Verbum in principio æternum. Tolle verbum, quid est vox? Ubi nullus est intellectus, inanis est strepitus. Vox sine verbo aurem pulsat, cor non ædificat. Verumtamen in ipso corde nostro ædificando advertamus ordinem rerum. Si cogito quid dicam, jam verbum est in corde meo: sed loqui ad te volens, quæro quemadmodum sit etiam in corde tuo, quod jam est in meo. Hoc

Vox Johannes, Verbum Christus. — Johan. 1. 1.

[a] Citatur in Bedæ vera collectione nondum impressa ad 1. Tim. 2. & in exordio Sermonis subsequentis Carthagine pronuntiati.

Classis II.

quærens quomodo ad te perveniat, & in corde A tuo insideat verbum quod jam est in corde meo, assumo vocem, & assumta voce loquor tibi: sonus vocis ducit ad te intellectum verbi: & cùm ad te duxit sonus vocis intellectum verbi, sonus quidem ipse pertransit; verbum autem quod ad te sonus perduxit, jam est in corde tuo, nec recessit à meo. Sonus ergo, transacto verbo ad te, nonne tibi videtur dicere sonus ipse, *Illum oportet crescere, me autem minui?* (Johan. 3. 30.) Sonus vocis strepuit in ministerium, & abiit, quasi dicens, *Hoc* B *gaudium meum completum est.* (Ibidem 29.) Verbum teneamus, verbum medullitus conceptum non amittamus. Vis videre vocem transeuntem, & Verbi divinitatem manentem? Baptismus Johannis modò ubi est? Ministravit, & abiit. Christi nunc baptismus frequentatur. Omnes in Christum credimus, salutem in Christo speramus: hoc sonuit vox. Nam quia discernere difficile est à voce verbum, & ipse Johannes putatus est Christus. (Vox verbū putata.) Vox verbum putata est: sed agnovit se vox, ne offen- C deret verbum. *Non sum*, inquit, *Christus*, *nec Elias*, *nec propheta.* (Johan. 1. 20. &c.) Responsum est, *Tu ergo quis es? Ego sum*, inquit, *vox clamantis in eremo*, *Parate viam Domino. Vox clamantis in eremo*, vox rumpentis silentium. *Parate viam Domino*, tamquam diceret, Ego ideo sono, ut illum in cor introducam: sed quò introducam non dignatur venire, nisi viam præparetis. Quid est, *Viam parate*, nisi congruè supplicate? Quid est, *Viam parate*; nisi humiliter cogitate? Ab ipso D accipite humilitatis exemplum. Putatur Christus, dicit se non esse quod putatur, nec ad suum falsum errorem assumit alienum. Si diceret, Ego sum Christus; quàm facillimè crederetur; qui antequam diceret, credebatur? Non dixit: agnovit se, distinxit se, humiliavit se. Vidit ubi haberet salutem: lucernam se intellexit, & ne exstingueretur vento superbiæ timuit.

Cur tantæ gratiæ homo missus, qui perhiberet testimonium Christo.

4. Hæc enim dispositio placuit Deo, ut tantæ gratiæ homo testimonium perhiberet Chri- E sto, qui posset putari Christus. Denique *in natis mulierum*, sicut dixit ipse Christus, *nemo exsurrexit major Iohanne Baptista.* (Matth. 11. 11.) Si hoc homine nullus erat major homo, qui major est illo, plus est quàm homo. Magnum testimonium Christi de se ipso, sed lippientibus & infirmis oculis parum de se testificatur dies. Infirmi oculi diem expavescunt, lucernam ferunt. Ideo præmisit lucernam dies venturus. Sed in corda fidelium lucernam præmisit, ad confundenda corda infide- F lium. *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo:* (Psal. 131. 17.) Deus Pater in Prophetia loquens, *Paravi lucernam Christo meo:* Johannem Salvatori præconem, judici præcursorem venturo, futuro amicum sponso. *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo.* (Ibidem 18.) Quare parasti? *Inimicos ejus induam confusione: super ipsum autem florebit sanctificatio mea.* Quomodo per hanc lucernam inimici ejus induti sunt confusione? Evangelium perscrutemur. (Matth. 21. 23. &c.) Calumniantes Judæi Domino dixerunt, *In qua* G *potestate ista facis? Si tu es Christus, dic nobis palàm.* Caussam quærebant, non fidem; unde insidiarentur, non unde liberarentur. Denique qui corda eorum vidit, adtendite quid respondit confusurus eos de lucerna. *Interrogo*, inquit, *etiam vos unum sermonem, Dicite mihi, Baptisma Iohannis unde est? de cælo, an ex hominibus?*

Serm. de Sanctis.

A Illi continuò repercussi, & quamvis tenuiter radiante die, ad palpandum compulsi, quoniam claritatem illam speculari non poterant, ad sui cordis tenebras confugerunt; & ibi secum turbari cœperunt, offendentes & ruentes. *Si dixerimus*, inquiunt, (hoc apud se ipsos, ubi cogitabant, sed quo ille cernebat:) *Si dixerimus*, inquiunt, *de cælo est*, *dicet nobis*, *Quare ergo non credidistis ei?* Ipse enim testimonium perhibuerat Christo Domino. *Si autem dixerimus ab homini-* B *bus, lapidant nos populi:* quia propheta magnus Johannes habebatur. Et dixerunt, *Nescimus.* Nescitis: in tenebris estis, lumen amittitis. Quantò enim melius, si fortè tenebræ in corde humano versantur, lumen admittere, non amittere. Ubi dixerunt, *Nescimus:* ait Dominus, *Nec ego dico vobis in qua potestate ista facio.* Scio enim quo corde dixeritis, *Nescimus*, non volentes doceri, sed timentes confiteri.

Christus Deus latēs in carne.

5. Hæc divina dispensatio, (quantùm homo C perscrutari potest, melior meliùs, inferior inferiùs,) hæc divina dispensatio magnum nobis insinuat sacramentum. Venturus enim erat Christus in carne, non quicumque, non Angelus, non legatus; sed *ipse veniens salvos faciet eos.* (Isai. 35. 4.) Non erat quicumque venturus: & tamen quomodo erat venturus? In carne mortali nasciturus, infans parvulus futurus, in præsepi ponendus, cunis involvendus, lacte nutriendus, per ætates augendus, postremò etiam morte perimendus. Hæc D ergo omnia humilitatis indicia & nimiæ humilitatis est forma. Cujus hæc humilitas? Excelsi. Quàm excelsi? Noli quærere in terra, transcende & sidera. Cùm ad cælestes exercitus Angelorum veneris, audies ab eis, Transi & nos. Cùm veneris ad Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, audies, Transi & nos, & nos facti sumus: *Omnia per ipsum facta sunt.* (Johan. 1. 3.) Universam transcende creaturam, quidquid conditum est, quidquid institutum, quidquid mutabile, sive cor- E poreum, sive incorporeum, cuncta transcende. Videndo nondum potes, credendo transcende: perveni ad Creatorem, & interim fide antecedente te, quæ perducit te, perveni ad Creatorem. Ibi vide, *In principio erat Verbum.* (Ibidem 1.) Non enim aliquando factum est: sed in principio erat. Non quomodo creatura, de qua dicitur, *In principio fecit Deus cælum & terram.* (Gen. 1. 1.) Hoc quod in principio erat, non est quando non erat. Hoc ergo quod *in principio erat*, *& Verbum erat apud* F *Deum*, & ipsum *Verbum Deus erat: & omnia per ipsum facta sunt*, *& sine ipso factum est nihil: & in quo est vita quod factum est*, venit ad nos. Ad quos? ad dignos? Absit: sed ad indignos. Etenim *Christus pro impiis mortuus est*, (Rom. 5. 6.) & indignis, sed dignus. Nos enim indigni quorum misereretur, sed dignus ille qui misereretur, cui diceretur, *Propter misericordiam tuam Domine libera nos.* (Psal. 78. 9.) Non propter præcedentia nostra merita, sed *propter misericordiam tuam Domine libera nos;* G *& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, non propter meritum nostrum. Nam non propter meritum peccatorum, sed *propter nomen tuum.* Nam meritum peccatorum, non utique præmium, sed supplicium. Ergo *propter nomen tuum.* Ecce ad quos venit, ecce quantus venit. Ad nos ille quomodo venit? *Verbum planè caro factum est, ut inhabitaret in nobis.* (Johan. 1. 14.) Si enim in sua divinitate

CLASSIS III.

tantummodo veniret, quis eum ferret? quis eum caperet? quis susciperet? Sed suscepit quod nos eramus, ne remaneremus quod eramus: sed quod nos eramus naturâ, non culpâ. Quia enim ad homines homo, non tamen quia ad peccatores peccator. De duobus istis, natura humana & culpa humana, unum suscepit, aliud sanavit. Nam si ipse susciperet nostram iniquitatem, & ipse quæreret salvatorem. Suscepit tamen ferendam & sanandam, non autem habendam: & homo apparuit inter homines, latens Deus.

Deo in carne latenti necessariũ fuit testimonium hominis, quo non esset alius major.

6. Quis ergo testimonium huic perhibeat diei latenti in quadam nube carnis? Da lucernam, testetur diem: sed hanc lucernam auge, ut quisquis plus illa fuerit, dies sit: *In natis mulierum non exsurrexit major Iohanne Baptista.* (*Matth. 11. 11.*) O ineffabilis dispensatio! Ego, Fratres, cùm hæc cogito, multùm miror quod dicit Johannes de Christo, teste Evangelio: *Non sum dignus*, inquit, *corrigiam calceamenti ejus solvere.* (*Johan. 1. 27.*) Quid humilius dici potest? Quid excelsius Christo? quid humilius crucifixo? *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi*, (*Johan. 3. 29.*) non propter suam. *Nos*, inquit, *de plenitudine ejus omnes accepimus.* (*Johan. 1. 16.*) Quanta dicit de Christo, quàm præclara! quàm excelsa! quàm digna! si tamen de illo aliquid ab aliquo dignè dicitur. Et tamen non ambulat inter discipulos Domini, non eum secutus est, ut Petrus, ut Andreas, ut Johannes, ut ceteri. Sed discipulos sibi ipse etiam congregavit, & constituto hîc licèt Domino cum discipulis suis, habebat discipulos & Johannes. Dicebantur discipuli Johannis. Dicebatur ipsi Domino, *Quare Iohannis discipuli jejunant, discipuli autem tui non jejunant?* (*Marci 2. 18.*) Hoc erat procul dubio necessarium præcursori fideli, ab eo Christum prædicari qui posset æmulus credi. Habebat discipulos Johannes, habebat & Christus: quasi extrà docebat, sed testis inhærebat. Ideo *in natis mulierum nemo exsurrexit major Iohanne Baptista.* Fuerunt Prophetæ, habuerunt discipulos, sed non præsente Christo. Fuerunt postea magni Apostoli, sed quia discipuli Christi, non quia discipulos potuerunt habere cum Christo. Habet ille discipulos, congregat, baptizat: quid putamus, foris, an intus? Immo verò re ipsa intus, ut tamquam homo à Deo liberaretur; specie quasi foris, ut testis crederetur. Intende hoc ipsum: perhibebant Domino testimonium, verbi gratiâ, Petrus, Andreas, Johannes & ceteri; cùm diceretur eis, Laudatis quem sequimini, prædicatis cui adhæretis. Veniat lucerna confundens inimicos, colligat discipulos. Habet Christus, habet & Johannes. Baptizat Christus, baptizat & Johannes; & venitur ad Johannem, & dicitur ei, *Ille, cui testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum:* (*Johan. 3. 26. &c.*) ut quasi æmulus invidiæ de Christo aliquid mali loqueretur. Sed ibi lucerna ardet tutiùs, ibi splendet clariùs, ibi vegetatur, quantò distinctiùs, tantò securiùs. *Iam*, inquit, *dixi vobis, quia ego non sum Christus. Qui habet sponsam, sponsus est: qui de cælo venit, super omnes est.* Tunc illi credentes Christum admirabantur, tunc verò inimici confundebantur,

Johannes discipulos sicut Christus habẽs, fit Christi testis credibilior.

SERM. DE SANCTIS.

A quando quodam modo compellebatur prædicare, qui credi poterat invidere. Cogitur enim Dominum servus agnoscere, cogitur creatura Creatori testimonium perhibere: nec cogitur, sed libenter facit. Amicus est enim, non invidus: nec sibi, sed sponso zelat.

In Christi nuptiis paranymphus Johannes.

7. Faciunt hoc amici sponsi; & est quædam in nuptiis humanis sollemnitas, ut exceptis aliis amicis, etiam paranymphus adhibeatur, amicus interior, conscius secreti cubicularis. Sed hîc

B interest, & planè multùm interest. Quod in nuptiis humanis homo homini paranymphus est, hoc est Johannes Christo, & idem Deus Christus sponsus, mediator Dei & hominum; sed inquantum homo. Nam inquantum Deus non mediator, sed æqualis Patri, hoc idem quod Pater, cum Patre unus Deus. Quando esset ista sublimitas mediatrix, à qua multùm longè disjuncti jacebamus? Ut medius sit, aliquid assumat quod non erat: sed ut perveniamus, maneat quod erat.

Mediator Christus in quantum homo.

C Ecce enim Deus super nos, ecce nos infra illum, & multa interjacent spatia, maximè peccati intervallum longè nos distinguit atque abjicit. In hac tanta distantia cùm veniendum esset ad Deum, quà venturi eramus? Ipse Deus, Deus manet: accedit homo Deo, & fit una persona, ut sit non semi-deus, quasi parte Dei Deus, & parte hominis homo; sed totus Deus & totus homo: Deus liberator, homo mediator; ut per illum ad illum, non per alium, nec non ad illum; sed per id quod

D in illo nos sumus, ad illum per quem facti sumus. Ideo Apostolus quamvis Christum noverit Deum: nam ipse de illo dixit, cùm de Judæorum præcedentibus meritis loqueretur, *Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula:* (*Rom. 9. 5.*) cùm ergo sciret illum Deum, & super omnia Deum; ac per hoc utique super omnia, quia per illum facta sunt omnia; ventum est ut commendaret mediatorem, & non dixit Deum; non enim

E per hoc mediator est, quòd Deus est; sed per hoc mediator, quia factus est homo. Ipsa est est liberatio nostra. *Vnus enim Deus.* (*1. Tim. 2. 5.*) Quia utique Catholici auditis, instructi auditis, vigilanter auditis, *Vnus Deus*: numquid solus Pater? numquid solus Filius? numquid solus Spiritus-sanctus? Sed utique Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus Deus. Ergo, *Vnus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* (*Bela ibidem.*) Si diceret, Unus Deus, unus & mediator Dei &

F hominum [a] Christus Jesus; tamquam minor Deus intelligeretur. Etenim ab illa Trinitatis deitate quasi separaretur, si unus Deus, unus & mediator Dei & hominum Jesus Christus, quasi non ille Deus qui unus diceretur. Sed quia in unitate Dei, ibi Pater & Filius & Spiritus-sanctus: unitatem teneat divinitas, medietatem suscipiat humanitas.

Mediatoris gratia omnibus, ut Deo reconcilientur, necessaria.

8. Hac medietate reconciliatur Deo omnis generis humani massa ab illo per Adam alienata.

G *Per Adam enim peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (*Rom. 5. 12.*) Quis hinc eruetur? quis ab hac massa iræ ad misericordiam distingueretur? *Quis enim te discernit? Quid autem* (*1. Cor. 4. 7.*)

[a] Vignerius ex Regio codice, *homo Christus Jesus.* Hoc loco meliores MSS. non habent *homo*: quam vocem hîc reticuit Augustinus, ut sensum Apostoli ea detractâ non constare ostenderet; qui nimirum sensus est, mediatoris officium ad hominem Christum, qui unus cum Patre & Spiritu-Sancto Deus est, pertinere.

habes quod non accepisti? Non ergo nos discernunt merita, sed gratia. Nam si merita, debitum est: si debitum est, gratìs non est: si gratìs non est, gratia non est. Hoc ipse Apostolus dixit: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Per unum salvamur, majores, minores, senes, juvenes, parvuli, infantes, per unum salvamur. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* * *Per unum hominem mors, & per unum resurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.*

Rom. 11. 6.
1. Tim. 2. 5.
* 1. Cor. 15. 21. & 22.

Omnes in Adam & omnes in Christo.

9. Hìc aliquis occurit, & dicit mihi, Quomodo *omnes*? Qui ergo in gehennam mittendi sunt, qui cum Diabolo damnabuntur, qui æternis ignibus torquebuntur? Quomodo *omnes* & *omnes*? Quia nemo ad mortem nisi per Adam, nemo ad vitam nisi per Christum. Si esset alius per quem veniremus ad mortem, non omnes in Adam morerentur. Si esset alius per quem veniremus ad vitam, non omnes in Christo vivificarentur.

Infantes etiam ipsi egent liberatore.

10. Quid ergo, ait aliquis, & infans indiget liberatore? Planè indiget: testis est mater fideliter currens cum parvulo baptizando ad ecclesiam. Testis est ipsa mater Ecclesia suscipiens parvulum abluendum, & aut liberatum dimittendum, aut pietate nutriendum. Quis audeat dicere testimonium contra tantam matrem? Postremò & in ipso parvulo miseriæ ipsius testis est fletus. Quantùm potest, testatur natura infirma, parum intelligens; non incipit à risu, incipit à fletu. Agnosce miserum, porrige auxilium. Omnes misericordiæ visceribus induantur. Quantò minùs pro se ipsi possunt, tantò misericordiùs pro parvulis nos loquamur. Auxilium rerum suarum tuendarum Ecclesia solet præbere pupillis: omnes loquamur pro parvulis, ab omnibus eis præbeatur auxilium, ne perdant cæleste patrimonium. Et propter illos Dominus illorum parvulus factus est. Quomodo ad ejus liberationem non pertinuerunt, qui pro illo primi occidi meruerunt?

V. Ser. 176. n. 2.

Christus etiam parvulis est Jesus, id est salvator.
Matth. 1. 21.
V. Ser. 174. cap. 6. & seq.

11. Postremò de ipso Domino Salvatore, cùm ejus nativitas proxima prænuntiaretur, dictum est, *Vocabunt nomen ejus Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Jesum tenemus, interpretationem nominis hujus habemus. Quare Jesus, quod Latinè salvator dicitur, quare Jesus? *Ipse enim salvum faciet populum suum.* Sed salvum fecit populum suum in manu potenti Moyses, & in adjutorio Excelsi à persecutione & dominatione Ægyptiorum: fecit salvum populum suum & Jesus Nave à persecutoribus bellisque gentium: fecerunt salvum populum Judices, eum ab Allophylis liberantes; fecerunt & Reges, à dominatu circumquaque oblatrantium gentium liberantes. Non sic salvat Jesus: sed *à peccatis eorum. Vocabunt nomen ejus Iesum.* Quare? *Ipse enim salvum faciet populum suum.* Unde? *à peccatis eorum.* Nunc de parvulo interrogo, affertur ad ecclesiam faciendus Christianus, baptizandus, puto quia ideo ut sit in populo Jesu. Cujus Jesu? qui *salvum facit populum suum à peccatis eorum.* Si non habet quod in illo salvetur, auferatur hinc. Quare non dicimus matribus, Auferte hinc istos parvulos? Jesus namque salvator est: si non habent isti quod in illis salvetur, auferte hinc eos. *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Audebit mihi quisquam in hoc par-

Matth. 9. 12.

A vuli discrimine dicere, Mihi est Jesus, huic non est Jesus. Ergo tibi est Jesus, huic non est Jesus? Non venit ad Jesum? Non pro illo respondetur ut credat in Jesum? Alterum baptismum instituimus parvulis, in quo non fit remissio peccatorum? Planè si iste parvulus pro se loqui posset, vocem contradicentis refelleret, & clamaret, Da mihi vitam Christi: in Adam mortuus sum, da mihi vitam Christi, *in cujus conspectu, mundus non est, nec infans, cujus est unius diei vi-* B *ta super terram.* Istis gratiam non negaret, nec qui de suo daret. Fiat misericordia cum miseris. Ut quid eorum innocentia ultra modum laudatur? Inveniant salvatorem, nondùm sentiant adulatorem. Nos planè in tanto infantium periculo nec disputare debemus, ne eorum salutem vel disputando differre videamur. Afferatur, abluatur, liberetur, vivificetur. *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur.* Non invenit quà veniret in hujus sæculi vitam, nisi per C Adam: non inveniet quà evadat futuri sæculi pœnam, nisi per Christum. Quid claudis unicam januam? *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Audi, clamat tibi: *Non est enim opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Quare istum sanum dicis, nisi quia medico contradicis?

Job 14. 4.

Johannes cum peccato natus salvatore indiguit.

12. Itane, inquit, & Johannes, de quo loquebaris, cum peccato natus est? Invenisti planè præter peccatum natum, quem invenis præter Adam D natum. Non avellis hanc sententiam de manibus fidelium: *Per unum hominem mors, & per unum resurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Si verba mea hæc essent, posset à me hæc sententia dici expressiùs? posset evidentiùs? posset pleniùs? *Ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Jam tu excipe Johan- E nem: si separaveris ab hominibus, si separaveris ab illo tramite humanæ propaginis, si separaveris à complexu masculi & feminæ, etiam ab ista sententia separabis. Nam ille qui voluit ab ea esse separatus, per virginem est venire dignatus. Ut quid me cogis discutere merita Johannis? In utero Dominum salutavit: sed puto quia eum salutavit, à quo salutem desideravit. Non quærit tuam perniciosissimam defensionem. Venienti Domino ad baptismum suum, conscius commu- F nis infirmitatis ait, *Ego à te debeo baptizari.* Veniebat enim Dominus ad commendandam etiam in baptismo humilitatem, ad ipsius sacramenti consecrationem. Quia sic suscepit baptismum juvenis, quemadmodum infans circumcisionem. Suscepit commendanda medicamenta, non vulnera. Ille autem quare diceret, *Ego à te debeo baptizari,* mundus ab omni penitus noxa, si non in eo erat quod sanaretur, si non in eo erat quod mundaretur? Ille se dicit debitorem, & tu eum purgas, G ne debita relaxentur. *Ego à te*, inquit, *debeo baptizari:* opus est mihi, necessarium est mihi. Et hoc illi ibi præstitum est. Quando enim Dominus in aquam, non ille præter aquam. Quid pluribus? Cesset deinceps, si fieri potest, contrarius disputator; quia & præconem suum liberavit ipse Salvator.

Matth. 3. 14.

CLASSIS III.

SERM. DE SANCTIS.

* SERMO CCXCIV.

Alias 14. de verbis Apostoli. a

Habitus [a] *in basilica Majorum, in Natali Martyris Guddentis, V. Kalendas Iulii.*

De baptismo parvulorum, contra Pelagianos.

CAPUT I. 1. IN Natali sancti Johannis inter cetera quæ dicenda videbantur, ad baptismum parvulorum noster Sermo deductus est: & quia jam prolixus erat, & de illo terminando cogitabatur, non tanta dicta sunt de tanta quæstione, quanta in tanto periculo à sollicitis dici debuerunt. Sollicitos autem nos facit, non ipsa sententia jam olim in Ecclesia catholica summa auctoritate fundata, sed disputationes quorumdam, quæ modò crebrescere, & multorum animos evertere moliuntur. Hodie ergo, adjuvante Domino, placuit nobis hinc loqui. Diem quidem sollemnem Martyris celebramus: sed major caussa est omnium fidelium, quàm tantummodo martyrum. Non enim omnes fideles etiam martyres, sed illi ideo martyres, quia fideles. Videamus ergo quid ab eis proponatur, quid eos movet: quoniam & de ipsis non tam refellendis quàm sanandis cogitare debemus.

Baptizandos parvulos Pelagiani concedunt, nō propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum.

2. Concedunt parvulos baptizari oportere. Non ergo quæstio est inter nos & ipsos, utrùm parvuli baptizandi sint; sed de caussa quæritur, quare baptizandi sint. Hoc ergo quod concedunt, sine ulla cum ipsis dubitatione teneamus. Baptizandos esse parvulos, nemo dubitat. Nemo dubitet, quando nec illi hinc dubitant, qui ex parte aliqua contradicunt. * Sed nos dicimus, eos aliter salutem & vitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo: illi autem dicunt non propter salutem, non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum. Quid sit hoc, dum exponimus ut possumus, parumper adtendite. Parvulus, inquiunt, etsi non baptizetur, merito innocentiæ, eo quòd nullum habeat omnino, nec proprium, nec originale peccatum, nec ex se, nec de Adam tractum, necesse est, aiunt, ut habeat salutem & vitam æternam, etiamsi non baptizetur; sed propterea baptizandus est, ut intret etiam in regnum Dei, hoc est, in regnum cælorum. Si discutiendum est hoc, discutiendum est utique propter illos, non propter nos. Fratres enim nostri sunt, permoti sunt profunditate quæstionis; sed regi debuerunt gubernaculo auctoritatis. Cùm enim dicunt, non esse baptizandos salutis & vitæ æternæ percipiendæ caussâ, sed tantummodo regni cælorum & regni Dei; baptizandos quidem fatentur, sed non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum. Quid de vita æterna? Habebunt, inquiunt. Quare habebunt? Quia nullum peccatum habent, & ad damnationem pertinere non possunt. Ergo est vita æterna extra regnum cælorum?

*CAPUT II.

CAPUT III. Vitam æternam nō esse præter regnum cælorum.

3. Primus hic error aversandus ab auribus, exstirpandus à mentibus. Hoc novum in Ecclesia, priùs inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cælorum, esse salutem æternam præter regnum Dei. Primò vide, frater, ne fortè hinc consentire nobis debeas, quisquis ad regnum Dei non pertinet, eum ad damnationem sine dubio pertinere. Venturus Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dextram, & sinistram. Sinistris dicturus, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Dextris dicturus, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hâc regnum nominat, hâc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur: alii erunt ad dextram, alii ad sinistram: non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio: non te offendat qui dextram quærit. Et te ipsum admoneo: recede de medio, sed noli in sinistram. Si ergo dextra erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus: ecce in dextra regnum cælorum est, *Percipite*, inquit, *regnum*. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? *Ite in ignem æternum.* In dextra ad regnum, utique æternum; in sinistra in ignem æternum. Qui non in dextra, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno. Certè habere [b] potest vitam æternam, qui non baptizatur? Non erit in dextra, id est, non erit in regno. Vitam æternam computas ignem sempiternum? Et de ipsa vita æterna audi expressiùs, quia nihil aliud est regnum quàm vita æterna. Priùs regnum nominavit, sed in dextris; ignem æternum in sinistris. Extremâ autem sententiâ, ut doceret quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, *Tunc*, inquit, *abibunt isti in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* * Ecce exposuit tibi quid sit regnum, & quid sit ignis æternus; ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in igne æterno. Regnum enim cælorum est vita æterna.

Matth. 25. 33. &c.

Inter dextram ad regnum Dei pertinentium, & sinistram damnatorum nullus medius locus.

*CAPUT IV.

Exclusioni à regno Dei, conjunctam esse pœnam ignis æterni.

4. Nec aliud etiam apostolus Paulus, cùm terreret homines, non parvulos, non baptizatos, sed scelestos, facinorosos, contaminatos, perditos; non eos terruit quòd erunt in igne sempiterno, quò sine dubio ibunt, si non corrigantur: sed tantùm terruit, quia in regno non erunt; ut cùm viderint se perdere spem regni, non viderent esse consequentem nisi pœnam ignis æterni. *Nolite*, inquit, *errare: neque fornicatores, neque idolis servientes*,

1. Cor. 6. 9. &c.

[a] Hunc titulum præfixum habet in vetere libro PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem de Urbe. Sermonis tempus, occasionem & locum jam antè noveramus, partim ex ipsius exordio, quo significatur habitus in festo Martyris, paulò post superiorem de Natali Johannis Baptistæ Tractatum; partim ex illis Augustini ad Aurelium Carthaginensem episcopum verbis in lib. de Gestis Pelagii cap. 11. *Unde coacti sumus sollicitudine caritatis, quam erga Ecclesiam Christi, per gratiam Christi, nos habere convenit, etiam ad beatæ memoriæ Marcellinum, qui eos quotidie disputatores molestissimos patiebatur, & me per litteras consulebat, de quibusdam istarum quæstionibus scribere, & maximè de baptismo parvulorum: de quo etiam postea, te jubente, in basilica Majorum, gestans quoque in manibus epistolam gloriosissimi Martyris Cypriani, & de hac re verba ejus recitans atque pertractans, ut error iste nefarius de quorumdam cordibus auferretur, quibus persuasa fuerant, quæ in his Gestis videmus damnata, adjutus orationibus tuis, quantum potui, laboravi.* In isto loco, pro *in basilica Majorum*, quod ibi ferebat idem liber prima editione; alii *Majorini* legunt, alii *Majore*. Exstat suprà Sermo 258. dictus *ad basilicam Majorem*: & contrà Ser. 34. *ad Majores*, & Ser. 165. *in basilica Majorum*. Victor tandem lib. 1. de persecutione Vandalica, ubi legimus in excusis *basilicam Majorem*, in vetere Colbertino codice habet *basilicam Majorum*. Sermonem autem hunc citati loci auctoritate referunt ad Christi annum 413. Quia ibi testatur Augustinus habitum esse post scriptos ad Marcellinum contra Pelagianam hæresim libros, de peccatorum meritis & remissione, qui pertinent ad annum 412. Hoc autem anno 412. die 14. Junii Cirtensi Concilio aderat Augustinus, neque hos apud Carthaginem Sermones in Natali sive post Natalem S. Johannis habere potuit citiùs anno 413. quo anno re vera longiorem hac in urbe moram fecit, usque ad Marcellini cædem. Porrò in martyrologiis aliquot *Gaudentii* Mart. ex Africa mentio fit VI. Kal. Julii, sed *Guddentis* nusquam.

[b] Editi, *non potest*. Abest *non* à MSS.

viventes, *neque adulteri*, *neque molles*, *neque masculorum concubitores*, *neque fures*, *neque avari*, *neque ebriosi*, *neque maledici*, *neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Non dixit, Illi & illi, tales & tales igni æterno torquebuntur; sed *regnum Dei non possidebunt.* Subtractâ dextrâ, non remansit nisi sinistra. Unde autem evadunt ab igne sempiterno? Non ob aliud, nisi quia erunt in regno. Sequitur: *Et hæc quidem fuistis.* Et unde jam non sunt? *Sed abluti estis*, *sed sanctificati estis*, *sed justificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi*, *& in Spiritu Dei nostri.* B *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* * *Non enim est aliud nomen sub cælo*, *in quo oportet salvos fieri nos*, nos omnes, pusillos cum magnis. Si autem salvos fieri oportet nos in hoc nomine, sine hoc nomine procul dubio nec salus erit, quæ sine Christo promittitur parvulis. Pace eorum dicam, qui cuiquam salutem promittit sine Christo, nescio utrùm ipse salutem habere possit in Christo.

* Act. 4. 12.

Caput V. Pelagiana vitæ æternæ & regni Dei distinctio planè arbitraria.

5. Deinde quærimus ab eis, Quid si aliquis C dicat, parvulos merito innocentiæ suæ, sicut dicitis, atque immunitatis ab omni delicto, non solùm habituros salutem & vitam æternam, sed & regnum Dei; unde apud vos definitum certumque est, sine baptismo regnum Dei non habituros parvulos; ut divideretis eis pro arbitrio vestro, non adjutores parvulorum, sed oppressores miserorum; ut divideretis eis pro arbitrio vestro, & daretis eis salutem & vitam æternam præter regnum cælorum? Alius benevolentior vobis & mi- D sericordior, & ut putatis justior, totum eis dabit, & vitam æternam & regnum cælorum. Istum quomodo superabitis? Quoniam vos aliquando contra evidentissimam auctoritatem ratiocinatio humana delectat, proferte ipsam regulam rationis vestræ, & asserite, quantis viribus valueritis, unde vincatur iste, qui parvulis propter merita innocentiæ, propter nullam, sicut dicitis, culpam, hoc est, originale peccatum, dare voluerit etiam non baptizatis, non solùm vitam æternam, ve- E rùm etiam regnum cælorum: istum vincite. Ego sine præjudicio partes hujus parumper suscipio, & dicam quod ipse non sentio: sed admoneo vos, ut acriorem adversarium videatis.

Negato semel originali peccato Pelagianos non posse eum vincere, qui nolit parvulos excludi à regno Dei.

6. Ecce exsistit nescio quis, & dicit, Parvulus non habens ullum omnino peccatum, nec quod suâ vitâ contraxit, nec quod de vita primi parentis traxit, habebit & vitam æternam & regnum cælorum. * Respondete, vincite hominem resistentem vobis, qui aliter divisitis. Vos enim di- F citis, Vitam quidem habebit iste non baptizatus æternam, sed non habebit regnum cælorum. Ille contrà, Immo & vitam & regnum cælorum. Quare enim patrimonium regni cælorum abripis innocenti? A quo regnum cælorum non adquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam, nec suam, nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum cælorum, ut separetur à sorte san- G ctorum, ut sit exsul à societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia non ei aufers vitam: damnas tamen, quem separas à regno cælorum. Damnas: non eum percutis, sed in exsilium mittis. Nam & qui exsulant, vivunt, si sani sunt: in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur: hæc illis

* Caput VI.

A sola pœna est, non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna: si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cælorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate: si autem desiderat, pœna est de fraudata caritate. Sed si, quod vis, parva sit pœna; & ipsa parva magna est, si nulla culpa est. Hîc defende justitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nul- B lum invenitur omnino peccatum? Dic contra istum adversarium, qui parvulis non baptizatis, misericordiâ & justitiâ majore quàm tu, dare vult, non solùm vitam æternam, verùm etiam regnum cælorum: responde si potes, sed rationem affer: hac enim te gloriari delectat.

Caput VII. In quæstione de parvulis non baptizatis confugiendum ad auctoritatem divinam.

7. Ego istam quæstionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. Libet me & hîc exclamare quod Paulus, *O altitudo divitiarum!* Parvulus non C baptizatus pergit in damnationem: (Apostoli enim verba sunt, *Ex uno in condemnationem:*) non satis invenio dignam caussam, quia non invenio, non quia non est. Ubi ergo non invenio in profundo * profundum, adtendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem. Ego prorsus exclamo, nec me pudet, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis* D *consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Ego infirmitatem meam his verbis munio, & hac cautelâ circumseptus, adversùs sagittas ratiocinationum tuarum muratus assisto. Sed tu bellator, hoc est, fortis ratiocinator, huic responde, qui tibi dicit, Prorsus innocens parvulus, & immunis ab omni peccato, & proprio & originali, non solùm vitam æternam habebit, sed etiam regnum E cælorum. Hoc est justum. Qui nihil mali habet, quare aliquid boni non habet? Sed scio, inquis. Unde scis? Quia Dominus dixit. Tandem venisti. Non ergo quia tu ratiocinaris, sed quia Dominus dixit. Laudo planè hoc, sanum est: sicut homo non invenisti rationem, fugis ad auctoritatem. Approbo, prorsus approbo. Bene facis: non invenis quid respondeas, ad auctoritatem fuge: non ibi te persequor, non inde expello; immo fugientem recipio & amplector.

Rom. 11. 33. Rom. 5. 16. * f. fundū. Rom. 11. 33. &c.

Sententia Dominica excludens non baptizatos à regno Dei, faventibus Pelagianis.

F 8. Profer ergo auctoritatem, stemus in ea simul contra communem inimicum. Quia enim parvulus non baptizatus non intrat in regnum cælorum, & tu dicis & ego. Illi igitur communi adversario, qui dicit non baptizatum parvulum intraturum in regnum cælorum, resistamus ambo, & adversùs ejus insidiosissima jacula scutum fidei proferamus. * Cedant paulisper conjecturæ rationis humanæ, assumantur arma divina. *Assumite*, inquit Apostolus, *armaturam Dei.* Ecce simul G dicamus huic homini, Christianus es? Christianus, inquit. Audi Evangelium, qui vis non baptizatos parvulos mittere in regnum cælorum, audi Evangelium: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non intrabit in regnum Dei.* Domini sententia est: huic non resistit, nisi non Christianus. Repulsus est ille, remanet mihi tecum certamen: & fortè unde vicisti bono illius,

* Caput VIII. Ephes. 6. 13. Johan. 3. 5.

inde bono vinceris tuo. Nam quem vicisti, si du- A rus non est, docuisti. Noli ergo esse durus & tu: simul teneamus interim sententiam istam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Dei.* Ideo, inquis, parvulo non baptizato polliceri regnum Dei non possum contra apertam Domini sententiam. Ecce quare dico, Regnum Dei non habebunt. Ecce quare dico, Ideo baptizandi sunt, ut habeant regnum Dei. Ideo dicis? Ideo, inquit. Vide tamen, propter illa quæ suprà diximus, ne fortè non invenias vi- B tam æternam præter regnum Dei. Multùm enim aperta sunt dicta de duabus illis partibus, dextra & sinistra, ubi nullum in medio dedit locum vitæ sine regno. Parum te hoc corrigit? parum admonet? Ipsam mecum lectionem, unde hanc sententiam protulisti, paululùm adverte.

Ex eadem Evangelii lectione vincendi Pelagiani. 9. Dixisti enim, te ideo regnum cælorum non baptizatis parvulis nolle promittere, quia sententia Domini aperta est, *Nisi quis renatus fuerit ex* C *aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* *Johan.* 3. 5. Non ibi advertisti, cùm quæreret Nicodemus, quomodo ista fierent, id est, quomodo renasceretur homo, quomodo denuo nasceretur; quoniam non potest utique iterum introire in uterum matris, & denuò nasci; quid audierit à Domino, quid audierit à magistro bono, quid audierit error à veritate?* Inter cetera enim ostendens quemadmodum fiat, etiam similitudinem posuit. Sed priùs ait, *Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cæ-* D *lo descendit, filius hominis qui est in cælo.* In terra erat, & in cælo se esse dicebat; & quod est majus, in cælo filium hominis: ut unam demonstraret in utraque natura personam, & in eo quòd Dei Filius erat æqualis Patri, Verbum Dei in principio Deus apud Deum, & in eo quòd filius hominis erat, assumens animam humanam & carnem humanam, & indutus hominem, exiens ad homines: quia in hoc utroque non duo Christi sunt, nec duo filii Dei, sed una persona, unus Christus E Dei Filius, idemque unus Christus, non alius, hominis filius; sed Dei Filius secundùm divinitatem, hominis filius secundùm carnem. Quis autem nostrùm, qui parum advertimus, aut parum sapimus, non potiùs ita vellet distinguere, Filius Dei in cælo, & filius hominis in terra? Sed ne sic divideremus, & ita dividendo duas personas induceremus, *Non adscendit in cælum*, inquit, *nisi qui de cælo descendit, filius hominis.* Filius ergo hominis descendit de cælo. Nonne filius hominis in F terra factus est? nonne filius hominis per Mariam factus est? Sed ô homo, noli, inquit, separare, quem volo copulare. Parum est, quia filius hominis descendit: (Christus enim descendit, idemque filius hominis qui filius Dei est:) sedet in cælo, qui ambulat in terra. In cælo erat, quia ubique est Christus, idemque Christus est & Filius Dei & filius hominis. Propter unitatem personæ in terra Filius Dei, propter eamdem unitatem personæ esse probavimus in cælo filium hominis, ex G his verbis Domini, *Filius hominis*, inquit, *qui est in cælo.* Propter unitatem personæ, nonne in terra constituto atque conspicuo Petrus dicit, *Tu es Christus Filius Dei vivi?*

CAPUT IX.

Johan. 3. 13. Una in duabus naturis persona Christi, qui simul in terra se esse dicit & in cælo.

Matth. 16. 17.

In cælum solus Christus adscendit.

10. Ergo discat Nicodemus quomodo fiat illud, quod ei minùs intelligenti, incredibile & quasi impossibile videbatur: *Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit.* * Omnes autem qui renascuntur, utique adscendunt in cælum: ceterorum nemo prorsus. Et omnes qui renascuntur, per gratiam Dei adscendunt in cælum: & *nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Unde hoc? Quia omnes qui renascuntur, membra ipsius fiunt; & solus Christus de Maria natus unus est Christus, & cum corpore suo caput unus est Christus. Hoc ergo dicere voluit, *Nemo adscendit, nisi qui descendit.* Non ergo adscendit, nisi Christus. Si vis adscendere, esto in corpore Christi: si vis adscendere, esto membrum Christi. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum est corpus; sic & Christus:* quia caput & corpus Christus. Et quomodo fit hoc, adhuc quæramus. Latet quæstio, exaltatur illa profunditas.

CAPUT X.

Christi membra cum capite unus Christus.

Rom. 12. 4.

Quomodo Christi membra efficimur.

11. Christus peccatum non habet, nec originale traxit, nec suum addidit: extra voluptatem carnalis libidinis venit, non ibi fuit complexus maritalis: de virginis corpore non assumsit vulnus, sed medicamentum; non assumsit quod sanaret, sed unde sanaret: quantum ad peccatum pertinet, dico. Solus ergo ille sine peccato: quomodo erunt membra ejus, quorum nullus est sine peccato? Quomodo? Audi similitudinem quæ sequitur: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, sic oportet exaltari filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Unde tibi non videbatur peccatores homines posse fieri membra Christi, id est, illius qui nullum omnino haberet peccatum? Serpentis morsu movebaris: ideo crucifigitur Christus, ideo fundit sanguinem Christus in remissionem peccatorum; quia propter peccatum, id est, serpentis venenum, *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo*, unde sanarentur qui in illo deserto à serpentibus mordebantur, & illum exaltatum adtendere jubebantur, & quisquis adtenderet, sanabatur; *sic oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum*, id est, qui adtendit exaltatum, qui non erubescit crucifixum, qui in cruce Christi gloriatur, *non pereat, sed habeat vitam æternam. Non pereat*, unde? Credendo in eum. Unde non pereat? Adtendendo exaltatum: alioquin perisset. Hoc est enim, *Omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Johan. 3. 14. & 15.

Fides in Christum necessaria ad salutem.

12. Profers parvulum mihi, & jubes ut adtendat exaltatum, quem negas habere serpentis venenum. Immo si faves ei, si movet te innocentia in vita propria, noli negare tractum aliquem reatum de vita prima, non sua, sed parentis sui primi. Noli negare; confitere venenum, ut poscas medicamentum: aliter non sanatur. Aut ut quid ei dicis ut credat? Hoc enim respondetur à portante parvulum. Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio: respondetur, Credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, & flendo quodam modo ut subveniatur orante, respondetur, & valet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur, quia non valet? Absit à cordibus qualiumcumque Christianorum. Ergo respondetur, & valet. Conspiratione quadam communicat spiritus; credit in altero, quia peccavit in altero. An verò invenit vitam præsentis sæculi, quem parturivit infirmitas; & non invenit vitam futuri

CAPUT XI.

Parvulis alieno facto vulneratis aliena fide subvenitur.

Classis III.

sæculi, quem parturivit caritas?

Serpens æneus exaltatus figura Christi crucifixi in similitudine carnis peccati.

13. Ergo sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ut omnis à serpente percussus intueretur exaltatum, & sanaretur: sic oportuit exaltari filium hominis, ut omnis à serpente venenatus intueatur exaltatum, & sanetur. Adam primus accepit morsum serpentis cum veneno. Ergo natus in carne peccati, fit salvus in Christo per similitudinem carnis peccati. * *Misit enim Deus Filium suum*, non in carne peccati; sed sicut sequitur qui scripsit, *in similitudine carnis* B *peccati*; quia non de complexu maritali, sed de utero virginali. *Misit in similitudine carnis peccati*: ut quid hoc? *Ut de peccato damnaret peccatum in carne*: de peccato peccatum, de serpente serpentem. Quis enim dubitet nomine serpentis appellari peccatum? Ergo de peccato peccatum, de serpente serpentem: sed de similitudine, quia in Christo nullum peccatum, sed sola similitudo carnis peccati. Ideo exaltatus serpens, sed æreus; exaltata est similitudo carnis peccati, ut sanaretur origo peccati. Quia *misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati*. Non in similitudine carnis; nam vera caro est: sed *in similitudine carnis peccati*; quia mortalis caro sine ullo omnino peccato. *Ut de peccato*, propter similitudinem, *damnaret peccatum in carne*, propter veram iniquitatem. Vera iniquitas in Christo non fuit: sed mortalitas in illo fuit. Peccatum non suscepit, sed pœnam peccati suscepit. Suscipiendo sine culpa pœnam, & pœnam sanavit & culpam. Ecce quomodo fiunt ista. Quod admiratus Nicodemus dixerat, *Quomodo possunt ista fieri?* Sic enim sanamur, non quia meremur. Ecce quomodo fiunt ista. Modò ubi mihi parvulos ponis? Jam dicis, nullo veneno sauciati sunt. Aufer eos à conspectu exaltati serpentis. Si autem non aufers, sanandos dicis, venenatos confiteris.

*Caput XII. Rom. 8. 3. Johan. 3. 9.

*Caput XIII. Quicumque in Christum non credit, damnatur. Ibidem 18.

14. Deinde ipse Dominus in eodem sermone ad Nicodemum non audistis quid dixerit, cùm eadem lectio hodie legeretur? *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non crediderit, jam judicatus est*. Et hîc quæris medium homo de medio, & disputas, & adtenderis, nec adtendis: *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non crediderit, jam judicatus est*. Quid est autem, *Iam judicatus est?* Damnatus est. Nam judicium pro damnatione plerumque poni nostis: Scripturæ testes sunt; maximè illo uno testimonio apertissimo, cui nemo est qui contradicat. De resurrectione cùm ageret Dominus, *Qui bene fecerunt*, inquit, *in resurrectionem vitæ, qui malè egerunt, in resurrectionem judicii*: utique judicium pro damnatione posuit. Et tu aliter audes disserere aut credere? *Qui non credit, jam judicatus est*. Alio loco: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*: quam tu parvulis promittebas non baptizatis. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Sed habet, inquit, & qui non credit parvulus, quamvis non habeat regnum Dei. Sed vide quod G sequitur: *Qui autem incredulus est Filio, non habet vitam; sed ira Dei manet super eum*. Ubi ponis parvulos baptizatos? Profectò in numero credentium. Nam ideo & consuetudine Ecclesiæ antiqua, canonica, fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur. Et sic de his quærimus, Iste infans Christianus est? Respondetur, Chri-

Judicium pro damnatione. Johan. 5. 29. Johan. 3. 18. Ibidem 36. Infantes dicti fideles.

Serm. de Sanctis.

A stianus. Catechumenus, an fidelis? Fidelis; utique à fide, fides à credendo. Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis: nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus. Ergo ideo habent vitam æternam: quia *qui credit in Filium, habet vitam æternam*.* Noli eis sine ista fide, & sine isto sacramento hujus fidei, promittere vitam æternam. *Qui autem incredulus est Filio*, & qui non credit in Filium, *non habet vitam, sed ira Dei manet super eum*. Non B dixit, veniet super eum; sed, *manet super eum*. Respexit originem, cùm ait, *Ira Dei manet super eum*. Quam respiciens & Apostolus dixit, *Fuimus & nos aliquando naturâ filii iræ*. Non accusamus naturam. Naturæ auctor Deus est. A Deo bona est instituta natura: sed per malam voluntatem à serpente vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpæ, non naturæ, nobis propagatis factum est jam naturæ. Ab hoc vitio naturæ, cum quo nascitur homo, non liberat nisi qui natus est sine C vitio. Ab hac carne peccati non liberat nisi ille qui natus est sine peccato per similitudinem carnis peccati. Ab hoc veneno serpentis, non liberat nisi exaltatio serpentis. Quid ad hæc dicis? Satisne hoc est?

*Caput XIV. Peccatum originis. Ephes. 2. 3.

15. Unum aliquid acutissimum, quod ab eis profertur, paululùm adtendite. Cùm cœperint urgeri verbis Apostoli dicentis, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit; in quo* D *omnes peccaverunt*: quæ verba nescio quis non intelligat; in quibus verbis nescio utrùm quisquam expositorem requirat: conantur respondere, & dicere, ideo dictum hoc ab Apostolo, quia primus peccavit Adam, & qui postea peccaverunt, illum imitando peccaverunt. Hoc quid est aliud, quàm conari tenebras aperto lumini offundere? *Peccatum per unum hominem intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Propter imitationem di- E cis, quia primus peccavit Adam. * Respondeo prorsus, Non primus peccavit Adam. Si primum peccatorem requiris, diabolum vide. Sed humani generis massam volens ostendere Apostolus de origine venenatam, ideo eum posuit unde nati sumus, non eum quem imitati sumus. Dicitur quidem & pater tuus, quem fueris imitatus: *Filii mei*, inquit, *quos iterum parturio*. Qui itidem dicit, *Imitatores mei estote*. Et propter ipsam imitationem dicitur impiis, *Vos à patre diabolo estis*. F Nam constat in catholica fide, quòd diabolus nec generavit nostram naturam, nec condidit: sola in illo seductio est præcedentis, imitatio consequentis. Denique quomodo dictum est de Adam, *In quo omnes peccaverunt*; legatur mihi alicubi, Omnes in diabolo peccaverunt. Aliud est illo præcedente & seducente peccare, aliud in illo peccare. Quia secundùm propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tamquam in parente, tamquam in radice ibi eramus: G sic venenata est ista arbor, ubi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est, principem peccati, & verè primum peccatorem, non pertinet origo, sed imitatio; cùm de illo Scriptura loqueretur, *Invidiâ*, inquit, *diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius*. Imitando eum fiunt ex parte ipsius. Numquid dictum est, In illo peccaverunt? Cùm verò de

Pelagianorum effugium, dum urgentur verbis Apostoli de originali peccato. Rom. 5. 12. 2. Sent. dist. 30. c. Hoc autem.

*Caput XV. Non primum peccandi exemplum, sed originis peccatum ibi significatum. Gal. 4 19. 1. Cor. 4. 16. Johan. 8. 44. Sap. 2. 24. & 25.

CLASSIS III.

Adam diceretur, propter originem, propter posteritatem, propter propaginem viscerum, *In quo omnes*, inquit, *peccaverunt*. Nam si propterea primus constitutus est Adam, quia primus peccavit, tamquam in exemplo sit, non in origine; ut quid tam in longinquo, post tam prolixa tempora contra Adam quæritur Christus? Si omnes peccatores ad Adam propterea pertinent, quia primus peccator; omnes justi debuerunt ad Abel pertinere, quia primus justus. Quare Christus quæritur? Expergiscere frater. Quare Christus quæritur, nisi quia in Adam damnata est generatio, in Christo quæritur regeneratio?

CAPUT XVI. Pelagianorum objectio contra peccatum originale, cur de baptizato nō justus nascitur.

16. Proinde nemo nos fallat: Scriptura [a] evidens est, auctoritas fundatissima est, fides catholicissima est. Omnis generatus, damnatus: nemo liberatus, nisi regeneratus. Unde & alteri versutiæ illorum jam vos instructi respondete Carissimi. Quando dicunt, & parvulos turbant, Si de peccatore peccatores nati sunt, quare non de baptizato jam fideli, cui remissa sunt universa peccata, justi nascuntur? Citò respondete: Ideo de baptizato non justus nascitur, quia non eum generat unde regeneratus est, sed unde generatus est. De Christo dictum est, *Mortificatus carne, vivificatus spiritu*: sic de homine dici potest, Tabefactus carne, justificatus spiritu. *Quod nascitur de carne, caro est*. Quæris ut de justo justus nascatur, cùm videas justum esse nisi regeneratum omnino non posse. Nec adtendis Domini sententiam, quam tu ipse in ore habes: *Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu*. Puto quia non hoc factum est in concubitu. Miraris quare peccator nascatur de semine justi: non te delectat mirari quare oleaster nascatur de semine olivæ? Accipe aliam similitudinem. Justum baptizatum, pone granum purgatum: non adtendis, quia de grano purgato frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur. Deinde cùm sit in propagine natorum generatio carnalis, in propagine renatorum generatio spiritalis, vis ut de baptizato baptizatus nascatur, cùm videas de circumciso non nasci circumcisum? Carnalis est certè ista generatio, & carnalis est circumcisio, & tamen de circumciso non nascitur circumcisus: sic ergo de baptizato non potest nasci baptizatus; quia nemo renatus, antequam natus.

1. Pet. 3. 18.
Johan. 3. 6.
Ibidem 5.

CAPUT XVII. Alia eorūdem cavillatio exploditur.

17. Aliud eorum quasi acutissimum: sed quid acutum non obtunditur scuto veritatis? Aliud dicunt, videte quale. Si Adam, inquiunt, nocet his, qui non peccaverunt; ergo & Christus prodesse debet etiam his, qui non crediderunt. Videtis certè quàm hoc acutum sit contra veritatem: audite quantum adjuvet veritatem. Qui enim hoc dicit, nihil aliud dicit, nisi Christum nihil prodesse non credentibus. Hoc est verum. Quis non acceptet. Quis non consentiat, quia Christus non credentibus non prodest, credentibus prodest? Sed dic mihi, obsecro te, Parvulis baptizatis Christus aliquid, an nihil prodest? Necesse est ut dicat prodesse: premitur mole matris Ecclesiæ. Fortè quidem vellent hoc dicere; nam ratiocinationes eorum ad hoc videntur compellere: sed auctoritate reprimuntur Ecclesiæ, ne non dicam sputis hominum obruantur, sed ipsorum infantium lacrymis tamquam fluvio pertrahantur. Si enim dixerint, nihil prodesse Christum baptizatis infantibus; nihil aliud dicunt quàm, superfluò baptizantur infantes. Ut autem non superfluò baptizentur, quia hoc dicere non audent, prodesse Christum baptizatis infantibus confitentur.

Christus nihil prodest non credentibus.

SERM. DE SANCTIS.

Infantibus baptizatis prodest Christus.

*CAPUT XVIII.

* Si prodest baptizatis, quæro quibus prosit, credentibus, an non credentibus? Eligant quod volunt. Si dixerint, non credentibus: ubi est ergo quod calumniabaris, quia Christus non credentibus prodesse non potest? Ecce tu confiteris prodesse infantibus, non tamen credentibus. Ad quodlibet prodest: non putas ad vitam æternam, non putas ad salutem æternam: ad ipsum regnum cælorum percipiendum utique prodest Christus parvulis baptizatis. Prodest ergo non credentibus? Sed absit, ut ego dicam non credentes infantes. Jam superiùs disputavi, credit in altero, qui peccavit in altero: dicitur, Credit; & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon: contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur. Ergo prodest Christus aliquid infantibus baptizatis; & sicut ego dico, & sicut mecum tota Ecclesia dicit, credentibus, prodest, fidelibus prodest: tu quod vis elige. Volo quidem ut quod verius est, eligas; ut nobiscum dicas quia credentibus prodest. Sed si dixeris, Non credentibus prodest; contra te dixisti. Si dixeris, Credentibus prodest; mecum dixisti. Elige, utrùm contra te dicas quod falsum est, an mecum dicas quod verum est. Tu enim paulò antè dicebas, Christum non credentibus nihil prodesse, volens efficere quia sic & Adam non peccantibus nihil nocuit, quomodo Christus non credentibus nihil prodest. Ecce jam fateris infantibus non credentibus baptizatis aliquid prodesse Christum. Sed si credentibus dicis, bene dicis, mecum dicis, credunt & infantes.

Infantes baptizati verè credentes aliorum fide.

*CAPUT XIX. Infantes credunt fide parentū.

* Unde credunt? Quomodo credunt? Fide parentum. Si fide parentum purgantur, peccato parentum polluti sunt. Corpus mortis in primis parentibus generavit eos peccatores: spiritus vitæ in posterioribus parentibus regeneravit eos fideles. Tu das fidem non respondenti, & ego peccatum nihil agenti.

Contra peccatum originale perperam citatus Apostolus.

1. Cor. 7. 14.

18. Sancti, inquit, de sanctis nasci debuerunt: quia dixit Apostolus, *Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt*. Et quomodo hoc accipis? Quomodo intelligis, de fidelibus natum ita sanctum, ut baptizari non debeat? Quomodo libet, accipias istam sanctitatem. Multi enim modi sunt sanctitatis, & multi modi sunt sanctificationis. Non enim omne quod sanctificatur, ad regnum cælorum mittitur. De esca nostra dixit Apostolus, *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*. Numquid quia esca nostra sanctificatur, non scimus quò mittatur? Disce ergo esse aliquem modum, & quasi umbraculum quoddam sanctificationis, quod non sufficiat ad perceptionem salutis. Distat, & quid distet, Deo notum est. Tamen cùm filio fidelium curratur ad baptismum; non sic errent parentes, ut putent eum jam fidelem natum. Natum enim possunt dicere, non renatum. Nam ut noveris quomodo intelligas sanctificatos filios fidelium, ut modò non quæram, quia longum est, modum sanctificationis hujus; ibi & maritum habes infidelem, ibi habes & uxorem fidelem. *Sanctificatur*, inquit,

Sanctificationis modi multi.

1. Tim. 4. 5.

[a] Aliquot MSS. *Scripturæ evidens est auctoritas, fundatissima est fides, catholicissima est.*

Classis III.

vir infidelis in uxore, & sanctificatur mulier infidelis in fratre. Numquid quia est ibi fortè modus aliquis sanctificationis, ut vir infidelis sanctificetur in uxore fideli, ideo jam securitatem debet accipere, quòd in regnum cælorum intraturus est, & non baptizandus, non regenerandus, non Christi sanguine redimendus? Quomodo ergo sanctificatur vir infidelis in uxore, & tamen perit, nisi baptizetur: sic filii fidelium, etsi ad quemdam modum sanctificati, pereunt tamen, si non fuerint baptizati.

Caput XX. Cypriani auctoritas pro originali peccato.

19. Rogo vos, ut paululùm adquiescatis. Lego tantùm. Sanctus Cyprianus est, quem in manus sumsi, antiquus episcopus Sedis hujus: quid senserit de baptismo parvulorum, immo quid semper Ecclesiam sensisse monstraverit paululùm accipite. Parum est enim quia isti disserunt, & disputant nescio quas impias novitates; & nos conantur arguere, quòd aliquid novum dicamus. Ad hoc ergo lego sanctum Cyprianum, ut videatis quomodo sit intellectus canonicus, & catholicus sensus in his verbis, quæ paulò antè tractavi. Interrogatus est, utrùm infans baptizari debeat ante octavum diem: quia vetere Lege non licebat circumcidi infantem, nisi octavo die. Quæstio inde erat nata, de die baptizandi: nam de origine peccati nulla erat quæstio; & ideo ex ea re, unde nulla erat quæstio, soluta est exorta quæstio. Sanctus Cyprianus dixit inter cetera, quæ superiùs dixit: Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse [a] à lege quæ jam statuta est, nec spiritalem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi: quando & Petrus in Actibus Apostolorum loquatur & dicat, *Deus mihi dixit neminem hominem communem dicendum & immundum.* Ceterùm si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ possit, magis adultos & provectos & majores natu possint impedire peccata graviora. Porrò autem si etiam gravissimis delictoribus & in Dominum multùm antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur: quantò magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi dimittuntur, non propria, sed aliena peccata? Videte quemadmodum de hac re nihil dubitans, solvit illam unde dubitabatur. Hoc de fundamento Ecclesiæ sumsit, ad confirmandum lapidem nutantem.

In epist. 59. ad Fidum. — a — Act. 10. 15.

Caput XXI. Veritatis hostes quatenus patienter ferendi.

20. Impetremus ergo, si possumus, à fratribus nostris, ne nos insuper appellent hæreticos, quod eos talia disputantes nos appellare possimus forsitan, si velimus, nec tamen appellamus. Sustineat eos mater piis visceribus sanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium est quò progrediuntur; multum est, vix ferendum est, magnæ patientiæ adhuc ferri. Non abutantur hac patientiâ Ecclesiæ, corrigantur, bonum est. Ut amici exhortamur, non ut inimici litigamus. Detrahunt nobis, ferimus: canoni non detrahant, veritati non detrahant; Ecclesiæ sanctæ pro remissione peccati originalis parvulorum quotidie laboranti non contradicant. Fundata ista res est. Ferendus est disputator errans in aliis quæstionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis; ibi ferendus est error: non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur. Non expedit, adhuc fortè nostra non est reprehendenda patientia: sed debemus timere ne culpetur etiam negligentia. Sufficiat Caritati Vestræ, habete ad illos qui nostis illos, habete cum illis amicè, fraternè, placidè, amanter, dolenter: quidquid potest faciat pietas; quia postea [b] diligenda non erit impietas. Conversi ad Dominum, &c.

Serm. de Sanctis. — b

* SERMO CCXCV.

In Natali [c] Apostolorum Petri & Pauli, I.

* Aliàs de Diversis 108. — c

Caput I.

1. ISTUM nobis diem beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli passio consecravit. Non de obscuris aliquibus Martyribus loquimur. *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Isti Martyres viderunt quod prædicaverunt, secuti æquitatem, confitendo veritatem, moriendo pro veritate. Beatus Petrus, primus Apostolorum, vehemens Christi amator, qui meruit audire, *Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus.* Dixerat enim ipse, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Christus illi, *Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super hanc petram ædificabo fidem, quam confiteris. Super hoc quod dixisti, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ædificabo Ecclesiam meam. Tu enim Petrus. A petra Petrus, non à Petro petra. Sic à petra Petrus, quomodo à Christo Christianus. Vis nosse de qua petra Petrus dicatur? Paulum audi: *Nolo* enim *vos ignorare, fratres:* Apostolus Christi dicit, *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eumdem cibum spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali sequente eos petra: petra autem erat Christus.* Ecce unde Petrus.

Psal. 18. 5. — Matth. 16. 18. &c. — Petra super quam ædificata est Ecclesia ipse est Christus. — 1. Cor. 10. 1. &c.

Caput II. Petro Ecclesiæ personam gerenti datæ claves regni cælorum.

2. Dominus Jesus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, quos Apostolos appellavit. Inter hos penè ubique solus Petrus, totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit, *Tibi dabo claves regni cælorum.* Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, *Tibi trado*, quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni cælorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis. *Accipite Spiritum sanctum.* Et continuò: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cujus tenueritis, tenebuntur.* Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo; & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo.* Sed

Uni datæ sunt, quia Ecclesiæ unitati. — Johan. 20. 22. & 23.

a In Cypriani editis, *ea lege.*
b Aliquot MSS. *postea diligentia.* Et quidam, *post eam diligentiam.*

c Sanctorum Apostolorum sollemnitas in Kalendario Carthaginensis Ecclesiæ notatur. Sermones de ipsorum Natali ter memorat Possidius in Indiculo cap. 9. & 10.

CLASSIS III.

hoc Petro dixit. Ut scias quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerebat, audi quid ipsi dicatur, quid omnibus fidelibus sanctis: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Si non te audierit, adhibe tecum unum aut duos: scriptum est enim, In ore duorum aut trium testium, stabit omne verbum. Si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam: si nec ipsam audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quia quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo; & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in cælo.* Columba ligat, columba solvit; ædificium supra petram ligat & solvit. (Matth. 18. 15. &c.)

*CAPUT III.

* Timeant ligati, timeant soluti. Qui soluti sunt, timeant ne ligentur: qui ligati sunt, orent ut solvantur. *Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur:* & præter hanc Ecclesiam nihil solvitur. Quatriduano mortuo dicitur, *Lazare, prodi foras.* Et prodiit de monumento institis ligatus manibus & pedibus. Excitat Dominus, ut mortuus de monumento prodeat; si cor tangit, ut peccati confessio foras exeat. Sed parum adhuc ligatus est. Dominus ergo postquam exiit Lazarus de monumento, ad discipulos suos, quibus dixerat, *Quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in cælo: Solvite*, inquit, *eum, & sinite abire.* Per se excitavit, per discipulos solvit. (Prov. 5. 22. — Johan. 11. 43. — Christus priùs resuscitat, tum Ecclesia solvit.)

3. Proinde Ecclesiæ fortitudo in Petro maximè commendata est; quia euntem ad passionem secutus est Dominum: & infirmitas quædam notata; quoniam interrogatus ab ancilla, negavit Dominum. Ecce ille amator subitò negator. Invenit se, qui præsumserat de se. Dixerat enim, sicut nostis, *Domine, tecum ero usque ad mortem: & si opus fuerit ut moriar, animam meam pro te ponam.* Et Dominus ad præsumtorem, *Animam tuam pro me pones? Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Factum est quod prædixerat medicus: fieri non potuit quod præsumsit ægrotus. Sed quid? Continuò respexit eum Dominus. Sic scriptum est, sic loquitur Evangelium: *Respexit eum Dominus, & exiit foras, & flevit amarè. Exiit foras:* hoc est, confiteri. *Flevit amarè*, qui noverat amare. Dulcedo secuta est in amore, cujus amaritudo præcesserat in dolore. (Ecclesiæ fortitudo & infirmitas in Petro figurata. — Matth. 26. 35. — Johan. 13. 38. — Luc. 22. 61. & 62.)

CAPUT IV.

4. Meritò etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter discipulos solus meruit pascere Dominicas oves: sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur; & Petro primitus, quia in Apostolis Petrus est primus. *Simon Johannis*, inquit Dominus, *amas me?* Respondit ille, *Amo.* Et iterum interrogatus, iterum respondit. Et tertiò interrogatus, & tamquam illi non credatur, contristatur. Sed quomodo ei non credebat, qui cor ejus videbat? Denique post illam tristitiam sic respondit: *Domine, tu scis omnia, tu scis quia amo te.* Non enim qui omnia scis, hoc solum nescis. Noli tristis esse Apostole; responde semel, responde iterum, responde tertiò. Ter vincat in amore confessio, quia ter victa est in timore præsumtio. Solvendum est ter, quod ligaveras ter. Solve per amorem, quod ligaveras per timorem. Et tamen Dominus semel, & iterum, & tertiò, oves suas commendavit Petro. (Petro Ecclesiæ unitatem significanti oves à Christo cõmendatæ. — Johan. 21. 15. — Cur ter interrogatus Petrus de suo amore.)

CAPUT V.

5. Adtendite, Fratres mei: *Pasce*, inquit, *oviculas meas, pasce agnos meos. Pasce oves meas:* numquid dixit, tuas? Pasce, bone serve, oves Dominicas, habentes Dominicum characterem. *Numquid* enim *Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine* Petri & *Pauli baptizati estis?* Ergo pasce oves ejus, ablutas baptismo ejus, signatas nomine ejus, redemtas sanguine ejus. *Pasce*, inquit, *oves meas.* Nam hæretici servi mali & fugitivi, quod non emerunt dividentes sibi, & de furtis peculia tamquam propria facientes, suas oves sibi videntur pascere. Nam quid est aliud, rogo vos, Nisi te ego baptizavero, immundus eris, Nisi baptismum meum habueris, ablutus non eris? Itane non audistis, *Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine?* Proinde, Carissimi, quos baptizavit Petrus, oves Christi sunt; & quos baptizavit Judas, oves Christi sunt. Nam videte quid dicat sponsus dilectæ suæ in Cantico canticorum, quando ei dixit sponsa, *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie; ne fortè fiam sicut operta, super greges sodalium tuorum. Annuntia*, inquit, *mihi, ubi pascis, ubi cubas in meridie*, in splendore veritatis, in fervore caritatis. Quare times, ô dilecta? quid times? *Ne fortè fiam*, inquit, *sicut operta*, id est, sicut obscura, sicut non Ecclesia; quia Ecclesia non est operta: *Non* enim *potest civitas abscondi super montem constituta. Et* errando *incurram*, non in gregem tuum, sed *in greges sodalium tuorum.* Etenim hæretici sodales dicuntur. *A nobis exierunt:* ad unam nobiscum mensam, antequam exirent, accesserunt. Ergo quid ei respondetur? *Nisi cognoveris temetipsam:* sponsus dicit, interroganti respondet, *Nisi cognoveris temetipsam, ô pulcra inter mulieres.* O verax inter hæreses, *nisi cognoveris temetipsam:* quia de te prædicta sunt tanta, *In semine tuo benedicentur omnes gentes: Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, à solis ortu usque ad occasum: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* de te testimonia ista prædicta sunt. *Nisi* ergo *cognoveris temetipsam*, exi tu. Ego enim te non ejicio, ut dicant de te qui remanserint, *Ex nobis exierunt. Exi tu in vestigiis gregum:* non gregis, de quo dictum est, *Erit unus grex & unus Pastor. Exi tu in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos:* non sicut Petrus, *oves meas.* Pro his commendatis sibi ovibus Petrus meruit martyrio coronari, quod hodierna sollemnitate per orbem meruit celebrari. (Serm. de Sanctitas Dominici gregis divisores. — 1. Cor. 1. 13. — Jerem. 17. 5. — Cant. 1. 6. — Matth. 5. 14. — 1. Johan. 2. 19. — Gen. 22. 18. — Psal. 49. 1. — Psal. 2. 8. — Psal. 18. 5. — 1. Johan. 2. 19. — Johan. 10. 16.)

CAPUT VI.

6. Veniat & de Saulo Paulus, de lupo agnus; priùs inimicus, postea Apostolus; priùs persecutor, postea prædicator. Veniat, accipiat litteras à principibus sacerdotum, ut ubicumque invenerit Christianos, vinctos adducat ad pœnas. Accipiat, accipiat, proficiscatur, pergat, anhelet cædem, sitiat sanguinem: Qui habitat in cælis, irridebit eum. Ibat enim, sicut scriptum est, spirans cædem, & propinquabat Damascum. Tunc Dominus de cælo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ego sum hîc, ego sum ibi: hîc caput, ibi corpus. Non ergo miremur, Fratres, ad corpus Christi pertinemus. *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi adversùs stimulum calcitrare.* Te lædis: nam Ecclesia mea persecutionibus crescit. At ille pavens & tremens, *Domine, quis es tu?* Et ille, *Ego sum Iesus Nazarenus,* (Paulus ex persecutore prædicator Christi. — Psal. 2. 4. — Act. 9. 4.)

Classis III.

quem tu persequeris. Continuò mutatus exspectat A imperium: ponit invidentiam, præparat obedientiam. Dicitur ei quid faciat. Et antequam Paulus baptizetur, loquitur Dominus Ananiæ, *Vade ad illum vicum, ad illum hominem nomine Saulum, baptiza illum; quia vas electionis mihi est.* Vas aliquid portare debet, vas inane esse non debet. Vas implendum est: unde, nisi gratiâ? Ananias autem respondit Domino nostro Jesu Christo: *Domine, audivi quia homo iste multa mala fecit sanctis tuis. Et nunc litteras portat à principibus sacerdotum, ut ubicumque invenerit viæ hujus viros, vinctos adducat.* B Et Dominus ad illum, *Ego illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo.* Trepidabat Ananias, audito nomine Sauli: trepidabat famam lupi infirma ovis, etiam sub [a] manu pastoris.

Caput VII. Paulus & Petrus pro Christo passi.

7. Ecce ostendit illi Dominus quæ illum oporteret pati pro nomine ejus. Pôst exercuit illum in labore. Ipse in vinculis, ipse in plagis, ipse in carceribus, ipse in naufragiis. C Ipse illi procuravit passionem: ipse perduxit ad istum diem. Unus dies passionis duobus Apostolis. Sed & illi duo unum erant: quamquam diversis diebus paterentur, unum erant. Præcessit Petrus, secutus est Paulus. Primò Saulus, postea Paulus: quia primò superbus, postea humilis. Saulus à Saüle sancti David persecutore. Dejectus est persecutor, erectus est prædicator. Mutavit nomen superbi ad humilitatem. Paulus enim modicus est. Verba videte Caritatis Vestræ: nonne quotidie dicimus, D Post paululum videbo te, paulò post faciam hoc, aut illud? Ergo quid est Paulus? Ipsum interroga. *Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum.* (1. Cor. 15. 9.)

Caput VIII. Dies Martyrum ideo celebrātur, ut eos imitari delectet.

8. Celebramus diem festum, Apostolorum nobis sanguine consecratum. Amemus fidem, vitam, labores, passiones, confessiones, prædicationes. Proficimus enim amando; non ista propter carnalem lætitiam celebrando. Martyres enim à nobis quid quærunt. Minus habent, si adhuc laudes hominum quærunt. E Si adhuc laudes hominum quærunt, [b] nondum vicerunt. Si autem vicerunt, à nobis propter se nihil quærunt; sed propter nos ipsos quærunt. Dirigatur ergo via nostra in conspectu Domini. Arta erat, spinosa erat, dura erat: talibus tamque multis transeuntibus lenis facta est. Transiit ipse prior Dominus, transierunt Apostoli intrepidi, postea Martyres, pueri, mulieres, puellæ. Sed quis in eis? Ille qui dixit, *Sine me nihil potestis facere.* (Johan. 15. 5.)

* SERMO CCXCVI.

* Aliàs de Diversis. 106.

In Natali [c] Apostolorum Petri & Pauli, II.

Caput I.

1. RECENS sancti Evangelii lectio hodiernæ sollemnitati conveniens, quæ modò sonuit in auribus nostris, si ab auribus etiam in cor nostrum descendit, & in eo locum quietis invenit: (tunc enim in nobis requiescit verbum Dei, quando nos adquiescimus verbo Dei:) admonuit nos omnes, qui vobis verbum & sacramentum Domini ministramus, pascere oves suas. G Beatus Petrus Apostolorum primus, Domini nostri Jesu Christi major amator, quàm negator, sicut indicat Evangelium, secutus est Do-

Petrus infirmus plus promittit, quàm potest.

minum passurum: sed tunc non potuit sequi passurus. Secutus est pedibus, nondum idoneus sequi moribus. Promisit se moriturum pro illo, & non potuit nec cum illo. Plus enim ausus erat, quàm ejus capacitas sustinebat. Plus promiserat, quàm poterat: quia & indignum erat ut faceret quod promiserat. *Animam meam*, inquit, *pro te ponam.* (Johan. 13. 37.) Hoc pro servo Dominus erat facturus, non servus pro Domino. Qui ergo plus est ausus, ibi præpostere amavit; ideo timuit & negavit. Postea verò Dominus postquam surrexit, docet Petrum amare. Inordinatè amans, defecit sub pondere passionis: ordinatè autem amanti promisit passionem.

Infirmitas Petri timentis mori Dominum.

2. Meminimus infirmitatem Petri dolentis quòd Dominus esset moriturus: hanc commemoro, ecce commemoro. Qui meminerunt, in corde suo mecum dicant: qui obliti fuerant, commonente me recolant. Dominus Jesus Christus passionem suam imminentem ipse discipulis prænuntiavit. Tunc Petrus amans eum, sed adhuc carnaliter, mori timens mortis interfectorem, *Absit à te*, inquit, *Domine: absit à te, propitius esto tibi.* (Matth. 16. 22.) Non dixisset, *propitius tibi esto*, nisi agnosceret verum Deum. Ergo Petre, si Deus à te cognoscitur, quid times ne Deus moriatur? Tu homo es, ille Deus est. Et pro homine Deus factus est homo, assumens quod non erat, non perdens quod erat. In eo ergo Dominus moriturus erat, in quo & resurrecturus. Expavit ergo Petrus humanam mortem, & noluit eam contingere Dominum. Nesciens, saccum volebat claudere, unde nostrum pretium erat manaturum. (Saccus pretii nostri.) Audivit à Domino tunc, *Redi retrò satanas, neque enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Cui paulò antè dixerat, dicenti, *Tu es Christus Filius Dei vivi; Beatus es Simon Bar-Iona, quia tibi non revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cælis.* Paulò antè beatus, postea satanas. Sed unde beatus? Non de suo: *Non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cælis.* Unde autem satanas? Ex homine, & in homine: *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Talis Petrus amans Dominum, timens mori Dominum, & volens mori pro Domino, secutus est: & inventum est quomodo prædixerat medicus, non quomodo præsumserat ægrotus. * Interrogatus ab ancilla, negat semel, bis, & tertiò. Adspicitur à Domino, flet amarè: tergit lacrymis pietatis cordis negationes. (* Caput II. Lucæ 22. 61.)

Petro jam amanti Christus oves commendat.

F 3. Resurgit Dominus, apparet discipulis. Videt jam Petrus viventem, cui morienti timuerat. Videt non Dominum occisum, sed mortem in Domino occisam. Jam ergo [d] confirmatus exemplo carnis ipsius Domini, mortem non esse usque adeo metuendam, docetur amare. Modò opus est ut amet, jam viso Domino vivo post mortem: modò amet, modò securus amet; securus, quia secuturus. Dominus ergo, *Petre amas me?* Et ille, *Amo Domine.* Et Dominus, Non quia amas me, volo ut moriaris pro me; hoc enim G ego jam feci pro te. Sed quid? *Amas me?* Quid mihi redditurus es, quia amas me? *Amas me? Amo. Pasce oves meas.* (Johan. 21. 15.) Et iterum hoc, & tertiò hoc: ut ter confiteretur amor, quod ter negave-

[a] Quidam libri, *sub voce pastoris.*
[b] Plures MSS. *non mundum vicerunt.*
[c] In Flori collectione citatur ad Rom. 8. Habitus est versùs finem fortè anni 410. post captam Urbem à Gothis. Vide suprà Ser. 81. n. 7. & seq. ac Ser. 105. n. 12. & 13.
[d] Regius MS. *informatus de exemplo.*

Classis III.

rat timor. Videte, percipite, discite. Non aliud quàm, Amas, interrogatur: non aliud quàm, Amo, respondetur. Respondenti dicitur, *Pasce oves meas.* Et commendatis Petro ovibus suis, & commendato sibi Petro cum ovibus suis, jam prænuntiat passionem, & dicit, *Cùm esses junior, cingebas te, & ibas quò velles; cùm autem senior factus fueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Hoc autem dicebat*, ait Evangelista, *significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Videtis hoc pertinere ad pascendas oves Domini, ut non recusetur mors pro ovibus Domini. A

Ibid. 18. & 19.

B

Caput III. Pastor idoneus ille est, qui vitam rependere valet pro ovibus.

4. *Pasce oves meas.* Commendat oves idoneo, an minùs idoneo? Primò, quas oves commendat? Pretiosas, emtas, non auro, non argento, sed sanguine. Si dominus homo commendaret servo suo oves suas, procul dubio cogitaret, utrùm peculium servi illius idoneum esset pretium ovium suarum, & diceret, Si perdiderit, si dissipaverit, si consumserit, habet unde reddat. Commendaret ergo servo idoneo oves suas, & servi facultates in pecunia quæreret, pro ovibus quas pecuniâ comparavit. Nunc verò Dominus Jesus Christus, quia servo commendat oves, quas sanguine comparavit; idoneitatem servi in passione sanguinis quærit. Tamquam diceret, Pasce oves meas, commendo tibi oves meas. Quas oves? Quas emi sanguine meo. Mortuus sum pro eis. Amas me? Morere pro eis. Et quidem servus ille hominis homo pecuniam redderet pro consumtis ovibus: Petrus sanguinem reddidit pro ovibus conservatis. C D

Caput IV. Ceteris Ecclesiæ pastoribus id mandatū, quod Petro.

5. Eia, Fratres, aliquid pro tempore volo dicere. Quod Petro commendatum est, quod Petro mandatum est, non Petrus solus, sed etiam alii Apostoli audierunt, tenuerunt, servaverunt, maximéque ipse consors sanguinis & [a] diei apostolus Paulus. Audierunt ista, & ad nos audienda transmiserunt. Pascimus vos, pascimur vobiscum. Det nobis Deus vires sic amandi vos, ut possimus etiam mori pro vobis, aut effectu, aut affectu. Non enim quia Johanni apostolo passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit. Non est passus, sed potuit pati. Præparationem ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arsuri missi sunt in caminum, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, passi non sunt: interroga voluntatem, coronati sunt. *Potens est enim Dominus*, dixerunt, *eruere nos de manibus tuis: sed & si non:* ibi sunt certa pectora & stabilis fides, ibi virtus inconcussa, ibi certa victoria: *sed & si non, notum tibi sit, rex, quoniam statuam quam statuisti, non adoramus.* Aliud Deo placuit: non arserunt, sed ignem idololatriæ in animo regis exstinxerunt. E F

Animus martyrii martyrem facit.

Dan. 3. 17. & 18.

Caput V. Tribulationes temporales pro futura gloria tolerande.

6. Videtis ergo Carissimi, quæ sunt proposita in hoc tempore servis Dei, propter futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: contra quam gloriam non appenditur quælibet quantalibet tribulatio temporalis. *Indignæ* enim *sunt passiones hujus temporis*, ait Apostolus, *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Si hæc ita sunt, modò nemo cogitet carnaliter, non est tempus. Concutitur mundus, excutitur vetus homo: premitur caro, liquescat spiritus. Jacet Petri corpus Romæ, dicunt homines; jacet Pauli corpus Romæ, Laurentii corpus Romæ, aliorum sanctorum Martyrum corpora jacent Romæ; & misera est Roma, & vastatur Roma, affligitur, conteritur, incenditur. Tot strages mortis fiunt, per famem, per pestem, per gladium; ubi sunt Memoriæ Apostolorum? Quid dicis? Ecce hoc dixi, Tanta mala Roma patitur, ubi sunt Memoriæ Apostolorum? Ibi sunt, sed in te non sunt. Utinam in te essent, quisquis ista loqueris, quisquis ita desipis, quisquis vocatus in spiritu carnaliter sapis. Prorsus adhuc patientiam doceo, nondum sapientiam. Patiens esto, Dominus vult. Quæris quare velit? Differ secretum cognitionis, strenuitatem obedientiæ præpara. Ferre te vult: ferto quod vult, & dabit quod vis. Et tamen, Fratres mei, ecce audeo dicere: libenter audituri estis, si jam primas partes obedientiæ retinetis, si est in vobis lenis & mitis patientia ferendi Dominicam voluntatem. Lenia quippe non ferimus, sed amamus: aspera toleramus, ad lenia gaudemus. Dominum Deum tuum vide, caput tuum vide, exemplum vitæ tuæ vide; redemtorem tuum, pastorem tuum adtende: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Quomodo ostendit humanam voluntatem, & continuò convertit renisum ad obedientiam? *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.* Ecce Petro hoc dixit: *Cùm senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis.* Ostendit in illo humanam voluntatem, circa trepidationem mortis. Numquid quia nolens mortuus est, nolens coronatus est? Sic & tu nolebas fortè amittere peculium tuum, quod hîc relicturus eras: adtende ne cum relinquendo remaneas. Nolebas ante te mori filium tuum, nolebas ante te mori uxorem tuam. Quid enim? Etsi Roma non caperetur, non aliquis vestrûm prior moriturus erat? Nolebas ante te mori uxorem tuam, nolebat uxor tua ante se mori virum suum: ambobus obtemperaturus erat Dominus? Ordo penes ipsum sit, qui novit ordinare quod creavit. Obtempera ergo tantæ voluntati Dei.

Florus ad Rom. 8. 18.

G

Serm. de Sanctis. Romæ vastatio temporibus Christianis.

Matth. 26. 39.

Johan. 21. 18.

Caput VI. Pagano de Roma Christianis temporibus incensa insultanti quid respondendū.

7. Jam video quid dicas in corde tuo: Ecce temporibus Christianis Roma afflicta est, & incensa est. Quare temporibus Christianis? Quis hoc dicit? Christianus? Ergo tu tibi responde, si Christianus es: Quando voluit Deus. Sed quid dico Pagano? insultat mihi. Quid tibi dicit? unde tibi insultat? Ecce quando faciebamus sacrificia diis nostris, stabat Roma, florebat Roma; modò quia superavit & abundavit sacrificium Dei vestri, & inhibita sunt & prohibita sacrificia deorum nostrorum, ecce quid patitur Roma. Breviter responde interim, ut illo careamus; ceterum tibi alia meditatio est. Non enim vocatus es ad amplectendam terram, sed ad comparandum cælum; non vocatus es ad felicitatem terrenam, sed ad cælestem; non ad temporales successus & prosperitatem volaticam & transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam. Tamen huic amatori carnalis felicitatis, & murmuratori adversùs Deum vivum & verum, volenti servire dæmoniis & lignis & lapidibus, citò responde. Sicut habet historia eorum, incendium hoc Romanæ urbis tertium est. Sicut habet historia eorum, sicut habent litteræ ipsorum, incendium Romanæ urbis, quod modò contigit, tertium est. Quæ modò semel arsit, inter sacrificia

Christiani vocati non ad terrena, sed ad cælestia.

[a] Editi, & Dei. Meliùs plerique MSS. & diei.

Classis III. De civit. Dei lib. 2. c. 22.

cia Christianorum, jam bis arserat inter sacrificia Paganorum. Semel à Gallis sic incensa est, ut solus collis Capitolinus remaneret. Postea à Nerone, nescio utrùm dicam sæviente an fluente, secundo igne Roma flagravit. Jussit Nero imperator ipsius Romæ, servus idolorum, interfector Apostolorum, jussit, & incensa est Roma. Quare putatis? qua caussâ? Homo elatus, superbus & fluidus, delectatus est Romano incendio. Videre, inquit, volo, quomodo Troja arserit. Arsit ergo sic semel, bis, tertiò. Modò te quid delectat contra Deum stridere, pro ea quæ consuevit ardere?

Caput VII. Christianorū est pati mala temporalia, & sperare bona sempiterna. Jacobi 1. 2.

8. Sed in ea, inquiunt, passi sunt tanta mala tam multi Christiani. Excidit tibi, quia Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna? Tu quisquis Paganus es, habes quod plangas; quia temporalia perdidisti, & æterna nondum invenisti. Habet Christianus quod cogitet: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationibus variis incideritis.* Dicis itaque ô Pagane, Dii præsides Romam modò non servaverunt, quia non sunt; tunc servaverunt, quando erant. Nos Deum nostrum ostendimus veracem.

Tribulationes prædictæ à Christo. Lucæ 21. 9.

Prædixit ista omnia, legistis, audistis: sed nescio utrùm meministis, qui talibus verbis turbamini. Non audistis Prophetas, non audistis ipsum Dominum Jesum Christum prædicentem mala futura? Quantum accedit ætas mundo, tantum propinquatur fini. Audistis, Fratres, simul audivimus: *Erunt bella, erunt tumultus, erunt pressuræ, erunt fames.* Quare nobis ipsis contrarii sumus, ut quando leguntur credamus, quando implentur murmuremus?

Caput VIII. Tribulationes temporibus Christianis an majores sint, & quare.

9. Sed plus, inquiunt, plus vastatur modò genus humanum. Interim consideratâ præteritâ historiâ, salva quæstione, nescio utrùm plus. Sed ecce sit plus: credo quia plus. Dominus ipse solvit quæstionem: plus modò vastatur mundus, plus vastatur. Audi quare modò plus vastatur, cùm Evangelium ubique prædicatur. Attendis quanta celebritate Evangelium prædicatur, & non attendis quanta impietate contemnatur? Jam, Fratres, dimittamus paululùm Paganos foris, oculum ad nos. Evangelium prædicatur toto mundo: verum est. Antequam Evangelium prædicaretur, latebat voluntas Dei: in prædicatione Evangelii patuit voluntas Dei. Dictum est nobis in prædicatione Evangelii quid amare debeamus, quid contemnere, quid agere, quid vitare, quid sperare. Omnia audivimus: non latet voluntas Dei per totum mundum. Pone servum mundum: & attende Evangelium. Audi Domini vocem. Servus iste mundus est. *Servus nesciens voluntatem domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit pauca.* (Lucæ 12. 48.) Servus mundus. Quomodo servus mundus? Quia *mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit.* (Johan. 1. 10.) *Servus nesciens voluntatem domini sui.* Ecce quid erat antè mundus. Nunc verò quid? *Servus autem sciens voluntatem domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit multa.* (Lucæ 12. 47.) Et utinam multa vapulet, non semel damnetur. Quid recusas vapulare multa, ô serve sciens voluntatem domini tui, & faciens digna plagis? Dicitur tibi, (ecce una voluntas Domini tui,) *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque comestura exterminat, ubi fures non effodiunt, nec furantur.* (Matth. 6. 20.) Tu in terra thesaurizas: ille in cælo

Thesauri-

A jubet, dicens tibi, Mihi da, ibi habeto thesaurum, ubi ego sum custos. Mitte ante te: quid servas in terra? Quod custodit Christus, non tollit Gothus. Tu contrà, prudentior scilicet & sapientior Domino tuo, condis in terra. Sed cognovisti voluntatem Domini tui: sursum condere voluit. Et tu, Ego in terra condo. Paratus ergo esto vapulare multa. Ecce scis voluntatem Domini tui volentis te servare in cælo, & tu servas in terra: facis digna plagis. Et quando vapulas, blasphemas. B Blasphemas, murmuras; dicis quod tibi facit Dominus tuus, fieri non debuit. Quod facis tu servus malus, hoc fieri debuit?

Serm. de Sanctis. zate in cælo jubemur, non in terra.

Caput IX. Contra Deum in adversis nō murmurandum.

10. Saltem illum locum tene, noli murmurare, noli blasphemare. Lauda magis Dominum tuum, quia corripit te: lauda quia emendat te, ut consoletur te. *Quem enim diligit Deus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* (Hebr. 12. 6.) Tu delicatus filius Dominicus, & recipi vis, & flagellari non vis: ut tu fluas, ille mentiatur. Debuit C ergo Apostolorum Memoria, per quam tibi præparatur cælum, servare tibi in terra theatra insanorum? Planè verum est: ideo mortuus est Petrus, & Romæ positus, ut lapides de theatro non caderent? Excutit Deus delicias puerorum de manibus indisciplinatorum. Fratres, peccata minuamus & murmura. Hostes simus iniquitatibus nostris, murmuri nostro: nobis irascamur, non Deo. *Irascimini*, prorsus irascimini: sed ad quos usus? *Et nolite peccare.* (Psal. 4. 5.) Ad hoc irascimini, ne D peccetis. Etenim omnis homo, quem pænitet, sibi irascitur: pænitentiæ iram exercet in se. Vis ergo ut tibi parcat Deus? Tu tibi noli parcere. Quia si tu tibi parcis, ille tibi non parcet: quia si & ille tibi parcat, peris. Nescis quod optas miser, peris. Sicut enim scriptum est, *Flagellat omnem filium, quem recipit:* (Hebr. 12. 6.) sic etiam illud time, *Irritavit Dominum peccator.* (Psal. 9. 4.) Unde scis? quasi diceretur illi, Unde scis quia irritavit Dominum peccator? Vidit felicem peccatorem, quotidie mala E facientem, & nihil mali patientem, & in Spiritu* sancto horruit, & doluit, & dixit, *Irritavit Dominum peccator.* Peccator iste qui facit tanta mala, & nihil mali patitur, irritavit Dominum. Provocat Dominum: *pro magnitudine iræ suæ non exquiret.* Ideo non exquiret, quia multùm irascitur. Qui tollit correptionem, parat damnationem. *Non exquiret*: Nam si exquireret, flagellaret; & fortasse emendaret. Modò autem multùm irascitur: felicibus iniquis multùm irascitur, cùm F non flagellantur. Nolite zelare illos, nolite velle esse sicut illi infeliciter felices. Melius est ad tempus flagellari, quàm in æternum damnari.

Impiorum felicitas magna ira Dei.

* f. suo.

Caput X. Amor in Deum tum apparet, si amantur lucra Dei.

11. Ergo commendavit nobis Dominus oves suas, quia Petro commendavit: si tamen ex aliqua parte vel extrema digni sumus pulverem vestigiorum Petri calcare; commendavit nobis oves Dominus. Oves ipsius estis, vobiscum oves sumus, quia Christiani sumus. Jam diximus, pascimus & pascimur. Amate Deum, ut amet vos Deus. Et G non potestis ostendere quantum ametis Deum, nisi quantum apparueritis amare lucra Dei. Quid habes præstare Deo, homo cordate, quid præstas Deo? Quid præstabat Petrus? Totum hoc: *Pasce oves meas.* Quid præstas Deo, ut sit major, ut sit melior, ut sit ditior, ut sit honoratior? Qualiscumque tu eris, ille hoc erit quod erat. Ergo attende juxta te, ne fortè proximo præstare debeas,

 quòd perveniat ad Deum. *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* * Si ergo esurienti juberis panem frangere, tu pulsanti debes ecclesiam claudere? A

Matth. 25. 40.

*Caput XI. Ex hæresi etiam post relapsum redeuntes, benignè recipiendi.

12. Quare hoc dixi? Contristavit nos quod audivimus, quamvis præsentes non fuerimus, quòd quidam ex Donatistis veniens ad ecclesiam, peccatum rebaptizationis confitens, cùm ad pænitentiam ab Episcopo exhortaretur, reclamatum est à quibusdam fratribus, & repulsus est. Dico Caritati Vestræ, torta sunt, torta sunt ex hoc B viscera nostra. Fatemur vobis, non nobis placet talis diligentia. Scio quia zelo Dei fecerunt & Ecclesiæ. Putatis quia nihil factum est, quia hoc ad omnes sonuit? Rogos vos, ideo sonuerit hodie vox ista, ut illud quod malè sonuit, obruat ea res quę bene sonuit. Hanc operam date, hoc sonet, hoc prædicemus, hoc prædicamus. Veniant, admittantur more solito, qui numquam adhuc catholici fuerunt. Si autem jam catholici fuerunt, & inventi sunt lubrici, inventi sunt inconstantes & infirmi, inventi sunt perfidi; C numquid prorsus parco perfidis? Fortè erunt fideles, qui fuerunt perfidi: veniant & ipsi admittendi ad pænitentiam. Nec sibi blandiantur, quòd redeuntes ad partem Donati egerint pænitentiam. Illa pænitentia fuit de re bona: sit vera de re mala. Quando egerunt pænitentiam in parte Donati, pænituit illos quòd bene fecerant: modò agant, ut pæniteat illos quòd malè fecerunt. Timetis, quòd perfidi inventi sunt, ne sanctum conculcent? Ecce & huic ti- D mori vestro consulitur, in pænitentiam admittuntur. Erunt in pænitentia, quando voluerint reconciliari, jam nemine cogente, nemine terrente: quoniam pænitens catholicus jam legum comminationes non patitur; cœpit velle reconciliari dum nemo terreret, vel tunc credatur voluntati. Puta quia coactus est esse catholicus, erit pænitens. Quis illum cogit petere reconciliationis locum, nisi voluntas propria? Modò ergo admittamus infirmitatem, ut postea probemus voluntatem. E

* *Aliàs de Diversis* 107.

* SERMO CCXCVII.

In Natali Apostolorum Petri & Pauli, III.

Caput I.

1. Hodiernum nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum. Hoc reddiderunt servi, quod pro eis impensum est sanguine Domini. Beatus Petrus, sicut modò audivimus, sequi jubetur: & tamen præcedere meditabatur, quando dixit Domino, *Animam meam pro te ponam.* F Præsumtionem ferebat, timorem suum nesciebat. Præire volebat, quem sequi debebat. Bonum cupiebat, sed ordinem non tenebat. Quàm esset amara mors, amaro timore sensit, & peccatum amari timoris amaris lacrymis lavit. Timor interrogatus est ab ancilla, amor à Domino. Et quid respondit timor, nisi humanam trepidationem? quid respondit amor, nisi divinam professionem? Amare enim Deum, donum Dei est. Quando de amore Dominus Petrum G interrogabat, quod dederat exigebat.

Præsumtio Petri.

Johan. 13. 37.

Timor ex infirmitate humana, amor ex gratia divina.

2. Quid tamen Dominus Petro prænuntiavit, unde est festus hic dies? *Cùm esses junior*, inquit, *præcingebas te, & ibas quò velles: cùm autem senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis.* Ubi est, *Tecum ero usque ad mortem?* Ubi est, *Animam meam pro te ponam?* Ecce formidabis,

Petrus prædicitur passurus quod non volet.

Johan. 21. 18.

A ecce negabis, ecce plorabis; & pro quo mori timuisti, resurget, & firmaberis. Quid enim mirum, quia timuit Petrus, antequam resurgeret Christus? Ecce jam resurrexit Christus, jam apparet veritas animæ & carnis, jam quod est in promisso, firmatur exemplo. Videtur Dominus vivus post crucem, post mortem, post sepulcrum. Parum est quod videtur: tangitur, contrectatur, probatur. Fecit cum discipulis quadraginta dies, intrans & exiens, manducans & bibens, non ege- B state, sed potestate; non necessitate, sed caritate: manducans & bibens, non esuriendo, nec sitiendo, sed docendo & monstrando. Probatus verus & verax, adscendit in cælum, mittit Spiritum-sanctum, implet credentes & orantes, mittit prædicantes. Et tamen post hæc omnia, Petrum alius præcingit, & fert quò ipse non vult. Quod volebas quando Dominus prædicebat, tunc velles quando sequi debebas.

Caput II. Mortis amaritudo tolerata à Martyribus.

3. Alter te cingit, & fert quò tu non vis. Con- C solatur Dominus de hoc, transfigurans in se infirmitatem nostram, & dicens, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Inde Martyres magni, quia dulcedinem hujus mundi calcaverunt: inde Martyres magni, quia amaræ mortis asperitatem durissimam pertulerunt. Nam si facile est mortem ferre, quid magnum Martyres pro Domini morte pertulerunt? Unde magni, unde excelsi, unde ceteris hominibus multò florentiùs coronati? Unde, quod norunt fideles, distincti à de- D functis loco suo Martyres recitantur, nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur? Unde hoc, nisi quia mors, quam pro Dominica confessione elegerunt suscipere, quàm Christum negare, utique amara est? Utique natura refugit mortem. Intuere omne animalium genus, nullum invenies quod nolit vivere, quod non timeat interire. Habet istum sensum genus humanum. Dura est mors: sed non, inquam, quia mors est dura, ideo neganda est vita. Petrus E etiam senex nolebat mori. Mori quidem nolebat, sed Christum sequi malebat. Malebat Christum sequi, quàm non mori. Si via lata esset, qua sine morte Christum sequeretur, quis dubitet quòd hanc arriperet, hanc eligeret? Sed non erat quà sequi Christum quò ire volebat, nisi per viam quam pati nolebat. Denique per illam mortis asperitatem arietibus transeuntibus secutæ sunt oves. Arietes ovium sancti Apostoli. Aspera via mortis, spinis plena: sed istæ spinæ Petrâ & Pe- F tro transeunte, petreis pedibus tritæ sunt.

Matth. 26. 38.

Martyrum inde corona illustrior.

Petreis pedibus tritæ spinæ.

Caput III. Vitæ amor cujusnam laudatur.

4. Non reprehendimus, non accusamus, etiam si vita ista ametur. Sic tamen vita ista ametur, ne in ejus amore peccetur. Ametur vita, sed eligatur vita. Interrogo amatores vitæ, & dico, *Quis est homo, qui vult vitam?* Etiam taciti omnes respondetis, Quis est homo, qui non vult vitam? Addo quod Psalmus addidit: *Quis est homo, qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* Respondetur, Quis enim homo est, qui non vult vi- G tam, & qui non diligat videre dies bonos? Si ergo vis ad vitam venire, & dies bonos videre, quia ista merces est, opus hujus mercedis adtende: *Contine linguam tuam à malo.* Hoc in Psalmo sequitur. *Quis est homo, qui vult vitam, & amat videre dies bonos?* Adjungit, *Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: Declina à malo, & fac bonum.* Modò dic, Vo-

Psal. 33. 13.

Ibid. 14. & 15.

Classis III.

lo. Interrogabam, Vis vitam? Respondebas, Volo. A Interrogabam, Vis videre dies bonos? Respondebas, Volo. *Cohibe linguam tuam à malo.* Modò dic, Volo. *Declina à malo, & fac bonum.* Dic, Volo. Si autem hoc vis; quære opus, & ad mercedem curris.

Caput IV. Corona Paulo redditur debita, quia gratia præcessit indebita.

5. Adtende apostolum Paulum, quoniam & ipsius hodie dies festus est. Concordem vitam ambo duxerunt, socium sanguinem ambo fuderunt, cælestem coronam ambo sumserunt, diem hodiernum ambo consecraverunt. Adtende ergo B apostolum Paulum, recole verba quæ paulò antè, cùm ejus epistola legeretur, audivimus. *Ego*, inquit, *jam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De cetero*, inquit, *superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Non enim negabit debitum, qui donavit indebitum. Justus judex reddet coronam, reddet: habet enim cui reddat. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi:* C coronam his meritis reddet; nec negabit debitum, sicut dixi, qui donavit indebitum. Quid est quod donavit indebitum? *Qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus.* Quid ergo donavit indebitum? Ipsum audiamus confitentem, & donatorem gratiæ * de vita sua confessione laudantem. *Priùs*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus.* Debebatur tibi ergo ut esses apostolus? Quid debebatur blasphemo & persecutori & injurioso? quid, nisi æterna dam- D natio? Et pro æterna damnatione quid accepit? *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Hæc est misericordia, quam Deus donavit indebitam. Audi aliud eodem ipso dicente alio loco: *Non sum*, inquit, *dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Video ergo, Apostole, quod non eras dignus. Unde hoc tibi, ut dignus esses? Quare ergo es quod dignus non es? Audi: *Sed gratiâ Dei consecutus sum quod sum.* Pœnâ meâ fui quod fui: gratiâ Dei E sum quod sum. *Gratia*, inquit, *Dei sum id quod sum; & gratia ejus in me vacua non fuit; sed plus omnibus illis laboravi.* Rependisti ergo gratiæ Dei? Accepisti, & reddidisti? Adtende quid dixisti. Adtendo, inquit. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ergo huic laborioso Apostolo bonum agonem certanti, cursum consummanti, fidem servanti, negabit justus Deus coronam debitam, cui gratiam donavit indebitam?

2. Tim. 4. 6. &c.

1. Tim. 1. 13.

* f. debita

1. Cor. 15. 9.

Ibidem 10.

Dei dona sunt merita nostra.

6. Cui autem reddet coronam debitam, ô F Paule parve, magne, cui reddet? Utique meritis tuis. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti: reddet coronam debitam his meritis tuis. Sed ut reddatur tibi corona tua, Dei dona sunt merita tua. Ecce bonum agonem certasti, cursum consummasti. Vidisti enim aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, & captivum te ducentem in lege peccati, quæ est in membris tuis: unde tibi vincere, nisi ex hoc quod sequitur? *Miser ego homo, quis me* G *liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ecce unde pugnasti, ecce unde laborasti, ecce unde non defecisti, ecce unde vicisti. Videte pugnantem: *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an nuditas? an gladius? Sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oves occisionis.* Ecce infirmitas, labor, miseria, pericula, tentationes. Unde victoria certantium? Audi quod sequitur: *Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos.* Cursum consummasti: quo ducente, quo regente, quo juvante? Quid hîc dicis? *Cursum*, inquit, *consummavi; sed neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Fidem servasti, verum est. Primò quam fidem? quam tibi ipse dedisti? Falsum est quod dixisti, *Sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei?* Nonne tu alloqueris quosdam concertatores tuos, & in hujus vitæ stadio tecum laborantes atque currentes, quibus dicis, *Vobis enim donatum est pro Christo? Quid donatum est? Non solùm ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo.* Ecce utrumque donatum est, & credere, & pati pro Christo.

Rom. 7. 24. & 25.

Rom. 8. 35. &c. Psal. 43. 22.

Serm. de Sanctis.

Vincimus per eum qui dilexit nos.

Rom. 9. 16.

Rom. 12. 3.

Philip. 1. 29.

Caput V. Dei est custodire dona sua in nobis.

7. Sed ait fortè aliquis, Accepi quidem fidem, sed ego custodivi. Tu fortè hoc dicis, quisquis hæc audis insipiens, Accepi fidem, sed ego custodivi: Paulus noster non hoc dicit, Ego custodivi. Respicit enim, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam.* Labora, custodi: sed bonum est ut custodiaris. Nam custodire te non sufficis. Si desertus fueris, dormitabis & dormies. *Non autem dormitat, neque dormit, qui custodit Israël.*

Psal. 126. 1.

Psal. 120. 4.

Vita ametur, sed bona.

8. Vitam ergo amamus, & amare nos vitam nullo modo dubitamus: neque omnino negare poterimus, amare nos vitam. Ergo eligamus vitam, si amamus vitam. Quid eligimus? Vitam. Primò hîc bonam; post hanc, æternam. Primò hîc bonam, sed nondum beatam. Bona modò agatur, cui postea beata servatur. Bona vita, opus est: beata, merces est. Age bonam, & accipies beatam. Quid justius, quid ordinatius? Ubi es amator vitæ? Bonam elige. Si uxorem velles, nonnisi bonam velles: amas vitam, & eligis malam? Dic mihi quid malum velis. Quidquid volueris, quidquid amaveris, bonum vis. Prorsus non vis jumentum malum, non servum malum, non vestem malam, non villam malam, non domum malam, non uxorem malam, non filios malos. Omnia bona quæris: esto bonus qui quæris. Quid te offendisti, ut inter omnia quæ vis bona, solus velis esse malus? Cara est tibi villa, uxor tua, vestis tua, & ut ad extremum veniamus, caliga tua, & viluit tibi anima tua? Certè vita ista laboribus plena est, ærumnis, tentationibus, miseriis, doloribus, timoribus plena est ista vita: certè manifestum est, quia his omnibus malis plena est. Et tamen sic quomodo omnibus malis plena est, si quis illam nobis daret æternam sic, talem qualis est, quantas gratias ageremus, ut semper miseri essemus? Non talem promittit, non quicumque homo, sed Deus verus. Vera veritas promittit vitam, non solùm æternam, sed etiam beatam; ubi nulla molestia, nullus labor, nullus timor, nullus dolor. Ibi plena & tota certa securitas. Vita sub Deo, vita cum Deo, vita de Deo, vita ipse Deus. Talis nobis æterna promittitur: & huic temporalis, & ista, hoc est, misera & ærumnosa præponitur? Præponitur, inquam, an non? Præponitur, quando vis homicidium facere, ne moriaris. Times enim ne te occidat servus, & tu occidis servum. Times ne te occidat uxor, de qua fortè falsum suspicaris; & tu dimissa uxore, adulteri-

Omnia volunt homines bona præter animam suam.

CLASSIS III.

nas nuptias cum altera concupiscis. Ecce amando vitam, perdidisti vitam: æternæ vitæ temporalem, beatæ miseram prætulisti. Et quid invenisti? Fortè cùm servas vitam, nolens exspiras. Quando hinc eas, ignoras. Qua fronte exis ad Christum? Qua fronte recusas supplicium? Non dico, qua fronte postulas præmium. Eris in æterna morte damnatus, qui eligis temporalem vitam, cujus electione contemnis sempiternam.

CAPUT VI. Vita beata hîc non quærenda.

9. Sed non audis consilium. Vitam quæris, dies bonos quæris. Bonum est quod quæris, sed B non est hîc. Habet iste lapis pretiosus regionem suam, non hîc nascitur. Quantumlibet labores fodiendo, non hîc invenies quod hîc non est. Sed fac quod jubetur, & quod amas reddetur. Ecce enim quamlibet longa sit vita ista, numquid dies bonos invenies hîc? Videte quid adjunxerit: *Vitam & dies bonos*: ne sit vita, & misera sit propter dies malos. Abundant hîc dies mali: sed dies malos non ille sol facit, qui currit ab Oriente in Occidentem veniens, & altero die proce- C dens: sed dies malos, Fratres, nos facimus. Si bene viveremus omnes dies, & hîc haberemus bonos dies. Etenim homini unde malum, nisi ab homine? Enumerate quanta extrinsecùs homines patiantur. Quæ non videantur ab hominibus fieri, perpauca sunt. Abundant mala homini ab homine. Furta ab homine, adulterium passus est in uxore ab homine, seductus est ei servus ab homine, celatus est ab homine, proscriptus est ab homine, expugnatus est ab homine, captivus du- D ctus est ab homine. *Libera me Domine ab homine malo.* Jam tu quisquis audis, non cogitas nisi de inimico, quem pateris vicinum malum, potentem, consortem, civem. Forsitan de latrone ista cogitas, quando audis, *Libera me Domine ab homine malo*; & sic oras, quando oras, ut liberet te Deus ab homine malo, illo vel illo inimico tuo. Tu noli tibi esse malus. Audi me: liberet te Deus à te. Quando enim Deus gratiâ suâ & misericordiâ de malo facit te bonum; unde te fa- E cit bonum, unde te liberat, nisi à te ipso homine malo? Omnino, Fratres mei, hoc verum est, hoc certum est, hoc fixum est: si Deus te liberaverit à te ipso homine malo, nihil tibi nocebit: quisquis fuerit alius homo malus.

Dies malos nos facimus. — Homini malum nō nisi ab homine. — Psal. 139. 2. — Homo à malo se ipso liberatus lædi ab aliquo non potest.

CAPUT VII. Paulus à malo se ipso liberatus.

10. Exemplum proponam unde agitur, de ipso apostolo Paulo, cujus celebramus passionis diem. Fuit persecutor, blasphemus, injuriosus. Homo erat malus; pœna sua ipse sibi erat. Porrò autem cùm anhelat cædes, & sitit sanguinem F Christianorum, fusurus proprium, habens litteras à principibus sacerdotum, ut apud Damascum quoscumque inveniret Christianæ viæ sectatores, vinctos adduceret puniendos, carpens viam crudelitatis, nesciens pietatis, audivit vocem de super ipsius Domini nostri Jesu Christi de cælo dicentis, *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi adversùs stimulum calcitrare.* Ista voce percussus, prostratus est persecutor, & erectus est prædicator: excæcatus est in carne, ut G videret in corde: illuminatus est in carne, ut prædicaret ex corde. Quid videtur, Fratres? Liberatus est Saulus ab homine malo: à quo, nisi à se ipso Saulo? Propterea quoniam liberatus est ab homine malo se ipso, quid ei fecit alius homo malus? Apostoli Petri verba sunt: *Et quis vobis*

Act. 9. 4. — 1. Petr. 3. 13.

A *nocebit, si boni amatores fueritis?* Persecutus est homo malus, lapidavit homo malus, virgis cecídit homo malus; ad extremum tenuit, vinxit, traxit, occídit homo malus. Quanta ille addidit mala, tanta Deus præparavit bona. Quidquid passus est, non fuit tormentum pœnæ, sed occasio coronæ. Videte quid sit liberari ab homine malo, hoc est à se ipso. *Quis*, inquit, *vobis nocebit, si boni amatores fueritis?*

SERM. DE SANCTIS.

CAPUT VIII. Mali non nocent homini liberato à se ipso malo.

11. Sed ecce nocent homines mali. Tanta tibi fecerunt, ô Paule. Respondet tibi Paulus: Opus esset ut liberatus essem ab homine malo, hoc est, à me ipso. Ceterùm quid isti homines mali mihi faciunt? *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* * *Etenim quod est leve tribulationis nostræ, supra incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur* [a] *nobis, non respicientibus quæ videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.* Verè liberatus es ab homine malo, hoc est à te ipso: ut ceteri tibi mali homines non obessent, sed magis prodessent. Ergo Carissimi, festum sanctorum diem, qui adversùs peccatum usque ad sanguinem certaverunt, & Domino suo donante atque juvante vicerunt, sic celebremus, ut amemus; sic amemus, ut imitemur: ut imitati ad eorum præmia pervenire mereamur.

Rom. 8. 18. — * 2. Cor. 4. 17. & 18. — a — Festa sanctorū quomodo celebranda.

* SERMO CCXCVIII.

* Aliàs de Diversis 41.

In Natali [b] *Apostolorum Petri & Pauli, IV.*

CAPUT I. Petri & Pauli natalitia frequentiâ majore celebranda.

1. DEBUIMUS quidem tantorum Martyrum diem, hoc est, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli majore frequentiâ celebrare. Si enim celebramus frequentissimè natalitia agnorum, quantò magis debemus arietum? De fidelibus enim, quos lucrati sunt Apostoli prædicatione sua, scriptum est, *Afferte Domino filios arietum.* Per angustias passionum, E per viam spinis plenam, per tribulationes persecutionum, ut transeant postea fideles, Apostolos duces habuerunt. Beatus Petrus primus Apostolorum, beatus Paulus novissimus Apostolorum: qui ritè coluerunt eum qui dixit, *Ego sum primus, & ego sum novissimus*: ad unum diem passionis sibi occurrerunt primus & novissimus. Petrus ordinator sancti Stephani fuit. Quando ordinatus est diaconus Martyr Stephanus, inter alios Apostolos eum ordinavit apostolus Petrus. Petrus illius ordinator, Paulus illius perse- F cutor. Sed prima Pauli non quæramus, de novissimis novissimi gaudeamus. Nam si priora quærimus, nec ipsius Petri satis placebunt. Paulum diximus Stephani fuisse persecutorem, Petrum respiciamus Domini negatorem. Petrus negationem Domini lacrymis lavit: Paulus persecutionem Stephani cæcitate expiavit. Flevit Petrus ante flagellum, Paulus passus est & flagellum. Boni ambo, sancti, devotissimi: litteræ ipsorum G quotidie populis recitantur. Et quibus populis? & quantis populis? Psalmum adtendite, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et nos probamus, & ad nos ista verba venerunt, & ad sanitatem fidei ab infidelitatis insania converterunt.

Psal. 28. 1. — Apoc. 1. 17. — Act. 6. 6. — Psal. 18. 5.

CAPUT II.

2. Hæc loquor, Carissimi, lætus quidem ho-

[a] Editi, *in nobis*. Abest *in* à MSS. & à Græco textu Apostoli.

II

[b] In Bedæ vera & nondum vulgata collectione citatur ad 1. Tim. 4.

Classis III.

Amandi in primis Petrus & Paulus.

dierno die propter tantam feſtivitatem, ſed aliquantulùm A triſtis, quia non video tantum populum congregatum, quantus congregari debuit in Natali paſſionis Apoſtolorum. Si lateret nos, non nobis imputaretur: ſi autem neminem latet, quæ eſt iſta tanta pigritia? Non amatis Petrum & Paulum? Ego in vobis illis loquor qui hîc non ſunt. Nam vobis ago gratias, quia vel vos veniſtis. Et poteſt animus cujuſque Chriſtiani non amare Petrum & Paulum? Si adhuc frigidus eſt, legat & amet: ſi adhuc non amat, ſagittam verbi B in cor accipiat. De ipſis enim Apoſtolis dictum eſt, *Sagittæ tuæ acutæ, potentiſſimæ.* Quibus ſagittis factum eſt quod ſequitur, *Populi ſub te cadent.* Bona ſunt talia vulnera. Vulnus amoris ſalubre eſt. Sponſa Chriſti cantat in Cantico canticorum, *Vulnerata caritate ego ſum.* Vulnus hoc quando ſanatur? Quando ſatiabitur in bonis deſiderium noſtrum. Vulnus dicitur, quamdiu deſideramus, & nondum tenemus. Sic enim eſt amor, ut ſit illic dolor. Cùm pervenerimus, C tunc tranſit dolor, non deficit amor.

Pſal. 44. 6.

Vulnus amoris.

Cant. 5. 8.

Pauli gaudium paſſione ſua imminente.

3. Audiſtis verba in epiſtola Pauli, quam ſcripſit ad diſcipulum ſuum beatum Timotheum, *Ego enim jam immolor.* Videbat imminentem paſſionem: videbat, ſed non timebat. Quare non timebat? Quia jam dixerat, *Concupiſcentiam habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Ego enim*, inquit, *jam immolor.* Nemo cum tanta exſultatione dicit ſe eſſe pranſurum, & magnas epulas habiturum, cum quanta exſultatione dicit ſe eſſe paſſu- D rum. *Ego enim jam immolor.* Quid eſt, *immolor?* Sacrificium ero. Sacrificium cujus? Dei: quia *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Ego*, inquit, *immolor.* Securus ſum: habeo ſurſum ſacerdotem, qui me offerat Deo. Ipſum habeo ſacerdotem, qui pro me prior victima fuit. *Iam immolor, & tempus meæ reſolutionis inſtat.* Reſolutionem dicit à corpore. * Eſt enim quoddam dulce vinculum corporis, & ligatus eſt homo, & ſolvi non vult. Ille tamen qui dicebat, *Concu-* E *piſcentiam habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, gratulabatur quòd iſta vincula eſſent aliquando ſolvenda. Solvenda vincula carnalium membrorum, accipienda indumenta & ornamenta æternarum virtutum. Securus ponebat carnem, coronam accepturus. Felix mutatio, ſancta migratio. Quàm beata manſio, fides eam videt, nondum oculus: quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Ubi ſunt ſancti iſti, putamus? Ibi ubi bene F eſt. Quid quæris amplius? Non noſti locum, ſed cogita meritum. Ubicumque ſunt, cum Deo ſunt. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum.* Sed ad locum ſine tormento per tormenta tranſierunt: ad locum latitudinis per anguſtias pervenerunt. Non ergo timeat laborioſam viam, qui talem deſiderat patriam. *Tempus*, inquit, *reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de cetero ſupereſt mihi corona juſtitiæ.* Meritò feſtinas, meritò te G immolandum eſſe lætaris: ſupereſt enim tibi corona juſtitiæ. Adhuc imminet amaritudo paſſionis, ſed tranſit eam paſſuri cogitatio, & quid ultrà ſit cogitat; non quà itur, ſed quò itur. Et quia cum magno amore cogitatur quò itur, cum magna fortitudine calcatur quà itur.

2. Tim. 4. 6.

Philip. 1. 23.

Beda ad 2. Tim. 4.

Pſal. 115. 15.

*Caput III.

1. Cor. 2. 9.

Sap. 3. 1.

Per anguſtias tranſitur ad locũ latitudinis.

2. Tim. 4. 6. &c.

Serm. de Sanctis.

*Caput IV.

Corona nõ redderetur debita, niſi gratia priùs data fuiſſet indebita.

4. * Cùm autem dixiſſet, *Supereſt mihi corona juſtitiæ:* intulit, *quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Reddet juſtus, antè non reddidit. Nam ſi, ô Paule, primò Saule, quando perſequebaris ſanctos Chriſti, quando ſervabas veſtimenta lapidatorum Stephani, exerceret circa te Dominus juſtum judicium, ubi eſſes? Tanto ſceleri tuo quis locus in fundo gehennæ reperiretur? Sed tunc tibi non reddidit, ut modò reddat. Verba enim tua de prioribus factis tuis legimus in epiſtola tua, & per te novimus. Tu dixiſti, *Ego enim ſum noviſſimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Quare? *Quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Si perſecutus es Eccleſiam Dei, unde ergo Apoſtolus? *Sed gratiâ Dei ſum quod ſum.* Antè gratia, modò debitum. Antè gratia donabatur, modò debitum redditur. *Gratiâ Dei ſum*, inquit, *quod ſum.* Ego nihil ſum. Quidquid ſum, gratiâ Dei ſum. Quidquid ſum, ſed modò Apoſtolus; nam quod eram, ego eram: *Gratiâ Dei ſum quod ſum: & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi.* Quid eſt, apoſtole Paule? Quaſi extuliſti te, quaſi de aliqua cervicula videtur dictum, *Plus omnibus illis laboravi.* Agnoſce ergo. Agnoſco, inquit: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Non erat oblitus, ſed unde gaudeamus in noviſſimo, ſervabat noviſſimus. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*

1. Cor. 15. 9. &c.

Caput V.

2. Tim. 4. 7. & 8.

Victoria certanti datur per Chriſtum.

1. Cor. 15. 57.

5. Tunc non redditum eſt, modò quid: *Curſum conſummavi, fidem ſervavi: de cetero ſupereſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Bonum agonem certaſti. Sed quis fecit ut vinceres? Lego tibi te, & tu dicis, *Gratias ago Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quid proderit certaſſe, ſi non profit viciſſe? Ergo habes quia certaſti quidem, ſed Chriſtus dedit victoriam. Sequere aliud: *Curſum conſummavi.* Et hoc quis in te? Nonne tu dixiſti, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei?* Dic quod ſequitur: *Fidem ſervavi.* Et hoc unde tibi? Audi verba tua: *Miſericordiam*, inquit, *conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.* Ergo fidem ſervaſti ex miſericordia Dei, non ex fortitudine tua. *De cetero ergo ſupereſt tibi corona juſtitiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die juſtus judex.* Meritis enim reddet, ideo juſtus judex. Sed etiam hîc non extollatur cervix tua, quia dona ipſius ſunt merita tua. Quod illi dixi, ab illo didici, & vos mecum in iſta ſchola utique didiciſtis. Superiore loco propter præconium præſidemus, ſed in una ſchola communem Magiſtrum in cælis habemus.

Rom. 9. 16.

1. Cor. 7. 25.

Merita hominis dona ſunt Dei.

SERMO CCXCIX.

De Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, V.

In quo diſputatur contra Pelagianorum hæreſim.

Ex vetere libro Corbeienſi nunc primùm prodit. Excerpta ex hoc Sermone tria dedit Beda nondum vulgatus in Pauli epiſtolas, unum prolixius cum Floro ad 2. Cor. 5. & alia breviora duo ad 2. Tim. 4. quæ præteriit Florus.

1. Prædicandis prædicatoribus, & tantis prædicatoribus, de quibus audivimus & cantavimus, quòd *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba*

Pſal. 18. 5.

eorum, procul dubio nulla nostra verba sufficiunt. Devotionem debemus, vestram exspectationem non implemus. Exspectatis enim à nobis hodie prædicari Apostolos Petrum & Paulum, quorum sollemnis hic dies est. Agnosco quid exspectetis; & ubi agnosco, succumbo. Video enim exspectari quid, à quo. Sed quia Deus eorum laudari dignatur ab omnibus nobis, non dedignentur servi ejus utcumque prædicari ab eis qui serviunt vobis.

Petrus Apostolorum primus, Paulus novissimus.

2. Sicut nostis, omnes qui Scripturas sanctas nostis, apostolus Petrus inter discipulos, quos Dominus præsens in carne elegit, primus electus est: Paulus autem non inter illos, non cum illis; sed longè postea, non dispar illis. Petrus ergo primus Apostolorum, Paulus novissimus: Deus autem, cujus hi servi, cujus hi præcones, cujus hi prædicatores, primus & novissimus. Petrus in Apostolis primus, Paulus in Apostolis novissimus: Deus & primus & novissimus, ante quem nihil & post quem nihil. Deus ergo qui se primum & novissimum æternitate commendavit, ipse Apostolos primum & novissimum passione conjunxit. Utriusque passio concordat sollemnitate, utriusque vita consonat caritate. *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum sonuerunt.* Ubi electi sunt, ubi prædicaverunt, ubi etiam passi sunt, omnes novimus. Illos autem ipsos unde nos novimus, nisi quia *in omnem terram exiit sonus eorum?*

Apostoli verba passione sua imminēte. 2. Tim. 4. 6. &c.

3. De passione sua jam imminente & propinquante prænuntiantem audivimus Paulum, cùm ejus epistola legeretur: *Ego enim jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cetero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solùm autem*, inquit, *mihi, sed omnibus qui diligunt manifestationem ejus.* Hinc dicamus aliquid: adjuvant enim nos, quæ in fines orbis terræ exierunt, verba eorum. Primò sanctam devotionem videte. * Immolari se dixit, non mori: non quia non moritur, qui immolatur; sed non omnis qui moritur, immolatur. Ergo immolari est Deo mori. Ductum est enim Verbum à sacrificio. Omne quod sacrificatur, Deo occiditur. Intellexit enim Apostolus cui ejus sanguis in passione deberetur: factus est enim debitor sanguinis sui, pro quo fusus est sanguis Domini sui. Unus ille sanguinem fudit, & omnes oppigneravit. Quotquot illam fidem recipimus, debemus quod accipimus: & hoc quia dignatus est facere & debitores & redditores. Quis enim nostrûm in tanta inopia & paupertate infirmitatis idoneus est reddere tanto creditori? Sed quomodo scriptum est, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*: verbum, quo diffamentur; virtutem, quâ patiantur. Ipse ergo sibi victimas fecit, ipse sibi sacrificia dicavit, ipse implevit Spiritu Martyres, ipse virtute instruxit Confessores. Eis quippe dixit, *Non enim vos estis qui loquimini.* Quamvis ergo passurus, quamvis pro fide Christi sanguinem fusurus; rectè tamen dicit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et quid occurrit? *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* De retributione cogitabas, quid retribueres inquirebas; & occurrit tibi quasi retributuro, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Certè redditurus eras? Ecce accipis. Quod accipis ergo, quia accepisti quod deberes, accipis unde reddas; debitor cùm acceperis, debitor cùm reddideris. *Quid enim retribuam*, inquit? *Calicem salutaris accipiam.* Ergo & hoc accipis, calicem passionis, calicem de quo Dominus ait, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Sed ecce jam calix in manu tua est, jam imminet passio: quid facis ne trepides? quid facis ne titubes? quid facis ne quod jam portas, bibere non possis? Quid faciam, inquit? Et ibi accipiam: debitor ero; quia nomen Domini invocabo. *Ego*, inquit, *jam immolor.* Confirmatum illi erat [a] revelatione: non enim hoc sibi humana infirmitas promittere auderet. Fiducia ejus non à se, sed ab eo qui totum dedit, quem intellexit cùm diceret superiùs, *Quid enim habes, quod non accepisti? Ego* ergo, inquit, *jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi.* Interroga conscientiam: non cunctatur, quia in Domino gloriatur. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Meritò cursum consummasti, quia fidem servasti. *De cetero*, inquit, *superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex.*

*Beda nondum vulgatus ad 2. Tim. 4.

Ex Dei gratia & debitores efficimur, & redditores.

Psal. 67. 12.

Martyrum virtus à Deo.

Matth. 10. 20.

Psal. 115. 12. & 13.

Serm. de Sanctis.

Matth. 20. 22.

Revelatiōne Paulus confirmatus de sua futura passione & victoria.

1. Cor. 4. 7.

4.* Et ne ipse quasi unus supra modum gloriari videretur, & sibi propriè Dominum vindicare, *Non solùm autem*, inquit, *mihi, sed omnibus qui diligunt manifestationem ejus.* Non potuit meliùs & breviùs insinuare quid debeant homines facere, ut mereantur illam justitiæ coronam. Non enim omnes infundendum sanguinem exspectare debemus: pauci Martyres, sed multi fideles. Immolari sicut Paulus non potes? Fidem servare potes: fidem servando diligis manifestationem ejus. Si enim times [b] ne veniat Dominus, non diligis manifestationem ejus. Dominus Christus modò in occulto est; manifestabitur tempore suo, judex futurus justè, qui fuit reus sub judice injustè. Venturus est: & quomodo venturus? Judicaturus. Neque enim iterum judicandus, sed utique jam judicaturus, sicut novimus, sicut credimus, de vivis & mortuis. Interrogo quemlibet hominem intentum in me, ut audiat me; interrogo; respondeat non mihi, sed sibi: Vis ut veniat judex iste? Volo, inquit. Vide quid dicis: si verum dicis, si vis ut veniat, vide quomodo te inveniat. Judex enim venturus est: jam tibi prærogata est humilitas, ventura est potestas. Non enim sic venturus est, ut corpore induatur, de matre nascatur, sugat ubera, cunis involvatur, in præsepe ponatur; postremò jam juvenis ab homine illudatur, teneatur, flagelletur, suspendatur, taceat cùm judicatur. Ne fortè ideo venturum exspectes, quia humilem venturum adhuc putas. Tacuit judicandus; non tacebit judicaturus. Oc-

Corona justitiæ non Martyribus tātùm, sed omnibus fidem servantibus promissa.

* Beda ad 2. Tim. 4.

Dei seriū adventus Christi judicis futuri.

[a] Paulo allatam divina revelatione securitatem de victoria in ultimo certamine non hîc tantùm dicit. In lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16. Pelagianos, qui ex eodem isto loco Apostoli, nunc humanæ voluntatis vires, nunc sanctorum virorum in hac vita perfectionem extollebant, sic refellit: *Quòd si ideo talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoria futuri tanti certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eamdem passionem jam illi revelaverat imminere; non re plenissima, sed spe firmissima hæc dixit*, &c.

[b] Timorem hunc vehementer improbat Augustinus in Psalmi 147. enarratione n. 1. *Si enim* inquit, *amamus Christum, utique adventum ejus desiderare debemus. Perversum enim est, & nescio utrùm verum, quem diligis timere ne veniat; orare, Adveniat regnum tuum, & timere ne exaudiaris.*

CLASSIS III. cultus hîc fuit, ut non agnosceretur: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Cùm ergo hîc jam fuerit occultus in potestate sua, tacitus sub aliena; contrarium erit occultationi & huic taciturnitati quod venturum exspectamus. *Deus* enim *manifestus veniet.* Qui priùs venit occultus, veniet manifestus. Ecce habes contrarium illi occultationi: vide contrarium illi taciturnitati. *Deus noster veniet, & non silebit.* Siluit occultus; quia *sicut ovis ad immolandum ductus est.* Siluit occultus; quia *sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Siluit occultus; quia *in humilitate judicium ejus * sublevatum est.* Siluit occultus; quia homo tantùm putatus est: sed *Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit.* Quid ergo tu qui dicebas, Volo veniat: Volo, inquit, veniat, veniat: nondum times? *Ignis ante ipsum præibit.* Si non times judicem, non ignem?

1 Cor. 2. 8. Psal. 49. 3. Isai. 53. 7. Ibidem 8. * f. sublatum.

Corona debita servanti fidem.

5. Sed si servas fidem; diligis verè ejus manifestationem, securus coronam debes exspectare justitiæ: non enim donatur talibus, sed debetur. Nam & ipse apostolus Paulus tamquam debitum flagitat: *Quam reddet*, inquit, *mihi Dominus in illo die justus judex.* Reddet; quia justus est: fecit se mihi promissione debitorem. Præcepit, audivi: prædicavit, credidi. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi* .... His donis suis debet pro ...[a] .... molaris, quod bonum........................ servas, ab illo habes. *Qu* .... *accepisti?* Sed his, inquam. .... sua. Antequam talia don .... beret?

Salvator Christus Jesus. 1 Tim. 1. 15.

6. Vide ipsum Apostol....................... *& omni acceptione dign*....................... *in mundum peccatores*:...................... *quorum primus ego sum. Christus*, inquit, *Jesus*, id est Christus Salvator. Hoc est enim Latinè Jesus. Nec quærant Grammatici quàm sit Latinum, sed Christiani quàm verum. Salus enim Latinum nomen est. Salvare & salvator non fuerunt hæc Latina antequam veniret Salvator: quando ad Latinos venit, & hæc Latina fecit. Ergo *Christus Iesus*, Christus Salvator, *venit in mundum.* Et quasi quæreremus, Quare? Ait, *Peccatores salvos facere.* Ideo Jesus venit. Nam sic ipsum nomen etiam interpretatum & expositum quodam modo in Evangelio legimus: *Vocabunt nomen ejus Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Sermo* igitur *omni acceptione dignus*, credulitate dignus: id est, *quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Non quia prior peccavit; sed quia ceteris plus peccavit. Quomodo dicimus in artibus medicum primum, multis ætate inferiorem, sed arte superiorem; fabrum primum, architectum primum: solemus ita loqui. Sic se Apostolus appellavit peccatorem primum. Nemo enim est graviùs Ecclesiam persecutus. Ergo peccatoribus, ad quos venit Jesus, si quæras quid debebatur, non invenis quid peccatoribus deberetur, nisi supplicium. Si quid deberetur quæris, supplicium est: si quid redditum sit quæris, salus est: pro supplicio salus. Debebatur supplicium, reddita est salus: debebatur pœna, reddita est corona. Nihil debebatur Paulo priùs Saulo, primo peccatori, crudelitate ceteros superanti, nihil ei debebatur, nisi supplicium, magnumque supplicium; & vocatur de cælo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Coërcetur, ut parcat, ut ei parci possit. Mutatur lupus in ovem: parum est, in ovem; immò in pastorem. Superna voce occiditur & vivificatur, percutitur & sanatur. Prosternitur persecutor, erigitur prædicator. Quæ ista gratia, nisi gratia? Quid enim boni meriti præcessit? Gratia vocatur, quia gratìs datur. *Venit*, inquit, *Iesus in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum.* Numquid posset tunc dicere, *Reddet mihi Dominus in illa die justus judex?* Si primo peccatori reddet Dominus in illa die justus judex; quid reddet, nisi quod primo peccatori debetur, magnum supplicium, pœna æterna? Hoc priùs debebatur, nec redditum est. *Ideo*, inquit, *misericordiam consecutus sum.* Non debitum accepi: *sed misericordiam consecutus sum* primus peccator, *ut in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Quid est, *ad informationem?* Ut quilibet sceleratus, quilibet facinoribus involutus, non desperet veniam, quam accepit Saulus. Medicus magnus, hoc est Jesus, medicus magnus ad regionem veniens languidorum, unde medicina ejus diffamaretur, talem sibi curandum elegit, de quo multùm desperabatur. Talis ergo modò, qui priùs talis, dicit, *Iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Tu eras ille qui currebas per præceps; qui Christianos trahebas ad mortem, qui cùm lapidaretur Stephanus, ut in omnium manibus lapidares omnium vestimenta servabas? tu eras ille? Ego, inquit, eram, sed non sum. Quare eras, & non es? Quia misericordiam consecutus sum. Accepisti ergo Paule, quod non tibi debebatur. Dic jam securus quid tibi debeatur, dic jam. *De cetero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Quàm fidenter exigit debitum, cui donatum est non debere supplicium. Dic jam Domino tuo, dic securus, dic certus, dic fiduciâ plenissimus, Ego eram antea in malitia mea, usus sum indebitâ misericordiâ tuâ: corona ex debito munera tua. Satis hoc sit. Veniamus ad Petrum; & illi non facultatem dignam, sed sollemnem devotionem reddamus: à novissimo ad primum; quia & nos à novissimis conamur ad prima.

Matth. 1. 21.

Paulus primus peccator, quia ceteris persecutoribus crudelitate superior. Beda ad 1 Tim. 1.

SERM. DE SANCTIS. Pro supplicio debito salus ipsi reddita.

Act. 9. 4.

1 Tim. 1. 15. & 16.

Medicus Christus artis suæ vim in Pauli curatione commendavit.

7. Petro sancto primo apostolo Dominus ipse Jesus in Evangelio, quod modò cùm legeretur, audivimus, passionem suam prænuntiavit dicens, *Cùm esses junior, cingebas te, & ibas quo velles; cùm autem senex fueris factus, extendes manus tuas, & alter te cinget, & feret quò tu non vis.* Et ipse Evangelista consequenter exposuit nobis quid dictum fuerit: *Hoc autem*, inquit, *dicebat Dominus, significans qua morte clarificaturus erat Deum.* Passionem ejus, crucem ejus prænuntiavit ei ip-

Petro jam sano prædicitur sua passio, cui infirmo fuerat prædicta negatio.

Iohan. 21. 18.

[a] Hæc lacuna contigit (ut sæpe aliàs in elegantioribus MSS.) facinore nebulonis cujusdam malè feriati, qui litteram initialem hujus Sermonis auro minioque depictam cultro præcidit. Quod sanè non admodum gravatè tulissemus, nisi scriptura detractæ litteræ spatio in aversa parte respondens eodem vulnere periisset.

CLASSIS III

se Dominus Christus, sed jam amanti, non neganti. Utrumque enim tempus servavit in eo medicus: negavit infirmus, amavit sanus. Ostendit ei Dominus, eidem Petro ostendit Petrum, quando temerariâ quadam fiduciâ promiserat pro Christo se esse moriturum, cùm venisset Christus pro Petro moriturus. *Animam*, inquit, *tuam pro me ponis? Amen dico tibi, antequam gallus cantet ter me negabis.* (Johan. 13. 38.) Sanabo te: sed priùs est ut æger agnoscas te. Ergo in illa negatione prædicta ostendit Dominus Petro Petrum: in illo autem amore ostendit Dominus Petro Christum. *Amas me*, inquit? *Amo. Pasce oves meas.* (Johan. 21. 15.) Hoc semel, hoc iterum, hoc tertiò. Ter amor confessus est, ter timor damnatus est. Et quia amabat, indicatur ei passio ejus. Hoc enim erat amare, usque ad passionem per Christi amorem pervenire.

Petrus quomodo nolens passurus.

8. Sed quid est illud, Fratres, quem non moveat? *Alter*, inquit, *te cinget, & feret quò tu non vis.* (Ibidem 18.) Non ergo volens Petrus ad tantam gratiam passionis advenit? Ecce Paulus, *Ego enim jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat:* videtur in his verbis exsultando quasi festinare ad passionem: huic autem, *Alter te cinget, & feret quò tu non vis.* Volens Paulus & nolens Petrus? Immo, si intelligamus, Volens Paulus & volens Petrus, & nolens Paulus & nolens Petrus. Hoc dum explicem, ut possum, intentione vestra mihi opus est. Amari mors non potest, tolerari potest. Nam si amatur, nihil magnum fecerunt qui eam pro fide susceperunt. Numquid si eos lætari videremus in conviviis, diceremus magnos viros, diceremus fortes viros? Si voluptatibus circumfluere cerneremus, fortitudinem in eis aut patientiam laudaremus? Quare? Num quia rem facerent contrariam doloribus, contrariam molestiis, essent in gaudiis, in voluptatibus, in deliciis; num quia tales, ut magni, ut fortes, ut patientissimi laudarentur? Martyres autem non sic laudamus. Magni viri, fortes viri, patientes viri. Vis nosse quia tolerandum est, non amandum? Nomen interroga: Passio vocatur. Naturâ ergo, non tantùm homines, sed & omnes omnino animantes recusant mortem & formidant. Ideo magni Martyres, quia quod valde durum est, pro regno cælorum fortiter susceperunt, & cogitantes promissa tolerarunt molestias. Videte Dominum dicentem, *Majorem hac caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Johan. 15. 13.) Si hoc durum non est, quid magnum caritas facit, quia pro me amat delicias? Non. Sed quia tolerat mortem. *Propter verba labiorum tuorum:* (Psal. 16. 4.) Martyrum vox est, *Propter verba labiorum tuorum*, hoc est, propter monita & promissa tua, *ego custodivi vias duras.* Ergo quantum ad naturæ modum & vim consuetudinis recusatur mors: sed dum amatur quod erit post mortem, suscipitur quod nolumus, ut perveniatur quò volumus. Ecce unde venit, *Feret quò tu non vis.* Naturam expressit, non devotionem. Hanc nostræ infirmitatis naturam in se ipse Dominus transfiguravit, cùm passurus ait Patri, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* (Matth. 26. 39.) *Ego enim jam immolor*, patientis verba sunt, non delicíantis. Mors ergo nostra de pœna est, propinata nobis. A radice hanc accepimus,* diffusio ramorum generis humani. Adam primus hanc peccando meruit. *A muliere initium factum est peccati*, (Eccli. 25. 33.) sicut Scriptura loquitur, *& per illam omnes morimur.* Et, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (Rom. 5. 12.) Ergo in nostra natura & culpa & pœna. Deus naturam sine culpa fecit, & si sine culpa persisteret, nec pœna utique * sequebatur. Inde venimus, inde utrumque traximus, & hinc multa contraximus. In nostra igitur natura & culpa & pœna: in Jesu carne & pœna sine culpa, ut & culpa sanaretur & pœna. *Alter te*, inquit, *cinget, & feret quò tu non vis.* Pœna est hæc: sed per pœnam tenditur ad coronam. Contemnebat pœnam Paulus: ergo adtendens coronam, contemnebat pœnam, & dicebat, Jam immolor, debetur mihi corona justitiæ. Durum est quà transitur, sed magnum est quò transitur. Et Petrus noverat quò tendebat: ideo & ipse passionem plena devotione suscepit; sed toleravit, non amavit passionem. Toleravit passionem, quod sequebatur amavit, & quoniam quò ibat amavit, quà ibat toleravit.

Mors pœna peccati.

*al. diffusione.

*f. sequeretur.

Paulum quoque mori noluisse ostenditur.

9. Diximus ambos noluisse & ambos voluisse; ambos, si fieri posset, noluisse pœnam, ambos tamen pariter coronam adamasse. Sed ostendamus & Paulum pœnam noluisse. Petro enim testis factus est ipse Dominus: quia & te transfiguravit in se, quando dixit, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Petro ergo adtestatus est Dominus: Paulus autem ipse sibi. Ait enim quodam loco de mortali isto corpore, *Ingemiscimus gravati:* (1. Cor. 5. 4.) secundùm illud Scripturæ alio loco, *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* (Sap. 9. 15.) Ergo ait, *ingemiscimus gravati:* sub sarcina scilicet corruptibilis corporis. *Ingemiscimus gravati.* (Beda & Florus ad 2. Cor. 5.) Si ingemiscis, libenter pone sarcinam istam. Certè ingemiscere se dixit sub hoc onere, gravari sub sarcina hac corruptibilis corporis: vide utrùm velit hoc onere spoliari, sub quo gravatur, sub quo ingemiscit. Non hoc sequitur: sed quid ait? *In quo nolumus exspoliari.* O vocem naturæ, confessionem pœnæ! Grave corpus est, onerosum corpus est, corruptibile corpus est: gemitur sub illo, & non libenter deseritur, & non libenter deponitur. *Nolumus*, inquit, *spoliari.* Sic remansurus es gemens? Et si ingemiscis gravatus, quare spoliari non vis? Non, inquit. Vide quid sequitur: *Nolumus spoliari, sed supervestiri.* Sub terrena tunica gemo, ad cælestem festino: illam volo accipere, istam nolo ponere. *In quo nolumus spoliari, sed supervestiri.* Ergo, Paule, intelligam te, quid dicis? Fiet injuria tanto illi cælesti vestimento, ut veniat tibi super hos pannos mortalitatis & corruptionis, ut hoc sit inferius, illud superius; hoc interius, illud exterius? Absit, inquit: non sic dico. Nolo spoliari, sed supervestiri. Non tamen ut sub incorruptione lateat corruptio, sed ut *absorbeatur mortale à vita.* Bene * exclamasti, qui Scripturas nosti. Sed ne aliquis ignarus Scripturarum verba mea putet subsecuta, Pauli sunt verba, omnia ista Apostolica verba sunt: *Ingemiscimus gravati, in quo nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita.* Bene tenes, quod alibi dicis de resurrectione corporis loquens, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &* (1. Cor. 15. 53. &c.)

*Exclamatio auditorum.

Classis III.

mortale hoc induere immortalitatem : cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Quod illo loco ait, *ut absorbeatur mortale à vita :* hoc isto loco, *Absorpta est mors in victoriam.* Nusquam mors ; non infrà, non suprà ; non intrà, non extrà. *Absorpta est* enim *mors in victoriam. Vbi est mors contentio tua?* Dicetur morti in futura corporis resurrectione, & tali commutatione, ut absorbeatur mors in victoria. *Cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem*, dicetur morti, *Vbi est mors contentio tua?* Ipsa contentio facit ut feraris quò non vis. *Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum.*

Mortem à peccato esse contra Pelagianos probatur.

10. Certè non est mors à peccato? De qua enim morte alia loquebatur, cùm de resurrectione corporis loqueretur. Induetur incorruptibilitate hoc corruptibile : absorbebitur mors in victoria. Hæc corporis resurrectio. Ibi dicetur, *Vbi est mors contentio tua?* Cui, nisi corporis morti? Quia sermo est de corporis resurrectione. *Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum.* Peccatum aculeus mortis, quo aculeo facta est mors, non quem aculeum fecit mors : quomodo venenum poculum mortis, quia facit mortem, non quia fit à morte. Dominus ergo in resurrectione finit hanc pœnam : mortem autem etiam & fidelibus & sanctis relinquit ad luctam. Ad agonem tibi mors dimissa est. Nam poterat Deus justificato tibi auferre mortem ; sed dimisit ad certamen, ut esset quod pro fide contemneres. Nam de quibus voluit, fecit. Enoch translatus est, & Elias translatus est, & vivunt. Justitia ipsorum meruit hoc? an Dei gratia & Dei beneficium & speciale concessum? Ut Creator ostendat in omnibus potestatem, commendavit nobis quid possit.

Pelagianorum errori, mortem naturæ esse, non peccati, Enochi & Eliæ exemplum nihil suffragatur.

11. Frustra ergo isti, qui dicunt non de peccato nos mori, quantum pertinet ad corporis mortem, sed naturæ esse quod morimur, & moriturum fuisse Adam etiam si non peccasset, frustra nobis istos[a] opponunt, Enoch & Eliam. Valde inconsideratè loquuntur ; & si adtendant, contrà se loquuntur. Quid enim dicunt? Si peccati est mors, quare non mortui sunt Enoch & Elias? Non vides, qui hoc loqueris, quia naturæ dicis esse mortem, qui negas esse peccati. Tu dicis, naturæ : ego dico, peccati ; est naturæ quidem, sed jam vitiosæ, jam isto supplicio condemnatæ. Poinde tu naturæ dicis, ego peccati dico esse mortem corporis. Et interrogas me, Si peccati est, quare Enoch & Elias non sunt mortui? Et ego respondeo, Immo si naturæ est, quare Enoch & Elias non sunt mortui? Vivunt Enoch & Elias ; translati sunt, ubicumque sint, vivunt. Et si non fallitur quædam ex Scriptura Dei conjectura fidei, A morituri sunt. Commemorat enim Apocalypsis quosdam duos mirabiles Prophetas, eosdemque morituros, & in conspectu hominum resurrecturos, & adscensuros ad Dominum : & intelliguntur ipsi Enoch & Elias ; quamvis illic nomina eorum taceantur. Et si fortè tu, qui ista sapis, hanc Scripturam non accepisti ; aut si accipis, contemnis & dicis, Non sunt nominatim expressi : vivant, ut putas, numquam morituri. Adhuc dic mihi, Si peccati est mors, quare non B sunt mortui? Repono tibi, Si naturæ est mors, quare non sunt mortui? Ego dico, ut vivant, finitam esse culpam : tu dic, si potes, finitam esse naturam.

Serm. de Sanctis.

Apoc. 11. 7.

Crebrescentes Pelagianos caveri jubet.

12. Aliud quidem ex alio & per occasionem diximus : sed quod tamen sic pertinet ad fidei nostræ stabilitatem, contra quosdam disputatores malè crebrescentes. Sed non vincant patientiam nostram : nec tamen evertant fidem nostram. Cauti & circumspecti simus adversùs novitates C disputationum, humanarum utique, non divinarum. Apostolorum sollemnitatem hodie celebramus, Apostolum monentem audiamus : *Profanas vocum novitates evita ; multùm enim proficiunt ad impietatem.* * *Volumus autem vos sapientes quidem esse in bono, integros autem à malo.* Mortuus est Adam, sed serpens ille nondum est mortuus. Susurrat, & insibilare non cessat. Extremum illi supplicium reservatur : sed comites suæ damnationis inquirit. Audiamus amicum D sponsi, zelantem sponso non sibi : *Zelo enim vos zelo Dei ; aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et timeo*, inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate, quæ est in Christo.* Verba Apostolica omnes audivimus, omnes observemus, omnes serpentis venena caveamus. Non enim possumus dicere, Non audivimus, non novimus ; quando modò cantavimus, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in* E *fines orbis terræ verba eorum.* Currentia verba in fines terræ venerunt ad nos : excepimus, conscripsimus, lectores instituimus. Non tacet lector, parturit disputator : quare non cessat insidiator?

2. Tim. 2. 16.

* Rom. 16. 19.

2. Cor. 11. 2. & 3.

Psal. 18. 4.

* SERMO CCC.

In sollemnitate Martyrum [b] *Machabæorum*, I.

* Aliàs de Diversis 109.

[b] Caput I. Christiani ante Christum nonnulli extitere.

1. ISTUM diem nobis sollemnem gloria Machabæorum fecit : quorum mirabiles passiones, cùm legerentur, non solùm audi- F vimus, sed etiam vidimus & spectavimus. Olim ista gesta sunt, ante incarnationem, ante passionem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. In primo populo illo exstiterunt, in quo Prophetæ exstiterunt, qui hæc præsentia prædixerunt. Nec quisquam arbitretur, antequam esset populus Christianus, nullum fuisse populum Deo. Immo

[a] Idipsum aliquando Marius Mercator Augustino per litteras significavit, objici à Pelagianis Enochum & Eliam, quòd mortui non fuerint, sed cum suis corporibus translati. Cui argumento in epistola ordine 193. eidem Mercatori anno 418. scripta respondet hoc ferè quod in isto Sermone: *Quid eos*, inquit, n. 5. *ad hoc unde agitur, adjuvet, non intelligo. Vt enim omittam, quòd ipsi quoque morituri postea perhibentur, sicut plerique exponunt Apocalypsim Iohannis de duobus illis Prophetis &c. quid istos adjuvat, quæso te? Neque enim hinc ostendunt non propter peccatum homines secundùm corpus mori. Nam si Deus qui tam multis fidelibus donat ipsa peccata, voluit quibusdam etiam istam pœnam donare peccati, qui nos sumus qui respondeamus Deo, cur alius sic, alius autem sic?* Et postea n. 7. *Si mors etiam corporis pœna peccati est, ista potiùs aliqua quæstio est, cur moriatur infans cùm fuerit baptizatus, quàm cur mortuus non sit Elias cùm fuerit justificatus.*

[b] Eamdem sollemnitatem habet Kalendarium vetus Carthaginense Kalendis Augusti. Toto Christiano orbe jam olim receptam fuisse testantur antiquorum Patrum homiliæ de illa quamplures ; cùm Græcorum, tum Latinorum.

verò, ut sic loquar, quemadmodum se veritas habet, non nominum consuetudo, Christianus etiam ille tunc populus fuit. Neque enim post passionem suam cœpit habere populum Christus: sed illius populus erat ex Abraham genitus, cui perhibens testimonium ipse Dominus ait, *Abraham concupivit videre diem meum; & vidit, & gavisus est.* Ergo ex Abraham natus est ille populus, qui servivit in Ægypto, & qui manu potenti per Moysen famulum Dei de domo servitutis liberatus, per mare rubrum fluctibus descendentibus ductus, in eremo exercitatus, legi subditus, in regno collocatur. Unde, sicut dixi, exstiterunt Prophetæ, inde isti Martyres floruerunt. Nondum quidem erat mortuus Christus: sed Martyres eos fecit moriturus Christus.

Johan. 8. 56.

CAPUT II. Machabæi martyres, non appellatione, sed re ipsa Christiani.

2. Hoc ergo in primis commendandum est Caritati Vestræ, ne, cùm illos Martyres admiramini, putetis non fuisse Christianos. Christiani fuerunt: sed nomen Christianorum postea divulgatum factis antecesserunt. Sed videlicet quasi non eis erat confessio Christi, à rege impio & persecutore non cogebantur negare Christum, quod postea Martyres, cùm cogerentur, ne facerent, similem gloriam consecuti sunt. Posteriores enim persecutores populi Christiani, ad negandum nomen Christi compellebant eos quos persequebantur: illi in Christi nomine perseverantissimè consistentes, patiebantur talia, qualia illos perpessos esse, cùm legerentur, audivimus. Istis ergo Martyribus recentioribus, quorum millibus terra purpurata est, imperabatur & dicebatur à persecutoribus, Negate Christum. Quod non facientes, patiebantur talia, qualia & isti perpessi sunt. Istis verò dicebatur, Negate legem Moysi. Non faciebant: patiebantur pro lege Moysi. Isti pro nomine Christi, illi pro lege Moysi.

CAPUT III. Machabæorum passio meritò celebratur in Ecclesia.

3. Exsistit aliquis Judæus, & dicit nobis, Quomodo istos nostros, vestros Martyres computatis? Qua impudentiâ eorum memoriam celebratis? Legite confessiones eorum: adtendite si confessi sunt Christum. Cui respondemus, Verè, quia unus es ex eis qui in Christum non crediderunt, & fracti de oliva, oleastro succedente, foris aridi remanserunt; quid dicturus es unus ex perfidis? Non confitebantur illi apertè Christum, quia adhuc velabatur Christi mysterium. Testamentum enim vetus velatio est novi Testamenti, & Testamentum novum revelatio est veteris Testamenti. Vide ergo de infidelibus Judæis patribus tuis, sed in malo fratribus tuis; vide quid de talibus dicat apostolus Paulus. *Usque nunc quamdiu legitur Moyses, velamen super corda eorum positum est. Idipsum autem velamen in lectione veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur. Cùm transieris,* inquit, *ad Christum, auferetur velamen. Velamen,* inquit, *in lectione veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur:* non lectio veteris Testamenti, sed velamen quod ibi positum est. Lectio denique veteris Testamenti non evacuatur, sed impletur ab illo qui dixit, *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Velamen ergo evacuatur, ut quod obscurum erat intelligatur. Hoc utique clausum erat, quia nondum clavis crucis accesserat.

Rom. 11. 17.

Christi mysterium in vetere Testamento velatum.

2. Cor. 3. 14. &c.

Matth. 5. 17.

Clavis Testamenti veteris, crux.

CAPUT IV. Passione Christi impletæ prophetiæ & omnia ejus mysterio revelata.

4. Intuere denique Domini passionem, pone tibi ante oculos in ligno pendentem, & tamquam leonem, cùm voluit, recumbentem, atque ut occideret mortem, non necessitate, sed potestate morientem. Idipsum adtende: vide quemadmodum in cruce dixit, *Sitio.* Et cùm Judæi nescientes quid per eos ageretur, quid de nescientium manibus impleretur, spongiam cum aceto ligarent cum arundine, & ei sorbendam darent; ille hausto aceto respondit, *Perfectum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quis ita proficiscitur, ut ille defunctus est? Quanta veritate, quanta potestate, quàm ille qui dixerat, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem iterum sumendi eam. Nemo eam tollit à me; sed ipse eam pono à me, & iterum sumo eam.* Agnoscit regnum viventis, qui dignè cogitaverit potestatem morientis. Hoc autem dixerat per Prophetam ipsis Judæis, *Ego dormivi.* Tamquam diceret, Quid vos de mea morte jactatis? Quid, quasi me viceritis, inaniter gloriamini? *Ego dormivi.* Ego dormivi, quia volui; non quia sævistis. Ego implevi quod volui: vos in scelere remansistis. Accepto ergo aceto & hausto, dixit, *Perfectum est.* Quid perfectum est? Quod de me scriptum est. Quid de illo scriptum est? *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Circumspiciens ergo cuncta quæ gesta fuerant in passione ejus; jam illi ante crucem caput agitaverant, jam fel dederant, jam ossa pendentis & extenti numeraverant, jam vestimenta divisa erant, jam super tunicam indivisibilem sortem miserant: circumspectis & quodam modo computatis omnibus quæ de ipsius passione Prophetæ prædixerant, restabat nescio quid, quod minus erat: *Et in siti mea potaverunt me aceto.* Ut hoc quod modicum remanserat adderetur, dixit, *Sitio.* Accepto quod minus erat, respondit, *Perfectum est.* Quo dicto, *inclinato capite tradidit spiritum.* Tunc terræ fundamenta concussa sunt, tunc disruptis petris inferorum secreta patuerunt, tunc sepulcra mortuos reddiderunt; & ut dicam propter quod totum diximus, quia jam tempus erat ut in mysterio crucis omnia quæ in veteri Testamento velabantur, revelarentur, velum templi conscissum est.

Johan. 19. 28.

Johan. 10. 18.

Psal. 3. 6.

Psal. 68. 22.

CAPUT V. Christum alii Martyres in Evangelio revelatum, Machabæi in Lege velatum confessi sunt.

5. Cœpit ergo ex illo Christus post resurrectionem apertissimè prædicari. Cœperunt in eo quæ prædicta erant prophetica manifestissimè impleri; cœperunt eum Martyres constantissimè confiteri. Ipsum Martyres in manifesto confessi sunt, quem tunc Machabæi in occulto confessi sunt: mortui sunt isti pro Christo in Evangelio revelato, mortui sunt illi pro Christi nomine in lege velato. Christus habet utrosque, Christus pugnantes adjuvit utrosque, Christus coronavit utrosque. Christus habet in ministerio suo utrosque, tamquam quidam potentissimus incedens cum agmine obsequentium, aliis præcedentibus, aliis sequentibus. Ipsum ergo potiùs intuere in carnis vehiculo præsidentem: & qui præcedunt, illi obsequuntur; & qui sequuntur, illi devoti sunt. Nam ut noveris, apertéque noveris quia pro lege Moysi morientes, pro Christo sunt mortui; audi ipsum Christum, ô Judæe, audi; & aperiatur tandem cor tuum, velum tollatur ab oculis tuis. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi.* Hoc audi, hoc accipe, si potes. Si à me velamen ablatum est, vide. *Si crederetis,* inquit, *Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Si de Christo Moyses scripsit; qui pro lege Moysi veraciter mortuus est, pro Christo animam posuit. *De*

Pro lege Moysi morientes, pro Christo moriebantur.

Johan. 5. 46.

CLASSIS III

me, inquit, *ille scripsit.* Cui servierunt linguæ A confitentium, ei servivit calamus vera scribentium. Vos calamum Moysi quomodo intelligere poteritis, qui in calamo acetum ligastis? Utinam aliquando vinum ejus bibatis, cui adhuc blasphemando acetum propinatis.

CAPUT VI. Machabæis meritò instituta sollemnitas.

6. Machabæi ergo Martyres Christi sunt. Ideo non incongruè, neque importunè, immo convenientissimè dies eorum & sollemnitas eorum à Christianis potiùs celebratur. Quid tale Judæi celebrare noverunt? Sanctorum Machabæorum B basilica esse in Antiochia prædicatur: in illa scilicet civitate, quæ regis ipsius persecutoris nomine vocatur. Antiochum quippe regem persecutorem impium pertulerunt, & memoria martyrii eorum in Antiochia celebratur; ut simul sonet & nomen persecutoris, & memoria coronatoris. Hæc basilica à Christianis tenetur, à Christianis ædificata est. Eorum ergo memoriam celebrandam nos habemus, nos tenemus: apud nos passiones eorum millia per orbem terrarum sanctorum Martyrum C imitata sunt. Nemo ergo dubitet, Fratres mei, imitari Machabæos; ne cùm imitatur Machabæos, putet se non imitari Christianos. Prorsus imitationis affectus ferveat in cordibus nostris. Discant viri mori pro veritate. Discant feminæ, de matris illius tanta patientia, ineffabili virtute; quæ noverat servare filios suos. Habere noverat, quæ perdere non timebat. Isti in se singuli sentiendo, illa videndo in omnibus passa est. Facta mater septem Martyrum, septies martyr: à filiis non D separata spectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes. Ferebat in oculis, quod in carne omnes; nec solùm non terrebatur, sed etiam exhortabatur.

Basilica in eorum memoriam erecta Antiochiæ.

Filios diligere matres discant à Machabæorum matre.

Filium qui reliquus erat, cohortatur ad martyriũ

7. Hanc Antiochus persecutor velut matrem de ceteris matribus computavit. Persuade, inquit, filio tuo, ne pereat. Et illa: Planè filio meo vitam persuadebo, ad mortem cohortando: tu mortem vis persuadere, parcendo. * Qualis autem allocutio, quàm pia, quàm materna, quàm inter spiritales & carnales in ambiguo suspensa? *Fili, miserere mei. Fili*, inquit, *miserere mei, quæ te novem mensibus in utero portavi, cui lac triennio dedi, atque ad hanc ætatem perduxi: miserere mei.* Omnes exspectabant verba consequentia: Consenti Antiocho, noli deserere matrem tuam. Illa è contra, Consenti Deo, noli deserere fratres tuos. Si me quasi deseris, tunc me non deseris. Ibi te habebo, ubi ne perdam ulteriùs non timebo. Ibi te mihi servabit Christus, unde non tollet F Antiochus. Deum timuit, matrem audivit, regi respondit, fratribus adhæsit, matrem traxit.

*CAPUT VII.

2. Mach. 7. 27. E

*Aliàs de Diversis 110.

* SERMO CCCI.

In sollemnitate SS. Machabæorum, II.

CAPUT I. Mater Machabæorũ in filiorum passione quàm fortis.

MAGNUM spectaculum positum est ante oculos fidei nostræ. Aure audivimus, corde vidimus optantem matrem ante se finire istam vitam filios suos: lon- G gè contrariis votis consuetudini humanæ. Omnes enim homines filios suos ex hac vita migrando præcedere volunt, non sequi: illa autem optavit posterior mori. Non enim amittebat filios, sed præmittebat: nec intuebatur quam vitam finirent, sed quam inchoarent. Desinebant enim vivere, ubi quandoque fuerant morituri; & incipiebant vivere, sine fine victuri. Parum est fuisse spectatricem, mirati sumus potiùs hortatricem. Fecundior virtutibus, quàm fetibus: videns certantes, in quibus omnibus ipsa certabat; & in omnibus vincentibus ipsa vincebat. Una mulier, una mater, quomodo nobis ante oculos posuit unam matrem sanctam Ecclesiam, ubique exhortantem filios suos pro illius nomine mori, de quo eos concepit & peperit? Sic sanguine Martyrum impletus orbis præjactatis seminibus seges Ecclesiæ pullulavit. Unde hoc homini? nisi, quia *Salus justorum à Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis.*

SERM. DE SANCTIS.

Psal. 36. 39.

Deus non tantùm tribus pueris, sed etiam Machabæis adfuit.

2. Vidimus, novimus protectorem fuisse Dominum in tempore tribulationis trium virorum illorum, qui ambulabant inter ignes innoxios, & Dominum sine ulla læsione laudabant. Ubi homo sæviebat, flamma parcebat. * Vidimus, novimus quemadmodum salus eorum justorum à Domino fuit, ut in ignem mitterentur, & illum asperum regem, quem loquendo irritaverant, vivendo converterent. Credidit quippe in eorum Deum, & proposuit edictum, ut quicumque blasphemaret Deum Sidrach, Misach & Abdenago, in interitum iret, & domus ejus in direptionem. Quàm dissimilis jussio primæ jussioni! Qualis prima jussio? Pereat qui statuam auream non adoraverit. Qualis secunda? Pereat qui Deum verum blasphemaverit. Fideles homines non mutati, infidelem hominem mutaverunt. Illum in perfidia stare non permiserunt, quia ipsi in fide steterunt. Salus ergo illorum manifestè à Domino fuit. Quando illi non ardebant & laudabant, aderat Dominus. Quando isti ardebant, confitebantur, tamen moriebantur, ubi erat Dominus? An fortè illi justi erant, isti peccatores? Audivimus enim istos paulò antè, cùm passio eorum legeretur, confiteri peccata sua, & dicere, quoniam omnia illa irascente Domino sibi, sed & paterno merito paterentur. Quid illi? Legite, & videbitis etiam ipsos peccata propria confiteri, & dicere se meritò perpeti. Æqualiter justi, confessores æqualiter peccatorum; & ideò justi, quia confessores æqualiter peccatorum. Ideo irreprehensibiles, quia non mendaces. *Si enim dixerimus*, ait Johannes, *quia peccatum non habemus; nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem peccata nostra confessi fuerimus; fidelis est & justus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ad justos ergo pertinet confessio peccatorum: ad superbos pertinet defensio meritorum. Pariter ergo justi peccata confitentes, pariter Deo gloriam dantes, pariter pro ejus legibus mori parati. * Quare illi ab ignibus liberantur, isti ab ignibus consumuntur? Ergo illis Deus aderat, hos deseruerat? Absit: immo utrisque adfuit; illis in aperto, istis in occulto. Illos visibiliter liberabat: istos invisibiliter coronabat. Illi quidem de morte liberati sunt; sed in hujus vitæ tentatione manserunt: ab igne liberati, ad pericula reservati: uno tyranno victo, adhuc certaturi cum diabolo. Fratres mei, sicut Christiani intelligite. Machabæi meliùs & tutiùs liberati sunt. Ab illis tribus viris, ceteris remanentibus, illa una tentatio superata est: ab istis ista vita finita, quæ tota tentatio est. Deinde divino judicio, occulto procul dubio, sed tamen justo, Nabuchodonosor meruit converti, Antiochus meruit obdurari. Ille invenit mi-

* CAPUT II.

Dan. 3. 96.

2. Mach. 7. 18. & 32.

Dan. 3. 28.

1 Johan. 1. 8. & 9.

* CAPUT III. Cur tres pueri ab ignibus liberantur, Machabæi consumuntur.

CLASSIS III.

sericordiam, iste auxit superbiam.

Psal. 36. 35. * CAPUT IV. *Ibidem 36.* In eos qui felicitatem in hac vita esse cēsent, ac de altera [illegible] dubitant.

3. Sed quantum & quò usque auxit superbiam? *Vidi impium exaltari super cedros Libani.* Quò usque? quamdiu? *Transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Bene: quæsisti, & non invenisti; quia transisti. Vis videre impium non esse? vis quærere eum, & locum ejus non invenire? Transi. Quid dico, Transi? Noli expavescere: non dixi, Morere: Putasti enim me dixisse, Transi de hac vita: & ideo expavisti, quia non transisti. Quid est, non transisti? B Non transisti erectione cordis, temporalis felicitatis illecebras; non transisti blandimenta carnis, non transisti suggestiones sæculi cor titillantes & immittentes timorem miseriarum humanarum. Ideo in hoc mundo putas esse felicitatem, in hoc mundo [a] non putas esse calamitatem. Felicitas regni cælorum non tetigit cor tuum, non inde aspersa est æstibus tuis [b] aura refrigerii. Quando tibi dicitur, Falsa est felicitas mundi; etsi non audeas * ita dicere, video tamen in corde tuo, C fortè os torques, subsannas, irrides, & dicis tibi, O si hîc mihi bene sit! postea quid futurum sit nescio. Et non est parum, quia vel nescio dicis: ne fortè etiam hoc dicas, *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est reversio in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Vel nescio dic. Confessio ignorantiæ, gradus est scientiæ. Sic ergo te alloquar, tamquam mihi dicas, Nescio quid post mortem futurum sit: prorsus ignoro an beati futuri sint justi, & miseri pec- D catores; an utrique pariter non sint futuri. Illud tamen quamvis nescias, non audebis dicere post mortem beatos futuros peccatores, miseros justos. Non potes dicere, illos etsi suspicaris pariter non futuros, in meliori tamen statu futuros impios, & justos in malis post mortem futuros. Nec ignorantia tua tibi potest suggerere hoc. Ergo potes dicere, Utrùm bene sit post mortem justis, & malè post mortem impiis, an utrique pariter sine sensu futuri sint, nescio. O si hîc mihi bene sit, E cùm vivo, cùm sentio! Vides quia nondum transisti. Istas, inquam, istas cogitationes terrenas, pulvereas, fumeas, vaporeas, carnales, mortales nondum transisti. Ideo tibi videtur impius exaltari super cedros Libani: ideò quæris locum ejus, & invenis, quia non transisti.

* f. contradicere.

Sap. 2. 1.

CAPUT V. Mali hîc suo loco in usus bonos positi.

4. Locum ejus quæris, & invenis; sed hîc. Habet locum suum in hoc sæculo. Non enim frustra à Deo præscio crearetur, aut frustra nu- F triretur, aut frustra super eum sol oriretur, & pluvia funderetur, frustra ei maligno & malè viventi tantâ Dei patientiâ parceretur. Non est hoc frustra: habet hîc locum suum. Et si non omnia possumus nos invenire: sed Deo nota sunt omnia, qui novit cuncta disponere. Ecce, ut de aliis taceamus, qualem locum hîc habuit iste miser Antiochus? Per eum populus Dei flagellatus est & probatus: per eum isti sancti juvenes coronati. Ergo habuit hîc locum suum. Malus erat; sed bene illo usus est, qui malus esse non potest. G Sicut enim mali homines malè utuntur creaturis bonis: sic Creator bonus bene utitur hominibus malis. Novit quid inde agat, qui totum creavit humanum genus. Aurifex portat, aurifex appendit, aurifex librat. Pictor novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura; & Deus nescit ubi

SERM. DE SANCTIS * CAPUT VI.

A ponat peccatorem, ut sit ordinata creatura? * Nisi Deus anterioribus sæculis servaret suâ patientiâ peccatores, unde nascerentur hodie tot fideles? Alii mali servantur, ut boni inde nascantur. Boni gratiâ Dei: nam tota damnata est massa peccati. Quid diabolo nequius? Et de illius nequitia quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemtoris, nisi per nequitiam desertoris. Lege Evangelium, & vide quid ibi scriptum est: *Immisit diabolus in cor Judæ, ut traderet Christum.* Malus diabolus, malus Judas: qualis organarius, tale organum. Usus est ergo malè diabolus suo vase: usus est ambobus Dominus bene. Conati sunt ergo ad nostram perniciem: Deus hoc vertere dignatus est ad nostram salutem.

Johan. 13. 2.

Traditio Christi & à Juda & à Deo.

5. Tradidit Judas Christum, & damnatus est. Judas tradidit, & damnatur: tradidit Filium Pater, & glorificatur. Tradidit, inquam, Judas magistrum, & damnatur: tradidit se ipse Filius, & laudatur. Quomodo Judas tradidit Christum, omnes novimus: exspectatis fortassis audire quomodo Pater tradidit Filium. Et hoc nostis: sed commemorabo, ut recordemini. Audi Apostolum dicentem de Deo Patre: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Audi & de Filio: *Qui me*, inquit, *dilexit, & tradidit semetipsum pro me.* Duos jam vide traditores: Patrem Filii traditorem, Filium sui ipsius traditorem, sed utrumque salvatorem, quia utrumque creatorem. Judas ergo quid fecit? Quid enim boni fecit? Bonum de illo factum est, non ipse bonum fecit. Neque enim ait Judas, Tradam Christum, ut liberetur genus humanum. In Juda tradidit avaritia, in Deo misericordia. Non redditum est Judæ, nisi quod fecit, non quod de illo Deus fecit.

Rom. 8. 32. *Gal. 2. 20.*

CAPUT VII. Impio locus hîc inter justos, non in altera vita. *2. Tim. 2. 19.*

6. Quare ista diximus? Quia est in hoc sæculo impio locus: & prorsus novit Dominus qui sunt ejus; & novit quid pro ipsis faciat, de illis qui non sunt ejus. Sed tu si transieris, si terrena calcaveris, si non frustra sursum cor te habere responderis: transeundo quæres locum impii, & non invenies. In illa enim vita futura quis locus impii? Numquid adhuc opus habemus exerceri malis? Numquid necesse habet aurum adhuc purgari per paleam? Totus enim mundus fornax aurificis. Ibi justi tamquam aurum: ibi impii tamquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis: ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat: impius Deum blasphemat, palea fumat. Ad unam tribulationem, tamquam ad unum ignem, ille purgatur, ille vastatur: sed Deus aurifex in utroque laudatur.

CAPUT VIII. De sæculari felicitate impiorum ne perturbentur pii.

7. Dicam, Carissimi, exhortans vos & me ipsum. Cogitationes carnales in adjutorio Domini transeamus, sursum cor habeamus, de vita futura cogitemus: ubi cùm fuerit cor tuum, transisti. Ubi est impius? Non ibi erit. Hîc necessarius erat: ibi quæres eum, & non invenies locum ejus. Quando ergo videtis, Fratres, qui ex fide vivitis, quorum cor rectum est, qui futuram eamdemque veram & sempiternam felicitatem speratis; quando videtis gaudentes & lætantes homines in ista falsa & deceptoria felicitate, si pii estis, dolete; si sani estis, flete. Sic enim & ille cui commoti sunt pedes, reprehendit se, quia Deum cœperat accusare, & ibi jam erat; sed penè fuit, paulò minùs

a Particula negans hîc apud Lov. omissa, restituitur ex MSS.

b Sic Theodericensis codex. Alii MSS. cum Lov. *aurora.*

Classis III.

minùs fuit. Non negavit Deo scientiam: sed tamquam motis pedibus nutavit. Quid est nutare? Dubitare. Quando autem se reprehendit, quòd cor rectum non habuit, quid dixit? Quare mihi turbati sunt pedes? *Quia zelavi*, inquit, *in peccatoribus, pacem peccatorum videns.* Quia vidi divites iniquos, zelavi; & dixi, quia perdidi justitiam, & *sine caussa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas.* Et cùm dubito, sic cœpi cognoscere. *Sic cœpi*, inquit, *cognoscere: hoc labor est ante me.* Magnus labor, istam solvere quæstionem. Verè labor est. Bene est illi, & malus est; malè est illi, & bonus est: & super ambos Deus judex est. Justus ergo judex dat bona malis, & mala bonis. *Labor est ante me.* Sed quò usque labor est? *Donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in novissima.* Ergo si intellexeris in novissima, erit requies inventionis, peribit labor quæstionis.

Psal. 72. 3. &c.

Caput IX. Cælestis felicitas piis qualis parata.

8. Intellige in novissima, ubi nemo erit felix malus, nemo infelix bonus. Quid enim ait? *Quid enim mihi est in cælo?* Postea cognovi quid mihi est in cælo, cùm intrarem in sanctuarium Dei, & intelligerem in novissima. *Quid enim mihi est in cælo?* Incorruptio, æternitas, immortalitas, nullus dolor, nullus timor, nullus beatitudinis finis. *Quid ergo mihi est in cælo?* quid mihi servatur in cælo? *Et à te quid volui super terram? Quid enim mihi est in cælo?* Quid, dicam quid? Quando explicabo quid? Ideo hoc admirans dixit, non explicans, *Quid enim mihi est*, inquit. Quare non dicis quid? Quomodo dico *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit?* Calcate deorsum quid; quia nihil est: sperate sursum quid; quia explicari non potest. Et hanc fidem habentes, nolite zelare in peccatoribus, quando videtis eos quasi felices, falsò felices, re vera infelices. Et vos *lætamini in Domino.* Et si habetis fortè secundùm tempus divitias, honores, potestates, nolite inde vos putare felices. * Scienti lætari in Domino, & intelligenti in novissima, felicitas mundi non est honor, sed onus. Felix homo secundùm sæculum periclitatur, ne ipsa felicitate, non in corpore, sed in anima corrumpatur. Nam ista felicitas falsa est. Tales, etsi videntur aliquid esse in hoc sæculo, non lætantur, in præceptis Domini delectantur. Tunc quod jubet Deus, præponitur mundo, & blandienti & minanti: calcatur omne visibile, transitur; cogitando, non ambulando, transitur. Non dixi, omne visibile; facile est enim transire quod calcas: sed transitur, dixi, omne mutabile. Quoniam quidquid visibile, mutabile: non autem quidquid mutabile, visibile: quia & animus mutabilis est, & tamen invisibilis. Transi omne quod videtur; transi & quod non videtur, & tamen mutatur: ut venias ad eum, qui nec videtur, nec mutatur. Cùm veneris ad eum, venies ad Deum.

1. Cor. 2. 9.

Psal. 31. 11.

*Caput X. Mundi felicitas piis, non honos, sed onus.

Caput XI.

9. Sed modò ambula ex fide, mores compone. Longè in alto est ille: nutri pennas. Crede quod nondum potes videre, ut merearis videre quod credis. Tamquam peregrini vivamus, transire nos cogitemus; & minùs peccabimus. Agamus potiùs Domino Deo nostro gratias, quia hujus vitæ ultimum diem & brevem esse voluit & incertum. A prima infantia usque ad decrepitam senectutem breve spatium est. Qui tam diu vixerat, quid ei profuisset si Adam hodie mortuus esset? Quid diu est, ubi finis est? Hesternum diem nemo revocat: hodiernus à crastino urgetur, ut transeat. Ipso parvo spatio bene vivamus, & illò eamus, unde non transeamus. Et modò cùm loquimur utique transimus. Verba currunt, ex ore volant: sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra; sic ista felicitas nostra. Totum transit: sed non expavescamus; *Verbum Domini manet in æternum.*

Breve tempus vitæ.

Serm. de Sanctis.

Isai. 40. 8.

* SERMO CCCII.

In sollemnitate [a] Martyris Laurentii, I.

*Aliàs de Diversis 111.

Caput I. Tẽporalia beneficia per Martyrum orationes cur Deus impertit.

1. Beati Martyris Laurentii dies sollemnis hodiernus est. Huic sollemnitati sanctæ lectiones congruæ sonuerunt. Audivimus, & cantavimus, & Evangelicam lectionem intentissimè accepimus. Martyrum ergo vestigia imitando sectemur, ne sollemnitates eorum inaniter celebremus. Cujus autem meriti sit memoratus Martyr, quis ignorat? Quis ibi oravit, & non impetravit? Quàm multis infirmis meritum ejus etiam temporalia beneficia præstitit, quæ ille contemsit. Concessa sunt enim, non ut precantium permaneret infirmitas; sed ut deterioribus concessis, amor fieret ad appetenda meliora. Quædam enim plerumque parva & ludicra concedit pater parvulis filiis; quæ maximè, nisi acceperint, plorant. Benigna & paterna indulgentia hæc impertit, hæc donat, quæ non vult permanere in filiis suis jam grandiusculis, jam proficientibus. Donat ergo pueris nuces, quibus servat hereditatem. Ludentibus & de quibusdam ludicris se oblectantibus cedit paterna pietas, ne deficiat ætatis infirmitas. Blandientis est hoc, non ædificantis. Quod ædificaverunt Martyres, quod capere potuerunt, quod grandi corde ceperunt, propter quod sanguinem fuderunt, audistis in Evangelio, *Merces vestra copiosa est in cælis.*

Apta similitudo.

Matth. 5. 12.

Caput II. Duæ vitæ. Præsens vita quàm ærumnosa, & tamen vehementer amata.

2. Verumtamen, Carissimi, cùm duæ vitæ sint, una ante mortem, alia post mortem; ambæ istæ habuerunt & habent amatores suos. Qualis sit brevis hæc vita, quid describere opus est? Experimur quàm ærumnosa, quàm querelosa: circumdata tentationibus, plena timoribus; ardens cupiditatibus, subdita casibus; in adversis dolens, in prosperis tumens; lucris exsultans, damnis excrucians. Et in ipsis lucris exsultatione trepidat, ne quod adquisivit, amittat; ne propter hoc quæratur, qui antequam haberet non quærebatur. Vera infelicitas, mendosa felicitas. Humilis cupit adscendere, sublimatus timet descendere. Qui non habet, invidet habenti; qui habet, contemnit non habentem. Et quis explicet verbis, hujus vitæ tantam & tam conspicuam fœditatem? Et tamen ista fœditas habet amatores suos tales, ut optemus invenire paucissimos, qui sic diligant æternam vitam, quam finire non possunt, quomodo ista diligitur, quæ & citò finitur, & si protendatur, quotidie timetur, ne per horas singulas finiatur. Quid faciamus? quid agamus? quid dicamus? Quos comminationis aculeos, quos exhortationis ignes admoveamus cordibus pigris & duris, & terreni stuporis glacie congelatis, ut torporem mundi aliquando decutiant, & in æterna inardescant? Quid, inquam, faciamus? quid dicamus? Adjacet mihi, & interim occurrit, quia res ipsæ quotidia-

Æterna vita sic diligatur, quomodo ista temporalis.

[a] De Sermonibus per natalem S. Laurentii non tacuit Possidius in Indiculo cap. 9. Hunc citant Beda & Florus ad Rom. 12. & 13.

Classis III.

næ admonent nos, & suggerunt quid dicamus. A

*Caput III.

* Ab amore hujus temporalis vitæ, accede, si fieri potest, ad amandam æternam vitam, quam Martyres amaverunt, qui hæc temporalia contemserunt. Rogo, obsecro, exhortor, non solùm vos, sed vobiscum & nos, diligamus æternam vitam. Nolo amplius, cùm sit amplior; sic eam diligamus, quomodo diligitur temporalis ab amatoribus suis: non quomodo temporalis vita dilecta est à sanctis Martyribus. Istam enim aut nihil, aut minimùm dilexerunt, & ei facilè sempiternam præposuerunt. B Non ergo Martyres adtendi, quando dixi, Diligamus æternam, quomodo diligitur temporalis: sed quomodo diligitur temporalis ab amatoribus suis, sic diligamus æternam, cujus amorem Christianus profitetur.

Christiani sumus, non propter temporalem, sed propter æternam vitam.

3. Ideo enim Christiani facti sumus, non propter hanc temporalem vitam. Quàm multi enim Christiani immaturi rapiuntur, & sacrilegi homines usque ad decrepitam ætatem in hac vita perdurant? C Sed rursus & apud eos multi moriuntur immaturi. Multa damna Christianorum, & lucra impiorum: & rursus multa damna impiorum, & lucra Christianorum. Et multi honores impiorum & abjectiones Christianorum: & rursus multi honores Christianorum, & abjectiones impiorum.

*Caput IV.

* Cùm sint ergo ista bona & mala utrisque communia, numquid, Fratres, quando Christiani facti sumus, propter mala ista devitanda, vel bona adipiscenda, nomen Christo dedimus, & frontem tanto signo subjecimus? D Christianus es, in fronte portas crucem Christi. Character tuus docet quid profitearis. Quando ille in cruce pendebat, quam crucem portas in fronte; (non signum ligni te delectat, sed signum pendentis:) quando ergo ille pendebat in cruce; sævientes circumspiciebat, insultantes ferebat, pro inimicis orabat. Medicus etiam cùm occideretur, suo sanguine ægrotos sanabat. Dixit enim, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* E Nec ista vox vacua vel inanis fuit. Et ex ipsis postea millia crediderunt in eum, quem occiderant, ut discerent pati pro ipso, qui pro ipsis & ab ipsis passus est.

Crux Christi in fronte quid nos admoneat.

Luca 23. 34.

*Caput V.

* Hinc ergo intelligitur, Fratres, ab isto signo, ab isto charactere, quem accipit Christianus, etiam cùm fit catechumenus; hinc intelligitur quare sumus Christiani, quia non propter temporalia & transeuntia, vel bona, vel mala, sed propter vitanda mala quæ non transibunt, & propter adipiscenda bona quæ terminum non habebunt.

Caput VI Vita temporalis multùm diligitur, non sic vita æterna.

4. F Verumtamen, ut dicere cœperam, Fratres, quod admonueram, quod proposueram, obsecro vos, adtendamus, quomodo diligatur vita ista temporalis ab amatoribus suis; in quàm magno timore sunt homines, ne moriantur morituri. Videas hominem tremere, fugere, latebras quærere, defensiones aucupari, rogare, provolvi; si fieri potest, quidquid habet, dare, ut vita donetur, ut uno die plus vivatur, ut ætas incerta semper aliquantò diutiùs protendatur. G Tanta faciunt homines: quis tale aliquid pro vita æterna? Alloquamur amatorem præsentis vitæ: Quid agis, quid festinas, quid trepidas, quid fugis, quid latebras quæris? Ut vivam, inquit. Certè ut vivas? Ut vivas semper victurus? Non. Non ergo mortem satagis auferre, sed differre. Qui tanta agis, ut paulò seriùs moriaris, age aliquid, ut numquam moriaris.

Serm. de Sanctis.

Necessaria dat homo, ut hîc diutiùs vel miserè vivat; non dat superflua, ut in æternum cum Christo regnet.

5. Quàm multos invenimus qui dicant, Tollat fiscus res meas, ut seriùs moriar: quàm raro invenimus qui dicat, Tollat Christus res meas, ut numquam moriar. Et tamen, ô amator temporalis vitæ, si tollat fiscus, te spoliat in hoc sæculo; si tollat Christus, tibi servat in cælo. Propter hanc vitam volunt habere homines unde vivant, & propter hanc volunt dare unde vivant. Quod tibi servas unde vivas, hoc das ut vivas, fortè fame defecturus. Et tamen dicis, Tollat, quid ad me? Mendicare volo. Das unde vivis, mendicare paratus ut vivas. Paratus es, datis etiam necessariis, mendicare in hoc mundo; & non es paratus, erogatis superfluis, regnare cum Christo? * Rogo, appende. Si aliqua statera æquitatis invenitur in arca cordis tui, profer illam, & hæc duo impone in illa, & appende: Mendicare in hoc mundo, & regnare cum Christo. Non est quod appendere. Non enim in illius rei comparatione habet hoc aliquod pondus. Si dicerem regnare in hoc mundo, & regnare cum Christo; non esset quod appendere. Pænitet me dixisse, appende: prorsus non est quod appendere. *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Qui autem non passus fuerit detrimentum animæ suæ, ipse regnabit pro Christo. Quis autem in hoc mundo regnat securus? Fac quia regnat securus: numquid regnat æternus?

*Caput VII.

Matth. 16. 26.

Imméritò vitam istã sic amari.

6. Illud advertite, quod proponebam, quales amatores habeat præsens vita, temporalis vita, brevis vita, fœda vita, quales habeat amatores. Fit plerumque homo propter hanc vitam nudus, mendicus. Quæris ab eo quare? Sic respondet, Ut viverem. Quid amasti, & quid amans quò pervenisti? Quid dicturus es malè amatæ perverse amator? Quid dicturus es huic amatæ vitæ tuæ? Dic, alloquere, blandire, si potes. Quid dicturus es? Ad istam nuditatem me perduxit pulcritudo tua. Clamat tibi, Fœda sum, & tu amas? Clamat, Dura sum, & tu amplecteris? Clamat, Volatica sum, & tu sequi conaris? Ecce respondet tibi amata tua, Non tecum stabo: etsi tecum aliquantùm ero, non tecum permanebo. Nudare te potui, beare non potui.

Caput VIII.

7. Ergo quoniam Christiani sumus, implorato adjutorio Domini Dei nostri adversùs blanditias malè amatæ, amemus illius pulcritudinem vitæ, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Hanc enim præparavit Deus diligentibus se; & ipsa vita ipse Deus est. Acclamastis, suspirastis. Amemus hanc fortiter. Donet Dominus ut amemus. Illi lacrymas pro hac, non solùm adipiscenda, sed etiam diligenda fundamus. Quid monituri sumus, quid demonstraturi? Numquid libros recitamus, ut ostendamus quàm sit ista incerta, quàm transitoria, quàm penè nulla, quàm verum sit quod scriptum est, *Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum apparens, deinceps exterminabitur.* Vivebat herì, non est hodie: paulò antè videbatur, modò non est qui videbatur. Deducitur homo ad sepulcrum: redeunt tristes, citò obliviscentes. Dicitur quàm nihil est homo: & hoc dicit ipse homo; & non corrigit se homo, ut non nihil, sed aliquid sit homo. Hujus ergo amatores Martyres fuerunt, & hujus vitæ adquisitores sunt. Habent quod amaverunt, uberius habebunt in resurrectione mortuo-

1. Cor. 2. 9.

Vita æterna Deus est; vita præsens, vapor.

Jacobi 4. 15.

Classis III. rum. Hoc ergo iter nobis magnis suis passionibus constraverunt.

Caput IX. Laurentius opes Ecclesiæ quærenti eas persecutori quales profert. 8. Sanctus Laurentius archidiaconus fuit. Opes Ecclesiæ ab illo à persecutore quærebantur, sicut traditur; unde tam multa passus est, quæ horrent audiri. Impositus craticulæ, omnibus membris adustus est, pœnis atrocissimis flammarum excruciatus est: vincens tamen omnes corporis molestias magno robore caritatis, adjuvante illo qui talem fecerat. *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Ut autem accenderet in iram persecutorem hoc fecit, non illum volens irasci, sed suam fidem cupiens posteris commendare, & quàm securus moreretur ostendere: *Pergant*, inquit, *mecum vehiculæ, in quibus apportem opes Ecclesiæ.* Missa sunt vehicula, oneravit ea pauperibus, & redire jussit, dicens, *Hæ sunt opes Ecclesiæ.* Et verum est, Fratres: MAGNÆ OPES SUNT CHRISTIANORUM, necessitates egentium; si intelligamus ubi debeamus servare quod habemus. Ante nos sunt egentes: ibi si servaverimus, non perdemus. Non timemus ne aliquis tollat: ille enim qui dedit servat. Nec meliorem possumus invenire custodem, nec fideliorem promissorem. (Ephes. 2. 10.)

Caput X. Martyres imitandi. 9. Hoc ergo cogitantes, impigrè Martyres imitemur, si volumus nobis prodesse sollemnitates, quas celebramus. Semper hæc admonuimus, Fratres, numquam cessavimus, numquam tacuimus. Vita æterna diligenda est, præsens contemnenda est. Bene vivendum est, bonum sperandum est. Mutandus est, qui malus erat; mutatus instruendus est; instructus perseverare debet. *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. 10. 22. & 24. 13.)

Caput XI. Sævire in malos non licet. 10. Sed dicunt multi mali multa mala. Et quid velles tu? An à malis bona? Noli quærere uvam in spinis: prohibitus es. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Si aliquid potes, si tu jam non es malus, opta malo ut sit bonus. Quid sævis in malos? Quia mali sunt, inquis. Addis te illis, sæviendo in illos. Consilium do: displicet tibi malus, non sint duo. Reprehendis, & adjungeris? auges ejus numerum, quem condemnas? De malo vis vincere malum? de malitia vincere malitiam? Erunt duæ malitiæ, ambæ vincendæ. Non audis consilium Domini tui per Apostolum, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum?* Fortè ille pejor est: [a] cùm & tu sis malus, duo tamen mali. Ego vellem ut vel unus esset bonus. Postremò sævit usque ad mortem. Quid & [b] post mortem, ubi ad illum malum jam non pervenit pœna, & alterius mali tota exercetur malitia? Hoc insanire est, non vindicare. (Luca 6. 45. Beda & Florus ad Rom. 12.) (Rom. 12. 21.)

Caput XII. Prohibere suos quisque iudices debet, ne malis noceant. 11. Quid vobis dicam, Fratres mei? quid vobis dicam, Non vobis placeant tales? Itane verò de vobis sensurus sum, quia placent vobis tales? Absit à nobis, ut sentiamus ista de vobis. Sed parum est ut tales displiceant vobis, parum est: est aliquid quod de vobis exigendum est. Ne quis dicat, Deus novit quia nolui fieri. Ecce duas res dixisti: & non feci, & nolui fieri. Adhuc parum est. Parum est prorsus si noluisti, si non etiam prohibuisti. Habent mali judices suos, habent potestates suas: de quibus Apostolus ait, *Non enim sine caussa gladium portat. Vindex est enim in iram,* sed *ei qui malè agit.* In iram vindex ei qui malè agit. *Quòd si malum*, inquit, *feceris, time. Non enim sine caussa gladium portat. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* (Rom. 13. 3. & 4.)

Serm. de Sanctis.

Caput XIII. Qui bonū facit, quomodo ex potestate laudem meretur. 12. Quid ergo, ait aliquis, sanctus Laurentius malum fecerat, ut à potestate occideretur? Quomodo in illo impletum est, *Bonum fac, & habebis laudem ex illa*, quando propter bonum tantos cruciatus meruit ex illa? Si non haberet laudem ex illa, hodie non honoraretur, non à nobis prædicaretur, non tanto præconio laudaretur. Habet ergo laudem ex illa, etiam nolente illa. Non enim ait Apostolus, Bonum fac, & laudabit te potestas ipsa. Bonum enim fecerunt Apostoli omnes & Martyres; & non eos laudaverunt, sed interfecerunt potiùs potestates. Ergo si diceret, Bonum fac, & laudabit te potestas, deciperet te. Modò autem temperavit verba, circumspexit, appendit, moderatus est, circumcidit. Discite quod audistis: *Bonum fac, & habebis laudem ex illa*; etiam ipsa laudante, si bona est. Si autem iniqua est, mortuus pro fide, pro justitia, pro veritate, habebis laudem ex illa; etiam sæviente illa. Ex illa enim habebis, non ipsa laudante, sed ipsa tibi laudis occasionem præbente. Ergo bonum fac, & habebis, & securus eris. (Beda & Florus ad Rom. 13.)

Caput XIV. Malos interficere non cuilibet licet. 13. Sed malus ille tanta fecit, tantos oppressit, tantos ad mendicitatem egestatemque perduxit. Habet judices suos, habet potestates suas. Ordinata est respublica. *Quæ enim sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Tu quare sævis? Quam potestatem accepisti, nisi quia non sunt ista publica supplicia, sed aperta latrocinia? Quid enim? Considerate in ipsis ordinibus potestatum, destinatum supplicio & damnatum, cui gladius imminet, non licere feriri, nisi ab illo qui ad hoc militat. Militat Quæstionarius: ab illo percutitur damnatus. Si damnatum, jam supplicio destinatum, percutiat Exceptor, nonne & damnatum occidit, & tamquam homicida damnatur? Certè quem occidit, jam damnatus erat, jam supplicio destinatus: sed inordinatè ferire, homicidium est. Si homicidium est, inordinatè ferire damnatum; quid est, rogo vos, velle ferire inauditum, velle ferire non judicatum, velle ferire nulla accepta potestate hominem malum? Non enim malos defendimus, aut dicimus malos non esse malos. Reddent inde rationem qui judicant. Quare de morte aliena tu vis reddere difficultatem rationis, qui non portas sarcinam potestatis? Liberavit te Deus, ut non sis judex: quid tibi usurpas alienum? De te redde rationem. (Rom. 13. 1.)

Caput XV. Sententia Domini in homines immisericordes. 14. O Domine, quomodo pupugisti corda sævientium, quando dixisti, *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat.* Verbo gravi & acuto compunctis cordibus conscientias suas agnoverunt, & justitiæ præsenti erubuerunt; & unus post unum abscedentes, solam mulierem miseram reliquerunt. Sed non fuit sola rea: quia cum illa erat judex, nondum judicans, sed misericordiam prærogans. Dimissæ sunt enim, discedentibus sævientibus, misera & misericordia. Et ait illi Dominus, *Nemo te condemnavit?* Respondit, *Nemo, Domine. Nec ego,* inquit, *te damnabo: vade, & deinceps jam noli peccare.* (Johan. 8. 7.)

[a] Florus, *pejor est quàm tu sis, duo tamen mali*

[b] Hominis alicujus malè de populo meriti cædem conquęritur, non legitima potestate, sed populi furore factam, cum insana furentium in cæsi cadaver crudelitate.

*Caput XVI. Milites nõ militia, sed malitia bonos esse nõ sinit.

15. * Sed tanta mihi fecit miles iste. Vellem nosse, si militares, utrùm similia non faceres. Nec volumus talia fieri à militibus, quibus pauperes opprimuntur: volumus & ipsos audire Evangelium. Non enim benefacere prohibet [a] militia, sed malitia. Venientes autem milites ad baptismum Johannis, dixerunt, *Et quid nos faciemus?* Ait illis Johannes, *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis; sufficiat vobis stipendium vestrum.* Et verè, Fratres, si tales essent milites, felix esset ipsa respublica.

a Luca 3. 14

*Caput XVII. Telonearis quid præceptũ, quid universis.

* Sed non solùm miles talis esset, sed & telonearius talis esset, qualis ibi describitur. Nam dixerunt ei publicani, id est, telonearii: *Et nos quid faciemus?* Responsum est, *Nihil ampliùs exigatis, quàm constitutum est vobis.* Correptus est miles, correptus est telonearius: corrigatur & [b] Provincialis. Habes universalem directam correctionem. Quid faciemus omnes? *Qui habet duas tunicas, communicet cum non habente; & qui habet escas, similiter faciat.* Volumus ut audiant milites quod præcepit Christus: audiamus & nos. Non enim Christus illis est, & nobis non est. Omnes audiamus, & concorditer in pace vivamus.

b Ibidem 11.

Caput XVIII. Negotiator fraudi & perjurio obnoxius.

16. Oppressit me, cùm essem negotiator. Tu ipsum negotium bene egisti? In ipso negotio fraudem non fecisti? In ipso negotio falsum non jurasti? non dixisti, Per illum qui me trajecit, per ipsum mare, quia tanti emi, quod non tanti emisti? Fratres, dico vobis expresse, & quantum Dominus donat, liberè: Non sæviunt in malos, nisi mali. Alia est potestatis necessitas. Nam judex plerumque cogitur eximere gladium, & ferire nolens. Quantum enim ad ipsum pertinet, volebat servare sententiam incruentam: sed perire noluit fortè publicam disciplinam. Pertinuit ad ejus professionem, ad ejus potestatem, ad ejus necessitatem. Ad te quid pertinet, nisi rogare Deum, *Libera nos à malo?* O qui dixisti, *Libera nos à malo:* liberet te Deus à te ipso.

In malos non sæviũt nisi mali.

Caput XIX. Episcopus pius rem habere cogitur cum jaculatibus potestatibus.

17. Ad summam, Fratres, quid vitemus? Omnes Christiani sumus: nos etiam majoris periculi sarcinam sustinemus. Sæpe de nobis dicitur, Ivit ad illam potestatem: & quid quærit episcopus cum illa potestate? Et tamen omnes nostis quia vestræ necessitates nos cogunt venire quò nolumus: observare, ante ostium stare, intrantibus dignis & indignis exspectare, nuntiari, vix aliquando admitti: ferre humilitates, rogare, aliquando impetrare, aliquando tristes abscedere. Quis vellet hæc pati, nisi cogeremur? Dimittamur, non illa patiamur, nemo nos cogat: ecce concedatur nobis, date nobis ferias hujus rei. Rogamus vos, obsecramus vos, nemo nos cogat: nolumus habere rationem cum potestatibus: novit ille, quia cogimur. Et ipsas potestates sic habemus, quomodo Christianos habere debemus, si Christianos in eadem potestate invenimus; & & paganos, quomodo paganos habere debemus; omnibus bona volentes. Sed moneam, inquit, potestates, ut bona faciant. Vobis præsentibus monituri sumus? Scitis, si monuimus? Nescitis, sive fecerimus, sive non fecerimus. Hoc novi, quia nescitis, & temere judicatis. Tamen, Fratres mei, obsecro vos, de potestatibus potest mi- A hi dici, Moneret illum, & bona faceret. Et respondeo ego, Monui, sed non me audivit. Et ibi monui, ubi tu non audisti. Populum quis monet in parte? Vel potuimus unum hominem in parte admonere, & dicere, Sic age, vel sic age, ubi alius nullus esset. Quis ducat populum in partem, & nullo sciente moneat populum?

c

18. Ista necessitas [c] nos coegit talia vobis loqui, ne malam rationem reddamus Deo de vobis; ne dicatur nobis, Tu moneres, tu dares, ego B exigerem.

Luca 19. 23.

* Caput XX.

Malus mortuus, bis dolendus.

* Avertite ergo vos, ergo omnino avertite vos ab istis cruentis factis. Non ad vos pertineat, cùm talia videtis & auditis, nisi misereri. Sed malus mortuus est. Bis dolendus est; quia & mortuus, & malus. Bis dolendus; quia bis mortuus, & temporaliter, & in æternum. Nam si bonus mortuus esset, affectu humano doleremus; quia deseruit nos, quia volebamus eum nobiscum vivere. Mali plus dolendi sunt; quia post hanc vitam à pœnis æternis excipiuntur. Dolere C ergo ad vos pertineat, Fratres mei; dolere ad vos pertineat, non sævire.

Caput XXI. Civiles tumultus prohibere quisque pro viribus debet.

19. Sed parum est, ut dixi, parum est ut non faciatis, parum est ut doleatis, nisi etiam ea quæ ad populi pertinent potestatem pro viribus vestris prohibeatis. Non dico, Fratres, quia potest aliquis vestrûm exire & populum prohibere: hoc nec nos possumus: sed unusquisque in domo sua filium suum, servum suum, amicum suum, vicinum suum, clientem suum, minorem suum. Agi- D te cum illis, ut ista non faciant. Quibus potestis, suadete; & in quos potestatem habetis, severitatem adhibete. Unum scio, quod omnes mecum sciunt, in hac civitate multas inveniri domos, in quibus non sit vel unus paganus; nullam domum inveniri, ubi non sint Christiani. Et si discutiatur diligenter, nulla domus invenitur, ubi non plures Christiani sint quàm pagani. Verum est, consentitis. Videtis ergo quia mala non fierent, si Christiani nollent. Non est quid respondeatur. E Occulta mala possent fieri, publica non possent, prohibentibus Christianis; quia unusquisque teneret servum suum, unusquisque teneret filium suum: adolescentem domaret severitas patris, severitas patrui, severitas magistri, severitas boni vicini, severitas correctionis majoris ipsius. Hæc si sic agerentur, non multùm nos mala contristarent.

Caput XXII. Ira Dei ex populi peccatis.

20. Fratres mei, iram Dei timeo. Deus non timet turbas. Quàm citò dicitur, Quod populus F fecit, fecerit: quis est qui vindicet populum? Itane, quis est? nec Deus? Timuit enim Deus universum mundum, quando fecit diluvium? Timuit tot civitates Sodomæ & Gomorrhæ, quando cælesti delevit igne? Nolo jam dicere de præsentibus malis, quanta & ubi facta sunt, & quæ secuta sunt, nolo commemorare, ne videar insultare. Numquid in ira sua sejunxit Deus eos qui faciebant, ab eis qui non faciebant? Sed junxit eos qui faciebant, cum eis qui non prohibebant.

Caput XXIII. Populus ne sibi sumat quod ad potestates pertinet,

G 21. Explicemus ergo aliquando sermonem, Fratres mei. Hortamur vos, obsecramus vos per Dominum & ejus mansuetudinem, ut mansuetè vivatis, pacificè vivatis; potestates facere quod ad illas pertinet, unde Deo & majoribus suis red-

a Lov. *prohibet à militia, sed à malitia.* Locum ad Theodericensem MS. castigavimus.

b Provincialis dicitur quisque de plebe militi præbens annonam, ut videre est in Psal. 90. Ser. 1. n. 10. & in Psal. 103. Ser. 3. n. 9.

c Cædis nempe in malum quempiam civili seditione perpetratæ.

CLASSIS III. diturae sunt rationem, pacificè permittatis: quotiescumque petendum est, honorificè & pacificè petatis. Cum his qui mala faciunt, & infeliciter atque inordinatè saeviunt, non vos misceatis; non talibus factis vel spectandis interesse cupiatis. Sed quantum potestis, quisque in domo sua & in vicinia sua, cum eo cum quo habet alicujus necessitudinis & caritatis vinculum, moneatis, suadeatis, doceatis, corripiatis; comminationibus etiam quibuslibet à tantis malis coerceatis: ut aliquando Deus misereatur, & finem det humanis malis, & non secundùm peccata nostra faciat nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuat nobis, sed quantum distat ortus ab occidente, longè faciat à nobis peccata nostra; & propter honorem nominis sui liberet nos, & propitius sit peccatis nostris, ne fortè dicant gentes, Ubi est Deus eorum?

[Margin: Leve inordinatè saeviat in malos. — Psal. 102. 10. & 11. — Psal. 78. 9. & 10.]

* SERMO CCCIII.

[Margin: * Aliàs de Diversis 113.]

In Natali Martyris Laurentii, II.

1. BEATI Laurentii illustre martyrium est, sed Romae, non hìc: tantam enim video vestram paucitatem. Quàm non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona. Sed quare adhuc istam civitatem lateret, scire non possum. Ergo pauci audite pauca: quia & nos in hac lassitudine corporis & aestibus non possumus multa. Diaconus erat, secutus Apostolos: tempore post Apostolos fuit. D Cùm ergo persecutio, quam modò ex Evangelio audistis praedictam fuisse Christianis, Romae, sicut in ceteris locis, vehementer arderet, & tamquam ab Archidiacono postulatae essent res Ecclesiae; ille respondisse fertur, *Mittantur mecum vehicula, in quibus apportem opes Ecclesiae.* Aperuit fauces avaritia: sed sciebat quid faceret sapientia. Continuò jussum est: quot vehicula poposcit, tot ierunt. Poposcit autem multa: & quantò plura erant vehicula, tantò erat major spes E praedae corde conceptae. Implevit vehicula pauperibus, & reversus est cum eis: & dictum est ei, Quid est hoc? Respondit, *Hae sunt divitiae Ecclesiae.* Illusus persecutor flammas poposcit; sed non erat ille frigidus, ut flammas timeret: ardebat * penè furore, sed plus anima caritate. Quid pluribus? Craticula admota est, & tostus est. Et cùm ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo F quod modò in Evangelio audivimus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Denique flammâ ustus, sed patientiâ tranquillus, *Iam*, inquit, *coctum est; quod superest, versate me, & manducate.* Tale duxit martyrium: istâ gloriâ coronatus est. Beneficia ejus Romae tam clara sunt, ut numerari omnino non possint. Iste est de quo dixit Christus, *Qui perdiderit animam suam propter me, salvabit eam.* Salvavit eam per fidem, salvavit per contemtum mundi, salvavit per martyrium. Quanta est gloria ejus apud Deum, dum G tanta est laus ejus apud homines?

[Margin: Laurentius archidiaconus opes Ecclesiae proferre jussus. — * f. poenae. — Luce 21. 19. — Lucae 9. 24.]

2. Sequamur vestigia ejus fide, sequamur & contemtu mundi. Non solùm Martyribus praemia promittuntur caelestia, sed etiam integra fide & perfecta caritate Christum sequentibus. Nam inter Martyres honoratus est, ipsa veritate polli-A cente, ac dicente, *Nemo est qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, & non recipiat septies tantum in isto tempore, in saeculo autem futuro vitam aeternam habebit.* Quid est gloriosius homini, quàm sua vendere, & Christum emere, offerre Deo acceptissimum munus, incorruptam virtutem mentis, incolumem laudem devotionis; Christum comitari, cùm venire coeperit vindictam de inimicis recepturus; lateri ejus assistere, cùm sederit judicaturus; coheredem Christi fieri, B Angelis adaequari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, caelestis regni possessione laetari? Has cogitationes quae persecutio potest vincere, quae possunt tormenta superare? Dura, fortis, & stabilis religiosis meditationibus fundata mens, & adversùs omnes Zabuli terrores & minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa & solida corroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus: sed patet caelum. Minatur C Antichristus, sed tuetur Christus. Mors infertur, sed immortalitas sequitur. Occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur. Vita temporalis exstinguitur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas & quanta securitas exire hinc laetum, exire inter pressuras & angustias gloriosum; claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus; aperire eos statim, ut Deus videatur, etiam feliciter migrando. Quanta velocitas? Terris repentè retraheris, ut regnis caelestibus reponaris. Haec oportet mente & cogitatione complecti, haec die ac nocte meditari. Si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad proelium promta. Vel si accersitio antè pervenerit; fidei, quae erat ad martyrium praeparata, sine damno temporis, merces Deo judice redditur. In persecutione militia, in pace constantia coronatur.

[Margin: SERM. DE SANCTIS. — Matth. 19. 29. — Martyrum merces Christum sequentibus parata.]

* SERMO CCCIV.

[Margin: * Aliàs de Diversis, 37.]

In[a] sollemnitate Laurentii Martyris, III.

1. BEATI Laurentii triumphalem diem, CAPUT I. quo calcavit mundum frementem, sprevit blandientem, & in utroque vicit diabolum persequentem, hodiernum nobis Ecclesia Romana commendat. Quàm gloriosa enim, & quanta virtutum multitudine, quasi florum varietate, distincta Laurentii Martyris sit corona, universa testis est Roma. In ipsa enim Ecclesia, sicut soletis audire, Diaconii gerebat officium. Ibi sacrum Christi sanguinem ministravit: ibi pro Christi nomine suum sanguinem fudit. Ad mensam potentis prudenter accesserat. Ad illam mensam, de qua nobis modò Salomonis proverbia loquebantur, ubi scriptum est, *Si sederis coenare ad mensam potentis, cognoscens intellige quae apponuntur tibi; & sic extende manum tuam, sciens quoniam similia te oportet praeparare.* Hujus coenae mysterium beatus apostolus Johannes evidenter exposuit, dicens, *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Intellexit hoc, Fratres, sanctus Laurentius; intellexit, ac fecit: & prorsus qualia sumsit in illa mensa, talia praeparavit. Amavit Christum in vita sua, imitatus est eum in morte sua.

[Margin: Diaconi officium, ministrare sanguinem Christi. — Prov. 23. 1. — Coenae Dominicae mysterium, ut cujus sanguinem sumimus, pro ipso animam ponamus. — 1. Johan. 3. 16.]

[a] Citat Florus ad Philip. 2.

CLASSIS III

*CAPUT II. Christum sequi omnes debemus.

2. * Et nos ergo, Fratres, si veraciter amamus, imitemur. Non enim meliorem reddere poterimus dilectionis fructum, quàm imitationis exemplum. *Christus* enim *pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* In hac sententia vidisse videtur apostolus Petrus, quòd pro his tantùm passus est Christus, qui sequuntur vestigia ejus; neque prosit quidquam Christi passio, nisi illis qui sequuntur vestigia ejus. Secuti sunt eum Martyres sancti, usque ad effusionem cruoris, usque ad similitudinem passionis: secuti sunt Martyres, sed non soli. Non enim postquam illi transierunt, pons incisus est; aut postquam ipsi biberunt, fons ipse siccatus est. Quæ est enim spes fidelium bonorum, qui vel sub fœdere conjugali jugum matrimonii castè & concorditer ducunt, vel sub continentia viduali domant carnis illecebras, vel etiam sanctitatis apicem celsiùs erigentes & in nova virginitate florentes sequuntur agnum quocumque ierit? Quæ istis, inquam, quæ nobis omnibus spes est, si non sequuntur Christum, nisi qui pro ipso sanguinem fundunt? Perditura est ergo filios suos, quos tantò fecundiùs, quantò securiùs tempore pacis enixa est mater Ecclesia? Quos ne perdat, oranda est persecutio, oranda tentatio? Absit, Fratres. Quomodo enim potest orare persecutionem, qui quotidie clamat, *Ne nos inferas in tentationem?* * Habet, habet, Fratres, habet hortus ille Dominicus, non solùm rosas Martyrum, sed & lilia virginum, & conjugatorum hederas, violasque viduarum. Prorsus, Dilectissimi, nullum genus hominum de sua vocatione desperet: pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est, *Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.*

1. Pet. 2. 21.

Matth. 6. 13.

*CAPUT III.

1. Tim. 2. 4.

Inquibus licet Christum sequi, præter martyriũ.

Philip 2. 6. Florus ibidem.

Humilitas ipsius sectanda.

3. Intelligamus ergo præter effusionem cruoris, præter periculum passionis, quomodo Christum debeat sequi Christianus. Apostolus dicit, loquens de Domino Christo, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quanta majestas! *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quanta humilitas! Humiliavit se Christus: habes, Christiane, quod teneas. Christus *factus est obediens*: quid superbis? Quò usque factus est obediens Christus? Usque ad incarnationem Verbi, usque ad participationem mortalitatis humanæ, usque ad trinam diaboli tentationem, usque ad irrisionem populi Judæorum, usque ad sputa & vincula, usque ad alapas & flagella: si parum est, *usque ad mortem*; & si adhuc aliquid etiam de genere mortis addendum, *mortem autem crucis.* Habemus tale humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. * Quid ergo intumescis, ô homo? O pellis morticina quid tenderis? O sanies fœtida quid inflaris? Anhelas, doles, æstuas, quia nescio quis tibi fecit injuriam. Unde tu flagitas ultionem, sitis arenti fauce vindictam; nec priùs ab intentione desistis, donec de illo qui te læserit, vindiceris? Si Christianus es, exspecta regem tuum: priùs se vindicet Christus. Nondum enim vindicatus est, qui pro te tanta perpessus est. Et utique illa majestas posset vel nihil perpeti, vel continuò vindicari. Sed cùm esset in illo tanta potentia, ideo fuit etiam tanta patientia: quia pro nobis est passus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Videtis certè, Dilectissimi, quia præter effusionem cruoris, præter vincula & carceres, præter flagella & ungulas, sunt multa in quibus sequi possumus Christum. Deinde hac humilitate decursa, & morte prostrata, adscendit Christus in cælum: sequamur eum. Audiamus Apostolum dicentem, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* Quidquid delectabile de temporalibus rebus mundus ingesserit, respuatur: quidquid infremuerit asperum atque terribile, contemnatur. Et qui sic agit, non dubitet Christi se cohærere vestigiis, ut meritò dicere audeat cum apostolo Paulo, *Conversatio nostra in cælis est.*

*CAPUT IV.

Vindicta exemplo Christi, nõ expetenda

SERM. DE SANCTIS.

Præsentia contemnenda.

Coloss. 3. 1. & 2.

Philip. 3. 20.

CAPUT V. Vera & invicta virtus caritas.

Rom. 5 5.

4. Sed tunc potest in istis esse virtus invicta, si non sit caritas ficta. Ille ergo dat nobis veram virtutem, qui diffundit in nostris cordibus caritatem. Quando autem beatus Laurentius appositos extrinsecùs ignes non timeret, nisi intus flammâ caritatis arderet? Ideo, Fratres mei, gloriosus Martyr atroces incendiorum flammas non pertimescebat in corpore, quia ardentissimo cælestium gaudiorum desiderio flagrabat in mente. In comparatione fervoris, quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat. Quando enim ferret tantorum aculeos dolorum, nisi æternorum diligeret gaudia præmiorum? Postremò quando contemneret istam vitam, nisi amando meliorem vitam? *Et quis nocere vobis potest*, ait apostolus Petrus; *quis*, inquit, *nocere vobis potest, si boni amatores fueritis?* Faciat in te licèt persecutor malum: tu ne deficias amando bonum. Si enim verè quod bonum est, toto corde dilexeris, omne malum patienter & æquanimiter sustinebis. Quid enim beato Laurentio illa, quæ à persecutoribus illata sunt, tormenta nocuerunt? nisi quòd eum clariorem ipsis suppliciis reddiderunt, & hunc nobis festivissimum diem de pretiosa ejus morte fecerunt.

1. Petr. 3. 13.

* SERMO CCCV.

* Aliàs 26. ex Sirmondianis.

In sollemnitate Martyris Laurentii, IV.

Habitus ad Mensam S. Cypriani.

Granum morte multiplicatum.

1. AGNOSCIT fides vestra granum, quod in terram cecidit, & mortuum multiplicatum est. Agnoscit, inquam, hoc granum fides vestra, quia ipsum habitat in mente vestra. Hoc enim quòd de se ipso dixerit Christus, nullus ambigit Christianus. Sed planè illo mortuo grano & multiplicato, multa grana sunt sparsa in terram: ex quibus est & beatus Laurentius, cujus seminationem hodie celebramus. De illis autem granis sparsis toto orbe terrarum, quanta pullulaverit seges videmus, gaudemus, sumus: si tamen & nos per illius gratiam ad horreum pertinemus. Neque enim ad horreum pertinet quidquid in segete est. Eadem quippe pluvia utilis & nutritoria, & triticum pascit & paleam. Absit ut simul utrumque in horreo recondatur; quamvis simul utrumque in agro nutriatur, & simul utrumque in arca trituretur. Nunc tempus eligendi est. Antequam veniat ventilatio, fiat morum separatio: sicut in area, granum adhuc mundatione discernitur, nondum ventilabro ultimo separatur.

Johan. 12. 24.

Classis III.

Anima hic non amanda.

2. Audite me grana sancta, quæ hîc esse non dubito; nam si dubito, nec ipse granum ero: audite, inquam, me; immo audite primum granum per me. Non ametis in hoc sæculo animas vestras: nolite amare, si amatis; ut non amando servetis: quia non amando plus amatis. *Qui amat in hoc sæculo animam suam, perdet eam.* Granum loquitur, granum quod in terram cecidit, & mortificatum est ut multiplicaretur, loquitur: audiatur, quia non mentitur. Quod admonuit, ipse fecit: instruxit præcepto, præcessit exemplo. Non amavit Christus in hoc sæculo animam suam; ideo venit, ut hîc perderet eam, pro nobis poneret eam, & cùm vellet resumeret eam. Sed quia ipse sic erat homo, ut & Deus esset: Christus enim est Verbum, anima, & caro, Deus verus & verus homo; sed homo sine peccato, qui auferret mundi peccatum: majoris erat utique potestatis, ut posset veraciter dicere, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me; sed ipse pono eam à me, & iterum sumo eam.* Cùm esset ergo tantæ potestatis, quare dixit, *Nunc anima mea turbata est?* Homo Deus tantæ potestatis quare turbatur, nisi quia in illo imago est nostræ infirmitatis? *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quando hoc audis à Christo, ipse est in se: quando hoc, inquam, audis à Christo, ipse est in se. Quando anima ejus morte propinquante, turbatur, ipse est in te. Etenim corpus ejus Ecclesia non esset, nisi & in nobis ipse esset.

Johan. 12. 25.

Johan. 10. 18.

Johan. 12. 27. Christus propinquante morte turbatur, quia nos in se transfigurat.

Christus potestate mortuus est, potestate resurrexit.

3. Adtende ergo Christum: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me. Ego dormivi:* hoc enim dicit in Psalmo, *Ego dormivi.* Tamquam diceret, Quid fremunt? quid exsultant? quid ventilantur lætitiâ Judæi, quasi ipsi aliquid fecerint? *Ego dormivi. Ego*, inquit, ego qui potestatem habeo ponendi animam meam, ponendo eam *dormivi*, *& somnum cepi.* Et quoniam potestatem habebat iterum sumendi eam, adjunxit, *Et exsurrexi.* Sed dans gloriam Patri: *Quoniam Dominus*, inquit, *suscepit me.* Hæc verba ubi ait, *Quoniam Dominus suscepit me*, non sic occurrant mentibus vestris, quasi corpus suum non suscitaverit ipse Christus. Suscitavit eum Pater, suscitavit & ipse se ipsum. Unde docebimus quia suscitavit & se ipsum? Recole quid dixit Judæis: *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Sic ergo Christum intellige potestate natum ex virgine, non conditione, sed potestate: potestate mortuum, potestate sic mortuum. Ad bonum suum utebatur nescientibus malis, & frementem populum insanum in usum suæ virtutis ad nostram beatitudinem transferebat, & in his à quibus moriebatur, suos victuros secum videbat: & videns eos in insano populo adhuc insanos, *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ego, inquit, ego medicus tango venam, de ligno ægrotos inspicio; pendeo, & tango; morior, & vivifico; sanguinem fundo, & inde inimicis meis medicamentum salutis conficio. Sæviunt & fundunt: credent & bibent.

Psal. 3. 6.

Johan. 2. 19.

Lucæ 23. 34.

Serm. de Sanctis.

Morte imminente turbatur, ne nos desperemus.

4. Ipse ergo Christus Dominus & salvator noster, caput Ecclesiæ, natus ex Patre sine matre; ipse, inquam, Dominus & salvator noster Jesus Christus, quantum ad ipsum pertinet, potestate posuit animam suam, potestate resumsit eam. Ad hanc potestatem non pertinet propriè, *Anima mea turbata est.* Nos in se transfiguravit, nos vidit, nos inspexit, nos fatigatos suscepit & fovit; ne fortè quando veniret alicui membro ejus ultimus dies, quo ista esset vita finienda, turbaretur per infirmitatem, & desperaret salutem, & diceret se ad Christum non pertinere, quoniam non sic præparatus esset ad mortem, ut nulla in illo perturbatio exoriretur, nulla tristitia mentem devotissimam nubilaret. Quoniam ergo periclitarentur membra ejus desperatione, quando propinquante morte aliquis turbaretur, nolens finire miseram vitam, piger inchoare numquam finiendam; ne ergo desperatione frangerentur, ipsos infirmos suos intendit, ipsa membra sua ultima non valde fortia collegit in sinum suum, ipsa non valde fortia tamquam gallina texit pullos suos; & tamquam alloquitur eos, *Nunc anima mea turbata est.* Agnoscite vos in me, ut quando fortè turbati fueritis, non desperetis, sed ad caput vestrum revocetis adspectum, & dicatis vobis, Quando Dominus dicebat, *Anima mea turbata est*, nos in illo eramus, nos significabamur. Turbamur, sed non perimus. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Non vis finiri miseram vitam? Tantò est miserior, quantò & misera amata est, & non vis finiri: minùs esset misera, si non amaretur. Qualis est beata vita, quando sic amatur misera vita, tantùm quia vocatur vita? *Quare ergo tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Habes quid agas. Defecisti in te? *Spera in Domino.* Turbaris in te? *Spera in Domino*, qui te elegit ante mundi constitutionem, qui te prædestinavit, qui te vocavit, qui te impium justificavit, qui tibi glorificationem sempiternam promisit, qui pro te mortem non debitam sustulit, qui pro te sanguinem fudit, qui te in se transfiguravit, quando dixit, *Anima mea turbata est.* Ad illum pertines, & times? Et aliquid tibi nociturus est mundus, pro quo mortuus est, per quem factus est mundus? Ad illum pertines, & times? *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?* Resiste perturbationibus, ne consentias amori sæculi. Titillat, blanditur, insidiatur: non ei credatur, Christus teneatur.

Johan. 12. 25.

Psal. 42. 5.

Rom. 8. 31. & 32.

* SERMO CCCVI.

In Natali [a] Martyrum Massæ candidæ.

* Aliàs de Diversis 111.

Caput I.

Psal. 115. 15. Martyrum gloria insipientibus abscondita.

1. Sicut audivimus, & cantando respondimus: *Pretiosa est mors sanctorum Domini*, sed *in conspectu ejus*, non in conspectu insipientium. *Visi sunt enim oculis insipientium mori, & æstimata est malitia exitus illorum.* Malitia in Latino sermone non eam significationem habere solet, quam habet in ea lingua, qua Scriptura locuta est. Malitia enim in Latina lingua dici

Sap. 3. 2.

Malitia pro pœna.

[a] Recenset Possidius in Indiculo cap. 9. Massæ candidæ sollemnitas in Carthaginensi Kalendario notatur. Martyrum eorumdem passionem celebrant martyrologia die 24. Augusti, eamque nonnulla ex iis consummatam Carthagine significant: quibus favet Prudentius in Peristeph. hymno 13. At ipsos Augustinus infrà Serm. 311. cap. 10. appellat *Uticensem Massam candidam.* Et in Psalmi 144. enarratione, Sermonem Uticæ in basilica Massæ candidæ habuit: unde n. 17. dicebat, *Admoneat te Massa redditi debiti mei.*

solet, qua mali sunt homines: illâ autem linguâ malitia dicitur etiam malum, quod patiuntur homines. Malitia ergo isto loco pœna intelligitur. Hoc itaque dixit, *Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est pœna exitus illorum: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt*, hæc est malitia: *spes eorum*, inquit, *immortalitate plena est: & in paucis vexati, in multis bene disponentur.* * *Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Sed donec reveletur abscondita est. Et quoniam abscondita est, ideo *visi sunt oculis insipientium mori.* Sed numquid quia abscondita est, etiam Deo abscondita est, apud quem pretiosa est? Ideo *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Huic igitur abscondito sacramento oculos fidei debemus, ut quod non videmus, credamus, & mala injustè perpessi fortiter toleremus.

* Rom. 8. 18.

Caput II. Pœna non nocet, si bona est caussa.

2. Sit nobis electa caussa, ne nobis noceat pœna. Nam mala caussa nullum habet præmium, sed justum tormentum. Non est igitur in hominis potestate quo exitu hanc vitam finiat: sed est in hominis potestate quomodo vivat, ut vitam securus finiat. Neque hoc in potestate esset, nisi *dedisset* Dominus *potestatem filios Dei fieri.* Sed quibus? *Credentibus in nomine ejus.* Hæc est prima Martyrum caussa, hæc est Candida Martyrum Massa. Si caussa candida, & Massa candida. Massa enim dicta est, de numeri [a] multitudine; candida, de caussæ fulgore. Tam multi comites non timuerunt latrones. Sed etiam si singuli ambularent, muniti essent adversùs latrocinium; quia ipsa via fuerat munimentum. *Juxta semitam*, inquit, *scandala posuerunt mihi.* Ideo qui non declinat à via, non cadit in scandalum. Habemus autem & summam & fidelem pollicitationem Domini nostri Jesu Christi dicentis, *Ego sum via, & veritas, & vita.*

Johan. 1. 12.

Massa Candida.

Psal. 139. 6.

Johan. 14. 6.

Beatam vitam omnes, in diverso licèt vitæ genere, pariter volūt.

3. Omnis autem homo, qualiscumque sit, beatus vult esse. Hoc nemo est qui non velit, atque ita velit, ut præ ceteris velit; immo quicumque vult cetera, propter hoc unum velit. * Diversis cupiditatibus homines rapiuntur, & alius cupit hoc, alius illud: diversa genera sunt vivendi, in genere humano; & in multitudine generum vivendi alius aliud eligit & capessit: nemo est tamen quocumque genere vitæ electo, qui non beatam vitam cupiat. Beata ergo vita, omnium est communis possessio: sed quà veniatur ad eam, quà tendatur, quo itinere tento perveniatur, inde controversia est. Ac per hoc si quæramus beatam vitam in terris, nescio utrùm invenire possimus: non quia malum est quod quærimus, sed quia non in loco suo quærimus. Alius dicit, Beati qui militant. Negat alius, & dicit, Beati, sed qui agrum colunt. Et hoc negat alius, & dicit, Beati qui in foro populari claritate versantur, caussasque defendunt, vitam mortemque hominum linguâ moderantur. Et hoc alius negat, & dicit, Beati, sed qui judicant, qui potestatem habent audiendi & discernendi. Negat hoc alius, & dicit, Beati qui navigant, multas regiones discunt, multa colligunt lucra. Videtis Carissimi, in omni ista multitudine generum vivendi non placere unum omnibus: & tamen beata vita placet omnibus. Quid est hoc, ut cùm omnibus non placeat quæcumque vita, omnibus placeat beata vita?

* Caput III.

Caput IV. Beata vita quid sit.

4. Ergo definiamus, si possumus, beatam vitam, de qua omnes respondeant, Hoc volo. Quia ergo nemo est, qui interrogatus utrùm beatam vitam velit, dicat, Nolo, quærimus autem quæ sit ipsa vita beata; tale aliquid definire debemus, cui sensus omnis consentiat, & quod nullus dicat, Nolo. Quid ergo, Fratres mei, quid est beata vita, quam volunt omnes, & non habent omnes? Quæramus ergo. Si cui dicatur, Vis vivere? numquid sic audit, quomodo si diceretur, Vis militare? In illa enim interrogatione, quod est, Vis militare? aliqui mihi dicerent, Volo: & fortè plures, Nolo. Si autem dicam, Vis vivere? puto nemo est qui dicat, Nolo. Omnes enim naturâ habent insitum, vivere velle, mori nolle. Item si dicam, Vis sanus esse? puto nemo est qui dicat, Nolo: nemo enim vult dolere. Sanitas etiam in divite pretiosa, certè in paupere est sola. Sed quid prodest opulentia diviti, si sanitas non sit ibi, quæ patrimonium est pauperi? Valde vellet dives lectum argenteum cum pauperis mutare cilicio, si posset ægritudo migrare cum lecto. Ecce ad duo ista consensit mihi omnium sensus, vitam & sanitatem. Numquid omnium sensus consensit ad militiam? numquid omnium ad agriculturam? numquid omnium ad navigationem? Omnium ad vitam & sanitatem. * Cùm ergo est homo vivus & sanus, nihilne plus quærit? Si sapiat, fortè nihil plus debet quærere. Ubi enim est perfecta vita & perfecta sanitas, si quæritur ampliùs, quid erit nisi vitiosa cupiditas?

Omnes vivere volūt, & sani esse.

* Caput V.

5. Habebunt vitam in cruciationibus impii. *Veniet* enim *hora*, sicut Evangelium loquitur, *quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, & procedent qui bene egerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò malè egerunt, in resurrectionem judicii.* Ergo illi ad præmium, illi ad tormentum; & utrique vivunt, nec aliquis eorum mori potest. Illi qui vivunt in præmio, amplectuntur dulcissimam vitam: qui autem vivunt in tormento, cupiunt, si fieri possit, finire talem vitam; & nemo eis dat interitum, ut nemo auferat cruciatum. Sed vide Scripturam loquentem & discernentem: non est dignata talem vitam vocare vitam. In cruciatibus, in tormentis, in ignibus sempiternis noluit appellare vitam: ut ipsum nomen vitæ laudis sit, non mœroris; ut ubicumque audis vitam, tormenta non cogites. Nam in tormentis esse semper, æterna mors est, non aliqua vita. Ipsam vocant Scripturæ mortem secundam, post hanc primam, quam omnes humanæ conditioni debemus. Et mors secunda, & mors vocatur, & nemo ibi moritur. Sanctiùs & meliùs dixerim, nemo ibi vivit. In doloribus enim vivere, non est vivere. Et unde probamus sic locutam Scripturam? Ecce unde; ex hoc testimonio, quod modò commemoravi: *Audient enim vocem ejus*, inquit, *& procedent qui bene egerunt, in resurrectionem vitæ.* Non dixit beatæ vitæ, sed *in resurrectionem vitæ.* * Solum vitæ nomen trahit beatitudinem. Nisi enim consequentem haberet beatitudinem nomen vitæ, non diceretur Deo, *Quoniam apud te est fons vitæ.* Non enim & ibi dictum est, Quoniam apud te est fons bea-

Johan. 5. 28. & 29. Vita in doloribus nō propriè vita.

Apoc. 2. 11. & 20. 6. 14. Vita non censenda, nisi quæ beata.

* Caput VI.

Psal. 35. 10.

[a] Hinc in Psalmi 49. enarratione n. 9. *Adtendite Martyrum numerositatem: sola in proximo quæ dicitur Massa candida, plus habet quàm centum-quinquaginta-tres Martyres.* Trecentos memorant Pontius in Actis S. Cypriani, Prudentius in hymno citato & martyrologia.

tæ

Classis III. — Serm. de Sanctis.

tæ vitæ. Non addidit beatæ; tantummodo dixit *vitæ*, ut tu intelligas beatæ. Quare? Quia si miseræ, jam nec vitæ. A

Idem ostenditur ex alio Scripturæ loco. 6. Ecce aliud testimonium. Jam duo diximus. Dictum est enim, *Qui bene egerunt, in resurrectionem vitæ.* (Johan. 5. 29.) Item dictum est, *Apud te est fons vitæ.* (Psal. 35. 10.) Nusquam additum est, beatæ: sed sola intelligitur vita quæ beata; quæ autem non beata, nec vita. Accipe aliud rursus ex Evangelio. Dives ille qui nolebat dimittere quod habebat, & de rerum suarum amissione indignabatur, quas morien- B do dimittere cogebatur: credo in illa rerum magnarum, sed tamen terrenarum profluentissima copia cùm gauderet, interpellabatur timore mortis, & quasi dicebat ei cor suum, Ecce gaudes in bonis, & nescis quando veniat una febris. Colligis, adquiris, comparas, & servas, & gaudes: anima tua repetitur à te: hæc quæ parasti, cujus erunt? (Luca 12. 20.) Hac cogitatione, quantum intelligitur, cùm velut quibusdam timoris stimulis sæpe compungeretur, accessit ad Dominum, & ait illi, *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam consequar?* (Matth. 19. 16.) Timebat mori, & cogebatur mori. Non erat quà iret, ne periret. Constipatus necessitate moriendi, & cupiditate vivendi, accessit ad Dominum, & ait, *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam consequar?* * (*Caput VII.) Audivit inter cetera, ut potiùs dicamus quod ad rem præsentem pertinet, *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Hoc est quod me dixeram probaturum. Nec ille qui interrogavit, dixit, *Quid faciam, ut vitam* D *consequar* beatam; sed tantummodo *vitam* dixit *æternam.* Nolendo mori, quæsivit vitam quæ non habet finem. Et numquid non, sicut dixi, etiam in tormentis impiorum vita non habet finem? Sed hanc ille non vocabat vitam. Quæ esset in doloribus & cruciatibus, vitam non esse sciebat: mortem potiùs appellandam esse noverat. Ideo vitam æternam quærebat: ut ubi vita auditur, de beatitudine non dubitetur. Et Dominus ad illum non dixit, Si vis venire ad vitam beatam, E serva mandata: sed etiam ipse solam vitam nominavit, & ait, *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Vita beata non est, nisi æterna sit. Ergo illa vita in tormentis non est vita; & illa vita sola est, quæ beata: nec beata esse potest, nisi fuerit æterna. Propterea dives ille sciens se interpellari quotidie timore mortis, vitam æternam quærebat. Nam vitam beatam, sicut ei videbatur, jam habebat. Erat enim dives & sanus, & credo quia dicebat sibi, Nihil volo ampliùs, si F possit esse perpetuum. Habebat enim quasi amabiles voluptates, quia satiabat stultas cupiditates. Proinde Dominus uno eum nomine vitæ, si ille intellexit, correxit. Non ait, Si vis venire ad vitam æternam, quam ille quærebat, quasi jam habens beatam: nec ait, Si vis venire ad vitam beatam; sciens quia si misera est, nec vita dicenda est: sed ait, *Si vis venire ad vitam*: ibi est æterna, ibi beata: *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Ergo vita, quæ æterna & beata: quia si non æterna, nec beata; si autem æterna in pœnis, nec vita. G

Caput VIII. Vita vera est, quæ æterna & beata. 7. Quid est, Fratres? Cùm quærerem utrùm velletis vivere, omnes respondebatis velle vos; utrùm velletis sani esse, omnes respondebatis velle vos. Sed sanitas & vita si timetur ne finiatur, jam non est vita. Non est enim semper vivere, sed semper timere. Si semper timere, semper cruciari. Si cruciatus sempiternus, ubi vita æterna? Tenemus certè non esse beatam, nisi vitam æternam; immo non esse beatam, nisi vitam: quia si non æterna, & si non cum satietate perpetua, procul dubio nec beata, nec vita. Invenimus, omnes consentiunt. Invenimus planè in cogitatione, nondum in possessione. Hæc est possessio quam omnes quærunt: nemo est qui non quærat. Malus sit, bonus sit, ipsam quærit: sed bonus fidenter, malus impudenter. Quid quæris bonum male? Nonne tibi respondet ipsa postulatio tua, quàm sis improbus, cùm quæris bonum malus? Nonne rem quæris alienam? Si ergo summum bonum quæris, hoc est, vitam; bonus esto, ut ad bonum pervenias. *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Cùm autem pervenerimus ad vitam, quid addam æternam? quid addam beatam? semel vitam, quia ipsa est vita, quæ & æterna & beata: cùm pervenerimus ad vitam, certum nobis erit in ea nos semper futuros. (Ad beatam vitam, necessaria certitudo æternitatis.) Nam si erimus ibi, & utrùm ibi semper futuri C simus, incerti erimus; etiam ibi erit timor. Et si erit timor, cruciatus erit, non carnis, sed, quod pejus est, cordis. Ubi autem cruciatus, quæ beatitudo? Erit ergo nobis certum, quia in illa vita semper erimus, & eam finire non poterimus: quia in illius regno erimus, de quo dictum est, *Et regni ejus non erit finis.* (Luca 1. 33.) * (*Caput IX.) Et gloriam sanctorum Dei, quorum mors est pretiosa in conspectu ejus, cùm Sapientia demonstraret, ait, sicut in fine lectionis audistis, *Et regnabit eorum Dominus in perpetuum.* (Sap. 3. 8.) Erimus ergo in regno magno & sempiterno; & ideo magno & sempiterno, quia justo.

8. Nemo fallit ibi, nemo fallitur: non est illic ut malè suspiceris de fratre tuo. (A felicitate regni Dei procul suspiciones falsæ, quæ hîc sunt origo malorum.) Pleraque enim mala generis humani non aliunde oriuntur, nisi de suspicionibus falsis. Credis de homine quòd oderit te, qui fortè amat te; & per pravam suspicionem sis inimicissimus amicissimo. Quid faciat, cui non credis, & cor suum tibi demonstrare non valet? Loquitur tibi dicens, Amo te. Sed quia posset tibi hoc dicere & mentiens, (ea sunt enim verba mentientis, quæ vera dicentis,) non credendo adhuc odisti. Ideo securum te facere voluit ab eo peccato, qui tibi dixit, *Diligite inimicos vestros.* (Matth. 5. 44.) Christiane, dilige & inimicos tuos, ne incautus oderis & amicos. Corda ergo nostra in hac vita videre non possumus, *donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique à Deo.* (1. Cor. 4. 5.)

Caput X. Vitæ, ut sit beata, adesse debet veritas & amicorum cognitio sine metu deceptionis.

9. Ergo si quis nobis modò diceret, cui procul dubio crederemus, si Propheta diceret, si Deus quomodo vellet, & per quem vellet, diceret, Vivite securi, omnia vobis abundabunt, nemo vestrûm morietur, nemo ægrotabit, nemo dolebit; abstuli mortem de genere humano, nolo quisquam moriatur, si diceret; quasi securi facti exsultaremus, & nihil ampliùs requireremus. Sic nobis videtur omnino. Si hoc audiremus, continuò vellemus & hoc nobis addi, ut corda invicem videremus, nec invideremus; ut non humana suspicione, sed divina veritate videremus: ne essem sollicitus de amico meo, de vicino meo, ne me odisset, ne mihi malum vellet, & ipsa sollicitudine priùs malum facerem, quàm paterer. Quæreremus hoc sine dubio, quæreremus certam vitam, & invicem cognitionem cordium nostrorum. Jam enim intelligitis quam dicam vitam; ne sæ-

Classis III.

pius commendando obtundam potiùs quàm instruam. Ergo vitæ vellemus addi veritatem, ut corda nostra invicem nosceremus, ne nostris suspicionibus falleremur: ut de ipsa vita perpetua, quòd ab ea non caderemus certi essemus. Adde vitæ veritatem, & invenis vitam beatam. Nemo enim vult falli, quomodo non vult mori. Da mihi hominem qui falli velit. Qui fallere velint, quàm multi inveniuntur: qui falli velit, nemo. Compone tecum. Non vis falli, noli fallere: quod pati non vis, noli facere. Vis venire ad vitam, ubi non B fallaris: age modò vitam, ubi non fallas. Vis venire ad vitam, ubi non fallaris? quis nolit? Delectat merces; non dedigneris opus, cujus merces est. Age modò vitam, ubi non fallas; & venies ad vitam, ubi non fallaris. Veraci merces reddetur veritas, & temporaliter bene viventi merces reddetur æternitas.

Via ad vitam & veritatē Christus.

10. Ergo omnes hoc volumus, Fratres, vitam & veritatem. Sed quà venimus, quà imus? Nam quò veniamus, etsi nondum possessione tenemus, C jam tamen cogitatione & ratione credimus & videmus: ad vitam tendimus & veritatem. Ipse Christus est. Quà ire quæris? *Ego sum*, inquit, *via*. Quò ire quæris? *Et veritas & vita*. * Ecce quod Martyres amaverunt, ideo præsentia & transitoria contemserunt. Nolite mirari fortitudinem, amor vicit dolorem. Massæ ergo candidæ sollemnitatem candidâ conscientiâ celebremus; & vestigia Martyrum sectantes, caputque Martyrum & nostrum intuentes, si ad tam magnum bonum D venire concupiscimus, iter durum non timeamus. Qui promisit verax est, qui promisit fidelis est, qui promisit fallere non potest. Dicamus ergo ei candidâ conscientiâ, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Quid times vias duras passionum & tribulationum? Transiit ipse. Respondes fortè, Sed ipse. Transierunt Apostoli. Adhuc respondes, Sed Apostoli. Accipio. Responde: transierunt postea & multi viri. Erubesce: transierunt & feminæ. Senex venisti ad E passionem? noli timere mortem, vel quia vicinus es morti. Juvenis es? transierunt & juvenes, qui adhuc vitam sibi sperabant: transierunt & pueri, transierunt & puellæ. Quomodo adhuc via aspera est, quam multi ambulando linierunt? Hæc ergo est sollemnis & assidua commonitio nostra ad vos, Fratres, ut sollemnitates Martyrum, non vana sollemnitate celebremus; sed quos in suis sollemnitatibus amamus, etiam fide simili imitari non formidemus.

*Caput XI. Viam durā post Christum tenuerunt Martyres, & nobis linierunt.

Psal. 16.4.

*Aliàs 10. inter additos à Parisiensibus.

* SERMO CCCVII.

In [a] decollatione beati Johannis Baptistæ, I.

Caput I. Johannis Baptistæ cædes qua occasione facta.

I. Cum sanctum Evangelium legeretur, crudele spectaculum ante oculos nostros constitutum est, caput sancti Johannis in disco, feralis missus crudelitatis, propter odium veritatis. Puella saltat, & sævit mater: & inter delicias & lascivias convivantium te- G mere juratur, & impiè quod juratur, impletur. Factum est Johanni quod ipse prædixerat. De Domino enim Jesu Christo dixerat, *Illum oportet crescere, me autem minui*. Iste minutus est in A capite, ille crevit in cruce. Odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari, quod homo Dei sanctus monebat: qui utique salutem eorum quærebat, quos sic monebat. Responderunt illi mala pro bonis. Quid enim ille diceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi responderent, nisi quo pleni erant? Ille triticum seminavit, sed spinas invenit. Dicebat regi, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Vincebat enim regem libido: tenebat apud se prohibitam uxorem fratris sui. Sed eum B tamen sic libebat, ut non sæviret. Honorabat eum, à quo verum audiebat. Sed mulier detestabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret. Quando parturiebat, peperit filiam, filiam saltantem. Et rex ille qui sanctum virum habebat Johannem, qui eum propter Dominum timebat, etsi ei non obediebat, posteaquam ab illo petitum est caput Johannis in disco, contristatus est. Sed propter jurationem & propter conrecumbentes, misit spiculatorem, & im- C plevit quod juravit.

Johan. 3. 30.

Serm. de Sanctis.

Marci 6. 18.

Caput II. Juratio omnis prohibita propter periculum falsæ jurationis.

2. Admonet nos locus iste, Carissimi, ut propter vitam & mores vestros aliquid vobis de juramento tractemus. Falsa juratio non est leve peccatum: immo tam magnum peccatum est, falsum jurare, ut propter reatum falsæ jurationis Dominus prohibuerit omnem jurationem. Ait enim, *Dictum est, Non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum: ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus* D *Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est; neque aliud quodcumque juramentum; neque per caput tuum juraveris; quia non potes facere capillum album aut nigrum. Sit autem in ore vestro, Est, est; Non, non. Si quid amplius est, à malo est.*

Matth. 5. 33. *&c.*

Juratio à Deo adhibita.

3. Invenimus autem in Scripturis sanctis Dominum jurasse, quando ei usque ad immolationem dilecti filii obedivit Abraham. Locutus est ei Angelus de cælo dicens, *Per memetipsum juro, dicit Dominus, quia obaudisti vocem meam, & non* E *pepercisti filio tuo dilecto propter me, benedicens benedicam te, & implebo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam maris; & benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Quod videtis totum orbem terrarum Christianos implere, exhibet verax juratio Dei. Itemque in Psalmis de Domino Jesu Christo prophetatum est, *Juravit Dominus, & non pænitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Qui noverunt Scriptu- F ras, sciunt quid protulerit Melchisedec sacerdos Dei excelsi, quando benedixit Abraham. Non oportet ut hoc memoremus, propter catechumenos. Fideles tamen agnoscunt, quemadmodum antè prophetatum sit, quod modò videmus impleri. Et unde hoc? Quia juravit Dominus. Et *juravit Dominus, & non pænitebit eum*: non quomodo Herodem pænituit quia juraverat.

Gen. 22. 16. *&c.*

Psal. 109. 4.

Nobis tamen meritò prohibita.

4. Cùm ergo Dominus juraverit, quare Dominus Christus suos jurare prohibuit? Dico quare. * Non est peccatum, verum jurare. Sed quia G grande peccatum est falsum jurare, longè est à peccato falsum jurandi qui omnino non jurat: propinquat falsæ jurationi, qui vel verum jurat. Dominus ergo, qui prohibuit jurare, supra ripam te

*Caput III.

[a] Cùm hoc titulo hic & alter Sermo fuit olim à Parisiensibus editus ex antiquis Lectionariis. Sed non inde constat ab Augustino habitos in ea festivitate: tametsi hæc ipsa festivitas in Carthaginensi Kalendario celebretur, non quidem 29. Augusti, ut in plerisque martyrologiis, sed 27. Decembris, his verbis, VI. *Kal. Jan. Sancti Johannis Baptistæ, & Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit.* Johannem Baptistam imminente Pascha occisum observat Beda in Marc. cap. 6. Cædis verò hujus, quemadmodum & apostoli Jacobi celebritas in aliud tempus translata est.

CLASSIS III. — SERM. DE SANCTIS.

noluit ambulare, ne pes tuus in angusto labatur, & cadas. Sed Dominus juravit, inquit. Securus jurat, qui mentiri nescit. Non te moveat, quia Dominus juravit; quia fortè non debet jurare nisi Deus. Tu enim quando juras, quid facis? Testem Deum adhibes. Tu illum, ipse se ipsum. Sed tu homo, quia in multis falleris, plerumque adhibes testem veritatem ad tuam falsitatem. Aliquando & nolens homo perjurat, cùm verum putat esse quod jurat. Non est quidem tantum peccatum, quantum ejus qui scit falsum esse, & tamen jurat. Quantò melior, & à peccato isto gravi omnino longè fit, qui audit Dominum Christum, & non jurat?

CAPUT IV. Consuetudo jurandi ab Augustino victa. V. Ser. 180. n. 10.

5. Scio grave esse consuetudini vestræ: sed & grave fuit consuetudini nostræ. Timendo Deum abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus: quis nos aliquando audivit jurantes? Numquid non consueveram quotidie jurare? At ubi legi, & timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi. Nihil mihi facilius est, quàm non jurare. Hoc ideo admonui Caritatem Vestram, ne dicatis, Quis potest? O si Deus timeatur, ô si perjuri expavescant! lingua frenatur, veritas tenetur, juratio tollitur.

* Aliàs 11. ex additis à Parisiensibus.

* SERMO CCCVIII.

In eadem sollemnitate, II.

CAPUT I. Herodes in angustiis aut perjurii aut cruenti facinoris admittendi.

I. PROPTER hunc locum, quem hodie audivimus, cùm Evangelium recitaretur, dico Caritati Vestræ: videtis miserum istum Herodem, Johannem sanctum virum & Dei hominem dilexisse: sed quoniam temere juravit ebrius lætitiâ & delectatione saltantis, daturum se promisit quidquid illa puella, quæ saltando placuerat, poposcisset. At ubi poposcit rem crudelem & nefariam, contristatus est quidem; videbat enim tantum scelus fieri: sed positus inter jurationem suam & puellæ petitionem, ubi videbat cruentum facinus, ibi rursus timebat reatum perjurii; ne Deum offenderet perjurando, Deum offendit sæviendo. Dicit mihi aliquis, Quid ergo debuit facere Herodes? Si dixero, Non debuit jurare: quis non videat hoc eum non facere debuisse? Sed non consulor de homine, utrùm jurare debeat; sed quid facere debeat qui juravit. Ipsa est magna deliberatio. Temere juravit: quis nesciat? Tamen lapsus est, juravit. Ecce puella petivit caput sancti Johannis: quid facere debuit Herodes? Demus illi consilium. Si dixerimus, Parce Johanni, ne facias scelus: perjurium suademus. Si dixerimus, Noli perjurare: ad scelus implendum provocamus.

* CAPUT II.

Mala conditio. * Antequàm veniatis ergo ad istum bicipitem laqueum, tollite de ore vestro temerarias jurationes: antequam veniatis ad istam consuetudinem malam, moneo fratres meos, moneo filios meos: quid opus est, ut veniatis ad hunc articulum, ubi non possumus invenire consilium?

Temeraria juratio nõ implenda admisso homicidio.

2. Tamen Scripturis diligentiùs perscrutatis, occurrit mihi unum exemplum, ubi video pium hominem & sanctum in temerariam jurationem cecidisse, & maluisse non facere quod juraverat, quàm jurationem suam fuso hominis sanguine implere. Commemoro ergo Caritatem Vestram. Quando Saül sanctum David persequebatur ingratus, ille cum suis ibat quocumque poterat, ne inveniretur à Saüle, & occideretur. Et quodam die ab homine divite, qui vocabatur Nabal, & tondebat oves suas, petivit sustentaculum victûs, sibi & eis qui cum illo erant. Immisericors dare noluit, & quod est gravius, contumeliosè respondit. Juravit sanctus David, eum occisurum se esse. Erat enim armatus. Et quod facile fuerat, & justè facere irâ persuadente videbatur, incautus fudit jurationem; & cœpit ire, ut faceret quod juraverat. Occurrit Abigaïl uxor Nabal, & tulit ei necessaria quæ poposcerat. Suppliciter eum rogavit, flexit, & à mariti sanguine revocavit. Juravit temere, sed non implevit jurationem majore pietate. * Proinde, Carissimi, iterum redeo ad monendos vos. Ecce sanctus David, non quidem iratus sanguinem hominis fudit; sed eum falsum jurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minus: sed minus fuit illud in comparatione majoris. Nam per se ipsum appensum, magnum malum est falsa juratio. Priùs ergo laborare debetis, & confligere adversùs consuetudinem vestram malam, malam, malam, & valde malam; & tollere jurationem de oribus vestris.

1. Reg. 25.

* CAPUT III. Perjurium Davidis magnum peccatum, licèt minus quàm homicidium.

Jurans ab alio provocatus non sic peccat, quomodo iste alius.

3. Si quis autem provocaverit te ad jurationem, ut fortè sic sibi existimet satisfieri posse, si juraveris de illa re, quam putat te commisisse aut fecisse, & forsitan non fecisti: ne remaneat in illo mala suspicio, si juraveris tu, non sic peccas quomodo ille qui te provocavit: quia dixit Dominus Jesus, *Sit in ore vestro, Est, est, Non, non. Si quid amplius est, à malo est.* Loquebatur autem de juratione, ubi nos intelligere voluit ipsam jurationem à malo esse. Si ab alio provocatus fueris, ab ipsius malo erit quod juras, non à tuo. Et hoc est propè à malo communi generis humani, quoniam corda nostra videre non possumus. Nam si corda nostra videremus, cui juraremus? Quando à nobis exigeretur juratio, quando videretur oculis proximi ipsa cogitatio?

Matth. 5. 37.

CAPUT IV. Jurare cõpellens eũ quem falsum juraturum credit, pejor est homicidâ.

4. Scribite in cordibus vestris quod dico: Ille autem qui hominem provocavit ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam. Quia homicida corpus occisurus est, ille animam; immo duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit: tu quid invenisti? Immo & tu peristi, qui de illius morte te satiare voluisti.

CAPUT V. Tutuslymeni ob peccatum divina correptione flagellatus.

5. Aliquid dicam, quod numquam dixi Caritati Vestræ, in hoc populo, quod contigit in hac ecclesia. Fuit hîc homo quidam simplex, innocens, bene fidelis, à multis vestris, id est, Hipponensibus, immo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutumlymeni quis vestrûm non novit, qui cives estis? Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei, vel quod commendaverat, vel quod ei debebatur; & hominis fidei se commisit. Commotus provocavit eum ad jusjurandum. Juravit ille, iste perdidit: sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis & fidelis, ipsa nocte exhibitum se fuisse ad judicem, & cum magno impetu atque terrore se pervenisse ad præsidentem ex-

celsum quemdam & admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, jussum fuisse perturbatum retrò revocari, & interrogatum fuisse his verbis: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille, Negavit mihi rem meam. Responsum est illi, Et nonne melius erat, ut rem tuam quam exigebas perderes, quàm animam hominis istius falsa juratione perimeres? Prostratus jussus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postquam emendatus est, Parcitur innocentiæ tuæ, de cetero cave ne facias. Fecit quidem ille grave peccatum, & emendatus est: sed multò gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem & istam meam admonitionem & exhortationem tale aliquid fecerit. Cavete à falsa juratione, cavete à temeraria juratione. Ab his duobus malis securissimè cavebitis, si consuetudinem jurandi à vobis abstuleritis.

*Aliàs 12. inter additos à Parisiensibus.

*SERMO CCCIX.

In Natali [a] Cypriani Martyris, I.

Caput I. Cypriani passio recolitur.

1. Sermonem à nobis debitum auribus & cordibus vestris exigit tam grata & religiosa sollemnitas, qua passionem beati Martyris celebramus. Tristis procul dubio tunc Ecclesia fuit, non damno cadentis, sed desiderio recedentis; semper cupiens videre præsentem tam bonum rectorem atque doctorem. Sed quos afflixerat sollicitudo certaminis, consolata est corona victoris. Et nunc, non solùm sine ulla tristitia, verùm etiam cum ingenti lætitia cuncta quæ tunc gesta sunt legendo & diligendo recolimus; dieque isto gaudere jam concessum est, non timere. Neque enim eum formidamus terribiliter venientem, sed exspectamus hilariter redeuntem. Placet itaque universam illam fidelissimi & fortissimi & gloriosissimi Martyris passionem cum exsultatione recordari præteritam, quam tunc fratres cum sollicitudine sustinuere futuram.

Exsilium ipsius.

2. Primò igitur quòd pro fide confessionis Christi in exsilium Curubin missus est, non sancto Cypriano aliquid nocitum, sed multum illi præstitum est civitati. Quò enim ipse mitteretur, ubi ille non esset, propter cujus testimonium mittebatur? Christus ergo qui ait, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, in omni loco membrum suum excipiebat, quocumque furor inimici pellebat. (Matth. 28. 20.) O stulta infidelitas persequentis! Si quæris exsilium, quò Christianus jubeatur ire; priùs si potes, inveni unde Christus cogatur exire. De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquam exsulem, in carne ubique peregrinum. Sed jam considerare & commemorare delectat post illud, quod Cyprianus non senserat, sed inimicus putabat exsilium, quid ex ordine passionis ipsius consecutum sit. Cùm enim Cyprianus sanctus Martyr electus à Deo de civitate Curubitana, in quam exsilio præcepto Aspasii Paterni proconsulis missus fuerat, regressus esset; in hortis suis manebat: & inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut ostensum illi erat.

Reditus ab exsilio.

*Caput II. Comprehensio à duobus apparitoribus.

A 3. *Quid jam fremeret persecutoris [b] impetus adversùs cor semper paratum, accedente etiam Domini revelatione firmatum? Quando enim desereret patientem, quem non est passus præoccupari nescientem? Jam ergo quòd ad eum passioni exhibendum duo missi sunt, qui eum etiam secum in curriculum levaverunt, in medioque posuerunt; & hoc divinæ admonitionis fuit, ut gaudens recoleret ad ejus corpus se pertinere, qui inter iniquos deputatus est. (Marci 15. 28.) Christus namque inter duos latrones ligno suspensus, ad exemplum patientiæ præbebatur.
B Cyprianus autem inter duos apparitores, ad passionem curru portatus Christi vestigia sequebatur.

Cypriani sollicitudo pastoralis.

4. Quid illud quòd cùm in alium diem dilatus apud custodes esset, atque illuc se multitudo fratrum ac sororum congregans, pro foribus pernoctaret, custodiri puellas præcepit, quanta intentione considerandum? quanta laude prædicandum? quanto præconio commendandum est?
C Vicina corporis morte, non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis; & cura tuendi Dominici gregis usque ad extremum vitæ hujus diem mente sobria tenebatur: nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris, manus jam proxima cruenti carnificis. Ita se martyrem cogitabat futurum, ut esse non oblivisceretur episcopum: magis curans quam rationem pastorum principi de commissis sibi ovibus redderet, quàm quid infideli proconsuli de fide propria
D responderet. Amabat quippe eum, qui Petro dixerat, *Amas me? Pasce oves meas.* (Johan. 21. 17.) Et pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere illum imitans præparabat. Custodiri puellas præcepit, sciens non solùm se habere simplicem Dominum, sed etiam versipellem adversarium. Itaque adversùs leonem apertè frementem in confessione virile pectus armabat, adversùs lupum insidiantem gregi sexum femineum muniebat.

Caput III. Quomodo sibi consulendum.

5. Ita verè sibi consulit, qui Deum judicem
E cogitat, apud quem caussam gestæ hujus vitæ atque ab illo sibi muneris injuncti quisque dicturus est: ubi omnis homo recipit, sicut testatur Apostolus, *quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* (Florus ad Ephes. 2. 2. Cor. 5. 10.) Ita sibi consulit, qui ex fide vivens, & satagens ne ab extremo præoccupetur die, extremum computat omnem diem, & sic Deo placitos mores perducit usque ad extremum diem. (Dies omnis pro extremo computandus.) Ita sibi beatus Cyprianus & episcopus misericordissimus, & Martyr fidelissimus, consulebat, non sicut eum lingua subdola diaboli per os possessi à se
F impii judicis monere videbatur dicens, *Consule tibi.* Cùm enim ejus immobilem mentem videret, quando ei dixit, *Jusserunt te principes* [c] *cærimoniari*; respondit que ille, *Non facio*: adjecit & ait, *Consule tibi.* Ipsa est lingua subdola diaboli: etsi non hujus qui nesciebat quid loqueretur, illius tamen qui per eum loquebatur. Loquebatur enim proconsul, non tam secundùm principes homines, quorum jussa sibimet injuncta jactabat, quàm secundùm principem potestatis aëris, de quo Apostolus dicit, *Qui operatur in filiis diffidentiæ*: (Ephes. 2. 2.) quem per hujus quoque linguam operari Cyprianus noverat, quod ipse non noverat. Noverat, inquam, Cyprianus, cùm à proconsule audiret, *Consule tibi*, quod caro & sanguis diceret stolidè, hoc dia-

Proconsulis verba ad Cyprianum, & hujus responsum.

[a] Possidius in Indiculo cap. 10. recenset *de Natali S. Cypriani Tractatus quatuor.* Hunc citat Florus ad Ephes. 2.

[b] Fossatensis MS. *impietas.*

[c] Acta S. Cypriani in quibusdam exemplaribus, *sacrificare.*

Classis III.

bolum dicere subdolè : atque intuebatur in uno opere duos ; istum oculis, illum fide. Nolebat eum iste mori, nolebat ille coronari : proinde circa istum placidus, circa illum cautus ; huic apertè respondebat, illum occultè vincebat. A

Caput IV. Cypriani verba.

6. *Fac*, inquit, *quod tibi præceptum est: in re tam justa nulla est consultatio.* Dixerat quippe ille, *Consule tibi.* Ad hoc responsum est, *In re tam tam justa nulla est consultatio.* Consulit enim (qui consilium vel impertit, vel quærit. Sed proconsul non à Cypriano consilium accipere volebat, sed eum potiùs ut à se acciperet admonebat. At ille, *In re*, inquit, *tam justa nulla est consultatio.* Non adhuc consulo, quia non adhuc dubito : abstulit enim mihi dubitationem ipsa justitia. Justus autem, ut securus moriatur in carne, certus vivit in fide. Præcesserant Cyprianum multi Martyres, quos flagrantissimis exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat : & erat utique justum, ut quos veridicus loquendo præmiserat, patiendo intrepidus sequeretur : ergo *in re tam justa nulla est consultatio.* Quid ad hæc dicamus ? quid ad hæc exsultemus ? Tanta conceptione gaudiorum, in quid erumpat cor nostrum & os nostrum, nisi in ipsam venerabilis Martyris ultimam vocem ? Cùm enim Galerius Maximus decretum ex libello recitasset : [a] *Tascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Respondit ille, *Deo gratias.* Habentes igitur de re tanta memoriam præsentis loci, festivitatem sollemnissimi diei, propositionem saluberrimi exempli, omnibus medullis nostris dicamus & nos, Deo gratias. B C D

Sententia in Cyprianum. a

*Aliàs de Diversis 113.

* SERMO CCCX.

In Natali Cypriani Martyris, II.

Caput I. Natale Cypriani Martyris Africâ totâ percelebre.

1. Spiritus-sanctus doceat nos in hac hora quæ oporteat dicere : dicturi enim sumus aliquid de laude Cypriani gloriosissimi Martyris, cujus Natalem hodie, sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est, Natales, ut Natales vocet pretiosas Martyrum mortes. Sic, inquam, hoc nomen frequentat Ecclesia, ut etiam qui non sunt in illa, hoc dicant cum illa. Quis enim hodie, non dicam in hac nostra civitate, sed planè per Africam totam transmarinasque regiones, non Christianus solùm, sed Paganus, aut Judæus, aut etiam hæreticus poterit inveniri, qui non nobiscum dicat Natalem Martyris Cypriani ? Quid est hoc, Fratres ? Quando natus sit, ignoramus ; & quia hodie passus est, Natalem ejus hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus. Illo enim die traxit originale peccatum : isto autem die vicit omne peccatum. Illo die ex fastidioso matris utero istam processit in lucem, quæ oculos carnis illecebrat : isto autem die ex occultissimo naturæ sinu illam discessit ad lucem, quæ visum mentis feliciter & beatè illustrat. E F

Caput II. Carthaginensis Ecclesia Cypriani episcopatu & martyrio nobilitata.

2. Carthaginensem Ecclesiam vivens gubernavit, moriens honoravit. Ibi episcopatum gessit, ibi martyrium consummavit. In eo quippe loco, ubi posuit carnis exuvias, sæva tunc multitudo convenerat, quæ propter odium Christi sanguinem funderet Cypriani : ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter Natalem Cypriani bibit sanguinem Christi. Et tantò dulciùs in illo loco propter Natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quantò devotiùs ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique, sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est ; & tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est umquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur. Sed ut mensa illa, quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc caussa est ; quia ut illa modò cingatur ab obsequentibus, ibi Cyprianus cingebatur à persequentibus : ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur : postremò ubi illa erecta est, ibi prostratus est. * *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : qui adscendit super occasum*, ipse fecit ista super occisum. G

Serm. de Sanctis.

Mensa Cypriani apud Carthaginem.

*Caput III. Psal. 67. 5.

3. Sed cùm Carthago habuerit cathedram ejus, Carthago habeat memoriam ejus ; unde nos celebraremus Natalitia ejus, nisi esset *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus ?* In omnem terram exiit sonus ejus, & in fines orbis terræ verba ejus. Docuit fideliter quod facturus erat, fecit fortiter quod docuerat. Ad pretiosam mortem justè vivendo, ad gloriosam verò vitam injustè moriendo pervenit ; atque adeptus est triumphale Martyris nomen, quia perduxit usque ad sanguinem pro veritate certamen.

Cypriani mors pretiosa. Psal. 115. 15. Psal. 18. 5.

Caput IV. Cyprianus & passione & scriptis suis per orbem clarus.

4. Verùm quia non solùm dixit quæ audirentur, sed scripsit etiam quæ legerentur ; & ad alia loca per alienas linguas, ad alia verò per suas litteras venit, & innotuit regionibus multis, partim per famam fortissimæ passionis, partim per dulcedinem suavissimæ lectionis ; alacres celebremus hunc diem, & ita omnes unanimiter supplicemus, ut in Ecclesia majore communem patrem audire & videre mereamur ; habituri & de sermone ejus gaudium, & de passionis ejus gloria profectum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

*Aliàs de Diversis 115.

* SERMO CCCXI.

In Natali Cypriani Martyris, III.

Caput I. Sollemnitates Martyrum celebrandæ imitatione virtutum.

1. Istum nobis festum diem passio beatissimi Cypriani Martyris fecit : cujus nos victoriæ celebritas in istum locum devotissimos congregavit. Sed celebratio sollemnitatis Martyrum, imitatio debet esse virtutum. Facile est honorem Martyris celebrari : magnum est fidem atque patientiam Martyris imitari. Hoc sic agamus, ut illud optemus : hoc sic celebremus, ut illud potiùs diligamus. Quid laudamus in fide Martyris ? Quia usque ad mortem pro veritate certavit, & ideo vicit. Blandientem mundum contemsit, sævienti non cessit : ideo victor ad Deum accessit. Abundant in isto sæculo errores & terrores : beatissimus Martyr, errores sapientiâ, terrores patientiâ superavit. Magnum est quod fecit : secutus agnum, leonem vicit. Quando persecutor sæviebat, leo fremebat : sed quia agnus sursum adtendebatur, leo deorsum calcabatur :

Mundi blandientis errores & sævientis terrores sapientiâ & patientiâ superati.

[a] Lov. *in Cyprianum*, omisso prænomine *Tascium* : cujus loco Parisiensium editio malè, *tacitum.* Emendatur ex Fossatensi MS. necnon Actis passionis S. Cypriani, & ex titulo epistolæ ejusdem 69. ad Florentium. Nonnulli MSS. ferunt, *Thatium.*

CLASSIS III.

qui morte mortem destruxit, ligno pependit, sanguinem fudit, mundum redemit. A

Apostoli de Domino quæ ipsi viderant confitendo mortui.

2. Primi beati Apostoli arietes gregis sancti, ipsum Dominum Jesum viderunt pendentem, doluerunt morientem, expaverunt resurgentem, amaverunt potentem, & ipsi sanguinem fuderunt pro eo quod viderunt. * Cogitate, Fratres, quale fuit mitti homines per orbem terrarum, prædicare hominem mortuum resurrexisse, in cælum adscendisse, & pro ista prædicatione perpeti omnia quæ insaniens mundus inferret, damna, exsilia, vincula, tormenta, flammas, bestias, cruces, mortes. Hoc pro nescio quo? Numquid enim, Fratres mei, Petrus pro sua gloria moriebatur, aut se ipsum prædicabat? Alius moriebatur, ut alius honoraretur; alius occidebatur, ut alius coleretur. Numquid hoc faceret, nisi flagrantiâ caritatis, de conscientia veritatis? Viderant quod dicebant: nam quando pro ea re morerentur, quam non viderant? Quod viderant, negare debebant? Non negaverunt: prædicaverunt mortuum, quem sciebant vivum. Sciebant pro qua vita contemnerent vitam: sciebant pro qua felicitate ferrent transitoriam infelicitatem, pro quibus præmiis ista damna contemnerent. Fides eorum cum toto mundo non appenderetur. Audierant, *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Non retardavit illecebra sæculi festinantes, transitura migrantes, quantumlibet & quomodolibet fulgens felicitas hîc dimittenda, ad aliam vitam non transferenda, aliquando hîc & à viventibus relinquenda. B

* CAPUT II.

Matth. 16. 26.

CAPUT III. Cõtemtũ mundi Martyres exemplo docent.

3. Contemnite ergo sæculum Christiani, contemnite sæculum, contemnite. Contemserunt Martyres, contemserunt Apostoli, contemsit beatus Cyprianus, cujus hodie memoriam celebramus. Divites esse vultis, honorati esse vultis, sani esse vultis: totum ille contemsit, ad cujus Memoriam convenistis. Quid obsecro tantum amatis, quod contemsit quem sic honoratis? Quem, si ista non contemsisset, non utique sic honoraretis. Quare te invenio earum rerum amatorem, quarum venerari contemtorem? Certè illum, si hæc amaret, non venerareris. Et tu noli amare: non enim intravit, & ostium contra te clausit. Contemne & tu; & intra post illum. Patet quà intres: Christus est janua. Et tibi est ostium apertum, quando est latus ejus lanceâ perforatum. Quid inde manavit recole; & elige quà possis intrare. De latere Domini pendentis & morientis in ligno, postea quàm est lanceâ perforatum, aqua sanguisque profluxit. In uno est mundatio tua, in altero redemtio tua. C D

Johan. 19. 34.

CAPUT IV. Rerum terrenarum amor viscus animæ.

4. Amate, & nolite amare: ad aliquid amate, & ad aliquid amare nolite. Est enim quod ad profectum ametur, & est quod ad impedimentum ametur. Noli amare impedimentum, si non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum est: viscum est pennarum spiritalium, hoc est virtutum, quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viscum amas? Numquid ideo non caperis, quia dulciter caperis? Quantò magis delectat, tantò fortiùs strangulat. Hæc dico: & laudatis, & clamatis, & amatis. Respondet tibi, non ego, sed sapientia: Mores volo, non voces. Sapientiam lauda vivendo; non sonando, sed consonando. E F G

SERM. DE SANCTIS. CAPUT V.

5. Dominus dicit in Evangelio, *Cantavimus vobis, & non saltastis.* Quando hoc ego dicerem, si non legerem? Irridet me vanitas, sed juvat auctoritas. Si non præmisissem quis hoc dixerit, quis me vestrûm posset ferre dicentem, *Cantavimus vobis, & non saltastis?* Numquidnam in hoc loco, etsi Psalmus cantandus est, ab aliquo saltandum est? Aliquando ante annos non valde multos etiam istum locum invaserat petulantia saltatorum. Istum tam sanctum locum, ubi jacet tam sancti Martyris corpus, sicut meminerunt multi qui habent ætatem; locum, inquam, tam sanctum invaserat pestilentia & petulantia saltatorum. Per totam noctem cantabantur hîc nefaria, & cantantibus saltabatur. Quando voluit Dominus per sanctum fratrem nostrum Episcopum vestrum, ex quo hîc cœperunt sanctæ vigiliæ celebrari, illa pestis aliquantulùm reluctata, postea cessit diligentiæ, erubuit sapientiæ.

Matth. 11. 17.

Cantica profana & saltationes pulsæ de ecclesia, ubi sepultus Cyprianus.

CAPUT VI. Canticum nostrum cui moribus, tamquam saltatione, oportet consonare.

6. Cùm ergo modò hîc ista Deo propitio non fiant, quia non celebramus dæmoniis ludos, ubi solent ista fieri in eorum delectationem qui coluntur, & immunditiâ suâ solent suos depravare cultores, sed celebratur hîc sanctitas & sollemnitas Martyrum, non hîc saltatur, & ubi non saltatur, tamen de Evangelio legitur, *Cantavimus vobis, & non saltastis.* Reprehenduntur, increpantur, accusantur, qui non saltaverunt. Absit ut redeat adhuc illa petulantia: audite potiùs quid velit intelligi sapientia. Cantat, qui præcipit: saltat, qui facit. Quid est saltare, nisi motu membrorum cantico consonare? Quod est canticum nostrum? Non proferam ego; non sit meum. Meliùs minister sum, quàm [a] actor. Dico canticum nostrum: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quisquis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo: quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum.*

1. Johan. 2. 15. &c.

CAPUT VII. Saltatores spiritali cantico mutatione vitæ consonantes.

7. Quale canticum, Fratres mei? Audistis cantantem, audiamus saltantes: facite vos congruentiâ morum, quod faciunt saltatores motu membrorum. Intus hoc agite: mores consonent. Cupiditas exstirpetur, caritas plantetur. De ista arbore quidquid exit, bonum est. Cupiditas nihil boni potest generare: caritas nihil mali. Et dicitur, & laudatur; & nemo [b] mutatur. Absit, non est verum quod dixi. Mutati sunt piscatores, mutati sunt postea etiam plurimi senatores: mutatus est Cyprianus, cujus hodie memoriam frequentamus. Ipse scribit, ipse testatur, cujus vitæ fuerit aliquando, quàm nefariæ, quàm impiæ, quàm improbandæ, ac detestandæ. Audivit cantantem: exhibuit se, non corpore, sed mente saltantem. Aptavit se cantico bono, aptavit se cantico novo: aptavit, amavit, perseveravit, certavit, superavit.

In epistola 2. ad Donatum.

CAPUT VIII. Tempora mala non faciunt nisi homines mali.

8. Et dicitis, Molesta tempora, gravia tempora, misera tempora sunt. Vivite bene, & mutatis tempora vivendo bene: tempora mutatis, & non habetis unde murmuretis. Quid sunt enim tempora, Fratres mei? Spatia & volumina sæculorum. Ortus est sol, peractis horis duodecim ex alia mundi parte occidit; alia die manè ortus

a MSS. auctor.

b Sic MSS. At editi, imitatur: & infrà, imitati sunt, & imitatus est.

iterum occidit; numera quotiens: ipsa sunt tempora. Quem læsit solis ortus, quem læsit occasus solis? Ergo neminem læsit tempus. Qui læduntur, homines sunt; à quibus læduntur, homines sunt. O magnus dolor! homines læduntur, homines spoliantur, homines opprimuntur. A quibus? Non à leonibus, non à colubris, non à scorpionibus; sed ab hominibus. Dolent qui læduntur. Si [a] possint, non faciunt ipsi quod reprehendunt? Tunc invenimus hominem qui murmurabat, quando potuerit facere unde murmurabat. Laudo, laudo, si non fecerit quod accusabat.

Caput IX. Ex auro bonus multa bona præstat, malus multa mala. Eccli. 31. 8.

9. Illi autem, Carissimi, qui potentes videntur in sæculo, quomodo laudantur quando minùs faciunt quàm possunt? Ipsum laudavit Scriptura, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; qui post aurum non abiit.* Post te debet ire aurum, non tu post aurum. Nam bonum est aurum. Non enim aliquid mali creavit Deus. Tu noli esse malus; & bonum est aurum. Ecce aurum pono inter bonum hominem & malum. Tollat malus; inopes opprimuntur, judices corrumpuntur, leges pervertuntur, res humanæ perturbantur. Quare hoc? Quia aurum tulit malus. Tollat bonus; pauperes pascuntur, nudi vestiuntur, oppressi liberantur, captivi redimuntur. Quanta bona de auro, quod habet bonus? quanta mala de auro, quod habet malus? Ut quid ergo dicitis aliquando stomachati? O si non esset ipsum aurum! Tu noli amare aurum. Si malus es, is post aurum: si bonus es, it post te. Quid est, it post te? Tu ducis, non duceris: quia possides, non possideris.

Caput X. Boni inter malos in Ecclesia nō desunt.

10. Ergo redeamus ad verba sacræ Scripturæ. *Qui post aurum non abiit. Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Quis est hic, & laudabimus eum?* Quis est hic, aut quis est hic? Quàm multi audiunt: & quis est hic? Et tamen absit ut desperem esse hîc aliquem, immo non aliquem, sed aliquos. Absit ut de area tanti patris-familias desperem. Qui longè aream videt, solam paleam putat: invenit grana, qui novit inspicere. Ubi te offendit palea, ibi latet granorum massa. Ubi te offendit quod triturando contunditur, ibi est quod triturâ purgatur: ibi est, certus esto; ibi est. Postremò ille certus est, qui seminavit, qui messuit, qui ad aream congregavit: novit ibi esse unde horreum repleatur, quando fuerit ventilatum. Modica qualiscumque ventilatio fuit tempore persecutionis: quæ inde grana processerunt? Inde floruit Uticensis Massa candida: inde tam magnum & electum granum hic beatissimus Cyprianus. Quàm multi divites tunc contemserunt quod habuerunt? quàm multi pauperes tunc in tentatione defecerunt? Ecce in tentatione illa, tamquam in ventilatione, divitibus non obfuit habere aurum, pauperibus quid profuit non habere aurum? Illi vicerunt, illi defecerunt.

Massa candida. Cyprianus electum granum.

Caput XI. Res quarū est bonus & malus usus.

11. Non faciunt bonos mores, nisi boni amores. Tollatur aurum de rebus humanis: immo adsit aurum, ut probet res humanas. Præcidatur lingua humana propter Dei blasphematores: & unde erunt Dei laudatores? Quid tibi fecit lingua? Sit qui bene cantet, & bonum est organum. Da mentem bonam ad linguam: bona dicuntur, discordes concordantur, lugentes consolantur, luxuriosi corripiuntur, iracundi refrenantur, Deus laudatur, Christus commendatur, mens ad amorem inflammatur; sed divinum, non humanum; spiritalem, non carnalem. Hæc bona facit lingua. Quare? Quia bona est mens quæ utitur linguâ. Da malum hominem ad linguam: erunt blasphematores, litigatores, calumniatores, delatores. Omnia mala de lingua; quia malus est, qui utitur linguâ. * Non tollantur res de rebus humanis: sint res, & adsit usus rerum bonarum. Alia enim sunt bona, quæ non sunt nisi in bonis; & alia sunt bona, quæ sunt communia bonis & malis. Bona quæ non sunt nisi in bonis, pietas, fides, justitia, castitas, prudentia, modestia, caritas, & cetera hujusmodi. Bona quæ sunt communia bonis & malis, pecunia, honor, hujus sæculi potestas, administratio, salus ipsa corporis. Et hæc bona sunt, sed bonos quærunt.

* Caput XII. Bona alia bonorum propria, alia bonis & malis communia.

Caput XIII. Cur & malis dantur à Deo bona temporalia.

12. Jam hîc murmurator ille, qui quærit semper quod reprehendat, & hoc in Deo; qui utinam ad se rediret, se videret, se reprehenderet, se corrigeret: ille ergo reprehensor & argumentator mox mihi objecturus est in Deo, Et quare Deus, qui omnia gubernat, bona ista dat malis? Non illa daret nisi bonis. Exspectas à me audire consilium Dei? Quis, à quo, & quid? Tamen secundùm meum, quantum capio, quantum donare dignatur, indico tibi, quod fortasse non sufficiat tibi, sed est hîc aliquis cui sufficiat. Ergo cantem: non enim verè in ista tanta multitudine poterit mihi deesse qui saltet. Ecce audi, sapiens, sed à contrario: audi. Quòd ista bona dat Deus & malis, si velis intelligere, eruditio tua est, non perversitas Dei. Adhuc scio te non intellexisse quod dixi: audi ergo quod dicebam, ille cui dicebam, qui reprehendis Deum & accusas Deum, quia bona ista terrena & temporalia dat etiam hominibus malis, quæ secundùm sensum tuum putas non dare debuisse nisi solis bonis. Hinc enim est unde quibusdam subrepsit lethalis impietas, ut omnino credant Deum non adspicere res humanas. Dicunt enim & disputant, Numquid, si Deus res humanas adtenderet, haberet ille divitias, haberet ille honores, haberet ille potestatem? Non curat Deus res humanas: nam si curaret, ista solis bonis daret.

Caput XIV. Ideo & malis dantur, ut à bonis contemnantur, & meliora quærantur.

13. Redi ad cor, & inde ad Deum. De proximo enim redis ad Deum, si redieris ad cor tuum. Nam quando te ista offendunt, existi & à te: exsul factus es pectoris tui. Moveris rebus quæ sunt foris à te, & perdis te. Tu intus es, ista foris adjacent, foris bona sunt, sed foris sunt. Aurum, argentum, omnis pecunia, vestis, clientela, familiæ, pecora, honores, foris sunt. Si ista bona infima, bona terrena, bona temporalia, bona transitoria, non donarentur & malis, magna crederentur à bonis. Ergo Deus qui dat malis ista bona, te docet concupiscere meliora. Ecce dico, ista moderatione rerum humanarum quodam modo te alloquitur Deus pater tuus: & quasi puerum desipientem docet his verbis, quæ, sicut possum, profero ad te, tantò fidentiùs, quantò magis ille dignatur manere in me. Constitue tibi dicere Deum, qui te renovavit & adoptavit: O fili, quid est quòd quotidie surgis, & oras, & genu figis, & fronte terram percutis, & aliquando etiam lacrymaris, & dicis mihi, Pater meus, Deus meus,

[a] Editio Lov. *Si non possunt & non faciunt, quid reprehenduntur?* Hîc & aliis infrà locis castigatur ad veteres libros.

Classis III.

* Caput XV. Divitiæ quale bonum.

da mihi divitias? Si dem tibi, aliquid boni te A putas, & magni adeptum. * Quia petisti, accepisti: ecce fac inde bene. Antequam haberes, humilis eras: habere divitias cœpisti, & pauperes contemsisti. Quale bonum est, unde pejor factus es? Pejor factus es, quia malus eras: & quid te pejorem posset facere nesciebas; ideo hæc à me petebas. Dedi, & probavi: invenisti, & inventus es. Latebas quando non habebas. Corrigere: evome cupiditatem, bibe caritatem. Quid est magnum quod à me petis? dicit tibi Deus tuus. Non B vides quibus ea dederim? non vides qualibus ea dederim? Si magnum bonum esset, quod à me petis, haberet hoc latro? haberet hoc perfidus? haberet hoc blasphemator meus? haberet hoc infamis mimus? haberet meretrix impudica? Hi omnes haberent aurum, si magnum bonum esset aurum? * Sed dicis mihi, Non est ergo bonum aurum? Immo bonum est aurum. Sed mala faciunt de bono auro mali: bona faciunt de bono auro boni. Quia ergo vides qui- C bus ea dederim; meliora pete à me, majora pete à me, spiritalia pete à me, ipsum me pete à me.

* Caput XVI.

Caput XVII. Mundus amarus factus amari non desinit: quid si dulcis esset?

14. Sed mala, inquis, fiunt in mundo, aspera, immunda, odiosa. Fœdus est, non ametur. Ecce talis est, & sic amatur. Ruinosa est domus, & piget migrare. Matres sive nutrices, ne pueri multùm sugant, ubi eos grandescere viderint, & non jam decere ut lacte nutriantur, illos tamen molestè mammis inhiare, circumlinunt papillas suas aliqua amaritudine, qua offensus parvulus, D lac ulteriùs non requirat. Quid ergo adhuc tam delectabiliter fugitur, si amarus tibi factus est mundus? Implevit Deus amaritudinibus mundum; & inhias tu, incumbis tu, fugis tu; non nisi inde & inde voluptatem capis. Quamdiu? Quid si dulcis esset, quomodo amaretur? Offendunt te ista? elige aliam vitam. Ama Deum, contemne ista. Despice res humanas, quandocumque hinc iturus: non enim hìc futurus semper. Et tamen sic, quomodo malus est, quomodo amarus est mun- E dus, quomodo plenus est calamitatibus mundus, si dictum tibi esset à Deo quòd semper hìc esses, lætitiâ te non caperes, exsultares, gratias ageres. Unde? Quia miseriam non finires. Ipsa est major infelicitas, quæ se amari cogit. Minor esset, si non amaretur: tantò pejor est, quantò plus amatur.

Caput XVIII. Thesaurizandum in cælo.

15. Est alia vita, Fratres mei: est post hanc vitam alia vita, credite. Ad eam vos præparate: præsentia cuncta contemnite. Si habetis, be- F ne inde facite: si non habetis, nolite cupiditate inardescere. Migrate, transferte ante vos: quod hìc habetis, illuc eat quò secuturi eritis. Audite consilium Domini vestri: *Ne thesaurizetis vobis in terra, ubi tinea & ærugo exterminant, & ubi fures effodiunt & furantur; sed thesaurizate vobis thesaurum in cælo, quò fur non accedit, quò tinea non corrumpit. Ubi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* (Matth. 6. 19. &c.) Audis quotidie homo fidelis, Sursum cor: & quasi contrarium audias, tu mergis in G terram cor tuum. Migrate. Habetis unde? facite bene. Non habetis unde? adversùs Deum nolite murmurare. Audite me ô pauperes: Quid non habetis, si Deum habetis? Audite me, ô divites: Quid habetis, si Deum non habetis?

Sursũ cor.

Serm. de Sanctis. * Aliàs de Diversis 116.

* SERMO CCCXII.

In Natali Cypriani Martyris, IV.

Caput I. Martyr nō in ipso, sed in Domino laudandus.

1. DIEI tam grati lætique sollemnitas, & coronæ tanti Martyris tam felix & jocunda festivitas, Sermonem à me debitum flagitat. Sed tantam sarcinam orationes illius mecum portant; ut si quid minùs quàm debetur, exsolvero, non me despiciat loquentem vobis, sed omnes reficiat precando pro vobis. Faciam sanè quod ei certum mihi est esse gratissimum, ut eum in Domino laudem, cùm de illo Dominum laudo. Mitis enim erat, etiam cùm vitæ hujus turbidæ ac procellosæ pericula in variis tentationibus sustinebat, & Deo cantare vir ille bene noverat corde veraci, *Audiant mansueti, & lætentur.* (Psal. 33. 3.) Et nunc relictâ terrâ morientium, beatus possidet terram viventium. Hic enim de illis erat, de quibus dictum est, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* (Matth. 5. 4.) Sed quam terram, nisi de qua dicitur Deo, *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium?* (Psal. 141. 6.) Aut si terra viventium non est, nisi corpus resurgentium, ex terra sumtum & in cælestem gloriam commutatum; non ille adhuc gemens in infirmitate mortalitatis hujus, cui manere in carne non fuit optimum, sed necessarium propter nos; sed solutus atque liberatus à nexu & debiti & vinculi cum Christo quietus exspectat redemtionem corporis sui. Qui enim vivæ suæ carnis tentatione non victus est, de sepultæ reparatione securus est.

Caput II. Cyprianus qualis antè conversionem ad fidem

2. In Domino ergo laudetur anima ejus, ut mites audiant & lætentur. In Domino laudetur anima bona, quo possidente fit bona, quo inspirante viget, quo illuminante fulget, quo formante pulcra, quo implente fecunda est. Hoc enim deserente, quondam mortua, tenebrosa, deformis, sterilis fluctuabat, antequam credidisset in Christum. Quid enim ei pagano proderat eloquentia, qua tamquam poculo pretioso & bibebat mortiferos, & propinabat errores? Cùm autem benignitas & humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei, mundavit eum credentem sibi à sæcularibus cupiditatibus, & fecit vas in honorem utile domui suæ, ad omne opus bonum paratum. (2. Tim. 2. 21.) Nec ille tamquam ingratus hæc tacuit. Absit enim ut cognoscens Deum non sicut Deum glorificaret: sed gratias egit, pristina sua non impiè resorbens quæ vomuerat, sed piè recolens quæ mutaverat. Scribens enim ad amicum suum, ut & ipse ex tenebris, quod erat in se, fieret lux in Domino: Ego, inquit, cùm in tenebris atque in nocte cæca jacérem, cúmque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus. Et paulò pòst: Nam ut ipse, inquit, plurimis vitæ meæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem; sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, & desperatione meliorum, malis meis velut jam propriis ac vernaculis adfavebam. (In epistola 2. ad Donatum.)

Caput III. Dei gratiâ conversus factus est verus Cyprianus.

3. Ecce qualem Cyprianum Christus invenit: ecce ad qualem animam percutiendam & sanandam ille eradicator & plantator accessit. Neque enim frustra dicit, *Ego occidam, & ego vivere faciam; ego percutiam, & ego sanabo:* (Deut. 32. 39.) aut frustra in futurorum figura ad Jeremiam dictum est, *Ecce constitui*

constitui te hodie super gentes & regna, eradicare & effodere & perdere & reædificare & plantare. (Jerem. 1. 10.) Accessit ergo ad illam animam eradicator atque plantator; & evertit veterem Cyprianum, positoque ibi fundamento ipso se, novum Cyprianum ædificavit in se, & [a] verum Cyprianum fecit ex se. Christo enim dicit Ecclesia, *Botrus cypri fratuelis meus.* (Cant. 1. 13.) Quando ergo ille factus est à Christo Christianus, tunc verè factus est etiam à cypro Cyprianus. Christi enim bonus odor factus est in omni loco, sicut ait apostolus Paulus: qui etiam ipse destructus est persecutor, & ædificatus est prædicator. *Christi*, inquit, *bonus odor sumus Deo in omni loco, & in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus?* (1. Cor. 2. 15. & 16.) Alii enim Cyprianum imitando vixerunt: alii Cypriano invidendo perierunt.

Caput IV. Ex forensi Oratore factus prædicator Christi.

4. Illi laus, illi gloria, qui animam servi sui per fidem justificando eruit ab impiis, & fecit frameam suam, hoc est gladium bis acutum; ut per illam linguam stultitia gentium nudata feriretur, per quam priùs tecta atque velata pulcra prudentibus videbatur; atque ut eloquii tam nobilis instrumentum, quo ruinosis doctrinis dæmoniorum indigna ornamenta fiebant, in ædificationem converteretur Ecclesiæ, qua crescente illa laberentur; & ut tantæ vocis tuba, quæ forensium mendaciorum certamina solebat acuere, ad prosternendum pretiosis sanctorum mortibus diabolum Christo militantes & in ipso gloriantes devotos Martyres excitaret. Inter quos & ipse Cyprianus, cujus pio & sancto, non jam fabulosos fumos emovente, sed Dominica luce radiante accendebantur eloquio, moriendo vixit, judicatus judicem superavit, adversarium percussus vicit, mortemque occisus occidit. Qui enim in ludo perversitatis humanæ & suam & aliorum linguas docuerat loqui mendacium, ut quod ab adversario objiceretur, astutâ fallaciâ negaretur, jam in alia schola didicerat confitendo devitare adversarium. Ubi enim Christi nomen inimicus convertit in crimen, ibi supplicium Christus convertit in laudem.

Caput V. Victoria Martyrum de dæmoniis quàm nunc evidens.

5. Et si adhuc quisquam quærit fortè quis vicerit, ut omittam regnum cæleste sanctorum, quod infideles credere nolunt, quia videre non possunt; nunc in ista terra, in ista vita, in domibus, in agris, in civitatibus, in orbe terrarum, ecce sunt ferventes laudationes Martyrum: ubi sunt furentes accusationes impiorum? Ecce quemadmodum honorantur memoriæ peremtorum, nunc illi ostendant idola dæmoniorum. Quid eis judicando facturi sunt, qui eorum templa moriendo everterunt? Quomodo eorum superbas fallacias resurgentium militum suorum splendore damnabit, qui eorum fumantes aras morientium sanguine exstinxit?

Caput VI. Cyprianus doctrinâ & exemplo inter Martyres præcellens.

6. Inter has Christi legiones beatissimus Cyprianus gloriosorum prœliorum doctor & gloriosus ipse prœliator, ita quod facturus erat docuit, & quod docuerat fecit, ut & in verbis docentis prænosceretur animus Martyris, & in animo patientis recognoscerentur verba doctoris. Non enim erat similis eorum, de quibus Dominus ait, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* (Matth. 23. 3.) Iste quia credidit, locutus est; quia locutus est, passus est. Hoc ergo docuit in vita, quod fecit; & hoc fecit in morte, quod docuit. Illi laus, illi gloria, Domino Deo nostro, regi sæculorum, creatori & recreatori hominum, qui suo tali antistite hujus civitatis Ecclesiam ditavit, & tam sancto corpore hujus loci amplitudinem consecravit. (Locus sepulcri ipsius.) Illi laus, illi gloria, qui dignatus est illum virum prædestinare inter sanctos suos ante tempora, creare inter homines opportuno tempore, vocare errantem, (Gratiæ beneficia in Cyprianū.) mundare sordentem, [b] formare credentem, docere obedientem, regere docentem, adjuvare pugnantem, coronare vincentem. Illi laus, illi gloria, qui hunc talem fecit, in quo maximè ostenderet Ecclesiæ suæ quantis malis opponenda & quantis esset bonis caritas præponenda, & quàm nulla esset caritas Christiani, à quo non custodiretur unitas Christi. (Unitatem Ecclesiæ quantum dilexit Cyprianus.) Quam sic ille dilexit, ut & malis pro caritate non parceret, & malos pro pace toleraret; & liber in dicendo quod ipse sentiret, & pacificus in audiendo quod fratres sentire cognosceret. Meritò in Ecclesia catholica tanti honoris celsitudinem meruit, cujus concordissimum vinculum tanta humilitate servavit. Quapropter, Carissimi, tam gratæ festivitati debito Sermone pro viribus persoluto, exhortor dilectionem devotionemque vestram, ut istum diem honestè ac sobriè peragamus, & hoc exhibeamus diei, quo Cyprianus beatissimus passus est, quod amavit ut pateretur.

* SERMO CCCXIII.

In Natali Cypriani Martyris, V.

* *Aliàs de Diversis 114.*

Caput I. Cypriani laudibus nulla lingua par est.

1. Sanctissimus & sollemnissimus dies, atque huic Ecclesiæ ornamento familiarior & præclarior, lætificandis nobis hodiernus illuxit, quem suæ nobis gloriâ passionis Cyprianus beatissimus illustravit. Cujus reverendi episcopi & venerandi Martyris laudibus nulla lingua sufficeret, nec si se ipse laudaret. In hoc itaque Sermone nostro, quem de illo debitum vestris auribus reddimus, magis approbate voluntatis affectum, quàm exigite facultatis effectum. Sic enim & laudibus Dei, quibus non solùm oratio, sed ne cogitatio quidem ulla satis est, cùm se sanctus laudator minùs idoneum cerneret, ait, *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* (Psal. 118. 108.) Hoc & ego dixerim: sit etiam ista mea devotio, ut si par non sum ad explicandum quod volo, accepto feratur, quia volo.

Caput II. Martyrum laudes in Deum recidere.

2. Quid enim nisi Dei sunt laudes tanti Martyris laudes? Aut cujus honor est Cyprianus ad Deum toto corde conversus, nisi ejus cui dictum est, *Deus virtutum converte nos?* (Psal. 79. 4.) Cujus opus est Cyprianus doctor, nisi ejus cui dictum est, *Doce me justificationes tuas?* (Psal. 118. 135.) Cujus opus est Cyprianus pastor, nisi ejus qui dixit, *Dabo vobis pastores secundùm cor meum, & pascent vos cum disciplina?* (Jerem. 3. 15.) Cujus opus est Cyprianus confessor, nisi ejus qui dixit, *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere inimici vestri?* (Luca 21. 15.) Cujus opus est Cyprianus tantæ illius persecutionis pro veritate perpessor, nisi ejus cui dictum est, *Patientia Israël, Domine;* (Jerem. 17. 13.) & de quo dictum est, *Quoniam ab ipso est patientia mea?* (Psal. 61. 6.) Postremò cujus opus est Cyprianus in omnibus victor, nisi ejus de quo dictum

[a] Editi, *Et iterum.* Meliùs aliquot MSS. *& verum.*

[b] Quædam hic & paulò infrà restituuntur ex MSS.

CLASSIS III.

Rom. 8.37.

est, *In omnibus supervincimus, per eum qui dilexit nos?* Non ergo recedimus à laudibus Dei, quando laudamus opera Dei, & prœlia Dei in milite Dei.

CAPUT III.

Ephes. 6.14. &c.

Martyres & armantur à Deo, & ab eodem armato adjuvantur.

3. Sic enim exhortatur Apostolus: *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricâ justitiæ, & calceati pedes in prædicatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere; & galeam salutis accipite, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei.* Quid est justitiæ loricâ indui, & accipere scutum fidei, & galeam salutis, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei, nisi à Domino donis ejus armari? Nec armari tantùm sufficeret huic militi, nisi impetrasset ab armato ipso, à quo armatus fuerat, adjuvari. Neque enim piissimus Martyr in illa conflictione passionis non oravit & dixit, *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi. Effunde frameam, & conclude adversùs eos qui me persequuntur: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.*

Psal. 34.1. &c.

*CAPUT IV.

* Quomodo vinceretur, quem sic Dominus producebat armatum, sic adjuvabat armatus?

Armatus Deus quomodo intelligendus.

4. Absit autem ut armatum Deum quibusdam corporalibus instrumentis puerili corde credamus. Cujusmodi quippe arma sint illa, quibus ab armato Deo solent ejus milites adjuvari, ipsi confitentur adjuti, ubi exclamantes & gratias agentes dicunt, *Domine ut scuto bonæ voluntatis coronasti nos.* Framea verò Dei, hoc est gladius Dei, quam frameam corpus Christi quod est Ecclesia, adversùs eos qui se persequuntur, precatur effundi atque concludi; potest quidem intelligi, ubi ipse Salvator suo corpori dicit, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Quo gladio spiritali à Martyribus suis cælestia concupiscentibus gaudia, terrenos malè blandos separavit affectus, quibus de cælo ad terram revocarentur adstricti, nisi gladius intercideret Christi. Sed est etiam alia evidentissima Dei framea anima justi in manu Dei; de qua illi in Psalmo dicitur, *Erue animam meam ab impiis, frameam tuam ex inimicis manûs tuæ.* Quod dixit, *animam meam*; hoc repetivit, *frameam tuam*: quod dixit, *ab impiis*; hoc repetivit, *ex inimicis manûs tuæ*.

Psal. 5.13. — Framea Dei, Ecclesia. — Matth. 10.34. — Framea Dei, anima justi. — Psal. 16.13. & 14.

CAPUT V.

Framea magna Dei Cypriani anima.

5. Hanc effudit frameam spargendo usquequaque Martyres suos: & conclusit adversùs eos qui persequebantur Ecclesiam; ut quia prædicantium vocibus non flectebantur, morientium virtutibus frangerentur. Fortia quippe sibi adversùs inimicos fabricat arma Deus, eos ipsos quos facit amicos. Magna itaque framea Dei anima beatissimi Cypriani, splendida caritate, acuta veritate, pugnantis Dei acta & vibrata virtute, quæ bella confecit? quas contradicentium catervas redarguendo superavit? quot percussit infensos? quot prostravit adversos? In quàm multorum inimicorum cordibus ipsas inimicitias, quibus oppugnabatur, occidit, eosque amicos quibus adversùs alios Deus copiosiùs pugnaret, effecit? Ubi autem venit tempus, ut tamquam prævalescentibus hostibus prenderetur, tum verò ne oppressus & victus ab impiis eorum manibus cederet, adfuit ille per quem * præstaretur invictus: suscepit victoriam, post quam nullum certamen ulteriùs remaneret, quàm de hoc scilicet mundo & de mundi hujus principe reportaret. Adfuit omnino fidelissimo suo testi usque ad mortem pro veritate certanti], fecit quod exoratus fuerat, eruit animam ejus ab impiis, frameam suam ab inimicis manûs suæ. Cujus victricis animæ sanctam carnem, tamquam frameæ illius vaginam, hoc loco sublimitate divini altaris ornamus; eidem ipsi animæ triumphali resurrectione reddendam, & nulla deinceps morte ponendam.

* f. persistaret.

SERM. DE SANCTIS.

Altare erectum super corpus Cypriani.

* SERMO CCCXIV.

* Aliàs 95. de Diversis.

In Natali Stephani Martyris, I.

1. NATALEM Domini hesterna die celebravimus; servi hodie Natalem celebramus: sed Natalem Domini celebravimus, quo nasci dignatus est; Natalem servi celebramus, quo coronatus est. Celebravimus Natalem Domini, quo indumentum nostræ carnis accepit: Natalem servi celebramus, quo suæ carnis indumentum abjecit. Natalem Domini celebravimus, quo factus est similis nobis: celebramus Natalem servi, quo factus est proximus Christo. Sicut enim Christus nascendo Stephano, ita Stephanus moriendo conjunctus est Christo. Sed Domini nostri Jesu Christi ideo nativitatis & passionis diem geminæ devotionis obsequio frequentat Ecclesia, quoniam utrumque medicina est. Nam & natus est, ut renasceremur: mortuus est, ut in perpetuum viveremus. Martyres autem ad mala certamina nascendo venerunt, trahentes originale peccatum: moriendo autem ad bona [a] certissima transierunt, finientes omne peccatum. Nam si in persecutione constitutos futuræ beatitudinis præmia non consolarentur, quando illa de diversis passionibus supplicia sustinerent? Si beatus Stephanus sub imbre lapidum constitutus futura præmia non cogitasset, quomodo illam grandinem pertulisset? Sed illius præceptum gestabat in animo, cujus præsentiam cernebat in cælo; & ad eum flagrantissimo amore suspensus, carnem quantocyùs relinquere, & ad ipsum cupiebat advolare: nec mortem jam timebat, quia Christum, quem pro se occisum sciebat, viventem videbat; ac per hoc festinabat etiam ipse mori pro illo, ut viveret cum illo. Quid enim viderit beatissimus Martyr in illo agone constitutus, recolitis sine dubio verba ejus, quæ de Actuum Apostolorum libro soletis audire. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Christum stantem à dextris Dei.* Jesum stantem videbat: ideo stabat, & non cadebat; quia stans sursum & deorsum certantem desuper spectans, invictas militi suo vires, ne caderet, suggerebat. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos.* Beatus homo cui cæli patebant. Sed quis cælum aperuit? Ille de quo in Apocalypsi dicitur, *Qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Quando Adam de paradiso ejectus est, post illud primum nefandumque peccatum, contra humanum genus clausum est cælum: post passionem Christi latro primus intravit, postea Stephanus apertum vidit. Quid miramur? Quod fideliter vidit, fideliter indicavit, & violenter invasit.

Act. 7.55. — Apoc. 3.7.

Imitandus Stephanus.

2. Eia Fratres, sequamur eum. Si enim sequimur Stephanum, coronabimur. Maximè autem

[a] In prius editis, *ad bona certamina transierunt*: quod veritati contrarium judicans Verlinus, volebat Sermonem esse suppositicium. Locum hunc & alios quosdam Corbeiensis libri subsidio castigamus.

Classis III. Præsertim in dilectione inimicorum.

sequendus & imitandus est nobis in dilectione inimicorum. Nostis enim quia frequentium inimicorum congregatione circumdatus, cùm crebris hinc & illinc saxorum ictibus tunderetur, placidus & intrepidus, mitis & lenis inter lapides à quibus occidebatur, intuens illum pro quo occidebatur, non ait, Domine judica obitum meum; (Act. 7. 58.) sed, *accipe spiritum meum.* Non ait, Domine Jesu, vindica servum tuum, quem vides isto supplicio mortis addictum; (Ibidem 59.) sed, *ne statuas illis hoc peccatum.* Persistens ergo beatissimus Martyr in testimonio veritatis, & caritatis ardens spiritu, sicut nostis, pervenit ad gloriosissimum finem; & qui vocatus usque ad finem perseveravit, in fine quod vocabatur adeptus est, sui nominis gloriâ Stephanus perductus est ad coronam. Quando ergo beatus Stephanus pro Christo primus sanguinem fudit, quasi corona processit de cælo, ut eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis virtutem imitarentur in prœlio. Impleverunt postmodum terram crebra martyria. Quicumque postea sanguinem pro Christi confessione fuderunt, imposuerunt coronam illam capiti suo, & eam securis integram servaverunt. Et modò, Fratres, de cælo pendet: quisquis eam concupierit, ad eam velociter volabit. Et ut Sanctitatem Vestram breviter atque evidenter hortemur, multis non opus est verbis: sequatur Stephanum, quicumque desiderat coronam. Conversi ad Dominum, &c.

* Aliàs 93. de Diversis.

*SERMO CCCXV.

In sollemnitate Stephani Martyris, II.

Caput I. Act. 6. 5. Stephani Gesta canonico libro contenta.

1. BEATISSIMUS Stephanus quomodo fuerit Diaconus ordinatus cum aliis sex etiam ipse septimus, & quomodo pervenerit ad supernam coronam; cùm ipsa lectio legeretur, audistis. Hoc primum primi Martyris meritum commendatum est Caritati Vestræ: quia cùm aliorum Martyrum vix Gesta inveniamus, quæ in sollemnitatibus eorum recitare possimus; hujus passio in Canonico libro est. Actus Apostolorum liber est de Canone Scripturarum. Ipse liber incipit legi à Dominico Paschæ, sicut se consuetudo habet Ecclesiæ. In hoc ergo libro, cui titulus est, Actus Apostolorum, audistis quomodo sint electi, & ab Apostolis ordinati septem Diaconi, in quibus sanctus Stephanus erat. Priores Apostoli, sequentes Diaconi. Et prior Martyr de Diaconis, quàm de Apostolis: prior victima de agnis, quàm de arietibus.

Actuum Apostolorum liber legi solitus à Dominico Paschæ.

Stephani passio similis passioni Christi. Falsi testes contra utrumque.

2. Quantam autem cum Domino suo & Salvatore suo habuit similitudinem passionis? Falsi testes adversùs istum, quomodo adversùs illum: & de ipsa re. Nostis enim & recolitis, falsi testes contra Dominum Christum quid dixerunt: (Marci 14. 58.) *Nos audivimus eum dicere, Solvo templum hoc, & post triduum ædifico alterum novum.* Non autem hoc Dominus dixerat: sed vicina voluit esse falsitas veritati. Quomodo sunt falsi testes? Audierunt dixisse, (Johan. 2. 19.) *Solvite templum hoc, & post triduum resuscitabo illud.* Evangelista autem dicit, *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Falsi testes, pro eo quod dictum est *Solvite*, dixerunt *Solvo.* Modicum in syllabis mutaverunt: sed tantò falsi testes pejores fuerunt, quantò propinquare veritati per calumniam voluerunt. Et huic quid objectum? (Act. 6. 14.) *Nos audivimus eum dixisse, quia Iesus Nazarenus destruet templum hoc, & mutabit consuetudinem legis.* Falsum testimonium dicebant, & vera prophetabant. Quomodo Caiphas ille, magister illorum, princeps sacerdotum, dans consilium Judæis, ut occideretur Christus, hoc dixit: (Johan. 11. 50.) *Expedit unum mori, quàm ut tota gens pereat.* Ait autem Evangelista, (Ibidem 51.) *Hoc non à semetipso dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetavit quia oportebat Christum mori pro gente.* Quid hoc est, Fratres? Magna vis est veritatis. Oderunt veritatem homines, & veritatem prophetant nescientes. Non agunt, sed agitur de illis. Processerunt ergo isti falsi testes similes falsis testibus, sed pro quibus occisus est Christus.

Veritatis magna vis.

Caput II. Stephanus in concilium adductus cur non exemplo Christi tacet.

3. Illi adduxerunt eum in concilium, ut haberent majus judicium. Amicus autem Christi, cùm dixisset caussam suam, prædicavit veritatem Domini sui. Moriturus erat: quare impiis pia lingua taceret? Quare non pro veritate moreretur? Hoc uno impar Domino suo, certi caussâ mysterii, quantum pertinet ad similitudinem passionis. Nam ille Deus est excellentiâ majestatis. Dominus quando ad passionem ductus est, interrogatus tacere maluit: iste non tacuit. Quare ille tacere maluit? Quia prædictum de illo erat, (Isai. 53. 7.) *Sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Iste autem quare tacere noluit? Quia ab ipso Domino dictum erat, (Matth. 10. 27.) *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quæ in aure auditis, prædicate super tecta.* Quomodo sanctus Stephanus super tectum prædicavit? Quia domum luteam carnem calcavit. Qui enim mortem non timet, carnem calcat. Hic priùs exposuit illis ab initio legem Dei, (Act. 7. 2.) ab Abraham usque ad Moysen, usque ad datam legem, usque ad introitum in terram promissionis; ut commendaret quia non erat verum testimonium, unde illi calumniam commovebant. Deinde de Moyse dedit eis magnam similitudinem ad Christum. Reprobatus ab eis Moyses, & ipse eos liberavit: reprobatus liberavit. Non reddidit malum pro malo: immo reddidit bonum pro malo. Sic & Dominus Christus reprobatus à Judæis, ipse illos est postea liberaturus.

Super tectum prædicare.

Caput III. Judæorum gens per Christum in quibusdam liberata.

4. Sed modò qui moritur, mortuus est. Judæi quos vides, habebunt tempus liberationis suæ, per ipsum quem reprobaverunt; sed nesciunt. Modò qui blasphemant, pereunt: tunc alii erunt, non isti. Quando ista dicimus, non aliis, sed sibi promittimus salutem. Gens liberabitur, non isti. Intendite & accipite similitudinem. Numquid non modò Gentes liberat Deus? Credunt omnes gentes in Christum, & fiunt de filiis diaboli filii Dei. Tamen illi parentes nostri, de quibus nati sumus, qui idola coluerunt, cum idolis perierunt.

Stephanus in Judæos linguâ ferox, corde lenis.

5. Audistis, & spectacula cordis vidistis. Sonus erat in auribus, visio in mentibus. Spectastis magnum agonem sancti Stephani, qui in agone lapidabatur. Quis? Qui jam dudum legem docebat. Quam legem docebat? Quam illi in tabulis lapideis acceperunt. Meritò lapidei facti, amicum Christi lapidaverunt. (Act. 7. 51.) *Dura cervice,* (posteaquam docuit, objurgare cœpit,) *& non circumcisi corde & auribus. Quem prophetarum non non occiderunt patres vestri?* Sævire videtur: lingua ferox, cor lene. Clamabat, & amabat. Sæviebat, & salvos fieri volebat. Quis non crederet iratum, quis non crederet odiorum facibus

CLASSIS III

inflammatum, quando dicebat, *Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus?* Interea de cælo Dominus adspexit, & vidit. Apertum est cælum: vidit Jesum tamquam exhortantem athletam suum. Nec tacuit quod vidit: *Ecce video*, inquit, *cælum apertum, & filium hominis stantem ad dexteram majestatis.* Illi hoc audito, quasi blasphemia esset, quod ille dixisset, aures obturaverunt, ad lapides cucurrerunt. In Psalmo erat dictum, *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures.* (Psal. 57. 5.) Prorsus exhibuerunt, quod de illis prædictum erat. Cœpit lapidari. Modò adtendite illum sævientem, recolite verba dura: *Durà cervice, & non circumcisi corde & auribus.* (Act. 7. 51. &c.) Quasi inimicus erat: tamquam, si fieri posset, omnes occidere cupiebat. Hoc dicat, qui cor non videt. Latebat cor ejus: sed audita sunt novissima verba ejus, & patuerunt occulta ejus, cùm lapidaretur. *Domine Iesu*, inquit, *accipe spiritum meum.* Tibi vixi: tibi morior. *Domine Iesu accipe spiritum meum.* Quia adjuvisti, vicit quem suscipis. Accipe spiritum meum, de manu eorum qui oderunt tuum. Hoc dixit sanctus Stephanus stans.* (*CAPUT IV.) Et post hoc fixit genu, & ait, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ubi est, *Durà cervice?* Hoc est totum quod clamabas? hoc est totum quod sæviebas? Foris clamabas, & intus orabas.

(Stephanus pro se orās stat, quia exigit debitum.)

6. *Domine Iesu accipe spiritum meum:* hoc stans. Exigebat enim debitum, quando dicebat, *Domine Iesu accipe spiritum meum.* Exigebat debitum, quod Martyribus promissum erat: debitum, de quo dicit Apostolus (2. Tim. 4. 6.), *Ego enim jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cetero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Reddet, reddet quod debet. Qui erat ante debitor suppliciorum, postea cœpit Deum tenere largitorem præmiorum. Unde fuit apostolus Paulus debitor suppliciorum? Quia inimicus Ecclesiæ, quia persecutor. (1 Cor. 15. 9.) Ipsum audi: *Non sum dignus dici Apostolus; quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Non sum dignus*, dignus dicit. Quare non es dignus? Pœnas pati, in gehennas intrare, pro meis meritis cruciari, hoc eram dignus: Apostolus esse, non eram dignus. Unde ergo hoc tibi, quo non eras dignus? Secutus est: *Sed gratià Dei sum, quod sum.* (Homo ex se malus, Dei autem dono bonus.) Malo meo fui, quod fui: dono Dei sum, quod sum. Ut ergo postea exigeret debitum, priùs accepit indebitum. Quod debitum postea? *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex.* Reddet mihi, debetur mihi: indebitum priùs. Quid? *Non sum dignus vocari Apostolus: sed gratià Dei sum quod sum.* Sic & sanctus Stephanus, *Domine Iesu*, stans secum ad fiduciam, quia bene militaverat, bene certaverat, hosti non cesserat, timorem calcaverat, carnem spreverat, mundum & diabolum vicerat: inde stabat cùm diceret, *Domine Iesu accipe spiritum meum.*

(Saulus in Stephani cæde sævior persecutor.)

7. Quando iste exigebat debitum, Paulus apostolus cumulabat sibi debitum. Ille petebat debitum bonum: ille addebat ad debitum malum. Quid enim putatis, Fratres? Quando lapidabatur Stephanus, audistis, sed fortè non advertistis, (Act. 7. 57.) posuerunt falsi testes lapidaturi Stephanum, posuerunt vestimenta sua ad pedes cujusdam adolescentis, nomine Sauli. * (*CAPUT V.) Iste Saulus, & postea Paulus: persecutor Saulus, prædicator Paulus. (SERM. DE SANCTIS.) Saulus enim nomen est à Saüle. Saül persecutor erat regis David. Talis fuerat Saül in David, qualis Saulus in Stephanum. (Saulus à Saüle dictus.) Postea verò cùm vocatus esset de cælo; vocatus, prostratus, mutatus, ubi cœpit Apostolus prædicare verbum Dei; mutavit sibi nomen, & dixit se Paulum. Et hoc quare elegit? Quia Paulus modicus est, Paulus parvus est. (Paulus, modicus, parvus.) Nos solemus sic loqui: Videbo te post paulum, id est, post modicum. Unde ergo Paulus? *Ego sum minimus Apostolorum.* (1. Cor. 15. 9.) Magna divina spectacula. Qui erat in cæde Stephani persecutor, factus est regni cælorum postea prædicator. Quantum sæviebat in illa cæde, vultis audire? Vestimenta lapidantium servabat, ut omnium manibus lapidaret. (Stephanus pro inimicis fixo genus orat, quia petit indebitum.) Ergo posteaquam Stephanus sanctus stans exigeret debitum dicens, *Domine Iesu accipe spiritum meum:* adtendens inimicos suos, qui sibi lapidando malum debitum faciebant, & addebant ad thesaurum illum, de quo dicit apostolus Paulus, *Tu autem secundùm duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram, in die iræ & revelationis justi judicii Dei:* (Rom. 2. 5.) adtendit eos, & misertus est eis, & fixit pro eis genu. Pro se stabat, pro eis genua figebat. Discrevit justum à peccatoribus: pro justo stans petebat, quia mercedem exigebat; pro peccatoribus genua fixit, quia sciebat quàm difficilè pro tam sceleratis posset exaudiri. Quamvis justus, quamvis sub ipsa corona constitutus, non præsumsit, sed genu fixit: non adtendens quid ipse dignus esset petendo accipere, sed quid ipsi digni essent, à quibus volebat horrenda supplicia removere. *Domine*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum.*

(Christus in crucis cathedra docens regulam pietatis.)

8. Quod Stephanus humilis, Christus sublimis: quod ille ad terram inclinatus, hoc Christus in ligno suspensus. Nam recolite quia & ipse ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (Luca 23. 34.) Sedebat in cathedra crucis, & docebat Stephanum regulam pietatis. O Magister bone, bene pronuntiasti, bene docuisti. Ecce discipulus tuus orat pro inimicis suis, orat pro lapidatoribus suis. (Discipulū imitatorem habet Stephanum.) Ostendit quomodo te debuerit imitari, sublimem humilis, creatorem creatura, mediatorem victima, Deum & hominem homo: Deum, sed tamen in cruce hominem; Deum Christum, sed in cruce hominem, quando dicebat clara voce, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* * (*CAPUT VI.) Dicit sibi ille: Ille oravit pro inimicis suis, quia Christus, quia Deus, quia Unicus: ego qui sum, qui hoc faciam? Si multum est ad te Dominus tuus, nescis quia Stephanus est conservus tuus? Docuit Deus per Stephanum non exinanitum. Si ista in Evangelio præcessisse videtis Fratres mei, nemo dicat in corde suo; Quis illud facit? Ecce Stephanus fecit: de se? de suo fecit? Si autem de dono Dei fecit: numquid intravit, & contra te clausit? Numquid pontem transivit, & præcidit? Multum est ad te? Pete & tu. Fons manat, non siccavit.

(Mansuetudo erga inimicos. Ira, scorpio est.)

9. Et verè dico Caritati Vestræ, Fratres mei: exercete vos, quantum potestis, ad exhibendam mansuetudinem, etiam erga inimicos vestros. Frenate iram, quæ vos stimulat ad vindictam. Ira enim scorpio est. Si te suis internis flammis excitaverit, magnum aliquid putas, si te de inimico tuo vindicaveris. Si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipsam iram tuam te converte: quia ipsa

Classis III. est inimica tua, quæ occidit animam tuam. O homo bone: (nolo enim dicere, homo male: melius hoc dico quod te esse volo, quàm quod es:) homo bone, quid tibi facturus est inimicus tuus? Quid est facturus, ut multum possit; ut Deus illum ad totum permittat, quod cupit? Sanguinem tuum cupit fundere. Difficile est quidem, & ipsi rari inimici sunt, qui usque ad mortem sæviant. Solent & ipsi inimici, quando viderint eos quos persequuntur affligi, convertere iram in misericordiam. Difficile invenis inimicum, qui sæviat usque ad mortem. Sed fac usque ad mortem. Talem pone tibi inimicum qui sæviat usque ad mortem. Quid facturus est? Quod Judæi Stephano: sibi pœnam, illi coronam. Occisurus est te inimicus tuus, quasi non moriturum, quasi semper victurum? Hoc tibi facturus est inimicus, quod quandoque factura erat febris: si te occiderit, febri tuæ similis erit. Tibi ergo, occidendo te, erit nociturus? Non: immo tibi, si bene mortuus fueris, eumque dilexeris, ad cæleste præmium aliquid additurus. Nescis quantum præstiterint isti lapidatores sancto Stephano? Numquid sciebant, illi pro bonitate reddendam esse coronam, illis pro malitia reddendam esse pœnam? Diabolus quanta præstitit? Omnes Martyres ipse nobis fecit. Sed numquid * hinc iturus est? Sed de beneficiis suis; quod nolebat, illi imputabitur quod ipse cupiebat, non quod de illo Deus faciebat. Ergo inimicus tuus quicumque fuerit usque ad mortem, nihil tibi nocebit.

Ira inimica, præter quam cæteri inimici minimè nocent.

** Locus vitiatus.*

Caput VII. 10. Ira vide quid noceat. Agnosce inimicam tuam: agnosce cum qua pugnas in theatro pectoris tui. Angustum theatrum: sed Deus spectat: ibi doma inimicam tuam. Vis videre quàm sit ista vera tua inimica? Modò ostendo. Oraturus es Deum: ventura est hora ut dicas, *Pater noster, qui es in cælis.* Venturus es ad illum versum, *Dimitte nobis debita nostra.* Quid sequitur? *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ibi illa inimica stat contra te. Sepit viam orationis tuæ: murum erigit, & non est quà transeas. Bene totum dixisti: *Pater noster.* Cucurrit: *Dimitte nobis debita nostra.* Et quid postea? *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* En ipsa adversaria contradicit; nec ante velum, sed intus: in ipso secretario cordis tui, ibi tibi clamat, contradicit. Qualis inimica, Fratres, quæ contradicit? *Sicut & nos dimittimus.* Non permittitur ut sævias contra inimicum tuum: in istam sævias. *Melior est qui vincit iram, quàm qui capit civitatem,* Scriptura dicit. Quod dixi modò, scriptum est: *Melior est qui vincit iram, quàm qui capit civitatem.* Numquid non bellator Imperator quando venit ad aliquos hostes, & invenit civitatem munitam, armatis instructam, optimam, adversantem sibi, si illam ceperit, si illam vicerit, si illam everterit, triumphos quærit? Sicut autem narrat Scriptura, *Melior est qui vincit iram, quàm qui capit civitatem.* In manu tua est. Non potes illam interimere, potes illam reprimere. Si fortis es, iram vince: & civitati parce. Video vos adtentos, scio quàm bene accepistis. Deus adsit certaminibus vestris, ut prosit vobis quòd tanti Martyris agonem spectastis; ut quomodo vincentem vidistis & vincenti favistis, sic & vos in corde vestro vincatis.

Ira, inimica nostra, quam in locum [margin partly illegible]

Matth. 6. 9.

Prov. 16. 32.

Ira non potest interimi, sed reprimi potest.

Serm. de Sanctis. ** Alias 94. de Diversis.*

* SERMO CCCXVI.

In sollemnitate Stephani Martyris, III.

Caput I. 1. Beatissimus & in Christo gloriosissimus Martyr Stephanus jam sermone suo saginavit nos: sed post illam saginam appono vobis de sermone ministerii mei quasi secundam mensam. Et quid dulcius invenio quod in ea ponam, quàm Christum & Martyrem ipsum? Ille enim Dominus, iste servus: sed Stephanus de servo amicus. Nos autem sine dubio servi: ille præstet ut simus & amici. Tamen quales servi? Tales, qui possimus salva conscientiæ fronte cantare, *Mihi autem valde honorificati sunt amici tui Deus.* Antequam occideretur sanctus Stephanus in aperto, & in occulto coronaretur, audistis qualis fuerit electus ab Apostolis. Inter Diaconos illos nominatur primus, sicut inter Apostolos Petrus. Ergo cùm esset ab Apostolis ordinatus, in brevi ad passionem præcessit ordinatores suos: ab eis est ordinatus, sed prior est coronatus. Quid ergo audistis, cùm ejus passio legeretur? *Stephanus autem plenus gratiâ & Spiritu-sancto, faciebat prodigia & signa magna in plebe, per nomen Domini Iesu Christi.* Intelligite quis, per cujus nomen. Qui nostis amare Stephanum, in Christo amate. Hoc enim vult, hoc illi gratum est: inde gaudet, hoc acceptum habet. Non enim nomen suum voluit jactare apud lapidatores suos. Adtendite quem confitebatur, quando lapidabatur; quem confitebatur in terra, quem videbat in cælo; pro quo tradebat carnem suam, cui commendabat animam suam. Numquid enim legimus, aut in doctrina sana alicubi legere possumus, quia faciebat aut facit signa Jesus per nomen Stephani? Fecit Stephanus, sed per nomen Christi. Hoc facit & modò: quidquid videtis quia fit per memoriam Stephani, in nomine Christi fit; ut Christus commendetur, Christus adoretur, Christus exspectetur judex vivorum & mortuorum, & ab eis qui illum diligunt ad dexteram stetur. Quando enim venerit, stabunt ad dexteram, stabunt ad sinistram: beati, qui ad dexteram; miseri, qui ad sinistram.

Psal. 138. 17.

Stephanus inter Diaconos primus.

Act. 6. 8.

Prodigia à Stephano facta, sed per nomen Christi.

Caput II. 2. Imitetur tamen Dominum suum beatissimus Stephanus. Miro modo inter lapides patiebatur duros, mittentes, quid, nisi quod erant? Ut sciatis quia duros patiebatur; hoc illis dixit, *Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui-sancto restitistis.* Mori vis, festinas lapidari, ardes coronari. *Vos semper Spiritui-sancto restitistis.* Talia cùm diceret, fremebant illi, & stridebant dentibus suis. Adde Stephane, adde quod non ferant, adde quod sustinere non possint: adde unde te possint lapidare, ut inveniamus quod celebrare. Aperti sunt cæli: vidit Martyr Martyrum caput; vidit Jesum stantem ad dexteram Patris: vidit, ut non taceret. Non illi videbant, sed invidebant; & ideo non videbant, quia invidebant. Non tacuit ille quod vidit, ut perveniret ad eum quem vidit. *Ecce,* inquit, *video cælos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram majestatis.* Illi continuerunt aures suas, quasi contra blasphemiam. Agnoscitis illos in Psalmo, *Sicut aspidis,* inquit, *surdæ & obturantis aures suas, ne audiat vocem incantan-*

Duri Judæi in Stephanum.

Act. 7. 51.

Ibidem 55.

Psal. 57. 5.

Classis III. *tis, & medicamentum medicatum à sapiente.* Si- A cut enim dicuntur aspides, quando incantantur, ut non prorumpant & exeant de cavernis suis, premere unam aurem ad terram, & de cauda sibi alteram obturare, & tamen incantator producit illas: sic & isti adhuc in cavernis suis stridebant, quando in suis cordibus æstuabant. Nondum prorumpebant: obturaverunt aures suas. Jam prorumpant, appareant qui sint: ad lapides currant. Cucurrerunt, lapidaverunt.

Caput III. Dominum Stephanus moriens imitatur, commendando spiritum suũ & orando pro interfectoribus suis.

3. Quid Stephanus, quid? Adtendite priùs B illum, quem bonus amicus imitabatur. Dominus Jesus Christus, cùm penderet in cruce, dixit, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Hoc sicut homo, sicut crucifixus, sicut natus ex femina, sicut carne indutus; sicut pro nobis moriturus, sicut in sepulcro futurus, sicut tertio die resurrecturus, sicut in cælos adscensurus. Omnia enim ista in homine. Homo ergo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* (Luca 23. 46.) Ille dixit, *Pater*: Stephanus, *Domine Iesu.* Quid C & ipse? *Accipe spiritum meum.* (Act. 7. 58.) Tu dixisti Patri, ego tibi. Mediatorem agnosco. Venisti jacentem levare: non cecidisti mecum. *Accipe*, inquit, *spiritum meum.* Hoc pro se orabat: venit illi in mentem aliud, unde imitaretur Dominum suum. Recolite pendentis verba in ligno, & [a] intendite verba ejus qui lapidabatur confitentis. Quid ille? *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (Luca 23.34.) Fortè in ipsis erat tunc Stephanus, qui nesciebant quid faciebant. Multi enim postea D crediderunt. Et incertum est nobis unde fuerit beatissimus Stephanus, utrùm ex illis qui priùs in Christum crediderant, sicut Nicodemus qui (Johan. 3.2.) ad eum venit nocte, qui [b] ibi sepeliri meruit ubi & iste, quia per illum & iste inventus est: utrùm ergo in his fuerit, an fortè in illis qui post adscensum Domini veniente Spiritu-sancto, quando impleti sunt discipuli, & loquebantur linguis omnium gentium, compuncti Apostolis dixerunt, *Viri fratres, quid faciemus?* (Act. 2. 37.) indicate E nobis. Desperabant enim de salute, eo quòd Salvatorem occiderant. Et ait illis Petrus, *Agite pænitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Iesu Christi, & accipietis Spiritum-sanctum, & remittentur vobis peccata vestra.* Putas omnia? Quid peccatorum remanebat, quando & illud peccatum remittebatur, quo remissor occisus est peccatorum? Quid pejus, quàm occidere Christum? Hoc deletum est. Quid igitur? Fortè inter illos fuit Stepha- F nus. Si inter illos fuit; & pro illo valuit illa oratio, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Tamen & Saulus inter illos fuit. Cùm lapidaretur Stephanus agnus, adhuc ille erat lupus, adhuc sanguinem sitiebat; adhuc manus suas quibus lapidaret parum putabat, lapidantium vestimenta servabat. Ergo recolens quid pro se dictum sit, si & ipse inter illos erat, de quibus dixit Dominus, quando ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; imitans ergo etiam in hoc ipso Do- G minum suum, ut ejus amicus esset, dixit & ipse, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* (Act. 7. 59.) Sed quomodo dixit? Posito genu in terra. Se stans commendavit: quando oravit pro inimicis, genu fixit. Quare se stans commendavit? Quia justum commendabat. Quare pro illis genua fixit? Quia pro sceleratis orabat. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*

Serm. de Sanctis.

Caput IV. Saulus lupus, propter Stephani orationem mutatus in ovem.

4. Putas verba ista audivit Saulus? Audivit, sed irrisit: & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc grassabatur, & jam pro illo Stephanus exaudiebatur. Nostis enim jam, ut aliquid dicam de Saulo; & postea Paulo; utique nostis: in eodem libro scriptum est, quemadmodum crediderit Paulus. Occiso Stephano persecutionem gravissimam Ecclesia Jerosolymis passa est. (Act. 8. 1.) Fugati sunt fratres, qui ibi erant: soli Apostoli remanserunt; ceteri fugabantur. Sed tamquam ardentes faces, quocumque veniebant, accendebant. Stulti Judæi, quando illos de Jerosolymis fugabant, carbones ignis in silvam mittebant. Adhuc Saulus, cui non suffecit occisus Stephanus, quod libenter recolimus, quia jam colimus, quid fecit? (Act. 9. 1.) Accepit epistolas à Sacerdotibus & Scribis, ut ubicumque inveniret viros viæ hujus, id est, Christianos, alligatos adduceret ad supplicia sumenda, qualia sumserat Stephanus. Et iratus ibat Saulus, ibat lupus ad caulas, ad greges Domini: ut rabidus lupus sanguinem sitiebat, cædes anhelabat, ibat per viam. Et ille de sursum, *Saule, Saule, quid me persequeris?* (Ibidem 4.) Lupe, lupe, quid agnum persequeris? Ego quando sum occisus, leonem occidi. *Quid me persequeris?* Exue te lupo: esto de lupo ovis, de ove pastor.

Caput V. Pictura Stephani lapidationem & Sauli conversionem exhibens.

5. Dulcissima pictura est [c] hæc, ubi videtis sanctum Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem. Iste est Paulus *apostolus Christi Iesu*; iste est Paulus *servus Christi Iesu.* Bene audistis vocem, *Quid me persequeris?* Stratus es, erectus es: prostratus persecutor, erectus prædicator. Dic, audiamus: *Paulus servus Christi Iesu, per voluntatem Dei.* (Rom. 1. 1. 1. Cor. 1. 1. &c.) Numquid per voluntatem tuam, ô Saule? Per voluntatem tuam scimus, vidimus fructus tuos: occisus est Stephanus per voluntatem tuam. Per voluntatem Dei, videmus fructus tuos: ubique legeris, ubique recitaris, ubique ad Christum adversantia corda convertis, ubique pastor bonus magnos greges colligis. Cum eo quem lapidasti, cum Christo regnas. Ambo ibi vos videtis; ambo modò sermonem nostrum auditis; ambo pro nobis orate. Ambos vos exaudiet, qui vos coronavit, unum priùs, alterum postea: unum qui persecutionem passus est, alterum qui persecutus est. Ille tunc agnus erat, ille autem lupus erat: modò autem ambo agni sunt. Agni agnoscant nos, & in grege Christi videant nos: orationibus suis commendent nos, ut quietam & tranquillam vitam impetrent Ecclesiæ Domini sui.

* SERMO CCCXVII.

* Alias 93. de Diversis.

De Stephano Martyre, IV.

Caput I.

1. MARTYR Stephanus, beatus & primus post Apostolos ab Apostolis Diaconus ordinatus, ante Apostolos coronatus; illas terras passus illustravit, istas mor-

[a] Corbeiensis MS. *& invenietis confitentis sub lapidibus verba.*
[b] In Corbeiensi libro, *qui illum sepelire meruit, unde per ipsum & ipse inventus est.*
[c] Regius & Corbeiensis MSS. *pictura est hic.*

CLASSIS III.

SERM. DE SANCTIS.

a Reliquiæ Stephani in Africam translatæ, ac ubique ob Dei beneficia diffamatæ.

tuus[a] visitavit. Sed mortuus non visitaret, nisi & A mortuus viveret. Exiguus pulvis tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate Carissimi quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum. Caro sancti Stephani per loca singula diffamatur: sed fidei ejus meritum commendatur. Sic exspectemus consequi temporalia beneficia, ut eum imitando accipere mereamur æterna. Quod nobis beatus Martyr imitandum in sua passione proposuit, hoc adtendere, hoc credere, hoc implere, verè est sollemnia Martyris celebrare. B Dominus noster inter præcepta magna & salubria, divina & altissima quæ dedit discipulis suis, hoc videtur hominibus grave, quod jussit ut diligant inimicos suos. Grave præceptum, sed grande præmium. Denique cùm hoc moneret, videte quid dixerit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus vos.* Audisti opus, exspecta mercedem; & vide quid addat: *Vt sitis*, inquit, *filii Patris* C *vestri qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Hoc videmus, hoc negare non possumus. Numquid dictum est nubibus, Pluite super agros cultorum meorum, & recedite ab agris blasphematorum meorum? Numquid dictum est soli, Videant te qui me colunt, non te videant qui mihi maledicunt? Beneficia de cælo, beneficia de terra: scatent fontes, agri pinguescunt, arbores fructibus onerantur. Habent ista boni, habent & D mali; habent grati, habent ingrati. Qui præstat tanta bonis & malis, putamus nihil servat bonis? Hoc dat bonis & malis, quod dedit & lapidatoribus Stephani: hoc verò servat bonis, quod dedit Stephano.

Præceptū diligendi inimicos habet grande præmium.

Matth. 5. 44.

Exemplū de Patre celesti datum.

CAPUT II.

Exemplū aliud in Christo.

2. Maximè ergo, Fratres, exemplo hujus Martyris, inimicos nostros amare discamus. Exemplum propositum est de Deo Patre, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Dixit hoc etiam Filius Dei, post acceptionem carnis suæ, E per os carnis suæ, quam suscepit amando inimicos suos. Qui enim amator inimicorum suorum in mundum venit, omnes prorsus inimicos suos invenit, neminem amicum invenit. Pro inimicis sanguinem fudit: sed sanguine suo inimicos convertit. Inimicorum suorum peccata suo sanguine delevit: delendo peccata, ex inimicis amicos fecit. De his amicis erat etiam Stephanus: immo est & erit. Ostendit tamen primus ipse Dominus in cruce, quod monuit. Undique enim Judæis F frementibus, irascentibus, irridentibus, insultantibus, crucifigentibus, ait, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Cæcitas enim me crucifigit. Cæcitas crucifigebat: & crucifixus eis de sanguine suo collyrium faciebat.

Luca 23. 34.

Exemplū & in Stephano.

3. Sed homines pigri ad præceptum, avidi ad præmium, qui non diligunt inimicos suos, sed de illis se vindicare affectant, nec adtendunt Dominum, qui si vellet se vindicare de inimicis suis, non remaneret qui laudaret eum; quando G audiunt locum istum Evangelii, quo Dominus in cruce dixit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; dicunt sibi, Ipse hoc potuit, tamquam Filius Dei, tamquam unicus Patris. Caro enim pendebat, sed Deus intus latebat. Nos autem quid sumus, qui ista faciamus? Fefellit qui jussit? Absit: non fefellit. Si multum ad te putas imitari Dominum tuum; adtende Stephanum conservum tuum. Dominus Christus, unicus Dei Filius: numquid hoc Stephanus? Dominus Christus, de incorrupta virgine natus: numquid hoc Stephanus? Dominus Christus venit, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: B numquid hoc Stephanus? Sic natus est ut tu; inde natus est, unde & tu; ab eo renatus est, à quo & tu; eo pretio redemtus, quo & tu; tanti valet, quanti vales. Unum instrumentum nobis factum est. Evangelium instrumentum est, ubi omnes[b] emti sumus: ubi tu, ibi ille. Quia servi sumus, instrumentum est: quia filii sumus, testamentum est. Ipsum adtende, conservum adtende.

Evangeliū & instrumentum est & testamentū. b

CAPUT III.

Lucerna infirmis oculis accensa in sanctorum exemplis.

Matth. 5. 15.

4. Multum est ad te, quia infirmos oculos habes, intueri solem: lucernam vide. C Suis enim discipulis dixit Dominus, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Domus, mundus est: candelabrum, Christi crux est: lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. In ipso candelabro lucebat etiam ille, qui priùs lapidantium vestimenta servabat, de Saulo Paulus, de lupo agnus, & parvus & magnus; raptor agnorum, & pastor agnorum: in ipso candelabro lucebat, D quando dicebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sic luceat*, inquit, *lumen vestrum coram hominibus.* Ecce lucet lumen Stephani, lucet lucerna ista: adtendamus illam. Nemo dicat, Multum est ad me: homo erat, homo es. Sed non accepit à se. Numquid accepit, & clausit tibi? Fons communis est: bibe unde bibit. Beneficio Dei accepit: abundat qui dedit; & tu pete, & accipe.

Gal. 6. 14.

Matth. 5. 16.

Inimicorū dilectio donū Dei.

CAPUT IV.

Objurgatio amantis nonnumquam acerba.

Matth. 23. 13.

Luca 23. 34.

Act. 7. 51.

5. E Dominus amarè & acerbè arguit Judæos, sed amando: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Quando dicebat ista, quis non diceret quia oderat illos? Venit ad crucem, & ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sic & Stephanus in sermone suo priùs arguit, *Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus.* Verba sunt sancti Stephani, quando Judæos alloquebatur: *Dura cervice, & non circumcisi corde, & auribus; vos semper Spiritui-sancto restitistis, sicut &* F *patres vestri. Quem prophetarum non occiderunt patres vestri?* Ista dicendo, quasi odit, quasi sævit. Lingua clamat, cor amat. Audivimus linguam clamantem, probemus animum diligentem. Nam cùm ad lapides cucurrissent, duri ad duros, jactabant in illum pares suos. Petris lapidabatur, qui pro Petra moriebatur; dicente Apostolo, *Petra autem erat Christus.* Et cùm tanta esset in docendo constantia, videte qualis exstiterit in morte patientia. Hi enim ictibus lapidum corpus G ipsius quatiebant, & ille pro inimicis orabat: contundebatur homo exterior, & supplicabat interior. Sed Dominus qui cinxerat, qui probaverat, qui ei characterem, non in manu, sed in

1. Cor. 10. 4.

Stephani amor erga suos interfectores.

a Hinc suspicamur habitum Sermonem in adventu reliquiarum S. Stephani; quæ postea cùm in basilica ipsis erecta collocarentur, præbuerunt occasionem Sermoni subsequenti. De hujus Martyris corpore in Palæstina sub anni 415. finem revelato, deque allatis in Africam ipsius reliquiis, ac de Memoriis in earum gratiam Uzali ab Evodio episcopo, Calamæ à Possidio, Hippone ab Augustino excitatis dicit ipse Augustinus in lib. 22. de Civit. cap. 8. Scripta Aviti, Luciani & Evodii eodem pertinentia habebis in Appendice Tomi 7.

b Editi, *septi sumus.* Meliùs aliquot MSS. *emti.*

CLASSIS III. — SERM. DE SANCTIS.

fronte posuerat, spectabat desuper militem suum, juvaturus certantem, coronaturus vincentem. Denique ostendit se illi. *Ecce enim*, inquit, *video cælos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei.* (Act. 7. 55) Solus videbat, quia illi soli apparebat. Et quid ait pro se? *Domine Iesu, accipe Spiritum meum.* (Ibidem 58. & 59.) Pro se rogans stetit, pro illis genu flectit: pro se erectus, pro illis curvus: pro se celsus, pro illis humilis: genu flexit, & ait, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Et hoc dicto, obdormivit. O somnus pacis! Qui inter lapides inimicorum dormivit, quomodo in suis cineribus vigilabit? Dormivit securus, quietus in pace; quia spiritum suum Domino commendavit.

* SERMO CCCXVIII.

(* Aliàs 25. ex Sirmondianis.)

De [a] Martyre Stephano, V.

(Reliquiæ Stephani Martyris in loco sacro collocatæ. Act. 7.)

1. EXSPECTAT Sanctitas Vestra scire quid hodie in isto loco positum sit. Reliquiæ sunt primi & beatissimi Martyris Stephani. Audistis, cùm passionis ejus lectio legeretur de libro canonico Actuum Apostolorum, quemadmodum lapidatus sit à Judæis, quemadmodum Domino commendaverit spiritum suum, quemadmodum etiam in extremo genibus fixis oraverit pro lapidatoribus suis. Hujus corpus ex illo usque ad ista tempora latuit; nuper autem apparuit, sicut solent apparere sanctorum corpora Martyrum, revelatione Dei, quando placuit Creatori. Sic ante aliquot annos, nobis [b] juvenibus apud Mediolanum constitutis, apparuerunt corpora sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii. (Detectio corporum Gervasii & Protasii.) Scitis quòd Gervasius & Protasius longè posteriùs passi sunt, quàm beatissimus Stephanus. Quare ergo illorum priùs, & hujus postea? Nemo disputet: voluntas Dei fidem quærit, non quæstionem. Verum autem revelatum fuit ei, qui res ipsas inventas monstravit. Præcedentibus enim signis locus demonstratus est; & quomodo fuerat revelatum, sic & inventum est. Multi inde reliquias acceperunt, quia Deus voluit, & huc venerunt. Commendatur ergo Caritati Vestræ & locus & dies: utrumque celebrandum in honorem Dei, quem confessus est Stephanus. (Altare Deo erectum super reliquias Stephani.) Nos enim in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo. Grata sunt Deo hujusmodi altaria. Quæris quare? Quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* (Psal. 115. 15.) Redemti sunt sanguine, qui sanguinem pro Redemtore fuderunt. Ille fudit, ut eorum salus redimeretur: illi fuderunt, ut Evangelium ejus diffamaretur. Reddiderunt vicem, sed non de suo: ut enim hoc possent, ille donavit; & ut fieret quod ab ipsis fieri potuit, ille donavit. Exhibendo dignationem, dedit occasionem. Factum est, passi sunt, calcaverant mundum.

(Martyres non tantùm sæculi delicias, sed quod difficilius est, tormenta vicerunt.)

2. Parum eis fuit contemnere delicias sæculi: pœnas, minas, tormenta vicerunt. Pro confessione enim Dei contemnere quod delectat, valde magnum: sed minus est contemnere quod delectat, quàm vincere quod molestat. Constitue alicui dictum esse, Nega Christum, & do tibi quod non habes; contemsit quod delectat, & non negavit. At ille persecutor adjecit, Non vis accipere quod non habes? tollo quod habes. Non sic sapit lucrum, quomodo dolet damnum: quia facilius est non manducare, quàm vomere. Non adquisivit, non manducavit: quod adquisierat perdidit, quod manducaverat vomuit. In non manducando gula fraudatur, in vomendo stomachus evertitur. Fortior est ergo in confessione Christi, qui damna non timuit, quàm qui lucra contemsit. Sed damna qualia? Amissionem pecuniæ, amissionem patrimonii, amissionem rerum omnium, quas habebat. Sed inimicus nondum proximè accessit. Res perierunt, quæ forinsecùs adjacebant. Si non sunt amatæ cùm haberentur, non contristaverunt cùm amitterentur. Et ut breviter dicam, quando amittuntur, tantum mæroris dimittunt, quantum cùm haberentur, amari potuerunt. Sed persecutori illorum temporum, quando occidebantur sancti, parum fuit dicere, Aufero quod habes. Torqueo, inquit, ligo, occido. Hoc qui non timuit, mundum vicit. Certamen pro veritate ad summum perduxerunt, qui usque ad ista certaverunt. Hoc est quod dicit in epistola ad Hebræos: *Nondum enim usque ad sanguinem adversùs peccatum certastis.* (Hebr. 12. 4. Certamen usque ad sanguinem.) Ipsi sunt perfecti, qui adversùs peccatum usque ad sanguinem certaverunt. Quid est adversùs peccatum? Adversùs magnum peccatum: adversùs negationem Christi. Nostis quomodo certaverit adversùs peccatum Susanna usque ad sanguinem. (Dan. 13.) Sed ne solæ feminæ hinc habeant consolationem, & viri de numero suo aliquid quærant tale, quale in Susanna exstitit: nostis quemadmodum Joseph contra peccatum usque ad sanguinem certavit. (Gen. 39.) Similis est caussa. Et illa habuit falsos testes eos ipsos, quibus consentire noluit, ne peccaret; & ille eam ipsam, cui noluit consentire. Utrique quibus non est ad peccatum consensum, falsum dixerunt testimonium; & qui audierunt crediderunt: sed Deum non vicerunt. Liberatur illa, liberatur & ille. Quid si & morerentur, nonne ampliùs liberarentur, quando securi coronarentur? Quare dixi, securi coronarentur? Quia nulla tentatio remaneret. Nam etsi liberata est Susanna, adhuc tentanda; & ipse Joseph adhuc tentandus liberatus est. Unde tentandus? quia *tentatio est vita humana super terram.* (Job. 7. 1.) Usque ad mortem tota tentatio: post mortem sola beatitudo; sed Sanctorum, quorum mors pretiosa est in conspectu Dei. Et illa ergo contra peccatum, id est contra adulterium, & ille contra tale peccatum, usque ad sanguinem certaverunt. Majus peccatum est Christum negare, quàm adulterium perpetrare. Adulterium carnis est, illicitè concumbere: adulterium cordis est, veritatem negare. In fide, in mente, ibi debet esse castitas. Prima ibi est parens Eva corrupta. Vis nosse in illa corruptione magnitudinem iniquitatis? Adtende in nobis, qui inde nati sumus, magnitudinem calamitatis. Verbi hujus mei sanctam Scripturam testem citabo: *A muliere*, inquit, *initium factum est peccati, & propter illam morimur omnes.* (Eccli. 25. 33.) Quod illa accepit in pœna, hoc contemnunt Martyres pro victoria. Mortem illis

[a] In antiquis Lectionariis locum iste Sermo cum subsequente occupat proximè ante Sermones de S. Laurentio; ibique inscribitur, *In Inventione S. Stephani*: quia videlicet in ea sollemnitate, de qua in Carthaginensi Kalendario nihil habetur, legi solebat. Habitus fuit ipso die quo Stephani reliquiæ collocatæ sunt in basilica eam ob caussam erecta, fortè apud Hipponem, ubi ejusdem Martyris *Memoria cœpit esse* versùs initium anni 415. ex lib. 22. de civitate Dei cap. 8.

[b] Sirmondus, *videntibus*. Plures MSS. *juvenibus*. V. Confess. l. 9. c. 7.

comminatus

comminatus est Deus, ne peccarent: mortem A Martyribus inimicus comminatus est, ut peccarent. Illi ut morerentur, peccaverunt: Martyres mortui sunt, ne peccarent. Unde illis pœna inflicta, inde istis gloria suscitata.

Martyrii quædam lucta in tentationibus quotidianis.

3. Certaverunt ergo, & vicerunt. Priores vicerunt: sed non pontem quo transiere præciderunt, & nostrum accessum prohibuerunt. Patet cui placet: nec qualem illi passi sunt, optanda est persecutio; sed quotidiana est humanæ vitæ tentatio. Aliquando ægrotat fidelis, & ibi est B tentator. Promittitur illi pro salute illicitum sacrificium, noxia & sacrilega ligatura, nefanda incantatio, magica consecratio promittitur, eique dicitur, Ille & ille pejùs te periclitati sunt, & sic evaserunt: fac, si vis vivere; morieris, si non feceris. Vide si non est, Morieris, si Christum non negaveris. Quod dicebat apertè Martyri persecutor, hoc tibi ex obliquo dicit occultus tentator. Fac tibi hoc remedium, & vives: nonne hoc est, Sacrifica, & vives? Si non feceris, morieris: nonne hoc est, Si non sacrificaveris, morieris? C Invenisti parem pugnam, quære parem palmam. In lecto es, & in stadio es; jaces, & luctaris. Permane in fide; & dum fatigatus es, vincis. Habetis ergo, Carissimi, non parvum solatium, orationum locum. Martyr Stephanus hîc honoretur: sed in ejus honore coronator Stephani adoretur.

* Aliàs de Diversis 51.

* SERMO CCCXIX.

De Stephano Martyre, VI.

Caput I. Stephani ad Judæos oratio quàm prudens.

1. DONET mihi Dominus pauca dicere D salubriter, qui donavit sancto Stephano tanta dicere fortiter. Sic cœpit ad suos persecutores loqui, quasi timeret eos: *Viri fratres & patres audite.* (Act. 7. 1.) Quid lenius? quid clementius? Conciliabat auditorem, ut commendaret Salvatorem. Blandè cœpit, ut diu audiretur. Et quia hinc fuerat accusatus, quòd verba dixerat contra Deum & legem, ipsam legem illis exposuit, ut ejus legis esset prædicator, cujus accusabatur esse vastator. Hoc & audivimus & audistis: non sunt nostra multa necessaria, quia multa audistis. Hoc tantùm exhortor ad Caritatem Vestram ædificandam, ut sciatis sanctum Stephanum honorem Christi quæsisse, ut sciatis sanctum Martyrem testem Christi fuisse, ut sciatis eum tanta tunc miracula in nomine Christi fecisse. Hoc enim salubriter scitis, Stephanum sanctum fecisse miracula in nomine Christi, nullum autem miraculum fecisse Dominum Christum in nomine Stephani: ut discernatis servum à Domino, cultorem à Deo, adoratorem ab adorando. Quando enim discernitis, tunc vos amat. Non enim pro se ille sanguinem fudit, sed pro Christo fudit.

Stephanus tamquam servus miracula facit in Christi nomine.

Caput II. Spiritum suum Christo commendat.

2. Videte cui animam suam commendaverit. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei.* (Act. 7. 55.) Vidit Christum confitens Christum, moriturus pro Christo, perrecturus ad Christum, & in extremis cùm ictus crebrescerent lapidum, & dura vulnera à duris cordibus jactarentur, vidit se vicinum, non exitio, sed exitui; vidit animam suam jam exituram, & commendavit eam. Cui? Illi quem vidit, illi quem coluit, illi cui servivit, illi cujus nomen prædicavit, illi pro cujus Evangelio animam posuit, illi commendavit ipsam animam. *Domine*, inquit, *Iesu, accipe spiritum meum.* Fecisti me victorem, recipe [a] in triumphum. *Accipe spiritum meum.* Illi persequuntur, tu suscipe: illi ejiciunt, tu intromitte. Dic spiritui meo, *Intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25. 21.) Hoc est enim, *Accipe spiritum meum.*

Quonam receptus ejus spiritus à Christo. * Caput III.

3. Sed spiritum illius quò accepit Jesus? in quam mansionem? in quod cælum cæli? quis comprehendit? quis explicat? * Vis audire * compendium? (* *f.* compendio.) Audi ipsum Christum: *Pater, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* (Johan. 17. 24.) Esse ubi est Christus, quæ potest comprehendere cogitatio? Cujus ad hoc explicandum sufficit sermo? Fidei commendetur, à lingua non exspectetur. Audistis, cùm Evangelium legeretur, *Vbi ego sum, illic & minister meus.* (Johan. 12. 26.) Græcum codicem legite, & diaconum invenietis. Quod enim interpretatus est Latinus, minister; Græcus habet, diaconus; quia verè diaconus Græcè, minister est Latinè: quomodo martyr Græcè, testis Latinè; apostolus Græcè, missus Latinè. Sed jam consuevimus nominibus Græcis uti pro Latinis. Nam multi codices Evangeliorum sic habent, *Vbi sum ego, illic & diaconus meus.* Hoc putate dictum, quia hoc est dictum, *Vbi sum ego, illic & diaconus meus.* Ergo bene diaconus ipsius, *Domine Iesu, accipe spiritum meum.* Tu promisisti, Evangelium legi, Evangelium prædicavi, *Vbi sum ego, illic & diaconus meus.* Exstiti tibi diaconus tuus, ministravi tibi sanguinem meum, posui pro te animam meam, redde mihi promissionem tuam.

Caput IV. Pro lapidatoribus suis cur genu fixo orat.

4. Et pro Judæis, pro lapidatoribus suis, pro cruentis cordibus, pro crudelibus animis quomodo oravit? Genu fixit. Tanta humilitas Stephani, magnus reatus est illius populi. Pro se stans rogavit, pro illis genu fixit. Illos sibi præposuit? Absit: non E est credendum. Diligebat inimicos: sed de proximo dictum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* (Matth. 22. 39.) Quare ergo genu fixit? Quia sciebat se pro sceleratis orare; & quantò erant illi maligniores, tantò se difficiliùs exaudiri. Dominus in cruce pendens, *Pater*, inquit, *ignosce illis*: (Luc. 23. 34.) Stephanus sub lapidibus genu fixo, *Domine ne statuas illis hoc delictum.* Secutus est vestigia pastoris sui, tamquam bona ovis: bonus agnus secutus est agnum, cujus sanguis tulit peccatum mundi. Implevit F quod ait apostolus Petrus, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* (1. Pet. 2. 21.)

Caput V. Stephanus in sua passione imitator Christi patientis.

5. Vide hominem sequentem vestigia Domini sui. Christus in cruce, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: Stephanus sub lapidibus, *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Christus in cruce, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: Stephanus sub lapidibus, *Domine Iesu ne statuas illis hoc delictum.* Quomodo posset iste G non ibi esse, ubi erat quem secutus est, ubi erat quem imitatus est?

Caput VI. Detectio corporis ejus

6. Triumphavit, coronatus est. Latuit tanto tempore corpus ejus, processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc commendo Caritati Vestræ, ut sciatis

[a] MSS. *recipe triumphum*: omisso *in*.

Classis III. — Orationes ipsius multa impetrant, non omnia.

quòd orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. Nam invenimus etiam in libellis qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi, & accepisse tamen postea beneficium, non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est, & dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, & responsum est illi, Pro qua oras non est digna, hoc & hoc fecit. Et tamen institit, rogavit, accepit. * Dedit nobis intelligere, quia in cujus nomine faciebat antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere. A B

* Caput VII.

Stephanus conservus noster, non pro Deo colendus.

7. Ille autem tamquam servus orat. Apocabatur Angelus quidam cum Johanne. Angeli tales sunt apud Deum, ut si boni fuerimus, & perfectè eum promeruerimus, Angelis æquemur: *Erunt*, dixit, *æquales Angelis Dei*. Angelus ostendebat multa miracula sancto Johanni Evangelistæ, turbatus miraculis adoravit eum. Adoravit homo Angelum; & Angelus homini, *Surge, quid facis? Illum adora: conservus enim tuus sum & fratrum tuorum.* * Si tanta humilitas apparuit in Angelo, quantam putatis esse debere in Martyre, sicut est? Non ergo credamus superbum esse Stephanum, cùm putamus quia virtute sua facit quod facit. Per conservum beneficia sumamus, honorem & gloriam Domino demus. Quid vobis plus dicam & multum loquar? Legite quatuor versus, quos in cella scripsimus, legite, tenete, in corde habete. Propterea enim eos ibi scribere voluimus, ut qui vult legat, quando vult legat. Ut omnes teneant, ideo pauci sunt: ut omnes legant, ideo publicè scripti sunt. Non opus est ut quæratur codex: camera illa codex vester sit. Aliquanto quidem temperiùs solito processimus: sed quia longa lectio recitata est, & graves æstus sunt, libellum beneficiorum Dei per ipsum, quem lecturi hodie fuimus, in diem Dominicum differamus. C D

Matth. 22. 30. — Apoc. 19. 10. — * Caput VIII.

* SERMO CCCXX.

* Aliàs de Diversis 29.

De homine sanato per orationes S. Stephani. Ubi Augustinus episcopus se excusat, quòd sermonem facere non potuerit.

Habitus ipso die Paschæ.

De miraculis Dei per orationes beatissimi Martyris Stephani libellos solemus audire. Libellus hujus, adspectus est; pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre soleatis, in præsenti gaudentes legite quod videtis: ut Dominus Deus noster abundantiùs honoretur, & quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur. Date veniam, quia diuturnum non reddo sermonem: nostis etenim fatigationem meam. Ut herì jejunus tanta agere possem & non deficere, ut & hodie vobiscum loquar, orationes sancti Stephani præstiterunt. Conversi ad Dominum, &c. E F

* SERMO CCCXXI.

Serm. de Sanctis. * Aliàs de Diversis 30.

Ubi libellum sanati hominis promisit, feriâ secundâ Paschæ.

Diximus quidem hesterno die, sicut meminit Caritas Vestra: Hujus libellus, adspectus est. Tamen quia nonnulla nobis indicavit, quæ nosse debetis, ad majorem admirationem & Domini nostri gloriam, de suorum sanctorum memoriis, de quibus dictum est, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, etiam libellum dare decet, qui habet omnia quæ ex ejus ore cognovimus. Sed si Dominus voluerit, hodie parabitur, & vobis die crastino recitabitur. B

Psal. 115. 15.

* SERMO CCCXXII.

* Aliàs de Diversis 31.

Ubi libellum promissum sanati hominis præsentavit, feriâ tertiâ Paschæ.

Hesterno die libellum promisimus Caritati Vestræ, ubi de illo sanato audire etiam possitis, quæ videre non potuistis. Si ergo placet Caritati Vestræ, immo quia placere debet quod & mihi placet, ambo fratres stent in conspectu vestro: ut qui illum non viderant, in isto videant quid ille patiebatur. Stent ergo ambo, unus cui donata est gratia, & alter, cui petenda est misericordia. C

Exemplar libelli à Paulo dati Augustino episcopo.

Rogo, Domine beatissime Papa Augustine, ut hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, sanctæ plebi jubeas recitari. D

Libellus. Confer lib. 22. de Civitate Dei cap. 8.

Cum adhuc in patria nostra Cæsarea Cappadociæ moraremur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit injuriis, intantum ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem feminei doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cúmque ad sacri baptismatis fontem post gallorum cantus memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei nescio quis in patrui nostri similitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, & ab ea prior quò pergeret requisivit. Cui illa, ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facilè invenire potuit, ut omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, & sparsis crinibus nudatisque uberibus hoc à Deo potissimùm postulavit, ut extorres patriâ & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur, eumdemque continuò fratrem nostrum ætate culpaque majorem tremor membrorum tantus invasit, quantum in me usque ante hoc triduum Vestra Sanctitas vidit. Servato autem ordine, quo nati eramus, intra unum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam & opprobrium hominum diutiùs ferre non potuit: sed laqueo gut- E G

CLASSIS III.

tur adſtringens, luctuoſam vitam termino funeſtiore concluſit. Egreſſi ergo nos omnes, opprobrium noſtrum non ferentes, & communem patriam relinquentes paſſim ſumus per diverſa diſperſi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui naſcendi quoque ordine primum ſequitur ad glorioſi Martyris Laurentii Memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata eſt, ſicut audivimus, meruit ſanitatem. Ego autem qui naſcendi ordine ſum ſextus illorum, cum hac ſorore mea, quæ me ætate ſubſequitur, ubicumque gentium, ubicumque terrarum loca eſſe ſacra, in quibus operaretur Deus miracula, comperiſſem, magno deſideratæ ſanitatis amore carpebam iter. Sed ut de ceteris celeberrimis ſanctorum locis taceam, etiam ad Anconam, Italiæ civitatem, ubi per glorioſiſſimum Martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divina prædeſtinatione ſervabar. Nec Uzalim civitatem Africæ prætermiſi, ubi beatus Martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Verumtamen ante hos tres menſes, id eſt, Kalendarum [a] Januariarum die, tam ego quàm ſoror mea, quæ hîc mecum eſt, eadem adhuc paſſione detenta, evidenti ſumus viſione commoniti. Ait enim mihi quidam adſpectu clarus, & candido crine venerabilis, quòd intra tertium menſem deſiderata eſſet mihi ſanitas adfutura. Sorori autem meæ in viſione Sanctitas tua in ea effigie, in qua te præſentes videmus, apparuit: per quod nobis ſignificatum eſt, ad iſtum locum nos venire debuiſſe. Nam & ego beatitudinem tuam ſæpius poſtea videbam per alias civitates in itinere, quo veniebamus, talem prorſus, qualem modò conſpicio. Admoniti ergo evidenti auctoritate divina, ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim. Paſſionis meæ vel oculi veſtri teſtes ſunt, vel miſerabilis ſoror mea, quæ ad eruditionem omnium, communis mali præbet exemplum: ut qui in illa qualis ego fuerim vident, in me quantum per Spiritum-ſanctum ſuum Dominus ſit operatus, agnoſcant. Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco ubi eſt Memoria glorioſiſſimi Martyris Stephani. Die autem Dominico Paſchæ, ſicut alii qui præſente erant, viderunt, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, ſubitò cecidi. Alienatus autem à ſenſu, ubi fuerim neſcio. Poſt paululum aſſurrexi, & illum tremorem in corpore meo non inveni. Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli: in quo etiam quæ de noſtris calamitatibus ignorabatis, & quod de mea incolumitate & ſalute cognoviſtis, exhibui: ut & pro mea ſorore orare dignemini, & pro me agere Deo gratias.

* Aliàs 31. de Diverſis.

* SERMO CCCXXIII.

Habitus poſt libellum de ſancto Stephano.

CAPUT I. Paternarum imprecationes in filios, quàm reformidandæ.

Miſericordia quidem Dei, Fratres, ſicut credendum eſt, omnes iſti fratres, quos unâ Dei ira materna plagâ percuſſit, ad hujus de quo gaudemus, quandoque perventuri ſunt ſanitatem. Verumtamen diſcant filii obſequi, timeant parentes iraſci. Scriptum eſt, *Benedictio patris firmat domum filiorum: maledictio matris eradicat fundamenta.* Modò iſti per terras in fundamentis patriæ ſuæ non ſunt: præbent ubique ſpectaculum, proponunt ſuum ſupplicium: præbent oculis miſeriam ſuam, terrent ſuperbiam alienam. Diſcite filii quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum. Sed & vos parentes, quando offendimini, parentes vos eſſe recordamini. Oravit mater contra filios, exaudita eſt; quia Deus verè juſtus eſt, quia verè injuriam paſſa fuerat. Unus ipſorum & verba contumelioſa & manus injecerat; & ceteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem reſponderunt. Juſtus Deus qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa miſera? Nonne unde citiùs exaudita, inde plus punita? Diſcite hoc petere à Deo, ubi non timeatis exaudiri.

Eccli. 3. 11.

CAPUT II. Sanitas duobus fratribus non impetrata Anconæ, ut iis Hippone concederetur.

2. Nos autem, Fratres, ſatagamus Domino Deo noſtro gratias referre pro illo qui ſanatus eſt; & pro illa quæ adhuc tenetur, preces fundamus. Benedicamus Deum, quia dignos nos habuit, ut hoc videremus. Quid enim ſumus, quia ego apparui iſtis neſciens? Illi enim me videbant, & ego neſciebam: & admonebantur, ut ad iſtam civitatem venirent. Quis ſum ego? Homo ſum unus de multis, non de magnis. Et verè, ut audiat Caritas Veſtra, multùm miror, & gaudeo nobis eſſe conceſſum: quoniam iſte homo nec Anconæ curari potuit; immo potuit, ſed propter nos factum non eſt, quia facillimè fieri potuit. Sciunt enim multi quanta miracula per beatiſſimum Martyrem Stephanum in iſta civitate fiant. Et audite quod miremini: Memoria ejus antiqua ibi erat, & ipſa eſt ibi. Sed fortaſſe dicis, Corpus ejus nondum apparuerat, Memoria ibi unde erat? Latet quidem cauſſa: ſed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo Caritati Veſtræ. Quando lapidabatur ſanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maximè de iis qui jam in Chriſtum crediderant, circumſtabant: dicitur lapis veniſſe in cubitum, & excuſſus inde veniſſe ante quemdam religioſum. Tulit illum, & ſervavit. Homo erat de navigantibus, ſors navigationis adtulit illum ad littus Anconæ, & revelatum eſt illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, & fecit quod juſſum eſt: ex illo cœpit eſſe ibi Memoria ſancti Stephani, & rumor erat, quia brachium ſancti Stephani ibi eſt, neſcientibus hominibus quid contigiſſet. Verùm autem intelligitur propterea ibi fuiſſe revelatum, ut ibi poneret lapidem qui de cubito Martyris excuſſus eſt, quia Græcè cubitum ἀγκὼν dicitur. Sed qui ſciunt quæ ibi miracula fiant, ipſi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri iſta miracula, niſi poſteaquam corpus ſancti Stephani apparuit. Ecce ibi non eſt curatus iſte juvenis, ut noſtris oculis ſervaretur.

Memoria Stephani qua occaſione apud Anconam ante corporis ejus detectionem exſtructa.

De miraculis apud Uzalim factis.

3. Apud Uzalim ubi eſt epiſcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quærite, & invenietis. Prætermiſſis autem aliis, indico vobis unum quod ibi factum eſt, ut videatis quanta ſit

[a] In priùs editis, *Juniarum.* Erratum ſanè, pro *Januariarum* aut *Februariarum.* Id ſiquidem agebatur feriâ tertiâ Paſchæ, anno forſitan 425. quo Paſcha in Aprilis diem 19. incidit. Hoc ipſum miraculum Auguſtinus in libro 22. de civitate Dei. c. 8. ſub finem anni 426. conſcripto narravit, poſtquam ibidem paulò antè de libellis dati ſolitis, ac de Memoria Stephani Hippone-regio exſtructa dixiſſet, *Nec tamen omnia* miracula ſanitatum *colligi potuerunt, ſed tantum de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri volumus &c. Nondum eſt autem biennium, ex quo apud Hipponem-regium cœpit eſſe iſta Memoria &c.*

Classis III. *Caput III.

ibi præsentia majestatis. * Mulier quædam subitò ægrotum filium, cui succurrere festinando non potuit, in gremio suo catechumenum amisit: quæ clamans, Mortuus est, inquit, filius meus catechumenus.

Populi clamor ex subita curatione puellæ exortus.

4. Et cùm hæc diceret Augustinus, populus de Memoria sancti Stephani clamare cœpit, Deo gratias, Christo laudes. In quo continuo clamore, puella quæ curata est ad absidam perducta est. Qua visa, populus cum gaudio & fletu, nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito, aliquamdiu clamorem protraxit: & silentio facto, Augustinus episcopus dixit, Scriptum est in Psalmo, *Dixi, Proloquar adversùm me delictum meum Domino Deo meo, & tu dimisisti impietatem cordis mei.* Dixi, Proloquar: nondum prolocutus sum: Dixi, Proloquar, & tu dimisisti. Commendavi istam miseram, immo ex misera, commendavi eam vestris orationibus. Disposuimus orare, & exauditi sumus. Sit gaudium nostrum actio gratiarum. Citiùs exaudita est mater Ecclesia, quàm in perniciem maledicta mater illa. Conversi ad Dominum, &c.

Psal. 31. 5.

Aliàs 33. de Diversis.

* SERMO CCCXXIV.

Quo Augustinus complet partem Sermonis mox præcedentis miraculo interrupti.

Debet à nobis hesternus Sermo compleri, qui majori interruptus est gaudio. Statueram enim & cœperam loqui Caritati Vestræ, quare mihi videntur isti fratres divina auctoritate ad hanc civitatem esse directi, ut hîc in eis diu optata & exspectata sanitas impleretur. Et hoc volens dicere, priùs commendare cœperam Caritati Vestræ loca sancta, in quibus non sunt sanati, & ad nos inde sunt directi. Et dixi de Ancona civitate Italiæ: cœperam de Uzali civitate dicere, quæ est in Africa; (Episcopum habet fratrem meum, quem nostis, Evodium;) quia & ad illam civitatem eos venire, fama ejusdem Martyris & operum ejus compulisset. Non est illic datum quod dari potuit, ut hîc daretur ubi dari debuit. Cùm autem opera divina per sanctum Martyrem commemorare breviter vellem, omissis ceteris, unum institueram dicere: quod cùm dico, restituta illi puellæ sanitate, subitò lætitiæ tumultus exortus est, & nos aliter compulit finire Sermonem. Ergo tale ibi miraculum scimus factum inter multa alia, quæ commemorari utique cuncta non possunt. Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium catechumenum infantem lactentem. Quæ cùm vidisset amissum & irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quàm * mater. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro sæculo, & hanc sibi ablatam & perisse plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, & cucurrit ad Memoriam beati Martyris Stephani, & cœpit ab illo exigere filium, & dicere, Sancte martyr, vides nullum mihi remansisse solatium. Non enim possum dicere filium præcessisse, quem nosti perisse: tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conspectum coronatoris tui. Hæc & talia cùm precaretur, lacrymis quodam modo non petentibus, sed ut dixi, exigentibus, revixit filius ejus. Et quia dixerat, Nosti quare illum quæram: ostendere voluit etiam Deus verum animum ipsius. Continuò tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus sacramentis, assumtus est. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tamquam non deduceret ad requiem sepulcri, sed ad sinum Martyris Stephani. Probatum est cor fidele mulieris. Ubi ergo tale miraculum fecit Deus per Martyrem suum, non potuit ibi istos curare? Et tamen huc nobis directi sunt. Conversi ad Dominum, &c.

Miraculũ apud Uzalim factũ.

** f. maternè.*

Serm. de Sanctis.

Parvulo ante baptismum extincto vita reddita, ut sacramenta perciperet.

Aliàs 30. ex Sirmondianis.

* SERMO CCCXXV.

In Natali [a] viginti Martyrum.

Sollemnitates Martyrum cur institutæ.

1. Die sollemni sanctorum Martyrum debitus Sermo reddendus est. De gloria Martyrum locuturos, breviter justam caussam martyrum locuturos, adjuvent nos orationes Martyrum. Hoc enim per istas sollemnitates commemorari debet Sanctitas vestra, primùm ne arbitremur aliquid nos conferre Martyribus, quia eorum dies sollemnissimos celebramus. Illi nostris festivitatibus non egent, quia in cælis cum Angelis gaudent: congaudent autem nobis, non si honoremus eos, sed si imitemur eos. Quamquam & quòd honoramus, nobis prodest, non illis. Sed honorare, et non imitari, nihil est aliud quàm mendaciter adulari. Ad hoc ergo istæ festivitates in Ecclesia constitutæ sunt Christi, ut per eas congregatio membrorum Christi admoneatur imitari Martyres Christi. Hæc est omnino hujus festivitatis utilitas, alia non est. Si enim nobis proponatur imitandus Deus, respondet humana fragilitas, multum esse ad se imitari eum, cui non potest comparari. Si deinde ipsius Domini nostri Jesu Christi ad imitationem nobis proponatur exemplum, qui propterea cùm Deus esset, mortali carne vestitus est, ut hominibus mortalem carnem gerentibus insinuaret præceptum, & demonstraret exemplum: de quo etiam scriptum est, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus:* tamen & hîc adhuc respondet humana fragilitas, Quid simile ego & Christus? Ille etsi caro, tamen Verbum caro. *Verbum enim caro factum, ut habitaret in nobis:* quod carnem assumsit, non Verbum perdidit: quod non erat accepit, non quod erat amisit. *Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quid ergo simile ego & Christus? Ad tollendas igitur omnes excusationes infidelis infirmitatis, Martyres nobis stratam construxerunt. Lapideis enim tabulis construenda erat, qua securi ambularemus. Ipsi fecerunt sanguine suo, confessionibus suis. Denique contemtis corporibus suis, venienti ad gentes lucrandas Christo, tamquam in jumento illo sedenti, corpora sua sicut vestimenta straverunt. Quis est, quem pudeat dicere, Impar sum Deo? Planè impar. Impar sum Christo? Etiam mortali Christo impar. Petrus hoc erat quod tu, Paulus hoc erat quod tu, Apostoli & Prophetæ hoc erant, quod tu. Si piget imitari

1. Petr. 2. 21.

Johan. 1. 14.

2. Cor. 5. 19.

[a] Hos Baronius eosdem censet cum Martyribus viginti, qui apud Tarsum Ciliciæ passi sub Diocletiano leguntur die 6. Junii. Diversos esse, certiùs videri sibi monet Sirmondus, cujus nos opinioni faciliùs accedimus. Horum Martyrum Memoriam Hippone celeberrimam fuisse docet Augustinus, illustre quod in ea contigerat, miraculum commemorans in lib. 22. de civitate Dei cap. 8. Ad istam basilicam dictus fuit Sermo 148. De iisdem viginti Martyribus fortè est Sermo subsequens.

CLASSIS III.

Dominum, imitare conservum. Præcessit agmen servorum, sublata est excusatio pigrorum. Postremò adhuc dicit, Impar sum Petro, impar sum Paulo. Impar es[a] veritati? Coronatur rusticitas, non excusatur vanitas. Postremò impar es pueris? impar es puellis? impar es sanctæ Valerianæ? Si adhuc sequi piget, non vis adhærere Victoriæ? Sic enim nobis sanctorum viginti Martyrum series recitata est. Cœpit ab episcopo Fidentio, clausit ad fidelem feminam sanctam Victoriam. Initium à fide, finis ad victoriam.

In Martyriis non pœna attenditur, sed caussa.

2. Videte ergo Fratres: sic celebrate passiones Martyrum, ut cogitetis imitari Martyres. Illi ut fructuosam haberent pœnam, elegerunt caussam. Adtenderunt enim Dominum dicentem, non *Beati qui persecutionem patiuntur*; sed *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* (Matth. 5. 10.) Elige caussam, & non cures pœnam. Si autem non eligis caussam, & hîc & in futuro invenies pœnam. Non te commoveant supplicia & pœnæ malefacientium, sacrilegorum, hostium* pacis, & inimicorum veritatis. Non enim illi pro veritate moriuntur: sed ideo moriuntur, ne veritas annuntietur, ne veritas prædicetur, ne veritas teneatur, ne unitas ametur, ne caritas diligatur, ne æternitas teneatur. O caussa pessima! ideo pœna infructuosa. Non adtendis, qui te de pœna jactas, tres cruces fuisse, quando Dominus passus est? Inter duos latrones passus est Dominus: pœna non discernebat, sed caussa discernebat. Ideo Martyrum vox est in illo Psalmo, *Judica me, Deus.* (Psal. 42. 1.) Non timet judicium: non enim habet, quod in illo ignis absumat; ubi totum aurum est, flamma quid formidatur? *Judica me, Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta.* Numquid dixit, Discerne pœnam meam? Diceretur ei, Pœnam passus est latro. Numquid ait, Discerne crucem meam? *Ibi & adulter inclusus est. Numquid dixit, Discerne catenam meam? Ibi fures etiam colligati sunt. Numquid dixit, Discerne vulnus meum? Ferro etiam scelerati necati sunt. Cùm ergo videret omnia bonis malisque communia in passionibus, exclamavit, & ait, *Judica me, Domine, & discerne caussam meam de gente non sancta.* Si discernis caussam meam, coronas patientiam meam. Hæc Caritati Vestræ pro exhortatione in hoc sancto loco sufficiant; quoniam dies parvi sunt, & adhuc nobis in majore basilica restant quæ agamus cum Caritate Vestra.

* Donatistarum falsis martyres carpit.

* Aliqua hic desiderantur.

*SERMO CCCXXVI.

In natali [b] Martyrum.

* Aliàs 30. ex Vignerianis.

b Martyres ad felicitatem expediti cucurrerunt.

1. SOLLEMNITAS beatissimorum Martyrum lætiorem nobis reddidit diem. Lætamur, quia de terra laboris ad regionem quietis Martyres transierunt: sed hoc non saltando, sed orando; non potando, sed jejunando; non rixando, sed tolerando meruerunt. Contristabantur, credo, parentes eorum, quando ad passionem abierunt: sed illi lætabantur, & dicebant, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* (Psal. 121. 1.) Nolite parentes, nolite plangere gaudia nostra. Si eos quos nutristis, non vultis in gehennam ire; imitari debetis, non impedire. Illi noverant quò pergebant, & parentes increduli sine caussa plangebant. Sed tunc amantes filios carnales lugebant: postea credentes in Deum dicebant, *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitiâ.* (Psal. 29. 12.) Utinam, Fratres, rumpatur in nobis saccus pænitentiæ, & effundatur pretium indulgentiæ. Martyres omnes sarcinas lucrorum sæculi hujus hîc posuerunt, hîc dimiserunt, & viam quæ ducit ad vitam, expediti sicut boni milites cucurrerunt; sicut scriptum est, *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* (2. Cor. 6. 10.) Et verè in terra nihil habebant, sed in cælo felicitatem perpetuam possidebant. Ad cælum devotè festinabant, & viam vitæ securi currebant; & adhuc longè positi manus ad palmam extendebant. Currite sancti; sic currite, ut comprehendatis. *Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud.* (Matth. 11. 12.) Non est angustum: quisquis beatus vult esse, ad regnum cælorum festinet. Nulli clausum est, nisi ei qui se excluserit. Paratus est Christus suscipere confessores suos. Ipse de super dicit, Specto vos, certantes adjuvabo, vincentes coronabo.

Persecutoris interrogationes & Martyrum responsa.

2. Hanc pollicitationem Martyres tenentes, terrores & minas persecutoris pro nihilo habuerunt. Nam cùm persecutor diceret, *Sacrificate idolis*: responderunt, *Non facimus, quia æternum Deum in cælis habemus, cui semper sacrificamus; nam dæmoniis non immolamus.* Et judex, *Quare ergo contra præceptum sacrum facitis?* Responderunt, *Quia Magister cælestis in Evangelio nobis dicit, Qui reliquerit patrem & matrem, & uxorem & filios, & omnia quæ possidet, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* (Matth. 19. 29.) Et judex, *Ergo non obtemperabitis præceptis imperatorum?* Et responderunt, *Non.* Et ille, *Quam ergo auctoritatem potestis habere, cùm vos videatis supplicio subjacere?* Et Martyres dixerunt, *Auctoritatem Regis æterni portamus, ideo auctoritatem mortalis hominis non curamus.* Tunc in carceribus missi, catenis onerati sunt. Quantùm dictum est ab impiis, *Ubi est Deus eorum?* (Psal. 113. 3.) Veniat Deus eorum, in quem crediderunt, & liberet eos de carceribus, eripiat eos à gladio, eripiat eos à bestiis. Omnia ista dicebant, sed in petra positos non dejiciebant. Illi sæviebant, sed illi non timebant. Sciebant ubi eos dimittebant, & quò festinabant. Coronantur Martyres confessores, & remanserunt judices desertores. Sic Deus vult unumquemque Christianum probare, ut probatum velit cum Martyribus coronare.

*SERMO CCCXXVII.

In Natali Martyrum.

* Aliàs 17. ex Sirmondianis.

1. CANTAVIMUS Deo Martyrum voce, *Judica me, Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta.* (Psal. 42. 1.) Martyrum vox est. Quis audeat dicere, *Judica me Deus*, nisi qui habet optimam caussam? Promissis & mi-

Martyres à sceleratis discernit, non pœna, sed caussa.

[a] Victorinus MS. *Impar es postea veritati.* Fortè legendum, *Impar es rusticitati?*

[a] Eorumdem fortè viginti Martyrum, de quibus est Sermo superior, qui hunc 326. in Victorino codice proximè antecedit. Et sanè in Theodericensi MS. post superiorem illum Sermonem subsequitur cento quidam diversis constans Augustini excerptis, cui titulus, *Item Sermo beati Augustini episcopi, in Natali sanctæ Victoriæ Martyris*, unius scilicet ex viginti Martyribus. Tum isti centoni subjicitur noster hic 326. Sermo cum hoc titulo, *Item Sermo cujus supra, de eodem unde suprà.* Consentit verus codex Remigiensis.

CLASSIS III.

nis tentatur anima, mulcetur illecebris, torquetur doloribus: omnia pro Christo victa sunt ab invictis Martyribus. Victus est promittens mundus, victus est sæviens mundus. Non tenuit voluptas, non terruit cruciatus. Aurum in fornace purgatum ignem gehennæ non timet. Ideo tamquam purgatus igne tribulationis beatissimus Martyr securus dicit, *Iudica me Deus.* Quidquid in me inveneris bonum, judica. Donasti mihi quod tibi placeat; inveni in me, & judica me. Non me tenuit dulcedo sæculi, non me à te detorquet tribulatio sæculi. *Judica me, & discerne caussam meam de gente non sancta.* Multi patiuntur tribulationes; parem habent pœnam, sed parem non habent caussam. Multa mala patiuntur adulteri, multa mala patiuntur malefici, multa mala patiuntur latrones & homicidæ, multa mala patiuntur scelerati omnes, multa mala, inquit, & ego martyr tuus patior: sed *discerne caussam meam de gente non sancta*, latronum, homicidarum, scelestorum omnium. Pati talia, qualia ego, possunt: habere talem caussam non possunt. Ego in fornace purgor; illi cinerescunt. Et hæretici patiuntur, & plura à se ipsis; & volunt martyres dici. Sed contra illos cantavimus, *Discerne caussam meam de gente non sancta.* Non facit Martyrem pœna, sed caussa.

Crucifixorum cum Domino una pœna fuit, sed dispar caussa.

Luca 23. 39. &c.

2. In passione Domini tres cruces erant; una pœna, sed dispar caussa. Ad dexteram unus latro, ad sinistram alter latro: in medio judex, inter ambos pendens in cruce, quasi pronuntians de tribunali, audivit unum dicentem, *Libera te, si justus es*; audivit alterum parem suum corripientem & dicentem, *Tu non times Deum? Nos pro malis nostris ista patimur; nam iste justus est.* Malam habebat caussam, & discernebat Martyrum caussam. Quid est enim aliud, *Nos pro malis nostris ista patimur; nam iste justus est?* Quis caussam discerneret Martyrum à caussa impiorum pœnam patientium? Iste, inquit, justus agnoscitur nos pro nobis patimur pro malis nostris patimur. *Domine:* Vide quid dicat socio pœnæ suæ. Christus pariter pendebat; sed non pariter vilescebat. Agnoscebatur Dominus à pendente. Unum erat crucis consortium; non erat unum præmium. Quid dico? Das Christo præmium, qui dator est præmiorum? *Domine*, inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Pendentem videbat, crucifixum videbat; & regnaturum sperabat. *Memento*, inquit, *mei*, non modò, sed *cùm veneris in regnum tuum.* Multa, inquit, mala feci, requiem celerem non mihi spero: sufficiant tormenta mea usque ad adventum tuum. Modò torquear; cùm veneris, tunc mihi parce. Ille se differebat: sed Christus paradisum non petenti offerebat. *Memento mei:* sed quando? *cùm veneris in regnum tuum.* Et Dominus, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Discipuli mei dimiserunt me, discipuli mei desperaverunt de me; & tu in cruce cognovisti me, non contemsisti moriturum, sperasti regnaturum: *Hodie mecum eris in paradiso.* Non à te recedo. Discreta est caussa; numquid pœna? Bona ergo vox, *Iudica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta.* Omnes qui vivimus in hoc sæculo, laboremus ut bonam caussam habeamus: ut si quid nobis acciderit in hoc sæculo, cum bona caussa hinc exeamus.

SERM. DE SANCTIS. * Aliàs de Diversis 117.

* SERMO CCCXXVIII.

In Natali Martyrum.

CAPUT I. Psal. 115. 15. Christus prior passus patientiæ di virtutem Martyribus dedit.

1. IN Psalmo diximus Domino Deo nostro, *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Pretiosa est mors sanctorum Martyrum; quia pretium eorum est sanguis Domini ipsorum. Passus est enim passione sua, quia erant passuri post ipsum. Præcessit ipse, & secuti sunt multi. Valde enim erat aspera via: sed fecit ipsam lenem, quando ipse ante omnes transivit. Ideo ceteri non timuerunt transire, quia ipse prior transivit. Mortuus est enim, & terruit discipulos suos. Resurrexit, & abstulit illis timorem, & dedit amorem. Quando enim mortuus est Christus, trepidaverunt discipuli, & putaverunt quòd periit. Quando secuti sunt, ibi videte gratiam Dei. Tunc latro credidit, quando discipuli trepidaverunt. Erat enim unus latro in cruce cum illo, sicque in illum credidit, ut diceret, *Domine in mente me habe, dum veneris in regnum tuum.* Quis illum docebat, nisi qui juxta illum pendebat? Erat enim illi fixus à latere: sed habitabat in corde.

Luca 23. 42.

Psal. 115. 11.

2. In isto autem Psalmo, ubi diximus, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus:* ibi scriptum est & quod audistis, *Ego dixi in ecstasi mea, Omnis homo mendax.* * Quid dicimus, Fratres? *Omnis homo mendax.* Ergo & Martyres mendaces fuerunt? Si autem Martyres veraces fuerunt; quomodo verum est, *Omnis homo mendax?* Scriptura dicit, *Omnis homo mendax.* Si dixerimus, Veraces erant Martyres; Scripturam facimus mendacem. Si autem verum dixit Scriptura, quia *omnis homo mendax*; ergo Martyres mendaces fuerunt. Quomodo ergo habemus ostendere & Scripturam veracem & Martyres veraces? An fortè Martyres non fuerunt homines? Si autem erant homines, quomodo verum est, *Omnis homo mendax?* Quid ergo faciemus? Laborabimus, ut ostendamus vobis quia & Scriptura vera est, & *omnis homo mendax*; & Martyres veraces fuerunt, quia pro veritate mortui sunt? Ideo enim sunt Martyres, quia pro veritate passi sunt. Martyr enim est verbum Græcum, & Latinè testis dicitur. Si ergo veri testes fuerunt, vera dixerunt; & vera dicendo coronas acceperunt. Si autem testes falsi fuerunt, quod absit, non ad coronas, sed ad pœnas ierunt: quia scriptum est, *Testis falsus non erit impunitus.* Ergo ostendamus illos veraces. Jam ipsi se ostenderunt, quando pro veritate etiam mori voluerunt. Quomodo ergo verax est Scriptura, quæ dicit, *Omnis homo mendax?* Rogemus Dominum nostrum Jesum Christum; & ipse nobis solvet istam quæstionem. Unde habet illam nobis solvere? De Evangelio, de quo modò loquebamur, quando vobis legebatur.

* CAPUT II. Martyres quomodo veraces, si omnis homo mendax.

Martyr Græcè, Testis Latinè.

Prov. 19. 5.

CAPUT III. Matth. 10. 19. & 20. Veraces Martyres, quia in eis Spiritus Dei loquebatur.

3. Audistis enim, quando legebatur Evangelium, quia Martyribus dicebat Dominus Jesus, *Cùm tradent vos, nolite cogitare quid loquamini, aut quid dicatis; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quia si vos loquimini, mendacium dicitis: quia *omnis homo mendax.* Vidit ergo ipse Dominus, quia *omnis homo mendax*, & dedit Marty-

CLASSIS III.

ribus Spiritum suum; ut non ipsi loquerentur, sed Spiritus ejus: ut non essent mendaces, sed ut essent veraces. Ecce quare veraces fuerunt; quia non ipsi loquebantur, sed Spiritus ejus. Et modò quod vobis loquimur, si de nostro loquimur, mendacium dicimus. Si autem sunt Spiritûs Dei, quæ vobis dicimus, ideo vera sunt. Et vos proficite: nolite de vestro velle loqui, si vultis vera loqui; ut non remaneatis homines mendaces, sed sitis filii Dei veraces.

CAPUT IV. *Pro veritate pati, Martyrum est; pro falsitate, etiam impiorum.*

4. Omnes hæretici etiam pro falsitate patiuntur, non pro veritate: quia mentiuntur contra ipsumChristum. Omnes pagani, impii quæcumque patiuntur, pro falsitate patiuntur. Nemo ergo se extollat & glorietur de passione, sed priùs ostendat linguæ suæ veritatem. Tu ostendis pœnam, ego quæro caussam. Tu dicis, Sum passus: ego dico quare sis passus. Nam si adtendamus solas passiones, coronantur & latrones. Numquid audet dicere ille, Tanta & tanta passus sum? Quare? Quia dicitur illi, Propter facta tua mala: ideo malam habuisti pœnam, quia priùs malam habuisti caussam. Si de passione gloriandum est; potest & ipse diabolus gloriari. Videte quanta patitur, cujus ubique templa evertuntur, cujus ubique idola franguntur, cujus ubique sacerdotes & arreptitii cæduntur. Numquid potest dicere, Et ego martyr sum, quia tanta patior? Ergo homo Dei priùs sibi eligat caussam, & securus accedat ad pœnam. Quia si in bona caussa accedit ad pœnam, post pœnam accipiet & coronam.

Caussa patientiæ bona eligatur.

CAPUT V. *Psal. 111. 7. Judicii futuri certitudo.*

5. Ergo *in memoria æterna erit justus, & ab auditu malo non timebit.* Venit enim judex omnium vivorum & mortuorum, sicut in Evangelio legimus. Et verum est, quoniam ista quæ modò videmus, non erant quando futura dicebantur. Quod videtis modò prædicari nomen Christi per omnes gentes, converti homines ad unum Deum, dimitti idola, dimitti dæmonia, everti templa, frangi simulacra; omnia ista nondum erant, tamen dicebantur, & modò videntur. In quibus ergo litteris scripta sunt ista, quæ jam videmus, (tunc autem scripta sunt, quando non videbantur, sed futura promittebantur,) in ipsis litteris legimus quod nondum venit. Nondum enim venit dies judicii, nondum venit resurrectio mortuorum, nondum venit judicaturus, qui priùs venerat judicandus. Judicatus injustè, judicaturus justè. Differens potentiam, cùm vult ostendere patientiam. Venturus est ergo, & quomodo se promisit esse venturum cum Angelis suis, sic veniet, & apparebit in claritate omnibus etiam resurgentibus. * Unusquisque enim resurrecturus est cum caussa sua. Qualis enim modò cùm moritur recipitur in carcerem, talis procedit ad judicem. Modò opus est ut componat caussam suam, inclusus non potest. Qui ergo bonas habent caussas, recipiuntur in requiem: qui autem malas habent caussas, recipiuntur in pœnas. Sed majores pœnas passuri sunt, cùm resurrexerint: in quarum comparatione tales sunt istæ quas patiuntur qui mortui sunt homines mali, qualia sunt somnia hominum qui torquentur in somnis. Animæ namque eorum patiuntur, caro non patitur. Major autem cruciatus est, si vigilans torqueatur. * Ergo cùm resurrexerint omnes, & apparuerint ante judicem justum, sicut ipse prædixit, separabit eos sicut pastor separat oves ab hœdis: hœdos ponet ad sinistram, oves autem ad dexteram. Et dicet his qui ad dexteram sunt, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad istam vocem gaudent dexteri, gaudent justi. Illis autem qui sunt à sinistra dicturus est, *Ite in ignem æternum cum diabolo & angelis ejus.* Ab hoc auditu malo justus non timebit.

CAPUT VI. Resurrectio cujusque cum caussa sua.

Dammatorum tormentio res pœnæ post resurrectionem.

CAPUT VII.

SERM. DE SANCTIS. *Matth. 25. 32.*

6. Nondum ergo receptis * fructibus suis beati sunt modò sancti Martyres, quoniam cum Christo sunt animæ eorum. Quid autem paretur illis in resurrectione, quis potest verbis explicare? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Si tanta bona quæ accepturi sunt fideles boni, nemo explicat verbis; non sine caussa talia illis præmia præparantur, qui usque ad sanguinem pro veritate certaverunt. Non eos mundus illexit, non eos terror fregit, non tormenta vicerunt, non blanditiæ deceperunt. Corpora ipsa sua habebunt magna ornamenta, in quibus passi sunt magna tormenta.

Martyrum beatitudo & gloria post resurrectionem major. * *f.* corporibus. *Isai. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.*

* SERMO CCCXXIX.

In Natali Martyrum.

* *Aliàs 33. ex Vignerianis.*

1. PER tam gloriosa sanctorum Martyrum gesta, quibus ubique floret Ecclesia, ipsis oculis nostris probamus quàm verum sit quod cantavimus, quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus:* quando & in conspectu nostro pretiosa est, & in conspectu ejus, pro cujus nomine facta est. Sed pretium mortium istarum mors est unius. Quantas mortes emit unus moriens, qui si non moreretur, granum frumenti non multiplicaretur? Audistis verba ejus cùm appropinquaret passioni, id est, cùm nostræ appropinquaret redemtioni: *Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Egit enim in cruce grande commercium; ibi solutus est sacculus pretii nostri: quando latus ejus apertum est lanceâ percussoris, emanavit inde pretium totius orbis. Emti sunt fideles & Martyres: sed Martyrum fides probata est; testis est sanguis. Quod illis impensum est, reddiderunt, & impleverunt quod ait sanctus Johannes: *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et alibi dicitur, *Ad mensam magnam sedisti, diligenter considera quæ apponuntur tibi, quoniam talia te oportet præparare.* Mensa magna est, ubi epulæ sunt ipse dominus mensæ. Nemo pascit convivas de se ipso: hoc facit Dominus Christus; ipse invitator, ipse cibus & potus. Agnoverunt ergo Martyres quid comederent & biberent, ut talia redderent.

Pretiosa mors Martyrum emta pretio mortis Christi. Psal. 115. 15. Johan. 12. 24. & 25. 1. Johan. 3. 16. Prov. 23. 1.

2. Sed unde talia redderent, nisi ille daret unde redderent, qui prior impendit? Unde & Psalmus, ubi scriptum cantavimus, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, quid nobis commendat? Consideravit illic homo quanta accepit à Deo: circumspexit quanta munera gratiæ omnipotentis qui eum creavit, qui perditum quæsivit, qui invento veniam dedit, qui pugnantem infirmis viribus juvit, qui se periclitanti non subtraxit, qui vincentem coronavit, cui præmium se ipsum dedit: consideravit hæc omnia, & excla-

Martyres non ex se, sed ex Dei gratia victores.

mavit, & dixit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nolebat esse ingratus, rependere volebat, & quid rependeret non habebat. Non dixit, *Quid retribuam Domino* pro omnibus quæ tribuit mihi, sed *pro omnibus quæ retribuit mihi.* Non tribuit, sed retribuit. Si retribuit, aliquid nos impenderamus. Planè impenderamus mala nostra, retribuit bona sua: retribuit enim bona pro malis, cùm nos retribuerimus mala pro bonis. Quærit ergo quid retribuat; angustias patitur, unde debitum solvat non invenit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et quasi invenerit quod retribueret, *Calicem*, inquit, *salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Quid est hoc? Certè reddere cogitabat. Adhuc quærit accipere: *Calicem salutaris accipiam.* Quis est calix iste? Calix passionis amarus & salubris: calix quem nisi priùs biberet medicus, tangere timeret ægrotus. Ipse est calix iste: agnoscimus in ore Christi calicem istum dicentis,

Matth. 26. 39.

Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Nam & filii Zebedæi per matrem suam quæsierunt excelsa loca, ut unus eorum sederet à dextris, alius

Matth. 20. 22.

à sinistris: quibus ille ait, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Altitudinem quæritis? Per vallem venitur ad montem. Sedem quæritis claritatis? Priùs bibite calicem humilitatis. De ipso calice dixerunt Martyres, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Non ergo times ne ibi deficias? Non, inquit. Quare? Quia *nomen Domini invocabo.* Quomodo vincerent Martyres, nisi ille in Martyribus vinceret qui

Johan. 16. 33.

dixit, *Gaudete, quoniam ego vici sæculum?* Imperator cælorum regebat mentem & linguam eorum, & per eos diabolum in terra superabat, & in cælo Martyres coronabat. O beati qui sic biberunt calicem istum! finierunt dolores, & acceperunt honores. Adtendite ergo, Carissimi: quod oculis non potestis, mente & animo cogitate, & videte quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

* Aliàs 29. ex Sirmondianis.

* SERMO CCCXXX.

In Natali [a] *Martyrum.*

a

1. BEATORUM sollemnitas Martyrum, & exspectatio Sanctitatis Vestræ de nobis sermonem flagitat. Intelligimus enim nos quod huic diei congruit disputare debere. Hoc vultis, hoc volumus: hoc faciat in cujus manu sunt & nos & sermones nostri; donet facultatem, qui tribuit voluntatem. * In hoc enim

F[illegible] quæ hic prætermissa.

Martyres flagraverunt: invisibilium enim amore succensi visibilia contempserunt. Quid amavit in se, qui contempsit & se, ne perderet se? Templa enim Dei erant, & Deum verum in se habitare sentiebant; ideo falsos deos non colebant. Audierant, sitienter hauserant, medullisque intimis cordis tradiderant, sibique quodam modo invi-

Matth. 16. 24.

sceraverant, quod Dominus dixit, *Si quis vult venire post me, neget semetipsum. Neget*, inquit, *semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hinc aliquid volo dicere, & terret me vestra intentio, jubet oratio.

2. Quid est, rogo vos, *Si quis vult post me venire, neget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me?* Intelligimus quid est, *Tollat crucem suam:* sustineat tribulationem suam: tollat enim est ferat, sufferat. Patienter, inquit, accipiat omnia quæ patitur propter me. *Et sequatur me.* Quò? Quò eum novimus isse post resurrectionem. Ascendit enim in cælum, & sedet ad dexteram Patris. Ibi nos etiam collocavit. Interim præcedat spes, ut sequatur res. Quomodo debeat præcedere spes, noverunt qui audiunt, Sursum cor. Restat autem quærere, quantum adjuvat Dominus, & discutere, & illo aperiente intrare, & illo donante invenire, & vobis quod invenire potuerimus depromere, quid sit quod ait, *Neget se.* Quomodo negat se qui amat se? Ita vero rationis est, sed humanæ: homo mihi dicit, Quomodo negat se qui amat se? Sed dicit Deus homini, Neget se, si amat se. Amando enim se, perdit se: negando se, invenit se. *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam.* Jussit qui novit quid jubeat, quia scit consulere qui novit instruere, & novit reparare qui dignatus est creare. *Qui amat, perdat.* Luctuosa res est perdere quod amas. Sed interdum & agricola perdit quod seminat. Profert, spargit, abjicit, obruit. Quid miraris? Iste contemtor & perditor avarus est messor. Quid factum sit, hyems & æstas probavit; ostendit tibi gaudium metentis consilium seminantis. Ergo *qui amat animam suam, perdet eam.* Qui fructum in ea quærit, seminet eam. Hoc est ergo neget se, ne perversè eam amando perdat se.

Semr. de Sanctis. — Negare se quomodo debeat Christi discipulus.

Johan. 12. 25.

3. Nemo enim est qui non se amet; sed rectus amor est quærendus, perversus cavendus. Quisquis enim dimisso Deo amaverit se, Deumque dimiserit amando se, non remanet nec in se, sed exit & à se. Exit exsul pectoris sui, contemnendo interiora, amando exteriora. Quid dixi? Omnes qui mala faciunt, nonne conscientiam suam contemnunt? Ponit autem modum iniquitati suæ, quisquis erubuerit conscientiæ suæ. Ergo quia contemsit Deum ut amaret se, amando foris quod non est ipse, contemsit & se. Videte, audite Apostolum huic sensui testimonium perhibentem: *In novissimis*, inquit, *temporibus instabunt tempora periculosa.* Quæ sunt tempora periculosa? *Erunt homines se ipsos amantes.* Hoc est caput mali. Videamus ergo si remanent vel in se, amando se; videamus, audiamus quod sequitur: *Erunt*, inquit, *homines se ipsos amantes, amatores pecuniæ.* Ubi es qui te amabas? Nempe foris es. Rogo te, pecunia numquid tu es? Nempe qui neglecto Deo amasti te, amando pecuniam deseruisti & te. Priùs deseruisti, postea perdidisti. Fecit enim amor pecuniæ, ut perderes te. Mentiris propter pecuniam: *Os quod mentitur, occidit animam.* Ecce cùm quæris pecuniam, perdidisti animam tuam. Profer staterutinam veritatis, non cupiditatis: profer, obsecro te, & pone in una parte pecuniam, in altera animam. Jam tu appendis, & ex cupiditate fraudulentos digitos adhibes; vis ut mergat pars quæ habet pecuniam. Pone, noli appendere: fraudem vis facere contra te: video quid agas. Præponere vis pecuniam animæ tuæ; mentiri propter illam, perdere istam. Pone, Deus appendat;

Amor sui perversus, veriùs est sui contemtus.

1. Tim. 3. 1.

Pecuniæ amor usque ad animæ contemtum.

Sap. 1. 11.

[a] Hunc Beda nondum vulgatus ad Gal. 2. appellat Sermonem *de Qui amat animam suam, perdet eam.* Florus ibidem Sermonem *de verbis Domini.* Ceterùm hunc & alios quosdam antecedentes ac subsequentes de Natali Martyrum, qui ex Lectionariis editi fuerunt Sermones, haud quaquam integros esse ostendit sæpe scissa & non satis constans orationis series.

Classis III. SERM. DE SANCTIS.

dat; qui nescit falli, nec fallere, ipse appendat. A Ecce ipse appendit; vide appendentem, audi renuntiantem: *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur?* Vox divina est, vox est appendentis, nec fallentis; renuntiantis, admonentis. Tu in una parte pecuniam ponebas, & in altera animam; vide ubi posuisti pecuniam. Quid respondet qui appendit? Tu pecuniam posuisti: *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Animam autem appendere volebas cum lucro: appende cum mundo. Volebas eam perdere, ut abs te adquireretur terra: B plus habet ista ponderis, quàm cælum & terra. Sed facis hoc, quia dimittendo Deum, & amando te, existi & à te; & alia jam, quæ sunt forinsecùs, pluris æstimas quàm te. Redi ad te: sed iterum sursum versùs cùm redieris ad te, noli remanere in te. Priùs ab his quæ foris sunt redi ad te, & deinde redde te ei, qui fecit te, & perditum quæsivit te, & fugitivum invenit te, & aversum convertit te ad se. Redi ergo ad te, & vade C ad illum qui fecit te. Imitare filium illum juniorem; quia fortè tu es. Populo dico, non uni homini; etsi omnes [a] me audire possint, non dico uni, sed humano generi. Redi ergo, esto filius ille junior, qui suâ substantiâ vivens prodigè dispersâ & perditâ eguit, porcos pavit, fame fatigatus respiravit, recoluit memoriâ patrem suum. Et quid de illo Evangelium dicit? *Et reversus ad semetipsum.* Qui dimiserat & semetipsum, reversus ad semetipsum, videamus si remanserit in se- D metipso. *Reversus in semetipsum dixit, Surgam.* Ergo ceciderat. *Surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum.* Ecce jam negat se, qui invenit se. Quomodo negat? Audite: *Et dicam illi, Peccavi*, inquit, *in cælum, & coram te.* Negat se. *Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Ecce quod sancti Martyres fecerunt. Contemserunt ea quæ foris erant; omnes illecebras hujus sæculi, omnes errores atque terrores, quidquid libebat, quidquid terrebat, totum contemserunt, totum cal- E caverunt. Venerunt & ad se, & adtenderunt se: invenerunt se in se, displicuerunt sibi: ad eum cucurrerunt, à quo formarentur, in quo reviviscerent, in quo remanerent, in quo periret quod ipsi per semetipsos esse cœperant, & hoc maneret quod in eis ipse condiderat. Hoc est negare se ipsum.

Matth. 16. 26.

Luca 15. 17.

Petri timor audita futura passione Christi. Matth. 16. 22.

4. Hoc Petrus apostolus nondum poterat capere, quando Domino nostro Jesu Christo suam prænuntianti passionem ait, *Absit à te, Domine,* F *non fiet istud.* Timebat ne vita moreretur. Modò, cùm sanctum Evangelium legeretur, audistis quid beatus Petrus responderit Salvatori passionem suam pro nobis prænuntianti, & quodam modo promittenti. Captivus contradicebat Redemtori. Quid agis, Apostole? quomodo contradicis? quomodo dicis, *Non fiet istud?* Ergo Dominus non est passurus? Scandalum tibi verbum crucis: pereuntibus stultitia est. Redimendus es, & mercatori contradicis? Dimitte patiatur: novit quid G agat, novit quare venerit, novit quomodo te quærat, novit quomodo te inveniat. Noli docere magistrum tuum; quære de latere ipsius pretium tuum. Audi tu potiùs corrigentem: tu noli velle corrigere; perversum est, præposterum est. Audi quid dicat: *Vade post me.* Et quia ille dixit, dico; verbum Domini non tacebo, nec Apostolo contumeliam facio. Dominus Christus ait, *Vade post me satanas.* Quare satanas? Quia vis ire ante me. Non vis esse satanas? Vade post me. Si enim vadis post me, sequéris me: si sequéris me, tolles crucem tuam, nec mihi eris consiliarius, sed discipulus. Nam unde expavisti, Domino mortem suam prænuntiante? unde expavisti, nisi quia & tu mori timuisti? Mori timendo, non te negasti; te malè amando, ipsum negasti. Sed postea beatus Petrus apostolus, postquam ter negavit Dominum, culpam illam flendo delevit: resurgente Domino confirmatus, ædificatus, pro illo mortuus est, quem mori metuendo negaverat; confitendo mortem invenit, sed mortem inveniendo vitam apprehendit. Et ecce jam Petrus non moritur; præteriit omnis timor, nullæ illi ulteriùs lacrymæ, omnia recesserunt, manet beatus cum Christo. Calcavit enim omnes foris illecebras, minas, atque terrores: negavit se, tulit crucem suam, & secutus est Dominum. Audi & apostolum Paulum negantem se: *Mihi*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Adhuc audi negantem se: *Vivo*, inquit, *non ego.* Aperta sui negatio: sed jam sequitur gloriosa Christi confessio, *vivit verò in me Christus.* Quid est ergo, Nega te? Noli tu ipse vivere in te. Quid est, Noli tu ipse vivere in te? Noli facere voluntatem tuam, sed illius qui habitat in te.

Beda & Florus ad Gal. 6. 14.

Gal. 2. 20.

Negare se quid.

* SERMO CCCXXXI.

In Natali [b] Martyrum.

* Aliàs de Diversis 100.

CAPUT I.

1. ILLA Evangelicâ tubâ, quando ait Dominus, *Qui amat animam suam, perdet illam; & qui perdiderit illam propter me, inveniet eam*, ad prœlium accensi sunt Martyres; & vicerunt, quia non de se, sed de Domino præsumserunt. *Qui amat animam suam, perdet illam.* Duobus modis intelligi potest, quod dictum est, *Qui amat animam suam, perdet illam.* Si amas illam, perdis eam. Et alio modo: Noli amare, ne perdas. Prior modus istum habet sensum: Si amas, perde illam. Si amas ergo illam, si amas, perde illam. Hîc semina illam, & in cælo metes illam. Agricola triticum si non perdit in semine, non amat in messe. Alius modus sic habet: Noli amare illam, ne perdas illam. Videntur sibi amare animas suas, qui timent mori. Animas suas Martyres si sic amassent, sine dubio perdidissent. Quid enim prodesset tenere animam in hac vita, & perdere in futura? Quid prodesset tenere animam in terra, & perdere in cælo? Et quid est ipsam tenere? quamdiu tenere? Quod tenes perit à te: si perdis, invenis in te. Ecce tenuerunt animas suas Martyres. Et quomodo essent Martyres, si semper tenuissent? Sed ecce si tenuissent, numquid usque in hodiernum vixissent? Si negando Christum suas in hac vita animas tenuissent, nonne olim ex hac vita transissent, & animas utique perdidissent. * Sed quia Christum non negaverunt, transierunt de hoc mundo ad Patrem. Quæsie-

Matth. 10. 39. Iohan. 12. 25.

Amare & perdere animam suam, duobus modis intelligitur.

* CAPUT II.

[a] Sirmondus, *non me.* Abest *non* à MSS.

[b] Sic in Flori collectione appellatur ad Rom. 8. & 1. Cor. 2. In Lovaniensium autem editione & in Regio codice additur, *Fabiani & Sebastiani*: puta quòd in eorum Martyrum sollemnitate legi soleret; quamvis non ipsa die 20. Januarii, sed æstivo tempore, uti ex conclusione patet, dictus fuerit.

CLASSIS III.

runt Christum, confitendo; tenuerunt, moriendo. Magno itaque lucro perdiderunt animas suas; fœnum perdentes, coronam promerentes: coronam, inquam, promerentes, & vitam sine fine tenentes.

Florus ad Rom. 8.

Martyrem non facit pœna, sed caussa. *Matth 10. 39.*

2. Fit denique, immo factum est in eis, quod Dominus subsequenter adjunxit, *Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Qui perdiderit*, inquit, *propter me.* Tota caussa ibi est. *Qui perdiderit*, non quomodocumque, non qualibet causâ, sed *propter me.* Illi enim in prophe- B tia jam dixerant Martyres, *Propter te mortificamur tota die.* Propterea Martyrem non facit pœna, sed caussa. * Quando Dominus passus est, tres cruces caussa discrevit. Inter duos latrones crucifixus erat: hinc & inde facinorosi confixi, in medio ipse. Et tamquam illud lignum tribunal esset, insultantem damnavit, confitentem coronavit. Quid faciet judicaturus, si hoc potuit judicatus? Jam ergo discernebat cruces. Nam, si pœna interrogaretur, similis erat Christus latronibus. C Sed si interroget quis crucem, quare crucifixus est Christus; respondet nobis, Propter vos. Dicant ergo illi & Martyres: Et nos mortui sumus propter te. Ipse propter nos, nos autem propter illum. Sed ipse propter nos, ut conferret nobis beneficium: nos autem propter illum, non ad impartiendum illi beneficium. Proinde nobis in utroque consultum est: & quod manat ex illo, venit ad nos; & quod fit propter illum, redit ad nos. Ipse est enim de quo dicit anima, quæ lætatur in D Domino: *Dixi Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Quid enim est, *bonorum meorum*, nisi à te datorum? Et quomodo eget aliquo bono, à quo datur omne bonum?

Psal. 43. 22.

* CAPUT III.

Morientes propter Christum, non Christo, sed sibi consuluerunt.

Psal. 15. 2.

CAPUT IV. Dona Dei bonis & malis communia.

3. Dedit nobis naturam, ut essemus: dedit animam, ut viveremus: dedit mentem, ut intelligeremus: dedit alimenta, ut mortalem vitam sustentaremus: dedit lucem de cælo, fontes de terra. Sed hæc omnia communia dona sunt bonorum & malorum. Si hæc dedit & malis; nihil ergo E proprium servat bonis? Servat planè. Et quid est illud quod servat bonis? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.* Quod enim in cor hominis adscendit, infra cor hominis erat: ideo in cor adscendit, quia supra illud est cor quò adscendit. Quod servat bonis, cor illuc adscendit. Non quod adscendit in cor tuum, sed quò adscendit cor tuum, hoc tibi servat Deus. Noli surdus audire, Sursum cor. Quod ergo oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor F hominis adscendit; oculus non vidit, quia non est color; auris non audivit, quia non est sonus; nec in cor adscendit, quia non est terrena cogitatio. Sic intelligite, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Florus ad 1. Cor. 2. 9.

Proprium servatur bonis.

CAPUT V. Deus ipse bonorum præmium erit.

4. Adhuc quid hoc sit forsitan quæretis à me? Illum interrogate, qui cœpit in vobis habitare. Dico tamen & ego quod inde sentio. Hoc enim vos quæritis quid Deus proprium servat bonis, si G tanta largitur & malis & bonis. Et cùm dicerem, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit*, non desunt qui dicant, Putas quid est? Ecce quid est quod servat Deus solis bonis, quos tamen ipse fecerit bonos: ecce quid

A est. Breviter præmium nostrum definitum est per Prophetam: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs. Ero illorum Deus:* præmium nobis se ipsum promisit. Quære aliud, si inveneris melius. Si dicerem, Promisit aurum; gauderes: se promisit, & tristis es? Si dives Deum non habet, quid habet? Nolite aliquid à Deo quærere, nisi Deum. Gratìs [a] amate, se solum ab illo desiderate. Nolite timere inopiam: dat se ipsum nobis, & sufficit nobis. Det se ipsum nobis, & sufficiat nobis. B Philippum apostolum audite in Evangelio: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

SERM. DE SANCTIS.

Levit. 26. 12.

2. Cor. 6. 16.

Johan. 14. 8.

CAPUT VI. Avari martyres auri.

Florus ad Rom. 8.

5. Quid ergo miramini Fratres, si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt, ut adquirerent Deum? Amatores auri videte quanta patiantur. Hyemalibus asperitatibus se navigando committunt: sic fervent avaritiâ, ut nulla formident frigora: jactantur ventis, suspenduntur & deprimuntur fluctibus; ineffabilibus periculis usque ad mortem agitantur. Dicant & ipsi auro, *Propter te mor-* C *tificamur tota die.* Dicant Martyres Christo, *Propter te mortificamur tota die.* Vox quidem est similis: sed caussa est valde dissimilis. Ecce utrique dixerunt, isti Christo, illi auro, *Propter te mortificamur tota die.* Respondeat Christus suis Martyribus, Si moriemini pro me, & vos invenietis & me. Respondeat autem aurum avaris, Si naufragaveritis pro me, & vos perdetis & me. Amantes ergo & imitantes; non inaniter amantes, sed amantes & imitantes, dies Martyrum celebre- D mus, & æstus istos nostros, gaudiorum refrigerio mitigemus. Cum illis enim sine fine regnabimus, si eos fideliter & non inaniter diligamus.

* SERMO CCCXXXII.

* *Aliàs 28. ex Sirmondianis.*

In [b] Natali Martyrum.

[b] Martyres unde amici Christi.

1. QUANDO honorem Martyribus exhibemus, Christi amicos honoramus. Quæritis quæ caussa eos amicos Chri- E sti fecerit? Ipse Christus ostendit: ait enim, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Diligunt invicem qui histriones simul spectant, diligunt invicem qui simul se in popinis inebriant, diligunt invicem malâ sibi conscientiâ sociati. Cùm ergo dixisset Christus, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*, debuit distinguere dilectionem. Fecit utique: audite. Cùm enim dixisset, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*; mox addi- F dit, *sicut ego dilexi vos.* Sic diligite invicem, propter regnum Dei, propter vitam æternam. Amate simul, sed me. Amaretis invicem, si simul diligeretis histrionem: magis diligite invicem, simul amando eum qui [c] displicere non potest, Salvatorem.

Johan. 15. 12.

Diligere invicem jubemur propter regnum Dei.

2. Accessit adhuc Dominus, & docuit adhuc: tamquam diceremus ei, Et quomodo nos dilexisti, ut sciamus & nos quemadmodum nos diligere debeamus? Audite: *Majorem hac caritatem nemo* G *habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.* Sic diligite invicem, ut unusquisque animam suam ponat pro ceteris. Hoc enim Martyres fecerunt, quod & ipse Johannes Evangelista in epistola sua dicit: *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus animas nostras*

Quantum diligere invicem præcipimur.

Ibidem 13.

1 Johan. 3. 16.

[a] Florus, *Gratìs amabitis, si solum Deum ab illo desiderabitis.*
[b] Citatur à Beda ad 1. Cor. 7.

[c] Sic meliores MSS. At Sirmondus, *dispicere.*

Classis III. *pro fratribus ponere.* Acceditis ad mensam potentis: nostis fideles ad quam mensam acceditis: recolite Scripturam dicentem; *Cùm accedis ad mensam potentis, scito quoniam oportet te talia præparare.* (Prov. 23. 1.) Ad quam mensam potentis accedis? Qui tibi exhibet se ipsum, non mensam coquorum arte conditam: exhibet tibi Christus suam mensam, scilicet semetipsum. Accede ad hanc mensam, & saturare. Esto pauper, & saturaberis. *Edent pauperes, & saturabuntur.* (Psal. 21. 27.) *Scito quoniam talia te oportet præparare.* Ut intelligas, Johannem expositorem adtende. Fortè enim nesciebas quid sit, *Cùm accedis ad mensam potentis, scito quoniam talia te oportet præparare.* Audi expositorem: *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus* talia præparare. Quid est, talia præparare? *animas pro fratribus ponere.*

Caritas Dei donum. 3. Ut saturareris, pauper accessisti: unde talia præparabis? Ab ipso qui te invitavit pete, ut habeas unde illum pascas. Nisi ipse tibi dederit, nihil habebis. Sed habes jam aliquid caritatis? Nec hoc tibi imputes: *Quid enim habes, quod non accepisti?* (1. Cor. 4. 7.) Habes jam aliquid caritatis? Pete ut augeat, pete ut perficiat, quò usque pervenias ad illam mensam, qua major in hac vita non est. *Majorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.* Accessisti pauper, recedis dives: immo non recedis, sed manendo dives eris. Ab illo Martyres acceperunt quòd pro illo passi sunt: credite; ab illo acceperunt. Paterfamiliâs dedit illis unde illum pascerent. Ipsum habemus, ab ipso petamus. Et si accipere minùs digni sumus, per amicos ipsius, qui eum de ipsius dono paverunt, petamus. Orent ipsi pro nobis, ut donet & nobis. Et ut plus habeamus, de cælo accipimus. Johannem audi præcursorem ipsius, *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* (Johan. 3. 27.) Ergo & quod habemus, de cælo accepimus; & ut plus habeamus, de cælo accipimus.

Fornicatores non esse intraturos in cælestem civitatem. 4. Ipsa est [a] civitas, quæ de cælo descendit: tales simus, ut intremus in eam. Audistis enim quales intrent, quales non intrent. Nolite esse tales, quales non intraturos audistis; maximè fornicatores. Nam cùm Scriptura commemorasset eos qui non intrabunt, ibi etiam nominavit homicidas: non expavistis. Nominavit fornicatores: audivi quia pectora tutudistis. Ego audivi, ego audivi, ego vidi: & quod non vidi in cubilibus vestris, vidi in sonitu, vidi in pectoribus vestris, quando tutudistis pectora vestra. Ejicite inde peccatum: nam PECTORA TUNDERE, & hæc eadem facere, nihil est aliud quàm peccata [*] pavimentare. (* Suprà Ser. 82. n. 14. Florus ad 1. Cor. 7.) Fratres mei, filii mei, estote casti, amate castitatem, amplectimini castitatem, diligite munditiam: quia Deus auctor munditiæ in templo suo, quod estis vos, eam quærit; procul à templo expellit immundos. Sufficiant vobis uxores vestræ, quia sufficere vos vultis uxoribus vestris. Non vis ab illa fiat aliquid præter te: noli facere aliquid præter ipsam. Tu dominus es, illa ancilla: Deus fecit utrumque. *Sara*, inquit Scriptura, *obsequebatur Abrahæ, dominum eum vocans.* (1. Pet. 3. 6.) Verum est: istis tabulis subscripsit Episcopus: ancillæ vestræ sunt uxores vestræ, do-

A mini estis uxorum vestrarum. Sed quando venitur ad illud negotium, quo sexus discernitur, & sexus sibi uterque miscetur; *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.* (Serm. de Sanctis. 1. Cor. 7. 4.) Gaudebas, erigebas te, jactabas te. Bene dixit Apostolus, optimè dixit Vas electionis: *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.* Quia ego sum dominus. Laudasti: audi quod sequitur, audi quod non vis, rogo ut velis. Quid est hoc? Audi: *Similiter & vir:* dominus ille, *similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* Hoc libenter audi.
B Vitium tibi tollitur, non dominium: adulteria tua prohibentur, non feminæ [b] subriguntur. Tu vir es, ostende: vir enim à virtute, vel virtus à viro. Habes ergo virtutem? Vince libidinem. *Mulieris*, inquit, *caput vir.* (1. Cor. 11. 3.) Si caput es, duc; & sequatur: sed vide quò ducas. Caput es, duc quò sequatur: sed noli ire, quò non vis ut sequatur. Ne in præcipitium ruas, vide ut recto tramite gradiaris. Sic vos parate intrare ad illam novam
C nuptam, ad illam pulcram, ornatam viro suo, non monilibus, sed virtutibus. Si enim casti, & sancti, & boni intraveritis, membra ipsius novæ nuptæ, beatæ & gloriosæ cælestis Jerusalem, & vos eritis.

* SERMO CCCXXXIII.

(* Aliàs 14. inter homilias 50.)

In Natali [c] Martyrum.

Caput I. Martyribus data securitas.

1. DOMINUS noster Jesus Christus testibus, id est Martyribus suis pro humana fragilitate sollicitis, ne fortè eum
D confitendo atque moriendo perirent; magnam securitatem dedit, dicens, *Capillus de capite vestro non peribit.* (Luca 21. 18.) Times ergo ne pereas, cujus capillus non peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta tutela est anima tua? Non perit capillus, qui cùm tondetur, non sentis; & perit anima, per quam sentis? Sanè multa dura eos passuros esse prædixit, ut prædicendo faceret paratiores, dicerentque illi, *Paratum cor meum.* (Psal. 56. 8.)
E Quid est, *Paratum cor meum*, nisi parata voluntas mea? Paratam ergo habent Martyres voluntatem in martyrio: sed *præparatur voluntas à Domino.* (Prov. 8. 35. sec. LXX.) Illis autem malis duris atque asperis futuris commemoratis adjecit, *In vestra patientia possidebitis animas vestras.* (Patientia à Deo data quomodo nostra est. Luca 21. 19.) *In vestra*, inquit, *patientia.* Non enim esset patientia tua, si non ibi esset & voluntas tua. *In vestra patientia:* sed unde nostra? Nostrum est quod à nobis habetur, nostrum est & quod nobis donatur. Nam si non
F sit nostrum, non donatur. Quomodo enim aliquid donas, nisi ut ejus sit cui donas? Aperta est illa confessio: *Nonne Deo subjicietur anima mea? Ab ipso est enim patientia mea.* (Psal. 61. 6.) Dicit nobis ipse, *In vestra patientia.* Dicamus illi & nos, *Ab ipso est patientia mea.* Tuum fecit donando, noli esse ingratus tibi assignando. Nonne in oratione Dominica dicimus & nostrum esse quod à Deo est? Quotidie dicimus, *Panem nostrum quotidianum.* (Matth. 6. 11.) Jam dixisti, *nostrum*; & dicis, *da nobis.* Ecce *no-*
G *strum*, ecce *da nobis.* Illo dante fit nostrum. Si illo dante fit nostrum; nobis superbientibus fit alienum. Dicis, *nostrum*; & dicis, *da nobis.* Quid ergo tibi assignas, quod non tibi ipse dedisti? *Quid enim habes, quod non accepisti?* (1. Cor. 4. 7.) Dicis, *no-*

[a] Sirmondus, *Ipsa est caritas.* At MSS. *Ipsa est civitas:* aptiùs profectò ad subsequentia verba, quæ respicere videntur lectionem Apocalypsis cap. 21. Sed re vera id minùs cohæret cum verbis superioribus; quod argumento est Sermonem in Lectionariis, è quibus erutus est, non totum exhiberi.

[b] Aliquot MSS. *subrogantur.*

[c] Sic in MSS. Lectionariis. At in libris homiliarum 50. inscribitur, *De Martyribus & de gratia Dei.*

strum; &, *da nobis*. Agnosce largitorem, confitere te accipere, ut libenter ille dignetur dare. Quid si non egeres, qui mendicas, & superbus es? An non mendicas, qui panem petis? Panis noster æternus, Christus in Patris æqualitate: panis noster quotidianus, Christus in carne: æternus sine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipse est *panis qui de cælo descendit*. Fortes sunt Martyres, firmi sunt Martyres: sed *panis confirmat cor hominis*.

Panis noster, Christus.
Johan. 6. 41.
Psal. 103. 15.

CAPUT II.
Paulo merces debita.
2. *Tim.* 4. 7. & 8.

2. Jam ergo audiamus Paulum apostolum dicentem, cùm passioni appropinquaret, de corona sibi parata præsumentem. *Bonum*, inquit, *certamen certavi*, *cursum consummavi*, *fidem servavi*: *de cetero superest mihi corona justitiæ*, *quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*: *non solùm autem mihi*, *sed & omnibus qui diligunt manifestationem ejus. Reddet*, inquit, *mihi Dominus coronam justus judex*. Debet ergo, quod reddet. Reddet ergo justus judex. Non enim opere inspecto potest negare mercedem. Quod opus inspicit? *Bonum certamen certavi*, opus est: *cursum consummavi*, opus est: *fidem servavi*, opus est. *Superest mihi corona justitiæ*, merces est. Sed in mercede tu nihil agis; in opere non solus agis. Corona tibi ab ipso est; opus autem abs te est, sed non nisi ipso adjuvante. Cùm autem Paulus apostolus, priùs Saulus, crudelissimus esset & immanissimus persecutor, nihil omnino boni merebatur, immo merebatur plurimum mali: merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce subitò, cùm mala faceret, & mala mereretur, una cælesti voce prosternitur: persecutor dejicitur, prædicator erigitur. Audi eum hoc ipsum confitentem: *Qui priùs fui blasphemus & persecutor & injuriosus*, *sed misericordiam consecutus sum*. Numquid ibi dixit, *Reddet mihi justus judex*? *Misericordiam*, inquit, *consecutus sum*: mala merebar, bona accepi. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis. Misericordiam consecutus sum*. Debita mihi non sunt reddita. Si enim debita redderentur, supplicium redderetur. * Non, inquit, accepi quod debebatur: *sed misericordiam consecutus sum. Non secundùm peccata nostra fecit nobis*.

De gratia & lib. arb. c. 17.
Act. 9.
Eidē priùs pro supplicio debito, data gratia.
1. *Tim.* 1. 13.
Psal. 102. 10.
* CAPUT III.
Psal. 102. 11.
Pauli mutatio.

3. *Quantum distat Oriens ab Occidente*, *longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quantum distat Oriens ab Occidente*: avertere ab Occidente, convertere ad Orientem. Ecce unus homo, Saulus & Paulus: Saulus in Occidente, Paulus in Oriente; persecutor in Occidente, prædicator in Oriente. Occidunt ibi peccata, oritur inde justitia. In Occidente vetus, in Oriente novus: in Occidente Saulus, in Oriente Paulus. Unde hoc Saulo, unde hoc crudeli, unde hoc persecutori, unde hoc non pastori? Ipse enim erat lupus rapax, de tribu Benjamin. Ipse dicit. Dictum autem erat in Prophetia, *Benjamin lupus rapax*, *manè rapiet prædam*, *& ad vesperam dividet escas*. Priùs consumsit, posteriùs pavit. Rapiebat, prorsus rapiebat. Legite, rapiebat: legite librum Actuum Apostolorum. Litteras à pontificibus acceperat, ut quoscumque inveniret sectantes viam Christi, vinctos adduceret puniendos. Ibat, sæviebat, cædes & sanguinem anhelabat. Ecce rapit: sed adhuc manè est, vanitas sub sole est. Fit ei vespera, quando cæcitate percutitur. Oculi ejus ad hujus mundi vanitatem clauduntur, alii

Rom. 11. 1.
Gen. 49. 27.
Prophetia Jacob in Paulo impleta.
Act. 9. 2.

A interiores illuminantur. Vas paulò antè perditionis, fit vas electionis: & ecce impletur, *Dividet escas*: divisiones escarum ejus [a] ubique recitantur. * Vide quemadmodum dividat escas. Novit quid cui congruat. Dividit; non passim, non confusè erogat. Dividit, hoc est, distribuit, distinguit; non passim, non confusè dispensat. Loquitur sapientiam inter perfectos: quibusdam verò non valentibus capere solidum cibum, dividens dicit, *Lac vobis potum dedi*.

* CAPUT IV.
1. *Cor.* 2. 6.
1. *Cor.* 3. 2.

B 4. Ecce hoc facit, qui paulò antè faciebat: quid? Nolo recordari: immo recorder hominis nequitiam, ut approbem Dei misericordiam. A quo patiebatur Christus, patitur pro Christo: fit Paulus ex Saulo; fit verus testis ex falso. Qui spargebat, colligit: qui oppugnabat, defendit. Unde hoc Saulo, quod dicimus? Ipsum audiamus. Quæritis, inquit, unde hoc mihi? Non est, inquit, hoc à me: *Misericordiam consecutus sum*. Non est, inquit, mihi hoc à me: *Misericordiam* C *consecutus sum. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Retribuit enim, sed non mala pro malis: retribuit planè, sed non mala pro malis: retribuit bona pro malis. Quid ergo retribuam? *Calicem salutaris accipiam*. Certè retribuebas? Accipis: adhuc accipis. Sed modò planè propinquante passione, retribuam bona pro bonis, non bona pro malis. Priùs ergo Dominus debebat mala pro malis: noluit autem retribuere mala pro malis, sed retribuit bona pro D malis. Retribuendo bona pro malis, invenit quomodo retribueret bona pro bonis.

Paulus post Dei gratiá retribuit bona opera.
Psal. 115. 12.

5. Ecce enim in Paulo, priùs Saulo, nihil boni invenit. Cùm in illo nihil boni invenisset, mala dimisit, bona retribuit. Cùm ergo ei priùs bona retribuit, prævenit: [b] sed donando bona quibus retribueret bona, ecce retribuit mercedem his bonis operibus. Bonum certamen certanti, cursum consummanti, fidem servanti, retribuit bona; sed quibus bonis? Quæ ipse dedit. An non E ipse dedit, ut bonum certamen certares? Si non ipse dedit, quid est quod alio loco dicis? *Plus illis omnibus laboravi*, *non autem ego*, *sed gratia Dei mecum*. Ecce iterum dicis, *Cursum consummavi*. Non & ipse dedit, ut cursum consummares? Si non ipse dedit, quid est quod alio loco dicis, *Non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei*? *Fidem servavi*. Servasti: agnosco, approbo; fateor, servasti. Sed, *Nisi Dominus custodierit civitatem*, *in vanum vigilat qui custodit eam*. F Illo ergo ipso adjuvante, ipsoque donante, & bonum agonem certasti, & cursum consummasti, & fidem servasti. Da veniam Apostole, propria tua non novi, nisi mala. Da veniam Apostole; dicimus, quia tu docuisti: audio confitentem, non invenio ingratum. Prorsus tua à te tibi parata non novimus, nisi mala. Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua.

CAPUT V.
Bona opera dona Dei.
1. *Cor.* 15. 10.
Rom. 9. 16.
Psal. 126. 1.
Pauli propria non nisi mala.

6. Hanc fidem veramque pietatem, ne quis extollatur de libero arbitrio, in bonis operibus, G (quæ quisquis accipit, sic accipiat, ut noverit dantem, ut quisquis datori non sit ingratus, medico non superbiat, vel adhuc insanus, vel non à se sanus:) hanc, inquam, fidem veramque pietatem nullæ argumentationes evellant de cordibus vestris. Servate quod accepistis. Quid enim habetis, quod non accepistis? Hoc est Deo con-

CAPUT VI.
Cōtra præsumentes de libero arbitrio, probatur non inesse nobis quidquam boni, nisi à Deo.

[a] Sic aliquot MSS. Alii cum editis, *quotidie recitantur*.

[b] Quidam MSS. *prævenit*, *reddendo bona*.

CLASSIS III. fiteri, dicere quod ait apostolus Paulus, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus.* Spiritus hujus mundi facit superbos, spiritus hujus mundi facit inflatos, spiritus hujus mundi facit ut putet se quisque aliquid esse, cùm nihil sit. Sed contra spiritum hujus mundi, quid ait Apostolus? Contra spiritum hujus mundi inflatum, superbum, tumidum, elatum, non solidum, quid ait? *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Unde probas? *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* [[a] Audiamus ergo Dominum dicentem, *Sine me nihil potestis facere.* Et illud, *Nemo habet quidquam, nisi ei datum fuerit de super.* Et, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et illud, *Ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic & vos, nisi in me manseritis.* Et illud quod Jacobus apostolus protestatur, dicens, *Omne datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Et quod apostolus Paulus ad reprimendam præsumtionem illorum, qui de libero arbitrio gloriantur, clamat & dicit, *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et illud, *Gratiâ salvi facti sumus per fidem, & hoc non ex nobis. Dei enim donum est, ut ne quis extollatur.* Et illud, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini.* Et illud, *Deus qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.* Hæc ergo & his similia diligenter ac fideliter cogitantes, non adquiescamus eis qui liberum arbitrium in superbiam extollentes, præcipitare magis quàm elevare conantur. Sed humiliter consideremus illud quod Apostolus dicit, *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere.*

1 Cor. 2. 12. Spiritus hujus mundi facit superbos. 1 Cor. 2. 12. Johan. 15. 5. Johan. 3. 27. Johan. 6. 44. Johan. 15. 5. & 4. Jacobi 1. 17. 1 Cor. 4. 7. Ephes. 2. 8. Philip. 1. 29. Ibidem 6. Philip. 2. 13.

7. Gratias agamus Domino ac Salvatori nostro, qui nos nullis præcedentibus meritis vulneratos curavit, & inimicos reconciliavit, & de captivitate redemit, de tenebris ad lucem reduxit, de morte ad vitam revocavit: & humiliter confitentes fragilitatem nostram, illius misericordiam deprecemur, ut quia nos, secundùm Psalmistam, misericordiâ suâ prævenit, dignetur in nobis non solùm custodire, sed etiam augere munera vel beneficia sua, quæ ipse dignatus est dare: qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.]

Psal. 58. 11.

* Aliàs 48. de Sanctis.

* SERMO CCCXXXIV.

In Natali [b] *Martyrum.*

Martyrum securitas sub præsidio Dei. Rom. 8. 31. Beda & Florus ibidem. Psal. 2. 1.

1. OMNIUM quidem bonorum fidelium Christianorum, maximè tamen gloriosorum Martyrum est vox ista, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Fremebat mundus adversùs eos, populi meditabantur inania, principes conveniebant in unum: excogitabantur novi cruciatus, & pœnas incredibiles inveniebat ingeniosa crudelitas. Obruebantur opprobriis, falsis arguebantur criminibus, custodiis intolerabilibus includebantur, ungulis exarabantur, ferro perimebantur, bestiis subrigebantur, ignibus cremabantur, & dicebant Martyres Christi, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Totus mundus contra vos, & dicitis, *Quis contra nos?* Respondent tibi, Et quis est totus mundus, quando pro eo nos morimur, per quem factus est mundus? Dicant, dicant, audiamus, simul dicamus, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sævire possunt, maledicere possunt, calumniari possunt, falsis opprobriis agitare possunt, postremò possunt corpus non solùm perimere, sed etiam laniare; & quid facient? *Ecce enim Deus auxiliator mihi est, & Dominus susceptor est animæ meæ.* [c] Dic mihi, beate Martyr: corpus tuum laniatur, & tu dicis, Nihil ad me pertinet? Etiam dixi. Quare? dic nobis quare. Quia *Dominus susceptor est animæ meæ.* Corpus meum per animam meam restauratur. Capillus meus non perit, & caput perit? Pilus meus non perit. Sed à canibus corpus tuum laceratur. Et quid ad me? Etsi à canibus corpus meum laceratur, sed à Domino suscitatur. Mundus interfector est corporis mei, sed *Dominus susceptor est animæ meæ.* Et quid mihi obest, cùm sit Dominus susceptor animæ meæ, quòd mundus interfector est corporis mei? Quid perdidi, quid amisi? Quando Dominus susceptor est animæ meæ, erit & restitutor corporis mei. Quid mihi deerit, si membra mea dilaceret inimicus, quando capillos meos dinumerat Deus? Exhortans Martyres suos Christus, ne ab inimicis persecutoribus aliquid formidarent, *Capilli*, inquit, *vestri omnes numerati sunt.* Timebo ergo de damno membrorum, quando securitatem accepi de numero capillorum? Ergo dicamus, dicamus ex fide, dicamus in spe, dicamus flagrantissima caritate, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

SERM. DE SANCTIS. Psal. 53. 6. Luca 12. 7.

2. Ecce contra te rex, & tu dicis, *Quis contra nos?* Ecce contra te omnis populus, & tu dicis, *Quis contra nos?* Unde probas, ô gloriose Martyr; unde mihi probas quod dicis, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Manifestum est enim, quia si Deus pro vobis, quis contra vos? Sed proba quia Deus pro vobis. Non ergo probo? Ecce doceo: *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Hoc quod sequitur, cùm Apostolus legeretur, audistis. Cùm enim dixisset, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* tamquam ei diceretur, Proba quia Deus pro vobis: continuò adtulit grande documentum, continuò introduxit Martyrem Martyrum, testem testium; illum scilicet cui proprio Filio Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: hinc probavit Apostolus verè se dixisse, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?* Quando cum illo omnia donavit nobis, & ipsum donavit nobis. Numquid terret me fremitus mundi, cui donatus est artifex mundi? Christum nobis donatum esse gaudeamus, & nullos Christi inimicos in hoc sæculo timeamus. Quis enim nobis donatus sit videte: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ipse est Christus, ipse est unigenitus Dei Filius, ipse est gignenti coæternus. *Omnia per ipsum facta sunt.* Quomodo non nobis donata sunt, quæ per ipsum facta sunt, quando nobis donatus est ipse, per quem omnia facta sunt? Et ut sciatis quia ipse est: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Desidera & expete donatam tibi vitam Christi; & donec pervenias, tene pignus mortem Christi. Non enim,

Unde securi & certi sumus de Dei præsidio. Rom. 8. 32. Johan. 1. 1. &c. Christi mors, pignus vitæ

[a] Reliqua videntur adjecta ab alio, fortè à Cæsario, ut in aliis quibusdam ex 50. homiliis.

[b] Citant Beda & Florus ad Rom 8.

[c] Locus iste atque alii passim redintegrantur ad MSS.

CLASSIS III.

ejus nobis donatæ. promittens nobis victurum se esse nobiscum, potuit majus pignus dare nobis, quàm mori pro nobis. Mala, [a] inquit, vestra pertuli, bona mea non reddam? Promisit, cautionem fecit, pignus dedit; & tu dubitas credere? Promisit, cùm hîc inter homines ambularet; cautionem fecit, cùm Evangelium scriberet. Ad pignus ipsius quotidie dicis, Amen. Pignus accepisti, quotidie erogatur tibi. Noli desperare, qui vivis ex pignore.

Christus ipse futurus possessio nostra. 3. An fortè injuria fit unigenito Filio, cùm dicitur, quòd donatus est nobis, tamquam ipse futurus sit nostra possessio? Planè ipse futurus est. Quid enim si quispiam hodie tibi donet villam amœnam & fertilem, ubi te delectet semper habitare propter amœnitatem, unde te possis facilè sustentare propter fertilitatem, nonne amplecteris donum, & danti gratias agis? In Christo mansuri sumus. Quomodo non erit nostra possessio, ubi manebimus, & unde vivemus? Dicat & hoc Scriptura, ne nostris conjecturis aliquid contra disciplinam verbi Dei usurpasse videamur. Audi quid ei dicat quidam qui noverat, quia *si Deus pro nobis quis contra nos? Dominus*, inquit, *pars hereditatis meæ*. [Psal. 15. 5.] Non dixit, O Domine, quid das mihi aliquam hereditatem? Quidquid mihi dederis, vile est. Tu esto hereditas mea, amo te, totus amo te, toto corde, totâ animâ, totâ mente amo te. Quid erit mihi, quidquid dederis mihi præter te? Hoc est Deum gratìs amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi, præter illum nihil sufficit tibi. Noverat hoc Philippus, quando dicebat, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. [Johan. 14. 8.] Quando ergo erit quod Apostolus dicit in fine, *Ut sit Deus omnia in omnibus*, [1. Cor. 15. 28.] ut ipse sit nobis quidquid hîc sine illo desideramus, & cujus desiderio plerumque in illum peccamus? Pro omnibus ipse erit nobis, quando erit Deus omnia in omnibus. Peccas in Deum ut manduces, peccas in Deum ut vestiaris, peccas in Deum ut vivas, peccas in Deum ut honoreris. Et quando omnia numerabo? Noli in Deum propter ista peccare. Propter cibum peccas in Deum? cibus tibi æternus erit Deus. Propter vestem peccas in Deum? immortalitate te vestiturus est Deus. Propter honorem peccas in Deum? honor tuus erit Deus. Propter amorem vitæ temporalis peccas in Deum? æterna vita tibi erit Deus. Noli propter aliquid in eum peccare. Ipsum enim debes gratìs amare, qui ipse te poterit pro rebus omnibus satiare.

* SERMO CCCXXXV.

*Aliàs 50. de Sanctis.

In Natali Martyrum.

CAPUT I. Martyrum voces.

1. QUONIAM dies sanctorum Martyrum est, unde potiùs aliquid delectet nos dicere, nisi de gloria ipsorum? Adjuvet nos Dominus Martyrum, quia ipse est corona eorum: Voce Martyrum audivimus paulò antè beatum apostolum Paulum prædicantem, *Quis nos separabit à caritate Christi? Ista vox est Martyrum: Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est, Propter te morte afficimur tota die, deputati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.* [Rom. 8. 35. &c.] Hæc

A est vox Martyrum, omnia tolerare, & de se nihil præsumere, illum diligere qui glorificatur in suis: *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. [1. Cor. 1. 31.] Noverant & illud quod nos cantavimus paulò antè, *Lætamini in Domino, & exsultate justi*. [Psal. 31. 11.] Si justi in Domino lætantur, injusti non noverunt lætari nisi in sæculo. Sed ipsa est prima acies debellanda: primò vincendæ sunt delectationes, & postea dolores. [Delectationes & dolores vicerunt Martyres.] Quomodo potest superare mundum sævientem, qui non potest superare blandientem? B Blanditur hic mundus, pollicendo honores, divitias, voluptates: minatur hic mundus, intentando dolores, egestates, humilitates. Qui non contemnit quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur? Habent delectationem suam divitiæ: quis nesciat? Sed plus habet delectationis justitia. Delectare divitiis cum justitia: ubi autem talis articulus tentationis inciderit, ut duo hæc veniant in tentationem, divitiæ & justitia, & non possis habere utrumque, sed si miseris manum C ad divitias, necesse est ut amittas justitiam; si miseris manum ad justitiam, pereant divitiæ: modò elige, modò pugna; modò videamus si non sine caussa cantasti, *Lætamini in Domino, & exsultate justi*: modò videamus si non sine caussa audisti, *Quis nos separabit à caritate Christi?* Et quidem prætermisit omnia, quibus blanditur mundus; & te voluit commemorare, cui blanditur mundus. Quare? Quia certamina Martyrum prænuntiabat, illa utique certamina, ubi vicerunt persecutionem, fa- D mem, sitim, egestatem, ignominiam, ad extremum timorem mortis & hostem sævissimum.

CAPUT II. Martyres non pœna, sed caritas discernit. *f. caritas. Avarus quasi martyr auri.

2. Sed videte Fratres, quia totum *ars Christi facit. Admonet nos Apostolus, ut præferamus caritatem Christi mundo. Quantas angustias patiuntur, qui volunt rapere res alienas? *An persecutio*, ait? Et ipsa non frangit. Avaritia terretur, avarus rapit ac timet pœnam, æstuat in rapinam. Multi etiam famem patiuntur, dum adquirunt & faciunt lucra, quibus præcipimus jejunare, & ex- E cusant se stomacho. Vacat illis toto die solidos numerare, & jejuni dormiunt. *An nuditas*, ait? Quid dicam de nuditate? Quotidie negotiatores de naufragio nudi evadunt, & iterum navigant ad periculum. Unde quotidie periclitantur homines, nisi propter divitias adquirendas? Nec gladius prohibet. Capitale crimen est falsitas, & tamen [b] comminuitur hereditas. Si ergo hoc meretur temporalis cupiditas, quare non mereatur Christi hereditas? Avarus dicit in corde suo, qui F fortè non audet in lingua sua: Quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Possunt & avari dicere auro, Propter te occidimur tota die. Optimè ergo dicunt sancti Martyres in Psalmo, *Iudica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta*. [Psal. 42. 1.] Discerne, inquit, tribulationem meam: tribulantur & avari. Discerne angustias meas: patiuntur angustias & avari. Discerne persecutiones meas: patiuntur & avari. Discerne famem meam: pro G auro adquirendo esuriunt & avari. Discerne nuditatem meam: pro auro despoliantur & avari. Discerne mortem meam: pro auro moriuntur & avari. Quid est, *Discerne caussam meam? Propter te mortificamur tota die*. Illi propter aurum, nos propter te. Similis pœna, sed discreta caussa. Ubi discreta est caussa, ibi certa est victoria. Si ergo

a MSS. *Mala nostra abstulit à nobis, bona sua non reddet nobis?*

b Sic MSS. At editi *comitatur*.

Classis III.

caussam intuemur, sollemnitates Martyrum amamus. Amemus in eis, non passiones, sed caussas passionum. Nam si amaverimus passiones tantùm, multos inventuri sumus qui pejora patiuntur in caussis malis. Sed caussam adtendamus, crucem Christi adtendite: ibi erat Christus, ibi erant & latrones. Similis pœna, sed dissimilis caussa. Unus latro credidit, alius blasphemavit. Dominus tamquam de tribunali inter ambos judicavit: illum qui blasphemavit, in tartarum damnavit; alterum secum duxit in paradisum. Quare hoc? Quia B etsi æqualis pœna, sed impar erat caussa. Eligite ergo Martyrum caussas, si vultis pervenire ad Martyrum palmas.

* Aliàs de Tempore 256.

* SERMO CCCXXXVI.

In [a] dedicatione Ecclesiæ, I.

Caput I. Ædificatio & dedicatio domûs Dei in nobis.

I. Celebritas hujus congregationis, dedicatio est domûs orationis. Domus ergo nostrarum orationum ista est, do- C mus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificamur, ut in fine sæculi dedicemur. Ædificium, immo ædificatio habet laborem, dedicatio exsultationem. Quod hîc fiebat, quando ista surgebant, hoc fit modò cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de silvis & montibus ligna & lapides præciduntur: cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur, tamquam inter manus fabrorum & opificum dolantur, collineantur, com- D planantur. Verumtamen domum Domini non faciunt, nisi quando caritate compaginantur. Ligna ista & lapides si non sibi certo ordine cohærerent, si non se pacificè innecterent, si non se invicem cohærendo sibi, quodam modo amarent; nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinam non times. Volens ergo Dominus Christus intrare, & in nobis habitare, tamquam ædificando dicebat, *Mandatum novum* E *do vobis, ut vos invicem diligatis. Mandatum,* inquit, *novum do vobis.* Veteres enim eratis, domum mihi nondum faciebatis, in vestra ruina jacebatis. Ergo ut eruamini de vestræ ruinæ vetustate, vos invicem amate. Consideret ergo Caritas Vestra, ædificari adhuc istam domum toto, sicut prædictum est & promissum, orbe terrarum. Cùm enim ædificaretur domus post captivitatem, sicut habet alius Psalmus, dicebatur, F *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Quod ibi dixit, *canticum novum:* hoc Dominus dixit, *mandatum novum.* Quid enim habet canticum novum, nisi amorem novum? Cantare amantis est. Vox hujus cantoris, fervor est sancti amoris.

Johan. 13. 34.

Psal. 95. 1. Mandatum novum, canticum novum.

Caput II. Amandus Deus propter ipsum, & proximus propter Deū.

2. Amemus, gratis amemus: Deum enim amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia G est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio: propter aliud si nos diligimus, odimus potiùs quàm diligimus. *Qui* enim *amat iniquitatem:* quid odit? fortè vicinum suum, fortè vicinam A suam? Expavescat, *odit animam suam.* Odium animæ, amor nequitiæ. Ergo contra odium nequitiæ, amor animæ. *Qui diligitis Dominum, odio habete malum.* Bonus est Deus, malum est quod amas, & te ipsum malum amas: quomodo amas Deum, cùm adhuc amas quod odit Deus? Audisti enim, quia Deus dilexit nos: & verum est, dilexit nos; & quales dilexerit, si adtendamus, erubescimus. Sed ideo non erubescimus, quia diligendo tales, fecit esse non tales. Erubescimus B recordatione præteritorum, gaudemus spe futurorum. Quare enim jam erubescamus quod fuimus; & non potiùs confidamus, quia spe salvi facti sumus? Denique audivimus, *Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.* Si recedat lumen, [b] redis ad confusionem. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ergo ille lumen, nos sine illo tenebræ. Si recesseris à lumine, in tuis tenebris remanebis: si ergo accesseris, non de tuo lucebis. *Fuistis enim aliquando tenebræ,* C ait Apostolus fidelibus ex infidelibus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Si ergo lux in Domino, tenebræ sine Domino. Porrò si lux in Domino, & tenebræ sine Domino; *accedite ad eum, & illuminamini.*

Psal. 10. 6.

Serm. de Sanctis

Psal. 96. 10.

1. Johan. 4. 10.

Psal. 33. 6.

Ephes. 5. 8.

Caput III. Christi passio prædicta in psalmo dedicationis.

3. Adtendite in Psalmo dedicationis, [c] quem modò cantavimus, ex ruina ædificium. *Conscidisti saccum meum:* hoc pertinet ad ruinam. Quid ergo ad ædificium? *Et accinxisti me lætitia.* Vox dedicationis, *Ut cantet tibi gloria mea, & non* D *compungar.* Quis est qui loquitur? In verbis ejus agnoscite. Si expono obscurum est. Ergo verba ejus dicam, continuò agnoscetis loquentem, ut ametis alloquentem. Quis est qui dicere potuit, *Domine eruisti ab inferis animam meam?* Cujus anima jam ab inferis eruta est, nisi de qua dictum est alio loco, *Non derelinques animam meam in inferno?* Proponitur dedicatio, & cantatur liberatio: jubilatur canticum dedicationis domûs, & dicitur, *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti* E *me, & non jocundasti inimicos meos super me.* Adtendite Judæos inimicos, qui se putabant occidisse Christum, vicisse quasi inimicum, perdidisse quasi hominem ceteris similem atque mortalem. Resurrexit tertia die, & hæc est vox ejus, *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* Adtendite Apostolum dicentem, *Propter quod eum Deus exaltavit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Et non jocundasti inimicos meos super me.* Ipsi quidem in Christi morte jocundabantur, F sed in ejus resurrectione, adscensione, prædicatione aliqui compungebantur. In ejus ergo prædicatione & per Apostolorum constantiam diffamatione aliqui compungebantur & convertebantur, aliqui obdurabantur & confundebantur; nulli tamen jocundabantur. Modò quando implentur Ecclesiæ, putamus jocundari Judæos? Ecclesiæ ædificantur, dedicantur, implentur, quomodo illi jocundantur? Non solùm non jocundantur, sed etiam confunduntur; & imple- G tur vox exsultantis, *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, & non jocundasti inimicos meos super me.* Non jocundasti super me: si mihi credant, jocundabis in me.

Psal. 29. 12. & 13.

Ibidem 4.

Psal. 15. 10.

Psal. 29. 2.

Philip. 2. 9.

Caput IV.

4. Ne multa dicamus, ad illa quæ cantavi-

[a] Possidius in Indiculo c. 10. notat *de dedicatione Ecclesiæ Tractatus duos:* ipsa, putamus, habitos die, qua primùm dedicatio fiebat, populi conventu præsente celeberrimo, non verò qua post annum deinceps recolebatur facta jam antè dedicatio. Hujusmodi quippe anniversariæ sollemnitatis in vetere Carthaginensis ecclesiæ Kalendario nullum vestigium.

[b] MSS. *recedis à confessione.*

[c] Sic MSS. At editi, *ex ruina ædificiorum.*

Classis III.

Pretium nostrum sanguis Christi.

mus aliquando veniamus. Quomodo dicit Christus, *Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitiâ?* Saccus ejus erat similitudo carnis peccati. Non tibi vilescat, quòd ait, *saccum meum:* ibi erat inclusum pretium tuum. *Conscidisti saccum meum.* Evasimus ad saccum istum. *Conscidisti saccum meum.* In passione conscissus est saccus. Quomodo ergo Deo Patri dicitur, *Conscidisti saccum meum?* Quomodo Patri dicatur, vis audire? *Conscidisti saccum meum.* Quia *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Fecit enim per Judæos nescientes, unde redimerentur scientes, & confunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo. Suspensus est saccus, & quasi lætatus est impius. Conscidit saccum lanceâ persecutor, & fudit pretium nostrum Redemtor. Cantet Christus Redemtor, gemat Judas venditor, erubescat Judæus emtor. Ecce Judas vendidit, Judæus emit, malum negotium egerunt, ambo damnificati sunt, se ipsos perdiderunt venditor & emtor. Emtores esse voluistis: quantò meliùs redemti essetis? Ille vendidit, iste emit: infelix commercium; nec iste habet pretium, nec iste habet Christum. Huic dico, Ubi est quod accepisti? Illi dico, Ubi est quod emisti? Huic dico, Ubi vendidisti, te decepisti. Exsulta Christiane, in commercio inimicorum tuorum tu vicisti. Quod iste vendidit & ille emit, tu adquisisti.

Rom. 8. 32.

Caput V. Prophetia de Christo capite, nobis ejus membris aptata.

5. Dicat ergo caput nostrum, dicat caput pro corpore occisum, pro corpore dedicatum; dicat, audiamus: *Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitiâ*, id est, conscidisti mortalitatem meam, & accinxisti me immortalitate & incorruptione. *Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Quid est, *non compungar?* Jam contra me non ferat lanceam persecutor, ut compungar: *Christus enim resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita & nos*, inquit, *existimemus nos mortuos esse peccato, vivere autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.* Ergo in illo cantamus, in illo dedicati sumus. Quò enim caput præcessit, & membra secutura speramus. *Spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes; quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*, per patientiam ædificamur. Fortè autem est illic & vox nostra, si bene adtendamus, si diligenter intueamur, si oculum acutum geramus; non quemadmodum solent corporum cæci amatores: si ergo spiritalem oculum intendamus, in ipsis vocibus Domini nostri Jesu Christi & nos ipsos invenimus. Non enim frustra dixit Apostolus, *Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato.* Agnosce ibi vocem tuam: *Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Modò enim cùm istas corporis mortalis sarcinas bajulamus, non deest unde compungamur. Nam si cor non compungitur, quare pectus tunditur? Cùm ergo venerit etiam nostri corporis dedicatio, quæ præcessit in Domini exemplo, tunc non compungemur. Compunctionem enim, quam habemus de peccato, significavit lancea percussoris. Denique quoniam scriptum est, *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes moriuntur:* recolite de quo membro facta est, & videte ubi Dominus lanceâ compunctus est. Recolite, inquam, recolite primam conditionem nostram: non enim frustra, ut dixi, *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato.* Nempe Eva, à qua facta est initium peccati, sumta est, ut formaretur, de latere viri. Dormiens jacebat ille, cùm factum est: mortuus pendebat iste, cùm factum est. Cognata duo sunt somnus & mors, latus & latus, compunctus est Dominus in loco peccatorum. Sed de illo latere facta est Eva, quæ nos peccando mortificaret; de isto autem latere facta est Ecclesia, quæ nos pariendo vivificaret.

Rom. 6. 9. &c.

Rom. 8. 24. & 25.

Rom. 6. 6.

Serm. de Sanctis.

Eccli. 25. 33.

Caput VI. Ecclesiæ novæ dedicatio.

6. [a] [Ergo dum novam constructionem sanctæ hujus Ecclesiæ libenter adtendimus, quam divino nomini hodie dedicamus, invenimus à nobis deberi & Deo nostro maximam laudem, & Sanctitati Vestræ congruum de divinæ domûs ædificatione Sermonem. Tunc autem Sermo noster congruus erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod utilitati animarum vestrarum Deo vos interiùs ædificante proficiat. Quod hîc factum corporaliter videmus in parietibus, spiritaliter fiat in mentibus; & quod hîc perfectum cernimus in lapidibus & lignis, hoc ædificante gratiâ Dei perficiatur in * corporibus vestris. Principaliter ergo gratias agamus Domino Deo nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum; & ejus bonitatem tota cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis fidelium suorum visitavit animum, excitavit affectum, surrogavit auxilium; inspiravit necdum volentibus ut vellent, adjuvit bonæ voluntatis conatus ut facerent; ac per hoc Deus, *qui operatur* in suis *& velle & perficere pro bona voluntate*, hæc omnia ipse cœpit, ipse perfecit. Et quia opera bona in conspectu suo numquam esse permittit inania, fidelibus suis, quibus operantibus præbuit virtutis suæ favorem, tribuet condignam pro tanta operatione mercedem. Adhuc ampliùs agendæ sunt gratiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum Martyrum reliquiis ampliùs honorari.]

* f. cordibus.

Philip. 2. 13.

* SERMO CCCXXXVII.

* Aliàs 16. inter additos à Parisiensibus.

In [b] dedicatione Ecclesiæ, II.

b

Caput I. Ecclesiæ constructio bonũ opus ex fide & caritate operantis æstimandũ.

1. BONA opera fidelium de sua temporali terrenaque substantia, cùm in thesauris cælestibus reconduntur, fides hoc videt, quæ pietatis oculum habet in corde. Unde & ista ædificia, quæ congregandis religiosis cœtibus exstruuntur, cùm oculo carnis inspexerit, laudat interiùs quod cernit exteriùs, & visibili accipit lumine ad quod gaudeat invisibili veritate. Neque enim occupata est fides inspicere, quàm pulcra sint membra hujus habitationis; sed de

[a] Caput istud sextum superiori capiti quinto in priùs excusis mutilo admodum & interpolato malè cohæret, sed abest prorsus à nostris MSS. Verlinus sanè ac Vindingus suspicabantur non eodem stilo conscriptum, neque hujus Sermonis epilogum esse, sed alterius cujusdam prologum, quo pollicetur concionator, facturum se ut suus Sermo *congruus sit & utilitati animarum proficiat.*

[b] Hunc Lovanienses dubium habuerunt, non alia, credimus, permoti ratione, præter quàm stili disparitate: quæ tamen minima aut nulla est à primis illis Sermonibus, quos sub initium ordinationis suæ composuit Augustinus. Confer Sermones 216. & 353.

Classis III. Fabrica Ecclesiæ cælestis.

quanta interioris hominis pulcritudine proce- A dant hæc opera dilectionis. Retribuet ergo Dominus fidelibus suis tam piè, tam hilariter, tam devotè ista operantibus, ut eos quoque ipsos in suæ fabricæ constructione componat, quò currunt lapides vivi, fide formati, spe solidati, caritate compacti. (1. Cor. 3. 10.) Ubi sapiens ille architectus Apostolus fundamentum posuit Christum Jesum, summum ipsum (1. Petr. 2. 4.) *lapidem angularem*, sicut & Petrus de Prophetica Scriptura commemorat, *ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum.* B Huic adhærendo, pacamur; huic incumbendo, firmamur. Simul enim est & fundamentalis, quia ipse nos regit; & angularis, quia ipse conjungit. Ipsa est petra, super quam vir sapiens (Matth. 7. 24.) ædificans domum suam, contra omnes hujus sæculi tentationes tutissimus perseverat: nec pluviâ irruente labitur, nec flumine inundante subvertitur, nec ventis flantibus commovetur. (Ephes. 2. 14.) *Ipse est & pax nostra, qui fecit utraque unum:* in (Gal. 6. 15.) ipso enim *neque circumcisio quidquam valet, ne-* C *que præputium, sed nova creatura.* Hi enim duo tamquam parietes ex diverso venientes, longè ab invicem fuerant, donec ad illum, tamquam ad angulum ducti, etiam in illo sibimet copulati sunt.

Caput II. Ædificatio in labore, dedicatio in lætitia.

2. Itaque sicut hoc ædificium visibile factum est nobis corporaliter congregandis; ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spiritaliter habitaturo construitur. *Templum enim Dei sanctum est*, inquit Apostolus, *quod estis vos.* D Sicut hoc terrenis molibus construimus, sic illud bene compositis moribus erigamus. Hoc enim nunc visitantibus nobis, illud in fine sæculi Domino (1. Cor. 15. 53.) veniente dedicabitur, quando corruptibile hoc nostrum induet incorruptionem, & mortale hoc nostrum induet immortalitatem: quia corpus hu- (Philip. 3. 21.) militatis nostræ conformabit corpori gloriæ suæ. (Psal. 29. 12.) Videte enim quid dicat in Psalmo dedicationis: *Convertisti luctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitiâ: ut can-* E *tet tibi gloria mea, & non compungar.* Cùm enim ædificamur, gemit ei humilitas nostra; cùm autem dedicabimur, cantabit ei gloria nostra: quia in ædificatione labor est, in dedicatione lætitia. Dum cæduntur de montibus lapides, & ligna de silvis, dum formantur, dolantur, coaptantur; labor & cura est: cùm autem perfecti ædificii dedicatio celebratur, gaudium & securitas laboribus curisque succedunt. Sic etiam ædificatio spiritalis, cujus habitator Deus, non ad tempus, sed in æter- F num erit; dum ex infideli vita homines segregantur ad fidem, dum quidquid in eis non bonum atque perversum est, amputatur & cæditur, dum fiunt aptæ, pacificæ piæque juncturæ; quantæ tentationes timentur, quantæ tribulationes susti- (Matth. 25. 34.) nentur? Cùm verò advenerit dies dedicationis domûs æternæ, cùm dicetur nobis, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi:* quæ illa exsultatio, G quæ securitas erit? Cantabit claritas, nec compungetur infirmitas. Cùm ostendet se ipsum nobis qui nos dilexit, & tradidit se ipsum pro nobis; & qui apparuit hominibus quod est factus in matre, apparebit eis Deus factor quod erat in Patre: cùm ingredietur perfectam & ornatam, unitate stabilitam, immortalitate vestitam æternus ipse habitator domum suam; implebit omnia, fulgebit in omnibus, *ut sit Deus omnia in omnibus.* (Serm. de Sanctis. 1. Cor. 15. 28.)

Caput III. Desiderium habitandi in domo Dei.

3. Hanc unam visionem petivit à Domino quidam; & ipse quidam, si volumus, nos sumus. Hujus desiderio laboravit in gemitu suo, hinc lavit per singulas noctes lectum suum, & in lacrymis stratum suum rigavit. (Psal. 6. 7.) Propter hanc enim fuerunt ei lacrymæ suæ panis die ac nocte, dùm diceretur ei per singulos dies, *Ubi est Deus tuus?* (Psal. 41. 4.) Ipse quippe ait, *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut* (Psal. 26. 4.) *inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini, & protegar templum ejus.* Suis ipse habitator, ipsi habitatio. Qui enim habitant in domo Dei, ipsi sunt etiam domus Dei: quæ contemplatur delectationem ejus, & protegitur templum ejus, & absconditur in abscondito vultûs ejus. (Domus Dei sunt ipsi ejus habitatores.) Hanc spem tenemus, rem nondum videmus. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*, & per patientiam ædificamur.

Caput IV. Fundamentum nostrum sursum, non deorsum.

4. Eja ergo Fratres, *si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* (Col. 3. 1. & 2.) Ideo enim & Christus fundamentum nostrum ibi positus est, ut sursum versùs ædificemur. Sicut enim terrenis molibus construendis, quarum gravia corpora non utique nisi ad ima devergunt, in imo ponitur fundamentum: sic nobis è contrario sursum est positus lapis ille fundamentalis, ut sursum nos rapiat etiam pondere caritatis. Alacriter ergo *cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est qui operatur in vobis* [a] *velle & operari pro bona voluntate. Omnia facite sine murmuratione.* (Philip. 2. 12. &c.) *Et tamquam lapides vivi coædificamini in templum Dei:* (1. Petri 2. 5.) & tamquam ligna imputribilia de vobis ipsis facite domum Dei. Conquadramini, dolamini, in laboribus, in necessitatibus, in vigiliis, in negotiis, ad omne opus bonum paramini: ut in æterna vita velut compage societatis Angelorum requiescere mereamini.

Caput V. Habitaculum æternum per opera bona præparandum.

5. Iste enim locus temporaliter ædificatus est, nec in æternum durabit: sicut & ipsa nostra corpora, propter quorum necessitatem per opera misericordiæ factus est, non sunt utique sempiterna, sed temporalia atque mortalia. *Habitationem autem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis:* (2. Cor. 5. 1.) ubi & ipsa nostra corpora conversione resurrectionis cælestia & sempiterna futura sunt. Et nunc quamvis nondum per speciem, sicut erit facie ad faciem, tamen (1. Cor. 13. 12.) per fidem habitat in nobis Deus: & ei sic habitanti habitaculum per bona opera efficimur; quæ opera æterna non sunt, sed ad æternam vitam perducunt. Ex quibus est & hoc opus, quo ista basilica fabricata est: non enim tales fabricas ibi operabimur. Nullus ibi locus ruiturus ædificatur, quò nullus habitator moriturus ingreditur. Nunc tamen sit bonum temporale opus vestrum, ut æterna sit merces vestra. Nunc, inquam, fidei & spei domum spiritali dilectione construite in omni opere bono, quod tunc non erit; quia indigentia nulla erit. Fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica & Prophetica monita jacite, humilitatem vestram sicut pavimentum sine offensione prosternite; salutarem in vestro corde doctrinam orationibus & sermonibus tamquam

[a] Editi, *in vobis volentibus operari per bonam voluntatem.* Castigantur hîc & aliis locis ad optimæ notæ MSS.

firmis parietibus communite, divinis eos teſtimoniis tamquam luminaribus illuſtrate, infirmos ſicut columnæ ſufferte, inopes ſicut tecta protegite: ut Dominus Deus noſter pro temporalibus bonis æterna reſtituat, & vos in æternum perfectos dedicatoſque poſſideat.

*Aliàs 17. inter additos à Pariſienſibus.

*SERMO CCCXXXVIII.

In dedicatione Eccleſiæ, III.

Caput I. Bona opera in manifeſto facta duplicem habent utilitatem.

1. QUANDO bona opera, etiam quæ propter Deum fiunt, hominibus oſtenduntur, cùm ea faciunt boni & religioſi, non laudes humanæ expetuntur, ſed imitanda proponuntur. Duplex eſt enim miſericordia, quæ fit in bono opere, corporalis & ſpiritalis. Eſurientibus, ſitientibus, nudis, peregrinis corporali miſericordiâ ſubvenitur: eadem tamen ipſa cùm oſtenduntur, & ad imitationem ceteros provocant, etiam ſpiritus menteſque paſcuntur. Alius paſcitur opere bono, alius exemplo bono: ambo enim eſuriunt. Ille vult accipere unde alatur, ille vult videre quod imitetur. Monet nos de hac veritate etiam ſancti Evangelii lectio, quæ modò recitata eſt. Chriſtianis enim dicitur in Deum credentibus, bene operantibus, ſpem vitæ æternæ pro bonis operibus exſpectantibus, *Vos eſtis lumen mundi.* (Matth. 5. 14.) Et univerſæ ubique diffuſæ Eccleſiæ dicitur, *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta. Erit*, inquit, *in noviſſimis temporibus manifeſtus mons domus Domini, paratus in cacumine montium.* (Iſai. 2. 2.; Dan. 2. 35.) Ipſe eſt mons, qui ex parvo lapide crevit, & totum orbem creſcendo implevit. In illo ædificatur Eccleſia, quæ abſcondi non poteſt.

2. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* (Matth. 5. 15.) *Bene occurrit lectio, quando candelabra dedicantur, ut ſit qui operatur lucerna poſita in candelabro. Lucerna eſt enim homo qui bene operatur. Quod eſt autem candelabrum? *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* (Gal. 6. 14.) Qui ergo ſecundùm Chriſtum facit, & propter Chriſtum facit, ut non glorietur niſi in Chriſto, candelabrum eſt. Luceat omnibus, videant quod imitentur: non ſint pigri, non [a] aridi: proſit quod vident; non ſint oculis videntes, & cordibus cæci.

*Caput II. Lucerna in candelabro.

Domini præcepta duo in ſpeciem contraria conciliantur.

3. Sed ne fortè occurrat alicui, quòd Dominus bona opera velut jubet abſcondi, ubi dicit, *Cavete facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt:* (Matth. 6. 1.) debet quæſtio iſta diſſolvi, ut noverimus quemadmodum Domino obtemperemus, nec obtemperare illi non poſſimus, cùm eum contrà jubere audimus. *Hàc dicit, *Luceant opera veſtra coram hominibus, ut videant bona facta veſtra.* (Matth. 5. 16.) Hàc dicit, *Cavete facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis.* (Matth. 6. 1.) Vultis noſſe quàm ſit iſta quæſtio diſſolvenda, & niſi diſſolvatur, moleſtè erit, ſi remaneat inſoluta? Quidam homines faciunt bene, & timent videri; & omni ſtudio, quantum poſſunt, cooperiunt bona opera ſua. Captant quando neminem videant: tunc aliquid porrigunt, timentes ne offendant in illud præceptum ubi dictum eſt, *Cavete facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis.* Non autem Dominus juſſit bona opera abſcondi, ſed in bonis operibus laudem humanam non cogitare. Denique cùm dixit, *Cavete facere juſtitiam veſtram coram hominibus:* ubi finivit? *Ut videamini ab eis.* Ut ideo faciant, ut videantur ab hominibus; hunc fructum boni operis quærant, hunc ferant: nihil aliud exſpectent, nihil ſuperioris & cæleſtis commodi concupiſcant. Sed ſi ideo solùm faciat, ut laudetur: hoc prohibuit Dominus. *Cavete facere.* Quomodo? *Ut videamini ab eis.* Cavete hunc habere fructum, viſionem hominum.

*Caput III.

Caput IV. In bono opere laudem noſtram quærere prohibemur.

4. Jubet autem videri opera noſtra, & dicit, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Et, *Sic luceant opera veſtra coram hominibus, ut videant*, inquit, *bona facta veſtra.* Et non ibi remanſit: ſed, *glorificent*, ſubjunxit, *Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Aliud eſt in bono opere quærere laudem tuam, aliud eſt in bono opere quærere laudem Dei. Quando quæris laudem tuam, in viſione hominum remanſiſti: quando quæris laudem Dei, æternam gloriam adquiſiſti. Sic ergo faciamus, ut non videamur ab hominibus, hoc eſt, ſic faciamus, ut viſionem hominum pro mercede non quæramus: ſed ſic faciamus, ut à videntibus & imitantibus gloriam Dei quæramus, & cognoſcamus quòd ſi nos tales non faceret, nihil eſſemus.

*Aliàs 25. ex 50. homiliis.

*SERMO CCCXXXIX.

In die [b] ordinationis ſuæ, I.

Caput I. Sarcinæ epiſcopalis pondus. *b

1. HODIERNUS dies iſte, Fratres, admonet me adtentiùs cogitare ſarcinam meam. De cujus pondere etiam ſi mihi dies nocteſque cogitandum ſit, neſcio quo tamen modo anniverſarius iſte dies impingit eam ſenſibus meis, ut ab ea cogitanda omnino diſſimulare non poſſim. Et quantò anni accedunt, immo decedunt, noſque propinquiores faciunt diei ultimo, utique quandoque ſine dubitatione venturo, tantò mihi eſt acrior cogitatio, & ſtimulus plenior, qualem Domino Deo noſtro rationem poſſim reddere pro vobis. Hoc enim intereſt inter unumquemque veſtrûm & nos, quòd vos penè de vobis ſolis reddituri eſtis rationem, nos autem & de nobis & de omnibus vobis. Ideo major eſt ſarcina: ſed bene portata majorem comparat gloriam; infideliter autem geſta ad immaniſſimam præcipitat pœnam. Quid ergo mihi hodie maximè faciendum, niſi ut commendem vobis periculum meum, ut ſitis gaudium meum? Periculum autem meum eſt, ſi adtendam quomodo laudatis, & diſſimulem quomodo vivatis. Ille autem novit, ſub cujus oculis loquor, immo ſub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quàm ſtimulari & angi quomodo vivant qui me laudant. Laudari autem à malè viventibus nolo, abhorreo, deteſtor: do-

Ad hominum laudes quomodo affectus Auguſtinus.

[a] Sic aliquot MSS. At editi, *non avari.*

[b] Habitus ſcilicet in anniverſario ſuſcepti epiſcopatûs, quem diem Natalem epiſcopi appellabant. Natalitia Optati Thamugadenſis frequentiſſimo Donatiſtarum conventu, quamdiu ille vixit, celebrari ſolita commemorat Auguſtinus in epiſt. 108. n. 5. & in lib. 2. contra litt. Petiliani c. 23. Diem etiam anniverſarium Ordinationis Aurelii Carthaginenſis celebrandum poſtridie eſſe ſignificat ſuprà in fine Sermonis CXI.

Classis III

lori mihi est, non voluptati. Laudari autem à bene A viventibus, si dicam nolo, mentior: si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior quàm soliditatis. Ergo quid dicam? Nec plenè volo, nec plenè nolo. Non plenè volo, ne in laude humana pericliter: non plenè nolo, ne ingrati sint quibus prædico.

Caput II. Cura de aliorum salute quanta imposita episcopo.

2. Sarcina autem mea est, quam modò audistis, cùm Ezechiel propheta legeretur: parum est enim quia dies ipse admonet nos eamdem sarcinam cogitare: insuper etiam talis lectio re- B citata est, quæ nobis incutiat magnum timorem, ut quid portemus cogitemus; quia nisi nobiscum qui imposuit portet, deficimus. Ecce audistis: *Terra*, inquit, *super quam induxero gladium, & posuerit sibi exploratorem, qui videat gladium supervenientem, & dicat & denuntiet: si veniente autem gladio taceat ille explorator, & superveniens gladius super peccatorem, occidat; peccator quidem pro sua iniquitate morietur, sanguinem autem ejus de manu exploratoris inquiram. Si autem vi- C derit gladium supervenientem, & tubâ cecinerit, & annuntiaverit, & ille cui annuntiat non observaverit; ille quidem in sua iniquitate morietur, explorator autem animam suam liberavit. Et tu fili hominis, exploratorem posui te filiis Israël*. Exposuit quid dixerit gladium, exposuit quid dixerit exploratorem, exposuit quam dixerit mortem. Non nos permisit in obscuritate lectionis excusare negligentiam nostram. *Posui te* ergo, inquit, *exploratorem. Si dixero peccatori, Morte* D *morieris, & tu tacueris, & ille in peccato suo mortuus fuerit; ille quidem in peccato suo morietur* dignè & justè, *sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu dixeris peccatori, Morte morieris, & ille se non observaverit; ille in iniquitate sua morietur, tu verò animam tuam liberasti.*

Ezech. 33. 2. &c.

Caput III. Suos hortatur ut ipsum bene viventes relevent.

3. Relevate ergo, Fratres, relevate sarcinam meam, & portate mecum. Bene vivite. Natalis Domini imminet, pascendos habemus compauperes nostros, & cum eis communicanda est hu- E manitas. Vobis autem fercula mea verba ista sunt: pascere omnes pane tractabili & visibili non sufficio. Inde pasco, unde pascor. Minister sum, pater-familiâs non sum. Inde vobis appono, unde & ego vivo. De thesauro Dominico, de epulis illius patris-familiâs, qui propter nos pauper factus est, cùm dives esset, ut ejus paupertate nos ditaremur. Si panem vobis ponerem, fracto pane singula frusta ablaturi eratis: etsi ego multum ponerem, perparum ad singulos perveniret. F Modò autem quod dico, & omnes totum habent, & singuli quique totum habent. Numquid enim verbi mei inter vos syllabas divisistis? Numquid ipsius producti sermonis singula verba abstulistis? Unusquisque vestrûm totum audivit: sed videat quomodo audivit; quia erogator sum, non exactor.

2. Cor. 8. 9.

Evangelio terretur, ne episcopali onere posito securiorem vitam deligat.

4. Si non erogem, & pecuniam servem, terret me Evangelium. Possem enim dicere, Quid mihi est tædio esse hominibus, dicere iniquis, Iniquè age- G re nolite, sic agite, sic agere desistite? Quid mihi est oneri esse hominibus? Accepi quomodo vivam, quomodo jussus sum, quomodo præceptus sum, assignem quomodò accepi: de aliis me reddere rationem quò mihi? Evangelium me terret. Nam ad istam securitatem otiosissimam nemo me vinceret. Nihil est melius, nihil dulcius, quàm divinum scrutari, nullo strepente, thesaurum: dulce est, bonum est. Prædicare, arguere, corripere, ædificare, pro unoquoque satagere magnum onus, magnum pondus, magnus labor. Quis non refugiat istum laborem? * Sed terret Evangelium. Processit quidam servus, & ait domino suo, *Sciebam te hominem molestum, metere ubi non seminasti; servavi pecuniam tuam, nolui eam erogare, tolle quod tuum est.* Si aliquid minus est, [a] indica; si integrum est, noli mihi molestus esse. Ait autem ille, *Serve nequam, ex ore tuo te condemnabo.* Quare hoc? Quia avarum dixisti me: lucra mea quare neglexisti? Sed timui dare ne perderem: hoc dicis. Plerumque enim dicitur, Quid corripis? Perit ad illum quod dicis, non te audit. Et ego, inquit ille, nolui dare, ne perderem pecuniam tuam. *Ego veniens cum usuris exigerem.* Erogatorem, inquit, posueram te, non exactorem. Tu exerceres erogationem, mihi relinqueres exactionem. Hoc ergo timens unusquisque, videat quomodo accipiat. Si ego erogans timeo, qui accipit securus esse debet?

Serm. de Sanctis.

* Caput IV. Luca 19. 21. Servi est erogare; Domini, rationem exigere.

5. Qui malus fuit herì, bonus sit hodie. Hæc est ergo erogatio mea. Qui malus fuit herì, bonus sit hodie. Malus fuit herì, & non est mortuus. Si mortuus esset, & [b] malus esset, isset unde non redisset. Malus fuit herì, vivit hodie: prosit illi quòd vivit, non malè vivat. Quare ergo diei hesterno hodiernum vult addere malum? Longam vitam vis habere; bonam non vis? Quis longum ferat malum vel prandium? Usque adeo cæcitas mentis [c] occalluit, usque adeo surdus est homo interior, ut omnia bona velit habere præter se ipsum? Vis habere villam? Nego te habere velle malam villam. Uxorem vis habere? Non vis nisi bonam: domum nonnisi bonam. Quid curram per singula? Caligam non vis habere malam, & vis habere vitam malam? Quasi plus tibi noceat mala caliga, quàm vita mala. Cùm tibi caliga mala & constricta nocuerit, sedes, discalceas te, abjicis, aut corrigis, aut mutas, ne digitum lædas: & calceas te. Mala vita est, qua animam perdis. Sed planè hoc video unde fallaris. Caliga nocens dolorem facit, vita nocens voluptatem: illud nocet, illud libet. Sed quod ad tempus libet, postea pejùs dolet. Quod autem ad tempus salubriter dolet, postea infinita voluptate & abundanti gaudio lætificat; secundùm illud quod scriptum est, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Et illud, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Caput V. Hortatur ut vitam mutent in melius. b

c

Vitam solam non curant homines habere bonam.

Psal. 125. 5. Matth. 5. 5.

6. [Hæc ergo diligentiùs adtendentes, cogitemus illud quod de luxuria ac voluptate scriptum est: *Ad tempus*, inquit, *indulcat fauces, postea felle amarior invenitur.* Et quia vita nostra in hoc sæculo quasi via esse cognoscitur, oportet [d] nobis de labore ad requiem pervenire, quàm de requie ad laborem: & melius est nobis in via brevi tempore laborare, ut postea in patria possimus ad æternum gaudium felici-

Prov. 5. 3. & 4.

d

[a] MSS. *judica.*
[b] Sic MSS. Editi verò, *& malus esset, inde non redisset.*
[c] Editi, *occuluit*; pro quo MSS. *occalluit.*

[d] Editi, *oportet nos.* At omnes MSS. *oportet nobis.* Modus loquendi ejus auctoris est, qui Sermoni clausulam apposuit, ab istis verbis: *Hæc ergo diligentiùs adtendentes, &c.*

 ter pervenire. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre &c.]

* SERMO CCCXL.

In die Ordinationis suæ, II.

* *Aliàs 39. ex Sirmondianis.*

Episcopalis sarcina.

1. SEMPER quidem me, ex quo humeris meis ista, de qua difficilis ratio redditur, sarcina imposita est, honoris mei cura sollicitat: verumtamen multò ampliùs hujusmodi consideratione permoveor, quando anniversarius ejus dies memoriam pristinam renovans ejus, ita eam mihi ponit ante oculos, ut quod jam antea suscepi, sic teneam, quasi hodie suscepturus accedam. Quid autem isto reformidatur in munere, nisi ne plus nos delectet quod periculosum est in nostro honore, quàm quod fructuosum est in vestra salute? Adjuver igitur orationibus vestris, ut suam sarcinam mecum ferre dignetur. Cùm oratis, etiam pro vobis oratis. Hæc enim mea sarcina, de qua nunc loquor, quid aliud quàm vos estis? Orate mihi verè, sicut oro, ut non sitis graves. Nam Dominus Jesus sarcinam levem non diceret, nisi cum portante portaret. Sed & vos sustinete me, ut secundùm præceptum Apostolicum, invicem onera nostra portemus, & sic adimpleamus legem Christi. Qui nobiscum si non portat, succumbimus: si nos non portat, occumbimus. Ubi me terret, quod vobis sum; ibi me consolatur, quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiæ: illud periculi est, hoc salutis. Denique tamquam in mari magno illius actionis tempestate jactamur: sed recolentes cujus sanguine redemti fuerimus, velut portum securitatis tranquillitate hujus cogitationis intramus; & in hoc propriè laborantes officio, in communi requiescimus beneficio. Si ergo plus me delectat, quòd vobiscum emtus sum, quàm quòd vobis præpositus sum; tunc, ut Dominus præcipit, ero abundantiùs vester servus, ne ingratus sim pretio, quo vester merui esse conservus. Amare quippe debeo Redemtorem: & scio quid Petro dixit, *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Hoc semel, hoc iterum, hoc tertiò. Interrogabatur amor, & [a] imponebatur labor: quia ubi major est amor, minor est labor. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Si dicam hoc me retribuere, quòd pasco oves ejus: etiam hoc facio, *non ego, sed gratia Dei mecum.* Ubi ergo retributor inveniar, cùm ubique præveniar? Et tamen quia gratìs amamus, quia oves pascimus, mercedem quærimus. Quomodo fiet istud? Quomodo convenit, Gratìs amo ut pascam, & mercedem posco quia pasco? Nullo modo fieret hoc, nullo modo merces quæreretur ab eo qui gratìs amatur, nisi merces esset ipse qui amatur. Nam si hoc retribuimus pro eo quòd nos redemit, quia ejus pascimus oves; pro eo ipso quid retribuemus, quòd nos fecit esse pastores? Mali namque pastores, quod à nobis absit, nostrâ malitiâ sumus: boni verò, quod ab illo nobis adsit, nisi ejus gratiâ esse non possumus. Unde & vos, Fratres mei, *præcipientes rogamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Facite nostrum ministerium fructuosum. *Dei agricultura estis.* Extrinsecùs accipite plantatorem atque rigatorem; intrinsecùs verò incrementi datorem. Corripiendi sunt inquieti, pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, insidiantes cavendi, imperiti docendi, desidiosi excitandi, contentiosi cohibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adjuvandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. In hac tanta, & tam multiplici ac varia rerum diversarum actione, adjuvate nos, & orando & obtemperando; ut nos vobis non tam præesse, quàm prodesse delectet.

Christi adjutorio eget, ut portetur.

Gal. 6. 2.

Johan. 21. 17

Psal. 115. 12.

1. Cor. 15. 10.

Gratuitus Dei amor spem mercedis non tollit.

2. Cor. 6. 1.

1. Cor. 3. 9.

2. [Sicut enim vobis hoc expedit, ut pro salute vestra Dei misericordiam studeamus orare; ita & vos oportet pro nobis ad Dominum preces fundere. Ne hoc incongruum judicemus, quod Apostolum fecisse cognoscimus. Nam in tantum commendari orationibus cupiebat apud Deum, ut ipse omni populo supplicaret dicens, *Orantes simul & pro nobis* &c. Et ideo hoc debemus loqui, quod & nosmetipsos [b] cohortari & vos possit instruere. Sicut enim nobis cum grandi timore ac sollicitudine cogitandum est, qualiter pontificatûs officium sine reprehensione possimus implere: ita & à vobis observandum est, ut ad omnia, quæ vobis fuerint imperata, humilem studeatis habere obedientiam. Oremus ergo pariter, Dilectissimi, ut episcopatus meus mihi prosit, & vobis. Mihi enim proderit, si facienda dicam; vobis, si faciatis audita. Si enim & nos pro vobis, & vos pro nobis cum perfecto caritatis amore indesinenter oraverimus, ad æternam beatitudinem, auxiliante Domino, feliciter veniemus.]

Coloss. 4. 3.

[a] MSS. *imperabatur labor.*

[b] Sic Theodericensis MS. At Sirmondus, *coartare.* Ceterùm conclusio ab initio n. 2. Augustinum, judicio quidem nostro, minùs sapit, quàm Cæsarium. Hujus certè perpetuæ sunt istæ loquendi rationes: *Sicut enim vobis hoc expedit, ut pro salute vestra . . . . studeamus orare; ita & vos &c. Nam in tantum &c. Et ideo hoc debemus loqui &c. Sicut enim nobis cum grandi timore ac sollicitudine cogitandum est, qualiter pontificatûs officium &c.*

* SANCTI

SANCTI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI SERMONUM AD POPULUM IV. CLASSIS,

COMPLECTENS SERMONES DE DIVERSIS.

* SERMO CCCXLI.

* Aliàs de Tempore 40.

De eo [a] *quòd Christus tribus modis in Scripturis intelligitur : contra Arianos habitus.*

CAPUT I. Christus in Scripturis dicitur tribus modis.

DOMINUS noster Jesus Christus, Fratres, quantum animadvertere potuimus paginas sanctas, tribus modis intelligitur & nominatur, quando prædicatur, sive per Legem & Prophetas, sive per epistolas Apostolicas, sive per fidem rerum gestarum, quas in Evangelio cognoB scimus. Primus modus est, secundùm Deum & divinitatem illam Patri coæqualem atque coæternam ante assumtionem carnis. Alter modus est, cùm assumta carne jam idem Deus qui homo, & idem homo qui Deus, secundùm quamdam suæ excellentiæ proprietatem, qua non ceteris coæquatur hominibus, sed est mediator & caput Ecclesiæ, esse legitur & intelligitur. Tertius modus est quodam modo totus Christus, in plenitudine C Ecclesiæ, id est, caput & corpus, secundùm plenitudinem perfecti cujusdam viri, in quo viro singuli membra sumus. Quod credentibus prædicatur, & prudentibus agnoscibile offertur. Non omnia testimonia Scripturarum tam multa angusto tempore sive recolere sive explicare possumus, quibus omnia tria ista genera probemus: sed tamen non omnia possumus improbata relinquere, ut quibusdam commemoratis testimoniis, cetera quæ commemorare non sinimur propter angustias temporis, per vos ipsos jam observare in D Scripturis & invenire possitis.

CAPUT II. Primus modus quo Christus prædicatur ut Deus. *Johan.* 1. 1. &c.

2. Ad primum ergo modum insinuandi Domini nostri Jesu Christi Salvatoris, unici Filii Dei, per quem facta sunt omnia, pertinet illud quod nobilissimum & præclarissimum est in Evangelio secundùm Johannem, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in illo vita erat; & vita erat lux homi*E *num, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Miranda & stupenda verba hæc, & priusquam intelligantur, amplectenda sunt. Si cibus apponeretur ori vestro, partem cibi alius illam acciperet, alius istam: ad omnes tamen perveniret unus cibus; sed non ad omnes totus cibus. Sic quasi quidam cibus & potus verborum nunc apponitur auribus vestris; & tamen totum ad omnes pervenit. An fortè cùm loquor, alius sibi

A tollit unam syllabam, alius alteram? aut alius unum verbum, alius alterum verbum? Si ita est, tot verba dicturus sum, quot homines video, ut ad omnes perveniant vel verba singula. Et facilè quidem plura dico, quàm hîc sunt homines: sed omnia ad omnes perveniunt. Verbum ergo hominis non dividitur per syllabas, ut omnes audiant; & Verbum Dei per frusta conciditur, ut ubique sit? Numquid hæc, Fratres, sonantia atque transeuntia verba illi incommutabiliter permanenti Ver- *Verbi similitudo.*
B bo ulla ex parte comparanda arbitramur? aut ego quia hæc dixi, comparavi? Sed quoquo modo insinuare vobis volui, ut Deus quod exhibet in corporalibus rebus, valeat vobis ad credenda ea, quæ nondum videtis de spiritalibus verbis. Sed jam ad meliora transeamus. Nam verba sonant, & abeunt. [b] De spiritalibus cogitationibus justitiam cogitate. Cogitans justitiam constitutus in istis partibus Occidentalibus, cogitans justitiam constitutus in Oriente, unde fit ut ille totam justitiam cogitet, &
C ille totam? & ille totam videat, & ille totam? Nam qui videt justitiam, secundùm quam gerat aliquid, ipse justè gerit. Videt intus, agit foris. Unde videt intus, si nihil sibi præstò est? Quia ipse in parte positus est, ad eamdem partem non perveniet alterius cogitatio? Cùm autem idem videas mente tu hîc positus, quod videt ille tam longè positus, & totum tibi luceat, totum illi videatur; quia ea quæ divina & incorporea sunt, ubique sunt tota; crede Verbum totum in Patre,
D totum in utero. Crede enim hoc de Verbo Dei, qui est Deus apud Deum.

CAPUT III. Alius modus quo Christus commendatur ut Deus & homo. *Johan.* 1. 14.

3. Sed audi jam aliam insinuationem, alium modum insinuandi Christum, quem Scriptura prædicat. Ea enim quæ dixi, dicta sunt ante assumtam carnem. Nunc autem audi illud quod modò prædicat Scriptura: *Verbum*, inquit, *caro factum est, & habitavit in nobis.* Nam qui dixerat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &*
E *Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* frustra nobis divinitatem Verbi prædicaret, si Verbi humanitatem taceret. Ut enim illud videam, hîc mecum agitur; ut purget ad illud contemplandum, infirmitati meæ ipse subvenit. Suscipiendo de natura humana ipsam naturam humanam, factus est homo. Venit cum jumento carnis ad eum qui jacebat in via vulnera- *Luc.* 10. 30.
tus, ut parvam fidem nostram incarnationis suæ sacramento [c] informaret atque nutriret, face-

[a] Citant sæpe Beda & Florus in Pauli epistolas.
[b] Et hæc verba, *de spiritalibus cogitationibus*, videntur superesse.
[c] Quidam libri, *firmaret.*

retque serenum intellectum ad videndum quod A numquam amisit per id quod suscepit. Esse enim cœpit homo, esse non destitit Deus. Ergo hæc est prædicatio Domini nostri Jesu Christi secundùm quod mediator est, secundùm quod caput est Ecclesiæ; quòd Deus homo est, & homo Deus est, cùm dicat Johannes, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Christus utroque modo commendatus ab Apostolo.

Philip. 2. 6. Florus ibidem.

4. Audite jam utrumque in illo notissimo capitulo apostoli Pauli: *Qui cùm in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* B Hoc est, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quomodo Apostolus dixit, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*, si non est æqualis Deo? Si autem Pater Deus, ille non Deus, quomodo æqualis? Ubi ergo ille ait, *Deus erat Verbum*: ibi iste, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Et ubi ille, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: ibi iste, *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Adtendite: per hoc ergo quòd C homo factus est, per hoc quòd Verbum caro factum est & habitavit in nobis, per hoc semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quid enim exinanivit? Non ut amitteret divinitatem, sed ut indueret humanitatem, apparens hominibus quod non erat, antequam homo esset. Sic apparendo se exinanivit, id est, [a] reservans dignitatem majestatis, & offerens carnem indumentum humanitatis. Per id ergo quòd semetipsum exinanivit formam servi accipiens, (non formam Dei accipiens. D De forma Dei cùm diceret, non dixit, accepit: sed, *cùm in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ad formam autem servi ubi ventum est, *Formam*, inquit, *servi accipiens.*) per hoc ergo mediator & caput est Ecclesiæ, per quem reconciliamur Deo, per sacramentum [b] humilitatis & passionis & resurrectionis & adscensionis & judicii futuri, ut duo illa futura audiantur, cùm semel locutus sit Deus. Ubi duo audiuntur? Ubi *reddit unicuique secundùm opera sua.*

Philip. 2. 7.

Matth. 16. 27.

Caput IV. Caveri jubet ab Arianorum hæresi.

2. Tim. 2. 17. Florus ad 2. Cor. 11. Virginitas mentis integritas fidei.

5. Hoc ergo tenentes, nolite quæstiones mirari hominum, quæ serpunt sicut cancer, quemadmodum dixit Apostolus: sed custodite aures vestras, & virginitatem mentis vestræ, tamquam desponsati ab amico sponsi uni viro virginem castam exhibere Christo. Virginitas enim vestra in mente. Virginitas corporis in paucis Ecclesiæ: virginitas mentis in omnibus fidelibus esse debet. Hanc virginitatem vult serpens corrumpere, de F quo idem Apostolus dicit, *Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et timeo, ne sicut Evam astutiâ suâ serpens decepit, sic quoque & vestri sensus corrumpantur, & excidant à castitate, quæ est in Christo Iesu. Vestri*, inquit, *sensus*, id est vestræ mentes. Nam hoc magis proprium est. Sensus enim intelliguntur & hujus corporis, videndi, audiendi, odorandi, gustandi, tangendi. Mentes nostras timuit corrumpi Apostolus, ubi est fidei virginitas. Modò [c] perge anima, virginitatem tuam G serva, fecundanda postea in amplexu sponsi tui. Sepite ergo, ut scriptum est, aures vestras spinis. Turbavit fratres infirmos Ecclesiæ quæstio Arianorum: sed in Domini misericordia superavit catholica fides. Non enim deseruit ille Ecclesiam suam; & si ad tempus turbavit eam, ob hoc turbavit, ut semper supplicaret ei, à quo in solida petra confirmaretur. Et adhuc mussitat serpens, & non tacet. Quærit pollicitatione quadam scientiæ dejicere de paradiso Ecclesiæ, quem non permittat redire ad illum paradisum, unde primus homo dejectus est.

Eccli. 28. 28.

Serpens pollicitatione scientiæ seducens.

Caput V. Id nunc agit in Ecclesia, quod olim in paradiso.

6. Intendite Fratres. Quod gestum est in illo paradiso, hoc geritur in Ecclesia. Nemo nos seducat ab isto paradiso. Sufficiat, quòd illinc lapsi sumus, vel experti corrigamur. Ipse est serpens, qui semper suggerit iniquitatem & impietatem. Ipse aliquando promittit impunitatem, quemadmodum & ibi promisit, dicens, *Numquid morte moriemini?* Ipse talia suggerit, ut modò malè vivant Christiani. Numquid omnes, inquit, perditurus est Deus? Numquid omnes damnaturus est Deus? Ille dicit, Damnabo: ignoscam eis qui se mutaverint; mutent facta sua, muto minas meas. Ipse est ergo qui murmurat, & mussitat, & dicit, Ecce ubi scriptum est, *Pater major me est*; & tu dicis æqualem Patri? Accipio quod dicis: sed utrumque accipio, quia utrumque lego. Quare tu unum accipis, & unum non vis? Nam mecum utrumque legisti. Ecce *Pater major me est*: accipio, non à te, sed ab Evangelio: & tu esse Filium æqualem Deo Patri, accipe ab Apostolo. Conjunge utrumque, utrumque concordet: quia qui locutus est per Johannem in Evangelio, ipse locutus est per Paulum in epistola. Non potest ipse secum discordare: sed tu concordiam Scripturarum non vis intelligere, cùm amas ipse litigare. Sed ex Evangelio, inquit, probo: *Pater major me est.* Et ego ex Evangelio probo: *Ego & Pater unum sumus.* Quomodo utrumque verum est? Quomodo nos docet Apostolus, *Ego & pater unum sumus? Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Audi, *Pater major me est: Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ecce ego ostendo quare major est: tu ostende in quo æqualis non est. Utrumque enim legimus. Minor est Patre, in quantum filius hominis est: æqualis Patri, in quantum Filius Dei; quia Deus erat Verbum. Mediator, Deus & homo: Deus æqualis Patri, homo minor Patre. Est ergo & æqualis & minor: æqualis in forma Dei, minor in forma servi. Tu ergo dic, unde æqualis & minor? Numquid alia parte æqualis, & alia parte minor? Ecce excepta susceptione carnis, ostende mihi æqualem & minorem. Unde demonstraturus es, volo videre.

Gen. 3. 4.

Johan. 14. 28. Contra Arianos, quomodo Pater Filio major. Filium Patri esse æqualé in forma Dei, minorem in forma servi.

Johan. 10. 30.

Caput VI. Filius Dei ante incarnationem nullo modo minor Patre.

7. Adtendite impietatem stolidam carnem sapere, quomodo scriptum est, *Sapere secundùm carnem, mors est.* Hîc siste. Sequestro adhuc, & nondum loquor de incarnatione Domini nostri Jesu Christi unici Filii Dei: sed tamquam nondum factum sit quod jam factum est, adtendo tecum, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; hoc erat in principio apud Deum. Adtendo tecum, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ibi mihi ostende & majorem & minorem. Quid dicturus es? Divisurus es Deum per qualitates,

a Sic MSS. At editi, *reserans.*
b Nonnulli codices, *humanitatis.*
c Florus & Cisterciensis liber, *Modò ergo anima.*

Classis IV.

id est, per quasdam affectiones corporales vel animales, in quibus aliud atque aliud esse sentimus? Naturaliter dicere quidem possum: sed utrùm sic & vos intelligatis, Deus viderit. Ergo ut dicere cœperam, ante susceptionem carnis, antequam Verbum caro fieret & habitaret in nobis, ostende minorem, ostende æqualem. Numquid aliud & aliud Deus, ut ex alia parte sit minor illo Filius, & ex alia parte illi æqualis? Veluti si dicamus, Corpora sunt quædam; potes mihi dicere, Æquale est in longitudine, sed minus est in robore. Plerumque enim duo corpora talia occurrunt, ut staturâ longitudinis æqualia sint, robore autem unum sit minus, alterum majus. Ergo talia quasi corpora cogitaturi sumus Deum & Filium ejus? cogitaturi sumus eum qui totus in Maria fuit, totus apud Patrem, totus in carne, totus super Angelos? Avertat Deus istas cogitationes à cordibus Christianorum. Item fortè ita cogitabis, ut dicas, Et robore & longitudine æquales, sed colore dispares sunt. Ubi color, nisi in corporalibus? Ibi autem lux sapientiæ. Ostende mihi colorem justitiæ. Si ista colorem non habent, tu illa de Deo non diceres, si pudoris colorem haberes.

Filiũ non posse dici alia ratione æqualem, alia minorem.

8. Quid ergo dicturus es? Potestate æquales sunt, sed minor Filius prudentiâ? Injustus est Deus, si minori prudentiæ potestatem dedit æqualem. Si prudentiâ æquales sunt, sed minor est Filius potestate, invidus est Deus, qui æquali prudentiæ potestatem dedit minorem. In Deo autem omne quod dicitur, idipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas & aliud prudentia, aliud fortitudo & aliud justitia aut aliud castitas. Quidquid horum de Deo dicis, neque aliud & aliud intelligitur, & nihil dignè dicitur: quia hæc animarum sunt, quas illa lux perfundit quodam modo, & pro suis qualitatibus afficit; quomodo cùm oritur corporibus lux ista visibilis. Si auferatur, unus est corporibus omnibus color; qui potiùs dicendus est nullus color. Cùm autem illa ta illustraverit corpora, quamvis ipsa unius modi sit, pro diversis tamen corporum qualitatibus diverso eos nitore adspergit. Ergo animarum sunt istæ affectiones, quæ bene sunt affectæ ab illa luce quæ non afficitur, & formatæ ab illa quæ non formatur.

In Deo non aliud potestas, aliud prudentia & ceteræ virtutes.

Caput VII. Justitia & similia de Deo dicuntur non propriè, sed quia nihil dici potest melius. Psal. 10. 8. Gen. 6. 7. Gen. 18. 21.

9. Tamen ista de Deo dicimus, Fratres, quia non invenimus melius quod dicamus. Dico justum Deum; quia in verbis humanis nihil melius invenio: nam est ille ultra justitiam. Dicitur in Scripturis, *Iustus Dominus, & justitias dilexit.* Sed ibi dicitur & pænitere Deum, ibi dicitur & nescire Deus. Quis non exhorreat? Nescit Deus, pænitet Deum? Ideo tamen & ad ista verba salubriter Scriptura descendit, quæ tu exhorres, ne illa quæ magna putas, dignè dicta arbitreris. Atque ita si quæras, Quid ergo de Deo dignè dicitur? aliquis fortasse tibi respondeat & dicat, quia justus est. Alius autem isto meliùs intelligens, etiam hoc verbum dicat superari ab illius excellentia, & indignè de illo etiam hoc dici, quamvis congruenter secundùm humanam capacitatem dicatur: ut cùm ille de Scripturis probare voluerit, quia scriptum est, *Iustus Dominus*; rectè illi respondeatur, in eisdem Scripturis positum

Serm. de Diversis.

A esse, quia pænitet Deum: ut quomodo istud non accipit secundùm consuetudinem loquentium, sicut solent homines pænitere; sic & illud quòd dicitur justus, supereminentiæ ipsius non competere intelligat: quamvis hoc Scriptura bene posuerit, ut per qualiacumque verba gradatim animus ad id quod dici non potest perducatur. Justum quidem Deum dicis: sed intellige aliquid ultra justitiam, quam soles & de homine cogitare. Sed Scripturæ justum dixerunt: propterea & B pænitentem dixerunt & nescientem, quod jam non vis dicere. Quomodo ergo illa, quæ jam exhorres, intelligis propter infirmitatem tuam dicta; sic & ista quæ magnipendis, pro aliqua [a] firmitate validiore dicta sunt. Qui autem & ista transcenderit, & de Deo, quantum homini conceditur, dignè cogitare cœperit, inveniet silentium ineffabili cordis voce laudandum.

Caput VIII. Filium Dei non posse dici ex alia parte æqualem, ex alia inæqualem.

10. Ergo, Fratres, quia hoc est in Domino virtus quod justitia, (quidquid de illo dixeris, hoc C idem dicis, cùm tamen nihil dignè dicas;) non potes dicere æqualem esse Patri Filium per justitiam & non esse æqualem per virtutem, aut æqualem per virtutem & non æqualem per scientiam: quia si ex una re aliqua æqualis est, ex omni re æqualis est; quia omnia quæ ibi dicis, idem sunt, & idem valent. Sufficit ergo, quia dicere non potes quomodo sit [b] inæqualis Filius Patri, nisi dederis diversitates quasdam in substantia Dei. Quas cùm dederis, foras te mittit veritas, nec acD cedis ad illud sanctuarium Dei, ubi sincerissimè videtur. Cùm autem non possis æqualem dicere ex alia parte & ex alia inæqualem, quia non sunt in Deo partes; non possis dicere ex alia eum esse æqualem, ex alia minorem, quia non sunt in Deo qualitates; secundùm Deum non potes dicere æqualem, nisi omni modo æqualem: unde ergo potes dicere minorem, nisi quia formam servi accepit? Itaque, Fratres, semper hæc advertite. Si in Scripturis regulam quamdam acceperitis, E omnia vobis lux ipsa monstrabit. Sicubi inveneritis, secundùm quod dictum est, æqualem Filium Patri, secundùm divinitatem accipite. Secundùm formam verò servi assumtam, minorem accipite: secundùm quod dictum est, *Ego sum qui sum*: & secundùm quod dictum est, *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*: sic tenebitis, & quod in ejus natura est, & quod in ejus misericordia. Arbitror satis esse dictum de illo etiam modo, quo Dominus noster Jesus Christus F Salvator noster caput Ecclesiæ mediator factus, per quem reconciliamur Deo, Deus & homo insinuatur in Scripturis.

Exodi 3. 14. & 15.

Caput IX. Christus tertio modo intelligitur caput & corpus. Florus ad Coloss. 1.

11. Tertius modus est, quomodo totus Christus secundùm Ecclesiam, id est, caput & corpus prædicetur. Etenim caput & corpus unus est Christus: non quia sine corpore non est integer, sed quia & nobiscum integer esse dignatus est, qui & sine nobis semper est integer, non solùm in eo quod Verbum est unigenitus Filius æqualis PaG tri, sed & in ipso homine quem suscepit, & cum quo simul Deus & homo est. Verumtamen, Fratres, quomodo corpus ejus nos [c] sumus, & nobiscum unus Christus? Ubi invenimus hoc, quia unus Christus est caput & corpus, id est, corpus cum capite suo? Sponsa cum sponso suo quasi

[a] Colbertinus MS. *infirmitate.*
[b] Plures MSS. *æqualis.* Fortè leg. *æqualis & inæqualis.*

[c] Regius liber & Florus, *quomodo corpus ejus nos, si non & nobiscum unus Christus?*

Classis IV.

Isai. 61. 10.

singulariter loquitur apud Isaiam: certè unus idemque loquitur; & videte quid ait: *Velut sponso alligavit mihi mitram, & velut sponsam induit me ornamento.* Ut sponsus & sponsa: [a] eumdem dicit sponsum secundùm caput, sponsam secundùm corpus. Duo videntur, & unus est. Alioquin quomodo membra Christi sumus? Apostolo apertissimè dicente, *Vos estis corpus Christi & membra.* Membra Christi & corpus sumus omnes simul; non qui hoc loco tantùm sumus, sed & per universam terram; nec qui tantùm hoc tempore, sed quid dicam? Ex Abel justo usque in finem sæculi quamdiu generant & generantur homines, quisquis justorum per hanc vitam transitum facit, quidquid nunc, id est, non in hoc loco, sed in hac vita, quidquid pòst nascentium futurum est, totum hoc unum corpus Christi: singuli autem membra Christi. Si ergo omnes corpus, singuli membra; est utique caput cujus hoc sit corpus. *Et ipse est*, inquit, *caput corporis Ecclesiæ, primogenitus, ipse primatum tenens.* Et quia de illo ait etiam, quòd semper *caput omnis principatus & potestatis* sit, adjungitur ista Ecclesia, quæ nunc peregrina est, illi cælesti Ecclesiæ, ubi Angelos cives habemus; cui æquales nos futuros post resurrectionem corporum impudenter nobis arrogaremus, nisi veritas promisisset, dicens, *Erunt æquales Angelis Dei*: & fit una Ecclesia, civitas Regis magni.

1. Cor. 12. 27. — Coloss. 1. 18. — Coloss. 2. 10. — Luca 20. 36.

Caput X.

Christus in Scripturis enuntiatus tribus modis.

12. Sic ergo aliquando in Scripturis insinuatur Christus, ut intelligas Verbum æquale Patri. Sic aliquando, ut intelligas mediatorem; cùm *Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis*: cùm ille unigenitus per quem facta sunt omnia, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Sic autem aliquando, ut intelligas caput & corpus, exponente ipso Apostolo apertissimè quod dictum est de viro & uxore in Genesi, *Erunt*, inquit, *duo in carnem unam.* Videte ipsum exponentem, ut non conjecturis nostris aliquid ausi dicere videamur. *Erunt enim*, inquit, *duo in carnem unam*: & addidit, *Sacramentum hoc magnum est.* Et ne adhuc putaret quisquam in viro esse & uxore secundùm naturalem utriusque sexûs copulationem corporalemque mixturam: *Ego autem dico*, inquit, *in Christo & Ecclesia.* Secundùm hoc ergo quod in Christo & Ecclesia accipitur quod dictum est, *Erunt duo in carnem unam: non jam duo, sed una caro est.* Et quomodo sponsus & sponsa, sic caput & corpus: quia caput mulieris vir.* Sive ergo dicam caput & corpus, sive dicam sponsus & sponsa, unum intelligite. Ideoque idem Apostolus, cùm esset adhuc Saulus, audivit, *Saule, Saule, quid me persequeris*; quoniam corpus capiti adjungitur. Et cùm jam Christi prædicator pateretur ab aliis, quæ persecutor ipse fecerat, *Vt suppleam*, inquit, *quæ desunt pressurarum Christi in carne mea*: ad pressuras Christi ostendens pertinere quod patiebatur. Quod non potest intelligi secundùm caput, quod jam in cælo nihil tale patitur; sed secundùm corpus, id est, Ecclesiam: quod corpus cum suo capite, unus Christus est.

Johan. 1. 14. — Philip. 2. 6. &c. — Florus ad Ephes. 5. — Gen. 2. 24. — Christus & Ecclesia unus Christus. — Ephes. 5. 32. — * Beda ad Coloss. 1. — Act. 9. 4. — Coloss. 1. 24.

Caput XI.

13. Exhibete ergo vos dignum corpus tali capite, dignam sponsam tali sponso. Non potest habere caput illud, nisi condignum corpus; nec ille vir tantus, nisi condignam ducit uxorem. *Vt exhiberet sibi*, inquit, *gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi.* * Hæc est sponsa Christi, non habens maculam aut rugam. Non vis habere maculam? Fac quod scriptum est, *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias de cordibus vestris.* Non vis habere rugam? Extendere in crucem. Non enim tantùm opus est ut laveris, sed etiam ut extendaris, ut sis sine macula aut ruga. Per lavacrum enim auferuntur peccata: per extensionem fit desiderium futuri sæculi, propter quod Christus crucifixus est. Audi ipsum Paulum lotum: *Non*, inquit, *ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis.* Audi eumdem extensum: *Ea*, inquit, *quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extensus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.*

Serm. de Diversis. — Sponsa Christi agat ut sit sine macula & ruga. — Florus ad Ephes. 5. 27. — * Beda ibidem. V. 2. Retract. cap. 38. — Isai. 1. 16. — Tit. 3. 5. — Philip. 3. 13. & 14.

* SERMO CCCXLI.

* Aliàs 8. ex Sirmondianis.

De [b] Sacrificio vespertino.

In quo explicatur initium Evangelii Iohannis.

1. DE Sacrificio vespertino Sermo reddendus est. Oravimus enim cantando, & orando cantavimus, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In oratione advertimus hominem, in extensione manuum agnoscimus crucem. Est ergo hoc signum quod in fronte gestamus, signum quo salvi sumus. Signum irrisum, ut honoraretur; contemtum, ut glorificaretur. Deus comparet, ut homo deprecetur; & Deus latet, ut homo moriatur. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hoc ergo sacrificium, ubi sacerdos est victima, redemit nos fuso sanguine Creatoris. Non [c] tamen creavit nos cum sanguine, sed redemit sanguine. Creavit enim nos *in principio* quod *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ab hoc creati sumus. Sermo contextus adjungit, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hoc est quo creati sumus. Quo verò redemti, audi: *Quod factum est*, inquit, * *in eo vita erat, & vita erat lux hominum*, * *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Adhuc Deus est: adhuc illud dicitur, quod incommutabile semper manet; adhuc illud dicitur, cui videndo corda mundanda sunt: unde autem mundentur, nondum dicit. *Lux*, inquit, *lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Sed ut non sint tenebræ, possintque eam comprehendere; tenebræ enim peccatores, tenebræ infideles: ut ergo non sint tenebræ, possintque comprehendere, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Videte Verbum, videte Verbum carnem, Verbum ante carnem. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt.* Ubi hîc sanguis? Ecce jam auctor tuus, sed nondum est pretium tuum. Unde ergo redemtus? quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Psal. 140. 2. — Crucis signum. — 1. Cor. 2. 8. — Sacrificiũ crucis. — Florus ad 1. Cor. 11. & Hebr. 9. — Johan. 1. 1. — ℣. 3. — ℣. 4. — ℣. 5. — ℣. 14.

[a] Editi, *cùm dicit.* At Regius MS. *eum.* Florus, *eumdem.*
[b] Citat Florus ad Rom. 11. ad 1. Cor. 11. & Hebr. 9.

[c] Sirmondus, *Non tantùm.* Aptiùs Florus, *Non tamen.*

CLASSIS IV.

2. Paulò superiùs adtende. *Lux*, inquit, *lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quia ergo tenebræ lumen non comprehenderunt, opus erat hominibus humano testimonio. Diem videre non poterant, lucernam fortè poterant tolerare. Quia ergo ad videndum diem minùs idonei erant, lucernam tamen utcumque tolerabant; *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine.* Quis, de quo, hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine? Quomodo non erat ille lumen, si vel lucerna erat? Primò vide quia lucerna erat. Audire vis lucernam, lucernam de die in diem? De lucerna, *Vos*, inquit, *misistis ad Iohannem; & voluistis ad horam exsultare in lumine ejus: ille erat lucerna ardens & lucens.* Johannes ergo iste quid videbat, qui lucernam contemnebat? *Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* De quo lumine? *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si omnem hominem, ergo Johannem: Johannem qui nondum se volebat ostendere diem, ipse sibi suam accenderat testem lucernam. Sed talis erat lucerna, quæ de die posset accendi. Audi ipsum Johannem confitentem: *Nos*, inquit, *omnes de plenitudine ejus accepimus.* Christus putabatur, hominem se esse fatebatur. Dominus putabatur, servum se esse confitebatur. Bene agnoscis lucerna humilitatem tuam, ne te superbiæ ventus exstinguat. *Erat* enim *lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* id est omne animal, quod est illuminationis capax, hoc est omnem hominem habentem mentem atque rationem, qua possit esse particeps Verbi.

Johannes missus ante Christum, ut lucerna ante lumē.

ỷ. 6.

Johan. 5. 33. & 35.

Johan. 1. 8.

ỷ. 9.

Johan. 1. 16.

3. Illud ergo quòd erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem habentem mentem venientem in hunc mundum, ubi erat? *In hoc mundo erat.* Sed & terra in hoc mundo erat, & sol & luna in hoc mundo erant. Audi de die tuo, ô mentis humanæ oculus! *In hoc mundo erat, & per ipsum mundus factus est.* Sic erat hîc, ut & antequam mundus esset, non quasi non haberet ubi esset. Deus enim habitando continet, non continetur. Ergo miro & ineffabili modo in hoc mundo erat. *Et mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit.* Quis est mundus, qui per eum factus est? *In principio fecit Deus cælum & terram*, quia omnia per ipsum facta sunt. Quis mundus eum non cognovit? Mundus & mundus, sicut domus & domus; domus in fabrica, domus in habitatoribus. In fabrica domus, quemadmodum magnam domum fecit, pulcherrimam domum construxit. Domus in habitatoribus, quomodo bona domus, benedicat eam Dominus; mala domus, parcat ei Deus. Ergo *mundus per eum factus est*, & habitatio & habitatores: *& mundus eum non cognovit*, habitatores.

Johan. 1. 10.

Gen. 1. 1. Mundus duobus modis intelligitur.

4. *In sua propria venit, & sui eum non receperunt.* Ergo quare venit, quasi non præscius, quòd sui non essent eum recepturi? Audi propter quod venerit: *Quotquot autem receperunt eum.* Sui non receperunt, mundus non credidit, & mundus totus credidit. Sicut dicimus, Tota arbor plena foliis, numquid fructibus est locus ablatus? Utrumque dici, utrumque intelligi potest, & arbor foliis plena, & arbor fructibus plena: una arbor in utroque, sed foliis dispergendis, fructibus colligendis. Ergo fideles ejus servi, dile-

ỷ. 11. Christus quomodo non receptus à suis.

A ctores ejus, quorum gloria est, quorum spes, quorum res est; quando auditis, *Sui eum non receperunt*, nolite dolere: quia credendo ipsius estis. *Sui eum non receperunt.* Qui isti sunt? Fortè Judæi olim vocati ex Ægypto, liberati in manu potenti, per rubrum mare trajecti, per siccum evadentes, hostibus insequentibus carentes, mannâ pasti, de servitute eruti, ad regnum perducti, tot beneficiis emti. Ecce sui, qui non receperunt: sed non recipiendo facti sunt alieni. In olivâ erant,
B superbiendo fracti sunt. Oleaster contemtibilis, amaritudine batorum aspernabilis, per totum mundum erat, illo totus mundus horrebat; sed tamen per humilitatem ibi meruit inseri, unde oliva superbiendo præcidi. Audi olivam superbientem, & frangi dignam: *Nos de servitute non sumus nati, patrem habemus Abraham.* Respondetur, *Si filii Abrahæ essetis, facta Abrahæ faceretis.* Contra id quod dictum est, *De servitute non sumus nati: Si vos Filius liberaverit, verè li-*
C *beri eritis.* Liberos vos esse jactatis? *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Quantò ergo tutiùs homo servus esses hominis, quàm perversæ cupiditatis? Illi tamen superbiendo humilem non receperunt. Vide oleastrum dignum inseri, Centurionem illum, non de Israëliticis, sed de Gentilibus: *Domine, non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Et Dominus, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* In oliva non inveni, quod inveni in oleastro. Ergo oliva super-
D biens præcidatur, oleaster humilis inseratur. Vide inserentem, vide præcidentem: *Propterea dico vobis, quia multi ab Oriente & Occidente venient*; multus veniet oleaster inserendus in oliva: *& recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.* Audisti quemadmodum oleaster humilis inseratur: audi quemadmodum oliva superba præcidatur, *Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Quare? Quia *sui eum non receperunt.* Et quare
E insertus oleaster? Quia *quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

SERM. DE DIVERSIS.

Florus ad Rom. 11. Judæi ob superbiam præcisi, Gentiles ob humilitatem in oliva inserti.

Johan. 8. 33.

Ibidem 36.

Ibidem 34.

Centurionis humilitas & fides. *Matth. 8. 8. &c.*

Johan. 1. 12.

5. Erige cor, genus humanum, respira in aura vitæ & securissimæ libertatis. Quid audis? quid tibi promittitur? *Dedit eis potestatem.* Quam potestatem? An fortè unde inflantur homines, judicandi de capitibus humanis, ferendi sententias de innocentibus & nocentibus? *Potestatem*, inquit, *dedit eis filios Dei fieri.* Jam enim * non erant filii, & fiunt filii; quia ille, per quem fiunt filii Dei, jam erat
F Filius Dei, & factus est filius hominis. Jam ergo & illi erant filii hominum, & facti sunt filii Dei. Descendit ad id quod non erat, quia aliud erat. Erige ergo spem. Magnum est quod tibi promissum est, & incredibile videtur, & quasi non posse æstimatur filios hominum fieri filios Dei. Sed plus pro illis factum est, quia Filius Dei factus est filius hominis. Erige ergo spem, ô homo, pelle à corde infidelitatem. Incredibilius jam pro te factum est, quàm quod tibi promissum est. Mi-
G raris si homo habeat vitam æternam? miraris si homo perveniat ad vitam æternam? mirare potiùs, quòd Deus pro te pervenit ad mortem. Quid dubitas de promisso, tanto pignore accepto? Vide ergo quomodo te confirmat, quomodo promissionem Dei roborat: *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Qua generatione? Non illâ usitatâ, non veteri,

Potestas data ut efficiamur filii Dei.

* *f. redundat non.*

non transitoriâ vel carnali. *Non ex carne*, inquit, *non ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* (℣. 13.) Miraris, non credis? *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* (℣. 14.) Ecce unde factum est sacrificium vespertinum. Inhæreamus illi: nobiscum offeratur, qui pro nobis oblatus est. Sic enim vespertino sacrificio vita vetus interficitur, & diluculo nova oritur.

* SERMO CCCXLIII.

** Aliàs 2. inter editos ex MSS. Carthusiæ majoris.*

De Susanna [a] *& Joseph: cum exhortatione ad castitatem.*

1. Divinæ lectiones, & sancta oracula Dei, quæ insonuerunt auribus nostris, nidum faciant in mentibus nostris: non volent & transeant, [b] aut sedeant, & discedant; sed aliquid pariant. Nam si *passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos*; (*Psal.* 83. 4.) quantò magis passer verbum Dei & turtur misericordia Dei? Audivimus de Susanna lectionem: (Susanna exemplum pudicitiæ conjugalis.) ædificetur pudicitia conjugalis, & tam firmo fundamento innitatur muroque valletur, ut & insidiantes repellat, & falsos testes convincat. Remanserat casta mulier moritura, nisi adesset qui videbat, quod judicantes latebat. Conscripta sunt verba ejus, quæ habuit in paradiso, hoc est in viridario suo: quæ verba nullus hominum audivit, nisi soli duo, qui pudori uxoris alienæ insidiabantur, & reluctanti falsum testimonium meditabantur. (*Dan.* 13. 22.) Illi soli audierunt quod dictum est, *Angustiæ mihi undique. Si enim hoc fecero, mors mihi est; si autem non fecero, non effugiam manus vestras. Melius est autem mihi manus vestras non evadere, quàm in conspectu Dei peccare.* Contemnebat quod audiebat, quia timebat quem non videbat; cujus tamen divinis oculis erat ipsa conspicua. Neque enim quomodo illa Deum non videbat, sic non videbatur à Deo. Videbat Deus quod ædificabat, inspiciebat opus suum, habitabat templum suum, ibi erat ipse, insidiantibus respondebat. Nam si castitatis dator deseruisset, castitas interiisset. (Castitas donum Dei.) Ait ergo, *Angustiæ mihi undique.* Sed & exspectabat eum, qui eam salvam faceret à pusillanimitate & tempestate falsorum testium, tamquam ventorum malorum. In illis tamen ventis & fluctibus naufragium castitas non fecit; quia Dominus gubernavit. Clamatum est, ventum est, processum est: pervenit caussa ad judicium. Domus Susannæ crediderat contra dominam senioribus falsis: & quamvis anteacta illæsa & immaculata vita idoneum videretur pudicitiæ testimonium perhibere; illis tamen irreligiosum videbatur senioribus non credere. Nullus talis sermo umquam sonuerat de Susanna. Illi ergo falsi testes; sed noti Deo. Aliud credebat domus, aliud videbat Dominus: sed quod videbat Dominus, homines nesciebant, senioribus rectè credi videbatur. Ergo moriendum erat: sed si caro moreretur, castitas coronaretur. Adfuit Dominus precanti, exaudivit quam noverat: non deseruit ne moreretur, cui subvenit ne adulteraretur. Excitavit Dominus spiritum sanctum Danielis adhuc novelli ætate, sed robusti pietate. Quia ergo erat in eo propheticus Spiritus, continuò nequissimorum seniorum vidit fallaciam. Sed quod ille intuebatur, providendum erat quomodo ceteris

A monstraretur. *Falsi*, inquit, *testes sunt, redite in judicium.* Sed quòd falsi essent, ille noverat, cui propheticus Spiritus revelaverat: docendi erant, qui nesciebant. Ergo si judices docendi, testes procul dubio convincendi. Convincens ergo eos, intendens falsitatem testimonii, quam ipse jam noverat, jussit eos ab invicem separari. Interrogavit singulos: unam enim concupiscentiam habere ambo potuerunt, sed unum consilium meditari non potuerunt. Interrogatus est unus, sub quam arborem comprehendisset adulteros; respondit, *Sub lentisco.* Interrogatus est alius; respondit, *Sub ilice.* Dissonantia testimoniorum patefecit veritatem, liberavit castitatem.

(Susanna divinitus liberata à falsis testibus.)

B 2. Et castitas quidem, Fratres, sicut jam dixi, liberaretur & coronaretur, etiam si caro quandoque moritura, illo judicio moreretur. (Susannæ, quia liberata est, non major exinde felicitas.) Morituri enim sumus omnes: nec agit quisquam qui cupit evadere, ut mortem auferat; sed ut differat debitum. Hoc omnes tenet, hoc omnes reddituri sumus, quod de Adam traximus; & quòd mori

C nolumus, ab exactore hujus debiti non securitas datur, sed dilatio postulatur. Susanna ergo religiosa mulier & pudica conjux, erat utique quandoque moritura: & ipsum quandoque si tunc esset, pudicitiæ quid obesset, dum caro conderetur sepulcro, & castitas redderetur Deo, coronaretur à Deo? Putatis enim, Fratres, tamquam ad magnum meritum pertinere, si falsi testes non prævaleant adversùs innocentem? Non est magnum meritum, si non prævaleat falsum testimonium

D adversùs innocentem. Magnum meritum esset, si adversùs Dominum non prævaluisset. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus per linguas falsorum testium est crucifixus. Sed ipsi quidem falsi testes ad horam prævaluerunt, resurrecturo quid nocuerunt? Exemplo itaque suo Dominus Deus noster in carne sua, in infirmitate sua, & in forma servi, quam suscepit ad liberandum servum, ad quærendum fugitivum, ad redimendum captivum, solvendum vinctum, faciendum de servo

E fratrem; ad hoc veniens in forma servi demonstravit servo exemplum, ne falsos testes perhorrescat; & cùm creduntur, non timeat. Possunt enim facere malam famam; sed non possunt interficere conscientiam puram. Liberati sunt tres viri de camino ignis ardentis, adfuit Deus eorum, (*Dan.* 3. 94.) deambulaverunt inter ignes innoxios, circùm ardentes & non urentes, & in ipsa deambulatione laudes dixerunt Deo, & illæsi sicut missi fuerant, evaserunt; adfuit ergo Deus eorum: numquid defuit Deus Machabæorum? (*Mach.* 7.) Illi evaserunt, illi

F mox arserunt: utrique tentati, hi carne consumti, hi carne illæsi; sed utrique coronati. Ut evaderent flammas tres viri, Nabuchodonosor præstitum est, ut crederet in Deum eorum. Nam qui eos potuit in manifesto liberare, potuit & in occulto coronare. Sed si illos in occulto coronasset, regem, qui sævierat, non liberasset. Salus corporis illorum, salus animæ facta est illius. Illi Deum laudando evaserunt, sed præsentes ignes: ille in Deum credendo evasit, sed æternas gehennas. Plus ergo

G illi, quàm illis, præstitum est. Antiochus autem non erat dignus, cui talia præstarentur, à quo Machabæi torquebantur: ideo illis igne tormentisque consumtis, exsultavit: sed *qui se exaltat, humiliabitur.* (*Luc.* 18. 14.)

[a] Recensitus est à Possidio in Indiculi capite 10. Exstat idem Sermo, sed plus media parte minutus, inter Latinas homilias Johannis Chrysostomi nomine publicatas.

[b] Apud Chrysostomum, *sed sedeant, nec discedant.*

Maria à falsa suspicione Josephi liberata.

3. Qui ergo liberavit Susannam mulierem castam, conjugem fidelem à falso testimonio seniorum, ipse liberavit & virginem Mariam à falsa suspicione mariti sui. Inventa est ergo virgo illa prægnans, ad quam vir non accesserat. Uterus quidem fetu intumuerat; sed virginalis integritas manserat. Seminatorem fidei fide conceperat, Deum in suum corpus assumserat, qui ejus corpus violari non permiserat: marito tamen tamquam homini venit in suspicionem. Aliunde esse credebat, quod de se non esse sciebat, & ipsum aliunde adulterium suspicabatur. Ab Angelo corrigitur. Quare dignus fuit ab Angelo corrigi? Quia non in illo erat malivola suspicio: quales Apostolus dicit malivolas suspiciones nasci inter fratres. Malivolæ suspiciones sunt calumniantium, benevolæ suspiciones sunt gubernantium. Licet cuiquam de filio malè suspicari; sed de filio non licet calumniari: utique suspicaris malum; sed optas invenire bonum. Qui benevolè suspicatur, vinci cupit: tunc enim bene lætatur, quando falsum inventum fuerit, quod malè suspicabatur. Talis erat Joseph circa conjugem suam, cui corpore non erat mixtus, sed tamen fide jam fuerat copulatus. Venit ergo & virgo in falsam suspicionem: sed sicut pro Susanna adfuit in Daniele Spiritus, sic pro Maria adfuit Angelus. Ad Joseph inquit Angelus, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim de ea nascitur, de Spiritu-sancto est.* Ablata suspicio est; quia inventa redemtio est.

Matth. 1. 19. — 1 Tim. 6. 4. — Matth. 1. 20.

Virginum & conjugatarum castitas, præmium inæquale, sed æternū utraque habet.

4. Gaudebant paulò antè conjugatæ ad Susannam, gaudeant virgines ad Mariam: utræque teneant castitatem, illæ conjugalem, illæ virginalem. Utraque enim castitas habet apud Deum meritum: etsi virginalis major est, conjugalis minor; tamen utraque grata est Deo, quia donum est Dei. Ad vitam æternam omnes perveniunt; sed in vita æterna non omnes eumdem honorem, eamdem dignitatem, idem meritum comparant. Sic erit vita æterna & regnum Dei, quomodo, similitudinis caussâ, quod dicimus cælum. In cælo sunt omnia sidera: sic & in regno Dei omnes erunt boni fideles. Vita æterna par erit omnibus: non enim ibi alius plus vivit, alius minùs; quando omnes sine fine victuri sumus. Ipse est denarius, quem accepturi sunt operarii, sive qui in vinea manè laboraverunt, sive qui ad horam undecimam venerunt: denarius ille vita æterna est, quæ omnibus par est. Sed intuemini cælum, recordamini Apostolum: *Alia corpora cælestia, & alia terrestria; alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum; stella enim à stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum.* Ergo unusquisque, Fratres mei, pro dono quod accepit, certet in hoc sæculo, ut gaudeat in futuro. Conjugatus es? Inferior vita est, inferius præmium spera; æternum tamen regnum non despera. Præcepta tibi conjugalia retinenda sunt. Quid enim, quia uxorem habes, non te debes agnoscere peregrinari in hoc mundo, moriturum non te debes cogitare, exiturum de lecto voluptatis? & vide quò utcumque pergas, ad tormentum calamitatis, an ad præmium æternitatis. Cogita ergo, serva quod accepisti, ferto sarcinam tuam: quia levis est, si diligis; gravis, si odisti. Non enim frustra Dominus ait, aut verè cùm hoc ait, solis contientibus loquebatur: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos; & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris:* non carnibus vestris, sed animabus vestris. *Jugum enim meum lene est, & sarcina mea levis est:* levis amanti, gravis neganti. Jugum Domini in cervicem sumsisti? Lene est, si bene conaris; asperum, si reluctaris. Circumstant tentationes conjugalem vitam. Numquid enim ista Susanna ideo non tentata est in ipsa pudicitia, quia marito erat conjuncta? Numquid hæ solæ in hac parte non tentantur, quæ viris copulantur? Ecce Susanna uxor aliena erat, maritum habebat: tamen tentata est, fluctuavit in tempestate. *Angustiæ*, inquit, *mihi sunt undique.* A falsis enim testibus timuit mori: sed à Deo judice vero timuit penitus mori. A falsis enim testibus ad tempus moreretur: à judice Deo in æternum puniretur. Appendit, elegit: prius timuit, & appendit; appendit, & elegit; elegit, & vicit. Docuit feminas conjugatas religiosas, tentatori resistere docuit, pugnare docuit, laborare docuit, adjutorium implorare docuit.

Matth. 20. 9. — 1 Cor. 15. 40. &c. — Matth. 11. 28. &c.

Jugū Christi lene & sarcina levis amantibus.

Feminis exemplum Susanna.

5. Si de femina tentata Scriptura testis est; numquid viros deseruit? numquid eis exemplum imitationis deesse permisit? Intuebamur Susannam tentatam à viris concupiscentibus ejus corruptionem, intuebamur certantem. Lectio illa theatrum nostri cordis erat, athletam Dei pudicum spiritum exspectabamus, certantem adversarium videbamus, de victo cum victrice triumphemus. Habent exemplum suum religiosæ conjuges, habent quod imitentur. Deo debeant, quod servant, non homini: tunc enim servant, si Deo debeant; tunc servant, si illi debeant, qui videt quod servant, quod etiam maritus non videt. Sæpe enim absens est maritus, semper est præsens Deus: & aliquando, quia homo est maritus, suspicatur falsum; tunc oret mulier pro marito suo suspicante falsum; oret ut ille salvetur, non ut ille damnetur. Falsa enim viri suspicio non claudit oculos Dei. Illius conscientia nuda est coram illo, qui creat eam. Ipse enim ad tempus oppressam liberat in æternum. Sed oret pro marito, & det operam non solùm habere bonam vitam, sed etiam illæsam famam. Bonam enim vitam ipsa pudicitia liberat, ne damnetur: bona verò fama alios liberat, ne falsum suspicando labantur, & fortè in peccatum decidant, dum quod non vident judicant: sicuti judices isti ceciderunt, & Daniel sanctus, immo per Danielem Dominus, magis illos judices, quàm Susannam, ab interiore morte liberavit. Liberavit enim illam, ne ad tempus damnaretur: liberavit autem illos, ne malè judicando & innocentem damnando, in æternum supplicium caderent ejus judicis, quem nemo potest corrumpere, à quo nemo se potest abscondere.

Agendum non solùm ut bona sit vita, sed & fama illæsa.

Joseph viris exemplum pudicitiæ.

6. Dicebam ergo de viris, quia nec ipsi sine exemplo dimissi sunt. Viri casti, viri timentes Deum, viri quibus sufficiunt conjuges suæ; viri qui non violatis, quod vobis violari non vultis; viri qui fidem, quam exegistis, reddidistis; exspectate & vos me commemorante, quod exspectabant uxores vestræ lectore recitante. Nec vos sine exemplo Scriptura divina dimisit. Illæ Susannam audiebant, & in ea vincente gaudebant: vos Joseph adtendite; non illum Joseph, cui desponsata

CLASSIS IV

SERM. DE DIVERSIS.

fuerat virgo Maria, quæ peperit Christum; nam ille suspicione tentatus est, & ab Angelo mox sanatus est. Alium Joseph sancta Scriptura testatur, quem tentavit impudica: amavit pulcrum non castâ, sed perversâ mente, ubi oculos non habebat, ubi videretur spiritalis & invisibilis pulcritudo; quem amabat pulcrum, nolebat castum. Amavit alienum, amavit servum viri sui: sed fidem servantem domino suo non amavit. An putas amavit illum, an potiùs se? Ego puto quia nec illum, nec se. Si enim illum amabat, quare volebat perdere? Si se amabat, quare volebat perire? Ecce probavi quia non amabat. Veneno libidinis ardebat, non flammâ caritatis lucebat. Sed ille noverat videre, quod illa non noverat. Pulcrior erat intus, quàm foris; pulcrior in cordis luce, quàm in carnis cute; quò illius feminæ oculi non penetrabant, ibi ipse sua pulcritudine fruebatur. Intuens ergo interiorem pulcritudinem castitatis, quando illam maculari, quando violari illius feminæ tentatione permitteret? Amabat illa; sed amabat & ille: & plus erat quod amabat ille, quàm quod amabat illa; quia videbat ille, quod non videbat illa.

(Gen. 39. 12.)

(Castitatem in aliis impudici vel ipsi amant.)

7. Si vis videre quomodocumque spiritalem pulcritudinem pudicitiæ, si habes ad illam qualescumque oculos, exempli gratiâ aliquid tibi propono: ipsam amas in conjuge tua. Noli ergo odisse in aliena, quod amas in tua. Quidnam amas in tua? Utique castitatem. Hanc odisti in aliena, quam amas in tua: hanc odisti in aliena, cum qua concumbendo ejus vis perdere castitatem. Quod amas in tua, hoc vis interficere in aliena? Quod amas in tua, hoc vis perdere in aliena? Quomodo habebis orationem pietatis, homicida castitatis? Serva ergo in aliena, quod servari cupis in tua: ipsam castitatem potiùs dilige, quàm carnem. Sed fortè existimas te amatorem esse carnis uxoris tuæ, non castitatis. Sordida quidem cogitatio; sed non te dimitto sine exemplo. Ego enim puto quòd castitatem plus ames in conjuge tua, quàm carnem. Sed ut te absolutissimè ostendam amatorem esse castitatis magis quàm carnis, hanc amas in filia tua. Quis hominum est, qui non filias suas castas esse velit? quis hominum est, qui non filiarum suarum congaudeat castitati? Numquid & ibi carnem amas, numquid concupiscis corpus pulcrum, ubi exhorrescis incestum? Ecce probavi te amatorem esse castitatis. Si ergo amatorem castitatis ostendi te, quid te offendisti, ut non illam ames in te? Ecce habes compendium, ama in te, quod amas in filia tua: ama hoc in uxore aliena; quia & filia tua uxor erit aliena. Ama ergo & in te castitatem. Si uxorem alienam amaveris, non continuò habebis: si castitatem amaveris, mox habebis. Ama ergo castitatem, ut habeas æternam felicitatem.

(Pudicitiæ amore resistendum in tentatione exemplo Susannæ & Joseph.)

8. Sed fortè tentaberis, amabit te mulier impudica, inveniet te in solitudine, conabitur extorquere complexum; si renueris, minabitur infamando supplicium. Hoc seniores falsi Susannæ fecerunt, hoc uxor domini sui fecit sancto Joseph. Sed adtendite illum, quem adtendit & Susanna & Joseph. Num quia nullus testis est, Deus ibi non est? Ejus oculos noluit offendere Joseph, oculos Domini sui præsentis. Noluit impudicæ mulieri ad concubitum illicitum consentire. Repulit concupiscentiam alienam, amplexus est pudicitiam suam. Fecit tamen illa, quod minata est: mentita est viro; credita est à suo marito. Adhuc patiens Deus. Traditur Joseph in carcerem; custoditur tamquam reus, à quo non est offensus Deus: sed nec ibi defuit Deus, quia ille non erat reus. Adfuit Dominus Joseph patienti: quòd non citò subvenit, ad majora præmia distulit. Lætificavit merito, quem exercuit supplicio. Debuit enim sanctus ipse Joseph pro ipsa pudicitia aliquid etiam durum pati, hoc est, amarum. Si ipsam impudicam mulierem forsitan amaret, pro illa paratus esset dura perpeti: & illa amorem suum erga se non probaret, nisi propter illam talia molesta vel dura toleraret, & caritati, immo non caritati, sed malæ cupiditati, vicem redderet. Exardesceret illa in illum vicissim, quia videret eum tanto amore suo inardescere, ut propterea non recusaret quæcumque supplicia tolerare. Si hoc pro impudica, quantò magis pro ipsa pudicitia? Bene ergo aliquando Deus differt adjutorium suum; ut probet hominem, ut exerceat hominem, ut ipse sibi homo innotescat. Nam Deum nihil latet.

(Pro pudicitia spernendæ delectationes & molestiæ.)

9. Hoc ergo monuerim Caritatem Vestram, Fratres, ut ante omnia concupiscentiis carnalibus & gaudiis sæcularibus & vanæ pompæ & volaticæ, vaporique vitæ hujus præsentis præponatis decus & pulcritudinem sapientiæ, præponatis dulcedinem suavitatemque sapientiæ, præponatis decus pudicitiæ, pulcritudinem castitatis. Hæc omnia abscondita sunt in thesauro cælesti, nudæ coram oculis Dei gemmæ sunt istæ pretiosæ, multùm lucent; si oculos habetis, videtis. Diversis ergo & illicitis delectationibus ista præponite, & si tentatio usque accesserit, ut etiam molestiam patiamini, Fratres mei, quis non patiatur propter sacculum suum, quis non patiatur pro agro suo, pro uno lapide limitis agri sui? Si pro his rebus patiamini, quas non habetis in potestate, quamdiu vultis, retinere, & quibus vultis, dimittere; sed sæpe amittuntur, cùm vivimus, sæpe post mortem nostram ab eis, quos odimus, possidentur; si pro his bonis, (si tamen dicenda sunt bona, quæ non faciunt bonos,) tanta mala homines æquo animo patiuntur: pro fide quare pigri sunt, pro thesauro cælesti quare timidi sunt? pro illis divitiis, quas nec naufragia nobis possunt auferre? Justus enim naufragus evadit dives & nudus.

(Job in stercore quàm dives.)

10. His divitiis plenus erat sanctus Job: omnia uno ictu perierant, nihil in domo ejus remanserat, quibus paulò antè opulentus videbatur, subitò mendicus, in stercore à capite usque ad pedes vermibus scatens. Quid istâ miseriâ miserius? quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa, quæ dederat Deus: sed habebat ipsum, qui dederat omnia, Deum. *Nudus*, inquit, *exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* (Job 1. 21.) Certè pauper est? certè nihil habet? Si nihil remanet, de quo thesauro gemmæ istæ laudis Dei proferebantur? Postea usque ad carnem tentator accessit: omnibus sublatis tentatricem mulierem reliquit. Evam dimisit; sed Adam ille non fuit. Et ibi qualis inventus est? quomodo respondit uxori blasphemiam suggerenti? *Locuta es*, inquit, *tamquam una ex insipientibus mulieribus.* (Job 2. 10.)

bus. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non toleramus? O virum putrem & integrum! ô fœdum & pulcrum! ô vulneratum & ſanum! ô in ſtercore ſedentem, & in cælo regnantem! Si amamus, imitemur; ut imitemur, laboremus; & ſi in labore ſubdeficimus, adjutorium imploremus. Adjuvat certantem qui certamen indixit. Non enim ſic te Deus exſpectat certantem, ut populus aurigam: clamare novit, adjuvare non novit. Non ſic te Deus exſpectat certantem, ut agoniſta exſpectat athletam: coronam fœneam parat, vires ſubminiſtrare laboranti non novit; nec enim poteſt, homo enim eſt, non Deus. Et fortè dum exſpectat, plus laborat ſedendo, quàm ille luctando. Nam Deus quando exſpectat certatores ſuos, adjuvat eos invocatus: nam ejus athletæ vox eſt in Pſalmo, *Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Non ergo ſimus pigri, Fratres mei: petamus, quæramus, pulſemus. *Omnis enim qui petit, accipit, & quærens inveniet, & pulſanti aperietur.*

Pſal. 93. 18.
Matth. 7. 8.

* Aliàs 31. ex Sermonibus de diverſis.

* SERMO CCCXLIV.

De amore[a] *Dei, & amore ſæculi.*

Pugna inter amorem Dei & amorem ſæculi.

1. AMORES duo in hac vita ſecum in omni tentatione luctantur, amor ſæculi, & amor Dei; & horum duorum qui vicerit, illuc amantem tamquam pondere trahit. Non enim pennis aut pedibus, ſed affectibus venimus ad Deum. Et rurſum non corporeis nodis & vinculis, ſed contrariis affectibus terræ inhæremus. Venit Chriſtus mutare amorem, & de terreno facere vitæ cæleſtis amatorem: homo propter nos factus, qui nos homines fecit; & aſſumens hominem Deus, ut homines faceret Deos. Hìc propoſitus nobis agon, hæc lucta cum carne, hæc lucta cum diabolo, hæc lucta cum ſæculo. Sed fidamus, quoniam ille qui hoc certamen indixit, non ſine adjutorio ſuo ſpectat, nec de viribus noſtris ut præſumamus hortatur. Qui enim de viribus ſuis præſumit, utique quia homo eſt, de viribus præſumit hominis: & *maledictus omnis qui ſpem ſuam ponit in homine.* Hujus pii & ſancti amoris flammâ ardentes Martyres, fœnum quidem carnis robore mentis arſerunt; ipſi autem integri in ſpiritu ad eum, quo accenſi ſunt, pervenerunt. Præſtabitur tamen ipſa contemnenti carni honor debitus in reſurrectione mortuorum. Ideo enim ſeminata eſt in contumelia, ut reſurgat in gloria.

Jerem. 17. 5.

Matth. 10. 37. & 38.
Amandus Deus ſuper Parentes.

2. Hoc amore accenſis, vel potiùs ut accendantur, hoc dicit, *Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui non tulerit crucem ſuam, & ſecutus fuerit me, non eſt me dignus.* Amorem parentum, uxoris, filiorum, non abſtulit, ſed ordinavit: non dixit, Qui amat, ſed *qui amat ſuper me.* Hoc eſt quod Eccleſia loquitur in Canticis canticorum, *Ordinavit in me caritatem.* Ama patrem, ſed noli ſuper Dominum: ama genitorem, ſed noli ſuper Creatorem. Pater genuit, ſed non ipſe formavit: nam quis, aut qualis ſibi naſciturus eſſet, cùm ſeminaret, ignoravit. Pater nutrivit, ſed non de ſuo pater panem eſurienti inſtituit. Poſtremò quidquid tibi pater reſervat in terra, decedit ut ſuccedas, vitæ tuæ locum faciet morte ſua. Pater autem Deus quod tibi ſervat, ſecum ſervat; ut hereditatem cum ipſo poſſideas patre, nec eum deceſſorem quaſi ſucceſſor exſpectes, ſed inhæreas ſemper manſuro, ſemper in illo manſurus. Ama ergo patrem, ſed noli ſuper Deum tuum. Ama matrem tuam, ſed noli ſuper Eccleſiam, quæ te genuit ad vitam æternam. Denique ex ipſorum parentum amore perpende quantum diligere debeas Deum & Eccleſiam. Si enim tantum diligendi ſunt, qui genuerunt moriturum, quanta caritate diligendi ſunt, qui genuerunt ad æternitatem venturum, in æternitate manſurum? Ama uxorem, ama filios ſecundùm Deum, ut conſulas eis ad Deum colendum tecum: cui junctus cùm fueris, ſeparationem nullam timebis. Ideo non debes illos plus Deo diligere, quos omnino malè diligis, ſi neglexeris tecum ad Deum ducere. Veniet fortaſſe hora martyrii. Tu vis confiteri Chriſtum. Confeſſus excipies fortaſſe temporis pœnam, excipies temporalem mortem. Pater, aut uxor, aut filius blandiuntur ne moriaris, & blandiendo efficiunt ut moriaris. Si non efficiant, illic tibi veniet in mentem, *Qui amat patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios ſuper me, non eſt me dignus.*

Cant. 2. 4.

Matth. 10. 37.

Humanus affectus exemplo Chriſti vincendus.

3. Sed blandimentis ſuorum flectitur carnalis affectus, & quodam modo labitur humana mollities. Reſtringe ſinus fluentis veſtis, virtute accingere. Cruciat te amor carnis? Tolle crucem tuam, & ſequere Dominum. Et ipſe tibi Salvator tuus, quamvis in carne Deus, quamvis cum carne Deus, humanum tamen demonſtravit affectum, ubi ait, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Noverat quòd calix iſte tranſire non poterat, ad eum bibendum venerat. Voluntate, non neceſſitate, bibendus ille calix. Omnipotens erat: ſi vellet, utique tranſiret, quia Deus cum Patre, & ipſe & Deus Pater unus Deus. Sed ex forma ſervi, ex eo quod ſuſcepit abs te pro te, vocem hominis, vocem carnis emiſit. Te in ſe dignatus eſt transfigurare, ut de illo loquereris infirma, ut in illo apprehenderes fortia. Voluntatem oſtendit, qua tentari poſſes: & continuò docuit quam voluntatem, cui voluntati præferre deberes. *Pater*, inquit, *ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Hæc voluntas humana eſt, hominem gero, ex forma ſervi loquor. *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat hic calix.* Vox carnis eſt, non ſpiritûs; vox infirmitatis, non divinitatis. *Si fieri poteſt, tranſeat calix iſte.* Illa eſt voluntas, de qua & Petro dicitur, *Cùm autem ſenueris, alter te cinget, & tollet, & feret quò tu non vis.* Unde ergo & Martyres vicerunt? Quia voluntati carnis voluntatem ſpiritûs prepoſuerunt. Amabant hanc vitam, & deponderabant. Inde conſiderabant quantum amanda eſſet æterna, ſi ſic amatur iſta peritura. Moriturus mori non vult; & tamen erit neceſſariò moriens, quamvis continuè mori nolens. Nil agis quòd mori non vis, nil efficis, nil extorques: nullam habes poteſtatem tollendi mortis neceſſitatem. Veniet, te nolente, quod times; aderit, te recuſante, quod differs. Mortem quippe ſatagis ut differas; numquid ut auferas? Si ergo in amatoribus hujus vitæ tantum de differenda morte ſatagitur, quantum de auferenda laborandum eſt? Mori certè non vis. Muta amorem, & oſtenditur tibi mors, non quæ te nolente aderit, ſed quæ, ſi volueris, non erit.

Matth. 26. 39.

Humana voluntas in Chriſto mortem refugiens.

Johan. 21. 18.

[a] Citat Florus ad 2. Cor. 5.

Mors duplex, prima & secunda.

4. Vide ergo, si aliquantum in corde tuo A amor evigilavit, si scintilla de cinere carnis emicuit, si aliquid roboris in corde tuo comprehendit, quod vento tentationis non solùm non extinguatur, sed etiam vehementiùs accendatur: si non ardes ut stuppa, quæ uno levi flatu extinguaris; sed ardes ut robur, ardes ut carbo, ut flatu potiùs exciteris: vide duas mortes, unam temporalem, eamdemque primam; alteram sempiternam, & eamdem secundam. Prima mors omnibus præparata est: secunda solis malis, impiis, B infidelibus, blasphemis, & quidquid aliud sanæ doctrinæ adversatur. Intende, propone tibi istas mortes duas. Si fieri potest, ambas non vis pati. Scio, vivere amas, mori non vis; & de hac vita in aliam vitam sic transire velles, ut non mortuus resurgeres, sed vivus in melius mutareris. Hoc velles, hoc habet humanus affectus; hoc ipsa anima nescio quo modo habet in voluntate & cupiditate. Quoniam diligendo vitam, odit mortem: & quoniam carnem suam non odit, nec C ipsi vult accidere quod odit. *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit.* Hunc affectum ostendit Apostolus, ubi ait, *Habitationem habemus ex Deo, domum non manu factam, æternam in cælis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum quod de cælo est superindui cupientes. In quo nolumus*, inquit, *exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita.* Non vis spoliari: sed spoliandus es. Hoc tamen agas oportet, ut spoliatus per mortem carneâ tunicâ, inveniaris indutus lo- D ricâ fidei. Hoc enim secutus adjungit, *Si tamen & induti, non nudi inveniamur.* Nam prima mors spoliatura est te carne, interim seponendâ, & suo tempore recipiendâ. Hoc velis, nolis. Non enim quia vis, resurges; aut si nolis, non resurges; aut si resurrectionem non credis, propterea non resurges. Opus est ut potiùs agas, ut qui resurrecturus es, velis nolis, sic resurgas ut habeas quod velis. Dominus quippe ipse Jesus dixit, *Venit hora, quando omnes qui in monumentis sunt,* E *audient vocem ejus, & procedent*, sive boni sint, sive mali sint, *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent*, & emittentur ex abditis. Nulla creatura mortuum tenebit sub voce vivi Creatoris. *Omnes*, inquit, *qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent.* Hoc ut ait, *Omnes*, fecit quasi confusionem & permixtionem. Sed audi discretionem, audi & separationem: *qui bona*, inquit, *fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui mala egerunt, in resurrectionem judi-* F *cii.* Hoc judicium, ad quod subeundum resurgent impii, mors secunda appellatur. Quid ergo, Christiane, metuis istam primam? Et te invito veniet, & te recusante aderit. Redimis te fortè à barbaris, ne occidaris: redimis te magno, non parcis omnino rebus tuis, & filios tuos spolias; & redemtus crastino morieris. A diabolo te redimi oportet, qui te secum ad secundam mortem trahit, ubi audient impii ad sinistram positi, *Ite maledi-* G *cti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Ab ista secunda morte oportet ut redimaris. Respondebis, Unde? Noli quærere hircos & tauros: noli postremò arcam tuam discutere, & dicere in animo tuo, Ut me redimerem à barbaris, habebam pecuniam: ut te redimas à secunda morte, habeto justitiam. Pecuniam posset tibi ipse barbarus antè tollere, & postea te captivum ducere, ut non esset unde te redimeres, eo tua omnia possidente qui possedit & te: justitiam non amittis invitus; in thesauro cordis intimo manet; ipsam tene, ipsam posside, inde redimeris à secunda morte. Quæ si nolis, ideo non erit, quia illud, unde te ab ista morte redimes, si volueris, erit. Justitiam voluntas impetrat à Domino, & bibit illam tamquam de fonte suo. Ad quem fontem nullus prohibetur accedere, si dignus accedit. Postremò adjutorium tuum vide. Redemit te à barbaris argentum tuum, redemit te à prima morte pecunia tua: redemit te à secunda morte sanguis Domini tui. Habuit ille sanguinem, unde nos redimeret; & ad hoc accepit sanguinem, ut esset quem pro nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te: si nolueris esse, non est datus pro te. Fortè enim dicis, Habuit sanguinem Deus meus, quo me redimeret: sed jam cùm passus est, totum dedit; quid illi remansit quod det & pro me? Hoc est magnum, quia semel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium. Quid ergo dubitas, qui mori non vis, à secunda potiùs morte liberari? qua liberaris, si vis tollere crucem tuam, & sequi Dominum; quia ille tulit suam, & quæsivit servum.

Florus ad 2. Cor. 5.

Mors prima omnibus necessariò, sub secunda, altera solis malis parata.

Ephes. 5. 29.

2 Cor. 5. 2. &c.

Johan. 5. 28. & 29.

A morte temporali homo se pecuniâ redimit; ab æterna morte, justitiâ.

Matth. 25. 41.

Sanguis Christi pro nostra redemtione fusus.

5. Omnino, Fratres mei, non vos maximè hortantur ad amandam vitam æternam, qui sic amant temporalem vitam? Quanta faciunt homines, ut vivant paucos dies? Quis enumerare poterit conatus & molimina omnium vivere volentium, post paululum morientium? Quanta agunt pro ipsis paucis diebus? Quid tantum agimus pro æterna vita? Quid dicam pro paucis diebus redimendis, & his in terris? Paucos enim dies dico, si liberatus senuerit; paucos dies dico, si liberatus puer decrepitus factus fuerit. Non dico quia redemtus hodie, cras fortasse morietur. Ecce ad incertum, propter ipsos paucos dies incertos, quanta faciunt? quæ excogitant? Si veniant per morbum corporis in medici manus, salusque omnis à pronuntiantibus & inspicientibus desperetur; si promittitur aliquis medicus, qui etiam desperatum liberare sit idoneus, quanta promittuntur? quanta prorsus ad incertum dantur? Ut modicùm vivatur, hoc dimittitur unde vivatur. Jam verò si in hostis aut prædonis manus inciderit, ne occidatur, ut redimatur, etiam, si pater detentus fuerit, filii currunt, & quod eis relicturus fuerat, impendunt, redemturi quem possint efferre. Quæ ambitiones? quæ preces? qui conatus? quis hoc explicet? Et tamen volo dicere aliud gravius, & nisi fieret, incredibilius. Quid enim dico, quia dant homines pecuniam ut vivant, quia nihil sibi dimittunt? Ut paucos dies eosdemque incertos paululùm vivant cum timore, vivant cum labore, quanta impendunt? quanta dant? Væ generi humano! Dixi quòd ut vivant impendunt unde vivant: quod est pejus audite, quod est gravius, quod est sceleratius, quod est, ut dixi, incredibile, nisi fiat. Ut liceat illis paululùm vivere, dant etiam illud, unde possent semper vivere. Quod dixi audite, & intelligite. Adhuc enim clausum est, & tamen multos movet, quibus jam Dominus cùm clausum erat, aperuit. Dimittite illos, qui dant & perdunt unde possunt vivere, ut concedatur illis paululùm vivere. Illos adtendite, qui perdunt unde possunt semper

Vita æterna quantùm amanda, cùm tantùm ametur vita temporalis.

In eos qui temporalis vitæ amore perdunt vitam æternam.

CLASSIS IV.

vivere, ut concedatur eis paululùm vivere. Quid est hoc? Fides vocatur, pietas vocatur: hæc omnis tamquam pecunia est, qua vita æterna adquiritur. Veniet de transverso inimicus territans, & non tibi dicet, Da mihi pecuniam tuam, ut vivas: sed dicet tibi, Nega Christum, ut vivas. Quod tu si feceris, ut liceat tibi paululùm vivere, perdes unde posses semper vivere. Hoc est amare vitam, qui timebas mortem? Homo bone, quare timebas mortem, nisi amando vitam? Christus est vita. Quare appetis parvam, ut perdas securam? An fortè fidem non perdidisti, sed quod perderes non habuisti? Tene ergo unde semper vivas. Adtende proximum tuum, quanta faciat ut modicùm vivat. Adtende & illum, qui Christum negavit, quantum malum fecit propter paucos dies vitæ. Et tu non vis ipsos paucos dies contemnere vitæ, ut nullo die moriaris, & in sempiterno vivas die, à Redemtore tuo protegaris, in æterno regno Angelis adæqueris? Quid amasti? quid perdidisti? Ut sequereris Dominum, crucem tuam non tulisti.

Perdere a-[illegible], ut [illegible] [illegible] 10. 38.

6. Vide quàm prudentem te velit, qui tibi dixit, *Tolle crucem tuam, & sequere me. Qui invenerit*, inquit, *animam suam, perdet illam; & qui perdiderit eam propter me, inveniet eam.* Qui invenerit, perdet eam; qui perdiderit, inveniet illam. Ut perdas, prius est ut invenias; & cùm perdideris, postremum est ut rursum invenias. Duæ sunt inventiones: in medio est quâ transit una perditio. Nemo potest animam suam perdere propter Christum, nisi eam priùs invenerit; & nemo potest animam suam invenire in Christo, nisi eam priùs perdiderit. Inveni, ut perdas; perde, ut invenias. Quomodo eam priùs inventurus es, ut habeas quam perdas? Quando cogitas te ex parte mortalem, quando cogitas eum qui te fecit, & insufflando animam tibi creavit, & videris eam illi debere, qui dedit; illi reddendam, qui commodavit; ab illo custodiendam, qui instituit; invenisti animam tuam, inveniens eam in fide. Credidisti enim hoc, & invenisti animam tuam. Nam perditus eras, antequam crederes. Invenisti animam tuam: mortuus quippe fueras in infidelitate, revixisti in fide. Talis es, de quo dici possit, *Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.* Ergo invenisti animam tuam in fide veritatis, si à morte infidelitatis revixisti. Hoc est animam tuam invenisti. Perde eam, & anima tua semen tibi sit. Nam & agricola triturando & ventilando invenit triticum, & rursus seminando perdit triticum. Invenitur in area, quod perierat in semente. Perit in semente, quod inveniatur in messe. *Qui* ergo *invenerit animam suam, perdet eam.* Qui laborat colligere, quare piger est seminare?

Luca 15. 32.

Animam cujus gratia perdere jubemur. Psal. 17. 29.

7. Vide tamen ubi invenias, & quare perdas. Unde enim invenires, nisi lumen tibi accenderet ille cui dicitur, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine?* Jam ergo invenisti, illo tibi accendente lucernam. Vide quare perdas. Non enim passim perdendum est, quod tam diligenter inventum est. Non ait, Qui perdiderit eam, inveniet eam: sed, *Qui perdiderit eam propter me.* Naufragi fortè negotiatoris corpus cùm in littore inspexeris, reddis lacrymas miseratus, & dicis, Væ huic homini! propter aurum perdidit animam suam. Bene plangis, bene miseraris. Redde illi fletum, cui non præstas & auxilium. Propter aurum enim

A perdere animam suam potuerit, propter aurum invenire non poterit. Ad damnum animæ suæ idoneus fuit, ad eam lucrandam minùs idoneus exstitit. Non enim cogitandum est quod perdidit, sed quare perdidit. Si propter avaritiam, ecce ubi jacet caro, ubi est quod erat carum? Et tamen jussit avaritia, & propter aurum perdita est anima, & propter Christum non perit anima, neque pereat. Stulte, noli dubitare: audi consilium Creatoris. Ipse te instituit ut sapias, qui te B fecit antequam esses qui sapias. Audi, noli dubitare pro Christo animam perdere. Fideli Creatori commendas quod diceris perdere. Tu quidem perdes: sed ille suscipit, cui nihil perit. Si amas vitam, perde ut invenias: quia cùm inveneris, jam non erit quod perdas, non erit quare perdas. Ea quippe invenitur vita, quæ invenitur ut omnino perire non possit. Quia & Christus, qui tibi nascendo, moriendo, & resurgendo dedit exemplum, *surgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur.* Rom. 6. 9.

C

* SERMO CCCXLV.

De contemtu mundi.

* *Aliàs 32. ex Sirmondianis.*

Præsens vita spe futuræ vitæ cõtemnenda.

1. LOQUAR Caritati Vestræ, Fratres, quod pertineat ad contemtum præsentis sæculi, ad spem futuri sæculi. Si quæris quid contemnas, omnis Martyr vitam præsentem contemsit: si quid speres, resurrectionem dico, quia hodie Dominus resurrexit. D O tu homo, si titubas in re, esto firmus in spe; si autem te opus turbat, erigat ipsa merces. Nos quoque admonet Apostolus, cùm præcipit Timotheo dicens, *Præcipe divitibus hujus mundi, non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deum vivum, qui præstat nobis omnia. Divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam.* Et maximè hoc divites audire debent. Audite divi- E tes, qui aurum & argentum habetis, & tamen cupiditate ardetis: quos quando pauperes intuentur, murmurant, gemunt, laudant & invident; æquari optant, & impares se dolent; & inter laudes divitum hoc plerumque dicunt, Soli isti sunt, ipsi soli vivunt. Pro his verbis, quibus homines tenues divitibus adulantur, cùm dicunt, Isti soli vivunt; ne in superbiam erigamini, ô vos divites: sed potiùs Apostolum audite, morbi curatorem, & non verbi adulatorem. Vita ista somnus vester est: divitiæ istæ velut in somnis fluunt. F Paulus dicit, *ut apprehendant vitam veram.* Paulum audite, & superbire nolite. Audi & Psalmum, ô tu dives pauperrime, quid habes, si Deum non habes? vel quid non habes, si Deum habes? De divitibus dicit Psalmus, *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Aliquando & mendicus in terra jacens & frigore tremens, occupatus à somno thesauros somniat, gaudet, exsultat, superbit, G & patrem suum pannosum videre indignatur. In somnis est quod vides, ô tu mendice, qui dormis & gaudes. Tamen donec evigilet, dives est: cùm dormierit, invenit quod certum doleat. Dives ergo moriens, similis est illi pauperi dormienti & thesauros somnianti. Nam ille dives, qui induebatur purpurâ & bysso, nec nominatus, nec

1. Tim. 6. 17. &c.

Divitibus vita hæc somnus.

Psal. 75. 6.

Luca 16. 19.

Classis IV.

Serm. de Diversis.

nominandus, contemtor pauperis ante januam jacentis, epulabatur quotidie splendidè; postea mortuus est, & sepultus: evigilavit, & se in flamma invenit. Dormivit somnum suum, & post somnum nihil invenit, quia nihil operatus est de manibus suis, id est, de divitiis suis.

Vita peritura redimitur omnibus bonis: vita æterna quanti emenda.

2. Propter vitam quæruntur divitiæ, non vita propter divitias: quàm multi cum suis hostibus pacti sunt, ut vitam solam redimerent? Quantumcumque habuerunt, totum dederunt, tantùm ne vitam amitterent. Totum dedisti barbaris quod habuisti, frater? Totum, inquit, dedi, nudus remansi; etsi nudus, vivam. Et quare? Totus occidendus eram, ideo totum dedi. Et quare tibi hoc contigit? Vis dico tibi? Quia antequam barbarus superveniret, pauperi non subveniebas, ut per pauperem eleemosyna ad Christum perveniret? Christo modicum non dedisti, & barbaris totum quod habuisti, dedisti, & hoc cum sacramento dedisti. Christus rogat, & non accipit: ille torquet, & totum aufert. Si tanti redemisti vitam perituram, quanti comparanda est vita æterna? Qui das hosti, ut vivas mendicus, da aliquid Christo, ut vivas beatus. Ut vivas paucis diebus, quod hostis exigit facis, & quod Christus exigit, contemnis? Omnes dies hominis ab infantia usque ad senectutem pauci sunt: & si ipse Adam hodie moreretur, paucos dies vixerat, quia omnes finierat; qui utique sex millia annos vixerat; & tamen pauci erant, quia cunctos finierat. Paucos dies laboriosos, tentationibus plenos redimis, ut modicam terram habeas, id est villam. Ecce inimicus, qui te captivaverat, dicit tibi, Quidquid habes da mihi: & ut viveres totum dedisti; hodie redemtus, cras moriturus; ab isto redemtus, ab alio trucidandus. Ecce quanta à barbaris patiuntur homines propter vitam temporalem, & piget aliquid pati pro vita æterna. Erudiant nos ista pericula, Fratres. Ecce totum dedisti, & abjecisti; & gaudes quia vivis, & hoc dicis, Etsi pauper, nudus, egens, mendicus, gaudeo quia vivo; & istam lucem dulcem non perdidi. Appareat Christus; paciscatur & ipse tecum: non barbarus qui te captivaverat; sed qui pro te captus est, qui pro te occidi dignatus est. Ille qui se dedit pro te, ipse tibi dicit, Mecum paciscere. Habere vis te? habe & me. Oportet ut oderis te, & diligas me. Vitam tuam perdendo invenies, ne tenendo perdas eam.

Divitiæ ne hîc pereant, in cælum præmittendæ.

3. De divitiis tuis, quas amas possidere, quas pro vita præsente paratus es dare, do consilium quid facias. Si & ipsas amas, noli eas perdere. Quòd si hîc eas amas, tecum perituræ sunt. Si amas eas, præmitte eas quò sequaris; ne cùm amas in terra, aut vivus eas amittas, aut mortuus. Jam dedi consilium: non dixi, Perde; sed, Serva. Jam dixi, Thesaurizare vis? Bene: non dico, Noli; sed dico ubi. Consultorem me accipe, non perditorem. Scriptum est, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, quò fur non accedit, nec tinea, nec rubigo exterminat.* (*Matth. 6. 20.*) Sed fortè dicis, Non video locum in cælo ubi ponam. Quam scalam, quam machinam quæsiturus sum, quæ ad cælum adtingat, ut videam ubi ponam pecuniam meam? Quid dicis? Vides in terra locum ubi obruis? Video, inquit. Bene satis: si securus es obruendo in terra, quare sollicitus es de Deo, qui fecit cælum & terram? Da securus Deo. Ipsi te commenda, qui tibi pecuniam in cælo servat; quia ipse & te in terra, quamdiu vivis, gubernat. Pecuniam servare vis? Serva quomodo vis. Si inveneris meliorem custodem quàm Christum, commenda ei pecuniam tuam. Commendo, inquit, servo meo. Bene: quantò meliùs Domino tuo? Et servum tuum præponis Domino tuo? O Christianum virum! Servus tuus fortassis auferet, & fugiet: numquid Christus hoc facturus est? Multi ad dominos suos servi repentè inimici exstiterunt, & eos cum ipso auro hostibus tradiderunt. Cui ergo commendas? Servo, inquit, meo. Novi fidem servi mei, ideoque commendo servo meo aurum meum. Bene satis, præfers servum tuum, aurum tuum commendas servo tuo: animam tuam cui? Animam meam commendo Deo meo. Quantò meliùs, ô homo, illi & aurum tuum, cui & animam tuam? An fortè fidelis est in custodiendo animam tuam, & infidelis in custodiendo pecuniam tuam? Servat tibi, qui servat & te. Laudas fidem servi tui? Etiam, ego novi fidem servi mei. Tota fides ejus est, ne fraudet, ne tollat: numquid agit ne perdat? Ecce posuit, & non latuit; invenit alius, & tulit. Numquid hoc Christo quisquam facturus est? Pigritiam excute, consilium accipe. Da Christo esurienti, thesauriza in cælo. Numquid labor est in cælo thesaurizare? Etsi labor esset, faciendum erat ad ponendum pecuniam tuam in loco munito, unde nemo eam possit auferre. Cùm tamen dicit Christus, In cælo thesauriza: non dicit tibi, Scalas quære, machinas liga, pennas apta. Hoc dicit, Mihi in terra da, & tibi in cælo servo. Ideo veni egere ego in terra, ut sis tu dives in cælo. Fac trajectitium. Fortè times fraudatorem, ne perdas; & quæris qui portet, qui migret. Christus tibi in utroque adest. Non faciet imposturam, faciet insuper & laturam.

Christus accipit, quod pauperibus erogatur.

4. Sed Christum ubi invenio, inquit, in terra? Eum ibi invenio, ut dem illi? Cùm habeat fides mea, quod audio in Ecclesia, hoc didici, sic credidi, hoc sacramento imbutus sum: passus est, mortuus & sepultus est, resurrexit tertio die, post quadraginta dies in cælos adscendit, sedet ad dexteram Patris, in fine venturus est. Quando hîc eum invenio? Cui dabo, ut ad eum deferat? Noli satagere, totum audi: aut si totum audisti, vel legisti, an istud numquam audisti, quia cùm Ecclesiam Saulus persequeretur, superbus, crudelis, sanguinem Christianorum sitiens, non audisti quid ei clamaverit, quem sedentem in cælo confiteris? Recole. Quid ergo dixit? *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act. 9. 4.*) Quem Paulus nec videbat, nec tangebat, in cælo clamat, *Quid me persequeris?* Non ait, Quid persequeris familiam meam, servos meos, sanctos meos, vel fratres? Nihil eorum dixit. Et quid dixit? *Quid me persequeris?* ait, id est membra mea. Pro quibus in terra calcatis caput de cælo clamabat: quia & si pedem tuum in terra calcet aliquis, lingua tua de capite clamat; non, Calcas pedem meum, sed Calcas me, dicis. Quid ergo dubitas? quid dicis? Qui dixit Saulo, *Quid me persequeris?* ipse tibi dicit, Pasce me. In terra Saulus sæviebat, & Christum in cælo tangebat: sic & tu in terra eroga, & Christum in cælo pascis. Nam istam quæstionem, qua moveris, prædixit ipse Dominus. Commovebuntur & illi qui ad dexteram ponentur, & cùm dixerit, *Esurivi,* (*Matth. 25. & 35. &c.*)

(

dedistis mihi manducare: respondebunt, *Domine, quando te vidimus esurientem?* Et audient continuò, *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Si audieras hoc, apertè dic, Nolo dare: & non habes unde te excusare, sed voce tua te damnare. De divitiis ergo tuis dicit tibi Dominus tuus, Dedi consilium quid facias: amas divitias? Amo, inquis. Ergo migra eas, & cùm migraveris eas, sequere eas interim corde, cùm vivis: quia *ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Si autem in terra obruis cor tuum, erubesce quia mentiris, cùm respondes quando audis, Sursum cor. Nam dicitur, Sursum cor; & continuò respondes, Habemus ad Dominum. Deo mentiris. Unâ horâ in ecclesia verum non dicis, Deo mentiris, quod semper hominibus facis. Dicis, Habemus ad Dominum, & in terra obrutum habes cor, quia *ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum*

(Cor hominis cum thesauro suo. Matth.)

(Divitiæ veræ regni cælorum.)

5. Si feceris de divitiis tuis quod audisti, si talis dives fueris, qualem Apostolus dicit, non superbè sapias, neque speres in incerto divitiarum; ut thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendas veram vitam: jam interroga Deum & Dominum tuum, & dic illi, Ecce jam migravi, Domine, in cælum quod habui; vel quod habeo, sic habeo, tamquam si non habeam. Tanti valet regnum cælorum, quantum patrimonium meum? Cariùs valet. Non enim verè tale est, ut tanti valeat. Hoc dicit Dominus tuus, quem interrogasti de patrimonio tuo: Ad tempus victurus es, & postea moriturus; in regno meo numquam moriturus, sed in æternum victurus es. Verus ibi dives eris, ubi numquam egebis. Nam ideo ad subvectionem multa animalia quæris, ne deficias; ad victum epulas copiosas, ad indumentum pretiosas vestes. Re vera tu multa habendo dives es, & Angelus meus pauper est? Nihil habet, nec equo utitur, nec rhedâ vehitur, nec mensam honestis implet apparatibus; nec ei vestis texitur, quia luce æterna vestitur. Disce, ô homo dives, veras divitias appetere. Tu istas divitias habere vis, ut habeas undè multum manduces, quia deficis: ille te verè divitem facit, qui tibi donat ne in æternum esurias. Nam quantumvis habeas, cùm venerit hora [a] quinta, antequam ad mensam accedas, esuris, & deficis, quia miser es. Numquid hoc Angelus sustinet? Absit. Nec esuriem, nec defectionem habet Angelus. Postremò his epulis anhelas superbus. Non est expletio ista indigentiarum, sed fumus curarum. Cùm cogitas de divitiis augendis, vide si facilè dormis. Ni fallor, ubi divitias invenisti, requiem perdidisti. Cùm vigilas, augmentum divitiarum cogitas: cùm dormis, latrones somnias. In die sollicitus, & nocte pavidus, semper mendicus. Divitem verum te facere vult, qui tibi regnum cælorum promittit: & putas quia tanti emturus es illas veras divitias, illam veram & beatam vitam, quanti paratus es redimere istos miseros & laboriosos dies? Aliquid multò plus valere debet quod multò plus est; quia regnum cælorum est.

(Divitiæ terrenæ nihil præter sollicitudinē afferunt.)

6. Et quid faciam, inquis? Ecce, sancte Episcope, monita tua audivi, consilio tuo parui, jussum Domini non sprevi, quod habui pauperibus dedi, & quod habeo cum indigentibus communico; quid plus possum facere? Habes adhuc, temetipsum habes: tu ipse plus es, tu dees rebus tuis, tu addendus es. Consilium Domini tui fecisti? Feci, inquit. Quid mentiris? Non totum fecisti: ex una parte fecisti, ex alia nihil tetigisti. Audi quod jubet: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Numquid dimisit eum? Et ne se ille perdere putaret quod pauperibus erogavit, securum eum reddidit dicens, *Et habebis thesaurum in cælo.* Numquid sufficit hoc? Non. Et quid? *Veni, sequere me*, dicit. Amas, & sequi vis eum quem amas? Cucurrit, volavit: quære quâ? Nescio quâ. O Christianum! nescis quâ ivit Dominus tuus? Vis dico tibi, quâ eum sequaris? Per pressuras, per opprobria, per falsa crimina, per sputa in faciem, per alapas & flagellorum verbera, per coronam spineam, per crucem, & per mortem. Quid piger es? Ecce demonstrata est tibi via. Sed dura est, inquis, via; quis per istam illum sequatur? Erubesce barbate, erubesce: à virtute vir diceris. Feminæ secutæ sunt, quarum hodie natalitia celebramus. Feminarum Martyrum [b] Suburbitarum sollemnitatem celebramus. Dominus vester, Dominus noster, Dominus illarum, Redemtor vitæ nostræ, de via angusta & aspera præcedendo stratam eam vobis fecit, stratam securam, munitam, Christus Dominus noster, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(Serm. de Diversis. — Tua erogare non sufficit, nisi & Christū sequaris.)

(Matth. 19, 21.)

SERMO CCCXLVI.

De peregrinatione nostra in hac vita, per fidem.

Prodit nunc primùm ex MS. Michaëlino, quo in libro cum duobus hîc subsequentibus proximè est collocatus, sub eodem titulo, de timore Domini. *Nobis tamen videtur ad eum potiùs pertinere Tractatum, qui in Possid. Indic. c. 8. recensetur,* De peregrinatione Christianorum, quæ in hac vita est.

1. RECORDAMINI nobiscum, Dilectissimi Fratres, dixisse Apostolum, *Quamdiu sumus in corpore peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Dominus enim noster Jesus Christus, qui ait, *Ego sum via, & veritas, & vita*, ambulare nos voluit & per se ipsum & ad se ipsum. Quà enim ambulamus nisi per viam? Et quò ambulamus nisi ad veritatem & ad vitam, vitam scilicet æternam, quæ sola vita dicenda est? Nam ista vita mortalis, in qua nunc sumus, ex illius vitæ comparatione mors esse convincitur; quæ tanta mutabilitate variatur, & nulla stabilitate firmatur, & cursu brevissimo terminatur. Et ideo Dominus illi diviti, qui ei dixerat, *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam consequar?* respondit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata.* Erat utique in aliqua vita; neque enim cadaveri, & non viventi homini loquebatur. Sed quia ille de consequenda vita æterna quæsiverat, non ait Dominus, Si vis venire ad vitam æternam; sed, *Si vis*, inquit, *venire ad vitam, serva mandata:* videlicet hoc intelligi volens, quoniam quæ vita æterna non est, nec vita dicenda est; quia vera

(2. Cor. 5. 6. — Johan 14. 6. — Vita hæc mors veriùs quàm vita. — Matth. 19. 16. — V. Sermonem 306. n. 6. — Vera vita nonnisi æterna.)

[a] Quæ nimirum undecimæ nostræ respondet, sextam prisco genere horarum, id est meridiem antecedens, & legitima est hora prandii. Hinc Martialis l. 8. epigr. 67.
Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.

[b] Ita Colbertinus codex 1785. quo aliàs Pithœano Sirmondus uteus, correxit *Tuburbitanarum.* Ubi ipse Perpetuam & Felicitatem intelligit, quarum corpora in basilica majore condita Carthagine, & anniversarius dies agitur 7. Martii. Contrà verò Henricus Valesius Maximam, Donatillam ac Secundam, quæ apud Tuburbum etiam passæ dicuntur 30. Julii, laudatas hîc esse contendit in præfatione ad Acta Perpetuæ & Felicitatis, de qua suprà ad Serm. 280.

vita nonnisi æterna est. Hinc & Apostolus, cùm eleemosynarum consilium dandum divitibus admoneret, *Divites sint*, inquit, *in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quam dixit veram vitam, nisi æternam vitam, quæ sola vita dicenda est, quia sola beata est? Nam utique illi divites, quibus præcipiendum esse dicebat ut apprehenderent veram vitam, in abundantia divitiarum habebant istam vitam: quam tamen Apostolus si veram vitam esse judicaret, non diceret, *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam:* nihil aliud admonens, nisi non esse veram vitam divitum; vitam, quæ ab stultis non solùm vera, sed etiam beata nominatur. Quomodo autem beata est, quæ vera non est? Non ergo beata vita est, nisi vera vita; nec vera vita est, nisi æterna vita, quam divites intelliguntur per quaslibet delicias nondum tenere; & ideo per eleemosynas admonentur apprehendere: ut in fine audiant, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Nam quia ipsum regnum æterna vita est, paulò pòst consequenter idem Dominus ostendit dicens, *Ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam.*

1. Tim. 6. 18. & 19. — *Matth. 25. 34. & 35.* — *Ibidem 46.*

Peregrinatio per fidem in hac vita.

2. Hanc vitam donec apprehendamus, *peregrinamur à Domino; quoniam per fidem ambulamus, non per speciem.* Ille quippe ait, *Ego sum via, veritas & vita.* In fide nobis via est, in D specie autem veritas & vita. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, & hæc est fides: *tunc autem facie ad faciem*, & illa erit species. Item dicit, *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris:* hæc via est, ubi ex parte scimus. Sed paulò pòst dicit, *cognoscere etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei:* illa erit species, quando in ista plenitudine, cùm venerit quod perfectum est, quod ex parte est auferetur. Item dicit, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:* hæc est fides. Deinde subjungit, *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria:* illa erit species. Dicit & Johannes, *Dilectissimi, nunc jam filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus:* hæc est fides. Deinde subnectit, *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est:* illa erit species. Quocirca ipse Dominus, qui ait, *Ego sum via & veritas & vita*, cùm loqueretur ad Judæos, inter quos erant qui jam in eum crediderant, ad ipsos jam sermones suos dirigens, *Si manseritis*, inquit, *in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Jam isti crediderant: nam Evangelista sic ait, *Dicebat autem Iesus ad eos qui crediderant in eum, Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Jam ergo crediderant, & tamquam in via in Christo ambulare jam cœperant. Hortatur itaque illos ut permanendo perveniant. Quò perveniant, nisi ad id quod ait, *Veritas liberabit vos?* Quæ est illa liberatio, nisi ab omni mutabilitate vanitatis, ab omni corruptione mortalitatis? Ergo ipsa est vita vera, æterna vita, quam nondum apprehendimus, quamdiu peregrinamur à Domino: sed apprehensuri sumus, quia in ipso Domino per fidem ambulamus, si in ejus verbo constantissimè permanemus. Nam secundùm id quod ait, *Ego sum via*; secundùm hoc ait, *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis.* Et secundùm id quod ait, *& veritas & vita*; secundùm hoc ait, *& cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* In hac ergo peregrinatione & in hac via, id est in fide, quid vos B exhortor, Fratres, nisi verbis Apostoli dicentis, *Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni inquinatione carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Domini?* Qui enim lucem illam sincerissimæ atque incommutabilis veritatis, antequam credant, sibi expetunt ministrari, cùm eam contueri non possint nisi per fidem corde mundato, *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* similes sunt hominibus cæcis, qui corpoream lucem solis istius C priùs videre desiderant, ut à cæcitate sanentur: cùm eam videre non possint, nisi antè sanentur.

1. Cor. 13. 12. — *Ephes. 3. 16. & 17.* — *Ibidem 19.* — *Coloss. 3. 3.* — *Ibidem 4.* — *1. Johan. 3. 2.* — *Johan. 8. 31. & 32.* — *2. Cor. 7. 1.* — *Matth. 5. 8.*

* SERMO CCCXLVII.

* Alias 17. de Sanctis. a

De [a] timore Dei, I.

Caput I. Timor Dei in Scripturis quàm crebrò commendatus.

1. Multa nobis, Fratres, de Dei timore præcepta sunt, & quàm sit utile timere Deum, innumerabiliter divina eloquia sonuerunt. Ex qua uberrima copia D pauca me commemorantem, & ad ea, quantum pro temporis brevitate potuero, differentem libenter advertite. Quis non sapientem se esse lætetur, aut si nondum est, esse desideret? Sed quid dicit Scriptura? *Initium sapientiæ timor Domini.* Quem non regnare delectet? Sed audiamus quid in Psalmo Spiritus moneat: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore.* Unde & Apostolus dicit, *Cum timore & tremore ve-* E *stram ipsorum salutem operamini.* Legimus etiam scriptum, *Concupisti sapientiam, serva justitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* Multos enim reperimus negligentissimos justitiæ, & avidissimos sapientiæ. Hos docet Scriptura divina pervenire non posse ad id quod appetunt, nisi servando quod negligunt. *Serva*, inquit, *justitiam, & præbebit illam tibi Dominus*, quam *concupisti sapientiam.* Quis autem potest, nisi Deum timeat, servare justitiam? Dicit enim alio loco, *Nam qui sine ti-* F *more est, non poterit justificari.* Porrò si Dominus non præbet sapientiam, nisi servanti justitiam, qui autem sine timore est, non poterit justificari: recurritur ad illam sententiam, *Initium sapientiæ timor Domini.*

Psal. 110. 10. — *Eccli. 1. 16.* — *Psal. 2. 10. & 11.* — *Philipp. 2. 12.* — *Eccli. 1. 33.* — *Ibidem 28.*

Caput II. Gradus à timore ad sapientiam.

2. Isaias etiam propheta cùm septem illa notissima dona spiritalia commendaret, incipiens à sapientia pervenit ad timorem Dei, tamquam de sublimi descendens ad nos, ut nos doceret adscendere. Inde ergo cœpit, quò volumus pervenire; G & illuc pervenit, unde debemus incipere. *Requiescet in eo*, inquit, *Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, Spiritus timoris Domini.* Sicut ergo ille, non deficiendo, sed docendo à sapientia usque ad timorem descendit;

Isai. 11. 2. & 3.

[a] Hunc à Beda vulgato citari monent Parisienses & Lovanienses Theologi, sed falsò. Errori occasionem præbuit fragmentum ex Sermone 391. de Natali Domini 8. quod huic assutum erat in editis Am. Er. & Parisiensium.

sic nos, non superbiendo, sed proficiendo à timore usque ad sapientiam oportet adscendere. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini*. Ipsa est enim convallis plorationis, de qua Psalmus dicit, Psal. 83. 6. *Adscensiones in corde ejus disposuit in convalle plorationis*. Per convallem quippe humilitas significatur. Quis est autem humilis, nisi timens Deum, & eo timore conterens cor in lacrymis confessionis & pænitentiæ? Psal. 50. 19. Quia *cor contritum & humiliatum Deus non spernit*. Sed non timeat ne in convalle remaneat. In ipso enim corde contrito & humiliato, quod Deus non spernit, adscensiones per quas in illum assurgamus, ipse disposuit. Nam ita Psalmus dicit: *Adscensiones in corde ejus disposuit in convalle plorationis*, *in locum quem disposuit*. Ubi fiunt adscensiones? *In corde*, inquit. Sed unde adscendendum est? Utique à convalle plorationis. Et quò adscendendum est? *In locum*, inquit, *quem disposuit*. Quis iste est locus, nisi quietis & pacis? Ibi enim est illa clara, & quæ numquam marcescit sapientia. Unde ad nos exercitandos quibusdam doctrinæ gradibus descendit Isaias à sapientia usque ad timorem, à loco scilicet sempiternæ pacis usque ad convallem temporalis plorationis: ut nos in confessione pænitentiæ dolendo, gemendo, flendo, non remaneamus in dolore & gemitu & fletu; sed adscendentes ab ista convalle in montem spiritalem, ubi civitas sancta Jerusalem mater nostra æterna fundata est, imperturbabili lætitiâ perfruamur. Ergo ille cùm præposuisset sapientiam, lumen scilicet mentis indeficiens, adjunxit intellectum: tamquam quærentibus unde ad sapientiam veniretur, responderet, ab intellectu; unde ad intellectum, à consilio; unde ad consilium, à fortitudine; unde ad fortitudinem, à scientia; unde ad scientiam, à pietate; unde ad pietatem, à timore. Ergo ad sapientiam à timore; quia *initium sapientiæ timor Domini*. A convalle plorationis usque ad montem pacis.

Caput III. Matth. 5. 3. Gradus ex Isaia septē comparantur ad octo beatitudines Evangelii.

3. *Beati* enim *pauperes spiritu*, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Ipsi sunt in convalle humiles, ipsi in tremore, cor contritum & humiliatum sacrificant Deo: unde adscendunt ad pietatem, ut non resistant voluntati ejus, sive in sermonibus ejus, ubi non capiunt sensum ejus; sive in ordine ipso & gubernatione creaturæ, cùm pleraque aliter accidunt, quàm privata hominis Matth. 26. 39. voluntas exposcit: ibi quippe dicendum est, *Verùm non quod ego volo*, *sed quod tu vis*, *Pater*. * Matth. 5. 4. * *Beati* enim *mansueti*, *quoniam ipsi hereditate possidebunt terram*: Psal. 141. 6. non terram morientium, sed terram de qua dictum est, *Spes mea es tu*, *portio mea in terra viventium*. Ab ista quippe pietate merebuntur scientiæ gradum, ut noverint non solùm mala præteritorum peccatorum suorum, de quibus in primo gradu pænitentiæ dolore fleverunt, sed etiam in quo malo sint hujus mortalitatis & peregrinationis à Domino, etiam cùm felicitas sæcularis arridet. Nam ideo scriptum est, Eccle. 1. 18. *Qui apponit scientiam*, *apponit & dolorem*. * Matth. 5. 5. * *Beati* enim *lugentes*, *quoniam ipsi consolabuntur*. Inde assurgunt ad fortitudinem, ut mundus eis crucifigatur, & ipsi mundo, ut in hujus vitæ perversitate & abundantia iniquitatis caritas non refrigescat; sed toleretur fames sitisque justitiæ, donec ad ejus saturitatem veniatur in illa immortalitate

A sanctorum, & societate Angelorum. *Beati* enim *qui esuriunt & sitiunt justitiam*, *quoniam ipsi saturabuntur*. Ibidem 6. Verumtamen propter inquietudinem tentationum, & quod dictum est, *Væ mundo ab scandalis*, Matth. 18. 7. si qua fortè delicta minutatim furtimque subrepunt, quibus humana præoccupatur infirmitas, consilium deesse non debet. Neque enim tantum potest in ista mortali vita ille fortitudinis gradus, ut qui cum astutissimo adversario continua certatione confligit, non aliquando B feriatur: maximè per tentationes linguæ, ubi *si dixerit quis fratri suo*, *Fatue*; *reus erit gehennæ ignis*. Matth. 5. 22. Quod est ergo consilium, nisi quod Dominus dicit, *Dimittite*, *& dimittetur vobis*? Et ideo sicut in gradibus quos per Isaiam discimus, quintum est consilium; sic in Evangelio in illis beatitudinis laudibus quinto loco ponitur, *Beati misericordes*, *quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Ibidem 7. Sextus est apud Isaiam intellectus: ubi ab omni falsitate carnalis vanitatis corda mundantur, ut C pura intentio dirigatur in finem. Propterea sexto loco etiam Dominus dixit, *Beati mundo corde*, *quoniam ipsi Deum videbunt*. Ibidem 8. Cùm verò ad finem perventum fuerit, jam consistitur, jam requiescitur, jam secura pace triumphatur. Et quis finis, nisi Deus Christus? *Finis* enim *legis Christus ad justitiam omni credenti*. Rom. 10. 4. Et sapientia Dei quis, nisi Christus? Et filius Dei quis, nisi Christus? In illo ergo sapientes, & in illo filii Dei fiunt, quicumque fiunt: & hæc est pax plena atque perpetua. Ideo cùm apud Isaiam sit septima sapientia sur- D sum versùs adscendentibus, unde cœpit ipse ad nos docendo descendere: septimo etiam loco Dominus qui nos erigit, posuit, *Beati pacifici*, *quoniam filii Dei vocabuntur*. Matth. 5. 9. Has igitur promissiones habentes, & his gradibus tendentes ad Dominum, omnia mundi hujus aspera & dura toleremus, nec nos ejus frangat sævitia, quâ victâ in æterna pace gaudebimus. Ad hoc nos enim jam demonstrato fine cohortatur octava sententia, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justi-* Ibid. 10. E *tiam*, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

* SERMO CCCXLVIII.

De [a] timore Dei, II.

* Aliàs 214. de Tempore. a

Caput I. Timore Dei fortitudo vera comparatur.

1. NON dubito, dilectissimi Fratres, insitum esse cordibus vestris timorem Dei, quo ad veram & solidam fortitudinem perducamini. Cùm enim fortis ille dicatur, qui neminem timet; perversè fortis est, qui primò Deum non vult timere, ut timendo audiat, au- F diendo diligat, & diligendo non timeat. Tunc erit verè fortissimus, non superbâ duritiâ, sed securâ justitiâ. Sic etiam scriptum est, *Timor Domini*, *spes fortitudinis*. Prov. 14. 26. Cùm enim timetur pœna quam minatur, discitur amari præmium quod pollicetur: ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse solli- G citus, qui semper vult esse securus. Ut enim dicit Johannes, *Timor non est in caritate*, *sed perfecta caritas foras mittit timorem*. 1 Johan. 4. 18. Dixit sanè, & veraciter dixit. Si ergo habere non vis timorem,

[a] Citat Florus ad Rom. 11. Sed hunc Sermonem, quem Augustinus in fine longiorem dicit, nescimus an integrum hîc habeas. Certè multò brevior erat in priùs editis, in quibus id totum desideratur, quod ante caput tertium, ab istis verbis, *Quapropter irridendi sunt & c.* n. 3. continetur. Hoc nos restitutum imus ex veteri codice Michaëlino,

Classis III.

Timor caritate pellendus, non vanitate.

priùs vide utrùm jam perfectam habeas caritatem, quæ foras mittit timorem. Si verò ante istam perfectionem timor excluditur, superbia inflat, non caritas ædificat. Nam sicut in bona valetudine fames non fastidio, sed cibo pellitur; ita in bona mente timor non vanitate, sed caritate pellendus est.

Caput II.

Timore carere, qua dilectione contingat, discutiendum.

2. Discute itaque conscientiam tuam, quisquis timere jam non vis. Noli superficiem compalpare, descende in te, penetra interiora cordis tui. Rimare diligenter, utrùm nulla ibi vena venenata tabificum amorem sæculi sugat & sorbeat, utrùm nullâ carnalis voluptatis movearis & capiaris illecebrâ, nullâ inani jactantiâ tumidus extollaris, nullâ curâ vanitatis exæstues: audeas nuntiare purum ac liquidum te videre, quidquid latebrarum in conscientia perscrutaris, à factis, à dictis, à cogitationibus pravis; si jam iniquitatis diligentia non fatigat, utrùm æquitatis negligentia nulla subrepat. Si hæc ita sunt, rectè gaudes, gaude esse te sine timore. Excluserit autem eum caritas Dei, quem diligis ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente tua. Excluserit eum & caritas proximi, quem diligis tamquam te ipsum: & ideo pro illo satagis, ut etiam ipse tecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligat Deum: quia non aliter rectè diligis & te ipsum, nisi quia sic diligis Deum, ut non propterea minùs eum diligas, quia converteris vel ad te ipsum. Si autem quamvis [a] intra te ipsum nulla irritaris cupiditate, (quod quidem de se quis audeat gloriari?) tamen si te ipsum in te ipso diligis, & de te ipso tibi places, hoc ipsum vehementiùs timere debes, quia nihil times. Non enim quacumque dilectione foras mittendus est timor, sed recta dilectione qua tota [b] diligimus Deum, & propterea proximum, ut sic & ipse diligat Deum. Se autem in se diligere, & sibi placere, non est justitiæ caritas, sed superbiæ vanitas. Ac per hoc Apostolus justa reprehensione percussit se ipsos amantes & sibi placentes. *Perfecta* ergo *caritas foras mittit timorem*. Sed ea dicenda est caritas, quæ non est vilitas. Quid autem vilius quàm homo sine Deo? Ecce quid amat, qui se ipsum non in Deo, sed in se ipso amat. Rectè huic dicitur, *Noli altum sapere, sed time.* (Rom. 11. 20.) [c] Quia enim altum sapit, & ideo non timet, utique perniciosè non timet, qui non in solido collocatur, sed flatu superbiæ ventilatur. (Florus ibid.) Neque mitis & pius est, qui se ipsum in se ipso amat & laudat: sed elatus & ferox, non novit dicere, *In Domino laudabitur anima mea, audiant mites, & jocundentur.* (Psal. 33. 3.) Quid enim boni amat, qui fortè hoc ipsum propter hoc ipsum amat nihil timere? Potest enim hoc sibi persuadere, non sanitate, sed immanitate. Verbi gratiâ, est aliquis audacissimus latro, quantò perversè fortior, tantò periculosè crudelior, qui propter ipsum amorem suum quo amat nihil timere, ingentia facinora moliatur, ut quod amat exerceat, & exercendo corroboret: quantò ejus fuerint majora commissa, tantò major erit non timentis audacia. Non hoc ergo pro magno bono amandum est, quod & in homine pessimo inveniri potest.

Epicurei & Stoici carere timore amant, sed perversè.

3. Quapropter irridendi sunt hujus mundi Philosophi, non solùm Epicurei, qui etiam ipsam justitiam venalem habent, carnalis pretio volupta- A tis. Dicunt enim propterea sapientem, justum esse debere, ut vel adquirat, vel teneat ex corpore voluptatem. Nam & hi fortissimos se jactant, & nihil omnino timere se dicunt: quia nec quidquam Deum res humanas curare arbitrantur, & consumtâ istâ vitâ nullam postea credunt futuram; & si quid eis adversitatis in hac ipsa contingit, eo se munitos existimant, quia corporis voluptatem, cùm eam in ipso corpore tenere non possunt, possunt tamen animo cogitare, & ea cogita- B tione sese oblectando, corporalis voluptatis beatitudinem, etiam contra corporalis doloris impetum custodire. Numquid non & apud istos dilectio foras mittit timorem? Sed dilectio sordidissimæ voluptatis, immo dilectio turpissimæ vanitatis. Nam cùm ipsam voluptatem de membris corporis irruens dolor excluserit, per falsam ejus imaginem in animo vanitatis remanebit. Quæ vanitas tantum amatur, ut cùm eam vanus homo totis viribus cordis amplectitur, etiam doloris C sævitia mitigetur. Non solùm ergo isti deridendi sunt, sed etiam ipsi Stoici. Nam istæ duæ sectæ Epicureorum & Stoicorum, sicut in Apostolorum Actibus legimus, adversùs lumen Pauli nostri fumos suos ausæ sunt jactitare. (Act. 17. 18.) Nam & Stoici se fortissimos præferunt, & non propter corporis voluptatem, sed propter animi virtutem, idipsum non timere propter non timere custodiunt, typho turgidi, & non sapientiâ sanati, sed errore durati. Eò quippe minùs minúsque sani sunt, quò ægrotum D animum à se ipsis sanari posse crediderunt. Hanc autem putant esse animi sanitatem, ut nec misereri dicant debere sapientem. Si enim miseretur, inquiunt, dolet: quod autem dolet, sanum non est. O stulta cæcitas! Quid si eò minùs dolet, quò sanum non est? Interest enim utrùm perfecta sanitate non doleat: quale erit sanctorum & corpus & animus in resurrectione mortuorum, quam isti non credunt; quia indoctos magistros habent, cùm se ipsos habent. Interest ergo utrùm aliquid sa- E nitate, an stupore non doleat. Nam secundùm sanitatem hujus mortalitatis sana caro cùm pungitur dolet. Qualis est & animus secundùm istam vitam bene affectus, qui compunctus laborantis miseriâ, condolescit misericordiâ. Caro autem graviore morbo stupida, vel amisso etiam spiritu mortua, nec cùm pungitur dolet: qualis est istorum animus, qui sine Deo philosophantur, vel potiùs præfocantur. Sicut enim corpus animo inspiratum, sic Deo inspiratus ipse animus vivit. F Videant ergo isti, qui non dolent nec timent, ne fortè non sint sani, sed mortui.

Caput III.

Timor in Christiano, alius paulatim ejiciendus, alius permansurus.

4. Timeat autem Christianus, antequam perfecta caritas foras mittat timorem: credat & intelligat se peregrinari à Domino, quamdiu vivit in corpore quod corrumpitur & aggravat animam. Tantò minor sit timor, quantò patria quò tendimus propior. Major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. Sic & timor perducit ad carita- G tem, & perfecta caritas foras mittit timorem. Timeat autem Christianus, non eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant: sed eum qui habet potestatem & corpus & animam in gehennam ignis occidere. (Luca 12. 4.) Est autem alius *timor Domini castus permanens in sæculum sæculi.* (Psal. 18. 10.) Non ergo

Serm. de Divers. 15 (margin)

a Michaëlinus MS. *extra te ipsum nulla irretiris cupiditate.*
b In Michaëlino libro, *tota mente.*

c Sic Michaëlinus MS. At editi, *Qui enim altum sapit, & ideo non timet, utique perniciosè non timet. Neque enim mitis &c.*

Classis IV.

ergo eum perfecta caritas foras mittit, alioquin non permaneret in sæculum sæculi: nec frustra, cùm dictum esset, *Timor Domini*, additum est *castus*; atque ita conjunctum est, *permanens in sæculum sæculi.* Quare, nisi quia ille timor, quem foras caritas mittit, propterea pungit animam, ne amittatur aliquid, quod in creatura diligitur, vel ipsa salus & requies corporalis, aut aliquid tale post mortem? Propterea enim timentur & apud inferos pœnæ & dolores ac tormenta gehennarum. Cùm verò cavet anima, ne Deus illam desertus deserat, timor est castus permanens in sæculum sæculi. De quo latiùs dicerem, nisi Sermo jam longior & meis senilibus viribus, & vestræ fortasse satietati parcere cogeret.

* Aliàs de Tempore 32.

* SERMO CCCXLIX.

De [a] Caritate, & de cæco illuminato.

Caput I.

1. De caritate nobis paulò antè Apostolus loquebatur, cùm ejus epistola legeretur; & eam nobis sic commendabat, ut intelligeremus cetera omnia, quamvis magna Dei dona, sine illa nihil prodesse. Ubi autem ipsa est, sola esse non potest. Et nos ergo Vestræ Caritati Sermonem de caritate reddamus. Caritas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita. De his ergo tribus caritatibus vel dilectionibus, duo enim nomina habet apud Latinos, quæ Græcè ἀγάπη dicitur, quod Dominus donaverit dicam. Hæc ergo prima est distributio mea, quòd dixi, aliam humanam, aliam divinam esse caritatem: eamdemque humanam in duo distribui, quòd alia sit licita, alia illicita. Priùs ergo loquor de humana licita, quæ non reprehenditur: deinde de humana illicita, quæ damnatur: tertiò de divina, quæ nos perducit ad regnum.

Caritas alia divina, alia humana. *Caritas humana, alia licita, alia illicita.*

Caput II. De humana caritate licita.

2. Ut ergo breviter insinuem, licita est humana caritas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix vel uxor aliena. In foro enim & plateis magis licita caritas [b] diligitur quàm meretrix: in domo Dei, in templo Dei, in civitate Christi, in corpore Christi, etiam meretricis amor ad gehennas amantem perducit. Licitam ergo caritatem habete: humana est; sed, ut dixi, licita est. Non solùm autem ita licita est, ut concedatur: sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodam modo caritatis. Sed videtis istam caritatem esse posse & impiorum, id est, paganorum, Judæorum, hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos, &c. Hæc ergo humana est. Si ergo tali quisque crudelitate effertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet conjugem suam; nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est qui amat filios suos, sed damnandus est qui non amat filios. Adhuc enim videat cum quibus debet ei esse dilectio ista communis. Amant filios & feræ: amant filios aspides, amant filios tigrides, amant filios leones. Nulla enim bestia est, quæ non filiis suis blandè immurmuret. Nam cùm terreat homines, parvulos fovet. Fremit leo in silvis, ut nemo transeat: intrat in speluncam, ubi habet filios suos, omnem rabiem feritatis exponit. Foris eam ponit, cum ipsa non ingreditur. Ergo qui non amat filios suos etiam leone pejor est. Humana sunt ista, & licita sunt.

Caput III. De illicito amore.

3. Illicitum amorem cavete. Membra Christi estis, & corpus Christi estis. Audite Apostolum, & terremini. Non potuit enim graviùs dicere, non potuit vehementiùs, non potuit acriùs deterrere Christianos ab amore fornicationum, nisi ubi dixit, *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* (1. Cor. 6. 15.) Ut autem hoc diceret, superiùs ait, *Nescitis, quia qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* (Ibidem 16.) Et testimonium de Scriptura dedit quod scriptum est, *Erunt duo in carne una.* (Gen. 2. 24.) Dictum est enim hoc divinitus; sed de viro & uxore ubi licet, ubi concessum est, ubi honestum est; non ubi turpe, non ubi illicitum, non ubi omni ratione damnabile. Sicut autem una fit caro in permixtione licita viri & uxoris: sic una fit caro in permixtione illicita meretricis & amatoris. Cùm ergo una fit caro, illud te terreat, illud exhorreat quod addidit, *Tollens ergo membra Christi.* Membra Christi adtende Christiane: membra Christi noli in altero, in te adtende membra Christi, qui emtus es sanguine Christi. *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Hoc qui non horret, Deo horret.

Membra Christi.

Caput IV. Caritas divina amorem illicitum meretricis non compatitur.

4. Prorsus, prorsus obsecro vos, Fratres mei: ecce ponamus, quod non est, promisisse Deum talibus impunitatem, & dixisse, Qui talia fecerint, miserebor eorum, non eos damnabo. Faciamus hoc dixisse Deum. Etiam promissa impunitate tollit quisque membra Christi, & facit jam membra meretricis? Non facit, si est ibi tertia divina dilectio. Etenim tres dilectiones commemoravi: de tribus me, quod Dominus daret, dicturum esse promisi; de licita humana, de illicita humana, de illa excellenti atque divina. Interrogemus divinam caritatem, & ponamus ante illam duas humanas caritates, & dicamus ei, Ecce licita caritas humana, qua uxor diligitur, & filiæ aliæque necessitudines sæculares: ecce alia illicita, qua diligitur meretrix, qua diligitur ancilla aliena, qua diligitur aliena filia non petita, non promissa, qua diligitur uxor aliena. Duæ ante te sunt caritates; cum qua istarum vis manere? Qui eligit manere cum illa humana licita, cum illa humana illicita non manet. Nemo sibi dicat, Ambas habeo. Si ambas habes admittendo ad te dilectionem meretricis, injuriam facis tamquam matronæ, quæ ibi habitat, divinæ caritati. Puto enim, quia si homo conjugatus sis, & diligas meretricem, non mittis meretricem in domum tuam, ut habitet cum matrona tua. Non usque adeò progrederis. Tenebras quæris, latebras quæris, turpitudinem non profiteris. Sed & qui non habent uxores, & sunt meretricum quasi licentiùs amatores, (ideo dixi quasi, quia & ipsi damnantur, si jam sunt fideles:) puto quia & adolescens nondum habens uxorem, si diligat meretricem, non eam facit habitare cum sorore sua, non eam facit habitare cum matre sua, ne injuriam faciat humanæ pudicitiæ, ne offendat decus sanguinis sui. Si ergo non facis habitare meretricem, quam diligis, cum matre tua, cum sorore tua, ne, sicut dixi, offen-

[a] Possidius in Indiculo c. 9. notat *de caritate Tractatus duos.*

[b] Fortè legendum, *qua diligitur meretrix.*

Classis IV.

das decus sanguinis tui; facis habitare in corde tuo dilectionem meretricis cum dilectione Dei, & offendis decus sanguinis Christi?

Caput V. Lucis internæ amore exemplo cæci clamandum bene vivendo.

5. Amate Deum, nihil melius invenitis. Amatis argentum, quia melius est ferro & æramento: amatis plus aurum, quia melius est argento: amatis plus lapides pretiosos, quia & auri pretium superant: amatis postremò istam lucem, quam dimittere formidat omnis qui mortem timet: amatis, inquam, istam lucem, quomodo eam amore quodam ingenti desiderabat, qui post Jesum clamabat, *Miserere mei, fili David.* Clamabat cæcus Christo transeunte. Metuebat enim ne transiret, & non sanaret. Et quantum clamabat? Ut turbâ prohibente non taceret. Vicit contradictorem, tenuit Salvatorem. Obstrepentibus turbis & clamare prohibentibus, stetit Jesus, vocavit eum, & dixit ei, *Quid vis tibi fieri? Domine*, inquit, *ut videam. Respice, fides tua te salvum fecit.* Amate Christum; desiderate lumen, quod est Christus. Si desideravit ille lumen corporis, quantò plus lumen cordis desiderare debetis? Ad eum, non vocibus, sed moribus clamemus. Vivamus bene, mundum contemnamus: nihil nobis sit omne quod transit. Reprehensuri sunt nos, quando sic vixerimus, quasi dilectores nostri homines sæculares, amantes terram, sapientes pulverem, nihil de cælo ducentes, auras liberas corde, nare carpentes: reprehensuri sunt nos procul dubio, atque dicturi, si viderint nos ista humana, ista terrena contemnere: Quid pateris? quid insanis? Turba illa est contradicens, ne cæcus clamet. Et aliquanti Christiani sunt, qui prohibent vivere Christianè: quia & illa turba cum Christo ambulabat, & vociferantem hominem ad Christum ac lucem desiderantem ab ipsius Christi beneficio prohibebat. Sunt tales Christiani: * sed vincamus illos, vivamus bene; & ipsa vita sit vox nostra ad Christum. Stabit; quia stat.

Lucæ 18. 38.

Contradictio mundi.

* Caput VI.

Christi transitus.

6. Nam & ibi mysterium magnum est. Transiens erat ille, quando ille clamabat: quando sanavit, stetit. Transitus Christi intentos nos faciat ad clamandum. Quis est transitus Christi? Quidquid pro nobis temporaliter pertulit, transitus ejus est. Natus est, transiit: numquid adhuc nascitur? Crevit, transiit: numquid adhuc crescit? Suxit: numquid adhuc sugit? Defessus dormivit: numquid adhuc dormit? Manducavit & bibit: numquid adhuc facit? Postremò prensus est, vinctus est, verberatus est, spinis coronatus est, alapis cæsus est, sputis illitus, ligno suspensus, occisus, lanceâ percussus, sepultus resurrexit: adhuc transit. Adscendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: stetit. Clama quantum potes: modò te illuminat. Nam & in eo ipso quòd *Verbum erat apud Deum*, utique stabat, quia non mutabatur. *Et Deus erat Verbum: & Verbum caro factum est.* Caro per transitum multa fecit, & passa est: Verbum stetit. Ipso Verbo cor illuminatur; quia ipso Verbo caro, quam suscepit, honoratur. Tolle Verbum, quid est caro? Hoc est quod tua. Caro autem Christi ut honoretur, *Verbum caro factum est*, & *habitavit in nobis.* Clamemus ergo, & bene vivamus.

Johan. 1. 1.

Serm. de Diversis.

Caput VII. Diligantur parentes, sed plus Christus.

7. Amate filios vestros, amate conjuges vestras, & si sæculariter. Nam secundùm Christum amare debetis, ut secundùm Deum illis consulatis, & non in eis nisi Christum diligatis, & oderitis in vestris si Christum habere noluerint. Ipsa enim est caritas illa divina. Nam quid eis proderit transitoria & mortalis caritas vestra? Tamen quando & humanitus diligitis, plus Christum amate. Non dico ut non diligas uxorem; sed plus dilige Christum. Non dico ut non diligas patrem, non dico ut non diligas filios; sed plus dilige Christum. Audi illum dicentem, ne mea putes ista verba: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Quando audis, *Non est me dignus*, non times? De quo dicit Christus, *Non est me dignus*, non est cum illo: qui cum illo non erit, ubi erit? Si non amas cum illo esse, time sine illo esse. Quare time sine illo esse? Quia cum diabolo eris, si cum Christo non fueris. Et ubi erit diabolus? Audi ipsum Christum: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Si igne cæli non accenderis, ignem time gehennarum. Si non amas esse inter Angelos Dei, time esse inter angelos diaboli. Si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis, inextinguibilis, sempiterni. Vincat in te [a] priùs timor, & erit amor. Timor pædagogus sit, non ipse in te remaneat, sed te ad caritatem, quasi ad magistrum perducat.

Matth. 10. 32.

Matth. 25. 41.

* SERMO CCCL.

De [b] Caritate, II.

* *Aliàs de Tempore* 39. *& in Tomo* 9.

1. Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamque doctrinam, Fratres mei, sine ullo errore comprehendit, & sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est caritate: dicente Apostolo, *Plenitudo autem legis caritas.* Et alio loco, *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* [c] Quis est autem finis præcepti, nisi præcepti adimpletio? & quid est præcepti adimpletio, nisi legis plenitudo? Quod hoc ergo ibi dixit, *Plenitudo legis est caritas:* hoc etiam hîc dixit, *Finis præcepti est caritas.* Nec dubitari ullo modo potest, quòd templum Dei sit homo, in quo habitat caritas. Dicit enim & Johannes, *Deus caritas est.* Hæc autem dicentes Apostoli & nobis caritatis excellentiam commendantes, non utique aliud, nisi quod comederant, ructuare potuerunt. Ipse quippe Dominus pascens eos verbo veritatis, verbo caritatis, quod est ipse panis vivus, qui de cælo descendit, *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem.* Et iterum, *In hoc scient omnes, quia discipuli mei estis, si vos invicem dilexeritis.* Ille enim qui venit per crucis irrisionem carnis perimere corruptionem, & vetustatem vinculi mortis nostræ suæ mortis novitate dissolvere, mandato novo fecit hominem novum. Res enim vetus erat, ut homo moreretur. Quod ne semper valeret in homine, res nova facta est, ut Deus

b Caritatis laus. *Florus ad* 1. *Tim.* 1.

Rom. 13. 10. 1. *Tim.* 1. 5.

c Per eam divina doctrina sine errore comprehenditur, sine labore custoditur.

1. *Johan.* 4. 8.

Johan. 13. 34.

Mandatum novum faciens hominem novum.

[a] Sic in MSS. At in editis, *pius timor.*

[b] Exstat in fine excerptorum Eugypii cum titulo, *de laude caritatis.* Sic etiam vocant Beda & Florus ad 1. Cor. 13. & 14. & ad 1. Tim. 1. Legebatur olim & in Tomo 9. sed interpolatus ibi, & Erasmi censurâ reprobatus.

[c] Hîc in priùs editis additur, *Si ergo non vacat omnes paginas Scripturarum evolvere, tene caritatem, & in ea invenies omnem scientiam.* Quæ sententia in MSS. non isto loco, sed alio tantùm initià cum nonnulla varietate reperitur.

moreretur. Sed quia in carne mortuus est, non in A divinitate, per sempiternam vitam divinitatis non permisit esse sempiternum interitum carnis. Itaque, sicut dicit Apostolus, *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* (Rom. 4. 25.) Qui ergo contra mortis vetustatem adtulit vitæ novitatem, ipse contra vetus peccatum opponit novum mandatum. Quapropter quisquis vetus peccatum vis extinguere, mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere caritatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupidi- B tas; ita & radix omnium bonorum est caritas.

(Caritate doctrina Scripturarum tota possidetur.) 2. Totam magnitudinem & latitudinem divinorum eloquiorum secura possidet caritas, qua Deum proximumque diligimus. Docet enim nos cælestis unus Magister, & dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus præceptis universa Lex pendet, & Prophetæ.* (Matth. 22. 37. &c.) Si ergo non vacat omnes paginas sanctas perscrutari, omnia in- C volucra sermonum evolvere, omnia Scripturarum secreta penetrare; tene caritatem, ubi pendent omnia: ita tenebis quod ibi didicisti; tenebis etiam quod nondum didicisti. Si enim nosti caritatem, aliquid nosti unde & illud pendet quod fortè non nosti, & in eo quod in Scripturis intelligis, caritas patet; in eo quod non intelligis, caritas latet. Ille itaque tenet et quod patet & quod latet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus.

D

(Caritatis præconium prosequitur.) 3. Quapropter, Fratres, sectamini caritatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est. (Florus ad 1. Cor. 14.) Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noë per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse E inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter exspectat: in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum: humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Sed quid ego de caritate majus aut uberius possum dicere, quàm quas per os Apostoli laudes ejus intonat F Dominus, supereminentem viam demonstrantis atque dicentis, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens? Et si habuero prophetiam, & sciero omnia sacramenta, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si donavero omnes facultates meas, & si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem* G *non habeam, nihil mihi prodest. Caritas magnanima est, caritas benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert. Caritas numquam cadit.* (1. Cor. 13. 1. &c.) Quanta est ista?[a] Anima litterarum, prophetiæ virtus, sacramentorum salus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. (Beda & Florus ad 1. Cor. 13.) Quid tam magnanimum, quàm pro impiis mori? Quid tam benignum, B quàm inimicos diligere? Sola est, quam felicitas aliena non premit, quia non æmulatur. Sola est, quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est, quam conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria secura est, inter odia benefica est: inter iras placida est, inter insidias innocens: inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius, non ad retribuendas, sed ad non curandas injurias?[b] Quid illa fidelius, non vanitati, sed æternitati? Nam C ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita; & suffert omnia quæ hîc immittuntur, quia sperat omnia quæ ibi promittuntur: meritò numquam cadit. Ergo sectamini caritatem, & eam sanctè cogitantes afferte fructus justitiæ. Et quidquid uberius, quàm ego dicere potui, vos inveneritis in ejus laudibus, appareat in vestris moribus. Oportet enim ut senilis sermo non solùm sit gravis, sed etiam brevis.

*SERMO CCCLI.

(* Aliàs 50: inter 50. homilias, & in Tomo 9.)

De [c] utilitate agendæ Pænitentiæ, I.

(Caput I. Pænitentiæ humilitas quàm necessaria.)

1. Quam sit utilis & necessaria pænitentiæ medicina, facillimè homines intelligunt, qui se homines esse meminerunt. Scriptum est enim, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (Jacobi 4. 6.) Et Dominus in Evangelio dicit, *Quoniam qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur:* (Lucæ 18. 14.) magis- E que justificatus descendit de templo publicanus ille peccatorum confessione sollicitus, quàm Pharisæus meritorum enumeratione securus. Quamvis enim & ipse gratias egerit Deo, dicens, *Gratias tibi ago, Deus, quoniam non sum sicut ceteri homines, injusti, adulteri, raptores; quomodo & publicanus iste. Iejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo:* (Ibidem 11. &c.) tamen ei prælatus est ille, qui *de longinquo stabat, neque oculos audebat ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus, propitius esto mihi peccatori.* Non enim F ille Pharisæus tam sua sanitate, quàm morborum alienorum comparatione gaudebat. Utilius autem illi erat, quoniam ad medicum venerat, ea de quibus ægrotabat, confitendo monstrare, quàm dissimulare à vulneribus suis, & de cicatricibus alienis audere gloriari. Non ergo mirum, si publicanus magis curatus abscessit, quem non puduit ostendere quòd dolebat. In rebus quippe visibilibus, ut excelsa quisque contingat, in ex- G celsum erigitur: (Deo excelso humilitate propinquatur.) Deus autem cùm sit omnium excellentissimus, non elatione, sed humilitate contingitur. Unde Propheta dicit, *Propè est Domi-* (Psal. 33. 19.)

[a] Editi, *Quanta est ista animarum salus, scientiæ solidamentum.* Nos hîc sequimur MSS.

[b] Sic MSS. At editi, *Quid illa facilius, non vanitate, sed veritate?*

[c] Exstabat in Tomo 9. membris multis mutilus apud Erasmum, qui hunc & subsequentem Tractatum censuit plurimùm discrepare ab Augustino. Sed ipsius sanè & doctrinam uterque habet & stilum, nostro judicio. Notat utrumque seorsim Possidius in eodem Indiculi capite 8. Atque hunc priorem sæpe citat Florus, appellans librum de pænitentia ad 1. Cor. 5. & 6. &c. Sermonem tamen sapiunt nonnulli modi loquendi, ut iste c. 2. *quas mecum Vestra Eruditio recognoscit.*

nus his qui obtriverunt cor. Et iterum, *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & excelsa à longè cognoscit.* Excelsa ipsa posuit pro superbis. Illa ergo respicit, ut adtollat; ista cognoscit, ut dejiciat. Cùm enim ait, quòd *à longè excelsa cognoscit*, satis eum ostendit humilia de proximo adtendere: ipsum tamen Dominum excelsum esse prædixit. Solus enim Deus arrogans non est, quantacumque se prædicatione laudaverit. Non ergo se arbitretur ab oculis Dei abscondi superbia: Deus enim excelsa cognoscit. Nec se rursus Deo conjunctam putet: excelsa enim à longè cognoscit. Quisquis itaque pænitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. Aliud est enim, levare se ad Deum; aliud est, levare se contra Deum. Qui ante illum se projicit, ab illo erigitur: qui adversùs illum se erigit, ab illo projicitur. Alia est enim soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tumescit, intus tabescit. Qui *eligit abjici in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*; eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis ejus, & nihil sibi assumentem ille in sedem beatitatis assumit. Unde in Psalmo suavissimè & verissimè canitur, *Beatus vir, cujus est susceptio ejus abs te, Domine.* Ne putes eum qui se humiliat semper jacére; cùm dictum sit, *Exaltabitur.* Et ne opineris ejus exaltationem in oculis hominum per sublimitates fieri corporales: cùm enim dixisset, *Beatus vir, cujus est susceptio ejus ab te, Domine*; consequenter annexuit & ostendit ejusdem susceptionis celsitudinem spiritalem: *Adscensus*, inquit, *in corde ejus disposuit, in convalle plorationis, in locum quem disposuit.* Ubi ergo disposuit adscensus? In corde, in convalle scilicet plorationis. Hoc est, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Sicut enim adscensus exaltationem indicat; ita vallis humilitatem, & convallis plorationes. Sicut enim comes pænitentiæ dolor est; ita lacrymæ sunt testes doloris. Optimè autem sequitur, & dicit, *Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit.* Ad hoc enim lex data est, ut vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratiæ benedictio sanaret. Ad hoc lex data est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pænitentiam suaderet. Ad hoc lex data est, ut diceremus in convalle plorationis, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis:* & cum ipso ploratu clamaremus, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & succurreret nobis, exaudiente illo qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat cæcos, *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Psal. 137. 6. — Psal. 83. 11. — Ibidem 7. — Lucæ 18. 14. — Psal. 83. 8. — Lex ad quid data. — Rom. 7. 23. — Ibidem 24. — Psal. 145. 8. — Rom. 7. 25.

Caput II. — Tria pænitentiæ genera. 4. Sent. dist. 16. Prædictis. — Prima pænitentia, ante baptismum.

2. Tres sunt autem actiones pænitentiæ, quas mecum Vestra Eruditio recognoscit. Sunt enim usitatæ in Ecclesia Dei, & diligenter adtendentibus notæ. Una est quæ novum hominem parturit, donec per baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum: ut tamquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum pæniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pænitentia, cùm baptizantur, soli parvuli sunt immunes: nondum enim

A uti possunt libero arbitrio. Quibus tamen ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorum fides, à quibus offeruntur; ut quascumque maculas delictorum per alios, ex quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione ac responsione purgentur. Verissimè quippe in Psalmis plangitur, *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit.* Item quod scriptum est, *non esse mundum in conspectu Dei, nec infantem, cujus est*
B *vita diei unius super terram.* Exceptis ergo talibus, de quorum ordine ac merito in futura illa, quæ promittitur, sorte sanctorum, velle ampliùs quærere, hominum modulum excedit; piè tamen creditur eis prodesse ad spiritalem salutem, quod Ecclesiasticæ auctoritatis per totum orbem terrarum tam firmo robore custoditur: ceterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse quod non erat, nisi eum pæniteat fuisse quod erat. Hæc prima pænitentia præcipitur Judæis,
C dicente apostolo Petro, *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Talis ab ipso Domino imperabatur, cùm diceret, *Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* De hac etiam Johannes Baptista, plenus Spiritu-sancto, præcursor & præparator viæ Domini ita dicit, *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pænitentiæ.*

Psal. 50. 7. — Job. 14. 4. — Act. 2. 38. — Matth. 4. 17. — Matth. 3. 7. & 8.

Caput III. — Altera pænitentia quæ hic omnium est ac perpetua. — Vitæ hujus pænitere nos debet, quia corruptioni & tentationibus obnoxia est.

D 3. Altera verò pænitentia est, cujus actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetuâ supplicationis humilitate subeunda est. Primò, quia nemo vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque desiderat, nisi eum vitæ hujus temporalis, corruptibilis, mortalisque pæniteat. Non enim sic quisque in vitam novam per sanctificationem baptismi nascitur, ut quemadmodum deponit ibi omnia peccata præterita, ita etiam statim mortalitatem ipsam car-
E nis corruptionemque deponat. Quòd si non ita est, restat ut illud quod scriptum est, quod etiam quisque in se sentit adhuc, dum in hac vita est, *corpus quod corrumpitur aggravet animam, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Quod tunc in illa beatitudine quia non erit, cùm absorbebitur mors in victoriam: quis dubitet in quacumque temporali [a] felicitate versemur, pænitere tamen nos debere hujus vitæ, ut ad illam incorruptionem tota aviditate curramus?
F Inde est enim quod etiam Apostolus ait, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Quis ergo festinat atque optat ad patriam remeare, & illam speciem quæ est facie ad faciem contemplari, nisi quem peregrinationis suæ pænituerit? Ex quo dolore pænitentis, etiam vox illa miserabilis erumpit & sonat, *Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est.* Et ne putes nondum fidelem ista loqui, vide quid sequitur: *In-*
G *habitavi in tabernaculis Cedar: cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cùm loquerer eis, impugnabant me valde.* Non solùm hominis fidelis, sed etiam Evangelistæ firmissimi & Martyris fortissimi hæc verba sunt. Nam inde est etiam illud Apostoli, *Scimus enim, quia & si terrena nostra domus hujus habitationis dissolvatur, ædifi-*

Sap. 9. 15. — 1. Cor. 15. 54. — 2. Cor. 5. 6. & 7. — Psal. 119. 5. &c. — 2. Cor. 5. 1. &c.

[a] MSS. carent verbo, *felicitate*: pro quo fortè supplendum fuisset, *vitâ*.

Classis IV.

cationem habemus ex Deo, domum non manu factam, æternam in cælis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de cælo est, superindui cupientes: si tamen & induti, non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita. Quid ergo cupimus, nisi ita non esse ut nunc sumus? Et quid ingemiscimus, nisi pænitendo quia ita sumus? Sed quando ita non erimus, nisi terrena domo resoluta, ut cælestem habitationem & animo & corpore totius hominis immutatione sortiamur? Quapropter & sanctus Job non ait esse tentationem in hac vita, sed hanc ipsam vitam tentationem dixit esse, ita loquens, *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Quo in loco etiam mysterium lapsi hominis mirabiliter tetigit dicens, *Tamquam servus fugiens dominum suum, & consecutus umbram.* Non enim hæc vita dicenda est potiùs, quàm umbra vitæ. Nec immeritò fugitivus Adam post offensionem peccati abscondit se à facie Domini, tectus foliis arborum, quibus opacantur umbracula, *tamquam fugiens Dominum suum*, sicut dictum est, *& consecutus umbram.*

Job. 7. 1. — Ibidem 2. sec. LXX.

Pænitentiæ humilitas etiam justificatis necessaria.

4. Quæ universa ad hoc dicta sunt, ne quis per baptismum quamvis justificatus sit à prioribus peccatis, tamen superbire audeat, si nihil committat, unde ab altaris communione separetur, quasi jam de plena securitate se jactans; sed potiùs servet humilitatem, quæ penè una disciplina Christiana est: nec superbiat terra & cinis, donec ista nox tota transeat, *in qua pertranseunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, quærentes à Deo escam sibi.* In hanc escam Job ipse petitus est, qui dixit, *Tentatio est vita humana super terram.* Etiam Dominus, *In hac nocte*, inquit, *postulavit satanas vexare vos sicut triticum.* Quis itaque sanæ mentis non ingemiscat? Cui non per pænitentiam sic esse displiceat? Quis non tota humilitate supplicans divino adjutorio se exaudibilem præbeat, donec transeat omnis ista tentationum materies atque umbra terrena: & ille qui numquam deficit, etiam nobis illucescat sempiternus dies, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo? Deinde quamvis se quisque glorietur sic habere corpus edomitum, ut mundo crucifixus ab omni opere malo, in servitutem redacta membra castiget, ne jam regnet peccatum in ejus mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus; solum unum verum Deum colat, nulli simulacrorum ritui deditus, nullis sacris dæmoniorum irretitus, non accipiens in vanum nomen Domini Dei sui, quietem sempiternam certus exspectans, debitum honorem parentibus reddens, nec cruentus homicidio, nec fornicatione turpatus, nec furto fraudulentus, nec mendacio duplicatus, nec rei vel uxoris alienæ concupiscentiâ sordidus; non in suis etiam rebus aut luxuriâ diffluat, aut arescat avaritiâ; non sit contentiosus, non sit contumeliosus, non maledicus; vendat postremò omnia sua, & det pauperibus, & sequatur Christum, atque thesauro cælesti radicem cordis infigat: quid videtur addi posse ad tam plenam justitiam? Tamen nolo glorietur. Intelligat hæc omnia præstita sibi esse, non à se exsistere. Quid enim habet, quod non accepit? Quòd si accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit? Eroget sanè pecuniam Dominicam: consulat proximo, sicut sibi sentit esse consultum [a]. Nec putet satis esse servare integrum quod accepit, ne dicatur ei, *Serve nequam & piger, dares pecuniam meam, & ego veniens cum usuris exigerem*: ne auferatur ab eo quod accepit, ne projiciatur in tenebras exteriores. Quam vehementissimam pœnam si timere debent illi, qui servare integrum possunt quod acceperunt, quæ spes illorum est, qui hoc impiè sceleratéque disperdunt? Versabitur ergo iste in rebus humanis, non carnalis, sed spiritalis adquisitionis devinctus officio; non quidem negotiis sæcularibus obligatus, sed tamen quia militat Deo, non otio desidiæ torpidus & abjectus. Det ergo, si potest, suas eleemosynas omnes cum hilaritate, sive cùm carnalibus necessitatibus pauperum aliquid erogat, sive cùm panis cælestis [b] dispensator invicta adversùs diabolum castra in credentium cordibus construit. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Non itaque tædio frangatur in difficultatibus rerum, quæ necesse est exsistant, ut ostendatur homini quòd homo est. Non ira subrepat in eum, qui aut odiosè irruit, aut inopportunè inopiâ coactus petit; aut negotio suo, cùm tu majore occupatus es, indifferenter flagitat subveniri; aut in verbo manifestæ justitiæ resistit cæca cupiditate, aut miserabili tarditate. Non det quidquam ampliùs vel minùs quàm oportet: non loquatur ampliùs quàm opus est, aut cùm etiam non opus est. *Speciosi* enim *pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Sed tamen de terra sicca pulverem contrahunt, qui sanè in judicium eorum excutitur, qui sibi hanc exhibitionem perversa voluntate contemnunt. Non solùm ergo propter ipsam vitæ hujus [c] mortalitatem & ignorantiam, & propter diei malitiam, quæ utinam sufficeret, sicut de illa dictum est, *Sufficit diei malitia sua*; quam jubemur ferre atque portare, donec transeat, & sustinere Deum viriliter agendo, ut fructum afferamus cum tolerantia: sed etiam propter ipsum pulverem mundi hujus, qui per itinera consulendi consulentium pedibus adhærescit, & damna quæ in ipsa negotiosissima dispensationis actione contingunt, quæ Dominus præstet ut cum lucris majoribus compensentur, quotidianam debemus habere pænitentiam.

Eccli. 10. 9. — Psal. 103. 21. — Job. 7. 1. — Luca 22. 31. — 1. Cor. 4. 5.

Quantumcumque justis, non gloriandi, sed pænitendi caussam semper adesse.

Serm. de Diversis. — 1. Cor. 4. 7. — Matth. 25. 26.

Dispensatoribus verbi Dei & sacramentorum unde pænitentiæ caussa.

2. Cor. 9. 7. — Rom. 10. 15. — Matth. 6. 34.

Laïcorum peccata quotidiana.

5. Sed si hoc dispensatores verbi Dei & ministri sacramentorum ejus, milites Christi; quantò magis cetera stipendiaria multitudo, & quædam provincia magni regis? Quam ne fortè vel falsa suspicione avaritiæ miles ille fidelissimus atque fortissimus apostolus Paulus offenderet, suis stipendiis militavit: & ubi fortè defuit sumtus necessarius, *Alias*, inquit, *Ecclesias exspoliavi, accipiens ab eis stipendium ad vestram ministrationem.* Quantò ergo magis Ecclesiæ [d] provinciales sæcularibus negotiis obligati, quotidianam debent agere pænitentiam? Qui quamvis à furtis,

2. Cor. 11. 8.

[a] In editis additur, *vel consulendum*: quod à MSS abest.
[b] Sic in MSS. At in editis, *dispensatione.*
[c] Ita MSS. Editi verò, *mutabilitatem.*
[d] Quos laïcos usitatiùs dicimus, ipsos vocat Ecclesiæ provinciales & stipendiarios: pulcrè alludens, ut sæpe aliàs, ad popularem loquendi usum, quo provinciæ quæ solvendo militibus stipendio obnoxiæ essent, stipendiariæ dicebantur. Vide suprà Serm. 302. n. 15. & citata ibidem loca Sermonum quorumdam in Psalmos, nec-non Tractatum 122. in Johan. n. 3.

 à rapinis, à fraudibus, ab adulteriis & fornicationibus omnique luxuria; à crudelitate odiorum & inimicitiarum pertinacia, ab omni denique idololatriæ fœditate, spectaculorum nugacitate, hæresum atque schismatum impia vanitate, atque ab omnibus hujuscemodi flagitiis & facinoribus immunes, puri atque integri esse debeant: tamen propter administrationem rerum familiarium, & conjugiorum artissima vincula, tam multa peccant, ut non tam de [a] istius mundi pulvere adspergi, quàm luto oblinire videantur. Hoc est quod Apostolus eis dicit: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potiùs fraudamini?* Nam illud exsecrabile est, quod propter quosdam addit & dicit, *Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Exceptis tamen iniquitatibus & fraudibus, hoc ipsum habere inter se judicia & lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit: quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ecclesiastico judicio lites hujuscemodi finiantur. Hinc est etiam illud: *Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonio conjunctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Quod etiam de femina similiter notat. Vel illud cùm ait, *Et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram.* Quod ut peccatum esse demonstraret, sed infirmitati concessum; subjecit statim, *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* Solâ enim generandi causâ est inculpabilis sexus utriusque commixtio. Quàm multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent; sive in vanis cachinnationibus, cùm scriptum sit, *Stultus in risu exaltat vocem suam, sapiens autem vix tacitè ridebit:* sive in ipsis escis, quæ ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus, sæpe excessum modum [b] pridiana cruditate contestans: sive in vendendis & emendis rebus caritatis & vilitatis [c] vota perversa. Piget cuncta colligere, quæ quisque in se ipso certiùs comprehendit atque reprehendit, si divinarum Scripturarum speculum non negligenter adtendat. Quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium & adulterium, vel cetera hujusmodi: tamen omnia simul congregata velut scabies, quò plura sunt necant, aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pænitentiæ [d] desiccentur.

(1. Cor. 6. 7. & 8.) (1. Cor. 7. 32. & 33.) (Ibidem 5. & 6.) (Conjugii usus quandonam inculpabilis.) (Eccli. 21. 23.)

(Peccata quotidiana omnes ex carnis infirmitate contrahimus. Matth. 6. 12.)

6. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus. Unde etiam orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in baptismo nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, & ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat. Quisquis itaque se diligenter adtendens, nulla se ipsum adulatione seducit, satis intelligit cum quanto periculo mortis æternæ, & cum quanta penuria perfectæ justitiæ peregrinetur à Domino; quamvis jam in Christo, hoc est, in via constitutus redire conetur. Nam si non habemus peccata, & tundentes pectora dicimus, *Dimitte nobis debita nostra;* ex hoc ipso certè & graviter nullo dubitante peccamus, cùm inter ipsa sacramenta mentimur. Quamobrem, in quantum Deo nostro fide, spe & caritate connectimur, & eum in quantum possumus, imitamur, non peccamus, sed filii Dei sumus: in quantum autem ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte resoluta, nondum resurrectione mutata est, motus reprehensibiles improbique subrepunt, peccamus. Quod utique fateri nos convenit; ne dura cervice, non languoris nostri sanitatem, sed damnationem superbiæ mereamur. Unde utrumque verissimè scriptum est, & *Qui natus est ex Deo, non peccat:* & quod in eadem Johannis epistola legimus, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Illud enim ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis veteris dictum est: utrumque enim agimus in hac vita. Paulatim autem novitas accedit, & paulatim vetustate cedente succedit. Cùm verò utrumque agitur, in stadio sumus; nec solùm percutimus adversarium bonis operibus, sed etiam peccata incautiùs evitando percutimur. Neque nunc quis nostrûm vicerit, sed quis crebriùs feriat, quis fortiùs confligat adtenditur; donec alios secum in sempiternam mortem pertrahat, qui homini stanti lapsus invidit, & ab aliis triumphantibus in fine dicatur, *Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus?* Sed neque faciliùs ab inimico dejicimur, quàm cùm eum superbiendo imitamur; nec vehementiùs eum prosternimus, quàm cùm humilitate Dominum sequimur; nec acriores ei dolores infligimus, quàm cùm plagas peccatorum nostrorum confitendo & pænitendo sanamus.

(SERM. DE DIVERSIS.) (1. Johan. 3. 9.) (1. Johan. 1. 8.) (Lucta Christianæ animæ.) (1. Cor. 15. 55.)

(CAPUT IV. Tertia pænitentia severior pro peccatis mortiferis.)

7. Tertia actio est pænitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis decalogus continet; & de quibus Apostolus ait, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* In hac ergo pænitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere; ut à se ipso judicatus, non judicetur à Domino, sicut idem Apostolus ait: *Si enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur.* Adscendat itaque homo adversùm se tribunal mentis suæ; [e] si timet illud quòd *oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens, *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam.* Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini: ut qui separari à regno cælorum timet per ultimam sententiam summi judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à sacramento cælestis panis

(Gal. 5. 21.) (1. Cor. 11. 31.) (Florus ibid.) (2. Cor. 5. 10.) (Psal. 49. 21.) (Lacrymæ sanguis pænitentis.)

[a] MSS. *de isto mundo pulvere adspergi.*
[b] MSS. *post triduana.* Lov. *postriduana.* Meliùs Parisiensium editio Nivelliana, *postridiana.*
[c] Lov. *nota perversa:* dissentientibus editis aliis & MSS.
[d] Sic Er. & MSS. At Lov. *desecentur.*
[e] Lov. *existimet.* Aptiùs ceteri libri, *si timet.*

interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii: ut cùm alii accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere: quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exserat severitatem suam. Accedunt enim ignorantes quoniam patientia Dei ad pænitentiam eos adducit. Illi autem secundùm duritiam cordis sui & cor impænitens, thesaurizant sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua. Ad illud autem altare, quò præcursor pro nobis introiit Jesus, quò caput Ecclesiæ præcessit, membris ceteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, ut jam commemoravi, dixit Apostolus, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Solus enim sacerdos, sed planè ibi totus assistet, adjuncto scilicet corpore cui caput est, quod jam adscendit in cælum. Ipse est cui dixit apostolus Petrus, *Plebs sancta, regale sacerdotium.* Quomodo ergo in interiora veli, & in illa invisibilia sancta sanctorum intrare audebit aut poterit, qui medicinam cælestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper à visibilibus separari? Qui enim noluit humiliari, ut exaltaretur; cùm exaltari voluerit, dejicietur; & in æternum sejungetur ab æternis sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiæ & per satisfactionem pænitentiæ non sibi providit locum in corpore sacerdotis. Qua enim fronte impudentiæ tunc volet averti faciem Dei à peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit, *Quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper?* Quo pacto, quæso, Deus dignatur ignoscere, quod in se ipse homo dedignatur agnoscere?

Rom. 2. 4. &c. — Gal. 5. 21. — 1 Petr. 2. 9. — Psal. 50. 5.

8. Aut illud quale est, in quo sibi blandiuntur, qui sua se vanitate seducunt? Perseverantes enim in malitiis atque luxuriis suis, cùm audiunt Apostolum dicentem, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt:* audent sibi præter Dei regnum salutem, quam desiderant, polliceri; atque ita inter se loquuntur, dum recusant agere pænitentiam pro peccatis suis, & perditos mores aliquando in melius commutare: Regnare nolo, sufficit mihi salvum me esse. In quo primùm eos fallit, quia eorum nec salus ulla est, quorum iniquitas perseverat. Quod enim ait Dominus, *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* salutem utique promisit perseverantibus in caritate, non in iniquitate. Ubi autem caritas est, opera illa mala à regno Dei separantia esse non possunt. *Omnis enim lex in uno sermone impleta est, in eo quod scriptum est, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Deinde si est aliqua differentia inter regnantes & non regnantes; oportet tamen ut in uno regno sint omnes, ne in hostium aut alienorum numero deputentur. Omnes enim Romani Romanum regnum possident; quamvis non omnes in eo regnent, sed ceteris regnantibus pareant. Non autem ait Apo-

In eos qui sibi salutē præter regnum cælorum pollicentur. — Gal. 5. 21. Florus ad 1. Cor. 6. — Matth. 24. 12. — Gal. 5. 14.

A stolus, *Qui talia agunt*, non regnabunt cum Deo; sed, *regnum Dei non possidebunt.* Quod etiam de carne & sanguine dictum est, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* quia *corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem*; ut jam non caro & sanguis, sed ex animali corpore spiritalis corporis habitum naturamque mereatur. Vel illa eos terreat ultima sententia judicis nostri, quam propterea nunc aperiri voluit, ut ab ejus fidelibus præcaveatur: *dans metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs.* Exceptis enim eis qui cum illo etiam judicabunt, quibus & promisit, dicens, *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* In quo numero judicantium omnes intelliguntur, qui propter Evangelium omnia sua dimiserunt, & secuti sunt Dominum. Duodenarius quippe numerus ad quamdam universitatem refertur. Non enim Paulus apostolus ibi non erit, quia inter illos duodecim non fuit. Exceptis ergo illis, quos etiam nomine Angelorum significavit, quando ait, *Cùm venerit filius hominis judicare cum Angelis suis.* Angeli enim utique nuntii sunt. Nuntios autem rectissimè accipimus omnes, qui salutem cælestem hominibus nuntiant. Unde etiam Evangelistæ boni nuntii possunt interpretari: & de Johanne Baptista dictum est, *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.* His ergo, ut dicere cœperam, exceptis, cetera omnium hominum multitudo, sicut in ipsius verbis Domini manifestum est, in duas partes dividetur. Positurus est enim oves ad dexteram, hœdos ad sinistram: & dicetur ovibus, id est, justis, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi.* De hoc utique regno dixit Apostolus, cùm enumeraret opera mala, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Audi quid audiant qui à sinistris erunt: *Ite*, inquit, *in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* Quapropter [a] præsumere quis audeat de nomine Christiano, & non cum omni obedientia & timore audiat Apostolum dicentem, *Hoc enim scitote, cognoscentes quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei? Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite itaque effici participes eorum.* Latiùs autem ad Corinthios hæc dicit: *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Sed videte quemadmodum timorem & desperationem salutis abstulerit eis; qui hæc in vita veteri commiserunt. *Et hæc quidem*, inquit, *fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.*

SERM. DE DIVERSIS. — 1. Cor. 15. 50. — Sententia ultima mittens aut in regnum, aut in ignem. — Psal. 59. 6. — Matth. 19. 28. — Malach. 3. 1. — Florus ad Ephes. 5. — Matth. 25. 34. — Gal. 5. 21. — Ephes. 5. 5. &c. — 1. Cor. 6. 9. &c. — Ibidem 11.

9. Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cùm tempus est, cùm ita peccat & vivit? Nam utique quòd ita perseveranter peccat, thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei. Quòd autem adhuc vivit, patientia Dei ad pænitentiam eum adducit. Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccato-

Pænitentia relapsis post baptismum amplectenda.

[a] MSS. *quis gaudeat:* omisso verbo, *præsumere.*

rum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cælo; & audet sibi post hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri; nec veridico illo Dominicæ vocis tonitruo contremiscit, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum?* (Matth. 7. 21.) Quid, ad Galatas idem Apostolus, nonne talia enumerans eodem fine concludit? (Gal. 5. 19. &c.) *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius: ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pænitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper, quòd *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* (Jacobi 4. 6.) Quid enim est infelicius, quid perversius, quàm de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura ejus erubescere?

In eos qui pænitentiæ negligendæ exemplum ex aliis sumunt.

10. Nemo arbitretur, Fratres, propterea se consilium salutiferæ hujus pænitentiæ debere contemnere, quia multos fortè advertit & novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus: multi tolerantur, ut Judas: multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis. (a quasi 1. Multi.) (Florus ad 1. Cor. 5.) Nam plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam; non tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis,) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. (A communione non prohibendi nisi sponte confessi, vel legitime convicti.) Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex? Cujusmodi regulam etiam Paulus apostolus in eadem ad Corinthios epistola breviter insinuasse intelligitur, cùm quibusdam talibus commemoratis criminibus, Ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim, *Scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exire.* (1. Cor. 5. 9. & 10.) Non enim possunt homines in hoc mundo viventes, nisi cum talibus vivere: nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium convictumque vitaverint. Unde & Dominus cum publicanis & peccatoribus comedens, *Non est opus*, inquit, *sanis medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* (Matth. 9. 12. & 13.) Et ideo sequitur Apostolus, & adjungit, *Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum hujusmodi nec quidem cibum sumere. Quò enim mihi de his qui foris sunt judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judicatis? De his autem qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum à vobis ipsis.* (1. Cor. 5. 11. &c.) Quibus verbis satis ostendit non temere aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potiùs, ne perversè malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, [a] vinciat ad gehennam. Quia & ad hoc nobis sunt in Scripturis sanctis exempla proposita, velut in messe, ut palea sufferatur usque ad ultimum ventilabrum; (Matth. 3. 12.) velut intra illa retia, ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem, quæ futura est in littore, id est, in fine sæculi, æquo animo tolerentur. (Matth. 13. 47.) Non enim contrarium est huic loco id quod alio loco dicit Apostolus: *Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo domino stat, aut cadit.* (Rom. 14. 4.) Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio: sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit, *Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens*, & cetera; nisi quia eam nominationem intelligi voluit quæ fit in quemquam, cùm sententia ordine judiciario atque integritate profertur? Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes; quia sæpe falsò in quoquam [b] crimine nominantur.

Adversùs eos qui pravis exemplis acquiescentes contemnunt pænitentiam.

11. Non ergo illi, quos monemus agere pænitentiam, quærant sibi comites ad supplicium; nec gaudeant quia plures inveniunt. Non enim propterea minùs ardebunt, quia cum multis ardebunt. Non est enim hoc sanitatis certum consilium, sed malevolentiæ vanum solatium. An fortè attendunt multos etiam in ipsis honoribus Ecclesiasticis præpositorum & ministrorum non congruenter vivere sermonibus & sacramentis, quæ per eos populis ministrantur? O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur! qui & tantò antè prædixit, ut legi Dei potiùs obtemperetur, quàm imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt non faciunt: (Matth. 23. 3.) & traditorem suum tolerans usque in finem, etiam ad evangelizandum cum ceteris misit. (Præpositi mali non imitandi. Elegans similitudo.) Tam sunt autem isti absurdi & præposteri & miseri, qui præpositorum suorum malos mores imitari eligunt, quàm per eos prædicata Domini præcepta servare;

[a] MSS. vincat.

[b] Sic MSS. At editi, crimina.

Classis IV.

Serm. de Diversis.

quàm si quisquam viator remanendum sibi esse existimet in itinere, cùm viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potiùs, si pervenire desiderat, tales comites intuetur & consequitur, qui & viam bene demonstrant, & in ea perseveranter atque alacriter ambulant? Quòd si isti desint, vel potiùs minùs appareant, nam deesse non possunt: non enim sic quærunt homines caritate studiosa quod prædicent ad imitationem, quomodo quærunt iniquitate suspiciosâ quod murmurent ad deceptionem, partim non inveniendo bonos, dum ipsi mali sunt; partim timendo invenire, dum mali esse semper volunt. Sed tamen concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione. Quisquis hoc putas, mente Dominum intuere, qui homo factus est, ut hominem vivere doceret. Si habitat Christus in interiore homine per fidem in corde tuo, recordarisque illud quod Johannes ait, *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare*: ita nec tibi deerit quem sequaris, & cùm te alius viderit, de bonorum inopia conqueri desinet. Si enim non nosti quid sit rectè vivere, divina præcepta cognosce. Fortassis enim multi rectè vivunt; sed propterea tibi nullus rectè vivere videtur, quoniam quid sit rectè vivere ignoras. Si autem nosti, age quod nosti; ut & tu quod quæris habeas, & aliis quod imitentur ostendas. Christum animo adtende, adtende Apostolos, quorum novissimus est ille qui dicit, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Adtende animo tot Martyrum millia. Cur enim te Natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam sequi honestis moribus non delectat? Ibi videbis non solùm viros, sed etiam feminas, postremò pueros & puellas, nec imprudentiâ decipi, nec iniquitate perverti, nec periculi timore frangi, nec sæculi amore corrumpi. Ita te non invenientem quid excuses, non solùm præceptorum inevitabilis rectitudo, sed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit.

1. Johan. 2. 6.

1. Cor. 4. 16.

Caput V. Peccator nullus desperet, sed ad pænitentiam confugiat.

12. Sed de utilitate ac salubritate pænitentiæ, ut quod instituimus aliquando peragamus: si jam de sanitate desperans addis peccata peccatis, sicut scriptum est, *Peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit*: noli contemnere, noli desperare; clama etiam de profundo ad Dominum, & dic ei, *De profundis clamavi ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem obsecrationis meæ. Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit? Quoniam apud te pronitiatio est*. De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt: faciliúsque est evacuata comminatio Prophetæ, quàm humiliatio pænitentiæ. Hîc fortasse dicis, Sed ego jam baptizatus sum in Christo, à quo omnia mihi peccata præterita dimissa sunt, vilis factus sum nimis iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei, conversus ad vomitum suum. Quò abibo à spiritu ejus, & à facie ejus quò fugiam? Quò, frater, nisi ad ejus misericordiam pænitendo, cujus potestatem peccando contempseras? Nemo enim rectè fugit ab illo, nisi ad illum, ab ejus severitate ad ejus bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi ejus præsentia te non inveniat? Si adscenderis in cælum, ibi est: si descenderis ad infernum, adest. Recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in spe in [a] extrema hujus sæculi: etenim illuc manus sua deducet te, & perducet te dextera sua. Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris; adhuc in hac vita es, unde te Deus omnino, si [b] sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Intuere David regem: jam utique & ipse illius temporis sacramenta perceperat, jam utique circumcisus erat, quod patres nostri pro baptismo habebant. Nam ad hoc dicit Apostolus sanctum Abraham signaculum justitiæ fidei recepisse. Jam etiam unctus erat unctione venerabili, qua regale sacerdotium præfigurabatur Ecclesiæ. Repentè autem factus & adulterii & homicidii reus, non frustra tamen de tam immani & abrupto profundo sceleris pænitens clamavit ad Dominum, dicens, *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*. Quo tandem merito, nisi quia item dicit, *Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper?* Quid autem obtulit Domino unde illum propitiaret sibi? *Quoniam si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit*. Non solùm ergo devotè obtulit, sed etiam ista dicendo quid offerri oporteret ostendit. Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus*. Non enim dictum est, ut tantùm abstineamus à peccatis: *sed & de præteritis*, inquit, *deprecare Dominum, ut tibi dimittantur*. Et Petrus jam erat fidelis, jam in Christo & alios baptizaverat. Intuere ergo Petrum præsumentem accusatum, timentem vulneratum, flentem sanatum. Jam etiam post adventum de cælo Spiritus-sancti, quidam Simon pecuniâ voluit eumdem Spiritum-sanctum emere, sceleratissimum & impium mercimonium cogitans, jam baptizatus in Christo: & tamen pænitentiæ consilium ab ipso Petro correptus accepit. Dicit etiam apostolus Paulus, qui utique fidelibus mittebat epistolas: *Ne iterum cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex his qui antè peccaverunt, & non egerunt pænitentiam super immunditia & luxuria, & fornicatione quam gesserunt*. Circumstant ergo nos & præcepta rectè faciendi, & exempla non tantùm rectè facientium, sed etiam pænitentium ad recipiendam salutem, quæ fuerat amissa peccando. Sed fac incertum esse utrùm ignoscat Deus. Quid perdit, cùm supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cùm offenderet Deum? Quis enim certus est, quòd etiam imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur; & penè ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini: sine dubitatione fiunt

Prov. 18. 3.

Florus ad 2. Cor. 12.

Psal. 129. 1. &c.

Jonæ 3.

Psal. 138. 7.

Rom. 4. 11.

Psal. 50. 11.

Mutatio vitæ & satisfactio pro commissis.

Matth. 5. 7.

Eccli. 21. 1.

Act. 8. 22.

2. Cor. 12. 21.

[a] Editi, *in extremo*. At MSS. *in extrema*. Augustinus eumdem Psalmum 138. enarrans legebat, *in novissima*.

[b] MSS. *si sanari nollet*.

CLASSIS IV.

ista, cùm sit dubium quo fine proveniant. Et tamen certiores sunt claves Ecclesiæ, quàm corda regum: quibus clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in cælo solutum promittitur. Et multò est honestior humilitas, qua se quisque humiliat Ecclesiæ Dei: & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.

Matth. 16. 19.

** Aliàs 27. inter homilias 50.*

* SERMO CCCLII.

De utilitate agendæ Pænitentiæ, II.

CAPUT I.

Psal. 50 11. Sermoni occasio data ex lectione.

1. VOx pænitentis agnoscitur in verbis quibus psallenti respondimus: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Unde cùm sermonem ad Vestram Caritatem non præpararemus, hinc nobis esse tractandum Domino imperante cognovimus. Volebamus enim hodierna die vos in ruminatione permittere, scientes quàm abundantes epulas ceperitis. Sed quia salubriter quod apponitur accipitis, quotidie multùm esuritis. Præstet ergo Dominus ipse Deus noster, & nobis virium sufficientiam, & vobis utilem audientiam. Neque enim ignoramus, esse serviendum bonæ vestræ & utili voluntati. Adjuvemur ergo à vobis & voto & studio; voto ad Deum, studio ad verbum; ut ea dicamus quæ vobis esse utilia ipse judicat, qui vos pascit per nos. Vox igitur in his verbis pænitentis agnoscitur: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnia facinora mea dele.* Proinde aliquid de pænitentia dicere divinitus jubemur. Neque enim nos istum Psalmum cantandum lectori imperavimus: sed quod ille censuit vobis esse utile ad audiendum, hoc cordi etiam puerili imperavit. Dicamus aliquid de utilitate pænitentiæ: præsertim, quia & dies jam sanctus anniversarius imminet, quo propinquante humiliari animas & domari corpora studiosiùs decet.

Pænitentia triplex. Prima baptizandorum.

2. Triplex autem consideratio agendæ pænitentiæ in sacra Scriptura invenitur. Nam neque ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo pænitentiam de vita pristina. Nemo enim eligit vitam novam, nisi quem veteris pænitet. Hoc autem etiam auctoritate divinorum librorum probare debemus, utrùm baptizandi egerint pænitentiam. Quando Spiritus-sanctus missus est antè promissus, & implevit Dominus fidem pollicitationis suæ, accepto Spiritu-sancto discipuli, ut nostis, cœperunt loqui omnibus linguis, ut in illis qui aderant, linguam suam quisque cognosceret. Hoc autem miraculo territi, consilium vitæ ab Apostolis petierunt. Tunc eis Petrus annuntiavit eum colendum, quem crucifixerunt: ut ejus jam sanguinem biberent credentes, quem fuderant sævientes. Annuntiato autem illis Domino nostro Jesu Christo, & agnoscentibus reatum suum, ut impleretur in eis quod Propheta antè prædixerat, *Conversus sum in ærumnam meam, dum configitur spina*; compuncti sunt. Conversi enim sunt in ærumnam doloris, cùm configeretur spina peccati recordationis. Nihil enim mali se fecisse putaverant, nondum infixa erat spina. Loquente autem Petro, ut agnoscas infixam spinam, Scriptura dixit, *Petro loquente compuncti sunt corde.* Proinde in eodem Psalmo, cùm dictum est, *Conversus sum in ærumnam meam, dum con-*

Act. 2. 2.

Act. 2. De consecrat. d. st. 2. cap. Tunc eis.

Psal. 31. 4.

Act. 2. 37

A *figitur spina*: sequitur, *Peccatum cognovi, & facinus meum non operui. Dixi, proloquar adversùm me delictum meum Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei.* Cùm ergo spinâ illâ recordationis compuncti dicerent Apostolis, *Quid ergo faciemus?* ait illis Petrus, *Agite pænitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Iesu Christi; & remittentur vobis peccata.* Ergo interim nunc, si qui fortè adsunt ex eo numero, qui baptizari disponunt; (credimus B enim eos adesse tantò ad verbum studiosiùs, quantò ad indulgentiam viciniùs:) hos primùm paucis alloquimur, ut erigant mentes in spem. Ament fieri quod non sunt, oderint quod fuerunt. Novum hominem nasciturum jam voto concipiant, quidquid de vita præterita remordebat, quidquid angebat conscientiam, quidquid omnino vel magnum vel parvum, vel dicendum vel non dicendum, non dubitent posse dimitti; ne fortè quod vult dimittere Dei miseratio, contra C se teneat humana dubitatio.

SERM. DE DIVERSIS.

Pænitentia ante baptismum imperata Judæis.

3. Exemplum etiam in primo illo populo exhibitum unusquisque fideliter recordetur. Ait enim Apostolus, *Omnia hæc figuræ nostræ fuerunt:* cùm de rebus talibus loqueretur. Quid enim dixerat? *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt; & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari; & omnes eumdem cibum spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant* D *enim de spiritali sequente petra. Petra autem erat Christus.* Has figuras nostras fuisse ille dixit, cui nemo fidelis umquam contradixit. Et cùm multa enumeraret, unam rem solam solvit, quia dixit, *Petra autem erat Christus.* Solvendo unum aliquid, cetera proposuit inquirenda: sed ne recedens à Christo inquisitor erraret, ut firmus quærat, in petra fundatus; *Petra*, inquit, *erat Christus.* Dixit illas figuras nostras fuisse, & obscura erant omnia. Quis evolveret involucra ista figu-E rarum? quis aperiret? quis discutere auderet? In quibusdam quasi dumetis densissimis & crassa umbra lumen accendit: *Petra*, inquit, *erat Christus.* Jam ergo lumine illato, quæramus quid cetera significent; quid sibi velint, mare, nubes, manna. Hæc enim non exposuit, sed petra quid esset ostendit. Per mare transitus, baptismus est. Sed quia baptismus, id est, salutis aqua non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signa-F tur. Hoc ut significaret ille baptismus, mare rubrum fuit. Manna de cælo apertè ab ipso Domino exponitur. *Patres vestri manducaverunt,* inquit, *manna in eremo, & mortui sunt.* Quando enim viverent, cùm figura prænuntiare vitam posset, vita esse non posset? *Manducaverunt*, inquit, *manna, & mortui sunt*, id est, manna quod manducaverunt non illos potuit de morte liberare: non quia ipsum manna mors eis fuit, sed quia eos à morte non liberavit. Ille enim liberaturus G erat à morte, qui per manna figurabatur. De cælo certè manna veniebat, adtendite quem figurabat: *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cælo descendi.* Sicut studiosi autem & bene vigilantes verba Dominica adtendite, ut proficiatis & legere & audire noveritis. *Eumdem*, inquit, *cibum spiritalem manducaverunt.* Quid est, *eumdem*, nisi quia eum quem etiam nos? Video aliquantùm

Figuræ nostræ in iis quæ Israëlitis contigerunt.

1. Cor. 10. 11.

Ibidem 1.

Petra, figurâ Christus.

Transitus maris rubri, baptismus.

Manna Christi panis cælestis figura.

Joan. 6. 49.

Ibidem 51.

Quomodo cibum & potum spi-

Classis IV.

esse ad promendum explicandumque difficile A quod dicere institui: sed adjuvabor benevolentiâ vestrâ, hæc mihi à Domino impetret facultatem. *Eumdem*, inquit, *cibum spiritalem manducaverunt.* Suffeceratut diceret, cibum spiritalem manducaverunt. *Eumdem*, inquit. Eumdem non invenio quomodo intelligam, nisi eum quem manducamus & nos. Quid ergo, ait aliquis, hoc erat manna illud, quod ego nunc accipio? Ergo nihil modò venit, si antè jam fuit. Ergo evacuatum est scandalum crucis. Quomodo ergo eumdem, nisi B quia addidit spiritalem? Nam qui manna illud sic acceperunt, ut tantummodo indigentiæ suæ corporali satisfieri putarent, & ventrem suum pasci, non mentem; nihil magnum manducaverunt, factum satis est eorum indigentiæ. Alios Deus pavit, aliis aliquid nuntiavit. Hi tales cibum corporalem manducaverunt, non cibum spiritalem. Quos ergo dicit patres nostros cibum spiritalem eumdem manducavisse? Quos putamus, Fratres, nisi qui verè patres nostri fuerunt? immo patres C nostri non fuerunt, sed sunt. Omnes enim illi vivunt. Sic enim quibusdam illis infidelibus dicit Dominus, *Patres vestri manducaverunt manna in eremo, & mortui sunt.* Quid est enim, *Patres vestri*, nisi quos infidelitate imitamini, quorum vias non credendo & Deo resistendo sectamini? Secundùm quem intellectum quibusdam dicit, *Vos à patre diabolo estis.* Neque enim diabolus aliquem hominem vel potentiâ creavit, vel generando procreavit: & tamen dicitur pater impio- D rum, non propter generationem, sed propter imitationem. Sicut è contra de bonis dicitur, *Ergo semen Abrahæ estis:* cùm loquatur Gentibus, quæ stirpem carnis ex Abrahæ genere non ducebant. Filii enim erant, non nascendo, sed imitando. Abrogatur autem & alienatur à perfidis pater Abraham, quando eis Dominus dicit, *Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.* Et ut malæ arbores de Abrahæ paternitate glorian- E tes eradicarentur, filii Abrahæ de lapidibus promittuntur. Sicut ergo hoc loco dicit, *Patres vestri manducaverunt manna in eremo, & mortui sunt:* non enim intellexerunt quod manducaverunt; itaque non intelligentes, cibum non nisi corporalem acceperunt: sic & Apostolus dicit, patres nostros, non patres infidelium, non patres impiorum, manducantes & morientes; sed patres nostros, patres fidelium, spiritalem cibum manducasse, & ideo eumdem. *Patres nostri*, in- F quit, *eumdem cibum spiritalem manducaverunt, & eumdem potum spiritalem biberunt.* Erant enim ibi qui quod manducabant, intelligebant: erant ibi quibus plus Christus in corde, quàm manna in ore sapiebat. Quid de aliis loquamur? Inde erat primitus ipse Moyses famulus Dei, fidelis in tota domo ejus, sciens quid dispensaret, & quia illo tempore ita dispensari deberent clausa præsentium, aperta futurorum. Breviter ergo dixerim, quicumque in manna Christum intellexe- G runt, eumdem quem nos cibum spiritalem manducaverunt; quicumque autem de manna solam saturitatem quæsierunt, patres infidelium manducaverunt, & mortui sunt. Sic etiam eumdem potum: *Petra enim Christus.* Eumdem ergo potum quem nos, sed spiritalem; id est, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. Audistis eumdem potum, *Petra erat Christus:* non enim alter Christus tunc, alter nunc. Altera quidem illa petra, alter lapis quem sibi posuit ad caput Jacob; alter agnus occisus ut manducaretur Pascha, alter aries hærens in vepribus immolandus, quando filio suo pepercit Abraham jussus, quem jussus obtulerat: altera ovis & altera ovis, alter lapis & alter lapis, idem tamen Christus: ideo eumdem cibum, ideo eumdem potum. Denique percussa est ipsa petra ligno, ut aqua deflueret: virgâ enim percussa est. Quare ligno, non ferro, nisi quia crux ad Christum accessit, ut nobis gratiam propinaret? Eumdem ergo cibum, eumdem potum, sed intelligentibus & credentibus. Non intelligentibus autem, illud solum manna, illa sola aqua; ille cibus esurienti, potus iste sitienti; nec ille, nec iste credenti: credenti autem idem qui nunc. Tunc enim Christus venturus, modò Christus venit. Venturus & venit, diversa verba sunt, sed idem Christus.

[Marginalia, left: (Spiri)tualem eumdem nobiscum sumserunt Israëlitæ. — Johan. 8. 44. — Ibidem 39. — Matth. 3. 9. — 1. Cor. 10. 1. — Hebr. 3. 2. — 1. Cor. 10. 4.]

[Marginalia, right: Serm. de Diversis. — Exod. 17 6. — Gen. 28. 11. — Gen. 22. 13. — Exodi 17. 5. & 6. — Petra virgâ percussa.]

4. Aliquid etiam, quoniam res venit in medium, de dubitatione famuli Dei Moysi volo dicere. Figura enim erat veterum etiam ista sanctorum. Dubitavit ad aquam Moyses; quando petram virgâ percussit ut aqua flueret, dubitavit. Dubitationem autem ejus legens quisque fortè transiret, nec intelligeret, quia nec quærere auderet. Domino autem Deo dubitatio illa displicuit, & eam notavit, non solùm arguendo, sed etiam vindicando. Nam propter hanc dubitationem dicitur Moysi, *Non introduces tu populum in terram promissionis. Adscende in montem, & morere.* Deus hîc utique apparet iratus. Quid ergo de Moyse, Fratres mei? Omnis ille labor ejus, omnis pro populo æstus ejus, & illa caritas, dicens, *Si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo*, hac subitâ & repentinâ dubitatione damnata est? Et quid est quod conclusit lector cùm Apostolum legeret, *Caritas numquam cadit?* Cùm quædam solvenda proponerem, studium vestrum me fecit & aliud proponere, quod fortè non quæreretis. Videamus ergo, & adhuc quantum possumus conemur penetrare mysterium. Irascitur Deus, dicit eum non introducturum populum in terram promissionis; jubet ut adscendat in montem & moriatur. Et tamen multa injungit agenda eidem Moysi: jubet quid agat, quomodo populum disponat, quomodo non relinquat passim & negligenter. Numquam ista damnato injungere dignaretur. Aliud accipite mirabilius. Quoniam dictum est Moysi, (hoc enim placuit Deo certi mysterii dispensationisque gratiâ,) quòd ipse in terram promissionis non introduceret populum: eligitur alius Jesus Nave; & iste homo non hoc nomine vocabatur, vocabatur Auses. Et cùm ei introducendum populum Moyses commendaret, vocavit eum, & mutavit ei nomen, & appellavit eum Jesum: ut non per Moysen, sed per Jesum, id est non per legem, sed per gratiam populus Dei in terram promissionis intraret. Sicut autem Jesus ille non verus, sed figuratus; ita etiam terra promissionis illa non vera, sed figurata. Illa enim populo primo temporalis fuit: nobis quæ promissa est, æterna erit. Sed figuris temporalibus promittebantur & prænuntiabantur æterna. Sicut ergo ille non verus Jesus, nec illa terra promissionis vera, sed figurata: ita manna non cibus verè cælestis, sed figuratus; ita petra illa non verè Christus, sed figu-

[Marginalia, right: Moysi dubitatio figurativa. — Num. 20. 12. — Deut. 32. 49. — Exodi 32. 32. — 1. Cor. 13. 8. — Num. 13. 17.]

ratus, & sic omnia. Quam ergo sibi exigit considerationem dubitatio Moysi? Ne fortè & ibi aliqua figura expressa sit, & innuerit intelligenti, & ad inquirendum commoverit & provocaverit animum. Video enim & post illam dubitationem, & post iram Dei, & post minas mortis, & post remotionem ab introductione populi in terram promissionis, multa Deum sic dicere ad Moysen, tamquam ad amicum, quomodo & antea loquebatur: usque adeo ut ipsi Jesu Nave obedientiæ exemplum de Moyse proponatur, & hoc eum moneat Deus, ut sic ei serviat, quomodo servivit Moyses; & sic se pollicetur cum eo futurum, quomodo cum Moyse. Evidenter, Carissimi, constringit nos ipse Deus, non passim reprehendere, sed intelligere dubitationem Moysi. Figura petra jacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura & Moyses dubitans. Et ibi dubitavit, ubi percussit. Hinc facta est dubitatio Moysi, quando lignum accessit ad petram. Jam veloces prævolant, immo tardos patienter exspectent. Dubitavit Moyses quando lignum accessit ad petram: dubitaverunt discipuli quando viderunt Dominum crucifixum. Horum figuram gerebat Moyses. Figura erat Petri illius ter negantis. Quare Petrus dubitavit? Quia lignum petræ propinquavit. Cùm mortis suæ genus, id est, crucem ipsam prænuntiaret Dominus; ipse Petrus expavit: *Absit à te, Domine, non erit hoc.* (Matth. 16. 22.) Dubitas, quia petræ imminere virgam vides. Ideo spem suam, quàm gerebant de Domino discipuli, tunc perdiderunt: quodam modo interce pta est, quando crucifixum viderunt, quando planxerunt occisum. Invenit eos post resurrectionem loquentes inter se de hac re, tristi colloquio; & tenens oculos eorum ne ab eis agnosceretur, non se auferens credentibus, sed differens dubitantes, se tamquam tertium collocutorem sermoni commiscuit, & quæsivit ab eis unde loquerentur. Mirantur illi, quia solus ignorat quod in eo factum fuerat qui quærebat. *Tu solus*, inquiunt, *peregrinaris in Ierusalem?* (Lucæ 24. 18.) Et commemorant quæ gesta sint de Jesu. Et continuò jam desperationis suæ medullas aperiunt, & vulnus medico licèt nescientes ostendunt: *Nos autem*, inquiunt, *sperabamus quòd in illo redemtio esset Israël.* Ecce facta est dubitatio, quia lignum accessit ad petram: impleta est figura Moysi.

(Moyses in monte moriens, quid adumbravit. Deut. 32. 49.)

5. Videamus & hanc: *Adscende in montem, & morere.* Per mortem corporalem Moysi figurata est mors ipsius dubitationis; sed in monte. O mira mysteria! Hoc certè expositum & intellectum, quantò dulcius quàm manna. Ad petram nata est dubitatio, in monte mortua est. Quando fuit humilis Christus in passione, quasi petra jacebat ante oculos: meritò in illo dubitabatur, humilitas illa nihil magnum prætendebat. Meritò ipsa humilitate factus est lapis offensionis: resurrectione autem clarificatus magnus apparuit, jam mons est. Jam ergo illa dubitatio, quæ nata erat ad petram, in monte moriatur. Agnoscant discipuli salutem suam, revocent spem suam. Adtende quemadmodum moriatur illa dubitatio, adtende quemadmodum moriatur Moyses in monte. Non intret in terram promissionis: nolumus ibi dubitationem; moriatur. Ostendat nobis eam Christus mori. Trepidavit Petrus, & negavit ter. *Petra*

A *enim erat Christus.* Resurrexit, mons factus est: firmavit & Petrum. Sed moritur dubitatio. Quomodo moritur? *Petre amas me?* (Johan. 21. 15.) Cordis inspector, cordis cognitor interrogat; & vult audire quòd ametur, & parum est semel. Interrogat hoc, audit propè cum tædio ipsius Petri: miratur enim interrogari se à præscio, sed etiam totiens interrogari, cùm semel sufficeret respondere etiam nescienti. Sed tamquam tibi diceret Dominus, Exspecto, numerus legitimus impleatur: tertiò confiteatur per amorem, quia ter negaverat per timorem. Quòd ergo Dominus totiens interrogabat, dubitationem illam in monte occidebat.

(Ad baptismum invitat.)

6. Quid ergo, Carissimi, si patent hæc? Non ad fraudem, sed ad jocunditatem clausa erant. Neque enim tam dulciter caperentur, si promta vilescerent. Respiciat ergo negotium suum competiturus baptismum, quem alloqui cœperam. Mare rubrum baptismus erat, populus transiens baptizabatur: transitus ipse baptismus erat, sed in nube. Adhuc enim nubilabatur quod prænuntiabatur: adhuc occultabatur quod promittebatur. Jam modò recessit nubes, manifestæ veritatis serenitas facta est: quia recessit & velum, per quod loquebatur Moyses. Hoc velum & in templo pendebat, ne secreta templi viderentur: sed in cruce Domini velum conscissum est, ut paterent. Veni ergo ad baptismum: ingredere intrepidus viam per mare rubrum; noli esse de peccato præterito tamquam de Ægyptio sequente sollicitus. Premebant te peccata tua duro onere servitutis, sed in Ægypto, in amore hujus sæculi, in peregrinatione longinqua; cogebant te sectari opera terrena, tamquam lateres facere, opera lutea operabaris. Premunt te peccata, veni securus ad baptismum: usque ad aquam hostis sequi poterit, ibi morietur. Time aliquid de vita præterita, crede aliquid remansurum tuorum peccatorum, si aliquis remansit Ægyptiorum. Audio vocem pigrorum: Ego, inquit, de præteritis peccatis non timeo, omnia mihi in aqua sancta per Ecclesiæ etiam caritatem dimitti non dubito; sed timeo futura peccata. Placet ergo in Ægypto remanere? Interim hostem præsentem evade, qui jam te pressit, & jam subjugavit. De futuris quid tibi hostes meditaris? Quod jam fecisti, etsi nolueris erit: quod facturum te putas, si volueris non erit. Sed periculosa est via: neque enim cùm rubrum mare transiero, jam ero in terra promissionis: ductus est ille populus per longa deserta. Interim ab Ægypto liberare. Quid ergo, putas defuturum tibi auxiliatorem in via, eum qui te eruit de vetusta captivitate? Novos tuos inimicos non compescit, qui te à vetustis hostibus liberavit? Tantùm intrepidus transi, intrepidus ambula, obediens esto: noli amaricare Moysi illi, cujus typum ille portabat in hac obedientia. Fateor, non desunt hostes. Sicut enim non deerant qui sequerentur fugientes, ita non deerant qui impedirent ambulantes. Prorsus, Carissimi, figuræ nostræ fuerunt. Interim in te non sit quod contristet Moysen: noli esse aqua amara, quam post mare rubrum non potuit ille populus bibere. Erat enim & ibi tentatio. Et tamen ista quando eveniunt, quando amaricat populus, ostendimus eis Christum, quæ pro illis tulerit, quomodo pro eis sanguinem fuderit: & mitescunt, tamquam nobis lignum in

Exodi. 17. 11.

Manus Moysi contra Amalech nunc extentæ, nunc demissæ.

aquam mittentibus. Planè hostem adversantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc orabat Moyses, tunc extendebat manus: & ubi deponebat manus, convalescebat Amalech; ubi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ sint, deficiat Amalech tentator & hujus itineris impeditor: esto vigil & sobrius in orationibus, in operibus bonis, non tamen præter Christum, quia extensio illa manuum, Christi crux fuit. In illa extenditur Apostolus, cùm dicit, (Gal. 6. 14.) *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Ergo B deficiat Amalech, vincatur, & non impediat transitum populi Dei. Si dimittis manus à bono opere, à cruce Christi; prævalebit Amalech. Tamen noli omni modo aut continuò te fortem futurum putare, aut penitus desperando deficere. Alternatio enim illa defectûs & fortitudinis in manibus servi Dei Moysi, fortè alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationibus deficis, sed non succumbis. Deponebat ille paulùm manus, non omnino ruebat. (Psal. 93. 18.) *Si dicebam, motus est pes meus, ecce misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* C Noli ergo timere: adest in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præsume securus. Aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat; tamen victus est Amalech. Rebellare potuit, superare non potuit.

Caput II. Altera pœnitentia, quæ omnium est, ac quotidiana.

7. Itaque admonemur jam de altera loqui pœnitentia. Triplicem quippe ejus considerationem in sancta Scriptura esse proposui. Illa prima competentium est & ad baptismum venire sitientium: D hanc de Scripturis sanctis ostendi. Est alia quippe quotidiana. Et ubi illam ostendimus pœnitentiam quotidianam? Non habeo ubi meliùs ostendam, quàm in oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, quid ad Patrem dicamus ostendit, & in his verbis posuit: (Matth. 6. 12.) *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quæ debita, Fratres? Quando quidem debita hîc intelligi non possunt nisi peccata; quæ debita dimisit in baptismo, iterum ut dimittat E oramus? Certè mortuus est omnis Ægyptius qui sequebatur. Si nihil de sequentibus hostibus residuum factum est, quid oramus ut dimittatur, nisi propter manus deficientes contra Amalech? (Medicina & pactum in Dominica oratione de remittendis debitis.) *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Constituit medicinam, firmavit pactum. Hîc Preces dictat, ibi precanti respondet: novit quo jure res agatur in cælo, quomodo impetrari possint desiderata. Dimitti vis? dimitte, ait. Quid enim habes, quod Deo præstes, à quo vis ut præstetur tibi? F Numquid jam Christus salvator in terra ambulat? (Lucæ 19. 6.) Numquid suscipit illum modò in domum gaudens Zacchæus? (Lucæ 10. 40.) Numquid ei hospitium & epulas præparat Martha? Nihil horum indiget, ad dexteram Patris sedet. Sed (Matth. 25. 40.) *quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Hæc est extensio manuum, sub qua defecit Amalech. Et erogas quidem pauperi, quando aliquid das esurienti: fortè id quod dederis minus habebis, sed in domo, non in cælo. Sed hîc quoque in terra, quo jubente præstitisti, ipse supplet quod dedisti. G De hac re cùm loqueretur Apostolus, ait, (2. Cor. 9. 10.) *Qui administrat semen seminanti, & panem in escam subministrabit.* Operarius enim Dei es, quando das egenti: seminas hyeme, quod metas æstate. Quid ergo metuis infidelis, ne in hac magna domo tanA tus pater-familiâs non pascat operarium suum? Erit & ibi, sed quod sufficiat tibi. Dabit Deus necessitati totum, non cupiditati. Operare ergo intrepidus, extende manus, deficiat Amalech. Sed hinc, ut dixi, aliquid in domo tua cùm dederis, vel minus vides quod ibi videbas: non ibi vides cùm dederis, donec iterum det Deus. Dic mihi cùm ignoscis de corde, quid perdis? (Ignoscendum fratri.) Cùm ignoscis ei qui peccat in te, quid minus habebis in corde tuo? Inde enim dimittis, sed nihil amittis. B Immo verò unda quædam caritatis ibat in corde tuo, & tamquam de vena interiore manabat: tenes odium contra fratrem, obturasti fontem. Non solùm ergo nihil perdis, cùm ignoscis; sed abundantiùs irrigaris. Caritas non angustatur. Ponis ibi lapidem offensionis, & tu tibi facis angustias. Vindicabo me, ulciscar me, ego illi ostendam, ego faciam: æstuas, laboras, cui licet ignoscendo esse securum, securum vivere, securum orare. Nam ecce quid acturus es? Oraturus es. Quid dicam quando? Hodie oraturus es. C An non es oraturus? Irâ & odio impletus, vindictam minaris: non dimittis ex corde. Ecce oras, ecce venit orandi hora, incipis verba illa vel audire vel dicere. Dictis & auditis superioribus, venturus es ad hunc versum. Aut si non venturus, quò iturus? Ne ignoscas inimico, deviabis à Christo? Planè si in oratione deviabis, ut nolis dicere, *Dimitte nobis debita nostra;* quia non potes dicere, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* ne tibi citò respondeatur, Sic dimitto quomodo D & tu dimittis: ergo quia hoc non potes dicere, & non vis dimittere, deviabis ab hoc versu, & prætermittes, & dices quod sequitur, *Ne nos patiaris induci in tentationem:* ibi te capiet creditor tuus, cujus quasi faciem devitabas. Quomodo quisque in vico cùm occurrerit ei cui aliquid debet, si ad manum est diverticulum, dimittit quò ibat; & it per aliam partem, ne faciem videat creditoris. Hoc tu in isto versu te fecisse arbitratus es: devitasti dicere, Dimitte, sicut E ego dimitto; ne sic dimitteret, id est non dimitteret, quia non dimittis; & noluisti dicere, devitans faciem creditoris. Quem devitas? quis devitas? Quò ibis, ubi tu esse possis & ille non esse? Dicturus es, *Quò abibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* (Psal. 138. 7. & 8.) Quantum potest à Christo debitor fugere, quàm ut eat in infernum? Adest iste creditor & ibi. Quid facturus es, nisi quod sequitur? *Si adsumsero pennas meas in directum, & volavero in extrema maris:* F id est, spe mea finem sæculi meditabor, in præceptis tuis vivam, duabus alis caritatis adtollar. Imple ergo duas alas caritatis. Dilige proximum sicut te ipsum; & non teneas odium, unde fugias creditorem.

Caput III. Tertium genus pœnitentiæ luctuosæ, pro mortiferis peccatis.

8. Restat pœnitentiæ tertium genus, unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino proposita & promissa persolvam. Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam à sacramento G altaris participandi, ne accipiendo indignè, judicium sibi manducent & bibant. Illa ergo pœnitentia luctuosa est. Grave vulnus est: adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquod sacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum: sed omnipotens medi-

A cus. Jam post suggestionem facti & delectationem & consensionem & perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet: sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit, *Lazare prodi foras*. (Johan. 11. 43.) Cessit voci misericordiæ moles sepulturæ: cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo: & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pænitentiam. Jam processerunt à morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & à tenebroso procedere est. B Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? *Quæ solveritis*, inquit, *in terra, soluta erunt & in cælo*. (Matth. 18. 18.) Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem; jam cetera implet Ecclesiæ ministerium: *Solvite illum, & sinite abire*. (Johan. 11. 44.) Sed, Carissimi, hoc genus pænitentiæ nemo sibi proponat, ad hoc genus nemo se præparet: tamen si fortè contigerit, nemo desperet. Judam traditorem non tam scelus quod C commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Non erat dignus misericordiâ, ideo ei non fulsit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret quem tradiderat, sicut illi qui eum crucifixerant; sed desperando se occidit, & laqueo suspendit se, suffocavit se. Quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius. (Desperatione veniæ anima suffocatur.) Spiritus enim dicitur etiam iste ventus aëris hujus. Quomodo ergo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aëris hu- D jus: sic illi qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritussanctus visitare non possit.

9. Solent inde Christianis Pagani insultare de pænitentia quæ instituta est in Ecclesia: & contra nonnullas hæreses tenuit Ecclesia catholica istam veritatem de pænitentia agenda. (Contra Paganos pænitentiæ permissione peccandi licentiam dari suggillantes.) Fuerunt enim qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam pænitentiam: & exclusi sunt de Ecclesia, & hæretici facti sunt. E In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia. Ergo solent inde etiam Pagani quasi insultare nobis, nescientes quid loquantur; quia ad verbum Dei, quod linguas infantium facit disertas, nondum pervenerunt. Vos, inquiunt, facitis ut peccent homines, cùm illis promittitis veniam, si egerint pænitentiam. Dissolutio est ista, non admonitio. In hanc sententiam exaggerant verba, quanta quisque potest, linguâ vel sonanti, vel titubanti, non tacent: F tamen & quando eis loquimur, etsi vincantur, non consentiunt. Tamen quomodo vincantur, breviter accipiat Caritas Vestra, quia Domini misericordia totum optimè constituit in Ecclesia sua. Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum pænitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pænitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi, Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus; pænitentia infructuosa est, G damnandus sum: quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hîc saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam?

A Ibi mihi locus omnis clausus est, hîc quidquid non fecero, perdo; quia vita quæ post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam & saturem, & faciam quidquid non licet, sed libet? Diceretur ei fortassis, Sed miser capieris, accusaberis, torqueberis, punieris. Sciunt ista homines mali ab hominibus dici, & inter homines servari, adtendunt multos malè & sceleratè viventes impunita habere peccata; occultare possunt,[a] redi- B mere quæ occultare non possunt, redimere usque in senectutem vitam lascivam, blasphemam, sacrilegam, perditam. Enumerant sibi: Quid, ille qui tanta fecit, non senex mortuus est? Numquid adtendis ideo illum peccatorem & sceleratum senem mortuum, ut ostenderet in illo Deus patientiam, exspectans pænitentiam? Unde Apostolus dicit, *Ignoras quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Ille autem secundùm duritiam cordis sui & cor impænitens, thesaurizavit* (Rom. 2. 4. &c.) C *sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua*. Opus est ergo ut hîc timor mentes possideat, opus est ut ille qui peccare non vult, præsentem Deum sibi cogitet, non in publico solùm, sed etiam in domo; non in domo solùm, sed & in cubiculo, in nocte, in lecto suo, in corde suo. Ergo si tuleris portum pænitentiæ, desperatione augebunt peccata. Ecce *nihil dicunt illi, qui putant ideo (* f. mihi) augeri peccata, quia portus pænitentiæ in Chri- D stiana fide proponitur. Quid ergo? Deus ne per illam spem indulgentiæ rursus augerentur peccata, non de hinc providere debuit? Quomodo enim providit ne desperando augeantur, sic providere debuit ne sperando augeantur. Quomodo enim re vera auget peccata qui desperaverit, sic potest augere peccata & qui veniam speraverit: ut dicat sibi, Faciam quod volo, Deus bonus est, quando me convertero, ignoscet mihi. Ita planè dic tibi, Quando me convertero, ignoscet E mihi; si crastinus dies certus est tibi. Nonne ad hoc te admonet Scriptura? dicens, *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te*. (Eccli. 5. 8. & 9.) Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pænitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.

* SERMO CCCLIII.

(* Aliàs 20. inter 50. homilias.)

F *In die*[b] *octavarum Infantium: quos exhortatur verbis Petri apostoli*, Depositâ ergo omni malitiâ, *&c.*

(Caput I. Baptizatos exhortatur.)

1. OMNIUM quidem aures & mentes, quos cura nostra complectitur, solliciti pastoris sermo compellat: verumtamen ad vos propriè nunc dirigitur, quorum recens infantia spiritalis generationis sacramentorum cu- G nabulis insignitur. Vobis enim maximè per apostolum Petrum sic divinum blanditur eloquium: *Depositâ ergo*, inquit, *omni malitiâ & omni dolo & adulatione & invidiâ & detractione, tamquam* (1. Pet. 2. 1. &c.)

[a] Sic Victorinus MS. At Am. & Er. *quæ occultavere non possunt redimere. Usque in senectutem vita, lascivias, blasphemias, sacrilegia perdita enumerant sibi, cur ille qui tanta fecit senex mortuus est?* Nec multo meliùs Lov.

[b] In Possidii Indiculo cap. 8. notantur Sermones *de die octavarum Infantium duo*: ac rursum cap. 10. *de octavis Infantium Tract. duo*. Hunc isti diei adsignant MSS. omnes. Pertinet ad priores annos Augustini, ut ex stilo patet, qui planè idem est ac Sermonis 216. habiti paulò post susceptum ab ipso presbyteratum. Rejici voluerunt Verlinus & Vindingus, stili discrepantiam opponentes, sed immeritò.

Classis IV.

modò nati infantes rationabile & innocens lac concupiscite; ut in illo crescatis in salutem, si gustastis quoniam dulcis est Dominus. Proinde quia gustastis, nos testes sumus: nos vobis hanc suavitatem nutricis officio ministravimus. Agite itaque admoniti sanctæ instar infantiæ, deponite malitiam, dolum, adulationem & invidiam & detractionem. Hanc innocentiam sic tenere debetis, ut eam crescendo non amittatis. Quid est malitia, nisi nocendi amor? Quid est dolus, nisi aliud agere & aliud simulare? Quid est adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid est invidia, nisi odium felicitatis alienæ? Quid est detractio, nisi mordacior, quàm veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno: invidentia & bono cruciatur alieno: dolus duplicat cor: adulatio duplicat linguam: detractio vulnerat famam. Hujus autem vestræ innocentia sanctitatis, quoniam filia est caritatis, *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Simplex ut columba, & sic astuta ut serpens, non studio nocendi, sed nocentem cavendi. * Ad hanc vos exhortor. *Talium est enim regnum cælorum*, humilium scilicet, hoc est, spiritaliter parvulorum. Non contemnatis, non abhorreatis. Magnorum est ista pusillitas. Superbia verò fallax infirmorum est magnitudo; quæ ubi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat. Humilis esse non potest nocens, superbus esse non potest innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult perituris rebus excellere, sed æternum aliquid veraciter cogitat, quò non suis viribus, sed [a] adjuta perveniat. Hæc malum cujusquam velle non potest, quo nequaquam bonum ejus augetur. Porrò autem superbia continuò parit invidiam. Quis verò sit invidus, qui non ei malum velit, cujus bono cruciatur? Ergo & invidia parit consequenter malitiam: unde procedit & dolus & adulatio & detractio, & omne opus malum, quod pati nolis ab alio. Pia itaque humilitate servata, quæ in Scripturis sanctis sancta probatur infantia, securi eritis de immortalitate [b] beatorum: *Talium est enim regnum cælorum.*

Innocentia [...] retinenda.

1. Cor. 13. 6.

*Caput II.

Matth. 19. 14.

Humilitas [...]tanda.

2. Porrò qui superbus in homines non est, multò maximè adversùs Deum contumax esse non debet: quoniam si non est alicui faciendum quod quisque ab alio pati non vult, & nullus hominum vult inobedientem pati eum qui suo juri subditus fuerit; quantò magis cavendum est, ne in Deum quisquam talis exsistat, qualem in se exsistere hominem non vult? * Fallunt proinde animas suas qui sufficere existimant, si quod sibi fieri nolunt, nulli hominum faciant, seseque vitâ luxuriosâ ita corrumpunt, ut Deo facere conentur quod sibi ab homine fieri nolunt. Neque enim volunt à quoquam perverti domum suam, qui in se ipsis domum Dei miserabili cæcitate pervertunt, surdi adversùs Apostolum clamantem, *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Nemo se fallat. Quid ergo se putant servare circa alios homines innocentiam suam, cùm sibi ita noceant, ut Deo careant habitatore, & puniantur ultore? Hinc etiam

Erga Deum multò maximè servanda innocentia.

*Caput III.

1. Cor. 3. 16. & 17.

A fit ut per noxias voluptates lapsi & effusi, non solùm templa Dei esse desinant, verùm etiam ruinæ fiant, in quibus habitant mala dæmonia, quibus supplicare, & quæ colere incipiunt: *fiuntque* illis, ut dictum est, *posteriora deteriora prioribus.* Unde vos semine immortali regeneratos, sicut superiùs propter malitiosas nocendi cupiditates, quibus fit hominibus quod oderunt, ita postea propter turpes & illicitas carnis delectationes & nefaria sacrilegia, quibus homines nocere B hominibus non videntur, non eis faciendo quod nolunt, sed Deo non obediendo cui cuncta sunt subdita, ipsi dominorum Domino faciunt quod sibi á servulis suis fieri nolunt, idem ipse apostolus Petrus alloquitur, dicens, *Christo ergo passo per carnem, & vos eadem cogitatione armamini.* * *Quia qui mortuus est carne, desiit peccare, ut jam non hominum desideriis, sed voluntate Dei reliquum in carne vivat. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse in libidinibus, & voluptatibus, & comessationibus, potatio*C*ne & nefandis idolorum servitutibus.* Sufficit enim præteritum tempus luteis operibus peccatorum, tamquam Ægyptiorum dominationi servisse. Jam mare rubrum, baptisma scilicet Christi sanguine consecratum, [c] verum dejecit Pharaonem, Ægyptios interemit: nihil de peccatis præteritis tamquam de insequentibus á tergo hostibus formidetis. De cetero cogitate vitæ hujus eremum permeare, & ad terram promissionis, supernam Jerusalem, terram viventium pervenire: ne verbi Dei D contemtu tamquam mannæ fastidio, corda vestra velut ora interiora desipiant; ne cibos concupiscentes Ægyptios de alimentis cælestibus murmuretis: ne fornicemini, sicut quidam illorum fornicati sunt; & ne tentetis Christum, sicut quidam illorum tentaverunt. Si vobis fidem Gentilium sitientibus amaritudo aliqua resistentium, velut aquarum illarum quas Israël non potuit bibere, occurrerit; imitatâ Domini patientiâ, velut E injecto crucis ligno dulcescant. Si tentatio serpentina momorderit; conspecta illius exaltatione serpentis, tamquam mortis in carne Domini victæ atque triumphatæ, eodem crucis medicamento sanetur. Si adversarius Amalechita iter intercludere atque impedire conabitur, perseverantissima extentione brachiorum ejusdem crucis indicio superetur. Veri & germani estote Christiani: nolite imitari nomine Christianos, opere [d] vacuos. Iterum dico, & sæpe dicendum est: *Sufficit* F *præteritum tempus voluntates gentium consummasse.* Detestamini & aversamini canes conversos ad vomitum suum: detestamini & aversamini mundatam & vacantem domum, quò nequiores alii spiritus septem adducuntur, ut sint novissima hominis pejora, quàm erant prima. Vos vestrum mundatorem tenete habitatorem. *Præcipientes enim rogamus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse.* Audite & apostolum Pau G lum: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad injustitiam: sic nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Serm. de Diversis.

Luca 11. 26.

1. Petr. 4. 1. &c.

*Caput IV.

In Israëlitis data baptizatis figura vitæ Christianæ.

2. Cor. 6. 1.

Rom. 6. 19.

[a] Editi, *sed alienis ad vitam perveniat.* Emendantur ad MSS.
[b] MSS. *bonorum.*

[c] Sic MSS. At editi, *consecratum vos trajecit, Ægyptios* &c.
[d] Editi, *vanos.* At MSS. *vacuos.*

Classis IV.

* SERMO CCCLIV.

*Aliàs 53. de verbis Domini. a

Ad [a] Continentes habitus: quo eos primùm adversùs obtrectatores & invidos corroborat, tum deinde superbiam cavere jubet.

Caput I. *Johan.* 12. 44. Christi membra in mũdi odiũ, uti prædixit ipse, necesse est incurrant. *Act.* 9. 4.

1. HOc admonuit Dominus, cùm Evangelium legeretur, quoniam qui credit in eum, credit in illum qui eum misit. Missum esse ad nos Salvatorem mundi, fides verissima tenet: quoniam Christum ipse prædicat Christus, hoc est corpus Christi toto orbe diffusum. In cælis enim ille erat, & sævienti in terra persecutori dicebat, *Quid me persequeris?* Ubi Dominus sic expressit & hîc se esse in nobis. Sic totus crescit: quia quemadmodum ille in nobis est hîc, sic & nos ibi in illo sumus. Hoc facit compago caritatis. Ipse qui caput nostrum, Salvator est corporis sui. Prædicat ergo Christus Christum, prædicat corpus caput suum, & tuetur caput corpus suum. Et ideo nos mundus odit, sicut ab ipso Domino audivimus. Non enim Apostolis hoc dicebat paucis, quòd odisset eos mundus; & quia gaudere deberent, cùm eis detraherent homines & dicerent omnia mala adversùm eos, quia propter hæc merces eorum major esset in cælis; non eis solis dixit Dominus, cùm hæc dixit: sed dixit universo corpori suo, dixit omnibus membris suis. Quicumque in corpore ejus & membrum ejus esse voluerit, non miretur quia odit eum mundus.

Johan. 15. 18.

Membra Christi nõ solùm eos qui foris, sed quosdum etiam intùs patiuntur inimicos. b

2. Corporis autem ejus sacramentum multi accipiunt: sed non omnes qui accipiunt sacramentum, habituri sunt apud eum etiam locum promissum membris ejus. [b] Penè quidem sacramentum omnes corpus ejus dicunt, quia omnes in pascuis ejus simul pascunt: sed venturus est qui dividat, & alios ponat ad dexteram, alios ad sinistram. Et utraque pars dictura est, *Domine, Domine, quando te vidimus, & ministravimus tibi?* vel, *Domine, quando te vidimus, & non ministravimus tibi?* Pars utraque dictura est: uni tamen dicet, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum:* alteri, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* * Non ergo solos inimicos nostros deputare debemus, Carissimi, quicumque bonâ conscientiâ Christi membra sumus, non solos eos inimicos nostros putare debemus, qui apertè foris sunt. Multò enim pejores sunt qui intus videntur, & foris sunt. Amant enim mundum; & ideo mali sunt. Et quidem de nobis ea sentiunt, quæ ipsi diligunt, & in hujus mundi quasi prosperitatibus quibus ingemiscimus, invident nobis. Ibi nos felices putant, ubi nos periclitamur. Felicitatem verò nostram internam nec noverunt; quia non gustaverunt. Quia verò quidquid nobis temporaliter mundus arridet, magis est periculum, quàm ornamentum nostrum, nesciunt; quia ista distinguere gaudia non noverunt.

Matth. 25. 37. &c.

*Caput II.

Continentium locus excellentior in Christi corpore. * *f.* continentiam.

3. Unde hortamur Caritatem Vestram, maximè quia vos videmus frequentiùs convenisse, qui propositum altius habetis, id est, in ipso corpore Christi ex ejus munere, non meritis vestris, excellentiorem locum tenetis, habentes * continentiam quæ à Deo donata est. Nam & ipsa malis & invidis nostris in suspicionem venit. Ad hoc tamen mordetur, ut probetur. Si enim in ipsius continentiæ professione laudes quærimus hominum, deficimus reprehensionibus hominum. Cùm sis castus servus Dei, ecce te mundus suspicatur forsitan impudicum, & mordet, & reprehendit, & libenter in tuis detractionibus immoratur; malevolæ quippe animæ quasi dulciter sapit, quod pessimè suspicatur: tu autem si propter laudes humanas continentiam suscipere voluisti, reprehensionibus humanis defecisti, & totum quod tibi proposueras, perdidisti. * Porrò autem si nosti dicere cum Apostolo, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ:* non solùm tibi reprehensionibus mercedem non minuit, sed & facit ampliorem. Tu tamen pro illo ora, ne tua mercede moriatur. Nam & hinc probamur, Carissimi, quia si non haberemus inimicos, non essent pro quibus oraremus ex præcepto Domini nostri dicentis, *Diligite inimicos vestros, & orate pro eis qui vos oderunt.* Unde probamus, unde cor nostrum interrogamus, utrùm hoc facere valeamus, si nullum inimicum, nullum reprehensorem, nullum detractorem, nullum maledicum experiamur? Videtis ergo, quia & mali necessarii sunt bonis. In fornace quodam modo aurificis sumus, hoc est, in hoc mundo. Si aurum non es, simul ardes. Si aurum es, palea tua est malus. Si & tu palea es, simul eritis fumus.

Serm. de Diversis. Continentia ipsorũ ab invidis mordetur, ut probetur.

*Caput III. 2. *Cor.* 1. 12.

Matth. 5. 44.

Mali bonis necessarii.

Caput IV. In Christi corpore non soli continentes, sed etiam conjugati locum habent.

4. Verumtamen primùm id noveritis, Carissimi, in corpore Christi excellentiora membra esse non sola. Est enim conjugalis vita laudabilis, & habet in corpore Christi locum suum: sicut & in nostro corpore non ea sola habent locum, quæ excellentiùs locata sunt, sicut sensus in facie superiorem corporis partem occupaverunt: sed, nisi pedes portarent, quidquid sublime est in terra jaceret. Unde Apostolus dicit, *Et quæ inhonesta sunt nostra, magis necessaria sunt. Deus temperavit corpus, ut non essent scissuræ in corpore.* Novimus autem membra Christi, quæ conjugalem agunt vitam, si membra Christi sunt, id est, si fideles sunt, si futurum sæculum vel sperant, vel exspectant, si norunt quare signum Christi portent, sicut novimus quòd honorem deferunt vobis, novimus quòd meliores esse vos judicant, quàm ipsi sunt. Sed quantum vos illi honorant, tantum & vos mutuam honorificentiam eis præstare debetis. Si enim est in vobis sanctitas, timete ne perdatis eam. Unde? Per superbiam. Aliter perit sanctitas casti, si adulter fuerit; aliter perit, si superbus fiat. Et audeo dicere, conjugalem agentes vitam, si tenent humilitatem, superbis castis meliores sunt. Consideret enim Caritas Vestra quod dico: Diabolum adtendite, numquid ei in judicio Dei objiciendum est adulterium aut fornicatio? Nihil horum facit, qui non habet carnem. Sola eum superbia & invidia mittit in ignem æternum.

1. *Cor.* 12. 23. &c.

Conjugati humiles superbis continentibus meliores.

Caput V. Superbia invidiæ mater.

5. Servo ergo Dei cui subrepserit superbia, continuò ibi est & invidia. Non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiæ: sed ista mater nescit esse sterilis; ubi fuerit, continuò

[a] Florus Sermonem *de verbis Domini* appellat ad 1. Cor. 8. & 13.
[b] Fossatensis vetus codex, *Sacramentum quidem penè omnes gentes dicunt corpus ejus.* Sic etiam Floriacensis, omisso tantùm vocabulo *gentes.* Cæteri ferè MSS. ab editis nil differunt nisi transpositione particulæ, hoc modo, *Penè sacramentum quidem omnes* &c.

parit.

Classis IV. — Agnes virgo & Crispina mulier, ambæ martyres. Philipp. 2. 3. Rom. 12. 10.

parit. Ut autem non sit in vobis, hoc cogitate, A persecutionis tempore non solam Agnen fuisse coronatam virginem, sed & Crispinam mulierem: & fortè, quod non dubitatur, aliqui tunc de continentibus defecerunt, & multi de conjugatis pugnaverunt atque vicerunt. Unde non frustra dicit Apostolus omnibus membris Christi: *Alter alterum existimantes superiorem sibi, & honore mutuo prævenientes.* Hæc etenim si cogitetis, non eritis apud vos magni. Magis enim cogitare debetis quid vobis desit, quàm quid vobis adsit. B Quod habes, cave ne perdas: quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor, tibi cogitandum est; non in quantis sis major. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem. Si verò cogitas quantum tibi adhuc deest, ingemiscis; & cùm ingemiscis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inflaberis.

Continens cogitet quid sibi desit, non quid adsit.

Caput VI. — Caritas sectanda, ut vitetur inflatio. Florus ad 1. Cor. 13.

6. Et utinam possint omnes de una caritate cogitare. Sola est enim, quæ & vincit omnia, & sine qua nihil valent omnia, & quæ ubicumque C fuerit trahit ad se omnia. Ipsa est quæ *non æmulatur.* Quæris caussam? Adtende quod sequitur: *Non inflatur.* Prior est in vitiis superbia, ut dicere cœperam, deinde invidia. Non enim invidia peperit superbiam, sed superbia peperit invidiam. Non enim invidet, nisi amor excellentiæ. Amor excellentiæ, superbia vocatur. Cùm ergo in ordine prior sit superbia, sequatur autem invidia; Apostolus in laudibus caritatis noluit dicere priùs, *Non inflatur*; & postea, *Non æmu-* D *latur*: sed priùs dixit, *Non æmulatur*; postea, *Non inflatur.* Quare hoc? Quia cùm dixisset, *Non æmulatur*, quasi quæsiturus eras caussam, quare non æmulatur; subdidit, *Non inflatur.* Ergo si ideo non æmulatur, quia non inflatur; si inflaretur, æmularetur. Hoc in vobis crescat, & anima solidatur, quia non inflatur. *Scientia*, ait Apostolus, *inflat.* Quid ergo? scientiam fugere debetis, & electuri estis nihil scire potiùs, quàm inflari? Ut quid vobis loquimur, si melior est E ignorantia quàm scientia? Ut quid vobis disputamus? ut quid ista distinguimus? Ut quid quod nostis admonemus, quod non nostis inferimus, si scientia cavenda est, ne inflet. Ergo amate scientiam, sed anteponite caritatem. Scientia si sola sit, inflat. Quia verò *caritas ædificat*, non permittit scientiam inflari. Ibi ergo inflat scientia, ubi caritas non ædificat: ubi autem ædificat, solidata est. Non est ibi inflatio, ubi petra est fundamentum.

Superbia quid est, & cur parit invidiam. 1. Cor. 13. 4. 1. Cor. 8. 1. Florus ibidem. An fugienda scientia, ne inflet.

Caput VII. [a] — Stimulus carnis Apostolo datus, ne superbiret. 2. Cor. 12. 7. &c.

F 7. [a] Quantum autem tentat inflatio, hoc est, elatio, ut propter hoc vitium etiam tantus ille Apostolus appositum sibi esse diceret stimulum carnis, angelum satanæ, à quo colaphizaretur? Qui colaphizatur, caput ejus tunditur, ne erigatur: nam & ibi de scientia metus erat inflationis, hoc est elationis. Ait enim, *In magnitudine revelationum mearum ne extollar.* Ibi ergo metuenda erat elatio, ubi magnarum rerum erat revelatio: *In magnitudine revelationum mearum ne extollar,* G *datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Petit æger, ut quod ad salutem apponit medicus, cùm voluerit ægrotus auferatur. Medicus dicit, Non: mordet, sed sanat. Tu dicis, Tolle quod mordet. Medicus dicit, Non tollo, quia sanat. Tu ad medicum quare venisti? Sanari, an molestiam non pati? Non ergo exaudivit Dominus Paulum ad voluntatem, quia exaudivit ad sanitatem. Nam non est magnum, exaudiri à Deo ad voluntatem, non est magnum. Ne putetis magnum esse hoc, quando quisque orat, pro magno, si exauditur. Quære quid orat, quære B in quo exaudiatur. Nam NON HABEATIS PRO MAGNO, exaudiri ad voluntatem: habete pro magno, exaudiri ad utilitatem. Ad voluntatem etiam dæmones exauditi sunt, & ad porcos quos petierant, ire permissi sunt. Ad voluntatem etiam princeps eorum exauditus est diabolus, à quo petitus Job tentandus non est negatus, ut esset ille probatus, iste confusus. Ad voluntatem etiam Israëlitæ exauditi sunt; & cùm adhuc cibus esset in ore ipsorum, nostis quæ consecuti C sunt. Nolite ergo pro magno habere, exaudiri ad voluntatem. ALIQUANDO DEUS IRATUS dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis. Cùm verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæculo promittit, ab illo petitis; securi petite, & incumbite, quantum potestis, orationibus, ut sumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur: illa ejus non irâ, sed misericordiâ largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore pe- D tite: illi committite, ut si prosunt, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non ægrotus.

Serm. de Diversis. — Exaudiri optemus, non ad voluntatem, sed ad sanitatem. Matth. 8. 32. Job 1. 12. Num. 11. 33. Psal. 77. 30. Æterna quomodo petenda, quomodo temporalia.

Caput VIII. — Contra continentes superbos. Luca 14. 11.

8. Sunt ergo continentes humiles, sunt superbi. Non sibi promittant superbi regnum Dei. Excellentior locus est, quò ducit continentia: sed *qui se exaltat, humiliabitur.* Quid quæris celsiorem locum appetitu celsitudinis, quem potes apprehendere retentione humilitatis? Si extollis te, Deus dejicit te: si tu dejicis te, Deus elevat te. Sen- E tentia Domini est: nec addi aliquid, nec detrahi potest. Usque adeo autem continentes homines plerumque superbiunt, ut non solùm quibuscumque hominibus, sed etiam parentibus ingrati sint, & adversùs parentes extollantur. Quare? Quia illi genuerunt, isti nuptias contemserunt. Unde ingrati essent qui nuptias contemsissent, nisi illi genuissent? Sed melior est filius patre suo conjugato, quia ipse non duxit uxorem: & melior est filia matre sua maritatâ, quia ipsa non F quæsivit virum. Si superbior, nullo modo melior: si melior, sine dubitatione humilior. Si vis te invenire meliorem, interroga animam tuam, si vides ibi inflationem. Ubi inflatio est, inanitas est. Diabolus ubi inane invenerit, nidum facere molitur.

Caput IX. — Continentibus quàm maximè cavenda superbia.

9. Denique, Fratres mei, audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso in quo se extollunt humilientur. Quid enim prodest cui inest continentia, si dominatur su- G perbia? Contemsit unde natus est homo, & appetit unde cecidit diabolus. Nuptias contemsisti, bene fecisti; aliquid melius elegisti: sed noli superbire. De nuptiis homo natus est, de superbia angeli ceciderunt. Si singula vestra bona considerem, melior es patre tuo, qui nuptias contemsisti; & tu melior matre tua, quæ nuptias

[a] Sic melioris notæ MSS. At Lov. *Quando autem tentat inflatio, hoc est elatio? Utique ubi & quando caritas deest. Nam propter hoc vitium &c.* Editi ceteri nostris MSS. consentiunt, nisi quòd pro *Quantum*, habent *Quando*.

Conjugatus humilis quantum melior cõtinente superbo.

contemsisti. Etenim melior est virginalis sanctitas, quàm pudicitia conjugalis. Ista duo simul si comparentur, melius est illud quàm illud: quis dubitat? Sed addendo alia duo, superbiam & humilitatem; in istis duobus interrogo vos, & de his respondete mihi: Quid est melius, superbia, an humilitas? Respondes, Humilitas. Junge illam virginali sanctitati. Superbia verò non solùm non sit in virginitate tua, sed non remaneat nec in matre tua. Si enim tu tenueris superbiam, & tua mater humilitatem, melior erit mater quàm filia. Iterum comparabo vos. Jam dudum singula cùm intenderem, meliorem te inveneram: modò bina cùm intendo, non dubito præferre humilem mulierem virgini superbæ. Et quomodo præferre? Videte quomodo præfero illam, quam modò comparabam. Bona pudicitia conjugalis est, melior integritas virginalis. Duo bona comparabam, non malum & bonum; sed bonum & melius distinguebam. Porrò autem duo illa cùm posuero, superbiam & humilitatem, numquid possumus dicere, Bonum est superbia, sed melior est humilitas? Sed quid dicimus? Superbia malum est, humilitas bonum: & superbia magnum malum, humilitas magnum bonum. Si ergo horum duorum unum est malum, & alterum bonum: jungitur malum ad majus tuum bonum, & fit totum malum: jungitur bonum ad matris tuæ minus bonum, & fit magnum bonum. Minorem locum habebit mater in regno cælorum, quoniam maritata est, quàm filia, quoniam virgo est. Majorem enim locum filia virgo, minorem locum mater maritata, ambæ tamen ibi: quomodo fulgida stella, obscura stella, ambæ tamen in cælo. Si verò mater tua fuerit humilis, tu superba: illa habebit qualemcumque locum, tu autem nullum locum. Et quis invenit alterum locum qui ibi non habuerit locum, nisi cum illo qui inde cecidit, stantemque dejecit? Inde cecidit diabolus, unde stantem dejecit hominem. Dejecit stantem: sed Christus descendens erexit jacentem. Unde te tamen erexit Dominus tuus, attende. Humilitate erexit, factus obediens usque ad mortem, humiliavit semetipsum. Princeps tuus humilis, & tu superbus? Caput humile, & membrum superbum? Absit. Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam. Si autem non fuerit, videat ubi erit. Ego nolo dicere, ne ampliùs videar terruisse. Immo utinam terruerim, & aliquid egerim. Utinam qui sic fuerat, vel quæ sic fuerat, non sit ulteriùs. Utinam verba ista infuderim, & non effuderim. Totum sperandum est de misericordia Dei: quia qui terret, contristat; qui contristat, consolatur; sed si qui contristatus est, emendatur.

Continens superbus locum non habet in regno Dei.

Philip. 2. 8.

* Aliàs de Diversis 49.

* SERMO CCCLV.

De [a] vita & moribus clericorum suorum, I.

Caput I.

1. PROPTER quod volui & rogavi hesterno die, ut hodie frequentiùs conveniretis, hoc est quod dicturus sum. Vobiscum hîc vivimus, & propter vos vivimus: & intentio votumque nostrum est, ut apud Christum vobiscum sine fine vivamus. Credo autem ante oculos vestros esse conversationem nostram; ut & nos dicere fortassis audeamus, quamvis illi multùm impares, quod dixit Apostolus, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Et ideo nolo ut aliquis de nobis inveniat malè vivendi occasionem. *Providemus enim bona*, ut ait idem Apostolus, *non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Propter nos, conscientia nostra sufficit nobis: propter vos, fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est: maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum, *Circa omnes te ipsum bonorum operum præbens exemplum*.

Curandum ut bona sit non solùm conscientia, sed etiam fama.

1. Cor. 4. 16.

Florus ad 2. Cor. 8. 21. 12. quæst. 1. Nolo.

Tit. 2. 7.

2. Ut ergo non vos diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis: nostis omnes, aut penè omnes, sic nos vivere in ea domo quæ dicitur domus [b] episcopii, ut, quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum, *Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia*. Quia fortè aliqui vestrûm non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, ut hoc sic noverint, quomodo volo vos nosse; dico quid sit, quod breviter dixi. Ego, quem Deo propitio videtis episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestrûm noverunt. Quærebam ubi constituerem monasterium, & viverem cum fratribus meis. Spem quippe omnem sæculi reliqueram, & quod esse potui, esse nolui: nec tamen quæsivi esse quod sum. *Elegi in domo Dei mei abjectus esse magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Ab eis qui diligunt sæculum, segregavi me: sed eis qui præsunt populis, non me coæquavi. Nec in convivio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem & abjectum: & placuit illi dicere mihi, Adscende sursum. Usque adeo autem timebam episcopatum, ut quoniam cœperat esse jam alicujus momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, non illò accederem. Cavebam hoc, & agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ut dixi, domino servus contradicere non debet. Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio; quasi securus, quia locus habebat episcopum. Apprehensus, presbyter factus sum, & per hunc gradum perveni ad episcopatum. Non adtuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum iis indumentis quibus illo tempore vestiebar. Et quia hoc [c] disponebam, in monasterio esse cum fratribus, cognito instituto & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, &

Vita communis, cujus exemplum in primis Christianis.

b Act. 4. 32.

Monasterium ab Augustino, primùm in horto, & pòst in episcopii domo institutum.

Psal. 83. 11.

In loco humili salus, in alto periculum.

c

[a] Sermones subsequentes Augustini, quos apud plebem dixit, *dum fortè de possessionibus invidia ipsius clericis fieret*, memorat Possidius in ejus vita cap. 23. Citati olim fuerunt in conciliis & ecclesiasticis diplomatibus, secundus quidem ante mille & centum annos à Petro abbate in synodo Carthaginensi ann. 525 tomo 4. Conciliorum novæ editionis pag. 1647. Subinde verò simul cum ejusdem synodi auctoritate laudatus est in Privilegio Landerici Parisiensis episcopi Dionysianis monachis, & in altero Bertefridi Ambianensis Corbeiensibus concesso circiter medium septimi sæculi, tomo 6. Concil. pag. 487. & 527. Uterque demum, primus & secundus in Aquisgranensi conc. an. 816 exhibitus fuit. Primum citat Florus ad 2. Cor. 8.

[b] Editi, *domus episcopi*. At Colbertinus ante octingentos annos descriptus liber habet, *domus episcopii*.

[c] Sic MSS. & Aquisgr. conc. At editi, *Et quia hic disponebam esse*.

Classis IV.

Vita communis in monasterio.

imitantes me: ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi & pauperibus erogavi, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus; commune autem nobis esset magnum & uberrimum prædium ipse Deus. Perveni ad episcopatum: vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus sive transeuntibus: quod si non fecisset episcopus, inhumanus diceretur. Si autem ista consuetudo in monasterio [a] permissa esset, indecens esset. Et ideo volui habere in ista domo episcopii mecum monasterium clericorum. * Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium: sed fortè aliqui habent. Nulli licet: si qui habent, faciunt quod non licet. Bene autem sentio de fratribus meis, & semper bene credens ab hac inquisitione dissimulavi: quia & ista quærere, quasi malè sentire mihi videbatur. Noveram enim, & novi omnes, qui mecum viverent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ.

* Caput II. Proprium aliquid habere quemquam vitæ illius lege vetitum.

3. Venit ad nos etiam presbyter Januarius, [b] qui videbatur sua honestè erogando quasi consumsisse, sed non consumsit. Remansit illi quædam pecunia, id est, argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, Deo propitio, in monasterio feminarum, & bonæ spei est. Gubernet illam Dominus, ut impleat quæ de illa speramus, in illius misericordia, non in ejus meritis. Et quia infra annos erat, & de sua pecunia nihil facere poterat: (quamvis enim videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis:) factum est ut ipsum argentum quasi puellæ servaretur, ut cùm ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optimè jam facere posset. Dum hæc exspectantur, cœpit ille morti propinquare: qui diu tamquam de suo, [c] jurans quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit presbyter & socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, hæredes instituit. O dolor illius societatis! ô fructus natus, non de arbore quam plantavit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit heredem? Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret. Habebat aliquid? non se nostrum socium quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est, Fratres. Dico Caritati Vestræ, propter hunc dolorem statui hereditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit quod reliquit, ipsi inde faciant quod voluerint. Videtur enim mihi quia si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, & quod doleo, ejus particeps ero. Hoc volui non latére Caritatem Vestram. Filia ipsius in monasterio feminarum est: filius ipsius in monasterio virorum est. Ambos exheredavit: illam cum laude, istum cum elogio, id est, cum vituperatione. [d] Commendavi autem Ecclesiæ ut non accipiant ipsas portiunculas, quæ pertinent ad exheredatos, nisi cùm ad legitimam ætatem pervenerint. Hoc eis reservat Ecclesia.

Januarius presbyter proprium contra monasterii legem retinuit.

[c] Testamentum fecit.

Hereditatem ipsius pro Ecclesia suscipere non vult Augustinus.

A Deinde litem dimisit inter filios suos, in qua laboro. Puella dicit, Meum est, nostis quia hoc dicebat semper pater meus. Puer dicit, Credatur patri meo, quia moriens mentiri non potuit. Et ista contentio quale malum est? Sed si pueri isti servi Dei sunt, litem hanc inter illos citò finimus. Audio illos ut pater, & fortè meliùs quàm pater ipsorum. Videbo quid sit juris, sicut Deus voluerit, cum paucis fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro, id est, de plebe ista.
B Audio inter illos caussam; & sicut Dominus donaverit, finio.

Serm. de Diversis.

Lis inter Januarii filios de ejus hereditate.

4. Tamen rogo vos, nemo me reprehendat, quia ejus hereditatem nolo suscipiat Ecclesia. Primò, quia factum illius detestor: deinde, quia institutum meum est. Multi laudant quod dicturus sum, sed aliqui & reprehendunt. Utrisque facere satis valde difficile est. * Audistis modò cùm Evangelium legeretur, *Cantavimus vobis, & non saltastis; planximus, & non luxistis. Venit Iohannes non manducans neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, potator vini, & amicus publicanorum.* Quid ego facio inter illos, qui parant me reprehendere, & dentes in me ducere, si suscepero hereditates eorum qui filios suos irati exheredant? Iterum quid sum facturus eis quibus canto, & nolunt saltare? qui dicunt, Ecce quare nemo donat Ecclesiæ Hipponensi aliquid: ecce quare non eam faciunt qui moriuntur heredem; quia episcopus Augustinus de bonitate sua (laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt,) donat totum, non suscipit. Planè suscipio, profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur in filium suum & moriens exheredat eum, si viveret, non eum placarem? non ei filium suum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hereditatem? Sed planè, si faciat quod sæpe hortatus sum; unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio. Quia ergo feci hoc in quibusdam rebus, jam volunt bonitatem meam vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent quàm multa susceperim. Quid opus est ea numerare? Ecce unum dico, filii * Juliani hereditatem suscepi. Quare? Quia sine filiis defunctus est.

Hereditatem cujusquam, exheredatis filiis, non suscipit Augustinus.

* Caput III.

Matth. 11. 17. &c.

* al. Juniani.

5. Bonifacii hereditatem suscipere noluit: non misericordiâ, sed timore. * Naviculariam nolui esse Ecclesiam Christi. Multi sunt quidem, qui etiam de navibus adquirunt. Tamen una tentatio esset, iret navis, & naufragaret: homines ad tormenta daturi eramus, ut de submersione navis secundùm consuetudinem quæreretur, & torquerentur à judice qui essent de fluctibus liberati? Sed non eos daremus. Nullo pacto enim hoc facere deceret Ecclesiam. Onus ergo fiscale persolveret? Sed unde persolveret? * Enthecam nobis habere non licet. Non est enim episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum.

* Caput IV. Bonifacii hereditatem quare non susceperit.

* Entheca est gazæ repositoriũ.

[a] MSS. *in monasterio missa esset.* Sic etiam in Aquisgranensi concilio Binianæ editionis. An *missa* ibi positum pro *omissa?* vel fortè legendum, *in monasterium missa*, ut intelligatur, si ita fieret, *indecens fore*, non monasterio, sed episcopo. Dicit sanè de consuetudine suscipiendi hospites, quæ tunc maximè in monasteriis ubique vigebat. V. Hieron. Apolog. in Rufin. l. 3. c. 4.

[b] MSS. *quod videbatur habere, honestè erogando, quasi consumsit, & non consumsit.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *tamquam de suo vivens.*

[d] MSS. *Commendavit.* Fortè meliùs, referendo ad Januarium.

 RRrr ij

Classis IV.

Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant; ut plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare omnibus, non habemus. Non habemus ergo enthecam. Propter naufragium ergo, hoc vitando feci, non donando. Nemo ibi me laudet, sed nemo etiam vituperet. Planè quando donavi filio, quod iratus pater moriens abstulit, bene feci. Laudent qui volunt, parcant qui laudare nolunt. Quid plura, Fratres mei? Quicumque vult exheredato filio heredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: immo Deo propitio neminem inveniat. Quàm laudabile factum sancti & venerandi episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit omnibus qui sciunt, os laudibus Dei? Quidam cùm filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit episcopus nec opinanti quæ illi donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere; sed jure fori, non jure [a] poli.

a Clericis suis præcipit, ut si qui habent proprium, citò dimittant.

6. Sanè etiam hoc noverit Caritas Vestra dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune illud faciat. Ecclesiam habet, per quam nos Deus pascit. Et dedi dilationem usque ad Epiphaniam, propter eos qui vel cum fratribus suis non diviserunt, & dimiserunt quod habent apud fratres suos, vel nondum de re sua aliquid egerunt, quia exspectabatur ætas legitima. Faciant inde quod volunt: dum tamen sint pauperes mecum, simul exspectantes misericordiam Dei. Si autem nolunt, qui fortè nolunt: certè ergo sum qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei & vestro, muto consilium: qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia ejus, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum enim est, quis nesciat? malum est cadere à proposito: sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite: qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit. Observet judicem, sed Deum, non me. Ego ei non aufero clericatum. Quantum sit periculum, ante oculos ejus posui: faciat quod vult. Novi enim quia si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, & hîc & apud episcopos qui dicant, Quid mali fecit? Non potest tecum tolerare istam vitam: extra episcopium vult manere, & de proprio vivere, ideone debet perdere clericatum? Ego scio quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere. *Vovete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro*. Et, *Melius est non vovere, quàm vovere & non reddere*. Virgo [b] etsi numquam fuit in monasterio, & virgo sacra est, illi nubere non licet, quamvis esse in monasterio non compellitur. Si autem cœpit esse in monasterio, & deseruit, & tamen virgo est; dimidia ruit. Sic & clericus duas res professus est, & sanctitatem, & clericatum: [c] interiùs sanctitatem; nam clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est quàm honor: sed *quis sapiens & intelliget hæc?* Ergo professus est sanctitatem; professus est communiter vivendi societatem; professus est *quàm bonum & quàm jocundum, habitare fratres in unum*: si ab hoc proposito ciciderit, & extrà manens clericus fuerit; dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? Non eum judico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit: si verò intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi. Scio quomodo homines ament clericatum: nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere. Habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem: sed videat utrùm habere possit felicitatis æternitatem.

12. quæst. 2. Certè.

Clericatũ, si cui à sua societate discedere placuerit, proponit non auferre.

Simulare propositũ sanctitatis pejus est, quàm cadere à proposito.

Psal. 75. 12.

Eccle. 5. 4.

Serm. de Diversis.

c Clericatus magis onus quàm honor.

Psal. 106. 43.

Psal. 132. 1.

7. Sufficiant hæc nunc interim Caritati Vestræ. Quod egero cum fratribus meis, annuntiabo vobis. Spero enim bona. Omnes mihi libenter obediunt: nec inventurus sum aliquos habere aliquid, nisi aliqua necessitate religionis, non occasione cupiditatis. Quod ergo egero post Epiphaniam, Caritati Vestræ in Domini voluntate nuntiabo; & quomodo litem finiero inter duos fratres, filios presbyteri Januarii, non vobis tacebo. Multa locutus sum, date veniam loquaci senectuti, sed timidæ infirmitati. Ego, sicut videtis, perætatem modò senui, sed per infirmitatem corporis olim sum senex. Tamen si Deo placet, quod dixi modò, ipse det vires, non vos desero. Orate pro me, ut quantum inest anima in hoc corpore, & qualescumque vires suppetunt, in verbo Dei serviam vobis.

Pollicetur Sermonem subsequentem.

* SERMO CCCLVI.

** Aliàs de Diversis 50.*

De [d] vita & moribus clericorum suorum, II.

1. Caritati Vestræ hodie de nobis ipsis Sermo reddendus est. Quod enim ait Apostolus, *spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus*. Qui nos amant, quærunt quod laudent in nobis: qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in utroque medio constituti, adjuvante Domino Deo nostro, & vitam & famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescant de detractoribus laudatores. Quomodo autem vivere velimus, quomodo Deo propitio jam vivamus, quamvis de Scriptura sancta multi noveritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur vos intentissimos volo, ut post ejus recitationem, quod institui loquar, Deo donante, intentioni vestræ. (Et Lazarus diaconus legit:) *Cùm orassent, motus est locus in quo erant congregati, & impleti sunt omnes*

1. Cor. 4. 9.

Forma vivendi cœnobitarum in Actibus Apostolorum descripta.

Act. 4. 31. &c.

[a] In MSS. *non jure cæli.*

[b] MSS. *Virgo est, si numquam fuit in monasterio, non compellitur. Si autem cœpit esse, &c.*

[c] MSS. *Interim.*

[d] In Carthaginensi synodo anni 525. appellatur *de moribus clericorum secundus liber.* In Landerici autem & Bertefridi Privilegio, *libri de gradibus ecclesiasticis* vocantur iidem isti Sermones, putà quòd hîc Augustinus clericorum singulos gradus percurrat, & n. 9. dicat, *Sic enim ad eos gradatim adscendere volui.*

CLASSIS IV.

Spiritu-sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia omni volenti. [a] *Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum: & nemo eorum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse; sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu: gratiaque magna erat super omnes illos. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia illorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Distribuebatur autem unicuique prout cuique opus erat.* (Cùmque Lazarus diaconus recitasset, & episcopo codicem tradidisset; Augustinus episcopus dixit,) Et ego legere volo. Plus enim me delectat hujus verbi esse lectorem, quàm verbi mei disputatorem. *Cùm orassent, motus est locus in quo erant congregati, & impleti sunt omnes Spiritu-sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum: & nemo eorum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu: gratiaque magna erat super omnes illos. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Distribuebatur autem unicuique prout cuique opus erat.* (Cùmque episcopus legisset, dixit.)

Unde Augustino visum est de suorum clericorum vita apud plebem agere.

2. Audistis quid velimus: orate ut possimus. Contigit autem quædam necessitas, ut hæc diligentiùs agerem: quoniam, sicut jam nostis, presbyter in nostra societate constitutus, quali societati perhibet testimonium lectio, quam modò, cùm recitaremus, audistis, moriens testamentum fecit, quia habuit unde faceret. Erat quod diceret suum, cùm in ea societate viveret, ubi nemini licebat dicere aliquid suum, sed essent illis omnia communia. Si quis dilector & laudator noster apud detractorem nostrum prædicaret istam societatem, & diceret, Cum episcopo Augustino sic vivunt omnes cohabitatores ejus, quomodo scriptum est in Actibus Apostolorum: continuò ille detractor caput movens, dentem promovens, diceret, Ita verè sic ibi vivitur, quomodo tu dicis? Quare mentiris? Quare falsa laude honoras indignos? Nonne ibi modò in eorum societate positus presbyter testamentum fecit, & quod habuit quomodo voluit disposuit, & reliquit? Certè omnia ibi sunt communia? certè nemo dicit aliquid suum? Sub his verbis quid ageret laudator meus? Nonne os ejus quasi plumbo oppilaret ille detractor? Nonne illum laudasse pæniteret? Nonne reverentiâ perfusus & illius sermone confusus vel nobis vel testatori illi malediceret? Hæc fuit necessitas, ut ad istam diligentiam veniremus.

Clerici omnes Augustini in proposito paupertatis cõstantes inventi.

3. Nuntio ergo vobis unde gaudeatis. Omnes fratres & clericos meos, qui mecum habitant, presbyteros, diaconos, subdiaconos, & Patricium nepotem meum, tales inveni, quales desideravi. Sed qui de sua qualicumque paupertate, quod statuerant, nondum fecerunt, hi duo sunt, Valens diaconus, & paulò antè dictus nepos meus subdiaconus; sed matris vita impediebat, quia inde vivebat. Exspectabatur in illo etiam legitimæ ætatis accessus, ut quod faceret, firmissimè faceret. Nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cum suo fratre communes, & sub indiviso eos possident. [b] Si autem divisi fuerint, eos cupit Ecclesiæ conferre, ut inde alantur qui sunt in proposito sanctitatis, quò usque in hac vita degunt. Scriptum est enim, & hoc Apostolus loquitur, *Qui autem suis, & maximè domesticis, non providet, fidem denegat, & est infideli deterior.* Adhuc autem mancipia sunt ei similiter cum fratre communia, nondum divisa. Disponit ea manumittere, non potest antequam dividantur. Quid enim ad quem pertineat, adhuc ignorat. Ad ipsum sanè, quia major est, pertinet divisio; & ad fratrem ejus electio. Et ipse frater ejus Deo servit, subdiaconus est cum sancto fratre meo & coëpiscopo Severo in Ecclesia Milevitana. Hoc agitur, hoc sine dilatione peragendum est, ut illi servuli dividantur, manumittantur, & sic det Ecclesiæ, ut eorum excipiat alimentum. Nepos autem meus ex quo conversus est, & mecum esse cœpit, impediebatur & ipse aliquid de agellulis suis agere [c] invita usufructuaria matre sua, quæ hoc anno defuncta est. Inter ipsum & [d] sorores ejus sunt quædam in Christi adjutorio citò finienda: ut & ipse faciat quod servum Dei decet, quod ipsa professio, & ista exigit lectio.

SERM. DE DIVERSIS. Valens diaconus, Patricius subdiaconus.

1. Tim. 5. 8.

Faustinus diaconus.

4. Diaconus Faustinus, sicut penè omnes nostis, hîc de militia sæculi ad monasterium conversus est: hîc baptizatus, inde diaconus ordinatus. Sed quia exiguum est quod videtur possidere, sicut jurisperiti loquuntur, *jure, non corpore reliquerat illud, & ab ejus fratribus tenebatur. Numquam inde cogitavit ex quo conversus est, nec ipse aliquid quæsivit à fratribus suis, nec ab illo est aliquid quæsitum. Modò quia ventum est ad hunc articulum temporis, cum consilio meo divisit ipsam rem: & dimidiam donavit fratribus suis, dimidiam Ecclesiæ pauperi in loco eodem constitutæ.

* *f.* corpore, non jure.

Severus diaconus cæcus.

5. Diaconus Severus sub qua Dei disciplina & flagello sit, nostis: lumen tamen non perdidit mentis. Unam domum hîc emerat propter matrem & sororem suam, quas de sua patria huc desiderabat adducere. Emerat autem non suâ pecuniâ, quam non habebat; sed ex collatione religiosorum virorum, quos mihi quærenti etiam nominans indicavit. De [e] ipsa non possum dicere quid fecerit, aut quid disponat, nisi quia totum & ipse in mea posuit voluntate, ut quidquid ipse vellem, hoc inde fieret. Sed habet quasdam caussas cum matre sua, quarum caussarum me judicem posuit; ut cùm illæ caussæ fuerint terminatæ, fiat de ipsa domo quod ego voluero. Quid autem velle potero Deo regente, nisi quod justitia jubet, & pietas postulat? Habet etiam in patria sua aliquos agellos: disponit eos sic distribuere, ut etiam illic in illo loco positæ pauperi largiatur Ecclesiæ.

Hipponensis diaconus.

6. Diaconus Hipponensis homo pauper est, quid alicui conferat, non habet: tamen de labo-

[a] Editi, *volenti credere.* Abest *credere* à MSS.
[b] MSS. *Sic autem cupit eos*: omisso, *divisi fuerint.* Et paulò infrà, loco *Adhuc autem mancipia sunt*, habent *Hæc autem* &c.
[c] MSS. *usufructuario matris suæ*: omissa voce, *invitâ.*
[d] Sic MSS. & Aquisgran. conc. At editi, *& sororem ejus.*
[e] MSS. *De ipso.*

ribus suis antequam esset clericus emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manumissurus est episcopalibus Gestis.

Eraclius diaconus.

7. Diaconus Eraclius ante vestros oculos versatur, opera ejus lucent coram oculis vestris. De opere ejus & expensa pecunia Memoriam sancti [a] Martyris habemus. De pecunia sua emit etiam possessionem ex consilio meo: nam ipsam pecuniam volebat per manus meas erogari, sicut mihi placeret. Ego si pecuniæ avidus essem, aut necessitates meas ipsas, quas pro pauperibus habeo, in hac caussa plus curarem, pecuniam acciperem. Quare, dicit aliquis? Quia possessio illa quæ ab illo emta & Ecclesiæ donata est, adhuc nihil præstat Ecclesiæ. Minus enim habebat ad pretium, & quia mutuatus fuerat, hoc de ejus adhuc fructibus reddit. Homo sum senex, quantus mihi de illa possessione potest fructus accedere? Numquid promitto mihi tot annos esse victurum, donec suum pretium illa persolvat? Quod ergo vix diu partibus reddit, de proximo haberem totum, si accipere voluissem. Non feci, aliud adtendi. Fateor enim vobis, & ipsa suspecta mihi adhuc ætas ejus fuit, & verebar ne fortè, ut sunt homines, matri ejus hoc displiceret; & diceret inductum à me fuisse adolescentem, ut bona ejus paterna consumerem, & eum egentem relinquerem. Ideo volui ejus pecuniam in illa possessione servari; ut si aliquid, quod Deus avertat, aliter quàm volumus evenisset, redderetur [b] villa, ne culparetur episcopi fama. Scio enim quantum vobis sit fama mea necessaria: nam mihi sufficit conscientia mea. Emit etiam spatium ab ista [c] postea Ecclesia notum vobis, & suâ pecuniâ ædificavit domum. Et hoc nostis. Ante paucos dies priùs quàm Sermonem de hac re haberem vobiscum, eam donavit Ecclesiæ. Exspectabat enim ut eam perficeret, & perfectam donaret. Fabricandi autem domum necessitas illi nulla erat, nisi quia cogitavit matrem suam huc esse venturam. Si autem venisset, in re filii sui habitaret: modò si venerit, in opere filii sui habitabit. Testimonium ei perhibeo, pauper remansit: sed in caritatis [d] possessione permansit. Aliqui servuli ei reliqui fuerant, jam quidem in monasterio viventes, quos tamen Gestis ecclesiasticis manumissurus est hodie. Nemo ergo dicat, Dives est: nemo existimet, nemo malè loquatur, nemo se ipsum vel animam suam suis dentibus laniet. Pecuniam nullam habet servatam: utinam quam debet restituat.

Subdiaconi.

8. Ceteri, id est, subdiaconi, pauperes sunt, Deo propitio, misericordiam Dei exspectant. Unde ipsi faciant non habent: nullas habentes facultates, finierunt mundi cupiditates. Vivunt nobiscum in societate communi: nemo eos distinguit ab illis qui aliquid adtulerunt. Caritatis unitas præponenda est terrenæ commodo hereditatis.

De presbyteris.

9. Restant presbyteri. Sic enim ad eos gradatim adscendere volui. Citò dixerim, pauperes Dei sunt. Nihil ad domum societatis nostræ adtulerunt, nisi ipsam, qua nihil carius est, caritatem. Verumtamen quoniam scio natos fuisse rumores de divitiis ipsorum; non à me ad aliquid compellendi, sed vobis meo sermone purgandi sunt.

Leporius presbyter.

* In Synodo Carthagin. anu. 525.

* 10. Vobis dico, qui fortè nescitis; nam vestrûm plurimi sciunt: presbyterum Leporium, quamvis sæculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi; non quia nihil habuit, sed quia jam fecerat quod lectio ista persuadet. Hîc non fecit, sed nos scimus & ubi fecit. Unitas Christi [e] & Ecclesiæ una est. Ubicumque fecit opus bonum, pertinet & ad nos, [f] si congaudeamus. Hortus est unus ubi nostis, ibi monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Et ad quem, dixerit aliquis? Ad illud quod ibi est monasterium. Sed quod verum est, usque ad hoc tempus curam pro illis ita gerebat, ut sumticulos, quibus sustentantur, apud se haberet, & eis ipse, ut videbatur, impenderet. Sed ne propter hoc daretur locus hominibus, suspiciones suas rodentibus, & ventrem non implentibus, hoc placuit & mihi & ipsi, ut sic se illi transigant, quasi iste jam de sæculo exierit. Numquid enim cùm obierit ipse, illis dispensaturus est aliquid? Melius est ut videat illos ibi bene conversantes, & regente Deo in disciplina Christi sic viventes, ut de illis tantummodo gaudeat, non eorum necessitatibus occupetur. Pecuniam non habet, quam suam dicere possit: habebat xenodochium ædificandum, quod modò videtis ædificatum. Ego illi injunxi, ego jussi. Obtemperavit mihi libentissimè, & sicut videtis, operatus est: quomodo meo jussu etiam basilicam ad octo Martyres fabricavit, de his quæ per vos Deus donavit. Cœpit enim de pecunia quæ data erat Ecclesiæ propter xenodochium, & cùm cœpisset ædificare, ut sunt religiosi desiderantes opera sua in cælo scribi, adjuverunt prout quisque voluit, & fabricavit. Opus ante oculos habemus: omnis homo quid factum sit videt. De pecunia, quia non habet, mihi credant, dentem compescant, non frangant. Emerat de ipsa pecunia xenodochii quamdam domum in Carraria, quam sibi existimabat propter lapides profuturam, sed lapides ejus domûs fabricæ necessarii non fuerunt, quoniam aliunde provisi sunt. Domus ergo ipsa sic remansit, pensionem præstat; sed Ecclesiæ, non presbytero. Nemo ampliùs dicat, In domum presbyteri, ante domum presbyteri, ad domum presbyteri. Ecce ubi est domus presbyteri: ubi est domus mea, ibi est domus presbyteri: alibi non habet domum; [g] sed ubicumque habet Deum.

Lis inter Januarii filios, sponte finita.

11. Quid amplius quæritis? Nisi quia me illud memini etiam promisisse, ut ad vos perferrem quid egissem inter duos, fratrem videlicet & sororem, filios Januarii presbyteri, quia orta inter illos fuerat controversia pecuniaria: sed tamen sicut inter fratres, salva, Deo propitio, caritate,

[a] Stephani fortè collocandis reliquiis, quæ non multò ante annum 425. in Africam allatæ sunt, ædificatam. Sic Sermo paulò pòst Epiphaniam habitus, ad initium anni 425. pertinebit. Eraclium porrò, de quo hîc loquitur, factum postea presbyterum Augustinus suum in episcopatu successorem designavit anno 426. die 26. Septembris, ex August. epist. 213.

[b] Sic MSS. & Aquisgran. conc. At editi, *redderetur illa*.

[c] MSS. *ab ista postera Ecclesia*.

[d] Sic MSS. & Aquisgran. conc. At Vlimmerius, *professione*, Lov. *promissione*.

[e] MSS. *Unitas Christi est, Ecclesia una est*.

[f] Ita in MSS. & in concilio Carthag. In editis autem & Aquisgran conc. *ut sibi congaudeamus*.

[g] Editi, *nisi ubicumque*. Longè veriùs MSS. *sed ubicumque*.

Promiseram ergo audire, ut inter illos quidquid esset, judicando finirem. Paraveram me judicem: sed antequam judicarem, ipsi unde judicaturus fueram, finierunt. Non inveni unde judicarem, sed unde lætarer. Adquieverunt omnino concorditer voluntati meæ & consilio meo, ut pares essent in pecunia, quam reliquit pater eorum, Ecclesiâ renuntiante.

Obtrectatorum calumniæ, si te rixa refellendæ.

12. Post Sermonem meum locuturi sunt homines, sed & quodlibet homines loquantur, qualicumque aurâ flante, perducetur inde aliquid ad aures meas. Et si fuerit tale, ut sit iterum necesse nos purgare, respondebo detractoribus, respondebo maledicis, respondebo incredulis, non [a] nobis credentibus præpositis suis, ut potero, respondebo quod Dominus dederit: interim modò non est necesse, quia nihil fortè dicturi sunt. Qui nos amant, liberè gaudebunt: qui nos oderunt, tacitè dolebunt. Tamen si linguas exercuerint, audient, Deo propitio, vobiscum responsionem meam, non litem meam. Non enim homines nominaturus sum & dicturus, Ille hoc dixit, iste sic detraxit; cùm fortasse etiam ad me falsa, quia & hoc potest fieri, perferantur. Verumtamen quæcumque perlata fuerint, si oportere videbitur, loquar inde Caritati Vestræ. Ante oculos vestros volo sit vita nostra. Scio quia quærentes licentiam malè faciendi, quærunt sibi exempla malè viventium, & multos infamant, ut socios invenisse videantur. Ideo quod nostrum est, fecimus: plus quid faciamus, non habemus. Ante oculos vestros sumus. Nullius aliquid desideramus, nisi bona opera vestra.

In commune usum tradere vult, quæ clericis suis offeruntur à fidelibus.

13. Et vos exhortor, Fratres mei, si aliquid vultis clericis dare, sciatis quia non debetis quasi vitia eorum fovere contra me. Omnibus offerte quod vultis, offerte de voluntate vestra. Quod commune erit, distribuetur unicuique sicut cuique opus erit. Gazophylacium adtendite, & omnes habebimus. Valde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrum, ut nos simus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det byrrhum, [b] vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune: de communi accipio & mihi ipsi, cùm sciam commune me habere velle quidquid habeo. Nolo talia offerat Sanctitas Vestra, quibus ego solus quasi decentiùs utar; offerat mihi, verbi gratiâ, byrrhum pretiosum: fortè decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Modò dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa sæculari professione mea. Non decet: talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus & subdiaconus, talem volo accipere: quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod & facere soleo; ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis possit esse commune. Vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam; talem det, unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Etiam illud dico: si fortè in nostra domo vel in nostra societate æger est aliquis, vel post ægritudinem, ut necesse sit eum ante horam prandii reficere; non prohibeo religiosos vel religiosas mittere eis quod eis videtur ut mittant: prandium tamen & cœnam extrà nemo habebit.

Augustini modestia.

Clericorū albo expūgendū statuit, qui paupertatis propositū violaverit.

14. Ecce dico, audistis, audiunt: Qui habere voluerit proprium & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra facere; parum est ut dicam, non mecum manebit: sed & clericus non erit. Dixeram enim, & scio me dixisse, quòd si nollent suscipere socialem vitam nostram, non illis tollerem clericatum; sed seorsum manerent, seorsum viverent, quomodo nossent Deo viverent. Et tamen ante oculos posui, quantum malum sit à proposito cadere. Malui enim habere [c] vel claudos, quàm plangere mortuos. Qui enim hypocrita est, mortuus est. Quomodo ergo quicumque voluisset extrà manere & de suo vivere, non ei tollerem clericatum: ita modò quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, naviget contra me quò voluerit, sit certè ubi potuerit: adjuvabit me Deus, ut ubi ego episcopus sum, ille clericus esse non possit. Audistis, audierunt. Sed spero in Deum nostrum & misericordiam ejus, quia sicut dispositionem meam istam hilariter acceperunt, sic eam purè fideliterque servabunt.

Presbyter Barnabas.

15. Dixi aliquid suum non habere presbyteros cohabitatores meos, inter quos est & presbyter Barnabas. Sed de illo audivi quædam fuisse jactata, ante omnia quòd emit villam à dilecto & honorabili filio meo Eleusino. Hoc falsum est: monasterio donavit ille, non vendidit. Ego sum testis. Quid amplius quæratis, ignoro. Ego sum testis: donavit ille, non vendidit. Sed dum non creditur donare potuisse, creditus est vendidisse. Beatus homo, qui tam bonum opus fecit, ut non crederetur. Tamen vel modò credite, & detractores audire libenter desinite. Jam dixi, ego sum testis. Dictum est [d] de illo quòd anno præpositturæ suæ per industriam debita fecerit, ut dum volo ego reddi debita, darem illi [e] licentiam poscendi fundum Victorianensem: tamquam dixisset mihi, Ut reddam debita mea, da mihi in decem annos fundum Victorianensem. Et hoc falsum est. Sed fuit unde rumor nasceretur, fecit debita reddenda. A nobis reddita sunt partim, unde potuerunt. Remansit aliquid quod non [f] debebatur, etiam monasterio illi quod per ipsum Deus instituit. Cùm ergo remansisset, cœpimus quærere unde debitum redderemus. Ad conductionem ipsius fundi nullus accessit, nisi qua-

[a] Sic MSS. At editi, *non vobis credentibus presb:teris suis.*

[b] MSS. *Nemo det byrrhum, lineam tunicam, nisi in commune*: omisso *vel* & *seu aliquid*. *Pyrrhum* hîc legi volebat Erasmus, pileum rubrum episcopo usitatum interpretatus in censura ad Reg. Aug. tom. 1. Sed veriùs omnino libri editi & MSS. habent *byrrhum*. Quod indumentum nonnullis clericale est aut episcopale, aliis verò communius quoddam utrique etiam apud profanos vulgare. Augustinus suprà in Serm. 161 cap. 10. de femina ad amasium suum: *Illa dixerit, Nolo habeas talem byrrhum, non habet.* Messianus in Cæsarii vita n. 9. ipseque Cæsarius in suo Testamento *amicularis byrrhi sui* meminit. Byrrhus albus dictus etiam est, quo induebantur recèns baptizati, apud Gregorium Papam lib. 7. Ind. 2. epist. 5.

[c] Editi, *cæcos vel claudos.* Vox *cæcos* abest à MSS.

[d] Fortè, *Dictum est & de illo*, scilicet Barnaba presbytero.

[e] MSS. carent voce, *licentiam*. Hac fortè omissâ, loco *poscendi*, legendum erat *poscenti*, vel *pro annis decem.*

[f] In Colbertino codice scriptum à prima manu fuerat, *dabatur.*

Hospitalitas in eos qui Carthaginem veniunt collationis caussâ.

tur faciliùs orationes nostræ. Hospitalitatem sectamini. Tempus est: servi Dei veniunt. Tempus est, occasio est, quare perit? Adtende quid habes in cœnaculo domûs tuæ. Adtende & sursum quid reponas, quid tibi serves, de quo thesauro solo securus es. Pone sursum, commenda non servo tuo, sed Domino tuo. Numquid illic times ne fur obrepat, ne effractor invadat, ne hostis turbulentus eripiat? Fac ut habeas quod tibi reddatur. Nec hoc tibi redditur, quod posueris. Fœneratorem te vult Dominus, sed suum, non proximi tui.

* *Aliàs 36. ex Sirmondianis.*

* SERMO CCCLVIII.

De Pace & Caritate.

Carthagine habitus, ante collationem cum Donatistis, II.

Pacis conciliandæ cura catholicis episcopis.

I. CURAM nostram pro vobis, & pro inimicis nostris & vestris, & pro salute omnium, pro quiete, pro pace communi, pro unitate quam Dominus jussit, Dominus diligit, adjuvent preces Sanctitatis Vestræ, ut de illa identidem & ad vos loquamur, & vobiscum gaudeamus. Etenim de pace & caritate loqui, si semper amamus, semper debemus. Multò magis ergo isto tempore, quando pax sic amatur, ut in periculo ejus amandæ & tenendæ constituti illi, quibus malum pro malo non reddimus, & cum quibus, sicut scriptum est, odio habentibus pacem sumus pacifici, & quia pacem loquimur eis, debellare nos volunt gratìs. Illi ergo qui tales sunt, periclitantur inter amorem pacis, & confusionem pudoris: nec id agunt, cùm vinci nolunt, ut invicti sint. Qui enim vinci à veritate nolunt, ab errore vincuntur. O si eos caritas potiùs quàm animositas superaret. Inde victores fierent, unde victi essent. Nos autem Ecclesiam catholicam, ad cujus pacem & concordiam & reconciliationem invitamus inimicos ejus, non humanis opinionibus, sed divinis testimoniis, amamus, tenemus, & defendimus. Quid cum illo agam, qui pro parte clamat, & contra totum litigat? Nonne bonum illi est vinci, qui si victus fuerit, totum tenebit; si vicerit, in parte remanebit? Immo si vincere sibi videbitur. Nam non vincit nisi veritas: victoria veritatis est caritas.

Psal. 119. 7.

Vinci nolens à veritate, vincitur ab errore.

Testimonia pro Ecclesiæ catholicæ unitate.

2. Quid ergo vobis, Fratres, Ecclesiam catholicam toto orbe terrarum fructificantem atque crescentem commendem multis verbis, & meis. Habemus verba Domini pro illa, & pro nobis. *Dominus*, inquit, *dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ.* Quare ergo, Fratres, de possessione litigamus, & non potiùs sanctas tabulas recitamus? Venisse nos opinemur ad judicem. De possessione contentio est: & hæc contentio non litis, sed dilectionis est. Denique litigator terrenæ possessionis ad hoc litigat, ut excludat adversarium: nos ut intromittamus. Litigator terrenæ possessionis, cùm audierit adversarium dicentem, Possidere volo; respondet, Non permitto. Ego autem fratri dico, Possideas mecum volo: ille litigando dicit, Nolo. Non itaque timeo ne contemnat me Dominus, & corripiat, sicut illos fratres, vel illum fratrem, qui cum interpellavit in populo, & ait, *Domine, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* Continuò Dominus proferens correptionem, quia oderat divisionem: *Dic homo*, inquit, *quis me constituit judicem, aut divisorem hereditatis inter vos? Ego autem dico vobis, cavete ab omni cupiditate.* Istam correptionem non timeo. Interpello enim Dominum meum; fateor, interpello. Non tamen dico, *Domine, dic fratri meo, ut dividat hereditatem mecum:* sed dico, Domine, dic fratri meo, ut teneat mecum unitatem. Ecce possessionis hujus tabulas recito, non ad hoc ut solus possideam, sed ut fratrem meum mecum nolentem possidere convincam. Ecce tabulas, frater: *Postula à me*, inquit, *& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ.* Christo dictum est. Nobis ergo dictum est, quia Christi membra sumus. Quid curris in parte? aut quid remanes in parte? Ecce totum tene quod in tabulis. Quæris inter quem & quem possideas, quomodo solent instrumentis quæri possessores, inter quos sint affines. Qui tibi dedit omnes fines, nullos dimisit affines.

Psal. 2. 7. & 8.

Contentio catholicorum quomodo dilectionis est, non litis.

Luca 12. 14.

3. Audi sanctarum aliud testimonium tabularum. De Domino dicitur Christo in figura Salomonis: *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient illi.* Quando dicebatur, credebatur: quando impletur, negatur. Tene ergo mecum hereditatem à mari usque ad mare, & à flumine, scilicet Jordane, ubi cœptum est Christi magisterium, usque ad terminos orbis terræ. Quare non vis? Quare huic promissioni & hereditati, divitiis tuis, inimicus es? Quare non vis? Propter Donatum, propter Cæcilianum? Quis fuit Donatus? quis Cæcilianus? Utique homines. Si boni, bono suo, non meo: ergo & si mali, malo suo, non meo. Tu Christum accipe, & zelantem Christo ejus Apostolum adtende: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ut autem hoc diceret, vide quid horruit: *Unusquisque vestrûm dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Si non in nomine Pauli, multò minùs [a] in nomine Cæciliani; multò ampliùs, & multò minùs in nomine Donati. Et tamen adhuc post Apostolicas voces, post Ecclesiæ declarationem & toto mundo dilatationem, dicitur mihi, Non dimitto Donatum, non dimitto nescio quem Garum, Lucium, Parmenianum; mille nomina, mille scissuras. Privabis te, sequendo hominem, tanta hereditate, de qua modò audisti, *A mari usque ad mare, à flumine usque ad terminos orbis terræ?* Quare illam non tenes? Quia hominem amas. Quid est homo, nisi animal rationale factum de terra? Ideo ergo inimicus es, quia terram lingis. Despice hoc potiùs. Noli lingere terram, ut spem ponas in eum qui fecit cælum & terram. Hæc spes nostra, hæc testimonia. *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, à solis ortu usque ad occasum.* Noli remanere in terra, sed quò vocata est terra.

Testimonium pro catholica Ecclesia.

Psal. 71. 8. &c.

1 Cor. 1. 12. & 13.

Aliud testimonium.

Psal. 49. 1.

[a] Hæc verba, *in nomine Cæciliani, multò ampliùs & multò minùs*, absunt à MSS. Colbertino & Victorino.

A *4. Et quis potest ibi omnia de tabulis sanctis possessionis hujus testimonia recitare? Quare ergo non convertuntur ad Ecclesiam, nisi quia ipsius est vox Ecclesiæ, *Convertantur ad me qui timent te, & cognoscant testimonia tua?* (Psal. 118. 79.) Vidit hoc Ecclesia, quod dixit in Psalmo: modò audistis; recentia sunt verba in auribus & cordibus vestris. *Omnis consummationis vidi finem.* (Ibidem 96.) Quid est, *Omnis consummationis vidi finem?* Consummationis perfectionis, non consumtionis: vidi finem perfectionis, non abolitionis. (Caritas latum mandatum, quo pax redintegratur.) B *Omnis consummationis vidi finem.* Quis est iste finis? *Latum mandatum tuum valde. Finis* enim *præcepti est*, jam vos dicite mecum, (A populo adclamatum est) *Caritas de corde puro.* (1. Tim. 1. 5.) Omnes dixistis, quod non infructuosè semper audistis. *Finis præcepti est caritas de corde puro.* Finis, quo perficimur, non quo consumimur. Iste finis latus est, quia mandatum Dei est, de quo dictum est, *Latum mandatum tuum valde.* (Psal. 118. 96.) *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* (Joan. 13. 34.) Vide latitudinem mandati hujus. C Ubi latum est? numquid in carne? In corde potiùs. Nam si & in carne latum esset, auditores studiosi, angustias non pateremini. In corde latum est. Ubi latum est vide, si sit unde videas, & hinc audi Apostolum, quàm latum est mandatum caritatis. *Caritas autem Dei diffusa est in cordibus vestris.* (Rom. 5. 5.) Non dixit inclusa, sed *diffusa*. Verbum enim quod est *inclusa*, quasi angustias sonat: quod est *diffusa*, latitudinem insinuat. *Latum* ergo *mandatum tuum valde.* Domine Deus noster, D approba quia propter ipsam latitudinem fratres nostros ad possessionem pacis invitamus. Episcopi vultis esse? Nobiscum estote. Non vult populus duos episcopos? Nobiscum in hereditate fratres estote. (V. epist. 128. & 129. inter Augustinianas.) Non propter honores nostros impediamus pacem Christi. Quem honorem in cælesti pace accepturi sumus, si honorem nostrum nunc in terrena lite defendamus? Tollatur paries erroris, & simul simus. Agnosce me fratrem: agnosco te fratrem: sed excepto schismate, excepto errore, excepta dissensione. Hæc corrigatur, E & meus es. An non vis esse meus? Ego, si te corrigas, volo esse tuus. Ergo sublato errore de medio, tamquam pariete maceriæ contradictionis & divisionis, esto frater meus, & ego sim frater tuus, ut ambo simus ejus, qui Dominus est & meus, & tuus.

5. (Catholici quo animo venirent ad collationem.) Hoc dicimus amore pacis, non diffidentiâ veritatis. Hoc enim * rescripsimus, hoc propositum legistis; (* In iisdem epist. 128. & 129.) quia caussam conferendam non fugimus, immo ut conferatur instamus; ut cùm demonstravero possessionem, sic cum illo communicem hereditatem. F Intrepidus veniat, securus veniat, [a] doctus veniat: nolo auctoritate præjudicare. Aperiamus oculos ad illum qui errare non potest: ipse nos doceat quæ sit Ecclesia. Audistis testimonia ejus. Non eam contaminant humana delicta, quam non redemit humana justitia. Et tamen, cùm alia sit caussa Ecclesiæ, alia hominum, & omnino distincta sit, nec hominum caussam formidamus, quos accusaverunt, & convincere non potuerunt. G Purgatos novimus, purgatos legimus. Qui si non essent purgati, non in caussa eorum Ecclesiam constituerem, nec ædificarem super arenam, & dejicerem de petra. Quia *super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.* (SERM. DE DIVERSIS. Matth. 16. 18.) Petra autem erat Christus. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* (1. Cor. 1. 13.) Hoc tenete, hoc amate, hoc fraternè & pacificè dicite.

6. (Rogat ne quisquam de plebe iruat in locum collationis.) Ad collationis locum nullus vestrûm irruat, Fratres mei. Prorsus, si fieri potest, etiam per illum locum transitum devitate, ne fortè aliquis contentionis & litis aditus inveniatur, vel occasio aliqua præbeatur, & inveniant ipsam occasionem qui quærunt occasionem. B Maximè quoniam qui parum Deum timent, aut admonitionem nostram parvi pendunt, vel quia præsentia diligunt, debent saltem terrenæ potestatis severitatem venerari. Edictum [b] viri illustris publicè propositum legistis: quod quidem non propter vos propositum est qui Deum timetis, & commonitionem episcoporum vestrorum non contemnitis; sed ne quis ista non curet, ne quis ista contemnat. Videant igitur quales sunt: ne fortè illis eveniat quod ait Apostolus, C *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Principes enim non sunt timendi bono opere, sed malo.* (Rom. 13. 2. & 3.) Vitemus omnes seditiones, omnes caussas seditionis. Fortè dicitis, Intenti sumus, quid facturi sumus. Et quid vobis injungamus? Partes fortè uberes pietatis. Nos disputemus pro vobis: vos orate pro nobis. Orationes etiam vestras, sicut jam antè præmonuimus, jejuniis & eleemosynis adjuvate. Addite pennas illis, quibus volant ad Deum. Sic agentes negotium, fortasse utiliores nobis D eritis, quàm nos vobis. Nemo enim nostrûm in hac disputatione pro se præsumit: in Deo est tota spes. Neque enim meliores sumus Apostolo, qui dicit, Orate pro nobis. *Orate*, inquit, *pro me, ut detur mihi sermo.* (Ephes. 6. 19.) Illum ergo pro nobis rogetis, in quo spem posuimus, ut de nostra disputatione gaudeatis. Tenete ista, Fratres, obsecramus vos, per nomen ipsius Domini, per amorem pacis, per plantatorem pacis, oramus vos, ut eum pacificè oretis, pacificè deprecemini; & meE mineritis esse filii ejus, à quo dictum est, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (Matth. 5. 9.)

* SERMO CCCLIX.

(* Aliàs de Diversis 91. & ex Sirmondianis 37.)

De eo [c] quod scriptum est in Ecclesiastico, Concordia fratrum, & amor proximorum, *&c. De lite & concordia cum Donatistis.*

Habitus post collationem.

F 1. PRIMA lectio divinorum eloquiorum, de libro qui appellatur Ecclesiasticus, commendavit nobis tria quædam excellentia, & consideratione dignissima, concordiam fratrum, & amorem proximorum, & virum ac mulierem sibi consentientes. (Tria excellentia. Eccli. 25. 2.) Bona hæc sunt planè, jocunda & laudabilia in rebus humanis; sed in divinis rebus multò potentiora. Quis est enim qui non congaudet concordibus fratribus? Et quod dolendum est, in rebus humanis tam magna res rara est: (Concordia rara, quare.) res ab omnibus laudatur, à paucissimis custoditur. G Beati qui in se ipsis amplectuntur, quod etiam in aliis laudare coguntur.

[a] Victorinus MS. *indoctus.*

[b] Id est, Marcellini Tribuni & Notarii, qui judex Honorii Aug. nomine præfuit collationi. Ejus edicto, quod in Gestis primæ cognitionis continetur, de admonenda per episcopos plebe inter cetera cavebatur, ut *nullus vel laicus vel episcopus, ultra numerum præstitutum in illum tranquillissimum concilii locum contra prohibitum molitretur accedere &c.* SIRM.

[c] Citat Florus ad 1. Thess. 3. Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarii fragmenta pag. 49. opinatur Carthagine habitum in dedicationem basilicæ Florentiæ, ex Aurelio episcopo, qui & Florens diceretur, cognominatæ. V. Notas infrà pag. 1405.

Nulli fratres non laudant concordantes fratres. Et unde fratres concordes esse difficile est? Quia litigant de terra, quia volunt esse terra. Audivit enim ab initio peccator homo, *Terra es, & in terram ibis.* (Gen. 3. 19.) Unde discutiamus & perscrutemur vocem, quam justus debet audire à contrario. Si enim rectè dictum est peccatori, *Terra es, & in terram ibis*; rectè dicitur justo, Cælum es, & in cælum ibis. Aut non sunt justi cæli, cùm de Evangelistis apertissimè dictum sit, *Cæli enarrant gloriam Dei?* (Psal. 18. 1. &c.) Et quidem quia de ipsis dictum est, consequentia satis edocent. *Et opera*, inquit, *manuum ejus annuntiat firmamentum.* Quos dixit cælos, ipsos dixit firmamentum. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quæris quorum, & non invenis nisi cælorum. Dictum ergo de Apostolis, dictum de annuntiatoribus veritatis. Unde sequitur, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quando in eos venit Spiritus-sanctus, & cœpit Deus habitare cælum quod fecit de terra, locuti sunt, implente & donante Spiritu-sancto, linguis omnium gentium. Inde dictum, *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et quia inde missi sunt ad prædicationem Evangelii per omnes gentes, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quorum? Cælorum, quibus rectè dicitur, Cælum es, & in cælum ibis: sicut rectè peccatori, *Terra es, & in terram ibis.*

Terrenæ possessionis amor caussa discordiæ.

2. Fratres ergo si volunt esse concordes, non ament terram. Sed si volunt non amare terram, non sint terra. Quærant possessionem quæ dividi non potest, & semper concordes erunt. Unde inter fratres discordia? unde perturbatio pietatis? unde unus uterus, & non unus animus, nisi dum curvatur anima eorum, & partem suam quisque respicit, & parti suæ opimandæ & exaggerandæ operam impendit, & in possessione sua vult habere unitatem, qui cum fratre suo possidet divisionem? Bona est ista possessio, cujus est? Nostra est. Magna possessio! Sic dici solet. Tota tua est, frater? Non; habeo hîc consortem: sed si vult Deus, vendet mihi partem suam. Adulator respondet, Faciat Deus. Quid faciat Deus? Ut opprimatur vicinus, & partem suam vendat vicino. Faciat Deus: bene cogitas, compleat tibi Deus. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.* (Psal. 10. 3.) Quid tam iniquum, quàm velle ditescere alterius paupertate? Et tamen abundat hoc: *qui iniqua gerit, benedicitur*; & fortè prævaluit, & fortè pressit & oppressit, torsit & extorsit, non quemcumque consortem, sed forsitan fratrem. Melius est ut ego emam, quàm extraneus. Et ille facilè oppressus, si est justus, habet consolationem. Audiat Scripturam, quam modò audivit. Ille laborat inopiâ, frater ejus plenus est copiâ. Sed plenus est terrâ, & inanis justitiæ. Adverte terra, quid audiat ille pauper. *Noli timere, cùm dives factus fuerit homo, neque cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus: quoniam cùm morietur, non accipiet ea.* (Psal. 48. 17.) Tene tu pauper quod non dimittas moriens, & quod adquiras in æternum vivens. Tene justitiam, non te pæniteat. Contristaris quia

A in terra pauper es tu? Pauper hîc fuit qui creavit terram. Consolatur te Dominus Deus tuus, consolatur te Creator tuus, consolatur te Redemtor tuus. Consolatur te non avarus frater tuus. Dignatus est enim esse frater noster ille Dominus noster. Solus frater sine dubitatione fidissimus, cum quo concordia possidenda est. Dixi eum non avarum, & fortè invenio avarum. Avarus est: sed nos vult habere, nos vult adquirere. Pro nobis tantum pretium dedit se ipsum: nihil ad hoc pretium addi potest. Dedit pretium se ipsum, &
B factus est Redemtor noster. Non enim sic se dedit pretium, ut nos inimicus dimitteret, & ipsum possideret. Dedit se morti occidens mortem. Morte quippe sua mortem occidit, non morte occisus est; & morte occisa, liberavit nos à morte. Vivebat enim morientibus nobis mors, morietur viventibus nobis, quando ei dicetur, *Ubi est mors contentio tua?* (1. Cor. 15. 55.)

3. Talis ergo frater interpellatus est à quodam fratre contra fratrem, inter quos non erat concordia propter terram, & ait illi, *Domine,* (Luca 12. 13.)
C *dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* Totam tulit, mihi partem meam non vult dare, contemnit me, audiat vel te. Quid pertinebat ad Dominum? Sicut cogitamus nos humiles humilia, reptantes in terra, constituti in hac vita, & neminem volentes contristari, & plerumque inde graviùs contristantes, quid diceremus? Veni frater, redde fratri tuo partem suam. Non hoc dixit Dominus. Et quid illo justius? Quis talem judicem inveniat, quem interpellet contra ava-

Dominus interpellatus ut fratri jubeat hereditatem partiri, cur facere renuit.

D ritiam fratris sui? Nonne gaudebat ille homo tandem se invenisse magnum solatium? Magnum quoque adjutorium sine dubitatione sperabat, dicens tanto judici, *Domine, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* At ille quid dixit? *O homo, quis me constituit divisorem hereditatis inter vos?* Repulit Dominus, non dedit quod petebatur, non concessit gratuitum beneficium. Quid magnum erat? Quid inde perdebat? quid in eo beneficio saltem laborabat? Non dedit. Ubi est, *Om-* (Luca 6. 30.)
E *ni petenti te da?* Non hoc egit ille, qui nobis vivendi præbuit exemplum. Quomodo nos id facturi sumus? Aut quomodo dabimus quod impendimus, si non damus beneficium ubi nihil impendimus, ubi nihil erogamus, ubi nihil amittimus? Non dedit Dominus hoc, nec tamen nihil dedit. Minus negavit, sed quod plus est donavit. Dixit manifestè, dixit, *Omni petenti te da.* Quid si aliquis petat à te, non dico quod inutile est dare, sed quod turpe est dare? Quid si petat mulier aliqua, quod petiit mulier à Joseph? (Gen. 39.)
F Quid si petat vir aliquis, quod falsi seniores à Susanna petierunt? (Dan. 13.) Etiam hîc sequenda est illa tamquam generalis sententia, *Omni petenti te da?* Absit. Faciemus ergo hîc contra præceptum Domini? Immo faciamus secundùm præceptum Domini, & mala petentibus non demus, nec contra istam sententiam faciemus. Dictum est enim, *Omni petenti te da.* Non est dictum, Omnia pe-
G tenti te da. *Omni petenti te da:* Prorsus da; etsi non quod petit, tu tamen aliquid da: malum petit, tu bona da. Fecit hoc Joseph. Non dedit quod petebat mulier impudica; & dedit tamen quod audire deberet, ne impudica esset exemplo suo: & ipse non incidit in foveam libidinis, & dedit consilium castitatis. Hoc enim respondit, *Absit* (Gen. 39. 8.)

Præceptum ut demus omni petenti, quomodo implendum.

Classis IV.

à me, *ne hoc faciam domino meo, ne polluam thorum ejus qui credidit mihi omnia in domo sua.* Si servus ære emtus hanc fidem servavit domino, qualem debet conjunx servare marito? Hoc erat admonere. Ego servus hoc non faciam domino meo: tu conjunx debes hoc facere marito tuo? Dedit & Susanna, nec dimisit eos inanes, si impleri vellent consilio pudicitiæ. Non solùm enim non consensit; sed & non tacuit quare non consensit. *Si consentio*, inquit, *vobis, pereo Deo: si non consentio, non effugio manus vestras: melius autem est in manus vestras incidere, quàm Deo perire.* (Dan. 13. 22.) Quid est autem, *Melius est in manus vestras incidere, quàm Deo perire?* Vos Deo peristis, qui talia quæritis. Ergo hanc regulam tenete. Date quando petimini, etsi non hoc quod petimini. Hoc fecit Dominus. Petebat ille, quid? divisionem hereditatis. Dedit Dominus, quid? peremtionem cupiditatis. Quid petebat? quid accepit? *Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. Dic homo, quis me constituit divisorem hereditatis inter vos? Ego autem dico vobis*, quid? *Cavete ab omni cupiditate.* (Lucæ 12. 13. ibidem 14. &c.) Et dico quare. Fortè enim dimidium hereditatis ad hoc petis, ut ditescas. Audi: *Hominis cujusdam divitis successit regio*, successus magnos habuit, & multis fructibus fecundata est. *Et cogitavit apud se dicens, Quid faciam, quò congregem fructus meos?* Et diligenter cogitans, *Inveni*, inquit, *quid faciam. Destruam veteres apothecas, faciam novas, implebo eas.* Majores enim faciam, quàm erant veteres. *Et dicam animæ meæ, Habes multa bona, satiare, jocundare.* Ait illi Deus, *Stulte*, qui valde videris esse cordatus: nosti enim destruere vetera, & ædificare nova, & tu in vetustate ruinæ remansisti, qui vetera in te ipso destruere debuisti, ut jam terrena non saperes. *Stulte*, quid dixisti? cui dixisti? Animæ tuæ dixisti, *Iocundare, habes multa bona. Hac nocte repetetur anima tua*, cui talia promisisti, *Quæ promisisti cujus erunt? Noli ergo timere, cùm dives factus fuerit homo, quia non cùm morietur, accipiet ea.* (Psal. 48. 17. & 18.)

(Concordia fratrum in cælesti hereditate.) 4. Ecce quale consilium Dominus fratribus dedit diffidentibus, quò concordes essent, ut carerent cupiditate, & continuò implerentur veritate. Inveniamus ergo talem hereditatem. Quamdiu loquimur de concordia terrenorum fratrum, quæ rara est, quæ suspecta est, quæ difficilis est? Loquamur de illa fratrum concordia, quæ vera esse debet, & potest. Fratres sint Christiani omnes, fratres sint fideles omnes, fratres sint nati ex Deo & ex visceribus matris Ecclesiæ per Spiritum-sanctum: fratres sint, habeant & ipsi hereditatem [a] dandam, & non dividendam. * Hereditas eorum Deus ipse est. Cujus sunt ipsi hereditas, ipse est vicissim eorum hereditas. Quomodo sunt ipsi ejus hereditas? *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* (Psal. 2. 8.) Quomodo est ille ipsorum hereditas? *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* (Psal. 15. 5.) In hac hereditate concordia custoditur: pro hac hereditate non litigatur. Alia hereditas litigando adquiritur: ista litigando amittitur. Nolentes homines hanc hereditatem perdere, vitant litigare. Et quando fortè videntur litigare, non litigant. Sed fortè videntur litigare, aut putantur litigare, cùm volunt fratribus consulere. Videte quàm consors sit eorum litigatio, quàm pacifica, quàm benigna, quàm justa, quàm fidelis. Nam nos litigare videmur cum Donatistis: sed non litigamus. Ille enim litigat, qui adversario suo malè vult; litigat ille qui adversarium suum vult detrimentum pati, se augmentum; illi aliquid decedere, sibi accedere. (Litigare quis censendus.) Non sic sumus nos. Scitis & vos, scitis qui extra unitatem litigatis; scitis & vos, qui ex divisione adquisiti estis: scitis quia ista lis non est talis lis, quia non est malivola, quia non tendit in detrimentum adversarii, sed magis in lucrum. Volebamus enim eos, cum quibus litigare videbamur, vel adhuc videmur, adquirere nobiscum; non perdere, ut nos adquiramur. Denique alia vox nostra est, quàm fuit fratris illius, qui interpellavit Christum in terra ambulantem. Nam & nos interpellamus eum in hac caussa in cælo sedentem: & non dicimus, *Domine, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem*; sed, dic fratri meo, ut teneat mecum hereditatem.

(* Hic olim desinebat Sermo de Diversis 51.)

(Catholicorum propositum & voluntas pro Ecclesiæ pace.) 5. Quoniam hoc volumus & publica Gesta testantur: quoniam hoc voluerimus, indices sunt non tantùm sermones, sed litteræ nostræ datæ ad illos. Episcopatum amatis? Nobiscum habete. In vobis nihil odimus, nihil detestamur, nihil exsecramur, nihil anathemamus, nisi humanum errorem. Humanum, diximus, detestamur errorem, non divinam veritatem: sed quod Dei habetis, agnoscimus; quod vestrum improbum habetis, corrigimus. Signum Domini mei, signum Imperatoris mei, characterem Regis mei in desertore agnosco, quæro, invenio, admoveo, accedo, apprehendo, duco, corrigo desertorem, non violo characterem. Si quis advertat, si quis adtendat, hoc non est litigare, sed amare. Diximus posse in una Ecclesia, pacis caussâ, esse fratres concordes: speciosa enim res est concordia fratrum. (V. epist. 128. inter Augustinianas, & collat. 3. cap. 230.) Non posse enim duos esse episcopos. Diximus, ut [b] ambo sedeant in una simplici basilica; ille in cathedra, ille ut peregrinus; ille in cathedra Christiana, ille in hæretica quasi collega juxta sedeat: rursus ille in congregatione sua præsideat, vicissim ille in sua. Pænitentiam prædicatam esse in remissionem peccatorum per omnes gentes ab Apostolis incipientibus ab Jerusalem, diximus. Quid respondebis huic Ecclesiæ, quæ est per omnes gentes ab Apostolis incipientibus ab Jerusalem ædificata? Diximus, Ponamus omnino malam habuerit caussam Cæcilianus. Unus homo malam caussam habens, duo homines, quinque, decem, præjudicabunt tot millibus fidelium toto orbe terrarum multiplici fecunditate diffusorum? Diximus ista. Credidit Abraham, & promissæ sunt ei omnes gentes: peccavit Cæcilianus, & perierunt omnes gentes, ut plus valeat quod iniquitas commisit, quàm quod veritas promisit? Dicta sunt hæc: leguntur. Omnino contra exempla divina, contra testimonia, quæ asserunt Ecclesiam toto orbe terrarum diffundi, cujus Ecclesiæ in nomine Domini tenemus unitatem, nihil illi respondere potuerunt.

(De Cæciliano, salvâ Ecclesiæ caussâ, judiciû haberi voluerunt.) 6. Salvâ ergo caussâ Ecclesiæ, confirmatâ, & incommutabiliter fixâ ac stabilitâ, tamquam supra fundamentum petræ, quam portæ inferorum non vincant: hac ergo salvâ, venimus & ad caussam Cæciliani, jam securi quidquid ille inveniretur admisisse. Fortè enim, si ut homo invenire-

[a] Aliquot libri, *tenendam*.

[b] Colbertinus codex, *ut alterni sedeant.*

tur in aliqua culpa, nos litigaturi eramus, ut propter culpam unius hominis damnandi aut rebaptizandi judicaremur? Et diximus, Salvâ caussâ Ecclesiæ, cui nihil præjudicat peccatum Cæciliani; nec justitia Cæciliani coronat Ecclesiam, nec culpa Cæciliani damnat Ecclesiam; videamus & ipsius caussam qualis sit. Suscepimus eam discutiendam, sed tamquam fratris, non tamquam patris, aut matris. Pater nobis Deus est, mater nobis Ecclesia est: Cæcilianus frater fuit, aut frater est; si bonus, bonus frater; si malus, malus frater, tamen frater. Si invenerimus eum innocentem, jam vos ubi eritis, qui & in ipsa humana calumnia defecistis? Si autem inventus fuerit nocens, si inventus fuerit reus, nec sic victi sumus, quia unitatem Ecclesiæ, quæ invicta est, obtinemus. Inventus sit prorsus reus, hominem anathemo, Christi Ecclesiam non desero. Hoc fecimus, diximus: deinceps eum ad altare inter episcopos, quos fideles & innocentes credimus, non recitabimus. Hoc solùm fecimus. Numquid propter Cæcilianum rebaptizaturi estis orbem terrarum? Hac securitate constitutâ & firmatâ, cœpit discuti caussa Cæciliani. Inventus est innocens, inventus est à calumniantibus appetitus. Semel absens [a] damnatus, præsens ter absolutus: damnatus à factione, absolutus ab Ecclesiastica veritate. Lecta sunt hæc, probata sunt hæc. Quæsitum utrùm haberent quod contra dicerent. Consumtis omnibus tergiversationibus calumniarum suarum, aut ubi nihil contra evidentissima proferre documenta, nec contra ipsius innocentiam Cæciliani potuerunt, prolata sententia est adversùs eos. Et tamen ipsi dicunt, Vicimus. Vincant, sed se, ut possideat eos Christus; vincat eos qui redemit eos.

Collat. 3. cap. 233. & 235.

Collat. 3. cap. 230.

Cæcilianus inventus innocens. a

7. Et tamen de multis gaudemus. Multi eorum fructuosè victi sunt, quia nec victi sunt. Error humanus victus est, homo salvatus est. Nam medicus [b] non contendit cum ægroto; & si ægrotus facit cum medico, vincitur febris, & sanatur ægrotus. Nam hoc intendit medicus, vincere: hoc intendit & febris, vincere. Positus est quasi in medio ægrotus. Si vicerit medicus, salvus est ægrotus: si vicerit febris, morietur ægrotus. In contentione ergo nostra contendebat medicus pro salute, pro febre contendebat ægrotus. Qui animadverterunt medici consilium, vicerunt, febrem superaverunt. Habemus eos sanos & gaudentes nobiscum in Ecclesia. Blasphemabant nos antea, quia fratres nos non agnoscebant: febris enim mentem turbaverat. Nos tamen illos & detestantes nos, & sævientes in nos amamus, & sævientibus ægrotis serviebamus. Resistebamus, contendebamus, & quasi litigabamus, & tamen amabamus. Molesti enim sunt omnes qui talibus languentibus serviunt; sed ad salutem molesti sunt.

Multi ex Donatistarum schismate conversi ad Ecclesiam. b

8. Invenimus autem homines aliquando pigros dicentes, Verum est, Domine, verum est, non est quid dicere. Quid ergo? Veni, age. Pater meus ibi est mortuus, mater mea ibi sepulta. Mortuum nominasti & sepultum. Vivis, adhuc est cum quo loqui. Parentes tui Christiani fuerunt in parte Donati: parentes eorum fortè & ipsi Christiani, avi aut proavi certè pagani. Qui ergo primi facti sunt Christiani, cùm extulissent parentes suos paganos, numquid contra veritatem frigidi fuerunt? numquid auctoritatem mortuorum parentum secuti sunt, & non potiùs mortuis parentibus vivum Christum prætulerunt? Si ergo hîc vera unitas est, extra quam necesse est in æternum moriaris, quare mortuos parentes tuos sequi vis, mortuos tibi & Deo? Quid dicis? responde. Verum dicis, non est quid dicere. Quid vis faciam? Consuetudo nescio quæ tenet sibi homines tales. Lethargici sunt, contrario morbo laborant, dormiendo morituri sunt. Alii phrenetici sunt, molesti sunt. Nam etsi moriturus est lethargicus, vel servienti sibi non est molestus. Phrenetici molesti sunt, qui mentem perdiderunt, & insani atque furiosi armati vagantur hàc atque illàc, quærentes quos occidant, quos excæcent. Nova enim nobis nuntiata sunt, cuidam presbytero nostro linguam exsecuerunt. Isti phrenetici sunt. Exercenda est caritas, amandi & ipsi. Multi correcti fleverunt, multi correcti: nos novimus, ad nos venerunt de numero ipsorum furiosorum. Flent quotidie præterita sua, nec satiantur lacrymis adtendentes eorum furorem, qui non digesta ebrietate vanitatis adhuc sæviunt. Ergo quid facimus? Talibus servire caritas cogit. Et quamvis molesti sumus utrique generi, & lethargicum excitando, & phreneticum ligando, ambos tamen amamus.

Obstinatorum quorumdam inepta excusatio.

Aliorum insania & furor.

V. Augustini epist. 185. n. 30.

9. Bona res *concordia fratrum*; sed videte ubi: in Christo, Christianorum. *Et amor proximorum.* Quid si adhuc nondum est frater in Christo? Quia homo, proximus est; ames & ipsum, ut lucreris & ipsum. Si ergo concordes cum fratre Christiano, ames autem proximum, etiam cum quo modò concordia non est, quia nondum in Christo frater est, quia nondum in Christo renatus est, nondum Christi sacramenta novit; paganus est, Judæus est; est tamen proximus, quia homo est: si amas & ipsum, accessisti & ad aliam dilectionem alio dono, & sic sunt in te duo, *Concordia fratrum, & amor proximorum.* Ex his omnibus concordiam tenentibus cum fratribus & amantibus proximum, constat Ecclesia devota Christo, & subdita viro, ut fiat tertium, *Vir & mulier sibi consentientes.* Unde admonemus Caritatem Vestram, & vos exhortamur in Domino, præsentia contemnatis, Fratres mei, quæ non vobiscum moriendo portatis: caveatis peccata, caveatis iniquitates, caveatis sæculares cupiditates. Tunc enim est fructus noster in nobis integer, & merces nostra apud Dominum plena gaudiorum. Nam etsi dicimus quod dicendum est, etsi prædicamus quod prædicandum est, & solvimus nos apud Dominum in conspectu Domini, quia non tacuimus quod timemus, non tacuimus quod amamus, ut super quem venerit gladius vindictæ Dominicæ, quid speculatori imputet non inveniat: tamen nolumus mercedem nostram securam esse vobis perditis, sed vobis inventis. Nam & apostolus Paulus securus erat de mercede sua, & tamen quid ait populo? *Nunc vivimus, si vos statis in Domino.* Loquor vobis, & Caritati Ve-

Eccli. 25. 2.

Florus ad 1. Thess. 3.

1. Thess. 3. 8.

[a] Damnatus fuerat à Donatistis in Synodo (apud Carthaginem anno 311.) Absolutus est primùm Romæ in concilio sub Melchiade (an. 313.) iterum Arelate à concilio generali (an. 314.) postremò Mediolani à Constantino Imp. ad quem pars adversa provocarat (an. 315.) Tota autem in eum criminatio, quòd ordinatus fuisset à Felice Aptungensi episcopo, qui sacros codices sub Diocletiano tradidisse ferebatur. Quod etsi verum foret, ad schismatis caussam satis non erat; quià alia est caussa Ecclesiæ, alia hominum. Ceterùm ex Actis publicis comprobatum est Felicem episcopum traditorem non fuisse. Sirm.

[b] Particula negans abest à Colbertino codice.

Classis IV. — Serm. de Diversis.

a ſtræ, ſecundùm juſſionem [a] Domini, patres & A fratres. Loquor etiam pro fratre meo epiſcopo veſtro, cujus gaudium eſſe debetis, obediendo Domino Deo noſtro. Certè in nomine Dei facta eſt vobis hæc eccleſia operâ ipſius, per fidelium fratrum collationes beneficas, miſericordes, devotas. Facta eſt vobis hæc eccleſia: ſed vos magis eſtis Eccleſia. Facta eſt vobis, quò corpora veſtra intrent: ſed mentes veſtræ debent eſſe, quò Deus intret. Honoraſtis epiſcopum veſtrum, ut
b hanc baſilicam [b] Florentiam vocare velletis; ſed B Florentia ejus vos eſtis. Nam ſic dicit Apoſtolus,
Philip. 4. 1. *Gaudium & corona mea vos eſtis in Domino.* Quidquid eſt in ſæculo, vaneſcit, tranſit. Vita iſta
Pſal. 8. 6. quid eſt, niſi quod Pſalmus dixit? *Manè ſicut herba tranſiet, manè floriet & præteriet: veſpere decidet, dureſcit & areſcit.* Hoc eſt omnis caro. Ideo Chriſtus, ideo nova vita, ideo ſpes æterna, ideo conſolatio immortalitatis promiſſa, & in Domini carne jam reddita. A nobis enim aſſumta eſt illa caro, quæ jam immortalis eſt, & nobis C
Johan. 1. 1. quod in ſe implevit, oſtendit. Propter nos enim carnem habuit. Nam propter ſe, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quære carnem & ſanguinem: ubi in Verbo? Quia verè nobis compati voluit, & nos redimere, induit ſe formâ ſervi, & deſcendit qui hîc erat, ut appareret qui non aberat; & voluit fieri homo qui fecit hominem, creari de matre, qui creavit matrem. Adſcendit uſque in crucem, mortuus eſt, & oſtendit nobis quod no- D veramus, naſci & mori. Implevit in ſe humilis hæc vetera noſtra uſitata & nota. Naſci & mori noveramus: reſurgere & in æternum vivere non noveramus. Duo ergo noſtra vetera humilis aſſumſit: duo alia magna & nova excelſus implevit. Reſuſcitavit carnem, levavit in cælum carnem, ſedet ad dexteram Patris. Caput noſtrum eſſe
Johan. 17. 24. voluit, caput pro membris clamavit: quia & cùm hîc eſſet, dixit, *Pater, volo ut ubi ego ſum, ibi ſint & iſti mecum.* Speremus hoc & de carne E noſtra, reſuſcitationem, commutationem, incorruptionem, immortalitatem, æternam manſionem: & agamus ut perveniamus. Hæc erit Florentia, vera Florentia.

* Alias 38. ex Sirmondianis.

* SERMO CCCLX.

c *Ad vigilias Maximiani, de quodam [c] Donatiſta, qui reverſus eſt ad Eccleſiam.*

DEo gratias, Fratres, congratulamini fra- F tri veſtro, qui mortuus erat & revixit, perierat & inventus eſt. Gratias patientiæ & miſericordiæ Domini Dei noſtri; patientiæ, quia ſuſtinuit tardantem; miſericordiæ, quia ſuſcipere dignatus eſt redeuntem. Hæc eſt vinea, ubi non operabar, & vires meas in aliena conſumſeram. O vinea dilecta Domino meo, non ſolùm labor meus nihil tibi proderat, verùm etiam contra te inimico tuo ſerviebam. Magno ſudore ſpargebam, quando tibi non colligebam. Gratias plantatori tuo, apud quem non manet merces operariorum etiam horâ noviſſimâ vocatorum. Serus advenio, ſed denarium non deſpero. Qui priùs fui blaſphemus, & perſecutor, & injurioſus adversùm te: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Tenebam enim verba parentum meorum, non Patriarcharum, non Prophetarum, non Apoſtolorum; ſed parentum carnis meæ. Non adquievi carni & ſanguini; ſed adquievi ſuperatus veritati, & requievi redditus unitati. Numquid non eaſdem Scripturas legebam, quas & nunc lego? Sed etiam ille doctor gentium vas electionis, ex Saulo Paulus, ex elato minimus, ex prædone paſtor, ex lupo aries, Hebræus erat ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus, ad pedes Gamalielis doctoris legem eruditus: & tamen Chriſtum, quem legebat in Prophetis, nec ſedere noverat in cælis, nec coli permittebat in terris. Fidem paſſionis & reſurrectionis ejus neſciens ore cantabat, & ſæviens errore vaſtabat. Secundùm Prophetas, in quibus natus erat & creverat, jam Chriſtus ſurgens à mortuis ſedebat in cælo; & ille adhuc in parentum ſuorum cæcabatur mendacio, quia eum diſcipuli ejus furati fuerant de ſepulcro. Sic & ego de Eccleſia catholica toto orbe diffuſa circumtundebar divinarum vocibus litterarum; & me ſurdum faciebant à parentibus intentata falſa crimina traditorum. Non me Pauli meritis comparo, ſed peccatis. Etiamſi tam bonus eſſe non merui, non tamen ſine medicina correptionis tam malus fui. Nec ille ſponſum agnoſcebat in libris, quos legebat, nec ego ſponſam. Qui revelavit illi de Chriſti clarificatione quod ſcriptum eſt, *Exaltare ſuper cælos Deus*; ipſe revelavit mihi de Eccleſiæ effuſione quod ſequitur, *Super omnem terram gloria tua.* Utraque teſtimonia aperta ſunt videntibus, ſed clauſa cæcis. Illis oculos aperuit baptiſmus Chriſti, mihi pax Chriſti. Illum lavacrum aquæ ſanctæ reddidit novum: meorum autem caritas cooperuit multitudinem peccatorum. Pſal. 107. 6.

* Alias de Diverſis 120.

* SERMO CCCLXI.

De [d] reſurrectione mortuorum, I.

Caput I. Florus ad 1. Cor. 15.

1. ANIMADVERTIMUS, cùm Apoſtoli epiſtola legeretur, laudabilem motum fidei caritatiſque veſtræ, quemadmodum exhorrueritis homines, qui putantes hanc ſolam eſſe vitam, quam cum pecoribus habemus communem, poſt mortem autem finiri totum quod eſt hominis, nec eſſe ſpem ullam vitæ alterius melioris, pruritum malarum aurium corrumpentes, dicunt, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur.* Hinc ergo ſumatur noſtræ diſputationis exordium, & hic ſit noſtri velut cardo ſermonis, quò cetera, quæ Dominus ſuggerere dignatus fuerit, referantur. 1. Cor. 15. 32.

Caput II. Spes fideſq.

2. Spes enim noſtra eſt reſurrectio mortuorum: fides noſtra, eſt reſurrectio mortuorum. Ca-

G

[a] Suſpicamur legendum, *ſecundùm juſſionem domni patris & fratris. Loquor enim pro fratre meo epiſcopo veſtro.* Hoc epilogo utitur loquens alienæ plebi, apud quam fortè non ſolebat concionari.

[b] Quemadmodum baſilica Fauſti & baſilica Leontiana dictæ ſunt à Fauſto & Leontio conditoribus, ſic Florentia hoc loco baſilica de nomine Florentii epiſcopi. Cujus verò ſedis epiſcopus fuerit incertum eſt: niſi Florentium intelligi placeat Hipponenſium diarrytorum in Proconſulari provincia epiſcopum, qui & collationi Donatiſtarum cum ceteris hoc anno interfuit, ut cognitionis primæ Geſta declarant, & aliquot poſt annos Leporii monachi epiſtolæ ad Gallos ſubſcripſit cum Auguſtino & aliis. Quod ſi verum eſt, non Carthagine, neque Hippone-regio, ſed Hippone-diarryto habitum dici Sermonem conſentaneum fuerit. SIRM.

[c] Immo cujuſdam Donatiſtæ ore aut nomine pronuntiatus, ſed dictante haud dubiè Auguſtino. Regius MS. non *ad Maximiani*, ſed *ad Maximini vigilias* præfert, alicujus forſitan Martyris Africani.

[d] Poſſid. in Indic. c. 1. notat *de reſurrectione Tractatus duos.* Primũ citat Florus ad 1. Cor. 15. ſecũdũ idẽ ipſe ac Beda ad 1. Cor. 15. & Col. 3.

Classis IV. que nostra, resurrectio mortuorū.

Caritas nostra.

ritas etiam nostra est, quam prædicatio rerum quæ nondum videntur inflammat, & accendit desiderio, cujus magnitudine fiant corda nostra capacia beatitudinis quæ ventura promittitur, quamdiu creditur quod nondum videtur: caritas ergo etiam ipsa nostra, nec circa temporalia hæc & visibilia debet occupari, ut tale aliquid nos habituros in resurrectione speremus, quale modò, si contemnimus, meliùs vivimus melioresque sumus, carnales videlicet voluptates atque delicias. Sublatâ itaque fide resurrectionis mortuo- B rum, omnis intercidit doctrina Christiana. Fundatâ verò fide resurrectionis mortuorum, non continuò securitas est de animo Christiano, nisi distinguatur vita illa, quæ futura est, ab ista quæ transit. Itaque sic proponendum est: Si non resurgent mortui, nulla spes nobis est futuræ vitæ: si autem resurgent mortui, erit quidem vita futura; sed secunda quæstio est, qualis erit. Prima itaque disputatio est, utrùm futura sit resurrectio mortuorum: secunda verò disputatio est, C qualis futura est in resurrectione vita sanctorum.

Duæ quæstiones de futura resurrectione.

Caput III. In altera infidelis errat, in altera Christianus carnalis.

3. Qui ergo dicunt mortuos non resurgere, Christiani non sunt: qui verò putant mortuos cùm resurrexerint, carnaliter esse victuros, carnales Christiani sunt. Quidquid ergo disputationis est adversùs opinionem eorum, qui resurrectionem mortuorum negant, adversùs eos est qui foris sunt, ex quorum numero non hîc arbitror adesse aliquem. Unde superflua videri potest nostra dissertio, si fuerit immorata, ut docere co- D nemur resurgere mortuos. Auctoritatis enim pondere Christianus ducendus est, qui jam Christo credidit, qui nullo modo putat mentiri Apostolum. Sufficit ergo ut iste audiat, *Si mortui non resurgunt, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Si mortui*, inquit, *non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Si autem Christus resurrexit, in quo salus est Christianorum, non utique impossibile est resurgere mortuos: quoniam ille qui suscitavit Filium suum, & ille E qui suscitavit carnem suam, cetero corpori, quod est Ecclesia, in capite demonstravit exemplum. Poterat ergo esse superflua disputatio de resurrectione mortuorum, ut jam susciperemus eam, quam inter se Christiani solent habere, cùm resurrexerimus quales erimus, quemadmodum vivemus, quæ erunt negotia nostra, eruntne aliqua, aut nulla: si nulla erunt, desidiosè victuri sumus nihil agendo; aut si aliquid agemus, quid agemus: deinde manducaturi & bibituri sumus, F conjunctiones marium feminarumque futuræ sunt, an aliqua simplex & incorrupta vita communis; & si ita est, qualis erit ipsa vita, qualis motus, qualis figura ipsorum corporum. Istæ disputationes Christianorum sunt, salva fide resurrectionis.

Christianus auctoritatis pondere ducendus.

1. Cor. 15. 14.

Ibidem 13.

Caput IV. Resurrectionem futuram probare suscipit.

4. Ad hanc ergo disputationem, quantum vel suscipi vel promi per homines hominibus potest, quales vel nos sumus, vel vos estis, jam jamque transirem, nisi me in illa quæstione, ubi G quæritur, utrùm omnino resurgant mortui, aliquantulùm immorari cogeret sollicitudo quædam de nimis carnalibus fratribus nostris & propè paganis. Nam neminem hîc paganum nunc esse arbitror, sed omnes Christianos. Pagani verò & irrisores resurrectionis quotidie in auribus Christianorum immurmurare non cessant: *Man-*

1. Cor. 15. 32.

A *ducemus & bibamus, cras enim morimur.* Et quod dixit Apostolus, subinferens sollicitudinem suam & subjungens huic sententiæ, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala:* metuentes ista mala & sollicitudinem gerentes pro infirmis, non solùm paterna, sed etiam materna quadam caritate, etiam hinc dicemus aliquid, quantum fortè sufficiat Christianis, quia hodierno die hos omnes qui convenerunt devotio circa Scripturas major adduxit. Neque enim diei alicujus festi sollemnitas ad B Ecclesiam Dei etiam turbas theatricas convocavit. Solent enim quidam non de pietate, sed de sollemnitate concurrere. Hæc consideratio fecit ut primò dicamus de resurrectione mortuorum; & deinde, si copiam Dominus dederit, qualis sit postea vita futura justorum.

Serm. de Diversis.

Ibidem 33.

Caput V.

2. Cor. 11. 3.

In eos qui sic vivendum hic decernunt, quasi post mortem superfit nihil.

5. *Timeo*, inquit Apostolus, *ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate quæ est in Christo.* Horum autem mentes corrumpunt illa colloquia. C *Manducemus & bibamus, cras enim morimur.* Qui hæc amant, qui hæc sectantur, qui solam esse vitam istam arbitrantur, qui nihil de cetero sperant, qui Deum aut non rogant, aut propter hoc rogant, quibus onerosus est sermo diligentiæ, audiant nos cum magna tristitia ista dicentes. Manducare volunt & bibere, cras enim moriuntur. Utinam verè cogitarent, se cras esse morituros. Quis enim tam demens atque perversus est, quis tam hostis animæ suæ, qui crastino die moriturus D non cogitet finita esse omnia propter quæ laborat? Sic enim scriptum est, *In illo die perient omnes cogitationes ejus.* Et si homines propter eos, quos hîc relinquunt, testamenti curam gerunt imminente die mortis suæ: quantò magis debent de anima sua aliquid cogitare? Cogitat homo quos relinquat, & se qui hæc omnia relinquit non cogitat? Ecce habebunt filii tui quod dimittis, tu nihil habebis, & tota cogitatio tua in eo consumitur quà peregrini post te transeant, non quò E transeuntes perveniant. Utinam ergo esset cogitatio de morte. Sed cùm efferuntur mortui, cogitatur mors, & dicitur, Væ misero, talis fuit, herì ambulabat, aut ante septem dies illum vidi, illud atque illud mecum locutus est, nihil est homo. Murmurant ista. Sed fortè cùm mortuus plangitur, cùm funus curatur, cùm exsequiæ præparantur, cùm effertur, cùm itur, cùm sepelitur, viget iste sermo: sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur. Redeunt illæ cu- F ræ mortiferæ, obliviscitur quem deduxerit, de successione cogitat decessurus, redit ad fraudes, ad rapinas, ad perjuria, ad vinolentiam, ad infinitas corporis voluptates, non dico, cùm exhaustæ fuerint, perituras, sed cùm hauriuntur pereuntes, &, quod est perniciosius, de sepulto mortuo argumentum sepeliendi cordis assumitur, & dicitur, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur.*

Psal. 145. 4.

Caput VI. Resurrectionis fides irridetur ab incredulis.

6. Irrident etiam fidem asserentium resurre- G cturos esse mortuos, dicentes sibi, Ecce iste positus est in sepulcro, audiatur vox illius. Sed hujus non potest: patris mei vocem audiam, avi mei, proavi mei. Quis inde surrexit? Quis indicavit quid agatur apud inferos? Bene nobis faciamus, cùm vivimus: cùm autem mortui fuerimus, etiamsi parentes nostri, aut cari, aut propinqui afferant ad sepulcra nostra, sibi afferent qui vivunt,

Classis IV.

vunt, non nobis mortuis. Et hæc quidem irrisit etiam Scriptura, dicens de quibusdam bona præsentia non sentientibus, *Tamquam si epulas*, inquit, *mortuo circumponas*: & manifestum est hoc ad mortuos non pertinere., & consuetudinem hanc esse paganorum, non venire de propagine illa & vena justitiæ patrum nostrorum Patriarcharum, quibus exsequias celebratas esse legimus, parentatum esse non legimus. Hoc etiam in moribus Judæorum animadverti potest: non enim tenuerunt inde virtutis frugem, sed tamen tenuerunt in quibusdam sollemnitatibus consuetudinis vetustatem. Et quod objiciunt quidam de Scripturis, *Frange panem tuum, & effunde vinum tuum super sepulcra justorum, & ne tradas eum injustis*; non est quidem de hoc differendum, sed tamen posse dico intelligere fideles quod dictum est. Nam quemadmodum ista fideles faciant religiosè erga memorias suorum notum est fidelibus; & quia non sunt ista exhibenda injustis, id est, infidelibus, quia, *Iustus ex fide vivit*, etiam hoc fidelibus notum est. Nemo ergo quærat de medicina vulnus, & de Scripturis conetur torquere vinculum, unde laqueum mortis injiciat animæ suæ. Manifestum est quemadmodum illud intelligatur, & aperta atque salubris est hæc celebratio Christianorum.

Eccli. 30. 18. — Parentalia. — Tob. 4. 18. — Rom. 1. 17. — In eos qui objiciunt [illegible] à memoriis recidule.

Caput VII.

Fides nostra in corde, quasi Christus in navi, dormiens, excita illa, ut tempestas sedetur.

7. Illud ergo, ut cœperam dicere, videamus, propter homines immurmurantes in aures infirmorum, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur*: quia dicunt, Nullus inde resurrexit, non audivi vocem cujusquam, ex quo ibi positus est avus meus, ex quo atavus, ex quo pater; nullius audivi vocem. Respondete Christiani, si Christiani estis: ne fortè cùm vultis in populis inebriari, pigeat vos corruptoribus respondere. Habetis quid respondeatis: sed fluctuatis concupiscentiâ voluptatum, & vultis ingurgitari & vivi sepeliri. Surgit cupiditas ebrietatis, & quasi fluctus quidam irruit in animam, adtractus flatu malè suadentis. Tempestatem ergo magnam pateris, non vis respondere corruptori, cùm faves propinatori; sed fluctus concupiscentiæ nimis erigitur, & obruere vult tamquam navem cor tuum. Christiane, dormit in navi tua Christus: excita illum; jubebit tempestatibus ut omnia tranquillentur. Illo enim tempore, quando discipuli in navi fluctuabant Christo dormiente, significaverunt fluctuare Christianos Christiana fide dormiente. Vides enim quid dicit Apostolus: *Habitare*, inquit, *Christum per fidem in cordibus vestris*. Secundùm enim præsentiam pulcritudinis & divinitatis suæ semper cum Patre est, secundùm præsentiam corporalem jam supra cælos ad dexteram Patris est; secundùm præsentiam verò fidei in omnibus Christianis est. Et ideo ergo fluctuas, quia Christus dormit: hoc est, ideo concupiscentias illas, quæ excitantur flatibus malè suadentium, non superas, quia fides dormit. Quid est, fides dormit? Sopita est. Quid est, sopita est? Oblitus es eam. Quid ergo est excitare Christum? Excitare fidem, reminisci quod credidisti. Ergo recordare fidem tuam, excita Christum: ipsa fides tua jubebit fluctibus, quibus turbaris, & ventis perversa suadentium: statim discedent, statim omnia conquiescent; quia etsi non desistit malus suasor loqui, jam non commovet navem, non fluctum excitat, non mergit vehiculum quo portaris.

Matth. 8. 24. — Ephes. 3. 17.

Serm. de Diversis.

8. Quid ergo facis excitans Christum? Quid tibi dixerat malus ille sermocinator? Quid dixerat ille corruptor, corrumpens bonos mores per colloquia mala? quid dixerat? Certè hoc dixerat: Nemo inde reversus est, non audivi patrem meum, non avum meum, redeat inde aliquis, dicat quid illic agitur. * Tu jam excitato Christo in navi tua, recolens fidem tuam, responde illi, & dic, Stulte, si pater tuus resurgeret, crederes; Dominus omnium resurrexit, & non credis? Unde enim ita voluit mori & resurgere, nisi ut omnes uni crederemus, ne à multis deciperemur? Et quid faceret pater tuus, si resurgeret & loqueretur, iterum moriturus? Adtende cum quanta ille potestate resurrexerit, qui jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur. Ostendit se ipsum discipulis & fidelibus suis: contrectata est soliditas corporis, cùm parum esset quibusdam videre quod meminerant, nisi etiam tangerent quod videbant. Confirmata fides est, non solùm in cordibus, sed etiam in oculis hominum. Adscendit ille, qui hæc demonstravit, in cælum, misit Spiritum-sanctum discipulis suis, prædicatum est Evangelium. Si mentimur hæc, interroga orbem terrarum. Multa quæ promissa sunt, facta sunt: multa quæ sperabantur, impleta sunt: in fide Christiana totus orbis viget. Non audent Christi resurrectioni detrahere, nec illi qui nondum Christo crediderunt. Testimonium in cælo, testimonium in terra: testimonium ab Angelis, testimonium ab inferis. Quid remansit, quod non clamet? Et tu dicis, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur.*

* Caput VIII.

Resurrectionis futuræ fides resurgente Christo satis comprobata.

Totus orbis adtestatur fidei nostræ.

Omnia testimonium perhibent resurrectioni.

9. Sed tristis factus es, de sepulto carissimo tuo, quia non statim audisti vocem ejus. Vivebat, mortuus est: manducabat, jam non manducat: sentiebat, jam non sentit: non interest gaudiis & lætitiæ vivorum. * Numquid plangeres semen, quando arares? Si ergo esset quisquam ita rerum imperitus, qui quando effertur semen in agrum, & in terram mittitur, & fractâ glebâ sepelitur; si ergo esset quisquam ignarus rerum etiam propè futurarum, qui plangeret triticum, quia meminisset æstatis, & cogitaret apud se dicens, Hoc frumentum, quod modò sepultum est, quanto labore messum, apportatum, trituratum, purgatum, servabatur in horreo? Videbamus ejus decorem, & gratulabamur; modò ablatum est ab oculis nostris; terram exaratam video, frumentum verò nec in horreo, nec hîc cerno: frumentum quasi mortuum atque sepultum lugubriter plangeret, fleret ubertim, adtendens glebas & terram, messem autem non videns: quomodo irrideretur à quibuslibet indoctis, sed in illa re non indoctis; imperitis quidem aliarum rerum, peritis autem illius rei, quam plangeret ille deformiter imperitus? Et quid ei dicerent illi, qui scirent? si fortè propterea ipse plangebat, quia nihil horum sciebat. Noli esse tristis, hoc quod sepelivimus certè jam non est in horreo, non est in manibus nostris: veniemus ad agrum hunc, & delectabit te videre speciem segetis, ubi nunc plangis nuditatem arationis. Ille qui noverat quid esset de frumento venturum, & in ipsa aratione gauderet: ille verò incredulus vel potiùs insipiens, &, ut verius dicam, inexpertus plangeret quidem forsitan primò, sed experto cre-

* Caput IX.

Exemplum resurrectionis in semine.

dens consolatus abscederet, & futuram messem cum experto speraret.

Caput X. Resurrectionis nostræ exemplum in Christo. *Johan.* 12. 24.

10. Sed solent videri per annos singulos messes: generis autem humani una ultima in fine sæculi messis assurget. Ostendi nunc oculis non potest: sed de uno principali grano datum est experimentum. Dicit ipse Dominus, *Si granum sic manserit, & non mortificatum fuerit, solum manebit*, dicens de sua mortificatione, quia multiplex futura est in illum credentium resurrectio. Exemplum datum est de uno grano, sed tale exemplum cui crederent omnes, qui grana esse vellent. Quamquam & omnis creatura loquitur resurrectionem, si surdi non sumus: unde conjicere debemus quid in fine semel de genere humano facturus est Deus, cùm tot similia quotidie videamus. Resurrectio Christianorum semel erit, somnus animalium & evigilatio quotidiana est. Dormire, morti simile est: evigilare, resurrectioni simile est. Ex hoc quod quotidie fit, crede quod semel futurum est. Luna per omnes menses nascitur, crescit, perficitur, minuitur, consumitur, innovatur. Quod in luna per menses, hoc in resurrectione semel in toto tempore. Quomodo id quod de dormientibus quotidie, hoc de luna per singulos menses. Unde abeunt, unde redeunt frondes arboribus, in quæ secreta discedunt, de quibus secretis adveniunt? Hyems est, certè nunc arbores arentibus similes verno tempore [a] virescunt. Nunc primùm factum est, an & præterito anno ita fuit? Immo & præterito sic fuit. Interceptum est ab autumno in hyeme, redit per vernum in æstate. Ergo annus redit in tempore, & homines facti ad imaginem Dei cùm mortui fuerint interibunt?

Omnis creatura loquitur resurrectionem.

Evigilatio animaliū.

Novilunia.

Frondes arborum.

Caput XI. Quomodo de terra quædam instaurantur.

11. Sed potest mihi aliquis dicere minùs diligenter inspiciens mutationes instaurationesque rerum: Illa folia putruerunt, nova nascuntur. Bene autem considerans videt, quòd & illa quæ putrescunt, in vires terræ cedunt. Unde enim terra pinguificatur, nisi de putredine terrenorum? Adtendunt hæc qui agrum colunt; & qui non colunt, quia in urbe semper vivunt, de hortis certè vicinis urbi cognoscant contemtibilia quæque purgamenta civitatis quibus studiis serventur, à quibus etiam pretio comparentur, quò portentur. Certè jam contemtibilia, exinanita omni utilitate, ab inexpertis possent putari. Et quis dignatur stercus intueri? Quod intueri homo horret, servare curat. Illud ergo quod consumtum jam & abjectum videbatur, redit in pinguedinem terræ, pinguedo in succum, succus in radicem; & quod de terra in radicem transit, invisibilibus accessibus migrat in robur, distribuitur per ramos, à ramis in germina, à germine in fructus & folia. Ecce quod horrebas in putredine stercoris, in arboris fecunditate & viriditate miraris.

Caput XII. Objectio, quòd corpus abeat in cinerem. Mos Ægyptiorum. [b] Gabbaræ.

12. Nolo mihi jam opponas quod soles opponere: Non manet integrum corpus sepulti mortui; nam si maneret, resurgere crederem. Ægyptii ergo soli credunt resurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum. Morem enim habent siccare corpora, & quasi ænea reddere: [b] Gabbaras ea vocant. Ergo secundùm istos, qui secretos naturæ sinus ignorant, ubi omnia salva sunt Conditori, etiam cùm mortalibus sensibus subtrahuntur, soli Ægyptii bene credunt resurrectionem mortuorum suorum, aliorum verò Christianorum spes in angusto est? Sæpe enim vel vetustate vel aliqua non sacrilega necessitate apertis vel nudatis sepulcris, inventa sunt corpora putruisse, & suspirantes gemuerunt homines, qui solent corporali specie delectari, & dixerunt in cordibus suis, Itane iste cinis aliquando habebit illam speciem pulcritudinis, reddetur vitæ, reddetur luci? Quando istud erit? Quando ego aliquid vivum de hoc cinere sperem? Qui hoc dicis, vides in sepulcro vel cinerem: replica ætatem tuam, si es, verbi gratiâ, triginta, quinquaginta vel ampliùs annorum: in sepulcro vel cinis est mortui, tu ante quinquaginta annos quid eras? ubi eras? Corpora omnium nostrûm, qui nunc loquimur, vel audimus, post paucos annos cinis erunt, ante paucos annos nec cinis erant. Qui ergo potuit parare quod non erat, deficiet reparare quod erat?

Caput XIII. Contra mala colloquia fides à Christo firmata. 1. *Cor.* 9. 24.

13. Desinant ergo murmura malè loquentium, & corrumpentium mores bonos colloquiis malis. Figite pedes in via, figite: ut non relinquatis viam, non vt remaneatis in via, sed quemadmodum dictum est, *Sic currite, ut comprehendatis*. Semper vigeat Christus in corde, qui voluit in capite ostendere quod membra cetera sperent. In terra quidem laboramus, caput nostrum in cælo jam nec moritur, nec deficit, nec aliquid patitur: passum est tamen pro nobis. Quia *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Hoc nos per fidem novimus: quibus autem se ostendit, per oculos didicerunt. Non tamen nos reprobati sumus, quia resurrexit, & eum videre oculis carnalibus non potuimus. Habemus pro nobis ipsius Domini testimonium, quod dixit dubitanti discipulo & tactu quærenti quod crederet. Nam cùm exclamasset cicatricum contrectatione convictus, & dixisset, *Dominus meus, & Deus meus*: ille contrà, *Quia vidisti me*, inquit, *& credidisti; beati qui non vident & credunt*. Expergiscimini ergo ad beatitudinem vestram, nullus malè suadens excutiat de cordibus vestris quod Christus infixit.

Rom. 4. 25. *Johan.* 20. 28 & 29.

In eos qui resurgere Christo tantùm licuisse dicunt.

14. Neque mihi illud dicatur. Hoc enim dicitur ab omnibus, qui jam etiam inviti auctoritati Christi cesserunt. Omnes enim penè pagani, etiam qui nolunt aut differunt Christum devotione apprehendere, non audent reprehendere: quamvis audeant Christianos, Christum non audent; cedunt capiti, & adhuc corpori insultant. Sed corpus audiens insultationes eorum, qui jam cedunt capiti, non se præcisum putet à capite, sed subnixum. Nam si præcisi essemus, debuimus timere voces insultantium: non autem nos esse præcisos ille ipse testatur, qui Paulo, adhuc Saulo Ecclesiam persequenti, ait, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Jam transierat per manus impietatis Judæorum, jam inferna penetraverat, jam de sepulcro resurrexerat, jam in cælum adscenderat, jam dono Spiritus-sancti credentium corda ditaverat atque firmaverat, ad dexteram Patris sedens interpellans pro nobis: non se iterum morti traditurus, sed nos de morte liberaturus, quid poterat perpeti à Saulo sæviente? Unde illum manus illa tangebat, quamvis esset ille, sicut scriptum est, *Spirans cædem*? In Christianos humi laborantes impetum facere poterat: in Chri-

Membrorum conjunctio cū Christo capite. *Act.* 9. 4. *Ibidem* 1.

a MSS. *Viridescunt.*

b Verba isthæc, *Gabbaras ea vocant*, absunt à MSS.

CLASSIS IV.

stum autem quando & quomodo? Clamat tamen pro ceteris membris, & non dicit, Quid persequeris meos: si enim diceret, Quid persequeris meos, crederemus servos. Sed non tantum cohærent servi domino, quantum Christiani Christo. Alia est ista compago: alius ordo membrorum, alia unitas caritatis. Caput pro membris loquitur, neque hoc saltem dicit, Quid persequeris membra mea: sed dicit, *Quid me persequeris?* Non tangebat caput, sed tangebat quod capiti junctum est. * Jam sæpe diximus, sed quia similitudo apta est, & rem bene insinuat, repetenda est. Qui te in turba calcat, pedem tuum premit, linguæ autem nihil facit. Quid sibi ergo vult, quòd lingua clamat, Calcas me? Pressura pedis est, nulla linguæ læsio, sed una compago. *Et si unum membrum patitur, compatiuntur omnia membra; & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Si ergo lingua tua pro pede tuo loquitur, Christus in cælo pro Christianis non loquitur? Non sic ergo loquitur lingua tua pro pede, ut dicat, Calcas pedem meum; sed, Calcas me, cùm ipsa non tacta sit. Cognosce illum caput tuum, cùm pro te de cælo loquitur, & dicit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ergo, Fratres, cur hoc diximus? Ne fortè ita vobis subrepant illi, de quibus dicit Apostolus, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala;* quia dicunt, *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur:* ut dicant vobis; (non audent enim Christum reprehendere, contremiscunt majestatis auctoritatem toto orbe fundatam; sed quomodo scriptum est, *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis frendet & tabescet:* frendere potest, & tabescere potest; blasphemare autem Christum non audet:) ne fortè ergo ita loquantur & dicant, Christo tantum licuit. Aliquando enim & ex animo dicunt, aliquando autem timore dicunt: tu tamen & quid audeant dicere adtende, & quid non audeant.

Caput XIV. Apta similitudo.

1. Cor. 12. 26.

1. Cor. 15. 33.

Psal. 111. 10.

Caput XV. Christus dolosè ab infidelibus laudatur, ne similem resurrectionem speremus.

15. Dicturi ergo sunt, Dicis mihi quòd resurrexerit Christus, & inde speras resurrectionem mortuorum, sed Christo licuit resurgere à mortuis. Et incipit jam laudare Christum, non ut illi det honorem, sed ut tibi faciat desperationem. Serpentis astuta pernicies, ut laude Christi te avertat à Christo, dolosè prædicat, quem vituperare non audet. Exaggerat majestatem illius, ut singularem faciat, ne tu speres tale aliquid, quale in illo resurgente monstratum est. Et quasi religiosior apparet erga Christum, cùm dicit, Ecce qui se audet comparare Christo, ut quia resurrexit Christus, & se resurrecturum putet. Noli perturbari perversa laude Imperatoris tui: hostiles insidiæ te perturbant, sed Christi humilitas & humanitas te consolatur. Ille prædicat quantum erectus sit Christus à te: Christus autem dicit quantum descendit ad te. Responde ergo huic: excita illam fidem; tempestas est, fluctus sunt, laborat navis, dormit Christus; excita illam fidem, noli oblivisci quod credidisti. Statim respondebis, cùm in te fides Evangelica vigilare cœperit. Non eris inops in respondendo: non enim tu eris qui loquéris; manens in te Christus arripiet instrumentum suum linguam tuam, velut gladium suum, utens corde tuo & voce tua tamquam possessor inhabitans, resistet adversario,

A securum te faciet: tu tantùm excita dormientem, id est, recordare oblitam fidem.

SERM. DE DIVERSIS.

16. Modò enim quid dicturus sum, unde talibus responsurus sis? Non novum aliquid dicam, sed id quod credidisti. * Excita ergo fidem, & responde dicenti, Christus solus potuit, nos non possumus: responde & dic, Ideo Christus potuit, quia Deus; ille utique, quia Deus. Si quia Deus, quia omnipotens; si quia omnipotens, cur desperabo quòd poterit & in me, quod demon-
B stravit in se propter me? Deinde quæro unde resurrexit Christus. Respondebit à mortuis. Quæro quare mortuus sit. Numquid enim Deus mori potest? Illa etiam divinitas Verbum æquale Patri, ars omnipotentis artificis, per quem facta sunt omnia, incommutabilis sapientia, in se ipsa manens, innovans omnia, adtingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter, mori potuit? Non, inquit. Et tamen Christus mortuus est. Unde mortuus est? Videlicet quòd
C *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Antè autem quid ait? *Qui cùm in forma Dei esset.* Formam [a] Dei acceperat, an in ea naturaliter erat? Distinguit Apostolus. Cùm formam Dei diceret, *esset* dixit: cùm formam servi nominaret, *accipiens* dixit. Christus ergo erat aliquid, accepit aliquid, ut cum illo unum esset quod acceperat. In forma Dei erat æqualis Deo, sicut Evangelista ille piscator loquitur, *Verbum*
D *erat in principio, & Verbum apud Deum, & Deus erat Verbum:* hoc est, *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quod enim non naturaliter inest, sed usurpatur illicitè, rapina est. Æqualitatem Dei usurpavit angelus, & cecidit, & factus est diabolus: æqualitatem Dei usurpavit homo, & cecidit, & factus est mortalis. Hic autem, qui natus est æqualis, quia non natus ex tempore, sed sempiterno Patri sempiternus Filius, semper natus, per quem facta sunt
E omnia; in forma Dei erat. Ut autem mediator esset inter Deum & homines, inter justum & injustos, inter immortalem & mortales, assumsit aliquid ab injustis & mortalibus, servans aliquid cum justo & immortali. Cum justo enim & immortali servans justitiam, ab injustis & mortalibus assumens mortalitatem, factus in medio reconciliator, dejiciens murum peccatorum nostrorum, unde illi canitur à populo suo, *Et in Deo meo transgrediar murum:* reddens Deo quod pec-
F cata abalienaverant, redimens suo sanguine quod diabolus possidebat; mortuus est pro nobis, & resurrexit pro nobis. Portavit peccata nostra, non illis inhærens, sed ea sustinens: sicut Jacob portavit pelles hœdorum, ut pilosus patri benedicenti videretur. Esaü malus pilos proprios habebat, Jacob autem bonus alienos portabat. Mortalibus quippe hominibus peccata inhærent. Non autem inhærebant illi qui dixerat, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem*
G *habeo iterum sumendi eam.* * Mors ergo in Domino nostro signum fuit alienorum peccatorum, non pœna propriorum. In omnibus autem hominibus mortalitas pœna peccati est: trahitur enim ab origine peccati, unde omnes venimus; de illius hominis lapsu, non de hujus descensu. Aliud enim est cadere, aliud descendere. Cecidit unus

Caput XVI. Christi resurrectione spem nobis resurrectionis meritò allatam esse.

Mortalitas Christi unde.

Sap. 8. 1.

Philip. 2. 6. & 7.

a

Johan. 1. 1.

Christus quomodo factus mediator.

Psal. 17. 30.

Peccata quomodo in Christo.

Gen. 27. 16.

Johan. 10. 18.

Caput XVII. Mortalitas pœna peccati.

[a] MSS. *Formam servi acceperat, an in ea naturaliter inerat?*

nequiter, descendit alius misericorditer. *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur.* Portans ergo aliena peccata, *Quæ non rapui*, inquit, *tunc exsolvebam*: id est, peccatum non habens moriebar. *Ecce*, inquit, *veniet princeps hujus mundi, & in me nihil inveniet.* Quid est, *nihil in me inveniet?* Non in me inveniet meritum mortis. Meritum enim mortis peccatum est. Quare ergo morieris? Sequitur, & dicit, *Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc.* Et surgit pergens ad passionem. Quare? Quia voluntatem Patris sui faciebat, non quia principi peccatorum aliquid debebat, in quo peccatum nullum erat. Ergo Dominus noster Jesus Christus divinitatem secum adtulit, mortalitatem autem à nobis assumsit. Hanc accepit in utero virginis Mariæ, conjungens se ipsum Verbum Dei humanæ naturæ, tamquam sponsus sponsæ in thalamo virginali, ut ipse tamquam sponsus procederet de thalamo suo.

1. Cor. 15. 22.
Psal. 68 5.
Johan. 14. 30.
Ibidem 31.
Psal. 18. 6.

Mortalitas in Christo vera, non ex merito, sed ex misericordia.
Rom. 8. 3.

17. Redi ergo ad id quod dicebam. Mortalitas de peccato venit in omnes homines: in Domino autem de misericordia erat, & tamen vera erat; quia talis caro vera erat, & verè mortalis erat, similitudinem habens carnis peccati; non similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati: vera enim caro, sed non peccati caro. Non enim mortalitatem illam, ut dixi, merito peccati acceperat, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & factus obediens usque ad mortem.* Quid ergo erat, & quid habebat? Divinitas erat, habens mortalitatem. Unde autem mortuus est, inde resurrexit. * Ad eos jam respicite qui dicunt, Christus solus potuit resurgere, non autem tu. Sed responde & dic, Christus in eo quod ex nobis acceperat, resurrexit. Tolle formam servi, non esset in qua resurgeret; quia non esset in qua moreretur. Quid ergo mihi de laude Domini mei fidem vis destruere, quam in me ædificavit Dominus meus? Ex illo enim quod formam servi accepit, mortuus est. Secundùm hoc autem resurrexit, secundùm quod mortuus est. Nullo modo ergo servi resurrectionem desperaverim, cùm in forma servi Dominus resurrexerit. Aut si potentiæ hominis tribuunt quòd Christus resurrexit à mortuis; nam & hoc solent dicere, quia homo erat tam justus, ut posset etiam resurgere à mortuis: ut interim secundùm ipsos loquar, & de Domini nostri divinitate non dicam; ille tam justus, ut à mortuis etiam resurgere mereretur, nullo pacto nos fallere potuit, cùm etiam nobis resurrectionem promisit.

*Caput XVIII. Christi resurrectio secundùm carnem antea mortalem.

Si justum eum fatentur, non fefellit promittens resurrectionem.

18. Omnia ergo quæ dicta sunt, Fratres, ad id valent, ut sitis instructi, si qui dicunt non resurgere mortuos. Dicta sunt autem, si meministis, quantum Deus suggerere dignatus est necessaria, & de rerum natura quotidianisque exemplis dicta sunt testimonia, & de ipsa omnipotentia Dei cui nihil difficile est, qui si potuit facere quod non erat, multò magis potest reparare quod erat, & de ipso Domino & Salvatore Jesu Christo, quem constat resurrexisse, neque ejus resurrectionem factam nisi in forma servi, quia neque mors fieri potuit, unde opus esset resurgere, nisi per formam servi. Unde quoniam servi sumus, id in

Caput XIX. Unde probata superiùs resurrectio futura.

A forma nostra sperare debemus, quod ille in forma servi præmonstrare dignatus est. Obticescant ergo linguæ dicentium, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur.* Prorsus & vos respondete, & dicite, Jejunemus & oremus, cras enim moriemur.

Serm. de Diversis.

19. Restat ut dicamus qualis erit in resurrectione vita justorum. Sed quia jam hodie moderatum tempus videtis absumtum, id quod reddidimus ruminate: hoc autem quod debemus,
B orate ut aliquando reddamus. Illud maximè tenete quare locuti sumus, præsertim propter dies festos istos, Fratres mei, quos Pagani celebrant. Adtendite vobis: transit hic mundus, recordamini Evangelium ubi prædicit Dominus sic futurum novissimum diem, quomodo in diebus Noë. Manducabant & bibebant, emebant & vendebant, uxores ducebant, nubebant, donec intravit Noë in arcam, venit diluvium, & perdidit omnes. Habetis apertissimè Dominum præmonentem, & alio loco dicentem, *Non graventur*
C *corda vestra in crapula & ebrietate.* * *Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes* [a]; *& similes estote pueris exspectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis.* Exspectemus eum venturum, non nos torpentes inveniat. Turpe est mulieri conjugatæ non desiderare virum suum: quantò turpius Ecclesiæ non desiderare Christum? Venit vir ad carnales amplexus, & magnis votis castæ uxoris accipitur: venturus est sponsus Ecclesiæ ad tradendos æternos amplexus, ad faciendos
D nos sibi sempiternos coheredes, & nos ita vivimus, ut ejus adventum non solùm non desideremus, sed etiam timeamus. Quàm verum est quòd sic venturus est dies ille, quomodo in diebus Noë? Quàm multos sic inventurus est, & eos qui Christiani appellantur? Ideo per tot annos ædificatur arca, ut evigilent qui non credunt. Per centum annos illa ædificata est, & non evigilaverunt ut dicerent, Non sine caussa homo Dei arcam ædificat, nisi quia imminet exitium generi humano; & pla-
E carent iram Dei, conversi ad mores qui placent Deo, quomodo fecerunt Ninivitæ. * Fecerunt enim fructum pænitentiæ, & propitiaverunt iram Dei.

Caput XX. Ultimum judicium exspectare exemplo Noë admonemur.
Luca 17. 27.
Luca 21. 34.
* Luca 12. 35.
Gen. 6. & 7.
*Caput XXI.

20. Annuntiavit Jonas, non misericordiam, sed iram futuram: non enim dixit, Triduo, & Ninive evertetur, si autem pænitentiam in isto triduo egeritis, parcet vobis Deus: non dixit hoc. Eversionem solam minatus est, & prænuntiavit: & tamen illi de Dei misericordia non desperantes, converterunt se ad pænitendum; & pepercit Deus.
F Sed quid dicemus? quia Propheta mentitus est? Si carnaliter intelligas, falsum videtur dixisse: si spiritaliter intelligas, factum est quod dixit Propheta. Eversa est enim Ninive. Adtende quid erat Ninive, & vide quia eversa est. Quid erat Ninive? Manducabant & bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant, perjuriis vacabant, mendaciis, ebrietatibus, facinoribus, corruptionibus: hæc erat Ninive. Adtende modò Ninive: plangunt, dolent, contristantur, in
G cilicio & cinere, in jejuniis & orationibus. Ubi est illa Ninive? Nempe eversa est, quia non in illis superioribus actibus constituta est.

Jona 3. 4.
Ninive juxta prophetiam eversa, sed per pænitentiam.

21. Ergo, Fratres, & modò ædificatur arca,

Caput XXII.

[a] Editi addunt, *in manibus vestris*: quod abest à MSS. non hîc tantùm, sed ubique ferè apud Augustinum. Iisdem verbis carent Græci, nec ea exhibet nostra Vulgata in antiquis Corbeiensibus bibliis.

CLASSIS IV.

Reprehensione digniores qui nunc Christo ædificante Ecclesiam non convertuntur, quàm qui olim Noë ædificante arcam.

& illi centum anni tempora ista sunt: totus iste tractus temporis illo annorum numero significatus est. Si ergo dignè perierunt, qui Noë ædificante arcam dissimulaverunt; quid digni sunt, qui Christo ædificante Ecclesiam à salute dissimulant? Tantum interest inter Noë & Christum, quantum inter servum & Dominum; immo verò, quantum inter Deum & hominem. Nam servus & Dominus possunt & duo homines dici. Et tamen quia homine ædificante arcam non crediderunt homines, datum est de illis cavendum exemplum posteris. Christus Deus propter nos homo ædificat Ecclesiam; illi arcæ fundamentum se ipsum posuit: quotidie ligna imputribilia, fideles homines renuntiantes huic sæculo, intrant in arcæ compaginem; & adhuc dicitur, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur?* Vos ergo, ut dixi, Fratres, contra illos dicite, Jejunemus & oremus, cras enim morimur. Illi enim dicunt, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur*, qui resurrectionem non sperant: nos autem qui jam resurrectionem & loquentibus Prophetis, & prædicante Christo & Apostolis credimus & annuntiamus, qui speramus nos post istam mortem victuros, non deficiamus, nec corda nostra oneremus crapulâ & ebrietatibus; sed solliciti exspectantes, accincti lumbis & lucernis ardentibus, adventum Domini nostri, jejunemus & oremus, non ideo quia cras moriemur, sed ut securi moriamur. Quod restat ergo, Fratres, in nomine Domini alio tempore à nobis exigite. Conversi ad Dominum &c.

* Aliàs de Diversis 111.

* SERMO CCCLXII.

De Resurrectione mortuorum, II.

CAPUT I. Dicendum qualis futura sit justorum resurrectio.

1. IN memoria retinentes pollicitationem nostram, congruas etiam ex Evangelio & Apostolo fecimus recitari lectiones. Quicumque enim vestrûm præterito Sermoni adfuerunt, recordantur nobiscum propositam de resurrectione quæstionem in geminam disputationem à nobis distributam; ut primò dissereremus, propter eos qui dubitant, vel etiam qui negant, utrùm futura sit resurrectio mortuorum; postea verò, quantum possumus, secundùm Scripturas quæreremus, qualis in resurrectione futura sit vita justorum. In prima ergo parte ubi tractavimus quòd resurgant mortui, tam diu sumus immorati, sicut meminisse dignamini, ut secundæ quæstioni tractandæ tempus deficeret, atque ita eam in hunc diem differre cogeremur. Hoc ergo à nobis debitum vestra poscit intentio, & nos reddendi tempus agnoscimus. * Pariter ergo pia cordis intentione Dominum deprecemur, ut & nos opportunè solvamus debitum, & vos salubriter recipiatis. Est enim hæc, quod fatendum est, major quæstio: sed omnibus quæstionibus difficilibus fortior est caritas, cui omnes servire debemus, ut Deus qui hoc præcepit, omnes nostras difficultates in facilitatem gaudiumque convertat.

* CAPUT II.

2. Meministis esse à nobis illo die responsum quibusdam dicentibus, sicut Apostolus eos arguit, *Manducemus & bibamus, cras enim morimur:* subjungens & dicens, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala:* atque ita concludens, *Sobrii estote justi, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.* Hæc verba Apostolica omnes audierimus, & cordi mandaverimus: & quisquis audierit, & cordi mandaverit, opera indicent. Qui audit enim, tamquam ager est semen excipiens seminantis: qui autem cordi mandat, similis est glebam frangenti; & quod seminatum est operienti: qui autem secundùm id quod audivit & cordi mandavit operatur, ipse est qui surgit in messem, & fructum affert cum tolerantia, aliud tricenum, aliud sexagenum, aliud centenum. Huic non ignis velut paleæ, sed horrea sicut frumento præparantur. * In ipsis ergo abditis horreis, in resurrectione mortuorum beatitudo est illa perpetua etiam ipsa secreta justorum, quò eos recipiendos Scriptura commendat.

1. Cor. 15. 32. &c.

SERM. DE DIVERSIS.

Matth. 13. 23. Luca 8. 15.

* CAPUT III.

3. Vasorum etiam nomine alio loco commemoravit, quando ait Dominus Jesus Christus, *simile esse regnum cælorum sagenæ*, id est retibus, retia enim quædam sagena appellantur. *Simile* ergo *est*, inquit, *regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti: quæ cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Significare voluit Dominus noster modò sic mitti verbum Dei super populos & super gentes, quomodo sagena in mare jacitur. Colligit autem modò sacramentis Christianis & bonos & malos: sed non omnes quos sagena tollit, etiam vasculis reconduntur. Vascula enim sunt sanctorum sedes, & beatæ vitæ magna secreta, quò non poterunt omnes pervenire quicumque Christiani appellantur; sed qui sic appellantur, ut sint. Sanè autem boni & mali pisces intra sagenam natant, & boni tolerant malos, donec in fine separentur. Dictum est etiam quodam loco, *Abscondes eos in abscondito vultûs tui:* loquebatur enim de sanctis. *Abscondes eos*, inquit, *in abscondito vultûs tui:* id est, quò non possunt sequi oculi hominum, neque cogitationes mortalium; secreta quædam significans nimis abscondita, nimis occulta, in abscondito vultûs Dei dixit. Numquid carnaliter cogitandum est habere Deum quamdam faciem grandem, & in facie ejus esse aliquod receptaculum corporale, ubi sancti abscondendi sunt? Hæc videtis, Fratres, quemadmodum carnalia sint, & ab omnium fidelium corde respuenda. Absconditum ergo vultûs Dei quid oportet intelligi, nisi quod tantummodo vultui Dei cognitum est? Cùm ergo dicuntur horrea, ut significentur secreta, & alio loco dicuntur vascula; neque horrea sunt quæ novimus, neque vascula. Nam si aliquid unum tale esset, alterum aliquid non diceretur. Sed quia per similitudines hominibus notas, ut possunt, insinuantur incognita, ad hoc utrumque nominatum accipite, ut secretum intelligatis, & horrei nomine & vasculorum. Sed si quæritis quale secretum, audite Prophetam dicentem, *Abscondes eos in abscondito vultûs tui.*

Matth. 13. 47. & 48.

Vasculorũ nomine beatorum secretæ sedes significatæ.

Psal. 30. 21.

Absconditum vultûs Dei.

CAPUT IV. Ad patriã fide suspiramus.

4. Quæ cùm ita sint, Fratres, in hac adhuc vita peregrinamur, adhuc in illam nescio quam patriam fide suspiramus. Et quare nescio quam, unde cives sumus, nisi quia in longinqua peregrinando obliti eam sumus, ut patriam nostram possimus dicere nescio quam? Hanc oblivionem expellit de corde Dominus Christus, rex ipsius patriæ, veniens ad peregrinos; & susceptione carnis divinitas ejus fit nobis via, ut per hominem Christum pergamus, & in Deo Christo maneamus. Quid ergo, Fratres, secretum illud, quod nec ocu-

1. Cor. 2. 9.

lus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis A adscendit, quo eloquio vobis explicaturi sumus, aut quo oculo nos visuri? Possumus aliquid aliquando nosse, quod eloqui tamen non possumus: quod autem non novimus, aliquando eloqui non valemus. Cùm ergo fieri possit, ut si ego illa nossem, eloqui ea vobis non possem; quantò difficilius eloquium meum erit, quando & ego, Fratres, vobiscum per fidem ambulo, nondum per speciem? Sed hoc ego, an & ipse Apostolus? Nam consolatur ignorantiam nostram, & ædificat fi- B dem, dicens, *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis*: unde se demonstrat in via esse. Et alio loco: *Quamdiu sumus*, inquit, *in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Et iterum: *Spe enim*, inquit, *salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.*

Philip. 3. 13. & 14. — 2. Cor. 5. 6. & 7. — Rom. 8. 24. & 25.

Caput V. Ecclesia docet quod credidit, non quod novit.

5. Sic ergo, Fratres, audite à me vocem quæ C est in Psalmis, piam, humilem, mansuetam, non elatam, non turbulentam, non præcipitem, non temerariam. Ait enim quodam in loco Psalmus, *Credidi propter quod locutus sum.* Et interposuit hoc testimonium Apostolus, atque subjecit, *Et nos credimus, propter quod & loquimur.* Vultis ergo ea me dicere quæ novi? Non vos fallo, audite quod credidi. Non vobis vilescat, quia quod cre- D didi auditis: auditis enim veracem confessionem. Si autem dicerem, Audite quod novi; audiretis temerariam præsumtionem. Si ergo, Fratres, omnes nos, &, ut credimus sanctorum litteris, omnes etiam qui ante nos in carne vixerunt, & per quos loquens Spiritus Dei distribuit hominibus tantum quantum satis esset significari peregrinantibus, omnes quod credimus loquimur: Dominus autem ipse, quæ noverat. Quid igitur, si solus Dominus de vita in æternum futura nosse pote- E rat quod dicebat; alii verò sequentes Dominum ideo quia crediderunt? Invenimus ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, scientem quid loqueretur, non dicentem tamen. Ait enim quodam in loco discipulis suis, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò.* Ille propter illorum infirmitatem, non propter suam difficultatem, quod noverat dicere differebat. Nos autem propter communem omnium nostrûm infirmitatem, non quod novimus satis dignè elo- F qui conamur, sed quæ dignè credimus, ut possumus, explicamus; & vos capite ut potestis. Et si amplius fortè capere aliquis vestrûm potest, quàm ego dicere; non adtendat ad exiguum rivum, sed currat ad uberrimum fontem: quoniam apud eum est fons vitæ, in cujus lumine videbimus lumen.

Psal. 115. 10. — 2. Cor. 4. 13. — Johan. 16. 12. — Psal. 35. 10.

Caput VI. Christiano de resurrectione dubitare non licet.

6. Quia ergo est resurrectio disputavimus, sic credimus, sic credere debemus, sic loquimur, G quia sic credidimus, si Christiani sumus, intuentes potentiam brachii Domini sternentis usquequaque superbiam gentium, & ædificantis hanc fidem tam latè per orbem terrarum, quàm promissum est multò antequam fieret: hæc intuentes, ædificamur ad credendum ea quæ nondum videmus, ut ipsam visionem mercedem fidei recipiamus. Cùm ergo manifestum sit fidei nostræ futuram resurrectionem mortuorum, & ita manifestum, ut hinc quisquis dubitaverit, impudentissimè se dicat Christianum; quæritur qualia corpora habebunt sancti, & quæ vita eorum futura sit. Multis enim visum est resurrectionem quidem fieri, sed per solas animas.

Caput VII. Quæstio, qualia futura sint corpora.

7. Quia verò resurgunt & corpora, non opus est diu differere post Sermonem præteritum. Sed objicitur hujusmodi quæstio. Si corpora futura sunt, qualia futura sunt? Talia qualia nunc sunt, an alterius modi? Si alterius modi, quis ille modus? Si talia, ergo ad eadem opera? Quia ergo non ad eadem præscribit Dominus, quia non ad talia docet Apostolus. Nam non ad eamdem vitam, non ad eadem facta mortalia & corruptibilia & peritura atque transeuntia, non ad carnalia gaudia, non ad carnales consolationes. Si ergo non ad eadem, nec talia. Si non talia, quomodo ergo caro resurget? Carnis autem resurrectionem habemus in regula fidei, & eam confitentes baptizamur. Et quidquid ibi confitemur, ex veritate & in veritate confitemur, in qua vivimus & movemur & sumus. Temporalibus enim gestis & transeuntibus quibusdam ac prætereuntibus factis instruimur ad vitam æternam. Omnia quæ gesta sunt, ut salubre aliquid audiremus, ut miracula fierent, ut Dominus noster nasceretur, esuriret & sitiret, comprehenderetur, contumeliis afficeretur, vapularet, crucifigeretur, moreretur, feperiretur, resurgeret, in cælum adscenderet, omnia transierunt; & cùm prædicantur, fidei nostræ actiones quædam temporales & transitoriæ prædicantur. Numquid quia ipsæ transeunt, quod per eas ædificatur similiter transit? Intendat enim Sanctitas Vestra, ut videatis hoc per similitudinem. Architectus ædificat per machinas transituras domum mansuram. Nam in isto tam magno & amplo, quod videmus, ædificio, cùm instrueretur, machinæ fuerunt, quæ hîc modò non sunt; quia quod per eas ædificabatur, jam perfectum stat. Sic ergo, Fratres, ædificabatur aliquid in fide Christiana, & perfecta sunt quædam machinamenta temporalia. Dominus enim noster Jesus Christus quòd resurrexit, transactum est; neque enim adhuc resurgit: & quòd adscendit in cælum, transactum est; neque enim adhuc adscendit. Quòd autem in illa vita est, ubi jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur; quod vivit in æternum etiam ipsa in illo natura humana, quam suscipere, & in qua nasci, & in qua mori & sepeliri dignatus est, hoc ædificatum est, hoc semper manet. Machinæ autem per quas ædificatum est, transierunt. Non enim semper in utero virginali concipitur, aut semper de Maria virgine nascitur Christus, aut semper comprehenditur, aut semper judicatur, flagellatur, crucifigitur, sepelitur. Omnia hæc machinæ deputantur, ut ædificaretur per has machinas illud quod manet in æternum. Hæc autem resurrectio Domini nostri Jesu Christi in cælo posita est.

Regula fidei, symbolum. — Apta similitudo.

Caput VIII. Ædificium cælestis Jerusalem habet fundamentum sursum.

8. Adtendat Caritas Vestra ædificium mirabile. Ædificia quippe ista terrena pondere suo terram premunt, totusque nutus ponderum in ista structura magnitudine ad terram nititur, & nisi contineatur, ad inferiora contendit, quò pondus adducit. Quia ergo in terra ædificatur, in terra fundamentum præmittitur; ut supra fundamentum securus instruat qui ædificat. Ergo po-

Classis IV.

nit in imo firmissimas moles, ut idoneè possint portare desuper quod imponitur, & pro magnitudine ædificii magnitudo fundamenti præparatur: in terra tamen, ut dixi, quia & illud quod ædificatur suprà, utique in terra collocatur. Jerusalem illa nostra peregrina in cælo ædificatur. Ideo præcessit fundamentum Christus in cælum: Ibi enim fundamentum nostrum est & caput Ecclesiæ: nam & fundamentum dicitur & caput, & re vera ita est. Quia & caput ædificii fundamentum est: non enim caput est quod finitur, sed unde incipit sursum versùs. Terrenorum ædificiorum culmina subriguntur, caput tamen in terræ soliditate constituunt. Sic & caput Ecclesiæ præcessit in cælum, & sedet ad dexteram Patris. Quomodo operantur homines, ut ad constituendum fundamentum aliquid trahant quod in imo stabiliant, propter securitatem superventuræ molis in constructionibus fabricæ futuræ: sic per omnia illa quæ contigerunt in Christo, nasci, crescere, comprehendi, contumeliam pati, flagellari, crucifigi, occidi, mori, sepeliri, velut adtracta est moles ad fundamentum cæleste.

Christus & fundamentum nostrum, & caput.

9. Posito ergo in summis fundamento nostro, ædificemur in eo. Audi Apostolum: *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* * Sed quid sequitur? *Vnusquisque autem videat quid superædificet super fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.* In cælo quidem Christus est, sed etiam in corde credentium. Si primum locum habet Christus, rectè positum est fundamentum. Ergo qui ædificat, securus ædificet, si pro dignitate fundamenti ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos. Si autem non pro dignitate fundamenti ædificat, lignum, fœnum, stipulam; saltem teneat fundamentum, & propter illa quæ exstruxit arida & fragilia, ad ignem se præparet. Sed si fundamentum est, id est, si primum locum in corde Christus obtinuit, sæcularia verò sic amantur, ut non Christo præponantur, sed eis Dominus Christus, ut sit in ædificio cordis tenens fundamentum, id est, primum locum: *detrimentum*, inquit, *patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non est nunc tempus hortari vos, ut potiùs aurum, argentum, lapides pretiosos ædificetis, quàm lignum, fœnum, stipulam, super tam magnum & validum fundamentum: sed tamen breviter dictum sic accipite, quasi diu & multis verbis dictum. Novimus enim, Fratres, quia quisquis vestrûm propter illa quæ modò diligit, per comminationes alicujus judicis in carcerem mitteretur, ut solum fumum pateretur, illa omnia mallet amittere, quàm locum illum pati. Nescio quo autem modo cùm ignis nominatur in die judicii futurus, omnes contemnunt, & flammas foci timentes, flammam gehennæ pro nihilo ducunt. Quæ est ista duritia, quæ tanta perversitas cordis? Si vel sic timerent homines quod ait Apostolus, *per ignem*, quomodo timet quisque ne vivus ardeat, quod illi uno momento contingit, donec sensus membra deserens omnes illas flammas superfluas facit; timeret tamen, & non faceret aliquid quod jure prohibetur, ne ad illum cruciatum momenti unius perveniret.

Agendum ut in Christo ædificemus.
1. Cor. 3. 11.
* Caput IX.
Ibidem 10. & 12.
Christus fundamentum est, si primum in corde locum obtinet.
Ignis gehennæ quàm timendus.

10. Sed, ut dixi, Fratres, nunc de hac re spatium non est disserendi: illud dico, hoc nos sperare debere in resurrectione mortuorum, quod expressum est in capite nostro, quod expressum est in corpore Domini nostri Jesu Christi. Quisquis aliud sperat, jam non ædificat super fundamentum, non solùm aurum, argentum & lapides pretiosos, sed nec ipsam stipulam. Extrà enim ponit totum, quia non in Christo ponit. Resurrexit ergo Dominus noster in eo corpore, in quo sepultus est. Resurrectio promittitur Christianis. Talem resurrectionem speremus, qualis in Domino nostro præcessit omnium nostrûm fidem. Ad hoc enim prævenit, ut fides nostra superædificetur. Quid igitur? Quomodo non tales, quales nunc sumus? Caro enim Domini nostri Jesu Christi resurrexit, sed adscendit in cælum. In terra officia humana servavit, ut persuaderet hoc resurrexisse quod sepultum erat. Numquid autem & in cælo talis cibus est? Nam & Angelos officia humana in terra legimus exsecutos. Venerunt ad Abraham, & manducaverunt; & cum Tobia Angelus fuit, & manducavit. Quid dicimus, quia phantasma erat illa manducatio, & non erat vera? Nonne manifestum est, quòd vitulum occidit Abraham, panes fecit, & ad mensam posuit, ministravit Angelis, & manducaverunt? Omnia ista manifestissimè facta & manifestissimè expressa sunt.

Caput X. Resurrectio talis speranda, qualis in Christo præcessit.
Gen. 18. 9.
Angeli apud Abraham verè manducarunt.

11. Quid ergo dicit in libro Tobiæ Angelus? *Vidistis me manducare, sed visu vestro videbatis.* Numquid quia non manducabat, sed manducare videbatur? Immo verò manducabat. Quid est ergo, *Visu vestro videbatis?* Intendat Sanctitas Vestra quod dico: intendat in orationem plus quàm in me; ut intelligatis quod dicimus, ut & nos ita dicamus quemadmodum vos oportet audire & intelligere quod auditis. Corpus nostrum quamdiu corruptibile est & moriturum, indigentiam patitur refectionis, inde & fames exsistit: propterea esurimus & sitimus; & si esuriem sitimque nostram distulerimus diutiùs quàm potest corpus sustinere, perducitur ad tabificam maciem, & ad quamdam morbidam exilitatem, discedentibus viribus & non succedentibus: & si ampliùs fiat, mors etiam consequetur. Nam semper de corpore nostro discedit aliquid quasi quodam fluvio discessionis, sed inde non sentimus vires discedentes, quia per refectionem assumimus succedentes. Quod enim copiosè accedit, paulatim discedit: propterea parvo tempore reficimus, productiore autem tempore deserunt nos vires, quæ acceptæ sunt cùm reficeremus. Sicut oleum in lucerna, quod parvo tempore mittitur, diutiùs paulatimque consumitur. Cùm autem propè consumtum fuerit, jam languor flammulæ illius quasi fames lucernæ, admonet nos, & continuò subvenimus, ut instauretur illa species, & maneat lux in lucerna, cibo suo refecta cùm adjicimus oleum. Sic vires nostræ, quas accipimus manducando, eunt & deserunt nos perpetua discessione, sed paulatim. Nam & idipsum nunc agitur in nobis, & in omnibus actionibus nostris, in omni etiam quiete nostra non cessat ire quod acceptum est: & si fuerit omnino consumtum, ita homo & moritur quomodo lucerna extinguitur. Ut autem non moriatur, id est, ut non extinguatur, non quia moritur animo, sed ut corporalis hæc vita nostra non extinguatur, & quædam quasi vigilatio in isto corpore succedat, currimus & subjicimus quod recessit, & reficere dicimur. Qui dicit re-

Caput XI. Homo ex necessitate manducat, Angelus ex potestate.
Tob. 12. 19.

fici, quid reficit, si nihil deficit? Per indigentiam ergo hanc & corruptionem etiam morituri sumus omnes, quia tale est hoc corpus, ut ei mors debita reservetur. Hanc enim mortalitatem significant pelles, quibus induti sunt Adam & Eva, & dimissi de paradiso. Pelles enim mortem indicant, quæ à mortuis pecudibus detrahi solent. Cùm ergo portamus istam defectibilem infirmitatem, cui etsi cibus numquam desit, sed subinde reparet vires, non tamen efficit ut mors non sit futura: (Totus enim ille status corporis per succedentes ætates, etiamsi diutiùs hîc vivatur, veniet aliquando ad terminum senectutis, & ultrà quò porrigatur non inveniet nisi mortem. Nam & lucerna ipsa, etiamsi subinde semper mittas oleum, non valet semper ardere; quia, ut aliis casibus non extinguatur, ipsa stuppa deficit, & quadam quasi senectute consumitur.) Quamdiu ergo talia corpora gerimus, ex defectu indigemus, ex indigentia esurimus, ex esurie manducamus. Angelus verò non ex indigentia manducat. Aliud est enim ex potestate aliquid facere, aliud ex necessitate. Manducat homo, ne moriatur: manducat Angelus, ut mortalibus congruat. Si enim mortem non timet Angelus, non ex defectu reficitur: si non ex defectu reficitur, non ex indigentia manducat. Qui autem videbant Angelum manducare, tamquam esurientem putabant. Hoc est quod ait, *Visu vestro videbatis*. Non enim dixit, Videbatis me manducare, sed non manducavi: *Videbatis*, inquit, *me manducare, sed visu vestro videbatis*, id est, ego manducabam ut vobis congruerem, non quia famem ullam aut indigentiam patiebar, qua cogente vos manducare consuevistis, & ideo quos manducare videritis, ex indigentia id fieri suspicamini, qui ex vestra consuetudine metimini quod videtis: hoc est, *visu vestro videbatis*.

Gen. 3.

CAPUT XII. Manducandi potestas post resurrectionem erit, sicut in Christo, non necessitas.

Rom. 6. 9. & 10.

12. Quid ergo, Fratres mei? *Scimus*, sicut dicit Apostolus, *quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.* Si ergo ille jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur: sic nos resurrecturos speremus, ut in eo statu semper simus, in quem resurgendo mutabimur. Manducandi autem & bibendi etiamsi potestas erit, necessitas non erit. Erat autem tunc cur hoc faceret Dominus, quia erant adhuc in carne quibus vellet congruere, quibus etiam cicatrices ostendere voluit. Non enim qui fecit oculos cæci, quos in matris utero non acceperat, sine cicatricibus resurgere non valebat. Qui si vellet ipsius carnis suæ mortalem indigentiam ante mortem ita commutare, ut non haberet aliquam necessitatis inopiam, posset utique: in manu enim habebat, quia Deus erat in carne, & omnipotens Filius, sicut omnipotens Pater. Nam & ipsam carnem suam ante mortem mutavit in quod voluit. In monte quippe cum discipulis cùm esset, sicut sol splenduit vultus ejus. Hoc autem potestate fecit, ostendere volens quia & ipsam carnem suam posset ab omni indigentia commutare, ut non moreretur si nollet. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo eam tollit à me.* Potestas hæc magna, qua posset & non mori: sed major misericordia, qua voluit mori. Ad hoc enim fecit per misericordiam, quod posset & non

Matth. 17.

Johan. 10. 18.

A facere per potestatem, ut nobis constitueret fundamentum resurrectionis: ut illud quod propter nos mortale portabat & moreretur, quia morituri sumus; & ad immortalitatem resurgeret, ut immortalitatem speremus. Ideoque ante mortem non solùm scriptum est quia manducavit & bibit, sed etiam quia esurivit & sitivit: post resurrectionem tantùm quia & manducavit & bibit, non autem quia esurivit & sitivit; quia in corpore non ampliùs morituro non
B erat illa indigentia corruptionis, ut esset necessitas refectionis, sed erat potestas edendi. Factum est caussâ congruendi, non ut subveniretur inopiæ carnis, sed ut suaderetur veritas corporis.

Luca 24. 43. Matth. 4. 2.

CAPUT XIII. Quæstio, quomodo caro & sanguis non possidebit regnũ Dei. 1. Cor. 15. 50.

13. Adversùs hanc tantam evidentiam, nonnulli nobis ex Apostolo faciunt quæstionem: contra istam quippe disputationem, vide quid objiciunt. Non, inquiunt, resurget caro: si enim resurget, possidebit regnum Dei: apertè autem dicit Apostolus, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit.*
C Audistis, cùm Apostolus legeretur. Dicimus carnem resurgere, & clamat Apostolus, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit.* Ergo contra Apostolum prædicamus, aut ipse contra Evangelium prædicavit? Evangelium divina voce testatur, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Si caro factum est, vera caro factum est. Nam si non vera caro, nec caro. Sicut vera caro Mariæ, vera caro Christi, quæ inde suscepta est. Hæc vera caro comprehensa, flagellata, colaphizata, suspensa; hæc
D vera caro mortua, hæc vera caro sepulta est; hæc vera caro à morte etiam resurrexit. Reddunt testimonia cicatrices: vident oculi discipulorum, & adhuc fluctuat admiratio; compalpat manus, ne dubitet animus. Contra tantam evidentiam, Fratres, quam hoc modo voluit Dominus noster Jesus Christus persuadere discipulis eam per orbem terrarum prædicaturis, contra hanc evidentiam pugnare videtur Apostolus, dicens, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit?*

Johan. 1. 14.

Solvitur quæstio.

E 14. Possemus hanc quæstionem ita solvere, & resistere vanis calumniatoribus: verumtamen & sic solvetur, quomodo potest citò responderi, & diligentiùs, quod ait Apostolus, considerabimus unde sit dictum. Dico ergo quomodo possimus facillimè respondere. Quid habet Evangelium? Quòd resurrexit Christus in eo corpore, quo sepultus est: quia visus, quia contrectatus est, quia discipulis ait putantibus quòd spiritus esset, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non*
F *habet, sicut me videtis habere.* Quid contrà Apostolus? *Caro & sanguis*, inquit, *regnum Dei non possidebunt.* Amplector utrumque, nec dico ista pugnantia, ne ego ipse contra stimulum pugnem. Quomodo ergo amplector utrumque? Citò, ut dixi, possem sic respondere: Apostolus ait, *Caro & sanguis regnum Dei hereditate possidere non possunt.* Rectè dixit; non est enim carnis possidere, sed possideri. Non enim corpus tuum aliquid possidet, sed anima tua per corpus possidet, quæ ip-
G sum etiam corpus possidet. Si ergo sic resurgit caro, ut habeatur, non habeat; ut possideatur, non possideat: quid mirum si caro & sanguis regnum Dei non possidebit, quia utique possidebitur? Nam eos possidet caro, qui non sunt regnum Dei, sed regnum diaboli, & ideo subditi sunt voluptatibus carnis. Unde & ille paralyticus grabbato portabatur: sed sanato Dominus ait, *Tolle grabbatum*

Luca 24. 39.

Prima expositio Apostoli.

Marci 2. 11.

Classis IV. *grabbatum tuum, & vade in domum tuam.* Sic ergo paralysi sanata tenet carnem suam, & ducit quò vult: non quò non vult à carne ipse trahitur, & portat potiùs corpus, quàm portatur à corpore. Manifestum est quòd in illa resurrectione non habebit caro illecebrarum tractum, ut ducat animam per quasdam titillationes atque blanditias, quò anima non vult, & plerumque superatur, dicens, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* (Rom. 7. 23.) Adhuc portatur grabbato paralyticus, nondum portat: exclamet ergo, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondeatur, *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Cùm ergo resurrexerimus, non nos caro portabit, sed nos eam portabimus: si nos portabimus, nos eam possidebimus: si nos eam possidebimus, non ab ea possidebimur: quia liberati à diabolo regnum Dei sumus: atque ita caro & sanguis regnum Dei non possidebit. Ergo calumniatores illi conticescant, qui verè sunt caro & sanguis, & nihil possunt nisi carnaliter cogitare. Quia etiam de illis in eadem prudentia carnis perseverantibus, unde caro & sanguis meritò appellantur, rectè dici potuit, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* * Etiam hoc modo solvatur hæc quæstio: (*Caput XIV.) quia tales homines, qui caro & sanguis appellantur, (de talibus enim etiam Apostolus dicit, *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem;*) (Ephes. 6. 12.) si non se ad spiritalem vitam converterint, & spiritu facta carnis mortificaverint, regnum Dei possidere non poterunt.

(Verior Apostoli sensus.) 15. Verumtamen quid ait Apostolus, dixerit aliquis. Ille enim verior sensus est, qui circumstantiâ lectionis aperitur. Itaque ipsum potiùs audiamus, & ex tota quæ circa est contextione Scripturæ, quid in eo loco intelligi voluerit, videamus. (1. Cor. 15. 47. &c.) Sic enim ait: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de cælo est. Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebit, neque corruptio incorruptionem.* Singula ergo videamus. *Primus homo*, inquit, *de terra, terrenus; secundus homo, de cælo. Qualis terrenus, tales & terreni*, id est, omnes morituri: *& qualis cælestis, tales & cælestes*, id est, omnes resurrecturi. Jam enim cælestis homo resurrexit, & adscendit in cælum: cui per fidem nunc incorporamur, ut sit ipse caput nostrum; membra autem ordine suo sequantur caput suum, & quod præmonstratum est in capite, tempore suo demonstretur in membris: modò autem hoc fide portemus, ut ad ipsam rem & speciem suo tempore veniamus. Sic enim alio loco dicit: *Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* (Coloss. 3. 1. & 2.) Sicut ergo cùm in nobismetipsis nondum surreximus, sicut Christus in corpore, per fidem tamen cum Christo resurrexisse nos dicimur: ita imaginem cælestis hominis, id est, qui jam in cælis est, fide interim portare nos jubet.

(Christus quomodo) 16. Si quis autem quærit cur hominem secundum non in cælo dixerit, sed de cælo, cùm & ipse Dominus de terra corpus acceperit, quia utique Maria ex Adam & Eva erat progenita; intelligat terrenum hominem secundùm terrenam concupiscentiam dictum: & quoniam affectus ille terrenus est, quo per concubitum maris & feminæ nascuntur homines, trahentes etiam ex parentibus originale peccatum; corpus autem Domini nullo tali affectu ex utero virginali creatum est, quamvis de terra Christus assumserit carnem, quod intelligitur Spiritus-sanctus significare, dicens, *Veritas de terra orta est;* (Psal. 84. 12.) non tamen terrenus, sed cælestis homo, & de cælo dicitur. Si enim suis hoc fidelibus per gratiam præstitit, ut rectè dicat Apostolus, *Nostra enim conversatio in cælis est:* (Philip. 3. 20.) quantò magis ipse cælestis homo, & de cælo dicendus est, in quo nullum umquam peccatum fuit? Propter peccatum enim dictum est homini, *Terra es, & in terram ibis.* (Gen. 3. 19.) De cælo ergo cælestis homo ille rectissimè dicitur, cujus conversatio de cælo numquam recessit: quamvis Dei Filius etiam hominis filius factus de terra corpus assumserit, id est, formam servi. Non enim adscendit, nisi qui descendit. (Johan. 3. 13.) Quia etsi ceteri, quibuscumque donaverit adscendunt, vel potiùs ejus gratiâ levantur in cælum, etiam sic ipse adscendit, quia corpus ejus fiunt; & secundùm hoc unus adscendit: quoniam sacramentum magnum in Christo & Ecclesia exponit Apostolus, quo scriptum est, *Et erunt duo in carnem unam.* (Ephes. 5. 31.) Unde etiam dicitur, *Igitur non jam duo, sed una caro.* (Matth. 19. 6.) Quapropter *nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* (Johan. 3. 13.) Propter hoc enim addidit, *qui est in cælo*, ne quisquam ejus conversationem de cælo recessisse arbitraretur, cùm per terrenum corpus in terra hominibus appareret. Ergo *sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de cælo est*, interim fide, per quam etiam cum illo resurreximus: ut & sursum cor habeamus, ubi Christus est in dextera Dei sedens; & ideo quæ sursum sunt quæramus, atque sapiamus, non quæ super terram.

(Caput XV.) 17. Sed quia de resurrectione corporis agebat: nam ita proposuerat: *Sed dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui? quo autem corpore veniunt?* (1. Cor. 15. 35.) & propterea dixerat, *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes:* (Ibidem 47. &c.) ut hoc speremus in nostro corpore futurum, quod in Christi corpore præcessit; atque hoc quamquam nondum re ipsa percepimus, interim fide teneamus. (Hoc nobis resurrectione præstandum, quod in Christo præcessit.) Ideo subjunxerat, *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de cælo est.* Ne ad talia nos resurrecturos crederemus, qualia secundùm primum hominem corruptibiliter agebamus, subjecit statim: *Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei hereditate possidere non possunt.* Atque ostendere volens quid dixerit carnem & sanguinem, quia non ipsam speciem corporis, sed corruptionem significat nomine carnis & sanguinis, (Caro & sanguis pro corruptione.) quæ corruptio tunc non erit. Corpus enim sine corruptione, non propriè dicitur caro & sanguis, sed corpus. Si enim caro est, corruptibilis atque mortalis est: si autem jam non moritur, jam non corruptibilis; & ideo sine corruptione manente specie, non jam caro, sed corpus dicitur: & si dicitur caro, non jam propriè dicitur, sed propter

quamdam speciei similitudinem. Sicut possumus forte propter eamdem similitudinem, etiam Angelorum carnem dicere, cùm sicut homines apparuerunt hominibus; cùm essent corpus, non caro: quia corruptionis indigentia non inerat. Quia ergo possumus secundùm similitudinem carnem appellare etiam corpus quod jam non corrumpitur, secutus sollicitus Apostolus exponere voluit quid dixerit carnem & sanguinem: quia secundùm corruptionem hoc dixit, non secundùm speciem: & subjecit statim, *Neque corruptio incorruptionem hereditate possidebit*: tamquam diceret, Quod dixi, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit*; hoc dixi, quoniam *corruptio incorruptionem non possidebit*.

Quomodo in cælo erit corpus nostrum, si non erit ibi corruptio.

18. Et ne quisquam diceret, Si ergo incorruptio à corruptione non potest possideri, quomodo ibi erit corpus nostrum? Audite quod sequitur. Quasi enim diceretur Apostolo, Quid est ergo quod dicis? frustra-ne credidimus carnis resurrectionem? Si caro & sanguis regnum Dei non possidebit, frustra credidimus resurrexisse Dominum nostrum à mortuis in corpore in quo natus & crucifixus est, in eo adscendisse in cælum coram oculis discipulorum suorum, de quo cælo ad te clamavit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* (Act. 9. 4.) Occurrit hoc Paulo sancto & beato Apostolo, & pia caritate parturienti filios suos in Christo per Evangelium genitos, quos adhuc parturiebat donec Christus in eis reformaretur, id est, donec portarent per fidem imaginem ejus qui de cælo est. Nolebat enim eos in ea ruina remanere, ut arbitrarentur se talia facturos in regno Dei, in illa æterna vita, qualia faciebant in hac vita, in voluptatibus manducandi & bibendi, nubendi, uxores ducendi, & eos carnaliter generandi: hæc enim opera corruptio carnis habet, non ipsa species carnis. Jam ergo quia non ad talia resurrecturi sumus, præscripsit, ut jam dudum dixeram, Dominus in Evangelica lectione, quæ modò recitata est. Judæi enim resurrectionem quidem credebant carnis, sed talem futuram putabant, ut ea vita esset in resurrectione, qualem in hoc sæculo gerebant; atque ita carnaliter cogitantes, Sadducæis respondere non poterant proponentibus de resurrectione quæstionem, cujus erit uxor mulier, quam septem fratres sibi succedentes habuerunt, cùm vellet unusquisque fratri suo mortuo ex ejus uxore semen excitare. Sadducæi enim secta erat quædam Judæorum, quæ non credebat resurrectionem. Judæi ergo Sadducæis istam quæstionem proponentibus fluctuantes & hæsitantes respondere non poterant; quia regnum Dei à carne & sanguine, id est, incorruptionem à corruptione possideri posse arbitrabantur. Venit Veritas, interrogatur à deceptis & deceptoribus Sadducæis, proponitur illa quæstio Domino. Et Dominus qui sciret quid diceret, & quod nesciebamus credere nos vellet, respondet auctoritate majestatis suæ quod credamus. Apostolus autem exposuit quantum ei datum est: quod, quantum possumus, intelligamus. Quid ergo Dominus Sadducæis? *Erratis*, inquit, *non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubunt, neque uxores ducent; neque enim incipiunt mori, sed erunt æquales Angelis Dei.* Magna virtus Dei. Quare non nubunt, neque uxores ducunt? Quia non incipient mori. Ibi enim successor, ubi decessor. Nulla ergo ibi talis corruptio. Et ille Dominus per ætates ab infantia usque ad juventutem cucurrit, quia carnis adhuc mortalis gerebat substantiam: posteaquam resurrexit in ætate in qua sepultus est, numquid credimus eum in cælo senescere? Ergo *erunt*, inquit, *æquales Angelis Dei.* Abstulit de medio suspicionem Judæorum, refellit calumnias Sadducæorum: quia Judæi credebant quidem resurrecturos mortuos, sed ad quæ opera resurgerent, carnaliter sentiebant. *Erunt æquales*, inquit, *Angelis Dei.* Audisti de virtute Dei, audi etiam de Scripturis. *De resurrectione*, inquit, *non legistis, quomodo locutus sit Dominus ad Moysen de rubo, dicens, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum.*

Beda & Florus ad 1. Cor. 15. Carnis non erunt eadē opera post resurrectionem.

Judæorum & Sadducæorum error de resurrectione. Matth. 22. 23.

Matth. 22. 29. & 30.

Resurrectio ad vitā Angelorū.

Serm. de Diversis.

Ibidem 31. & 32.

Caput XVI. Resurrectio ad vitam sine corruptione.

19. Quòd ergo resurgamus, dictum est; & quoniam ad vitam Angelorum resurgimus, à Domino audivimus: in qua verò specie resurgamus, ipse ostendit in resurrectione sua. Quia verò ipsa species corruptionem non habebit, Apostolus dicit: *Hoc autem dico, Fratres, quia caro & sanguis regnum Dei hereditate possidere non possunt; neque corruptio incorruptionem hereditate possidebit*: ut ostenderet nomine carnis & sanguinis corruptionem mortalis animalisque corporis se intelligere voluisse. Deinde solvit jam ipse quæstionem, quam possent ab eo solliciti auditores exquirere: quia sollicitior ipse de intellectu filiorum, quàm filii sunt de verbis parentum. Subjungit ergo, & dicit, *Ecce mysterium vobis dico.* Quiescat cogitatio tua, ô homo, quisquis es. Cœperas enim cogitare de verbis Apostoli, quòd caro humana non resurgat, cùm audires, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit*: sed præbe aurem consequentibus verbis, & corrige præsumtionem cogitationis. *Ecce*, inquit, *mysterium dico vobis. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* (1. Cor. 15. 51.) Quid est hoc? Mutatio quippe aut in pejus est, aut in melius. Si ergo posita est mutatio, ut nondum videamus qualis erit, utrùm in aliquid melius, an in aliquid deterius. Ergo sequatur, & ipse exponat: quid nobis est suspicari? Et fortasse humana suspicione labi in errorem te non permittit in conjecturas tuas Apostolica auctoritas, & hoc liquidè exponit, cujusmodi mutationem velit intelligi. Quid ergo? Cùm dixisset, *Omnes resurgemus, non tamen omnes immutabimur*: video omnes resurrecturos & bonos & malos; sed qui immutabuntur, videamus; & hinc intelligamus mutationem, utrùm in melius an in deterius sit futura. Si enim malorum est ista mutatio, in pejus; si autem bonorum, in melius erit. *In atomo*, inquit, *in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* (Ibidem 52.) Jam ergo in melius erit ista mutatio, cùm dicit, *Et nos immutabimur*: sed nondum expressum est quantum exprimi oportuit, quò usque corpus nostrum commutatur in melius. Quid est ipsum melius, nondum dictum est. Nam & ab infantia in adolescentiam cùm mutatur, potest dici in melius commutari, ubi etsi minùs infirmum, adhuc tamen infirmum & mortale est.

Mutatio carnis in melius bonorum propria.

Caput XVII. Celeritas resurrectionis.

20. Ergo singula diligentiùs retractemus. *In atomo*, inquit. Difficile videtur hominibus resurgere mortuos: sed mirum est quemadmodum

abstulerit Apostolus omnes ancipites difficultates de cordibus fidelium. Dicis tu, Non resurgunt mortui: ego non solùm resurgere mortuum dico, sed tanta celeritate, quanta non conceptus & natus es. Quanta enim mora est, ut formetur homo in utero, ut perficiatur, ut nascatur, ut ætatum successione roboretur? Numquid fortè sic resurrecturus est? Non: sed *in atomo*, inquit. Multi nesciunt quid sit atomus. Atomus dictus est à τομὴ, quod est sectio: ἄτομος Græcè quod secari non potest. Sed dicitur atomus in corpore, dicitur in tempore. In corpore dicitur, si quid inveniri potest, quod quidem dividi non posse perhibetur, corpusculum aliquod tam minutum, ut jam non habeat ubi secari possit. Atomus autem in tempore momentum est breve, quod jam non habet ubi dividatur. Verbi gratiâ, ut possint etiam corda tardiora capere quod dico: lapis est; divide eum in partes, & partes ipsas divide in lapillos, lapillos quidem in grana, veluti sunt arenæ, rursusque ipsa arenæ grana divide in minutissimum pulverem, donec si possit pervenias ad aliquam minutiam, qualis jam dividi non potest. Hæc est atomus in corporibus. In tempore verò sic intelligitur. Annus, verbi gratiâ, dividitur in menses, menses dividuntur in dies, dies adhuc in horas dividi possunt, horæ adhuc in partes horarum quasdam productiores, quæ admittunt divisiones, quò usque venias ad tantum temporis punctum, & quamdam momenti stillam, ut per nullam morulam produci possit, & ideo jam dividi non possit: hæc est atomus temporis. Dicebas ergo non resurgere mortuos: non solùm resurgunt, sed tanta celeritate resurgunt, ut in atomo temporis futura sit omnium resurrectio mortuorum. * Et exponens tibi atomi celeritatem, cùm dixisset *in atomo*, adjunxit continuò, quantum fieri possit actionis ac motûs in atomo temporis, *In ictu oculi* ait. Scivit enim obscurè dixisse, *in atomo*, & planiùs dicere voluit quod faciliùs intelligeretur. Quid est ictus oculi? Non quo palpebris claudimus oculum vel aperimus: sed ictum dicit oculi emissionem radiorum ad aliquid cernendum. Mox enim ut conjeceris adspectum, emissus radius in cælum pervenit, ubi solem & lunam & stellas & sidera contuemur, tam immenso intervallo à terra separata. Tubam verò novissimam, signum novissimum dicit. *Canet enim*, inquit, *tuba*, *& mortui resurgent incorrupti*, *& nos immutabimur.* Nos utique fideles dixit, & priores resurgentes ad vitam æternam. Ergo illa mutatio, quia piorum atque sanctorum est, in melius erit, non in deterius.

Atomus. Florus ad 1. Cor. 15. Atomus in corpore. Atomus in tempore. * Caput XVIII. Ictus oculi. V. suprà Serm. 277. cap. 10.

21. Sed quæ est ista mutatio? quid est illud quod ait, *Immutabimur.* Species amittitur quæ nunc est, an sola corruptio, propter id quod dictum est, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, *neque corruptio incorruptionem hereditate possidebit?* Quod ne auditorem moveret ad desperandam carnis resurrectionem, subjecit, *Ecce mysterium vobis dico: Omnes resurgemus*, *sed non omnes immutabimur.* Et ne putaremus immutationem in pejus futuram: *Et nos*, inquit, *immutabimur.* Restat ergo ut dicat qualis immutatio futura sit. *Oportet enim hoc corruptibile*, inquit, *induere incorruptionem*, *& mortale hoc induere immortalitatem.* Si corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate;

Immutatio sanctorum in melius: in resurrectione qualis erit. 1. Cor. 15. 50. Ibidem 51. Ibidem 53.

jam non erit corruptibilis caro. Si ergo non erit corruptibilis caro, cessabit nomen corruptionis in carne & sanguine, cessabit etiam nomen proprium carnis & sanguinis; quia mortalitatis sunt ista nomina. Et si ita est, & caro resurget, & quia immutatur & fit incorrupta, *caro & sanguis regnum Dei non possidebit.* Quòd si illam immutationem in eis aliquis intelligere voluerit, quos tunc adhuc vivos ille dies inventurus est; ut qui jam mortui erant, resurgant, qui autem adhuc vivunt, immutentur; ut eorum personam suscepisse credatur Apostolus, cùm ait, *Et nos immutabimur*: eadem tamen ratio consequetur, quia illa incorruptio ad omnes utique pertinebit, *cùm corruptibile hoc induet incorruptionem*, *& mortale hoc induet immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est*, *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Corpus autem quod jam mortale non est, non propriè dicitur caro & sanguis, quæ terrena sunt corpora: sed corpus dicitur, quod jam cæleste dici potest. Sicut idem Apostolus cùm diceret de carnium differentia: *Non omnis*, inquit, *caro eadem caro. Alia quidem est hominum*, *alia pecorum*, *alia piscium*, *alia volucrum*, *alia serpentium. Et corpora*, inquit, *cælestia*, *& corpora terrestria.* Nullo modò autem diceret carnes cælestes; quamvis carnes possint dici corpora, sed terrestria. Omnis enim caro corpus est: non autem omne corpus caro: non solùm quia cæleste corpus non dicitur caro, sed etiam quædam ipsa terrestria, sicut ligna & lapides, & si quid ejusmodi est. Etiam sic ergo caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: quia resurgens caro in tale corpus commutabitur, in quo jam non erit mortalis corruptio, & propterea nec carnis & sanguinis nomen.

Serm. de Diversis. Caro & sanguis propriè corruptionis & mortalitatis nomina. Ibidem 39. & 40.

22. Sed intendite, Fratres, rogamus vos; non est res parvi pendenda, de fide nostra agitur: cui non tam à paganis cavendum est, quàm à quibusdam perversis, qui se Christianos dici & videri volunt. Non enim decrant etiam sub Apostolis, qui dicerent resurrectionem jam factam esse, & fidem quorumdam perverterent, de quibus Apostolus, *Qui circa veritatem*, inquit, *erraverunt*, *dicentes resurrectionem jam factam esse*, *& fidem quorumdam subverterunt.* Non autem vacat quod non ait, à veritate aberraverunt, sed *circa veritatem*, non tamen veritatem tenuerunt. Mors ergo tollitur, & non erit quodam modo: sicut Apostolus ait, *Absorbebitur mortale à vita.* Sic enim dictum est & de Domino, quia deglutivit mortem. Non enim quasi recedit mors habens aliquam substantiam suam: sed in ipso corpore ubi erat, esse desinet, ut speciem videas, speciem teneas, quæras corruptionem & mortalitatem, & non invenias. Discessit ergo aliquò corruptio? Non: sed ibi interemta est, ibi absorpta est. Propterea cùm dixisset, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, *& mortale hoc immortalitatem induere: tunc fiet*, inquit, *sermo qui scriptus est*, *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Et non ait, Discessit mors in victoriam; sed, *Absorpta est mors in victoriam.* Quomodo ergo illi circa veritatem aberraverunt? Quia veram dixerunt resurrectionem unam, sed aliam negaverunt.

Caput XIX. Error quorumdam circa veritatem resurrectionis. 2. Tim. 2. 18. 2. Cor. 5. 4. 1. Pet. 3. 22.

23. Est enim resurrectio secundùm fidem, in

Caput XX.

Classis IV.

Resurrectio duplex, in spiritu, & in corpore.

qua omnis qui credit, resurgit in spiritu. Etenim A ille bene resurget in corpore, qui primò resurrexit in spiritu. Nam qui antea in spiritu per fidem non resurrexerint, non ad illam commutationem resurgent in corpore, ubi assumetur & absorbebitur omnis corruptio, sed ad illam pœnalem integritatem. Nam integra erunt & corpora impiorum, nihil ex eis imminutum apparebit, sed ad pœnam erit integritas corporis, & quædam, ut ita dicam, quædam firmitas corporis, corruptibilis firmitas: quia ubi dolor esse poterit, non B potest dici non esse corruptio; quamvis non deficiat illa infirmitas in doloribus, ne dolor ipse moriatur. Nam ipsam corruptionem nomine vermis propheticè significatam non incongruè creditur, & ipsum dolorem nomine ignis. Sed quia firmitas tanta erit, ut nec doloribus cedat in mortem, nec ad incorruptionem, in qua nullus dolor est, commutetur; propterea sic scriptum est, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Commutatio verò quæ corruptionem C non habebit, sanctorum erit. Illorum ergo erit, qui modò habent resurrectionem spiritûs per fidem: de qua resurrectione dicit Apostolus, *Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quomodo morimur secundùm spiritum, & resurgimus secundùm spiritum: sic postea morimur secundùm carnem, & resurgimus secundùm carnem. D Secundùm spiritum mors est, non credere vana quæ credebat, non facere mala quæ faciebat. Secundùm spiritum resurrectio est credere salubria quæ non credebat, & facere bona quæ non faciebat. Qui terrena idola & figmenta deos putabat, unum Deum cognovit, in eum credidit, mortuus est in idololatria, resurrexit in fide Christiana. Ebriosus erat, sobrius est; mortuus est ab ebrietate, resurrexit in sobrietate. Sic ab omnibus malis operibus cùm E receditur, mors quædam fit in anima, & in ejus bonis operibus resurgit. *Mortificate*, inquit Apostolus, *membra vestra quæ sunt super terram, immunditiam, perturbationem, concupiscentiam malam, & avaritiam*, inquit, *quæ est idolorum servitus.* Mortificatis ergo istis membris, resurgimus in bonis quæ sunt istis contraria; in sanctitate, in tranquillitate, in caritate, in eleemosynis. Quomodo autem præcedit mors secundùm spiritum resurrectionem quæ est secundùm spiritum: F sic præcessura est mors secundùm carnem resurrectionem quæ futura est secundùm carnem.

Corpora impiorum qualia resurgent.

Marci 9. 43.

Beda & Florus ad Coloss. 3. 1. &c.

Ibidem 5.

Beda & Florus ad Coloss. 3.

Caput XXI. Testimonia de duplici resurrectione ex Apostolo.

Ephes. 5. 14. Isai 9. 2. Coloss 3. 1. Beda ad 2. Tim. 2. 1. Cor. 15. 35.

24. Utramque ergo noverimus, & spiritalem & corporalem. Ad spiritalem pertinet quod dictum est, *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis.* Et illud, *Qui sedebant in umbra mortis, lux orta est eis.* Et illud quod paulò antè commemoravi, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Ad corporalem autem resurrectionem pertinet quod nunc dicit Apostolus, qui talem sibi G quæstionem proposuerat: *Sed dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui? Quo autem corpore venient?* Agebat ergo de resurrectione corporis, in qua præcessit Dominus Ecclesiam suam: de hac ergo ait, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Propter illud quod dixerat, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit.* Habemus autem alio loco apertissimè ipsius apostoli Pauli testimonium de resurrectione secundùm spiritum, & de resurrectione secundùm carnem. Corpus enim mortale, quod animatum est vel animatum fuit, caro dicitur. Sic ergo Apostolus loquitur: *Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam.* Ecce jam resurrectio spiritûs per justitiam facta intelligitur: vide utrùm speranda sit etiam corporis resurrectio. Mortale enim corpus noluit appellare mortale, sed mortuum; & tamen hoc se significasse in consequentibus aperit. Sequitur itaque, & dicit, *Si ergo spiritus ejus qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Dominum nostrum Iesum, vivificabit & mortalia corpora vestra per habitantem Spiritum ejus in vobis.* Quapropter illi circa veritatem aberraverunt, unam negaverunt resurrectionem. Si enim omni modo eam negarent, à veritate aberrarent, non circa veritatem. Quia verò circa veritatem aberraverunt, confessi sunt unam, quæ secundùm spiritum fit; negaverunt autem alteram, quæ per carnis resurrectionem speratur, dicentes resurrectionem jam factam esse: quod nisi ita dicerent, ut illam quæ in corpore futura est credi & sperari prohiberent, non de his diceretur, *Fidem quorumdam subvertunt.*

Serm. de Diversis.

Rom. 8. 10.

Ibidem 11.

Caput XXII. Ambæ resurrectiones in Evangelio.

25. Sed audite jam manifestissimum testimonium ipsius Domini in Evangelio secundùm Johannem, uno loco ambas resurrectiones, & quæ secundùm spiritum modò fit, & quæ secundùm carnem postea futura est, ita declarantem, ut omnino dubitare non possit, qui quoquo modo Christianum se dicit, & Evangelicæ auctoritati subjectus est; ut nullus aditus calumniatoribus restet, & quasi per fidem Christianam volentibus evertere Christianos, inserendo venena sua, ut occidant animas infirmorum. Sed ex ipso codice audite. Propterea enim non tantùm disputatoris, sed etiam lectoris fungor officio, ut sermo iste noster sanctarum Scripturarum auctoritate fulciatur, non humanis suspicionibus super arenam ædificetur, si fortè aliquid non memoriter occurrerit. Audite ergo Evangelium secundùm Johannem. Dominus loquitur: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in judicium non venit, sed transitum fecit à morte in vitam. Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso; & potestatem dedit ei & judicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumento sunt, audient vocem ejus; & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Arbitror quidem multos intelligere ab ipso Domino in hoc loco utramque resurrectionem, & secundùm spiritum per fidem, & secundùm carnem per illam notissimam tubam distinctè apertéque declaratam. Tamen hæc eadem verba diligenter consideremus, ut omnibus audientibus manifestum sit. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in judicium non venit, sed tran-*

Johan. 5. 24. &c.

Resurrectio secundum spiritum, quæ nunc fit per fidem.

situm fecit à morte in vitam. Secundùm spiritum A resurrectio est, quæ fit modò per fidem. Sed ne ita proposita videretur, quasi adhuc longè futura sit; quamquam non dixerit, Transiturus est à morte in vitam, sed *transitum fecit à morte in vitam:* tamen ne verbo præteriti temporis figuratè usus videretur, sicut est, *Foderunt manus meas & pedes;* quod adhuc futurum prænuntiabatur: sequitur, & hoc ipsum planiùs explicat; *Amen, amen dico vobis*, inquit, *quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, &* B *qui audierint vivent.* Quod suprà dixit, *Transiit à morte in vitam*; hoc nunc dicit, *vivent.* Sed ne illud quod ait, *Venit hora*, in finem sæculi speraretur, quando etiam corporum resurrectio futura est; addidit, *& nunc est.* Non enim ait tantùm, *Venit hora:* sed, *Venit hora, & nunc est.* Qui autem audierint hanc vocem, vivent: scilicet vitâ quam superiùs significavit, dicens, *Transiit à morte ad vitam.* Hîc ergo eos significavit qui ad pœnam judicii non pertinent; quia præve- C niunt judicium fide sua, & transitum faciunt à morte ad vitam.

Psal. 21. 17.

Caput XXIII. Resurrectio secundum carnem futura.

26. Restat ergo ut & judicium futurum ostendat inter bonos & malos: quia hîc bonos tantùm commemoravit ad præsentem resurrectionem, quæ secundùm spiritum est, pertinere. Sequitur itaque, & dicit, *Et potestatem dedit ei & judicium facere, quia filius hominis est.* Insinuavit secundùm quid acceperit potestatem judicii: *quia filius*, inquit, *hominis est.* Nam secundùm id quod Filius D Dei est, sempiternam cum Patre habet potestatem. Jam quomodo sit futurum judicium, consequenter exponit: *Nolite*, inquit, *mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus; & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Superiùs cùm dixisset, *Venit hora*; adjecit, *& nunc est:* ne illa hora prænuntiata putaretur, qua in fine sæculi futura est corporum resurrectio. Hîc ergo quia ip- E sam volebat intelligi, cùm dixisset, *Venit hora*; non adjecit, *& nunc est.* Item superiùs mortuos dixit audire vocem Filii Dei, monumentorum autem nullam commemorationem fecit: ut distingueremus mortuos per mentis errorem qui resurgunt modò per fidem, ab eis mortuis quorum cadavera in monumentis sunt resurrectura in ultimo sæculi. Hîc ergo ut illa in fine speraretur corporum resurrectio, *Omnes*, ait, *qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent.* Item supe- F riùs, *Audient*, inquit, *vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* Quid opus erat addere, *Qui audierint*; cùm posset ita dici, Audient vocem Filii Dei, & vivent: nisi quia de his dicebat qui secundùm mentis errorem mortui sunt, quorum multi audiunt & non audiunt, id est, non obtemperant, non credunt? Qui verò sic audiunt, quomodo volebat audiri, cùm diceret, *Qui habet aures audiendi, audiat:* ipsi vivent. Audient ergo multi, sed *qui audierint, vivent*, id est, qui crediderint. G Nam qui sic audient, ut non credant, non vivent: unde apparet de qua morte, & de qua vita eo loco dixerit: de morte scilicet quæ ad solos malos pertinet, eo ipso quo mali sunt, & de vita quæ ad solos bonos pertinet, eo ipso quo boni fiunt. * Hîc autem, ubi secundùm corpora resurrecturos pronuntiat, non ait, Audient vo-

Luca 8. 8.

Caput XXIV.

cem ejus; & qui audierint, procedent. Omnes enim novissimam tubam audient, & procedent, quia omnes resurgemus. Sed quia non omnes immutabimur, sequitur & dicit, *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Superiùs itaque ubi per fidem secundùm spiritum reviviscitur, ad eamdem sortem omnes reviviscunt; ut vita eorum non distribuatur in beatitudinem & miseriam, sed ad bonam partem omnes pertineant. Et ideo cùm dixisset, *Qui audierint, vivent*; non adjecit, Qui bona egerunt, in vitam æternam; qui verò mala egerunt, in pœnam æternam. Hoc enim ipsum quod dictum est, *vivent*, in bono tantummodo accipi voluit: sicut etiam superiùs, *Transitum*, inquit, *fecit à morte ad vitam*; nec dixit ad quam vitam; quia per fidem à morte reviviscere, non potest esse mala vita. Hîc autem primò non, audient vocem ejus & vivent; ipsum enim, *vivent*, per totam istam lectionem in bono intelligi voluit: sed dixit, *audient, & procedent*, quo verbo significavit corporalem motum corporum de locis sepulturarum suarum. Sed quia procedere de monumentis non omnibus ad bonum erit: *Qui bona*, inquit, *fecerunt, in resurrectionem vitæ*; etiam hîc vitam in bono tantùm intelligi voluit: *qui verò mala egerunt*, inquit, *in resurrectionem judicii*, judicium scilicet pro pœna posuit.

Caput XXV. Quale corpus, & qualis sanctorum vita post resurrectionem.

27. Jam ergo, Fratres, nemo quærat perversâ subtilitate cujusmodi figura erit corporum in resurrectione mortuorum, quanta statura, qualis motus, qualis incessus. Sufficit tibi quòd resurgit caro tua in ea specie, in qua Dominus apparuit, in hominis utique specie. Sed noli propter speciem timere corruptionem: si enim non timueris corruptionem, non timebis & illam sententiam, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit*: nec incides in laqueum Sadducæorum, quem propterea non possis evitare, quia putas ad hoc resurgere homines, ut ducant uxores, & generent filios, & agant opera vitæ mortalis. Si quæris qualis erit vita, quis hominum hoc poterit explicare? Vita erit Angelorum. Quicumque tibi potuerit ostendere vitam Angelorum, ostendet vitam eorum; quia æquales futuri erunt Angelis. Si autem Angelorum vita occulta est, nemo quærat ampliùs; ne per errorem non perveniat ad id quod quærit, sed ad quod sibi ipse confinxerit. Præproperè enim quærit, & festinans quærit. Tu in via ambula; venies ad patriam, si non deseras viam. Tenete ergo Christum, Fratres, tenete fidem, tenete viam: ipsa vos perducet ad id quod videre modò non potestis. In illo enim capite apparuit quod speretur in membris; in illo fundamento demonstratum est quod in nostra ædificetur fide, ut postea perficiatur in specie: ne fortè cùm putatis vos cernere, appareat vobis aliquid per imaginem falsam quasi esse quod non est, & dimissâ viâ in errorem devietis, & ad patriam quò ducit via, id est, ad speciem quò ducit fides, non perveniatis.

Caput XXVI. Vita similis Angelorum erit, carens operibus corruptionis & indigentiæ.

28. Dices, Quomodo vivunt Angeli? Sufficit tibi scire hoc, quòd non corruptibiliter vivunt. Faciliùs enim tibi potest dici quid ibi non erit, quàm quid ibi erit. Possum enim & ego, Fratres mei, breviter vobis percurrere quædam quæ ibi non erunt: & hoc propterea possum, quia ista experti sumus, & novimus ea quæ ibi non erunt. Quid

2. Cor. 5. 6. & 7.

autem ibi erit nondum sumus experti. *Per fidem enim ambulamus, nondum per speciem: quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Quid ergo ibi non erit? Ducere uxorem, ut filii propagentur; quia non est ibi mors: non ibi erit crescere, quia nec senescere: non erit refectio, quia nec defectio: non ibi erunt negotia, quia nec indigentia; nec ipsa laudabilia opera hominum innocentium, quæ cogit operari egestas & necessitas hujus vitæ. Non enim dico tantummodo non ibi futura opera latronum aut fœneratorum, sed ipsa quæ innocentes homines operantur propter indigentiam sublevandarum humanarum necessitatum, non ibi erunt.

* CAPUT XXVII. Sabbatum perpetuũ.

* Sabbatum erit perpetuum, quod à Judæis celebratur temporaliter, à nobis autem in æternum intelligitur. Quies erit ineffabilis, quæ explicari non potest, sed, ut dixi, utcumque explicatur, cùm dicuntur quæ ibi non erunt. Ad illam quietem tendimus, ad illam spiritaliter regeneramur. Sicut enim ad labores carnaliter nascimur, ita ad quietem spiritaliter renascimur: clamante illo, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* (Matth. 11. 28.) Hîc pascit, ibi perficit: hîc promittit, ibi reddit: hîc significat, ibi exprimit. Cùm autem in illa beatitudine & spiritu & corpore perfecti salvique fuerimus, ista negotia non erunt; nec illa ibi erunt, quæ hîc laudantur in bonis operibus Christianorum.

Misericordiæ opera cur ibi nulla erunt.

Quis enim non laudatur Christianus porrigendo panem esurienti potumque sitienti, vestiendo nudum, suscipiendo peregrinum, pacando litigiosum, visitando ægrotum, sepeliendo mortuum, consolando lugentem? Magna opera, plena misericordiæ, plena laudis & gratiæ. Sed nec ipsa ibi erunt: quia opera misericordiæ necessitas miseriæ comparavit. Quem pascis, ubi nemo esurit? Cui potum das, ubi nemo sitit? An vestiturus es nudum, ubi omnes ipsa immortalitate vestiti sunt? Audisti paulò antè tunicas sanctorum, loquente Apostolo, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* (1. Cor. 15. 53. Gen. 3. 21.) Ubi induere sonat, indumentum indicat. Hoc indumentum Adam perdidit, ut pelles acciperet. An peregrinum suscepturus es, ubi omnes in patria sua vivunt? Ægrotos visitabis, ubi omnes eadem incorruptionis firmitate vigebunt? Mortuum sepulturus, ubi semper vivunt? Litigantes concordaturus, ubi omnia in pace sunt? Tristes consolaturus, ubi omnes in æternum gaudebunt? Quia ergo cessabunt simul miseriæ, cessabunt hæc opera misericordiæ.

Quæ erit beatorum actio post resurrectionem. * CAPUT XXVIII.

29. Quid ergo ibi agetur? Nonne jam dixi, faciliùs me dicere quid ibi non erit, quàm quid ibi erit? * Illud scio, Fratres, quòd non sumus dormitaturi vacando, quia & ipse somnus subsidium defectionis datus est animæ. Quippe intentionem perpetuam mortales sensus agitantem non ferret fragile corpus, nisi sensibus consopitis ad eamdem agitationem ferendam repararetur ipsa fragilitas; & quemadmodum ex morte innovatio futura est, sic nunc ex somno vigilatio fieret. Ibi ergo non erit. Ubi enim non est mors, nec imago mortis erit. Nec tamen cuiquam subrepat timor tædiorum, cùm ei dicitur quòd semper vigilabit, & non aget aliquid. Possum dicere, & quomodo quidem futurum sit, non possum dicere, quia nec videre adhuc possum: tamen aliquid non impudenter dico, quia de Scripturis dico, quæ ibi erit actio nostra. Tota actio nostra, Amen & Halleluia erit.

Amen & Halleluia erit tota actio nostra sine tædio.

Quid dicitis, Fratres? Video quòd auditis & gavisi estis. Sed nolite iterum carnali cogitatione contristari, quia si fortè aliquis vestrûm steterit & dixerit quotidie, Amen & Halleluia, tædio marcescet, & in ipsis vocibus dormitabit, & tacere jam volet; & propterea putet sibi esse aspernabilem vitam, & non desiderabilem, dicentes vobismetipsis, Amen & Halleluia semper dicturi sumus, quis durabit? Dicam ergo, si potero, quantum potero. Non sonis transeuntibus dicemus Amen & Halleluia, sed affectu animi. Quid est enim Amen? quid Halleluia? Amen, est verum: Halleluia, laudate Deum. Quia ergo Deus veritas est incommutabilis, sine defectu, sine provectu, sine detrimento, sine augmento, sine alicujus falsitatis inclinatione, perpetua, & stabilis, & semper incorruptibilis manens; hæc autem quæ agimus in creatura & in ista vita, velut figuræ sunt rerum per significationes corporum, & quædam in quibus ambulamus per fidem: cùm viderimus facie ad faciem quod nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc longè alio & ineffabiliter alio affectu dicemus, Verum est: & cùm hoc dicemus, Amen utique dicemus, sed insatiabili satietate. Quia enim non deerit aliquid, ideo satietas: quia verò illud quod non deerit semper delectabit, ideo quædam, si dici potest, insatiabilis satietas erit. Quàm ergo insatiabiliter satiaberis veritate, tam insatiabili veritate dices, Amen. Jam quale est quis potest dicere, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit?* (1. Cor. 2. 9.) Quia itaque sine aliquo fastidio & cum perpetua delectatione videbimus verum, & certissimâ evidentiâ contuebimur, amore ipsius veritatis accensi & inhærentes ei dulci & casto amplexu eodemque incorporeo, tali etiam voce laudabimus eum, & dicemus, Halleluia.

* CAPUT XXIX. * f Exhortantes.

* Exsultantes enim se ad parilem laudem flagrantissima caritate invicem & in Deum, omnes cives illius civitatis dicent, Halleluia: quia dicent, Amen.

Requies & recubitus beatorum in contemplatione ac laude veritatis.

30. Hæc igitur vita sanctorum etiam corpora eorum commutata in cælestem & Angelicum statum sic implebit, atque immortaliter vegetabit, ut ab illa beatissima contemplatione & laude veritatis, nulla corruptio necessitatis avertat aut avocet. Ita illis cibus erit ipsa veritas: ipsa autem requies tamquam recubitus. Quod enim dictum est, quia recumbentes epulabuntur, sicut dicit Dominus, *Quia multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno Patris mei*: (Matth. 8. 11.) hoc significatum est, quoniam magna requie pascentur cibo veritatis. Talis enim cibus reficit, & non deficit; implet & integer est: tu consummaris, ipse non consumitur. Talis est ille cibus, non qualis iste, qui deficit ut reficiat, & ne vitam finiat qui eum accipit, ipse finitur. Recubitus ergo ille, sempiterna requies erit: epulæ illæ, veritas incommutabilis erit: epulatio illa, vita æterna erit, id est, ipsa cognitio. Quia *hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* (Johan. 17. 3.)

CAPUT XXX. Vita delectabilis summéque vacantium in visione Dei.

31. Nam quia illa vita in contemplatione veritatis non solùm ineffabiliter, sed quia & delectabiliter permanebit, multis locis Scriptura testatur, quæ omnia commemorare non possumus. Inde est illud: *Qui diligit me, mandata mea custodit; & ego diligam eum, & ostendam me ipsum*

illi. Tamquam enim fructus & merces ab eo quæreretur, quia mandata ejus custodiuntur: *Ostendam*, inquit, *me ipsum illi*; (Johan. 14. 21.) perfectam beatitudinem ponens, ut cognoscatur sicuti est. Inde est & illud: (1 Johan. 3. 2.) *Dilectissimi, filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est.* Ideo & apostolus Paulus, (1 Cor. 13. 12.) *Tunc*, inquit, *facie ad faciem.* Quia etiam dixit alio loco, (2 Cor. 3. 18.) *In eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tamquam à Domini spiritu.* Et in Psalmis (Psal. 45. 11.) dicit, *Vacate, & videte, quia ego sum Dominus.* B Tunc ergo optimè videbitur, quando summè vacabitur. Quando autem summè vacabitur, nisi cùm transierint tempora laboriosa, tempora necessitatum, quibus modò obstricti sumus, quamdiu terra parit homini peccatori spinas & tribulos, ut in sudore vultûs sui manducet panem suum? Temporibus ergo terreni hominis omni ex parte transactis, & die cælestis hominis omni ex parte perfecto, summè videbimus; quia summè vacabimus. C Finita enim corruptione & indigentiâ in resurrectione fidelium, non erit propter quod laboretur. Quasi enim diceretur, Recumbite & manducate; ita dictum est, *Vacate & videte.* Vacabimus ergo & videbimus Deum sicuti est; & videntes laudabimus Deum. Et hæc erit vita sanctorum, hæc actio quietorum, quia sine defectu laudabimus. Non uno die laudabimus: sed sicut dies ille non habet terminum temporis, ita laus nostra non habebit terminum cessationis; D & ideo in sæcula sæculorum laudabimus. Audi etiam hoc Scripturam dicentem Deo, quod nos desideramus: (Psal. 83. 5.) *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.* (Precatio post concionem.) Conversi ad Dominum, ipsum deprecemur pro nobis & pro omni plebe sua adstante nobiscum in atriis domûs suæ: quam custodire protegereque dignetur: per Jesum Christum filium ejus Dominum nostrum, qui cum eo vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. E

(* Alias 2. ex Sirmondianis. a)

* SERMO CCCLXIII.

De [a] cantico Exodi.

1. SENSUM nostrum, Fratres carissimi, in Scripturis sanctis considerandis atque tractandis regere debet earumdem Scripturarum manifestissima auctoritas; ut ex eis quæ apertè dicta sunt ad nutriendos nos, ea quæ obscuriùs dicta sunt ad exercendos nos, fideliter disserantur. F Quis enim audeat aliter exponere sacramenta divina, quàm corde atque ore Apostolico prædicatum atque præscriptum est? Dicit autem apostolus Paulus, (1 Cor. 10. 1. &c.) *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, & in nube, & in mari; & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* G *Sed non in plurimis eorum*

A *beneplacitum est Deo. Prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostræ factæ sunt, ut non simus cupientes mala, sicut & illi cupierunt.* Et paulò pòst, (Ibidem 11.) *Omnia hæc*, inquit, *in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos finis sæculorum devenit.*

2. (Transitus maris rubri figura baptismi.) Hinc itaque, Dilectissimi, nullus fidelium dubitaverit, transitum illius populi per mare rubrum figuram fuisse baptismi nostri: ut à diabolo & angelis ejus, qui nos, tamquam Pharao & B Ægyptii, luto carnis obnoxios velut laterum operibus adterebant, (Johannes diaconus in collect.) duce Domino nostro Jesu Christo, cujus tunc figuram Moyses gerebat, per baptismum liberati, (Exodi 15. 1.) *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est; equum & equitem projecit in mare.* Nobis enim mortui sunt, qui nobis jam dominari non possunt: quoniam ipsa delicta nostra, quæ nos illi subditos fecerant, lavacro gratiæ sanctæ liberatis nobis, tamquam in mari submersa atque deleta sunt. *Cantemus* ergo *Domino: glo-* C *riosè enim magnificatus est; equum & equitem projecit in mare*, superbiam & superbum delevit in baptismo. Jam quippe humilis subditus Deo cantat hoc canticum. Nam superbo gloriam suam quærenti, & se magnificanti, non est gloriosè magnificatus Dominus. Justificatus autem impius, credendo in eum qui justificat impium, ut deputetur fides ejus ad justitiam, ut justus ex fide vivat; ne ignorans Dei justitiam, & suam volens constituere, justitiæ Dei non sit subjectus; veris- D simè cantat adjutorem & protectorem sibi Dominum in salutem, Deum suum, quem honorificat. Neque enim est ex illis elatis, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum honorificaverunt. [b] Dicit itaque, (℣. 3. b) *Deus patris mei* Deus est enim patris Abraham, qui credidit Deo, & deputatum est illi ad justitiam. Et ideo parvuli, non de nostra justitia præsumentes, sed de ipsius gratia, magnificamus Dominum, quoniam ipse *conterit pugnas*, qui pax est nostra. Et E ideo *Dominus nomen est illi*: cui dicimus apud Isaiam, (Isai. 26. 13.) Posside nos. *Dominus nomen est illi.* Non eramus, & fecit nos: perieramus, & invenit nos: vendideramus nos, & emit nos. *Dominus nomen est illi. Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare.* (℣. 4.) Et exaltationes sæculares, & catervas innumerabilium peccatorum, quæ in nobis diabolo militabant, delevit in baptismo. * *Ternos stratores* (* Apud LXX τριστάτας.) curribus imposuerat, qui nos timore doloris, timore humiliationis, timore mortis, per- F sequendo terrebant. Hæc omnia submersa sunt in rubro mari, quia illi consepulti sumus per baptismum in mortem, qui pro nobis flagellatus, exhonoratus, & occisus est. Ita rubro pelago omnes hostes operuit, qui cruenta morte, quâ nostra peccata consumerentur, baptismum consecravit. Quòd si hostes nostri devenerint in profundum tamquam lapis, illos solos possidet, & cum illis solis est duritia diaboli, de quibus scriptum est, (Prov. 18. 3.) Peccator cùm in profundum venerit G malorum, contemnit. Non enim credunt dimitti sibi posse quæ fecerunt: & ea desperatione

[a] Idem est titulus apud Possidium cap. 8. Indiculi. Excerptum ex hoc Sermone prolixius exhibet Johannes Romanæ Ecclesiæ diaconus in suis collectaneis ad priores septem veteris Testamenti libros, nondum vulgatis, quorum penes nos est ex bibliotheca Corbeiensi pervetustum exemplar, auctoris forsitan ætate, aut certè annis post nonum sæculum non multis descriptum. Dubium nobis aliquando Sermonem istum effecerat ennarrandi genus concisum & subobscurum: sed cùm Augustinum ceteroquin maximè sapiat, par est credere locis nonnullis obscuritatem allatam esse librariorum lapsu; sicuti videre licet in uno & altero loco, quem ad Johannis collectanea redintegramus. Suspicamur præterea Sermonem bona parte esse decurtatum.

[b] Sirmondus, *Sed dicit ei Deus. Deus est enim patris Abraham.* Locus in MSS. similiter vitiatus, sanatur hîc ad Johannis diaconi collectanea nondum vulgata.

CLASSIS IV. graviùs altiúsque merguntur. Sed, *Dextera tua,* A
Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua
ỷ. 6. *Domine, confregit inimicos,* * *& multitudine majesta-*
ỷ. 7. *tis tuæ, Domine, contrivisti adversarios. Misisti quip-*
pe iram tuam, & comedit eos tamquam stipulam.
* *f.* irascentem. Timuimus enim te * nascentem, & credidimus in
te, & omnia delicta nostra consumta sunt.
ỷ. 8. Nam quare *per spiritum iræ Domini divisa est*
aqua, & gelaverunt tamquam murus aquæ, ge-
laverunt fluctus in medio mari; cùm in ista
divisione aquæ, gelantibus fluctibus, via patue- B
rit populo liberato. Cur ergo non potiùs per
spiritum misericordiæ Domini divisa est aqua?
nisi quia terror iræ Dei, quam contemnit ille pec-
cator, qui venit ad profundum malorum, ipse com-
pellit ad baptismum, ut per aquam non præfo-
ỷ. 9. cantem, sed transeuntes per viam liberemur? *Dixit*
inimicus, Persequar, & comprehendam; partibor
spolia, & replebo animam meam; interficiam gla-
dio meo, dominabitur manus mea. Neque intelli-
git inimicus vim Dominici sacramenti, quæ est C
in baptismo salutari, eis qui credunt & sperant
in eum: & adhuc putat etiam dominari baptiza-
tis posse peccata, quoniam carnis fragilitate ten-
tantur, nesciens ubi, & quando, & quomodo
perficiatur plena totius hominis renovatio, quæ
in baptismo inchoatur, & præsignatur, & spe
certissima jam tenetur. Tunc enim & mortale hoc
induet immortalitatem, & evacuato penitus om-
ni principatu & potestate, erit Deus omnia in om-
nibus. Nunc autem, quamdiu corpus, quod cor- D
rumpitur, aggravat animam, dicit inimicus, *Per-*
ỷ. 10. *sequar, & comprehendam.* * *Sed misisti spiritum*
tuum, & operuit eos mare. Modò non dicitur
spiritus iræ Dei, quando mare operuit inimicos:
& paulò antè dictum est, *per spiritum iræ tuæ di-*
visa est aqua: cùm per hoc potiùs transiens Dei
populus liberatus sit. Sed nimirum videtur Deus
non irasci, cui sunt impunita peccata, & magis in-
gravescit. Unde plumbo comparatus in profunda
descendit, tantò magis, quantò magis videt eos E
qui per fidem justificati sunt, & pro spe futuræ
vitæ præsentia mala tolerant, in laboribus vive-
re, in quibus eos perferendis confirmat Spiritus
Dei. Misit ergo Deus Spiritum suum ad consolan-
dos & exercendos in laboribus justos; & operuit
mare impios, non solùm putantes nihil interesse
inter se & illos; sed potiùs æstimantes illis esse
iratum Deum, qui tantis tribulationibus afflige-
rentur, sibi autem propitium, qui tantis prospe-
ritatibus lætarentur. Ita *descenderunt tamquam* F
ỷ. 11. *plumbum in aquam validissimam. Quis similis ti-*
bi in diis, Domine; quis similis tibi? gloriosus in
sanctis, qui non gloriantur in se: *mirabilis in ma-*
jestatibus, qui facis prodigia. Hæc enim quæ tunc
facta sunt, futurum aliquid prænuntiabant, quo-
ỷ. 12. niam figuræ nostræ fuerunt. *Extendisti dexteram*
tuam, transvoravit eos terra. Nullum certè Ægy-
ptiorum illo tempore terræ hiatus absorbuit; aquâ
cooperti sunt, in mari perierunt. Quid est ergo,
Extendisti dexteram tuam, transvoravit eos ter- G
ra? An rectè intelligimus dexteram Dei eum, de
Isai. 53. 1. quo Isaias dicit, Et brachium Domini cui revela-
tum est? Ipse est enim unicus Filius, cui non pe-
percit Pater, sed pro omnibus nobis tradidit illum.
Atque ita in cruce extendit manum suam dexte-
ram, & transvoravit impios terra, cùm se victo-
Job 9. 24. res, & illum contemtibilem putabant. Terra

enim tradita est in manus impii, & faciem judi- SERM. DE DIVERSIS.
cium ejus operuit, id est, divinitatem ejus. Ita
gubernavit Dominus populum suum, tamquam
illo ligno portatum, ubi terra, id est, caro Do-
mini extenta impios transvoravit. Neque enim
navi transivit populus mare, ut *gubernasti* pro-
priè diceretur. Sed *gubernasti justitiâ tuâ populum* ỷ. 13.
tuum, non præsumentem de justitia sua, sed ex fide
viventem sub gratia tua: *populum tuum hunc, quem*
liberasti. Novit enim Dominus qui sunt ejus.

3. *Exhortatus es in virtute tua*, id est, in Christo Transitus per eremũ figura peregrinationis nostræ in hac vita, in qua adversantes superamus auxilio Christi.
tuo. Quia quod infirmum est Dei, fortius est ho-
minibus. Et si crucifixus est ex infirmitate, sed
vivit in virtute Dei. *Exhortatus es in virtute tua, &*
in refectione sancta tua. In eo quippe quòd carnis
mortalitas in illo refecta est per resurrectionem,
& in illo jam corruptibile hoc induit incorruptio-
nem, exhortati sumus in futurum sperantes, &
propter hæc omnia præsentia tolerantes. Re-
stat enim post baptismum transitus per ere-
mum, per vitam quæ agitur in spe, donec ve-
niamus ad terram promissionis, terram viven-
tium ubi nobis est portio Dominus, in æternam
Jerusalem; quò donec veniamus, tota ista vita
eremus nobis est, & tota tentatio. Sed in eo qui
vicit sæculum, vincit omnia populus Dei. Nam
sicut in baptismo, tamquam hostes à tergo inse-
quentes, præterita peccata delentur: sic post ba-
ptismum, in itinere vitæ hujus, cùm escam spi-
ritalem manducamus, & potum spiritalem bi-
bimus, omnia nobis adversantia superamus.
Terruit quippe inimicos viæ nostræ nomen Im-
peratoris nostri. Priùs enim surrexit ira gentium
ad perdendum nomen Christianum; ubi autem
ira nihil potuit, conversa est in dolorem, & magis
magisque fide crescente atque occupante omnia,
dolor conversus est in timorem; ut & superbi hujus
sæculi, tamquam volatilia cæli, sub umbra oleris
illius, quod ex minutissimo grano sinapis multùm
crevit, refugium protectionemque conquirant.
Sic & in hoc cantico, ubi commemorantur ea,
quæ tunc in figura contingebant in illis, servatus
est ordo iræ, doloris, & timoris gentium. *Audierunt,* ỷ. 14.
inquit, *gentes, & iratæ sunt; dolores comprehen-*
derunt habitatores Philistiim. * *Tunc festinaverunt,* ỷ. 15.
id est conturbati sunt, *duces Edom, & principes*
Moabitarum: apprehendit eos tremor: tabuerunt
omnes inhabitantes Chanaan. * *Incumbat in eos* ỷ. 16.
tremor, & timor magnitudinis brachii tui. Fiant tam-
quam lapides, donec transeat populus tuus, Domine,
donec transeat populus tuus hic, quem adquisisti. Sic
factum est, sic fit. Admiratione stupentes tam-
quam lapides fiunt inimici Ecclesiæ, donec tran-
seamus ad patriam. Sed & qui resistere tentave-
rint, sicut tunc Amalech extentis manibus Moy-
si, ita nunc in signo crucis Dominicæ superantur.
Atque ita introducimur, atque plantamur in
monte hereditatis Domini, qui ex parvo lapide, *Dan. 2.*
quem vidit Daniel, crevit & implevit universam
terram. Hæc præparata est habitatio Domini.
Templum enim Dei sanctum est, & sanctifica- *1. Cor. 3. 17.*
tio domûs ejus quæ ab ipso est. Templum enim
Dei sanctum est, ait Apostolus, quod estis vos. Et
ne quisquam respiceret ad terrenam Jerusalem,
ubi templum istud figuram quamdam temporali-
ter gessit, sicut oportuit, significavit de regno æ-
terno se dicere, quod est æterna hereditas Dei, ỷ. 17.
æterna Jerusalem. Secutus enim ait, *Quæ præpa-*
raverunt

raverunt manus tuæ, Domine, qui regnas semper, & in sempiternum, & adhuc. Estne quid ultra quàm *in sempiternum*? Quis hoc dixerit? Cur ergo addidit, *& adhuc*? Fortè quia solet sempiternum & pro longo nimis tempore intelligi, ad hoc additum est, *& adhuc*, ut verum sempiternum, quod sine fine est, intelligeretur. An quia regnat Deus *semper* in cælestibus, quæ statuit in sæculum sæculi, præceptum posuit & non præteribit, *& in sempiternum* in eis, quibus ex transgressione præcepti postea conversis peccata dimisit, & eos adquisivit ex tempore, eisque beatitudinem sine fine donavit, regnat *& adhuc* in eos, quos sub populi sui pedibus in suppliciis justissimis ordinavit? Neque enim quisquam ejus regno subtrahitur, cujus æterna lege in distributione dandi atque reddendi & meritis præmiorum atque pœnarum, & justissima ordinatione, creaturæ cunctæ coercentur. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat (Jacobi 4. 6.) gratiam. *Quia intravit equitatus Pharaonis cum curribus & adscensoribus in mare; & adduxit super eos Dominus aquas maris. Filii autem Israël ambulaverunt per siccum, per medium mare.* (℣. 19.)

4. Hoc cantavit Moyses & filii Israël, hoc Maria prophetissa & filiæ Israël cum ea, hoc & nos modò, sive viri & feminæ, sive spiritus & caro nostra. Qui enim Jesu Christi sunt, ait Apostolus, « carnem suam crucifixerunt cum passionibus & « concupiscentiis. (Gal. 5. 24.) Hoc significare congruenter intelligitur tympanum, quod assumsit Maria, ut huic cantico consonaret. In ligno enim caro extenditur, ut tympanum fiat: & ex cruce discunt suavem sonum gratiæ confiteri. Humiles ergo per baptismum facti gratiæ pietate, & extinctâ ibi nostrâ superbiâ, per quam superbus inimicus nobis dominabatur, ut jam qui gloriatur, in Domino glorietur, *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est; equum & equitem projecit in mare.* (℣. 21.)

Maria tympano assumto concinens quid figurat.

CLASSIS V.

SERMONES DUBII.

Quos inter qui visi sunt minùs referre Augustinum, typis minutioribus exhibentur.

* SERMO CCCLXIV.

** Aliàs de Tempore 197.*

De [a] Samsone.

Fortitudo Samson ex Spiritu Dei.

SAMSON fortitudinem habuit de gratia, non de natura. Nam si fortis esset naturâ, cùm ei capillus demeretur, fortitudo non adimeretur. Et ubi erat illa potentissima fortitudo, nisi in eo quòd Scriptura dixit, *Incedebat cum illo Spiritus Domini?* (Judic. 13. 25.) Ad Domini Spiritum D pertinebat illa fortitudo. In Samson vas erat, in Spiritu plenitudo erat. Vas impleri & exinaniri potest. Omne autem vas aliunde habet complementum. Ideo in Paulo ipsa gratia commendata est, quando dictus est *vas electionis*. (Act. 9. 15.) Videamus ergo Allophylis qualem parabolam Samson proposuit. *De edente*, inquit, *exivit cibus, & de forti est egressa dulcedo.* (Judic. 14. 14.) Prodita est hæc parabola, delata ad amicos, soluta est; victus est Samson. Hic si justus est, latet: valde in profundo E est hujus viri justitia. Nam & quòd legitur victus blanditiis muliebribus, & quòd ad meretricem intravit, videtur hujus meritum vacillare minùs intelligentibus secreta veritatis. Nam & Propheta uxorem meretricem præcepto Domini jubetur accipere. (Osee 1. 2.) Fortasse poterimus dicere hoc in veteri Testamento criminosa vel damnabilia non fuisse, quando quidem hoc quod dicebat vel agebat, prophetia erat. Requiramus ergo quid significaverit victus, quid significaverit victor, quid F significaverit cedens blanditiis muliebribus, quid significaverit prodens secretum parabolæ, quid significaverit intrans ad meretricem, quid signi-C ficaverit vulpes capiens, & per caudas vulpium, quibus ignem alligavit, inimicorum fructus incendens. Quos quidem fructus de compendio incendere potuit, si non in vulpibus mysterium cogitaret. Numquid enim stipula arida ardere non potuit, nisi ignem per eam vulpes transferrent? Intelligamus ergo grandia latére mysteria.

In Samsone figuratus Christus.

2. Quid erat Samson? Si dicam, Christum significabat: verum mihi dicere videor; sed continuò occurrit cogitantibus, Et Christus vincitur blanditiis muliebribus? Et Christus quomodo intelligitur ad meretricem intrare potuisse? Deinde & Christus, quando capite nudatur, capillo raditur, virtute spoliatur, alligatur, excæcatur, illuditur? Evigila fides, adtende quid sit Christus, non solùm quid fecit, sed etiam quid passus est Christus. Quid fecit? Operatus est, ut fortis: passus est, ut infirmus. In uno intelligo utrumque. Video fortitudinem Filii Dei, video infirmitatem filii hominis. Accedit & aliud, quia Christus totus, quomodo eum Scriptura commendat, & caput & corpus est. Sicut Ecclesiæ caput est Christus, ita Christi corpus Ecclesia est. (Ephes. 4. 15.) Et sola quidem ut non sit, cum capite suo totus Christus est. Habet ergo Ecclesia in se fortes, habet infirmos; habet eos qui solido pane vescuntur, habet eos qui adhuc lacte nutriendi sunt. Addo aliud, quod necesse est confiteri: in ipsa societate sacramentorum, communicatione baptismatis, participatione altaris, habet justos, habet injustos. Modò enim corpus Christi, quod nostis, in area est; postea in horreo erit. Tamen cùm in area est, non recusat paleas sustinere: cùm tempus advenerit reponendi, triticum à paleis (Matth. 3. 12.)

[a] Possidius Indiculo cap. 10. recenset Tractatum *de Samson & de versu Psalmi* 57. cujus partem repræsentari arbitramur in isto Sermone. Fuit aliàs Lovaniensibus dubius, Verlino autem & Vindingo spurius: Nunc certè multò quàm antea melior aut minùs indignus Augustino prodit, emendatus ad varios codices MSS. quorum auctoritate in eo quædam restituimus, quædám resecamus. Exordium in priùs excusis istud habebat: *In lectione ista, quæ nobis recitata est, Fratres carissimi, multa & nimiùm obscura divina mysteria continentur. Quæ quia non possunt breviter explicari, hâc solâ ex caussa Psalmos matutinos temperiùs voluimus consummare, ne vos Sermo prolixior fatigaret. Et quia horâ consuetudinariâ de ecclesia exituri estis, ea quæ dicenda sunt, secundùm vestram consuetudinem, cum silentio & quiete adtento animo audite, Samson, Fratres dilectissimi*, &c. Abest id totum à MSS.

CLASSIS V. segregabit. Quædam ergo fecit Samson ex persona capitis, quædam ex persona corporis, totum tamen ex persona Christi. In eo enim quòd virtutes & mirabilia operatus est Samson, caput Ecclesiæ Christum significavit: in eo autem quòd prudenter fecit, illorum qui in Ecclesia justè vivunt, imaginem gessit: ubi fortè præventus est & incautè egit, eos qui in Ecclesia [a] peccatores sunt, figuravit. Meretrix quam Samson in conjugium sumit, Ecclesia est, quæ ante agnitionem unius Dei cum idolis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adjunxit. Postquam verò ab eo illuminata fidem suscepit, etiam hoc meruit, ut per eum salutis sacramenta cognosceret, & ab eodem revelarentur ei mysteria cælestium secretorum. Nam quæstio ipsa quæ continet, *De edente exivit cibus, & de forti est egressa dulcedo*, quid aliud significat quàm Christum à mortuis resurgentem? De edente utique, id est, de morte quæ cuncta devorat atque consumit, exivit cibus ille qui dixit, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Quem humana exacerbavit iniquitas, & cui aceti & fellis amaritudinem propinavit, ab eo plebs Gentium vitæ dulcedinem conversa suscepit. Ac sic de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui adcubans dormivit ut leo, apum, id est Christianorum processit examen. Quòd autem dicit, *Non invenissetis parabolam meam, nisi arassetis in vitula mea*: vitula hæc Ecclesia est, quæ fidei mysteria, Trinitatis, resurrectionis, judicii pariter & regni, in fines terræ per Apostolorum & sanctorum doctrinam ac prædicationem vulgavit, & intelligentibus atque cognoscentibus æternæ vitæ præmia repromisit.

Uxor Samsonis. Problema ipsius. *Johan. 6. 41.* *Judic. 14. 18.*

3. Sequitur autem, *Iratus est Samson, quia duxit sodalis ejus uxorem ejus*. Sodalis iste omnium hæreticorum figuram gessit. Magnum secretum, Fratres mei. Nam hæretici, qui Ecclesiam diviserunt, uxorem Domini sui ducere & abducere voluerunt. De Ecclesia enim & de Evangeliis exierunt, qui per impietatis adulterium Ecclesiam, id est, Christi corpus in partem suam conantur invadere. Unde fidelis ille servus & amicus Dominicæ sponsæ loquitur dicens, *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Et depravati sodalis tangit fideli zelo & increpatione personam. *Et timeo*, inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit, ita & sensus vestri corrumpantur à veritate quæ est in Christo Iesu*. Qui autem sunt sodales, id est, hæretici desertores, qui sponsam Domini invadere voluerunt, nisi Donatus, Arius, Manichæus, & cetera vasa erroris & perditionis? De talibus Apostolus dicit, *Audio in vobis*, inquit, *scissuras esse: alius enim dicit, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo; alius verò, Ego Cephæ*. Videamus igitur mysticus iste Samson quid fecerit offensus in uxore ab alieno. Cepit enim vulpes, id est, adulterantes sodales, de quibus dicitur in Canticis canticorum, *Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas*. Quid est, *Capite*? Id est, comprehendite, convincite, confutate; ne exterminentur Ecclesiasticæ vineæ. Quid est aliud vulpes capere, nisi hæreticos divinæ legis auctoritate revincere, & sanctarum Scripturarum testimoniis velut quibusdam vinculis alligare atque constringere? Vulpes capit, ligatis ignem caudis apponit. Quid sibi volunt caudæ vulpium colligatæ? Caudæ vulpium quid sunt, nisi posteriora hæreticorum, qui prima habent blanda & deceptoria: ligata, id est, damnata, & ignem in fine trahentia; ut eorum fructus & opera consumant, qui suis seductionibus adquiescunt? Dicit homini modò, Noli audire hæreticos, noli adquiescere hæreticis. Respondet, Quare? Numquid ille & ille non audivit hæreticos? Numquid & alius quilibet Christianus non tanta mala commisit, tanta adulteria fecit, tantas rapinas exercuit? Et quid illi contigit mali? Prima vulpium sunt, quæ seducti adtendunt; & retrò est ignis. Nihil, inquit, illi contigit. Numquid quia præcedit, post se nihil trahit? Venturus est ad ignem posteriorem. Putas autem quia hæretici ignem trahunt unde ardeant fructus inimicorum, & ipsi non ardebunt? Sine dubio enim vulpes, ubi messes incenderunt, & ipsæ utique arserunt. Videte ergo judicium hæreticis retrò, quomodo non vident post se. Habent blandimenta, ut mulceant, primas partes suas liberas ostendunt: in judicio Dei in ligatis caudis, id est, in posterioribus suis ignem trahunt, quia improbitas præcedit pœnas suas.

Sodalis ducens ipsius uxorem figura hæreticorum. *2. Cor. 11. 2.* *1. Cor. 1. 11.* Vulpes ignem in caudis trahentes. *Cant. 2. 15.* SERMON. DUBII.

4. Quòd autem intravit ad meretricem, si sine caussa fecit, quicumque fecit, immundus est: si autem propheta fecit, sacramentum est. Si non ita intravit ut concumberet cum ea, mysterii caussâ fortassis intravit. Sed concubuisse non legimus. Sequitur, *Inimici verò exspectabant ad portas civitatis, ut comprehenderent eum, cùm à meretrice, ad quam intraverat, fuisset egressus. Ille verò dormiebat*. Videte quemadmodum non scriptum est, quia mixtus est meretrici; sed scriptum est, quia *dormiebat*. *Ubi exsurrexit*, inquit, *media nocte exiit, & abstulit portas civitatis ipsius cum seris, & easdem portas levavit in cacumen montis, & ab Allophylis teneri non potuit*. Portas civitatis, quibus ad meretricem intravit abstulit, & in montem levavit. Quid est hoc? Infernum & amorem mulieris, utrumque Scriptura conjungit. Inferni imaginem tenebat domus meretricis. Rectè pro inferis ponitur: quia neminem repellit, & omnem intrantem ad se trahit. Agnoscimus hoc loco Redemtoris nostri opera, postquam Synagoga, ad quam venerat, à se per diabolum separata est, postea quàm decalvavit eum, id est, in loco Calvariæ crucifixit, ad inferna descendit; & inimici custodiebant locum dormientis, id est, sepulcrum; & capere volebant quem videre non poterant. Ille autem dormiebat ibi. Hoc ideo dixi, quia vera mors erat. Quod dictum est, *Media nocte surrexit*; hoc significat, quia in secreto surrexit. Apertè enim passus est; solis autem discipulis & certis quibuscumque, cùm surrexit, manifestatus est. Ergo quòd intravit, omnes viderunt; quòd surrexit, pauci cognoverunt, tenuerunt & palpaverunt. Tollit tamen portas civitatis, id est, aufert portas inferni. Quid est portas inferni tollere, nisi mortis imperium removere? Recipiebat enim & non remittebat. Quid autem fecit Dominus noster Jesus Christus? Ablatis portis mortis, adscendit in cacumen montis. Novimus enim eum & resurrexisse, & in cælos adscendisse.

Accessus meretricè. *Judic. 16. 2.* Portæ civitatis, cùm à somno surrexisset, in montem ablatæ. *Prov. 30. 16.*

5. Quid est autem quòd in capillis virtutem habebat? Et hoc, Fratres, diligenter adtendite.

Virtus in capillis.

[a] MSS. *infirmi sunt*. Paulò pòst loco *Meretrix*, veriùs si legatur *Mulier ex alienigenis*, ut aliàs Augustinus.

Classis V.

Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipso capite; sed in capillis, in crinibus. Quid sunt capilli, quid comæ? Et nos videmus, & interrogatus Apostolus respondet nobis, *Coma velamentum est.* Et in velamento Christus habebat virtutem, quando umbræ veteris Legis eum tegebant. Coma ergo Samson in velamento erat; quia in Christo aliud videbatur, & aliud intelligebatur. Quid autem sibi vult, quòd proditum est secretum, & decalvatus est Samson? Contemta est Lex, & passus est Christus. Christum enim non occiderent, si Legem non contemsissent. Nam noverant & ipsi quia eis Christum non licebat occidere. Dicebant judici, *Nobis non licet occidere aliquem.* Decalvatus est Samson, revelata sunt condensa, remotum est velamentum; & Christus qui latebat apparuit. Capilli autem redivivi caput vestierunt: quia Judæi nec resurgentem Christum credere voluerunt. Fuit quidem in molendino cæcatus, fuit in domo carceris. Domus carceris vel molendinum, labor est hujus sæculi. Excæcatio autem Samson illos indicat, qui infidelitate cæcati Christum nec virtutes operantem, nec adscendentem ad cælestia cognoverunt. Cæcitas ergo quam intulerunt, cæcitatem Judæorum significabat. Christus autem à Judæis & comprehensus est & occisus: sed magis interficientes occidit. Adduxerunt ergo eum inimici, ut illuderent ei. Jam hîc imaginem crucis adtendite. Expansas enim manus ad duas columnas, quasi ad duo ligna crucis extendit: sed adversarios suos interemtus oppressit, & illius passio interfectio facta est persequentium. Et ideo Scriptura ita conclusit, *Plures mortuus occidit, quàm vivus occiderat.* Quod mysterium in Domino nostro Jesu Christo evidenter impletum est: redemtionem nostram, quam vivens minimè celebraverat, mortuus celebravit: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[Margin: 1. Cor. 11. 15. — Johan. 18. 31. — Excæcatio & mors Samsonis.]

*SERMO CCCLXV.

[Margin: * Alias 38. inter Vignerianos.]

De[a] *versu Psalmi 15.* Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, *&c.*

1. CANTAVIMUS, & diximus, *Benedicam Dominum*: utinam corde, non ore tantùm: nam si ore & non corde, sordescit laus Domini in ore peccatoris; nec sibi prodest oris confessio, si non sit intus caritatis professio. Videte Fratres: non est caritas virtus oris, ibi sedem figit, ubi pulcra est amica sponsi. Ubi autem hæc pulcritudo? Omnis gloria filiæ regis ab intus. Non est aliud ea gloria quàm pulcritudo, non est aliud ea pulcritudo quàm caritas, non est aliud caritas quàm vita. Ergo ut vivas, ama. Si amas, pulcher es: amor bonum, amor pulcrum. Si absit illud pulcrum, non vivis; speciem quidem habes; sed non intus. Recludatur sepulcrum illud tantis fultum columnis, effringatur marmor; quid aliud occurret quàm horrendum cadaver, ossa fœtida, cineres, vermes? Est itaque species, sed tegit mortuum, ad adspectum cujus horrescis, fremis. Putas autem mortuus dicat, *Benedicam Dominum?* Immo teste Scriptura, Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Aperi Evangelium, audies Dominum increpantem & dicentem diabolo, Obmutesce. Quare? Quia non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum. Nemo cum laudat, quem non amat; aut si inimicus laudat, virtutem amat, quam in inimico laudat. Qui peccat, inimicitias exercet cum Deo: neque igitur Deum laudat, nec virtutem Dei laudat: quia laus aliquod bonum est, quod non cadit in peccatum. Qui aliquem laudat & mentitur, calumniatur, aut irridet potiùs quàm laudat. Aufer à corde caritatem, solum superat mendacium. Vis ut mendacium laudet veritatem, & inde Deus sumat elogium, unde proficiscitur blasphemia? Non magni ducunt sapientes, qui ab insanis & malis laudantur: laudabitur Deus ab impuro & impudentissimo corde, à blasphema & amentissima mente? Dic ergo, *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* Insanus non es, sanatus es, intellectum habes; lauda Deum tuum, qui tribuit tibi intellectum, qui præstat oculum: intellectum, ut capias; oculum, ut adspicias; capias quanta sit latitudo & longitudo amoris Dei, adspicias in auctorem & consummatorem fidei; capias caritatem, adspicias Christum; caritatem, ut ames; Christum, ut benedicas; & amando & benedicendo cognoscas Dominum, qui tibi tribuit intellectum; & cognoscendo vivas: quia, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

[Margin: Deus corde laudandus & amore. Eccli. 15. 9. — Psal. 44. 14. — Psal. 113. 17. — Marci 1. 25. — Laus sine amore, nec vera, nec Deo accepta. — Sermon. Dubii. — Johan. 17. 3.]

2. Sed unde, quæso, tibi intellectus iste? Veniet aliquis de transverso, & dicet, Qui naturam dedit, dedit intellectum; bona natura, bonus intellectus; hanc bonam sortiar, sufficit: neque enim intellectus erit degener; & inde benedicam Dominum, unde mihi tribuit intellectum, hoc est, à natura. O hæretice, ergo bonam sortitus es naturam? Taceat Apostolus & confundatur: Non quod volo, inquit, bonum hoc facio; & tamen bonam sortitus est naturam, & in hac bona natura, bonum quod vult agere, non potest agere. Vult, desiderat, conatur: vult infirmè, desiderat incassum; conatur frustra; & contra quod vult, quod desiderat, quod conatur, bonum hoc non perficit. O bonam naturam, cujus imbecilla voluntas, irritum desiderium, conatus inutiles! Partes suas agant philosophi, & maximam tibi gratiam habebunt, qui tam gratuitò bonam eis naturam indulges. Quid inde? Noverunt cælum, noverunt terram, noverunt mare, abyssos rimantur, abstrusa naturæ scrutantur, sciunt rerum discrimina, differentias, essentias; de his omnibus rationem reddunt; quid inde? Perge, dic ampliùs. Post tot tantaque deficiunt, nec sicut Deum glorificaverunt, & in cogitationibus suis evanuerunt, & insipientes facti sunt, cùm se sapientes arbitrarentur, & mutaverunt similitudinem Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum, & effusi sunt in errore Baalim, & occæcavit eos Deus sæculi, & traditi sunt in ignominiosas passiones, & similes facti sunt iis quæ adorabant. Et tamen bonâ naturâ gaudebant, & per naturam intellectu. O insane, vides an hæc natura tribuat intellectum, quo Deum benedicant? Quin potiùs tribuat intellectum, quo Deo maledicant, & adversùs Creatorem exsurgant? Dicite potiùs, Fratres, *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*: nisi tribuisset, non intellexissem; nisi intellexissem, numquam benedixissem: intellectum tribuit, oculum dedit. Cæca natura, quo ipsa caret non præstat. Fac tibi intellectum, & te facies cæcum. Lumen quod in te est, tenebræ sunt. Dic ergo, Illumina tenebras meas, ne umquam obdormiam in morte. Quid est obdormire in morte? Aliquid à natura sperare, brachium suum carnem facere, sibi ipsi intellectum fingere: hæc qui fecerit, non tantùm in morte est, sed obdormit in morte, plusquam quatriduanus est, plusquam fœtet. Si tantùm in morte esset, suscitari posset: sed in ipsa morte plusquam ferreum somnum dormit, in ea requiescit. Actum est de eo.

[Margin: Contra hæreticos, intellectum bonum, quo benedicitur Deus, habere se à natura jactantes. — Rom. 7. 19. — Psal. 12. 4.]

3. Sed vis scire quid egerit is, qui bonam sortitus erat naturam? Dixitne ut tu, In bona natura, bonus mihi est intellectus, & qui unum tribuit, alterum non negavit? Allidamus scorpium, conteramus, obstruatur iniquitati os suum. Lege, Sortitus sum animam bonam. Perge, audiamus qualem nactus fueris thesaurum, qui fortasse vertetur in carbones, & utinam in carbones qui super caput tuum congesti absumant superflua. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum: & ut scivi quòd non aliter continere possem, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, cujus esset donum cognoscere; conveni Dominum, & deprecatus sum. Verissimè sortitus es naturam bonam, quis neget? Nam & diaboli natura bona est, & omnia quæ Deus fecit, bona sunt:

[Margin: Rursus confutantur verbis Salomonis. — Sap. 8. 19. — Ibidem 20. & 21.]

[a] Adversùs Pelagianos & Semipelagianos egregius, sed stilo non videtur scriptus Augustiniano.

sed in hac natura licèt bona, tu sapientem intellectum habebis, quo possis abstinere à concupiscentiis & desideriis, quæ militant adversùs animam, si Deus non dederit? Disce hæretice, disce tandem. Et scivi quòd non aliter continere possem, nisi Deus det: & in hoc præcipuum sapientiæ, quæ tota est intellectus, scire unde contineas, & non aliter contineas nisi à solo Deo. O egregiam naturam, quæ à nullo abstinere potest, nec aliter potest, nisi ut ruat, si Deus non dederit intellectum, quo non ruat! Cantemus ergo, Fratres, cantemus, *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*, dedit naturam, dedit intellectum; sanavit naturam, sanavit intellectum. In utroque pius Samaritanus misericordiam exhibuit, descendit, alligavit vulnera, vino quod intelligimus, tersit, curavit, in stabulum tulit, hoc est in Ecclesiam, hospiti commendavit. Quali hospiti? Spiritui-sancto Ecclesiæ sanctæ inhabitatori. Is acceptâ monetâ, sed quam conscisso sacco effudit qui pro miseris solvit, oleo suo, unguento suo, vulnera naturæ jacentis & exspirantis sanavit, & eodem oleo quod accendit, tenebras meas illuminavit, & intellectum lucidum fecit. Hoc si non credideris, non tibi erit Samaritanus, & peribis in vulnere, qui medentis manum renuis admittere.

Intellectus bonus à Spiritu-sancto.

4. Interrogentur Apostoli, & dicant quis in illo quinquagesimo à resurrectione Domini die tribuit illis intellectum? An fortassis excitaverant illi strepitum terribilem, quo concussus est locus, in quo exspectabant promissa Patris? Fortassis accenderunt illum supernum ignem, quo toti ardebant? Fortassis linguas illas ignitas ipsi creaverunt? Fortassis ipsi divina illa munera, ex quibus est intellectus, sibi procuraverunt, & in se secundùm desideria cordis effuderunt? Hoc qui ait, nullam in hoc sacro quinquagenario partem habet; nec accipit intellectum, qui secundùm naturam dari putat intellectum. Quando ergo datus est intellectus, nisi quando & datus est Spiritus? Agamus simul, jam confunderis, jam erubescis; & utinam ita confundaris ut ædificeris, ita erubescas ut glorificeris. Quid est Spiritus-sanctus, nisi promissum Patris munus, nisi Filii donum? Si promittitur, habes à quo promittitur: nam quæ promittuntur, extra nos sunt; & promitteretur frustra quod aut in potestate nostra esset cùm promittitur, aut cùm liberet possideretur. Hoc tibi promitto, quod non habes; & in me est cùm promitto, ut in te descendat quod promitto. Est etiam Spiritus sanctus donum, & super omne donum, & quod nulli debetur donum, & quod gratis tribuitur donum. Natus est Christus, & in præsepio qui piorum jumentorum esca fieret, reclinatus: tamen sitim, lassitudines passus est, à suis venditus, à Judæis traditus & accusatus, à Gentibus flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, saxo tandem inclusus: quorsum hæc omnia? Ut hoc tibi emeret donum, quod postea credenti dispensaret; aut potiùs dispensaret, ut crederes. Nam nisi priùs dedisset, neque antè, neque pòst credidisses: Unde si à natura donum hoc habes, inanem reddis mortem Christi, passionem, crucem. Frustra enim moritur, ut tibi adquirat quod in te est, & donet quod possides. Redde Domino præsepii humilitatem, redde crucis maledictionem, redde profusi sanguinis copiam, incassum hæc omnia: tibi sufficis, inania hæc omnia; dives es, & in divitis naturæ bonis computas intellectum, quem dedit natura, non gratia, & cujus non es debitor Creatori, nisi in quantum naturam tribuit, quæ tibi intellectum fecit.

Spiritus-sanctus donum nobis Christi passione emtum.

5. Agnoscis, ut puto, errorem: & utinam emendent te renes tui, ut meliùs agnoscas, & agnoscendo petas, & petendo obtineas spiritum intellectûs & consilii & timoris, quo sapientior evadas, quo fias cautior & Domino subjectior. Hæc, Fratres, etsi non tractarem, alius tamen esset qui vos erudiret: & apud vosmetipsos tractatores essetis. Si enim, quod avertat Deus, in tam crassum & stupidum errorem prolapsi essetis, ut à natura vobis intellectum tribui putaretis, quem à sola gratia & misericordia Dei habetis, emendarent vos renes vestri, & clamarent, Quare adscendunt cogitationes hujusmodi in cor vestrum? Unusquisque se ipsum consulat, se ipsum palpet, scrutetur, nec se quæsierit extrà; interroget renes suos, & dicent illi, fuisse legem in membris meis contrariam legi mentis meæ; pronus sum ad omne flagitium, ita me obruunt concupiscentiæ fluctus, ut quotidie mergar, & in profundum peccatorum ruam. Adscendit invidia, adscendit superbia, adscendit luxuria, agmine facto miserum petunt: si Charybdim declinaverim, Scyllam incurro; si libidinem propulso, iræ succumbo; si non me domat avaritia, cædit ebrietas; si rapinis abstineo, manum & viscera pauperibus claudo; si calumniis aures obduco, mors intrat per fenestras, hoc est, per oculos libidinum & voluptatum incentiva haurio; denique si rimam unam obturo, centum patent, quibus accipiam inimicum imbrem, & tandem fatiscam. Hæc sunt quæ apud te tractant renes tui, & propria infirmitate conscii erudiunt te, increpant te, emendant te, & usque in noctem. Qualem noctem? Conscientiæ tuæ caliginosæ, cujus tenebris involutus velles, si posses, his quasi clypeum adversùs lumen veritatis obtendere, & de fortitudine tua bene sperare. Sed emendant te renes tui. In renibus & in lumbis robur, ut est alicubi in Scriptura: sed quando quidem adeo elumbes sint lumbi tui, adeo flaccescentes renes tui, erudiunt & dicunt, Si in renibus, unde est fortitudo, tanta est debilitas, tanta infirmitas, quid de ceteris fiet? Cùm nos ergo erudierint lumbi nostri, & docuerint quàm vana sit salus hominum, quid superest, nisi ut succingamus lumbos nostros, ut non diffluant? Quando apud nos tabulata nostra, aut nimiâ vetustate, aut nimio calore, aut tempestatum impulsione, vel alia quapiam de caussa dehiscunt, illa statim clavis & nervis compingimus: hoc fiat de lumbis tuis, hoc est, de fortitudine tua; laxantur, ruunt, fatiscunt, solvitur tota compago; habes clavos in crucifixo, fortiter impinge, & tantò meliùs, quantò profundiùs; noli ponere labanti, ut sustentetur, sic firmabitur compago resoluta. Habent clavi crucis, quo jacentes erigant, quo debiles restituant, quo labentes retineant. Impelle, tunde, usque ad medullas, usque ad ipsam animam, ex hac emendatione sanaberis, & sanatus dices ad Dominum, Fortitudinem meam ad te custodiam: ex te fortitudo mea, ad te fortitudo mea. Conversi ad Dominum, &c.

Convincuntur postremò experientiâ propriæ infirmitatis & concupiscentiæ.

Luca 24. 38.

Rom. 7. 23.

Job 40. 11.

Psal. 58. 10.

* SERMO CCCLXVI.

* Aliàs 9. ex Sirmondianis.

De [a] Psalmo 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit.

1. PSALMUM vobis, Dilectissimi, qui ad Christi baptismum properatis, in nomine Domini tradimus memoriæ collocandum: cujus necesse est, ut mysterium, illuminante divinâ gratiâ, exponamus. Hic enim Psalmus specialiter reformationem lapsùs humani generis, & sanctæ Ecclesiæ disciplinam, simulque continet sacramenta. Pateant igitur silentio aures cordis vestri ad audiendum, & totius intentionis paratos sulcos verbi semen inveniat: ut quod nunc sitiens terra susceperit, tempore accepto inebriata sanguine Christi, in [b] procero germinans culmo, copiosos afferat fructus.

Psalmus reformationis hominis mysterium continens.

2. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Magnum, Carissimi, principium confitentis. Firmavit enim defensionis fiduciam, divitiarum roboravit infinitam substantiam. *Dominus regit me*, firmavit defensionis fiduciam. *Et nihil mihi deerit*, roboravit divitiarum infinitam substantiam. Sed quæramus cujus, quantique, qualisve sit ista confessio. Illius, illius est, Dilectissimi, qui descendens ex Jerusalem in Jericho, incidit in latrones. Qui dispoliatus primæ originis dignitate, mortisque telo prostratus humo sine viribus jacebat & nudus. Qui tubâ Legis & Prophetarum insonante, dum suis conatur surgere viribus, vulneris dolore retractus, in ipsum graviùs recidit quò jacebat. Quia Lex, ut ait Apostolus, ad perfectum nihil adduxit. Quem Samaritanus ille noster, Christus scilicet, qui Samaritanus à Judæis est dictus, quod interpretatur custos, miserando cùm eâdem viâ transiret, id est, cùm in carne justus pro nobis peccatoribus mori venisset, in jumentum suum, elevans à terra, imposuit; & aberrantem ut ovem subvectans

Psal. 22. 1.

Hominis lapsi figura in eo qui descendit ab Jerusalem in Jericho.

Luca 10. 30.

Hebr. 7. 19.

a Augustino tributum reperit Sirmondus in tribus codicibus, uno Germanensi, & Victorinis duobus: nos præterea in Remigiano annorum ferè octingentorum. Atque in his omnibus libris inscriptus est, tamquam eòdem spectans, diversis Augustini lucubrationibus contra Pelagianos. Ipsum tamen dicendi genus ferè persuasit falsam in MSS. esse inscriptionem Sermonis, vixque dubitamus quin non sit Augustini.

b Sirmondus, *prospero germinans*. At MSS. *procero geminans*.

CLASSIS V. — SERMON. DUBII.

humeris propriis, in paradisum, unde lapsus fuerat, ad centenarium, hoc est, ad perfectum numerum revocavit. Ipse enim, ut ait Propheta, peccata nostra portavit, & pro nobis doluit. Dic jam, homo, dic in jumento misericordiæ, & humeris Dominicæ dilectionis sedens, qui cognitus recognoscis auctorem tuum & Dominum, *Dominus regit me*. Quod utique, nisi à Domino erectus, jacens dicere non posses. Ipse ergo regit te, qui portat te. Cùm enim dicis, *Dominus regit me*; nihil est proprium, unde fidas in te. Itaque cave ne extollaris de meritis tuis. Nulla enim fuerunt, cùm ad te erigendum Dominus venit. Denique nudum invenit, non vestitum; plagatum invenit, non sanum; jacentem invenit, non stantem; errantem reperit, non revertentem. Cave jactantiam, cave; quia qui te semivivum miserando à terra sustulit, humilem portat, præcipitat extollentem. Cùm enim dixeris timendo, & in innocentia ambulando, *Dominus regit me*; fiducialiter addes, *& nihil mihi deerit*. Quoniam nihil deest timentibus eum; & non privabit Dominus bonis ambulantes in innocentia.

3. Nam ut scias, quia nihil tibi deerit, adde quod sequitur: *In loco pascuæ ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me.* Agnosce homo quid fueris, ubi fueris, sub quo fueris. Ovis errans eras, in invio & inaquoso, spinis & tribulis pascebaris: sub mercenario posita, veniente lupo, secura non eras. Nunc autem requisita à vero pastore, humeris ejus pietate subvecta, reducta es ad ovile, id est ad domum Dei, videlicet Ecclesiam, ubi pastor tuus Christus, & oves commanent congregatæ. Pastor iste non est ut mercenarius, sub quo misera laborabas, sub quo lupum timebas. Vis autem scire quantam tui curam habeat hic pastor bonus? Animam suam pro te posuit. Ipse enim in Evangelio dicit, Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. Hoc fecit. Insidianti enim lupo tibi, se obtulit occidendum pro te. Nunc ergo secura manes in ovili. Nec indiges quempiam alium, qui [a] cortis tuæ claudat aperiatque januam: quia Christus tibi & pastor, & janua est; ipse & pascua, & provisor. Ego sum, inquit, ostium ovium. » Per me si quis ingressus fuerit, salvabitur, & egredietur » & ingredietur, & pascua inveniet. Pascua igitur, quæ tibi pastor hic bonus paravit, in quibus te satiari collocavit, non sunt herbarum virentium varietas, in quibus quædam dulci succo, quædam amarissimo constant, quæ successu temporum aliquando sunt, aliquando non sunt. Pascua tibi eloquia Dei & mandata sunt dulcia seminata. De his pascuis gustaverat ille qui dicebat Deo, Quàm » dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & favum ori meo. De his pascuis idem ipse Dominicis ovibus clamat, & dicit, Gustate & videte quàm suavis est Dominus. Lege igitur decalogum veteris Testamenti: Non » occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, & cetera. Lege præceptorum laudem novi Testamenti, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cæ» lorum. Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram: & cetera consequentia, vel similia, & plura per Prophetas & Apostolos seminata. De his utique pascuis clamat pastor ad oves, Operamini cibum qui non perit. Ideo autem non perit, quia verbum Domini manet in æternum. Verbum Domini cibus tuus est, & non solùm cibus, sed & potus. Audi eum per Prophetam dicentem veteri populo, Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Item per semetipsum, Caro mea, inquit, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Non sunt autem longè pascua hæc ab aqua refectionis. Unus his locus est Ecclesia Dei catholica; ubi mandata vitæ sunt pascua tua, & fons aquæ salientis in vitam æternam, cujus reficieris fluentis, cùm baptizaberis reparandus in Christo. Hac igitur aquâ nisi rigata fuerint pascua tua, educari non poteris: quia mandata Dei sine Christi baptismate germinare non possunt, nec edi ad animæ satietatem.

4. Cùm ergo per aquam refectionis Christi cœperis esse idoneus, ut sapore pascuarum dulcium satieris, tunc cognosces, & clamabis gaudens, & dicens, *Animam meam convertit, deduxit me per semitas justitiæ propter nomen suum.* Diabolus per peccatum animam tuam evertit, & à Deo avertit; quam Deus Pater per Christum, non meritis tuis ad se, sed propter nomen suum, convertit. Jam ergo illuminatus, jam conversus, jam credens, jam divinis pascuis per aquam refectionis satiatus dices, *Animam meam convertit.* Bona est gloria confessionis tuæ, si non sit mutatio conscientiæ tuæ. Tunc enim verè & immutabili conscientiâ hoc dices, cùm non ob meritum tuum, sed propter nomen suum dices. Quæ sunt autem semitæ justitiæ, in quibus te deduxit? Audi deductorem tuum. Quàm lata est, inquit, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, arta autem & angusta via est, quæ ducit ad vitam! Omnis namque semita brevis est & compendiosa. Non ergo per delicias mundi, per opulentiam auri & argenti; lapidibus etiam vestibusque pretiosissimis conspicuum honore omni, nobilitate præditum, sapientiâ philosophorum cunctâ tumentem, Deus te ordinavit ire ad regnum cælorum: quia hæc omnia, & his similia, quibus malè utuntur, quibus uti bene * datur, efficiuntur eis via lata & spatiosa, id est in spe tantùm quæ videtur; & ducit eos, cùm præsenti fuerint vitâ privati, non ad spem, in qua non habuerunt spem, sed ad perditionem. Dormierunt enim somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Per semitas justitiæ ire te disposuit, id est, per misericordiam & veritatem. Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Contemtâ viâ latâ & spatiosâ, semitas artas & compendiosas incedere te vult, id est, per famem & sitim, per nuditatem, per jejunium, per ignobilitatem, per paupertatem, per patientiam, per despectum omnium præsentium, habentem verò spem * promissam. Vis autem evidenter cognoscere compendium semitarum, per quas jussus es ambulare? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, « & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut te ipsum. « In his enim duobus mandatis omnis Lex pendet & Prophetæ. Ut ergo citò pervenias, si festinas ad regnum cælorum, in duabus his semitis, quæ omnium caput sunt, & unam faciunt viam, gradere; ut universas, cùm perveneris, naviter te & sine fatigatione peregisse congaudeas.

5. Has ergo tene semitas, in his maneant incessus tui, inter diaboli sævientis insidias, ut securus possis cantare Deo, & dicere, *Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Umbra mortis, via peccati est, in qua nebulo pirataque diabolus rectè gradientibus retia deceptionis expandit. Umbra est, quia nihil commune luci cum tenebris. Hujus umbræ opera repudianda docet Apostolus inquiens, Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis; « sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus « & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in « contentione & æmulatione. Quamdiu igitur in præsenti vita manes, in medio vitiorum, * sæcularium pressurarum, quæ sunt umbra mortis, ambulas. Luceat in corde tuo Christus, qui illuminat lucernam mentis nostræ per dilectionem Dei & proximi: & non timebis mala, quoniam ipse tecum est. Non te, inquit per Prophetam, deseram, neque derelinquam. Item in Evangelio: Ecce ego ero vobiscum omnibus diebus usque ad « consummationem sæculi. Idoneus est custos tuus. Tecum est Dominus Deus tuus. Cave ne jactantiâ deseras comitantem, & remaneas desertus in umbra mortis.

6. Cùm itaque insidiis inimici oppugnari te in umbra, & deterreri cognoveris, apprehende virgam disciplinæ, & in baculo misericordiæ fidenter incumbe, ut cùm tibi auxilio sol justitiæ refulserit Christus, veraciter dicas, *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga namque superbum regit, secundùm quod dictum est in Psalmo secundo de Christo: Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Baculus verò debilem sustentat & fessum. Memento ergo correptionis & disciplinæ virgæ, ut cùm repletus fueris bonis donorum Dei, non extollaris superbiâ, & murmures adversùs eum: quia sicut vas figuli iratus in ea confringet te. Memento etiam adjutorii baculi, & ne confidas in virtute tua, neve dicas, Sanctus sum, titubare non possum. Multos habet lapsus infirmitas nostra, nec sanctitate operum suorum adhuc in terra dante spinas & tribulos posita regitur, vel habet gloriam puri-

Marginal notes: Isai. 53. 4. — Psal. 33. 10. — Psal. 22. 2. — Joan. 10. 11. — Joan. 10. 9. — Psal. 118. 103. — Psal. 33. 9. — Exod. 20. 13. — Matth. 5. 3. — Joan. 6. 27 — Eccli. 24. 29. — Joan. 6. 56 — Psal. 22. 3. — Semitæ justitiæ quænam. — Matth. 7. 13. & 14. — * f. non datur. — Psal. 75. 6. — Psal. 24. 10. — * f. promissorum. — Matth. 22. 37. &c. — Psal. 22. 4. Umbra mortis via peccati. — Rom. 13. 12. & 13. — * f. &. — Jos. 1. 5. Hebr. 13. 5. — Matth. 28. 20. — Virga disciplinam, baculus adjutorium significat. — Psal. 22. 4. — Psal. 2. 9.

[a] Sirmondus, cordis tui. Veriùs Remigianus MS. cortis tuæ.

CLASSIS V.

tatis. Quamdiu ergo redeat in terram de qua ſumta eſt, niſi baculo divinæ gratiæ regatur, ſtare non poteſt. Sive itaque proſpereris in Deo, ſive tentationum tempeſtate turberis, totum te in baculum miſericordiæ Dei projice, ut cùm ſupra eum donis ſpiritalibus paſcendus accubueris, delectatus guſtu ſuavitatis ejus, convenienter dicas, *Paraſti in conſpectu meo menſam adversùs eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt?* Hoc per orbem terrarum fulta gratiæ baculo univerſa cantat Eccleſia. Hoc adversùs hæreticos, Judæos, atque gentiles, qui eam deridendo tribulant, prædicat, non in ſe, ſed in Domino gloriando. Menſa namque jocunditatis paſſio Chriſti eſt, qui ſe pro nobis in menſa crucis obtulit ſacrificium Deo Patri, donans Eccleſiæ ſuæ catholicæ vitale convivium, corpore ſuo nos videlicet ſatians, & inebrians ſanguine. Hac menſâ paſta & vivificata, adversùs eos qui tribulant eam, exſultat Eccleſia, habens ſpem vitæ æternæ per ſuam vitam Dominum Chriſtum, qui eam oleo lætitiæ per ſanctum Spiritum unxit abundè. Propter hanc menſam corripiebat in idolio recumbentes Corinthios Apoſtolus dicens, Non poteſtis communicare menſæ Domini & menſæ dæmoniorum: non poteſtis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum.

[*Pſal.* 22. 5. — Menſa per Chriſtum præparata. — 1. *Cor.* 10. 20. & 21.]

7. Cùm vos ergo divina gratia, ad quam properatis, advexerit, cognoſcetis menſam ſpiritalis convivii, ut agnita veritate unuſquiſque veſtrûm exſultans, & gratias agens Deo, jam competenter & fiducialiter dicat, *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Magnum te gloriæ ſolatium comitatur. Propter miſeriam videlicet infirmitatis tuæ, miſericordia te Dei ſubſequitur. Sed priùs ut iter tibi vitæ æternæ demonſtret, prævenit te, id eſt antecedit te, ſecundùm quod dicit in alio Pſalmo, Deus meus, miſericordia ejus præveniet me. Prævenit ergo te miſericordia ejus, id eſt, in viam te ducit ignorantem viam, ad Deum te vocat longè factum à Deo; ſervum peccati adtrahit, ut liberum faciat, ut ambulando in via omnibus diebus vitæ tuæ non erres. Subſequitur etiam te, cuſtodiens terga tua, ne inſidians calcaneo tuo ſerpens diabolus, cum quo tibi ſunt inimicitiæ, ſupplantet te. Latro namque aut occurrendo occidit, aut exſurgendo poſt tergum. Ob hoc te præcedit & ſubſequitur miſericordia Dei, ut medius tutus ambules & ſecurus omnibus diebus vitæ tuæ. Habe ergo ſpem & gloriam, non in te, ſed in præcedente & ſubſequente miſericordia Dei: qua præventus es peccator, ut ſalveris; non inventus es juſtus, ut placuiſſe glorieris.

[*Pſal.* 22. 6. — Gratia præveniens & ſubſequens. — *Pſal.* 58. 11.]

8. Vide autem quò te perducit, ſi non de ſerueris deducentem. Non in agrum miſeriæ ſæcularis, ut inter ſpinas & tribulos panem in labore & ſudore conquiras; non ad marina diſcrimina, ut mercimonii cauſsâ ligno fragili incerta lucra ſecteris, ubi intentione quæſtûs multi merſerunt. Ad domum Dei te ducit, non ut hoſpitem ad tempus, ut migres ex ea; ſed habitatorem, ut permaneas in ea. Sequitur enim, *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.* Domus hæc Domini, paradiſus eſt. Longitudo dierum, vita æterna eſt. Non illic eſuries, non ſities, nec laborabis æſtu ſolis & lunæ, frigus & tempeſtates hyemis non ſenties. Triſtitia & mæror in ea non ſunt. Conſortio ſemper ſanctorum beatus eris. Gaudebis cum eis, & exſultabis, vivendo & laudando in ſæcula ſæculorum Deum. Dicit enim in alio Pſalmo, Beati, qui habitant in domo tua, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Hæc eſt ſpes fidei veſtræ, Dilectiſſimi. Acceſſiſtis ad Dominum credere; feſtinate & operam date apprehendere per bonam converſationem quod credidiſtis. Non enim propter præſentem vitam efficimini Chriſtiani, ſed propter futuram vitam, quam vobis credentibus & in ſe perſeverantibus Dominus Chriſtus ipſe largitur: qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti, in ſæcula ſæculorum. Amen.

[Gratiæ & Chriſtianæ profeſſionis quis finis. — *Pſal.* 22. 6. — *Pſal.* 83. 5.]

SERMON. DUBII.

[* *Alias* 25. *de verbis Domini.*]

* SERMO CCCLXVII.

De [a] verbis Evangelii Lucæ 16. *ubi de divite & Lazaro.*

[CAPUT I. Divitis cum Lazaro paupere comparatio.]

1. ADVERTIT Sanctitas Veſtra, Fratres cariſſimi, & mecum, ut arbitror, tota mentis intentione perſpexit opulentiam divitis, & indigentiam mendicantis; unum cibis æſtuantem, & alium fame deficientem. Ambo quidem homines, ambo carnales, ambo mortales: ſed non ambo æquales. Natura una, ſed vita non una. Nullus eorum à conditione mortis immunis: & tamen unus epulatur ſplendidè, & alter in pannis & in ærumna ſordeſcit. Ille delicatis eſcis adinventione coquorum gaudebat: iſte, ſi caderent micæ de menſa ejus, exſpectabat. Audiant nunc divites, qui nolunt eſſe miſericordes; audiant quia una omnes naſcimur lege, una vivimus luce, unum ſpiramus aërem, una quoque extinguimur morte: quæ ſi non intercederet, nec pauper ipſe duraret. Hic ulceroſus & nudus jacens Lazarus, ad Abrahæ ſinum Angelorum portatur manibus. Ecce dives refectus & ſplendidus tartareo carcere clauditur. Ubi eſt veſtis illa byſſina? Ubi vita abundans & affluens copiis multis? Nonne morte omnia tranſeunt tamquam umbra? Nihil intulimus in hunc mundum, dicit Apoſtolus, ſed nec quidquam auferre poſſumus. Nihil nobiſcum tollimus aut rapimus. Quid ſi aliquid tolleremus, nonne vivos homines voraremus? Quæ eſt iſta aviditas concupiſcentiæ, cùm ipſæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando eſuriunt: parcunt verò prædæ, cùm ſenſerint ſatietatem. Inexplebilis eſt ſola avaritia divitum. Semper rapit, & numquam ſatiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur: nec patri parcit, nec matrem agnoſcit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſervat: viduam opprimit, pupilli rem invadit: libertos in ſervitium revocat, teſtamentum falſum profert. Res mortui occupantur; quaſi non & ipſi qui hoc faciunt moriantur. Quæ eſt ergo iſta animarum inſania, amittere vitam, appetere mortem? adquirere aurum, & perdere cælum? Sed quia nemo cogitat Deum, ideo manet in morte judicium.

[1. *Tim.* 6. 7. — Avaritia inexplebilis.]

2. Meritò dictum eſt diviti, *Quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Audiant iſta divites, qui nolunt eſſe miſericordes. Audiant irrogari ſupplicia eis, qui nolunt erogare ſubſidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus æſtuantem. *Pater Abraham*, inquit, *mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* At ille, *Memento*, inquit, *fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Penſantur pro divitiis pœnæ, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, ut ſalva ſit æquitas ſtateræ, & non mentiatur modus illius menſuræ: In qua, inquit, menſi fueritis menſura, ita remetietur vobis. Ideo negatur in pœnis miſericordia diviti, quia ipſe dum viveret, noluit miſereri. Ideo rogans dives

[CAPUT II. *Luca* 16. 25. Dives cur damnatus. — *Matth.* 7. 2.]

[a] Auguſtino tribuunt MSS. omnes, magno numero: ſed indubitatam iis adjungi fidem non patitur dictionis ratio impropria, inelegans & numeroſè deſinens, ſententiis quandoque ſimili verborum ſono ſtudioſè nimiùm terminatis. Dubium habuerunt Lovanienſes, Verlinus autem ſuppoſititium: Vindingus porrò cenſuit Auguſtini nomine, ſi non ſtilus prohiberet, jure merito inſcribendum.

Classis V.

non exauditur in tormentis: quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.

Caput III. *Ad eleemosynam ex hortatur.*

3. Dives & pauper duo sibi sunt contraria: sed iterum duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret, si se invicem supportarent; & nemo laboraret, si se ambo juvarent. Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem factus est. Pauperis est orare, & divitis erogare; Dei est pro parvis magna pensare. De misericordia ejus parva, magna nascitur copia. Fecundus est ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli est pauper, per quam venitur ad Patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonii tui, quo es ligatus, compedem in hac vita resolve; ut liberè ad cælum possis accedere: abjice abs te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria, abjice anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti, ut possis ipse accipere: tribue pauperi, si non vis flammis exuri. Da in terra Christo, quod tibi reddat in cælo. Obliviscere quod es, & adtende quod futurus es. Præsens vita fragilis est, & in mortem proclivis. Nemo potest stare: sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inviti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus: quod autem rapimus, hîc totum dimittimus.

*Alias 37. ex homiliis 50.

* SERMO CCCLXVIII.

De verbis [a] *Evangelii Iohan.* 12. Qui amat animam suam, perdet illam. *Et de verbis Apostoli, Ephes.* 5. Nemo umquam carnem suam odio habuit.

Caput I. — Johan. 12. 25.

MODO, Fratres, cùm divina lectio legeretur, audivimus Dominum dicentem, *Qui amat animam suam, perdet illam.* Huic sententiæ quasi contrarium videtur esse quod ait Apostolus, *Nemo umquam carnem suam odio habuit.* Si ergo nemo est qui carnem suam oderit, quantò magis nemo est qui oderit animam suam? Multùm quippe anima carni præponitur: quia ipsa est habitatrix, caro habitaculum; & anima dominatur, caro autem servit; anima superior est, caro subjecta est. Si ergo nemo umquam carnem suam odio habuit, quis est qui animam suam oderit? Propter hoc non parvam quæstionem nobis intulit præsens Evangelica lectio, ubi audivimus, *Qui amat animam suam, perdet illam.* Periculosum est animam amare, ne pereat. Sed si propterea periculosum est, ut ames animam tuam, ne pereat anima tua, ideo non debes illam amare, quia non vis illam perire. Si autem non vis illam perire, amas illam. Quid est hoc? Si amo, perdo. Ergo non amem, ne perdam. Sed quia timeo perdere, ideo non amo; & utique quod timeo ne perdam, amo. Dicit & alibi Dominus, Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Ecce quia sic est amanda anima, ut lucro totius mundi præferatur; & tamen observet qui animam amat, quia si amat, perdet illam. Non vis perdere eam; noli illam amare. Sed si non vis eam perdere, non potes eam non amare.

Ephes. 5. 29. Animam si quis amat, quomodo perdet. — *Matth. 16. 26.*

Sermon. Dubii.

Caput II. *Amor quidam perversus & quoddam rectum odium animæ.*

2. Sunt ergo qui perversè animam suam amant: & hoc vult Dei sermo corrigere, non ut oderint animam suam, sed ut rectè diligant. Malè enim diligendo perdunt eam, & fit quiddam magnum quasi præposterum & contrarium: sed ita tamen fit, ut si diligas eam perversè, perdas illam; si oderis illam rectè, conserves illam. Est ergo quidam perversus amor ejus, & quoddam rectum odium ejus. Sed amor perversus ab odio, odium rectum ab amore ejus. Quis est perversus animæ amor? Quando diligis animam tuam in iniquitatibus. Audi quia ab odio venit amor iste perversus: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. (*Psal. 10. 6.*) Odium autem rectum vide, quia ab amore venit. Ibidem Dominus secutus ait, *Qui autem odit animam suam in hoc sæculo, in vitam æternam inveniet eam.* Utique quod vis invenire in vitam æternam, multùm amas. Quod enim amas ad tempus, quid prodest? Aut subduceris illi, aut subducitur tibi. Cùm fueris tu subtractus, perit ipse amator: cùm fuerit illud subtractum, perit quod amasti. Ubi ergo aut amator perit, aut quod amatur, non est amandum. Sed quid est amandum? Quod nobiscum potest esse in æternum. Sed si vis animam tuam in æternum habere salvam, oderis eam ad tempus. Ergo odium rectum ab amore venit, perversus amor ab odio venit.

Modus diligendi animam.

3. Quis igitur modus diligendi animam? Putatis Martyres non amabant animas suas? Videtis certè modò, si cujus vita præsentis sæculi periclitetur, quomodo amici ejus currunt pro ea: quomodo curritur ad ecclesiam, rogatur episcopus, ut intermittat, si quas habet actiones, currat, festinet. Quare? Pro anima. Et omnes contremiscunt, omnibus ceteris rebus intermissis, festinandum esse decernunt. Omnis festinatio laudatur, omnis tardatio accusatur. Quare? Pro anima. Quid est, pro anima? Ne moriatur homo. Non noverant Martyres amare animas suas: & tamen hoc est pro anima, ne moriatur homo. * Mors hominis iniquitas est. Si curris pro hac vita centum millia, quot millia debes currere pro vita æterna? Si festinas lucrari dies paucos, & ipsos incertos: hodie enim homo à morte liberatus, nescit utrùm cras moriatur: tamen si sic curritur propter lucrum paucorum dierum, quia & usque in senectam pauci dies sunt, quomodo currendum est pro vita æterna? Et tamen propter hanc pigri sunt homines. Difficilè invenis qui vel passus lentè moveat pro vita æterna. Amor ergo perversus animæ abundat, amor autem rectus valde paucorum est. Nam sicut nemo est qui non diligat animam suam, sic nemo est qui non amet carnem suam. Unde fieri potest, ut & verum sit quod ait Apostolus, *Nemo umquam carnem suam odio habuit*, & anima non ametur? Discamus ergo, Fratres, amare animas nostras. Omnis voluptas sæculi transitoria est. Est amor utilis, est amor noxius: amor amore impeditur; amor noxius recedat, & amor utilis succedat. Sed quia

*Caput III. — *Duplex amor.*

[a] Sine Augustini nomine tamquam dubius à Lovaniensibus editus est, à Verlino autem & Vindingo rejectus ut spurius. Quæ isti ambo reprehendunt in illis ante caput tertium verbis, *Videtis certe modò, si cujus vita* &c. ubi locum Augustini ex Sermone 161. cap. 4. exscriptum aut imitatione infeliciter expressum conqueruntur, ea fortè interpolatoris alicujus manu immissa hîc fuerunt. Sermo, nostra opinione, dignus est Augustino, ipsique facilè convenit titulus à Possidio notatus in Indic. c. 8. *De Apostolo, Nemo umquam carnem suam odio habuit; & ex Evangelio, Qui amat animam* &c. In antiquis Lectionariis adscribitur *Natali SS. Fabiani & Sebastiani Martyrum.*

Classis V.

homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire: ut non capiant, pleni sunt; fundant, & capiunt. Pleni sunt enim amore voluptatum carnalium, pleni sunt amore vitæ præsentis, pleni sunt amore auri & argenti, possessionum sæculi hujus. Qui ergo pleni sunt, sic sunt quomodo vasa. Vis ut intret mel unde acetum nondum fudisti? Funde quod habes, ut capias quod non habes. Ideo prima renuntiatio est huic sæculo, & deinde conversio ad Deum. Qui renuntiat, fundit; qui convertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed & corde.

Caput IV. Amoris initia.

4. Quæritur autem, Fratres, quomodo crescat iste amor. Habet enim initia sua, habet augmenta sua, habet perfectionem suam. Et debemus nosse quis cœperit, ut eum ad augmenta cohortemur: quis nec cœperit, ut eum quò incipiat moneamus: quis & cœperit & creverit, ut eum ad perfectionem incitemus. Primò illud adtendat Caritas Vestra: amores omnes & dilectiones priùs sunt in hominibus de se, & sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, priùs te diligis, & sic aurum: quia si tu mortuus fueris, non erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique à se incipit; & non potest nisi à se incipere. Et nemo monetur ut se diligat. Hoc enim non solùm inest hominibus, sed & pecoribus. Videtis enim, Fratres, quemadmodum non tantùm ingentes bestiæ & magna animalia, ut sunt boves aut cameli vel elephanti, sed & muscæ, sed & vermiculi minimi quomodo nolunt mori, & diligant se. Omnia animalia mortem fugiunt. Ergo diligunt se, custodire se volunt, alia velocitate, alia latebris, alia resistendo & repugnando; omnia tamen animalia pro vita sua pugnant, mori nolunt, custodire se volunt. Amant ergo se. Incipe & aliud amare. Sed quid est ipsum aliud? Quidquid amaveris, aut hoc est quod tu, aut inferius te est, aut superius te est. Si inferius te est quod amas, ad consolandum ama, ad tractandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum. Verbi gratiâ, aurum amas, noli te illigare auro, quanto melior es quàm aurum. Aurum enim terra est fulgens, tu autem ut illuminareris à Domino, ad imaginem Dei factus es. Cùm sit aurum creatura Dei, non tamen fecit Deus aurum ad imaginem suam, sed te. Ergo posuit sub te aurum. Amor ergo iste contemnendus est. Ad usum assumenda sunt ista, non eis vinculo amoris quasi glutino hærendum est. Non facias tibi membra, quæ cùm cœperint præcidi, doleas atque crucieris. Quid ergo? Assurge ab isto amore, quo amas inferiora quàm tu es: incipe amare paria, id est, quod tu es. Sed quid multis opus est? Si volueris, breviter poteris.

Caput V. Amor verus & probus quo ordine comparatur.

Matth. 22. 37.

5. Quo ordine autem verum amorem & veram caritatem habere possimus, ipse Dominus dixit nobis in Evangelio, & evidenter ostendit. Sic enim ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut te ipsum. Primùm ergo dilige Deum, deinde te ipsum; post hæc dilige proximum tuum sicut te ipsum. Priùs tamen disce amare te ipsum: sic dilige proximum tuum sicut te ipsum. Nam si te ipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere? Putant enim nonnulli homines legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini serviunt, quando per diversas calumnias injusta lucra conquirunt. Isti tales audiant Scripturam dicentem, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Si ergo amando iniquitatem, te ipsum non solùm non diligis, sed etiam odio habes; quomodo aut Deum aut proximum diligere poteris? Si ergo vis veræ caritatis ordinem custodire, fac justitiam, dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe secundùm præceptum Domini, non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere. Et hæc cùm fideliter custodire toto corde contenderis, istis virtutibus quasi quibusdam gradibus poteris adscendere, ut merearis Deum toto animo & tota virtute diligere. Et cùm ad istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias istius mundi tamquam stercora computabis: & cum Propheta poteris dicere, Mihi autem adhærere Deo, bonum est.

Sermon. Dubii.

Psal. 10. 6.

Psal. 72. 28.

** Aliàs de Tempore. 5.*

*SERMO CCCLXIX.

De [a] Nativitate Domini, I.

Duplex Christi ortus, alius ante omnem diem, alius in die.

1. SALVATOR noster natus de Patre sine die, per quem factus est omnis dies, voluit in terra habere natalem hunc diem, quem hodie celebramus. Quisquis [b] hunc diem miraris, æternum mirare potiùs ante omnem diem permanentem, omnem diem creantem, in die hodierno nascentem, à malitia diei liberantem. Adhuc mirare. Quæ peperit, & mater & virgo est: quem peperit, & infans & Verbum est. Meritò cæli locuti sunt, Angeli gratulati, pastores lætati, Magi [c] mutati, reges turbati, parvuli coronati. Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de cælo venientem, & in præsepi positum velut piorum cibaria jumentorum. Illic enim *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui:* circumcisio scilicet & præputium, cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt pastores & Magi. Lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te, qui tibi & munus fecunditatis adtulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus: qui sibi, priusquam nasceretur, & uterum de quo nasceretur, & diem quo nasceretur elegit. Et ipse condidit quod elegit, ut illinc procederet ut sponsus de thalamo suo, quò mortalibus oculis posset videri, & augmento lucis annuæ se lucem mentium venisse testari. Prophetæ cecinerunt Conditorem cæli & terræ in terra cum hominibus futurum: Angelus annuntiavit Creatorem carnis & spiritûs in carne venturum. Salutavit Johannes ex utero in utero Salvatorem; Simeon senex Deum agnovit infantem; Anna vidua virginem matrem. Hæc sunt testimonia nativitatis tuæ, Domine Jesu, antequam tibi fluctus substernerentur calcanti, cederent imperanti; antequam ventus te jubente siluisset, mortuus te vocante vixisset, sol te moriente palluisset, terra te resurgente tremuisset, cælum te adscendente patuisset: antequam ista & alia mirabilia jam juvenilis tui corporis ætate fecisses. Adhuc in manibus matris portabaris, & jam Dominus orbis agnoscebaris. Ipse puer parvulus ex semine Israël, & ipse nobiscum Deus Emmanuel.

Nativitas Christi divinis testimoniis illustrata.

Isai. 1. 3.

Nativitas Christi æterna.

2. Quæ est illa nostri generatio Salvatoris, qua gignenti Patri coæternus est; quando hanc generationem ex virgine mundus expavit, quam pia fides agnovit & tenuit, infidelitas autem irrisit, superbia timuit superata? Quænam est illa generatio, qua *in principio erat*

Johan. 1. 1.

[a] Lovanienses dubitant an sit Augustini. Contrà Vindingus dicit nihil habere, unde ipsi abjudicetur, immo assertum Augustino esse auctoritate antiqui scriptoris, in Conflictu Arnobii & Serapionis, ad cujus operis finem Sermo iste totus recitatur. Verùm Conflictûs hujus commentitii auctor (ipsius etiam Vindingi conjecturâ in critico Augustiniano T. 6.) Vigilius episcopus non meretur deinceps ullam hac in re fidem, postquam suas lucubrationes contra Arianos ementito superiorum Patrum nomine publicasse convictus est. Imitari stilum Augustini studet, probaturus eo Sermone prædicatas ab ipso *duas nativitates* Christi. Confer Sermonem Appendicis 117.

[b] MSS. *in die miraris.*

[c] Sic meliores MSS. At editi, *Magi invitati.*

Verbum,

CLASSIS V.

Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus antè non silebat, quo dicto non siluit qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum: Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperit ora mutorum: Verbum quod linguis gentium disertis non fit, & linguas infantium disertas facit. Quænam est, inquam, illa generatio, cui Pater moriendo non cedit, quia non eam vivendo præcedit? [a] Ab omnibus locorum temporumque intervallis, ab omni distentione spatiorum, quam vel in diebus, vel in corporibus sentire consuevimus, levemus ad eum, quantum ipso adjuvante possumus, animam nostram, si quomodo capere valeamus & natum non prævenientem qui gignit, & gignentem non subsequentem qui gignitur, Patrem & Filium: nec pariter patres, nec pariter filios, sed pariter æternos: non utrumque generantem, nec utrumque nascentem, sed alterum sine altero non viventem: & Patrem sempiternè genuisse, & Filium sempiternè natum esse cogitemus, si valemus; si non valemus, credamus. Non est quod hîc dicere valeamus, sed tamen non longè positum est ab unoquoque nostrûm: *In illo enim vivimus, & movemur, & sumus.* Transcendamus carnem nostram, in qua parentes ante filios vivunt: quia ut filios possent generare creverunt, & filiis crescentibus jam senescunt. Nondum natis filiis parentes vixerunt, quia & parentibus mortuis filii victuri sunt. Transcendamus & animas nostras: pariunt & ipsæ aliquid cogitando, quod secum habent sciendo; sed possunt amittere obliviscendo, quia non habebant antè nascendo. Cuncta corporalia, temporalia, mutabilia transcendamus: ut videamus super omnia, per quem facta sunt omnia. Adscensus noster in corde est: quia & ille ad quem adscendimus propè est. Longè autem ab illo sumus, in quantum dissimiles sumus. Adscendit ergo ad eum sua similitudo, quam in nobis fecit & refecit, quâ nondum perfectâ, palpitat infirmus adspectus, & ineffabilem candorem lucis æternæ non potest intueri. Cujus ergo fulgorem mentis acies nondum capit, *generationem ejus quis enarrabit? Sed Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Act. 17. 28.

Isai. 53. 8. Joan. 1. 14.

3. Hanc ergo generationem, cujus hodiernum celebramus diem, hanc in qua dignatus est venire per Israël, & fieri Emmanuel, nobiscum Deus in carnis infirmitate, non nobiscum in cordis iniquitate; accedens ad nos per id quod assumsit ex nostro, & liberans nos per id quod mansit in suo: (visitavit quippe Dominus servos suos per mortalem infirmitatem, ut eos liberos faceret per incommutabilem veritatem:) hanc ergo generationem, cujus ut cumque capax est humana fragilitas; non illam quæ sine tempore manet, sine matre super omnia; sed istam quæ in tempore facta est, sine patre inter omnia: hunc virginis filium & virginum sponsum, de incorrupta matre nascentem, incorruptibili veritate fetantem, laudemus, amemus, adoremus; ut in ejus misericordia de astutia victa diaboli triumphemus. Diabolus ad nos decipiendos corrupta feminea mente subrepsit: Christus ad nos liberandos incorrupta feminea etiam carne processit: qui est benedictus cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum, Amen.

* SERMO CCCLXX.

De [b] *Nativitate Domini, II.*

CAPUT I.

1. HODIERNUS dies ad habendam spem vitæ æternæ, magnum contulit gaudium generi humano. [c] Primus enim homo, quo cadente omnes cecidimus, cujus ruina est mortalitas nostra, non est natus, sed factus; patre nullo, nulla matre, sed Deo operante. Hæc est hominis prima conditio, Adam de terra. Secunda conditio est hominis, qua creatur femina de latere viri. Tertia conditio est hominis, qua natus est homo ex viro & femina. Quarta conditio est Dei & hominis, qua natus est Christus sine viro de femina. In istis quatuor conditionibus una sola nobis usitata est, ceteræ tres non sunt in oculis carnis, sed in fide cordis. De terra factum hominem sine patre, sine matre, non novimus; factam feminam de latere viri non novimus, lectam & auditam credidimus. Tertia illa usitata est nobis ipsa quotidiana, de complexu maris & feminæ quotidie nascuntur homines. Jam ergo erat una sine viro & femina, jam erat altera de viro sine femina, jam erat tertia de viro & femina, quarta restabat sine viro de femina. Sed ista quarta liberavit tres. Prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem invenerunt.

SERMON. DUBII.

CAPUT II.

[d] Omnis fidelium gradus Salvatori omnium nato adtestatur.

2. Exsultent ergo virgines, virgo peperit Christum. Nihil in ea quod [d] voverunt putent exterminatum: mansit virgo post partum. Exsultent viduæ: infantem Christum vidua Anna cognovit. Exsultent conjugatæ: nasciturum Dominum Jesum Christum Elisabeth maritata prophetavit. Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Numquid enim solæ virgines ad regnum cælorum perveniunt? Perveniunt & viduæ. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna. A virginitate enim sua septem annos vixerat cum viro suo; quo defuncto usque ad senilem ætatem pervenerat, & in senectute sancta exspectabat infantiam Salvatoris; ut parvum videret annosa, parvum agnosceret anicula, intrantem in mundum Salvatorem videret itura. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt. Ipse Christus puer natus est: exsultent pueri, continentiam voventes puero. Ipse verè integritatem pudicitiæ consecravit, qui suæ matri fecunditatem adtulit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex diu vixerat, cujus ætas comparatur Annæ; & audierat responsum, quòd non esset visurus mortem, nisi priùs videret Christum Domini.

V. Ser. 184. c. 2. & Ser. 192. c. 2.

Lucæ 2. 36.

CAPUT III.

Desideriũ Christi nascituri quãtum in antiquis sanctis.

3. Intelligite Fratres, quantum desiderium habebant antiqui sancti videndi Christum. Sciebant illum esse venturum, & omnes qui piè vivebant, dicebant, O si hîc me inveniat illa nativitas, ô si quod credo in Scripturis Dei, videam oculis meis. Et ut noveritis quantum desiderium habebant sancti, qui noverant de Scripturis sanctis virginem parituram, sicut audistis cùm Isaias legeretur, *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Emmanuel quid sit, Evangelium nobis aperuit dicens, *quod interpretatur, Nobiscum Deus.* Non tibi ergo sit mirum, quæcumque infidelis anima, non tibi videatur impossibile, ut virgo pareret, virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum, & non miraberis virginis partum. Ut ergo noveritis antiquos sanctos & justos optasse videre, quod concessum est huic seni Simeoni; Dominus noster Jesus Christus ad discipulos loquens ait, *Multi justi & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, &*

Isai. 7. 14.

Matth. 1. 23.

Matth. 13. 17.

[a] Hîc in excusis & aliquot MSS. additum, *segregata*, vel *aliena*.

[b] Dubius nobis hic Sermo est, propter genus dicendi incultum ac minùs accuratum. Exempli gratiâ, post recensitos quatuor modos conditi hominis, quod subjicitur, *Sed ista quarta* (conditio) *liberavit tres. Prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt* &c. perplexè dictum est ac impropriè. Nonnulla hîc reperies consimilia Sermonum verorum Augustini de Natali Domini.

[c] Hinc Sermo incipit in multis libris.

[d] Lov. *voverat*: refragantibus editis ceteris & MSS.

Classis V.

non audierunt. Multùm senex iste fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Non exspectavit ut Christum audiret loquentem, quoniam agnovit infantem. Et hoc illi concessum erat jam decrepito, quasi desideranti & suspiranti & dicenti quotidie in orationibus suis, Quando veniet? quando nascetur? quando videbo? Putas durabo? putas hîc me inveniet? putas isti oculi mei videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum, quòd non gustaret mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Gestabat eum Maria mater ejus infantem: vidit ille, & agnovit. Ubi noverat quem agnovit? An intus est revelatus, qui foris est natus? Vidit, & agnovit. Agnovit Simeon infantem tacentem; & occiderunt Judæi juvenem mirabilia facientem. Cùm ergo cognovisset, accepit in ulnas suas, hoc est, in brachia sua, amplexatus est eum. Portabat à quo portabatur. Ipse enim est Christus sapientia Dei, adtingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Quantus ibi erat, & quàm magnus, quàm parvus factus erat? Parvus factus, parvos quærebat. Quid est, parvos quærebat? Non superbos, non elatos; sed humiles & mites colligebat. In præsepi dignatus est poni, ut esset piorum cibaria jumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, & dixit, *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace.* Dimittis in pace, quia video pacem. Quare ergo dimittis in pace? *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Salutare Dei, Dominus Jesus Christus. *Annuntiate diem ex die salutare ejus.*

Sap. 8. 1.

Lucæ 2. 29.

Ibidem 30.

Psal. 95. 2.

Caput IV. Pueri & senes & conjugati adtestantur Christo.

* Similia in Ser. 196. cap. 2.

4. Habetis ergo pueri puerum Jesum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, ut & conjugatus aliquis vir testimonium Domino perhibeat, Zachariam considerate. * Nemo ergo quærat aliud, Fratres mei, Christiani fideles, aut virgo, aut vidua, aut conjugata, aut puer, aut continens, aut uxoratus: quidquid plus esse quis voluerit, non invenit quemadmodum ad Christum pertineat. Non invenimus testimonium perhibuisse Christo adulteros, fornicatores, immundos. Et ut à talibus ei testimonium perhiberetur, ipse præstitit, ipse donavit. Non enim quisquam sanctus viribus suis. Exsultemus ergo, Carissimi. Ab hodierno die crescunt dies. Crede in Christum, & crescit in te dies. Credidisti? Inchoatus est dies. Baptizatus es? Natus est Christus in corde tuo. Sed numquid Christus natus sic remansit? Crevit, ad juventutem pervenit: sed in senectutem non declinavit. Crescat ergo & fides tua, robur inveniat, vetustatem nesciat. Sic pertinebis ad Christum Filium Dei, in principio Verbum apud Deum, Verbum Deum; sed Verbum carnem factum, ut habitaret in nobis. Majestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. In manus suas Simeon infirmitatem accepit, sed majestatem intus agnovit. Nemo contemnat natum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Sermon. Dubii.

* Alias de Diversis 52. a

* SERMO CCCLXXI.

De [a] Nativitate Domini, III.

Caput I.

1. Natus est nobis hodie Salvator; & ideo hodie omni mundo sol verus exortus est. Deus homo factus est, ut homo Deus fieret: & ut servus in dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. Habitavit in terris habitator cælorum, ut homo habitator terræ habitaret in cælis. Natus est ergo nobis Salvator, passus est diem partûs repudiatæ Legis conceptus: natus autem de Patre semper, de matre semel. Etenim Domini nostri Jesu Christi duas accepimus nativitates: primò divinam, deinde humanam; sed planè utramque mirabilem: in illa ut matris, in hac ut patris officia cessarent: unam æternam, ut crearet temporales; alteram temporalem, ut præstaret æternos. Ille ergo in forma Dei Patri æqualis, ille in forma servi Patri subditus. Ille creator temporum, natus in tempore est: factusque est tam parvus, ut ederetur à femina; sed tam magnus utique permansit, ut non separaretur à Patre. Has ergo Domini nativitates etiam duo Evangelistarum testantur principia. Unus enim de nativitate divina ita ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* De hac verò nativitate humana, ita Evangelista alius refert: *Liber generationis Iesu Christi filii David.* Hic ergo natalis Domini, hic secundæ nativitatis dies est: exsultemus & lætemur in eo. Nec immeritò, aucto jam ab hinc die, hodie lux incrementum accipit; cùm humano generi in hoc utique die vera lux venerit: ut rectè dies tramitem solis augeat, quo nobis hunc, per quem tenebris mortis absolveremur, invexit. Hunc ergo Prophetæ annuntiantes, tamquam lucernæ, venturum, præcesserunt diem ortûs ejus, & miracula quæ esset gesturus in carne, clarissimis præconiis ediderunt. Rectum namque erat, ut prædicaretur esse venturus; ne cùm venisset, dubitaretur. Hic itaque Deus noster, homo inter homines conversatus est. Apparuit enim videntibus homo, intelligentibus Deus: hominem intuentibus offerens, credentibus Deum servans. Ergo infirmos salvavit adspectus infirmitatis ejus: firmos quærit contemplatio divinitatis ejus.

Christi duæ nativitates.

In Johan. 1. 1. &c.

Matth. 1. 1.

Caput II. Incarnatione visibilis Deus, quem homo sequatur, exhibetur.

2. Obsecro vos, Carissimi, intuemini quàm magnum sit hoc mysterium veritatis. Ad salvandos homines Legem dederat, Prophetas miserat: & quia sanandis languoribus hæc remedia præcesserunt, ipsum se ad salutem eorum offerre hominibus Deus voluit. Porrò homines Deum ipsum in substantia sua videre non poterunt: spem verò homines suam ponere in solo homine non debebant. Quid ergo hic fieret? Hominem sequi non debebant, homo sequendus non erat qui videri poterat: Deus sequendus erat qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. Denique cùm jam inter homines versaretur, & tribus Apostolis in secreto adductis medius adstaret, subitò eis in illa divini cultûs claritate resplenduit: quod Apostoli qui præsentes erant, vix intueri pro humani affectûs infirmitate potuerunt. Nasci humanitus voluit, ut nos in ipso nasceremur, & futuris cultoribus suis iteratæ nativitatis sacramenta sanciret: ut nos qui à nativitate illa coartati tenebamur obnoxii, Salvatoris nostri vestigia comitati, secundæ nativitatis præsidio certo potiremur; quo in Deo & ex Deo nati, abrumperemus vincula mortis antiquæ, cùm pignus salutis Spiritum-sanctum sumeremus. Ergo cùm apparere hominibus Deus vellet, eosque quæ priùs mandaverat, docere etiam præsens cuperet, vim divinam assumto homine temperavit, & posuit tenebras latibulum suum in circuitu suo, cùm se tabernaculo carnis obtexit. Tali ergo & tam ineffabili sacramento, Christus Deus noster & homo habetur &

Matth. 17. 1.

Psal. 17. 12.

[a] In Breviario Parisiensi legitur nomine Augustini. Certè quidem ipsius sententias bene multas in primo potissimùm & secundo capite continet, sed eas ex Sermone de nativitate Johannis Baptistæ infrà ordine 380. ubi omnia sinceriora & aptiùs connexa sunt, delibatas. Habet autem admista quàm plurima ab Augustini genio aut stilo manifestè aliena, qualia ista sunt cap. 1. *& ut servus in Dominum verteretur.* Ibidem, *ut rectè dies tramitem solis augeat* &c. Cap. 2. *& futuris cultoribus suis iteratæ nativitatis sacramenta sanciret.*

CLASSIS V.

Deus; per matrem homo, per Patrem Deus. Sicque fit ut utrumque illud sit verum quod ait, *Pater major me est*: &, *Ego & Pater unum sumus.* Nam divinitate æquatur Patri, incarnatione subditur Patri.

Johan. 14. 28. Johan. 10. 30.

CAPUT III. Deus & homo quomodo misceri potuit. V. epist. ad Volusianum 137. n. 11.

3. Quærere tamen quidam solent, quomodo misceri potuit homo & Deus. Quærunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est: cùm ipsi nequaquam possint reddere rationem ejus quæ fit semper, id est, quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut corporea res incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur: ita homo conjunctus est Deo, & factus est Christus. Et tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea, id est, anima & Deus faciliùs conjungi permiscerique potuerunt, quàm miscetur una incorporea aliaque corporea, id est, anima & corpus, ut persona hominis exsistat. Quòd si Deus creator cæli ac terræ, cùm Deus esset, homo factus est, & humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis; quantò autem superbire non debet terra & cinis? Videte, Fratres, quantum se humiliavit propter homines Deus. Quantum se dejicere debet servus, quando ad tantam humilitatem descendit & Dominus? Quæ humilitas, Carissimi, si plenissimè ab hominibus possidetur, etiam ad caritatem usque proficiet. Nam dum alter alterum existimat superiorem, dilectio facit æqualitatem. Unde non se ipse homo despiciat, propter quem utique ista subire dignatus est Deus.

Difficilior animæ corporisque permixtio.

Philip. 2. 7.

CAPUT IV. Hominis dignitas ex Dei in ipsum dignatione.

4. Et ego quidem, Fratres, pro quibus impendi & superimpendi cupio, licèt magnos vos semper in conscientia mea fecerim; tamen majores quodam modo vos res mihi ista efficit, cùm intendo quanta sit Domini mei pro homine dignatio. Vos utique estis Dominicæ incarnationis, vos Dominici sanguinis pretium, vos membra Christi, vobis caput Christus est: pro vobis nasci, pro vobis pati cuncta non distulit; crucem quoque ipsam ad hoc pertulit, ut vos sibi in familiam coaptaret. Vos appellamini Christi fratres, vos appellamini Christi heredes. Proinde, Dilectissimi, unusquisque dignum se ipsum habeat, coram quo peccare non debeat: dignum se existimet, coram quo si delictum cogitaverit, erubescat. *Pretio enim magno emti estis: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Hic pro vobis natus est; hic pro vobis oblatus est; hic etiam, si dignè agatis, habitat in vobis. Agamus ergo, meditantes in lege Domini die ac nocte, ut comprehendere eum, ut videre mereamur. Agamus, ut quia dignatus est descendere propter homines Deus, ad Deum homo possit adscendere.

1. Cor. 6. 20.

* Aliàs de Diversis, 54.

* SERMO CCCLXXII.

De [a] Nativitate Domini, IV.

CAPUT I. * Initio Sermonis superioris. Nativitas Christi duplex.

1. NOVIT fides vestra, Carissimi, quæ hanc universam multitudinem congregavit, quia natus est nobis hodie Salvator. * Natus est de Patre semper, de matre semel: de Patre sine sexu, de matre sine usu. Apud Patrem quippe defuit concipientis uterus: apud matrem defuit seminantis amplexus. Prima nativitas ex Patre naturam servavit: secunda nativitas ex matre gratiam seminavit. Illa tenuit majestatem divinæ substantiæ, ista suscepit societatem mortalitatis humanæ. In hac autem ideo venire dignatus est, ut fieret obediens usque ad mortem, & moriendo vinceret mortem. Utraque nativitas ineffabilis, utraque mirabilis. Quod enim cor humanum comprehendere, quæve lingua valeat explicare, quomodo natus sit Christus semper ex Deo, aut quomodo nuper ex utero? Quis intelligat coæternum Filio Patrem, quis eloquatur virginem matrem? illum sine initio, sine fine gignentem; istam sine libidine concipientem, sine corruptione parientem? Utraque nativitas mira est, quia divina est. Sive ergo illam, sive istam mens humana consideret, rectissimè dicit, *Generationem ejus quis enarrabit?* Et nos quid faciemus, Fratres? Quoniam dignè eloqui non valemus, tacere debemus? Absit à nobis, absit ut taceat lingua servi, quando Natalis est Domini. Dicamus ergo quod possumus, quod legimus.

Philip. 2. 7.

SERMON. DUBII.

Isai. 53. 8.

2. Beatus David de Christo loquens, dicit in Psalmis, *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas.* Processit enim hodie de sacro thalamo, hoc est, beatorum virgineorum viscerum abdito incorruptoque secreto. Processit inde virginis filius, virginis sponsus: filius videlicet Mariæ, sponsus Ecclesiæ. Universæ enim Ecclesiæ loquebatur Apostolus, quando dicebat, *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* * Ad has tales nuptias Christi, Pater sponsi primum invitavit populum Judæorum. Sed quid ait Evangelium? *Qui invitati erant, non fuerunt digni.* Invitata est postea universarum Gentium multitudo, ipsa implevit Ecclesiam, ipsa accepit de mensa Dominica non viles epulas, aut ignobiles potus, sed ipsius pastoris, ipsius occisi Christi carnem prælibavit & sanguinem. Occisus est ad nuptias suas ipse innocens agnus, occisus est ad nuptias; & quoscumque invitavit, de carne sua pavit. Occisus epulas præparavit: resurgens nuptias celebravit. Occisus voluntariam pertulit passionem: resurgens dispositam duxit uxorem. In utero virginis humanam carnem velut arram accepit: in cruce pretiosissimam dotem suum sanguinem fudit: in resurrectione atque adscensione sua æterni matrimonii fœdera roboravit. *Adscendit enim in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Quæ dona? Spiritum sanctum, per quem diffusa humanis mentibus caritate, inseparabiliter Christo tamquam viro suo adhæsit Ecclesia. Processit ergo hodie tamquam sponsus de sacro thalamo suo, & sicut exsequitur Psalmus, *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Processit ut sponsus, exsultavit ut gigas. Pulcher & fortis: pulcher, ut sponsus: fortis, ut gigas. Pulcher, ut ametur; fortis, ut timeatur. Pulcher, ut placeret: fortis, ut vinceret. Ubi invenitur in Scripturis sacris sponsi istius pulcritudo? *Speciosus formâ præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis.* Ubi invenitur gigantis fortitudo? *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Utrumque autem, id est, & pulcritudinem & fortitudinem in eo viderat & intellexerat Isaias, cùm dicebat, *Quis est iste qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor, sic speciosus in stola vestimenti cum fortitudine?* Iste ergo Propheta, qui & speciosum dixit & fortem, sponsum noverat & gigantem.

Psal. 18. 6.

2. Cor. 11. 2.

* CAPUT II. Ad Christi nuptias Judæi & Gentiles invitati.

Matth. 22. 8.

Carne & sanguine Christi pascimur.

Psal. 67. 19.

Psal. 18. 6. Christus sponsus & gigas, pulcher & fortis.

Psal. 44. 3.

Psal. 23. 8.

Isai. 63. 1.

3. Ergo, Carissimi, *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Quam viam, nisi mortalem viam, quam dignatus est nobiscum habere communem? Ipsa est via, per quam genus humanum transit. Transeunt enim per eam veniendo nas-

CAPUT III. Viam quomodo cucurrit Christus.

[a] Non omnia hîc sapiunt Augustinum. Istud in exordio, *de Patre sine sexu, de matre sine usu*, haud satis accuratè pronuntiatum videtur. Et prior pars ejusdem sententiæ, *Natus est de Patre semper* &c. habetur etiam in superiori Sermone. Ante finem citatur hymnus Ambrosii de Christi Natali, qui paulò antè fuerat cantatus. Num fortè ritus cantandi in ecclesia hymnos Ambrosianos per Augustinum fuerat in Africam invectus? Dicit ipse in epist. 55. circiter an. 400 scripta, Catholicos à Donatistis reprehendi *quòd sobriè psallant in ecclesia divina cantica Prophetarum, cùm ipsi*, ait, *ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum inflamment.*

Classis V.

centes, & abſcedendo morientes. Et iſte generis humani fluvius ab initio uſque in finem ex occultis naturæ venis jugiter manat. De iſto fluvio rapido ac turbulento bibere dignatus eſt Chriſtus. Modò audiſtis in Pſalmo, *De torrente in via bibit.* (Pſal. 109. 7.) Torrens iſte produxit nos ad nativitatem, perduxit ad mortem. Quaſi ex occulto fontis, abyſſum maris ſuſcepit Chriſtus. Utrumque pro nobis, & natus & mortuus eſt. Et quia homines in medio hujus fluminis conſtituti, plerumque delectantur mundi blandimentis & illecebris, B quæ limo hujus torrentis involvuntur, atque in profundum inferni demergunt eos, qui dum tranſeuntes undas avidè hauriunt, ſic necantur, ſtare cupientes in torrente præcipitante, & in * republica (* *f.* re labili.) quærentes fixa veſtigia: ideo Dominus *de torrente in via bibit.* Quid eſt, *in via bibit?* Tranſiens bibit. Bibit enim & tranſiit, non remanſit: nec ſtetit in via peccatorum. Item mortem metuunt homines: quia neceſſe eſt præcipitari omnes hujus torrentis impulſu: Chriſtus autem mortem quam ſponte ſuſceperat, timere non C potuit; ideo dictum eſt, *Et exſultavit ut gigas ad currendam viam.* Deſcendit enim, & cucurrit: adſcendit, & ſedit. Noſtis, quia ſic * (* In Symbolo.) confiteri ſoletis: poſtquam reſurrexit, adſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Hunc noſtri gigantis excurſum breviſſimè ac pulcherrimè cecinit beatus Ambroſius in hymno (Ambroſii hymnus.), quem paulò antè cantaſtis. Loquens enim de Domino Chriſto, ſic ait: *Egreſſus ejus à Patre, regreſſus ejus ad Patrem: excurſus uſque ad inferos, recurſus ad ſedem Dei.* D Hæc omnia, Cariſſimi, ſi quæramus cur facta ſunt, inveniemus facta pro nobis. Deſcendit enim, ut adſcenderemus; mortuus eſt, ut viveremus; reſurrexit, ut reſurgeremus; adſcendit in cælum, ut terrena contemnere, & cor ſurſum erigere diſceremus. Denique ut levaret poſt ſe ſpem noſtram, levavit primò carnem ſuam: & ut ſperaremus hoc ſecuturum in nobis, illud præceſſit quod accepit ex nobis.

* Aliàs de Diverſis. 66.

* SERMO CCCLXXIII.

De [a] Epiphania Domini, I.

Caput I. Chriſtus manifeſtatus Magis.

1. SOLLEMNITAS quam hodie celebramus, propter manifeſtationem Domini Epiphaniæ Græcum nomen accepit. Hodierno quippe die Magis adorantibus tamquam primitiis Gentium, commendatur manifeſtatus, qui ante paucos dies traditur etiam natus. Lapis ille angularis, qui velut parietes duos, circumciſionis videlicet & præputii, hoc eſt Judæorum atque Gentium, de diverſo venientes in ſua unitate copulavit, F *& factus eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum* (Epheſ. 2. 14.); ut paſtoribus Judæorum nuntiaretur, Angeli venerunt de cælo; & [b] ut à Magis Gentium adoraretur, ſtella refulſit è cælo. Sive ergo per Angelos, ſive per ſtellam, cæli enarraverunt gloriam Dei (Pſal. 18. 2.): ut in ejus qui natus eſt gratia, enarrarent eam etiam Apoſtoli, portantes Dominum ſicut cæli, atque in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quæ quoniam & ad nos venerunt, credi- G

Sermo nõ Dubii. Caput II.

A mus, propter quod & loquimur.

2. Multa igitur conſideranda ſunt, Fratres, in hac quam audivimus, Evangelica lectione. Magi veniunt ab Oriente, regem Judæorum requirunt, qui tot reges Judæorum numquam antea quæſierunt. Requirunt autem, non aliquem virilis ætatis, ſive grandævum, humanis oculis, in excelſa ſede conſpicuum, exercitibus potentem, armis terrentem, purpurâ nitentem, diademate refulgentem, [vel de cruce ſibi exſultantem, in B qua univerſos Martyres redimeret confitentes, vel ab inferis reſurgentem, aut in cælos adſcendentem;] ſed recèns natum, in cunis jacentem, uberibus inhiantem, nullo ornatu corporis, nullis membrorum viribus, nullis parentum opibus, non ſua ætate, non ſuorum poteſtate præſtantem. Et quærunt regem Judæorum, à rege Judæorum; ab Herode [homine,] Chriſtum [Deum & hominem; à terreno rege homine, regem cælorum qui condiderat hominem:] à grandi parvulum, à claro latentem, ab excelſo humilem, C à loquente infantem, ab opulento inopem, à forti infirmum; & tamen [quamvis ab Herode perſequente, ſibi & aliis Chriſtum dominantem,] à contemnente adorandum: profectò in quo nulla pompa regia videbatur, ſed vera majeſtas adorabatur.

Caput III. Herodis metus & in parvulorum cæde ſævitia.

3. Denique Herodes timet: [c] Magi deſiderant. Regem illi cupiunt invenire, regnum metuit ille finire. Utrique poſtremò quærunt: illi per quem poſſint vivere, ille quem vellet occidere: ille in D quem peccatum grande committat, illi qui omnia ſibi peccata dimittat. Necat quippe Herodes parvulos multos, dum vult ad unius mortem pervenire. Et cùm [d] ſævientiſſimam & cruentiſſimam cædem in tot innocentibus perfecit; ſe ipſum tanta iniquitate primitus interfecit. Interea rex noſter [Chriſtus,] Verbum [Dei] infans [Deus,] Magis illum adorantibus, parvulis pro illo morientibus, ſive jacebat, ſive [e] ſugebat; & nondum locutus, credentes inveniebat; & nondum paſſus, etiam Martyres faciebat. O parvuli E beati, modò nati, numquam tentati, nondum luctati, jam coronati. (Innocentes Martyrum coronâ donati.) Ille de veſtra corona dubitaverit in paſſione pro Chriſto, qui etiam baptiſmum parvulis prodeſſe non exiſtimat Chriſti. Non habebatis quidem ætatem, qua in Chriſtum paſſurum crederetis: ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis. Nullo modo iſtos infantes dereſeret gratia Salvatoris infantis, qui venerat quærere quod perierat, non ſolùm in carne naſcendo, verùm F etiam in cruce pendendo, [ad inferos deſcendendo, & in cælis adſcendendo, & ad dexteram Patris ſedendo.] Nam qui potuit natus habere prædicatores Angelos, narratores cælos, adoratores Magos; potuit & illis ne pro eo hîc morerentur præſtare, ſi ſciret illa morte perituros, & non potiùs majore felicitate victuros. Abſit, abſit, ut ad liberandos homines [Chriſtus] veniens, de illorum præmio qui pro eo interficerentur nihil egerit, qui pendens in ligno pro eis à quibus G interficiebatur oravit.

[a] Ambiguum reddunt loci nonnulli, quibus temeritate alicujus labem allatam facilè credimus inſpecto Floriacenſi vetere libro, qui ea plerumque præterit, quæ diſplicent in hoc Sermone, uti intelliges ex anſulis ad ea quæ codex ille non habet appoſitis.

[b] Floriacenſis vetuſtiſſimus liber, *ut delibatio Gentium Magi ſalvarentur, novo admoniti ſunt lumine ſidereo.*

[c] Sic Floriacenſis MS. At editi, *timet ſucceſſorem, Magi deſiderant redemtorem: illi cupiunt invenire regnum, metuit ille finire regnum.*

[d] Floriacenſis MS. *celebratiſſimam.*

[e] Ita Floriacenſis codex. Alii verò MSS. cum excuſis, *ſive ſurgebat, creſcebat, & nondum &c.*

Classis V.

Caput IV. Infelices Judæi fabris arcæ Noë & lapidibus milliariis persimiles.

4. Quid dicam de infelicitate Judæorum, qui Christum quærentibus Magis, etiam prophetiam * indicem protulerunt, Bethleem civitatem designaverunt, [quam ipsi non invenerunt?] Similes fabris Arcæ Noë, aliis ubi evaderent præstiterunt, & ipsi diluvio perierunt: similes lapidibus milliariis, viam ostenderunt, nec ambulare potuerunt; [quia stolidi in via remanserunt.] Quæsitum est ab eis, ubi Christus nasceretur: responderunt, *In Bethleem Judæ.* [a] *Sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu Bethleem terra Juda, non minima es in ducibus Juda. Ex te enim prodibit rex, qui recturus est populum meum Israël.* Audierunt, & abierunt inquisitores; dixerunt & remanserunt doctores: & contrariis affectibus separati, illi facti sunt adoratores, illi persecutores. Nunc quoque Judæi simile aliquid nobis exhibere non desinunt. Nonnulli enim paganorum ut noverint Christum antè prophetatum, quando eis de Scripturis testimonia clara proferimus, suspecti ne fortè à Christianis ista conficta sint, malunt credere codicibus Judæorum: & sicut tunc Magi fecerunt, istos dimittunt inaniter lectitare, ipsi pergunt fideliter adorare.

* V. Append Serm. 131. n. 6.

Matth. 2. 5.

Caput V. Spectaculum spirituale in hoc festo.

5. Celebremus itaque exsultantes in Domino, festum diem Domini; non solùm quo est ex Judæis natus, verùm etiam quo est Gentibus manifestatus. Juvat intueri omnia, & in unum adducta conspectum, animo cernere [b] spectaculo spirituali. Nascitur Christus: virgo concipit, virgo parit, virgo nutrit; adest fecunditas, nec abest integritas. Angeli annuntiant, pastores glorificant, cæli enarrant, Magi desiderant, reges formidant, Judæi demonstrant, Gentes adorant: frustrantur sævientes, coronantur infantes, admirantur credentes. Quæ est ista humilis celsitudo, infirmi fortitudo, parvuli magnitudo? Profectò illud Verbum fecit hæc omnia, per quod facta sunt omnia. Verbum quod longè erat à nobis, caro factum est, ut habitaret in nobis. Agnoscamus itaque in tempore, per quem facta sunt tempora: & celebrantes ejus festa temporalia, præmia desideremus æterna.

Joan. 1. 14.

* SERMO CCCLXXIV.

* Aliàs de Diversis 67.

De [c] Epiphania Domini, II.

Magi ad Christum stella & Angelorũ revelatione perducti.

1. ANNIVERSARIA celebratio diei hujus, anniversarium Sermonem à nobis exigit, debitum auribus & cordibus vestris. Hodie Salvator noster Magos ad se de tam longinqua gente perduxit. Venerunt ut adorarent infantem, Verbum Dei. Quare venerunt? Quia stellam inusitatam viderunt. Et unde eam Christi esse cognoverunt? Videre enim potuerunt stellam; numquid loqui eis potuit & dicere, Stella Christi sum? Procul dubio aliter indicatum est, per aliquam revelationem. Tamen inusitatè rex natus erat, qui & ab alienis adorandus erat. Numquid non reges antè in Judæa erant nati, aut per universam terram in diversis gentibus? Quare iste adorandus, & ab alienigenis adorandus, non terrente exercitu, sed in paupertate carnis, latente majestate virtutis? Quando na-

A tus est, adoratus est à pastoribus Israëlitis, quibus eum Angeli nuntiaverunt: sed Magi non erant de gente Israël. Colebant Gentium deos, hoc est dæmonia; quorum fallaci decipiebantur potentiâ. Viderunt ergo quamdam stellam inusitatam, mirati sunt: quæsierunt sine dubio cujus esset signum, quod tam novum insolitumque viderunt. Et utique audierunt, profectò ab Angelis, ab aliqua admonitione revelationis. Quæris fortassis, ab Angelis bonis, an malis? Christum quidem & angeli mali, hoc est dæmones, Filium Dei esse
B confessi sunt. Sed cur non & à bonis audierunt, quando in Christo adorando salus eorum jam quærebatur, non iniquitas dominabatur? Potuerunt ergo illis dicere Angeli, Stella quam vidistis, Christi est, ite & adorate eum ubi natus est, & simul indicate qualis & quantus natus. Illi autem hoc audito venerunt, & adoraverunt. Aurum, thus & myrrham obtulerunt, secundùm consuetudinem suam. Talia enim solebant offerre diis suis.

Sermon. Dubii

Christus ab ipsis Judæis demonstratus Gentibus. Matth. 2. 2.

C 2. Quod sanè antequam facerent, antequam eum in civitate ubi natus fuerat invenirent, venerunt quærentes, *Ubi natus est rex Judæorum?* Nonne poterant etiam hoc revelatione cognoscere, sicut cognoverant illam stellam regis esse Judæorum? Nonne potuit eos ad illam civitatem eadem stella perducere, sicut postea perduxit ad locum, ubi Christus cum matre infans erat? Poterat sanè, non tamen factum est; ut hoc à Judæis inquirerent. Quare voluit hoc Deus à Judæis inquiri? Ut dum ostendunt in quem non
D credunt, ipsa sua demonstratione damnentur. Attendite quia & nunc fiunt primitiæ Gentium Magi, quantò à majori impietate liberati, tantò majorem dantes gloriam liberanti. Quærunt, *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Herodes audito regis nomine, tamquam æmulus contremiscit. Vocat Legis-peritos, interrogat ab eis secundùm Scripturas ut indicent ubi Christus nasceretur. Illi respondent, *In Bethleem Judæ.* Perrexerunt Magi, & adoraverunt: Judæi remanserunt, qui
E demonstraverunt. O magnum sacramentum! Hodie per Judæorum codices convincimus: fiunt fideles per eorum codices. Ostendimus paganis quod nolunt credere. Nam aliquando pagani faciunt nobis hujusmodi quæstionem, cùm vident quæ scripta sunt sic impleri, ut negare omnino non possint, quòd ea per Christi nomen in omnibus gentibus præsentantur, quæ in sanctis codicibus prædicta recitantur, in fide regum, in eversione idolorum, in mutatione rerum humanarum: & aliquando audent, ut dicant, Vi-
F distis ita fieri, & tamquam prædicta sint conscripsistis. Hoc * poeta quidam eorum fecit: recognoscunt ista qui legerunt. Narravit quemdam apud inferos descendisse, atque in beatorum regionem venisse, demonstratosque illi Romanorum principes nascituros, quos jam ipse qui hæc scribebat natos noverat. Præterita enim narravit; sed quasi futura essent prædicta, con-
G scripsit. Sic & vos, inquiunt nobis pagani, vidistis hæc omnia fieri, & scripsistis vobis codices, in quibus hæc legantur tamquam prædicta.

* Virgilius Æneid. 6.

[a] In Floriacensi MS. *Quid etiam de hac rescriptum esset, memoriter pronuntiaverunt: Et tu Bethleem* &c.

[b] In Floriacensi MS. *spectacula spiritalia.*

[c] Incunctanter asserit Magos visâ stellâ edoctos ab Angelis fuisse quòd illa Christi signum esset: *Et utique audierunt*, inquit, *profectò ab Angelis, ab aliqua admonitione revelationis.* Præterea dicit concionator, res in munera oblatas à Magis secundùm consuetudinem suam, quia talia solebant offerre diis suis. At Augustinus in eorum muneribus nonnihil mysterii agnoscit in Serm. 202. n. 2.

Classis V.

O gloria regis nostri! Meritò Judæi à Romanis victi sunt, nec deleti. Omnes gentes à Romanis subactæ, in Romanorum jura transierunt: hæc gens & victa est, & in lege sua mansit, quantum ad Dei cultum adtinet, patrias consuetudines ritumque custodivit. Everso etiam templo suo, exstincto sacerdotio pristino, sicut dictum est à Prophetis; servant tamen circumcisionem & morem quemdam, quo à ceteris gentibus distinguuntur. Propter quid, nisi propter testimonium veritatis? Sparsi sunt ubique Judæi, portantes codices quibus Christus prædicatur, & sicut prædictus est præsentatur, ut jam paganis possit ostendi. Profero codicem, lego Prophetam: ostendo impletam esse prophetiam. Dubitat paganus, ne fortè hoc ipse confinxerim. Inimicus meus habet hunc codicem, antiquitus sibi à majoribus commendatum. Ambos inde convinco: Judæum, quia id prophetatum & completum ego cognovi; paganum, quia non ego hoc confinxi.

Sacrificiū uni Deo debitum.

3. Non ergo seducant dæmonia specie divinationis incautos, & rerum temporalium malè curiosos; nec superbo fastu decipientes impios, sibi sacrificiorum exigant honorem.[a] Verè divina prædixerunt divini viri unius discipuli. Verum sacrificium, uni vero Deo debetur. Hujus figuræ ante gratiam, victimis adumbratæ sunt. Quod uno modo futurum fuerat, multis modis providentia divina prænuntiavit, ut quàm magnum esset, ostenderet. Ipse medicus, ipse medicamentum: medicus, quia Verbum: medicamentum, quia Verbum caro factum est. Ipse sacerdos, ipse sacrificium. Ipse est qui mutavit viam Magorum: ipse etiam nunc mutat vitam malorum. Cujus in carne manifestationem, quæ Græcè dicitur *Epiphania*, justificatæ in spiritu gentes hodierna sollemnitate concelebrant: ut renovet memoriam sollemnitas, vigeat devotione pietas, ferveat congregatione caritas, luceat invidis veritas.

* SERMO CCCLXXV.

** Aliàs 9. ex Vignerianis.*

De [b] Epiphania Domini, III.

Christus Judæis primùm & post Gentibus manifestatus.

EPIPHANIA Latinè manifestatio est. Dominus Christus ante paucos dies nativitate sua Judæis manifestatus est: hodierno autem die per stellam Gentibus declaratus est. *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* (*Isai. 1. 3.*) Bos de Judæis, asinus de Gentibus; ambo ad unum præsepe venerunt, & verbi cibaria invenerunt. Magi qui venerunt adorare Christum, & significant primitias Gentium, Legem non acceperunt, Prophetas non audierunt: lingua cæli stella fuit. Quasi diceretur eis, Quid à vobis quæsivi lucri? *Cæli enarrant gloriam Dei.* (*Psal. 18. 2.*) Et tamen Herodes turbatus, à Judæis quæsivit ubi nasceretur Christus. Et responderunt, *In Bethleem Judæ:* (*Matth. 2. 5.*) & Propheticum testimonium adhibuerunt; & Magis adorare pergentibus, ipsi immobiles permanserunt. In aggere lapides sunt, viam demonstrant, & ipsi non ambulant. Tamen perrexerunt Magi ad Bethleem, sed inventa civitate unde possunt domum invenire? Ecce stella illa quæ fulsit de cælo, deduxit in terra, stetit super locum ubi erat puer. Quantus famulatus elementorum, & nequitia Judæorum! Turbatus est Herodes, quasi venerit Christus regnum quærere & invenire terrenum. Natus est cæli leo, & turbata est terrena vulpecula. Dominus dixit de Herode, *Ite, dicite vulpi illi.* (*Luca 13. 32.*) Turbata quid fecit? Occidit infantes. Quid fecit? Occidit infantes pro Verbo infante. Antè Martyres sanguine sunt effecti, quàm possent ore Dominum confiteri. Et has primitias Christus misit ad Patrem. Venit infans, & ierunt infantes; infans ad nos, infantes ad Deum. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* (*Psal. 8. 3.*) Gaudeamus, nobis illuxit dies. Magi primitiæ Gentium nos significaverunt. Agnoverunt Judæi quando natus est, agnoverunt Gentes * hesterno die. Diversi parietes ad lapidem angularem venerunt, inde Judæi, inde Gentes; de diverso, sed non ad diversum. Vidistis & nostis, quia tantum à se parietes longè sunt, quantum ab angulo remoti sunt. Quantùm ad angulum propinquant, propinquant sibi: cùm ad angulum venerint, hærent sibi. Hoc fecit Christus. Longè à se fuerant Judæi & Gentes, circumcisio & præputium, * Legis & sine Lege, cultores unius veri Dei, & multorum falsorum. Quàm longè? Sed ille *est pax nostra, qui fecit utraque unum.* (*Ephes. 2. 14.*) Sed qui venerunt de Judæis, ipsi in bono pariete numerantur: nam qui venerunt, in ruina non remanserunt. Facti sumus unum illi & nos: sed in uno, non in nobis. Unde natus est Christus? De Judæis. Sic habes scriptum, *Salus ex Judæis est:* (*Johan. 4. 22.*) sed non solis Judæis. Non enim dixit, Salus Judæis; sed, *Salus ex Judæis.* Illi comprehenderunt, & ipsi perdiderunt; illi ligaverunt, & ipsos fugit; ipsi viderunt, & occiderunt: nos nec comprehendimus, & tenemus; nec vidimus, & credimus; posteriores sumus, & antecedimus. Illi qui nos præcesserunt, viam perdiderunt: nos autem & viam invenimus, & in illa ambulantes ad patriam veniemus.

Infantes martyres effecti.

Duo parietes ad angulum convenientes.

** f. hodierno.*

** f. auditores Legis.*

A B C D E F G

* SERMO CCCLXXVI.

** Aliàs de Tempore 160.*

Sermon. Dubii.

Dominica [c] in octavis Paschæ.

Caput I.

1. AUDIVIT Caritas Vestra, cùm sanctum Evangelium legeretur, Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum post resurrectionem suam clausis ostiis introisse ad discipulos suos. (*Johan. 20. 19.*) Magnum miraculum: sed mirari desinis, si Deum cogitaveris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostiis clausis intravit. Respondeo tibi, ut scias quia vera caro fuerat, cicatrices tangendas monstravit. Sed sicut non est, inquis, naturæ corporalis per januam clausam intrare, sic non est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intravit per clausa ostia, responde mihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulavit super aquas maris, da mihi & tu pondus carnis. Vis nosse hoc omnipotentiæ fuisse? Et Petro dedit. Qui quod voluit, dedit; quod proprium erat, sibi servavit. Ille enim vivens per clausas januas intravit, qui nascendo integritatem matris non violavit. Ergo, Fratres, adtegritatem

Magnum miraculū, intrare januis clausis.

[a] Locus perplexus, qui in Pithœano libro sic jacet: *Vera divina prædixerunt divini viri unius Dei sunt.*

[b] De auctore incerti sumus, quia sic de Herode loquitur, ut duos videatur, infanticidam nempe & alterum in Evangelio Lucæ cap. 13. nominatum confundi voluisse: quos ipse quidem Augustinus diserte distinguit in l. 2. de consensu Evang. c. 7. & l. 22. contra Faust. c. 84.

[c] Hujus Sermonis exemplar calamo scriptum nullum reperimus. Prima pars, cui sequentia non cohærent, aliunde adscita videtur. Confer ad Sermonem 247. n. 2.

Classis IV.

mirati credamus, credentes obaudiamus, obaudientes ſperemus promiſſa, ſi facimus juſſa: quia ut faciamus juſſa, ipſe adjuvat, à quo ſperamus promiſſa.

Caput II. Octavæ Infantium.

2. Hodie octavæ dicuntur infantium, revelanda ſunt capita eorum, quod eſt indicium libertatis. Habet enim libertatem iſta ſpiritalis nativitas: propriè autem carnis nativitas ſervitutem. Duæ ſunt utique hominis nativitates, naſci & renaſci. Naſcimur ad laborem, renaſcimur ad quietem: naſcimur ad miſerias, renaſcimur ad æternam felicitatem. Nam illi pueri, infantes, parvuli, lactentes, maternis uberibus inhærentes, & quantum in eos gratiæ conferatur neſcientes, ut ipſi videtis, quia infantes vocantur, & ipſi habent octavas hodie: & iſti ſenes, juvenes, adoleſcentuli, omnes infantes. Una quippe illorum infantia pertinet ad vetuſtatem, altera ad novitatem. Nam quos videtis recentes à partu, veteres naſcuntur. Vetus homo noſter dictus eſt Adam, ex quo naſcimur: novus homo Chriſtus, per quem renaſcimur. Iſti ergo & novi ſunt, & renati ſunt ad aliam vitam, & eſt in illis, ſi dici poteſt, quando naſcuntur, nova vetuſtas.

Vetus & novus homo.

Baptizatos hortatur ne immiſceantur malis Chriſtianis.

3. Ecce miſcentur hodie fidelibus infantes noſtri, & tamquam de nido volant. Neceſſe eſt ergo, ut parturientes eos alloquamur. Sicut enim recolitis, Fratres mei, hirundinum vel domeſticorum paſſerum pullos, quando volare de nido cœperint, matres cum ſtrepitu circumvolant, & vocibus piis teſtantur pericula filiorum. * Scimus ergo multos, qui appellantur fideles, malè vivere, & gratiæ, quam acceperunt, moribus ſuis non convenire; laudare Deum linguâ, blaſphemare vitâ. Scimus autem alios inter iſtos multos, tamquam inter multam & abundantem paleam, velut grana gementes in tritura, ſed ſpe horrei ſe conſolantes. Duo iſta genera hominum ſcimus eſſe in Eccleſia. Aream Dominicam Eccleſiam novimus: ventilationem in die judicii ſperamus, maſſam frumenti in reſurrectione deſideramus, horreum in vita æterna ſumere cupimus. Ibi nulla palea erit, ſicut in gehenna nullum granum erit. Nunc ergo, Fratres mei, cùm ſciamus duo iſta genera hominum eſſe in Eccleſia, piorum & impiorum, bonorum & malorum, timentium & contemnentium, quibus conjungantur iſti, neſcimus. Quid autem velimus, & ipſi ſciunt: utrùm de illis vota noſtra compleantur, humana ignorantia ſollicitudine fatigatur, aliquando & falſis ſuſpicionibus agitatur. Ex his diſcitur in hac terra, ubi ſine tentatione non vivitur. Admoneo ergo vos ſancta germina, admoneo vos novellæ in agro Dominico plantæ, ne de vobis dicatur quod de vinea domûs Iſraël dictum eſt, *Exſpectavi ut faceret uvas, fecit autem ſpinas.* Botrum in vobis inveniat, qui botrus pro nobis calcatus eſt. Uvam ferte, bene vivite. *Fructus* enim *ſpiritûs eſt*, ſicut dicit Apoſtolus, *caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, manſuetudo; fides, continentia, caſtitas.* Quando ad nos venerit agricola noſter, cujus nos operarii ſumus, ille qui intus dat incrementum: nam nos forinſecùs plantare novimus & rigare: ſed ait Apoſtolus, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui incrementum dat:* qui

*Caput III. In Eccleſia mali bonis permixti.

Iſai. 5. 2.

Gal. 5. 22.

1. Cor. 3. 7.

A modò videt quomodo audiatis, qui modò inſpicit quomodo timeatis, aut jam timere incipiatis; cùm ad vos ille agricola venerit, inveniat in vobis quod dixerat Apoſtolus, *Gaudium meum & corona mea, omnes qui ſtatis in Domino.*

Sermon. Dubii.

Philip. 4. 1.

Caput IV. Mali ad peccandū inducentes cavendi.

4. Fratres, filii dulciſſimi, filii cariſſimi, imitamini bonos, cavete malos. Scio enim quia venturi ſunt ad vos homines mali, & perſuaſuri vobis vinolentiam, & dicturi ſunt vobis, Quare? Nonne & nos ſumus fideliſſimi? Scio, inde doleo, B inde timeo. Jam tu ſi dixeris conſtanter: Frater, nec te vellem facere quod facis, ſed ſi te non poſſum ducere in bonum meum, vel noli me trahere ad malum tuum. Hominibus iſtis, ut fieri ſolet, caput dolebit. Dicturus eſt tibi vicinus tuus aut vicina, Eſt hic incantator, eſt hic remediator, & neſcio ubi mathematicus. Tu dicis, Chriſtianus ſum, non licet mihi. Et ſi ille dixerit tibi, Quare? Nonne ego Chriſtianus ſum? Tu dicturus es, Sed ego fidelis ſum. Et ille tibi, Et ego baptizatus ſum. Fiunt angeli diaboli, membra C Chriſti. Quia ipſum poſſidet inimicus, trahere quærit & alium. Inveniat vos paratos, qui iſta vobis præparavit. Ideo loquor, ideo conteſtor, ideo non taceo, ideo veſtimenta mea excutio, ideo in tribunali Dei mei excuſatum me habeo. Dicam Deo meo, Domine, non tacui; Domine, talentum quod mihi dediſti non abſcondi, ſed erogavi. Hoc poterit mihi dicere, *Serve nequam, tu dares, ego exigerem.* Ecce, Domine, dedi, tu exige. Et ſi fortè vos vetus titillaverit conD ſuetudo, habetis quem interpelletis. Major eſt adjutor quàm oppugnator. Ideo gemitis, ideo oratis, ideo dicitis, *Ne nos inferas in tentationem.* Obſervate illud etiam, Fratres mei, quod ſuprà dicitis, *Dimitte nobis debita noſtra:* ut faciatis quod ſequitur, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Eleemoſynam facis, eleemoſynam accipis. Ignoſcis, ignoſcetur tibi. Erogas, erogabitur tibi. Deum audi dicentem, *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* In menE te habete pauperes. Omnibus dico, Facite eleemoſynas, Fratres mei; facite, & non perdetis. Deo credite. Non ſolùm dico vobis, non perditis quod facitis pauperibus: ſed planè dico vobis, hoc ſolum non perditis, cetera perditis. Ecce videamus ſi exhilaratis pauperes hodie, horrea ipſorum vos eſtis, ut det vobis Deus unde detis, & dimittat quod fortè peccatis. Includite eleemoſynam in corde pauperum, & ipſa pro vobis exorabit Dominum: cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. F

Incantationum remedia illicita.

Matth. 25. 26.

Matth. 6. 13.

Ibidem 12.

Eleemoſyna.

Luca 6. 37. & 38.

Eccli. 15.

* SERMO CCCLXXVII.

In [a] Adſcenſione Domini.

* Aliàs de Diverſis 57.

2 Verbum Dei dignè à nobis laudari non poteſt.

Dilectiſſimi Fratres, de Verbo æterno quis temporale dignè proferat verbum? Magnis infima quomodo ſufficiant? Laudant cæli, laudant virtutes, laudant ætheriæ poteſtates, laudant cæli luminaria, laudant ſidera, ut poteſt laudat & terra: non ut dignè laudet, G ſed ne ſe ingrata condemnet. Quis explicat, quis loquitur, quis vel ſapit eum qui adtingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, quomodo exſultaverit ad currendam viam,

Sap. 8. 1.

Pſal. 18. 6.

[a] Titulus in excuſis præfixus erat, *de Nativitate Domini.* Mutatus hîc eſt ad exemplaria vetera, id eſt ad Lectionaria, in quo ſolo manuſcriptorum genere reperimus hunc Sermonem, ab iſtis incipientem verbis, *De verbo æterno* &c. Habet aliquid Auguſtiniani ſtili.

CLASSIS V.

Quomodo exsultavit ad currendam viam.

ut esset à summo cælo egressio ejus, & recursus ejus usque ad summum cæli? Si ubique adtingit, unde exit? Si ubique adtingit, quò vadit? Locis non distenditur, neque temporibus variatur, neque habet accessus & recessus: in se manens, ubique circuit totus. Quæ sunt spatia quæ non habent omnipotentem, quæ non tenent immensum, quæ [a] non suscipiunt venientem? Si verbum cogitas, nihil diximus. Sed ut de se humiles doceret aliquid dicere, humiliavit semetipsum formam servi accipiens. (*Philip.* 2. 8.) In hac forma descendit, in hac forma secundùm Evangelium sapientiæ studio profecit, (*Luca* 2. 52.) in hac forma patiens fuit, in hac forma fortiter dimicavit, in hac forma mortuus est, in hac forma mortem vicit & resurrexit, in hac forma ad cælum rediit, qui de cælo numquam recessit. Benedictus ergo est in solidamento cæli, qui factus est pro nobis, secundùm Apostolum, maledictus, (*Gal.* 3. 13.) ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret. *Exsultavit ut gigas.* (*Psal.* 18. 6.) Qualis gigas? Mortem moriendo superavit. Qualis gigas? Portas inferni fregit: exiit, & adscendit. Quis est iste rex gloriæ, propter quem dictum est quibusdam principibus, *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternæ?* (*Psal.* 23. 6. &c.) Elevamini, magnus est: angustæ estis, non capitis, elevamini. Ut quid hoc? *Ut introeat rex gloriæ.* Expavescunt: *Quis est iste rex gloriæ?* Non agnoscitur. Non solùm Deus est, sed & homo: non solùm homo est, sed & Deus. Patitur, certè Deus est? resurgit, certè homo est? An & Deus & homo est? Verè enim patitur, & verè resurgit. Hoc autem in uno eodemque Psalmo bis dicitur, *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternæ, & introibit rex gloriæ.* Et repetitur hoc ipsum post eadem verba, tamquam putetur superfluum & non necessarium. Sed in repetitione eorumdem verborum fines adtendite, & advertite quare bis dictum fuerit.

Cur bis in Psalmo dictum, Tollite portas, &c.

Tamquam enim semel resurgenti, & semel adscendenti, bis portæ inferorum & cæli aperiuntur. Res enim nova, inferis Deus præsens: res nova, cælis homo assumtus. Utroque tempore, utroque loco, expavescunt principes. *Quis est iste rex gloriæ?* Unde hoc discernimus? Audi quid utrisque respondeatur. Illis interrogantibus dicitur, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in bello.* Quali bello? Mortem pro mortalibus subire, solum pro omnibus pati, non resistere omnipotentem, & tamen vincere morientem. Magnus ergo iste rex gloriæ, etiam apud inferos. Repetitur etiam hoc cælestibus potestatibus: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternæ.* An non sunt portæ æternæ, quarum claves accepit Petrus? Sed quia secum hominem levat, ibi tamquam non agnitus dicitur: *Quis est iste rex gloriæ?* Sed ibi quia non jam certator, sed victor est, quia non dimicat, sed triumphat; non ibi respondetur, *Dominus potens in bello*; sed, *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

* SERMO CCCLXXVIII.

* Aliàs 14. ex Vignerianis.

In [b] die Pentecostes.

Caritas effectus præsentiæ Spiritus-sancti.

GRATA est Deo sollemnitas, ubi viget pietas, & fervet caritas. Ipse enim est effectus præsentiæ Spiritus-sancti: quod docet Apostolus dicens, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* 5. 5.) Adventus ergo Spiritus-sancti uno in loco centum viginti homines constitutos implevit. Cùm Actus Apostolorum legerentur, audivimus, Erant congregati in unum centum viginti, tenentes promissum Christi. (*Act.* 1. & 2.) Dixerat enim ut essent in civitate, quò usque induerentur virtute ex alto. *Ego enim*, inquit, *mittam promissionem meam in vobis.* (*Luca* 24. 49.) Fidelis promissor, benignus dator. Quod cùm in terra esset promisit, in cælum adscendit & misit.

Spiritus-sanctus arra vitæ æternæ.

Habemus pignus futuræ vitæ æternæ regnique cælorum. Non nos fraudavit recenti promissione, & fraudaturus est futura exspectatione? Omnes homines quando aliquod negotium inter se contrahunt, & pecuniarii negotii sponsione relaxantur, plerumque accipiunt arram, vel dant: & arra data fidem facit, etiam rem illam esse secuturam, cujus arra præcessit. (*V. Ser.* 23. *c.* 8. & *Ser.* 156. *c.* 15.) Arram nobis dedit Christus Spiritum-sanctum: & qui fallere nos non possit, securos tamen fecit, quando arram dedit, quam etsi non daret, sine dubio quod promiserat exhiberet. Quid promisit? Vitam æternam, cujus arram Spiritum-sanctum dedit. Vita æterna possessio habitantium: arra consolatio est peregrinantium.

Arram inter & pignus discrimen.

Melius enim dicitur arra quàm pignus. Hæc enim duo similia videntur inter se; sed tamen habent aliquam differentiam non negligendam. Et pignus quando datur, & arra quando datur, ideo fit, ut quod promittitur impleatur: sed quando datur pignus, reddit homo quod accepit, re completa propter quam pignus accepit; arra autem quando datur, non recipitur, sed superadditur ut impleatur.

Datur arra vitæ æternæ, ut eam desideremus.

Arram ergo habemus: ipsum fontem, unde arra est, sitiamus. Arram habemus adspersionem quamdam in cordibus nostris Spiritus-sancti: si quis sentit hunc rorem, desideret fontem. Ut quid enim habemus arram, nisi ne fame & siti in hac peregrinatione deficiamus? Esurimus enim & sitimus, si tamen peregrinantes nos esse cognoscimus. Qui peregrinatur, & novit se peregrinari, desiderat patriam; quam dum desiderat, molesta est peregrinatio. Si amat peregrinationem, obliviscitur patriam, & non vult redire. Non est talis patria nostra, cui aliquid præponamus. Aliquando enim homines dum peregrinantur, divites fiunt. Qui egebant in patria sua, peregrinatione ditescunt, & redire nolunt. Nos à Domino nostro, ex quo inspiravit primo homini flatum vitæ, peregrinantes omnes nati sumus. Patria nostra in cælis est, cives Angeli. De patria nostra, ut ad reditum exhortemur, litteræ nobis missæ sunt, quæ quotidie in populis recitantur. Vilescat mundus, ametur à quo factus est mundus.

* SERMO CCCLXXIX.

* Aliàs 5. ex Vignerianis. c

In [c] Nativitate Iohannis Baptistæ, I.

Johannes tam magnus homo, ut Christum Deû prædicaret.

BEATUS Johannes, Fratres carissimi, cujus hodie nativitatem celebramus, tam magnus exstitit inter homines, ut Dominus noster Jesus Christus tale ei testimonium perhiberet dicens, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* (*Matth.* 11. 11.) Audivimus, cùm Evangelium legeretur, quàm mirabiliter fuerit ex

[a] Hoc loco particula negans abest à MSS.

[b] Sermo iste aut Augustini est, aut alicujus in ipsius lectione versati. Confer Sermonem 23. cap 8. & Ser. 156 cap. 15.

[c] Hujus Sermonis stilus non multum differt ab Augustiniano.

desperatione

Classis V.

desperatione conceptus, & quanto Spiritus-sancti testimonio procreatus. Pater ejus eo quòd non credidit, obmutuit. Annuntiatus ergo per Angelum, & non creditus, patris vocem abstulit, natus linguam resolvit. Accipite ergo in hujus rei mysterio magnum sacramentum. Ante Dominum Jesum Christum Johannes præmissus est, missi sunt Prophetæ per superiora sæcula, nec defuerunt qui Christum prædicarent. Tantus enim judex venturus erat, ut multi deberent præire præcones. Ab ipso prorsus exordio generis humani non cessavit se Christus prophetare, & venturum prænuntiare. Novissimè missus est Johannes homo, sed quo homine nullus exstitit major. Venturus erat Dominus Jesus, non homo tantùm, sed & Deus: utique & Deus & homo; Deus semper, ad tempus homo; Deus ante tempora, homo in fine temporum; Deus ante sæcula, homo in fine sæculi. Deus qui hominem fecit, propter hominem dignatus est homo fieri, quem fecit. Venturo ergo Domino Jesu Christo, qui plus est quàm homo, ne putaretur tantùm esse homo, testimonium debuit illi perhibere magnus homo. Christus, inquam, Dominus, non tantùm Deus, sed & Deus & homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos refecit. Johannes autem homo tantùm, sed quantus homo? Audi de eo Deum & hominem dicentem. O Domine Jesu Christe, quis est Johannes? Et dicit Deus, *In natis mulierum non surrexit major Iohanne Baptista.* O Johannes magne homo, quo in natis mulierum major nemo surrexit, & tu dic mihi, ô magne homo, quis est iste qui putatur * solus homo? Quis est, audi: *Cujus non sum dignus*, inquit, *calceamenta portare.* Didicimus ecce per Johannem, & per hominem credendum esse in Christum, & non esse ponendam spem in homine, sed in Christo. Ecce habes magnum hominem, quo nemo major surrexit, & ipse est Johannes. Sed vide quia iste Johannes amicus est sponsi; sponso zelat, non sibi. Dicit enim ad se venientibus: *Ego baptizo vos aquâ; qui autem post me venit, major me est, cujus non sum dignus calceamenta solvere; ille autem baptizabit vos in Spiritu-sancto.* Venite post me, sed nolite manere in me: transite ad illum qui creavit vos & me, quia ipse vivificaturus est vos & me.

Cur prophetæ tot ante per Christum præmissi.

* f. solùm. Matth. 3. 11.

* SERMO CCCLXXX.

In [a] Nativitate Iohannis Baptistæ, II.

* Aliàs 6. ex Vignerianis in 1. parte Supplem.

1. QUIETIS & parva vox sufficit. Si autem vultis, Fratres, quieti audire, nolite habere cor in auribus, sed aures in corde. Hodiernum diem beati Johannis Baptistæ sollemnitati illuxisse tradit & credit Ecclesia. Oportet autem hoc de ipso die credere, quod sine varietate totus orbis agnoscit: sed quia Johannis esse diem nemo dubitat, non Johannis qui Evangelium scripsit, sed Johannis Baptistæ præcursoris Domini, qui tantò magnus apparuit,

A quantò se humilem præbuit, dicens, cùm ipse Christus putaretur, non se dignum corrigiam calceamenti solvere ei, quem Dominum agnoscebat, ut amicus esse mereretur. Nonnulli autem putant passionis ejus diem hodie celebrari. Sciat priùs Sanctitas Vestra, nativitatis esse diem, non passionis. Ex lectione quippe Evangelica invenitur ejus nativitas sex mensibus præcedere Domini nativitatem. Et quoniam diem nativitatis Domini octavo Kalendarum Januariarum die consensus B tradit Ecclesiæ; restat ut hodiernus dies nativitatis Johannis intelligatur.

Sermon. Dubit.

2. Præcessit ergo Johannes Dominum, non tamquam magister discipulum, sed tamquam præcursor judicem; non ut superimponeret potestatem, sed ut præberet officium. Ipsius autem testimonium Johannis de hac re sic se habet: *Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Post Johannem venit Dominus nascendo de virgine Maria, non de Patris substantia. Duas C enim Domini nativitates accepimus, unam divinam, alteram humanam; tamen utramque mirabilem: illam sine matre, istam sine Patre: illam æternam, ut crearet [b] temporalem; hanc temporalem, ut præstaret æternam. Ille enim de quo dicit Johannes, non Baptista sed Evangelista, quia *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* ille tantus in forma Dei æqualis Patri, D ille sine tempore fabricans tempora, ille ex nullo sæculo ante omnia sæcula judex sæculi, factus est tam parvus, ut de femina nasceretur; sed mansit tam magnus, ut à Patre non separaretur. Ei præbentes obsequium & testimonium, tamquam lucernæ venturo diei, omnes Prophetæ prænuntiantes eum ante ipsum nascendo venerunt, post ipsum credendo adhæserunt. Oportebat enim ut prænuntiaretur venturus, miracula facturus: quibus miraculis, bene intelligentibus indicare-E tur Deus; humano autem adspectu videntibus appareret homo, parvus ad parvos, sed humilis ad superbos: parvitate sua docens hominem, ut se agnosceret parvum; ne, non grandescendo, sed tumescendo se crederet magnum. Est enim superbia, non magnitudo, sed tumor. Ut ergo generis humani istum tumorem sanaret ipse medicus, ipse medicina, non solùm medicamentum adhibens, sed medicamentum se faciens, apparuit inter homines homo, offerens hominem videnti-F bus, Deum servans credentibus. Adspectus enim humanitatis ejus sanavit infirmos, contemplatio divinitatis ejus quærit firmos. Et nondum erant homines, qui Deum viderent in homine, nec poterant videre nisi hominem; nec tamen spem suam ponere debent in homine. Quid ergo fieret? Homo hominem videre potest, homo hominem sequi non debet. Deus sequendus erat, qui videri non poterat: homo sequendus non erat, qui videri poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & G qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. O homo, propter

Christum temporaliter natum præcessit Johannes.

Johan. 1. 15.

Nativitates Christi duæ.

b

Johan. 1. 1.

Superbia, tumor.

Incarnationis causa, ut homini Deus exemplum præberet.

[a] Hujus Sermonis insignem locum de duplici Christi nativitate insertum habet Sermo 371. nec non Sermo Appendicis 127. Et nos quidem quin verè Augustini sit nulli dubitamus: inter dubios tamen ipsum collocare ideirco decrevimus, quia in omnibus libris, etiam manuscriptis, à medio ferè interpolatus ac vitiatus est. Duo hîc, præter morem nostrum, absque manuscriptorum auctoritate, necessariò præstamus, primum, centum circiter versus, qui Sermonis erant centesimi-vigesimi-sexti, loco movemus: alterum, quadraginta plus minus alios versus extra propriam sedem repertos, ad eum ipsum locum, quem Sermonis 126. pars illa occupabat, revocamus. Cetera, si quæ supersunt vitia, exemplarium veriorum subsidio destitutis abstergere sive detegere non licuit.

[b] MSS. *ut crearet temporales; hanc temporalem, ut præstaret æternos.*

quem Deus factus est homo, aliquid magnum te credere debes: sed descende, ut adscendas; quia & Deus descendendo factus est homo. Adhære-sce medicamento tuo, imitare magistrum tuum, agnosce Dominum tuum, amplectere fratrem tuum, intellige Deum tuum. Hoc ille tantus & tantillus, vermis, non homo; sed per quem factus est homo. Hoc ergo ille: quid Johannes, nisi quod de illo Dominus, nisi quod de illo verax, nisi quod de illo veritas dicit? Si enim ipsi Johanni debemus credere de veritate, veritati non credimus de Johanne?

Ex verbis Johannis Arianorum calumniæ.

3. Dicat testimonium primò veritati ipsius particeps veritatis; & dicat testimonium homini Conditor hominis. Primò audiamus quid Johannes de Christo, & deinde quid Christus de Johanne; priorem audiamus, sed posteriorem intelligamus: prior loquatur qui priùs natus est, sed confirmetur per eum à quo factus est. *Post me*, inquit, *venit*, *& ante me factus est.* Hìc jam, qui credunt factum ante cetera per quem facta sunt omnia, calumniantur his verbis vel per hæc verba nobis, & dicunt, Ecce quia factus est: Johannes dicit, *Post me venit, & ante me factus est.* Expone mihi quid sit, *ante me factus est.* Verba illorum dico, & ea discutienda propono. Soletis, inquiunt, dicere, quando aliquid tale de Christo dicitur, ut eum Patre minorem ostendat, quòd ad hominem sit referenda sententia; ut quòd in forma Dei est, æqualis sit Patri, quòd autem semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, major sit Pater. Quid ergo dicetis ad hoc quod Johannes ait, *ante me factus est?* Audi quid dicamus: sed priùs illud vide, quòd Apostolus utrumque distinguens, & unum tamen in utroque eumdemque commendans, non dixit formam Dei accipiens. De forma verò Dei quid dixit? *Cùm in forma Dei esset:* respiciens ad illum qui vocatus erat ante illum, in cujus Evangelio est, *In principio erat Verbum:* immo respiciens ad illud lumen, unde & ille hoc dixit. Neque enim dixit Johannes, In principio fecit Deus Verbum: qui posset dicere ita, ut dixit Moyses, quia de creatura facta à Domino Deo loquebatur, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Cùm ergo ille, si hoc sentiret quòd Ariani sentiunt, posset dicere, In principio fecit Deus Verbum; non hoc ait: sed ait, *In principio erat Verbum.* Quod in principio erat, factum non erat. Neque enim præcessit aliquid de facto Verbo. Omnia enim quæ Deus fecit, Verbo fecit: *Dixit, & facta sunt; mandavit, & creata sunt.* Inter dicentem ut fiat, & quod factum est à dicente, plurimum distat: sed si dicens est, Verbum habet; si Verbum habet, per Verbum fecit; si per Verbum fecit, Verbum non fecit.

Johan. 1. 15.

Philip. 2. 6.

Gen. 1. 1.

Verbum siquidem erat in principio, factum non erat.

Psal. 148. 5.

Arianorum cavillatio, similiter dictum esse, Terra erat. Gen. 1. 2.

4. Quare, inquiunt? An non audisti & de terra, *Terra erat invisibilis & incomposita?* Si propterea, inquiunt, dicis Verbum factum non esse, quia dictum est, *Verbum erat*; nec terra facta est, quia dictum est, *Terra erat.* O cæca & hæretica insania! Adtende, si est unde adtendas; audi, si est unde audias: ne sonus inaniter aurem percutiat, cujus cor veritas non illustrat. Verba ejusdem Scripturæ dicturus sum, quæ ibi invenisti cùm legeres, & prætermisisti cùm litigares. Nempe propterea putas tale aliquid dictum de

A Verbo Dei, cùm dictum est, *In principio erat Verbum*; quale dictum est de terra, quia dictum est, *Terra erat invisibilis & incomposita.* Ego tibi in hoc libro Geneseos superiora verba recitabo, quod antequam diceret scriptor Dei famulus, *Terra erat*; ut appareret quia facta erat, priùs dixit, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Ecce ego priùs tibi* edidi terram factam; & factam utique à Deo, sonante Scripturâ & in

* f. ostendi.

B aures recusantis irrumpente, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Facta erant hæc; sed nondum ornata, nondum declarata: terra nondum distincta, sed tamen jam facta. Ne autem putares continuò terram factam sic fuisse, ut non in ea esset quod ornaretur, subsecutus ait: Facta erat quidem, quia in principio fecit Deus cælum & terram; terra autem, quam fecit Deus, adhuc invisibilis erat & incomposita. Ostendit tibi qualis erat, quæ facta erat; non quia erat, quæ facta non erat. Poterat ergo dicere Johannes, In prin-

C cipio fecit Deus Verbum, Verbum autem erat; quomodo, *In principio fecit Deus cælum & terram, terra autem erat:* ut iste esset ordo verborum, In principio fecit Deus Verbum, & Verbum erat apud Deum; ut intelligeremus quia hoc Verbum erat apud Deum, quod Verbum fecerat Deus. Nunc verò audis, *In principio erat Verbum.* Quid quæris anteriora factus extremior? Extremior enim tu in errore tuo factus es: de imo loqueris, & ad ima respicis. Vellem, si de imo lo-

D quereris, ut sursum cor tenderes, & clamares de profundo ad Dominum: rumperet nubes caliginis carnis tuæ, aperiret oculos humilitati lux quæ venit in humilitate; videres, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Dicat & Paulus, *Qui cùm in forma Dei esset.* Quid de humana nativitate dicit Johannes? *Et Verbum caro factum est.* Dicat & Paulus, *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Quid

Philip. 2. 6.

E ergo dicebas de verbis Johannis Baptistæ? Eadem mihi nunc ea repete, nunc ea loquere. Quid ait Johannes Baptista? *Post me venit.* Agnosco nativitatem. Ille de sterili, ille de virgine. Sterilitas conversa est in fecunditatem: virginitas mansit post fecunditatem.

Objectio, Christum dici factû, in quantum Verbû est.

5. Sed Johannes, inquit, si secundùm hoc dixisset factum, secundùm quod ex virgine natus est, non diceret, *ante me factus est*; quia ex virgine post illum factus erat. Ergo, *ante me factus est*, quid est, nisi quia in principio Verbum fa-

F ctum erat? Sic enim ante Johannem erat; nam ex virgine post Johannem erat. Accipe, & si non irrixaris, adverte. Aliquantùm enim fortè subobscurum est quod vis intelligere, ut rixando tibi augeas fumum, quo impediaris ab intellectu. Scripturam illam primò intuere, quæ te docet ut docilis fias. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas. Patere ergo paulisper: fortè inveniemus quomodo dictum sit, *ante me factus est*; dum tamen non intelligamus factum

Eccli. 5. 13.

G Verbum per quod facta sunt omnia. Quomodo, inquit? Si potero, dicam: si dicere non potero, non tamen non est quod dicat qui dicere potuerit. Credo autem & spero, quòd illius majestas Unigeniti, qui cùm esset Verbum, infans factus est, aperiet infantiam linguæ meæ, & faciet in ore partum, qui fecit in corde conceptum. Ecce

dicam ut potero: intellige ut potes; & quod non poteris intelligere, noli reprehendere, quasi jam magnus sis; sed differ, ut crescere merearis. Certè hoc te movet, quomodo dictum sit, *Qui post me venit, ante me factus est.* Moveat planè ut quærentem, non ut rixantem. Certè & ego quæro tecum: simul inveniemus, si simul quæramus; ambo accipiemus, si ambo petamus; utrique nostrûm aperietur, si ambo pulsemus. *Post me venit*, inquit: agnosce nativitatem ex virgine Maria. *Ante me factus est*: quid est, *ante me factus est?* Intellige, antepositus est mihi. Ille qui post me venit, factus est ante me. Quomodo si duo ambulent in itinere, & unus sit tardior, alter velocior, & præcedat tardior aliquantùm, post paululum autem sequatur velocior; respicit tardior præcedens velociorem sequentem, & dicit, Post me venit. Et ecce accelerante illo, & propinquante, & adhærente, & transeunte, videt ille anteriorem, quem respiciebat posteriorem: certè si celeritatem ejus expavescat quodam modo & admiretur, nonne poterunt esse ista verba ejus, Ecce homo post me erat, & ante me factus est? Quid est hoc, qui post me erat, ante me factus est? Qui ambulabat post me, celeritate ejus factum est ut esset ante me. Nam si ubicumque legeris *factus est*, non intelligis nisi formatum esse qui non erat; & Dominum Deum dicturus es factum, de quo dictum est, *Factus est mihi Dominus in refugium. Factus est Dominus adjutor.* &, *Factus est mihi in salutem.* Quotiens factus? Et ipse fecit omnia. Ergo intellige mecum verba. Neque enim tacuit idem Johannes & illud quod Verbum erat; ne ibi putares significasse Verbum, quando dixit, *ante me factus est*: ut noveris ad hoc pertinere *ante me factus est*, quia præcessit me, quia glorificatus est ampliùs me, quia cùm me intenderent homines præcursorem, agnoverunt Dominum, quem nascendo præcesseram, quem obsequendo nuntiaveram; spesque eorum, concursus eorum in Dominum factus est; glorificatus est ille tamquam Filius Dei, ante me factus, secundùm id quod Apostolus ait, *Propterea Deus exaltavit eum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Gloria ergo ejus non esse cœpit, sed innotuit. Factus est ante Johannem, quia præcessit honore Johannem.

Christus ante Johannem factus, id est antepositus ipsi & prælatus.

Psal. 93. 22. Psal. 29. 11. Psal. 117. 14.

Philip. 2. 9. & 10.

6. Sed vide utrùm meritò. Interroga ipsum Johannem: Ille qui post te venit, quare ante te factus est? Qui te sequebatur, quare tibi prælatus est? Sequitur, *Quia prior me erat.* Hoc est, *In principio erat Verbum.* Ergo meritò *ante me factus est, quia prior me erat.* Prior Johanne, prior Abraham, prior quàm Adam, prior quàm cælum & terra, prior quàm Angeli, Sedes, Dominationes, Principatus & Potestates. Quare prior? Quia *omnia per ipsum facta sunt.* Agnoscat servus humilitatem suam: ostendat Dominus majestatem suam. Dicat idem Johannes, *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere.* Multùm se humiliaret, si diceret, Dignus sum. Quid enim si diceret dignum? numquid sedere in judicio ad dexteram Patris? numquid venire ad judicandos vivos & mortuos? Quid si diceret dignum sol-

Datæ interpretationi conformia verba Johannis subsequentia.

A vere corrigiam calceamenti? Magna humilitas, si hoc est dignus amicus sponsi. Dicturus enim erat amicum se esse sponsi: & ne in illa amicitia æqualitas fortè ab aliquo imprudente intelligeretur, dicit se amicum propter amorem; dejicit se ad vestigia propter timorem. Et parum est quòd se ad vestigia deponit; nec dignum se dicit solvere corrigiam calceamenti. Humilis profectò, si dignum solvere; sed quia nec dignum se dicit solvere, dignus qui exaltaretur ab humilitate. Dicat etiam B apertiùs, dicat distinctiùs, quid est, *Post me venit, ante me factus est.* Dixit enim & caussam, *quia prior me erat.* Quoniam, *In principio erat Verbum.* Et cùm *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Illum oportet crescere, me autem minui.* Oportebat ut cresceret qui posterior venit, & minueretur qui anterior venit. Si crevit qui posterior venit, ante ipsum factus est crescendo. *Illum*, inquit, *oportet crescere, me autem minui.* Hoc est, *ante me factus est.* Et quo- C modo crevit Christus, minutus est Johannes? Præcessit ætate Johannes Dominum in nativitate humana; creverunt ambo annis accedentibus, staturâ carnis, & pervenerunt ad certum modum sicut homines. Sed Johannes homo, Christus Deus & homo. [a] In divinitate si intelligamus quia crevit Christus, absurdi sumus, & nimis erramus. Crescit enim aliquid, ut proficiat. Deus quò crescat non habet: si enim habet quò crescat, minor erat antequam cresceret. Redeamus ad for- D mam carnis. Ipsa cum Johanne crevit, non illo minuto crevit. Referamus ergo fortassis ad gloriam; & intelligamus, *Illum oportet crescere, me autem minui*, secundùm hoc dictum, quòd *Post me venit, & ante me factus est.* Johannes enim personam sustinebat hominis, & loquebatur ex typo generis humani, ad quod salvandum venerat Christus. Dixeramus autem, Fratres, humilis Deus venit ad superbum hominem. Agnoscat homo se hominem, appareat Deus homini. Etenim si E ideo venit Christus, ut humiliaretur homo, & ex humilitate cresceret homo; oportebat ut gloria jam cessaret hominis, & commendaretur gloria Dei: ut spes hominis esset in gloria Dei, non in gloria sua, dicente Apostolo, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Rectè ergo dicitur homini, *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hunc typum humilitatis humanæ Johannes ostendens, quia quantum proficiebat opinio & fama Christi, non F statura Christi, non majestas Christi, non sapientia, non Verbum Dei; sed fama illa, quæ cœpit à minimo, & jam tenet orbem terrarum: gloria Christi, non gloria hominis, ut agnoscat homo humilitatem suam, impertiat Deus divinitatem suam. Etenim gloria Dei, Fratres, gloria nostra est. Quantum dulciùs glorificatur Deus, tantum nobis prodest. Non enim altior erit Deus, quia honoramus illum: humiliemus nos, & exaltamus illum. Scriptum est enim, *Exaltabo te Domine.* G Quid est, *Exaltabo te?* In terra erat, & eum in cælo posuisti? Et homo exaltat Deum? Quid est, *Exaltabo te?* Altum te confitebor. Confiteatur ergo se homo hominem; decrescat priùs, ut crescat. Dicat Johannes decrescendo ad humilitatem, non se esse dignum, qui solvat corrigiam calcea-

Johan. 3. 30.

1. Cor. 1. 31.

1. Cor. 4. 7.

Psal. 29. 2.

[a] Sermonis series interrupta erat transpositis hunc in locum quadraginta ferè versibus, quos in propria sede reperies infrà, initio pag. 1480. proximè ad illud, *Fuimus & nos aliquando* &c.

menti, & intelligat se participando illuminatum fieri.

Johannes Baptista nō erat lumen, comparatione Christi veri luminis

Johan. 1. 8.

Matth. 11. 11.

7. Hoc enim Johannes Evangelista dixit de illo: *Non erat ille lumen.* Injuriam fortè fecit Johanni, quia ait, *Non erat ille lumen*? cùm Apostolis dictum sit à Domino, *Vos estis lumen mundi.* Prætulerunt se Apostoli Johanni? Non faciunt, ne mendacem ipsum Dominum judicent, qui dixit, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Johanne Baptista.* Non utique major staturâ corporis, sed gratiâ participatæ sapientiæ, gratiâ participatæ salutis. Quid sibi ergo vult, *Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine?* Quare hoc dixit? Novi, inquit, quid dicam, testimonium perhibere de lumine. Erat enim lumen verum distinctum à Johanne, ne prorsus non lumen Johannes, sed ut in comparatione hujus luminis dictum intelligatur, *Non erat ille lumen*; secundùm quod dixit, quia *Erat lumen verum.* Quomodo discernis hoc verum? *Quod illuminat*, inquit, *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si omnem hominem, ergo & Johannem. Sed ut non videamur nos colligere ex verbis quod non est dictum, quamvis consequenter intelligendum, ipse Johannes dicat: *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* Erat ergo lumen verum. Johannes lumen illuminatum, Christus lumen illuminans. Nam ut noveris quia lumen erat Johannes, jam perhibeat & illi Dominus testimonium. Perhibuit ipse testimonium Domino suo, testimonium veritatis de Domino suo, quod habebat à Domino suo. Acceperat enim à Domino suo, ut diceret de Domino suo: ut autem ille diceret de servo suo, non acceperat à servo suo: & in se Christus de Johanne, & in Johanne Christus de se. Ipsa ergo veritas perhibeat testimonium, audiamus quia lumen est Johannes. Judæis dicitur de Johanne, *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Et utique lucerna lumen est, non sicut dies, sed tamen lumen est. Ergo lucerna accenditur ut luceat, & Johannes illuminatus est ut loqueretur. Si ergo Johannes illuminatus est ut loqueretur, agnoscat se lucernam, ne superbiæ vento exstinguatur. Sed fortè lumen discipuli, & lucerna Johannes? Dominus enim de Johanne ait, *Ille erat lucerna ardens, & lucens*: de discipulis autem, *Vos estis lumen mundi.* Discipulos suos prætulit Johanni? Numquid & fideles illi, quos alloquitur Paulus, præponendi sunt Johanni, quibus ait, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?* Lux ergo Apostoli, & lux fideles ex peccatoribus justificati, ex infidelibus fideles facti: tamen lucerna non sunt dicti discipuli. Adtende, fortè dicti, & non alio loco, sed ibi: ut ostenderet quemadmodum eos dixerit lumen; quia non lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sequere verba Evangelii: *Vos estis lumen mundi. Non potest civitas abscondi supra montem constituta.* Sed de civitate dixit, non de lumine? Sequere adhuc: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Tale lumen estis, quale Johannes: lucerna illuminata. Tamquam cujus vox, vel quorum vox præcesserat, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Quas tenebras in Apostolis?

Lumen tamen Johannes participatione sapientiæ.

Johan. 5. 35.

Matth. 5. 14.

Ephes. 5. 8.

Psal. 17. 29.

A *Fuimus & nos aliquando* &c. [a] quomodo illius reprobi & blasphemi, *Qui priùs fui blasphemus & persecutor, & injuriosus.* Ecce tenebræ, accendatur lucerna: *Sed misericordiam consecutus sum.* Et ut noveris de ipsis dictum, *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt*: statim sequitur, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra*: sed in humilitate, quia hominem oportet minui. Quomodo autem Deum B crescere? *Et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Glorificatur Pater, glorificatur Filius: quia Pater glorificat Filium, & Filius glorificat Patrem. Agnoscat se ergo homo humilem, agnoscat excelsum Deum propter se humiliatum, ut homo, qui humiliatus erat in confessione peccati, exaltetur in adeptione justitiæ. Hæc duo: Dominus & Johannes, humilitas & claritas: Deus humilis in claritate, homo humilis in infirmitate: Deus humilis propter hominem, homo humilis C propter hominem. Deus enim humilis ut prodesset homini, homo humilis ut non obsit sibi.

Sermon. Dubii.

[a] 1. *Tim.* 1. 13.

8. Agnoscamus ergo hæc duo & in ipsa differentia passionum. Legimus Johannem passum martyrium pro veritate: numquid pro Christo? Non pro Christo, si non veritas Christus. Non omnino pro ipsius nomine, sed tamen pro ipsa veritate. Neque enim ideo decollatus est Johannes, quia confessus est Christum. Sed monebat temperantiam, monebat justitiam: dicebat, *Non tibi licet habere uxorem fratris tui.* Lex enim quæ D hoc jusserat, de illis jusserat qui morerentur sine liberis, ut acciperent fratres uxores fratrum suorum, & resuscitarent semen fratribus suis. Ubi ista caussa non erat, nihil nisi libido erat. Hanc libidinem Johannes arguebat, castus incestum: quia & illud quod figurabat, tale est, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Præceptum jam fuerat, ut si quis sine semine moreretur, qui magis propinquus esset, acciperet uxorem ejus, & suscitaret semen fratri suo. Ut quid enim hoc E Deus præceperat, nisi ut eo modo significaretur semen suscitandum fratris ad fratris nomen? Hoc enim præceptum erat, ut qui inde nasceretur, nomen haberet defuncti. Defunctus est Christus, acceperunt conjugem ejus Apostoli Ecclesiam. Quos de illa genuerunt, non Paulianos, aut Petrianos, sed Christianos nominaverunt. Loquantur ergo hæc duo ambæ passiones: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ille crevit in ligno, hic est diminutus in ferro. Locutæ sunt & passiones F hoc mysterium, loquantur & dies. Nascitur Christus, & augentur; nascitur Johannes, & minuuntur. Minuatur ergo honor hominis, augeatur honor Dei; ut honor hominis inveniatur in honore Dei.

Passionis & nativitatis differentiâ Christus crescit, Johannes minuitur.

Marci 6. 18.

* SERMO CCCLXXXI.

* Aliàs 64 ex Vignerianis.

De [b] Natali apostolorum Petri & Pauli.

G PETRI & Pauli apostolorum dies, in quo triumphalem coronam, devicto diabolo, meruerunt, quantum fides Romana testatur, hodiernus est. Quibus sollemnis festivitas exhibetur, sollemnis etiam Sermo reddatur. Laudes

[a] Deest nonnihil, quo superiora nectebantur cum subsequentibus verbis, quæ antehac locum superiùs designatum occupaverant, atque eorum loco in aliis editis & MSS. libris inserta hic erat prima pars Sermonis 126.

[b] Augustini nomen in veteribus Lectionariis præfert, neque stilus ab ipso omninò alienus videtur.

CLASSIS V.

audiant à nobis, preces fundant pro nobis. Sicut traditione patrum cognitum memoriâ retinetur, non uno die passi sunt per cæli spatia decurrente. Natalitio ergo Petri passus est Paulus, non quo ex utero matris in numerum fusus est hominum, sed quo ex vinculo carnis in lucem natus est Angelorum; ac per hoc ita singuli dies dati sunt duobus, ut nunc unus celebretur ambobus. Magnum hoc mihi signum videtur esse concordiæ: coapostolo suo novissimus primo, qui ad eumdem diem vocatus advenit, ad eumdem diem coronatus occurrit. Electus est ille ante Domini passionem, iste post adscensionem. Ordine temporis impares, æternitate felicitatis æquales: ille ex piscatore, iste ex persecutore. In illo infirma mundi electa sunt, ut confundantur fortia: in isto abundavit peccatum, ut superabundaret gratia. In utroque magna Dei gratia atque ejus gloria claruit, qui eorum fecit merita, non invenit. Quid enim aliud demonstrare dignatus est, qui ad regnum primò vocare voluit piscatores, postea vocaturus imperatores, nisi ut *qui gloriatur, in Domino glorietur?* Nam utique nobilium, doctorum, potentum non salutem contemsit, quibus ignobiles, imperitos infirmosque præposuit. Sed nisi priùs eligeretur vilitas infirmorum, non sanaretur inflatio superborum. Si priùs à Christo divites vocarentur, putarent & dicerent non in se electam nisi opulentiam, facundiam, eloquentiæ doctrinam, scientiæ splendorem, nobilitatem, generositatem, tranquillitatem, regalem potestatem; atque ita temporalibus & sæcularibus felicitatibus tumidi, tamquam ipsi priùs Christo conferrent quod essent, ut eis ille videretur reddere, non donare, quod futuri essent gratiâ Dei, nec intelligerent, nec tenerent. Quantò ergo nunc meliùs, quantò ordinatiùs, priùs *erexit de terra inopem, & de stercore exaltavit pauperem, ut collocaret eum cum potentibus populi sui*, ut munus intelligentiæ atque doctrinæ non solùm ex Deo esset, sed etiam ex Deo esse appareret? Cum quanta itaque lætitia & quanta Dei gloria contuemur ab animo piscatoris contemni opes imperatoris? fundi preces imperatoris ad Memoriam piscatoris? ut nec ille ex eo quod non habuit, jaceret; nec iste ex eo quod habuit, superbiret. Jam verò illud quod Paulum ex persecutore suo prædicatorem suum Christus operatus est, quid valeat ad salutem hominum, ne quisquam magnarum sibi conscius iniquitatum de misericordia Dei debeat desperare, ipse potiùs apostolus eloquatur. *Humanus*, inquit, *sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Quis enim sub manu omnipotentis medici de salute desperet tanto informatus exemplo, considerans evangelizantem fidem quàm aliquando vastabat, non solùm evasisse pœnam persecutoris, verùm etiam coronam meruisse doctoris, & cujus sanguinem in ejus membris cupiebat sæviendo fundere, pro ejus

(1 Tim. 3. 16. — 1 Cor. 1. 31. — Psal. 112. 7. — 1 Tim. 1. 15. &c.)

A nomine suum sanguinem credendo fudisse? Habet ergo Roma caput gentium, duo lumina gentium ab illo accensa, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: unum, in quo Deus abjectam exaltavit humilitatem; alterum, in quo damnandam sanavit iniquitatem. In illo discamus non superbire, in isto non desperare. Quàm breviter magna nobis exempla præmissa sunt, quàm salubria; quæ semper commemoremus, & in eorum laude lumen verum magnifi-

B cemus. Nemo ergo se de hujus sæculi celsitudine extollat: Petrus piscator fuit. Nemo iniquitatem propriam cogitando misericordiam Dei defugiat: Paulus persecutor fuit. Ille dicit, *Factus est Dominus refugium pauperum*: iste dicit, *Doceam iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.*

(SERMON. DUBII. — Psal. 9. 10. — Psal. 50. 15.)

* SERMO CCCLXXXII.

(* Aliàs 45. de Sanctis.)

De [a] sancto Stephano.

C 1. IESUS filius Nave in eremo pugnabat, & Moyses orabat: non quidem ambo pugnabant, & ambo orabant; sed unus pugnabat, & alius orabat. Meritò qui pugnabat, non deficiebat; quia alter orando vincebat. Ita & ego loqui quidem videor, sed aliis orantibus loquor, ut precibus eorum contingat mihi quod Dominus ait, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Si ille ab uno tantùm orante juvabatur, & non superabatur; quantò magis ego, pro quo non unus, sed multi rogant Deum mecum. Loquendo jam non timebit cor meum, quia *laudem Domini loquetur os meum.* Dominus noster Jesus Christus, Fratres jubet nobis aliquid, & promittit no-

D bis aliquid. Quod jubet, hîc est: quod promittit, alibi est. Quod jubet, finitur, quia temporale est: quod promittit, non finitur, quia æternum est. Quod jubet, opus est: quod promittit, merces est. Hîc advertat Vestra Sanctitas, quanta est ejus misericordia erga nos, ut laborem hîc posuerit cum fine, mercedem in cælo sine fine. Et ideo debemus priùs hîc laborare, & postea in cælo mercedem sumere, quàm hîc mercedem vel accipere, & postea laborare. De quibusdam enim dicit, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Sed fortè avidus es ad mercedem, & piger ad laborem. Qua fronte postulas quod promisit Deus, si non facis quod jussit Deus?

E Priùs audi monitiones, & sic exige repromissiones. Priùs, inquam, audi jubentem, & tunc exige pollicentem. Jubet enim nobis, & dicit, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Audisti opus, exspecta mercedem: *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

(CAPUT I. — Exodi 17. 9. — Psal. 80. 11. — Psal. 144. 21. — Matth. 6. 2. — Præceptum de diligendis inimicis. — Matth. 5. 44.)

2. Attende ipsum Dominum qui hoc jussit, quid fecerit. Nonne post tanta quæ in eum commiserunt impii Judæi, qui retribuebant ei mala pro bonis, pendens in cruce ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt?*

F Oravit in homine, qui exaudivit cum Patre. Nam & modò * orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Ut sacerdos noster orat pro nobis, ut caput nostrum orat in nobis, ut Deus noster oratur à nobis. Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat & prævidebat omnes inimicos; sed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Illi sæviebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato, *Crucifige*: ille clamabat, *Pater, ignosce.* In asperis clavis pendebat: sed lenitatem non amittebat. Illis jam petebat veniam, à quibus tantam accipiebat injuriam. Illi sæviebant, illi circumlatrabant, illi insultando caput agitabant, quod

G sanum non habebant; quia caput quod est Christus, non habebant, & quasi in uno summo medico in medio con-

(CAPUT II. Christi exemplum orantis pro suis interfectoribus. — Lucæ 23. 34. — Christus orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. — * Enarrat. in Psal. 85. n. 1.)

[a] Speciem centonis præ se fert hic Sermo. Istud in exordio, *Loquendo jam non timebit cor meum* &c. nec ad superiora, nec ad inferiora connectitur. Paulò pòst quod legitur, *Hîc advertat Vestra Sanctitas*, usque *perceperunt mercedem suam*, totum hoc Vindingus esse dicit indoctæ manûs assumentum. Nobis, præter alia quædam, venit in suspicionem etiam illud in cap. 3. *Diaconus erat, Evangelia legebat* &c. Quippe Evangelia scripta ante Stephani passionem non exstiterunt. Simile quidpiam dictum est suprà in Sermone 319. n. 3. sed ibi faciliùs excusatur, nec sufficit ut Sermo ceteroqui probus repudietur.

Classis V
a

ſtituto phrenetici circumquaque ſæviebant : pendebat ille, & ſanabat. *Pater*, inquit, *ignoſce illis*. Adtendite Fratres. Magna pietas. Pendebat, & tamen[a] petebat. Et non deſcendebat, quia de ſanguine ſuo medicamentum phreneticis faciebat. Denique, poſt reſurrectionem ſanavit, quos pendens inſaniſſimos toleravit : & ſanguinem quem fuderunt ſævientes, biberunt credentes ; & facti ſunt ſequentes, qui erant perſequentes. Ecce quare venit Chriſtus, non perdere quod invenerat, ſed quærere & ſalvare quod perierat ; ut diligendo ſævientes inimicos, faceret credentes amicos.

Act. 2.
Luca 19. 10.

Caput III. Exemplum Stephani orantis pro lapidatoribus.
1. Petr. 2. 21.
Matth. 5. 44.
Act. 7. 59.

3. Sed ne multum à te longè dicas imitari Dominum tuum, qui pro te paſſus eſt, relinquens tibi exemplum ut ſequaris veſtigia ejus, adtende Stephanum conſervum tuum. Homo erat, ſicut & tu : de maſſa peccati creatus, ſicut & tu : eo pretio redemtus, quo & tu. Diaconus erat, Evangelia legebat, quæ legis vel audis & tu. Ibi invenit ſcriptum, *Diligite inimicos veſtros*. Didicit legendo, perfecit implendo. Qui cùm à Judæis ſaxorum grandine cæderetur, non ſolùm non comminabatur, ſed inſuper lapidatoribus ſuis veniam precabatur. Poſitis enim genibus orabat, dicens, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Illi lapidabant, & ille orabat. Illi eum furore perſequebantur, ille pacatus Chriſtum ſequebatur. C Illi malitiâ cæcabantur, ille aperto cælo viſo Dei Filio ſapientiâ illuſtrabatur. Illi lapides mittebant, ille orationes præmittebat : tamquam dicens, Domine, ſi iſtos modò occideris inimicos, quos poſtea facies amicos?

Caput IV. Saulo Stephani oratione gratia & ſalus impetrata.
Act. 9. 4.

4. Denique, Fratres, ut noveritis quantum valuerit oratio ſancti Martyris Stephani, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem nomine Saulum : qui, cùm ſanctus Stephanus lapidaretur, omnium veſtimenta ſervabat, & tamquam manibus omnium lapidabat. Et poſtea, ſicut noſtis, accepit epiſtolas à principibus ſacerdotum, ut quoſcumque inveniſſet Chriſtianos viros ac mulieres, vinctos adduceret in Jeruſalem, torquendos & puniendos. D Hic cùm iret in via, ſubitò circumfulſit eum lumen de cælo, & cecidit in terram, & audivit vocem de cælo dicentem ſibi, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et ille : *Tu quis es, Domine?* Et Dominus ad illum: *Ego ſum*, inquit, *Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare* : quia non ſtimulum, ſed pedes quibus calcitras, vulnerabis. Quid mihi & tibi? *Quare me perſequeris?* Quare te erigis contra me malo tuo, & te non potiùs humilias bono tuo? Sed contra tanta mala quæ committis in me, olim quidem debui perdere te, ſed Stephanus ſervus meus oravit pro te. E Eliſus eſt ſæviens, erectus eſt credens : eliſus eſt lupus, erectus eſt agnus : eliſus eſt perſecutor, erectus eſt prædicator. Dicam planiùs, dicam apertiùs: eliſus eſt filius perditionis, erectus eſt vas electionis: eliſus eſt Saulus, erectus eſt Paulus. Nam ſi Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.

Caput V. Mala precari inimicis quàm iniquum.
** In Pſal. 33. Enarr. 2. n. 9.*
Ezech. 33. 11.

5. Ecce quare Dominus dicit, *Diligite inimicos veſtros:* quia diligendo inimicum, facis amicum. Sed contra tanta & talia hæc, tu quis es qui non diligis? Figis genu, F collidis frontem in terram, & dicis ; O, ſi moriatur inimicus meus! Deus, ſi quid à te promerui, occide inimicum meum. Et utique tu qui oras ut homo moriatur, malus oras contra malum, & facti eſtis duo mali : ille malè agendo, tu malè orando. Tu malus orando incipis eſſe quando dicis, Deus occide malum. Reſpondet tibi ipſe: Quem veſtrûm? Te malum, an tuum inimicum? Advertat Sanctitas Veſtra. Judex homo per ſe ipſum reum non occidit, ſed jubet, & ſpiculator occidit. Judex dicit, Occide : & tortor occidit. Et tu quando dicis,* Occide inimicum meum, te facis judicem, & Deum quæris eſſe tortorem. Reſpondet tibi Deus, Non ero G prorſus, non ero peccatoris tortor, ſed liberator : quia *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Nam ſi voluntatem tuam haberem, te priùs occiderem, antequam invitatus venires. Nonne me blaſphemaſti? Nonne me in tuis malis operibus irritaſti? Nonne nomen meum de terra delere voluiſti? Nonne me in præceptis vel in ſervis meis contemſiſti? Si tunc te occidiſ-

A ſem inimicum, quem modò facerem amicum? Quid ergo malè orando doces me, quod non feci in te? Immo ego, dicit tibi Deus, doceam te ut imiteris me. In cruce pendens dixi, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Docui hoc milites meos, docui hoc Martyres meos. Priùs eſto & tu martyr meus, tyro meus, adversùs diabolum : aliter invictè nullo modo pugnabis, niſi pro tuis inimicis oraveris. Quod nobis præſtare dignetur, &c.

Sermon. Dubii.

* SERMO CCCLXXXIII.

* Aliàs 24. inter homil. 50.
b

B *In die [b] anniverſaria ordinationis epiſcopalis.*

Caput I. Epiſcopale onus quomodo gerat, ſecum inquirendum ducit.

1. Die quidem omni, & omni horâ, curâque omnino continuâ, Dilectiſſimi, cogitare debet epiſcopus, quantæ diſpenſationis ſarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino ſuo reddat. Verumtamen cùm dies anniverſarius noſtræ ordinationis exoritur, tunc maximè onus hujus officii tamquam tunc primùm imponatur, adtenditur. Intereſt autem quòd eo die, quo id priùs ſuſcepimus, tantùm quemadmodum gerendum eſſet cogitavimus : at verò conſequentibus diebus, præcipuéque illo, quo ejus ſollemnitas agitur, non ſolùm futura ejus, quemadmodum deinceps geri debeant, cauta prævisione conſulimus, verùm etiam præterita, quemadmodum geſta ſint, ſollicita recordatione recolimus: ut noſmetipſos in benefactis imitemur, & ſi qua culpanda tranſierunt, ne repetantur curemus, ut ignoſcantur oremus ; & accuſationem diaboli, ubi poſſumus, rectè agendi ſedulitate fugiamus ; ubi autem non poſſumus, confitendi pietate vincamus. Sicut enim futura peccata, negligendo juſtitiam, committuntur : ita præterita, injuſtitiam defendendo, firmantur. Sicut ergo ne fiant proſpicit caritas, ita facta delet humilitas : ut quæ jam non poſſunt rectè agendo non admitti, poſſint ſaltem non ſuperbiendo dimitti. Didicimus quippe dicere Patri noſtro, qui eſt in cælis, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quod ut veraciter dicere poſſimus, etiam inimicos noſtros oportet utique diligamus : quos tamen habere, niſi cogente juſtitiâ, non debemus. Nam ſi homines nobis pro noſtris malis meritis inimici ſunt, non curandum eſt ut eis debita dimittamus, ſed timendum potiùs ne reddamus. Quoniam ſi nos merito noſtræ iniquitatis oderunt, nos eorum, non ipſi noſtri ſunt debitores.

Matt. 6. 12.

Caput II. Debitoribus ſuis ignoſcit.
Pſal. 31. 9.
Pſal. 34. 12.
Lucæ 23. 34.
Matth. 5. 11. & 12.

2. Die ergo iſto ſollemni epiſcopatûs mei, priùs paucis alloquar debitores meos, qui mihi neſcientes apud Deum ſuffragantur, dum faciunt debita quæ dimittam, ut & mea mihi debita dimitti promerear. Vobis itaque dico ſive præſentibus, ſive abſentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans, quibus conſulendo videor oneroſus, quorum requirens utilitatem cogor offendere voluntatem : *Nolite eſſe ſicut equus & mulus, non habentes intellectum.* Nam & hæc jumenta eos maximè calce morſuque appetunt, à quibus curantur, ut curentur eorum vulnera contrectantur. Non parcis, non parco : adverſaris, adverſor : reſiſtis, reſiſto. Lucta nos comparat, ſed cauſſa ſeparat. Tu inimicus es medico, ego morbo : tu diligentiæ meæ, ego peſtilentiæ tuæ. *Retribuebant*, inquit, *mihi mala pro bonis, ego autem orabam.* Quid orabat, niſi, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt? Cum vobis*, inquit, *detraxerint, & dixerint omne malum adversùm vos propter juſtitiam, gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.* Vos tamen corrigite perverſitatem veſtram, agnoſcite caritatem noſtram ; reddite dilectionem dilectioni : nolumus majorem cum veſtra perditione mercedem. Hæc debitoribus meis, quibus dimitto, ut dimittatur mihi, nunc pauca ſuffecerint.

Caput III. In gratiam ... re cupit, in quorum forte offenſionem incurrit.
Rom. 1. 14.

3. Deinceps alloquendi ſunt paululùm etiam illi quibus debitor ſum. Nam ſicut ait Apoſtolus, *Græcis & barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Nam talis debitor etiam ego pro mearum virium exiguitate diſpenſationiſque portiuncula, non quibuſdam, ſed omnibus ſum. Verùm nunc de his debitis loquor, quæ mihi dimitti, non à me exigi cupio. Neque enim ſic tumore

a Aliquot MSS. *& tamen impendebat.*

b Auguſtinum non ſapit ſtilus, ſtudioſè quidem elaboratus, ſed ineptè, abſque arte & ingenio : quo fit ut ſermo ſubobſcurus ſit, & in ea re quæ commovendis auditorum affectibus de ſe maximè comparata erat, frigidiſſimus.

CLASSIS V. vanæ mentis extollor, ut audeam dicere, ex quo hujus muneris sarcinam porto, nullum hominem à me perperam læsum. Hoc cuilibet homini tam multis & tam molestis actibus occupato atque distento, ne dicam impossibile, certè difficile est: quantò magis mihi, qui novi infirmitatem meam, quam cum meis & pro me vestris orationibus diebus ac noctibus offero sanandam Domino Deo nostro. Diversarum ergo curarum æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè non ut poscebat audivi, si quem tristiùs quàm opus erat adspexi, si in quem verbum duriùs quàm oportebat emisi, si quem corde contribulatum & opis indigum responsione incongrua conturbavi, si quem pauperem mihi fortè in aliud intento importuniùs instantem vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristavi; si cui de me falsi aliquid tamquam homini de homine suspicanti justo acerbiùs indignatus sum, si quis in sua conscientia non agnovit quod de illo humanitus suspicatus sum, vos quibus pro his atque hujusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite [a] dilectorem. Nam pullos, quos fovet, sæpe in angustiis, sed non toto pedis pondere calcat & mater, nec ideo desinit esse mater: Dimittite, ut dimittatur vobis. Dimittite amanti vos debita difficultatis, qui nec contra inimicos debita tenere debetis crudelitatis. Ad summam, omnes obsecro, commendate vos Domino curam pro vobis meam: hinc enim justè expeto pro me vestram; ut quidquid mearum est in præteritum offensionum propitius ignoscat, non severus agnoscat. Quod mihi deinceps temporis sub hac sarcina erit, iter agentem regat, & suis oculis placentem vobisque utilem faciat; ut non horrorem ac pœnam meam, sed gaudium & coronam meam vos ejus conspectus inveniat.

[a] Alias 1. de verbis Apostoli.

*SERMO CCCLXXXIV.

De Trinitate, sive de [b] Scripturis veteribus & novis contra Arianos.

CAPUT I. 1. SANCTA & divina eloquia, Fratres, jugiter, immo quotidie nobis salubriter recitantur, ut animæ nostræ pascantur: in futuro autem sæculo æternis epulis saginentur; dicente Propheta, *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* (Psal. 16. 15.) Qualis sit autem hæc gloria futura, & quibus divitiis floreat, quantoque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? Quia legimus, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* (1. Cor. 2. 9.) Si igitur tanta & talia sunt bona æterna cælestia, quæ Dominus omnipotens præparavit sanctis suis catholicis & fidelibus populis; quid est ipse Deus, qui talia & tanta præparavit? (Deus, quid sit.) Quid est, inquam, omnipotens Deus? quid, nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia? Omnem enim creaturam suam excedit, omnem facturam præterit, universa præcellit. Si enim quæras magnitudinem, major est; si pulcritudinem, pulcrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur: sicut legitur in Propheta, *Qui fecit fortia, fortior est; & qui fecit pulcra, pulcrior illis est.* (Sap. 13. 3.)

CAPUT II. (Trinitas unus Deus.) 2. Sic autem hujus unicæ deitatis præcelsa insignia prædicamus, ut tamen non sicut Judæi, sed sicut Christiani, Trinitatis divinæ mysteria pariter fateamur. Sicut enim omnipotens & ineffabilis Pater est, ita omnipotens & incomprehensibilis Filius: ita etiam Spiritus-sanctus in Patre & Filio indiscretè connexus, ineffabilis atque immensus est. Pater enim & Filius & Spiritus-sanctus, unus omnipotens Deus, unus in trinitate, unus in potestate, unitas, trinitas, sempiterna majestas, unum potens per omnia, & trinitas in unitate, & unitas in trinitate consistit: sed nec trinitas dividitur, nec unitas separatur. Hac igitur catholica fide armati atque instructi, Carissimi, nefandos Arianos hæreticos, qui se

A hoc tempore impiè jactitant, & multos Christianos nostros seducendo corrumpunt atque decipiunt, breviter percontemur, quomodo orant Dominum, qui sentiunt contra Dominum? Respondent nobis dicentes, Oramus Dominum utique in trinitate, sed ut legimus, Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum-sanctum inferiorem, quia ipse Christus dicit, *Pater major est me.* (Arianorum error. Johan. 14. 28.) * His respondemus, Sic, inquam, oratis & colitis Deum? Sic (*CAPUT III.) planè, sic legimus, sic colimus, sic oramus. Ad hos dicimus, Si ergo ita Deum colitis & oratis, hoc non est Deum magnum unum colere & rogare, sed tres deos facere: & ubi est quod in lege divina legitur, *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est?* (Deut. 6. 4.) Et iterum alibi ait, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

B Si enim aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus-sanctus; jam non est una trinitas, sed divisa potestas. Quomodo autem discrepans potestas stare potest, cùm juxta quod in Evangelio legimus, *Domus in semetipsa divisa vel regnum, stare non potest?* (Matth. 12. 25.) Quomodo autem divinitas à semetipsa discernitur, cùm lucis splendor aut solis calor nullatenus separetur? Ecce enim sicut videmus, in sole tria sunt, & separari omnino non possunt. (In sole tria inseparabilia.) Quæ autem tria sunt videamus: cursus, splendor,

C & calor. Videmus enim solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Divide ergo, si potes, Ariane, solem, & tum demum divide trinitatem. Sed fortassis de sole discernendo difficilis est ratio, quia in cælo est, & à nobis longè positus est. Ecce aliud proponimus elementum quod minus est, & in terra nobiscum est: ignem dico, qui in manibus nostris habetur, & tamen non dividitur. (In igne quoque tria inseparabilia.) Et ignis enim tria habet, & dividi non potest: hoc est, motum, lucem & fervorem. Si igitur nefande hæretice dividere non potes creatum solem & ignem, quomodo potes dividere Deum omnium creatorem?

D 3. Audi autem & disce hanc magnam & unicam Trinitatem ab exordio generis humani fuisse ostensam. (CAPUT IV. Scripturarum testimonia de divina Trinitate.) Audi in Lege & Prophetis, in Psalmis & in Evangelio, audi in Apostolo procul dubio declaratam. Audi, inquam, in Genesi: *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* (Gen. 1. 27.) Ut simul ostenderet inseparabilem Trinitatem, ait in eo libro, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Audi Prophetam dicentem ex persona Christi: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* (Isai. 61. 1.) Audi in Psalmis: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (Psal. 32. 6.) Et iterum: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* (Psal. 50. 14.)

E Audi hoc idem in Evangelio confirmatum: Dominus Christus Apostolis dicit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* (Matth. 28. 18. & 19.) Audi Apostolum: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum.* (Rom. 11. 33. &c.) Si igitur tam veteribus quàm novis Scripturis satis apertéque probatum est divinam unitatem esse Trinitatem inseparabilem, spretis penitus

F hæreticis secundùm Apostolum dicentem, *Hæreticum post unam correptionem devita*: (Tit. 3. 10.) jam fideles nostros populos de ipsa fide catholica confirmemus. Nullæ quippe sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est fides catholica, (Fidei catholicæ encomium.) quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas & conjugales casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cælestibus præparat, in æterna hereditate cum Angelis sanctis communicat. Sicut ipse Dominus promittendo con-

G firmat: *In resurrectione neque nubunt, neque uxores ducunt, sed erunt æquales Angelis Dei*, (Matth. 22. 30.) per Christum Dominum nostrum.

[a] Sic MSS. At editi *debitorem*.

[b] Cum hoc titulo extremum locum occupat in veteribus libris Sermonum de verbis Evangelii, qui manuscripti omnes Augustino adsignant. Haud injuriâ tamen dubium habuerunt Lovanienses, immo Verlinus & Vindingus suppositititium affirmarunt, non habentem ipsius, nec stilum, nec ingenium.

Classis V.

* Aliàs 38. inter 50. homilias.

* SERMO CCCLXXXV.

De [a] amore hominis in hominem.

Caput I.

I. NON solùm in novo, sed etiam in veteri Testamento admonemur, Fratres dilectissimi, qualiter perfectam caritatem tenere debeamus. Sic enim ipse Dominus in Evangelio dixit, *Diliges proximum tamquam te ipsum.* Tractemus ergo aliquantùm de amore hominis in hominem: quia sunt amores hominum perversi. Ipse perversè amat alterum, qui & se perversè amat: qui autem rectè se amat, & alterum rectè amat. Verbi gratiâ, sunt amores flagitiosi, detestabiles: amores adulterorum, amores corruptorum, immundi amores. Malos amores detestantur omnes leges humanæ, & leges divinæ. Remove ergo istos illicitos, quæramus licitos.

Matth. 22. 39.

Amor hominis alius rectus, alius perversus.

Liciti amoris gradus.

2. Incipit licitus amor à conjugio, sed adhuc carnalis est. Videtis quia communis est cum pecoribus: & passeres illi qui personant, habent conjugia, & nidos faciunt, simul ova confovent, simul pullos nutriunt. Licitus quidem amor iste in hominibus, sed videtis quia carnalis est. Secundus amor filiorum est, sed adhuc ipse carnalis est. Non enim est laudandus qui amat filios, sed detestandus qui non amat. Pro magno enim laudaturus sum in homine, quod video in tigride? Serpentes amant filios suos, leones & lupi amant filios suos. Noli ergo magnum putare, quòd amas filios tuos. Adhuc in hoc amore serpentibus compararis. Si non amaveris, à serpentibus vinceris. Honestos amores jam dico: illos enim flagitiosos exclusi. Alius amor qui est propinquorum, jam iste videtur proprius hominum, si non sit consuetudinis. Nam major est amor qui extenditur ultra propinquos, quàm qui tenetur inter propinquos. Qui amat propinquos suos, adhuc sanguinem suum amat. Amet alios qui non sunt propinqui, suscipiat peregrinum: jam multùm dilatatus est amor iste. Tantum autem crescit, ut à conjuge ad filios, à filiis ad propinquos, à propinquis ad extraneos, ab extraneis ad inimicos perveniat. Sed ut perveniat illuc, multos habet gradus.

Caput II.

Amicitia alia consuetudinis, alia rationis.

3. De amicitia ergo videte quid dicam. Sunt amici, exceptâ amicitiâ, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Sunt enim homines qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi conjuncti, quia conscientiâ malâ ligati sunt: exceptâ ergo istâ nefariâ amicitiâ, est quædam amicitia adhuc carnalis per consuetudinem cohabitandi, colloquendi, simul conversandi, ut contristetur homo, quando deseritur ab amico, cum quo solet colloqui, & habere conjunctiones. Conveniunt duo homines, ambulant secum triduo, & jam nolunt à se recedere. Et ista quædam amicitiæ dulcedo est: honesta quidem; sed adhuc discutiamus illam, quia gradus amoris hujus quærimus; & videamus quò usque pervenerimus, usque ad amicitiam talem qualem dixi. Est ergo ista amicitia consuetudinis, non rationis. Habent illam & pecora. Duo equi manducent simul, desiderant se: si alia die præcedat unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum: vix regitur à sessore; & tamdiu impe-

A tu suo provocat, quò usque perveniat. Cùm pervenerit ad eum qui præcessit, sedatur: pondus illum ferebat, pondere amoris urgebatur; venit tamquam ad locum suum, & conquievit. Adhuc & ista amicitia consuetudinis est in pecoribus: surgamus adhuc & ab ista. Est alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem & mutuam benevolentiam in ista vita mortali. Hac superius quidquid jam invenerimus, divinum est. Incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine nisi Deum. B

Sermon. Dubii.

Caput III.

Amicitiæ amor gratuitus.

4. Videat enim Caritas Vestra primùm amicitiæ amor qualiter debeat esse gratuitus. Non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale; non illum amas, sed illud quod præstat. Amicus gratis amandus est, propter sese, non propter aliud. Si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas; quàm C gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo. Nam in homine sunt quæ offendant; per amicitiam tamen cogis te, ut etiam illa quæ offendunt in homine toleres propter amicitiam: si ergo non debes propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam; Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te? Nihil invenis delectabilius Deo. Deus non est unde te offendat, si tu eum non offendas: nihil illo pulcrius, nihil illo [b] dulcius. D Sed dicturus es mihi, Non illum video, quomodo sum amaturus quem non video? Ecce quomodo discis amare quem non vides: modò ostendo unde coneris videre, quod istis oculis non potes videre. Ecce amas amicum, quid in illo amas? Gratis eum amas. Sed fortè amicus iste tuus, ut alia omittam, senex homo est: fieri enim potest, ut habeas amicum senem. Quid amas in sene? Incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? Si corpus quod vides, ni- E hil deformius præ senectute: & tamen aliquid amas, & corpus quod vides non amas, quia deforme est. Unde vides quod amas? Si enim quæram à te, Quare amas? Responsurus es mihi, Homo est fidelis. Ergo fidem amas. Si fidem amas; quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. Incipe ergo amare Deum, & amabis hominem propter Deum.

V. enarr. 2. Psal. 32. ser. 1. n. 6. & Psal. 64. n. 8.

Caput IV.

Deus gratis diligendus.

5. Audite magnum testimonium. Diabolus certè accusator sanctorum est: & quia non apud F talem judicem cogit quem fallat, non potest in nos crimina falsa dicere. Novit apud quem dicat. Quia ergo falsa contra nos non potest dicere, quærit vera quæ dicat. Ideo tentat ut habeat quod dicat. Hic ergo adversarius noster, qui nobis indicat, videt regnum cælorum, qui non vult ut ibi simus, unde ipse dejectus est: *Numquid*, inquit, *Iob gratis colit Deum?* Adhuc ad hoc provocamur ab adversario, ut gratis Deum colamus, quando ille quærens quod objiciat, pro magno se putavit G invenisse quia dixit, *Numquid gratis Iob colit Deum?* Non quia viderat cor ipsius, sed quia videbat divitias ejus. Cavere debemus, ne ad præmium diligamus Deum. Quid enim? Propter præmium dilecturus es Deum? Quale præmium

Job 1. 9.

est

[a] Excepto exordio, quod hîc malè aptatum videtur; sepositâ etiam conclusione, quæ Cæsarium Arelatensem sapit, totum corpus Sermonis doctrinam exhibet ac sensus Augustini, sed hinc inde forsitan ex ipsius scriptis alicujus operâ collectos & digestos. Stilus certè injucundus, resque invicem minùs eleganter compactæ.

[b] Aliquot MSS. *lucidius*.

CLASSIS V. est quod tibi daturus est Deus? Quidquid tibi aliud dederit, minus est quàm ipse. Colis non gratìs, ut aliquid ab ipso accipias. Gratìs cole, & ipsum accipies. Se enim servat tibi Deus, quo fruaris. Et si amas quæ fecit, qualis est ille qui fecit? Si pulcher est mundus, qualis est artifex mundi? Evelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas Creatori, & dicas quod in Psalmo scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Psal. 72. 28.

CAPUT V. Creaturā deserto Creatore diligere adulterare est.

6. Si autem deseris eum qui te fecit, & amas illa quæ fecit, deserto illo qui te fecit, adulter es. Sic clamat epistola Jacobi, adulteros appellans, *Adulteri.* Et unde adulteri? Quæris unde? *Nescitis*, inquit, *quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* (Jacobi 4. 4. & 5.) Expressit quid dixit, *Adulteri.* Anima, deserto Creatore, amans creaturam adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. Illo deserto, hoc amplectendo, efficeris immunda. O anima, ut illius amplexibus digna sis, dimitte ista, & illi inhære gratìs. Nam inde dixit Psalmus: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Versu priore sic dixit: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Et quasi ostenderet quæ sit fornicatio, subjecit, *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Nihil aliud volo, sed ipsum. Adhærere illi, hoc est bonum meum, hoc gratuitum bonum meum. Ideo & gratia dicitur, quia gratìs constat. Cùm ergo cœperis Deum amare gratìs, securitas est: quia & amicum gratìs amas, & ad hoc eum amas, ut tecum amet Deum. Adtendite enim ipsam amicitiam vulgarem, unde cœpimus, per quam gradus fecimus; adtendite illam. Amat maritus uxorem, & uxor maritum: sine dubio & ille illam, & illa illum salvum vult. Vult illum habere incolumem, vult illum habere felicem. Ad hoc amat, quia ipsa vult incolumis esse & felix: quod sibi vult, hoc illi vult. Amat filios: quisnam vult, nisi salvos habere filios suos? Amat amicum: quis nisi incolumem habere vult? adeo ut, si fortè contingat illi aliquid, contremiscat, contristetur, conturbetur, currat, accedat: cùm accesserit, plangit. Quid ergo vult? Salvum habere. Si ergo omnis qui amat, salvum vult habere quod amat; si intelligat quæ sit vera salus, incipit illam amare in se, & ipsam cogitur veram amare & in amico.

CAPUT VI. Salus vitæ hujus quā vana.

7. Si oculis carneis quæris Deum, vide tres pueros de igne liberatos. Si fide quæris Deum, vide Machabæos in igne coronatos. Salus ergo illa amanda est, ista utenda. Hæc enim ad usum necessaria est: nam transitura est. Non enim vera salus est, Fratres, quam dicunt medici. (V. Enarr. in Psal. 121. n. 11 & 12.) Ægrotamus quodam modo: nam ægritudo perpetua est in ista fragilitate carnis. Putatis enim tunc hominem ægrotare, quando febricitat; & sanum esse, quando esurit? Sanus est, dicitur. Vis videre quantum malum est esurire? Dimitte illum sine medicamento septem diebus, occiditur. Sed quia ponis quotidie medicamentum, vivit. Medicamentum autem famis, cibus est; medicamentum sitis, potus est; medicamentum lassitudinis, somnus est; medicamentum sessionis, deambulatio est; medicamentum deambulationis, sessio est; medicamentum fatigationis, dormitio est; medicamentum dormitionis, vigilatio est. Et vi-

A de quàm imbecille sit corpus humanum: hoc ipsum adjutorium, quod dixi, qui assumit, si in eo perseveraverit, deficit. Esuriendo cibi quærebas adjutorium: ecce adest adjutorium cibi; manducas, reficeris; si plus feceris, plus deficis. Adjutorium sitis quærebas potum: multum bibendo offocaris, qui sitiendo urgebaris. Lassasti ambulando, sedere vis: sede perpetuò, vide si non lassabis. Quidquid ergo assumserit, ut aliud pellat, in eo ipso si perseveraverit, deficit. SERMON. DUBII.

CAPUT VII.

B 8. Qualis est ergo ista salus, Fratres, transitura, fragilis, peritura, vana? Verè quomodo dictum est, *Quæ enim est vita vestra? Vapor est, ad modicum parens.* (Jacobi 4. 15.) *Qui* ergo in vita ista *amat animam suam, perdet eam. Qui autem* in hoc sæculo *odio habuerit animam suam, in vitam æternam custodit eam.* (Johan. 12. 25.) Quæ est vita æterna? Vera salus. Et si amicum tuum videris, quem amabas in hoc sæculo ut salvus esset, quia tu jam talem salutem desideras quæ æterna est, ad ipsam salutem diligis amicum tuum; & totum quidquid vis (C) amico tuo præstare, ad hoc vis præstare, ut illam tecum teneat salutem. Amas enim justitiam, vis illum esse justum: amas sub Deo esse, vis & illum esse sub Deo: amas vitam æternam, illic eum vis tecum regnare in æternum. Inimicum tuum vides illum persequi te, iniquitas est quæ te persequitur. In illo irasci debes misericordiâ, febrit in anima. Quomodo ergo amicus hujus sæ- (D) culi secundùm sæculum amans animam suam, febrem vult expellere de amico suo, quem similiter amat ut se, propter præsentem salutem: sic tu quemcumque diligis, propter vitam æternam dilige; cùm inveneris iram, indignationem, odium, iniquitatem, sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus sæculi morbum corporis: ad hoc enim amas, ut facias quod & tu es: & erit in te perfecta caritas. Hoc si inveneris, ad hoc ama conjugem, ad hoc ama filium, ad hoc ama propinquum, vicinum, ignotum, inimicum, & (E) erit in te perfecta caritas. Quæ si fuerit in te, vincis mundum, & pellitur foras princeps mundi. Audistis enim quod ait Dominus, *Princeps hujus mundi missus est foras:* (Ibidem 31.) quia ipse passurus erat, & per passionem suam facturus in hominibus dilectionem. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.* (Johan. 15. 13.) Ut ergo amaretur, prior amavit: ut in nomine ejus nemo mori timeret, prior pro omnibus mortuus est. Ad hoc ergo ut ædificaret in cordibus hominum (F) caritatem, misit diabolum foras. Quò foras? De cordibus hominum. Cupiditas intrò illum mittit, caritas foras eum mittit.

Vera salus vita æterna. — Amicus ad salutem æternam diligendus. — Caritas perfecta.

CAPUT VIII. Conclusio.

9. Nos verò, Fratres, suprà scriptos caritatis gradus cum grandi diligentia cogitantes, non reddamus Domino pro bonis mala. Et quia ille veniens alligavit fortem, id est, diabolum, & nos omnes qui vasa ejus fuimus de potestate illius abstulit, per gratiam ipsius evacuati omnibus malis, studeamus repleri abundantibus bonis, ti- (V. Append. Serm. 16. n. 4.) (G) mentes illud quod ipse Dominus dixit, *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit; post hæc reversus inveniens domum, unde exiit, vacuam, adduxit secum septem spiritus nequiores se: & facta sunt hominis illius posteriora pejora prioribus.* (Lucæ 11. 24. &c.) Ne ergo & nos tale aliquid patiamur, quantum possumus elaboremus, in locis vitiorum vir-

Classis V. — tutes inducere, ut possimus ad Dei misericordiam A pervenire.

* Aliàs de Tempore 170.

* SERMO CCCLXXXVI.

De [a] *dilectione inimicorum.*

Caritas etiam ad inimicos extendi debet.

1. INTENDITE, Fratres mei, ad caritatem, quam sic laudat Scriptura divina, ut nihil ei coæquet. Cùm nos moneat Deus, ut nos invicem diligamus, numquid hoc tantùm monet, ut diligas diligentem te? Hæc est mutua B dilectio, hoc non sufficit Deo: pervenire enim voluit usque ad inimicos diligendos, dicens, *Diligite inimicos vestros, bene facite eis qui oderunt vos, & orate pro eis qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, qui pluit super justos & injustos.* (Matth. 5. 44. & 45.) Quid dicis, diligis inimicum tuum? Respondebis fortè, Per infirmitatem non possum. Sed profice, & age ut possis: maximè quia oraturus es judicem, quem fallere nemo potest, C qui acturus est caussam tuam. Interpella ergo hunc judicem, ubi nullus tabellarius conturbat, nullus officialis removet, nullus emitur advocatus qui possit pro te preces effundere, aut verba dicere quæ non didicisti: sed ipse Filius Dei unicus æqualis Patri, sedens ad dexteram Patris, illius assessor, tuus judex, docuit te pauca verba, quæ quivis idiota potest tenere & dicere, & in eis constituit tibi caussam tuam; docuit te * jus cæleste quomodo preceris. Sed forsitan respon- D debis, Per quem peto, per me, an per alium? Qui te docuit orare, ipse pro te allegat precem, quia tu reus eras. Gaude, quia ille erit tunc judex tuus, qui modò advocatus tuus est. Ideo ergo quia oraturus es, acturus es caussam tuam paucis verbis, venturus ad illa verba, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (Matth. 6. 12.) Dicit enim tibi Deus, Quid mihi das, ut ego dimittam tibi debita tua? Quale munus offers, quale sacrificium conscientiæ tuæ im- E ponis altaribus meis? Continuò docuit te quid petas & quid offeras. Petis, *Dimitte nobis debita nostra:* & tu offers, quid? *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Debitor es ei qui falli non potest: habes & tu debitorem. Dicit tibi Deus, Tu debitor meus es, ille debitor tuus: hoc facio ego tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo. Inde offers mihi munus, unde peperceris debitori tuo. Rogas me pro misericordia, tu noli esse piger in misericordia. Adtende quod Scriptura F dicit, *Misericordiam volo magis quàm sacrificium.* (Osea 6. 6.) Noli offerre sacrificium sine misericordia: quia non remittuntur tibi peccata tua, nisi offeras cum misericordia. Sed fortè dicis, Non habeo peccata. Quantumvis cautus sis, frater, tamen in carne vivens in sæculo agis inter pressuras & angustias, & inter innumerabilia tentamenta versaris, non poteris esse sine peccato. Certè dicit tibi Deus, Securus esto de peccato, noli dimittere si G non habes quod ego tibi dimittam, sed magis exige si nihil debes: si autem debitor es, magis gratulare te habere debitorem, in quo facias quod fiat in te. Audi me, & discute te, * quia vel de paucis probis, qui possunt veraciter orare orationem Dominicam, veraciter dicere, Domine, dimitte mihi, sicut & ego dimitto. Non fallaciter, non fictè, ex corde vero fac, ut & in te verum fiat. Si enim qui te læsit, qui in te peccavit, petit à te veniam, & ignoscis; jam potes securus dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nam si resistis roganti, contemnéris & tu, cùm rogaveris. Clausisti contra pulsantem, clausum invenies, cùm pulsaveris. Nam si aperueris viscera indulgentiæ roganti te, aperiet & tibi Deus, cùm rogaveris eum. Modò enim illos alloquor, qui petunt veniam à fratribus suis Christianis, & non accipiunt. Ecce tu si concesseris, securus orabis. Ille verò, si te rogaverit, & si non concesseris, quomodo securus * eris? Quisquis enim es qui peccasti, & veniam non meruisti, noli timere, interpella Deum ipsius & tuum: debita enim sunt: numquid poterit debita exigere servus, quæ donaverit dominus? Si fortè non te rogaverit qui in te peccavit, si veniam non deprecatur; si peccaverit, insuper adhuc & irascitur, tu quid facies? dimittis, an non dimittis? Ecce non dimisisti. Quare? Quia non rogavit. Si propterea non dimisisti, quia non rogavit, noli titubare in Dominica oratione, securus illam dic, non tibi pectus percutias, quia non roganti non dimisisti. Ergo ille qui non rogavit, remansit: exigitur, prorsus exigitur ab illo: verumtamen in te sit perfecta caritas, roga pro non rogante; quia rogas pro multùm periclitante.

Preces ab ipso judice Christo traditæ.

* f. jurisperitus cælestis.

Dimittendum ut dimittatur nobis.

* f. si tu es de

Securus apud Deum, cui roganti negatur venia à fratre. V. Ser. 211. c. 3. & 4.

* f. erit.

Orandum pro non rogante veniam.

2. Hìc jam adtende Magistrum & Dominum tuum, non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, circumspectis undique turbis inimicorum, & dicentem, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vide magistrum, audi imitatorem. Numquid tunc Dominus Christus pro rogantibus rogavit, & non potiùs pro insultantibus & interficientibus? Numquid deseruit medicus officium suum, quia phreneticus sæviebat? Dic enim, *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (Luca 23. 34.) Salvatorem occidunt, quia salutem non quærunt. E contra & tu forsitan dicturus es, Et quando ego hoc possum quod Dominus potuit? Quare hoc dicis? Adtende ubi hoc facit; adtende quia in cruce hoc fecit, non in cælo. Semper enim Deus in cælo cum Patre: in cruce autem pro te homo, ubi se imitandum præbuit omnibus. Pro te enim misit ipsam vocem, ut ab omnibus audiretur. Nam potuit pro illis orare in silentio, sed tu non haberes exemplum. Sed si multum est ad te Dominus, non sit ad te multum servus. Non potes imitari Dominum tuum, cùm penderet in cruce? Stephanum servum ejus, cùm lapidaretur, adtende. Primùm ait tamquam servus ad Dominum, *Domine Iesu, accipe spiritum meum:* & post hæc genu flexo ait, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum:* & cùm hoc dixisset, obdormivit in requie dilectionis. Pacem pinguissimam invenit, quia pacem inimicis optavit. Numquid & ipse tunc pro rogantibus rogavit, & non pro sævientibus, pro lapidantibus & interficientibus? Habes exemplum, disce, vide quomodo pro se stans oravit, & pro illis genu flexit. Putamus, Fratres, quia plus eos diligit, quàm se ipsum? Pro se verò stans, tamquam justus, facilè exaudiebatur. Nam pro iniquis genu figendum erat. Ostendit ergo dilectionem usque ad inimicos veniam * rogantes.

Christi exemplum orantis pro insultantibus & interficientibus.

Exemplum Stephani. Act. 7. 58. & 59.

* f. non rogantes.

[a] De hoc Sermone dubitarunt Lovanienses. Verlinus pronuntiavit nihil habere Augustini. Contrà Vindingus solum excipi voluit exordium & conclusionem, reliquum Augustini esse affirmans.

Ergo, Fratres, propter securitatem Dominicæ A orationis, rogantibus ex corde dimittite, & ut Dominus vobis vestra peccata dimittat in hoc mortali corpore & futuro usque in sæcula &c.

* SERMO CCCLXXXVII.

Alias 5. inter homilias 50.

De [a] correptione proximi.

Corripiendi cura sacerdotibus imposita.

1. FREQUENTER in Scripturis sanctis audivit Caritas Vestra, Fratres dilectissimi, in quo sint sacerdotes periculo con- B stituti, si noluerint implere illud quod contestatur Apostolus, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, increpa, obsecra cum omni patientia & doctrina.* (2. Tim. 4. 2.) Et quia tam grave pondus imminet cervicibus nostris, quibus dicitur, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (Ezech. 3. 18.): necesse nobis est quoscumque negligentes aut secretè aut publicè castigare. Sed quando corripimus, ille quem corripimus, si malus est, adtendit à quo C corripiatur; & faciliùs in correptore suo, quàm in se libenter agnoscit quod corrigat. Et si vera invenerit, quæ & ipse dicat in eum à quo corripitur, gaudet. Quantò meliùs gauderet de sua sanitate correctus, quàm de alieno languore correptus? Ecce puta verum esse quod dicis; invenisti aliquid in homine à quo reprehensus es: tamen per illum tibi veritas loquebatur; per malum, per iniquum tibi veritas loquebatur. Quæris quid reprehendas in homine: inveni potiùs quid re- D prehendas in veritate. Velis, nolis, illa est adversaria tua, in qua non invenis quod accuses. Illam fac amicam, si potes. Adversarius tuus sermo Dei est: proferat eum peccator, proferat eum justus; sermo Dei est, inculpabilis est. Ipse est adversarius tuus: concorda cum eo, cùm es cum illo in via. (Matth. 5. 25.) Via vita ista est. Adversarius omnium iniquorum sermo Dei est. Parum tibi est, quòd cùm esset manens in sua beatissima & secretissi- E ma sede, venit ad te, ut esset tecum in via, & tecum voluit comitari? ut cùm ambulas, & in potestate habes, componas caussam tuam, & dicas, Quando finiturus es viam? Et cùm finieris viam, non erit cum quo caussam tuam componere possis: & adversarius tradet te judici, judex autem ministro, minister autem in carcerem. Non exies inde, donec reddideris novissimum quadrantem. Est tecum verbum Dei, quasi adversarius in via: habes in potestate, compone. Quid F à te quærit adversarius iste, ut concordes cum illo? quid, nisi salutem tuam? Ambulat cum adversariis suis, & dicit eis ut concordent cum illo. Fiat: nondum finita est via. Quod herì non est factum, fiat hodie. Nondum finita est via: quid exspectatis quò usque finiatur? Cùm finita fuerit, non erit alia, ubi cum adversario concordetis. Judex restat, minister & carcer. Multis hæc via; cùm sibi plures promitterent in ea annos, subitò finita est. Sed ecce fac quia longa erit via G tua, & semper tecum adversarius tuus ambulet: non erubescis, tanto tempore cum tali adversario habere discordiam? Sermo Dei, quantum est in ipso, amicus tuus est: adversarium tu tibi eum facis. Ipse enim tibi bene vult, tu tibi è contrario malè. Ille jubet, Non fureris, tu furaris; ille jubet, Non adulteres, tu adulteras; ille jubet, Fraudem non facias, tu facis; vetat te jurare, tu falsum juras: facis contra omnia quæ dicit; tu tibi sermonem Dei facis inimicum. Nec mirum, quando tu tibi ipse inimicus es. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* (Psal. 10. 6.) Si ergo diligendo iniquitatem odisti animam tuam, miraris quia odisti sermonem Dei, qui bene vult animæ tuæ?

Correptio proximo non ex odio adhibenda.

2. Ergo tacebimus, & neminem omnino corripiemus? Corripiamus planè, sed priùs nos. Proximum vis corripere: nihil est tibi te ipso propinquius. Quid is longè? Te habes ante te. Quid enim Dominus ait per Scripturam? *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* (Matth. 22. 39.) Si ergo te ipsum nos diligis, proximum quomodo diligis? Regulam dilectionis in proximum ex te accepisti. Diligo eum, inquies. Ideo dico, priùs te dilige, & dic tibi. Si autem verè ex dilectione dicis, manifestum est quòd intus egit aliquid verbum quod procedit. Sed timendum est, ne te non diligas, & velis alium corripere, & facias hoc cum odio. Si autem odisti fratrem, leviora objicis quàm facis. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* (1. Johan. 3. 15.) Audistis, hodie lecta est epistola Johannis. Ait Scriptura, ne contemnerent homines quæ intus habent in corde, & illa accusarent quæ fiunt per corpus, jam *qui odit fratrem suum*, dixit, *homicida est.* Nondum manus armata est, nondum * faucem obsedit, nondum insidias præparavit, nondum venena quæsivit, & reus in oculis Dei concepto odio jam tenetur. Adhuc vivit quem quærit occidere, & occidisse jam judicatur. Si ergo cum odio corripis, audes aliquem homicida corripere? An quia non te tenent homines, & ducunt te ad judicem, ideo in oculis summi Dei & judicis non agnoscis crimen tuum? Si non vis agnoscere crimen tuum, agnosces pœnam tuam. Non enim ille parcit homicidis. Sed corrigo me, inquis, cùm sum in via. Corrige ergo te, & tunc poteris fratrem corripere. Leviora objicis, graviora committis. *Festucam vides in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides.* (Matth. 7. 3.) Hoc enim dixit Dominus propter homines qui cum odio corripiunt. Irascentem corripis, & tu odio contabescis? Appende in statera considerationis iram & odium. Quid est ira? Fervor quidam animi. Ad præsens displicet tibi. Jam in te ira ista inveterata est, ideo fecit odium. Ira festuca est, trabes futura crescendo. Sicut enim festuca crescit in trabem, sic ira inveterata fit odium. Jam tu odisti, & corripis irascentem: jam in illo festuca displicet, in te adhuc trabes placet. Vultis scire quantum intersit? Sæpe invenimus irasci patres filiis: patrem odisse filium difficilè invenies. Filio quem diligit, irasci potest pater: irascitur & amat, potest dici: odit & amat, non potest dici. Hoc dixi propter homines qui minora in aliis puniunt, in se majora non puniunt.

** id est, locum insidiis opportunum.*

Conclusio.

3. Hæc ergo, Fratres carissimi, salubriter cogitantes, faciamus amicitias cum adversario nostro, dum sumus in via cum illo; hoc est, consentiamus verbo Dei, dum adhuc sumus in hac vita: quia postea cùm de hoc sæculo transierimus, nulla compositio vel aliqua satisfactio remanebit. Judex restat, & minister, & carcer. Ut ergo hæc

[a] Augustino nec exordium convenit, nec conclusio. Res inter se invenustè cohærent: & nimiùm neglecta est in dictis perspicuitas & elegantia. Congesta hic putamus Augustini aut verba, aut sensus.

Classis V.

omnia, Domino auxiliante, possimus implere, diligamus toto corde non solùm amicos, sed etiam inimicos: ut in nobis impleatur illud quod scriptum est, *Omnis lex in uno sermone impleatur in vobis, Diliges proximum tuum, tamquam te ipsum.* Et illud, *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Quam rem ipse qui est vera caritas, nobis præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritusancto vivit & regnat Deus in sæcula &c.

Gal. 5. 14.

* SERMO CCCLXXXVIII.

De [a] faciendis eleemosynis, I.

* Aliàs 19. inter homilias 50.

De solis eleemosynis mentio fit in ultimo judicio. V. Ser. 60. n. 9.

1. Lectio ista, Fratres, quam modò audivimus de sancto Evangelio, ad eleemosynas faciendas nos hortatur: & sic hortatur, ut in judicio suo Dominus has solas factas imputet dextris, has solas non factas imputet sinistris. Non quò cetera facta hominum vel bona vel mala non veniant in judicium; scriptum est enim, omnia ventura ad judicium: & tamen non elegit Dominus noster Jesus Christus, prænuntians nobis judicium suum venturum; non elegit unde nos admoneret, nisi solas eleemosynas. Numquid dextris non erit dicendum, Quia castè vixistis, quia res alienas non rapuistis, quia fidem meam usque ad sanguinem confessi estis? Omnia enim facta ista bona necesse est honorari in judicio Jesu Christi. Rursus putatis non esse dicendum sinistris, Quia fuistis impudici, quia fornicati estis, quia res alienas rapuistis, quia superbiâ vestrâ & malis moribus nomen meum blasphemari fecistis, & cetera quæque enumerat? Tacet tamen Dominus noster, prænuntians nobis judicium suum, omnia cetera recta facta justorum, & solas eleemosynas commemorare dignatus est. Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem eleemosynæ increpandam esse judicavit, non nisi ad nos commonendos. Quare hoc? Quia omnia crimina eleemosynis redimuntur. Ideo illam laudavit fecunditatem, istam culpavit & damnavit ariditatem.

Eccle. 12. 14.

Eleemosynæ pro gravioribus peccatis nõ prosunt, nisi mores mutentur.

2. Sed quod audistis, omnia malè facta eleemosynis redimi, nolite sic intelligere, ut intelligunt quidam perversi. Eleemosynæ enim possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaveris. Si autem in eisdem malis perseveras, eleemosynis tuis non corrumpis judicem. Ego dico propter illa scelera & crimina, quæ omnes modò vitare debent, qui accipiunt corpus Christi & sanguinem. Ceterùm non me latet, vitam istam mortalem & in carne corruptibili constitutam, sine peccatis esse non posse: sed illa quotidiana & levia habent etiam sua lavacra quotidiana. Hoc est quòd pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino Deo nostro, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non enim sine caussa hoc dicimus, aut verò ipse cælestis magister doceret istam orationem, nisi nos peccatores esse prævideret. Vidit enim quæ cavere debeamus, & vidit quæ cavere difficile sit. Omnia autem cavere impossibile esse * judicavit, qui istam orationem quotidianam, non quoslibet Christianos, sed ipsos

Matth. 6. 12.

Nemo hîc sine peccato.

* f. indicavit.

A arietes Apostolos docuit. Ubi autem Apostoli pectus tundunt, & dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*, hoc est, peccata nostra, audet aliqua ovicula superbire de justitia? Videte qualis fuerit Johannes apostolus: supra pectus Domini discumbebat, de alto illo fonte sapientiæ secreta bibebat. Inde enim bibit quod in Evangelio eructavit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et assiduè testatur Evangelium, quòd Dominus præcipuè ipsum diligebat. Et tamen ait, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Nec tamen quia ista dicuntur, debet quisquam securus esse homicida, si propter quotidianas fornicationes & latrocinia sua venerit dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Quod enim Deus statuit quotidie dici propter levia peccata, ille putat ad illa gravia sibi posse opitulari, à quibus non vult discedere, sed in his cupit perpetuò permanere. Tundat & de his pectus, faciat & pro his eleemosynas, sed vitâ mutatâ: inde recedat, & huc accedat. Si autem dixerit in animo suo: Si quotidiana faciam latrocinia, & si quotidianis corruptionibus adulterinis me contaminem, & si sortilegos quæram, idolis sacrificem, mathematicos consulam, & à tali vita omnino non recedam, faciens tamen quotidianas eleemosynas exstinguo omnia peccata: tamen exstinguis, sed cùm exstingueris. Sic enim tibi erit ista commutatio tua mala, ut non desit qui de te dicat, *Et adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum ejus, & non invenies. Vidi impium super cedros Libani exaltari: & transivi, & ecce non erat; & quæsivi, & non est inventus locus ejus.* Pereunt ergo peccata tua, sed tecum. Non enim in gehenna peccare permitteris, aut cùm te cœperit torquere ignis æternus, de satiandis libidinibus cogitabis. Pereunt ergo peccata, sed tecum. Si autem vitam mutaveris, illa pereunt, tu invenieris, & dicetur de te, *Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.*

Sermon. Dubii.

Johan. 1. 1.

B 1. Johan. 1. 8.

C

D Psal. 36. 10. &c.

E Luca 15. 24.

* SERMO CCCLXXXIX.

De [b] faciendis eleemosynis, II.

* Aliàs 40. ex Sirmondianis.

Panis cælestis & panis terrenus.

1. Admonet nos Dominus de lectione Evangelica, ut loquamur vobis de impetrando pane cælesti. Iste enim panis terrenus terræ necessarius, quia caro nostra terra est. Fieri autem non potest, ut panem suum caro nostra haberet, & panem suum anima non haberet. Etenim & anima nostra in quadam egestate in hoc sæculo eget pane suo, sicut caro suo. Nam qui non eget pane, Deus est. Ergo solus panis non eget pane. Ipse est enim panis animæ nostræ, qui pane altero non eget, sed sibi sufficiens nutrit & nos. Manifestus est itaque panis cælestis, quo pascitur anima nostra. Sed quomodo ad eum perveniatur, ut eo saginemur, unde modò vix micas colligimus, ne in ista famelica eremo pereamus; quomodo ergo perveniatur ad saginam hujus panis, de quo Dominus ait, *Panem hunc qui manducaverit, non esuriet, & potum quem ego dedero qui biberit, non sitiet in æternum,*

F

G Johan. 6. 51.

[a] Dubius fuit Lovaniensibus, Verlino spurius visus est, Vindingo autem interpolatus & vitiatus. Verba nonnulla impropriè usurpata, veluti cùm dicitur n. 2. *exstinguo omnia peccata*, pro redimo & aboleo: moxque, *tamen exstinguis*, pro finis peccata, seu peccare desinis: & universim stilus indicat Sermonem non omni ex parte esse Augustinianum. Simillimus verò est trium superiorum.

[b] Sermo probæ notæ & Augustino dignus: sed posterior pars eadem est cum posteriore parte Sermonis 60. nisi quòd ibi omissa est tota narratio de homine, qui de pretio solidi pauperibus erogarat.

Classis V.

saginam quamdam promittens & satietatem sine fastidio: quomodo ergo perveniamus ad hanc satietatem panis, longe ab ea satietate in hac fame positi, consilio opus est. Quod consilium si neglexerimus, ad panem illum sine caussa pulsamus. Immo verò consilium hoc, quod daturus sum, vel potiùs quod commemoraturus: (non enim à me dicam quod vobiscum didici:) consilium ergo hoc, quod dicturus sum, non dico quisquis contemserit, sine caussa pulsat; sed quisquis contemserit, omnino non pulsat. Hoc enim consilium sequi & agere, hoc est pulsare. Quid enim putatis, Fratres mei, quia verè quasi corporaliter habet Deus quamdam januam duram, quam claudat contra homines, & ideo nobis dixit, *Pulsate*, ut veniamus & tundamus ostium, quò usque pulsando perveniat ad aures patrisfamiliâs in secreto quodam loco constituti, & jubeat nobis aperiri, dicendo, Quis est qui pulsat? quis est qui auribus meis tædium facit? Date illi quod petit, recedat hinc? Non ita est. Verumtamen est aliquid simile. Certè quando pulsas ad aliquem, manibus agis. Est quod agas manibus, quando pulsas ad Dominum. Prorsus manibus age, manibus pulsa. Si hoc non egeris, non dico frustra pulsas; sed dico non pulsas. Ideo non mereberis, ideo non accipies, quia non pulsas. Quomodo, inquit, vis ut pulsem? ecce quotidie rogo. Bene facis. Nam & hoc dictum est, *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Omnia dicta sunt, Pete, quære, pulsa. Petis orando, quæris disputando, pulsas erogando. Non ergo quiescat manus. Apostolus, cùm de eleemosynis plebem moneret, *Consilium*, inquit, *in hoc do: hoc enim vobis prodest, qui non solùm sapere, sed etiam velle cœpistis ab anno priore.* Et Daniel regi Nabuchodonosor sic dixit: *Consilium meum accipe, rex, & peccata tua eleemosynis redime.*

[Margin: Consilium dandi panē terrenum, ut cælestis impetretur. — Matth. 7. 7. — 2. Cor. 8. 10. — Dan. 4. 24. — Ne se extollant qui dant pauperi.]

2. Si ergo consilium est quod accipimus, quando nobis jubetur, vel quando monemur, ut aliquid ex eo quod habemus indigentibus præbeamus, non superbiamus quando damus. Si enim consilium est quod accepisti, tibi prodest plus quàm illi cui dedisti. Non ergo nos extollamus super opera nostra, & quasi placeamus nobis, quòd beneficia præstamus quibus damus. Consilium qui vult accipere, hoc vult accipere quod sibi prosit; & consilium qui dat, consulit. Si consulit, ei prodest cui consulit. Accipit quisque à te supplex pauper; quia si te superbè dare non decet, quantò magis illum superbè non deceat accipere? Accipit humiliter, accipit gratias agens. Tu tamen scito & reminiscere, non solùm quid des, sed etiam quid accipias. Si enim accipiat iste pauper libertatem respondendi tibi, si fortè senserit te superbientem super se, & dicat tibi, Unde superbis? unde extolleris, quia dedisti mihi? Quid mihi dedisti? Panem. Hunc panem si in domo tua poneres & contemneres, iret in æruginem, ex ærugine in putredinem, ex putredine in terram, terra reverteretur in terram. Et tu quidem porrectæ manui meæ ut acciperet, porrexisti manum tuam ut dares. Memento unde fuerit facta manus tua, & unde in meam apposuisti; terram de terra in terram. Deinde quid facio de pane tuo? Comedo, molestiam famis compesco: beneficium accipio; non sum ingratus.

Sermon. Dubii.

A Verumtamen tu cogita; quid te Dominus ipse Salvator commonuerit: quia *omne quod in os intrat, in ventrem cadit, & in secessum emittitur.* Rursusque apostolus Paulus quid tibi dixerit: *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & eas evacuabit.* Panis ergo, ut dixi, terra de terra in terram, ut fulciatur terra, & reficiatur terra. Quid dedisti cogitas, quid accepturus es non cogitas. Vide ergo ne plus tibi præstem accipiendo, quàm tu mihi dando. Si enim non esset
B qui à te acciperet, non erogares terram, & non acciperes cælum. Pulso ad januam tuam, & audis me, jubes mihi porrigi unde fames mea sustentetur, & ab hac molestia quam mihi ingerit, compescatur. Bene fecisti. Audire me pulsantem noli, si audes. Si rogaturus non es, contemne rogantem. Contemne me, si nihil petis ab eo qui fecit & me & te. Si autem petiturus es illud quod mihi das; quia me exaudisti, tibi præstas ut exaudiaris. Age illi gratias, qui rem tam pre-
C tiosam tam vili pretio te facit emere. Das quod in tempore perit: accipis quod manet in æternum. Das quod si non dares, post paulùlum projiceres: accipis quo in æternum perfruaris. Das unde sustentetur fames hominum: accipis unde sis socius Angelorum. Das unde non esuriat homo post paululum famem iterum passurus: accipis unde famem numquam sitimque patiaris. Cùm ergo vides quid des, & quid accipias, noli dare, si audes. Videamus quis majore damno feriatur,
D ego, cui non das terram; aut tu, qui non pervenies ad eum qui fecit cælum & terram.

[Margin: Matth. 15. 17. — 1. Cor. 6. 13. — Pauper accipiendo plus diviti præstat, quàm ille ipsi erogando.]

3. Si ergo consilium accipimus, faciamus propter nos; & nemo dicat quia præstat pauperi. Sibi enim plus præstat, quàm pauperi. Si verum cogitemus, Fratres mei, & secundùm verba Domini nostri sapiamus; aliter enim si sapuerimus, perimus: si non ex nostro consilio, sed ex ipsius vivamus, tunc verè vivimus. Si habemus aliquid quod pauperibus demus; si non dederimus, hîc
E dimittimus; aut fortè cùm vivimus, hîc amittimus. Quàm multi enim subitò bona omnia perdiderunt, quæ studiosissimè recondebant? Uno impetu hostili universi thesauri divitum perierunt. Nemo dixit hosti, Filiis meis servo. Certè videtis, quia si est in illis aliqua fides. De iis enim loquendum est, qui Christiani hoc passi sunt. Nam de ignorantibus Deum nulla mentio est. Illi enim in hac vita quod pro magno habebant perdiderunt, aliam vitam non speraverunt. Te-
F nebræ foris, tenebræ intus: paupertas in arca, major egestas in conscientia. De his ergo, ut dixi, quoquo modo non est loquendum; sed de iis potiùs, in quibus est fides aliqua Christiana. Ideo dixi aliqua, non robusta, non plena; quia si robusta & plena esset, consilium Domini non sprevissent. Certè tamen, Carissimi, cùm viderent domos suas inanes, aut fortè nec ipsam inanitatem domorum suarum videre permissi sunt, cùm inde captivi ducti sunt, cùm eis discedentibus
G flamma successit: cùm ergo se adtenderent inanes, quomodo eos pænituit, quia non audierant Domini consilium? Quid enim Dominus noster Jesus Christus, Fratres, dixit diviti illi quærenti consilium de capessenda vita æterna? Quid ei dixit? Dixit ei, Perde quod habes? Planè, etiam si hoc diceret, Perde temporalia, diceret ut adquiras æterna. Non ei tamen dixit, Perde quod

[Margin: Consilium Christi de erogandis divitiis, ne hîc pereāt. — Matth. 19.]

CLASSIS V.

habes. Videbat enim illum amatorem rerum suarum. Non ait, Perde; sed ait, Migra ubi non perdas. Amas thesauros tuos? amas pecuniam tuam? amas divitias tuas? amas prædia tua? Quidquid amas, in terra habes. Ibi habes quod amas, ubi perdas & pereas. Consilium do, migra in cælum. Hîc si habes, perdes quod habes, peribis cum eo quod perdis. Ibi autem si habes, non amisisti, sed sequêris quò misisti. Consilium ergo do, &c. * ..... Quare contemsimus patrem monentem, & hostem sensimus invadentem? [Multos ergo pæniter. Nam quidam, (quod re vera dicitur accidisse,) homo non dives, sed tamen etiam de tenui facultate pinguis adipe caritatis, cùm [a] solidum, ut assolet, vendidisset, centum [b] folles ex pretio solidi pauperibus jussit erogari. Factum est. Ibi ille hostis antiquus, id est diabolus, [c] ut pæniteret eum boni operis sui, & quod obediendo rectè fecerat, murmurando deleret, immisit furem, & abstulit totum, unde pauperibus datum erat exiguum. Exspectabat diabolus vocem blasphemantis, invenit laudantis: exspectabat fieri titubationem, invenit confirmationem. Hoc volebat quidem & inimicus, ut pæniteret eum, & pænituit. Sed videte quid. Me, inquit, miserum, qui non totum dedi! Hoc enim perdidi, quod non dedi. Non enim ibi posui, quò fur non accedit.] Ergo si consilium est hoc, * &c.

* Omissa repetesi ex Serm. 60. n. 7.

* Reliqua habes in Serm. 60. n. 8. & seq. usque ad finem.

* SERMO CCCXC.

De [d] faciendis eleemosynis, III.

* Aliàs 15. ex Vignerianis.

d Eleemosynæ comites jejuniorũ in sanctis viris.

1. AD eleemosynas faciendas, volumus, quantùm Dominus donat, exhortari Caritatem Vestram, quæ solent in sanctis fidelibus viris esse comites jejuniorum, ut non habenti addatur, quod habenti detrahitur; ut, cùm lucro tuo fraudas animam tuam, hoc subducas carni, quod in cælo constituas. Habes enim illic horreum tuum, habes custodem tuum. Namque ubi ponant homines tutissimè quod amant in terra, conducunt sibi loca munitissima, & quantum possunt satagunt sibi servare, quò fures non possunt accedere. Et eis hoc volentibus, hoc servantibus quando potest contingere in terra? Fortè custos ipse fur erit. Hoc Dominus Jesus Christus adtendens, quid velint homines, quid conentur, cùm res suas servant in terra, dedit consilium. In cælo servate, mihi commendate. Qui ergo jussit te dare, non te voluit perdere, sed migrare. Præcedat te secuturum res tua. Quod illuc non præmittis, * ubi diu non eris, ubi post te quis possidere quod servasti possit, ignoras. Leva hinc ergo quod diligis, ne hîc diligendo hæreas, & hærendo perdas & pereas. Dominus tuus ipse est custos tuus & tuorum. Si amicus tuus familiaris de frumento forsitan conservando ignoranti consilium daret, ut de inferioribus ad superiora levares, ubi meliùs servares; nonne consilium ejus acciperes? Dat ergo illud tibi Dominus tuus: nec te vult corrumpi, nec tua. Pone hîc, si non vis perdere. Vis scire quid agatur? Ego scio, quòd nemo meliùs de fabrica ista consilium dare potest, nisi qui fecit eam. Tu dicis, Ubi reponam? Respondet, in cælo: sic enim ait, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi fur non effodit, neque tinea corrumpit: ubi enim erit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Accipe consilium, oblata tibi tanti horrei optione, unde tibi non tabula suspensa est ut perpetuò possideres.

Consilium præmittendi divitias in cælum.

* f. deest, hîc dimittis.

V. Ser. 60. n. 7.

SERMON. DUBII

Matth. 6. 20. & 21.

2. Quæres fortasse quomodo illuc rem tuam leves? Noli æstuare, & cogitando scalas aut aliqua machinamenta quærere. Sed quomodo solet fieri civibus peregrè constitutis, fac trajectitium. Multi sanè hoc faciunt, cùm idoneos inveniunt, dant impigrè. Fecit Dominus tuus Christus, sursum dives, hîc pauper. Esurit hîc: trajectitium à te petit, æquum restituet. Quid ergo dubitas, quare differs dare? aut non est idoneus reddere? Da pauperibus, non perdes, noli timere: ipsi das, cùm uni ex minimis ejus das. Audi Evangelium. Cùm illi ad dexteram positi expavescerent, enumeratis quibusdam necessitatibus, dicentes, *Quando te vidimus in his?* Respondet Dominus, *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ego, inquam, accepi, quando pauper accepit: in illo esuriebam, in illo satiabar. Da securus: Dominus accipit, Dominus petit. Non haberes quod ei dares, nisi priùs ab illo acciperes. Si homines fœnerares, gravares: non est hic talis qui fœnore gravetur. Si vis fœnerator esse, apud me esto, dicit tibi Deus, mihi da: ego cum usuris restituo. Jam nunc erige te; dilata avaritiam tuam. Pro uno fortè solido, non decem, non centum, non mille, non terram, sed cælum accepturus es. Si dares libram æramenti & acciperes argenti, aut libram argenti & acciperes auri, felicem te gauderes. Mutabitur re vera quod das, non aurum, non argentum, sed vita æterna tibi fiet. Mutabitur, quia tu mutaberis. Qui dedit, fiet Angelus. Quod dedit, fiet sedes Angelica. Remedium non est quod liberet à morte, nisi eleemosyna. Difficile est vitam istam ducere sine peccatis cuilibet hominum. Erogate ergo, Fratres mei, distribuite res vestras: facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum manentem in cælo. Audite Psalmum, *Quamquam in imagine ambulat homo, vanè autem conturbatur, thesaurizat, & nescit cui colligat.* * *Date & dabitur vobis.*

Divitiæ in cælum erogando levantur. V. Ser. 42. n. 2.

Matth. 25. 37.

Eleemosyna fœnus apud Deũ.

Psal. 38. 7.

* Luca 6. 38.

* SERMO CCCXCI.

Ad [e] juvenes.

* Aliàs de Tempore 246.

e A tentatione nulla ætas vacat.

1. AD vos mihi sermo est, ô juvenes, flos ætatis, periculum mentis. Tempus quidem omne atque

[a] Quanti solidum aureum vendiderit non declarat; intelligi autem potest ex Novella Valentiniani XXV. inter Theodosianas, qua cautum est, *Ne umquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur.* Cassiodorus sex olim millibus venditum docet lib. 1. Var. ep. X. *Sex*, inquit, *millia denariorum solidum esse voluerunt.* SIRM.

[b] Folles æreos dicit, non argenteos. Argentei enim folles centum pars solidi exigua non essent. Ut denarios ergo appellabant, tum argenteos, tum æreos: sic folles alii argentei fuerunt, alii ærei. Follium æreorum valor, aut idem fuit ac nummorum, seu denariorum, quorum sex septemve millia in solido censebantur, aut utriusque generis non magnum discrimen. Folles autem argentei Augustini ævo quid valerent, æstimari potest ex Lege III. Cod. Theod. De suariis, quæ porcinæ pretium in singulas libras senis follibus definit., & ex iis quæ in lib. 22. de civitate Dei c. 8. narrantur de Florentio sartore Hipponensi, qui grandem piscem trecentis follibus vendidisse dicitur. Utrobique enim congruere omnia possunt, si pro follibus asses, sive solidi sumantur monetæ nostræ Gallicanæ. Nam & porcinæ in singulas libras solidorum sex justum fuerit pretium, & grandem piscem trecentis assibus nostris vendi nihil est absurdi. Quo fit ut follium & solidorum nostratium valorem eumdem conjicere liceat, vel affinem. Verùm hæc de folle accipienda, quatenus certum nummi genus significat. Follis enim aliæ sunt in re pecuniaria notiones, quæ ad rem hoc loco non faciunt. SIRM.

[c] Sirmondus ex Regio cod. *egit ut pæniteret.* Abest *egit* à Mich. MS.

[d] In MSS. adsignatur Sabbato post Dominicam quintam Quadragesimæ. Mendosus & mutilus Sermo, sed præterea nihil ferè habens dissentaneum Augustino.

[e] Hunc Lovanienses ambiguum habent, supposititiũ Verlinus censet ac Vindingus. Iste porrò ab stilo Ambrosiano dicit non abhorrere. sed profectò ab Augustiniano priorum annorum haud abhorret magis.

Classis V.

Non puerilis.

omnis ætas, qua corruptibilis caro illa portatur, vacare à tentationibus non potest. Et tamdiu quisque bonus in agone luctatur, ne ab adversario superetur, in periculis agit, quamdiu cum illo, sicut in arenoso quodam stadio, sic in ista mortalitate contendit. Mox enim ut homo sæculo nascitur, & vitam plenam miseriæ, velut propheta futuri laboris sui, præconio lacrymosæ vocis ingreditur; etiam si nondum in animo suo, in animo tamen parentum suorum vel quorumlibet hominum, in quorum manibus nutrienda ejus infirmitas jacet, tentari jam potest, & diaboli circumventionibus rapi, aut per ligaturas exsecrabilium remediorum, aut per sacrilega sacra Gentium, aut si fortè mors urget, negligentiâ renuntiationis in baptismo salutari. Et, ut brevi complectar, tentatur illa ætas, cùm à suis in mundo diligitur, & in Christo negligitur. Trahit enim secum propaginem mortis, & in illo peccati vulnere radicatur, quod primo homini ex quo corruptionis originem duximus, venenoso dente serpentis inflictum est. Unde sanctus Job neminem mundum dicit, à peccati utique sordibus, nec infantem cujus est unius diei vita super terram. Sed de jam nato quid loquar? cùm David luctuosa voce clamet & dicat, *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Superflua enim possent videri baptismata recentium parvulorum, nisi omnes in Adam morerentur, & originale peccatum per parentum viscera usque ad fructum prolis tramite mortalitatis excurreret: cùm & mortalem creaturam Dominus omnipotens lege sui ordinis format, & immortalitatem renovationis optimus pater misericordiæ gratiâ subministrat.

Job. 4. 14. Psal. 50. 7.

Nec senilis.

2. Quòd si nec infantia mortalis hominis propter corruptionis vinculum à tentationibus vacat, quid de ceteris ætatibus dicam? An fortè senilis excepta est, & in carne jam vicina cadaveri sanguis ac membra illicitæ concupiscentiæ friguerunt, & à fesso ac propè mortuo jam corpore materies tentationis emarcuit? Immo verò tantus est in malis senibus plerumque gurges aviditatis & insatiabilis vorago ventris & gutturis, ut quantâ boni senes prudentiâ serenantur, tantâ isti vinolentiâ sepeliantur: quasi ad hoc in eis arida viscera & succo exhausta curventur, ut ad vigorem pristinum reparandum ebrietatis inundatione riganda sint. Quid avaritia, quæ radix est omnium malorum, nonne in frigidis senibus tantò ad adquirendum ferventiùs inardescit, quantò citiùs relictura est quod adquirit? mirabili sanè dementiâ. Gravioribus enim sumtibus se onerare festinat, cùm jam pervenerit quò tendebat.

Juvenilis validius impugnatur.

3. Si ergo puerilis & senilis ætas non est à tentationibus libera, quarum altera, id est puerilis, nondum penè ingreditur, altera jam egreditur istam vitam; & altera paulò antè non erat, altera paulò pòst non erit: quid sentiendum est, quid dicendum est de flagrantia juvenilis ætatis, quæ utriusque in medio constituta, & ab infirmitate pueritiæ jam recessit, & nondum ad torporem senectutis accessit? Hæc pluribus atque majoribus tentationum tempestatibus quatitur, hæc fluctuum crebriore impetu sæculi exundantis operitur. Præsumit viribus, formæ dignitate jactatur, pompâ rerum temporalium præfulgere aut exoptat aut gaudet. Itaque juventuti malorum venenum est quidquid veritas præcepit, esca est quidquid diabolus suggesserit: sed amaritudo justitiæ medicamentum est ulceris ætatis; dulcedo autem injustitiæ muscipula est temeritatis. Ad hoc pertinet quod scriptum est, *Dulciora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici*: & illud quod ait David, *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Urat veritas, & tamen sanet: nam oleum peccatoris adulatio assentatoris mulcet, sed decipit. Ibi enim lenitur superbia; sed labitur vita. Loquitur enim Propheta ex persona ejus qui jam medicum quærit, qui manum curantis etiam cum doloris acerbitate supportat, qui ægritudinem suam sanari potiùs quàm laudari desiderat. Periculosum verò est ulcus juventutis, quod cupiditatibus ignescit, spe tumescit, voluptatibus conrabescit. Sed spes ista desperatorum est, spes rerum periturarum, quæ animæ miseræ non solvit, sed inflat affectum, facitque illam tactum non ferre veritatis; ut etiam de sua immortalitate desperans, amet dicere, amet

Prov. 27. 6. Psal. 140. 5.

etiam qui ista sibi dicunt, *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*: oderit autem dicere & audire, *Sobrii estote, justi, & nolite peccare.* Amet perniciosam inimici lenitatem, oderit salubrem medici asperitatem. Ista perversitas, ista vesania in juvenili ætate maximè formidanda est.

Sermo CI. Dubii. 1. Cor. 15. 32. Ibidem 34.

Luxuriantis verba. Sap. 2. 1.

4. Hinc ille nascitur sermo hominum in flagitia diffluentium, & inde in scelera crudescentium. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè, Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis; & non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Et paulò pòst; *Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus*: & cetera, quæ in eodem loco adtexuntur gestientis verba luxuriæ, hominum de vita æterna desperantium, & spem suam tamquam in arena torrentis, ita in temporali carnis corruptione ponentium. Ex hac autem immoderatione libidinum & putrentium vermibus flagitiorum, videte in quæ facinora & in quàm immania scelera prosilitur. Exhausti enim atque subversi immoderatorum delictorum turpium corruptelis; dum severitatem veritatis sibi contradicentis oderunt, *Opprimamus* ergo, inquiunt, *pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec senes revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ: quod infirmum est enim, inutile invenitur. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Talia de Domino nostro Jesu Christo Judæorum impietas cogitavit. Quod manifestiùs in verbis consequentibus invenitur: pòst paulò enim dicunt, *Promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat.* Deinde rursus paulò pòst dicunt, *Contumeliâ & tormento interrogemus illum, ut sciamus reverentiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim respectus ex sermonibus illius.* Sed adtendite quam de illis sententiam ferat Spiritus-sanctus, quando statim subjungit, *Hæc cogitaverunt, & erraverunt, excæcavit enim illos malitia illorum.* Omnia igitur horrenda facinora, quæ timentur in sceleratis hominibus, videte de qua labe consurgant. Quid enim mollius quàm illa luxuria? quid durius quàm ista crudelitas? Jam dudum dicebant, *Fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tamquam in juventute celeriter. & non prætereat nos flos temporis, & ubique relinquamus signa lætitiæ.* Nunc dicunt, *Opprimamus pauperem, non parcamus viduæ, nec revereamur senem. Circumveniamus justum, contumeliâ & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum.* Vinum sequitur furor, unguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiam. A talibus ligatus, cæsus, interfectus est Dominus. Quis de coronis florentibus cruenta vincula formidaret? Quis de suavibus poculis dolores sævissimos prævideret? Quis de mollibus pratis tam dirum crucis lignum prænosceret? Et tamen nulla ætas in illa luxuria, nisi juventus flori temporis comparata est. Sic enim dixerunt; *Utamur creaturâ tamquam in juventute celeriter.*

Ibidem 6.

Ibidem. 10. &c.

Ibidem 13.

Ibidem 19. &c.

Ibidem 21. Mollitiem sequitur crudelitas.

Ibidem 8. &c.

Juvenes sensibilibus non capiantur.

5. Vos ergo, ô juvenes, maximè monemus & hortamur, ut veræ virtutis pulcritudine capiamini. Nulla species vos terrestris, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nullæ florum purpuræ, nullus vel naturalis vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atque tibiarum sonus, nulla odorum jocunditas, nulla saporum suavitas, nulli amplexus, pulcritudini, inspirationi, dulcedini, fomentis sapientiæ conferantur. Ab his enim quæ turpiter amantur, non ab ipso amore prohibemus. Amare vultis? Amate sapientiam, ambite ut perveniatis ad eam. Ut non vos exhorreat ejus adspectus, in homine vos interiore componite. Sicut lascivi oculi ornamenta corporis, sic illa cordis inquirit. Nec de vestris divitiis hæc ornamenta proferatis: quia odit superbos & quasi de suo se jactare cupientes. *Quid autem habes quod non accepisti?* Ipsa ergo donat unde illi placeas. Tantùm dilige eam, & serviet te; circumda eam, & exaltabit te; honora eam, & amplexabitur te: ut det capiti tuo coronam gratiarum. *Clara est & quæ numquam marcescet sapientia, & facile invenitur ab his qui diligunt illam.* Proponite hanc adjungere vobis, in illam suspirate, in illam exardescite, in illam deperite. Te ipsum abnega tibi; ne illi te abneges dum places tibi. *Non habet amaritudinem conversatio illius.* Si

Ad sapientiæ amorem se convertant.

1. Cor. 4. 7. Prov. 4. 9. Sap. 6. 13. Sap. 8. 16.

Classis V.

amatores estis, hanc amate; si formosi estis, Deo placete; si juvenes estis, diabolum vincite. Daniel ab Angelo vir desideriorum appellatus est.
Dan. 10. 11.
Quæ illa ejus erant desideria, nisi quibus in sapientiæ pulcritudinem ardenter inhiabat; quia & in juvenili ętate calcavit lasciviam, & regum superbiam pressit captivus, & ora leonum clausit inclusus?

Feminis etiã junioribus dicta convenitur.
6. Nec vos feminæ adolescentulæ alienum à vobis arbitremini hunc esse sermonem. Ad vos enim, non tamen ut confundam vos, hæc dico, sed ut filias meas carissimas moneo: juvenilia desideria fugite. Nuptæ Susannam, viduæ Annam, virgines Mariam cogitate. Nec in publicum propterea procedatis, ut florem fœni vestri oculis hominum ostentare cupientes, in domo vitæ mortem quæratis.
In ecclesiis non se ostentent.
Omnis enim *caro fœnum, & claritas hominis ut flores fœni.*
Isai. 40. 6.
Quid ergo facietis cum fœnum aruerit, flos deciderit? Verbum autem Domini, quod manet in æternum, cineres vestros non facilè inventurum putatis, quod nunc superbâ ætatis viriditate contemnitis? Ecce iterum dico atque contestor, juvenilia desideria fugite. Si auditis hoc, si obtemperatis, si tamquam Dei verbum cum honore & timore suscipitis, non solùm pulcri ante oculos Dei, sed etiam sani eritis. Si autem de hac admonitione nostra etiam jocos fortasse amatorios vobis faciatis; de ipsis ferramentis medici mortifera vobis vulnera infligetis. Certè Judæi qui Dominum crucifixerunt, (cùm audimus, horrescimus & ingenti exsecratione prosequimur,) sed tamen illi cùm de sua luxuria cogitarent, deliciosorum agrorum solitudines meditabantur, dicentes, *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.*
Sap. 2. 8.
Quomodo ergo parceret Christo, si eum invenisset in terra, qui quidem non solitaria prata irritandis libidinibus suis, sed frequentissimas ecclesias elegit regnantis in cælo? Ecce tertiò contestor & dico, desideria juvenilia fugite, Danielis desideriis æstuate.
Eccli. 6. 18.
Filii, à juventute vestra eligite doctrinam, & usque ad canos invenietis sapientiam.

*Aliàs 49. inter homilias 50.
a

*SERMO CCCXCII.

Ad [a] *conjugatos.*

Caput I.
1. Cor. 5. 20.
Mulier curvata symbolum generis humani.

1. APOSTOLUM audivimus nobis dicentem, *Legatione fungimur pro Christo, exhortantes reconciliari Deo.* Non exhortaretur ut reconciliaremur, nisi inimici fuissemus. Ergo erat totus mundus inimicus Salvatori, amicus captivatori: hoc est, inimicus Deo, amicus diabolo. Et totum genus humanum, tamquam ista mulier, curvatum erat ad terram.
Luca 13 11.
Jam intelligens quidam inimicos istos, clamat adversùs eos, & dicit Deo, *Curvaverunt animam meam.*
Psal. 56. 7.
Diabolus & angeli ejus animas hominum curvaverunt ad terras, id est, ut pronæ in ea quæ temporalia sunt & terrena, superna non quærerent. Nam utique hoc dicit Dominus de muliere ista, quam alligaverat satanas ecce decem & octo annis: & jam oportebat eam solvi à vinculo suo, & solvi in die sabbati. Calumniabantur autem erigenti, qui, nisi curvi? Quando quidem & ipsa quæ Deus præceperat non intelligentes, terreno corde intuebantur. Sacramentum enim baptismi carnaliter celebrabant, spiritaliter non videbant.

Caput II.
Dist. 34. Audite.

2. Audite Carissimi, membra Christi & matris catholicæ filii. Quod dico competentibus audiant fideles: quod dico fidelibus, audiant competentes: quod dico competentibus & fidelibus, audiant pænitentes: quod dico fidelibus & compe-

A tentibus & pęnitentibus, audiant catechumeni, audiant omnes: omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne sit vobis in testimonium dolor meus. Competentibus dico, Fornicari vobis non licet. Sufficiant vobis aut uxores, aut nec uxores: concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, si vos surdi estis; audiant Angeli ejus, si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet.
Sermon. Dubii.
Concubinas habere non licet.
Et si non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea
B [b] dimittatis, ut ducatis uxores; quantò magis damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas & uxores [c]? Non vobis licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt: nec vobis, feminæ, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt.
b
c
Nec maritatas uxores ducere.
Adulterina sunt ista conjugia, *non jure fori, sed jure cæli.
* Ser. 355. n. 5.
Nec eam feminam, quæ per repudium discessit à marito, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis caussâ licet uxorem adulteram dimittere: sed illâ vivente non li-
Nec à marito repudiatas.
C cet alteram ducere. Et vobis, feminæ, nec illos viros, à quibus per repudium discesserunt uxores eorum, maritos habere conceditur; non licet: adulteria sunt, non conjugia. Contemnitur Augustinus, timeatur vel Christus. Nolite imitari turbam malorum, infidelium, filii mei: nolite sequi vias latas, quarum finis ad interitum ducit. Qui baptizatus fuerit, aut continentiam Deo voveat, aut permaneat cum uxore sua, aut si non habet, ducat uxorem.

Caput III.
Pænitentia iis qui à castitatis proposito lapsi sunt amplectenda.

D 3. Audite me fideles, id est baptizati. Quare moriemini jam renati? Quando baptizati per vias tortuosas & lubricas & immundas itis, nescitis quia peritis? Peritis filii mei, credite. Non vultis credere? Quid vobis facio? Qui fideles estis, & auditis me, si fortè talia commisistis, nolite addere; & ut vobis Deus ignoscat, orate. Si non potuistis habere, vel noluistis, pudicitiam conjugalem seu continentiam, & deviastis à proposito vel
d
[d] vinculi conjugalis vel devotæ continentiæ, fit
E in vobis dolor & humilitas pænitentiæ. Apertiùs dico: nemo dicat, Non intellexi. Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis; agite pænitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia.
De pœn. dist. 1. c. Agite.
Publica pænitentia.
Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine caussa dictum est, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo?*
Matth. 18. 18.
Ergo sine caussa sunt claves datæ Eccle-
F siæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus? Job dicit, *Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea.*
Job 31. 33.
Talis justus, thesauri divini obryzum, tali camino probatus ista dicit, & resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione Dei superba cervix, mens tortuosa? Fortassis, immo quod non dubitatur, propterea Deus voluit ut Theodosius imperator ageret pæniten-
Theodosii pænitentia.
G tiam publicam in conspectu populi, maximè quia peccatum ejus celari non potuit, & erubescit senator, quod non erubuit imperator?

[a] In manuscriptis libris homiliarum 50. inscribitur, *De muliere curva.* In Flori autem collectione ad 1. Cor. 7. appellatur *Sermo ad conjugatos*: sic etiam in vetustissimo MS. Phimarconensi & aliis nonnullis, quibus in codicibus incipit ad isthæc verba, cap. 2. *Audite Carissimi*, nec habentur quæ præcedunt de mulieris curvæ sanatione. Ex duobus saltem Sermonibus unus iste conflatus est, cujus partes dubitare vix licet quin omnes pertineant ad Augustinum.

[b] Sic omnes MSS. At editi, *quas postea ducatis uxores*: omisso, *dimittatis ut.*

[c] Editi, *& uxores dimittatis.* Abest *dimittatis* à MSS.

[d] Sic MSS. Editi verò, *vel vinculo conjugali, vel devotione continentia.*

tuit,

Classis V. — Sermon. Dubii.

Erubescit, nec senator, sed tantùm curialis, quod non erubuit imperator? Erubescit plebeius sive negotiator, quod non erubuit imperator? Quæ ista superbia est? Nonne sola sufficeret gehennæ, etiamsi adulterium nullum esset?

Caput IV. Florus ad 1. Cor. 7. Psal. 4. 5.

4. Postremò, Fratres mei, audiunt me viri, audiunt me feminæ, quid ad me irascimini? Utinam faciatis quod scriptum est, *Irascimini, & nolite peccare.* Timere debeo, ne contingat mihi quod contigit apostolo Paulo, quod modò cùm legeretur, si intenti fuistis, audistis: *Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans?* (Gal. 4. 16.) B Et si ita est, fiat. Si necesse est ut inimicus sim vobis, meliùs vobis opto esse, quàm justitiæ. Commendo vos custodiendos etiam uxoribus vestris. Filiæ meæ sunt, sicut & vos filii mei estis. Audiant me: zelent viros suos; non sibi servent vanam gloriam, qua solent à maritis impudicis matronæ laudari, quia impudicitiam virorum suorum æquo animo ferunt. Nolo talem patientiam habeant Christianæ mulieres: prorsus zelent C viros suos; non propter carnem suam, sed propter animas illorum. Omnino ego moneo, ego præcipio, ego jubeo: episcopus jubet, Christus in me jubet. Novit ille in cujus conspectu ardet cor meum. Ego, inquam, jubeo. Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico, judices publicos, non proconsulem, non vicarium, non comitem, non imperatorem; sed Christum. In ceteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum, subditæ D ad obsequium. Nulla sit in vobis protervitas, nulla superbia, non contumeliosa cervix, non aliqua inobedientia: prorsus tamquam ancillæ servite. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos beatus Apostolus æquavit, dicens, *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro:* (1. Cor. 7. 3. &c.) subintulit, *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.* Quid te extollis? Audi quod sequitur: *Similiter & vir non habet corporis sui potestatem, sed mulier.* Ubi ad hoc ventum fuerit, clamate pro re vestra. Aurum E tuum vendit maritus pro necessitate sua: ferto femina, ferto ancilla; noli litigare, noli contradicere. Contemtus auri tui, dilectio est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat, quæ est & tua: (non enim potest esse ipsius, quæ non sit tua; si est caritas in te, quæ debet esse in uxore,) ferto patienter: & si dubitat, tu offer: contemne omnia propter amorem viri tui. Sed castum opta, pro castitate litiga. Patienter pereat villa tua, non anima ipsius te patiente pereat. F

Caput V.

5. Non dico viris, ut in hac caussa zelent uxores suas. Scio quia faciunt, novi. Quis ferat uxorem adulteram? Et imperatur feminæ ut ferat adulterum virum. O justitia! Quare rogo te? quare? Quia ego sum vir. Vir es? in fortitudine tua probemus, quia vir es. Vir es? vince libidinem. (1. Cor. 11. 3.) Quomodo vir, quo uxor est fortior? Tu es caput mulieris vir, verum est. Si caput est, ducat, uxor sequatur. Sed ubi recta est domus, caput mulieris vir. Si caput es, duc: sequatur illa G caput suum. Sed vide quò eas. Noli ire, quò non vis ut sequatur: noli ire, quò times pedissequam, ne in foveam adulterii simul ruatis: ne A cùm tu facis, doceas quod facis. Dolet tibi anima, si in foveam adulterii ambo simul ruatis: doleat tibi, si tu solus ruas. Zelas, non vis ut ruat illa: time, tu noli ruere. Nolite autem pudicissimæ feminæ imitari impudicos viros vestros: Absit à vobis. Aut vobiscum vivant, aut soli pereant. Impudico marito non debet mulier pudicitiam, sed Deo illam debet, Christo illam debet. Non propter illum faciat, qui non meretur; sed propter Christum faciat. Pretium suum adB tendat, tabulas suas legat. Postremò quod libet sentiat, qui fortè indignatur, quia talia disputo: nam scio, qui sapiunt, amant inde me; quia non sine caussa scriptum est, *Corripe sapientem, & amabit te; corripe insipientem, & adjiciet odisse te.* (Prov. 9. 8.) Non dixit, incipiet, sed *adjiciet:* quia jam oderat. Ergo scio quia sapientes amant me in hoc. A communione se cohibeant, qui sciunt quia novi peccata ipsorum; ne de cancellis projiciantur. Quorum autem nescio, hos coram Deo conveC nio. Agant etiam ipsi pænitentiam, & deinceps ab immunditia abstineant fornicationum suarum.

Caput VI. Pænitentes mutentur.

6. Pænitentibus dico, Quid est quod agitis? Scitote, nihil agitis. Quid prodest quia humiliamini, si non mutamini? Catechumenis dico, Exardescite voluntate ad percipiendam gratiam: Sed eligite vobis in Ecclesia Dei quos imitemini. (Catechumeni imitentur bonos de Ecclesia.) Si non inveneritis: heu mihi Deus meus, quid est quod dico, si non inveneritis? Ergo in populo fidelium non est quem inveniatis? Per tot annos, D tot homines sine caussa baptizavimus, si non ibi sunt qui servent quod acceperunt, qui custodiant quod audierunt. Absit à me ut hoc credam. Meliùs non vobis essem episcopus, si hoc ita est. Sed spero esse, credo esse. Inde est autem misera conditio mea, quia plerumque cogor adulteros nosse, castos nosse non possum. In occulto est unde gaudeam, in publico est unde torquear. Ergo desiderate gratiam Dei, eligite quos imitemini, cum quibus vivatis, & cum quibus colloquia E dulcia caritatis habeatis. Nolite admittere susurrationes malas. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* (1. Cor. 15. 33.) Vivite sicut spicæ inter zizania: ferte tribulationes hujus sæculi, sicut grana in area. Veniet ventilator: nemo sit passim isto tempore separator.

* SERMO CCCXCIII.

De [a] pænitentibus.

(* Aliàs 41. ex homiliis 50.) ([a] Pænitentia non vera, si non vita mutatur.)

PÆNITENTES, pænitentes, pænitentes, (si tamen estis pænitentes, & non estis F irridentes,) mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos enim cum catena pascitis. Qua, inquis, catena? *Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cælo.* Audis ligaturam, & Deo putas facere imposturam? Pænitentiam agis, genu figis, & rides, & subsannas patientiam Dei? Si pænitens es, pæniteat te: si non pænitet, pænitens non es. Si ergo pænitet, cur facis quod malè fecisti? Si fecisse pænitet, noli facere. Si adhuc facis, certè non es pænitens. Equidem, Ca-G rissimi, ægrotant homines, mittunt ad ecclesiam, vel portantur ad ecclesiam, & baptizantur & renovantur, & felices hinc erunt. Sed non ipsa est caussa pænitentiæ. Qui nondum accepit baptis-

[a] Dubius erat Lovaniensibus, Verlino autem & Vindingo falsus aut centonis in modum ex variis laciniis conflatus videbatur. Exstat etiam inter opuscula Ambrosii ac Cæsarii, sed cum insigni varietate. Apud Ambrosium & Cæsarium prætermissis prioribus viginti quinque versibus, incipit in hæc verba: *Admoneo vos, Fratres, in conspectu Dei, timori vestro adjungere timorem meum* &c. *Audite ergo quæ dicturus sum. Certus sum* &c. Sic in veteri quoque libro Ecclesiæ Carnutensis, in quo tamen Augustini nomen præfert.

Classis V. mum, nondum violavit sacramentum: qui autem violavit sacramentum malè & perditè vivendo, & ideo remotus est ab altari, ne judicium sibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur, cùm vivit, dum sanus est. Exspectat etiam ipse tunc reconciliari, quando incipit mori? Experti sumus multos exspirasse, exspectantes reconciliari. Deinde etiam dico in conspectu Dei, timori vestro, timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. Audi ergo. Certus sum, quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato, quis enim sine peccato? sed vitam sine crimine duxerit, & talia peccata habuerit, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicenti, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: quando diem finierit, vitam non finit, sed transit de vita in vitam, de laboriosa ad quietam, de misera ad beatam: sive iste voluntate sua currat ad baptismum, sive in periculo constitutus baptizetur, & exeat de hac vita, ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus autem desertor & violator tanti sacramenti, si agat pænitentiam ex toto corde, si agat pænitentiam ubi Deus videt, qui vidit cor David, quando increpatus à Propheta, & graviter increpatus, post comminationes Dei terribiles exclamavit, dicens, *Peccavi*: & mox audivit, *Dominus abstulit peccatum tuum.* Tantum valent tres syllabæ. Tres syllabæ sunt, *Peccavi*: sed in his tribus syllabis, flamma sacrificii cordis adscendit in cælum. Ergo qui egerit veraciter pænitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus & à Christi corpore separatus, & bene post pænitentiam vixerit, sicut ante pænitentiam vivere debuit, post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit. Non præsumo: non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pænitentiam, & reconciliatus [a] cùm sanus est, & postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pænitentiam ad ultimum & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, securus sum, & do securitatem: unde non sum securus, pænitentiam dare possum, securitatem dare non possum. [Sed dicat aliquis, Bone sacerdos, tu nescire & nullam securitatem nobis dare posse dicis, si ille salvatur, & Christum adire meretur, cui morienti pænitentia datur, qui dum vixit, dum sanus fuit, impænitens fuit: instrue ergo nos, rogo, quomodo bene vivere post pænitentiam debeamus. Dico, abstinete vos ab ebrietate, à concupiscentia, à furto, & maliloquio, ab immoderato risu, à verbo otioso, unde reddituri sunt homines rationem in die judicii. Ecce quàm levia dixi. [b] Omnia tamen gravia &

Pænitentia in extremis quàm incerta.

Matth. 6. 12.

2. Reg. 12. 13.

A pestifera. Et aliud dico: Non solùm post pænitentiam ab istis vitiis se homo servare debet, sed & ante pænitentiam, dum sanus est: quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pænitentiam accipere ac Deo & sacerdoti peccata sua confiteri poterit. Ecce quare dixi, quia & ante pænitentiam bene vivendum est, & post pænitentiam meliùs.] Quod dico adtendite: debeo illud planiùs exponere, ne me aliquis malè intelligat. Numquid dico, damnabitur? Non dico. Sed nec

B dico etiam, liberabitur. Et quid dicis mihi? Nescio: non præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare? vis quod incertum est evadere? Age pænitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pænitentiam, dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pænitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pænitentiam ipsam, quando jam peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis,

C ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde, nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pænitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo dimitte incertum, tene certum.

Sermon. Dubii.

* SERMO CCCXCIV.

* Ex Vaticana Bibliotheca erutus per Holstenium.

D *De Natali SS. Perpetuæ & Felicitatis.*

DUÆ gemmæ hodie in Ecclesia refulserunt & una claritas: quia Perpetua & Felicitas una sollemnitas; nec potest dubitari de felicitate, quæ perpetuam possidet dignitatem. Junxit illas carceris custodia, junxit & gratia: quia non est in eis ulla discordia. Simul cantant in carcere, simul Christo obviàm veniunt in aëre; simul pugnant ad vaccam, simul intrabunt in patriam sempiternam; simul martyrium gerebant; una lactabat, altera pariebat. Perpetua dicebat, cùm traderet infantem & amoveret lactentem, *Quis nos separabit à caritate Christi?* Felicitas de partu gemitus dabat, & post comites suos intrepida festinabat; & gemendo liberata, quid Christo dicebat? *Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis.* Et beatus David ad ejus gemitum consolandum dicebat, *Det tibi Dominus secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.* O fragilitas! Tenebræ fugiebant,

Rom. 8. 35.

Psal. 115. 17.

Psal. 19. 5.

E & humana conditio non transiebat. Sed qui mortem vicit, & illam à partûs periculo liberavit, & Perpetuam à lactis pondere sublevavit. Cùm enim scalæ illius gradus adscenderent, & draconis insidiosa colla calcarent, venerunt ad viridarium cælestium pratorum, & invenerunt illic pastorem bonum animam suam ponentem pro ovibus suis, & lactis succum quærentem à gregibus suis. Nam sedebat, inquit, pastor juvenis & senex, viridis ætate, canus capite, qui non novit senectutem. Juvenis in illo vultus micabat, quia *idem ipse est, & anni ejus non deficient.* Capite canescebat, quia justus Dominus justitiam diligebat, æquitatem agnoscebat in Martyribus. In circuitu ejus oves inclinatæ cubabant, ipse eas digito pastorali mulgebat, in quibus inveniebat lactis copiam & fecundam pietatis conscientiam. Mulgebat digitis & alloquebatur paternis solatiis, promissis cælestibus præparatis dicens, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Et ostendit illis lactis alvea puro corde

Psal. 101. 28.

Matth. 25. 34.

F spumantia per lucidam eleemosynam, & dicit, *Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & potastis me.* Accepit Perpetua à dulci pastore lac novum, antequam funderet sanguinem pretiosum. Responderunt, Amen, & cœperunt petere pietatem. Orabant in carcere, securæ jam de pastore. Domine, inquiunt, non sit arida confessio nostra, ut & nos mereamur tuis pretiosis gregibus sociari, & à tuis Martyribus non separari. Proponitur eis in visione palæstra, in amphitheatro arena pomposa. Adest ille Ægyptius, qui fuit in cælo Lucifer speciosus: ipse pugnaturus volutatur in pulvere, & Perpetua triumphatura Domino Salvatore, adjunxit manus in crucem, habens ante se Dominicum juvenem defensorem. Accipit triumphum de victoria, & ramum consequitur de corona. Offeramus illi & nos munera nostra: alii eis in tempore offerebant visitationes carceris; nos offeramus illis votum sollemnitatis, ut regnum mereamur cum omnibus Sanctis.

a Quæ paulò pòst cernuntur intra parenthesim, ipsa in Ambrosii ac Cæsarii editis & in Carnutensi MS. sunt hîc inserta, atque cum superioribus ita colligata: *& reconciliatus, si postea bene vixerit, securus est. Sed dicis: Quid est, bene vixerit? Vel hoc nos instrue bone sacerdos, tu nescire,* &c. Postque verba in parenthesis fine, *& post pænitentiam meliùs*; subjungitur, *Agens verò pænitentiam ad ultimum & reconciliatus* &c. Ceterùm quidquid est parenthesi contentum, abest prorsus à MSS. libris homiliarum 50.

b Apud Ambrosium, *ut tacerem gravia.* In Carnutensi libro, *& omisi illa gravia.* In reliquis liber iste Carn. Ambrosianis editis ferè consentit.

SERMONUM SANCTI AUGUSTINI QUORUMDAM QUI ADHUC DESIDERANTUR FRAGMENTA

REPERTA IN COLLECTANEIS EUGYPII, BEDÆ, FLORI ac Johannis Romanæ ecclesiæ diaconi.

*Citat Florus ad 2. Cor. 13. & 1. Tim. 5.

Ex Sermone contra Pelagianos, in Eugypii Tomo 2. c. 287. aut 288.*

Matth. 6. 12. & 13.

1. Illa duo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, &, *Ne nos inferas in tentationem*, quando Pelagianis objiciuntur, quid eos putatis respondere? Horrui, Fratres mei, quando audivi. Ego quidem non audivi auribus meis, sed sanctus frater & coepiscopus meus Urbanus noster, qui hîc presbyter fuit, & modò est Siccensis episcopus, cùm remeasset ab urbe Roma, & ibi cum quodam talia sentiente confligeret, vel se conflixisse referret, cùm urgeretur pondere orationis Dominicæ; urgebat enim eum, & dicebat, Si in nostra potestate est non peccare, & in nostra potestate est omnes peccatorum tentationes solis voluntatis nostræ viribus superare, quare Deo dicimus, *Ne nos inferas in tentationem?* Quid eum putatis respondisse? Rogamus, inquit, Deum, *ne nos inferat in tentationem*, ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in potestate: ne ruam de equo, & ne frangam pedem, ne latro me interficiat, & quid hujusmodi. Hæc enim, inquit, non habeo in potestate: nam vincere tentationes peccatorum meorum, si volo, & possum, nec Dei adjutorio possum.

Urbanus episcopus.

Pelagianorum error, liberi arbitrii viribus vinci posse tentationes, nec de peccatorum tentationibus agi in oratione Dominica.

2. Videtis, Fratres, quàm maligna hæresis; videtis quemadmodum omnes horretis: cavete ne capiamini. Novi enim calliditates & tergiversationes hominum impiorum aversorum à veritate, & quia jam in suas sententias ceciderunt vinci nolentium; videte, obsecro vos. Ecce enim invenit quod diceret, ideo nos dicere, *Ne nos inferas in tentationem*, ne aliquid nobis contingat, quod non habemus in potestate secundùm corporis tentationem. Inde ergo dicebat Dominus, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* Hoc dicebat, *Vigilate & orate*, ne pedem frangatis, aut ne caput doleatis, aut ne in damnum incurratis? Non hoc dicebat: sed quid dicebat? Quod Petro dixit, *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Rogavi*, inquit, *pro te*, dicit Deus homini, dominus servo, magister discipulo, medicus ægroto: *Rogavi pro te*: quid? *ne deficiat*: quid? manus tua? pes tuus? oculus tuus? lingua tua, aliqua paralysi, id est, dissolutione membrorum? Non: sed *ne deficiat fides tua*. Secundùm istos in potestate habemus, ne deficiat fides nostra.

Confutatur maligna hæresis ex oratione à Christo commendata & pro Petro adhibita.

Matth. 26. 41.

Luca 22. 32.

3. Quare pro nobis rogatur Deus, ut concedat nobis, quod isti dicunt, nos non debere rogare à sempiterna majestate, sed habere in potestate. Benedictiones, Fratres mei, benedictiones nostras, quas super vos facimus, evacuant, exinaniunt, elidunt. Auditis me, credo, fratres mei, quando dico, Conversi ad Dominum, benedicamus nomen ejus, det nobis perseverare in mandatis suis, ambulare in via recta eruditionis suæ, placere illi in omni opere bono; & cetera talia. Prorsus, inquiunt, hoc totum in potestate nostra est constitutum. Ergo nos inaniter talia vobis optamus. Defendamus & nos, & vos; ne & nos sine caussa benedicamus, & vos sine caussa Amen subscribatis. Fratres mei, Amen vestrum, subscriptio vestra est, consensio vestra est, adstipulatio vestra est. Ne fortè aliqui ipsorum & nos condemnent & vos, defendamus nos de apostolo Paulo: videamus si talia optavit plebi suæ, qualia oramus super vos. Audite quid dixerit quodam loco. Rem brevem dico. Quid dicis, ô nove hæretice, quicumque me audis, si præsens es? quid dicis? Quia non peccare in potestate sic habemus, ut hoc sine adjutorio divinæ gratiæ implere possimus, hoc dicis? Hoc, inquit. Ergo in potestate habemus non peccare sine adjutorio Dei? Planè, inquit, liberum arbitrium nostrum ad hoc nobis sufficit. Quid est ergo quod ait Apostolus, scribens ad Corinthios, *Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali?* Adtendistis, audistis, accepistis; & quia manifestissimum est, sine dubio intellexistis quid oravit Apostolus. *Oramus*, inquit, *ad Deum, ne quid faciatis mali.* Poterat dicere, Monemus vos, ne quid faciatis mali; docemus vos, ne quid faciatis mali; jubemus vobis, præcipimus vobis. Quod quidem si diceret, certum diceret, quia & voluntas nostra agit aliquid: non enim voluntas nostra nihil agit, sed sola non sufficit. Maluit tamen dicere, *Oramus*, ut ipsam gratiam commendaret: ut intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non sola sua voluntate se vitare malum, sed adjutorio Dei implere quod jussum est.

Orationes Ecclesiæ, auxilium gratiæ ut non peccemus, necessarium esse probant.

Florus ad 2. Cor. 13.

2. Cor. 13. 7.

4. Ergo, Fratres, quando præcipitur, agnoscite voluntatis arbitrium: quando oratur quod præcipitur, agnoscite gratiæ beneficium. Utrumque enim in Scripturis habes: & præcipitur & oratur; quod præcipitur, hoc oratur. Videte quod dico. Præcipitur ut intelligamus. Quomodo præcipitur ut intelligamus? *Nolite esse sicut equus & mulus, non habentes intellectum.* Audisti quia jussum est: pete, ut possis implere quod jussum est. Quomodo, inquis, peto? Audi Scripturam. Quid tibi jussum est? *Nolite esse sicut equus & mulus, non habentes intellectum.* Quia jussum est, agnovisti voluntatem: audi quia oratur, ut agnoscas gratiam. *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Jussum est ut habeamus sapientiam: quia jussum est lego. Ubi legis, inquit? Audite: *Qui insipientes estis in populo & stulti, aliquando sapite.* Jam ille quid dicit? Vides quomodo nobis præcepit Deus ut sapiamus. Ergo sapientia in nostra est potestate? Jam dixi, præceptum audivi, voluntatem cognovi: audi orationem, ut gratiam tu possis agnoscere. De sapientia igitur, quæ jussa est nobis, audiamus quid dicat apostolus Jacobus: *Si quis autem vestrum*

Præcepto liberum arbitrium, oratione auxilium gratiæ necessarium ostenditur.

Psal. 31. 9.

Psal. 118. 73.

Psal. 93. 8.

Jacobi 1. 5.

indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Jubetur nobis continentia. Ubi jubetur? Apostolus ad Timotheum, *Contine te ipsum.* 1. Tim. 5. 22. Florus ibidem. Jussio est, præceptio est; audiendum est, faciendum est: sed nisi Deus adjuvet, remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nititur aliquid voluntas: non præsumat potestas, nisi adjuvetur infirmitas. Sap. 8. 21. Certè enim jussum est: *Contine te ipsum.* Audi alium locum Scripturæ: *Et cùm scirem, inquit, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Et quid, inquit, feci? *Adii Dominum, & deprecatus sum.* Quid opus est multa percurrere, Fratres mei?[a] Quidquid nobis jubetur, orandum est ut impleatur: sed non sic, ut dimittamus nos, & quomodo ægri jaceamus supini, & dicamus, Pluat Deus escas super facies nostras; ut prorsus nos nihil agere velimus; & cùm esca compluta fuerit super os nostrum, dicamus etiam, Deus glutiat de nobis. Aliquid & nos agere debemus, studere debemus, conari debemus; & in eo gratias agere, in quo potuerimus, in eo quod non potuerimus, orare. Quando gratias agis, caves ne damneris ingratus: quando autem quod nondum habes petis, caves ne remaneas inanis, quia impediris.

Objectio Pelagianorum. 5. Cogitate ergo ista, Fratres mei, quisquis ad vos accesserit, & dixerit vobis, Quid ergo nos facimus, si nihil habemus in potestate nisi Deus det omnia? Ergo non nos coronabit Deus, sed se coronabit. Jam videtis quia de illa vena venit: vena est, sed venenum habet; percussa est enim à serpente, sana non est. Hoc enim agit hodie satanas, quomodo per venena hæreticorum ejiciat de Ecclesia, sicut tunc per venena serpentis ejecit de paradiso. Illum nemo dicat absolutum esse ab episcopis: Pelagius quomodo absolutus. absoluta est, sed confessio, quasi correctio ipsa est absoluta. Quia ea quæ dixit ante episcopos, catholica videbantur: quæ autem scripsit in libris suis, episcopi qui absolverunt, nescierunt; & forsitan correctus est. Desperare enim de homine non debemus, qui fortè fidei Catholicæ adjungi se maluit, & ad ejus gratiam auxiliumque confugit, fortè hoc factum sit: tamen non hæresis est absoluta, sed homo hæresim negans, &c.

Ex Sermone de Passione Domini, in collectione Bedæ & Flori ad Rom. 5.

Rom. 5. 10. *SI enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Ergo Christus pro impiis mortuus est. Et Christus Deus est. Quomodo non regnabit inventus in vita Dei justus, quando, ne periret, morte Dei quæsitus est impius? In vita enim Dei salvi erimus, quia in vita nostra perieramus. Sed cùm audimus & vitam Dei, & mortem Dei, discernamus quid, unde sit. Vitam quippe adtulit nobis, mortem verò accepit à nobis: nec tamen pro suo merito, sed pro nobis.

Item ex Ser. de Passione Dom. Beda & Florus ad Rom. 12.

Luca 18. 14. Rom. 12. 16. QUI *se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Proinde cùm Apostolus nos admoneat, ne simus alta sapientes, sed humili-

A bus consentientes; cogitet, si potest, in quantum superbiæ præcipitium feratur homo, si non consenserit humili Deo; & quàm sit perniciosum impatienter hominem ferre quod voluerit Dominus justus, si patienter pertulit Deus quod voluit inimicus injustus.

Item ex Ser. de Passione, Beda & Flor. ad Rom. 15.

REX ergo Judæorum Christus, sub cujus lene jugum etiam Gentes missæ sunt in salutem; quia B eis misericordia majore concessum est. Hoc apertiùs ipse ostendit Apostolus, ubi ait, *Dico enim Christum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum, Gentes autem super misericordia glorificare Deum.* Rom. 15. 8. & 9. Neque enim debitum erat panem filiorum tollere, & mittere canibus, nisi canes humiliati ad colligendas micas, quas de mensa dominorum cadere cernerent, per ipsam humilitatem exaltati atque homines facti, ad ipsam mensam C mererentur accedere.

Item ex Ser. de Passione, Beda & Flor. ad Gal. 6.

GLORIEMUR ergo & nos in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis mundus, & nos mundo crucifigamur. De qua cruce ut non erubesceremus, eam in ipsa fronte, hoc est, in pudoris domicilio collocavimus.

Item ex Ser. de Passione, Beda & Flor. ad Ephes. 4.

D NEQUE enim, ut nonnulli putant, vetus homo corpus est, & novus homo anima: sed corpus, exterior homo est; anima, interior. In interiore agitur hæc vetustas & novitas. Cùm enim Apostolus diceret, *Exuite vos veterem hominem, & induite novum*; Ephes. 4. 22. &c. non hoc jubebat, ut corpus deponeretur, sed ut vita in melius mutaretur. Hoc denique consequenter edocuit; nam volens quid dixerit explanare, *Quapropter*, inquit, *deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque* E *cum proximo suo.*

Ex Sermone de Resurrectione Domini, Beda & Florus ad Rom. 6.

QUOD *enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu.* Rom. 6. 10. Hoc est sacramentum, in quo hi qui baptizantur, vitæ veteris experiuntur occasum, & novæ exordiuntur F ingressum. Unde idem dicit, *Consepulti ergo illi sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ibidem 4. Per hoc sacramentum agnoscamus nos & peccato mortuos esse cum Christo, & justitiæ vivere in Christo. In cruce dolor est confessorum: in sepultura requies absolutorum: in resurrectione vita justorum.

Ex Sermone octavarum Paschæ, inter collectanea Johannis diaconi in Genesim nondum vulgata.* G

* Citatur etiam à Beda nondum vulgato ad 2. Tim. 3.

1. DIXITQUE *Deus, Fiat lux, & facta est lux,* Gen. 1. 3. Lux facta. &c. Lucis nomine per allegoriam omnes justos atque fideles appellatos intelligimus, sicut dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ephes. 5. 8. Sed lux ista facta est: *Erat autem lumen verum, quod illuminat omnem homi-* Johan. 1. 9.

[a] Germanensis MS. *In eo quod non potuerimus, quidquid nobis jubetur &c.*

nem venientem in hunc mundum, quod non est factum, sed natum de Deo. Lux illa non est facta, & per non factam facta est ista. Sic & firmamentum: quomodo à lucente Deo facta est lux, sic à firmo Deo factum est firmamentum. Et invenimus firmamentum in Ecclesia oportere intelligi auctoritatem divinarum Scripturarum: & ideo priùs lux, postea firmamentum; quia Scriptura per homines justos facta est, & nisi priùs justificarentur, ut lux essent, Scriptura propagari non posset, ut firmamentum fieret inter aquas & aquas, medium inter populos hominum inferiores & populos Angelorum superiores. Quare? Quia Angeli non desiderant de Scripturis proficere, ideo non sunt sub firmamento, sub auctoritate Scripturarum; quia illi speciem divinitatis & sapientiæ contemplantur. Nos autem meritò sub firmamento sumus, quibus voluntas Dei per auctoritatem Scripturarum aperitur. &c.

Firmamentum inter aquas.

Mare & arida.

2. Videmus terram, videmus mare; opera Dei sunt: ista subjacent oculis nostris, illa subjacent intellectibus nostris: ista nota sunt carni nostræ, illa nota sunt menti nostræ. Quid est arida in Ecclesia? Arida vocatur omnis anima sitiens Deum. Segregatæ sunt enim aquæ, & apparuit arida. Mare hoc sæculum est, & mali aquæ sunt amaræ; segregatæ sunt & congregatæ in congregatione una, id est prædestinatæ ad unum finem, quò dirigit Deus omnes quos separat à sanctis. Separat autem Deus; nam homo non potest ista separare: & apparet arida per separationem. Duos homines pone simul, unus desiderat spectaculum, alter ecclesiam. Juncti corpore, separantur desideriis. Ille pertinet ad aquam amaram, hic apparet arida. Unde probamus quia arida est ista terra, quæ significat homines bona desiderantes? Dicit Psalmus Deo, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, anima mea sitiit te. Sitit, arida est: segregata est ab aquis maris. Non adtendat quia nondum corpore segregata est: jam desiderium fecit segregationem. Alii desiderant Deum, alii desiderant sæculum. Quid ergo sitit arida? Imbrem de cælo, imbrem de nubibus, imbrem de Scripturis, imbrem de firmamento. Cùm autem desiderat imbrem, dulcem aquam desiderat, separatam ab aqua amara. Sed Deus novit quia desiderat arida: latet enim & in occulto est. Desideria maris, id est, desideria sæcularia apparent. Si quis desiderat pecuniam, movetur ad ipsam pecuniam, vult illam adquirere; quia visibilis res est pecunia, apparet desiderium ejus. Qui autem desiderat Deum, latet desiderium ipsius; quia latet Deus, quem desiderat: intus est, occulta res est. Sitit quidem, & arida est; sed apparet oculis Dei. Et non prætermisit fructum, statim dixit, *Germinet terra herbam pabuli*. Germinet terra ipso die quo facta est arida. Non potuit arida illa sine fructu diu esse. Audiamus & nos verbum Dei: & germinet terra herbam pabuli, id est, bona opera misericordiæ, de quibus dicit Isaias, *Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam* &c. Firmamentum ergo Scriptura Dei est: luminaria in firmamento intelligentia Scripturarum: lumina autem in cælo, intellectus in Scripturis. Vis pervenire ad lumen cæleste? Priùs terra esto dans fructus, id est, præcedant opera misericordiæ: post opera enim misericordiæ, venit illuminatio lucis illius, quam desideras. &c.

Psal. 142. 6.

Gen. 1. 11.

Herba pabuli.

Isai. 58. 7.

A 3. *Dixit autem Deus fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem & noctem.* Evangelistæ luminaria sunt, Scriptura Dei firmamentum. Evangelium autem, quod habet testimonium à Lege & Prophetis, luminaria sunt in firmamento cæli. Parvulus autem in Ecclesia nondum potest capere cibum, sed est lacte contentus, quod significat luminare minus & stellæ. Et ideo *luminare maius ad potestatem diei, luminare minus ad potestatem noctis*. Quam-
B diu carnales sunt homines, & non possunt illam sapientiam, per quam facta sunt omnia, cogitare, in nocte sunt: sed non deseruit noctem; præstitit fidem. Non enim noctem deseruit Deus, dedit illi luminaria sua. Dies solem quærit, sol ei sufficit: luna & stellæ nocti datæ sunt, illuminant illam; & quando luna non lucet super terram, lux illa quæ est in aëre, de stellis est. Unde fit, ut exeamus foras nocte, & videamus arbores; & si non discernimus, tamen videmus utcumque lucem stellarum: & ideo quando crassa sunt nubila,
C tollitur & lux stellarum, & sic est homo ante se sub* divo, quomodo intus in cubiculo. Ergo habet & nox lucem quamdam suam. Videamus quid dicit Apostolus in illis muneribus, in illis donis spiritalibus: *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*. Quomodo datur? *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.* Qui intelligit quid intersit inter sermonem sapientiæ & sermonem scientiæ, intellexit quid intersit inter luminare maius & luminare minus.
D Audiamus sermonem sapientiæ: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio* &c. Qui comprehendunt, dies est, sol illis lucet: sed nisi primùm à nocte, non venerunt ad lucem; *Tenebræ* enim *erant super abyssum, & dixit Deus, Fiat lux*. Nemo dicat quia à luce cœpit. Omnes enim ex peccatoribus justificamur. Capiant ergo qui possunt quod dixi de Evangelio. Sed dicunt mihi, Non intelleximus quid est, *In principio erat Verbum*. Si ergo adhuc nox est, adtende quia as-
E sumsit carnem Verbum, & fecit tibi quasi lumen nocturnum. *Verbum* enim *caro factum est, & habitavit in nobis*. Et in rubo loquitur Deus per Angelum Moysi. Audi ubi est sermo sapientiæ. Quid vocaris, dixit Moyses? quomodo te nuntio populo? Si dictum fuerit, Quis te misit? quid dicam? Audi sermonem sapientiæ: *Dices filiis Israël, Qui est misit me ad vos*. Quis potest capere, *Qui est*? Cetera verò non sunt. Quis verè est? Qui non transit, qui semper manet incommutabilis.
F Sed iste cibus grandium est, iste sol diei est. Et quasi diceret Moyses illi, Adhuc nox sum, noctem illumina. Aliquid dicam quod potest nox capere, aliquid dicam quod possunt parvuli retinere: *Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob*. Ergo, *Ego sum qui sum*, ad potestatem diei: *Ego sum Deus Abraham*, ad potestatem noctis. Fides temporaliter dispensata, lucet nocti: sapientia semper manens, lucet diei. Nutrit in nocte, ut procedamus in diem. Stellæ
G ergo cetera munera. Quia cùm dixisset, *Alii datur sermo sapientiæ*, tamquam *solem in potestatem diei: alii datur sermo scientiæ*, tamquam *lunam in potestatem noctis: dat & stellas, alii donatio curationum, alii prophetia* &c.

4. *Dixit Deus, Producant aquæ reptilia ani-* Gen. 1. 20.

Luminare majus, & luminare minus.

* pro sub aëre, ut Horat. 2. Carm. Od. 3. & Plin. l. 14. c. 21.

1. Cor. 12. 7. &c.

Johan. 1. 1.

Ibidem 14.

Exodi 3. 14.

Ibidem 15.

marum vivarum , & volatilia. Et produxerunt aquæ pisces , & cetos magnos & volatilia cæli. Et vidit Deus quia bonum est, &c. Videamus ergo quid dicunt Scripturæ. Lux per lucem , justi per verbum. Firmamentum cæli , solidamentum Scripturarum. Aquæ sub firmamento , terrenus populus : aquæ supra firmamentum , cælestis populus. Terra arida ab aquis maris separata , animæ sitientes Deum à multitudine delictorum sæculi. Germinat terra herbam pabuli & ligna fructifera , opera misericordiæ. Luminaria in firmamento cæli , prædicatores verbi , Evangelistæ & Apostoli , dona spiritalia. Adtendamus ergo luminaria circumeuntia totum mundum , & videte quemadmodum producant aquæ reptilia animarum vivarum. Discurrunt Evangelistæ , evangelizantur homines. Ergo reptilia animarum vivarum , sacramenta intelliguntur. Quare ? Quia ad hoc sunt sacramenta necessaria, ut Gentibus evangelizentur , & de Gentibus homines separentur ; hoc est , ut aquæ producant illæ amaræ , & fiant pisces dulces. Magna enim res est , gustare aquam maris nemo potest , * pisces manducare : amaritudine nascuntur, & vegetantur. Ista sunt sacramenta dulcia, quæ missa sunt per totum mundum. Sed reptilia dicuntur animarum vivarum : nondum anima viva. Quare ? Hoc aliquantùm ad intelligendum spissum est. * Audistis modò, cùm lectio legeretur , quia Simon magus baptizatus est , & non deposuit malam mentem : habuit formam sacramenti , virtutem sacramenti non habuit. Audi Apostolum quid dicat de impiis : *Habentes* , inquit , *formam pietatis , virtutem autem ejus abnegantes.* Quæ est forma pietatis ? Sacramentum visibile. Quæ est virtus pietatis ? Invisibilis caritas. Audi virtutem pietatis : *Si linguis hominum loquar & Angelorum , caritatem autem non habeam, factus sum ut æramentum sonans* &c. Et si illud & illud habeam , *caritatem autem non habeam , nihil sum.* Nam sacramenta sancta & magna sunt : sed nihil est homo , si caritatem non habeat. Ergo virtus sacramenti caritas. Quam caritatem non habet hæreticus , cùm apud eum inveniam formam sacramenti. Itaque cùm ad me venit hæreticus, defero formæ sacramenti , ut non rebaptizem : sed reddo virtutem sacramenti,ut radicem caritatis insinuem. Ipsa ergo erit anima viva , quam terra producit , ut anima viva sit , jam habens virtutem sacramenti. Hoc est ergo quod dictum est , *Producant aquæ reptilia animarum vivarum* &c.

Reptilia animarum vivarum.

* *f. deest* , potest.

* *Beda verus & nondum vulgatus ad 2. Tim. 3. Act. 8. 12. 2. Tim. 3. 5.*

1. Cor. 13. 1.

Virtus sacramenti caritas.

Gen. 1. 24. Animæ vivæ creatio.

5. Dixit *quoque Deus*, *Producat terra animam viventem in genere suo* , &c. Sexto die dixit Deus , *Producat terra animam vivam :* non reptilia animarum vivarum , sed animam vivam. Et produxit terra omnia pecora,& bestias,& serpentes,& quidquid repit super terram. *Et vidit Deus quia bonum est. Et dixit Deus* , eodem die sexto , quando ejecit terra animam vivam , *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* , &c. Diximus quia fecit Deus lucem , id est , omnes fideles : fecit firmamentum in mundo , cælum inter aquas & aquas ; fecit firmamentum in Ecclesia , auctoritatem Scripturarum inter populos Angelorum , quibus hoc non est necessarium , & populos hominum , qui ibi quærerent Deum : fecit Deus in mundo separationem maris à terra , fecit Deus in Ecclesia separationem

Gen. 1. 26.

gentium à servis suis : sitit terra arida imbrem , sitiunt homines in Ecclesia imbrem cælestem : produxit terra herbam pabuli & ligna fructifera, producunt & homines in Ecclesia opera misericordiæ : fiunt luminaria in cælo , luminare maius, sermo sapientiæ ; luminare minus , sermo scientiæ : stellæ , dona curationum , prophetiæ fides &c. omnia ista in firmamento cæli. Cùm ergo cœpissent ambulare & peragrare totum mundum, generarunt aquæ , id est , de Gentibus exstiterunt reptilia animarum vivarum , sacramenta sancta ; & homines consecrati habentes formam : forma est enim sacramenti in homine , & aliquando virtus sacramenti statim consequitur , sed jam in terra quæ separata est ; ideo producit terra animam vivam. Et re vera fratres * animam vivam esse opus est. Acceperunt fratres baptismum , sequatur formam virtus. Non sit baptismus ad judicium , sed ad salutem. Ad judicium fuit Simoni mago,ad salutem Petro. Videamus ergo quid est anima viva, quam terra produxit. Adtendite hominem , habet corpus , habet animam. In ipsa anima multos motus habet similes bestiis ; & habet nescio quid aliud , quod non habent bestiæ. Quos motus habet similes bestiis ? Manducare & bibere , dormire & vigilare , & generare. Nonne communes sunt nobis cum bestiis ? Istos motus quisquis in luxuriam projecerit , animam mortuam habet , non animam vivam. Unde probamus ? Audi Apostolum : *Quæ autem in deliciis agit , vivens mortua est.* Quid est agere in deliciis , nisi illos motus animæ , quos communes habemus cum pecudibus , laxare in voluptates & concupiscentias immoderatas , in voracitatem , in ebrietatem , in fornicationem , in somnolentiam ? In deliciis agunt qui sic vivunt ; sed vivi mortui sunt. Si autem constringantur istæ omnes affectiones , & isti motus teneantur ad castitatem , ad continentiam, producit terra animam ; quæ quia mortua erat in deliciis , restat ut refrenata à deliciis incipiat vivere , & habere virtutem pietatis. Quæ est autem virtus pietatis ? Caritas in Deum & proximum. Qui autem habet caritatem , refrenat per fidem omnes libidines , omnes concupiscentias, omnes motus animi sui , quos communes habet cum pecudibus , erit anima viva. Et sequitur ut jam formetur homo ad imaginem & similitudinem Dei. Formatur autem cùm omnia ista, quæ dicta sunt,ad * illum hominem concluduntur. Quia & fecit Deus lucem , de homine dictum est in Ecclesia : & fecit firmamentum , propter hominem auctoritas Scripturarum : & separavit aquas à terra , Gentes à credentibus : & germinavit terra herbam pabuli , opera misericordiæ : & lumina in cælo , Evangelistæ sancti in homine : & produxit terra reptile animarum vivarum , sacramenta ; & hoc in hominibus : postea produxit animam vivam , refrenationes omnium libidinum ; & hoc in homine. Junge ista omnia ad intellectum ; & factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei. Adtende unde illud probemus. Ideo de singulis dicebat , *Vidit Deus quia bonum est.* Quando autem fecit rem meliorem , non vidit quia melior facta est. Sed in ipso homine concludit omnia quæ facta sunt , & dictum est , *Vidit Deus omnia quæ fecit , & ecce bona valde.* Jam hodudum dicebat de singulis , quia bona essent ; homine facto omnia nominavit. Intelligitur quia il-

* *indicat recens baptizatos.*

Anima viva.

1. Tim. 5. 6.

Pietatis virtus , caritas.

Homo ad imaginem Dei.

* *f.* ad intellectum hominis conjunguntur.

la singula in homine omnia inveniuntur. Quæris A in homine lucem? Invenis fidem. Quæris firmamentum? Invenis auctoritatem Scripturarum. Quæris segregationem aquarum? Invenis fidelem segregatum à Gentibus. Quæris pullulare herbam & ligna fructifera? Invenis opera bona, opera misericordiæ. Quæris luminaria cæli? Invenis Evangelistas. Quæris reptilia animarum vivarum? Invenis sacramenta. Quæris animam vivam? Invenis continentiam. Quæris in homine hominem? Invenis imaginem & similitudinem B Dei.

Ex Sermone de Quinquagesima resurrectionis, Florus ad 1. Cor. 1.

HUMILIATUS est Dominus Christus, ut esse humiles nosceremus: conceptus est continens omnia, natus est gignens omnia, mortuus est vivificans omnia: sed post triduum resurrexit, & adscendit in cælum, & humanam quam susceperat carnem, ad Patris dexteram collocavit. Mirabile C est, Fratres, & hoc est quod credere impii nolunt; mirabile est hominem resurrexisse in carne, & in cælum adscendisse cum carne: sed multò est mirabilius, totum mundum rem tam incredibilem credidisse. Quid est incredibilius, Deum talia fecisse, an mundum credere potuisse? Quid si & ipse modus consideretur à nobis, quo credidit mundus, etiam ipse verè divinus advertitur, & valde mirabilis invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino quantum ad sæculi doctrinas pertinet D impolitos, non peritos grammaticâ, non armatos dialecticâ, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare sæculi paucissimos misit. Quid dico paucissimos? Duodecim misit; & tamen per eos sic omni genere piscium implevit Ecclesias, ut plurimi etiam ex ipsis sapientibus sæculi, quibus videbatur ignominiosa crux Christi, eâ in fronte signentur; & de qua erubescendum putabant, nobisque insultabant, eam in pudoris arce constituant.

Ex Sermone de apostolo Paulo, in conversione cujusdam Fausti pagani, Florus ad Rom. 14.

COR hominis nec videre possumus, nec ostendere. Deus dicit, *Quæ palàm sunt, vobis; quæ occulta sunt, mihi.* Paulus dicit apostolus, *Fratres nolite ante tempus judicare quidquam, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* (1. Cor. 4. 5.) Non potes inspicere cor novi Christiani. Quid, F cor veteris Christiani potes? Dicturi estis, Sed ex necessitate credidit. Posset & de illo dici, de quo paulò antè loquebamur, *Qui priùs fuit blasphemus, & persecutor, & injuriosus.* (1. Tim. 1. 13.) Et ipsi enim quædam necessitas impacta est: cælesti voce prostratus est: ut lumen haberet, lumen perdidit. Minare quod volueris, & quantum volueris da cuilibet homini: quid dulcius ista luce? Quam tamen Paulus nisi perdidisset, æternam non accepisset. De necessitate credidit. Quid timuit? G Dicatur mihi quid timuit. Clamantes oves? Oves clamare possunt, mordere non possunt. Potuit & in ipso clamore ovium Dei advertere gloriam Dei, & timere judicium Dei. Excitatus est à somno quodam modo, ut consideraret impleri de Christo quæ sunt prædicta de Christo, tantum posse nomen Christi, tantum prævalere gloriam Dei. Itaque breviter dico Caritati Vestræ; Ecclesiam Dei alloquor, populum Dei alloquor: Si credidit, tu invenisti; si timuit, tu vicisti. Interim, Fratres, ad quod possunt homines, ultrà nobis non usurpemus quod concessum non est. Apostolus dicit, *Infirmum autem in fide recipite, non in dijudicationibus cogitationum.* (Rom. 14. 1.) Non nobis usurpemus dijudicare cogitationes aliorum: sed Deo præbeamus cogitationes nostras, etiam pro illis de quibus fortè aliquid dubitamus. Fortè dubitat aliquid novitas ipsius. Amate abundantiùs dubitantem: amore vestro curate de corde infirmi dubitationem. Interiorem faciem videte, de qua gaudeatis; cor Deo committite, pro quo oretis. Sciatis eum deseri à malis, suscipiatur à vobis. Plus amate hominem, quàm priùs oderatis errorem. Sic venit Christus ægros sanare, de quo Evangelium audivimus, *Quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* (Matth. 9. 12.) *Et quis est homo, qui cùm perdiderit unam ovem, nonne relinquit nonaginta-novem in montibus, & it quærere unam quæ perierat, & cùm invenerit gaudet de illa? Sic gaudet Pater meus de uno pœnitente, quàm de nonaginta-novem justis, quibus non est opus pœnitentiâ.* (Matth. 18. 12.) Sic prorsus venit Christus ægros sanare, sic se novit de inimicis suis misericors vindicare. Quibus fortè animus dolet consortibus ejus erroris, ad horam irascuntur, postea fortassis imitabuntur. Itaque, Fratres, commendamus eum & orationibus vestris, & dilectioni vestræ, & amicitiæ fidelissimæ, & susceptioni infirmitatis ejus. Quomodo præitis, sic sequitur: bonam viam docete, bonam in vobis inveniat. Jam factus Christianus, discernat quid intersit inter id quod dimisit & id quod invenit. Vitam ipsius & studium circa fidem Christi posteriora tempora comprobabunt: nunc autem, Fratres mei, non fuit necesse, non fuit consilii pastorum repellere pulsantem, differre quærentem. De occultis cordis velle judicare, & vocem manifestam non acceptare, nec consilii E fuit, nec propositi nostri. Novimus enim quemadmodum minetur misericors illa Dei avaritia undique lucra quærentis de pecunia sua, & dicentis pigro servo judicare volenti quod non videbat, & circa lucra colligenda Domini torpescenti, *Serve nequam, ex ore tuo te condemno. Tu me dixisti hominem molestum, metere ubi non seminavi, colligere ubi non sparsi:* (Lucæ 19. 22. &c.) noveras ergo avaritiam meam. *Tu dares pecuniam meam nummulariis, ego veniens cum usuris exigerem.* Nos ergo non potuimus nisi erogare pecuniam Dominicam. Exactor ille erit, non tantùm ipsius, sed & omnium nostrûm. Impleamus ergo officium prærogatoris, non usurpemus locum exactoris. Itaque, Fratres mei, opus Dei in animo habete: aliud quærebatis, aliud disponebatis, aliud invenistis. Opus Domini commendamus, servi conservis. Plus in eo diligamus quod Dominus noster fecit, quàm id quod facere volebamus. Meliora enim sunt opera ipsius. Et magnam & devotam vocem ejus audivimus: Majoratum nolo, Christianus esse volo. Lætamini, exsultate, ampliùs quàm oderatis amate. Opus suum Christo orationibus commendate: animum fidelem, pium, amicum rudimentis senis exhibete. Quid interest enim quia videtis jam provectam ætatem? Horâ nonâ venit ad vineam, mercedem æqualem accepturus, &c.

* In Kalend. Carthag. mense Aug. celebratur Quadratus & Martyr à Possidio dicitur ad. c. 9.

*Ex Sermone de Natali sancti * Quadrati, Beda nondum vulgatus ad 2. Cor. 4.*

BEATUS apostolus Paulus adhibuit testimonium de Scripturis, in quo nobis gloriam Martyrum commendavit. *Propter quod scriptum est*, inquit, *Credidi propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod & loquimur.* Si enim tantummodo credidissent,
2. Cor. 4. 13. & non loquerentur, non paterentur. Credendo apprehenderunt vitam, & loquendo invenerunt mortem; sed mortem, in qua corpus corruptibile seminaretur, & incorruptio meteretur. Istum sensum, id est, quòd credimus propter quod & loquimur, alio loco idem
Rom. 10. 10. Apostolus sic explicavit: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Ex Sermone de tribus virgis, Beda & Florus ad 1. Cor. 1.

QUARE autem primò ignobiles, paucos imperitos & impolitos elegerit Dominus, cùm haberet ante oculos suos turbam magnam, in comparatione quidem illorum pauperiorum pauciores, sed in genere suo multos divites, nobiles, doctos, sapientes, quos po-
1. Cor. 1. 27. & 28. stea etiam collegit, exponit Apostolus sacramentum: *Infirma hujus mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & stulta hujus mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & ignobilia hujus mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt*, id est, non computantur, *ut quæ sunt evacuentur.* Venerat enim docere humilitatem, & expugnare superbiam. Venerat humilis Deus: nullo modo hîc priùs altos quæreret, qui tam humilis venerat. Primò, quia elegit nasci de illa femina, quæ desponsata erat fabro. Non elegit ergo amplos natales, ne in hac terra nobilitas superbiret. Non elegit saltem nasci in amplissima civitate, sed natus est in Bethlehem Judæ, quæ nec civitatis nomine nuncupatur. Hodieque illam incolæ loci illius villam appellant: tam parva, tam exigua, propè nulla est, nisi pristinâ Domini Christi nativitate nobilitaretur. Elegit ergo infirmos, pauperes, indoctos: non quia reliquit firmos, divites, sapientes, nobiles; sed si ipsos primos eligeret, merito divitiarum suarum, merito substantiarum, merito natalium sibi eligi viderentur, atque inflati de his rebus, salutem humilitatis non reciperent, sine qua nemo potest redire ad illam vitam, unde non laberemur nisi per superbiam.

Item ex Ser. de tribus virgis, Beda nondum vulgatus ad 1. Thessal. 2.

1. Thess. 2. 7. FACTUS *sum parvulus in medio vestrûm, tamquam nutrix fovens filios suos.* Ideo non dixit, mater; quia aliquando matres vel delicatiores sunt, vel minùs amantes filios suos, cùm pepererint tradunt aliis nutriendos. Rursum si solùm dixisset, *Tamquam nutrix fovens*; & non addidisset, *filios suos*: tamquam alia pariente nutriendos accepisse videretur. Et nutricem se dixit, quia alebat; &
Gal. 4. 19. filios suos, quos ipse pepererat, dicens, *Filii mei, quos iterum parturio, quoad usque Christus reformetur in vobis.* Parit autem, sicut parit Ecclesia in utero suo, non semine suo.

Ex Sermone de bono Nuptiarum, Beda & Florus ad 1. Cor. 7.

Matth. 19. 12. QUI *potest capere, capiat.* Sed non possum, inquit. Non potes? Non possum. Suscipiat te * nutritoria quædam Apostoli
* Beda in MSS. nutricatoria. auctoritas, ut *si se non continent, nubant.* Fiat aliquid, unde per-
1. Cor. 7. 9. veniatur ad veniam. Pertineat ad veniam, ne irruatur in æternam poenam. Fiat quod licet, unde ignoscatur quod non licet. Hoc indi-
Ibidem. cat quod sequitur: *Mallem eos nubere, quàm uri.* Concessit, inquam, aliquid incontinentiæ, quia majus timuit: timuit poenas æternas, timuit quod exspectat & manet adulteros. Etiam hoc quod conjugati victi concupiscentiâ utuntur invicem ultra necessitatem libe-
Matth. 6. 12. ros procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicitur, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Ex Sermone de eo quod scriptum est, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: *Beda nondum vulgatus ad 1. Thess. 5.*

1. Thess. 5. 14. CORRIPITE *inquietos, consolamini pusillanimes* &c. Quando videt homo aliquem malè viventem, & fortè aliquid Ecclesiæ præstantem, & non eum corripit, animo fugit. Quid est, ani-
V. Ser. 137. n. 12. mo fugere? Timere. Timor est fuga interior. Quare timet? Quia mercenarius est. Ne fortè ille malè accipiat quod corripitur, & non det quod solet. Videt lupum venientem, id est diabolum malè viventis colla frangentem; & fugit animo, abstinet ab utili correptione, plenus timore. Qui autem pastor est, & est ei cura pro ovibus; non eum dimittat, & facit quod ait Apostolus, *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes* &c. Non ergo putet quis pium pastorem, vel qui se dicit pastorem, quia non reddet malum pro malo, cùm reddat potiùs malum pro bono. Ille enim etsi peccator est scelestus, de bonis suis dat Ecclesiæ: ille autem malum pro bono ei reddit, cui subtrahit correptionem. Sed quoniam hoc totum de dilectione faciendum est; aliquando autem homines correptores suos putant inimicos suos: ideo cùm dixisset, *Corripite inquietos*; subjecit, *consolamini pusillanimes.* Fortè enim de correptione incipit deficere, & perturbatur: tunc te oportet consolari. *Suscipite infirmos:*
1. Thess. 5. 14. ne per infirmitatem cadant. Si titubare eum fecit infirmitas, sinu suo suscipiat caritas. Et cùm ista dixisset, adjecit in novissimo, *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ergo non est malum correptio si fit. Sed bona ovis, quando corripitur à præposito suo quid
Psal. 140. 5. dicit? *Emendabit me justus in misericordia.*

Ex Sermone de eo quod ait Dominus, Petite, & accipietis: *Beda nondum vulgatus ad 2. Cor. 12.*

INVENIMUS malos petisse & accepisse, & bonos petisse & non accepisse. Quid enim pejus dæmonibus? Et tamen porcos petierunt & acceperunt. Et invenitur Deus non fecisse desiderium Apostolorum, & implesse desiderium dæmoniorum. Quid ergo di-
2. Tim. 2. 19. cimus, nisi quia *novit Dominus qui sunt ejus*, & eorum omnis qui
A petit accipit? Sed adhuc de Apostolo scrupulus restat, non enim ipse Luca 11. 10.
non erat inter eos qui sunt ejus, qui hanc sententiam dixit, *Novit Dominus qui sunt ejus.* Ergo omnes qui sunt eius, petunt & accipiunt. Sed quærimus quid? Ea quippe quæ propter vitam istam temporalem petuntur, aliquando prosunt, aliquando obsunt: & quando ea scit Deus obesse, non ea dat desiderantibus & petentibus suis: quomodo nec medicus dat quidquid æger petierit; & amando negat, quod non amando concederet. Exaudit ergo omnes suos ad æternam salutem; non omnes exaudit ad temporalem cupiditatem: & ideo non exaudit ad hoc, ut exaudiat ad illud. Denique etiam ipsa verba considera. Quando non accepit propter quod ter Dominum rogavit, ait illi, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infir-* 2. Cor. 12. 9.
mitate perficitur. Quid à me desideras ut auferatur à te stimulus carnis, quem accepisti, ne in tuis revelationibus extollaris? Utique
B propterea hoc poscis, quia tibi prodesse nescis. Crede medico: quod imposuit, acre est, sed utile: facit dolorem, sed parturit sanitatem. *Virtus in infirmitate perficitur.* Tolera ergo infirmitatem, si desideras sanitatem: tolera infirmitatem, si desideras perfectionem, quia *virtus in infirmitate perficitur.*

Ex Sermone de verbis Apostoli, Non est nobis colluctatio &c. *Beda & Florus ad Ephes. 6.*

NON *est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem.* Quia Ephes. 6. 12.
non tantùm te homo persequitur, sed diabolus per illum; & antequam te lædat in corpore, te occidit in corde. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem*; hominibus adversùs homines, qui caro & sanguis sunt: *sed adversùs principes & potestates, rectores tenebrarum harum*; quia quomodo eos qui lux sunt,
C Christus gubernat & regit; sic eos qui tenebræ sunt, ad omne malum diabolus præcipitat & instigat. Hoc ergo nos hortatur Apostolus, ut non contra hominem malum, sed contra diabolum qui cum illo operatur, oremus; & quidquid possumus faciamus, ut diabolus expellatur & homo liberetur. Quomodo enim si ad aliquem in prælio constitutum de parte adversaria armatus equo sedens veniat, non equo, sed equiti irascitur; & quantum potest, hoc agere cupit, ut equitem percutiat, & equum possideat: sic circa homines malos agendum est; & non contra illos, sed contra eum qui illos instigat, totis viribus laborandum est; ut dum diabolus vincitur, infelix ille quem possidere cœperat liberetur.

Ex eodem Sermone, Beda & Florus ad 1. Cor. 12.

QUI *dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse* 1. Johan. 2. 6.
D *ambulare.* Quæ est ista via, in qua Christus ambulavit? quæ est alia, nisi caritas, de qua dicit Apostolus, *Adhuc supereminentiorem viam demonstro vobis?* Si ergo Christum volumus imitari, per ipsam viam debemus currere, quam Christus & in cruce pendens dignatus est ambulare. In cruce enim fixus erat, & caritatis viam currens, pro suis persecutoribus supplicabat. Denique sic dixit, *Pater ignosce* Luca 23. 34.
illis, quia nesciunt quid faciunt. Et nos ergo pro omnibus inimicis nostris hoc jugiter supplicemus, ut illis Dominus emendationem morum & indulgentiam tribuat peccatorum.

Ex Sermone, Qualis debeat episcopus esse, & ubi reprehendit Paulus Petrum, Beda nondum vulgatus ad 1. Tim. 3.

OPORTET *ergo episcopum irreprehensibilem esse.* Quis hoc 1. Tim. 3. 2.
negat? Sed cum oporteat episcopum irreprehensibilem esse, numquid reprehensibilem decet esse Christianum? Episcopus no-
E men græcum est: Latinè vero superintentor vel visitator dici potest. Nos episcopi sumus, sed vobiscum Christiani sumus. Nos propriè vocamur à visitatione: communiter omnes ab unctione. Si unctio communis est, & lucta communis est. Quare autem nos visitamus, si nihil boni est quod in vobis videamus?

Ex Sermone de Sabbato, Florus ad 2. Cor. 3.

CUM *autem conversus fuerit ad Deum, auferetur velamen.* 2. Cor. 3. 16.
Velamen, non Moyses evacuatur: velamen, non lex. Ad- V. Ser. 300. n. 3.
tendite quomodo Dominus venerit, & evacuatur velamen: quando pependit in ligno, velum scissum est. O magnum mysterium! ô ineffabile sacramentum! Transgressores legis crucifixerunt, & legis secreta patuerunt. Nonne crux illa clavis fuit Domini? Texuit, & clausa dissolvit. Sed Judæi etiam discisso velo coopertam
F habent faciem. *Nos autem*, ait Apostolus *revelata facie gloriam* 2. Cor. 3. 18.
Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tamquam à Domini spiritu.

Ex Sermone de Kalendis Januarii contra Paganos, Johannes diaconus in Leviticum.

APOSTOLUS Petrus dicit ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi: *Plebs sancta, regale sacerdotium.* Tunc enim unus 1. Petr. 2. 9.
sacerdos ungebatur, modò Christiani omnes unguuntur. Ungebatur & rex, ungebatur & sacerdos, ceteri non ungebantur. Utramque personam gerebat Dominus, non in figura, sed jam in veritate, & regis & sacerdotis. Ob hoc de ipso Domino dicit Apostolus, Rom. 1. 3.
Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem. Ecce ergo regium genus. Ex semine itaque David propter Mariam Christus di-
G citur, quia illa erat ex semine David. Sed * quo genus in Maria? * f. quomodo sacerdotale.
Scriptum est in Evangelio sacerdotem Zachariam habuisse uxorem Elizabeth de filiabus Aaron. Ergo de genere sacerdotali; quia tota ipsa tribus Levi. Dicitur autem in Evangelio Mariæ Virgini ab Angelo, *Cognata tua Elizabeth.* Si ergo Elizabeth una de filiabus Luca 1. 36.
Aaron sacerdotis cognata erat Mariæ, non dubitatur virginem Mariam non tantùm ad regalem, sed etiam ad sacerdotalem sanguinem pertinere. Quapropter inest in Domino secundùm hominem quem suscepit, utraque persona, regia & sacerdotalis. Ideo ergo tunc in figura duo ungebantur, rex & sacerdos, quod in illo capite nostro completum est, cujus idem nos Ecclesiam totam corpus esse mani-

festum

feſtum eſt. Unde meritò genus regium & ſacerdotale dicimur.

Item ex Serm. de Kal. Jan. contra Pag. Johannes diac. ibid.

In illis veteribus ſacramentis ille præfigurabatur unus Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Unus ſacerdos intrabat in ſancta ſanctorum: populus autem omnis foris ſtabat. Numquid modò Epiſcopis ad altare adſiſtentibus vos foris eſtis, ac non intus? Intrabat tunc unus ſacerdos in ſancta ſanctorum ſemel in anno. Annus totum tempus ſignificat. Semel ergo in toto tempore intravit in ſancta ſanctorum, non figurata; ſed vera, ultra velamenta cælorum, unus ſacerdos noſter reſurgens à mortuis Dominus Jeſus Chriſtus, offerens ſe ipſum pro nobis. Intravit, & ibi eſt. Populus autem adhuc nobiſcum foris ſtat: nondum reſurreximus ire in obviàm Chriſto; & ſemper cum illo interiùs permanere, cùm dicturus eſt bono ſervo, Matth. 25. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Hoc ergo figurabatur tunc per unum B ſacerdotem ſolum intrantem in ſancta ſanctorum & populum fo- A ris ſtantem; quod nunc impletum eſt per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſolum intrantem ſupra ſecreta cælorum; & populum adhuc foris gementem, ſpe ſalvum factum, exſpectantem redemtionem corporis ſui, quæ futura eſt in reſurrectione mortuorum.

Item ex Ser. de Kal. Jan. contra Pag. Johannes diac. ibid.

Ipse enim ſummus ſacerdos preces noſtras offert, qui ſemetipſum holocauſtum pro nobis obtulit. Ipſe eſt qui nos perducit, interponens ſe, non ut intercludat, ſed ut dirigat; non ut ſeparet, ſed ut reconciliet; non ut impediat, ſed ut impedimenta diſrumpat. Ipſe eſt pontifex unus & ſacerdos unus, qui præfigurabatur in antiquis ſacerdotibus Dei. Ideo quærebatur ſacerdos ſine macula corporis; quia ille ſolus ſine macula peccati vixit etiam in carne mortali. Nam quod in corpore præfigurabatur illorum, in illius vita ſignificabatur futurum.

SERMO S. AUGUSTINI CCCXCV.

DE ADSCENSIONE DOMINI VI.

Erutus ex vetuſtiſſimo codice Remigiano.

1. HODIERNO die Adſcenſionem Domini in cælum celebramus: Surſum cor non inaniter audiamus, & integro corde cum illo adſcendamus, docente Apoſtolo & dicente, Coloss. 3. 1. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Neceſſitas actionis in terra ſit; voluntas adſcenſionis in cælo. Spes hîc, res ibi. Veniet enim tempus, quando res ibi. Quando autem res ibi, ſpes nec hîc, nec ibi: non quia inanis eſt D ſpes; ſed quia finitur, quando venerit res. Denique audite de ſpe quid dixit Apoſtolus. Rom. 8. 24. *Spe*, inquit, *ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes: quod autem videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Adtendite in ipſis rebus humanis, & conſiderate quòd ſi ſperat aliquis ducere uxorem, adhuc ergo nondum habet. Nam ſi habet, quid ſperat? Ducit ergo uxorem, quam ſperabat; & jam non ſperabit. Feliciter ergo fi- E nitur ſpes, quando venerit res. Sperat quiſpiam peregrinus ad patriam ſuam ſe eſſe venturum: quamdiu ibi non eſt, ſperat; cùm venerit, jam non ſperat. Spei enim ſucceſſit res. Feliciter ſpes finitur, quando quod ſperabatur tenetur. Modò ergo, Cariſſimi, quod audiſtis ut ſurſum cor habeamus, ipſo corde fit ut de illa futura vita cogitemus. Hîc bene vivamus, ut ibi vivamus.

2. Ecce enim quanta dignatio Domini noſtri: qui fecit nos, deſcendit ad nos; quia cecideramus F ab illo nos. Et ut veniret ad nos, non ipſe cecidit, ſed deſcendit ad nos. Si ergo deſcendit ad nos, levavit nos. Jam in corpore ſuo levavit nos C caput noſtrum: ubi eſt, ſequentur & membra: Quia quò præceſſit caput, ſecutura ſunt membra. Ille eſt caput, nos ſumus membra. In cælo eſt ille, nos in terra. Quaſi longè eſt ille à nobis? Abſit. Spatia ſi interroges, longè eſt: caritatem interroga, nobiſcum eſt. Si enim non eſſet ille nobiſcum, non diceret ille in Evangelio: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Matth. 28. 20. Si non eſt nobiſcum, mentimur quando vobis dicimus, Dominus vobiſcum. Non de cælo clamaret Saulo perſequente, non ipſum, ſed ſanctos ejus, ſervos ejus; & quod familiariùs dixerim, membra ejus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9. 4. Ecce ego hîc ſum in cælo, tu in terra, &* in perſecutoribus. * f. & me perſequeris. Quare me? Quia membra mea: per quæ membra mea ibi ſum. Non enim ſi calcetur planta, non clamat lingua. Ille ergo per quem factum eſt cælum & terra, propter eum quem fecit de terra, deſcendit in terram, & in cælum hinc levavit terram. Quod ergo in illo præceſſit, in finem ſperemus. Reddet nobis quod promiſit: ſecuri ſumus, cautionem fecit, Evangelium ſcripſit: reddet nobis. Plus eſt quod impendit nobis. Num putamus enim non eum redditurum vitam ſuam, qui pro nobis jam erogavit mortem ſuam? Humilitatem paſſionis, injurias, contumelias, omnes indignitates in terra ſuſcepit pro nobis: regnum, felicitatem, immortalitatem, æternitatem non donabit nobis? Mala noſtra pertulit, bona ſua nobis non donabit? Ad hanc ſpem, quia promiſſor eſt verax, ſecuri ambulemus: ſed ſic vivamus, ut bona fronte illi dicamus, Fecimus quod juſſiſti, redde quod promiſiſti.

SERMO S. PRESBYTERI ERACLII, DISCIPULI S. Augustini, ipso præsente habitus.

Ex MS. codice Ecclesiæ Bellovacensis,

Erutus per V. C. Godefridum Hermant ejusdem Ecclesiæ Canonicum.

1. PUTO, Fratres, quòd meam sarcinam sentiatis; & peto ut tanto me onere laborantem fraternis votis, tamquam suppositis humeris, sublevetis. Nam beatissimus Pater, qui hoc mihi pondus imposuit, scio quia pro me orare non desinit. Non enim sola jussione me premeret, & pia oratione desereret. Sine dubio, Fratres, qui jussit ut hoc feram, orat ut perferam. Quid ergo quod jussit, nisi audere ignorantiam præsente sapientia, & loqui imperitiam tacente doctrina? Cùmque Scriptura dicat, *Loquere senior, decet enim te*; Pater dicit, Loquere junior, delectat enim me. Scitis autem, Fratres, quia loqui pro vobis verbum Dei & antè jam cœperam. Suscepi enim nuper officii necessitate compulsus: quia hoc munus effugere non habebam. Sed facile est absentis magistri locum suppleat quicumque discipulus: arduum verò est atque difficile docere condiscipulos sub magistro, tali præsertim magistro, cujus verbis ex eo est major auctoritas, quòd docentem linguam vita comitatur. Ad omne enim bonum quod nobis insinuatur eruditionis verbo, præcedit nos conversationis exemplo. Præcedit nos, inquam, utinam vel sequamur. Quidquid enim in hoc viro miramur, veneramur, amplectimur, tunc creditur verè à nobis amari, si non pigeat imitari. Pro modulo ergo nostro ad eum nos unusquisque tendamus, atque * exsistens de radice cordis ejus diversos virtutum ramos prout valemus singuli decerpamus. Qui potest, assequatur ejus eloquentiam: qui non potest, teneat continentiam. Qui potest, impleat ejus auctoritatem: qui non potest, sectetur humilitatem. Qui potest, adprehendat ejus scientiam: qui non potest, imitetur ejus patientiam. Atque in omnibus viis Domini, qui potest, ambulet cum illo; & qui non potest, discat ab illo. Gaudeamus, Fratres, secundùm dispensationem munerum divinorum habere nos in ipso quod non habemus in nobis. Quidquid enim in illo videmus, nostrum est, si amemus.

[Eccli. 32. 5.] [* f. exsistentes.]

2. Hoc ergo tacente, nos loquimur. Hoc, inquam, tacente nos loquimur. * Ciclada clamat, & cygnus tacet: sed non tacet loquentibus nobis, quia ipse loquitur & in nobis. Si enim vobis dicimus quod ab eo didicimus, ipse vos docet sive per se, sive per me. Verumtamen, Fratres, hoc quod nobis imposuit adhuc parvis, vix impletur à magnis. Sed non ideo jam desperare debemus, quia parvi sumus. Benedixit enim Dominus pusillos cum magnis. Multùm fortia sunt, quæ poscuntur à nobis, & nos infirmi sumus. Infirmi sumus, fragiles sumus, fictiles sumus; sed quid? Placebit Domino ponere in vase fictili, ponere thesaurum suum; ut dicamus & nos cum Paulo apostolo, *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* In manu enim illius nos & sermones nostri, qui dat verbum evangelizantibus virtute multa. Quid enim putatis, Fratres, quia dispensator iste tam sapiens, nisi se sciret in nobis pecuniam dominicam collocasse, juberet vobis aliquid erogare? Conscius sibi est operum suorum: conscius sibi est piorum laborum: scit quantùm me sale verbi condierit. Est enim ipse sal terræ vividum, referens apostolicæ doctrinæ saporem. Sed vereor ne condimentum ejus inculto corde non duxerim. Bene ergo fecit, quòd nostrum voluit gustare sermonem. Bene fecit, inspicere quantum in nobis sui saporis agnoscat. Quid enim aliud existimandum est, quòd inter ceteros patres & compresbyteros meos loqui sub conspectu suo me potissimùm jussit, quod antè facere nolebat, nisi quia de eorum maturitate atque eruditione securus nostra voluit rudimenta sic probare. Pareo, Fratres, salubriùs imperatis, & cui me dudum in Domino nutriendum erudiendumque commisi, non subtraho. Inspice, Pater pie & Magister bone. Interroga linguam, & testimonium prodat tibi cordis * affectum. Quidquid tibi in nostro sermone placuerit, agnosce, quia tuum est: quidquid autem displicuerit, ignosce, quia meum est: sed sic ignosce, ut corrigas; sic ignosce, ut punias. Ignoscas mihi quia erravi; punias mihi quod erravi: ac sic parcas homini, non errori: donec paulatim totum quod non à te plantatum est, relinquatur.

[* Cicada] [Psal. 112. 13.] [2. Cor. 4. 7.] [Sap. 7. 16.] [Psal. 67. 12.] [* f. affectus.]

3. Sed ut vobiscum potiùs, Dilectissimi, quàm cum ipso loquar, ne in aliquo limites paternæ jussionis excedam; qui me ut vobis loquerer, imperavit: in hoc ejus facto Paulum apostolum cogitemus, cujus modò Epistolam, cùm legeretur, audivimus. Cùm enim divinis mysteriis adolescentem Timotheum præpararet, cælestibusque doctrinis mentem adolescentis imbueret, dicebat, *Prædica verbum.* Et paulò pòst, *Opus fac Evangelistæ, ministerium tuum adimple.* Tunc si diceret ille, Non possum: responderet Paulus, Quare non potes, fili? Nonne ab infantia sacras litteras didicisti? Hoc, Fratres, mihi non potest dici. Sicut enim noverunt plurimi vestrûm, jam durus huc adveni. Per omnia enim tempore puerilis ætatis, quam faciliùs flectit ac dirigit norma doctrinæ, rebus aliis occupabar. Sed planè, quod fatendum est, postquàm veni, quantùm potuit, in me operatus est sanctus agricola, multùmque conatus est nostram expugnare duritiam. Neque imbres umquam mihi, neque semina defuerunt: & ideo nunc qui semen injecit, fructum requirit. Oret ut non degeneraverint grana ejus in nobis: & quidquid vel in sermonibus vel in moribus ipso excolente & Domino incrementum dante processerit, non spina, sed spica sit. Quod ergo jam restat, Dilectissimi, ipsum pariter deprecemur, ut quemadmodum ego ultra vires meas præceptis ejus parui, ita omnium nostrûm desiderio se ipse non subtrahat, sed post hunc sermonem nostrum loqui vobis vel pauca dignetur; quæ discedentes vos meminisse delectet, & recordando salubriter ruminare non pigeat. Verumtamen nè toto sermone in excusatione consumto Sanctitatem Vestram monuisse nihil videar, audite me, Fratres. Quæcumque à Patre nostro semper audistis, & accepistis, & didicistis, hæc cogitate, hæc agite; & Deus pacis erit vobiscum. Amen.

[2. Tim. 4. 2.]

SYLLABUS CODICUM
AD QUOS RECOGNITI SUNT SERMONES TOMI HUJUS QUINTI, Necnon variantes lectiones aliquot inter omissas selectæ.

*Quæ asteriscum habent, * videntur referendæ in textum.*

MANUSCRIPTI CODICES,

& notæ quibus indicantur.

a. Veteres libri è bibliotheca Abbatiæ S. Audoeni Rotomagensis.
b. Beccensis monasterii codices.
bd. Bedæ collectanea in Paulum manu scripta bibliothecæ Bertinianæ ac Floriacensis.
bn. MSS. S. Benigni Divionensis.
c. Carcassonensis Ecclesiæ.
cr. Ecclesiæ Carnutensis.
cs. Cisterciensis Abbatiæ.
cst. Codices PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem de Urbe: unde Sermonum aliquot occasionem diemque didicimus, nec-non quo eos loco dixerit Augustinus.
cl. MSS. Colbertinæ bibliothecæ plures, inter quos majoris pretii unus, qui 821. notatur, Sermones de verbis Evangelii veteri ordine, secundùm quem in Bedæ seu Flori collectione plerumque laudantur, digestos continens, iisque insertos quosdam, quorum vel nihil prorsus in antè editis, vel fragmenta solùm exstabant.
cb. Libri Corbeienses optimæ notæ ac vetustissimi.
cor. MSS. S. Cornelii Compendiensis.
e. Excerptorum Eugypii codices duo calamo scripti, Germanensis unus, alter Corbeiensis.
f. Floriacenses MSS.
fl. Flori seu vulgati Bedæ collectio in Paulum manu scripta è bibliotheca Corbeiensi.
fs. MSS. S. Mauri Fossatensis.
Ful. RR. PP. Fuliensium cœnobii S. Bernardi Parisiensis.
g. Gemmeticensis Abbatiæ.
g. S. Germani à pratis codices bene multi, & ex iis singulares quidam ac perelegantes.
l. Libri Laudunensis Ecclesiæ.
lr. Lyrensis monasterii.
m. S. Michaelis in periculo maris.
n. Navarrici collegii Parisiensis.
ph. Phimarconensis codex corticeus, qui olim Narbonensis Ecclesiæ fuit.
pr. Pratellenses MSS.
r. Regiæ bibliothecæ, præter alia exemplaria, volumen singulare, quod à Jacobo Sirmondo laudatum est, complectens duas priores partes collectorii Sermonum Augustinianorum Roberto de Bardis Cancellario Parisiensi auctore adornati.
rm. Remigiani apud Remos cœnobii codices.
s. Bibliothecæ Sorbonici gymnasii.
t. S. Theoderici prope Remos.
v. S. Victoris apud Parisios.
vd. Vindocinensis Abbatiæ.
Alii quidam codices suis locis indicantur.

EDITI CODICES.

Am. Sermonum Augustinianorum libri per Johannem de Amerbach excusi Basileæ anno 1494. & 1495.
Er. A Desiderio Erasmo recensiti & apud Basileam rursum editi Frobenianis typis an. 1529.
Vlim. Volumen Sermonum de Diversis Johannis Vlimmerii curâ publicatum Lovanii an. 1564.
Par. Parisiensis editio sermonibus nonnullis aucta an. 1571.
Lov. Editio Lovaniensium Theologorum operâ longè auctior & castigatior è prelo Plantiniano profecta an. 1576.
Sir. Codex Sermonum additorum à Jacobo Sirmondo an. 1631.
Vig. Supplementum à Hieronymo Vignierio procuratum & altera vice castigatiùs paulò excusum an. 1655.

SERMO I. recognitus est ad cb. & ad Vlim. Par. Lov.
II. ad bd. cs. cl. cb. fl. r. rm. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
III. ad bd. fl. r. Vlim. Par. Lov.
IV. ad gr. r. Vlim. Par. Lov.
Pag. 19. G. Isthæc verba, *Respiciebant ad illum, quia* &c. in antè editis omissa, restituuntur ex MSS.
20. A. Lov. *benedictio pervenıret*: omissa negante particula, quæ habetur in ceteris libris.
26. F. Editi: *non tibi vives*. Meliùs MSS. *ibi*.
SERMONEM V. emendavimus ad cl. r. v. Sir.
VI. ad cl. r. v. Vlim. Par. Lov.
30. C. MSS. *in secundo* aut *in tertio audiet*.
SERMO VII. castigatus est subsidio r. v. Lov.
VIII. emendatus juvantibus duobus e. & fl. r. v. Vlim. Par. Lov.
44. B. Editi: *Si pecus es, non times: saltem mori* times.
Ibidem E. Editi: *Aut evenire putatis*.
45. C. Vlim. *non subugium*. Lov. *non subjugum*. Meliùs Par. & MSS. *non subjugium*.
SERMO IX. collatus est cum bd. c. cs. cl. e. fl. g. gr. m. v. Am. Er. Par. Lov.
X. prodit nunc primùm ex MSS. cl. r. v.
XI. recensitus fuit ad duos cl. duos rm. & ad gr. r. v. Am. Er. Par. Lov.
XII. correctus ope codicum gr. Vlim. Par. Lov.
XIII. collatus ad cs. cl. gr. Er. Vlim. Par. Lov.
80. A. MSS. cs. cl. *Principes, judices*, senatores, *unusquisque* &c.
Ibid. G. Meliùs codex cs. *Cui sollicitudini* * cita *Dominus voce respondit*.
81. B. Codex cs. *cujus hîc sanguis* pro Domino *fusus est*.
SERMO XIV. emendatus est ad cs. cl. gr. s. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
82. C. In codice cs. *ad amorem pervenerunt* Salvatoris.
84. B. Am. Er. Vlim. & Par. domine *pauper*. At MSS. cum Lov. *domne*.
85. C. Codex cs. Sed *non abstulit*. Confirmat conjecturam, qua legendum nobis videbatur, *non se abstulit*.
86. E. Idem MS. *Breviter* nunc *quæramus pupillum*.
SERMO XV. recognitus in libris cs. cl. gr. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
87. E. Liber cs. *Si ergo vis diligere*, sic enim agis *quod cantasti*; si vis diligere *decorem domûs Dei*.
89. D. Idem MS. *non me, sed* Dominum *per me*.
90. B. Idem MS. *Ignis sordes* urit, *non fidem*.
Ibid. E. MSS. *dicit tibi Dominus bonus*: omisso *tuus*.
91. E. Am. Er. Par. *corde conjuncto* mala *faciens, mala permanere erubescens*.
SERMONES XVI. & XVII. castigavimus ope duorum cl. & gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.
94. Editi: *Non silebit* judicaturus, *quia*. Abest *judicaturus* à MSS.
95. C. Codex gr. loco *vellicatur*, habet *ulcatur*. At rm. *sulcatur*.
Ibid. F. editi: *cùm vos ipsi commemoratis*. At MSS. *vos ipsos*.
96. C. In editis deerat, *sed ego audivi, quando dixisti in corde tuo*: quod hîc restitutum est ex MSS.
97. A. Editi: *par vestrûm sum*. Codex rm. parvus *sum*. Alii verò MSS. *par vester sum*.
Ibid. C. Editi: *intus* videret *peccatum meum*. At MSS. *viderem*.
SERMO XVIII. collatus est ad fl. ph. v. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
100. C. MSS. ph. v. *qui conantur, si fieri posset*, delere præcepta Dei; qui conantur si fieri posset *non esse* ecclesiam, si illis *prædicentur præcepta Dei*.
SERMO XIX. recognitus in Pithœano libro & editione Sir.
XX. ad cl. v. & Sir. castigatus est.

107. D. Sir. *Ne agnoſcat*, ignoſcit. At MS. v. *ignoſcat*.
Ibid. E. Codex v. *ne Deus te ponat ante* te.
SERMO XXI. recognitus à nobis in libro v. & Sir.
115. B. Sir. per nullum ploratum *levas in equum*. Emendavimus auxilio codicis v.
SERMO XXII. collatus eſt ad cſ. cl. t. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
* 117. B. MS. cſ. *Nec ſine cauſſa* * *ea quæ futura ſunt.*
118. D. Idem MS. *tanta* quæ *prædicta ſunt.*
Ibid. E. Idem MS. *Ante* multa *millia annorum.*
120. C. Textus ad eumdem Ciſtercienſem librum ſic
* reſtituendus: * *quod in poſterum timeas; tantùm non ſicut fumus* deficias. 8. *Nam utrumque ibi* &c.
* Ibid. D. Ad eumdem MS. cſ. emenda ſic: * Tantò
* *autem adtenuatur, evaneſcit & diſperit*, * quantò *ſe multùm extulerit.*
* Ibid. F. Idem liber cſ. *Eſt autem miſericordia* * Dei *abundantiſſima.*
* 121. B. Idem cſ. *ibi conſtituturus eſt*, * ubi conſtituit ſanctos Martyres, *ubi conſtituit ſanctos Apoſtolos.*
122. A. Idem Ciſtercienſis codex: *Non enim aliquid*
* * *æternum promiſit ſuis & aliquid temporale minatus eſt impiis.* Vera lectio.
SERMO XXIII. correctus ad fl. v. & Lov.
122. C. MS. v. *propter commoditatem* deprimendæ *vocis.*
Ibid. F. Idem MS. Sicut *Scripturæ ſanctæ ſunt.*
123. F. Idem MS. *carnalis* non *invenior.*
124. D. Idem MS. *Non contemnit*, ſi *refugit.*
127. B. Idem exemplar: *Quid videbat & quid* faciebat
SERMO XXIV. non repertus niſi in MS. v. & apud Sir.
131. D. Codex v. Gratulantur *itaque, & congratulamur.*
SERMONIS XXV. unicum habuimus MS. exemplar gr. præter editiones Vlim. Par. & Lov.
135. B. In vetuſtiſſimo Germanenſi codice loco *ſuſurro*, eſt *ſuſurrio.*
SERMONES XXVI. & XXVII. emendavimus ad tres bn. ad quatuor cl. & ad a. cſt. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
In veteri codice Romano cſt. Sermoni huic XXVI. præfixum eſt, *Habitus in baſilica Theodoſiana.*
139. A. B. Editi Par. & Lov. *quando creatus eſt homo*, ſed poſtea factus eſt homo, *ne periret homo ille*, qui *factus eſt homo.* Hîc nos Am. Er. & melioris notæ MSS. inhæremus.
140. F. Editi: *Quare nihil inveniet?* omiſſo, *non occidat*, quod nos ex MSS. adjecimus.
Ibid. G. MSS. Nuntiatus *eſt ſancto Prophetæ.*
SERMONIS XXVIII. exemplum aliud purius abſoluta jam noſtra hac editione accepimus, ex Romano codice cſt. cujus auctoritate loca iſthæc emendabis.
* Pag. 146. l. 51. lege, *ventribus jejuni ſumus.*
* l. 52. dele, *jejuni ſumus.*
* Pag. 147. l. 3. poſt, *& lux eſt*; adde, *& vox eſt.*
* l. 6. poſt, *cui dicimus*; adde, *In lumine tuo videbimus lumen. Eſt ſonus cordi noſtro, cui dicimus.*
* l. 14. poſt, *deeſt*; adde, *non à coquis præparatur nobis.*
* l. 15. lege, *adportatur.*
l. 55. in eodem MS. cſt. legitur, *ſenſibilibus corporeis.*
* l. 58. lege, *& mentes.*
* l. 60. lege, *ad aurem.*
l. 65. lege, *aërem percuſſerit.*
* Pag. 148. l. 2. lege, *Ita enim ſibi ſyllabæ.*
* l. 8. poſt, *divideretis vobis*; adde, *quod poſuiſſem, & quantò plures eſſetis.*
* l. 9. lege, *ſermonem profero, verba inter vos & ſyllabas.*
* l. 28. poſt, *viſitaret*; dele, *totum.*
* l. 32. lege, *ſonum profero; ſed cùm protulero, jam non revoco.*
* l. 33. lege, *& cùm ipſe.*
l. 37. Codex cſt. habet, *Videte quæ verba ſint, Lætetur cor* &c.
* l. 43. lege, *& aſſumo ſonum, & quaſi impono intellectum.*
* l. 46. poſt, *de voce mea*; adde, *non potuit Verbum Dei de carne ſua?*
* l. 49. lege, *eique ſe inſeruit.*
SERMONIS XXIX. unicus adfuit MS. gr. cum Vlim. Par. Lov.
SERMO XXX. caſtigatus eſt ad tres bn. ad quatuor cl. ad a. cſt. cb. f. fl. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. & ad Am. Er. Par. Lov.

In MS. exemplari cſt. prænotatur, *Habitus in baſilica Tricilarum die Dominica.*
SERMO XXXI. caſtigatus eſt ad quatuor cb. ad duos gr. ad d. m. & Am. Er. Par. Lov.
155. D. Plerique MSS. *venient* in *exſultatione*, tollentes *manipulos ſuos.*
157. G. Aliquot MSS. loco *exigit*, habent *exiſtit*: Germanenſis vetuſtiſſimus liber, *exiit.*
SERMO XXXII. collatus eſt cum duobus cl. cum cb. gr. rm. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
SER. XXXIII. & XXXIV. in MS. unico gr. inventi ſunt, & in editis Vlim. Par. Lov.
SER. XXXV. editus ex v. & Sir.
174. B. Sir. *cujus* mali immemor *non ero.* Emendatur ad v.
SER. XXXVI. collatus eſt ad fl. ſ. Am. Er. Par. Lov.
178. B. Sorbonicus MS. *Sed illius egeſtas* præteriit, *hujus pœna* permanet.
Ibid. Idem codex: *ubi* ſint *veri divites.*
Ibid. F. Lov. *Et* non *ſunt pleni.* Abeſt *non* ab editis aliis & à Sorbonico MS.
SER. XXXVII. recognovimus in duobus ſ. in cl. cb. gr. Vlim. Par. Lov.
187. E. Codex cb. *& dividet eum*, ne ſocius ſit *miniſtrorum & præpoſitorum* copiarum ejus, qui dant *in tempore conſervis cibaria.* Et paulò infrà: *Non totum* miniſtrorum, *quia.*
191. G. Liber cl. *Audiamus*: ita vivamus in illa, & cum illa *audiamus quemadmodum* &c.
192. B. Editi: *Quia & illæ* & iſtæ *natæ ſunt.* Meliùs MSS. *ex iſta.*
193. B. Editi: *Et ab hoc* apice. At MSS. *capite.*
Ibid. D. Liber cl. *Date illi de fructibus manuum ſuarum.* *
* Fecit, fecit: digna eſt recipere. Date illi de fructibus manuum ſuarum. *Quid date? Venite benedicti* &c.
SER. XXXVIII. Ad MSS. Petavianum & Victorinum, & ad Am. Er. Par. Lov. emendatus.
SER. XXXIX. & XL. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.
199. E. MSS. loco, *mala tua præterita*; habent, *malitiæ tuæ præteritæ*, aut, *malitiam tuam præteritam.*
SER. XLI. recenſitus ad Petavianum & Victorinum MS. & ad Sir.
XLII. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.
XLIII. ad tres bn. ad quatuor cl. ad cb. f. fl. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
XLIV. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.
217. F. MSS. *quidquid* in *nobis* ..... *contulit.* Sic loqui ſolet Cæſarius.
SERMONIS XLV. unicum exemplar vidimus MS. Colbertinum, cum editione Sir.
220. C. MS. cl. *Talem illam* ſequeris.
221. E. Sir. *quia* non *reſurgeret.* Abeſt *non* à MS. cl. Sed idem ſenſus effici videtur.
222. G. Sir. *Giddava.* At cl. *Giddaba.*
223. A. Sir. *loquitur* Chriſtus. At MS. cl. *& loquitur Chriſtum.*
SER. XLVI. & XLVII. recogniti ſunt ad b. cſ. fl. gr. l. pr. r. rm. ſ. Am. Er. Vlim. Lov. & ad veterem codicem D. de S. Georges Canonici Comitis Lugdunenſis, à Rege nominati ad epiſcopatum Claromontanum.
226. F. Lov. & aliquot MSS. *à plebe* diſtribuitur. Alii: *à plebe Dei tribuitur.*
Ibid. MSS. fl. & r. *ad ſuſtentandam* vitam *temporalem.*
232. D. Editi: dicunt, *Quid nos vultis?* Abeſt *dicunt* à MSS.
234. C. Liber rm. *à ſe* removens, *revocanſque ad Dominum.*
235. B. Plures MSS. *ſed ſecuræ* ſint *oves.*
237. C. Aliquot MSS. poſt, *adhuc in cibum*; addunt, *ampliùs in devorationem.*
246. D. Codex cſ. & *clericos Carthaginis* accire *noluerunt.*
248. C. Vlim. & Lov. *& opus manuum ejus.* Veriùs Er. & MSS. *oves.*
257. D. Editi: omnes *fines terræ.* Abeſt *omnes* à MSS.
258. A. MSS. *Nam ſi* verum *accuſaſſes.*
263. D. MS. rm. *Ibi* habitamus *in ſpe.*

265. E. Editi : *&* exterminetur *quod seminavit* &c. At MSS. *exstirpetur.*

Ser. XLVIII. & XLIX. recensuimus in cf. cl. Am. Er. Vlim. Par. Lov.

268. A. Codex cl. *vel* quod *placeret Deo.*

Ibid. B. Isthæc verba, *Primogenita, inquit, mea offeram Deo meo pro* &c. atque alia quædam in hoc & subsequenti sermone restituuntur ex MSS.

Ibid. E. Codex cl. *ibas &* nesciebas qui *faciebas. Scio quid* &c.

274. C. Am. Er. & MSS. *Fratres mei, facio, in me priùs facio :* omisso, *si.* Pauloque pòst habent, Odio *vitia*; pro, *Odi vitia.*

Ser. L. collatus est ad duos cl. ad duos gr. ad rm. v. Am. Er. Vlim. Par. & Lov.

279. G. Editi : *quia* injustæ *dicuntur divitiæ.* At Germanensis alter vetustissimus codex, *injustè.*

Ser. LI. in MSS. r. v. & in editione Lov. recognitus est.

282. C. Liber v. *nos dicimus humiliter, quod dicit Apostolus.*

293. A. Codex v. *Et* qui *dicit.*

Ser. LII. castigatus est ad tres bn. ad quatuor cl. ad a. cb. f. fl. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

307. E. Plures MSS. *Si enim quod vis dicere,* suscepisti.

Ser. LIII. ad cb. fl. Par. & Lov. recognitus.

318. A. Florus : *non ut* tu sis *plenus Deus, sed ut sis plenus Deo.* Sic etiam Corbeiensis codex, sed (nisi fallunt oculi) à secunda manu.

Ser. LIV. & LV. emendati sunt ad codices eosdem cum Sermone LII.

Ser. LVI. ad cb. r. s. v. Vlim. Par. Lov.

LVII. ad gr. r. Vlim. Par. Lov.

LVIII. ad duos cl. ad gr. r. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

341. D. MSS. non habent, *da ut.*

342. E. Omnes MSS. æterna *sunt. Quatuor autem* sequentia *ad istam vitam pertinent.*

Sermonis LIX. exemplaria habuimus duo scripta r. v. cum excusis Am. Er. Par. Lov.

344. B. MSS. *ut* nobis *præcepta caritate faciamus.*

Ser. LX. emendatus est ad cl. r. v. Am. Er. Par. & Lov.

348. E. MS. r. *sed sequeris* * quò *misisti.*

Ibid. F. Idem r. * Evigilent *homines.*

349. A. Idem codex r. *cùm dat tibi consilium* de thesauro tuo, dat tibi & *de corde tuo.*

LXI. & LXII. ad tres bn. ad quatuor cl. ad cb. f. fl. fs. g. lr. m. pr. rm. vd.

356. E. Am. Er. & MSS. *&* pondus *minuis.*

361. B. Editi: Quære *ubi didiceris.* At plures MSS. *Quæro.*

Ser. LXIII. non invenimus nisi in editis Par. & Lov.

LXIV. vidimus in MS. rm. & apud Lov. ac Vig.

LXV. in cl. cb. r. vat. v. Par. & Lov.

371. A. Codex cl. *Omnis homo sine Deo* mortuus est, & *habet animam.*

Ser. LXVI. erutus ex Colbertino codice.

LXVII. correctus est ad tres bn. ad quatuor cl. ad cb. f. fl. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

375. A. Fossatensis MS. *nullam* accusationem *invenit inimicus.*

Ser. LXVIII. collatus ad cb. f. fl. m. Vlim. Par. Lov.

379. B. Editi : *Non ergo tales* ignoraverunt. Abest *ignoraverunt* à MSS.

Ser. LXIX. LXX. LXXI. & LXXII. recensuimus ad codices suprà in Sermone LXVII. designatos.

384. D. Unus è Colbertinis MSS. *quod nobis* præbetis.

399. F. Editi : *Ministri* Christi, *per quos credidistis.* Abest *Christi* à MSS. & à Græco textu Apostoli.

404. G. MSS. *Dimitte* illi *& hoc anno.*

Ser. LXXIII. correximus ad gr. Vlim. Par. Lov.

LXXIV. vulgatus est nunc primùm è libro cl.

LXXV. emendatus ad gr. Vlim. Par. Lov.

LXXVI. ad tres bn. & quatuor cl. ad a. cb. f. fl. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

LXXVII. ad ph. Am. Er. Par. Lov.

419. E. Am. Er. & Lov. *&* lucrandus *eos inde.* Phimarconensis MS. *& lucrandos.* At Par. *& lucraturus.*

422. E. Editi : *&* canes *conversi.* Abest *canes* à MS. ph.

424. B. Editi : *sed vitia* subdamus. At ph. *subponamus.*

Ser. LXXVIII. correctus est ad r. rm. v. Lov.

LXXIX. ad gr. Vlim. Par. Lov.

LXXX. ad cl. & Sir.

LXXXI. ad Petavianum & Colbertinum MS. & ad Sir.

434. D. Sir. *cantabant* in Deum. Meliùs MSS. *hymnum Deo.*

437. D. Ubi nos ex Colbertino veteri codice, *filii Altissimi omnes. Quoniam homines* &c. sic habet Sir. *filii Altissimi omnes.* Filii hominum, *filii hominum, non filii Altissimi, mendaces, quia* &c.

Ser. LXXXII. LXXXIII. & LXXXIV. recensiti sunt ad tres bn. & quatuor cl. ad a. cb. f. fl. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

LXXXV. ad cf. cl. gr. s. Am. Er. Par. Lov.

453. D. Codex cf. *Non falsum testimonium* dicas.

455. B. MSS. *Quæstus est adquisitio,* lucrum.

Ser. LXXXVI. exemplaria habuimus tria scripta, scilicet cl. cb. s. cum excusis Vlim. Par. & Lov.

459. C. Editi : *alios* alienis improbitatibus *quod possederant.* Meliùs MSS. *propriâ nequitiâ.*

Ibid. Iste locus, *Parcite nasci* &c. corruptus videtur. An ita legendum, *Parci, tenaces, servi avaritiæ ?*

Ser. LXXXVII. recognovimus ad codices omnes notatos suprà in Sermone LXXXII. ac præterea ad ph. & ad quintum cl.

469. C. In quibusdam libris : *nec* molesti *sunt adversùs Christianos.*

Ser. LXXXVIII. emendatus est ad eosdem codices Sermonis LXXXII. & ad quintum cl.

Sermonis LXXXIX. nullum scriptum exemplar videre licuit.

XC. habuimus exemplaria in duobus MSS. cb. & apud Sir.

XCI. castigatus est ad duos cl. ad cf. Am. Er. Par. Lov.

XCII. ad cl. cb. Am. Er. Par. Lov.

XCIII. ad codices Sermonis LXXXII. & ad v.

XCIV. ad cl. cb. Er. Par. Lov.

XCV. erutus est ex Colbertino MS.

508. B. Legendum putamus : *Vnde septem dierum* * volumine sæcula *provolvuntur.* Vide Ser. CXIV. n. I. *

Ser. XCVI. inventus est in MS. unico gr. & in editis Vlim. Par. Lov.

XCVII. & XCVIII. collati sunt cum tribus bn. & quatuor cl. cum a. cb. f. fs. g. lr. m. p. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

XCIX. cum tribus cl. cum duobus cb. cum gr. rm. Am. Er. Par. Lov.

523. A. Editi : *quomodo* non *verum erit.* Abest *non* à MSS. præcipuis.

Ser. C. ad libros in XCVII. Sermone designatos contulimus.

529. D. Editi : *credis te sine Deo posse.* Planiùs MS. unus è Colbertinis, *non posse.*

Sermonem CI. in MSS. frustra quæsivimus.

CII. CIII. CIV. CV. & CVI. recensuimus ad omnes codices Sermonis XCVII.

537. f. Suspicamur legendum : *aut fortè movenda* intentioni, *ut audiret* &c.

Ser. CVII. castigatus est ad cl. gr. Vlim. Par. Lov.

CVIII. & quinque proximè subsequentes emendati sunt ad codices numeratos in XCVII. Sermone.

570. F. Aliquot MSS. *Sed audi qui sint, quos proposuit.*

Sermo CXIV. ex Romano est. & Gallicano cl. nunc primùm prodit.

CXV. collatus est cum omnibus libris Sermonis XCVII.

CXVI. ad d. r. v. Par. Lov. & Vig. recognitus.

CXVII. ad omnes libros Sermonis XCVII.

583. A. B. Editi : *paratus* videre. Meliùs MSS. *videri.*

589. E. Fossatensis MS. *ne* inflatiores, *non solidiores remaneatis.*

Ser. CXVIII. recensitus est ad v. & Sir.

CXIX. ad d. gr. r. v. Vlim. Par. Lov. Vig.

CXX. ad d. r. t. v. Lov.

CXXI. ad f. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CXXII. CXXIII. & CXXIV. ad libros in XCVII. Sermone indicatos.

CXXV. ad cr. & Sir.

606. E. Codex cr. *Sed quod curabat.* Fortè leg. *quos.*

608. D. Idem MS. cr. *non potest* stare *nisi illud quod fecit.*

Ibid. F. Idem MS. cr. *sed unicuique videtur*, qui *ordinem non* habet.
609. A. In eodem cr. *ornamenta sunt* civitati.
Idem F. Codex cr. *in vigiliis*. Tribulatio *ipsa est exercitatio justitiæ*.
610. A. Sir. *non servus* avaritiæ MS. cr. non habet *avaritiæ*: cujus loco subintelligendum *rei suæ*.
Ibid. B. MS. cr. *Non teneat* manus tua, *unde tenendus est Deus*. Paulóque post: *quo potes Deum* tenere.
SER. CXXVI. recognitus est ad duos cl. ad gr. rm. Am. Er. Par. Lov.
CXXVII. ad ph. & ad eosdem libros duorum Sermonum proximè subsequentium.
CXXVIII. & CXXIX. castigati sunt ad tres bn. ad quatuor cl. ad a. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd.
CXXX. hîc primùm vulgatus ex MS. cl.
CXXXI. ad tres bn. ad a. cl. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
CXXXII. ad omnes codices in CXXVIII. Sermone designatos.
CXXXIII. in MSS. nostris nusquam repertus est.
CXXXIV. ad eosdem libros cum Sermone CXXVIII. recognitus est.
CXXXV. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.
CXXXVI. erutus ex veteri codice Colbertino.
CXXXVII. & duobus proximè subsequentibus emendandis opem adtulerunt codices suprà in CXXVIII. designati.
CXL. castigatus est subsidio librorum cl. r. v. & Sir.
CXLI. juvantibus libris, quos in CXXVIII. Sermone notavimus.
CXLII. collatus est ad tres bn. ad quinque cl. ad a. cb. f. fs. g. gr. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
CXLIII. & CXLIV. ad codices in CXXVIII. Sermone indicatos contulimus.
CXLV. non reperimus nisi in posterioribus editis.
CXLVI. in codicibus Sermonis CXXVIII. recognovimus.
CXLVII. emendatus est ad duos cl. ad tres cb. ad cf. d. n. t.
CXLVIII. ad cb. gr. Vlim. Par. Lov.
CXLIX. ad gr. t. Vlim. Par. Lov.
CL. ad cl. m. Am. Er. Vlim. Par. Lov.
CLI. ad duos cl. ad bn. f. gr. Am. Er. Par. Lov.
CLII. hîc primùm editus ex codice Floriacensi, & pòst recensitus in altero MS cor. Compendiensi.
722. E. Codex cor. *nec in agro cacumen* * exsurgeret.
Ibid. F. Idem MS. *Si* enim *desideriis*.
723. A. In eodem MS. *ut mente non* consentiens.
Ibid. 5. Idem liber: *Aut fortè ista una est ex duabus*.
724. C Post verba, *à lege peccati & mortis*; adde ex libro cor. * *Audistis & aliam legem peccati & mortis*.
Ibid. D. In eodem libro: *Occasione* enim *accepta*.
Ibid. G. Idem lib. *O frontem* duram! *Tu dixisti*.
725. A. Uterque MS. f. & cor. *sine mandato*, in usu *erat*.
726. E. Codex cor. *Quia crucifixus est*. A quibus crucifixus est? *à Judæis*.
Ibid. Post, *an peccaverunt*; addendum ex eodem codice cor. * *Peccaverunt. Ecce de quo peccato damnavit peccatum*.
727. A. Idem MS. cor. *dilexeritis*, *ad dilectum* pervenietis.
SER. CLIII. & sex proximè sequentes castigati sunt ad a. bn. cl. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
728. F. MSS. *quasi* ubique *videtur legem accusare*.
731. E. Codex f. *in illo pone*: omissâ particulâ *te*, pro qua *spem* subintelligere licuisset.
CLX. collatus est ad bd. fl. gr. & Lov.
CLXI. & quatuor subsequentes correximus ad codices eosdem cum CLIII. Sermone.
CLXVI. ad gr. Vlim. Par. & Lov. emendatus est.
CLXVII. ad codices in CLIII. Sermone suprà laudatos.
CLXVIII. ad duos cl. gr. rm. Am. Er. Par. Lov.
CLXIX. ad codices item Sermonis CLIII.
CLXX. ad cf. cl. Am. Er. Par. Lov.
CLXXI. ad tres bn. ad quatuor cl. ad cb. f. fs. gr. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
CLXXII. & CLXXIII. in MSS. l. r. v. seorsim reperimus, ac eosdem insuper cum tribus proximè sequentibus recognovimus in libris qui Sermonem CLIII. repræsentant.
CLXXVII. nonnisi in editis videre nobis licuit.
CLXXVIII. castigatus est ad a. bn. cl. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.
CLXXIX. ad gr. Vlim. Par. Lov.
CLXXX. & tres proximè sequentes collati sunt ad bn. cb. fs. pr. rm. vd. Am. Er. Par. & Lov.
CLXXXIV. emendatus est ad cl. r. v. Lov.
CLXXXV. ad cl. n. r. v. Lov.
CLXXXVI. ad duos cb. f. gr. n. r. vd. Am. Er. Par. Lov.
CLXXXVII. ad tres cb. ad duos n. ad f. t. v. Am. Er. Par. Lov.
CLXXXVIII. ad duos cb. & duos n. ad f. r. v. Am. Er. Par. Lov.
CLXXXIX. Nusquam hunc vidimus in MSS.
CXC. repertus est in cl. r. v. Lov.
CXCI. collatus ad tres cb. ad f. n. r. t. Lov.
In MSS. f. n. t. &c. istud habet exordium: *Unigenitus Christus Dei filius, verus sol justitiæ, ita terris illuxit, ut non desereret cælos, & ibi æternè manens, & hîc temporaliter transiens: ibi sempiternum constituens diem, hîc humanum patiens diem; ibi sine horarum cursu perenniter vivens, hîc sine peccati incursu temporaliter moriens: ibi permanens vita sine occasu, hîc vitam nostram à mortis liberans casu. Ibi majestatis suæ calore Angelorum mentes accendit, hîc vitam hominum moresque discernit. Ibi lux capitur, quam peccato nullus exstinguit; hîc homo nascitur, qui peccata cuncta distinguit. Ibi Deus cum Deo, hîc Deus & homo; ibi lumen de lumine, hîc quod illuminat omnem hominem. Ibi verbo cælos extendit, hîc viam perveniendi ad cælos ostendit. Ibi mysterium nativitatis suæ cum Patre firmavit; hîc membra carnis suæ in matre formavit. Ibi ad dexteram Patris sedens, hîc in præsepio jacens: ibi Angelos pascens, hîc in terra parvulus esuriens: ibi perfectis potestatibus manens indeficiens panis, hîc cum natis infantibus alimento indigens lactis: ibi bona faciens, hîc mala patiens; ibi numquam moriens, hîc post mortem resurgens & mortalibus æternam vitam condonans. Deus factus est homo, ut homo Deus fieret. Formam servi accepit Dominus, ut homo verteretur in Dominum. Cælorum habitator & conditor habitavit in terris, ut homo de terris migraret ad cælos. Verbum enim Patris, per quod facta sunt tempora* &c.
SERMO CXCII. correctus est ad tres cb. & duos n. ad c. f. gr. r. vd. Am. Er. Par. Lov.
CXCIII. ad cl. cb. f. r. v. Lov.
CXCIV. ad duos cb. & duos n. ad f. r. t. Am. Er. Par. Lov.
CXCV. ad tres cb. ad f. n. t. Am. Er. Par. Lov.
CXCVI. Nullum hujus exemplar scriptum invenimus, præterquam in Regio libro.
CXCVII. contulimus cum duobus bd. cum fl. & editis.
CXCVIII. Hunc in MSS. frustra quæsivimus.
CXCIX. invenimus in quatuor cb. & duobus n. in f. gr. r. rm. t. vd. Am. Er. Par. Lov.
CC. castigatus est ad MSS. tres cb. ad f. gr. n. r. rm. t. v. vd. & ad superiores editiones.
911. E. Editi: *Deum* adoraverunt. At MSS. *agnoverunt*.
SER. CCI. ad MSS. duos cb. & duos n. ad f. gr. r. rm. t. v. & ad editiones correctus est.
CCII. ad cb. f. gr. n. r. rm. Am. Er. Par. Lov.
CCIII. ad quatuor cb. ad f. n. t. Lov.
CCIV. ad cl. rm. Vig.
CCV. ad cl. r. v. Lov.
921. D. Lov. *quibus* quisque *volat ad Deum*. Abest *quisque* à MSS. cujus loco subauditur *oratio*.
SER. CCVI. Ad hunc emendandum usi sumus codicibus cl. r. rm. v. & Lov.
In editione Lov. & in recentioribus tantùm MSS. r. v. prænotatur *Dominicâ 2. Quadragesimæ*: non quòd hac die dictus sit ab Augustino, sed ut in ipsa legatur plebi. Sic Sermo superior aliique ex subsequentibus quidam certis diebus adsignantur in prædictis libris.
922. A. Lov. *facilius volando* perveniamus. At MSS. *perveniant*: supple *orationes nostræ*.

Ser. CCVII. & tres subsequentes castigavimus ope MSS. cl. r. rm. v. & Lov.

724. C. Codex cl. *cordis* pænitentis *intentio.*

Ser. CCXI. correximus ad duos cl. gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

CCXII. ad cl. r. v. Lov.

CCXIII. in editis tantùm vidimus, non in MSS.

CCXIV. Hîc primùm editus ex Remigiano libro, pôstque editionem repertus etiam in MS. Theodericensi.

943. F. Post, *natatilia*; Theodericensis codex addit, * *volatilia.*

946. A. MS. t. *Sic credimus quòd natus sit:* omisso, *in eum.*

Ser. CCXV. recognitus est in cb. l. r. v. Vig.

951. F. Vig. confessus *me fuerit coram hominibus*, confitebitur *illum* &c. Veriùs MS. l. *confusus*, *confundet.*

Ser. CCXVI. collatus est ad gr. Vlim. Par. Lov.

CCXVII. Erutus ex MSS. f. & gr.

CCXVIII. inventus in MS. unico Regio & apud Lov.

CCXIX. emendatus est ad r. t. v. & Lov.

CCXX. ad cl. r. t. v. Lov.

CCXXI. ad duos e. ad r. t. v. Lov.

CCXXII. ad r. t. v. Lov.

CCXXIII. ad d. r. t. v. Lov.

CCXXIV. ad r. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

In quibusdam MSS. prænotatur, *Dominicâ in albis:* & in iisdem, Regio scilicet ac Victorino, prolixius habet exordium, hæc in verba: *Ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: verumtamen hodie terminata sacramentorum sollemnitate, vos alloquor novella germina sanctitatis, regenerata ex aqua & spiritu, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris, & fructus laboris, gaudium & corona mea, omnes qui statis in Domino Apostolicis verbis vos alloquor: Ecce nox præcessit...... Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Et ut vitam induatis, quam sacramento induistis. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Facti enim estis membra Christi. Et cogitetis quid facti estis; omnia ossa vestra dicent* &c. Illud ferè totum reperies in Sermone Appendicis CLXXII. necnon ex prioribus verbis quædam initio Sermonis CCCLIII. inter Augustinianos.

Ser. CCXXV. non repertus nisi in Vaticano MS. & in editione Lov.

CCXXVI. castigatus est ad cl. d. r. t. vat. v. Lov.

CCXXVII. ad d. f. t. v. Lov.

CCXXVIII. ad MS. v. & Vig.

CCXXIX. ex duobus bd. & ex fl. hîc adjiciendum curavimus.

CCXXX. Hunc emendavimus ad cl. r. t. v. vat. Lov.

CCXXXI. & CCXXXII. ad d. f. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCXXXIII. & CCXXXIV. ad d. r. t. v. Lov.

CCXXXV. ad tres cb. ad d. n. r. v. Am. Er. Par. Lov.

CCXXXVI. ad cl. r. t. v. vat. Lov.

CCXXXVII. ad f. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCXXXVIII. erutus est ex Vindocinensi MS.

CCXXXIX. correctus ad vat. Am. Er. Par. Lov. & ad Appendicem operum Fulgentii.

CCXL. & tres subsequentes emendati sunt ad duos cb. ad d. gr. r. t. v. vd. Am. Er. Par. Lov.

CCXLIV. ad d. r. t. v. & Sir. collatus est.

CCXLV. Hujus scriptum exemplar nullum vidimus. Exstabat in editis Am. Er. Par. Lov. & in Appendice operum Fulgentii.

CCXLVI. collatus est ad f. r. t. v. Vig. In optimæ notæ Floriacensi libro inscribitur, *Habitus quintâ feriâ.*

CCXLVII. antea Fulgentii nomine vulgatus, sed hîc jam Augustino redditus auctoritate codicis est.

CCXLVIII. recognitus est in libris t. Am. Er. Par. Lov. & in Fulgentii operum Appendice.

CCXLIX. castigatus ad d. r. t. v. Vig.

CCL. ad d. r. t. Vig. & ad vetustissimum f. in quo prænotatur, *Habitus sextâ feriâ.*

CCLI. ad duos cb. ad d. gr. r. t. vd. Vlim. Par. Lov.

CCLII. ad duos cb. ad gr. r. Vlim. Par. Lov.

CCLIII. ad f. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCLIV. in antè editis invenimus, non in MSS.

CCLV. vidimus in unico MS. gr. & apud Vlim. Par. Lov.

CCLVI. correximus ad d. cl. r. t. vat. v. Sir.

CCLVII. & CCLVIII. damus hîc primùm ex MS. f.

CCLIX. Emendatus est ad m. r. vat. v. Sir.

CCLX. ad cb. gr. r. Vlim. Par. Lov.

CCLXI. ad gr. Vlim. Par. Lov.

1067. B. Codex gr. *ad hoc te* avoca.

Ser. CCLXII. recensitus est ad f. gr. Vlim. Par. Lov.

CCLXIII. ad duos cb. ad n. r. t. Am. Er. Par. Lov.

CCLXIV. erutus est ex MS. Vindocinensi.

CCLXV. emendatus ad cb. r. v. Par. Lov.

CCLXVI. & CCLXVII. Horum scriptum aliquod exemplar videre non licuit.

CCLXVIII. & duos proximè sequentes correximus ad cl. d. r. t. vat. v. & Sir.

CCLXXI. in MSS. frustra quæsitus est.

CCLXXII. recognitus est in cl. fl. t. vat. Vig. & in Fulgentii epistola ad Ferrandum.

CCLXXIII. castigatus ad f. r. rm. v. Lov.

CCLXXIV. & CCLXXV. ad cl. gr. rm. v. Par. Lov.

CCLXXVI. ad duos cb. & tres gr. ad m. n. pr. rm. Am. Er. Par. Lov.

CCLXXVII. ad cl. n. r. rm. t. Lov.

CCLXXVIII. ad cl. cb. d. gr. m. Vlim. Par. Lov.

CCLXXIX. ad d. r. t. v. vd. Sir.

CCLXXX. & duo subsequentes collati sunt cum r. rm. t. v. Lov.

CCXXXIII. cum cb. r. t. v. Vlim. Par. Lov.

CCLXXXIV. in nostris MSS. non inventus.

CCLXXXV. emendatus est ad r. t. v. Lov.

CCLXXXVI. ad cl. d. gr. r. t. vat. v. Vlim. Par. Lov.

CCLXXXVII. ad gr. Vlim. Par. Lov.

CCLXXXVIII. ad d. r. t. vd. Sir. & ad Petavianum MS.

1155. B. Codex t. *Si ergo nota est ei, in cujus corde est, verbum jam notum est dicturo.*

Ibid. F. MSS. *faceret* per sonorum mutationes *verbum cordis.*

1156. C. Aliquot MSS. *nisi in te* fieret *post vocem.*

Ser. CCLXXXIX. correximus ad d. cl. rm. t. Vig.

CCXC. ad tres cl. ad gr. r. rm. t. Am. Er. Par. Lov.

CCXCI. ad cl. d. rm. t. Vig.

CCXCII. ad duos cb. ad cl. d. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCXCIII. ad cl. r. rm. t. vat. Vig.

1177. D. Vig. *nec ad suum* factum. Veriùs MSS. *fastum.*

Ibid. E. MSS. *parum de se* justificatur *dies.*

1179. D. MSS. *necessarium præcursori* fidei.

Ser. CCXCIV. recognovimus in duobus bn. in a. cst. cl. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

1191. C. loco, *tabefactus*; habetur in MSS. *tabificatus.*

Ser. CCXCV. & duo subsequentes collati sunt ad d. r. rm. t. v. Lov. prætereaque CCXCV. & CCXCVII. ad cl.

CCXCVIII. recognitus in cl. d. gr. r. t. Vlim. Par. Lov. & quidem in posterioribus aliquot MSS. brevior inventus est quàm in editionibus; sed editiones à vetustissimis MSS. habent auctoritatem.

1210. C. Editiones: *unde gaudeamus in* novissimis. At MSS. *in novissimo.*

Sermo CCXCIX. hîc primùm editus ex MS. cb.

CCC. & CCCI. collati sunt ad d. r. t. v. Lov. ac præterea CCCI. ad cl.

CCCII. ad bd. cl. d. fl. r. t. & Lov.

1226. Editi: *ad* impetranda *meliora.* At MSS. *appetenda.*

1230. A. Apud bd. & fl. *quando* faciendo *bonum* &c.

Sermonem CCCIII. in MSS. non reperimus.

CCCIV. recognovimus in cl. d. r. t. Vlim. Par. Lov.

CCCV. redintegravimus juvantibus vat. cl. r. t. Sir.

1237. A. Isthæc verba, (*quæ hîc esse non dubito; nam si dubito, nec ipse granum ero: audite, inquam, me*) apud Sir. omissa, restituuntur hîc ex MSS. cl. t.

Ser. CCCVI. correctus est ad r. t. Lov.

CCCVII. & CCCVIII. ad duos cb. ad cr. gr. r. t. Par. Lov.

1245. F. Codex alter cb. *Temere juravit*, quia nescivit. *Tamen lapsus est*, quia *juravit.* In eodem codice initium

hujus CCCVIII. Sermonis ita fini alterius cohæret, ut Sermo ex duobus unus efficiatur.

SER. CCCIX. emendatus eſt ad gr.r. t.v.Par.Lov.

CCCX. ad d. r. t. vat. v. Lov.

CCCXI. ad eoſdem libros, excepto v.

CCCXII. & CCCXIII. ad cl. d. r. t. vat.v.Lov.

CCCXIV. non inventus niſi in cb. & Lov.

CCCXV. nonniſi in r. & Lov.

CCCXVI. in gr. pr. r. & Lov.

1268. F. MSS. gr. & pr. *vidit*, tacere *non* potuit.

1270. B. Codex gr. *ſoli Apoſtoli remanſerunt* ad paucos.

SER. CCCXVII. recognitus eſt in duobus n. in cl. r. Lov.

CCCXVIII. in cl. d. r. t. v. Sir.

CCCXIX. in d. n. r. t. Vlim. Par. Lov.

CCCXX. & quatuor proximè ſequentes à Vlimmerio primùm vulgatos, non vidimus in MSS.

CCCXXV. contulimus ad m. r. rm. t. v. Sir.

CCCXXVI. ad r. rm. t. v. Vig.

CCCXXVII. ad cl. r. t. v. Sir.

CCCXXVIII. non reperimus niſi apud Lov.

CCCXXIX. emendavimus ad cl. r. t. v. Vig.

CCCXXX. ad d. r. t. v. Sir.

CCCXXXI. ad r. & Lov.

CCCXXXII. ad d. r. t. v. Sir.

CCCXXXIII. ad tres cl. ad gr. r. rm. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXXXIV. ad tres cb. ad f. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXXXV. ad cb. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXXXVI. ad cb. f. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXXXVII. & CCCXXXVIII. ad eoſdem MSS. & ad Par. Lov.

CCCXXXIX. ad duos cl. ad gr. r. rm. t. Am. Er. Par. Lov.

CCCXL. ad r. t. v. Sir.

CCCXLI. ad duos cl. ad cſ. r.v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXLII. recenſitus primùm ad fl. v. Sir. & poſt editionem ad cl.

1321. A. Codex cl. *Quis, de quo hic venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine?* Quis, de quo? Johannes de Chriſto, lucerna de die. Quis, de quo? Johannes de Chriſto: ergo lucerna de die. Non injuriam Johanni facimus: ſed diem noſtrum ſi conſtanter intueri non poſſumus, ſaltem cum honore laudemus. Venit ut teſtimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lumen, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. *Quomodo non erat* &c.

Ibid. B. Cum eodem cl. ita legendum: *Audire vis lucernam * de die, & diem de lucerna? Vos, inquit, miſiſtis.*

* Ibid. C. Idem codex: *ergo ** & *Johannem. Qui nondum ſe* &c. non repetita voce *Johannem*, quæ ſupereſt in editis.

Ibid. F. G. Idem cod. *Audi propter* quos *venerit.*

* Ibid. In eodem cl. *Sui non receperunt ** & ſui receperunt.

* Ibid. cl. *Ergo fideles ejus, ſervi ** ejus.

1322. B. In eodem lib. *amaritudine* bacarum. Ubi le-
* gendum, * *baccarum.*

* Ibid. Poſt, *horrebat*; addit idem cl. * *ſilveſtri oleaſtro.*

Ibid. C. Idem cod. *non de* Iſraëlitis, *ſed de* gentibus.

Ibid. E. cl. *in* auras *vita &* ſereniſſimæ *libertatis.*

* Ibid. cl. *Jam enim * erant non filii, &* fiebant *filii.*

* Ibid. F. Poſt, *quia aliud erat*; addit cl. * *Levavit te ad id quod non eras, quia alius eras.*

* Ibid. cl. *quod promiſſum eſt*, * ſed à magno promiſſum eſt. Multum *& incredibile.*

SER. CCCXLIII. in noſtris MSS. integer non invenitur.

CCCXLIV. repertus eſt in v. tantùm & Sir.

CCCXLV. in cl. & Sir.

CCCXLVI. erutus eſt ex vetere libro m.

CCCXLVII. & CCCXLVIII. correcti ſunt ad cſ. cl. m. Am. Er. Par. Lov.

CCCXLIX. ad cl. cb. Am. Er. Par. Lov.

CCCL. ad duos c. & duos t. ad cb. m. Am. Er. Par. Lov.

CCCLI. ad duos cl. ad f. gr. ph. r. rm. ſ. Am. Er. Par. Lov.

CCCLII. ad v. Am. Er. Par. Lov.

1368. D. Codex v. *operabaris* premente peccato. *Veni*
&c. *

Ibid. F. Meliùs MS. v. *ita non ** deerant *qui* impedirent *ambulantes.*

SER. CCCLIII. recognitus eſt ad duos cl. & duos r. ad gr. rm. Am. Er. Par. Lov.

CCCLIV. ad tres bn. ad quatuor cl. ad a. cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

CCCLV. & CCCLVI. ad cl. gr. m. Vlim. Par. Lov. ad veterem codicem S. Quintini Bellovacenſis, & ad editiones concilii Aquiſgranenſis.

CCCLVII. & tres ſubſequentes ad cl. v. Sir. & præterea CCCLX. ad r.

1396. F. Sir. *Carum, Lucium.* Legendum videtur, *Gaium, Lucium*: quæ pronomina ſunt, poni ſolita pro quolibet homine, ut in Ser. XLII. c. 3.

1398. B. MS. cl. *terrenæ poteſtatis* timere *ſeveritatem.* *

Ibid. D. Melius idem codex: * de *ſe præſumit.* *

Ibid. Lege cum eodem codice, *per ** auctorem *pacis, plantatorem pacis*, dilectorem pacis, *oramus vos.*

1401. C. Poſt, *Cavete ab omni cupiditate*; MS. cl. addit, *Numquid petitorem inanem dimiſit, & non potiùs veritate implevit, ſi ille impleri vellet ab eo, qui ait, Cavete ab omni*
cupiditate? *

Ibid. MS. cl. *magnos habuit ** id eſt, *multis fructibus.* *

Ibid. D. Idem cl. *qui valde ** tibi *videris.*

1402. E. MS. cl. *in congregatione* fraterna *præſideat.*

Ibid. Idem cl. *Ponamus omnino* quòd *malam.*

SER. CCCLXI. & CCCLXII. caſtigati ſunt ad d. r. t. v. Lov.

CCCLXIII. ad r. v. Sir. emendatus eſt.

CCCLXIV. ad b. cl. ful. r. & Am. Er. Par. Lov.

CCCLXV. non exſtat in MSS. noſtris.

CCCLXVI. collatus ad duos v. ad gr. rm. Sir.

CCCLXVII. ad duos bn. & quatuor cl. ad cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXVIII. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXIX. ad tres cb. & duos n. ad f. gr. r. t. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXX. ad tres cb. ad f. n. r. t. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXXI. & CCCLXXII. deſiderantur in noſtris MSS.

CCCLXXIII. recognitus eſt ad cb. cl. f. n. r. rm. v. Lov.

CCCLXXIV. ad r. rm. v. Lov.

CCCLXXV. ad r. rm. v. Vig.

CCCLXXVI. non inventus niſi in editis.

CCCLXXVII. collatus eſt ad f. gr. Lov.

CCCLXXVIII. ad cl. r. t. vat. v. Vig.

CCCLXXIX. ad r. t. v. Vig.

CCCLXXX. ad cl. d. r. t. v. Vig.

CCCLXXXI. ad cl. d. r. rm. t. vat. Vig.

CCCLXXXII. ad duos cb. & duos n. ad cl. gr. r. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXIII. ad duos cl. ad gr. m. r. rm. t. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXIV. ad duos bn. & tres cl. ad cb. f. fs. g. lr. m. pr. rm. vd. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXV. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXVI. ad cl. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXVII. ad duos cl. ad gr. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXVIII. ad duos cl. ad gr. r. rm. v. Am. Er. Par. Lov.

CCCLXXXIX. ad r. v. Sir.

CCCXC. ad r. v. Vig.

CCCXCI. ad v. Am. Er. Par. Lov.

CCCXCII. ad duos cl. ad gr. ph. rm. v. Am. Er.
Par. Lov. *

1503. F. legendum videtur: *Sacramentum enim ** ſabbati.

SER. CCCXCIII. collatus ad tres cl. ad cr. cb. f. gr. r. rm. ſ. Am. Er. Par. Lov.

INDEX
IN QUINTUM TOMUM
OPERUM S. AUGUSTINI.

A

ABBA & *Pater*, quia duo populi in Christo, 756.f
Abnegare se, omnibus jussum est, 514. d. *V*. Negare se.
Abominari, seu abhominari, sic aliquem habere, ut nec homo videatur, 57. d
ABRAHAM cur primum nomen cum posteriore non retinet, Jacob verò è contra, 599. c. Cor Abrahæ electum ad fidem, 5. c. Abrahæ cur seni natus filius, 438. f. Abrahæ tentatio à Deo, 6. b. Ejus fides & pietas in filii sui oblatione, 5. a. b. 9. d. e. Sacrificium ipsius, 102. c. Abrahæ sinus, 84. c. Abraham in divitiis pauper, 84. c. In bonis operibus non inflatus, *ibid.* c. Abraham ad Ecclesiam pertinet, 16. b. Quidquid Scriptura dicit de Abraham, & factum est, & prophetia est, 8. g
Absconditum vultus Dei, 1418. f
Absolvere est innocentem judicare, 119. f. Deus reum non absolvit, sed peccata donat converso, *ibid.* *V*. Solvere.
Abstinentia qualis suscipienda tempore Quadragesimæ, 923. c. 926. g. Abstinentia à vino delicata, 932. a. *V*. Quadragesima.
Acclamatio plebis, 132. c
Actio. Numquam fit à te, quod non ipse (Deus) facit in te: sed aliquando facit in te, quod non fit à te, 325. c
Actuum Apostolorum liber legi solitus à Dominico Paschæ, 1261. e
ADAM creatus est justus, 680. f. in natura sine culpa & vitio, 137. c. Arbitrio suo factus est malus, 352. c. & amissa beatitudine in miseriam projectus est, 170. c. Ejus casus cur à Deo permissus, 137. c. Primus accepit morsum serpentis cum veneno, 1189. a. Omnes in Adam, omnes in Christo, 1181. b. Adam si hodie moreretur, paucos dies vixerat, 1335. c
ADIMANTUS Manichæi discipulus, 72. e. Calumniosa objectio ejus ex Apostolo, 72. e
Adjutorium gratiæ Dei nobis necessarium, 79. e. 91. c. 321. a. 755. c. 789. f. 790. c. 1033. f. 1037. a. Ut faciamus jussa, ipse adjuvat à quo speramus promissa, 1469. a. Non est durum & grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat, 511. b. *V*. Gratia.
Admonendi munus præpositis impositum, 94. g
Adoptio filiorum, 296. c. Adoptionis jus à sacris litteris non alienum, 297. c
Adscensio Christi in cælum pignus est nostræ adscensionis, 1072. a. Non adscendit in cælum, nisi qui inhæret Christo, 498. b. *V*. Christi adscensio.
Adventus Christi duplex, 94. b. 98. b. *V*. Christi adventus.
Adversarius noster, cui citò consentire jubemur, sermo Dei est ac præcepta Decalogi, 49. a. f. 203. b. 558. b. f. 1037. d. 1493. d. Adversarius est voluntatis tuæ, donec fiat auctor salutis tuæ, 558 f
Adversitas quælibet temporalis facilè toleratur, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur, 383. f Constantia in ferendis adversis, 545. g. Sæculi hujus quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas, 603. f. Corporalis omnis atque spiritalis adversitas, eleemosynis & jejuniis atque orationibus superanda sunt, 923. a. Contra Deum in adversis non murmurandum, 1202. b. *V*. Flagellum. Tribulatio.
Adulatio est fallaci laude seductio, 1373. b
Adulator, 505. f. 1088. g
Adulteri redarguuntur, 56. c. Adulterorum fœda excusatio, 57. a. Adulterantem virum, non propter carnem, sed propter caritatem dolere debet femina Christiana, 56. d. De muliere adultera, 80. c. 1230
Adulterium unde dictum, 294. b. Adulterii malum quàm latè patens, 51. e. 56. c. Adulterium duplici præcepto prohibitum, 45. b. Adulterium carnis, & adulterium cordis, 1272. f. Adulterium animæ colentis dæmonia, 50. a. Animæ quædam adulteræ, quædam fornicariæ, 88. a. *V*. Fornicatio.
Advocati nostri sic Martyres sunt, ut tamen unus sit advocatus noster Christus, 1147. c
Ædificant in petra, qui ad tentationes præparant; ædificant in arena, qui felicitatem terrenam promittunt, 230. c
Ædificatio & dedicatio domûs Dei in nobis, 1301. c. Ædificatio in labore, dedicatio in lætia, 1305. d
Æger non exauditur ad voluntatem, sed ad sanitatem, 1150. f
Ægrotantium illicita remedia, 1273. b. Ægroti diabolum vincentes multi in lecto, 27. f
Ægrotare & convalescere non æquè habet homo in potestate, 750. c. 1123. f. Ægrotat periculosiùs qui se sanum putat, 430. c
Ægrotus & infirmus in quo differunt, 231. e. Ægrotorum duo genera, 430. b. Christus medicus omnes ægrotos invenit, 430. c. Quo remedio per Christum sanati ægroti, 430. g. Ægroti ad poculum sumendum exemplo medici Christi invitamur, 473 b. 687. e. Ægroti concordia cum medico, 55. f. *& seq.* Ægrotus præcepta medici observando nonnisi paulatim fit sanus, 1124. e
Ægroti ad piscinam sanatio figurativa, 603. c. 606. e. 609. d. e
Ægyptiorum plagæ decem exponuntur, 41. f. *& seq.* Ægyptiorum submersio in rubro mari, figura abolitionis peccatorum in baptismo, 14. e. Ægyptiorum mos circa mortuorum corporo, 1411. g
Ægyptus, 224. e. 245. f. 676. c
ÆMILIUS & Castus Martyres, 1146. g
Æstas nostra Christi est adventus & revelatio; hyems nostra, Christi occultatio, 177. a
Ætates sex mundi, 608. b. 1060. g
Ætates spiritales, 957. b
Æterna ad fruendum, temporalia præstat Deus ad utendum, 355. d. In æternitate stabilitas est, in tempore autem varietas; in æternitate omnia stant, in tempore alia succedunt, alia accedunt, 585. b
Africa num in meridie, 244. e. *& seq.* 676. a
AGAR fugiens à facie Saræ, figura hæresum, 10. d. g
Agere, nec perficere bonum, sive malum, quid sit, 720. g. Agis, si agaris; & bene agis, si à bono agaris, 630. g. 755. a
AGGÆI locus vindicatur contra Manichæos, 280.
AGNES Virgo & Martyr, 1107. d. 1377. a
Agricola perdit quod seminat: sic perdenda nunc anima, 1288. c
ALARICUS, 547. b
Albis vestibus induti post baptismum, 595. c. 966. e
Alienigenæ, qui totam felicitatem non putant nisi præsentem, 165. f. 166. e
Altare, vel quod accipitur de altari, 490. e. Altare erectum super corpus Cypriani, 1260. a. & super reliquias Stephani, 1271. e. Martyres ad altare meliore loco recitantur, 1108. a.
Altaria Martyribus ipsis non eriguntur, sed Deo, 1107. g. 1271. e
Amandus Deus propter ipsum, & proximus propter Deum, 1301. g. Amandus Deus super parentes, 1329. f. Amandus est gratis, 799. a. 1448. c. f. Amare Deum gratis pietas est, 496. c. Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare. Ipse sufficit tibi, præter illum nihil sufficit tibi, 1299. c. Amate Deum, nihil melius invenitis, 1347. a. Deus continuò cùm amatur, habetur, 172. b
Amari Deus non potest, nisi habeatur, 172. c. Amamus Deum de Deo, 171. d. 815. g
Amare se & negare se, 1288. b. Quod amas ad tempus, aut subducitur tibi, aut subduceris illi, 1454. c. Quidquid bene amas, caritate amas, 126. f. *V*. Amicitia. Amor. Diligere.
Amarus factus mundus amari non desinit, 1255. c
Ambulare secundùm carnem & secundùm spiritum, 746. b
Amen, idem ac verum est, 1436. b. Amen fideles Eucharistiam accipientes respondent, 1104. c. 1299. c
Amicitia alia consuetudinis, alia rationis, 1487. e. Amicitiæ amor sit gratuitus, 1488. b. Amat quod non videtur, 1488. c
Amicus & inimicus nunc vix dignoscitur, 273. a. Amicorum vitia non amanda, 274. c. Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo, 1301. g. Amicus media nocte interpellatus ut det tres panes, ad reficiendum amicum, 542. b. Amicus malum suadens, 435. e. g. Multùm valent & boni amici ad bonum, & mali amici ad malum, 467. f
Amor manus animæ. 609. g. Amore dura quæque mitescunt, 383. e. Omnia sæva & immania prorsus facilia & propè nulla efficit amor. 383. e. Amoris vulnus, 1209. b. Amoris vicissitudo in amato quæritur, 171. g
Amor utilis, & amor noxius, 1454. g. Amor Dei & amor sæculi, 418. d. 554. f. 609. f. 1329. c. Amor sæculi non compatitur amorem Dei, 609. g. Amas sæculum, absorbebit te; amatores suos vorare novit, non portare; 418. d. Amor in Deum tùm apparet, si amantur lucra Dei, 1202. f. Amor Dei ex toto corde. Totum exigit te, qui fecit te, 173. b. Gratuitus Dei amor spem mercedis non tollit, 1312. a
Amores omnes priùs sunt in hominibus de se, & sic de alia re, 1455. b. Inferiora diligendi modus, 1455. d. Amor verus quo ordine comparetur, 1455. f. Amor sui prima hominis perditio, 511. d. Amor sui perversus, veriùs est sui contemtus, 1288. d. Amor sui non diu subsistit in se, sed citò in vanis evanescit, 511. f. Peccatum ipsum non amatur, sed ipse inordinatus amor creaturæ est peccatum, 111. f. Nihil aliud curæ esse debet quomodo vivatur, nisi ut quod amandum est eligatur, 511. d. Amor rerum terrenarum viscum est spiritalium pennarum, 566. f. 1251. f. Tales sunt homines, quales sunt amores, 511. c. d. Amando Deum, efficimur dii: amando mundum, dicimur mundus, 595. f. Amor animæ. *V*. Anima.
Amor hominis in hominem alius rectus, alius perversus, 1487. b. Amoris liciti gradus, 1487. c. Amor parentum, 1329. f. filiorum, 494. c. 1330. b. uxoris, 435. e. 1330. b. De illicito amore, 1346. b. Vis impuri amoris, 511. b. 779. f
Amore & timore differunt homo novus & vetus, & utrùmque Testamentum, 54. d. 168. d.

INDEX

Amore lex impletur, non timore, 161. f. 1037. c. Amor juſtitiæ caſtus unde probatur, 853. f. *V*. Timor.

Amphitheatrum, 283. c. e. 908. d

Amurca, oleum, 91. d. 105. f. 106. a

Analogia, 310. g

ANANIÆ & Saphiræ non ſeverior correptio, mors temporalis, 703. d. Credendum eſt quòd poſt hanc vitam eis pepercerit Deus, *ibid*. e

Anconæ exſtructa Memoria Stephani ante ipſius corporis detectionem, 1278. d

Angelus nomen officii, non naturæ, 38. c. Angelus Græcè, nuntius Latinè, 38. c. d. 189. b. 607. e. Angeli, omnes qui ſalutem cæleſtem hominibus annuntiant, 1358. c. Angeli in cælo templum Dei, 1054. e. Angelus apparens vice Dei Dominus appellatus, 39. d. Angelus geſtans perſonam Dei apparuit Jacob, 32. e. Angelus luctans cum Jacob & teneri ſe nolens, quid ſignificet, 33. a. Angelus movens aquam piſcinæ, 606. e. Angeli per verum corpus aſſumtum apparent, 76. d. Angelorum corpora, 1117. f. Angelorum caro quo ſenſu dici poſſit, 1427. a. Angelorum pulcritudo, 105, c. Angeli apud Abraham verè manducarunt, 1422. c. Angelus manducat non ex neceſſitate, ſed ex poteſtate, & ut hominibus congruat, 1423. c. Angelis ſive bonis ſive malis Deus loquitur multis modis, 74. d.

Anguſtia. Per anguſtias tranſitur ad locum latitudinis, 1209. f

Anima ad imaginem Dei facta, 308. f. Non eſt pars Dei, ſed magnum bonum, 752. c. d. eſt vita quædam, 777. b. Animæ excellentia, 370. b. Animæ vita, Deus, 357. f. 369. f. 777. d. Anima modo ſuo immortalis, 369. b. Quomodo mori poteſt, 369. e. De animarum ſtatu poſt mortem, quid ſenſerint Philoſophi, 1002. d. 1005. d. Virgilio non placet doctrina de animarum reditu in corpora, 1005. g. Animas in ea opinione beatas eſſe non poſſe, 1006. b. Spes hîc eſſet felicior quàm in illa felicitate, 1006. e. Error de animarum peccato ante corpus, unde, 799. e. Omni animæ voluit Deus inſeminare initia intellectûs, initia ſapientiæ, 586. a

Anima ſecundùm ſe vivens eſt carnalis, 753. g. Subdenda anima Deo, animæ caro, 628. g.

Animæ quidam amor perverſus, & quoddam rectum odium, 1454. a. Animam diligendi modus, 1454. d. Animæ amor perverſus abundat, rectus valde paucorum eſt, 1454. f. Amare & perdere animam ſuam, duobus modis intelligitur, 1290. e. Anima ſibi ſufficit ut perdat ſe, Dei eſt ſalvam facere, 106. e. Anima hîc non amanda, 1237. a. Animam amando quomodo quis perdat, 1453. e. Animam perdere ut inveniatur, 1333. c. Cujus gratiâ perdere eam jubemur, 1333. f. Animæ conſulendum non ut habeat bona, ſed ut ipſa ſit bona, 551. g. Animam appendere cum pecunia, 1288. g. & *ſeq*. a.

Animi ſanitas ſecundùm Stoïcos, 1344. d. ſecundùm veritatem, 1344. e

ANNA vidua magni meriti, 1458. c

Anni homini magis decedunt, quàm accedunt, 559. b

Anniverſarius ordinationis Epiſcopi, 1311. a. 1484. b

Antidotum contra omnia peccata, 1125. f

ANTIOCHUS miſericordiâ Dei indignus, 1324. g

Apoſtoli arietes gregis, 659. a. lucernæ, 1161. c. Prædicant per omnes gentes, 1399. b. Chriſti conjuge ſuſcepta, filios ei procreant, 1480. e. Apoſtoli in preſſura laudant Deum, 434. d. De Domino quæ ipſi viderant confitendo mortui ſunt, 1251. a. Apoſtoli etiam poſt Chriſti reſurrectionem peccato obnoxii, 659. c. Apoſtoli ſub lege nondum à cupiditatibus liberi, 699. f. Quomodo hîc omnia nota facta ſunt Apoſtolis, 144. d. Apoſtoli aliquando Chriſtum hominem tantùm putant, 1017. f. Incredulitatis notantur, 428. e. Apoſtoli de Chriſto dubitantes à latrone victi, 659. d. 987. c. *V*. Diſcipuli.

Approbare quod bene facit & improbare quod peccat nemo poteſt, niſi clamante intus voce veritatis, 74. d

Aqua in ſanguinem verſa, 37. a. 41. f. Ex aqua generantur omnia, 41. f. Aquæ figuræ populorum, 606. g

Arbitrium liberum. *V*. Liberum arbitrium.

Archiſynagogi filia & Hæmorroiſſa quid figurent, 421. d. g. 422. b

Area Domini, in qua nunc triticum non ſine palea, 89. f. 1040. d

Areopagos Athenienſium curia, 711. f

Arguendi mali, 51. a. 479. b. Neque conſentientes ſitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque ſuperbientes, ut iuſultanter arguatis, 479. e

ARIUS, 1443. e

Ariani, 30. e. Per Filii injuriam Patrem falsò honorant, 679. d. Refelluntur, 583. b. 584. c. 616. d. & *ſeq*. 656. d. 678. b. 681. d. 874. f. & *ſeq*. 1018. g. 1316. c. 1475. b. 1486. a. &c. Arianus & Photinianus ambo hæretici, adversùm ſe diviſi, 386. a

Armatus Deus quomodo intelligendus, 1259. c

Arra & pignus quo differant, 125. b. d. 757. b. 1472. c

Ars neſcit vitia, & judicat vitia, 506. d

Athenienſium in omni litteaatura apud omnes fama, 711. d

Atomus in corpore & in tempore, 1429. a. b

Avaritia eſt velle eſſe divitem, non jam eſſe divitem, 455. d. Avaritiæ crimen & pœna, 847. b. Onus avaritiæ, 791. g. Avaritia inexplebilis, 1452. d. Avaritiæ fauces major pecunia non claudit, ſed extendit; non irrigat, ſed accendit, 278. f. Ut ſaccellus tuus impleatur nummis, anima tua febrit curis, 346. d. Avaritia omnis præcidenda, 549. g. 552. f. Avaritia quædam vitæ etiam ipſa cavenda, 553. f. Avaritia quædam eſt in libidine, & in idololatria, 552. e. Avaritia verbis apud omnes damnatur, non factis, 842. f. Chriſtianis quæ fugiendæ avaritiæ doctrina traditur, 843. a. Dominæ duæ contraria jubentes, avaritia & luxuria, 458. a. Ab avaritiæ & luxuriæ jugo Chriſtus liberat, 458. d. Avaritiæ conſilium imprudens, 458. f. & ſtolidum, 459. b. Conſilium Dei id jubentis quo avaritia, 45?. e. Avaritiæ dura jubenti impigrè obeditur, 1?6. b. Ipſi homo ſervit, non Deo, 1067. e. Avaritia excuſatur ſpecie pietatis erga filios, 62. d

Avaritia ſancta, 458. a

Avarus hydrops, 845. c. Quaſi martyr auri, 1292. b. 1300. d. Avarus eſt, non ſolùm qui rapit aliena, ſed & qui cupidè ſervat ſua, 550. g. & *ſeq* Periculum avari vel ſua cupidè ſervantis, 553. c. Avarus ſuorum reconditor damnatur, 849. e. Avaris quid ſufficit, ſi Deus ipſe non eis ſufficit? 105. d. Avarorum inepta excuſatio, 844. f. Avarorum falſa pietas in filios, 62. d. 459. f. Filio mortuo ſua pars tranſmittenda, 460. a. Mortuo debetur quod vivo ſervabatur, 460. d. Chriſtus filiis annumerandus in patrimonii diviſione, 460. e

Avarus eſt Deus ad ſalutem noſtram, 507. c

Audiat Deum qui vult audiri à Deo, 95. f

Audire verbum Dei tutius eſt quàm prædicare, 854. f

Audientes & Catechumeni, 645. e

Auditores verbi ædificantes alii ſuper petram, alii ſuper arenam, 858. c. Non audire, quaſi non ædificare, malum eſt, 858. f. Auditor negligens prædicatoris vitia ne cauſetur, 859. a. Auditorum erga doctores officium, 122. f. Auditores quinam carnales, quinam ſpiritales, 123. d. Auditorum acclamatio, 103. f. 1216. g

Avertere. Rogandus Deus, ut faciem non à nobis avertat, ſed à peccatis noſtris, 101. c

AUGUSTINUS ante preſbyteratum famâ pollet inter ſervos Dei, 1380. c. Auguſtinus juvenis abjecta omni ſpe ſæculi, dum quærit ubi Monaſterium conſtituat, Hipponem venit inviſendi amici cauſſâ, quem ſecum in Monaſterio habere cupit ſervientem Deo, 1380. d. Apprehenſus preſbyter fit, *ibid* f. Monaſterium ibi inſtituit in horto dato per Valerium, *ibid*. Epiſcopatum quàm vehementer timebat, *ibid*. e. Ad epiſcopatum pervenit, *ibid*. f. Secum habet Monaſterium Clericorum in domo epiſcopii, 1381. a. His non permittit aliquid habere proprium, 1381. b. ſed bene de fratriqus ſentiens ab inquiſitione diſſimulat, *ibid*. Teſtamentum à Januario clerico factum acriter dolet, 1381. d. In gratiam Eccleſiæ factum licèt, irritum habet, 1381. e. De ſuorum Clericorum vita apud plebem agere cogitur, 1385. d. Statuerat nullum ordinare Clericum niſiqui ſanctæ ſocietatis propoſitum amplecti vellet, ut poſtea ſi diſcederet, clericatu careret, 1383. d. Mutato aliquando conſilio offert Clericis licentiam diſcedendi ſervato clericatu, *ibid*. Comperta denique ſodalium ſuorum firma voluntate, Clericorum albo expungendum ſtatuit qui paupertatis propoſitum violaverit, 1390. b. In communem uſum cedere vult quæ Clericis ſuis offeruntur à fidelibus, 1389. d. Hominem pauperem & de pauperibus natum ſe profitetur, 1389. e. In victu & veſtitu non decere ſe putat, niſi id quod ceteris ſodalibus ſuis diaconis & ſubdiaconis conveniat, *ibid* f. Cura ipſius de fama, 1387. c. A detractionibus ſe purgat, ſed detractores non nominat, 1389. b. c. Hereditatem cujuſquam, filiis exhereditatis non ſuſcipit, 1382. b

Auguſtinus ad hominum laudes quomodo affectus, 1308. g. Nollet habere rationem cum poteſtatibus ſæcularibus, 1231. f. Ad divinas Scripturas non piam mentem afferens aliquando decipitur, 285. g. Calceatus fuit 532. g. Conſuetudo jurandi ab Auguſtino victa, 864. c. 1?45. c. Auguſtinus ſenex per ætatem, 631. f. 1384. d. ſed per infirmitatem corporis jam antè ſenex, *ibid*.

Auguſtinus paſtor, non mercenarius, 670. e. Mercedem ſuam non vult ſecuram eſſe perditis ovibus inobedientibus, ſed iis inventis, 1404. f. g. 447. b. Salvus eſſe non vult ſine ovibus ſuis, 95. a. b. Ipſius delectatio non eſt in hac vita, niſi ovium ſuarum bona vita, 97. g. Auguſtinus non vult ſe haberi magiſtrum, 122. c. In dicendo Grammaticorum cenſuram non veretur, dum omnes inſtruantur, 187. b. Inter concionandum Scripturam geſtat in manibus, 181. c. Legit ex codice, 1432. d. Quæ lecta fuerant, libro accepto à Diacono, iteratò legit, 1385. b. Cyprianum in manus ſumit & legit, 1193. b. Auguſtini modeſtia poſt expoſitionem Scripturæ difficilioris, 404. a. Fatetur ſe in Sermonibus ad populum quæſtionem de peccatis in Spiritum-ſanctum ſemper vitaſſe, 388. a. Eam tractat à Deo impulſus, 388. b. Trepidiſſimè aggreſſus myſterium Trinitatis inſinuandum, ne tardioribus tædium faceret, gratias Deo agit ſecùs contigiſſe, 310. a. Aliquid auditoribus meditando diſcutiendum relinquit, 310. e. Auguſtini in reprehendendis palàm feminis modeſtia & verecundia, 167. a. A Donatiſtarum criminibus recenſendis abſtinet, eaque ut poteſt excuſat, 258. b. c. 103. f. Concionanti acclamant auditores, 103. f. 1216. g. Suos hortatur ut ipſum bene viventes relevent, 1309. e. Evangelio terretur ne epiſcopali onere poſito ſecuriorem vitam deligat, 1309. g

Aurata, 492. a

AURELIUS Carthaginenſis. Factum ipſius laudabile, 1383. b. Ejus ordinationis dies anniverſarius, 563. g

Auriga, 104. g. 490. g. 908. d. 1329. a

Aurum terra fulgens, 1455. e. Aurum pallor terræ, argentum livor, 104. f. Aurum & argentum allegoricè, 281. a. Aurum non rectè vituperari poſſe, 278. c. 279. d. Aurum & argentum bonum eſt, non quod te faciat bonum, ſed unde facias bonum, 352. f. Aurum & argentum res eſt, non hominis, ſed Dei, 277. a. Quia id Deus non modò condidit, ſed pro nutu adminiſtrat, aliis ad ſubſidium & probationem, aliis ad ſupplicium, 277. c. Aurum bonis & malis cur datur, 278. a. Aurum bonis bonum & argentum malis malum eſt, bonis bonum eſt, 405. e. Ex auro bonus multa bona præſtat, malus multa mala, 1253. c. Aurum ejus propriè eſt, qui bene illo utitur, adeoque veriùs eſt Dei, 277. e. Aurum ipſum ornat ille qui bene utitur, 115. g. Auri contemtus in propheticis litteris commendatus, 281. f. Auri cupiditas damnatur, rectus uſus à Domino commendatur, 279. f. Poſt te debet ire aurum, non tu poſt aurum, 1253. b. Auri uſus quis malus, quis bonus, 115. g. Ab avaris Deo præponitur, 112. e. & fidei, 114. d. Avari martyres auri, 1292. b. 1300. d. *V*. Divitiæ.

Auxilii divini neceſſitas ad bonum, *V*. Adjutorium.

B

BABYLONIS tranſmigratio figura tranſitûs 289. d Evangelii ad gentes, 141. a

Baculus Eliſæi, legis figura, 1450. f

Baculus miſericordiæ,

Baptiſmus Trinitatis, 1094. c. 707. b. Baptiſmus Chriſti 837. b. 1154. a. à Johannis baptiſmo diſcernendus, 928. b. Baptiſmus Chriſti morte conſecratus, 1374. c. 1438. f. In tranſitu maris rubri figuratus, 14. e. 1364. c. 1368. d. 438. a. omnia peccata delet, 28. e. f. 334. d. 1643. c. d. 942. b. 1352. d. 1438. a. relinquit in baptizatis concupiſcentiæ malum ſine reatu, 335. b. 643. c. f. 723. b. 1552. d. Abolitio pecca-

IN QUINTUM TOMUM.

torum in baptismo figurata per Ægyptiorum submersionem in mari rubro, 14. e. 942. b. 1368. d. 1374. c. Gratia baptizatis collata, 968. a. Ad baptismum exhortatio, 645. e. 1368. b. Cur Quadragesimale jejunium ante ejus celebrationem, 927. e. Omni die dari potest, 927. b

Baptismus communis bonis & malis, 490. d. communis hæreticis, 1092. a. Ab ipsis ministratus non reperitur, 400. d. 701. d. Non ex ministrorum meritis, sed ex Dei gratia mundat, 526. g

Baptismus parvulorum & communio, 834. a. Regula antiqua fidei, baptizare parvulos, 835. a. Parvulis baptismus Christi necessarius, 576. e. Baptizandos parvulos Pelagiani concedunt, non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum, 1183. c. Sententia dominica excludens non baptizatos à regno Dei, fatentibus Pelagianis, 1186. f. In quæstione de parvulis cur alius baptizetur, alius non baptizetur, confugiendum ad auctoritatem divinam, 1186. c. Infantibus baptizatis prodest Christus, 1192. a. Ipsis ad remissionem originalis peccati prodest fides eorum à quibus offeruntur, 1352. a. Fides recta sit respondentium pro ipsis in baptismo, 834. d. *V.* Parvuli.

Baptismus quotidianus, 942. e

Baptizandis exponitur Psalmus XXII. 1448. e. *& seq.*

Baptizati recèns vestibus albis induti, 595. c. 966. e. dicti dies, 966. e. dicti infantes, 966. e. 972. g. 973. b. 975. a. quare sic vocentur, 975. b. Monentur ut morum innocentiam præ se ferant, 1372. f. bonos Christianos imitentur, non malos, 701. b. 966. f. 968. c. 975. d. 1469. c. Infantium sive baptizatorum octavæ, 705. c. 1059. f. 1064. e. *& Not.* c. 1372. f. 1469. a. Capita eorum in die octavarum revelantur, *ibid.* Dies sacramentis infantium deputati, 975. a

Baptizatis figura vitæ Christianæ data in Israëlitis ambulantibus per eremum, 14. f. 1374. c. 1440. b

Baptizati in Oriente & Africa multi ob terræ motum, 105. d. Signum Christi in baptizatorum vestibus apparet, 105. e

BARNABAS Presbyter, 1390. d

Batorum amaritudo, 1322. b

Basilica Celerinæ, 267. e. 830. d. Fausti, 564. a. 1065. c. Florentia, 1405. b. Gratiani, 749. e. Honoriana, 785. b. Leontiana, 1064. e. 1069. f. Major, 1058. b. sive Majorum Carthagine, 170. f. 796. g. 1183. a. Basilica Novarum Carthag. 82. f. Basilica ad octo Martyres, 1388. d. Basilica Petri Carthag. in regione tertia, 87. a. Basilica Restituta Carthag. 101. b. 148. f. 487. f. 564. b. 1113. g. Basilica Martyrum Scillitanorum, 741. c. Basilica Tricillarum, 312. g. Viginti Martyrum, 703. c.

Beata vita ab omnibus appetitur, 311. d. 712. d. 1239. e. Beata vita hîc non quærenda, 979. b. 1207. b. Ubinam quærenda, 979. d. Beata vita quid sit, 1240. a. Epicureo est voluptas corporis; Stoïco, virtus animi; Christiano, donum Dei, 715. d. Vita beata non est, nisi æterna sit, 1241. e. Necessaria est certitudo æternitatis, 1242. c. Adesse debet veritas & amicorum cognitio sine metu deceptionis, 1242. f. Ad beatitudinem via Christus, 716. d. *V.* Felicitas.

Beatitudo hîc perfecta, quæ sit, 1044. e

Beatitudines Evangelicæ cum septem donis Spiritus-sancti comparantur, 1341. e

Beatorum actio quænam erit, 1015. f. Tota eorum actio Amen & Halleluia erit, 1435. g. Beatorum negotium non aliud nisi laudare Deum, 193. e. Erit laus Dei sine cessatione, sine fastidio, 1016. b. Beatorum requies & cibus erit veritas, 1436. e. Cùm audis, *Recumbent cum Abraham*, &c. non pares ventrem, sed mentem, 424. g. Deus cibus mentis beatæ, 623. a. Deus beatis erit omnia in omnibus, 322. a. 765. a. Dei fruitio erit beatis bonorum omnium loco, 1053. b. Martyrum beatitudo & gloria post resurrectionem major, 1136. a. 1286. b. Beatitudo quomodo æqualis omnibus, & diversa, 464. d

Beatus populus quis, 168. b

Bellum interius animæ & carnis in justis, 134. d. *V.* Concupiscentia. Lucta. Pugna.

Benedictio Christianorum per carnem Christi, 33. e. Extorta benedictio, 26. d

Benedictiones Jacob & Esaü de Christianis & Judæis exponuntur, 14. 15. e. *& seq* 31. a. *& seq.*

Benedictionis imber, 264. b

Beneficia Dei in hominem, esse, vivere, sentire, intelligere, 211. e. Beneficia Dei in omnes & bonos & malos, 1051. b

Bestiarii, 165. c

Blasphemia in Spiritum-sanctum irremissibilis quænam sit, 387. d. *& seq.* Omnis alia blasphemia, dimisso peccato in Spiritum-sanctum, dimittitur, 395. d. Non ideo blasphemiam Filii faciliùs quàm Spiritus remitti, quia ille minor est in quantum homo, 396. a

BOLITANI seu Volitani Martyres, 749. c. *& Not. a.*

BONIFACIUS Comes, 572. a

BONIFACIUS alius, cujus hereditatem suscipere noluit Augustinus, 1382. g

Boni dies quinam falsò putantur, 202. f. *V.* Dies.

Bonum duplex, quod faciat bonum, & unde facias bonum, 270. f. 352. e. Bona dicenda non sunt, quæ non faciunt bonos, 1328. e. Divitiæ quale bonum, 1255. a. Bonum aliud homine superius, alia diversi generis inferiora, 112. b. Noli relicto superiore bono curvare te ad inferius bonum, *ibid.* c. Esto bene utens rebus inferioribus, & eris rectè fruens bono superiore, *ibid.* d. Quid quærat cui adest Deus? aut quid sufficiat ei, cui non sufficit Deus? 312. f

Bonum verum quid sit, 405. e. Hoc est bonum, quod non potes invitus amittere, 406. c. Bonum quo verè bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis, *ibid.* Tanta vis est boni, ut bonum quærant & mali, 149. a

Bona & mala bonis & malis communia, 194. d.

Bona alia bonorum propria, alia communia malis, 1254. b. 1291. d. e. Cur & malis dantur à Deo bona temporalia, 1254. c. Ideo & malis dantur, ut à bonis contemnantur, & meliora quærantur, 1254. f. Ne putes magnum bonum esse, quod habet & malus, 405. e. Bona quæ reservantur piis propria, 125. g. 1051. e. Deus ipse bonorum præmium erit, 1261. f

Bona temporalia & æterna, 432. e. Æterna, quomodo petenda, quomodo temporalia, 1378. c. Præsentia sunt contemnenda, 1236. a. Homo bona omnia vult habere præter vitam & præter se ipsum, 109. e. 150. c. 405. f. 446. e. 552. a. 1206. d. 1310. d. Bona habere vis, & bonus esse non vis: contraria est vita tua votis tuis, *ibid.* & 453. e. Quid te offendisti? Quid de te malè tu ipse meruisti? Inter bona tua non vis esse malum nisi te solum, 984. c. 1206. e. Si bona quæris, priùs esto ipse quod quæris. Si autem malus multa bona invenisti, quid tibi prodest, quia peristi? 150. d. Malis non re vera bene est, nec bonis malè, 270. c. Bonum non facit terrena felicitas, 104. c

Bonus solus Deus, à quo cetera bona, 89. d. 148. g. 488. c. Homo ex se malus, Dei autem dono bonus, 1265. e. De malo bonus non fit nisi à Deo, 352. b. Facit de malo bonum, qui semper est bonus, 352. c. Nemo de suo bonus, sed de illius qui numquam est malus, 91. a. Quantumcumque fueris bonus, non eris sine aliquo malo, 89. d. Bonus quisque in Ecclesia, oleum sanctitatis est in torculari, vas in honorem in domo magna, aurum in fornace, granum in horreo, 91. e

Boni & mali in Ecclesia permisti, 407. c. 478. g. 1031. d. 1034. c. 1253. e. Boni imitandi, mali verò donec ultimo judicio discretio fiat, tolerandi, 28. c. 408. d. Boni & spiritales ex carnalium conversatione tolerando proficiunt, 25. c. Bonis mali necessarii, 1376. c. Bono malus nihil verè nocet, sed prodest, 164. c. Malus bonum duobus modis non maculat, 479. b. Nec bonus quisquam est alterius bono, nec malus alterius malo, 174. c. Boni, montes, 233. g. Qui sibi bonus, proximis bonus, 174. g. Quare diabolus de bonis spargat mala, 496. f

Bonum opus. Castigatur qui se in bono faciendo metitur de comparatione pejoris, 62. a. *V.* Opus bonum.

Bona voluntas à Deo datur & à Deo excitatur, 79. c

Botrus & uva in spinis, 237. b. 410. d. 670. b

Byrrhus, 779. f. 1389. e

C

CADAVER, quia discedente habitatore corpus cadit, vocatur, 1004. e

Cadere & descendere differunt, 1414. g

CÆCILIANUS, 1395. c. Absens & innocens damnatus, 795. a. Ter absolutus, 795. d. 1403. c

Cæci nati illuminatio, 660. b. Ejus error, putantis peccatores non exaudiri, 660. f. Duorum cæcorum curatio quid significat, 474. a

Cæcitas prima peccatoris pœna, 583. b. Cæcitas omnium hominum à nativitate, 656. b. Cæcitas Judæorum Christi advẽtu aucta est, 661. g

Cælestiani hæretici, 866. e

Cælum mens, terra caro, 325. d. 333. c. 338. d. 344. c. Cælum Ecclesia, terra inimici Ecclesiæ, 325. g. 333. b. 538. e. Cælum in Ecclesia spiritales, terra carnales, 325. f. 333. b. Cælum, sancti; terra, terreni, 316. f. Toto desiderio tendendum in cælum, 823. f. *V.* Regnum cælorum.

Calamitatum omnium caussa peccatum, 1002. b

Calumniæ sine rixa refellendæ, 1389. b

Calvariæ locus, quid significet, 960. d

Cantare, amantium negotium, 168. d. Cantandum Deo & oribus & moribus, 172. d. Cantandum ore & corde, 906. g. Cantantes in decachordo quinam sint, 54. e

Cantica canticorum sancta cantica amatoria &c. 243. c. ænigmata, *ibid.* e

Canticum Moysis exponitur, 1437. *& seq.*

Canticum vetus & novum, 54. d. Canticum novum cantare, 170. c. g. 786. d. Mandatum novum, canticum novum, 1301. f. Canticum nostrum, cui moribus tamquam saltatione oportet consonare, 1252. c

Cantica profana & saltationes pulsæ de Ecclesia ubi sepultus est Cyprianus, 1252. b. Ad cantiones vanas, quàm ad salutaria monita audienda, major hominum propensio, 52. d. Periculosa cantionum vanarum delectatio, 52. e

Captivitas de qua per Christum liberamur, 143. c. Captivitas hominis ex peccato, 151. d. Totus mundus sub captivitate, 143. f

Caritas alia divina, alia humana, 1345. c. Caritas humana alia licita, alia illicita, 1345. d. Caritas humana licita, 1345. e. Caritas divina amorem illicitum meretricis non compatitur, 1346. d. Caritas qua se diligunt homines malæ conscientiæ, 490. g. Caritas carnalis sperantium carnalem felicitatem in futuro sæculo, 11. a

Caritas veriùs arra, quàm pignus dicitur, 125. c. Caritas oleum, 502. f. Mandatum novum, 1095. c. Latum mandatum, quo pax redintegratur, 1397. b. Vestis nuptialis, 490. g. Caritas significata in tunica Christi non divisa, 116. g. Caritas Ecclesiæ figurata in Rebecca, 20. c. Caritas quid sit, 111. e. Cordis est dilatatio à Spiritu-sancto, 816. b. Effectus est præsentiæ Spiritus-sancti, 1471. g

Caritas donum Dei, 171. a. 504. c. 543. b. 628. d. 698. b. 1083. g. 1099. e. 1293. b. Fons caritatis summum bonum, 125. f

Caritas nequit esse sine fide, 493. a. Non habetur extra Ecclesiam, 1084. a

Caritas quantum bonum, 672. d. e. Quo pretio comparanda, 172. f. Caritatis laus, 1348. d. 1349. d. Caritas capaces reddit ad capienda divina, 619. e. Caritate doctrina Scripturarum tota possidetur, 1349. c. Ille tenet & quod patet & quod latet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus, *ibid.* c. Caritas sola bene operatur, 798. e. sola multùm prodest, cetera sine ipsa nihil prosunt, 20. d. 491. b. 502. e. 689. c. Universa inutiliter habet, qui unum illud quo universis utatur, non habet, 479. f. Caritatem aufer à corde, solum superat mendacium, 1446. a. Caritate fiunt præcepta levia, 511. b. Caritate cantatur canticum novum, 168. d. *& seq.* Lex non impletur sine caritate, 168. d. *& seq.* 612. b. 1099. c. Quidquid bene amas, caritate amas, 126. f. Vera virtus, caritas, 1236. g. Sancti non sunt, nisi qui habuerint, caritatem, 20. c. Deo nunc propinquamus humilitate & caritate, 111. a. Caritas sectanda, ut vitetur inflatio, 689. a. 1377. c. Caritate sola distinguuntur boni à malis: cetera habent communia, 510. b. Caritatis unitas præponenda est terrenæ commodo hereditatis, 1387. f. Caritas & cupiditas in homine, 491. d. Sarcinæ caritatis suscipiendæ, pro sarcinis cupiditatis, 792. d

Caritas circa quæ debeat occupari, 1407. a. Caritas ad inimicos extendi debet, 493. b. Ordinare caritatem, 528. d. Caritas timorem alium pellit, alium introducit, 779. b. Caritas amatur, nec tamen sentitur, 126. f. Caritas sola semper manet, 765. b. *V.* Amor. Dilectio.

INDEX

Carnalis Christianus est qui carnalem felicitatem hîc habere gaudet, vel talem sperat in futuro, 11. g. & seq. Carnalia in regno cælorum non exspectanda. 424. b. Carnales de Ecclesia in sorte sunt Esaü, 16. c. Carnales, & animales, parvuli in Christo, 399. f. Sanctus quisque in hac vita carnalis & spiritalis, 737. a. 738. a. Quis totus carnalis, quis ex parte vel totus spiritalis, 737. c. Carnales Christiani spiritalibus serviunt, non contrà, 25. a

Caro à Deo creata, non est malum, 752. c. sed parvum bonum, 752. f

Caro Christi vehiculum quo processit ad nos, vestis, jumentum, templum, 593. d. Christi caro sola non caro peccati, 725. f. Caro Christi crucifixa data pro sæculi vita, 33. e. Per carnem nos benedicit Dominus, 33. e.

Caro nostra fluvius est, 592. b. Fœnum, 225. a Caro & sanguis propriè corruptionis & mortalitatis nomina, 1430. a. De carnis origine error Manichæorum, 152. d. Error carnem non pertinere ad hominem, 1055. d. Quomodo caro & sanguis non possidebit regnum Dei, 1424. c. & seq. Carnis futura commutatio, 225. a. Mutatio in melius propria Sanctorum erit, 1428. e. Caro hominis in corpus Angeli convertenda, 225. c. Christus in judicio videbitur ab omni carne, 1121. e. 1122. a. Visio Dei an carni promissa in Evangelio (Luc. 3. 6.) 1121. d. De carne quid sperandum, 748. b. Carnis restitutio & immortalitas piis promissa, 748. e

Carnis peccata diabolus levia facit, cùm sint gravia & mortifera, 968. d. Peccata carnis non contemnenda, 445. a. d. Carnis & spiritûs coinquinatio, 223. e. &c. Prudentia carnis & spiritûs, 746. f. Fidere in carne, 810. b. Carne servire Deo, 808. g. In carne non esse, 747. c. Secundùm carnem vivere Epicureorum est, secundùm animam Stoicorum, 753. c. Secundùm carnem vivere malum est, 752. d. Anima secundùm Deum, caro secundùm animam vivat, 752. f. Ambulare secundùm carnem, quid sit, 746. b. Opus nostrum in hac vita, mortificatio carnis, 754. b

Carthago, 132. a. 150. f. Carthago in nomine Christi manet, 547. a. Gratulatur civibus Augustinus, quòd Romanos deos Romæ dejectos nolint stare Carthagine, 131. f. Basilicæ apud Carthaginem, *V.* Basilica. Carthaginis clerici, 246. d

Castitas donum Dei, 1323. d. 1325. d. Castitatis studium in Joseph & Susanna, 1272. d. 1293. f. Castitatem in aliis impudici vel ipsi amant, 1327. c. Ad castitatem conjugalem exhortatio, 646. d. & seq. Castitas virginum & conjugatarum præmium inæquale, sed æternum utraque habet, 1325. d. Uxor casta, 668. c. Castitas in mente esse debet, 1272. e

CASTUS & Æmilius in tormentis unde victi primùm, unde pòst victores, 1146. g

Casula, 552. a

Catechumeni, 105. e. 646. c. Ad baptismum invitantur, 645. c. Catechumenis fit missa post Sermonem, 275. a

Cathedra magistri nostri, cælum, 1066. a. 1096. b. 1168. f. Lignum pendentis, cathedra factum est docentis, 987. g. 1266. d

Catholica communio, 28. d. Catholica fides, 994. b. Plebs catholica, 671. a. *V.* Ecclesia.

Catholicorum in Donatistas contentio dilectionis est, non litis, 1395. f

Caussa caussæ non præjudicat, nec persona personæ, 795. f. 796. a

Cautio debitoris deleta sanguine Redemtoris, 655. d

Cautio promissorum Dei Evangelium, 1299. a

CELERINÆ basilica, 267. e. 830. d

Celeritati radii ex oculo emissi resurrectio comparata, 1118. e

CELESTIS dea apud Carthaginem, 547. a

Centuria, 219. c

Centurionis humilitas & fides, 357. b. g. 423. f. 1322. c. In Centurione gentes figuratæ, 358. b

Certamen usque ad sanguinem, 1272. c. Victoria certanti datur per Christum, 1210. d

Chananæa mulier humilitatis exemplum, 419. b. 423. a. Ejus perseverantia in petendo, 412. e

Character Christiani, crux in fronte ipsius, docet quid profiteatur, 1127. d

Chordæ. De decem Chordis, 48. d

CHRISTIANI ante Christum nonnulli exstitere, 1218. f

Christiani figurati in Jacob, 19. g. &c. 30. f. & seq. Christianorum figuræ in iis quæ contigerunt Israëlitis, 14. e. 15. c. 1372. c. Judæi Christianorum servi, 31. e

Christiani triplicis generis, 28. c. Christiani boni & mali, 487. g. 490. a. Utrique in eodem Jacob benedicto & claudicante adumbrati, 33. f. & seq. Christiani boni ad tolerandos malos excitantur, 408. d. Christiani mali provocantur ad vitæ mutationem, 408. b. Christiani Deo spe carnalis mercedis servientes ad vetus Testamentum pertinent, 10. c. Christianus nondum est, qui non ad Dei promissa de futuro sæculo attendit, 51. d. Christiani sumus, non propter temporalem, sed propter æternam vitam, 554. f. 1059. g. 1100. f. 1227. b. 1451. f. Christianorum est pati mala temporalia & sperare bona sempiterna, 1201. b. Christianus quia Christianus est, aliquid plus passurus est in hoc sæculo, 230. c. Christianorum est imitari Christum, 28. c. Christianus est qui hîc peregrinum se esse cognoscit, 563. e. Christiani quidam nomine, opere vacui, 1374. e. Christiani à Gentium moribus discrepare debent, 907. d. & seq.

Christianus auctoritatis pondere ducendus, 1407. d. Christiano de resurrectione dubitare non licet, 1419. g. Hæc fides est propria Christianorum, 984. e

Christianum nomen Gentiles perdere non potuerunt, 1440. d. Christianorum sub patrono Christo securitas, 640. d. Christiana firmitas, 231. g. Pascua animæ Christianæ, 1449. d

CHRISTUS dictus Agnus, 21. b. 1071. d. Angelus magni consilii, 38. c. 607. e. Caput Ecclesiæ, 221. c. Concionator mundi, 791. f. Dies de die, 890. b. 972. e. Dies noster, 823. e. Christus & exemplum & adjutorium nostrum, 532. d. Fons vitæ, 985. c. Fundamentum nostrum & caput, 1421. a. Granum morte multiplicatum, 1236. f. Homo de cælo cælestis, 1426. g. Janua, 664. e. 687. b. 1449. d. Judex futurus in forma servi, 624. f. Lapis angularis, 19. c. 290. c. 475. b. 918. c. Lapis præcisus de monte, qui jacendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus conterit superbientem, 495. e. 500. e. Leo, 21. b. 1071. d. Magister humilitatis, 154. d. Magister omnium, 653. b. Bonus magister, docens quod expedit scire, 1081. e. Quid à se disci velit, 792. f. Christus mandatum Patris, 682. c. Mediator, 262. b. 437. c. 597. d. 1180. b. 1414. e. Medicus, 430. c. 1214. d. Qui poculum prior ægroto bibit, 473. d. 687. e. Quomodo nos paulatim sanat, 1125. c. Mercator Christus, 638. b. Quale ejus cum humano genere commercium, 604. e. Mons dictus, 21. b. Panis, 221. a. b. 637. a. 1295. a. Panis cælestis mannâ adumbratus, 21. b. 1364. f. Quem manducarunt veri Israëlitæ, 1364. g. Pastor Christus, 260. a. 1449. d. Pax, 135. d. Petra, 21. b. & ipsa est super quam ædificata est Ecclesia, 1097. c. 1194. d. Pretium nostrum, 1400. a. Christus est principium, 3 b. c. Redemtor noster, 638. d. Sacramentorum vita, 65. d. Salutare Dei, 786. e. 1121. e. Salvator, judex, & advocatus, 940. f. 1213. e. Unicus Salvator, 939. e. Samaritanus homini sauciato subveniens, 824. g. Christus sponsus & gigas, pulcher & fortis, 1462. e. Via Christus ad patriam, ad vitam & veritatem, 602. a. 684. b. f. 685. b. 687. b. 824. a. 1243. c. Viam & stratam magnam seipsum fecit, per quam ducit ad patriam, 63. f. De forma servi stravit viam, de forma Dei condidit patriam, 499. a. Vitulus propter victimam appellatus est, 21. b

Christus à multis Prophetis prænuntiatus, 1473. a. Adumbratus est in antiquorum Patrum & dictis & factis, 8. f. g. Figuratus in Isaac & ariete, 102. d. in Angelo luctante cum Jacob, 599. a. in Moyse, 666. e. in Samsone, 1442. c. in Jechonia adumbratus, 290. c. in agno, tauro, hirco, 102. d. e. In serpente æreo exaltato figura Christi crucifixi in similitudine carnis peccati, 1189. a. Ut in hordeo medulla sub palea, sic in velamento legis latet Christus, 637. f

Christus tribus modis dictus in Scripturis, 1313. a. 1319. d. Primus quo prædicatur ut Deus, 1313. d. Alius quo commendatur ut Deus & homo, 1314. d. Tertius quo intelligitur caput & corpus, 1314. f. Unus Christus ex capite & membris, 498. f. 664. a. 695. a. 1188. b. 1319. e. Christus aliter est unum cum Patre, aliter unum nobiscum, 695. c

Christus Deus & homo, 431. b. 476. f. & seq. 500. f. 1018. a. 1132. d. 1237. b. 1315. b. Deus latens in carne, 1178. c. Filius Dei non est mutatus per incarnationem, 77. f. 261. c. Deus esse non destitit, 884. g. 1065. f. 1068. c. In Christo duæ sunt substantiæ, Deus & homo; sed una persona, ut Trinitas maneat, non accedente homine quaternitas fiat, 638. g. 885. a. 1068. d. In eo distinguenda forma servi, non separanda & in aliam personam constituenda, 261. c. Non fuit priùs filius hominis & postea Filius Dei, sed ipsa susceptione factus est, 831 f. Dei Filius suscepit totum hominem, 995. e. non antea se promerentem, sed omnino gratis, 831. f. Verbo non mutato factus est idem Dei & hominis filius, 885. b. Christus Filius Dei æqualis Deo, 607. b. Filius Dei unicus, 939. c. 945. f. Quomodo Dei Patris unicus, 767 d. Verus Filius Dei cur dictus sit, 681. c. Dei filium eumdem esse filium hominis incarnatione, 885. e. Christus quomodo filius Abraham & David, 286. b. Filius est & Dominus David, 292. e. Quæstio Judæis facta de Christo, 499. e. Christus se filium David non negat, 500. b. Non se negat filium Joseph, 291. d. 292. b. Christus speciosus, sed fœdus factus propter sponsam fœdam, ut eam faceret pulcram, 508. f. & seq. De Christo quid credendum, 1018. a. 949. g

Christi adventus alter occultus, alter manifestus, 94. b. 98. b. Adventus Christi ad judicium prænuntiatus, 1079. g. Discipulorum inquisitio de tempore futuri adventus Christi, 1080. d. Responsum Christi, 1081. b. De adventu Christi secundo debet intelligi istud, *Veniet desideratus gentibus*. 280. e. De exspectando & desiderando adventu Domini, 554. d. 1212. e. Christus visibili forma judex veniet, 947. g

Christi adventus in mundum ratione carnis intelligendus, 830. e. Quomodo Christus incarnatus, 939. d. Incarnationis caussa, 835. c. Nulla caussa fuit Christo veniendi, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ caussa, 835. c. Non eum de cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt, 834. c. 951. b. Ne periret homo, ille factus est homo, 139. b. Natus est mortalis, ut mortem auferret, 986. a. Mortalitatem suscepit, ut daret immortalitatem, 604. e. Venit in carne carnis vitia mundaturus, 901. e. Incarnatus est ut humilitatis viam doceret, 1170. c. Ut panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo, 899 d. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus, 830. d. Misit Deus Filium suum propter præscitos & prædestinatos, vocandos, justificandos, glorificandos, 745. g. Christus in mundi senectute missus, 458. e. Quare venit post datam legem, 6. d. Incarnatio Filii Dei propter homines quàm admiranda, 895. d. Gratia quàm maxima est, 1164. c. Incarnatio opus est totius Trinitatis, 970. c. Hæretici in hoc conveniunt, ut negent Christum in carne venisse, 874. c. Malis catholicis æquè ac hæreticis istud commune est, 878. b. Christus quid erat ante incarnationem, 969. g. Incarnatione quomodo Verbum non recessit à Patre, 971. a

Christus sine peccato conceptus, ut solveret peccatum, 720. c. Sine peccato natus, quia sine libidine conceptus, 690. f. 725. f. 733. f. Christi generatio & nativitas duplex, utraque mirabilis, 216. c. 680. d. 891. c. 892. b. 898. f. 900. f. 902. a. 950. a. 1456. c. f. 1460. b. 1461. f. 1474. c. Christi nascituri quantum in antiquis sanctis desiderium, 786 e. 1458. e. Cur nasci de femina voluit, 77. d. 283. g. 892. d. Christus virginis filius, virginis sponsus, 901. c. Natus est illæsa matris virginitate, 884. f. 889. e. 890. d. 894. g. 946. a. 950. c. Nato omnis fidelium gradus adtestatur, 902. f. 1458. c. 1459. d. Quî nascatur in nobis, 1459. e. Mira in Christo infante diffidentium adtributorum convenientia, 883. a. 886. c. Deus nostri caussâ infans, 892. f. 903. c. Justitia ortu ejus nobis allata, 890. e. 896. d. Die minimo anni cur natus Christus, 897. a. 899. a. Christus ante Johannem factus, id est Johanni antepositus, 1477. b. Generationes ad Abraham usque ad Christum, 286. g. Variè ab Evangelistis sine mendacio numerantur, 298. d. Quare per Joseph numerantur, non per Mariam, 290. g. 298. e. Cur Matthæus descendens numerat, Lucas adscendens, 299. d. De quadragenario numero in generationibus Domini, 300. b. Cur generationes 77. numerat Lucas, 300. g. Christus hîc diem habet natalem ut homo, non ut Deus, 1152. c. Natalis Christi & Johannis cur celebretur non verò aliorum, 1151. f. 1162. f. Christus natus Judæos & Gentes in se mox copulat, 908. f.

Magis

IN QUINTUM TOMUM.

Magis manifeſtatur, 1463. e. Judæis & Gentibus, 1467. e. Quomodo non miſſus niſi ad Iſraëlitas, 419. e. & non receptus eſt à ſuis, 1321. f. Dominus miſericordiâ factus nobis proximus, 824. f

Chriſtus ſimilitudinem carnis peccati geſſit, 143. e. 654. g. 744. f. Quomodo miſſus ut de peccato damnaret peccatum, 655. a. 725. g. & ſeq. Quomodo peccatum factus, 727. b. 745. c. Peccata quomodo in Chriſto, 1414. f. Peccatum in ipſo nullum, 820. b. Chriſti deformitas pulcritudo noſtra eſt, 145. e. Chriſtus pauper & dives, 86. c. 176. c. 602. f. Cur egenus factus eſt, 201. b. 809 d. 1000. a. 1400. a. Egere voluit propter te, ut habères ubi ſeminares terrena quæ dedit, & meteres vitam æternam, 63. e

Chriſtus ſacramenta veteris legis cur ſuſcepit, 928. d. Baptizatus eſt ut humilitatis viam doceret, 1170. c. Baptizari cur à Johanne voluit, 1170. f. Chriſtus calceatus fuit, 532. g. Cur eſuriens non fecit panem de lapide, ſicut in nuptiis vinum de aqua, 601. e. Chriſtus tentans Philippum, 6. f. Chriſti in monte oratio, 411. g. Chriſtus orat, & dat quod orat, 958. f. Jeſum tranſire, quid ſit, 474. d. 1347. e. Tranſiens Jeſus interpellatur & ſanat, 475. d. Quid ſit ſtare Jeſum, 477. a. Chriſtus interpellatus ut fratri jubeat hereditatem partiri cur facere renuit. 1400. c. Diviſor hereditatis Chriſtus eſſe nolens, quid doceat, 530. e. Chriſtum in loco Johan. VII. à mendacio vindicatus, 648. c. 650. e. 651. g. & ſeq Teſtimonium Chriſti etiam de ſe ipſo quàm verum ſit; 627. c. Chriſtus communicavit nobiſcum mala noſtra, nobis daturus bona ſua, 597. c. 1405. d. Suſcepit duo mala noſtra, ut daret duo bona ſua, 1133. b

Chriſti myſterium in veteri Teſtamento velatum, 1219. e. Chriſti nuptiæ, ad quas Judæi & Gentiles invitati, 487. g. 1462. c. Reliquit patrem & matrem, & adhæſit uxori ſuæ, 498. d. Chriſti actionum quarumque ſcopus, 1420. c. Chriſtus cur quadraginta diebus jejunavit. 1073. a. Chriſtus hîc non bonis potitus, ſed mala perpeſſus, 103. f. Quia latebant oves in vepribus, ideo ad eos inveniendos non pervenit, niſi ſpinis paſſionis coronatus, 483. e

Chriſti mortalitas unde, 1414. b. Traditio Chriſti & à Juda, & à Deo, 1224. b. Humana voluntas in eo mortem refugiens, 1330. d. Chriſtus triſtis ante mortem membra ſua infirma in ſe transfigurat, 156. c. 1237. c. Imminente morte turbatur, ne nos deſperemus, 1238. a. Chriſti paſſio prædicta in Pſalmo dedicationis, 1302. c. Paſſionis ejus myſteria & partes explicantur, 960. b. & ſeq. Chriſtus in crucis cathedra docens regulam pietatis, 1266. d. orat pro crucifixoribus ſuis, 275. d. 431. e. Chriſtus filius Dei crucifixus, & mortuus pro nobis, 946. c. 951. c. 963. f. Filius Dei in ſe ipſo vita, quomodo mortuus ſit, 624. d. e. 919. f. Chriſtus mortuus eſt quando voluit, 30. a. Mortuus mortem occidit, 986. c. De Chriſti morte cur non erubeſcendum, 1132. b. g. Chriſti mors, pignus vitæ ejus nobis donatæ, 1198. g. Nec mors Chriſto, nec vita nobis debebatur, 982. c. Sanguis Chriſti pro noſtra redemtione fuſus, 1303. a. 1332. b. Interfectoribus ipſius paratum ex eo medicamentum, 883. f. 836. b Chriſti ſanguine redemtus non perit, 1309. d. Chriſti ſanguis volenti ſalus, nolenti ſupplicium, 1352. c. Communicatio paſſionum Chriſti ex caritate, 815. f. Sacramentum paſſionis & reſurrectionis Chriſti, 977. c. Mors Chriſti propter aliud, & propter aliud reſurrectio, 991. e

Chriſtus poteſtate mortuus eſt, poteſtate reſurrexit, 1237. d. Suſcitavit ſe, & ſuſcitavit eum Pater, 1237. e. Reſurrectionis Chriſti fides Chriſtianos diſcernit, 952. a. b. 1003. f. Reſurrectio Chriſti cur primò per feminas nuntiata viris, 221. f. 981 b. Apparet Magdalenæ, 1017. a. 1022. b. & ſeq. Difficultas in ejus verbis ad Magdalenam, 1012. g. 1017. a. 1020. b. 1022. f. Jungitur diſcipulis in via, 989. g. In fractione panis agnoſcitur, 983. d. 998. d. Ad diſcipulos intrat per clauſa oſtia, 1025. a. Spiritum ſe videre putantes, reprehenduntur, 993. c. 994. e. Chriſtus poſt reſurrectionem manducavit poteſtate, non neceſſitate, 578. b. Cicatrices corporis ſui cur ſervavit, 470. d. 1009. d. Poſt reſurrectionem converſatur cum diſcipulis ſuis, ut in fide confirmentur, 1074. a. Cum illis cur agit dies quadraginta, 1073. a. 1077. b. Verba noviſſima Chriſti à ſchiſmaticis contemta, 1082. c. Chriſti reſurrectio & adſcenſio, 947. c

Chriſti duæ glorificationes, 1082. f. Glorificatio de victoria Chriſti completa eſt reſurrectione & adſcenſione, 1071. a. Adſcenſionis Chriſti prophetia, 1070. c. Chriſtus abſentavit ſe corpore, ut ædificaretur fides, 990. f. Abire voluit, ut abſente carne divinitas ipſius cogitaretur, 1075. e. Humanitas Chriſti, in qua humano affectu hærebant, oculis diſcipulorum auferri debuit, 1096. f. Adſcendit, ne remanerent in carne, 1074. b. Cur Spiritus ſanctus non poſſet venire, niſi abeunte Chriſto, 1096. d. Solus Chriſtus adſcendit in cælum, 694. g. 1187. g. Chriſtum cum corpore adſcendiſſe, 1072. d. Adſcenſio Domini ſic celebranda, ut cum ipſo adſcendamus, 1065. d. Chriſti ſeſſio ad dexteram Patris, 952. d. Chriſtus & hîc & ſurſum eſt, 600. f. 602. d. Chriſti triplex præſentia, 1409. f

Chriſtus ſequendus, quò & qua viâ, 512. c. Varii gradus ſequentium Chriſtum, quidve in illis ſit retrò reſpicere, 514. f. Chriſtum ſequi omnes debemus, 1235. a. In quibus liceat Chriſtum ſequi præter martyrium, 1235. d. Cur reprobatur qui profitetur ſe ſecuturum Chriſtum, 527. e. Alter à Chriſto vocatus, 527. f. pietate carnali differre volens urgetur, 527. g. Tertius ad ſuos reſpiciens culpatur, 528. c. Imitatio Chriſti, 690. a. 1280. d. In omnibus quæ fecit Dominus, admonet nos quemadmodum hîc vivamus, 411. e. Ejus temporalibus geſtis inſtruimur ad vitam æternam, 1420. c. Etiam factis loquitur Chriſtus, 1038. d. Humilitas Chriſti medicina ſuperbiæ noſtræ, 601. b. 604. b

Chriſti membra quomodo efficimur, 1188. c. Prophetia de Chriſto capite, nobis ejus membris aptata, 1303. d. Amandus Chriſtus, 638. g. Sponſæ ad Chriſtum affectus, 673. g. Sponſæ verba ut intelligenda, 674. e. Peccatores Chriſtus amat, ut non ſemper ſint peccatores, 837. c. Chriſtus ipſe futurus poſſeſſio noſtra, 1299. b

Chriſtum magicis artibus feciſſe quæ fecit calumniantur infideles, 212. g. & ſeq. Ipſum eſſe meſſiam probatur contra Judæos, 495. b. Manichæorum error, Chriſtum ſolem eſſe delirantium, perſtringitur, 13. c. Chriſtum iidem non verum, ſed phantaſticum colentes, 6. e. Contra eoſdem & Priſcillianiſtas, Chriſtum habere veram carnem, 993. f. & ſeq. 996. b. Chriſtum quidam putantes in aliquo mentitum, neque eventura eſſe quæ minatus eſt impiis, 414. c. Unde nata hæc opinio, 414. d. *V.* Filius Dei. Verbum.

Cibus mentis reficiens nec deficiens Chriſtus, 147. b. 891. c. 899. c. Idem Angelorum in cælis, & hominum in præſepio cibus, 899. b. Ipſe in præſepio fidelium cibaria jumentorum, 892. g

Cibus oculorum, lux, 147. d

Circi inſania, 908. d

Circumcellionum furiæ, 258. c. Circumcellionum principes, 259. b

Circumciſio ſignum veteris Teſtamenti, quare in latenti carne, 773. b. Chriſtum prænuntiabat, 773. e. Fuit Patribus pro baptiſmo, 1362. b. Quare octavo die fiebat, 809. f. Circumciſio & juſtitia quomodo nos ſumus, 809. a

Civitas ſpiritalis, ubi nemo naſcitur, quia nemo moritur, 18. f

Clades & vaſtationes Chriſtianis utiles, 544. e

Clamare ad Chriſtum, quid, 475. f. Turba prohibens clamare, 476. a. Clamandum inter turbas clamare prohibentes, 477. g

Clamor media nocte, 503. f

Claves Eccleſiæ, 1359. a. 1504. e. Petro Eccleſiæ perſonam gerenti datæ, 706. c. 1194. f. Chriſtus priùs reſuſcitat, tunc Eccleſia ſoluit, 1195. c

Clericatus magis onus quàm honor, 1384. a

Clericorum Auguſtini in monaſterio vita & mores, 1381. b. & ſeq.

Cliens, 640. c

Cœna manibus Domini conſecrata, 565. g. & ſeq. Cœnæ Dominicæ myſterium eſt, ut cujus ſanguinem ſumimus, pro ipſo animam ponamus, 1234. g. Judæi ad cœnam invitati, nos ducti & coacti, 564. b. Tres excuſationes venire nolentium, 564. e. & ſeq Ad cœnam venire nemo cunctetur, 567. e. Cogendi intrare: foris inveniatur neceſſitas, naſcitur intus voluntas, 568. b

Coæternum & coævum, quo differant, 585. c. & ſeq.

Cœnobitarum vita in actibus Apoſtolorum deſcripta, 1384. f

Cogitationes malæ mundandæ, 223. g. Cogitationibus illicitis delectari, ſine conſenſu, nondum perfecta mors eſt, ſed quodam modo inchoata, 520. a. Sicut ante homines facti, ſic ante Deum cogitationis peccatum eſt, 820. c

Colere. *V.* Cultus.

Collationis cum Donatiſtis geſta, 524. e. Ad Collationem quo animo veniant Catholici, 1397. e

Color non eſt niſi in corporalibus, 1317. c. unus eſt omnibus, aut potiùs nullus, ſi lux auferatur, 1317. d

Columbæ ſimplicitas imitanda, 367. d

Communio parvulorum, 834. a. A communione non prohibentur niſi ſponte confeſſi vel legitimè convicti, 1359. f. *V.* Excommunicatio.

Competentes, quaſi ſimul petentes, 953. c. 975. a

Concilium ſchiſmaticorum contra Cæcilianum, 795. d. Aliud Maximianiſtarum contra Primianum, *ibid.*

Concilia duo adversùs Pelagianos ad ſedem Apoſtolicam miſſa, 645. d

Concordia hominis cum Deo qualis exigitur, 55. a. Concordia fratrum, quare rara, 1398. f. g. Concordia fratrum in cæleſti hereditate, 1401. e. Concordia & ſecuritas perfecta laudantium Deum nonniſi in cælo, 1054. f

Concubinas habere non licet, 1504. b

Concubina quæcumque præter uxórem eſt meretrix. 969. b. Antiquorum cum ancillis concubitus quomodo ſine adulterio; 297. d

Concupiſcentia rei alienæ quænam decimo præcepto vetita, 45. d. Concupiſcere rem proximi, etiamſi juſta ibi ſucceſſio quæratur, non licet, 45. e

Concupiſcentia cur vocetur peccatum, 741. d. Hæc nobis innata eſt & ex primo peccato orta, 719. f. Eam juſtè patitur homo, 724. a. In baptiſmatis remanet ſine reatu, 335. b. 643. f. 723. b. Sancti hîc concupiſcentiâ non carent, 631. b. Apoſtolus nec ipſe ſine concupiſcentia, 735. d. Non concupiſcere, omnino perfecti eſt, poſt concupiſcencentias ſuas non ire pugnantis eſt, 737. d. 718. f

Concupiſcit caro adversùs ſpiritum in bonis, nam in malis non habet contra quem concupiſcere, 630. b. Concupiſcentiæ malum ante Legem ignotum, 729. g. Per Legem aucta concupiſcentia, non victa, 730. f. Timore pœnæ concupiſcentia non tollitur, 812. c. In eo ſævit qui à factis malis temperat non delectatione juſtitiæ, ſed formidine pœnæ, 54. g. & ſeq. Concupiſcentiæ regnum non evertitur niſi per gratiam, 153. e. Concupiſcentias perficere quid ſit, 632. e. Concupiſcentiæ reſiſtendum, 341. e. Quomodo reſiſtendum concupiſcentiæ & conſuetudini malæ, 632. c. 719. a. Concupiſcentiæ interitus in votis eſſe debet, 152. c. 718. d. 787. d. Gratiâ Chriſti perimenda aliquando concupiſcentia, 721. d. De concupiſcentia error Manichæorum, 718. e. 723. d

Concupiſcentia hydrops, 352. f

Condiſcipuli omnes ſumus ſub Chriſto magiſtro, 112. d

Confeſſio fidei ſine rubore, 1132. f

Confeſſio duplex, laudantis, & pænitentis, 149. c. 374. a. 841. f. Utraque debita Deo, 150. b. Peccatoris confeſſio etiam ipſa Dei eſt laudatio, 374. c. Confeſſio peccatorum, 63. b. 120. c. f. ad ſalutem neceſſaria, 106. f. 149. f. 665. c. Confeſſionis medicina, 108. b. 869. a. Confeſſione ſcrupulus conſcientiæ tollendus, 252. d. Populus audita voce, *Confiteor*, tundit pectus, 374. a. b

Confidendum non in ſe, ſed in Deo, 731. c

Conjugati fideles, jam corpus Chriſti manducantes, de caſtitate ſervanda admonentur, 646. c. 1504. b. Conjugati humiles ſuperbis continentibus meliores, 1376. f. 1379. a. Conjugati abſtinentes ex conſenſu, 293. d

Conjugium facit, non commixtio carnalis, ſed caritas conjugalis, 293. c. Conjugii uſus quandonam inculpabilis, 1355. d

Conjux bona maritum ſuum ut dominum habet, 185. a

Conſcientiæ diſcuſſio, 81. d. Conſcientia citò mundanda, 252. d. Conſcientiæ ſuæ qui erubuit, ponit modum iniquitati, 1288. d. Habitatio & quies in tremo conſcientiæ, 263. d. Non ſufficit bona conſcientia, ſi eſt negligens coràm hominibus converſatio, 253. f. Quando ſufficiat conſcientia, 254. e. Conſcientiæ bonæ accedat cura de fama, 1326. e. 1380. a

Conſilium ſalutis petens, nec lubenter audiens, 456. d. In hujus mundi tribulatione conſilium à Chriſto capiendum, 345. d. 347. a

INDEX

Consolatio illa erit vera, qua dabitur quod non amittatur, 312. b

Constantinopolis, 546. g

Consuetudo, etiam mala, pro lege observatur, 51. f. Consuetudo mali non sinit videre quia malum est, 519. e. hæc in Lazaro sepulto & jam fœtente significata, *ibid.* Consuetudinis peccata non contemnenda, 95. b

Consulere sibi quomodo convenit. 1248. e

Contemplatio, 817. g

Contemtus mundi, 199. f. 582. g. 1251. d

Contentio catholicorum cum Donatistis dilectionis est, non litis, 1395. b. Contentiones & dissensiones non faciunt nisi animales, 47. b

Continentia & sustinentia duæ virtutes hujus vitæ, 107. g. *& seq.* 194. b. 195. e. Dona sunt Dei, 1139. d. Continentia servanda pro suo cuique gradu, 646. c. 647. d. 1063. a. Conjugatis Quadragesimæ tempore servanda, 927. a. 931. b. & certis diebus per annum, 931. b. Continentiæ voto obstricti, 647. a. Votum continentiæ non reddens damnatur, 1065. b

Continentium locus excellentior in Christi corpore, 1375. g. Continentia ipsorum ab invidis mordetur, ut probetur, 1376. a. Iis quàm maximè cavenda superbia, 1378. d. f. Continente superbo melior conjugatus humilis, 1376. f. 1379. a. Continens cogitet quid sibi desit, non quid adsit, 1377. b. Præter continentiam & opera bona requiritur caritas, 502. e

Contradictio mundi, 1347. c

Contradictores patitur qui cœpit sequi Christum, 512. g

Contyrones, 953. e

Conversatio sine querela secundùm legem, 821. c. Bonæ conversationis cura, 255. e

Conversionem alii sperando, alii desperando differentes, 108. c. 202. b. Plerique malè sperando differunt, 109. a. 202. d. 466. g. Conversio in crastinum non differenda, 109. c. 199. e. 202. g. Diem crastinum Deus nemini promisit, 467. b. Reprehensione digniores qui nunc Christo ædificante Ecclesiam non convertuntur, quàm qui olim Noë ædificante arcam, 1417. a. Peccator in libero arbitrio habet ut convertatur, 24. a. 26. d. 31. e. Non tamen potest resurgere per se à peccato absque gratia, 106. d. Facit de malo bonum, qui semper est bonus, 352. c. Conversio ex Dei gratia, non ex meritis, 1449. g. Conversionem ad Deum debet præcedere renuntiatio huic sæculo, 1455. a. Exhortatio ad vitæ mutationem in melius, 1310. c. Mutatio vitæ non sufficit, nisi adsit & satisfactio pro commissis, 1362. d

Convicium convicio non reddendum, 1393. f

Convivium dominicum duplex, aliud hîc fidelium, aliud in cælis beatorum, 487. g. Qualis qui ad convivium invitavit, 508. f. Discumbens sine veste nuptiali reprobatus, 509. d. Mali à convivio exclusi, quinam intelligendi, 488. f. Uno excluso multos exclusos significari, 489. c

Cor, radix unde vel spinæ vel fructus procedunt, 497. b. Cor hominis cum thesauro suo, 1337. a. Cor ubi ponendum, 105. d. Sursum cor, 104. e. 133. g. 135. e. 316. g. 456. b. 546. a. 798. g. 844. g. 1288. a. Sursum cor, quandonam pietatis, quandonam superbiæ, 1065. d. Ex multitudine cor ad unum gratiâ Dei convertitur, 1142. e. Dilatatio cordis ex caritate, 125. a. Cor fidelis templum non angustum Deo, 124. e. Deus habitare vult in corde mundo, 1067. d. Mundandum cor, quo videatur Deus, 1066. g. Cor unde mundetur, 497. b. Conterendum ut fiat mundum, 103. b. Rectus corde est qui laudat flagellum patris, 114. f. Tranquillitas cordis de serenitate bonæ conscientiæ, 1109. d

Cornelius Centurio Spiritum-sanctum accepit ante baptismum, 1094. d. sine manûs impositione, 526. e. Ipsum eleemosynæ mundaverunt ad quemdam modum, 706. d

Corona debita servantibus fidem, 1212. e. 1213. c. Corona non redderetur debita, nisi gratia priùs data fuisset indebita, 1210. a

Corporis proprium est in loco esse, de loco in locum moveri, 306. g. 308. c. Corporum ordo ex diversitate ponderum, 1010. g. Corporum graviorum celerior quorumdam motus, 1011. d. Celeritas corporum cælestium, 1117. e. Corpora spiritalia post resurrectionē unde dicta, 1011. g. Velocitas corporis spiritalis, 1119. b. An Deus videbitur per corpus spiritale, 1119. d. *& seq.* Si per corpus spiritale videri possit substantia quæ non videtur in loco, adhuc incompertum, 1120. c. Terrenum corpus quomodo in cælo erit, 1009. g. Corpus nostrum quomodo in cælo erit, si non sit ibi corruptio, 1427. b. *V.* Resurrectio.

Corpus domare, 78. d. Porphyrii sententia de fugiendo omni corpore, 1007. a. *& seq.*

Corpora nostra sunt membra Christi propter corpus Christi, 775. a. Propter inhabitantem Spiritum Christi templa sunt Spiritus-sancti, 775. c. Quomodo in ipsis inhabitet, 777. d

Corporis & sanguinis Christi sacramentum, 640. g. *& seq. V.* Eucharistia.

Correctio vitæ non procrastinanda, 446. a. 969. d. *V.* Conversio.

Correptio officium dilectionis est, 29. b. *& seq.* Disciplina & correctio non negligenda, 82. c. 479. a. Feriens pius, parcens crudelis, 82. d. Corripiendi munus præpositis impositum, 94. g. *& seq.* 1493. b. Pastores ne vitiis parcant multitudinis conciliandæ caussâ, 228. f. Paulus eorum vitiis, à quibus sibi honor exhibetur, non parcit, 228. c. Qui non vult in se fieri sanus, in eum qui corripit, fit insanus, 52. a. Correctio quo animo facienda, 441. d. 479. d. 1494. b. Correptio aliàs secreta, aliàs publica esse debet, 443. f. Quando secreta esse debet, quando publica, 444. a. Si solus nosti quia peccavit frater, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor, 444. b. Correptionis modus, curve secretò fiat, 444. e. Correptio publica in Ecclesia, 97. c

Corripientis Dei flagellum patienter ferendum, 114. f. *V.* Flagellum.

Corruptores sui non innocentes, 1126. b

Corvina vox, 446. a. 969. e

Creationis beneficium, 137. f

Creaturam Deo præponentes reprehenduntur, 112. e. Ex creaturis assurgendum ad Creatorem, 614. b

Credentium tres gradus, 1148. g

Credere est opus Dei, & eadem ipsa justitia, 271. e. Difficile est ut malè vivat, qui bene credit, 271. g. Ex eo quod Deus fecit credibile fit quod promisit, 639. a. Perversum est credere nolle nisi quod videas, 613. g. Non cuilibet spiritui credendum, 870. d

Credere Christum & credere in Christum differunt, 693. f. Fides in Christum pauperem & crucifixum, 208. d. 641. f. Quicumque in Christum non credit, damnatur, 1189. e. De Christo quid credendum, 949. g. 995. a. *V.* Christus.

Creditores suos Deus convenit ipse ut recipiant, 457. b

Crispina mulier martyr, 1149. c. 1377. a

Cruciatibus non delectatur Deus, sed justitiâ nostrâ; nec quæritur quid quisque patiatur, sed quare, 1145. c

Crucifixus mundo, 1161. g

Crux schola & cathedra Christi, 987. f. 1166. d. tribunal judicis, 1146. b. candelabrum lucernæ, 1161. d. muscipula qua captus est diabolus, 638. e. clavis Testamenti veteris, 1219. g. Crucis mysterio omnia revelata, 1220. a. Quid significet quod Christus crucem suam portavit, 960. d. Titulus super crucem, 960. e. *& seq.* Crucis quatuor dimensiones, 317. e. 798. a. Profundum crucis, quòd gratia alii detur, alii non detur, 799. c. De cruce Christus cur non descendit, 466. a. 473. g. Scire Christum crucifixum magna sapientia, 771. d. Glorificatio fit in cruce Christi, non in nostra justitia, 773. g. Crucis victoria, 283. d. Virtus clavorum crucis, 1448. c

Crux novi Testamenti signum, ut circumcisio veteris, 773. c. Crucis signum in fronte, 145. f. 163. c. 832. f. 773. d. 1145. d. 1227. d. 1320. d. Crucis signum in vestibus baptizatorum apparens, 105. e. Crucis signum Ecclesiæ inimicos superat, 1440. f. Crux non erubescenda, 951. f. Humilitas crucis via ad celsitudinem, 772. c. Crucem suam cur hîc honoravit Christus, 473. f. Crucis ligno per mare hujus sæculi portari, 411. f. Crucem tollere, 512. g. 1288. a. Christianus perpetuò debet pendere in cruce, 920. b

Cultus gratuitus Dei, 168. c. 763. g. qui solus animam satiat, 764. a. Legis veteris servitus est, cùm Deus colitur propter terrena, 133. d. Cultum Dei vilissimo pretio addicit, qui pro illo terrenam felicitatem quærit, 104. d. Cultoribus suis præmium Deus ipse est, 105. b. Colimus nos Deum, & colit nos Deus, 267. d. 461. b. 571. f. Sancti cultum Deo debitum impendi sibi horrent, 1108. c. Conservi sunt nostri, non pro Deo colendi, 1175. b. Martyres honorandi, Deus colendus, 1106. b.

Cultus mortuis hominibus à paganis impensus, 1106. c

Cupiditas sua unicuique tempestas est, 418. d. Cupiditatis aut caritatis quisque suæ onus portat, 793. d. Pro sarcinis cupiditatis suscipiendæ sarcinæ caritatis, 792. d. Malè te subjugaverat cupiditas, salubriter te subjuget caritas, 792. f. Duæ januæ diabolo tentatori, cupiditas & timor, 162. f. 163. d. Cupiditates non finiuntur, sed augentur, si præsentia propter terrenas promissiones contemnantur, 219. b. Cupiditas temporalium quomodo in proximum iniqua, 165. e. Omnium victor est cupiditatū, qui subjugat amorem vitę hujus, 1135. d

Cups. In cupsonibus habitantes, 246. e

Curiositas quinque sensuum est impedimentum fidei, 564. g. 565. e. 566. c

Cynomyia, canina musca, 43. d

Cyprianus Martyr, 81. b. prænomine Tascius, 1149. c. bonus pastor, 672. a. f. electum granum, 1253. f. lapis pretiosus, 182. f. *& seq.* Ejus anima framea magna Dei, 1259. f. Cyprianus qualis ante conversionem ad fidem, 1256. d. Dei gratiâ conversus factus est verus Cyprianus, 1256. g. Gratiæ beneficia in Cyprianum, 1258. b. Ex forensi Oratore factus est prædicator Christi, 1257. c. 905. f. Cyprianus & passione & scriptis suis per orbem clarus, 1250. d. 1257. g. Carthaginensis Ecclesia ejus episcopatu & martyrio nobilitata, 1249. g. Exsilium Cypriani, 1247. e. Reditus ab exsilio, 1247. g. Comprehensio Cypriani à duobus apparitoribus, 1248. a. Ejus sollicitudo pastoralis, 1248. b. Proconsulis verba ad Cyprianum & hujus responsum, 1248. f. Cypriani verba, 1249. b. Sententia in Cyprianum, 1249. d. Natale Cypriani Martyris Africâ totâ percelebre, 1249. e. Locus sepulcri ipsius, 1258. a. Mensa Cypriani apud Carthaginem, 572. a. 640. f. 734. b. 808. e. 1250. a. Altare erectum super corpus Cypriani, 1260. a. Unitatem Ecclesiæ quantum dilexit Cyprianus, 12,8. b. Cypriani auctoritas pro originali peccato, 1193. b

D

Dacianus, 1113. b. 1116. b

Dæmones Christum confessi sunt timore, non amore, 878. *V.* Diabolus.

Damnati nullam excusationem habebunt, 118. c. 119. d. Damnatorum acriores pœnæ post resurrectionem, 1285. g

Damnatio in sanctis hîc nulla, 741. g

Dare tantùm non novit nisi solus Deus, 79. f. Præceptum ut demus omni petenti quomodo implendum, 1400. e

David Psalterii auctor, 159. d. Ejus contra Goliam progredientis confidentia in Deo, 159. g. Quinque lapides David quid mysterii habeant, 160. b

Debita quotidiana, 327. b. 336. f

Debita fratribus & inimicis dimittenda, 28. f. 275. a. 447. e. 449. d. *& seq.* 572. f. 1128. d. Magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare conservo, ut tibi relaxetur à Domino, 932. d. In hoc genere operis boni excusatio nulla est, ubi sola voluntas tota facultas est, 932. e. Pactum donandi debita in Dominica oratione, 328. b. 933. c. Omnis homo debitor Dei est & debitorem habet fratrem, 327. a. 448. b

Debitor Deus quia promisit, non quia accepit, 562. a. 761. d. 1049. c

Decachordum psalterium, 52. f. *& seq.*

Decalogus, 450. c. Decalogi præcepta singula exponuntur, 50. a. *& seq.* Horum tria ad Deum, septem ad homines pertinentia, 52. f. *& seq.* Decem præceptorum distinctio, 1033. d. Præcepto, *Quod tibi fieri non vis*, &c. continentur omnia præcepta Decalogi, 59. a 61. g

Decimæ, 637. a

Decollare volens Ecclesiam, 87. b

Decor domûs Dei, 143. b

Dedicatio domûs Dei in sæculi fine,

Dedicatio templi antea profani, 785. c. *V.* Ecclesia.

Defunctorum dies quid recogitandum admonent, 828. e. Orationes, & sacrificium ac eleemosynæ pro defunctis, 827. c. Ad altare pro commemoratis defunctis non martyribus oratur, 765. g. 1143. c. 1147. b

Delectationes sensuum licitæ & illicitæ, 766. d. Delectationes vincendæ, & dolores, 1300. a. 1328. c. Delectatio legis Dei, & delectatio concupiscentiæ, 732. a. Delectatio mentis de justitia & fide, 766. f. *& seq.* Justitiæ delectatio, donum Dei, 812. f. Delectatio pio-

IN QUINTUM TOMUM.

rum in Deo amissis terrenis rebus, 115. e. Piis promissa delectatio laudis Dei; quæ non datur impiis, 1052. c

Delectet Deus, à quo habetur quidquid delectat, 111. e. Non amatur nisi quod delectat, 766. f

Deliciæ peccatorum fluxæ, 759. f. Christi passiones imitandæ sunt, non à Christiano deliciæ conquirendæ, 230. a

Denarii centum, fortè mille asses sunt, 449. c

Denarius mercedem significat, 611. g. Legem ac perfectionem, 450. e. 1098. e. 1099. f. 1100. f

Deserente Deo continuò possidet tentator, 335. a. Ira judicis tradidit quosdam concupiscentiis suis, non cogendo, sed deserendo, 335. d. Homo à Deo, cùm ipsum rogat, non deseritur, 136. e

Desideriorum forma in Dominica oratione, 324. c. d

Desperatio & spes impænitentiæ ac perditionis caussa, 108. c. 466. d. Desperando plus perdit anima quàm delinquendo, 106. f. Desperatione veniæ anima suffocatur, 1371. c. De nullo desperandum est in præsenti vita, 394. d. De Deo nihil desperandum, 8. e

Destinis responsionum fulcire ruinosas fabulas, 78. c

Detractio est, mordacior quàm veracior reprehensio, 1373. b

Devotorum hominum oblationes, 1382. e. Abigatur à sensu devotorum &c. 303. f

Deus Philosophis notus ex creaturis, 683. c. 1003. g. & seq. Dei notitiam vanitas litigando quærit, pietas credendo, 1066. b. Dei cognitione fit homo beatus, 582. g. De Deo falli periculosum, mentiri exitiosum, 124. a. In rebus divinis pia ignorantia melior quàm præsumta scientia, 582. d

Dei nomen duplex Moysi declaratum, 35. e. f. 40. d. e. f. Deus quid sit, sive quid non sit, 111. b. & seq.. 1485. e. Deus non est quid corporeum, nec aliquid quale formari nostra cogitatione possit, 12. c. 315. g. & seq. nec est admodum corporis in spatio cogitandus, 306. g. Quid cogitandum, cùm dicitur Deus, 12. f. Lumen Deus, quale, 13. d. Deus cordi lux & odor & cibus, 116. g. In Deo omne quod dicitur, idipsum est, 1317. d. In ipso non aliud potestas, aliud prudentia & ceteræ virtutes, 1317. d. Hæc & similia de eo dicuntur non propriè, sed quia nihil dici melius potest, 1317. e. De Deo nihil dignè dicitur, *ibid.* d. Dei substantia non circumscripta quantitate, 124. a. Dei facies & manus & pedes quid, 313. e

Deus solus æternus est, 169. g. Bonus à se solus Deus, à quo cetera bona, 89. d. 148. g. 488. c. De ipsis peccatis hominum bene operatur, 67. d. Solus est immutabilis, 872. b. Deus incomprehensibilis, 307. c. 582. d. Ineffabilis, 584. a. Invisibilis, 1121. a. Irascendo mitis, 132. e. Justus & misericors, 119. b. Deus fons justitiæ, qui injusta nequit probare, 569. e. Justitiæ fons, quò nullus dignus prohibetur accedere, 1332. a. Dei misericordia præveniens & subsequens, 1451. c. Deus omnipotens, 938. f. 943. e. qui id solum non potest, quod non vult, 945. c. & quo volente fit quod aliàs fieri non potest, 1010. e. Omnipotens iniquis multa contra ejus voluntatem facientibus non superatur, 944. e. Pater noster Deus, 352. b. Patientia ejus erga nos, 404. f. Non amat Deus damnare, sed salvare; & ideo patiens est in malos, ut de malis faciat bonos. 98. g. Deus ubique præsens & omnia videns, 381. b. & seq. Non est in loco, 314. a. Inhabitando continet, non continetur, 1321. e. Præsens Deus omnibus conscientiis adest, bonis ut pater, malis ut judex, 73. e. Dei præsentia Adæ justo gaudium, peccatori pœna, 472. g. 473. a. Præsentiæ Dei omnibus notæ argumentum est illa etiam improbis usurpata juratio, *Testis est Deus*, 73. f. Dei providentia in rerum gubernatione & ordinatione malorum, 269. e. 608. e. f. Regno ejus nullus subtrahitur, 1441. b. Providentia Dei ex impiorum felicitate quibusdam in dubium aut in reprehensionem venit, 96. b. 98. e. 104. b. 269. d. Si nescis qua ratione fiat, crede non injustè fieri quod sinit aut facit Deus, 270. a. Quomodo vel quamdiu sinat & bene esse malis & malè esse bonis, 270. a. Deus rectus perverso non placens, 273. c. Refugium nostrum Deus, 322. e

Dei apparitio Moysi, 34. d. & seq. 127. a. per Angelum facta est, 35. a. Quare in rubo, qui à flamma inhærente non comburebatur, 35. d. Deus apparere per suam substantiam, sicuti est, nonnisi mundis cordibus dignatur, 34. e. De visione Dei, 122. b. 312. f. & seq. In ea quæstione excitatæ rixæ & contentiones, 128. b. d. An videbitur per corpus spiritale, 1119. & seq. Non potest videri in loco ad modum corporis, 1119. e. Deum videre summa felicitas, 625. b. A filiis videbitur sicuti est, 127. f. In Christo forma servi ab omnibus videbitur, forma Dei à solis piis, 625. e. Cordis oculus mundandus, quo videatur Deus, 472. c. 588. c

Deus discere quomodo dicitur, 7. e. mandare & loqui nobis, 71. a. 74. a. pænitere, 119. c. requiescere ab operibus suis, 53. c. tentare, 7. b. Quare de Deo nescire, pænitere, & similia dicuntur in Scripturis, 1317. f. & seq.

Deus corde laudandus & amore, 1445. e. gratis amandus, 7. e. quærendus castè, 668. c. d. Non præponendum ipsi quod dedit, 7. d. Deus nobis sufficit, sine Deo nihil sufficit, 427. b. 764. a. 846. f. Quomodo quæ Dei sunt, fiant nostra. 802. e. Deus omnium est, & ab omnibus suis non divisus, sed totus possidetur, 266. e

Dei similitudo in nobis, 308. d. f. Dei titulum in corde gestamus, 129. f. Deambulat in nobis præsentiâ majestatis, si latitudinem invenerit caritatis, 785. c

Deitatis unitas, & personarum distributio, 261. d. De Deo Patre, de Filio &c. quid credendum, 949. c. & seq. *V.* Trinitas.

Dextera Dei, 940. d. 947. f

Dextera iniquitatis, 166. a

Dii paganorum non comparandi Martyribus, 1107. e. Dii falsi malis moribus cultorum suorum delectantur, 908. d

Diabolus calumniosus adversarius, 496. e. corruptor virginitatis Ecclesiæ, 502. c. leo, 1071. e. lupus, 669. e. nebulo & pirata, 1450. d. pater impiorum, 1365. c. princeps mundi, id est iniquorum qui corde non habitant nisi in hoc mundo, 695. f. Diabolus princeps peccati, & ideo princeps hujus sæculi, 73. b. pessimus venator mundi, 283. f. Rectores mundi diabolus & angeli ejus, 965. f. In cælestibus quibusnam habitent, 965. g. Ad regnum diaboli qui pertineant, 385. g. & seq. Diaboli muscipula, mortalitas & crux Domini, 655. f. 1071. f. Diabolus ejectus per virtutem Christi, 384. f. 385. b. 692. f. 966. c. Foras missus, qui intrinsecùs dominabatur, extrinsecùs prœliatur, 692. f

Diabolus propter nostram exercitationem forinsecùs oppugnare permittitur, 692. g. Ubi inane invenerit, ibi nidum facere molitur, 1378. f. Duæ januæ diabolo tentatori, cupiditas & timor, 162. f. 163. d. Diabolus peccatori quid persuadeat, 108. a. Diabolus tentans consentientem tenet, non cogit invitum, 162. f. Qui seipsum interiùs vincit, de diabolo foris triumphat, 7. c. Unde ille nos subjiciat, unde à nobis prosternatur, 1356. d. Nostris nos armis oppugnat, 954. a. Vincitur à pueris & puellis per gratiam, 693. a. Dæmoniorum cultus, animæ est adulterium, 50. a. Diabolus quomodo audierit vocem Dei, 74. g. & in conspectum ejus venerit, 73. d. 75. a. Quomodo fuerit in medio Angelorum, 75. d

Diaconi officium, ministrare sanguinem Christi, 1234. f

Dies cur in Genesi à luce, nunc à nocte computantur, 964. e. Dies nunc laboris & tristitiæ, 930. c. Dies boni quinam & ubi quærendi, 93. d. 134. g. 135. g. 555. c. 556. g. 897. e. Maligni dies ab initio peccati, 134. b. Dies malos duæ res faciunt, malitia & miseriæ, 803. c. Malignos dies faciunt maligni homines, 134. c. 1207. c

Dies Dominicus, 809. f. Octavi & septimi diei mysterium, 1060. c. Septimus dies sine vespera, 53. d

Dies feriati, 1064. b

Dies omnis pro extremo computandus, 1248. e. Dies novissimus totius generis humani finis est sæculi: at uniuscujusque hominis ipse est dies mortis, 49. c. 515. c. 823. e. Diem mortis incertum salubriter constituit Deus, 199. e

Digitus Dei Spiritus-sanctus, 48. b

Dilatatio cordis ex caritate, 125. a

Dilectio Dei & proximi, 491. f. 493. a. 1292. f. 1343. c. 1450. c. Gratuita sit dilectio Dei, benefica sit dilectio proximi, 499. b. Dilectio sola semper reddenda, 1064. d. Diligantur parentes, sed plus Christus, 1348. a. Dilectio inimicorum, 28. f. 328. e. 430. g. 1261. a. 1270. d. *V.* Inimici. Non diligit se, qui Deum non diligit, 173. d. Quid aliud in nobis quàm Deum debemus diligere; aut quia habemus, aut habeamus? 1053. e. Non diligimus Deum, nisi priùs diligamur, 171. a. Ardua quæstio ex Dñi verbis nata, dicentis plus eum diligere, cui plus dimittitur, 522. c. & seq. Diligere invicẽ jubemur propter regnũ Dei, 1292. f. Quantum diligere invicem præcipimur, 1292. f. Extendenda dilectio, ut omnes rapiat ad Deum, 494. c. Quomodo diligendus peccator, 20. a. Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros, 274. c. Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem, 273. e

Dimensiones quatuor apud Apostolum, latitudo, longitudo, altitudo & profundum, 317. b. Dimensiones crucis, 398. a. *V.* Crux.

Dimissa peccata replicantur non dimittenti, 451. a. *V.* Debita.

DIONYSIUS Areopagites, id est, Atheniensium principalis, 711. f

Disciplina & correctio non negligenda, 82. c. 440. d. e. 451. c. 795. a. sine odio adhibenda est, 330. c. *V.* Correptio.

Disciplina ecclesiastica per presbyteros data, 903. f

Discipuli Christi humano in eum affectũ tenebantur, 1096. f. Ipsum hominem tantùm ante resurrectionem putabant, 1017. f. Error discipulorum errores figurat hæreticorum, 413. f. 414. c. Apostolorum incredulitas, 428. e. maximè auditâ Christi resurrectione, 577. e. 977. c. 980. f. 993. d. 1019. f. 1021. g. Spes discipulis morte Christi ablata, 991. f. Discipuli in Christi morte dubitantes in Moyse figurati, 1367. c. Christi verba ad discipulos ad nos pariter spectant, 633. f

Discordia quæ est in spiritu & carne pro concordia laborat, 723. e. In discordia duorum quomodo se gerere debet amicus amborum, 273. f

Discretio ex massa perditionis, 385. d

Displicere homini debet quod Deo displicet & contrà, 103. c. Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo: quod autem habes ex te, displicet Deo, 79. f

Dissensio Christianorum, satanæ triumphus, 932. d

Ditescere velle alterius paupertate iniquissimum, 1399. e

Dives re & dives cupiditate differunt, 355. a. 845. a. Divites humiles & misericordes sunt veri pauperes, 84. b. Divites hujus sæculi, & divites alterius sæculi, 454. a. Divites non hujus mundi, 176. b. Divites hujus mundi non contemti à Christo, 177. b. Difficilè salvantur, 453. f. Divitibus quid præcipi velit Apostolus, 454. a. Ipsis cavenda superbia, 83. c. 846. b. Dives sit humilis, plus gaudeat quia Christianus est, quàm quia dives est, 177. e. Non dedignetur frater pauperis appellari, *ibid.* Dives & pauper in nativitate & morte æquales, 354. d. Dives semper mendicus, 1337. f. Dives imprudens & luxuriosus qui reservare aut epulari proponit, non erogare, 461. b. 551. d. Dives sic utatur superfluis, ut tribuat pauperi necessaria, 356. a. Divitem & pauperem fecit Dominus: per eum qui habet juvat egentem, per eum qui non habet probat habentem, 455. f. Dives pauperis contemtor, miser finitâ vitâ, 206. d. 207. b. Dives in conscientia securior dormit in terra, quàm dives in purpura, 176. f. Divites minùs securi in perturbationibus sæculi, non solùm sua perdiderunt, sed propter illa & ipsi perierunt, 177. d. e Divitibus adulantes, 207. d. *V.* Pauper.

Divites, id est superbi, exinaniendi sunt; & esurientes, id est humiles, implendi, 1164. d

Divitis & Lazari comparatio, 178. a. 206. b. 461. d. 535. e. 714. g. 1334. g. 1452. a. Dives ille in inferis serò misericors, 84. a. Judæus fuit, 207. a. Cur damnatus est, 850. b. 1452. f. *V.* Lazarus.

Divitiæ veræ, & falsæ, 278. d. 570. d. Divitiæ non veræ sunt, quibus crescentibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quantò fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem, 278. e. Divitias habes, & concupiscis: morbus est, non opulentia, 352. f. egestas aucta est, non potestas, 845. d. Divitiæ terrenæ, non facultatis, sed infirmitatis argumenta, 424. c. 1054. b. Fulcimenta sunt infirmitatis, non ornamenta potestatis, 191. d. Perituræ sunt & plenæ periculorum, 85. b. 177. d. nec à morientibus hinc auferendæ, 85. b. Nihil præter sollici-

tudinem afferunt, 1337. e. Divitiarum onus, 794. b. Divitiæ ut ſomnium, 1334. e. Cur dictæ mammona iniquitatis, 570. b

Divitiarum cupiditas quàm periculoſa, 200. a. 1288. f. inſatiabilis eſt, 845. b. Divitiæ ſine cupiditate ſi habentur, non culpandæ, 845. c. Spes in divitiis non ponenda, 846. e. Divitiarum vermis, ſuperbia, 175. g. 200. c. 355. b. 454. b. Tolle ſuperbiam, divitiæ non nocebunt, 200. c. Divitiæ malos cùm offeruntur excæcant, cùm auferuntur excruciant, 278. b

Divitiæ propter vitam, non vita propter divitias, 1335. a. Divitias Deus bonis tribuit ad probationem, malis ad ſupplicium, 277. c. d. 278. c. Habere eas cenſendus non eſt niſi qui bene utitur, 277. e. Migrandæ è terra in cælum divitiæ, 197. c. 198. b. 348. d. 1335. e. Divitiarum uſus in operibus bonis, 63. c. 177. f. 179. c. 200. e. 278. g. 355. c. 454. c. 847. d. In tuto ponuntur, dum erogantur, 197. d

Divitiæ veræ à Deo expetendæ, 180. d. 571. c. 1337. b. Veræ divitiæ immortalitas: quia ibi vera copia, ubi nulla indigentia, 176. c. 191. e. Interiores divitiæ, 178. f. 814. d. quæ amitti naufragio non poſſunt, 114. e. f

Divina carnalibus inſinuare difficile, 583. f. Divina & incorporea ubique ſunt tota, 1314. c

Doctrina accepta non amaro corde communicanda, 253. a. Doctrina Chriſtiana, humilitatis præceptum, 773. a

Doctorum officium periculoſum, auditorum ſecurior conditio, 122. c. Doctoris eſt petere à Deo myſteriorum intelligentiam, ut de fide interrogantibus reſpondere valeat, 542. c.

Dolor & voluptas duo incitamenta ad peccandum, 1139. b. Ferendus dolor ſectionis, ut ſanemur, 1124. g

Dolus eſt cùm aliud agitur, aliud obtenditur, 21. d. 649. g. 1373. a. Doli nomen poſitum pro figura, 21. e. Loqui dolum eſt aliud labiis promere, aliud pectore claudere, 93. e. Dolus potentis mali novaculæ comparatur, 363. a

Dominus Patribus in Angelis ipſius perſonam gerentibus adoratus, 40. a. *V.* Deus.

Dominicum celebrare, & ad Dominicum venire, 166. f. *&* *Not.* b

Dominicus dies, 809. f

Dominandi cupiditas vitium primum, quod eſt propria poteſtate gaudere, 564. f

Domnus, 854. f

Domus, & fabrica dicitur & habitatores, 1321. f. Hinc domus marmorata mala, & domus fumigata bona, 820. f. Domus Dei, quæ nunc ædificatur, & in fine dedicatur, 143. b. 1301. c. 1305. d. Domus Dei ipſi ejus habitatores, 1306. b. Decorem domûs Dei diligere, quid ſit, 87. a

Dona Dei bonis & malis communia, 1291. d. Proprium quod hîc datur aut in futurum ſervatur bonis, 510. b. 1291. e. Merita hominis dona ſunt Dei, 1210. f. Dona Dei fiunt hominis, cùm amat quod accipit, & gratias agit illi qui dedit, 802. e. Dei eſt cuſtodire dona ſua in nobis, 1206. c

DONATUS, 1396. e. Aliquando doctrinæ ſeu eloquii ratione lapis pretioſus, 182. f. Superbiâ elatus, fecit ſibi partem, 233. e

Donati pars in Africa, 25. d. 30. e. 223. c. 234. f. 242. b. 244. g. nata de Numidia, 246. d. in multas partes ſciſſa eſt, 26. a. 386. a. 667. a. Pars Donati ſi quid afflictionis pertulit, paſſa eſt tamquam Agar à Sara, 10. d. Schiſmatis iſtius auctores ſuperbi, 256. c. Donatiſtas ſeparationem ſuam excuſare non poſſe, 256. g. Eorum ſchiſma prudenti cuiquam Chriſtianiſmum profiteri cupienti, non placere, 258. e. Donatiſtæ & Maximianiſtæ adverſùm ſe diviſi, 386. a

Donatiſtæ lupi & latrones, 669. d. in Chriſtum injurii, 657. a. Donatum pro Chriſto habent, 906. c. Pro Chriſto ſe jactare convincuntur, 1172. c. Antichriſti ſcelus imitantur, 635. g. Eorum quidam negant Filium æqualem Patri, 876. d. Scripturas ſe ab igne ſervaſſe jactant Donatiſtæ, 263. c. De Traditoribus quæ ipſi dicunt, non idonea auctoritate nituntur, 242. c. Donatiſtarum error, non dari Spiritum ſanctum niſi per ſanctos miniſtros, 1086. a. Eorum argumentum ex verbis (Matth. 18.) contendentium per homines dimitti peccata, 525. b. Rebaptizant Donatiſtæ, 677. a. Ad ſe redeuntes pœnitentiæ ſubjiciunt, 1203. c. Voces ipſorum ſuperbæ, 524. e. 1147. g. 1169. d. Donatiſtæ nec Moyſi, nec Chriſto credunt vel reſurgenti, 636. f. Locus ex Canticis canticorum ab eis fruſtra prolatus, 243. c. 675. g. Locus item ex Habacuc malè uſurpatus, 245. f. *& ſeq.* Locus Evangelii de arbore & ejus fructu ad miniſtrum baptiſmi perperam tranſlatus, 1171. e. Donatiſtæ Simonis Cyrenei factum pro ſe interpretantes 247. e. Donatiſtarum ſtolida objectio, 232. d. Donatiſtæ Catholicos à ſua communione repellunt, 241. d. Diem Epiphaniæ numquam cum Catholicis celebrare voluerunt, 915. c. Quæ ſit ipſorum, & quæ Catholicorum doctrina, 636. e. Redarguuntur, 18. a. 47. b. 48. b. 223. a. 240. b. *& ſeq.* 264. f. 550. f. 634. e. 671. f. 676. d. 876. d. 997. a. 1029. d. 1088. c. 1093. g. 1094. c. 1095. b. 1174. e. 1196. a. Donatiſtas carere caritate, 1095. d. Eos factis non poſſe dicere, *Dominus Jeſus*, 1095. d. Donatiſtarum martyres carpuntur, 552. f. 1281. c. Leges Imperatorum contra Donatiſtas, 795. c

Donatiſtarum collatio, 1391. e. 1395. b. 1398. e. Eorum animus ab unitate alienus, 1393. b. Donatiſtæ in collatione oblato ſibi conſeſſu à Cognitore, ſedere nolunt cum Catholicis, ne ab ipſis maculentur, 524. e. Donatiſtæ ſuâ ipſorum ſententiâ damnati, 795. c. In ſchiſmate poſt collationem pertinaces, 794. d. Jam capti dicunt, Contendere nolumus, 240. c. Donatiſtas quid in errore detineat, 796. b. Patientia in ipſos exhibenda, 796. d. Multi ex eorum ſchiſmate converſi ad Eccleſiam, 1403. d. Obſtinatorum quorumdam inepta excuſatio, 1403. g. Aliorum inſania & furor, 1404. b. Lis & concordia cum Donatiſtis, 1398. e. *& ſeq.*

Donatiſta quidam reverſus ad Eccleſiam, 1405. e

Dulcedo peccati pernicioſa per amaritudines tribulationis digeratur, 2. a. Quamdiu blanditur iniquitas & dulcis eſt iniquitas, amara eſt veritas, 732. c. Dulcis eſt voluptas, ſed dulcior Deus, 1139. c

Dura Dominus juſſit, ſed magna promiſit, 90. e

E

EBRIETAS cavenda, 971. f. Iſtud peccatum conſuetudine viluit & contemnitur, 95. c. Ebrietatis & malæ conſuetudinis pugna, 719. b. Ebrietates de eccleſia pulſæ per Auguſtinum, 1040. b

Ebrietas ſancta, 972. a

Eccleſia, ager, 22. e. angulus dicta, 486. b. area, 89. f. 1040. d. domus Dei, 1449. c. mons, 221. b. navis tempeſtate jactata, 412. b. Eccleſia torculari comparata, 91. d. Significata in vaſe quod oſtenſum eſt Petro, 705. g. in veſtimentis Chriſti transfigurati, 425. g. in veſte Jacob, 22. c. Eccleſiæ typus in Petro, 415. d. 706. c. 1194. f. 1195. c. in Rebecca, 16. a. in meretrice cui Samſon nupſit, 1443. a. in Chananæa, 422. b. 423. b. in Magdalena, 33. b. Mulieres duæ coram Salomone litigantes de filio, Synagoga & Eccleſia, 64. g

Eccleſia corpus Chriſti, 221. b. ſponſa Chriſti, 491. c. 1092. e. g. nata de ejus latere, 30. b. Eccleſia inventa meretrix, & facta virgo, 941. e. Et virgo eſt & mater, 889. g. 894. e. 896. b. 901. d. 941. g. Non eſt hîc ſine peccato, 868. b. f. Hîc agitur ut in cælis ſit ſine macula & ruga, 869. b. *& ſeq.* Chriſtus & Eccleſia unus homo & unus Chriſtus, 498. f. 663. e. f

Eccleſia una, vera, catholica, 24. f. Ejus unitas commendatur & probatur, 609. e. 952. f. 1084. e. 1092. c. 1395. f. 1396. c. g. 1403. b. Extra Eccleſiam neceſſe eſt in æternum ſchiſmatici moriantur, 1404. a. Spiritus-ſanctus tamquam anima corporis Eccleſiæ extra eam non habetur, 399. c. 1081. g. 1090. d. 1091. d. nec remiſſio peccatorum, 403. b. Extra Eccleſiam non oves Chriſti, ſed hœdi paſcuntur à ſchiſmaticis, 1147. d. Ab ea præciſi fruſtra de forma gloriantur, 1092. a. Unitatis Eccleſiæ ſymbolum in ægroto uno ſanato, 609. e. Eccleſiæ catholicæ unitas dono linguarum ſignificata, 466. c. 1085. d. Eccleſia una ubique diffuſa, 242 f. 579. a. 634. g. 635. c. 1081. g. 997. a. Eccleſia catholica in toto orbe, hæreſes quæque in ſua tantùm parte, 234. f. Eccleſia una ex Judæis & gentibus, 666. c. Eccleſia præſens ac futura in piſcatione ante & poſt paſſionem Chriſti figurata, 1026. d. *& ſeq.* 1029 b 1031. c. *& ſeq.* 1034. b

Eccleſia etiam ante Chriſti adventum erat in ſanctis, 16. a. Eccleſia peregrina & Eccleſia cæleſtis ubi noſtri cives Angeli, una Eccleſia, 1319. c. Eccleſia qualis poſt reſurrectionem, 1060. c. 1101. f. Tunc nonniſi bonos habitura eſt, 1041. c. Eccleſia modò clauda eſt, habens bonos & malos, 34. a. In area Domini palea ſemper aliqua cum frumento, 89. f. 1040. d. Bonorum & malorum permixtio in Eccleſia, 967. a. Eccleſia tolerat malos, 30. e. 31. b. 34. b. Pro Eccleſiæ unitate toleranda aliena peccata, 18. d. 24. g. Martyres nonniſi in Eccleſiæ unitate honorandi, 1148. c. Pia opera fieri debent pro Eccleſiæ obtinenda pace, 1394. f

Eccleſia duo habet operariorum genera, bonos & ſimulatores, 67. c. Continet fortes & infirmos, &c. 1442. e. 1469. d. In Eccleſia qui honores ſuos & commoda amant, palea ſunt, 26. b. 1401. a. Carnales de Eccleſia in ſorte ſunt Eſaü, 16. c

Eccleſia latere non poteſt, 181. f. In celſum culmen erecta, 266. a. Pagani non habentes quid in ea reprehendant, Chriſtianorum diſſenſionem objiciunt, 266. a. Chriſtus verus & vera Eccleſia ex loco Evangelii (Luc. 24.) agnoſcitur, 996. a. Sancta Eccleſia catholica quæ, 941. d. 948. f. Eccleſia diligentia ut mater, 1330. a

Eccleſia non ſuper homines, ſed ſuper Chriſtum ædificata, 416. a. Petra ſuper quam ædificanda promittebatur, ipſe eſt Chriſtus, 1097. c. 1194. d. Eccleſiæ ex abjecta radice ſurgentis gloria per omnes gentes, 215. b. Eccleſiam decollare volunt Donatiſtæ, 637. a. Eccleſia docet quod credidit, non quod novit, 1419. c. Ejus fides uſque ad finem, 183. d. e

Eccleſiæ claves, 1359. a. 1504. e. Petro Eccleſiæ perſonam gerenti datæ, 706. c. Unitati datæ ſunt, quia Eccleſiæ unitati, 1194. f. Eidem Petro Eccleſiæ unitatem ſignificanti oves à Chriſto commendatæ, 1195. c. Chriſtus peccatores priùs reſuſcitat, & tunc Eccleſia ſolvit, 1195. c. Eccleſia ſolvendo quid peccatoribus proſit, 374. g

Eccleſia tranſmarina, 245. d. 246. a

Eccleſiæ conſtructio bonum opus, in quantum ex fide & caritate, 1304. f. Fabrica Eccleſiæ cæleſtis, 1305. a. Eccleſiæ dedicatio, 1304. c. Domus Dei ædificatio & dedicatio, 1301. c. 1305. d. Mulieres ad Eccleſiam in ſuperbo veſtitu venientes reprehenduntur, 166. f. Quidam ad Eccleſiam non pietate, ſed ſolemnitatis occaſione concurrentes, 1408. b

Eculeus cordis, 81. e

Effractor, 1395. a. Ex effractore metallicus, 609. a

Electio ex perditionis maſſa inveſtigabilis, 141. f. Electio ſecundùm gratiam, 528. f. Gratiæ Dei totum debent electi, 529. b. Non eligimus Deum, niſi priùs eligamur, 171. a. Elegit Chriſtus quod fecit, non quod invenit: omnes malos invenit, & gratiâ ſuâ bonos fecit, 513. f. Ignobiles cur priùs electi à Chriſto, 467. g. 1030. f. Numero piſcium ſignificati electi, 1034. f. 1035. a

Eleemoſyna Græcè, miſericordia eſt, 923. c. Nulla eleemoſyna major eâ quæ nobis Dei incarnatione collata eſt, *ibid.*

Eleemoſynæ duplex genus, dimittere & dare, 209. e. 922. b. 1062. c. 1369. f. *& ſeq.* Eleemoſynæ genus alterum, parcere inimicis, 922. e. 925. d. 932. d. Nemo pauper in hoc eleemoſynæ genere, 922. e. 932. e. Quomodo oratio ipſa facit eleemoſynas, 924. c

Eleemoſyna in pauperem ſacrificium eſt Chriſtiani, 209. e. Ad eleemoſynas faciendas exhortatio, 61. f. 603. a. 556. e. 563. d. 1453. a. 1470. d 1495. b. *& ſeq.* Chriſtus in paupere eget, 201. b. 1000. d. paſcendum ſe præbere dignatur, 536. g. Conſiderent homines quantum ſit meritum Chriſtum paviſſe eſurientem, & quale ſit crimen Chriſtum contemſiſſe eſurientem, 351. b. Deus in paupere accipit & paſcitur, 456. g. 922. c. Ipſe ſervat quod pauperi datur, 456. f. Hoc ſolum non perit, quod das pauperi: alia verò quæ non dederis, & abundant tibi, aut cùm vivis amittis, aut cùm moreris dimittis, 210. a. Eleemoſyna pium fœnus Deo, 197. f. 1500. d. Conſilium Dei de faciendis eleemoſynis nunc amplectendum, 461. f. Eleemoſynarum merces, 209. g. 457. f. 908. a. Pauperum amicitia eleemoſynis comparanda, 208. a. De ſolis eleemoſynis mentio facienda in judicio, quare, 350. b. 1495. b. Neceſſaria dat homo ut hîc diutiùs vel miſerè vivat, non ſuperflua, ut in æternum cum Chriſto regnet, 1228. a. Simile eſt fraudi, ſi quis ſuperflua ſua non tribuerit indigenti, 922. h.

Oratio

IN QUINTUM TOMUM.

Oratio fulcienda jejunio & eleemosynâ, 715. a. 922. a. 926. c. Alæ duæ orationis, geminæ eleemosynæ, 342. c. Eleemosynæ opera amplificanda tempore Quadragesimæ, 923. d. 925. d. Præmittendæ in cælum divitiæ, 348. d. In eleemosynis habetur modus, non in conquirendis divitiis, 62. b. *V.* Divitiæ.

Eleemosyna in pauperes etiam simulatores, 208. d. Fac & cum malo, ut pervenias & ad bonum, *ibid.* Tinea malæ cogitationis revocans à faciendis eleemosynis, 848. c. Avaritia se excusat specie pietatis erga filios, 62. d. Christus cum filiis heres constituendus, 1382. c. Portio filii mortui debetur Christo, 62. e. f

Eleemosyna, jejunium & oratio, tria sunt levium peccatorum remedia, 61. b. Illis eleemosynæ prosunt, qui vitam mutarunt, 201. d. Eleemosyna vera quæ fieri jubetur, 549. a. Eleemosynæ Pharisæorum insufficientes, 548. e. Eleemosyna an sine fide mundare possit, 548. c. Eleemosynæ qua mensurâ & quo fine faciendæ, 201. b. 209. g. Eleemosyna non de rapinis, sed de justis laboribus facienda, 569. a. 850. f. Eroganda est cum humilitate & hilaritate, 1063. c. non superbè, neque parcè facienda, 61. f. Super pauperem non sese efferat, qui ipsum juvat, 999. b. Qui dat pauperi, non de suo dat, sed de re Domini, 277. b. Eleemosyna dupla est ejus qui manu suâ erogat, 1063. c. f. *V.* Opera misericordiæ.

Elementorum ordo secundùm philosophos, a. 1010. a. pondera, 1010. f. *& seq.*

Elephantiosus, 424. f

Elusinus, 1390. e. 1391. b

Elias ad viduam mittitur pascendus, ut beneficium præstetur pascenti, 70. e. 998. f. 1114. b Elias & Enoch creduntur morituri, 1217. f

Elisæi facto Legis insufficientia & gratiæ necessitas figurata, 140. g. 663. a

Emere, 581. b. 804. b. Emere cupiens alterius villam quomodo iniquus, 165. e. Deus non vult perire quos emit, 121. a. Potens homo non potest perdere quod emit auro suo, & Christus perdit quod emit sanguine suo; 1109. d

Enthecha est gazæ repositorium, 1382. g

Epicurei & Stoici cum Apostolo conferentes, 712. b. Epicureorum opinio de beata vita, 713. b. De anima quid sentiant, 714. c. Epicurei secundùm carnem viventes, Stoici secundùm animam, 753. c. Christiani quidam moribus Epicurei, 714. c

Epiphania, manifestatio Christi, 910. f. &c. de qua festivitas meritò instituta, 916. f. &c. Epiphaniæ diem cum catholicis celebrare numquam Donatistæ voluerunt, 915. c

Episcopus unde dictus, 507. d. Sarcinæ episcopalis pondus, 849. c. 1308. e. 1311. a. 1484. b. Cura de aliorum salute quanta imposita episcopo, 1309. b. Episcopalis officii partes, 1312. b. Pupillorum tutores episcopi, 840. c. Ipsis incumbit necessitas recipiendi hospites, 1381. a. Episcopus pius rem habere cogitur cum sæcularibus potestatibus, 1231. e. Episcopatûs officium cuique patri-familiâs impositum, 507. d

Episcopatûs societas Donatistis oblata, 1397. d. 1402. c

Episcopalia Gesta, 1387. a

Episcopi domus, 1380. c. 1381. b

Epithema tumoris Apostolo datum, 736. f

Epulæ terræ hujus medicamenta quotidiana sunt, 424. d. Epulæ Dei mentes quærunt, non ventres, 508. c

Eraclius Diaconus, 1387. a

Eraclius presbyter sermonem habens præsente Augustino, 1521. f

Eremus Christiano est hic mundus, 14. f. Eremus conscientiæ, 263. d

Eroganda pecunia, ut habeatur justitia, 353. b

Erogare, servi est; Domini, rationem exigere, 1310. b

Errantes per totam faciem terræ, 234. d. Humanum est errare, diabolicum est per animositatem in errore remanere, 796. e. Errans disputator in quibus ferendus, 1194 a

Erubescere de Christo crucifixo, 1132. b. *V.* Christus.

Esaü Judæorum symbolum, Jacob Christianorum, 30. f. *& seq.* Esaü pilosus & Jacob lenis duo sunt Christianorum genera in utero Ecclesiæ genita, 17. e. 24. b. Esaü carnales, Jacob spiritales figurat, 11. g. 14. a. Esaü carnales significans cur major dictus, 14. a. Esaü quomodo supplantatus à Jacob, 23. b. e. Esaü non propter offam suillam, sed propter lenticulam defricatam perdidit primogenita, 925. a. Benedictiones Esaü & Jacob, 15. f. *& seq.* 31. a. *&c.*

Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur, 40. d. Ea quæ mutantur, propriè non sunt, 35. f. *Esse*, nomen est incommutabilitatis, 40. d. nomen est Dei proprium, 35. e. f. 40. d

Esurientes justitiam, 312. b

Eva prima parens, 1272. f

Evangelium Latinè bonus nuntius vel bona annuntiatio, 221. f. 390. d. 651. a. Evangelium, lex Testamenti novi, 133. a. os Christi, 453. c. Evangelium & instrumentum est & testamentum, 1270. b. Dissonantia Evangeliorum nulla esse securè creditur, donec intelligatur, 285. d. Evangelii fides toto orbe recepta, 284. f. Impletum nunc quod in Evangelio prædicebatur, 359. a. In Evangelio etiam nunc nobiscum est Dominus, 690. b. Evangelium per occasionem prædicare, 533. g. Evangelium non sit venale, 227. f. Prædicatores accipiant sustentationem necessitatis à populo; mercedem dispensationis à Domino, 227. f. Christus quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis temporalisque pietatis, 528. a

Evangelistæ salva narrationis veritate variant, 989. d. 1001. a. 1021. e

Eucharistia panis noster quotidianus, 334. a. 339. b. Panis quotidianus; quod fideles accipiunt, 326. e. quod norunt fideles, à tritico & vino, 24. c. Spiritalis alimonia quæ accipitur de altari Dei, 334. a. Salubris refectio de corpore & sanguine Christi, 641. b. Vitale convivium, 1451. b. Mysterium pacis & unitatis nostræ, quod idcirco in pane & vino consecratur, 1104. f. 973 d. 976. d. Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi, 973. c. 1103. f. Non omnis panis; sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi, 988. a. Penè sacramentum omnes corpus ejus dicunt, 1375. d. Cibus & potus Eucharistiæ, 192. d. De mensa Dominica non viles epulas, aut ignobiles potus, sed ipsius occisi Christi carnem prælibamus & sanguinem, 1462. c. Mensa Christi in medio (ecclesiæ) constituta, 645. f. Mensa magna, unde accipimus corpus Christi & sanguinem, 155. f. Mensa constructa in loco sepulturæ Cypriani, in qua sacrificium Deo offertur, 1130. a. b. Christus agnoscitur in fractione panis, 487. e. 983. d. 990. c. 998. d. In Sacramento (Judæi) credentes sanguinem biberunt, quem sæviendo fuderunt, 420. e. 431. g. 469. b. 483. f. 1363 f. 1483. a

Eucharistiæ perceptionem cur præcedit oratio Dominica, 96. g. Ad pignus Christi quotidie dicis, Amen, 1299. a. Mysterium vestrum accipitis; ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis, 1104. c. Ad mensam Domini accedentes, ibi respondent verba fidei, 113. a. Hi fideles vocantur, 112. g. Mensam illam Catechumeni & Audientes vident, sed ad epulas non accedunt, 645. g. Fideles, ii quibus Christi corpus erogatur, 569. c. Cœnam manibus suis consecratam discipulis dedit Christus: & nos ipsam cœnam fide quotidie manducamus, 565. g. quotidie accipere debent fideles, 973. c. Norunt fideles quid accipiunt, quia per carnem benedicuntur, 33. e. Altaris sacramenta simul accipiunt boni & mali, 510. c. Ad hoc altare in ecclesia positum multi scelerati possunt accedere: ad altare aliud in cælis non possunt, 1357. b. Separatio à sacramento cælestis panis per Ecclesiasticam disciplinam pænitenti humiliter amplectenda, 1356. g. *& seq.* Castitatem quicumque non servant, non accedant ad carnem & sanguinem Domini, 647. d. Nosti quò accedis, quid manduces, quid bibas; immo quem manduces, quem bibas; abstine te à fornicationibus, 58. e. Non perseverantes in vita bona separantur ab illo pane, 339. c. 344. d. Corporis Christi sacramentum qui accipiunt, non omnes habituri sunt apud eum etiam locum promissum membris ejus, 1375. d. Modus quidam manducandi carnem Christi proprius piorum, 391. g. Virtus quæ in Eucharistia intelligitur ipsa unitas est, ut redacti in corpus Christi, effecti membra ejus, simus quod accipimus, 334. b. Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita, 641. c. Tunc vita unicuique erit corpus & sanguis Christi; si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur, 641. c. Infantes mensæ Domini participes fiunt, ut habeant in se vitam, 834. a. Sacramentum carnis & sanguinis Christi primum ipsum manibus ejus confectum Judas cum ceteris discipulis manducavit & bibit, 391. g. Israëlitarum cibus spiritalis quomodo idem ac noster, 1364. g. *& seq.*

Eulogius diaconus martyr, 1105. a. 1106. a

Eunomiani, 387. a. 876. a. in Oriente, non in Africa, 234. f

Eunuchus Candacis reginæ accepit Spiritumsanctū sine hominū ministerio, 526. d. 1087. a

Evodius apud Uzalim episcopus, 1278 g

Exaltare Deum, est altum confiteri, 1478. g

Exaudit quosdam Deus iratus, non exaudit quosdam propitius, 115. a. *& seq.* Petentem nugatoria propitius Deus non exaudit ut det, sed exaudit ut sanet non dando, 165. b. Si non dedit, scias quia prodest tibi quia non dat pater bonus, *ibid.* f Deus prævenit desideria nostra, 428. g. Qui vult audiri à Deo, priùs audiat Deum, 95. f. Hominum etiam peccatorum orationes exaudiri, 658. b. 660. f

Excellentia tria, 1398. f

Exclamatio auditorum, 12. g

Excommunicatio nonnisi legitima potestate & cum judicio facienda, 794. g. *& seq.* 1360. c. d.

Excommunicatione prudenter quandoque abstinendum, ne flagello pejor fiat qui cæditur, 95. d. maximè dum Ecclesiæ perturbatio & disruptio timetur, 26. e. Incontinentes excommunicantur, 959. a

Excusatio peccati iniqua est, & à diabolo suggeritur, 107. g. 149. f

Exemplum bonæ imitationis qui proponit, misericordiam præstat majorem, quàm qui porrigit reficiendi corporis alimentum, 707. f. Qui imitantur malos, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regnum cælorum, 666. d

Exorcismus adjurato Christi nomine, 956. a. 973. c. 976. c

Expompari, 224. a

Exsul nusquam Christianus, 1247 f

F

Facultates dictæ divitiæ, 1054. b. non sunt nisi infirmitatis argumenta, *ibid.* & 424. c

Falli & mentiri quo differunt, 124. b. 649. c. Mentiri pejus est quàm falli, 648. g. Falli vult nemo, 870. f. 1243. a Falli quantum oderit anima naturaliter, 716. d. Hîc regio falsitatis, 860. f. Falsitas crimen capitale, 1300. e

Famæ bonæ cura habenda, 1326. c. 1380. b

Fames cordis, 218. d

Farinæ tria sata, 562. e

Fatum ex siderum dispositione fictitium, 891. f. 909. g. 910. a

Fausti basilica, 564. a. 1065. c

Faustinus diaconus, 1386. d

Febres animæ, 55. g

Febris lectum non formidat argenteum, non timet pompam divitis, non timet jacula bellatoris, 1115. f

Felicitas mulier Martyr, 1134. a. *& seq.*

Felicitas in futuro sæculo qualis speranda, 12. a. 13. g. 104. e. 1225. c. Carnalis cogitatio de de futura felicitate, 1053. d. Dei cultum vilissimo pretio addicit, qui pro illo terrenam felicitatem quærit, 104. d. e. In eos qui felicitatem in hac vitâ esse censent, ac de alterâ vita dubitant, 1223. a

Felicitas cælestis cum terrena comparatur, 105. b. Contemnenda felicitas terrena, 165. f. 166. e. 167. c. *& seq* 947. f. Non est promissa Christiano, 1200. f. 1201. b. Non ponenda felicitas in temporalibus, 164. e. Felicitas hîc non quærenda, 103. e. Mundi felicitas piis non honos, sed onus, 1225. e. Felicitas perpetua habetur à bonis in dextera, temporalis in sinistra, 165. f. 166. a. Felicitas & infelicitas hujus mundi piis & impiis communis, 98. e. Felicitas impiorum nonnullis scandalum, 96. b. 103. g. 133. e. 165. a. 1031. f. De sæculari felicitate impiorum ne perturbentur pii, 1224. f. Non recti corde, qui de malorum felicitate scandalizantur, 268. f. Impiorum felicitas magna ira Dei, 1202. d. In eos qui felicitatem carnalem petentes exaudiri sibi non videntur, 115. a. Felicitatibus terrenis amaritudines miscet Deus, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax,

544. c. Magnæ felicitatis eſt à felicitate non vinci, 418. f
Feminæ de hoſte victrices, 1138. d. Per feminam venenum, per feminam ſalus, 284. d. *V.* Mulier.
Feriati dies, 1064. b
Feſta quædam celebrata cum lætitia convivantium in publicis menſis, 128. f
Feſti quidam dies paganorum, 1416. b
Feſtivitates Martyrum ad hoc inſtitutæ, ut eos admoneamur imitari, 27. f. 1145. b. 1197. d. 1208. c. 1250. f. 1280. d. Honorare & non imitari, nihil eſt aliud quàm mendaciter adulari, 1280. c. Carnalis feſtorum celebratio, 1044. d
Fetalia, 897. d
FIDENTIUS epiſcopus, 1281. a
Ficus ſterilis per triennium, 483. b. 484. f. 559. f
Fides appellata eſt ab eo quia fit quod dicitur, 272. a. Fides alia vulgaris, alia ſuperior, à qua fideles vocantur, 112. g. *& ſeq.* Fides auro præferenda, 178. f. Ab omnibus diligitur, 112. g. In ſervo honoratur, 113. c. Fidem laudant & exhiberi ſibi volunt etiam qui eam exhibere Deo nolunt, 60. b. Non deneganda Deo fides, quæ exigitur à ſervo, 59. g. 113. d. &c. 179. a. Fides amico in ejus paupertate ſervanda eſt, 204. c. Chriſtus proximus, cui ſervanda fides, 208. f
Fides & tunica eſt & lorica, 343. c. Fides eſt ſperantium ſubſtantia, convictio rerum quæ non videntur, 614. a. Fides eſt credere quod nondum vides, cujus fidei merces eſt videre quod credis, 211. b. Ubi humana ratio deficit, fides proficit, 892. c. Fides debet præcedere intellectum, ut ſit intellectus fidei præmium, 677. c. 213. f. 590. d. 613. c. Quomodo & credendum quod intelligatur, & intelligendum quod credatur, 214. c. Fides, primogenita cordis noſtri, 46. a. primum præceptum & initium religionis, 195. d. initium ſalutis, 805. g. initium vitæ bonæ, 211. b. Nemo bene operatur, niſi fides præceſſerit, 46. a. Fides non ex bonis operibus, ſed bona opera ex fide, 10. a. Fides donum Dei, 211. c. 641. c. g. 805. c. 806. b. 807. a. 808. d. 878. e. quod denegatur ſuperbis, 376. f. Fides non eſt ſuperborum, 575. d. 771. f. Fides carnalis, 12. a
Fides catholica teſtimonio lectionis collecta & Apoſtolica veritate fundata, 302. g. Regula fidei, ſymbolum, 885. d. 1420. e. Fides catholiciſſima, 1191. b. Fidei catholicæ encomium, 1486. f
Fides poteſt haberi ſine caritate, non caritas ſine fide, 493, a. Fides Chriſtianorum diſcernenda à fide dæmonum, 315. c. 763. c. 805. e. f. 988. c. Fides laudabilis, fides fidelium, ipſa eſt vera gratiæ fides quæ per dilectionem operatur, 752. b. 492. f. Fides per dilectionem operatur in corde, etiamſi foras non exit in opere, 10. b. d. Juſtificatio ex fide ſine operibus, 9. e. Juſtitia fidei à Spiritu-ſancto poſt receſſum Chriſti, 692. b. Fidei comites ſpes & caritas, 315. d. Fidei amica ſpes, 205. d
Fides hîc neceſſaria, 194. g. *& ſeq.* Chriſtus nihil prodeſt non credentibus, 1191. g. fides fons orationis, 574. g. Si fides deficit, oratio perit, 574. f. Non orat niſi fides, 807. a. Fide impetratur adjutorium, ut lex impleatur, 751. c. Fide mens purgatur, ut Deum videre valeat, 13. f. 315. a. 471. d. Fides ad viſionem perducit, 74. f. 499. a. Fidei merces & præmium Deus, 105. b. Per fidem ambulamus ad ſpeciem, 1339. d. Tempus fidei & tempus ſpeciei, 195. b
Fides in Chriſtum, 680. c. neceſſaria ad ſalutem, 690. e. 1188. e. Chriſtianæ fidei fundamentum, unus homo per quem ruina, & alius per quem ſtructura, 153. a. Fides Patrum antiquorum in Chriſtum mediatorem eadem ac noſtra, 102. c
Fides magna poſſeſſio, 205. b. Fides plena, 806. c. 1059. d. Fides perfecta vix invenitur in terra, 575. c. De hac intelligendũ dictũ Chriſti Luc. XVIII. *ibid.* Magna fides ſicut granum ſinapis, 424. a. Fides Chriſtianorum præcipua, 711. f. 988. a. 1003. f. Fides præſens, vigilans, oblita, 438. d. Fides in corde, quaſi Chriſtus in navi dormiens, excitanda, 198. c. 1409. d
Fides liberè confitenda, 1132. c. Fidem qui novit defendere, doctior eſt, non fidelior, 1001. d. titubantibus eſt neceſſarius, non credentibus, 1001. e. Fidei noſtræ totus orbis adteſtatur, 1410. c. Signa & indicia divinitus data non deſunt, quibus inducamur ad fidem, 615. c. Fides habet quoddam lumen ſuum in Scripturis, 613. f. Dei voluntas fidem quærit, non quæſtionem, 1271. d. *V.* Credere.
Fidei patres, 977. c
Fideles vocantur accedentes ad menſam Domini, 112. g. *& ſeq.* 569. c. Falſi fideles, 1064. g
Figuræ veteris Teſtamenti quærentem deſiderant, non reprehendentem, 37. b. Scripturarum figuræ rebus verè geſtis inhærent, 8. d. 486. c. 487. a. Figuræ noſtræ ea quæ Iſraëlitis contigerunt, 14. e. 15. c. 1364. c. Veteres figuræ per Chriſtum evacuatæ, 410. f
Filius Dei, manus Dei, 1166. c. Filius Dei ſecundùm hoc dicitur, quòd & Pater eſt, quòd habet de quo ſit, 586. f. Filius Dei ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, æqualis ipſi & coæternus, 622. d. 657. b. 677. g. 679. a. 681. f. 902. c. 1019. b. 1074. g. 1316. f. *& ſeq.* Similitudines nativitatis Filii Dei imperfectæ in creaturis, 585. a. 587. a. Prophetia de Chriſto paſtore, docens ipſum eſſe unum cum Deo, 260. a. Unum ſe eſſe cum Patre nemo præter Chriſtum dicere auſit, 681. d. Filius Dei in ſe non minor per incarnationem, 1076. e. Filius inviſibilis æquè ac Deus Pater, quando voluit apparuit, non ut eſt, ſed ut voluit, 38. f. *& ſeq.* Opera Patris & Filii eadem, 617. e. 656. f. 657. g. Quomodo Filius faciat quæ viderit Patrem facientem, 616. b Filii ſolius eſt nativitas ex virgine, ſed facta eſt à Patre & Filio, ſicut paſſio ejus & reſurrectio, 304. f. *& ſeq.* 941. b. Quidam dicentes, Qui filius eſt hominis, factus eſt Filius Dei; qui verò Filius eſt Dei, non eſt factus filius hominis, 885. b. Filius Dei factus eſt filius hominis; ut filii hominum fierent filii Dei, 597. b. Filius Dei fratres ſuos nos eſſe voluit, 331. f
Filii Dei ſunt multi gratiâ, unicus naturâ, 677. d. Filii Dei homines per gratiam, 437. c. 607. b. 681. c. Poteſtas data ut efficiamur filii Dei, 1322. e. Filios hominum filios Dei fieri minus eſt, quàm Filium Dei factum eſſe filium hominis, 592. e. 1322 f
Filios fidei Abrahæ facit qui promiſit, 805. b
Filius junior Evangelicus, 1289. c
Filii adoptionis, filii naturales & filii conjugales, 296. e. f. Filii proprio quodam modo apud Judæos, 298. c. Filiorum in parentes pietas non ſit venalis, 219. f. Filii defuncti partem fratribus ſuperſtitibus dividens parricidia docet, 460. d. Filium plorantem pater non levat in equum, 115. b 432. f. nec ei dat gladium, 432. f. *V.* Parentes.
Fimbriæ tactus, 1132. a
Fingitur quodam modo, quod figuratè dicitur, 487. b
Finis conſumtionis, & finis perfectionis, 312. f.
Firmitatis Chriſtianæ eſt, non ſolùm operari quæ bona ſunt, ſed & tolerare quæ mala ſunt, 231. f. Nemo erit à Deo firmus, niſi qui ſe à ſe ipſo ſentit infirmum, 417. d
Flagellatus quidam per viſum, 1247. a
Flagellum Dei admonitio noſtra eſt, 117. g. Deus in eo quòd præſtat & quòd caſtigat laudandus, 103. d. Rectus corde eſt qui laudat flagellum patris, 114. f. Deus diligit & flagellat, 29. c. Pater & quando ferit amat, 82. d. Cur mundus tam acriter flagellatur, 406. f. Magnæ miſericordiæ eſt nequitiam impunitam non relinquere, 826. c. Deus iraſcitur quando non punit, 1439. d. Ferendum flagellum Dei domitoris, 321. f. Quam in ſpem hîc domamur, 322. b. Melius eſt ut flagellet te & recipiat te, quàm parcat tibi & deſerat te, 322. d. Si exceptus eris à paſſione flagellorum, exceptus eris à numero filiorum, 230. e. Tu noli dimittere corripientem & hortantem, terrentem & conſolantem, percutientem & ſanantem, 231. d
Fletus, & riſus, 835. f. *V.* Lacrymæ.
Florentia baſilica, 1405. b. c
Fluvius in bono & in malo ſignificatu in Scripturis, 160. g. *& ſeq.*
Fœnus pium, & fœnus iniquum, 457, a. Eleemoſyna pium fœnus Deo, 197. f. 999. c. 1063. c. 1395. a. Fœnus trajectitium facere quid ſit, 210. b. c
Folles centum, folles mille, 219. d. 1499. c
Forma quædam non formata & infabricata Verbum Dei, forma ſine tempore & loco, 581. e. 582. a
Formicæ cor habere juvat, 196. d
Fornicatio crimen injurioſum Deo, 58. e. *& ſeq.* 59. a. 774. f. Hoc vitio corrumpitur in homine imago & templum Dei, 59. c. f. 1125. g. fit injuria gratiæ ipſius, *ibid.* g. Parce in te Chriſto, agnoſce in te Chriſtum, 775. a. Participatio corporis & ſanguinis Chriſti debet à fornicatione deterrere, 58. c. Fornicatio excludit à regno Dei, 775. f. 1293. e. Cur ſola fornicatio dicitur peccatum in corpus proprium, 782. f. Generis humani in fornicationibus & adulteriis committendis quanta perverſitas, 57. d
Fornicatio generalis, quâ non adhæretur Deo, 685. c. 783. d. Omnis anima quæ deſerta æternitate veritatis, terrenis ſordibus delectatur, fornicatur à Domino, 65. b. Fornicatio cordis in omnibus fuit, in paucis carne, in omnibus corde, 941. e. Animæ adulteræ & fornicariæ quò differunt, 68. a. Fornicatio & adulterium animæ colentis dæmonia, 50. a
Fortis perversè, & fortis verè, 1341. f. 1343. f. malè fortis, 256. g. *& ſeq.*
Fractio panis, 983. d. 987. g. 998. d. *V.* Euchariſtia.
Framea Dei, Eccleſia, 1259. d. anima juſti, 1259. e
Frons interior, & frons exterior, 552. d
FRUCTUOSUS epiſcopus Martyr, 1105. a
Frui & uti, 846. e
Fugiendi exemplum præbuit Chriſtus, 652. b
Fundamentum noſtrum ſurſum, non deorſum, 1306. c. Fundamentum noſtrum eſt Chriſtus, ſi primum in corde locum obtineat, 1421 d
Funeris pompa, 535. b. Vivorum ſunt qualiacumque ſolatia, non adjutoria mortuorum, 827. e
Furtum prohibitum, 44. d. Nemo habet injuſtum lucrum ſine juſto damno, 44. d
Fuſum inter & colum diſcrimen allegoricè explicatur, 186. d

G

GABBARÆ, 1411. g
GAIUS, LUCIUS, pro quolibet, 210. d
GALERIUS Maximus decretum ex libello recitat in Cyprianum, 1249. c
GALLI Romam incendunt, remanente ſolo colle Capitolino, 1201. a
Gallina evangelica, 546. c. 1074. c. 1084. b
GARUS, 1396. f
Gaudium ſit in Domino, non in ſæculo, 824. d. Sæculi lætitia, eſt impunita nequitia, 826. b. Gaudium carnale de mentis ægritudine venit, 1053. f. Nec modò ſine gaudio ſumus, 759. e. Gaudium plenum quando, 110. d
Gehennæ ignis quàm timendus, 1421. f
Gemmæ, non arcæ, ſed conſcientiæ, 114. f
Generationes Domini ter quatuordecim apud Matth. inveniuntur, Jechonia bis numerato, 288. e. Cur Jechonias bis numeretur, 288. g. *V.* Chriſtus.
Gentes quare canes, 422. f. 596. e. & lapides, 596. b. Evangelium Gentibus tranſmiſſum, 531. b. Judæis ob ſuperbiam rejectis, Gentes propter humilitatem in eorum locum ſuffectæ, 423. f. 425. a. Gentium omnium ſalus & receptio intra Eccleſiam figurata, 706. c. 917. d. Gentium major laus quàm Judæorum, 421. b. Gentibus miſceri & ab his ſegregari, 907. b. Contra Gentiles, 1001 a. 1003. e. 1008. e
GERVASIUS & Protaſius Martyres, 1148. e. Ipſorum detectio miraculis illuſtrata, 1150. a. 1271 d
Geſta Eccleſiaſtica, 1383. e. Epiſcopalia, 1387. a. publica, 1402. c
Giddaba mons, 222. g
Gladius datus Eſaü, non autem ipſi Jacob, 25. g. *& ſeq.*
Gladiatorio animo ſeſe libidinibus ſatiandis addicere, 108. d
Gloria Dei in hominum gratuita juſtificatione, 884. b. Gloria Dei, gloria noſtra eſt, & nobis prodeſt, 1478. f
Glorietur homo in Domino, non in ſua juſtitia, 770. b. Qui gloriatur in ſe, in inſipiente gloriatur, 770. d
Glorificare Deum, & gratias agere idem, 379. e
GOLIAS quis fuerit, 159. c. Ejus monomachia cum David, 159. e
Gotthi pagani Romam oppugnantes vincuntur, 547. b. Gotthi hæretici expugnant, 547. c
Grammaticorum cenſuram concionator non timeat, dum omnes inſtruat, 187. b. 1213. d
Granum morte multiplicatum, 1236. f
Gratia vocatur, quia gratis datur, 142. c. Si aliquid meritorum antevenit, jam non gra-

tìs datur, ſed èx debito redditur, 141. c. Gratia nomine lactis ſignificata, 133. d. 161. c. d. medicina eſt, 751. a. Pluvia eſt in humiles redundans, 642. b. Gratia alia communis omnium, quæ eſt creationis; alia propria Chriſtianorum, quæ eſt electionis & liberationis per Chriſtum, 137. g. *& ſeq.* Gratiâ creationis conditus eſt qui nihil boni merebatur, gratiâ electionis ſalvatus eſt qui multum mali merebatur, 141. d. Communis eſt omnibus natura, non gratia, 137. g. Natura non putetur gratia, niſi quia & ipſa gratìs conceſſa eſt, 137. g. 141. c. hæc verò communis eſt Chriſtianis & Paganis, 138. f. 139. f. Gratia propriè eſt qua facti ſumus oves & fideles, 138. d. f. Gratia liberatrix, 831. b. Gratia medicinalis, 750. c. Gratia præveniens & ſubſequens, 832. g. 841. f. 1451. c. Ut diligeremus dilecti ſumus, 833. b. Amatus es priùs, ut dignus fieres qui amareris, 687. c. Gratia parvulis & majoribus ſubveniens, 801. b. Vocati & prædeſtinati ſumus gratìs, 762. a

Gratia in vetere Teſtamento occulta, in novo revelata, 133. d. 644. f. Gratiam inter & legem quid interſit, 697. a. Gratia Chriſti præter naturam & legem neceſſaria admitti debet, 139. f. Neceſſaria eſt gratia Dei ut ſurgamus à peccato, & ut ſtemus in bono, 747. g. *& ſeq.* Niſi ille regat, cadis; niſi ille erigat, jaces, 754. f. Gratia juſtificato, ut in via juſta ambulet, neceſſaria, 642. c. Iniquitatis in hominem dominatus ante gratiam, 150. g. Non potuiſti in te, niſi perdere te; nec ſcis invenire te, niſi ille qui fecit te, quærat te, 79. g. Gratia neceſſaria ad implendam legem, 47. b. 789. f. c. *& ſeq.* 1028. b. 1029. f. 1033. f. 1037. a. & ad ſuperandas tentationes, 153. d. ad explicanda myſteria fidei, 303. b. Lex ſine gratia littera eſt occidens, 1099. a. Hominis præſumtio per legem, captivitas per gratiam tollitur, 698. g. Ipſe Deus dat vires, ut quod jubet, impleri poſſit, 162. a. Gratia non tantùm ut faciliùs, ſed omnino ut facere poſſis neceſſaria, 755. c. Quis idoneus eſt velle & poſſe, niſi inſpirando adjuvet ut poſſimus, qui vocando præſtitit ut velimus? 898. c. Nihil boni ſine adjutorio Dei, 755. c. Homo non de ſuo, ſed de gratia Dei bonus, 560. c. A Deo habet homo, & quod homo eſt & quod juſtus eſt, 78. f. 769. e. Juſtitia nobis vera non eſt niſi ex gratia, 814. c. Et fides & oratio ex Dei gratia, 807. a. 641. g. Nihil nobis arrogemus, ne & quod accepimus perdamus, 142. g. 153. f. Ambulans in via juſta, ſi id ſibi tribuat, perit de via juſta, 642. a. g. Libertas ſine gratia qualis, 755. d. A lege peccati nemo liber niſi per gratiam, 742. f. Timor ſub lege, ſpes ſub gratia, 696. g

Gratiæ beneficia, 789. e. 841. f. recenſentur quatuor, remiſſio peccatorum, 643. g. curatio languoris poſt baptiſmum remanentis, 643. g. redemtio ab omni corruptione, & concupiſcentia, 644. a. & poſtremò corona juſtitiæ, 644. c. Gratia & liberat à peccato, & litteram donat impleri, 1098. g. Liberat à diabolo, 385. b. Gratia homines Dei filios facit, 607 b. Ex Dei gratia & debitores efficimur, & redditores, 1211. f

Gratiæ violentia ſuavis, 641. e

Gratiæ & liberi arbitrii concurſus, 797. b. Sic Deus operatur in nobis, ut & nos operemur, 79. e. Agis & ageris, & tunc bene agis, ſi à bono agaris, 755 a. 630. g. Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te, 815. c. Quod fit à te, ipſe Deus facit in te, 325. c. Qui promittit, quod facit promittit, non quod tu facis, 790. a

Gratiæ munera ex profundo Dei judicio dantur, 146. a. 146. c. Ad gratiam alius ex duobus parvulis pervenit, alius non, 141 f. 142. e. Gratia cur alii detur, alii non detur, 799 b. Profundum eſt inſcrutabile, 801 c. Volentes diſputare de Dei profundo, merſi ſunt in profundum, & inde error de animarum peccato ante corpus, 799. f. Prædicato Chriſto crucifixo unus auditus contemnit, alter adſcendit: qui contemnit, imputet ſibi; qui adſcendit, non arroget ſibi, 641 g. In Deo, qui cujus vult miſeretur, nulla iniquitas, 143. f. Cur Deus cujus vult miſeretur, capere homo non poteſt, 144 b. Æquitas Dei cujus vult miſerentis credatur nunc, donec poſtea videatur, 145. b. In myſterio gratiæ & electionis, melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia, 144. b

Gratia in Chriſto maximè elucet, 376. c. 831. c. & in latrone, 376. c. in Petro, 416. d. *& ſeq.* in Paulo, 1123. d. cui gratia data infideli & perſecutori crudeli, 806. d. Gratia Dei prædicanda in feſtis Martyrum, 1138. g

Gratiæ adverſarius in Chriſtum injurioſus, 814. d. Naturæ falſus defenſor medico ingratus, 152. g. Sub jugo eſt iniquitatis, 153. e. Refutatur experimento propriæ infirmitatis, 151. f. Ex orationibus Eccleſiæ, 153. g. Qui ſani ſibi videntur, inſaniunt in medicum, 833. d. Gratiæ Dei cognitio & gratitudo quàm neceſſaria, 1149. d. e. f. Melior eſt incomparabiliter gratias agens de parvo, quàm ſe extollens de magno, 1139. g

Gratiarum actio ab omnibus debita medico, 839. f

GRATIANI baſilica, 749. c

Gregis Dei ſecuritas, 249. b

GUDDENTIS Martyris natale, 1183. a

Gubernat Deus ſine labore quæ fecit, 608. e

H

HABITACULUM Deo per opera bona efficimur, 1306. f

Hæmorroiſſa quid figuret, 421 d. g. 422. b

Hæreſes & ſchiſmata per carnales contingunt, 25. e. Hæreſes & ſchiſmata Eccleſiæ ſtercora, 28. c. ſarmenta præciſa, *ibid.* & 30. e. 234. e

Hæretici in Iſmaële altero Abrahæ filio figurati, 10. g. in ſodale Samſonis uxorem ducente, 1443. d. ac in vulpibus ignem in caudis trahentibus, 1443. f. Hæretici extra Eccleſiam ſunt, 245. e. 867. d. 1034. e. In eis eſſe poſſunt Sacramenta formam pietatis exhibentia, virtus verò pietatis inviſibilis & ſpiritalis in eis eſſe non poteſt, 400. e. f. Ex eodem ſemine cum catholicis nati, ſed ab hereditate propter ſuperbiam excluſi, 11. a. Hæreticos una mater ſuperbia omnes genuit, 234. e. Ipſis litigantibus & conviciantibus exhibenda manſuetudo, 1593. d. Contra eos, non jurgiis, ſed magis apud Deum precibus agendum eſt, 1393. g. Hæreticus adjutor & filius diaboli, 240. b. Utilitas hæreticorum, 288. a. Ex hæreſi etiam poſt relapſum redeuntes benignè recipiendi, 1103. a

Halleluia, quod eſt, Laudate Deum, 612. a. 1016. a. 1048. g. 1054. d. 1056. c. 1436. b. per quinquaginta dies poſt Paſcha ex antiqua traditione cantatur ab Eccleſia, 951. a. 1042. b. In cælo cibus noſter Halleluia, potus Halleluia, actio quietis Halleluia, totum gaudium erit Halleluia, 1042. d. 1050. d. Modò nobis Halleluia canticum eſt viatoris, 1050. e. Tunc erit in re, modò autem in ſpe: modò cantat amor eſuriens, tunc cantabit amor fruens, 1052. e

Hebræa & Punica lingua ſignificationis quadam vicinitate ſibi ſociantur, 568. f

Hecates anima mundi, 1007. d

HERCULES, 130. b. 1106. c. 1107. f. dictus Deus fortitudinis, 132. d. Romæ ſublatus, 132. c. Herculis idolum cum ſuo titulo, 130. b. cum barba deaurata apud Carthaginem, quæ ibidem raſa eſt, 132. c. Herculis ſpiritus, 386. a

Hereditas nobis promiſſa, & in Chriſto capite jam exhibita, 121. e. 757. e. Hereditas Dei ſumus & Deus noſtra, 1401. f. 701. a

Hereditatis diviſio ad majorem fratrem, ad minorem pertinet electio, 1386. b. Concupiſcens res alienas habere, velut hereditatis jure, peccat, 45. e. Hereditatem cujuſquam, exheredatis filiis, non ſuſcipit Auguſtinus, 1382. b

HERODIS metus & ſævitia, 911. b. 1464. c

HERODES in anguſtiis aut perjurii aut cruenti facinoris admittendi, 1245. d

Hipponenſis diaconus, 1386. g

Hiſtrio, 490. g. 908. d. 1292. e

Hœdi duo, populi duo, 19. d. Hœdi ante judicium non ſeparandi, 250. e. 256. a

Homicidii prohibitio, 44. c. Homicidium eſt hominem etiam damnatum inordinatè ferire, 1230. e

Homo, magnum miraculum, 614. g. Nummus Dei eſt, 55. e. Ipſius ad Deum ſimilitudo, 130. a. Homo, pellis morticina, ſanies fœtida, 1235. f. Homo animal rationale factum de terra, 1396. f. Collata ei beneficia, eſſe, vivere, ſentire &c. 211. e. Omni pecore melior eſt & malus homo, 1051. e. Ut nonnulli aſſerunt, diebus quadraginta formatur in utero, 920. c. Nihil eſt in homine quod ad ejus ſubſtantiam pertineat atque naturam, præter corpus & animam, 713. g

Homo primus creatus in natura ſine culpa & vitio, 137. c. ſine concupiſcentia & pugna carnis & ſpiritûs, 630. b. Rectus à Deo conditus, arbitrio ſuo factus eſt malus, 352. c. Magnas arbitrii liberi vires homo, cùm conderetur, accepit; ſed peccando amiſit, 643. c. Per malum velle perdidit bonum poſſe, 151. f. Noluit ſtare ad Dominum, cecidit, fractus eſt, quomodo vas de manu hominis cadens, 630. c. Hominis primi caſus, 137. c. cur à Deo permiſſus, *ibid.* d. Homo prævaricator amiſſa beatitudine in miſeriam projectus, 170. c. Facti ſumus manibus Veritatis, ſed propter peccatum projecti in dies vanitatis, 346. a. Hominis lapſi figura in eo qui deſcendit ab Jeruſalem in Jericho, 643. c. 1448. f

Homines ab uno omnes, 492. b. 1092. c. Omnes unus fuerunt; 800. b. Homo vetus & homo novus, 54. d. 802. b. 1469. b. Homines cur objurgantur quòd ſint homines, 437. c. 801. g. Homo ad deitatem vocatus eſt, non naturâ, ſed dono & adoptione, 802. f. Homines & filii hominum unde diſtincti, 126. b. 985. d. 1051. e. Homines fient Angeli, 225. a. 1175. b. Homines filii Dei, 437. c

Hominis dignitas ex Dei in ipſum dignatione, 1461. c. Homine ſine Deo nihil vilius, 1343. e. ut multum, oculus eſt ſine lumine, 377. b. Qualis homo eſt, tales actus habet; 1173 d

Homo & peccator, 101. c. 274. b. 494. a. Proprium hominis nihil niſi peccatum & mendacium, 162. d. 842. c. Homo deleat quod fecit, & placebit ei qui eum fecit, 513. d. Hominum ſunt duo mala, iniquitas & mortalitas, 825. f. una eſt culpa, alterâ eſt pœna, *ibid.* Hominis omne malum, error & infirmitas 873. c. Homo qualis ſit, tunc cùm loquitur, fortè ſcit; qualis craſtino futurus ſit, quis ſcit? 702. d

Honor, temporis fumus, 104. f. Honor te debet quærere, non tu ipſum, 199. f. Honores Eccleſiaſtici, 497. d. Honor proprius contemnatur, ut Eccleſiæ unitas ſervetur, 69. a

Honoriana baſilica, 785. b

Horâ quintâ ad menſam acceditur, 1337. e

Horrearius Dominicus, 816. b

Hoſpitalitas commendatur, 440. a. 563. c. 855. e. 990. e. 992. e. 998. e. 1395. a

Humanum genus, grandis ægrotus, 468. d. Ipſum Deus viſitavit tribus temporibus, 405. a. Duobus ſuſtentaculis conſtat genus humanum, 294. e

Humanus affectus exemplo Chriſti vincendus, 1330. c

Humilitas, ſancta infantia, 1373. e. Per convallem ſignificatur, 1341. a. Commendatur in Chananæa, 419. b. 423. a. & in Centurione, 1322. c. Fundamentum eſt ædificii ſpiritalis, 380. f. Doctrina Chriſtiana, humilitatis præceptum, 773. a. Humilitas penè una diſciplina Chriſtiana eſt, 1353. d. Humilitas medicamentum contra tumorem, 687. a

Humilitas à Verbo incarnato diſcenda, 589. b. Humilitas Chriſti ab incarnationis initio uſque ad crucem, 86. d. Salus noſtra in Chriſto, humilitas Chriſti eſt, 1147. b. Tantum te preſſit humana ſuperbia, ut te non poſſet niſi humilitas ſublevare divina, 889. d. Humilitatis Chriſti exemplum ſuperbiæ medicamentum, 1235. e. f. Via ad patriam Chriſtus humilis, 602. a. Chriſtus magiſter humilitatis, 154. d. à ſe vult, non mirabilia facere, ſed humiles eſſe diſcamus, 380. f. 688. b. Humilitas Chriſti per ſuperbiam non reſpuenda, 601. b. 604. b

Humilitas ſectanda, 302. c. *& ſeq.* 1373 c. Deo excelſo humilitate propinquatur, 111. a. 1350. g. Humiles Deus exaltat, 1132. a. Omnes delectat celſitudo, ſed humilitas gradus eſt, 512. e. 589. c. Humilitate victoria obtinetur, 789. b. Melior eſt peccator humilis, quàm juſtus ſuperbus, 822. c. Melior eſt incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quàm ſe extollens de magno, 1139. g. Quod imperat humilis, amittit ſuperbus, 79. d. Inordinatè humilis, 79. c Mendacium ſpecie humilitatis peccatum eſt, 868. a. *V.* Superbia.

Hydrops avari concupiſcentia, 352. f. 845. c

Hyems & æſtas noſtra quæ, 176. g. *& ſeq.*

Hypogæa, 223. a

I

JACOB, ſupplantator, 23. b. 598. f. idem qui poſtea dictus Iſraël, 18. b. De duplici ejus nomine, 598. f. Jacob Chriſtianorum

figura, ut Esaü Judæorum, 30. f. & seq Esaü. carnales, Jacob spiritales figurat, 11. g. 14. a. Benedictiones datæ Jacob & Esaü, 31 b 15, f. & seq. 31. a. &c. Jacob, homo sine dolo, 486. d. Quomodo Jacob sine dolo & cum dolo 18. b. A mendacio defenditur, 21. f. Somnium Jacob figura fuit, 598. b. Lucta ejus cum Angelo, 32. c. 598. f. Jacob & benedictus & claudicans quid adumbret, 33. f. 919. d. Jacob benedicens filios, 1129. a

JACOBI & Mariani martyrum natalis, 1140. e

Januariarum Kalendarum sollemnitas, 903. e. 904. a. 906. g

JANUARIUS presbyter proprium contra legem monasterii retinuit, 1381. c. testamentum fecit &c. 1381. e

Ictus oculi, 1429. e

Idola eversa, 118 g. 128. f 131. a. Idola, nisi legitima potestas detur, non frangenda, 364 b. Idololatrarum injustæ querimoniæ, 364. e. Eversis idolis non exinde Romanam cladem accidisse, 546. d. 547. a. Philosophi post Deum cognitum idololatræ, 1005. a. Stultitia colentium idola, 683. f. Frustra dicunt à se non simulacra, sed quod simulacris significatur, coli, 905. d. Idololatria nulla major & superstitiosior quàm Ægyptiorum, 905. b. Eorum figmentis mundus perfusus, *ibid.*

Idolum cordis, 171 e

Idolium. Reprehenduntur in idolio convivantes cum paganis, 359. d. Quidam Majoris alicujus metu recumbentes in idolio, 360. b. Inepta excusatio recumbentium in idolio, 361. d

Jejunia Deo accepta quænam, 922. f. Jejunium cum oratione & eleemosyna, 715. a. b. Oratio jejunantis libera sit à cupiditate & odio, 924. c. Jejunium sine misericordia ei nihil est, qui jejunat, 923. e. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minùs accipit Christianus; 932. c. Voluntaria copiosi inopia, fiat necessaria inopis copia, 932. c. Quod vobis demitis jejunando, eleemosynis addite prærogando, 920, f. 926. f. Jejunium & abstinentia qualis requiritur in Quadrag. 923. e. *V.* Quadragesima.

Jejunium ante sollemnitatem passionis Christi maximè conveniens, 929. g. Quadragenario numero cur institutum, 930. e. Jejunium Christi, ut Moysis & Eliæ, cur XL. dierum, 611. b. 920. d. 1077. c. Jejunia post Pascha per dies L. relaxamus, 927. f. cur, 931. a. Jejunium sollemne post Pentecosten, 1394. f. Quando tentatio infertur, jejunandum, 928. e. Cur gemendum & jejunandum in hac vita, 929 c. Jejunare per nonnullos dies certis de caussis mos Ecclesiæ prohibet, 931. d. Iis exceptis jejunium quotidianum suadetur, 931. d. Jejunare ab isto sæculo, 611. b. 1073. e

Jerosolymitanæ Ecclesiæ fervore mundus accensus, 579. e. f. Jerosolymis ob terræ motum baptizati, 105. d

Jerusalem ad civitatem accedere prohibitum Judæis ab imperatore Romano, 32 a

JESUS, Latinè salvator, 834 c. 1181. e. 1213. d. Jesum dicere verbis & factis, 1095. e

Ignis, Spiritus-sanctus, 393. e. Ignis, tribulatio, 393. e

Ignis æterni pœnam conjunctam esse exclusioni à regno Dei; 776. b. 1184. f

Ignorantiæ confessio gradus est scientiæ, 1223. c

Ignoscendum fratri, 573. b. 934. b. 1370. a. etiam nolenti petere veniam, 935. d. Quoties ignoscendum illi, 448. f. 572. c. Ita ignoscendum, ut non negligatur disciplina, 451. c. *V.* Debita.

Imago Dei duplex, 55. c. Imaginem Dei in nobis deformare potuimus, reformare non possumus, 212. b. Imago Dei veritatem quærit non vanitatem, 494. e

Imitatio Dei, 573. b. Imitatio Martyrum, 1243. e. 1280. d. 1361. b. Honorare & non imitari, nihil est aliud quàm mendaciter adulari, 1280. d. Non parva pars imitationis est meliorum congaudere virtutibus, 1116. d

Immolari est Deo mori, 1211. e

Immortalitas vera, 369. b. 937. c

Immunditia in escis nulla reputatur, sed ab iis abstinetur concupiscentiæ refrenandæ causâ, 924. f 926. g

Immutabilitas solius est Dei, 872. b

Impænitentia peccatum in Spiritum-sanctum irremissibile, 394. a. 401. e. 402. b. Et desperatio & spes caussa impænitentiæ, 108. d

Impio locus hîc inter justos, non in altera vita, 1224. d. *V.* Malus. Sicut magna pietas paucorum est, ita & magna impietas, 381. c

Imprecationes in Psalmis prophetiæ sunt prædicentis, non vota maledicentis, 323. f

Impudicitiæ vitium quàm latè patens, 57. c. Impudicus amor non est amor, 1327. a

Impunitum non potest esse peccatum, 101. f. 107. d. 150. e. Iniquus iniquum vult Deum, ut non peccatum puniat, 55. a. b. Impunitas, maxima Dei vindicta, 826. c. Magnæ misericordiæ est nequitiam impunitam non relinquere, 826. c. Parcendo sævit, sed justè sævit, 826. e

Incantationum remedia illicita, 1273. b. 1470. b

Incarnare, 588. g

Incarnati Verbi mysterium sapientibus mundi absconditum, 881. a. piis aperitur, 496. b. Mundandum cor ut illud intelligatur sacramentum, 497. b. Incarnationis Christi fides hîc omnibus necessaria, 1077. f. *V.* Christus. Verbum.

Indulgentia peccatori se convertenti promissa, non crastinus dies, 109. c. 202. g

Infantes etiam ipsi liberatore egent & baptismo, 1181. c. *V.* Parvuli.

Infantes dicuntur recèns baptismo renati, 966. e. 972. g. 973. b. 1064. f. Octavæ Infantium, 1064. e

Inferni portæ, mortis imperium, 1444. f

Infidelitas mundi inexcusabilis, 692. f. Peccatum infidelitatis in Christum cur solum arguitur, 691. a. 693. c

Infirmus & ægrotus in quo differant, 231. c. Infirmitas triginta octo annorum, 609. e. Infirmitatis propriæ cognitio necessaria ad gratiam obtinendam, 417. c. Infirmus quomodo confirmandus, 231. a

Inimicus & inimicus, 274. a. Inimicus quem licebat antiquis odisse, & quem jubemur numquam diligere, diabolus est, 709. g. Inimici invisibiles invisibiliter sunt expugnandi, 375. c. Mansuetudo erga inimicos, 1266. g. Inimicos diligendi præceptum durum, sed magnum habens præmium, 90. f. 1269. b. 1482. e. Exemplum de Patre cælesti datum, 275. d. 1269. c. aliud in Christo, 1269. d. 1482. f. & in Stephano, 275. e. 276. b. 1269 f. 1483. b. Eorum dilectio commendatur, 28 f. 328 e. 329. c 493. e. 1242. e. Inimicorum dilectio donum Dei, 1270. d. Inimicis parcendum, 252. b. Saltem petentibus danda est venia, 329. f. Inimicis precari mala quàm iniquum, 1483. f. Inimico veniam negans nihil ipsi nocet, sed sibi, 330. d. Nullo modo tibi potest nocere sæviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum, 328. e. Oratio contra inimicos quænam illicita, quænam licita, 493. e. Inimici mors qualis expetenda, 494. b. Carbones congerendi super inimici caput quinam intelligantur, 710. g. Inimicus sic diligendus, ut tamen corripiatur, 29. a. *V.* Ignoscere. Debita dimittere.

Inimicitiarum remedia, 926. d. Tria vitia, quibus inimicitiæ vivunt, 926. d

Iniqui cum diabolo unum corpus constituunt, unum judicium sortiuntur, 695. g

Injuriam qui fecit, quid agere debeat, 442. c. quid alter qui passus est, 442. d

Innocens quis, 1126. c. Solus Christus innocens, 820. g.

Innocentes Martyrum nomine & coronâ donati, 909. f. 1464. e. 1468. a

Innocentia morum, 1373. a. maximè erga Deum, 1373. e

Intellectus & ratio differunt, 212. a. Intelligere non est nisi verum sentientis, 123. g. Melius est bene vivere, quàm citò intelligere, 1044. e. In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. 1009. a. Intellectus bonus à Spiritu-sancto, 1447. b

Intentio recta, 708. b. g. culpabilis, 708. f

Inventa res domino restituenda, 851. g. 853. b

Invidia, odium felicitatis alienæ, 1373. b. Superbiæ filia est, 689. b. 1373. d. 1376. g. In spiritalibus bonis tuum deputa, quod amas in fratre; suum deputet, quod amat in te, 921. a

JOB ante legem, 434. f. gratis colens Deum, 220. a. 497. a. 1488. f. In pressura non passus scandalum, 434. d. Amissis omnibus delectatur in Deo, 115. e. Job in stercore quàm dives, 1328. e

Jocunditas piorum in Domino etiam in hac vita, 110. b. 114. e. 115. d

Johannes Baptista, non lumen, sed lucerna, 377. c. 1321. b. Præco Domini, 1153. b. Amicus sponsi, 1153. e. In ejus nuptiis paranymphus, 1180. a. Plus quàm propheta, 1153. f. Vox clamantis in deserto, 1154. d. Personam gerens omnium Prophetarum, 1156. f. 1157. e. Johannes quidam limes veteris & novi Testamenti, 1176. c. Ideo de senibus nascitur, & in utero exsultat, 1176. d. Missus est ante Christum ut lucerna ante lumen, 1321. a. Johannes præcursor non sine caussa tam mirabiliter natus, & tam magnus, 1158. b. 1165. e. Ideo tantus homo, quo nemo major, ut Christo se humilians, eum plus quàm hominem esse ostendat, 1160. e. 1163. b. 1166. a. 1177. c. 1179. b. 1472. g. Johannis & Christi in nativitate comparatio, 1152. c. 1175. e. Christi tantùm & Johannis nativitas cur celebretur, non aliorum, 1151. f. 1168. g. In Johannis natali lavacra superstitiosa, 903. f. Ideo quibusdam presbyteri ecclesiasticam disciplinam dederunt, 903. f. Christi & Johannis in die natali & in passione differentia, 897 a. 899. a. 1152. e. 1160. g. 1479. c. Johannes cum peccato natus salvatore indiguit, 1182. c. Testimonium Johannis de Christo & Christi de Johanne, 371. f. 372. b. 1159. b. 1162. b. Cur quæsitum testimonium Johannis de Christo, 627. d. Johannes Christus putatur, 1153. e. 1158. g. 1177. c. Se abjecto Christum commendat, 1153. d. 1160. a. Nolebat crescere hominum verbis, quia comprehenderat Dei Verbum, 372. a. Vox Johannes verbo ipso crescente Christo minuitur, 1157. f. Prætitum illi est hoc quod dicebat, *Ego à te debeo baptizari* 1182. g. Baptismus Johannis à baptismo Christi discernendus, 928. b. Johannes non inter discipulos Domini, sed discipulos habens cum Domino fit ejus testis credibilior, 1169. b. 1179. d. Difficultas an Johannes dubitaverit de Christo, 372. f. & seq. Johannis baptistæ cædes qua occasione facta, 1243. f

JOHANNES Evangelista præ ceteris à Domino dilectus, 1016. e. Quæstio de verbis Domini, quomodo velit manere Johannem donec veniat, solvitur duobus modis, 1046. b. Evangelium Johannis exercet mentes, 682. c

JONAS iram, non misericordiam annuntiavit, 1416. e

Jordanis initium Evangelii, 1396. d. Ad Jordanem cœpit magisterium Christi, 1154. a

JOSEPH viris exemplum pudicitiæ, 1326. f. Ipsius certamen adversùs peccatum, 1272. d. 1400. g

JOSEPH verus maritus Mariæ, 291. a. Custos, immo testis virginalis pudoris, 970. c. Justitia ipsius sincera, non sæva, 287. d. Pater Christi quomodo verè dictus, 291. c. 296. e. Duo patres ipsius Joseph, 297. a 1366. f

JOSUE figura Christi,

JOVI imposita à Virgilio falsitatis persona, 545. e

Ira est libido vindictæ, 340. e. statim evellenda, 341. a. Iram qui non citò pellit ex animo, per illam tamquam per januam aditum præstat diabolo, 925. e. Est lumen verum justitia atque sapientia, quod definit mens videre, perturbatione iracundiæ tamquam nubilo superata, 412. e. Ira, scorpio est, 1266. g. Ira inimica, præter quam ceteri inimici minimè nocent, 1267. a. Quantum illa noceat, 1267. d. Non potest interimi, sed reprimi potest, 1267. f. Per malas suspiciones rigatur & nutritur, 341. a. Inveterata fit odium, 340. f. Aliud ira, aliud odium, 933. c. Ira, festuca: odium, trabes, 274. d. 440. c. Iram inter & odium non minùs interest, quàm inter turbatum oculum & exstinctum, 440. f. Usque adeo non omnis qui irascitur, odit; ut aliquando magis odisse convincatur, si non irascitur, 440. d

Ira Dei ex populi peccatis, 1232. f. Deus irascendo mitis, 132. e

Irasci sibi, 569. d. Irascitur sibi omnis homo quem pænitet, 1102. d

ISAAC historia & vera est & figurativa, 9. a. Deus jubens occidi Isaac à Patre, non nisi impiis displicet, 6. a. In eo Christi immolatio figurata, 102. d. Isaac & Rebecca in benedictione Jacob quid figurabant, 15. e. f. &c. Isaac in dolo Jacob figuram intellexit, 20. e. f

ISMAELIS lusus cum Isaac, persecutio fuit, 10. f

Israeli visio Dei promissa, 600. b

Israelitis quæ contigerunt, figuræ nostræ fuerunt, 1364. e

Jubet Deus dura, sed promittit magna, 90. e. Deus adjuvat quod volumus, si quod jubet fecerimus, 131. d

JUDAS

IN QUINTUM TOMUM.

JUDAS inter apostolos electos non frustra ultimus numeratur, 68. a. Primum sacramentum carnis & sanguinis Christi cum ceteris Apostolis accepit, 391. g. De scelere ejus nostram salutem Deus operatus est, 67. d. 288. b. 945. a. Judam traditorem non tam scelus quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire, 1371. c. Voluntate sua malus, Dei ordinante providentiâ locum suum sortitus, 609. a

Judæi figurati in Cain cum signo, ut eum vagum & profugum nullus occidat, 914. d. Item in Esaü, 30. f. *&c.* in rubo qui igne inhærente non cremabatur, 38. a. in aqua piscinæ, 604. b. 607. a. Fabris arcæ Noë comparantur, 1465. a. Cur dicti filii regni, 359. b. Cur propria Christi, 595. g. Judæi oliva fracta, 1322. b. lapides ad milliaria, 909. c. 1465. a. Quomodo sunt videntes & cæci, 661. g. *& seq.*

Judæorum cæcitas & infidelitas, 911. e. 216. b. 634. c. 661. b. Propriæ justitiæ opinione excæcati, 770. f. Nec Moysi crediderunt nec Christo, 207. a. Etiamnum Christum sperant esse venturum, 495. c. 499. f. Latet eos quòd venerit, sed volentes latet, 495. c. Error eorum de resurrectione, 1427. c. Judæos Christus plenos peccatis invenit, 389. c. Quomodo dicat peccatum non habituros fuisse, si non venisset, 389. e. Periculosiùs ægrotantes, 835. e. in Medicum insanierunt, 430. f. 836. a. Judæi gratiam Christianam sibi debitam falsò jactantes, 66. b. Ob superbiam repulsi & in eorum locum Gentiles ob humilitatem suffecti, 423. b. 1322. a. In Judæis gratia prior, in gentibus humilitas amplior, 917. b. Judæos quasi majorem filium respicere videbantur benedictiones, sed ad Christianos quasi ad minorem perveniunt, 19. g. 20. e. *&c.*

Judæi Christianorum servi & librorum nostrorum custodes, 31. e. 32. a. 1466. c. Divinas litteras portant, non ad adjutorium salutis suæ, sed ad testimonium salutis nostræ, 911. g. 914. b. 916. b. Dispersi per terras, ut fidei, cujus inimici sunt, ubique testes fierent, 223. c. 914. c. 919. c. Christum suis ritibus & scripturis ostendunt, 916. a. Hinc non frustra à Romanis victi, nec deleti, in sua lege & consuetudinibus patriis manserunt, 1467. a. Judæi patrio solo exclusi imperatoris Romani jussu, 32. a

Judæi audito Petro conversi, 420. d. 836. f. Sanguinem quem sævientes fuderunt, credentes biberunt, 420. e. 431. g. 469. b. 483. f. 1363. f. 1483. a

Judæorum sacramenta significantia, 1100. c. Abstinentia eorum ab immundis animalibus figurativa erat, 704. f. 705. b. Judaicarum observationum præcepta cur legantur Christianis, 705. f. Judæi in Kalendis Januariis notantur, 903. c. f

Judex in se primùm, tum in alios jus dicat, 81. d. Peccata persequatur, non peccantem, 81. f. Non usque ad mortem persequatur, ne perdat hominem. Homo non necetur, ut sit qui emendetur, *ibid.* g. Judices inflantur quia judicant de capitibus humanis, 1322. e. Cum tremore judicent homines, 79. g. 80. g. *& seq.* Judices cur animadvertere dicuntur, 107. c. Judicis munus si pecuniâ emitur animo serviendi justitiæ, non reprehendendum, 81. c

Judicia Dei in mysterio gratiæ non ratione scrutanda, 146. a. 1146. c

Judicium pro damnatione, 1189. e. pro pœna æterna, 1114. e. Judicium & justitiam facere, 268. c. Perversum judicium, non judicium, 268. d

Judicium extremum, 94. b. citò est futurum, 49. c. Judicii nostri ultimi dies non longè, 97. d. Judicii dies differtur, donec impleatur numerus membrorum Ecclesiæ, 187. e. Judicii venturi dies occultus, 226. c. Nonnullis videtur futurus post certa annorum millia, 503. f. Judicii futuri certitudo impletis tot aliis prædictionibus, 118. d. 561. f. 1285. d. Præparatio ad novissimum diem, 515. c. quem exemplo Noë exspectare admonemur, 1416. b. Ipsum securi boni, trementes mali exspectant, 251. g. Pios convenit desiderare adventum Christi ad judicium, 1212. e. In judicio forma servi bonis & malis ostendetur, forma Dei solis bonis, 623. a. d. Deus nunc judicat quædam, non omnia, 98. g. Ad hoc multa reservantur judicio, & quædam in præsentia judicantur, ut illi qui differuntur, timeant & convertantur, 98. f. In ultimo judicio Deus judex incorruptus, 49. a. b. Quàm largiter Deus erogat misericordiam in præsenti sæculo, tam severè minatur judicium in futuro, 48. d. Judex venturum se minatur, ut non inveniat quos puniat cùm venerit, 117. f. Sic vive quasi hodie venturus sit, & non timebis cùm venerit, 1081. e. Mutato reo, judex mutatur, 119. e. Dei judicium in peccantes, 96. e

Judicium Salomonis inter duas mulieres meretrices, allegoricè exponitur, 64. f. *& seq.*

Judiciis temerariis plena omnia, 239. b. Judicium nostrum vel de nobis ipsis quàm incertum, 239. b. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo, 239. b. Judica te sine adulatione, & proximum cum dilectione, 273. d

Jugum Christi in speciem durum, 382. e. unde fit lene, 383. a. Jugum Christi amanti suave est, non amanti durum est, 155. a. 1326. a

Jumentum Dei esse ne erubescamus, 891. d

JUNO, 1107. f. aër esse dicitur, 906. e. Junonis spiritus, 386. a

JUPPITER, 1106. c. anima mundi, 1007. d

Jurare quid sit, 862. c. Varii modi jurandi, 862. b. Juratio, *Testis est Deus*, 73. f. Juratio vulgaris, *Per lumina mea*, 12. g. Falsum jurare per idola, perjurium est, 865. e. De juratione quæstio visa Augustino difficilis, faterturque se eam semper vitasse, 861. d. quare vitarit, 865. f

Juratio licèt à Deo usurpata, & ab Apostolo, nobis tamen fugienda, 859. e. 860. a. 861. e. 1244. d. *&c.* Juratio falsa exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. 861. d. Jurationi falsæ propinquat, qui vel verum jurat, 1244. g. Verum jurare fas est, non jurare tutius, 861. d. Cur dicitur à juratione ante omnia abstinendum, 863. g. Juratio qua conditione adhibenda, 864. d. Jurandi consuetudo valde mala, 1246. c. quomodo convellitur, 865. f. Jurandi consuetudini aliquando obnoxius Augustinus, 864. c. 1245. c. Jurans ab alio provocatus non sic peccat quomodo iste alius, 1246. d. Jurare compellens eum quem falsum juraturum credit, pejor est homicidâ, 1246. e. 864. g. Tutuslymeni ób hoc peccatum divina correptione flagellatus, 1246. f. Temeraria juratio non implenda admisso homicidio, 1245. g. Jurans David occisurum se Nabal, & non occidens, minùs peccavit, 1246. a

Jus fori & jus poli, 1383. b. 1504. d. Juris formulæ olim non erant, sed arbitrium voluntatis pro norma legis habebatur, 297. e. Quod quis justè non tractat, jure non tenet, 277. e

Justi sunt cæli, 1399. a. Justi non sunt, qui quod faciunt timore faciunt, 10. a. Justi omnes hac in vita secundùm quid boni, secundùm quid mali sunt, 488. b. Quantumcumque justis non gloriandi, sed pœnitendi caussam semper adesse, 1353. d. e. Justi vita hîc bellum, nondum triumphus, 717. f. Justus naufragus evadit dives & nudus, 1318. e. Justi hîc numquam sine persecutione, 803. f

Justificati utrùm jam simus, 761. c. Justificatio aliqua verè per fidem, 762. g. Justificatio hîc nobis imperfecta, 765. e. perfecta in Martyribus, 765. g. Justificatio & perfectio nostra, 393. a tum complebitur, cùm complebitur spes nostra, 695. e. Fides in Christum ad justificationem necessaria, 690. e. Justificatio ex fide sine operibus, 9. f. Justificatio nostra ex gratia, non sine nostra voluntate, 815. c. Qui fecit te sine te, non te justificat sine te, 815. e

Justitia pulcritudinem suam habet, 60. b. Bonis omnibus præferenda est, 1500. b. Plus habet delectationis, *ibid.* Cum delectatione & amore sectanda est, 768. a. In amore justitiæ quidam gradus proficientium, 766. b. Inter omnia quæ delectant, plus delectet justitia, 766. b. Ejus delectatio anteponenda est ceteris delectationibus, 767. d. Pro justitia non solùm contemnenda voluptas, sed etiam ferendus dolor, 768. d. Justitiâ nostrâ, non cruciatibus delectatur Deus, 1145. c. Justitiæ lumen, Deus, 13. d. Quod vult Deus, ipsa est justitia, 615. a. Semitæ justitiæ quænam, 1450. a

Justitia quomodo nunc impletur, 746. c. Perfecta justitia quænam in hac vita, 63. e. Justitia Martyrum perfecta est, 769. b. 1147. b. Justitia hujus vitæ ad justitiam futuram collata quàm nihili facienda, 822. b. Perfecta justitia cùm videbitur Deus, 823. b. Justitiæ perfectio quadragenario numero significata, 609. f

Justitia nostra nulla, nisi à Deo, 769. e. 809. c. 815. e. 821. f. 1332. a. Justitiæ particula impleri non potest, nisi Deus det, 774. c. Justitia incarnatione Christi nobis allata, 883. f. Justitia Christi quomodo nostra, 693. d. Justitia & circumcisio quomodo nos sumus, 809. a. Justitia Dei, quæ Judæis & Pelagianis ignota est, 644. e

Justitia ex lege est, cùm legi timore obeditur, 812. b. Hæc Apostolo damnum videtur, 838. g. Justitia ex lege à Christo removet, quare, 811. d. *& seq.* Justitiam suam horret Paulus, ut habeat justitiam à Deo, 813. f

Justitia Pharisæorum, dicere & non facere, 1036. d

Justitia de qua arguitur mundus, 694. b. Justitia quòd Christus vadit ad Patrem, quare, 694. c

K

KALENDARUM Januariarum sollemnitas superstitiosa, 903. e. 904. a. 906. g. *& seq.*

L

LABOR hîc unde, 380. c. Laborum & actionum omnium finis quis esse debeat, 58. a. b. Laborem mundationis carnis & spiritûs nemo suscipit, nisi præmio invitatus, 218. g. Laborant homines pro cupiditatibus suis, laborare nolunt pro Dei promissis, 196. b

Lacerna, 779. f

Lac gregis, 226. f. *V.* Pastor.

Lactis nomine gratia significata, 133. d

Lacrymæ testes doloris, 1351. d. sanguis pœnitentis, 1356. f. Seminare in lacrymis omnium est Christianorum, 155. d. 156. g. Justus quisque hîc abundantiùs plorat, 157. b. Lacrymæ & risus inanes de rebus perituris, 157. b. 158. a. Lacrymæ piorum comparantur cum fletu impiorum, 157. g

Lætandum corde in Deo, 146. f. Sæculi lætitia est impunita nequitia, 826. b

Laicus, 573. b. 667. b. 1354. f

Lana & linum quid figurant, 184. a

Languor post baptismum, 643. f

Lapis angularis Christus, 19. c. Lapides vivi, lapides mortui, 129. a. b. Lapides pretiosi & vivi in Ecclesia, 182. e. Quinque lapides David, 160. b

Latitudo caritas, 798. e

Latro in cruce conversus, 118. b. Ipsius fides quàm magna, cùm titubant discipuli, 982. g. 1145. e. Latrones à dextris & à sinistris Christi, 960. e. 1283. c

Laturam facere, 1336. d

Laturarii divitum, pauperes sunt, 100. d. 198. d. 349. c

Lavacra superstitiosa in natali S. Johannis, 903. f

Laudare Deum, accusare nos ipsos, 375. a. A laude Domini nec unguem recedere, 376. a. Recedit qui à se boni aliquid habere putat, *ibid.* Laudandus Deus semper, 1050. b. laudandus vitâ & linguâ, 1054. e. Corde laudandus & amore, 1445. e. 1057. b. Laus sine amore, nec vera, nec Deo accepta, 1445. g. Deum tantùm homo securus laudat, qui non habet unde displiceat, 1050. e. Laus Dei in cælo solum negotium nostrum erit, 1042. b

Laudis humanæ periculum, 414. g. Laudari à malè viventibus non vult Augustinus, 1308. g. à bene viventibus nec plenè vult, nec plenè non vult, 1309. a. Laudes humanas ambientes, 504. d. 506. a. Laudes vendunt adulatores, 505. b

LAURENTIUS Martyr, 1226. b. *&c.* Archidiaconus, 1229. a. 1233. d. Ejus corpus Romæ, 1200. a. Memoria apud Ravennam, 1277. a

LAZARUS pauper ulcerosus in sinum divitis Abrahæ levatus, 83. f. *& seq.* Ejus cum divite comparatio, 206. b. 1452. a. Lazari cur nomen expressum, non divitis, 206. b. *V.* Dives.

LAZARUS suscitatus peccatoris resurgentis figura, 374. e

LAZARUS diaconus, 1385. b

Lectiones & cantus in ecclesia, 839. d

Lector Psalmum in ecclesia cantans, quem ipse elegit, 1363. d

Lectus argenteus, 1240. c

Lens cocta à Jacob, & manducata ab Esaü, quid figuravit, 16. d

LEONTII sollemnitas, 1070. a

Leontiana basilica, 1064. e. 1069. f. Ejus conditor ipse Leontius, 1070. a

****

INDEX

LEPORIUS presbyter, 1388. a

Lepra mentis doctrina varia & inconstans, 842. b

Lethargicus dormire volens symbolum peccatoris perire volentis, 203. e. 469. d. 1404. b

Levare te ad Deum, & levare te contra Deum, 1351. b

Lex æterna, ante legem scriptam manebat in cordibus piorum, 434. f. Lex triplex apud Apostolum, 723. f. Lex fide, lex factorum & lex peccati, 723. f. & seq 725. b. Lex peccati & mortis quænam, 743. b

Lex Moysi porticibus quinque figurata, 605. d. & denario, 1098 c. 1100. f. Ejus ad sanandum impotentia, 605. d. e. 662. d. significata in facto Elisæi, 140. g. Legis infirmitas ex carne, 724. c. Lex jubere novit, non juvare, 724. d. 1037. c. Dat nosse hostem, non vincere, 698. g. Peccato dedit virtutem: quia ex prohibitione auctum est desiderium, non exstinctum 742. a Frustra lex minatur, quando iniquitas dominatur, 151. b. Lex ad quid data, 605. e. 734. g. 743. c. 749. g. 819. f. 1351. e. Legis utilitas, 652. f. 751. d. Lex molestissimus pædagogus, 751 b. 755. f. 756. c. Lex cancellos tibi fecit, ut non inveniendo quà exires, ad gratiam convolares, 790. a. Lex terret de se ipso præsumentem, gratia adjuvat in Deum sperantem, 697. a. Lex sine gratia nihil valet, 1033. c. non impletur, nisi per gratiam, 47. b. 151. b. 789. c. &c. 1037. a. 1098. f. Non timore pœnæ impletur, sed amore justitiæ, 16.. f. 1099. c. 1037. c

Lex vetus & nova, 756. b Earum concordia & differentia, 743. c. g. Lex vetus hordeum est ad Evangelicum triticum, 637. f Lex vetus non noverat nisi punire peccata, 6. d. Lex vetus spiritaliter intellecta Evangelium est, 133. e. Legis veteris opera secluso spiritali intellectu mortua, 65. d. & seq. Legis veteris promissa spiritaliter intelligenda, 133. c. Lex à Judæis contemta, 1445. b. Manichæorum in veterem legem calumniæ, 2. a. 140. c. &c. Contra ipsos defenditur, 724. c. 729. e. V. Manichæi.

Lege uti legitimè, 750. g. Consentiens cum lege, 738. b. Ambulare in lege sine querela, 811. a. Perficere legem in hac vita sanctis non conceditur, 739. c

Libelli de miraculis Martyrum lecti in Ecclesia, 428. c. 1151. c 1276. d

Liberari duobus modis dicitur, 653. g. Homo à malo se ipso liberatus lædi ab aliquo non potest, 210. e. 1207. d. 1208. b

Libertas primi hominis, 1124. b. Magnas arbitrii liberi vires homo cùm conderetur accepit, sed peccando amisit, 643. c. Per malum velle, perdidit bonum posse, 151. f. Ex libera hominis voluntate semen mortis, 1124. a. Homini Deus dedit liberum arbitrium, & si vult homo, heri fuit palea, hodie sit frumentum, 1041. b. Liberum arbitrium nihil valet sine Dei gratia, 137. d. 139. d. Voluntas ad malè agendum sine adjutorio Dei libera est, sed sine ipso nihil boni agit, 755. c. Idonea fuit natura humana per liberum arbitrium vulnerare se; sed jam vulnerata & saucia, non est idonea per liberum arbitrium sanare se, 750. c. 1123. e. Libero arbitrio quo factus est homo ex bono malus, non potest fieri ex malo bonus, 137. e. Liberi arbitrii infirmitas cernitur in Adamo, 751. e. 831. b. Amas liberam voluntatem tuam. Quid te tibi committis? Meliùs te potest servare, qui te potuit antequam esses creare, 832. a. Quidam liberum arbitrium ad justitiam sufficere arbitrantes, 751. e. & ipsi tribuentes suam justitiam, 137. b. Libero arbitrio suo Pelagiani tribuunt quod credendo accesserunt ad Christum, 155. a. Contra præsumentes de libero arbitrio, 1296. g. Spiritus servitutis & libertatis, 756. c. A lege peccati nemo liber nisi per gratiam, 742. f. Solus justus est liber, 779. d

Libido surrexit? tene tu membra: surgere novit, vincere non novit; surgendo assiduè sine caussa, discit & non surgere, 632. c. d. Ad vitæ necessaria alii libidine, alii ratione ducuntur, 295. b

Ligandus nemo propter offensam, nisi justè; nam injusta vincula disrumpit justitia, 442. g

Ligatura sacrilega ad sanitatem recuperandam, 1151. c. 1273. b

Ligna in campo fructifera allegoricè, 264. d

Lingua excisa presbytero, 1404. b

Lingua bona, ubi adest mens bona, 1253. g. Ream linguam non facit nisi mens rea, 860. d. Lingua cohibenda, 557. b. 865. c. Deus linguæ domitor, 321. d

Linguæ omnium gentium in uno homine die Pentecostes, quid significant, 431. f. 836. e. 1089. e. 1091. c. 1093. d. 1363. f. Cur donum linguarum non modò conceditur, 1090. a. Ecclesia loquitur omnium gentium linguis, 466. c

Linum & lana quid figurant, 184. a

Linea vestimenta interiora, 184. a

Litigare quis censendus, 1402. a

Litem inferenti cedere aliquid ut Deo vaces, est tempus redimere, 804. a

Locus bonus, quò nobis migrandum de hoc loco malo, 959. b

Loco contineri non potest nisi corpus, 281. e. 306. g. 1314. c. Quod loco capitur, minus est in parte quàm in toto, 582. a. b

Loqui dolum, quid sit, 93. e

LUCAS & Marcus Apostolorum suppares, 998. a

Lucernæ & luminis discrimen, 872. g. Lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens, 1270. c. 1307. e. Lucerna infirmis oculis accensa in sanctorum exemplis, 1270. c. Lucerna, homo qui bene operatur, 1307. d

LUCILLA, 246. c

LUCIUS & Gaius, pro quolibet, 210. d. 1396. f

Lucrum non sic sapit, quomodo dolet damnum, 1272. a. Nemo habet injustum lucrum sine justo damno, 44. d

Lucta Christianæ animæ, 1356. c. in tentationibus quotidianis, 1273. a. Lucta carnis & spiritûs hîc in justificatis manens, 57. f. 134. d. 152. a. 628. e. 722. f. 723. d. 762. e. 787. d. In lucta carnis & spiritûs quid faciendum, 153. b. Victoria post resurrectionem cur differtur, 787. g. 788. b. De lucta spiritali differentem qui non certant non intelligunt, 718. b

Luctus, & officia defunctis exhibenda, 828. b

Ludi pompatici, 116. a. Nugatoria iniquitatis, ludi & spectacula vana, 54. e. 55. g 60. f

Ludi, id est loci ad exhibendos ludos, 165. c

Lugendum filiis ablato sponso, 929. a

Lumbos succingere, 185. f

Lumen Deus quale cogitandum, 13. d. Lumen verum solus Christus, 12. f. Lumen mundi quomodo sunt viri sancti, 13. b. Lumen sibi esse homo non potest, 872. g

Lux oculorum cibus, 147. d. Lux solis facit formas coloresque discernit, 594. b. Lux interior cum visibili comparatur, 477. b. Lux visibilis corporum colores, invisibilis animarum format affectiones, 1317. d. e. Lucem justitiæ mens perturbata nec audet contemplari, nec valet, 472. c. Pœna illi est antequam sanetur, 472. g. Lux sincerissimæ & incommutabilis veritatis quibus pateat, 1340. a. b. Lucis internæ amor, 1347. b

Luxuria, 458. a. 461. b

Lybia duplex, 247. f

Lyristriæ, 730. a

M

MACEDONIANI, 387. a

MACHABÆI Martyres, non appellatione, sed re ipsa Christiani, 1219. b. pro Christo passi sunt, 1220. e. & seq. Machabæis & tribus pueris in persecutione diversus exitus, idem tamen Dei præsidium adfuit, 164. a. 1222. b. Cur tres pueri ab ignibus liberati, Machabæi verò consumti, 1222. f. Machabæis plus præstitum, quàm tribus pueris, 1151. a. Machabæis meritò instituta sollemnitas, 1219. e. 1221. a. Basilica in eorum memoriam erecta Antiochiæ, 1221. b. Machabæorum mater septies martyr, 1221. d. Ecclesiam repræsentavit, 1222. a. Ab ipsa matres discant filios diligere, 1221. c

MAGDALENA figurat Ecclesiam, 33. b. Ipsi Christus apparet, quem tangere prohibetur, 1017. a. 1022. b. Ipsius ad Magdalenam verborum sensus, *ibid.* & 1012. g. 1020. b. 1022. f

Magis per stellam Christus est nuntiatus ipsius nativitatis die, 915. a. Christus à Magis quo die adoratus sit, ubique clamat præclaræ sollemnitatis auctoritas, 916. f. 912. c. Magi multis onerati peccatis, 917. b. Eorum impietas in sacrilegiis, 912. c. Primitiæ gentium in Magis delibatæ, 915. c

Magi Pharaonis, 47. d. 490. f

Magica consecratio, 1273. b

Magisterium periculosum, discipulatus securus, 122. c. Condiscipuli omnes sumus sub Christo magistro, 122. d. 1210. f

Major basilica, 1058. b. seu Majorum apud Carthag. 170. f. 796. f. 1183. a

Mala hominis duo, error & infirmitas, 873. c. Mala non ex natura, sed ex vitio naturæ, 873. a. Homini malum non nisi ab homine, 1207. c. Malorum omnium nostrorum caussa peccatum est, 1002. b. Censuerunt philosophi contingere propter peccata ab animabus in alia vita commissa, 1002. e. Hic bona & mala bonis & malis communia, 194. d. 227. c. Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna, 1201. b. V. Bona. Si verè quod bonum est toto corde dilexeris, omne malum patienter & æquanimiter sustinebis, 1236. d. Tempora mala & dies mali unde, 432. g. 803. c. 1207. c. 1252. g. V. Dies. Tempora.

Mali nos omnes inventi, 404. e. Mali omnes quodam modo, 488. c. Homo malus, novacula acuta, 164. d. Justo nil nocet, sed prodest, 164. c. 210. e. A malo liberari quid sit, 1208. a. A malo se ipso qui liberatus sit, securus est ab aliis malis, 210. e. 1208. b. Malus vult bona omnia præter se ipsum, 150. c. Malus mortuus bis dolendus, 1232. b

Mali circumdant undique servos Dei, 30. d. Mali foris & intus tolerandi, 89. f. 90. b. 270. d. 408. d. 967. e. 1360. c. Inter malos estote boni, & eritis sine malis boni, 1029. c. A malis recedendum corde, non corpore, 479. a. 481. b. & seq Sævire in malos non licet, 1229. d. In malos non sæviunt nisi mali, 1231. d. Malos interdum Ecclesia, ne perturbatio & schisma contingat, sacramentis uti vel invita permittit, 26. e. Malè viventium & rectè vivere prohibentium auctoritate non duci, 476. c. d. 478. a

Mali hîc suo loco in usus bonos positi, 1223. f. Ad quid mali in hoc mundo, 88. c. Abundantia malorum propter purgationem bonorum, 89. b. 91. b. Mali hîc servantur, ut boni inde nascantur, 1224. a. Malis utitur Deus non secundùm eorum pravam, sed secundùm suam rectam voluntatem, 944. e. Malorum est malè uti bonis, Dei contrà bene uti malis, 87. g. Malorum felicitas nonnullis scandalum, 96. b. 103. g. 133. e. 165. a. 1031. f. Malis non re vera bene est, nec bonis malè, 270. c

Malitia, pro pœna, 1238. g. Malitia, nocendi amor, 1373. a

Mammona iniquitatis, 208. b. 278. d. 568. f. 570. b

Mandatum novum faciens hominem novum, 1348. g. Mandata Dei nonnisi per gratiam impleri, 1029. f

Manè quandonam fiet, 33. d

Manducandi de omnibus cum moderatione, cum benedictione, cum gratiarum actione, licentia Christianis data, 705. f

Manichæi, 30. e. 500. f. 577. c. 578. c. 870. d. 993. c. 1443. e. in Perside schisma faciunt, 1040. c. Eorum error de duabus naturis, 723. e. 747. a. 871. f. de carnis origine, 152. d. de concupiscentia, 718. e. 723. d. Omnem naturam corpoream à tenebrarum gente esse confingunt, 76. e. 77. c. e. & animam esse partem Dei, 872. d Numquam dicere ausi sunt Patrem & Filium nisi unius esse substantiæ, 77. a. Aurum à Manichæis injuriâ accusari, 279. d

Manichæorum error, Christum esse Deum tantùm, 188. d. Ipsum negant in carne venisse, 871. d. & docent non habuisse corpus, 76. a. 413. f. nec hominem verum, sed phantasma fuisse, 6. c. Negantes carnem Christi totum mysterium redemtionis nostræ evacuant, 993 c Iidem Christum esse ipsum solem putantes perstringuntur, 13. c. Manichæi solem adorant, 279. b. quem corpus non esse arbitrantur, 77. g. sed Deum, 77. b

Manichæorum in veterem legem calumniæ, 2. a. 3. a. 6. c. 728. b. in librum Job, 72. b. in Prophetas, 280. a. in Aggæi prophetiam, 276. f. Vetus Testamentum dicunt esse à principe tenebrarum, 140. c. & à deo malo, 819. e. Manichæorum fraus in Scripturarum usu, 282. a

Manna, 15. c. Christi panis cælestis figura, 1364. f. Christum nonnullis sapiebat, 1365. f

Mansuetudo necessaria, 758. e. hæreticis exhibenda litigantibus & conviciantibus, 1393. d

Manumissionis libellus in ecclesia recitatus, 113. c. Tabulæ in ea fractæ, 113. f

Mappalia, 364. c

MARCUS Apostolorum suppar, 998. a

Maris rubri transitus figura baptismi, 1364. e. 1368. b. 1438. a. Quid significet transitus maris in navi, 411. e

IN QUINTUM TOMUM.

MARIÆ sororis Moysis tympanum, 1442. a
MARIA virgo & mulier dicta, 291. g. Inter mulieres benedicta, 1167. b. Ex gratia mater Filii Dei, 1168. b. Christum priùs mente quàm ventre concepit, 950. g. fidei caritate fervente concepit, 946. d. Virginitatis propositum in Maria, 970. e. 1167. e. Mater Christi virgo ante conceptum, in partu & post partum, 881. d. 889. e. 894. b. 902. e. 978. a. virgo perpetua, 884. f. Adtulit (Christus) virgini fecunditatem, non abstulit integritatem, 382. b. Ecclesia Mariæ similis, & parit, & virgo est, 941. g. Zachariæ & Mariæ similis interrogatio, animus dissimilis, 1163. d. 1164. b. 1167. d. Potuit virgo metuere aut certè ignorare consilium Dei, quomodo eam vellet habere filium, 1167. g. Ad Mariam cur Gabriel venit, non ad Joseph, sicut venerat ad Zachariam, 1166. e. Maria à falsa suspicione Josephi liberata, 1325. a. Mariæ uterus conjugii Verbi cum carne thalamus, 1168. c. Mater Christi commendata ab ipso moriente, 961. f. Mariæ modestia & humilitas imitanda feminis, 291. f
MARIÆ & Marthæ diversa officia, 817. d. 855. c. 1050. f. utraque bona, 557. d. e. 538. c. d. 855. d. Pars Mariæ melior, quare, 538. d. 540. b. 855. g. Veritate pasci, pars Mariæ quæ non transit, 856. g. Ministerium Marthæ non reprehensum à Christo, 539. g. Ad Mariæ quietem tendit, 538. f. Ejus opus aufertur, non merces, 856. a. Duæ vitæ in Martha & Maria figuratæ, 540. g. 1052. g
MARIA Mariani martyris mater, 1141. c
MARIANI & Jacobi martyrum natalis, 1140. e
Martyr Græcè, testis Latinè, 1148. e. 1284. e. Martyres aromata, 1107. a. Amici Christi, unde, 1292. e. Martyres sunt veri & falsi, 1148. e. Martyrem non facit pœna, sed caussa, 1110. g. 1145. c. 1281. b. 1282. g. 1283. c. 1291. a. 1300. d. Pro veritate pati, Martyrum est; pro falsitate, etiam impiorum, 1285. b. Justitiâ nostrâ, non cruciatibus delectatur Deus, 1145. c. Martyr dicitur, qui pro justitia occiditur, 554. b. Animus martyrii martyrem facit, 1199. e. Martyrium sine caritate nihil prodest, 672. b. Martyrium in lecto, 1151. d. in quotidianis tentationibus, 1273. a. Martyr hinc exies, si omnes tentationes diaboli superaveris, 28. a
Martyres perfecti amatores justitiæ, 769. b. Ad felicitatem expediti cucurrerunt, 1281. f. Eorum ad contemnendas minas sæculi fortitudo, 180. a. Blanditiis carnalium parentum tentati sunt, 1141. c. Vicerunt delectationes & dolores, 1135. d. 1271. f. 1300. a. mundi blanditias & acerbitates, 1143. a. errores & terrores, 1250. g. Quia cum magno amore cogitatur quò itur, cum magna fortitudine calcatur quà itur, 1209. g. Mortis amaritudo tolerata à Martyribus, 1104. c. Ipsorum inde corona illustrior, 1204. d. & maxima præmia, 1135. a. Martyrum gloria insipientibus abscondita, 1238. g
Martyres de persecutoribus victores, 167. d. Eorum plena victoria, 1143. d. Victoria Martyrum de dæmoniis quàm nunc evidens, 1217. e. Christum plus asserunt mortui quàm vivi, 1149. f. Mors eorum pretiosa, 1149. g. 283. b. 1286. d. Martyrum sanguis semen, 118. f. De illo semine seges surrexit Ecclesiæ, 1149. e. 1222. a
Martyrum passio & merces prædicta in Psalmo, 355. f. Morientes propter Christum, consuluerunt sibi, non Christo, 1291. c. Corpus non contemserunt, sed ei bene consuluerunt, 1114. g. Felicitas Martyrum alia ante, alia post resurrectionem, 1136. a. 1286. b. Ante resurrectionem parva particula est promissionis, immo solatium dilationis, 1136. a. Martyrum merces Christum sequentibus & sibi em servantibus parata, 1212. c. 1233. g
Martyrum fortitudo non ab ipsis, sed à Deo, 11. e. 1112. b. 1141. f. 1211. f. 1286. f. Martyres & armantur à Deo, & ab eodem armato adjuvantur, 1259. a. Christus prior passus patiendi virtutem Martyribus dedit, 1284. a. In Martyribus Christus sibi ipse perhibet testimonium, 628. a. Vicit in eis qui vixit in eis; ut qui non sibi, sed illi vixerunt, nec mortui morerentur, 1135. f. Dei martyrem cur non terreat persecutor, 368. e. Martyr non in ipso, sed in Domino laudandus, 1256. b. Martyrum securitas sub præsidio Dei, 1294. d. 1297. f
Martyrum laudes in Deum recidere, 1258. f. Laudandi Martyres & amandi, Deus Martyrum colendus, 1109. b. Non ipsis templa & altaria aut sacrificia exhibentur, sed Deo soli, 1107. g. 1271. e. Martyres loco meliore recitantur ad altare, 1108. a. 1204. d. Dum recitantur, non pro illis oratur, 765. g. 1143. c. 1147. b. 1204. d. Injuria est pro Martyre orare, 765. g. Orationibus Martyrum se commendat Ecclesia, 1143. c. 1204. d. Martyres advocati nostri, & tamen unus advocatus noster Christus, 1147. c. Si accipere minùs digni sumus, per amicos ipsius petamus, 1293. d. Martyres miserantur nos, ac precantur pro nobis, 1136. f. Temporalia beneficia per Martyrum orationes cur Deus impertit, 1226. c. De hac re apta similitudo, *ibid.* Per Martyres non omnibus sanitas, sed eorum imitatoribus immortalitas datur, 1150. c. Libelli in ecclesia recitati de beneficiis Dei per Martyres, 418. c. 1151. c. 1276. d. Sollemnitates Martyrum cur institutæ & quomodo celebrandæ, 1105. d. 1108. e. 1136. c. 1280. c. *& c.* *V.* Festivitates. Martyrum Gesta, quæ in eorum sollemnitatibus recitari possint, vix inveniuntur, 1261. d
Martyres imitandi, 27. b. g. 1229. c. 1243. c. 1361. b. Honorare & non imitari, nihil est aliud quàm mendaciter adulari, 1280. d. Contemtum mundi exemplo docent, 1151. d. Patientiæ exemplum nobis in ipsis præditum, 1144. b. Viam duram post Christum tenuerunt & nobis linierunt, 1243. d
Martyrum quorumdam ad persecutoris interrogationes responsa, 1282. c
Martyris cujusdam feminæ in confessione dictū, *Honorem Cæsari quasi Cæsari, timorem autem Deo*, 191. b
Martyrum octo basilica, 1388. d
Martyrum viginti natale, 1280. b. Eorumdem basilica, 703. c
Martyres auri, 1292. b. 1300. d. Martyres diaboli, 1110. f. Hæretici volunt martyres dici, 1283. c. Donatistarum martyres carpuntur, 552. f. 1281. c
MASSA CANDIDA, 1238. f. *& seq.* Uticensis dicta, 1153. f
Massa peccati, massa iræ, 120. g. Massa perditionis unde electi sumus, 141. e
MASSILITANI Martyres, 1138. f
Mater à filio contumeliosè affecta, 1276. d. eique ac ceteris liberis malè precata exauditur, 1276. f. sibi ipsi mortem laqueo consciscit, 1276. g
Materies cæli & terræ simul cum ipsis est creata, 944. d. Quæ dicitur informis rerum materies formarum capax & subjecta Creatori, in omnia est convertibilis, quæ placuerit facere Conditori, 944. c
Mathematicos & haruspices aut maleficos consulere, est fornicari cum dæmoniis, 50. b
Matrimoniales tabulæ ferunt, *Liberorum procreandorum causâ*, 61. d. 185. a. 293. g. iis subscribit episcopus, 1293. g. Veniale peccatum quando in usu matrimonii, 294. b. 1126. f. *V.* Uxor.
MAXIMIANI vigiliæ, 1405. e
MAXIMIANISTÆ, 677. a. divisi adversùs Donatistas, 386. a. & à Donatistis primùm damnati, post recepti, 482. d
MAXIMINUS Arianorum episcopus, 680. b
Mediator Dei & hominum, quid, 139. a. Mediator Christus in quantum homo, 1180. b. Mediatoris necessitas, 751. f. 1180. g
Medicamenta in Scripturis divinis, 158. e
Medicina post peccatum non respuenda, 96. g. Medicina quotidiana in Dominica oratione, 96. f
Medicus propriè quis, 1124. c. Ægroti cum medico concordia, 55. f. *& seq.* 1403. d. Medici comparatio, 274. b. 429. g. Medicus Christus, 468. e. 469. g. Christi medici ars commendata in curatione Pauli, 838. f. Sanguis medici medicamentum suo interfectori, 833. f. 836. b. *V.* Christus.
Mediolani inventæ reliquiæ, 1271. d
Membra alia ad usum, alia ad decorem, 1015. b. Harmonia membrorum & concordia, 131. c. 436. c. 1014. c. Membra corporis sunt interioris cujusdam vel habitaculum vel organum, 317. b. Membrorum officia diversa, vita communis, 1090. e. Membrorum unus spiritus, 1091. f. Membrum præcisum formam retinet, non vitam, 1091. g. 1092. a. Membra Christi, 1346. c. Eorum conjunctio cum Christo capite, 1412. f. De hac re apta similitudo, 1413. b. Mundi odium in membra Christi, 1375. b
Mendacium divina lege vetitum, 436. e. 801. f. animam occidit, 370. f. 437. a. Mendacium specie humilitatis, peccatum est, 868. a. Homo de suo non habet nisi mendacium, 1049. f. 1057. b. In vetere homine mendacium, in novo veritas, 802. c. 803. a. Christus à mendacio vindicatur, 650. e. & Jacob, 21. f. An aliquando mentiendum sit, latebrosissima quæstio, 649. b. Non semper mentitur, qui promittit aliquid, & non facit, 648. e. Mentiri & falli in quo differant, 124. b. 649. d
Mendicus ad ostium præcepta Dei cantans, dum stipem petit, 166. d. Qui, à quibus, quidve petunt hîc mendici nostri, 354. b. Omnes sumus mendici Dei, 326. b. 353. b. 448. d. 602. g
Meniana, 50. c
Mens regit, cùm regitur, 742. c
Mensa Domini, 113. a. 155. f. 1451. b. Mensa potentis, 1134. f. 1293. a. Mensa magna, ubi epulæ sunt ipse Dominus mensæ, 1286. f. *V.* Eucharistia.
Mensa S. Cypriani, 78. d. 271. a. 572. a. 640. f. 734. b. 808. e. 1236. e
Mercenarii fugientes, dum iniquis favent, 670. d. *V.* Ovis. Pastor.
Merces cultûs Dei quænam exspectanda, 104. e. *& seq.* Mercedis spem non tollit amor Dei gratuitus, 1312. a. Merces consoletur, si opus fatigat, 44. a. Merces te erigat, si opus turbat, 1334. d. Merces sine fine, opus cum fine, 1131. e. Mercedis à Deo promissæ certitudo, 195. d. Bonorum operum merces non isto tempore speranda, 71. d
Mercimonium cæleste, 431. a. Antiqua commercia mutatis rebus fiebant, 431. b
Meretricis domus inferni imaginem tenet, 1444. e. De meretrice dictum, Luc. VII. *Cui plurimum dimittitur* &c. 69. b
Meridies multifariè intelligitur, 245. f. *& seq.* quid sit, 674. f. 675. d
Meritum gratia præcedit, 809. g. Non nos discernunt merita, sed gratia, 1181. a. Merita nostra faciunt nobis terrorem, 1062. a. Merita nulla nostra fuerunt, cùm ad nos venit Dominus, 1449. a. 1450. a. 1451. c. Merita nostra, Dei dona, 644. e. 1205. f. Cùm hinc exieris, recipieris pro meritis, & resurges ad recipienda quæ gessisti. Tunc Deus coronabit non tam merita tua, quàm dona sua, 823. f. Cùm Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua, 1296. f
Metallicus ex effractore, 609. a
Milites non bene facere prohibet militia, sed malitia, 1231. a
Milites Christi impugnat mundus acie duplici, 1112. e
Milliaria lapidea litteris plena viam docentia, 909. e. 1361. a. 1465. a
Minæ sæculi contemnendæ, 180. a. b. c
Minimi Christi quinam, 568. e
Miracula Dei quotidiana, non facilitate, sed assiduitate viluerunt, 614. e. 637. e. 1025. e. Novit Deus quomodo miracula sua debeat commendare, novit agere ne vilescant, 1150. c. Miracula Domini in corporibus & in animis, 517. c. Miracula Christi propter significationem facta, 518. b. Apta huic rei similitudo, 518. b. Miraculis corporalibus ædificabat fidem Christus, 470. a. Ecclesiæ postea fides fine miraculis laudabilior, 470. c. Miraculum de quinque panibus, 637. d. Miracula nunc majora Christus operatur, 470. f. Miracula faciunt boni & mali, 490. e
Miseriæ similitudo cordis duritiâ solvit, 1062. c
Misericordes, 312. d
Misericordia & justitia Dei, 48. d. Misericordia Dei non præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam, 119. b. Misericordia Dei quanta erga hominem, 120. g. ubique nos prævenit, 898. c. Misericordia nulla major, quàm quæ à Christo nobis præstita, 923. c. De misericordia Dei ne sibi blandiantur qui non conantur adversùs peccata, 121. a. b. Misericordia prærogatur, postea severitas reddetur, 163. a. Tempore misericordiæ utendum ad pœnitentiam, 557. e
Misericordia, vera eleemosyna, 549. b. Animæ præsertim impendenda, 549. b. Misericordia gemina, 1062. f. Medicina est vulneribus quotidianis, 1061. e. Deo nos reconciliat, 1061. e. *V.* Eleemosyna. Opera misericordiæ.
Missa fit catechumenis post Sermonem, 275. a.
Mites quinam sint, 311. f. 434. a. g. 437. a. Deus irascendo mitis, 132. e. Christus mitis & humilis, quomodo nec sileat nec mitescat, 1130. c
Modus in rerum concessarum usu quàm difficilè tenetur, 1126. e

Mœchiæ prohibitio, 43. e. Mœchia ſexto & nono præcepto prohibita, 45. b. Mœchia viris vetita non ſecus ac feminis, 56. c. *& ſeq.* De præcepto non mœchandi multis diſputat Auguſtinus, quare, 51. c
Monaſterium ab Auguſtino primùm in horto, & pòſt in epiſcopii domo inſtitutum, 1380. d. Servi Dei in monaſterio, 947. d
Moneta Chriſti homo, 495. a
Monomachia Goliæ & David, 159. e
Mons Chriſtus & Eccleſia, 221. b. 222. f. & Synagoga, 222. f
Mons in mare miſſus ab Apoſtolis, 484. a
Montes Iſrael, ubi paſcua bona, 238. d
Moribus & vocibus laudare Deum, 1054. e. Non faciunt bonos mores niſi boni amores, 1253. f
Moriendum, ut vivamus, 816. f. Mors quædam eſt malæ vitæ mutatio, 978. e
Mors duplex, prima & ſecunda, 1331. a. Mors ſecunda & mors vocatur, & nemo ibi moritur, 1240. f. Mors, quæ ſi volueris, non erit, 1330. g. Mors prima omnibus neceſſariò ſubeunda, altera ſolis malis parata, 1331. a. Mors primis parentibus intentata, 1272. f. Mors omnibus ſtatuta, 1133. c. 1330. f. 1324. b. Debitum eſt quod nemo evadit, 1055. g. Moriendi neceſſitas ab ipſo exortu, 424. e. Sola mors hîc certa, 516. b. Mors pœna peccati, 800. a. 829. e. 977. f. 1115. g. 1217. c. Conditioni mortis & legibus inferni obſtrictus naſcitur omnis homo præter Chriſtum, 978. a. Mortem fidelibus & ſanctis Deus relinquit ad luctam, 1217. c. Mors in Chriſto mortua, 431. a. 986. d. Mors morietur in nobis, victura eſt in damnatis, 986. d. In reſurrectione ſoli juſti liberabuntur de corpore mortis, 740. e
Mors amari non poteſt, tolerari poteſt, 1215. c. Mortem horret non opinio, ſed natura, 827. b. 1104. d. 1215. e. Eſt quoddam dulce vinculum corporis, & ligatus eſt homo, & ſolvi non vult, 1209. d. Mortis timor diviti homini continua tribulatio, 196. f. Mortis timor quàm vanus, 777. g. *& ſeq.* Quid agendum ut non moriamur, 778. b. Mortis timorem Chriſtus reſurgendo abſtulit, 703. b
Mors ſecundùm ſpiritum, 1431. d. Mors animæ, 937. c. Mori poteſt & non poteſt anima, 369. b. 1105. b. Mors tum corporis, tum animæ, quibus indiciis cognoſcitur, 370. b. Mors animæ timenda magis quàm corporis, 371. a. 776. f. 1105. a. Non timenda mors temporalis, ſed æterna, 1133. c. Corporis & animæ mors æterna, quæ ſit, 371. c. Mortis æternæ quantum immineat omnibus periculum, 1356. a. Qui tanta agis ut paulò ſeriùs moriaris, age aliquid ut numquam moriaris, 1227. g
Mors quænam verè bona vel mala ſit, 535. b. Non probat malam mortem, niſi tempus poſt mortem, 536. b. Morte peccator præoccupatus ante emendationem, 106. b. Morientis ſtatim poſt veram converſionem Deus non annotat facultatem, ſed coronat voluntatem, 100. g. Mortis dies incertus, ſed vicinus, 199. e. 740. c. Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies, 199. f. Mortis dies cujuſque eſt noviſſimus dies, 823. e. Comes morienti aut vita erit, aut pœna, 714. g. Non eſt in hominis poteſtate quo exitu hanc vitam finiat, ſed eſt in hominis poteſtate quomodo vivat, ut vitam ſecurus finiat, 1239. c
Mortis umbra via peccati, 1450. d. Mortis cogitatio cum mortuis ſepelitur, 1408. e
Mors pecorum Ægypti, 43. e
Mortalitas ex peccato, 36. d. f. 41. d. 1414. g. Mortalitas in Chriſto vera, 1415. c. Cur ab ipſo ſuſcepta eſt, 36. d. f. Homini mortalitas ad humilitatem prodeſſe debet, 515. f
Mortificatio carnis opus noſtrum in hac vita, 754. b
Mortui quare dormientes, 503. d. Mortuorum duo genera, 517. e. Tres mortui à Domino ſuſcitati, 517. g. 518. e. 519. b. In iis tres peccatorum gradus figurati, 632. g. Mortui mortuos ſepelientes, 528. c
Mortuorum luctus qualis prohibetur, 827. b. Solatium in mortuorum luctu, 829. b. f. Orationes, eleemoſynæ, & oblationes pro mortuis, 827. e. *& ſeq.* d. Quibus proficiant, quibus non, 827. f. *& ſeq* a. Non mortuis nova merita per hæc comparantur, ſed eorum præcedentibus conſequentia iſta redduntur, 828. a. Ægyptiorum mos circa mortuos, 1411. g. *V.* Defuncti.
M o y s e s miniſter legis, 605. d. Perſonam Chriſti geſſit, 666. e. 1438. b. Quomodo Deus Moyſi apparuit, 34. e. *& ſeq* 37. d. *&c.* Qui Moyſi loquebatur, Chriſtum fuiſſe, quorumdam opinio, 38. b. Aliorum ſententia, Angelum Moyſi apparuiſſe, non Chriſtum, 39. c. Signa data Moyſi, cùm ad liberandos Iſraelitas mitteretur, allegoricè exponuntur, 36. c. *& ſeq.* Moyſis Canticum, 1442. a. Moyſis facies ſplendida, 410. f. Tabulæ Legis datæ Moyſi à Deo, 54. a. Moyſis dubitatio fuit figurativa, 1366. c. Moyſis manus contra Amalech nunc extentæ, nunc demiſſæ, 1369. a. Moyſes in monte moriens quid adumbravit, 1367. e
Mulieris nomine ſecundùm Hebræam linguam non virgineum decus negatur, ſed ſexus oſtenditur, 886. a. 1167. b. Locus Apoſtoli, quo dicitur Chriſtus de muliere natus, 305. d. Mulieri major adhibetur cuſtodia, quia major infirmitas, 57. b. Mulieres ad eccleſiam in ſuperbo veſtitu venientes reprehenduntur, 166. f. ſed modeſtè ac parcendo illarũ pudori, 167. a
Mulieres duæ coram Salomone litigantes de filio, 64. g. *& ſeq.*
Mulier curvata, decem & octo annis in infirmitate, 560. e. 1503. e
Mulier tangens fimbriam Chriſti, cùm eum turba premit, 358. e
Mulier adultera, 80. c. 1230. f
Mulier peccatrix ad pedes Domini recumbentis, 521. b
Mundicordes, 312. e. His promiſſa viſio Dei, 314. e. Studium mundandi oculi cordis, 472. e. Munditiès carnis & ſpiritûs præcipitur, 223. d. Animi munditiam ſequitur munditia corporis, 224. d
Mundus dicitur à philoſophis animal magnum ſine corporis ſenſibus, cujus anima Juppiter aut Hecates, 1007. d. & fingitur æternus eſſe, 1007. e. Sex ætates mundi, 608. b. 1060. g
Mundus ſcorpius, 544. d. torcular abundans preſſuris, 105. f. fornax aurificis, 1224. e. Mundus in Scripturis duplex, bonus & malus, redemtus & damnatus, inimicus & reconciliatus, 435. c. 514. b. 595. e. 963. c. 1321. e. Mundus bonus ex malo factus, 513. e. Mundus perſequens mundum, 513. g. Mundus peccatores, & dilectores mundi, 820. e. Mundum, id eſt filios infidelitatis, regit diabolus, ut princeps & caput, 695. f. g. 963. a. 965. f. Mundi contradictio, 1347. c. Mundus per Chriſtum nobis victus, 516. e. Sæviat mundus, non nos frangit; quia ad Chriſtum pertinemus: blandiatur mundus, non nos ſeducit, quia ad Chriſtum pertinemus, 640. b. Non poteſt ſuperare mundum ſævientem, qui non poteſt ſuperare blandientem, 1300. a
Mundi pulcritudo conſideranda, ut ametur qui fecit, 378. f. Mundus ſpecioſus & fœdus, 433. b. Mundi contemtus, 544. f. 1334. c. Mundus amatur etſi fœdus & amarus: quid ſi formoſus & dulcis eſſet? 199. b. 1255. c. Quidquid nobis temporaliter mundus arridet, magis eſt periculum, quàm ornamentum noſtrum, 1375. f. Mundo fallaci creditur, non Deo, 758. b. Mundus amatores ſuos relinquit, 199. b. Mundus ruit, ideo hinc migrandum, 348. d. Mundi ſeneſcentis & deficientis preſſuræ, 438. c. Eremus Chriſtiano eſt hic mundus, 14. f
Munus. Te quærit Deus magis quàm munus tuum, 442. a
Muneris dies, 101. b. 282. e. g
Murmurantes contra Deum de malorum proſperitate, 96. b. *V.* Felicitas.
Muſcarium, 246. e

N

NABUCHODONOSOR invenit miſericordiam, 1222. g. Ipſi præſtitum eſt ut crederet in Deum, & evaderet gehennas æternas, 1324. f
Natalis dies Chriſti tantùm & Johannis ab Eccleſia celebratur, 1151. f. 1168. g
N a t h a n a e l ſub ficu, genus humanum ſub peccato, 597. f
Nativitas noſtra duplex, 596. g. 1469. b
Natura & vitium, 101. d. Naturæ auctor Deus eſt, 1190. b. Natura nulla à Deo non condita, 943. f
Naufragium, 1333. g
Navis jactata tempeſtate, 412. b
Navigia duo, populi duo, 1039. c
Neceſſaria hîc multa homini, quia infirmus eſt, 191. d. Bona terrena ſint ad neceſſitatis uſum non ad caritatis affectum, 843. e. *& ſeq.* Unum neceſſarium, 537. g. 1053. a
Negare ſe, 512. b. 1288. a. 1290. c. Negare Chriſtum factis, 876. f
Negotiator demens & damnoſus, 112. d. Negotiator naufragus propter aurum perdit animam, 1333. g. Negotiator fraudi & perjurio obnoxius, 1231. c
N e m e s i a n u s puer martyr, 1149. b
N e p t u n u s mendacium factum ab homine, 905. e
N e r o Romam incendit volens videre quomodo Troia arſerit, 1101. a
Ninive juxta prophetiam everſa, ſed per pænitentiam, 1416. f
Nocere piis non valent potentes ſæculi, 180. c. Bono malus nihil verè nocet, ſed prodeſt, 164. c. 1208. b. Nocens humilis eſſe non poteſt, ſuperbus eſſe non poteſt innocens, 1373. c
N o e. Reprehenſione digniores qui nunc Chriſto ædificante Eccleſiam non convertuntur, quàm qui olim Noë ædificante arcam, 1417. a
Nomen Domini in vanum accipere, 42. a. b. *&c.* Si ſibi vult prodeſſe nomen Domini, recedat ab iniquitate qui invocat nomen Domini, 386. b
Novacula homo malus, 164. d. 363. a
Nox iniquitas hujus ſæculi, 33. d. tribulatio, 184. e
Nuditatis poſt peccatum pudet, non antè, 597. g. 720. a. b
Numerorum myſtica expoſitio, ternarii & quaternarii, 1043. b. &c. ſeptenarii, 450. f. 508. a. 572. d. 1028. b. 1033. a. 1036. f. denarii, 300. c. 301. a. 1037. a. 1043. b. 1098. d. *&c.* undenarii, 301. b. 450. e. quadragenarii, 300. c. 920. c. 930. f. 1042. e. 1043. b. 1077. c. quinquagenarii, 1042. e. 1043. b. 1044. a. Numeri LXXVII. ſignificatus, 301. a. 450. & numeri CLIII. piſcium, 1036. d
Numerus, & ſuper numerum, 87. d. 1035. a
Numida hæreticus ſchiſmatis Donatiſtarum auctor, 246. e
Numidia pingues campos & frumentarios habet, ſed ſine olivetis & nemoribus, 246. f. 246. d
De Numidia nata pars Donati, 55. e
Nummus Dei homo eſt,
Nuptiæ filii regis, 487. g. *& ſeq.* Nuptialis veſtis, 490. c

O

OBEDIENTIA Abrahæ, 5. d. Obedientia pueri Jeſu, 292. c. Primas partes obedientiæ retinere, 1200. b
Obſervantia in poteſtates & in majorem quemque ſit ordinata, 360. c. 362. e
Objurgatio peccatoris, ut ſalubriter confundatur, 685. e. Objurgatio amantis nonnumquam acerba, 1270. e
Obtrectatorum calumniæ ſine rixa refellendæ, 1389. b
Occidere malos non cuilibet licet, 1230. d
Octavæ Infantium, 1064. e. 1469. a
Octo Martyrum baſilica, 1388. d
Oculus à velocitate appellatus, 327. f. Oculi dicti lumina, 12. g. Oculorum nomine ceteri ſenſus ſignificati, 567. b. Oculi carnis & oculi cordis, 767. a. 1151. b. Opera noſtra nunc tota eſt ſanare oculum cordis, 472. c. Oculi non vident, ſed quidam per oculos videt, 614. c. 1004. f. An corporis oculis videri Deus poſſit, 313. c. *&c.* 1113. f. *& ſeq.* Oculis corporeis Deus non per ſeipſum, ſed per creaturam viſibilem apparuit, 34. e. *& ſeq.*
Odium ira eſt inveterata, 340. f. Ira, feſtuca; odium, trabes, 274. d. 440. c. Odium citò deponendum, ne corrumpat cor, 1128. e. Odia nolite concipere, aut citò finite, 106. a. Odium ei qui odit graviùs nocet quàm alteri, 440. g. Homicida, qui fratrem odit, 274. f. In tenebris & in carcere eſt qui odit, 933. e. Odium concipiendum, non hominis, ſed ejus quod malè fecit homo, 129. f. 686. c
Odor bonus, ſancti, 1107. b. quomodo aliis ad vitam, aliis ad mortem, *ibid.*
Offenſæ donandæ exemplo Chriſti, 936. b
Oleaſter & oliva, 492. b. 913. f. 917. d. 961. b. 1322. b. Rami naturales præciduntur, inſeritur oleaſter, quare, 425. b
Oleum & oliva, 434. c. Oleum & amurca, 91. d. 105. f. 106. a. Oleum ementes & vendentes, 505. b. Oleum portare ſecum, 504. d. Oleum alienum, 504. f
Oleum Chriſti, etſi per peccatorem miniſtretur, non eſt oleum peccatoris, 1085. b
Onerum duo genera, 791. c. Sua cuique onera peccata

peccata, 791. f. Onus pigritiæ, 792. b. Onus paupertatis, 794. a. & divitiarum, *ibid.* b.

Opes magnæ Chriſtianorum ſunt neceſſitates egentium, 1229. b

Opus bonum, non quod timore fit, ſed quod amore, 10. a

Opera bona, dona Dei, 1296. d. Sic Deus in nobis operatur, ut & nos operemur, 79. e. 755. a. Bona opera habere malus non poteſt, 404. c. Fides non ex bonis operibus, ſed bona opera ex fide, 10. a. Juſtificatio ex fide ſine operibus, 9. e

Operum bonorum finis, 58. b. Bonorum operum merces non iſto tempore ſperanda, 71. d. Opera bona quomodo coram hominibus & non coram hominibus facienda, 255. a. 707. d. *&c.* In bono opere laudem noſtram quærere prohibemur, 1308. c. Bona opera in manifeſto facta duplicem habent utilitatem, 1307. b

Opera miſericordiæ nunc temporis exercenda, 70. b. 448. c. 536. d. 932. c. 1061. d. 1068. g. Miſericordiæ opera ſuperare debent offenſiones noſtras, 1062. e. Opera miſericordiæ ſola commemoranda ſunt in judicio, 349. e. Opera miſericordiæ in hac tantùm vita, non in futura erunt, 63. g. 70. b. 193. f. 540. c. 1435. d

Operarii ad vineæ culturam conducti, 463. b

Orat Chriſtus pro nobis, orat in nobis, oratur à nobis, 1482. f. Orat, & dat quod orat, 958. f

Oratio ſpes unica in malis ſæculi præſentis, 429. d. 431. g. quando dormitet, 432. d. Ad orandum ſimilitudinibus Chriſtus hortatur, 353. c. 541. e. 574. e. Ad quid oratio noſtra, ſi Deus novit quid nobis neceſſarium ſit, 324. c. 428. g. Oratione ſua humiles contingunt Deum, 223. a. Orat deſiderium, etſi lingua taceat, 432. d. 722. d. Orationis fons fides, 574. g. Non orat, niſi fides, 807. a. Si fides deficit, oratio perit, 574. f. Oratio jejuniis & eleemoſynis adjuvanda, 926. e. 1394. f. g. 1398. f. Alæ duæ orationis, geminæ eleemoſynæ, 342. c. 921. d. Juſtorum orationes cum lacrymis & gemitu, 157. c. Duo cavenda invocanti, 323. c. Multiloquium in oratione vitandum, 324. b

Orandum pro inimicis & perſequentibus, 90. c. 710. b. Oratur pro infidelibus, ut credant, 808. d. A Deo petitur hoc ipſum quod ab homine exigitur, 797. d. Invocandum Dei adjutorium, 790. c. Beneficia temporalia & æterna quomodo petenda, 432. c. Temporalia à Deo petentes nihil petunt, 700. a. Superflua petens propitio Deo non exauditur, 165. b. 432. c. f. Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem, habete pro magno exaudiri ad utilitatem, 1378. b. Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis, 1378. c. Crede Patri, quia ſi tibi expediret, daret tibi, 432. f. Diſcite hoc petere à Deo, ubi non timeatis exaudiri, 1278. b. Nolite aliquid à Deo quærere niſi Deum, 1292. a. Deus & cùm differt adeſt, & quòd differt adeſt, & differendo adeſt, ne præproperam cùm implet voluntatem, perfectam non impleat ſanitatem, 788. b

Oratio Dominica exponitur, 322. g. 323. *& ſeq.* Catechumenis ſymbolum priùs, & pòſt oratio Dominica traditur, 323. a. *& ſeq.* 331. d. *&c.* Oratio tradita redditur à Competentibus poſt octo dies, 337. e. f. 343. d. Oratio Dominica in Dei ſacrificio, 974. c. quotidie dicitur ad altare, 342. f. Perceptioni Euchariſtiæ cur præmitti debet, 96. g. Oratio Dominica quaſi quotidianus baptiſmus, 942. e. Quotidianus penicillus quo terguntur peccata, 869. g. Medicina quotidiana, 96. f. Deſideriorum forma in Dominica oratione, 324. d. In ea pactum de remittendis debitis, quo tenemur & nos fratribus ignoſcere, 328. b. 934. b. 1370. a. *&c.*

Originale peccatum, 821. b. 834. f. 1190. b. *&c. V.* Peccatum.

Ornamenta feminarum, 780. c

Oſculantur ſe Chriſtiani inter ſacrificiũ, 974. c

Oves Dei quænam, 266. c. Oves paſcuæ & manuum Dei ſumus, 248. c. Ovium curam Deus ipſe ſuſcipit, 237. d. Ovium ſpes, ſanitas & requies in ſolo Deo, 238. f. g. Oves ad quas Chriſtus miſſus eſt, 420. f. Oves Chriſti multæ ex Judæis, ſed non ſolæ, 19. a. Oves audita paſtoris voce ſalvantur, 259. d. Ovis per Chriſtum ad ovile reductæ ſecuritas, 1449. c. Errantes oves non ſine ſanarum periculo negliguntur, 232. g. Dilectionem Chriſtus poſtulat ſibi erga oves ſuas impendi, 1045. c. Tres perſonæ ad ovile venientes, paſtor, fur, & mercenarius, 665. f. Diligendus eſt paſtor, mercenarius tolerandus, cavendus latro, 666. a. *V.* Paſtor.

P

PACTUM dimittendi, ut dimittatur nobis, 933. b. 1269. d

Pænitens, homo iraſcens ſibi, 150. e. 569. d. & ſuus ipſe punitor eſt, 1127. f. Pænitentis eſt peccata propria & agnoſcere & punire, 101. e. Punitens conari debet peccata omnia perimere, 120. f. De reliquis in conatu invento facilè ignoſcitur, *ibid.* Si non te invenit dies ultimus victorem, inveniat vel pugnantem, *ibid.* Lacrymæ ſanguis pænitentis, 1356. f. Ad pænitentes admonitio, 983. e

Pænitentia eſt quædam in ſe ipſum iracundia, 102. a. 1102. d. Infructuoſæ arbori ſtercus adhibitum figura pænitentiæ, 1047. f. Pænitentia impænitenda, 1047. e. Pænitentia triplex, 1351. g. 1363 d. Prima quæ ante baptiſmum, 1351. g. 1363. e. Altera quæ hìc omnium eſt ac perpetua, 1352. d. 1369. c. Tertia ſeverior pro peccatis mortiferis, 1356. e. 1370. f

Pænitentiæ humilitas quàm neceſſaria, 1350. d. etiam juſtificatis, 1353. c. Vitæ hujus pænitere nos debet, quia corruptioni & tentationibus obnoxia eſt, 1352. d. In eos qui pænitentiæ negligendæ exemplum ex aliis ſumunt, 1359. f. 1360. f. Deus non puniens non perdidit potentiam, ſed exigit à te pænitentiam, 408. c. Quibus modis Deus ad emendationem ſollicitat, 117. f. Pænitendi tempus, 96. f. Pænitentia poſt judicium cruciabilis eſt, non ſanabilis, 100. f. Poſt judicium infructuoſa eſt, nunc fructuoſa, quando correctio libera, 118. b. Pænitentia perverſa, 96. a. Priſtina vita poſt pænitentiam non repetenda, 916. c. Pænitentia ſterilis, nihil prodeſt, 351. b

Pænitentia relapſis poſt baptiſmum amplectenda, 1358. g. Non in occulto ſolùm, ſed qualis agitur in Eccleſia, 1504. e. Pænitentia publica Theodoſii, 1504. g. Pænitentiæ agendæ ratio, & ſatisfactionis modus à præpoſitis ſacramentorum accipiendus, 1359. c. Impoſitio manuum ſuper pænitentes, orationis indictio & diſcuſſio ipſorum, 983. f. Pænitentis reſurrectio & ſolutio in Lazaro figurata, 520. d. Pænitentiæ locum aliqui petierunt, alii excommunicati in eum locum redacti ſunt, 983 f. Quidam nolentes inde ſurgere, quaſi electus ſit locus, 983. g. Pænitentiæ quorumque criminum locus in Eccleſia non negatur, 387. e. Pænitentiam peccatis dandam negantes quidam hæretici facti ſunt, 1371. d. Paganis pænitentiam ſuggillantibus reſpondetur, 1371. d

Pænitentia in Deo dicitur mutatio ſententiæ, 119. e

Pagani lapides mortui, 129. b. Pro diis habent homines mortuos, 1106. c. Paganorum ſuperſtitio deletur, 131. f. Pagani intus credentes, ſed erubeſcentes confiteri, 1132. b. Paganorum ſcandalum ex preſſuris mundi, 437. f. Eorum in Chriſtianam religionem querelæ ex vaſtatione Romæ, 439. b. 1200. e. Paganorum res rapere non licet, 851. c. Piis operibus ſecernuntur Chriſtiani à paganis, 907. g

Palea ſunt carnalia quærentes, ſive ſint intra, ſive foris, 1041. a. Palea poteſt fieri frumentum, 1041. b

Panis terræ viventium, 221. a. Panis quotidianus duplex, corporalis & ſpiritalis, 333. g *& ſeq.* Quinam quotidianus panis petitur in Dominica oratione, 326. e. *&c.* (*V.* Euchariſtia.) Tres panes dati amico, 542. g. Miraculum ſeptem panum allegoricè, 508. a. Myſteria in iis qui ſaturati ſunt de ſeptem panibus, 508. d

Pantomimus, 908. d

Paraſceven Judæi etiam Cœnam puram vocant, 965. a

Paralyticus aperto tecto depoſitus ad Dominum, quid figuret, 232. a

Parcens crudelis, feriens pius, 82. d. Vis ut tibi parcat Deus? tu tibi noli parcere, 1202. d

Parentalia, 1409. a

Parentes duo ad mortem, & duo ad vitam, 121. d. Parentes non agnoſcere & non honorare, caninum eſt, 43. e. Parentes quomodo honorandi, 528. b. Filius in matrem injurioſus cum reliquis ſuis fratribus divina ultione punitus, 1276. d. 1277. a. Parentum imprecationes in filios, quàm reformidandæ, 1277. g

PARMENIANUS, 1396. f. Donati errorem confirmavit, 235. e

Parſimonia jejuniis conjungatur, 924. a

Parvuli ſalvatore egent, 834. d. Chriſtus etiam ipſis eſt Jeſus, 834. a 1181 e. Parvulis regeneratio neceſſaria, 576. e. 834. e. Parvulorum baptiſmus & communio, 834. a. Infantes aut ad regnum mittentur, aut in ignem æternum, 1184. b. Parvulus non baptizatus pergit in damnationem, 1186. c. Hujus rei ſatis digna cauſſa fortè non videtur, quia non invenitur, non quia non eſt, *ibid.* Ex duobus parvulis cur unus ad gratiam portatur, alius antè ſuffocatur, profundum eſt inſcrutabile, 141. f. 124. d. e. 799. b. 801. c. Parvulo ante baptiſmum exſtincto vita reddita per orationes Stephani, ut ſacramenta perciperet, 1280. a. Infantes baptizati dicti fideles, 1189. g. verè credunt fide parentum, 1192. b. d. Alieno facto vulneratis aliena fide ſubvenitur, 840. a. 1188. f. Fides reſpondentium pro eis in baptiſmo recta eſſe debet, 840. e. Parvulorum mors ex peccato primi hominis, 860. c. Parvulorum reſurrectio qualis futura, 1009. e

Parvuli, id eſt humiles, 376. f. vel carnales, 123. a. His aptatæ Scripturæ, non ut carnales remaneant, ſed ut proficiant, 123 a. Egregia ſimilitudo de matre parvulum fovente, *ibid.*

Paſchæ octavæ, 705. c. 1059. f. complent ſacramenta Infantium, 1061. c. 1064. e. Paſchæ feriis per dies xv. ceſſant lites &c. 1064. b

Paſcua noſtra, 1449. d

Paſſio Domini nonniſi ſecundùm Matthæum recitari ſolita, 980. e. Voluerat aliquando Auguſtinus ut per ſingulos annos ſecundùm omnes Evangeliſtas legeretur; inde perturbati ſunt homines, 980. e. Paſſionis Dominicæ myſteria explicantur, 960. b. Paſſio Chriſti notatur ſub Pilato; ſive unde colligatur temporis veritas, ſive unde Chriſti plus commendetur humilitas, 947. b. Paſſionis calix amarus & ſalubris, 1287. b. Chriſti paſſiones imitandæ ſunt, non à Chriſtiano deliciæ conquirendæ, 230. a

Paſtoris partes populo explicare quid proſit, 531. f. Officia paſtoris & ovium, 700. f. Paſtoris eſt explanare difficiles locos Scripturæ, 629. e. peccantes arguere, 51. a. errantes oves revocare ad ovile, 132. d. Ceteris Eccleſiæ paſtoribus id mandatum quod Petro, 1199. d. De ovibus quæ ratio reddenda à paſtore, 671. a. Ovium interitus quomodo paſtori imputatur, 235. e. Votum pii paſtoris, 95. b. Paſtoris onus non abjiciendum, 446. g. Paſtorum ſolatia opera bona fidelium, 535. b. Paſtores accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino, 227. f. Lactis percipiendi poteſtas data paſtoribus, 226. g. Lac ſic ſumant, ut ovibus proſint, 227. d. Debita ipſis reverentia, 534. g. Paſtoris vox cum tremore audienda, 248. f. 249. c. A luporum dentibus eruuntur qui paſtorem audiunt, 265. b

Paſtor malus aliquis eſt propriâ malitiâ, bonus nonniſi Dei gratiâ, 1312. b. Unus paſtor bonus, quia boni omnes in uno, 240. d. 671. f 672. g. 673. d. Paſtor idoneus ille eſt, qui vitam rependere valet pro ovibus, 1199. b. Paſtores, non oves, ſed ſe ipſos paſcentes, 225. e. *& ſeq.* Paſtor quis mercenarius, quis caſtus, 668. c. Mercenarii paſtores quomodo utiles, 668 f. Paſtores pauci, mercenarii multi, 669. b. Mercenarius fugiens, 669. c. Mali paſtores in Eccleſia ſimiles Phariſæorum, 668. a. Ovis errantem paſtorem ſequendo non ſecura, 236. d. Paſtor malus non in eo quod de ſuo, ſed in eo quod de Dei profert audiendus, 236. g. Ad paſtores pertinet non tacere; ad oves autem, etiamſi illi taceant, de Scripturis ſanctis verba Paſtoris audire, 236. a. Sub malis paſtoribus oves unde ſecuræ, 235. b. Oves à malis paſtoribus quomodo reducit Deus, 236. a

Patientia vera & falſa, 1140. e Cauſſa patientiæ bona eligatur, 1285. c. Patientiam modò de nobis exigit Dominus, 251. c. Tolera, ad hoc enim natus es: tolera, quia fortè toleratus es, 251. b. Non invenit locum ſapientia, ubi non eſt patientia, 727. e. Sine patientia ſpes futuræ vitæ, ſine manſuetudine patientia nequit cuſtodiri, 758. e. Imitanda Chriſti patientia, 29. f. 413. c

Patientia donum Dei, 1109. e. 1139 d. 1140. g. 1141. a. Patientia à Deo data quomodo noſtra eſt, 1294 e

Patientia Dei erga nos, 404. f. Hac nos ne

INDEX

aburamur, 249. g

Pater noster Deus, 351. b

Pater Deus quæcumque fecit, nonnisi per Filium fecit, 617. b. non alia Pater, alia Filius, sed eadem opera Trinitas facit, 617. e. 656. f. &c. *V.* Trinitas.

Patres antiqui in his & quæ dicebant & quæ faciebant, erant præcones Christi venturi, 8. f

PATERNUS proconsul, 1247. g

Patria cælestis, 199. c. hîc desideranda, 14. f. g. Ad patriam fide suspiramus, 1418. f. In patria nullus orandi locus erit, sed tantùm laudandi, 765. f

PATRICIUS Augustini nepos, 1385. g. subdiaconus, 1386. a

Patrimonium pauperis sanitas corporis, 206. a. 1240. c. Meliùs homo filios Creatori Deo, quàm patrimonio suo commendat, 62. d

Patripassianorum hæresis, 304. c

Patronus noster Christus, 640. c

Pavibundus, 116. d

Pavimentare, 446. b. 1293. f

PAULUS, id est modicus & humilis, 530. a. 808. a. 1131. f. 1266. a. Saulus antea dictus à Saüle, 1266. a. Saulus in Stephani cæde sævior persecutor, 1265. g. Ejus mutatio, 332. f. 838. c 1130. a. propter Stephani orationem contigit, 807. d. e 1270. a. Pictura Stephani lapidationem & Sauli conversionem exhibens, 1270. d. In Pauli mutatione impletur prophetia Jacob de Benjamin, 1129. b. 1295. f. Saulus sæviens gratiâ præventus, 806. d. 807. d. 813. c. 1214. a. 1295. c. In Sauli curatione spes salutis allata desperatis, 840. g. *& seq.* 1123. d. Medicus Christus artis suæ vim in eo commendavit, 1214. d

Paulus à malo se ipso liberatus, 1207. f. ex persecutore prædicator Christi, 1123. c. 1196. f. Quomodo fuit peccatorum primus, 840. e. 837. e. 1213. g. Pauli propria nonnisi mala, 1296. f. Corona Paulo redditur debita, quia præcessit gratia indebita, 1205. b. 1295. b. c

Paulus horrearius Dominicus, 816. b juris divini consultus, 305. b Paulus apud Athenienses prædicans, 711. c. Confert cum Epicureis ac Stoicis, 735. d. Seminator verborum rectè vocatur, 530. c. 711. c. Paulo caussa gloriandi in carne quæ fuerit, 810. c. Pauli in Dei cognitione modestia, 1066. c. Medicamentum elationis in Paulo, 36. f. 788. c. O venenum, quod non curatur nisi veneno! 788. d. Paulum Deus propitius non exaudivit, 115. d. Non auditus est ad voluntatem, quia exauditus est ad sanitatem, 736. g. Ipsius pugna contra concupiscentiam, 720. d. Imperfectum se profitetur Paulus, 735. f. 736. b. 817. a. Infirmitatem suam agnoscens perficitur, 417. f

Pauli gaudium & verba passione sua imminente, 1209. c. 1211. d. Revelatione confirmatus est de sua futura passione & victoria, 1212. c. Paulum mori noluisse ostenditur, 1216. d. Paulus & Petrus pro Christo passi uno die, 1197. c. 1205. a. *V.* 1208. e. Petrus.

Pauper Deo derelictus, quinam sit, 82. g. Verus pauper in pauperum turba vix invenitur, 84. f. Pauper cupiditate possessus divite pejor, 85. d. Verus pauper, 86. b. Pauper spiritu quis, 311. e. Pauper superbus non ferendus, 83. d. 178. c. De Lazari sorte non extollatur, 83. f. Pauper Lazarus in sinum divitis Abrahæ levatus est, 84. c. g. Pauper & dives in eadem sorte felicitatis, si uterque humilis, 84. b. *V.* Dives. Pauperes quæ vitia cavere oportet, 453. g. Cavenda illis cupiditas divitiarum, 455. a. 845. f

Pauperes loco Christi, 1336. c. d. Christus in paupere vestiendus & suscipiendus, 136. a. Pauperum amicitia eleemosynis comparanda, 208. a. Pauperis consortium in æterna felicitate diviti qui ipsum hîc spreverit, non sperandum, 206. d. Erogatio pauperibus semen est in terra, 221. a. Pauperes divitibus instituti laturarii, 100. d. 198. d. 349. c. Pauperum cura, 373. e. *V.* Eleemosyna.

Pauperum tabernacula, 208. b. Pauperis patrimonium sanitas, 206. a. Somnus faciliùs accedit ad duram terram, quàm ad lectum inargentatum, 85. b

Paupertas ex se nec beatitudo, nec miseria, 278. a. Paupertatis propositum in Augustini clericis, 1381. b. 1383. c

Paupertas & divitiæ Christi, 176. c. Fides amico in ejus paupertate servanda est, 204. e

Paupertas animi deficientis, 179. g

Pax vera, 806. a. Pax sectanda qualis, 135. d. Pacem hoc est habere, quod amare, 1392. c. Pax est finis omnium desideriorum bonorum, 806. a. Pax piis promissa, 92. b. 93. f. g. Pax perfecta non erit, nisi post resurrectionem, 281. d. 1073. d. Pacis laus, 1391. e. 1395. d. De pace semper loquendum, 1395. c. Pacis signum, osculum, 974. c

Pacifici filii Dei, 128. b. Deus nonnisi à pacificis videbitur, 128. c

Peccando nihil facti sumus, 120. g. Peccare non debes, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, 768. a. Ad peccandum anima sibi ipsa sufficit, non ad sanandum quod peccatum læserit, 106. e

Peccator per legem fit prævaricator, 606 b. niger est color, 608. f. Peccatores per hœdos significati, 19. d. Tria peccantium genera & tres peccati gradus in tribus à Christo suscitatis mortuis figurantur, 519. b. 632. g. Peccator homo, duo nomina, alterum Deus fecit, alterum homo, 119. g. Peccator pereat, ne homo pereat, 119. g. Diligendus peccator, non inquantum peccator, sed persequendo peccatum, quomodo diligitur æger, persequendo febrem, 20. a. 81. f. 129. f. 686 c. Peccatori perire volenti tamquam lethargico piè succurrendum, 203. e. Peccantes videt & odit Deus, etsi nunc tacet, 95. g. Correptio & judicium futurum in peccatores, qui hoc tempore non corriguntur, 96. d. e. A peccatore non Deus avertitur & convertitur. Aversus est, quia tu te avertisti: tu ab illo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum, 686. d. Resurgendum celeriter à peccato, 520. e. Peccatorem diabolus aut à medicina confessionis avertit, aut in veniæ desperationem impellit, aut in divinæ indulgentiæ præsumtionem inducit, 108. b. *& seq.* Peccator nullus desperet, sed ad Deum per pænitentiam confugiat, 371. e. 1361. e. Sententia Dei in peccatores mutatur, si ipsi mutentur, 119. e. Peccator non nisi paulatim recipit quod amissum est, 1124. d. Sic cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem, 1124. f

Peccatum quasi scorpius est, 721. b. Familiaritas cum peccato, tamquam cum serpente, cavenda, 106. f. Pili peccatorum symbolum, 17. e. 31. a. Peccata sunt catenæ, 638. e. Peccata dicuntur sacrificia pro peccatis, 655. c. 727. b. Peccatum dicitur concupiscentia, quia inde oriuntur cuncta peccata, 741. d

Peccatum originale ex primo homine tractum, 143. d. 328. c. 382. a. 513. e. 576 e. 577. a. 820. a, 821. b 660. d. 733 e. 839. g. 1024. a. 1190. b. 1448. f. Communicatur per gignentium concupiscentiam, 720. c. Adversùs Pelagianos probatur, 800. a. 833. g. *& seq* 839. g. *& seq.* 1185. f. Pelagianorum effugium, dum urgentur verbis Apostoli de originali peccato, 1190. c. Objectio contra peccatum originale, 834. f. 1191. b. f. Contra peccatum originale perperam citatus Apostolus, 1192. e

Peccatum à Deo non est, 111. f. Quod ad naturam pertinet ipse facit, quod ad culpam pertinet non ipse facit, 513. d. Omne crimen, facinus vel peccatum nostræ est negligentiæ; & omnis virtus & sanctitas Dei est indulgentiæ, 529. d. Ad peccandum duo incitamenta, voluptas & dolor, 1139. a

Peccatum transgressio est, cùm aliquid ampliùs homo appetens, justitiæ regulam excedit, 301. b. Peccatum ipsum non amatur, sed ipse inordinatus amor creaturæ est peccatum, 111. f. Peccatum non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus, sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam, 169. f. Peccata omnia aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi, 59. f. In ipsis concessis peccata contingunt, si exceditur modus debitus, 61 d. 1127. a

Peccata quotidiana omnes ex carnis infirmitate contrahimus, 1355. g. Nemo hîc vivit sine peccato, 60. f *& seq.* 101. d. 618. f. *& seq.* 866. b. Tota Ecclesia hîc petit sibi dimitti peccata, 868. b. f. Christus veniens in hominibus non invenit nisi quod damnaret, 163. a. In solo Christo nihil invenit diabolus, 820. g. Christus quomodo peccatum factus, 727. b. Quomodo in ipso peccata, 1414. f. Ignorare peccatum, quid sit, 738. g. Nullum est peccatum quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit rector à quo factus est homo, 523. g

Peccatorum genera duo, in Deum & in hominem, 1125. f. Peccatum in hominem non contemnendum, 441. e. Tres vel quatuor in peccatis progressus, 519. g. 632. g. Peccata gravia quibus debetur certa damnatio, 60. f. 327. d. 1355. a. quæ crimina nominantur, 1069. a. & pænitentiæ laborem exigunt vehementiorem, 1127. f. Peccata carnis mortifera, 445. a. d. Mortifera peccata non facit Christianus, 868. f. Minuta peccata quædam recensentur, 61. c. 336. f. 1069. a. alia sacramentorum & verbi Dei dispensatoribus, alia laicis quotidiana, 1354. b. *&c.* 1355. b. *& seq.* Peccata minuta non contemnenda, 60. f. 328. a. 342. a. Multitudine obruunt nisi à Deo dimittantur, 60 f. 327. b. 1069. d. 1128. a. Peccata gravia devitanda, minutiora triplici remedio curanda, 60. f *& seq.* Peccatorum quotidianorum mundatio & medicina quotidiana, 96. f. 252. b. 327. d. 1069. b. 1127. b. Conditio, quâ nobis relaxantur quotidiana peccata, 870. a. Ad majora scelera non sufficiunt quotidianæ eleemosynæ, ut ea mundent, 61. b. c. Antidotum contra omnia peccata, 1125. f. Peccatum displicere debet, 103. b. Puniendum est aut ab homine pænitente, aut à Deo judicante, 101. f. 107. d. 150. c. Peccata ne desperando augeamus, propositus est pænitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus, 1372. e. Peccata pavimentare, 1293. f. Peccata consuetudine vilescunt, ut jam nec sentiantur, 95. b. Peccati excusatio & perversa defensio, 107. g. 111. g. *& seq.* 120. c. 149. f. *V.* Pænitentia.

Peccatum quandonam non regnat, 632. c. 741. e

Peccatum quod Judæi non habuissent, si Christus non venisset, 389. b. Cur mundus de solo peccato incredulitatis arguitur, 691. a. 693. c

Peccatum in Spiritum-sanctum irremissibile, 403. e. *V.* Blasphemia.

Peccatorum remissio *V.* Remissio.

Peccata aliena non curiosiùs adtendenda, 101. e. Peccata aliena patienter portanda, 17. e. *& seq.* Sic portanda, ut corrigantur, 20. b. Peccatis alienis quis communicet, 479. b. quis non communicet, 481. b

Pectoris tunsio, 102. a. 149. c. 374. b. Pectora tundere, & hæc eadem facere, nihil est aliud quàm peccata pavimentare, 1293. f

Pecunia prodesse & obesse potest, 432. e Pecuniam sanguinem suum quidam appellantes, 114. a. Pecuniæ amor usque ad animæ contemtum, 1288. f

Pelles mortem indicant, 1423. a. Pelles hœdinæ, 18. e

Pentapolis, 247. e. f

Pentecostes dies festus de septimanis factus, 46. f

Pelagiana hæresis exoriens horretur, & gratiam Dei admittere se simulat, 139. b

Pelagiani superbi & litigiosi, 743. d. Pharisæo superbiores, 1165. b. Humilitas ipsorum mendax, 867. d. Ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ, 643. c. 645. b. Naturam multùm laudando decipiunt, 645. b. Multùm plangendi contra apertam gratiam contendentes, 645. a. Impiè garrientes & de suis viribus præsumentes dicunt, Deus me hominem fecit, justum ipse me facio, 576. c. Item, Ut justi simus, libero id arbitrio agimus, 137. b. Vani dicunt, Tu te salvum facis, si volueris, 352. c. Jactant ad Christum se venisse arbitrio suo & voluntate sua, 155. a. Se, ut Deus daret ipsis, rogasse, ut rogarent, priùs credidisse, 807. b. Docent hominem sine peccato esse posse in hac vita, 734. b. *& seq* 866. e. &c. Mortem non à peccato esse, sed à natura; & moriturum fuisse Adam, etiamsi non peccasset, 1217. c. *& seq.* Aliqui ipsorum dicunt omnem hominem à Deo creari etiam nunc immortalem, & omnes pro meritis suis mori, quia omnes peccaverunt; non in Adam, sed in se ex quo creati sunt, 800. a. b. c. Pelagiani carnem omnis infantis carni Christi conantur æquare, 877. f. Christum dicunt salvatorem majorum, non minorum, 878. a. Disputant adversùs peccatum originale, 1191. b. (*V.* Peccatum originale) Baptizandos parvulos concedunt, non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum, 1183. d. Pelagiana vitæ æternæ & regni Dei distinctio planè arbitraria, 1185. c. Concilia contra Pelagianos, & Sedis Apostolicæ in eosdem rescripta, 645. d. Pelagiani malè crebrescentes cavendi, 1218. c. Pelagianos inventos non perversâ misericordiâ occultari, sed perduci ad se jubet Augu-

stinus, 845. c. Pelagiani Augustinum vocant hæreticum, qui eos, licèt meritò posset, hoc nomine non appellat, 1193. f. Contra hæreticos, intellectum bonum quo benedicitur Deus, habere se à natura jactantes, 1446. b. &c.

Perdere animam, ut inveniatur, 1333. c

Perdix contentiosa avis, 240. b. Perdix Jerem. XVII. sine judicio congregans, diabolus, 239. c

Peregrinatio est hæc vita, 14. f. 1339. c. Figurata in Israëlitarum peregrinatione per eremum, 1440. b

Pericula in falsis fratribus usque in finem sæculi, 803. g

Perfectio in hac vita nonnulla est, 765. f. Ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum, 822. f. Perfecti viatores, non perfecti possessores, 818. c. Perfectus peccato usque ad mortem resistit, 1272. c

Perjurium quot modis contingit, 860. c. Perjurium animæ mortiferum, 862. g. Nemo perjurus impunitus, 863. d. Perjurium Davidis magnum peccatum, licèt minus quàm homicidium, 1246. c. Perjurii periculum in juratione, 860. f. *&c. seq.* Juratio omnis idcirco vetita, 1244. c

PERPETUA mulier martyr, 1134. c. *& seq.*

Persecutio & coronæ occasio Christianis numquam deest, 27. e. g. In persecutione militia, in pace constantia coronatur, 1234. d

Perseverantia necessaria, ut benedici mereamur, 33. e. f. Si peris in palea, aurum non eras, sed aurum te esse fingebas, 90. b. Perseverantiâ contradictores vincuntur, 478. d. Perseverantia Ecclesiæ usque ad finem, 183. d. e

Petra virgâ percussa figura Christi, 1364. d. 1366. a

Petra super quam ædificata est Ecclesia ipse est Christus, 415. f. 1097. c. 1194. d. Ædificare in petra & in arena, 230. c

Petreis pedibus tritæ spinæ, 1204. f

PETRUS à petra Christo, 415. f. 1017. a. 1097. b. Apostolatûs principatum tenens, 416. b. in ordine Apostolorum primus & præcipuus, 415. d. 416. g. vehemens Christi amator, 1194. c. in Christi amore promtissimus, 415. d. Petrus Ecclesiæ unicæ typus, 415. d. 981. f. Quia Christus petra, Petrus populus Christianus, 415. f. Petrus ambulans super mare figurat Ecclesiam, 414. f. Personam Ecclesiæ gestat maximè in illo loco, ubi dictum est, *Tibi dabo claves regni cælorum*, 706. b. 1097. c. Petro uni datæ sunt claves, quia Ecclesiæ unitati, 1194. f. Petro Ecclesiæ unitatem figuranti commendatæ oves à Christo, 240. f. 1195. e. In ipso unitas omnium bonorum pastorum figurata, 702. d. Significata Ecclesiæ fortitudo & infirmitas, 416. f. 1195. c. Petrus figuram Ecclesiæ gerens audivit, *Macta & manduca*, 19. g. De eadem visione Petri, 704. d. In Petro uno Christus format Ecclesiam, 664. d. Non supra Petrum, sed supra petram quam confessus est, ædificatur Ecclesia, 1097. c. &c. (*V.* Petra.)

Petri de Christo confessio, & mox de eodem humana cogitatio ac trepidatio, 981. f. 982. a. 1198. b. 1289. f. Hinc primò beatus, & mox satanas dictus, 416. b. Caussa confessionis & caussa trepidationis Petri, 1097. e. Humano & carnali affectu in Christum tenebatur, 1097. a. d. 1198. c. Petrus carnaliter sapiens, infirmus, 11. d. Petrus infirmus sibi ipsi ignotus, 664. e. plus promittit quàm potest, 1197. g. Ante mortem Domini infirmior martyribus ac puellis quibusdam, 1149. b. nondum poterat mori pro Christo, 11. e. Præsumtio ejus & negatio, 702. a. 1203. f. Petrus vitam negando moritur, 1149. e. Petrum respexit Dominus misericordiâ altissimâ, non oculorum carnis intuitu, 1144. f. Præsumserat ille de viribus suis, non de Dei dono, sed de libero arbitrio, 1144. e. Præsumtor paulisper deseritur, ut sibi demonstretur, 1146. c. Christus deseruit Petrum, & inventus est homo Petrus, 702. f. Non fuit illa Petri desertio, sed eruditio, 1146. c. In negatione ostendit Dominus Petro Petrum, in amore ostendit Dominus Petro Christum, 1215. a. Ad horam trepidavit infirmitas, ut præsumtio vinceretur, non ut pietas deleretur, 1144. d. Petri fides passo Domino absorpta, 1016. g. Resurrexisse Christum non credebat, 1016. f. Petrus ob trinam negationem, ter interrogatur de sua dilectione, 664. e. f. 673. b. 703. b. 1044. g. 1195. f. Jam amanti Christus oves commendat, 1198. f. Prædicitur passurus quod non volet, 1203. g. Quomodo nolens passurus est, 1215. b. Petrus potens, non in se, sed in Domino, 418. b. 1203. f. Mendax à se ipso, verax Dei beneficio, 1049 g. 1057. f. De se antè infirmus, nunc ex gratia Christi maturus ad passionem, 1045. e. Petrus confortavit nos per apostolatum, per martyrium, per epistolas. 930. a

Petrus & Paulus inter se comparantur, 1211. b. 1481. a. In illo discamus non superbire, in isto non desperare, 1482. a. Socium sanguinem ambo fundentes diem festum eumdem consecrarunt, 1205. a. 1208. e. Petrus & Paulus unum erant, 1197. c. Eorum natalitia frequentiâ majore celebranda, 1208. e. Petri & Pauli corpus Romæ, 1199. g. Ad Memoriam piscatoris funduntur preces imperatoris, 1481. c

Phanatici, 482. f

Pharisæi primarii quidam erant, veluti ad nobilitatem Judaicam separati à plebe, & quasi egregii Judæorum, 548. b. 810. d. Pharisæorum exterior munditics, 547. f. Pharisæorum fermentum, 634. b. Dictum Christi in Pharisæos spectare & ad malos de Ecclesia pastores, 666. b

Pharisæus & Publicanus, 180. e. 575. e. 1164. e. &c.

Pharisæi, qui Dominum invitaverat, superba cogitatio, 521. d

PHILIPPUS diaconus alius ab apostolo, 1087. a

Philosophi multa de Deo & veritate intellexerunt, 379. b. 682. f. 1003. f. *& seq.* 1446. d. Quod curiositate invenerunt, superbiâ perdiderunt, 683. e. Post Deum cognitum idolis servierunt, 1005. a

Philosophorum commune studium, 712. c

Phlebotomare, 114. a

PHOTINI hæresis exorta in Pannonia, 1040. c. Patrem solum esse dicens Deum, Filium verò nonnisi hominem, negat omnino esse tertiam personam Spiritum-sanctum, 387. b. Error Photini, Christum esse hominem tantùm, 188. c. 500. f. 876. c. 1018. g. 1023. c. Photinianus & Arianus adversùm se divisi, 386. a

Phrenetici, 469. a. 835. e. 1404. b

Phrygia per Cataphryges discissa, 1040. c

Pictor novit ubi ponat quemque colorem 608. f

Pictura Stephani lapidationem & Sauli conversionem exhibens, 1270. d

Pietas est Dei cultus, 455. b

Pignus & arra quo differant, 125. b. d. 757. b. 1472. c

PILATUS & Magi significaverunt gentes ab Oriente & Occidente congregandas, 913. d

Piscationes Domini jussu factæ duæ, quomodo statum Ecclesiæ præsentis & futuræ adumbrant, 1028. e. *& seq.* 1101. c

Piscatores & infirmi cur priùs electi à Christo, 213. c. 467. g. 1481. c

Piscina probatica Siloe, 604. b. Ægrotus aquâ motâ descendendo in piscinam, nec plures, sed unus tantùm sanatus, quid significet, 606. e. 609. d

Pittacium, 852. e

Placere Deo quomodo hîc possimus, 248. e. Placebit tibi Deus, si rectus fueris, 268. f. Deus rectus perverso non placet, 273. c. Valde stulto homini placet, qui sibi placet, 255. e. Quomodo debeamus hominibus placere & non placere, 254. b. 318. d. *& seq.*

Plagæ decem cum decem præceptis collatæ, 41. c. *& seq.*

Plantarium pacis, 265. e

PLATO de stellarum seu deorum natura quid sentiat, 1007. f. *& seq.*

Plorare hîc omnium est, sed maximè ac veraciter justorum, 157. a. *V.* Lacrymæ

Pœna non nocet, si bona est caussa, 1239. c. Adhibeantur in reos pœnæ animo amantis, animo corrigentis, 82. b. Pœna culpæ mors, 978. b. Gehennæ pœnæ diversis diversæ, 776. b. Pœnas quas minatus est Dominus, quidam putant non eventuras, 414. c. Unde nata hæc opinio, 414. d. Christus sustinendo sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam, 825. g. 1002. b

Pompatici ludi, 116. a

Populus & turba differunt, 538. a

Populi duobus hœdis, duobus ovilibus, duobus parietibus, duobus cæcis, duobus navibus significati, 19. d

PORPHYRIUS, 1006. e. Ejus opinio de fugiendo omni corpore, 1007. f

Porticus quinque legem Moysi figurabant, 605. d

Possessio rerum temporalium unde innocens agnoscitur, 610. c. Possessionis terrenæ litigator, 1395. f. Possessio sumus Dei; & Deus possessio nostra, 267. d. Desiderabas omnia possidere: noli per avaritiam, per pietatem hoc quære, per humilitatem, 687. d. Tunc verè possidebis terram, quando inhæseris ei qui fecit cælum & terram; 311. f

Potentium amicitia, cùm saluti obest; contemnenda, 467. g. Observantia in potestates sit ordinata, 360. c. 362. e. Qui bonum facit quomodo ex potestate laudem mereatur, 1230. a

Potestas nobis data adversùs libidinem, 832. c

Potio amara correptionis non respuenda, 57. a

Præcepta decem cum decem plagis conferuntur, 41. c. &c. Tria præcepta decalogi pertinentia ad Deum Trinitati accommodata, 169. c. Præcepta alia septem pertinentia ad homines, 53. e. 170. a. Præceptum utrumque dilectionis erga Christum impletur, 1068. f. Præcepta Dei, quæ sano data sunt tam dulcia; fecit homo sibi tam laboriosa, 473. c. Quidquid durum est in præceptis, ut sit lene caritas facit, 511. b. Non est durum nec grave quod ille imperat; qui adjuvat ut fiat quod imperat, 511. b. Præcepta nullus implet, nisi adjutus gratiâ, 1028. b. 1029. f. Præcepta alia sanis, alia ægrotis dat medicina, 1124. b

Prædestinati sumus, antequam essemus, 761. b. 762. c. Prædestinatis nemo nocere valet, 761. b. Coronat dignum, qui misericorditer vidit, ut vocaret indignum, 381. g

Prædicare super tectum, 1262. d

Prædicatores Evangelii, pedes Domini, 526. g. Prædicatoris inanis est sonus, nisi Deus intrinsecùs operetur, 722. e. Prædicatores pacem ferre jussi, 534. d. Præcepta iis constituta, de sacculo non ferendo, &c. non carliter accipienda, 532. c. Prædicatores in feminis reprehendendis consulant earum pudori, 167. a. Ministerium prædicandi periculosum, 854. d. Verbi Dei inanis est forinsecùs prædicator, qui non est intus auditor, 854. d. Prædicatores sua quærentes quomodo audiendi, 409. f. 410. b. 534. a. 670. a. *V.* Pastor. Presbyter.

Prædictionum & promissorum Dei certitudo ex iis quæ jam impleta cernuntur, 118. e. 198. g

Prælatus seu bonus seu malus, piis nocere non valet, 362. b

Præmium Deus proponit, ut quod præcipit, magis bonum amando, quàm malum timendo faciamus, 93. f. Præmium nobis promissum ipse Deus, 105. b. 427. b. Præmia in sententiis beatitudinum singulis operibus congruentia; 314. b

Præpositis admonendi munus impositum, 94. f. Præpositi mali quomodo bona loquuntur & à subditis audiendi, 409. f. Non sunt imitandi: de hoc elegans similitudo, 1360. g. Exempla mala præpositorum, 229. b. Christiani propter nos, præpositi propter alios, 225. a. *V.* Pastor.

Præsentia dicenda non sunt numquam stantia; 544. d

Præsidium Dei, 1298. d

Præsumtio est, si putaveris quòd à Deo quidem homo es, à te autem justus es, 78. f. De suis viribus ne homo præsumat, 162. a. 730. g. 754. d. 1146. d. *V.* Petrus.

Precatio post concionem, 173. e. 1437. d

Preces pro quibus rebus esse debeant, 204. c

Preces à Jurisperito cælesti dictatæ, 574. a. Qui mentitur in Precibus, beneficio caret; perdit caussam, & invenit pœnam, 574. a

Presbyter & episcopus de superiore loco loquitur, 670. a. Presbyteris ministerium prædicandi verbi Dei commissum, 110. a. Presbyteri, absente Augustino, quibusdam ecclesiasticam disciplinam dederunt, 903. f. Presbyteri ex Augustini monasterio, 1387. g

Pressura & scandalum; 434. b. 437. f

Pretii nostri saccus in cruce solutus, 1198. d. 1286. e. 1303. a

PRIMIANUS, 795. d

Primogenitus cordis nostri, fides, 46. a

Primus in aliqua arte, 1213. f

Principes hujus sæculi, 73. a

Principii nomine Filius Dei significatur, 3. b. c

Priscillianistæ putant non fuisse veram carnem in Christo, 996. c. e

INDEX

Proficiendum ſemper in via ad Deum, 818. b. Semper diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id quod nondum es, 818. e. Si dixeris, Sufficit; periſti, 818. e. Omnes ſic velimus proficere, ut non invideamus proficientibus, non inſultemus deficientibus, 814. c

Promiſſorum Dei certitudo, 198. g. Quod præſtitit Chriſtus, mirabilius eſt quàm quod promittit, 639. e. Amor promiſſorum Dei, contemtus promiſſorum hujus mundi, 163. e. Dominus dura juſſit, ſed magna promiſit, 90. e. Non promiſit tibi Deus, niſi ſe, 668. e. Cupiditates non finiuntur, ſed augentur, ſi præſentia propter terrenas promiſſiones contemnantur, 219. b. Deus nobis debitor factus ex promiſſis, 761. d

Propheta utens optantis figurâ, viſionis ſuæ certitudinem & divini decreti approbationem ſignificat, 116. a. 117. c

Prophetæ cur tot ante Chriſtum præmiſſi, 1473. a. 1474. d. Prophetæ omnes infra Johannem, 1153. d

Propheticus ſermo ad firmandam fidem efficacior, 212 f

Propoſitio particularis, univerſalis, indefinita, 388. g. *& ſeq.* a

Proprium hominis nihil niſi peccatum & mendacium, 162. d

Proſcholus, 852. d

P R O T A S I I & Gervaſii Martyrum natale, 1148. e. Eorum inventio, 1271. d. Ipſo inventionis die memoria eorum celebrata, 1150. a

Proverbium punicum cum Chriſti præcepto conſentiens, 804. c

Providentia Dei, ſine qua nihil contingit, 44. e. Divinæ miſericordiæ tribuendum quod opportunè acciderit nullâ hominum curâ, 218. d

Provincia magni regis, 1354. f

Provincialis, 1231. b. 1354. f

Proximus veriùs dicitur, qui te de proximo adtendit, hoc eſt, miſericorditer reſpicit, 174. g. Proximus omnis homo, 491. g. 1404. d. Proximi nomine inimicus etiam diligendus præcipitur, 710. d. Proximus quantùm diligendus & propter quid, 173. c. 1292. f

Prudentia carnis & ſpiritûs, 746. f

Pſalmi titulus tamquam janua introducit in intellectum, 143. b

Pſalmus XXII. reformationis hominis myſterium continet, 1448. e. baptizandis exponitur, *ibid.*

Pſalterium decachordum allegoricè, 51. f. *& ſeq.* 168. d. Pſalterium portare, & pſalterium projicere, 54. c. f

Publicanus, 111. d. *V.* Phariſæus.

Pudicitiæ amore reſiſtendum in tentatione exemplo Suſannæ & Joſeph, 1327. f. *& ſeq.*

Pugna contra diabolum, 27. b. & contra mundum, 1112. e. Pugna inter amorem Dei & amorem ſæculi, 1329. c. Pugna interior, 57. f. 335. b. *& ſeq.* 629. f. 632. a. 720. d. Nullus hoſtis metuatur extrinſecus; te vince, & mundus eſt victus, 335. b. Pugnare contra carnis concupiſcentias munus eſt Spiritus-ſancti in nobis, 630. c. Tractatus de pugna animæ, 630. g. Pulcritudinem ſuam habet juſtitia, 60. b

Punica & hebræa lingua ſignificationis quadam vicinitate ſibi ſociantur, 368. f. Punicum proverbium, 804. c

Punitur peccatum aut ab homine pœnitente aut à Deo judicante, 101. f. 107. d. 150. e. *V.* Impunitum.

Pupillus quis, 86. e. Pupillorum tutores epiſcopi, 840. c

Q

QUADRAGENARIUS quid myſterii contineat, 300. c. 611. a. 920. c. 930. f. 1042. e. 1043. b. 1077. c. 1098. b

Quadrageſimæ dies toto orbe ſacratiſſimi, 926. b. Significant laborem & humilitatem vitæ præſentis, 921. e. f. 932. b. Quadraginta dies ante, & quinquaginta poſt Paſcha, 611. f. g. 1015. g. 1044. b. 1048. e. Obſervandum anni tempus & dierum numerus, 927. d. Cur Quadrageſimale jejunium ante Paſcha, 928. f. Quadrageſimalis abſtinentia qualis eſſe debet, 924. e. Reſtringendæ deliciæ, non mutandæ, 923. g. 925. a. Pauperum victus eo tempore omnibus imitandus, 932. b. Delicioſi Quadrageſimæ obſervatores, 921. b. 923. g. 925. a. 927. a. 931. f. Pia opera ferventiùs exercenda per Quadrageſimam, 920. f. 921. e. 931. b. A litibus in primis jejunandum, 921. b. Finiendæ inimicitiæ, 926. b. 933. a. Eleemoſynæ largiores erogandæ, 923. a. 932. c. Servanda conjugatis continentia, 925. c. 927. a. 931. b. Crux caſtigandi corporis aſſumenda, 919. g. Qui per alios dies jejunatis, per hos augete quod facitis, 920. g. Perſtringitur ſuperſtitioſa obſervatio vaſa in quibus coctæ ſunt carnes devitantium tamquam immunda, 926. g. 931. f

Quærere. Quiſquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non caſtè Deum quærit, 668. c

Quæſtionarius, 1230. d

Quies Dei ab operibus ſuis, quietis noſtræ ſymbolum, 1100. b. Omnia propter ſpem æternæ quietis agenda ſunt, 53. d. 58. a. b. *V.* Requies.

Quinquagenarii numeri ratio, 47. a. 931. a. 1042. e. 1043. b. 1044. a

Quinquaginta dies & halleluia poſt paſcha antiquæ traditionis, 1042. b. Significant dies futuri ſæculi, 960. a. 1044. a

R

RAPINA ſimul cum furto prohibita ſeptimo præcepto, 45. d. Raptores redarguuntur, 851. e. Raptoris eleemoſynæ Deo non acceptæ, 569. a. 850. f. Quod invenisti & non reddidiſti, rapuiſti, 853. b

Ratio & intellectus differunt, 212. a. Ubi humana ratio deficit, fides proficit, 892. c. Rationis dominatio ad motus inferiores frenandos homini data, 43. f

Ravenna Laurentii Memoria, 1277. a

R E B E C C A in benedictione Jacob quid figurabat, 15. e. f. &c.

Rebaptizatores, 244. f. 245. a. 246. a

Recti & non recti corde, 268. f

Redimere tempus, 92. f. 804. a

Redemti ſumus ſanguine Filii Dei, 121. a. Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit, 121. a

Regio vivorum & mortuorum, 248. d

Regenerationis beneficium, 890. g. 956. f. *V.* Baptiſmus.

Regnum Dei in creaturas rationales triplicis generis, 1441. a

Regnum Chriſti hæreſibus & ſchiſmatîs etiam excitatis indiviſum, 385. e

Regnum Chriſti & ſanctorum in terra poſt ſeparationem malorum, 1060. d

Regnum cælorum, id eſt ſanctorum, qui cæli appellantur, 425. e

Regnum Dei promiſſum, 562. b. Regni cælorum pretium, 1337. c. Quis magnus, & quis minimus in regno cælorum, 1035. e. *& ſeq.* Regnum Dei quomodo caro & ſanguis non poſſidebunt, 1424. b. Inter ignem æternum & regnum cælorum nullus medius locus vitæ æternæ, 776. b. 1184. a. *& ſeq.* Regnum Dei creſcente poſſeſſorum numero non minuitur, quia non dividitur, 478. f

Regula fidei, ſymbolum, 885. d. 142. c

Regulæ ad intelligendas Scripturas, 4. c. g. 7. f. 8. d. 485. g

Reliquiæ ſanctorum ad fidelium conſolationem, 1114. a. Ad Memorias orationum, non ad glorias Martyrum, 1114. b. Reliquiis ſanctorum divinitus honor conciliatus, 1111. g. Reliquiæ Stephani Martyris in Africam tranſlatæ, ac ubique ob Dei beneficia diffamatæ, 1269. a. poſitæ ſunt in loco ſacro, 1271. c

Remedia peccatorum, 60. f. 868. f. 1069. b. *&c.* *V.* Peccatum.

Remedia ſcelerata recuperandæ ſanitatis, 27. d

Remiſſio peccatorum una eſt quæ ſemel datur in ſancto baptiſmate, alia quæ quotidie datur in Dominica oratione, 339. f. Omnium peccatorum remiſſio fit in baptiſmo. 17. e. 28. e. 334. d. 393. b. 643. d. 1438. a. Peccata non ab homine, ſed à Deo dimittuntur & per hominem & præter hominem, 524. b. c. d. 525. e. Non remittuntur extra Eccleſiam, 398. e. 400. f. 403. b. Peccata per Eccleſiam Spiritus-ſanctus dimittit, 392. g. 525. c. Peccata quælibet poſſe dimitti, 1364. b. 1371. d. Peccata quæ vitavimus, in debitis dimiſſis numeranda, 523. f

Reos omnes Chriſtus invenit, 162. g

Requies Dei in die ſeptimo, 53. c. 607. f. Requievit Deus & ſemper operatur, 608. d. *V.* Quies.

Requies beatorum in contemplatione veritatis, 1436. e

Res noſtræ propriè quænam, 46. b

Reſpicere retrò, 412. g. 544. a. g. 1065. b

Reſtituta baſilica Carthag. 101. b 148. f. 487. f. 564. a. 1113. g

Reſurrectio Domini per dies Paſcha les ſecundùm quatuor Evangeliſtas recitari ſolita, 980. e. 997. f. 1024. e. Reſurrectionem Chriſti nec Magdalena credebat, nec Apoſtoli, 1016. d. Magnum eſt cognoſcere virtutem reſurrectionis Chriſti, 814. g. Reſurrectio noſtra mirabilior, 815. a. In eos qui reſurgere Chriſto tantùm licuiſſe dicunt, 1421. f. *& ſeq.* Chriſti reſurrectione ſpem nobis reſurrectionis allatam eſſe, 1414. b

Reſurrectio duplex, in ſpiritu & in corpore, 1431. a. *& ſeq.* Reſurrectio ſecundùm ſpiritum, quæ nunc fit per fidem, 623. c. 1433. a. Reſurrectio ſecundùm carnem futura, 1433. c. ſuadetur, 626. b. e. 1001. f. 1407. g. 1410. b. *& ſeq.* 1415. g. 1430. e. Reſurrectionis fides manifeſtò probata, imprudenter ab hominibus improbatur, 1008. e. Chriſto per quadraginta dies cum diſcipulis agente confirmata eſt, 1079. e. Quomodo à Chriſto perſuadebatur, 578. a. Reſurrectionis promiſſio tot aliis Dei promiſſionibus jam impletis confirmatur, 1012. c. Reſurrectio fides Chriſtianorum, diſcernens eos à paganis & Judæis, 952. a. b. 988. a. c. 1003. f. Reſurrectionis fide ſublata, omnis intercidit doctrina Chriſtiana, 1407. b. Totus hoc mundus credidit; qui non credidit, remanſit immundus, 578. a

Reſurrectio cujuſque cum cauſſa ſua, 1285. f. Corporis reſurrectio aliis in bonum, aliis in malum, 623. e. Corpora impiorum qualia reſurgent, 1431. a. Qualis futura ſit juſtorum reſurrectio, 1417. e. Reſurrectio talis ſperanda, qualis in Chriſto præceſſit, 1421. g. 1426. e. 1434. d. Caro reſurget iſta ipſa quæ ſepelitur, 1056. a. 1078. d. Sed commutabitur & fiet ipſa corpus cæleſte & Angelicum, 1078. d. Caro reſurget ſine vitio, 1002. a. Si carnis vitia non reſurgent, cur in Chriſto cicatrices, 1009. d. Qualis erit parvulorum reſurrectio, 1009. e. Corpus ſanctorum poſt reſurrectionem immortale, 740. g. Erit omnino incorruptibile, omnino immortale, omnino ad movendum agile & facile, 1007. b. Credere debemus talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, ibi ſimus, 1010. b. 1012. b. In beatorum corporibus pulcritudo erit omnibus numeris abſoluta, 1015. e. Erit claritas & diverſa ſpecies claritatis, quia diverſa ſunt merita caritatis, 1008. a. Carnis non erunt eadem opera poſt reſurrectionem, 1427. d. Non ad paſſiones dolorum, ſicut impii, reſurrecturi ſumus, nec ad gaudia carnalium deſideriorum, 938. a. Vita ſimilis Angelorum erit, carens operationibus corruptionis & indigentiæ, 1427. g. 1428. c. 1434. g. Membra corporis erunt alia ad uſum, alia ad ſpeciem, 1014. a. 1115. b. Manducandi poteſtas erit, ſicut in Chriſto, non neceſſitas, 1009. b. 1423. e. Nec interiora membra, nec ipſa corda latebunt poſt reſurrectionem, 1014. d. 1015. a. Quales erimus, ſciemus cùm fuerimus; antequam ſimus, temerarii non ſimus, ne illud non ſimus, 1119. d. Reſurrectionis celeritas, 1428. g

Retribuere Deo aliquid non valemus, 1049. d

R H A D A G A Y S U S, 547. a

Riſus, & fletus, 835. f

Rogatiſtæ, 677. a

Roma caput gentium, 132. a. 1482. a. condita à Troianis, 439. d. e. à Romulo, 439. b. Romæ vaſtatio religioni Chriſtianæ ſive idolatriæ exſtinctioni falsò tributa, 439. a. 546. d. 547. a. 1200. a. *&c.* Romæ incendium à Gotthis tertium fuit, 1200. g. Primum à Gallis, & alterum à Nerone præcedens, 1201. a. Romæ Petri, Pauli, Laurentii & aliorum Martyrum corpora, 1199. g

Romani dii dicti etiam qui alibi gentium colebantur, 132. a. 439. d. Romæ dejecti ſunt, 132. a. c

Romanorum peritia, 961. a

R O M U L U S conditor Romæ, 439. b. 545. c

Rubus flammâ inhærente non crematus, quid ſignificat, 37. f

S

SABBATUM ſeptimæ diei ſine veſpera ſignum ſempiternæ quietis, 14. b. Sabbati requies, 607. f. Sabbati obſervatio unde incipiebat, ubi deſinebat, 965. a. Sabbati obſervatio ſpiritalis & carnalis, 43. a. 50. c. 53. d. 58. a. b. 169. e. 661. c. d. 1028. a. Ille verè obſervat ſabbatum, qui non peccat, 1100. d. Sabbatum perpetuum, 1435. c. Sabbatum ſabbatorum,

IN QUINTUM TOMUM.

ſabbatorum, 53. a. 169. g

Sabbatiſmus ſanctorum in terra, 1061. b

Sabelliani, qui & Patripaſſiani, 387. a. 876. c

Saccus pretii noſtri, 1198. d. 1286. e. 1303. a

Saccus pænitentiæ, 1282. a

Sacra paganorum, 905. a

Sacramenta ideo dicuntur, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur, 1104. c. Sacramenta ſunt mutata, non fides, 102. c. Sacramenta quibus formatur Eccleſia, de latere Chriſti manarunt, 962. d. Sacramenta per peccatores adminiſtrata, 1085. b. Gratiæ per ipſa collatæ donator non eſt ipſe homo, 1085. f. Sacramenta apud ſchiſmaticos formam viſibilem pietatis habere poſſunt, non virtutem ejus ſpiritalem, 400. e. Sacramentorum vita, caritas, 65. d. Sacramenta bonis & malis communia, 490. d. Eorum uſus indignis interdum ex neceſſitate pacis Eccleſiæ non prohibetur, 26. e. Sacramenta altaris, 510. c. *V*. Euchariſtia. Sacramenta Infantibus explicantur, 973. b. 976. b. 1103. g. *& ſeq.* Qui ſacramenta fidei percepit in lecto, nec tempus operandi habuit, juſtificatur ex fide ſine operibus, 9. f

Sacrificium uni Deo debitum, 1106. d. 1467. c. Sacrificium contriti cordis, 102. b. Sacrificium Abrahæ in monte, 9. a. Sacrificium veſpertinum, 1323. a. Sacrificium crucis, 1320. d. Sacrificium Chriſti multis figuris prænuntiatum, 1467. c. Sacrificium Deo in Eccleſia, 974. c. 1200. f. 1250. b. Sanctificatur per verbum Dei, 973. c. Illius ordo, 974. b. *&c.* Sacrificium offert epiſcopus vel presbyter, 974. b. Laicis non licet offerre, 667. e. Sacrificium Deo nos ipſi, 268. a. Deus nos quærit, non noſtra, 209. d

Sadducæi Spiritum-ſanctum negabant, 386. f. Eorum error de reſurrectione, 1427. e

Sæculum peccatores, 73. b. Amor Dei & amor ſæculi, 609. f

SALOMON interpretatur pacificus, 67. a. 68. f

Saltatores ſpiritali cantico conſonantes, 1252. e

Salvantur pauci, 562. f

Salvare & ſalvator non fuerunt hæc latina antequam veniret Salvator, 1213. e

Salvator veniens nullum ſanum invenit, 746. g

Salvator eſt adjutorium languidi, ipſe ſalvator eſt præmium ſanati, 750. f

Salus noſtra ex Deo, non ex nobis, 841. d. In loco humili ſalus, in alto periculum, 1380. e. Salus credenti & baptizato promiſſa, 391. e. Diſcernenda à ſalute temporali, 985. a. In eos qui ſibi ſalutem præter regnum cælorum pollicentur, 1357. e. Aliorum ſalus curanda ex caritate, 427. c

Salutare Dei Chriſtus ab antiquis deſideratus, 786. e

Salutatio dicta à ſalute, 577. b

Samaria pro idololatria poſita, 915. d

Samaritana mulier, 530. f

SAMSON, ejuſque hiſtoria allegoricè, 1441. *&c.*

Sancti, ſi in ipſis ſpem tuam poſueris, contriſtantur, 234. c. *V*. Martyres.

Sancti omnes ad Eccleſiam pertinent, 16. a

Sancti hîc non faciunt quæ volunt, 631. b. Quomodo in ſanctis nulla hîc damnatio, 741 g

Sanctificationis modi multi, 1192. f. Sanctificatio & vacatio ſeptimæ diei, 1100. b. Sanctificatio carnis & ſpiritûs, 223. g. *& ſeq.* Sanctificatio noſtra plena, 1037. a. Sanctificatio nulla vera, niſi à Spiritu-ſancto, 46. d. Sanctificatio in timore Dei perficitur, 224. b

Sanctimoniales, 501. c

Sanctimonium, 889. e. Sanctitatis propoſitum ſimulare, 1383. e

Sanandi ſumus à vitiis per medicum Chriſtum, 429. g. *& ſeq.* Homo idoneus ad ſe vulnerandum, non ad ſanandum, 106. d

Sanitas corporis eſt concordia eorum quibus conſtat, 1115. d. Sanitas eſt nihil ſentire, ſcilicet moleſtum & oneroſum, 1115. g. Sanitas membrorum in unitate & caritate, 663. e. Sanitas corporis patrimonium pauperis, 206. a. 1240. c. Sanitas à Deo eſt, 1051. b. Sanitas hujus vitæ longa ægritudo, 424. e. Sanitas vaporea, 430. a. Vera ſanitas eſt immortalitas, 424. g. 1053. g

Sapientes & prudentes, quibus abſcondita ſunt myſteria, 376. f. 378 b

Sapientia auri nomine ſignificata, 281. a. Sapientia in Scripturis aliquando pro aſtutia, 239. f. Sapientia mundi Deo ſtultitia, 1003. a

Sarcina Chriſti pennæ ſunt, 207. c. 793. c. Levis eſt amantibus, 1326. a. Sarcinam Chriſtus non levem diceret, niſi cum portante portaret, 1311. c

Sarcophagi pretioſi, 535. d

Satanæ triumphus eſt diſſenſio Chriſtianorum, 932. d

Satisfactio pro commiſſis cum vitæ mutatione, 1362. d

SAÜL rex peſſimus, 1131. e

SAULUS. *V*. Paulus.

Scandalum ab oculo, à manu, & à pede, 435. e. Scandalum & preſſura, 434. b. Scandalum fratri, peccatum eſt in Chriſtum, 360. f. Contra ſcandala quomodo munimur, 433. d

Scandalum de felicitate malorum, 194. f. *V*. Felicitas.

Scenopegia ſollemnitas de fabricatione tabernaculorum, 648. a

Schiſmata, ſciſſuræ, 1032. b. 1102. a. ſtercora Eccleſiæ, 28. c. ſarmenta præciſa, *ibid.* & 30. e. Schiſmata omnia per carnales fiunt, 25. e. Adversùs hypocriſim ſic certandum, ut caveatur periculum ſchiſmatis, 66. g

Schiſmatici quidam facti dum timent maculari per conſortium peccatorum, 18. a. Schiſmatici ad pacem pacificè revocandi, 1392. f. Rectè coguntur ad unitatem per imperatores, 248. a. Schiſmatici, etſi baptiſmum habeant, non habent Spiritum-ſanctum, 400. d. 1094. b. 1095. a

Scientia ſine caritate inflat, 1099. b. An fugienda ſcientia ne inflet, 1377. d. Ipsâ ſcientiâ punitur conſcientia, ſi non fiat quod diſcitur, 1029. f. Magna ſcientia, confidentia in Deo, 801. d

SCILLITANORUM Martyrum baſilica, 741. c

Scribæ Judæis quinam, 409. b. Scribæ non eruditi in regno Dei, 409. e

Scriptura ſancta ſpectaculum, 273. c. divinus theſaurus, 1310. a. paſcua, 238. d. Epulæ in Scripturis ſanctis, 507. g. & medicamenta, 158. e. In Scripturis ſatietas ſine faſtidio, 8. c. Scripturarum ſacramenta ædificant lapſos, ſatiant eſurientes, 8. c. Ad paſtores pertinet non tacere; ad oves autem, etiamſi illi taceant, de Scripturis ſanctis verba Paſtoris audire, 236. a. Scripturæ ſanctæ ad infirmitatem parvulorum aptatæ, 122. g. Scripturæ & ſacramenta bonis & malis communia, 24. c

Scripturæ quomodo legendæ, 301. g. Regulæ ad intelligendas Scripturas, 4. c. g. 7. f. 8. d. 22. c. 117. b. 144. e. 160. e. 388. f. 395. a. 407. c. 533. c. In Scripturis liceat ſentire quod earum ſcriptor non ſenſit, non tamen quod abhorret à regula fidei & veritatis, 38. c. Propè omnis pagina nihil aliud ſonat, quàm Chriſtum & Eccleſiam toto orbe diffuſam, 242. f. Scripturarum mos in numerando, 300. b. Scripturæ obſcura loca ex aliis apertis illuſtrantur, 220. b. 1437. e. Difficultas non eſt in obſcuris ſenſibus, quando adjuvat Spiritus, 722. d. Scripturæ ideo ſunt obſcuræ, ut pulſetur, 1096. c. Ad jocunditatem clauſæ ſunt, 1368. b. In Scripturis cur quædam clauſa, quædam aperta, 749. c. Alia ſecretiùs poſita, ut quærentes exerceant; alia in promtu, ut deſiderantes curent, 158. f. In omni copia Scripturarum ſanctarum paſcimur apertis, exercemur obſcuris: illic fames pellitur, hîc faſtidium, 389. d. Scripturas ſine ullo errore comprehendit, & ſine ullo labore cuſtodit, cujus cor plenum eſt caritate, 1348. d. Scripturæ omnes nihil aliud te docent, niſi continentiam ab iſto ſæculo, ut amor tuus currat in Deum, 611. c. 220. b. Pia fides & humilis inquiſitio ad earum intelligentiam neceſſaria, 285. f. *& ſeq.* Tene & devotè accipe aperta, ut merito tibi pandantur obſcura, 243. e. Scripturæ ſacræ litigare videntur, 130. e. 282. b. Conciliantur loca in ſpeciem contraria, 130. d. 144. g. 174. a. 237. a. 318. d. 443. a. 696. b. 708. c. Clerici mali pervertere nitentes Scripturæ locum de Evangelio, 667. a

Scripturas ſe ab igne ſervaſſe jactant Donatiſtæ, 263. c

Secreti utilitas, 285. e

SECUNDUS Tigiſitanus, 246. d

Securitas piorum ſub Dei præſidio, 563. c. Securitas peccatori à Dei miniſtris data non prodeſt, niſi Deus acceptet, 204. b. Securitas nulla, niſi ut Dei juſſa audiamus, & promiſſa exſpectemus, 204. c

Sedes, ubi quiſque habitat, 949. d. 947. d

SEGISVULTUS Comes, 680. b

Seminare in lacrymis, 155. *V*. Lacrymæ.

Seminis granum quanta contineat, 1025. e

Semitæ duæ ad regnum cælorum, 1450. d

Sempiternum pro longo tempore, 1471. a

Senectæ querelæ & incommoda, 438. e

Senſus quinque, 501. f. 565. a. In beſtiis nonnullis acutiores ſunt quàm in homine, 1116. a. Sentit anima per ſenſus, 308. d. Senſus feneſtræ ſunt, fruſtra patent, ſi abſit anima, 369. f. 614. c. Curioſitas ſenſuum impedimentum fidei, 565. e. 566. c. Senſuum delectationes licitæ & illicitæ, 760. d

Sententia ultima mittens aut in regnum aut in ignem 1358. a. Sententia Dei in peccatores mutatur, ſi ipſi mutentur, 119. e

Sentinare, 1128. d

Sepeliendi cura, 828. c

Septenarius, 450. f. 508. a. 572. d. 1028. b. 1033. a. 1036. f. 1099. f. 1100. d. Spiritui-ſancto deputatur, 46. d. *& ſeq.*

Septies, pro ſemper, 572. d

Septimus dies non habens veſperam, 53. d. cur à Deo ſanctificatus, 53. b. c

Septuplum pro toto, 450. f

Sermo Dei adverſarius noſter, cui conſentiendum citò, 49. f. 203. b. 556. g. 558. f. 1037. d

Serpentis aſtutia quomodo imitanda, 367. a

Serpens pollicitatione ſcientiæ ſeducens, 1316. a. Non eſt auſus loqui viro, ſed ad eum dejiciendum femineo uſus eſt miniſterio, per infirmiorem obtinuit fortiorem, 892. d

Serpens ex Moyſi virga, 36. c. 41. d. Serpens æneus in eremo ſuſpenſus, 36. d

Servi Dei ſumus, & quia creavit, & quia redemit nos, 114. a

Servientes Deo ſpe carnalis beneficii ad vetus Teſtamentum pertinent, 10. c. 133. d. Quodlibet quiſque facit, ſi hoc animo facit, ut terrenum emolumentum conſequatur, ſerviliter facit, 169. f. Qui propter terrena Deo ſerviunt, vero corde ſervire non poſſunt, 133. e. Servis ſuis utitur Deus, non ad ſuam, ſed ad eorum utilitatem, 59. b. c. Non deneganda Deo fides, quæ exigitur à ſervo, 59. g. 179. a

Servitus peccati, 654. b. Ab ea non liberat niſi Chriſtus, 654. e

Servus hominis, ſervus cupiditatis, 1322. c

Servus fidelis manumittitur, 113. e

Seſſio Chriſti ad dexteram Patris, 949. c

Severitas, quaſi ſæva veritas, 816. e

SEVERUS epiſcopus Milevitanus, 1386. b

SEVERUS diaconus cæcus, 1386. e

Sexus uterque Chriſti ortu honoratus, 892. e. & in ſpem reparationis adductus, 77. d

Signum Chriſti in fronte credentes accipiunt, 951. f. Signum Chriſti in fronte intus portantes, 532. c. *V*. Crux.

Silet Chriſtus ante judicium, nec tamen ſilet, 94. d. 95. f. 98. c

SIMEON ſenex, 786. f. 1122. c. 1153. g. 1458. d

Similis ſimili cohæret, diſſimilis diſſimilem refugit, 87. c. 975. f

Similitudo ſolet capere nomen rei, cujus eſt ſimilitudo, 655. a

Similitudo Dei per peccatum amiſſa, 55. d

SIMONIS Cyrenæi factum Donatiſtæ pro ſe interpretantur, 247. e

SIMON magus, 525. g. 905. g

Simulare propoſitum ſanctitatis pejus eſt, quàm cadere à propoſito, 1383. e

Simulatores operarii in Eccleſia, 68. a

Sinus Abrahæ, 84. d

Sitifenſis civitas terræ-motu concuſſa, 105. e

Sodales quaſi ſimul edales, 674. g

Solis motus & celeritas, 1117. e. Manichæorum error Chriſtum ſolem eſſe perſtringitur, 13. c. 77. b

Solennitas ab eo quod ſolet in anno, 1089. e. Sollemnitates Martyrum celebrandæ imitatione virtutum, 1250. f. *V*. Martyres. Sollemnitas nec præterita præterire permittit, 964. b

Sollemnitas vernacula, 1070. a

Solvendi officium Eccleſiæ datum, ut eorum vincula ſolvantur qui à peccato revixerint, 374. f. g. 520. c. *& ſeq.* 1363. a. 1504. c. Nemo injuſtè ligandus, quia injuſta vincula diſrumpit juſtitia, 442. g. (*V*. Claves.) Ipſe ligatos ſolvit Chriſtus, qui ligatus non eſt, 140. f

Somnus faciliùs accedit ad duram terram, quàm ad lectum inargentatum, 85. b

Sonus vehiculum verbi mente concepti, 148. e

Species non lætificabit in patria, quem fides non conſolatur in via, 472. d

******

Spectacula ludorum vana, 57. f. &c. Spectaculorum dies, 282. e. Spectacula Christianorum, 282. f

Spes alia Gentium, alia Christianorum, 907. c. Spes carnalis, 12. a. Spes Christianorum de æternis, 758. a. Videmus in capite nostro quod speramus, 759. b. Spes nostra resurrectio mortuorum, 1406. g. Quidquid fit, pro spe futura faciendum, 51. d. Sperantibus revelatur dulcedo Dei, 696. e

Spes & res, 263. e. 264. f. 1288. a. Spes lucerna, 186. a. b. Solatium in hac peregrinatione, 764. d. Spei nostræ certitudo, 760. c. Spes non est nisi de aliqua conscientiæ bonitate, 763. d. Si Filius Dei datus est nondum fidelibus, quid servatur fidelibus? 29. d

Spes tota collocanda in Deo, 131. e. non in viribus liberi arbitrii, 796. g

Spes perversa, qua differtur conversio, 108. d. 466. g

Spiritalia non capit carnalis, 1089. g. Omnes gentes spiritalibus subjectæ, 24. f. Idem carnalis simul & spiritalis, 737. a. 738. a. Spiritaliter sapere datur à Spiritu-sancto, 11. c

Spiritus multis modis dicitur, 630. e. f. Spiritus regit, caro regitur, nec spiritus bene regit, si non regatur, 809. a. Spiritu duci quid sit, 718. d. Spiritu Deo servire, 808. g. Non in carne, sed in spiritu esse, 747. e. Spiritus concupiscens adversùs carnem, 748. g. g. *& seq.* a. *V.* Concupiscentia.

Spiritus hujus mundi facit superbos, 1297. a

Spiritus mundi, qui & rectores mundi, 966. a

SPIRITUS-SANCTUS de Patre procedens Deus, 948. c. Patris & Filii Spiritus est, 392. d. 399. b. Unde propriè sanctus dicatur, 46. d. Nusquam dicitur Patre minor, quia non suscepit carnem, 1079. d. Spiritum-sanctum negabant Sadducæi, 386. f. De eodem errores Arianorum, Eunomianorum *&c.* 387. a. Spiritus-sanctus septenario commendatur, 1036. f. 1099. f. 1100. b. d

Spiritus-sanctus, digitus Dei, 48. b. Deus & donum Dei, 392. e. 53. a. Donum passione Christi nobis emtum, 1447. d. Magnum munus post Christi adscensionem, 691. e. Gratia Dei dicitur, 693. e. Arra est potiùs quàm pignus, 757. c. 1472. c. Spiritus-sanctus bis datur, 1082. g. quare, 1083. b. Spiritus-sancti dies quasi natalis, 47. a. Cur quinquagesimo die post resurrectionem venerit, 47. a. 48. b. 1096. b. Cur decimo post adscensionem die, 1098. a. Spiritus-sanctus missus ut impleretur lex, 1099. c. 1100. f. Dono linguarum unitatem Ecclesiæ catholicæ commendat, 1091. b. 1093. d. Hoc est Ecclesiæ, quod anima corpori, 1091. e. Extra Ecclesiam non habetur, 1091. d. 1094. b. Qui non cohæret unitati Christi, Spiritum-sanctum non habet, 47. b. c

Spiritus-sanctus donum, non hominis ministri, sed Dei, 1085. f. Per hominum ministerium & sine hominum ministerio aliquando datus, 525. f. 526. b. 1087. c. 1094. e. 1096. b. Spiritus-sancti accepti quæ aliàs & quæ jam signa, 399. a. 1091. b. 1094. c. 1095. g. Ejus præsentiæ effectûs caritas, 1471. g. Ad Spiritum-sanctum propriè pertinet remissio peccatorum, 398. f. & societas qua efficimur unum corpus unici Filii Dei, 398. g. De animalibus facit spiritales, 1096. g. Si recedat Spiritus Dei, pondere suo Spiritus hominis revolvitur in carnem, redit ad facta carnalia, 747. g. Spiritûs-sancti dona cum beatitudinibus Evangelicis comparantur, 1341. e. De Spiritu aliud est nasci, aliud pasci, 393. b

Sponso obviàm ire quid sit, 501. g

Stellarum fatum fictitium, 891. f. 909. g. 910. a. 913. a

Stellæ secundùm philosophos habent suas animas intellectuales, & sunt dii, 1008. a. 1007. f. Secundùm Platonem immortales naturâ non sunt, sed Dei consilio, 1008. b. 1010. e

STEPHANUS inter diaconos primus, 1268. b. Incertum an ante vel post passionem Domini crediderit, 1269. d. Lapidatur, 493. c. 1129. d. Ejus caritas erga lapidatores suos, 275. e. Sævit & diligit, 275. f. Genu fixo orat pro inimicis, 276. b. Ipsius orationi debetur conversio Sauli, 1482. c. De eodem, 1260. 1261. *& seq.* Detectio corporis ejus, 1271. c. 1274. g. Altare Deo erectum super ejus reliquias, 1271. e. Memoria Stephani qua occasione apud Anconam ante corporis ejus detectionem exstructa, 1278. d. Libellus de homine sanato per orationes Stephani, 1276. d. Parvulo exstincto vita per ipsius orationes reddita, ut sacramenta perciperet, 1280. a. Prodigia à Stephano facta, sed per nomen Christi, 1268. c. 1273. c. Orationes ipsius multa impetrant, non omnia, 1275. a. Stephanus conservus noster, non pro Deo colendus, 1275. b

Stoicorum opinio de beata vita, 713. b. rejicitur, 715. e

Stimulus carnis Apostolo datus, 1377. f

Stratam magnam ad patriam seipsum Christus facit, 63. f

Strenarum celebratio, 907. d

Stultus tenebrosus in corde, 377. b

Subdiaconi ex Augustini monasterio, 1387. f

Successione etiam justa possidens res alienas, si eas concupiscebat, damnatur, 45. e

Superbia vocatur amor excellentiæ, 1377. c. Fallax infirmorum est magnitudo, quæ ubi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat, 1373. c. Superbia, tumor, 1474. e. in vitiis prior est, 1377. c. Superbia invidiæ mater, 689. b. 1373. d. 1376. g. 1377. c. idololatriæ fons, 904. g. *& seq* aliorumque peccatorum, 905. c. parit dissensionem, 234. c. Una mater superbia omnes hæreticos genuit, 234. e. Prohibet à fide in Christum, 575. d. 771. f. Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam, 1379. e. Superbus à discipulatu Christi repulsus, 357. c. Superbis absconduntur mysteria, 379. g. Non perisset homo, nisi superbiâ tumuisset, 601. b. Homo superbus gladio proprio occisus, 732. g. De diabolo debent erubescere mortales superbi: ille enim etsi superbus, tamen immortalis est, 515. f. Conjugatus humilis melior continente superbo, 1376. f. Continens, ne aliquando superbiat, cogitare debet, quid sibi desit, non quid adsit, 1377. b. Contra continentes superbos, 1378. d. Quòd impetrat humilis, amittit superbus, 79. d. Superbi defendentes peccata sua fumo comparati, 120. c

Superbia ex terrena felicitate, 167. c. Vermis divitiarum superbia, 83. c. 175. g. 355. b. Magna contra superbiam medicina Deus homo, 423. d

Superbi habent sursum cor, sed contra Dominum, 133. g

Superflua sua non tribuere indigenti, simile est fraudi, 922. b

Sursum cor, 135. e. 316. g. 436. b. 1337. b

SUSANNA exemplum pudicitiæ conjugalis, 1323. b. Cum Josepho comparatur, 1272. d. Susannæ, quia liberata est, non major exinde felicitas, 1324. b

Suscipere Jesum in cor, 833. b

Suspiciones falsæ hîc origo malorum, 1242. d. Suspiciones malevolæ sunt calumniantium, benevolæ sunt suspiciones gubernantium, 1325. b. Qui benevolè suspicatur, vinci cupit, *ibid.* Malevolæ animæ quasi dulciter sapit quod pessimè suspicatur, 1376. a

Sustinentia & continentia, duæ virtutes hujus vitæ, 107. g. 194. b. Sustinere Dominum quid sit, 201. g

Sycomorus, crux Christi, 832. e

Sycomora, ubi degebat Augustinus, rara aut nulla, 832. b. dicuntur poma quædam ficis similia, 832. b

Symbolum est regula fidei, 343. d. 938. f. fides & salutis regula, 949. e. Unde dictum Symbolum, 936. e. 949. b. Cur institutum, 943. c. d. Symbolum Catechumenis sive Competentibus ante Dominicam orationem tradi solitum, ab iis post aliquot dies reddendum, 323. c. 331. e. f. 337. d. Quo die tradebatur aut reddebatur, 342. g. 936. *Not.* f. Symbolum non debet scribi, 938. b. 943. e. sed memoriâ teneri, 342. g. quare, 938. b. Tamquam speculum quotidie inspiciendum, 343. a. Animo semper versandum est, 949. c. Symboli expositio, 936. f. *& seq.* Symboli ordo & textus, 292. a. 1021. d. Symbolum habent etiam ab Ecclesia præcisi, 1092. a

Synagoga, arbor maledicta, 483. b. 484. c. Synagoga & Ecclesia significatæ per duas mulieres meretrices, 64. g. *& seq.*

T

TABULA clericorum, 1390. c

Tabulæ matrimoniales, 61. d. 185. a. 293. g

Tabulæ servorum in ipsorum manumissione fractæ, 113. f

Taciturnitas Dei, patientia Dei, 250. a

Tangere Christum, 361. f. 1013. b. 1018. c. 1023. a

TASCIUS CYPRIANUS, 1249. c

Tempestas absente Domino, 412. d. In tentationis tempestate excitanda fides tamquam Christus dormiens in navi, 198. f. 365. e. *& seq.* 1409. d. Cupiditas tempestas est, 418. e

Templa & sacrificia Deo soli exhibentur, 1107. g. Templum Dei Angeli in cælo, 1054. e. Martyres, 1287. f. homo in quo habitat caritas, 1348. e. In nobis, ut in profano templo, alia dejicienda, alia consectanda, 785. e. Templi Dei lapides vivi, 129. a. Ædificatio ejus per fidem, dedicatio per resurrectionem, 785. g

Tempus cum cælo & terra esse cœpit, 4. a. Ecclesiæ duo tempora, probationis & coronationis, 68. g. Tempus fidei & speciei, 195. b. Tempus misericordiæ & judicii, 96. e. Tempus mæstitiæ hîc propter peccata nostra, tempus lætitiæ pòst de gratia Salvatoris, 1047. b. Utrumque tempus diebus XL. ante Pascha, & diebus L. post Pascha figuratur, 1048. e. Redimere tempus quid sit, 92. f. Tempora Christiana, 439. a. 544. e. Tempora mala unde & quomodo ferenda, 432. g. Tempora mala non faciunt nisi homines mali, 1252. g. Tempora nos sumus: bene vivamus, & bona sunt tempora, 433. a

Temporalia animo dimittenda, 612. g. Vanitas temporalium, 759. a. Temporalia concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt, 760. b

Tentatio duplex, alia probationis, alia deceptionis, 334. f. 391. c

Tentat hominem Deus non ut ipse discat, sed ut quod in homine latet aperiat, 6. b. 7. a. Deus tentat, ut doceat; diabolus tentat, ut decipiat, 7. b

Tentatori januæ duæ, cupiditas & timor, 162. f. 163. d. Tentatio diaboli evanescit, nisi qui tentatur dederit ei locum, 7. c. Tentator aliter non vincitur, nisi contemnatur, 601. g

Tentatio non deest baptizatis, 1368. e. Martyrii quædam lucta in tentationibus quotidianis, 1273. a. Tentatio plerumque peccatorem non facit, sed prodit, 613. b. Nescit se homo, nisi in tentatione discat se, 7. c. Tentationum tempestate sæviente excitanda fides tamquam Christus dormiens in navi, 198. f. 1409. d. In tentationibus deprecanda à Deo virtus continentiæ, ne illecebrosa capiant; & sustinentiæ, ne dura confringant, 107. g. Quando tentatio infertur, j junandum, 928. e. Tentationis ventus augeat ignem potiùs quàm exstinguat, 506. g. In tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit, 575. b. In tentationem intrare, est à fide exire, 575. a

Tentari se permisit Christus, ut doceret resistere tentatori, 928. e. 1143. e. Tentatio Domini multiplex, 1143. d. *&c.*

Terra viventium, & terra morientium, 220. e. Terra ista non est regio vitæ beatæ, 979. f

Terrenæ possessionis amor caussa discordiæ, 1399. d

Terram judicare, 78. e

Terræ motus magni in Oriente & in Africa, 105. d

Terret Deus undique, quia non vult invenire quos damnet, 105. f

Terrores mundi & blanditiæ contra milites Christi, 1112. e

Testamenta schismaticorum irrita per imperatorum leges, 262. d

Testamentum pacis, 262. c

Testamenta duo, 14. a. Testamentum vetus velatio est novi Testamenti, & Testamentum novum revelatio est veteris Testamenti, 773. d. 1219. e. Testamenti veteris & novi discrimen & consonantia, 14. d. Differunt timore & amore, 168. d. Deus utriusque Testamenti auctor, Lege terruit, Evangelio conversos sanavit, 6. d. Vetus Testamentum promissiones habet temporales, sed significationes spiritales, 14. a. Homo de Testamento novo, quis censendus, 133. e. f. Christiani spe carnalis mercedis Deo servientes, ad vetus Testamentum pertinent, 10. c. 16. f. Quinam veterum pertinent ad vetus Testamentum, 14. c. 15. e. Manichæi Testamentum vetus & novum sibi invicem adversari dicunt, 2. a. 4. e. *V.* Manichæi.

Testimonium falsum dicere vetitum, 45. a. 436. a. 553. c. *& seq.* 1324. c

Theatrum, 907. f. Theatri turpitudo, 908. d. Theatricæ turbæ, 1408. a

THEODOSII pænitentia, 1504. g

THEOGENIS memoria, 1108. a

Theriacum, 788. d

IN QUINTUM TOMUM.

Thesaurizandum in cælo, non in terra, 346. b. *& seq.* 456. b. 1202. a. 1255. f. 1335. f. 1336. c. Thesaurus operum, seu bonorum, seu malorum, 99. b. f. Thesaurus interioris hominis, 114. f

THOMAS factus dies, 1059. c

Timor Dei in Scripturis quàm crebrò commendatus, 1340. c. Gradus à timore ad sapientiam, 1340. f. *& seq.* Timore Dei fortitudo vera comparatur, 1342. e. Epicurei & Stoici carere timore amant, sed perversè, 1343. g. Timor caritate pellendus, non vanitate, 1343. a. Timor vanus & timor utilis, 777. g. Pro corpore quantum timetur, 776. d. Timore Dei timor inanis pellendus, 368. a. Homini ab homine nihil metuendum, 368. c. Timor minarum Dei, contemtus minarum hominum, 164. a

Timor Dei servilis, & timor castus, 1099. e. alius paulatim ejiciendus, alius permansurus, 1344. f. Servilis timor est quo times cum diabolo ardere, timor castus est quo times Deo displicere, 779. c. Timore pœnæ malum non faciens, nondum laudandus, 778. c. Qui adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios, 756. d. Audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ, 853. e. Timor pœnæ non est malus, 778. f. quasi pædagogus est legis, & perducit ad dilectionem, 779. a. Servus est caritatis, 756. e. Tantum exit, quantum intrat caritas, 779. b. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ: veniet domina, servus abscedet, 756. e. Timor pædagogus sit, non in te remaneat, sed te ad caritatem, quasi ad magistrum perducat, 2348. c

Timor habet angustias, amor latitudinem, 124. g. Timore agi, & amore agi quàm differant, 697. f. Timore, non amore operari veteris hominis est, 54. d. & ejus qui nondum concordavit cum adversario, 54. f. *& seq.* Lex non impletur timore, sed amore, 161. f. 95. g

Timor Dei amorem non impedit, 128. g. Timor Dei perficit sanctificationem, 224. b

TOBIAS quam in cæcitate non cæcus, 477. d. e

Tolerantia sic vigilet, ut non dormiat disciplina, 795. a

Torcular mundus, 105. f. Torculari comparata Ecclesia, 91. d

Tortores animæ duo, timor & dolor, 603. f

Traditorum falsa crimina, 1406. c

Trahi à gratia, 641. e

Trajectitium facere, 198. d. 210. b. c. 460. c

Transfigurationis Dominicæ allegoria, 425. g

Tria in Evangelio & ab Apostolo commendata, abstinentia à malo, operatio boni, & spes præmii æterni, 555. a

Tribulatio est tota hæc vita, 603. f. Tribulationes temporales pro futura gloria ferendæ, 1131. d. 1199. f. Admonitiones sunt & stimuli correctionis, 117. f. Tribulationes prædictæ à Christo, 1201. d. Tribulationes temporibus Christianis an majores sint; & quare, 1201. d. Christianis populis pastores non promittant hîc prospera, sed adversa, 230. a Mundus fornax est, palea homines mali, aurum homines boni, ignis tribulatio, artifex ad purgandum aurum Deus, 88. e. Sub manu tanti artificis auri mica in magna palea perire non potest, 89. b. Non est in tribulatione magnum, quod tempore breve est, 345. f. Tribulatio quod volueris erit, 437. g

Tricillarum basilica, 312. g

TRINITAS unus Deus, 38. c. 392. d. 538. b. 542. g. *& seq.* 618. b. 752. d. 937. f. 941. c. 948. d. 952. e. 1061. d. 1079. c. 1485. f. *& seq.* Trinitas unus Dominus, non tres Domini, unus Deus, una substantia, tres personæ, 38. e. 39. f. Trinitatis personæ in Genes. 1. 26. insinuatæ, 4. b. & in baptismo Christi, 302. b. Trinitatis similitudo in homine, 308. g. *& seq* De Trinitate inseparabili difficultas, 302. f. Trinitatis potestas & operatio individua, 303. d. &c. 397. b. *& seq.* 618. a. Ut Filius opera Patris, sic Pater opera Filii facit, 657. g. Peccata dimittere totius est Trinitatis, 396. e. propriè tamen ad Spiritum-sanctum intelligitur pertinere, 398. f

Tristitiæ tempus prius tempore lætitiæ, 1047. b. Tristitia de sæculis rebus perniciosa, 1048. b. Tristitia unde esse debet, 1047. c. 1049. a

Trituræ tempus, 89. f

Triumphantium vox, 718. a. 788. g

Troja mater Romæ, 499. d. 1201. a

Trojani Æneâ duce profugi Romam condiderunt, 439. e

Trojani dii, 439. d

Trutina veritatis, non cupiditatis, 1288. f

Tuburbitanæ Martyres, 1338. c

Tumor humilitatis medicamento sanandus, 686. f. Tumoris epithema Apostolo datum, 736. f

Tumultus civiles prohibere quisque pro viribus debet, 1232. d

Tunica Christi non divisa, symbolum caritatis, 116. g. 961. e. 1082. e

Tunsio pectoris, 102. a. 120. e. 149. c. 374. b. 1293. f

Turba & populus, 538. a

TUTUSLYMENI divina correptione flagellatus, 1246. f

V

VALENS diaconus, 1386. a

VALERIANA martyr, 1281. a

Vasa in honorem, vasa in contumeliam, 87. e

Vela appensa in domo, 285. f

Venator, 57. g. 98. d. 104. g. 282. g. Venatoribus & histrionibus qui sua donant, reprehenduntur, 63. c

Vendendis & emendis rebus caritatis & vilitatis vota perversa, 1355. e

Venia ab eo qui læsus sit, petenda, 97. a. 934. f. aliquando nonnisi tacitè & blandiendo, 935. b. Venia fratri danda, ut à Deo accipiatur, 572. c. 573. e

Verbum & vox quo differant, 1154. f. 1157. g. 1159. d. Verbum cordis, 971. e. Verbi mente concepti vehiculum sonus, 148. c. 594. e

Verbum Dei cibus & potus noster, 1449. f. Per quos administretur non attendendum. 610. f. Bene manducat & malè digerit, qui audit verbum Dei & non facit, 147. c. Verbi Dei fructus à non audiente etiam exigendus, 166. b. Factores verbi & intus & foris, 857. f. Manere in verbo Dei, 653. d. Tunc in nobis requiescit verbum Dei, quando nos adquiescimus verbo Dei, 1197. f. Verbi Dei pluvia à malis ad spinas generandas, à bonis ad fructum bonum convertitur, 24. d

VERBUM Dei mandatum Patris, 682. c. forma est omnium infabricata, 1077. b. Verbum Dei incomprehensibile in Evangelio revelatum, 593. f. Ab homine explicari non potest, 888. d. Ejus excellentia intelligenda ex humani verbi proprietate, 394. f. Videre Verbi non aliud à Verbo, 619. c. Deo Patri coæternum, genitum, non factum Verbum, 590. e. *& seq.* 583. b. *&c.* 589. g. Nostri caussâ natum est in tempore, 888. g. Verbum caro factum est, non Pater, non Spiritus-sanctus; sed carnem tamen Filii tota Trinitas fecit, 941. b. 398. b. Incarnationis Verbi mysterium suadetur, 592. e. 593. a. *& seq.* Incarnationis Verbi caussa & necessitas, 624. b. 745. b. 883. d. 891. a. 1460. e. 1474. f. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus, 831. a. Verbum incarnatione quasi lac factum, ut à nobis caperetur, 588. f. Ut indigna pro indignis ferret incarnatum est, 893. f. Verbi incarnatio verbi humani similitudine illustratur, 593. b. 971. d. Incarnatione non est mutatum, nec à Deo Patre recessit, 77. f. 589. a. 591. c. 597. d. 604. a. 881. c. 886. f. 887. b. *& seq.* 971. a. Verbum Dei totum in cælis, totum in terris, totum in Angelis, totum apud Patrem, totum apud Virginem, &c. 148. c. 594. b. 1314. a. Incarnatione suscepit totum hominem, 995. e. Verbum incarnatum Deus & homo, 887. e. Verbum infans doctor humilitatis, 889. d. *V.* Christus.

Veritas principalis, Christus, 148. d. Veritas negligentiùs quæreretur, si mendaces adversarios non haberet, 288. d. Veritati apertissimæ nemo contradicit linguâ; sed vitâ, 851. e. Veritatis magna vis, 1262. b. Qui vinci à veritate nolunt, ab errore vincuntur, 1395. d. Non vincit nisi veritas; victoria veritatis est caritas, 1195. e. Bonum est ad escam magni Regis capi retibus veritatis, 1174. f. Veritatem loqui & loqui vanitatem, 42. b. Delectatio de lumine veritatis, 857. c. Quamdiu blanditur & dulcis est iniquitas, amara est veritas, 732. c. Veraci merces reddetur veritas, & temporaliter bene viventi merces reddetur æternitas, 1243. b. Veritatis contemplatio, vita beatorum, 1436. e

Vesperam non habet septimus dies, 53. d

Vestes Christi in quatuor partes divisæ, 961. e

Vestis nuptialis, caritas, 490. g. 510. b

Vestimenta linea interiora, 184. a

Veterem hominem exuere, & novum induere, 54. d. Veteris hominis aliquid portamus usque ad ultimum mortis, 164. c

Vetustas est carnalitas, 1089. g

Via lata & spatiosa quæ, 1450. a. Via spinosa, pedibus Apostolorum contrita, facta est lenior secuturis, 1149. e

Via Christus, 684. b. *& seq.* 687. b. Veritas à philosophis hujus sæculi inventa, non via, 682. g

Viatorum cantus, 1056. f

Victoria perfecta de universis machinis inimici, 1109. g. Quisquis viribus suis vincere se posse præsumserit, etsi videtur vincere patientiâ, vincitur à superbia, 1109. f

Victorianensis fundus, 1390. f

Vigilantia commendatur, 506. f

Vigilia noctis quarta quid significet, 413. b

Vigiliæ sacræ, 962. f. Vigiliæ Maximiani, 1405. e

Viginti Martyrum natale, 1280. b. Eorumdem basilica, 703. c

VINCENTIUS Martyr ubique vincens, 1109. a. *& seq.* Ejus natalitia, *ibid. &* 27. c

Vincimus per eum qui dilexit nos, 1206. a

Vindicari quid sit, 936. c. Horrenda tentatio, velle vindicari, 335. f. 356 b. Vindictæ appetitus exemplo Christi coercendus, 29. f. 340. e. 365. f. 601. e. 1235. g

Vinea à Deo plantata, 462. f. Operarii ad vineam conducti, 271. d. 463. b

Vini abstinentia in Quadragesima, 923. g. 931. g. *& seq.*

Vir caput mulieris, præcedere eam debet in omnibus factis bonis, 50. f. In eo quod malè facit non est caput mulieris, 56. f

Virga disciplinæ, 1450. f

Virga Moysi in serpentem conversa quid figuravit, 36. c. 41. c. d

VIRGILIUS Romanis verba vendebat, 545. e

Videre Deum & laudare Deum ipse erit portus laborum nostrorum, 193. e. Visio Dei videntis, 380. g. mundicordibus speciatim promissa, 314. e. Ad eam fide ac bonis operibus pervenitur, 74 f. 315. a. 499. a. Deus non nisi à pacificis videbitur, 128. c. *V.* Dei apparitio.

Visibilis erit Christus in judicio futuro, 1122. d

Virginitas nomen accepit ab abstinentia ab illicitis, 501. f. 502. c. Dignitas virginalis quomodo cœpit à matre Domini, 296. d. Virginitas commendatur, 882. b

Virginitas mentis, 1315. e

Virginitas Ecclesiæ, 889. g. 894. d. 941. f

Virgines sacras amor facit, 780. b. Decem virginum parabola exponitur, 501. b. *& seq.* Virgines oleum non ferentes, 708. a

Virtus animi quid, 715. e. à Deo est, 715. e. *& seq.* Ipsa est vera & sola virtus, quæ non militat typho, sed Deo, 1145. b. Vera & invicta virtus caritas, 1236. c

Vita corporis anima, vita animæ Deus, 357. f. 369. f. 753 a. 777. d. 863. b. 937. c. Homo dicitur, qui secundùm hominem vivit; Deus, qui secundùm Deum, 515. e

Vita nulla est sine tribus affectibus credendi, sperandi, amandi, 907. c

Vita hæc potiùs umbra vitæ, 1353. b. quasi in somnis agitur, 200. f. Vita humana vapor, 105. d. 1228. f. Vita hæc laboriosa, 345. g. vera infelicitas & mendosa felicitas, 1226. f. Vita præsens nec vita est, 92. b. mors veriùs est quàm vita, 1338. e. Vitæ hujus pericula & sollicitudo, 1054. f. Vitæ hujus pænitere nos debet, quia corruptioni & tentationibus obnoxia est, 1352. d. Vita in doloribus non propriè vita, 1140. d. Vita & dies boni ubi, 555. g. 556. g. 897. e

Vitæ brevitas, 97. e. f. 604. f. 1225. g. & incertus finis, 49. d. 984. a. Vita hominis crescendo decrescit, 195. f. Diu vivere, est ad finem currere, 555. e. Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? 452. d. Longa vita nihil aliud quàm longa infirmitas, 429. e. Si longa vita erit, ipsa longa bona sit, 446. d. Si malè vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, sed erit longum malum, 92. d

Vitæ hujus ærumnosæ amor, 1135. a. 1226. e. 1228. d. Vita etiam mala, omnibus terrenis

INDEX

bonis àb homine præfertur, 92. e. Vita peritura redimitur omnibus bonis, 1331. f. 1335. a. Vita ametur, ſed bona, 1204. f. 1206. d. Homines bona volunt habere omnia præter vitam, 92. d. 109. d. 446. c. 1310. d. Bona vita mortem comprehendit & reſurrectionem, 978. d. Vita citò emendanda, 49. a. 445. c. Ad bene vivendum quotidianis periculis commovemur, 105. d. Bene vivere quid, 978. g. *& ſeq.* Volens bene vivere, plus adtendit promiſſa & minas Dei, quàm hujus mundi, 163. d. Qui à Deo accepit bene vivere, ſic ei gratias agat, ut non inſultet his qui nondum bene vivunt, 63. e. Vitæ bonæ merces terrena non requirenda, 105. d. In eos qui ſic vivendum hîc decernunt, quaſi poſt mortem ſuperſit nihil, 1408. c. Vita hæc media ante ſumma bona & ante ſumma mala, 828. f. Vita dicenda non eſt ſempiternus immortaliſque cruciatus, 716. f. Vera vita non eſt, niſi quæ æterna & beata, 452. f. 1240. f. 1241. g. 1338. g. Præſens vita ſpe futuræ vitæ contemnenda, 1334. c. Non eſt magnum diu vivere, aut ſemper vivere; ſed magnum eſt beatè vivere, 620. g

Vitam beatam omnes volunt, 1239. e. Beata non eſt niſi æterna ſit, 1241. e. Vita æterna laboris merces, 364. a. Vita æterna quantum amanda, 451. g. 620. f. 1226. f. 1227. f. 1330. f. 1332. e. Quid ſit & quanti emenda, 621. c. f. 1335. a. In eos qui temporalis vitæ amore perdunt vitam æternam, 1331. f. In futuram vitam eſſe debet Chriſtianorum intentio, 1059. g. 1451. f. Vitæ æternæ arra Spiritus-ſanctus, 1472. b. Vitæ æternæ felicitas, 104. f. 1054. e. fide credenda, 1060. b. Vita æterna ipſe Deus eſt, 1228. f. Vita æterna & beata, viſio Dei, 12. b. 625. g. veritatis contemplatio, 1436 g. Vita beata, omnium eſt communis poſſeſſio, 1239. e. Vita æterna par omnibus, ſed non par honor, 1325. d. e

Vitæ Chriſtianæ figura in Iſraëlitis data, 1372. c

Vitæ duæ in Martha & Maria adumbratæ, 1052. g

Vita communis, cujus exemplum in primis Chriſtianis, 1380. c. 1381. a

Vitium natura non eſt, ſed naturæ inimicum eſt, 872. a. Vitiorum contraria jubentium quàm grave jugum, 792. b. Vitiis contrariis ſervire difficilius quàm Chriſto, 458. b. c. &c. Vitium noli propter hominem diligere, nec propter vitium odiſſe hominem, 273. e

Vitro fragiliores ſumus, 558. a

Undenarius, 301. b. 450. e

Unitas Chriſti & membrorum, 664. a. Unitas Eccleſiæ, 609. e. 673. c. 1094. d. g. 1095. c. Commendatur unitas in creatione rerum, & in Chriſti ortu, 1092. a. c. Honor proprius contemnatur, ut Eccleſiæ unitas ſervetur, 69. a. Qui deſeruerit unitatem, violat caritatem, 479. f. Unitati Eccleſiæ corde impœnitenti reſiſtere, blaſphemia eſt irremiſſibilis, 401. f

Unitas Legis, Prophetiæ & Evangelii, 426. d. 428. c

Unum neceſſarium, 1053. a. Unum aliquid, quò tendamus, quando in hujus ſæculi multitudine laboramus, 536. f. In ipſa multitudine non delectat niſi unum, 537. g

Vocantur omnes à Domino, 478. f. De vocatione ſua nullum hominum genus deſperet, 1235. d

Voluntas bona à Deo datur, à Deo excitatur, 79. e. Nihil tam facile eſt bonæ voluntati, quàm ipſa ſibi; & hæc ſufficit Deo, 384. a. Deus non annotat facultatem, ſed coronat voluntatem, 101. a

Voluptas & dolor duo incitamenta ad peccandum, 1139. a. Quod ad tempus libet, poſtea pejùs dolet, 1310. e. Proficit ſpiritali ſaluti, quidquid corporali minuitur voluptati, 924. g

Vota Deo reddenda, 703. g. *& ſeq.* Votum continentiæ, 968. g. 1504. c

Vox & verbum, 1154. f. Vox inanis ſine verbo, 1155. a. Vocis miniſterium propter verbum, 1156. a. Vox deficit creſcente verbo, 1157. f. Vox ad homines, ſonus eſt: vox ad Deum affectus eſt, 1057. b

Urſi propter exhibendos ludos, 165. c

Uti & frui, 846. e. Res quarum eſt bonus & malus uſus, 1253. g. Tunc quiſque habere aliquid dicendus eſt, quando bene utitur. Nam quod juſtè non tractat, jure non tenet, &c. 277. e. Dementia eſt, crimen malè utentium in res ipſas transferre, 279. a

Uticenſis Maſſa candida, 1253. f

Uva de ſpinis quomodo legatur, 410. d. 670. a

Uulnus amoris, 1209. b

Uxor viri ancilla, 1293. g. ſua cuique ſufficiat, 1293. f. Patres pro tempore & pro more gentis ſuæ etiam plures uxores caſtè habebant, 293. f. & ad hoc tantùm ut filios procrearent, 295. g. Uxoris uſus nonniſi procreationis cauſsâ adhibendus, 291. f. aliàs immoderatus eſt, 1126. f. & peccatum, 61. d. 1355. d

Vzalis Africæ civitas, 1177. c. 1279. d

Z

ZACCHÆUS in ſicomorum adſcendens, quid figurat, 832. b. *Zacchæus* dimidium dat, & dimidium ad reddendas fraudes reſervat, 83. e. 201. d. 569. e. Excipit hoſpitio Dominum, 136. a

ZACHARIÆ & Mariæ eadem ferè verba, non eadem incredulitas, 1163. d. Ille deſperando interrogat, hæc inquirendo, 1164. b. Zachariæ os priùs clauſum, & pòſt apertum quid ſignificet, 1176. e

ZEBEDÆI filii celſitudinem appetentes ad viam vocantur, 772. f

Zelus non ſecundùm ſcientiam, 634. a

Zizaniorum parabola contra Donatiſtas, 250. e. 479. g

SCRIPTURÆ LOCA QUÆ EXPLICANTUR IN PEREGRINIS LOCIS.

GENES. I. 1. *In principio fecit Deus* &c. 589. g. 1476. b

2. *Terra erat inviſibilis & incompoſita*, 1475. f

Item 2. &c. *Tenebræ erant ſuper abyſſum, & Spiritus Dei ferebatur*, &c. 1058. g. 972. c

3. &c. *Fiat lux, & facta eſt lux*, &c. 964. f. 972. f. 976. f. 1100. a

26. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. 4. b. 211. g. & ſeq. 308. f. 618 b

II. 2. *Requievit Deus ab omnibus operibus ſuis*, 53. c. 607. g

3. *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*, 1036. f

17. *Morte morieris*, 515. g

25. *Erat autem uterque nudus*, &c. 720. a

III. 1. *Erat ibi ſerpens ſapientior*, &c. 240. a

5. *Manducate, & eritis ſicut dii*, &c. 788. d. 968. f

7. *Et aperti ſunt oculi amborum*, &c. 597. f. 710. a. b

19. *Terra es*, 1399. a. 1426. b

XVII. 5. *Non vocaberis Abram, ſed Abraham*, 599. e

XVIII. 2. *Apparuerunt ei tres viri*, &c. 39. c

XIX. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodom.* 39. g

9. *Habitare veniſti, non leges dare*, 519. f

26. *Reſpicienſque uxor ejus poſt ſe verſa eſt in ſtatuam ſalis*, 544. b

XXII. 18. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, 118. f. 285 a. 639. b

XXVII. 1. *Senuit autem Iſaac*, &c. 15. e

XXVIII 11. &c. *Tulit de lapidibus qui jacebant, & ſupponens capiti*, &c. 486. d. 598. b

XXXII. 24. &c. *Et ecce vir luctabatur cum eo*, &c. 598. f. & ſeq.

25. &c. *Tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit*, &c. 919. d

XLIII. 16. *Homines illi hodie manducabunt panem*, &c. 339. a

XLIX. 9. *Adſcendiſti recumbens*, &c. *ſicut leo*, 181. b 962. c

27. *Benjamin lupus rapax*, &c. 1129. b. 1295. f

EXODI III. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, 3. d. & ſeq. 34. d

VIII. 19. *Digitus Dei eſt hic*, 48. a. b c

XIV. 23. &c. *Perſequenteſque Ægyptii ingreſſi ſunt poſt eos*, &c. 942. c

XV. 1. & reliqua Cantici hujus: *Cantemus Domino, glorioſè enim*, &c. 1438. b. & ſeq.

XVII. 5. & 6. *Virgam qua percuſſiſti*, &c. 1366. a.

11. *Cúmque levaret Moyſes manus*, &c. 1369 a

XXXII. 32. *Domine, ſi dimittis*, &c. 482. a

XXXIII. 20. *Nemo faciem Dei vidit, & vixit*, 825. b

LEVIT. XII. 3. *Die octavo circumcidetur infantulus*, 809. c

XXVI. 12. *Ero illorum Deus*, &c. 1292. a

NUM. XX. 12. *Non introduces tu populum in terram promiſſionis*, 1366. d

XXI. 8. *Suſpende ſerpentem*, &c. 36. e

DEUT. XIII. 3. *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligitis eum*, 334. g

XIV. 6. *Omne animal quod in duas partes ſcindit ungulă & ruminat, comedetis*, &c. 705. c

XXV. 5. *Suſcitabit ſemen fratris ſui*, 1480. d

XXXII. 39. *Ego percutiam, & ego ſanabo*, &c. 132. f. 420. a. 813. e

49. *Adſcende in montem, & morere*, 1367. c

JUDIC. VI. 37. &c. *Peto, Domine, ut vellus*, &c. 644. g

XIII. 25. *Incedebat cum eo Spiritus Domini*, & reliqua de Samſone, 1441. d. & ſeq.

III. REG. XVII. 9. *Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum*, &c. 557. b. 998. f

IV. REG. IV. 29. *Et pones baculum meum ſuper faciem pueri*, 140. g. & ſeq.

31. &c. *Giezi autem præceſſerat*, &c. 662. g. & ſeq.

TOB. II. 21. &c *Videte ne furtivus ſit*. &c. 477 d

IV. 11. *Fili, eleemoſyna non ſinunt ire in tenebras*, 477. f

16. *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris*, 59. a

XII. 19. *Vidiſtis me manducare, ſed viſu veſtro videbatis*, 1421. c

JOB I. 9. *Numquid Job gratìs colit Deum?* 496 d. & ſeq. a. 1488. f

21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, &c. 115. e

II. 9. *Dic aliquid in Deum, & morere*, 434. e

VII. 1. & 2. *Numquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram? Tamquam ſervus fugiens dominum*, &c 1353. b

PSAL. II. 6. & 7. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion*, &c. 960 f

Item 7. *Ego hodie genui te*, 459. f

8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, &c.* 1395. f

11. &c. *Servite Domino in timore*, &c. 115. f. 642. f

III. 6. *Ego dormivi*, 1226. b. 1137. d.

9. *Domini eſt ſalus*, 644. e

IV. 3. & 4. *Filii hominum quò uſque graves corde?* &c. 406. d. 979. a

5. *Iraſcimini, & nolite peccare*, 102. a. 340. f. 569. d. 1202. c

V. 7. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, 649. a

VI. 4. *Et tu Domine uſque quò*, 788. a. e

8. *Turbatus eſt præ ira oculus meus*, 340. d

VIII. 5. *Quid eſt homo*, &c. 960. e

IX. 20. *Exſurge Domine, non prævaleat homo*, &c. 560. f. & ſeq.

Alterum IX. 4. *Irritavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ*, &c. 826. d. 1202. d

X. 6. *Dominus interrogat* &c. 252. a. 610. f

Item 6. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, 173. d. 174. f. 628. f. 1456. a

XI. 3. *Labia doloſa in corde & corde*, &c. 649. f

XIV. 5. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, 197. f

XV. 5. *Dominus pars hereditatis meæ*, 571. f. 942. f. 1299. c

7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*, 1445. e. & ſeq.

XVI. 4. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*, 383. g. 511. b. 1215. f. 1243. d

13. & 14. *Erue animam meam*, &c. 1259. e

15. *Satiabor cùm manifeſtata fuerit gloria tua*, 1052. d

XVII. 35. *Qui docet manus meas ad prælium*, 57. f

45. *Populus quem non cognovi, ſervivit mihi*, &c. 358. e 421. a. 599. c. 918. g

XVIII. 2. &c. *Cæli enarrant*, &c. 425. e

6. *Ipſo*

IN QUINTUM TOMUM.

6. Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas, 1462. b.c.g. 1471. a.b.
7. A summo cælo egressio ejus, &c. 896. c
XXI. 11. *De ventre matris meæ* &c. 957. a
19. *Diviserunt sibi vestimenta* &c. 116. g
XXII. exponitur. *Dominus regit me,* &c. 1448. e. & seq
XXIII. 7. &c. *Tollite portas,* &c. 1471. c
XXIV. 9. *Diriget mites in judicio,* &c. 758. e
XXV. 4. *Non sedi in consilio vanitatis,* 524. f
XXVI. 1. *Dominus illuminatio mea,* &c. 873. c
4. *Vnam petii à Domino,* &c. 1143. a. 1306. b
9. *Adjutor meus esto,* 755. a
14 *Sustine Dominũ, viriliter age,* 201. g. 758. b
XXIX. 2. *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me,* &c. 1302. c. 1478. g
7. & 8. *Ego dixi in abundantia* &c. 642. d
12. & 13. *Conscidisti saccum meum,* &c. 1282. a. 1302. c. 1303. a. 1305. e
XXX. 20. *Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine,* &c. 696. f. 1143. b
21. *Abscondes eos in abscondito* &c. 1418. d
XXXI. 4. *Conversus sum in ærumnam, cùm configeretur spina,* 836. f. 1363. f
9. *Nolite esse sicut equus* &c. 44. b
11. *Lætamini in Domino,* 1225 d. 1300. a
XXXIII. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore,* 544. f
3. *In Domino laudabitur anima mea, audiant mites, & jocundentur,* 1110. a. 1138. g. 1141. f
6. *Accedite ad eum, & illuminamini,* &c. 691. c. 1302. b
12. 13. &c. *Venite filii, audite me,* &c. 555. a.
16. & 17. *Oculi Domini super justos,* &c. 775. e
XXXIV. 2. & 3. *Apprehende arma* &c. 1259. c
XXXV. 4. *Noluerunt intelligere,* &c. 749. d
7. &c. *Homines & jumenta salvos facies,* &c. 125. f. & seq. 985. b. 1051. d
7. *Justitia tua sicut montes Dei,* 745. e
9. & 10. *Quoniam apud te, Deus, fons vitæ est,* &c. 972. b. 1141. a. 1240. g
13. &c. *Quis est homo qui vult vitam,* 21. f. 135. a. & seq. 1204. f
XXXVI. 36. *Transivi, & ecce non erat,* &c. 1223. a
XXXVIII. 7. *Quamquam in imagine Dei ambulet homo,* &c. 196. c 346. a
XXXIX. 6. *Multiplicati sunt super numerum,* 87. d. 1035. a
XL. 5. *Ego dixi, Domine, miserere mei,* &c. 150. a
XLI. 4. *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis,* &c. 157. d
6. *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? Spera in Deum,* 275. c. 1238. c
XLII. 1. *Judica me Deus, & discerne* &c. 30. d. 32. d. 33. f. 1109. c. 1148. d. 1281. d. 1282. g. & seq. 1300. f
XLIII. 22. *Propter te mortificamur tota die,* 1291. b. 1292. c
XLIV. 3. *Speciosus formâ* &c. 508. f
6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cad.* 1209. b
11. *Audi filia, & vide,* 561. f. 1090. c
Item 11. & 12. *Obliviscere populum* &c. 360. d
XLV. 5. *Fluminis impetus lætificant* &c. 160. g
11 *Vacate & videte quia ego sum Dom.* 1437. b
XLIX. 3. *Deus manifestus veniet,* &c. 94. b. 1071. c. 1213. a
21. *Hæc fecisti, & tacui,* &c. 250. b
L. 5. *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco,* 101. b 1128. a
6. & 7. *Tibi soli peccavi,* &c 820. b. 821. a
10. *Auditui meo dabis gaudium,* &c. 855. a. 1175. b
LI. 4. *Sicut novacula* &c. 164. d. 363. a
LIII. 6. *Dominus susceptor est* &c. 1298. a
LV. 2. *Quoniam conculcavit me homo,* 515. e. 516. g
5. *In Deo sperabo, non timebo,* &c. 739. d
8. *Pro nihilo salvos facies eos,* 142 b 810. a
LVI. 2. *Miserere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea,* 801. d
5. *Dentes eorum arma,* &c. 1130. d
6. & 12. *Exaltare super cælos Deus,* &c. 1070. c. 1130. e
8. *Paratum cor meum,* 1294. e
LVIII. 10. *Fortitudinem meam ad te custodiam,* 642. e
11. *Deus meus, misericordia ejus præveniet me,* 841. f 1451. d
12. *Deus meus demonstravit mihi* &c. 914. d
LIX. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione,* 603. e
LX. 3. *A finibus terræ* &c. 257. e
LXI. 6. *Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso patientia mea,* 1139. a. & seq 1142 d.
LXVI. 3. *Vt cognoscamus in terra* &c. 893. b
LXVII. 10. *Pluviam voluntariam segregans Deus hereditati suæ,* &c. 417. d
12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa,* 1211. f
19. *Adscendit in altum,* &c. 628. b. 1069. d. 1462. d
21. *Et Domini exitus mortis,* 103. f
31. *Increpa feras calami,* 263. c.
LXVIII. 3. *Veni in altitudinem* &c. 413. c
LXX. 2. *In tua justitia erue me,* &c. 770. b
5. *Quoniam tu es patientia mea,* 119. c
LXXI. 8. *Dominabitur à mari* &c. 1396. c
LXXII. 1. &c. *Quàm bonus Deus Israël rectis corde,* &c. 103. c. & seq. 268. g. & seq.
2. &c. *Mei autem penè moti sunt pedes,* &c. 1225. a
27. & 28. *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te,* &c. 783. d
28. *Mihi adhærere Deo bonum est,* 955. f
LXXIII. 17. *Æstatem & vernũ tu fecisti,* 658. b
LXXV. b. *Dormierunt somnum suum,* &c. 201. a. 1334. f
11. *Reliquiæ cogitationis diem sollemnem celebrabunt tibi,* 964 c
LXXVI. 3. *Deũm exquisivi manibus meis nocte coram eo,* 94. a
LXXVII. 24. & 25. *Panem cæli* &c. 638. a
LXXVIII. 9. *Propter misericordiam tuam Domine libera nos,* &c. 1178. f
12. *Redde vicinis nostris in sinum eorum,* 84. d
LXXIX. 2. *Qui deducis tamquam oves Joseph,* 237. g
6. *Potabis eos in lacrymis, in mensura,* 231. d
LXXXI. 6. & 7. *Dii estis, & filii excelsi omnes.* &c. 437. d. 515. c. & seq. a. 802. a
LXXXII. 2. *Ne sileas, neque mitescas Deus,* 130. d. 1130. c. g. & seq.
17. *Imple facies eorum ignominiâ,* &c. 686. b
LXXXIII. 5. *In sæcula sæculorum laudabunt te,* 993. b. 1050. a
6. *Adscensiones in corde* &c. 1381. a
LXXXIV. 8. *Et salutare tuum da nobis,* 786. e
12. *Veritas de terra orta est,* &c. 883. c. 890. f. 896. d
LXXXIX. 1. *Domine refugium factus es nobis,* 1065. e
12. *Dexteram tuam sic notam fac,* &c. 245. g
XCI. 6. *Quàm magnificata sunt* &c. 799. d
XCIII. 8. & 9. *Intelligite qui insipientes estis in populo,* &c. 381. b
18. *Si dicebam, Motus est pes meus,* &c. 418. b
XCIV. 2. *Præveniamus faciem ejus in confessione,* 252. d. 842. a
4. *Non repellit Dominus plebem suã,* &c. 257 d
XCIV. 6. *Venite adoremus,* &c. *ploremus coram Domino qui fecit nos,* 136. d. 248. c. 841 d
XCV. 1. &c. *Quando domus ædificabatur post captivitatem. Cantate Domino,* &c. 143. b. 786. b. 787. a
1. & 2. *Cantate Domino canticum novum, cantate,* &c. 582. d. 890. b 893. a. 1301. f
C. 1. *Misericordiam & judicium,* &c. 96. f
CII. 2. &c. *Benedic anima mea* &c. 643. f
8 *Misericors & miserator Dominus,* &c. 48. d
14. *Memento quia pulvis sumus,* 639. d
CIII. 20. & 21. *Posuisti tenebras* &c. 929. f
27. *Omnia à te expetunt,* &c. 8. b
CIV. 4. *Quærite faciem ejus semper,* 1066. b
CV. 11. *Vnus ex eis non remansit,* 942. d
CV. 47. *Salva nos Domine Deus noster, congrega nos de gentibus,* &c. 907. a
CVIII. 7. *Oratio ejus fiat illi in peccatum,* 323. e
CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo,* 293 b
3. *Ex utero ante luciferum genui te;* 657 d
7. *De torrente in via bibit;* 1463 a
CX. 10. *Initium sapientiæ timor Dom.* 1340. d. f
CXI. 7. *In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timebit,* 828. e
CXIII 4. *Idola gentium argentum* &c. 546. e
13. *Benedicat Dominus pusillos cũ magnis,* 576. f
CXV. 11. *Omnis homo mendax,* 436. g. & seq. 801. f. 1049. f. 1057. b. 1284. d
12 & 13. *Quid retribuam Domino,* &c. 1049. c. 1212. a 1287. a. 1296. c
15. *Pretiosa in conspectu Domini,* &c. 1111. f. 1149. f. 1284 a 1286. d
CXVII. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes,* &c. 486. b. 598. d. 757. a. 1058. d
24. *Hic est dies quem fecit* &c. 976. f. 1058. b
CXVIII. 21. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis,* 771. f
53. *Tædium me tenuit pro* &c. 1032. b
68. *Suavis es Domine,* &c. 732. b
71. *Bonum est mihi, quia humiliasti,* &c. 134. f
85. *Narraverunt mihi injusti* &c. 732 a
96. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis,* 1095. c. 1397. a. b
106. & 107. *Juravi, & statui* &c. 898. c
120. *Confige clavis à timore* &c. 920. b
164. *Septies in die laudabo te;* 508. a
165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum,* 433. c
CXX. 1. &c. *Levavi oculos meos in montes,* &c. 234 a. 238. f
CXXVI 1. *Nisi Dominus custodierit* &c. 1206. c
2. *Surgite postquam sederitis;* 855. d
CXXXI. 11. *De fructu ventris* &c. 293 b
16. *Sacerdotes tui induantur justitiam,* 814. e
CXXXI. 17. *Paravi lucernam* &c. 1177. f
CXXXVII. 6. *Excelsus Dominus, & humilia respicit,* &c. 111 b. 575. g. 1351. a
CXXXVIII. 16 *Imperfectum meum* &c. 658 c
CXXXIX. 2. *Libera me Domine ab homine malo,* 210. d. 1207. d
6. *Juxta semitas scandala* &c. 684. f. 1239. d
CXL. 2. *Dirigatur oratio mea,* &c. 1320. d
3. *Pone Domine custodiam ori meo,* &c. 149. f
5. *Emendabit me justus in misericordia;* &c. 505. b. 1085. b. 1088. e
CXLI. 2. *Voce mea ad Dominũ clamavi,* 921. c
6. *Portio mea in terra viventium,* 133. c. 220. e. 1256. c
CXLII. 1. & 2. *Exaudi me in tua justitia,* &c. 821. e
6 *Anima mea velut terra sine aqua tibi,* 642. f
CXLIII. 9. *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio* &c. 52. f. & seq. 160. c. 168. d
11. &c. *Domine libera me de manu filiorum alienorum,* &c. 570. c. & seq.
CL. 6. *Omnis spiritus laudet Dominum,* 871 g
PROV. X. 10. *Qui arguit palàm pacẽ facit,* 443. a
XVI. 32. *Melior est qui vincit iram,* &c. 1267. f
XX. 8. & 9. *Cùm rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor?* 505. e
XXII. 2. *Dives & pauper occurrerunt sibi,* &c. 201. c. 455. f
XXIII. 1. *Si sederis cœnare ad mensam potentis,* &c. 1234. f. 1286. f. 1293. a
26. *Da mihi, fili, cor tuum,* &c. 173 a
XXIV. sec. LXX. *Filius malus ipse se justum dicit,* 256. g. & seq. b. f
ECCLE. VII. 30. *Fecit Deus hominem rectum, & ipsi exquisierunt* &c. 513. c. 1142. c
CANT. I. 3. *Introduxit me rex in cubiculum suum,* 674. e
6. & 7. *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascis,* &c. 243. c. & seq. 673. g. & seq. 1196. b
7. *Nisi cognoveris temetipsam,* &c. 675. c. 701. e. 1147. d. & seq. 1196. d
II. 2. *Sicut lilium in medio spinarũ,* &c. 192. c
4. *Ordinate in me caritatem,* 191. a. 528. c
15. *Capite nobis vulpes pusillas,* &c. 1443. f
IV. 8. *Veni de Libano sponsa mea,* &c. 543. e
16. *Exsurge Aquilo, & veni Auster,* &c. 1106. c
V. 8. *Vulnerata caritate ego sum,* 1209. b
SAP. I. 11. *Os quod mentitur occidit* &c. 436. e
III. 2. *Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est malitia* &c. 1238. g
V. 3. &c. *Pænitentiam agentes,* &c. 100. f. 118. a
6. *Et sol non est ortus nobis,* 1170. g
VII. 26. *Candor est enim lucis æternæ,* &c. 585. e
VIII. 19. &c. *Sortitus sum animam bonam,* &c. 1446. g
21. *Et cùm scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det,* &c. 1139. d. & seq.
Item 21. *Et hoc ipsum est sapientiæ,* &c. 774. c
IX. 15. *Corpus quod corrumpitur* &c. 1116. d
XIII. 9. *Si enim tantùm potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum,* &c. 378. d
ECCLI. I. 33. *Concupisti sapientiam, serva justitiam,* 1340. e
II. 1. *Fili accedens ad servitutem Dei . . . præpara animam tuam ad tentationem,* 229. g
III. 10. *Benedictio patris firmat domum filiorum, maledictio matris* &c. 1278. a
V. 8. *Ne tardes converti ad Dom.* 109. a. 467. c
X. 15. *Initium omnis peccati, superbia,* 601. c
XVIII. 30. *Post concupiscentias tuas non eas,* 718. f. 737. d. 746. b. 932. b
XXI. 1. *Fili peccasti, ne adjicias* &c. 351. e
XXV. 2. *Concordia fratrum,* &c. 1398. f
XXX. 24. *Miserere animæ tuæ* &c. 549. b
XXXI. 8. &c. *Qui post aurum non abiit,* &c. 1253. b
12. *Ad mensam magnam sedisti,* &c. 155. f
ISAI. I. 3. *Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe domini sui,* 918. g. 1456. d. 1467. e
VII. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis,* 613. f
VIII. 4. *Antequam puer sciat vocare patrem,* &c. 915. d
IX. 6. *Magni consilii Angelus,* 607. e
XI. 2. *Et requiescet super eum Spiritus Domi-*

ni, *Spiritus sapientiæ*, &c. 46. e. 1028. c. 1030. a. 1037. b. 1100. c. 1340. g. & seq. c
XL. 3. &c. *Vox clamantis in eremo*, &c. 1159. c
XLII. 14. *Tacui, nũquid semper tacebo?* 249. c
LII. 11. *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis*, 481. a
LIII. 2. &c. *Et vidimus eum, & non habebat speciem*, &c. 145. d 508 f. 674. a 1049. b
8. *Generationem ejus quis enarrabit?* 882. c. 900. f. 902. b 950. a
LVIII. 5. *Non hoc jejunium elegi*, &c. 922. f
9. *Adhuc te loquente dicã, Ecce adsum*, 788. b. e
LXI. 10. *Sicut sponso alligavit mihi mitram, & sicut sponsam*, &c. 498. g
LXVI. 2. *Super quem requiescet* &c. 1132. a
5. sec. LXX. *Dicite, Fratres nostri estis, eis qui vos oderunt*, &c. 1394. b
JEREM. VIII. 11. *Pax, pax*, &c. 534. c
XVII. 11. &c. *Clamavit perdix*, &c. 239. c
14. *Sana me Domine, & sanabor*, 352. c
XVIII. 8. *Si pœnituerit vos de peccatis vestris, pœnitebit & me*, &c. 119. c
XXVII. 6. &c. *Nunc itaque dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor* &c. 289. c
XXIX. 7. *Quia in pace ipsorum erit pax vestra*, 290. a
XXXI. 31. *Ecce dies veniunt*, &c. 133. b
33. *Hoc est testamentum, quod ordinabo eis post dies illos*, &c. 938. c
EZECH. III. 5. *Ad domum Israël mittam te*, &c. 94. f
IX. 4. &c. *Vade, & da signum in frontibus eorum qui gemunt*, &c. 552. c
XVIII. 21. *In quacumque die conversus fuerit iniquus*, &c. 108. c. 446. b. 466. f. & seq.
XXXIII. 7. &c. *Fili hominis, speculatorem posui te*, &c. 253. c. 671. b
8. *Si non dixeris peccatori*, &c. 94. g
DAN. II. 34. &c. *Vidi, & ecce lapis abscissus de monte sine manibus*, &c. 222. b
XIII. 22. &c. *Angustiæ mihi undique*, &c. 1323. d. 1326. b
JOEL II. 32. *Qui invocaverit nomen Domini*, &c. 814. c
AMOS I. 3. &c. *In tribus & quatuor impietatibus non aversabor*, 301. c
JONÆ III. 4. *Triduo, & Ninive evertetur*, 1416. c
HABAC. II. 4. *Justus ex fide vivit*, 271. g
III. 3. *Deus ab Africo veniet, & Sanctus de monte umbroso*, 246. b
ZACH. I. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*, 686. d
XII. 10. *Videbunt in quem pupugerunt*, 624. f
MALACH. IV. 2. *Orietur vobis sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*, 340 b
MATTH. I. 1. *Liber generationis Jesu Christi*, &c. 449. f
19. *Joseph autem cùm esset vir justus, & nollet eam divulgare*, &c. 444 c
21. *Et vocabis nomen ejus Jesum*, &c. 834. c. 1181. c
II. 5. &c. *Vbi est qui natus est rex Judæorum? In Bethleem Judæ*, 909. b. 911. f. 913. g. 916. g. 1465. a. 1466. c. 1467. f.
12. *Per aliam viam reversi sunt*, 916. d
13. *Fuge in Ægyptum*, 652 b
III. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igni*, 393. c
12. *Habebit ventilabrum in manu sua*, &c. 967. c
3. 7. &c. *Generatio viperarum*, &c. 596. c
14. & 15. *Ego à te debeo baptizari*, &c. 1171. a. 1182. f
IV. 1. & 2. *Tunc Jesus ductus est in desertum*, &c. 927. f
3. &c. *Dic lapidibus istis ut panes fiant*, &c. 601. f. 925. b. 1143. d
19. *Venite, & faciam vos piscatores hominum*, 1026. g. 1028. f. 1031. a
V. 3. *Beati pauperes spiritu*, 83. b. Item ab eodem versiculo ad 9. usque, 1341. d. & seq.
4. *Beati mites*, &c. 1256. b
6. *Beati qui esuriunt*, &c. 354. a
8. *Beati mundo corde*, &c. 72. c. 1067. b. 1121. c
14. &c. *Vos estis lumen mundi*, &c. 13. b. 1161. c. 1307. c. 1479. c
15. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*, &c. 1270. c
16. *Luceant opera vestra coram hominibus*, &c. 255. d. 506. a. 707. c. & seq. 1307. f
17. *Non veni solvere legem, sed adimplere*, 612. c
19. *Quicumque solverit unum de mandatis istis minimis*, &c. 1036. e. & seq.
20. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum*, &c. 61. f. 454. g. 1036. c
22. & 23. *Qui dixerit fratri suo, Fatue*, &c. 441. g
25. *Esto consentiens adversario tuo*, &c. 49. a & seq. 1037. d
28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. 519. c
34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* 1244. c
37. *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non: quod autem amplius est, à malo est*, 864. d. 1246. d
40. *Si quis voluerit tecum judicio contendere*, &c. 92. f. 804. c
42. *Qui petit à te, da ei*, &c. 999. d
43. *Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum*, 709. g
44. *Diligite inimicos*, &c. 90. c. e. 1269. b
48. *Estote autem perfecti, sicut Pater vester*, &c. 29. c
VI. 1. &c. *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus*, &c. 255. a. 707. d. & seq. 1307. f
3. *Nesciat sinistra tua* &c. 166. b. 709. c
7. & 8. *Nolite multum loqui quando oratis*, &c. 429. a
9. &c. *Pater noster qui es in cælis*, &c. 573. c. 1394. c
10. *Veniat regnum tuum*, 252. b
11. *Panem nostrum quotidianum da nobis*, 603. a. 1294. f
12. *Dimitte nobis debita nostra*, &c. 2.5b2. 275. a. 449. d. 659. b. 856. c. 933. b. 1127. b. 1267. c. 1369. d
13. *Ne nos inferas in tentationem, sed libera*, &c. 722. g
Item 13. *Libera nos à malo*, 872. d
19. *Nolite vobis thesauros condere*, &c. 177. d. 1255. f
20. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*, 63. a. 1201. g 1335. f
VII. 3. &c. *Festucam in oculo fratris tui vides*, &c. 274. d. 341. a. 440. b. 933. d. 1125. f
6. *Ne fortè conversi disrumpant vos*, 422. c
7. *Pulsate, & aperietur vobis*, 506. c
11. *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*, &c. 488. c. 1150. d
13. & 14. *Arta via est*, &c. 562. f. 563. b
16. *Nemo colligit de spinis uvam*, &c. 237. b. 410. d. 670. a
17. *Arbor bona bonos fructus facit*, &c. 1171. f. 1173. d
21. &c. *Non omnis qui mihi dicit, Domine*, &c. 668. a. 672. c
24. &c. *Qui audit verba mea hæc, & facit ea*, &c. 858. c
VIII. 5. &c. *Accessit ad eum Centurio*, &c. 423. f. 917. c. 1322. c
11. *Multi ab Oriente & ab Occidente venient*, &c. 243. a. 424. b. g. 490. a. 563. b. 913. c 1436. c
22. *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, 471. a
24. *Et ecce motus magnus factus est, ita ut navicula*, &c. *ipse verò dormiebat*, &c. 198. e. 438. c. 1409. c
IX. 12. *Non opus est sanis medicus*, &c. 430. c. 473. b. 840. b. 1140. c
13. *Non veni vocare justos, sed peccatores*, 430. e. 1125. b
15. *Non possunt lugere filii sponsi, quamdiu cum eis est sponsus*, &c. 928. g
17. *Nemo mittit vinum novum* &c. 1089. g
21. *Si tetigero fimbriam*, &c. 1013. b. 1018. c. 1021. a
X. 16. *Estote ergo prudentes sicut serpent.* 1373. c
20. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus*, &c. 1110. f. 1113. a
23. *Cùm vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam*, 652. b. 915. g
27. *Quæ dico vobis in tenebris*, &c. 769. c
28. *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, &c. 776. f. 778. e
30. *Et capilli capitis vestri numerati sunt*, 363. c
37. *Qui amat patrem aut matrem super me*, &c. 1329. f. 1348. b
39. *Qui invenerit animam suam, perdet illam*, &c. 1333. c
42. *Quicumque dederit calicem* &c. 201. d
XI. 11. *In natis mulierum nemo exsurrexit major Johanne Baptista*, 1153. d. 1158. g. 1162. b. 1169. f. 1472. g. 1479 a
17. *Cantavimus vobis, & non saltastis*, 1257. a
25. *Confiteor tibi, Pater*, &c. 149. d
27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, 687. c. g
28. &c. *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. 154. b. 207. c. 511. b. 589. b. 688. a. & seq. a. 793. b. 1326. a
29. *Discite à me quia mitis sum*, &c. 130. d. 1130. c
XII. 29. *Quomodo potest quisquam in domum fortis intrare, & vasa ejus diripere*, &c. 638. f
35. *Bonus homo de bono thesauro* &c. 409. f
XIII. 9. *Qui habet aures audiendi audiat*, 94. c
11. & 12. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non est datum*, 799. b
12. *Qui enim habet, dabitur ei*, &c. 1139. d. & seq. a
24. &c. *Simile factum est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo*, &c. 34. b. 250. f. & seq. 259 b. 479. g. & seq.
47. & 48. *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare*, &c. 1035. f. 1418. b
XIV. 28. &c. *Domine, si tu es, jube me venire ad te*, &c. 432. a
XV. 26. *Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus*, 596. c
28. *O mulier, magna est fides tua*, 917. d
38. *Exceptis pueris & mulieribus*, 508. d
XVI. 6. *Cavete à fermento Pharisæorum*, &c. 497. c
13. &c. *Quem me dicunt homines esse Filium hominis*, &c. 874. g. 981. c. 988. c
17. &c. *Tu es Christus Filius Dei vivi*, &c. 415. c. 703. c. 805. c. 878. d. 1057. c. 1097. b
18. &c. *Et ego dico tibi*, &c. 1194. c
19. *Tibi trado claves regni cælorum*, &c. 706. b
22. *Absit à te, Domine, non fiet istud*, &c. 916. b. 1198. c. 1289. f
23. *Redi retrò satanas, scandalum mihi es*, 435. f
24. *Si quis vult venire post me, neget semetipsum*, &c. 960. d. 1287. f
26. *Quid prodest homini*, &c. 1289. a
XVII. 3. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias*, 611. d
5. *Tu es Filius meus dilectus*, &c. 397. g
17. 19. *Si habueritis fidem sicut* &c. 1022. c
24. &c. *Reges mundi à quibus* &c. 745. a
XVIII. 12. *Relinquit nonaginta* &c. 835. d
15. &c. *Si peccaverit frater tuus*, &c. 97. b
18. *Quæ solveritis in terra*, &c. 525. b. 1194 g
XIX. 5. *Propter hoc dimittet homo patrem*, &c. 498. d
14. *Talium est enim regnum cælorum*, 1373. c
16. &c. *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam*, &c. 196. g. 1241. c. & seq. 1338. f
17. *Nemo bonus nisi unus Deus*, 488. b
17. *Si vis venire ad vitam*, &c. 717. a
21. *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes*, &c. 689. c. 1338. a
Item 21. *Da pauperibus*, &c. 348. c
28. *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël*, 1358. b
XX. 1. &c. *Simile est regnum cælorum homini patri familiâs, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam*, &c. 271. d
22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* 772. g. 1287. c
XXI. 23. &c. *In qua potestate ista facis? Si tu es Christus*, &c. 1177. g & seq.
33. &c. *Homo erat pater-familiâs, qui plantavit vineam*, &c. 462. f
44. *Quicumque offenderit in lapidem istum, conquassabitur*, &c. 598. d
XXII. 11. &c. *Et vidit hominem non vestitum veste nuptiali*, &c. 158. b. 508. c. & seq. c
30. *In resurrectione enim* &c. 1427. g. & seq.
37. *Diliges Dominum* &c. 173. b. 1083. d
39. *Diliges proximum tuum tamquam teipsum*, 710. d. 1487. b
40. *In his duobus præceptis tota lex pendet*, &c. 47. c. 53. f. 1028. a. 1033. d
42. &c. *Cujus esse filium dicitis Christum?* &c. 292. f
XXIII. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ*, &c. 666. b
3. *Quæ dicunt facite*, &c. 69. d. 236. b. 409. d. & seq. 534. b. 667. b. 670. a. 859. b
6. *Cavete ab Scribis*, &c. 497. d. 633. f
10. *Ne velitis dici magistri*, &c. 112. c
26. *Mundate quæ intus sunt*, &c. 224. c
37. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui colligere filios tuos tamquam gallina pullos suos*, &c. 546. b 1074. c
XXIV. 5. *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus*, 1172. b
XXV. 1. &c. *Simile erit regnum cælorum decem virginibus*, &c. 708. a
34. &c. *Venite benedicti Patris mei*, &c. 99. g. & seq. 349. c. & seq. 664. b. 1184. b
35. &c. *Esurivi*, &c. 63. d. 457. a. c. 1069. c
35. *Hospes fui*, &c. 992. c
40. *Quando uni ex minimis meis fecistis*, &c. 136. b. 568. e

IN QUINTUM TOMUM.

46. *Impii verò in ignem æternum*, 1114. f
XXVI. 34. *Ter me negabis*, 11. d
38. *Tristis est anima mea usque* &c. 156. c
39. *Pater, si possibile est* &c. 1330. d
41. *Spiritus quidem promtus est*, &c. 522. c
63. *Jesus autem tacebat*, 1262. c
XXVII. 32. *Invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem*, &c. 247. d
40. *Si Filius Dei est, descendat de cruce*, 465. g. 473. g. 1144. c
XXVIII. 9. *Avete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus*, 1013. a
13. *Dicite quia discipuli* &c. 217. c
MARC. I. 24. *Scimus qui scis, Filius Dei*, 805. c. 878. d. 988. c
II. 3. *Et venerunt ad eum* &c. 232. a
V. 35. &c. *Puella mortua est*, &c. 518. c. & seq.
VI. 18. &c. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, &c. 1144. a. 1480. d
23. *Et juravit illi, Quia quidquid* &c. 1245. d
IX. 23. *Credo, Dom. adjuva*, &c. 214 c. 575. d
43. *Vermis eorum non morietur*, &c. 1431. b
X. 37. & 38. *Domine, jube ut unus nostrûm in regno tuo sedeat ad dexteram*, &c. 512. f
XI. 13. *Cúmque vidisset à longè ficum*, &c. 421. g. 518. c
XIV. 58. *Nos audivimus* &c. 1261. f
XVI. 12. &c. *Apparuit duobus* &c. 998. c
14. *Exprobravit incredulitatem eorũ*. &c. 977. c
16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, &c. 391. e. 985. a. & seq.
LUC. I. 13. *Noli timere Zacharia*, &c. 1166. g
20. &c. *Ecce eris tacens*, &c. 1163. d. 1175. g. & seq.
28. *Ave gratiâ plena, Dñs tecum*, &c. 1167. b
34. & 35. *Quomodo fiet istud?* &c. 970. f 1152. c. 1153. g. 1167. d. 1175. g
35. *Spiritus-sanctus superveniet in te*, &c. 733. f. 986. b
Item 35. *Quod nascetur ex te sanctũ*, &c. 946. c
38. *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, 950. g
53. *Esurientes implevit bonis*, &c. 1164. d
66. *Quid putas erit puer iste?* &c. 1166. a
II. 7. *Et peperit ei filium*, 299. b
14. *Gloria in excelsis Deo*, &c. 897. c. 899. b
26. &c. *Responsum acceperat*, &c. 786. f
29. *Nunc dimittis Domine servum* &c. 1122. c
42. 43. &c. *Cum factus esset annorum duodecim*, &c. 291 c. & seq. 298. f
III. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, 1121. d
8. &c. *Facite ergo dignos fructus* &c. 351. c
16. & 17. *Ego quidem baptizo* &c. 1174. e
23. *Qui putabatur esse pater Jesu*, 299. d
23. &c. *Filius Joseph*, &c. 294. a. 449. f
IV. 13. *Postquam perfecit diabolus omnem tentationem, recessit ab illo* &c. 1143. f
V. 4. &c. *Mittite retia*, &c. 1026. f. 1028. f. 1031. c. 1034. c. 1038. c. 1101. d
VI. 21. *Beati qui plorant*, &c. 835. f
30. *Omni petenti te da*, 1400. c. 1404. d
37. & 38. *Remittite, & remittetur*, &c. 209. f 448. c. 574. c. 922. b. 932. d. 1063. a
VII. 14. *Juvenis tibi dico, surge*, 633. a
VIII. 5. &c. *Exiit seminans* &c. 531. c
41. &c. *Ecce vir nomine Jairus*, &c. 421. c
45. *Quis me tetigit?* &c. 358. f. & seq. 421. d. 422. b. 1013. c. 1018. c. 1021. a
IX. 57. &c. *Sequar te, Domine*, &c. 357. c
X. 30. &c. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho*, &c. 643. d. 825. a. 1448. f
38. &c. *Mulier quædam Martha nomine excepit illum*, &c. 817. d. 855. d. & seq. 1050. f
XI. 5. &c. *Quis vestrûm habebit* &c. 353. d
20. *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia*, 48. b
13. &c. *Domine, dic fratri meo dividat*, &c. 1084. c. 1400. c
16. &c. *Hominis cujusdam divitis* &c. 167. f. 179. c. 461. b. 849. c
37. *Amen dico vobis*, &c. 539. a
46. *Veniet .... & dividet eum*, 187. e
48. *Servus nesciens* &c. 406. f. 1201. f
XIII. 7. *Jam ecce triennium est, quod venio ad eam*, &c. 404. g. 1047. f
26. *Nonne in nomine tuo* &c. 192. d
29. *Et venient ab Oriente* &c. 917. e
XV. 17. & 18. *Et reversus ad semetipsum*, &c. 511. g. & seq. 1289. c
XVI. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, 70. c. 208. a. 279. f
19. &c. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ*, &c. 83. f. 178. a. 206. b. & seq. 461. c. 535. e. 850. c. 1452. a
XVII. 5. *Domine, auge nobis fidem*, 428. f
15. &c. *Vnus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est*, &c. 842. b. c
26. *Et sicut factum est in diebus Noë*, 1416. b
XVIII. 1. *Oportet semper orare*, 429. d
10. &c. *Duo homines adscenderunt in templum*, &c. 180. e. 665. c. 1162. e. 1350. e
12. *Jejuno bis in sabbato, decimas do*, &c. 61. f
13. *Propitius esto mihi peccatori*, 658. c. 660. f
19. *Nemo bonus, nisi unus Deus*, 89. d
25. &c. *Faciliùs intrat camelus*, &c. 1026. a
37. *Dixerunt autem ei quòd Jesus* &c. 1347. e
38. *Et clamavit, Miserere mei*, &c. 1347. b
XIX. 3. &c. *Et quærebat videre* &c. 832. b
5. *Zacchæ festinans descende*, 136. a
8. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*, 83. e
9. *Hodie salus domui huic facta est*, 569. f
10. *Venit Filius hominis quærere* &c. 835. d
21. &c. *Sciebam te hominem molestum, metere ubi non seminasti*, &c. 1310. b
23. *Tu dares*, &c. 166. b. 610. d. 671. d
39. & 40. *Compesce pueros*, &c. 596. b
XX. 21. &c. *In qua potestate* &c. 627. e
18. *Omnis qui ceciderit* &c. 495. d. 500. e
25. *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt*, &c. 80. d
XXI. 18. & 19. *Capillus capitis vestri non peribit*, &c. 155. g. 1294. d
33. *Cælum & terra transient*, 545. e
XXII. 24. *Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*, 699 f
XXII. 32. *Vade, & conforta fratres tuos*, 930. a
33. *Tecum ero usque ad mortem*, 1144. e
46. *Vigilate & orate, ne intretis*, &c. 575. b
61. *Et respexit eum Dominus*, &c. 1144. f. 1146. d. 1149. e 1195. e
XXIII. 34. *Pater ignosce illis*, &c. 29. g. 144. b. 237. f 275. e. 430. g. 431. a. c. 493. f. 836. b. 1130. f. 1256. b. 1269. c
39. &c. *Libera te, si justus es*, &c. 1283 d
42. & 43 *Memento mei, Domine, cùm veneris* &c. 376. d. 983. a. 987. f. 1143. f. 1283. e
46. *Pater, in manus tuas* &c. 1269. b
XXIV. 11. *Visa sunt ista ante oculos eorum quasi deliramenta*, 981. a
17. 18. &c. *Qui sunt isti sermones, quos habetis inter vos*, &c. 981. d. & seq. 987. d. 998. c
28. *Finxit se longiùs ire*, 485. e
37. 38. &c. *Existimabant enim se spiritum videre*, &c. 993. d. & seq. 996. c. & seq. 1008. f. 1009. c. 1010. d
38. & 39. *Quid dubitatis, & quare cogitationes adscendunt in cor vestrum?* &c. 567. d
39. *Palpate & videte*, 1017. c. 1020. d. 1022. g
46. & 47. *Sic oportebat Christum pati*, &c. 877. a. 1012. d. 1092. f
50. & 51. *Elevatis manibus suis* &c. 1010. c
JOHAN. I. 1. *In principio erat Verbum*, &c. 615. d. 651. c. 657. d. 875. d 945. f. 1154. c. 1178. d
De eodem versiculo & sequentibus, 2. b. & seq. 970. b. & seq. 982. c. 1320. d
3. *Omnia per ipsum facta sunt*, 303. e. 617. c. 1000. b. 1067. a
8. *Non erat ille lumen*, 12. f. 1160. c. 1479. b
9. *Erat lumen verum*, &c. 12. f. 13. b. 872. f
10. & 11. *Mundus per eum* &c. 513. c. 1043. a
14. *Verbum caro factum est*, 885. c. 887. b. 939. d. 993. e. 995. e. 1068. c. 1166. d
15. *Post me venit*, &c. 1475. b. & seq.
16. *Nos omnes de plenitudine* &c. 1160. f. & seq.
20. *Non sum ego Christus*, 1170. b
23. &c. *Ego sum vox clamantis in deserto*, 1154. d. 1159. b. 1176. f. & seq. c
27. *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere*, 1151. d. 1152. d 1179. b. 1477. g
47. &c. *Ecce verè Israëlita*, &c. 18. b. 486. e
48. *Cùm esses sub arbore fici, vidi te*, 832. g
51. *Videbitis cælum apertum*, &c. 602. d
III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. 389. g 393. b. 1186. g. & seq.
13 *Nemo adscendit in cælum*, &c. 498. b. 694. f. & seq. 1072. c. 1187. d. 1426. d
14. & 15. *Sicut Moyses* &c. 36. e. 1188. c
18. *Qui credit in eum* &c. 1114. e. 1189. e
26. &c. *Ille cui testimonium* &c. 1179. f
29. *Amicus autem sponsi stat & audit*, &c. 855. a. 1153. e. 1175. b
30. *Illum oportet crescere*, &c. 899. a. 1156. f. 1157. g
36. *Qui credit in Filium*, &c. 1189. f
IV. 7. *Sitio*, 521. g
25. &c. *Scimus quia veniet Messias*, &c. 530. f
V. 19. *Quæcumque enim Pater facit*, &c. 656. g
21. *Sicut enim Pater suscitat* &c. 517. c. 657. g
24. &c. *Qui verbum meum* &c. 1432. e. & seq.
28. & 29. *Veniet hora, quando omnes qui in monumentis* &c 114 d. 1240. d. & seq. 1331. e
29. *Et procedent qui bona fecerunt*, &c. 740. f
35. *Ille erat lucerna*, 377. e. 1479. d
VI. 6. *Hoc enim dicebat tentans eum*, 6. f
41. *Ego sum panis vivus*, &c. 566. b. 856. g
49. *Patres vestri manducaverunt manna in eremo, & mortui sunt*, 1364. f. & seq. c
57. *Qui manducat carnem meam*, &c. 391. f
VII. 37. & 38. *Si quis sitit*, &c. 771 b
39. *Spiritus autem nondum fuerat* &c. 1082 g
VIII. 4. *Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio*, &c. 80. b
7. &c. *Qui sine peccato est*, &c. 1230 f
25. *Principium, quia & loquor vobis*, 3. c
31. & 32. *Si manseritis in verbo meo*, &c. 1339. f
44 *Qui loquitur mendacium*, &c. 802. d
48. *Nonne verum dicimus*, &c. 825. c
X. 18. *Potestatẽ habeo ponendi animam meam* &c. 156. d. 306. c. 1237. b
30. *Ego & Pater unum sumus*, 681. d
XI. 11. &c. *Lazarus amicus noster* &c. 519. a
17. &c. *Invenit eum quatuor dies* &c. 374. e
25. *Qui credit in me, licèt mortuus* &c. 829. a
35. *Et lacrymatus est Jesus*, 829. d
43. *Voce magna clamavit*, &c. 633. b. 1371. a
44. *Solvite eum, & sinite abire*, 520. c
XII. 24. & 25. *Nisi granum frumenti cadens in terram* &c. 1236. e. & seq. a
25. *Qui amat animam suam*, &c. 1453. d. & seq.
26. *Vbi ego sum, illic & minister meus*, 1274. b
27. *Nunc anima mea* &c. 1237. c. & seq. e
XIII. 2. *Immisit diabolus in cor* &c. 1224. b
34. *Mandatum novum do vobis*, 1301. e. 1348. f. & seq. a
36. *Non potes me sequi modò*, &c. 1045. g
37. & 38. *Animam meam pro te ponam*, &c. 1146. c. 1149. d. 1195. d. 1198. a. 1203. f
XIV. 6. *Ego sum via*, &c. 717. b. 1338. c. 1339. d
8. &c. *Ostende nobis Patrem*, &c. 471. c. & seq. 747. a. 1157. c
9. *Qui me vidit, vidit & Patrem*, 1074. f
10. *Ipse facit opera*, 397. e
21. &c. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, &c. 427. b. 619. a. e. 625. e. 1067. d
28. *Si me diligeretis*, &c. 1074. e. 1075. e
Item 28. *Pater major me est*, 887. g. 1316. c
30. & 31. *Ecce venit princeps mundi*, &c. 140. f. 654. e 655. e. 726. b. 820. d g. 1415. a
XV. 1. *Pater meus est* &c. 462. e. 571. f. 942. g
12. & 13. *Hoc est præceptum meum* &c 1292. e
15. *Omnia quæ audivi à Patre meo*, &c. 144. d
18. *Si odit vos mundus*, &c. 514. b. 1315. c
15. 22. *Si non venissem*, &c. 389. b. 691. b
XVI. 7. *Non potest ille venire*, &c. 1096. d
12. *Adhuc multa habeo vobis dicere*, 144. g
15. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, 656. e
33. *In hoc mundo pressuram habebitis*, &c. 1112. e
Item 33. *Gaudete, quia ego vici mundum*, 516. e
24. *Pater, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum*, 657. f. 959. a. 1274. b
XIX. 19. *Rex Judæorum*, 913. d. 960. e
28. &c. *Sitio*, &c. 961 g. 220. a
34. *Vnus militum lanceâ latus ejus* &c. 30. b
XX. 8. & 9. *Et crediderunt. Nondum enim noverant Scripturas*, &c. 1016. f. 1019. g. 1021. g
13 &c. *Quem quæris*, &c. 1022. b
17. &c. *Noli me tangere*, &c. 33. a. 692. d 1012. g. & seq 1017. b. 1019. f. & seq. 1022. f
17. *Adscendo ad Patrem meum* &c. 1023. d
19. &c. *Cùm ergo esset serò* &c. 1024. f. 1468. e
22. & 23. *Accipite Spiritum-sanctum, Si cui dimiseritis peccata*, &c. 393. b. 395. f. 525. e
25. &c. *Nisi misero digitos meos*, &c. 565. e
27. &c. *Vide manus meas*, &c. 470. c. 1000. f. 1059. d. 1060. b
29. *Beati qui non viderunt, & crediderũt*, 691. f
XXI. 6. &c. *Mittite retia in dexteram partem*, &c. 1027. d. 1029 a. 1032. f. 1034. f. 1038. a. 1101.
15. &c. *Petre amas me*, &c. 240. e. 664 d. 668. e. 673. a. 1045. a. 1147. d. 1195. f 1198. f. 1215. b. 1312. e. 1368. a
18. *Alter te cinget, & feret quò tu non vis*, 1200. c. 1214. g. & seq.
19. &c. *Sequere me*, 1045. f. & seq.
25. *Multa alia fecit Jesus*, &c. 517. g
ACT. I. 6. &c. *Domine, si hoc tempore præsentaberis*, 1080. f. & seq.
11. *Hic Jesus sic* &c. 947. g. 1080. a. 1122. e
25. *Abiit in locum suum*, 609. a
II. 1. &c. *Cùm complerentur dies Pentecostes*, &c. 744. a. 1093. f. 1103. a
4. *Et cœperunt loqui linguis*, &c. 836. e. 1085. d. 1089. f. 1091. b. 1093. f
13. *Hi ebrii sunt*, &c. 1085. e. 1088. g
37. &c. *Quid faciemus*, &c. 401. a. 420. d. 836. g
IV. 12. *Non enim est aliud nomen* &c. 1185. b
34. *Vendentes afferebant pretia* &c. 1039. d
VI. 14. *Nos audivimus eum dixisse*, &c. 1261. g
VII. 2. *Viri fratres & patres audite*, 1273. d
30. *Apparuit illi in deserto montis Sina* &c 35. a
51. &c. *Dura cervice*, &c. 275. f. 493. c. 1262. g. 1268. f. 1270. e

INDEX IN QUINTUM TOMUM.

55. *Ecce video cælos apertos, & Christum* &c. 940. e. 947. d. 1260. f. 1268. g. 1273. f
58. & 59. *Domine Jesu accipe spiritum* &c. 276. c. 1266. b. 1269. c. 1271. a. 1274. a
VIII. 1. *Facta est autem in illa die persecutio magna*, &c. 579. e. 1270. b
18. &c. *Cùm autem vidisset Simon*, &c. 525. g. 1085. f
27. &c. *Et ecce vir Æthiops*, &c. 526. c. 1086. e
IX. 1. &c. *Saulus adhuc spirans minarum*, &c. 806. c. 838. b. c. 1129. c. & seq.
4. & 5. *Saule, Saule, quid me persequeris*, &c. 579. g. 600. g. 813. c. 1196. g. 761. d. 1270. c. 1336. f. 1412. f
X. 1. &c. *Vir autem quidam erat* &c. 1087. c
11. *Et descendens vas quoddam velut* &c. 917. f
13. *Macta, & manduca*, 19. g. 611. e
44. *Adhuc loquente Petro verba hæc*, &c. 526. e
XV. 1. *Et quidam descendentes de Jud.* &c. 65. d
XVII. 18. *Quidam autem Epicurei* &c. 753. d
ROM. I. 1. *Paulus servus Christi* &c. 1270. d
3. *Qui factus est ei ex semine David* &c. 292. e
18 &c. *Revelatur ira Dei super omnem impietatem*, &c. 378. g. & seq. 683 a 904 b. 1003. g
22. *Dicentes enim se esse sap.* &c. 377. a. 716. b
23. *Et commutaverunt gloriam* &c. 41 g
24. *Tradidit illos Deus in concupiscentiã* 335. d
II. 4 &c. *An divitias bonitatis* &c. 99 a. 250. a
III. 4. *Deus autem verax, omnis autẽ* &c. 651. f
28. *Arbitramur justificari hominem* &c. 9. e
IV. 3. *Credidit Abraham Deo* &c. 84. e
5. *Credenti in eũ qui justificat impiũ* &c. 1173. a
25. *Mortuus est propter delicta* &c 815 d 991. e
V. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris* &c 392. e. 628. c. 816. c. 1397. c
12. *Per unum* &c. 800. b 801. a 1190. c
5. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*, &c. 606. a. 721. c. 789. d. 819 e
VI. 12. *Non regnet* &c. 153 c. 630. a. 632. a
19. *Humanum dico propter* &c. 768. a. 954 a
VII. 7. 8 &c. *Non concupisces* &c 697. b. & seq.
14. &c. *Scimus enim quia lex* &c. 151. b. & seq.
17. *Nunc autem jam non ego operor illud*, 742 b
19. *Non quod volo bonum hoc ago*, 1446. c
22. &c *Condelector enim* &c. 606. c. 821. b
23. *Video autem aliam legem* &c. 1055. b
24. & 25. *Miser ego* &c 699. b 790. d. 155. c
VIII 3. *Misit Deus Filium suum in similitudinem* &c. 654. f. 877. e 886. a. 1189. a
10. & 11. *Si autem Christus in* &c. 1432. a
13. & 14. *Si enim secundùm carnem* &c. 630. d
18. *Non sunt condigna* &c. 1131. d. 1199. g
24. *Spes autem quæ videtur*, &c. 544. b. 1521. d
31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* 1297. f
32. *Qui etiam proprio* &c 306. a. 758. f. 1298. d
35. &c. *Quis nos separabit* &c. 1299. g
IX. 11. *Nondum natis*, &c. 799. f. 800. f
20. *O homo, tu quis es, qui respondeas* &c. 801. c
21. *An non habet potestatem figulus* &c 141. f
30. &c. *Gentes quæ non sectabantur* &c. 812. g
X. 1. *Deprecatio ad Deum pro illis* &c. 814. a
2. & 3. *Zelum Dei habent*, &c. 634. a. 635. f. 645. c. 770. f. 774. a, 814. b
3. *Ignorantes Dei justitiam*, 751. c
10 *Corde creditur ad justitiã*, &c. 1132. b. 1133. f
13. &c. *Omnis quicũque* &c 323 a. 574. f. 807. a
XI. 3 &c. *Adtendite quid dicit Elias*, &c. 528. f.
17. *Aliqui ex ramis fracti sunt*, &c. 423. c. 425. a. 913. f. 917 d
33. *O altitudo* &c. 88. c. 142. a. 146. a. 1186. d
35. & 36. *Quis prior dedit illi*, &c. 761. g. 807 c
XII. 11. *Spiritu ferventes*, 393. f
20. *Si esurierit inimicus tuus*, &c. 710. g
21. *Noli vinci à malo, sed vince* &c. 1229. c
XIII. 1. & 2. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. 362. c
3. *Bonum fac, & habebis* &c. 81. a. 1230. a
8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut* &c. 1. a
10. *Plenitudo legis caritas*, 612. b
XIV. 4. *Tu quis es qui judicas* &c. 1360. d
20. *Omnia munda mundis, sed* &c. 704. f
I. COR. I. 13. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est*, &c. 906. a 193. b
20. &c. *Vbi sapiens, ubi scriba*, &c. 378 b. 1003 a
26. *Videte vocationem vestram*, &c. 213. c
27. *Infirma mundi elegit Deus*, &c. 467. f
II. 6. *Sapientiam loquimur inter perfect.* 123. e
Item 6. *Neque principum hujus sæculi*, 73. a
8. *Si enim cognovissent*, &c. 939. f
9. *Quod oculus non vidit*, &c. 620. b. 1291. e
12 *Nos autem non spiritum* &c. 1139. e. 1297. a
14. *Animalis autem homo*, &c. 399. d
III. 1. &c. *Quasi parvulis in Christo* &c. 399. e
4. *Nonne homines estis?* 144. d. 801. a
11. &c. *Fundamentum aliud nemo* &c. 1421. c
16. & 17. *Nescitis quia templum Dei estis* &c. *Si quis* &c. 59. e. f. 1126. b. 1127. a
IV. 3. & 4. *Mihi minimum est ut à* &c. 670. e
5. *Nolite ante tempus* &c. 272. f. 1014. e
7. *Quis enim te discernit?* &c. 385. d
V. 11. &c. *Si quis frater nominatur* &c. 1360. b
VI. 7. *Jam quidem omnino delictum* &c. 1355. d
15. *Nescitis quia corpora* &c. 445. d. 948. c
Item 15. *Tollens membra* &c. 969. b. 1346. b
19. & 20. *Et non estis vestri, emti* &c. 1126. a
VII. 4. *Vxor non habet potestatem* &c. 1294. a
5. & 6. *Nolite fraudare invicem*, &c. 194. b. 925. c. 927. b. 1355. c
14. *Alioqnin filii vestri* &c. 1192. e. & seq.
34. *Quæ autem innupta est, cogitat* &c. 780. e
VIII. 1. *Scientia inflat*, &c. 1099. b. 1377. d
10. *Si enim quis viderit eum* &c. 253. f. 359. f
IX. 7. *Quis pascit gregem, & de lacte* &c. 226. f
X. 1. &c. *Nolo vos ignorare*, &c. 15. c. 1364. d
13. *Fidelis Deus, qui non vos* &c. 231. a. 1056. c
17. *Vnus panis*, &c. 973. e. 976. b. 1104. d
20. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*, 908. c
24. *Nemo quod suum est, quærat*, 162. d. 427. d
32. & 33. *Sine offensione estote Judæis* &c. 254. b. 320. c. 709. a.
XI. 27. *Qui manducat* &c. 974. d
30 *Propterea in vobis multi infirmi* &c. 703. f
XII 3. *Nemo dicit, Dominus Iesus*, &c. 1095. d
11. *Omnia autem hæc operatur* &c. 397. c. f
XIII. 1. &c. *Si linguis* &c. 192. e. 491. a. 510. d. 672. b. 689. c. 698. c.
4. *Caritas non æmulatur*, 689. b
Item 4. *Non inflatur* 1377. d
9. *Ex parte scimus*, &c. 1156. g
XV. 9 & 10. *Ego enim sum minimus Apostolorum*, &c. 417. f. 420. b. 807. g. 1131. g. 1205. d. 1210. b. 1265. e
22. *Sicut enim in Adam* &c. 492. c. 1181. b
28. *Vt sit Deus omnia in omnibus*, 322. a. 764. g. & seq 1299. d
31. *Quotidie morior per vestram gloriam*, 861. e
15. 32. *Manducemus & bibamus*, &c. 714. d. 760. e. 1408. a
40. & 41. *Et corpora cælestia, & corpora terrestria*, &c. 647. c. 1007. g. 1430. c
47. &c. *Primus homo de terra* &c. 1425. e
50. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, 1078. c. 1422. c. & seq.
51. *Ecce mysterium vobis dico*, &c. 1428. d
52. *In atomo, in* &c. 1118. f. 1428. g. & seq.
53. *Oportet enim hoc corruptibile* &c. 631. c. 644. a. 718. a. e. 721. b. 737. c. 788. g. 986. f. 1056. a. 1217. a. 1409. g
56. *Aculeus autem mortis* &c. 789. f. 790. b
II. COR. I. 12. *Gloria nostra hæc est*, &c. 254. c
II. 16. *Aliis quidem odor* &c. 23. d. 1107. a
III. 6. *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, &c. 789. f. 1029. g. 1037. b. 1098. g
13. &c. *Vt non intenderent filii Isr.* &c. 410. e
15. &c. *Quãdiu legitur Moyses*, &c. 773. c. 1219. f
IV. 13. *Habentes eumdem spiritum fidei*, 102. f
V. 1. &c. *Habitationem habemus ex Deo*, &c. 1331. c. 1353. a
3. *Si tamẽ exspoliati, non nudi inveniamur*, 343. b
4. *Ingemiscimus gravati*, &c. 1216. d
4. *Absorbebitur mortale à vita*, 1430. f
6. *Quamdiu sumus in corpore*, &c. 1358. e
16. *Et si noveramus secundùm carnem* &c. 33. c
20. & 21. *Pro Christo legatione* &c. 726. e
21. *Eũ qui non noverat* &c. 655. a. 739. a. 745. e
21. *Vt nos simus justitia Dei in ipso*, 809. b
VI. 13. *Dilatamini*, 785. c. 798. d
16. *Inhabitabo in illis & deambulabo*, 785. c
VII. 1. *Has ergo promissiones* &c. 218. d. & seq.
10. *Tristitia secundùm Deum* &c. 1047. d
VIII. 9. *Propter nos pauper* &c. 86. b. 176. c. 809. d. 899. e
21. *Providemus enim bona*, &c. 254. c. 319. a
XI. 2. & 3. *Aptavi vos uni viro*, &c. 502. b. 543. f. 889. f. 894. d. 901. c. 941. f
3. *Et timeo ne* &c. *corrumpantur sens.* &c. 1315. f.
XII. 2. *Scio hominem*, &c. 1066. e
7. &c. *In magnitudine revelationum ne extollar*, &c. 257. a. 736. d. 788. c. 1377. f
GAL. I. 8. *Licèt si nos, aut Angelus* &c. 906. b
10. *Si hominibus placere* &c. 254. a. 319. b 709. a
II. 21. *Nam si per legem justitia* &c. 139. f
III. 19. & 20. *Quid ergo lex?* &c. 751. d
21. & 22. *Si enim data esset lex quæ posset* &c. 140. a. 605. e. 662. d. 750. e. 790. a. b. 1019. g
24. *Lex pædagogus noster erat in Christo*, 751. b
IV. 4. & 5. *Cùm autem venit plenit.* &c. 805. b
6. *Misit Deus Spiritum Filii sui* &c. 399. b
14. *Quia sicut Angelum Dei*, &c. 906. d
21. &c. *Dicite mihi sub lege volentes* &c. 725. c
24. *In servitutem generans*, 133. d
29. *Sicut tunc qui secundùm carnem* &c. 10. d
V. 6. *Sed fides quæ per dilectionem operatur*, 9. c. 492. f. 763. f
14. *Omnis lex in uno serm. impletur*, &c. 628. e
16. *Spiritu ambulate*, &c. 629. a. & seq. 718. c
17. *Caro enim concupiscit* &c. 152. a. & seq.
24. *Qui autem Iesu Christi sunt*, &c. 920. a
VI. 1. *Vos qui spiritales estis*, &c. 737. a
14. *Mihi absit* &c. 772. d. 773. a. e. 798. b. 1161. f
EPHES. I. 4. *Qui nos elegit ante mundi* &c. 138. b
I. 10. *Et quæ in terris in ipso*, 3. e
14. *Qui est pignus hereditatis nostræ*, 125. a
II. 2. *Secundùm spiritum* &c. 393. g. 966. a
3. *Fuimus & nos aliquando naturâ* &c. 1190. b
8. *Gratiâ salvi facti estis per fidem*, 809. g
15. &c. *Vt duos conderet in se*, &c. 908. g. 912. b. g. 918. d. & seq. 1039. c. 1468. c
III. 17. *Habitare Christum per fidem* &c. 438. d
18. *Vt possitis comprehendere quæ sit* &c. 317. f
IV. 4. *Vnum corpus & unus spiritus*, 1091. d
22. *Exuite vos veterem hominem*, &c. 54. d
26. *Non occidat sol* &c. 340. b. 412. d. 925. e
27. *Ne detis locum diabolo*, 7. c. 162. g. 375. c
V. 8. *Fuistis enim aliquando tenebræ*, &c. 375. e. 873. e. 966. e. 971. f. 973. a. 1059. a
11. *Nolite communicare operibus* &c. 479. b
14. *Surge qui dormis*, &c. 471. b. 517. e
16. *Redimentes tempus*, &c. 92. f. 342. d. 452. c
23. *Quoniam vir caput est mulieris*, 50. f
27. *Vt exhiberet sibi Eccl.* &c. 869. a. 1320. a
29. *Nemo enim umquã* &c. 748. g. 1113. a 1453. c
31. & 32. *Erunt duo* &c. 221. c. 634. e. 1319. e
VI. 2. *Honora patrem tuum* &c. 54. a. 170. b
12. *Non est nobis colluctatio* &c. 965. e. 975. b
14. &c. *State succincti lumbos* &c. 1259. a
PHILIP. I. 17. & 18. *Annuntiant Ev.* &c. 668. b
23. *Concupiscentiam habens dissolvi*, 1209. c
29. *Quia vobis donatũ est* &c. 1140. d. 1142. b
II. 1. *Si quæ societas Spiritûs*, 398. g
6. &c. *Qui cùm in forma* &c. 260. e. 500. c. 587. c. 875. e. 885. e. 886. e. 901. d. 937. a. 1019. b. 1075. a. 1137. g. 1170. d. 1231. e. 1315. b. 1414. c
12. & 13. *Cũ timore & tremore* &c. 79. d. 642. a
III. 12. *Non quia jam acceperim*, &c. 498. a
13. &c. *Ego me ipsum non* &c. 735. g. 1066. c
13. *Vnum autem*, &c. 544. a. 1053. b. 1066. f
IV. 17. *Non quia quæro datum*, &c. 227. c
COLOSS. I. 24. *Vt suppleam quæ* &c. 1319. f
II. 3. *In illo sunt omnes thesauri*, &c. 285. e
8. *Cavete ne quis vos decipiat* &c. 906. f
III. 1. &c. *Si resurrexistis cum* &c. 978. d
5. *Mortificate membra vestra*, &c. 955. e
I. THESS. II. 7 *Factus sum parvulus* &c. 123. c
IV. 4. *Vt sciat unusquisque vestrûm* &c. 1126. f
II. THESS. IV 12 *De dormientibus nolo* &c. 503 c
I. TIM. I. 5. *Finis autem præcepti* &c. 490. g. 1348. e. 1397. b
13. *Qui priùs fui blasphem.* &c. 1205. c. 1295. d
15. & 16. *Fidelis sermo* &c. 1213. d
17. *Regi autem sæculorum immortali*, &c. 1121. a
II. 5. *Vnus enim Deus*, &c. 138. g & seq. 1180. e
9. *Ornantes se, non in tortis crinibus*, &c. 780. e
III. 16. *Magnum est pietatis Sacram.* &c. 918. b
IV. 10. *Salvator omnium hominum*, &c. 1171. c
V. 20. *Peccantes coram omnibus* &c. 443. d
VI. 6. &c. *Est autem quæstus magnus*, &c. 455. b
7. &c. *Nihil intulimus* &c. 199. f. & seq. 354. d
9. *Nam qui volunt divites fieri* &c. 85. d
17. *Præcipe divitibus* &c. 83. d 85. a. 175. g. & seq. 177. c. & seq. 355. b. 454. a
19. *Vt apprehendant veram vitam*, 1339. a
II. TIM. II. 11. & 12. *Si enim commortui sumus*, &c. 921. g
385. f
9. *Et recedat ab iniquitate* &c. 945. c
13. *Negare se ipsum non potest*, 1430. c. 1432. c
18. *Qui circa veritatẽ erraverũt*, 1430. c. 1432. c
20. *In magna autem domo* &c. 87. d. & seq.
III. 1. & 2. *In novissimis temp.* &c. 511. e. 1288. e
5. *Habentes formam pietatis*, &c. 400. e
12. *Omnes qui volunt* &c. 230. d. 382. e. 803. e
IV. 2. *Insta opportunè, importunè*, 232. e
6. *Ego enim jam* &c. 1209. c. 1211. d. 1265. d
7. & 8. *Bonum certamen certavi*, &c. 1205. b. 1209. f. 1212. c. 1213. c. 1214. d. 1295. b
HEBR. XII. 4. *Nondum enim* &c. 766. a. 1272. c
6. & 7. *Quem enim* &c. 230. e. 321. b. 759. c
XIII. 4. *Fornicatores & adulteros* &c. 445. a
5. *Sine amore pecuniæ*, &c. 844. a. f. 848. d
17. *Obedite præpositis vestris*, &c. 447. a
JAC. I. 13. &c. *Nemo, cùm* &c. 341. e. 391. c
II. 19. *Tu credis*, &c. 492. d. 805. d. 778. c
III. 1. *Nolite plures fieri magistri* &c. 122. c
8. *Linguam autem nullus* &c. 320. f. & seq.
IV. 4. *Adulteri, nescitis* &c. 88. a. 783. c
I. PET. II. 1. *Deposita ergo omni* &c. 1372. g
21. & 22. *Relinquens* &c. 572. g. 1144. a. 1235. a
22. *Qui peccatum non fecit*, 726. a
III. 13. *Quis vobis nocebit*, &c. 1208. a. 1236. d
II. PET. I. 19. *Habemus* &c. 212. f. 272. c
I. JOH. I. 8. *Si dixerimus* &c. 659. f. 762. d. 789. b

FINIS.

APPENDIX
TOMI QUINTI
OPERUM S. AUGUSTINI,
COMPLECTENS SERMONES SUPPOSITITIOS,
IN QUATUOR CLASSES SUBJECTO NUNC PRIMUM ordine digestos.

I. Classis continet Sermones de Scripturis veteris & novi Testamenti.
II. Sermones de Tempore.
III. Sermones de Sanctis.
IV. Sermones de Diversis.

His classibus inserti sunt Sermones CÆSARII Episcopi Arelatensis, præter eos qui inscribuntur ad Monachos.

I. CLASSIS.

* Alias in Tomo 9.

*SERMO I.

De ligno dignoscentiæ boni & mali.

Augustino in quibusdam è veteribus libris tributus. Bellarmini judicio dubius: Erasmi autem, Verlini, & Vindingi sententiâ est suppositicius, atque in 9. Tomi Appendicem per Lovanienses rejectus. Ambrosio quoque perperam adscriptus fuit, & in ejus operum Tomo I. cum insigni varietate excusus. Exstat sine auctoris nomine in veteri Corbeiensi libro ante annos mille, uti videtur, descripto.

Gen. 2. 16. & 17.

1. LEGIMUS in Genesi dixisse Dominum ad Adam, *Ex omni ligno quod est in Paradiso, edetis; de ligno autem dignoscentiæ boni & mali, quod est in medio Paradisi, non edetis: quâ die autem ederitis, morte moriemini.* Multos scimus, Fratres carissimi, de hac arbore quæstiones vanas movisse, qui dicant Adam non voluntate peccasse, quia in illa arbore fuit dignoscentia boni & mali: & dum hominis culpam excusare nituntur, sic Deo conditori injuriam faciunt. Quibus ratio reddenda est, ne diutius quæstiones vanas moveant, aut usque adhuc in errore taliter sentiendo lateant: sed si volunt nosse, taceant & audiant; ne stulta loquendo, Deo convicium faciant. Una arbor fuit in C medio Paradisi, explorans hominis voluntatem: in ea vita pendebat, in ea & mors per transgressionem latebat: in ea apparuit transgressio, in qua firmata fuerat legis præceptio. Dixit Deus, *Ex omni ligno quod est in Paradiso, edetis; de illa verò arbore quæ est in medio Paradisi, non edetis, ne morte moriamini.* In hoc verbo lex erat à Deo posita homini, in ea fuit præmium [a] constitutum cum in

Ibidem.

A terminatione sententiæ. Deus dixit, *Si gustaveritis, morte moriemini:* & diabolus dixit, *Non morte moriemini;* & stetit homo inter Deum factorem, & diabolum deceptorem. Deus mortem minatur, si arboris fructus tangatur; diabolus deos futuros esse eos promittit, si arbor illa violetur: & appetita est venenosa [b] dulcedo, & contemta est salubritas perpetuæ vitæ.

Ibidem. Gen. 3. 4.

2. Sed dicit aliquis calumniator, Vides quia in illa arbore fuit facta mors? Respondeamus vanæ quæstioni: Non fuit planè in eadem arbore facta, sed inventa per hominem: hæc probatio fuit hominis, non deceptio B [c] Salvatoris. Nam si Deus hominem non amasset, nec & fecisset; nec & antea præmoneret, si mortificare voluisset. Quòd si antea non præmoneret, non erat misericordia, sed impietas; nec justitia, sed injustitia, ut ipse misericorditer fecisset hominem, & labi fecisset injustè. Hæc impietas nec in homine esse debet: quantò magis nec in Deo fuisse credenda est, qui fons pietatis & bonitatis est? Quis hominum, Fratres mei, opus suum perire patiatur, aut fabricam suam ruinæ tradat, aut filium quem genuit in foveam mortis impingat? Si in homine ista crudelitas non est; nec in Deo credas fuisse, qui fabricam suam, id est, hominem bene disposuit, & imminenti ejus ruinæ [d] destinam præcepti suffulsit, ne caderet; sed stare non potuit. Quare? Quia audire Deum noluit. Quid ergo imputamus Deo, si Adam cedidit; qui ut caderet, Dei præceptum contemsit?

Mors in arbore facta non fuit.

3. Dic mihi, arbor ipsa bona fuit, an mala? Dicturus es, Mala: mala utique, de qua homo pomum rapiendo [e] multatus est morte. Ergo arbor fuit mala, an transgressio mandati? Planè arbor: nam si mala non fuisset,

Arbor non erat mala.

[a] In MSS. duobus, *præmium vitæ.*
[b] Aliquot MSS. *dulcedo mortis.*
[c] In Remigiano MS. *salutis.* At in Germanensi & in editione Erasmi, *salutaris.*
[d] Editi, *destinatam præcepto.* Meliùs MSS. *destinam præcepti.* Destina quippe sumitur pro fabricæ fulcimine. Sic Beda in historia Anglorum lib. 3. cap. 17. *Factum est ut adclivis destinæ, quæ extrinsecùs Ecclesiæ pro munimine erat adposita* &c. In ejusdem capitis titulo editio nova substituit, *apposita Ecclesiæ;* ubi antiqua, *destina Ecclesiæ.* Utitur eadem voce Augustinus in fine Serm. 12. & S. Braulio in vita S. Isidori Hispal. April. 4. apud Sur.
[e] Ita duo MSS. At editi, *mutatus est in mortem.*

Classis I.

[a] Adam non cecidisset. Hæc dicis non intendens virtutem Scripturarum. Nam sicut scriptum est in illa arbore fuisse dignoscentiam boni & mali; ita scriptum est, *Et vidit Deus quæ fecit, & ecce bona valde.* Illud credis quod te in errorem inducat; & hoc non credis quod te ad salutem perducat? Vis nosse qui calumniaris, quia arbor illa non fuit mala, sed bona; nec in ea facta est à Deo mors, sed homo sibi mortem creavit? Dic mihi calumniator, ferrum bonum est, an malum? Sine dubio dicturus es, Malum. Et quare malum, & non bonum; cùm omnia quæ Deus fecit, bona sint valde? Quale bonum dicis esse ferrum, unde homines perimuntur? Audi ergo: Non ferrum est malum; sed qui ad facinus utitur ferro, ipse malus est. Nam vis nosse quia bonum est ferrum? Unus eo utitur ad putandum vineam, & alius ad perpetrandum homicidium: alius se pascit ferro, alius innocentem perimit gladio: unus ferro agrum colit, alius in [b] fauce ferro sanguinem fundit: unus operatur ferro ut vitam sustentet suam, alius autem ferro vitam eripit alienam. Nam & judex gladium portat, ut in reum animadvertat, innocentem absolvat. Adhuc audi, si vacat, calumniator. Vinum bonum dicis esse, an malum? Puto quòd bonum dicas esse, non malum; & hoc æquitatis judicio, non ebrietatis beneficio. Ergo bonum est vinum. Bonum valde. Bene, quòd in vino confessus es bonam esse Dei creaturam: & ego confiteor bonam esse. Quare ergo unus accipit cum sobrietate, alius ad ebrietatem? Numquid quia unus de eo ebriatur & turpis videtur, ideo mala dicenda est Dei creatura? Alius sobriè bibit, & Deum in ipsa sobrietate benedicit: nam qui inebriatur, in foveam cadit, & aliquotiens mortem incurrit. Cibi quos nobis Dominus largiri dignatus est ad utendum, non sunt mali, sed boni: & tamen si ampliùs præsumantur, perniciosi sunt & nocivi. Numquid ideo dicenda est mala Dei creatura, quia nocet, aut aliquibus perniciosa est? Sed quia in perniciem salutis suæ ampliùs præsumunt, & quod Deus generi humano largitus est, ipsis nocivum est. Et quæ dicturus sum, bene omnibus nota sunt. Scimus aliquos multo vino & cibo præfocatos: numquid in vino aut in cibo fuit mors? Absit: sed intemperantia ciborum fecit eos in mortem cadere. Sic & ferrum non ideo dicendum est malum, quia de eo latro facit homicidium: sed ipse malus est, qui eo utitur ad perimendum hominem. Ita & illa arbor non fuit mala, sed bona; sed fuit planè malum quòd homo Dei præceptum transgressus est: nam bonum est, quidquid Deus homini ad utendum tribuere dignatus est. Ecce de novo Testamento profero testimonium, bona esse omnia quæ Deus fecit. In Actibus Apostolorum legimus, obdormisse Petrum, & visum vidisse, deponi de cælo vas quoddam candidum ut linteum, in quo erant quadrupedia, „ volatilia & serpentia terræ posita. Et dixit ad eum vox, „ Surge Petre, victima, & manduca. Et Petrus ait, Absit, „ Domine: quoniam numquam comedi omne commune & „ immundum. Cui dixit, Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris. Quid est, calumniator? Ecce non solùm bona, sed & sanctificata esse omnia divino ore probavimus.

Gen. 2. 17.
Gen. 1. 31.

Res malæ non naturâ, sed malo usu.

Act. 10. 11. &c.

4. Arbor hæc non fuit mala, sed bona, nec in ea aliquid mali potuit reperiri: sed homo fuit à semetipso malus, qui malè usus est bono quod fecerat Deus. In hoc mala voluntas hominis cognoscitur; ut cui omnis paradisus subjacuit, ad arborem interdictam manum extendens mortem incurrit. Si unam arborem ei divinitas largiretur, & omnis paradisus fuisset interdictus; sufficere debuerat quod ei largitus est Deus. Sed quia ampliùs voluit quàm quod ei voluntas largientis indulsit; & hoc quod habuit amisit, & in mortem nihilo minùs incurrit. Peccatum Adæ cui imputandum est? Deo qui monuit, aut ei qui audire noluit? medico qui vulnerato observandi præceptum dedit, aut vulnerato qui contra medici præceptum noxia poma gustando caussam transgressionis incurrit? Medicorum ars est, ut eis quos viderint nimia ægritudine laborantes, ea prohibeant

Peccatum soli Adæ imputandum, non arbori, aut Deo.

A quæ perniciosa saluti, aut periculum procurent. Quòd si ægrotus contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumens, mortem inciderit; quid pertinet medico, qui prævidens caussam, observationem indixit? Ita nec medico animarum Deo imputandum est quòd Adam cecidit, qui eum antè monendo in æternum vivere voluit.

Serm. de Scripturis.

[c] [5. Multa supersunt de istis quæstionibus quæ dicenda sunt; sed hora præteriit singula dicere, ne longitudo sermonis fastidium faciat auditoribus. Debitorem me dico, dilationem peto: sed vereor ne debitor occurrat, & creditor absentiam procuret. Debitum curo solvere sermonem, sed pristinos meos non invenio creditores: alios
B quos video, aliquos requiro. O creditor piger, [d] cùm veneris ut debitum exigas, quid tuam absentiam procuras? Debitor satisfacere creditori cupit, & creditor desidiosus absentem se facit. Novam rem video. Instat debitor creditori ut debitum recipiat, & ille excusat. Sed quid interest, si creditor venire noluit? Reddat debitor quod promisit.]

6. Adhuc calumniator ille pristinus tot probationibus convictus non adquiescit, sed dicit, Sciebat Deus hominem posse peccare, an non? Respondeamus ei, ne sibi videatur aliquid dixisse: Sciebat planè. Si ergo sciebat
C eum posse peccare, quare non eum revocavit à peccato? Quare? Quia invitum non decuit coronare. Quis umquam, Fratres mei, præmium non pugnanti dat? aut quæ corona non dimicanti, aut quæ sine conflictu victoria? Audi Apostolum divino ore loquentem: Nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Adam nec pugnavit, nec certamen cum diabolo suscepit; sed ad unam suggestionem præmium immortalitatis amisit. Victus est qui non pugnavit; succubuit voluntati, non necessitati. O calumniator qui signare te nescis, & Deo vis calumniari, quia Adam non voluntate peccavit! Nempe Job homo fuit similis illi, quanta perpessus est & toleravit?
D Pugnavit fortiter, & vicit: à Deo in potestatem diabolo datus est, & sustinuit. Et utique quem sciebat Deus penitus superari non posse, in potestatem non debuit dare: sed ideo taliter probare eum voluit Deus, ut nobis excusationis & calumniæ articulum amputaret. Exspoliatus divitiis & censu, vinci non potuit; quia nec voluit. Filios amisit, & Dominum benedixit. Parum est hoc: postea ulceribus plenus, in stercore jacuit; & nihil mali adversùs Dominum loqui potuit, licèt doloribus urgebatur loqui; sed verba non fuerant improperii. Cui jam uxor non adjutorium, sed deceptio fuit; adjutorium quidem diaboli, sed deceptio mariti: [e] subornata à diabolo talia persuadebat dicens, Quamdiu pateris hæc?
E Dic verbum contra Dominum, ut indignetur tibi, & moriaris. O affectus uxoris! O [f] malagma conjugalis! Quasi dixit, Confitere Deo, ut propitietur tibi, & vivas: Blasphema, inquit, Deum, ut indignetur tibi, & moriaris. O argumenta serpentis antiqui! Per uxorem putavit Job decipere, cujus animum vulneribus [g] plenum nec sic quidem valuit ad blasphemiam incitare. Adam verò quid tale pertulit? quod cum diabolo certamen habuit? Nihil tale pertulit: quare diabolo potiùs quàm Deo obedivit?

Cur Deus sciens Adam peccaturum, non eum revocavit à peccato.

2. Tim. 2. 5.

Job 2. 9.

7. Sed adhuc calumniator dicis, Quare dixit Deus,
F *Morte moriemini*, nisi quia Deus ipsam mortem fecit, quia eam non avertit? Respondetur tibi & in hoc, calumniator ineptissime, si tu cùm sis homo habens filios, omnes admones, omnibus præceptum das, ut te sequantur & imitentur in omnibus; & si unus eorum contemtor exstiterit, & per malam conversationem mortem incurrerit; numquid ejus mors tibi imputanda est, & non potiùs ei qui tuam admonitionem contemnendo mortem incurrit? Sic nec Deo mors Adæ adscribenda est, qui eum ante transgressionem ne in mortem incideret monuit. Nam manifestum est monuisse Dominum, atque noluisse hominem mori, nec ipsum fecisse
G mortem. Testificatur huic verbo sapientissimus Salomon

Mors ex divini mandati contemtu.

[a] MS. Compendiensis, *si mala non fuisset, homini mortem non propinaßet.*

[b] Apud Ambrosium, *in acie ferri.* Meliùs codices nostri, *in fauce*; id est, in angusto viarum congressu, insidiis & latrociniis idoneo. Ea voce utitur Augustinus in Psalm. 86. *Hoc fecit ille latro, fortior in cruce quàm in fauce.* Et in Psal. 55. nec non in Evang. Johan. Tract. 7. n. 12.

[c] Quæ ansulis conclusimus, licèt exstent in omnibus MSS. addita tamen videntur, ut ex uno Tractatu fierent Sermones duo: quorum alter in MSS. aliquot incipit ab his verbis, *Debitum curo solvere sermonem.* Interpolator imitatur Ambrosium, qui librum de incarnatione sic exorditur: *Debitum, Fratres, curo solvendum: sed hesternos meos non invenio creditores.*

[d] Er. & aliquot MSS. *conveneris.*

[e] MS. Comp. *subrogata.*

[f] Ita MSS. At editi, *ó malignitas conjugalis!* Et mox, *Potuit enim dixisse. Confitere Deo* &c. At MSS. *Quasi dixit, Confitere* &c. id est, blasphemiam Dei, ejusque iræ provocationem eâ suasit fiduciâ, quâ confessionem illius ac propitiationē suaderet.

[g] Vox *plenum* desideratur in MS. Comp.

CLASSIS I.

dicens, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Adam Dei præceptum neglexit, & in mortem incidit. Revera, Fratres, Imperatoris [a] Sacram nemo sine periculo sui sanguinis contemnit; sed omnes suscipiunt cum tremore & veneratione, & adorant vilissimam chartulam atramento scriptam, & velut divinos adorant apices: Scripturæ divinæ leguntur, verba Dei tonant, ipse Dominus quodam modo præsens præsentibus loquitur; & non auditur, aut fastidiosè homines audiunt, aut quod pejus est, sedentes fabulis vacant. Imperator longè positus de chartula loquitur; & tremitur, & quasi præsens in illa chartula adoratur: Testamentum Domini cùm recitatur, ab aliquibus hominibus & contemnitur. Ipsum Prophetæ clamant, Apostoli prædicant, Evangelia loquuntur, per seipsum hominibus confabulatur; & non auditur. Audi præsentem Dominum & loquentem, Ubi fuerint, inquit, duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Sap. 1. 13. — *Scripturæ quam reverenter accipiendæ.* — *Matth. 18. 20.*

8. Sed utique, inquiunt calumniosi homines, Deus non debuit permittere hominem ut peccaret. O stulti! Qui hoc dicunt, non considerant, quia Deus non statuam fecit lapideam, aut ligneam; sed hominem perfectum condidit, cui & liberi arbitrii potestatem dedit, ut consideraret quid boni appeteret, & quid mali contemneret. Debuit timere quod minatus est Deus, & contemnere quod persuaserat diabolus; & proposito sibi immortalitatis præmio ad hoc debuit habere cor paratum, & Creatoris sui servare præceptum, non exterminatoris audire consilium. Non meliùs hominem culpo quàm Deum? qui hominem fecit, injuriam [b] faciat? O stulta & vana quæstio! Dicunt homines, Deus non debuit hominem permittere ut peccaret; & non dicunt, quia homo malè fecit Dei præceptum transgredi ut peccaret: quia utique ipse homo debuit mortem timere, & ad interdictam arborem non accedere. Si quisquam hominum (nolo dicere Imperatoris sæculi) judicis præconem contemserit, non rapitur ad supplicium? Dei præceptum contemsit Adam, & ab aliquibus defenditur. Quare culpas Deum cum tuo [c] judicio, & non hominem sine tuo periculo? Quare incusas artificem, qui bene fabricavit; & defendis hominem, qui ædificio suo adesse noluit, qui divini præcepti immemor fuit, in vulnus transgressionis incurrit?

An debuit Deus permittere peccatum.

9. O qui Adam defendis, & Deo injuriam facis, ad quod te interrogo, responde mihi. Adam bonus fuit, an malus? Dicturus es, Bonus, ut plena sit tua defensio. Si ergo bonus fuit, quare unum filium bonum, & alium latronem genuit? Debuit bonos ambos creare: aut si, ut tu dicis, Deo faciente peccavit, ambos malos debuit generare. Quare unum innocentem, & alium effundentem innocentis sanguinem genuit? Unus dedicavit martyrium, & alius initiavit parricidium. Ergo Cain quòd germanum occidit, reus non est; quia genitor ejus suscepit reatum, qui filium creavit: [d] ergo Cain invitus in jugulum fratris gladium fixit. Talem justitiam tenent, qui legi calumniari nituntur; ut geniti non sint rei, & horum genitores reatu teneantur obstricti. Ecce Adam qui genuit latronem, ecce Cain qui interfecit fratrem: qui ex his duobus reus est, pater qui genuit, aut filius qui germanum crudeli morte peremit? Cessit calumniator, tacuit calumniator: quamvis numquam aliquid verius dicit, qui veritati calumniam facit. Ubi es calumniator? Responde mihi pro suscepto [e] tuo, qui de te erat securus, defende quem usque modò defendebas. Quare cessisti? quid tacuisti? Ecce pro filii reatu reus tenetur Adam, qui genuit parricidam. Quare non dicis, Non est reus? Exsurrexit qui tacebat: Non taceo, inquit; respondeo planè, & defendo: Nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est; quia scriptum est, Anima patris mea est, & anima filii mea est: anima quæ peccaverit, sola punietur. Quasi experrectus est calumniator ille, qui dormiebat, aperuit os suum, cœpit loqui; sed modò tacebit. Dic ergo, nec pater pro filio, nec filius pro patre reus est. Responde pro suscepto tuo, & ego pro Deo meo. Defende

Adam non ideo malus, quia genitor homicidæ. — *Ezech. 18. 4.*

Adæ caussam; & ego Dei mei injuriam. Tu dicis non esse justum ut reus sit Adam pro filio: & ego consentio. Si patrem non involvit filii reatus ad peccatum, & sicut non est judicandum pro Cain, sic nec Deo quod Adam peccavit imputemus; sed sic agamus, ut ad indulgentiam Dei veniamus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

*SERMO II.

De vocatione Abrahæ, Egredere de terra tua, &c.

* *Olim de Tempore 51. & post in Appendice 34.*

Hunc Amerbachiana & Erasmiana editio repræsentat inter germanos Augustini Sermones: inter supposititios collocat Lovaniensium censura, quæ Verlino & Vindingo probatur. In MSS. præfert nomen Augustini, sed falsò. Ex iis est, quos censemus CÆSARII *Arelatensis episcopi.*

MODÒ cùm divina lectio legeretur, audivimus Dominum beato Abrahæ dicentem, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Omnia, Fratres carissimi, quæ in veteri Testamento conscripta sunt, novi Testamenti typum & imaginem prætulerunt. Sic etenim Paulus dixit, Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem, propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt. Si ergo propter nos scripta sunt; quod tunc in Abraham corporaliter legimus factum, spiritaliter in nobis videmus impletum. *Egredere*, inquit illi Dominus, *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Hæc omnia, Fratres, per sacramentum baptismi in nobis & credimus & sentimus impleri. Terra nostra, caro nostra est: bene de terra nostra egredimur, quando carnales consuetudines deserentes, Christi vestigiis inhæremus. Quasi non tibi videtur feliciter de terra sua, id est, de se ipso egredi, qui de * superbo efficitur humilis, patiens ex iracundo, castus ex luxurioso, largus ex cupido, benignus ex invido, placidus ex cruento? Verè, Fratres, feliciter de terra sua egreditur, qui pro Dei amore taliter commutatur. Denique etiam in collocutione privata ita loqui consuevimus, ut si aliquis malus homo subitò bona opera cœperit exercere, dicamus de illo, Exiit iste de se. Et verè bene de se exisse dicitur, qui repudiatis vitiis, virtutibus delectatur. *Egredere*, inquit Dominus, *de terra tua.* Terra nostra, id est, caro nostra, ante baptismum terra morientium fuit; per baptismum facta est terra viventium. Ipsa est illa terra, de qua Psalmista commemorat dicens, Credo videre bona Domini in terra viventium. Terra viventium & non morientium, id est, virtutum non vitiorum, ut dixi, per baptismum facti sumus: si tamen post acceptum baptismum ad vitiorum non revertimur volutabrum, si posteaquam terra viventium facti sumus, opera morti obnoxia & luxuriosa non faciamus. *Et veni*, inquit Dominus, *in terram, quam monstravero tibi.* Tunc enim ad terram, quam Dominus ostendit, cum gaudio venimus, si priùs de terra nostra, id est, de carne nostra, ipso adjuvante, vitia & peccata repellimus.

CÆSARII Sermo I. — *Gen. 12. 1.* — *1. Cor. 10. 11.* — *Egredi de terra sua quid sit.* — * *Cæsarius hom. 10. & inter editas à Baluzio 5.* — *Psal. 26. 13.* — *Gen. 12. 1.*

Egredere, inquit, *& de cognatione tua.* Cognatio ista, vitia intelliguntur atque peccata, quæ nobiscum quodam modo ex parte nascuntur, & ab infantia malis [f] actibus adduntur ac nutriuntur. De cognatione ergo nostra egredimur, quando per gratiam baptismi omnibus peccatis & vitiis vacuamur: ita tamen ut postea cum Dei adjutorio, quantum possumus, laboremus, ut expulsis vitiis, virtutibus repleamur. Nam si * per baptismum [g] malis omnibus vacuati, desides & ignavi esse volumus, timeo ne impleatur illud in nobis quod in Evangelio scriptum est, Cùm exierit spiritus immundus ab homine, vadit per loca arida quærens requiem, & non invenit. Postea reversus, si invenerit domum vacuam, adducit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & sunt novissima illius pejora prioribus. Ita ergo de cognatione nostra, id est, de peccatis & vitiis exeamus, ut numquam ad hæc mala postea, velut canis ad vomitum, redire velimus.

Egredi de cognatione nostra. — * *Cæsarius hom. inter editas à Baluzio 4.* — *Matth. 12. 43. &c.*

Egredere, inquit, *& de domo patris tui.* Et hoc, Carissimi, spiritaliter debemus accipere. Pater noster ante gratiam Christi diabolus fuit: De ipso Dominus in Evan-

Egredi de domo patris sui.

[a] MSS. & Er. *Sacra.* Meliùs Lov. *Sacram*, id est Imperatoriam epistolam.
[b] In MSS. Comp. & Rem. *Injuriam facio.*
[c] MS. Remig. *cum tuo periculo.* Mox Comp. *& non hominem sine tuo præjudicio.*
[d] Additur in MS. Comp. *latronem. Si Adam invitus peccavit: ergo &c.*

[e] Apud Ambrosium additur, *munere*; sed malè: nam *susceptus*, vox antiqua pro *cliente*.
[f] Ita unus MS. Alii duo, *malis artibus adducuntur.* Editi autem, *malis moribus adducuntur.*
[g] MSS. *Nam si per baptismum malis moribus vacuari voluerimus & ignavi fuerimus, timeo* &c.

A gelio Judæos arguit dicens, Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere. [Johan. 8. 44.] Patrem ergo hominum dixit diabolum, non ex ipso nascendo, sed ipsius nequitiam imitando; non quòd ex ipso potuerint nasci, sed quòd eum voluerint imitari. Nam quòd priùs pater noster diabolus fuerit, ex persona Dei loquentis ad Ecclesiam Psalmista commemorat dicens, [Psal. 44. 11.] Audi filia, & vide, & obliviscere populum tuum & domum patris tui. Considerate, Fratres, quod dixit: Audi, inquit, filia. Qui dixit, Audi filia, pater utique est. Et cùm dicit, Obliviscere populum tuum & domum patris tui; patrem utique admonet relinquendum. Invitamur ergo à Deo patre, ut beata & felici commutatione patrem B diabolum relinquamus. Bene diabolum patrem relinquimus, si Deo auxiliante calliditates & nequitias illius vitare semper vel fugere studeamus.

[Recapitulatio suprà dictorum.] Hæc ergo omnia, Fratres, id est, ut ad exemplum Abrahæ de terra nostra, conversatione utique carnali, possimus exire, & cognationem nostram, vitia videlicet & peccata relinquere, & de domo diaboli patris effugere; non nostris viribus, sed Christi gratiâ donante meruimus. Et ideo quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne ad consortium vel ad amicitias diaboli, aut ad vitia vel ad carnales concupiscentias redeamus; propter illud quod scriptum est, [Johan. 5. 14.] Jam sanus factus es; C ampliùs noli peccare, ne quid tibi deterius contingat: sed Abrahæ fidem potiùs imitando, & bona jugiter opera faciendo, non solùm ad veniam, sed etiam ad consortium vel amicitias Dei pervenire possimus. Sed & illud, Fratres carissimi, quod de hac eadem re Dominus locutus est ad Moysen, cum grandi metu & tremore considerare debemus. [Deut. 7. 2. &c.] Sic enim ait, Cùm tradiderit vobis Dominus terram Chananæorum, cavete ne umquam cum habitatoribus terræ illius jungatis amicitias, quæ vobis protinus sint in ruinas. Cùm enim per gratiam baptismi à nobis omnia crimina vel peccata expulsa esse credamus, si postea cum ipsis vitiis & peccatis amicitias ponimus, D dum eis ad cupiditatem vel luxuriam consentimus, sine dubio hæc amicitia nobis efficitur in ruinam. Et ideo quantum possumus, cum Dei adjutorio pro salute animæ laboremus; & in agro cordis nostri, quem peccata vel crimina possederant, virtutes intromittere curemus, ut in nobis impleatur illud quod beatus Isaac in typo Christi benedicens filium suum dixit, [Gen. 27. 27.] Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: quod ipse præstare dignetur, [a] cui honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum, Amen.

E

* SERMO III.

[* Olim de Tempore 68. & post in Appendice 37.]

De beato Abraham.

In nostris MSS. non reperitur. Editus per Amerbachium & Erasmum fuit cum Sermonibus Augustinianis; pòst verò per Lovanienses in Appendice cum spuriis, reluctante nemine. Confer Sermonem Appendicis 7.

1. CREDIDIT *Abraham Deo, & deputatum est illi ad justitiam.* [Gen. 15. 6.] Ecce sine opere justificatur ex fide, & quidquid illi legali posset observatione conferri, totum credulitas sola donavit. [Rom. 2. 14.] Ipse sibi fuerat lex, qui legem non acceperat, naturâ tamen quidquid legis fuerat observabat. F Abraham pater noster radicem fidei nominisque Christiani habebat, qui cùm ex proprietate genuina ad incerta atque peregrina juberetur exire, totâ devotione complevit: cui in re tam dura nulla dubitatio fuit, sed sententiam Dei tamquam qui optare videretur, accepit. [Gen. 12. 1.] *Exi*, inquit Dominus, *de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi.* Novum probationis genus, habenti propria, exsilia indicere peregrina, ingerere laborem itineris quiescenti, imperare penuriam possidenti, & tantarum facultatum Domino necessitatem imponere peregrinandi. Libenter tamen fides accepit quidquid arduum videbatur incredulis. Cui G non est magis dulce proprium tugurium quàm palatia peregrina, & voluntaria casa quàm digesta prætoria? Leve cuiquam non est dimittere propria, & sectari aliena incerta; dimittere quod scias, quærere quod ignoras. Quis enim propria sine dolore deseruit, aut sine lacrymis dereliquit? Cui non est durum illos conscios natalium parietes, dulcia illa limina atque amabilem larem, quem & parentum memoria & ipsius infantiæ rudimenta commendant, ubi cunabula illa novi & mox orientis hominis famulabantur, ubi secura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni simplicitate felices, quos sibi inter lascivos atque ipsius ætatis lusus vernaculo genuina solo necessitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ omni fuerant difficultate relinquenda, *Exi*, ait, *de terra tua.* Quis hoc sine fidei viribus libenter audiret? Leviùs probaretur, si vel nomen loci quò perrexisset, audiret. Proficiscitur, pergit, sociâ scilicet credulitate, conjuge comite, it securus, it fretus, promissum sibi fidei laboribus exacturus, plus sperans de incerto quàm fuerat securus de proprio. It ergo per desertas solitudines, per invias sedes, per naturæ secreta, ubi hominis vestigium necdum rudis terra cognoverat: & inter illa omnia quæ Dei imperio dereliquerat, non tugurium, non casam, sed inter ipsa camporum silescentium formidolosa secreta, hospes tantummodo cæli terræque, nullum suffugium quò diverteret, inveniebat.

2. Excepit tamen Abraham peregrinum quercus arbor humana; quæ venientem Abraham atque æstivo sole decoctum, amœnitatis suæ umbraculo refoveret: cujus silvescentis nemoris comata luxuries, in æstivum tempus diem & urentis solis vaporiferos radios ramorum frequentiâ suspendebat; ut quidquid injuria temporis irrogabat, omne auferret & ramorum & foliorum densitas. Ingreditur ergo lucum arboris Abraham, sub qua construitur qualecumque suffugium; angustum quidem homini, sed sufficiens majestati. Dignum tamen Deo palatium fides devota pingebat, in quo fuisset majestas superna pransura. Cùm ergo illic positus curiosis oculis cælum intentaret, ecce subitò in trium virorum persona majestas incorporea descendit. Accurrit, properat, manus supplices tendit, & transeuntium genua osculatur: *Domine*, ait, *si inveni gratiam coram te, ne transieris puerum tuum.* [Gen. 18. 3. &c.] Videtis, Abraham tribus occurrit, & unum adorat. Trina unitas, & una Trinitas. Sumatur aqua, laventur pedes vestri, & refrigerate sub arbore ista, & afferam panem, & manducabitis; & postea transibitis in viam vestram. Et dixerunt ei, *Fac ut dixisti.* Servat semper in bonis tenorem sui perfecta justitia, offert peregrinis hospitium qui non habet tectum; & cùm sit omni domicilio viduatus, domicilium, quale necessitas procurabat, exhibuit transeuntibus. Et licèt illa minora fuerint quæ offerebantur, locorum angustiis magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit à Deo. Divertunt ad arboris hospitium, quod Abraham Deo jam fecerat dignum. Interea conspergitur similago, fiunt [b] encryphiæ, mactatur & vitulus. Etsi illis divinitas non eguit; justitia tamen, quod optabat, impendit. Ecce ad humanam mensam cælestis sublimitas recumbebat, cibus capitur, pransitatur, & contubernali colloquio inter hominem & Deum familiaria verba miscentur.

3. [Hospitalitas non est sine mercede.] Et quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potuit, statim pretium mercedis accepit: datur filius seni, datur posteritas desperanti, accepit senectus quod minimè potuit habere juventus. [Gen. 18. 10.] *Ad hoc*, inquit, *tempus veniam, & erit Saræ filius.* Cúmque seniles anni, & emortua Saræ viscera hoc posse fieri denegarent; dedit tamen divinæ promissioni credulitas fidem. [Gen. 17. 5.] *Patrem*, inquit, *multarum gentium posui te.* Repletus est bonis; quia quod ei promisit, implevit. Ecce in ipso margine senectutis, nondum prolatis legibus recitatisque, asserimus Abraham quòd fuerit religiosus; & qui fuerat in cultura justior, fuerit in credulitate probatior. Ecce enim senex ille maritus, qui adhuc unum non habebat, in uno tamen Deus innumerabiles promittebat. Ecce exhaustis visceribus dixit Deus ad Abraham, [Gen. 15. 5. & 6.] *Suspice in cælum, & numera stellas: sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad justitiam.* Defecerunt Saræ venire muliebria; quia jam lassa defecerant membra. Totum corpus sulcatur in rugas, fit perarata fronte, & exhausta senectute. Deficiente sanguine in

[a] MSS. sic habent, *præstare dignetur, qui vivit & regnat.*
[b] Editio Amerbachiana, *engrisiæ*; Meliùs Er. & Lov. *encryphiæ*: Græcum nomen à verbo ἐγκρύπτω. Sic dicti subcinericii panes, quòd dum coquuntur, sub cinere abscondantur.

CLASSIS I. venis tristis senectus delassatur; sed divino judicio ætatis fervor accenditur. Meliorem facit divina promissio matrem, quam ætas non fecerat generare. Accepit genitrix nomen, quod ei sterilitas temporis subtraxerat. Longè deficientibus membris Isaac concipitur: subitò inanes ac marcescentes venæ redivivo sanguine ferbuerunt, & emortua seni viscera calefacto sanguine vaporata, usque ad partum inquilinis sunt caloribus animata. Juvenilis ætas incaluit, & calefacto sanguine vaporavit. Fit anus feta, fit senex gravida, crescit venter per dies singulos, & convalescente partu, tumescentis uteri capax sinus extenditur. Fit sarcina, & desideratus affectus ex visceribus lassis, onus nimium exoptata posteritas. Portabat uterum gravem talis mater, quæ inanis ambulare vix posset. Sed quia credulitatis fuerant quæ acceperat, defecta viscera fides validior animabat. Marcidæ mammæ, quas in vacuos folles subducti succi detrimenta laxaverant, lactei fontis ubertate tenduntur. Fit mater in pectore, fit mater in partu: fit, inquam, mater, quæ avia fuerat per ætatem. Dedit fides vetustis novos visceribus ignes. Sic Isaac credulitate nascitur, ut eorum fides in progenie enarretur in sæcula. Amen.

* SERMO IV.

* Aliàs de Tempore, 54.

De vacca, ariete vel capra trium annorum, turture quoque & columba.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius fuit: Verlino & Vindingo suppositititius. Nobis videtur ad Cæsarium pertinere. Confer editam ab Augustino ejusdem sacrificii Abrahæ expositionem allegoricam in Enarratione Psal. 103. Serm. 3. n. 5. & lib. 16. de Civitate Dei, c. 24.

CÆSARII Sermo 11. Gen. 15. 9. &c.

1. AUDIVIMUS, Fratres carissimi, Scripturam dicentem, *Locutus est Dominus ad Abram dicens, Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecùs posuit; aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abram. Cùmque sol occumberet, sopor irruit super Abram; & horror magnus & tenebrosus invasit eum. Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Quid ergo significent ista, Fratres, breviter, quantum Dominus dederit, Caritatis Vestræ auribus cupimus intimare. Beatus Abraham pater multarum gentium à Domino dictus est. Omnes enim Gentes, quæ in Christum credunt & crediture sunt, filii sunt Abrahæ, imitando fidem, non nascendo per carnem. Nam sicut Judæi per infidelitatem degeneres facti, ex filiis Abrahæ filii diaboli, & progenies viperarum sunt in Evangelio appellati: ita è contrario omnes Gentes quæ in Christum fideliter credunt, Abrahæ filii effici meruerunt. Vacca ergo triennis, & aries annorum trium, & capra triennis, & turtur vel columba, figuram omnium Gentium prætulerunt. Dicta sunt autem trium annorum; quia omnes Gentes in Trinitatis erant mysterium crediture. Et quia tota Ecclesia Catholica non solùm habet spiritales; sed habet etiam & carnales: quamvis nonnulli in Trinitatem se credere dicant, carnales tamen sunt, quia crimina & peccata vitare dissimulant: quia ergo cum carnalibus sunt etiam spiritales, ideo turtur & columba sunt additæ. In turture & columba spiritales possunt significari, ut in illis tribus animalibus carnales intelligi.

Carnales & spiritales in Abrahæ sacrificio significati.

2. Ergo diligenter adtendite, quia illa tria animalia divisisse in duas partes dicitur Abraham & contra se invicem posuisse. *Aves*, Scriptura inquit, *non divisit.* Quare hoc, Fratres? Quia in Ecclesia Catholica carnales dividuntur; spiritales omnino non dividuntur, &, sicut dicit Scriptura, contra se invicem præparantur. Quare carnales, & divisi, & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi & amatores mundi contra se invicem divisiones & scandala habere non desinunt. Isti ergo dividuntur, quia sibi invicem adversantur: aves autem, id est, spiritales non dividuntur. Quare spiritales non dividuntur? Quia est illis cor unum, & anima una in Deum, est in illis unum velle ac nolle. Illis enim, quas suprà diximus, avibus similes sunt, turturi scilicet vel columbæ. In turture castitas, in columba simplicitas designatur. Omnes enim in Ecclesia Catholica

Deum timentes, & casti, simplicesque esse significantur, & cum Psalmista dicere possunt, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Et iterum, Turtur invenit sibi nidum, ubi reponat pullos suos. Et quando carnales, qui dividi possunt, gravibus vitiorum compedibus premuntur in mundo; spiritales diversarum virtutum pennis elevantur in altum, & duabus velut alis, duobus scilicet præceptis, diligendo Deum & proximum, eriguntur in cælum, & cum Apostolo dicere possunt, Nostra autem conversatio in cælis est; & quotiens Sacerdos dixerit, Sursum corda, securi & fideliter dicunt se habere ad Deum; quod valde pauci & rari in Ecclesia fiducialiter & cum veritate dicere possunt. Ideo ergo aves Abraham non divisit, quia spiritales, quibus, sicut dixi, est cor unum & anima una, dividi & à Dei vel à proximi amore separari non possunt; sed cum Apostolo clamant, Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Et cetera quæ sequuntur, usque ad id quod dictum est, Neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro? Spiritales ergo nec tormentis separantur à Christo; carnales verò interdum etiam otiosis fabulis separantur. Illos non separat nec crudelis gladius; istos verò separat carnalis affectus. Spiritales nec dura frangunt: carnales etiam blanda corrumpunt. Divisit ergo Abraham illa animalia in duas partes; aves autem non divisit.

SERM. DE SCRIPTURIS. Psal. 54. 7. Psal. 83. 4. Philipp. 3. 20. Rom. 8. 35. &c.

3. *Cùm autem occubuisset sol, sopor*, inquit, *irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus nimis: & apparuit clibanus ardens & fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Videte, Fratres, quòd ignis iste inter divisiones illas transiens dicitur, turturem quoque & columbam tetigisse non legitur. Vespera illa finem mundi significavit: animalia illa, sicut jam diximus, typum omnium Gentium in Christo credentium prætulerunt. Quæ tamen Gentes, sicut jam dictum est, quia in se non solùm carnales, sed etiam spiritales, id est, non solùm bonos, sed etiam malos habent; ideo animalia illa divisa sunt, & ignis transivit per ea, secundùm illud quod dicit Apostolus, Dies enim Domini declarabit; quia in igne revelabitur. Clibanus ille ardens & fumans & lampas ignis diem judicii figuravit. Et ideo super beatum Abraham timor & horror tenebrosus incubuit. Unde intelligimus, quòd si in die judicii justus vix salvabitur, peccator & impius ubi parebunt? Clibanus ergo ardens & fumans significavit diem judicii: diem, inquam, judicii in quo erit fletus & stridor dentium, in quo erit ululatus, & lamentatio, & tarda pænitentia: quando movebuntur fundamenta montium, & ardebit terra usque ad inferos deorsum: quando, sicut dicit beatus Petrus, cæli ardentes solventur, elementa ignis ardore tabescent: quando, sicut Dominus ipse in Evangelio dicit, etiam Virtutes cælorum commovebuntur: quando sol obscurabitur, quando & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo. Ubi se tunc impii videbunt? Ubi adulteri, ubi ebriosi, ubi maledici se recognoscent? Ubi amatores luxuriæ, ubi raptores, ubi superbi & invidi apparebunt? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos totiens admonitos, & tamen imparatos, dies ille repererit? Cùm ad illam Archangeli tubam omni buccinâ clariorem totus simul cœperit mugire mundus; cùm, sicut dicit Propheta, venerit Dominus ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo: quando, sicut dicit Scriptura, peccatores & impii mittentur in stagnum ignis, & fumus tormentorum illorum adscendet in sæcula sæculorum. Qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminosos quosque negligentes ac tepidos occupabunt? Ne ergo & nos in istum veniamus cruciatum animæ, expergiscamur dum corrigendi tempus est, & voluntatem Domini nostri tamquam boni servi & utiles requiramus: ut cùm dies ille judicii, quem clibanus ille ardens & fumans significavit, tremendus & nimiùm etiam bonis expavescendus advenerit, non cum * mortalibus, quos illa animalia figurabant, qui per diversas voluptatum contentiones dividi possunt, flammis ultricibus cruciemur in inferno; sed simplicitatem columbæ & castitatem turturis præferentes, spiritualibus virtutum pennis elevemur in cælum, secundùm illud quod

Gen. 15. 17. 1. Cor. 3. 13. Judicii extremi figura. 1. Petri 4. 18. 2. Petr. 3. 12. Matth. 24. 29. 1. Thess. 4. 15. Isai. 14. 17. Apoc. 14. 19. Ibidem 11. * f. carnalibus.

CLASSIS I. „ ait Apostolus, Simul, inquit, rapiemur in nubibus obviàm Christo in aëra: & sic semper cum Domino erimus: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen. *1. Thess. 4. 16.*

** Aliàs de Tempore 70.*

* SERMO V.

De tribus viris qui beato Abrahæ apparuerunt.

In Appendice nunc primùm collocatur. Auctoris artem & ingenium intelliges comparatâ Origenis homiliâ in Genesim quartâ, quam ille præfixa præfatione, & nonnullis additis passim ac detractis verbis variavit. Cæsarii stilum in exordio præsertim & in conclusione Sermonis cernere nobis videmur.

1 FREQUENTER admonui Caritatem Vestram, Fratres dilectissimi, ut his lectionibus quæ diebus istis in Ecclesia recitantur, non hoc tantùm adtendere debeamus, quod ex littera sonare cognoscimus, sed remoto velamine litteræ, vivificantem spiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apostolus, Littera occidit; spiritus autem vivificat. *2. Cor. 3. 6.* Denique infelices Judæi, & plus infelices hæretici, dum solum litteræ adspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine vivificante spiritu mortui remanserunt. Nos audiamus Apostolum dicentem, quia hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos. *1. Cor. 10. 11.* Videamus ergo quid sit, quod modò cùm divina lectio legeretur, audivimus. *Gen. 18. 1. & 2.*

** Ab hinc ex Origene.* * 2. *Visus est*, inquit, *Deus Abrahæ, cùm sederet ad ostium tabernaculi sui, ad ilicem Mambre. Ecce*, inquit, *tres viri adstiterunt super eum, & exiit in occursum ejus.* Adtendite, Fratres, & videte qualiter Deus apparuit Abrahæ, & qualiter apparuit Lot. *Gen. 19. 1.* Ad Abraham tres veniunt, & stant super eum: ad Lot duo veniunt, & sedent in platea. Videte, Fratres, si non dispensatione sancti Spiritus pro meritis res geruntur. Etenim Lot longè inferior erat Abraham. Nisi enim inferior fuisset, à beato Abraham separari non meruisset, nec ei Sodomorum habitatio placuisset. Veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie; venerunt ad Lot duo, & vespere veniunt: non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Lot; Abraham verò poterat plenum fulgorem lucis excipere.

Gen. 18. 6. & 7. 3. Nunc videamus qualiter Abraham, & qualiter Lot susceperunt venientes. Præsumsit Abraham, & occurrit obviàm eis: & cùm occurrisset, festinat ad tabernaculum, & dicit ad uxorem suam: *Festina*, inquit, *& conspergе tres mensuras similaginis, & fac subcinericios panes* (quod Græcè ἐγκρυφίας dicitur, occultos videlicet & absconditos indicans panes.) *Ipse autem Abraham ad armentum cucurrit, & accepit vitulum.* Qualem vitulum? Fortè qui potuit primus occurrere? Non ita est; sed vitulum bonum & tenerum. Tulit ergo vitulum, & dedit puero: *Puer*, inquit, *festina facere eum.* *Hospitalitatis commendatio.* Videte, Fratres, adtendite quàm ferventi animo hospites debeatis excipere. Ecce ipse Abraham currit, uxor festinat, puer accelerat. Nullus est piger in domo sapientis. Ecce æqualia sunt Abrahæ & Saræ hospitalitatis officia. Lot verò excepit quidem; sed duos tantùm, & non integram Trinitatem, nec in meridie, sed ad vesperum. Et quid eis apposuit? *Coxit*, inquit, *azyma, & comederunt.* *Gen. 19. 3.* Et quia meritis multò inferior erat Abraham, nec vitulum saginatum habuit, nec in tribus mensuris similaginis mysterium Trinitatis agnovit: attamen quia vel hoc quod potuit, benigno animo obtulit, de perditione Sodomorum liberari promeruit. Adtendite, Fratres, quia etiam & Lot, dum hospites non repellit, Angelos excipere meruit. Ecce hospitalem domum Angeli ingrediuntur, clausæ hospitibus domus flammis sulfureis concremantur.

Gen. 18. 2. 4. Venerunt ergo tres viri ad Abraham, & steterunt super eum. Hoc ipsum videte quale sit, quòd super eum veniunt, non contra eum. Subjecerat se voluntati Dei; & ideo super eum stare dicitur Deus. *Adstiterunt*, inquit, *super eum*, non contra eum ad repellendum, sed *super eum* ad protegendum. *Abraham mysterium Trinitatis cognovit.* Tres viros suscepit, tribus mensuris panes apponit. Quare hoc, Fratres, nisi quia mysterium Trinitatis intelligit? Apponit & vitulum, qui vitulus non est durus, sed bonus & tener. Et quid tam tenerum, quid tam bonum, quàm est ille qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem? Ipse est ille vitulus saginatus, quem pro recepto pœnitente filio jugulat pater. *SERM. DE SCRIPTURIS.* Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret. *Johan. 3. 16.* Tribus ergo occurrit Abraham, & unum adorat. *Gen. 18. 2.* In eo autem quòd tres vidit, sicut jam dictum est, Trinitatis mysterium intellexit: quòd autem quasi unum adoravit in tribus personis unum Deum esse cognovit. Ad unum loquitur dicens, *Declina ad puerum tuum.* *Ibidem 3.* Addit etiam, quasi ad homines loquens, *Accipiam*, inquit, *aquam, & laventur pedes vestri.* *Ibidem 4.* Discito, Fratres, à beato Abraham hospites libenter excipere, pedes eorum cum humilitate & pietate lavare. *Lotio pedum.* Lavate, inquam, sanctorum peregrinantium pedes, ne fortè in illis remaneat pulvis, quem ad judicium vestrum possint de pedibus suis excutere. Sic enim in Evangelio dixit, Qui non susceperit vos, exeuntes excutite pulverem de pedibus vestris. *Matth. 10. 14. & 15.* „ Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die judicii, quàm illi civitati. „ Hoc ergo prævidebat in spiritu Abraham; & ideo volebat prævenire & lavare pedes, ne quid fortè pulveris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum posset in die judicii reservari. Propterea ergo dicit sapiens Abraham, *Accipiam aquam, & laventur pedes vestri.* Diligenter hæc audite, Fratres, qui hospitalitatem exercere non vultis, qui hospitem velut hostem excipitis. Ecce beatus Abraham, dum homines ferventer exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in Evangelio Christus confirmavit dicens, Hospes fui, & suscepistis me. *Matth. 25. 35.* Nolite ergo negligere peregrinos, ne fortè quem non excepistis, ipse sit Christus.

5. Ubi tamen factum sit hoc? *Ad ilicem Mambre*, quod in Latina lingua interpretatur visio, sive perspicacia. Vides qualis sit locus in quo Dominus potest habere convivium? Delectavit enim eum visio & perspicacia Abrahæ. Erat enim mundus corde, ut posset Deum videre. In tali ergo loco, & in tali corde potest Dominus [a] habere convivium. * De ista visione Dominus in Evangelio locutus est ad Judæos dicens, Abraham exsultavit ut videret diem meum; vidit & gavisus est. ** Hæc non sunt Origenis. Johan. 8. 56.* Diem, inquit, meum vidit; quia mysterium Trinitatis agnovit. Vidit Patrem diem, Filium diem, Spiritum-sanctum diem, & in his tribus unum diem: sicut & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus-sanctus Deus, & hi tres unus Deus. Nam & singulatim singulæ quæque personæ plenus Deus, & totæ tres simul unus Deus. Nam & illis tribus mensuris similaginis, propter unitatem substantiæ non incongruè Pater & Filius & Spiritus-sanctus intelligitur. Quod tamen & alio modo potest accipi, ut Saram intelligamus Ecclesiam, tres mensuras similaginis, fidem, spem & caritatem. In his enim tribus virtutibus universæ fructus continentur Ecclesiæ. Qui hæc tria in se meruerit habere, securus potest ad convivium cordis sui totam Trinitatem excipere.

6. *Post hæc dixit Dominus ad Abraham, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ adscendit ad me: descendi ergo ut videam, si sermo qui venit ad me, opere compleatur; an non est ita, ut sciam.* *Gen. 18. 20. & 21.* * Hæc Scripturæ sunt verba, videamus quid in his intelligi dignum sit. ** Rursum ex Origene, sed non mere.* *Descendi*, inquit, *ut videam.* Quando ad Abraham responsa redduntur, non dicitur descendere Deus, sed supra ipsum adstare: nunc autem quia peccatorum caussa agitur, descendere dicitur Deus. *Descendere Deus quomodo intelligatur.* Vide ne adscensionem & descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporea, & ubique totâ sentire substantiâ. Sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur. Quod specialiùs de Domino ac Salvatore nostro sentire debemus, qui semetipsum exinanivit, servi formam accipiens. *Philip. 2. 7.*

7. Sed videamus quid est quod dicit, *Descendi ut videam, utrum sermo qui ad me pervenit, opere completus sit; an non est ita, ut sciam.* Solent enim nos hinc impugnare Pagani, & maximè immundissimi [b] Manichæi dicentes, Ecce nesciebat Deus Legis, quid ageretur in Sodomis. Nos enim sano intellectu respondemus & dicimus, quòd aliter dicitur Deus nosse justos, aliter noverit peccatores. Denique de justis quid dicitur? Novit Dominus qui sunt ejus. *2. Tim. 2. 19.* De peccatoribus quid dicitur? Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quia non novi „ *Matth. 7. 23.*

[a] Hîc apud Origenem additur, *cum Angelis suis.*
[b] De Manichæis nihil in Origenis homilia, à qua etiam abest quæ mox occurrit vox, *Legis.*

Classis I. vos. Et iterum Paulus Apostolus, Si quis est Domini, intelliget quæ dico: qui autem ignorat, ignorabitur. Quid est ergo, Nescio? Non novi vos, non vos agnosco in regula mea, non in vobis recognosco imaginem meam. Cognovit in vobis justitia mea quod puniat, & non cognoscit misericordia quod coronet: ac si quorum actus indigni Deo sunt, indigni etiam notitiâ Dei dicuntur. *Descendi* ergo *ut videam*, non ut ego quid agunt sciam; sed ut ipsos scientiâ meâ dignos efficiam, si quos ipsorum inveniam justos, si quos inveniam pænitentes, si quos tales quos debeam scire. Denique quia nullus qui pæniteret, nullus qui converteretur inventus est præter Lot, ipse solus cognoscitur, ipse solus de incendio liberatur. Nos verò, Fratres, demus operam, & tales esse cum Dei adjutorio laboremus, ut digni habeamur notitiâ Dei; ut nos & agnoscere dignetur & scire, præstante Domino nostro Jesu Christo, &c.

* SERMO VI.

De immolatione Isaac, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Conflatus est ab incerto auctore, & interpolatus. Habet quædam ex Origenis homilia in Genesim octava, & quædam aliunde congesta. In MSS. nostris strictius paulò quàm in Editis exordium habetur, hunc in modum: Lectionis illius, Fratres carissimi, in qua beatus Abraham Isaac filium suum in holocausto legitur obtulisse, nunc, si jubetis, expositionem secundùm quod eam patres nostri inspirante Domino tractaverunt, Caritatis Vestræ auribus, quantum possumus, breviter intimamus. Tolle filium tuum &c. *Quod exordiolum ex Cæsarii verbis expressum videtur.*

1. LECTIO illa, Fratres carissimi, in qua beatus Abraham Isaac filium suum in holocaustum legitur obtulisse, ideo in ordine suo diebus Quadragesimæ non recitatur, quia, sicut ipsi nostis, in vigiliis Paschæ propter sacramentum Dominicæ passionis reservatur. Et quia tunc non est in spatio, ut de ista possit aliquid dici; nunc, si videtur, expositionem ejus secundùm quod eam patres nostri inspirante Domino tractaverunt, Caritatis Vestræ auribus, quantum possumus, breviter intimemus.

2. *Dixit ergo Dominus ad Abraham, Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer eum mihi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi. At ille surgens stravit asinam suam, & tulit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & pervenit ad locum, quem ei ostenderat Dominus, die tertio.* Abraham enim quando Isaac filium suum obtulit, typum habuit Dei Patris; Isaac verò figuram Domini Salvatoris. Quòd autem ad locum immolationis die tertia pervenitur, mysterium Trinitatis ostenditur. Nam quòd dies tertius in sacramento vel mysterio accipi debeat Trinitatis, frequenter in voluminibus sacris invenitur, sicut in Exodo, Viam, inquit, trium dierum ibimus in deserto. Et iterum quando ad montem Sinai ventum est, dictum est populo, Sanctificamini, & estote parati in die tertia. Et Josue transiturus Jordanem, ut in die tertia populus paratus esset admonuit. Et Dominus noster die tertia resurrexit. Hoc ideo diximus, quia beatus Abraham die tertia venit ad locum, quem ei ostenderat Dominus.

3. Duo pueri quos cum asina remanere jussit, typum habuerunt populi Judæorum, qui pro eo quòd in Christo non erant credituri, ideo ad locum ubi immolandus erat, adscendere vel pervenire non poterant. Asina illa significavit Synagogam. Aries verò ille qui inter spinas cornibus tenebatur, & ipse typum Domini habuisse videtur. Nam & Christus quasi cornibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cornua clavorum confixione pendebat. Quòd verò Isaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit, & in hoc Christum figuravit, qui ad locum passionis crucem suam ipse portavit. De quo mysterio multò antè dictum fuerat per Prophetam: Et erit, inquit, principatus ejus super humerum ejus. Tunc enim Christus principatum super humeros habuit, quando crucem suam admirabili humilitate portavit. Non incongruè crux Christi principatum significat. Nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam vel gratiam [a] revocatur. Denique sic & Apostolus dixit, cùm de passione Domini loqueretur, Factus, inquit, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen. Hoc ideo dicimus, Fratres, ut agnosceret Caritas Vestra quòd principatus Christi, de quo scriptum est, Et erit principatus super humerum ejus, non sit alius nisi crux ejus. Et ideo lectio ipsa in Pascha legitur, quando Isaac verus, cujus typum gerebat filius Abrahæ, pro genere humano in patibulo crucis affigitur.

4. Legitur in ipsa lectione, quòd veniens beatus Abraham cum filio suo, viderit locum à longè, & dixerit ad pueros suos, *Sedete hìc cum asina; ego & puer proficiscemur, & cùm adoraverimus, revertemur ad vos.* Quare pueris, qui figuram habuerunt Judæorum dicitur, *Sedete hìc cum asina?* Numquid asina illa sedere poterat, Carissimi? Sed ideo dicitur, *Sedete cum asina*; quia Judæorum populus, qui in Christum crediturus non erat, stare non poterat, sed ut debilis & velut peccator languidus, qui baculum crucis despexerat, in terram casurus erat. Dixit ergo Abraham beatus, *Sedete hìc cum asina; ego & puer proficiscemur, & cùm adoraverimus, revertemur ad vos.* Quid est quod dicis beate Abraham? Ad immolandum filium vadis, & dicis quòd cum filio reverteris? Si eum in holocaustum obtuleris, utique tecum redire non poterit. Potuit respondere beatus Abraham, Verum dico, & offero filium, & cùm filio revertar ad vos. Tanta est enim fides mea, ut credam quòd ille qui mihi eum de matris sterilis utero dignatus est dare, possit etiam eum mortuum suscitare: & ideo verum dico, quia *cùm adoraverimus, revertemur ad vos.*

5. Quòd autem aries occisus est, & Isaac non est occisus, ideo factum est, quia Isaac figura & non veritas erat. In ipso enim designatum est quod postea in Christo completum est. * Videte Deum cum hominibus magna pietate certantem: Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, & Deus immortalem Filium pro hominibus tradidit morti. Potest tamen de beato Isaac, & de illo ariete etiam sic intelligi, ut in beato Isaac significata sit divinitas, in ariete humanitas Christi. Et quia in passione non divinitas, sed humanitas crucifixa creditur; ideo non Isaac, sed aries immolatur. Dei enim Filius vel unigenitus offertur, & virginis primogenitus immolatur. Audite & aliud sacramentum. Beatus Hieronymus presbyter [b] scripsit, ab antiquis & senioribus Judæorum se certissimè cognovisse, quòd ibi oblatus est Isaac, ubi postea Dominus Christus crucifixus [c] est. Denique ab eo loco unde beatus Abraham jussus est proficisci, tertio die ad locum ubi Christus crucifixus est pervenitur. [[d] Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipso loco ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus; & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè, Fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.] Hæc enim, Fratres carissimi, secundùm quod potuimus, è [e] diversis Scripturarum voluminibus, pro animæ nostræ profectu collegimus, & caritatis contemplatione suggessimus. Vos verò, auxiliante Domino, dum frequentiùs Scripturas divinas relegitis, si diligenter attenditis, credo quòd etiam meliorem expositionem invenire possitis.

6. [[f] Rogo vos, Fratres, ut quicumque aut filium, aut vernaculum suum baptizari desiderat, jam nunc eum Ecclesiæ offerre non differat: quia non est justum, ut res quæ tam magna, tam præclara creditur, negligenter aut tardiùs quàm expedit requiratur. Timeo enim ne aliquæ mulieres ideo tardiùs infantulos suos offerant, quia cum ipsis ad vigilias venire dissimulant. Certissi-

a MSS. *renovatur*.
b Legitur in Commentariis in Marc. cap. 15. sed Hieronymo perperam adscriptis.
c Sic in MSS. In editis autem, *immolatus*.
d Id quidem, quod de Adami sepultura in Calvariæ loco dicitur, tradunt Tertullianus lib. 2. contra Marcion. Origenes Tract. 35. in Matth. Basilius in Levit. c. 5. Ambrosius in Luc. cap. 23. Chrysostomus in Johan. hom. 84. &c. sed improbat Hieronymus in Matthæum cap. 27. Porrò in MSS. isthæc verba, *Etiam hoc antiquorum* &c. usque ad *Hæc enim*, non habentur.
e MSS. *de divinis*.
f Hic sermo desinit in MSS. nec habetur, *Rogo vos* &c.

CLASSIS I.

me enim credimus, quòd qui statim incipiente Quadragesima, eos qui baptizandi sunt offerre voluerint, & cum ipsis ad Vigilias feliciter venerint, & filii eorum legitimo ordine accipient baptismi sacramentum, & ipsi adquirent indulgentiam peccatorum, præstante Domino nostro Jesu Christo, &c.]

* Aliàs de Tempore 73.

*SERMO VII.

De immolatione Isaac, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Non enim Augustinum, sed auctorem refert planè eumdem ac Sermo Appendicis 3. per Lovanienses jam olim rejectus. Ut in illo Sermone haud procul ab initio præceptum divinum, Exi de terra tua, *sic exponebatur,* Novum probationis genus, habenti propria, ex filia indicere peregrina. *Ita in hujus principio dicitur,* Novum præcepti genus est, homini legem sceleris dare: *pro interpretanda scilicet Dei jussione illa, quam præmitti hìc oportebat, sicuti inferiùs habetur,* Accipe filium tuum, & offer mihi illum.

1. NOVUM præcepti genus est, homini legem sceleris dare; & religiosum habere, si impium voluerit perpetrare. Abraham si parricidium fecerit, justus est; si non fecerit, indevotus est. Quid sit ergo, quòd numquam Deum nisi pietate placamus? Cupit sibi vota offerri, non crudeliter coli. Ecce inter pietatem patris & devotionem Dei, filium est quidem scelus occidere; sed Deum scelestius non audire. In angusto posita est perfecta justitia. Parricidium juberis ut facias, tuis te manibus orbaturus. Quid hoc est? Imperat parricidium, qui prohibet homicidium. Jubetur, inquit, filium victimare, solatium paternæ senectutis, & unicum pignus posteritatis: qui quantò serior, tantò dulcior; quantò solus aut unicus, tantò carior & dilectus. In utroque senes creandæ prolis desperatio retinebat; ut pote [a] post tempus quod natura fraudaverat, ætas in sene patre, sterilitas in anicula matre. Jam enim Sara actus suæ vulvæ perdiderat, & senem patrem vis generandi lassaverat; quia fructum sterilis non habebat. Ecce subitò frigens vulva materna non instinctu libidinis, sed fomite virtutis incaluit, redivivo successit flore juventutis. Mærentis jam artus corporis viruerunt, marcida membra & annosæ ætatis tabe pallentia, pueritiæ rubore viruerunt, & [b] insuccido tepore veterascens jam corpus, non tamquam concubitus, sed promissio vegetabat. Canis jam togatum caput albebat, & rugas suas vulva in ventre tendebat. Tumebat uterus gravidæ, tremebat gressus in poplite. Gestabat onustum uterum, quæ corpus jam non regebat incurvum. Novissimis annis feta & fessa mulier, quæ non noverat in juventute concipere, discit in senectute lactare. Discite conjugati vacare effectum seminis, ubi non fuerit munus auctoris, ipso dicente, Priùs quàm te formarem in utero, novi te. *Jerem. 1. 5.*

Gen. 22. 2. 2. *Accipe*, inquit, *filium tuum, & offer mihi illum in unum de montibus quem demonstravero tibi.* Senex pater & unici mater, novi parentes, & veteres genitores, ad tam acerbum non moventur imperium. Hilaris accingebatur, qui nec timorem facinoris formidavit, nec implere quod jussus est degener animus dubitavit. Spes illa futura tot gentium paterna manu jubetur occidi. Devotus pater eo voto suscepit parricidium, quo susceperat filium: nec refert utrùm impendat aut perdat; dum quoquo modo quod acceperat, reddat. O Domine piissime, quem scis patri dilectum, quid imperas victimandum? Nunc nuper senem sterilem fecundasti; & tam citò quod donaveras, repetisti? Ubi est quod senibus præstitisti? Ergo iratus potes lædere, sicut propitius imperas orbitatem? Absit à nobis ista incredulitas. Deus pro nobis filium suum jussit occidi, non nostros mactari. Ideo jubetur filium occidere, ut manifestetur mundo, qui jam notus fuerat Deo. Nam quomodo innocentis desiderat sanguinem, qui reum damnat pro sanguine? Demonstrare cunctis hominibus devotionem voluit, qui parricidium ut fieret, imperavit. Paret illico imperiis, præceptis obtemperat, pergit percussor paratus; immo filius cum patre proficiscitur moriturus: atque utinam tantummodo moriturus, non insuper & patris gladio obiturus.

Ibidem 12. & 13. 3. Venerunt ergo ad locum, quem dixerat Deus; ambo pariter aram construunt sacerdotes; ligna aræ imponit, filium alligavit, & extento gladio, Angelus, *Ne percutias puerum*, exclamavit: oculis respice, & vide arie-

A tem in vepre. Videte, Fratres, Abraham patientiâ fortem, devotione constantem; non cum aliqua fera luctantem, sed cum natura pugnantem. Devotio dicebat, Percute: pietas clamabat, Parce. Illa revocabat; ista provocabat. Filius tunc moriturus jacebat: erigit dexteram feriturus, & locum quo libens percutiebat, aucupat. Parce, inquit, Abraham. Qui jusserat ut feriret, modò vociferatur ut parceret. Sciebat enim probatum patrem & in devotione ferventem gladium temperare, & filium non perimere; sed nec cremare. Parce, inquit, devote pater, parricida sine crimine parce. Tuum sacrificium quod paraveras intendi, ego quod jusseram ut obtulisses accepi. In voto probavi, quod in facto renui. Acceptavi vo-

B tum, nec repuli sacrificium. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Perfecta sunt omnia, & salva sunt universa. Vincitur innocens hostia; ne offerentis devotio putaret se minus aliquid exhibere, si impatientiâ doloris victima calcitraret. Ecce spiritali præsagio meum prævenisti consilium. Quod enim paravi pro toto mundo, tu jam deliberasti in filio tuo. Quod in Unigenito meo disposui, tu in tuo unico perfecisti: unde benedicentur in te omnes Gentes. Amen.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* Aliàs de Tempore 75.

*SERMO VIII.

C

De puero Abraham, qui missus est ad Rebeccam.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat Lovaniensibus: Verlino & Vindingo suppostititius. Nobis porrò videtur esse Cæsarii Arelatensis. In MSS. nostris non potuit reperiri.

CÆSARII Sermo III.

Gen. 24. 2. &c.

1. PAULO antè cùm divina lectio legeretur, audivimus quòd beatus Abraham vocaverit puerum suum, & dixerit ei, *Pone manum tuam sub femur meum, ut adjurem te per Deum cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus regionis hujus*: & quòd ille obediens posuerit manum sub femore, & juraverit ei. Hæc enim omnia, Fratres, quæ in Testamento veteri recitan-

D tur, si tantùm secundùm litteram voluerimus accipere, aut parvum, aut nullum lucrum animæ consequemur. Quid enim nobis prodest, qui ad ecclesiam ad audiendum Dei verbum fideliter convenimus, si nobis dicatur, quòd Abraham miserit puerum suum, ut de regione longinqua adduceret uxorem filio suo, cùm & in istis regionibus hoc frequenter videamus fieri? Nos verò, Fratres, sequentes beatum apostolum Paulum, credamus quia omnia quæ scripta sunt, Judæis in figura contingebant, nobis autem in veritate completa sunt. Dixit ergo Abraham ad puerum suum, *Mitte manum tuam sub femur meum, & jura per Deum cæli & terræ.* Quid est hoc, Fra- *1. Cor. 10. 11.* *Juramentum per femur Abrahæ.*

E tres? Sic dixit beatus Abraham, *Mitte manum tuam sub femur meum*: tamquam diceret, Mitte manum tuam ad altare: aut diceret, Mitte manum tuam ad arcam Testamenti: aut, Extende manum ad templum Dei: *& jura mihi.* Femur tangebat, & per Deum cæli & terræ jurabat. Non enim errabat beatus Abraham, quando hoc fieri imperabat: sed quia prophetiæ spiritu repletus, noverat de semine suo Christum cæli & terræ Dominum nasciturum. Ideo quando servus suus femur illius contingebat, non per carnale membrum, sed per Deum vivum & verum juramenta præstabat. Quia Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam: de cujus *Matth. 1. 2.*

F semine Christus Dominus natus est.

Gen. 24. 12. &c. 2. *Et stetit juxta fontem, & dixit in corde suo, Domine Deus domini mei, si fecisti misericordiam cum domino meo, ecce sto ad puteum, & puella quæ venerit haurire aquam, si ei dixero, Da mihi bibere, & illa responderit mihi, Et tu bibe, & camelis tuis hauriam aquam: ipsa est quam præparasti domino meo Isaac. Necdum puer in corde suo verba compleverat, & ecce apparuit Rebecca, habens hydriam in scapula. Et dixit ad eam puer, Da mihi bibere. At illa citò deposuit hydriam, & dixit, Et tu bibe Domine, & camelis tuis hauriam aquam. Et cùm interrogasset cujus esset filia, respondit ei, quòd filia esset Bathuelis, & soror Laban. Et incurvavit se homo, & adoravit Deum, eo*

G *quòd agnoverat quòd ipsi essent parentes domini sui Abrahæ, & protulit inaures ad ornandam faciem suam, & armillas posuit in manibus ejus. At illa vadens nuntiavit parentibus suis, qui exeuntes benedixerunt Deum, & cum gaudio & honore susceperunt puerum Abrahæ. At ille locutus est ad eos*

de

[a] Am. *utpote posset tempus.*

[b] Lov. *in succido tempore.*

CLASSIS I.

de Rebecca, ut eam darent domino suo Isaac. Illi autem dixerunt, Clamemus puellæ, & quæramus illius voluntatem. Cúmque vocata esset, dixerunt ad eam, Vis ire cum homine isto? At illa respondens dixit, Vadam.

3. Nunc, Fratres carissimi, quantum possumus, breviter quid ista significent, videamus. Beatus Abraham, quòd puerum dirigebat, ut acciperet uxorem filio suo, typum habebat Dei Patris; sicut & quando eum in holocausto obtulit, Dei Patris imaginem figurabat: puer autem ejus verbum propheticum designabat. Misit ergo Abraham puerum suum in regionem longinquam, ut inde acciperet uxorem filio suo: quia miserat Deus Pater propheticum verbum per universam terram, ut quæreret Ecclesiam catholicam sponsam Unigenito suo. Et quomodo per puerum Abrahæ beato Isaac sponsa adducitur, ita per verbum propheticum Ecclesia Gentium ad verum sponsum Christum de longinquis regionibus invitatur. Ubi tamen invenitur sponsa illa, quæ Christo socianda erat? ubi, nisi ad aquam? Verum est, Carissimi, nisi Ecclesia ad aquam baptismi venisset, Christo sociata non esset. Rebecca ergo Abrahæ puerum invenit ad puteum, & Ecclesia invenit Christum ad baptismi sacramentum. Quid tamen post hæc factum est? Protulit puer inaures aureas, & dextralia aurea, & dedit ea Rebeccæ. In illis inauribus aureis significabantur verba divina: in illis armillis aureis, opera sancta; quia in manibus opera designantur. Videamus quomodo hæc dederit Christus Ecclesiæ. Puer ergo obtulit inaures aureas ad ornandam faciem Rebeccæ, & Christus verba divina margaritis omnibus pretiosiora dedit Ecclesiæ: & armillas posuit in manibus Rebeccæ, & Christus dedit opera sancta in manus Ecclesiæ. Considerate, Fratres carissimi, & gaudete, & Deo gratias agite, quia quod in illis figuratum est, in nobis Christo donante impletum est: & quomodo Rebecca nec inaures habere potuit, nec armillas in manibus, nisi Isaac per servum suum transmitteret; ita & Ecclesia nec verba divina in auribus, nec opera sancta habere potuisset in manibus, nisi hæc illi Christus per suam gratiam & per suos Apostolos contulisset. Quòd autem interrogata puella à parentibus, utrùm vellet ire cum puero, respondit, *Vado:* apertè hoc in Ecclesia videmus impleri. Ibi interrogatur voluntas Rebeccæ, hîc requiritur voluntas Ecclesiæ. Rebeccæ dicitur, *Vis ire cum homine isto?* & respondet, *Vado.* Ecclesiæ dicitur, Credis in Christum? & respondet, Credo. Rebecca non duceretur ad Isaac nisi diceret, Volo: nec Ecclesia Christo jungeretur, nisi diceret, Credo.

Abraham & servus ipsius, quorum figura.

Rebecca desponsata Isaac, figura Ecclesiæ.

Gen. 24. 62.

4. Accepit ergo puer Rebeccam, & exhibuit Isaac. Videamus tamen ubi eum invenerit. Invenit eum ad puteum juramenti. Videte, Fratres, puer Isaac Rebeccam ad puteum invenit, & iterum ipsum Isaac Rebecca ad puteum invenit. Verum est: nec Christus Ecclesiam, nec Ecclesia Christum invenit, nisi ad baptismi sacramentum. *Exierat* ergo, sicut dicit Scriptura, beatus *Isaac ad vesperum in agrum ad meditandum.* Ager ille mundi figuram habebat. Exierat Isaac in agrum, quia Christus venturus erat in mundum: Isaac ad vesperum diei, Christus in fine mundi. Isaac ergo ad meditandum in agrum processit: quia Christus in mundum pugnaturus contra diabolum venit, ut eum vinceret justè, dum ab eo occideretur injustè; ut moriendo mortem destrueret, & resurgendo vitam credentibus condonaret. Et quomodo Isaac corporaliter Rebecca, sic Christo spiritaliter jungeretur Ecclesia, * accipiens in præsenti pretiosam arram sanguinem sponsi sui, acceptura dotem postmodum regni sui. Quam rem beatus Petrus apostolus evidenter enuntiat, dicens, Non enim, inquit, redemti estis
„ auro & argento, sed pretioso sanguine tamquam agni
„ immaculati.

Ibidem. 63.

* Infrà Serm. 11. n. 3.

1. Pet. 1.

Gen. 24. 67.

Synagoga per Saram, Ecclesia per Rebeccam adumbrata.

5. Accepit ergo Isaac Rebeccam, & *intromisit eam in tabernaculum matris suæ:* accepit Christus Ecclesiam, & eam in loco constituit Synagogæ. Per infidelitatem enim Synagoga à Deo separata & mortua est, & per fidem Ecclesia Christo conjuncta & vivificata est. Accepit ergo Isaac Rebeccam, *& in tantum dilexit, ut dolorem qui ex morte matris acciderat, temperaret.* Mors enim Saræ infidelitatem significat Synagogæ. Moritur ergo Sara, & in loco ejus Rebecca ducitur: Synagoga repudiatur, ut introducatur Ecclesia. Accepit ergo Isaac Rebeccam, *& in tantum dilexit, ut tristitiam, quæ de matris morte acciderat temperaret:* accepit Christus Ecclesiam, & in tantum dilexit, ut dolorem qui de perditione matris Synagogæ acciderat, amore Ecclesiæ mitigaret. Nam sicut infidelitas Synagogæ Christo tristitiam fecit; ita illi fides Ecclesiæ lætitiam generavit: & quomodo per malitiam Synagogæ unam gentem Judæorum, nec ipsam tamen totam, perdidit; ita totum mundum per fidem Ecclesiæ Christus Dominus adquisivit. Et quia de nobis, Fratres carissimi, sponsam sibi spiritalem, Christus Dominus præparavit, quam etiam, sicut dixi, sanguine pretioso redemit: ita, ipso adjuvante, unusquisque beneficia in se munere divino collata, non solùm custodiat, sed etiam augere contendat, ut nihil in eum aut per luxuriam sordidum, aut per superbiam tumidum, aut per iracundiam combustum, aut per avaritiam obscurum, aut per invidiam vipereo veneno percussum appareat. Quia justum est ut sponsus ille speciosus formâ præ filiis hominum, nihil in nobis de suprà dictis peccatis inveniat, quod oculos suæ majestatis offendat: cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERM. DE SCRIPTURIS.

a Epithetum, *Sancta*, hic, & infrà nomini Rebeccæ semper adjungitur in Augustinianis MSS. numquam verò in Origenianorum operum libris.

* SERMO IX.

De [a] *Sancta Rebecca.*

* Alias 12. ex Vignerianis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustino adscriptus est in aliquos MSS. & ex iis vulgatus fuerat curâ Vignerii, qui eumdem Sermonem à Bartholomæo de Urbino sub Augustini nomine citatum in Millelo-quio reperiebat. Apud Origenem est homilia in Genesim decima, sed posteriore parte truncata. Integram exhibent Origenianorum operum libri editi & MSS. ad quos graviora hic errata castiganda curavimus.

1. ISAAC, inquit Scriptura, *crescebat & confortabatur:* id est, gaudium crescebat Abrahæ respicienti non ad ea quæ videntur; sed ad ea quæ non videntur. Non enim gaudebat de præsentibus Abraham, nec de divitiis mundi & actibus sæculi. Sed vis audire Abraham unde gauderet? Audi Dominum ad Judæos dicentem, Abraham pater vester, inquit, desideravit ut videret diem meum; & vidit, & gavisus est. Per hoc ergo crescebat Isaac, per quod Abrahæ illa visio quâ videbat Christi diem, & spes quæ in ipso erat, gaudia cumulabat. Atque utinam efficeremini & vos Isaac, & essetis gaudium matris vestræ Ecclesiæ. Sed vereor ne adhuc in tristitia & gemitu filios Ecclesia pariat. An non est ei tristitia & gemitus, cùm vos non convenitis ad audiendum Dei verbum, & vix diebus festis ad ecclesiam proceditis; & hoc non tam desiderio verbi Dei, quàm studio sollemnitatis, & publicæ quodam modo remissionis obtentu; Quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? Qui licèt inutilis servus sim, accepi tamen à Deo distribuendam familiæ dominicæ tritici mensuram? Sed vide quid addit: Distribuendam, inquit, in tempore tritici mensuram. Quid ergo faciam? Ubi, vel quando vestrum tempus inveniam? Plurimum ex hoc, immo penè totum mundanis occupationibus teritis: in foro aliud, aliud in negotiatione consumitis; alius agris, alius litibus vacat: ad audiendum verbum Dei nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? Quid de absentibus conqueror? Præsentes etiam & in ecclesia positi non estis intenti; sed communes & ex usu fabulas teritis, & verbo Dei vel lectionibus divinis terga convertitis. Vereor ne & vobis dicatur illud à Domino, quod per Prophetam dictum est, Converterunt ad me dorsa sua, & non facies suas. Quid igitur ego faciam, cui ministerium verbi creditum est? Quæ leguntur mystica sunt, in allegoricis exponenda sunt sacramentis. Possumne surdis & aversis auribus ingerere margaritas verbi Dei? Non ita [b] egit Apostolus; vide enim quid dicit: Qui Legem, inquit, legistis, Legem non audistis? Abraham enim duos filios habuit &c. quibus addit, Quæ sunt allegorica. Numquid sacramenta

Gen. 21. 8.

Johan. 8. 56.

Increpantur qui ecclesiam rarò adeunt, aut verbum Dei audire negligunt.

Ierem. 32. 33.

Gal. 4. 21 22.

b In Origenianis libris, ait.

CLASSIS I.

Legis eis aperuit, qui neque legunt, neque intelligunt? Sed Legem legentibus dicebat, Legem non audistis? Quomodo ergo potero mysteria Legis, & allegorias, quas ab Apostolo edoctus sum, aperire & prodere iis, quibus & auditio & lectio Legis incognita est?

2. Asperior vobis fortasse videor; sed non possum linire parietem lapsantem. Timeo enim id quod scriptum est, Populus meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum conturbant. *Isai. 3. 12.* Tamquam filios meos carissimos moneo. Miror si nondum vobis innotuit via Christi, si nec hoc quidem audistis, quòd non est lata & spatiosa; sed arta & angusta via est, quæ ducit ad vitam. *Matt. 7. 14.* Et vos ergo intrate per angustam portam, relinquite pereuntibus latitudinem. *Rom. 13. 12.* Nox præcessit, dies autem appropinquavit, inquit Apostolus: Ut filii lucis ambulate. *Ephes. 5. 8.* Tempus breve est; superest ut & qui habent, tamquam non habentes sint; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. *1. Cor. 7. 29. & 30.* Sine intermissione orandum Apostolus præcipit: *1. Thess. 5. 16.* Vos qui ad orationes non convenitis, quomodo completis sine intermissione, quod semper omittitis? Sed & Christus præcepit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Matth. 26. 41.* Quòd si illi vigilantes & orantes, & semper Verbo Dei adhærentes, tentationem tamen nequaquam fugerunt; quid faciunt hi, qui diebus sollemnibus tantùm ad ecclesiam veniunt? Si justus vix salvus sit; peccator & impius ubi parebunt? *1. Pet. 4. 18.*

3. Piget me aliquid dicere ex his quæ lecta sunt. Nam & Apostolus dicit de hujuscemodi sermonibus, quòd ininterpretabiles sunt ad dicendum: quoniam vos, inquit, imbecilles facti estis ad audiendum. *Hebr. 5. 11.* Videamus tamen hoc quod nobis recitatum est. Rebecca, inquit Scriptura, veniebat cum filiabus civitatis haurire aquam de puteo. *Gen. 24. 15. & 16.* Rebecca quotidie veniebat ad puteos, quotidie hauriebat aquam: & quia quotidie vacabat ad puteos; idcirco inveniri potuit à puero Abrahæ, & in matrimonio sociari Isaac. Hæc fabulas putatis esse, & historias narrare in Scripturis Spiritum-sanctum? Animarum est ista eruditio, & spiritalis doctrina, quæ te docet quotidie venire ad puteos Scripturarum, ad aquas Spiritus-sancti, & haurire semper, ac plenum vas domum reportare: *Citantur hæc verba in Milleloquio.* sicut faciebat etiam sancta Rebecca; quæ non aliter jungi potuisset tanto Patriarchæ Isaac, qui ex repromissione natus est, nisi hauriendo aquas: & in tantum hauriendo, ut non tantùm posset potare eos qui domi sunt, sed & puerum Abrahæ: & non tantùm puerum, sed & eò usque abundaret aquis, quas hauriebat de puteis, ut & camelos posset adaquare, *Usque quò cessarent*, inquit, *bibentes*. *Ibidem 19.* Mysteria sunt cuncta, quæ scripta sunt. *Desponsatio spiritalis.* Vult & te sibi Christus desponsare: ad te enim loquitur per Prophetam, dicens, Desponsabo te mihi in æternum, & desponsabo te mihi in fide & misericordia, ut agnoscas Dominum. *Osee 2. 19. & 20.* Quia ergo vult te sibi desponsare, præmittit ad te puerum istum. Puer iste sermo Propheticus est, quem nisi priùs susceperis, nubere Christo non poteris. Scito tamen, quia nemo inexercitatus & imperitus sermonem Propheticum suscipit; sed qui scit haurire aquam de profundo putei: & qui in tantum scit haurire, ut etiam iis sufficiat qui irrationabiles & perversi videntur, quorum figuram cameli tenent; ut & ipse possit dicere, quia sapientibus & insipientibus debitor sum. *Rom. 1. 14.* Denique sic dixerat in corde suo puer iste, *Ex his*, inquit, *virginibus*, *quæ venerunt ad aquam*, *quæcumque dixerit mihi*, *Bibe tu*, *& camelos tuos adaquabo*, *ipsa erit sponsa domini mei*. *Gen. 24. 14.* Sic ergo Rebecca, quæ interpretatur patientia, ut vidit puerum, & inspexit Propheticum verbum, deponit de humero hydriam; deponit enim elatam Græcæ facundiæ arrogantiam: & ad humilem & simplicem Propheticum se inclinans sermonem dixit, *Bibe tu*, *& camelos adaquabo*.

Sermo Dei & pascit, & pascitur.

4. Sed dicis fortasse, Si puer Prophetici sermonis tenet figuram; quomodo potatur à Rebecca, quam ipse magis potare deberet? Vide ergo ne fortè sicut & Dominus Jesus, cùm ipse sit panis vitæ, & ipse pascat animas esurientes; *Iohan. 6. 35.* ipse rursum esurire se fatetur, cùm dicit, Esurivi, & dedistis mihi manducare: *Matth. 25. 35.* & iterum cùm ipse sit aqua viva, & potum det omnibus sitientibus; rursum ipse dicit ad Samaritanam, Da mihi bibere: *Iohan. 4. 7.* sic & Propheticus sermo, cùm ipse potum det sitientibus; nihilo minùs ipse ab his potari dicatur, cùm studiosorum exercitia & vigilantiam suscipit. *SERM. DE SCRIPTURIS.* Talis ergo ista anima, quæ agit cuncta patienter, quæ tam prompta est, & tanta eruditione subnixa; quæ de profundis haurire scientiæ fluenta consuevit, ipsa potest copulari nuptiis Christi. Nisi ergo quotidie venias ad puteos, nisi quotidie haurias aquas; non solùm alios potare non poteris, sed ipse quoque sitim verbi Dei patieris. Audi & Dominum in Evangelio dicentem, Qui sitit, veniat & bibat; *Iohan. 7. 37.* sed tu, ut video, non esuris, nec sitis justitiam. Et quomodo poteris dicere, Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; *Psal. 41. 2. & 3.* sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante conspectum ejus?

5. Obsecro vos, qui auditorio verbi semper adsistitis, patienter audite; donec paululùm negligentes ac desides commoneamus. Habetote patientiam: quia de Rebecca vobis, id est, de patientia sermo est: & necesse est nos eos qui collectam negligunt, & audire declinant verbum Dei, paululum per patientiam castigare: qui non desiderant panem vitæ, nec aquam vivam, qui non exeunt de castris, nec procedunt de domibus luteis, ut colligant sibi manna, qui non veniunt ad petram, ut bibant de spiritali petra: Petra enim est Christus, ut ait Apostolus. *1. Cor. 10. 4.* Habetote, inquam, vos paululum patientiam, Sermo enim nobis ad negligentes est, & eos qui malè habent: Sani enim non indigent medico, sed malè habentes. Dicite mihi vos, qui tantùm festis diebus ad ecclesiam convenitis, ceteri dies non sunt festi, aut non sunt dies Domini? *Dies Domini quotidie est Christianis.* Judæorum est dies certos & raros observare sollemnes: & ideo ad eos dicit Dominus, Neomenias vestras & sabbata, & diem magnum non sustineo; jejunium, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea. *Isai. 1. 13. & 14.* Odit ergo Deus eos qui una die putant festum diem esse Domini. Christiani omni die carnes Agni comedunt, id est, carnes verbi Dei quotidie sumunt; Pascha enim nostrum immolatus est Christus. *1. Cor. 5. 7.* Et quia lex Paschæ talis est, ut in vespera comedatur, propterea in vespera mundi passus est Dominus, ut tu semper manduces de carnibus verbi[a] Dei, qui semper in vespera es, usque quò veniat manè. Et si in hac vespera sollicitus fueris, & in fletu ac jejuniis, vel in omni labore justitiæ vitam duxeris; poteris & tu dicere, Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Psal. 29. 6.* Lætaberis enim manè, id est, in sæculo venturo, si in hoc sæculo fructum justitiæ in fletu & labore collegeris. Venite ergo vos dum tempus est; bibamus de puteo visionis, ubi deambulat Isaac, & ubi procedit ad exercitium.

* SERMO X.

** Aliàs de Tempore 78.*

De conceptu Rebeccæ.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium habuerunt Lovanienses, Verlinus & Vindingus supposititium: quem nos, tametsi Augustino in MSS. tribuatur, ponimus Cæsarii quartum. Habitus fuit tempore Quadragesimæ.

CÆSARII Sermo IV.

1. EXPOSITIONEM sanctarum Scripturarum si eo ordine & illo eloquio, quo à sanctis Patribus sunt expositæ, Caritatis Vestræ auribus voluerimus intimare; nonnisi ad paucos scholasticos cibus doctrinæ poterit pervenire, reliqua verò populi multitudo jejuna remanebit. Et ideo rogo humiliter, ut contentæ sint eruditæ aures verba rustica æquanimiter sustinere, dummodo totus grex Domini simplici, &, ut ita dixerim, pedestri sermone pabulum spiritale possit accipere. Et quia imperiti & simplices ad scholasticorum altitudinem non possunt adscendere, eruditi se dignentur ad illorum ignorantiam inclinare. Quia quod simplicibus dictum fuerit, scholastici intelligere possunt: quod autem eruditis fuerit prædicatum, simplices capere non valebunt.

b Isaac Christi, Rebecca Ecclesiæ figura.

2. [b] Lectio nobis de beato Isaac, & sancta Rebecca, & parvulis qui in ejus utero collidebantur, recitata est. Quòd autem beatus Isaac typum habuerit Domini Salvatoris, penè nulli habetur incognitum. Isaac ergo Christum Dominum; beata autem Rebecca Ecclesiam figuravit. Quæ cùm multo tempore ad exemplum ipsius Ecclesiæ sterilis permaneret, beato Isaac orante, & Do-

a Hoc loco vox *Dei* abest ab Origenianiorum operum libris.

b MSS. *Die tertio nobis . . . . . . lectio recitata est.*

mino donante, concepit. *Sed collidebantur parvuli in utero ejus*; quorum molestiam non sustinens dixit, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Et ait illi Dominus, *Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.* Hæc omnia, Fratres carissimi, sicut dicit Apostolus, in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos. Concepit ergo corporaliter de beato Isaac Rebecca: quia conceptura erat spiritaliter de Christo Ecclesia. Sed sicut duo parvuli in utero Rebeccæ collidebantur: sic & in utero Ecclesiæ duo sibi populi jugiter adversantur. Si enim aut soli mali, aut soli boni essent; unus populus esset: quia verò in Ecclesia & boni inveniuntur, & mali; tamquam in ventre spiritalis Rebeccæ duo populi colliduntur, * humiles scilicet & superbi, casti & adulteri, mansueti & iracundi, benigni & invidi, misericordes & cupidi. Boni enim lucrari volunt malos; mali verò exstinguere cupiunt bonos. Bonorum desiderium est, ut qui mali sunt, corrigantur: malorum studium est, ut qui boni sunt, consumantur. Unum est genus piorum, aliud impiorum: genus piorum ad cælum erigitur per humilitatem; genus impiorum ad infernum demergitur per elationem. Omnes enim qui in Ecclesia catholica terrena sapiunt, terram diligunt, terram concupiscunt, & omnem spem suam in terra constituunt, ad Esaü pertinent. Quicumque ideo Deo servire optat, ut honoribus crescat, & lucra terrena percipiat; & ipse ad Esaü, id est, ad terrenam felicitatem pertinere cognoscitur. In Esaü enim carnales intelliguntur; in Jacob verò spiritales. Isti enim sunt duo populi, sicut beatus Apostolus evidenter assignat, cùm carnales demonstrat, & spiritales insinuat. » Sic enim ait, Manifesta autem sunt opera carnis, quæ » sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servi- » tus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, » iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, » ebrietates, comessationes &c. Ecce opera pertinentia ad Esaü. Qui autem sunt fructus qui pertineant ad Jacob, idem Apostolus in consequentibus adjunxit, dicens, Fructus autem Spiritûs est caritas, gaudium, pax [a] longanimitas, fides, bonitas, benignitas, modestia, continentia. Ecce opera spiritalia ad beatum Jacob, id est, ad piorum populum pertinentia.

Gen. 25. 22. — Ibidem 23. — 1. Cor. 10. 11. — Jacob & Esaü in utero Rebeccæ, boni & mali in utero Ecclesiæ. — * Cæsario familiaris enumeratio. — August. Serm. 4. n. 31. — Galat. 5. 19. &c. — Ibidem 22.

3. Quòd autem dictum est, *Populus populum superabit, & major serviet minori*, secundùm litteram in Esaü vel Jacob non videmus impletum: non enim corporaliter beato Jacob Esaü servisse commemorat Scriptura. Quomodo ergo hoc oporteat intelligi, aut qualiter major populus minori serviat, spiritaliter debemus intelligere. Nisi enim fieret, non hoc sancta Scriptura commemoraret. Quomodo ergo populus major serviat minori, qui hoc diligenter adtendit, in Christianis vel in Judæis agnoscit. Major enim & senior populus Judæorum juniori, id est, populo Christiano servire probatur, dum per totum mundum libros divinæ Legis ad instructionem omnium Gentium portare cognoscitur. Ideo enim per omnem terram Judæi dispersi sunt, ut cùm aliquem Paganum ad fidem Christi voluerimus invitare, & ab omnibus Prophetis ipsum Christum esse annuntiatum testamur; & ille resistens dixerit, à nobis potiùs quàm à Spiritu sancto libros divinæ Legis esse conscriptos; nos habeamus unde eum redarguere certa ratione possimus, dicentes ei, Si de meis libris tibi dubitatio nascitur, ecce Judæorum libros, utique inimicorum nostrorum, (quos certum est, quòd ego conscribere vel immutare non potui) ipsos relege; & cùm in ipsis hoc inveneris, quod & in meis, noli esse incredulus, sed fidelis. Hoc ordine major populus minori servire cognoscitur, dum etiam per illorum libros ad credendum in Christo Gentium populus invitatur.

August. Serm. 4. n. 4. 6. 8. 31. & in Psal. 40. n. 14. — Populus major, Judæi; minor, Gentes.

4. Sed & alio modo populus major servit minori. Quo, inquis, ordine? Illo utique quo mali serviunt bonis; non utique obsequendo, sed persequendo. Quomodo mali serviunt bonis? Quomodo persecutores Martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis furnalia, ut illi coquantur, illa consumantur. Quomodo, inquam, mali serviunt bonis? Quomodo in fornace aurificis palea servit auro; ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. Non ergo glorientur, nec se extollant mali, quando bonis aliquas tribulationes immiserint: quia cùm illos persequuntur in corpore, se occidere probantur in corde. Ut ad virum bonum perveniat hominis mali adversitas, jam illius animam putrefacit iniquitas. Qui ergo malo animo virum bonum iracundiæ furore succensus conatur incendere; utrùm ille possit exuri, adhuc dubium est; quòd autem iste jam ardeat, dubium non est: quia fortè ille vir bonus spiritali succo & sancti-Spiritus refrigerio plenus, apposito persecutionis igne non ardet; ille verò qui eum conatur exurere, sine dubio [b] non potest non ardere. De uno ergo semine Isaac, Esaü nascitur & Jacob: sicut de uno baptismo Domini Salvatoris & de uno Ecclesiæ utero procreatur populus Christianus: qui tamen pro morum diversitate, sicut Esaü & Jacob, in duas partes dividitur; cùm ex fructibus operum una pars cognoscitur carnalis, alia spiritalis. Ideo autem dixit, *Major serviet minori*; quia semper major est numerus malorum quàm bonorum. Et sicut illi duo parvuli in utero Rebeccæ; ita & isti duo populi in ventre Ecclesiæ usque in diem judicii colliduntur; dum, sicut jam suprà diximus, humilibus adversantur superbi, dum castos adulteri persequuntur, dum, quorum infinitus est numerus, ebriosi sobrios insectantur, dum benignos invidi æmulantur, dum eleemosynarios raptores, dum pacificos exstinguere cupiunt iracundi, dum eos qui cælestia sapiunt, ad terram retrahere luxuriosi conantur.

Populus major, mali; minor, boni. —

5. Unde rogo, Fratres carissimi, ut quicumque in his malis se sentiunt obnoxios, dùm tempus est, cùm Dei adjutorio studeant transferri ad dexteram, & relictis vitiorum sordibus, ad virtutum ornamenta redire festinent: ut in die judicii ab auditu malo liberati, illam vocem desiderabilem mereantur audire, Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui. Adtentiùs tamen rogo & admoneo, Fratres, ut ad Vigilias maturiùs surgere studeatis, ad [c] Tertiam, ad Sextam, ad Nonam fideliter veniatis. * Castitatem ante omnia per totam Quadragesimam & usque ad finem Paschæ etiam cùm propriis uxoribus custodite. Quod pransuri eratis, pauperibus erogate. Pacem & ipsi habete, & quos discordes agnoveritis, ad concordiam revocate. Peregrinos excipite, nec vos pigeat eorum pedes abluere. Non erubescat exercere Christianus, quod implere dignatus est Christus. Cum bona voluntate pauperibus secundùm vires vestras eleemosynas erogate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Impedimenta mundi, si ad integrum non potestis abscindere, vel ex parte aliqua temperate; ut lectioni [d] vel orationi possitis insistere: ut in sancto exceptorio pectoris vestri spiritale vinum, id est, verbum Dei abundantiùs reponentes, repudiatis omnibus criminibus atque peccatis, cum libera & sincera conscientia Deo servire possitis: & cùm sancta sollemnitas Paschalis advenerit, caritatem non solùm cum bonis, sed etiam cùm malis fideliter retinentes, cum gaudio exsultationis mundo corde & casto corpore ad altare Domini possitis accedere, & corpus & sanguinem ejus unusquisque vestrûm non ad judicium animæ suæ mereatur accipere: præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, [e] cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Virtutes in Quadragesima colendæ. — Matth. 25. 21. — * Cæsarius in hom. 2. — 2. Cor. 9. 7.

* SERMO XI.

De beato Jacob I.

* Aliàs de Tempore 79.

In Appendice nunc primum collocatur. Fuit dubius Lovaniensibus, supposititius Verlino & Vindingo. Nobis est, ex iis quos censemus Cæsarii, quintus. Habitus fuit tempore Quadragesimæ.

1. Cum divina lectio legeretur, Fratres carissimi, audivimus quòd supplicante sancta Rebecca, Isaac vocaverit filium suum Jacob, & dixerit ei ut pergeret in Mesopotamiam Syriæ, & inde sibi uxorem ac-

CÆSARII Sermo V. — Gen. 28. 1. &c.

[a] In Regio MS. tres adduntur virtutes, *patientia, mansuetudo, castitas.*

[b] Sic editi. At MSS. *Sine dubio potest ardere.*

[c] De Cæsario in ejus vita lib. 1. n. 10. dicitur: *Instituit ut quotidie Tertia, Sextaque & Nona opus in sancti Stephani basilica Clerici cum hymnis cantarent, ut si quis fortè sæcularium vel pœnitentium sanctum opus exsequi ambiret, absque excusatione aliqua quotidiano interesse posset officio.* Omittitur Primæ officium, quod nonnisi Dominicâ, Sabbato & Festis sollemnibus persolvi jussit Cæsarius, uti liquet ex Appendice, quam Regulæ 1. Sanctimonialium subjecit.

[d] MSS. non habent, *vel orationi.*

[e] In MSS. Sermonis conclusio est, *qui vivit.*

CLASSIS I.

ciperet : & quòd ille humiliter obediens patri abierit, & in ipso itinere venerit ad quemdam locum, & supposuerit lapidem capiti suo atque dormierit, & viderit in somnis scalam usque ad cælos pertingentem, & Angelos Dei adscendentes & descendentes per eam; Dominum autem incumbentem scalæ & dicentem sibi, " Jacob, Jacob, noli timere, ego sum tecum, & ego ero " socius itineris tui. Beatus enim Isaac, Fratres carissimi, quando filium suum dirigebat in Mesopotamiam, Dei Patris typum præfigurabat; Jacob verò Christum Dominum designabat. Beatus ergo Isaac neglectis mulieribus regionis in qua habitabat, mittebat filium suum, ut in regione longinqua sibi uxorem acciperet: quia Deus Pater missurus erat Unigenitum suum, qui repudiatâ Synagogâ de Gentibus sibi Ecclesiam sociaret. Hoc tunc in veritate completum est, quando Judæis Apostoli dixerunt, Vobis quidem primùm oportebat loqui verbum Dei; sed quia vos indignos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.

Christi mysteria in Jacob adumbrantur. — *Act. 13. 46.*

2. De beato Jacob non legimus quòd cum equis aut asinis aut camelis abierit: sed hoc tantùm legimus, quòd baculum in manu portaverit. Sic enim ipse dum " supplicaret Domino, dixit, Domine, inquit, minor sum " omnibus miserationibus tuis, cum baculo meo transivi " Jordanem istum, & ecce cum duabus turmis regredior. Jacob ergo ad accipiendam uxorem exhibuit baculum; & Christus ad redimendam Ecclesiam detulit crucis lignum. Jacob dormiens posuit lapidem sub capite suo, & vidit scalam pertingentem ad cælum, & Dominum incumbentem scalæ. Videte, Fratres, quanta sint in hoc loco mysteria: Jacob typum gerebat Domini Salvatoris, & lapis quem supposuit capiti suo, nihilo minùs Christum Dominum figurabat. Quare lapis ad caput Christum significet, audi Apostolum: Quia caput viri Christus. Denique unxit beatus Jacob lapidem ipsum. Adtendite unctum, & intelligitis Christum. Christus ab unctione, id est, à chrismate unctus interpretatur.

Gen. 32. 10. & 11. — *1. Cor. 11. 3.*

3. Sed si Jacob Dominum in terra dormiens figurabat, quid est quòd in cælo Dominus scalæ innixus incumbebat? Quomodo Christus Dominus & in cacumine scalæ in cælo, & in beato Jacob esse videbatur in terra? Quòd autem & in cælo sit Christus & in terra, audi ipsum Christum dicentem, Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis, qui est in cælo. Advertite, quia & ipse Dominus & in cælo & in terra se esse dixit. Christum Dominum, Fratres carissimi, caput esse Ecclesiæ confitemur. Si caput est Ecclesiæ, secundùm caput in cælo est, secundùm corpus in terra. Denique cùm beatus Paulus apostolus persequeretur Ecclesiam, Christus de cælo clamavit, Saule, Saule, quid me persequeris? Non dixit, Quid persequeris servos meos? nec hoc dixit, Quid persequeris membra mea? sed hoc dixit, Quid me persequeris? Jam quasi pede calcato lingua clamat, Calcasti me; cùm utique lingua calcari non posset: sed per concordiam caritatis caput pro membris omnibus clamat. Jacob ergo dormiebat, & Dominum in cacumine scalæ videbat incumbere. Quid est in scala incumbere, nisi in ligno pendere? Considerate Fratres, quis in ligno crucis pendens pro Judæis oraverit; & agnoscetis quis ad Jacob scalæ incumbens de cælo clamaverit. Sed quare hoc in itinere factum est, antè quàm Jacob uxorem acciperet? Quia & verus Jacob Dominus noster priùs in scala, id est, in cruce occubuit, & postea sibi Ecclesiam sociavit, * dans ei in præsenti arram sanguinis sui, daturus dotem postmodum sui regni.

Johan. 3. 13. — *Similia habet August. in Psal. 30. n. 3.* — *Act. 9. 4.* — ** Suprà Ser. 8. n. 4.*

4. Quòd autem & Jacob dormiens, & Dominus scalæ incumbens, Christum figuravit, adtendite & videte rei hujus altitudinem. Cùm enim Salvator noster de Nathanaël loquens beatum Jacob nominasset, dicens, Ecce Israëlita, in quo dolus non est: in consequentibus " dixit, A modò videbitis cælos apertos, & Angelos " Dei adscendentes & descendentes ad Filium hominis. Quod Jacob per figuram in somniis viderat, hoc de se " Dominus in Evangeliis prædicabat. Videbitis, inquit, " cælos apertos, & Angelos Dei adscendentes & descendentes ad Filium hominis. Si ad Filium Angeli descendebant, quia in terris erat; quomodo hi ipsi Angeli adscendebant ad Filium hominis, nisi quia & in cælis erat? Ac sic in Jacob ipse dormiebat, & de cælo ad Jacob ipse clamabat.

Johan. 1. 47. — *Ibidem 51.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

A 5. Hæc omnia, Fratres, sicut Apostolus clamat, in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum devenit. Quomodo tamen, Fratres, Angeli Dei ad Filium hominis in cælum adscendant, & ad ipsum Filium in terram descendant, diligenter adtendite. Quando enim prædicatores Dei de Scripturis sanctis alta & profunda, quæ nonnisi à perfectis intelliguntur, annuntiant, adscendunt ad Filium hominis: quando verò illa prædicant quæ ad corrigendos mores pertinent, & quæ omnis populus intelligere possit, descendunt ad Filium hominis. Sic & Apostolus dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos: sa-B pientiam non hujus sæculi; sed arcanam, absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Ista quando dicebat Apostolus, sine dubio adscendebat ad Filium hominis. Quando autem dicebat, Fugite fornicationem: quando dicebat, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: quandò denuntiabat, Radix omnium malorum est cupiditas: in his verbis tamquam Angelus Dei descendebat ad Filium hominis. Quando autem dicebat, Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, adscendebat: cùm verò dicebat, Sobrii estote, & nolite peccare: & reliqua quæ ad corrigendos mores pertinent prædicabat, lac doctrinæ mi-C nistrans tamquam nutrix parvulis, descendebat; quia illa loquebatur quæ etiam imperiti capere possent. Hoc ordine & adscenditur & descenditur ad Filium hominis, cùm & perfectis cibus solidus tribuitur, & doctrinæ lac etiam non negatur. Sed & beatus Johannes adscendebat, quando dicebat, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Satis in altum adscendebat, quando ista dicebat. Sed quia Angeli Dei non solùm adscendunt; sed etiam descendunt; inclinans se ad parvulos, dixit, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

1. Cor. 10. 11. — *Prædicatores, Angeli adscendentes & descendentes.* — *August. in Psal. 44. n. 20. & in Ps. 119. n. 2.* — *1. Cor. 2. 6. & 7.* — *1. Cor. 6. 18.* — *Ephes. 5. 18.* — *1. Tim. 6. 10.* — *Coloss. 3. 2.* — *1. Cor. 15. 34.* — *Hebr. 5. 14.* — *Johan. 1. 1.* — *Ibidem 14.*

6. Ut hæc quæ superiùs suggessimus, sanctis cordi-D bus vestris possint tenaciùs inhærere, breviter quæ dicta sunt repetemus. Beatus Isaac, sicut diximus, mittens filium suum, typum Dei Patris habuit: Jacob qui missus est, Christum Dominum designavit. Lapis quem ad caput habuit, & oleo unxit, & ipse significavit Dominum Salvatorem. Scala usque ad cælos adtingens, crucis figuram habuit. Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur. Angeli adscendentes & descendentes per eam, Apostoli & Apostolici viri, & omnes Doctores Ecclesiarum intelliguntur; adscendentes, quando perfectis perfecta prædicant; descendentes, quando parvulis & imperitis simplicia quæ intelligere possint, E insinuant. Nos verò, Fratres, qui omnia quæ in veteri Testamento figurata sunt, in novo Testamento videmus esse completa; quantas possumus Deo gratias referamus, qui nobis nullis præcedentibus meritis tanta præstare dignatus est; totis viribus cum ipsius adjutorio laborantes, ut hæc tanta & talia beneficia non nobis judicium pariant, sed profectum. Quin immo ita spiritaliter studeamus vivere, & bonis operibus semper insistere; ut cùm nos castos, sobrios, misericordes & pios judicii dies invenerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur; sed cum justis & Deum timentibus pervenire ad æternam beatitudinem mereamur, præstante Domino F nostro, &c.

Recapitulatio suprà dictorum. — *Gen. 28.*

* SERMO XII.

De beato Jacob, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino & Vindingo supposititius. Nobis verò est Cæsarii sextus.

** Aliàs de Tempore 80.*

1. FREQUENTER Caritati Vestræ suggessimus, Fratres dilectissimi, beatum Jacob typum habuisse & figuram Domini Salvatoris. Denique quomodo Christus venturus erat in mundum, ut jungeretur Ecclesiæ; G ita in beato Jacob hoc præfiguratum est, quando in regionem longinquam peregrinatus est, ut conjugium sortiretur. Abiit ergo, sicut audistis, beatus Jacob in Mesopotamiam ad accipiendam uxorem, & cùm venisset ad quemdam puteum, vidit Rachel venientem cum ovibus patris sui; & cùm agnovisset consobrinam suam esse, adaquato grege osculatus est eam. Si diligenter audistis, Fratres,

CÆSARII Sermo VI. — *Jacob Salvatoris typus.* — *Gen. 28. 6.* — *Gen. 29. 1. &c.*

Matrimonia Patriarcharum ad puteos. Gen. 24. 45. Gen. 29. 9. Exodi 2. 16.

Fratres, poteſtis agnoſcere non fuiſſe ſine cauſſa, quòd ſancti Patriarchæ matrimonia ad puteos aut fontes inveniunt. Si hoc ſemel tantummodo eveniſſet, poterat aliquis dicere non pro aliqua ſignificatione factum eſſe, ſed caſu potiùs accidiſſe: cùm verò & beata Rebecca, quæ jungenda erat Iſaac, ad puteum invenitur, & Rachel quam accepturus erat Jacob, ad puteum agnoſcitur, nihilo minùs & Sephora quæ Moyſi juncta eſt, ad puteum reperitur; ſine dubio aliqua in his ſacramenta debemus agnoſcere. Et quia toti tres iſti Patriarchæ typum Domini Salvatoris præferebant, ideo ad fontes vel ad puteos inveniunt matrimonia; quia Chriſtus ad aquam baptiſmi inventurus erat Eccleſiam. Denique (*Gen. 29. 11.*) veniens Jacob ad puteum, priùs gregem Rachel adaquavit, & poſtea oſculatus eſt eam. Verum eſt, Fratres cariſſimi, niſi priùs per aquam baptiſmi Chriſtianus populus à malis omnibus abluatur, pacem Chriſti habere non meretur. Numquid beatus Jacob videns conſobrinam ſuam, non eam potuit oſculari priùs quàm aquam gregibus daret? Potuit ſine dubio, ſed myſterium gerebatur. Oportebat enim, ut per gratiam baptiſmi ab omni iniquitate vel diſcordia liberaretur Eccleſia, & ſic pacem cum Deo habere mereretur.

Lia & Rachel, Synagoga & Eccleſia.

2. Quòd autem in illa peregrinatione duas uxores accepit Jacob, duos populos figurabat, Judæorum & Gentium. Nam in adventu Chriſti non parvus numerus etiam de Judæorum populo in eum legitur credidiſſe. Sic enim in Apoſtolorum Actibus continetur (*Act. 2. 41. & 4. 4.*), quia crediderunt una die tria millia, item alia die quinque millia, item poſtea multa millia. Quòd autem duo populi in Chriſtum crediderint, etiam ipſe Dominus in Evangelio confirmat (*Johan. 10. 16.*), ubi ait, „Habeo & alias oves, quæ non „ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unus „grex, & unus paſtor. Duæ ergo illæ mulieres, id eſt Lia & Rachel, quæ beato Jacob fuerant junctæ, iſtos duos populos figuraverunt; Lia Judæorum, Rachel Gentium. Iſtis duobus populis velut duobus parietibus, tamquam lapis angularis junctus eſt Chriſtus. In ipſo enim ſe oſculati ſunt, & in ipſo æternam pacem invenire meruerunt, ſicut Apoſtolus dicit (*Epheſ. 2. 14.*), Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Quomodo fecit utraque unum? Utique duos greges jungendo, & duos parietes ſibi invicem copulando.

Jacob dives rediens, figura Chriſti. Gen. 30. 43.

3. Denique videte quid poſtea conſecutus eſt. Dicit enim Scriptura, quòd poſt hæc dives factus fuerit beatus Jacob. Sicut enim ſanctus Jacob crevit, ac ditatus eſt, & cum infinita ſubſtantia ad patriam reverſus eſt: ita & verus Jacob Dominus noſter Jeſus Chriſtus veniens in hunc mundum, & iſtas duas ſibi plebes, id eſt, Gentium & Judæorum conſocians, innumerabiles ex eis filios ſpiritaliter genuit & creavit, ac ditatus eſt nimis. Denique audi ipſum dicentem (*Matth. 28. 18.*), Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Nam exſpoliato diabolo, reverſus ad Patrem magnas ſecum divitias reportavit, ſecundùm quod Pſalmiſta de eo multò antè prædixerat (*Pſal. 67. 19.*), Adſcendens in altum, captivam duxit captivitatem.

Gen. 31. 23. &c. Laban typus diaboli.

4. Revertente autem Jacob ad patriam ſuam, perſecutus eſt eum Laban cum ſociis ſuis, & ſcrutatus omnem ſubſtantiam ejus, nihil de rebus ſuis invenit: & quia de ſuo nihil invenit, tenere eum omnino non potuit. Laban hîc typum diaboli habuiſſe non incongruè dicitur; qui & idolis ſerviebat, & beato Jacob, qui typum Domini præferebat, adverſarius erat. Perſecutus eſt ergo Jacob, nihil apud eum de rebus ſuis invenit. Audi hoc & verum Jacob in Evangelio dicentem (*Johan. 14. 30.*), Ecce venit princeps hujus mundi, & in me nihil invenit. Concedat nobis divina miſericordia, ut etiam in nobis nihil de ſuis operibus noſter adverſarius recognoſcat. Si enim de ſuo nihil invenerit, tenere nos vel revocare ab æterna vita non poterit. Et ideo, Fratres cariſſimi, diligenter adſpiciamus arcellas conſcientiæ noſtræ, perſcrutemur latibula cordis noſtri; & ſi nihil ibi quod ad diabolum pertinet invenimus, gaudeamus, & Deo gratias referamus; & quantum poſſumus, cum ipſius adjutorio ſtudeamus, ut januæ cordis noſtri ſemper aperiantur Chriſto, & uſque ad finem claudantur diabolo. Si verò aliquid de operibus vel calliditate diaboli in animis noſtris latitare cognoſcimus; velut venenum mortiferum evomere vel exſpuere feſtinemus: ut cùm A nobis inſidiari voluerit, & nihil quod ad ſe pertinet potuerit invenire, confuſus abſcedat, & nos cum Propheta gratias agentes clamemus ad Dominum (*Pſal. 43. 8.*), Liberaſti nos ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, confudiſti. Lia ergo, ſicut ſuprà diximus, ſignificat illam plebem quæ de Judæis juncta eſt Chriſto: Rachel verò Eccleſiæ, id eſt omnium Gentium typum geſſit. Et ideo Lia non eſt furata idola patris ſui, ſed Rachel (*Gen. 31. 19.*): quia poſt adventum Chriſti non uſquequaque Synagoga idolis ſerviſſe cognoſcitur, ſicut de Eccleſia Gentium manifeſtiſſimè comprobatur: & propterea non apud Liam, id eſt, Synagogam; ſed apud Rachel, quæ typum B Gentium præferebat, idola Laban legimus latuiſſe.

Gen. 32. 25. &c. Luctatio Jacob, Judæos Chriſtum perſequentes deſignat.

5. Quòd autem venit Jacob ad Jordanem, & tranſmiſſis omnibus rebus ipſe ſolus remanſit, & luctabatur cum viro uſque dum veniret aurora; Jacob in illa colluctatione Judæorum populum figuravit, Angelus qui cum illo luctabatur, typum Salvatoris Domini præferebat. Luctatur Jacob cum Angelo: quia populus Judæorum luctaturus erat cum Chriſto. Vincebat Jacob Angelum: quia Judæorum populus Chriſtum uſque ad mortem perſecuturus erat. Et quia non totus populus Judæorum infidelis exſtitit Chriſto, ſicut jam ſuprà diximus, ſed non parva multitudo in nomine ejus legitur C credidiſſe: ideo Angelus tetigit femur Jacob, & claudicare cœpit. Pes enim ille in quo claudicabat, Judæos qui in Chriſtum non crediderunt figurabat: ille verò qui ſanus remanſit, illorum typum geſſit qui Chriſtum Dominum receperunt. Denique diligenter adtendite, quia Jacob in illa colluctatione & vincebat, & benedictionem petebat. Cùm enim dixiſſet Angelus, *Dimitte me* (*Ibidem 26.*): reſpondit Jacob, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* In eo quòd vincebat Jacob, Judæos perſecuturos Chriſtum ſignificabat: in eo quòd benedictionem petebat, illum populum figurabat qui in Chriſtum Dominum crediturus erat. Denique quid ei dixit Angelus? (*Ibidem 28.*) *Si contra* D *Dominum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?* Hoc tunc impletum eſt, quando populus Judæorum Chriſtum Dominum crucifixit. *Dimitte me*, inquit Angelus, *jam adſcendit aurora.* Hoc jam reſurrectionem Domini figuravit: quia Dominus, ſicut optimè noſtis, ante lucem legitur reſurrexiſſe à mortuis.

6. Quòd autem Jacob typum Domini figuravit, etiam hinc cognoſcimus, quòd orans Deum ut eum de manu Eſaü fratris ſui eriperet, *Domine*, inquit (*Ibidem 10.*), *minor ſum cunctis miſerationibus tuis, in baculo meo tranſivi Jordanem, & ecce cum duabus turmis regredior.* Verum eſt, Fratres cariſſimi, baculo crucis Chriſtus apprehendit mundum, & E cum duabus turmis, id eſt, cum duobus populis ad Patrem rediit cum triumpho. Hæc ergo, Fratres cariſſimi, frequentiùs cogitate, & velut munda animalia ſpiritaliter ruminantes utilem & neceſſarium cibum veſtris animis prævidete: illum utique cibum de quo Dominus ait (*Johan. 6. 27.*), „Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vi„tam æternam: ad quam vos Dominus per ſuam pietatem perducat, cui eſt honor & imperium cum Patre &c.

*SERMO XIII.

De beato Joſeph, I.

* *Aliàs de Tempore 81.*

F *In Appendice nunc primùm collocatur. A Lovanienſibus in Auguſtinianorum Sermonum numero, ſed abſque Auguſtini nomine tamquam dubius, relictus eſt: à Verlino & Vindingo ſpuriis accenſitus. Nobis verò videtur numerandus inter Sermones Cæſarii, qui hic Ambroſii ex libro de Joſeph cap. 2. & 3. ipſos eoſdem plerumque ſenſus, & eadem interdum verba retulit.*

Cæſarii Sermo VII.

1. QUOTIENS vobis, Fratres cariſſimi, lectiones de Teſtamento veteri recitantur, ſicut frequenter admonui, non hoc ſolùm debetis adtendere quod ſonat in verbo, ſed quod intelligitur & ſapit in ſpiritu. Sic & Apoſtolus admonet nos dicens (*1. Cor. 3. 6.*), Littera occidit, ſpiritus autem vivificat. Hæc enim omnia quæ in veteri (*1. Cor. 10. 11.*) G Teſtamento leguntur, ſicut dicit Apoſtolus, in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter nos. Cùm enim populus Chriſtianus fideliter ad eccleſiam venit, quid ei prodeſt quòd audit qualiter ſancti Patriarchæ aut uxores acceperint, aut filios procreaverint, niſi quare hæc facta ſint, aut quid res ipſæ figuraverint, ſpiritali ſenſu perſpexerit? Ecce audivimus quòd beatus (*Gen. 37.*)

CLASSIS I.

Jacob Dei Patris, Joseph Christi typum gessit.

Jacob genuerit filium, & vocaverit nomen ejus Joseph, & eum plus quàm reliquos filios suos dilexerit. Hoc loco beatus Jacob figuram habuit Dei Patris: sanctus quoque Joseph typum gessit Domini Salvatoris. Diligebat ergo Jacob filium suum; quia & Deus Pater diligit Unigenitum suum, sicut ipse dixit, Hic est Filius meus dilectus. (Matth. 3. 17.) Jacob misit filium suum, ut de fratribus sollicitudinem gereret; & Deus Pater misit Unigenitum suum, ut genus humanum peccatis languidum visitaret. Joseph dum fratres suos quæreret, errabat in eremo; & Christus genus humanum requirebat, quod errabat in mundo, quo in mundo quasi & ipse errabat, quia errantes requirebat.

Fratres Joseph Judæos & peccatores designant.

Joseph enim fratres suos quærebat in Sichimis. Sichima interpretatur humerus. Semper enim peccatores dorsum magis quàm faciem ponunt in faciem justi. Humeri enim retrò sunt. Sicut enim fratres Joseph invidiâ percussi, fraternæ dilectioni dorsum magis quàm facies offerebant: ita & infelices Judæi, veniente ad eos salutis auctore, invidere potiùs quàm diligere maluerunt. De talibus dicitur in Psalmo, (Psal. 68. 24.) „Obscurentur oculi eorum, ne „videant; & dorsum illorum semper incurva.

2. Invenit ergo Joseph fratres suos in Dothaim. Dothaim interpretatur defectio. Verè in grandi defectione erant, qui de fratricidio cogitabant. Videntes ergo Joseph fratres sui, de morte illius tractaverunt: sicut videntes Judæi verum Joseph Dominum Christum, ut eum crucifigerent uno omnes consilio statuerunt. Joseph exspoliaverunt fratres sui tunicâ polymitâ & talari; & Judæi Christum per mortem crucis exspoliaverunt tunicâ corporali. Joseph exutus tunicâ mittitur in cisternam, id est in lacum; & Christus exspoliatus carne humana descendit in infernum. Joseph postea quàm de cisterna levatur, Ismaëlitis, id est, Gentibus venditur; & Christus postea quàm de inferno regreditur, ab omnibus Gentibus fidei commercio comparatur. Joseph per consilium Judæ triginta argenteis distrahitur: & Christus per consilium Judæ Iscariotis eodem numero venumdatur.

De pretio venditionis Joseph non conveniunt translationes.

Quòd autem in diversis translationibus non æquali pretio Joseph scribitur venumdatus; sed alii dixerunt viginti argenteis, alii triginta; hoc spiritaliter significavit, quòd Christus non æqualiter ab omnibus credendus vel diligendus esset. Denique etiam nunc in Ecclesia alii eum plus diligunt, alii minùs. Ipsi enim plus valet Christus, qui eum majori caritate dilexerit. Joseph descendit in Ægyptum; & Christus in mundum. Joseph à penuria frumenti salvat Ægyptum; & Christus à fame verbi Dei liberat mundum. Nisi enim Joseph fratres sui vendidissent, defecerat Ægyptus. Fratres, verum est, nisi Christum Judæi crucifixissent, perierat mundus.

3. Videamus tamen, Fratres carissimi, unde in beatum Joseph fratres sui tam crudeliter sævierunt. Unde, nisi invidiæ veneno, per quod mors intravit in orbem terrarum? Denique audi Scripturam dicentem, (Gen. 37. 4.) *Invidebant ei fratres sui, & non poterant ei loqui quidquam pacificum.* Vidit enim beatus Joseph somnium, (Ibidem 7.) quasi stantem se in agro cum fratribus suis, & manipulos alligantem, & fratrum manipulos adorare manipulum suum. Hoc in illo Joseph tunc impletum est, quando eum in Ægypto adoraverunt fratres sui. Et non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant.

Somnium Joseph in Christo dumtaxat impletum.

4. (Ibidem 9.) Vidit etiam aliud somnium, quòd sol & luna & undecim stellæ adorarent eum. Cui respondit pater suus, *Numquid ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Hoc in illo Joseph impleri non potuit: in nostro autem Joseph, id est, Domino Jesu Christo, somni illius sacramenta completa sunt. Sol enim & luna & undecim stellæ eum adoraverunt, quando post resurrectionem sancta Maria, quasi luna, & beatus Joseph [a] velut sol, cum undecim stellis, id est, beatis Apostolis, incurvati & prostrati sunt ante eum; & impleta est prophetia quæ dixerat, (Psal. 148. 3.) Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Nam in tantum in illo Joseph impleta non est somnii hujus interpretatio, ut mater ipsius ante multos annos legatur fuisse defuncta, quàm præfata somnia ille vidisset. Et re vera quomodo fratribus ipsius potest convenire, quòd eum quasi stellæ adorare possent, quos invidiæ nox obscuros & tenebrosos effecerat? Jam enim claritatem stellarum perdiderant, qui in se lumen caritatis exstinxerant. Meritò ergo hoc in Domino Salvatore nostro veriùs credimus fuisse completum, quem, sicut jam antea dixi, & beatum Joseph & beatam Mariam cum undecim Apostolis frequentiùs legimus adorasse. (Matth. 28. 17.) Nam quòd Apostoli lumen stellarum habuerint, ipse Dominus in Evangelio dicit, (Matth. 5. 14.) Vos estis lux mundi. Et iterum de ipsis ac suis similibus, (Matth. 13. 43.) Tunc justi, inquit, fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

SERM. DE SCRIPTURIS.

5. Joseph interpretatur augmentatio sive ampliatio. Sed in illo Joseph ampliationem non habuit, nisi sola Ægyptus: in nostro verò Joseph augmentum habere universus meruit mundus. Ille Joseph erogavit triticum: noster erogare dignatus est verbum. (Psal. 18. 5.) In omnem terram exivit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Nos ergo, Fratres dilectissimi, qui nullis præcedentibus meritis tanta bona per misericordiam veri Joseph Domini nostri Jesu Christi consecuti sumus, ad quos non umbra veteris Testamenti, sed ipsa veritas venit, quantum possumus, cum Dei gratia laboremus, ut quod nobis contulit judicatus, integrum inveniat judicaturus. Qui tibi tanta contulit, scit quantum reposcat. Idem ipse cùm venerit, redditurus est quod promisit: sed requisiturus est quod redemit; & quod dedit in primo adventu, exacturus est in secundo. Nemo ergo Christo Domino nostro reddat mala pro bonis. Quis est qui ita impiè agit? Qui accipit dulcedinem, & reddit amaritudinem, qui accipit vitam, & restituit mortem: mortem enim restituit, qui se ipsum malè vivendo interficit. Quis est qui reddit mala pro bonis? Ille qui cùm deberet dare propria, rapit aliena; qui pro caritate reddit odium, invidiam pro benignitate, pro humilitate superbiam, pro castitate luxuriam. Quis est qui Christo reddit mala pro bonis? Ille qui cùm deberet lectioni insistere, & ad ecclesiam currere, eligit potiùs ad tabulas ludere, spectacula furiosa, vel cruenta, vel turpia frequentare; & quem oportet peccata sua orando, legendo, eleemosynas faciendo consumere, studet potiùs augere, & ampliùs cumulare. Quis est qui reddit mala pro bonis? Qui pro luce tenebras, pro benignitate malitiam, pro sobrietate ebrietatem, pro eleemosynis rapacitatem, pro justitia iniquitatem restituit. Qui ergo hæc mala adjuvante Domino non admisit, quantum potest, munera in se divina custodiat: qui verò his malis se sentit obnoxium, & intelligit obvolutum, citò ad pænitentiæ medicamenta recurrat, & antè quàm anima tenebrosa de corpore mortis suæ discedat, eleemosynis, jejuniis & orationibus remedium sibi in die necessitatis adquirat. Sic ergo agamus, Fratres, ut ante tribunal Christi, & qui boni sunt, coronam, & qui negligentes sunt, veniam consequantur; ut illos ornet vita integra, istos valeat excusare correcta: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO XIV.

* Aliàs de Tempore 83.

De beato Joseph, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Totus centonis instar compactus est ex variorum dictis, scilicet Pelagii, Ambrosii, Cypriani, & ex fragmento Sermonis de Susanna & Joseph hic postea exhibendi. Ceterùm auctior paulò & sincerior nunc editur ad librum Theodericensem ante annos septingentos descriptum.

1. DE beato Joseph scriptum est, Fratres carissimi, (Gen. 37. 4.) quòd ei invidebant fratres sui, & ideo non poterant ei loqui pacificè. Verum est, Dilectissimi, quia tam perniciosus est invidiæ morbus, ut nec germanis, non dicam extraneis, parcere possit. Denique statim in initio mundi Abel justum Cain frater injustus occidit. [* Joseph ergo sanctus & fidelis Domini famulus, tribulationibus magis justus ostenditur, qui primùm per invidiam à fratribus Ismaëlitis in servum addictus, ab eisque venditus à quibus se viderat adoratum; deinde

* Pelagii verba epist. ad Demetr. c. 5.

a *Velut sol*, id est velut alter parentum, in Josephi somnio per solem significatus. Quod Ambrosius lib. de Joseph c. 2. his verbis explicavit: *Quis est ille quem parentes & fratres adoraverunt super terram, nisi Christum Iesum, quando eum Maria & Ioseph cum discipulis adoraverunt, Deum verum esse in illo corpore confitentes? de quo sole dictum est, Laudate eum sol & luna &c.* Baronius ad annum Christi 12. hujus Sermonis auctoritate malè fretus Augustinum facit sectatorem illius opinionis, cui adhæret Arnaldus Abbas Bonævallis in libro de operibus Cardinalibus Christi, tractatu de passione, scilicet Iosephum post passionem vel resurrectionem Domini adhuc fuisse superstitem.

CLASSIS I.

Ægyptio domino traditus, ſemper tamen ingenui animi tenuit dignitatem; docuitque exemplo ſuo & ſervos liberos in non peccando, & non conditionem cuiquam obeſſe, ſed mentem.]

*Hæc non habet MS. & deſumta ſunt ex Ambroſio cap. 5. lib. de Ioſeph.

2. [* Cùm eſſet decorus & ſpecioſus facie, pulcritudinem vultus ſui non ad alienam derivavit injuriam, ſed ad ſuam gratiàm conſervavit: hoc ſe pulcriorem judicans, ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur; & illum eſſe verum decorem, qui non alienos oculos caperet, nec mentes fragiles vulneraret. Crimen enim dominæ ſuæ fuit, quæ malè vidit; non beati Joſeph, qui malè videri non voluit. Nec in eo qui viſus eſt, culpa eſt; quia non erat in poteſtate ſervili, ut non videretur à domina: maritus debuit cavere uxoris oculos. Diſcant tunc & viri cavere oculos feminarum, cùm amantur & qui nolunt amari. Denique adamatus eſt Joſeph, qui amantem contemſerat: & bene excuſavit eum Scriptura, dicens, *Immiſit oculos uxor domini ejus in Joſeph:* hoc eſt, non iſte ſe oſtentavit, nec ille cepit incautam: ſed illa retia ſua immiſit, & indagine ſua capta eſt; catenas ſuas ſparſit, & in ſuis vinculis colligata eſt. Dixit autem illi, *Dormi mecum.* Prima adulterii oculorum tela ſunt, ſecunda verborum. Sed qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere. Excuſatur, quòd ingreſſus eſt: prædicatur, quòd elapſus eſt. Nec pluris fecit veſtimenta corporis, quàm animi caſtimoniam: reliquit tamquam non ſua, quæ adultera manibus detinebat; & aliena judicavit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi. Magnus planè vir, qui venditus ſervile tunc neſcivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non adquievit, apprehenſus aufugit.]

Gen. 39. 7.

Ibidem.

*Pelagius ubi ſuprà.

3. [* Concupiſcitur adoleſcens à domina, nec ad concupiſcentiam provocatur; rogatur, & refugit: una hac in re blanditur ac ſupplicat, quæ in ceteris imperabat.] [* Amabat illum, an potiùs ſe? Ego puto quia nec illum, nec ſe. Si illum amabat, quare volebat perdere? Si ſe amabat, quare volebat perire? Ecce probavi, quia non amabat: veneno libidinis ardebat, non flammâ caritatis lucebat. Sed ille noverat videre quòd illa non noverat. Pulcrior erat intus Joſeph quàm foris; pulcrior in luce cordis quàm in facie corporis: ubi illius feminæ oculus non penetrabat, ibi ipſe ſua pulcritudine fruebatur. Intuens ergo interiorem pulcritudinem caſtitatis in ſpeculo conſcientiæ ſuæ, quando illam maculari, quando violari illius feminæ tentatione permitteret? Quod ergo videbat ille, ſi & tu vis, potes videre pulcritudinem pudicitiæ interiorem & ſpiritalem, ſi habes ad illam qualeſcumque oculos. Exempli gratiâ tibi aliquid propono. Ipſam amas in conjuge tua? Noli ergo odiſſe in aliena, quod amas in tua. Quid enim amas in conjuge tua? Utique caſtitatem. Hanc odiſti in aliena, cum qua concumbendo ejus vis perdere caſtitatem. Quod amas in tua, hoc vis interficere in aliena? Quomodo habebis orationem puritatis homicida caſtitatis? Serva ergo in conjuge aliena quod ſervare cupis in tua: quia & in uxore tua caſtitatē potiùs diligis quàm carnem.

*Ex Sermone de Suſanna & Ioſeph, infra ſuo loco.

Amor impudicus non eſt amor.

4. Sed fortè exiſtimas te amatorem eſſe carnis uxoris tuæ, & non caſtitatis. Sordida quidem cogitatio, miſera & voluptuoſa libido: ſed non te dimitto ſine exemplo. Tu putas quòd carnem amas uxoris tuæ: ego enim dico quòd caſtitatem plus amas in conjuge. Sed ut te abſolutiſſimè oſtendam amatorem eſſe caſtitatis magis quàm carnis; hanc plus amas in filia tua. Quis enim hominum eſt, qui non filias ſuas caſtas eſſe velit? Quis hominum eſt qui non filiarum ſuarum congaudeat caſtitati? Numquid & ibi carnem amas? Numquid concupiſcis corpus pulcrum, ubi exhorreſcis inceſtum? Ecce convici te amatorem eſſe caſtitatis magis quàm carnis. Denique ſi habueris conjugem pulcram, & fortè nec caſtam nec ſobriam; numquid amas carnem pulcram, & non potiùs deteſtaris? Conſideratur quidem foris pulcritudo corporis; ſed intus pulcritudo requiritur caſtitatis: quæ ſi non fuerit, omnis continuò amor corporis refrigeſcit; quia quamvis pulcritudo conſideretur, plus tamen amoris viciſſitudo requiritur intus. Si ergo amatorem te caſtitatis convici, quid te offendiſti, ut eam non ames in te? Quod amas in filia tua, ama hoc in uxore aliena: quia & filia tua uxor erit aliena. Ama ergo & in te caſtitatem. Nam ſi amas uxorem alienam, non continuò habebis: caſtitatem ſi amaveris, mox habebis, auxiliante Domino, eam. Sic ancillam pulcram, aut elegantem uxorem alienam amare debes, ut eam quaſi extra te & foris requiras: ſi caſtitatem amas, apud te eſt quod amas. Blanditur tibi caſtitas ſancta intus in cubiculo cordis tui, ſuavis eſt ejus amplexus, non habet amaritudinem converſatio illius. Non tecum litigat caſtitas, non te ſubvertit, in nullo tibi in domo conſcientiæ contradicit. Ama ergo & in te & in aliis caſtitatem, ut habeas æternam beatitudinem. Si ergo & in te hanc valde pulcram amaveris, quæ caſtitas dicitur; imitaberis beatum Joſeph, qui noluit impudicæ mulieri ad concubitum illicitum conſentire; repulit concupiſcentiam alienam, amplexus eſt pudicitiam ſuam. Fecit tamen illa quod comminata eſt, mentita eſt viro, credita eſt: adhuc patiens Deus. Traditur Joſeph ſanctus in carcerem, cuſtoditur tamquam reus, à quo non offenſus Deus. Sed nec ibi defuit Deus, quia ille non obnoxius erat. Adfuit Dominus ſancto Joſeph.] Et quia ſanctum amabat, [* mulieris amore non vincitur caſtus animus, nec ætas adoleſcentiæ permovit, nec diligentis auctoritas, contemtam frequentare dominam. Ore proprio adoleſcenti tendit inſidias, ſecretò ac ſine teſtibus manu impudens apprehendit, procacioribus verbis hortatur ad crimen; nec ibi quidem vincitur: ſed ut verba verbis, ita & res rebus refert; nam qui frequenter rogatus negaverat, tunc comprehenſus aufugit.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* Pelag. ubi ſuprà.

Benignitas Joſeph.

5. Mirati eſtis caſtitatem Joſeph, adſpicite nunc benignitatem. Ille pro odio reddit caritatem: & cùm videret fratres ſuos, immo inimicos ex fratribus, cùmque ab eis agnoſci vellet, dilectionis affectum pio dolore teſtatus eſt. Deoſculabatur ſingulos, & irriguis fletibus paventium colla perfundens, odium fratrum caritatis lacrymis abluebat, quos tam vivo patre quàm mortuo, germano ſemper amore dilexit; nec recordatur illum in quo ad necem fuerat dejectus lacum, non cogitavit addictam pretio germanitatem: ſed pro malis bona reſtituens, jam tunc necdum data Apoſtolica præcepta complevit.] Ergo beatus Joſeph cogitans veræ caritatis dulcedinem, venenum invidiæ, quo fratres ſuos noverat fuiſſe percuſſos, Deo auxiliante ſtuduit de corde ſuo repellere.

*Pelag. epiſt. ad Demetr. cap. 18.

6. Et re vera, Fratres, quid infelici invido * præſtat invidia, quem ſecretis conſcientiæ quibuſdam ungulis livor ipſe diſcerpit, & alienam felicitatem tormentum illius facit? Quam, inquam, mercedem ex odio ſuo recipiet, niſi horribiles animæ tenebras, & confuſæ mentis horrorem, qui vultu ſemper animoque mærente, voto quo vult alii nocere, ſe cruciat, quem ſæviſſimis exagitatum ſtimulis ab omni conſilio ac mentis ſobrietate deturbat? Et ideo obſervemus, Fratres, vitii hujus incurſum, ne fortè participes operis diaboli inveniamur, & pari cum illo ſententiâ condemnemur; ſic enim ſcriptum eſt, Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem eum qui ſunt ex parte ipſius. Quod malum lædit parum aliquid etiam eos in quos intenditur; graviùs tamen & pernicioſiùs eos priùs à quibus procedit, affligit. Sicut enim ærugo ferrum, ita invidia illam ipſam animam, in qua eſt, interimit & conſumit. Et ſicut aiunt viperas dilacerato & diſrupto illo ipſo materno utero, in quo conceptæ ſunt, naſci: ita & invidia illam ipſam animam, à qua concepta eſt, conſumit & perdit. * Qualis hæc animæ tinea eſt, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in homine donum Dei, & in malum proprium bona aliena convertere, aliorumque gloriam facere pœnam ſuam; & velut quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent? Non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe jocundus. Suſpiratur ſemper ab eadem & ingemiſcitur ac doletur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur: quia zelus terminum non habet, permanens jugiter malum & ſine fine peccatum. Et quantum ille cui invidet ſucceſſu meliore profecerit, tantum invidus in majus incendium livoris ignibus exardeſcit. Hinc efficitur pallor in facie, tremor in labiis, ſtridor in dentibus,

Sap. 2. 24.

Invidia comparatur ærugini & viperis.

* Deinceps pleraque ex Cypriano in orat. de zelo & livore.

verba rabida & effrenata convicia. Quisquis ille est A quem zelo suo persequitur invidus, subterfugere eum poterit & vitare: invidus verò refugere non valebit. Ubicumque fuerit, adversarius suus secum est, hostis in pectore semper inclusus. Denique Dominus in Evangelio, cùm eum discipuli interrogarent, quis inter illos major esset, respondit, Quisquis fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Quo verbo omnem caussam & materiam mordacis invidiæ eruit & abscidit.

[Matth. 18. 4.]

7. Christiano ergo populo zelare non licet, non licet invidere: de humilitate ad summa crescit. Audi beatum Johannem apostolum in Epistola sua dicentem, Qui odit fratrem suum, homicida est. Et iterum, Qui dicit B „ se in luce esse, & fratrem odit, in tenebris est, & in „ tenebris ambulat, & nescit quò vadat. Descendit enim in gehennam ignarus, & cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet à Christi lumine monentis & dicentis, Ego sum lux mundi, & Qui credit in me, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ. Quomodo autem vel pacem Domini, vel caritatem tenet, qui in zeli vitio nec pacificus potest esse, nec securus. Nos verò, Fratres, Deo auxiliante, zeli vel invidiæ venena fugientes, non solùm cum bonis, sed etiam erga malos caritatis dulcedinem teneamus: ut nos non reprobet Christus propter invidiæ malum; sed laudet potiùs & invitet ad præmium, dicens, Venite benedicti, percipite C regnum. Sit in manibus divina lectio, in sensibus Dominica cogitatio, oratio jugis omnino non cesset, salutaris operatio perseveret; ut quotiens ad tentandos nos accesserit inimicus, semper nos bonis operibus inveniat occupatos. Consideret ergo unusquisque conscientiam suam; & si se videt de prosperitate proximi sui invidiæ veneno percussum, evellat de pectore suo spinas & tribulos, ut in eo semen Domini quasi in fertili agro multiplicata fruge locupletet, ut divina & spiritalis seges in copiam fecundæ messis exuberet. Venena ergo fellis, quicumque invidus est evomat, dis- D cordiarum virus excludat, purget, Deo adjuvante, mentem quam serpentinus livor infecerat: amaritudo omnis invidiæ, Christi dulcedine leniatur. Amet eos quos antè oderat, diligat quibus injustis obtrectationibus invidebat: bonos imitetur, & de meliorum semper profectibus gratuletur. Non deroget sacerdotibus, nec præpositos suos venenatis dentibus laceret, faciat se illis adunata dilectione participem. Dimittetur ei, quando & ipse dimiserit: accipientur sacrificia sua, cùm & ipse pacificus ad Deum accesserit. Cogitet unusquisque paradisi delicias, regnum cæleste desideret, ad quod misericordes atque unanimes Christus admittit. Cogite- E mus, Fratres, quòd filii Dei ii soli possunt vocari, qui sunt pacifici, secundùm illud quod scriptum est, In „ hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem: & iterum, Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Ad quam dilectionem vos pius Dominus bonis operibus sua protectione perducat, cujus est honor & gloria cum Patre & Spiritu-sancto in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

[1. Johan. 3. 15.] [1. Johan. 2. 10.] [Johan. 8. 12.] [Matth. 25. 34.] [Johan. 13. 35.] [Ibidem 34.]

[* Aliàs de Tempore 82.]

* SERMO XV.

De beato Joseph, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius remanserat Lovaniensium censurâ: suppositus postea Verlini & Vindingi sententiâ renuntiatus fuit. Cæsario adscribendum censemus, tametsi nonnihil habeat excerptum ex Pelagii ad Demetriadem epistola, quæ quidem Augustini aut Hieronymi esse olim credita est.

[Cæsarii Sermo VIII. Cur Joseph sortem suam patri notam non fecerit statim.]

1. IN beato Jacob, Fratres carissimi, & in sancto filio ejus Joseph, qui diligenter adtendit, rem nimis admirabilem Deum fecisse cognoscit. Primùm non credo fuisse sine caussa, quòd Dominus, qui se totiens dignatus fuerat ostendere beato Jacob, per tot annos noluit ei indicare, quòd Joseph filius ejus viveret, sed permisit eum longa afflictione consumi. Si hoc quisquam sine certa & evidenti ratione factum esse credit, vel hoc consideret, quòd nec filius ejus Joseph in tam proximo positus, permissus sit ad patrem suum mittere, ut ei nuntiaret quòd non solùm viveret, sed etiam in grandi honore positus esset. Ab illo enim loco ubi erat A beatus Jacob, usque in Ægyptum vix erant trecenta millia. Unde frequentissimè ex Ægypto in locum illum ubi Jacob erat, plurimi properabant; & ex illo loco ad Ægyptum infinitæ multitudines assiduè confluebant. Sed fortè aliquis dicit, quòd beatus Joseph parvulus exierit à patre suo; & ideo recordari eum non potuisset. Non ita est, Fratres carissimi. Puer enim sedecim annorum nulla ratione parentes suos poterat oblivisci. Nam in tantum eos oblitus non erat, ut fratres suos, ubi primùm vidit, agnoverit.

[Serm. de Scripturis.]

2. Sed dicit aliquis, quia pro eo quòd Ægyptio Domino serviebat, licentiam aut potestatem non habue- B rit mittendi ad patrem suum. Etiamsi hoc quasi veri simile videatur; postea quàm de carcere eductus est, & dominus factus est in totam terram Ægypti, per illos septem annos fertilitatis, & illos duos qui transacti sunt tempore inopiæ antè quàm fratres sui ad eum descenderent; per istos novem annos in trecentis millibus non potuit mittere ad patrem suum? Sine ulla dubitatione potuit: sed occulto judicio hoc Dominus fieri non permisit; in tantum ut nec tunc se manifestaret fratribus suis, quando ad emendum triticum venerant: quin immo durissimè eis loquens, fratrem illorum in vinculis tenuit, & ad patrem suum eos cum grandi do- C lore redire jussit.

3. Adtendite adhuc & aliud majus miraculum, & videte quomodo beatus Joseph, qui patrem suum noverat pro se intolerabilem amaritudinem sustinere, quasi parum esset quod antè pertulerat, insuper & Benjamin ei fecit auferri: quo facto utique noverat eum multiplicem passurum esse dolorem. Hæc enim omnia Spiritus-sancti dispensatione facta fuisse credo. Deus enim, cujus * judicia plerumque sunt occulta, numquam tamen injusta, qui beato Jacob noluit indicare filium suum vivere; ille etiam sanctum Joseph non permisit ut patri suo gloriam suam nuntiaret: quin immo adhuc Simeon D in vinculis tenendo & Benjamin auferendo, ipsius patris sui angustias cumulavit. Hæc autem, Fratres carissimi, si fideliter & diligenter adtendimus, cum grandi misericordia Dominum fecisse cognoscimus. Ab initio enim mundi hoc Deus in sanctis suis exercuit, quod in beato Jacob cum grandi pietate complevit. Sed hoc quare sit factum diligenter adtendite.

[Cur Simeoni & Benjamin retinendo patris dolorem auxerit.]

[* Cæsarius hom. 14 inter editas à Baluzio.]

4. Quamvis enim servi & amici Dei capitalia crimina vitaverint, & multa opera bona fecerint; tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credimus; quia non mentitur ille qui dixit, Non est immunis à peccato, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Et beatus E Johannes Evangelista, qui utique meritis non erat inferior sancto Jacob, clamat & dicit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et illud quod alibi scriptum est, Justus septies cadit, & resurgit. Quia ergo, sicut jam dictum est, sine istis minutis peccatis Jacob esse non potuit; volens Deus ipsa parva peccata in hoc sæculo tribulationis igne consumere, implevit in eo quod ipse per Spiritum-sanctum dixit, Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Et illud, Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et illud, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. F Ut ergo sanctum Jacob Deus noster velut aurum, purgatum in futuro judicio præsentaret, priùs ab illo omnes maculas peccatorum abstersit; ut in eo ignis ille arbiter quod exureret, invenire non posset.

[Amici Dei non sine minutis peccatis, quæ tribulationis igne consumuntur. Iob. 15. 15. Sec. LXX.] [1. Johan. 1. 8.] [Proverb. 24. 16.] [Eccli. 27. 6.] [Hebr. 12. 6.] [Act. 14. 21.] [Ignis arbiter.]

[a 5. Quod etiam in ipso beato Joseph factum esse cognoscimus. Cùm enim, sicut dixit Scriptura, Dominus esset cum eo, & gratiam ei apud dominum suum & apud principem carceris dedisset, præventus tunc est ut ab homine auxilium postularet, dicens magistro pincernarum, *Memento mei, cùm tibi bene fuerit, & supplica Pharaoni, ut me ejiciat de isto carcere.* Et quia nondum scrip- G tum erat, Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine: cùm in omnibus Dei gratiam meruisset, subreptum est illi ut ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tamquam diceret ei Deus, Ego tibi ostendo, ut magis à me quàm ab homine debeas auxilium postulare. Sine ulla enim dubitatione credendum est, quòd pro castiga-

[Gen. 40. 14.] [Psal. 117. 8.]

a Quæ intra duas ansulas, in MSS. desiderantur.

[*Classis I.*]

castigatione sancti Joseph non permisit Deus magistrum pincernarum ut in mente haberet, quod ei sanctus Joseph quando de carcere dimissus est, supplicaverat. Et quia etiam & ipse Joseph quamvis sanctus, tunc sine peccato esse non poterat; ideo tanto tempore fuit in carcere clausus, ut in eo impleretur quod scriptum est, Ego quos amo, arguo: & quos diligo, castigo.] [*Apoc. 3. 19.*]

6. Si diligenter attendimus, Fratres carissimi, quod erga beatum Jacob Deum fecisse credimus, hoc etiam Joseph circa fratres suos exercuisse cognoscimus; qui utique tam sanctus fuit, ut eos odio habere non potuisset. Unde credendum est, quòd ideo eos tantis tribulationibus fatigaverit, ut illos ad confessionem criminis, & ad medicamentum pænitentiæ provocaret. Denique cum ingenti dolore dixerunt se meritò pati illa, quia peccassent in fratrem suum videntes angustiam ejus. Et quia sciebat beatus Joseph, quòd fratribus suis, fratricidii crimen sine grandi pænitentia indulgeri non posset, semel ac secundò & tertiò illos medicabili tribulatione tamquam spiritali igne decoxit; non ut se vindicaret, sed ut illos corrigeret & de tam gravi crimine liberaret. Denique priùs quàm peccatum suum confiterentur, & crimen quod admiserant, mutuâ inter se castigatione consumerent, nec agnoscendum eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit. Cùm verò illos pro peccato quod in ipsum admiserant, humiliter vidit afflictos, * deosculatus est singulos, & per singulos flevit, & paventium colla pio oculorum rore perfundens, odium fratrum caritatis lacrymis abluebat.

[*Cur Joseph tam durè erga fratres.*] [*Gen. 42. 21.*] [** Ex Pelagii ... ad Devetr. c. 5.*]

7. Quod ergo Deus in beato Jacob fecit, & quod Joseph erga fratres exercuit, hoc etiam & nos in illis qui in nos peccaverint debemus implere: ut non ipsos, sed peccata eorum studeamus odisse; & ita velimus secundùm culpæ merita durissimâ castigatione corripere, ut eos semper studeamus in veritate diligere. Hæc si facimus, Fratres carissimi, impletur in nobis illud quod scriptum est, Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Ad extremum ut totum quod dixi, brevi sermone concludam, taliter indulgeamus eis qui in nos peccaverint, qualiter volumus ut nobis indulgeat Deus, quotiens in illum peccamus. Hoc si facimus, securi possumus dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

[*Correptio fraterna.*] [*Galat. 6. 2.*] [*Matth. 6. 12.*]

8. [a] Adhuc nos delectabat cum Caritate Vestra de beato Joseph aliquid loqui: sed propter pauperes qui ad opera sua festinant, melius est hoc ut nobis in diem crastinam reservemus. Et ideo conversi ad Dominum misericordiam ipsius deprecemur, ut desiderium audiendi verbum Dei, quod in nos placatus contulit, & augere semper & conservare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO XVI.

[** Aliàs de Tempore 84.*]

De eo quod scriptum est (Exodi 1.) Mortuus est Joseph, & filii Israël creverunt, *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium Lovanienses habuerunt: suppositititium affirmant Verlinus & Vindingus. Continet excerpta quædam ex Origene: Cæsarii autem stilum & monita usitata refert.

[*Cæsarii Sermo IX. Exod. 1. 6. & 7.*] [*Ex Origene homil. 1. in Exod.*]

1. AUDIVIMUS in lectione quæ lecta est, Fratres carissimi, qualiter mortuo Joseph filii Israël creverunt, & multiplicati sunt nimis, & quasi herba germinaverunt. Quid est hoc, Fratres carissimi? Donec viveret Joseph, non referuntur crevisse filii Israël, nec quòd multiplicati sunt nimis: sed postea quàm mortuus est, sic germinasse dicuntur sicut herba; cùm utique sub patrocinio vel defensione Joseph magis debuerant crescere & multiplicari. Sed hæc, Fratres carissimi, in illo Joseph figurata sunt; in nostro autem Joseph, id est Domino Christo, in veritate completa sunt. Priùs enim quàm moreretur, id est, quàm crucifigeretur Joseph noster, pauci in eum crediderunt: postea quàm verò mortuus est & resurrexit, in universo mundo multiplicati sunt, & creverunt Israëlitæ, id est, populi Christiani. Sic & ipse Dominus in Evangelio dixit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Postea enim quàm per passionem pretiosum granum frumenti mortuum est & sepultum, per universum mundum de uno illo grano messis Ecclesiæ pullulavit. Non enim, sicut antea, in Judæa tantùm notus est Deus, nec solùm in Israël magnum nomen ejus colitur; sed à solis ortu usque ad occasum nomen illius collaudatur.

[*Mortuo Joseph multiplicantur Israëlitæ, mortuo Christo Christiani.*] [*Johan. 12. 24.*] [*Serm. de Scripturis.*] [*Psal. 75. 2.*]

2. Interea mortuo Joseph, surrexit novus rex in Ægypto, qui ignorabat Joseph, & alloquitur ad gentem suam, ut persequantur filios Israël. Dum rex ille viveret qui noverat Joseph, non referuntur afflicti fuisse filii Israël, nec in luto & latere fatigati, nec masculi eorum necati, & feminæ [b] vivificatæ; sed postea quàm surrexit rex ille qui non noverat Joseph, omnia ista gesta referuntur. Hæc enim, Fratres, secundùm quod dicit Apostolus, in figura contingebant populo Judæorum: scripta sunt autem propter nos. Quod in illis carnaliter figurabatur, in nobis spiritaliter adimpletur. Et nos ergo, si diligenter attendimus, intus in nobis in homine interiore hæc fieri frequenter agnoscimus. Anima enim nostra aut à legitimo rege regitur, aut à tyranno vastatur. Si enim Deo adjuvante, justè & sanctè vivimus, si de castitate, de misericordia & pænitentia, & de ceteris his similibus cogitamus, licèt adhuc in Ægypto, id est, in carne simus, tamen à Christo rege gubernamur: & ipse nos regit, & in luto & in latere non consumit, nec nos curis terrenis vel nimiis sollicitudinibus atterit & affligit. Si verò anima nostra cœperit declinare à Deo, & ea quæ sunt turpia & inhonesta sectari, tunc prudentia carnis quæ inimica est Deo, repudiato rege Christo, subdit infelicia colla tyranno. Quod cùm fuerit factum, alloquitur gentem suam, id est, corporeas voluptates; & vitiorum ducibus ad consilium convocatis initur deliberatio adversùs filios Israël, id est, adversùs cogitationes sanctas & acceptabiles Deo, quomodo circumveniantur, quomodo opprimantur, ut luto & lateribus affligantur, ut masculos interficiant, & feminas reservent. In masculis intelligitur sensus rationalis, in feminis concupiscentia carnis. Vult ergo diabolus in nobis viros occidere, & feminas reservare, id est, sensum in nobis rationalem ac Deum videntem exstinguere; & quæ ad concupiscentiam carnis pertinent reservari.

[*Exod. 1. 8.*] [*1. Cor. 10. 11.*] [*Populus Israël in Ægypto, & anima in carne, sub duobus regibus.*] [*Rom. 8. 7.*] [*Quid masculorum internecio, & feminarum exceptio significet.*]

3. [* Non nobis hæc ad historiam tantùm scripta sunt, nec putandum est divinos libros Ægyptiorum gesta narrare: sed quæ scripta sunt, sicut Apostolus ait, ad nostram doctrinam & commonitionem scripta sunt; ut tu qui hæc audis, & gratiam baptismi jam consecutus es, & annumeratus es inter filios Israël, & suscepisti in te regem Christum, si post hoc declinare volueris, & pro cupiditate opera sæculi agere, actus terræ, & lutea, id est luxuriosa explere ministeria, agnoscas & intelligas quia surrexit in te rex alius qui nescit Joseph. Rex utique Ægypti ipse te cogit ad opera sua, non justitiæ, sed iniquitati servire: ipse te facit laterem sibi operari & lutum: ipse te superpositis magistris & compulsoribus ad opera terrena & luxuriosa flagris & verberibus agit: ipse est qui te facit discurrere per sæculum, maris ac terræ [c] elementis pro cupiditate turbari: ipse est rex Ægypti, qui te forum pulsare litibus facit, & pro exiguo terræ cæspite propinquos jurgiis fatigare: [d] ipse est qui te persuadet luxuriâ castitati insidiari, decipere innocentiam, in domo tua quæ sunt fœda, foris quæ sunt crudelia, intra conscientiam quæ sunt flagitiosa committere. Si ergo tales videris esse actus tuos, scito te regi Ægypti militare, id est, non Christi, sed diaboli spiritu agi.]

[** Origenis verba.*] [*Rom. 15. 4.*]

4. Nos igitur, Fratres carissimi, qui ante adventum Domini Salvatoris vasa & domus diaboli fuimus, & per gratiam Christi de potestate ipsius liberari meruimus, quantum possumus, ipso adjuvante, laborare debemus, ne à nobis malis actibus nostris offensus Christus abscedat, & diabolus illo recedente succedat: ne fortè cor nostrum vero lumine effugato tenebrosa nox occupet, ne in nobis impleatur illud quod in Evangelio

[a] Hic in MSS. absolvitur Sermo per clausulam, *quod ipse præstare dignetur, qui vivit &c.*

[b] MSS. Reg. & Fuliensium, *reservata.*

[c] Apud Origenem, *elementa turbare.*

[d] Origenes, *jurgiis fatigare: ut non illud dicam, castitati insidiari, innocentiam decipere, domi fœda &c.*

CLASSIS I. — Luc. 11. 24. &c.

„ scriptum est, Cùm exierit spiritus immundus ab homine, vadit per loca arida, quærens requiem, & non invenit; post hæc dicit, Revertar in domum meam unde exivi. Et invenit eam scopis mundatam, & adducit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & erunt novissima hominis illius pejora prioribus. Hoc enim, Fratres, de Christiano etiam baptizato intelligendum est. Per gratiam baptismi vacuatur quisque omnibus malis: postea verò cum Dei adjutorio laborare debet, ut impleatur omnibus bonis. Nam si aliquem liberatum à malis, vacuum à bonis invenerit inimicus, adducit secum septem alios spiritus nequiores se, & erunt novissima hominis illius pejora prioribus. Et ideo unde expulsa est luxuria, introducatur castitas: unde eradicata est avaritia, plantetur eleemosyna: unde malitia vel invidia expellitur, caritas dominetur. Et quia veniens Dominus noster alligavit fortem, id est, diabolum, & vasa ejus, id est nos de potestate ejus eripuit; quantum possumus, ipso auxiliante, studeamus, ut illi à quo salvati sumus, toto corde & toto animo usque ad vitæ nostræ terminum serviamus. Et quia, expulso diabolo, domum sibi de nobis ubi requiesceret, & vasa in quibus habitaret, facere dignatus est Christus, in domo sua non patiatur injuriam: nihil ibi inhonestum, nihil sordidum, nihil deprehendat obscurum: sed ita domicilium cordis nostri fide plenum, & vacuum malis omnibus semper inveniat, ut nos non solùm frequentiùs visitare, sed etiam jugiter habitare in nobis dignetur: qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Non sufficit cor malis vacuari, nisi & bonis impleatur.

Matth. 12. 29.

* SERMO XVII.

** Aliàs de Tempore 85.*

De colluctatione Ægyptiorum & Israëlitarum.

In Appendice nunc primùm collocatur. Inter Augustinianos, sed absque Augustini nomine Lovanienses reliquerunt. Augustino suppositum asseruerunt Verlinus & Vindingus. Hunc nos omnino Cæsarii esse nulli dubitamus.

CÆSARII Sermo X.

Tentationes ingravescunt instante Paschate.

1. QUAMVIS, Fratres carissimi, omni tempore verbum Dei cum grandi desiderio nos oporteat fideliter semper audire, in istis tamen diebus specialiter lectioni divinæ insistere, & de salute animæ nostræ debemus adtentiùs cogitare: quia licèt per totum anni spatium Christianorum populus multis vitiorum fluctibus calliditate diaboli fatigetur, adveniente tamen Paschali sollemnitate, majore impetu contra fideles quosque se præparare consuevit, & gravioribus peccatorum stimulis corda nostra compungere vel inquietare contendit. Sicut enim in diebus istis ad similitudinem diaboli & angelorum ejus rex Pharao & Ægyptiorum populus persequebantur filios Israël, & luto eos ac lateribus affligentes ad amaritudinem perducebant: ita & hoc tempore imminente Paschali sollemnitate, quia veros Israëlitas qui baptizandi sunt, dolet diabolus de suo exercitu vel possessione discedere, graviores consuevit tribulationes immittere, & majora scandala concitare. Sed nos, si Moysen sequimur, id est, si Legem libenter audimus, & retrò respicere vel desiderare Ægyptum nolumus; Pharaone submerso per sacramentum baptismi, velut per transitum maris rubri, de ejus potestate vel servitio liberamur.

2. Certissimum est, Fratres carissimi, quia quo modo tunc Ægyptii filios Israël multis tribulationibus ad amaritudinem perducebant: ita, sicut jam diximus, & in hoc tempore diabolus & angeli ejus fideles Christianos & bonis operibus deditos impugnare vel inquietare non cessant. Hoc tamen scitote, Fratres, quia diabolus non persequitur nisi bonos. Malos enim, luxuriosos, cupidos & superbos persequi diabolus non consuevit: amici enim sunt sui, & semper voluntatem illius faciunt. Et in tantum eos non persequitur, ut etiam per illos alios persequatur. Malos enim homines diabolus quasi malleos vel flagella habere consuevit. Denique non persequitur bonos, nisi per malos. Habet ergo Deus ministros suos; habet & diabolus adjutores suos. Deus enim per homines bonos, tamquam per ministros suos, agit omne quod bonum est: diabolus verò per homines malos, velut per satellites suos, exercet omne quod malum est. Deus per bonorum

Diabolus non persequitur nisi bonos.

Deus bonos, diabolus malos habet ministros suos.

A misericordiam nudos vestit: diabolus per malorum avaritiam vestitos exspoliat. Deus per homines bonos discordes ad concordiam revocat: diabolus per impios & superbos eos etiam qui pacem habere videntur, ad scandala vel lites instigat. Et quia longum est ire per singula, ut pro certo agnoscat & intelligat Caritas Vestra, quia sicut omne quod bonum est, per bonos homines agit Deus; ita omne quod est crudele & impium, per malos homines consuevit exercere diabolus: denique considerate, Fratres, & corporalibus etiam oculis videbitis, quomodo populus diaboli persequitur populum Christi, dum adulteri persequuntur castos, insectantur sobrios ebriosi, humilibus insidiantur superbi, benignos invidi, B largos cupidi, & eos qui mansuetudinem vel patientiam retinent, affligere non desinunt iracundi. Et ideo consideret unusquisque conscientiam suam, & si se videt & in cogitatione & in sermone & opere semper quod bonum est diligere, & quod honestum est jugiter exercere; ministrum se Dei esse cognoscat & gaudeat. Qui verò se ipsum intus interrogans viderit se quod malum est, non solùm cogitare, sed etiam dicere vel exercere; adjutorem diaboli se esse intelligat, simul & doleat; & dum adhuc peccatrix & tenebrosa anima in corpore suo tenetur inclusa, cum Dei adjutorio de potestate diaboli se conetur eruere: ne fortè si illum malis operibus insistentem C mors repentina rapuerit, cum diabolo cujus voluntatem exercuerit, mereatur audire, Discedite à me maledicti in ignem æternum.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Matth. 25. 41.

3. Nemo se circumveniat, Fratres carissimi. Unusquisque cujus opera vel voluntates exercet in isto sæculo, cum ipso erit postmodum in futuro. Ac sic omnis homo aut cum Christo regnaturus est, aut cum diabolo in inferni supplicio cruciandus. Et ideo dum tempus est, & cum Dei adjutorio in nostra potestate consistit, unusquisque qui se malis operibus in sinistra esse cognoscit, priùs quàm de hac luce discedat, ad dexteram transire contendat, ut non cum sinistris audiat, Discedite à me D maledicti in ignem æternum: sed ad dexteram inter agnos audire mereatur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Et ut hæc omnia cum Dei adjutorio possimus implere, adtentiùs de dandis eleemosynis cogitemus. Qualiter autem de sinistra transeatur ad dexteram, evidens & manifesta ratio demonstrat. Qui fuit ebriosus, sit sobrius; sit patiens qui fuerat iracundus; qui solebat res alienas rapere, incipiat etiam proprias pauperibus erogare; qui solebat maledicere, benedicat; qui solebat perjurare, etiam à juramento abstineat; qui consueverat detrahere, semper quod bonum est loqui studeat; qui fuerat invidus, pius esse contendat; qui erat superbus, E sit humilis. Et hoc ordine semper contrariis studeamus sanare contraria, & destructis vitiis, virtutes festinemus struere. Et hoc ordine qui sunt in sinistra, transire conentur ad dexteram, ut ante tribunal æterni Judicis quicumque talis esse voluerit, audire mereatur, Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. ª Ad quod vos Dominus perducere dignetur, cui est honor cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Ibidem 34.

Matth. 25. 21.

* SERMO XVIII.

** Aliàs de Tempore 86.*

De Moyse, I.

F *In Appendice nunc primùm collocatur. Jam antè dubius erat Lovaniensibus: Verlino & Vindingo suppositius. Sensus quosdam & nonnullas ab Origene voces accepit illius auctor, non alius, opinamur, nisi Cæsarius.*

CÆSARII Sermo XI.

1. IN lectione divina, Fratres carissimi, quæ nobis recitata est, audivimus, quòd postea quàm sanctus Moyses natus est, propter metum Pharaonis missus sit in fiscellam scirpeam, & projectus in carectum fluminis. Si diligenter adtendimus, Fratres carissimi, sicut beatum Isaac & Jacob & Joseph, ita Moysen typum Christi prætulisse cognoscimus. Denique considerate diligentiùs, & videbitis quanta in illo sint figurata mysteria. G Moyses à muliere Judæa nascitur, & à Pharaonis filia adoptatur. * Filia enim Pharaonis Ecclesiam figuravit, quæ exierat de domo patris sui, & veniebat ut lavaretur ad aquam. Pharao in diaboli typum accipitur: filia ejus, sicut dixi, Ecclesia intelligitur. Quòd autem pater ejus

Christus in Moyse figuratus.

** Sensus & verba quædam Origenis hom. 2. in Exod. Ecclesia in filia Pharaonis.*

ª In MSS. Sermonis conclusio ea est, *Deo autem nostro honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

diabolus antea fuerit, Dominus in Evangelio Judæos increpans ait, Vos, inquit, ex patre diabolo estis. Patrem ergo diabolum habuimus, non ex eo nascendo; sed nequitias illius imitando. Exierat ergo filia Pharaonis de domo patris sui, quæ quamvis impium habuerit patrem, attamen ei dicitur per Prophetam, Audi filia & vide, & obliviscere populum tuum & domum patris tui. Qui dicit, Audi filia, pater est. Et ille qui admonetur obliviscendus, pater nihilo minùs nominatur: ac sic Deus pater admonet, ut diabolum patrem debeat derelinquere. Hæc ergo est Ecclesia quæ exiit de domo patris sui diaboli, & ad aquam, id est, ad aquam baptismi festinavit, ut lavaretur à peccatis, quæ in domo patris sui contraxerat. Denique statim viscera misericordiæ accipere meruit, & collegit Moysen à parentibus suis projectum in flumine. Moyses ergo à matre sua projicitur, & à Pharaonis filia invenitur atque colligitur: & Christus Dominus à Synagoga, de qua natus est, repudiatur, & ab Ecclesia invenitur atque suscipitur.

Johan. 8. 44. *Psal. 44. 11.*

2. Postquam autem crevit Moyses, abiit in regionem longinquam, & accepit Æthiopissam uxorem. Agnoscite, Fratres, hoc non parvum esse mysterium. Æthiopissa illa ex Gentibus erat, quam beatus Moyses duxit uxorem; quia & Christus ex Gentibus sibi sociaturus erat Ecclesiam. Moyses dereliquit populum suum in longinquis regionibus, & Æthiopissæ conjungitur: & Christus derelicto populo Judæorum, de extremis regionibus Ecclesiæ sociatur; illi utique quæ dicit in Psalmis, A finibus terræ ad te clamavi. Audi ex persona Ecclesiæ, in Canticis canticorum ait Ecclesia, Nigra sum & formosa: Quid est, Nigra sum & formosa, nisi nigra per naturam, formosa per gratiam; nigra originali peccato, formosa baptismi sacramento?

Ecclesia rursus in Æthiopissa Moysi uxore. *Psal. 60. 3.* *Cant. 1. 4.*

3. Dum ergo pasceret Moyses oves soceri sui in deserto, apparuit ei Dominus in rubo, & dixit Moyses, *Vadam, & videbo quare rubus ardet, & non consumitur.* Et appropinquanti dixit Dominus, *Ne appropinques huc; sed solve corrigiam calceamenti tui; quia locus in quo stas, terra sancta est.* Rubus ille genus est spinarum. Ardebat enim, & non consumebatur. In rubo significata est Synagoga Judæorum. Multo enim tempore in eis fervor & flamma sancti Spiritus fuit: & tamen ita contra Dei gratiam rebelles semper Spiritui-sancto restiterunt, ut eorum peccata vel sacrilegia igne sancti Spiritus consumi non possent.

Exodi 3. 3. *Ibidem 5.* *In rubo Synagoga.*

4. Dixit autem Dominus ad Moysen, *Veni, & mittam te in Ægyptum.* Et respondens Moyses dixit, *Domine, non sum eruditus, & tardus sum ad loquendum.* Et ait illi Dominus, *Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ oportet te loqui.* [* Beati sunt quorum os Dominus aperit, ut loquantur.] Omnibus enim qui pro veritate, pro justitia, pro castitate, pro humilitate, pro misericordia loquuntur, sine ulla dubitatione os illorum non aperit nisi Dominus. Sicut è contrario qui de luxuria, de avaritia, de superbia, de rapinis, de scurrilitate vel nequitia assiduè loquuntur, quis illorum os aperiat, non opus est dicere: potest hoc unusquisque sine ulla difficultate cognoscere. Et ideo, Fratres carissimi, auxiliante Domino, bona jugiter cogitemus, ut os nostrum non crudelis adversarius, sed Deus pius aperiat. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Unusquisque nostrûm cujus præsentiam susceperit in corde, ipsius verba proferre consuevit ex ore. Nostrum autem cor aperiatur Christo, & claudatur diabolo; ut in nobis impleatur illud quod de Domino & populo sancto scriptum est, Et habitabo, inquit, in eis, & inambulabo. Et iterum, Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui semper quod justum est loquitur, & Deus in illo habitat, & ipse in Deo.

Ibidem. 10. *Exodi 4. 10.* ** Origenis verba hom. 2. in Exod.* *Verba bona ex Deo, mala ex diabolo.* *Luc. 6. 45.* *Levit. 26. 12.* *Johan. 14. 23.*

5. Dixit ergo Dominus ad Moysen, *Quid est*, inquit, *quod in manu gestas?* Et ille ait, *Virga. Projice*, inquit, *eam in terram. Quam cùm projecisset, versa est in serpentem, ita ut fugeret Moyses.* Virga illa, Fratres carissimi, crucis mysterium præferebat. Sicut enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur; ita & per crucem totus mundus humiliatur & vincitur: & sicut Pharao & populus ejus per virgæ sacramentum affligitur, ut ad serviendum Deo dimittat populum Judæorum; ita & diabolus & angeli ejus per crucis mysterium fatigantur & premuntur, ut à Dei servitio revocare non possint populum Christianum.

Exodi 4. 2. & 3. *Virga Moysi.*

6. Quòd autem misit Moyses manum suam in sinum suum, & protulit eam leprosam, & iterum misit, & protulit sanam, & carni reliquæ similem, non otiosè debemus accipere. In manu illa typus Synagogæ vel Ecclesiæ gerebatur. Sicut prior fuit populus Judæorum, posterior Gentium: ita antè fuit Synagoga quàm Ecclesia. Sed quia Ecclesia eligitur, & Synagoga repudiatur; ideo in primis manus Moysi leprosa efficitur, & postea carni reliquæ similis redditur: ac sic Synagoga propter infidelitatem leprosa relinquitur; Ecclesia quasi manus sana ad omne opus apta præeligitur.

Exodi 4. 6. & 7. *Manus Moysi.*

7. Levavit ergo Moyses Sephoram uxorem suam, & veniebat in Ægyptum: & adstitit Dominus contra eum, & volebat occidere eum. Forsitan in hoc loco possumus intelligere, quòd displicuerit Deo, quare Moyses tanta mirabilia facturus, uxoris impedimentum secum ducere vellet in Ægyptum. Unde datur intelligi, quòd ex illo loco remiserit uxorem suam ad socerum suum. Nam in tantum sine illa descendit in Ægyptum, ut postea jam in eremo constituto Moysi ipsam uxorem suam, sicut legimus, Jethro cognatus suus adduxerit.

Ibidem 20. *Ibidem 24.* *Moyses prohibetur uxorem ducere secum in Ægyptum.* *Exodi 18. 5.*

8. Quòd autem virga projecta in terram versa est in serpentem, quid significet videamus. Serpens pro sapientia reputatur; sicut Dominus in Evangelio, Estote, inquit, prudentes, sicut serpentes. Virgam crucem diximus figurasse. Crux ergo quæ infidelibus stultitia esse creditur, sicut dicit Apostolus, Gentibus stultitia, postea quàm in terram missa est, id est, ad passionem Domini præparata; versa est in serpentem, hoc est, in sapientiam: & in tantam sapientiam quæ omnem mundi istius sapientiam devoraret: denique omnes serpentes quos magi incantationibus suis fecerant, deglutivit. Per virgam ergo Ægyptus flagellatur; & per crucem mundus vincitur, & diabolus superatur. Oremus ergo, Fratres carissimi, ut & nobis Christus Dominus pro sua pietate concedat mundi hujus concupiscentiam vincere, & de diabolo & angelis ejus ante tribunal suum felicem victoriam reportare: cui honor est & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Serpens ex virga. *Matth. 10. 16.* *Juxta commentationem Origenis hom. 4. in Exod.* *1. Cor. 1. 23.*

SERMO XIX.

De Moyse, II.

Nunc primùm vulgatus ex veteri libro Theodericensi, in quo exstat sine auctoris nomine, cum homiliis Cæsarii Arelatensis, cujus etiam stilum referre nobis videtur. Huic comparari interest Sermonem, quem inter Augustinianos septimum, non sine ulla hæsitatione collocavimus.

1. MAGNA quidem sunt, Fratres carissimi, & velut quædam involuta mysteriorum Dei sacramenta: & quamvis omnia non possimus evolvere, breviter tamen quod possumus, Caritati Vestræ suggerimus. Non fuit sine caussa, Fratres carissimi, nec sine aliqua significatione secreti, quòd in rubo flamma erat; & rubus non cremabatur. Rubus enim spinarum genus est; nec in laude aliqua poni potest, quod peccatori homini terra produxit. Nam primitus peccanti homini dictum est, Terra spinas & tribulos germinabit tibi. Nam & quòd rubus non cremabatur, id est, flammâ non comprehendebatur, non aliquid boni significare cognoscitur. In flamma enim intelligitur Spiritus-sanctus: in rubo & spina significatur Judæorum populus, durus atque superbus. Flamma enim illa sine dubio boni aliquid significabat, in qua vel Angelus, vel Dominus apparebat. Denique quando venit Spiritus-sanctus super Apostolos, Visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis. Utinam & nos comprehendat ignis iste; ne nos duros inveniat, & concremare non possit. Oremus potiùs ut in nos ardeat ignis iste, & peccatorum nostrorum spinas perimat atque consumat.

CÆSARII Sermo XII. Confer August. Serm. 7. *Exodi 3.* *Gen. 3. 18.* *Flamma Spiritum sanctum, rubus Judæos designat.* *Act. 2. 3.*

2. Duo enim sunt ignes: est ignis caritatis de Spiritu-sancto, est & ignis cupiditatis: ille comburit omne quod malum est; iste consumit omne quod bonum est. In anima enim ubi ignis caritatis arserit, omne malum consumit: sicut è contrario in quo ignis cupiditatis accensus fuerit, nihil quod bonum est remanebit. Et ideo unusquisque currat ad conscientiam suam, & si in se

Ignes duo, caritatis & cupiditatis.

CLASSIS I.

sentit qualemcumque scintillam compunctionis accensam bonis operibus, gratiam in se misericordiæ divinæ custodiat, & ignem compunctionis accendat; illum ignem de quo Dominus dixit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Qui verò in se flammam cupiditatis ardere cognoverit, cum Dei adjutorio totis viribus elaboret exstinguere cupiditatem, accendere caritatem. Quidquid enim boni fecerit homo in quo cupiditas ardet, sine mora aliqua periturum est: sicut è contrario si aliquas negligentias admiserit in quo ignis fuerit caritatis, sine dilatione consumet, & dominari penitus non permittet. Populus enim Judæorum zeli vel cupiditatis incendio cremabatur: & ideo rubus ille significabat populum, qui Deo reluctabatur; Judæorum utique populum spinosum, de quo scriptum est, Exspectavi ut faceret uvas; fecit autem spinas. Ad ipsum enim populum Moyses mittebatur: & ideo rubus ardebat, & non cremabatur, quia duritia Judæorum, sicut dixi, Legi reluctabatur: nam si ille populus spinis non * sociaretur, non ab eo spinis Christus coronaretur.

Lucæ 12. 49. — *Isai. 5. 2.* — ** August. Serm. 7. n. 2. significaretur.*

3. Clamavit ergo Dominus ad Moysen, *Solve corrigiam calceamenti tui: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Hoc quod beato Moysi, etiam successori suo Josue, quando illi Dominus apparuit, legitur fuisse præceptum. Quando enim vidit virum contra se stantem evaginato gladio, dum quis esset inquireret, respondit ei, Ego sum princeps exercitus Domini; & nunc venio. Et subjungens ait, Solve corrigiam calceamenti tui: locus enim in quo stas, terra sancta est. Rogo vos, Fratres carissimi, ut secundùm sanctam consuedinem vestram adtentiùs adhibeatis audire quod ex hac re antiquorum Patrum revelatione cognovimus. Et quia res ad intelligendum difficilis est & obscura, patienter accipite: quia nobis necesse est aliqua frequenter repetere, quò faciliùs ea vestris possimus sensibus intimare.

Exodi 3. 5. — *Josue 5. 13. &c.*

4. Judæis ex Lege præceptum fuerat, ut si quis sine filiis de hac luce discederet, uxorem ejus germanus suus acciperet; & quanti ex eis filii nascerentur, defuncti fratris nomine censerentur, & non adscriberentur illius filii qui genuerat, sed illius cujus relictam acceperat. Ob quam rem plures ex populo nolentes filios suos alterius nomine appellari, non adquiescebant accipere relictas fratrum suorum: & quicumque se excusare voluisset, ducebatur in portam, & veniens fratris sui relicta excalceabat eum, & exspuebat illi in faciem, & appellabatur Domus discalceati; ac sic illi qui non futurus erat sponsus, solvebantur corrigiæ calceamenti ejus: qui enim adquievisset, omnino non solvebantur. Hoc ideo dixi, Fratres carissimi, ut si totum non possumus, conemur intelligere quæ caussa fuerit, ut Moysi & Josue diceret Dominus, *Solve corrigiam calceamenti tui: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Quare hoc dictum est eis, nisi quia non erant legitimi sponsi? Sponsus enim legitimus Ecclesiæ catholicæ alius esse non poterat nisi Christus, de quo dicit Apostolus, Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et de quo Psalmista multò antè prædixerat, Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Beatus quoque Johannes Baptista evidentissimè de eo locutus est, dicens, Qui habet sponsam, sponsus est. Hoc utique de Christo dixit: de se autem quid dixit? Amicus autem sponsi stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Et ut evidentiùs Christum Dominum esse legitimum sponsum ostenderet, ait, Hic est cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. Quare corrigiam calceamenti ejus non præsumebat solvere? Quia noverat eum legitimum esse sponsum Ecclesiæ. Moyses enim & Josue jubentur calceamenta solvere; quia figurabant sponsum, & sponsi ipsi non erant. Denique vide quid ad Moysen vel Josue dixerit Dominus, *Solve corrigiam calceamenti tui: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Numquid hoc, Fratres carissimi, secundùm litteram intelligi potest? Unde enim terra illa quam calcabant, poterat esse sancta, quæ sine dubio similis erat terræ reliquæ? Sed diligenter adtendite quid fuerit dictum, *Locus enim in quo stas, terra sancta est:* Hoc est dicere, Christus cujus figuram portas, & cujus typum habere videris, terra sancta est. Verè terra sancta est caro Domini nostri Jesu Christi; per quem sanctificata sunt omnia cælestia atque terrestria, de quo dicit Apostolus, Pacificans per sanguinem suum quæ in cælis sunt & in terra.

Deut. 25. 5. &c. — *Cur Moyses & Josue jubentur corrigiam calcei solvere.* — *2. Cor. 11. 2.* — *Psal. 18. 6.* — *Johan. 3. 29.* — *Ibidem.* — *Johan. 1. 27.* — *Quid per terram sanctam significetur.* — *Serm. de Scripturis.* — *Coloss. 1. 20.*

5. Ideo ergo, Fratres carissimi, sicut suprà dixi, qui noluisset uxorem defuncti fratris sui accipere, discalceabatur, & exspuebatur in faciem; qui verò adquievisset relictam defuncti fratris accipere, filii qui nascebantur, non illius qui generabat, sed illius qui defunctus erat, nomine appellabantur: quam rem in Apostolis videmus esse impletam. Nam defuncto fratre, id est, mortuo Christo, qui dixerat, Ite, nuntiate fratribus meis, uxorem ejus, id est, Ecclesiam Apostoli susceperunt. Sic enim Apostolus Paulus dicit, In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Et tamen quicumque per doctrinam Apostolorum de Ecclesia nati sunt, nec Petriani, nec Pauliani, sed Christiani sunt appellati: ut figura illa compleretur quæ de uxore defuncti fratris fuerat in Lege præmissa. Infelices verò hæretici non ita fecerunt; sed quasi crudelissimi pervasores, rapientes uxorem defuncti fratris sui, & per partes lacerantes & scindentes Ecclesiam, omnes qui per sacramentum baptismi generantur, impudentissima fronte non Christi, sed suo nomine appellari populos voluerunt. Denique in Ecclesia catholica defuncti, id est, Christi nomine omnes qui nati fuerint, appellantur Christiani. In hæreticis verò alii Donatistæ, alii Manichæi, alii Ariani, alii * Fortiani dicuntur. Sed quia duces hæreticorum sponsi legitimi non fuerunt, non Christi, sed suum nomen populis imposuerunt.

Apostoli fratres Christi, uxorem defuncti acceperunt. — *Matth. 28. 10.* — *1. Cor. 4. 15.* — *V. August. lib. 12. cont. Faust. c. 10.* — ** Fotiniani seu Photiniani.*

6. Et ideo rogo, Fratres, ut mihi indulgeat sancta Caritas Vestra, quia dum ex eo quod Moysi dictum est, *Solve corrigiam calceamenti tui*, qualemcumque vobis intelligentiam insinuare conatus sum, productiori vos fortè sermone quàm debui, videor fatigasse: & licèt non sit quod in hoc sermone placere possit, vel votum ac desiderium nostrum Caritati Vestræ credo quòd displicere non debeat, qui expositionem tantæ rei, etsi ut dignum est, expedire non potui: contendo tamen velut lineas quasdam & * qualiacumque indicula vestris sanctis sensibus intimare, quæ vos adtentiùs perscrutantes etiam meliùs quàm nos suggerimus, Christo inspirante meditari possitis.

** Loquendi formula Cæsario familiaris.*

* SERMO XX

** Alias de Tempore 87.*

De decem plagis Ægyptiorum.

In Appendice nunc primùm collocatur. Totus, exceptâ recapitulatione, descriptus est ex Origenis homilia in Exodum quarta, perpaucis mutatis. Indidem quædam in Comment. Psal. 77. & 104. apud Hieronymum.

1. Moyses ad Ægyptum veniens, Fratres carissimi, defert & virgam, qua castigat & verberat Ægyptum decem plagis. Moyses Lex intelligitur, quæ data est huic mundo, ut eum decem plagis, id est decem mandatis quæ in Decalogo continentur, corripiat & emendet. Quòd autem Lex Moyses intelligi possit, Dominus in Evangelio dixit, Habent Moysen & Prophetas, id est, Legem & Prophetas. Virga verò per quam Ægyptus subjicitur & Pharao superatur, crucis Christi imaginem præferebat, per quam mundus hic vincitur, & princeps hujus mundi cum principatibus & potestatibus triumphatur. Quòd autem virga projecta fit draco vel serpens, & devorat Ægyptiorum serpentes; serpens pro sapientia ponitur, sicut scriptum est, Estote prudentes, sicut serpentes. Idcirco virga Moysi, id est, crux Christi, postea quàm ad terras descendit, id est, postea quàm ad credulitatem & fidem hominum venit, conversa est in sapientiam; & tantam sapientiam quæ omnem Ægyptiorum, id est, hujus mundi sapientiam devoraret.

Exodi 4. — *Moyses Lex intelligitur.* — *Lucæ 16. 29.* — *Virga crux Christi.* — *Exodi 7. 10.* — *Matth. 10. 16.*

2. Quòd verò aquæ fluminis vertuntur in sanguinem, satis convenienter aptatur, ut fluvius cui Hebræorum parvulos crudeli nece tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculaverant, potando sentirent. Secundâ verò plagâ in qua inducuntur ranæ, indicari figuraliter arbitror carmina poëtarum, qui inani quadam & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus, mundo huic deceptionis fabulas intulerunt.

Plagæ Ægyptiorum. Exodi 7. 20. Sanguis. — *Ranæ. Exodi 8. 6.*

lerunt. Ad nihil enim animal illud utile est, nisi quòd sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit. Post hoc sciniphes producuntur. Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans; sed adeo subtile est & minutum, ut oculi visum, nisi acutè cernentis, eludat: corpus tamen cui insederit, acerbissimo terebrat stimulo; ita ut quem volantem videre quis non valet, sentiat stimulantem. Hoc ergo animalis genus dignissimè puto arti philosophiæ vel hæreticorum calliditati comparari, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumvenit, ut deceptus quisque nec videat, nec intelligat unde deceptus sit. Quarto quoque in loco cynomyia, id B est, musca canina inducitur, quæ Cynicorum sectæ meritò comparatur, qui ad reliquas deceptionis suæ improbitates, etiam voluptatem & libidinem summum prædicant bonum. Quoniam igitur per hæc singula priùs deceptus est mundus, adveniens sermo & Lex Dei hujuscemodi eum correptionibus arguit, ut ex qualitate pœnarum qualitates proprii agnoscat erroris. Quinto in loco animalium nece vel pecudum Ægyptus verberatur. Vecordia in hoc arguitur stultitiaque mortalium, qui tamquam irrationabilia pecora cultum & vocabulum Dei imposuerunt figuris non solùm hominum, sed & pecorum. Unde justo C judicio factum est, ut in quibus cultum credebant inesse divinum, in his viderent miseranda supplicia. Ulcera post hæc & vesicæ cum fervore, sexto in verbere producuntur: & videtur mihi, quòd in ulceribus arguatur dolosa & [a] prurulenta malitia, in vesicis tumens & inflata superbia, in fervore, iræ ac furoris insania. Huc usque per errorum suorum figuras mundo supplicia temperantur. Post hæc verò verbera veniunt de supernis voces & tonitrua, & grando, & ignis discurrens in grandine. Videte temperamentum divinæ correptionis. Non cum silentio verberat; sed dat voces, & doctrinam cælitus mittit, per quam possit culpam D suam mundus castigatus agnoscere: dat & grandinem, per quam tenera adhuc vastentur nascentia vitiorum: dat & ignem, sciens esse spinas & tribulos peccatorum, quos debeat ignis ille depascere, de quo dicit Dominus, Ignem veni mittere in terram. Per hunc enim incentiva voluptatis & libidinis consumuntur. Quòd autem locustarum octavo in loco fit mentio, puto per hoc genus plagæ [b] aut detrahentis, aut semper à se discordantis humani generis inconstantiam designari. Locusta enim cùm regem non habeat, sicut Scriptura dicit, una acie ordinatum ducit exercitum; homines verò cùm rationabiles à Deo facti sint, neque semetipsos ordi- E natè regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Nona plaga tenebræ sunt: sive ut mentis eorum cæcitas arguatur, sive ut intelligant divinæ dispensationis & providentiæ obscurissimas esse rationes. Posuit enim Deus, sicut Psalmista dicit, tenebras latibulum suum: quas superbi audacter & temerè perscrutari cupientes, & alia ex aliis asserentes, in crassas & palpabiles errorum devoluti sunt tenebras. Ad ultimum, primogenitorum infertur interitus. Primogenita Ægyptiorum non incongruè principatus & potestates mundi hujus, id est, diabolus & angeli ejus intelliguntur, quos in adventu suo Christus [c] destruxisse F dicitur, id est, captivos duxisse, & triumphasse in ligno crucis suæ. Possumus primogenita Ægyptiorum accipere etiam omnes auctores, & inventores falsarum quæ in hoc mundo sunt religionum, quas Christi veritas cum suis exstinguit auctoribus.

Cynomyia. Ibidem 14.
Exodi 9. 6. Mors animalium.
Ulcera & vesicæ. Ibidem 10. a
Tonitrua. Ibidem 23.
Lucæ 12. 49.
Locustæ. Exodi 10. 13. b
Prov. 30. 27.
Tenebræ. Ibidem 21.
Psal. 17. 12.
Mors primogenitorum.
Exodi 12. 29. c

3. Et ut hæc quæ dicta sunt, tenaciùs vestræ memoriæ inhæreant, & ea velut munda animalia in ore cordis revolvere, & spiritaliter ruminare possitis, breviter recapitulationem facimus. Quòd enim in prima plaga aquæ convertuntur in sanguinem, significantur doctrinæ philosophorum, quæ parvulos sensu decipiunt. Quòd verò in secunda plaga multitudo ranarum, intelliguntur in G eis carmina poëtarum, quæ nullis umquam prodesse potuerunt. In tertia plaga sciniphes, id est, muscæ minutissimæ producuntur, gravissimo stimulo corpora compungentes: & in eis philosophiæ artis astutia, & infelicium hæreticorum venena vel commenta subtilissima A designantur. Quarta plaga musca canina inducitur, & Cynicorum doctrinæ meritò comparatur, qui inter reliqua mala libidinem summum prædicant bonum. Quinto loco animalia occiduntur: & significatur in hoc vecordia vel stultitia hominum. Sexto loco ulcera, pustulæ & vesicæ cum fervore mittuntur. In ulceribus arguitur dolosa & prurulenta malitia; in vesicis, tumens & inflata superbia; in fervore, iræ ac furoris insania. Postea verò septimo loco tonitrua & voces de cælo mittuntur, simul & grando vel ignis. In vocibus & tonitruis agnoscitur doctrina cælestis, in grandine disciplina quam accipiunt peccatores, in igne gra- B tia sancti Spiritûs, per quam libidinum voluptates & peccatorum tribuli consumuntur. Octava plaga locustæ introducuntur, animal dente noxium: & significatur in eis superbia hominum malignorum, qui se invicem falsis testimoniis & proditionibus persequuntur. De quibus Apostolus dicit, Si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Nona plaga tenebræ inducuntur, per quas cæcitas mentis vel cordis arguitur. Decima plaga primogenita percutiuntur, in quibus aut spiritales nequitiæ, aut originalia peccata intelligi possunt, quæ veniente Christo per mysterium crucis & gratiam baptismi deleri vel exstingui ma- C nifestissimè comprobantur. Hæc ergo, Fratres carissimi, quæ illo tempore per figuras & imagines legimus facta, gaudeamus, & gratias Deo agamus, quia in nobis per ejus misericordiam & sentimus & videmus esse completa: regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Recapitulatio supra dictorum.
Serm. de Scripturis.
Galat. 5. 15.

* SERMO XXI.

** Aliàs de Tempore 95.*

De decem plagis & decem præceptis.

D *In hujus Tomi Appendice nunc primùm collocatur. Fuit olim in Amerbachiana & Erasmiana editione duobus locis repræsentatus, scilicet inter Sermones de Tempore, ac præterea inter populares quosdam tractatus, quos Erasmus in fine Tomi noni disposuit: quo loco inscribebatur,* De convenientia decem præceptorum & decem plagarum. *In MSS. verò titulum habet,* De coaptatione decem præceptorum *&c. Continet magna ex parte fragmentum Sermonis inter Augustinianos octavi de decem plagis, sub diversa præfatione, quæ quidem in Regio & Sorbonico MS. aliquantò auctior incipit ab his verbis:* Quia Sermo qui nobis recitatus (*fortè* recitandus) est, pro necessitate expositionis modicùm prolixior esse videtur, ideo Psalmos citiùs facimus consummari, ut non Caritas Vestra diutiùs stando fatigetur, & pauperes homines ad opera sua consuetudinaria revertantur. Non est sine caussa, Fratres dilectissimi *&c.*

E 1. NON est sine caussa, Fratres dilectissimi, quòd præceptorum Legis Dei numerus cum plagarum numero, quibus Ægyptus percutitur, exæquari videtur. Nam sicut decem præcepta sunt Legis, quibus ad cultum Dei populus admonetur: ita decem plagæ leguntur, quibus superbia Ægyptiorum affligitur. Consideremus ergo, cur & ibi decem præcepta, & hîc decem plagæ memorentur. Ideo sine dubio, quia & in illis erant vulnera, & in istis medicamenta; & opus erat ut tam periculosis decem plagarum vulneribus, decem præceptorum medicamina subvenirent. Unde rogo vos, Fratres, nolite hoc otiosè accipere; quia si auxiliante Deo dili- F genter adtenderitis, poteritis agnoscere decem illa præcepta illis decem plagis per ordinem contra se esse contraria. Nam de primo præcepto prima plaga percutitur, de secundo secunda, de tertio tertia, & sic usque ad decimum numerum pervenitur.

In plagis vulnera, in præceptis medicamenta.

2. Primum præceptum est in Lege de uno Deo. *Non erunt, inquit, tibi alii dii præter me.* Prima plaga Ægyptiorum, aqua in sanguinem conversa. Compara primum pæceptum primæ plagæ. Deum unum ex quo sunt omnia, in similitudinem aquæ accipe, ex qua generantur universa. Ad quam autem rem pertinet sanguis, nisi ad carnem mortalem? Quid est igitur conversio G aquæ in sanguinem, [d] nisi quia illi, qui credere in Deum noluerunt, sicut dicit apostolus Paulus, Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt? Aqua ergo in sanguinem vertitur; quia sensus Ægyptiorum obscurus & tenebrosus efficitur. Et justo Dei judicio factum est, ut de illo fluvio sanguinem

Exodi 20. 3.
Exodi 7. 20.
d Rom. 1. 21. &c.

[a] Sic Am. At Er. & Lov. *purulenta.* Apud Origenem, *fraudulenta.*
[b] Ita hîc editi. At in Origenis homilia, *diffidentis semper à se & discordantis.*
[c] Origenes, *traduxisse:*
[d] In MSS. plerisque, *nisi illi qui credere Deum noluerunt.*

Classis I.

biberent, in quo Hebræorum parvulos necare consueverant.

Exodi. 20. 7.

3. Secundum præceptum est, *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Qui enim accipiet nomen Dei sui in vanum, non mundabitur. Nomen Domini Jesu Christi veritas est. Ipse enim dicit, Ego sum veritas. Et quia veritas mundat, vanitas inquinat; videamus huic secundo præcepto contrariam plagam. Quæ est ista secunda plaga? Ranarum abundantia. In ranis hæretici intelliguntur atque philosophi. Habes congruenter significatam philosophorum vel hæreticorum vanitatem, si consideres ranarum loquacitatem. Philosophi enim vel hæretici, quia in Christo omnia falsa esse dicunt, ranæ sunt clamantes in paludibus limosis: superbiam enim, inanes contentiones, & strepitum vocis habere possunt; doctrinam sapientiæ insinuare non possunt. Qui enim christianæ veritati contradicunt, & in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt tædium afferentes auribus, non cibum mentibus.

Johan. 14. 6. — *Exodi 8. 6.* — Ranæ, philosophi vel hæretici.

Exodi 20. 8. — Sabbatum spiritale.

4. Tertium præceptum est, *Memento*, inquit, *diem Sabbati sanctificare.* In tertio isto præcepto insinuatur quædam vacationis indictio, scilicet requies cordis, tranquillitas mentis, quam facit bona conscientia. Ibi enim est sanctificatio, quia ibi est Spiritus Dei. Denique videte vacationem, hoc est, quietem. Super quem, inquit Dominus, requiescam, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea? Inquieti ergo resiliunt à Spiritu-sancto, rixarum amatores, calumniarum seminatores, contentionis magis quàm caritatis amatores, inquietudine sua non admittunt ad se quietem sabbati spiritalis. Spiritale enim sabbatum non observant, nisi illi qui se ita temperatè operibus terrenis accommodant, ut tamen lectioni & orationi, etsi non semper, certè vel frequenter insistant, secundùm illud Apostoli, Attende lectioni & doctrinæ: & iterum, Sine intermissione orate. Qui enim tales sunt, quotidiè spiritaliter sabbatum colunt. Qui verò inquieti sunt, & jugiter terrenis actibus implicantur, de quibus scriptum est, Impedimenta mundi fecerunt eos miseros; sabbatum, id est, requiem habere non possunt. Contra istorum inquietudinem dicitur, ut tamquam sabbatum habeant in corde & sanctificationem Spiritûs Dei. Esto, inquit, mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas. Cessa ab inquietudine tua, non sit tumultus quidem in corde tuo per corruptionem volantis phantasmatis ad similitudinem muscarum inquietantis, vel compungentis te. Deum intellecturus es dicentem tibi, Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Tu per inquietudinem vacare non vis, contentionumque tuarum corruptione cæcatus exigis videre quod non potes? Attendite tertiam plagam huic tertio præcepto contrariam. Sciniphes natæ sunt in terra Ægypti de limo, muscæ minutissimæ, inquietissimæ, inordinatè volantes, in oculos irruentes, non permittentes homines quiescere, dum abiguntur, & irruunt, dum expulsæ iterum redeunt. Quales sunt istæ muscæ, tales sunt homines inquieti, qui sabbatum spiritaliter observare, id est, bonis operibus studere, & lectioni vel orationi insistere nolunt. Talia sine dubio sunt phantasmata cordis contentiosorum: & quo modo corpus humanum ab istis muscis affligitur; ita cor istorum diversis cogitationibus inquietatur atque compungitur. Tenete præceptum, cavete plagam.

Isai. 66. 2. — *1. Tim. 4. 13.* — *1. Thess. 5. 16.* — *Eccli. 5. 13.* — *Psal. 45. 11.* — Sciniphes, inquieti & turbulenti. — *Exodi 8. 24.*

Exodi 20. 12. — Cynomyia, parentum contemtor. — *Exodi 8. 24.*

5. Sequitur quartum præceptum, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Huic contraria est quarta plaga Ægyptiorum κυνομυῖα, id est, musca canina. Græcum enim vocabulum est. Qui enim parentes honorare dissimulat, musca eum canina, id est, nequitia diaboli, spiritaliter affligit & cruciat: caninum est enim parentes non cognoscere: nihil tam caninum, quàm cùm illi qui genuerunt, non agnoscuntur.

Exodi 20. 14. — *Exodi 9. 6.* — Mœchus mutatur in pecus.

6. Quintum præceptum est, *Non mœchaberis.* Quinta plaga, mors in pecora. Omnis enim qui aut uxore propria intemperatè, excepto desiderio filiorum, utitur; aut certè, quod est crimen gravissimum, qui uxori aut filiæ alienæ, aut ancillæ vel suæ vel alterius insidiatur, victus cupiditate bestiarum, tamquam amisso homine erit pecus; non quasi conversus in naturam pecoris, sed in forma hominis similitudinem pecoris habens, qui non vult audire Deum dicentem, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et illud, Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed si pecus esse non times, vel mori sicut pecus time.

Serm. de Scripturis. — *Psal. 31. 9.* — *Psal. 48. 13.*

Exodi 20. 13. — *Exodi 9. 10.* — Ardor bonus & ardor malus.

7. Sextum præceptum, *Non occides.* Sexta plaga, pustulæ in corpore, & vesicæ bullientes & scaturientes incendia ulcerum de favilla fornacis. Tales sunt animæ homicidales: ardent ira; quia per iram homicidii fraternitas perit. Ardent homines iracundiâ, ardent & gratiâ. Nam & qui vult subvenire, fervet, & qui vult occidere fervet; ille præcepto, iste morbo; ille bonis operibus, iste saniosis ulceribus. O si possemus videre animas homicidarum, sine dubio plus plangeremus quàm putrescentia corpora ulceratorum.

Exodi 20. 15. — *Exodi 9. 25.* — Lucrum injustum.

8. Sequitur præceptum septimum, *Non furaberis*: & plaga septima, grando in fructibus. Quod per furtum contra Dei præceptum subducis, de cælo perdis. Nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno. Verbi gratiâ, qui furatur, adquirit vestem, sed cælesti judicio perdit fidem: ubi lucrum, ibi damnum; visibiliter lucrum, invisibiliter damnum; lucrum sua cæcitate, damnum [a] de Domini nube. Ergo qui suo malo desiderio forinsecùs furantur, justo judicio Dei intrinsecùs grandinantur. O si possent fures aut raptores adspicere agrum cordis sui, profectò lugerent & plangerent, dum ibi non invenirent quod in os animæ mitterent; etiamsi in furto suo invenirent, quod gutturis aviditate sorberent. Major est fames animæ quàm corporis, major fames, periculosior plaga, & gravior mors. Quod pejus est, multi per istam famem animæ mortui ambulant, & viventes portant funera sua. Vivere quidem videntur in corpore; sed malis actibus mortui probantur in anima. Et multi in anima famelici, de vanis deliciis gloriantur. Denique bonum Christianum Scriptura intus esse divitem dicit. Absconditus, inquit, cordis vestri homo, qui est ante Deum dives, non ante homines, sed ante Deum, ubi Deus videt. Quid ergo tibi prodest, si ubi homo non videt, furaris; & ubi Deus videt, justo judicio grandinaris?

Fames animæ & corporis. — *1. Petri 3. 4.*

Locusta, detractor. — *Galat. 5. 15.*

9. Octavum præceptum est, *Falsum testimonium non dices.* Octava plaga, locusta animal dente noxium. Quid autem vult falsus testis, nisi nocere mordendo, & consumere mentiendo? Et ideo nos admonet Apostolus, ne nos falsis criminibus appetamus: Si, inquit, mordetis & comeditis invicem, videte ne ab invicem consumamini.

Exodi 20. 17. — *Exodi 10. 22.* — Actus matrimonii quando non sine peccato.

10. Nonum præceptum est, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Nona plaga, densæ tenebræ. Si enim peccatum est uxorem propriam, exceptâ caussâ filiorum, agnoscere; quale putas peccatum est, non solùm in sua peccare, sed & alienam appetere? Verè densæ sunt tenebræ: nihil enim sic dolet in corde patientis, quo modo si uxor illius appetatur; & qui hoc facit alteri, nihil est quod sic velit pati. Alia mala solent homines patienter excipere; hoc autem nescio utrùm umquam inveniri potuerit, qui tolerabiliter ferret. O quàm densas tenebras patiuntur qui talia faciunt & talia concupiscunt! Verè excæcantur furore horribili: furor enim indomitus est, alienam uxorem commaculare velle atque polluere.

Adulteri furore excæcantur.

Exodi 20. 17. — *Exodi 12. 29.* — Hereditatem ambientes alienam.

11. Decimum præceptum est, *Non concupisces ullam rem proximi tui.* Huic mandato plaga contraria est decima, mors primogenitorum. Omnes res quas habent homines, heredibus servant; & in heredibus nihil primogenitis carius. Qui volunt res alienas tamquam justè possidere, heredes se quærunt fieri à morientibus: quid enim tam justum videtur, quàm rem sibi derelictam possidere? Dicit enim aliquis, Dimissum est mihi: testamentum lego. Nihil videtur justius ista voce. Tu laudas quasi jure possidentem, Deus damnat injustè concupiscentem. Vide qualis es, qui optas te ab aliquo heredem fieri: non ergo vis ut habeat suos heredes, in quibus nihil est carius primogenitis? Proinde in primogenitis tuis punieris, qui concupiscendo res alienas, id est, quæ tibi jure non debentur, quasi juris umbrâ perquiris. Perdis ergo primogenita tua. Sed facile est qui-

[a] Ita plerique MSS. cum Augustino. At Sorbon. *de Domini visione.* Carcassonensis autem, *de Domini æquitate.* Editi verò, *quia jam vivit sine æquitate.*

CLASSIS I.

dem, Fratres, corporaliter perdere primogenitos; mortales enim ſunt homines, ſive ante parentes ſive poſt parentes morituri moriantur: iſtud moleſtum eſt, ne per hanc occultam & injuſtam concupiſcentiam primogenita cordis tui perdas. Primogenita cordis noſtri fides eſt; nemo enim bene operatur niſi fides præceſſerit. Omnia opera tua bona filii tui ſunt ſpiritales; ſed inter iſtos tibi primogenita fides eſt. Quiſquis rem alienam occultè concupiſcit, internam fidem perdit. Erit enim primùm ſine dubio ſimulator obſequens non caritate, ſed fraude, veluti amans eum à quo ſe cupit fieri heredem. Amare ſe dicit eum quem mori deſiderat, & ut rerum ejus ſe videat poſſeſſorem, optat ut proprium non relinquat heredem.

Primogenita cordis fides.

12. Hæc, Fratres, comparatio, & quodam modo contrarietas decem præceptorum & decem plagarum cautos nos faciat, ut habeamus ſecuri res noſtras in præceptis Dei: res, inquam, noſtras interiores, & in arca conſcientiæ noſtræ repoſitas. Ipſi ſunt theſauri noſtri, quos nobis nec fur, nec latro, nec vicinus malus poterit aliquando auferre, ubi nec tinea nec rubigo eſt metuenda. Iſtæ ſunt enim veræ divitiæ, id eſt, bona conſcientia, juſtitia, miſericordia, caſtitas atque ſobrietas. Qui talibus rebus plenus eſt, dives erit, etiam ſi de naufragio nudus exierit. Sed hæc ſi diligenter adtenditis, & quæ ſunt mala fugere, & quæ bona ſunt, volueritis auxiliante Deo exercere, eritis populus Domini, & de iniqua Ægyptiorum ſocietate, id eſt, ſpiritalium nequitiarum perſecutione liberati, ad terram repromiſſionis poteritis feliciter pervenire: præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

* Aliàs de Tempore 88.

* SERMO XXII.

De eo quod ſcriptum eſt (Exodi 9. 12.) Induravit Dominus cor Pharaonis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovanienſibus, ſuppoſititius Verlino & Vindingo fuit. Eſt ex iis quos probamus Cæſarii, tertius-decimus.

CÆSARII Sermo XIII. Exodi 9. 12.

1. QUOTIENS lectio illa recitatur, Fratres cariſſimi, in qua frequenter audimus cor Pharaonis Dominum induraſſe, non ſolùm laicis, ſed etiam aliquibus clericis ſolet ſcandalum generare. Dicunt enim aliqui inter ſe, Cur iniquitas illa Pharaoni imputatur, cùm Dominus cor illius induraſſe referatur? Et quia de hac re immundiſſimi Manichæi ſacrilego furore Scripturam veteris Teſtamenti reprehendere ſolent; rogo vos, Fratres, diligenter adtendite, quia etſi non quantum debemus, certè vel quantum poſſumus, breviter volumus Caritati Veſtræ ſuggerere, qualiter obdurationem illam debeatis accipere.

2. Primò hoc fideliter & firmiter credat Dilectio Veſtra, quia numquam Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur. Cùm enim ſemel & ſecundò & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit; exſpectat tamen illum Deus, ſicut per Prophetam dicit, ut convertatur & vivat. Cùm verò in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorum naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in primis deſpiciunt peccata ſua, quia parva ſunt; creſcentibus minutis peccatis adducunt etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt. Quod cùm factum fuerit, impletur hoc quod ſcriptum eſt, Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. De talibus Apoſtolus dicit, Ignoras quòd patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam cordis tui & cor impænitens, theſaurizas tibi iram in die iræ. Et de tali obduratione etiam alibi legimus, Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadit præceps. Et iterum de corrigendo filio Scriptura dicit, Tunde latera filii tui, dum infans eſt; ne induret, & non conſentiat tibi. Iſta enim teſtimonia Scripturarum ideo Caritati Veſtræ inſinuare volumus, ut intelligatis, quia obduratio non Dei potentiâ compellente perficitur, ſed Dei remiſſione vel indulgentiâ generatur: ac ſic Pharaonem non divina potentia, ſed divina patientia credenda eſt obduraſſe. Denique quotienſcumque eum Dei plaga percuſſit, afflictus pænituit. At ubi ei remiſſionem divina indulgentia dedit, iterum ſe in ſuperbiam elatus erexit. Hoc ergo definitiſſimè credite, Fratres, & hoc intelligite, quia quotiens Dominus dicit, *Ego indurabo cor Pharaonis*; non aliud intelligi voluit, niſi, Ego ſuſpendam plagas meas [a] & flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permittam.

Ezech. 33. 11.

Obduratio cordis ex deſperatione.

Prov. 18. 3.

Rom. 2. 4.

Eccli. 30. 8.

Ibidem 12.

Indurat Deus per patientiam, non per potentiam.

3. Sed fortè aliquis dicat, quare illum Deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella removerit. Hoc loco ſecurus ego reſpondeo, Ideo Deus totiens flagella removit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum ſuorum, non tamquam filius ad emendationem meruit corripi, ſed tamquam hoſtis permiſſus eſt indurari. Tantæ enim illius iniquitates præceſſerant, & Deum totiens ſacrilego auſu contemſerat, ut in illo impleretur quod de talibus Spiritus-ſanctus dixit, In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua: prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Ecce qualiter obduratur, qui ad correctionem caſtigari à Domino non meretur. De illis autem quos indurari Dei miſericordia non permittit, quid ſcriptum eſt? Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et iterum, Ego quos amo, arguo & caſtigo. Et iterum, Quem enim diligit Dominus, corripit. De hac obduratione etiam Propheta ex perſona populi ad Dominum clamat, dicens, Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te. Quod utique non eſt aliud, niſi, Deſeruiſti cor noſtrum, ne converteremur ad te. Quam rem multis præcedentibus ſacrilegiis in populo Judæorum impletam eſſe cognovimus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Pſal. 72. 5.

Hebr. 12. 6.

Apoc. 3. 19.

Prov. 3. 12.

Iſai. 63. 17.

4. Nemo ergo cum Paganis aut Manichæis Dei juſtitiam reprehendere aut culpare præſumat: ſed certiſſimè credat, quòd Pharaonem non Dei violentia, ſed propria iniquitas & indomabilis ſuperbia contra Dei præcepta totiens fecerit obdurari. Quid eſt autem quod dixit Deus, *Ego indurabo cor ejus*; niſi cùm ab illo ablata fuerit gratia mea, obdurabit illum nequitia ſua? Et ut hoc evidentiùs poſſit agnoſci, aliquam ſimilitudinem de rebus viſibilibus Caritati Veſtræ proponimus. Sicut enim quotiens nimio frigore aqua conſtringitur, ſolis calore ſuperveniente reſolvitur, & diſcedente eodem ſole iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigeſcit caritas multorum, & velut glacies obdurantur; & cùm eis iterum calor divinæ miſericordiæ ſupervenerit, reſolvuntur; ille utique calor de quo ſcriptum eſt, Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. Quod etiam erga Pharaonem impletum eſſe cognoſcimus, à quo quotiens flagella remota ſunt, contra Deum ſe obduratus erexit: quotiens verò afflictus eſt, humiliter ſupplicavit.

Induratio ex gratiæ ablatione ſequitur.

Pſal. 18. 7.

5. Quare autem Dominus noſter non omnes ita miſericorditer flagellat, ut nullum contra ſe obdurari permittat? Aut illorum iniquitati qui obdurari merentur, adſcribendum eſt, aut ad inſcrutabilia Dei judicia referendum, * quæ plerumque ſunt occulta, numquam tamen injuſta. Nobis ergo ſufficiat piè & humiliter credere illud quod Apoſtolus dixit, Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Et illud quod in Cantico conſuevimus pſallere, Deus fidelis, in quo non eſt iniquitas. Unde, ſicut jam ſuperiùs ſuggeſſi de Pharaone, hoc ſine aliqua dubitatione credamus, quòd eum non tam Dei potentia quàm Dei patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam ipſo confitente evidenter agnoſcimus. Sic enim ipſe cùm caſtigaretur, juſtitiâ compellente profeſſus eſt: Dominus juſtus, ego autem & populus meus impii. Qua ergo conſcientiâ Chriſtianus Deum injuſtum eſſe conqueritur, quem juſtum etiam rex impius confitetur? Nam in tantum non eum Deus irrevocabiliter obduravit, ut poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimitteret, ſed etiam exire compelleret. Quod enim decem plagis percuſſus feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur. Quam rem etiam circa vernaculos noſtros exercere conſuevimus, quos nimis delicatè aut ſatis remiſsè nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus. Cùm enim pejores de ipſa remiſſione redduntur, ſolemus eis exprobrantes dicere, Ego te talem feci, ego

Cur Deus non omnes miſericorditer flagellet.

* Cæſarius hom. 14. inter editas à Baluzio.

Rom. 9. 14.

Deut. 32. 4.

Exodi 9. 27.

Qua ratione dicatur Deus indurare.

[a] Carcaſſonenſis MS. *& flagella removendo, cum &c.* Regius verò, Sorbon. & Fulienſ. *ne flagellem, unde eum &c.*

CLASSIS I.

tibi parcendo proterviam tuam [a] negligentiamque nutrivi. Et hæc non ideo dicimus, quòd ex voluntate nostra in tantam sint superbiam devoluti; sed quia magis de bonitate vel indulgentia nostra fuerint obdurati. Ita & Deus de Pharaone fecisse dignoscitur: dum ab illo ineffabili benignitate plagas suspendit, ille obdurato corde contra Deum superbus erigitur.

6. Ego vobis, Fratres carissimi, hæc suggerendo quasi * indicula quædam directa & obscura insinuare curavi: vos verò si pio & fideli animo, sicut consuevistis, Scripturæ divinæ sacramenta respicitis, Domino donante, pleniùs quid rei veritas habeat, cognoscetis. Nos verò, Fratres carissimi, qui in veritate agnoscimus, quòd ex multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione obduratio generatur, secundùm illud quod suprà dictum est, Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit: quotiens nobis aliqua peccata subrepserint, sine ulla mora medicamentum eleemosynæ vel pænitentiæ festinemus animarum nostrarum vulneribus providere. Utiliter enim malagma calidis adhuc vulneribus apponitur, & citò ad sanitatem vulnus reducitur, quod putrescere longa abusione non sinitur. Et ideo quotienscumque delinquimus, peccata nostra judices nos sentiant, non patronos; accusatores suos, & non defensores esse cognoscant; secundùm illud quod scriptum est, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tu agnosce, & Deus ignoscit. Nam quo pacto Deus dignetur ignoscere, quod in se homo dedignatur agnoscere? Quomodo enim si aliqua plaga aut aliquod vulnus in corpore nostro supervenerit, sine aliqua mora medicum requirimus, & medicamenta apponere festinamus: ita & in animæ vulneribus exercere debemus; ne fortè si plus de corporis quàm de animæ salute solliciti sumus, injusto judicio ancillam dominæ præferentes, increpationem Propheticam mereamur excipere: Homo, inquit, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc enim nobis expedit, ut plus de animæ quàm de corporis incolumitate cogitemus, & imaginem Dei ita in nobis studeamus excolere, ut ante tribunal æterni Judicis sine confusione venire possimus: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cæsarii verba usitata. — Prov. 18. 3. — V. infrà Ser. 29. n. 4. — Psal. 55. 5. — Psal. 4. 13.

* SERMO XXIII.

*Aliàs de Tempore 89.

De Pharaonis sævitia & submersione.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ejusdem, uti videtur, auctoris, cujus sunt tertius & septimus.

Exodi 14. 28

1. ÆGYPTIORUM turmæ inter maritimos fluctus alienum iter ingressæ, aquâ vindice puniuntur, ut illos in ditionem revocarent, qui Deum habebant peculiariter defensorem. Quos in medium marini alvei sinum desperata traxit audacia, inanis furor iræ ampliùs provocabat insania; confundentibus & in naturam suam redeuntibus undis, graviter eos per diversa mox littus excepit, & insepultos bestiarum pastibus arena servavit. Elegerat Deus Moysen, qui Pharaonem virtutibus invitaret, signis & magnalibus admoneret, vindictâ terreret, & territum severitate compesceret. Sed dicis, Quomodo posset liberari admonitus, qui jam Dei sententiâ trahebatur? *Obdurabo*, inquit, *cor Pharaonis.* Sententiam protulit, quam se facturum promiserat, non quam jam fecisse monstrabat. *Obdurabo*, inquit, *non obduro.* Aliud est facere, aliud est quod jam fecisse promittitur, nec tamen impletur, ut metu territi corrigantur. Consumi Hebræos præcepit luto, latere, paleis denegatis, ut tandem afflicti, si bellum contingeret Ægyptiis, non valerent resistere civitati. Levantur ergo machinæ usque ad cælum, turres eminent, & aptissimè construunt fabricam: non quòd deessent ædificia civitati; sed populum perire quærebat, qui divino favore pollebat. Augetur populus dum opprimitur, & dum putat minui, quotidie crescit: plus insequitur, quasi posset vincere, quos divina majestas prædixerat esse victores.

Exodi 7. 3. — Exodi 5. 7. & 8.

[a] In MSS. *negligentiâ meâ.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

2. Inter hæc præcepit vocari obstetrices, imperat ut Hebræarum si nati essent masculi, necarentur, & sexus inferior servaretur. O prodiga furoris audacia! Necdum natis pœna mandatur; & ante principium vitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo insaniam tuam. Quos necdum vides, insequeris: quid scelestius? Nondum natos occidis. Servet ordinem feritas tua; nascantur antè, quos punias. Præstant tamen partum ministræ, noluerunt exercere ad perniciem, quod didicerant ad salutem, faciliùs Hebræas mulieres quàm Ægyptias parere dicentes: nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria, quibus Deus provenit ad animas liberandas. O magnum humanitatis ingenium, & pium pro salute mendacium! Tantum timuerunt obstetrices Deum, ut præcepta regis contemnerent, & mulierum sacraria conservarent. Sed incredulus Pharao in alterum se nocendi aditum vertit, ut quod occultè antea tentaverat, in populis palàm faceret; omnem Hebræam masculinam prolem jussit occidi. Quod ubi ad aures matrum rumor advexit, pulsatum est planctibus cælum: & cùm ab ipsis uberibus avulsa proles raperetur ad mortem, succedebat dolor vincens parturientis dolorem. Nulla tamen mater infelicior fuerat, nisi quæ fecundior erat. Optabant tamen omnes steriles esse, quàm fecundæ parerent. Quid impie insanis? quid crudeliter sævis? Licèt plurimis insontium mortes acerbas inferas, & animas miserorum crudeliter cremes, tibi necis augetur, & pœnæ non detrahitur meritum.

Exodi 1. 16. — Ibidem 19. — Ibidem 22.

3. Cùm enim passim parvulorum corpuscula dejicerentur in flumine, Moysen manus excepit humana, quem pro totius vindictæ caussa quærebant. Nam cùm Pharaonis filia viridanti in ripa tremula posceret fluenti lavacra, invenit in loculo, quem pater non posset nutrire supplicio. Ad quem educandum in nutricem mater adducitur; ad alendum occasio conjunxit affectum, quem regis diviserat metus. Novum miraculi genus, fecit misericordiam filia parricidæ. Nam dum parvulum servat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitiæ ejus sceleris erat, ut filiæ provisione periret, qui genitrices interdixerat parturire. Competens processit divina vindicta, ut suis affectibus puniretur, & Moyses pro aliis exuendis exueretur. A fluctibus denique mysticâ linguâ Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem quam præparaverat in nomine, in flumine maris invenit. Hic, operante virgâ, per medios fluctus ac si pulverulentos exhibet gressus, imperio suspensam in altitudine montium erigit undam, ut Dei plebem redderet salvam.

Exodi 2. 5. — Moysi nomen mysticum.

4. Audistis nefariam crudelissimamque vocem durissimi Pharaonis. *Masculos in amnem projicite, feminas vivificate.* Jubet hostis in flumen parvulos projici, jubet innocentes crudeli morte necari. Non prohibet nasci, dum natos decernit occidi. Quos enim nec dum vivere natura concesserat, eos sententiâ jam sustinet ad pœnam. O nova & inaudita crudelitas! Antè judicium celebratur, quàm reus ipse damnetur: antè sententia profertur, quàm obnoxius sententiæ demonstretur. Utique reorum mos est, ut reatûs sui sententiam exspectare soleant. Nec enim reus potest antè damnari, quàm ejus culpa cœperit manifestari. Hi verò nec rei nati, nec reatûs sui sententiæ meritò mancipati. Nascebantur enim, non ut vitæ salutis perciperent fructum, sed ut esset quos crudelitas sæculo faceret luctum. Nunc præcipis, quod factum deberes ulcisci. Non natorum pietas, non parentum dolor te flectit, qui inter infantium mortem parentumque dolorem, sævitiæ tuæ expleri sententiam gaudes. O parentum vota crudelia, lætitiâ luctibus immutatâ! Ad facinus profuit, quidquid in eorum felicitate processit. Gaudebat lætissimus hostis inter madentes omnium fletus. Quantæ perierunt dolentium preces, quantæ incassum effusæ sunt lacrymæ, quanti gemitus ululatusque multorum, cùm parentes manibus natos exponi viderent, qui simile nihilo minùs mox facturi fuissent? Suos jam casus in aliis alii cernebant: alii continentes filios suos, cùm jam celare non possent, exponebant: alii mox editos exposuerunt, ne quantò retinerent tardiùs, tantò emitterent crudeliùs. Quanti pro filiis optaverunt mori, quanti senten-

Exodi 1. 22.

tiam

Classis I.

tiam contemnere voluerunt tyranni? Satiemus, inquiunt, eum, & nostro mœrore ejus sævitiam repleamus. A

Primogenitorum Ægypti plaga percussio.

5. Percutitur Ægyptus primogeniti affectu, ut ex sese cognoscerent, quantus dolor sit filiorum, qui necaverunt filios Hebræorum. Percutitur, inquam, Ægyptus primogenitorum affectu, oriturque funestus clamor. Dignitas nullum excusabat, nec alium conditio opprimebat. Non servus ad obsequium, non dominus ad imperium. Non regem honor excusabat, nec inopem necessitas alienabat. Stabant Hebræi vindictâ dominante illæsi, quos non tantùm propria salus lætos reddiderat, sed & hostium plaga lætiores effecerat. Exeunt læti, exeunt securi, Domino protegente invicti. Tunc pœnitet Pharao quòd vivat, & evasisse eum tanta ejus scelera B non sustinebant: ut qui in tantis plagis nullam emendaverat culpam, quæ fuerat competens exquirebat. Jungit currus, exercitum præparat, aciem dirigit; nemo relinquitur, qui salvari mereatur. Includuntur persequentibus Ægyptiis Hebræi inter mare & hostes, inter undas & gladios. Hinc mare spumat, inde arma coruscant: hinc aquarum, inde armorum strepitus. SIC OPERARI Deus suis assuevit, ut ubi defecit humanum consilium, illic intercedat divinum adjutorium.

Exodi 14. 6.

Providentia Dei mirabilis in suos.

Ibidem 10.

6. Quibus visis populus territus formidabat. Cùm conspiceret rapidos cursus influere littoribus mare, volvente æquora flamine collisa laxare, mox universi exclamabant ad ducem Hebræum, Dum Pharaonis dominio carere volumus, discrimen, inquiunt, invenimus; & cùm voluntariè servire nolumus, ad periculum pervenimus: exhibes mala, quibus adhuc usque promittis; nec te interitûs nostri auctorem intelligis, dum tantis malis obnoxium non agnoscis. Quibus Moyses sanctissimus ait, Ne formidetis viri, estote fide armati, credite verbum quod sentietis futurum, credite victoriam vestram jam properare, & gentis furentis interitum. Non consentientibus ventis aquarum volumina imperfectis cursibus refrenantur, ne hostes vestros antè puniant quàm jubentur. Statim divino jussu virgæ ictu rumpitur mare, & divisis undis campos quos natura non noverat, exhibuit. Hiantibus undis freti, arcana & maris secreta declarat unda. Erigitur in cumulum pelagus, & murorum instar suspensos exhibet fluctus. Fit littus ubi fuerat pelagus, & limite recto via porrigitur, ubi populus Domini mirabiliter graderetur. His namque visis populus Domini propter se cuncta gesta cognovit, & jussu divino intrepidus introivit. Ambulabat, inquit, securus, Domino pugnante invictus. Sequitur Pharaonis exercitus aquarum supplicio periturus. Putabat illic posse se pugnare, ubi solus cum suis fuerat periturus. Sic itaque Dominus locutus est Moysi: Nunc advenit Ægypti interitus. Quos enim disperdere volui, supplicio hoc abolere disposui. Ad pristinum statum redeat maris, quod fuerat; ut salutem justis, interitum operetur injustis. Confestim jussu divino impetu facto Ægyptii rapiuntur, & ruinâ aquarum oppressi fluctu volvente in littore projiciuntur, antè mortui Ægyptii quàm incolumes pervenirent Hebræi. Hæc vindicta debebatur, ut citiùs periret, qui consequi denegavit salutem.

Ibidem 13.

Exodi 14. 22.

Ibidem 26.

* Alias de Tempore 90.

* SERMO XXIV.

De via trium dierum.

In Appendice nunc primùm collocatur. Pleraque sunt Origenis, ex ipsius in Exodum homiliis depromta.

Exodi 8. 27. Ex Origen. homil. 3. in Exod.

1. IN lectionibus divinis, quæ nobis præteritis diebus recitatæ sunt, audivimus Moysen dixisse Pharaoni, *Viam trium dierum ibimus in desertum cum omni populo sacrificare Domino.* Videamus, Fratres dilectissimi, quid sit illud quod dixit Moyses, *Viam trium dierum ibimus in desertum, & immolabimus Domino Deo nostro.* Hæc quidem volebat Moyses; sed contradicebat Pharao, & nolebat filios Israël à se longè discedere. Nolebat princeps hujus mundi exercitum Domini trium dierum sacramenta cognoscere: illa utique sacramenta, de quibus Propheta dixit, Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit. Prima dies passio

Ibidem 15.

Osee 6. 3.

Domini Salvatoris est: secunda qua descendit ad infernum: tertia autem resurrectionis est dies. Et ideo in die tertia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem autem in columna ignis; duciturque populus per mare rubrum. * Tres enim dies non incongruè possumus dicere, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum: quia & Pater dies est, & Filius dies est, & Spiritus-sanctus dies est: & hi tres unus dies. * Via trium dierum, quâ exitur de Ægypto, rectè intelligitur ille qui dixit, Ego sum via, veritas & vita. Quia nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum. Ipse est via, per quam populus qui Deo conjungitur, de Ægypto, id est, de idolorum observatione educitur: & per mare rubrum Christi sanguine rubicundum, & quodam modo jam tunc in mysterio consecratum, tamquam per baptismi sacramentum Pharaone submerso, populus Dei eripitur. Et verè ita fit, Fratres: quando in salutari lavacro tertiò Christiani merguntur, tunc Ægyptii, id est originalia peccata vel actualia crimina, quasi in rubro mari sepeliuntur; & filiis Israël pertranseuntibus ad Dei servitium, sola patiuntur peccata naufragium. Et si aliquis dubitet & putet non omnia peccata deleri per baptismum, agnoscat & intelligat, quia quo modo nullus remansit Ægyptiorum, sic nihil remanet penitus peccatorum.

Serm. de Scripturis.

* Suprà Serm. 5. n. 5.

* Ex Origene homil. 3. in Exod.

Iohan. 14. 6.

Transitus maris rubri, baptismi figura.

Trina mersio.

C

2. Sed antè quàm mare rubrum transiretur, [* clamavit Moyses ad Dominum. Quomodo clamat? Nulla ejus vox clamoris auditur; & tamen dicit ad eum Deus, *Quid clamas ad me?* Velim scire quomodo sancti sine voce clament ad Deum. Apostolus docet, Quia dedit Deus Spiritum Filii sui in cordibus nostris clamantem, Abba, pater. Et alibi, Ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et iterum, Qui autem scrutatur renes & corda, scit quid desideret Spiritus; quia secundùm Deum postulat pro sanctis. Sic ergo [a] inspirante Spiritu-sancto, apud Deum per silentium sanctorum clamor auditur.] D

* Origenis verba ubi suprà.

Exodi 14. 15. Clamor sanctorum sine voce.

Gal. 4. 6. Rom. 8. 26. Ibidem 27.

3. Post hæc jubetur Moyses virgâ percutere mare. In virga mysterium sanctæ crucis agnoscite. Et verum est, Fratres: attendite enim & videte, quòd nisi virga supra mare elevetur, populus Dei de Pharaonis potestate non tollitur. Sic est, Fratres carissimi. Si sancta crux elevata non esset, Christianus populus in æternum periisset. Elevatâ verò virgâ, id est, cruce erecta, cedit mare, cedunt & fluctus ejus: hoc est, vincitur mundus, & mundi istius potestates. [* Cogitur ergo fluctus in cumulum, & unda in semetipsa repressa curvatur. Soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in pulverem. Bonitatem Creatoris intellige. Si voluntati ejus E obtemperes, si legem ipsius sequaris, ipsa tibi elementa etiam contra sui naturam servire compellit.] Oremus ergo, Fratres dilectissimi, ut Dominus noster quod de Ægyptiis fecit in mari rubro, faciat in corde & in corpore nostro, ut det nobis virtutem & adjutorium Spiritus-sancti, ut in nobis ipsis spiritales Ægyptios possimus exstinguere. [* Exstinguit namque spiritalem Ægyptium, qui non agit opera tenebrarum. Exstinguit Ægyptium, qui non carnaliter, sed spiritaliter vivit. Exstinguit Ægyptium, qui cogitationes sordidas & impuras vel depellit ex corde, vel omnino non recipit: F sicut & Apostolus dicit, Assumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela maligni ignita exstinguere. Hoc ergo modo possumus hodie etiam Ægyptios videre mortuos & jacentes ad littus, submergi quadrigas eorum & equos. Possumus etiam Pharaonem videre submergi, si tanta fide vivamus, ut Deus pacis conterat satanam sub pedibus nostris velociter.]

Exodi 14. 16. Crucis mysterium in virga.

* Origen. loco citato.

* Origenes. Ægyptium spiritalem quis exstinguit.

Ephes. 6. 16.

4. * Via etiam trium dierum potest intelligi, bene cogitare, bene loqui, bene operari. Et re vera qui hoc agit, & tota animi virtute custodit, non in nocte, sed in die ambulat; nec filius tenebrarum, sed filius lucis efficitur: & impletur in illo illud quod Apostolus dicit, G Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate. Quando fuimus tenebræ, Fratres? Utique quando vias noctis ambulavimus, id est, quando malum cogitavimus, malum diximus, malum etiam operati sumus. Postea verò venientes ad Christum, per ipsius gratiam relinquamus opera tenebrarum, &

* Juxta Origenem homil. 3. & 6. in Exod.

Ephes. 5. 8.

[a] Apud Origenem, interpellante Spiritu-sancto apud Deum.

CLASSIS I.

bene cogitando, bene loquendo, bene operando viam lucis currere festinemus. Istæ ergo sunt tres viæ, per quas pervenitur ad cælum: sicut & illæ tres aliæ sunt, per quas amatores mundi perveniunt in infernum, hoc est, malum cogitare, malum dicere, malum facere. Ista est lata & spatiosa via quæ ducit ad perditionem. Et per istas vias dives purpuratus descendit in infernum: per illas verò alias Lazarus ad Abrahæ pervenire meruit sinum Istas tres vias obsidet inimicus, sicut de Pharaonis exercitu legimus: *Electos adscensores ternos stantes demersit in mare rubrum.*

Exodi 15. 4. LXX. Gr. τριστάτας. Ex Origene homil. 6. in Exod.

5. Qui sunt isti electi adscensores? Electi utique à diabolo ad luxuriam, ad malitiam, ad omnium malorum caput superbiam. Et hi ergo terni stantes, istas tres obsident vias, ut ille aut hominem ad opera mala subvertat, aut ille sermonem malum eliciat, aut ille cogitationem iniquam extorqueat. Sed felix est qui totas tres istas vias, Deo adjuvante, devitans, per totum triduum de Pharaonis societate discedit; ita ut nullum illi diem princeps subtrahat tenebrarum, nec splendorem fidei ejus vertat in noctem. Et ideo, Fratres, faciamus illud quod scriptum est, Omni custodiâ serva cor tuum.

Prov. 4. 23.

Consideremus cum Dei adjutorio, & custodiamus cor simul & conscientias nostras; & si est quisquam in nobis, cui cogitationem malam aliquis de principibus tenebrarum injecit, quantum potest laboret, ut vel in sermone non peccet: id est, ut si ei diabolus unum diem rapuit & convertit in noctem, vel secundum diem in illo obtinere non possit. Si verò & hoc subtilitate callidissima potuerit obtinere, ut malum & corde cogitemus, & ore loquamur; si jam duos perdidimus, vel unum diem cum Dei adjutorio conservemus, ne etiam nos usque ad opera mala possit nequitia inimici subvertere. Si verò & hoc factum est, non tamen de misericordia desperemus; sed citò per pænitentiam de luto fæcis pedes animæ nostræ excutere festinemus. Non enim vult Dominus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Sic tamen convertamur, ne iterum retrò respiciamus, neque opera mala quæ fecimus, faciamus: nec revertamur quasi canis ad vomitum; sed ad pretiosam & desiderabilem patriam tendentes, per viam bonorum operum perveniamus ad regnum, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Vid. homil. Orig. 3. in Exod.

Ezech. 33. 11.

* SERMO XXV.

** Aliàs de Tempore 91.*

De amara aqua & manna.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex Origenianis homiliis in Exodum descriptus est, exceptis verbis perpaucis cum conclusione & præfatione: quæ quidem in libris MSS. incipit hunc in modum: Hesterna die audivimus, Fratres carissimi, cùm divina lectio legeretur, quòd filii Israël post transitum &c.

1. IN lectione quæ nobis ad missas legenda est, Fratres carissimi, audituri sumus, quòd filii Israël post transitum maris rubri venerunt ad Mara, id est, ad aquam amaram; & non poterat populus bibere aquam, eò quòd esset amara. Pro qua re Dominus beato Moysi ostendit lignum, & misit illud in aquam, & facta est dulcis. * Mirum admodum est, ut lignum ostenderet Moysi quod mitteret in aquam, & faceret eam dulcem: quasi verò non potuisset sine ligno aquam dulcem efficere Deus; aut Moyses nesciebat lignum, ut Deus illi ostenderet. Sed videndum est, quid decoris in his interior habeat sensus. [* Rubrum enim mare, sacramentum baptismi significavit: aqua amara, Legis litteram significavit. Denique] Lex si secundùm litteram suscipiatur, satis amara est. Quomodo non esset amara quæ occidit, dicente Apostolo, Littera occidit? Quid enim tam amarum, quàm ut puer octavo die circumcisionis vulnus accipiat, & rigorem ferri tenera patiatur infantia? Amarum satis & peramarum est hujusmodi poculum Legis, in tantum ut populus Dei, non ille qui in Moyse baptizatus est in mari & in nube, sed qui in spiritu & aqua baptizatus est, non possit bibere de ista aqua: sed ne gustare quidem de circumcisionis amaritudine potest, nec hostiarum ferre amaritudinem valet, nec sabbati observantiam. Si verò osten-

*Exodi 15. 23. Ibidem 25. * Ab hinc Origenes homil. 7. in Exod. * Ista non sunt Origenis. Aqua amara, Legis littera. 2. Cor. 3. 6.*

A dat Deus lignum quod mittatur in hanc amaritudinem, ut dulcis fiat aqua Legis, potest de illa bibere Christianus populus.

SERM. DE SCRIPTURIS.

2. Quod est istud lignum quod Dominus ostendit? Salomon demonstrat, cùm de sapientia dicit, quia lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. Si ergo lignum sapientiæ Christi missum fuerit in Lege, & ostenderit nobis quomodo spiritaliter intelligi debeat circumcisio, quomodo sabbata, quomodo Lex observanda sit, tunc efficitur aqua amara dulcis, & amaritudo Legis convertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis; & tunc potest bibere populus Dei. Ut ergo possit bibi

Lignum unde dulcescit amara Lex, sapientia. Prov. 3. 18.

B aqua amara, ostendit Deus lignum quod mittatur in eam; ut qui ex ea biberit, non moriatur, nec amaritudinem sentiat. Unde constat, quòd si quis sine ligno vitæ, id est, sine mysterio crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spiritali bibere voluerit de Legis littera, per amaritudinem nimiam moriatur. Hæc sciens Paulus apostolus dicebat, quia littera occidit: hoc est apertè dicere, quia aqua amara occidit, si non per spiritum in dulcedinem commutetur. [* Lignum ergo in aquam mittitur, ut in dulcedinem commutetur. Verum est, Fratres. Tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando crucis lignum baptismi sacramento conjungitur.]

*2. Cor. 3. 6. * Hæc non ex Origene.*

C 3. Et illud advertite, Fratres, quòd Judæorum sabbato Deus manna numquam omnino pluerit, nec meruerunt Judæi ut eorum sabbato gratia illis de cælo descenderet. In nostra autem Dominica die non solùm semper venit manna, sed etiam ab ipso die veniendi initium fuit. Semper ergo nobis Dominus pluit manna de cælo. Cælestia namque sunt eloquia ista quæ nobis dicta sunt, & à Deo descendunt verba quæ nobis recitata sunt: & ideo nos qui tale manna suscipimus, semper nobis manna datur de cælo. Unde infelices Judæi dolendi & lugendi sunt, quia manna sicut susceperunt patres ipsorum, ipsi non merentur accipere: illi numquam manna man-

Exodi 16. 25. Manna cæpit Dominica die dari. Id fusiùs apud Orig.

D ducant. Non enim possunt manducare illud quod est minutum sicut semen coriandri, & candidum sicut pruina. Nihil enim in verbo Dei minutum, nihil subtile, nihil infelices Judæi sentiunt spiritale; sed totum pingue, totum crassum. In crassatum est enim cor populi hujus. Sed & interrogatio nominis hoc idem sonat. Manna enim interpretatur, *Quid est hoc.* Vide si non ipsa nominis virtus ad discendum te provocat; ut cùm audieris Legem Dei recitari in ecclesia, semper etiam interroges, & dicas doctoribus, *Quid est hoc.* Hoc enim est quod indicat manna. Tu ergo, si vis manducare manna, id est, si cupis suscipere verbum Dei, scito illud

Matth. 13. 15. Manna, verbum Dei. Exodi 16. 15. Quomodo manducandum.

E minutum esse & valde subtile, sicut semen coriandri. Habet enim in se aliquid oleris, quo nutrire & recreare possit infirmos; quia qui infirmus est, olera manducet. Habet aliquid rigoris, & ideo ut pruina est. Candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius, quid splendidius eruditione divina? quid dulcius, quidve suavius eloquiis Domini, quæ dulcia sunt super mel & favum?

4. Sed quid est quod dicit, ut in die sexto duplum colligatur in repositionem, quantum sufficiat etiam sabbato? Hoc secundùm nostram intelligentiam non otiosi nec securi præterire debemus; [* sed per eleemosynas

*Quid sit die sexto duplum colligere. Ibidem. 5. * Hoc non est Origenis.*

F recondere, quantum sufficiat & in futuro die.] Si quid enim hîc boni operis adquiras, si quid justitiæ, misericordiæ & pietatis recondas, hoc tibi in futuro sæculo erit cibus. Denique hoc & Apostolus admonet, dicens, Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quid ergo agimus nos, qui amamus illud recondere quod corrumpatur, non quod permaneat & perduret in crastinum, id est, in futuro sæculo? Divites[a] avari & cupidi hæc recondunt quæ in hoc sæculo, immo cum hoc sæculo corrumpentur: qui autem bona opera recondunt, illa permanent usque in crastinum. Denique scriptum est, quòd qui infideles fuerunt, *servaverunt*, inquit, *de*

Gal. 6. 8. Exodi 16. 20. &c.

G *manna, & ebullierunt ex eo vermes, & computruit.* Illud autem quod pro die sabbati reponebatur, non est corruptum, neque vermes ebullierunt in eo; sed permansit integrum. Et tu ergo si propter præsentem vitam tantummodo & propter amorem sæculi thesaurizes, continuò vermes ebulliunt. Denique audi de peccato-

Vermes & manna.

[a] Apud Origenem, *divites hujus sæculi*: nec habetur, *avari & cupidi.*

CLASSIS I. — Isai. 66. 24.

ribus & his qui præsens sæculum diligunt, quæ sit Prophetæ sententia: Vermes, inquit, eorum non morientur. Isti sunt vermes quos generat avaritia, isti sunt vermes quos generat divitiarum cæca cupiditas his qui habent pecunias, & videntes in necessitate fratres suos claudunt ab eis viscera sua. Propterea & Apostolus dicit, » Divitibus autem sæculi hujus præcipe non superbè » sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed divites » sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent » & thesaurizent sibi veram vitam.

1. Tim. 6. 17. &c.

Peccanti verbum Dei fit vermis.

5. Sed dicit aliquis, Si manna verbum Dei esse dicis, quomodo vermes facit? Verum est, Fratres: non aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo Dei. Sic enim ait, Nisi venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Post susceptum autem verbum Dei qui peccat, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui ejus semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat.

Johan. 15. 22.

6. Nunc ergo festinemus cæleste manna suscipere. Istud enim manna prout vult quisque, talem saporem reddit in ore ejus. Audi enim & Dominum dicentem his qui accedunt ad se, Fiat tibi secundùm fidem tuam. Et tu ergo si verbum Dei quod in ecclesia prædicatur, tota fide & tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcumque desideras. Verbi gratiâ, Si tribularis, consolatur te, dicens, Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Si lætaris prosperè, futura cumulat tibi gaudia, dicens, Lætamini in Domino, & exsultate justi. Si iracundus es, mitigat te, dicens, Desine ab ira, & derelinque indignationem. Si in doloribus es, sanat te, dicens, Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens, Dominus erigit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris. Hoc tamen si quis infideliter suscipiat, & non comedat, sed abscondat, vermes ex eo ebulliunt. Putasne eò usque deducendum est verbum Dei, ut etiam vermis fieri putetur? Non te hic turbet auditus: audi Prophetam ex persona Domini dicentem, Ego autem sum vermis, & non homo. Sicut enim ipse est qui fit aliis in ruinam, aliis autem in resurrectionem: ita & ipse est qui nunc in manna fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus autem vermis efficitur.

Matth. 8. 13. — Verbum Dei sapit cuique prout vult. — Psal. 50. 19. — Psal. 31. 11. — Psal. 36. 8. — Psal. 102. 3. — Psal. 112. 7. — Psal. 21. 7.

* Finis iste non est Origenis.

7. * Et ideo, Fratres carissimi, quantum possumus cum Dei adjutorio, lectioni divinæ studeamus insistere, ut Legem Dei spiritaliter mereamur agnoscere; ut nobis verbum Dei non efficiatur vermis, qui nostras conscientias jugiter arguat & affligat; sed illud impleatur in nobis quod scriptum est, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum ori meo! Quam gratiam oremus ut nobis Deus pro sua pietate præstare dignetur: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

a Aliàs de Tempore 93.

* SERMO XXVI.

De Raphidin, de petra percussa, & de Amalec.

In Appendice nunc primùm collocatur. Nihil ferè continet præter allegorias & verba plerumque ipsa Origenis, ex homilia in Exodum undecimâ. In eo quod n. 5. post Origenem dicit auctor, Israëlitis in Amalecitas pugnantibus Moysen non extendisse manus, sed tantùm elevasse, dissentientem habet Augustinum homil. aliàs 27. ex 50. & lib. 12. contra Faustum c. 30.

2. Tim. 3. 12.

1. OMNES, inquit Apostolus, qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patiuntur, & ab hostibus impugnantur. Et ideo agens quisque iter vitæ hujus, auxiliante Christo, indesinenter debet esse armatus, & stare semper in castris. Si ergo & tu semper vigilare volueris, ut te cognoscas in Domini castris militare, observa illud quod idem Apostolus dicit, » Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, » ut ei placeat cui se probavit. Qui si ita militas, ut à rebus sæcularibus liber sis, & in castris Dei agas semper excubias; & dicitur de te illud, quod paulò superius audivimus, quia per verbum Domini exeas de deserto Sin, & venias in Raphidin. Sin enim interpretatur tentatio; Raphidin verò sanitas judicii. Qui bene exit de tentatione, & quem tentatio probabilem reddit,

Quid sit de deserto Sin venire in Raphidin. — 2. Tim. 2. 4. — Exodi 17. 1.

a Origenes, *qui bene disponit sermones suos in judicio. Quid ergo &c.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

A ipse venit ad sanitatem judicii. In die enim judicii salvus erit, & sanitas cum eo erit, qui in tentatione vitæ præsentis numquam contra Deum murmurans, minimè fuerit vulneratus: sicut in Apocalypsi legimus, Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso. Venit ergo ad sanitatem judicii, a qui bene caussam alterius audiens, disponit sermones suos in judicio, & munera super innocentem non accipit.

Apoc. 2. 7.

2. Quid ergo in consequentibus Scriptura commemorat? *Sitivit*, inquit, *ibi populus aquam, & murmuravit contra Moysen.* Videtur fortasse ex superfluo dictum, quod dixit, quia aquam sitiverit populus. Cùm enim B dixisset, *Sitivit populus*; quid opus fuit ut adderet, *aquas*? [* Sic enim habet antiqua Translatio.] Quare hoc addidit, nisi quia aquam sitivit, qui debuit sitire justitiam? Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam. Et iterum, Sitivit anima mea ad Deum vivum. Multæ enim sunt sites. Sitiunt justi; sitiunt & peccatores: illi justitiam, isti luxuriam: justi sitiunt Deum, peccatores sitiunt aurum. Sitivit ergo populus aquam, qui debuit sitire justitiam.

Exodi 17. 3. — * Hoc non ex Origene. — Matth. 5. 6. — Psal. 41. 3. — Sitis multiplex.

3. Dixit ergo ad Moysen Dominus, Tolle virgam, & percute petram, ut educat populo aquam. Ecce est petra, & habet aquam. Sed hæc petra nisi percussa C fuerit, aquas omnino non habet: percussa verò fontes producit [* & flumina, sicut in Evangelio legimus, Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.] Percussus enim Christus & in crucem actus novi Testamenti fontes eduxit. Necesse ergo erat, ut ille percuteretur. Nisi enim ille percussus fuisset, & de sacro ejus latere sanguis & aqua manasset, b universus mundus sitim verbi Dei patiens interiisset. [* Percussit ergo Moyses virgâ bis silicem. Quid est hoc, Fratres? Nec hoc puto esse sine mysterio. Quid est hoc, quòd non semel, sed bis virgâ percussa est petra? Ideo secundâ vice petra percutitur, quia duo ligna in crucis D patibulo eriguntur: quia in uno ligno sacras manus expandit, in alio verò à capite usque ad pedes immaculatum corpus extendit. Bibit ergo de petra populus, & statim bellum iniit contra Amalec. Videte Fratres, quia post quàm aquam quisque de petra biberit, id est, Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui verò illum reliquerit, & de petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est ut illum patiatur infestum, cui justo judicio voluit præponere Christum. Quisquis ergo Christo conjungitur, non ad delicias, E non ad voluptates, sed ad prælium præparetur: quia omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patiuntur: & iterum, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.]

Exodi 17. 5. « — * Neque hoc ex Origene. — Johan. 7. 38. — Christus percussa petra quæ fontes eduxit. — * Nec ista ex Origene. — Bellum quis diabolo indicit. — 2. Tim. 3. 12. — Act. 14. 21.

4. [* Imminente ergo bello filiis Israël, Moyses vocat Jesum, & dicit ad eum, *Elige tibi viros, & pugna contra Amalech.* Usque ad hunc locum beati hujus nominis mentio, id est, Jesus, nusquam facta est. Hîc primùm vocabuli hujus splendor obfulsit. Moyses vocat Jesum; Lex invocat Christum. *Elige*, inquit, *tibi viros potentes.* Non poterat Moyses eligere viros potentes: Jesus solus est, qui potest viros potentes eligere; F ipse utique qui dixit Apostolis suis, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ipse est qui domum fortis intravit, & vasa ejus diripuit.]

* Origenis verba. — Exodi 17. 9. — Prima sacri nominis Jesu in Script. mentio. — Johan. 15. 16. — Matth. 12. 29.

5. Moyses autem adscendit in verticem collis. *Et factum est cùm elevaret manus Moyses, vincebat Israël.* Advertite Fratres: Moyses manus quidem elevat, non tamen extendit. Cui ergo servabatur, ut manus extenderet, nisi Domino nostro Jesu Christo, qui extentus in cruce universum orbem complexurus, brachia pietatis expandit? Moyses ergo levavit manus: & licèt non expandit, tamen ipsa elevatione mysterium crucis ostendit. Videte, Fratres, jam tunc per sacramentum crucis supe- G ratas esse adversarias gentes. Et nos, Fratres dilectissimi, si adjuvante Domino, manus erigimus, diabolum superamus. In manibus opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua, ut illa possis in altum in conspectu Domini levare, potes etiam & tu in te ipso adversarios tuos exstinguere. Quis bene manus levat, nisi

Exodi 17. 10. & 11. — *Quæ sequuntur, referunt sensum Orig.* — Moyses manus levavit, non extendit. — Levare manus, quid sit.

b Apud Origenem, *omnes nos sitim verbi Dei patiemur.*

CLASSIS I. qui per eleemosynam in cælo jugiter thesaurizat? Quis ergo bene manus levat, nisi qui assiduè victum ac vestitum pauperibus subministrat? Quis bene manus levat? Ille utique qui implet illud Apostoli, *Elevantes*, inquit, *puras manus sine ira & disceptatione.* (1. Tim. 2. 8.) Quia ergo quotidie nobis & vobis pugna imminet contra adversarias potestates, si volumus vincere, manus nostræ, id est, actus nostri & conversatio nostra non sit in terris: sed, sicut Apostolus dicit, Super terram ambulantes conversationem habeamus in cælo. [* Scriptum est tamen, quia sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita populus Israël ablinget populum Amalec super terram. Per quod indicari videtur, quia populus Dei [a] non tam manu & armis, quàm voce pugnabat & linguâ, id est, orationem ad Deum fundebat; & ideo adversarios superabat. Ergo & tu si vis vincere, audi Apostolum dicentem, Orationi insistentes, & vigilantes in ea. Hæc est Christiani [b] pugna] gloriosissima, non in suis viribus præsumere; sed semper Dei auxilium implorare, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

(* Origenis verba Num. 22. 4. — Oratione pugnatur ad victoriam. Coloss. 4. 2.)

*SERMO XXVII.

(* Olim de Tempore 97. & pòst in Appendice 39.)

De filiis Israël.

Apud Amerbachium & Erasmum inter Augustinianos Sermones, apud Lovanienses verò inter supposititios reperitur. Parum aut nihil, dictionis & stili ratione, distat à Sermone hujus Appendicis tertio, septimo, & vigesimo-tertio.

1. HÆc dicit Dominus Moysi, *Sine, ut faciam te in gentem magnam.* (Exodi 32. 10.) Grave est discutere personam, qui in infidelitatem cadit, dum majus quod accepit, perdit. Quis Judæorum inexsolubiles nodos nescit? Quis perfidiam & audaciam non deponit? Legunt elogia sua, quòd in prævaricatione parentum non defuisset vindicta. Irata severitas promitur, & contumacia non emendatur: clementia leviùs irascitur; quia citiùs miseretur. Ipsius erit judicium, & probare dignum, & delinquentibus indulsisse peccatum. Quid dico? Deus illos horruit, aut amavit? Absit. Si horruit peccatores, contemsit: sed amavit; ideo frequenter indulsit. Revertimini, inquit, ad me, & revertar ad vos. (Malach. 3. 7.) Eorum quidem sunt scelera, aut rea lingua, aut conscientia criminosa. Vos, inquit, de patre diabolo estis. (Johan. 8. 44.) Non potest differri vindicta, ultio non procrastinabitur. Tanta enim sunt crimina usurpatione concepta, ut non parcant generi, cùm rei videantur auctori. Clamaverunt, inquit, ad Dominum, cùm tribularentur; (Psal. 106. 6.) mittitur dux qui populum Israëliticum redderet liberatum. Parantur Ægyptiis dignæ & innumerabiles plagæ ignominiæ, ad vindictam sciniphes processerunt, vineas bruchus absumsit, fructifera ligna locusta vastavit: terrorem & grandinem, ulcera, tumultus, voces, flammas, addicta pecora, armenta prostrata, aquas in sanguinem mutatas, prostratas ranas, pisces occisos: prædurantur elementa nullo rigore, siccantur fluenta in rei miraculo curvata, & in muro suspenditur unda: insuetum iter mirantur fluctus, miratur & populus.

2. Quid incredule popule nocte desperas? Signum tibi erit columna, quam Christus illuminat. Securus iter quod arripis vade; antecedet te Christus. Et quia prosequitur Christus, fiducia non terror debet esse: securus ad promissa pervenies; atque utinam non rebelles. Apertum intrant mare Ægyptii, quos circumfusi fluctus festinanter ruentes perdunt. Medii maris arena ungulam sensit, mare cursus sustinuit equitum. Sed hæc vindicta debebatur, ut citiùs periret, qui consequi denegavit salutem. Quid dubitas de hoste? Tutè jam procede, mortuum videbis, probabis defunctum, cui antè fueras servus.

3. In eremum exitur, nec contumelia differtur. Murmurant, petunt cepas & pepones, meritò insulsi, (Num. 11. 5.) & quos non gratiæ sales condiunt, vilem expetunt cibum. Cepas ait, ut extorquerentur eis lacrymæ ex delicto collectæ. Non aquarum in fluviis natura degenerat, communem liquorem amaritudo tristaverat; lignum mittitur, dulcedo reparatur. Petra percussa sitientibus potum præbuit virgâ: nec veternosa eis diffuta sunt ve-

A stimenta: arvo sterili non defuit manna. Pulmentarium poscitur, desideriis omnia conferuntur. Saporem sensit quisque quem voluit in ore, dum manducavit. (SERM. DE SCRIPTURIS.)

4. Petunt sibi quod colerent: atque utinam simpliciter postulassent. Sed plebs quæ dotales tabulas lege mariti perceperat, de corruptela disponit, & de adulterio cogitat. Quid te infidelis vis jungere consortio digno? Mater tua displicuit repudiata per libellum repudii, pronunciante Isaia, (Isai. 50. 1.) nec summo charismate es digna, cum exsecrabilibus factis videaris ingrata. Non servies, inquit, deo alieno. (Deut. 7. 16.) Aurum igni apponitur, & ingrati infaustum scelus expetunt, adorant imaginem

B quam succensus ejecerat ignis. Ubi est quod mandatum est, Audi Israël, Dominus Deus tuus unus est? (Deut. 6. 4.) Vitulus tuus ubi erat, cùm tibi Christus in mari itinera præparabat: mare aperuit, sitientibus potum præbuit, fessos jejunio reparavit? Luxuriosa gentilitas, post saturiem lusum quærit. *Sedit*, inquit, *populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* (Exodi 32. 6.) Atque utinam verbis fuissent dicta, non factis fuissent admissa. Ecce jam pater Abraham transfertur in gentem magnam. Ecce quid criminis admittit primitivus, quid gratiæ meretur secundus. Vendidisti mihi primatus tuos, delicto factus servulus fratri tuo. Radix quidem me aliena portat,

C sed nova gratia meum caput impinguat. Ducem se ergo Dominus ingrato populo præbebat, exercitum Christi per inaccessa loca & devia deserta terrarum non turbavit iter ignotum. Igitur exoritur impugnante diabolo profana tentatio, fit repentè populus divinis beneficiis ingratus, mens ejus à veritate descisit, deseruit vitæ largitorem, & secutus est mortis auctorem. Unde simulacra colentium cæca stultitia, immo non ferenda dementia, mortali manu formatum vitulum putare divinum? Acerbior indignitas rerum est, ut pecoris fit figura terrori, & cùm Deus animalia omnia homini subjecerit, ipse se in famulatum pecudum sponte deje-

D cerit. Adeo formatur vitulus stultorum collationibus inauratus: & quem nullus naturalis motus quacumque flectebat, eum dementia perfidorum subjugatâ cervice portabat: & cujus aures nullus penetrabat auditus, vel aliqua commotio sensibilis agitabat, has incassum dementis populi oratio stulta pulsabat: & cui visum modulantibus palpebris vitali motu artificis phantasia non dederat, nec genitrix natura contulerat, eum videntes ingrati Deo supplices adorabant. Præcedebat in eremo populum carens spiritu vitulus figuratus, ut tali duce demens populus uteretur, qualis fuerat & ipse delictis effectus.

E 5. Et ne tanti mali sine vindicta in posteros manaret exemplum, statim vindicatur in reos. Dum enim malis modus imponitur, frangitur licentia peccatorum. Frequenter enim plagis disciplina corrigitur, si nihil proficiant hortamenta justorum: à damnabilibus factis homines vindicta compescit, quos in bonis operibus beneficia Dei retinere non possunt. Si enim non inter primos peccantium lapsus consuleret, sed in futurum suspenderet ultionis occursum divina censura, procul dubio scelestorum omnium latiùs processisset audacia. Denique si vis tuorum proficere disciplinam, exerce censuram. Ubi Dei futuræ vindictæ sollicitudo versatur, il-

F lic aut non peccatur, aut tardiùs delinquitur. Censurâ enim interdum quidam suscipiunt supplicium, ut multi corrigantur in paucis; ne postmodum irâ commotus incipiat grassari per multos. Risus frequens corrumpit mores, relaxat quoque nervos rigoris adstrictos: severus autem vultus custos est disciplinæ. Si enim delinquentibus frequenter indulges, peccator non proficit ad salutem.

*SERMO XXVIII.

(* Aliàs de Tempore 100.)

De exploratoribus, & de botro.

G *In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium Lovanienses reliquerunt: supposititium censuerunt Verlinus & Vindingus. Nos Cæsarii esse sentimus.* (CÆSARII Sermo XIV.)

1. MODO cùm divina lectio legeretur, audivimus quòd tempore illo quo missi sunt duodecim exploratores ad considerandam terram repromissionis, (Num. 13. 34.)

a Hic Origenes addit, *ut à majoribus accepimus.*

b Origenes, *pugna, quæ superat inimicum.*

CLASSIS I.

Vel duo ferentes uvam, duo Testamenta & duo præcepta.

duo ex illis uvam miræ magnitudinis in phalanga detulerint ad filios Israël. Duo isti, Fratres dilectissimi, multis modis intelligi possunt. Nam & duo Testamenta non incongruè significasse creduntur, & duo præcepta quibus diligitur Deus & proximus. Possunt * etiam in historia & allegoria intelligi. Quòd autem duûm Testamentorum typum habuerint, hinc evidenter agnoscimus; quia quomodo in medio duorum illorum uva exhibita legitur, ita in medio duûm Testamentorum Christus Dominus evidenter agnoscitur; secundùm illud quod scriptum est, In medio duûm animalium cognoscéris, id est, in medio novi vel veteris Testamenti. Quòd autem dicit, In medio, non intelligendum est, quòd Christus inter novum & vetus Testamentum sic fuerit medius, ut nec in novo nec in veteri contineretur. Non ita est, Fratres carissimi. Sed quòd ait, In medio duûm animalium cognoscéris: hoc sentiendum est, quòd sit in medio veteris Testamenti, & in medio novi, id est, intus in interiori & spiritali intellectu; non in littera quæ non solùm Judæos, sed etiam hæreticos omnes consuevit occidere, sed in spiritu, qui omnes Christianos spiritaliter intelligentes vivificat. Hoc est ergo, In medio duûm animalium cognoscéris, in interiori sensu novi sive veteris Testamenti.

* ſ enim. — Habac. 3. 2. sec. LXX. — Christus in medio duûm Testamentorum.

2. Exhibita est ergo uva à duobus. Isti autem duo qui uvam de terra repromissionis afferre meruerunt, sicut jam diximus, possunt intelligi etiam duo præcepta dilectionis, id est, Diliges Deum & diliges proximum. Denique considerate, Fratres, quia sicut illi duo pendentem uvam adtulerunt; ita & de istis duobus, id est, dilectione Dei & proximi dicitur, In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Sicut enim uva illa Christum Deum figuravit; ita & terra repromissionis, in qua natus est, sanctæ Mariæ videtur imaginem prætulisse. In ipsa enim impletum est illud quod scriptum est, Veritas de terra orta est. Quomodo autem beata Maria non fuit terra repromissionis, quæ per Prophetam multò antè promissa est? Nam per beatum Isaiam Dominus eam ante multa annorum spatia repromisit: sic enim ait, Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium. Exhibita est enim uva de terra repromissionis. [a] Ipsa est enim de qua legimus, Suxerunt mel de petra & oleum de firma petra. Et de ipsa scriptum est, Petra autem erat Christus. Et illud, Cum adipe renium & sanguine uvæ. Et iterum, Lavabit in vino stolam suam, & amictum suum in sanguine uvæ. Hæc, inquam, uva in ligno suspensa duorum defertur obsequio, quæ nobis utique, sicut jam dictum est, duûm Testamentorum repræsentatur oraculis, quæ in ligno crucis pependit, cujus vinum in pretium nostrum, passionis expressione profluxit.

Matth. 22. 40. — Maria terra promissionis. — Psal. 84. 12. — Isai. 7. 14. — Deut. 32. 13. — 1 Cor. 10. 4. — Gen. 49. 11.

3. Sed operæ pretium est, arcana sacramentorum aperiri effectibus rerum. Hanc uvam duo deferunt inserto vecte pendentem. Possunt isti duo etiam Christianum vel Judaicum populum figurare. Isti ergo sunt duo, id est, Synagogæ vel Ecclesiæ populi. Et quia prior fuit Judæorum populus, præcedit Judæus, sequitur Christianus: salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum: hic obsequium præfert, ille contemtum. Ideo & de Judæis Propheta testatur, Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum illorum semper incurva. Incedunt duo sub sacro fasce ordine suo: hic semper videt, ille semper relinquit. Judæus autem proximum se æstimat; sed absentat. Christianus ergo præsenti munere fruitur; Judæus solo onere prægravatur: quia Christus sicut credenti salus, ita onus est non credenti. Judæis enim ille specialiter annuntiatus; de quibus dictum est, In sua venit, & sui eum non receperunt; factus est eis lapis offensionis & petra scandali: & quem Israël non cognovit, Gentium fides recepit. Et ideo pòst sequitur iste; sed spem suam sub oculis habens antecedit & proficit: ille prior graditur; sed deserit & recedit. Portat quidem Christum in Lege Judæus; sed à gratia quam in mysteriis portat, aversus est: quia quem prædicatione suscepit electus, corde perdit incredulus; & quem unus aspernatur in Lege, alter miratur in corpore. Unde amborum Dominus & redemtor noster ab hoc adorante gestatur, ab illo se aversante suspenditur. Ac sic

Num. 13. 24. — Duo ferentes uvam Judæus populus & Christianus. — Psal. 68. 24. — Christus salus credenti, onus non credenti. — Johan. 1. 11.

impletum est in Judæis, Posuerunt ad me dorsa, & non facies suas.

4. Et quià Christum Dominum, quem prior populus Judæorum & post dorsum reliquit & crucifixit, nos postea venientes adorare & portare meruimus, secundùm illud quod Apostolus ait, Glorificate & portate Deum in corpore vestro: quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne à cervicibus nostris tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus. Sarcina enim Christi, levare consuevit, non premere. Sic & ipse in Evangelio dixit: Jugum meum suave est, & onus meum leve. Si enim jugum Christi subdita & humili cervice suscipimus, magis nos portat, quàm à nobis portetur. Sicut enim jugum sæculi semper premit; ita jugum Christi levare consuevit. Et quia omnis homo aut Christum portando erigitur, aut jugum sæculi sustinendo ad inferiora deprimitur; adtendat unusquisque conscientiam suam; & si se sanctis cogitationibus & bonis operibus jugum Christi portare cognoverit, gaudeat & Deo gratias agat, & cum grandi sollicitudine vel timore perseverare contendat: qui verò luxuriosis cogitationibus & malis operibus durissimo mundi hujus jugo se nimiùm gravari cognoscit, orationibus, jejuniis vel eleemosynis projiciat jugum diaboli, ut mereatur excipere jugum Christi; & de omnibus malis actibus suis cum Propheta fideliter dicat, Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum. Tunc enim de illa spiritali uva, de qua nobis vinum lætitiæ prelum crucis expressit, cùm secura conscientia bibere poterimus; si nos * nec luxuria sordidaverit, nec iracundia combusserit, nec inflaverit superbia, nec avaritia obscuraverit, nec invidia vipereo veneno percusserit. Omnia enim ista de corde suo debet expellere, qui ad altare desiderat vel optat accedere. Et quia spiritalis vindemia, id est, Paschalis sollemnitas imminet, in qua festivitate botrus ille, de quo superiùs diximus, per injuriam vel pondera crucis express s est, de tanta ac tali uva accepturi calicem salutaris, & vinum lætitiæ bibituri, exceptoria cordis vel pectoris nostri cum grandi nitore ac diligentia, jejuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis, & præcipuè castitatis nitore mundemus: contra nullum hominem odium in corde servantes, & non solùm amicos, sed etiam inimicos & adversarios diligentes, cum secura conscientia in oratione Dominica dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Jerem. 18. 18. — 1. Cor. 6. 20. — Sarcina Christi levat, non premit. — Matth. 11. 30. — Aut Christi, aut sæculi jugo quisque subest. — Psal. 2. 3. — * Cæsarius hom. 10. & inter editas à Baluzio hom. 3. — Matth. 6. 12.

* SERMO XXIX.

* Alias de Tempore 102.

De eo quòd senior populus in deserto mortuus est, & junior in terram repromissionis ingressus est.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensibus, Verlino & Vindingo supposititius fuit. Cæsarii esse nos minimè dubitamus.

CÆSARII Sermo XV.

1. SCIRE & intelligere debemus, Fratres dilectissimi, quia senior populus Judæorum, qui propter incredulitatem in deserto mortuus est, significavit priorem populum Judæorum: parvuli verò eorum, id est, junior populus figuravit populum Gentium. Sicut enim seniore populo mortuo, junior terram repromissionis accepit; ita reprobato Judæorum populo, junior populus Christianorum gratiam divinæ benedictionis obtinuit. Tamen, Fratres carissimi, non transitoriè vel negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantùm terram repromissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita Dominum misericordem esse volunt, ut justum esse non credant. Si enim diligenter adtendimus, Fratres, & erga illa sexcenta millia quæ in eremo mortua fuerant, Deus noster misericors fuit; & circa illos duos qui terram repromissionis intraverunt, justus apparuit. Quomodo non fuit misericors, qui eos per quadraginta annos reservavit & exspectavit ad pænitentiam; & non solùm converti noluerunt, sed etiam frequenti rebellione contra Dominum murmurantes, ad peccatorum suorum cumulum graviorem semper sarcinam addiderunt? Quo-

Israëlitarum populus senior Judæos, junior Gentes figurat. — Justitia & misericordia Dei ergà Israëlitas.

[a] *Ipsa*, scilicet uva Christus. Eodemque spectat illud *infra* & *de ipsa scriptum est*: quod ad Mariam referendum existimavit Vindingus, censor haud æquus hujus loci.

Classis I.

modò non est misericors, qui nos tanto tempore exspectat, ut corrigamur? Numquid tam prolixa misericordia potest Deo auferre justitiam? Quantò enim diutiùs exspectat, tantò graviùs vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est, non negligentia: non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Ergo & in illis qui in eremo mortui sunt, misericors fuit, quos tanta longanimitate sustinuit; & in illis duobus promissa complevit, quos fidei merito in terram repromissionis induxit.

Sententia Dei in peccantes non immutabilis.

2. Sed dicit aliquis, quòd etiamsi egissent pœnitentiam, terram repromissionis intrare non potuissent: quia Deus definitam illis dederat sententiam, dicens, *Non intrabitis terram pro qua juravi patribus vestris, sed in solitudine jacebunt cadavera vestra.* (Num. 14. 23. Ibidem 29.) Non ita est, Fratres carissimi: atque utinam tam citò peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quàm citò Deus etiam definitam vult mutare sententiam. Audi ipsum Dominum per Prophetam spem maximam humano generi promittentem: (Ierem. 26. 3.) Repentè, inquit, loquar ad gentem, ut pro peccatis suis faciam eis malum: & si pro iniquitatibus suis egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiam agam super malo quod cogitavi ut facerem eis, & non faciam. Videte, Fratres, quanta sit circa nos pietas Dei nostri; & agnoscite utrùm velit negare misericordiam, qui de conversione nostra suam dixerat mutare sententiam.

Conversio nō procrastinanda.

Convertamur ergo, Fratres carissimi, nec emendationem nostram ad extremum vitæ nostræ tempus differre velimus: sed audiamus Prophetam dicentem, (Eccli. 5. 8.) Nolite tardè converti ad Dominum, nec differatis de die in diem; quia nescitis quæ superventura pariat dies. (Prov. 27. 1.) O homo, quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus ultimum diem? Semper ergo, Fratres carissimi, cum ingenti timore atque tremore ad memoriam revocemus, quòd tanta sit apud Dominum nostrum justitia, ut, sicut jam suprà dictum est, de sexcentis millibus duo tantùm terram repromissionis intraverint. Hæc si humili & contrito corde assiduè cogitare volumus, salubrem nobis metum incutientes, * medicamenta nobis de alienis vulneribus facimus, & aliorum mors proficit ad nostram salutem.

*V. Cæsarium homil. 11. & inter editas à Baluzio hom. 7.

Exemplum severitatis Dei in Israelitarum punitione movere nos debet ad pœnitentiam.

3. Iterum atque iterum rogo vos, Fratres, & admoneo, ut istam severitatem & justum judicium Dei, quo senior ille populus pro peccato murmurationis in deserto consumtus est, cum grandi semper metu & sollicitudine cogitemus; & sic amemus Dei misericordiam, ut tamen justitiam timeamus. Parcit modò & tacet: sed non semper tacebit. Modò enim pro ineffabili pietate sua non solùm nos admonet, sed etiam rogat, ut nos à peccatis mortiferis revocemus. Audiamus illum dum rogat; ne nos postea non audiat ille, dum judicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem, (Eccli 30 24.) Fili, inquit, miserere animæ tuæ placens Deo. Quid ad hæc respondebit humana fragilitas? Deus te rogat ut tui miserearis, & non vis: caussam tuam apud te agit, & à te non potest impetrare. Et quomodò te audit ille in die judicii supplicantem, cùm tu eum pro te ipso nolueris audire rogantem? Quis enim non expavescat & metuat, Fratres carissimi, quòd pro quadraginta dierum spatio, annis quadraginta populus Judæorum pœnam recipere meruit in eremo? Si enim pro unius diei culpa unius anni spatium recompensandum est pœnâ; nos qui tanta quotidie peccata committimus, si eleemosynarum vel pænitentiæ non subvenerint medicamenta, timeo ne nobis non inferantur temporalia, sed æterna supplicia.

Pœnarum æternarum argumentum.

Peccatorum vulnera dum recentia sunt, faciliùs curantur.

* V. suprà Serm. 21. n. 6. & Cæsaris hom. 23.

4. Et quia calidis vulneribus solent medicamenta celeriùs subvenire, quotienscumque peccaverimus, non exspectemus mortifera securitate vulnera ipsa putrescere, nec iterum vulnera vulneribus augeamus; sed continuò ad spiritalem medicum recurrentes, salutem recipere festinemus. Et ideo quomodo quando in corpore vulnus accipimus, si statim medicamenta requirimus, citò sanitatem recipere poterimus: ita si moram feceris, necesse est ut tardiùs ad sanitatem plaga ipsa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore nostro remaneat. Si hæc in corpore facimus, quantò magis in animæ vulneribus adhibere debemus, ubi ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus? Si tantam curam impendimus corpori, quod, velimus nolimus, in pulverem redigendum est; quantam sollicitudinem & curam erga salutem animæ debemus apponere? ut, sicut dicit Apostolus, sine macula vel ruga mereamur ante tribunal æterni Judicis apparere: (Ephes. 5. 27.) * ne fortè si multis peccatorum vulneribus lacerati & vitiorum pannis sordentibus involuti, ad illud nuptiale convivium venerimus, dicatur nobis illud quod ille sponsus cælestis in Evangelio dixit, Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? (Matth. 22. 12.) Avertat à nobis Deus illud quod sequitur. Cùm enim hæc peccator ille audiens obmutesceret, dixit paterfamiliàs, Ligate illi manus & pedes, & projicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. (Ibidem 13.) Ecce qualem sententiam accepturi sunt, qui majorem de corpore quàm de anima sollicitudinem gerunt; & plus cogitant qualiter caro sua parvissimo tempore vivat in oculis hominum, quàm quo modo anima sua ornata bonis operibus ad beatitudinem vel similitudinem perveniat Angelorum. Hæc ergo, Fratres carissimi, sicut superiùs supplicavi, si adtentiùs voluerimus cogitare, remedia nobis in die necessitatis adquirimus; ut cùm dies judicii venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur; sed cum justis & Deum timentibus ad æterna præmia feliciter veniamus, auxiliante Domino Jesu Christo: cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

*Cæsarius sub finem hom. 10.

Serm. de Scripturis.

* Aliàs de Tempore 98.

* SERMO XXX.

De thuribulis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Descriptus est ex Origenis homilia in Numeros nona. In Fuliensium veteri codice adscribitur Hieronymo.

1. MODO, Fratres dilectissimi, cùm divina lectio legeretur, audivimus dixisse Dominum ad Moysen, ut thuribula in quibus superbi illi ac rebelles incensum obtulerant, conflaret, & producta in laminas altari affigeret: ut essent in testimonium rebellium & superborum. *Thuribula*, inquit Dominus, *quæ sanctificata sunt in mortibus peccatorum, facito ea laminas ductiles, & circumda ex eis altare: quia oblata sunt coram Domino, & sanctificata sunt.* (Num. 16. 37. & 38.) * Hoc ergo per hanc figuram videtur ostendi, quòd thuribula ista, quæ Scriptura nominat ærea, imaginem teneant Scripturæ divinæ: cui Scripturæ hæretici ignem [a] alienum imponentes, hoc est, sensum perversum & intelligentiam alienam à Deo & veritati contrariam introducentes, incensum Domino non suave, sed exsecrabile offerunt. Ista ergo thuribula ærea, id est, hæreticorum voces, si adhibeamus ad altare Dei, ubi divinus ignis est, ubi vera fidei prædicatio, meliùs ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim, ut verbi gratiâ dicam, ponam dicta [b] Arianorum vel Manichæorum, aut alterius cujuslibet hæreticorum, & hæc sermonibus veritatis ac Scripturarum divinarum testimoniis, velut divini altaris igne, confutem, nonne evidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam si doctrina ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecùs hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obsidet impugnatio, ut fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc denique & Apostolus dicebat, Oportet autem & hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant inter vos. (1. Cor. 11. 19.) Hoc est dicere, Oportet hæreticorum thuribulis altare circumdari, ut certa & manifesta omnibus fiat fidelium atque infidelium differentia. Cùm enim fides ecclesiastica velut aurum cœperit fulgere, & prædicatio ejus ut argentum igne probatum intuentibus resplenduerit, tunc majore cum turpitudine & dedecore hæreticorum voces obscuri æramenti vilitate sordebunt. Hæc autem diximus de thuribulis eorum qui condemnati sunt, quæ altari jubentur affigi, quòd ex comparatione impiorum justi clariores appareant:

* Ab hinc Origenes.

Thuribula, Scripturæ.

Thuribula ærea, hæreticorum dicta.

Hæresum utilitas.

[a] Ignis alienus impositus fuerat, non in thuribulis de quibus Num. 16. agitur, quæque producta in laminas jussa sunt altari affigi; sed in aliis, errore Nadab & Abiu, Levit. 10. quod hic & apud Origenem confunditur.

[b] Apud Origenem, *Marcionis aut Basilidis:* loco *Arianorum vel Manichæorum.*

Classis I. Ex selectis Origenis scriptis.

simul ut & posteris daretur exemplum, ne quis præsumtione superbi spiritûs non sibi à Deo datum munus pontificatûs invaderet; sed ut illi cedat, quem non ambitio humana, non favor corruptus adsciverit, nec munerum oblatio profana subrogaverit, sed meritorum conscientia & Dei voluntas assumserit. [* Quod ergo pertulerunt superbi illi Levitæ, qui Domino non jubente sibi sacerdotium vindicabant, hoc patiuntur quicumque se in episcopatûs, aut presbyteratûs, aut diaconatûs officium, aut muneribus aut adulationibus impudenter conantur ingerere. Quo modo combusti sunt illi in corpore, sic isti exuruntur in corde.]

Hæc non habet Origenes; sed alia loco eorum habet.

B 2. Hortatur ergo Moyses pontificem magnum, ut offerat incensum in castris, & exoret pro populo. *Jam enim*, inquit, *vastari populus cœpit*. In spiritu videbat Moyses quæ gerebantur. [* Abiit ergo Aaron, ut offerret incensum pro populo, & stetit inter vivos & mortuos; & mitigatus est furor Dei.] Si intellexisti historiæ ordinem, & oculis, ut ita dicam, cernere potuisti stantem pontificem medium inter vivos & mortuos. Adscende nunc ad verbi hujus celsiora fastigia, & vide quomodo verus pontifex Jesus Christus assumto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, animâ sine dubio illâ magnificâ, cum qua natus est in carne, adjecto etiam incenso qui est spiritus immaculatus, medius inter vivos & mortuos stetit, & mortem non permisit ultrà grassari: sed, sicut Apostolus dicit, destruxit eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum; ut qui in ipsum pontificem Christum credit, jam non moriatur, sed vivat in æternum. Hoc fuit ergo mysterium quod postea futurum jam tunc Angelus ille, qui populum vastabat, expavit. Agnoscebat enim figuram thuribuli, & ignis, & incensi; & qualis offerenda esset Deo hostia ab eo qui medius mortuorum vivorumque constituendus erat, prævidebat: & illos quidem tunc imago præfigurata salvavit, ad nos autem salutis veritas ipsa pervenit. Neque enim indumenta pontificis purpurâ ac lanâ byssoque contexta erubuisset Angelus ille vastator: sed ista quæ futura erant indumenta Domini & Salvatoris nostri singularis & magni pontificis intellexit; & his cessit, quibus utique universa creatura inferior erat.

Num. 16. 46. & 47. *Aaron typus Christi mediatoris.* *Horum loco apud Origenem prolixior historiæ descriptio.* *Hebr. 2. 14.* *Quid Angelus vastator expavit.*

C D

3. Puto autem quòd non solùm primo adventu Domini & Salvatoris nostri forma ipsa completa sit: sed eadem fortasse servabitur & in secundo. Veniet enim iterum Filius hominis; & cùm venerit, sine dubio inveniet quosdam quidem mortuos, quosdam autem viventes. * Hoc loco non incongruè mortui intelliguntur illi, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui comprobantur, viventes autem illi qui in operibus vitæ permanserint. Verumtamen utrolibet modo stabit etiam in futuro magnus hic Pontifex & Salvator noster medius vivorum & mortuorum. Sed & tunc fortè medius vivorum & mortuorum stare dicendus est, cùm statuet oves quidem à dextris, hœdos autem à sinistris, & dicet „ his qui à dextris erunt, Venite benedicti Patris mei, „ percipite regnum quod vobis paratum est ab origine „ mundi. His autem qui à sinistris sunt dicet, Ite in „ ignem æternum operarii iniquitatis, quem præparavit „ Pater meus diabolo & angelis ejus, quoniam non novi vos. Et sunt utique mortui, qui in ignem mittuntur æternum: sunt autem vivi illi qui mittuntur ad regnum. Ad quod regnum vos pius Dominus perducere pro sua pietate dignetur, cui est honor & imperium cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Qui viventes, qui mortui in die judicii. *Hujus intelligentiæ duas alias profert Origenes.* *Matth. 25. 34. &c.*

E F

* SERMO XXXI.

De virga Aaron.

Altera pars est Origenis homilia in Numeros nona.

Olim de Tempore 99. & post in Appendice 40.

Virga est Principum.

G 1 OMNIS princeps tribûs populi habet virgam. Non enim potest quis regere populum, nisi habeat virgam. Unde & Paulus Apostolus, quia princeps erat populi, idcirco dicebat, Quid vultis in virga veniam ad vos, an in caritate & spiritu mansuetudinis? Omnes ergo principes tribuum habeant necesse est virgas suas. Sed unus est solus, sicut Scriptura dicit, [a verus pontifex ille cujus Aaron sacerdos præferebat figuram. Hujus ergo virga germinavit. Sicut enim virga Aaron germinavit in populo Judæorum; ita crux Christi floruit in populo Gentium.] Verùm quoniam, ut sæpe ostendimus, verus pontifex Christus est, ipse solus est cujus virga crucis non solùm germinavit, sed & floruit, & omnes credentium populorum fructus exhibuit.

1. Cor. 4. 21. *Serm. de Scripturis.*

2. Quis autem iste est fructus quem adtulit? b Amygdalæ inquit: amygdalæ, Fratres, nuces sunt. Qui fructus primo quidem indumento amarus est, sequenti munitur ac tegitur, tertio sumentem pascit ac nutrit. Talis ergo est in Ecclesia Christi, doctrina Legis & Prophetarum. Prima litteræ facies satis amara est, quæ circumcisionem carnis præcipit, quæ de sacrificiis mandat, & cetera quæ per occidentem litteram designantur. Hæc omnia, tamquam amarum nucis corticem, projice. Secundo in loco ad munimenta c tecta pervenies, in quo vel moralis doctrina vel ratio continentiæ designatur: quæ necessaria quidem sunt ad custodiam eorum quæ servantur intrinsecùs; frangenda tamen quandoque sine dubio & dissolvenda sunt. Ut si verbi caussâ dicamus, abstinentia ciborum & castigatio corporis, donec sumus in corpore isto corruptibili & passibili, sine dubio necessaria est; cùm autem superveniente morte confractum fuerit & resolutum, & resurrectionis tempore incorruptibile ex corruptibili redditum, atque ex animali spiritale, non jam labore afflictionis, nec abstinentiæ castigatione, sed qualitate sui nulla jam corpori corruptela dominabitur. Sic ergo & nunc [* durior testa nucis velut] necessaria abstinentiæ ratio videtur, & postmodum non quærenda. Tertio autem loco, reconditum [velut in nuce] invenies secretum mysteriorum sapientiæ & scientiæ Dei sensum, quo nutriantur & pascantur animæ sanctæ, non solùm in præsenti vita, sed etiam in futura. Ipse enim est pontificalis fructus, de quo promittitur his qui esuriunt & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. Hoc igitur modo in omnibus Scripturis triplicis hujus sacramenti ratio percurrit. Sic & Sapientia monet, ut describamus eam nobis in corde tripliciter, Ad respondendum, inquit, verbum veritatis his qui proposuerint nobis. Nam quia sacramentum sacerdotale est virga nucis: idcirco arbitror etiam Jeremiam, qui erat unus ex sacerdotibus ex Anathot, vidisse virgam nuceam, & prophetasse de ea illa quæ scripta sunt, vel de virga nucea, vel de lebete sive olla succensa: quasi ostenderet per hæc in virga nucea esse vitam, & in lebete succensa esse mortem. Vita enim & mors ponitur ante faciem nostram: & est vita quidem Christus in sacramento nucis: mors autem diabolus in figura lebetis succensæ. Si ergo peccaveris, portionem tuam pones cum olla succensa: si autem justè egeris, efficietur portio tua in virga nucea cum magno pontifice. Sed & in Canticis canticorum sponsa dicitur descendere in hortum nucis, ubi etiam pariter cum nucibus sacerdotalium quodam modo pomorum copiam perscribitur invenisse.

Nucis cum Lege allegorica comparatio. *Vel: Origenes addit.* *Matth. 5. 6.* *Proverb. 22. 20. & 21.* *Jerem. 1. 12, & 13.* *Cant. 6 10.*

3. Diligenter adtendite, Fratres, quia unum promisit Deus futurum in virga: & plura dedit. Verum est, Fratres: consuetudinis suæ rem fecit Dominus noster. Semper enim majora tribuit, quàm promittit. *Et erit*, inquit, *homo quemcumque elegero, virga ejus germinabit*. Hoc est solum quod promisit Deus, ut virga ejus quem elegerit, germinet. Ubi verò ad rem venitur, ut quod promissum est, ostendatur impletum, non unum illud quod promissum fuerat, effectum dicitur; sed vide quanta adducuntur. Ait enim Scriptura, *Ecce germinavit virga Aaron in domo Levi*. Hoc est unum illud sine dubio, quod fuerat repromissum. Sed adduntur & alia, & dicitur, *Et produxit frondes, & protulit flores, & germinavit nuces*. Cùm ergo de solo germine fuisset repromissum, vide quanta largitur Deus; ut non solùm germen produxerit, sed & frondes; & non solùm frondes, sed & flores; & non solùm flores, sed & fructus.

Liberalitas Dei. *Num 17. 5.* *Ibidem 8.*

4. Quid igitur est quod ex his colligere & contemplari possimus, videamus. Primum omnium resurrectionis ex mortuis sacramentum in his evidenter agnosci-

Resurrectionis figura & prærogativæ quædam.

a Horum loco Origen. *pontifex Aaron, cujus virga germinavit. Verum &c.*
b Apud Orig. *Nucis, inquit: qui fructus &c.*
c Origenes, *testa.*

CLASSIS I. mus. Virga enim arida germinat, cùm corpus exstinctum cœperit reviviscere. Quæ sunt autem quatuor ista, quæ resurgenti corpori præstabuntur? Ut seminatum in corruptione, surgat in incorruptione; & seminatum in infirmitate, surgat in virtute; & seminatum in ignominia, surgat in gloria; & seminatum corpus animale, resurgat corpus spiritale. Ista sunt quatuor, quæ virga arida corporis nostri in resurrectione germinabit. Sed redeamus ad ea quæ de virga dicere cœperamus.

Vitæ spiritalis gradus quatuor adumbrantur. 5. Possumus adhuc sic intelligere eorum, quæ in virga germinaverant, differentias. Omnis qui in Christo credit, primò moritur; & post hoc renascitur. Et est etiam in his figura, quòd virga arida postmodum germinat. Est ergo primum germen, prima hominis in Christo confessio. Secundò frondescit, ubi renatus donum gratiæ ex Spiritûs Dei sanctificatione susceperit. Inde affert flores, ubi proficere cœperit, & morum suavitate decorari, ac fragrantiam misericordiæ & benignitatis effundere. Ad ultimum quoque affert etiam fructus justitiæ, quibus non solùm ipse vivat, sed & aliis vitam præbeat. Cùm autem ad perfectum venerit, & protulerit ex se verbum fidei, verbum scientiæ Dei, & [per doctrinam suam] alios lucrifecerit; hoc est adtulisse fructus, quibus alii nutriantur. Sic ergo singuli quique credentium de virga Aaron, quæ Christus est, germinantur. Quorum quatuor istæ differentiæ in aliis Scripturæ locis velut ætates quatuor designantur, quas Johannes Apostolus in epistola sua distinctione mystica
1. Johan. 2. 12. &c. » comprehendit. Ait enim, Scripsi vobis pueri, & scripsi » vobis adolescentes, & scripsi vobis juvenes, & scripsi
a vobis patres. In quibus utique non [a] corporales ætates, sed spiritualium profectuum differentias ponit: ut etiam in hoc sacerdotalis virgæ germine observavimus designari.

6. Habentur ergo omnia hæc non tam in virga Aaron,
Isaiæ 11. 1. quàm in ea virga quæ exiit de radice Jesse, & flore qui de radice ejus adscendit, super quem requievit Spiritus Dei. In quo nec hoc ipsum videtur otiosum, quòd
Unus Christus flos & virga, diversus diversis. exire dicitur virga, & flos adscendere. Quamvis enim unus sit Christus per substantiam, singulis tamen diversus efficitur, prout indiget is qui operatur. Qui ergo segnior est & negligentior, pro disciplina Christus ei efficitur virga; & in virga non adscendere dicitur, sed exire. Exeundum namque est ei qui inutilis & ignavus est, de eo statu in quo non rectè consistit, & transeundum ad alium statum tamquam virgæ compulsione, id est, severitate, doctrinæ rigidioris admonitu. Qui verò
Psal. 91. 13. justus est, quia justus sicut palma floret; in hoc adscendere dicitur Christus. Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga: qui autem proficit ad justitiam, adscendit ei in florem. Adscendit autem, quò usque affe-
Galat. 5. 22. &c. rat fructus Spiritûs, qui sunt caritas, gaudium, pax, patientia, & reliquæ virtutes, in Christo Jesu Domino nostro qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* Aliàs de Tempore. 101.

*SERMO XXXII.

De serpente æneo & de virga Moysi.

In Appendice nunc primùm collocatur. Inter Augustinianos Sermones absque Augustini nomine relictus à Lovaniensibus fuerat: à Verlino autem & Vindingo spuriis accensitus. Dubitamus an sit inter Cæsarianos numerandus.

1. IN lectione quæ nobis recitata est, Fratres carissimi, audivimus quòd eo tempore, quo propter superbiam Judæorum & murmurationem eorum contra Dominum à serpentibus regulis, id est, basiliscis, in
Num. 21. 8. deserto populus vastabatur, præceperit Dominus Moysi, ut serpentem æneum faceret, eumque in ligno suspenderet, quem percussi respicientes ab interitu sanarentur.
Serpens æneus figura incarnationis. Serpens iste, Fratres dilectissimi, licèt hoc satis mirum esse videatur, tamen figuravit incarnationem Domini. Durum fortè alicui videri poterat ista significatio, nisi hoc ipse Dominus in Evangelio suo dixisset.
Johan. 3. 14. Sic enim ait, Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Suspensus est ergo tunc serpens æneus in conto; quia Christus suspendendus erat in ligno. Tunc enim quicumque fuisset

a Origenes, corporalis ætatis.

A à serpente percussus, serpentem æneum respiciebat, & sanabatur: nunc verò humanum genus, quod à spiritali serpente diabolo percussum fuerat, Christum credendo respicit, & sanatur. Quicumque percussus serpentem illum æneum non vidisset, moriebatur: ita est, Fratres, nisi quisque in Christum crediderit crucifixum, diaboli veneno perimitur. Tunc enim unusquisque respiciebat serpentem mortuum, ut posset evadere vivum: nunc verò qui vult diaboli vitare venenum, Christum respiciat crucifixum. Et quia mors à morsu nomen accepit, Mors à morsu. & generi humano morsu antiqui serpentis acciderat, &
B mors nisi à morte superari non poterat; ideo mortem Christus sustinuit, ut injusta mors justam vinceret mortem, & liberaret reos justè, dum pro eis occidebatur injustè. Quidquid enim diabolus in Adam exercuerat, Diabolus in Adam quasi justè, in Christum injustè sævit. quasi justè videbatur egisse in homine, qui se unius arboris delectatione vendiderat. In Adam ergo quasi in proprio servo jure sibi domino dominium vindicavit: in passione autem Christi, in quo peccati maculam non invenit, injustè mala omnia perpetravit. Sic & ipse Dominus in Evangelio dixit, Ecce venit princeps hujus Johan. 14. 30. mundi, & in me nihil invenit. Quid est, nihil invenit? Nullum omnino peccatum. Et in Psalmis, Quæ non ra- Psal. 68. 5.
C pui, inquit, tunc exsolvebam. Quod ergo justè debebat Adam, Christus injustè mortem suscipiendo persolvit. Adæ debitum Christus exsolvit. Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem: ille arborem necis, iste salutis ostendit: ille se contra Deum erexit, & cecidit; Christus se humiliavit, ut omnes erigeret: Adam mortem universis intulit, & Christus vitam omnibus reparavit. Respiciebat ergo unusquisque ad serpentem æneum, & à venenatis serpentibus sanabatur. Serpens Num. 21. 9. æneus in ligno positus venena vivorum serpentium superavit; & Christus in cruce suspensus & mortuus, antiqua diaboli venena * restrinxit, & omnes qui ab eo per- * f. restinxit.
D cussi fuerant, liberavit.

2. Quare tamen serpens ille non de auro, non de argento, sed de æramento fuerit factus, videamus. Cur serpens æneus, non aureus aut argenteus. Hoc mihi videtur, quòd duas significationes habere possit: unam propter diuturnitatem; quia vasa ænea durare diutiùs solent: aliam propter vocis claritatem; nam inter omnia metalla, vasa ærea majorem tinnitum reddere, & longiùs sonare solent. Doctrina non in una tantùm gente Judæorum innotescere, sed per universum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat pervenire: ideo serpens ille æneus efficitur, ut doctrina
E Christi in universo mundo clariùs prædicetur: secundùm illud quod de Apostolis scriptum est, In omnem terram Psal. 18. 5. exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. «

3. Et tamen, Fratres, etiam secundùm medicorum carnalium disciplinam, quibus de morte serpentis contra vivorum serpentium venena, salubria præparantur antidota, non est incongruum ut mortuum debeat serpentem intendere, qui à vivorum serpentium venenis desiderat liberari. Hæc ergo omnia ideo diximus, ut quoscumque serpentis, id est, diaboli & angelorum ejus venena percusserint, ad Christum qui in similitudine illius ænei in ligno suspensus est, fideliter adspiciant, ut
F cum beato Paulo apostolo dicere possint, Mihi autem « Gal. 6. 14. absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, « per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. «

4. Et quia de beatæ crucis mysterio diutiùs loqui & Crucis mysteria in virga Moysi. dulce est & salubre, reliquas ejus significationes breviter, si jubetis, Caritatis Vestræ auribus intimamus. Quid enim dulcius, quid suavius vel cogitari vel dici potest, quàm sanctæ crucis mysterium, per quam non solùm ab inferis revocari, sed etiam in cælos elevari meruimus? Quia sine ulla dubitatione ubi caput nostrum Christum adscendisse credimus, membra illius secutura esse confidimus. Ligni crucis etiam umbra vel
G figuræ in veteri quoque Testamento plurimùm valuerunt. Nullum Moyses signum sine ligni sacramento peregit. Ut enim signa & prodigia in Ægypto faceret, virgam accepit à Domino, & ad signa quæque divinitus audiebat, & dicebatur ei, Eleva virgam tuam. Non Exodi 7. 9. utique Deus virgæ auxilio indigebat; sed erigebatur, ut scire possemus, quantum esset illud futuri ligni mysterium, cujus fuerat umbra figuratum virgæ illius sacra-

mentum.

Classis I. Exodi 14. 16. Exod. 15. 25. mentum. Fortè si rubrum mare dividendum est, jubetur Moyses elevare virgam; & mare cognoscens venturi ligni figuram, mox iter populo pandit insuetum. Si ad aquam Marrhæ amaram venitur, nisi lignum in se susceperit, non dulcescit. Quæ res erat indicio, amaritudinem Gentium per lignum crucis in usum dulcedinis quandoque esse vertendam. Si autem non habet aquam populus unde bibat, petra ligno percutitur; & dat per gratiam quod non habuerat per naturam. Si Amalec sævus hostis occurrit, Jesus filius Nave virgam tenere manu jubetur, & Moyses brachia sua in modum crucis extendere; ac sic per figuram crucis vincitur insuperabilis inimicus. Sed nec Elisæus ligni hujus mystici virtutem penitus ignoravit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsam, misso in flumine ligno de profundo evocavit; significans utique dura corda & ferreas hominum cervices de profundo emersas errore, ligno crucis esse in posterum subjugandas. O crux cujus tantus ac talis decerpitur fructus! Fructus autem crucis, gloriæ est resurrectio. Hic fructus ligni hujus verè plantatus est secus decursus aquarum. Semper enim cruci baptisma jungitur. Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione; dabit & cùm apparuerit de cælis ille, qui visus est super terram, cùm præcedente ipso crucis signo jam fulgido venerit de supernis: tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exsultabunt sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur, qui nunc de sui regis ac Domini cruce non confunduntur, sed potiùs gloriantur.

*SERMO XXXIII.

* Aliàs de Tempore 103.

De Balaam & Balac.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex Origenianis in Numeros homiliis fragmenta quædam exhibet, nullo quidem hic nexu cohærentia; sed aliquantò aptiùs colligata in Fuliensium MS. in quo multis ex eodem fonte haustis sententiis auctior invenitur.

Num. 22. 1. &c. 1. LECTIO quæ nobis hodie recitata est, Fratres carissimi, dicit, quòd *profecti filii Israël collocaverunt castra ab Occidente Moab juxta Jordanem contra Jericho, & vidit Balac filius Sephor*, & reliqua omnia quæ de Balaam & asino scribit historia plena negotiis. Interior verò intellectus multò negotiosior: & nescio si facile sit vel ipsas tantùm historicas explanare sententias: Deo tamen donante, breviter quæ possumus perstringemus.

Balaam magus potiùs quàm propheta. 2. Hic Balaam famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxiis præpotens. Non enim habebat potestatem vel artem verborum ad benedicendum; sed habebat ad maledicendum. Dæmones enim ad maledicendum invitantur, non ad benedicendum. Et ideo quasi expertus in talibus, in opinione erat omnibus qui erant in Oriente. Nisi enim experimenta ejus plurima præcessissent, quòd frequenter maledictis hostem vertisset armatum, non utique præsumsisset rex hoc posse fieri sermonibus, quod ferro & acie vix posset impleri. Certus ergo Balac de hoc, & frequenter expertus, omissis omnibus instrumentis & auxiliis bellicis, mittit ad eum legatos, dicens, *Veni, nunc maledic mihi populum hunc, quia fortior hic est quàm nos: si fortè possimus aliquos percutere ex eis, & ejicere eos de terra.* Et addidit, *Scio*, inquit, *quòd quos benedixeris, benedicti erunt; & quos maledixeris, maledicti erunt.* Ego non credo, quia sciret rex, quòd quibus benedixerit, benedicti essent: sed videtur mihi adulandi gratiâ hæc dicere, ut artem ejus efferens & extollens, promtiorem eum reddat ad facinus. Sed tandem veniunt ad Balaam legati. *Venerunt enim*, inquit, *seniores Moab & seniores Madian, & divinacula in manibus eorum.* Igitur Balaam divinaculis acceptis, cùm solerent dæmones ad se venire, fugatis quidem dæmonibus vidit adesse Dominum. Venit ergo ad Balaam, non quòd dignus esset ad quem veniret Deus; sed ut fugarentur illi, qui ei ad maledicendum & malefaciendum adesse consueverant. Et dixit Deus ad Balaam, *Non eas cum eis, neque maledicas populum; est enim benedictus.* Deus ire Balaam atque invocare dæmones ad maledicendum prohibet: si tamen à cupiditate cessasset. Sed quia persistit in desiderio pecuniæ, indulgens Deus arbitrii libertati rursus ire permisit. Adscendit ergo asinam Balaam: occurrit ei Angelus qui excubabat pro Israël, de quo scriptum est, dicente Domino ad Moysen: Angelus meus ibit tecum. (Exodi 32. 34.) Pertendenti ergo ire conceditur: in via conteritur ab asina. Sed magus dæmones videt, Angelum non videt; asina tamen videt: non quòd digna esset videre Angelum, sicut nec loqui digna erat; sed ut confutaretur Balaam, & ut ait Scriptura in quodam loco, Mutum animal humana voce respondens argueret Prophetæ dementiam. (2. Pet. 2. 16.) Hæc asina, id est, Ecclesia, priùs portabat Balaam, nunc autem Christum, ex quo soluta est à discipulis, & à quibus innexa erat vinculis relaxata, ut Filius Dei sederet super eam, & cum ipsa ingrederetur sanctam civitatem Jerusalem; & compleretur Scriptura quæ dicit, Lætare filia Sion: ecce rex tuus venit tibi mitis, sedens super subjugalem, id est, asinam. (Matth. 21. 5.) Asinam, credentes sine dubio ex Judæis dicit, & pullum novellum eos profectò qui sunt ex Gentibus credentes in Christum.

3. Balaam hic, qui interpretatur populus vanus, videtur mihi habere personam Scribarum & Pharisæorum Judaici populi. Balac verò, qui exclusio vel devoratio interpretatur, & ipse habere personam intelligendus est unius alicujus mundi hujus contrariæ potestatis, quæ excludere & devorare cupiat Israël. Primùm ergo omnium de ipso Balaam requiramus, cur in Scripturis nunc vituperabilis est, nunc laudabilis ponitur. Nam vituperabilis est, cùm ædificat aras, & victimas imponit dæmoniis, & apparatu magico poscit divina consulta: culpabilis est, cùm consilium pessimum dat, ut populus decipiatur per mulieres Madianitas, & cultum idolorum. Rursus laudabilis ostenditur, cùm verbum Domini ponitur in ore ejus, cùm Spiritus Dei fit super eum, cùm de Christo prophetat, cùm Judæis & Gentibus de adventu Christi mysteria futura pronuntiat, cùm pro maledictionibus benedictiones populo largitur, & nomen Israël super visibilem gloriam mysticis excolit eloquiis.

* Hunc usque ex homil. Origenis 13. in Num. Jam ex hom. 14. sub finem. Balaam & Balac quorum figuræ. * Ex homil. 15. initio.

4. Hæc, Fratres carissimi, pauca de plurimis, pro tempore vobis dicta sufficiant, sed omnia in corde diligentissimè retinete, & corda vestra semper ad spiritalia agnoscenda convertite: ut quia omnem prophetiam jam per Evangelium nobis Dominus revelavit, ad illud gaudium pervenire mereamur, quod piè & justè viventibus Dominus repromisit: ipso adjuvante qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO XXXIV.

* Aliàs de Tempore 105.

Quòd justo Dei judicio filii Israël terram promissionis, expulsis Chananæis, receperint.

In Appendice nunc primùm collocatur. A Lovaniensibus inter Augustinianos sine Augustini nomine ut dubius relictus est: à Verlino & Vindingo rejectus cum supposititiis. Cæsarii stilum & doctrinam refert. Sed in fine habet additamentum ex Sermone de Susanna & Joseph, qui infrà suo loco edendus est.

Cæsarii Sermo XVI. Josue 1. 1. &c.

1. IN lectionibus quæ nobis recitatæ sunt, Fratres carissimi, audivimus quòd mortuo Moyse, Jesus susceperit principatum, & transito Jordane, expulsis vel interfectis Chananæis, terras eorum filiis Israël tradiderit possidendas. Quotiens lectiones istæ, Fratres carissimi, de Testamento veteri recitantur, solent Pagani, vel maximè immundissimi Manichæi, ore sacrilego blasphemare, & dicere, Quæ justitia Dei fuit, ut filios Israël per violentiam de terra Ægypti tolleret, & postea expulsis Chananæorum gentibus, terras eorum eis tradiderit possidendas? Unde ne fortè simplices quosque vel imperitos ista murmuratio profana decipiat, quantum possum, breviter, Deo auxiliante, Sanctitati Vestræ demonstrare cupio ab antiquis Patribus traditam verissimam rationem; & ostendere quia Deus noster non solùm misericors, sed & justus est, & *judicia ejus plerumque sunt occulta, numquam tamen injusta.

Chananæi justè è terris expulsi. * Cæsar. homil. inter Baluz. 14.

Prima ratio injusta possessio. 2. Tradunt majores nostri, quòd quando filii Noë omnem terram inter se invicem diviserunt, terra ista quæ dicitur Chananæorum, in divisione orbis seniori filio Noë, id est, Sem, in possessionem obvenerit, &

CLASSIS I.

eam tempore non parvo possederit: postea verò increscentes populi Chananæi (de illo utique filio Noë Cham, qui à patre fuerat maledictus) venerunt ad loca illa; & per violentiam expulsis fratribus suis, id est, filiis Sem, terram eorum more barbarico possederunt. Et quia beatus Abraham de genere Sem legitur fuisse, filii ejus, id est, populi Israëlitæ, non alienam terram tradente Domino pervaserunt; sed suam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt. Et quia Chananæi, excepto illo peccato, quòd possessionem alienam invaserant, multa nefanda & inaudita crimina committebant; in tantum, ut quando Dominus Sodomam & Gomorrham subverteret, dixisse legatur, Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum: & exspectabat Dominus ut aut converterentur, & agerent pœnitentiam; aut certè, si converti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi mensuram implentes, justissimam Dei sententiam sustinerent. Quia ergo eos dupliciter invenit reos divina censura, pro eo quòd & terras alienas invaserant, & postea scelera & crimina inaudita commiserant, justo judicio puniuntur, & Israëlitico populo antiquorum patrum possessio reformatur. Et hæc quidem secundùm litteram, sicut in libris Sanctorum invenimus, Caritati Vestræ rustico & simplici sermone, quem toti intelligere possent, insinuanda credidimus; ut habeatis quid respondere possitis immundissimis & sacrilegis Manichæis. Quia ergo, sicut jam dictum est, filii Israël antiquorum parentum suorum terram recipiunt, non alienam quasi per injustitiam tollunt.

Altera ratio, graves reatus. — *Gen. 15. 16.*

3. Et hæc quidem secundùm litteram justo Dei judicio gesta referuntur. Sed quia, sicut dicit Apostolus, Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt: quid etiam spiritaliter ista significent, si diligenter, sicut Deo inspirante consuevistis, adtenditis, ratione evidentissima cognoscetis. Terra repromissionis, quam totiens Deus [a] dicit lacte & melle manantem, nos fuimus, antè quàm peccaret Adam; quando in nobis nihil aliud erat, quàm quod misericordia contulerat Conditoris. Postquam autem in Adam omnes peccavimus, de quo dicit Apostolus, Omnes in Adam moriuntur; & iterum, Ex uno omnes in condemnationem, per transgressionem primi hominis; terram repromissionis Chananæi cœperant possidere. Voluntas enim Domini possessionem cordis nostri, non vitiis, sed virtutibus naturaliter deputaverat. Sed post prævaricationem Adæ insolescentibus vitiis, tamquam populis Chananæis, à propria regione, id est, ab intellectu vel mente rationali, virtutes sanctæ depulsæ sunt, & vitia remanserunt. Cum autem virtutibus rursum Dei gratiâ possessio animæ nostræ fuerit restituta, non tam alienas occupasse terras, quàm proprias videbimur recepisse. Cùm enim, auxiliante Domino, à populo virtutibus contra se dimicantibus, vitia fuerint superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas occupabit; quem furor cepit, sapientia possidebit; quem tristitia mortem operans invaserat, salutaris & plena gaudii lætitia obtinebit; quem desidiæ tepor vel negligentiæ vastabat, humilitas honestabit: quem cupiditas obscurum fecerat, misericordia ad claritatem pristinam revocabit; quem invidia veneno suo percusserat, benigna simplicitas adornabit. Ita singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est, affectus, virtutes è contrario possidebunt. Ipsæ tamen virtutes, filii Israël, id est, animæ videntis Deum non immeritò nuncupantur: & cùm universas, Deo auxiliante, cordis sui expulerint passiones, non tam alienas possessiones pervasisse, quàm proprias terras recuperasse credendæ sunt.

1. Cor. 10. 11. — *a Terra promissionis, homines ante peccatum.* — *1. Cor. 15. 22.* — *Rom. 5. 16. & 18.* — *Cæsar. hom. 10. & 23.* — *V. suprà ser. 2. n. 1. & ser. 8. n. 5.* — *Virtutibus nativa cordis possessio.*

4. Et illud advertite, Fratres, quòd specialiter ad donum gratiæ pertinere cognoscitur. Non enim per bonum naturæ, nec per Legem litteræ: quia non per Moysen, id est, per Legem veteris Testamenti, sed per Jesum successorem Moysi terra repromissionis Israëlitico populo reformatur. Sic enim & Apostolus ait, Nihil, inquit, ad perfectum adduxit Lex. Non per Legis

Nonnisi per Jesum recuperatur. — *Hebr. 7. 19.*

A litteram, sed per Evangelicam gratiam, gentes crudeles & pessimæ, id est, originalia peccata vel actualia crimina, de terra repromissionis, id est, Christianorum cordibus, Jesu ducente potuerunt effugari; sicut ipse in Evangelio dicit, Nemo potest domum fortis intrare, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem. Et iterum, Confidite, ego vici mundum. Sicut enim vetus Adam consentiendo diabolo, nos de terra repromissionis exclusit: ita è contrario novus Adam Christus resistendo diabolo, nos ad antiquam patriam revocavit.

SERM. DE SCRIPTURIS. — *Matth. 12. 29.* — *Iohan. 16. 33.*

5. Et hoc, Fratres, adtendite, quia terra repromissionis non recipitur, nisi priùs regnante Jesu Jordanis fluvius
B transeatur. Ita est, Fratres: quia ad spiritalem terram repromissionis, id est, ad conscientiam puram, non nisi per sacramentum baptismi pervenitur. Per ipsum enim fluvium Jesus Israëliticum populum transire fecit, [b] quem postea verus Jesus suo baptismo consecravit.

Et post transitum Jordanis, hoc est baptismum.

6. Hæc enim quæ vobis suggessimus, Fratres carissimi, velut munda animalia spiritaliter ruminate. Scriptum est itaque, Quos Deus amat, arguit & castigat: Et, Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Quotiens Domino dispensante tribulari permittimur, vel aliquas adversitates contra justitiam sustinemus, patienter & æquanimiter, auxiliante
C Domino, sufferamus, propter illud quod Apostolus ait, « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futu-« ram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Cùm tribula-« mur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo « damnemur. Magis timere debemus, si aut nullas aut parvas tribulationes in hoc sæculo patimur: quia si Deus flagellat omnem filium quem recipit, sine dubio quem non flagellat, non recipit. Si pro terrenis bonis tantos labores & tam gravia pericula homines æquo animo patiuntur, quare pro fide thesauro æterno sumus pigri? Quare sumus timidi, pro illis divitiis, quas nec naufragia nobis possunt auferre? Justus enim nau-
D fragus evadit dives & nudus. His divitiis plenus erat sanctus Job. Nihil in domo remanserat, omnia uno ictu perierunt, quibus opulentus paulò antè videbatur: subitò mendicus in stercore sedet, à capite usque ad pedes vermibus scatens. Quid istâ miseriâ miserius? quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa quæ dederat Deus: sed habebat ipsum qui omnia dederat, « Deum. Nudus, inquit, exivi de utero matris meæ, nu-« dus revertar in terram. Dominus dedit, Dominus ab-« stulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen « Domini benedictum in sæcula. Certè pauper est, certè nihil habet. Si nihil remansit, de quo thesauro istæ
E gemmæ laudis Dei proferuntur? Postea tentator ad carnem accessit: omnibus sublatis tentatricem uxorem reliquit. Evam dimisit, sed Adam ille non fuit. Et ibi qualis inventus est? quomodo respondit uxori blasphe-« miam suggerenti? Locuta es, inquit, quasi una ex insi-« pientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Do-« mini, mala quare non sustineamus? O virum putrem & integrum! ô fœdum & pulcrum! ô vulneratum & sanum! ô in stercore sedentem, & in cælo regnantem! Si amamus, imitemur: ut imitemur, laboremus. Adjuvat certantem, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam. Clamare enim
F novit; adjuvare non novit: coronam fœneam parare potest; vires subministrare non potest. Homo enim est, non Deus. Et fortè dum spectat, plus laborat sedendo, quàm ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adjuvat eos invocantes. Nam vox athletæ ipsius est in Psalmo: Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me. Non ergo simus pigri, Fratres mei; quæramus, petamus & pulsemus. Qui quærit, invenit; qui petit, accipit, & pulsanti aperietur; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæ-
G cula sæculorum. Amen.

Apoc. 3. 19. — *Eccli. 27. 6.* — *Adversitas æquanimiter ferenda.* — *Rom. 8. 18.* — *1. Cor. 11. 32.* — *Ex Sermone de Susanna & Joseph.* — *Iob. 1. 21.* — *Iob. 2. 10.* — *Psal. 93. 18.* — *Luc. 11. 10.*

[a] MSS. *Deus laudat, nos fuimus.*
[b] Hæc verba, *quem postea .... consecravit*, quæ desiderantur in editis, in MSS. efficiunt finem Sermonis cum verbis *qui vivit* &c.

Classis I.

Alias de Tempore 106.

* SERMO XXXV.

De eo quod Jesus præcepit populo, ut parati essent ad transeundum Jordanem; & de subversione murorum Jericho.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensium opinione dubius: Verlini & Vindingi judicio supposititius est. Nostrâ autem sententiâ Cæsario adscribendus.

Cæsarii Sermo XVII. Moyses figura Legis. *Matth. 17. 3.* *Jesus figura veri Jesu.* *Josue 1. 11.* *Trinitatis fides ad baptismum.*

1. Sicut frequenter Caritati Vestræ suggessimus, Fratres carissimi, Moyses non solùm typum Christi, sed etiam figuram Legis intelligitur habuisse. Denique in monte ubi Dominus transfiguratus est, Moyses & Elias loquebantur cum eo: & in illis duobus Lex & Prophetia significatæ sunt. Mortuo ergo Moyse, Jesus suscepit imperium; & cessante Lege, Dominus noster verus Jesus totius mundi obtinuit principatum. Jesus ergo ille, qui typum Domini præferebat, veniens ad Jordanem, dixit ad populum, *Parate vobis cibos ad diem tertium.* Diem tertium, Fratres carissimi, Trinitatis agnoscimus esse mysterium. Quos ergo cibos præparare debemus, ut ad diem tertium veniamus? Videtur mihi, quòd cibus iste fides intelligi debeat: Christianis enim fides est, per quam in Trinitatem creditur, & ad sacramentum baptismi pervenitur. Quod ergo tunc Jesus ille dixit populo suo, hoc nunc & verus Jesus per ministros suos dicit populo Christiano. Quid est enim aliud dicere, *Parate vobis cibum ad diem tertium;* nisi, Trinitatis suscipite sacramentum? Post hæc Jordane transito, quasi baptismi completo mysterio, populus Israël terram repromissionis ingreditur. Verum est, Fratres carissimi, nisi quis per baptismi sacramentum transierit, terram veræ repromissionis, id est, æternam beatitudinem non videbit.

Josue 2. 1. Exploratores duo, duo præcepta.

2. Mittit tamen Jesus duos exploratores ad civitatem Jericho, & suscipiuntur à meretrice. In his duobus missis duo præcepta intelliguntur geminæ dilectionis. Quia & re vera quid nobis aliud annuntiant illi, quos mittit verus Jesus, nisi ut diligamus Deum, diligamus & proximum? Dixit ergo Jesus, *Præparate vobis cibos, & estote parati in diem tertium.* Sicut enim tunc præparatis cibis, die tertio ventum est ad Jordanem fluvium; ita & nunc in Ecclesia catholica assumtis spiritalibus cibis fidei, spei & caritatis, pervenitur ad Trinitatis mysterium & baptismi sacramentum.

Josue 4. 9. & 8. Lapides in Jordane, Patriarchæ; in castris positi, Apostoli.

3. Tulit autem Jesus duodecim lapides, & posuit in Jordane: & ex ipso Jordane tulit alios duodecim, & fixit in loco castrorum. Illi duodecim qui missi sunt in Jordanem, videntur mihi typum habuisse Patriarcharum: illi verò qui levati sunt de Jordane, figuram habuisse Apostolorum. Post mortem enim Moysi, sepultis Patriarchis, Apostoli surrexerunt. Sic & in Psalmo legimus, "Pro patribus, inquit, tuis nati sunt tibi filii: "constitues eos principes super omnem terram. Sic sepultis Patriarchis Apostoli surrexerunt. Jesus duos mittit exploratores: quia verus Jesus docturus erat, quo modo sepulto seniore populo in deserto, junior populus Jesu duce in terram repromissionis inducatur.

Psal. 44. 17.

Judæorum & Gentium figura.

4. Nam senior ille populus typum habuit Judæorum; junior verò populus figuram habuit Gentium. Ille populus senior, transito mari rubro, sepelitur in eremo: junior verò populus ad hoc transit Jordanem fluvium, ut accipiat regnum. Verum est, Fratres: nemo beatitudinem regni cælestis accipit, nisi priùs per baptismi sacramenta transierit. Nam de illo seniore populo non ampliùs quàm duo meruerunt terram repromissionis intrare: & in ipsis duobus aliquid figuratum esse cognoscimus. Sicut enim suprà dictum est, duo sunt præcepta dilectionis, quæ Christianum populum, ut vitam æternam percipiant, invitant. Ita illi duo fuerunt, qui Judæorum populo consilium dabant, quòd si in Deum crederent, feliciter terram repromissionis introirent.

Josue 6. 20. *Jericho typus mundi.*

5. Post hæc ad civitatem Jericho ventum est, & muri ejus clamore populi & sono tubarum usque ad fundamenta dejecti sunt. Jericho, Fratres, typum habuit mundi hujus. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illius ceciderunt; ita & nunc oportet ut civitas mundi id est, superbia, cum suis turribus, avaritiâ scilicet, A invidiâ atque luxuriâ, simulque cum populis, id est, omnibus concupiscentiis malis, assidua sacerdotum prædicatione destruatur atque dispereat. Non ergo oportet, ut sacerdotes in ecclesia taceant; sed audiant Dominum dicentem, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. Clamare ergo jubemur; & vehementer clamare nec parcere voci, ut parcamus saluti. Ne parcas, inquit, id est, peccatoris [a] iniquitati: ne tacendo pereas, & dum verecundiæ ejus consulis, non consulas sanitati, ne vulnera illius quæ clamando resecare poteras, reticendo in pejus enutrias. Clamare ergo jubemur; &, ne quis se non audisse B dicat, aut quemquam vox lateat sacerdotis, vehementer clamare. Et ne fortè hoc ipsum non sufficeret, addidit, dicens, Sicut tuba exalta vocem tuam. Scitis quòd tubæ sonus non tam oblectationis esse soleat, quàm terroris, nec tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solùm aures eorum penetret, sed & corda concutiat; nec delectet cantu, sed castiget auditu: ut strenuos quosque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis. Nam sicut in prœlio tuba formidolosi militis mentem dejicit, & animum viri fortis accendit; ita & sacerdotalis tuba mentem peccatoris C humiliat, & mentem justi corroborat: & uno eodemque sono ista adhortatio, quemadmodum si fortior fuerit, ad vincendum illi terrorem incutit; ita si tardior fuerit, relaxat ad peccandum. Hæc enim consuetudo tubæ est, ut delinquentium opera dissipet, & sanctorum facta confirmet.

Serm. de Scripturis. *Isai. 58. 1.* *Sacerdotalis tuba.* *Tubæ sonus terroris est, non oblectationis.*

Per tubas muri Jericho ruunt, per prædicationem iniquitas.

6. Denique per sacerdotales tubas Jericho muri, qui intra se continebant peccatorem populum, corruerunt. Non illos pulsavit aries, non expugnavit machina; sed quod mirum est, sacerdotalis sonus ac tubæ terror evertit. Muri qui adversùs ferrum inexpugnabiles exstiterant, sacra tubarum voce collisi sunt. Quis enim non D stupeat in illo facto sono saxa disrupta, fundamenta irrationabilium rerum clangore esse quassata; & ita universa collapsa, ut cùm victores nihil manu læderent, apud adversarios nihil stabile remaneret? Sed quamvis muros illos nemo contingeret, expugnabantur tamen forinsecùs sono justorum, intrinsecùs peccatorum. Sic enim æquo Dei judicio & justis aperuerunt viam, & defensionem perfidis negaverunt. Sed hæc omnia in figura facta esse, non dubium est. Nam sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfigurasse credimus, quàm hujus temporis sacerdotum prædicationes, quæ non cessant peccatoribus terribili sono austerum judi- E cium nuntiare, tristem gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor destructis cæmentorum muris ad populi interiora pervenit; ita nunc prædicatio sacerdotum destructis pravis cogitationibus ad animæ nuda pertransit. Et sicut sacræ vocis sonus contumacem populum destruxit & captivavit; ita & nunc sacerdotalis prædicatio populum peccatorem subjugat & captivat: sicut dicit beatus apostolus Paulus, "Arma militiæ nostræ non sunt carnalia; sed potentia "Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs F "scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Videte igitur si non sacerdotum linguæ, juxta dictum Apostoli, quædam sunt arma verborum, quibus destruitur vana cogitatio, & inflata superbia captivatur. Septem ergo diebus, sicut Scriptura dicit, muri Jericho sacerdotalibus tubis circumdati ceciderunt. Unde nos spiritalibus spiritalia comparantes, dicimus quòd hoc septenario numero nunc per sacerdotes Dei non tam una civitas destruitur, quàm totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis urbis nuncupatione universi mundi habitus figuratur; ita septem dierum circulo totius mundi spa- G tia distinguuntur, per quæ sacerdotalium prædicationum tubæ ipsi sæculo excidium annuntiant, & judicium comminantur: sicut scriptum est, Quoniam mundus peribit, & omnia quæ in mundo sunt. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum: donante ipso qui vivit & regnat per sæcula.

1. Cor. 10. 4. & 5. *1. Cor. 2. 13.* *1. Johan. 2. 16. & 17.*

[a] MSS. *Peccatoris iniquitatem ne tacendo prætereas*, Sensus incompletus nisi addideris, *ne pereas.*

CLASSIS I.

* Aliàs de Tempore 108.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO XXXVI.

De Gedeon.

In Appendice nunc primùm collocatur. Excepta recapitulatione in quam Sermo desinit, nihil eo continetur aliud, nisi quæ apud Ambrosium libro 1. de Spiritu-sancto procemii vice præfixa est, enarratio de Gedeone; non tamen tota.

a *Judic. 6. 11. &c.* 1. [a] HODIERNA die audivimus, Fratres, quòd cùm sub arbore quercu Gedeon filius Joas tritici messem virgâ cæderet, Angelo promittente audire meruerit, ut a potestate inimicorum in libertatem Dei populum vindicaret. Nec mirum, si est electus ad gratiam; cùm sub umbra jam tunc sanctæ crucis & venerabilis sapientiæ prædestinato Incarnationis futuræ mysterio constitutus, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionemque sanctorum à purgamentis inanis paleæ sequestraret: qui tamquam virgâ veritatis exercitati, superflua veteris hominis cum ejus actibus deponentes, quasi in torculari, ita in Ecclesia congregantur. Ecclesia enim torcular est fontis æterni, in qua cælestis vitis fructus exundat.

Prædestinationis adumbratio.

b 2. [b] Gedeon verò cùm audisset, quòd per eum Dominus plebem suam à multitudine hostium liberaret, obtulit in sacrificium hœdum caprarum, cujus carnem secundùm præcepta Angeli, & azyma supra petram posuit, & ea jure perfudit. Quæ simul ut virgæ cacumine, quam gerebat, Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit; atque ita sacrificium quod offerebatur, [c] absumtum est. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi: quia scriptum est, Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra; petra autem erat Christus. Quod utique non ad divinitatem ejus, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni rivo sui sanguinis inundavit. Jam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Jesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret; nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, jus ad illecebras cupiditatum; sicut scriptum est, Quia concupivit populus cupiditatem pessimam: & dixerunt, Quis nobis dabit carnes? Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua exivit ignis, ostendit quòd caro Domini Spiritu repleta divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde & Dominus ait, Ignem veni mittere in terram.

Redemptionis nostræ figura. c *1. Cor. 10. 4.* *Christus petra relatè ad carnem.* *Num. 11. 4.* *Luca 12. 49.*

3. Advertit igitur vir doctus & præsagus futurorum superna mysteria; & ideo secundùm oracula occidit vitulum à patre suo idolis deputatum, & septennem alium immolavit Deo. Quo facto manifestissimè revelavit post adventum Domini omnia abolenda esse Gentilitatis sacrificia, solumque sacrificium Deo Dominicæ passionis pro [d] religione populi deferendum. Etenim vitulus ille typum Christi præferebat. Septem autem annorum erat, quia in Christo septem spiritalium plenitudo virtutum, ut Isaias dixit, habitabat. Hunc vitulum & Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, & gavisus est. Hic est qui nunc in hœdi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur: hœdi; quòd sacrificium pro delictis sit; ovis, quòd voluntaria hostia; vituli, quòd immaculata sit victima. Prævidit ergo mysterium sanctus Gedeon. Denique trecentos elegit ad prœlium; ut ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incursu gravium hostium esse liberandum. Trecenti enim in Græca T, tau, similitudinem crucis ostendunt.

Judic. 6. 25. &c. *Sacrificiorum veterum abolitio revelata.* d *Isai. 11. 2.* *Johan. 8. 56.* *Christus hœdus, ovis, vitulus.* *Judic. 7. 7.* *Crucis mysterium.*

4. Et tamen licèt fortis esset & fidens, pleniora adhuc de Domino futuræ victoriæ documenta quærebat, dicens *Si salvas in manu mea Israël quemadmodum locutus es, Domine, ecce ego pono lanæ vellus in area, & si ros factus fuerit super vellus, & super omnem terram siccitas, cognoscam quia in manu mea secundùm promissa tua populum liberabis. Et ita factum est.* Sed adjecit postea, ut rursus ros profluerit super totam terram, & siccitas esset in vellere. [e] Ros enim in vellere fides erat in Judæa: quia sicut ros verba Dei descendunt. Unde & Moyses ait, Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, & sicut ros verba mea. Ergo quando totus orbis infructuoso æstu Gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cælestis visitationis in vellere, id est, in Judæa. Postea verò quàm oves quæ perierant domûs Israël, (unde puto figuram Judaici velleris adumbratam) oves, inquam, illæ fontem aquæ vivæ negaverunt, ros fidei exaruit in pectoribus Judæorum, meatusque suos fons ille divinus in corda Gentium derivavit: Inde est, quòd nunc fidei rore totus orbis humescit. At verò Judæi Prophetas suos & consiliarios perdiderunt. Nec mirum, si perfidiæ subeunt siccitatem, quos Dominus Deus Prophetici imbris ubertate privavit, dicens, Mandabo nubibus ne pluant super vineam istam. Est enim Propheticæ nubis pluvia salutaris, sicut & David dixit, Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Hanc nobis Scripturæ divinæ totius mundi pluviam pollicebantur, quæ Spiritûs rore divini rigaret orbem sub Domini Salvatoris adventu. Venit ergo jam ros, venit & pluvia, venit Dominus stillicidia secum cælestia deferens: & ideo jam nos bibimus, qui antè sitiebamus, & divinum illum Spiritum haustu interiore potamus. Hoc ergo prævidit sanctus Gedeon: quia verum & spiritalem rorem etiam Gentes nationesque erant fidei perceptione bibituræ.

Judic. 6. 36. &c. e *Deut. 32. 2.* *Rós in vellere, tum in area; fides primùm in Judæa, exinde apud Gentes.* *Isai. 5. 6.* *Psal 71. 6.*

5. Non tamen otiosè Gedeon vellus nec in campo posuit, nec in prato; sed in area, ubi messis est tritici: (messis enim multa, operarii autem pauci:) eò quòd per fidem Domini in Ecclesia futura esset messis fecunda virtutum. Nec illud otiosum est, quòd exsiccavit vellus Judaicum, & rorem ejus misit in pelvim, ut repleretur aquâ, non tamen ipse ex eo rore pedes lavit. Alii debebatur tanti prærogativa mysterii. Exspectabatur Christus, qui sordes omnium solus posset abluere. Non erat tantus Gedeon, qui hoc sibi mysterium vindicaret. Non enim Gedeon, sed Filius hominis venit non ministrari, sed ministrare.

Ad quid vellus in area. *Matth. 9. 37.* *Matth. 20. 28.* *Huc usque Ambrosius.* *Recapitulatio.*

6. Rogo vos, Fratres; ut non molestè accipiatis, quòd propter tardiores quosque & simplices aliquotiens ea quæ dicuntur, breviter replicamus. Qui enim litterati & docti sunt, Deo propitio sine labore intelligunt quæ dicuntur: reliquis verò, id est, idiotis atque simplicibus, nisi brevis recapitulatio facta fuerit, timeo ne ex his quæ dicuntur parum capere possint. Gedeon, Fratres carissimi, typum gessit Domini Salvatoris. Et quia trecenti secundùm Græcum computum crucem faciunt, ita tunc Gedeon in trecentis viris Judæorum populum de crudelissimis gentibus eripuit; quo modo postea Christus per mysterium crucis totum genus humanum de potestate diaboli liberavit. Torcular enim ubi messem terebat, propter assiduas tribulationes, Ecclesiæ typum gessit. Messis quæ cædebatur, Christianum populum significavit, quem adveniens Christus virgâ disciplinæ vel baculo crucis tua à paleis, id est, à peccatis omnibus separavit. Nam & Angelus ille qui venit ad eum, & ipse in typum Domini Salvatoris accipitur. Arborem sub qua stetit, & virgam quam tenuit, crucem significasse manifestum est. Petra illa, super quam Gedeon obtulit holocaustum, Christus erat: sic enim ait Apostolus, Petra autem erat Christus. Hœdus ille qui oblatus est, humanum genus peccatis obnoxium designavit. Quòd Angelus virgâ suâ tetigit petram, & exiit ignis, & consumsit hœdum illum: [f] crux tetigit Christum, & de petra, quæ erat Christus, ignis exiit caritatis, qui humani generis peccata consumsit. De seipso enim verus Gedeon Christus in Evangelio ait, Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut accendatur? Taurus verò quem occidit, & ipse Dominum figurabat, qui pro redemtione generis humani oblatus est. Quòd autem septem annorum erat, septemplicem gratiam Spiritus sancti, qui in Christum venit, significasse videtur. Vellus quod in area posuit, & rogavit Dominum, ut in solo vellere esset ros; & in omni terra siccitas, & factum est ita; & iterum rogavit, ut vellus

1. Cor. 10. 4. *Luca 12. 49.*

remaneret

a Fuliensium MS. *Hesternâ die.* Ambrosius verò sic incipit: *Hierobaal, sicut legimus, cùm sub arbore &c.*
b Ambrosius: *Commotus oraculo Gedeon, cùm audisset quòd deficientibus licèt populorum millibus, in uno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit &c.*

c Fuliens. MS. cum Ambrosio, *assumtum est.*
d Ambrosius, *pro redemtione populi.*
e Hoc loco apud Ambros. quæstio illhæc paucis enodatur, *Utrùm non quasi incredulus esse videatur, qui frequentibus informatus indiciis adhuc plura poscebat.*
f In MS. Fuliens. *Crux tetigit petram quæ erat Christus, & ignis &c.*

CLASSIS I.

remaneret siccum, & in tota area esset ros: vellus significavit populum Judæorum, area autem in toto mundo populum omnium Gentium. Et quia primo tempore ros verbi Dei in sola Judæa fuit, & totus mundus in siccitate remanserat; ideo primùm ros in vellus venit, & area sicca fuit; postea verò quando Judæi Christum Dominum occiderunt, per passionis injuriam expressum est vellus, & remansit Judæorum populus aridus & siccus, & in totam aream, id est, in universum mundum, ad omnes gentes, non solùm ros, sed etiam pluvia verbi Dei & Apostolorum flumina pervenerunt. Denique in universa terra quasi area, rore gratiæ spiritalis irrigatur Ecclesia; & infelix Synagoga ab omni humore vel pluvia divini verbi sicca remansit & arida. Ut hæc ergo spiritalis pluvia, & ros divinæ gratiæ perseveret in nobis, omnia quæ prædicantur, salubriter cogitemus, & nobis invicem in colloquendo velut munda animalia ruminemus: ut utilem succum, unde anima nostra in æternum vivere possit, habere possimus, & talibus deliciis saturati cum Propheta dicere mereamur, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine! (Psal. 118. 103.) Sed tunc in nobis dulcedo verbi Dei poterit permanere, si hoc etiam aliis plena & perfecta caritate frequentiùs referendo voluerimus ingerere; ut non solùm de nostra, sed etiam de aliorum salute lucra nobis spiritalia possimus providere: auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO XXXVII.

De David & Isaï patre suo, & de Golia.

* Aliàs de Tempore 197.

In Appendice nunc primùm collocatur. Per Lovanienses relictus inter Augustinianos, tamquam dubius carebat Augustini nomine. Postea per Verlinum & Vindingum ipsius non esse certò probatum fuit. Cæsarium Arelatensem faciliùs refert quàm Augustinum, tametsi hujus nomine in Breviariis multis legatur Dominicâ post Pentecosten quartâ. A Parisiensi non ita pridem expunctus est.

CÆSARII Ser. XVIII. Idem potest esse figura diversorum.

1. IN Scripturis divinis, Fratres carissimi, una eademque persona, prout tempus est & locus, diversam significationem habere potest. Nam beatus Isaac, (quod optimè novit Sanctitas Vestra,) quando à patre oblatus est, Christum Dominum figuravit; cùm verò filio suo Jacob benedixit, & ad accipiendam uxorem in Mesopotamiam misit, Jacob typum habuit Christi, & Isaac Dei Patris imaginem gessit. Iterum beatus Jacob typum Christi habuit, quando uxorem accepit; Dei Patris figuram gessit, quando beatum Joseph plus omnibus filiis diligebat, & tunicam ei polymitam fecit, quæ incarnationem Domini Salvatoris significaret. Quomodo ergo tunc factum est, Fratres carissimi, in beatis Patriarchis, Isaac videlicet & Jacob; ita & in Isaï patre David figuratum esse cognoscimus. Quando enim (1. Reg. 17. 17.) David filium mittebat, ut requireret fratres suos, typum Dei Patris habuisse videtur. (Isaï typus Dei Patris.) Isaï misit David, ut requireret fratres suos; & Deus Pater misit Unigenitum suum, ex cujus persona scriptum est, Narrabo nomen tuum fratribus meis. (Psal. 21. 23.) Ad requirendos enim fratres suos venerat Christus, quando dicebat, Non sum missus nisi ad oves perditas domûs Israël. (Matth. 15. 24.)

2. Dixit ergo Isaï ad David filium suum, *Accipe ephi polentæ, & decem formellas casei, & vade, require fratres tuos.* (1. Reg. 17. 17. &c.) Ephi, Fratres mei, trium modiorum mensura est: & in tribus mensuris, mysterium intelligitur Trinitatis. Bene noverat hoc mysterium etiam & beatus Abraham. Denique quando sub ilice Mambre in tribus personis sacramentum Trinitatis videre promeruit, tria sata similæ misceri præcepit. Tria sata, tres mensuræ sunt. Hanc ergo mensuram & Isaï dedit filio suo. In decem formellis casei, intelligitur Decalogus veteris Testamenti. (David figura Christi.) Venit ergo David cum tribus mensuris & decem formellis casei, ut fratres suos in prœlio positos visitaret: quia venturus erat Christus cum Decalogo Legis & mysterio Trinitatis, ut genus humanum de potestate diaboli liberaret.

(Ibidem 28. Frater increpans David, typus vel diaboli vel Judæi, Christi adventum invidentis.)

3. Veniente autem David, unus è fratribus suis increpavit eum, dicens, *Quare dimisisti pauculas oves illas, & venisti ad prœlium?* Frater iste senior, qui David typum Domini gerentem per malitiam increpavit, significavit

SERM. DE SCRIPTURIS.

A populum Judæorum, qui per invidiam Christo Domino, qui pro salute generis humani venerat, detraxerunt, & multis frequenter injuriis affecerunt. *Quare*, inquit, *dimisisti oves illas, & venisti ad prœlium?* Quasi non tibi videtur per os ejus saluti hominum invidens diabolus loqui: tamquam si diceret Christo, Quare dimisisti nonaginta & novem oves quæ non erraverunt; (Matth. 18. 12.) & venisti ut unam requireres quæ perierat, & eam de manu spiritalis Goliæ, id est, de potestate diaboli, per crucis baculum liberatam, ad ovile proprium revocares? *Quare*, inquit, *dimisisti pauculas oves illas?* Malo quidem & superbo animo, sed tamen verum dicebat: quia Jesus, sicut jam dictum est, dimissurus erat nonaginta & novem oves, ut quæreret unam, & ad ovile proprium, id est, ad Angelorum consortium revocaret.

B

4. Priùs quàm veniret David, cùm jam unctus esset à beato Samuele, sicut & ipse Saüli regi dixerat, & leonem & ursum sine armis occidit. (1. Reg. 16. 13. 1. Reg. 17. 34.) Sed & leo & ursus typum diaboli præferunt: (Leo & ursus à David occisi, diabolus à Christo spoliatus.) qui pro eo quòd de ovibus David aliquid invadere ausi sunt, ipsius David virtute sunt suffocati. Hoc totum, Fratres carissimi, quod tunc in David legimus figuratum, in Domino nostro Jesu Christo cognoscimus esse completum. Tunc etenim leonem & ursum strangulavit, quando ad inferna descendens, omnes de eorum faucibus liberavit. Denique audi Prophetam ex persona Domini supplicantem, Erue à framea animam meam, & de manu canis unicam meam: libera me ex ore leonis. (Psal. 21. 12.) Et quia ursus in manu fortitudinem habet, & leo in ore; in istis duabus bestiis idem diabolus figuratus est. Hoc ergo ex persona Christi dictum est, ut unica ejus Ecclesia de manu, id est, de potestate diaboli tolleretur.

C

5. Venit ergo David, & invenit Judæorum populum in valle Terebinthi positum, ut contra Allophylos dimicaret; quia venturus erat verus David Christus, ut de convalle peccatorum sive lacrymarum humanum genus erigeret. Stabant autem in valle contra Allophylos. In valle erant; quia eos peccatorum pondus oppresserat. (Ante Christum nec animus, nec vires sunt ad pugnandum.) Stabant enim, & pugnare contra adversarios non audebant. Quare non audebant? Quia David, qui typum Christi gerebat, nondum venerat. Verum est, Fratres carissimi. Quis enim contra diabolum pugnare poterat, antè quàm Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortiùs, Fratres, qui universum mundum vicit, armatus non ferro, sed ligno? Stabant ergo filii Israël contra adversarios quadraginta dies. Quadraginta dies, propter quatuor tempora & quatuor partes orbis terræ, vitam præsentem significant, in qua contra Goliam & exercitum ejus, id est, contra diabolum & angelos ejus, Christianorum populus pugnare non desinit: nec tamen vincere posset, nisi verus David Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset. Ante adventum enim Christi solutus erat diabolus; (Diabolus post adventum Christi religatus.) veniens Christus fecit de eo quod in Evangelio dictum est, Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem. (Matth. 12. 29.) Venit ergo Christus, & alligavit diabolum.

D

E

6. Sed dicit aliquis, Si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, Fratres, multum prævalet; sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tamquam innexus canis catenis; (Mordere non potest nisi volentem.) & neminem potest mordere, nisi eum qui se ad illum ultro mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, Fratres, quàm stultus homo ille est, quem canis in catena positus mordet. Tu te ad illum per voluntates & cupiditates sæculi noli conjungere; & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest; mordere non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

F

7. Venit ergo David, & invenit Judæorum populum contra diabolum prœliantem; (David cum baculo contra Goliam, Christus cum cruce contra diabolum.) & cùm nullus esset, qui præsumeret ire ad singulare certamen, ille qui figuram Christi gerebat, processit ad prœlium, tulit baculum in manu sua, & exiit contra Goliam. Et in illo quidem tunc figuratum est, quod in Domino Jesu Christo completum est. Venit enim verus David Christus, qui contra spiritalem Goliam, id est, contra diabolum pugna-

G

CLASSIS I. turus crucem suam ipse portavit. Videte, Fratres, ubi
beatus David Goliam percusserit; in fronte utique, ubi
1. Reg. 17. 49. crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus
crucis typum habuit; ita etiam & lapis ille de quo per-
cussus est, Christum Dominum figuravit. Ipse est enim
Psal. 117. 22. lapis vivus, de quo scriptum est, Lapidem quem reproba-
verunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quòd
Golias proprio gladio, diabolus propria iniquitate percussus. autem David non habens gladium adscendit super Go-
liam, & suo eum proprio interfecit gladio; designatum
est quòd in adventu Christi suo gladio diabolus victus
est, qui per nequitiam suam & injustam persecutionem
quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium
perdidit principatum. Quòd autem arma Goliæ David
Rom. 6. 19. posuit in tabernaculo suo; arma diaboli nos fuimus. Sic
Membra nostra arma diaboli, vel templa Dei. » enim dicit Apostolus, Sicut enim exhibuistis membra
» vestra arma iniquitatis peccato; ita & nunc exhibete
» membra vestra arma justitiæ Deo. Et iterum, Nolite,
Ibidem 13. inquit, exhibere membra vestra arma iniquitatis pecca-
to. Arma enim inimici nostri misit Christus in taberna-
culo suo, quando nos qui domus diaboli fueramus, per
ipsius gratiam templum Dei esse meruimus. Nam & vi-
cissim nos in Christo, & in nobis Christus habitare co-
gnoscitur. Quòd autem Christus in nobis habitet, Apo-
Ephes. 3. 17. stolus probat, cùm in interiori homine dicit habitare
Christum per fidem in cordibus nostris. Quòd autem
iterum nos habitemus in Christo, idem Apostolus desi-
Galat. 3. 37. gnavit, dicens, Quotquot in Christo baptizati estis,
Christum induistis. Et Dominus in Evangelio ad disci-
Johan. 14. 11. pulos suos, Ego, inquit, in Patre meo, & vos in me,
& ego in vobis.

Spiritalis Goliæ in fronte percussio. 8. Quòd verò non in alio membro, sed in fronte
percussus est; hoc significat quod modò in nostris Com-
petentibus exercetur: quia quando catechumenus in
fronte signatur, spiritalis Golias percutitur, & diabo-
lus effugatur. Et quia de cordibus nostris per gratiam
Christi diabolum effugatum esse cognoscimus pariter
& sentimus; quantum possumus, cum ipsius adjutorio
laboremus, ne malis operibus nostris, & impiis vel lu-
xuriosis cogitationibus iterum eum in nos invitare veli-
a mus: [a] ne fortè (quod Deus non patiatur) impleatur in
Matth. 12. 43. &c. » nobis illud quod scriptum est, Cùm immundus spiritus
» exierit ab homine, vadit per loca arida quærens re-
» quiem, & non invenit: post hæc reversus ad domum,
» de qua exierat, invenit eam scopis mundatam; & ad-
» ducit secum septem alios spiritus nequiores se: & sunt
» novissima hominis illius pejora prioribus. Quia ergo
nos, nullis præcedentibus meritis, per gratiam baptis-
mi vacuati sumus omnibus malis, cum Dei adjutorio
studeamus repleri spiritalibus bonis: ut quotienscum-
que nos diabolus tentare voluerit, semper nos Dei Spi-
ritu plenos, & bonis operibus inveniat occupatos: ut
Matth. 10. 22. impleatur in nobis illud quod scriptum est, Qui perse-
veraverit usque in finem hic salvus erit. Quod ipse
præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula sæcu-
lorum. Amen.

* Aliàs de Tempore 198.

* SERMO XXXVIII.

De plaga populi propter David, & de altaris ædificatione in area Areuna Jebusæi.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino & Vindingo supposititius videtur. Cæsario non indignus.

CÆSARII Sermo XIX. 1. MODO cùm regnorum lectio legeretur, audi-
2. Reg. 24. 16. &c. vimus quòd cùm Dei plaga sæviret in populo
Judæorum, Angelus Domini qui percutiebat, steterit
juxta aream Areuna Jebusæi: & ait Dominus Angelo
percutienti populum, *Sufficit, nunc contine manum tuam:*
& cessavit plaga à populo. Areuna, Fratres carissimi,
rex erat Jebusæorum, & partem aliquam possidere vi-
debatur in Jerusalem: quia licèt omnes in circuitu na-
tiones subditæ fuerint regi David; non tamen permisit
Deus, ut Jebusæi ad integrum delerentur: sicut & ipse
Judic. 2. 22. alibi dicit, Et ego non delebo omnes Gentes; ut in ip-
sis experiar, utrùm timeant me. Dicit ergo Propheta
2. Reg. 24. 18. ad David, *Adscende, & constitue altare Domino in area*
Areuna Jebusæi. Rex verò ille paganus populum Gen-
A tium figurabat. Advertite, Fratres, quia in Judæorum SERM. DE SCRIPTURIS.
terra non inventus est locus dignus, ubi altare Domini
poneretur; sed in terra Gentium locus eligitur, ubi &
Angelus videtur, & Domini altare construitur, & sic Judæorum reprobationis, & electionis Gentium figura.
ira omnipotentis Domini mitigatur. Jam tunc figura-
batur, quòd in Judæorum cordibus ad offerendas spi-
ritales hostias locus dignus non possit inveniri; sed
Gentium terra, id est, Christianorum conscientia eligi-
tur, ubi templum Domini collocetur. Quam rem Apo-
stolus evidenter ostendit, dum Judæos increpat, dicens,
Vobis, inquit, oportuit loqui primùm verbum Dei: « Act. 13. 46.
sed quia vos indignos judicastis æternæ vitæ, ecce con- «
B vertimur ad Gentes. Hoc est dicere, Quia Christum re-
pulistis, & dignum locum non præparastis in quo al-
tare Domini poneretur, in terra Gentium, id est, in cor-
dibus omnium populorum altare Domini collocamus. 1. Cor. 3. 17.
Et inde est quòd nobis idem Apostolus clamat, Tem-
plum Dei sanctum est, quod estis vos. Et ideo adten-
dite, Fratres carissimi, quia tunc gentilis regis terra
eligitur, quando populus Judæorum Dei plagâ percu-
titur: quod in passione Domini videmus esse comple-
tum. Nam quando Judæorum populus crucifigens
Dominum reprobatur, tunc in area Gentium, id
est, in omni terra, altare Domino consecratur. An-
C gelus ergo Domini in area regis gentilis stetit; & ve-
rus Angelus, id est, Christus, Gentium populum vi-
sitavit.

2. Rex ergo ipse obtulit beato David aream & bo- 2. Reg. 24. 22. &c.
ves ad holocaustum; sed rex David accipere noluit, nisi
priùs pretium daret: & hoc in adventu Domini Salvato-
ris impletum est. Nam quia gratia nullis præcedenti-
bus meritis, gratìs datur; Gentium corda sibi assumere
noluit, nisi priùs pro eis pretium sanguinem daret.
Quid ergo dedit? *Quinquaginta*, inquit, *siclos argenti.*
In quinquagenario numero, & gratia Spiritus-sancti in-
telligitur, & peccatorum remissio designatur. Nam quin-
D quagesimo die Spiritus-sanctus Apostolis mittitur: &
in veteri Testamento quinquagesimus annus remissioni &
indulgentiæ consecratur. David quidem illi argentum
dedit; noster verò David, cujus ille typum tenebat,
pretiosum sanguinem fudit. Ergo ut aream pagani regis
David emeret, siclos quinquaginta obtulit; & verus
David Christus, ut in area Gentium altare sibi consti-
tueret, quinquagesimo die gratiam Spiritus-sancti &
peccatorum indulgentiam dedit. Et ideo, Fratres, quia
in nobis & de nobis templum sibi dignatus est facere,
in domo sua non patiatur injuriam: quia si à peccatis
nostris injuriam pertulerit, citò discedit; & væ miseræ
E animæ, de qua ille discedit. Sine dubio enim qui à lu-
mine deseritur, à tenebris occupatur. Ita ergo cum ip-
sius adjutorio agere studeamus, ut tam pium Dominum
non solùm hospitem recipere, sed etiam perpetuum ha-
bitatorem habere mereamur: præstante Domino no-
stro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculo-
rum. Amen.

* Aliàs de Tempore 200.

* SERMO XXXIX.

De judicio Salomonis inter duas meretrices, contra Arianam hæresim.

F *In Appendice nunc primùm collocatur. Descriptus est ex Oratione contra quinque hæreses cap. 6.*

1. DE duabus meretricibus, dilectissimi Fratres, 3. Reg. 3. 16.
quæ ad judicium Salomonis venerunt, unde
nobis ad vesperam lectio recitanda est; ex quibus una
quæ erat non solùm luxuriosa, sed etiam crudelis &
impia, clamabat ad regem, ut dividi juberet infantem:
nunc si libenter accipitis, de ipsis quid sancti Patres no-
stri exposuerunt, Caritatis Vestræ auribus cupimus in- Ecclesia catholica & hæresis Ariana in duabus meretricibus.
timare. Illa enim quæ clamabat, ut puer integer serva-
G retur, Ecclesiæ catholicæ typum gerebat: illa alia cru-
delis & impia, quæ clamabat ut puer divideretur, Aria-
nam hæresim designabat. Catholica enim quasi mater
piissima omnibus hæreticis clamabat, Nolite Christum
minorem facere Patre, nolite unitatem dividere, noli-
te unum Deum diversis gradibus dividendo, veluti ido-
la Gentium in vestris cordibus fabricare, totum nobis-

a Reliqua ex MSS. Horum loco in editis hæc pauca, *ut eo inspirante ad æterna præmia feliciter venire mereamur Quod ipse præstare dignetur &c.*

CLASSIS I.

Filius æqualis et omnipotens & Patre demonstratur.

cum possidete : si vultis habere pacem, nolite unitatem scindere. Non enim si vos totum tenueritis, nobis nihil remanet. Tanta est illius omnipotentia, ut eum omnes totum possideant, & singuli totum. Sed impia & crudelis hæresis clamat, Non, sed dividatur. Quid est, Dividatur, nisi, non Filius æqualis sit Patri? Dum enim Filio subtrahit æqualitatem, & bonum omnipotentemque denegavit Patrem. Deus enim Pater si potuit filium sibi similem gignere, & noluit; non est bonus: si voluit, & non potuit; non est omnipotens. Certi estote, Fratres mei, quia huic sententiæ nullus umquam Arianorum poterit respondere; sed quotiens constricti fuerint verissima ratione, velut anguis lubricus ad alias quascumque quæstiones callidas & tortuosas refugiunt.

Similitudo testamento relicti.

2. Ergo, Fratres carissimi, testamentum profero, verba testatoris refero. Si habet quod dividatur, ibi invenio: si non habet quod dividatur, ex ipso testamento illis resisto. O infelix hæretice, quid habet testamentum? Audi, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Hæc est Christianorum hereditas. Et quis est ipse testator? Lege testamentum, & invenis. Cùm Propheta de Domino loqueretur, ait, Magnificabitur usque ad terminos terræ, & iste erit pax. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: non divisoribus sanctæ unitatis, sed hominibus bonæ voluntatis. Ipse est hereditas, ipse testator; ipsum quæris dividere? Quid partiris unum? Si unum diviseris, integrum nihil habes.

Johan. 14. 27. *Mich. 5. 4. & Luc. 2, 14.*

3. O Ariana hæresis crudelis & impia erubesce. Judicante Salomone, meretrix ne unum vivum, ne undecumque conceptum etiam natum proderet, non dimisit dividi filium suum; & tu dividis Deum tuum? Illa etsi meretrix, tamen pia; quia mater: tu, hæresis, impia; quia non mater. Quod paris, præfocas; quod non parturis, congregas. Viscera tua duruerunt; illius tremuerunt. Quid dicit illa, quæ typum gerebat catholicæ matris? *Date illi puerum, & nolite dividere eum.* Filius meus est: sed meliùs apud illam migret natus, migret totus; tamen apud me maneat maternus affectus. *Date illi puerum*, non auferantur vota, membrorum illius integritas non dividatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit, *Date illi puerum, & nolite dividere*; ecce & ego dico, Totum possside, & noli dividere Deum. Non, inquit; sed si vis habere pacem, divide hereditatem. Sine præjudicio dico. Et quomodo habeo dividere? Audi: Pater major me est, Filius minor, Spiritus creatura. O partes, ô justitia, ô æquitas! Facio partem; quia divido pacem. Si enim fracta fuerit pax, jam non est pax. Sed quomodo apud te pax illibata est, apud quem fides integra non est? Unde quia mecum vis possidere, & pacem vis dividere, hereditatem non vis dividere?

3. Reg. 3. 26. *Dei divisio.*

4. Postremò si more tuo non paci, sed perfidiæ studes, vade, interpella judicem Christum, videamus quid tibi dicturus est. Dic ei quod in Evangelio dictum est, Domine, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. Sine dubio respondet tibi. Amice, quis me constituit judicem aut divisorem? Vis dividere pacem, & quæris habere judicem pacem; judex tuus nolo esse. Pax sum, consentientibus assideo, litigantes fugio. Si enim omnibus Christianis meis per unam voluntatem unum cor habere concedo, quomodo inter me & Patrem divido unitatem, qui omnibus fidelibus meis unum cor & unam tribuo caritatem? Quid ait Dominus Philippo? Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, ego veni Patri meo te adjungere, tu noli me separare. Quid quæris quasi alterum præter me? Qui me videt, videt & Patrem. Tanta est in nobis similitudo, tanta unitas, tanta caritas, ut ego in Patre sim, & Pater in me. Per quam unitatem vos Dominus sibi jungere & conservare dignetur: præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 12, 13. *Ibidem 14.* *Johan. 14. 9.* *Ibidem.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

** ..lias de Tempore 201.*

*SERMO XL.

De Elia.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium reliquerunt: Verlinus & Vindingus suppostititium probant. Cæsario nos adscribendum censemus. Legitur in Romano Breviario Dominicâ post Pentecosten nonâ: sed exclusus est à novo Parisiensi.

CÆSARII Sermo XX.

1. IN lectionibus quæ nobis diebus istis recitantur, Fratres carissimi, frequenter admonui, ut non sequamur litteram occidentem, & vivificantem Spiritum relinquamus. Sic enim Apostolus ait, Littera enim occidit, Spiritus vivificat. Si enim hoc tantùm volumus intelligere, quod sonat in littera, aut parvam aut propè nullam ædificationem de divinis lectionibus capiemus. Illa enim omnia quæ recitantur, typus erant & imago futurorum. In Judæis enim figurata; in nobis gratiâ Dei donante completa sunt. Beatus enim Elias typum habuit Domini Salvatoris. Sicut enim Elias à Judæis persecutionem passus est; ita & verus Elias Dominus noster ab ipsis Judæis reprobatus est & contemtus. Elias reliquit gentem suam; & Christus deseruit Synagogam. Elias abiit in desertum; & Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascebatur; & Christus in deserto mundi hujus Gentium fide reficitur. Corvi enim illi qui beato Eliæ jubente Domino ministrabant, Gentium populum figurabant. Propterea & de Gentium Ecclesia dicitur, Nigra sum & formosa filia Jerusalem. Unde est Ecclesia nigra & formosa? * Nigra per naturam, formosa per gratiam. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Adsperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor. Unde nigra? Apostolus dicit, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati. Unde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Verè Ecclesia Gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, & ante acceptam gratiam velut morticinis cadaveribus, idolis ministrabat.

1. Cor. 3. 6. *Elias Salvatoris typus.* *Gentes in corvis figuratæ.* *Cant. 1. 4.* *Ecclesia nigra & formosa.* ** V. ... Appendicis n. 2.* *Psal. 50. 7. & 9.* *Rom. 7. 23.* *Ibidem 24. & 25.*

2. Post hæc jubetur Elias proficisci in Sareptam Sidoniorum, ut ibi pascatur à vidua. Sic enim ad eum Dominus dixit, *Vade in Sareptam Sidoniæ; ego mandavi viduæ, ut te pascat ibi.* Quomodo & per quem mandavit Deus viduæ, cùm propè nullus tunc alius esset Propheta, cum quo Deus manifestiùs loqueretur, nisi beatus Elias? Quia licèt essent eo tempore aliqui de filiis Prophetarum; ita persecutionem Jezabel metuebant, ut vix vel absconditi evadere possent. *Ego*, inquit Dominus, *mandavi viduæ.* Quomodo mandat Dominus, nisi inspirando quod bonum est intus in anima per gratiam suam? Ac sic omnis homo qui boni aliquid operatur, Deus illi loquitur intus. Nemo ergo de se, sed de Domino glorietur. Numquid tunc in Judæa non erant multæ viduæ? Et quid fuit, quòd nulla Judæorum vidua beato Eliæ cibum meruit ministrare; sed ad viduam gentilem mittitur, ut ab ipsa pascatur? Vidua enim ista ad quam Propheta mittitur, typum Ecclesiæ gerebat; sicut & corvi illi, qui Eliæ ministraverant, figuram Gentium habuerunt. Venit ergo Elias ad viduam; quia Christus venturus erat ad Ecclesiam.

3. Reg. 17. 9. *V. August. Serm. 11.* *Deus omni bene operanti loquitur.* *Vidua quæ Eliam suscepit, Ecclesiæ figura.*

3. Sed videamus, Fratres dilectissimi, ubi beatus Elias viduam illam invenit. Exierat enim, ut aquâ se lavaret, & ligna colligeret. Quid enim aqua & quid ligna significent, videamus. Satis enim ista duo Ecclesiæ & amica & necessaria esse cognoscimus, id est, lignum & aquam. Denique sic scriptum est: Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Nam in ligno crucis mysterium, in aqua ostenditur baptismatis sacramentum. Exierat ergo, ut colligeret duo ligna. Sic enim respondit beato Eliæ, cùm ab ea cibum peteret. Dixit enim, *Vivit Dominus, quia non habeo nisi pugillum farinæ, & modicum olei in vase: & ecce ego exeo, ut colligam duo ligna, & faciam mihi cibum & filio meo, & manducabimus, & moriemur.* Sicut ergo suprà dixi, vidua illa typum habebat Ecclesiæ, filius viduæ figuram gerebat populi Christiani. Veniente ergo Elia, exiit vidua colligere duo ligna. Videte, Fratres, quia non dixit

Psal. 1. 3. *3. Reg. 17. 12.*

CLASSIS I.

tria, nec quatuor, nec unum tantummodo lignum; sed duo ligna colligere voluit. Ideo duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat agnoscere. Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est. Ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum, qui in duobus lignis pependit, creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa, *Colligo duo ligna, ut faciam cibum mihi & filio meo; & manducabimus, & moriemur.* Verum est, Fratres dilectissimi: nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur. Nam quicumque corpus Christi dignè manducare voluerit, necesse est ut moriatur præteritis, & vivat futuris.

Mors spiritalis credenti necessaria.

4. Vidua ergo illa, sicut diximus, Ecclesiam figurabat; filius viduæ typum gentilis populi præferebat. Filius viduæ defunctus jacebat; quia & filius Ecclesiæ, id est, populus Gentium multis peccatis & criminibus mortuus est. Orante Elia filius viduæ suscitatur: veniente Christo filius Ecclesiæ, id est, populus Christianus de carcere mortis reducitur. Elias inclinatur in oratione, & vivificatur viduæ filius; & Christus procumbit in passione, & suscitatur populus Christianus. Quòd autem tribus vicibus beatus Elias ad resuscitandum puerum incurvatus est; hoc etiam antè quàm ego dicam, credo quod Caritatis Vestræ prævenit intellectus. Nam quòd tribus vicibus inclinatur, mysterium Trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est, populum Gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater & Filius sine Spiritusancto, sed tota Trinitas suscitavit. Denique hoc etiam in sacramento baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, ut novus surgere mereatur.

Suscitationis Gentium figura.

Hæc fit à tota Trinitate.

5. Post hæc ostendit se beatus Elias regi, & adscendit in montem Carmeli, & posuit caput suum inter genua sua, & oravit ut Dominus daret pluviam super terram. Et dixit ad puerum suum, *Respice contra mare.* Et renuntiavit puer, se penitus nihil vidisse. Et ait illi, *Vade, & considera septies.* Septima autem vice renuntiavit & dixit, *Video nubeculam parvulam, quasi vestigium hominis, adscendentem de mari.* Et subitò contenebrati sunt cæli, & facta est pluvia magna. Elias ergo, sicut diximus, figuram habuit Domini Salvatoris. Elias oravit, & sacrificium obtulit; & Christus pro universo mundo se ipsum immaculatum sacrificium tradidit. Elias oravit in monte Carmeli; & Christus in monte Oliveti. Elias oravit, ut pluvia in terram veniret; & Christus, ut in cordibus humanis gratia divina descenderet. Quòd autem dixit Elias ad puerum suum, *Vade, & considera septies:* septiformem sancti Spiritûs gratiam, quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia ipse dixit se vidisse nubeculam parvulam adscendentem de mari; carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat. Quam ob rem, ne fortè aliquis dubitet, nubem illam vestigium hominis habuisse dixit: illius utique hominis qui dixit, Quem dicunt homines esse Filium hominis? Sicut ergo orante Elia post tres annos & sex menses pluvia de cælo descendit; ita & in adventu Salvatoris tribus annis & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit. Et sicut tunc in adventu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt & deleti; ita in adventu veri Eliæ, id est, Domini nostri Jesu Christi, observatio sacrilega Paganorum destructa est.

3. Reg. 18. 42. &c.

Gratiæ per adventum Christi conferendæ figura.

Matth. 16. 13.

Prædicavit Christus annos tres & menses sex. 3. Reg. 18. 40.

6. Hæc breviter Caritatis Vestræ sensibus intimantes, velut pauca capitula, quasi * quædam indicula, fidei vestræ oculis demonstramus, per quæ sancta desideria vestra ad perscrutanda divina mysteria salubriter incitentur: & ut spiritale pabulum sanctis animabus vestris jugiter ruminandum salubri consilio procuremus, ne fortè de memoria excidat, si jubetis, recapitulationem ex his quæ dicta sunt, faciamus. Sicut ergo suprà diximus, sanctum Eliam intelligite typum habuisse Domini Salvatoris. Denique sicut Dominus postea quàm multas virtutes exercuit, postea quàm passus est, resurrexit & adscendit in cælum: ita & Elias post mirabilia quæ per eum Deus fecit, igneo curru elevatur ad cælum. Quòd Elias deseruit Judæam, significavit quòd Christus reliquerit Synagogam. Corvi qui Eliæ ministraverunt, sicut jam dictum est, figuram gentilis populi monstraverunt. Vidua illa quæ eum in Sarepta suscepit, typum gessit Ecclesiæ. Duo ligna quæ colligebat, crucis mysterium figurabant. Hæc ergo, Fratres carissimi, si sincerâ, sicut credimus, benignitate suscipitis, & velut munda animalia assiduâ cogitatione in vestris cordibus ruminatis, implebitur in vobis illud quod scriptum est, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis: regnante ipso Deo nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritusancto in sæcula sæculorum. Amen.

* V. Suprà Serm. 19. n. 6.

Recapitulatio.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Prov. 21. 20.

* SERMO XLI.

* Aliàs de Tempore 204.

De Elisæo.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius à Lovaniensibus, à Verlino & Vindingo suppostitius putatur. Videtur nobis ad Cæsarium pertinere. Confer ejus hom. 14. inter editas à V. C. Baluzio.

CÆSARII Sermo XXI.

1. CUM divina lectio legeretur, audivimus quòd prætereunte beato Elisæo pueri irridentes clamaverunt, *Adscende calve.* Ob quam rem, orante Elisæo, egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt quadraginta duos pueros. Inimici Dei & hostes animæ suæ immundissimi Manichæi, qui Scripturam veteris Testamenti non solùm recipere nolunt, sed etiam rabido ore blasphemare præsumunt, solent dicere, Quæ fuit tanta crudelitas in Elisæo, ut propter jocularia verba infantum, quadraginta duos pueros fecerit lacerari? Et ideo qualiter eorum insaniæ respondendum sit, breviter Caritati Vestræ suggeremus. Tempore illo quo beatus Elisæus in Judæa fuit, tam ille quàm reliqui Prophetæ, non solùm non honorabantur ex maxima parte populi, sed etiam irrisui & opprobrio habebantur, & velut insani atque arreptitii credebantur: in tantum ut eo tempore quo beatus Elisæus unum de filiis Prophetarum mitteret, ut Jehu ungueret in regem, principes qui sedebant cum Jehu, dicerent, *Quid ad te venit insanus iste?* Prophetam Domini videbant, & eum esse arreptitium blasphemabant. Nam in illo tempore sancti Prophetæ ita in grandi contemtu & opprobrio habebantur, ut etiam beato Elisæo, qui tanta miracula faciebat, sicut suprà diximus, pueri indisciplinati clamarent, *Adscende calve, adscende calve.* Quam rem etiam parentibus suis instigantibus fecisse credendi sunt. Manifestè pueri illi non clamarent, si hoc eorum parentibus displiceret. Dolens ergo beatus Elisæus de interitu populi, immo sanctus Spiritus per beatum Elisæum volens reprimere superbiam Judæorum, fecit venire duos ursos, & laceraverunt quadraginta duos pueros; ut percussis parvulis majores reciperent disciplinam, & mors filiorum fieret disciplina parentum; & Prophetam quem mirabilia facientem nolebant amare, discerent vel timere. Sed ita perseveraverunt Judæi in malis suis, * ut sibi de medicamentis vulnera facerent; & inde adquirerent mortem, unde poterant obtinere salutem. Converterunt enim sibi lucem in tenebras, & dulcedinem in amaritudinem commutaverunt. Denique impletum est in illis quod scriptum est, Percussi filios vestros, & disciplinam non recepistis. Nemo ergo beato Elisæo ore vipereo derogare præsumat: quia hoc quod de pueris illis factum est, non tam ipse propria virtute, quàm per illum Spiritus-sanctus fecisse credendus est. Sed hoc, sicut dixi, pro grandi pietate & ineffabili misericordia factum est; ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Judæi nolebant credere, vel cum severitate vindictam irrogantem metuerent, & timentes mortem corporum, vel sic salutem requirerent animarum. Quam rem non solùm in veteri Testamento, sed etiam in novo per beatum Petrum apostolum in Anania & Sapphira legimus fuisse completam: quos ideo Petri sententia damnavit, ut nullus in oblationibus vel muneribus suis Spiritui-sancto mentiri præsumat.

4. Reg. 2. 23.

Manichæi vetus Testamentum unde blasphemant.

Prophetæ Elisæi ævo contemti.

4. Reg. 9. 11.

Parvulorum percussio misericordiæ magis quàm crudelitatis fuit.

* Loquendi modus Cæsario usitatus.

Ierem. 2. 30.

Severitatis hujus exempla de novo Testamento.

2. Et quidem, Fratres carissimi, secundùm litteram ita credendum est, ut suprà suggessimus, quòd beatus Elisæus non iracundiæ morbo commotus, sed zelo Dei succensus, ad corrigendum populum Judæorum parvulos illos permisit lacerari; non ut vindicaret, sed potiùs ut illos corrigeret: tamen in hoc facto etiam passio Domini Salvatoris præfigurata fuisse, evidenter ostenditur. Nam quomodo pueri illi indisciplinati clamaverunt

Judæorum insania in passione Domini.

Classis I.

Luc. 23. 21.

maverunt beato Elisæo, *Adscende calve, adscende calve*; ita & insensati populi Judæorum verò Elisæo Christo tempore passionis voce sacrilega clamaverunt, Crucifige, crucifige. Quid est, *Adscende calve, adscende calve?* nisi adscende crucem in loco Calvariæ. Et hoc adtendite, Fratres, quia sicut sub Elisæo quadraginta duo pueri lacerati sunt; ita & post quadraginta duos annos passionis Dominicæ, venerunt duo ursi, Vespasianus & Titus. Et hoc considerate, Fratres, quia in sollemnitate Paschali facta est obsidio Judæorum; ut justo Dei judicio ex omnibus provinciis congregati Judæi, in ipsis diebus pœnam sibi debitam sustinerent, in quibus verum Elisæum Dominum & Salvatorem nostrum in cruce suspenderant. Illo enim, id est, quadragesimo secundo anno à die passionis Domini nostri, quasi divina manu acti Judæi, Jerosolymis, sicut solebant, ad celebrandum Pascha convenerant. In historiis legimus, quòd tunc tricies centena millia hominum ex Judæis Jerosolymis fuerint congregata: ex quibus ferro & fame undecies centena millia leguntur esse consumta, & centum millia juvenum Romam perducti sunt in triumphum. Duobus enim annis obsessa est civitas illa, & tanta multitudo mortuorum de civitate projecta est, ut muris ipsa cadavera coæquarentur. Istam ergo vastationem figurabant illi duo ursi, qui quadraginta-duos pueros propter irrisionem beati Elisæi lacerasse dicuntur: & impletum est quod dixerat Psalmus, Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam. Quia, sicut dictum est, post quadraginta duos annos à duobus ursis, Vespasiano & Tito, gens illa sacrilega quod merebatur, excepit.

Punitio eorum per Titum & Vespasianum fu[...] figuratur.

Quot Judæi tunc peremti, quot captivi.

Psal. 79. 14.

3. Et quia infelices Judæi propter superbiam repudiari & despici, ac per totum mundum dispergi meruerunt; nos quibus tanta beneficia pietas divina concessit, cum omni humilitate fidem rectam tenentes, & ut superbia in nobis locum invenire non possit, caritatem integram cum omnibus hominibus conservantes, usque ad finem vitæ nostræ mundo corde & casto corpore servire Domino laboremus: ut post laborem bonorum operum, illam desiderabilem vocem audire mereamur, Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui: quia bene administrasti vitam temporaneam; accipe sempiternam: quia custodisti pretium sanguinis mei, sume consortium regni mei. Ad quod regnum vos pietas divina perducere dignetur, quæ vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25. 21.

* Aliàs de Tempore 206.

* SERMO XLII.

De Elisæo, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex eorum numero est; qui manent per Lovanienses dubii, per Verlinum & Vindingum asseruntur suppositi. Cæsario per nos, nemine uti speramus reluctante, restituetur.

Cæsarii Sermo XXII.

In Elisæo Christus exhibetur.

4. Reg. 4. 1.

1. Sicut de beato Elia diximus, Fratres carissimi, quòd typum habuerit Domini Salvatoris: ita & sanctum Elisæum confidenter & securè asserimus Salvatoris nostri imaginem prætulisse. Clamavit enim ad beatum Elisæum, sicut in lectione divina audistis, vidua quædam, & voce flebili supplicavit, dicens, *Vir meus mortuus est, & ecce creditores veniunt, & volunt mihi tollere filios meos.* Ille autem interrogavit eam, quid haberet in domo sua. Respondit mulier, & ait, *Vivit Dominus, quia non habeo, nisi modicum olei, quo unguar.* Et dixit Elisæus, *Pete vasa à vicinis tuis, & clauso ostio, mitte ex illo oleo in omnia vasa; & cùm plena fuerint, vende, & redde creditoribus tuis.* Vidua ista, Fratres carissimi, typum Ecclesiæ præferebat; sicut & illa, quæ meruit beatum Eliam excipere. Vidua ergo ista, id est, Ecclesia, debitum grave contraxerat, non solidorum, sed peccatorum. Debitum habebat, & creditorem crudelissimum sustinebat: quia se diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat. Sic enim & Propheta prædixit, In » peccatis vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Vidua ergo illa pro tam grandi debito captiva quodam modo tenebatur. Captiva erat, quia redemtor nondum venerat. Sed postea quàm viduam istam verus redemtor Christus Dominus visitavit, ab omnibus debitis liberam fecit. Unde enim illa vidua

In vidua paupere Ecclesia.

Isai. 50. 1.

Serm. de Scripturis.

Illa à debitis per oleum; hæc à peccatis per caritatem soluta.

A liberata sit, videamus. Unde, nisi de augmento olei? In oleo misericordia intelligitur. Ergo viduæ illi ideo debitum creverat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Considerate, Fratres: defecit oleum, & debitum crevit; crevit oleum, & periit debitum: creverat cupiditas, & periit caritas; redit caritas, & perit iniquitas. Veniente vero Elisæo Christo Domino, vidua, hoc est, Ecclesia, per augmentum olei, id est, donum gratiæ & misericordiæ, vel caritatis pinguedine, de peccatorum debito liberatur.

4. Reg. 4. 3.

2. Quid tamen ei beatus Elisæus dixerit, videamus. *Pete vasa multa à vicinis & proximis tuis, & clauso ostio infunde in vasculis vicinorum.* Qui erant isti vicini, nisi B Gentium populi? Et licèt vidua illa Ecclesiæ typum habuerit, tamen vidua erat; & ideo vicini illi unde vasa petebantur, populum Gentium figurabant. Quæ tamen vasa vacua exhibebantur, ut oleum misericordiæ accipere mererentur: quia omnes Gentes, antè quàm donum gratiæ consequantur, fide & caritate & bonis operibus vacuæ esse probantur. Denique omnes qui ad salutare baptismum consequendum Ecclesiæ offeruntur, & chrisma & oleum benedictionis accipiunt; ut jam non vasa vacua, sed Deo plena, & templum Dei esse mereantur.

Vasa vacua; Gentes.

Amor proprius inops & indigens.

Caritas dives, & omnibus abundans.

Erogando crescit.

3. Considerate ergo, Fratres carissimi: quamdiu vi- C dua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat. Verum est, Carissimi, qui se solum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum reddit: cùm verò in alienis vasculis, id est, omnibus vicinis & propinquis, & omnibus omnino hominibus cœperit oleum caritatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus se debitis poterit liberare. Et verè, Fratres, talis est natura sancti amoris & veræ caritatis, ut erogando crescat; & quantùm in aliis plus expenditur, tantùm in se abundantiùs cumuletur. Cibum corporis si volueris egenti tribuere, ad præsens quod illi dederis, tu habere non po- D teris: panem caritatis si dederis centum hominibus, integer manet; si universo mundo largiri volueris, tibi nihil deficit: immo non solùm non deficit, sed omnium illorum, quibus largitus fueris, lucrum tibi multipliciter crescit. Verbi gratiâ, unum panem caritatis habebas; si nemini dedisses, ipsum solum haberes: mille hominibus dedisti, mille panes adquisisti: quia tanta est possessio caritatis, ut & singulis tota sit, & omnibus integra esse possit. Ergo & aliis dedisti, & tu nihil penitus perdidisti: immo non solùm non perdidisti, sed sicut jam dixi, quidquid aliis à te collatum est, tu centupliciter adquisisti. Ergo, Fratres carissimi, agnoscite vi- E duam non alio, nisi de oleo, à suis creditoribus absolutam; & intelligite Ecclesiam catholicam non aliunde, nisi per oleum misericordiæ Dei de suis fuisse criminibus liberatam.

4. Sed hoc adtendite, Fratres, quòd mulier illa quamdiu habuit vasa, ubi oleum infunderet, tamdiu oleum crevit. Nam dixit filio suo, *Affer mihi vas.* Et ille respondit, *Non habeo.* Et ait Scriptura stetisse oleum; postea quàm ubi poneret, non invenit. Sic, dilectissimi Fratres, tamdiu caritas augetur, quamdiu tribuitur. Et ideo etiam ex industria debemus vasa quærere, ubi oleum possimus infundere: quia probavimus quòd dum aliis in- F fundimus, plus habemus. Vasa caritatis, homines sunt. Si caritatis oleo volumus abundare, non solùm bonos, sed etiam malos debemus diligere: bonos, quia boni sunt; malos, ut boni fiant. Habet enim hanc virtutem oleum caritatis, ut & bonos meliores faciat, & malos de peccatorum tenebris ad lucem veritatis reducat.

Vasa caritatis, homines; implentur cùm amantur.

Clauso ostio vel aperto quis agat.

5. Quòd autem ait Scriptura, clauso ostio viduam illam oleum in vasculis infudisse; hoc significavit, ut unusquisque eleemosynam clauso ostio faciat, id est, pro solo Dei amore; non ideo ut laudetur ab hominibus, sed ut apud Deum invenire gratiam mereatur. Qui enim pro laude humana eleemosynam facit, aperto ostio fa- G cit; quia apertum omnibus patet. Qui verò pro sola vita æterna & pro remissione peccatorum bona opera fecerit, etiamsi publicè faciat, clauso ostio facit: quia de illa eleemosyna non hoc quærit quod videtur, sed quod non videtur. Laus enim humana videtur; æternum premium non videtur. Sed audi quid dicit Apostolus:

I

CLASSIS I.

2. Cor. 4. 18.

Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Securus ergo unusquisque eleemosynam faciat, tantùm ut pro illa gloriam humanam non requirat.

4. Reg. 4. 8. &c.

6. Post hæc audivimus, quòd dum beatus Elisæus transiret per Sunam, quædam mulier magna susceperit eum, & dixerit ad virum suum, *Animadverto quòd homo iste vir Dei sit: faciamus illi cœnaculum, & ponamus ei in eo lectum, mensam, sellam & candelabrum; ut quando venerit, maneat ibi.* Et mulier illa sterilis erat, sed orante Elisæo genuit filium. Sic & Ecclesia, antè quàm Christus veniret, sterilis fuit. Et sicut illa, orante Elisæo, genuit filium; ita & Ecclesia, veniente ad se Christo, genuit populum Christianum. Sed filius mulieris illius, dum Elisæus absens esset, mortuus est: sic & filius Ecclesiæ, hoc est, populus Gentium, antè quàm Christus veniret, peccatis mortuus erat. Descendente de monte Elisæo, filius viduæ huic vitæ redditur; descendente de cælo Christo, filius Ecclesiæ, id est, populus Gentium suscitatur: sed hoc qualiter factum sit, videamus.

7. Mortuo enim filio suo, mulier illa abiit, & vestigiis se sancti Elisæi prostravit. Beatus verò Elisæus dedit baculum suum puero, & dixit ad eum, *Vade & mitte baculum meum super faciem pueri. Si te salutaverit homo, non resalutes eum.* Hoc loco, Fratres, videte, ne alicui subrepat impia cogitatio, & dicat quòd augurium beatus Elisæus observare voluerit; & ideo jusserit puero suo, ut salutantem se in via non resalutaret. Frequenter hoc in Scripturis legimus: sed pro celeritate est dictum, non pro aliqua superflua & sacrilega observatione præceptum; ac si diceret, Ita velociter ambula, ut nullis fabulis in via occupari aut retardari præsumas. Abiit ergo puer, & misit baculum super faciem pueri; & penitus non surrexit. Puer iste typum habuit beati Moysi. Misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum: sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit; de originali verò vel actuali peccato liberare vel resuscitare non potuit. Nihil enim, dicente Apostolo, ad perfectum adduxit Lex. Opus erat, ut qui baculum miserat, ipse descenderet. Baculus sine Elisæo nihil valebat; quia crux sine Christo nihil poterat.

Præceptum non resalutandi in Scriptura quid vetet.

Ut puer Elisæi, sic nec Moyses potuit vitam reddere.

Hebr. 7. 19.

8. Venit ergo beatus Elisæus, & adscendit in cœnaculum; quia venturus erat Christus, & adscensurus crucis patibulum. Inclinavit se Elisæus, ut puerum resuscitaret; humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret. Misit Elisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte, Fratres, quantum se vir ille perfectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo & jacenti congrueret. Quod enim Elisæus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit. Audi Apostolum dicentem, Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quia parvuli eramus, parvulum se fecit; quia mortui jacebamus, pius se medicus inclinavit: quia & re vera, Fratres, nemo potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quòd autem puer oscitavit septies, septiformis gratia sancti Spiritûs ostenditur, quæ humano generi, ut resuscitetur, in adventu Christi tribuitur. De ipso Spiritu dicit Apostolus, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit discipulis, quando insufflavit & dixit, Accipite Spiritum-sanctum. Os enim quodam modo super os posuit, quando insufflando Spiritum dedit. Gratias ergo agamus piissimo Redemtori, qui nos nullis præcedentibus meritis suscitavit; & non solùm de morte perpetua eripuit, sed etiam adjuvante gratiâ ipsius, si bene egerimus, æterna præmia repromisit: quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Elisæus se inclinans puerum, Christus se humilians mundum resuscitavit.

Philip. 2. 8.

Rom. 8. 9.

Johan. 20. 22.

*SERMO XLIII.

De Naaman Syro.

* Olim de Tëpore 207. & pòst in Appendice 62.

Incerti auctoris; & Johanne Chrysostomo, cui duobus in MSS. adscribitur, indignus.

4. Reg. 5. 1. &c.

1. CUM Naaman regis Syriæ princeps perfusus leprâ fuisset, cúmque horrendæ plagæ maculoso affectus contagio, & sibi jam & cunctis horreret; dolebat rex Syriæ talis se viri privatum auxilio, per quem plurima confecerat bella, gentes domuerat, victorias perpetrarat, & de manu hostium, Syrorum populum liberaverat. Tunc audit Naaman apud Israëlem populum Elisæum esse prophetam sanctissimum, mirandis virtutibus præditum, & stupendis operibus nominatum; per quem posset & caussæ periculo liberari, & perniciosa varietate tergi. Mox suum pergit ad regem, commendari se litteris Israëlitarum regi deposcit. Confestim in hunc modum rex ad regem litteras mittit. *Misi*, inquit, *ad te Naaman servum meum, ut cures eum à lepra ipsius.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

2. Has litteras cùm rex à rege missas acciperet & legisset, scidit vestimenta sua, dicens, *Videte*, inquit, *videte, quoniam malitiam iste conquirit: misit enim ad me hominem, ut curem eum à lepra ipsius. Numquid Deus sum ego, ut mortificare aut vivificare possim?* O fides Naaman principis! ô istius perfidia regis! Naaman Syrus fideliter festinat ad Deum; & rex perfidus suum discindit vestimentum. Diffidunt qui noverant; & qui non noverant credunt. Domestici repugnant; & externi festinant. Rex Syriæ credit posse fieri quod audierat; & rex Israël non credit fieri posse quod noverat. Alieni currunt ad auxilium; & proprii cæleste denegant donum. Qui prædicare debuit, destruit; & qui destruere potuit, festinavit: ut tantò gloria potior esset externis, quantò perfidia innotuerat regis.

3. Tunc ad Elisæum cùm regis commotio pervenisset, *Mitte*, inquit, *ad me, mitte Naaman Syrum: ut sciat quia est Deus in Israël.* Adducitur itaque ad ostium hominis Dei Naaman Syrus cum quadrigis & equitibus, & potentatu magnifico. Ad quem exivit homo Dei, dicens, *Vade, & baptizare in Jordane septies; & mundaberis.* Quo audito, Naaman commotus proripuit se, dicens, *Ego dicebam, quoniam exiet ad me homo Dei, & imponet super me manum suam, & invocabit Dominum Deum suum; & curabit me à lepra mea. Si enim aquis me mundari oportet; nonne meliores sunt aquæ penes nos?* Tunc dixit ad eum quidam ex suis, *Numquid difficile verbum est, quod locutus est Propheta ad te? Quare non facis quod dixit?* Tunc reversus est Naaman, & descendit in Jordanem; & baptizatus septies, adscendit inde mundatus: & facta est caro ejus, quasi caro infantis pueri. Tunc miratur Naaman, tunc stupet, tunc Prophetam conspicit, tunc cælum adtendit. Miratur uno jussu adfuisse virtutem, miratur operatum Deum, miratur detersum tanti temporis vitium, miratur se se corpore mutatum & mente. Perniciosa ab eo contagio pellitur, & optata sanitas reparatur. Totus homo naturæ redditur; quia perfecta virtus in Propheta sanctissimo operatur. Gaudet Naaman, Propheta lætatur; ab utroque Dominus collaudatur. Gaudet Naaman se quod optaverat, percepisse, & quod [a] perdiderat, invenisse. Gaudet Propheta in opere; & lætatur populus in virtute. Gaudet Judæa, quòd venientibus ad se præstet auxilia: dicunt & Gentes, in Israël esse quod apud se invenire non possunt. Seminatur per Gentes gloria Dei. Qui curatus est, prædicat; qui sensit, annuntiat: nec jam dubium habetur quod dicitur, quando Syria, quod in Naaman conspicit, protestatur.

4. Reg. 5. 10.

4. Tunc lætus Naaman Elisæo offert munera, tunc sanitatis voto dona ut accipiat, deprecatur. Accipe, inquit, accipe munera quæ offero tibi: quæ dono, tribuo libentur, assume. Non enim pretium curationis est istud quod tribuo; nec sanitatem perceptam isto munere redimo: quippe cùm sanitas ista quam merui, pretio nec poterit redimi, nec ullo munere inveniri. Mihi, inquit Elisæus, quod offers non accipio; quod ingeris, ut alienum recuso. Nec enim ipse tibi sanitatem, qua lætus es, præstiti; nec perniciosum vitium in te ego ipse correxi, nec naturæ, ut æstimas, reddidi: sed est potens in cælestibus Deus, cujus imperio servio, officio pareo, servituti insisto, cui soli tuus dicandus est animus, præparandus est sensus, tribuendus est famulatus. Huic enim si soli servieris, aut si obsequia illi debita mancipares; quanta mereberis, conjice, cui antè quàm servieris, tantam merueris sanitatem.

5. Mox Naaman cultus sibi divinos indicit, supersti-

[a] Ita MSS. At editi, quod crediderat.

CLASSIS I.

tiosos abscindit. Mox se Deum venerari testatur, & detestari idolum profitetur. Mox se quem agnovit, Dominum colere, & figmenta quæ coluerat, abhorrere proloquitur. Nunc, inquit, cognovi, quia Dominus colendus est solus. Nunc primùm addidici, quia unus venerandus est Deus: ceteri enim dii Gentium nec salvare poterunt, nec nocere: quippe qui humano indigentes auxilio, auxilia ipsi præstare non possunt. Nec enim servare poterunt qui servantur, aut vitam tribuere qui non vivunt, aut sanum quempiam colentium facere, qui se non possunt de non colentibus vindicare. Tunc Naaman proficiscitur in Syriam lætus, tunc ad suos properat sanus. Lætantur omnes qui cum eo tristes advenerant, gaudent cuncti qui ejus valetudinem exhorrebant, magnalia Dei secum cuncti loquuntur, virtutes ejus universi cum invicem fabulantur.

6. Statim Giezi Prophetæ puer secum loquitur, dicens, Quoniam Dominus meus à Naaman Syro noluit quidquam accipere, ego pergam; ut quod ille noluit, sumam. Pergit properè, festinanter adcurrit: quem cum post se festinantem pueri Syri conspicerent, ac domino nuntiarent; mox Naaman suorum statuit currus, vehicula retrahit, animalia flectit, ipse properus ac festinans in obviàm redit, caussas exquirit, ad se properandi rationes exposcit. Ille simulator ac fallax aptat mendacium, falsum componit: dicit à Propheta sibi esse mandatum, quasi argenti aliquid mitteret, quod advenientibus ad se Prophetarum liberis tribuisset. Instanter Naaman puero duplum quàm petierat dedit, quod Prophetæ supplex ipse ac deprecans dare non quivit. Quo accepto in sequestri deposito, Elisæo apparuit, atque in ejus conspectu solito more consistit. Ubi, inquit Propheta, fuisti, vel quid rei ac negotii gessisti? Nusquam, inquit, isthinc discessi: nusquam à tuis conspectibus abfui. Tunc Propheta sanctissimus erumpit

Ibidem 26. & 27.

in vocem: *Nonne cor meum, inquit, fuit tecum? Scio quemadmodum properarit Naaman in obviam tui, à quo accepisti argentum: & possidebis ex eo agros, & vineas, & oliveta, servos & ancillas; & lepra Naaman Syri applicabitur tibi & semini tuo usque in æternum. Et statim discessit ab eo leprosus sicut nix.* O admiranda potentia Dei! ô sublime meritum Elisæi! Uno in tempore duplex virtus ostenditur, & gemina potestas Prophetam sanctissimum demonstrat. Curatur Naaman Syrus; & leprâ Giezi perfunditur servus. Syro fides adtulit gloriam; & servo perfidia intulit pœnam. Ille de Syria veniens, quod desideravit, accepit: hic de Prophetæ exiens domo, plagam sibi de perfidia adquisivit. Naaman curatur & gaudet: Giezi vulneratur & deflet. Alius suis redditur sanus; alius cunctis ostenditur maculatus: alius exemplum virtutis ostenditur; alius meritum fallaciæ demonstratur. Curatur fide, qui fuerat maculatus; & maculatur perfidiâ, qui fuerat sanus. Naaman invitat ad Deum; Giezi profertur singulis in exemplum. Per Naaman Dominus collaudatur; per Giezi judicium cæleste metuitur. Inde salus nascitur, hinc metus: inde gloria petitur, hinc fraudis molestia formidatur: ut his exemplis & fidei pretium, & perfidiæ supplicium cunctis gentibus monstraretur.

* Aliàs de Tempore 108

* SERMO XLIV.

De Elisæo & Giezi puero.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensibus, spurius Verlino videbatur & Vindingo, qui allegoriam hic n. 2. traditam, scilicet, Audivit populus Gentium prophetiam, & venit ad Christum, *observat cum illa convenire, quæ suprà in Sermone Appendicis 8. n. 3. reperitur his verbis,* Ita per verbum propheticum Ecclesia Gentium ad verum sponsum Christum de longinquis regionibus invitatur. *Sermonis utriusque Cæsarium auctorem ponimus. Hic porrò tertia pars Sermonis, quæ in editis deerat, restituta est ex MSS.*

CÆSARII Homilia XXIII. Elisæus Dominum, Giezi Judam vel Judæos figuravit.

1. FREQUENTER Caritati Vestræ suggessimus, Fratres carissimi, beatum Elisæum typum habuisse Domini Salvatoris: Giezi autem discipulus ejus non incongruè Judam traditorem, vel Judæorum populum intelligitur figurasse. Sicut enim Giezi ideo serviebat beato Elisæo, ut pecuniam posset adquirere; ita & Judas propterea adhæserat Domino Salvatori, ut fraudem faceret, & terrenas divitias congregaret. Deni-

A que sic de illo in Evangelio scriptum est, Quia fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur, portabat. Nam Giezi, qui gratiam magistri potuerat promereri, sicut & Dominus suus consecutus fuerat beati Eliæ, cupiditate victus, meruit in æternum crudeli leprâ perfundi. Judas verò pro amore pecuniæ & apostolatûs gratiam perdidit, & laqueo vitam finivit. Ac sic intelligimus omnes avaros & cupidos, intus in anima peccati leprâ esse perfusos.

SERM. DE SCRIPTURIS. Johan. 12. 6.

Avari sunt leprosi.

2. Naaman verò princeps militiæ, qui leprosus erat, & suggerente ancillâ ad beatum Elisæum sanandus advenit, populum Gentium figuravit. Puella illa quæ captiva ducta fuerat de Judæa, & suggesserat dominæ suæ, quòd si ad beatum Elisæum suus Dominus pergeret, sanitatem reciperet; puella, inquam, illa prophetiæ imaginem gessit: quia licèt tempore illo in sola Judæa gratia prophetiæ floruit, tamen non potuit fieri, ut non etiam ad vicinas gentes beata illa notitia perveniret. Audivit ergo Naaman puellam, & venit ad Elisæum: audivit populus Gentium prophetiam, & venit ad Christum. Naaman veniens ad Elisæum sanatur à lepra: & populus Gentium veniens ad Christum, ab omni peccatorum lepra purgatur.

4. Reg. 5. 1. &c.

B Naaman puellæ, populus Gentium adquiescens prophetiæ.

C 3. Potest tamen, sicut jam dixi, Giezi etiam Judæorum populum figurare, qui eo tempore peccati leprâ percutitur, quo ab ea Gentium populus liberatur. Denique sic infelices Judæi in passione Domini clamaverunt, Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Tunc enim peccati leprâ perfundi meruerunt, quando contra cælestem medicum ore sacrilego clamaverunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Ergo eo tempore in illis remansit lepra, quo ad nos transiit gratia. Denique sic & apostolus Paulus ad eos locutus est, dicens, Vobis, inquit, oportuit primùm loqui verbum Dei: sed quia vos indignos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur

D ad Gentes. Quando doctrina Apostolorum ad Gentes transiit, tunc in miseris Judæis peccati lepra remansit.

Judæi tunc leprâ percussi, cùm Gentes ab ea liberatæ. Matth. 27. 25. Johan. 19. 15. Act. 13. 46.

4. Quid tamen mandaverit beatus Elisæus Naaman Syro, videamus. *Vade, inquit, & lavare septies in Jordane.* Quòd autem audiens Naaman, ut lavaretur septies in Jordane, indignatus est, & nolebat annuere, & ab amicis suis consilio accepto, adquievit ut lavaretur & purgatus est: hoc significat, quia populus Gentium, antè quàm Christus crucifigeretur, ipse per se Christo loquenti non credidit; sed postea prædicantibus Apostolis ad sacramentum baptismi fideliter venit. Dixit Elisæus ad Naaman, ut lavaretur septies in Jordane. Videte,

Vocationis Gentium ad fidem per baptismum figura.

E Fratres, Elisæus mittit Naaman ad Jordanem fluvium; quia Christus populum Gentium missurus erat ad baptismum. Quòd autem Elisæus non per se ipsum Naaman tetigit aut baptizavit; hoc significatum est, quia Christus non per se ipsum venit ad populum Gentium, sed per Apostolos suos, quibus dixit, Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Et hoc attendite: Naaman qui populum Gentium figurabat, in illo fluvio sanitatem recepit, quem postea Christus suo baptismate consecravit. Quòd verò audiens Naaman, ut lavaretur septies in Jordane, indi-

Matth. 28. 19.

F gnatus est, dicens, *Numquid non meliora sunt flumina regionis meæ, flumina Damasci Abana & Pharphar, ut in ipsis laver & munder?* Hoc illo dicente, consilium dederunt servi sui, ut adquiesceret Prophetæ consilio. Quid autem significet, Fratres, diligenter attendite. Sanctus Elisæus, sicut diximus, typum habebat Domini Salvatoris: Naaman figurabat populum Gentium. Quid verò quòd de suis fluminibus sanitatem se esse recepturum credebat? Hoc indicabat, quòd genus humanum de libero arbitrio & de propriis meritis præsumebat. Sed propria merita sine gratia Christi lepram habere pos-

G sunt, sanitatem habere non possunt. Unde nisi ad exemplum Naaman humanum genus consilium Elisæi audisset, & per Christi gratiam donum baptismatis humiliter accepisset, ab originali & actuali lepra liberari non posset. *Lava, inquit, septies:* dixit propter septiformem gratiam Spiritus-sancti, quæ in Christo Domino requievit. Denique quando in eo fluvio Dominus baptizatus est, Spiritus-sanctus in columbæ specie super eum venit.

Johan. 1. 32.

5. Cùm ergò in figura baptismi Naaman in fluvium

CLASSIS I.

descendisset, *Facta est*, inquit, *caro ejus tamquam pueri parvuli*. Videte, Fratres carissimi, hanc similitudinem in Christiano populo compleri. Nostis enim, quia omnes qui baptizantur, sive senes sint, sive juvenes, omnes tamen infantes nascuntur. Prima generatio producit ad mortem; secunda generatio producit ad vitam. Prima generat filios iræ; secunda generat vasa misericordiæ: sicut Apostolus dicit, In Adam omnes moriuntur, in Christo omnes vivificabuntur. Quomodo ergo Naaman, cùm esset senior, septies lavando mundatus est quasi parvulus; ita qui factus est peccatis veteribus senex, & multis iniquitatum maculis velut leprâ perfusus, gratiâ baptismi ita renovatur, ut in eo nec originalis nec actualis lepra peccati remaneat: & qui fuerat criminum ponderibus semper incurvus, ad exemplum Naaman salutari lavacro renovatur ut parvulus; ita ut in eo impleatur illud quod de Christo ad Ecclesiam Apostolus ait, Ut exhibeat sibi Ecclesiam non habentem maculam vel rugam.

Qui baptizantur, nasci incipiunt.

1. Cor. 15. 22.

Ephes. 5. 27.

6. Quòd autem postea quàm mundatus est Naaman, munera obtulit beato Elisæo, & ille accipere noluit: Christi in hoc gratia figurabatur, quæ ideo gratia dicitur, quia gratìs datur. Sic enim Dominus in Evangelio discipulis dixit, Infirmos curate, mortuos suscitate, dæmones expellite: gratìs accepistis, gratìs date. Et quia omnia sacramenta & mysteria Domini nostri, quæ in Judæis erant præfigurata, in nobis videmus esse completa: etsi non possumus quantas debemus, vel quantas possumus, Deo gratias referamus, qui nobis tanta bona nullis præcedentibus bonis meritis largiri dignatus est, & pro salute nostra non solùm discipulos misit, sed etiam per se ipse descendit, & pro nobis flagella & opprobria & reliquas, quas legimus, injurias patienter excepit. Vulneratus est, ut vulnera nostra curaret; mortuus est, ut nos de morte perpetua liberaret; ad inferna descendit, ut nos de faucibus crudelissimi draconis eriperet; resurrexit, ut nobis spem resurrectionis tribueret; in cælum adscendit, ut quò eum sequi deberemus, ostenderet. Quid ergo retribuemus Domino pro his muneribus quæ cogitare non valemus, nedum vobis valeamus explicare, nisi ut, sicut jam dixi, quantas possumus gratias jugiter referentes, ipso auxiliante studeamus, ut munera vel * beneficia sua non nobis judicium pariant, sed profectum. Etiam implere præcepta illius laboremus: ut cum dies judicii venerit, ab auditu malo liberati, illa ad nos vox desiderabilis dirigatur, Venite benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: ad quod nos Dominus sub sua protectione perducat. Amen.

Matth. 10. 8.

* *V. August. Serm. 44. n. 8*

Matth. 25. 34.

* SERMO XLV.

* *Aliàs de Tem. 6 c. 210.*

De Elisæo & securi in gurgite lapsa.

In Appendice nunc primùm collocatur. Eadem Lovaniensium de isto atque de superiore dubitatio: eadem etiam Verlini & Vindingi censura. Eidem auctori Cæsario tribuendum facilè judicabis.

CÆSARII Ser. XXIV. *4. Reg. 6. 4. &c.*

1. MODO cùm divina Lectio legeretur, Fratres carissimi, audivimus quòd eunte beato Elisæo cum filiis Prophetarum ad Jordanem fluvium, dum sibi ligna conciderent, ceciderit securis in aquam: & ille de cujus manu corruit, clamavit ad beatum Elisæum, *Heu Domine mi, & ipsam mutuò acceperam*. Post hæc in loco ubi securis illa corruerat, beatus Elisæus misit lignum, & natavit ferrum. Elisæum, Fratres dilectissimi, typum habuisse Domini Salvatoris, frequenter Caritati Vestræ suggessimus. Sed & in puero, qui erat de filiis Prophetarum, cui securis de manu lapsa est, non incongruè Christus Dominus intelligitur. Securis illa quæ cecidit, Adam sive totum genus humanum significasse dicitur. Tenebat ergo filius Prophetarum securim in manu sua; & Dominus ac Salvator noster humanum genus quod creaverat, in manu potentiæ suæ. Sed quomodo securis illa de manu Prophetæ in profundum corruit; ita & genus humanum de manu Dei omnipotentis per superbiam se excussit, & cecidit, & in fluvio luxuriæ vel omnium peccatorum gurgite se submersit. Securis ergo illa in profundo jacebat; quia genus humanum in omnium criminum abyssum infelici ruinâ corruerat; sicut scriptum est, Infixus sum in li-

Lapsus humani generis figura.

Psal. 68. 3.

A mo profundi. Et iterum, Deveni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, & reliqua. Fluvius enim ille ubi securis cecidit, significat præterfluentem & fugitivam & in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriam sæculi hujus. Fluvius enim à fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores transitoriis voluptatibus inhærentes vel inhiantes fluere dicuntur; ideo securis illa in fluvio & in limo jacebat oppressa.

SERM. DE SCRIPTURIS.

2. Veniens ergo Elisæus, misit lignum, & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in lucem producere? nisi patibulum crucis adscendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare. Postquam verò natavit ferrum, misit manum Propheta, & recepit illud, & rediit ad utiles usus domini sui. Ita & de nobis factum est, dilectissimi Fratres, qui de manu Domini superbiendo cecideramus, per crucis lignum iterum ad manum vel ad potestatem Domini reduci meruimus. Et ideo, quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne iterum superbiendo de manu Domini corruamus. Et quia nullis præcedentibus meritis de tenebris producti sumus ad lucem, de morte ad vitam revocati, de multis erroribus in viam reducti, curramus dum lucem habemus, ne prætereuntia salutis tempora negligamus: nec nos delectet mundi hujus malè dulcis & nimiùm periculosa lætitia; ne iterum de operibus sanctis, & de justitiæ via, quasi de manu Domini corruentes, ad luxuriosum mundi hujus fluvium recurramus, & in omnium peccatorum limo, infelici iterum ruinâ mergamur: sed audiamus Apostolum dicentem, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt quærite. Quare dicit, Si resurrexistis, nisi quia cecideramus? Et alibi idem Apostolus, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit tibi Christus. Quasi non tibi videtur ad securim in limo jacentem clamare? Surge, inquit, qui in profundo gurgite dormis; & per crucis mysterium illuminabit tibi Christus.

Figura reparationis illius.

B

Relapsus cavendus.

C

Coloss. 3. 1. & 2.

Ephes. 5. 14.

D

3. Jam ista omnia, Fratres carissimi, per baptismi sacramentum, Deo auxiliante, sic agere studeamus, ut nobis beneficia Domini nostri * non judicium pariant, sed profectum. Et ita dulcedinem caritatis, puritatem cordis, & castitatem corporis teneamus, ne in nobis Dei sacramenta patiantur injuriam. Si enim verum est, immo quia verum est, quod dicit Apostolus, quia templum Dei sumus, & Spiritus Dei habitat in nobis, quotiens aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut operando perficimus, templum Dei destruimus, & ei qui in nobis habitat injurias irrogamus. Et ideo si quis in se templum Dei aut turpibus cogitationibus sordidavit, aut luxurioso sermone polluit, vel quibuscumque criminibus fortè jam usque ad fundamenta destruxit, dum tempus est cum Dei adjutorio studeat reparare perdita, erigere lapsa, destructaque construere: * ut cùm dies judicii venerit, etsi coronam non meretur accipere, vel ad peccatorum mereatur indulgentiam pervenire. Quod autem dixi, vel ad peccatorum indulgentiam, pro humilitate quæ nobis satis est necessaria, videor suggessisse. Nam medicus ille cælestis compunctis pænitentibus, & eleemosynas largiùs facientibus non solùm veniam, sed etiam coronam recompensare consuevit.

* *In superiore Serm. n. 6. & in Serm. inter Augustinianos 44. n. 8.*

E

1. Cor. 3. 16. Qui peccat, destruit templum Dei.

* *Cæsarius in fine hom. 16.*

F

4. Ego, Fratres carissimi, etsi negligens, tamen qualiscumque præco veritatis à Domino constitutus, quod & vobis expedit audire, & me oportet dicere, si non quantum debeo, vel quantum possum, suggero, clamo, admoneo. Qui contemnit præconem, timeat judicem. Nullus ex vobis ante tribunal Christi se excusare poterit, non se fuisse admonitum, ut omnibus vitiis resisteret, & virtutibus operam daret. Et quia vobis quid vitare vel fugere debeatis, frequenter ostensum est, & quid agere vel expetere debeatis, assidua prædicatione monstratum est; sic Deo auxiliante agite, ut vobis admonitio nostra magis ad præmium quàm ad judicium ante tribunal æterni Judicis proficiat. Quod ipse vobis concedere dignetur, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* *V. Cæsar. sub finem homil. 12. & 37.*

G

SERMO

CLASSIS I.

* SERMO XLVI.

De fame Samariæ.

Incerti auctoris & ineruditi.

* Olim de Tempore 211. & post in Appendice 63.

1. DUM à cultu Dei gens iniqua discedit, horrenda fame comprimitur, & justa necessitate turbatur. *Venit*, inquit, *filius Adadezer regis Syriæ, in Samariam, & obsedit eam: & facta est fames magna, ita ut venumdaretur caput asini quinquaginta siclis argenti, & quinque siclis argenti quarta pars cabi stercoris columbini.* (4. Reg. 6. 24. & 25.) Cur famem, ô miserrime, pateris? Cur inopiam teterrimam sentis? Cur tantâ penuriâ laceraris? Crescit famis quotidie pœna; quia quotidie crescit & culpa. Perseverant flagella; quia in populo perseverant & delicta. Propter te enim hostis irruit, inimicus obsedit, adversarius tua pabula devoravit. Tu esuris; & ille pinguescit. Tu famem horridam pateris; & ille de tuis pabulis, suis vacat epulis. Tu asinorum cadavera, & stercora columbarum argento mercaris. Callida deinceps vita, damna peccata, delicta compesce, ad Deum convertere, relinque idolum, abominare figmentum; tunc poteris hostes divino adjutorio vincere, & cælesti prœlio superare. Nec quisquam tibi poterit nocere ulteriùs, si damnato scelere divinus in te germinaverit cultus. Proh nefas! Horrenda cadavera & columbarum stercora peccator populus vescitur, nec Dei cultum quærit: inquinatas carnes & horrendas escas fames & necessitas poscit, & adhuc figmentum hominum duritia colit: pabula denegantur, & illicita à peccatoribus exhibentur: Deus à populo peccatore non quæritur, & idolum adoratur. Mutatur in figmentum Dei cultura, mutatur religio, mutatur & esca: mutatur Dei sancta cultura, mutantur & hominibus pabula, interdicta vescuntur. Ut enim alienum est quod colitur; ita alienum est quod contra regulam esuritur. Nec enim difficile est populum famem posse sentire, quem malè vivendo constat spiritaliter esurisse.

2. (Ibidem 28.) Interea crescunt cum vitiis augmenta famis, & peccata matrum cadavera appetunt filiorum, & alternis vicibus mulieres duæ suos natos devorare disponunt. Proh dolor! In cibum pietas vertitur, in pabulum suscepta soboles commutatur. Antè parricidium geritur, quàm ad funestas epulas veniatur. Anima artubus elicitur, & matrum viscera polluuntur. Innocens sanguis effunditur, ut parentum fames rabida saginetur. Apud illas enim totum crudele, nefandum est, inquam, insontis sanguinem fundere, innocentis carnes concoquere, decoctos artus avidis faucibus transvorare; ut natum convertat in cibum, quem Deus condidit in solatium. Sed postquam ad funestas epulas ventum esset, altera mulier alteram exhortatur: Recipe, inquit, recipe miseranda mater in viscera filium nuper visceribus procreatum. Esto tui nati sepulcrum, esto ejus corporis diversorium: esto ejus, ut ita dixerim, monumentum. Intra te paululùm comestus infans redeat, qui præ fame vivere jam jamque non poterat. Materni sinus qui vitalem intra se enutrierant, & nutritum in luce protulerant, particulatim sibi redditum recognoscant. Recipiat nunc comestum uterus, quem vivum ediderat partus. Repetat habitaculum mortuus, unde nuper exierat vivus; quoniam fames urget, necessitas cogit. Cur enim nato superstite moriar, & non magis natum ego mater consumam? (Ibidem 29.)

3. Igitur cùm hæc mulier comestum jam conspiceret puerum, suum ab ista clade subtrahit filium. Negat se facturam in proprio, quod cum matre fecerat in alieno. Sufficit, inquit, mihi, sufficit tuo sceleri, mulier, consensisse; sufficit me funestas epulas degustasse, & innocentis carnibus mea viscera polluisse. Crudele enim tecum participavi consilium, ut nefandum exercerem de meo filio parricidium: quod tecum admisi, expiare non possum, nefandum scelus recusare non valeo. Esto saltem relevata in meo, quæ sic gravaris in tuo: desine meo scelere, desine tuo graviore commisso. Utinam nec tu faceres quod tu fecisti, nec ego scelus admitterem quod incurri; ut homicidium facerem, & parricidium perpetrarem. Ex me disce quid feceris: quia & ego per

SERM. DE SCRIPTURIS.

A te merui quod amiserim. Quare istud quod cogis non facio, quod suades effugio, quod ingeris perhorresco.

4. Tunc ad regem altera alteram pertrahit, ad judicium ducit, caussam tanti sceleris publicavit, quod enormitas facinoris publicare coëgit. Tunc, inquam, sceleratum factum prodidit dolor, tunc immane facinus pietas perfida denudavit. Ardet insana mulier, quia parricidium fecit; ardet quia filium suum devoravit; sed plus ardet, quia in illa clade filium suum alia non immolavit. Aut ego cum hac, inquit, moriar: aut certè ut hæc meum, ita illius natum invadam. Pactum nostrum justitiâ iniquâ, rex juste, confirma: quia ego numquam meum natum occi-
B derem, nisi suum occidendum amaro placito locavisset. Ergo, Domine rex, aut meum qui comestus est, reddat; aut suum qui est absconditus, prodat. Certè ut dignum est, utrasque nos pari sententiâ percute; ne aut ego post tantum facinus vivam, aut hæc sese gaudeat non fuisse in suum filium parricidam.

5. Quo audito rex vestimenta conscidit, vultum mutavit: & continuò Propheta ad regem mandavit, *Hæc dicit Dominus, Hac horâ crastinâ die mensura similaginis siclo emetur, & duæ mensuræ hordei siclo in porta Samariæ ementur.* (4. Reg. 7. 1.) Nuntiat Propheta sanctissimus ad regem cælitus ubertatem, quam sola fides crederet, & perfidia
C posse fieri denegaret. Nuntiat in locum famis futuram abundantiam similaginis, nuntiat cessaturam famem, successuram ubertatem. Nuntiat subitò magnalia Dei successura virtute Altissimi; & additur proprio sceleri perfidia hominis. Tunc homo qui missus fuerat à rege ait, *Nec si cataractæ cæli aperiantur, possunt fieri quæ narrantur.* (Ibidem 2.) O perfidia hominis! Non credit promissam fieri ubertatem, qui horrendam senserat egestatem. Nec considerat Deum promisisse abundantiam, qui populo irrogarat penuriam. Scelestissime homo, cur mirabilibus non credis? Cur farra non accipis? Cur promitten-
D tem Dominum perhorrescis? Crede, quòd credentibus datur, crede populo futurum, cujus te jam negaveris socium. Et quia bonis tantis indignus es, hæc tibi videre conceditur, & posse perfrui denegatur.

6. Igitur dum hæc geruntur, auditum fecit Dominus in castris Syriæ, ut populo promissam tribueret ubertatem: quadrigarum strepitus, & curruum sonitus, & armatorum tumultus inimicorum auribus maluit resonare, ut posset jam suum populum liberare. Quo strepitu perculsi inimici fugiunt, sine pugna terga vertunt, utensilia relinquunt; & Israëlitæ egressi civitatem, castra hostium invadunt deprædantes. Revertente ergo (Ibidem 6.)
E populo onerato, ille qui non crediderat, cecidit lapsus, & ubertatem videns in populo cecidit, pressus est. (Ibidem 7.)

* SERMO XLVII.

De beato Tobia.

Incerti auctoris & ineruditi.

* Olim de Tempore 226. & post in Appendice 63.

1. BEATUS Tobias, qui panem suum noverat frangere esurienti, mercedem celerem mercenario præparat laboranti. Patienter lectione percepta, quæ nuper est recitata, admirabamur patris filiique tracta-
F tum, quemadmodum Angelus monet, quem æstimabant terrenum sub cælesti gloria mercenarium. Ad hoc enim cæcitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet medicum, qui divinis facibus incensus sic anhelavit, *Honesta est oratio cum jejunio & eleemosyna.* Oratio justi, clavis est cæli. (Tob. 12. 8. Oratio justi, clavis cæli.) Adscendit precatio, & descendit Dei miseratio. Licèt alta sit terra, altum cælum; audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum, fletus citiùs audit quàm voces. Oratio invidi solet de auribus propulsari. Erat patris & filii anima una, dum esset pro-
G prietas membrorum, erat illis singularis germanitas animorum. Fili, inquit, dimittamus istum hominem adjicientes ad mercedem placitam; quia nobis multa opere suo contulit bona. (Ibidem 1. &c.) Et filius relato tractatu alloquitur patrem: Pater, numquidnam isti tam benedicto operario merces tantùm placita debet pensari, cujus bonus ducatus non potest æstimari? Parum illi honoris reddemus, si ejus meritis mensuram figamus. Num-

m

CLASSIS I.

quid ipse id tantùm exhibuit, quod placuit? Hoc placuerat, ut mihi regionem & virum, cui argentum commendasti, demonstraret. Primò iter quasi cæleste carpens, & mihi & tibi paravit necessarium de pisce collyrium: me deduxit, argentum recepit, Saram mihi uxorem desponsavit. Mercede placitâ tantùm est dignus, qui mihi tamquam cælestis exstitit paranymphus; &, quod plus est, bone pater, oculorum tuorum maculas albugine detractâ curavit, & totam domum nostram illuminatis oculorum tuorum lampadibus illustravit? Clariùs modò video, quia te videntem adspicio. Nonne iste, optime pater, dignus est mediâ substantiâ? Iste talis ductor atque provisor, medicus atque custos, ut dixi, mediæ substantiæ, quam ipse mecum pertulit, accipiat portionem, qui mihi ducatu suo tantam præbuit pietatem. Placet bono patri sapientis filii responsio. Rogare cœpit mercenarium, ut mercedis suæ sumat effectum. *Frater*, inquit, *accipe quod tuum est; & tunc vade salvus.* Recipe mercedem tuam; quia præbuisti mihi & filio meo bonam misericordiam. Tolle, ut dixi, mediam substantiam, quam cum meo filio reportasti: nam gratia quam tibi debemus, non potest ponderari.

2. Continuò Angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratìs facere pietatem. Tobis, inquit, vel Tobia, quid de mea mercede satis superfluè cogitatis? Habete quod vobis donavit Pater ille cælestis. Ego minister sum curationis, ille auctor sanitatis. Nescitis cujus mercenarii ope perfrui meruistis. Defunctos captivitatis sepelire non timuisti, Tobis: adscenderunt ad Dominum opera tua; quia relicto prandio, reddidisti mortuum sepulturæ. Ego Domino medullata intuli sacrificia pro venerabili sepultura, ego directus sum operarius fori cælestis. Mortuum sepelistis, & mortis aculeum non timuistis. Ipse sepultus pro vobis voce tacita proclamavit. Probationis fuerat cæcitas oculorum, unde patientia tua clariùs meruisset de cælestibus ornamentum. *Ego sum Raphaël, unus ex septem Angelis, qui assistimus ante claritatem Dei.* (Ibidem 15.) Non indigeo fructu humanæ mercedis: divitem me facit conversatio majestatis. Dives est ille qui me misit, gratìs jussit impendi, qui gratìs ipse concessit. Nec ipsum honorem gratiarum mihi deputetis; quia nihil meis viribus percepistis. *Deum benedicite, & illi confitemini, & ipsum glorificate, quia vobiscum fecit bona.* (Ibidem 6. & 18.)

3. Subitò patefacto mysterii cælestis honore, voce Raphaëlis Angeli adtoniti, Tobis & Tobias collapsi in terram proruerunt, vocem tremulam penitus occultaverunt, quia vocem insolitam audierunt. Quid meruistis pater Tobis filiusque Tobia? Mercenarium habere cælestem, & tamquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen: *Azarias sum*, inquit, *Ananiæ magni filius:* (Tob. 5. 18.) & non dixit, *Ego sum Raphaël Angelus.* Celavit in primo nomine dignitatem; ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret, Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Servata est dignitas nominis; ut postremò magnitudo claresceret dignitatis. Videte, Carissimi, quantum sit eleemosynæ meritum. Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit, mortuos sepelire; ut oblatio ejus per Angelum Raphaëlem ad cælestem adscenderet majestatem. Videtis, quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Facit purgationem oculorum, liberat à tenebris peccatorum. Tobis viâ suâ deducitur, Sara tot viris contristata per Angelum matrimonio copulatur.

*SERMO XLVIII.

* Olim de Tempore 228. & pòst in Appendice 66.

De Judith I.

Incerti auctoris & inerudití.

1. NON sufficit mortalis eloquentia justorum omnium orationes eximias atque triumphos gravidasque referre virtutes, quas omnipotens Deus dedit eis, quibus solet conferre victoriam, qui viros ac feminas vigere permisit, qui & flammam camini refrigerio dispersit, & insidiosos exercitus capite sublato nudavit. Nam cùm Holofernes ille filiorum Israël, immo sui capitis inimicus, exterarum gentium sibi jus vendicaret, atque obsidione, armis, ignibus quoque pugnaret, nec non & multarum gentium campos canis messibus oneratos in cinerem pascente flammâ converteret; Judith sanctissima, cujus precibus patuit cælum, orationis arte arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, & pavescentes viros femina vindicaret. Squallebat civitas obsidione barbaræ feritatis: ita enim universâ languebant, ut in manibus hostium jàm tradi commodiùs judicarent, quàm perniciosæ famis populatione vexari. Ecce Judith post precem & saccum, post cinerem ad cultus puellares redit, spes omnium populorum procedit, sollicitos populos reddítura securos suâ sapientiâ consolatur, quæ promittens victoriam quam omnis natio miraretur, portam sibi paululùm remotis obicibus postulat aperiri. Prodiit secura unius puellæ comitatu contenta, & hostium securis gressibus properavit in castra. Intra muros sollicita fuit; secura fit dum ad timenda pervenit. In qua femina insidiosæ pulcritudinis novitatem hostilis exercitus vehementer expavit, ut in ejus obsequio vires amitterent, arma projicerent, & colla curvarent.

SERM. DE SCRIPTURIS.

2. Deducitur ad prætorium subjectis ordinibus fraus Holofernis, & lugentis victoria civitatis. Quam cùm videret Holofernes, solutus est sensibus, animam cum capite perditurus. Jacuit enim dedecus juvenum mulieris vultu captivus; licuit mulieri exarmare juvenes, & debellare victores, sollicitam defendere civitatem, & barbarum subvertere bellatorem. Decepit sincera corruptum, fefellit casta pollutum, pudica perimit adulterum, sobria jugulat ebriosum. Illa enim tam barbaros animos insidiosi sui vultûs fraude confuderat, ut eum ligaret multarum arte fabularum, ut redderet inter exercitus victum, & inter arma captivum. Paratur convivium regi, Judith interesse jubetur. Illa consentit, ut vincat: accedit ad convivium, nihil de cibis aut de poculis hostium gustatura, quæ suis utensilibus voluit esse contenta. Quamvis ille bellator armorum tam castissimæ feminæ malè sanus adtenderet vultum: illa tamen, quare venerat, de ejus capite cogitabat; quo sublato defectis civibus subveniret, & multa capita tueretur, defenderet, vindicaret.

3. At ubi convivii sagina fines excessit, & gravis calicibus somnus successit, videns Judith inimici corporis inclinatas ebrietate cervices, surgens ipsius cruentum arripuit collum, comam quoque barbari capitis manu occupavit. *Domine*, inquit, *confirma brachium meum. Et percussit * tertiò in collo ejus; & amputavit caput ejus.* (Judith 13. 9. & 10. *At in Scripturis.) Exiens foras, tradidit puellæ caput Holofernis, & misit illud in peram. Et post pusillum exivit foras quasi ad orationem secundùm consuetudinem. Ecce castitas. Orationis favore castitas pudorem proprium servavit intactum & quietum, decepitque alienum. Jacet inclusum cadaver, & jam foris est caput. Cum palmifera castitate Judith ad cives sollicitè festinat: nec prohibetur regressu, cui quasi ad orationem anteire fuerat concessum. Jam recipit adtonita civitas tantæ victricis reditus triumphales, jam luctus convertuntur in gaudium, jam portæ plenissima securitate panduntur, jam pendet muris victoribus caput. Omnis erat in civitate victoria, & in hostilibus castris tremor erat & fuga; Judith in civitate cum securis secura. Ubi enim assiduis pulsatur orationibus cælum, potentia semper calcatur armorum. Ecce gloriosæ feminæ castitatem servavit oratio; & hostem servare non potuit multitudo. Lugentem civitatem una femina valuit vindicare; & tantus exercitus regem non potuit custodire.

*SERMO XLIX.

* Olim de Temp. 224. & pòst in Appendice 67.

De Judith, II.

Incerti auctoris & inerudití.

1. QUOTIENSCUMQUE bellicus rumor terribili famâ crebrescit, aut horrisono tubarum clangore, vel raucisono æris cantu increpuerit lethiferum murmur, feminis ac debilibus formidolosa imago mortis occurrit: intrepida virorum fortium pectora solent laudis amore flagrare, atque bellica sorte, ubi funesto imbre densati prœliantes mortifera obumbratione texerint partes consertas sub stridulo telorum cursu,

Classis I.

eventu jam errantes lethifero, præcipiti ardore triumphales propinquant ad palmas. Judith bellator animus alienum pectus obſedit. Illa abjectâ formidine feminarum, victoriam in periculis quærens, nec mortem in periculis timuit, nec ambiguitatem formidavit. Cùm igitur Bethuliæ mœnia Holofernes hoſtili obſidione calcaret, & avertens tractus aquarum, prima indiceret certamina ſiccitatem; Judith flens ſui conjugis fœdera acerbo diſſidio rupta lugubri lamentatione ſervabat. Quæ ut reperit captivandæ civitatis inducias poſtulatas, mox ei privatum dolorem congeminavit civitatis (Judith 10. 1. &c.) communis dolor. Quæ exorata, conſurgens abluit aquâ corpus ſuum; imponens ſibi ornamentum, pendulas aureas divitias ſuſpendit, & manibus lapillatos circulos ſplendentes induxit, fluentes ſinus purpureæ veſtis gemmato collegit pectore, caſto vultu priùs dimicatura quàm ferro. Monilium tela pudori ſemper adverſa, hoſtem ferire didicerunt. Gentis ſuæ vindex ſumſit ornamentorum arma, non de bello nuptias ſubitura; ſed de civitate bellatrix procedit ſponſa. Nec fuit levitas ornatûs, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur. Pergit divino Spiritu ducta, & ſingularis ancillæ ſolatio contenta. Species cuſtodit, quæ blanditur; & ne violenter pudicitia cuſtodita lædatur, Holofernem alloquitur (Judith 11. 14. &c.), ut deſiderium inane concipiatur: *Ego*, inquit, *ancilla tua, miſit me Dominus Deus facere rem, in qua mirabitur omnis qui audierit eam; quoniam ancilla tua Deum cæli obſervo; & nunc ibo per noctem, & orabo ad Dominum cæli: & nuntiabit mihi quando faciet hæc, & ducam te per mediam Judæam, & ponam ſedem tuam in media civitate, & canis non mutiet linguâ ſuâ contra te, quoniam mihi hæc oſtenſa ſunt à Domino.* Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perficit actibus quod promiſit.

2. Dum regi alto ſermone imaginariis verbis blanditur, bellator animus laſciviâ ſolvitur, in amore armorum torpent vires innumerabiles militum, luxu regifico nuptiarum pompa nullo nubente conſtruitur, cuncti ebrietate ſolvuntur. Non delicata matrona pugnavit, ſed ſopor tibi quem ferias præparavit. Conſtructo thalamo concitatur ad ducem pronum amore, victum ſomno, eliſum virum in ſtrato; bellatoris crines implicuit pulcritudine digitorum, poſt teneritudinem fuſi, ebeni capulum quærit. Mucro matronam non terruit; ſed armavit, quæ ita pugnavit. Coruſcus enſis caput abſtulit hoſti, perſolvitur, in patriis mœnibus victoria ſuſpenditur. Armis ſtupentibus cunei denſantur, præpoſtero ordine triumphant. Sequitur bellum, vino fuſi, ſoluti ſomno, in certamen nec clamore provocante conſurgunt, teguntur armis coruſcantibus montes. Quid alienigena fremis? Quid bella componis? Quid aciem paras, habens quem in cubiculo quæras? Omnem varium furoris impetum retine, tantum vobis reliquimus ducem, agnoſcendam partem habemus in porta pendentem. Tantam animus de Deo ſuſcepit largitatem, quantam credulitas ſibi poterit vendicare.

*SERMO L.

(* Olim de Temp. 224. & poſt in Appendice 64.)

De beato Job, I.

Incerti auctoris & ineruditi.

1. PROMTIOREM me ad loquendum Veſtra Sanctitas præmonet; etiam dudum de Scripturis inſinuata omni cum devotione dicendi fiduciam tribuit, quem Deus gratanter vobis audire monſtravit. Sic & nos Veſtra Sanctitas de Job dicentem accipiat, ut audire ſe tamquam ruſticum credat. Non fuco ſermones infectos dicere arbitretur, qui illius magiſterio ſimpliciter dicere profitetur. Adversùs Job diabolus pugnam impetravit, cujus filios ruina cùm exſtingueret, factus eſt poſt divitias inops, poſt familias ſolus, poſt numeroſam ſobolem nullius pater, patrimonio naufragus, in corpore edaces pœnas uno robore fidei ſuſtinebat. Divitiæ in inopiam ceciderunt. Hic novâ expergiſcitur nuditate: nullus fuit proximus, quia rara eſt miſeris amicitia. Corporis ſanitas vulneribus immutatur, gaudium in dolorem convertitur, nullus artus qui non flagellis valetudinum agitetur. Denique ſub ſterquilinio jacuit præclara juſtitia, & cùm vulnerata caro proba-

A retur in membris, incolume pectus ſervabat interiùs. (Serm. de Scripturis.) Nihil erat à capite uſque ad pedes, quod non affligeret pœna. Undique circumvallantibus pœnis ſtetit: & unde fervebat diaboli invidia, inde ſumta eſt fatigata victoria. In corpore torquebatur; & ſpiritu probabatur. Vermibus corpus inquietis doloris tolerabat geminata ſupplicia, quam fluxæ carnis putredinem prædurabat fecunda calamitas: non noctibus quies, non diebus requies. Torquebatur; & orabat. Aliud poſtulabat hoſtis, aliud precabatur vociferatio confeſſoris. Diſſolutis nervis, ſaniei profluvium aſperior teſta radebat, atrox cruciatus mutabat. Reges non agnoſcebat, & confoſſum B corpus in ſtercore recumbebat. In naufrago corpore incolumis juſtitia tutatur, & periclitantibus membris, auctori vulnerum pectus ſervatur. Omnia, excepto ſpiritu, occupaverat hoſtis.

2. Non fuit qui reciprocum redderet munus mercedibus, delicata matrona in alienis domibus ſervit, quæ imperare conſueverat. Ubi poſt ſolis occaſum diurna ſupplicia durè tranſigebat, quietem exſpectabat, & fatigatis matrona digitis, ſuccedentem diem lacrymantibus oculis deducebat. Orbata in mœrore filiorum mulier locatur ut ſerviat, nec ad lacrymas vacat. Adhuc matrona jam vidua, ubique mercenaria, nuſquam domina; nec ſterilis, nec mater, uteri ſui laniatus deflet: Ecce C ce, inquit, marite, quæ pateris: *dic aliquid adversùs Deum, & morere.* (Job. 2. 9.) Peccavit ſola, quæ viro miſericordiam denegabat; oblivìſci uxorem Job in filiis didicerat, & omnibus membris fluens, ſolus animus fideliter repugnabat. Bellator mundi in uno viro torquetur, dum torquet, & pœna revertitur in auctorem. *Ecce*, inquit Dominus, *tradam illum tibi: animam illius tantummodo cuſtodi.* (Ibidem 6.) Securè pugnat, qui hoſte metuente ſervatur. Sic hoſtis furebat, ut timeret: infligit dolorem crudelitas; & deficit in ſuis viribus. Pœnâ fugatâ revertitur ſanitas, & cicatricibus felicior redditur medicina. Celeriùs curat Dominus, quàm vulnerat inimicus. In gaudia D gemitus migravere, & in foſſis vulnerum numerabantur monumenta victoriæ. Propter Job regina, propter quem & mercenaria. Duplici regreditur fœnore, ut amiſſa poſſent duplo recipere.

*SERMO LI.

(* Aliàs de Tempore 215.)

De beato Job, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovanienſibus dubius, Verlino & Vindingo ſpurius. Auctoris eſt eruditi & pii, ſed nobis ignoti.

E 1. IN lectione quæ nobis lecta eſt, Fratres cariſſimi, audivimus quòd glorioſiſſimus Dei athleta contra hoſtem callidiſſimum admirabiliter prœliatus ſit: & ſecundùm quod Apoſtolus ait, Spectaculum Deo & Angelis ejus & hominibus dignum (1. Cor. 4. 9.) non ſine ingenti admiratione audire, & quodam modo oculis fidei videre meruimus. (Job in proſperis & in adverſis victor.) Vidimus beatum Job non ſolùm contra felicitatem mundi, ſed etiam contra paupertatem & aſperrimos dolores, & contra filiorum orbitatem fortiter & feliciter dimicantem. Qui cùm eſſet dives, nullum contemtum habuit; cùm penuriam pateretur, neminem blaſphemavit, nec contra Dei diſpenſationem murmu-F rare præſumſit: ſed locuples dicebat, *Domus mea omnibus viatoribus patuit, & de velleribus ovium mearum calefacti ſunt humeri infirmorum.* (Job. 31. 19. & 20.) Poſtea verò, cùm paupertate premeretur, in anguſtiis loquebatur, *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt.* (Job. 1. 21.) Fortiter colluctatus eſt diabolus; ſed athletam Dei ſuperare non potuit. Immanes ſuſcitavit fluctus; & firmiſſimam petram commovere non valuit. Machinationes ſuas adhibuit; & turrim validiſſimam non proſtravit. Arborem concuſſit; & decutere poma non valuit: & ramos quidem confregit; ſed radici nihil nocuit. Parietem perforavit; ſed theſaurum auferre non potuit: (Theſaurus juſti fides.) G theſaurum autem dico non auri & argenti, ſed fidem juſti. Hunc enim ejus theſaurum diabolus diripere feſtinabat, quando eum omni facultate nudatum plagâ intolerabili cruciabat. Vidiſti augmentari fluctus, vidiſti petram firmiſſimam, vidiſti turrim inexpugnabilem, vidiſti Deum glorificatum, & diabolum confractum: & quali nomine hunc juſtum appellem, ignoro. Athletam

Classis I.

eum vocem ? Sed præcellit tantarum copiâ coronarum. Petram eum dicam ? Sed firmiorem video. Militem appellabo ? Sed robustiorem cerno constantiâ. Turrim eum nominabo ? Sed eminet sapientiâ. Arborem eum dicam ? Sed decorosior invenitur. Fructum illum appellem ? Sed pretiosior demonstratur. Thesaurum eum nominabo ? Sed copiosior esse dignoscitur. Et quali vocabulo appellem sanctum illum, non invenio.

2. Audiant hæc divites, audiant hæc pauperes, quemadmodum hic beatus vir in divitiis suis & felicitate benignus dispensator exstitit divitiarum, & in tentatione paupertatis patienter & fortiter toleravit. Vides igitur non esse impossibile divitem esse in operibus bonis, & pauperem per patientiam egestatis posse esse beatum. Nolo mihi dicas, quia paupertatem timeo. Paupertatem times, & peccatum non metuis ? Nolo timeas paupertatem : sed iniquitatem time, quæ mater est tormentorum. Dominus à te stipendium postulat, & dare ei non vis. Cùm enim audis eum dicentem, Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, utique si tribuas pauperi, Christo fœneras. Si contrahis à paupere manum tuam, quomodo & qua fiduciâ in illa die & tu à Domino misericordiam postulabis ? Nonne arguet te, dicens, Vidisti me nudum, & non operuisti; esurientem, & non pavisti ? Quid tu ad hæc respondebis, & quam veniam deprecaberis? Nonne conscientia tua reum te faciet, & obmutesces ? Et tu quidem multis & pretiosis vel exquisitis deliciis interdum usque ad crapulam satiaris; & pauperi unde esuriem repellat, vel cibum simplicem dissimulas erogare. Vestibus etiam nimiùm pretiosis indutus incedis; & pauperi nudo nec vilissimum tribuis vestimentum. Domum tuam in omni pompa componere vel ornare contendis; forsitan nec in angulo ejus peregrinum vel pauperem recipis. Sed qui talis est, cùm ei irrevocabilis advenerit finis, si pænitentia non subvenerit, perget ad inferos nudus bonis operibus, remanente domo cum omni ornatu suo in testimonium avaritiæ suæ. Unusquisque enim prætereuntium dicet, Hæc domus illius fuit raptoris, prædonis, avari. Quantas viduas afflixit, quantos orphanos denudavit, quantos miseros fecit, ut hanc domum tantis expensis de iniquitate quæsitis erigeret ?

Et dives potest esse bonus, & pauper beatus.

Matth. 25. 40.

Pauperum contemtus quàm cavendus.

Ibidem. 43.

3. Sed dicit aliquis, Nobilis sum, & in honore constitutus. Nobilitatem nemo reprehendit, de istis dignitatibus nemo disputat, quæ à Deo bene hominibus conceduntur. Divites ergo in honoribus constitutos, si justè & castè & misericorditer vixerint, reprehendere nemo debet. Illi verò dolendi sunt & lugendi, qui inflati superbiâ dignitatum, putant se immortales cum ipsa dignitate futuros; & non considerant conditionem suam, quia de terra sunt, & in pulverem redigentur, & pro parva lætitia vitæ hujus, (si tamen lætitia vel vita dicenda est,) perpetua sustinebunt tormenta. Attendis pauperem, & despicis, & non recogitas, quoniam homo est, sicut & tu : homo cara & amica possessio Dei, homo cujus caussâ firmatum est cælum, & extensum est mare, fundata est terra; propter quem sol oritur & occumbit, luna crescit & deficit, astra micantia surgunt. Tunc ergo contemnis hominem pauperem, propter quem Deus talia & tanta constituit; ad extremum, ut adhuc amplius dicam, propter quem Dei Filius humanam carnem assumsit, opprobria & flagella sustinuit, crucem pertulit, & flagelli amaritudinem sensit, mortem gustavit, ad inferna descendit, & eos qui à diabolo detinebantur obnoxii, sanguinis sui pretio liberavit ? Ecce quanta & qualia humano generi pietas divina concessit. Videte ergo si justum est, ut à nobis pauper quisque despiciatur, cui tot beneficia pietas divina largitur.

Nobilium non dignitas culpanda, sed fastus.

Homo quàm Deo carus.

4. Amemus ergo, Fratres carissimi, & non despiciamus pauperes vel peregrinos; ne nos ille despiciat qui propter nos pauper factus est, cùm esset dives. Considerate, Fratres, & diligenter attendite, quia ab initio nullum pauperem despicere voluit Deus. Nam sicut in Scripturis divinis frequenter & diligenter audistis, ut superbiam & vanitatem mundi reprimeret Deus, non elegit rhetores, non eloquentes, non consules, non divites, non potentes, quibus verbi sui secreta committeret : sed aut opiliones, sicut Patriarchas & beatum David; aut piscatores, sicut beatum Petrum, vel reliquos Apo-

2. Cor. 8. 9.

Dei in pauperes favor.

A stolos; ut per infirma destrueret fortia, & per humilia excelsa & superba dejiceret. Amemus ergo pauperes, ut cum illo partem habere possimus, qui dixit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Nam quia genus humanum per superbiam mortale vulnus acceperat, Christus medicamentum humilitatis exhibuit. Noli ergo despicere humilem pauperem : qui cùm sibi pauper sit, facere te divitem potest. Qui enim divites sunt, imitentur beatum Job humiliter largas eleemosynas facientem. Non extollantur in prosperis : & si sinistrum aliquid, Domino permittente, pertulerint, non deprimantur adversis; & in nullo contra Dei judicia murmuran-
B tes, sed humili & piâ conscientiâ cum beato Job dicant, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*: cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto, in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

Serm. de Scripturis.

Matth. 11. 29.

*SERMO LII.

** Aliàs de Temp. 222.*

De beato Job, III. & de verbis Psalmi 97. Psallite Domino in cithara &c.

C *In Appendice nunc primùm collocatur. Ex Lovaniensium censura dubius inter Augustinianos Sermones remanserat. Observavit post Verlinum Vindingus, quæ in eo leguntur, pleraque ex Augustini in Psalmum 97. enarratione esse huc translata.*

1. Beatus Job, Fratres dilectissimi, de quo nobis hesterna lectio recitata est, tam sanctus fuit, ut in illo compleretur illud quod in Psalmo Spiritus-sanctus dixit, *Psallite Domino in cithara & voce Psalmi.* Non vocem solam, sed opera assumite : ut non tantùm cantemus, sed & manibus operemur. Qui cantat & operatur, psallit in psalterio & cithara. Qui psallit in psalterio, divina de cælo verba canit : qui autem operatur manibus, humana opera perficit. Extende manus, & da pauperi, nudum vesti, hospitio recipe peregri-
D num. Sed cùm facis, piè ac hilariter fac : recole illi te facere, qui dicturus est, Esurivi, & dedistis mihi manducare. Videte qualia organa adjungantur in similitudinibus. *In tubis*, inquit, *ductilibus.* Beatus Job, Fratres dilectissimi, ita Dei Spiritu plenus erat, ut velut ductilis tuba laudes Domini dulciter decantaret. Sic enim de talibus sonitus est, *In tubis ductilibus & in voce tubæ corneæ.* * Ductiles æreæ sunt tubæ, & tundendo producuntur. Quando enim producuntur? Quando malorum hominum persecutionem patimur, si patienter omnia sustinemus, & numquam contra dispensationem Domini murmuramus, vapulando erimus tubæ ductiles ad laudem Domini produ-
E ctæ, si cum tribulatione proficimus. Tribulatio tunsio est, profectus productio est. Tuba ductilis erat beatus Job, quando à diabolo percussus tantis damnis, orbitate etiam filiorum afflictus, in nullo contra Dominum murmuravit. Tunsione illa tantæ tribulationis factus est tuba ductilis. Ergo audiamus si ipsa tuba bene sonuit. Audi, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Videte, Fratres, quomodo & quàm diligenter sonuit, quàm suavem sonum dedit. Nec hoc solum sufficit, nisi adhuc tundatur. Datus est autem in potestatem satanæ, ut caro percuteretur. Percussus est, cœpit putrescere; * ita ut eum sca-
F tentes globi vermium exararent. Ipse tamen beatus Job quamlibet esset justus, non tamen fuit sine peccatis. Neque enim melior erat sancto Johanne evangelista, qui ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Per illam enim crudelissimam pœnam minuta peccata purgabantur. Quam rem etiam ipse intelligens, Deo gratias referebat; & negligentiarum suarum quasi verissimus judex, non molli linteo, sed testâ radebat saniem fluentem.

Psal. 97. 5.

Quis psallat in psalterio & cithara.

Matth. 25. 35.

Job tuba ductilis.

** Ex August. enarratione in Psal. 97.*

Job. 1. 21.

** Hac usque Augustinus.*

Job afflictus ad purgationem levium peccatorum.

1. Johan. 1. 8.

2. Ex omnibus tamen bonis suis, sola ei à diabolo mulier reservatur. * Supposita est uxor Eva, quasi ad se-
G ductionem. Hoc erat necessarium, ut uxor ei reservaretur; equidem non ad solatium mariti, sed ad ministerium diaboli. Suggessit mulier blasphemiam : Job non obtemperat, sed recusat. Evam Adam in paradiso non repulit; repulit Job Evam in sterquilinio. In stercore sedebat Job, cùm flueret vermibus, atque putresceret : sed melior Job vulneribus plenus in stercore, quàm Adam integer in paradiso. Equidem adhuc uxor sua

** Rursum August. loco citato.*

Job infirmus melior Adamo integro.

Eva

CLASSIS I.

Job. 2. 9.

Eva erat; sed jam ille Adam non erat. Quid ergo dixit mulier? *Blasphema Deum, & morere.*

Ibidem. 10.

3. Ecce audivimus quo modo tunditur tuba ista. Percussit eum diabolus à capite usque ad pedes gravi vulnere, & putrescens vermibus sedebat in stercore. Audivimus quemadmodum tunsus est: tubæ hujus ductilis vocem dulcem, si placet, audiamus. Respondit enim uxori, *Locuta es*, inquit, *quasi una ex insipientibus mulieribus: si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non toleremus?* O sonum fortem! ô sonum dulcem! Quem non dormientem excitet sonus iste? Quem non excitet præsumtio in Domino, ut adversùs diabolum securus procedat in prœlium; & non se suis viribus obtecturus, sed Dei auxilio protegendus? Ipse enim adjutorium dedit, qui eum tentari permisit. Non enim tunderet diabolus de se ipso: nihil enim facere poterit, nisi quod dispensatio divina permiserit. De illius enim diaboli

Jerem. 50. 23. Diabolus malleus universæ terræ.

pœna futura Propheta commemorans ait, Contritus est malleus universæ terræ. Malleum universæ terræ, diabolum voluit intelligi. De ipso malleo in manu Domini posito, id est, in potestate Dei, tunduntur ductiles tubæ, id est, animæ sanctæ, ut resonent Dei laudes.

[a] Quæ sequuntur aliunde hausta. A diabolo tunduntur justi & injusti.

4. [a] De isto malleo & justus tunditur & peccator; ille ut probetur, ille ut puniatur: aut certè ut justus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis. Sub isto enim malleo in manu, id est, in potestate Domini constituto, tunduntur non solùm humiles, sed & superbi: sed humiles producuntur, superbi comminuuntur ut vitrum. Una eademque tunsio bonos producit ad

Psal. 1. 3.

gloriam, malos redigit in favillam: ut impleatur in eis illud quod scriptum est, Et erit tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. De ipso enim malleo quotiens animæ sanctæ, Deo dispensante vel permittente, tunduntur, in nullo murmurant, in nullo penitus contradicunt; magis humiliter, velut ductilis tuba, pro-

Psal. 118. 137.

clamant, Justus es Domine, & justa judicia tua; adhuc minùs patimur, quàm meremur. Et hæc quidem dicunt animæ sanctæ. Animæ verò superbæ & peccatis obnoxiæ, quotiens aliqua adversitate pulsantur, rebelles contra Dominum murmurare præsumunt, dicentes, Deus, quid tibi feci? quare tanta patior mala? Quibus in conscientia respondet divina justitia, Bene dicis, ô Deus, quid tibi feci? Verum est quia nihil mihi fecisti, sed totum tibi: si enim aliquid boni fecisses, mihi fe-

Galat. 6. 8.

ceras. Cùm verò peccata & crimina commisisti, tibi omnia fecisti, non mihi. Et quia quæcumque seminaverit homo, hæc & metet: non est injustum quòd spinas & tribulos peccatorum colligat, qui nequitiam seminavit. Nos verò, Fratres carissimi, audiamus Apo-

Ibidem 10.

stolum dicentem, Seminemus quod bonum est ad omnes,

Ibidem 8.

maximè ad domesticos fidei. Timeamus, ne fortè, si in carne seminamus, secundùm Apostolum de carne metamus corruptionem: sed ipso adtestante, seminemus in spiritu, ut de spiritu metamus vitam æternam: ad quam nos Dominus sub sua protectione perducat, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Olim 2. ex 50. homiliis, & post in Appendice Sermo 13.

[a] SERMO LIII.

De verbis Psalmi 49. Sedens adversùs fratrem tuum detrahebas *&c.*

Desumtus ex Augustini enarratione in Psalmum 49. sed quibusdam mutatis & additis. Addita ansulis concluduntur.

Psal. 49. 20.

1. FREQUENTER, Fratres carissimi, cum Psalmista cantamus versiculum illum, per quem detractores spiritali gladio feriuntur. Sic enim ait, *Sedens adversùs fratrem tuum detrahebas, & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum.* Quòd autem dixit, *Sedens*, hoc ostendere voluit quòd non transitoriè detraxerit, nec ei subreptum sit, ut malè de proximo loqueretur.

Ibidem 21.

Sedens, id est, ex otio: quasi ad hoc vacans, ut derogares proximo tuo. *Hæc fecisti, & tacui.* Nemo, Fratres carissimi, falsa securitate se decipiat, & putet se ante tribunal Christi non esse venturum, nec redditurum de factis propriis rationem. Veniet enim Dominus Deus noster, & non silebit. Modò enim silere dicitur, quia

A adhuc vindictam suspendere videtur.] *Hæc fecisti, & tacui.* Quid est, *Tacui*, nisi, non vindicavi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pænitentiam tuam diu exspectavi? *Hæc fecisti, & tacui.* Ego autem cùm adhuc exspectarem, ut te pæniteret; tu & [a] me contemsisti, & Apostolum audire noluisti; sed secundùm duritiam cordis tui & cor impænitens thesaurisasti tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Rom. 2. 5.

Psal. 49. 21.

2. *Suspicatus es iniquè, quòd ero tibi similis.* Parum est, quia mala facta tua placent tibi, placere putas & mihi. Deum quia non statim pateris ultorem, vis tenere participem, & tamquam corruptum judicem prædæ socium

Eleemosyna sine justitiæ studio.

B vis habere. [De multis quæ rapuisti parvas eleemosynas faciens, & adhuc peccata non deferens, quasi corruptum judicem putas te posse redimere: cùm, si etiam totum dares, & peccata ipsa non deserens, te ipsum deciperes, pecuniam perdendo, & peccata non redimendo.] *Suspicatus es iniquè, quòd ero tibi similis. Arguam te.* Quando veniet enim Dominus Deus noster, non silebit. *Arguam te.* Et quid faciam arguendo te? quid tibi faciam? Modò te non vides: facio ut videas te: quia si videres te, & displiceres tibi, placeres mihi: quia verò te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi; mihi, cùm judicaberis; tibi, cùm ardebis. Quid enim

C tibi faciam, inquit?

Psal. 49. 21. Bona post dorsum, mala ante faciem sibi proponenda.

3. *Constituam te ante faciem tuam.* Quid enim vis latère te ipsum. In dorso tuo tibi es, non te vides: facio ut videas te, quod tu post dorsum tuum posuisti, ego ante faciem tuam ponam. Videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas. [Modò enim, Fratres carissimi, omnes amatores luxuriæ, & qui cùm delectatione faciunt iniquitatem, peccata sua post dorsum projiciunt: si verò aliquid boni casu aliquo vel per quamlibet occasionem fecerint, ante se ponunt; & inde assiduè gloriantur, & dicunt, Ego illum liberavi, ego illi bene feci, ego illi tantum dedi. Et dum bona quæ per illos Deus fecit, sibi assignant, per vanitatem perdunt, quod

D per eleemosynam adquirere videntur. Ac sic ante tribunal Christi perditis bonis, quæ ante se habebant, peccata quæ post dorsum projecerant, ante faciem eorum revocantur: & sine ullo termino sustinebunt supplicium, qui sibi, dum viverent, noluerunt providere remedium. Et hæc quidem faciunt illi, qui plus diligunt præsentia quàm futura. Qui verò de animæ suæ salute adtentiùs cogitant, è contrario faciunt; bona quæcumque fecerint, post dorsum projiciunt; mala autem quæcumque illis subrepserint, ante oculos ponunt: & dum de ipsis in præsenti sæculo erubescunt; & vulnera-

E ta curare, & mortua resuscitare, & sordida abluere totâ fidei devotione contendunt: ut cùm in die judicii ante tribunal Christi venerint, mala quæ ante faciem suam posuerant, & bonis operibus redemta sunt, auferantur; bona quæ propter vanitatem post dorsum projecerant, ante oculos collocentur, & mereantur audire, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Et licèt hæc ita sint, non tamen de illis desperandum est, qui adhuc mala sua non solùm corrigere nolunt, sed etiam defensare non erubescunt: sicut nec illa civitas desperata fuit, de qua dictum est,] Triduum, & Ninive subvertetur. In ipso tamen triduo idonea fuit converti, orare, plange-

Matth. 25. 34.

Jonæ 3. 4.

F re, & de pœna imminenti misericordiam promereri. Audiant ergo qui tales sunt, dum licèt audire tacentem: [id est, in præsenti non vindicantem.] Veniet enim, & non silebit, & tunc arguet, quando correctionis locus nullus erit. *Statuam te*, inquit, *ante faciem tuam.* Modò ergo tu, sicut jam suprà dictum est, quisquis talis es, fac quod tibi minatur Dominus facere: tolle te à dorso tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis; & constitue te ante te. Adscende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat confessio, dic Deo tuo, Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum ante me est semper.

Psal. 50. 5.

G Quod erat post te, fiat ante te, [b] & cùm factum fuerit ante te, puniatur à te: ne tu ipse postea à Deo judice fias ante te, & non sit quò fugias à te.

Psal. 49. 22.

4. *Intelligite* autem *hæc*, *qui obliviscimini Dominum.* Non cogitabas de vita tua mala: intellige te, qui obli-

[a] Sic editi. At MSS. German. & Remig. *Et me & Apostolum contemsisti.* Subdit tamen German. *audire.* Mox uterque, *secundùm duritiam cordis*, sine particula *sed.* Paulò aliter habet August. in eumdem Psalmum.

[b] Hæc verba, *& cùm factum fuerit ante te, puniatur à te*, nec habent MSS. nec Aug.

Classis I.

tus es Dominum. *Ne quando rapiat sicut leo, & non sit qui eruat.* Quid est, *sicut leo?* Sicut potens, sicut fortis, sicut ille cui resistere nemo potest. [Illi enim quos suprà diximus, id est, amatores mundi, in ore suo Deum laudare videntur; sed longè aliud operibus exercere probantur: secundùm illud quod ait Propheta, Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me. Sed clamat illis Spiritus-sanctus:] *Peccatori autem dixit Deus, Ut quid tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum?* Tamquam diceret ei, Nihil tibi prodest, quòd laudas Deum. Illis enim qui bene vivunt, prodest quòd laudant; tu autem si laudas, [& peccata non deseris,] nihil tibi prodest. Ut quid me laudas? [Audi Scripturam dicentem,] Non est speciosa laus in ore peccatoris. Si enim malè vivis, & bona dicis, nondum laudas: sed rursus si cùm cœperis bene vivere, meritis tuis tribuis, nondum laudas. Nolo te esse latronem insultantem cruci Domini: sed nec te illum volo esse in templo jactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus, & perseverans in illa iniquitate, non dico tibi, non proderit laus; sed non me laudas, laudem istam esse non deputo. Rursus si fueris quasi justus, id est, humilis & pius; & de justitia inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, aut superextuleris te, tamquam glorians de meritis tuis, non me laudas. Nec ille me laudat qui malè vivit; nec ille me laudat, qui quasi de suo bene vivit. Sed numquid ille Pharisæus quasi de suo talis erat, cùm diceret, Gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum? Gratias Deo agebat ex eo quod bonum in se habebat. Quamvis ergo boni aliquid in te sit, non ex te esse quod bonum est, sed à Deo te accepisse profitere. Tamen in eo ipso si te extuleris supra alium non habentem, elatus teneberis, nondum laudator meus eris. Primò ergo corrigere à via pessima, incipe bene vivere, intellige quia non corrigeris, nisi dono Dei: A Domino enim gressus hominis dirigentur. Hoc cùm intellexeris, fave & aliis, ut sint quod & tu es: quia hoc eras & tu, quod illi sunt. Fave quantum potes, & noli desperare; non enim usque ad te dives est Deus. [Quod enim tibi dedit, crede quòd etiam & aliis & velit & possit dare.] Non ergo laudat, qui cùm jam cœperit bene vivere, de suo putat esse quòd bene vivit, non acceptum à Deo: nec ille laudat, qui cùm sciat se quod bene vivit, accepisse à Deo, [a] tamen usque ad se vult esse divitem Deum, [& non vult ut & aliis sit misericors Deus.] Ille itaque qui dicebat, Gratias tibi ago, Deus, quòd non sum sicut ceteri hominum, injusti, raptores, adulteri, sicut & Publicanus iste; nonne & ibi poterat dicere, Domine, dona & Publicano huic quod mihi donasti, supple & mihi quæ nondum dedisti? Sed jam quasi saturatus ructabat. Pauper verò ille, id est Publicanus, quid dicebat? Domine, propitius esto mihi peccatori. Ideo descendit justificatus Publicanus magis quàm ille Pharisæus. Ergo audite qui bene vivitis, audite qui malè vivitis, *Sacrificium laudis glorificabit me.* Nemo mihi offert hoc sacrificium, & malus est. Non dico, Non mihi hoc [b] offert malus: sed, Nemo mihi hoc offert malus. Qui enim laudat, bonus est: quia si laudat, etiam bene vivit; qui si laudat, non solùm linguâ laudat, sed & vita cum lingua consentit.

Isai. 29. 13. — Psal. 49. 16. — Eccli. 15. 9. — Deum non laudant iniqui, nec justi superbi. — Luca 18. 11. — Psal. 36. 23. — Luca 18. 11. — Ibidem 13.

[5. Et ideo [c] rogo vos, Fratres carissimi, quantum possumus, cum Dei adjutorio studeamus, ut quomodo Deum laudamus vocibus, sic etiam bonis moribus collaudemus. Melius est enim tacere & benefacere, quàm Deum laudare & peccata committere. Qui enim laudat Deum vitâ simul & linguâ, vocibus pariter & bonis operibus, dupliciter in se provocat gratiam Dei. Si verò non prævalet Deum laudare vocibus, laudet bonis operibus, assiduis orationibus, cogitationibus sanctis. Si enim hæc diligenter attendimus, & in hoc sæculo cum secura conscientia laudare Dominum possumus, & in futuro ad æternum gaudium feliciter veniemus.]

[a] Sic in MSS. At in editis, *tantùm.*
[b] Apud Augustinum, *offerat.*

A

Serm. de Scripturis.

*SERMO LIV.

De eo quod Propheta dicit in Psalmo, Cor meum & caro mea exsultaverunt in Deum vivum.

* Alias 33. ex homiliis 50.

In Appendice nunc primùm collocatur. Jam antè in Lovaniensium editione tamquam dubius carebat nomine Augustini; cui falsò adscriptum fuisse, non difficilè cum Verlino & Vindingo ex stilo & interpretandi ratione dijudicabis.

1. SECUNDÙM Apostolum, Fratres carissimi, qui satis diligit sæculum, non habet plenum divini amoris affectum. Sic enim audistis legi, Qui diligit sæculum, non est perfecta caritas Dei in illo. Ac per hoc tunc perfectè incipit Christianus futuram & æternam vitam diligere, cùm vitam præsentem cœperit non amare. Et ideo statim sequitur in Psalmo, *Cor meum & caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Confirmat quod suprà dixerat, Deum se amare, non sæculum. Exsultavit *in Deum vivum*; non exsultavit in hoc mundo, nec exsultavit in aliqua oblectamenta quæ mundi sunt, id est, non in divitiis, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & citò cum omni suo amore morituris, sed *in Deum vivum.* Quare non dixit, *In Deum* tantùm: sed addidit, *In Deum vivum?* Ut ostenderet scilicet quia totum quod non pertineret ad Dei cultum, deberemus habere quasi mortuum. Simulque considerate hoc dicto subtilitatem sermonis sacri: *Cor meum*, inquit, *& caro exsultaverunt in Deum vivum.* Numquid non sufficeret dicere, *Cor meum exsultavit in Deum vivum*, nisi addidisset, *& caro mea?* Videamus ergo quo modo in Deum & cor simul & caro hominis exsultat. Quomodo, nisi ut homo & carne & corde Deo serviat? Cor enim exsultat in Deum, quando honesta & sancta cogitat, quando religiosa opera & Deo placita concupiscit. Caro autem exsultat, quando pudica est, quando sobria, quando nulla impuritate polluitur, quando nullis immundis actibus sordidatur. Videte enim è diverso & agnoscite, quàm vera sint quæ dico: si viderit aliquis vestrûm hominem injusta dicentem, numquid dicere potest, quòd cor illius exsultet in Deum vivum? Aut si quis alium viderit ebriosum, impudicum, fornicatorem, numquid dicere potest quòd caro ejus exsultet in Deum vivum? Nulla enim caro exsultat in Deum, quæ vivit in vitio. Ideo ergo Propheta dicebat, *Cor meum & caro mea exsultaverunt in Deum vivum:* quia & corde retinebat plenam religionis fidem, & carne servabat devotam corporis sanctitatem.

Plenus amor Dei excludit amorem sæculi. — 1. Iohan. 2. 15. — Psal. 83. 3. — Qui cor & caro in Deum exsultent.

2. Nec sine caussa in consequentibus statim Psalmista subdidit, dicens, *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos.* In turture & passere Salvator noster significatur, Fratres carissimi. Passer enim, ut scitis, perparva avis est; turtur autem, ut legimus, pudicissima. Et ideo Salvator noster passer dictus est, quia docuit primus humilitatem; turtur dictus est, quia docuit primus castitatem. Unde etiam in Canticis canticorum Propheta dicit, Vox turturis audita est in terra nostra. Vox turturis, doctrina intelligitur Salvatoris. Audire cœpit, puritatem castitatis adamavit. *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos.* Quæ est enim domus Christi, nisi Ecclesia Dei? Quæ est domus Christi, nisi conventus populi Christiani? Hanc ergo domum Salvator cum ingenti pietate quæsivit, & invenit; hanc peculiariter diligit. Meritò peculiariter diligit, quam peculiariter suo sanguine comparavit. In hac ergo domo Salvator congregat pullos suos. Quos ergo credimus Christi pullos? Quos, nisi populos Christianos? Denique qui sint Domini nostri pulli, ipse hodie conventus vester ostendit. Dum enim adspicio vestram congregationem, congregasse in ecclesia pullos video Salvatorem. Quamvis legamus in aliis libris scriptum, ut suprà dixi, *Et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos:* sed utrumque in persona Ecclesiæ bene convenit: id est, quòd nos Salvator & congreget & reponat. Congregat enim nos, ut doctrinam illius audiamus: & reponit, ut ab insidiis diaboli tuti esse possimus. Quod ut faciat, & quotidie faciat, precemur Deum Salvatorem no-

Christus, turtur & passer. Ibidem 4. — Cant. 2. 12. Vox turturis, doctrina castitatis. — Christi domus, Ecclesia. — Pulli, Christiani.

[c] Cæsarii stilus, cùm isthic, tum in aliis quibus Augustini dicta interpolantur, additamentis inesse videtur.

CLASSIS I.

ſtrum; cui eſt cum Patre & Spiritu-ſancto honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

* SERMO LV.

* Olim 4. ex 50. homil. & poſt in Appendice Sermo 14.

De eo quod ſcriptum eſt in Pſalmo 118. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.

Incerti auctoris, non ineruditi.

Quid orandum.

1. INTER cetera quibus beatus David infirmitatibus noſtrarum medetur animarum, ſub quadam trinitatis regula orandi nos formam tenere, tamquam periPſal. 118. 66. tiſſimus magiſter, erudiit, dicens, *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, Domine.* Sollicitiùs itaque, Fratres, intendite quas ſibi potiſſimùm virtutes tribui rex propheticus deprecatur: *Bonitatem & diſciplinam*, inquit, *& ſcientiam doce me, Domine.* VERÈ NOVIT rectè vivere, qui rectè novit orare. Non enim petiit mundanarum divitiarum theſauros, non regna finitima, non tempora prolixiora vivendi; ſed bonitatem ſe doceri ſimul & diſciplinam popoſcit. Bonitas enim facit amabilem diſciplinam, & diſciplina efficit inculpabilem bonitatem. Nec quemquam latére puto, quia bonitas ſine diſciplina delictorum mater eſt, & diſciplina ſine bonitate triſtis quædam amaritudo vivendi. Scientiam præſtari ſibi pariter implorat, ut noverit ſcienter ſapienterque diſtinguere, qui ſint termini bonitatis, & quam debeat habere diſciplina menſuram; ne fortè aut nimiæ remiſſionis vitio bonitas inconſulta fœdetur, aut diſciplina durior ipſâ ſui auſteritate crudeleſcat. Vis, Frater, bonus eſſe peccanti? Benignè quidem facis: ſed ut verè ſis bonus, vigorem ei adhibe diſciplinæ; ut tua illi bonitas proficiat ad ſalutem. Quem utique ſi nulla coërcentis cenſuræ increpatione terrueris, pernicioſa erit ei hæc bonitas tua; quia permittis perire peccantem, quem potueras ſalvare correctum. Rurſum ſi nimio diſciplinæ rigore nullam [a] ſcientiâ bonitatis prætenderis medicinam: dum rigorem tuum refugit peccans, peccati ægritudinem non curabis. Et quæ tandem vivendi ratio erit, quæve juſtitia erit, ut ſolutior lenitas cohibentiam præbeat peccatori, aut immoderata ſeveritas à lapſu non revocet delinquentem? Ut autem bonitatis hujus diſciplinæque magiſterium in noſtris fuiſſe majoribus, pleniùs perfectiúſque diſcamus, pauca de pluribus venerabilium Patrum recenſeamus exempla.

Bonitati neceſſaria diſciplina, & utrique ſcientia.

2. Implevit ſine dubio bonitatis ac diſciplinæ iſtius formam beatus Petrus, cùm, ſicut verè bonus, oblatos ſibi dicitur curaſſe infirmos; & ut diſciplinæ cæleſtis amator, juſta ultione puniſſe mendaces perhibetur. Nimirum bonitatis ejus gratiam teſtatur Æneas ille debilis, qui claudus ab infantia, ſedens in porta templi Domini atque mendicans, in nomine Chriſti Jeſu, Apoſtoli curantis imperio antiquam accepit ſanitatem. Probaverunt & diſciplinæ ejus ſeveritatem Ananias & Saphira, qui diſtrahentes agrum quem vendere nemo cogebat, dum de pretii quantitate mentiuntur Apoſtolo, mortem ſibi falſitate mercati ſunt. Quo facto edocuit glorioſiſſimus Petrus, ineſſe ſibi bonitatem ac diſciplinam, dum remedium præſtat infirmo, & competentem ſumit de mendacibus ultionem: quod eum rectè ſanctéque feciſſe cæleſtis judicii conſenſus oſtendit. De perfectione verò ſcientiæ ejus quis ambigat, qui Chriſtum Dominum vivi Dei Filium eſſe, de cælo ſibi Patre revelante, cognovit? Et quia bonitas ac diſciplina ſcientiaque non deerat, paſcendas illi Dominus ſuas commendavit oviculas.

Has virtutes in ſe exhibuit Petrus. Act. 9. 34. Act. 5. Matth. 16. 16.

3. Tenuit bonitatem ac diſciplinam etiam glorioſiſſimus Paulus, qui ut ejus ſcripta teſtantur, diſcipulis ſuis & virgam correctionis & ſpiritum manſuetudinis prætendebat; propter quod faciebat eum omnibus & amabilem bonitas, & diſciplina terribilem. Nam etiam inter ipſa mundi primordia ut bonitatem ac diſciplinam Chriſti doceret eccleſias, & removeri juſſit peccantem à communione ſanctorum, & eumdem recipi correctum. De ſcientia autem ejus quid nos dicemus, cùm omnes eum noverint in cæleſtibus didiciſſe, quæ doceret in terris? Ibi talia ſe memoravit edoctum, qualia loqui mortalibus non liceret.

Paulus. 1. Cor. 5. 5.

4. Habuit nihilo minus bonitatem & diſciplinam teſtis Dominicus & baptiſta Johannes, qui reſipiſcentes à peccatis ſuis Propheticæ pietatis affatu pænitentiæ baptiſmo diluebat; atque ut verè legalium præceptorum cuſtos immobilis, & Herodem regem de illicita accuſabat uxore, & cunctis ad ſe concurrentibus purgatioris vitæ præcepta mandabat. Scientiæ autem illius plenitudinem quis poteſt agnoſcere, qui quòd pro ſalute mundi venit è cælo, primus omnibus revelavit.

Johann. Baptiſta.

5. Videte itaque, Fratres, quo orandi compendio & qua paucitate verborum perfectionem vivendi venerabilis Propheta quærebat. Breviſſimo namque ſermone concluſit, quidquid ſpiritualium habet multitudo virtutum. Si ergo ille Prophetarum præcipuus hanc doceri ſe à Deo ſanctioris vitæ viam tantopere precabatur: quid facere nos oportet, qui & tardi ſenſûs infirmitate torpemus, & noxiâ remiſſioris vitæ conſuetudine depravamur? Nos, inquam, magis orare debemus, dicentes, *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce nos Domine:* quatenus in nobis bonitas malitiam vincat, vitia ac voluptates diſciplina coerceat, & ignorantiæ cæcitatem ſcientia veritatis illuminet. Si enim ſcieris omnipotentem Deum Patrem Filiumque ejus unigenitum unius eſſe ſubſtantiæ, Spiritum quoque ſanctum pari credideris æternitate regnantem, nulla umquam te vel Paganorum vana perſuaſio, vel Arianorum perfida turbabit impietas. Si futuri judicii ſcientia cor tuum mentemque repleverit, habebis in tuis moribus diſciplinam. Rurſus ſi diſciplinæ ipſius menſuram regulaſque ſervaveris, congruam tenebis in omnibus bonitatem: quia bonitas eſt temperamentum diſciplinæ, & diſciplina condimentum eſt bonitatis. Cave ergo, Frater, ne ita velis bonus videri, ut abjicias diſciplinam; aut ita arduam ſecteris diſciplinam, ut removeas bonitatem. Quibus beatus David idcirco ſcientiam precatur adjungi, ut directo mentis noſtræ judicio ſcire poſſimus, qualiter in nobis eſſe poſſit & diſtrictior bonitas, & blandior diſciplina.

* SERMO LVI.

* Olim 46. ex homiliis 50. & poſt in Appendice Sermo 10.

De verbis Pſalmi 135. Confitemini Domino *&c. nec-non Proverbiorum* 3. Fili ne neglexeris diſciplinam Dei *&c.*

Incerti auctoris; tametſi in Victorino quodam MS. hic ipſe Sermo priore parte minutus, nec niſi ab iſtis verbis incipiens, Quem enim diligit Deus, corripit, *adſignatur Cæſario.*

Pſal. 135. 1.

1. CONFITEMINI *Domino*, Fratres cariſſimi, *quoniam bonus eſt, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Remedia purgandi facinoris Spiritu-ſancto inſtruente addiſcimus; non aliter veniam poſſe mereri, niſi noſtra facinora fuerimus Deo jubente confeſſi. Quid enim celat peccator, quod Deo teſte commiſit? Quid erubeſcit fateri, qui peccatis non erubuit coinquinari? Diluat ergo confitendo, quod peccando infecerat: ſatisfactione abluat, quod delictorum maculis ſordidarat: ſit cautior poſt delictum, qui ante delictum fuerat ſegnior: ſequatur in bonis actibus Chriſtum, qui in malis diabolum ſequebatur. *Confitemini*, inquit, *Domino, quoniam bonus eſt.* Non vult ulciſci malitiam, qui confiteri delicta perſuadet: optat ſolvere confitentes, ne contumaces punire cogatur. Quare admonitio Dei faciat ſollicitum, ne ſeveritas faciat punitum. Peccatorum enim nos [b] meritis flagellari frequenter, nemo prudens qui abnuat, nemo ſtultus qui non intelligat. Vult enim Deus admoneri frequenter, quos putat eſſe [c] correctos: vult tentationum ſeveritate corrigere, quos ſuâ patientiâ viderit eſſe [d] depravatos; vult, inquam, hactenus reformare peccantes, delinquentes corrigere, vocare errantes, & ad ſpem recuperandæ ſalutis ipſos jam mortuos ſuſcitare. Gaudet enim Deus, ſi correctos viderit quos emendat: lætatur & ſi juſtos immutatos in melius conſpexerit quos flagellat. Ex illo ergo affectu & terrorem, & minas, & verbera in peccatores miſſa proficere ad pravos corrigendos, quàm ad reos puniendos exoptat. Vult enim Deus miſereri cunctorum, vult

Confeſſionis neceſſitas. Dei ad indulgendum propenſio.

[a] In MS. Floriacenſi *nullam ſanantis bonitatis.*
[b] Sic Lov. & Er. At Am. & MSS. Colbert. *Peccatorum monitis*, Reliqui MSS. *Peccatorum morte*, Mox in Germ. *nemo imprudens*.

[c] In MS. uno, *corrigendos.* In Lov. *correptos.*
[d] Melioris notæ MSS. *impravatos.*

CLASSIS I.

SERM. DE SCRIPTURIS.

ignoscere, vult se exhibere propitium, si quem mutatis actibus viderit esse correctum. Si dereliquerint, inquit, *Psal.* 88. 31. &c. » filii tui legem meam, & in præceptis meis non ambu- » laverint, si justificationes meas profanaverint, visita- » bo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eo- » rum: misericordiam autem meam non dispergam ab » eis.

2. Hæc sunt remedia quibus consulit Deus, hæc est medicina qua hominum curantur vulnera, his emendantur utilitatibus, vitia corriguntur, hominum malitia refrenatur. Beneficia hæc sunt divina, non verbera; nec ut noceant divinitus irrogantur, quæ ad hoc veniunt ut hominibus paternâ clementiâ consulatur. Ego, inquit, quos amo, arguo & castigo. Et iterum: *Fili, ne neglexeris disciplinam Dei, nec defeceris, cùm ab eo correptus fueris:* [a] *Quem enim diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem assumit.* Igitur si omnem ad hoc flagellat ut corrigat, ad hoc autem corrigit, ut Patri, id est, Deo dignum exhibeat: timeat qui non flagellatur, ne filius esse non possit: timeat quem corrigere Deus non vult in sæculo, quia eum supplicio destinavit post sæculum: timeat qui adhuc in sæculo gaudet & lætatur, [b] ne in æternum contristetur & ploret: timeat qui cum justis in sæculo non dolet, ne cum peccatoribus in supplicio perenni se laceret.

Flagella Dei, beneficia sunt & remedia.
Apoc. 3. 19.
Proverb. 3. 11. & 12.
Hebr. 12. 6.
a
De indolentia dolendum.
b

3. Sed si peccatores, inquit, delictorum suorum merito ista in sæculo patiuntur; cur nonnumquam & sancti viri pariter & æquè cum peccatoribus [c] affligantur, nisi quia ad emendationem peccatoribus, justis ad probationem ista proficiunt? Ut enim peccatores his remediis corriguntur à malis; ita justi hactenus augentur in bonis. Illos enim emendat Deus, ut corrigat; hos verò probat, ut augeat: illos à culpa revocat; hos sanctiores sibi reservat. Illic peccata corriguntur, hîc merita virtutis augentur: illic recordatio pænitens, hîc puræ mentis lætitia gaudens. Ille indulgentiam divinam exoptat; hic præmia promissa jam cogitat: ille pium judicem veniam postulat; hic justum remuneratorem exspectat: ille sollicitus, ut possit impetrare quod postulat; hic securus, quia potest quod meretur accipere. Nam peccantes saltem emendatione Deus conterit, ne inveniat malitiâ crescente quod vindicet: odit enim supplicium, qui antè [d] præstruit, ne condemnet. Gaudeat Christianus in adversis; quia aut probatur, si justus est; aut si peccator est, emendatur. Contristetur sanè, quem flagella corrigere divina non possunt: timeat futuri judicii supplicium, qui in sæculo præsenti judicis contemsit remedium. Gaudeat peccator, si cum justo in sæculo contristetur, ut post sæculum cum eodem muneretur. Vos, inquit Dominus, plorabitis & plangetis; sæculum autem gaudebit. Vos tristes eritis; sed tristitia vestra in lætitiam veniet. Quis non brevi tempore contristari exoptet, ut in æternum lætitiâ perenni cum Christo triumphet? Quis non præsentis temporis fletus pensare gaudio futuro desideret? Exiguum, momentaneum & breve est, quidquid boni malive in sæculo est. Tentatio vos, inquit, non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patitur vos ferre plus quàm potestis; sed faciet cum tentatione exitum, ut possitis tolerare. [e] Sed etiam tribuit Deus securitatem, & ad tempus fragilitati nostræ indulget.

c
Affliguntur peccatores, ut emendentur, & justi ut probentur ac proficiant.
d
Johan. 16. 20.
1. *Cor.* 10. 13.

4. Sit miles Christi armatus, sit sollicitus, sit cautus, sit de Deo solo securus. Vigilet in pace cautior, quàm in bello vigilare consuevit: non sit securitate remissus, ne aliqua ex parte subrepat inimicus. Sobrii, inquit, » estote & vigilate: quia adversarius vester diabolus » tamquam leo rugiens, aliquem devorare quærens circuit. Quantò hostis vigilat, ut noceat; tantò Christianus vigilet, ut vincat. Numquam enim vigilantibus obrepit inimicus; numquam sollicitos circumvenit hostis. Neque enim tunc tantùm cavendus est, quando bellum Dei servis indicit: in pace magis vigilandum est nobis; exercendus animus, exercenda virtus, mentis intentio Dei timore firmanda. Facit enim hostis securos, quos

Militi Christi semper vigilandum.
1. *Petr.* 5. 8.
In pace magis vigilandum.

A cupit esse captivos; facit, inquam, securos, ut incautos [f] subigat, sopitos & inermes opprimat, vulneret eos quos vigilare minimè perspexerit. Si quis miles sub imperatoris conspectu certamen cum hoste inierit; quantâ instantiâ, quanta virtute pugnabit, ut placere illi cui militat, possit? Nec stipendium promotionemve poterit [g] adipisci, nisi superans hostem fortiter vicerit. Vigila Christiane sub oculis Dei, ut perfectâ victoriâ coroneris: pugna cum diabolo, qui jam armatus es Christo: tecum est Deus, qui te optat vincere, tecum est Christus, qui te desiderat munerari. Contemne præsentia, ut percipias futura: temporalia sperne, ut æterna B possis accipere. Possidebis cælum, quod diabolus possidere non potuit; habebis paradisum, unde inimicus exclusus est: accipies æternitatem, quam prævaricator hostis amisit. Illum ad terram perfidia dejecit; te in cælum fides imponit: ille contemnendo cælesti virtute privatus est; tu serviendo angelica majestate suffultus es: illi æterna sunt supplicia destinata; tibi divina sunt præmia præparata: ille perfidus cum perfidis interibit; tu sanctificatus cum Sanctis regnabis; ut qui fueras temporalis & mendicus, sis æternâ gloriâ decoratus. Nec quidquam in sæculo formidabis; quia auctorem formidinis diabolum cum sæculo [h] respuisti. Amen.

f
g
h

C

* SERMO LVII.

* Alias de Tempore 218.

De muliere forte & de Ecclesia, in Proverb. 31.

In Appendice nunc primum collocatur. Descriptus est Augustini Sermone 37. nonnullis mutatis, & addito exordio, quod ad Cæsarii stilum propè accedit.

1. ROGO vos, Fratres carissimi, ut secundùm consuetudinem fidelium cum silentio & quiete ea quæ vobis prædicantur, accipiatis. Animus enim noster quando, donante Deo, aliquid potuerit de lectione sanctarum Scripturarum concipere, spiritalem nidum D in cordibus vestris desiderat invenire. Et ideo velut castissimi turtures divina verba sancti Spiritûs fervore in nidum cordis vestri fovere contendite, nec permittatis ut in vobis semen verbum Dei peccatorum frigore congelescat, propter illud quod scriptum est, Abundavit iniquitas, refrigescit caritas. Estote magis, sicut dicit Apostolus, Spiritu ferventes. Quomodo enim columbæ vel turtures postquam genuerint ova, si illa permiserint refrigerari, perdent fructum illorum; ita & vos, si conceptum verbum Dei per oblivionem refrigerari permittitis, desiderabilem fructum habere non potestis. * Præstate in vobis nidum sermonibus sanctis, seE cundùm quod scriptum est, Turtur invenit sibi nidum ubi reponat pullos suos. Et quoniam nobis Scriptura Salomonis commendat mulierem magnam, habentem magnum virum, dicens, *Mulierem fortem quis inveniet?* ideo de hac secundùm tenorem pauca quæ Deus dignatur suggerere, auribus vestris cupimus intimare.

Verbum Dei cordis fervore fovendum.
Matth. 24. 12.
Rom. 12. 11.
* Augustinus Serm. 37. n. 1. &c.
Psal. 83. 4.
Prov. 31. 10.

2. *Mulierem fortem quis inveniet?* Difficile est invenire eam, & difficile est nescire eam. Nonne ipsa est civitas in monte quæ abscondi non potest? Quare ergo dictum est, *Quis inveniet?* cùm dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides: ut autem in monte poneretur, inventa est. Ipsa est enim F ovis illa quæ perierat. Et re vera, Fratres, Ecclesia catholica est, quæ jam illustrata est, quis ergo eam non videt? Quando latebat quis eam inveniebat? Sicut enim jam dicta est ipsa civitas; ita & ovis quam perditam quæsivit pastor. Ipse pastor mons est: ovis ergo in humeris ejus civitas est in monte. Facile est eam videre collocatam in monte. Quomodo autem eam invenires, cùm lateret inter vepres & spinas utique delictorum suorum? Ibi eam quæsisse magnum, ibi invenisse mirabile est. Hæc ejus difficilis commendatur inventio, cùm dicitur, *Mulierem fortem quis inveniet?* id est, Ecclesiam. Quis non videt eam jam à Christo inG ventam, jam eminentem, jam conspicuam, jam gloriosam, jam ornatam, jam lucidam; & ut citò explicem,

Ecclesia catholica latere non potest.
Matth. 5. 14.

[a] In MSS. Reg. Colbert. & Victorino Sermo incipit ab his verbis, *Quem enim diligit Deus* &c. eique præfigitur titulus, *De flagellis.*
[b] Hic & infrà *ut*, pro *ne*, in MSS. Reg. & Colbert.
[c] In MSS. duobus, *affliguntur*: *affectantur*, in aliis.
[d] Sic MSS uno excepto recentiore, qui cum editis habet, *præstitit.*
[e] Ita MSS. potiores. Alii autem duo, *Sed etiam tribuet Deus securitatem ad tempus fragilitatis nostræ.* MS. quidam recentior cum editis, *sed tamen tribuit Deus securitatem ad tempus fragilitati nostræ indulgens.*
[f] Sic duo MSS. At editi omittunt *subigat.*
[g] Ita MSS. At editi, *poterit despicere, si superans hostem fortiter viceris. Erubescit siquidem despici, nisi superes hostem forti victoria.*
[h] In tribus MSS. *superasti.*

CLASSIS I.

toto terrarum orbe diffusam? Mulierem istam Ecclesiam qui quæsivit & invenit, Christus agnoscitur. Et postquam eam invenit, non solummodo de spinis peccatorum suorum eripuit, sed etiam lapidibus pretiosis ornavit: ideo de ipsa dicitur, *Pretiosior est lapidibus pretiosis.* Volo aliud commendare Caritati Vestræ, quantum capitis, quantum timeo, quantumque timere debetis de his lapidibus pretiosis. Sunt in Ecclesia lapides pretiosi & semper fuerunt, docti scilicet, abundantes scientiâ & eloquentiâ & omni instructione Legis. Pretiosi planè isti lapides sunt; de ipsis fuit Cyprianus, de ipsis fuit [a] Ambrosius, & ceteri eorum similes. Ex eorum numero quidam erraverunt ab ornatu hujus mulieris.

*SERMO LVIII.

*Aliàs de Tempore 217.

In eumdem locum Proverbiorum 31.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex eodem fonte haustus uti de præcedens. Conclusio referre Cæsarii ingenium videtur. Additamenta alia præcipua uncinulis distinguenda curavimus.

Ecclesia in multis figuratur.

1. Ecclesia catholica, Fratres carissimi, non solùm post adventum Domini & Salvatoris nostri prædicata est; sed etiam ab initio mundi multis figuris & sacramentis secretioribus designata. Nam & in sancto Abel Ecclesia catholica fuit, & in Noë, & in Abraham, & in reliquis usque ad adventum Domini Salvatoris: de ipsa enim ait Salomon, *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod dixit, *quis inveniet*, difficultatem inveniendi, non impossibilitatem oportet intelligi. Mulier ista fortis, Ecclesia est. Quomodo non est fortis, quæ ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur; & tamen non vincitur? *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis alius, nisi Christus? Non autem eam fortem invenit; sed inveniendo fortem fecit. Nam ut eam inveniret, nonaginta novem dimisit in montibus, & quæsivit unam quæ erraverat, & humeris suis impositam ad ovile proprium revocavit.

Matth. 18. 12.

Prov. 31. 13. Augustinus Serm. 37. n. 6.

2. *Lanam & linum fecit manibus suis.* * Lanificam & linificam matronam istam sanctus sermo describit. Quæris fortè à nobis, quid sit lana, quid linum? Lana carnale aliquid, linum verò spiritale significat: quia in ordine vestimentorum interiora sunt linea vestimenta, lanea verò exteriora. [Lana etiam de commixtione animalium nascitur. Linum verò sine carnis voluptate de terra procreatur; ideo castitatis imaginem præferre videtur: in tantum ut sacerdotes veteris Testamenti ex præcepto Legis, propter castitatis indicium, lineis femoralibus uterentur. Ergo in lana carnale aliquid, in lino verò spiritale significatur. Pro laude etiam ponuntur.] Invenis enim hominem porrigentem manu eleemosynas pauperi, nec tamen de Deo ibi cogitantem, sed hominibus placere cupientem: laneam vestem, quæ videri potest, habet; interiorem lineam non habet. Invenis alium dicentem tibi, Sufficit mihi conscientia mea, Deum colo, Deum adoro; quid mihi opus est ad ecclesiam ire, aut visibiliter Christianis misceri? Lineam vult habere sine tunica. Non novit neque commendat talia opera mulier ista. *Invenit* hæc mulier *lanam & linum, & fecit utile.* Multi inveniunt; sed non faciunt utile manibus suis. Cùm libenter auditis, invenitis: cùm bene vivitis, facitis.

Lana & linum quid significent.

Prov. 31. 19.

Quid colum & fusum.

3. *Brachia sua firmavit in fuso.* De fuso isto quod Dominus dederit, dicam: neque enim ista lanificia sunt à viris aliena. In fuso lanificium signat, in lanificio bonum opus tamquam castæ mulieris & matronæ impigræ. Diligenter tamen adtende in lanificio duo instrumenta, colum & fusum. In colo lana involuta, quæ filo ducenda transeat in fusum. Quod in colo involutum est, adhuc [b] in sinistra, & nondum in fuso est: quod in fuso collectum est, jam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo. In colo enim est quod facturus es; in fuso quod fecisti. Vide ergo si habes aliquid in fuso. Ibi enim firmantur brachia tua, ibi erit fortis constantia tua, ibi securus Deo dices, Da, quia dedi; dimitte, quia dimisi; fac, quia feci. Quod pendet in colo, ad fusum trajiciendum est: non autem quod collectum est in fusum, ad colum revocandum est. Ergo vide quid agas, ut habeas in fuso, ut brachia tua firmes in fuso, quod te consoletur, quod te confirmet, quod tibi det fiduciam deprecandi & sperandi.

SERM. DE SCRIPTURIS.

4. Sequitur, *Manus suas aperuit pauperi.* Eia, Fratres, exercete lanificium sanctum. Si quis habet plenum cellarium, plenum horreum; omnia ista in colo sunt, transeant in fusum. [In sinistra sunt, quamdiu pauperibus non erogaveris: at ubi cœperis eleemosynam facere, transferuntur ad dexteram, & fit opus, unde vestis fieri possit.] *Omnes domestici ejus vestiti sunt.* Numquid de nuditate servorum suorum sollicitus erit vir ejus habens conjugem talem: [Quis [c] est iste vir, nisi Christus: aut quæ est conjunx, nisi Ecclesia?] Vestiti sunt, quotquot in Christo baptizati sunt. Et boni servi & mali vestiti sunt. Non cessat illa mulier omnes vestire: ut nemo queratur & dicat, Ideo non sum bene operatus, quia non sum bene vestitus. *Duplicia pallia fecit viro suo.* Pallia laudes sunt, fides & confessiones. Laudas Deum, laudas hominem. Dupliciter laudas, & simpliciter laudas: dupliciter, quia homo est & Deus; simpliciter, non ut sis fictus. Photinus, à quo hæretici Photiniani appellantur, quasi simplex pallium fecit viro suo. Solum enim hominem credidit, Christum Deum colere noluit. Exsistit alter texens viro suo pannosum pallium. Ait enim, Christus Deus est tantùm, omnino hominis nihil habens: hoc Manichæi dicunt. Photiniani dicunt, homo tantùm est; Manichæi dicunt, Deus tantùm est. [Ecce de quali ecclesia quàm pretiosa vestimenta procedunt. Et propterea de illa scriptum est, quòd] duplicia pallia fecerat viro suo. Duplicia pallia; confitemur enim Deum in homine, & hominem in Deo. *De bysso & purpurâ vestimenta spiritalia præparavit.* De bysso candidam confessionem, de purpura gloriosam passionem. Byssum, cùm Deum confitemur, agnoscimus: purpuras in Martyribus collaudamus.

Prov. 31. 20.

Ibidem 21.

c

Christus dupliciter & simpliciter laudandus.

Ibidem 22.

5. [Nos, Fratres, quibus Deus tantum bonum conferre dignatus est, ut nec de Judæis, nec de hæreticis nasceremur, sed catholicæ Ecclesiæ filii esse mereremur; quantum possumus, Deo gratias referamus, qui nobis fidem rectam, & sibi placitam inspirare vel insinuare dignatus est: & totis viribus, (quia fides sine operibus nos salvare non potest) ad spiritale lanificium illud nostros animos præparemus. Jugiter ideo eleemosynas facientes, de colo trahere festinemus ad fusum, & de sinistra transferamus ad dexteram: ut per eleemosynas pauperum stolam unusquisque nostrûm præparet in æternum, ut, sicut dicit Apostolus, in cælesti convivio vestiti & non nudi inveniamur: ne nobis dicatur, Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? sed magis ab auditu malo liberati, illam felicem & desiderabilem vocem audire mereamur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod præparatum est ab origine mundi; quod ipse præstare dignetur.]

2. Cor. 5. 3. Matth. 22. 12.

Matth. 25. 34.

*SERMO LIX.

* Aliàs de Tempore 240.

De tribus pueris missis in fornacem ignis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Incerti auctoris est, sui in dicendo facultatis & eloquentiæ periculum facientis: cujus itidem ingenium sapiunt alii quidam superiùs impressi Sermones, scilicet 3. 7. 23. 27. 46. &c. quique proximè subsequitur, 60.

Tyranni sævitia in tres pueros.

1. Jubet tyrannus fornacem incendi, & quantùm ipse igne furoris ardebat, tantò sanctiores pueros consummabat. Nunc undantis fumi densitate cælum contegitur, nunc horrifico sonitu Chaldæi cuncti terrentur; ut magnitudo divinæ severitatis per supplicia monstraretur. Sæviebat violentus inimicus supplicium suis famulis quæsiturus. Sæviebat, non ut justos trucidaret, sed ut suis interitum procuraret. Sæviebat, non ut crescerent pœnarum augmenta, sed ut cunctis monstraretur divina potestas; ut dum impii suppliciis gloriarentur, flammarum impetu vorarentur. Sæviebant scelerati Chaldæi suppliciis præsentibus perituri, & futurorum ignari ministri jussa accelerant, parant incendia, flammas exaggerant. Crudelitas ejus possidet mentem, sævitia immutat voluntatem.

2. In fornacem missi sunt sancti, fugiunt flammæ,

Tres pueri in fornace illæsi.

[a] Apud Augustinum, Donatum
[b] Augustinus, adhuc futurum est: quod in fuso &c.

[c] Hoc nunc ab Augustino abest: sed tamen reperitur in vera Bedæ collectione ad Galat. 1.

CLASSIS I.

cedunt ignes, incendia expavescunt. Timent ignes lædere, quos fuerant jussi incolumes reservare. Ostendunt justorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet sanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licuit in fornace Deum venerari, quem apud homines non licuit honorari. Licet flammarum mereri obsequia, qui non meruerant Chaldæorum supplicia. Licet ignibus conservari illæsos, quos tyrannus dederat exurendos. Licet in pœna esse securos, quos extra pœnam non licuit esse intactos: ut ubi interitus, ibi salus; ubi supplicia, ibi invenirentur refrigeria. Accipe, hostis, à suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes justos, quos injustè damnasti: expavescunt flammæ, & innocentes pronuntiant, quos dignos supplicio deputas: & quæ sævire consueverant, dignos sanctos in fornace cernebant. Damnant hostes & absolvunt ignes. Chaldæi adjiciunt, & pœnæ defendunt. Homines sæviunt, & supplicia venerantur. Tyrannus putabat tantum tormenta posse sævire, quantum ipse sacrilegus existimabat se potestatem habere. Ignes justis cedunt, ardores flammarum in refrigerium vertuntur, & institutæ naturæ voraces impetus obliviscuntur; ut justos venerantes timerent, & eorum hostes persequentes punirent. Ignes justos hospitio cum omni honore suscipiunt, & libenter obsequium præbent. Hostis mutato genere sævit, nec aliqua pietate movetur, nec humanitate blanditur. Posset vincere, si ignibus imperaret. Offeruntur ergo ignibus justi vestitu tecti, vinculis colligati: defenduntur ardoribus justi, & quos vis humana damnavit, ignis absolvit. Nihil cogitat, nihil metuit. Sic namque crudelitas tyrannica superata prosternitur, dum sui satellites devorantur. Cernit pœnam, & servorum Dei adspicit gloriam. Justis ignes obsequium præstant, injustis interitum subministrant. Dum vindicat flamma, impii necantur, & justi salvantur.

Miraculum agnoscit tyrannus.

3. Cùm ad fornacem tyrannus festinanter accederet, stupet laudem, miratur factum, veneratur Deum cum tribus pueris in fornace. Adspicit justo divinoque ambitu protegi, quos nuper jusserat violentus exstingui. In illis in fornace videt, quem in illis antè non esse putaret. Quo visu territus, furori addit lenitatem: fit repentè confessor, qui nuper fuerat persecutor. Prædicat quem paulò antè negabat, venerari præcipit, qui venerantes damnavit. Rogat de fornace justos procedere, precatur de igne Dei famulos prosilire. *Exite*, inquit, *servi Dei excelsi.* (*Dan. 3. 93.*) Nunc me defensorem Dei profiteor, cujus inimicum fuisse constat; ut cujus servos ignarus persequebar, ejus inimicos ut defensor ulciscar. Tunc de fornace egrediuntur illæsi Hebræi, lætantur incolumes, triumphant victores, quòd Deo fideliter servierunt, & furorem tyranni contemserunt.

*SERMO LX.

** Olim de Tempore 242. & post in Appendice 69.*

De Susanna.

Incerti auctoris & ineruditi.

Justi in sæculi insidiis Deo liberante victores.

1. QUOTIENSCUMQUE in hoc perverso sæculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidiæ, vel diversæ calumniarum emerserint caussæ, quid homo pestilens cogitet, quid diabolus machinetur, non metuet justus, quia cum ipso est Christus. Eligatur homo miles in prœlio constitutus, officia semper exercere virtutum. Unum ergo de duobus amplectitur, aut patefactis insidiis ejus innocentia in populo clarescit, aut persequentibus inimicis præventus, cùm conditionem mortis excesserit, molestiis sæcularibus liberatus portum securitatis intrabit. Daniel propheta nec in lacum projectus leonum timore perculsus expavit; sed inter ista bestiarum ora consistens, Dominum tota mente placavit, & tyrannicas dispositiones illæsus evasit. Zacharias pontifex magnus, pro cultu Dei, pro legibus sacris, pro censura in templo sacerdotali rebellem increpans populum, mortem constanter accepit, & detestabilis acies Judæorum ejus cruore pavimentum infecit. Zacharias martyr triumphat, & Daniel confessor exsultat: unus moritur & triumphat, alter evadit & regnat. Sed

A nec femineus sexus suis fraudatur exemplis, qui pudicitiæ ornatum salubriter reservavit.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Susannæ periculum & liberatio.

2. Susanna illustris, decus pudicitiæ, vicit impudentiam judicum, petulantiam seniorum compressit audacem; nec castitas in ea pateretur injuriam. Stabat Susanna in judicio falsorum mendacibus oppressa testimoniis damnatorum: stabat non tamquam rea, sed pro castitate firmiter moritura. Ibat ergo pudica ad supplicium, non adulterorum corpus, in quo extrema libido exarserat, & diabolus inflammaverat. Quod protexerat virtus, & ornabat pudor, illæsum ibat in mortis exitium. Egregium portabat caput, cujus vultum integra
B conscientia sublimabat ad cælum. Propter damna pudoris, salutis vota compressit; & cui fuerunt cara præmia castitatis, vitæ gaudium non amisit. Contemsit unum; & consecuta est totum: & quæ mori voluit, cum gloria castitatis evasit; & quam sententia prava dejecerat, illustris conscientiæ integritas erigebat, metusque Dei & imminentis sacri judicii indubitata credulitas. O amor honestatis & Legis! Susanna adulterii conscientiam graviorem judicavit, quàm pœnam. Cùm duceretur, non dolebat de supplicio; quoniam gaudebat de testimonio falsidico. Innocens accusatur per sententiam; sed
C nutu Dei suspenditur pœna; ut judicantium falsitas denudaretur, & innocens purgaretur. Infirmus sexus contra viros surgit fortior, expugnat libidinem castitas & honestas, impulsu luxuriæ horrenda prosternitur improbitas. Susanna propriam virtutem animi servavit, & judicium populorum constanter excepit. Conflantur de innocente falsa crimina. Ille enim munitus est, qui Deum habuerit defensorem. Denique Daniel propheta instinctu Dei commonitus, *Redite in judicium*, exclamavit. (*Dan. 13. 49.*) Stupet populus pro judicio repentino: revocatur addicta: falsos testes pavor invadit. Gemit diabolus, quòd ipsius commenta nudantur: gaudent Angeli de pudoris
D integritate comperta, quòd defendatur in terris veritas fatigata. Interrogatum est quo in loco Susanna facinus, quo arguebatur, admisit. Hic *sub lentisco* dicit, ille *sub prino*. Cùm ergo eorum discrepant prolata responsa, sic repugnantia dictorum facta nudantur, ut vigore mentis increpato populo, testibus confusis veritas ostenderetur. Gaudet populus de pudoris integritate: triumphat maritus, quòd fidam invenerit conjugem: lætatur familia, quòd nihil invenerit in ea quod puniat, quòd adulterii factum non invenerit, nec homicidium dia-
E bolus quod procurabat, impleverit.

*SERMO LXI.

** Olim de Tempore 169. & post in Appendice 57.*

De pace, in illud Matthæi 5. Felices pacifici *&c.*

Est Petri Chrysologi Sermo quinquagesimus-tertius, sed hic passim interpolatus, seu multis auctior sententiis, quas commonstrant ansulæ. Confer Alcuini librum de virtutibus & vitiis cap. 6.

1. FELICES *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Matth. 5. 9.*) Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si unitatem non habeat pacis, nec pervenit ad vocabulum
F *filii*, nisi per nomen *pacifici*. Pax est, quæ exspoliat hominem servitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam; ex famulo liberum, filium facit ex servo, [Deum patrem vocat, & commutat servum in filio, amicum facit ex Deo, patrem reddit ex Domino. Sic sic facit, qui non vult perire, quod facit. *Felices pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* En filius Dei esse incipit, qui pacificus esse cœpit. Non vult filius dici, qui pacificus noluerit inveniri: negat sibi patrem Deum, qui heres [a] pacis esse nequivit. Severum sensurus est Deum, quem clementem blandumque dedignatus est patrem. *Felices pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Gaudeamus hoc nomine quasi filii & heredes Dei,
G coheredes autem Christi. Quanta est hujus pacis retributio, hereditatem possidere cum Christo, substantiam Patris habere cum Filio, cæleste regnum participari cum Domino, & in consortium perpetuitatis admitti cum Domino? Quæ sit hæc pravitas morum, invidere melioribus, atque in sordidioribus inhærere, adoptati victoriam perdere, ac nolle hereditatem regnorum cælestium possidere? Etenim filium se Dei & coheredem

Pacis fructus.

[a] Alcuinus in lib. de virtutibus & vitiis cap. 6. *qui pacificus esse contemnit.*

CLASSIS I. — SERM. DE SCRIPTURIS.

denegat Christi, qui recusaverit Patris regimine gubernari. Pax concordia est fratrum, sicut scriptum est, In tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier consentientes sibi.] Concordia ergo fratrum, voluntas Dei est, jocunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum est, supplicationum facilis atque impetrabilis via; quia desideriorum omnium competens est plenitudo, [sicut scriptum in Apostolo. Pax ergo conventionis amabilem Deo facit in fratribus, quæ caritatis indicat testimonium.] Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum: quia sibi exigit de Deo quod velit, quidquid voluerit petat, & quidquid voluerit sumat.

Eccli. 25. 1. & 2. — Concordia fratrum. — Philip. 4. 7.

2. Pax præceptis regalibus conservanda est, Domino Christo dicente, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. [Qui discipulus Christi est, Christi præcepta servat: servare mandatum, est pacem in omnibus custodire. Nam dividere unitatem, non est magistrum sequi; sed ejus mandatum calcare. Sequi enim Christum, est habere pacem: & non sequi quod pacis est, hoc est hoc habere in magistro ex parte quod diligas, & ex parte quod damnes. Illud est amare doctorem, doctoris mandata in omnibus custodire, dicentis, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Libet, Fratres, in pace protrahere moras, delectat hoc dixisse frequenter, & iterum atque iterum præconari, Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis.] In pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus invenire. [Consultum voluit esse cui dederat, qui usque ad regressum suum servare quod præstiterat, imperabat. Quid ergo facturus est homo, cùm venerit Deus, & quæsitum non invenerit quod donavit? qua excusatione usurus, qui pacem servare non potuit? Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis.] In pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Regale mandatum servate: divina vox est. Inveniam quod dimisi.

Johan. 14. 27. — Christum spernit qui pacem non custodit.

3. Plantare pacem radicitus, Dei est; evellere penitus, inimici. Amor fratris ex Deo est; odium ex diabolo constat. Propter quod damnanda sunt odia; quia scriptum est, Qui oderit fratrem suum, homicida est. Cohibeamus iram; quia scriptum est, Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Amanda est pax, & diligenda concordia. Ista sunt quæ generant [a] caritatem; & scitis secundùm Apostolum, quòd Deus caritas est. Sine Deo est, qui non habet caritatem. [Paternus affectus non potest non amare, quod docet.] Pax plebis, gloria est [b] sacerdotis: & parentum lætitia, perfecta caritas filiorum. Sacerdotis est, admonere quod decet; plebis est, audire quod monet. Quidquid non licet, pastoris est prohibere ne fiat; gregis est audire, [c] ut fiat. Utraque conveniant; & universa salvata sunt: nec Deus invenit in plebe quod puniat, nec sacerdos potest habere quod doleat. Servemus mandata, quæ vitæ sunt; teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas, & salutari vinculo caritatis, mutuâ se dilectione constringat; quia dilectio magnanimum facit. [Suavis est dilectio, non zelatur, non æmulatur. Dilectio non est falsiloqua, non inflatur, nihil dedecoris admittit, non quærit quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum, non gaudet in injustitia; congaudet autem veritati. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.] Dilectio ergo omnibus votis ac desideriis amplectenda est, quæ tot bona potest habere, quot præmia. Custodienda [d] omnibus viribus pax est; quoniam Deus semper in pace est. Non habeat locum quo obrepat inimicus, ne in tritici segetem valeat zizania seminare, & securo jam rustico & spe longi laboris eluso exspectatus fructus in ipsa messis maturitate subducatur; aut vinum vetustate suavius, in acriori subitò perfidia demutatum in effusæ fæcis se permixtione conjungat; aut inter dulcia mella, felle venena amariora suffundat; [aut inter vernantes floribus campos ac pratorum varietate gemmatos, tribulorum interjectione animas grati odoris occidat.] Procul contentiones, procul lites & odia, procul maledicta mittantur: & quia laqueus mortis est lingua susurronis ac bilinguis, parcat unusquisque animæ suæ; ne in supplicium suum vincula sibi mortis adducat. Amate pacem; & tranquilla sunt omnia: ut & vobis præmia & nobis gaudia reservetis, ut Ecclesiâ Dei in pacis unitate fundatâ, perfectam teneatis disciplinam, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Pax opus Dei, discordia diaboli. — 1. Johan. 3. 15. — Matth. 5. 22. — 1. Johan. 4. 8. — 1. Cor. 13. 4. &c.

* SERMO LXII.

* Olim de Tempore 59. & post in Appendice 35.

De verbis Evangelii Matth. 5. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, *&c.*

Constat sententiis & interpretationibus emendicatis ab Augustino Hieronymo & aliis.

1.* GRADUM esse aliquem in Pharisæorum justitia, quæ ad Legem pertinet, hinc intelligitur, quòd multi homines eos etiam à quibus diliguntur, oderunt, sicut luxuriosi filii parentes coercitores luxuriæ suæ. Adscendit ergo aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum. Ejus autem imperio, qui venit Legem implere, non solvere, perficiet benevolentiam & benignitatem, cùm eam usque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus quamvis nonnullus sit, tam parvus est tamen, ut cum Publicanis possit esse communis. Nec quod in Lege dictum est, *Oderis inimicum tuum*, vox jubentis justo est accipienda, sed permittentis infirmo.] Sic autem diligendus est inimicus, non inquantum inimicus; sed inquantum homo est: ut ei hoc velis provenire, quod tibi; id est, ut ad regnum correctus revocatusque perveniat. Proximus est autem omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis & mortalitatis, & etiam spe cælestis hereditatis: quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Judæus, aut hæreticus, aut Paganus: fortè enim per misericordiam Dei convertetur ad Deum, & inter Sanctos primum locum habere merebitur. Quòd in Lege Dominus non inimicos, sed inimicum præcipit odiri; ut qui spiritales erant in Lege, solum diabolum odio haberent, cujus odium Christus non venit solvere, sed adimplere.

*Ex lib. 1. de Ser. Domini in monte n. 70. — Inimicus quomodo diligendus. — Proximus quis.

2. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite illis qui oderunt vos.* [* Multi præcepta Dei sua imbecillitate non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt; & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, ceterùm diligere plus præcipi quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta; quæ David fecit in Saül & Absalon. Stephanus quoque martyr pro inimicis se lapidantibus deprecatus est: & Paulus anathema esse cupit pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus & docuit & fecit, dicens, Pater, ignosce illis.] [* In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere: in habenda verò dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, Non possum jejunare: numquid potest dicere, Non possum amare? Potest dicere, Propter infirmitatem corporis mei non possum à vino & carnibus abstinere: numquid potest dicere, Non possum diligere? Potest aliquis dicere, virginitatem se non posse servare, potest dicere non posse res totas vendere, & pauperibus erogare: numquid potest dicere, Non possum diligere inimicos? Non enim ibi aut pedes laborant currendo, aut aures audiendo, aut manus operando lassantur; ut nos per ipsam [e] excusationem liberare conemur. Non nobis dicitur, Ite ad Orientem, & quærite caritatem: navigate ad Occidentem, & invenietis dilectionem. Intus in corde nostro est, ubi redire jubemur, dicente Propheta, Redite prævaricatores ad cor. Non enim in longinquis regionibus invenitur, quod à nobis petit.] *Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quid aliud

Matth. 5. 44. — *Hieronymus in c. 5. Matth. — Præcepta Dei non sunt impossibilia. — Lucæ 23. 34. — * Cæsarius hom. 7. inter editas à Baluzio. — A dilectione nemo se potest excusare. — Isai. 46. 8.

a Addit Chrysologus, *& nutriunt.*
b Apud Alcuinum, *Pax plebis est sanitas, gloria Sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostium, sive visibilium, sive invisibilium.*
c Chrysologus, *ac velle ne fiat.*
d Apud Chrysologum, *custodienda præ omnibus virtutibus.*
e Cæsarius, *per ipsam fatigationem excusare possimus.*

CLASSIS I.

2. Tim. 2. 25.

pro inimicis orandum est, nisi hoc quod ait Apostolus, Ut det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur?

Præcepto de diligêdis inimicis nil in Scripturis adversum.
Psal. 68. 23.
1. Johan. 5. 16.
* Serm. Dom. in monte n. 72. & 73.

3. Sed hîc meritò movet, quomodo huic præcepto Domini non sit adversum, quòd & in Prophetis inveniuntur multæ imprecationes adversùs inimicos, quæ maledictiones putantur: sicuti est illud, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & cetera quæ ibi dicuntur: * & Johannes Apostolus ait, Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. Ubi primò videndum, quia Prophetæ per imprecationem quid esset futurum cecinerunt, non optantis voto, sed spiritu prævidentis: qui maximè solent figurâ imprecantis futura prædicere, sicut figurâ præteriti temporis, ea quæ ventura erant, sæpe cecinerunt. Deinde in Apostoli verbis intelligendum esse quosdam fratres, pro quibus non orare nobis præcipitur; cùm Dominus etiam pro persecutoribus nostris nos orare jubeat. Quæ solvi quæstio non potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, inimicorum persecutione graviora. Fratres autem Christianos significari; multis divinarum Scripturarum documentis probari potest. Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, & adversùs ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitur. Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem à fratre alienaverit, sed officia fraternitati debita, per infirmitatem aliquam animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in cruce ait, Pater, ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt. Nondum enim gratiâ Spiritussancti participes facti, societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat pro eis à quibus lapidatur; quia nondum Christo crediderant, neque adversùs illam communem gratiam dimicabant. Apostolus verò Paulus propterea credo non orat pro Alexandro, quia frater erat; & ad mortem, id est, fraternitatem invidentiâ oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. Sic » enim dixit, Alexander ærarius multa mala mihi osten- » dit: reddet illi Deus secundùm opera illius, quem & » tu devita: valde enim restitit sermonibus nostris. Dein- » de subjungit pro quibus orat, ita dicens: In prima mea » defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Et nota quòd Apostolus non ait, Reddat, sed, Reddet illi Deus secundùm opera ejus: quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis: sicut de illa hypocrisi Judæorum est dictum, cui eversionem imminere cernebat, Percutiet te Deus, paries dealbate.

Quinam sint pro quibus non orandum.
Peccatum ad mortem.
1. Retract. 19.
Lucæ 23. 34.
Act. 7. 59.
2. Tim. 4. 14.
Act. 23. 3.

4. Quæritur autem quomodo huic præcepto, quo nobis jubetur, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos,* illud non est contrarium, quod in Apocalypsi legitur, Martyres orare Deum, ut vindicentur? * Sed hoc quempiam movere non oportet. Quis enim audeat affirmare, cùm illi sancti candidati se vindicare petiverunt, utrùm contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera & plena justitiæ & misericordiæ vindicta Martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. Ad cujus eversionem nititur Apostolus, dicens, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Destruitur autem & evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro spiritui subjiciatur; partim depravatione perseverantium in peccato, ut ita ordinentur, ut justis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Quis ergo convincit Sanctos, non talem suam vindictam à Domino esse deprecatos?

Apoc. 6. 10.
Quid orent sancti petentes vindictam.
Ex eodem lib. n. 77.
Rom. 6. 12.
Peccati regnum quomodo evertendum.

5. * Quòd autem consequenter positum est, *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est:* ex illa regula intelligendum est, qua Johannes dicit, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Unus enim naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare: nos autem potestate accepta efficimur filii, inquantum ea quæ ab illo præcipiuntur implemus. Unde Apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternam hereditatem vocamur, ut coheredes Christi esse possimus. Filii ergo efficimur regeneratione spiritali, ut adoptemur in regnum Dei, non tamquam alieni, sed tamquam ab illo facti & conditi. Itaque non ait, Facite ista, qui estis filii: sed, Facite, *ut sitis filii Patris vestri.* Nos autem cùm patimur inimicos, hoc clamare debemus, Pater, ignosce illis. * Phrenetici enim sunt, à contrario spiritu possidentur, ut nos persequantur; & majorem persecutionem à diabolo patiuntur. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* * Scriptum est, Orietur timentibus vobis nomen Domini sol justitiæ, ut etiam pluviam accipias irrigationem doctrinæ veritatis; quia & bonis & malis apparuit, bonis & malis evangelizatus est Christus. Sive istum solem mavis accipere non solùm hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis prolatum; & istam pluviam, qua fructus gignuntur, qui ad refectionem corporis dati sunt: quod probabilius intelligi existimo: ut ille sol spiritalis non oriatur nisi bonis & sanctis; quia hoc ipsum est, quod plangunt iniqui in illo libro, qui Sapientia Salomonis inscribitur, Et sol non ortus est nobis: & illa spiritalis pluvia non irriget nisi bonos; quia malos significabat vinea, de qua dictum est, Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.

* Ex num. 78.
Matth. 5. 45.
Johan. 1. 12.
Qui sint filii Dei.
Rom. 8. 17.
Galat. 4. 5.
SERM. DE SCRIPTURIS.
* Cæsarius ubi suprà.
Matth. 5. 45.
* Ex num. 77.
Malach. 4. 2.
Sap. 5. 6.
Isai. 5. 6.

6. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* * Filios & parentes amat latro, amat & leo, amat & draco, amant & ursi, amant & lupi. Si enim amantes non diligimus filios vel parentes, pejores leonibus vel supra-dictis bestiis sumus. Si verò amantibus vicem reddimus, adhuc nihil ab istis bestiis distare videmur. *Nonne & Publicani hoc faciunt?* * Publicani sunt, qui sectantur lucra, & exigunt vectigalia per negotiationes, & fraudes, & furta, sceleraque & perjuria. *Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Ethnici ex Græco in Latinum interpretantur gentiles. Ἔθνος enim Græcè gens dicitur. Si ergo, inquit, etiam peccatores, publicani, Ethnici erga dilectores suos naturâ duce norunt esse benefici: quantò magis vos, quibus ut gradus professionis eximior, ita cura necesse est sit veritatis uberior, latiori sinu dilectionis amplecti debetis & non amantes? Nam diligere inimicos Deus præcipit. Et petulantes humanarum mentium motus, publicæ caritatis frangis affectu, non solùm iram ab ultione depellens, sed etiam in amorem mitigans injuriosi: quia gentium est, amantes amare, & commune est, diligere diligentes. Plus diligendi sunt inimici quàm amici. Qui enim inimici sunt, corpori adversantur, & animæ præparant æterna præmia: quia qui carnalia nostra & terrena rapiunt, cælestia nobis & spiritalia congregant. Nonne magis diligendus est quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ nobis suavia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem.

Matth. 5. 46.
* Cæsar. hom. mil. citatâ.
* Beda in Matth. 5. 47. Publicani.
Ibidem. Ethnici.
Inimici plus diligêdi quàm amici.

7. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* * Quis autem hæc facit; nisi plenè perfectéque misericors? Quo uno consilio miseria devitatur, opitulante illo qui ait, Misericordiam magis volo quàm sacrificium. Perfectio namque misericordiæ, qua plurimùm animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem inimicorum porrigi non potest. Ideoque sic concluditur, *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester perfectus est:* ita tamen, ut Deus intelligatur perfectus tamquam Deus, & anima perfecta tamquam anima.

Ibidem 48.
* August. ubi suprà. n. 69.
Osée 6. 6.

8. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* * *Cavete,* inquit, *justitiam vestram facere coram hominibus:* id est, hoc animo justè vivere, & ibi constituere bonum vestrum, ut vos videant homines. *Alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est:* non si ab hominibus videamini, sed si propterea justè vivatis, ut ab hominibus videamini. Nam & Apostolus dicit, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: cùm alio loco dicat, Sicut & ego omnibus per omnia placeo.] Omnem curam rerum præsentium amovet, & adtentos tantùm esse in spe futuri jubet: neque sectari vel hominum favorem ostentatione bonitatis, vel jactantiam religionis, orationis publicæ copiâ, sed intra conscientiam

Matth. 6. 1.
* Ex lib. 2. de Serm. Domini in monte n. 1.
Gal. 1. 10.
1. Cor. 10. 33.

Classis I.

conscientiam fidei fructum boni operis continendum; quia humanæ laudis consectatio eam tantùm, quam ab hominibus exspectat, mercedem sit receptura. Justitia non aliud est, quàm non peccare: non peccare autem, Legis præcepta servare. Præceptorum autem observatio duplici genere continetur, ut nihil eorum quæ prohibentur facias, & omnia quæ jubentur implere contendas. Hoc est enim quod Psalmista dicit, Recede à malo, & fac bonum. Si à malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor es Legis: quæ non tantùm in malorum actuum abominatione, sed in bonorum perfectione completur. Neque hoc solùm tibi præcipitur, ut vestitum suis non spolies indumentis; sed ut spoliatos operias tuis.

Præcepta observantur dupliciter. — Psal. 33. 15. — Matth. 6. 2.

9. *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus.* Hypocrita Græco sermone simulator interpretatur: qui dum intus malus sit, bonum se palàm ostendit. Nomen autem hypocritæ translatum est à specie eorum, qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum cæruleo niveoque colore & ceteris pigmentis, habentes simulacra oris, lintea gipsata, & vario colore distincta, nonnumquam colla & manus cretâ perunguentes, ut ad personæ colorem pervenirent, & populum dum in ludis agerent, fallerent, modò in specie viri, modò in forma feminæ & reliquis præstigiis. Quæ species argumenti translata est in his qui falso incedunt vultu, & simulant quod non sunt. Sed hypocriseorum maculam non habere, aut paucorum aut nullorum est. Nam quicumque vult se videri quod non est, hypocrita est. [* Qui tubâ canit faciens eleemosynam, hypocrita est. Qui in synagogis & in platearum angulis orat, ut videatur ab hominibus, hypocrita est. Qui jejunans demolitur faciem, ut ventris inanitatem demonstret in vultu, & hic hypocrita est. Ex quibus omnibus intelligitur hypocritas esse, qui faciunt quodlibet, ut ab hominibus glorificentur. Mihi videtur & ille hypocrita esse, qui dicit fratri suo, Dimitte ut tollam festucam de oculo tuo: nam propter gloriam hoc facere videtur, ut ipse esse justus videatur. Unde ei à Domino dicitur, Hypocrita, ejice priùs trabem de oculo tuo. Non itaque virtus, sed caussa virtutis apud Deum mercedem habet. Et si à recta semita paululùm deviaveris, non interest utrùm ad dexteram vadas, an ad sinistram; cùm verum iter amiseris. Signanter autem dicit, *Receperunt mercedem suam:* hoc est, non Dei, sed suam.] Laudati enim sunt ab hominibus, quorum caussâ exercuêre virtutes.

Hypocrita. — Nemo fine hypocriseos labe. — * Hieron. in Matth. c. 6. — Luc. 6. 42. — Ibidem.

10. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* * In dextera intelligitur amor Dei, in sinistra vanitas vel cupiditas mundi. Si pro humana laude dederis eleemosynam, totum est sinistra: si verò pro remissione peccatorum, totum dextera facit. Quid est ergo, *Nesciat sinistra quid faciat dextera*, nisi, quod facit Dei amor, non corrumpat inanitas vel cupiditas mundi? Nam si hoc aliquis secundùm litteram impleri posse credit, quid faciet? Si enim manus dextera doluerit, numquid de sinistra eleemosynam dare non debet? In superioribus, *Cavete*, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus:* * ubi justitiam generaliter nominavit, deinde particulariter exsequitur. Est etenim pars aliqua justitiæ opus quod per eleemosynam fit: & ideo connectit dicendo, *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te.* Ad hoc respicit quod superiùs ait, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut scilicet, videamini ab eis.* Quod autem sequitur, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam:* ad illud respicit quod supra posuit, *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Deinde sequitur, *Te autem faciente eleemosynam.* Cùm dicit, *Te autem*, quid aliud dicit, quàm Non quo modo illi? Quid ergo mihi jubet? *Te igitur*, inquit, *faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Ergo illi sic faciunt, ut sciat sinistra eorum, quid faciat dextera. Quod igitur in illis culpatum est, hoc tu facere vetaris. In eis autem hoc culpatum est, quòd ita faciunt, ut laudes hominum quærant. Quapropter nihil consequentius sinistra videtur significare, quàm ipsam delectationem laudis. Dextra autem significat intentionem implendi præcepta divina. *Nesciat ergo sinistra quid faciat dextera:*

Matth. 6. 3. — * Cæsarius hic sic sequenti. Sinistra. — Dextera. — * August. ut supra, n. 5. — Matth. 6. 2. — Ibidem 1. — Dextræ & sinistræ alia explicatio.

id est, non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cùm in eleemosyna facienda divinum præceptum contendis implere. *Ut sit eleemosyna tua in abscondo.* * Quid est in abscondo, nisi in ipsa bona conscientia, quæ oculis humanis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? Multi foras faciunt eleemosynam, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicujus temporalis rei gratiâ, misericordes volunt videri. *Et Pater tuus qui videt in abscondo, reddet tibi.* Rectissimè omnino & verissimè. Si enim præmium ab eo exspectas, qui conscientiæ inspector est, sufficiat tibi ad promerendum Deum ipsa conscientia.

Matt. 6. 4. * Num. 9. — Ibidem.

11. *Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* * Neque hîc ab hominibus videri nefas est: sed ideo hæc agere ut videaris, & fructus in eis exspectetur placendi hominibus. Plateæ perpetuæ ac latiores civitatum viæ sunt, juxta proprietatem linguæ Græcæ à latitudine nominatæ: πλατὺ enim latum dicitur. *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Et hinc ostendit Dominus id se prohibere, ut eâ merces appetatur, qua gaudent stulti, cùm laudantur ab hominibus. *Tu autem cùm orabis, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem in abscondo.* * Cubiculum quod nominat, non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secretum. Hinc Psalmista dicit, Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. *Et claudentes ostia orate*, inquit, *ad Patrem vestrum in abscondito.* Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt, improbè se immergunt, & interiora nostra aperiunt. Foris autem dicimus esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, carnalem sensum, in cogitationes nostras penetrant, & turbæ vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum; ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimo cordis, ubi oratur Pater in abscondo. Qui verò vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id est, eleemosynam & jejunium, & adscendat celeriter, & exaudietur. *Et Pater tuus qui videt in abscondo, reddet tibi.* Et hoc tali clausulâ terminandum fuit. Non enim monet nunc ut oremus, sed quo modo oremus: neque ut superiùs, ut eleemosynam faciamus, sed quo animo faciamus: quoniam de corde mundando præcipit, quod non mundat nisi simplex intentio in æternam vitam, solo & puro amore sapientiæ.

Ibidem 5. — * Num. 10. — Matth. 6. 6. * Num. 11. Cubiculum. — Psal. 4. 5. — Ostium. — Orationis alæ.

* SERMO LXIII.

De verbis Evangelii Matth. 6. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua &c.

* Aliàs de Tempore 60.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino & Vindingo spurius est: nobis Cæsarii verus fetus videtur.

1. EVANGELICA lectio, Fratres carissimi, quæ nobis modò recitata est, videtur mihi quòd secundùm litteram non possit intelligi: & ideo Deo auxiliante requiramus, qualiter ad ejus spiritalem sensum pervenire possimus. Sic enim ait Dominus, *Adtendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et iterum, *Cùm facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondo.* Quomodo hoc secundùm litteram accipere possumus, cùm ipse Dominus iterum dicat, Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est? Quomodo hîc dicit, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua:* cùm alibi dicat, Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona? Diligenter adtendite, Fratres, & intellectum divinæ Scripturæ humiliter & sapienter requirite. * Non enim sibi ipse Dominus in Evangelica lectione contrarius esse potest. Nam quia eleemosynam & occultè fieri ipse dixit, & publicè ipse admonuit, ut sibi præcepta ejus non videantur esse contraria, intellectum sobrium quærit. * Qui enim ideo facit eleemosynam, ut ab hominibus se laudari desideret, etiamsi occultè fecerit, publicè facit; quia laudem ab hominibus quærit. Qui verò

Cæsaris Ser. XXV. — Matth. 6. 1. — Ibidem 3. — Matth. 5. 16. — * V. Ser. App. 66. n. 1. Eleemosyna in publico, & tamen in occulto. — * V. Serm. App. 42. n. 5.

CLASSIS I.

eleemosynam pro solo amore Dei facit, ut ad opus A bonum illum reliqui imitentur, & non ipse, sed Dominus collaudetur, etiamsi publicè faciat eleemosynam, absconsè facit; quia pro eleemosyna illa non hoc quod videtur, sed quod non videtur desiderat; nec ab hominibus laudem, sed mercedem à Deo optat accipere.

Ibidem 17. Jejunium publicum.

2. Hoc etiam & de jejunio debemus accipere. Cùm enim ipse Dominus dicat, *Ungue caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris jejunans hominibus*: ergo contra Christi præcepta facimus, qui publicè jejunium indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipso jejunamus? Et in hoc sensu oportet intelligi, ut nemo pro B laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, vel pro misericordia divina jejunet: & unusquisque interroget conscientiam suam; & si pro solo Deo facit eleemosynam, securus & publicè faciat, ut quicumque viderint, imitentur. Nam & illud quod dicit Dominus, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*; ad hoc quod suprà diximus, pertinere cognoscitur. * In dextera enim intelligitur amor Dei, in sinistra vanitas vel cupiditas mundi. Si pro laude humana dederis eleemosynam, totum sinistra facit, dextera omnino nihil facit: si verò pro remissione peccatorum & amore vitæ æternæ eleemosynam dederis, totum dextera facit. Quid est ergo, C *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*; nisi, quod facit amor Dei, non corrumpat aut perdat vanitas vel cupiditas mundi? Nam si hoc aliquis secundùm litteram impleri posse credit, quid faciat, si ei manus dextera doluerit? Numquid de sinistra eleemosynam dare non potest? Aut si vult captivum redimere, quomodo aut sacculum solvere, aut arcam aperire poterit, si sinistram manum dexteræ suæ non junxerit? Aut si peregrinum optat excipere, & secundùm præceptum Domini sanctorum pedes abluere, non video quomodo hoc nesciente sinistra manu possit impleri.

* V. Serm. Append. 61. n. 10. Dextera. Sinistra.

Matth. 6. 5.

3. Ad hoc pertinet etiam illud quod dixit, *Cùm oratis, nolite in angulis platearum orare: sed intra*, inquit, *in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Ecce ipsi bene agnoscitis, quia non hoc semper secundùm litteram poterit impleri. Nam & nos ipsi & totus populus non solùm in cubiculis nostris oramus; sed etiam publicè ad ecclesiam convenimus, & simul cum omni populo genua flectimus. Et numquid hæc facientes præceptis Christi contrarii sumus, qui dixit, ut in cubiculis clauso ostio orare debeamus? Non ita est. Unde etiam & iste sensus superiori sententiæ conveniens est. Qualiter ergo hoc intelligi debeat, adtende. * Si quan- E do oras Deum, & hoc ab illo petis quod videtur, publicè & aperto ostio oras; quia hoc à Deo vis accipere quod videtur. Si verò pro indulgentia peccatorum & pro vita æterna volueris supplicare, etiamsi publicè oraveris, clauso ostio oras; quia non petis quod videtur, sed quod non videtur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. Si temporalia quæris, sicut jam dixi, publicè & aperto ostio oras: si æterna quæris, secreta est oratio tua; quia non quæ videntur, sed quæ non videntur optas accipere. Qui ergo illa quæ non videntur, in veritate quæsierit, & illa quæ videntur, Deo remunerante percipiet; quia non F mentitur qui dicit, *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Nec hoc sic dicimus, ut pro rebus temporalibus Deum non oremus, id est, pro sanitate corporum, aut pro pace temporum, aut pro abundantia fructuum. Debemus & ista à Deo petere; sed secundo & tertio loco: ut primas partes in omni intentione nostræ orationis, amor animæ & desiderium vitæ æternæ obtineat. Oremus ergo pro corpore; sed sine ulla comparatione amplius pro anima supplicemus. Et ideo, Carissimi, quotiens vobis ista Evangelica lectio legitur, ordine quo suprà suggessimus, intellectum ejus debetis accipere: ut sive in eleemosy- G nis, sive in jejuniis, seu in orationibus, sive in dextera vel in sinistra, hoc servare studeamus, ut quidquid agimus, non pro vanitate vel cupiditate sæculi, sed pro amore æternæ beatitudinis faciamus. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Orationes publicæ. Qui fiant clauso ostio. * V. serm. Appendicis 42. n. 5. 2. Cor. 4. 18. Matth. 6. 33. Quo loco temporalia roganda.

SERM. DE SCRIPTURIS. * Aliàs de Temp. 182.

* SERMO LXIV.

De verbis Evangelii Matth. 6. Cùm jejunatis &c. *Et de Oratione Dominica.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Excerpta quædam ex libro 2. de Sermone Domini in monte continet; præfationem verò & conclusionem habe aliunde adscitam.

Homini duo præcipuè meditanda.

1. DUO sunt, Carissimi, quæ principaliter adtendere debet humana circumspectio, & dignitatem suæ conditionis, & excellentiam suæ reformationis: dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat; excellentiam redemtionis, ut gratiæ redimentis ingratus non exsistat. Solà quippe voluntate Redemtoris homo de terræ vilitate sublevatus est, & ad Dei similitudinem privilegio rationis sublimatus est. Hanc miser homo perdidit, cùm diabolica persuasione seductus, à Conditoris sui instituto superbiendo recessit. Quem lapsum Psalmista considerans, quasi dolendo dicebat, Homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. De summa erectione proprio arbitrio corruens, meritò ultima dejectione damnatus est, qui per se cadere potuit, sed per se resurgere non valuit. Hunc casum plangere habet quotidianis lamentis humana fragilitas; quatenus eò redeat per quotidiana lamenta, unde corruit per vana oblectamenta; & quæ cecidit pede superbiæ, resurgere studeat pede obedientiæ. Hoc adtendens Psalmista dicebat, Non veniat mihi pes superbiæ: &, Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare. Expulsi sunt ab intima quiete; nec potuerunt stare, id est, perseverare, sicut per eumdem Psalmistam de eisdem dicitur, Quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens.

Psal. 48. 13. Plangendus casus. Psal. 35. 12. & 13. Psal. 77. 39.

Necessaria medicinalis gratia Redemtoris.

2. Ad hanc ergo reversionem sive resurrectionem necessaria fuit medicinalis gratia Redemtoris, quæ sanaret humilitate, quod corruptum fuerat elatione superbiæ. Assumsit ergo Verbum Dei formam servi, in qua posset conservos verbo instruere, & ad exemplum vitæ suæ morum disciplinâ informare. Humilitatem quippe & obedientiam verbo & exemplo insinuabat, quando discipulis exhortando dicebat, Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Jugum enim ejus obedientiæ merito est suave, cui servire est regnare; & onus præceptorum leve, quod non premendo gravat, sed adimplendo per gratiam adjuvat. Insinuavit etiam verbo sobrietatem, ubi dixit, Non graventur corda vestra in crapula & ebrietate: docuit exemplo, qui turbam se comitantem non refecit sumtuosis deliciis, sed panibus hordeaceis. Docuit etiam intentionem nostram ad interna bona dirigens, qualiter esset jejunandum, quando dixit, *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*: illos notans, qui luctuosis sordibus rigorem simulant abstinentiæ, ut videantur hominibus jejunantes. Qualiter etiam sit facienda eleemosyna, silentio præterire noluit, ubi dixit, *Cùm facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Hoc documento insinuans, quia eleemosynam & omne opus misericordiæ, quod facimus, non venando laudes hominum, sed propter intentionem vitæ æternæ, quæ per dexteram significatur, facere admonemur. Qualiter quoque esset orandum, admonuit, ubi ait, *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum*; id est, habeto cor quietum, & ab omni tumultu exteriorum liberum: *& clauso ostio*, id est, exclusâ phantasmatum turbâ, *ora Patrem tuum.*

Christus verbo & exemplo docuit. Matth. 11. 29. & 30. Luc. 21. 34. Matth. 6. 16. Ibidem 3. Ibidem 6.

3. Ecce dictum est qualiter sit orandum: addit etiam quid sit orandum, ita subjungens, *Sic autem orabitis, Pater noster, qui es in cælis*, &c. Hæc oratio compendiosis verbis, id est, septem petitionibus, omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis. Harum septem petitionum tres priùs positæ pertinent ad æternitatem; quatuor sequentes ad vitæ præsentis necessitatem. * Nam nominis Dei sanctificationem, & adventum ejus quo in claritate venturus est, & completam voluntatem ejus sicut in cælo & in terra, sive justos & peccatores, sive animam &

Ibidem 9. Pro orandorum quorumlibet compendium. Tria petuntur ad æternam vitam, quatuor ad temporalem. * V. lib. 2. de Serm. in monte n. 36.

CLASSIS I.

corpus, sive Christum & Ecclesiam intelligamus, quamvis ab humili adventu Christi exordium sumant, tamen nonnisi sæculi terminatione complebuntur. Et omnia tria in æternum manebunt. * Reliqua autem quatuor ad hanc vitam temporalem pertinere videntur: quia & panis quotidianus & spiritalis; licèt sit sempiternus, ad hoc tantùm tempus pertinet, in quantum ministratur animæ quibusdam signis & dictis vel scriptis: & ideo panis dicitur, quia laborando & disserendo discitur, & ita quasi mandendo glutitur. Nunc quoque peccata dimittuntur nobis, & nos dimittimus aliis; quæ est inter quatuor secunda petitio. Et nunc tentationes vitam nostram infestant; & ipsa liberatio à malo ad hanc vitam pertinet; quia Dei justitiâ mortem incurrimus, unde ipsius misericordiâ liberandi sumus. Quæ cùm ita sint, ipsarum petitionum verba diligentiùs pertractanda sunt, ut intellecta & majorem generent cordis affectum, & quod petitur, ad velociorem perducatur effectum.

* Ibidem. n. 17.

Matth. 6. 9. * Num. 15. Unde Christiani à Judæis distincti, inde innuitur se indicari * in fine n. 16.

4. Dicamus ergo, *Pater noster*, cui non timore, sed amore famulamur. * Non hoc populo priori dictum est, ut Patrem oraret: sed Dominus insinuatus est eis, cui non filiali obediebant amore; sed servili subjiciebantur timore. * Admonentur autem hoc verbo divites & nobiles, cùm Christiani facti fuerint, quatenus se non extollant adversùs pauperes & ignobiles: quoniam simul dicunt, *Pater noster*, quod verè ac piè dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant. * Hoc nomine & caritas excitatur; quia filiis nihil carius debet esse, quàm pater: & supplex affectus, cùm homines dicunt, *Pater noster:* & quædam impetrandi præsumtio, quod petitur; cùm etiam ante petitionem tam magnum donum accepimus, ut possimus dicere, *Pater noster.* Quid enim jam non det filiis petentibus Pater, qui jam hoc ipsum dedit, ut essent filii? Postremò quanta cura animum ejus tangit qui dicit, *Pater noster*, ut tanto Patre non sit indignus? Utatur ergo populus novi Testamenti voce, populus novus ad æternitatem vocatus, *Pater noster.* Oratio fraterna est: non dicit, Pater meus, tamquam pro se tantùm orans; sed, *Pater noster*; omnes videlicet una oratione complectens, qui se in Christo fratres esse cognoscunt. *Qui habitas in cælis*, [a] id est, in his quorum conversatio est in cælis. * Et accommodatissima est ista similitudo, ut tantum spiritaliter distare credatur inter justum & peccatorem, quantum distat corporaliter inter cælum & terram. Peccatori enim dictum est, Terra es, & in terram ibis. * Cujus rei significandæ gratiâ cùm ad orandum stamus, ad Orientem vertimur, unde cælum surgit: non ideo, quòd ibi sit Deus, tamquam ceteris mundi partibus relictis; sed ut admoneatur animus ad excellentiorem naturam consurgere; id est, ad Deum.

* Num. 16. Caritatis excitatio. Fiducia impetrandi.

* Num. 17. Gen. 3. 19. * Num. 18. Cur orantes convertimur ad Orientem.

* Num. 19.

5. Jam quid petendum sit, adtendamus. *Sanctificetur nomen tuum.* * Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum Dei nomen; sed ut sanctum habeatur ab hominibus, & ita innotescat illis Deus, ut existiment aliquid sanctius non esse: quò magis timeant eum offendere, quia justum est nomen Dei sanctificare, & Deum timere, de quo dicitur, Dominus nomen illi. * Hic timor primo gradu est inter beatitudines, de quo dicitur, Initium sapientiæ timor Domini. Et alibi, Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.

Timor Dei. Amos 9. 6. * Num. 38. Eccli. 1. 16. Psal. 18. 10.

Matth. 6. 10. * Num. 20.

6. Sequitur, *Adveniat regnum tuum*, id est, * manifestetur mundo. Sicut præsens lux absens est cæcis; ita Dei regnum, quamvis ubique sit, deest tamen ignorantibus: vel ita, ut tu in nobis, & nos in te, te donante, regnemus. Hæc petitio ad pietatem pertinet, quæ est secundo gradu inter beatitudines. * Si enim pietas est, qua beati sunt mites, petamus ut veniat regnum Dei in nos, id est, mitescamus, & non resistamus.

Pietas. * Num. 38.

* Num. 21. * Num. 22.

7. Sequitur, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra;* id est, * sicut in Angelis, ita & in hominibus; & * sicut in justis, ita & in peccatoribus: vel, ita consentiat caro tuæ voluntati, sicut consentit spiritus. Hæc petitio ad scientiam pertinet, quæ tertio gradu est inter beatitudines. * Nam si scientia est, qua beati sunt qui lugent; oremus ut fiat voluntas Dei, sicut in cælo, ita & in terra: id est, ut consentiat caro spiritui; quia non aliunde

Scientia. * Num. 38.

[a] August. *id est, in sanctis & justis.*

SERM: DE SCRIPTURIS.

tantum dolere debet humana miseria, quantum inde quòd caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: ut cum Apostolo exclamare cogamur, Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis?

Gal. 5. 17. Rom. 7. 24.

Matth. 6. 11.

8. Sequitur quarta petitio, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Potest & simpliciter intelligi de corporali cibo, & spiritaliter de pane divini verbi. Si de corporali agitur, non extendit petitionem suam in longum iste orator; præceptum sequitur Evangelicum, ubi dicitur, Nolite cogitare de crastino. Crastinus enim dies ipse cogitabit sibi. Sic & beatus Apostolus monet, Habentes victum & tegumentum, his contenti simus. Si verò spiritaliter accipias panem istum, vel ipsum Christum intellige, qui est supersubstantialis animæ panis; quia omnem superat substantiam, qui de se ipso ait, Ego sum panis vivus qui de cælo descendi: Vel ipsum intellectum verbi divini, qui nobis necessarius est ad reficiendas ruinas animæ, donec cognominatur *hodie.* Hæc petitio ad fortitudinem pertinet, quæ quarto loco ponitur adscendentibus ad summam beatitudinem. * Si enim fortitudo est, qua beati fiunt qui esuriunt & sitiunt justitiam; orandum nobis est, ut detur nobis iste panis quotidianus, quo confortati ad illam perfectam saturitatem venire possimus.

Matth. 6. 34. 1. Tim. 6. 8. Iohan. 6. 41. Fortitudo. * Num. 38.

Matth. 6. 12.

9. Sequitur, *Et dimitte nobis debita nostra.* Fortè peccavit in te aliquis, dimitte illi veniam à te petenti; ne dum fratri negas misericordiam, tibi claudas Patris indulgentiam, dicente Jacobo apostolo, Judicium enim sine misericordia ei qui non fecit misericordiam. Petitio hæc refertur ad consilium, quod quinto loco ponitur inter gradus beatitudinum. * Si enim consilium est, quo beati sunt misericordes; dimittamus ergo debitoribus nostris debita sua; & sic oremus, ut dimittantur nobis debita nostra, id est, peccata nostra, propter quæ differimur ab impetranda venia, nisi eam acceleret fratrum indulgentia.

Iacobi 2. 13. Consilium. * Num. 38.

Matth. 6. 13. * Num. 30.

10. Sequitur, *Et ne nos inducas in tentationem*, * id est, ne patiaris nos induci in tentationem. Aliud est enim tentari, sine quo nullus probatus est justus; aliud in tentationem induci, id est, à tentatore induci. Hoc est ergo quod oramus, ut non permittat nos Deus tentari supra id quod possumus; sed faciat cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Petitio hæc pertinet ad intellectum, qui sexto loco ponitur in numero beatitudinum. * Si enim intellectus est, quo beati sunt mundo corde, id est, qui purgatum habent oculum mentis à terreno pulvere; oremus non induci in tentationem; id est, non habere duplex cor, sed unum & simplex appetere bonum.

1. Cor. 10. 13. Intellectus. * Num. 38.

* Num. 35.

11. Sequitur, *Sed libera nos à malo*, * non tantùm in quod induci possumus, sed etiam ab illo in quo inducti sumus, quo peracto nihil restabit lugendum. Huic petitioni congruit sapientia, quæ septimum inter beatitudines obtinet locum. Nam * si sapientia est, qua beati sunt pacifici, id est, qui ordinatis moribus suis cogunt omnia servire spiritui; orandum est itaque nobis, ut liberemur à malo. Ipsa enim liberatio liberos nos facit, id est, filios Dei, ut spiritu adoptionis clamemus, Abba pater. *Amen* autem in his petitionibus significat indubitanter à Domino conferri quod petitur, si ultimæ conditionis pactum firmiter teneatur.

Sapientia. * Num. 38. Rom. 8. 15.

Tria peccatorum remedia.

12. Hæc tria remediorum genera spiritaliter commendavit nobis cælestis medicus, eleemosynam videlicet & jejunium & orationem, quibus tamquam medicinalibus antidotis, possemus inveterata mala curare, præsentanea pellere, & servando salutem futura cavere. Et congruè tria sunt genera curationis, sicut tria præcedunt genera corruptionis. Omne enim peccatum aut fit in anima per consensum pravæ suggestionis ad violandum Dei templum: aut fit malè utendo corpore ad lædendum proximum, quod est facinorosum: aut fit malè utendo corpore ad corrumpendum se ipsum, quod est flagitiosum. Facinora enim licèt per corpus fiant, qualia sunt homicidia, rapinæ, furta; non tamen corpus facientis afficiunt vel corrumpunt. De quibus dixit Apostolus, Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est. Flagitia verò & per corpus fiunt, & corpus

Triplex peccandi ratio. 1. Cor. 6. 18.

CLASSIS I. — *Ibidem.*

afficiunt & inficiunt. De quibus dicit Apostolus, Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Meritò ergo facinora quæ extra corpus fiunt, eleemosynâ tamquam exteriori purgantur medicinâ: quia sicut facinus nocuit proximo, sic eleemosyna quæ extra nos est, & per corpus tamen datur, prodesse debet proximo. Flagitia verò congruè medicinali mundantur parsimoniâ; quia sicut caro læta traxit ad culpam, sic afflicta reducere debet ad veniam. Si qui verò sunt quibus hæc medicamenta non congruant, ut vel eleemosynam dare non possint propter nimiam paupertatem, aut jejunare propter stomachi imbecillitatem, habent tertium genus medicinæ, à quo se excusare non poterunt, nisi qui morbos animæ suæ sanare contemserint. Hoc ergo medicamentum, quod nulli sanæ menti deesse potest, studiosè & piè frequentemus, implentes illud Apostolicum præceptum, Sine intermissione orate. *1. Thess. 5. 17.* Hoc enim antidotum ita omnibus morbis occurrit, ut assiduatum morbos omnes depellat, & omnia corrupta integritati restituat, præstante Domino nostro Jesu Christo; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO LXV.

** Aliàs de Tempore 126.*

Rursum in Matth. 6. de Oratione Dominica.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius videbatur Lovaniensibus; spurius Verlino & Vindingo, quibus observatum est precationis Dominicæ petitiones aliter exponi solere ab Augustino. Auctor, quisquis tandem est, cum Cypriano plerumque consentit.

CAP. I.

1. QUONIAM Domino subveniente atque gubernante, jam estis in regia constituti, & propè est dies quo ad cælestis regis veluti consistorium veniatis, moneo vos, Carissimi, ut precem legitimam Patri & Deo offerendam antè discatis. Nam quia fastidiosa mens hominum & ignara cælestium, nec scire nec invenire poterat, quemadmodum Deum dignè precaretur; ipse verus Dominus & magister ostendit & docuit, per se quidem sanctos Apostolos, per illos autem nos, quo modo debeamus orare. *Sic*, inquit, *orabitis: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua*, &c. *Matth. 6. 9.* O verè cælestis oratio, quæ tota est oratio! Nam singula verba si prout sunt, latiùs tractare voluerimus, dies antè quàm sermo deficiet. Attamen breviter percurramus. Dicimus, *Pater noster, qui es in cælis.* Sic incipiendo, bonitatem Dei & gratiam protestamur. Nam quando nos terrestres & miseri, imbecilles & inutiles servi, auderemus vultum levantes ad cælum dicere, *Pater noster*; nisi ipse per suum nobis Unigenitum hanc fiduciam præstitisset? Sicut scriptum est, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Johan 1. 12.* Accepta igitur potestate Patrem vocamus Deum: quia per fidem spiritum adoptionis accepimus, ut nos factos Dei filios gratulemur.

CAP. II. *Matth. 6. 10.*

2. Deinde dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc actio gratiarum est, veluti si dicatur, Sanctum sit & benedictum nomen tuum. Decet enim gratias agere, qui gratiam meruerunt. *Adveniat regnum tuum.* Non utique ut incipiat ille regnare, cujus regnum est omnium sæculorum: sed hoc optamus, ut finem nostris faciat malis, & veniens de cælo nos assumat in regnum. Hoc enim dicto admonemur, ubi vitam nostram & substantiam & regnum sperare debeamus. Similiter dicimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra.* [a] *Ibidem.* Quis enim obstat Deo, quò minùs fiat voluntas ejus ubique? Sed hoc oramus, ut sicut in cælo fit voluntas Dei, ubi nullus offendit; ita virtutem nostris animis tribuat, ut ejus voluntatem nos qui sumus in terra, facere & implere possimus. Vel certè cum dicimus, *Fiat voluntas tua*, docemur semper ad Dei, non ad nostram respicere voluntatem: quia in nostra voluntate aliquotiens contraria sunt; in Domini autem voluntate vita est semper & bonitas.

3. Consequenter jam post cælestia, etiam terrestria postulamus, sed tamen necessaria. Nam dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* *Ibidem 11. Avaritiæ exstirpatio, & mortis recordatio in voce hodie.* O sapientia vera & divina providentia, quæ docuit & panem solum petere, & *hodie* nominare. Hoc enim dicto & aviditas cum avaritia tollitur, & humanæ vitæ insinuatur incertum: secundùm illud, Nolite solliciti esse in crastinum. *Ibidem 34.* Verè enim inconveniens esset, eum in multos annos & tempora, vel certè in alium diem necessaria postulare, cui fortè sub nocte esset vita finienda. Sic enim & ille avarissimus dives, qui restructis horreis & repletis dixerat ad animam suam, Habes multa bona in annos multos, epulare; audivit à Domino, [b] Stulte, hac nocte repetunt animam tuam: quæ præparasti, cujus erunt? *Lucæ 12. 19. & 20.* Competenter ergo oramus, panem nostrum quotidianum hodie nobis dari: quia crastinus dies quid pariat, ignoramus.

CAP. III. *Matth. 6. 12.*

4. Dicimus deinde, *Dimitte nobis debita nostra.* Debita, Fratres, peccata intelliguntur. Nam debitum contrahitur, quotienscumque delinquitur: quod debitum quandoque solvi in gehenna necesse est. Et quia humanæ fragilitati non deest quotidie unde delinquat; ideo petimus ut debita nobis, dum sumus in corpore, dimittantur, ne usque ad novissimum quadrantem desudemus. Bene autem adjungitur, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vides, Carissime, [c] quanta nos conditione divinus sermo præstringat. Dimitte ergo, ut dimittatur tibi. Habes aliquem debitorem qui in te peccavit, qui fortè injuriam fecit; dimitte illi roganti, indulge poscenti, parce pænitenti: ne dum denegas pietatem fratri, tibi claudas indulgentiam Patris.

5. Jam verò utilissimo fine oratio sacra completur orando contra tentationem & malum. Dicimus enim, *Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo.* *Ibidem 13. Cur tentat Deus.* Inducit Deus in tentationem hominem, cùm tentari permittit, ut probet, non perimat. Tentat autem non quasi mentium nescius humanarum; sed ut suos fideles faciat in sæculo manifestos, sicut scriptum est, Vasa figuli probat fornax, homines autem justos tentatio tribulationis. *Eccli. 27. 6.* Sic Abraham tentavit in filio, & honoravit: *Gen. 22.* sic Job dando in tentationes varias probavit: *Iob. 1. & 2.* sic sanctos Apostolos, sic beatissimos Martyres per ignem quoque & gladios coronavit. Ex quo apparet, à Deo tentationes hujus modi provenire; & diabolum nihil sine Dei permissione valere. Ergo Deus solus adorandus est, qui potest educere de tentatione. Educit verò, cùm liberat à malo: à malo autem liberat, quando sucùm liberat à malo: à malo autem liberat, quando super id quod possumus, non nos permittit tentari.

Orationis Dominicæ summa.

6. Habetis, Fratres, ostensum, & quem debeatis orare, & cui gratias agere, & cujus cupere regnum, vel exspectare voluntatem. Deinde contra tentationes & malum, cujus sit auxilium præstolandum. Ecce in paucis omnia & in brevitate completa. Quia ergo non difficilè discitur, immo facilè retinetur, omnes hortor tam viros quàm feminas, discite retinere: ut cùm fueritis gratiam Domini quam cupitis, consecuti, inter omnes sanctos hanc precem ore consono proferre possitis, & corde mundo diligere: ut Christus sedens ad dexteram Patris in ore vestro verba sua videns, & in corde vestro sua præcepta, & hîc vos custodiat, & futuro ævo [*] dignos efficiat. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

** f. regno.*

* SERMO LXVI.

** Aliàs de Tempore 101.*

De verbis Evangelii Matth. 7. Nolite judicare, ut non judicemini, *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium inter Augustinianos reliquerunt Lovanienses: hinc verò expungendum cum supposititiis Verlinus & Vindingus judicaverunt. Cæsarii sanè stilum & mentem refert. Porrò in MSS. sic incipit: Modo cùm Evangelium legeretur, audivimus Dominum dicentem, *&c.*

CÆSARII Ser. XXVI.

1. AUDIVIMUS Evangelistam dicentem, Fratres carissimi, *Nolite judicare, ut non judicemini.* Quid est hoc, Fratres, cùm ipse Dominus in alio loco Evangelii dixerit, Nolite secundùm faciem judicare; sed justum judicium judicate: *Johan. 7. 24.* & alibi dicatur, Judicium verum judicate? *Zach. 7. 9.* * Non enim sibi divina lectio contraria esse potest; sed intellectum sobrium quærit. ** V. Ser. App. 63. n. 1.* In conversatione enim humana, Dilectissimi, sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur: sunt verò quædam, quæ non

---

a Cyprianus, *Nam Deo quis obsistit, quò minùs quod velit faciat?*

b In MS. Reg. *Hac nocte anima tua egredietur de te.* Apud Cyprianum, *anima tua expostulatur.*

c Cyprianus, *Addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens.*

CLASSIS I.

non sine peccato judicantur. Aperta enim mala & judicari & argui debent: illa verò quæ aut ignoramus, aut utrùm bono an malo animo fiant, scire non possumus, judicare penitus non debemus. Verbi gratiâ, vides hominem frequentiùs jejunare; congaude, & noli nimis laudare; quia potest hoc pro humana gloria fieri: sed & noli vituperare; quia potest & pro Deo & pro animæ remedio jejunare. Vidisti alium indicto publico jejunio velle prandere; cum dilectione admone. Si dixerit se pro stomachi lassitudine jejunare non posse, crede & noli judicare: quia utrumque potest fieri, ut pro gula vel luxuria prandere velit, & præ infirmitate jejunare non possit. Vidisti alterum subditis suis cum severitate disciplinam imponere, & indulgentiam tardiùs dare; noli judicare crudelem: quia forsitan non hoc facit morbo iracundiæ, sed zelo disciplinæ & amore justitiæ; propter illud quod scriptum est, Zelus domûs tuæ comedit me. (Psal. 68. 10.) Fortè aliquis vicinus aut amicus tuus, dum animum suum habet in rebus satis sibi necessariis occupatum, tardiùs te salutaverit, aut tardiùs occurrerit, quàm debuit; noli eum superbum judicare, noli malignum credere; sed magis hoc aut per oblivionem aut per negligentiam, quàm per despectum vel superbiam factum crede: quia fortè & tibi hoc, ut est humana fragilitas, frequenter evenit, ut rebus aliis nimis intentus, aliquid minùs cautè aut minùs sollicitè fecisse videaris; & tamen noluisti te pro hac re malo animo judicari. In istis ergo & in his similibus, quæ utrùm bono an malo animo fiant, scire non possumus, melius est ut ad partem dexteram nostrùm animum declinemus: quia tolerabilius est nos in hoc prævenire, ut eos qui mali sunt, bonos esse credamus, quàm ut consuetudine judicandi, etiam de bonis quod malum est suspicemur. De istis ergo rebus quæ sunt Deo notæ & nobis incognitæ periculosè nostros proximos judicamus. De ipsis enim Dominus dixit, *Nolite judicare, ut non judicemini.* (Matth. 7. 1.) De illis verò quæ aperta sunt & publica mala, judicare & redarguere, cum caritate tamen & & amore, & possumus & debemus; * odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium; detestantes morbum potiùs, quàm ægrotum. (* Cæsar. homil. 10. inter editas à Baluzio.) Nam publicus adulter, raptor, assiduè ebriosus, proditor & superbus, si judicati vel castigati non fuerint, implebitur in eis illud quod beatus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem subministrat. (Cyprianus.)

2. Ad hanc rem pertinet, Fratres carissimi, etiam illud, quod in hac ipsa Evangelica lectione audivimus: *Quid enim vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* (Ibidem 3.) Vidisti enim hominem subitò irasci; noli continuò judicare, sed exspecta paululùm: forsitan quàm velociter irascitur, tam celeriter mitigatur. (V. August. Serm. 2. in Ps. 30. n. 4.) Quid tamen festuca, quid trabes significet, videamus. Subita enim iracundia festuca est: illa verò quæ in longum tempus protrahitur, [a] trabes efficitur. Ut ergo irasci, & citò placari, festuca est; ita iracundia diu in corde servata, trabes est. (Ira subitanea festuca est; inveterata, trabes.) Ergo ira inveterata convertitur in trabem. Et qua fronte ille qui odium servat in corde, illum judicare præsumit, in cujus oculo non trabem, sed festucam esse cognoscit? Nam cordis oculum festuca turbat, trabes excæcat. (Cordis oculum turbat ira, odium excæcat.) Quod dixi, Fratres, Scripturarum debeo testimoniis approbare. Quo modo ira cordis oculum turbat, audi Psalmistam dicentem, Turbatus est præ ira oculus meus. (Psal. 6. 8.) Quo modo autem odium oculum cordis excæcat, Johannes evangelista testatur: (1. Johan. 2. 9.)
» Qui, inquit, odit fratrem suum, in tenebris est, & in
» tenebris ambulat, & nescit quò vadat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Secundùm hæc ergo per subitaneam iracundiam cordis oculus turbatur; per odium lumen caritatis exstinguitur.

3. Ergo, Fratres carissimi, * capitula vobis quædam & indicula, qualiter hæc intelligere & accipere debeatis, insinuo. (* V. Suprà Serm. 19. n. 6. & 22. n. 6. & 40. n. 6.) Nam vos Deo propitio, meliùs hæc capere & observare potestis. Ut hæc quæ dixi, tenaciùs vestris cordibus inserantur, breviter repeto quod suggessi. (Recapitulatio.) In his ergo rebus, sicut jam suprà dixi, periculosè alios judicamus, quæ dubium est utrùm bono an malo-animo fiant, id est, jejunare, vigilare, eleemosynas facere, à vino & à carnibus vel abstinere vel non abstinere, & reliqua his similia, quæ pro Deo & pro humana gloria fieri possunt. Et quia ignoramus quo animo fiant, judicare penitus non debemus. Propterea hæc dixit Dominus, *Nolite judicare, ut non judicemini.* Propter apertam verò iniquitatem dictum est, Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina. (2. Tim. 4. 2.) Et illud quod jam suprà memoravimus, Justum judicium judicate. (Johan. 7. 24.) Hæc enim, Fratres, si diligenter, sicut credimus, considerare, & cum grandi sollicitudine, Deo donante, observare volumus, non de parvo peccato cum Dei adjutorio liberamur. (Judicium temerarium non parvum peccatum.) Maxima enim pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum promta & parata esse probatur; cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare. Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens, Priùs quàm interroges, ne vituperes quemquam: & cùm interrogaveris, corripe justè. (Eccli. 11. 7.) Omnis homo priùs se vult interrogari; & postea, si reus est, patienter tolerat reprehendi. Et quia omnes hoc nobis volumus ab aliis fieri, justum est ut hoc in aliis studeamus implere. Priùs cum patientia interrogemus, & solliciti simus: & cùm aliquid certiùs agnoverimus, tunc aut si mala sunt, reprehendere, aut si bona, defensare velimus: propter illud quod scriptum est, Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. (Matth. 7. 12.) Hæc est enim Lex & Prophetæ. [b] Et ideo conversi ad Dominum, ejus imploremus auxilium, ut ipse nobis & veram discretionem & perfectam caritatem præstare pro sua pietate dignetur; cui est gloria & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum.

* SERMO LXVII.

De verbis Evangelii Matth. 7. Intrate per angustam portam, *&c. deque duabus viis, arta & lata.*

Prodit nunc primùm ex Theodericensi MS. ubi Augustino tribuitur, sed falsò. Doctrinam & stilum Cæsarii, cujus sunt alii propè omnes eodem veteri codice contenti Sermones, exhibere videtur.

1. AUDISTIS, Fratres dilectissimi, cùm Evangelium legeretur, duas Dominum commemorasse vias, unam metuendam atque terribilem, alteram ambiendam & multùm desiderabilem; unam per quam post parvum laborem justi eriguntur in cælum, alteram per quam post brevem dulcedinem amatores mundi pertrahuntur in tartarum. (CÆSARII Ser. XXVII.) *Intrate*, inquit, *per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm arta*, inquit, *porta & angusta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui inveniunt eam!* (Matth. 7. 13. & 14.) Ecce, Fratres dilectissimi, proposuit Deus in conspectu totius generis humani, quid debeamus expiare, quid vitare, quid desiderare, quid fugere, quid timere, quid in toto corde diligere; (Liberum arbitrium.) & sicut per Prophetam ipse prædixerat, Ante hominem, inquit, vita & mors; quod placuerit, dabitur illi. (Eccli. 15. 18.) Et iterum, Ecce habes ignem & aquam, mortem & vitam; elige vitam, ut vivas. (Deut. 30. 16.) Hoc totum quod suprà diximus, id est, bonum & malum; in istis duabus continetur viis. Proponitur enim nobis in eis infernum & regnum, Christus & diabolus, altitudo & profundum. Dei enim per gratiam in potestate habet unusquisque quid diligat, & ad quod placuerit, porrigat manum.

2. Viæ enim artæ & angustæ præsidet Christus: viæ latæ & spatiosæ præest diabolus. (Viæ artæ Christus, latæ præest diabolus.) Christus invitat ad regnum; ille sollicitat ad infernum: ille levat in altum; ille deprimit in profundum. Diabolus ostentat falsas dulcedines, ut trahat ad veram amaritudinem: Christus invitat ad brevem asperitatem, ut perducat ad longam beatitudinem. Si solùm oculus corporis aperitur, decipit nos lata & spatiosa: si verò oculis cordis adtendimus, securos nos reddit dura & aspera. (Utraque via non carnis, sed cordis oculis dijudicanda.)

3. Invicem ergo nos, Carissimi, admoneamus, invicem nos cum vera caritate jugiter invitemus, ut magis brevem & angustam debeamus eligere viam, per quam

[a] Hîc addunt editi; *dum per odium falsis suspicionibus nutritur.* Sed hæc verba desunt in MSS.

[b] Hujus conclusionis loco MSS. hæc habent: *Et quia sicut ipsi videtis, plures ex nostris de ecclesia nunc absentes esse videntur, & illis qualemcumque admonitionem in aliam basilicam reservemus: & forsitan inspirat & illi Deus ut vel ibi pro animæ suæ salute conveniant; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Forsitan eodem die in duabus basilicis concionatus, in prima concione usus est ea conclusione, quæ exstat in MSS. & alterâ in secunda

CLASSIS I.

mereamur ad paradisi latitudinem pervenire. Illam verò viam, quæ post brevem latitudinem consuevit amatores suos in inferni profunda demergere, quantum possumus, Deo auxiliante, debemus repudiare atque contemnere. Sinamus ergo sinistram viam, cujus finis introducit in gehennam; & sequamur dexteram, quæ ad vitam ducit æternam. Ad illum pervenire debemus, qui est via & vita & veritas. Nec mirum, si ad illum fideliter pervenimus, per quem fideliter ambulamus. Nam quia ipse est via, per ipsum currimus: quia verò ipse est patria, consummato cursu ad ipsum pervenimus. Cùm enim secundùm divinitatem sit requies & patria Angelorum, secundùm humanitatem factus est via peregrinantium. Quia est requies & patria Angelorum vel omnium fidelium, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: quia est via peregrinantium, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

Iohan. 14. 6. — Christus & peregrinantium via, & Angelorum patria. — *Iohan. 1. 1.* — *Ibidem. 14.*

3. Quando de paradiso post peccatum primi hominis in hunc mundum, quasi in convallem lacrymarum projecti sumus, & viam perdidimus simul & patriam, ambulavimus solitudines difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Sed pius & misericors rex patriæ nostræ non solùm servos suos ad nos frequenter studuit mittere; sed etiam dignatus est ipse descendere, & viam, per quam reverteremur ad patriam, præparare. O homo, si piger eras, ut quæreres viam; ipsa te via dignata est quærere: si piger eras venire ad viam; ipsa ad te via venit. Surge & ambula; fuge viam sæculi latam & spatiosam, quæ te ad tempus delectat, & in æternum cruciat: curre per viam Christi, in qua parvissimo tempore laborabis, & postea cum Angelis sine fine gaudebis.

Sap. 5. 1. — Beneficium redemtionis. — *V. Cæsar. in fine homil. 18.*

4. Fortè dicis, Per viam Christi quomodo debeo currere? Si ambos pedes sanos habes, feliciter curres. Qui sunt isti duo pedes? Si diligis Dominum, & diligis proximum. In his duobus præceptis, sicut Apostolus dicit, universa Lex pendet, & Prophetæ. Si diligis Dominum, & non diligis proximum; unum tantummodo pedem habes, non potes currere: si diligis proximum, & non diligis Dominum; claudus & inutilis remansisti. Curre ergo per viam Christi: ipsa est enim via. Per istam viam dilectionis etiam ipse Dominus in cruce pendens cucurrit, quando pro inimicis oravit, dicens, Pater, dimitte illis; quia nesciunt quid faciunt. Per istam viam etiam beatus Stephanus ita studuit viriliter currere, ut cælum apertum, & Christum quasi in occursum suum vel adjutorium stantem, mereretur adspicere.

Duo pedes ad currendum in via Christi, caritas duplex. — *Matth. 22. 34. 40. & Galat. 5. 14.* — *Lucæ 23. 34.* — *Act. 7. 55.*

5. Sed quia humiliter debes currere, si vis celeriter pervenire, vide quia in illum, & per illum, & ad illum curris, qui dixit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quidquid boni operis, sive in eleemosynis, sive in jejuniis, sive in orationibus Deo offerre volueris, totum perdis, si cum vera caritate mitis & humilis corde esse nolueris. Et ideo sicut jam suggessi, inter reliqua opera bona, humilitatem & caritatem præcipuè tenere contendite: ut istis duobus sanctis & spiritalibus pedibus possitis fideliter currere, & ad æternam beatitudinem feliciter pervenire; per eum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Humilitas sit caritatis comes. — *Matth. 11. 29.*

*SERMO LXVIII.

De eisdem verbis Evangelii Matth. 7. Lata & spatiosa est via *&c.*

Admonitio ista continet qualiter per peccatum primi hominis de paradiso in infernum mundi hujus projecti sumus, ut ad inferiorem infernum non mereamur peccatorum pondere venire, sed bonis operibus velut quibusdam gradibus ad superiorem ac principalem patriam totis viribus conemur adscendere.

Fuit homilia inter Cæsarianas per V.C. Stephanum Baluzium ex Regio codice vulgatas ordine tertia-decima.

CÆSARII Ser. XXVIII.

1. SCIO, Fratres carissimi, quòd non possit ignorare sancta Caritas vestra, Adam patrem nostrum inter paradisi delicias fuisse collocatum; sed, persuadente diabolo, Dei præcepta contemnens, in istius mundi miserias, velut de superiori loco ad inferiorem, A fuisse dejectum. Supernum ergo est paradisus, infernum est hic mundus. Aliud infernum est, in quo post mortem peccatores & impii demerguntur. Nam quòd duo sunt inferni, Propheta hoc evidenter ostendit dicens, *Deus, qui eripuisti animam meam ex inferno inferiori.* Non enim diceret inferiorem infernum, nisi esse & superiorem sciret. Deus autem noster miserator & misericors, patiens & multùm misericors, quando nos in Adam patre nostro de altitudine paradisi justo judicio suo in infernum mundi istius deposuit, pro ineffabili pietate ad inferiorem infernum nos ruinâ pervenire noluit; sed quodam modo inter paradisum & inferiorem infernum B velut in medio collocavit: ut si pænitentiam vellemus agere, ad altitudinem principalis patriæ mereremur adscendere; si verò in illa tyrannide superbiæ, per quam suadente diabolo cecidimus, velimus jugiter permanere, ad inferioris inferni profunda, unde jam reditus esse non possit, peccati pondere premeremur.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Inferni duo. — *Psal. 85. 13. V. August. enar. Psal. 85. n. 17.* — Adam post lapsum inter paradisum, & infernum inferiorem.

2. Hæc ergo, Fratres carissimi, non transitoriè, sed cum grandi timore ac tremore considerantes, intelligamus nos in isto superiori inferno per Dei misericordiam positos, ut magis ad illum qui nos creavit, desideremus bonorum operum gradibus remeare, quàm cum illo qui nos decepit, ad inferioris inferni profunda C descendere. Et quia positi sumus tamquam inter aquam & ignem, velut inter summum bonum & summum malum, quasi inter ruinam inferioris inferni & altitudinem paradisi, audiamus Dominum in Scripturis cum admirabili pietate clamantem: Posui te, inquit, inter mortem & vitam; elige vitam, ut vivas. De istis duabus viis nos Dominus in Evangelio admonuit, quando dixit, *Lata & spatiosa est via, quæ ducit ad mortem; & multi sunt qui intrant per eam: arta & angusta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inveniunt eam.* Et quia per artam & angustam reditur ad paradisum, & per illam latam in illum inferiorem infernum des-D cenditur; dum adhuc cum Dei adjutorio possumus & in potestate nostra consistit, sicut jam suprà suggessimus, magis conemur per artam & angustam ad paradisum conscendere, quàm per illam latam & spatiosam ad inferni supplicia pervenire.

Deut. 30. 15. — *Matth. 7. 13.* — Lata via ad infernum inferiorem, arta ad paradisum ducit.

3. Sed fortè aliquis dicit, Vellem scire qui sint illi, qui cum periculoso gaudio per latam descendunt; qui autem sint illi, qui per artam & angustam cum labore conscendunt. Omnes enim amatores mundi, superbi, avari, raptores, invidi, ebriosi, & adulteria committentes, stateras dolosas & mensuras duplices habentes, odium in corde reservantes, malum pro malo redden-E tes, spectacula vel cruenta & furiosa vel turpia diligentes, per latam & spatiosam descendere comprobantur: casti verò & sobrii, misericordes, justitiam tenentes, secundùm vires suas eleemosynas promto & hilari animo facientes, contra nullum hominem odium in corde servantes, per artam & angustam viam ad superna adscendunt. Et licèt adhuc hîc in corpore habitare videantur in terris, tamen secundùm Apostolum conversatio illorum in cælis est: ut sacerdote dicente, Sursum corda; securi respondeant se habere ad Dominum. Considerate, rogo, Fratres; & non solùm cum dolore, sed etiam cum timore, eos qui per viam latam & spa-F tiosam præcipitantur, arguite, dicentes & contestantes eis, quòd post breve gaudium habituri sunt fine fine supplicium. Illis verò qui per artam & angustam conantur adscendere, congaudete, & eis vos fideliter sociate, & cum ipsis ad altitudinem vel beatitudinem æternæ vitæ pervenire contendite. Ne timeatis quia laborem habituri estis in via: sed gaudete, quia magnum præmium invenietis in patria. Unde iterum atque iterum rogo vos, Fratres carissimi, ut & justorum post parvum laborem æternum gaudium consideremus, & peccatorum post transitoriam lætitiam sine ullo fine supplicium timeamus; considerantes quia nec illi, qui per artam G & angustam cum labore videntur adscendere, longo tempore laborare videntur. Nam quomodo illi, qui cum infelici gaudio avaritiæ vel luxuriæ serviunt, consumto itinere viæ latæ cum diabolo arsuri sunt in inferno: ita è contrario illi qui falsa gaudia viæ latæ vel vitæ luxuriosæ despiciunt, ubi cursum viæ angustæ compleverint, ad Angelorum consortium pervenire merebuntur in cælo.

Qui per latam, qui per artam viam incedant. — *Philipp. 3. 20.* — *V. Cæsar. in fine hom. 18.* — Brevis utriusque viæ aut labor aut lætitia.

CLASSIS I.

4. Et quia de superiori paradiso, loco ubi est vera beatitudo, & de duobus infernis locuti sumus, & quid fugere vel quid desiderare debeamus, secundùm possibilitatem quam Deus dedit, breviter demonstravimus; sunt alia tria ad eamdem rem pertinentia, quæ Caritati Vestræ cupimus intimare. Tria enim sunt, de quibus utiliter ac fideliter cogitare & possumus & debemus: & ista tria in conversatione humana fieri etiam corporalibus oculis frequenter agnoscimus. Est enim medicus, ægrotus, & morbus. Si se junxerit ægrotus cum medico; duo sunt, vincitur morbus. Si se ægrotus magis morbo quàm medico voluerit jungere; & ibi, quia duo sunt, vincitur medicus: nam si medico consentiret, pereunte morbo ægrotus evaderet; quia duos contra se pugnantes vincere nullatenus posset. Quare istam similitudinem posuerim, diligenter attendite. Medicus, Deus est: ægrotus, homo est: peccatum, morbus est. Si se jungit peccator cum Deo, qui est verus Medicus, statim perit morbus. Si verò infelix peccator diligit morbum suum, ut magis se peccatis suis, tamquam mortiferis morbis, velit jungere, quàm cælesti Medico adhærere; morbum, id est, peccatum suum, non solùm accusare non adquiescit, sed etiam fronte impudentissima defensare contendit: dum se peccatis suis vult jungere, quasi videtur cælestem Medicum vincere: sed per istam infelicem victoriam, tamquam per latam & spatiosam viam descendit in gehennam. Quia si Medico consentire voluisset, pereunte peccato, tamquam crudelissimo morbo, per artam & angustam viam adscendere meruisset in cælum.

Æger sanitatem cupiens jungat se medico, non morbo.

5. Hæc ergo, Fratres carissimi, fideliter cogitantes, dum adhuc cum Dei adjutorio in nostra potestate consistit, peccatorum nostrorum vulnera quasi venena mortifera horrescentes, eleemosynis, orationibus, jejuniis insistentes, & præcipuè per caritatem, quæ non solùm amicos, sed etiam ipsos diligit inimicos, tamquam per medicamenta spiritalia, pro recipienda sanitate animarum nostrarum ad illius cælestis Medici misericordiam recurramus. Ipse enim dixit, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Et iterùm, Cùm conversus ingemueris, salvus eris. Ad quam salutem nos pro sua pietate perducat, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ezech. 33. 11.

*SERMO LXIX.

In eumdem locum Matth. 7. de peregrinatione Christianorum, & de duabus viis, altera ad cælum, altera ad infernum.

Prodit nunc primùm ex duobus MSS. Corbeiensibus; quibus in libris Cæsarii nomen præfert; nisi quòd in altero ex his vetustiore, cum Cæsarianis aliquot Sermonibus Augustino adscribitur à prima manu, sed à secunda Cæsario. Confer ad superiores Sermones 67. & 68.

CÆSARII Ser. XXIX. Matth. 7. 13.

1. SERMO nobis ad vos est, Fratres carissimi, de eo quod in Evangelio audistis, *Arta & angusta via est, quæ ducit ad vitam; & spatiosa, quæ ducit ad mortem:* sive de peregrinatione Christianorum. Si temporis necessitas permitteret, Fratres carissimi, non solùm semel in anno, sed etiam secundò vel tertiò vos visitare volebamus: ut & nostra simul & vestra desideria de conspectu vestro satiare possemus. Sed voluntas cupit, temporis necessitas non permittit: nihil tamen nobis vel vobis impedit, quòd nos corporaliter tardiùs videmus; quando amore & caritate semper pariter sumus. In ista enim peregrinatione mundi hujus, etiamsi in una civitate esse possemus, simul esse non poteramus. Est enim alia civitas; ubi Christiani boni numquam sunt ab invicem separati.

Amore sunt simul, qui absunt corpore.

2. Duæ sunt civitates, Fratres carissimi, una est civitas mundi; alia est civitas paradisi. In civitate mundi bonus Christianus semper peregrinatur; in civitate paradisi civis esse cognoscitur. Ista est civitas laboriosa, illa quieta; ista misera, illa beata: in ista laboratur, in illa lætatur & quiescitur: qui in ista malè vivit, ad illam pervenire non poterit. Peregrini esse debemus in hoc sæculo, ut cives esse mereamur in cælo. Qui amat mundum, & civis esse vult in mundo, partem non habet in cælo. In hoc enim probamus, quòd peregrini sumus, si cælestem patriam desideramus. Nemo se circumveniat, Fratres dilectissimi, Christianorum patria vel civitas non est hîc: Christianorum beatitudo vera & æterna felicitas non est hîc. Qui felicitatem quærit in mundo, non illam habebit in cælo. Patria nostra paradisus est, civitas nostra Jerusalem est illa cælestis; cives nostri Angeli sunt, parentes nostri Patriarchæ sunt & Prophetæ, Apostoli & Martyres; rex noster Christus est. Sic ergo in ista peregrinatione vivamus, ut illam talem patriam, quamdiu hîc sumus, desiderare possimus. Qui enim malè voluerit vivere, patriam illam desiderare non potest.

Duæ sunt civitates, mundus & cælum.

In sæculo peregrinus sit, qui vult civis esse cæli.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Christianorum patria, civitas, cives parentes, rex.

3. Jam ad illam patriam nos præcessit multorum Patriarcharum & Prophetarum, etiam Apostolorum & Martyrum gloriosus exercitus, & multa millia Confessorum & Virginum, & non parvus numerus fidelium populorum: qui omnes jam in beata requie constituti, nos quotidie expansis brachiis caritatis exspectant, desiderantes pariter & orantes, ut de arena mundi istius, in qua contra diabolum nobis pugnare necesse est, victores nos cum triumpho & exsultatione in illa patria paradisi suscipiant. Si enim bene agimus, si diabolica peccata & mortiferas delectationes contemnimus in hoc mundo, omnibus illis gaudia generamus in cælo: si verò Deum contemnimus, & mundum diligimus, crimina & peccata complectimur; illos quidem omnes, ut suprà diximus, Angelos, Apostolos & Martyres contristamus in cælo, & nobis æternum præparamus incendium.

Sanctorum gaudium de bona nostra vita, tristitia de mala.

4. Ecce exspectat nos Christus in cælo cum Angelis suis, qualiter contra diabolum & angelos ejus repugneimus. Non timeamus, Fratres, quia non solùm nos Christus exspectat, sed etiam adjuvat. Nolite timere, nolite desperare: sævit quidem diabolus; sed consolationem porriget Christus. Exspectat te pugnantem, adjuvat te laborantem, coronat te vincentem: noli desperare, noli succumbere. Talem Imperatorem super te habes, & times? Considera quid sit quod tibi promittit diabolus, & quid sit quod tibi daturus est Christus. Diabolus promittit falsam dulcedinem, Christus veram beatitudinem: diabolus ingerit vana gaudia mundi, Christus veram beatitudinem paradisi. Diabolus per adulterium providet unius horæ libidinis delectationem, ut occidat animam immortalem: Christus tibi commendat castitatem paucorum dierum, quibus vivis in mundo, ut tibi similitudinem Angelorum reddat in cælo. Diabolus pro lata & spatiosa luxuriæ via sollicitat in infernum: Christus pro arta & angusta castitatis & misericordiæ via invitat in cælum.

Christus spectat & adjuvat pro se certantes.

Diversa Christi & diaboli promissa.

5. Ecce, homo, habes aquam & ignem, vitam & mortem; habes ante te bonum & malum, habes infernum & regnum, habes falsam dulcedinem mundi, & veram beatitudinem paradisi. Data est tibi potestas per gratiam Christi, ad quod volueris porrige manum: elige vitam, ut vivas; relinque sinistram & spatiosam viam, quæ trahit ad mortem, & tene dexteram & angustam, quæ te feliciter ducit ad vitam. Non te teneat, non te delectet sinistra. Illius latitudo ampla quidem est & plana, & diversis floribus ornata: sed flores illius citò marcescunt, & inter ipsos flores serpentes venenosi se frequenter abscondunt; ut dum tu ad falsa gaudia curris, veneno mortifero feriaris. Ampla est, sed non longa. Adtendis per qualem viam vadis; & non adtendis ad qualem patriam pervenis. Si mihi non credis, ad mortem te subtrahis: immò si in Christo non credis, in inferno peribis. Sic enim ipse Dominus in Evangelio dixit, *Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad mortem; & multi sunt, qui intrant per eam.* Delectat quidem; sed decipit. E contrario dextera via non te contristet aut terreat: arta quidem est, sed non longa. Nec in illa lata diu gaudetur, nec in ista angusta diu laboratur. Illa post brevem latitudinem ad æternas angustias trahit; ista post breves angustias ad æternam beatitudinem ducit.

Libertas eligendi viam dextram aut sinistram. V. Serm. præced. n. 1.

Deut. 30. 16.

Viæ latæ dulcedo brevis & falsa, sed pœna longa: artæ è contra, rio.

Matth. 7. 13.

V. Serm. 67. n. 4.

6. Sic ergo cùm Dei adjutorio laborare conemur, Fratres, & peccata repudiantes, bonis nos operibus exornemus: ut nos rex noster Christus, cives nostri Angeli, parentes nostri Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores & Virgines, qui nos jam in civitatem nostram Jerusalem cælestem feliciter præcesserunt, cum gaudio & exsultatione suscipiant. Sic ergo agamus, Fratres, ut per bona opera nostra gaudium fiat in cælo super unum peccatorem pænitentiam agentem;

CLASSIS I.

ficut ipse Dominus antea dignatus est prædicere. Si ergo in cælo gaudium facimus, quando pœnitentiam agimus; utique tristitiam generamus, quando ad peccatorum nostrorum voluptatem recurrimus.

Caritas integra.
* V. Cæsar. in fine hom. 19. Idem passim commendat.

7. Ideo, Fratres carissimi, ut possimus omnia peccata, Deo adjuvante, evadere; studeamus caritatem integram custodire, * & non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere, & omnes supplicare velle, pro cunctis hominibus orare. Si enim omnibus hominibus feceris hoc, quod tibi ipsi volueris; ad integrum peccatorum januam claudis. Non enim erit unde ad animam tuam possit intrare, si non solùm amicos, sed etiam inimicos volueris toto corde diligere.

Ad eleemosynam exhortatio.
V. Cæsar. homil. 21.

8. Rogo vos, Fratres, sic in hoc mundo vivamus; quasi hospites & peregrini. Quidquid de aliquo labore, de quocumque justo negotio, de qualibet justa militia adquirimus, per eleemosynam in æternam patriam reponamus, excepto victu quotidiano & vestitu simplici. Nec in ista peregrinatione nos consumat luxuria; sed ad patriam nostram transmittat misericordia. Iter agimus, Fratres, ad patriam tendimus: non luxuriemur in itinere vitæ hujus, numquam simus securi; sed semper sollicitè atque cautè vigilantes, non nobis delicias præparemus in via: ut qui quidem meliùs ad patriam portare possimus, si in ista patria pro luxuria, pro gula, pro ebrietate, quidquid possumus laborare, consumimus; qualiter ad illam æternam veniemus? quâ fronte inter Angelos & Archangelos bonis operibus nudi, peccatorum pannis sordentibus involuti, & malis actibus vulnerati, intrare possimus. Quidquid perditura erat gula, reponat eleemosyna; quidquid in terra avaritia obruit, misericordia in cælum transmittat: ut quando de hoc corpore anima egreditur, splendidis vestibus, & castitatis, misericordiæ ac patientiæ, humilitatis & concordiæ margaritis ornetur; ut audire mereamur à Domino, Euge serve bone & fidelis, & reliqua. Ista, Fratres, desiderare debemus, & illam aliam sententiam expavescere, quam auditura est anima bonis operibus nuda & vitiorum sordibus involuta. Sic enim de tali anima Dominus in Evangelio loquitur, dicens, Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? & illo obmutescente dicit ministris, Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores: ubi erit fletus & stridor dentium. Avertat à nobis Deus istam sententiam, quam audituri sunt, quicumque modò pro nulla eleemosyna aut nihil aut parum in cælum reponunt. De talibus dicit Apostolus, Anima quæ in deliciis est, vivens mortua est. Isti tales cùm exierint de corpore suo, non cum Lazaro ab Angelis in Abrahæ gremio sublevantur; sed cum divite purpurato ad inferni profunda merguntur. Hæc ergo considerantes, quantum possumus, constringamus victum & vestitum nostrum, dum sumus in hoc mundo: ut post obitum nostrum de eleemosynarum nostrarum pretiosissimis & splendidis vestibus ornari mereamur in cælo, & illam desiderabilem vocem audire, Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: ad quod gaudium nos Dominus sub sua protectione perducat, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto, in Trinitate unus Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* V. Serm. Ap. 19 n. 4. & Cæsarii homil. 10.
Matth. 25. 21.
Matth. 22. 12. & 13.
1. Tim. 5. 6.
Victus & vestitus constringendus ob eleemosynam.
Matt. 25. 21.

* Olim de Tempore 48. & post in Appendice 33.

* SERMO LXX.

De verbis Evangelii Matth. 11. Confiteor tibi Pater &c.

Conflatus est ex Augustinianis duobus, quos inter nonnulla inserta sunt Ambrosii & aliorum fragmenta.

* Augustini Sermo est nunc 67.
Matth. 11. 25.

1. * SANCTUM Evangelium cùm legeretur, Fratres, audivimus Dominum Jesum exsultasse in Spiritu, & dixisse, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Huc usque interim verba Domini. Si dignè, si diligenter, si, quod primum est, piè consideremus, invenimus primitus, &c.

* Ambrosius in Luc. 10.
1. Cor. 1. 20. 21.

2. * Postremò aperit cæleste mysterium, quòd sic placuerit Deo, ut parvulis magis quàm prudentibus istius mundi gratiam suam revelaret. Quod apostolus Paulus stylo pleniore digessit, dicens, Nonne stultam fecit

A Deus sapientiam hujus mundi? Nam quoniam in Dei sapientia non cognovit hic mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Ait ergo, *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Cælestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & parvulis revelantur: parvulis malitiâ, non sensu; sapientibus verò stultitiæ præsumtione, non prudentiæ caussis. Factique hujus æquitatem Dominus paternæ voluntatis judicio confirmat; ut qui dedignantur parvuli in Deum fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant. Vides quàm terribilis in consiliis Dominus. * Disce veræ humilitatis exem-

« SERM. « DE SCRIPTURIS.
Hilarius in Matth. 11. 26.
* Beda in hunc Matth. locum.

B pla, nec temerè discutias supernæ dispensationis consilia. Cùm enim intulisset utrumque, scilicet quòd aliis adventûs sui sacramenta revelaverit, ab aliis verò absconderit; non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit: hoc ostendens manifestè, quia injustum esse non potest, quod placuit justo. Ac ne quid in illo minùs quàm quod in Deo est, æstimaretur, statim subdidit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Pulcherrimus connectitur de fide locus, quando omnia sibi tradita dicit à Patre suo. * Cùm *omnia* legis, omnipotentem agnoscis, non decolorem, non degenerem Patris. Cùm *tradita* legis, Filium confiteris, cui per naturam

Matth. 11. 27.
* Rursum Ambros. ubi suprà.

C omnia unius substantiæ jure sunt propria, non dono collata per gratiam. * Tradita autem sibi dicit omnia, non solùm & terram vel cetera quæ ipse condidit ac fecit elementa; sed hos, qui per Filium accessum habent ad Patrem, & antè rebelles Deo, postea per fidem sentire cœperunt: unde & alio loco dicit, Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. *Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* * Cùm diceret, *Nemo novit Filium, nisi Pater:* non dixit, Et cui voluerit Pater revelare: quemadmodum cùm dixerit, *Nemo novit Patrem, nisi Filius:* addidit, *Et cui voluerit Filius revelare.* Quod non

* Hieron. in Matth. 11.
Johan. 6. 37.
* Augustinus lib. 1. quæst. 11 Matth. q. 1.

D ita intelligendum est, quasi à nullo possit cognosci, nisi à solo Patre: Pater autem non solùm à Filio, sed etiam ab eis quibus revelaverit Filius. Sic enim potiùs dictum est, ut intelligamus & Patrem & ipsum Filium per Filium revelari: quia ipse est mentis nostræ lumen; ut quod postea intulit, *& cui voluerit Filius revelare,* non Patrem tantùm, sed etiam Filium accipias: ad totum enim quod dixit, illatum est. Verbo enim suo se Pater declarat. Verbum enim non solùm id quod per verbum declaratur, sed etiam se ipsum declarat. * Ut scias autem quia sicut Filius Patrem quibus vult revelat ipsum, audi dicentem ipsum Dominum Jesum, cùm lau-

* Ambrosius ubi suprà.

E daret Petrum, quòd eum Filium Dei esse confessus sit, Beatus es Simon bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Audiamus ergo eum qui sequitur, & dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.*

Matth. 16. 17.

3. * Mirum quibusdam videtur, Fratres carissimi, cùm audiunt Dominum dicentem, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum meum lene est, & sarcina mea levis:* considerant eos qui jugum ipsum &c.

* Est Augustini Sermo 70.

F

* Aliàs de Tempore 215.

* SERMO LXXI.

De verbis Evangelii Matth. 13. Cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania &c. *deque aliis locis, exhortatorius ad bona opera.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium habuerunt Lovanienses; supposititium asseruit post Verlinum Vindingus, qui hic reprehendit 1. Confusionem rerum dissimilium. 2. Locutiones Augustino insuetas. 3. Doctrinam à vera Theologia abhorrentem in cap. 4. ubi quæstioni illi, Quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat; uni subvenit, & uni non, *&c. respondetur,* Hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis. *Et paulò pòst concluditur,* Et cùm hæc feceris, gratiam meam percipies. *Quibus in verbis contineri videtur Pelagii dogma,* Gratiam secundùm merita nostra dari.

G

CAP. I.
Matth. 13. 25.
Ephes. 5. 14.

1 DOMINUS ac Redemtor noster in Evangelio suo loquitur, dicens, *Cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania.* Inimicus, in figura homo dictus est. Audi Apostolum dicentem, Fui- stis

Classis I.

ſtis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Audi, homo: non enim ille dedit tibi tenebras, qui dedit tibi lucem. Quò vadis, homo, quò traheris? Quid concupiſcentias carnales ſectaris; quando audis, Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis nolite perficere? Audi potiùs Dominum dicentem, Convertimini ad me, & convertar ad vos. Accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non erubeſcent. Audi, homo; Si receſſeris à Deo, non effugies manum ejus: ſi autem ad eum acceſſeris, illico habebis eum; quia nuſquam recedit. Audi Prophetam dicentem, Si adſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Ubi ergo non eſt Deus quem tu fugis? Malus es tu, qui bonum fugis; mors es tu, qui vitam fugis. Involvere te vis tenebris, ubi te abſcondas: ſed illum latere non potes, cujus oculi omnia vident. Ait autem Apoſtolus, Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Sequitur vox judicis, dicens, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Ergo qui fugit Dominum, & recedit à Deo, ille confunditur, & perit in ſua impietate. Ut ergo non pereat tunc, nunc revertatur ad Dominum; & illuminabitur, & vultus ejus non erubeſcet.

Galat. 5. 16. Zach. 1. 3. Pſal. 33. 6. Pſal. 138. 8. Rom. 6. 21. Matth. 25. 41.

Cap. II. Zizania in Eccleſia qui ſint.

2. Dicam tamen, Fratres mei, quod ſentio: & quod dixero, intelligite. Inter vos ſegetes Dei mixta ſunt zizania, id eſt, amatores mundi, amatores pecuniæ, amatores deliciarum, conſultores nugarum, omnes quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. In Eccleſia Chriſti fictè intrantes, promittentes & non facientes, voventes & non reddentes, renuntiantes malo & iterum idem facientes; hæc amantes, zizania ſunt. Non amant illi Chriſtum, qui aliquid plus amant quàm Chriſtum. Audi, homo, vocem Domini Dei tui: Qui diligit, inquit, patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut filias, aut fratres, aut agros ſuper me, non eſt me dignus. Si vis tenere quod non habes, dimitte quod habes; ut amor Chriſti ſit in corde tuo.

Amor Chriſti ſuper omnia. Matth. 10. 37.

Qui vult quæ Dei ſunt, ſua dimittat.

3. Ecce petis à Deo, & dicis, Domine da mihi. Quid tibi dabit, qui aliunde manus tuas videt occupatas? Ecce Dominus vult dare quæ ſua ſunt, & non habet ubi ponat. Vide ergo, dimitte quod tenes; & accipis quod quæris: dimitte temporalia & caduca; & accipies æternam & perpetuam vitam: dimitte terrena; & accipis cæleſtia. *Ait autem quidam ad Jeſum, Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Utique qui dicebat, *Quid boni faciam*, vitam æternam deſiderabat: ſed plus amabat quod tenebat. Vidit Dominus occupatas manus. Dare vult; & non habet ubi ponat: occupatæ ſunt manus accipientium. Dicit enim tibi Dominus, *Vade, vende omnia, & da pauperibus*, & pone illa in cælo; quia in terra impediunt.

Matth. 19. 16. Ibidem 21.

Cap. III. Non perduntur quæ pauperibus dantur.

4. Quid times, ô homo, dare pauperibus? Non perdes ea; ſed ſervantur tibi in cælo. Non ut perdas juſſi, dicit Dominus: ſed ubi ponas, ſuggeſſi. Poſt hæc habebis, homo, theſaurum non in terra periturum, ſed in cælo permanſurum. Aliquando venit homini tribulatio, venit timor damni. Times, ô homo, ut non pecuniam tuam perdas, times ne argentum tuum perdas, times ne poſſeſſionem tuam perdas; & non times ne tu ipſe totus pereas? Pro hoc dicis falſum teſtimonium, pro hoc mentiris & rapis aliena, pro hoc juras & perjuras, quod omnino Lex vetat. Nonne cùm hæc omnia facis, totus fœnum es, totus ſtipula, totus palea; & non times ne totus ardeas? Semper turbata eſt anima tua amoribus ſæculi. Dic, Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Pſal. 41. 6.

5. Avarus pro auro ſuo habet triſtitiam, patitur tribulationem, habet pericula ſervorum, pericula latronum. Avarus amat aurum plus quàm animam ſuam: tu, Chriſtiane, ama Chriſtum plus quàm omnia tua. Ille fervet in amore auri: tu Chriſtiane ferve in amore Chriſti; & eris beatus in regno Chriſti. Audi, ô homo, aurum in terra eſt, & ex terra eſt, & terra eſt, & pars terræ eſt. Impius dum diligit creaturam, offendit Creatorem; & amittit eum, qui creavit ex nihilo omnia. Audi, ô homo, non tu perdis Deum; ſed ipſe peris à Deo. Ille eſt redemtor animæ, quem vis amittere. Quid enim proderit tibi, ſi totum mundum lucreris; » animæ verò tuæ detrimentum patiaris?

Matth. 16. 26.

6. Expergiſcere aliquando, ô homo, & ama Chriſtum. Hæc eſt enim ſapientia vera, id eſt, amare Chriſtum. Multi enim dicunt, & ſcire volunt, quare illum vocat ad ſe Dominus, & illum non vocat; uni ſubvenit, & uni non; hunc dignum habet, & illum indignum; iſtum honorat, & illum cruciat & affligit. Audi, ô homo. Hunc dignum habet pro bonis operibus ſuis; illum habet indignum pro operibus ſuis malis: quia debitor eſt Dominus, & reddet bonis bona, & malis mala. Dicturus es forſitan, Quare ille ſic? Reſpondet tibi Dominus Deus tuus, Quia bonum non denegavi: ſed dixi priùs, Lavamini, mundi eſtote. Quid volebas? quid quærebas? quid cupiebas? Gratiam Dei. Ergo ſi gratiam Dei quæris, aufer primùm nequitiam ab anima tua & à conſpectu oculorum meorum; jam ceſſa à malo, & fac bonum; inquire pacem, & ſequere eam totis viribus tuis: & cùm hæc feceris, & gratiam meam percipies, & oculi mei ſuper te erunt, & aures meæ ad preces tuas, & priùs quàm me inquiſieris, dicam, Adſum.

Serm. de Scripturis. Cap. IV. Cur Deus vocet alium, alium non vocet. Iſai. 1. 16. Pſal. 33.

7. Faciamus bona, Fratres cariſſimi, ut mereamur in futuro ſæculo invenire requiem, quam nobis Dominus noſter promiſit, dicens, Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur. Et cum Propheta à Domino exſultantes dicamus, Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Miſericordiam inveniunt, qui ſunt miſericordes. Judicium timeant contemtores, qui nec ſibi parcunt, nec miſerentur aliis: qui dicunt, Peccemus, & parcet nobis Deus, quia miſericors eſt & bonus. Omnino miſericors & bonus eſt Deus: ſed qui modò parcit, in futuro non parcet. Judicium paratum habent ſine miſericordia impii. Intelligamus, Fratres, & videamus ubi ſpem noſtram ponere debeamus. Miſericordia illi, qui fecit miſericordiam. Beati miſericordes; quia ipſis miſerebitur Deus. Spes eſt in miſericordia, ſi ab opere miſericordiæ nos non fuerimus aridi. O homo, quid quæris à Deo miſericordiam, ſi ipſe non es miſericors? Quid quæris à Deo indulgentiam peccatorum tuorum; cùm ipſe tibi ſimili non indulges? Audi, homo, audi vocem Domini Dei tui, ubi dicit ipſe, Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis. Audi iterum ubi ipſe dicis, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim tu non dimiſeris adverſario tuo, ipſe tibi priùs eris adverſariùs. Ille te læſit auferendo pecuniam tuam; tu te lædis non indulgendo adverſario tuo. Forſitan dicturus es, Non illi parcam: quia me læſit multùm, & ſanguinem meum quæſivit. Tu ſi non illi indulges, perditionem animæ tuæ habebis: inſuper adhuc dicis, Non illi parcam, quia adverſarius mihi fuit. Crede mihi, homo, pejor tibi eris adverſarius, ſi non illi parcas. Dicis tu, Ille me non rogat. Si te ille non rogat, tu pro illo roga; ut ei à Domino dimittatur, quod in te deliquit. Nam ſi tu dicis, Non illi parcam; litigare vis, non dimittere. Et qua fronte aut qua fiduciâ dicturus es Domino tuo, Dimitte, quia ego dimiſi? Conſidera, ô homo, & vide aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati. Jam ipſe captivus traheris; & exſpoliatori iraſceris? Nemo nobis imputet, Fratres mei, ſi per vos Dominicam pecuniam duplicare non potuerimus. Mali ſervi erimus, ſi non fecerimus quod nobis præceptum eſt: ſi autem fecerimus, boni ſervi erimus, & cum Domino ſine fine lætabimur. Illum omnes amemus, per quem facti ſumus; illum diligamus, per quem redemti ſumus. Pro illo nos invicem diligamus in hoc ſæculo, ut cum eo gaudere mereamur pariter in futuro: quoniam ſic placuit Domino Deo noſtro de nobis, ut hîc conſtituti cum veſtra caritate cantemus ei. Laudemus Dominum, Fratres, linguâ, corde, ore & voce. Sic enim ſibi vult dici laudem, ut non ſit inter nos diſcordia: ſed vult eſſe in nobis concordiam vocibus & moribus. O felix laus in cælo, ubi templum Dei Angeli ſunt! Ibi eſt concordia ſumma laudantium, ubi nulla lex in membris noſtris repugnat; ibi non eſt rixa, nec ulla cupiditas. Hîc ergo cantemus Domino laudem ſolliciti, ut illic poſſimus eſſe ſecuri.

Cap. V. Bona hîc providenda. Matth. 5. 7. Pſal. 100. 1. Miſericordiæ ſpes non eſt niſi miſericordibus. Luca 6. 37. Inimicus ſibi fit, qui non indulget inimico. Rogandum pro eo antè quàm roget. Rom. 7. 21. Cap. VI. Qualis debeat eſſe laus Dei.

8. Quare autem hîc ſimus ſolliciti, Fratres mei? Audite quare, Quia tentatio eſt vita humana. Sicnamque

Hîc non ſecuritas, ſed ſollicitudo debet eſſe.

CLASSIS I.

nos Dominus exhortatur suo eloquio, dicens, Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. *Matth. 26. 41.* Non vis esse sollicitus, quando videris dicere, Dimitte nobis debita nostra? *Matth. 6. 12.* Quomodo es securus, qui quotidie videris petere remissionem peccatorum? Quomodo es securus, quando adhuc dicis, Dimitte mihi peccata mea: & iterum dicis, Et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo? *Ibidem 13.* Quomodo ergo videris clamare, Libera nos à malo, si securus es? Audi homo, audi. Tu es malus, quando te Deus liberat à te ipso malo. Vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati. Audi quid sumus nos, quid nobiscum portamus. Quamdiu in corpore mortis hujus continemur, vitium nobiscum portamus. * Audi iterum Prophetam dicentem, Domine, educ de carcere animam meam. Carcer meus est, usque dum in corpore mortis fuero. Nam quando fuero de hoc corpore liberatus, terra terræ redditur, spiritus cælo recipitur. Vado ergo, dimitto terram; quia quamdiu hîc sum, mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

*CAP. VII. *Psal. 141. 8.* Corpus, carcer.

Quî in resurrectione totus homo spiritalis.

9. Dicet aliquis perfidorum, Ergo cùm fueris ab hac carne liberatus, jam non eris tu nisi spiritus. Audi ergo, hæretice. Carnem quam dico, non in æternum pono, sed hîc depono. Respondet incredulus, Ergo rediturus es ad corpus mortis? Et unde tam piam vocem clamasti, Educ de carcere animam meam? Audi, imperite, & contra quotidianas lectiones surde. Redeo ad corpus non mortis hujus; quia corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate. Modò est animale, tunc erit spiritale. Nemo potest accipere æternale, nisi priùs temporale dimiserit. Ergo dimitte temporale hoc malum, ut accipias æternale illud bonum.

10. Audite, Fratres, & cavete. Hîc enim iter agimus, & in itinere positi sumus; nondum in patriam pervenimus. * Caveamus eos qui in itinere nobis insidiantur: quia hîc agunt adversùs nos, ne ad patriam nostram, id est, ad paradisum revertamur. Terra autem ista morientium est; illa verò viventium est, de qua Propheta dicebat, Credo videre bona Domini in terra viventium. *Psal. 26. 13.* In illa autem terra semper vivetur, & numquam morietur. Lucet terra illa plus quàm species argenti, ubi cives justorum Angeli sunt. Illi in terra illa gaudent; nos in terra ista lugeamus, ut ad illorum gaudia pervenire mereamur. Videte, Fratres: ecce hîc in itinere positi sumus; insidiator noster diabolus adversatur in via, nobis quærit nocere, ne in terram viventium revertamur. Duo enim sunt præcepta, Dilectissimi, quæ nobis omnino sunt observanda: id est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam te ipsum. *Matth. 22. 37. & 39.* In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Quicumque enim in his duobus præceptis ambulaverit, festinet in via; & perveniet ad patriam paradisi, ubi lætantur omnes Sancti in gloria Redemptoris sui, & laudem dicunt nomini sancto ejus, qui erepti sunt de hac peregrinationis ærumna, & vivunt semper in lætitia sempiterna.

*CAP. VIII. Terra viventium & terra morientium.

* SERMO LXXII.

** Aliàs de verbis Domini 14. & post in Appendice 2.*

De verbis Evangelii Matth. 14. ubi Dominus super aquas ambulavit, & Petrus titubavit.

In priùs excusis libris, nec-non in iis qui Sermonem Augustino adscribunt MSS. mutilus plus tertia parte erat, sic incipiens, Cùm sanctum Evangelium legeretur, audivimus navicellam periclitantem, Christum periclitantibus subvenientem. *Editur hic ad aliquot optimæ notæ MSS. redintegratus, in quibus nomen præfert* ERACLII presbyteri, *illius videlicet, quem suum in episcopatu successorem designavit Augustinus.*

CAP. I. *Matth. 14. 24. &c.*

1. AUDIVIMUS, & quodam modo vidimus in lectione præsenti, navicellam periclitantem, Christum periclitantibus subvenientem, Petrum venienti Christo occurrentem. In quibus omnibus miraculum exspectavimus; mysterium requiramus. Quando enim possumus de divinis operibus quæ leguntur, ipso adspirante qui facit, intellectum alicujus mysticæ significationis exsculpere, quasi de abstrusis favorum cellis mella producimus: vel Christi discipulos imitantes, spicas manibus confricamus; ut ad latentia grana perveniamus, & in eis vitam inveniamus. *Luc. 6. 1.* *Adscendit* ergo Dominus noster Jesus Christus, ut lectum est, *in montem solus orare.* *Matth. 14. 23.* Mons altitudo est: quid enim in hoc mundo altius cælo? Quis verò in cælum adscendit, novit optimè fides vestra. Cur autem solus adscendit? Quia nemò adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo. *Johan. 3. 13.* Quamvis & in fine cùm venerit, & nos omnes sua membra collegerit, ac levaverit in cælum, etiam tunc solus adscendet: quia caput cum corpore suo unus est Christus. Nunc autem solum caput adscendit, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: *1. Tim. 2. 5.* ipse *adscendit solus orare*; quia ipse adscendit ad Patrem pro nobis interpellare.

SERM. DE SCRIPTURIS.

CAP. II.

2. Verumtamen, Carissimi, dum ille orat in excelso, navicula turbatur fluctibus in profundo. Quia insurgunt fluctus, potest ipsa navicula turbari: sed quia Christus orat, non potest mergi. Navicellam quippe istam, Fratres, Ecclesiam cogitate; turbulentum mare, hoc sæculum. Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ potestatis, persecutionem indicit Ecclesiæ, & quantum in ipso est, Christianum nomen conatur exstinguere, super naviculam Christi grandis unda consurgit. Sed in his tentationibus erigatur antenna, ut suspensa arbori crucem Christi figuret: hinc Christianus respiciat, & non deficiat: quia, sicut dicit apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *1. Petr. 2. 21.* Dicit etiam beatus Johannes, Sicut enim Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere. *1. Johan. 3. 16.* Huic ergo antennæ, id est, cruci Christi, simplex conversatio & pura confessio tamquam candentia vela religentur. Et hæc vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur, ut sine macula & ruga inveniatur. Quantumlibet mare sæviat, ventus incumbat, inter flatus & fluctus navis ista turbetur: tantùm non mergatur, [a] & currit. Denique postea quàm navis hæc ædificata est in Jerusalem, atque inde in medio pelagi hujus frementis emissa est, æstuantium volumina undarum, & furentium flabra ventorum, dum eam huc atque illuc circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quocumque venit, advexit. Quid enim tam peregrinum in terra nostra, quàm per pœnitentiam remissio peccatorum, regnumque cælorum? Et tamen oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem. *Lucæ 24. 46.* [b] Ab ipso enim portu navis hæc prima anchoram solvit.

Navicella Ecclesia: mare, sæculum.

Antenna, Crux.

Persecutio Ecclesiam dilatavit.

Orbem ditavit.

3. Naviget ergo, Carissimi, naviget hæc Dominica navis inter procellas sæculi Christo protegente secura, Deo donante sollicita. Non enim quia in navi nauclerus vigilat, ideo debet nauta dormire. Vigilat ille, de quo veraciter scriptum est, Non dormiet, neque dormitabit, qui custodit Israël: *Psal. 120. 4.* sed etiam ipse dicit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Matth. 26. 41.* Unde ergo debemus esse solliciti, & unde securi? solliciti, quia dixit, quòd in hoc mundo pressuram habebitis; *Johan. 16. 33.* securi autem, quia mox addidit, Confidite, ego vici mundum: *Ibidem.* solliciti, quia tentationes futuras prænuntiavit nobis; securi, quia non desinit interpellare pro nobis. Cautè itaque, Fratres mei, atque sollicitè inter sæculi fluctus gubernati, inite navigium in bonis actibus vestris: nec dens obtrectatoris vos frangat, nec adulatoris lingua decipiat. Adulatores vestros tamquam latentes sub undis scopulos observate. Quando enim mare tranquillum est, tunc saxa latentia non videntur: si tribulationis procella consurgit, tunc inter undarum montes verticem tollunt, tunc in eis apparet periculum quod latebat. Neque enim sufficit talibus deserere tribulantem, nisi etiam oppugnare conentur & premere. Hoc ergo genus humanum, velut asperrimas cautes placida superficie pelagi ventis obtectas, Christianus evitet. Hæc breviter de adulatoribus dixerimus. Obtrectatores omnino contemnendi sunt; quia canes marini

Christianus securus sit & sollicitus.

Adulatores, latentes scopuli.

Obtrectatores canes marini.

[a] Lov. *& currat*, quæ verba in MSS. nonnullis desunt.

[b] Sequentia usque ad initium numeri 4. restituuntur ex probæ notæ libris: horum loco MSS. alii, *Venit ergo Dominus ad visitandos discipulos suos, qui turbabantur in mari quartâ vigiliâ noctis. Quarta* &c. ut infrà n. 4.

Classis I.

Cur ei adhærentem mordere non possunt.

sunt. De profundo amaritudinis latrare possunt; mordere non possunt. A Sed quamdiu mordere non possunt? Quamdiu in navi sedes. Quid est quamdiu in navi sedes? Quamdiu crucem Christi tenes, ab ejus navicula non recedis. Erigamus in cælo mentem, & non curemus invidam mentem. In hoc sanè procelloso & turbulento mari etiam diabolus adspirans bacchatur armata classe terribilis, & circumquaque discurrens, commeatus obsidet innocentium. Ipse est enim de quo ait apostolus Petrus, Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, quærens aliquem devorare circuit. Et quia subdidit, Cui resistite firmi in fide, exercentur contra eum proficientium quotidiana certamina. B Bellum hoc describebat ille maximus campi doctor, bellum hoc describebat, quando dicebat, Non est vobis colluctatio cum carne & sanguine; sed adversùs principatus & potestates, rectores mundi, tenebrarum harum, adversùs spiritalia nequitiæ in cælestibus. In his ergo, Fratres, in hoc labore, in hoc certamine constitutos, illa vos Apostolica sententia consoletur, Dominus in proximo est: nihil solliciti fueritis.

1. Petr. 5. 8. — Ibidem 9. — Ephes. 6. 12. — Philipp. 4. 5. & 6.

Cap. III. Vigilia.

4. Venit ergo Christus ad navim suam quartâ vigiliâ noctis, & visitavit eam. Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis est. Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per C singulas vigilias distributis. Quartâ ergo vigiliâ noctis, hoc est pene jam nocte finita. Sic veniet in fine sæculi, iniquitatis nocte transacta, ad judicandos vivos & mortuos. Venit enim nunc, sicut audistis, valde mirabiliter ambulans super aquas. Surgebant fluctus; sed calcabantur: fremens pelagus sub Domini vestigiis murmurabat; sed tamen eum volens nolens portabat. Quantumlibet tumores sæculi potestatesque consurgant, premit eorum caput, nostrum caput. Cùm verò appropinquaret naviculæ, turbati sunt præ timore discipuli, & exclamaverunt, putantes phantasma esse. Quibus Dominus ait, *Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.* D Quid est, *Ego sum?* Non sum phantasma quod putatis, agnoscite quem videtis. Ad hanc vocem exsiliit Petrus & ait, *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Si tu es*, non miror quòd solidam carnem super liquentis elementi terga suspendis. Quid enim mirum, si Conditori suo creatura famulatur? Hoc ego non miror: fac quod mirer, ambulet Petrus.

Matth. 14. 25. & 26. — Ibidem 28.

Cap. IV.

5. Fac quod mirer, *Jube me venire ad te super aquas.* Scio enim quòd corpus humanum naturæ lege non finitur in fluctibus liquidis habere fixa vestigia; sed accedat donum gratiæ, & paululùm cesset lex ista naturæ: *Si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Tu Deus E es; ego homo sum: voluisti de meo habere infirmitatem in carne quam portas; habeam & ego de tuo potestatem, ut unda me portet. *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Quomodo enim mihi in mari non erit via, si tu jusseris, qui propter nos factus es via? Et Dominus, *Veni*, inquit. Nec dubitavit Petrus: audivit Domini verbum; & mox cucurrit ad Verbum: citò credidit, quia fidelis homo erat. Sed cùm surrexisset ventus validus, titubavit; quia homo erat. Titubatio ista, Fratres, quasi mors fidei fuit: sed ubi exclamavit, fides iterum resurrexit. [a] Non titubaret, nisi crederet: sed nec clamaret, nisi crederet. [b] *Domine*, F inquit, *salvum me fac.* Et Dominus extensa manu levavit eum; & ait illi, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Posset te ventus elidere, quem non potuit unda sorbere; posset te ventus evertere, quem non potuit fluctus operire. Plus erat quod feceras; mare calcaveras, fluctus presseras, ventos viceras; *Quare dubitasti?* In Petro itaque communis omnium nostrûm consideranda conditio est: ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum. Quid est clamemus? Oremus. Porriget ille manum; & eruet de profundo. Etenim manus ejus deducet nos, & continebit nos dextera ejus, donec nos ad sempiter- G na sua promissa perducat.

Ibidem 29. — Fidei mors & resurrectio. — a Ibidem 30. — b Ibidem 32.

Serm. de Scripturis. — * Alias de Tempore 230.

*SERMO LXXIII.

De verbis Evangelii Matth. 17. Hoc genus in nullo ejicitur, nisi oratione & jejunio.

In Appendice nunc primùm collocatur. De hoc Sermone dubitare permittunt Lovanienses: Verlinus autem & Vindingus haud injuriâ statuunt non esse Augustini.

1. Adversus dæmonum nequitiam, quæ nobis Dominus arma ostendit, debemus utique retinere. *Hoc*, ait, *genus in nullo ejicitur, nisi oratione & jejunio.* Hæc cùm plena fide exercentur, pietas est. Pietas autem ad omnia utilis est, professionem habens vitæ præsentis & futuræ. Inspiciamus ergo utiliter orationis fructus & jejunii; quia ipsa sunt arma adversùs improbas cogitationes. Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit. Jejunium cor facit contribulatum & humiliatum, quod Deus non spernit. Jejunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores exstinguit, castitatis verum lumen accendit. Jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini se ipsum intelligere, quod est, infirmum & fragilem: atque dum ita se intelligit imbecillem, aptius virtute Dei adjutorium quærit & accipit: quærit autem per frequentes orationes & obsecrationes.

Matth. 17. 20. — 1. Tim. 4. 8. — Jejunii effectus.

2. Oratio quidem refectio est jejuniorum, & advocat gratiam Spiritus-sancti. Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio; sic & jejunium sine oratione non potest animam perfectè nutrire. Quid est autem oratio, nisi adscensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Abeat dissensio sæcularium morum, quibus premitur mens humana quotidie. Oratio conjunctio est Spiritui-sancto: si tamen in oratione intentus sit animus: sicut clamat Propheta, Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Quid autem sitiendum est, sequitur: Ut videat virtutem tuam. Credite mihi, si ad videndam plenam virtutem Dei plenè sitiat anima humanæ substantiæ, nec fastidio victa dissimulet, replebitur adipe & pinguedine spiritali: & sitiens illam Dei visitationem, sensu proprio cum fide clamabit, Adhæsit anima mea post te, suscepit me dextera tua. Jejunium tollit inertiam, de animo impedimenta carnalia aufert. Oratio verò perseverans jungit Deo; atque ita gaudens assistere se Domino gloriatur. Adhærens autem anima Domino, incipit securitatem habere & libertatem; nec pavores sustinet nec timores. Suscepto autem tanto patrocinio dexteræ Dei, quomodo poterit noceri ab aliqua potestate? sicut scriptum est, quod nemo illud rapit de manu Patris; hoc præstat jejunium, hoc præstat oratio.

Oratio jejunii refectio. — Quid sit. — Psal. 62. 2. — Ibidem 3. — Ibidem 9. — Johan. 10. 29.

* Aliàs de Tempore 247.

*SERMO LXXIV.

De verbis Evangelii Matth. 22. Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. *Deque adulterino habitu virorum ac mulierum.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubii Sermonis notam in Lovaniensium editione habet; Augustinianis est, stilo & ingenio, planè dissimilis, juxta Verlinum & Vindingum.

1. Audivimus ex parabola Evangelica quemdam patrem-familiâs nuptias filio suo fecisse, & ad eas plurimos invitasse. Inter quos cùm ingressus esset quidam non habens habitum nuptialem, visus à patre-familiâs jussus est non tantùm excludi à nuptiis, sed in tenebras exteriores retrudi. Hæc parabola insensatos homines hujus temporis evidenter redarguit, quamvis altiore dissertione aliquid secretius & sacratius possit intelligi. Priùs ergo quæramus, quis sit iste pater familiâs, quis sit iste filius, quæ sint istæ nuptiæ. Quibus prospectis, faciliùs intelligere poterimus, cur ille ab his nuptiis exclusus sit, qui ad eas cum adulterina veste accessit. Intelligimus itaque hunc patrem-familiâs, Deum Patrem omnipotentem, cui famulantur universæ familiæ Gentium, qui coæternum & coæqualem

Matth. 22. 2. &c.

a Ita MSS. quos in reliquis secuti sumus. Ceteri cum editis, *Non ambularet nisi crederet: sed nec mergeretur, nisi dubitaret.*

b Verba sequentia usque ad voces, *Quare dubitasti? In Petro itaque &c.* ex eisdem fontibus hausimus, ex quibus superiora.

CLASSIS I.

sibi genuit Filium in cælis sub Patre, in terris sub matre: cui nuptias fecit, quando ei Ecclesiam ex omni genere hominum sociavit. Ad hanc Christi & Ecclesiæ societatem convocati sunt nobiles & ignobiles, divites & pauperes, omnis conditio, omnis sexus, omnis ætas.

Ibidem 11. — Reprobi multi unus.

2. Inter hos accessit unus, qui solus excludi meruit; quia habitum talium nuptiarum sanctitati congruentem non habuit. Adtendite, Fratres, iste unus multi sunt; & tamen hæc tota multitudo unitatis nomine comprehenditur. Multi enim sunt quantum ad numerum personalis discretionis; sed unus sunt per consonantiam unius pravitatis. Sicut enim Ecclesia una est per fidem sub capite Christo; ita tota reproborum multitudo, sive pateat sive lateat, unum corpus est sub principe diabolo. Qui ergo per infidelitatem manifestè à Deo recedit, ad has nuptias non accedit: qui verò fidelis est, accedit corpore, recedit mente, nobiscum intrat ecclesiam, communicat nobiscum Christi mensam. Boni & mali pisces adhuc latent intra retia, donec dividantur in littore. Adhuc toleratur palea, donec ventiletur area. Tunc manifestè apparebit, quia *multi vocati, pauci electi*.

Ibidem 14.

3. Tunc iste adulterator habitûs nuptialis, jussu patris-familiâs & manifestè excludetur, & in carcerem retrudetur. Interim tamen amici sponsi talem simulatorem non ignorant: quia HABITUS impudicus corporis, nuntius est adulterini cordis. Impudicus autem habitus corporis sui in viris, superflua & inordinata capillatura, vestimentorumque muliebrium affectata similitudo, calciamentorum quoque metas necessitatis excedens simulata longitudo; in mulieribus facies fucata, virilium vestimentorum imitatio, capillorum nativi coloris adulteratio. Hic habitus in utroque sexu adulterinus est, & sanctarum nuptiarum societate indignus, & à conspectu tanti sponsi & tantæ sponsæ prorsus amovendus. Nec silentio præterire hoc debent amici sponsi, diligentes decorem domûs Dei. Debent hujuscemodi adulteris publicè oblatrare: ne dicatur de eis, Canes muti latrare non valentes. Qui enim quantitatem vel formam, quam omnipotens & prudentissimus plasmator finxit, in aliam transfigurare contendit, nonne evidenter dicere ei videtur qui se finxit, Cur me fecisti sic? Improba temeritas, Conditoris plasmata vilificare; ut quantitatem suam & formam, quantum in se est, in aliud transfiguret, quod si à natura haberet, incomparabiliter se habere doleret.

Habitus impudicus corporis in viris. — In mulieribus. — *Isai.* 56. 10. — Habitus adulterinus Creatori injuriosus.

A Patribus damnatus. — 1. *Cor.* 11. 14. — *Psal.* 48. 13. — 11. *quæst.* 3. Privilegium. 74. *dist.* Ubi ista.

4. Nec ista dicimus à nobis tamquam ex nobis. Habemus Patres nostros doctores egregios, qui ante nos contra ista scripserunt, & irrefragabili auctoritate damnaverunt. Audiamus Paulum doctorem Gentium, de superflua capillatura dicentem Corinthiis, Vir si comam nutriat, ignominia est illi. Cùm enim vir ex Dei ordinatione primatum habeat supra mulierem, qui contra honorem sui sexûs superfluitate capillorum caput velat, primatum suum sibi abjudicat; ut meritò de eo dicatur, Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est, ut vera dicamus, non tantùm mulieribus, sed etiam jumentis insipientibus. Judicio enim legum jure ab obtenta dignitate dejicitur, qui privilegio sibi concesso abutitur. Audiamus & beatum Cyprianum egregium martyrem, & suavissimum doctorem, de adulterino habitu disputantem. Dicit enim in epistola quam scribit, De habitu virginum: * Opus Dei & factura ejus & plasma ejus nullo modo adulterari debet [a] in habitu flavo colore vel nigro, vel quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine: dicit enim Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & audet quisquam mutare & convertere quod fecit Deus? Manus [b] Deum offendunt, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt: scientes quòd opus Dei est omne quod nascitur; diaboli, quodcumque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato jam consummatoque simulacro, manus alius afferret, ut & jam formata, jam picta quasi peritior reformaret; gravis prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. Et in sequentibus: * Non metuis, ne cùm resurrectionis dies venerit, artifex tuus non te recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat, increpans vigore censoris & judicis dicat, Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est, [c] cùm te flavo medicamine polluisti, cùm formam quam dederam tibi, mendacio deformasti; facies corrupta est, membra aliena sunt: Deum videre non poteris; quoniam oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit.

* *Cyprianus de habitu virginum à medio.* — *Gen.* 1. 26. — Diaboli opus, naturæ mutatio. — SERM. DE SCRIPTURIS. — * *Ibidem paulò post.*

5. Audite me itaque ut parentem, audite quæso vos docentem pariter ac monentem, audite utilitatibus vestris & commodis fideliter consulentem. Estote tales, quales vos Deus artifex fecit: estote tales quales vos manus Patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera, à calciamentis superfluis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deum digni. * Apostoli vox est, quem Dominus vas electionis appellavit: dicit enim, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cælestis. Hanc imaginem portat virginitas, portat integritas, portat sanctitas, portat & veritas; portant disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes: quia omnia observare, diligere & implere debemus, ut Apostoli præceptum adimpleamus: Emti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Deum enim in corpore nostro portamus, cùm imaginem ejus per immundas & profanas adinventiones non deformamus, cùm per omnia servitutis obsequia Redemptoris imperio parere studemus. Ita enim imaginem suam in nobis recognoscet, & nuptiali veste ornatos à suo Sanctorumque consortio non excludet: quod nobis misericorditer præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* *Ibidem sub finem.* — 1. *Cor.* 15. 47. & 49. — 1. *Cor.* 6. 20. Deum in corpore quis portet.

* SERMO LXXV.

* *Aliàs* 10. *de verbis Domini, & post in Appendice* 4.

De verbis Evangelii Matth. 24. Væ prægnantibus & nutrientibus *&c.*

Continet excerpta ex Augustini enarratione in Psalmum 39. *n.* 28. *In ceteris ferè Cæsarium referre nobis videtur.*

1. SCIRE & intelligere debemus, Fratres carissimi, quia Christianis, dum in hoc corpore vivent, tribulatio deesse non poterit. Sic enim nos, sicut audistis, contestatur Apostolus dicens, Omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patientur: & iterum, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Venturi sunt dies tribulationis, & malarum tribulationum: venturi sunt, sicut dicit Scriptura: & quantùm accedunt dies, augentur tribulationes. Nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit. Quomodo enim appropinquante fine mundi, sicut dicit Evangelium, abundabit iniquitas, refrigescet caritas: sic propter ipsas iniquitates numquam deerit adversitas. Opus est ut animum nostrum non solùm ad pænitentiam, sed etiam ad patientiam præparemus. Fratres mei, obsecro vos, adtendite Scripturas sanctas, si aliquid fefellerunt; si aliquid dixerunt, & aliter accidit quàm dixerunt: necesse est ut usque in finem sic fiat, quemadmodum dixerunt. Non nobis promittunt Scripturæ nostræ in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Sicut & ipse Dominus in Evangelio dicit, In mundo pressuram habebitis. Et iterum, Mundus gaudebit, & vos tristes eritis; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ad ista præcipuè nos paremus, ne imparati deficiamus.

2. *Tim.* 3. 12. — *Act.* 14. 21. — *Matth.* 24. 12. — Quid Scripturæ hîc promittant. — *Johan.* 16. 33. — *Ibidem* 20.

2. De ipsis enim tribulationibus cùm Evangelium legeretur, audistis, *Væ prægnantibus & nutrientibus.* Prægnantes sunt, qui in spe intumescunt: nutrientes autem,

Matth. 24. 19. — Prægnantes, lactantes.

a Cyprianus, *adhibito.*
b Apud Cyprianum, *Deo inferunt.* Et mox, *nescientes quòd opus Dei &c.*
c Cyprianus, *cutem falso medicamine.*

id est;

Classis I.

id est, lactantes, qui jam adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filii, nondum videt filium: quæ autem jam lactat, amplectitur quod sperabat. Prægnans est, qui res alienas concupiscit: nutriens est, qui jam rapuit quod concupierat. Et ut hoc apertiùs etiam simplices intelligere possint, aliquam similitudinem proponamus. Concupiscit aliquis villam alienam, & dicit, Bona est ista villa vicini mei: ô si mea esset; ô si adjungerem illam, & facerem de isto fundo & de illo unitatem. Amat & avaritia unitatem: quod amat bonum est; sed ubi amandum sit, nescit. Fortè dives est vicinus ille, qui habet villam bonam, & suspicatur quòd illam non possit tollere; quia potens homo est, & prævalet se contra illum defendere: B nec concupiscit, nec imprægnatur, nihil sperans non concipit, non est prægnans animo. Si verò juxtà aliquis vicinus sit pauper, qui vel in necessitate positus est, ut possit vendere, vel potest opprimi, ut cogatur vendere, injicitur oculus, sperat se posse tollere aut villam aut coloniam vicini pauperis, & immittit illi aliquas tribulationes. Verbi gratiâ agit secretiùs apud eos qui possunt, ut illum exactores aut afflictum affligant, aut in aliqua publica administratione constringant: ex quibus contractis debitis multis necesse habeat infelix vendere casellam, unde aut ipse, aut filii sui sustentabantur. C Necessitate ergo compulsus venit ad illum, per cujus nequitiam premitur & affligitur: & nesciens quòd ipsius immissione hoc patitur, dicit ad eum, Da mihi, Domine, rogo te, paucos solidos, patior necessitatem, urgeor à creditore. Et ille, Non habeo modò in manibus. Ideo se dicit in manibus non habere, ut ille oppressus calumniâ, necesse habeat vendere. Denique cùm ei dixerit, quòd pro nimia afflictione sua compellatur distrahere, statim ille respondet, Etsi non habeo pecuniam propriam, undecumque studeo mutuare, ut tibi amico meo subveniam: & si ita necesse est, etiam argentum meum distraho, ne tu injuriam patiaris. Quando beneficium petebat, professus est penitus non habere: at D ubi dixit, quòd possessionem suam venderet, quasi amico se subvenire dixit: & cùm eum ad hanc necessitatem adduxerit, dicit illi, ut venditionem facere debeat, & prò casella, pro qua priùs, verbi gratiâ, fortè centum solidos offerebat, ut eum opprimi viderit, nec medietatem pretii dare adquiescit. Istis enim talibus, sicut jam suprà dictum est, Evangelista proclamat, *Væ prægnantibus & nutrientibus*: istis enim væ erit in die judicii, & ab auditu malo non poterunt liberari; sed audituri sunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: quia esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non E dedistis mihi bibere. * Hoc loco diligenter adtendat Caritas Vestra. Si in ignem mittitur qui non dedit rem propriam; putas ubi mittendus est qui invasit alienam. Si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestivit, putas ubi arsurus est, qui exspoliavit?

[Margin: Avari avar... — Matth. 25. 41. & 42. — * Cæsarius hom. 24. & alibi.]

3. Et ideo quotienscumque vobis Evangelica lectio recitata fuerit, in qua dicit, *Væ prægnantibus & nutrientibus*, non hoc de mulieribus legitimos viros habentibus credite. Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito concepit? Quare illi in die judicii malè erit, quæ hoc fecit quod Deus jussit? Non ergo de mulieri- F bus quæ justè concipiunt & pariunt, hoc credendum est; sed de illis, quos suprà diximus, qui injustè concupiscendo rem alienam, imprægnati esse videntur: de quibus scriptum legimus, Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Omnis enim homo concipit, nec ullus potest esse fine conceptu: sed alii concipiunt de Christo, alii de diabolo. Sicut enim de illis qui à diabolo concipiunt, dicitur, Concepit dolorem, & peperit iniquitatem; ita & de illis qui à Spiritu-sancto concipiunt, scriptum est, A timore tuo in utero concepimus, & peperimus spiritum salutis tuæ.

[Margin: Illud Væ prægnantibus non est ad litteram intelligendum. — Psal. 7. 15. — Omnis homo concipit, alius de Christo, alius de diabolo. — Isai. 26. 18.]

4. Hæc enim quæ diximus, Fratres carissimi, qui dili- G genter adtendit, & supradicta mala aut fuisse in se, aut forsitan adhuc esse cognoscit, citò se corrigat. Non enim nocent mala præterita, si non placent; adhuc enim est pænitendi & corrigendi locus. Nondum facta est illa disjunctio aliorum ad dexteram, aliorum ad sinistram; nondum apud inferos sumus, ubi est dives ille sitiens,

[Margin: Matth. 25. 31. — Lucæ 16. 21.]

A & stillam desiderans. Audiamus dum vivimus, corrigamur: non concupiscamus res alienas, & imprægnati tumeamus; nec velimus pervenire ad illas, & eas adipiscendo tamquam filios osculemur. Quando enim concupiscit aliquis rem alienam, sicut jam dictum est, anima sua quasi concepisse videtur: si verò quod concupiscit, per aliquam calliditatem aut nequitiam potuerit obtinere, quasi natum filium osculari ac nutrire cognoscitur. Non ergo sic amemus ista terrena, Fratres, ut perdamus cælestia. Mutandum est cor, levandum est cor, non hîc habitemus jam corde. Mala regio est amor mundi: sufficiat quòd hîc adhuc in carne esse videmur. Audiamus Apostolum dicentem, Si surrexistis B cum Christo, quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Non apparet quod vobis promissum est: jam enim paratum est; sed non videtur. Concupiscendo imprægnari vis? Hinc imprægnare: concupisce vitam æternam, ad quam vitam te invitat Deus, ipsa sit spes tua: certus erit partus tuus, non erit aborsus. Non temporaliter amplecteris quod pepereris; sed in æternum possidebis.

[Margin: Serm. de Scripturis. — Sursum cor. — Coloss. 3. 1.]

5. Quod enim promissum est, sine dubio dandum est, sed adhuc retrò est: non dabitur modò, sed dabitur postea. Videte jam quanta data sint, Fratres. Quis illa vel numerare prævalet? De omnibus enim rebus quæ C nobis in Scripturis divinis promissæ sunt, una tantummodo remansit. Deus enim qui in tantis rebus verum dixit, in una nos fallit? Scriptum est de Ecclesia, quia erit; & videtur quia est. Scriptum est de idolis, quia non erunt; & videtur quia non sunt. Scriptum est, quia perdituri erant Judæi regnum; & videtur. Scriptum est de hæreticis, quia futuri erant; & videtur. Scriptum est de die judicii, scriptum est & de præmiis bonorum, & de pœna malorum: nemo se circumveniat, Fratres, quomodo illa omnia venerunt quæ promissa sunt, sic & dies judicii, & malorum pœna, & justorum præmia sine ulla dubitatione ventu- D ra sunt. Et ideo unusquisque nostrûm, dum licet, & cum Dei adjutorio in potestate nostra consistit, & peccata vitare, & quod bonum est exercere contendat; ut cùm ille dies terribilis & metuendus advenerit, non cum impiis & peccatoribus perenni incendio concremetur; sed cum justis & Deum timentibus perveniре ad æternum præmium mereatur: quod ipse præstare dignetur, cui est honor & imperium in sæcula, &c.

[Margin: Promissorum in Scripturis certitudo.]

* SERMO LXXVI.

De verbis Evangelii Matth. 25. Simile erit regnum cælorum decem virginibus *&c.*

E *Cæsarianis homiliis jam pridem accessit in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis anni 1618 tom. 5. part. 3. pag. 790. & sub Cæsarii nomine exstat in MS. uno Germanensi & altero Carthusiæ Portarum.*

1. IN lectione Evangelica quæ nobis de decem Virginibus recitata est, Fratres dilectissimi, dictum est quòd *omnes virgines ornaverunt lampades suas*, * *sed fatuæ non habuerunt oleum lampadibus præparatum; prudentes verò sumserunt oleum in vasis suis.* * *Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes & dormierunt* * *Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* * *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt* F *lampades suas*: & cùm fatuarum virginum lampades exstinguerentur, rogaverunt reliquas, in quarum vasis erat oleum, ut eis darent de oleo suo; & illæ dixerunt, * *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* * *Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias; & clausa est janua.* * *Venerunt postea reliquæ virgines dicentes, Domine Domine, aperi nobis.* Quibus dictum est, * *Nescio unde estis vos.* Cùm ait, *sponso moram faciente dormitaverunt omnes & dormierunt*; somnus ille mortem significat. Denique sicut Apostolus ait, De dormientibus autem nolumus ignorare vos, fratres. Media nox quando cla- G mor factus est magnus, significat diem judicii: propter ignorantiam dictum est media nox; quia nemo scit, quando aut quâ horâ dies judicii veniat.

[Margin: Cæsarii Sermo XXX. — Matth 25. 1. — * ỽ. 3. — * ỽ. 5. — * ỽ. 6. — * ỽ. 7. — * ỽ. 9. — * ỽ. 10. — * ỽ. 11. — * ỽ. 12. — Somnus virginum, mors. Media nox, judicii dies.]

2. Quòd autem omnes virgines ornaverunt lampades; & illæ fatuæ habuerunt aliquid olei, sed parum fuit, ut eis sufficere omnino non posset: denique sta-

s

CLASSIS I.

tim exstingui cœperunt. Unde quantum possumus, cum Dei adjutorio, laborare debemus, Fratres carissimi, ut quia in oleo misericordia vel caritas intelligitur, tantum reponamus in vasis animarum nostrarum, quantum nobis sufficiat in æternum. Nemini sufficit parum, Fratres dilectissimi, nisi qui fortè præ paupertate plus dare non prævalet. Plenâ animæ lucernâ opus est, ut per caritatis oleum lumen nostrum luceat in æternum. Cui Deus dedit largiorem substantiam, quantum potest, laxet manus ad eleemosynam, nec credat quòd ei possit sufficere parum; sed * se consideret unusquisque ex eo tempore quo sapere cœpit, quantum debeat pro his quæ malè cogitavit, malè locutus, vel malè operatus est; adtendat multitudinem peccatorum, & singulorum pretia diligenter appendat; videat quantum debeat pro mendaciis, projuramentis, pro perjuriis, pro maledictis vel detractionibus, pro ebrietate, pro gula atque luxuria, pro cogitationibus sordidis, pro sermonibus otiosis. Consideret unusquisque ista omnia & his similia, quæ nec numerari possunt; & tunc agnoscet quantas eum eleemosynas oporteat exercere; qui etiamsi totum demus, nisi præponderaverit Dei misericordia, redimere cuncta peccata non possumus: vel humiliter, contrito & compuncto corde, quantum possumus, faciamus; & non pro laude humana, sed pro Dei præcepto & vitæ æternæ contemplatione faciamus.

Oleum misericordia vel caritas.

Obligatio ad largas eleemosynas.

* *Cæsarius homil.* 13.

3. Quòd autem dixerunt virgines fatuæ sapientibus, *Date nobis de oleo vestro*; & illæ responderunt, * *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis*: hoc æstimo humiliter dictum; quia tantus terror & tanta examinatio erit in die judicii, ut etiam illi qui oleum misericordiæ se intelligunt abundantiùs præparasse, metuant ne eis possit ad omnia peccata redimenda sufficere. Illud verò quod dictum est, *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*; potest hoc de pauperibus intelligi. Ipsi sunt negotiatores, qui oleum animarum lampadibus necessarium vendunt. Per ipsos enim hoc negotium Christus exercere consuevit. In ipsis enim accipit terrena, repensaturus æterna. Denique sic ipse dixit, Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. Lampades autem, animæ intelliguntur. Vasa autem illa, ubi oleum reservatur, conscientiæ bonæ significantur. Quid est autem oleum in vasis habere, nisi intus in conscientia opera bona recondere? Et quia opera bona alii faciunt pro Dei amore, alii pro cupiditate laudis humanæ, virgines illæ & quæ in corpore virgines erant, & quæ se vigiliis, psalmis, lectionibus vel orationibus exercebant, totum hoc pro laude humana, non pro Deo vel pro æterna beatitudine faciebant; ideo morte interveniente, ubi ab eis cessavit laus hominum, simul illis defecit & oleum. Nam illud quod eis dictum est, *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*, potest & sic accipi; ut vendentes intelligantur illi, qui virgines fatuas blandis adulationibus prædicant. Unde intelligitur, quòd omnes qui laudes humanas accipere cupiunt, quod in opere Dei exercere videntur; humanis assentationibus vendunt, accipientes vanam laudem, & præmia æterna perdentes. Illæ autem virgines quæ oleum habuerunt in vasis suis, omne opus bonum intus in conscientiam posuerunt; quia hoc non pro laude, sed pro misericordia divina fecerunt.

Unde timor virginum sapientum.

* ℣. 9.

Pauperes negotiatores.

Matth. 25. 40.

Oleum in vasis, opera bona in conscientia.

Adulatores, olei venditores.

4. Hæc ergo fideliter cogitantes, Fratres dilectissimi, quia parabola ista ad universam Ecclesiam pertinet, qui non possunt servare virginitatem corporis, integritatem custodiant cordis: ut si ad coronam Martyrum sive Virginum non potuerint pervenire, saltem vel omnium peccatorum indulgentiam mereantur accipere. Virgines verò quæ integritatem corporis, Deo auxiliante, custodiunt, totis viribus, cum Dei adjutorio, laborare contendant verbositatem fugere, detractionem vel murmurationem velut diaboli venena respuere, invidiæ superbiæque morbum quasi hostis gladium pertimescere, obedientiam humiliter custodire, numquam senioris præcepta contemnere, lectioni & orationi insistere; si infirmitas non prohibet, ad vigilias cum omni alacritate consurgere, sive in oratorio, sive in alio quolibet loco; semper quod ad obedientiam vel ad humilitatem pertinet, studeant ex ore proferre: si tristem viderint, consolentur, si inobedientem agnoverint, castigare non cessent.

Virginum exercitia, ne virginitas sit vana.

A 5. Et quia in omni professione & boni inveniuntur & mali, & in Ecclesia Christi non solùm triticum, sed etiam paleæ reperiuntur: inveniuntur, quod pejus est, clerici, monachi & sanctimoniales ita negligentes & tepidi, ut * non velut spiritales apes, dulcia animarum mella conficiant, sed velut crudelissimæ vespæ venenatis linguæ aculeis fratrum corda percutiant. * Isti tales non adjutores Christi, sed defensores diaboli esse probantur. Qui si fortè viderint fratrem vel sororem contra seniorem superbè exsistere, non solùm student mitigare, sed magis malignis sermonibus ad majorem eum furorem conantur accendere, dicentes, quòd hoc nec B possit nec debeat diutiùs sustineri: hortantur etiam ut ista senioribus pæniteat, quare eos paterna pietate admonere vel castigare voluerint. Sed quia in omni proposito, sicut jam diximus, non solùm adjutores vel ministri diaboli ad inobedientiam vel superbiam callida susurratione succendunt: adjutores Christi blanda adhortatione & sancto ac salubri consilio ad humilitatem vel mansuetudinem revocare contendunt. Illi enim qui in clero vel in monasterio positi & se & alios ad superbiam erigunt, velut pharetræ sagittis diaboli plenæ simplicium corda percutere, & caritatem in eis, humilitatem vel mansuetudinem conantur exstinguere.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Ubique adjutores Christi & diaboli.

* *Cæsarius homil.* 35.

* *Cæsar. hom.* 18. *& Serm. App.* 17. *n.* 2.

Qui ministri diaboli in monasteriis.

C 6. Sed quia Deo propitio in medio palearum invenitur & triticum, animæ sanctæ, quæ velut armaria Christi spiritalibus antidotis plena esse probantur, quidquid illi vulneraverint, cælestibus medicamentis appositis curare non desinunt, dicentes cuicumque superbo, Noli superbire, frater; quia scriptum est, Superbis Deus resistit: noli irasci; quia scriptum est, Ira in sinu insipientis requiescit; & iterum, Ira viri justitiam Dei non operatur. Si fortè inobedientem viderint, blandè & humiliter dicunt, Noli esse inobediens, frater; quia scriptum est, Obedientia super sacrificium; & Apostolus clamat, Obedite præpositis vestris & subjacete eis; quia D ipsi vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem reddituri. Istæ animæ Deo plenæ si tepidum & negligentem viderint, de spiritali armario, id est, de corde bono, prolatis medicamentis ad compunctionem eonantur accendere: si detrahentem ac murmurantem viderint, dicunt ei illud beati Apostoli, * Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore: neque detraxeritis; [* quia scriptum est, Qui detrahit fratri suo, eradicabitur. Qui talia] loquendo adjutorem & defensorem justitiæ se esse cognoscit, gaudeat & Deo gratias agat, & ipso auxiliante perseveret usque in finem; quia non qui cœperit, sed qui E perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qui verò per superbiam, per inobedientiam vel invidiam adjutorem vel vicarium esse se sentit diaboli, doleat de præterito, caveat de futuro; & per humilitatem construat, quod per superbiæ tyrannidem destruxerat; mitiget mansuetudo, quod malitia vel inobedientia exasperaverat, caritatis dulcedo componat: & * dum adhuc anima illa tenebrosa, quæ diabolo servire consueverat, in isto mortali corpore retinetur, remedium sibi in die necessitatis adquirat: ut de sinistra translatus in dexteram cum ovibus Christi audire mereatur, Venite benedicti, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine F mundi. Et licèt hæc ita sint, Fratres dilectissimi; hoc tamen oportet ut nec boni de sanctis meritis extollantur, nec illi qui mali fuerunt, nimia desperatione frangantur, sed illi humiliter perseverent in bonis, & isti citò corrigantur à malis: ut cùm dies judicii venerit, & bonos coronare possit vita integra, & malos valeat excusare correcta, præstante Domino &c.

Qui verò Christi.

Jacobi 4. 6.

Eccli. 7. 10.

Iacobi 1. 20.

1. *Reg.* 15. 22.

Hebr. 13. 17.

* *Cæsar. hom.* 32.

1. *Cor.* 10. 10.

* *Addita ad resarciendum locum.*

Matth. 10. 22.

* *V. Ser. App.* 13. *n.* 5.

* *Alias* 181 *de Sanctis.*

* SERMO LXXVII.

De verbis Evang. Matth. 25. Venite benedicti Patris *&c.*

G *In Appendice nunc primùm collocatur. Ex iis est quos Lovanienses reliquerunt dubios, Verlinus & Vindingus supposititios pronuntiarunt. Cæsario adscribunt MSS. Corbeienses duo, quorum alter tamen à secunda manu correctus, Augustino antè tribuebat.*

1. MODO cùm Evangelium legeretur, Fratres carissimi, audivimus dicentem Dominum, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ut ergo istam vocem desidera-

CÆSARII Serm. XXXI.

Matth. 25. 34.

Lectio sacra frequenter iteranda.

CLASSIS I.

bilem audire, & ab auditu malo possitis evadere; totis viribus, Deo auxiliante, adtendite, & hanc lectionem divinam in domibus vestris vel in ecclesia libenter & obedienter frequenter legere & audire facite. Sicut enim vox illa desiderabilis est, per quam dicitur misericordibus, *Venite benedicti, percipite regnum*: ita è contrario sceleratis & immisericordibus metuenda est & valde terribilis, quam audituri sunt, quibus dicendum est, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* (Ibidem 41.) Avertat à nobis hoc Deus, Fratres carissimi, & ab auditu malo nos liberare dignetur: ut in nobis impleatur illud quod scriptum est, In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timebit: (Psal. 111. 7.) hoc enim erit auditum malum, quod audituri sunt impii, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* (Matth. 25. 41.) Irrevocabilis enim sententia erit, quæ à piissimo Deo ideo multò antè prædicitur, ut à nobis totis viribus caveatur. Si enim nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret. Invitus quodam modo vindicat, qui quo modo evadere possimus, multò antè demonstrat. Non enim te vult percutere, qui tibi clamat, Observa.

2. Considerate tamen quid dicturus est ad dexteram positis: *Venite*, inquit, *benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Advertite, Fratres carissimi, quia regnum cælorum nobis prædestinatum est; gehenna autem, non nobis, sed diabolo præparata est. Denique sic audituri sunt ad sinistram positi: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est*, non dixit vobis, sed *diabolo & angelis ejus.*

3. Rogo tamen vos, Fratres, fideliter & diligenter adtendite & illam sententiam quam audituri sunt impii, & illam quam audituri sunt Sancti. (Matth. 25. 34. & 35.) *Venite*, inquit, *benedicti, percipite regnum.* Quare? *Quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere*, & reliqua. Peccatoribus autem, *Esurivi enim*, inquit, *& non dedistis mihi manducare.* Ergo nec illi qui ad dexteram erunt, ideo accepturi sunt, quia numquam peccaverunt; sed quia peccata sua mundare eleemosynis studuerunt: & illi qui ad sinistram erunt, non ideo mittentur in ignem æternum, quia peccatores fuerunt; sed quia peccata sua eleemosynis redimere noluerunt. Ac sic & illos largitas sola glorificabit, & istos sola sterilitas condemnabit: quia sicut impossibile est, ut ullus homo esse possit sine peccato; sic per Dei misericordiam possibile est, ut bonis operibus, & præcipuè eleemosynis se unusquisque redimat à peccato; ut non in eo illud impleatur quod scriptum est, Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; (Jacobi 2. 13.) sed magis ad eum sententia illa pertineat, Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur: (Matth. 5. 7.) & illud, Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi. (Psal. 111. 9.)

4. Et hoc considerate, Fratres, pro qua re mittentur in ignem æternum. Non enim illis dicendum est, quia homicidium fecistis, quia adulterium commisistis, quia alienam substantiam rapuistis: sed hoc solum audituri sunt, *Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Rogo vos, Fratres carissimi, nolite hæc transitoriè cogitare, [ᵃ nec credatis quòd hoc de Judæis tantùm aut Paganis vel hæreticis fuerit dictum: sed definitissimè credite, quia hoc Christiani & Catholici, qui in malo opere perseverare voluerint, audituri sunt. Ad judicium enim non veniunt nec Pagani, nec hæretici, nec Judæi: quia de ipsis scriptum est, Qui non credit, jam judicatus est. (Johan. 3. 18.) Et ideo inter illos qui ad sinistram mittendi sunt, non solùm laïci erunt, sed & multi episcopi, quod pejus est, clerici mali, vel monachi cupidi vel superbi, simul & sanctimoniales & viduæ iracundæ, superbæ, vel cupidæ, & si eis fructuosa pænitentia non subvenerit, audituri sunt illam metuendam & irrevocabilem vocem, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*] Sententia ista, si eam fideliter & cum ingenti tremore voluerimus audire, ab omni opere malo nos poterit revocare.

5. Diligenter ergo adtendite quid Veritas dixerit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum: quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.* * Si in ignem mittitur, qui esurienti non dedit panem suum; putas ubi mittendus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittitur, qui nudum non vestivit; ubi mittendus est, qui vestitum exspoliavit? Si cum diabolo damnatur, qui hospitibus non præbuit domum suam; putas ubi mittendus est, qui tulit alienam? Si periturus est qui in carcere non visitavit; quid de illo fiet, qui fortè injustè in carcerem misit? Rogo vos, Fratres, hîc adtendite, quam spem habere possunt qui mala faciunt; quando illi perituri sunt qui bona non faciunt? (Qualia malè agentium.) Denique & alio loco Dominus terribiliter nos admonet, dicens, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. (Matth. 7. 19.) Non dixit, quæ facit fructum malum; sed, quæ non facit fructum bonum. Hinc ergo possumus evidenter agnoscere, quas pœnas arbor spinosa in die judicii patietur; quando illa quæ fructum non dederit, excidetur, & in ignem mittetur.

6. Nemo se decipiat, Fratres carissimi, nemo se falsâ spe circumveniat; (Fides sine operibus Christiano nil prodest.) Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum. Nihil prodest quòd aliquis Christianus vocatur ex nomine, si hoc non ostendit in opere. Scriptum est enim, Fides sine operibus mortua est. (Jacobi 2. 17.) Qui enim credit, & opera bona non exercet, clamat illi Scriptura divina, Tu, inquit, credis quia Deus unus est, bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. (Ibidem 19.) Ac sic qui credunt, & opera bona non faciunt, fidem dæmonum videntur habere. Qui verò non credunt, pejores dæmonibus comprobantur. Et illud diligenter considerandum est quod Dominus dicit, Qui audit verba mea, & facit ea, ipse est qui diligit me. (Johan. 14. 21.) Et iterum; Si quis diligit me, mandata mea custodit. (Ibidem 23.) Et sine dubio qui non custodit, non diligit. Sed & illud valde timendum est, quod iterum Dominus dicit, * Quid prodest quòd dicitis, Domine Domine, & non facitis quæ dico? (Matth. 7. 21. * V. Cæsar. hom ex editis à Baluzio 12. post med.) Scire debemus, Fratres carissimi, quia nihil prodest verbis proferre ᵇ fidem, & factis deserere veritatem. Sicut enim nobis non placet, si servi nostri verbis se profiteantur nostra esse mancipia, & tamen non velint implere opera sua; ita nec Deo placet, si se quisque Christianum verbis tantummodo esse pronuntiat; & opera quæ fieri jussit Christus, implere dissimulet. Denique beatus Apostolus, cùm de reddenda ratione in die judicii loqueretur, ita pronuntiavit dicens, Oportet nos, inquit, omnes stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum: (2. Cor. 5. 10.) & Dominus in Evangelio, Tunc, inquit, reddet unicuique secundùm opera sua. (Matth. 16. 27.) Non dixit, Secundùm fidem suam; sed, Unicuique secundùm opera sua: quia, sicut jam suprà dixi, Jacobus apostolus clamat, Fides sine operibus mortua est. (Jacobi 2. 17.) Nos ergo, Fratres carissimi, si pœnam evadere, & ad æternam beatitudinem volumus pervenire; non solùm credamus in Deum, sed etiam toto corde diligamus, & quantum possumus, ipso adjuvante, bona opera facere studeamus; ut cùm, ipso auxiliante, fecerimus quæ præcepit, ipso remunerante mereamur recipere quæ promittit, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu-sancto, unus Deus in Trinitate, vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO LXXVIII.

Rursum in Matth. 25. Venite benedicti Patris mei *&c. exhortatorius ad faciendas eleemosynas.*

Augustini nomen in MSS. Vaticano & Remigiano præfert. At in Bibliotheca Patrum homilia Cæsarii est ordine trigesima nona; & veriùs, nostro judicio; tametsi Sermo illic quoad reliqua mendosior excusus sit, & paulo aliùs quàm in prædictis, quos hic secuti sumus, MSS. repræsentetur.

1. AUDIVIMUS cùm Evangelium legeretur, * terribilem vocem, metuendam pariter & desiderandam Domini nostri sententiam. (Cæsarii Ser. XXXII. * Cæsar. homil. 4.) Terribilis est propter illud quod dicit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; (Matth. 25. 41.) desiderabilis propter illud quod ait, *Venite benedicti, percipite regnum.* (℣. 34.) Quis enim audita hac voce non contremiscat simul & gaudeat? Gaudeat quidem; quia Christus Christianis servis suis dignatus est promittere regnum; contremiscat, quia peccatoribus ignem

ᵃ MSS. Corbeienses post *cogitare*, subdunt, *quia sententiam istam si fideliter* &c. omissis quæ uncinulis distinximus. Quæ nihilo minus à Cæsarii stilo haud abhorrent, apud quem inter cetera voces, *definitissimè credite*, non rarò occurrunt.

ᵇ A MSS. abest vox *fidem*.

minatur æternum. Rogo vos, Fratres, ut lectionem istam adtento corde & sensu semper vigilantissimo audiatis: & quia nec laboriosa est ad parandum, semper illam memoriter teneatis, & virtutem illius assiduè cogitetis. Qui enim lectionem istam diligenter adtendit, etiamsi reliquas scripturas legere non potuerit, ad omne opus bonum faciendum & ad omne malum fugiendum ista illi lectio sola sufficere potest.

Lectionis istius vis.

2. Adtendite ergo, Fratres, & videte quid sit quod Christus illis qui ad dexteram futuri sunt, se dicturum esse promittit: *Venite*, inquit, *benedicti, percipite regnum:* * *quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere*, & cetera quæ sequuntur. Illis verò qui ad sinistram erunt, quid dicturus est? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* * *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere*, & reliqua. Adtendite ergo, Fratres, & videte, quia non dixit, *Discedite à me maledicti*; quia furtum fecistis, quia falsum testimonium dixistis, quia homicidium aut adulterium commisistis, quod gravius esse non dubitatur: non hoc dixit; sed ait, *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere:* & non dixit, quia res alienas tulistis, quod magis iniquum est; sed ait, De substantia vestra pauperibus non dedistis: non quia mala opera fecistis; sed quia bona facere noluistis. Ac sic & illos qui ad dexteram futuri sunt, sola misericordia liberabit; & illos qui in sinistra sunt, sola avaritia condemnabit. Quòd autem dictum est illis qui à dextris sunt, *Venite benedicti, percipite regnum:* non ideo hoc audituri sunt, quia non peccaverunt: sicut illis ad sinistram non est dicturus, *Discedite à me maledicti*, quia peccastis; sed quia peccata vestra eleemosynis redimere noluistis. Sine peccato nullus hominum esse potest: sed tamen peccata sua redimere eleemosynis omnis homo, auxiliante Domino, potest.

Salutis vel damnationis quæ ratio. — *ꝟ. 34.* — ** ꝟ. 35.* — *ꝟ. 41.* — ** ꝟ. 42.* — *ꝟ. 42.*

3. In ista enim sententia Domini qua dixit, quòd ille qui esurientem non paverit & nudum non vestierit, mittetur in ignem æternum, possumus evidenter cognoscere quali tormento vel quali pœnâ damnandi sunt illi qui malè faciunt; quando illi in ignem mittuntur, qui bona non faciunt. * Si enim cum diabolo condemnatur qui pauperibus non dedit panem suum; ubi damnandus est ille qui tulit alienum? Si in ignem mittitur qui nudum non vestivit; putas ubi mittendus est ille qui vestitum exspoliavit? Si in infernum damnatur qui peregrinum non excepit in domum suam; putas ubi damnandus est ille qui tulit domum alienam?

Quantùm plectendi sint malè agentes. — ** Cæsar. hom. 24. & aliis.*

4. Hæc ergo, Fratres dilectissimi, fideliter cogitantes, quantum possumus, bona opera facere studeamus, & secundùm vires nostras de paupercula nostra peregrinis & pauperibus erogemus: ut & peccata quæ fecimus redimamus, & de ipsis bonis operibus æterna nobis præmia præparemus. Audiamus Dominum dicentem, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur. Audistis enim veram Domini nostri sententiam, per quam nobis regnum cælorum promittitur si eleemosynas facimus, si esurientes pascimus, sitientes potamus, nudos secundùm vires nostras vestimus, peregrinos excipimus; hæc omnia si fideliter agimus, securi ante tribunal æterni Judicis veniemus: & tunc in memoria æterna justi erimus, & ab audito malo non timebimus. Quid est auditum malum, nisi illud (quod à nobis Dominus dignetur avertere,) quod ad sinistram positi audituri sunt impii, *Discedite à me maledicti in ignem æternum?*

Ad opera bona exhortatio. — *Matth. 5. 7.* — *ꝟ. 41.*

5. Tenere ergo vos, Fratres, ad eleemosynam aut misericordiam; quia eleemosyna à morte liberat, & operarium suum non permittit ire in tenebras. Unusquisque enim pro viribus suis, quantum prævalet, porrigat pauperi manum suam, Qui habet aurum, det aurum; qui habet argentum, argentum tribuat: qui verò non habet pecuniam, cum bono animo porrigat peregrino buccellam; & si non habet integram, ex eo quod habet frangat & tribuat. Talem enim Dominus per Prophetam dignatus est pauperibus consolationem vel securitatem impendere, * ut non diceret, Da esurienti totum panem tuum; sed, Frange esurienti panem tuum: & si non habes integrum, vel particulam aliquam partiaris.

Eleemosynæ commendatio. — ** Cæsar. hom. 1. & 22.* — *Isaia 58. 7.*

A 6. Et ut scias quidquid bono animo obtuleris, quàm sit acceptabile Deo, audi Dominum in Evangelio de vidua illa quæ duos nummos obtulit, dicentem, Vidua hæc magis omnibus misit: quia reliqui qui divites erant, ex eo quod illis abundabat dederunt aliquid; illa verò totum quod habuit obtulit: & ideo meruit ut illam Dominus ore proprio collaudaret. Faciat ergo unusquisque quod prævalet, & excepto victu rationabili & vestitu simplici, quidquid illi superfuerit, lætus & hilaris pauperibus tribuat. Quare lætus & hilaris? Quia dat parum, & accipit multùm; porrigit nummum, & comparat regnum; tribuit parvam pecuniam, & acB cipit vitam æternam: dat temporalia, ut mereatur æterna, porrigit caduca, & recipit sine fine mansura. Ecce pro qua re hilari & bono animo dare debemus. Si tibi homo fidelis diceret, Da mihi unum aureum nummum, & reddo tibi solidos aureos centum; numquid non cum gaudio dares unum, ut acciperes centum? Quantò magis quia dicit tibi Deus cæli & terræ, Qui pauperi tribuit, Deo fœnerat; &, *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* & in Psalmo, Jocundus homo qui miseretur & commodat; debes commodare Deo in terra, quod multipliciter accipias in vitam æternam? * Ut cùm in conspectu AngeC lorum ante tribunal æterni Judicis venire merueris, securâ & liberâ conscientiâ dicere possis, Da, Domine, quia dedi; miserere, quia misericordiam feci: ego implevi quod jussisti, tu redde quod promisisti. Iterum atque iterum admoneo, Fratres, ut semper istam Evangelicam lectionem memoriter teneatis, & totis viribus cum Dei adjutorio laboretis; ut æternum ignem possitis evadere, & ad cælorum regna feliciter pervenire; ipso præstante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERM. DE SCRIPTURIS. — *Hilari animo tribuendum.* — *Lucæ 21. 3. & 4.* — *Lucratur qui tribuit.* — *Proverb. 19. 17.* — *Matth. 25. 40.* — *Psal. 111. 5.* — ** Cæsar. homil. 21.*

D

* SERMO LXXIX.

** Aliàs de Temp. 124.*

De verbis Evangelii Matth. 26. Omnes vos scandalum patiemini *&c. de lapsu Petri.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino & Vindingo suppostitius est. Stilus re vera non sapit Augustinum.

1. IN lectione Evangelica quæ nobis hesterno die recitata est, Fratres carissimi, audivimus Dominum dixisse discipulis suis, *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte propter me.* Cui beatus Petrus, *Etiamsi omnes scandalizati fuerint, ego numquam scandalizabor.* E Sed Dominus inspector cordis respondit, & dixit, *Amen dico tibi, antè quàm gallus cantet, ter me negabis.* Ille autem dixit, *Etiamsi me mori oportuerit pro te, non te negabo.* Videte, Fratres carissimi, verus & cælestis medicus venam cordis inspexerat, & qua horâ tentationis pondus vel infidelitatis frigus venturum esset, prædixerat. Medicus prædicabat, & ægrotus negabat: sed ubi ad horam ventum est, falsum fuit quod promiserat homo, & verum apparuit quod prædixerat Deus. Quid enim homo sine Dei gratia possit, timor beati Petri apostoli evidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio promiserat se F pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cùm negaret Christum; & nisi quod ait Propheta, Omnis caro fœnum? Et ideo beatum Petrum paululùm Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere, & ut Ecclesiæ rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur.

Matth. 26. 31. — *ꝟ. 33.* — *ꝟ. 34.* — *ꝟ. 35.* — *Homo sine Dei gratia.* — *Isai. 40. 6.* — *Cur Deus Petrum subdeseruit.*

2. Credendæ enim erant Petro apostolo claves Ecclesiæ: immo creditæ sunt ei claves regni cælorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitiis, passionibus, culpis inG voluta atque peccatis. Denique sic ad eum Salvator dicit: Tibi, inquit, dedi claves regni cælorum. Deinde sequitur, dicens, Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo: videlicet ut in clavibus fidelis janitor, in sententiis esset clementissimus dispensator. Erat enim re vera hic Petrus pauló durior & severus, sicut ejus austeritatem truncata ob Christi injuriam servi principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam

Matth. 16. 19. — *Ibidem.* — *Petrus naturâ austerior.*

Classis I. tam durus tamque severus, si donum non peccandi à Domino fuisset indeptus, quæ venia commissis populis donaretur? Sed idcirco divinæ providentiæ secretum ita temperavit atque permisit, ut primus ipse laberetur ac rueret in peccatum, quò erga peccantes duriorem sententiam proprii casûs intuitu temperaret. Quantum igitur divini muneris erga salutem hominum, quantum curæ quantumque sollicitudinis impendatur, advertite. Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet illo qui dixerat, *Etiamsi me oporteat mori tecum, non te negabo.*

Matth. 16. 16. 3. Hic est Petrus, qui divina revelatione prior omnium veritatem meruit confiteri, dicens, Tu es Christus filius Dei. Hic tantus & talis venit ad illam noctem, in qua Dominus tradebatur, & cùm se calefacere vellet ad prunas, accessit ad eum puella, & dicit ei,
℣. 69. *Et tu hesterno die cum homine hoc eras.* At ille mox res-
℣. 70. pondit, *Nescio hominem istum.* Quid agis, ô Petre, futuræ rector Ecclesiæ, quid loqueris? Intuere quid sis interrogatus, vel quid interroganti responderis. Vox tua repentè mutata est: hoc est omne illud quod cito, sed non cauto sermone promiseras? Hoc est totum quod etiam omnibus negantibus te usque ad mortem perseverare juraveras? Nondum fidem tuam aliquis tentavit atque discussit, nondum te ob Christi negationem adversarius traxit ad publicum, nondum es apud reges & præsides propter nomen ejus exhibitus: non tibi flagella, nondum sunt admota tormenta. Quis porrò est qui te interrogat, quòd tam citò negasti? Non est servus, non liber, non pharisæus, non scriba, non sacerdos, non miles, non centurio, non spiculator, nullus postremò eorum qui auctoritate sua posset formidinem incutere confitenti: mulier te simplici voce interrogat; & fortasse nec proditura confessum: nec verò tantùm mulier, sed puella: & non solùm puella, sed ostiaria, vile procul dubio abjectumque mancipium. O res stupenda! Puella accedens fidem Petri discussit, & mirum si soliditatem Petri non turbo, non imber, sed roris levissima gutta transfixit. Petrus labia puellæ
* f. sustinuit. non * sustulit; sed ubi locuta est, ille turbatur. Processit sermo puellæ; & immobilis columna concussa est. Ve-
℣. 71. rumtamen instabat illa interrogans, & dicebat, *Et tu hesterno die cum homine hoc eras?* Petrus autem eò magis
℣. 71. Lucæ 22. 61. oppressus formidine, hominem se scire negavit. Quem respiciens Christus, suorum fecit recordari sermonum. At ille intelligens factum, conversus ad pænitentiam amarissimè flevit. Agnovit enim sibi ut homini peccati irrepsisse perniciem, quod totum hactenus, ut memini,
Petri lapsus hominibus consulit, permissus. divinitus procuratum est.

4. Videte ergo, Fratres carissimi, quemadmodum exiguæ culpæ permittitur subjacere tantus Apostolus: ut emendatus elationis vitio atque correctus, integro vestiatur moderationis & clementiæ indumento. Jam enim eruditus es & edoctus in Petro, quemadmodum eum Dominus tui caussâ patitur circumscribi delicto; quemadmodum illum fidei pietatisque signiferum, & generis humani columnam permiserit metu dominante quassari; ut populorum doctoribus & magistris esset exem-
Gal. 6. 1. plum, à Deo sibi non peccandi gratiam minimè condonatam, sicut dicit apostolus Paulus, Considerans te, ne & tu tenteris. Cùm fortè quis fuerit in Ecclesia delicto præventus, non statim abjiciat, condemnet; sed compatiatur ac lugeat, consoletur & revocet, commodet jacenti affectum, porrigat manum, erigat lapsum, spem ei divinæ clementiæ repromittens, sub qua etiam servire exemplo tantorum comprobat magistrorum. Hæc autem nos, ut suprà memoravimus, non justos culpando, sed peccatores ad spem erigendo protulimus; & primò quidem virtutes ejus extulimus; ut & justis formam cautelæ, & peccatoribus salutis monstraremus exemplum.

Serm. de Scripturis.

*SERMO LXXX.

In Matth. 27. de Juda proditore, & de agro in peregrinorum sepulturam comparato ex pretio venditionis Christi.

* Olim de Tempore 128. & pòst in Appendice 48.

Jam pridem auctori suo restitutus, Maximo episcopo Taurinensi, cujus nomen gerit in scriptis & excusis libris.

1. RETINET Sanctitas Vestra, Fratres, nos vobis hoc[a] jam proximâ Dominicâ prædicasse, quòd Judas Iscarioth propriâ sententiâ condemnatus, ad Pharisæos Dominici sanguinis mercedem reportarit, & Matth. 27. 5.
actus pænitentiâ refuderit venditionis pretium; sed conscientiæ suæ non resolverit scelus. Denique post redditum pretium, laqueo se suspendit; [b] ut qui se multaverat pecuniâ, multaret & vitâ. Intelligens enim quantum admiserit scelus, non suffecit ei sacrilegii carere mercede, nisi careret & salute. Dignum enim se morte judicat, quòd Christum vitam omnium tradidisset. Severissimus igitur Judas sui judex, vel in ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo. Resti- Judas severissimus sui judex.
tuit ergo pecuniam Pharisæis; sed nec Pharisæi eam libenter accipiunt: dicunt enim illicitum sibi esse in suis eam habere thesauris. Vide igitur quanta vis Dominicæ sit pecuniæ, quam inde Judas rejicit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt. Justi enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere. ℣. 5.

2. Consilium tamen ineunt Pharisæi, ut ex ea ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem providentiâ Dei factum puto; ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumtum præbeat, sed peregrinis requiem subministret; non sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulcrum: ut jam exinde Christus & vivos sanguinis sui passione redimat, & [c] mortuos pretiosa possessione suscipiat. Pretio ergo Dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in Scripturis, quòd totius generis humani salus redemta sit sanguine Salvatoris, sicut ait apostolus Petrus: [d] Hoc scientes, quia non corruptibilibus auro vel argento redemti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Jesu Christi. Igitur si pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, vide ergo quia illâ non tam redemta sit agri terrena fragilitas, quàm totius mundi incolumitas sempiterna. Ait namque Evangelista, Non enim venit Christus, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Vide, inquam, ne pecuniâ illâ non tam comparata sit agri parva portio, quàm totius mundi copiosa possessio; sicut ait David Propheta, Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: * Ager ergo iste mundus hic totus est, in quo nos dispersi & disseminati Domino fructum boni operis germinamus.

℣. 7. Providentia Dei in usu pretii Christi. 1. Pet. 1. 18. Johan. 3. 17. Psal. 2. 8. Ager figuli, mundus. * Similia habet Ambros. in cap. 22. Lucæ.

3. Sed fortasse perquiras à me, si ager mundus est, quisnam sit figulus, qui mundi possit habere dominatum? Nisi fallor, ipse est figulus, qui vascula corporis nostri fecit ex limo, de quo dicit Scriptura, Et fecit Deus hominem de limo terræ: ipse est figulus, qui carnium nostrarum cœnosum lutum vapore sui spiritûs animavit, & materiam fluidam atque terrenam igneo calore decoxit: ipse, inquam, est figulus, qui nos per manus suas formavit ad vitam, per Christum suum reformavit ad gloriam, sicut ait Apostolus, Ad eamdem imaginem reformamur de gloria ad gloriam: scilicet, ut qui à priore factura propriis vitiis corruimus, in secunda nativitate figuli hujus misericordiâ reparemur: hoc est, qui per Adæ transgressionem in mortem cecidimus, per Salvatoris gratiam denuo resurgamus. Ipse planè est figulus, de quo dicit Apostolus, Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me finxisti sic? Et iterum: Numquid non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis nostri Deus, tamen pro meritis singulorum, alios custodit ad regnum, alios reservat ad pœnam.

Figulus, mundi Dominus. Gen. 2. 7. 2. Cor. 3. 18. Rom. 9. 20.

[a] In MSS. desunt voces, *proximâ Dominicâ*; & in editis particula *jam*.
[b] In MSS. Navarræo & Corb. *ut qui se mutaverat per pecuniam, mutaret & vitam.*
[c] Apud S. Maximum, *mortuos pretiosa passione.* In uno MS. *mortuis pretiosam passionem* &c.
[d] Ita editi. At apud Maximum, *Non enim redemti estis corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso* &c. MSS. autem *Non enim redemti estis auro vel argento & reliqua.*

CLASSIS I.

4. Istius itaque figuli ager Christi sanguine emtus est peregrinis: peregrinis, inquam, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exsules jactabantur, requies Christi sanguine providetur: ut quibus non est in mundo possessio, his in Christo sit sepultura. *Peregrini, devoti Christiani.* Istos autem peregrinos quos esse dicimus, nisi devotissimos Christianos; qui renuntiantes sæculo & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem. Ideo autem peregrinis Christi sepultura promittitur; ut qui se à carnalibus vitiis tamquam peregrinum & alienum custodierit, hic Christi requiem mereatur. *Iis Christus est sepultura.* Sepultura enim Christi quid est aliud, nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tamquam hospites in hac luce versamur, sicut ait Apostolus dicens, *2. Cor. 5. 6.* Etenim dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Peregrini, inquam, sumus, & nobis Salvatoris [a] sanguinis pretio emta est sepultura. *Rom. 6. 4.* Consepulti enim sumus, sicut ait Apostolus, cum illo per baptismum in mortem. Baptismum igitur Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientiâ resolutâ in alteram nativitatem redivivâ infantiâ reparamur. Baptismum, inquam, Salvatoris nobis est sepultura: quia ibi perdimus quod antè viximus, & ibi denuo accipimus ut vivamus. Magna igitur sepulturæ hujus est gratia, in qua nobis & utilis mors infertur, & utilior vita [b] donatur. Magna, inquam, hujus gratia sepulturæ, quæ & purificat peccatorem, & vivificat morientem; adjuvante ipso, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO LXXXI.

** Aliàs de Tempore 209.*

De verbis Evangelii Marci 8. Cùm turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, &c.

In Appendice nunc primùm collocatur. Inter Augustinianos absque Augustini nomine tamquam dubius relictus erat per Lovanienses. Sed meritò postea fuit repudiatus per Verlinum & Vindingum, qui damnatum hic Eutychetis errorem, aliquantò post Augustini obitum exoriri cœpisse observabant. Exordium capitis 1. & 2. sumsit auctor ex Augustini Sermone de diversis aliàs quinto, qui incipit, Multis & variis modis & altitudinem divinitatis suæ, &c.

CAP. I. *Christi divinitas & humanitas in multis elucet.*

1. ALTITUDINEM divinitatis suæ & misericordiam humanitatis multis & variis modis in Scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus ostendit, quemadmodum solet in mysteriis & sacramentis; ut & petentes accipiant, & quærentes inveniant, & pulsantibus aperiatur. Omnia enim quæ in hoc mundo sub fragilitate nostra exhibuit miracula, nobis proficiunt. Non utique sine caussa faciebat ea Dominus, vel quasi frustrà & inaniter. VERBUM DEI est Christus, qui non solùm sonis, sed etiam factis loquitur hominibus. Hoc enim etiam quod hodie de sancto Evangelio lectum est, quærit intellectorem: & cùm fuerit intellectum, spiritale facit gaudium. [*Et in hac lectione simul consideranda est in uno eodemque Redemtore nostro disjuncta operatio divinitatis & humanitatis, atque omnimodis detestandus error Eutychetis, qui unam tantùm in Christo dogmatizare præsumit operationem. ** Beda in hunc locum. Eutychetis error rebellitur.* In alterutra enim parte vel qui solum hominem fuisse dixerit, gloriam negabit Conditoris; vel qui solum Deum, negabit misericordiam Redemtoris. Nempe quòd super turbam miseretur Dominus, ne vel inediâ, vel longioris viæ deficiat labore, noverimus affectum esse atque compassionem humanæ fragilitatis: quòd autem de septem panibus & paucis piscibus satiavit quatuor millia hominum, credimus divinæ opus esse virtutis.]

CAP. II.

2. Attendat ergo Sanctitas Vestra, quia hoc nobis propositum est, quod cum Vestra Caritate tractemus, quid sibi velit hujus rei tantum mysterium, quòd eo modo se Deum discipulis demonstrasse sancta testatur Scriptura, quo modo Evangelium narrat. Ait enim Evangelista in hodierna lectione, *Marci 8. 1 & 2.* *Cùm multa turba esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis, Misereor turbæ huic.* Sed requiramus quod ait superiùs, *Marci 7. 1. &c.* *In illis diebus cùm turba multa esset.* Superiùs enim accesserunt Judæi ad Salvatorem, accusantes discipulos ejus, eo quòd non lotis manibus manducarent. Quos Dominus redarguit, quia quæ de corde mala procedunt, ea potiùs hominem coinquinarent. *℣. 24. &c.* Et relictis illis, venit in finibus Gentium, ubi mulier Chananæa, quæ est mater gentilium, pro filia sua, id est, Ecclesia, Dominum deprecatur: quæ tamdiu postulavit, donec acciperet quod petebat. Post hæc iterum curavit mutum & surdum. *℣. 31.* Ergo in his diebus cùm multitudo populi concurrisset, *nec haberent quod manducarent*: *Turbæ, Gentes.* turbas enim hîc omnes gentis significare creaturas intelligimus, pro quibus ipse Dominus misericordiâ commovetur, *quòd non haberent quod manducarent*: hîc spiritaliter debemus intelligere; quòd ideo *non habebant quod manducarent*: *Cibus quo carebant, Lex Moysi.* quia Gentes Legem non habebant, id est, quinque libros Moysi, non Prophetas, non prædicationem sancti Johannis; quia Gentes non per Legem, sed per fidem venerunt ad Redemtorem. Ideo triduò perseverant, hoc est, in nativitate, in passione, in resurrectione Domini; sive in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto. Perseverare enim, permanere est in confessione, sicut ipse Dominus ait: *Matth. 10. 22.* Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Dicit ergo Dominus, *℣. 2.* *Non habent quod manducent*; quia Legem non habent: *℣. 3.* *& dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via*; ut qui per fidem Christi crediderunt, per fidem Christi salvarentur. ** Quidam autem ex his de longè venerunt.* ** CAP. III.* Longè enim erant Gentes à Deo, errando per idola. Et modò omnis qui peccat, longè est à Deo.

3. *Dicunt discipuli ejus, Unde istos quis poterit saturare panibus in solitudine?* *℣. 4.* Adhuc Apostolos tenebat incredulitas, donec mysteria revelarentur: nec recordabantur quod fecerat de quinque panibus & duobus piscibus. *Et interrogavit eos Jesus quot panes haberent. Qui dixerunt, Septem.* *℣. 5.* ** Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.* ** ℣. 6.* *Et accipiens panes gratias egit, & dedit discipulis suis ut apponerent.* ** Et pisces similiter benedixit, & posuit ante illos.* ** ℣. 7.* ** Et manducaverunt, & saturati sunt, & sustulerunt septem sportas plenas.* ** ℣. 8.* ** Erant autem qui manducaverunt quasi quatuor millia; extra mulieres & infantes.* ** ℣. 9.* Et virtutes quidem Domini manifestissimè credimus esse factas in præsenti: sed quid lateat in mysterio, ipsius gratiâ donante requiramus.

4. In superiori enim lectione de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satiavit: *Duplicis panum multiplicationis collatio.* hîc septem panibus saturavit quatuor millia hominum. Ibi discipuli suggerunt Domino, dicentes; *Marci 6. Matth. 14. 15.* Locus desertus est, & hora præteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas: hîc penitus tacent discipuli; sed ipse Dominus pro eis sollicitus est. Videamus quare tacent. Quia necdum missi fuerant prædicare Gentibus, sed potiùs ad oves perditas domûs Israël. ** CAP. IV. Prima Judæos, altera Gentes exhibet.* *Prior ergo illa parabola pertinet ad Judæos; ista verò ad Gentes. Ibi quinque panes fuerant, hoc est, quinque libri Moysi: hîc verò septem panes, qui sunt septiformis Spiritûs dona, sicut ait sanctus Isaias propheta, *Isai. 11. 2. & 3.* Spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Ibi duodecim cophini pleni Spiritu sancto: hîc septem ecclesiæ, sive septem candelabra aurea. Ibi duo pisces, qui sunt duo Testamenta, sive unus liber omnium Prophetarum, * vel sancti Johannis prædicatio: ** f. &* hîc indefinitus numerus ponitur, quæ sunt dona gratiarum, sicut ait Apostolus, *1. Cor. 12. 8. &c.* Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii prophetia, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: omnia verò hæc operatur unus atque idem Spiritus. Ibi super fœnum recumbunt; & hîc super terram. Utrimque una conversatio, una gratia, una virtus, una deitas. Ibi super fœnum discumbunt, hoc est, mortificata opera carnis; quia, Omnis caro fœnum, ait Propheta: *Isai. 40. 6.* hîc super terram discumbunt, id est, opera terrena conculcant. Ibi quinque millia refecti, qui numerus pertinet ad Judæos; nam post adscensionem Domini, loquente sancto Petro, quinque millia sunt baptizati: *Act. 4. 4.* hîc autem quatuor millia, hoc est de tota terra omnes Gentes à quatuor cardinibus cæli, de septifor-

a Hæc verba *sanguinis pretio* ex editione Maximi hausimus, cùm in ceteris editis & MSS. nostris desiderentur.

b Ita MS. Corb. Alii, *condonatur*.

Classis I.

mi sancti Spiritûs gratiâ esse repletas in vitam æternam.

5. Et ideo, Dilectissimi, nos qui non per Legem, sed per fidem credimus in Domino nostro Jesu Christo, qui non ex operibus, sed ipsâ gratiâ sumus redemti, qui non ex quinque panibus, id est, ex quinque libris Moysi, sed ex septiformi gratia Spiritus-sancti sumus repleti, sicut beatus Isaias prophetaverat, dicens, Spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit illum spiritus timoris Domini. In hac ergo septiformi Spiritus-sancti gratiâ maneamus, in qua vocati sumus, repleti dono Spiritus-sancti, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus-sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Isai. 11. 2. & 3.

*SERMO LXXXII.

* Olim de verbis Domini 19. & post in Appendice 3.

De verbis Evangelii Lucæ 3. Venerunt autem & Publicani ad Johannem &c.

Pridem rejectus à Lovaniensibus fuit, qui Maximi episcopi esse, ac inter Ambrosianos reperiri monuerunt. Augustino in MSS. bene multis constanter adscribitur. Certè quidem non ad Augustinum, sed fortè nec ad Maximum pertinet.

1. NONNULLI fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cùm peccant graviter, hac solent à peccatis suis primâ se voce excusare, quòd militant: & ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur: [a] perinde quasi militia hominum, non voluntas in culpa sit; ita quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt. Non enim militare, delictum est; sed propter prædam militare, peccatum est. Nec rempublicam gerere, criminosum est; sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim providentiâ quadam militantibus sunt stipendia constituta; ne dum sumtus quæritur, prædo grassetur. Illud autem quale est quòd cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas pervaserit; cædem cur turbulentus admiserit; statim respondeat, Quid habebam facere, homo sæcularis & miles? Numquid monachum sum professus, aut clericum? Quasi omnis qui clericus non est aut monachus, possit ei licere quod non licet. Cunctis igitur officiis, sacris in litteris, præscribitur norma vivendi, omnis ad bene vivendum provocatur sexus, ætas & dignitas. Igitur nemo se excuset publicis actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. APUD OMNEM Christianum prima honestatis debet esse militia.

Conditio nulla excusat peccatorem.

Stipendia.

Militia Christiani prima.

2. Nam ut id quod dicimus, auctoritate Evangelica comprobemus, videamus lectionem, quæ paulò antè decursa est: ait enim Evangelium, *Venerunt autem & Publicani ad Johannem, ut baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum, Magister, quid faciemus? * At ille dixit, Nihil amplius exigatis, quàm quod constitutum est vobis.* Honesta planè publicanorum interrogatio, ac sancti Prophetæ justa responsio. Illi enim sollicitè interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo peccatum incidant, aut cessantes publicam decipiant functionem: hic autem moderatè præcipit, ut & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit, Nihil exigatis: sed, *nihil amplius exigatis.* Unde intelligimus, quòd apud Deum non tam exactio, quàm exactio iniqua damnetur; dicit enim ipse Dominus, Reddite quæ Dei sunt, Deo: & quæ Cæsaris, Cæsari. Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod Imperator indicit, tolerandum est: sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. Hoc autem quale est, quòd iidem ipsi qui hujus modi necessitates procurant, peccatis suis peccata congeminant: hoc est, quòd fraudes suas ac rapinas commodum vocant, cùm ipsâ prædâ inferatur incommodum? Illud autem addunt sceleribus suis, ut quos indefensos viderint, ipsos potiùs persequantur; & putant se necessitates decepisse publicas, nisi domos deceperint orphanorum: ita quorum pater ante biduum forsitan fuerit amicus, collega, vel frater, interveniente morte, ejusdem liberi habeantur tamquam ignoti, viles & miseri. Vidua autem si qua fuerit, aut sic injuriis exagitatur ut nubat; aut si voluerit in castitatis permanere proposito, dando munera in facultate vix permanet. Cùm his ergo fraudibus repleverint sacculos suos, videas illos lætos & accuratos ad ecclesiam properare, & Deo gratias agere, quasi ab ipso illis hæc pecunia conferatur; illud quoque peccantes, quòd rapinarum suarum Deum volunt esse participem.

Lucæ 3. 12.

v. 13.

Vectigalia justa.

Matth. 22. 21.

Prædones publici.

Serm. de Scripturis.

3. Dicit enim sanctum Evangelium, *Interrogaverunt illum & milites, Quid faciemus & nos? Ait illis* Johannes, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: sed contenti estote stipendiis vestris.* Hîc jam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, qui armatâ militiâ detinentur; sed quisque militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles adscribitur: atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratiâ, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus. Quicumque stipendia sibi publicè decreta consequitur, si ampliùs quærit, tamquam calumniator & concussor Johannis sententiâ condemnatur. Usque adeo autem hoc inolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrũpantur jura, sententia ipsa venalis sit, & nulla jam caussa possit esse sine caussa.

Luc. 3. 14.

Militantium nomen ad plures extenditur.

4. Hæc autem divina sententia quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri: quia etiamsi non militare videamur sæculo; tamen Deo & Domino militamus, sicut ait Apostolus, Nemo militans Deo, obligat se negotiis sæcularibus: videmur, inquam, non militare remissis ac fluentibus tunicis: sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora constringimus; de quo cingulo Dominus ait ad Apostolos suos, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab [b] ipso donativumque percepimus, sicut dicit beatus Apostolus, Qui dedit nobis pignus Spiritûs: hoc est, qui Spiritus-sancti nos remuneratione ditavit. Si quis ergo Christianorum hoc donativo contentus fortè non fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipso carere quod meruit. Quod specialiter contingit hæreticis Arrianis: dum enim nescio quid amplius quærunt, invenientes erroris spiritum, gratiam sancti Spiritûs perdiderunt. Nam & catholicus clericus hac sententiâ retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario, Domino jubente, consequitur; sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur: hic negotiator magis potest videri, quàm clericus. Nec dicere possumus, Nemo nos [c] invasores arguit, violentiæ nullus accusat: quasi non interdum majorem prædam à viduis blandimenta eliciant, quàm tormenta. Nec interest, apud Deum utrùm vi an circumventione quis res alienas occupet, dummodò quoquo pacto teneat alienum.

Clerici, milites.

2. Tim. 2. 4.

Cingulus eorum.

Luca 12. 35.

b Stipendium.

Clericus non clericus.

c

*SERMO LXXXIII.

* Antè 14. ex Vignerianis.

De verbis Evangelii Lucæ 7. Venit mulier quæ erat in civitate peccatrix.

Quatuor in MSS. inventus est: Regius Augustino, duo Corbeienses Cæsario tribuunt; Navarricus autem codex ipsum habet absque auctoris nomine.

1. JAM dies jejunii, Fratres carissimi, dies obsecrationis, & ut manifestiùs dicam, pænitentiæ nobis tempus advenit. Omnes debemus agere pænitentiam; quia omnes erravimus. Nam si Scripturæ testimonio nec unius diei infans mundus est; quis se immunem audebit profiteri, pænitentiæ remedia refutare, quæ etiam sanctis intelligit profuisse? Dies jejunii, dies reconciliationis sunt. Nam per escam in Adæ peccatum incidimus; & per jejunium Deo reconciliati sumus in Christo, sicut Apostolus ait, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Exigit à nobis Deus jejunium; ut [d] gulæ laqueus, quo Adam strangulatus fuerat, dissolvatur: & non solùm nos à cibis vult abstinere, verùm & à vitiis & malitiis. Denique per Prophetam clamat Dominus dicens, [e] Definite à malis ve-

Pænitentia omnibus agenda est.

Iob. 14. 5.

2. Cor. 5. 19.

d

e Isai. 1. 16. & 17.

a In MSS. plerisque, *proinde.*
b Ita editi: at MSS. *donumque percipimus.*
c Apud Ambrosium, *invasionis.*

d In MSS. Corb. *ut gula locus* mendosè. Meliùs Navarr. *ut gulæ nodus.*
e Ita Reg. codex. At MSS. Corb. hîc & paulò superiùs, *Definite à maleficiis.* Navarr. autem, *Discedite à malitiis.* Porrò LXX. *Quiescite à malitiis,*

CLASSIS I.

ſtris, diſcite bonum facere. Quid enim prodeſt abſtinere à carnibus, & carnalia opera non deponere, dicente Domino Jeſu, Non coinquinat hominem quod intrat in ore, ſed quod exit de ore? Hinc enim Deus jejunia Judæorum reprobavit; quia ab eſcis, non à peccatis abſtinendum eſſe dixerunt. Unde & increpat eos dicens, In diebus enim jejuniorum veſtrorum inveniuntur voluntates veſtræ, & omnes debitores veſtros repetitis. Abſit hoc à populo Chriſtiano, qui jejunii tempore nihil aliud novit, niſi miſericordiam, qua ipſe ſervatus eſt. Et ideo quia jejunii tempus inſtat, accedamus ad menſam Domini, & reficiamur convivio Chriſti; ut quemadmodum Elias, in virtute illius eſcæ longa poſſimus jejunia tolerare.

A quibus præcipuè jejunandum. Matth. 15. 11. Iſa. 58. 3.

2. Audiſtis in Evangelio quòd recumbente Domino in domo Phariſæi, *Venit mulier quæ erat in civitate peccatrix, deferens ſecum alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & unguento ungebat.* Non mediocre ſit hoc myſterium. Cernimus quod in domo Phariſæi, hoc eſt, in Synagoga Dominus recumbebat; non requieſcebat. Quemadmodum autem in Synagoga requieſcere poterat, in qua humilem & quietum, ſuper quem requieſceret, invenire non poterat? *Ecce mulier peccatrix.* Quæ eſt iſta mulier, niſi Eccleſia ex Gentibus, quæ peccatrix erat, quamdiu non advenerat remiſſio peccatorum? At ubi venit Dominus, acceſſit ad baptiſmum; & facta eſt ſine macula, ſine ruga. Agnum etenim immaculatum ſequendo depoſuit omnes maculas peccatorum. Acceſſit peccatrix ſecus pedes Chriſti. Peccator ad pedes accedit; juſtus ad caput: peccator lacrymis lavat pedes Domini; juſtus autem omne corpus ejus pretioſo perfundit unguento. Sed ignarus myſterii Phariſæus dicebat intra ſe, *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum.* Malè iſte incredulus æſtimabat Dominum à ſe debere peccatores expellere: qui enim venerat non vocare juſtos, ſed peccatores, quomodo poterat peccatorum conſortia declinare? Non coinquinatur à peccatoribus, qui tactu corporis ſui peccatores emundat. Fons æternus non poteſt ſordidari, ſed inundatione ſua abluit univerſos.

Lucæ 7. 37. Mulier peccatrix, Eccleſia. ℣. 38. ℣. 39.

3. Ideo converſus ad mulierem dixit Simoni, *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam: aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem lacrymis ſuis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.* * *Oſculum mihi non dediſti; hæc autem ex quo intravi, non ceſſavit oſculari pedes meos.* * *Propter quod tibi dico, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ingreſſus Dominus domum Phariſæi, aquam pedibus ſuis non quæſivit; quia eos peccatorum lacrymis reſervabat: oſculum Phariſæi non deſideravit; quia dignius peccatorum oſculum judicabat: immo caput ſuum & unguento noluit perungui, ne impinguaretur oleo peccatoris. Omnes enim in Chriſto unum corpus ſumus, ſed diverſa membra, alia infirmiora, alia fortiora. Os ejus erat beatus apoſtolus Paulus, qui dicebat, An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? Manus ejus ſunt Apoſtoli venerabiles, per quas multas ſanitates & innumera operatus eſt mirabilia. Scapulæ ejus ſunt Martyres ſancti, in quibus eſt à diverſis perſecutoribus flagellatus; denique per Prophetam ait, Poſui ſcapulas meas in flagella. Si enim ſuperiora ejus membra ſunt Sancti, pedes Domini quos alios niſi peccatores poſſumus æſtimare, quos Eccleſia ſancta ſuis lacrymis delinit, & pretioſo miſericordiæ fovet unguento? Noli hos ſpernere peccatores, quia pedes Chriſti ſunt; ſed require eos diligentiùs, require in carcere, require in cuſtodiis, require pauperem & egenum; & cùm inveneris, miſericordiæ his oleum præbe, mitte in pedes Chriſti unguentum: ut & de te dicatur, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm: cui enim minùs dimittitur, minùs diligit.* Et ideo, Fratres, plus diligamus; quia plus dimiſſum eſt nobis, & plura præſtemus, à Domino miſericordiam conſecuturi: cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

*℣. 44. * ℣. 45. * ℣. 47. Rom. 12. 4. & 5. Os, manus, ſcapulæ, & pedes Chriſti. 2. Cor. 13. 3. Iſa. 50. 6. juxta LXX. ℣. 47.*

SERM. DE SCRIPTURIS.

*SERMO LXXXIV.

De verbis Evangelii Lucæ 7. Domine, doce nos orare, &c. *cum expoſitione orationis Dominicæ.*

Totus exſcriptus eſt ex Ambroſii libro 5. de ſacramentis, cap. 4.

** Olim de verbis Domini 28 & poſt in Appendice 5.*

1. APOSTOLI ſancti dicebant ad dominum Jeſum, *Domine, doce nos orare, ſicut Johannes docuit diſcipulos ſuos.* Tunc ait Dominus orationem, *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* * *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* * *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne patiaris nos induci in tentationem, quam ferre non poſſumus: ſed libera nos à malo.* Vides quàm brevis oratio, & omnium plena virtutum? Primus ſermo, quantæ gratiæ? O homo, faciem tuam non audebas ad cælum adtollere, oculos tuos in terram dirigebas; & ſubitò accepiſti gratiam Chriſti, omnia tibi peccata dimiſſa ſunt: ex malo ſervo, factus es bonus filius: ideo præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia; Gratiâ enim ſalvati eſtis, Apoſtolus ait. Non ergo hîc arrogantia eſt, ſed fides: prædicare quod acceperis, non eſt ſuperbia, ſed devotio. Ergo adtolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit, ad Patrem qui per Filium te redemit, & dic, *Pater noſter.* Bona præſumtio, ſed moderata. Patrem dicis, quia filius, ſed noli tibi aliquid ſpecialiter vindicare. Solius Chriſti ſpecialis eſt Pater, nobis omnibus in commune eſt Pater: quia illum ſolum genuit, nos creavit. Dic ergo & tu per gratiam, *Pater noſter*, ut filius eſſe mereatis; [a] Eccleſiæ contuitu & conſideratione te ipſe commenda. *Pater noſter qui es in cælis.* Quid eſt, *in cælis?* Audi Scripturam dicentem, Excelſus ſuper omnes cælos Dominus. Et ubique habes; quòd ſuper cælos cælorum Dominus ſit: quaſi non in cælis & Angeli, quaſi non in cælis & Dominationes; ſed in cælis illis, de quibus dictum eſt, Cæli enarrant gloriam Dei. Cælum eſt ibi, ubi culpa ceſſavit. Cælum eſt ibi, ubi flagitia non ſunt. Cælum eſt ibi, ubi nullum mortis eſt vulnus.

*Lucæ 11. 1. ℣. 2. * ℣. 3. * ℣. 4. Epheſ. 2. 8. Matth. 6. 9. Deus Chriſti ſpecialis Pater, noſter in communi. Pſal. 112. 4. Cælum, ubi abeſt culpa. Pſal. 18. 2.*

2. *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen* [b] *ſanctum tuum in nobis.* Quid eſt, *Sanctificetur?* Quaſi optemus, ut ſanctificetur ille qui ait, Eſtote ſancti, quia & ego ſanctus ſum: quaſi aliquid ei ex noſtra precatione ſanctificationis accedat? Non: ſed ſanctificetur in nobis, ut ad nos poſſit ejus ſanctificatio pervenire. *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen ſanctum tuum in nobis. Adveniat regnum tuum.* Quaſi non ſempiternum ſit Dei regnum. Ipſe Dominus dicit, Ego in hoc natus ſum; & tu dicis, *Pater, veniat regnum tuum:* quaſi non venerit? Sed tunc venit regnum Dei, quando eſtis gratiam ejus conſecuti: ipſe enim ait, Regnum Dei intra vos eſt. *Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* * *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sanguine Chriſti pacificata ſunt omnia, vel in cælo, vel in terra, ſanctificatum eſt cælum, dejectus eſt diabolus. Ibi verſatur, ubi & homo quem ille decepit. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra:* hoc eſt, ſit pax in terra, quemadmodum in cælo.

*℣. 2. Levit. 19. 2. Johan. 18. 37. Regnum Dei gratia. Lucæ 17. 21. ℣. 2. * ℣. 3. Coloſſ. 1. 20.*

3. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Memini ſermonis mei, cùm de ſacramentis tractarem: dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur; ubi Chriſti verba depromta fuerint, jam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in Oratione Dominica, quæ poſtea ſequitur, ait, *Panem noſtrum?* Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt, ſuperſubſtantialem. Non iſte panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ideo ergo Græcè ἐπιούσιον dicitur: Latinus autem hunc panem *quotidianum* dixit: quia Græci dicunt advenientem [c] diem. Ergo quod Latinus dixit & Græcus, utrumque utile videtur: Græcus utrumque uno ſermone ſignificavit; Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt? ACCIPE QUOTIDIE,

Conſecratio corporis Chriſti. De conſ. diſt. 2. Non iſto. 4. ſen. diſt. 12. Quid autem. Græcis communio rara. Quotidiana ſuadetur. Ubi ſuprà.

[a] Ita Lov. cum MS Colbertino. At hæ duæ voces, *Eccleſiæ contuitu*, in aliis editis ac MSS. puncto dividuntur: & plures MSS. habent *conſuere*, pro *contuitu*.

[b] Hæc verba, *ſanctum* & *in nobis*, hîc & infrà Lovanienſes omiſerunt.

[c] MSS. plerique omittunt vocem, *diem*: quæ tamen exſtat apud Ambroſium.

quod

Classis I.

quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non Job. 1. 5. meretur post annum accipere. Quomodo sanctus Job quotidie pro filiis offerebat sacrificium, ne fortè aliquid vel in corde vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quòd quotienscumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum ; & panem istum vitæ nostræ [a] quotidianum non assumis ? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus : medicina est cæleste & venerabile sacramentum. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Tibi hodie est Christus, Psal. 2. 7. tibi quotidie resurgit. Quomodo ? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie est, quando Christus resur- Hebr. 13. 8. git. Heri & hodie ipse est, Paulus apostolus ait. Sed & alibi dicit, Nox præcessit, dies autem appropinqua- Rom. 13. 12. vit. Nox hesterna præcessit, dies hodiernus appropinquavit.

℣. 4. 4. Sequitur, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Debitum quid est, nisi peccatum ? Ergo si non accepisses alieni fœnoris pecuniam, non egeres : & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Dives eras, ad imaginem Dei & similitudinem factus, perdidisti quod ha- Gen. 1. bebas, hoc est, humilitatem : dum [b] arrogantiam desideras vindicare, perdidisti pecuniam. Sicut Adam nu- Gen. 3. dus es factus, accepisti à diabolo debitum, quod non erat necessarium : & ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diabolo. Cautionem tuam tenebat inimicus : sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore delevit ; abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. Bene ergo ait, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vide quid dicas. Quomodo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene convenit, ut dimittatur tibi : si non dimittis, quomodo eum convenis ? *Et ne patiaris nos induci in tentationem quam ferre non possumus : sed libera nos à malo.* Vide quid dicat, *quam ferre non possumus.* Non dicit, non inducas nos in tentationem : sed quasi athleta talem vult tentationem, quam ferre possit humana conditio, & unusquisque ut *à malo*, hoc est, ab inimico, & à peccato liberetur. Potens est autem Dominus qui abstulit peccatum vestrum, & delicta vestra donavit, tueri & custodire vos adversùm diaboli adversantis insidias ; ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare Rom. 8. 31. consuevit. Sed qui Deo se committit, diabolum non timet : si enim Deus pro nobis, quis contra nos ? Ipsi ergo laus & gloria à sæculis, & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

[*] Aliàs de Tempore 171.

* SERMO LXXXV.

De verbis Evangelii Lucæ 11. Quis vestrûm habebit amicum *&c. deque Joban.* 16. Usque modò nihil petistis, *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius in Lovaniensium editione remanserat : supposititius postea Verlini & Vindingi sententia declaratus est, neminem jam, opinamur, qui in Augustini lectione tantisper versatus fuerit, vindicem habiturus.

Grandi Dei incitamenta. 1 SUAVIS Dominus & mitis, Fratres carissimi, habet januam pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpat potiùs negligentes. Neque enim aliquid petitur quod non habeat, ut cùm non dederit, Pius & dives Deus. erubescat. Dives est & pius, affluens & benignus ; dat & non improperat : immo tunc thesauri domûs ejus tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia Johan. 16. 24. petitionum. Ipse Dominus dicit, *Usque modò nihil petistis. Petite, & accipietis ; pulsate, & aperietur vobis.* Ego sum ostium & janua. Quare trepidat pulsando manus Facilis accessus. vestra, & dormitat in mendicitate conscientia vestra ? Ego sum janua vitæ, non horresco sordidum pulsatorem, non pauperem repudio petitorem : tantùm nemo suam negligat paupertatem. *Pulsate, & aperietur.* Stant Angeli ad januam ; ut introducant, non ut repellant ; ut suggerant, non ut terreant. Nulla est pompa in janua mea. Ego sum janua, qui sustinui crucis ignominiam. Quare timeant petentes egentiam, cùm nulli aliquando denegavit misericordiam ? Quis speravit in Domino, & confusus est ? Si pulsant qui desiderant castitatem, dat eis continuò gratiam & sanctitatem, & dicit eis, Nolite ambulare polluti, nolite incedere maculosi. Levit. 19. 2. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Si accedat pupillus parva manu pulsare januam paternam, nuntiant Angeli promti. eum Angeli Domino : Pupillus pulsat, defensionis pietatem exspectat, responde illi, Domine : Tibi enim dere- Psal. 10. 14. lictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Respondet illi qui dives est, misericordiâ plenus, qui miseris pater est : Ego sum judex viduarum, & pater orphanorum. Nemo lædat quos ego suscipio, nemo exspoliet quos ego defendo. Et qui accesserint ad ipsam januam, quamvis dividant vocem disparis precis, tamen ab unius divitis patris-familiâs domo omnes accipiunt pietatem. Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus videns januam suam à petitorum voce, à pulsantium clamore silere, invitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. Petite ; & si non Oratio sit instans & perseverans. acceperitis, adhuc petite, & perseverate pulsare. Nolite deficere ; quia non necat Deus fame animam justi. Qui tamen voluerit esse dulciter humilis & benignus, securus tamquam in tutissimo portu consistit.

Lucæ 11. 5. 2. Opponit ergo parabolam cujusdam hominis, cujus hospes improvisus advenit & hospes hospitem excepit ; passus est verecundiam, abiit continuò ad domum divitis magnam ; non sine sacramento tres petit panes ; quia unus hospes erat gratia pietatis, sed substantia Trinitatis mysterium. Gen. 18. Trinitatis. Nonne unus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham ? Hospes & amicus, pransor & mansor : & omnia illi in trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia Trinitatis gloria refulget. Trimum adtulit vitulum pater, tres mensuras similaginis conspersit futura mater, paritura filium pro quo pater mactaret agnum, & ipsa corpus Christi in trinitate jam fecerat sacramentum. Ita & iste amicus, veniente hospite ; pergit ad domum divitis, & trium panum allegat necessitatem : pulsat, & nullus respondet de janitoribus, quia omnes tenuerat somnus ; non Angeli, non Archangeli, non Prophetæ, non ministri. Et ille pulsat, quamvis nemo respondeat.

3. Quandoque pater-familiâs ad importunitatem pulsantis respondit illi de interioribus sacris, de throno quietis, Quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore ? Dies fuit, & in lumine non ambulasti ; nox su- Lucæ 11. 7. pervenit, & pulsare cœpisti. Excusat tempus quod improbus quærit affectus : jam pueri quiescunt, & non est dignum, ut propter te injuriam patiantur : antè quàm venires, diutiùs vigilaverunt ; modò pro tempore quieverunt, non est qui possit tibi dare responsum. Et ille ; Domine, à te peto, ad te pulso, immo te pulso : tu es janua, tu surge, da mihi misericordiam, qui non es dedignatus de luto limi formare viscera mea. Ministerio non indiges, quia omnia potes. Sed si pueri tui dormiunt, tu non dormis, qui custodis Israël. Gratìs peto, sub gratia mendico, non sub Lege præsumo. Sed si Lex & Prophetæ usque ad Johannem ; sed tua gratia non habet finem. Quò devenerunt pueri tui, Prophetæ tui, & ego novi : sed tu, Domine, qui es ini- Apoc. 1. 19. tium & finis, primus & novissimus, noli ad me tædiare novissimâ horâ noctis petentem, qui nocte media captivam duxisti captivitatem. Quid faciet pater-familiâs tanti perseveratoris voce constrictus ? Non excitat Prophetam, non immittit Angelum, non Archangelum : ipse surget, & dabit illi quantum desiderat. Bene pertinax ille petitor & nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedavit, dives factus refecit ; nec hospes ab hospite irrefectus discessit.

4. Quis est iste hospes, rogo vos, Fratres ; qui in nocte venit, & imparatum hospitem invenit : immo ideo nocte venit hospes in perpetua & deficiente paupertate ? In nocte venit hospes, gratia in summa ignorantia, Hospes in nocte, gratia in ignorantia. in magna egentia : immittit tristitiam, quando dicit Psal. 117. 5. nocturnus petitor, In tribulatione invocavi Dominum, Psal. 33. 20. & exaudivit me in latitudine. Et iterum, Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberavit eos Dominus, quoniam proximus est. Ideo hospes supervenit

[a] In MSS. nonnullis, *quotidie.*

[b] MSS. non pauci, *arrogantiâ.* Duo alii, *dum tè per arrogantiam.*

CLASSIS I.

improvisus subitò, cùm quispiam tædio afficitur pressurarum. Supervenit illi orandi desiderium, flendi arripiens votum. Illâ horâ hospes venit gratia: ut compungat conscientiam, ne in sua moriatur egentia; sed eat & petat ad divitem, non suis meritis, sed meritis hospitis venientis, & accipiat tres panes: ut in Patre & Filio & sancto Spiritu possit & ipse pascere ceteros indigentes. Quidquid boni cogitaverit homo subitò corde percussus, sciat quia hospes ille venit de cælo. Et bene venit, qui nocte venit: in tribulatione subvenit, non ingerens tædium, sed affectum. Et quia Dominus Christus ad discipulos suos clausis ostiis in tribulatione venit, non speratus, sed optatus, salutavit in pace; & hospes hospites suos refecit in pace: nonne est iste hospes qui dicit, Ecce sto & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo ego & Pater meus? Quàm bona domus, ubi Pater & Filius ingreditur hospes amicus, qui & Spiritus sanctus! Ipse ibi exhibet in domo pauperis, in hospitio puritatis diversa pulmentaria, propter cœnam Dominicam. Quæ sunt ista pulmentaria? Gaudium, longanimitas, continentia, fides, castitas. Tantummodo non pigeat hospitem suscipere Dominum: ipse secum portat dulcedines deliciarum; ut pascat ibi lætantes exercitus Angelorum. Cum illo hospite pax est & jocunditas: qui venit ad hospitem suum, non torquere, sed pascere; non exspoliare, sed vestire; non percutere, sed sanare. Ipsum hospitem semper apertis cordis nostri januis suscipiamus, & numquam nobis dominetur tyrannus inimicus, & in omnibus, Christo donante, ejus mandata servemus.

(Margin: Hospes de cælo, bona cogitatio. — Johan. 20. 19. Christus. — Apoc. 3. 20.)

* SERMO LXXXVI.

(Margin: * Aliàs 48. ex 50. homil.)

De verbis Evangelii Lucæ 12. Hominis cujusdam divitis uberes adtulit possessio fructus, *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino & Vindingo spurius est. Quod hic n. 3. de decimis concionator admonet, in ætatem Augustini haud quaquam quadrat.

CAP. I.

1. HOMINIS *cujusdam divitis uberes adtulit possessio fructus, * & cogitavit apud se, dicens, Quid faciam, quoniam non habeo quo colligam fructus meos? * Et dixit, Hoc faciam, destruam apothecas meas & horrea, & majora ædificabo: ut illuc congregem fructus meos; * & dicam animæ meæ, Habes multa bona reposita, gaude & jocundare. * Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte exposcitur à te anima tua: ea quæ congregasti, cujus erunt?* O cæcitas avari, Fratres dilectissimi! Una nox ei superabat, & de multorum annorum vita satagebat. Gaudebat, quia multum sibi nascendum videbat; & non noverat quia nihil secum tollebat, sed hîc omnia dimittebat. [a] Nox ei vitam fugabat; & de crastino cogitabat. Quod in aliis exspectabat, in se non sperabat. Utique viderat & ille morientes, viderat possidentes; viderat neminem secum tollere terram. Quanti sunt & modò qui sic dicunt: Tantum habeo, tantum facio, tantum valeo? Quibus respondendum est, *Stulte, hac nocte anima tua aufertur à te; quæ congregasti, cujus erunt?* Lætatur dives stultus, nocte moriturus. Quantumcumque cupiditas radices suas ubique distendat, quantumcumque rapiat, necesse est in una hora totum dimittat.

(Margin: Lucæ 12. 16. * ỳ. 17. * ỳ. 18. * ỳ. 19. * ỳ. 20. — Avari cæcitas.)

2. Sed dicturus es, Habeo filios quibus laborem, habeo quibus prospiciam, habeo quibus curam maximam geram. Quam curam geris filiorum, ut eos obruas lacrymis miserorum? NON EST HOC filios amare, sed potiùs jugulare. Nescis quia arbor in fruge dignoscitur? Nescis quia quod in radice celatur, in ramis declaratur; & quod latet in foliis, enitescit in [b] pomo? Nolo te talem patrem sentiant liberi tui: nolo sic provideas, ut magis invideas. O quanti pauperes nascuntur, & postmodum divites efficiuntur: quanti quibus magna hereditas dimittitur, & postmodum ad penuriam rediguntur! Si ergo Dei est pauperem facere, Dei est ditare; cur providus filiorum exsistis? Cur rapis, quæ post te si fortè maneant nescis; & tibi perpetuam pœnam nutris, & filiis tuis dolorem dimittis? Dicit enim sapientissimus ille Salomon, Qui congregat aliena, relinquit filiis dolorem. Et rursum dicitur in Psalmis, Veruntamen [c] in imagine Dei perambulat homo, vanè conturbatur. Thesaurizat, & nescit cui congregat ea. Quid thesaurizas, avare, quod nescis? Quid auri argentique pondere delectaris, & condis? Quid imaginem regis sculptam servas in solidis; & imaginem Conditoris in hominibus detestaris?

(Margin: Avarus filios non amat. — Filiorum cura Deo committenda. — Eccli. 14. 15. — SERM. DE SCRIPTURIS. — Psal. 38. 7.)

3. Redde, dictum est, Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Domino decimas; modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus: hoc magis datur, quod pauperibus non erogatur. Noli, inquit Salomon, parcere thesauris tuis. Tribuendæ sunt eleemosynæ pro modo & quantitate, sicut scriptum est, Prout habueris, fili, fac eleemosynam: si exiguum habueris, ex ipso exiguo communica esurienti. Absconde eleemosynam in corde pauperis; & hæc pro te exorabit ad Dominum. Sed dixisti, habeo quibus dimittam. Pone quia habebunt filii tui quod dimittis; tu nihil habebis, quia nihil ante te misisti: de filiis curam gessisti; tibi autem prodesse noluisti. Ecce post te peregrini transeunt & isti; sine caussa cucurristi, cùm Apostolus dicat, Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre quid possumus; quia Domini est terra, & plenitudo ejus. * AUDIS, Sursum corda; & [d] curas dicere, Habemus ad Dominum. Si aliquid illuc misisti, habes quod ibi quæras: si nihil misisti sursum, non habes quod ibi quæras. In terra ubi posuisti, ibi quære: quia scriptum est, Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

(Margin: CAP. II. Matth. 22. 21. 16. q. 7. Majores. — Decimæ eleemosynæ largiendæ. — Eccli. 29. 13. — Tob. 4. 8. & 9. — Eccli. 29. 15. — Excusatio ab eleemosyna propter filios. — 1. Tim. 6. 7. — Psal. 23. 1. — * CAP. III. — Matth. 6. 21.)

4. Et Deus tibi audi quid dicat. Quid? Vis fœnerare, minus dare, & plus accipere? Ecce mihi da, dicit Dominus: ego accipio minus, & dabo plus. Quando quæris unde crescat pecunia, hominem quæris, qui quando accipit, gaudet; quando reddit, plangit: ut accipiat, precatur; ne reddat, calumniatur. Da quidem homini, & noli avertere faciem tuam ab eo qui mutuò petit; sed accipe quantum dedisti: nam & beneficium perdidisti, & si hoc ipsum quod daturus es, exigatur. Fortè ad manum non habet unde reddat: pertulisti petentem, exspecta non habentem. Noli clamare & dicere, Numquid fœnus quæro? Tantum peto, quantum dedi; hoc recipiam. Non es mentitus, verum dicis, non es fœnerator; & vis cui dedisti, quærat fœneratorem, ut tibi reddat. Sed si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem judicet Deus, premis, suffocas, exigis: si tantum exigis, quantum dedisti; suffocando tamen & in angustiis retinendo, beneficium non præstitisti, sed majores angustias intulisti. Sed fortè dicis, Habet unde reddere possit: habet possessionem; vendat: habet domum; vendat: habet familiam; vendat. Frater tuus quando te petiit, ideo te petiit ne venderet; propterea [e] non faciat, quia subvenisti, ne fieret. Hoc vult Deus, hoc jubet Deus. Sed si avarus es, modò audi quid ipse Dominus in Evangelio dicat, *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua à te: ea quæ præparasti, cujus erunt?* Sic est omnis qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.

(Margin: Fœnus licitum. — Debitores non nimium urgendi.)

* SERMO LXXXVII.

(Margin: * Olim de Sanctis 31. & post in Appendice 81.)

De verbis Evangelii Lucæ 13. Cui simile est regnum Dei *&c.*

Editus olim & inter Ambrosii Sermones, ejusque in MSS. nomine inscriptus reperitur; sed ibi aliquantò prolixior, incipiens ab hocce exordio: Libenter nos prædicare & gratanter opus Dei facere manifestum est: sed cùm videmus plures è fratribus pigriùs ad ecclesiam convenire *&c. Notaturque habitus in natali Laurentii martyris.*

1. DICIT Dominus in Evangelio, *Cui simile est regnum Dei? Et cui simile illud æstimabo? * Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit & facta est arbor, & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.* Movet fortasse sensus vestros, quare regnum Dei tam præclarum atque magnificum grano sinapis exiguo comparetur, & spei nostræ in se tam gran-

(Margin: Lucæ 13. 18. * ỳ. 19.)

[a] In MSS. Victorino, *Nox enim fugabat.* In aliis, *Nox autem fugabat.* In nullis *vox, vitam.*
[b] MSS omnes, *in poma.*
[c] Ita MSS. tres. Remigiensis autem, *imaginem Dei perambulat homo.* Editi verò, *in imagine pertransit.*
[d] In MSS. *& curris dicere.*
[e] Ita MSS. Editi autem, *non fecit.*

CLASSIS I. de ſolatium, rei viliſſimæ ſimile eſſe dicatur: præſertim cùm alibi idem Dominus diſcipulis ſuis dicat, Si ha-
Luc. 17. „ bueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti,
„ Tollere & jactare in mare; & fiet. Igitur ſi fides tanta eſt, quæ poteſt ab ipſis ſedibus, montium fundamenta transferre, neceſſariò & granum ſinapis magnum eſt, ad cujus ſimilitudinem fidem habere compellimur. Magnum autem diximus, non ſpecie, ſed virtute, & non fidei, qualitate oleris, comparandum, ſed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam ſi diligenter intendamus, invenimus rectè à Domino hanc ſimilitudinem comparatam. Sicut enim granum ſinapis prima fronte ſpeciei ſuæ eſt parvum, vile, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuavitatem; at ubi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto fervoris calore ſuccenditur, ut mirum ſit in tam frivolis tantum ignem fuiſſe concluſum: cujus etiam ſeminis cibum homines, hyemis præcipuè tempore, magna pro ſuavitate percipiunt; quatenus repellant frigora, humores egerant, viſcerum interna calefaciant; ſæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, ut ſi quid invalidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur: ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte videtur eſſe parva, vilis & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, non gratiam ſubminiſtrans: at ubi diverſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis adſpirat, & tanto divini ignis ardore jactatur, ut & ipſa ferveat, & participantem ſibi ardere compellat. Sicut in ſancto Evangelio [a] duo ex diſcipulis
Luc. 24. 32. dixerunt, dum cum ipſis poſt paſſionem ſuam Dominus loqueretur, Nonne cor noſtrum erat ardens in nobis in via, dum aperiret nobis Dominus Jeſus Scripturas? Ergo granum ſinapis membrorum viſcera calefacit; fidei autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem aſperum algorem frigoris removet; hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis, inquam, granum iniquos humores decoquit corporum; fides autem libidinum fluenta conſumit. Et per illud medicina capiti procuratur; per fidem autem ſpiritale caput noſtrum, quod eſt Chriſtus Dominus, ſæpius refovetur. Sed & fidei juxta comparationem ſinapis ſancto odore
2. Cor. 2. 15. perfruimur, ſicut ait Apoſtolus beatus, Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo.

2. Igitur ſanctum martyrem Laurentium grano ſinapis poſſumus comparare, qui diverſis adtritus paſſionibus, per totum orbem gratiâ meruit ſui fragrare martyrii. Qui enim antea conſtitutus in corpore, erat humilis, ignotus & vilis; poſtea quàm vexatus, laceratus, exuſtus eſt, univerſis per totum mundum eccleſiis odorem ſuæ nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur: ſiquidem granum ſinapis cùm teritur, accenditur; Laurentius cùm patitur, inflammatur: illud [b] fervorem adtritione ſua movet; hic ignem plurima vexatione ſuſpirat. Sinapis, inquam, in vaſculo calido decoquitur; Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinſecùs beatus Laurentius martyr tyranni ſævientis incendiis; ſed major illum intrinſecùs Chriſti amoris flamma torrebat. Et quamvis rex improbus ligna ſubjiceret, incendia majora ſupponeret; tamen ſanctus Laurentius has flammas fidei calore non ſentit: & dum Chriſti præcepta cogitat, frigidum eſt illi omne quod patitur. Nec enim poteſt in viſceribus ignium tormenta ſentire, qui ſenſibus paradiſi refrigeria poſſidebat. Jaceat licèt ante pedes tyranni exuſta caro, corpus exanime; nihil tamen detrimenti patitur in terris, cujus animus demoratur in cælis. Extenditur ergo ſuper flammarum ignitos globos, & ſæpius verſatur in latera; ſed quantò plus pœnarum patitur, tantò ampliùs Chriſtum Dominum pertimeſcit. Novo admirationis genere alius illum torquet, & alii ſævientis tormenta proficiunt. Devotiorem Laurentium Salvatori ſupplicia atrociora fecerunt.

[a] MSS. hæc verba, *duo ex diſcipulis* omittunt; & iſta ſubſtituunt, *Emaûs & Cleophas*.

* SERMO LXXXVIII.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Rurſum de verb. Evang. Lucæ 13. Cui ſimile eſt regnum &c.

Hunc quoque Ambroſio tributum videmus & in ejus operum vulgatis & in MSS. libris, in quibus incipit in hæc verba: Superiore Dominicâ parabolam Domini differentes, in qua ait, Cui ſimile eſt regnum cælorum &c. *Ac verùs finem multis quæ hic deſiderantur, auctior illic exhibetur.* (* Olim de Sanctis 13. & poſt in Appendice 82.)

1. CUI *ſimile eſt regnum cælorum, & cui ſimile æſtimabo illud*, ait Dominus: * *Simile eſt grano ſinapis*, & cetera. Multa perſtrinximus, quibus probaremus regnum Dei grano ſinapis non immeritò comparari, & diſtantiam in ſola eſſe æſtimatione verborum, non in collatione virtutum: ſiquidem Chriſtiana fides, quæ regnum Dei eſt, eumdem vigorem obtinet, quem ſinapis natura depromit. Nam ſicut cùm ſinapis ſuccum ſumimus, vultu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lacrymas promovemur, & ipſam ſalubritatem corporis noſtri cum quodam fletu auſteritatis accipimus: illinc enim amaritudo nos exaſperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei ſaporis accendit; & toto perturbati corpore tunc magis ſani efficimur, cùm ampliùs deploramus: ita & cùm fidei Chriſtianæ mandata percipimus, contriſtamur animo, affligimur corpore, ad lacrymas permovemur, & ipſam ſalutem noſtram cum quodam fletu ac mærore conſequimur. Inde enim jejunia nos exaſperant, illinc peccatorum conſcientia macerat; hinc patrimonii jactura perturbat: & toto contriſtati habitu magis ſalutem conſequimur, ſi ampliùs defleamus, ſecundùm quod ait Dominus, Vos plorabitis & flebitis; ſæculum autem gaudebit. Sicut autem cùm ſinapi caput fortè curandum eſt, jubemur abraſos capillos demere, impedimenta cutis univerſa deponere, ut nudo corpori perfectiùs medicina perveniat: ita & cùm anima per fidem curanda eſt, præcipimur à nobis ſubſtantiam auferre ſæculi, impedimenta auri argentique deponere, ut & nudæ & ſoli animæ congruentiùs ſpiritalis medicina conveniat. Quiſquis enim rebus mundi & divitiis ſæculi obvolutus eſt, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod ſuccus ſinapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur in anima.

Luc. 13. 18. * ℣. 19. — Fides Chriſtiana, regnũ Dei. — Vigoris illius ſymbolum, ſinapi. — Johan. 16. 20.

2. Sed quoniam in eadem Dominica ſententia ſcriptum eſt, *Quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & crevit, & facta eſt arbor, & volucres requieverunt in ramis ejus:* diligentiùs requiramus quis iſte ſit, cui hæc cuncta conveniant. Diximus ſuperiùs ſanctis Martyribus; qui diverſis adtriti ſunt paſſionibus, naturam ſinapis poſſe congruere. Sed quoniam dicit Scriptura, *Et crevit, & facta eſt arbor, & volucres requieverunt in ramis ejus:* arbitror hoc ipſi Chriſto Domino rectiùs comparari, qui naſcendo in homine humiliatus ut granum eſt; adſcendendo ad cælum exaltatus ut arbor eſt. Granum planè Chriſtus eſt, dum patitur; arbor eſt, cùm reſurgit. Granum inquam eſt, cùm famem eſuriens ſuſtinet; arbor eſt, cùm quinque millia virorum quinque panibus ſaturat: ibi ſterilitatem humana conditione patitur, hîc ſatietatem propria divinitate largitur. Granum autem dixerim Dominum, cùm cæditur, contemnitur, increpatur: arborem autem cùm cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat, peccata condonat. * Ramos autem hujus arboris ſi requiras, invenies quia ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt beatus Laurentius, cujus hodie natalitia celebramus; rami ſunt omnes Apoſtoli vel Martyres; ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſæculi minimè ſubmergetur: quin potiùs ſub umbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, ſecurus & de diabolicæ tempeſtatis procella, & de judicii exurentis incendio; ipſo adjuvante qui vivit & regnat in unitate Spiritus-ſancti Deus, &c.

℣. 19. — Chriſtus humilis granum ſinapis. — Glorioſus fit arbor. — Rami illius Sancti. — * Permulta hic omiſſa.

* SERMO LXXXIX.

De verbis Evangelii Lucæ 17. Regnum Dei intra vos eſt. *Et de verbis Apoſt. Rom. 14.* Regnũ Dei non eſt eſca &c.

Fuit Cæſarii homilia in Bibliotheca Patrum ordine decima nona.

1. AUDIVIMUS cùm Evangelium legeretur, dicente Domino, *Regnum Dei intra vos eſt.* CÆSARII Ser. XXXIII. Luc. 17. 21.

[b] In MSS. *fervorem adtritionis ſua evomit.*

CLASSIS I.

Et quia sciebat, quòd non omnes poterant intelligere quod dicebat; cùm dixisset, *Regnum Dei intra vos est*, quasi ab aliquo interrogaretur, subdidit dicens, *Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia & pax & gaudium*. Rogo ergo vos, Fratres carissimi, consideremus conscientias nostras; videamus, si regnum intra *arcellas animæ nostræ repositum habemus. Si est ibi justitia, si pax, si gaudium, securi sumus; quia regnum Dei intra nos esse cognoscimus. Sed quæ est ista justitia, quæ pax, quod gaudium, diligenter adtendite. *(Rom. 14. 17.)* *(* Suprà Ser. 12. n. 4.)*

(Justitia perfecta.) 2. Justitia ergo vera & perfecta, ipsa est quæ non facit aliis quod sibi non vult. Sed dicit aliquis, Quis potest omnibus hominibus bene facere? Potest tamen omnibus hominibus bene velle: quod cùm feceris, dicit tibi Evangelista, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *(Lucæ 2. 14.)* Potest dicere aliquis, Facultatem non habeo: numquid potest dicere, Bonam voluntatem habere non possum? Ipsa est ergo vera justitia, quæ omnibus hominibus quod sibi vult optat; hoc quod sibi vult, illis evenire desiderat. Ipsa est vera justitia, quæ pro amore Dei, non solùm amicos, sed etiam ipsos diligit inimicos. Sed istam veram justitiam, Fratres, tunc aliis bene impendimus, si & nos habere desideramus. Nam quomodo quisquam aliis largitur, quod in se ipso habere non cognoscitur? Sed fortè aliquis interrogat, quomodo in nobis justitiam servare debemus.

(Justitia à jure dicendo inter duas partes adversas.) 3. Adtendite, Fratres, justitia videtur mihi quòd inde nomen accepit, quia intra duas partes adversas & contrarias sibi justè judicare consuevit. Eia, Fratres, agnoscamus & in nobis duo quædam esse contraria. Nam caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. *(Galat. 5. 17.)* Habemus ergo & interiorem hominem, & exteriorem: habemus carnem & animam; hoc est habemus dominam & ancillam. Si ergo vis ut tibi credam, quòd possis justè caussam alterius judicare, in te ipso volo primùm agnoscere. Esto *istius judex in te ipso: tribue animæ quod dignum est; reserva carni quod opus est: tribue dominæ quod illi sufficiat in æternum; & hoc tantùm reserva ancillæ, unde vivere possit in mundo. *(* f. prius.)* *(Jus animæ, & jus carnis.)* Nam si domina humiliatur, & ancilla erigitur; si dominæ aut parum aut nihil reponitur in cælo, & totum ancillæ reservatur in mundo; ecce jam in nobismetipsis justi non esse cognoscimur. Et quomodo caussa alterius directo ordine à nobis auditur, quando in nobis & in nostra caussa nihil justitiæ reservatur? HOC SOLUM SCIO, Fratres, quòd numquam alterius caussam justè judicare poterit, qui inter animam & carnem suam justitiam tenere noluerit. *(Justus in alios esse nequit, qui non est in se.)* In anima enim & in mente ad imaginem Dei facti sumus; secundùm carnem verò de limo terræ formati sumus. Qui ergo plus amat carnem quàm animam suam, imaginem Dei vult deponere deorsum, & terram erigere sursum: & qui in se ipso tam injustus est; si caussam alterius audierit, sine dubio justitiam non tenebit. Et ideo qui justitiam tenere desiderat, à se ipso incipiat; & in se priùs justitiam teneat, & inter carnem & animam suam justus judex esse consuescat. Carni victum & vestitum simplicem & mediocrem reservet in mundo; & quod est melius, animam per eleemosynas ponat in cælo. Nam si aliter fecerit, & se non emendaverit, si in hoc perseverare voluerit, quomodo judicat in hoc sæculo, sic judicandus est in futuro. Et hoc quidem de vestra justitia breviter dictum sit.

(Pax vera.) 4. Pax enim quæ sit vera, debetis agnoscere. Non est enim illa vera pax, quam sibi invicem videntur præstare raptores & ebriosi, maledici & superbi. ISTA NON EST DICENDA PAX, quæ de radice caritatis non consurgit. Qui ergo pacem veram desiderat, primùm cum Deo pacem habere contendat. Sed dicit aliquis, Quis est, qui pacem cum Deo habere non velit? Ille utique qui sic non vivit, quomodo Deus præcepit esse vivendum. Quis est hic, qui pacem cum Deo non habeat? *(Multis displicet Deus.)* Cui displicet Deus. Sed dicit aliquis, Et quis ita insanus est, ut illi displiceat Deus? Si te ipsum discutio, fortè te ipsum invenio, cui displicet Deus. Dic mihi, rogo te, numquam murmurasti contra abundantiam pluviarum? numquam ariditatem questus es siccitatum? numquam murmurasti contra felicitatem malorum hominum? numquam iratus es contra violentiam vento-

SERM. DE SCRIPTURIS.

A rum? & ut quod est amplius dicam, numquam blasphemasti, quando vinearum fructus ampliùs non collegisti? Et si in omnibus istis te contra Deum agnoscis & intelligis non murmurasse, scito te pacem veram cum Deo habere in omnibus quæ tibi acciderint: clama quod ille beatissimus Job cum conscientia secura clamabat, Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. *(Job. 1. 21.)* Nam si quando bene tibi est, laudas Dominum, & quando tibi malè est, murmuras contra Dominum; non habes pacem cum Deo, nec potes dicere cum Psalmista, Benedicam Dominum in omni tempore. *(Psal. 33. 2.)*
B Quis est, qui benedicit Dominum in omni tempore? Quem non felicitas corrumpit, nec adversitas terret. Prima ergo & vera pax est, ut cum Deo pacifici simus. *(Pax perfecta est, si cũ Deo.)* Cùm hoc factum fuerit, etiam in nobis ipsis pacem habere poterimus. Nam qui cum Deo pacem habere noluerit, in se ipso pacem habere non poterit. Sit ergo pacifica cum Deo anima nostra, ut animæ nostræ sit subdita caro nostra; nam si te non regit superior, cruciat te & affligit inferior. Inclinet sub jugo Dei cervicem suam anima tua; ut & sub jugo animæ tuæ collum suum subjiciat caro tua. Tunc erit pax vera atque perfecta,
C quando non solùm cum aliis, sed etiam nobiscum pacifici sumus. Sed quia adhuc in prælio sumus, & contra diabolum pugnamus, ne de victoria desperemus, si cum Deo pacifici sumus. Et si Deo conjuncti sumus, quomodo potest fieri, ut diabolum timeamus? *Talem imperatorem tecum habes; & diabolum times? Sub tali rege militas; & de victoria dubitas? *(* V. Serm. Append. 69. n. 4.)* Adversatur quidem quotidie diabolus; sed præstò est Christus. Ille vult premere, iste levare; ille vult occidere, iste vivificare: sed securi estote, Fratres, plus valet ad erigendum Christus, quàm ad deprimendum diabolus. Si ergo, sicut suprà diximus, justitiam & pacem toto corde
D servemus, tunc etiam verum gaudium habere poterimus.

(Gaudium verum, regnum cælorum: & hoc Christus.) 5. Quod est verum gaudium, Fratres, nisi regnum cælorum? Quod regnum cælorum, nisi Christus Dominus noster? Sic enim Angeli suo testimonio firmaverunt. *(Lucæ 2. 10.)* Cùm enim dixissent, Evangelizamus vobis gaudium magnum quod erit omni populo; statim subjecerunt, Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. *(Ibidem 11.)* Scio, Fratres, quòd verùm gaudium omnes homines habere volunt: sed ipse se circumvenit, qui non vult agrum colere, & vult de fructu gaudere; ipse se decipit, qui non vult arborem plantare, & vult po-
E ma colligere. Verum gaudium non possidetur, nisi pax & justitia teneatur. *(Justitiæ atque pacis fructus est.)* Prima est enim & quasi radix justitia, secunda pax, tertia gaudium: de justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Justitia & pax quasi bona opera esse videntur; gaudium verò fructus esse bonorum operum intelligitur. Nunc ergo faciendo justitiam & pacem tenendo, quasi in bono opere parvo tempore laboramus: sed postea de fructu bonorum operum sine fine gaudebimus. Audi Apostolum de Christo dicentem, Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. *(Ephes. 2. 14.)* Gaudium verò quòd ipse sit Christus, jam antea diximus: & Dominus Jesus Christus in Evan-
F gelio, cùm suis discipulis loqueretur, ita eos exhortatus est, dicens; Iterum, inquit, videbo vos, & "gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet "à vobis. *(Johan. 16. 22.)* Quid est, Gaudium vestrum nemo tollet à vobis? Adtendite conscientias vestras, Fratres carissimi; si est in vobis justitia, id est, si omnibus hominibus hoc vultis & desideratis & optatis, quod vobis ipsis, si est in vobis pax quæ non solùm ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos; scitote quia regnum cælorum, hoc est, Christus Dominus manet in vobis. Qui verò ad conscientiam suam recurrens, non ibi invenerit justitiam, sed avaritiam; non pacem, sed discor-
G diam; non gaudium de spe vitæ æternæ, sed carnalem lætitiam de amore luxuriæ: agnoscat & intelligat, quia non in illo regnat rex Legis Christus, sed crudelis tyrannus. Modò, Fratres, dum adhuc vivimus in hoc corpore, possumus nos cum Dei adjutorio emendare atque corrigere. Si verò nos multis criminibus involutos ultimus dies invenerit, corrigendi tempus non erit. Erit enim tunc sicut omnibus Sanctis æternum gaudium, ita

peccatoribus

Classis I.

Matth. 25. 41. Ibidem 34.

peccatoribus sine fine supplicium; sed illis hoc erit, qui se per pœnitentiam emendare noluerunt. Tunc dicturus est Christus ad sinistram positis, Discedite à me maledicti in ignem æternum: ad dexteram verò positis, Venite benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ad quam beatitudinem nos Dominus sub sua protectione perducat; cui est honor & gloria & imperium cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen. A

* Alias ex Fignorianis 16.

*SERMO XC.

De verbis Evang. Johan. 2. Die tertia nuptiæ fiebant. *&c.* B

In Appendice nunc primùm collocatur. Non Augustinum, cui in aliquos MSS. adsignatur, sed omnino Cæsarium refert.

Cæsarii Ser. XXXIV.

1. ILLUD, Fratres carissimi, quòd die tertia nuptias factas, & aquam in vinum conversam fuisse, modò cùm Evangelium legeretur, audistis, videamus. Quæ sunt illæ nuptiæ? Hîc adquisitio & reparatio nostra votis & festis nuptialibus demonstratur; sicut alio loco, cum choro & symphonia reditus filii junioris excipitur. Sex autem hydriæ sunt sex mundi hujus ætates, per quas justi figuram & typum Domini prætulerunt: capiunt verò metretas binas vel ternas; quia fidem intra se continent Trinitatis. Sed videamus quid dicit sermo divinus; ipsa sacra Evangelii retractemus oracula. C

Quid significent nuptiæ. Quid sex hydriæ. Quid ternæ metretæ.

2. In Cana Galilææ aquas in vinum convertit, & latentem sub homine divinorum operum virtutem detexit. *Die*, inquit, *tertia nuptiæ fiebant.* Quæ sunt istæ nuptiæ, nisi gaudia salutis humanæ? Quare *die tertia?* Sive quia nobis mysterium Trinitatis ostendit, sive quia die tertia resurrexit. Itaque tamquam sponsus procedens de thalamo suo descendit ad terras, Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ, suscepta incarnatione, jungendus. Cui quidem Ecclesiæ, quæ utique sumus nos, & arras & dotem dedit. Arras dedit, quando nobis est ex Lege promissus; dotem dedit, quando pro nobis est immolatus: & alio modo potest accipi, ut arras, præsentem gratiam; dotem intelligamus vitam æternam. Videamus quid agat in Cana Galileæ: hîc jam prodeant nobis Domini stupenda miracula. D

Johan. 2. 1. Mysterium redemptionis humanæ. Christus Ecclesiæ arras dedit & dotem.

℣. 6. Regeneratio-nis symbolum.

3. Statuuntur hydriæ *capientes metretas binas vel ternas*; metretas à metro, id est, mensurâ: implentur hydriæ; mutantur subitò aquæ; homines postmodum mutati: & dum in melius reformantur, velut baptismatis vim loquuntur, quodam modo in illis similitudo regenerationis exprimitur: & dum aliud ex alio efficiuntur, dum in speciem gratiorem inferior creatura transfertur; mysterium secundæ nativitatis aperitur. Nihil in ipsis aquis de sua quantitate minuitur; & dum in se maneant, à se omnino nobili commutatione degenerant. Pereunt substantiæ suæ, & adquiruntur alienæ: fortior tenui materiæ apponitur sapor, & occulta fluentis levibus virtus infunditur, & aquarum natura inebriatur; sic novo more Creatoris sui potentiam confitentur. Quis potest ista convertere, nisi qui potuit & creare? E

℣. 3.

4. *Deficiente ergo vino, dixit ad Jesum mater ejus, Vinum non habent.* Jam primo loco requiramus, quid sit vinum, quod defecisse dicitur, & quod sit aliud vinum, quod mirabiliter præparatur, quod Architriclinus melius esse pronuntiat, dicens, *Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu verò servasti bonum vinum usque nunc.* Vinum multis locis accipimus divina præcepta, & Scripturas sanctas, meracissimum vigorem cælestis sapientiæ continentes, quibus ad timorem Dei incalescant sensus, & & inebrientur affectus; secundùm illud quod de Sapientia scriptum est, Paravit mensam suam, miscuit vinum suum in craterâ. Scripturarum divinarum virtus, si quando alicujus interiora impleverit, dicere poterit cum Propheta, Potasti nos vino compunctionis: &, Poculum tuum inebrians quàm præclarum est! Operante ergo Christo in Cana Galileæ, vinum defecit, & vinum fit; id est, umbra removetur, & veritas præsentatur: recedit Lex, gratia succedit; carnalia spiritualibus commutantur; in novum Testamentum observatio ve- F G

℣. 10. Vinum, Scripturæ sacræ.

Prov. 9. 2.

Psal. 59. 5. Psal. 22. 5. Aquæ vinum, gratia succedens Legi.

Serm. de Scripturis.

2. Cor. 5. 17.

tusta transfunditur, sicut beatus Apostolus dicit, Vetera transierunt, & ecce nova facta sunt omnia. Quomodo autem hydriæ illæ impletæ aquâ, nihil minuuntur ab eo quod erant; & tamen incipiunt esse quod non erant: ita Lex non perit per adventum Christi absoluta, sed proficit. Vino ergo deficiente, vinum aliud ministratur. Bonum quidem est vetus Testamentum; sed sine spiritali intellectu vanescit in littera: novum verò odorem vitæ reddit in gratiâ.

5. Cùm hæc ita sint, architriclinum ipsum præpositum in domo sponsi videamus, quem sentire possumus. Et quem alium nisi beatum Paulum intelligere debemus, qui post Legis litteram, acceptum novi Testamenti mysterium suavissimum vel odore vel gustu, spiritalium sensuum fragrantiâ repletus & inebriatus exclamat & laudat, *Tu servasti bonum vinum usque adhuc.* Videamus tamen quemadmodum vinum ipsum laudat: Nec oculus, inquit, vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Ecce vera, ecce prædicanda miracula, quæ in nobis operatur, quando de pessimis bonos facit, de superbis humiles, de inhonestis castos, de sectatoribus sæculi amicos Dei. Quæ potest majora exercere miracula, quàm quando hominem vermem & putredinem dignatur in statum Angelicum promovere, de terrenis in cælestibus collocare, & in gratiam suæ adoptionis assumere?

1. Cor. 2. 9.

Miraculum maximum, conversio peccatoris.

6. Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? aut quando reddere poterimus, quod nec cogitare sufficimus? Nec tamen desperandum est, quòd nihil repensare possumus: quia tanta est pietas Domini nostri, ut apud eum voluntas perfecta faciendi reputetur pro opere facti. Omnia enim implevit, qui quod potuit fecit. Quid ergo retribuemus Domino, nisi ut humiliter corpore humiliato, & corde contrito dicamus, Domine, propitius esto mihi peccatori. Ille enim holocaustomata diligit, qui & cor contritum & humiliatum non despicit.* Non à nobis requirit, quod nos implere non posse cognoscit. Et ideo qui eleemosynas largiores erogare non possunt, vel parum aliquid secundùm vires suas cum bonâ voluntate dispensent: Qui virginitatis gloriam non prævalent obtinere, cum propriis uxoribus castitatem studeant, Deo auxiliante, servare; justitiam diligant, caritatem teneant, patientiam colant, ebrietatem velut inferni foveam fugiant, omnes homines perfecto animo diligant: pro bonis orent, ut à sancto opere non recedant; pro malis supplicent, ut citò se ad meliora convertant. Hæc enim & his similia, Fratres carissimi, nec nimiùm dura, nec importabilia esse probantur: ubi sola bona voluntas fuerit, impossibile nihil erit. Non enim nos Deus ad comparandam vitam æternam, aut in Orientem, aut in Occidentem per itinera laboriosa transmittit; ad nos ipsos nos dirigit; quod in nobis per suam gratiam contulit, hoc requirit: sic enim in Evangelio ipse dixit, Regnum Dei intra vos est. Et ideo fit in nobis vera caritas, & bona voluntas; ut illud Evangelium in nobis impleatur, Pax hominibus bonæ voluntatis. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Munera Deo grata.

Lucæ 18. 13.

* V. homilias 7. 9. & 11. ex editis à Baluzio.

Lucæ 17. 21.

Lucæ 2. 14.

*SERMO XCI.

Rursum in Johan. 2. de sex hydriis aquæ mutatæ in vinum in nuptiis Cana Galilææ.

Prodit nunc primùm ex quatuor MSS. ubi absque auctoris nomine subjungitur Sermonibus quibusdam Augustinianis. Et Augustini quidem doctrinam exhibet, sed stilum omnino Cæsarii, qui hîc Tractatum 9. in Johannis Evangelium imitatur.

Cæsarii Ser. XXXV. *f Serm. præced. n. 1.

1. SICUT jam *aliquando Caritati Vestræ suggessimus, Fratres carissimi, sex illæ hydriæ, quas modò Evangelica lectio memoravit, & quarum aqua in vinum mutata est, sex ætates mundi istius figurabant. Et ut soletis audire, una ætas impleta est ab Adam usque ad Noe; secunda à Noe usque ad Abraham; etiam sicut Evangelista commemorat, tertia ab Abraham usque ad David; quarta à David usque ad transmigrationem Babiloniæ; quinta à transmigratione Babiloniæ usque ad Johannem baptistam; à Johanne-baptista & ab adventu Domini Salvatoris sexta ætas agitur. Quæ res

Hydriæ sex, sex mundi ætates.

Classis I.

Sex hominum ætates.

etiam in humanæ vitæ cursu evidenter agnoscitur. Primus enim gradus est, quasi prima ætas, infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta senectus, sexta est illa permatura, quæ etiam decrepita dicitur. Non ergo tibi mirum videatur, quando audis mundum istum sex ætatibus consummari; cùm hoc videas etiam hominum ætatibus adimpleri. In istis sex ætatibus mundi, quasi in sex hydriis prophetia non defuit. Plenæ ergo erant istæ hydriæ mysteriis veteris Testamenti: sed quando in illis Christus non intelligebatur, non ex ipsis vinum, sed aqua bibebatur.

Hydriæ istæ mysteriis Christi plenæ.

Christus in Adam.

2. Prima ergo hydria impleta est temporibus Adam, quando Dominus emisit soporem in eo, & tulit unam de costis ejus, & fabricatus est eam in mulierem. Quid enim aliud tunc significavit, nisi passionem Domini Salvatoris? Dormit Adam, & de latere ejus tollitur costa, fabricatur Eva: inclinato capite dormivit in cruce Christus, & de latere ejus formatur Ecclesia. Cùm enim percussus est in latere, exivit sanguis & aqua; sanguis redemtionis, & aqua baptismatis. Quasi re vera, Fratres, non potuit Deus inde facere Evam, unde fecerat & Adam. Sed jam tunc in illo vetere Adam, de cujus costa fabricata est Eva, novus Adam significabatur, de cujus latere formanda erat Ecclesia. Sed hæc prophetia, quia in illa Judæorum populus Christum non intelligebat, non vinum, sed aquam sapiebat.

Gen. 2. 21.

Johan. 19. 34.

In Noe. Gen. 7. 7. &c.

3. Secunda hydria impleta est in Noe, cujus temporibus ita per mysterium arcæ vel diluvii genus humanum salvatur, quomodo per crucis vel baptismi sacramentum in adventu Domini Salvatoris de æterna morte totus mundus eripitur.

In Abraham.

4. Tertia hydria impleta est in Abraham, cui Dominus jussit, ut ad similitudinem Domini Salvatoris filium suum offerret in holocaustum. Nam quomodo beatus Isaac ad locum holocausti lignum ipse portavit; ita & verus Isaac ad locum passionis ipse sibi crucis patibulum bajulavit.

Gen. 22. 6.

Johan. 19. 17.

David in multis Christum figuravit.

5. Quarta hydria impleta est in David, qui & in humilitate, & in mansuetudine, & in multis tribulationibus Christum Dominum figuravit. Inter reliqua quæ per eum Dominus loqui dignatus est, etiam hoc clamavit, Surge, Domine, judicare terram. Cui dicitur, Surge, nisi ei qui obdormivit? Surge, inquit, Domine, judicare terram. Dormisti judicatus à terra; surge, ut judices terram: ut in te impleatur, quod Scriptura prædixit, Quoniam tu hereditabis in omnibus Gentibus.

Psal. 81. 8.

Ibidem.

Prophetia de Christo in Daniele. Dan. 2. 34. &c.

6. Quinta hydria impleta est temporibus Danielis, qui se dixit vidisse præcisum lapidem de monte sine manibus, & crevisse ipsum lapidem, & implesse universam faciem terræ. Videte, Fratres, quia mons ille, unde lapis præcisus est, implevit omnem terram. Mons ille significat regnum Judæorum: de quo monte præcisus est lapis, id est, natus est Christus: quòd autem ait, Sine manibus, hoc intelligitur, quia sine opere nuptiali; in manibus enim opera intelliguntur. Mons ergo ille, hoc est, regnum Judæorum, non implevit terram; quia antè quàm veniret Christus, notus erat tantùm in Judæa Deus. Postquam verò Christus venit, ita gratiâ suâ universum implevit mundum, ut in omnem terram exiret sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

De vocatione Gentium in Johanne. Matth. 3. 7. &c.

7. Sexta hydia impleta est per beatum Johannem-baptistam. Ipse enim cùm vidisset ad baptismum suum venire Judæos, dixit ad eos, "Progenies viperarum, quis "vobis ostendit fugere à ventura ira? Facite fructus di-"gnos pœnitentiæ. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quos enim intelligi voluit lapides, ex quibus suscitari possent filii Abrahæ; quos utique, nisi omnes Gentes? Et quare omnes Gentes lapides erant? Quomodo lapides non erant, qui lapides colebant? Sed dicit aliquis, Etsi aliqui lapides colebant, numquid ideo lapides sunt? Audi Scripturam dicentem, Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Istæ ergo sex ætates mundi, velut sex hydriæ, impletæ sunt à ministris, id est, à Patriarchis & Prophetis. Veniens verò Christus, non illam aquam jactavit, & aliam misit; sed illam ipse in vinum convertit. Quare hoc? Quia non venerat Legem solvere, sed adimplere. Non repulit vetus Testamentum, & sic condidit novum: sed illud quod in littera Legis aquam

Lapides, Gentes.

Psal. 113. 8.

Lex Christùm non intelligentibus, aqua; secùs, vinum.

A sapiebat, dum spiritaliter intelligi fecit, aquam in vinum convertit.

8. Denique in tantum ante adventum Christi vetus Testamentum aqua erat, ita ut qui eum legebant, & Christum non intelligebant, ab ipso Domino Christo stulti appellarentur. Nam post passionem Domini nostri iter agentibus duobus discipulis, & ad castellum nomine Emmaus ire volentibus, junxit se illis Dominus & Salvator, & dixit ad eos, Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? At illi inter reliqua dixerunt, De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone. O beati discipuli, ita in vobis infirmata est fides, ut Prophetam B dicatis Dominum Prophetarum? Numquid taliter audistis beatum Petrum apostolum confiteri? Non recolitis, quid Domino interroganti responderit Petrus? Tu, inquit, es Christus Filius Dei vivi. Ille Filium Dei vivi confessus est; & vos creditis fuisse Prophetam? Licèt & hoc nomen conveniat Domino Salvatori, secundùm quod Moyses ait, Prophetam vobis suscitabit Dominus vester, tamquam me ipsum audietis: erit autem omnis " anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe: tamen quando hoc discipuli illi dicebant, verum Deum esse Christum omnimodis non credebant. Denique videte quid dixerunt, Nos, inquit, C sperabamus, quia ipse esset redemturus Israël. O discipuli sperabatis; jam desperastis? Latro dicit in cruce, Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum: & vos dicitis, Nos autem sperabamus. Ecce vos non credebatis vel resurrecturum; & latro credidit etiam regnaturum. Cùm ergo in discipulis ita refrigerasset fides, ut talia loquerentur, respondit Dominus, O stulti & tardi corde ad credendum! Quare stulti erant? Quia adhuc aquam bibebant: adhuc Christus aquam spiritaliter in vinum converti non fecerat.

Luca 24. 13.

ỳ. 17.

ỳ. 19.

Matth 16. 17.

Deut. 17. 15. & &c.

Discipuli post Christi mortem infideles.

Luca 24. 21.

Luca 23. 42.

Luca 24. 25.

9. *Capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Non enim dixit, aliæ capiebant binas, aliæ ternas; sed de omnibus dixit, D quia capiebant *singulæ metretas binas vel ternas.* Et quia secundùm litteram hoc intelligi non potest, videamus quid spiritaliter in illis sentire possimus. Jam enim suprà diximus, quòd aqua illa quæ erat in hydriis, prophetia vel vetus Testamentum possit intelligi: quare ergo *metretas binas vel ternas?* Sine dubio propter mysterium Trinitatis. Quare etiam *vel binas?* Propter duo præcepta dilectionis. In Lege enim & Prophetis non solùm mysterium Trinitatis agnoscitur, sed etiam duo præcepta caritatis assiduè prædicantur. Videamus tamen si & in Evangelio possimus invenire *metretas binas vel ternas.* Ego, inquit, & Pater unum sumus; ecce habes *binas.* E Da *vel ternas*: Ite, inquit, baptizate omnes Gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti; ecce habes *ternas.*

Johan. 2. 6.

Metretæ binæ vel ternæ, Trinitatis mysterium & præcepta caritatis.

Johan. 10. 30.

Matth. 28. 19.

Qualiter fervor animi fovendus.

10. Unde, Fratres dilectissimi, quia hoc quod fecit in Apostolis Christus, etiam in nobis implere dignatus est; ut qui per infidelitatem tepidi eramus & frigidi, per fidem ferventes esse mereamur in opere Dei, cum ipsius adjutorio, quantum possumus, laboremus, ut usque in finem bonorum operum perseverantiam tenere mereamur; & ita in lectionibus sanctarum Scripturarum nos exercere jugiter studeamus, ut cum Propheta dicere possimus, Potasti nos vino compunctionis; & iterum, Calix tuus inebrians quàm præclarus est! Sicut enim F per amorem Dei aqua nostra in vinum conversa est; ita è contrario timere debemus, ne amando mundum, & ejus concupiscentias diligendo, vinum nostrum convertatur in aquam. Et ideo quantum possumus, bonis operibus insistentes, Dei misericordiam deprecemur; ut in nobis opera vel beneficia sua ipse pro sua pietate custodiat: qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 59. 5.

Psal. 22. 5.

* Aliàs de Tempore. 41.

* SERMO XCII.

Item in Johan. 2. de nuptiis in Cana Galilæa.

G *In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium Lovanienses relinquunt, supposititium asserunt Verlinus & Vindingus. Auctor quippe hic in n. 3. Mariam non putat dici mulierem: contrà verò Augustinus in Serm. 51. n. 10. & alibi passim.*

1. DOMINI & Salvatoris nostri virtus, Fratres carissimi, præsente lectione evidenter ostendi-

CLASSIS I.

tur, cùm mirabilia ejus non obscuritate verborum, sed eloquii puritate narrantur. Denique Evangelista ita mysterii interna custodit, ut rem gestam fido sermone designet: sic enim ait, Vocatus est Dominus Jesus ad nuptias, & mater sua. Nec dedignatus est conversationem hominum, qui usum carnis exceperat; nec sæcularia instituta contemsit, qui ad hæc venerat corrigenda. Interfuit nuptiis, ut concordiæ jura firmaret: interfuit nuptiis, & comessationes non renuit nuptiarum; ut psalmos & tympana ad Dei Patris gloriam prædicandam * concitaret, ut Pater honoraretur in Filio, & à Patre Filius nosceretur. *Erat*, inquit, *mater ejus ibi*. Quàm libenter Maria ad has nuptias venit, in quibus Dei mirabilia comprobat. Vinum divina suggestione suggeritur defecisse. Numquid latere Deum poterat, quid in ea domo, in qua erat, gereretur? Sed non ignorans rerum Deus respondit, *Quid mihi & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Hac responsione interim debemus advertere, quòd de nuptiali vino pars aliqua adhuc fortè resederat: ideo nondum erat Domini plena hora virtutum; ne miscere magis elementa, quàm mutare videretur. Sed ait, *Nondum venit hora mea*; ut ita sint Dei mirabilia manifesta, ut nec * argumento valeat inimicus, nec perfidiâ Judæus insimulet.

[Margin: Johan. 2. 2. Cur Christus ad nuptias venit. — * f. concinnaret. — ℣. 1. — ℣. 4. Cur ait, Nondum venit hora mea. — * f. argumentari valet.]

2. Et dicit Maria ministris, *Quæcumque dixerit vobis, facite.* Quàm bene mater Domini credulitatem suadet ministris, ut non desint vina prandentibus: *Quæcumque dixerit, facite.* Intelligimus jam esse mysterium, cùm Dei mandata se nosse, sollicitè mater hortatur. Ait Dominus Jesus ad ministros, *Implete hydrias aquâ.* Et cùm implevissent, ait, *Haurite nunc, & ferte architriclino.* Quod cùm princeps architriclinus accepisset, statim intellexit vina illata posteriùs esse sublimia. Et cùm nesciret quod Dominus fecisset, sponso ait, Quid tam serò meliora profers vina, cùm hæc prima esse debuerant? Vidimus ergo convenire mysterium, & quod Salvator dicit, *Nondum venit hora mea:* & cùm accusat princeps architriclinus tarditatem sponsi, videamus adtentiùs ordinis hujus, quæ Evangelista designat, aperta mysteria. Videamus quæ sint nuptiæ, qui ministri, qui princeps architriclinus, qui sponsus, quomodo ad nuptias Deus, quomodo Maria, unde ex aqua vinum, quare postea melius, quare Deus in hora differre voluerit. Equidem nulla sunt apud credentium mentes occulta mysteria. Nihil animus fallitur, qui Deum fideliter confitetur. Nam qui scit Salvatoris adventum vitæ nostræ esse remedium, facilè virtutis ejus misericordiam pura veritate cognoscit.

[Margin: ℣. 5. — ℣. 7. — ℣. 8. — ℣. 10.]

3. Vocatur Salvator ad nuptias; hoc est, Ecclesiæ voto Spiritus-sanctus invocatur. Venit cum discipulis suis, id est in hoc loco, turbâ sanctorum. Quid dici apertius potest? Mirabilia Dei Maria mater exspectabat, hoc est, virtutem Christi exspectat Ecclesia: appropinquare compellit; ait enim Maria, Ecce vina deficiunt: id est, quare populus jam non invenit remedium? Maria Deum probare festinat; vinum Ecclesia optat excipere; ut fiat ex nuptiali prandio spiritale convivium. Dicit enim, *Quid mihi & tibi est, mulier?* Numquid mulierem dicit Mariam, quæ virgo post partum inventa est? Sed * Ecclesiam, quæ non solùm mulier, sed etiam meretrix nuncupatur, quæ errantem populum & per ævum & lubricam ætatem lascivum, tamquam prostitutam suscepit sponsam, & quasi docta mater adornat. *Nondum*, inquit, *venit hora mea:* hoc est passionis tempus superest. *Nondum venit hora mea*; nondum populus credidit, nondum Judæus insequitur: adhuc habet diabolus unde lætetur, adhuc triumphi mei palma non proditur, adhuc locum crucis persecuturus ignorat, ac necdum Judas mentitur. *Nondum venit hora mea:* sunt priùs quæ purgentur in sæculo; & sic vita proficit in populo.

[Margin: Ecclesia Christum ad nuptias vocat. — ℣. 3. — Ab eo optat vinum. — * Supplendum dicit. — Quid Christum detinebat.]

4. Dicit Maria ministris, *Facite quæcumque jusserit*; hoc est, obtemperate doctori, ministris mandat Ecclesia. Qui sunt ministri, nisi officia Levitarum, quæ Dei mysteriis sunt deputata? Implentur hydriæ aquâ; hoc est, vacuatæ nuptiali vino, id est, potu sordido, fontis puritate supplentur, & benedictione Domini in saporem vini vertuntur; ut ex aqua spiritûs potum qui jam prandentibus defecerat, reputaret. Aquam in vinum convertit; humanæ fragilitati virtus augetur. Princeps ar-

[Margin: Ecclesia docet parere Doctori. — Vinum optimum non nisi exhausto deteriori.]

A chitriclinus vinum melius probat: hoc est, Dominici vigoris saporem humana corda senserunt. Nam qui primum vinum melius judicavit, primus & credidit. Quod vinum est, quod optimum judicatur, quod architriclinus princeps quæritur serò prolatum, nisi sanguis Dominicæ passionis? Hoc est enim quod Deus in hora suspendit, hoc est quod ministri suscipiunt, hoc est quod servat sponsus, hoc est quod princeps architriclinus, qui fidei primus est, veneratur. Advertamus ergo adtento corde nos sanctas Scripturas audire debere; ut cælestem doctrinam fida credulitate possimus agnoscere, & ab omni mundi hujus impedimento liberari; ipso adjuvante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: SERM. DE SCRIPTURIS. — Vinum optimum, sanguis Christi.]

B

* SERMO XCIII.

[Margin: * Aliàs de Tempore 92.]

De verbis Evang. Johan. 4. Venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, *&c. Et de non differendo baptismo.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat itidem apud Lovanienses dubius, apud Verlinum & Vindingum spurius. Cæsarii stilum & verba continet.

C 1. * IN lectione Evangelii infirmitatem humani generis suscepisse Dominum Jesum Christum, plenissimè nobis sanctus Evangelista monstravit. Siquidem cùm dixisset, *venisse Dominum in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo; * in quo prædio erat fons Jacob*; addidit: *Jesus*, inquit, *fatigatus ex itinere sedebat sic supra puteum.* Venit Dominus noster Jesus Christus ad prædium, quod sanctus Jacob Joseph filio suo dereliquerat: quod prædium non tam Joseph, quàm Christo, arbitror derelictum, cujus figuram sanctus Joseph patriarcha portabat, quem verè sol adorat & luna, & omnes stellæ benedicunt. Ad hoc D prædium ideo venit Dominus, ut Samaritani, qui hereditatem sibi patriarchæ Israël vindicare cupiebant, agnoscerent possessorem suum, & converterentur ad Christum, qui legitimus Patriarchæ heres est factus.

[Margin: CÆSARII Ser. XXXVI. * Beda & Alcuinus in hunc locum. Iohan. 4. 5. — * ℣. 6.]

2. *Jesus*, inquit, *fatigatus ex itinere sedebat sic supra puteum.* Videte diversitatem mysterii. Inter Apostolos exsultabat in spiritu in monte positus, non solùm confortabat eos, verùm etiam gloriam his propriam demonstrabat: in Samaria constitutus, *fatigatus ex itinere sedebat supra puteum.* Numquid Dei virtus poterat fatigari? Non utique: sed fatigabatur, quòd fidelem populum invenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Chri- E stus, quando nullam virtutem in suo populo recognoscit. Hodieque fatigat eum inobedientia nostra, fatigat eum infirmitas nostra. Infirmi enim sumus, quando non ea quæ fortia sunt atque perpetua, sed temporalia & caduca sectamur. Bene ait, *Sedebat supra puteum*, non requiescebat; quoniam in Samaritanis non poterat requiescere. *Et hora*, inquit, *erat quasi sexta.* Sexta die Deus de limo terræ hominem figuravit; sextâ horâ venit Samariam visitare: ut qui in eum Samaritani crederent, ipse in his inciperet requiescere; ut verum illud quietis sabbatum celebraret. *Sedebat* ergo Dominus *supra puteum.*

[Margin: Fatigatur Christus ob infirmitatem nostram. — Requiescit in fidelibus.]

F 3. *Et venit Samaritana mulier haurire aquam.* Magnum mysterium. Venit mulier ad puteum; & fontem quem non speravit, invenit. *Dicit ad eam Dominus, Da mihi bibere.* Bonus Dominus ultro se offert non quærenti: ut compleatur illud Propheticum, Palàm apparui non quærentibus me, inventus sum ab his qui non interrogaverunt nomen meum. Petit bibere daturus: sedit supra puteum; ut non in altitudine quæramus aquam, sed de eo fonte qui supra omnes aquas est, salutaria nobis pocula hauriamus. Quis est fons nisi Dominus noster Jesus Christus, cui dicitur, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Bonus G fons qui nos de hujus vitæ refrigeravit incendio, & * inundatione sua ariditatem nostri pectoris superavit.

[Margin: ℣. 7. — Isaiæ 65. 1. « sec. LXX. — Christus fons cur supra puteum sedit. — Psal. 35. 10. — * V. Serm. Appendicis 83. n. 2.]

4. Unde & mulieri dicitur, *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Non omnes sciunt donum Dei; quia non omnes desiderant aquam vivam. Si enim desiderarent, numquam circa se baptismi sacramenta differrent. Igitur de se pronuntiant, & vitæ

[Margin: ℣. 10. — Baptismum qui differunt, donum Dei nesciunt.]

CLASSIS I. suæ testimonium * perdunt, qui ideo volunt tardiùs baptizari, ut flagitia & scelera multa committant. Noli
*f produnt. differre, ô homo, remedia salutis tuæ: quoniam nescis, quando à te anima tua repetatur. Denique Samaritana ignara mysterii, dicebat, *Domine, neque hauritorium habes, & puteus est altus.* Ante adventum Domini & puteus altus erat, & sine hauritorio aquam sibi unusquisque haurire non poterat. Venit Dominus fons vivus, ut Pharisæorum corda dilueret, sitim exstingueret, pectora satiaret, non quærens hauritorium, sed ultro se
ỳ. 11. Adventûs Christi gratia.

ỳ. 12. infundens mentibus singulorum. Et addidit, *Omnis qui biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum;*
ỳ. 13. * *sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Unum baptismum docet, qui post ingressum æterni fontis & cælestis poculi sacramentum, unumquemque nostrûm sitire non patitur. * Et ideo nos quibus tanta beneficia nullis præcedentibus meritis præstitit divina misericordia, quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ut tantæ pietatis gratia non nobis judicium pariat, sed profectum. Quod ipse præstare dignetur, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.
* V. Serm. App. 45. n. 6. & 46. n. 3.

* SERMO CXIV.

* Olim 22. ex 50. homil. & pòst in Appendice 18.

De verbis Evangelii Johan. cap. 5. Sicut Pater suscitat mortuos, *&c. necnon cap. 6.* Omne quod dat mihi Pater, *&c.*

Hujus Sermonis pars altera excerpta est ex Augustino in Johannem.

Johan. 5. 21 1. AUDISTIS, Fratres carissimi, in lectione Evangelica Dominum dicentem, *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.*
*ỳ. 22. * *Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne*
ỳ. 20. *dedit Filio.* * *Et majora his demonstrabit ei opera:* id est, non solùm infirmos curare, sed & mortuos resuscitare. Quòd dicit, *Neque Pater judicat quemquam*, vel secundùm divinitatem; quia nemo potest eum intueri nec audire:
Johan. 1. 18. ut illud, Deum nemo vidit umquam. *Sed judicium omne dedit Filio*: id est, ut ille qui fuit judicatus secun-
ỳ. 24. dùm carnem, ab illo omnes judicentur. *Amen amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit; sed transit à morte in vitam.* Quòd dicit, *In judicium non venit, qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me*, discretionem factam esse inter justos & peccatores à Domino cernitur: ac si dicat, In numero peccatorum, qui ista fecerit, non veniet; *sed transit de morte ad vitam:* hoc est, de superbia ad humilitatem, de odio ad carita-
Judicium aliud discretionis, aliud damnationis.
ỳ. 25. tem, de temporalibus ad æterna migrabit. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Mortui*, id est, peccatores intelliguntur, qui audierunt Christum, & non crediderunt. Et quod subditur, *Vivent qui audierint*: ideo recapitulatur, eò quòd paulò superiùs de resurrectione peccatorum dixerat; hîc autem de resurre-
ỳ. 26. ctione mortuorum loquitur. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso:*
*ỳ. 27. * *& potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Sic dedit ergo Pater Filio vitam gignendo, sicut ipse habet. Quod dicit, *Dedit ei judicium facere*, pro parte carnis quam assumsit, dedisse Patrem Filio judicium dici cognoscimus; & futurum judicium hîc significat: in quo judicio adstabit Dominus Jesus Christus, & reddet unicuique secundùm opera ejus: quia judicium hoc loco damnationem & pœnam peccatorum intelli-
Psal. 42. 1. gimus. Nam ubi dicit Psalmista, Judica me Deus, & discerne caussam meam: judicium discretionis cognosci-
ỳ. 28. mus. *Nolite mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes qui*
*ỳ. 29. *in monumentis sunt, audient vocem ejus:* * *& procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt,*
*ỳ. 30. *in resurrectionem judicii.* * *Non possum ergo ego à memetipso facere quidquam: sicut audio, judico, & judicium meum justum est: quia non quæro gloriam meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Hoc loco apertissimè resurrectionem futuram pronuntiat. Et quod dixit, *Non possum ego à memetipso facere quidquam:* ac si diceret, Ideo à me ipso quid-

A quam facere non possum, quia à memetipso non veni, sed à Patre. Quòd dicit, *Sicut audio, judico*, &c. auditio ista in æternitate facta esse significatur.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Johan. 6. 37. 2. * *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* [a] Magnum penetrale & dulce secretum, sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum & dolorum. Nonne illud secretum est, quò intrabit ille cui dicturus est Dominus, [b] Serve bone, meritò intra in gaudium Domini tui? *Ego & eum qui venit ad me*, inquit, *non ejiciam foras.* Et qui ad me venit, humilis fit; qui mihi adhæret, humilis erit: quia non faciet voluntatem
* Augustin. Tract. 25 in Johan. n. 14.
b Matth. 25. 21.
ỳ. 39. *Idem ibidem n. 19.

B suam, sed Dei: & ideo non ejicietur foras. * *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Ipse illi datus est qui servat humilitatem, & hunc accipit: qui non servat humilitatem, longè est à magistro humilitatis. *Ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Hæc non est voluntas in conspectu Patris mei, ut pereat unus de pusillis istis. De tumentibus possunt perire, de pusillis nihil periet: quia nisi fueritis [c] de pusillis istis, non intrabitis in regnum cælorum. *Omne quod dat mihi Pater, non perdam ex eo: sed resuscitabo illud in novissimo die.* Videte quemadmodum & hîc geminam illam
Humilis Christo datus, nec potest perire.
c Matth. 18. 14.

C resurrectionem definiat. Qui venit ad me, modò resurget humilis factus in membris meis: sed *resuscitabo eum in novissimo die:* id est, secundùm carnem. *Hæc est enim voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Superiùs dixit, *Qui audit verbum meum, & credit ei, qui misit me:* modò autem, *Qui videt Filium, & credit in eum.* Non dixit, Videt Filium, & credit in Patrem: hoc est enim credere in Filium, quod & in Patrem: quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: ut omnis qui videt, & credit in ipsum, habeat vitam æternam:*
Resurrectio duplex.
ỳ. 40.

D credendo & transeundo in vitam, tamquam prima illa resurrectione. Et quia non est sola, *& resuscitabo eum*, inquit, *in novissimo die.*

* SERMO XCV.

* Aliàs de Temp. 104.

De verbis Evangelii Johann. 11. Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno suscitem eum, *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensium sententia: at Verlini & Vindingi censurâ suppositiius est. Confer Tractatum 49. in Johannem. Ceterùm sapit auctorem pium & in sacris litteris exercitatum.

E 1. MULTIS quidem signis ac virtutibus Dominus ac Salvator noster Christus Jesus divinitatis suæ potentiam declaravit, sed maximè in Lazari morte, ut in præsenti lectione audivit Dilectio Vestra, ostendens se esse de quo scriptum erat, Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. Quas tamen virtutes Dominus ac Salvator noster duplici genere operatus est, & corporaliter & spiritaliter, id est, visibiliter & invisibiliter, ut per visibile opus invisibilem virtutem ostenderet. Superiùs cæcum à nativitate lumine oculorum illuminavit visibili opere, ut invisibili illa
Divinitas Christi demonstratur in suscitatione Lazari.
Psal. 45. 8.
Johan. 9. 6, &c.

F virtute cæcitatem Judæorum cognitionis suæ lumine illustraret: in præsenti verò lectione Lazaro mortuo vitam donavit, ut incredula corda Judæorum de morte peccati suscitaret in vitam. Denique multi Judæorum propter Lazarum Christo Domino crediderunt. Cognoverunt enim in resurrectione Lazari manifestam Filii Dei potentiam: quia morti potestate propria imperare non est conditionis humanæ, sed divinæ naturæ. Legimus quidem & Apostolos mortuos suscitasse: sed illi ut suscitarent, Dominum oraverunt; suscitaverunt autem non sua virtute, nec sua potestate, sed invocato nomine Christi, qui morti ac vitæ dominatur:
Johan. 11. 45.
Act. 9. 20. Apostoli non suscitarunt mortuos virtute sua.

G Filius autem Dei Lazarum virtute propria suscitavit. Denique ut ait Dominus, *Lazare, exi foras:* statim ille egressus de monumento est; neque mors tenere poterat, quem vita vocabat. In naribus humor sepulturæ erat: Lazarus vivus adstabat. Non exspecta-
Johan. 11. 43.

a Hîc omissa sunt, quæ apud Augustinum, *Quale est intus illud, unde non exitur foras.*

b Apud August. *servo bene merito.*

c Augustinus, *sicut pusillus iste.*

vit

CLASSIS I. vit mors iteratam vocem Salvatoris audire; quia virtutem vitæ ferre non poterat: sed ad unam vocem Domini mors & corpus Lazari de monumento, & animam dimisit de inferno; & totus Lazarus de monumento vivus processit, qui totus ibi non fuerat. Tardiùs quis de somno suscitatur, quàm Lazarus de morte. Humor corporis adhuc erat in naribus Judæorum; & Lazarus vivus adstabat. Sed jam caput lectionis ipsius videamus.

2. Ait ergo Dominus ad discipulos suos, ut audivit
ỳ. 11. in præsenti lectione Dilectio Vestra. *Amicus*, inquit, *noster Lazarus dormit; sed vado, ut à somno suscitem eum.* Bene dixit Dominus, *Amicus noster Lazarus dormit:* quia verè de morte velut de somno erat surrecturus. Sed dis-
ỳ. 12. cipuli ignorantes cur hoc Dominus dixisset, aiunt ad
ỳ. 14. illum, *Domine, si dormit, sanus erit.* Tunc respondens, *ait*
* ỳ. 15. *illis manifestè, Lazarus mortuus est: * sed gaudeo propter vos, ut credatis, quia non ibi eram.* Sed si gaudere se di-
Cur Christus de Lazari morte gaudet & flet. cit hîc Dominus propter discipulos de Lazari morte, quid est quòd postea flesse refertur in Lazari morte? Sed advertamus rationem gaudii, & lacrymarum. Gaudebat Dominus propter discipulos; flebat propter Judæos. Propter discipulos gaudebat; quia per resurrectionem Lazari confirmari habebat fides ipsorum in C Christo: propter Judæorum flebat incredulitatem; quia nec resurgente Lazaro, Christo Domino fuerant credi-
Lacrymarum Christi virtus. turi. Aut fortè idcirco flevit Dominus, ut lacrymis suis mundi peccata deleret. Si Petrus potuit lacrymarum suarum fusione propria peccata abstergere, cur non credimus lacrymis Domini mundi peccata deleta fuisse? Denique post lacrymas Domini multi ex populo Judæorum crediderunt. Vicit ex parte incredulitatem Judæorum Dominicæ pietatis affectus, & discordes mentes eorum mollivit prima fusio lacrymarum. Et idcirco fortè utrumque de Domino in præsenti lectione refertur,
Psal. 125. 5. quòd & gavisus sit, & flevit: quia qui seminat in lacrymis, ut scriptum est, in gaudio metet. Lacrymæ ergo Domini gaudia mundi sunt: quia idcirco ille lacrymas fudit, ut nos gaudia mereremur. Sed redeamus ad ordinem.

Christus absens simul & præsens Lazari morti. 3. Ait ergo ad discipulos suos: *Amicus*, inquit, *noster Lazarus mortuus est: sed gaudeo propter vos, ut sciatis, quia non eram ibi.* Advertamus & hîc mysterium, quomodo non se illic Dominus fuisse dicit. Cùm enim dicit manifestè, *Lazarus mortuus est:* præsentem se illic fuisse, evidenter ostendit. Neque enim hoc dicere Dominus potuisset, nullo sibi nuntiante, nisi præsens fuisset. Quomodo enim in loco, ubi Lazarus mortuus est, præsens non erat Dominus, qui omnia loca totius mundi divina potestate circumvenit? Sed hîc quoque Dominus ac Salvator noster sacramentum in se carnis ac divinitatis ostendit. Non erat ibi secundùm carnem: hîc erat secundùm divinitatem; quia Deus ubique est.

4. Cùm ergo venisset Dominus ad Mariam & Martham sororem Lazari, videns turbam Judæorum, ait,
ỳ. 34. *Ubi posuistis eum?* Numquid nesciebat Dominus, ubi
Cur Deus interrogat de rebus quas non ignorat. positus esset Lazarus, qui absens mortuum Lazarum pronuntiaverat, & qui divinitatis suæ majestate ubique erat? Sed hoc Dominus ex veteri consuetudine
Gen. 3. 10. fecit. Nam & ad Adam similiter ait, Ubi es, Adam? Non quia nesciret, ubi esset Adam: sed idcirco interrogavit, ut peccatum suum Adam ore proprio confiteretur, ut posset peccati veniam promereri. Interrogat & Cain,
Gen. 4. 9. Ubi est frater tuus Abel? Et ille dixit, Nescio. Non quia nesciret ubi esset Abel, idcirco interrogavit Cain: sed ut cùm ille negaret, parricidium ejus argueret quod
Ob culpæ confessionem salvatur Adam, ob negationem Cain damnatur. in fratrem commiserat. Denique Adam, quia interroganti Domino confessus est peccatum quod commisit, veniæ redditus est: Cain, quia negavit parricidium quod commisit, æternâ pœnâ damnatus est. Sic cùm hîc dicit Dominus, *Ubi posuistis eum:* non idcirco interrogat, quia nesciret ubi positus esset Lazarus: sed ut turba Judæorum ad monumentum Lazari sequerentur; ut videntes divinam Christi potentiam in Lazari resurrectione, ipsi adversùs se testes exsisterent, si tantæ virtuti non crederent. Dixerat enim illis superiùs Dominus, Si
Johan. 10. 38. mihi non creditis, vel operibus credite, & cognoscite

A quia Pater in me est, & ego in illo.

5. Deinde cùm venisset ad monumentum, ait ad circumstantes Judæos, *Tollite hinc lapidem.* Quid dicimus? SERM. DE SCRIPTURIS.
Numquid lapidem Dominus à monumento præcepto ỳ. 39.
removere non poterat, qui inferni claustra propriâ virtute removit? Sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit: quod autem divinæ virtutis erat, suâ potentiâ demonstravit. Quod humanæ virtutis est, hominibus dimittit Deus. Lapidem enim à monumento revocare, humanæ virtutis est; animam verò ab inferno revocare, solius divinæ potentiæ est. Verùm facilè, si voluisset, sola jussione verbi removere à monu-
B mento lapidem potuisset, qui verbo mundum creavit.

6. Cùm ergo removissent lapidem à monumento, ait magna voce, *Lazare, veni foras:* ostendens se esse de ỳ. 43.
quo scriptum erat, Vox Domini in virtute, vox Do- Psal. 28. 4.
mini in magnificentia. Et iterum: Ecce dabit virtuti Psal. 67. 34.
suæ vocem virtutis. Virtutis planè & magnificentiæ vox ista est, quæ statim Lazarum de morte ad vitam revocavit, & antè anima corpori reddita est, quàm sonum vocis miserat. Virtus vocis Christi. Licèt alibi esset corpus, alibi anima; tamen vox ista Domini statim & animam corpori reddidit, & corpus animæ repræsentavit. Deterrita enim mors est, auditâ voce tantæ virtutis. Nec mirum sanè, si ad unam vocem Domini resurgere Lazarus potuit; quando omnes qui in monumentis sunt, ad unam vocem solam resurrecturos in Evangelio ipse declaravit
dicendo, Venit hora, quando omnes qui in monumentis Johan. 5. 25.
sunt audient vocem Filii Dei, & resurgent. Unde sine dubio tunc mors audita voce Domini omnes mortuos à se potuisset dimittere, nisi propriè vocatum Lazarum
cognovisset. Ut ait ergo Dominus, *Lazare exi foras;* * ỳ. 44.
* *statim ille exivit ligatis manibus & pedibus, & facies ejus sudario erat cooperta.* Quid & hîc dicemus? Numquid Dominus in Lazaro sepulturæ vincula rumpere non poterat, qui mortis vincula disruperat? Miraculum alterum, Lazarus ligatis pedibus ambulans. Sed hîc Dominus
D ac Salvator noster duplicem virtutem in Lazaro suæ operationis ostendit; ut vel sic incredulitati Judæorum fidem credulitatis infunderet. Non enim minoris admirationis est, Lazarum ligatum pedibus ambulare potuisse, quàm à mortuis resurrexisse.

* SERMO CXVI.

Rursus in Evangel. Johan. 11. de suscitatione Lazari.

Incerti auctoris & insulsè rhetorem agentis.

* *Olim de verbis Domini 52 & post in Appendice 6.*

E 1. LICET omnes virtutes, quas in terris Dei Filius majestatem suam proditurus implevit, mirari tantùm homines valeant, ut verbis definire non possint: excedit tamen omne miraculum, quod Christus circa Lazarum fecit, cui non ægro reddidit sanitatem, [a] nec debilitatis languore viribus medelam protinus verbo restituit, non denique reliquias animæ adhuc possidenti vitam rursus reddidit; sed jam sepulto, jam monumentis recondito, jam legitimis temporum spatiis adscripto inferis inquilino, ab ipsa sede pallente, destructa lege tartarea, mancipium mortis redire jussit ad superos; & post concilia stridentium umbrarum, post profun-
F das noctis æternæ caligines, vitam ducere, in convivio discumbere, frui discumbentium colloquio, prandere & gaudere fecit: atque ut miraculum divinæ virtutis accresceret, dum convivis interrogantibus [b] tristia loca pœnarum, sedesque alta nocte semper obscuras, Lazarus indicat diligenti narratione per ordinem; diu quæsiti longisque temporibus ignorati invenerunt tandem inferi proditorem.

2. Nec leves jam præcesserant in multis curationibus diversæ virtutes. Neque enim levia sunt vel ludicra præter Lazarum quæ Christus implevit: quòd claudi redintegratis gressibus cucurrerunt, & accepto benefi-
G cio sanitatis Domino gratias retulerunt; quòd manci utrasque manus ad cælum cum laudibus levaverunt; quòd resoluta sunt mutis claustra linguarum, & post horrificum vocis inarticulatæ mugitum, vinculo nodatæ linguæ disrupto, ex ore dividuo sensibilia verba processerunt; quòd cæcus recepit lumen, quod violentus dolor nube crassi humoris obscurans ab orbium sede ra-

[a] In MSS. plerisque, *nec debilitatis fugavit languorem, nec viribus &c.*
[b] MSS. non pauci, *tristega pœnarum.* & sic fortè corrigendus vetus codex Colbert. ubi, *tristitia capitenarum.*

 Y

puerat; & noctem funeratæ frontis excutiens, dum totum recipit visum, resurrectionem cæcus meruit oculorum. Recepit hic quidem oculos, alter accepit; & quod natura non dederat, manus Christi formavit. Imposuit enim fronti pulverem sputo conspersum, & ad tactum sacræ manûs operis disciplina festinans luciferas gemmas orbibus præparatis infixit; & quod natura non dederat, Christus artifex integravit. Hæc omnia cunctis fuêre miraculo, dum fiebant. Quis enim protinus saxeus mirari non cogatur, cùm omnia damna membrorum non medicinæ pigmentis, nec arte aliqua, nec remediis, sed solo tantummodo videret sermonis imperio restituta? Parva hæc tamen ad Christi potentiam videbantur, nisi amicus Christi Lazarus moreretur. Quem ideo Christus vitæ naturæ restituit, ut mutaret naturam, & vitæ ordinem verteret, ut unus homo semel nasci, & bis mori disceret, ut conditionem mortis nova resurrectionis lege turbaret.

Johan. 9. 6. & 15.

3. Invadit igitur Lazarum pernicies inimica languoris, & fornace febrium anhelum corpus exurens, miserandi hominis robur quotidie edax incendium absumebat. Jacebat visceribus anhelis exæstuans, crebrisque singultibus corpus excussum, migraturam de domo corporis animam promittebat. Non amici, non consilia, non fomenta, non artis magisterio remedia provisa succurrunt: omnia enim quæ pro salute data fuerant, in contrarium vertebantur. Languor enim iste non aliquo remedio, sed sola morte fuerat finiendus: & mors ipsa per resurrectionem Christi vincenda. Aderant autem duæ sorores languenti, & casum dolentes juvenis, ægrotantis lectulo jugiter inhærebant: fovebant verò jacentem talibus frequenter alloquiis; Patienter, inquiunt, sustine, fortiter dura, noli desperatione corruere. Dum enim languorem istum fortitudine toleras, cùm sustines, cùm foveris, venit inter hæc Christus, ut credimus; forsitan & sanaberis. Sed quid vos, ô Maria & Martha, pro germano tantus dolor exurit? Quid jugibus suspiriis optatis mori cum fratre? In contrarium potiùs vota pectoris immutate, precamini crementa languoris, augmenta febrium quærite, & ut in extrema vitæ limina tempestas morbi sævientis citiùs impingat, optate. Frater enim vester Lazarus, cujus ingemiscitis tanto affectu languorem, nisi mortuus fuerit, non recipiet sanitatem.

4. Urebat igitur ægrotum febris assidua, edax flamma penetrabili vapore siccabat. Incumbit quæstionarius corpori dolor, totus homo sævientium morborum oneribus premitur; ut corporis vinculis anima resolvatur. Vicit tandem succum corporis ægritudo, & caminus febrium extremo divortio de sede corporis animam compulit emigrare. Scindebant Maria & Martha germanæ vestes, laniabant iratis unguibus genas, spargebant evulsos crines, ululatibus astra pulsabant: & tamen incumbentes funeri, amplexæque corpus exanime, inania figentes oscula, sæpius hoc dicebant: Poteras, miser, nec ægrotare, nec mori, si nulla ratio fecisset Christum absentem. Inter omnes enim quibus sermone medico desiderata concessit, si te quoque languentem contingeret aut videret; non te frigidi corporis sopore oppressum, non spoliatum lumine videremus: immo illo præsente non tibi febris accederet, non invaderet dolor, non ægritudo vastaret. Tanta est enim illius omnipotentia; ut etiam jam mortuus resurgeres, si veniret. Procedit interea funus, longoque ordine tristibus obsequiis decoratum infertur sepulcris: absconditur cavato saxo, luctuosisque vocibus conclamatur.

Quæstionarius dolor.

Funeris situs.

5. Venit igitur ad Bethaniam Christus, claustra mortis divinâ potentiâ destructurus. Occurrunt lacrymosæ sorores, funus hominis contestantes, Dei auxilium requirebant (Erat enim [a] ei insitus amor Lazari, erat sororum ejus quædam dilectio apud Dominum) de servitiis amoris sui pignus intrinsecùs deponentes, in visceribus habere Dominum videbantur. Sed interrogat de lacrymis Deus; & licèt sciret quid contigerit, tamen ex illarum voce optat audire. Lazarus, inquiunt, quem diligebas, mortuus est. O invidia, ô infidelis conventio! Te adhuc posito in sæculo, Lazarus amicus

A tuus moritur. Si amicus moritur, inimicus quid patiatur? Parum est, si tibi non soli superi serviunt; ecce tuum dilectum inferi rapuerunt. Lazarus, inquiunt, quem diligebas, moritur. Exclusit humanitatis consuetudinem, & vox illa mortalitatis dicit: amicus Dei plus debuit vivere; sed moritur.

6. Dominus noster Jesus Christus intendens in lacrymas mulierum, quæ jugibus suspiriis optabant mori cum fratre, ad mausoleum Lazari unà cum discipulis suis vel prolixis turbis accelerat. Jam enim intra cavatum saxum quatuor dies habuit ut jacebat, jam fluescentium membrorum teterrimus fœtor prohibebat accessum,
B jam in concavis orbibus tabido situ marcescentes resederant oculi, jam deficiebat narium mollitudo, jam rictus oris dentibus nudatis horrebat, jam nudata cute, laxa temporibus cerebri sedes tegmine adtenuato pallescens, capillis subinde rarescentibus apparebat; jam Maria & Martha sorores Lazari, quæ Christum frequenter resuscitasse mortuos viderant, fratrem suum posse resuscitari penitus non credebant. Ibi verè Christus probatus est Deus, ubi tantum fecit, quantum ausa non est etiam ipsa fides optare. *Et commotus spiritu dixit, ubi posuistis eum?* Non tamen locum sepulti ignorare credi debuerat; sed fidem populi approbare volebat.
C Venit igitur Christus ad monumentum in quo Lazarus dormiebat, & non tamquam mortuum, sed tamquam sanum, tamquam vivum, tamquam audire paratum, de sepulcro protinus evocavit. *Lazare*, inquit, *prodi foras.* Ideo dicit nomen, ne omnes mortui cogerentur exire. Clamat tamen ad monumentum; turbant se inferi, exspectant audientiam omnes mortui, quærunt sua nomina vocitari: ne, inquiunt, & nos Dominus suscitabit? Ubicumque Christus steterat, patebant inferi. Subitò una vox intercepit ceteros, *Lazare, veni foras.* Non dilatio ulla retinet resurgentem, non tardant reditus animæ, non impediunt vincula sepulturæ. Involutus
D linteis, nodisque lineis irretitus, voce Christi citiùs egreditur, surgit, ambulat, currit. Et ne quid quisquam deesse diceret resurgenti, præsentibus cunctis agit gratias Redemtori.

Johan. 11. 34.

Ibidem 43.

*SERMO XCVII.

** Olim de verbis Domini 57. & post in Appendice 7.*

De verbis Evangelii Johannis 14. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.

Stilo convenit cum Sermone Appendicis septuagesimo-tertio, nec-non cum sexagesimo-primo, qui Chrysologo tribuitur.

E 1. DOMINI vox est, Fratres carissimi, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* De pace dicturi, priùs quæ pacis sint commoda, videamus. Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium caritatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita. Non quærit alienum, nonnihil deputat suum; docet amare, quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat: quoniam qui in eadem non fuerit inventus, ab-
F dicatur à Patre, exheredatur à Filio, nihilò minùs à sancto Spiritu alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contemserit bonum: nec poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui testamentum noluerit observare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo crimen est, quod jubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Quid tibi commune cum discordia, Christiane? Quid simultates amas, quod auctori pacis placere non potuit? Quid exerces inimicitias, quas evadere non potuit nec ille, qui eas primus invenit? Initio namque inimicitias
G in protoplastum dum serpens exerit, interficitur; dum homini invidet, ipse prosternitur; dum Adam cupit decipere, ipse primitus jugulatur. Quare aut Christi caritatem amplectere Christiane, aut discordiæ auctori de similitudine operum [b] parem te esse cognosce.

Johan. 14. 27.

Pax quid sit.

Quid faciat.

Qualis sit.

Jactura illius quanta.

Contumaciæ crimen discordia.

[a] Ita MSS plures. Alii cum editis, *erat enim insitus amori*, &c. & mox, *quædam delectatio.*

[b] MSS. omnes addunt vocem *ipsius*, sed alii post verbum *operum*, alii post particulam *te*.

Classis 1.

Sermo idem fusior, sicuti habetur in Regio MS. necnon in Colbertino, in quo præfigitur titulus iste: Sermo sancti Augustini in Cœna Domini, de pace discipulis commendata.

Johan. 14. 27.

DOMINI est ista vox, *Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis.* De pace dicturi, priùs quæ sint pacis commoda, audiamus. Est enim pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium caritatis. Hæc est enim quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iram: superbos calcat, humiles amat, discordias sedat, inimicos concordat, placita cunctis. Non quærit alienum, nihil deputat suum. Docet amare, quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari: humilis omnibus, mitis est omnibus. In ipsa requies, in ipsa tranquillitas. Pax quæ exercetur in Christiano, consummatur in Christo. Hanc qui amaverit, Dei heres est; qui contemserit, Christo rebellis est. Dominus enim Christus ad Patrem remeans hereditarium bonum, id est, pacem suam, suis cultoribus dereliquit, dicens, *Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis.* Hanc pacem qui acceperit, teneat: qui perdiderit repetat, qui amiserit, exquirat: quoniam qui in eadem pace inventus non fuerit, abdicatur à Patre, exheredatur à Filio; & exutus & nudus, invenietur ab eodem Domino alienus. Respuet munus oblatum, qui datæ legis contemserit bonum: nec poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui testamento noluerit inservire. Pacem quam Christus dimisit, Christiane, amplectere: hereditati Dei ut cultor adhære, voluntatem Domini in te trans-

Matth. 5. 9. fusam ostende. Beati, inquit, pacifici; quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur. Scriptum est discordibus, scriptum est inimicis, Filius esse nisi pacificus non potest; inimicos abdicavit, qui pacificos filios fecit. Aut enim datam pacem, Christiane, conserva, aut gloriam tibi salutis ablatam, si non amaveris pacem, cognosce. Non potest promissa Christi percipere, qui cum fratre noluerit concordari: non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Si de nobis à Christo vicaria passio peteretur, & Filii Dei sanguis, qui pro nobis effusus est, ad pensandum nostro sanguine quæreretur; quantâ instantiâ vel officio fuerat festinandum, ut & jussa tantæ majestatis expleres, & vicaria passione dependere gauderes, & pro morte vitam adquirere, & passione reciproca compensare? At nunc quomodo poteris pro Christo animam ponere, qui pacem ab eodem delegatam nolueris conservare? Contumaciæ crimen est, quod jubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Pax enim Christi est bonum; discordia diaboli malum: auctori respondet, qui de utroque alterutrum eligit. Quid tibi cum discordia, Christiane, quæ principem suum diabolum interemit? Quid amas simultatem, quæ placere auctori non potuit? Quid exerces inimicitias, quas evadere non potuit nec ille, qui eas primus invenit? Inimicitias in protoplasto dum serpens exercet, interficitur; dum homini invidet, ipse prosternitur; dum Adam decipit, jugulatur. At contrà Christus tantùm homini caritate adhæsit, tantùm eum unica benignitate amavit, ut eum commendaret Patri, sociaret sibi, dum carnem propter ipsum des-

Sap. 2. 24. cendens induit. Scriptum est, Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Non cadat in Christianum, quæ cadit in diabolum: quia Christianum condecet conservare, quod eum constat à Domino didicisse. Qua de re autem Christi caritatem amplecti debemus, ut cum illo in æterna beatitudine vivere possimus. Amen.

* Alias de Tempore 166.

*SERMO XCVIII.

De iisdem verbis Evangelii Johan. 14.

In Appendice nunc primùm collocatur. Continet caput 6. ex Alcuini opere de virtutibus & vitiis.

1. LEGIMUS in Evangelio, Fratres carissimi, quòd Salvator & Dominus noster, cùm appropinquaret passioni, & transitum suum de hoc mundo ad Patrem discipulis insinuaret, inter alia verba quæ ob sui commemorationem dilectis comitibus suis impenderat, maximè pacis bonum & unitatis [* quasi speciale munus illis commendavit, dicens, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis:* ac si diceret, In pace vos dimisi, in pace vos inveniam.] Proficiscens voluit dare, quæ desiderabat rediens in omnibus invenire: hanc suis hereditatem dedit, dona omnia suæ pollicitationis & præmia in pacis * conversatione promisit. Atque ideo, Fratres, si heredes Christi esse volumus in ejus pace esse & manere debemus. Pacem nobis, sicut audistis, Christus dedit, concordes atque unanimes esse præcepit, dilectionis & caritatis fœdera incorrupta atque inviolata mandavit. [* Cujus pacis ornamenta mirabiliter alio ostendit loco, dicens, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et si filius Dei incipit vocari, qui pacificus esse jam cœpit; non vult filius Dei dici, qui pacem noluerit amplecti: negat Deum sibi patrem, qui pacificus esse contemnit.] Pacificos ergo esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione

(* Alcuinus. Johan. 14. 27. — Pax, hereditas Christi. — * f. conservatione. — * Alcuinus. Matth. 5. 9. Pacificus, filius Dei.)

A concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes.

2. [* Sed hæc pax cum bonis & Dei præcepta servantibus custodienda est, non cum iniquis & sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem sempiternam proficit: pax quæ in diabolo est, ad perpetuam venit perditionem. Pax cum bonis, & bellum cum vitiis semper habendum est: mala siquidem impiorum hominum odio habenda sunt.[a] Nam homines ipsi, quamvis mali sint, amandi sunt, quia creatura Dei sunt. Pax verò quæ in bonis est, concordiam fratrum & caritatem copulat proximorum.

B Pax spiritum Dei specialiter promeretur, pax dilectionis mater est, pax indicium est sanctitatis, de qua Dominus per Prophetam ait, Pacem & veritatem diligite. Pax plebis sanitas, gloria sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostium sive visibilium sive invisibilium. Omnibus viribus pax est custodienda, Fratres; quia semper in Deo manet, qui in pace sancta manet, & cum sanctis Dei societatem habet.

(Serm. de Scripturis. — Pax cum quibus servanda. * Alcuinus. — Pacis effectus. — Zach. 8. 19.)

3. Sacerdotis est, in pace populum admonere quod debeat agere; populi est, in humilitate audire quæ monet sacerdos. Quidquid non licet, pastoris est prohibere ne fiat; plebis, audire ne faciat;] atque unitatis vinculum

C omnes debent prælati simul & subditi in fide & dilectione per omnia servare: quia sine pace non suscipitur sacerdotis oratio, nec plebis oblatio. Si ergo volumus velociter à Deo exaudiri, & gratanter munera nostra ab eo accipi, debemus utique in pace conversari. De qua nos ipsa veritas instruere dignata est; Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare: & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

(Sacerdotis munus. — Sine pace accepta non est oratio vel oblatio. — Matth. 5. 23. & 24.)

4. Quia ergo unitatem nostram & concordiam Deus

D desiderat, ostendit ipse Salvator in Evangelio ad Patrem ita loquens: Pater, inquit, sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Unde & Apostolus fideles adhortatur dicens, Obsecro vos, Fratres, ut idipsum sapiatis, & unum dicatis omnes. Et item, Non sit, inquit, inter vos zelus & contentio: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaspemia tollatur à vobis cum omni malitia. Item alibi ait, Sustinentes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, & unius spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Hæc itaque unanimitas sub Apostolis olim fuit.

E Sic novus credentium populus, Domini mandata custodiens, caritatem suam tenuit. Probat Scriptura quæ dicit, Turba autem eorum quæ crediderunt, una anima & mente agebant. Et iterum, Et erant perseverantes omnes unanimes in orationes, cum mulieribus & Maria quæ fuerat mater Jesu, & fratribus ejus. Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcumque de Dei misericordia postulabant.

(Pax & unitas sæpe in Scripturis commendatæ. — Johan. 17. 11. — 1. Cor. 1. 10. — Rom. 13. 13. — Ephes. 4. 30. — Ibidem 2 &c. — Act. 4. 32. — Act. 1. 14.)

5. In nobis verò sic unanimitas diminuta est, ut & largitas operationis infracta sit. Domus tunc venumdabant, & thesauros sibi in cælo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant: at

F nunc de patrimonio nec decimas damus; & cùm vendere jubeat Dominus, emimus potiùs & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit. Et idcirco Dominus tempora nostra respiciens, in Evangelio suo dicens ait, Filius hominis cùm venerit, putas inveniet fidem in terra? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege justitiæ, in dilectione, in opere fides est. Nemo futurorum metum cogitat. Diem & iram Domini, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat: quæ metueret conscientia nostra, si crederet;

G quia non credit, omnino non metuit: si autem crederet, & caveret; si caveret, & evaderet.

(Caritatis diminutio. Act. 2. 45. — Luca 18. 8. Fidei defectus.)

6. Excitemus nos, quantum possumus, dilectissimi Fratres, & somno inertiæ veteris abrupto, ad observanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales nos esse ipse præcepit, dicens, Sint lumbi

(Vigilantia. — Luca 12. 35.)

[a] Apud Alcuinum, *non homines*, omissis deinde verbis *amandi sunt.*

Classis I.

vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit & pulsaverit, aperiant ei. Et, Beati servi illi, quos adveniens dominus invenerit vigilantes. Accinctos nos esse oportet: ne cùm expeditionis dies venerit, impeditos & implicatos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen & fulgeat; ut ipsum lumen nos ad lucem caritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat, quo cum Christo, qui est veræ pacis auctor, & cum sanctis Angelis ejus æterna pace & perpetua felicitate fruamur: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritusancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO XCIX.

* Olim de verbis Apost. 26. & post in Appendice 10.

De verbis Act. 3. Petrus & Johannes adscendebant in templum *&c.*

Incerti auctoris, qui huc nonnihil transtulit ex Augustino.

1. Post resurrectionem Christi, quorum operum patrocinio prædicatio Apostolorum muniatur, lectio quam audistis exposuit. *Adscendentes*, inquit, *Petrus & Johannes in templum*, materiam sermoni, id est, prædicationi ingressum, per signa præpararunt. Præcedere quippe stupor debuit, ut mirandæ rei expositio sequeretur. [a] Fulgor ergo signorum populorum corda percussit. *Nam erat quidam à nativitate sua claudus, qui portabatur manibus, & mendicabat*, inquit, *ad speciosam portam templi:* * qui cùm ingredientes vidisset Apostolos, eleemosynam ex more poscebat. Sed cùm in eum convertissent intuitum, nihil claudus ultra notum solamen operiens, credidit affluituram vilem de Apostolorum manibus largitatem. Sed Petrus Apostolus ait ad eum, *Intende in nos.* Quos cùm respexisset; *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Verborum ipsorum ordinem debemus diligenter exponere. Neque enim pertinebat ad rem, cùm virtutum divitiæ sequerentur, ut census pauperies narraretur, nisi ipsam virtutem voluisset Apostolus cum sui adtestatione proferre. Ne enim mirareris possessorem virtutum, antè professus est abrenuntiationem divitiarum. Justè namque sequebatur, ut largiretur signa, qui opes contemserat. Quid hac paupertate ditius? Quid hac virtute pauperius? Testimonium ergo virtutis secutura est professio paupertatis. Unde & Apostolus loquebatur, Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Quid igitur hac paupertate ditius? *Argentum & aurum non habeo.* Sed quid habet, qui argentum non habet? Eloquium vehemens, eloquium igne purgatum: qui aurum non habet, fidem habet.

Act. 3. 1. — ỳ. 2. — * ỳ. 3. — ỳ. 4. — ỳ. 6. — Paupertatis Evangelicæ commendatio. — 2. Cor. 6. 10.

Auri vilitas.

2. Videamus quid ampliùs coruscet aurum, quod ita est in abscondito; ut illud videatur providens hominibus natura damnasse, nec exposuisse rem succensuram oculos cupidorum: atque ut adjuvaretur paupertas difficultate parandarum divitiarum, cum labore fecit quæri, quod noluerat inveniri. Ergo videamus: qui aurum non habet, quid habet? Fidem habet, virtutem habet. Expendamus quod diximus, quid ampliùs coruscet aurum, quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod sollicitudo custodit; aurum materia laborum, periculosa possidentium; aurum enervatio virtutum, aurum malus dominus, proditor servus. Ergo qui aurum non habet, quid habet? Fidem habet. Videamus, ut diximus, quid ampliùs coruscet aurum, quod nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit; aurum, quod in perniciem domini fulget; aurum, quod per tenebras quæritur, per tenebras custoditur; aurum, cujus inquisitio damnatos habet, cujus amor Judam fecit, & ne alicui sit nomen ignotum, de Apostolo proditorem; aurum, quod apud avarum animum præfertur & Christo: in cujus appetitu congruâ Magister Gentium auctoritate detonuit dicens, Avaritia quæ est idolorum servitus. Quid ergo ampliùs refulget aurum, quod sordidus dominus habet; aurum, quod ampliùs cruciat apud quem largius

Cur ita abstrusum. — Ephes. 5. 5.

A fuerit; aurum, quod amanti se nihil de sua possessione permittit, refundens ei reatum suum, cui usum suum negat gravis [b] adquisitio, ærumnosa possessio?

Serm. de Scripturis.

3. Nec tamen cùm hæc dicimus, Dei creatura damnatur: sed quoniam obcæcatâ prudentiâ hominum id in magnum pretium receptum est, jam in infamiam rei redundat, quidquid de mala cupiditate suscipitur. Ideo ergo res illa vituperatur, ut avaritia condemnetur. Ceterùm Dominus ait per Prophetam, Aurum & argentum meum est. At si per se mala res esset, Dei esse non posset. Verùm præbet materiam misericordiæ apud bonos animos; & novo genere tunc magis prodest, quan-
B do contemnitur; ut ipsa sui conditione testetur, quoniam mala est rei ejus possessio, cujus abdicatio fructuosa est. Præbet ergo materiam subveniendi: Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. * Vis ergo nosse, quàm justi judicis res sint aurum & argentum? Avarus inde torquetur; inde misericors adjuvatur. Exerceatur ergo rei contemtus per contemtum utilis. Ad possessionem ejus non omnes idonei; ad contemtum ejus omnes idonei. Nemo ergo non potest inter eos reputari, qui dispersefunt tribueruntque pauperibus, justitia eorum manet in æternum: nemo non inter eos reputari potest, qui bene voluerit per fugacium
C rerum despectum placere Deo.

Auri damnatur usus, non natura. — Aggæi 2. 9. — Periculosè possidetur: fructuosè abdicatur. — Psal. 111. 9. — * Ex August. Sermone 50. n. 3.

Paupertatis pretium.

4. Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est. Possidere quod cum labore requiritur, paucorum est: contemnere quod cum fructu contemnas, omnium est. Felicitas ergo magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertate faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua: nihil eâ potest ditius inveniri. Vis nosse quàm locuples sit? Cælum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum? Ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non posset: nunc obtinet ut contemtu perve-
D niat. Multò ergo plus fulget fides quàm aurum. Aurum latebris tenebrescit [c] amicum; fides ingenito splendore conspicuat: aurum tutò prodi non potest; fides bono publico semper fulget, dignitatem fidei fiducia ipsa testatur: aurum nec inter convenientes tutum est; fides etiam inter pugnantes secura est.

Pauperis divitiæ. — ỳ. 6.

5. Quid ergo donavit Apostolus pauper censu, dives fide, lectionis ordo proloquitur. *Aurum & argentum non est mihi.* Sed pro his quid habet? *Quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Jesu Christi surge & ambula.* De effectibus pretia rerum æstimentur. Qui aurum donabant, implebant pauperis ventrem, majus onus pedibus de-
E bilibus futurum, solabantur infirmitatem, sanitatem reddere non valebant. Ille autem qui aurum non possedit, sanitatem dedit. Deo dives est, inops auri. *Aurum & argentum non habeo:* ideo igitur tantas virtutum opes prætulit. *Quod habeo hoc tibi do: in nomine Jesu Christi surge & ambula.* Hoc planè non in marsupio, sed in animo tenebatur. Quid ei dedit? *In nomine Jesu Christi surge & ambula.* Pauperem hominem expavit infirmitas æqua lege & æquâ potentiâ reges captivosque constringens: non potuit sustinere jussionem pauperis regibus dominans. Parum est quòd infirmitatem nominamus; pauperis imperium etiam natura non pertulit.
F Ille enim *claudus erat ex utero matris suæ.* Debilitas itaque quam ei invexerat nativitas, vi pauperis jubentis exclusa est: quod profectò non fieret, nisi pauper Apostolus plenus esset illo Deo, qui est auctor naturæ. Nihil ergo hac ditius paupertate. Quid donat, qui æs non habet? Virtutem largitur, gratis confert. Quid enim non potest? *In nomine Jesu Christi surge & ambula.* Obedientiæ subditur, quod ex necessitate veniebat. Dicitur homini, *Surge*, quod semper optabat: sed quoniam naturalibus vinculis impeditus erat, non poterat quod volebat. Nunc autem tanta facilitate insensibilia serviunt; ut ad nutum jubentis illa pedum infirmitas avo-
G laret. *Surge & ambula.* Et surrexit, inquit, continuò & stetit. Animo imperatur; & pedes serviunt, Exsilient, inquit Propheta, tamquam vituli de vinculis “ laxati.

Malach. 4. 2.

6. *Et consolidatæ sunt bases pedum ejus.* Quanta velo-

ỳ. 7.

[a] In plerisque MSS. *fulgur*.
[b] Ita Lov. & Er. At Am. cum MSS. *gravis accusatio*.

[c] Sic MSS. At in editis *animum*.

citate

citate res agatur, adtendite. Vix aures debilis sermo intraverat jubentis, & continuò vis sanitatis irrupit, & exclusa infirmitate usui membra redduntur. Testimonium velocis resurrectionis est velocitas ex debilitate surgentis. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent, & nos immutabimur. Futura metire de factis. In quanto momento mortui excitentur, debilibus à natura crede vestigiis. Surrexit: *consolidatæ sunt*, inquit, *bases pedum ejus.* Parum erat quòd dicebatur in usum claudus redisse: virtus ei cum sanitate restituitur. Non enim dixit, Restitutæ sunt; sed, *Consolidatæ sunt bases*: tam abundantem recipiunt sanitatem, ut ferant laborem. *Exsiliens*, inquit, *ambulabat.* Saltus frequenter etiam sanis gravis est. Non senserunt illi pedes pigra remedia, nec velut unguenti modo lita vestigia revocantur: ad momentum vis medicinæ irrumpentis ostenditur, signaturque fuga infirmitatis exclusæ. Sic exsilit qui sanatur à paupere.

[Classis I. — Resurrectionis velocitas. — 1. Cor. 15. 52. — v. 8. — Caro bonæ naturæ est, & à Deo.]

7. Sanatur ergo ab Apostolis caro: hoc ipso indicans, quid à Deo suo conditore mereatur. Convincantur itaque signis omnibus Manichæi: cuncta salutis genera, quæ carni deferuntur, testimonium bonæ naturæ sunt. Digna enim divino opere comprobantur, quæ non creduntur indigna beneficiis. Nomen auctoris sui membra cognoscunt, cùm eis dicitur, *In nomine Jesu Christi surge & ambula.* Si esset caro à diabolo, nomen Christi formidare potuisset. Obsequium sanatorum, testimonium Conditoris est. *In nomine Jesu Christi surge & ambula.* Intulerat natura debilitatem: ad ipsam quodam modo invocati nominis auctoritas destinatur. Cognoscit qui jusserit, obsequiturque suo Domino, refragaturque contrario. Si caro à diabolo est, expugnanda est à Christi discipulis, non curanda. Si rationem interroges, obligandum est quidquid inimicum est. Nolo hoc solum cogitationi credas: divina ad hunc sensum succurrat auctoritas. Dominus ait in Evangelio, Nemo ingreditur in domum fortis, ut vasa ejus diripiat, nisi priùs alligaverit fortem. In suis ergo erat operibus diabolus alligandus: nunc autem non colligatur diabolus, sed honoratur, si res ejus per signa curatur. Magni beneficii debitor Christus carni est, si quod possit, in ejus salute monstravit. Non esset materia loquendi, nisi testimonium misericordiæ caro curata fecisset. Suffragatur prædicationi Christi caro, in ipsa est administratio signorum. Claudus surgit, ut Apostoli loquantur. Diximus, quoniam si hujus Dei opus caro non esset; ille claudus non erat in pedibus sanandus, sed in brachiis colligandus. Nunc autem surgit claudus, ut Apostoli loquantur, præitorque fit prædicationis: ut Christi Evangelium sonet, claudus exsilit. Impudenter Apostoli fecerunt, si Dei eorum opus caro non est: nunc autem quoniam id dicere sacrilegium est, non faciunt Apostoli impudenter. Caro igitur opus Dei est: cùm formatur, opus Dei est: cùm conditur, opus Dei est: cùm producitur, Dei opus est: cùm regeneratur, opus Dei est: cùm signatur, opus Dei est: cùm curatur, opus Dei est. Quid debet diabolo totiens res Dei? Irrideantur ergo Manichæi, & propter honorem Dei carnis natura laudetur; atque omne vitium in voluntate ponatur, spes emendationis hominibus suggeratur, ut se intelligant non carnis necessitate, sed tantùm voluntatis pravitate delinquere. Nos autem carnem divino adscribimus operi, quam videmus in Christi resurrectione divini consortii gloriam consecutam, quam à Christo conditore suo suscepit, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Matth. 12. 29. — Vitium omne in voluntate.]

* SERMO C.

De verbis Act. 4. Nemo quidquam ex eo quod possidebat, suum proprium esse dicebat.

[* Olim de Diversis 15. & in App. priore 9.]

Exstat etiam inter Sermones Ambrosii & Maximi. Hujus esse censet post Lovanienses Vindingus.

[Caritas fervens priorum fidelium.]

1. LEGIMUS in libro, qui Apostolorum actibus adscribitur, tantam sub memoratis viris devotionem plebis fuisse, ita populi Christiani floruisse primitias; ut post acceptam fidem nemo domum propriam sibi defenderet, & nemo suum aliquid vindicaret; sed

A jure fraternitatis essent illis cuncta communia: scilicet ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vitæ: hoc est, ut quibus erat una fides, esset una substantia, & quibus erat communis Christus, communis esset & sumtus. Nefas enim putabant religiosi viri, eum sibi participem non adsciscere in substantia, qui particeps esset in gratia: atque ideo fraternitate caritatis omnibus communiter utebantur: nisi quòd major est fraternitas Christi quàm sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert; Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est,

[Serm. de Scripturis. — Fraternitas caritatis major quàm sanguinis.]

B *Erat autem credentium cor atque anima una.* Verè ergo frater ille est, qui tam corpore quàm unanimitate germanus est: verus, inquam, frater est, cujus idem spiritus & voluntas in fratre est. Melior ergo est, sicut dixi, fraternitate sanguinis Christi fraternitas: quoniam interdum illa sibi inimica est; Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est: illa inter se communia cum æmulatione dividit; hæc etiam cum gratulatione communicat: illa in consortio sæpe despicit germanum; hæc assumit frequenter alienum. Tanta ergo, sicut dixi, illo in tempore Christianæ plebis devotio fuit, ut nemo domum suam diceret,

[Act. 4. 32.]

C nemo proprium aliquid vindicaret, sicut ait sanctus Lucas dicens, *Nemo quidquam ex eo quod possidebat, suum proprium esse dicebat. Non enim*, inquam, *erat quisquam egens inter ipsos.* Beata igitur plebs, quæ dum plures in Christo habet divites, nullum in sæculo habet indigentem: & quæ dum æternas cogitat divitias, à fratribus temporalem repulit paupertatem. *Vendebant enim*, sicut ait Scriptura, *prædia & domos suas*; * *& pretia venditorum ante pedes Apostolorum ponebant, ut erogaretur, prout cuique opus erat.* Videte sanctorum virorum fidem, quemadmodum propter Christum toto se exspoliabant patrimonio, & nihil sibi reliqui faciebant: non enim verebantur ne esurirent ipsi, dum timebant ne alius esuriret.

[Ibidem. — v. 34. — * v. 35.]

D 2. Hæc igitur sub Apostolis fuit in plebe devotio. Modò quid simile reperimus? Et certè idem Christus in nobis; sed non idem animus in nobis: eadem in plebe fides; sed non in plebe est ipsa largitio. Ita alter de alterius inopia non cogitat; ut illud fit quod dicit Apostolus, Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nam plerique Christiani non solùm propria non distribuunt; sed etiam diripiunt aliena: non solùm, inquam, colligentes pecunias suas ad pedes Apostolorum non deferunt, sed etiam confugientes fratres suos retrahunt à

[Caritas jam refrigescens. — 1. Cor. 11. 21.]

E pedibus sacerdotum. Nunc est illud tempus, quod describit beatus Apostolus dicens, In novissimis diebus abundabit iniquitas multorum, & refrigescet caritas. Modò enim abundant avaritia & iniquitas, quæ ante largitatis bonitate cessabant: & refrigescit caritas fraternitatis, quæ priùs Christi amore fervebat. Tanta enim sub Apostolis fraternitatis dilectio fuit, ut tunc in conventu suo non inveniretur indigentia: tanta autem modò Christianitatis dissimulatio est, ut in cœtu nostro vix invenias locupletem: locupletem autem non tam facultatibus dico vix inveniri, sed operibus. Ait enim Apostolus, Divites sint in bonis operibus. Locupletem enim

[Matth. 24. 12. — Verè dives vix jam invenitur. — 1. Tim. 6. 18.]

F in Ecclesia intelligi voluit, qui dives in Christo est. Nam & ibi quod ait, sub Apostolis neminem indigentem fuisse, ostendit utique [a] totâ eos gratiâ fuisse fidei præditos; ut omnes cælestium divitiarum abundaverint largitate. Raró igitur hoc tempore invenimus in Christiano populo locupletem; & si plerique in domibus auro sint divites, tamen in Ecclesia justitiâ sunt mendici.

3. Dum enim circa pauperes non pro eo quod prævalent operantur, nec hoc est gratum quod offerunt, nec illud est satiabile quod reservant. Dicit Dominus ad Cain, cùm offerret munera, Si autem rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti, quiesce. Sic & tu, Chri-

[Illiberalis eleemosyna. — Gen. 4. 7. sec. LXX.]

G stiane, non rectè dividis, qui de tanto auro tuo majorem partem Mammonæ servas, quàm Domino largiris. Sic namque Ananias in Actibus Apostolorum, dum putat se rectè offerre, & non rectè dividit, pecuniam quam obtulit, perdidit, & quam domi reservavit, amisit: pecuniam, inquam, pariter perdidit & salutem. Dum

[Ananias fraudis & sacrilegii reus.]

[a] Ita Er. & Am. cum MSS. At Lov. tantâ.

CLASSIS I.

enim ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegii simul condemnatur & fraudis : sacrilegii, quòd Deum in pollicitatione fefellerit; fraudis, quòd integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam. *Act. 5. 4.* Ait enim apostolus Petrus, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Si ergo, Fratres, Ananias condemnatur, quòd non totum dederit quod de suo ipse promiserat; quid censemus de eo qui non vult reddere quod aliis repromisit? Videte ergo & vos, Fratres, quid promiseritis Deo, cùm primùm fidei gratiam percepistis. Ecce abundant in civitate nostra hospites : facite quod polliciti estis; ne dicatur & vobis quod Ananiæ dictum est, Non mentiti estis hominibus, sed Deo.

** Olim ex 50. homil. 45. & post in Appendice 19.*

*SERMO CI.

De verbis Act. 10. Adscendit Petrus in cœnaculum circa horam sextam, & cùm esuriret, voluit gustare *&c.*

Hunc in MSS. titulum præfert, Excerpta de opere sancti Augustini episcopi, de visione beati Petri apostoli, & de Cornelio Centurione : *id est, ex Sermone, qui in prioribus editionibus fuit de Diversis vigesimus sextus. Excerptis autem præfatio addita est & recapitulatio.*

Act. 10. 9. 1. MODO cùm lectio Actuum Apostolorum legeretur, audivimus quòd beatus *Petrus circa horam sextam adscenderit in cænaculum : * & cùm esuriret, voluit gustare. Parantibus autem discipulis, ille factus est in excessu mentis: * & vidit vas grande velut linteum magnum, quatuor lineis appensum de cælo submitti, * ubi erant omnia quadrupedia & serpentia terræ. * Et vox de cælo sonuit, Petre, macta & manduca. * At ille dixit, Domine, tu scis quia commune & immundum numquam manducavi. * Et vox iterum : Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris. Hoc factum est per ter, & receptum est vas in cælo.* Quid ergo significent ista, breviter, si jubetis, Caritatis Vestræ auribus cupimus intimare. * Omnia animalia quæ prohibita sunt Judæis manducare, signa sunt rerum, &, sicut dictum est, umbræ futurorum : veluti quod scriptum est eis, ut quæ sunt ruminantia & fissâ ungulâ, ipsa manducent; quorum autem unum vel utrumque defuerit, non manducent. In his autem animalibus homines quidam significantur non pertinentes ad societatem sanctorum : fissa enim ungula ad mores, ruminatio verò ad sapientiam pertinet. Quare ad mores fissa ungula? Quia difficilè labitur; lapsus enim, peccati signum est. Ruminatio autem ad sapientiam doctrinæ quomodo pertinet? Quia dicit Scriptura, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus glutit illum. Qui ergo audit, & negligentiâ fit obliviosus, quasi glutit quod audivit; ut jam in ore non sapiat, auditionem ipsam sepeliens oblivione. Qui autem in Lege Domini meditatur die ac nocte, tamquam ruminat, & in quodam quasi palato cordis verbi sapore delectatur. Hoc ergo quod præceptum est Judæis, significat quòd ad Ecclesiam, id est, ad corpus Christi, ad gratiam, societatemque sanctorum non pertineant illi, qui aut negligentes auditores sunt, aut mores malos habent, aut in utroque vitio reprehenduntur. Sic cetera quæ in hunc modum præcepta data sunt Judæis, umbraticæ sunt significationes futurorum. Postea quàm venit lux mundi Dominus noster Jesus Christus, tantummodo ut intelligantur, non etiam ut observentur, leguntur. Data est ergo licentia Christianis, ut non secundùm vanam hanc consuetudinem faciant, sed manducent quod velint cum moderatione, cum benedictione, cum gratiarum actione. Fortassis ergo & Petro ita dictum est, *Occide, & manduca*; ut jam non teneret observationem Judæorum : non tamen ei quasi gurges ventris & fœda voracitas imperata est. Sed tamen ut intelligatis, hoc in figura esse monstratum ei; erant in illo vase serpentia. Numquid poterat manducare serpentes? Quid ergo sibi vult ista significatio?

[Margin: ** ỷ. 10. * ỷ. 11. * ỷ. 12. * ỷ. 13. * ỷ. 14. * ỷ. 15.* — ** Augustinus in Serm. aliàs de div. 26 cap. 3. & seq.* — *Deut. 14. 6. & 7.* — Animalia munda vel immunda quos significent. — *Prov. 21. 20.* — Ad Ecclesiam qui pertineant. — Præcepta Judaica cur legat Ecclesia. — Cibus Christianus. — *ỷ. 13.* — Vas ostensum Petro, Ecclesia.]

2. Vas illud Ecclesiam significat; quatuor lineæ quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarum, per quas extenditur Ecclesia catholica, quæ ubique diffusa est. Quicumque ergo voluerit in partem ire, & per aliquam hæresim ab universo conscindi, non pertinet ad quatuor linearum sacramentum. Si autem ad visionem Petri non pertinet, nec ad claves quæ datæ sunt Petro, pertinebit. Ideo enim quatuor lineis submissum est vas *Marci 13. 27.*

A illud, quia à quatuor ventis dicit Deus congregandos sanctos suos in finem : quia nunc super omnes istos quatuor cardines fides Evangelica dilatatur. Animalia ergo illa Gentes sunt : omnes enim Gentes quæ immundæ erant erroribus & superstitionibus, & concupiscentiis suis, antè quàm veniret Christus, illo adveniente, donatis sibi peccatis, mundæ factæ sunt. Unde jam post remissionem peccatorum quare non recipiantur in corpus Christi, quod est Ecclesia Dei, cujus personam Petrus gestabat? Petrus in multis locis apparet, quòd personam gestet Ecclesiæ. Si Petrus figuram gestabat Ecclesiæ, & Ecclesia corpus Christi est; recipiat in se quasi in B escam suam jam mundatas Gentes, quibus peccata dimissa sunt.

[Margin: SERM. DE SCRIPTURIS. — Animalia, Gentes. — Petrus figuram gestat Ecclesiæ.]

3. Unde misit ad illum Cornelius gentilis homo, & qui cum illo erant, cujus eleemosynæ acceptæ mundaverunt eum ad quemdam modum : restabat ut tamquam cibus mundus incorporaretur Ecclesiæ, hoc est, corpori Domini. Petrus autem trepidabat tradere Gentibus Evangelium : quia illi qui crediderant ex circumcisione, prohibebant Apostolos tradere incircumcisis Christianam fidem; & dicebant, non eos debere ad participationem Evangelii accedere, nisi suscepissent circumcisionem, quæ tradita erat patribus eorum. Vas ergo C illud dubitationem sustulit Petro; & ideo post illam visionem admonitus est à Spiritu-sancto, ut descenderet & iret cum eis qui venerant à Cornelio, & perrexit. Cornelius enim & qui cum illo erant, tamquam ex illis animalibus habebantur, quæ in vase erant demonstrata : quos tamen jam mundaverat Deus, qui eleemosynas eorum acceptaverat. Occidendi ergo erant & manducandi : id est, ut interficeret in eis vitam præteritam, qua non noverant Christum; & transirent in corpus ejus, tamquam in novam vitam societatis Ecclesiæ. Nam & Petrus ipse cùm ad eos venisset, commemoravit breviter quid sibi in illa visione monstratum sit. Ait enim, D Et vos scitis, quàm illicitum sit viro Judæo conjungi & accedere ad alienigenas : sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum hominem dicere. Quod utique tunc ostendit Deus, cùm vox illa sonuit, *Quod Deus mundavit, tu ne immundum dixeris.*

[Margin: *ỷ. 13.* — Gentium occisio & manducatio. — *ỷ. 15.*]

4. Fortasse quæratur etiam illud, quare linteum erat, in quo erant illa animalia. Non utique sine caussa. Novimus enim, quòd linteum tinea non consumit, quæ vestes alias corrumpit. Et ideo qui vult ad mysterium Ecclesiæ catholicæ pertinere, excludat de corde suo corruptionem malarum concupiscentiarum, & ita incorruptibiliter firmetur in fide, ut pravis cogitationibus tam- E quam tineis non penetretur, si vult ad sacramentum illius lintei pertinere, quo figuratur Ecclesia. Quare autem ter de cælo submissum est, nisi quia omnes Gentes in nomine Trinitatis baptizantur, quæ pertinent ad quatuor partes orbis terræ, qua disseminatur Ecclesia, quam significabant quatuor lineæ, quibus vas illud connectebatur, & in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti credentes innovantur, ut pertineant ad societatem communionemque Sanctorum? Quatuor ergo lineæ, quatuor partes orbis, & trina submissio mysterium Trinitatis ostendit. Quæ res etiam duodenarium numerum Apostolorum ostendit, tamquam ternis per quatuor depu- F tatis : quater enim tria, duodecim fiunt. Et quia per quatuor partes orbis terræ mysterium Trinitatis prædicaturi erant duodecim Apostoli, ideo quatuor lineæ tertia vice de cælo demissæ sunt.

[Margin: Linteum, incorruptionis symbolum. — Ter de cælo submissum in mysterium Trinitatis. — Quatuor lineæ, quatuor partes orbis.]

5. Sicut ergo suprà dictum est, beatus Petrus typum Ecclesiæ habuit catholicæ. Quòd autem adscendit in solarium, hoc significat, quòd Ecclesia à terrenis cupiditatibus spiritaliter adscensura erat in altum, & cor sursum habitura, secundùm illud quod Apostolus dixit, Nostra autem conversatio in cælis est. Quòd autem Petrus esurivit; hoc significavit, quòd Ecclesia salutem Gentium esuriret. Linteum illud quod de cælo demis- G sum est, Ecclesiam significavit. Animalia quæ in linteo erant, omnium Gentium præferebant imaginem. Quatuor lineæ quibus vas illud dependebat, quatuor partes mundi, in quibus Christi Evangelium prædicatur, significasse videntur. Quòd tertia vice submissum est vas illud, significavit mysterium Trinitatis & sacramentum baptismatis. Quòd autem dictum est Petro, *Macta, &*

[Margin: Recapitulatio. — *Philip. 3. 20.*]

Classis I.

manduca; hoc significatum est, quòd Ecclesia catholica A omnes qui in Christum credunt priùs occisura, & postmodum manducatura esset; hoc est, occisura esset infidelitatem, ut insereret fidem. Nemo enim potest in Christum credere, nisi priùs moriatur quod fuit, secundùm illud quod Apostolus ait, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. (Coloss. 3. 3.) Quomodo enim qui ab hæreticis circumveniuntur, vivi devorantur à morte: sic illi qui ad Christum veniunt moriuntur præteritis, ut vivant futuris; pereunt diabolo, & Christo adquiruntur; moriuntur morti, & feliciter vitæ inseruntur. Quam rem ut etiam in nobis pietas divina implere & confirmare dignetur, assiduis orationi- B bus supplicemus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CII.

* Olim de Tempore 43. & post in Appendice 31.

De verbis Apostoli, Rom. 7. Non enim quod volo, facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago.

Initium quidem est Augustini, ex ipsius Sermone aliàs 45. de Tempore decerptum: sed quod subsequitur deinceps, longè distat ab ipsius interpretandi ratione. Auctoris tamen est eruditi & pii.

C

1. Lectio divina, quæ de apostoli Pauli epistola recitatur, quotienscumque legitur, timendum est, ne malè intellecta det hominibus occasionem quærentibus occasionem. Proclives sunt quippe homines ad peccandum, & vix se continent. Ubi ergo audierint Apostolum dicentem, *Non enim quod volo, facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago*; (Rom. 7. 15. & 19.) agunt malum, & quasi displicentes sibi quia agunt malum, putant se Apostolo esse similes, qui dixit, *Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago.* Nonnumquam enim legitur, & nunc nobis ingerit necessitatem disputandi, ne homines malè sumentes salubrem cibum vertant in vene- D num. Sic ergo intendat Caritas Vestra, donec quod Dominus donaverit, dicam vobis; ut ubi me fortè laborare videritis in difficultate alicujus obscuritatis, adjuvetis me affectu pietatis. * (* Huc usque Augustinus.) Oportet igitur, ut virtutum sensus ex intimo dicentis metiamur affectu, & quod beatus Apostolus dixerit bonum, quidve comparatione ejus pronuntiaverit malum, non nuda significatione verborum, sed eodem quo ille, discutiamus intuitu, intellectu quoque ejus secundùm dignitatem pronuntiantes, ac meritum perscrutemur. Tunc enim sententias Deo inspiran- E te prolatas, secundùm propositum ac voluntatem ejus comprehendere poterimus, cùm eorum, à quibus promulgatæ sunt, statum ac meritum perpendentes, non verbo, sed experimentis parem induerimus affectum, pro cujus qualitate sine dubio vel concipiuntur universi sensus, vel sententiæ proferuntur.

Quodnam illud bonum, quod Apostolus non potuit perficere.

2. Quamobrem quid sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuerit perficere cùm vellet, diligentiùs indagemus. Multa enim novimus bona, quæ beatum Apostolum, omnesque illius meriti viros & habuisse per naturam, & adquisisse per gratiam negare non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continen- F tia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta justitia, quæ omnia in Apostolo Paulo ejusque consortibus ita plena atque perfecta fuisse non dubium est, ut virtutum potiùs quàm verborum magisterio ab eis religio doceretur. Quid quòd jugi ecclesiarum omnium curâ, ac pervigili sollicitudine semper exusti sunt? Quantum hoc misericordiæ bonum, quanta perfectio est, pro scandalizantibus uri, cum infirmantibus infirmari? Cùm ergo tantis Apostolus abundaverit bonis, quid illud est boni, cujus perfectione caruerit, non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est, profecerimus affectum. Omnes itaque quas diximus G eum habuisse virtutes, quamvis velut gemmæ splendidissimæ atque pretiosæ sint, tamen si præclaro illi atque præcipuo margarito, quod ille Evangelicus negotiator inquirens, universis quæ possidet venditis, comparare desiderat, conferantur, ita eorum meritum revilescit atque contemnitur, ut eis sine cunctatione distractis, unius tantùm boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditorem. Quid ergo est unum, quod illis

Serm. de Scripturis.

Contemplationis meritum.

tantis tamque innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, ut spretis abjectisque omnibus solum debeat possideri? Nimirum illa pars optima, cujus magnificentiam ac perpetuitatem cùm relicto susceptionis atque humanitatis officio Maria prælegisset, ita prædicatur à Domino, " Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: paucis verò opus est, aut etiam " uno. Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur " ab ea. (Lucæ 10. 41.) Una ergo & sola est contemplatio Dei, cui meritò omnia justificationum merita, universa virtutum studia postponuntur. Et illa quidem omnia quæ in apostolo Paulo fuisse prædiximus, non solùm bona & utilia, verùm etiam magna atque præclara. Sed sicut, verbi gratiâ, stanni metallum, quod alicujus utilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimum; & rursum auri comparatione meritum evanescit argenti; aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur; & ipsarum nihilo minùs quamvis insignium multitudo gemmarum, unius margaritæ candore superatur: ita illa omnia merita facultatis, quamvis non solùm in præsenti bona & utilia sint, verùm etiam donum æternitatis adquirant, tamen si divinæ contemplationis meritis conferantur, vilia atque, ut ita dixerim, vendibilia censebuntur.

Bona in se majori bono comparata cessant videri bona.

3. Et ut hanc eamdem comparationem etiam Scripturarum confirmet auctoritas, nonne de universis quæ à Deo creata sunt generaliter Scriptura dicit, Et ecce omnia quæ fecit Deus bona valde; (Gen. 1. 31.) & iterum, Universa quæ fecit Deus, bona in tempore suo? (Eccli 3. 11.) Hæc igitur quæ in præsenti non solùm bona simpliciter, verùm etiam cum additamento valde bona pronuntiantur: (sunt enim re vera in hoc mundo commorantibus nobis, aut ad usum vitæ, aut ad corporis medicinam, aut ad aliquam caussam ignotæ nobis utilitatis accommoda; vel certè in eo etiam valde bona, quòd faciunt nos invisibilia Dei à creatura D mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspicere, sempiternam quoque virtutem ejus ac divinitatem ex tanta, tamque ordinata molitione fabricæ mundialis, & omnium quæ in ea sunt subsistentia contemplari) (Rom. 1. 20.): hæc tamen omnia nec boni nomen tenebunt, si futuro illi sæculo comparentur, ubi nulla bonorum immutatio, nulla est veræ beatitudinis formidanda corruptio. Cujus mundi ita beatitudo describitur; " Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. (Isai. 30. 26.) Magna igitur hæc & præclara, intuitu atque mi- E rifica, si futuris ex fide repromissionibus conferantur, continuò vanitas apparebunt, dicente David, " Omnia sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & " anni tui non deficient. (Psal 101. 27. & 28.) Ergo quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi Deitas sola; omnes verò creaturæ ut beatitudinem æternitatis vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per Creatoris sui participationem & gratiam consequentur; tenere meritum bonitatis Creatori suo collata non possunt.

Res creatæ unde valde bonæ.

Quare tamen vanitas.

4. Quòd si etiam manifestioribus adhuc testimoniis F hujus sententiæ rationem voluerimus adstruere, nonne multa pronuntiari bona in Evangelio legimus, & arborem bonam & thesaurum bonum? Nam & bonum hominem, & bonum servum: quia non potest, inquit, arbor bona malos fructus facere (Matth. 7. 18.): &, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona (Matth. 12. 35.): &, Euge serve bone & fidelis (Matth. 25. 21.): & utique omnes secundùm se bonos esse cùm non dubium sit; si respiciamus ad bonitatem Dei, nullus eorum pronuntiatur bonus, dicente Domino, Nemo bonus, nisi solus Deus. (Lucæ 18. 19.) Cujus intuitu etiam ipsi Apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis excesserant modis, mali dicuntur esse à Domino ad eos ita loquente, " Si ergo vos, cùm sitis G mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis " Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se? " (Lucæ 11. 13.) Denique sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur: ita etiam justitia nostra divinæ collata justitiæ, panno menstruatæ universa justitia nostra similis deputatur, dicente Isaia propheta, Sicut pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. (Isai. 64. 6.)

Bonitas humana divinæ intuitu mala.

5. Et ut aliquid adhuc evidentius inferamus, Legis quoque ipsius præcepta vitalia, quæ dicuntur ordinata (Gal. 3. 19.)

CLASSIS I.

per Angelos in manu mediatoris, & de qua idem Apostolus, Itaque Lex, inquit, sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum: si perfectioni Evangelicæ conferantur, minimè bona divino pronuntiantur oraculo: ait enim, Et dedi eis præcepta non bona, & justitias in quibus non vivent in eis. Apostolus quoque ita novi lumine Testamenti gloriam Legis affirmat obtundi, ut eam Evangelici comparatione fulgoris nec glorificatam esse pronuntiet dicens, Nam nec gloriosum est id » quod glorificatum est propter excellentem gloriam. Quam comparationem etiam in parte contraria, id est, in peccatorum meritis compensandis Scriptura conservat; ut eos qui multò minùs peccaverint, impiorum collatione justificet dicens, Justificata est Sodoma ex te. Et iterum; Quid enim peccavit soror tua Sodoma? Et, Justificavit animam suam aversatrix Israël, comparatione peccatricis Judæ. Ita igitur & universarum merita virtutum, quæ superiùs comprehendi, cùm per se bona atque pretiosa sint, tamen theoricæ claritatis comparatione fuscantur. Multùm etenim sanctos quamvis bonorum operum, terrenis tamen studiis occupatos, à contemplatione summi illius boni retrahunt ac retardant.

Lex in se bona, Evangelii intuitu non bona. — Rom. 7. 12. — Ezech. 20. 25. — 2. Cor. 3. 10. — *Minùs peccantes, impiorum collatione Scriptura justificat.* — Ezech. 16. 52. — Ibidem 48. — Jerem. 3. 11.

*SERMO CIII.

* Olim de Tempore 47. & post in Appendice 32.

De verbis Apostoli Rom. 7. Condelector enim Legi Dei secundùm interiorem hominem *&c.*

Eumdem omnino præ se fert auctorem, ac Sermo superior, cujus videtur esse continuatio.

Sanctis ipsis non deest unde jugiter gemant.

1. CUM ergo semetipsos quotidie sentiant sancti terrenæ cogitationis pondere prægravatos ab illa mentis sublimitate decidere, & invitos, immo verò etiam nescientes, in legem peccati mortisque traduci: atque ut cetera prætermittam, illis saltem quæ superiùs comprehendi, bonis quidem ac justis, sed tamen terrenis, à conspectu Dei operibus avocari: habent profectò pro quibus ad Deum jugiter ingemiscant, habent pro quibus in veritate humiliati atque compuncti, non verbis tantummodo, sed affectu semetipsos pronuntient peccatores; ut veniam pro omnibus quæ quotidie superati fragilitate carnis incurrunt, à gratia Domini jugiter postulantes, veras pænitentiæ lacrymas indesinenter effundant: quippe qui videant iisdem ipsis se, pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiam usque ad Deum jugiter ingemiscant, æstibus involutos, etiam ipsas supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse. Experti igitur se humanis viribus desideratam fidem, obsistente carnis sarcinâ, non posse contingere, neque illi præcipuo summoque bono secundùm cordis sui desiderium posse conjungi; sed ab ejus intuitu captivos ad mundana traduci: ad gratiam Dei, qui impios justificat, convolantes, cum Apostolo protestantur, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? * Gratia Dei per Christum Jesum Dominum nostrum.* Sentiunt enim se bonum istud quod volunt, non posse perficere; sed illud quod nolunt, quodque oderunt malum, id est, cogitationum motus & curam corporalium rerum, semper incidere. Et condelectantur quidem Legi Dei secundùm interiorem hominem, qui visibilia universa transcendens, conatur Deo soli semper uniri: sed vident aliam legem in membris suis, id est, in natura humanæ conditionis insertam, quæ repugnat legi mentis eorum, pertrahit sensum violenta lege peccati; compellens scilicet eos, relicto illo principali bono, terrenæ cogitatione submitti. Quæ quamvis necessaria atque corpori utilis videatur, cùm dispensationi religiosæ cujuspiam necessitatis impenditur: comparatione tamen illius boni, quod Sanctorum omnium oblectat intuitum, mala utique ab eis ac fugienda decernitur, qui per eam quoquo modo vel ad modicum tempus ab illius perfectæ beatitudinis gaudio retrahuntur.

Rom. 7. 24. — * ℣. 25. — *Pugnæ interioris & exterioris hominis* — ℣. 22. — ℣. 23.

Lex peccati. 2. Verè enim lex peccati est, quam humano generi prævaricatio sui induxit auctoris, per illius noxam, in quem lata est æquissimi judicis illa sententia, Maledicta » terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit » tibi, & in sudore vultûs tui edes panem tuum. Hæc, Gen. 3. 17.

A inquam, est lex membris omnium inserta mortalium, quæ repugnat legi mentis nostræ, eamque à divino arcet intuitu: quæ maledicta terra in operibus nostris post agnitionem boni ac mali, cogitationum spinas cœpit ac tribulos germinare: quarum aculeis carnis obtusis semina præfocantur, ne illum panem nostrum, qui de cælo descendit, quique confortat cor hominis, edere absque vultûs nostri sudore possimus. Omne igitur humanum genus huic generaliter legi sine ulla exceptione subjicitur. Nullus enim est, quamvis sanctus, qui supradictum panem non cum sudore vultûs sui, & sollicita cordis in-

SERM. DE SCRIPTURIS. — *Universalis est.*

B tentione percipiat: ceterùm communi isto pane multi, ut videmus, divites sine ullo vultûs sui sudore vescuntur. Quam etiam legem beatus Apostolus spiritalem asserit, dicens, *Scimus enim quia lex spiritalis est; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Spiritalis enim est lex, quæ jubet nobis, ut in sudore vultus nostri comedamus illum panem verum, qui de cælo descendit: sed nos carnales fecit venumdatio illa peccati.

Rom. 7. 14.

3. Quod rogo istud, cujusve peccatum est? Sine dubio Adæ, cujus prævaricatione, atque, ut ita dicam, negotiatione damnosa, fraudulentoque commercio venditi sumus. Omnem enim prolem suam, serpentis per-

Adam vendidit libertatè.

C suasione seductus illiciti cibi perceptione distractam, jugo perpetuæ servitutis addixit. Hic namque mos solet inter vendentem ementemque servari, ut is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretii pro jactura propriæ libertatis & addictione perpetuæ servitutis à suo consequatur emtore. Quod etiam inter Adam atque serpentem manifestissimè videmus impletum. Ille enim à serpente pretium libertatis suæ esu interdictæ arboris capiens, à naturali libertate discessit: illique maluit semetipsum perpetuæ vendere servituti, à quo vetiti pomi lethale pretium fuerat assecutus: qua deinceps conditione constrictus, non immeritò omnem po-

Inde posteri nascuntur servi.

D steritatis suæ progeniem, perpetuo eidem, cujus effectus est servus, subdidit famulatu. Quid enim aliud servile conjugium potest procreare, quàm servos?

4. Quid ergo? Numquid emtor iste versutus & callidus Domino vero atque legitimo jus dominationis eripuit? Non ita est: neque enim sic ille omne peculium Dei, unius fraudis dolositate pervasit, ut potentiam dominii sui verus dominator amitteret, qui ipsum quoque emtorem, quamvis refugum vel rebellem, tamen jugo reprimit servitutis. Sed quia omnibus rationalibus creaturis arbitrii libertatem Creator indulserat, eos qui se contra fas edacis concupiscentiæ transgressione vendi-

Jure tamen suo hinc non cecidit Dominus.

E derant, invitos ad ingenitam libertatem revocare non debuit. Abhorret siquidem ab illo justitiæ & pietatis auctore, quidquid bonitati æquitatique contrarium est. Malum enim fuerat, si concessæ libertatis beneficium revocasset: injustum, si liberum hominem potentiâ suâ opprimens atque captivans, libertatis acceptæ privilegium exsequi non sivisset; cujus salutem in futura tunc sæcula reservavit, ut recto ordine compleretur statuti temporis plenitudo. Oportebat enim ejus sobolem tamdiu sub avita conditione durare, quò usque eamdem originalibus vinculis liberatam, in antiquum libertatis statum, prioris Domini gratia pretio sui sanguinis re-

Sed hominem invitum liberari, & injustum & malum.

F formaret: quam pietatis instinctu potuit etiam tunc salvare sed noluit, quia eum decreti sui irrumpere sanctionem æquitas non sinebat.

5. Vis nosse caussam venditionis tuæ? Audi ipsum Redemtorem tuum per Isaiam prophetam apertissimè proclamantem? Quis est iste liber repudii matris vestræ, « quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus, cui vendi- « di vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in « sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Vis etiam evidenter agnoscere cur te jugo servitutis addictum redimere potentiæ suæ virtute noluerit? Audi quid ad superiora, quibus eisdem famulis caussam voluntariæ venditionis exprobrat, adjecerit, Numquid abbreviata & «

Iniquitas nostræ venditionis caussa. — Isai. 50. 1. — *Et redemtionis obstaculum.*

G parvula facta est manus mea, ut non possim redimere; « aut non est in me virtus ad liberandum? Sed quid huic « potentissimæ misericordiæ ejus semper obstiterit, idem Propheta demonstrat: Ecce, inquit, non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est « auris ejus, ut non exaudiat: sed iniquitates vestræ di- « viserunt inter vos & Deum vestrum, peccata vestra « absconderunt

Ibidem 2. — Isai. 59. 1. & 2.

Classis I. absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.

6. Quia ergo carnales nos fecit, & spinis ac tribulis condemnavit illa prima Dei maledictio, nosque ita iniquo pater noster commercio venumdedit, ut bonum quod volumus agere nequeamus, dum divisi à memoria summi Dei, ea quæ humanæ fragilitatis sunt, cogitare compellimur, dum puritatis amore flagrantes, incentivis naturalibus, quæ penitus ignorare velimus, etiam inviti plerumque compungimur: *scimus, quia non habitat in carne nostra bonum*, id est, hujus, quam diximus, theoriæ atque puritatis perpetua jugisque tranquillitas: sed factum est istud pessimum ac lugubre divortium, ut cum mente Legi Dei servire velimus, numquam scilicet volentes à caritate divina dimovere conspectum; tamen carnalibus tenebris circumfusi, quadam lege peccati ab eo quod bonum novimus, cogamur avelli: scilicet ad curas cogitationesque terrenas, ab illa mentis celsitudine decidentes, ad quas nos lex peccati, id est, illa sententia Dei non immeritò condemnavit, quam primus delictor excepit. Et inde est, quòd beatus Apostolus cùm apertissimè fateatur inevitabili se, vel omnes sanctos, peccati hujus necessitate constringi, tamen neminem eorum ab hoc esse damnandum audenter enuntiat dicens, *Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu. Lex enim Spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis*: id est, quotidiana gratia Christi, omnes sanctos suos ab hac lege peccati & mortis, in quam jugiter vel nolentes coguntur incurrere, cùm remissionem debitorum suorum à Domino precantur, absolvit.

(Legis peccati vis. — Rom. 7. 18. — Rom. 8. 1. — ℣. 2.)

* SERMO CIV.

(* Aliàs de diversis 41.)

De verbis Apostoli, 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere &c.

Erat in Bibliotheca Patrum homilia Cæsarii octava.

(Cæsarii hom. XXXVII. — 1. Cor. 3. 11.)

1. IN lectione Apostolica, Fratres carissimi, audivimus Apostolum dicentem, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* * *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam,* * *uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit; quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis comprobabit.* * *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet.* * *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Multi sunt qui lectionem istam malè intelligentes falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quòd si supra fundamentum Christi capitalia crimina ædificent, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam perpetuam pervenire. Intellectus iste, Fratres carissimi, corrigendus est; quia ipsi se seducunt, qui taliter sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Et quamvis, quod pejus est, non solùm majora, sed etiam minuta, si * nimiùm plura sint, mergunt: de ipsis majoribus sive minoribus peccatis, etsi non omnia, vel aliqua commemoranda sunt, ne aliquis se inaniter excusare conetur, & dicat, nescire se quæ sint minuta peccata, [a] vel quæ crimina capitalia.

(* ℣. 12. — * ℣. 13. — * ℣. 14. — * ℣. 15. — Igne minuta tantùm peccata purgantur. — * f. nimirum. — a Peccata capitalia.)

2. Et quamvis Apostolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicimus quæ sint illa: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; &, si longo tempore teneatur, iracundia; & ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè se emendaverit, &, si habuerit spatium, longo tempore pænitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & à peccatis ipsis abstinuerit; illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit.

(Peccata minuta.)

3. Quæ autem sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est ut ex eis vel aliqua nominemus. Quotiens aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quàm necesse A sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quotiens plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quam expedit. Quotiens pauperem importunè petentem exasperat. Quotiens cùm corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit; aut somno deditus tardiùs ad ecclesiam surgit. Quotiens excepto desiderio filiorum uxorem suam cognoverit. Quotiens in carcere clausos, & in vinculis positos tardiùs requisierit. Quotiens infirmos tardiùs visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit quàm oportet; si ampliùs fuerit blanditus quàm expedit. Si cuicumque majori personæ B aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit; aut nimiùm deliciosa, aut sumtuosa sibi convivia præparaverit. Si se in ecclesia aut extra ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit. Si dum incautè juramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique perjuramus. Et cùm omni facilitate vel temeritate maledicimus; cùm scriptum sit, Neque maledici regnum Dei possidebunt. Et cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur, sine ulla dubitatione delinquimus. Hæc enim, & his similia, ad C minuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut jam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cælestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant: de quo scriptum est, Aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.

(Serm. de Scripturis. — 1. Cor. 6. 10. — Ab his immunis nemo. — Animam non occidunt, sed fœdant. — Ephes. 5. 27.)

4. Et ideo continuis orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemosynis, & [b] præcipuè per D indulgentiam eorum qui in nos peccant, assiduè redimantur; ne fortè simul collecta cumulum faciant, & demergant animam. Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemtum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, *Quia in igne revelabitur: & si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Aut enim, dum in hoc mundo vivimus, ipsi nos per pænitentiam fatigamus: aut certè, volente aut permittente Deo, multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur; & si Deo gratias agimus, liberamur. Quod ita fit, si quotiens maritus, aut uxor, aut filius moritur; vel si substantia nobis, quam plus quàm oportet amamus, aufertur. Li- E cèt plus Christum quàm ipsam substantiam diligamus, & si necessitas fuerit, malimus ipsam substantiam perdere, quàm Christum negare: tamen quia, sicut jam dixi, si plus eam quàm oportet diligimus, amittere eam aut dum vivimus, aut dum morimur, sine grandi dolore non possumus: & tamen si Deo, qui illam à nobis auferri velut pius pater permittit, tamquam boni filii gratias agamus, & minus nos pati quàm meremur, cum vera humilitate proferamus; ita peccata ipsa in hoc sæculo purgantur, ut in futuro ille ignis purgatorius aut non inveniat, aut certè parum inveniat quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, F nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta, tamquam ligna, fœnum, stipula, consumantur.

(Aut bonis operibus, aut igne, aut his inflictis à Deo pœnis purgantur. b — 1. Cor. 3. 13. & 15. — Quibus proficiant inflictæ à Deo pœnæ.)

5. Sed dicit aliquis, Non pertinet ad me quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, Fratres carissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri. Et cùm de die judicii scriptum sit, quòd erit dies unus tamquam mille anni, & mille anni tamquam dies unus; unde scit unusquisque utrùm diebus an mensibus, an for- G tè etiam & annis per illum ignem sit transiturus? Et qui modò nec unum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est vel tunc parvo tempore cum anima & toto corpore cruciari. Et ideo totis viribus unusquisque laboret, ut capitalia crimina possit evadere,

(Ignis purgatorii qualis pœna. — Psal. 89. 4.)

a Cæsarius in Bibliotheca Patrum, *qua autem criminalia & capitalia*.
b In Bibliotheca Patrum omittitur hic particula *præcipuè*. Et infrà post verbum *demergant*, deest vox, *animam*.

CLASSIS I.

& minuta peccata ita operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere. Illi autem qui capitalia crimina committunt, si quamdiu vivunt, ea redimere pœnitentiæ medicamentis noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, sicut jam dictum est, venire non poterunt, sed magis illam duram & irrevocabilem sententiam audituri sunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Et ideo, qui ab ista perpetua pœna, & ab illo purgatorio igne desiderant liberari, crimina capitalia non admittant: aut si jam commiserunt, fructuosam agant pœnitentiam, & illa parva vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant.

1. Cor. 3. 15. Matth. 25. 41.

Quibus operibus minuta peccata rediman tur.

6. Quibus tamen operibus minuta peccata rediman tur, pleniùs vobis insinuare desidero. Quotiens infirmos visitamus, in carcere clausos, & positos in vinculis requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesia jejunio jejunamus, pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quotiens petierint, veniam indulgemus: istis operibus, & his similibus, minuta peccata rediimuntur quotidie.

Quibus capitalia deleantur.

7. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solum sufficit; sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus & gemitus, continuata & longo tempore protracta jejunia, largiores eleemosynæ [a] erogandæ, ultro nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes, in luctu & in tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat. Ad extremum non est impossibile vel grave quod suggero: vel sic lugeamus exstinctam nostram animam, quomodo alienam carnem mortuam plangimus. Si aut uxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, in luctu & pœnitentia, vel in lacrymis non parvo tempore perseverant. Rogo vos, Fratres, exhibeamus animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni. Et hoc videte, Fratres, quàm malum sit, [b] ut quæramus quod non possumus, & non quæramus quod possumus. Carnem quam non possumus suscitare, plangimus; & animam nostram mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum revocare. Sed quod nobis pejus est, corpus mortuum plangimus quod amamus; animam verò mortuam quam non amamus, nec dolemus, nec plangimus. Et ideo mutata vice incipiamus plus Dominum amare quàm servum, id est, plus factorem corporis quàm corpus; plus dominam quàm ancillam, id est, plus animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam: ut cùm die ultimo caro nostra putrescere, & à vermibus devorari cœperit in sepulcro; anima in Abrahæ gremio Angelorum manibus elevetur, & in die judicii recepto per resurrectionem corpore audire mereamur, Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Pœnitentia publica.

Matth. 25. 21.

Recapitulatio.

8. Et ut hæc, quæ suprà diximus, cordibus vestris tenaciùs valeant inhærere, & ipsa Apostolica lectio pleniùs possit intelligi, breviter ea Caritati Vestræ volo repetere. Omnes sancti qui Deo fideliter serviunt, lectioni & orationi vacare, & in bonis operibus perseverare contendunt, nec capitalia crimina, nec minuta peccata, id est, ligna, fœnum & stipulam supra fundamentum Christi, sed bona opera, id est, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes, per ignem illum, de quo dicit Apostolus, *Quia in igne revelabitur*, absque ulla [c] violatione transibunt. Illi verò, qui quamvis capitalia crimina non admittant, & ad perpetranda minuta peccata sunt faciles, & ad redimenda sunt negligentes; ad vitam æternam, pro eo quòd in Christum crediderunt, & capitalia peccata non admiserunt, venturi sunt: sed priùs aut in hoc sæculo per Dei justitiam vel misericordiam, sicut jam dictum est, amarissimis tribulationibus sunt excoquendi, aut illi ipsi per multas

Sors triplex hominum in judicio.

A eleemosynas, & præcipuè dum inimicis suis clementer indulgent, per Dei misericordiam liberandi; aut certè illo igne, de quo dicit Apostolus, longo tempore cruciandi, ut ad vitam æternam sine macula & ruga perveniant. Illi verò qui aut homicidium, aut sacrilegium, aut adulterium, vel reliqua his similia commiserunt, sicut jam dictum est, si eis digna pœnitentia non subvenerit, non per purgatorium ignem transire merebuntur ad vitam, sed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem.

SERM. DE SCRIPTURIS.

9. Et ideo quotiens in lectione Apostolica audieritis, *Si quis supra fundamentum Christi superædificat aurum, ar-*
B *gentum, lapides pretiosos*, de sanctis hoc & perfectis Christianis accipite, qui velut aurum purgatum merebuntur ad æterna præmia pervenire. Illi verò qui superædificant ligna, fœnum & stipulam, de bonis Christianis, sed negligentibus minuta peccata purgare, ut sæpe dictum est, intelligite: quæ peccata si nec divina justitia multis tribulationibus purgaverit, nec unusquisque eleemosynarum largitate redemerit, non sine grandi dolore in illis implebitur illud quod dicit Apostolus, *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Nemo tamen, sicut jam suprà
C dictum est, se ipsum circumveniat, ut hoc etiam pro capitalibus criminibus, si incurata remanserint, posse fieri credat. Et ideo, sicut jam sæpe dixi, quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus; ut & majora peccata possimus evadere, & minuta sine quibus esse non possumus, jugiter amore inimicorum & eleemosynarum largitate redimere: præstante Domino Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CV.

* Olim ex 50. homil. 15. & pòst in Appendice 17.

D *De verbis Apostoli*, 1. *Cor.* 12. Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra *&c.*

In MSS. sic inscribitur, Excerpta de libris Augustini, qualiter vera & perfecta dilectio servanda est: & de dilectione membrorum, quomodo omnia membra serviunt, quando spina calcatur. *Excerpti autem sunt sensus, non verba; & fortè à Cæsario.*

Amor mutuus membrorum, amorem docet proximorum.

1. QUALITER nos invicem diligere debeamus, Fratres carissimi, etiam de sanitate vel infirmitate membrorum corporalium possumus evidenter agnoscere. Si enim sic nos amare voluerimus, quomodo se invicem amant membra corporis nostri, perfecta in nobis caritas poterit custodiri. Considerate & videte quid
E fiat in nobis carnaliter quando sanum est caput, quomodo congaudent omnia membra, & placent sibi de singulis cetera membra: è contrario autem quando aliquid mali patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ecce spinam [d] calcat pes: quid tam longè ab oculis quàm pes? Longè est loco, proximus caritatis affectu. Modicùm pungit spina, & perparvum locum tenet in pede; vide quomodo illuc convertuntur omnia membra. Primò ipsa spina dorsi incurvat se, & deponunt se illuc omnia membra. Numquid oculi cessant quærere? Numquid aures cessant audire? Fortè alii qui vident ubi sit, dicunt, Ecce ubi est: statim hoc audiunt aures, & se-
F quuntur consilium: ibi & oculi quærunt, & manus operantur, &, ut dixi, totum corpus illuc incurvatur, & nihil vacat in homine ad subveniendum; & solùm in pede factum est vulnus, & totum quod est in homine operatur. Numquid omnia puncta sunt? Attendite. Numquid omnia dolent? Sana est manus, sani sunt oculi, sanum est caput, sana alia membra; ipse pes sanus est, ibi tantùm dolet, ubi punctus est: non est ergo communis calamitas omnibus; sed per compassionem caritatis omnia veniunt ad subveniendum, & omnia volunt succurrere: ut impleatur quod ait Apostolus, *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: & si*
G *glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

* Augustinus Enarr. in Psal. 130. n. 6.

1. Cor. 12. 26.

Invidus, tabes resecanda.

2. Quid ergo? Nescio quis habet donum Dei in virtutibus, non habes tu; noli invidere, ne præcidaris de corpore. Videte, Fratres, qui invidet, sic est quomodo tabes, quomodo vulnus, quomodo apostema. Non

[a] Hic in Bibliotheca Patrum additur, *etiam plus quàm nos ipsi valere possumus.*
[b] Ita Cæsarius in Bibliotheca Patrum. At apud Augustinum, *ut lugeamus quod non possumus suscitare. Carnem* &c.

[c] In Bibliotheca Patrum, *sine violentia*. In Sorbonico MS. *fine dilatione.*
[d] MSS. aliqui, *spinam habet*: & sic fortè corrigendi duo alii, in quibus habetur, *cavet.*

Classis I.

vis congaudere glorificato ? Videt in te invidiæ morbum cæleſtis ille Medicus, & præcidet te de corpore: noli ergo invidere. Sed quid facis ? Gaude. Noli dicere in animo tuo, Ego * ſi Chriſtianus eſſem, utique & ad Deum pertinerem, poſſem facere quod alius facit. Tale eſt enim ac ſi diceret & auris, Ego ſi ad corpus pertinerem, poſſem videre lunam & ſolem: & non illud habet tamen nec auris nec manus; ſed faciunt ſingula quod poſſunt, & cum concordia ſerviunt ſibi invicem omnia membra. Sic ergo & tu congaude illi cui Deus aliquam gratiam peculiariter dedit: & potes in illo quod in te non potes. Ille habet fortè virginitatem; ama illum, & tua eſt. Iterum tu habes majorem patientiam; diligat te, & ſua eſt. Ille poteſt ſatis vigilare; ſi non invides, tuum eſt ſtudium ejus: tu fortè potes ampliùs jejunare; ſi amat te, ſuum eſt jejunium tuum. Hoc ideo, quia in illo tu es: per proprietatem enim non es tu, per caritatem tu es.

(* Auguſtinus non ſuppetit.) (Virtutes alienæ per caritatem fiunt propriæ.)

3. Conſiderate, Fratres, & videte exemplum Domini noſtri, qui nos peregrinos fecit, & juſſit ut per caritatis viam currendo veniamus ad cæleſtem civitatem. Numquid aliquis poteſt dicere, quia ægrotavit hîc Dominus? Quid eſt ergo quod ait, » Infirmus fui, & non » viſitaſtis me? Quid eſt, niſi quod ipſi confitentur, » Quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut nu- » dum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Et ille, quamvis ſedeat in cælo, tamen compatiens membris laborantibus, quia caput eſt membro- » rum & univerſi corporis, Quando uni, inquit, ex mi- » nimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis. Iterum jam certè erat in cælo, quando Paulum ex perſecutore fecit prædicatorem: nam miſertus ejus, & incorporans eum univerſo corpori ſuo dixit de cælo, Saule, Saule, quid me perſequeris? Numquid ergo ipſum perſequebatur » in cælo? Quid eſt ergo, Quid me perſequeris? Perſequebatur [a] Saulus Chriſtianos, numquid Chriſtum qui ſedebat in cælo? Sed quia ipſe erat in Chriſtianis, compatiens membris omnibus. Ut verum eſſet in ipſo, quod ait, *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia* » *membra*, quid ait? Saule, Saule, quid me perſequeris? Certè jam in cælo ſum; tamen quando minimos meos perſequeris, in ipſis membris meis adhuc ego perſecutionem patior.

(Exemplum caritatis in Chriſto. V. Auguſt. Enarr. in Pſal. 85. n. 5.) (Matth. 25. 43.) (ỹ. 44.) (ỹ. 45.) (Act. 9. 4.) (1. Cor. 12. 26.)

4. Et illud adtendite, Fratres, quod etiam nos aliquotiens facimus, adtendite. * In populo quando ſtatur, & eſt aliqua coartatio; ſi alter alterum calcet, lingua dicit, Calcas me. Num ipſa calcata eſt? Quid eſt ergo quod ſonat, Calcas me? Si & ille reſpondeat, Libera es, ô lingua, in ore tuo vocem habes: ego ſi calcavi, pedem calcavi. Sed caritas dicit, Calcas me, compaſſio unitatis & vinculum ſocietatis dicit. Sicut ergo dicere cœperam, cognoſcant omnes invidi, qui de aliorum, etiamſi inimici eorum ſint, tribulationibus gaudent, quia membra ſunt putrefacta, abſciſa & mortua; & ideo non habent ſenſum: & cùm diſcedunt ab aliis membris, non ſentiunt, quia ſine ſenſu erant. Senſus noſter, Fratres, una fides eſt, [b] caritas una ſanitas eſt: teneamus fidem tamquam ſenſum, teneamus caritatem tamquam ſanitatem. Et quamvis diverſa membra diverſa munera habeant; [c] tamen caritatis unitate tenentur, & omnia merentur ire poſt caput. Caput enim in cælo eſt, nos hîc laboremus, & invicem onera noſtra portemus: quò enim ivit caput, cetera membra itura ſunt. Certè audiſtis quod paulò antè dictum eſt, Dominum » clamaſſe de cælo, Saule, Saule, quid me perſequeris?

(* Auguſtinus Enarr. 2. in Pſal. 30. n. 3.) (Membra ſunt mortua qui de aliorum tribulatione gaudent.)

5. Rogo vos, Fratres, ſi Dominus & ſalvator noſter, qui nullum peccatum habuit, tanto affectu nos peccatores amare dignatur; ut quod nos patimur, ſe pati teſtetur: quare nos, qui ſine peccato non ſumus, & qui peccata noſtra per caritatem redimere poſſumus, non tam perfecto amore diligimus: ut quidquid mali alius pertulerit, caritatis affectu compatiamur, & quidquid boni alius acceperit, quaſi nos ipſi accipiamus, ita gaudeamus, & pro illo qui accepit, Deo gratias referamus? Ecce jam, ut dictum eſt, patitur aliquis aut tribulationem aut damnum: ſi doles pro illo, in corpore Eccleſiæ conſtitutus es; ſi non doles, præciſus es.

(Patienti non compatiens extra Eccleſiam eſt.)

A Caritas enim quæ colligit & vivificat omnia Eccleſiæ membra, ſi te viderit de alterius ruina gaudere, ſtatim te præcidet à corpore. Et fortè jam ideo non doles, quia præciſus es: ſi enim ibi eſſes, ſine dubio doleres. Conſiderate, Fratres, & diligenter adtendite, quia tamdiu dolet membrum, quamdiu in corpore continetur: ſi autem abſciſum fuerit, nec dolere poterit, nec ſentire. Cùm enim manus aut aliud membrum fuerit abſciſum à corpore, ſi totum corpus poſtea multis partibus dividatur, manus illa non ſentit; quia jam à reliquorum membrorum ſocietate diviſa eſt atque disjuncta: talis eſt Chriſtianus, qui de alterius aut damnis,
B aut afflictionibus, aut etiam morte non ſolùm non dolet; ſed, quod pejus eſt, fortè etiam gaudet. Et quia jam eſt alienus à corpore, ideo affectum caritatis non tenet in corde. Nos verò, ſi veram & perfectam caritatem volumus cuſtodire, omnes ſicut noſmetipſos ſtudeamus diligere; ut quia caput noſtrum Chriſtus eſt, & membra illius nos eſſe meruimus; cùm Chriſtus apparuerit gloria noſtra, & per concordiam caritatis, quaſi vera & perfecta membra illius abſque ullo dolo malitiæ vel invidiæ, omnes homines, ſicut noſmetipſos, amantes, cum ipſo apparere mereamur in gloria.

Serm. de Scripturis.

C

* SERMO CVI.

De verbis Apoſtoli, 1. *Cor*. 13. Caritas omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

(* Aliàs de Tempore. 46. & Tomo 9.)

In Appendice nunc primùm collocatur. Auguſtino abjudicavit jam olim Eraſmus in Tomo nono; Verlinus etiam, Vindingus, aliique obſervant methodum & rationem diſſerendi non eſſe Auguſtini, multòque minùs ipſi convenire quod pro Sermonis exordio dicit Concionator, ſe ab infantia ſacras litteras didiciſſe. Non indignus verò qui alicui ex ipſius alumnis adſignetur.

1. DESIDERIUM Caritatis Veſtræ à nobis exigit debitum ſermonis officium. Sed tanta ſunt quæ Cap. I.
D terreant & revocent animum noſtrum; ut ſi velimus parere deſiderio veſtro, non ſit ſine periculo noſtro: primùm quòd juvenis loqui cogar præſentibus ſenibus: deinde temerarium eſſe arbitror loqui velle [d] imperitiam, inter eos quos roboravit antiqua doctrina. Optabam ergo ſilentio præterire, & illum locum tutiſſimum eligere, audire potiùs quàm aliquid dicere. Sed quid facio? Inſtat veſter amor, revocat noſter pudor; cogit ſanctorum patrum juſſio, à quibus ſi velim obſecrans veniam petere dicens, Ignoſcite, ſancti patres, ignoſcite, parcite noſtræ verecundiæ, parcite noſtræ ætati, maximè cùm recolam vobis fuiſſe præceptum, Loquimini ſenio- Eccli. 32. 4.
E res; decet enim vos: ipſi ſancta caritate qua prævalent, reſpondebunt mihi, Loquere, juvenis; delectat enim nos. Quibus ſi repetam, Sancti patres, quid loquar? Rurſum mihi reſpondebunt, Quod à nobis ſæpe audiſti, memento, fili, quia ab infantia ſacras litteras didiciſti. 2. Tim. 3. 15.
Sed nec ſic vobis excuſatus eſſe potero, quorum corda iſtâ me ſua voce pulſabunt, Quid meruis proferre verbum? Si ætas revocat, Paulus Timotheo juveni præcipiebat, dicens, Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: Prædica verbum. Si ſermo deeſt, pete, & accipies: non enim vos eſtis qui loquimini; ſed quod donatur vobis, hoc miniſtratis nobis. His coartatus an- (1. Tim. 4. 12.) (2. Tim. 4. 2.)
F guſtiis, quò me conferam, niſi ad ſancta veſtigia caritatis? eamque deprecor, ut donet mihi aliquid dignum de ſe dicere, quod & meum ſuppleat miniſterium, & veſtrum ſatiet deſiderium.

2. Inter ceteras virtutes ejuſdem caritatis quas commemorat apoſtolus Paulus, quòd *Caritas non æmulatur, non agit perperam, non irritatur, non inflatur, non cogitat malum*, & cetera: in ultimo quatuor ejus virtutes breviter comprehendit, dicens, *Omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*; * *caritas numquam excidit*. Ex his igitur quatuor virtutibus ſanctæ caritatis loqui convenit Sanctitati Veſtræ, delectatque primitus intue-
G ri, quemadmodum velut quatuor cardines orbis continens, totum poſſederit mundum. Requiramus igitur, ſi placet, aliquorum exempla ſanctorum, eorum ſcilicet, qui his virtutibus ſanctæ caritatis poſſeſſi ſunt: & eis ſingulis ita ſingula tribuamus, ut omnes in omnibus

(Cap. II. 1. Cor. 13. 4. Virtutes caritatis quatuor.) (ỹ. 7.) (* ỹ. 8.) (Non ſunt ſine invicem.)

[a] MSS. *Paulus.*
[b] Sic MSS. At editi, *una caritas, una ſanitas.*
[c] In MSS. deeſt vox *tamen*. Et mox *teneantur*, pro *tenentur*. Et ibi: *caput*, pro *ivit*.
[d] In Veteri MS. Divionenſi, *in peritia*. Forte leg. *in imperitia*.

Classis I.

esse noscamus: quoniam omnis qui piè tolerat, rectè credit; & omnis qui rectè credit, aliquid sperat; & qui sperat, sustinet, ne ab spe cadat. Sed jam quinam isti sint videamus, quorum fidem, in quantum desuper adjuvamur, assequi valeamus. Virtus caritatis quæ *omnia tolerat*, eminuit in sancto Noë; quæ *omnia credit*, in sancto Abraham; quæ *omnia sperat*, in patribus nostris, id est, in populo Israël, unde ipse noster exortus est Dominus; quæ *omnia sustinet*, in ipso capite nostro Domino nostro Jesu Christo, qui est vera caritas, quæ numquam cadit. Nec ceteros sanctos ab his virtutibus Vestra Caritas deputet alienos: quos pro brevitate temporis, & pro sermone suscepto ita prætermissos esse cognoscite; ut tamen certissimè noveritis omnes esse in Christo, & in omnibus Christum.

Nec est alius quis sanctus sine illis.

* Cap. III. Prima virtus caritatis, omnia tolerare. Gen. 6. 5.

3. Sed jam videamus quemadmodum sanctus Noë possederit vel possessus sit virtute caritatis, quæ *omnia tolerat*. Prædixit ei Deus, quòd iniquitate hominum crescente, diluvio perderet mundum. Statim ille admonitus confugit ad lignum, & post camporum amœnorum faciem, angustiis se reclusit arcæ, tolerat cæli fremitum, sonitum aquarum, fragorem nimborum: & post ista omnia, qui solet gaudere consortio hominum, socius quodam modo efficitur serpentium ac ferarum. Nec expavescit vir iste, quòd cum eo sint feræ in arca: immo ibi agnoscit ordinem suum feritas, quia se cognovit humanitas; & jubenti homini obediunt, quia hominem superiori Domino obedisse cognoscunt. Ostensum est in Noë, quid Adam præceptum contemnendo perdiderit: & demonstratum est posse homines bestiis etiam dominari, si subdant se obedientiâ Conditori. Exspectat & tolerat sanctus iste finem diluvii: nec antè quàm finiatur, causâ ferarum arca relinquitur. Tolerat bonus mala: & donec in fine etiam corpore separentur, intus manens, corde non corpore separatur.

Hanc cupienti quid præstandum.

4. Si qua es anima, quæ cupis possidere virtutem caritatis quæ *omnia tolerat*, relinque mundum, confuge ad crucis lignum, non metuas procellas & turbines hujus diluvii: non mergêris, si ligno portaberis; novit gubernare qui dignatus est creare, tantùm adsit virtus caritatis quæ *omnia tolerat*. Nulla res te ab arcæ soliditate evellat. Permane bonus, & tolera malos: melius enim est ut intus positus propter bonos toleres malos, quàm foras exiens & periens, & bonos relinquas & malos. Si ergo sunt tecum feræ, id est, sunt tecum in Ecclesia prava docentes, falsa sentientes, hæretici vel schismatici, aut etiam ipsi mali catholici, more ferarum animas devorare quærentium; tolerentur usque ad finem sæculi, tamquam finem diluvii. Rugiant licèt, fremant dentibus, atque ipsam arcam confringere conentur, non expavescas: finito diluvio, illas rapiet inanis ac spinosa sylva, te fertilis suscipit terra: post finem sæculi, impii rapientur ad tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium; pios suscipit terra viventium. Nam & ipse sanctus Noë post finem diluvii obtulit sacrificium Deo; sed de animalibus mundis, non de immundis. Simul enim & munda & immunda animalia in arca natare potuerunt, sed mala ad sacrificium Dei non pervenerunt.

Matth. 25. 30.

Gen. 8. 20.

Cap. IV. Secunda caritatis virtus, omnia credere.

5. Sed jam hinc aliquando transeamus, ut cetera perscrutari valeamus. Procedat in medio sanctus ille Abraham; & suo nos doceat exemplo possidere virtutem caritatis quæ *omnia credit*, qui non est cunctatus ad unam vocationem relinquere patriam sedem, domum, familiam. Omnia relinquuntur, ut Domino præcipienti pareatur. Exi, inquit ei Deus, de domo tua, & de cognatione tua, & veni in terram quamcumque tibi ostendero: nec apud se iste sanctus cogitavit aut dixit, Quò eam, cui me committam, in quam terram vadam? sed statim ut audit, surgit, currit, festinat, accelerat. Terram promissam non videt; sed credendo eam firmiter retinet. Ambulat recto itinere, nec oberrantibus vestigiis alibi quàm debuit, declinavit: quia qui eum ad ignotam terram mittebat, ipse qui mittebat non dimittebat. Nec eum ipse fefellit: redditur merces credenti. Ad terram pervenit, dilatatur, multiplicatur: ex paupere efficitur dives, ex ignobili potens, ditatur omnibus bonis; & in illo impletur quod Dominus in Evangelio suis discipulis promisit, dicens, Si quis dimiserit domum, aut agrum, aut parentes causâ nominis mei, & in hac vita centuplum accipiet, & in futuro sæculo vitam consequetur æternam. Cumulatur adhuc hujus fidei merces, & seni promittitur filius. Adest virtus caritatis quæ *omnia credit*. Audit, exsultat, ampliùs diligit, suscipit filium ex conjuge sterili, quam ipse pariendi destitutam sterilitas ætasque jam fecerat, atque in illo benedictionem omnium Gentium promissam firmissimè tenet.

Gen. 12. 1.

Eminet in Abrahā, cùm omnia dimittit.

Matth. 19. 29.

Serm. de Scripturis.

Gen. 18. 10. De filio non dubitat.

6. Sed adhuc eum caritas probat, probatumque commendat, & quemadmodum nihil Deo præferat, posteris monstrat. Vocat eum Dominus de cælo dicens, Abraham, Abraham. Et ille tamquam servus obediens, Ecce sum, ait. Et Dominus; Accipe filium tuum illum quem diligis Isaac, & vade in terram excelsam, & offeres eum holocaustum in unum montium, quem tibi dixero. Nec hac quidem jussione turbatur aut frangitur servus fidelis: adest enim ei virtus caritatis quæ *omnia credit*. Surgit, domum pergit, asinam sternit, ligna concidit, gladium & ignem sumit, puerum simul adducit, & pergit ad locum. Tunc intentus factus Isaac, patrem interrogat dicens, Pater. Et ille: Quid est, fili? Et filius, Ecce, ait, ignis & ligna, ubi est ovis quam immolaturus es ad holocaustum? Et pater respondit, Deus providebit sibi ovem ad sacrificium, fili mi. Magnum hîc & grande video sacramentum. Aliud Abraham corde gestabat, aliud filio promittebat: sed neque quæ promittebat, filium fallebant; neque aliqua infirmitas cor ejus à proposito immutaverat. Quid pluribus? Pergit viam, videt locum de longè, & statuens pueros suos ibi, eis talia verba profert dicens, Sedete hîc cum asina: ego autem & puer ibimus usque illuc, & cùm adoraverimus, revertemur ad vos. O sancte Abraham, quid est quod dicis, cùm aliud tibi de puero agendum sit? Numquid aut te, aut tuos fallis? Non, inquit: sed quæ prophetìcè vel dico vel gero, virtus caritatis in me manens quæ *omnia credit*, & facit & dicit. Audio enim eam sine strepitu vocis intus ad cor loquentem & dicentem mihi, Tu quidem licèt resurrecturum credens, pleno & perfecto voto puerum ducas immolandum, filius tuus in isto sacrificio non crematur, quia resurrectio Filio Dei servatur. Meritò Abrahæ hujus viri fidem commemorans Jacobus apostolus ait, Credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. Amicos, ut novimus, conjunctio animorum facit: unde quidam sapiens hujus mundi ait, Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Ergo amicos, ut novimus, conjunctio animorum facit. Quemadmodum iste sanctus animum conjunxerit Deo, ut ejus amicus appellaretur, vultis nosse? Sicut enim Deus Pater unico Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: ita & iste unico filio non pepercit, sed jubente ut immolaretur, ei qui dederat eum devoto corde obtulit eum.

Gen. 22. 1. Filium immolat. ỳ. 2.

ỳ. 3. ỳ. 7. ỳ. 8. ỳ. 5.

Amicus fit Dei. Jacobi 2. 23.

Amicos quid faciat.

Rom. 8. 32.

Cap. V.

7. Sed quæ sequuntur videamus. Delectat enim nos, adjuvante Domino Deo nostro, hujus historiæ plenam vobis reddere rationem. Postquam relictis pueris, ad locum sacrificii pater cum filio venit, aram construit, ligna componit, manus filio ligat, imponit eum in aram supra ligna, deponit humana paternæ pietatis indicia, induit sacerdotis diram constantiam, educit gladium, ut perimat filium. Quid videtis, Fratres? Nihil hîc sentimus humanum, quia totum cognoscimus divinum. Sed & ille filius, qui paulò antè ovem requirebat, sub ingenti silentio talia fieri in se sentit: & ita patiens invenitur, tamquam jam ille esset, qui sicut ovis ad immolandum ductus est, & tamquam agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. O & tu, sancte Isaac, indica nobis silentii hujus tam grande secretum. Paulò antè nihil in te fieri sentiebas, & à patre arietem requirebas: nunc autem manibus ligaris, in aram imponeris, ligno quodam modo suspenderis; & modò taces. Taceo, inquit. Dic quare: obsecro, noverimus. Vultis nosse ait, quare modò taceo? Quia figuram illius gesto, qui voluntate ponit animam suam, non necessitate. In hoc tam grandi mystico fidei sacramento, & Abraham sanctus apparuit probatus, & filius in præsenti est liberatus, in quo est Christus prænuntiatus.

Gen. 22. 9.

ỳ. 10. Isaac typus Christi patientis.

Isai. 53. 7.

Johan. 10. 17.

8. Si

Classis I.

A sectatore caritatis omnia credentis quid expetat Deus.

8. Si qua es anima, quæ cupis sequi vestigia fidei A patris nostri Abraham, exi de terra tua & de cognatione tua, relinque populum tuum & domum patris tui: id est, fideliter renuntia diabolo, pompis & angelis ejus; & sequere viam rectam, quæ te perducat ad terram, in qua ditescas & emineas, & efficiaris socius Abrahæ. Sed cùm ista omnia feceris, si virtus caritatis quæ *omnia credit* est in te, adhuc tentabit te; & probatum coronabit te. Expetit à te sacrificium dilecti tui. Quid à te expetit? Quod Abraham illi dictum est, Da mihi unicum dilectum tuum: tibi dicit Sapientia, Da mihi, fili, cor tuum. Ipse est dilectus unicus. Quid metuis offerre cor tuum? Offer sacrificium, contritionem cordis Domino Deo tuo: & dic ei cum Propheta, Holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Nihil metuas tali sacrificio oblato: & [a] Deo acceptum erit, & quod obtuleris, integrum permanebit.

Gen. 22. 2. — Proverb. 23. 26. — Psal. 50. 18. & 19.

Cap. VI. Tertia virtus omnia sperare.

9. Aliam virtutem caritatis quæ *omnia sperat*, placet inspicere? Hanc superiùs plebi Israël & patribus nostris adsignasse cognoscimur. Ejus namque virtutis vox est in versu illo Prophetico, In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberasti eos. Et ipsi ex Ægypto fugere jubentur, terra eis lac & mel fluens promittitur. Per C mare rubrum transeunt, ad eremum veniunt: ducebat eos spes caritatis, ut discerent priùs Deum amare gratìs. Redditur & his merces fidei: non enim potest non reddere, qui se donando dignatur facere debitorem. Post eremum mella de petra suxerunt, panem cæli manducaverunt, non sunt privati à desiderio suo, quòd speraverunt, terram etiam promissionis acceperunt.

Psal. 21. 5. — Exodi 3. 8. — Exodi 14. 22. — Psal. 77. 30.

Virtutis hujus exercitia.

10. Exsurgat anima quæ hujus caritatis virtute comprehensa est, & fugiat ex Ægypto, id est, ex hujus sæculi desiderio, pergat ad mare rubrum, scilicet Christi baptismum; ideo rubrum, quia Christi sanguine purpuD ratum. Persequantur hostes: peccata cum suo auctore diabolo, tamquam Ægyptii cum suo rege Pharaone, sæviant, sequantur fugientes: quid metuis? Usque ad aquam sæviunt. Ingredieris tu, ingredientur & illi post te: sed aqua conversa illis erit in perniciem, tibi proficiet ad salutem; illos obruet, te abluet; illos damnabit, te liberabit. Post hæc suscipies mel de petra, quo sitim tuam saties. Petra enim erat Christus, ex cujus præceptis tamquam ex fontibus dulcedinis satieris. Gustabis & panem, illum scilicet qui dixit, Ego sum panis vivus qui de cælo descendi: gustabis, & videbis [b] quàm suavis est Dominus. Et si in te eminet virtus caritatis E quæ *omnia sperat*, per eremum te necesse est transire; id est, utaris hoc mundo tamquam non utens; ut in hac via peregrinum te noveris esse, si terram promissionis cupis intrare. Hæc terra est de qua Propheta cantat & dicit, Credo videre bona Domini in terra viventium.

1. Cor. 10. 4. — Johan. 6. 51. — Psal. 33. 9. — 1. Cor. 7. 31. — Psal. 26. 13.

Cap. VII. Quarta omnia sustinere.

11. Ultima virtus caritatis restat, quæ *omnia sustinet, & numquam cadit*. Hanc ipsi capiti nostro Domino Jesu Christo convenire novimus. Ideo in ultimo; quoniam finis Legis Christus. Quanta autem pro nobis ipse sustinuerit, puto Caritatem Vestram ignorare non posse. Tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid F dignè dicam. Prius illud, quòd Deus homo, quòd Verbum caro factum est; quòd multa bona fecit, & mala perpessus est; quòd mortuos suscitavit, & mortuus est; quòd singularis illa patientia pertulit diabolum tentatorem, discipulum traditorem; quòd ipsum Judam priùs quàm ostenderet traditorem, pertulit furem, & ante experimentum vinculorum, crucis ac mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? Pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas. Clamaverunt Judæi, Crucifige crucifige: ut rei remanerent Judæi, innocens ab eis crucifixus est Filius Dei. Ad crucem ducitur, exG palmatur, qui est vera palma victoriæ. Spinis coronatur, qui spinas peccatorum venit confringere. Ligatur, qui solvit compeditos. Ligno suspenditur, qui erigit elisos. Aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur: occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum à vita occideretur mors.

Rom. 10. 4. — Johan. 1. 14. — Quanta Christus sustinuit. — Lucæ 23. 21. — Psal. 145. 7.

Serm. de Scripturis.

Judæi in Christi morte victi.

12. Quid hîc Judæi in hac morte Christi exsultaverunt quasi victores, & dum terrenum & caducum regnum timuerunt perdere, Regem cæli & terræ non dubitaverunt occidere? Sed nec sicut putaverunt, victores exstiterunt. Si enim vicerunt, regnum quomodo perdiderunt? quomodo nunc usque servi remanserunt? Ista namque caussa est, quia ab eis Christus occisus est. Dixerunt apud se principes Judæorum, ut Evangelista narrat: Videtis, inquiunt, quia totus mundus post eum B abiit? si dimiserimus eum vivere, venient Romani, & tollent nobis locum & regnum. Et Christum occiderunt; & locum & regnum perdiderunt. Quid vobis profuit, ô insani Judæi, quòd tantum scelus admisistis? Numquid quia Christo Domino, ut decuit, servire noluistis, ideo ejus dominio caruistis? Dum illi serviunt reges, quibus vos servitis, facti estis mali servi bonorum servorum Christi. Per ipsos conterit contumaciam vestram, per ipsos dissipat consilia vestra, per ipsos retribuit scelera vestra in capita vestra. Ipse autem Dominus quem vos interemistis, non vos servos, sed liberos esse cupiebat, quando dicebat, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Vos autem Dominum Deum regem, & ipsam veram libertatem non solùm repudiastis, verùm etiam necare cupientes clamastis, Non habemus regem, nisi solum Cæsarem. Sed ne in hoc quidem gloriemini quòd Christum occidistis, actum est potiùs de vobis, & nescistis. Audite ipsum Dominum dicentem per Prophetam, Ego dormivi, & somnum cepi: somnum appellans mortem à vobis illatam. Ceterùm qualis mors potuit esse triduana, maximè illius, qui per eumdem Prophetam alio loco dicit, Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? Ego, inquit, dormivi: ego, qui potestatem habeo ponendi animam meam. Ego dormivi; non quia sævistis, non quia insanistis: ego implevi quod volui: vos in scelere remansistis.

Johan. 11. 48. — Christo quomodo serviant. — Johan. 8. 36. — Johan. 19. 15. — Psal. 3. 6. — Psal. 40. 9.

Cap. VIII.

13. Quis exegit tanta ista de Deo nostro, Fratres, pro nostra redemtione ac salute, nisi caritas quæ numquam cadit? O caritas, quàm magnas vires habes, quæ de cælo Deum deposuisti! O cara sanctitas, ô sancta ac vera caritas, quæ tanta es in terris, quanta eris in cælis? Quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc sollicita, quantum poteris in illa pace perfectâ secura?

Patientiæ Christi imitatio.

14. Evigila, itaque omnis anima Christiana, & si in te eminet virtus caritatis quæ *omnia sustinet*, Domini tui imitare vestigia. Christus enim, ait apostolus Petrus, pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Et si ille propter te de cælesti sede ad terrena descendit: tu propter te fuge terrena, appete cælestia. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus: si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. Via tibi factus est ipse Salvator: surge, ambula, habes quò, noli pigrescere. Sed fortè quæris, quò? Vides enim viam, & quæris quò ducat hæc ipsa via? Ad veritatem & ad vitam ducit. Si amas veritatem, si amas vitam, & cupis ad veritatem & ad vitam venire, à via noli errare. Video, inquis, viam, & cupio ambulare: sed amara est, aspera est: arta enim & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Christus transivit, & adhuc aspera est? Caput transiit, & membra dubitant? Sed Christus, inquis, Deus & homo; ego autem homo. Tot millia Martyrum transierunt; & adhuc tibi aspera est? Transierunt senes, transierunt juvenes, transierunt pueri, puellæ transierunt, viam quam timebas tritam tibi fecerunt. Ambula ergo viam, securus ambula. Quid enim metuis in hac via? Mortem? Et mortem times, qui ad vitam curris? Si bonus es, bene in hac via curris: mors tibi janua erit, quæ te repræsentet, non quæ auferat vitæ. Ambula ergo viam: immo ipse qui propter te factus est via, ipse te ducat per se ipsum ad se ipsum. Ipse enim est via, veritas & vita. Dic ergo Deo tuo, ô anima fidelis & pia; dic, dic, secura dic, & cum Propheta veraciter exclama, Deduc me Domine in via tua, & am-

1. Petr. 2. 21. — Matth. 7. 14. — Johan. 14. 6. — Psal. 58. 11.

[a] In MS. Fuliensium deest vox *Deo*: cujus loco in aliis substituitur, *tibi*. At huic particulæ in Colbertino superscribitur à secunda manu *illi*.

[b] Editi *quoniam suavis*. At MSS. *quàm suavis*. Et sic ipse Augustinus passim ubi citat hunc versiculum.

CLASSIS I.

bulabo in veritate tua. Tunc ad te securus perveniam, si in finem usque tuâ gratiâ non deserar. Hæc, Fratres dilectissimi, quæ dono ipsius caritatis dicta sunt Sanctitati Vestræ, ita hæreant cordibus & sensibus vestris: ut eadem ipsa caritas fructum in vobis inveniat operis, non folia laudis.

* Aliàs de Tempore 42.

* SERMO CVII.

Rursum de verbis Apostoli, 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, *&c. De dilectione Dei & proximi, amicorum & inimicorum.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Hunc inter Augustinianos Sermones, sed absque Augustini nomine, tamquam dubium, manere voluerant Lovanienses. Expungendum censuere Verlinus & Vindingus. Habet sententiam & verba quadam descripta ex Augustini Sermone aliàs de Tempore 39. Cæsarii fetum esse, si cum aliis ipsius homiliis comparaveris, facilè assentieris. Augustini nomen falsò præfert in libris ante septingentos annos descriptis, Colbertino & Theodericensi. Confer ad Sermonem hujus Appendicis 112.

CÆSARII S. XXXVIII.

1. QUANTUM nos, Fratres dilectissimi, Caritas Vestra desideret, ex meis animis recognosco. Et licèt vos humilitatem meam assiduè videre velitis, tamen ego, si posset fieri, frequentiùs de conspectu [a] vestro, & vestra & mea vellem desideria satiari. Sed patienter tolerare debemus, quod implere pro temporum necessitate non possumus. Sed licèt corporaliter nos propter multas necessitates videre non valeamus, caritate tamen & sancto amore semper [b] pariter sumus. Pro qua re nihil nocet corporis separatio, ubi est animorum vera & sincera conjunctio. Caritas enim ipsa vera est, quæ corporaliter separatos consuevit spiritaliter copulare atque conjungere. Duo enim qui se sancto amore diligunt, etiamsi unus sit in Oriente, alius in Occidente, ita caritate conglutinante junguntur, ut numquam ab invicem separentur. Audi Apostolum dicentem laudem veræ & integræ caritatis. Sic enim ait, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, & cetera. Et post pauca addidit, dicens, *Caritas patiens est, benigna est*, & reliqua. Et licèt sufficienter præconia ejus plenus Spiritu-sancto Paulus apostolus prædicaverit; tamen quia sancta caritas * dulce est ac salubre vinculum mentium, etiam nos parvuli secundùm modulum nostrum, de illa, quantum possumus, conquiramus.

Confer. Serm. Append. 69. n. 1.

Caritas facit ut sint simul separati corpore.

* V. homil. Cæsar. 10 ex editis à Baluzio.

1. Cor. 13. 1.

* V. August. Serm. aliàs 39. de Temp.

2. Magnæ sunt divitiæ caritatis, Carissimi, sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est. Nam dives si caritatem non habeat, quid habet? Quamlibet grandis substantia sine caritate, inanis & vacua est. Caritas etiamsi de terrenis facultatibus nihil habeat, plena est. Unde quamlibet aliquis copiosas divitias habeat, si caritas in illo non fuerit, nihil boni ex illis facere poterit, quia sine vera & cælestium virtutum matre & magistra quid facere debeat, & quando vel quantum dare debeat, omnino non novit. Et ideo, quantum potest unusquisque elaboret, ut habeat caritatem, ut habeat lucem, ut habeat oleum. Caritas oleo comparatur. Nam quomodo oleum omnibus humoribus superius esse cognoscitur; ita caritas omnibus virtutibus sublimior comprobatur. Nam si aliquis infinitas divitias possideat, & non habeat caritatem, sic est, quomodo si habeat plures lucernas & multas lampades, pinguedinem non habentes. * Lucerna vel lampas sine oleo accensa fumare [c] potest, fœtere potest, lucem habere non potest: sic & qui habet divitias sine caritate, ardere potest de iracundia, fumare de superbia, fœtere de avaritia; sine caritate penitus non potest lucem habere. Caritas si in te fuerit, quamlibet tibi sit grandis substantia, novit quid de illa agere debeat. Ipsa scit optimè, cui vel quantum porrigat, quid tribuat, quid reservet. Ipsa intelligit, quantum animæ reponat in cælo, & quantum corpori reservet in mundo. Satis bona ordinatrix est, Fratres, bene novit congregare in æstate, quod possit in hyeme habere; hoc est, scit providere per eleemosynam in hoc sæculo, quod inveniat in futuro. Habete caritatem, Fratres; quia sine illa quidquid aliud boni in homine fuerit, nihil esse poterit.

Divitiarum bonus usus à caritate discendus.

Caritas oleũ.

* V. Cæsar in fine hom. 36.

Caritas bona ordinatrix.

SERM. DE SCRIPTURIS.

3. Sed & veram caritatem habete, Fratres. Quæ est vera caritas? Quæ omnem hominem diligit, sicut se ipsum. Est vera caritas quæ non solùm usque ad amicos, sed usque ad ipsos pervenit inimicos. Nemo se circumveniat, Fratres. Qui istam caritatem non habuerit, Deum videre non poterit, nec audire merebitur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Certè videtis quòd in lectione Evangelica nihil aliud Dominus nominaverit de universis virtutibus, nisi solam eleemosynam quæ cum caritate operatur. De ramis tacuit, radicem tantummodo nominavit, ita dicens: "Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Et iterum ipse Dominus: Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Omnis homo qui caritatem vult habere in futuro sæculo, faciat illam sibi patronam in hoc mundo, ut illam propitiam inveniat in æternum. Nam quomodo arbor, quamlibet pulcra sit & fructifera, non potest vivere sine radice: sic quælibet opera bona perseverare non poterunt sine caritate. Ipsa est enim de qua Apostolus dicit, In caritate radicati & fundati.

Caritas vera quæ inimicos complectitur.

Matth. 25. 34.

Lucæ 1. 41.

Caritas radix bonorum operum.

Ephes. 3. 17.

4. Talem ergo habeamus caritatem, Fratres, ut omnes homines toto corde amare possimus. * Si totum genus humanum sic diligis quomodo te, non remansit janua, unde peccatum intret in te. Omnes aditus, unde diabolus ad animam ingreditur, claudis, si totus homines, sicut te ipsum, dilexeris. Et re vera, Fratres, quomodo potest fieri, ut aliquis alteri homini malum faciat, si illum sicut se ipsum dilexerit. Dilige ergo, & quidquid volueris fac. Ama ex toto corde tuo, & quod volueris exerce in proximo tuo. Si irasceris, dulce est; quia de caritate procedit; si corripis, suave est; si castigas etiam & flagellas, acceptabile est. Quare hoc, Fratres? Quia verus amor est, quando corripis & castigas. Quando etiam de ecclesia foras projicis, amaritudo videtur [d] sævire in ore, sed dulcedo servatur in corde: nec fratrem quasi inimicum odio habes, sed peccatum velut morbum persequeris. E contrario sunt, qui sub falsa adulatione dulcedinem solent in ore proferre, & dolum vel amaritudinem in corde servare. Vos autem, Fratres dilectissimi, veram caritatem tenentes, quæ falsa est fugite, Audite Apostolum dicentem, Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ego, Fratres, quando de caritate loquor, tacere non possum. Quare hoc? Quia satis dulcis est caritas. Qui illam habet, quod dico intelligit: qui verò non habet, forsitan me irridet & despicit. Quare irridet? Quia quàm dulcis sit caritas, non gustavit. Gustet ergo & videat quàm suavis est Dominus. Deus caritas est. Quid dulcius Deo, Fratres? Qui nescit, audiat Prophetam dicentem, quod paulò antè suggessi, Gustate & videte quàm suavis est Dominus. O quam felix & beata est anima, quæ caritatem meretur habere! Caritas, Fratres, sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis vera & integra consolatio, fluctuantibus portus, errantibus via, peregrinantibus patria. Hanc ergo, Fratres, tenete, hanc tota aviditate diligite. Si amatores estis, amate caritatem; si fortes, vincite cupiditatem; si peregrini, desiderate patriam. Ipsa vos ergo caritas, si illam tenere volueritis, & gubernat in hoc sæculo, & perducit ad regnum; præstante Domino nostro, qui vivit & regnat in sæcula. Amen.

* Serm. Append. 69. n. 7.

Caritas semper dulcis.

1. Tim. 1. 5.

Psal. 33. 9.

---

[a] Editi, *& vestro & meo vellem desiderio satiari.* Theodoricensis MS. de *conspectu nostro & vestram & meam desidero satiari animam.* Hîc nos Colbertinum sequimur.

[b] Sic MSS, Editi verò, *& sancto amore usi pariter sumus.*

[c] Editi, *accensa fumare potest de iracundia*: omissis verbis intermediis, *fœtere potest, lucem &c.* quæ ex MSS. restituimus.

[d] In MS, Colbertino, *videtur sonare.* Et mox, *dulcitudo servatur.*

CLASSIS I.

*SERMO CVIII.

*alias de Tempore 53.

De verbis Apostoli, 1. *Cor.* 13. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius in Lovaniensium editione, supposititius Verlini censurâ est ac Vindingi; qui præter alia observat hoc in Sermone proximum omnem Christianum *dici, cùm ipse Augustinus in Psal.* 11. *& in Sermone aliàs de Diversis* 91. *itemque in Sermone ex Sirmondianis olim* 14. *nunc ordine* 90. *n.* 7. proximum omnem hominem *velit intelligi.*

Christiano necessaria.

1. QUICUMQUE Christianum nomen tenet, & quicumque sacramentis divinis est imbutus, Fratres carissimi, necesse est ut religionis Christianæ rationem sciat, & fidei veritatem agnoscat; ejus quoque fidei, quæ, ut Apostolus ait, per dilectionem operatur, (*Gal.* 5. 6.) quæ in præsenti confortat ac roborat credentes, & in futuro perducit ad Dei contemplationem. Nam tria quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus & egregius Gentium Doctor, dicens, *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas.* (1. *Cor.* 13. 13.) Primùm ergo fides catholica Christiano necessaria est: quia in ipsa distinguuntur filii Dei à filiis diaboli, filii lucis à filiis tenebrarum; per ipsam renascimur in baptismate, & salutem æternam impetramus, sicut scriptum est, Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. (*Marc.* 16. 16.) Hæc porta est vitæ, hæc janua regni. Per ipsam discitur veritatis scientia, & percipitur cognitio divinitatis; per ipsam gratiam Dei invenimus. Aliter autem Deo placere non possumus: quia sine fide impossibile est placere Deo. (*Hebr.* 11. 6.) Verè enim beatus est, qui & rectè credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta. Unde beatus Jacobus apostolus dixit, Quid proderit, Fratres (*Jacob.* 2. 14.) " mei, si fidem se quis dicat habere, opera autem non " habeat? Numquid poterit salvare eum? * Fides sine ope- " ribus otiosa est: * Sicut enim corpus sine spiritu mor- " tuum est, ita & fides sine operibus mortua est. (ỳ. 20. ỳ. 26.) Fidem ante omnia, Fratres mei, rectam & immaculatam habere contendite, & secundùm Apostolicæ institutionis normam, Symbolum à sanctis Patribus constitutum memoriter tenete, & religiosè viventes observare studete: hæreticorum dogmata pestifera fugite, maleficorum & incantatorum venena mortifera horrescite, divinorum & sortilegorum nefandas traditiones, quæ cum dæmonibus societatem habent, penitus respuite: ut nihil aliud quàm quod catholica fides laudat, amat, prædicat, in mente sive in professione seu moribus teneatis.

Spes firma.

2. Post hanc ergo fidem, spem firmam habere discite, quæ animum nostrum ad invisibilia trahit, & intentionem nostram in cælestia & æterna inserit, & quodam modo nexibus insolubilibus ligat: quæ non decipit, sed fideliter obsequentes ad æternam beatitudinem perducit. Nemo igitur, quamvis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate divinæ pietatis desperare debet; sed spe certæ misericordiæ illius indulgentiam sibi quotidianis deprecari lacrymis, quam rectè sperare possunt, si ab actione pravi operis cessabunt. Ideo non propter spem veniæ perseveranter peccare debemus; neque quia Deus justè peccata punit, veniam desperare debemus: ut neque cum fiducia peccemus, neque rursus peccata desperemus; sed utroque periculo evitato, & à malo declinemus, & de pietate Dei veniam speremus. Similiter & in omnium tribulationum angustia, spe in solatium supernæ pietatis currendum est: quia in illo solo omnis spes & salus sine dubio consistit, dicente Propheta, In Deo salutare meum & gloria mea, Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est. (*Psal.* 61. 8.)

De peccatorum quorumlibet venia. Si tamen à peccando cessetur. Deque Dei solatio in tribulatis.

Caritas spe & fide major.

3. Cùm enim fidem rectam & spem firmam vobis, Fratres, persuademus, hoc maximè hortamur, ut caritatem in vobis habere & opere ostendere per omnia satagatis. Per ipsam enim & cum ipsa beatitudinem veram habituros vos esse sciatis: quia sine hac nemo videbit Deum. Hæc autem ideo major fide & spe ab Apostolo esse narratur, quia ceteris recedentibus, ipsa sola permanebit. Fidei enim succedit spes, & spei beatitudo; caritati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio. Hæc omnium arx est virtutum, hæc promissio regni, hæc præmium summum est Sanctorum in cælo: quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore Dei. Quem quia præsentem vident, suaviùs diligunt, & dulciùs fruuntur ipso bono.

Præmium est Sanctorum.

In præceptis Dei principatum tenet.

4. Oportet vos scire, Fratres, quia in omnibus præceptis Dei caritas obtinet principatum, sine cujus perfectione Deo nihil placere posse Paulus apostolus testatur: quia nec martyrium, nec sæculi contemtum, nec eleemosynarum largitionem sine caritatis officio quidquam proficere posse ostendit. (1. *Cor.* 13. 3.) Unde & ipse Dominus à quodam scriba interrogatus, quod esset mandatum maximum, respondit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. (*Matth.* 22. 37.) Addidit quoque, Secundum simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. (ỳ. 39.) In his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ. (ỳ. 40.) Quod verò ait, " Ex toto corde, & tota anima, & tota mente: id est, " toto intellectu, tota voluntate, & ex omni memoria Deum esse diligendum. Dei verò dilectio in observatione mandatorum ejus tota consistit, sicut alibi ait, Si quis diligit me, sermones meos servat. (*Johan.* 14. 23.) Unde & ipsa Veritas alibi ait, In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. (*Johan.* 13. 35.) Item Apostolus, Plenitudo legis est dilectio. (*Rom.* 13. 10.) Item Johannes evangelista, Hoc, inquit, mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & proximum. (1. *Johan.* 4. 21.)

Proximus omnis Christianus.

5. Si fortè quislibet quærat, quis sit proximus: sciat omnem Christianum rectè proximum dici; quia omnes in baptismo Filii Dei sanctificamur, ut fratres simus spiritaliter in caritate perfecta. Nobilior est generatio spiritalis quàm carnalis, de qua in Evangelio ipsa Veritas ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest introire in regnum Dei. (*Johan.* 3. 5.) Qui autem taliter intelligens proximum diligit, sine dubio caritatem veram in semetipso tenebit. Hæc igitur, Fratres, diligenter considerate, ut cum fide & dilectione vestram operemini semper salutem, habentes spem firmam, quia quidquid boni in præsenti agitis, in futuro ab illo inæstimabiliter remunerabimini, qui auctor & protector est nostræ salutis, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat.

*SERMO CIX.

Olim de verbis Apostoli 34. & post in Appendice 11.

De verbis Apostoli, 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum. *De resurrectionis futuræ certitudine.*

Incerti auctoris.

Christianorum gaudium in spe.

1. OMNIUM Christianorum spes, Fratres carissimi, in futurum tempus extenditur; ut quod hìc servimus Deo, alibi nos servisse lætemur. Hìc enim nobis posita sunt certamina; sed in futuro sæculo certaminum præmia reservata: justè siquidem & providè divina sapientia separavit tempus laboris & præmii. Hìc ergo laboramus, hìc servimus Deo, & mandata ejus servamus: ut in futuro sæculo, id est, in cælorum regno, æterna præmia capiamus. Scire enim debemus, Fratres dilectissimi, quid nobis Scriptura divina commendat, id est, futurum esse judicium Dei, quod post resurrectionem complebitur mortuorum. Hoc est quod præcipuè Christianos à gentili errore secernit: quia illi hanc tantummodo vitam esse credunt; & ideo sine Deo esse, & diversis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari: nos verò ita in hac vita conversamur, ut nos ad aliam præparemus, in qua & bonis bona, & malis mala retribuentur, sicut dixit Apostolus, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum.* (2. *Cor.* 5. 10.) Sicut hìc modò adstamus in ecclesia, & nos invicem præsentes adspicimus: ita etiam post resurrectionem mortuorum adstaturi sumus ante tribunal Christi. Hanc enim ipsam animam tunc habebimus, quam modò habemus: & in hoc ipso, quo nunc induimur, sumus corpore suscitandi. Non enim sicut muta animalia facti sumus, non sicut equi & boves, ut æterna morte pereamus: qui postquam hic vixerimus, alibi judicabimur; ut aut pro peccatis pœ-

Christianorum à paganis præcipuum discrimen.

Quales resurgemus.

CLASSIS I.

nas, aut pro bonis operibus præmia consequamur æterna.

2. Nemo ergo, Fratres carissimi, de resurrectione desperet, in qua Christianorum spes tota consistit. Credite, Fratres, Apostolo prædicanti: & nihil de resurrectione dubitantes, ad diem judicii vos præparate. An fortè sicut impii & increduli non putatis fieri posse, ut à mortuis resurgamus? Plane dicat hoc, qui omnipotentem non credit esse Deum, qui hoc promittit futurum. Nos autem qui scimus Dei omnipotentis esse virtutem,[a] quia promisisse eum legimus, quòd resurrectionem mortuorum faciat, non possumus de resurrectione dubitare, quam se facturum esse promisit, qui & omnipotens est, & mentiri nescit.

Resurrectio ex omnipotentia & veritate Dei demonstratur.

3. Sed te appello, quicumque infideli animo de resurrectione dubitas, & putas non posse mortuos suscitari. Quid est amplius, ex nihilo facere homines qui vivant: an eos qui facti sunt atque vixerunt, reparare post mortem? Utique plus est facere quod numquam fuit, quàm reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, ut Deus qui hominem formavit ex nihilo reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, qui si etiam in nihilum rediremus, facere poterat ut essemus; sicut & fecit nos esse, cùm antea numquam fuissemus? Ita enim beatus apostolus Paulus dixit, Sed dicunt aliqui, Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore veniunt? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus ceterorum: Deus autem dat illi corpus, sicut voluit, & unicuique seminum proprium corpus. Noli ergo, incredule homo, de resurrectione dubitare. Qui grana seminum mortua, & putrefacta vivificat, per quæ in hoc sæculo vivas; multò magis te ipsum resuscitabit, ut vivas in æternum. Qui illa reparat, quæ tibi sunt necessaria; quomodo te ipsum non reparat, propter quem & alia reparare dignatus est?

Item ex creatione. *1. Cor. 15. 35. &c.* *Et ex seminum vivificatione.*

4. Itaque si velimus considerare quæ in isto sæculo videmus, divinæ administrationis opera signa sunt futurorum. Tota ergo hujus mundi administratio testimonium est resurrectionis futuræ. Videmus certè hyemis adventu arbores spoliari pomis, nudari foliis; sed eas rursus verno tempore speciem resurrectionis exprimere: quæ primò quidem incipiunt turgere in gemmis, tum ornari in floribus, vestiri in foliis, & postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo qui de resurrectione dubitas, Ubi sunt ista, quæ tempore quo Deus disposuit producuntur? Dic mihi, Ubi latitant antè quàm producantur, quæ nusquam quidem videntur; sed tamen Deus, qui omnipotens est, & ea ex nihilo condidit, secreta sua virtute producit? Hinc jam ad campos & prata respicite, quæ æstate transacta herbis suis spoliantur ac floribus, & nuda remanent ipsa spatia terrarum; sed iterum veris tempore revestiuntur, & novo ubique germine incipiente lætatur agricola. Certè herba quæ antè vixit & moritur, rursus reviviscit ex semine: sic etiam & nostrum corpus reviviscit ex pulvere.

Resurrectionem futuram res creatæ testantur.

5. Sed dicis, ô homo incredule, Ideo credimus futurum, ut arbores, & herbæ & omnia reviviscant, quia illa jam facta cognoscimus: unde autem cognoscere possumus quia mortui resurgunt, cùm adhuc à mortuis nemo surrexerit? Quisquis hoc dicis vel cogitas, audi patienter, & intellige sapienter. Ideo enim Dominus noster Jesus Christus mori voluit & resurgere, ne tu de resurrectione dubitares. Tamen quomodo potes dubitare, quia nos sumus resurrecturi à mortuis; cùm hoc promittat Deus, qui nescit aliquando mentiri, qui & potest facere quidquid vult, quia omnipotens est; & implet omnia quæ promittit, quia verax est, & mendacium in eo non est? Et dedit nobis pius & misericors Dominus virtutis suæ pignus, & grandi testimonio nobis spem resurrectionis ostendit; quia unigenitum Filium suum pro nobis hominem factum & mortuum à mortuis suscitavit. Ideo enim Dominus noster Jesus Christus nasci ex homine, id est, ex Maria virgine, est dignatus, & à Judæis crucifigi, & die tertia resurgere; ut nos tali exemplo animati, resurrectionem ex mortuis certissimè cre-

Resurrectio Christi; pignus nostræ.

[a] Ita Am. & Er cum MSS. nonnullis. At Lov. & MS. Fossatensis, *quæ promisisse*. In MSS. Colbertino & Remig. *qui*. Divionensis autem *quam misisse*.

A deremus: quam qui non credit futuram, nec hoc quidem credit, quòd Christus resurrexerit à mortuis. Qui autem Dominum Jesum resurrexisse à mortuis confitetur, nec de sua poterit dubitare. Abstinete ergo vos ab omni opere malo, ab inimicitiis, ab ebrietate, à fornicatione, à furto, à perjurio, à falso testimonio, detractione: quia hæc omnia odit Deus, & eos qui ista faciunt, puniet in futuro. Estote autem benigni, misericordes, invicem honorem habentes, & ea semper operantes, quæ in sanctis suis diligit Deus, ; ut possitis cum Sanctis ejus ad æternam & immortalem gloriam pervenire, & vivere in sæcula sæculorum. Amen.

SERM. DE SCRIPTURIS.

B

* SERMO CX.

De eisdem verbis Apostoli, 2. Cor. 5.

** Olim de verbis Apostoli 35. & pòst in Appendice 12.*

Inter Augustini Sermones de verbis Apostoli, quorum in classe olim apud Amerbachianam & Erasmianam editionem exstabat, non reperitur in MSS. Hic ipse Tractatus sub Fausti nomine, sed paulò auctior & qualis hoc loco exhibetur, ab Henrico Canisio primùm, tum in Bibliotheca Patrum vulgatus est. At qui opuscula vera & indubitata Fausti perpenderit & Cæsarii, huic dubio procul adjudicabit, non Fausto. Enimverò Lirinensium Scriptorum Sermones ita confunduntur, ut quos Cæsarii esse constat, Fausto; quos verò Fausti, Cæsario adscriptos videamus: nonnullos etiam utriusque, ac fortè Hilarii, Eucherii, aliorumque Tractatus C *comprehensos reperiamus collectione illa, cui generale* Eusebii, (*quasi* pii *viri, ut Græcè sonat,*) *nomen inditum est.*

1. MODO, Fratres carissimi, cùm divina lectio legeretur, audivimus beatum Apostolum terribiliter nos & salubriter admonentem. Sic enim ait, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum sive malum.* Quam rem etiam Dominus in Evangelio denuntiat, dicens, Filius hominis venturus est in gloria sua cum Angelis suis; & tunc reddet unicuique secundùm opera sua. Diligenter, quæso, adtendite, Fratres carissimi, D & mecum pariter expavescite; quia non dixit, quòd reddet unicuique secundùm misericordiam suam, sed secundùm opera sua. Hîc enim est misericors; ibi justus. * Nam quòd non statim in peccatores vindicat, patientia est, non negligentia: non ille potentiam perdidit; sed nos ad pænitentiam reservavit. Unde valde timendum est, ne * quantò diutius exspectat ut corrigamur, tantò graviùs vindicet, si emendari noluerimus. Cùm hæc ita sint, scire & intelligere debemus, Fratres carissimi, nihil nobis esse salubrius, quàm ut damnatis omnium præsentium rerum voluptatibus, id potiùs cogitemus, quando erimus de hoc sæculo transituri vel quando taberna- E culum nostri corporis ultimo die superveniente depositurì, & iterum illud resurrectionis tempore recepturi, ut cum eodem recipiamus prout gessimus, sive bonum, sive malum.

CÆSARII S. XXXVIII. *2. Cor. 5. 10.* *Matth. 16. 27.* *Deus hîc misericors, in futuro justus.* ** Serm. App. 29. n. 1.* ** Cæsarius initio homil. 13.* *Mortis diem recordari.*

2. Et ideo rogo vos, Fratres, ut quotidie cogitemus, quales erimus in die judicii purissimis Angelorum conspectibus offerendi, & æterno Judici rationem de libris conscientiæ reddituri. Remotis omnibus probationibus, certum est, in diem illa ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam[b] sui vitam in cordis speculo demonstrandam, & testes contra eam non aliunde deforis, sed intus de ipsa anima proferendos. Adjicienda erunt non F aliqua peregrina, sed nimiùm nota testimonia, id est, opera sua. Ordinabuntur ante infelicem animam peccata vel crimina sua, ut eam & convincat probatio, & confundat agnitio, secundùm illud quod scriptum est, Arguam te, & constituam te ante faciem tuam. Quicumque se modò, dum licet, emendare neglexerit, ante illum cælestem populum primum excepturus est de confusione supplicium: & anima quæ modò per pænitentiam compendiosam transactas peccatorum suorum putredines curare dissimulat, ante illud tribunal metuendum sine ullo remedio, in perpetuo[c] tartaro manebit.

Judicium extremum sibi exhibere. *Psal. 49. 21.* *Pænitentiam infructuosam fructuosâ prævenire.*

3. Quæ cùm ita sint, bene nobiscum ageretur, si jam G nunc sic pæniteremus super malis nostris, quomodo tunc sine ullo remedio pænitebimus: si fœditates & confusiones nostras, quemadmodum tunc visuri sumus, sic jam eas nunc videre & horrere possemus. O si jam nunc faciem peccatricis animæ liceret oculis corporis

[b] In Bibliotheca Patrum, *ipsam sibi animam*.
[c] Prædicto in libro, *in perpetuo vulnerata remanebit*.

CLASSIS I.

intueri, & conscientiæ nostræ vultum in oculorum præsentiam permitteremur adducere. Quod si liceret; nec dici potest, quanto studio quantoque metu urgeremur fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideoque quia non possumus oculis corporis, inspiciamus nos, in quantum possumus, oculis cordis: & unusquisque conscientiam suam ante conspectum interioris hominis constituat. * Ipsi nosmetipsos castigemus: ipsi nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus. Alloquatur se in secretis unaquæque anima, & dicat, Videamus si hanc diem sine peccato, sine invidia, sine obtrectatione, sine murmuratione transegi: videamus si hodie, quod ad profectum animæ pertinet, operatus sum. Puto quòd hodie mentitus sum, per iram vel concupiscentiam victus sum; nec alicui bene feci, nec per timorem æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddat hanc diem, quam inanibus rebus perdidi, quam cogitationibus noxiis pessimisque consumsi? Ac sic, Fratres, de omnibus negligentiis nostris compungamur, in cubilibus, id est, in cordibus nostris ipsi nos condemnemus, ipsi nos accusemus quotidie Judici nostro: & dum in hac carne sumus, contra ipsam carnem, auxiliante Domino, quotidie dimicemus, vincamus voluptates & delectationes nostras: ut nobis tempus illud exspectatissimum ac beatissimum æternæ vitæ felici mutatione succedat, quando implebitur illud quod Dominus dixit, Et erunt similes Angelis; & iterum, Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

* Cæsarius in fine homil. 21.

Matth. 22. 30.

Matth. 13. 43.

Status beatorum.

4. Putas qualis tunc erit splendor animarum, quando solis claritatem habebit lux corporum? Tunc enim cùm ad istam beatitudinem venerimus, nulla erit tristitia, nullus timor, nulla infirmitas, nulla mors. Nullus nobis obstabit ad serviendum Deo nostro, nulla jam nobis obstabit infirmitas, nulla contradicet miseræ carnis adversitas, nulla vel ulteriùs remanebit pugnandi necessitas. Veniet, inquam, tempus, quando nullus desideretur cibus, omnisque refectio; nulla sentiatur jejunii lassitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoste tentatio: sed adversario in inferni profunda detruso, perfruemur hac primùm felicitate, ut incipiamus nec velle ultrà peccare, nec posse. Cessante omni iniquitate, omni miseria, omni mærore, totum innocentia, totum felicitas possidebit: nullam inferior miseriam, nullam felicior timebit invidiam; quia exinanita & penitus exstincta transivit. In pectoribus hominum caritas Angelorum, quibus admixti homines jam cælesti recepta carne, sine carnis infirmitate fulgebunt: & ideo nullum ulteriùs patientur de sempiterna Domini sui virtute fastidium, nullum sub perenni laudum suarum exsultatione defectum. Habebimus plenam beatitudinem, Fratres, inter illa immensa beneficia Domini nostri, ut numquam cessemus in referenda ei gratiarum actione de beatitudine, qua sumus fruituri, coheredes effecti " ejus qui dicet, Venite benedicti, percipite regnum " quod vobis paratum est ab origine mundi, donante ipso cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25. 34.

* SERMO CXI.

* Olim ex 50. homil. 10. & post in Appendice 16.

De verbis Apostoli Ephes. 5. Redimentes tempus quoniam dies mali sunt. *Addunt insuper MSS.* Et in illud, Das nummos, ut emas tibi panem; dimitte aliquid malo homini, ut emas tibi requiem.

Est Sermo integer qui aliàs de verbis Apostoli 24. sed multa passim intermiscentur: quæ scilicet uncinulis distinximus.

CAP. I. Ephes. 5. 15. & 16.

Dies malos faciunt malitia & miseria.

1. APOSTOLUM, cùm legeretur, audistis, immo omnes audivimus dicentem nobis, *Videte quomodo cautè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Dies malos, Fratres, duæ res faciunt, malitia & miseria. Per malitiam hominum & miseriam hominum [a] dicuntur dies mali. Ceterùm dies isti, quantum pertinet ad spatia horarum, ordinati sunt, ducunt vices suas, agunt tempora. Oritur sol, & occidit: sol iterum oritur, & occidit: veniunt tempora, transeunt tempora. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi molesti non sunt? Ergo dies

A malos, sicut dixi, duæ res faciunt, miseria hominum & malitia hominum. Sed miseria hominum communis est: non debet malitia esse communis.

SERM. DE SCRIPTURIS.

Regeneratio liberat à miseria & qua.

2. [Ex quo enim de peccato Adam omnes miseri nati sumus, communis est miseria. Sed contra generationem quæ nos miseros fecit, providit Deus regenerationem, unde nos à miseria liberaret. Generatio mittit in miseriam: regeneratio designat ad beatitudinem. Non enim quia dixi, regeneratio liberat à miseria; jam nos continuò ut regenerati sumus, beati sumus. Si mox regenerati, jam beati essemus, & dies bonos ageremus; non
B nobis diceret Apostolus, qui jam regeneratis & fidelibus loquitur, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et regenerati dies malos ducimus, quò usque finiatur pœna mortalitatis, & succedat gratia summæ felicitatis. Si nihil nobis ad futurum sæculum prodest quòd colimus Deum; ut quid colimus eum? Ut hîc habeamus felicitatem? Quanti illam habent qui non colunt Deum? Ut hîc senescamus & decrepiti efficiamur? Quanti senescunt blasphematores Dei? Ideo colendus est Deus, ut cultores illius habeant filios & non sint steriles? Filios Deus & leonibus, & onagris, & serpentibus dat. Non ergo pro magno & vero bono petendum est, quod
C & Judæis, & paganis, & hæreticis, etiam & ipsis bestiis datur. Aurum enim & argentum, honores, filios, & patrimonia multa habent etiam & mali. * Qui enim verè Christianus est, non ista omnia transitoria debet petere: sed totum pondus intentionis vel orationis suæ ad expetendam æternam beatitudinem debet impendere. Ista enim temporalia bona, & quando dat Deus, gratiæ agantur: & quando tollit, similiter gratiæ agantur. Ista quando voluerit tribuat, quando voluerit tollat: tantum est, ut se ipsum nobis non auferat.

Christiani servitii merces non in hac vita.

* CAP. II. Christiani animus circa temporalia & æterna bona.

3. Nemo ergo dicat in corde suo, Fratres, quando auditis lectionem istam beati Apostoli, *Redimentes tempus,*
D *quoniam dies mali sunt:* nemo dicat in corde suo, Parentes nostri dies bonos habuerunt, nos malos dies habemus. Quare parentes nostri? numquid non Christiani fuerunt? Ista lectio nonne recitata est ipsis temporibus Apostolorum? Ante tot annos, quando recitabatur, non ad eam gemebatur, & quod dicebat agnoscebatur?] Ex quo lapsus est Adam, & de paradiso projectus, numquam fuerunt dies nisi mali. Istos pueros qui nascuntur interrogemus, quare à ploratu incipiunt, qui & ridere possunt. Nascitur, & statim plorat: post nescio quot dies ridet. Quando plorabat nascens, propheta suæ calamitatis erat: lacrymæ enim testes sunt miseriæ.
E Nondum loquitur, & jam prophetat in labore se futurum & in timore: [b] & si bene vixerit, & justus fuerit, certè in mediis tentationibus positus semper timebit. [Quid enim quia justus est? Ecce justus est.] * Quid ait Apostolus? Omnes qui volunt piè vivere in Crhisto, persecutionem patientur. Ecce quia dies mali sunt, sine persecutione hîc vivere justi non possunt.

Tēpora præsentia non sunt infeliciora prioribus.

b

* CAP. III. 1. Tim. 3. 12.

Piorum persecutio pacis tempore.

4. [Sed dicitis mihi, Quid? quando pax est, quando provinciarum judices honorant Ecclesiam, quando inimicos reges Ecclesia non patitur, quando omnes leges pro ipsa sunt; quomodo qui piè vivunt, persecutionem patiuntur? Qui inter malos vivunt, persecutionem patiun-
F tur. Quare?] Quia omnes mali persequuntur bonos, non ferro & lapidibus, sed vitâ & moribus. Numquid aliquis sanctum Loth persequebatur in Sodomis? Nemo illi molestus erat: & tamen inter impios vivebat, inter impuros, immundos, superbos, blasphemos: persecutiontem patiebatur, non vapulando, sed inter malos vivendo. [Omnis enim qui justus & pius est, quando videt aliquos malè vivere, luxuriæ servire, justitiam non tenere, superbiam sectari, caritatem contemnere; quando istos tales vident illi qui boni sunt, dolent, affliguntur & contristantur. Lugent enim cum Apostolo eos qui peccaverunt, & non egerunt pænitentiam.]
G Quisquis me audis, & nondum vivis in Christo piè, incipe in Christo piè vivere. Et pro quo dico? [Numquid apostolus Paulus, qui eo tempore fuit quando adhuc in mundo fides nova emanabat, & necesse erat ut multos adversarios pateretur, quia hoc dictum est de Christo, In signum cui contradicetur: numquid eas

2. Cor. 12. 21.

Luca 2. 34.

[a] Ita MSS. At editi, *ducuntur.*

[b] Ita Lov. At MSS. *si bene, bene, si vixeris* &c. quam particulam, *bene*, etiam tertiò repetunt Am. & Er. scilicet, *si bene vixerit.*

CLASSIS I.

tantùm persecutiones commemorat, quas patiebatur vel à Judæis vel à Gentibus? Non ipsas tantùm: nam illas

2. *Cor.* 11. 24

sic commemorat, A Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi: lapidatus sum, & cetera quæ novimus, quando legimus. Sed illi erant etiam persecutiones, sine

2. *Cor.* 7. 5.

quibus in hoc sæculo nullus justus vivere potest. Foris pugnæ, intus timores.] Denique cùm commemoraret

2. *Cor.* 11. 26.

pericula sua. Periculis, inquit, in mari, periculis in fluminibus, periculis in deserto, periculis in latronibus, periculis in falsis fratribus. Cetera pericula possunt quiescere: pericula à falsis fratribus quiescere usque ad finem sæculi non noverunt.

Periculum in falsis fratribus.

CAP. IV.

5. Redimamus ergo tempus, *quoniam dies mali sunt.* B Exspectatis à me fortè scire, quid est tempus redimere, quomodo habemus redimere tempus. Dicturus sum quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicam, quoniam ipsi pauci qui me audituri sunt, inter malos vivunt; *quoniam dies mali sunt. Redimentes tempus*; hoc est, quando aliquis tibi ingerit litem, perde aliquid ut [a] Deo vaces, non litibus perde; ex eo quod perdis, pretium est temporis. Certè quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut lignum, aut vestem, aut aliquam supellectilem, aut quodcumque tibi opus est; das & accipis, aliquid amittis, aliquid adquiris; hoc est emere. Nam si nihil amittas, & habeas quod non habebas, aut invenisti, aut donatum accepisti, aut hereditate adquisisti: quando autem aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes, emtum est; quod amittis, pretium est. Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi panem; sic perde nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus redimere.

Redimere tempus.

6. [b] Proverbium notum est Punicum, quod quidem Latinè vobis dicam; quia Punicè non omnes nostis. Punicum est proverbium antiquum, Ut enim habeas quietem, perde aliquid. Audi proverbium antiquum, utile & necessarium. Pestilentia ante ostium venit & nummum quærit: duos illi da, & ducat se. [Pestilentia est homo malus, qui te vult per calumniam exspoliare: pestilentia est homo malus, calumniator, proditor.

Proverbium Punicum.

* CAP. V.

* Iste talis sic est, quomodo pustula mala in corpore. Sicut enim quando pustulam incurrit homo, desiderat ut citò spondylum faciat, & optat ut sine aliqua mora, ipsa mala pustula aliquam particulam tollat de corpore, & cum ipsa discedat; ne venenum ipsius totum corpus occupet, & animam petat: ita & quando iniquus & malus homo, qui non vult nisi litibus vacare, aliquam tibi calumniam facit; puta illum esse pustulam malam, & adquiesce ut qualemcumque particulam de substantia tua perdas; ne dum te nimiùm litigando occupas, quietum cor habere, & Deo vacare non possis.] Numquid non suprà dictum proverbium de Evangelio videtur natum? Numquid aliud dixit Dominus, quàm, Redime tempus,

Lites vitare.

Matth. 5. 40.

quando ait, Si quis vult judicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium? Judicio vult tecum contendere, & tunicam tuam tollere? Avocare te habet litibus à Deo tuo; non habebis quietum cor, non habebis tranquillum animum. Everteris cogitationibus tuis, irritaris adversùs ipsum adversarium tuum? Ecce tempus perdidisti. Quantò meliùs nummum amitteres, & tempus redimeres? Certè omnibus placuit quod dictum est; [venio ad negotia vestra, & ibi vos invenio.]

CAP. VI.

7. Et tamen, Fratres mei, in caussis vestris, in negotiis vestris, quando ad nos dijudicandi veniunt, si homini Christiano dico, ut pro tempore redimendo perdat aliquid suum: quantò majore cura & fiducia debeo illi dicere, ut reddat alienum? Ambos enim Christianos audio. Ille calumniosus qui vult facere alteri caussam, & tollere ab illo, velut pro compositione gaudet ad

Ephes. 5. 16.

ista verba, Apostolus dixit, *Redimentes tempus*; *quoniam dies mali sunt*: faciam calumniam Christiano; ille velit nolit, dat mihi aliquid, ut tempus redimat; quia Apostolum audivit. [Vide ne fortè, cùm te putas astutum, invenias litigiosum, & malit erogare, ut vincat te, quàm perdere, ut careat te. Tamen si illi dicturus sum, A Perde aliquid * otiosus, redime tempus, Apostolum audis, *quoniam dies mali sunt*: si illi qui bonus & justus est dico, Perde aliquid, ut sis quietus: tibi non sum dicturus, calumniose, perdite, fili diaboli, Nullam caussam habes, & res alienas auferre moliris; caussam non habes, & calumniâ plenus es? Christianus es tu; numquid volo illum adquirere, & te perdere? Si illi dixero, Da illi aliquid, ut recedat à calumnia; tu ubi eris, qui habebis pecuniam de calumnia? Ille qui propter vitandam calumniam tempus à te redemit, hîc tolerat dies malos: tu qui calumniis pasceris, & hîc habes dies malos, & post dies ipsos habiturus es in die judicii pejores. Sed fortè rides, quia nummum adtendis. Ride, ride, & contemne: ego erogem, veniet qui exigat. [Sed credimus de Dei misericordia, quòd sic omnibus non solùm sanctis & Deum timentibus Christianis, sed etiam illis qui multis litibus & se & alios inquietant, ipse pius Dominus inspirare dignabitur, ut omni contentione & æmulatione semotâ, ita paci & caritati studeant: ut non propter discordiam, Dei iracundiam incurrere; sed magis propter dilectionem & pacem ad æterna mereantur præmia pervenire: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto C in sæcula sæculorum. Amen.]

SERM. DE SCRIPTURIS.

* *f.* potius.

* SERMO CXII.

* *Aliàs de Tempore* 44.

De verbis Apostoli, 1. *Timoth.* 1. Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex iis est qui sunt Lovaniensibus quidem dubii, Verlino autem & Vindingo spurii. Totus Cæsarii stilum & ingenium cum Augustini doctrina repræsentat.

CÆSARII Serm. XL. Confer Cæsar. hom. 20.

1. SI Caritati Vestræ nos possimus frequentiùs præsentari, Fratres carissimi, Christo adjuvante, de D sanctarum Scripturarum copiosis fontibus, etsi non abundantes rivulos, certè vel qualescumque guttulas poterimus sanctis animabus vestris infundere: ut uberrima atque fructifera cordis vestri terra, acceptâ verbi Dei pluviâ, copiosam messem bonorum operum germinet: ut veniens Dominus, in agro cordis vestri non solùm tricesimum, sed sexagesimum & centesimum fructum se invenire congaudeat, quibus fructibus horreum præparet in cælo, non incendium in inferno. Sed quia multis occupationibus impedimur, humilitatem nostram vobis secundùm desiderium vestrum [c] si præsentare possumus, E aliquid breve in sermone, sed satis magnum in animarum salute, Deo donante, insinuare vobis volumus: in qua brevitate si diligenter adtenditis, quid animæ vestræ convenit potestis invenire. Quid ergo est istud breve & ita magnum, ut possit generi humano sufficere? Apostolus dicit, *Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Adtendite, Fratres, quid in verbis brevius, & quid in rebus magnificentius poterit inveniri, quàm *caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta?* Ista brevitas & ut teneatur memoriter est suavis: & ut custodiatur fideliter, dulcis. Quid dulcius caritate, Fratres carissimi? Qui nescit, gustet & F videat. Quid ergo gustare debet, qui vult ut illi dulcedo sapiat caritatis? Audite, Fratres, Apostolum dicentem, Deus caritas est. Quid dulcius, Fratres? Qui nescit, audiat Psalmistam dicentem, Gustate & videte quàm suavis est Dominus. Deus ergo caritas est. Qui habet caritatem, Deus in illo manet, & ipse in Deo.

Caritas aliquid breve & magnum.

1. *Tim.* 1. 5.

Caritas dulcis.

1. *Iohan.* 4. 16.

Psal. 33. 9.

Suprà Serm. 107. *n.* 6.

2. Si caritatem habes, Deum habes: & si Deum habes, quid non habes? Dives, si caritatem non habet, quid habet? Pauper, si caritatem habet, quid non habet? Tu fortè putas, quòd ille sit dives, cujus arca plena est auro; & ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo? Non ita est, Fratres: ille verò dives G esse videtur, in quo Deus habitare dignatur. Quid enim de Scripturis poteris ignorare, si te caritas, hoc est, Deus cœperit possidere? Quid enim de bonis operibus non poteris implere, si fontem bonorum operum merueris in corde portare? Quem adversarium timebis, si regem Deum in te habere merueris? Tenete ergo &

Divitem facit.

Confer cum homil. Cæsar. 10. ex editis à Baluzio.

[a] Ita Am. & Er. cum MSS. At Lov. cum Augustino de verbis Apostoli, *ut Deo vaces, non litibus. Perde ergo.*

[b] MSS. post verbum *redimere*, subdunt, *audi proverbium antiquum*, &c. omissis aliis. In Augustinianis autem editis ac MSS. post verba, *Punicum est proverbium antiquum*; subsequitur, *Pestilentia nummum quærit*, &c.

[c] Ita MS. Theodericensis. At editi, *repræsentare non possumus*. sine particula, *si*.

CLASSIS I.

A custodite, Fratres dilectissimi, dulce ac salubre vinculum caritatis. Sed ante omnia veram caritatem tenete, non illam quæ tantùm promittitur ore, & non servatur in corde; sed illam quæ sic ex ore profertur, ut tamen in corde jugiter teneatur: ut impleatur in vobis illud quod Apostolus dicit, In caritate radicati atque fundati. (Ephes. 3. 17.) Radix enim omnium bonorum est caritas; sicut & radix omnium malorum est cupiditas: sicut in caritate nihil umquam mali, ita in cupiditate nihil umquam boni poterit inveniri.

(Radices duæ ... cordibus ... plantatæ.)

3. Istæ duæ radices, Fratres dilectissimi, in duobus agris à duobus plantantur agricolis: unam in cordibus bonorum plantat Christus, aliam in cordibus malorum plantat diabolus. Nec de caritatis radice nascitur aliquid

B mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni. Non enim mentitur veritas, quæ in Evangelio, cùm de istis duabus radicibus loqueretur, ita definivit dicens, Arbor bona fructus bonos facit. (Matth. 7. 17. & 18.) Et iterum, Non potest arbor » bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Hæc sententia non est mea, Fratres, sed Domini. Tanta ergo sit in nobis abundantia caritatis, quæ non solùm usque ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos. Et ideo quia audistis & laudem caritatis, & vituperationem cupiditatis, attendat unusquisque & consideret agrum cordis sui: & qui in se caritatem viderit, gaudeat, & totâ cordis vigilantiâ ger-

C mina in se sancta custodiat. Qui verò in agro cordis sui qualemcumque stirpem cupiditatis inspexerit, Christo adjuvante, exstirpet cupiditatem, & plantet caritatem. Nam quamdiu hoc facere noluerit, fructus bonos afferre non poterit. Et cùm bonos fructus non adtulerit, dicit de ipso Christus Dominus cæli & terræ, Ar- » bor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Si te non delectat dulces fructus caritatis afferre, vel spinis peccatorum tuorum ignem non debes metuere? (Matth. 3. 10.) Omnis, inquit, arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quam-

D diu radicem non mutaveris, fructus legitimos afferre non poteris: & sine caussa quod bonum est promittis in ore; quia hoc implere non potes, quamdiu radix bonitatis non tenetur in corde. Istas ergo duas radices, sicut suprà dixi, duo agricolæ plantare consueverunt. Unam plantat Christus in cordibus fidelium, alteram plantat diabolus in cordibus superborum: ac sic una plantatur in cælo, altera in inferno. (... fidelium corda ... cælum.)

4. Sed dicit aliquis, Si in cordibus fidelium plantatur, utique fideles adhuc in mundo esse videntur: quomodo ergo radix illa in cælo plantatur? Vis scire quo-

E modo? Quia corda fidelium cælum sunt, quia in cælos quotidie eriguntur. Nam dicente sacerdote, Sursum corda; securi respondent, Habemus ad Dominum: quia ut Apostolus dicit, Nostra autem conversatio in cælis est. (Philipp. 3. 20.) Si ergo fidelium conversatio in cælis est, quia vera caritas in illis est, radix caritatis in cælo plantata est. E contrario radix cupiditatis, quæ in cordibus superborum est, quia semper terram cupiunt, terram sapiunt, terram diligunt, & omnem spem suam in terra constituunt, in inferno plantata est. (Corda cupidorum terra.)

5. [* Et licèt hæc ita sint, attamen nec peccatores superbi debent desperare, nec humiles justi in aliquo quasi

F de suis meritis superbire: quia & justi si de se præsumserint, citò perdunt radicem caritatis, & peccatores si ad pœnitentiam convertuntur, evulsa cupiditate, citò plantam recipiunt caritatis. Et ideo qui boni sunt, custodiant quod Dei munere perceperunt; & qui mali sunt, studeant reparare quod infeliciter perdiderunt. Nemo se ad illud tempus reservet tunc pœnitentiam vel caritatis dulcedinem retinere, quando cœperit de hac luce migrare. Non se ad hoc reservet, ut in senectute ad pœnitentiæ medicamenta confugiat: quia nescit quid superventura pariat dies. Qua fronte salutem suam in tempore senectutis dissimulat, cùm unius diei spatio certus esse non possit? (Pœnitentia ... differen...)

G Et ideo si mortem timere nolumus, semper parati esse debemus; ut cùm nos Dominus de hoc sæculo jusserit vocari, cum secura conscientia, & non cum desperatione, sed cum gaudio ante conspectum æterni Judicis veniamus, ut ibi feliciter audire possimus, Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. (Matth. 25. 21.) Ad quod gaudium nos Dominus pro sua pietate perducat, qui vivit & regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

SERM. DE SCRIPTURIS.

* SERMO CXIII.

(* Aliàs de Tempore 190.)

De verbis Apostoli, Hebr. I. Splendor est enim lucis æternæ, & imago invisibilis Dei.

In Appendice nunc primùm collocatur. Descriptus est ex Vigilii Tapsensis libro de fide contra Palladium Arianum secundo, cap. 5. 6. & 7. in Francisci Chiffletii editione pag. 516. & seq. Priores duo versus loco præfationis adjecti sunt.

B I. APOSTOLI lectionem mecum pariter audistis, Dilectissimi. Ait enim de Domino Jesu Christo, *Splendor est enim lucis æternæ, & imago invisibilis Dei*, eò quòd & imago solis lux sua sit, quæ de eodem sole procedit. (Hebr. 1. 3.) Quippe cùm constet, lumen istud divinitatis æstimari, comprehendi & definiri non posse, ideo præmoneo, ut tantùm de unitate substantiæ spiritaliter credatis, & Filium verum de vero Patre cognoscatis. De qualitate autem rei requirere non debetis: quia Deus credi se voluit non dijudicari, nec examinari: quia qualis aut quantus sit, sciri non potest. (De Deo qualis aut quantus sit, non dijudicandum.) Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli prædicaverunt. Denique pro captu, pro

C viribus, pro fide nostra intueamur, Deus quid sit: & videamus an ei possit aliquid comparari. (Quid sit Deus.) Certè hoc est Deus, quod & cùm dicitur non potest dici, cùm æstimatur non potest æstimari, cùm comparatur non potest comparari, cùm definitur ipsa definitione crescit: qui cælum manu sua cooperit, pugno omnem mundi ambitum claudit; quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt; cujus nomini & virtuti famulatur hic orbis, & ipsa sibi elementorum succedentium momentanea vicissitudo [a] serviendum testatur. a

2. Videte ergo, si potest aliquid esse, cui possit Pater & Filius comparari, quia talis est Filius qualis & Pater.

D Non enim ipse cum Patre unum se diceret, nisi talem se de Patre, qualis est Pater, sciret. Ratio quædam, quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem & Filium personas vel vocabula distinguit, quia & ipse Filius ratio dicitur: quæ tamen ratio multis nominibus appellatur, modò verbum, modò virtus, modò sapientia, modò dextera, modò brachium, modò margarita, modò thesaurus, modò retia, modò aratrum, modò fons, modò petra, modò lapis angularis, modò homo, modò agnus, modò vitulus, modò aquila, modò leo, modò via, veritas & vita, cùm sit Deus omnia in omnibus: (Filii diversa nomina.) ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria

E cognoscantur, non ut ipsa majestas Filii Dei propriè definita monstretur. Hoc enim Filius Dei, quod Pater est, non aliud, [b] id est, per quem omnia facta sunt. Nam & hoc Verbum nuncupatur; quia semper in Patre, & de Patre, & nihil Pater sine eo jussit aut fecit. (Singulorum rationes. b) Virtus dicitur; quia propriè de Deo est, & omnis potestas in ipso consistit. Sapientia appellatur; quia non aliunde quàm de Patre veniens, credentibus arcana cælestia reseravit. Dextera nuncupatur; quia per eum omnia divina opera perfecta sunt. Brachium dicitur; quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur; ut nihil eo pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur; quia in ipso om-

F nes opes, divitiæ cælestium regnorum reconditæ cognoscuntur. Retia dicitur; quia per ipsum & in ipso de mari sæculi diversarum gentium multitudo, more piscium, per baptismum in Ecclesia congregatur, ubi bonorum malorumque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur; quia signo crucis ejus dura pectora subjugantur, ut necessario semini præparentur. Fons aquæ vivæ appellatur; quia ex eo sitientia corda cælestis aquæ gratiâ irrigantur. Petra dicitur; quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis dicitur; quia utrosque parietes novi & veteris Testamenti ipse unus & mediator in semetipso continens co-

G pulavit. Agnus appellatur; ut innocentia & passio Christi demonstretur. Homo dicitur; quia secundùm carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur; quia propter nostram salutem immolari sustinuit.

a Istud *ad serviendum*, nec est in Vigilii opere, nec in MS. Remigiano.
b MS. Remig. *idem*.

c In Remig. codice, *subiguntur*.

CLASSIS I.

Aquila dicitur; quia post venerabilem resurrectionem ad Patris sui revolavit sedem. Leo est dictus; quia ipse est rex regum, quia mortem ac diabolum virtutis suæ potestate comminuit. Via est; quia per ipsum ad Patrem accessus est. Veritas est; quia mendacium nescit. Vita est; quia dat vitam. Ipse universa significat.

Filii cum Patre æqualitas.

3. Est ergo Pater Deus, immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est & Filius Deus & Dominus noster tantus quantus est Pater; sed non aliunde quàm de Patre: quia ego, inquit, de Deo Patre exivi, hoc est, lumen de lumine. Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cùm duo nomina vel duas personas, id est, Patris & Filii statuo, quasi duos deos ex diversitate confingam: nos verò Patrem & Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis & in omnibus adsignemus. Porrò Pater ac Filius etsi duæ personæ creduntur, ratione tamen & substantiâ unum sunt: quia inæqualium societas melioris offensa est, & injuria est ejus qui verus est Deus, si non verus alius comparetur. Deum enim qui injustè comparat, violat. Cùm autem ego Patrem & Filium statuo, unitatem generis adsigno: & si illam in personis divido, discretio tamen personarum rursum eadem nomina in unitatem sui, naturalis fœderis lege consignat.

* Aliàs de Diversis 97.

* SERMO CXIV.

De verbis Apostoli, Hebr. 12. Tantam habentes & nos nubem testium *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Suppositium asserunt Verlinus & Vindingus: quibus ut assentiamur facit cùm stili durities, tum ratio interpretandi Scripturam.

CAP. I.

1. APOSTOLICA lectio, Fratres mei, nuper auribus nostris insonuit; & quantum optatum est cordibus nostris inseri? Hortabatur quippe nos cum patientia ad promissum nobis præmium agonis: in qua parte, fateor, pusillanimitatis meæ animum valde permovit. Quis enim potest cum patientia currere? Solet in agone grande esse certamen: studet unusquisque ab alio non vinci. Quomodo ergo patiens erit, qui superare contendit? Si lentus est, vincitur; si currit, impietas certat, sudat, dimicat: quam patientiam servat? Nisi quia fortè, Fratres, certamen hoc nostrum non est corporis, sed animi; currere nostrum non est loci, sed mentis.

CAP. II.

2. Superiùs ostendit beatus Apostolus, ad quale nos certamen provocaverit. Enumerat enim omnium sanctorum certamina nominatim, & cùm turbam sanctorum enumerasset, ait, *Tantam habentes & nos nubem testium.* Si testes sunt, obscuri non sunt. Quomodo ergo nubes sunt? Non obscuritate, sed celsitudine. De his enim loquebatur, qui jam cum Deo requiescebant, & de super nos in terra abscondebant; & tamen ait, Postquam certaverunt, exspectant, ne sine nobis perfecti perficiantur. Cucurrerunt, pervenerunt; & tamen nondum acceperunt, quia nos exspectant. Et ibi ergo patientia, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordis: & tunc laus erit unicuique à Deo. Laus erit tunc. Quid nunc? Requies & patientia. *Tantam ergo habentes nubem testium*, Abraham, Isaac, & Jacob, Joseph, Eliam, Elisæum, Paulum, Jacobum. Et quis numeret tantam nubem testium?

Hebr. 12. 1. — Sancti, nubes. — *Hebr.* 11. 39. & 40. — Sanctis jam requies est & patientia. — 1. *Cor.* 4. 5.

CAP. III.

3. De isto numero sanctorum virorum Stephanus beatissimus erat, qui primus in hujus cucurrit cum patientia stadio sæculi, qui dum ab incredulis saxeo cæderetur crebriùs imbre, patientiam sacro non amisit ex corde. Tunc adversùs eum excitatur infelix Judæorum innumera multitudo, & fremens in delicatos duros mittit lapides artus. Cur insana Judæa fremis, cur in Martyrem duros oculos figis? Quem putas tuis lapidibus mori, jam secreta cœpit conspicere cæli; nec tuas jam formidat lapidiferas sævire suo in corpore manus, quia cælum jam ei aperuit Christus.

SERM. DE SCRIPTURIS. — Stephani patientia.

CAP. IV. Currendum, & ideo peccatorum onus deponendum.

4. Et nos, Fratres, cum patientia curramus ad propositum nobis fidei agonem. Quomodo currimus, qui onerati sumus? Gravant nos pondera. Nam nemo currit onustus, dum vix cum sudore perveniat levis. Vocamur, veniamus: & ne non perveniamus, curramus. Quod consilium oneratis? Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Volumus, ô Domine, volumus; & non possumus: aut fortè nec volumus, * præveniente sarcinâ gravamur, & nolumus. Adjuva nos, & miserere nostri. Tu dixisti, Sine me nihil potestis facere. Propter hoc onus, imploremus Dei auxilium, & audiamus Pauli consilium. Videte enim quod secutus adjunxit. Dum nobis ostenderet tantam nubem testium, quasi cogitantibus & dicentibus, quis illuc surgit? quis ad illos adtingit? Vidit onus & pressuram nostram: præstitit consilium debilibus & infirmis & gravatis, & ait, *Exponentes onus omne.* Et ut ostenderet quid sit onus; secutus adjunxit, *Et agile peccatum.* Onus tardum, fortè peccatum possit quisque vitare. Quid est vitare agile peccatum? Surgit subitò in cogitatione, facit delectationem: mox trahit mentem. O agilitas certa! Curre contra istum, non te vincat, præveni, exspecta, expone peccatum, projice foras iniquitatem, suggestionem, delectationem. Sed ut hoc possis, implora eum sine quo nihil facere potes. Irrita peccatum, offer medicamentum.

Matth. 11. 28. — * f. premente. — *Johan.* 15. 5. — Peccatum agile.

CAP. V.

5. Cum patientia curramus non stemus, sed nec perturbemur: sed cum patientia. Quid ergo? tua est patientia? Absit. Audi beatum martyrem Cyprianum: in quodam capitulo suo sic ait, Patientia, Dei res est. Unde hoc & ipse de Spiritu-sancto per David, Tu es patientia mea. Et ut ostenderet quà curreret, & quò pervenit: Domine, inquit, spes mea à juventute mea. Dicens autem multiplicem nubem testium Paulus, obtulit solem, per quem lumen videre debeamus. Ait enim tamquam in tenebris constitutis: *Respicientibus ad principem fidei, & perfectorem Jesum.* Si ipse Princeps, ipse perfectio: verum est, quia sine ipso nihil possumus facere. Quid autem fecit, quod nos imitari debeamus? Numquid quòd Deus est? numquid quòd Patri æqualis est? Numquid quòd creator cæli & terræ est? Quis hoc imitetur? O homo, quando creatura æquabitur Creatori? Noli superbè sapere, audi quid debeas imitari. *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem:* ad exemplum Passionis sarmentis obtulit vitem. Quod in sarmentis superfluum est, abscindendum est, ut fructum afferat multum.

In Ser. de bono patientiæ. — *Psal.* 70. 5. — *Hebr.* 12. 2.

CAP. VI.

4. Carissimi, quomodo sustinuit passionem nisi per patientiam? De tali palmite fuit beatissimus & primus martyr Stephanus, qui primus secutus est cohærens viti. Securus cùm videret sanguinem vitis, fudit sanguinem suum, & lapidatus pro Christo Domino, sæculorum rege, primus meruit martyrii sui immarcessibilem coronam accipere.

APPENDICIS
CLASSIS II.

Sermones de Tempore.

*SERMO CXV.

Aliàs de Tempore Sermo 1.

De Adventu Domini, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius inter Augustinianos relictus fuerat in Lovaniensium editione: supposititiis postea Verlini & Vindingi censurâ fuit adjunctus, cùm ob stili simplicitatem, tum quia apud eos homines est habitus, qui usum quotidianæ communionis, quem in Ecclesia Occidentali vigere suo ævo Augustinus in lib. 2. de Serm. Domini in monte n. 26. & epist. 54. n. 4. testabatur, receptum non haberent: quandoquidem isthîc auditores ad vitæ mutationem idcirco invitantur, ut in die Natali Domini possint mundo corde & casto corpore ad altare accedere. *Cæsario Arelatensi stilus & disputandi ratio restituere cogit: tametsi Augustino adscribant nonnulli MSS. in quibus Sermo incipit in hæc verba:* Propitia divinitate, Fratres dilectissimi, jam advenit dies in quo Natale Domini Salvatoris cum gaudio desideramus celebrare. Et ideo rogo & moneo, ut quantum possumus, laboremus, ut in illo die cum sincera & pura conscientia *&c. Cum hoc eodem exordio editus etiam inter Ambrosianos reperitur.*

Cæsarii Sermo XLI. Quid præstandum ante celebritatē Natalis Domini.

1. APPROPINQUANTE jam sacratissima sollemnitate, qua Salvator noster inter homines nasci misericorditer voluit, Fratres carissimi, adtentiùs considerate, qualiter oporteat nos in adventu tantæ potentiæ præparari, ut Regem & Dominum nostrum læti atque gaudentes cum gloria & laudibus mereamur suscipere, & in conspectu ejus inter cœtus felices sanctorum gratulando exsultare, magis quàm ab eo propter fœditatem nostram repulsi inter peccatores æternam confusionem mereri. Et ideo rogo & moneo, ut quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus, * ut in illo die cum pura & sincera conscientia, mundo corde & casto corpore ad altare Domini possimus accedere, & corpus & sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit, sicut & ipse dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur; magis occiditur, quàm vivificetur. Sic enim dixit Apostolus, *Qui manducat corpus Domini, & bibit sanguinem ejus indignè, judicium sibi manducat & bibit.*

**Cæsar. hom. 1. & Serm. Append. 5. n. 5. — Laborandum ut Christi corpus dignè percipiatur. — Iohan. 6. 54. — 1. Cor. 11. 27.*

Mundanda conscientia.

2. Et licèt nos omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conveniat, præcipuè tamen in die Natalis Domini, sicut in Evangelio ipse dixit, lucere debent hominibus opera vestra. Considerate, quæso, Fratres, quando aliquis homo potens aut nobilis natalem aut suum aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quidquid in domo sua sordidum viderit, ordinat emundari, quidquid ineptum & incongruum projici, quidquid utile & necessarium, præcipit exhiberi: domus etiam, si subobscura fuerit, dealbatur, pavimenta scopis mundantur, & diversis respersa floribus adornantur; quidquid etiam ad lætitiam animi & corporis delicias pertinet, omni sollicitudine providetur. Ut quid ista omnia, Fratres carissimi, nisi ut dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in natalitio tuo, aut filii tui; quanta & qualia præparare debes suscepturus natalem Domini tui? Si talia præparas morituro; qualia rpæparare debes æterno? Quidquid ergo non vis invenire in domo tua, quantum potes, labora ut non inveniat Deus in anima tua.

Matth. 5. 16.

Ornanda bonis operibus anima.

3. Certè si te rex terrenus aut quicumque pater-familiâs ad suum natalitium invitaret, qualibus vestimentis studeres ornatus incedere, quàm novis ac nitidis, quàm splendidis; quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua

A fœditas oculos invitantis offenderet? Tali ergo studio, in quantum prævales, Christo auxiliante contende, ut diversis virtutum ornamentis anima tua composita, simplicitatis gemmis, & sobrietatis floribus adornata, ad sollemnitatem Regis æterni, id est, ad Natalem Domini Salvatoris cum secura conscientia procedat, castitate nitida, caritate splendida, eleemosynis candida. Christus enim Dominus si te ita compositum natalitium suum celebrare cognoverit, ipse per se venire, & animam tuam non solùm visitare, sed etiam requiescere & in perpetuum in illa dignabitur habitare; sicut scriptum est, *Et inhabitabo in illis, & inambulabo:* & iterum, *2. Cor. 6. 16.*

B *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* *Apoc. 3. 20.* * Quàm felix est illa anima, quæ vitam suam ita, Deo auxiliante, studuerit gubernare, ut Christum hospitem & habitatorem mereatur excipere: sicut è contrario quàm infelix est illa conscientia, toto lacrymarum fonte lugenda, quæ se ita malis operibus cruentavit, ut in ea non Christus requiescere, sed diabolus incipiat dominari. Talis enim anima, si medicamentum pænitentiæ non citò subvenerit, à luce relinquitur, à tenebris occupatur; vacuatur dulcedine, impletur amaritudine; à morte invaditur, à vita repudiatur. Non tamen de

**Confer hom. 1. ex editis à Baluzio.*

Culpam statim sequatur pænitentia.

C Domini pietate diffidat qui talis est, nec mortifera desperatione frangatur; * sed magis ad pænitentiam citò confugiat, & dum adhuc nova sunt & calent peccatorum suorum vulnera, sic sibi adhibeat medicamenta salubria; quia Medicus noster omnipotens Deus est, & sic consuevit plagas nostras curare, ut nec cicatricum vestigia post ipsius medicamina remaneant. Ideo etiam ab omni inquinamento ante ejus Natalem multis diebus abstinere debetis.

**Cæsar. hom. 32.*

Vitia ante sollemnitates cavenda.

4. Quotienscumque aut Natalem Domini, aut reliquas sollemnitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ quasi bestiæ crudelissimæ repugnate, D odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite: & tanta sit in vobis caritas, quæ non solùm usque ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos; ut securi possitis dicere in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nam qui se scit vel unum hominem odio habere, nescio ad altare Domini quomodo securus possit accedere: cùm præcipuè beatus Johannes evangelista terribiliter clamet & dicat, *Qui fratrem suum odit, homicida est.* Nam vestrûm est judicare, utrùm homicida, antè quàm pænitentiam agat, præsumere debeat Eucharistiam accipere. Addit etiam adhuc sanctus Johannes, E & clamat dicens, *Qui fratrem suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et iterum; *Omnis*, inquit, *qui fratrem suum non diligit, manet in morte.* Et iterum: *Si quis dixerit quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* Quicumque ergo odium vel iracundiam servat in corde, & * sub tali tonitruo nec terretur nec expergiscitur, non dormiens, sed mortuus esse credendus est.

*Odium præcertim. — Matth. 6. 12. — 1. Iohan. 3. 15. — 1. Iohan. 2. 11. — 1. Iohan. 3. 14. — 1. Iohan. 4. 20. — *Cæsarius homil. 21.*

5. Hæc ergo, Fratres carissimi, quotidie cogitantes, qui boni sunt, cum Dei gratia contendant perseverare F in operibus bonis: quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qui verò se ad eleemosynam tardos, & ad iracundiam promtos, & ad exercendam luxuriam præcipites esse cognoscunt, auxiliante Domino, festinent se à malis eruere, ut quæ bona sunt mereantur implere: ut cùm dies judicii venerit, non cum impiis, sed cum justis & misericordibus

Matth. 10. 22.

CLASSIS II.

pervenire ad æterna præmia mereantur; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Aliàs de Tempore 2.

*SERMO CXVI.

De Adventu Domini, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. In Lovaniensium editione manserat inter dubios; Verlini autem & Vindingi sententiâ rejectus fuit. Pertinere istum quoque ad Cæsarium, cui in Corbeiensi MS. adscribitur, constabit ex aliorum ipsius Sermonum comparatione.

CÆSARII Sermo XLII.

1. SANCTAM & desiderabilem, gloriosam ac singularem sollemnitatem, hoc est, nativitatem Domini Salvatoris, Fratres dilectissimi, devotione fidelissima suscepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adjutorio præparare, & omnes latebras animæ nostræ diligenter adspicere; ne fortè sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod & conscientiam nostram confundat ac mordeat, & oculos divinæ majestatis offendat. Nam licèt Christus Dominus noster post passionem suam resurrexerit, & in cælum adscenderit; considerat tamen, ut credimus, & diligenter adtendit, qualiter se unusquisque servorum ejus sine avaritia, sine ira, sine superbia atque luxuria ad celebrandam ejus nativitatem studeat præparare atque componere: & secundùm quod unumquemque bonis operibus ornatum viderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit caritatis luce vestitum, justitiæ vel misericordiæ * margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum & sobrium, si talem agnoverit, corpus & sanguinem suum ei non ad judicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum ministerium dispensabit. * Si verò aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbum, timeo ne hoc illi dicatur, quod in Evangelio Dominus ipse dixit, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et, quod avertat Deus, fiat illud quod sequitur, *Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualem sententiam in die judicii excipiet, qui sine remedio pænitentiæ ad festivitatem Domini vitiorum sordibus inquinatus accesserit.

Natalis Domini non inveniat imparatos.

* Vox Cæsario frequens.

* V. Serm. App. 29. n. 4.

Matth. 22: 12.

Ibidem 13.

Dies est nuptialis Christi.

Psal. 84. 12.

2. In Natali enim Domini, Fratres dilectissimi, quasi in nuptiis spiritalibus, sponsæ suæ Ecclesiæ Christus adjunctus est. Tunc veritas de terra orta est, tunc justitia de cælo prospexit; tunc processit sponsus de thalamo suo, hoc est, Verbum Dei de utero virginali. Processit enim cum sponsa sua Ecclesia, id est, humanam carnem suscepit. Ad istas ergo tam sanctas nuptias invitati, & ad convivium Patris & Filii & Spiritus-sancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideo mundemus, quantum possumus cum Dei adjutorio, corda simul & corpora nostra: ut cælestis ille invitator nihil in nobis sordidum, nihil fœtidum, nihil obscurum, nihil oculis suis deprehendat indignum. Hæc ergo, Fratres dilectissimi, non transitoriè, sed cum ingenti tremore debemus adtendere. Invitati enim sumus ad nuptias, ubi nos ipsi, si bene agimus, sponsæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, consideremus ad qualem sponsum, vel ad quale convivium invitati sumus. Invitati enim sumus ad mensam, ubi non invenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum. Et ideo videamus ne fortè intus in anima, ubi debemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus * vitiorum pannis veteribus involuti: & quando eos qui boni sunt in oculis Dei castitas reddet candidos, tunc eos qui mali sunt, reddat luxuria sordidatos.

In nuptiis Christi quæ sponsa, quis cibus.

* V. Serm. Append. 29. n. 4. & Homil. aliàs 16. ex 50.

Ante sollemnitates quid agendum.

3. Et ideo quotienscumque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies, non solùm ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete, ab omni iracundia vos alienos efficite: peccata præterita per eleemosynam & pænitentiam redimantur: contra nullum hominem odium in corde teneatur: quod solebat vanitas per gulam perdere, incipiat justitia per misericordiam pauperibus erogare; quod luxuria vel gula dissipavit in mundo, pietas reponat in cælo.

4. Et licèt hoc expediat, ut semper eleemosynas fa-A cere debeamus: præcipuè tamen in sanctis sollemnitatibus secundùm vires nostras abundantiùs erogemus, pauperes ante omnia frequentiùs ad convivium vocemus. Non enim est justum, ut in sancta sollemnitate in populo Christiano ad unum Dominum pertinente, alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus unius Domini servi sumus, uno pretio redemti sumus, pari conditione in hunc mundum intravimus, simili etiam exitu migraturi sumus; & si bene agimus, ad unam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus est regnum? Quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis B stolam? Quare pauper non mereatur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium venturus est Angelorum? Audite, Fratres, audite non meum, sed Domini commune præceptum. Sic enim ait in Evangelio, *Cùm facis prandium aut cœnam, noli invitare divites, qui te iterum reinvitent, & fiat tibi retributio: sed voca pauperes & claudos; & beatus eris, quia non habent unde retribuant tibi: retribuetur autem tibi in retributione justorum.*

SERM. DE TEMPORE.

Pauperes ad convivium vocandi.

Luce 14. 12.

5. Sed dicit aliquis, Ergo amicos aut parentes non C debeo ad convivium invitare? Rogandi sunt & parentes & vicini; sed rariùs rogandi sunt. Et non nimis * sumtuosa & deliciosa, sed tam parca & sobria vel honesta illis debent convivia præparari, ut remaneat unde possint pauperes refici, unde possit aliquid indigentibus erogari: ut cùm dies judicii venerit, non cum impiis, qui nunc pauperes despiciunt, audiamus, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; sed cum justis & misericordibus audire mereamur, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere*: simul etiam nobis illa vox desiderabilis dirigatur, *Euge serve bone & fidelis, quia su-D per pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Amici etiam invitandi, sed rariùs & ad parca convivia.

* Suprà Serm. 104. n. 3.

Matth. 25. 41.

Ibidem 34. & 35.

6. Sed ut hæc quæ suggessimus, sensibus Vestræ Caritatis tenaciùs inhæreant, breviter quæ dicta sunt iteramus. Hoc enim admonuimus, Fratres, ut quia Natalis Domini imminet, tamquam ad nuptiale & cæleste convivium ab omni luxuria nitidi & bonis operibus adornati nos per Christi adjutorium præparemus, eleemosynas pauperibus erogemus, iracundiam vel odium quasi venenum diaboli de cordibus nostris respuamus. Castitatem etiam cum propriis uxoribus fideliter conservate: ad convivia vestra frequentiùs pauperes evocate: E ad [a] vigilias maturiùs surgite: in ecclesia stantes aut orate aut psallite, verba [b] otiosa aut sæcularia nec ipsi ex ore vestro proferte, & eos qui proferre voluerint, castigate. Pacem cum omnibus custodite, & quos discordes agnoscitis, ad concordiam revocate. Hæc si fideliter, Christo adjuvante, volueritis implere, & in hoc sæculo ad altare Dominicum securâ conscientiâ poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem feliciter pervenire; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Recapitulatio.

Confer cum Serm. App. 10. n. 5.

* Aliàs de Tempore 7.

F

*SERMO CXVII.

In Natali Domini, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovaniensibus dubius: sed Verlino & Vindingo spurius est. Stilus simplex, & Cæsariani similior quàm Augustiniani. Ceterùm auctorem sapit gravem & pium.

1. ROGO vos, Fratres carissimi, ut libenti animo sermones quos Dominus dabit, suscipiatis in hac dulcissima die, in qua compunctio etiam infidelibus venit, in qua misericordiâ tangitur impius, veniam sperat compunctus, reditum non desperat captivus, remedium desiderat vulneratus; in qua nascitur Agnus, qui tollit peccatum mundi. In cujus nativitate qui con-G scientiam securam habet, dulciùs gaudet; qui miseram, adtentiùs timet: qui bonus est, affectuosè orat; qui peccator, devotissimè supplicat. Dulcis dies, verè dulcis, & cunctis pænitentibus veniam portans. Promitto vobis, Filioli, & certus sum, quia in hac die si quis ex

Gratia diei hujus.

[a] MS. Vindocin. *ad Vigilias Martyrum.* Corbeiensis verò, *ad Vigilias frequentiùs.*

[b] In Corb. MS. *luxuriosa verba.* Et mox Vindocinensis pro *aut sæcularia*, habet *aut jocularia.*

Classis II. — Serm. de Tempore.

corde pænituerit, & ad vomitum peccati reversus non A fuerit, quodcumque petierit, dabitur ei: tantùm in fide non dubitet, delectationem non repetat. Hodie totius mundi peccatum tollitur, & peccator desperat?

2. Sed videte qualis debet esse pænitentia: quia multi assiduè se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur. Pænitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pænites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod antè dulce fuit in vita; & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in corde; jam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis, *Tibi* B *soli peccavi, & malum coram te feci.* Bene, *Tibi soli peccavi;* quia nullus hominum sine peccato: & ideo, *Tibi soli peccavi;* quia tu solus hominum sine peccato. Da, Domine, misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pænitentis, quem permovere non potuit diuturnitas peccatoris. Dic illi in fletu cordis: Adspice infelicem, pietas immensa; respice crudelem, misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Serva [a] pietatem mansuetudinis, qui tamdiu suspendisti gladium ultionis: dele numerositatem criminum multitudine misericordiarum. Ista est, Filioli, vera [b] pæniten- C tia, quando sic convertitur quis, ut ad peccatum non revertatur; quando sic pænitet, ut non repetat.

Pænitentiam certam quid faciat. — *Psal. 50. 6.* — *b Pænitentia vera seu libera.*

3. Sint videamus aliqui vestrûm fortes & virtutem animarum exercentes, qui in ista die verba mea pro sua salute sic audiant, ut viriliter vitiorum mollitiem abjiciant, tamquam qui pugnant: re vera fortiùs pugnant, qui contra se pugnant. Aperiant aures suas ad præcepta Christi, quæ fortasse patuerunt huc usque ad audienda ludibria. Aperiant oculos suos ad nitorem, qui huc usque ad ignominiam patuerunt. Compungat pænitentia criminum, quem huc usque transpunxit delectatio voluptatum. Erigat adjuncta virtus, quem vitia prostraverunt. Aperiant medi- D camento [c] nares suas, quibus illa fœtet consuetudo peccati. Aperiat vobis ille oculos cordis, qui hodie propter nos dignatus est nasci, ut videamus illum. Quod putatur * dulce modò satis esse in brevitate temporum, quàm amarum erit in igne æterno; quàm gravi & perpetuâ pœnâ punienda erit brevitas delectationis! Delectatio occidit, & præteriit; vulneravit, & transiit; miserum fecit, & abiit; infelicem reddidit, & reliquit. Quàm speciosus est animi nitor, quàm felix conscientia bonis operibus plena! Si beatum se credit, qui hoc possidet quod dimissurus est post mortem; quàm securus est, qui illud præmium sperat, quod numquam amissurus est per æternitatem? Si E potens dicitur, qui mundo imperat; quàm beatus est qui Deum in conscientia pura portat? Et ideo, dulcissimi Filii, concupiscite munditiam cordis, habete dilectionem Dei & proximi. Peccatores, dimittite, ut dimittatur vobis. Justi, non peccate, ut permaneat Christus in vobis [d].

** Supra Serm. 157. n. 4.* — *Felicitas hujus vitæ vera.*

4. Quæ cùm ita sint, videtur mihi, Carissimi, ut nascenti Domino & Redemtori nostro vota promittamus hodie, & reddamus; sicut scriptum est, *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Nos dulciter & confidenter voveamus; ille dabit possibilitatem, ut reddere possimus: nos tantùm quidquid illi promittimus, de illo speremus. Sed fortasse interrogatis me, quid debeatis hodie vovere vel F reddere. Sunt multi qui vovent, alius pallam, alius oleum vel ceram ad luminaria noctis; alius ut vinum non bibat per aliquot annos, alius ut jejunia certo tempore faciat, alius ut carnes non comedat. Non est istud votum optimum nec perfectum: adhuc melius volo. Non eget Deus nec specie tua, nec oleo tuo, nec jejunio tuo: sed hoc quod in te hodie redemit, ipsum offer, hoc est, animam tuam. Et si interrogas me, Quomodo offeram animam meam, quam ipse habet in potestate? Ego tibi respondeo quomodo: Moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis; divertendo à malo, convertendo in bonum; damnando vitium, aman- G do Deum; diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris; quia & ipsi miseri fuimus, antè quàm redimeremur: dimittendo illis qui in nos peccant; quia

Vovendum nascenti. — *Psal. 75. 12.* — *Vota diversa.* — *Votum optimum.*

& nos omnes sub peccato fuimus: superbiam calcando; quia per superbiam primus homo deceptus est: abjiciendo invidiam; quia per invidiam decepit diabolus genus humanum.

5. Quæ cùm ita sint, erigite omnes animos vestros, & nullus sit, sive liber, sive servus, sive ingenuus, qui non hodie Deo votum offerat simul & reddat: quia nimis miserum est, ut Deo aliquid non offeramus de nostro, qui animam suam pro nobis posuit, & propter nos, cùm esset æternus, carnem suscepit. Nunc itaque quicumque iram contra alterum tenet, tamen propter amorem Dei dimittat; & obtulit votum. Si quis consuevit jam longa diuturnitate in luxuria volutari, resipiscat aliquando, & excutiat sordes suas per compunctionem; & clamet in corde suo in oratione secretiùs ad Dominum: Piissime Domine, misericordissime Deus, sufficiat mihi quòd huc usque peccavi, quòd te contemsi, quòd fœtoribus carnis meæ satisfeci: jam nunc, te inspirante, voveo me à nequitia mea conversurum. Cùm hæc fecerit, & iste obtulit votum. Iterum si quis invidiâ tenetur fratris, & felicitate illius aut actione prospera non delectatur, quod est peccatum usque ad mortem; promittat & ipse in corde suo [e], imitaturum se potiùs actus bonos, quàm livorem ejusdem habiturum: & cùm hæc fecerit, & ipse obtulit votum. Si quis verò sibi conscius est de homicidio, indicat sibi ipse in corde suo pænitentiam, & vindicet in se ipso mala sua, & statuat sibi ante Deum cruciatum pænitentiæ & spatium: & animum plenum veneno, quem antè effusio sanguinis proximi sauciavit, cruciet per abstinentiam & humilitatem: & communicare nullatenus præsumat; ut non dupliciter se infelix damnet, dum in corde criminum horroribus pleno sacratissimum corpus Domini periculosè præsumit accipere. Quòd si quis se talem agnoscit, & hæc fecerit; & ipse offert votum. Si quis fortè, ut assolet, detrahere semper consuevit, & aliorum actiones obloqui, nec suas respicere; voveat hodie Deo in corde suo, & dicat, Huc usque de aliis dixi, me non inspexi: ego eram miserior, & alios miseros existimabam: & ideo nunc sufficit quòd peccavit lingua mea, à modò emendare delibero. Ecce qui hæc facit, offert votum. Si quis crudelem se sentit, misericordiam animi voveat Deo; si quis superbum, voveat humilitatem. Si quis vino nimiùm est deditus, sobrietatem voveat Deo. Si quis seniori suo peccavit, veniam petat; & si ille non sapuerit petere, ille tamen dimittat.

Qualiter de suo quisque voveat. — *Iracundus.* — *Impudicus.* — *Invidus.* — *Homicida.* — *Detractor.* — *Immitis, superbus, ebriosus.*

6. Et cùm hæc omnia feceritis, Carissimi, offertis votum Deo placitum, & quasi remuneratis Christum. Et post hæc veniet vobis benedictio, & vota vestra offerentur ante tribunal Christi, &, sicut dixit Salomon, monumentum vestrum non accipiet oblivionem: & dicetur de vobis, Ecce populus meus quem adquisivi sanguine meo, saturavit me votis, implevit me odoramentis: ego ero eis quasi Dominus, & ipsi erunt mihi in populum, & non erit ultrà in eis captivitas aut desolatio. Putemus quàm dulce est, quando vota nostra talia, qualia dixi, Angeli qui custodes vitæ nostræ sunt, ante conspectum divinæ majestatis obtulerint. Si aliquid offerimus homini terreno & morituro, & tamen speramus nos ab illo multum recepturos & adjuvandos: si Deo aliquid de nostris moribus offeramus, quantum recipiemus?

Votorum talium fructus. — *Sap. 2. 24.* — *Angeli custodes vota nostra offerunt Deo.*

7. Nunc itaque exsultemus in Domino, gaudeamus cum fletu, memores simus dignationis divinæ & captivitatis nostræ. Quemcumque potentia elevat, veniat illi in mentem humilitas Christi; ut non dirigatur ad illum sententia ista, *Quid superbis terra & cinis?* Quando videmus quemcumque miserum aut egenum, veniat nobis in mentem misericordia Dei; quando captivum, veniat nobis in mentem redemtio Domini nostri. Quando peccatum quodcumque delectat aut subrepit, sit nobis in memoria quòd jam deleta sunt peccata nostra. Non perdamus pretium sanguinis Christi, nec maculemus stolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiscentiam. Jacuimus, jam erecti sumus; vulnerati fueramus, jam sumus sanati. Non erit excusatio qualiscumque. Diabolus potest ad malum invitare, non potest trahere; dele-

Incarnati Christi recordationis fructus. — *Eccli. 10. 9.*

[a] MSS. alii, *serva consuetudinem pietatis:* alii *serva pietatem consuetudinis.*
[b] In MSS. plerisque *libera* pro, *vera.*
[c] Addunt hic editi vocem, *pænitentiæ.* In iisdem paulò pòst, *quibus illis fœteat.* MSS. secuti sumus.
[d] Hîc MS. Remig. concludit istum Sermonem per hæc verba, *ipso præstante qui cum Patre* &c.
[e] Ita MSS. potiores. Alii cum editis, *meditaturum.*

CLASSIS II.

ctationem infert, non poteſtatem; conſilium ingerit, non conflictum.

8. Nunc ergo propter partum beatæ Mariæ ſit mihi ſermo ad virgines, ſive ad viros, ſive ad feminas, ſive viduas, ſive pænitentes, ſive pauperes, ſive ſervos. Non eſt apud Deum niſi meritorum diſcretio. Audite me itaque, quicumque dono Chriſti in corpore virgines eſtis. Generaliter loquor ad omnes, audite me. Quicumque agnoſcit ſe eſſe quod dico, ſtudeat ut corpore & corde ſit virgo. Sic gaudeat de lucro corporis, ſi non habeat damnum animæ. Gaudeat tamen de tam pretioſo dono Chriſti; gaudeat cum humilitate, fleat cum pietate. Gratias agat, quia tantam felicitatem in integritate portat: lætetur, quia ſecuturus eſt Agnum quocumque ierit; ſi tamen in ore ejus, ſicut legimus in Apocalypſi, mendacium non inveniatur. Oret perſeverantiam, ut non illi qualiſcumque delectatio ſæculi aut invidia diaboli tantum donum tollat, tantam claritatem innubilet, tantum nitorem infuſcet. Teneat fortiter, non perdat rem irreparabilem, non uno momento delectationis amittat gratiam corporis, non contrahat turpitudinem animæ per pulcritudinem formæ corruptæ, non illum concupiſcentia vincat. Si me audierit, permanet: quòd ſi non audierit, amiſſurus eſt quod numquam eſt reparaturus.

Virginibus quid curandum aut cavendum.

Apoc. 14. 4.

9. Iterum ad vos mihi ſermo eſt, qui conjuges habetis; moneo ut caſtè habeatis. Nam & Eliſabeth quæ longævis temporibus caſtè cum marito vixerat, & ambo fideles ante Dominum fuerant, meruit jam de emortuo ſemine habere filium, qui & ſanctitate parentes ornaret, & prædicatione multos infideles converteret. Iterum vobis loquor, quæ eſtis viduæ: cuſtodite viduitatem, non eſtote verboſæ; ſed cum ſilentio exſpectate Dominum, qui pupillum & viduam ſuſcipit, ſed bonam viduam, ſed illam, quæ in oratione, in humilitate, in eleemoſynis eſt promta: ſi certè unde faciat non habet, voluntatem bonam & cogitationem ſinceram habeat. Mulieres, non maledicite, non jurate, non eſtote promtæ ad loquendum. Fortè dicis importunum eſſe quod dico. Non mihi tacere licet: plus timeo illum qui jubet, quàm illum qui detrahit. Ego dico: qui agnoſcit, emendet; qui in ſe non recognoſcit, audiat & teneat, ut aliis pro ſalute dicere poſſit.

Quid conjugatis. *Lucæ* 1.

Quid viduis.

Quid mulieribus.

10. Nunc jam ad vos loquor, pænitentes, qui pænitentiam in eccleſia accepiſtis & agitis. Perſeverate in fletu, in compunctione doctè plangite. Quid eſt, doctè plangite? Id eſt, ut non quæratis in oratione temporales res, ſed æternam beatitudinem & remiſſionem peccatorum. Qui ſic orat, ipſe doctè plangit. Non cadent ad terram lacrymæ veſtræ; quia verax eſt ille cui Propheta dixit, *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* Vos modò ſatis debetis amare Deum, & de timore jam ad dilectionem tranſire; quia ſic legimus in Evangelio de peccatrice illa, *Cui multum dimittitur, multum diligit.* Et ideo multùm debetis diligere Deum, qui vos exſpectando, & non puniendo, ad pænitentiam perducere dignatus eſt.

Quid pænitentibus.

Plangere doctè.

Pſal. 55. 9.

Lucæ 7. 47.

11. Nunc iterum ad vos mihi ſermo eſt, pauperes. Vos dico pauperes, qui mendicatis, qui de eleemoſyna Chriſtianorum vivitis. Conſolamini, conſolamini: tribulatio veſtra convertetur in gaudium, & dolor veſter in lætitiam. Non vobis ſit ingratum, quòd mendicatis, nec ideo in corde veſtro aliquid contra Deum dicatis: quia ille juſtus & pius eſt in omnibus operibus ſuis. Et ideo te fecit pauperem, ut ſufferendo brevem inopiam, æternam vitam adquireres: & divitem ideo fecit, ut dum tibi ſuperflua daret, remedium peccatis ſuis adquireret. Et ideo patientes eſtote, & exſpectate Dominum.

Apoſtrophe ad pauperes.

12. Etiam ſermo mihi eſt ad vos, ſervi, quicumque dominos carnales habetis, cuicumque ſervitii conditionem debetis: obedite dominis veſtris, diligite ex corde, non ad oculum ſervientes, ſed miniſterium ex amore facientes: quia & illos Deus conſtituit ut vobis dominentur, & vos ut ſerviatis. Bene ſervite propter Deum, quia de bono ſervitio mercedem habebitis. Si boni fueritis, meliores eritis dominis malis: quia apud Deum anima uniuſcujuſque non eſt diſcernenda nobilitate, ſed opere; nec genere, ſed actione. Ideo nunc ad omnes mihi ſermo fuit, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Et ideo ſervate quæ dixi, ut de vobis fructum habeam, & vos omnes in cæleſtibus horreis, ubi frumenta congre-

Ad ſervos.

Epheſ. 6. 5. &c.

2. *Cor.* 5. 15.

A ganda ſunt, miſericors Dominus intromittat, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERM. DE TEMPORE.

* SERMO CXVIII.

In Natali Domini, II.

* *Aliàs de Tempore* 8.

In Appendice nunc primùm collocatur. De hoc Sermone idem atque de ſuperiore Lovanienſes, idem Verlinus & Vindingus judicaverunt. Videtur ad aſſerendam Chriſti divinitatem compoſitus, fortean à Vigilio Tapſitano, qui plura ejus generis à ſe edita opuſcula contra Arianos ſub veterum Patrum nomine publicavit.

1. HODIE, Fratres dilectiſſimi, celebramus Dominicæ nativitatis diem, id eſt, Domini noſtri Jeſu B Chriſti: qui cùm æqualem * trinitatem cum Patre poſſideat, qui cùm cælum, terram ac maria, & omnia quæ in eis ſunt, pari cum Patre virtute firmaverit, in noviſſimis temporibus homo naſci ex homine dignatus eſt, ſic noſtram ſuſcipiendo naturam, ut non permutaret ſuam. Permanente enim integro divinitatis ſtatu, aſſumſit hominem Dei Filius; nec amiſit quod erat, ſed ſociavit ſibi quod in ipſo antè non fuerat. Inviſibilis ergo ſecundùm divinitatem Dei Filius viſibilem ſuſcepit hominem, immortalis mortalem, impaſſibilis paſſibilem, & ut totum breviter comprehendam, Deus hominem. Quidquid ergo infirmitatis legimus in Chriſto, id eſt, C quòd eſurivit, quòd doluit, quòd etiam mortem pro peccatis noſtris ſuſtinuit; ſuſcepto hoc pro ſalute noſtra homini deputemus, ſalvâ illius qui ſuſcepit, id eſt, Verbi Dei, reverentiâ: qui ita humanitatem divinitati ſuæ junxit, ut eam poſt paſſionem impaſſibilem faciat; non autem ut fieret, quod cogitari ſcelus eſt, divinitas ipſa paſſibilis.

* *f.* divinitatem.

Filius Dei nõ mutatur cùm fit homo.

2. Nam etſi in Dei Filio ex divinitate & humanitate una perſona eſt, cùm tamen audis natum ex homine Dei Filium, noli communem hunc ibi credere nativitatis exortum ex opere conjugali, quod quidem à Deo eſt conſtitutum, ut humanitas propagetur. Aliter, inquam, ibi fuit huma- D nitatis exortus, longè à noſtra nativitate diverſus. Nam etſi in eadem, qua nos naturaliter ſumus, veritate carnis natus eſt Chriſtus: non tamen eo quo nos more conceptus & natus eſt de conjugio, id eſt, unde ceteri exorti ſumus, licèt omnes procreentur homines. Nam & mirabiliter procreatus eſt. Legitima illa commixtio hominis homini quidem, licèt juxta divinam auctoritatem culpâ * non vacet, non tamen etiam glorioſa eſt. In Chriſti verò nativitate ſine commixtione propagatio omni prorſus gloria & honore cumulatur. Dominus itaque noſter Jeſus Chriſtus, ordine nativitatis excepto, homo verus procreatus ex virgine eſt, eodemque omnipoten- E tiæ ſigno conceptus & natus. Virginem habuit matrem, cùm portaretur in utero virginis, & cùm ex utero funderetur: nec tamen iſta nativitas conjugia damnavit, ſed potentiam divinitatis honoravit.

Nativitas Chriſti vera, ſed non conſueta.

* *f.* culpâ vacet.

Per hanc tamen conjugia non damnavit.

3. Olim hujus novæ fecunditatis ſignum Iſaias propheta prædixerat: *Ideo*, inquit, *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo in utero concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod ſignatiſſimè de Chriſto Domino noſtro eſt prophetatum: Emmanuel enim interpretatur, Nobiſcum Deus. Ergo Salvator noſter ab effectu rerum etiam hoc nomen accepit, ut vocaretur Nobiſcum Deus. Et ipſe tunc Deus cum omnibus nobis F eſſe dignatus eſt, quando ſuſcepit hanc carnem, ut per hominem, qui viſibilis erat, converſari videretur in terris. Sic enim Jeremias propheta promiſerat, dicens, *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Unde & ipſe Dominus ad diſcipulos ſuos in Evangelio dicit, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Qui videt me, videt & Patrem meum,* & reliqua quæ ſequuntur. Talia enim Dei Filius per aſſumtum hominem opera faciebat, ut ex ipſa operum claritate & Patris ſimul & Filii divinitas noſceretur. Quòd G ſi diligenter reſpiciamus ad cauſſam, propter quam Dominus totum hoc ſacramentum ſuſcepti hominis implere dignatus eſt, tunc verè obtinebimus nobis illud impletum eſſe Propheticum.

Iſai. 7. 14.

Nobiſcum Deus.

Baruch. 3. 36. &c.

1. *Johan.* 14. 9.

4. Duplex enim principaliter cauſſa eſt, ob quam Dei Filius factus eſt Filius hominis. Una eſt, ut ſecundùm hominem omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis

Duplex cauſſa Incarnationis, reparatio & inſtructio noſtra.

CLASSIS II.

vinculis liberaret. Sic enim Isaias propheta prædixerat : *Hic peccata nostra portavit, & pro nobis dolet :* & rursus ; *Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eo ; livore enim ejus nos sanati sumus.* Altera verò caussa est Dominicæ passionis , ut nos , quos sanguine suo redemit à vitiis atque criminibus , non solùm doctrinæ auxilio & gratiæ , sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet ; ut nos non modò præcipientem Dominum , sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia provocantem , majore alacritate sequeremur , & justissimum Dominum ac pium Patrem , secundùm sententiam beati Petri , Filii imitatione coleremus. Sic enim Petrus ait , *Christus passus est pro nobis , vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus , qui peccatum non fecit , nec dolus inventus est in ore ejus : qui cùm malediceretur , non maledicebat ; cùm pateretur , non comminabatur : tradebat autem judicanti se injustè , qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum , ut peccatis mortui , justitiæ vivamus.* Præstet autem Dominus noster Jesus Christus , ut gratiâ ejus adjuti , ad vestigia ejus sequenda properetis ; & peccatis omnibus ac vitiis mortificati , ad sola vivatis opera justitiæ exercenda , gratias agentes Patri Deo , cui est gloria & imperium , & Domino nostro Jesu Christo , & Spiritui-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Isai. 53. 4. Ibidem 5.

1. Pet. 2. 21. &c.

* SERMO CXIX.

* Olim de Tempore 9. & post in Appendice 11.

In Natali Domini , III.

Incerti auctoris est , nec injuriâ per Lovanienses rejectus : tametsi quod continere aiunt plerasque sententias ex Homiliis S. Bernardi in Evangelium Missus est , *haud bene nobis compertum sit.*

Reparatur homo superbus per humilem Deum.

1. LEGIMUS , & fideliter retinemus , quòd sub ipso principio nascentis mundi in primo homine fecerit nos Deus ad imaginem & similitudinem suam. Ecce in hac die mutata vice factus est Deus ad imaginem & similitudinem nostram. In primis de suis meliora contulit : in secundis de nostris inferiora suscepit. Per interdictæ arboris gustum primi hominis incauta fragilitas tentavit appetere ambitione damnabili Domini sui divinitatem , persuadente diabolo & dicente , *Si de ligno hoc gustaveritis , aperientur oculi vestri , & eritis sicut dii.* Ideoque agnoscamus pii Patris admirabilem bonitatem. Homo , sollicitante inimico, Deus esse voluit per superbiam : & Deus homo factus est per misericordiam. Innovatur in nobis quodam modo per Christi divinitatem species illius antiqui & incipientis sæculi, quando primus Adam de limi materia figuratur. Ecce enim nunc secundus Adam , * quasi de intacta ac rudi terra , Virginis de carne formatur. Ecce , inquam , iterum cessantibus naturæ legibus , novus homo in novam vitam , solo Deo operante perficitur.

Gen. 3. 5.

Primi hominis procreatio innovatur.

* Confer Eusib. homil. 2.

Spiritus-sancti operatio declarat Christi sanctitatem.

2. Promittitur ergo filius virgini per visitationem Spiritus-sancti. Quid mirum , si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur ? Non enim decebat, ut qui nobis afferebat salutem , soli matri præriperet dignitatem. *Spiritus , inquit , sanctus superveniet in te.* Dignum planè erat , ut regali onustanda partu , priùs cælestis regis sanctificaretur ingressu. * Unde Dominum & Salvatorem nostrum non ideo simplicem hominem credamus , quia ex homine nasci videmus : fas non est, ut non Deus credatur , cui descensuro ad terras à Deo habitaculum præparatur. Divinâ itaque operante potentiâ credentis viscera fecundantur, & in ligno mortali vitæ arbor inseritur , & portans in se omnia virtus ab infirmitate portatur : & qui terrâ , mari , cæloque non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur. De creatura sua Creator omnium procreatur , & de rivulo suo fons magnus exoritur : radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce exoptatissimus dies , gratiâ geminatâ resplendens , candore quidem consueti luminis illustratus , sed præcipuè radiantis uteri fulgore coruscus. O dies dierum omnium novitas , lucrum lucis , & dispendium cæcitatis : in quo æternus sol de summa altitudine claritatis paternæ descendens , vulvæ virginalis aditum reseravit , & totius mundi caliginem fulgida coruscatione repressit !

* Similia Eusib. ubi supra. Et divinitatem.

Prophetia de virginco partu.

3. Ducite , Fideles Christi , festivissima gaudia , res nobis hodie perfecta est nova , quæ olim fuerat repromissa, ut sine virginei detrimento pudoris , filium lactarent ubera genitricis. Hæc illa est novitas Jeremiæ prophetæ vaticinio nuntiata : *Faciet , inquit , Dominus novum supra terram.* Et quasi quamdam lucernam hujus obscuritatis accendens , continuò subjecit , *Femina circumdabit virum :* hoc est , inquit , novum quod super terram dico Dominum esse facturum , quia *femina circumdabit virum.* Advertite, Fratres , & me potiùs vestro intellectu præcedite , *Femina , inquit , circumdabit virum.* O femina super feminas benedicta , quæ & virum non cognovit , & virum in utero circumdedit : quæ concubitu carnali non tangitur , & tamen carnea prole de spiritali semine gratulatur ! Circumdat Maria virum Angelo fidem dando : quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo. *Faciet , inquit , Dominus novum super terram.*

Jerem. 31. 22.

Angeli ad Mariam allocutio.

4. Ut igitur exhibendæ hujus novitatis tempus advenit , cælestis ad Virginem præmittitur nuntius. Salutat Angelus puellam viri salutationis ignaram ; terretur Virgo novitate verborum. Ad quam Angelus , *Ne timeas , inquit , Maria ; invenisti enim gratiam apud Dominum.* Ne , inquit , ad conspectum meum , Mater Domini mei , terrearis : ego conceptionis tuæ minister adveni ; ipse me misit ad te qui est nasciturus ex te ; ipse tibi per me annuntiat gaudium , cui placuit in utero tuo cum humana natura mysticum sociare conjugium. *Invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies & paries filium ,* non cujuslibet meriti hominem , sed totius mundi Salvatorem. *Ne , inquit , timeas.* Abjice abs te omnem metum sæculi , quæ conceptura es gaudium mundi. Revolve , Maria , Propheticam lectionem : neque enim te scientia divinorum potest præterire librorum , quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum. Recole in libro Isaiæ prophetæ virginem quam legisti ; & gaude quia tu esse meruisti. Tu ibi præsignata es virgo : tu ecce concipies in utero non de viro , sed de Spiritu-sancto : & gravida eris , & incorrupta manebis ; paries filium , & virginitatis non patieris detrimentum. At illa , *Ecce , inquit , ancilla Domini , fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Gratia exinanitionis Verbi.

5. Mox igitur Angelus, Virginis accepto consensu , cælestis regionis accolas repetit : & ecce subitò secretum Virginis ineffabilis potentia penetravit. Intrat Artifex mundi angustias ventris humani , efficitur gravida mater intacta : & ecce tamquam sponsus de thalamo , Mariæ Christus procedit ex utero. Occultatur in membris infantis potentia majestatis , Deus pendet ad ubera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur , durissimi suffert præsepis angustias , & totum misericors humiliter patitur , dummodo mundus qui perierat , liberaretur. O beata infantia , per quam nostri generis vita est reparata ! O gratissimi , delectabilesque vagitus , per quos stridores dentium æternosque ploratus evasimus! O felices panni , quibus peccatorum sordes extersimus ! O præsepe splendidum , in quo non solùm jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum. Lacta , Maria , Creatorem tuum , lacta panem cæli , pretium mundi. Præbe lambenti mamillam , ut pro te ipse præbeat percutienti maxillam. Nutriatur infans lacte tuorum uberum , ut pro te etiam accipiat aceti potum. Ferant eum nunc manus tuæ , ut manus pro te postea figantur in cruce. Postremò tu illi ut mater temporalem ministra substantiam , ut ipse nobis & tibi unà cum Patre & Spiritu-sancto vitam tribuat sempiternam. Quod ipse præstare dignetur , qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & gloriatur Deus , per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CXX.

* Aliàs de Tempore 21.

In Natali Domini , IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius erat , spurius Verlino & Vindingo. Stilus Petavio in lib. de Incarnat. 14. nimis cothurnatus videbatur. Confer Sermonem aliàs 18. de Sanctis, in quo non pauca ipsis iisdem atque hic verbis repetuntur.

1. HODIE *puer natus est nobis* , hodie *filius datus est nobis.* Puer , inquam , non teneritudine membrorum invalidus , sed inculpabili generatione præclarus. Hodierna enim die genitricis innocentiæ & puritatis Spiritum-sanctum declarat auctorem. Hodie filius datus est nobis. Nunc nobis est datus , qui est ante sæcula natus : datus in partu Virginis , filius de substantia Genitoris. Cùm igitur servilem casam per ostium fidei spre-

Isaia 9. 6.

Classis II.

tus [a] quondam Dominator intraret, rubuit inviolata virginitas. Nec pessulum pudoris infregit, & in sacris visceribus radius æternæ claritatis effulsit. Lætetur ergo omne mundi hujus exsilium, exsultet sæculum paulò antè captivum. Misit Deus Filium suum, qui nascatur, & terreat; moriatur, & vincat. Terruit namque Herodem natus, vicit diabolum innocens crucifixus. Cela, Domine, sub pelle carnis arma virtutis, habitum majestatis paulisper occulta. Tege te in utero Virginis: egredere & congredere ex tentorio sacræ Virginis. Apta pro me muscipulam, ubi totam liberes creaturam. Sed tanti hujus conceptûs ac partûs & caussam & miraculum pertractemus. Ut igitur vitiorum sordibus obsoletus horribiliter squalesceret mundus ab origine jam in paradiso captivus, femina caussa fuit. Sic enim scriptum est: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Et apostolus Paulus, *Vir*, inquit, *seductus non est; mulier autem seducta in prævaricatione facta est.* Per hanc ergo mundus ærumnabili servitute depressus, sub jugo diaboli anxia colla submiserat: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Solutâ igitur elementorum fœderata compage, diluvium hominem delevit, crimen delere non potuit. Isaac sterilis, non virginis filius, crucis meruit signa portare; apprehendi meruit, vinciri meruit: non tamen meruit & occidi. Moyses ad aquas purificandas exponitur; agmen eripit, Deo mittente, Judaicum, non totum liberat mundum; exterminat Ægyptum, non peccatum; regem Pharaonem freto hiante occidit, non diabolum cum suis legionibus pernecavit. David in iniquitatibus se fatetur esse conceptum: nec ipse ergo mundi potuit auferre peccatum. Cùm per has igitur temporum gyrantium rotas mundiale curriculum volveretur, neque quispiam mederetur; &, ingravescentibus culpis, ruinæ præcipitis ictu & fremitu totius orbis membra pulvescerent, & nemo succurreret: ad feminam caussa revertitur, & origo per originem detruncatur. Origo peccati per Genitricem Christi exstincta est; prosapies impietatis per prosapiem pietatis ablata est, stirps mortis per stirpem vitæ. Hactenus caussam, nunc & opertos obtutus miraculis revelemus.

(Margin: Per feminam peccatum oritur. — Eccli. 25. 33. — 1. Tim. 2. 14. — Per feminam eradicatur.)

2. Christum virgo parit; mutatur natura, deletur & culpa. Præcisum est illud Evæ infelicitatis elogium, *In tristitia paries filios*: quia ista in lætitia Dominum parturivit. Illa enim luxit, ista reluxit; illa lacrymas, ista gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Spiritus seminavit, non luxus; Deus sevit, non maritus. Virgo genuit; quia virgo concepit. Inviolata peperit; quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum, & sine corruptione gravida, & in partu virgo puerpera; matrimonium in fide, partus in virgine.

(Margin: Virginei partûs miracula. — Gen. 3. 16.)

3. Gabriel ille horum sponsalium internuntius fuit. Quid dixerit, quid audierit, referat: *Ave*, inquit, *gratiâ plena, Dominus tecum.* A salutatione incipit, qui salvationem in lingua portavit. Sileat nunc à feminis, sileat tortuosi serpentis malè suadibilis sibilus; ad Matrem Domini nostri Angelus est locutus: *Ave*, inquit, *gratiâ plena, Dominus tecum.* Gratia refertur pro culpa; plena dicitur, non vacua: impleta est ergo gratiâ, & evacuata est culpâ. Hoc modo & ipsa venerabilis Virgo nostra in suo Cantico plausit: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* *Ave*, inquit, *gratiâ plena, Dominus tecum:* tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare, Virgo, Christus rex è cælo suo venit in uterum tuum. Ex sinu Patris in uterum dignatus est descendere Genitricis: sed nec regionem suam majestas infinita deseruit, nec eum virginalis aula cùm accepisset, inclusit. Fides à terra in cælum erecta est: huic Christus insedit, & per ipsam in templum pudoris intravit.

(Margin: Gabrielis verba expenduntur. — Lucæ 1. 28. — ℣. 53. — Fidei Mariæ sublimitas.)

4. *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres*, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Ede, inculpabilis femina, inviolabilem virum; & sic & feminam salvabis & virum. Mater generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem & feminæ gessit & viro. Auctrix illa peccati maledicta: sic enim in eam sententia decreti principalis invehitur, Maledicta tu inter mulieres. Auctrix ergo hæc meriti benedicta; ita enim ad eam cælestis nuntius infert: *Benedicta tu inter mulieres.* Genere sexuali omnes appellantur equidem communiter mulieres, equidem etiam incorrupta virginitate, pudoris proprietate distantes. Illa occidendo obfuit; ista vivificando profuit: percussit illa, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia compensatur.

(Margin: ℣. 28. — Evæ maledictio per Mariam deletur. — Gen. 3. 16. — Serm. de Tempore. — Mulier etiam virgo.)

5. Plaudat iterum organis Maria, & inter veloces articulos tympana concrepent: resultent cantus digiti, pariat Christum ludentibus psalmis. Concinant lætantes chori, & alternantibus modis dulcisona carmina misceantur. Musicum Maria inter juvenculas melos exerceat, quia dulce verbum sancti-Spiritûs plectris modulantibus parturivit [b] in terra Judæa, quæ & ipsa tympanum crudelitatis aptabat, & Christum in ligno tendebat. Postquam enim sceleris errabunda manus incompositis numeris discrepavit, confestim barbarus ille fragor truculenti stridoris infremuit, *Crucifige, crucifige.* Reciprocato igitur die quo criminosa Ægyptus sorberetur, tympanum Mariæ nostræ pulsatum verbum edidit, & suæ linguæ pulsabulo puerpera nostra lætos sui oris cantus effudit. Audiamus igitur quemadmodum tympanistria nostra cantaverit. *Magnificat anima mea Dominum; & exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est.* Caussam igitur invalescentis errati miraculum novi partûs evicit; & Evæ planctum Mariæ cantus exclusit.

(Margin: Lucæ 23. 21. — ℣. 47. & 48.)

6. Denique post illius benedicibilis salutationis & præsagium & triumphum, tacitâ secum Virgo mentis altercatione confligit, qualis esset ista salutatio. Nuntius interim cælestis exsequitur; *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum.* At illa dum sciscitatur modum, audit auctorem sobolis Deum. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Expandat nunc fides splendentis uteri pulcra tentoria, obumbret virtus, Spiritus sibilet, naturali calore depulso tenuis virginem aura refoveat, & fluente refrigerio spiramentis cælestibus ventiletur, alvus virginalis sertis verecundiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur.

(Margin: ℣. 30. — Sobolis auctor Deus. — ℣. 34. & 35.)

7. Responde jam Virgo sacra: vitam quid tricas mundo? Assensum tuum Angelus præstolatur; inde est quòd nuntius iste moratur. Jam audisti, *quomodo fiet istud*; quoniam *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ut prolem gignas & virginitatem non perdas. Janua cæli quondam per Adam clausa jam sonuit, per ipsam internuntius iste processit. Deus in porta est, Angelum quem moraris exspectat. O beata Maria, sæculum omne captivum, tuum deprecatur assensum: te Domino mundus suæ fidei obsidem fecit, per te [c] parentum suorum injurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est misit, claustrum quod iniquitas nostra cælo infixerat, reseravit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris, & tibi: quia & nobis pœna successit & tibi. Nuptias Filio suo in tuo thalamo præparavit Deus: in ipsis sponsalibus gaudiis relaxavit quidquid eum offenderat mundus. O & tu, Angele tanti regis nuntie & secreti divini legate, qui ex palatio imperatoriæ majestatis indulgentiam reis, vitam mortuis, & pacis sacramenta adtulisti captivis, urge virginem non de Dei munere diffidentem, sed de muneris magnitudine cogitantem: fave partibus sæculi, conscius secretorum cæli. Lætabuntur socii tui, si negotium juveris mundi. Nos à vestro consortio impietatis nostræ mucro divisit: per vos de reditu nostro tractatur. Inspice squalentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam: Usque quò moraris, ô Virgo, nuntium festinantem? Intuere Deum in cæli me vestibulo sustinentem: responde verbum, & suscipe filium; da fidem, & senti virtutem: pande sinus roseos, Virgo perpetua; fides tua modò aut aperit cælum, aut claudit.

(Margin: ℣. 35. — Salus mundi pependit ex assensu Mariæ. — Fides Mariæ cælum aperit.)

[a] Ita MS. German. At editi *speratus*.
[b] In MS. German. *Intererat, & Judæa*.
[c] MS. German. *per te parens suorum injurias deprecatur*.

CLASSIS I.

8. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*: introëat rex in cubiculum suum, *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nec mora, revertitur nuntius, & nuptialem thorum ingreditur Christus. Accipit stolam carnis intra thalamum Virginis, intra thesaurum majestatis sacculum carnis. Divinitati sponsatur homo, præmium accipit caro. Procedit Christus quasi sponsus de thalamo suo; præsagio nuptiarum exiit ad campum sæculi, cucurrit sicut gigas exsultando per viam: pervenit usque ad crucis thorum, & ibi firmavit adscendendo conjugium: [a] ubi cùm sentiret anhelantem in suspiriis creaturam, commercio pietatis se pro conjuge dedit ad pœnam. Tradidit quoque carbunculum, tamquam sui sanguinis gemmam, & copulavit sibi perpetuo jure matronam. *Aptavi vos*, inquit Apostolus, *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ecce nunc quæ fuerat fœda, facta est pulcra; quæ fuerat captiva, facta est libera: Judæa autem quæ fuerat libera, facta est ancilla; quia vidit vitam suam in ligno pendentem, & non credidit liberantem. Gaudeamus ergo, Fratres, in commercio Dei & hominis, sponsi & sponsæ, Christi & Ecclesiæ, Salvatoris & Virginis. Exsultemus in fide & ad partum Virginis, quæ dùm desponsaretur fabro, cæli nupsit Architecto. Veneremur Christum in præsepi, qui quadrifidum mundum replevit in fide. Adoremus pannos infantiæ, quibus meruimus emplastra naturæ. Honorate pastores, qui primi mysterium ab Angelis didicerunt. Plaudamus cuncti cum cælestibus Angelis officiisque divinis, & cæli ac terræ pacem bonæ voluntatis hominibus nuntiemus. Date gloriam in excelsis Deo: redemti credite datam pacem esse captivis. Estote homines bonæ voluntatis, ut mereamini præmium libertatis, ipso donante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ps. 18. 6. Christi desponsatio cum homine. Cum Ecclesia. 2. Cor. 11. 2.

* SERMO CXXI.

In Natali Domini, V.

** Olim de Tempore 10. & post in Appendice 23.*

In MSS. variis cum insigni varietate reperitur. Quidam id totum omittunt quod ansulis comprehensum est, ab illis verbis, Prædicamus hodie *&c. usque ad finem n. 3. Præterea aliud & aliud in diversis codicibus habetur exordium, inque nonnullis Petri Ravennatis nomen præfixum est. Hic porrò n. 4. leguntur aliqua, haud quaquam tamen omnia, ejus loci verba, quem Cassianus in libro de Incarnatione septimo citat ex ignoto hactenus Ambrosii Sermone de Christi Natali: scilicet,* Vide miraculum *&c.*

1. QUIS tantâ rerum verborumque copiâ instructus exsistat, qui hujus diei gratiam dignis possit laudibus prædicare? Unde si hujus modi nullus est, non erubescimus etiam, si nobis nitidior dicendi facundia desit: vel mediocri tamen sermone partum sacræ Virginis, & ortum Dominici corporis differentes conabimur explicare. Natalis est ergo hodie Salvatoris, Carissimi, in quo lumen additum mundo est, & immortalitas quæ per peccatum perierat, mortalibus reddita est. Natalis est hodie Salvatoris, de quo Angelus pastoribus dicit; *Natus est vobis hodie Salvator*: de quo & Propheta dicit, *Filius datus est nobis, puer natus est nobis.* Nascitur ergo quem regem Gentium alius Propheta testatur, & nascitur ex virgine, sicut scriptum est, *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel*; quod interpretatum est ex Hebraica lingua in Latinum translata, Nobiscum Deus. [Prædicamus hodie natum de virgine Salvatorem, & infantem in præsepio positum cum vigilantibus pastoribus moniti ab Angelis adoramus. Exhibeamus fidem virtutibus, reverentiam sanctis testibus præbeamus, & Simeoni cognoscenti, & Annæ Dominum confitenti, & Johanni baptizanti, & Jordanis purgationi, & sancto Spiritui descendenti, & cælis apertis, & Patri testimonium perhibenti, & virgini permanenti, & stellæ fulgenti, & columbæ descendenti, & ipsi Domino omnem tentationem diaboli superanti.

Lucæ 2. 11. Isai. 9. 6. Isai. 7. 4. Testimonium perhibentes Salvatori.

2. Hodie ergo peperit Virgo, qui Deo filios faceret, qui sententiam prævaricationis excluderet, pœnam mortis eriperet, & vitam perpetuam credentibus condonaret. Portavit in utero filium mater omnibus, quæ sunt antè nutrimenta, majorem, & hunc fudit formâ servi in terris, quem habent Angeli imperatorem in cælis. Peperit filium mater, à quo ipsa nutriretur potiùs quàm nutriret: mortali alvo immortalem suscepit hospitem, & A in terrestri hospitio cælestem virgo imperatorem suscepit. Beata virginitas desinit esse jam mortis ancilla; quia illum intra se gestat in mente, quem Maria portavit in ventre. Nulli virginitas servituti succumbit: quia illum diligit, qui humano generi adtulit libertatem. Cælestis propago germinabat in utero, & in eximio partu virginea viscera coruscabant. Humanis gressibus portabatur vectura deifica, & in angusto pudoris cubiculo eum quem cæli non capiunt, sancta Virgo portabat inclusum; & peperit eum, non qui nascendo pollueret parientem, sed qui à pollutione sæculum delavaret. Sancta credidit, sancta concepit, sanctior efficitur post partum.

Virgini partu præstantior. Serm. de Tempore. Virginitas eum gestat in mente, quem Maria in ventre.

B 3. Exstitit autem ipsi virgini ipse filius qui erat sponsus, ipse genitus qui erat genitor. Illic fuit paranympha credulitas, paranymphus Archangelus: mater sponsa, & ipse quem peperit Christus sponsus, quem sanctus Spiritus copulavit, Gabriel angelus nuntiavit, Angelorum exercitus decantavit, & stella fulgida demonstravit. Fecit gravidam virginem ipse, qui erat nasciturus ex virgine. Expavit in partu suo subito mater: Deus per Angelum loquebatur, & virgo auribus imprægnabatur. Audiat omnis ætas quod numquam audivit. Virgo partu suo nupsit, virginitatem dum pareret duplicavit, filium quem genuit adoravit. Cesset omnis sollicitudo; C Christus nobis vera securitas advenit. Cesset omnis infirmitas; hodie Salvator apparuit. Cessent bella, desinant lites; hodie pax vera de cælo descendit. Cesset omnis amaritudo; hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli. Fugiat mors; quia vita nobis hodie de cælo est data. Hodie super terram canunt Angeli, lætantur Archangeli, gloriantur Prophetæ, invitantur sancti, turbantur mali, gratulantur boni, visum cæci recipiunt, auditum surdi, claudi gressum, leprosi mundantur, tristes lætificantur, infirmi sanantur, & mortui resuscitantur. Solus diabolus & omnia cum eo dæmonia contremiscunt; quia restauratur genus humanum D per interitum diaboli. Christus vobis hodie redemtor apparuit.]

Mirabilis partus. Mundi fit consolatio.

4. * Probat virtutem Domini ordo nascendi. Concipit virgo virilis ignara consortii: impletur uterus nullo humano pollutus amplexu. Vide miraculum matris Dominici corporis. Virgo concipit, virgo gravida, virgo cùm parturit, virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, & gloriosa fecunditas. Virtus mundi nascitur; & nullus parientis est gemitus: vacuatur uterus, infans excipitur; nec tamen virginitas violatur. Fas enim erat, ut Domino ex virgine secundùm carnem nascente meritum cresceret castitatis; ne per ejus adventum violarentur E integra, qui veniebat sanare corrupta. Nascitur ergo puer, ponitur in præsepio; (hæc sunt enim Domini prima cunabula, nec regnator cæli has dedignatur angustias): stat Maria, & matrem se læta miratur, & de Spiritu-sancto protulisse se gaudet: nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exsultatione miratur. Nam cùm sæculo debitus Salvatoris properaret adventus, ad Mariam virginem venit Spiritus-sanctus, ut fuerat ab Angelo antè prædictum dicente, *Spiritus-sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Rectè ergo in ejus adventu cælestia veneramur, F quem de cælo venisse manifestè cognoscimus, quem natum pro nostra salute Dei Patris & Spiritus-sancti virtute comperimus. Multis enim antè nuntiabatur indiciis nova cælo ventura progenies. Vides ergo, Carissime, Salvatoris ortum, Dei esse virtutem; cùm de eo Prophetæ non taceant, & Spiritus-sanctus fateatur. Quid præclarius stellæ nuntio? quid Magorum manifestâ confessione? quid Prophetarum tam simili & tam continuatâ sententiâ? Ubique notus est Dominus, ubique natus ex virgine nuntiatur.

*Virtus Domini ex ordine nascendi. * Eadem in Serm. alias 23. de Tempore cap. 1. Lucæ 1. 35. Et variis de ipso testimoniis.*

5. Et quoniam cum secundùm carnem natum ex virgine diximus, nunc ea quæ spiritaliter sentire possumus, G disseramus. Videamus ergo quæ est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus-sanctus venire dignatus est: quæ tam speciosa, quam Deus elegit sponsam: quæ tam copiosa, cujus generationem cunctus orbis excipiat: quæ tam casta, ut possit virgo esse post partum. Nonne in figura Mariæ typum videmus esse sanctæ Ecclesiæ? Ad

B. Virgo typus Ecclesiæ.

[a] In editis, ubi consentiret alienantem in suppliciis creaturam.

CLASSIS II.

hanc utique sanctus descendit Spiritus; huic virtus obumbravit Altissimi, hinc potens virtute Christus egreditur. Hæc est immaculata concubitu, fecunda partu, virgo castitate: hæc concipit non viro, sed Spiritu; hæc parit non dolore, sed gaudio; hæc nutrit non ubere corporis, sed lacte doctoris. Hæc est igitur sponsa Christi & Gentium mater, quæ se plenam miratur, & fetam lætatur. In hac ergo die qua Salvator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur. In hac die lux cælestis credentibus redditur, & in æterna nocte diabolica figmenta damnantur. In hac die lux crescit ex lumine, virtutum virtus adtollitur, gloria æternitatis erigitur, reparationem suam Domino secundùm carnem nascente mundus amplectitur. Plena sit ergo diei hujus festivitas, in qua Deus nostri memor terrena visitare dignatus est, & amissam mortalibus lucem adventûs sui claritate restituit: quia ipse est splendor & gloria æterna, Dominus noster Jesus Christus; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* Olim de Tempore. 11. & pòst in Appendice 23.

*SERMO CXXII.

In Natali Domini, VI.

Maximo episcopo tribuitur in libris MSS. & in excusis.

Christi nascentis beneficia.

1. IN adventu Dominico, Fratres carissimi, solutus est omnis paternæ prævaricationis metus, quem diabolicis dudum fraudibus incurrit circumventa mortalitas. Adest enim nobis cæli terræque Judex, qui rescisso chirographo delictorum, reatum nostrum miseratus absolvit. Adest ille Dominus, qui jugum captivitatis antiquæ à nostris cervicibus solvens, mærorem mundi æterna libertate lætificet. Adest rex ille mansuetus, qui per spatia totius orbis, cælestis justitiæ gressibus incedens, superbientem furentis inimici conterat tyrannidem. Hodie namque, parturiente Maria, natus est nobis Dei Filius; ut germanâ carnis nostræ conceptione productus, creato à se homini & pietatem paternam & fraternum largiretur affectum.

Nascēdi modus Deum probat & hominem.

2. Et natus sanè ab intacta est femina; ut eum pariter & hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas. Nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci; ita non poterat Dei caro de femineo utero, nisi sine generante prodire. Propter quod ait Angelus beatissimæ Mariæ, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te.* Idcirco tibi, Frater, virtutem sancti Spiritus angelicus sermo prætexit, ne conjecturis carnalis disputationis hebetatus, cæleste tibi ipse mysterium terrena argumentatione confundas.

Modi istius possibilitas.

3. Aut non putas eum novum puerum in alvo Virginis potuisse formare, qui cùm primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsivit? Dic itaque quicumque es supernæ dispensationis arbiter & discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse virgini, aut perfectum hominem creasse de terra? *Primus* enim *homo*, ut ait Apostolus, *de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis.* (1. Cor. 15. 47.) Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemtionis nostræ sine viro puella asseritur concepisse; cujus quæso naturæ est, quod in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quæ est ista ratio, immo quàm cæca contentio, ut non credatur Deus facere hominem posse de femina, quem creditur de pulvere fecisse? Si Omnipotentis, ô homo, tali in negotio esse perspicis voluntatem, de opere cur retractas? Omnia enim, sicut legitur, Dominus quæ voluit, fecit in cælo & in terra. (Psal. 134. 6.) Et si sollicitus perscruteris, præter hunc legitimum humanæ conceptionis usum, tres valde mirabiles nascendi species operatam reperies Trinitatem. Et prima est quidem, quòd Adam figuratus ex limo est: secunda, quòd mulier formata de masculo: tertia, quæ & cælestis est, quòd Christus processit ex virgine. Quid horum non novum, quid horum non mirabile, quid horum, nisi fidem sequamur, inquisitio poterit humana complecti? Quòd autem mystico hoc conceptu visitare mundum suum Dei dignatus est Filius, nostræ hoc salutis necessitas flagitabat: nimirum ut cælestis tandem generatio repararet, quod nativitas terrena perdiderat.

Nascendi tres species mirabiles.

Christi humilitas potentiæ signis celebratur.

4. Sed fortassis hunc qui natus prædicatur ex femina, dum vilibus obvolvitur pannis, dum jacere contentus est in præsepi, dum lacrymosis vagitibus increpat, dum maternis lactatur uberibus, Deum esse diffidis. Immo per ista, Frater, adverte eum, & ut hominem infirma pro infirmis pertulisse, & ut Deum potentiam exercuisse cælestem. Hic namque qui sordentibus circumdatur pannis, regiis per Chaldæos muneribus honoratur. Hic qui in præsepi humilis jacet, lumine novi sideris coruscat è cælo. Hic qui vagitus reddit infantiæ, angelici exercitûs vocibus collaudatur. Hic qui femineo lacte nutritur, multa hominum millia parvissimo pane satiavit. Quid illud adjiciam, quòd Deum illum & verum Dei esse Filium resurgens à mortuis Lazarus probat, receptus ad lumen cæcus annuntiat, venerandis ejus calcata vestigiis maris unda testatur, & quod præcellit hæc omnia, resultans è cælo vox paterna confirmat? Propter quod, Dilectissimi, tam magnum hoc nativitatis Dominicæ sacramentum dignis vocibus honoremus. Diligamus præ omnibus castitatem: quia ut placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam uteri virginalis elegit. Sectemur misericordiam; quia pietatis est quòd salvamur. Justitiam sollicitè teneamus; quia ad hoc Unigenitus Dei effici dignatus est homo, ut veritatem prædicans, universam mundi faciem damnata iniquitate purgaret.

Virtutes hac die commendatæ.

* Olim de Tempore 15. & pòst in Appendice 14.

*SERMO CXXIII.

In Natali Domini, VII.

Inter Fulgentii Sermones vulgatus pridem fuerat. Monent Lovanienses reperiri in MSS. aut Fulgentio tributum, aut Severiano. In nostris non aliùs quàm Augustini nomen prefert: sed falsò.

Christi admiranda nativitas.

1. NATIVITAS Domini nostri Jesu Christi totum mundum novâ adventûs sui hodie luce perfudit. Hodie de cælo Deus descendit ad hominem; ut in cælis homini præpararet adscensum. Hodie accepimus natum Dei, virginis filium, omnium credentium Salvatorem, Deum de patre, hominem de matre, Deum occultum, hominem manifestum. Et quoniam diabolus per serpentem Evæ locutus, per Evæ aures mundo intulit mortem; Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit Angelus sermonem ejecit, & Christum Virgo concepit. O conjunctio sine sordibus facta, ubi maritus sermo est, & uxor auricula! * Hoc splendore concipitur Dei Filius, hac munditia generatur. Nulla fieri potuit gravedo concipienti, nulla tristitia parturienti: qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristavit hospitium. De cælis medicus transiens per virginem, post transitum suum illæsam fecit virginem permanere: qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat redintegrare tangendo, quantò magis in sua matre quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim in ejus partu integritas corporis potiùs quàm decrevit, & virginitas ampliata est potiùs quàm fugata. In angusti corporis membro sustinuit, quidquid sustinent cæli. Plena sunt viscera; & nullum novit [a] Virginis conscientia. Cùm esset gravida, salubri levitate plaudebat: lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat.

*Verba Tvonis Carnot. in Serm de annuntiat. B. M.

Virgo ante, & post partum.

Maria fenestra & scala cæli.

2. Facta est Maria fenestra cęli; quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen. Facta est Maria scala cælestis; quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines adscendere mererentur ad cælos: ipsis enim licebit adscendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per virginem Mariam descendisse. Facta est Maria restauratio feminarum; quia per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Evæ à tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Evæ dictum est, *In doloribus & in tristitia paries, & ad virum conversio tua, & ipse dominabitur tui.* (Gen. 3. 16.) Tribus ergo his malis se subjugant feminæ quæ Mariam non consequuntur, dolori, tristitiæ, servituti. Maria autem è contrario quàm præclarissimis tribus bonis sublimetur auscultа, salutationis angelicæ, benedictionis divinæ, &

Restauratrix feminarum.

Mariæ bona contra Evæ mala.

[a] Ita MSS. & editi. At tamen in Lov. additur *contagium*: & in MS. uno à manu recenti, *virum*.

plenitudinis

Classis II.

Lucæ 1. 28.

plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur Angelus salutasse, *Ave Maria, gratiâ plena, benedicta tu inter mulieres.* Cùm dixisset *Ave*, salutationem illi cælestem exhibuit: cùm dixit, *Gratiâ plena*, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam: cùm dixit, *Benedicta tu inter mulieres*, virginitatis ejus benedictum fructum expressit; ut ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcumque perseveraverit virgo. *Benedicta tu inter mulieres*; maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeasse.

Maria feminarum omnes status suscepit.

3. Venite virgines ad virginem, & lætamini. Deponite maledictionem prævaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Projicite dolores quos Eva per serpentem accepit; & quos per Angelum Maria suscepit, honores assumite. [a] Pellite tristitiam concipientis, gemitus parturientis abjicite, ut solus vobis iste virginis Filius dominetur. Venite virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parientes ad parientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite juvenculæ ad juvenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret: & sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium nova Eva servando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam novus recuperat Dominus Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu-sancto unus Deus vivit & regnat &c.

* Olim de Tempore 24. & post in Appendice 16.

*SERMO CXXIV.

In Natali Domini, VIII.

Incerti auctoris.

1. UT hodie à me possit, Fratres carissimi, majestas nativitatis Dominicæ prædicari, per vos mihi à Domino facultas est impetranda, quatenus ipse verbum in ore sui constituat sacerdotis, nec nostri oris dedignetur officium, qui nostræ carnis hodie dignatus est inire commercium. Non enim, Fratres, ineffabile divinæ generationis contendimus aperire mysterium; sed nostræ salutis magnum & mirabile gestimus gaudium nuntiare, sicut dixit Angelus, *Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Nullum hodie, Fratres, conceptus, nullum terreat partus. Ubi enim virginitas concipit, integritas parit, Dei est virtus conscia, non voluptas. Audi Angelum dicentem, *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hodie, Fratres, non inchoatur deitas, sed humanitas innovatur: hodie natus est non sibi Christus, sed mihi. Accedite ergo ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent: quia hodie in sole posuit, sicut dixit Propheta, tabernaculum suum.

Lucæ 2. 10.

Christus mihi, non sibi nascitur.

Psal. 33. 6.

Psal. 18. 6.

Virginitas numquam nuda.

2. Divinum est, Fratres carissimi, quod geritur, non humanum. Numquam est nuda virginitas, quæ [b] tegmine pudoris se decoravit. Ad domicilium castitatis Angelus mediator advenit; ut regi aulam, Deo templum, & cælesti sponso thalamum procuraret. Nascente enim Domino non est ablata, sed consecrata virginitas; quæ ipsa sponsum genuit sui pudoris, ipsa custodi præbet fidele servitium: feta, sed virgo; virgo, sed mater; sterilitate enim caruit, non pudore. Adstat sanctitas, sinceritas, pudicitia, castitas, integritas, fides, & omnes simul adfuere virtutes; ut intrepida famula sui uteri portaret auctorem, & cælestem paritura virtutem, sexûs sui victrix, dolorem gemitumque nesciret. Beata fecunditas, quæ & honorem adquisivit maternum, & castitatis præmium non amisit.

Explicantur mysteria nascentis in carne.

3. Non ergo dedignatur inhabitare, quod est figurare dignatus: nec indignatur in se carnem contingere, quam cælesti manu antè contrectavit in pulvere. Venit ad faciem tuam, ô homo; quia tu ad ejus faciem pervenire non poteras: & qui erat invisibilis, factus est pro tua redemtione visibilis. Venit à tuis patribus postulatus. Audi vocem clamantis, *Ostende faciem tuam & salvi erimus.* Adstat testis innocentiæ, assertor pudoris, nec

Psal. 79. 4.

[a] Ita Lov. & Er. cum MSS. Navarr. & Germ. à manu secunda. Nam German. à manu prima, nec-non Remig. & Corb. habent, *concupiscentis.* At Navarr. alter cum Vindocin. *Expellite tristitiam, concupiscentiam abjicite.*

[b] Ita MS. Corb. unus. In altero autem Corb. *in æterno pudore suo decoratur.* At in editis, *æterno pudoris sui honore decoratur.*

A amisisse dolet sponsam, sed gloriatur se agnovisse Deum: sequitur non ut maritus, sed ut famulus, & obsequium se ei gaudet impendere, cui conspicit omnes Angelos deservire. Nascens ergo Christus non invenit locum in diversorio, per quem omnis creatus est locus: & velut peregrinus nascitur, qui totius orbis est Dominus; ut nos cælestis patriæ faceret esse municipes. Pannis obvolvitur, ut scissam humani generis unitatem suo redintegraret in corpore, totumque immortalitatis vestimentum purpureo sanguinis colore fulgens in cælestia regna deferret. Nascitur, Fratres; ut ipsam, quam primus homo vitiaverat, melioraret naturam. Jacet in pannis; sed B regnat in cælis: humiliatur in cunabulis; sed in nubibus tonat: in præsepi ponitur, quia omnis caro fœnum, Isaia dicente, monstratur. [c] O fœnum, Fratres, cujus flos cælestem mutatur in panem, quo vescendo pervenimus ad vitam æternam!

Serm. de Tempore.

Locum in diversorio non habentis.

Lucæ 2. 7.

Pannis involuti.

Isa. 40. 6.

* Aliàs de Tempore 17.

*SERMO CXXV.

In Natali Domini, IX.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, spurius Verlino & Vindingo videbatur. Non sapit Augustinum: habet verò nonnihil ex Ambrosio in Lucam.

Cur Deus hominem suscepit ex Virgine.

C 1. NATIVITATEM Domini nostri Jesu Christi secundùm carnem ita Evangelista apertissimè demonstravit, ut ostenderet eum ex Spiritu-sancto & Maria virgine natum, propter hæreticorum astutiam, qui negant Deum hominem suscepisse. Sed ideo Dominus noster virgineum sibi requisivit hospitium, ut nobis ostenderet in casto corpore Deum portari debere. Ad hoc enim Deus hominem suscepit in se, ut & nos Deum suscipiamus in nobis, sicut ipse dicit, *Manete in me, & ego in vobis.* O sacrum & cæleste mysterium in nativitate Domini! Concepit virgo antè quàm sponsum haberet, D parit antè quàm nubat; & quod ad laudem pertinet nominis Domini, & mater & virgo cœpit esse post partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo post partum illibata permansit. Quem cùm portaret, timuit; cùm pareret, adoravit: quem cùm peperisset, minor erat mater quàm filius.

Johan. 15. 4.

Christi generatio in Adam præfigurata.

Confer. Serm. 147. n. 2.

2. Grande nobis mysterium divina majestas in Adæ figura præmisit. Sicut enim Deus noster cùm primum Adam facere vellet, non ex conjunctione viri aut mulieris hominem ut esset effecit; sed accipiens terram, unde hominem facit, divina quadam arte formavit: ita sine viri conjunctione Deum in virginali alvo incorE porari dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita & Christus ex virgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad vitam: hîc [d] mundo Spiritus-sanctus de Maria virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur; hîc renovatur & resuscitatur in Christo. Fuit ergo similis reparatio, quomodo fuit & hominis creatio. Denique sicut tunc in alvo terræ Salvator Adæ membra composuit; sic etiam nunc in virginis F alvo Christus sua membra composuit. O grandis patientia Salvatoris, exspectat nasci sua membra quæ fecit! Sed ideo ille voluit nasci, ut nos iterum viveremus. Deus latebat in homine: humiliata est virtus, ut pietas augeretur; & quod ad laudem nominis ejus pertinet, visa est potestas minus velle quàm possit. Humiliavit se ut homo: nec horruit Deus hominem induere, quem ad suam Patrisque imaginem figuravit, unde libens Dei Filius voluit hoc esse quod fecit. Nam ideo Deus noster Filium suum misit ad hominem liberandum, ut cui dixerat, *Faciamus hominem*, ipse etiam liberator esset, qui fuerat & creator.

Gen. 1. 26.

Cur Christus ex muliere.

G 3. Sed quare Deus noster nascendo per Virginem, nos sic voluit reformare ad vitam? Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per Virginem redderetur. Denique & quando Christus tertia die ab inferis resurrexit, primùm mulieres per Angelum

Matth. 28. 9.

[c] Ita MS. At editi, *Nos fœnum, Fratres, ejusque flos cælestem emundemur in*, &c.

[d] Ita Corb. MS. At editi, *mundum.* Navarr. autem MS. *mundus per Spiritum-sanctum* &c. *figuravit*, addit, *ad vitam.*

CLASSIS II.

Cur per mulieres resurrexisse nuntiatur. ** Ex Ambrosio in Luc. cap. 24.*

adorantes occurrunt: quibus ideo jubetur resurrectionem Apostolis nuntiare, ut hominibus ostenderetur, Ecce per quam cecidistis in mortem, per ipsam vobis resurrectio mortuorum nuntiatur. * Mulier enim quia prior gustaverat, prior etiam resurrectionem vidisse monstratur, ut non perpetui reatûs apud viros opprobrium sustineret; & quæ culpam nobis transfuderat, transfudit & gratiam.

Castitatis necessitas Christianum esse cupienti.

4. Denique Dominus noster ideo per castæ virginis membra venit ad terras, ut ostenderet Deum castitatis esse auctorem. Ergo sicuti Deus noster nos suscepit in se, & nos suscipiamus Deum in nobis. Portemus ergo & nos Deum in casto corpore, quem virginis casta membra portaverunt. Christus enim magister est castitatis: & ideo qui castitatem non habet, portare Christum non potest. Sed & nos, Carissimi, qui Deo credimus, ut semper Christum in corde nostro portare possimus, castos ac puros nos exhibeamus ab omni peccato; ut Christus habitare possit in nobis. Qui enim Christum non habet in se, Christianus non potest dici. Nec enim ita se extollere debet unusquisque, ut Christianum se nomine dicat tantùm, & factis inimicum ostendat. Quomodo Christianus est, qui contra Christi præcepta vivere contendit? Sed vos qui Deo servitis, & ejus præcepta custoditis, potens est vobis concedere vitam æternam, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

** Aliàs de Tempore 22.*

*SERMO CXXVI.

In Natali Domini, X.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex Lovaniensium censura dubius, supposititius verò est Verlini sententiâ ac Vindingi, qui istud maximè observat ab Augustiniano stilo alienum initio n. 4. Omnis ergo huius nativitatis schola, humilitatis est officina, patientiæ massa, virtutis agonia.

UtraqueChristi generatio inter se comparatur.

I. VENERANDA nativitas Salvatoris, qui natus in carne est, humilitatis est instrumentum, pietatis mysterium, & æternæ spei remedium manifestum. Hac die est natus ex virgine matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre. In illa nativitate ex impassibili nascitur genitore; in ista ex incorrupta natus est virgine. Illam solus Pater scivit ipse qui genuit; hanc in se sola Virgo & mater intemerata cognovit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In Patre impassibilitas, in Matre incorruptibilitas; in Patre perpetua divinitas, in Matre æterna virginitas. Sic enim ad eam Dominus loquitur per Prophetam, *Et desponsabo te mihi in æternum.* Semper ergo virgo est, quæ semper sponsa est: & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum virgo permansit. *Et desponsabo te*, inquit, *mihi in æternum:* quia quæ sponsa æterna dicitur, æterna virgo probatur. Ex Patre invisibiliter, ex Matre visibiliter; sed incomparabiliter ex Patre, atque incomparabiliter ex Matre: quia incorruptibiliter in illa nativitate Patrem Deum habet sine homine matre; in ista Matrem habet virginem, sed hominem non habet patrem. In illa coæternus est Patris, & coæternus auctoris: in ista filius est virginis, & auctor est matris. Ipse enim formavit uterum qui descendit in uterum; exivit de utero, & non corrupit uterum: ut qui Deum Patrem habet in cælis, virginem matrem haberet in terris. In illo sine tempore genitus, in ista in fine temporum natus. In illo nascitur sine fine, in ista concipitur sine semine. In illo sine initio generationis, in ista sub conditione Legis & carnis. In illo invisibilis Deus, in ista visibilis homo per corpus: quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* In illo impassibilis, in ista mortalis. In illo excelsissimus, in ista subjectus: subjectus siquidem injuriis passionis & mortis; mortis autem crucis. Sed per hæc omnia est gloriosus in cælis, qui victor in omnibus invenitur in terris.

Oseæ 2. 19. *Mater Christi semper virgo, quæ semper sponsa.* *Generatio utraque incomparabilis.* *Johan. 1. 14.* *Philipp. 2. 8.*

Diei Natalis Christi prærogativa.

2. Elegit sibi in qua nasceretur diem, qui fecit omnem diem, & non sine gratia prælationis ceteris est diebus habendus hic dies, in quo Deus in hominem docetur fuisse promotus. Denique ex hodierno dies accepit incrementum, & augmenta sumit cursûs sui, qui electus ad gloriam Dei noscitur. Conceptus est enim æquinoctio verno, & natus est solstitio hyberno. Et qua die est conceptus in utero Virginis, in ipsa resurrexit ab

Resurrectionis Christi dies idem qui conceptionis.

A inferis cum gloria passionis. Et in conceptu tamen, & in nativitate ejus dies accepit incrementum: & nascente vera luce, lucis & diei augmentatur officium. Advertite interea, Fratres, advertite Dominicum sacramentum. In nativitate ejus dies proficit, in passione deficit, quia à sexta hora tenebræ factæ sunt per totam terram usque ad horam nonam. Et quod imminutum est in passione, ampliatum est in resurrectione. Ecce est illud, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam:* dies nativitatis diei passionis, & dies passionis diei resurrectionis; nox nativitatis nocti passionis, & nox passionis nocti resurrectionis annuntiat verbum: illic natum, hic B passum; in illa Angelorum gaudium, in ista totius mundi luctum, sed tamen omnium in resurrectione triumphum: quia in vesperum abundabit fletus, & ad matutinum lætitia; vesperum passionis, quando sequebatur eum multitudo populi, & mulieres lamentabantur & plangebant; matutinum resurrectionis, quo mulieres cum gaudio à monumento currebant, & discipuli cum gaudio ad monumentum festinabant.

Serm. de Tempore. *Matth. 27. 45.* *Psal. 18. 3.* *Psal. 29. 6.*

3. Elegit ergo hunc diem sibi ad nativitatem, nobis ad felicitatem; sibi ad obsequium, nobis ad gaudium. Sic enim pastoribus Angelus prædicavit: *Ecce*, inquit, *annuntio vobis gaudium, quod erit universæ terræ.* Quare? C *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus;* ut meritò à nobis hodie cantandum sit, *Hic est dies quem fecit Dominus, gaudeamus & lætemur in eo.* Crescit ecce dies cum ortu nascentis, & lucrativo proventu vel successibus momentorum: noctisque imminuto curriculo defectionem sentiunt opera tenebrarum. Die enim æterno nascente, augmentum debuit dies temporalis accipere: non ut dies aliquid nascenti conferret, sed ut ex nascente dies prærogativam incrementi vel felicitatis adquireret, & fieret toti mundo festivus, in quo verus Deus homo natus est in carne perfectus.

Mysterium crescentis diei in Natali Christi. *Luca 2. 10. & 11.* *Psal. 117. 24.*

4. Omnis ergo hujus nativitatis schola, humilitatis D est officina, patientiæ massa, virtutis agonia. Primùm quia voluit immensus & omnipotens Dei Filius, cujus incapabilis potentia & incomprehensibilis magnitudo cælum simul ac mundum continet, ambit, amplectitur, excedit, tantâ se angustiâ & subtilitate contrahere, ut intra uterum Virginis clausus, & quod habebat in majestate comprimeret, & quod erat in virtute celaret: tantâque se humilitate deponeret, ut filius hominis esse vellet, qui Dei Filius numquam esse cessaret. Sed hoc non nisi Deus posset. Intra magnitudinem enim suam se occultasse cùm potens sit, non humanæ infirmitatis, sed divinæ virtutis est. Nemo enim hominum se potest ab- E scondere aut celare quod nascitur: quia quamquam sit in omnibus natura mortalis, non potest tamen quisquam sibi derogare quod natus est. Deus autem noster in eo potentiam majestatis aperuit, cùm se intra terminos humanæ infirmitatis abscondit: ut omnipotentem se in hoc maximè sacramento monstraret, quo potestati suæ subjiceret id quod per potestatem naturæ cælestis omni subjectione liberum permaneret. Natus enim Deus ex Deo Patre, homo esse voluit: sed id quod Deus antè natus est, non amisit. Ita enim esse homo voluit; & ideo quod hominis fuit, non in ea qua natus est, conditione permansit. Suscepit enim ex Maria virgine hominem F verum, quem per resurrectionis gloriam levavit in cælum. Humilitas ergo Christi sublimitas est corporis nostri: quia cùm humiliatur Dominus, exaltatus est homo; & ita exaltatus est servus, ut in Domino simul fieret ipse qui Dominus. Hoc beatissimus Paulus probat, dicens, *Qui transfiguravit corpus humilitatis nostræ conformе corpori gloriæ suæ, secundùm operationem, ut posset subjicere sibi omnia.* Et iterùm; *Qui cùm in forma Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominis constitutus, & habitu inventus ut homo, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter* G *quod & Deus illum exaltavit, & donavit ei nomen quod est super omne nomen.*

Potêtia Christi elucet in exinanitione sui. *Philipp. 3. 21.* *Philipp. 2. 6. &c.*

[Classis II.]

* SERMO CXXVII.

[* Aliàs de Tempore 26.]

In Natali Domini, XI.

In Appendice nunc primùm collocatur. Complures alterius Sermonis, qui videlicet de diversis aliàs 52. erat, sententias continet, sed nec similiter cohærentes, nec semper illibatas. Hunc itaque Sermonem ex isto altero profectum arbitramur, non contrà.

1. ANNIVERSARIA Domini Incarnatio, & Vestræ Fraternitatis tam frequens congregatio, exigit à nobis debitum Sermonis officium. Itaque, Fratres, affectu pio, corde devoto januam Domini pulsemus: ut [B] & nobis tribuat fiduciam utilia dicendi, & Vestræ Caritati fructum audiendi. Adjuvet itaque nos humillimos suos Salvator & magister humilitatis Dominus noster Jesus Christus, virginis filius, virginum sponsus, virginali utero corporaliter natus, virginali connubio spiritaliter conjugatus. Hodie itaque nasci dignatus est, per quem facta sunt omnia; manens quod est, exhibens tibi quod es; manens apud Patrem in divinitate, suscepit nostram infirmitatem in humanitate. [Nativitates Domini duæ.] Duas namque nativitates Domini accipimus: unam divinam, alteram humanam, tamen utramque mirabilem; illam sine matre, istam sine patre: illam æternam, ut crearet temporales; [C] hanc temporalem, ut præstaret æternos. Ille enim de quo dicit Johannes Evangelista, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est:* [Johan. 1. 1.] ille tantus, ille in forma Dei æqualis Patri, ille sine tempore fabricator temporum, ille ex nullo sæculo, ante omnia sæcula, judex sæculi, factus est tam parvus, ut de femina nasceretur; sed mansit tam magnus, ut à Patre non separaretur. Præbentes ei obsequium & testimonium, tamquam lucernæ venturo diei, omnes Prophetæ prænuntiantes ante ipsum nascendo venerunt, pòst credendo adhæserunt. Oportebat enim, ut [D] prænuntiaretur venturus, facturus miracula; quibus miraculis bene intelligentibus appareret homo parvus ad parvos, sed humilis ad superbos: parvitate sua docens hominem, ut se agnosceret parvum; ne non grandescendo se crederet magnum. [Superbia non magnitudo, sed tumor.] Est enim superbia non magnitudo, sed tumor. Quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum. Ut autem Creator generis humani istum tumorem sanaret, ipse medicus, ipse medicina, non solum medicamentum adhibens apparuit inter homines homo, offerens hominem videntibus, Deum [E] servans credentibus. Adspectus enim humilitatis ejus sanavit infirmos; contemplatio divinitatis ejus quærit firmos. Et [a] dum erant homines, qui Deum viderent in homine, nec tamen spem suam ponerent in homine, qui sequi non debet: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur; Deus factus est homo. Aliquid te magnum credere debes. Sed quòd *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, eadem Sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam inter homines creari; [Prov. 8. 22.] ad quod pertinet illud, *Dominus creavit me in principio viarum suarum* ([F] est enim ejus principium caput Ecclesiæ, quod est Christus) [Ephes. 5. 23.] hominem per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est, via certa qua perveniremus ad Deum. [Humilitatis necessitas.] Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui per superbiam lapsi sumus; sicut dictum est primæ nostræ creaturæ, *Gustate, & eritis sicut dii.* [Gen. 3. 5.] Hujus igitur humilitatis exemplum, id est, viæ quærendum fuit. Ipse reparator noster in se ipso demonstrare dignatus est, qui *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*; [Philipp. 2. 6.] ut crearetur homo in principio viarum ejus Verbum per quod creata sunt omnia. [Christus unigenitus & primogenitus.] Quapropter unigenitus & primogenitus Dominus noster divinarum Scripturarum [G] auctoritate prædicatur; unigenitus de Patre, primogenitus à mortuis. Quapropter secundùm id quod unigenitus est, non habet fratres: secundùm id quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post ejus, & per ejus primatum in gratia nascimur per adop- [Hebr. 2. 11.] [A] tionem filiorum, sicut Apostolica disciplina commendat. Naturalis ergo filius secundùm id quòd primogenitus est frater, de ipsa Patris substantia unicus natus est, id exsistens quod Pater est, Deus de Deo, lumen de lumine. Nos autem non lumen naturaliter sumus; sed ab illo lumine illuminamur, ut sapientiâ lucere possimus, per eum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Serm. de Tempore.]

* SERMO CXXVIII.

[* Aliàs de Tempore 13.]

In Natali Domini, XII.

[B] *In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovaniensibus dubius, falsus Verlino & Vindingo, qui observant consarcinatum esse ex variis Augustini locis inconcinne digestis, & eam concionem quæ aliàs ordine erat 5. de Tempore, totam ferè complecti. Id etiam in primis improbant quod hic cap. 3. dicitur Symeon* innovatus ætate: *vitiatâ scilicet sententiâ Augustini, qui in 39. Psalmi enarratione n. 18. dixit,* Factus in puero puer, innovatus fide. *Porrò in MSS. si quosdam excipias qui Sermonem plus tertia parte decurtatum habent, præmittitur istud exordium,* Audistis, Fratres, quemadmodum beatus Evangelista hodie generationis Christi retulit sacramentum. Christi, inquit, generatio sic erat. [Matth. 1. 18.]

1. DOMINUS noster Jesus Christus, Fratres carissimi, qui in æternum est cunctorum creator, [Cap. I.] [C] hodie de matre nascendo, factus est nobis salvator. [Reparationis nostræ remedium.] Natus est nobis hodie in tempore per voluntatem, ut nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo. Hodie impleta est prophetia illa, quæ dicit, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* [Isai. 45. 8.] Factus est igitur qui fecerat, ut inveniretur qui perierat. Sic enim in Psalmis homo confitetur, *Priùs quàm humiliarer, ego peccavi:* [Psal. 118. 67.] & iterum, *Erravi sicut ovis quæ periit.* [Ibidem 176.] Peccavit homo, & factus est reus: natus est homo Deus, ut liberaretur reus. Homo igitur cecidit, [D] sed Deus descendit; cecidit homo miserabiliter, descendit Deus misericorditer; cecidit homo per superbiam, descendit Deus cum gratia. Sic namque Mater Domini ab Angelo audivit, *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* [Luc. 1. 28.] Qui natus est primò sine matre in cælis, hodie natus est sine patre in terris. O miracula, ô prodigia, Fratres carissimi! Naturæ jura mutantur in homine: Deus nascitur, virgo sine viro gravidatur. Mox viri nesciam sermo Dei maritat: simul facta est mater & virgo; mater facta, sed incorrupta; virgo habens filium, nesciens virum; semper clausa, sed non infecunda. [Solus Christus sine peccato natus.] Solus enim sine peccato est natus, quem [E] sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis. Virgo concepit, sola vulneri nostro medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.

2. O mira exquisitaque compago! ô nova & inaudita commixtio! [Cap. II.] Deus qui est & qui erat, fit; creator, creatura. Qui immensus est, capitur; divites constituens, pauper efficitur: incorporeus carne vestitur, sermo crassescit, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, immortalis occiditur. Quem cælum & terra benedicit, in præsepio angusto collocatur. Numeratur in sæculo, qui est ante sæcula. [F] *Jesus Christus herì & hodie, idem ipse & in sæcula.* [Hebr. 13. 8.] [Christus herì & hodie.] Herì dixit propter mortalitatem, hodie propter æternitatem. * Meritò hodie locuti sunt cæli, gratulati sunt Angeli, [* Vide Serm. aliàs 5. de Tempore.] pastores jocundati, Magi [b] invitati, reges turbati, Martyres coronati, dæmones effugati. Igitur cum gaudio dicamus sanctæ virgini Mariæ matri Domini nostri Jesu Christi; dicamus, & non confundamur, Lacta mater Christum, & Dominum nostrum & cibum. Lacta panem de cælo venientem, [c] & in præsepi positum velut piorum cibaria jumentorum. Illic enim cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: [Isai. 1. 3.] circumcisio scilicet & præputium, cohærendo lapidi angulari, quo- [G] rum primitiæ fuerunt pastores & Magi. Lacta eum qui talem fecit te, ut te & ipse fieret in te, qui tibi & munus fecunditatis adtulit conceptus, & donum virginitatis non abstulit natus: qui sibi antè quàm nasceretur, & uterum de quo nasceretur, & civitatem in qua nasceretur, &

[a] Totus iste locus depravatus, poterit ex cap. 1. Sermonis aliàs 52. de diversis corrigi meliùs, quàm ex MSS. Nam alii hic, *Et dum erat inter homines.* Mox alii, *nec tamen spem suam ponere debent in homine.* Tum Vindocin. Ms. omissâ particulâ, *qui*, subdit, *sequi non debet Deus: sequendus.* &c. Tres alii omittunt has voces, *qui sequi non debet Deus.*

[b] MSS. *Magi mutati*

[c] Verba, *& in præsepi positum* &c. usque ad ista, *Lacta eum* &c. desunt in MS. German.

CLASSIS II.

diem in quo nasceretur, elegit, & ipse condidit quod elegit. Sic namque olim prædictum est, *Mater Sion dicet, Homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.*
Psal. 86. 5.

CAP. III.

3. O omnipotentia nascentis! ô magnificentia de cælo ad terram descendentis! Adhuc in utero portabatur; & ex utero matris à Johanne-Baptista salutabatur. In templo præsentabatur; & à Simeone sene famoso, annoso, probato, coronato agnoscebatur. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit, *Nunc, Domine, dimittis servum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Differebatur exire de sæculo, ut videret natum per quem conditum est sæculum. Agnovit infantem senex, factus est in puero puer. Innovatus est in ætate, qui plenus erat pietate. Simeon senex ferebat Christum infantem; Christus regebat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat à Domino, quòd non gustaret mortem, nisi videret Christum Domini natum. Natus est Christus; & * impletum est desiderium senis in mundi ipsius senectute. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum inveteratum invenit. In isto quidem sæculo diu esse nolebat; & Christum in hoc sæculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, & dicens, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Denique ut noveritis ita esse istius lætitiam, conclusit dicens, *Nunc dimittis servum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Lucæ 2. 29. & 30. — Simeonis desiderium. — * Augustinus in Serm. aliàs 3. de verbis Apost. c. 4. — Psal. 84. 8.

Testimonia nativitatis Christi. — * Ex Serm. aliàs 5. de Tempore.

4. * Prophetæ cecinerunt, Conditorem cæli & terræ in terra cum hominibus futurum: Angelus nuntiavit Creatorem carnis & spiritûs in carne venturum: salutavit Johannes ex utero in utero Salvatorem: Simeon senex Deúm agnovit infantem, Anna vidua virginem matrem. Hæc sunt testimonia nativitatis tuæ, Domine Jesu, antè quàm tibi substernerentur fluctus maris calcanti, cederent imperanti; antè quàm ventus te jubente siluisset, mortuus te vocante resurrexisset, sol te moriente palluisset, terra te resurgente tremuisset, cælum te adscendente patuisset. Adhuc enim in manibus matris portabaris; & jam Dominus orbis cognoscebaris.

CAP. IV. — Christus ubique pulcher. — * Augustinus Enarr. in Psal. 44. n. 3.

5. Ubique enim Christus Dominus * pulcher occurrebat: pulcher in cælis, pulcher in terris; pulcher in Patre Verbum, pulcher in Matre caro & Verbum; pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem, cùm suscepit humanitatem: quia cùm hîc esset, cùm manibus portaretur, locuti sunt cæli, gavisi sunt Angeli, Magos stella direxit. Adoratus est in præsepio cibaria mansuetorum, adoratus est in templo puer Christus à sene Simeone, gestatus est in ulnis, à quo ipse regebatur. Pulcher ergo Christus in miraculis; in flagellis, in sermonibus, in verberibus pulcher; non curans mortem, & mortuos suscitans; pulcher in ligno, pulcher in cælo, pulcher & in sepulcro. Quis igitur, Fratres carissimi, non adoret primum & novissimum, initium & finem, α & ω? Quis, inquam, non adoret per quem adspiravit dies, effugatæ sunt umbræ?

Apoc. 22. 13

6. Natus est imperator, ut absolveretur peccator. Sic enim scriptum est, *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Dominus enim Jesus Christus per carnem quam suscepit, tribuit nobis magnam spem, magnam consolationem, magnam gratiam. Natus est, quod non noveramus; lactatus est à matre, suxit quod noveramus. * Mercatus est à nobis quod hîc abundat, nasci & mori. Resurgere, & in æternum vivere, non hîc erat. Invenit hîc viles merces terrenas, & terrestribus adtulit peregrinas & cælestes. Si expavescis, ô quisquis es auditor, mortem Christi: ama resurrectionem Christi. Multi quidem contemserunt humilem Christum, & non pervenerunt usque ad altitudinem Christi. Qui autem adoraverunt humilem, invenerunt excelsum.

1. Cor. 1. 27. — Christus quid à nobis mercatus, quid reddidit. — * Augustinus in Serm. de quinque panibus, in Johan. 6. & in Serm. aliàs 86. de Divers. c. 3.

CAP. V.

7. Audiunt Judæi, & dicunt, Noster est Christus. O Judæi cæci, si vestrum agnovistis, quare occidistis? Dominus quidem suscepit circumcisionem, ablaturus ipsam circumcisionem: suscepit umbram, daturus lucem; suscepit figuram, impleturus veritatem. Ipse quidem vobis Legem dedit; sed in qua fuit Elisæus, quando resuscitavit mortuum filium cujusdam religiosæ, in ea figura data est Lex. Hoc factum est. Nuntiatus est Elisæo mortuus infans: dedit servo suo baculum, & ait illi: *Vade*, inquit, *& pone baculum super puerum, & revivis-cet.* Accepit servus baculum, posuit super puerum; & non resurrexit. Propterea Judæi Legem accipere po-

Legis figura, baculus Elisæi. — 4. Reg. 4. 29

SERM. DE TEMPORE.

A tuerunt, vivere in illa non potuerunt. O tu, Judæe, audi Legem mutatam, si vis mutari; si non vis mutari, in vetustate habes damnari: noli amare veterem tunicam. Pater tuus crucifixit Christum; tu odisti: ille manu, tu corde; ambo facinus implestis. Displiceat tibi quod fecit pater tuus; audi quod dicit Dominus tuus: *Pater*, inquit, *in me manens, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar, & scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Si mandatum Patris vita æterna est, si Verbum Patris est vita æterna; qui loquebatur erat vita æterna. Non ergo fecit aliquid à se, quia non est à se. Sed à quo est? A Patre. Pater enim Deus, sed non de Deo: Filius autem Deus, B sed de Deo: ideo Filius, quia de Deo genitus est, & semper Filius, sine initio genitus, & tamen genitus. Et quomodo hoc intelligatur, audire exspectatis à me: audite Prophetam per me, *Generationem ejus quis enarrabit?* Et tamen multa diximus de ejus generatione, sed de ea quæ de matre est. Ceterùm quomodo natus est de Patre in cælo, quis potest explicare? quis potest enarrare vel investigare? Teneamus nos ad istam humanam nativitatem, per quam nobis Deus donavit gratiam. Gratia, inquam, donata, non merces reddita; quia qui creavit, sanat. Per ipsam levat ruentem, per ipsam curat ægrotantem, per ipsam coronat vincentem. Ipsa est C fides, ipsa est veritas, hoc est Christianæ fidei fundamentum, quia unus homo per quem ruina, alius homo Christus per quem structura. Cecidit qui non mansit; erigit qui non cecidit. Ruit ille, quia dimisit manentem; manens Christus in Patre descendit ad jacentem.

Johan. 12. 49. & 50. — CAP. VI. — Isai. 53. 8. — Fidei Christianæ fundamentum.

* Ex Serm. aliàs 5. de Tempore. — Generatio Christi divina.

8. * Ipse puer parvulus ex semine Israël, & ipse nobiscum Deus Emmanuel. Quæ est illa nostri generatio Salvatoris, qua gignenti Patri coæternus est; quando hanc generationem ex virgine mundus expavit, quam pia fides agnovit & tenuit, infidelitas autem irrisit, superbia timuit superata? Quænam est illa generatio, qua *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus* D *erat Verbum*; vel quod est hoc Verbum quod dicturus antea non silebat, quo dicto non siluit qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora; Verbum quod labia nullius aperuit cœptum, vel clausit finitum; Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperit ora mutorum; Verbum quod linguis gentium disertis non fit, & linguas infantium disertas facit? Quænam est, inquam, illa generatio, cui pater moriendo non cedit; quia non eam vivendo præcedit, aliena ab omnibus locorum temporumque intervallis, ab omni distentione spatiorum, quam vel in diebus vel in corporibus sentire consuevimus?

Johan. 1. 1.

CAP. VII. — Hanc meditanti elevanda mens supra omnia creata. — * Ex eodem Serm. aliàs 5. de Tempore.

E 9. * Levemus ad eum, quantum ipso adjuvante possumus, animas nostras, si quomodo capere valeamus, & natum non prævenientem qui genuit, & gignendo non subsequentem qui gignitur; Patrem & Filium nec pariter patres, nec pariter filios, & pariter æternos: non utrumque generantem, nec utrumque nascentem; sed alterum sine altero non viventem: & Patrem sempiternum genuisse, & Filium sempiternum natum esse. Cogitemus, si valemus; si non valemus, credamus. Non est hîc quod dicere volumus; sed tamen non longè positum est ab unoquoque nostrûm. *In illo enim vivimus, & movemur & sumus.* Transcendamus carnem nostram, in qua F parentes ante filios vivunt: quia ut filios possent generare, creverunt; & filiis crescentibus jam senescunt. Nondum natis filiis parentes vixerunt; quia & parentibus mortuis filii victuri sunt. Transcendamus & animas nostras, pariunt & ipsæ aliquid cogitando, quod secum habent sciendo; sed possunt amittere obliviscendo, quia & non habebant antea nascendo. Cuncta corporalia & temporalia & mutabilia transcendamus: ut videamus super omnia, per quem facta sunt omnia. Adscensus noster in corde est; quia & illud quò adscendimus propè est; longè autem ab illo sumus, in quantum dissimiles sumus. Adscendit ergo ad eum sua similitudo, quam in nobis G & fecit & refecit: quia nondum perfectè palpitat infirmus adspectus, & ineffabilem candorem lucis æternæ non potest intueri. Cujus ergo fulgorem mentis acies nondum capit, *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Hanc ergo generationem, cujus hodiernum celebramus diem, hanc in qua dignatus est venire per Israël, & fieri Emmanuel nobiscum

Act. 17. 28. — In tantum quis longè est à Deo, in quantum dissimilis. — Isa. 53. 8. Johan. 1. 14. — CAP. VIII.

nobiscum Deus in carnis infirmitate, non nobiscum in cordis iniquitate, accedens ad nos per id quod assumsit ex nostro, & liberans nos per id quod mansit in suo. (Visitavit quippe Dominus servos suos per mortalem infirmitatem: ut eos liberos faceret per incommutabilem veritatem.) Hanc ergo generationem, cujus utcumque capax est humana fragilitas, non illam quæ sine tempore manet, sine matre super omnia, sed istam quæ in tempore facta est sine patre inter omnia: hunc virginis filium & virginum sponsum, de incorrupta matre nascentem, & incorruptibili veritate fetantem laudemus, amemus, adoremus: ut in ejus misericordia de astutia victa diaboli triumphemus. * Veniamus ad eum credendo, proficiamus gratias agendo, agnoscamus perseverando. Veniamus ad illum, & inter nos concordemus. Quare de ejus nativitate litigamus? An ut medicum vocantem non audiamus? O infelix infirmitas! Venit ad ægrotum medicus, & litibus vacat ægrotus. Celebremus ergo Natalem Domini, Fratres carissimi, adventum Dei & hominis celebremus; ut nos ad Deum revertamur. Igitur diem festum celebremus, non humanæ devotionis, sed divinæ dignationis; non infirmitatis, sed æternitatis; non formationis, sed reformationis Domini nostri Jesu Christi: qui cum Patre & Spiritu-sancto &c.

V. August. serm. alias ... Ap. ... 6.

* SERMO CXXIX.

De Kalendis Januariis, I.

Alias 14. post homilias ex Carthusia majore in 1. parte supplem.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustino adscribit vetus quidam, quo Vignerius usus fuisse videtur, Bibliotheca jam Colbertina codex: sed quò minùs ipsius esse credatur, obsistit cùm dicendi ratio, qua Cæsarium potiùs refert, tum quæ posterioris ævi est, ac difficulter ante Cæsarii tempus reponi possit, observatio hic n. 3. facta de publico jejunio per omnes Ecclesias *Kalendis Januariis à* sanctis antiquis Patribus indicto. *Et alter quidem ex Navarricis MSS. post Sermonem de Circumcisione, cui iste proximè subjungitur, absolutum, habet sic:* Explicit Sermo de Circumcisione Domini. Incipit Sermo sancti Maxentii de Natali Domini. In Kalendis Januariis. *Et mox subsequitur Sermo,* Dies Kalendarum *&c. Sed in hoc Sermone nullum de Dominica nativitate verbum occurrit. Sub nomine Faustini episcopi per Bollandum in Actis SS. tom. 1. editus est ad vetus exemplar Aceiense, seu Acincti, apud Burgundiones monasterii.*

Janus quis fuerit.

1. DIES Kalendarum istarum, Fratres carissimi, quas Januarias vocant, à quodam Jano homine perdito ac sacrilego nomen accepit. Janus autem iste dux quidam & princeps hominum paganorum fuit: quem imperiti homines & rustici dum quasi regem metuunt, colere velut Deum cœperunt; detulerunt enim ei illicitum honorem, dum in eo expavescunt regiam potestatem. Homines quippe stulti & ignorantes Deum, illos tunc maximè deos existimabant, quos inter homines subliminores esse cernebant. Ac sic factum est, ut unius veri Dei cultus ad multa deorum vel potiùs dæmoniorum nomina transferretur. Diem ergo Kalendarum hodiernarum de nomine Jani, sicut jam dictum est, nuncuparunt: atque ut ei homini divinos honores conferre cupiebant, & finem unius anni & alterius initium deputarunt. Et quia apud illos Januariæ Kalendæ unum annum implere, & alterum incipere dicebantur, istum Janum quasi in principio ac termino posuerunt, ut unum annum implere, alterum incipere diceretur. Et hinc est, quòd Idolorum cultores ipsi Jano duas facies figurarunt; unam ante ipsum, alteram post ipsum; unam quæ præteritum annum videretur adspicere, alteram quæ futurum: ac sic homines insipientes duas ei facies deputando, dum eum deum facere cupiunt, monstrum esse fecerunt. Voluerunt in deo suo esse præcipuum Pagani homines, quod est etiam in pecudibus monstruosum. Et ideo optima erroris sui declaratione atque indicio, dum eum religiosa vanitate magnum Deum videri volunt, dæmonium publicarunt.

Idololatriæ origo.

Unde Jano duæ facies.

Superstitio Kal. Januar.

2. Hinc itaque est quod istis diebus Pagani homines perverso omnium rerum ordine obscœnis deformitatibus teguntur: ut tales utique se faciant qui colunt, qualis est iste qui colitur. In istis enim diebus miseri homines, & quod pejus est, aliqui baptizati, sumunt formas adulteras, species monstruosas, in quibus quidem sunt quæ primùm pudenda, aut potiùs dolenda sunt. Quis enim sapiens poterit credere, inveniri aliquos sanæ mentis, qui[a] cervulum facientes, in ferarum se velint habitum commutare? Alii vestiuntur pellibus pecudum; alii assumunt capita bestiarum, gaudentes & exsultantes, si taliter se in ferinas species transformaverint, ut homines non esse videantur. Ex quo indicant ac probant, non tam se habitum belluinum habere, quàm sensum. Nam quamvis diversorum similitudinem animalium exprimere in se velint; certum est tamen, in his magis cor pecudum esse, quàm formam. Jam verò illud quale & quàm turpe est, quòd viri nati, tunicis muliebribus vestiuntur, & turpissimâ demum demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant, non erubescentes tunicis muliebribus inserere militares lacertos: barbatas facies præferunt, & videri feminæ volunt. Et meritò virilem jam fortitudinem non habent, qui in mulieris habitum transierunt. Justo enim judicio Dei evenisse credendum est, ut militarem virtutem amitterent, qui feminarum se specie deformassent.

[a] Cervulum facientes.

Viri feminas induentes.

3. Et quia Deus placatus vobis inspirare dignatus est, ut pro amore fidei, ista miserabilis consuetudo de hac civitate in integrum tolleretur: rogo vos, Fratres carissimi, ut vobis non sufficiat quòd ipsi hoc malum, Deo donante, non facitis: sed ubicumque alibi fieri videritis, arguite, castigate, corripite, & vestro salubri consilio de isto miserabili sacrilegio stultos homines removete. Et ut ad integrum vos divinæ misericordiæ consecretis, etiam illas alias observationes, velut diaboli venena respuite, quas, quod pejus est, plures in populo Christiano observare non erubescunt. Sunt enim qui Kalendis Januariis auguria observant, ut focum de domo suâ, vel aliud quodcumque beneficium, cuicumque petenti non tribuant. Diabolicas etiam strenas, & ab aliis accipiunt, & ipsi aliis tradunt. Aliqui etiam rustici, mensulas in ista nocte quæ præteriit, plenas multis rebus, quæ ad manducandum sunt necessariæ, componentes, tota nocte sic compositas esse volunt, credentes quòd hoc illis Kalendæ Januariæ præstare possint, ut per totum annum convivia illorum in tali abundantia perseverent. Et quia, sicut scriptum est, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, etiam ista, & alia his similia, quæ longum est dicere, quæ ab imperitis aut parva, aut nulla peccata creduntur; à vestris ordinate familiis removeri: & hoc præcipite, ut sic Kalendas istas colant, quomodo aliorum mensium colere solent. Qui enim aliquid de Paganorum consuetudine in istis diebus observare voluerint, timendum est ne eis nomen Christianum prodesse non possit.

Superstitiones aliæ.

Strenæ.

Galat. 5. 9.

4. Et ideo sancti antiqui Patres nostri considerantes maximam partem hominum diebus istis gulæ vel luxuriæ deservire, & ebrietatibus & sacrilegis saltationibus insanire, statuerunt in universum mundum, ut per omnes Ecclesias publicum indiceretur [b] jejunium. Ut agnoscerent miseri homines in tantum se malè facere, ut pro illorum peccatis necesse esset omnibus Ecclesiis jejunare. Jejunemus ergo, Fratres carissimi, in istis diebus; & cum vera & perfecta caritate stultitiam miserorum hominum lugeamus, ut vel sic intelligant malum suum, dum pro se viderint publicum observari jejunium. Neque enim desperandum est, quòd illos Deus possit nostra oratione vel castigatione corrigere, qui per Apostolum suum ineffabili pietate promisit dicens, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Qui etiam in istis Kalendis stultis hominibus luxuriosè ludentibus aliquam humanitatem impenderit, peccati eorum participem se esse non dubitet. Nam qui de salute animæ suæ feliciter cogitat, magis de illis dolere debet vel flere, quàm cum illis vel de illis ad infelicem risum suum animum relaxare. Vos verò, Fratres, qui Deo propitio quotidie clamare consuevistis, *Oculi mei semper ad Dominum*; & iterum, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis:* non oportet ut oculi vestri, qui assiduè in ecclesia vigilantes ad Deum sanctificantur, videndo luxuriam stultorum

[b] Jejunium olim indictum in Kal. Jan.

Jacobi 5. 20.

Personati homines non adspiciendi.

Psal. 24. 15.

Psal. 122. 1.

[a] Hinc illustratur Autissiodorensis anno 578. celebrati Concilii can. 1. quo *Non licet Kalendis Januariis vetula aut cervolo facere, vel strenas diabolicas observare.* Legendum *vetulam aut cervulum facere*, ut in S. Eligii vita lib. 2. cap 15. seu Serm. hic infrà edito *de rectitudine catholicæ conversationis.* Vide Haligar. in Pænitent. cap. 6. Burchard. lib 19. cap. 5. & Bonifacii Episcopi Moguntini Epistolam ad Zachariam P. cap. 6.

[b] De hoc sollemni jejunio facit mentionem Concilium Toletan. 4. can. 11. & Turon. 2. can. 17. Jamque olim Augustinus sic in Sermone de Kalendis Januariis, aliàs inter Sirmondianos 7. populum exhortabatur: *Inebriantur illi, vos jejunate.*

Classis II. — Serm. de Tempore.

hominum, polluantur. Magis dedignari debetis atque despicere opera diaboli; ut in vobis integra permaneat caritas Christi. Clamate ergo cum Propheta, dicentes, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem:* timentes illud quod ait Apostolus, *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Sed credo de Dei misericordia, quòd ita per vestram castigationem illorum stultitia corrigenda est, ut non solùm pro vobis, sed etiam pro illorum correctione qui vestro exemplo proficient, duplicia vobis à Domino præmia repensentur: præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria & honor in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 118. 37. *1. Cor. 10. 20. & 21.*

* SERMO CXXX.

De Kalendis Januariis, II.

** Aliàs 15. post homilias ex Carthus. majore in 1. parte suppl.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Auctoris profectò ejusdem est cum superiore. In Floriacensi codice perantiquo sic inscribitur: Incipit Sermo sancti Sedati episcopi de Kalendis Januariis. *Nescimus an ibi sit legendum* sancti Cæsarii, *loco* sancti Sedati. *Quamquam exstitit episcopus quidam Biterrensis nomine Sedatus, qui Concilio Toletano 3. an. 589. subscripsit, isque à nonnullis auctor putatur Homiliæ de Epiphania* sancti Sedati episcopi *inscriptæ, & in Tom. 15. Biblioth. Patrum impressæ. Hæc verò, quod observare nunc oportet, nihil aliud est quàm cento multis constans malè compactis Sermonum aliorum fragmentis. Nam primam illius partem,* Proximè, Fratres carissimi *&c. reperimus in Sermone qui infra est 136. Mediam ab illis verbis,* Illud, Fratres carissimi, quod die tertia *&c. invenies in Cæsarii Sermone qui suprà est 90. Posteriorem partem videsis in Sermone hic 135. &c.*

Peccatorum omnium fontes superbia & error.

1. OMNE peccatum, Fratres carissimi, aut per superbiam, aut per errorem diabolus intromittit: errorem per ignorantiam, per contemtum superbiam. Istæ duæ res sunt origines omnium peccatorum. Error est quasi levius crimen, ut est appetitio voluptatum, intemperans gula, procacis joci turpis lætitia, spectaculi ambitus, facilis lingua, incogitata & inordinata præsumtio: error etiam est inutilis observatio augurum, cultus dierum antiquæ superstitionis, inquisitio futurorum. Sed hæc in superbiam transeunt, cùm cognita sine emendatione permanserint. Sic enim fit ut stultæ lætitiæ caussâ, dum observantur Kalendarum dies aut aliarum superstitionum vanitas, per licentiam ebrietatis & ludorum turpem cantum, velut ad sacrificia sua dæmones invitentur. Illorum est enim suave sacrificium, cùm aut dicitur à nobis aliquid, aut fit, quo honestas, quæ est amica justitiæ, improbis actibus violata discedat. Quid enim est tam demens quàm virilem sexum in formam mulieris, turpi habitu commutare? Quid tam demens quàm deformare faciem, & vultus induere, quos ipsi etiam dæmones expavescunt? Quid tam demens quàm incompositis motibus & impudicis carminibus vitiorum laudes inverecunda delectatione cantare? indui ferino habitu, & capreæ aut cervo similem fieri, ut homo ad imaginem Dei & similitudinem factus sacrificium dæmonum fiat? Per hæc ille malorum artifex se intromittit, ut captis paulatim per ludorum similitudinem mentibus dominetur. Ergo cùm hæc quæ suprà dicta sunt, convaluerint, superbia Deo inimica succedit: hæc per negligentiam religionis & contemtum timoris Dei, contentiones etiam adversùs sanctas Scripturas primitus intromittit, deinde ambitione furens, vanitate tumens, inhonesta appetens, honesta despiciens, elationis spiritu in naufragia morum, velut quædam immoderata turbinis procella grassatur. Hinc invidia malorum omnium radix, quæ alieno profectu velut propriis malis uritur, inexstinguibili flammâ, velut futurus gehennæ ignis, viventium animas jam nunc secreto ardore consumit, mordacibus curis angit. Quid enim illo esse miserius potest, quem infelicem facit aliena felicitas? Aut ubi remedium inveniat, qui non solùm suo malo, sed alieno bono miser est? Hinc ira, quæ semper est inimica consilio, foveam in quam cadat, & laqueos quibus ipsa capiatur, innectit.

Error. — Quomodo in superbiam transeat. — Larvatorum dementia. — Quomodo iis dæmon dominetur.

Tales coercendi.

2. Vos verò, Fratres carissimi, quibus Deus honestos & sobrios mores donare dignatus est, sanctam conversationem quam divino munere percepistis, vicinis, vel familiis vestris assidua castigatione transfundite, & nolite eis permittere verba turpia aut cantica luxuriosa proferre: quia in illum redundat omne peccatum, qui non vult peccantes prohibere, cùm possit. Quicumque ergo in Kalendis Januariis quibuscumque miseris hominibus sacrilego ritu insanientibus, potiùs quàm ludentibus, aliquam humanitatem dederint, non hominibus, sed dæmonibus se dedisse cognoscant. Et ideo si in peccatis eorum participes esse non vultis, cervulum sive [a] juvencam, aut alia quælibet portenta, ante domos vestras venire non permittatis: sed castigate potiùs atque corripite, & si potestis etiam cum severitate distringite; ut de vestra salute, & de aliorum correctione duplicem mercedem possitis; Deo remunerante, percipere. Rogo autem vos, Fratres dilectissimi, ut quia de fide & de honestate morum vestrorum, Deo propitiante, confidimus, non vobis sufficiat, quòd ipsi boni estis; sed, sicut jam suprà suggessi, studete ut per vestram admonitionem aliorum etiam negligentias corrigatis; ut non solùm de sancta vestra conversatione, sed etiam de aliorum correctione æterna præmia capiatis. Admonete ergo familias vestras ut infelicium Paganorum sacrilegas consuetudines non observent.

Strenæ. — Jejunandum in Kalend. Janu.

3. Sunt enim aliqui, quod pejus est, quos ita observatio inimica subvertit, ut in diem Kalendarum si fortè aut vicinis aut peregrinantibus opus sit, etiam focum dare dissimulent. Multi præterea strenas & ipsi offerre, & ab aliis accipere solent. Ante omnia, Fratres, ad confundendam Paganorum carnalem & luxuriosam lætitiam, exceptis illis qui præ infirmitate abstinere non prævalent, omnes auxiliante Deo jejunemus, & pro illis miseris qui Kalendas istas, pro gulâ & ebrietate, sacrilega consuetudine colunt, Deo, quantùm possumus, supplicemus. Et dùm ea quæ ipsi faciunt exhorrescimus, insuper & pro illis oramus; & de nostra benignitate & de illorum correctione dupliciter, donante Deo, gaudeamus. Propitio Deo, Fratres dilectissimi, ita nos pro salute animæ vestræ fideliter ac libenter auditis, ut nobis liberè & cum omni fiducia ea quæ saluti vestræ novimus esse necessaria, studeamus cum caritate suggerere, & quid agere vel quid vitare debeatis ostendere. Et ideo, rogo vos, Fratres, ut quia, Deo inspirante, antiquam Paganorum consuetudinem religionis affectu ipsi despicitis, alios quoscumque observare videritis, cum caritate & mansuetudine castigetis.

Vanus honor Planetis delatus.

4. Nonnulli enim in hæc mala labuntur, ut diligenter observent, qua die in itinere exeant, honorem præstantes, aut Soli, aut Lunæ, aut Marti, aut Mercurio, aut Jovi, aut Veneri, aut Saturno. Nescientes miseri, quia si se per pænitentiam non emendaverint, cum illis partem habebunt in inferno, quibus vanum honorem impendere videntur in mundo. Ante omnia, Fratres, universa ista sacrilegia fugite, & tamquam diaboli mortifera venena vitate. Et Solem enim & Lunam Deus pro nobis; & nobis profutura constituit, non ut ista duo luminaria quasi deos colamus; sed illi qui ea nobis dedit, quantas possumus gratias referamus. Mercurius enim homo fuit miserabilis, avarus, crudelis, impius & superbus. Venus autem meretrix fuit impudicissima. Et ista monstruosa portenta, id est, & Mars & Mercurius & Jovis & Venus & Saturnus eo tempore dicuntur nati, quo filii Israël erant in Ægypto. Si tunc nati sunt, utique dies isti, qui illorum nominibus appellantur, illo tempore jam erant; & secundùm quod Deus instituerat, sic nomen habebant, id est prima & secunda & tertia & quarta & quinta & sexta [b] feria: sed miseri homines & imperiti qui istos sordidissimos & impiissimos homines, ut suprà diximus, timendo potiùs, quàm amando colebant, pro illorum sacrilego cultu, quasi in honore ipsorum, totius septimanæ dies singulis eorum nominibus consecrarunt; ut quorum sacrilegia venerabantur in corde, eorum nomina frequentiùs habere viderentur in ore. Nos verò, Fratres, qui non in hominibus perditis atque sacrilegis, sed in Deo vivo & vero spem habere cognoscimur, nullum diem dæmonum appellatione dignum esse judicemus, neque observemus qua die itinere proficisci debeamus, sed etiam ipsa sordidissima nomina dedignemur ex ore proferre, & numquam dica-

Unde dies, Planetarum nomine dicti. — Prima eorum nuncupatio.

[a] Vetus codex Floriacensis, *sive anulas.* Ex duobus Navarricis MSS. alter, *sive agniculam*, alter, *sive anniculam.*

[b] Vox *feria* hìc addita fuisse videtur, cùm ejus loco subintelligenda fortè esset vox *dies.* In veteri codice Floriac. omittitur, *& quinta & sexta feria.*

CLASSIS II.

mus diem [a] Martis, diem Mercurii, diem Jovis; sed primam, & secundam, vel tertiam feriam, secundùm quod scriptum est, nominemus. De his etiam nominibus & vestras familias admonete. Tunc enim in vobis perfecta animæ sanitas permanebit, si per vestram admonitionem ad eos qui multis peccatis vulnerati sunt, medicamentum spiritale pervenerit. Unde non solùm illos qui vestri sunt, frequenter cum severitate corripite; sed etiam extraneos cum caritate jugiter admonete, ut vobis pius & misericors Dominus, non solùm pro vestra, sed etiam pro aliorum salute æterna præmia retribuat, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Talis appellatio reiicienda.

* SERMO CXXXI.

In Epiphania Domini, I.

* Aliàs 1. ex 17. additis à Parisiensibus.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium, Verlinus & Vindingus suppositititum habent. Stilus re vera ab Augustiniano manifestè diversus: sed etiam ipsius doctrinæ adversum est quod hic dicitur, stellam Magis biennio ante Christum natum apparuisse. Nam stellæ apparitionem Augustinus ad diem Nativitatis Christi refert in Sermonibus de Epiphania, qui aliàs erant de Tempore 30. 31. 32. &c.

CAP. I.

1. SICUT dies hodiernus anniversario reditu commonet nos, quòd Dominum nostrum Jesum adoraverunt Magi, tamquam primitiæ Gentium: ita huic sollemnitati de isto tanto mysterio noster etiam sermo debetur. Unde Vestram commoneo Caritatem, recentem diem pristinum recolite, quo Dominus natus est: & huic hodiernum adjungite, quo à Magis adoratus est. Nec eis stella loqui potuit, cujus esset, vel cujus excellentiam præsignaret: novum tamen & singulare sidus effulsit, atque illos etiam qui solent sidera diligenter intueri, novo miraculo exterruit. Numquam enim tali stella quisquam est significatus; quia numquam talis est natus. Verumtamen quis esset, ubi esset, quorum rex esset, sidus illud, etsi tacebat, lucebat. Sed quærentia Deus & pulsantia corda non fraudans, alio modo sine dubio petentibus revelavit, quod stella indicare non potuit. Quem modum quidem Scriptura non dicit, sed intelligendum prudentibus dereliquit: atque in ipsa narratione, unde hoc intelligere possimus, ostendit.

Stella singularis.

Christum non indicavit, sed ut quæreretur excitavit.

2. Cùm enim Bethlehem civitas, secundùm Scripturas, à Judæis commemorata esset ubi Christum nasci oporteret; quia domus latebat ubi Dei Verbum infans jacebat, eadem stella Magos perduxit ad domum, sub cujus tecto erat qui fecerat mundum, & quem nuntiaverat cælum, huc usque patuit præcedentis sideris fulgor. * Sed ut illi ad Herodem regem Judæorum non reverterentur, qui se velle dixerat adorare quem cupiebat occidere, per somnium leguntur admoniti. Ita quod eloqui stella non potuit, aliâ Deus revelatione monstravit. Sic intelligendum est, non per solam stellam, quamvis oculis suis insolitâ & inexpertâ luce fulgentem, Magos in Oriente potuisse cognoscere, quisnam esset significatione tanti sideris dignus, cujus testis ille fulgor exsisteret, quem clarum tanta claritas nuntiaret, ubi quæreretur, quò eundum esset, ut inventus adoraretur. Sed alia nimirum revelatione divinitus indicatum est, quod luce sideris tacitè signabatur. Et cum magna admiratione quærentibus quid sibi vellet, & quò pertineret quod novum apparebat in cælo, non utique loquente ipso sidere, sed aliter intimatum est, quis descendisset de cælo, & divinitate præsidens cælo, jaceret in carne sub cælo. Tunc quippe intelligitur indicatum, cujus esset stella quæ jam diu videbatur, quando natus est qui per illam significabatur.

* CAP. II.

Tum alia revelatio manifestavit.

3. Nam fermè biennio visa est mirantibus quid esset. Sed postea quàm Christo nato revelatum est Magis, jam non sidus esse mirandum; sed eum qui sidere prænuntiatus fuerat, adorandum, regemque esse Judæorum: ab Oriente venerunt, & hodierno die adorauerunt quem ante paucos dies natum esse, atque illam stellam, quæ sibi per biennium apparuerat, ejus fuisse didicerunt. * Hîc dicit aliquis, Illam stellam biennio apparuisse unde monstratur? Evangelii verba recolamus. Herodes » nempe rex Judæorum, cùm à Magis fuisset illusus, quòd in somnis moniti ad eum redire noluerunt, ne indicaretur ubi Christus fuisset inventus, *à bimatu & infrà occidit infantes.* Hoc autem qua caussa fecerit, hoc est, quare à bimatu & infrà occidi parvulos jusserit, Evangelista non tacens, *secundùm tempus*, inquit, *quod exquisierat à Magis.* Ecce unde ostenditur, non tunc primùm apparuisse stellam, quando natus est Christus, hoc est, ante paucissimos dies; sed biennii tempore prænuntiatione fulsisse sidereâ: quæ tunc est cognita cujus esset, quando missi sunt adorare in terra, quem in cælo jam viderant præsignatum.

Stella per biennium apparuit.

* CAP. III. Matth. 2. 16. &c.

SERM. DE TEMPORE.

4. Si quis autem quærit, quare per biennium prænuntians Christum stella claruerit, possunt videri duobus annis duo significata præcepta: unum dilectionis Dei, alterum proximi, in quibus *duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ.* Sic enim quod infinitè videbatur per multa diffusum, ista est brevitate conclusum: ut hinc intelligatur dixisse Propheta, *Verbum enim consummans & brevians faciet Dominus super terram.* Ipse igitur duobus præceptis consummavit verbum, cujus duobus annis stella prænuntiavit adventum. Possunt in his duobus annis etiam duo intelligi Testamenta, vetus & novum. Non enim alius auctor est Legis qua terremur, & alius gratiæ qua juvamur: cùm ipse dixerit, *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi; de me enim ille scripsit*; & ipse sit sapientia Dei, de qua dictum est, *Legem autem & misericordiam in lingua portat.* Sed quoniam per duos annos duo tempora significata potiùs accipi possunt, etiam duos Christi possumus intelligere adventus; unum humilitatis, alterum claritatis: & duas nostras geneses, quia ille per quem facta sunt omnia, utique auctor ambarum est; unam qua in carne nascimur, aliam qua in fide renascimur.

Quid biennalis apparitione signetur.

Matth. 22. 40.

Duo dilectionis præcepta.

Isai. 10. 23.

Duo Testamenta.

Johan. 5. 46.

Prov. 31. 26.

Duo Christi adventus.

Duæ hominis geneses.

CAP. IV.

5. Exsultemus ergo, & jocundemur in eo, quem panni involverant, & Angeli nuntiabant: qui in præsepi jacebat, & intra astra fulgebat: quem regem sempiternum, Gentibus adorandum, non diadematis gemma, sed cæli stella monstrabat: qui ubera sugebat, & lactentes martyres faciebat. Agnoscamus lapidem angularem, in quo duo parietes de diverso venientes, unus ex circumcisione Judæorum, alter ex præputio nationum, fideli osculo copulantur: *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. Ipse veniens*, sicut audistis per Apostolum, *evangelizavit pacem his qui longè, & pacem his qui propè.* Propè erant pastores; longè erant Magi: utrique agnoverunt, utrique venerunt: & secundùm Isaiam prophetam, utrique in præsepi cibaria sua, tamquam bos & asinus invenerunt. Hos enim populos ex Judæis & Gentibus Christus glorificatus assumsit, primitias natus accepit. Ad nos ergo maximè hujus diei pertinet gratulatio, qui ex Gentibus venimus.

Judæorum & Gentium adunatio.

Ephes. 2. 14.

Ibidem 17.

Isai 1. 3.

6. Protulerunt Magi, quando Christum adoraverunt, aurum, thus, & myrrham: aurum, quia regem viderunt; thus, quia Deum intellexerunt. Cognoverunt & carnem passuram; nam & myrrham protulerunt ad sepulturam. Hæc illi secundùm considerationem suam. A nobis autem aurum accipit, si eleemosynas faciamus; thus, si orationes fundamus; myrrham, si pro illo moriamur. Proinde quia Epiphania manifestationem verbo Græco indicat; (latens quippe Magis Domini infantia cupientibus adorare manifestatur indice stellâ) nos viam fulgentis Evangelii sequamur, & sanctè adoremus cui manifesti sumus: ut quando Deus manifestè veniet, nec infans erit, quia non silebit, in dextera ejus apparere mereamur.

Matth. 2. 11.

Munera Magorum mystica.

Psal. 49. 3.

* SERMO CXXXII.

* Aliàs de Tempore 35.

In Epiphania Domini, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius videbatur Lovaniensibus: at Verlino & Vindingo falsus, iisdem scilicet indiciis & argumentis, quibus rejectus est Sermo superior.

1. DOMINI & Salvatoris nostri Jesu Christi adventus in carne in ipso de Virgine rudi ejus exortu manifestari Gentibus cœpit: cùm ad eum adorandum Magi ab Oriente venerunt. Hic dies sollemnissimus debita sanctitate est factus Ecclesiæ, maximè quæ crevit ex Gentibus, & angulari lapide alterum parietem structura uberiore compegit: ut ille pax nostra faceret utraque

Ephes. 2. 14.

[a] Hunc loquendi usum etiam Augustinus improbat in Psal. 93. Enarrat. n. 3. cupitque ut Christiani corrigant & Ecclesiastico ritu loquantur.

CLASSIS II.

unum, ex circumcisione & præputio condens Ecclesiam. Unde & lapis angularis dictus est, tamquam in se copulans ex diversitate venientes, ut commutaret utrosque in uno corpore Deo, sicut Prophetica & Evangelica & Apostolica doctrina testatur. Nato itaque Domino ex Virgine, quem diem nuperrimè celebravimus, pastores admoniti ab Angelis secundùm Lucam evangelistam ad infantis Verbi præsepe venerunt: pastores autem illi Israëlitæ fuerunt: ecce præsignatus est unus paries, ad angularem lapidem de circumcisione percurrens. Paucis diebus inde transactis, hodie Magi ab Oriente venisse creduntur, & illius parvuli magnitudinem cognovisse, quos Matthæus evangelista commemorat. Ecce alius paries ex præputii desperatione concurrens nos propriè figuravit, & diem nobis festum familiari lætitia geminavit.

Hodie copulati cum Gentibus Judæi. *Lucæ 2. 9.* *Matth. 2.*

2. In cælo enim videntes ignotissimam stellam, non ante paucos dies, sed antè fermè biennium, sicut inquirenti Herodi patefecerunt; (unde *à bimatu & infrà occidit infantes, secundùm tempus*, ut scriptum est, *quod inquisierat à Magis*): hanc stellam sicut intelligitur, admirati, cujus etiam esset, consequenti revelatione nosse meruerunt, regis videlicet Judæorum: eoque nato cùm & hoc ejus gratiâ cognovissent, ad eum adorandum hodie occurrere potuerunt. Non utique regi Judæorum, quales alii esse solebant, hunc tam magnum honorem longinqui alienigenæ & ab eodem regno prorsus extranei à se deberi arbitrabantur; sed talem natum esse didicerant, in quo adorando se salutem quæ secundùm Deum est, consecuturos minimè dubitarent. Neque enim ætas erat saltem cui adulatio humana serviret; non sub poplite sella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat: non pompa famulantium, non terror exercitûs, non gloriosorum fama prœliorum hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto supplicationis adtraxerat. Jacebat in præsepi puer ortu recens, exiguus corpore, contemtibilis paupertate: sed magnum aliquid latebat in parvo, quod illi homines primitiæ Gentium non terrâ portante, sed cælo narrante didicerant, ad quod tam ex longinquo tam supplices veniebant, quod intuendo non videbant, & promereri adorando cupiebant. Regina quidem Austri venerat à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: nec illa regni ejus sublimitate, sed mentis luce commota est. Verumtamen inerat in Salomone doctrina, quæ verbis ejus longissimè ac latissimè diffamatis ad discendum potuit studiosos animos excitare: proinde illa non latentem Deum, sed loquentem hominem, non adorare venerat, sed audire. Hic autem qui donaverat illam sapientiam Salomoni, & erat virtus ac sapientia Dei, infirmitate carnis indutus, adhuc per pusillam ætatem tacebat in terris, jam per amplissimam majestatem [a] clarebat in cælis.

Stella ante biennium apparuit. *Quid Magos ad adorandū induxerit.* *3 Reg. 10. 1. Matth. 12. 42.*

3. Quid times, Herodes? Quid maligna mente turbaris? Si salutem tuam sapias, ille natus est, per quem regnum Dei videas, non cui regnum hominum invideas. Quid sævis? Quid occidis infantes? Quid ætatem innoxiam noxius [b] noxio gladio insectaris? A gladio regis hujus nemo erit crudelitate, sed pietate securus. Detestanda ergo regis Herodis insania: sed magis miranda stultitia Judæorum, propter quos judicandos dispositione divina se à conspectu Magorum Christum quærentium parumper illa stella subtraxit. Apparuit namque, ut locum in quo puer fuerat, demonstraret. Poterat utique index etiam civitatis exsistere; sed quòd in Bethleem Judæ Christus nasceretur, de Libris sanctis interrogati Judæi proferre debuerunt, parati ad legendum, cæci ad intelligendum, duri ad credendum. Hos ergo etiam nos in vetustate litteræ dimittamus, & ex eorum adjuti codicibus, adorandum Christum cum istis alienigenis agnoscamus.

*SERMO CXXXIII.

** Olim de Tempore 33. & post in Appendice 28.*

In Epiphania Domini, III.

Est Leonis Papæ de Epiphania Domini octavus, ipsique in omnibus MSS. tribuitur.

SERM. DE TEMPORE.

A 1. CAUSSAM, Dilectissimi, & rationem sollemnitatis hodiernæ, sæpe vobis & Evangelica narratio, & observantiæ consuetudo patefecit: nec necesse est ita nunc quæ inter Salvatoris nostri humana primordia sunt gesta, replicari, ut de splendore novi sideris, de Magis, Magorumque muneribus, de sævitia Herodis, & de interfectione infantium disseramus; cùm, sicut nostis, & in stellæ fulgore Dei gratia, & in tribus viris vocatio Gentium, & in rege impio crudelitas Paganorum, & in occisione infantium, cunctorum Martyrum forma præcesserit. Sed quia in sacratissimo die reddendum exspectationi vestræ est sacerdotalis sermonis officium, nitamur ut possumus adjuvante Spiritu Dei, & per intelligentiæ semitas pervenire, ut cognoscamus sacramentum præsentis festi ad omnium fidelium tempora pertinere; nec ullo modo habeatur insolitum, quod in dispensationum ordine adoratur antiquum.

2. Quamvis ergo omnis anima Christiana nihil indignum debeat [c] de Filii Dei majestate sentire, & transcensis insipientis fidei rudimentis, oporteat unumquemque ad sublimiora proficere; necesse est tamen infirmitatem mentis humanæ, dum verum hominem accipit Christum, de ipsa naturæ nostræ communione trepidare, & per initia vel incrementa corporea ad agnitionem unius cum Patre deitatis difficulter accedere. Sed ubi inter caligantes cogitationes radius supernæ lucis refulserit, cunctantis fidei moras splendor veritatis abrumpat: ut cor liberum & à visibilibus absolutum, lumen intelligentiæ tamquam ducem stellam sequatur; quia sicut Apostolus ait, *Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris est*: ut ipsum quem venerabatur in cunis humiliter jacentem, sine differentia adoret cum Patre regnantem. Hæc autem manifestatio, Dilectissimi, quæ hæsitantium nebulas dissolvit animarum, & ita facit innotescere Dei Filium, ut de hoc quod idem est etiam hominis filius, nihil patiantur obstaculi, ad præsentis festi pertinet dignitatem: & vera est infantia Salvatoris declaratio deitatis, quando carnis sensus ab humanis ad divina transfertur; ut quos deprimunt experimenta infirmitatum, erigant signa virtutum: quia tali auxilio & natura nostra indigebat & caussa, ut reparare humanum genus nec sine majestate posset humilitas, nec sine humilitate majestas.

Philip. 2. 11. *Incarnationis necessitas.*

3. Jam verò cùm singulorum fidelium profectibus, divinorum elucet custodia mandatorum, impleturque quod dictum est, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum qui in cælis est*: quis illic non præsentem intelligat deitatem, ubi veram videt apparere virtutem? quæ utique sine Deo nulla est, nec proprietatem obtinet deitatis, nisi Spiritu sui vegetetur auctoris. Dicente enim Discipulis suis Domino, *Sine me nihil potestis facere*, dubium non est hominem bona agentem, ex Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apostolus copiosissimus fidelium cohortator, *Cum timore*, inquit, *& tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*. Et hæc sanctis caussa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.

Matth. 5. 16. *Johan. 15. 5.* *Philip. 2. 12.* *Hîc nemo sit securus.*

4. Qui autem experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quo dicitur, *Mirabilis Deus in sanctis suis*: sincero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat qua humilitate repugnet superbiæ, qua benevolentia obluctetur invidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis; an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas oblivisci injurias, quàm imaginem & similitudinem sui Conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, *pluit super justos & injustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos*. Ac ne in [d] multis laboret sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium caritatem in secretis suæ mentis inquirat: & si eam dilectioni Dei & proximi toto intentam corde repererit, ita ut etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi; quisquis hujus modi est, Deum & rectorem & habitatorem sui esse non dubitet:

Psal. 67. 36. *Signa inhabitationis Dei in nobis.* *Matth. 5. 45.* *Caritas omnium virtutum mater.*

a Ita MSS, omnes. At editi, *clamabat*.
b In MSS. desunt voces *noxio gladio*.

c Post verbum *debeat*, additur in MSS. *fide*.
d MSS. Nav. & Corb. *Ac ne in multis in vanū laboret, sollicitè discretionē inspiciat.*

quem

Classis II.

quem tantò magnificentiùs recipit, quantò magis in se, sed in Domino gloriatur; quoniam quibus dicitur, *Regnum Dei intra vos est*; (Luce 17. 21.) nonnisi aguntur illius spiritu, cujus reguntur imperio. Scientes igitur, Dilectissimi, quòd caritas Deus est, qui operatur omnia in omnibus: sectamini caritatem, ita ut in unum castæ dilectionis affectum universorum fidelium corda concurrant. Transeant à nobis vana, &, ne nos occupent, constanti desiderio ad ea quæ semper sunt mansura, tendamus. Sacramentum enim præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum: quod utique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Christus appareat, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CXXXIV.

* Olim de Tempore 57. Deinde in Appendice 29.

In Epiphania Domini, IV.

In MSS. & excusis libris Maximo tribuitur.

De Epiphaniæ celebritate diversa traditio.

1. LICET, Fratres dilectissimi, de sollemnitate diei hujus veterum sit diversa traditio; una tamen sanctæ devotionis est fides. Et quamquam nonnulli hodie Dominum nostrum Jesum Christum stella duce venientibus ab Oriente Magis æstiment adoratum; alii autem asserant eum aquas in vina mutasse; quidam verò baptizatum illum à Johanne confirment: in omnibus Dei Filius creditur, in omnibus est [a] nostra festivitas. Nam quòd Magis, utique Gentilibus, & adorare Dominum, & munera offerre conceditur, Gentium est præfigurata vocatio: quòd aquæ transformantur in vinum, religionis nostræ designatur arcanum: quòd verò fluentis Jordanis baptizatur Jesus, aquæ nostro baptismati consecrantur. Oportet itaque, Carissimi, ut aliqua nunc de ipso baptismate Sanctitati Vestræ, prout Dominus donaverit, proferamus; ut simul & humilitatem Salvatoris nostri, & mysteriorum gloriam cognoscatis.

Johannis baptismus crimina non delebat.

2. Prædicabat in deserto Johannes baptismum pænitentiæ populo [b] peccatori, non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes; nam remissio peccatorum Christi gratiæ servabatur. Confluebat ergo ad Jordanem, desiderio lavacri, diversorum copiosissima multitudo, quorum essent tam scelerati actus, vita tam perdita, ut eos venerabilis Baptista vipereo semini compararet. Inter hujus modi homines ille virtutum cælestium Dominus, ille *qui respicit terram, & facit eam tremere*, (Psal. 103. 32.) Christus Jesus, non dedignatur humilis & quietus ad servuli sui baptismum properare. Sed quid mirum de mansuetudine Salvatoris, si se Prophetæ manibus inclinavit, qui se ab inimicis suis passus est crucifigi?

Christi humilitas.

3. Quo properante ad fluvium, talem Johannes circumstantibus turbis erupit in vocem: (Johan. 1. 29.) *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*: hoc est dicere, Cessate jam, cessate à baptismo meo quo pænitentia [c] suscipitur. Ecce Baptista per quem crimina dimittuntur: desinite ulteriùs à conservo vestro baptizari velle. Præsens est Dominus omnium nostrûm, qui baptizat ad vitam: illum sequimini, illi credite, ab illo lavacrum salutis tota mente supplices postulate, à quo & ego ipse baptista vester cupio baptizari. Non renuit quidem Jesus testimonium vocis hujus; sed qui per ordinem vellet universa complere, nihilo minùs baptizari se expetit à Johanne. (Matth. 3. 14.) Et Baptista devotus baptizandi sui potentiâ tremefactus ait, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* id est, quoniam ego creatura sum, tu Creator; ego servus, tu Dominus; ego figura, tu Veritas. At Jesus ait, *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam*: id est, Quid nunc ista commemoras? Propositum [d] susceptæ humilitatis implendum est. Tunc ille qui præsumere formidabat, velociter paruit præcipientis imperio.

Johannis de Christo testimonium.

4. Baptizatur ergo Jesus non sibi, sed nobis: baptizatur, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet: baptizatur novus homo; ut novi baptismatis constituat sacramentum. (Ibidem 16.) *Aperti sunt*, inquit, *ei cæli*: æstimo ut in cælestibus esset miraculum de his quæ gerebantur in terris, sicut ait Scriptura, (1. Petr. 1. 12.) *In quem concupiscunt Angeli prospicere*. Quomodo enim poterant non mirari Virtutes

A cælorum & Dominationes, Cherubim & Seraphim, cùm viderent Dominum Sabaoth in fluvio ab homine baptizari? Ut autem Johannis adtestatio etiam cælesti testimonio confirmetur, videt Spiritum-sanctum corporali specie, quasi columbam descendentem, & manentem super Jesum: audit & Patrem dicentem, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Advertite, dilectissimi Fratres, quanta nobis in baptismate Domini nostri Jesu Christi patefacta sit gratia, quàm subtili sacramento Trinitas se hodie homini revelavit. Pater enim auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus-sanctus dignoscitur in columba. Quàm mirifico autem mysterio Dominus noster Jesus Christus vel tactu corporis sui, vel

Serm. de Tempore.

Trinitatis manifestatio.

B transitu gloriæ suæ omnem ad momentum creaturam sanctificat, vivificat & illustrat? Aquas enim consecrat, dum baptizatur; terram sanctificat, dum sepelitur; mortuos suscitat, dum resurgit; cælestia glorificat, dum adscendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris.

Christi potentia.

* SERMO CXXXV.

* Alias de Tempore 36.

In Epiphania Domini, V.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius à Lovaniensibus, à Verlino autem & Vindingo supposititius habetur. Non verba dumtaxat inusitata Augustino, qualia sunt, purâ undâ submersum, Mariæ castificatio, maria calculis alligavit, Magorum beata le-
C gatio; *sed contraria quoque ipsius doctrinæ continet, atque usu periculosa, ut cùm de Christo dicitur*, jam renascitur sacramentis, consecratus est in Jordane, per mysterium gigneretur &c. *Quæ hæresi favent Felicis Urgelitani, contra quem Alcuinus disputans lib. 2.* In baptismate, *ait*, Johannis, in quo Christus baptizatus est, non fuit regeneratio. *Habes hac de re insignem Augustini sententiam in epistola 187. n. 31.* Profectò ille singulariter natus est, cui renasci non opus fuit. *In Remigiano codice præfert nomen Ambrosii. Id falsò quidem, sed editus fortè est ex suppositis Ambrosio Sermonibus, sive ab eodem auctore à quo prodiit Sermo apud Ambrosium 17. de baptismo Christi, ubi ipse Dominus pariter dicitur* consecratus, natus & generatus per mysterium: *ita ut hæc ipsa dies ibi* Natalis *ejus vocetur; quemadmodum & in hoc Sermone legere est*, Natalis ergo hodie alter est quodam modo Salvatoris. *Præterea quæ hic Josephum inter & Deum Patrem instituitur com-*
D *paratio, non aliis fere verbis explicatur in Sermone 10. apud Ambrosium. Sunt & alia quædam cum aliis quibusdam Ambrosianis Sermonibus convenientia.*

1. INTELLIGERE possumus, Fratres carissimi, quantam gratiam Christo Domino debeamus, qui * vota votis accumulat, gaudia gaudiis multiplicat. Ecce enim adhuc exsultamus Christum Dominum natum; & jam eum lætamur pro salute humani generis baptizatum. Nec dum ortûs ejus est expleta festivitas; & jam baptismatis ejus est celebranda sollemnitas. Vix * natus est hominibus; & jam renascitur sacramentis. Hodie enim, licèt post multa annorum curricula, con-
E secratus est in Jordane. Ita ergo disposuit Dominus, ut votis vota subjungeret, hoc est, ut uno eodemque tempore & ederetur per Virginem, & per mysterium gigneretur; essetque continuata festivitas, carnis nativitatis atque baptismatis: ut quemadmodum tunc eum miramur incorrupta matre progenitum; ita & nunc suscipiamus illum purâ undâ submersum: & gloriemur in utroque facto, quia filium genuit mater, & casta est; & quia Christum unda lavit, & sancta est. Nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio; ita post baptismum aquæ est purificatio comprobata; nisi quòd penè majori munere, quàm Maria, unda ditata est.
F Illa enim sibi tantùm meruit castitatem; ista nobis contulit sanctificationem. Illa meruit ne peccaret; ista ut peccata purgaret. Illa propria delicta à se repudiat; ista in se per Dei gratiam aliena condonat. Illi est collata virginitas; isti donata fecunditas. Illa unum procreavit, & virgo est; ista generat plures, & pura est. Illa præter Christum nescit alium filium; ista cum Christo mater est populorum.

* V. Ambros. initio Serm. 13.

* Ambros. Serm. 17.

Unda amplius ditata quàm Maria.

2. Natalis ergo hodie alter est quodam modo Salvatoris. Nam eisdem eum signis, eisdem miraculis cognoscimus genitum, sed nunc majore mysterio baptizatum. Denique Spiritus-sanctus, qui tunc illi in utero (Lucæ 1. 35.)
G adfuit, modò eum in gurgite circumfulsit: qui tunc Mariam castigavit, nunc fluenta sanctificat. Pater qui tunc obumbravit in virtute, nunc clamat in voce: & quasi maturiore consilio, qui tunc umbram præstitit na-

Nativitas Christi secunda.

[a] Sic MSS. editi, *vera*.
[b] In editis, *populo in remissionem peccatorum*. MSS. secuti sumus.
[c] Editi, *pænitentia incepit*.
[d] In editis, *Propositum suscepi*. MS. Remig. *Propositum sanctæ humilitatis*.

CLASSIS II. tivitati, modò testimonium perhibet veritati. Ait enim A Deus, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. 17. Hæc primâ præclarior. Præclarior planè est secunda * Ambros. Serm. 9. quàm prima nativitas. * Illa enim sine teste, silentio Christum genuit; ista cum divinitatis professione Dominum baptizavit. Ab illa se Joseph, qui pater putabatur, excusat; in hac se pater, qui non credebatur, insinuat. Ibi laborat suspicionibus mater, quia professioni deerat pater; hîc honoratur genitrix, quia divinitas filium protestatur. Honoratior, inquam, secunda, quàm prima nativitas: siquidem pater hic Deus majestatis inscribitur; illic Joseph artifex æstimatur. Et licèt in utraque Dominus per Spiritum-sanctum & natus sit, & baptizatus; B tamen honoratior est qui de cælis clamat, quàm qui in terris laborat.

Matth. 13. 55. 3. Joseph ergo faber in terris pater putabatur esse Domini Salvatoris, nec ab hoc opere Deus qui verè est pater Domini nostri Jesu Christi excluditur: * nam est & ipse faber. Ipse enim est artifex, qui hujus mundi machinam non solùm mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricatus est; tamquam sapiens architectus cælum subtilitate suspendit, terram mole fundavit, maria calculis alligavit. Ipse est artifex, qui ad mensuram quamdam superbiæ deponit fastigia, humilitatis extrema sublimat. Ipse est artifex, qui in nostris moribus præcidit superflua opera, utilia quæque conservat. Ipse est artifex, cujus securim ad radicem nostram positam Johannes-baptista comminatur: ut omnis arbor quæ normam justæ discretionis excesserit, excisa radicitus tradatur incendio; quæ autem mensuram veritatis habuerit, cælesti fabricæ deputetur.

(Margin: Deus Pater, faber. — * Confer Ambrosf. in fine Serm. 10. — Matth. 3. 10.)

Christus dum baptizatur, aquas mundat. 4. Hodie ergo baptizatur Dominus in Jordane. * Quale est hoc baptismum, ubi purior est fonte ille qui mergitur, ubi dum susceptum aqua diluit, non sordibus inficitur, sed benedictionibus honoratur? Quale, inquam, Salvatoris est baptismum, in quo purgantur potiùs fluenta quàm purgant? Novo enim sanctificationis genere Christum non D tam lavit unda, quam lota est. Nam ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit: ut ubi quisque in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluat, quàm Christi unda purificet. Salvator autem ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam adquireret, sed ut nobis fluenta mundaret.

(Margin: * V. Serm. Ambros. 17.)

a 5. Interea [a] Magorum beata legatio perducta ad sacra cunabula radium desuper currentem miratur. Judæam præcedit Æthiopia, peccati exuenda nigredine, & fidei induenda candore. Quam stupenda dignatio! Inter amplexus genitricis includitur, qui cælum terramque complectitur: E in sinu matris latet, qui regnum Patris excedit. Per simplex officium, spiritale revelatur arcanum: Munera mystica. humanitas cernitur, & divinitas adoratur. Exhibent aurum, thus & myrrham, plus in mysteriis quàm in conscientiis offerentes. In auri munere regia dignitas, in thuris vapore divina majestas, in myrrhæ specie sepelienda demonstratur humanitas: ac sic Trinitatem oblationum numerus loquitur, unitatem devotio una testatur. Per hoc ergo pervigili intentione cordis cælum semper studeamus adspicere, si ad Christum cupimus pervenire. Dirigat ergo nobis semitas vitæ perfecta stella justitiæ, qui dixit, *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* F Offeramus ei aurum fidei, pietatis aromata, castitatis holocausta. Exod. 23. 15. Spiritalem quoque myrrham habeamus in nobis, quæ ita animas nostras condiat, ut illæsas à peccati corruptione custodiat: quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CXXXVI.

* Aliàs de Tempore 29.

In Epiphania Domini, VI.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses; suppositiitum Verlinus & Vindingus asserunt. Et meritò quidem: nam, ut non moremur in miraculo quinque panum, quod hic G *in Epiphania festo celebrari dicitur; sicut in superiore Sermone, sic in isto baptismus Christi regeneratio appellatur. Iisdem verbis in utroque pronuntiatur*, Christum Dominum non tam lavit unda, quàm lota est. *Habesque præterea in isto subsequente Tractatu complura tum Sermonis de Epiphania qui Sedato, tum alterius qui Eusebio* A *in Bibliotheca Patrum inscribitur. Porrò in codice Navarrico Sermo non incongruè divisus est in duos, quorum alter ab his verbis n. 5. incipit*, Proximè ab hac die, Fratres carissimi, *&c.*

SERM. DE TEMPORE.

1. PROXIME, Fratres carissimi, ejus modi redemptionis nostræ celebravimus sacramentum, quo Deus hominem cum infirmitatibus induit. Hodie verò illud colimus, quo se in homine Deus virtutibus declaravit, pro eo quòd in hac die, sive quòd in cælo stella ortûs sui nuntium præbuit; sive quòd in Cana Galilææ in convivio nuptiali aquam in vinum convertit; sive quòd in Jordanis undis aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecravit; sive quòd de quinque B panibus quinque millia hominum satiavit: in quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur & gaudia. Nobis enim ex Virgine natus est, quod stella monstravit: nobis ex baptismo lavacrum concessum est, quod in Jordanis alveo consecravit: nos quoque in melius esse mutandos operis miraculo præmostravit, quando aquas in vina convertit. * Et ideo, Fratres carissimi, in omni actu nostro stellam fidei præparemus; & in custodia puritatis, Christi baptismum celebremus: quia hæc Christi regeneratio, nostræ fidei confirmatio est. Insinuavit enim nobis muneris sui beneficium per secundæ nativitatis exemplum, & quod facere voluit, prior ipse fecit. Legimus C Judæos diversa sub Lege habuisse baptismata; sed nullum ex his contra prævaricationis malum generalem potuit conferre medicinam. Et ideo pro absolutione totius mundi indigebant regenerationis [b] aquæ cælitus sanctificari. Et quia per universum mundum sacramentum baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Jordanis alveum unica ac singulari pietate descendit. Tunc enim Christum Dominum * non tam lavit unda, quàm lota est. Tibi ergo nascendo Christus advenit, tibi vivendo militavit, tibi moriendo conflixit: quem vides pro te mortuum, pro te intellige baptizatum.

(Margin: Quadruplex in hac die Christi manifestatio. — Matth. 2. 1. — Johan. 2. 1. — Matth. 3. 13. — Matth. 14. 19. — In qualibet salutis nostræ mysteria continentur. — * Hæc usque nonnulla cum Eusebio conveniunt. — b Aquæ omnes in Christi baptismo benedictæ. — * In superiore Serm. n. 4.)

D 2. * Talis omnino etiam ante baptismum fuit, & ideo præcursor ejus atque baptista ita eum cùm ad se baptizandus veniret, alloquitur: *Domine, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quid evidentius de Christi nondum baptizati puritate, quid fortius? *Ego à te debeo baptizari:* id est, qui fons es innocentiæ & plenitudo justitiæ, qui nullo indigens dare scis, nescis accipere? *Ego*, inquit, *à te debeo baptizari*; quia tecum exhibes, & in te possides puritatis munera & baptismatis sacramenta; & quod ego dabo, te largiente, per gratiam, tu obtines per naturam. Adtactu membra tinguuntur, & fluenta ditantur: vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen E mutuatur ex corpore. Descendere in se fontem suum felix unda miratur, sub uno momento remedia æterna concipiens, & novâ Deum regenerationis fecunditate parturiens; quod acceperat, hoc reddens; & quod non habebat, accipiens. Inter hæc mirum esset, quòd se Dominus servi subdidit benedictioni, nisi & cruci se subdidisset & morti.

(Margin: * Quæ hoc numero continentur, desunt in MSS. — Matth. 3. 14.)

3. Et ille quidem pretiosum sibi esse hominem pretii ipsius dignitate perdocuit, ut hinc quoque intelligamus quàm grandes apud se æstimet Deus noster humanorum criminum caussas, propter quas non Angelum, non Archangelum, sed Deum misit ad terras; quàm gravis sit F peccati & quàm dura conditio, prodit remedii magnitudo. Quanta malorum discussio erit qua damnabuntur [c] impii, sollicitudo indicat qua redimuntur pii. Omni ergo diligentiâ atque vigilantiâ caveamus, ne vulneret diabolus quod sanavit Deus: ne per consensum cordis, per flagitium corporis, servitutem quam debemus Domino, magis exhibere probemur inimico. Et quidem si quis violentus ac præpotens aliquid de facultate nostra ac proprietate rapuisset, nonne dignum summo odio duceremus? nonne meritò tamquam hostem detestaremur? Cur per peccatum diabolo consentiemus, qui nobis non substantiam vult auferre, sed vitam; non terram G fraudare, sed cælum; non fines angustæ possessionis, sed infinita spatia æternitatis? Inter hæc, ô homo, si dignitatem facturæ tuæ, si pietatem circa te Domini tui volueris æstimare de pretio, non poteris dubitare de regno.

(Margin: Peccati gravitas ex remedio pendenda. — c — Peccatum quantâ curâ cavendum.)

a Hæc desunt in MSS. Reg. & Remig. Habentur autem in editis & in Sermone Sedati, de quo suprà ad Sermonem 130.

b Ita vetus codex Vindocin. Ceteri cum editis, *aquâ.*

c Hoc loco *impii*, nec-non infrà vox *pii* deerat editis. At in MSS. utraque reperitur.

CLASSIS II.

* Eusebii verba

Fides Trinitatis & Incarnationis in Magorum muneribus.

4. [* Ipsi autem Magi, qui ad illa cælestis pueri veneranda cunabula stellæ indicio pervenerunt, quid aliud expresserunt in illis muneribus, nisi fidem nostram? In eo enim quòd tria offeruntur, Trinitas intelligitur: in eo verò quòd tres sunt, & singuli singula offerunt, in Trinitate unitas declaratur. Per aurum rex ostenditur, Deus thure dignoscitur; per myrrham, quæ condiendis est apta corporibus, sepultura crucifigendi hominis prædicatur. Secundùm hæc, Carissimi, nos quoque personam Magorum spiritalibus imitemur obsequiis. In primis tamdiu quæramus Christum, donec illum invenire mereamur. Ducatum nobis præbeat, velut stella cæli, lux fidei. Hæc nobis illum ostendat, non jam in præsepi vagientem, sed in summa cæli arce dominantem; nec in matris gremio, sed in solio Patris adorandum; nec ulteriùs in humilitate judicandum, sed ad judicium cum majestate venturum. Sit quasi trium munerum oblatio, Trinitatis perfecta confessio. Credatur à nobis unitas sine confusione conjuncta, Trinitas sine separatione distincta: Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus Deus credantur; tres personæ, sed non tres substantiæ.] Quantum autem ad cælestis naturæ ordinem pertinet, in Patre & Filio & Spiritu-sancto ita confitenda est una divinitas, ut nec singularis putetur in Trinitate persona, nec triplex in unitate substantia: sed ita adsignetur pluralitas unitati, ne Trinitati subtrahatur æqualitas. Et licèt intromittatur in una deitate numerositas, non sit tamen recipienda diversitas. Ita ergo fidelium cordibus disponendus est Dei cultus, ut non admittatur vel in unitate separatio, vel in Trinitate permixtio.

Magi quomodo imitandi.

5. [a] Proxima enim ab hac die, Fratres Carissimi, sacri Natalis die natus est Dominus, nunc baptizatus. Tunc nos genuit ad vitam; nunc regeneravit ad salutem: tunc Adam suscepit perditum; nunc abluit peccatorem. Venit ergo ad baptismum, sicut scriptum est. Sed quid ablueret qui mundus erat? Utique ut mundus ablueret immundos. Illum ergo currentes aquæ tunc infundebant; sed peccata nostra secum portabant. De illo guttæ baptismatis fluebant; sed nostra in guttis crimina defluebant. O misericordia simul & potentia Dei! Necdum eramus in mundo, & jam abluebamur in baptismo; mundati in illo sumus antè quàm nati. Nam ipsa fuit baptismatis ratio, ut aquæ quæ purgaturæ nos erant, ab illo antè purgarentur. Et cùm adscendisset, inquit Scriptura, de aqua, vidit apertos cælos. Numquid tunc ei cælum apertum fuerat, cujus oculi cælorum interiora cernebant? Sed ideo cælum aperitur, ut mysterium baptismatis in hoc declaretur: quia quando homo de baptismo egreditur, tunc ei janua regni cælestis aperitur.

In Christi baptismo baptizamur.

Aquæ purgantur.

Matth. 3. 16.

Effectus baptismi declaratur.

6. Illud verò quale est quòd Magi veniunt ad Deum natum, immo ducuntur: positum in præsepio vident; nec apud sensus eorum humilitas nativitatis reverentiam divinitatis imminuit: adorant corporibus, honorant muneribus, venerantur officiis. Oculis hominem vident; & Deum obsequiis confitentur. Videbant enim in eo qui natus fuerat, plus esse quod animi hominum, quàm quod oculi providerent. Dominus qui tunc corporaliter natus fuerat, per ipsum omnia nata erant. Videbatur quidem in præsepio, sed dominabatur in cælo; intra corpusculum erat, sed intra se omnia continebat. Natus quidem ex matre fuerat, sed matrem suam ipse creaverat. Et ideo se ei Magi humiliabant, quia famulari astra cernebant: Deum enim esse cognoscebant, cui cælestia serviebant. Et idcirco etiam ipsa eorum munera divino mysterio plena erant. Aurum namque, ut audistis, & thus, & myrrham obtulerunt. Triplicium ergo munerum numero triplex significatio continetur. In thure signant Dei honorem, in auro regiam dignitatem, in myrrha corporis sepulturam. Offeramus ergo & nos, dilectissimi Fratres, sincera & sancta munera Deo nostro, castitatem, fidem, patientiam, caritatem, mentes humiles, probos mores, animas Deo inhabitatore condignas. Hæc sunt enim placita Deo dona, hæc grata munera, quæ illi quidem offeruntur, sed offerentibus prosunt. Nulla enim re ille, nullo munere eget: sed hoc illi munus optimum est, ut caussas habeat munerandi. Nihil à nobis amplius exigit, nihil amplius petit nisi salutem nostram. Omnia enim sibi præstari à nobis putat, si ita nos egerimus, ut nobis ab illo cuncta præstentur; auxiliante ipso Domino nostro Jesu Christo, cui est honor cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Unde Magorum tanta devotio.

Matth. 2. 11.

Mystica eorum munera

Placita Deo dona.

[a] Hic sublatâ particulâ *enim*, incipit alter Sermo in MS. Navarr.

SERM. DE TEMPORE.

* SERMO CXXXVII.

In Epiphania Domini, VII.

* *Aliàs 19. post homilias ex Carthus. majore in 1. parte Supplementi.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustini nomen gerit in MSS. pluribus. In Corbeiensi codice ante 800. annos scripto reperitur sine nomine post epistolam Hieronymi. Remigianus autem MS. tribuit Ambrosio, inter cujus Sermones etiam editus est, paucis mutatis. Apud Ambrosium incipit in hunc modum: Hanc baptismi Jesu Christi *&c. estque ordine 18.*

1. DIES Epiphaniorum Græco nomine sic vocatur. Quod enim nos apparitionem, vel ostensionem dicimus, id Græci epiphaniam vocant. Hoc autem ideo dicimus, quia hodie Dominus noster & Salvator apparuit secundùm carnem in terris. Licèt enim olim natus esset ex Maria, & triginta jam annorum explesset ætatem; tamen ignorabatur à mundo. Eo tempore cognitus est, quo ad Johannem-baptistam, ut in Jordane baptizaretur, advenit: & vox de cælo Patris intonantis audita est, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quem Pater de cælis voce monstraverat, hunc Spiritus-sanctus verus, quasi in columba, & super caput illius sedens tactu voluit demonstrare: ne quis alius Filius Dei putaretur ex populo. Quid hac humilitate sublimius, vilitate nobilius? Baptizatur à servo; & à Deo Filius appellatur. Inter publicanos, & meretrices, & peccatores ad lavacrum venit; & sanctior est baptizatore suo. Baptizatur à Johanne in carne; sed ipse Johannem in spiritu lavat. Aquæ quæ cetera mundare consueverant, Domino nostro lavante, mundatæ sunt. Jordanis fluvius, qui eo tempore, quando populum Israël duxit Jesus Nave, & ad terram repromissionis induxit, fuerat exsiccatus: nunc totis, si potuisset, undis in unum locum voluit congregari, ut Domini corpus adtingeret. *Jordanis*, inquit, *reversus est retrorsum.*

Christus primùm innotuit in baptismo suo.

Matth. 3. 17.

Psal. 113. 3.

2. Videte Fratres, quomodo id quod in Evangelio lectum est, in vigesimo & octavo Psalmo fuerat ante prædictum: *Vox Domini super aquas.* Locutus est enim Dei Filius ad Johannem, *Sine modo; sic enim oportet nos adimplere omnem justitiam.* Sequitur, *Dominus majestatis intonuit*; quando Pater Filio testimonium reddidit, dicens, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vox Domini confringentis cedros.* Baptizatus est enim Christus; & erecti priùs atque quasi sublimes dæmones corruerunt. *Succidit eos Dominus quasi cedros Libani, & comminuit eos tamquam vitulos*, fragmenta arborum ventilans, & calcibus stirpes in diversa dispergens. E contrario de Salvatore quid dicitur? *Et dilectus sicut filius unicornium.* Dilectus Dominus atque Salvator est Filius Dei, [b] Unicornium, filius crucis, de quo dicitur in Cantico Habacuc, *Cornua in manibus ejus: ibi abscondit fortitudinem suam.* Postquam autem dilectus iste crucifixus est, impletum est illud quod sequitur in Psalmo, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Illo enim baptizato, & universo mundo, Christo lavante, mundato gehennæ ignis exstinctus est. *Vox Domini concutientis desertum.* Deserta fuit Ecclesia, quæ priùs filios non habebat. Ad prædicationem Christi deserta ista commota est; & parturivit, & peperit, & nata est in una die gens tota. Simul illa, quæ antea dicebatur desertum Cades, hoc est desertum sanctitatis, siquidem non habuerat sanctitatem, cœpit parere cervos & sanctorum suorum emittere greges, qui serpentes interficiunt, qui venena contemnunt: quibus discurrentibus, & in toto orbe Christi Evangelium prædicantibus, *In templo ejus omnes dicent gloriam Deo.* Sequitur, *Dominus diluvium inhabitare facit.* Consideremus totum orbem, respiciamus barbaras nationes, Romanum quoque mente lustremus imperium: ubique Christo credunt, ubique in nostrum Dominum baptizantur: & ita fit, ut non una aqua, sed quodam modo fit diluvium baptismorum. Quapropter, Fratres carissimi, quoniam consummatum est Tabernaculum; (hoc enim Psalmi istius titulo prænotatur; & quoniam Ecclesia vivis lapidibus constructa

Psalmi 28. brevis expositio.

Psal. 28. 3.

Matth. 3. 15.

Psal. 28. 3.

Matth. 3. 17.

Psal. 28. 5.

ṽ. 6.

[b] Habac 3. 4.

Psal. 28. 7.

ṽ. 8.

Ecclesiæ antea desertæ fecunditas.

ṽ. 9.

ṽ. 10.

Titulus Psalmi 28.

[b] Apud Ambrosium, *estque filius unicornium.*

est: afferamus Domino filios Dei, afferamus ei filios arietum, Apostolorum atque Sanctorum: & imitemur Salvatorem nostrum, qui & ipse pastor & agnus appellatur, qui pro nobis immolatur in Ægypto, qui pro Isaac tenetur in sentibus; & dicamus, *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me*; cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 22. 1.

* Aliàs de Diversis 65.

* SERMO CXXXVIII.

In Epiphania Domini, VIII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustino abjudicatur Verlini & Vindingi sententiâ, cui nos haud inviti subscribimus.

1. Aperiatur hodie omne os, Dilectissimi, & collaudet omne verbum, Dei Verbum quod effulsit de cælo. Lætetur omnis anima, omnis concinat lingua, & terra Domini psallat universa. Hodie enim gratiam lucis, in die lucis, filius lucis irradiat. Consentiant terrena cælestibus, hymnum dicant cum summis Potestatibus cuncta quæ videntur in mundo. Hodie enim effulsit veritas cum rege cælesti. Christi enim præsentia veræ lucis adventus est, & totius mundi plena libertas. Adverte ergo, Carissime, dignam Deo Ecclesiæ disciplinam, adverte cælestis desiderii inexstinguibilem flammam, adverte corporis hanc naturam Angelorum ministeriis coæquari. Homines enim de terra, & habitantes in terra, quos etiam terra nutrit, supernis Potestatibus æmulantur. Negant enim propter caritatem Christi naturam corporis, & ministerium suscipiunt Angelorum. Quid enim aliud agunt Angeli in cælis; nisi quòd divinis obtemperant nutibus? Quæ sunt & opera in terra sanctorum; nisi angelicam vitam agere in terris, & dignis Deum laudibus prædicare? Quorum ergo idem est officium, ambiguum non est, quòd eadem possit esse & dignitas.

Homines Angelis compares.

2. Hodie ergo, Carissimi, Dominus noster Jesus Christus in Jordanis fluenta descendit: non ut ipse sanctificaretur; sed ut aquis futuris vitalibus sanctificationem ipse præberet. Johannes ergo implebat habitum sacerdotis. Ad eum Redemtor orbis accessit, ut baptizaretur in aqua, qui baptizantem illuminabat in Spiritu. Venit ergo rex ad præcursorem suum, Deus ad Prophetam. Johannes ergo, Carissimi, non ignorabat dispensationis mysterium, per quod Dominus humano generi remedium præpararet: sed nec eum fefellit corporis habitus, nec caro quæ videbatur elusit. Et ideo lucerna Christo meo dictus est per Prophetam: quia Filium Dei, qui carnis obscuritate latebat, lumine sui cordis agnovit primus, & ignorantibus digito demonstravit. Hic est ergo lucerna illa mirabilis, de qua illud est, *Paravi lucernam Christo meo.* Hunc ergo Pater Filio præparavit, non quòd Verbum Dei, quod erat lumen verum & Sol justitiæ, lucernæ lumine indigeret; sed quia, ut superiùs diximus, primus agnovit humani generis Redemtorem.

Johannes, lucerna.

Psal. 131. 17.

3. Adverte autem, Dilectissime, miraculum Dominicæ majestatis. Quando ad carnem venire disposuit Dominus qui ad nos venit; pro amore hominis etiam homo fieri dignatus est: & erat novum miraculum, Deus inter homines, Dominus inter servos, Creator inter creaturas, inter sanctificandos sanctificans. Tunc Johannes Dominum Jesum & omnium Redemtorem, homo qui redemtus fuerat, baptizavit, non fiduciâ provocatus, sed præceptione subjectus. Tunc geminæ voces propheticæ sonuerunt: *Vox Domini in deserto, vox Domini super aquas.* Nuntius veritatis clamabat; & Deus gloriæ intonabat: & erat ibi in unum totius gloria Trinitatis adorandæ. Pater de supernis Filium prædicabat: Filius in terris ordinem sacratissimæ dispositionis implebat: & Spiritussanctus Trinitatis indissolubile mysterium colligabat. Hæc est ergo, Carissimi, Trinitas unitatis, quæ est unitas Trinitatis: quæ nos per innumeras sollemnitates tueatur, atque hîc & in æternum custodiat per Dominum nostrum Jesum Christum.

Psal. 28. 3. & 8.

* SERMO CXXXIX.

De Epiphania Domini, IX. Et quomodo sollemnitatem ejus populus dignè celebrare valeat.

Exstat inter Ambrosianos ordine duodecimus: sed Cæsarianis omnino est annumerandus.

1. Dies ista & festivitas, quam hodie, Fratres, celebratis, ideo Epiphania, id est, apparitio sive manifestatio appellatur, quia in ea Christus, stellâ duce, Gentibus est manifestatus, & à Johanne hodie dicitur baptizatus, & aquam in vinum potestate divina eum convertisse narratur. Utinam sicut per stellam novam hodie Christus Redemtor noster ostensus est Gentibus; ita per cæleste desiderium vestris ipse semper manifestum se faciat cordibus: & qui à servo suo hodie baptizari voluit, donet vobis, ut quod in baptismo promisistis, per humilitatis virtutem servare possitis: & qui aquas hodie convertit in vinum, quidquid in vobis insipidum est, in spiritalem commutet intellectum.

CÆSARII Serm. XLIII. Matth. 2. Matth. 3. 16. Johan. 2.

2. Erigite, Fratres, ad Deum animas vestras, & videte corda & cogitationes vestras, ut & pro bonis actibus vestris Deo gratias agatis, & mala vestra longè à vobis projiciatis. Imitemini istos Magos, ut eo studio & ardore semper ad ecclesiam veniatis, quo illi desiderio de longinquis regionibus Christum adorare venerunt. Illi pretiosa munera obtulerunt, & vos offerte illi animas vestras; si fidem, spem, caritatem, pænitentiam, humilitatem, & castitatem diligitis; rationabilia dona illi offeratis, id est, vos ipsos; * quia plus Deus vos ipsos, quàm substantiam vestram diligit. Multi enim sunt qui faciunt eleemosynas, & tamen peccare non cessant. Isti quasi sua offerunt Deo, & se ipsos diabolo. Nullam habet Deus cum diabolo partem: & ideo sive furtum, sive luxuriam, sive odium, sive superbiam, & quidquid mali est, à vobis cum Dei adjutorio repellite; ut totos vos vester Creator possideat. Attendite quia Herodes Christum quæsivit; sed ideo non invenit, quia malè quæsivit: & vos malè Christum quæritis, si bona opera pro humana laude facitis. Cavete ne taliter quærendo, & illum non inveniatis, & vos ipsos perdatis. Magi ad Herodem intrantes, stellam perdiderunt; & vos si ad diabolum accesseritis peccando, lucem spiritualem non habebitis, nisi fortè per confessionem & pænitentiam denuo ab illo recesseritis. Moneo ne intretis ad Herodem: quia melius est peccatum cavere, quàm emendare. Nam si diabolo suadente, peccaveritis, per pænitentiam autem, Deo adjuvante, ab illo recesseritis, gratiam perditam recipietis: sicut & Magi postquam ab Herode recesserunt, stellam quam perdiderant, videre meruerunt.

Magos qualiter imitemur.

* Cæsar. hom. 16. & ex editis à Baluz. 9.

2. Cor. 6. 15.

3. Illi Magi tres [reges] esse dicuntur, & tria munera, hoc est, aurum, thus, & myrrham obtulerunt: quoniam verum Deum, & Regem, & verum hominem in carne mortali apparuisse cognoverunt. Et vos, Fratres, offerte illi aurum cælestis sapientiæ, & thus mundæ orationis, & myrrham perfectæ mortificationis. Et sicut illi *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*: ita & vos, qui à paradiso recessistis superbiendo, inobediendo, & cibum prohibitum comedendo, curate illuc per humilitatem & obedientiam, atque abstinentiam redire. Vita ista præsens peregrinatio est, patria verò vestra paradisus est. Et quia nimis stulti sunt qui exsilium pro patria diligunt, vos despicite hanc miseram & incertam vitam, ut pervenire valeatis ad patriæ cælestis felicitatem certissimam. Ad hoc namque Filius Dei de cælo venit ad terras, ut vos ejus exempla sequendo, possetis de terra in cælum adscendere. Quod ipse vobis concedat, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum.

Magorum munera.

Matth. 2. 12.

* Aliàs de Tempore 55.

* SERMO CXL.

In Quadragesima, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovaniensibus dubius, falsus Verlino & Vindingo. Cum proximè subsequente ac Cæsarianis aliis Sermonibus convenientiam & cognationem habet quàm maximam.

1. Ecce, Fratres carissimi, Deo propitio, tempus Quadragesimæ venit: & ideo rogo, Dilectissimi, ut dies

CÆSARII Serm. XLIV.

Classis II.

Quadragesima corpori & animæ salubris. Serm. App. 1. n. 6.

Quibusnam noxia.

* Cæsar hom. 37. ex editis à Baluzio.

dies istos corporibus salubres & animæ medicinales ita cum Dei adjutorio sanctè ac spiritaliter celebremus; ut observatio sanctæ Quadragesimæ * non nobis judicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos nimiis occupationibus implicamus, si castitatem servare nolumus, si jejuniis & vigiliis & orationibus non insistimus, si Scripturas divinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, * ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera; & inde habebimus judicium, unde potuimus habere remedium.

* V. Serm. App. 10. n. 5. Vigiliæ Quadragesimæ exercitia.

2. * Et ideo rogo vos, Fratres carissimi, ad Vigilias maturiùs surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum. Nec solùm vobis sufficiat, quòd in ecclesia divinas lectiones auditis: sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite. Recolite, Fratres, sententiam Domini nostri qua dicit, *Si totum mundum lucretur homo, animæ autem suæ detrimentum patiatur; quam dabit commutationem pro anima sua?* (Matth. 16. 26.) Et illud ante omnia memoriter retinete, & jugiter expavescite quod scriptum est, *Impedimenta mundi fecerunt eos miseros.* Sic ergo te occupabis in domo tua, ut non negligas animam tuam. Ad extremum si non ampliùs, vel tantum labora pro anima tua, quantum pro carne tua laborare te consideras.

1. Johan. 2. 15. Ibidem 17. Opera bona quæ dulcia: mala amaritudo.

3. Et ideo, Fratres carissimi, *nolite diligere mundum, neque ea quæ in eo sunt; quia mundus transit & concupiscentia ejus.* Quid autem permanet in homine, nisi quod quisque aut legendo, aut orando, aut bona opera faciendo pro animæ salute in thesauro conscientiæ suæ recondiderit? Infelix enim voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria, per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem: abstinentia verò, vigiliæ, orationes atque jejunium per brevissimas angustias perducunt ad paradisi delicias; quia non mentitur Veritas, quæ in Evangelio dicit, *Arta & angusta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.* (Matth. 7. 13.) * Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post brevem tristitiam accipiunt vitam æternam, & illi post parvum gaudium patiuntur sine fine supplicium. (* V. Serm. App. 69. n. 5.)

Quadragesima totius anni cibaria animæ providenda.

4. Et ideo, Fratres carissimi, in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ jejunando, legendo, vel orando providere debemus. Nam licèt per totum annum, Deo propitio, lectiones divinas frequenter & fideliter audiatis; in istis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi hujus quasi ad portum Quadragesimæ confugientes debemus requiescere, & lectiones divinas * in exceptorio cordis nostri cum silentio & pace suscipere: ut Deo propitio pro amore vitæ æternæ vacantes, quidquid in navicula animæ nostræ per totum annum multis tempestatibus, id est, peccatorum fluctibus, aut fractum, aut dissolutum aliquid, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine in istis diebus reparare studeamus atque componere. Et quia nos necesse est, dum adhuc in isto corpusculo sumus, procellas & turbines sæculi istius sustinere, quotienscumque nos aut per tempestates durissimas avertere, aut per voluptates mollissimas decipere voluerit inimicus, semper nos, adjuvante Deo, contra se inveniat præparatos.

* V. Serm. Append. 10. n. 1. & 28. n. 4.

Damna reparanda.

* V. Cæsar in fine hom. 21. Occupationes sæculi saltem temperandæ.

5. * Unde iterum rogo, ut occupationes sæculi hujus in istis diebus sanctæ Quadragesimæ, si non potestis abscindere, studeatis vel ex parte aliqua temperare: ut præciso damno & gloriosissimo fructu hoc sæculum fugientes, subtrahatis aliquas horas occupationi terrenæ, in quibus Deo vacare possitis. Nam iste mundus, aut ridet nos, aut ridetur à nobis: aut adquiescimus & despicimur, aut contemnimus ut æterna præmia consequamur. Ac sic aut contemnis & despicis mundum, aut adquiescis & premeris vel calcaris à mundo. Sed melius est, ut calces mundum, & calcato eo

Mundus aut ridetur à nobis, aut ipse ridet nos.

A gradum tibi facias, per quem in sublime conscendas. Hæc enim, Fratres carissimi, quæ pro salute communi de vestra obedientia præsumentes suggerimus, si secundùm vestram consuetudinem & libenter auditis, & fideliter implere contenditis; & Pascha cum gaudio celebrabitis, & ad vitam æternam feliciter venietis. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Serm. de Tempore.

* SERMO CXLI.

* Aliàs de Tempore 56.

In Quadragesima, II.

B *In Appendice nunc primùm collocatur. Idem atque de superiore est Lovaniensium, idem Verlini & Vindingi judicium. Inter Ambrosianos reperitur vigesimus quintus: Cæsario tamen tribuere suadet cùm duorum MSS. Corbeiensium, qui ipsi adscribunt, auctoritas, tum maximè stili consensio.*

Cæsarii Serm. XLV.

1. Dominus & Salvator noster, qualiter ad eum post multas negligentias venire debeamus, Fratres carissimi, per Prophetam nos hortatur & admonet dicens, *Venite adoremus & procidamus ante Deum, & ploremus coram Domino qui fecit nos* (Psal. 94. 6.); & iterùm, *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu.* (Ioelis 2. 12.) Dies enim sanctæ Quadragesimæ, Fratres carissimi, si diligenter attendimus, vitam sæculi præsentis significant; sicut & C dies Paschæ æternam beatitudinem præfigurant. Et quomodo in Quadragesima quasi tristitiam habemus, ut in Pascha ordine legitimo gaudeamus: sic & in hoc sæculo quamdiu vivimus, pænitentiam debemus agere, ut in futuro possimus peccatorum indulgentiam accipere, & ad æternum gaudium pervenire. Sed ita debet unusquisque pro suis criminibus suspirare, lacrymas fundere, eleemosynas dare: ut Deo auxiliante, quamdiu vivit, semper crimina ipsa conetur effugere. Sicut enim sine minutis peccatis nullus umquam aut fuit aut esse poterit: ita sine capitalibus criminibus, donante & auxiliante Deo, omnimodis esse [a] possumus & debemus.

Dies Quadragesimæ vitam præsentem; dies Paschæ futuram designant.

D 2. Et ut hæc obtinere possimus, si nos alio tempore impedimenta mundi detinent obligatos, vel in diebus sanctæ Quadragesimæ, in Domini lege, sicut scriptum est, die noctuque meditemur (Psal. 1. 2.): & ita cor nostrum divinæ legis dulcedine repleamus, ut in nobis nullum locum virtutibus vacuum, quem obtinere possint vitia, relinquamus. Sicut enim tempore messium vel vindemiarum, unde caro nostra possit sustentari, colligitur; ita in diebus Quadragesimæ, quasi in spiritali vindemiarum vel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit vivere, congregetur: quia sicut negligens quisque, si tempore vindemiarum vel messium nihil collegerit, per toE tum anni spatium fame torquebitur; ita qui in hoc tempore spiritale triticum & cæleste mustum jejunando, legendo, orando in horreis animæ suæ providere & congregare neglexerit, in æternum durissimam sitim & crudelem inopiam sustinebit. Certissimè scitote, Fratres carissimi, quia qualis est caro quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima quæ assiduè non pascitur Dei verbo: & quomodo caro per famem & inopiam tenuis & sicca velut quoddam simulacrum efficitur; ita & anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonum congrua invenitur. Considerate, Fratres, si F & horreum & [b] canavam & cellarium annis singulis replemus, unde uno anno cibum habeat caro nostra; putas quantum debemus recondere, unde in æternum sustentetur anima nostra.

Quadragesima, tempus messis ac vindemiæ spiritalis.

Quod carni cibus, id animæ verbum Dei.

b Canava.

3. Et ideo, Fratres, vel istis paucis diebus recedant impedimenta mundi, quæ secundùm Scripturam multos negligentes miseros faciunt. Recedat carnalis lætitia, recedant venenis plena mundi istius blandimenta. Carnis gaudia minuantur, ut animæ lucra spiritalia præparentur; propter illud quod scriptum est, *Væ vobis qui ridetis nunc; quia lugebitis & flebitis* (Luca 6. 25.): & illud, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* (Matth. 5. 5.) Tempus quod nobis furiosus G [c] tabulæ ludus solebat auferre, lectio divina incipiat

Occupationes commutentur.

Tabulæ ludus. c

a In MSS. & apud Ambrosium desideratur *possumus*.

b Hic ex MSS. restituimus vocem *canavam*, id est cellam penariam vel vinariam, Gallicè *cave*. Qua voce utitur idem ipse Cæsarius in Sermone qui inter Augustinianos aliàs fuit 61. de Tempore; itemque in suæ ad Virgines regulæ cap. 30. statuens: *Quæ cellario, sive canavæ, sive vestibus præponuntur* &c. Vide regulam S. Aureliani ad Monachos cap. 21. & Isidorum in Gloss. Victor in lib. 2. de Persecut. Vandal. eam usurpat pro ergastulo seu cavea.

c Exstat Eliberitani Conc. can 79. & Constantinop. 6. can. 50. de iis qui aleâ sive tabulâ ludunt. Fuit etiam aliquãdo civilibus leg. vetitus tabulæ ludus de quo Novell. Justin. 123. Julianus Antecessor Constit. 115. c 439. Narrat tamen Gregorius Turon. in hist. lib. 10 n. 16. accusatam, quæ Pictavensi S. Crucis monasterio præerat, abbatissam, quòd ad tabulam lusisset, respondisse *nec in regula per Scripturam prohiberi, nec in canonibus*. Ad tabulam ludentes reprehenduntur rursum infrà in Serm. 146. n. 4. & in Cæsarii homilia ex editis à Baluz. tertia: sed in eo maximè Tractatu, qui inter Cypriani opera vulgatus est *de aleatoribus*.

CLASSIS II.

occupare. Otiosis fabulis, & mordacibus jocis, & detractionibus venenatis colloquia de Scripturis sanctis succedant. Horarum spatiis, in quibus solebamus cum damno animæ detineri, visitentur infirmi, requirantur in carcere constituti, peregrini suscipiantur, & discordes ad concordiam revocentur. Hæc si facimus, Fratres, inde nobis parare possumus medicamenta, unde nobis vulnera feceramus.

** Ita infrà Serm. 142. n. 5.*
Prandia pauperibus eroganda.

4. Ante omnia * in diebus jejuniorum quod solebamus prandere, pauperibus erogemus; ne fortè aliquis sibi sumtuosas cœnas, & exquisitis saporibus epulas studeat præparare, & corpori suo magis commutasse, quàm subtraxisse ciborum abundantiam videatur. Nihil prodest tota die longum duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate vel nimietate anima obruatur. Illico mens repleta torpescit, & irrigata corporis nostri terra spinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus, & numquam nimiùm venter expletus; & plus semper de cibo cordis quàm de cibo corporis cogitemus: quia * intus in homine interiore facti sumus ad imaginem Dei; in carne autem de limo terræ formati sumus. Et videte, Fratres, si justum est, ut * caro nostra de terra facta interdum bis in die capiat cibum; & anima in qua imago Dei est, vix post plures dies accipiat Dei verbum: cùm tamen expediat nobis, ut ampliùs Dei imaginem in nobis, quàm nostram carnem honorare debeamus. Qui enim de sola carne cogitant, bestiis & pecoribus similes sunt: & qui ita agunt, jam in se Dei imaginem contriverunt. Caro ergo velut ancilla gubernetur; & anima tamquam domina legitima reficiatur. Nam & si aliter factum fuerit, si nos non agnoscimus ad imaginem Dei factos, & plus de carne quàm de anima cogitemus, timeo ne nos Spiritus-sanctus per Prophetam arguat, dicens, *Et homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Cœnæ cibi nec suaves nec nimii.
** Confer Serm. Append. 89. n. 3.*
Caro ut ancilla, anima ut dominatrix tractetur.
** Similia apud Cæsar. homil. 26. & ex editis à Baluzio 8.*
Psal. 48. 13.

5. Lectiones divinas & in ecclesia, sicut consuestis, libenter audite, & in domibus vestris relegite. Si aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem, Scripturæ divinæ non possit insistere, non eum pigeat in * conviviolo suo aliquid de divinis Scripturis relegere: ut quomodo caro pascitur cibo, sic anima reficiatur Dei verbo, & totus homo, id est, & exterior & interior, de sancto & salubri convivio satiatus exsurgat. Nam si sola caro reficitur, & anima Dei verbo non pascitur; ancilla satiatur, & domina fame torquetur: & hoc quàm sit injustum, Sanctitas Vestra non potest ignorare. Et ideo, sicut jam dixi, lectiones divinas illo desiderio & legere & audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, & ubicumque fueritis, etiam loqui & alios docere possitis, & verbum Dei, velut munda animalia, cogitatione assidua ruminantes, utilem succum, id est, spiritalem sensum, & vobis sumere, & aliis, Deo auxiliante, propinare possitis: ut in vobis impleatur illud quod scriptum est, *Et calix tuus inebrians quàm præclarus est*: implentes illud quod beatus Apostolus hortatur & admonet, dicens, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Si infirmitas non prohibet, quotidie jejunate, ad Vigilias alacri & ferventi devotione consurgite, propter illud quod scriptum est, *De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus*: & iterùm, *Ad te orabo, Domine, manè, & exaudies vocem meam.* Et iterùm, *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, Domine.* Ad quam rem etiam Dominus & Salvator noster in Evangelio hortatur & admonet, dicens, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*: quod ipse præstare dignetur, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto, &c.

Lectiones divinæ in ecclesia, domi, & refectionis tempore.
** Vox Cæsario familiaris.*
Psal. 22. 5.
1. Cor. 10. 31.
Psal. 62. 2.
Psal. 5. 4.
Psal. 118. 62.
Matth. 26. 41.

*SERMO CXLII.

In Quadragesima, III.

** Aliàs de Tempore 62.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubiis per Lovanienses, suppositit:is per Verlinum & Vindingum annumeratus fuit. Inter spurios Ambrosii quoque Sermones est vigesimus-sextus. Sed veriùs inter Cæsarianos repræsentatur in Bibliot. Pat. & in Bibliotheca Lirinensi. Et certè Cæsarium clamant singula ferè verba, adeo ut minimè videatur fides habenda recentioribus aliquot MSS. qui Faustino adscribunt.

CÆSARII Serm. XLVI.

1. Rogo vos & admoneo, Fratres carissimi, ut in isto legitimo ac sacratissimo Quadragesimæ tem-

SERM. DE TEMPORE.

A pore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille quem jejunare infirmitas non permittit: quia * aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est; in Quadragesima non jejunare peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima qui potest, & non jejunat, sentiet pœnam. Et ipse tamen qui jejunare non prævalet, secretiùs sibi soli, aut si est alius infirmus, cum ipso sibi in domo sua præparet quod accipiat; & illos qui sani sunt, & jejunare prævalent, ad prandium non invitet: quia si hoc fecerit, non solùm Deus, sed etiam homines intelligere possunt illum non pro infirmitate non posse,
B sed pro gula jejunare non velle. Sufficiat illi, quòd ipse jejunare nòn prævalet: & magis cum gemitu & suspirio & animi dolore manducet, pro eo quòd aliis jejunantibus, ille abstinere non potest. Quid opus est unicuique infirmo aliquem sanum rogare ad prandium, ut sibi etiam augeat de alterius gula peccatum? Pro eo tamen quòd non potest jejunare, amplius debet erogare pauperibus: ut peccata quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando redimere.

** Ita in Sermon. apud Ambrosium 31.*
Jejunare non valens.
Largiores eleemosynas eroget.

2. Bonum est jejunare, Fratres; sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis utrumque potest, duo sunt bona: si verò non potest, melius est eleemosynam dare. Si pos-
C sibilitas non fuerit jejunandi, eleemosyna sufficit sibi sine jejunio; jejunium sine eleemosyna omnino non sufficit. Ergo si aliquis jejunare non potest, eleemosyna sine jejunio bonum est: si verò prævalet, jejunium cum eleemosyna duplex bonum est. Jejunium verò sine eleemosyna, nullum bonum est: nisi fortè ita sit aliquis pauper, ut non habeat omnino quod tribuat. Illi ergo qui non habuerit unde tribuat, sufficit voluntas bona, secundùm illud quod scriptum est, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Eleemosyna jejunio melior.
Luca 2. 14.

3. Sed quis erit qui se possit excusare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum
D esse promiserit? Et quare frigidæ dixit? Ne fortè possit aliquis pauper de lignorum penuria excusare; aut dicere, se vasculum ubi aquam calefaceret, non habere. [a] Denique & per beatum Prophetam, Fratres carissimi, Dominus ita hortatur & admonet eleemosynam fieri, ut propè nullus pauper sit qui se valeat excusare. Sic enim ait: *Hoc est jejunium quod elegi, dicit Dominus, * Frange esurienti panem tuum.* Non dixit, ut integrum daret; cùm fortè pauper ille alium non haberet: sed, *frange*, inquit: hoc est dicere, Etiamsi tanta paupertas tibi est, ut non habeas nisi unum panem; ex ipso tamen frange, & pauperi tribue. *Et egenum*, inquit, *ac sine tecto induc in*
E *domum tuam.* Si aliquis ita pauper est, ut non habeat unde tribuat pauperi cibum, vel in uno angulo domûs suæ peregrino præparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi sumus, Fratres, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas & spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum; ignorantes, immo non credentes, quòd in omnibus peregrinis Christus excipitur, sicut ipse dicit, *Hospes fui, & suscepistis me*; &, *Quamdiu uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis?*

Ab ea nemo facilè excusatur.
Matth. 10. 42.
Isai. 58. 6. & 7.
** Cæsar. hom. 22. & Serm. Append. 78. n. 5.*
Ibidem.
Matth. 25. 35.
Ibidem 40.

4. Laboriosum & fastidiosum nobis est, in pauperibus recipere Christum in patria nostra: timeo ne nobis ille vicem reddat in cælo, & non nos recipiat in beatitudi-
F nem suam. Contemnimus illum in mundo: timeo ne nos ille iterum contemnat in cælo, secundùm illud quod ipse dixit, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*; &, *Hospes fui, & non suscepistis me*: &, *Quamdiu non fecistis uni ex minimis istis, nec mihi fecistis.* Et quid post hæc sequitur, Fratres? Avertat hoc Deus à nobis. Hoc enim postea addidit, dicens, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Hæc ergo, Fratres carissimi, non transitoriè, nec solis corporis auribus audiamus; sed fideliter audientes, etiam ut alii teneant & impleant, verbo pariter & exemplo doceamus.

Ibidem 42. &c.
Ibidem 41.

[b] 5. * Quid ergo post hæc dixit Dominus per Prophe-
G tam? *Si videris*, inquit, *nudum, operi eum.* Ego in hac sententia neminem judico; unusquisque attendat conscientiam suam. Me tamen arguo & reprehendo, quòd fortè aliquotiens evenit, ut per negligentiam vestimenticula mea, quæ debuerunt accipere pauperes, devora-

Isa. 58. 7.
** Sermo alius ex Vigneriianis 11.*

[a] Hìc MSS. duo, omissis intermediis, subjungunt, *Omnia enim complevit, qui quod potuit fecit*, &c. quæ habentur versùs finem Sermonis.

[b] Hìc Sermo in editis terminabatur clausulâ, *præstante Domino nostro* &c. Alteram Sermonis partem, quam exhibent MSS. plures, jam seorsum dederat post Marum Vignerius in Supplemento.

Classis II

rentur à tineis : & timeo ne mihi ipsi panni in testimo- A nium proferantur in die judicii ; secundùm illud quod Jacobus apostolus terribiliter increpat dicens, *Agite nunc*, inquit, *divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis super terram, & in deliciis enutristis corda vestra in die occisionis.* Hæc omnia, sicut dixi, Fratres carissimi, quæ per Apostolum comminatus est Christus, licèt nos nimiùm terreant; non tamen de Dei misericordia desperandum est. Adhuc ego & mei similes negligentes cum Dei adjutorio B possumus nos emendare, si volumus, si & eleemosynas, quas huc usque parciùs fecimus, largiùs erogemus, & pro peccatis præteritis cum dolore & gemitu, cum spe reparationis, Dei misericordiam deprecemur.

Jacob. 5. 1. &c.

Jejunium non sit sine eleemosyna.

6. Ergo, sicut supra suggessi, Fratres carissimi, jejunia nostra eleemosynarum pinguedo commendet; quia tale est jejunium sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna. Nam sicut lucerna, quæ sine oleo accenditur, fumigare potest, lucem habere non potest : ita jejunium sine eleemosyna carnem quidem cruciat, sed [a] caritatis lumine animam non illustrat. Interim vel quod ad præsens agitur, Fratres, sic jejunemus, ut prandia nostra paupe- C ribus erogentur; ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus : quia * MANUS PAUPERIS GAZOPHYLACIUM EST CHRISTI, qui quod accipit, ne in terra pereat, in cælo reponit : quia quamvis cibus quem pauper accipit, consumatur; merces tamen boni operis in cælo reconditur. * Nam si prandia nostra exquisitis saporibus, & multiplicatis ferculis expendere studeamus ad cœnam; si corpori nostro deliciæ non subtrahuntur, sed etiam duplicantur : sicut modò corpori nihil minuitur, sic animæ nihil augetur.

Prandia pauperibus eroganda.

* *Cæsar. hom. 24.*

* *V. Serm. superiorem n. 4.*

7. * Hæc, Fratres, timens magis quàm de vobis ali- D quid sinistrum credens, admoneo. Scio enim plures ex vobis, Deo propitio, & peregrinos assiduè excipere, & pauperibus frequenter eleemosynam dare. Et ideo quod suggero, ad hoc proficiat, ut qui faciebat, amplius faciat; qui verò non faciebat, aut fortè tardiùs faciebat, tam sanctam sibi & Deo placitam operationem in consuetudinem mittat. Et licèt credam, quòd, Deo inspirante, semper supervenientibus festivitatibus, castitatem ante plures dies, etiam cum propriis uxoribus custodiat Caritas Vestra : tamen, licèt ex superfluo, etiam quod vos facere credo, caritatis contemplatione commoneo, ut per totam Quadragesimam & usque ad finem Paschæ E castitatem, Deo auxiliante, servantes, in illa sacrosancta sollemnitate Paschali, caritatis luce vestiti, eleemosynis splendidi, orationibus, vigiliis & jejuniis, velut quibusdam cælestibus & spiritalibus margaritis ornati, non solùm cum amicis, sed etiam cum inimicis pacifici, liberâ & securâ conscientiâ, ad altare Domini accedentes, corpus & sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium possitis accipere.

* *Ita Cæsar. in fine homil. 31.*

Castitas per totam Quadragesimam servanda.

8. * Sed cùm de eleemosynis loquimur, non conturbetur angusta paupertas. Omnia enim complevit, qui quod potuit fecit : quia voluntas perfecta faciendi repu- F tabitur pro opere facti. Sed hoc ille implere poterit, qui omnem pauperem, quasi se ipsum considerare voluerit; ut sic pauperi tribuat, quomodo si ipse in tali necessitate esset, sibi fieri cuperet. Hæc qui fecerit, & novi & veteris Testamenti præcepta complebit, implens illud Evangelicum : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter : hæc est enim Lex & Prophetæ.* Ad quam veræ & perfectæ caritatis legem pius vos Dominus sub sua protectione perducat; qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* *Cæsarius homil. 1.*

Bona voluntate implent pauperes præceptum eleemosynæ.

Matth. 7. 12.

* SERMO CXLIII.

* *Aliàs de Tempore 64.*

In Quadragesima, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. De hoc dubitare permittunt Lovanienses, sed ipsum repudiari non injuriâ volunt Verlin. & Vinding.

1. OMNE vitæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cæleste bravium A tota virtute contendere. Sed hoc præcipuè in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentiæ ac jejuniis dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantùm & de corpore voluptatem decerpunt. Est autem legitimus numerus iste jejunii, & qui his sanctis celebratur exemplis. Moyses Legem accepturus à Deo, quadraginta dies ac noctes absque cibo potuque transegit, & ad suscipiendam Domini voluntatem jejunus præparatus est. Elias post quadraginta dierum jejunia curru igneo de hoc mundo ad superna cælorum translatus est. Ipse quoque Dominus ac Salvator noster quadraginta diebus jejunans de diaboli tentationibus triumphavit, B ut ad prædicationem Evangelii jam victor accederet. Meritò ergo etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus jejuniis, quem per talia exempla legimus consecratum.

Quadragesima Sanctorum exemplis celebrata.

Exodi 34. 28. Moysi.

3. Reg. 19. 8. Eliæ.

Matth. 4. 2. Christi.

2. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis & gaudio, & eos omnibus epulis, omnibus corporalibus deliciis præferamus. In his enim præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem animus accenditur, quando maximè per abstinentiam voluptas carnis exstinguitur. Tunc enim ad Dominum & ejus futura promissa tota mens purior facta festinat, cùm nullâ crapulâ, nullâ cibi ac potûs satietate crassatur. Unde & Salvator C in Evangelio dixit : *Attendite itaque vobis, ne graventur corda vestra in crapula & in ebrietate & in cogitationibus sæcularibus; & superveniat in vos dies illa tamquam repentina : tamquam laqueus enim superveniet universo mundo, & nemo effugiet.* Sed & illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quòd dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet; qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent; in primis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent.

Tunc vitia facilius …

Lucæ 21. 34. & 35.

3. Itaque si volumus bene jejunare à cibis, ante omnia jejunemus & à vitiis. Quid enim prodest vacuare D corpus ab escis, & animam replere peccatis? Quid enim prodest pallidum esse jejunio, si odio & invidiâ livescas? Quid enim prodest vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest si abstineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ numquam licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, jejunemus à cibis, ut multò magis jejunemus & à vitiis, ut sanctorum operum ubertate saturemur; ut & in futuro mereamur ipsorum operum retributione satiari, sicut in Evangelio legimus, E *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Jejunium præcipuum à vitiis.

Matth 5. 6.

4. Illam enim compensationem magis eligere debemus, ut à cibis quibus nos abstinemus, eos pauperibus ac debilibus largiamur; secundùm illud quod scriptum est, *Beati qui contenti sunt esurire, ut alii reficiantur.* Satis Deo acceptum est munus, quando indigens saturatur, quando nudus vestitur, quando ira non perficitur, & iracundiæ tempus non reservatur, quando malum pro malo non redditur. TUNC GRATA SUNT DEO nostra jejunia, si illi qui necessitate jejunant, reficiantur à nobis. Tunc illam Domini sententiam audire merebimur, *Amen* F *dico vobis, quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis.* O benignissimum Dominum ad edomandam hominum avaritiam, qui sibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit! Vobis autem, Fratres, præstet Domini misericordia, ut ei jejuniis & eleemosynis in bonis operibus serviatis : ut ad æternam & veram vitam vos perducat ipse, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

De parcimonia pauperes reficiantur.

Matth. 25. 40.

* SERMO CXLIV.

* *Aliàs de Tempore 65.*

In Quadragesima, V.

G *In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses, supposititium asserunt Verlinus & Vindingus. Hieronymo in Remigiano codice, in aliis ferè MSS. Augustino tribuitur : sed falsâ, ut stilus evincit, inscriptione. MSS. plerique Sermonem ordiuntur ab his verbis*, Moyses quadraginta diebus ac noctibus *&c. De cetero nonnihil passim variant, præsertim in fine, ubi hæc omittunt*, Sed jejunia nostra ut plena sint, *&c. Sermonemque ita concludunt :*

[a] Ita MSS. At apud Cæsarium & Ambrosium, *claritatis*.

Classis II.

Saltem paucis diebus Domino vivere debeamus. *Porrò quod hìc n. 1 de Adam legitur, iisdem fere verbis dicitur infrà in Serm. 147. n. 2.*

Jejunii utilitas ostenditur exemplis.

1. ADEST nobis venerabile & medicinale Quadragesimæ tempus, Carissimi, per quod jejunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus. Quantum sit ergo bonum jejunii, quantumque homini gratiæ conferat, brevi sermone exemplis additis disseramus. (Moysi.) Moyses primus quadraginta diebus ac noctibus cùm jejunasset, Legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret. Impetraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi saturitas desperaverat. Advertamus ergo quanta sit inter jejunium & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis æstuantes. (Exodi 24. 18.) Moyses ergo quia jejunavit, Dominum vidit: populus, quia manducavit & bibit, idola fabricatus est. Sed quid de Moyse & Israëlitica multitudine loquar? Princeps ille (Adæ. Gen. 3.) humani generis Adam, * quamdiu jejunavit servans mandatum, in paradiso fuit: Ubi verò comédit, ejectus est de paradiso. Et qui in paradiso Dei virgo fuerat, ejectus de paradiso cognovit uxorem. Semper enim juncta est saturitati lascivia. Vicina sibi sunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum. Ejecit ergo nos de paradiso cibus; reducat esuries, reducat jejunium. Diximus ergo quid sanctus Moyses meruit jejunando: deinde & cunctos videamus.

(* V. infrà Serm. 147. n. 2.) (35. dist. Venter. 44 Cùm autem)

(Eliæ. 3. Reg. 17. 1 &c. Jacobi 5. 17) 2. Sancto Eliæ jejunanti etiam elementa famulata sunt. Hic denique tribus annis & sex mensibus cælum clausit: ad cujus vocem etiam supernum descendit incendium. (4. Reg. 1. 10) Et cùm eum Jezabel regina vellet occidere, & fessus sub arbore frondosa jaceret in solitudine, Angelus ad eum (3. Reg. 19. 5.) mittitur, & dicit ei, *Sume paululum panis & aquæ.* Vididete quanta sit Dei clementia erga jejunantes, Carissimi. Non sufficiebat, quia Angelum ad jejunantem Dominus miserat, qui eum, ut cibum sumeret, admoneret: sed etiam præcipit, ut longiùs fugiat persequentem. Ait ergo, *Sume paululum panis & aquæ.* Quadraginta enim dierum jejunio perrecturus erat per desertum usque ad montem Sina. Numquid ei Dominus qui cælum & terram fecerat, cujus omnis est creatura, non potuit in eremo per Angelum prandium mittere, sicut Danieli (Dan. 14. 33.) in lacum leonum per Habacuc misit? Sed sciebat Deus Prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse, nisi jejuniis eruditus insidiantis inimici tentamenta repelleret.

(Danielis) 3. Daniel quoque ille futurorum gnarus, & adventûs Domini conscius, & eversionis Jerusalem manifestissimus prædicator, ideo Vir desideriorum appellatus est; quia panem desiderii non comédit, & potum concupiscentiæ non bibit, quia magis Christum quàm epulas desiderabat. (Johannis-baptistæ.) Johannes quoque præcursor Domini locustis in eremo & agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suavitatibus. Poterat utique juxta Jordanem positus piscium sibi exhibere delicias: sed pænitentiam prædicaturus, doctrinam rigoris & jejunii exemplo suo magis debuit docere quàm voce. (Ex ipso Evangelio.) In Evangelio quoque cùm quidam dæmone plenus Domino fuisset oblatus, quem Apostoli curare nequiverant; interrogantes audiunt à Domino, istiusmodi genus non posse (Matth. 17. 20.) ejici nisi orationibus & jejuniis. Videte ergo, Carissimi, quanta sit jejuniorum virtus, ut id facere jejunia valeant, (Distantia inter jejunum & saturum.) quod Apostoli nequiverant. Omitto cetera: sed unusquisque consideret quanta sit inter jejunium & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum & refertum, inter rubentem faciem & ora pallentia, inter os jejunum & labia crapulâ dissoluta, inter oppressum epulis sensum, & inediæ tenuitate vigilantem.

(A quibus abstinendum & quare. De conse. dist. 5. c. Non dico.) 4. Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata jejunia; sed vel singulos dies absque ciborum luxuria transigamus. Cessent lavacra, vina vel carnes: non quòd creaturam Dei judicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies vivamus & Domino. Sed jejunia nostra ut plena sint & suffarta, misericordiæ pinguedine saginentur; demus esurientibus (Jejunia non sufficiunt sola.) prandium nostrum. Nec putes, jejunia sola sufficere ad sananda vulnera peccatorum, nisi medicamento eleemosynæ recreentur. Jejunium ergo tuum te castiget, sed lætificet alterum: & ita fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri latitudinem præstent. SIC JEJUNA, UT IN ALIO MANDUCANTE PRANDISSE TE GAUDEAS. (2. Cor. 9. 7.) *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Nam manducante paupere de bonis tuis, prandet Christus qui se in paupere esurire testatur.

* SERMO CXLV.

(* Aliàs de Tempore 69.)

In Quadragesima. VI.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus erat dubius, falsus Verlino & Vindingo. Maximi nomen præfert in Remigiano codice. Continet nonnullas sententias Sermonis inter Ambrosianos trigesimi-primi: de quo Ambrosiano Sermone dicendum rursus infrà ad Sermonem 147.

(Quadragesimæ diuturnitas non fastidienda.) 1. HOS sanctæ Quadragesimæ dies, Fratres carissimi, debemus omni veneratione suscipere, nec longiorem numerum hujus temporis fastidire: quia quantò plures dies sunt jejunii, tantò major est caussa remedii; quantò prolixior abstinentiæ cursus, tantò redemtio copiosior est salutis; quantò austerior cura vulnerum, tantò medicina est salubrior peccatorum. Deus enim qui est nostrarum medicus animarum, congruum tempus instituit, quod & justis satis sit ad orandum, & peccatoribus sufficiat ad rogandum; illis requiem postulantibus, his veniam deprecantibus. Congruum enim tempus est Quadragesimæ, nec breve est ad exorandum, nec longum est ad promerendum. Quadraginta enim dierum jejuniis quævis iniquitas peccatoris exorari potest, & quantavis severitas judicis mitigari. Illi longum & fastidiosum fortè sit tempus, qui nec orat de culpa, nec sperat de venia. Desperatio enim nec confiteri de scelere, nec indulgentiam novit sperare de judice. Sanctus igitur & salutaris Quadragesimæ cursus est, quo judex adducitur ad misericordiam, peccator ad pænitentiam, justus ad requiem. His enim diebus solito ampliùs & divinitas miseretur, & [a] delinquentia deprecatur, & justitia promeretur. Patent enim omnia, & cæli ad indulgendum, & peccator ad confitendum, & lingua ad postulandum.

(Quadragenarius numerus mysticus. Gen. 7. 4.) 2. Salutaris, inquam, & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo Deus effusis de cælo imbribus universam terram diluvio superfudit. Vides ergo jam illo tempore mysterium in figura dispositum. Nam sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum; ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum. (Diluvium effectus misericordiæ.) Quamquam & illius temporis diluvium misericordia dicenda est, quo iniquitas oppressa est, & justitia conservata. Pro misericordia enim factum est, ut & justi evaderent, & iniqui ampliùs non peccarent. Pro misericordia planè videmus illud fuisse diluvium, quo, veluti baptismo quodam, totius mundi facies est innovata: scilicet ut qui perditorum hominum scelere sordebat ad crimina, beati Noë habitatione floreret ad gratiam; & qui iniquitatis erat [b] prostibulum tunc, modò fieret domicilium sanctitatis.

(Nostrique similitudo baptismi.) 3. Diluvium, inquam, illud hujus nostri fuit similitudo baptismatis. Hoc enim tunc gestum est, quod nunc agitur: hoc est, ut exuberantibus aquarum fontibus periclitarentur vitia, justitia sola regnaret, mergerentur in profundum peccata, sanctitas vicina cælo portaretur. Tunc enim, sicut dixi, hoc agebatur, quod nunc agitur in Ecclesia Christi. Nam sicut Noë arca submersis omnibus vitiis peccatorum adulta ferebatur; ita baptismatis fonte cælo vicina portatur Ecclesia, & deletis omnium superstitionibus idolorum, fides regnat in terris, quæ de Salvatoris arca procedit. (Necnon Quadragesimalis jejunii.) Sanctum ergo & sacratum Quadragesimæ tempus est, quod statim ab initio cœpit inter justos injustosque discernere, bonos à malis quodam judicio separare. Quod quidem similiter fieri etiam in hac nostra Quadragesimæ observatione perspicimus. Nam per hos quadraginta dies separantur mali à bonis; hoc est, luxuriosus à casto, à jejuno [c] intemperans, à Christiano gentilis: separatur, inquam, malus à bono; hoc est, peccator à justo, diabolus à sancto, hæreticus à fideli. Relictis enim his omnibus ad similitudinem diluvii tamquam in naufragio sæculi, sola ad instar arcæ

[a] MS. Navarr. *& diligentia deprecatur.* Remigianus verò, *& deprecatio justi requiem promeretur.*

[b] Ita duo MSS. At editi, *purgatorium.* Remigianus autem MS. *pyraterium.*

[c] In MS. Remig. *prandens.*

illius

CLASSIS II.

illius in altum cum suis virtutibus elevatur Ecclesia.

3. Nam & nos, etsi peccatores, ad imitationem sancti Noë annuntiamus vobis mundi futurum esse excidium; & illos tantummodo dicimus periculum evasuros, quos triplex arca intra se gremio religionis incluserit. Triplex enim arca est Ecclesia; quia Trinitatis continet sacramentum. Nam cùm dicit Scriptura, Bicameratam & tricameratam eam fuisse, utique demonstrat triplici divinitatis illam gratiâ esse distinctam. Annuntiamus igitur sicut Noë, mundi futurum esse naufragium, & ad hanc domum confugere omnes homines admonemus. Et sicut Noë filios suos in arca recepit; ita & nos filios nostros optamus in ista arca suscipere. Quisquis enim in hac domo vult habitare nobiscum, noster est filius. Sed dicit aliquis, sancti Noë prædicationis vocem in Scripturis minimè esse descriptam. Audi igitur. Noë etsi tacebat voce, opere loquebatur; silebat linguâ, fabricatione clamabat. Nam utique cùm operaretur opus novum, & nulli aliquando compertum, admonebat cunctos, novis periculis nova tabernacula præparari. Loquebatur ergo opere, & dicebat illud Evangelicum Domini dictum, *Si mihi non creditis, operibus credite*; & credendo periculum evadere poteritis: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Ecclesia, arca tricamerata. Gen. 6. 16. Sec. LXX.

Vox Noë prædicantis excidium mundi.

Johan. 10. 38.

** Alias ex Vignerianis. 13.*

* SERMO CXLVI.

In Quadragesima, VII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ambrosio adscribitur in veteri codice Remigiano, estque inter Ambrosianos in posterioribus excusis ordine 41. incipiens, Diximus superiore Dominicâ. *Quo exordio designatur fortè Sermo apud Ambrosium 29. qui incipit,* Testimonium perhibet. *Hæc enim ibi leguntur:* Istud autem præceptum ejus est primum, ut his quadraginta diebus, jejuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus. *Videtur sapere Cæsarium, qui id in fine homiliæ ex editis à Baluzio tertiæ delibavit, quod hic in venatores latiùs dicitur ac vehementiùs.*

1. SUPERIORE Dominica diximus, hoc esse fidei nostræ opus primum, ut horum quadraginta dierum curriculo, devotissimè jejunemus, & istam esse caussam salutis nostræ, si hoc tempore abstinentiæ operam commodemus. Atque ideo, Fratres dilectissimi, inspicere debemus quæ sit hujus forma jejunii; ut respiciamus quanta sit ejus utilitas. Est enim interdum inutile & inane jejunium, quod licèt ventrem & omnia viscera succo saturitatis exhauriat, non tamen acceptum est Deo; quia mentem & intimos sensus minimè à vinculo iniquitatis evacuat. Quid enim prodest jejunare visceribus, & luxuriare venatibus; abstinere à cibis, & errare peccatis; castigare corpus inediâ, mentem exercere nequitiâ; vinum fortè non bibere, & ebrium cogitatione malignitatis incedere? Nisi quòd facilior est caussa saturi sive temulenti, quàm iniqui pariter & jejuni. Ille enim peccare aliquando desinit, qui ebrius aliquando obdormit: hic autem errare non cessat, qui exercitatus malo, jejuniis semper invigilat. Inutile & inane est tale jejunium, quod inediâ membra debilitat, & animam à perditione non liberat. De quo jejunio dicit sanctus Propheta ex persona Domini, *Ut quid mihi jejunatis? Non tale jejunium elegi, dicit Dominus.*

Jejunium inutile.

Ab iniquitate non recedentibus.

Dist. 86. c. Quid prodest & Ivo p. 13. c. 14.

Isai. 58. 5.

2. An putatis illum jejunare, Fratres, qui primo diluculo ad ecclesiam non vigilat, non beatorum Martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus silvasque perlustrat: servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad ecclesiam venire cupientes; & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quàm de perditione servorum? Tota igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum efferens, nunc silentium latenter indicens; lætus si aliquid repererit, iratus si id quod non habebat, amiserit: & tanto studio gerit, quasi ideo indictum jejunium fuerit, ut venetur. In his ergo luxuriis, Fratres, dicite quis cultus sit Dei, quæ mentis possit esse devotio: qui propterea jejunat, non ut Deo aut orationibus vacet, sed ut tota die otiosus & liber proprias exerceat voluptates? Quamvis igitur qui hujusmodi es, Frater, vespere ad domum redeas, quamvis declinante jam sole

Dist. 86. c. An putatis. & Ivo p. 13. c. 24. §. An putatis.

Piis exercitiis non vacantibus.

Sed venatici.

A manduces; potes videri tardiùs refecisse, non tamen Domino jejunasse. Nec enim potes videri voluntatem tuam exercens, fecisse Domini voluntatem. Hæc enim voluntas est Domini, ut jejunemus à cibis pariter & peccatis. Abstinentiam indicamus corpori, ut à vitiis magis animam abstinere possimus. Frenum enim quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum. Quisquis enim jejunat & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis; & parcendo copiis replesse cellarium, non mentem saginasse virtutibus.

SERM. DE TEMPORE.

3. Nonnulli autem divinorum immemores præceptorum, ita circa servos suos & subditos sibi potestatem B dominationis exercent, ut in his diebus non dubitent flagris eos cædere, pœnis afficere, compedibus præpedire; & si fortè cùm ad reficiendum venitur, tardiùs minister adfuerit, statim eum verberibus laniare, & priùs se satiare servuli sanguine, quàm convivii voluptate. Horum tale jejunium est, quasi ideo jejunatum est, non ut divinitatis misericordiam provocaret, sed ut clamorem familiæ ingemiscentis effunderet. Quisquis autem Dei misericordiam promereri cupit, ipse debet prior esse misericors. Scriptum est enim, *Qua mensurâ mensi fueritis, eâdem mensurâ remetietur vobis.* Et quod magis dolendum est, Christianus dominus Christiano in his diebus C servo non parcit, minimè respiciens quòd etsi servus est conditione, gratiâ tamen frater est. Etenim similiter Christum induit, iisdem participat sacramentis, eodem quo & tu, utitur Deo Patre; cur te non utatur ut fratre? Sunt enim plerique, qui de venationibus redeuntes, magis canum quàm servorum gerunt curam, qui faciunt eos juxta se vel adcumbere vel dormire; quotidianum illis cibum suâ præsentiâ ministrantes, qui utrùm servi eorum fame moriantur, ignorant: &, quod est gravius, si diligenter his præparatum non fuerit, pro cane servus afficitur. Vides etiam in nonnullorum domibus nitidos & crassos canes discurrere; homines autem titubantes & D pallentes incedere. Isti ergo miserebuntur pauperibus aliquando, qui minimè servis suis miserentur?

Dominorum in servos nequitia.

Luca 6. 38.

Servus heri frater.

Canibus tamen posthabitus.

4. Scire igitur debemus, Fratres, acceptum esse Deo jejunium, non solùm ut abstinentiâ corpora castigemus, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad servulos mites, blandi ad extraneos, ad egenos misericordes, pacifici ad omnes. Surgentes primo diluculo ad ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, peccatis veniam postulemus, rogantes præteritis delictis indulgentiam, futuris cautelam. Tota die sit nobis assidua vel oratio, vel lectio. Qui litteras nescit, sanctum magistrum perquirens, ejus confabulatione pascatur. Nulli actus sæculi, E actus divinitatis impediant: * non ludus tabulæ mentem avocet, non voluptas canum sensus abducat, non negotii compendium animum aviditate pervertat. Quidquid enim aliud præter mandatum Dei feceris, quamvis abstineas, non jejunas. Hoc est enim jejunium salutare, ut sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrenetur à vitiis.

Jejunium Deo acceptum.

** V. suprà Serm. App. 141. n. 3. & homil. 3. ex editis à Baluzio.*

5. Illud etiam, Fratres, ad perfectionem jejunii tacendum non est, ut qui abstinemus, & minimè prandemus hoc tempore * prandia nostra pauperibus erogemus. Hæc enim est vera justitia, si te esuriente, de tuo cibo alius saturetur: & tu pro delictis tuis Dominum roges, & ille F pro te satiatus exoret. Utrumque tibi proficiet, & tua fames, & saturitas mendicorum. Ceterùm qui sic abstinet, ut nihil pauperibus de suis epulis largiatur, videtur quæstum sibi fecisse suum jejunium, & negotiationem exercuisse parcendo. Ad hoc enim abstinuit, non ut placeret Deo, sed ne amplius erogaret; & ideo bona est eleemosyna cum jejunio. Quasi enim quoddam negotiationis genus est, ut tam parcè vivat, ut abstinentiâ suâ monachos clericosque præcedat. Nisi hoc interest, quòd illi hoc quæstûs caussâ faciunt, nos salutis: illi pecuniæ compendio animas suas macerant; nos propter animarum lucrum nostra corpora castigamus.

Prandia pauperibus eroganda.

** V. suprà Serm 141. n. 4. & 142. n. 5.*

Jejunium sine eleemosyna, negotiationis genus.

G

* SERMO CXLVII.

In Quadragesima, VIII.

** Olim de Tempore 77. & post in Appendice 38.*

Exstat inter Ambrosianos ordine trigesimus-nonus: tribuendus fortè eidem auctori, cujus est Sermo hujus Appendicis 145. Nam istis in hoc Sermone verbis, Hoc superiore Dominica prædicavimus &c. *indicari*

pariter videtur Sermo ex Ambrosianis trigesimus-primus, in quo hæc habes, Hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. Quod dixi, jejunio, *&c. Quemadmodum etiam hic jejunum corpus dicitur* desertum: *ita illic habetur,* Desertum omne jejunium est.

Quadragesima à Christo consecrata.

1. SI bene retinet, Fratres, Vestra Dilectio, hoc superiore Dominica prædicavimus, quòd sanctam Quadragesimam abstinendo ipse Dominus consecraverit, & tot dierum noctiumque curriculo cibum omnino non capiens, unum ac solidum jejunii [a] corpus effecerit: quod in totum non observare, sacrilegium est; ex parte autem violare, peccatum est. Hoc enim fecit caussâ salutis nostræ, ut rem utilem non solùm doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret: ut iisdem vestigiis quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur. Sed videamus quæ caussa exstiterit, ut jejunia sibi Salvator indiceret, & ipse primus bonus humani generis medicus jejunaret. Bonus enim medicus poculum quod ægro daturus est, ipse priùs gustat, ut peritiam artis suæ antè in se ipse demonstret: ut experimentum æger accipiens, securus sit de poculo, securior de salute. Deinde quo loco hoc ipsum tempus jejunii procurârit. Dicit enim Evangelista abstinuisse Dominum quadraginta diebus & noctibus in deserto.

a De necessitate servanda.

Matth. 4. 2.

Institutionis illius ratio.

Gen. 3. 17.

2. Arbitror itaque caussam hanc esse jejunii, ut quia primus Adam in paradiso constitutus per intemperantiam gulæ, gloriam immortalitatis amiserat, eamdem immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam repararet. Et quia contra mandatum Dei gustans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat; nunc secundùm mandatum Domini jejunans vitæ justitiam mereretur. Hoc enim agit Salvator, ut eisdem vestigiis, quibus admissa fuerant delicta, purgentur: hoc est, ut quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo; vel, quia * epulando mulierem cognoverat, nunc eamdem jejunando despiciat. Adam enim Evam nonnisi intemperantia provocante cognovit. Quamdiu autem mansit in illis intemerata parcitas, mansit & impolluta virginitas: & quamdiu jejunaverunt ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis jejunavere peccatis. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciviæ: saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram. Igitur, sicut dixi, hoc agit Dominus, ut iis præjudiciis, quibus homo obnoxius peccatis fuerat, liberetur. Propterea namque per omnia secundùm similitudinem Adæ nasci voluit, ut secundùm similitudinem Adæ omnia hominis peccata dissolveret. Adam enim * de terra virgine natus est; & Christus de Maria virgine procreatus. Illius maternum solum necdum rastris scissum fuerat; istius maternum secretum numquam concupiscentiâ violatum. Adam Dei manibus plasmatur è limo; Christus Dei Spiritu formatur in utero. Uterque ergo oritur Deo Patre, uterque virgine utitur matre, uterque, sicut Evangelista dicit, filius Dei est: sed Adam creatura est Dei, Christus verò substantia.

* V. suprà Serm. 144. n. 1.

Castitatis prodiga saturitas.

Adæ primi & secundi comparatio.

* V. suprà Serm. 125. n. [illegible]

Cur Christus in deserto jejunavit.

3. Hoc ergo agit Dominus sicut Adam secundus: ut quod prior homo manducando perdiderat, hoc alter jejunando recipiat, ac legem in paradiso abstinentiæ datam in deserto custodiat. Sciebat enim præceptum Dei non unius loci legem esse, sed mundi. Non enim interest divinitatis mandatum utrùm domi an in agro custodias; cùm ubique sit qui præcepit. In deserto itaque Salvator implet mandatum Dei: ut ibi Adam servaret errantem, ubi fuerat de paradisi possessione projectus. Adam enim expulsus de paradiso, inculta mundi deserta sustinuit. In deserto ergo primùm homini salus refunditur, ubi desunt epulæ, ubi desunt deliciæ, ubi, quod est omnium malorum caussa, deest & mulier. Potuerat enim Adam inter illas paradisi delicias inconcussus stare, si Eva ibidem cum diabolicis [b] insidiis non fuisset. Conveniens ergo est desertum saluti, ubi non est Eva quæ persuadet, non est mulier quæ blanditur. Videte rem miram, in paradiso cum Adam diabolus decertat, in deserto cum Christo diabolus dimicat; ubique insidiatur homini, ubique congreditur: sed ubi mulierem invenit, vincit; ubi mulierem non invenit, victus abscedit.

Mulieris præsentia quàm periculosa.

b

4. Formam igitur dedit nobis Deus in hoc facto, ut

A jejuniorum tempore tamquam desertum habitantes, abstineamus epulis, [c] voluptate, muliere: nec conjungatur nobis Eva, ne nos à casta observatione, illecebrosa persuasione subvertat. * In deserto enim quodam modo videtur habitare, qui Quadragesimæ tempore jejunus & castus est. Desertum planè quoddam ipsum corpus est Christiani, cùm non repletur cibis, non poculis irrigatur, sed arentis inediæ squalore negligitur. Desertum, inquam, est corpus nostrum, cùm abstinentiâ marcescit caro, siti pallor obducitur, & contemtu rerum totius hominis species inculta sordescit. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri, cùm terram nostram fame squalidam ac siti aridam esse reperit; secundùm quod ait Propheta David, *Sicut in terra deserta & invia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Aliter enim sicut in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, invia diabolicis concupiscentiis, & inaquosa libidinosis illecebris. Tunc habitans Salvator hoc desertum corporis nostri, omnes ibi diaboli factiones exsuperat, & secretum ac securum à cogitationibus sæculi esse suum fecit habitaculum: ut deinceps nos intra nosmetipsos velut in solitudine constituti, nonnisi cælum respiciamus & terram: hoc est, non cogitemus alium, nisi cælestis regni Dominum, & terrenæ resurrectionis auctorem.

c

* Serm. inter Ambrosianos 31.

Desertum quoddam corpus jejunum & castum.

Psal. 62. 3.

* SERMO CXLVIII.

In Quadragesima, IX.

Est Leonis Papæ de Quadragesima quintus: eique in MSS. adscribitur.

* Olim de Tempore 61. & post in Appendice 36.

1. APOSTOLICA, Dilectissimi, doctrina nos admonet, ut *deponentes veterem hominem cum actibus suis*, de die in diem sancta conversatione renovemur. Si enim templum Dei sumus, & mentium nostrarum Spiritus-sanctus habitator est, dicente Apostolo, *Vos enim estis templum Dei vivi:* multâ nobis vigilantiâ laborandum est, ut cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia providendum est, ut si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, cita in integrum cura restituat: ita jugi oportet sollicitudine præcaveri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inveniatur immundum. Quamvis enim ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit conditoris: tamen quia rationabiles lapides sumus, & viva materies, sic nos auctoris nostri exstruit manus, ut cum opifice suo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat; ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad adjuvantem recurrat: qui ideo præceptum dat, ut excitet desiderium, & præstet auxilium, dicente Propheta, *Jacta cogitationem tuam in Domino, & ipse te enutriet.* An fortè quisquam tam insolenter superbit, & ita se illæsum, ita immaculatum esse præsumit, ut nullius jam renovationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, & nimia vanitate veterascit, qui inter tentationes istius vitæ ab omni se vulnere credit immunem.

Ephes. 4. 22.

Renovationi suæ jugiter incumbendum.

1. Cor. 6. 16.

Indivisa Dei & hominis operatio.

Cur Deus dat præcepta.

Psal. 54. 23.

2. Plena sunt omnia periculis, plena omnia laqueis; incitant cupiditates, insidiantur illecebræ; blandiuntur lucra, damna deterrent: amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sævit odium, hinc decipit mendax officium; ut facilius sit vitare discordem, quàm declinare fallacem. In ipsis autem virtutibus obtinendis tam dubius modus & tam incerta discretio est, ut si quisquam inter bonorum malorumque confinia subtilissimi discriminis potuerit servare mensuras, difficile sit ut bene sibi conscium probitatem obtrectantium lingua non mordeat, & iniquorum evadat opprobria, cui est amica justitia. Jam cùm ad ipsas rerum temporalium varietates cogitatio humana convertitur, quantæ se opponunt caligines, quanti pravarum opinionum oboriuntur errores; ut de objectu contrariorum

Vita hæc plena periculis.

Justorum pericula.

Obtrectantium linguæ.

a In priùs editis Augustinianorum Serm, *tempus*.
b Apud Ambrosium, *illecebris*.

c MS. Lugdunensis, *voluptate mulieris*.

CLASSIS II.

sumatur materia querelarum. Nam licèt omnium fidelium corda non dubitent, nullis mundi hujus partibus nullisque temporibus providentiam abesse divinam, nec de stellarum potestate, quæ nulla est, sæcularium negotiorum pendere proventus, sed æquissimo & clementissimo summi regis arbitrio cuncta disponi; quoniam sicut scriptum est, *Universæ viæ Domini misericordia & veritas:* tamen cùm quædam non secundùm desideria nostra procedunt, & sub humani errore judicii superior est plerumque iniqui caussa quàm justi, vicinum nimis atque contiguum est, ut etiam magnos animos ista concutiant, & in aliquod illicitæ caussationis murmur impellant: siquidem istis varietatibus etiam excellentissimus propheta David usque ad periculum se turbatum profitetur & dicit, *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei; quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns.* Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla iniquitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non adversa tantùm, sed etiam secunda corrumpant; sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideo enim de periculis, quibus mundus hic plenus est, quædam breviter percurri; ut dicente Scriptura, *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato?* omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam & reparationis necessariam esse medicinam.

(Scandalum ex iniquorum prosperitate. Stellarum potestas nulla. — Psal. 24. 10. — Psal. 72. 2. — Proverb. 20. 9.)

3. Quando autem, Dilectissimi, opportuniùs ad remedia divina decurrimus, quàm cùm ipsa nobis sacramenta redemtionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ ut digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum jejunio præparemus. Non enim hi tantùm qui per mortis Christi resurrectionisque mysterium in novam vitam baptismo sunt regenerandi, sed etiam omnes populi renatorum utiliter sibi & necessariè præsidium hujus sanctificationis assumunt: illi, ut quæ nondum habent accipiant; isti, ut accepta custodiant: dicente Apostolo, *Qui stat, videat ne cadat.* Nemo tanta est firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Utamur igitur, Dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, & sollicitiore cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim castè & sobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis adspergitur: & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita à fumo totius vanitatis alienus est, ut nullâ possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quantò illis amplius est expetendum, qui tota fortè anni spatia aut securiùs aut negligentiùs transegerunt? Quos caritate debita commonemus, ut non ideo sibimet blandiantur, quia nobis conscientiæ singulorum patere non possunt: cùm oculos Dei simul universa cernentis non abdita locorum, non parietum septa secludant; nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda sint cognita. Ista ergo scientia summi judicis, iste est tremendus adspectus, cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum; cui obscura clarent, muta respondent; silentium confitetur, & sine voce mens loquitur. Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum suorum impunitate contemnat: nec ideo illum æstimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt longæ mortalis vitæ induciæ, nec diuturna est licentia insipientium voluptatum in æternarum dolorem transitura pœnarum, si dum justitiæ sententia suspenditur, pænitentiæ medicina non quæritur.

(Pœnitentia omnibus necessaria. — 1. Cor. 10. 12. — Deus omniscius.)

4. Confugiamus ergo ad præsentem ubique misericordiam Dei, & ut sanctum Pascha Domini dignâ observantiâ celebretur, cunctorum fidelium corda sanctificentur. Mitescat sævitia, mansuescat iracundia: remittant sibi omnes culpas invicem suas, nec exactor sit vindictæ qui petitor est veniæ. Dicentes enim, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* durissimis nos vinculis alligamus, nisi quod profitemur impleamus. Unde si orationis hujus sacratissimum pactum non tota sui conditione servatum est: nunc saltem conscientiam suam unusquisque cognoscat, & alienis ignoscendo delictis, abolitionem suorum obtineat peccatorum. Dicente namque Domino, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester qui in cælis est:* non longè est ab unoquoque quod poscit; cùm de benegnitate supplicis sententia pendeat judicantis. Qui humanarum precum misericors & justus auditor, æquitati suæ de nostra lenitate præscribit, ut non haberet in eos jus severitatis, quos non invenisset cupidos ultionis. Clementes autem & mites animos etiam largitas decet. Nihil enim dignius est, quàm ut homo sui auctoris sit imitator, & secundùm modum propriæ facultatis divini sit operis exsecutor. Nam cùm aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi, nonne auxilium Domini manus explet ministri, & benignitas servi munus est Domini? Qui cùm ad effectus misericordiæ suæ adjutore non egeat, ita suam omnipotentiam temperavit, ut laboribus hominum per homines subveniret, & meritò Deo gratiæ referrentur de pietatis officiis, cujus opera videntur in famulis. Propter quod ipse Dominus discipulis ait, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, magnificent Patrem vestrum qui in cælis est*, per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Matth. 6. 12. — Quàm periculosè orat cupidus ultionis. — SERM. DE TEMPORE. — Matth. 6. 14. Lucæ 6. 37. Præstò est misericordia misericordi. — Matth. 5. 16.)

* SERMO CXLIX.

In cœna Domini. De eo quod scriptum est in Evang. Johan. 13. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, *&c.*

(* Aliàs de Tempore 157.)

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino autem & Vindingo spurius videbatur. Augustinum certè illud minimè sapit quod in fine n. 1. dicitur, lotione pedum non solùm minuta, sed etiam capitalia peccata purgari. Longè cautiùs ille in Sermone 9. de decem chordis. cap. 11. Nonnulla tamen verba Augustini habet hic Sermo, & centonis instar variis laciniis constat.

1. HODIE, Fratres carissimi, [a] audituri sumus Evangelistam dicentem, *Quia cùm surrexisset à cœna Dominus, posuit vestimenta sua, & præcinxit se linteo, & cœpit lavare pedes discipulorum suorum.* Quid nos, Dilectissimi, hoc loco dicturi sumus? Quam excusationem prætendere poterimus, qui dedignamur impendere peregrinis, quod ille dignatus est impendere servis suis? Sed sunt fortè aliqui viri potentes & nobiles, sunt aliquæ delicatæ matronæ, quæ dedignantur se inclinare usque ad vestigia sanctorum in hoc mundo peregrinantium: hospitum pedes non solùm ipsi non dignantur abluere, sed nec suorum quidem cuiquam, ut pro se faciant, imperare. Erubescunt forsitan nobiles delicatis manibus viri, vel mulieres Christianæ in hoc mundo sanctorum contrectare vestigia; quia hoc natalium prærogativa non patitur. Mala nobilitas, quæ per superbiam apud Deum reddit ignobilem. Erubescunt ergo nobiles & potentes sanctis & peregrinis abluere pedes in hoc sæculo: sed si se non correxerint, plus habent erubescere & dolere, cùm ab illorum consortio separati fuerint in futuro. Tunc sine ullo pænitentiæ remedio affligentur, cùm illos quos despexerant, propter humilitatem viderint accipere regnum, se propter superbiam meruisse supplicium. Timeamus ergo, Fratres, illud quod beatus apostolus Petrus timuit, quando audivit Dominum dicentem, *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* ne [b] fortè & nos, si sanctorum pedes dedignamur abluere, partem cum illis non mereamur habere. Inclinemus nos potiùs ad sanctorum vel peregrinorum vestigia: quia cùm hoc sancta humilitate complemus, illorum quidem pedes manibus nostris tangimus, sed animarum nostrarum sordes & maculas per fidem & humilitatem abluimus, & non solùm minuta, sed etiam capitalia peccata purgamus.

(a Johan. 13. 4. &c. — Lotio pedum peregrinis exemplo Domini exhibenda. — b)

2. Gaudete [c] ergo, Dilectissimi, & exsultate in Domino, qui nobis in hoc die salutiferæ consolationis mysteria consecravit. * Unde autem commendavit Dominus corpus & sanguinem suum? unde nisi de humilitate sua? Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius; *In principio erat Verbum.* Ecce qualis est cibus sempiternus. Sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, manducant & saginantur; & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad

(Mysteria in die cœnæ instituta. — c — * Ex August. Enarr. in Psal. 33. Ser. 1. n. 6.)

a Sic MSS. Editi verò, *audivimus.*
b Hic in editis additur, *Et dum Petrus recusat, negat illi Christus regnum, nisi susceptet obsequium:* quod abest à MSS.

c Quæ sequuntur usque ad finem n. 3. desunt in MSS. & in his ad superiora verba *peccata purgamus*, proximè subjungitur *Unde dilectissimi Fratres.*

CLASSIS II.

illum cibum adscendere? Quia ergo ad illum panem homo non poterat adscendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem: & hoc cum ineffabili pietate factum est; quia oportebat ut mensa illa Angelorum lactesceret, & ad parvulos perveniret. Sic ergo fecit Sapientia Dei, sic nos per carnis assumtionem pavit pane cælesti: (Ibidem 14.) quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Vide ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo: id est, Verbum illud, unde pascuntur Angeli, sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo.

(Nihil nisi de adjutorio Dei præsumendũ.) 3. Et ideo, Fratres carissimi, quia nos Dominus noster patientiâ docuit, pœnâ liberavit, morte redemit, speremus semper in Domino, & nihil sine ejus voluntate & adjutorio præsumamus. Nostis enim quid temere beatus Petrus promiserit Christo: (Matth. 26. 33.) *Etsi omnes*, inquit, *scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* (Præsumtio Petri.) Dominus qui noverat fragilitatem humanam, & sciebat non esse in promissione, sed in consummatione virtutem: (℣. 34.) *Amen*, inquit, *dico tibi, quòd in hac nocte, antè quàm gallus cantet, ter me negabis.* Dicit ei beatus Petrus, (℣. 35.) *Etiamsi me mori oportuerit tecum, non te negabo.* Videte, Fratres, responsionem discipuli, & intelligite dilectionis esse quod dixit. Sed quia per solum sui amoris studium, non addito etiam adjutorio Domini, voluit esse promissum, stare non potuit per hominem, quod sub divinitate pendebat. Fuit quidem in voluntate, sed non fuit in virtute, sicut ipse Dominus dicit, (℣. 41.) *Spiritus promtus est, caro autem infirma.* Et iterum, (Iohan. 15. 5.) *Sine me nihil potestis facere.* Usque ad mortem promisit, & in timore negavit. Habuerat confessionem mirabilem, si habuisset in consummatione virtutem.

(Conscientia à peccatis expurganda.) 4. Unde, dilectissimi Fratres, rogo & admoneo vos, ut unusque recurrat ad testem idoneum, id est, conscientiam suam: & si ibi aliqua vulnera invenerit peccatorum, confugiat ad remedium lacrymarum: pæniteat se fecisse quod fecit, incipiat vigilantissimo corde præterita curare, præsentia vitare, futura prospicere, & Deo auxiliante, repellere: quia quamdiu quis in hoc sæculo vivere possit ignorat; nec licet evadere, nisi pænitentiâ præcurrente. Illud ante omnia, dilectissimi Fratres, quod specialiter pertinet ad fideles, pia fide & tota animi devotione cogitate, accessuros vos ad altare Domini Dei nostri. Inspicite universa latibula cordis vestri; ne fortè sint ibi aliqua peccata, quæ necdum curata sint eleemosynis atque jejuniis: & timete illud Apostoli (1. Cor. 11. 27. & 28.) *Qui manducaverit corpus Domini & biberit sanguinem ejus indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de corpore illo edat, aut de calice bibat.* Nullus ex vobis contra ullum hominem odium reservet in corde suo; ut securi possitis dicere, (Matth. 6. 12.) *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Castitatem autem ante omnia custodite, gulam refrenate, ebrietatem fugite, pauperibus secundùm quod vires suppetunt, eleemosynas date.

(Perseverandum in piis operibus.) 5. Et hoc ante omnia rogo, Fratres carissimi, ut gaudium, quod nobis huc usque de vestra devotione fecistis, in die crastina, id est, in Passione Domini compleatis. (Matth. 24. 13.) Non enim qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et ideo sic agere debetis, ne per unius diei negligentiam perdatis, quod per totam Quadragesimam adquisistis. Sic est enim totâ Quadragesimâ abstinere, orare vel psallere, & in passione Domini, id est, in Parasceve de ecclesia se subtrahere; quomodo si quis cum grandi labore studeat terram colere, & messem non mereatur accipere. Et ideo rogo vos, ut nullus de ecclesia se subtrahat, nisi fortè quem aut corporis infirmitas, aut grandis & publica necessitas tenuerit occupatum. Ipse enim in Paschali sollemnitate legitimum gaudium poterit celebrare; qui in Passione Domini se noluerit de ecclesiæ conventu subtrahere. Qui me in hac suggestione libenter audierit, confido quòd illi Deus & in hoc sæculo & in futuro gloriosa præmia repensabit. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

A

SERM. DE TEMPORE.

* SERMO CL.

De Passione Domini, I.

Incerti auctoris.

* Olim de Tempore 111. & post in Appendice 46.

1. OMNES, inquit Dominus Jesus, *scandalum patiemini in hac nocte.* (Matth. 26. 31.) Discipuli terrentur tali auditu: & Judam non terret tanti sceleris cogitatus. Consulite Apostoli Dominum, interrogate discipuli Magistrum. *Qui mecum*, inquit, *mittit manum in paropside, ipse traditurus est me.* (℣. 23.) O induratam frontem! Talia de se B audit, & adhuc delectatur accumbere: videt publicari suam conscientiam, & adhuc manum porrigit ad buccellam. *Numquid ego sum, Rabbi?* (℣. 25.) O Juda, cui dicis, *Numquid ego sum, Rabbi?* jam dic, Ego sum. Non est oblivio nescientis, sed pietas miserantis. Tu Juda quem possedit cupiditas, omnia in te novit divinitas: sed væ tibi in quo semel periit humanitas. *Omnes*, inquit, *scandalum patiemini in hac nocte.* (℣. 31.) Et Petrus: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego tamen non scandalizabor.* (℣. 33.) Cœperunt altercari medicus & ægrotus: ille sine ægritudine se esse putabat, ille futuram accessionem videbat. Cui Dominus ait, Paululùm sequestren ur, donec rei exitum com- C probemus. Et Judas: *Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* (℣. 48.) O signum sacrilegum, ô placitum fugiendum, ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium pacis rumpitur sacramentum! Venerunt ad hortum, qui jam antea perdiderant paradisum, quærentes Dominum Jesum Christum: egrediuntur quærentes, qui antè prævenerant venientes. Stat Jesus, & dicunt, *Jesum quærimus.* (Judas Jesum non videbat, etsi mutatus non erat.) Adspicit eos ipse Salvator, quos præcedebat Judas tenebrosus ducator. Ducatum præbebat, & Magistrum non videbat, non quia Jesus mutabilis erat; erat quod erat. Lucem in tenebris quærebant; sed lucem tenebræ non comprehenderunt. Sed audiamus vocem lucis, qui dicit D tenebris venientibus cum laternis, *Quem quæritis?* (Iohan. 18. 4.) Illi dixerunt, *Jesum.* Respondit Jesus, *Ego sum:* (℣. 5.) audita voce abierunt prostrati in faciem cæcitatis. Sed quia lucet lux (Iohan. 1. 5.) in tenebris, excitat elisos à mortuis. Iterum dicit eis, *Quem quæritis? Jesum*, inquiunt. Et ait illis, *Ego sum.* (Iohan. 18. 7.) O insensati Judæi! Interrogastis, & cecidistis; levati estis, & ingrati estis. Qua vos concutiemini comminatione vel terrore, qui ad solam cecidistis simplicem vocem? Dic Israël, Venisti tenere me; quia ego defendi te à persequentibus te? Utinam teneres me, & non perderes te. In aquis parietes construxi, faculam columnæ micantis erexi, Ægyptios cæcitate percussi, tota nocte pro te pugnavi: E factum est manè, & transisti incolumis mare. Malè me quæritis; ideo cecidistis. Ecce qualiter cadunt, qui malè Dominum quærunt.

(Petri lapsus.) 2. Tenetur interea Dominus ad sacerdotum principem perducendus: & cùm discipuli laberentur, Petrus promissor egregius cœpit ambulare longiùs, pervenit ad principis domum. Et quia Petrum frigus urgebat, calefaciendus sollicitus adsistebat. Ecce ille, qui nihil infirmitatis se putabat habere, paulatim cœpit ad verba medici pervenire. Negat territus Christum, qui se promiserat animam pro eo positurum. Prostravit eum anicula decrepita, quasi gravis febricula. Pressit eum lethargicus F somnus, & cepit eum præco impiger matutinus. Audit gallum cantantem, & vidit se discipulus Dominum offendisse. Sub ancilla cœpit pondere vergi atque demergi: non erat qui adjuvaret, nisi de interioribus prætorii Petrum Dominus respexisset. Cùm nox media declinatum subitò teneret incursum, gallus cantavit, & nocte naufragus respiravit. Contum invenit fidei liberalem, quò usque impelleret navem, ut in medio scopulorum portum quæreret lacrymarum. Vidit navim (Ejusdem fletus.) cordis sui sine mercibus nudam: flere cœpit amarè; quia Dominum suum cœpit amare. Jesus pelago navigatorem terrebat, Petrus de gubernatore securitatem spe- G rabat. Domine, inquit Petrus, ubi me dimisisti? Lumen tuum video, te adhuc non video. Lavasti pedes meos, tersisti linteo tuo; lumine tuo aperi oculos meos: quando possum videre te, nisi respexeris me? Ita permansit in amaritudine lacrymarum, quò usque Dominus de portis erumperet inferorum. Petrus lacrymas fudit confessionis, & Judas osculum porrigit falsitatis.

3. Orate,

CLASSIS II. SERM. DE TEMPORE.

Matth. 26. 41. 3. *Orate*, inquit discipulis, *ne intretis in tentationem.* Inquieta nox in fugam compulit piscatores. Pastor tenetur, & Petrus turbatur. Ipse pastor tristis erat, anima ejus turbatur, divinitas inconcussa lætatur. Orat semel, orat & iterum, tertióque precatur. Tamquam aquila tegebat nidum suum velamento pennarum, & sollicitus cùm oraverat ad pullos revertebatur, propter quos tristitiam patiebatur. Obtulerunt Judæi triginta argenteos. (Proditionis Christi pretium.) Ille tali pretio debet comparari, cui non potest aliquid æstimari. Bene, Synagoga, triginta stateres argenti pensasti, dum Dei Filium suspendisti. Abiit ergo Judas, & laqueo se suspendit. Vide, Juda, sententiam divinæ majestatis, quæ te puniri noluit manibus alienis. Pendes in laqueo, & argentum jacet in templo. Nullus gratulatur de tali commercio; quia sacrilegum pronuntiat pretium. Matth. 27. 6. *Non licet mitti in corbonam, quoniam pretium sanguinis est.* Ecce Judæorum improbitas condemnat admissum, & non condemnat sacrilegium. Si tollere non licet pretium, cur implere festinas homicidium? Aut pretium innocentis sanguinis in corbonam non licebat mittere, ipsum innocentem licebat occidere? ✝. 7. *Emerunt*, inquit, *agrum in sepulturam peregrinorum.* Invenit tandem mens cæca remedium. Ad requiem peregrinorum Salvatoris deputant pretium. Licèt non agnoscant, impletur tamen mysterii sacramentum.

✝. 11. ✝. 21. 4. Interrogavit Pilatus Jesum, *Tu es rex Judæorum?* Et Jesus, *Tu dixisti.* Qui ait vulgo, *Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Jesum?* ✝. 23. Vulgus clamat, *Crucifigatur.* O inordinata nequitia judicantis! Pronuntiat innocentem; & eligendi tribuit facultatem. ✝. 19. *Multa enim sum passa pro justo isto hac nocte*, ejus mulier mandat. In nativitate mundi uxor ducit virum ad mortem; in passione Christi uxor provocat ad salutem: illic serpentis subtilitas præcipitat; hîc terror angelicus revocat: ut inde inciperet venia, unde videntur prorupisse peccata. Aquâ manus lavat, dicens, ✝. 24. *Innocens sum à sanguine hujus justi.* Illuminatur per aquæ mysterium judicis sensus, & Christum pronuntiat justum, ut populum faceret reum. Magnum tibi delicti vendicas principatum. Ecce judex Salvatoris se amore excusat; & traditor se cum Judæis propria voce condemnat. Omnia sunt elementa permota, cælum non est quietum, cùm caput Dominicum colaphis verberatur. Non curia cælestis cælo contenta permansit, quia in commotione fuerunt. Cæli luminaria conturbantur, & de stationibus suis stellæ sulphureæ cadunt in lapsum. Ligni cuspide rumpitur Golgotha, resonant mallei securesque cædentes, scinduntur montis sacrati petræ: ille solus Petrus qui fuerat super petram, tamquam in mollem tenuemque arenam solvebatur ex petra. Latro veniam petiit, deitate largiente percepit. Ille sui meminisse rogavit; Salvator in paradiso secum venisse promisit.

* SERMO CLI.

De Passione Domini, II.

Constat frustulis ex Ambrosio in Lucam decerptis.

(* Olim de Tempore 117. & post in Appendice 41.)

(* Ambrosius in Luca cap. 22.) 1. * SUSCEPIT Dominus tristitiam nostram, ut nobis largiretur lætitiam suam. Et vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Matth. 26. 31. *Percutiam*, inquit, *pastorem, & dispergentur oves gregis.* (Christus cur tristis.) Tristis erat; quia nos parvulos relinquebat. Anima tristis erat non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. [a] Proditorem osculo libenter suscepit: non quia Deus Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat. Lucæ 22. 48. *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Fungebaris disciplinâ virtutis, & discipulus factus es consilii iniquitatis. [b] Officio sanguinem fundis? pro pignore amoris vulnus infligis? pacis argumento mortem immittis? servus Dominum tradis, discipulus magistrum prodis? Prov. 27. 6. *Utiliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* Signo dato, ab his qui cum fustibus venerant, detinetur. Injicit manus turba, nectuntur vincula, deridetur justitia, & traditur ab injustitia.

2. Percussit ergo Petrus aurem pueri principis. Lucæ 22. 50. Quare Petrus? (Petrus quare percussit aurem.) Quia ipse accepit regni cælorum claves, [c] & solvendi ligandique ipse adeptus est potestatem. Abscissa est pueri auricula malè audientis, aure interiore Christum malè intelligentis, qui non est passus Christum Prophetam æstimari, sed Dei Filium docuit fideli confessione signari. Limus suum agnoscit operatorem, & caro suam sequitur operatricem. Jubere potuit: operari maluit, qui è limo terræ corporis membra formavit, qui hostes suos non passus est vulnerari. Illi justo mortem inferebant; persecutorum vulnera iste sanabat. ✝. 55. *Petrus sequebatur à longè*: neque enim negare potuisset, si Christo Domino adhæsisset. ✝. 34. *Ter me*, inquit, *negabis.* In domo principis sacerdotum ignis ardebat, ubi Petrus occultus sedebat. (Quare friget.) Frigus erat, ubi Christus non erat. Petrus ab ancilla proditus negat. [d] Mallem Petrum Dominum negasse, quàm Judam Dominum vendidisse. ✝. 56. Interrogatus Petrus: *Et tu*, inquit, *ex illis es qui cum Galilæo erant.* (Quem negat.) [e] Non enim erat qui in principio erat. Hominem negavit, hominum consortium refutavit: non enim hominis erat Apostolus, qui fuerat Christi discipulus.

✝. 62. (Petri fletus.) 3. Ergo *flevit amarè*: maluit ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quàm gravaretur negando. Lacrymas lego, satisfactionem non lego. Petrus negavit in nocte; sed confitetur in die. Habebat lacrymas Petrus, quas pio fundebat affectu: non habebat proditor fletus, quibus culpam ablueret; ut dum reus suo judicio damnatur, [f] spontaneum facinus expietur. Matth. 27. 4. *Peccavi*, inquit, *quòd tradiderim sanguinem justum.* Et Judæi: *Quid ad nos? tu videris.* Pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem, cùm refunderet venditor sacrilegii mercedem. (Ager figuli.) Dum pretium sanguinis à Judæorum gazophilacio separatur, & ager figuli Christi pecuniâ comparatur, locus humandis peregrinorum reliquiis: Zach. 11. 12. prophetiæ testimonium adimpletur, & surgentis Ecclesiæ mysterium revelatur. Ergo pretio sanguinis emitur mundus: Johan. 3. 17. venit enim ut salvetur mundus. (* Deinceps ex Comment. in Lucæ cap. 23.) * Non enim cognovit mundus eum, qui fuerat in mundo mundus.

4. Accusatur, & tacet. Bene tacet, qui defensione non eget: ambiant defendi, qui timent vinci. Non ut reus * excusat se tacendo, sed despicit falsidicos non refellendo. (* f. accusat. V. verba Ambrosii Ser. sequenti n. 1.) Manus quidem Pilatus lavit: sed facta non lavit. Uxor verberatur in nocte, admonet virum in die. Veritas fatigatur, & à servo Dominus judicatur. Coronam de spinis annexam compungentes, caput ejus coronant, & illudentes adorant. Ut rex salutatur, ut victor coronatur: & quasi Deus & Dominus adoratur. Pulcrè crucem adscendit, judicio victor adsistit. Talis ergo adscendit, qui sæculum vincere parat. Posuerunt titulum scriptum, Lucæ 28. 38. *Hic est Jesus, rex Judæorum.* (Christus in cruce vermis, & scarabæus.) Vermis in cruce, scarabæus in cruce. Bonus vermis, qui hæsit in ligno; bonus scarabæus, qui clamavit è ligno. Quid clamavit? [g] ✝. 34. *Ne statuas illis hoc peccatum.* Illis utique petebat veniam, à quibus accipiebat injuriam. (Ad latronem.) *Hodie*, inquit *, *mecum eris in paradiso.* ✝. 43. Nec mirum, si converso culpam ignoscebat, qui insultantibus veniam relaxabat. Matth. 27. 48. *Potaverunt eum aceto.* Bene ad consummanda omnia corruptio sinceritatis hauritur. Itaque acetum bibitur, vinum cum felle non bibitur. Sinceritati non debuit amaritudo misceri; [h] quia pro nobis Dominum sine peccato docuit crucifigi. Lucæ 23. 46. *Pater*, inquit, *in manus tuas commendo spiritum meum.* Bene tradidit, qui non amisit. Spiritus Patri commendatur: ut peccatorum vincula resolvantur. Sol occidit sacrilegis, ut spectaculum obumbraret funestis: finduntur petræ, & Judæorum corda durantur. Elementa fugiunt, terra concutitur; judex arguit, miles custodit, monumenta reserantur, & Judæorum perfidia denudatur.

5. [* Discipuli vigilant, & fletibus oculos mæstos somnus invidus captat Judæi, quid curiosi estis, ubi caro crucifixa remansit? In flammis cum tribus pueris appa- (* Hæc apud Ambrosium non reperimus.)

a Horum loco, *Proditorem osculo* &c in Ambrosii commentariis legitur, *Transfer hunc calicem à me non quia Deus* &c.

b Ambrosius, *Caritatis officio.*

c Nec videtur abs re hîc omissa Ambrosii referre verba: *Ille condemnat, qui & absolvit, quoniam idem & ligandi*, &c.

d Ambrosius sic: *Ponamus negasse Petrum, quia dixit Dominus, Ter me negabis; malo negasse Petrum, quàm fefellisse Dominum.*

e Ambrosius, *Verbum æternitatis refugit, . . . ille solus erat, qui in principio erat.*

f Apud Ambrosium, *& spontaneo supplicio facinus expiatur, pietas Domini, qui se ipse nollet ulcisci, & divinitas probaretur, qui conscientiam mentis invisibili potestate interrogaret.*

g Apud Ambros. *Pater, dimitte illis, hoc est, ne statuas* &c.

h Recedit exscriptor ab Ambrosio, à quo mysterii alia ratio profertur, *ut ostenderetur*, inquit, *sine amaritudine immortalitas, esurgentium futura.*

Classis II.

ruit, qui postea parvulus dignatus est nasci.] Stabant tamen mulieres hæc videntes, stabat & mater Domini (ỷ. 50.) suo filio testimonium perhibente. Joseph & Nicodemus Christum sepeliunt, unus justus, alter in quo dolus non (*Johan.* 19. 39.) erat. Nam si Apostoli sepelirent, dicerent non sepultum, quem Judæi nuntiaverunt raptum. Nicodemus nocte venit propter metum Judæorum. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Quomodo justus latebras periculi timeret, qui corpus non timuit sepelire? Ideò occultè postulavit, ut corpus [a] celaret, non ut periculum præcaveret. Mulieres longè stabant, quæ diligenter locum servabant. Sexus nutat, devotio calet. * Et cùm discipuli fatigarentur, solæ tamen ab Angelo ne timeant admonentur. *Noli me*, inquit, *tangere: nondum enim adscendi ad Patrem meum.* Nondum tibi adscendi, quæ viventem cum mortuis quæris. Quare primùm mulieri? Per mulierem mors antea est nuntiata, per mulierem vita hominibus reparatur. Mulier quid ploras? Mulier Christum videbat, sed hortulanum putabat. Deus est qui adoratur, homo est qui tenebatur. Non renuit tangi à femina; quia non omnes possunt Christum tangere resurgentem, quem tetigerant in corpore commorantem.

Cur Joseph occultè petit corpus Jesu.

* *Jam in Lucæ cap.* 24.

Johan. 20, 17.

*SERMO CLII.

De Passione Domini, III. & de Susanna.

* *Olim de Tempore* 118. *& pòst in Appendice* 44.

Maximo in MSS. & in impressis tribui monent Lovanienses. Ipsa porrò est, quæ in ejus homiliarum libris exhibetur post Dominicam in ramis prima, quæ & in subsequente ibidem homilia citatur. Nonnulla tamen Ambrosii in Lucam verba habet hinc inde inspersa.

Cur Christus accusatus silet.

1. FORSITAN mirum videtur vobis, Fratres, cur Dominus apud præsidem Pilatum à principibus sacerdotum accusetur, nec aliquem jam eorum responsione convincat; cùm utique ingratam accusationem nonnisi repellere solet subsecuta defensio. Mirum, inquam, sit, Fratres, quòd * arguatur Salvator, & taceat. Taciturnitas enim pro consensu habetur; videtur namque confirmare quod objicitur, cùm non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo non firmat, sed despicit non repellendo. Bene enim tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi, qui metuit superari. Festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem cùm condemnatur, exsuperat; cùm judicatur, vincit, sicut ait Propheta, *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.* Quid ergo opus erat ei loqui ante judicium, cui ipsum judicium erat plena victoria? Vincit ergo, cùm judicatur Christus; quia sic innocens approbatur: unde ait Pilatus, *Innocens ego sum à sanguine hujus justi.* * Melior est igitur caussa, quæ non defenditur, & probatur: plenior justitia, quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa veritas sibi adest: taceat lingua in bono negotio, quæ in malas caussas obtinere consuevit. Nolo sic defendi justitiam, sicut solet iniquitas excusari. Quòd vincit Christus, non orationis est, sed virtutis. Scivit enim Salvator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret: atque ideo caussam suam maluit comprobare, quàm dicere. Quæ enim res illum compelleret ad loquendum, cùm silentio satis sufficeret ad vincendum? Fortasse metus eum cogeret, ne salutem perderet, nisi quòd ipsa erat tota caussa victoriæ. [* Suam enim salutem perdidit, ut salutem omnium lucraretur. In se vinci maluit: ut victor esset in cunctis.

* *Ex Ambrosio in Lucæ cap.* 23.

Psal. 50. 6.

Matth. 27. 24.

* *Ambrosii verba ubi suprà.*

* *Ambrosius loco citato.*

Susanna castitate defensa.

2. Sed quid de Deo Christo loquar? Susanna mulier inimicos suos [b] tacuit & vicit.] Non enim apud Danielem judicem verborum se ratione defendit, non patrocinii sermone tutata est: sed in sancta femina tacente lingua, pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ adfuit in judicio, quæ eam defendit in paradiso: ibi enim pudori ejus consuluit, hîc saluti; ibi ne macularetur pudicitia, hîc ne innocentia damnaretur. Castitas enim Susannæ & presbyteros impudicos convicit in paradiso, & in judicio falsos accusatores obtinuit, bisque victrix reos facit testimonii, quos reos fecerat adulterii: atque tandem judicem meretur castitas Danielem

A puerum juniorem, necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cùm judicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est judicatura virginitas. Pudicitiæ autem caussas nisi vir pudicus audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.

Serm. de Tempore.

Judicem virginem meretur.

3. Cognito igitur Daniel Susannæ negotio, cùm eam falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem, *Mundus ego sum à sanguine hujus.* Quo dicto, peccantis populi revocavit errorem. Hac ergo voce circa Susannam Daniel utitur, qua circa Dominum usus est
B Pilatus. Ait enim Pilatus, *Mundus ego sum à sanguine hujus justi.* Eâdem igitur sententiâ absolvitur pudicitia, qua est & absoluta justitia. Sed Daniel meliùs quàm Pilatus: ille enim pudicum sanguinem nec condemnat, & liberat; hic autem justi sanguinem confitetur, & tradit. Quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reum addixisse nequitiæ: nisi quòd gravius peccatum est unum eumdemque & pronuntiare justum, & tradere criminosis? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absolvit, & corde condemnat. Laverit licèt manus suas Pilatus; tamen sua facta non diluit: quamvis abstergere se putaverit justi sanguinem de suis
C membris; eodem tamen sanguine mens ejus tenetur infecta. Ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Judex enim bonus & constans, ne sanguinem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timori. Daniel ergo meliùs quàm Pilatus. Ille peccantis populi revocavit errorem; hic autem furentis Synagogæ sacrilegium confirmavit.

Danielis & Pilati idem judicium. *Dan.* 13. 46.

Matth. 27. 24.

Pilati iniquitas.

*SERMO CLIII.

De Passione Domini, IV.

* *Olim de Tempore* 114. *& pòst in Appendice* 41.

D *Ejusdem forsitan auctoris est, cujus pleraque ex illis quæ sub nomine Eusebii circumferuntur homiliæ. Enimverò illic sollemnius nihil conversione illa ad hominem, cum iisdem quibus hic urgetur verbis, ut adtendat quantum ex Creatoris æstimatione valeat, quantum ei debeat. Ita homil. 2. de Pascha:* Perspice, ô homo, quantum valeas, & perpende quantum debeas. Perspice quantum valeas, ut tandem vilis esse tibi desinas; ut vel per hoc erubescendo subjacere vitiis dedigneris. *Ita etiam homil. 1. & 2. de Symbolo in expos. verborum*, Inde venturus est judicare &c. *Denique homil. 6. de Pascha*, Æstimemus, *inquit*, in quantum suum servum diligere potuit ante culpam, quem sic glorificat post ruinam. *Hæc ipsa verba hîc n. 2. Vide Serm. subsequentem n. 8.*

1. ADMONET nos, Fratres carissimi, ad sollemnitatem
E Dominicæ passionis ipse, in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei linguis hominum, quam conclamaverunt etiam silentia tenebrarum. Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, & una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quòd totum mundum redemit, qui plus dedit quàm totus mundus valeret. Meritum enim redemtæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemtum & redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. * Qui ergo non habebat peccata propria, dignè delevit aliena: solus hic
F pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret. Et quia debitum solus non habuit, rectè fœnus misericordiæ pro debitoribus erogavit. Perpende inter hæc qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem à nobis sit exacturus usuram. In hac itaque die fides Propheticæ annuntiationis impleta est, ita dicentis; * *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti à fœditate sputorum.* Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua.

Mundus totus redemtus.

* *Euseb. infine homil.* 6. *de Pascha.*

Isa. 50. 6.

* *Item Euseb. circa med. ejusdem hom.*

2. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce, homo, quantum valeas, & quantum debeas:
G & dum tantam redemtionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia afficitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur in-

Homo quàm Deo carus, quantum valeat, quantum debeat. *V. Euseb. homil.* 1. *de Symbolo.*

[c] Ambrosius, *impetraret.*

[d] MS. Vindocin. à secunda manu, *tacendo vicit.* Ambrosius autem omittit.

inimicos suos:

Classis II.

Mysterium chlamydis coccineæ. Coronæ spineæ.

nocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, & cæli regem sol fugiens confitetur. Chlamyde coccinea induitur: quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur. Corona spinea capiti ejus imponitur: quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemtoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diverso, ut membrorum vitâ capitis sit corona. Quòd verò sitire se in cruce positus dicit, fidem incredulæ gentis concupiscit: sed è contrà acetum malitiæ porrigunt; quia vinum sapientiæ, quod à Deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur; quia Synagoga honore nudatur: observatio antiqua dissolvitur; Ecclesiæ unitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur; quia mortis jura jure superantur. Laxata sede tartarea à Domino rerum profundæ noctis claustra reserantur, & quem homines non recipiunt, inferi Deum esse cognoscunt.

Sitis in cruce. Veli scissi. Monumentorum apertorum.

Judæ venditi Christi pretium refundentis. Matth. 27. 7.

3. Quòd autem triginta argenteos Judas venditor profanus refudit; indicabat nihil sibi Christi pretium profuturum, sed salutis beneficium scelere suo aliis conferendum. Videamus quid hoc refuso pretio emtum esse eloquia divina testantur. *Emerunt*, inquit, *ex eo agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Figulus Christus est, ager Christi Ecclesia, adquisitio peregrinorum populus Gentium. Superest, Carissimi, ut agri hujus quotidiani atque perpetui studeamus esse cultores: seminemus in eo frugem bonæ conscientiæ, ut cùm tempus messis, id est, consummationis, & dies reddendæ rationis advenerit, cum securitate & exsultatione bonorum operum manipulos reportemus, & post contritionem jejuniorum præsentis Quadragesimæ, laudabilium actuum candore vestiti, & indumento castitatis ornati, ad festa futura procedamus, & Pascha illud æternum piorum inserti conciliis celebremus; præstante D. N. J. C. qui cum Patre &c.

* Olim de Tempore 120. & post in Appendice 41.

* SERMO CLIV.

De Passione Domini, V. & de beato Latrone.

Exstat inter homilias in Bibliotheca Patrum sub nomine Eusebii vulgatus; ibique, sicut in MSS. incipit ab his verbis, Deus erat in Christo, *&c. Non indignus est Fausto Semipelagiano, cujus inspecto lib. 1. de libero arb. c. 7. & lib. 2. c. 6. mox intelliges ipsius esse loquendi modos, quos habes hic n. 3.* fides novella. *n. 7.* credulitatis affectum. *n. 9* felicitas credulitatis, credulitatis compendiosa devotio.

2. Cor. 5. 19. Scopus Christi in mysteriis carnis.

1. FREQUENTER audivimus, Fratres dilectissimi, beatum Paulum apostolum dicentem, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: id est, divinitas operabatur in corpore; apparebat in fragilitate humanitas, & in virtute majestas. Ad hoc itaque nobiscum vixit in carne, ut præferret nobis exempla justitiæ; ad hoc pro nobis mortem subiit, ut conferret munera salutis æternæ. Hominem ad hoc induit, ut erudiret; ad hoc tradidit, ut redimeret; ad hoc resumsit, ut in Deum sumeret. Vitam ad hoc deposuit, ut donaret; mortem ad hoc suscepit, ut vinceret: cui tamen morti præsumtum dominium reddituræ, quasi servus quidem succubuit, sed quasi Dominus imperavit. Siquidem nec animam inferni porta, nec corpus tenere potuit sepultura: quæ per illud triduum nequaquam carnem mortali corruptione violabat; quia in inferno sub eadem mora regnum mortis anima destruebat.

Immensa Dei in hominem dignatio.

2. Quid retribuemus Domino pro muneribus tantæ dignationis? De plenitudine cælesti in facturam se suam factor exinanivit, figulus in figmentum suum transiit, & Rex cæli homini militavit. Militavit, dixi; crux enim pugnantem indicat, resurrectio triumphantem. Quis [a] tantam possit narrare pietatem? *A summo cælo egressio ejus*, & usque ad inferni profunda descensio. In una eademque persona quàm bene manifestantur humana pariter & divina? Nam sedem tartari penetraturus, hominem se confessus est dum descenderet; Deum se prodidit dum rediret. Ut redimeret impios, sicut ait sermo divinus, ut redimeret iniquos, *inter iniquos reputatus est*, inter duos, quos dextrâ levâque legimus pependisse. Se ipsum confusioni & opprobrio crucis tradidit, ut latronem glorificaret. Sed si bene respicimus, non illi soli hoc præstitum deprehendimus. Nam dum tam insignem reum relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conscripsit securitatem; ut consolatio ac spes fieret totius populi, absolutio unius desperati, & privatum donum in publicum cresceret beneficium. Quare indubitanter credendum est, quòd latroni illi ad commendationem fidei suæ, etiam caussâ spei nostræ & utilitatis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoscit. Et ideo juxta fiduciam tantæ clementiæ, si quis nostrûm crimina sua probabili conversatione damnaverit, & Christum toto corde crediderit, [b] etiam nunc latroni in semetipso ingressum paradisi aperuisse se noverit. [c] Quantum agit in spe salutis humanæ magnitudo fidei, & altitudo divitiarum misericordiæ Dei [d]? Ecce hominem in sceleribus involutum pœna misit ad innocentiam, & offensa perduxit ad gloriam. Quem saluti culpa perdiderat, perditio invenit, cruciatus absolvit, damnatio consecravit.

Psal. 18. 7. Christi mors hominem, resurrectio Deum prodidit.

Isai. 53. 12. Lucæ 23. 33.

Serm. de Tempore.

Latronis absolutio fit mundi spes & consolatio.

Salutis spes ex duobus. *Cave à Semipelagiano.*

Latro salutem meritò obtinet.

3. Sed non sine caussa tantum meruit. Videamus quo tempore fidelis apparuit. Ecce inter signa atque virtutes adtestantibus miraculis & acclamantibus, aliquotiens in discipulis mens jam robusta titubavit; & nunc Christi suppliciis quodam modo contradicentibus in latrone fides novella convaluit. Sub ipso passionis tempore ab ancilla interrogatus unus ex discipulis beatus Petrus, peculiariùs Christo cognitus, ita respondit, *Non novi hominem istum*: & iste qui antè non noverat, exclamat, *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Quàm singularis & quàm stupenda devotio! Sub illo tempore credidit reus, quo negavit electus. Laudabilius hoc itaque in latrone ac magnificentius fuit, quòd hominem addictum & inter extrema deficientem supplicia, Deum credidit, quàm si inter virtutum opera credidisset. Non itaque sine caussa tantum meruit.

Christum credens dum derelinquitur. Matt. 26. 72. Lucæ 23. 42.

Deum confitens dum patitur.

4. Advertamus pleniùs, quo tempore Dominum confitetur. Fervebat iniquitas persequentium, exsultabat impietas blasphemantium, contritio, livores & vulnera solum Christum hominem demonstrabant. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio, & reverenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Evæ manus ad interdictum ligni cibum ingemiscenda sæculis transgressione porrectas; hæc, inquam, confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat. * Illisæ per latus lanceæ tremenda percussio quantum ostendebat hominem, tantum abscondebat Deum. Apostolis post divina miracula desperantibus, solus hic non adquiescit scandalo crucis & mortis; solus hic testis est majestatis, qui socius probatur doloris: & ideo adhuc in latrociniis positus, invisibilem Deum angelicis jam oculis videt. Illuminaverat, credo, nascentem fidem lateri jam credentis in Christum propiùs corpore admota divinitas, quæ se largiùs sub momento illo peragendæ redemtionis infuderat.

* Eus. h. hom. 10. de Pasch.

Orationis illius fides.

5. Videamus autem qualis fuerit ipsa deprecatio confitentis. *Memento*, inquit, *mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Non dixit, Si Deus es, de præsenti supplicio eripe me: sed magis, Quia Deus es, de futuro judicio libera me. Quàm citò eum replevit Spiritus-sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse quod sentit, gravius tamen intelligit esse quod metuit. Prædicat sæculis judicem regemque sæculorum: nondum vocatus, & jam electus; nondum famulus, & jam amicus; nondum discipulus, & jam magister, atque ex latrone confessor. *Memento*, inquit, *mei.* Gloriosa voce præsentes temperat cruciatus. Temperat, diximus: quia etsi pœna cœperat in latrone, novo genere consummatur in martyre. De ligno crucis clamat; sed jam tempora retributionis cogitat.

Latro martyr.

6. Videamus quid inter ista * respondeat dives & larga Dei bonitas: quæ sicut excedit vota, ita gratiam adjungit ad merita. *Hodie*, inquit; tamquam si diceret, Quid me, inquit, ô fidelissime comes & unice tanti testis triumphi, quid me tantopere exorandum putas, ut in die judicii mei meminerim tui? Quid me ad præsentem retributionem paratum [e] in tempora tam longa dissimu-

* Cave à Pelagianitas.

[a] Verba, *Quis tantam possit narrare pietatem*, desunt in MSS. & apud Euseb.
[b] Ita MSS. & Eusebius. At editi, *etiam cum latrone.*
[c] Editi Augustiniani, *Quantum sit in spe*, &c.

[d] In editis hîc addebatur, *& patientiæ magnitudo, ostenditur cùm hominem*, &c. Eusebium & MSS. secuti sumus.

CLASSIS II.

Lucæ 23. 43.

las? Quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas? *Hodie mecum eris in paradiso.* Ergo tamquam hereditaria & paterna sedes, quæ expulso Adam, quæ expulsis duobus, clausa est innumeris populis, te introeunte reserabitur. Ingredere illuc primus; sed ingressu feliciore quàm primus. Intra paradisum, nequaquam ultra cum Adam visurus infernum. Nullum illic cibum lethalem, nullam jam legem, nullam arborem pertimescas: ego tibi illic ero victus & vita. Et ne fortè verearis, ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur, possessio tibi illic me introducente firmabitur. Recedat ergo infidelitas, quæ Deum & hominem non recognoscit. Nam sicut diabolus est, qui de paradiso expulit; ita Deus est, qui reducit.

Christum in cruce Deum testantur.

7. Secundùm hæc, Carissimi, per omnem gestorum ordinem, Deum sub homine agnoscamus operantem. Positus in patibulo velut arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, suscepit confitentem; hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credamus in majestate judicaturum, quem jam in cruce [[a] & misericordiam] videmus exercere [&] judicium. Credamus, quam, Deum, vel ex sola virtute patientiæ, qui dum ab homine cruci & neci traditur, sic quoque homini gloriam pollicetur: qui illas ipsas injurias & plagas congestas in corpus suum, convertit in pretium nostrum. Sed & ipsa totius mundi rationabilis creatura motibus suis Deum loquitur. Nam in media passione Domini Salvatoris cælestia & terrena turbantur, lux cum nocte miscetur, elementa quatiuntur, & ab antiquis ministeriis effugantur. Apertè rerum natura perspicitur commoveri, velut in vindictam auctoris sui velit armari. Terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ [b] crucem Domini vix sustineat, tamquam ad scelus proprium contremiscit. Dies refugo lumine, quo modo potest, sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu, more lugentis, induitur: & sicut tota cæli facies Dominicæ nativitatis gloriam nova luce testatur; ita crucis injuriam novis tenebris detestatur. Et quæ duritia cordis humani? Væ eis qui inter ista non credunt; quando quidem creatura insensibilis, quæ recipere non potest credulitatis affectum, dat tamen Deo confessionis obsequium: & cùm pro solo homine Christus mortuus sit, perhibet ei tamen etiam pars illa mundi testimonium divinitatis, ad quam non pervenerunt beneficia passionis.

Judicium illius de latronibus.

a Mira illius patientia.

Creatura universa.

b

Hominis quanta duritia.

Quantum homo valeat & debeat.

* *Confer Euseb. homil. 2. de Pascha, & suprà serm. 153. n. 2.*

8. Quæ cùm ita sint, Carissimi, * agnoscat homo quantum valeat, & quantum illum Deo obnoxium faciat vel natura vel gratia. Agnoscat homo quantum ab illo exspectet Deus; & quem tanta dignatione habuit carum, quàm velit esse in conversatione pretiosum. Agnoscat homo quantum valeat, & quantum debeat: & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat, & potiùs vicem muneris Salvatori ex ipso bono suo, id est, de conservata salute restituat. Custodiamus ergo sollicitè quod tanti sudoris commercio Christus redemit. Reus itaque erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat & commaculat animam, Christi sanguine & passione mundatam; blasphemus, homicida, castitatis proditor. Hæc tria capitaliter occidunt. Contestamur Caritati Vestræ caussas æternorum malorum. Blasphemus, homicida, proditor castitatis suæ, expugnator alienæ, id est, qui legitimi cubilis jura transgreditur, qui extra conjugem suam per mortiferos errat amplexus, reus erit æternæ mortis: quia vilem in se habuit sanguinem Redemtoris. Et quia clamat Apostolus, *Neque rapaces, neque adulteri regnum Dei possidebunt:* abstineamus manus ab alienis, oculos ab aliena femina caveamus: ne corpori illi quod de nostro Christus assumsit, injuriam faciamus in nostro corpore. Caveamus ita peccatis & criminibus vitam prodere: ut ad nos non respiciat prophetia illa terribilis, *Non est*, inquit, *Deus in conspectu ejus, polluuntur viæ ejus in omni tempore, auferuntur judicia tua à facie ejus.* Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis & cupiditatibus frena laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum; quia puto magna sit jam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse judicii. Non nobis ita dulcia sint pauperum

Quàm reus; cùm peccat.

1. Cor. 6. 10.

Psal. 9. 5.

Judicii futuri oblivio, magna peccati pœna.

SERM. DE TEMPORE.

A spolia postmodum nimis amaricatura. Nihilò minùs, sicut dictum est, refugiamus carnis alienæ abominanda contagia, vitemus obscœna inimicæ voluptatis incendia. Hæc qui agit, Carissimi, de stipula ac lignis iniquitatum perpetuos sibi succendit ignes, & numquam exstinguendos concinnat vapores. Non tanti est vita, si ad hoc vivat homo, ut in paucis hujus vitæ annis consumat æternos, & sub brevi fine congreget sibi pœnas sine fine mansuras.

Latronis exemplum ne remissioris vitæ sit occasio.

9. Sed ne fortè, Carissimi, aliquem nimis securum faciat aut remissum tam nova felicitas credulitatis, ne fortè dicat aliquis in corde suo: Non me usque adeo conturbet & cruciet rea conscientia, non me usque adeo contristet culpabilis vita, video sub momento, video sub

B exiguo spatio latroni crimina sua donata, & mihi resoluta mente [c] concipiuntur. Primùm considerandа est in latrone illo non solùm credulitatis compendiosa devotio, sed temporis illius, sub quo hæc agebantur, occasio, quo justorum legitur titubasse perfectio. Deinde antè mihi fidem latronis ostende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem: neque dinumerari possunt, quantos hæc inanis spei umbra deceperit. Deterreant, quæso, nos ab hac persuasione innumerabiles populi sub tali securitate nudi & vacui bonis, & malis pleni, ex hac luce prærepti.

c Quia paucis fides Latronis.

Et multi hac inani spe decepti.

C 10. Quotidie expavescenda transitûs nostri & commigrationis incerta hora; quæ & modò vel insperata vel subita sunt, & in æternum remediis caritura sunt. Præveniendus est dies, qui prævenire consuevit. Ipse se seducit, & de morte sua ludit, qui hoc cogitat, Potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire. Non est hoc: primùm, quia periculosissima est in ultimum diem promissa securitas: deinde, stultissimum est, ut caussa quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. ODIBILE EST APUD DEUM, quando homo sub fi-

Salutis tempus differre.

Periculosissimum.

Stultissimum.

Deo odibile.

D ducia pænitentiæ in senectutem reservatæ liberiùs peccat. Credite, Carissimi, difficile est ut callida dissimulatio ordinandæ consummationis obtinere digna sit facultatem: apud illum cordis interpretem ars non admittitur ad salutem. Ille autem, de quo locuti sumus, beatus latro, beatus, inquam, non jam juxta viam insidias tendens, sed viam ipsam in Christo tenens, ac vitæ prædam subitò rapiens, immutato genere & nova spolia de morte propria reportans, ille nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momenta ultima infelici fraude posuit, nec redemtionis suæ spem in desperationis novissimum reservavit: nec religionem antè, nec Christum

Latro salutis opus non distulit.

E scivit. Quòd si scisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo: quia ad consequendam fidem non fuit extrema hora illa, sed prima. Opus est ergo, ut sibi homo quotidiano actu provideat, & procuret bonam consummationem: opus est, ut tota vita nostra talis sit in conversatione, ut liberi mereamur esse in fine. Incessabiliter diem transitûs nostri & tempus judicii cogitantes, nos quoque cum latrone jugiter proclamemus, *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.*

* SERMO CLV.

* *Olim de Tempore 130. & post in Appendice 49.*

F

De Passione Domini, VI. seu de Cruce & Latrone.

Johannis Chrysostomi homilia est, sed hic decurtata, & vetere altera versione quæ in MSS. ac in antiquioribus Chrysostomi editis reperitur, deterior, minùsque consentiens Græcæ dictioni.

1. HODIERNA die Dominus noster pependit in cruce, & nos [d] epulamur, ut discamus quoniam crux Christi feriæ sunt & nundinæ spiritales. Antea namque crux nomen condemnationis erat, nunc verò facta est res honoris: priùs in damnatione maledicti stabat, nunc in occasione salutis erecta est. Hæc enim crux innumerabilium nobis bonorum exstitit caussa: hæc nos

d Crux jam gloriosa.

Donorum innumerabilium caussa.

G de erroribus liberavit, hæc nos sedentes in tenebris illuminavit, hæc nos à diabolo expugnatore reconciliavit Deo, & ex alienatis restituit in domesticos, de longinquis proximos fecit, de peregrinis reddidit cives.

a In MSS. & apud Eusebium desiderantur voces, *& misericordiam:* adjectæ hîc fortè contra mentem auctoris Pelagianistæ.

b Eusebius, *quasi quæ super crucem Deum vix sustineat.*

c Fortè legendum, *conceduntur.* Aut certè abundant verba, *& mihi resoluta mente concipiuntur.* Et ipsa quidem omittunt cum Eusebio MSS.

d Ita editi cum duobus MSS. At versio altera in MSS. & antiquioribus Chrysostomi impressis, *festivitatem nimiâ lætitiâ celebramus.* Græca editio, ἑορτὴν ἄγομεν. Vertit Gretserus, *festum agimus.*

Hæc

Hæc est enim inimicitiarum interemtio, pacis firmamentum, & omnium nobis bonorum thesaurus. Propter hanc jam non erramus in solitudinibus; viam enim veritatis agnovimus: nec jam extra regnum sumus; januam enim regis intravimus: jam ignitas diaboli sagittas non timemus; fontem enim vitæ, quo exstinguerentur, invenimus. Propter hanc jam in viduitate non sumus; sponsum enim recepimus: non expavescimus lupum; quia bonum pastorem invenimus: dicit enim, *Ego sum pastor bonus.* Propter hanc non formidamus tyrannum; regi enim adhæremus: propter hanc diem festum agimus, crucis memoriam celebrantes.

Johan. 10. 14.

Crucis festivitas à Paulo instituta. a

2. Ita & Magister Gentium [a] docet, propter crucem annualem festivitatem constitui. *Epulemur*, inquit, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Deinde caussam agendæ sollemnitatis adjiciens, ait, *Quoniam Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Ubi autem sacrificium, ibi & interemtio peccatorum; ubi interemtio peccatorum, ibi reconciliatio Dei; ubi reconciliatio Dei, ibi *vox lætitiæ & salutis in tabernaculis justorum.* Sed & omnis terra lætetur: *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Et ubi immolatus est, dicito. In altitudine crucis. Novum est altare sacrificii hujus; quoniam & immolatio nova & admirabilis. Ipse enim & hostia erat & sacerdos: hostia quidem secundùm carnem, sacerdos verò secundùm Spiritum. Idem ipse & offerebat quidem secundùm Spiritum; offerebatur verò secundùm carnem. Audi igitur nunc quomodo utraque hæc manifestaverit Paulus: *Omnis*, inquit, *Pontifex, qui ex hominibus accipitur, pro hominibus constituitur: unde necessarium est, ut & ipse habeat quod offerat.* Ecce ipse offerebat se ipsum. Alibi verò dictum est, *Quoniam* [b] *Dominus semel oblatus est pro oblatione sui; deinceps ut multorum auferat peccata: secundò verò sine peccatò videbitur his, qui exspectant eum in salutem.* Ecce isthic oblatus est, ibi se ipsum obtulit. Vidisti quomodo simul & hostia & sacerdos factus est, & altare erat crux.

Crux, altare.

Christus, sacerdos & hostia.

Hebr. 5. 1.

Hebr. 9. 28. b

Cur sub dio immolatus, non in templo.

Isai. 53. 12.

3. Et cujus rei caussâ non in templo offertur hæc hostia, sed extra civitatem & extra muros? Ut illud impleretur quod scriptum est, *Quoniam inter iniquos deputatus est.* Cujus igitur rei caussâ in altitudine crucis immolatur, & non sub tegmine ædificii? Ob hoc scilicet, ut aëris naturam mundaret, propterea non in altari, nec tecto superposito, sed sub cælo. Aër enim purgabatur, cùm in altitudine immolaretur ovis: terra etiam purgabatur, quia stillabat sanguis Domini super eam. Ideo non sub tegmine, neque in templo Judæorum: ut non subtraherent sacrificium salutare Judæi. [c] Neque existimes pro illa tantummodo gente hanc hostiam offerri: propterea enim extra civitatem & extra muros; ut intelligas quoniam communis est hostia pro genere humano oblata: & ideo communis est purificatio, non ex aliqua parte, quemadmodum fuerat in Judæis. Nam Judæis ideo præcepit Deus relinquere universam terram, & in uno loco offerre sacrificia, & vota reddere: quoniam immunda erat tunc universa terra fumo ararum & nidore bustorum, ceterorumque inquinamentorum eorum quæ de profanis Gentilium sacrilegiis inferebantur super eam. Nobis verò jam quoniam Christus adveniens universam terram expiavit, omnis locus oratorium factus est. Et idcirco beatus Paulus hortatur & præcipit sine intermissione orare ubique, dicens, *Volo orare viros in omni loco, levantes manus sanctas.* Vides quomodo mundatus est orbis terrarum? Et ideo ubique sanctas manus levare possumus, quoniam universa terra sanctificata est; ut sanctior sit quàm illa in interioribus templi veteris sancta sanctorum. Ibi namque irrationabile animal ovis offerebatur; hîc autem spiritalis oblata est. Et quantò major est oblatio, tantò & eminentior sanctificatio: idcirco festivitas [epulationis] est crux Christi.

Crux omnem locum in templum consecravit.

1. Tim. 2. 8.

Crux paradisum referavit.

4. Vis discere & aliud crucis beneficium? Paradisum ante quinque millia vel amplius ferè annorum clausum, hodie nobis aperuit. In hac enim die & in hac hora latronem introducens Christus, duplex beneficium operatus est: unum quidem quia paradisum aperuit, aliud verò quia latronem introduxit. Hodie reddidit nobis patriam principalem, hodie reduxit nos in civitatem paternam, & æternam domum redonavit communi hominum naturæ. *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso.* Quid dicis? Crucifixus es, & clavis confixus, & paradisum promittis? Ita, inquit; ut in ipsa cruce virtutem meam agnoscas. Quoniam res hæc tristitiæ videbatur, ut non in crucis lignum adtendas, sed virtutem ejus qui crucifixus est, discas: in cruce hoc miraculum operatus est, unde maximè potentiam suam declarat omnipotens, non mortuum resuscitans, non mari & ventis imperans, non dæmones ejiciens, sed crucifixus & consputus in facie, clavisque confixus; cùm injurias & maledicta susciperet, derisus atque contemtus malignam illam atque longo scelerum usu obduratam latronis mentem immutare prævaluit, ut ex utroque virtutem ejus inspicias. In eodem enim tempore passionis crucifixus universam creaturam turbavit, & saxa dirupit: duriorem verò lapidibus animam adtraxit pariter & honoravit, dicens, *Hodie mecum eris in paradiso.* Et certè Cherubim custodivit paradisum: sed hic etiam Cherubim Dominus est. Flammea rhomphæa ibi volvitur: sed ipse & flammæ, & gehennæ, & vitæ, & mortis potestatem habet.

Lucæ 23. 43.

Latronis in cælum ingressus Dominum valde commendat.

5. Et quidem nemo regum aliquando passus est latronem hominem, aut quempiam alium ejusdem naturæ conservum secum assumens ita in civitatem introducere: sed Christus hoc fecit, qui mortis & diaboli victor, & sacratissimam ingrediens patriam secum latronem introducit, non conculcans paradisum istius pietatis opere, sed honorans; neque confundens latronis introitu, sed illustrans. Honor namque paradisi est, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere possit paradiso deliciarum. Etenim cùm publicanos & meretrices introduceret in regnum cælorum, non confudit, sed extulit regnum cælorum; neque dejecit, sed potiùs honoravit paradisum. Honor enim, ut diximus, est paradisi, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere possit deliciis & possessione paradisi. Talis est enim Domini regnum cælorum, ut & meretrices & publicanos ita probabiles reddat, ut digni appareant gratiâ & gloriâ quæ illic est. Quemadmodum enim medicum tunc maximè admiramur, cùm viderimus eum difficiles hominum valetudines curantem, mortisque pericula medendi arte vincentem: ita & Christum admirari justum est, quando insanabilia vulnera in corporibus & mentibus curat, quando publicanum & meretricem ad tantam sanitatem perducit, ut etiam cælo dignos ostendat.

Latronis meritum.

6. Et quid tale egerat Latro, ut post crucem quam meruerat, repentè paradiso dignus judicaretur? Vis breviter dicam virtutem fidei ejus? Quando Petrus negavit deorsum, tunc ille confessus est sursum. Et hæc non ut accusans beatissimum Petrum locutus sum, absit; sed latronis magnanimitatem ostendere volens. Nam ille discipulus minas abjectæ puellæ non sustinuit: latro verò multitudinem totius populi videns circumstantem & clamantem, insanas blasphemias & opprobria atque maledicta jaculantem, non adtendit illis, non cogitavit visibilem abjectionem ejus qui crucifigebatur: sed oculis fidei hæc cuncta transcurrens, & ut abjecta & levia veritatis impedimenta præteriens & relinquens, cognovit Dominum cæli, & ait dicens, *Memento mei, Domine, in regno tuo.* Ne ergo brevi commemoratione dimittamus latronem istum, neque confundamur doctorem accipere, quem Dominus noster non erubuit primum in paradisum introducere; ne, inquam, erubescamus magistrum habere hominem, qui ante omnem generis humani naturam meruit dignus haberi regno cælorum: sed singula intentiùs disquiramus, ut virtutem crucis agnoscamus. Non dixit ad eum Dominus quemadmodum ad Petrum, *Veni post me, faciam te piscatorem hominum.* Nec dixit ad eum quemadmodum ad duodecim discipulos, *Quoniam sedebitis super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israël:* sed nec qualecumque verbum dignatus est ei dicere, nullum miraculum osten-

Latro, doctor.

Matth. 4. 19.

Matth. 19. 28.

[a] Apud Chrysostomum, Παῦλος ἑορτάζειν παραινεῖ, Gretserus, *Paulus monet ut festivitatem agamus.* Alia versio antiqua, *Paulus præcepit propter crucem festivitatem celebrari.* Mox addit, *Diem itaque festum celebremus*, ubi Græc. ἑορτάζωμεν, & Gretserus, *feriemur.* Melius sanè quàm, *epulemur.*

[b] Versio vetus, *Christus semel oblatus abstulit multorum peccata. Ecce hîc oblatus, ibi &c.* Ita ferè Chrysostomus.

[c] Addit hîc versio vetus jam laudata, *& sibimet vindicarent.*

CLASSIS II.

dit, non mortuum resuscitatum, non dæmonem expulsum, non mare obediens, non denique aliquid aut de regno cælorum ei locutus, aut de gehenna comminatus est: & prior omnium latro confessus est eum, & hoc alio exprobrante. Improperabat enim ei ille alius latro.

Latro & latro.

6. Vidisti latronem & latronem: ambo in cruce, ambo ex conversatione latronum, ambo ex eadem malignitate venientes; sed jam non ambo in eisdem mentibus & meritis constituti. Nam alius quidem regnum adipiscebatur, alius verò in gehennam mittebatur. Ita & pridie in discipulis simile discrimen fuit. Nam & Judas quidem discipulus, & illi undecim: sed illi quidem dicebant Domino, *Ubi vis paremus tibi Pascha manducare?* (Matth. 26. 17.) iste verò se ad tradendum Dominum præparabat, & dicebat, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* (℣. 15.) & illi quidem ad ministerium divinum se præparabant, hic autem ad tradendum festinabat. Ita & in hoc loco latro & latro; sed unus quidem improperabat, alius adorabat; alius blasphemabat, alius laudabat, & blasphemantem corripiebat, dicens, *Nec tu times Dominum tuum?* Vidisti fiduciam latronis, vidisti liberam voluntatem in cruce: vidisti philosophiam in tribulatione, [a] & reverentiam divini timoris in supplicio. Quòd enim in semetipso erat, & clavis confixus non saucium intellectum, neque confixum sensum habebat, quis non admiretur & compungatur? Etenim non solùm quod in ipso erat, sed & ea quæ circa se ipsum erant relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens, & dicens, *Nec tu times Dominum tuum?* (Lucæ 23. 40.) Noli, inquit, adtendere judicio huic quod deorsum est; alius judex invisibilis est. Ne ergo consideres, quia deorsum à judice mortali condemnatus est: non enim talia sunt superna judicia. Hîc autem in terreno judicio & justi condemnantur, & injusti effugiunt; & rei dimittuntur, & innocentes puniuntur: volentes namque & nolentes multùm errant qui judicant. Ignorantes enim justitiam seducuntur: vel certè scientes per avaritiam corrumpuntur, ut sanguinem innocentem vendant. In supernis verò nihil tale. Judex enim justus est, & judicium ejus tamquam lumen prodiit, non habens tenebras neque ignorantiam. Ut ergo non diceret, quoniam damnatus deorsum in terris, & adjudicatus est pœnæ, perduxit eum ad judicium supernum, commemoravit tribunal illud horribile, tantum non dicens sibi: Respice, & non portabis sententiam damnationis æternæ, [b] nec stabis in sorte judicum corruptorum, respiciens ad salutem futurum in supernis judicium. Vidisti philosophiam latronis, vidisti intellectum & doctrinam, subitò in ictu oculi de cruce in cælum transilivit: ita jam ex abundantia receptæ justitiæ proximum illum vel socium quondam suum arguens, ut diceret ei, *Non times*, inquit; *quoniam in ipso judicio sumus*, id est, in eadem condemnatione? Nonne, inquit, & tu in ipsa cruce es? Quamobrem in quo socium increpas pœnæ, te ipsum pro illo reum statuis? Quemadmodum enim is qui in peccatis est, si alios audeat accusare, se ipsum ante illos accusat: ita & is qui in ærumna positus est, si aliis eam sui oblitus exprobrat, sibi ante illos dicit opprobrium: *Quoniam*, inquit, *in ipso judicio sumus*.

Latronis charitas & prædicatio.

Latronis confessio ejusque fructus.

7. Quid agis, ô latro? satisfacere incipiens, socium tibi Dominum fecisti? Non, inquit: emendo hanc de me opinionem in subsequentibus. Nam ne æstimes quòd propter damnationis consortium, criminis quoque consortem fecerit Dominum, subtexuit emendationem, dicens, *Et nos quidem justè; digna enim patimur his quæ commisimus.* (Ibidem 41. Ibidem 42.) Vidisti confessionem perfectam, vidisti quomodo in cruce se exuit à peccatis. Dic, inquit, tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. Nemo compulit, nemo vim fecit: sed ipse se divulgavit, ipse condemnavit, dicens, *Et nos quidem justè; digna enim factis recipimus: hic autem nihil mali gessit. Memento mei, Domine, in regno tuo.* Non est ausus antè dicere, *Memento mei, Deus*, quàm per confessionem iniquitatis præteritæ, sarcinam peccatorum deponeret. Vides quanta res sit confessio. Con-

SERM. DE TEMPORE.

A fessus est, & paradisum aperuit: confessus est, & tantæ fiduciæ robur accepit, ut de latrocinio regnum deposceret, considerans quantorum bonorum nobis caussa sit crux.

Crux, insigne regni.

8. Dicito mihi latro, regnum petis; quid in eo tale vides à quo petis? Dic mihi, nam quod in conspicuo est, clavos & crucem cernis. Sed hæc, inquit, crux, ipsa regni insigne est: & propterea Jesum regem appello, quia video crucifixum. Opus enim regis est, vitam suam pro his quibus regnat opponere; unde & ait, quia *pastor bonus animam suam ponit pro ovibus:* (Iohan. 10. 11.) igitur & rex bonus animam suam ponit pro his quorum princeps est.

B Quoniam igitur animam suam posuit, ideo eum regem cognosco, & Dominum appello. *Memento mei*, inquit, *Domine, in regno tuo.* Considerasti quomodo & regni insigne sit crux. Quòd si aliunde vis discere hoc ipsum, non reliquit eam super terram, sed adtraxit in cælum. Unde hoc ipsum scire potes? Quia pariter cum ipso veniet in secundo & glorioso ejus adventu: ut discas quomodo mira & magnifica est crux. Unde & gloriosam eam dixit, in ea gloriante Apostolo.

Hinc Christus in cælum tulit.

Ipsam referet in adventu secundo.

9. Sed videamus quomodo cum cruce veniet: necessarium est enim & hoc ipsum ostendere. *Si dixerint*, inquit, *Ecce in promtnariis est Christus, ecce in solitudine est,* (Matth. 24. 26.)

C *nolite credere:* de secunda præsentia suæ gloriæ dicens propter pseudo-christos, & propter falsos prophetas, & propter antichristum; ne aliquis errore præventus in falsos incidat christos. Quoniam Christi Salvatoris adventum præveniet antichristus, ideo sollicitè præcavendum est, ne quis pastorem quærens, lupum inveniat: ob hoc prædico tibi, unde dignoscas veri pastoris adventum. Nam quia primus adventus ejus latenter factus est, ne æstimes quoniam secundus adventus ejus talis erit, hoc dedit signum. Hæc enim fuit voluntas ejus, ut primus adventus latenter fieret, & quæreret quod perierat: secundus verò adventus non ita erit; sed, *Quemadmodum*, inquit, *fulgur exiens ab Oriente apparet in Occidente, ita erit adventus Filii hominis.* (℣. 27.) Subitò omnibus apparebit, nec erit indigens quisquam interrogare, sive hîc, sive illic est Christus. Quemadmodum enim cùm fulgur emicuerit, non egemus inquirere, si facta sit coruscatio: ita cùm revelatio præsentiæ ejus effulserit, non indigebimus interrogare, an venerit Christus. Sed quod quæritur, si cum cruce veniet, requiramus; nec enim promissæ expositionis oblitus sum. Audi igitur subsequentia: *Tunc*, inquit, *quando venturus est, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* (℣. 29.) Tanta enim erit eminentia splendoris in Christo, ut etiam clarissima cæli luminaria

Adventus Christi secundus latens non erit, & quare.

D

E præ fulgore luminis divini abscondantur. Tunc *stellæ cadent*, quando apparuerit signum Filii hominis in cælo. Considerasti quanta virtus sit signi, hoc est, crucis: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*; crux verò fulgebit, & obscuratis luminaribus cæli, delapsisque sideribus sola radiabit: ut discas, quoniam crux & lunâ dilucidior & sole erit præclarior, quorum splendorem divini luminis illustrata fulgore superabit. Quemadmodum enim ingredientem regem in civitatem, exercitus antecedit, præferens humeris signa atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armisonæ annuntiat regis introitum: ita Domino descendente de cælis præcedet

Crucis fulgore obscurabuntur sol, luna & stellæ.

F exercitus Angelorum, qui signum illud, id est, triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, divinum regis cælestis ingressum terris trementibus nuntiabunt. *Tunc*, inquit, *commovebuntur virtutes cælorum*: de Angelis dicit; tremor enim illos apprehendet, & timor magnus. Cujus igitur rei caussâ, dic mihi? Quia tunc tam terribile erit judicium illud, ut etiam ab Angelis timeatur. Omnis enim natura generis humani incipiet judicari, & adstare terribili [c] judici. Quamobrem ergo tunc Angeli contremiscent, & unde tremor apprehendet eos? non enim illi habent judicari. Sed quemadmodum prin-

Angeli tremunt in judicio extremo, & quare.

G cipe judicante, non solùm rei, sed & officia quæ nihil sibi conscia sunt, timore & tremore comprehenduntur propter judicis terrorem: ita & tunc cùm genus humanum judicabitur, etiam cælestes ministri pavebunt, &

a Versio vetus, *& in pœna prudentiam.* Tum subdit, *Quòd enim sui memor fuit, quòd mente sanâ vigilabat clavorum confixione constrictus, quis*, &c Chrysostomi autem posterior interpres, *Quòd enim sibi præsens fuerit, quòd de statu mentis non sit dejectus, etsi clavis affixus* &c. Utrobique autem deest vox *compungatur*.

b MSS. Corb. versio. *Nec stabis infrà cum corruptis judicibus; sed excipies sursum verum judicium* οὐδὲ στήσῃ μετὰ τῶν κάτω ἀνθρώπων, ἀλλὰ θαυμάσεις καὶ ἀποδέξῃ τὴν ἄνωθεν κρίσιν.

c In MSS. deest vox, *judici*, cujus loco apud Chrysostomum, βήματι, *tribunali*.

CLASSIS II.

terribilem apparatum judicis intuentes, horrenda formidine contremiscent.

Cur crux in judicio apparebit.

10. Sed quare crux apparebit tunc, & quam ob causam in ejus prælatu Dominus adveniet? Ratio perspicua est, ut agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum majestatis crucifixerunt: per hoc enim signum, impudens Judæorum redarguitur impietas. Et quomodo propter hoc ipsum habens crucem veniet, audi ipsum in Evangelio protestantem, quia *tunc plangent omnes tribus terræ*, [a] videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & ipsa arguente cognoscent peccatum suum serò, & frustrà fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris, si crucem afferens veniet, ubi & ipsa vulnera ostendet? *Tunc videbunt*, inquit, *in quem compunxerunt*. Quemadmodum enim in Thoma fecit, volens incredulitatem discipuli erroremque corrigere pro multorum fide, & ingerens ostendit illi signa clavorum, & ipsa de clavis vulnera, *Mitte manum tuam, & vide: quoniam spiritus, ossa & carnem non habet, quemadmodum me videtis habere*: tunc ostendet vulnera, & crucem manifestabit: ut ostendat, quoniam ipse est qui crucifixus est.

Johan. 19. 37. Johan. 20. 27. Luca 24. 39.

Christi in cruce pro inimicis oratio.

11. Non solùm autem de cruce, sed de verbis ipsis quæ in cruce habuit, immensam pietatem ejus possumus considerare. Nam cùm adhuc in cruce confixus esset, dicebat: *Pater, dimitte illis peccatum; non enim sciunt quid faciunt*. Et crucifixus pro illis qui crucifixerant orabat; & quidem illi è diverso dicebant, *Si Filius Dei es, descende de cruce*. Sed propter hoc non descendit de cruce, quoniam Filius Dei est. Propter hoc enim venit, ut crucifigeretur pro nobis. Descende, inquiunt, de cruce, & credimus in te. Hæc verba sunt occasiones incredulitatis. Nam plus fecit, quàm si de cruce descendisset. Multò enim majus fuit lapide ad monumentum apposito resurgere, quàm de cruce descendere. Lazarum etiam quatriduanum jam funere fœtidum de sepulcro resuscitasse majus fuit, quàm de cruce descendere. Et illi quidem dicebant, *Si Filius Dei es, salva temetipsum*: iste autem omnia sustinebat, ut illos liberaret qui crucifixerunt. *Dimitte*, inquit, *illis peccatum*. Utique dimisit, si vellent pænitere. Si enim non dimisisset illis peccatum, nec Paulus post Ecclesiæ persecutionem apostolus exstitisset; si non dimisisset illis peccatum, non utique statim post assumtionem ejus tria millia & quinque millia & multa millia credidissent. *Quoniam*, inquit, *multa millia Judæorum crediderunt*. Audi quid dicunt Paulo apostolo. *Vides*, inquiunt, *frater, quot millia sunt Judæorum qui crediderunt?*

Luca 23. 34. Matth. 27. 40. Ibidem 42. Marci 15. 29. Act. 2. 41. Act. 21. 20.

Imitatio Christi.

12. Imitatores ergo Domini esse debemus, & pro inimicis orare exemplo ipsius, qui cùm esset crucifixus, pro crucifigentibus se Patrem postulabat, ut dimitteret illis peccatum. Et quomodo, inquis, possum Dominum imitari? Si volueris, poteris. Si enim impossibile erat imitari eum, quomodo dicebat, *Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde?* Nam si impossibile esset imitari eum, numquam Paulus dixisset, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Quòd si Dominum imitari non vis, imitare servum ejus Stephanum, quem & Apostolum dico; nam & ille Dominum imitatus est. Et quemadmodum Christus inter crucifigentes se relinquens crucem, relinquens propriam persecutionem, pro crucifigentibus se deprecabatur Patrem: ita & servus ejus inter lapidantes se, suscipiens jacula saxorum & dolores qui ex ipsis fiebant, dicebat, *Domine ne statuas illis peccatum hoc*. Audisti quomodo secundùm Dominum locutus servus. Ille ait, *Pater, dimitte illis peccatum; nesciunt enim quid faciunt*. At iste dicit, *Domine, ne statuas illis peccatum hoc*. Et ut discas, quoniam cum omni sollicitudine oravit, *Positis*, inquit, *genibus orabat dicens, Domine, ne statuas illis peccatum hoc*, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 11. 29. 1. Cor. 11. 1. Act. 7. 59. Luca 23. 34. Act. 7. 59.

* Alias de Tempore 122.

* SERMO CLVI.

De Passione Domini, VII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, falsus Verlino & Vindingo videtur. Huc omnino Sermonem hunc, quem in MSS. frustra quæsivimus, rejicere compellit dicendi ratio ab Augustiniana manifestè dissidens.

SERM. DE TEMPORE.

1. DILECTISSIMI Fratres, Dominus noster Jesus * Christus nobis salutem exhibuit; divinæ verò naturæ nihil minuit. Gratias ergo agamus pietati ejus, qui infirmitati nostræ de homine suo vitale composuit medicamentum. Magnificemus eum, quia nullum divinæ virtutis, dum nobis subvenit, fecerit detrimentum. Verè pius, verè Salvator, qui in tantum dilexerit opus suum, qui in tantum reputaverit servum suum, id est, humanum genus universum; ut culpam ejus suo verbere expiaret, vulnera ejus suo livore sanaret. Denique ille peccat, hic vapulat; ille prævaricatur, iste crucifigitur. Quis hoc existimet, & quis cogitet? Quis compenset Dominum pro servis mori dignatum? Et hoc pro quibus? Pro sceleratis, pro impiis. Quid tibi, Domine, retribuet opus tuum bonum à te factum, propria voluntate perversum, sed tua miseratione reparatum? Quid ab eo pro tantis beneficiis expetis? Numquid aliquid ejus eges, aut ab eo quod ei non dedisti, requires? An fortè, immo hoc quæris, ut aptum facias cui misereris, ut dignum constituas quem immortalitatis tuæ participem reddas, ut facias bonum quem corones in æternum?

* V. Serm. 160. n. 5. & Serm. 163. n. 1.

Redemtionis nostræ beneficium.

Quid Deus pro ipso exigat.

2. Sed quid à nobis, ut hoc retribueres, accepisti? Nihil certè, an aliquid? Indulgeat Dominus terræ miseræ, si quidpiam terra & cinis præsumserit dicere. Non repudiet insipientem, sed respiciat confitentem. Dicat terra Domino suo, dicat homo factori suo: Nempe accepisti aliquid ex me, quod non habuisti in te. Volens enim subvenire terræ, sed excedere nolens modum justitiæ, mortalem morte tua redimere cogitabas: sed unde mori posses ex te nihilo minùs non habebas. Tu omnipotens, ego egens; tu immortalis, ego mortalis: accepisti ex me egestatem pulveris, sumsisti de me mortem carnis; fudisti pro me pretium redemtionis. O pretiosum pretium perditorum! *Dicant nunc qui redemti sunt à Domino, quos liberavit de manu hostis, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Dicat ei terra redemta, terra irrigata; redemta sanguine, irrigata baptismate: Magna iniquitas mea, sed major est redemtio tua.

Ars Dei ut terræ subveniret, & justitiæ faceret satis.

Psal. 106. 2. Ibidem 1.

3. Audiat ergo vocem Domini mei humani generis adversarius, & nihil jam sibi applaudat elatus: quia pro totius mundi facinore in cruce pependit Dominus noster Jesus Christus. *Nunc*, inquit, *judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi mittetur foras. Et ego, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. O quàm benè te tuo impetu, diabole, percussisti! Crudelitas tua tibi exitium, nobis adtulit commodum: dum nulli parcis, te ipsum tandem interimis. Per unius delictum omnes captivasti; per unius justitiam omnes nihilo minùs amisisti. Si illum qui tibi consenserat invasisti, istum in quo nihil inveneras cur indebitè occidisti? Effudisti innoxium sanguinem; redde damnatam progeniem. Tu certè ille es, qui tibi divinitatis similitudinem arrogabas elatus: nunc ab homine divino prosterneris superatus. Et quid mirum, si te, utpote creaturam suam, virtus divina fecisset? Sed hoc est magnum atque mirificum, ut de pulvere assumeret, unde tuam nequitiam prosterneret atque contereret: ut qui supra sidera superbus erigebaris, nunc à carne supereris. Ille igitur sanguis quem effudisti, te vicit, me redemit. Denique illum bibo; & veneni tui perniciem salvatus ultrà non timeo. Prævaluisti in paradiso; sed victus es de patibulo. * Quid mihi circumjectam paradiso igneam rhomphæam opponis? Ecce exaltati Crucifixi profluens unda restinxit versatilem flammam. Jam jam patet humano generi paradisus, in quo latronem confitentem reduxit Dominus Jesus Christus.

Johan. 12. 31. & 32.

Hinc diabolus elusus & prostratus.

* Confer Serm. 159. n. 3.

4. O quàm grande mysterium! Paradisus qui clausus fuerat prævaricatori, jam reseratur latroni. An fortè & in hoc latrone totum hominem, vel illum etiam primum generis humani parentem advertere convenit? Si enim is qui aliis interficiendo intulerat mortem, latronis accepit nomen: quantò magis qui ipsam mortem, quæ non erat, peccando invenit, latronis non immeritò crimen incurrit? Christus autem ait latroni, *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso*. Cui aliquando, Carissimi, tarda videatur esse conversio, cùm latronis jam pendentis, jam morientis non fuerit repudiata confessio? O

Hinc paradisus reseratus.

Luca 23. 43.

Conversio numquam tarda.

[a] Versiò MSS. Corb. juxta Græcum, *Videntes accusatorem, & agnoscentes peccatum: & quid miraris si &c.*

CLASSIS II.

ampla Domini miseratio, oblivíscentis injusti crimen, suscipientis pœnitentis fidem; pro scelere damnatum facientis electum, mortis debitorem reddentis æternitatis vitæ participem! Sed planè hujus latronis extrema quidem, sed non minima fides, qui Dominum tunc non suscitantem mortuos, sed morientem pro peccatoribus prope modum agnoscere & confiteri promeruit. Solus denique Petrus passionis timore perterritus, quasi hominem denegat, latro crucifixum adorat: sed Petrum Dominus correxit respiciendo, latronem verò beatificavit in gloria assumendo. O latronem laudabilem, mirabilem, imitabilem, sævientem gladio, violentum cælo, rapinis inhiantem, fide ferventem! Sed *hæc mutatio dexteræ excelsi est*; ut versam vicem redderet diabolo Christus; videlicet ut quemadmodum diabolus primum depravando hominem abstulerat de paradiso, sic Christus latronem confitentem erueret de inferno. Ille præsumentem de interdicto ligno decepit; iste pendentem de pœnali ligno redemit.

Latronis fides.

Psal. 76. 11. Unde, & quare ista mutatio.

5. Etenim, Fratres, assumamus & nos vocem latronis hujus, si non volumus esse latrones. Dicamus & nos, Memento nostri, Domine, cùm veneris in regnum tuum. Hanc ergo confessionem illius sancti latronis, Fratres carissimi, quam decantando protulimus, & respondendo propria voce fecimus, devotione certissima proferamus: & sic dicamus, ut audiamur; sic confiteamur, ut salvemur. Fide ergo dicamus, corde clamemus. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus audiet profectò vocem nostri clamoris, si integram devotionem approbaverit mentis. Ipse perducat nos ad arborem vitæ, qui eruit nos de lacu miseriæ. Ipse aperiat nobis januas paradisi, qui confregit portas inferni. Ipse populum suum eruat à flagello, qui se contineri permisit ante præsidem Pontium Pilatum. Ipse in regnum suum perducat confitentes, qui pati dignatus est pro impiis innocens: ut sit nomen Domini benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Latronis vox nobis usurpanda.

* SERMO CLVII.

* *Aliàs de Tempore* 154.

In Vigilia Paschæ, I. de verbis Genes. 1. In principio fecit Deus cælum & terram *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Est ambiguus Lovaniensibus: sed Verlino & Vindingo falsus. Ab his quippe observatur Augustinum in lib. 13. *Confess. cap.* 6. 7. 8. 9. *aliisque locis id omnino affirmare, quod hîc negatur scilicet Spiritum Dei, qui ferebatur super aquas, fuisse Deum. Ipsi etiam in lib.* 2. *ad Simplicianum quæst.* 1. *displicuisse eorum nominatim opinionem, qui illum intelligerent spiritum esse,* quo mundi, *ait*, moles universa ista corporea, velut animatur, ad ministerium quorumque gignentium & in sua specie continendarum corporalium creaturarum.

1. MULTA sunt & magna venerandæ Paschæ mysteria, quæ divinis libris sunt consecrata, & in antiquis Judæorum archivis fuerant reservata, quorum admirabilis ratio & mira, fides pura, religio sincera, veluti quodam velamine tecta, suam sanctitatem in abditis occulebant, & prisci antistites adumbrata cernebant, & sacrificia cruenta muneribus offerebant. Hanc artifex non terrenis coloribus, sed cælestibus virtutibus, clypeo devotionis auro coruscante depinxit, & animum tenaciter diligens in ipso templo humani corporis dedicavit, integris & acerrimis sensibus officia distribuit, & amorem in ejus corde conclusit. Et cùm ille clarus rector astrorum, poli genitor, dux diei, luminis imperator, interjector germinis, autumni temperies, anni cursum & quadripartita temporum spatia compleverit, diei hujus sollemnitatem nos docuit celebrare. Quanta nobis bona Dominicæ passionis admirabiles triumphi contulerint, mortali & humana voce nec prædicare, nec memoriter valeo enumerare. Ex illo itaque beneficiorum acervo, quæ cælestis munificentia humano generi largita est, unum granum fidei, quod in se continet multiplicem vitæ rationem, in gremio sapientiæ collocabo: ut in ipso prudentiæ sulco coalescat divini sermonis imbre satum, magnaque & admiranda ex modica præbeat stirpe, & orationis opacitate exuberantia præstet.

Gen. 1. 1.

2. *In principio*, inquit, *fecit Deus cælum & terram.* Exclusit omnium infelicium errores: unum imperatorem Deum

A Patrem ostendit, unum conditorem universitatis Filium indicavit. *Fiat lux: & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quia bona est:* non quòd Deus lucem antè non nosset, quam nonnisi visam laudaret, cùm sit lux solus omnium ipse, sicut Evangelista testatur, *Ego sum lux mundi*; & Apostolus, *Qui habitat lucem inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest.* Hanc lucem dixit in sæculo, quia bona est secundùm hominem, non secundùm Deum. Deus enim non tantam hanc lucem tribuit, quam poterat ipse largiri; sed quantum mortalis oculus capere potuit. Nec qui universum orbem illuminat, tribueret splendorem, nisi quem mortalis capere aut sustinere utique posset. *Terra erat invisibilis & incomposita.* Sed

SERM. DE TEMPORE.

ỳ. 3. & 4.

Johan. 8. 12. 1. *Tim.* 6. 16.

Lux creata, quantam potuit mortalis oculus capere.

ỳ. 2. Terra invisibilis.

B terra invisibilis esse non poterat: cui ergo invisibilis erat? Si Angelis; ubi tanta moles abscondi poterat? si hominibus; adhuc homo non erat. Deus quippe fundavit terram super aquas, & medietatem aquarum super cælos imposuit, & medietatem abyssis demersit, & in maria congregavit, & sic terra apparuit. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum inter aquam & aquam. Et vocacavit Deus firmamentum, Cælum.* Videtis, quia aquam super firmamentum cæli imposuit, & per separationem aquarum arida terra apparuit, & recedentibus aquis visibilem significavit? Quòd autem invisibilis & incomposita, necdum fuerat ordinata, necdum diversis fru-

ỳ. 6.

ỳ. 8. Fit visibilis.

C ctibus plena.

3. *Tenebræ*, inquit, *erant super abyssos, & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Si enim faculam in tenebris inferas, continuò illuminantur universa: quantò magis ubi Deus erat, tenebræ esse non poterant? Hic spiritus quidem res est Dei: non tamen ipse Deus intelligetur esse. Nam etsi spiritus dicitur, non omnis spiritus Deus est. Sic enim spiritus Dei dictus est, quomodo & Angelus Dei: hoc est, res Dei; non tamen ipse Deus, qui spiritus Dei. Hic ergo spiritus qui superferebatur aquas, seminarius est animandæ conditionis: unde & aquæ & terræ mox jussu Dei emerserunt; quia nec aqua nec ter-

ỳ. 2. Spiritus super aquas non Deus, sed res Dei.

Est seminarius animandæ conditionis.

D ra viveret, aut aliquid generaret, nisi hoc Dei spiritus animaret: unde & terra fruges, & aqua produxit pisces. Duos autem spiritus esse, unum Dei, alterum hujus mundi, Apostolus dicit: *Nos jam non habemus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est:* ut ostenderet alterum esse spiritum Dei, qui Deus est: alterum spiritum hujus mundi, quo animantur universa. Amos propheta dicit, *Qui solidat tonitruum, & condidit spiritum:* eum utique qui Deus dici non poterat, generatus.

Spiritus duo; Dei & mundi.

1. *Cor.* 2. 12.

4. *Fecit* ergo *in principio cælum & terram: cælum* spiritum, *terram* carnem, hoc est, hominem spiritalem, *in principio*, hoc est, in Christo. Interrogaverunt eum Judæi,

Expositio allegorica.

E *Quem te dicis?* Respondit, *Principium, qui & loquor vobis. Terra*, inquit, *invisibilis & incomposita.* Quia carnem hominis Christus assumere disponebat, incomposita dicebatur. Composita necdum erat; quia necdum Gabrielis angeli annuntiatione composita, necdum assumptione Domini visibilis facta, necdum virtutum frugibus plena. Divisio aquarum, Judæorum populorum & Christianorum, sicut Apocalypsis: *Aquas quas vidisti, populi sunt & nationes.* Cùm aquas dicit super cælos impositas, Christianum populum nuntiat. Tertia die germinat terra herbam pabuli secundùm suum genus, & omne lignum faciens fructum. Cùm igitur ter-

Iohan. 8. 25.

Terræ invisibilis.

Divisionis aquarum.

Apoc. 17. 15.

ỳ. 12. Terræ germinantis.

F ram germinare jubet, in Ecclesia catechumeni sunt quasi herbæ: cùm credunt, velut in culmos se erigunt. Fideles quoque in spica maturi accrescunt; unde & sanctorum grana in horreis cælestibus reconduntur. Lignum enim fructiferum, diversa sunt genera sanctorum. Quas arbores nec turbines cupiditatum possunt evertere, nec ardentis libidinis flammæ exurere. *Fiat*, inquit, *luminare majus in inchoatione diei, & luminare minus in inchoatione noctis.* Sol Christus est; Luna Ecclesia in orbe completa, solis claritate quotidie illustrata. Stellæ quoque lucentes, Sanctorum sunt millia, id est, Apostoli, Patriarchæ, Martyres, Virgines, Sacerdotes, cuncti justi pa-

* ỳ. 16. Solis, lunæ, astrorum.

G riter & fideles virtutum suarum flammâ radiantes. Quinta die fetus suos pisces & aves factum est ut producerent. In comparatione piscium sanctos dicimus, qui in aqua baptismatis vivunt. Ideo pisces benedictionem primò consequi meruerunt, quia fideles in sacramento baptismatis benedici potuerunt. Sexta verò die fecit

Piscium.

Classis II.

cit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.

* SERMO CLVIII.

* Aliàs de Tempore 132. & post in Append. 50.

In Vigilia Paschæ, II.

Incerti auctoris, qui cùm hic Petrum resurrectionis Filii Dei & ante crucem conscium fuisse; *ipsumque cùm videret* resurrectionem quam Dei Filius prænuntiaverat impletam, qui sollicitus venerat, securum abscessisse, *dicat in Evangelium Lucæ cap. 18. & Johan. cap. 20. peccare videtur Vindingo, Verlino & Lovaniensibus. Quòd n. 2. de Maria Magdalene per Angelum objurgata narrat, convenit ferè cum initio Sermonis inter Ambrosianos 56. quæ etiam inter Maximi homilias est quarta de sepultura Domini: sed magnam partem decerpta ex Ambrosio in Lucam.*

1. PERACTA Passione Domini nostri Jesu Christi, & resurrectione in qua fidei nostræ omnis summa consistit; emergit quidam Joseph, olim quidem amator & discipulus Domini, & qui pro ratione temporis defuncto exsequias occultas impendebat; quia & noti misericordiam furor persequentium prohibebat. Quod factum ita Johannes Evangelista narravit: *Rogavit*, inquit, *Pilatum Joseph occultè, propter metum Judæorum, & petivit corpus Jesu, & permisit Pilatus.* (Johan. 19. 38.) Cùm in animo religioso metus cum devotione certaret, excogitavit statim quod & fidei satisfaceret & timori, occultè postulans; ut & humo mandaret occisum, & declinaret insaniam Judæorum. Judex verò eumdem servat animum mortuo, quem impendit audito: nam quem coactus dederat pœnæ, libens tradit sepulturæ. Postquam verò corpus Jesu humatum est, statim potentiam suam repetit, quâ venerat reditura majestas. Nam cujus nativitas hominis ostenderat Filium, mors prodidit Deum.

2. Cùm enim Maria Magdalene venisset ad monumentum, quam memorem Salvatoris, amissa fide, devotio in lacrymas compellebat, videns revolutum à foribus lapidem, cùm non invenisset in sepulcro Dominum, cœpit acriùs dolere, quòd perdiderat & defunctum. Mox autem ad Petrum ejus discipulum pervolat, quem pro meriti qualitate vel fidei, major de ejus obitu cura tangebat: nuntiat inane sepulcrum; quæritur corpus ablatum. (Petrus Christi resurrectionis ante crucem conscius.) Petrus verò resurrectionis Filii Dei & ante crucem conscius, quam prædixerat ipse passurus, sub tali nuntio non flevit aut doluit: sed morem suum in divinis virtutibus servans, properat experiri quod credidit. Ad sepulcrum itaque Domini celeri cursu festinat, lætior rediturus, si non inveniret quem quærebat. Beatus autem Evangelista & ex consequentibus probat potentiam resurgentis. (Johan. 20. 6. & 7.) *Venit*, inquit, *Simon Petrus, & introivit in monumentum:* & cùm non invenisset Dominum, *vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput ejus.* Jam manifestus Deus, perlaturus quem vivificaverat in cælum, & mortem vacuat & sepulcrum. Nam linteamine, quo funus tegebatur, exposito, reliquit terræ mortis exuvias, vitali jam corpore induta majestas. Petrus igitur videns resurrectionem, quam Dei Filius prænuntiaverat, impletam, qui sollicitus venerat, securus abscessit.

2. (Maria ab Angelo objurgata.) Maria tamen resurrectionis ignara non cessat lacrymas fundere, nesciens hanc esse Dominici corporis gloriam, quam putabat injuriam. Cujus inanem mærorem Angelus magis prohibet quàm consolatur, ut etiam Evangelista testatur: (Ibidem 13.) *Maria*, inquit, *quid ploras?* Si spiritali prudentia intentionem divini sermonis intelligas, lacrymarum caussam non tamquam ignarus interrogat, sed importunos fletus dolentis objurgat. *Maria*, inquit, *quid ploras*, cùm vacuo monumento, non damno funeris, sed merito resurgentis, Jesu Christi corpus virtus sibi, non facinus vindicasset? Culpat eodem tempore à Maria lacrymas fundi, quo debuit gloriari. *Quid ploras*, aut quem quæris? Angelus instruit nescientem sano consilio, ne viventem quæreret in sepulcro. Quæ mulier, quia revixisse quem flebat, nec correpta cognovit, à superfluis postmodum lacrymis revocatur vocibus resurgentis. Similibus etenim Jesus Mariam verbis alloquitur: (Ibidem 15.) *Mulier*, inquit, *quid ploras, aut quem quæris?* Hoc est dicere, Me jam vivente, pro quo mortuo lacrymas fundis? aut, Me præsente, quem quæris? At illa Jesum secundò appellata cognoscens, divinæ majestatis operante potentia vivum invenit, quem quærebat occisum, Jesum Christum Dominum nostrum; cui semper in Patre gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Serm. de Tempore.

* SERMO CLIX.

* Olim de Tempore 136. & post in Appendice 51.

De Pascha, I.

Inter Sermones Eusebio inscriptos exstare tradunt Lovanienses: sed in illis tamen nonnisi quod ad sensus contentus reperitur. Exstat verò totus quod ad verba in Hieronymi Tom. 9. cum spuriis opusculis.

1. NON queo, Fratres carissimi, quod mente concipio, ore proferre: & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non solùm ego patior, qui cupio narrare quæ sentio; sed etiam vos mecum patimini, plus exsultantes in conscientia, quàm in eloquio proferentes. (Hæc dies ceteris lucidior.) Videtur mihi hæc dies ceteris diebus esse lucidior, sol mundo clarior illuxisse, astra quoque, & omnia elementa lætari: & quæ patiente Domino proprium lumen retraxerant, & noluerunt Creatorem suum adspicere crucifixum, ecce nunc victorem illum, & ab inferis resurgentem novo claritatis suæ [a] prosequuntur obsequio. Credit cælum, credit terra, & sagena quæ totum mundum piscata est, Judæos tenere non potuit. *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus & lætemur in ea.* (Psal. 117. 24.) Quomodo Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet; ita & inter ceteros dies hæc omnium dierum mater est. (Dierum omnium mater.) Rem novam dico, sed quæ Scripturarum vocibus comprobatur. Hæc dies & una de septem, & extra septem est: hæc est dies quæ appellatur octava; unde & in quibusdam Psalmorum titulis superscribitur, Pro octava. (Psal. 6. &c.) Hæc est dies in qua Synagoga finitur, & Ecclesia nascitur: hæc in cujus numero octo animæ servatæ sunt in arca Noë. Et quid mihi necesse est infinita replicare? Dies me deficiet, si voluero omne diei istius exponere sacramentum.

2. (Ad hanc tota Sabbati gratia translata.) Hoc tantùm dico, quòd universa Sabbati gratia & antiqua illa festivitas populi Judæorum diei istius sollemnitate mutata est. Illi in Sabbato non faciebant opus servile: nos in die Dominica, hoc est, in die resurrectionis, opus servile non facimus; quia peccatis & vitiis non servimus; *Qui enim facit peccatum, servus est peccati.* (Johan. 8. 34.) Illi de domibus suis non egrediebantur: & nos de domo Christi non egrediamur; [b] sumus enim in Ecclesia. Illi non accendebant ignem in die Sabbati: nos è contrario accendamus in nobis ignem Spiritus-sancti, & omne vitium excoquamus peccatorum: de quo igne Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut ardeat?* (Luca 12. 49.) Desiderat Dominus istum ignem ardere in nobis, secundùm Apostolum, id est, Spiritum sanctum fervere, ut non refrigescat caritas Dei. (Rom. 12. 11.) Illi per diem Sabbati non ambulant in itinere; perdiderunt enim eum qui dixit, *Ego sum via:* (Johan. 14. 6.) nos autem dicimus, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini:* (Psal. 118. 1.) & iterum, *Viam veritatis elegi*, &, *Viam justificationum tuarum doce me.* (Ibidem 30.) (Justi corona Christi à quo & ornantur.) Illi de spinis Dominum coronaverunt: nos autem si fuerimus lapides pretiosi, nostrum Dominum coronamus. Caput imperatorum sæculi istius ornant diademata; [c] nos ideo in capite nostri regis imponimur, ut ornemur à capite. Illi non receperunt Christum, & suscepturi sunt antichristum: nos recepimus humilem Filium Dei, ut habeamus postea triumphantem. Et ad extremum, noster hircus ante Dominum immolatur in altari: illorum hircus antichristus consputus & maledictus projicitur in solitudinem. Noster latro cum Domino ingressus est paradisum: illorum latro homicida atque blasphemus moritur in suo peccato. Illis Barabbas latro dimittitur: nobis Christus occiditur.

3. (Hodie cæli porta reserata.) Pro quibus universis, Fratres carissimi, consona pariter voce cantemus: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus & lætemur in ea.* (Psal. 117. 24.) Igneam illam rhomphæam & paradisi januam, quam nullus potuit effringere, hodie Christus cum latrone reseravit. Hodie dixit Christus ad Angelos, *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in* (Ibidem 19.)

[a] Ita MSS. uno excepto Corb. in quo, *protestantur*. In editis autem, *venerantur*.
[b] MS. Corb. addit, *Id est, à mandatis ejus non declinemus*; nec habet, *sumus enim in Ecclesia.*

[c] In Corb. MS. *nos ideo in capitibus nostris signaculum nostri regis imponimus, ut ornemur à Christo.*
[d] Addit MS. prædictus, *id est per fidem & operationem.*

CLASSIS II.

eas confitebor Domino: quæ cum semel aperta est, numquam credentibus clauditur. Ex eo tempore quo passus est Dominus usque ad præsentem diem, hæc porta & clausa est & reserata: clausa est peccatoribus & incredulis, reserata est justis & credentibus. Per hanc ingressus est Petrus, per hanc ingressus est Paulus, per hanc omnes Sancti & Martyres intraverunt, per hanc quotidie de toto mundo justorum animæ ingrediuntur. Duæ enim sunt portæ, porta paradisi, & porta Ecclesiæ: per portam Ecclesiæ intramus in portam paradisi. (Ecclesiæ porta, porta paradisi.) Ita ergo debemus vivere, ne ejiciamur de domo illa, & ejecti foras à bestiis devoremur: quas in alio loco Propheta formidans commemorans ait, *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* (*Psal.* 73. 19.) Ecce nunc Dominus stans in paradisi janua loquitur ad nos qui sumus in domo ipsius congregati, & dicit, *Hæc est porta Domini: justi intrabunt per eam.* (*Psal.* 117. 20.) [a] Quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO CLX.

(* *Aliàs de Tempore* 137. *& post in Appendice* 52.)

De Pascha, II.

Consarcinatus ex Gregorii & Eusebii sententiis. Et quidem hic plura sunt ansulis inclusa, quæ minimè reperiuntur in MSS. quibus detractis cetera inter se aptiùs cohærerent.

1. PASSIONEM vel resurrectionem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Fratres dilectissimi, licèt omnia veteris Testamenti volumina multò antè prædixerint: tamen etiam per os David prophetæ Spiritus-sanctus evidenter ostendit, dicens, *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* (*Psal.* 93. 1.) Solus etenim ipse liberè egit, qui nobis hodie ostendit quid egerit. (Christus quomodo liberè egit.) Liberè enim egit, de quo multò antè fuerat prophetatum, quia *factus est sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* Vultis tamen scire quid egerit? Audite quid fecerit. Nulla necessitate, sed propria voluntate in ligno se suspendi permisit, clavis corpus suum perforari non renuit, animam ponendo mortem sustinuit, carnem in sepulcro reposuit, & comitante secum animâ ad inferna descendit. [* Per hanc electi, qui quamvis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt. (* *Ex Greg. papæ homil.* 22. *in Evang.*) Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua Dominus implevit: *Si exaltatus fuero, inquit, à terra, omnia traham ad me.* (*Johan.* 12. 32.) Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit: omnia abstulit, utique electa. Neque enim infideles quosque & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparavit: sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognovit. (Quonam modo mors mortis & morsus inferni.) Unde rectè etiam per Oseam dicitur, *Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus, inferne.* (*Oseæ* 13. 14.) Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit; ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus: quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis exstitit; quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo, *Ero mors tua, ô mors:* ac si apertè dicat, Quia in electis meis te funditus perimo. *Ero morsus tuus, inferne;* quia sublatis meis te in parte transigo. Tunc enim Dominus noster Jesus Christus illum] tenebrarum & mortis principem colligavit, legiones illius perturbavit: portarum inferni vectes ferreos confregit, omnes justos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit, captivos in libertatem pristinam revocavit, peccatorum tenebris obcæcatos splendida luce perfudit.

2. Ecce audistis, quid defensor noster ultionis Dominus liberè egisse describitur. Postquam enim exaltatus, id est, à Judæis in cruce suspensus est, ut hæc breviter cuncta perstringam; mox ut spiritum reddidit, unitâ suæ divinitati animâ ad inferorum profunda descendit. (Voces tartari ad adventum Christi.) Cúmque tenebrarum terminum quasi quidam deprædator splendidus ac terribilis adtigisset, adspicientes eum impiæ ac tartareæ legiones, territæ ac trementes inquirere cœperunt dicentes. [* Quisnam est iste terribilis, & niveo splendore coruscus? (SERM. DE TEMPORE. * *Ex Euseb. homil.* 1. *de Pascha*) Numquam noster talem excepit tartarus, numquam in nostram cavernam talem evomuit mundus. Invasor iste, non debitor; exactor est, non precator: judicem videmus, non supplicem. Venit jubere, non succumbere; eripere, non manere. Ubinam janitores nostri dormierunt, cùm iste bellator claustra vexabat? Hic si reus esset, tam potens non esset. Si eum aliqua peccata fuscarent, numquam nostra tartara suo dissiparet fulgore. Si Deus; ut quid venit? Si homo, quid præsumsit? Si Deus, quid in sepulcro facit? Si homo, quare peccatores solvit? Numquid cum auctore nostro fœdus composuit; aut fortè congressus & ipsum vicit, & sic ad nostra regna adscendit? Certè mortuus erat, certè victus erat. Illusus est præliator noster, nescivit quam hic stragem procuraret inferno. Crux illa fallens gaudia nostra, parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum evertimur: perit potestas illa semper populis formidata. Nullus hic vivus intravit, nemo carnifices terruit, numquam huic cœnolento loco & nigra semper caligine cæcato jocundum lumen apparuit. Aut fortè sol de mundo migravit? Sed nec cælum nobis astraque apparent; & tamen infernus lucet. Defendere contra ipsum custodiam carceris nostri non valemus. Malè [b] intravimus, lumen tantum obtenebrare nequivimus: insuper & de nostro interitu [c] formidamus.]

3. Unde est iste tam splendidus, tam fortis, tam præclarus, tamque terribilis? Mundus ille qui nobis subditus fuit, semperque nostris usibus mortis tributa persolvit, * numquam nobis talem misit, numquam talia inferis munera destinavit. (* *Confer. ejusdem Euseb. homil.* 1. *de Adscens. Dom.*) Quis ergo iste est, qui sic intrepidus nostros fines ingreditur; & non solùm nostra supplicia non veretur, insuper & alios de vinculis nostris absolvit? An fortè ipse est ille, de quo princeps noster paulò antè dicebat, quòd per ejus mortem, totius mundi acciperet potestatem? Sed si iste est, in contrarium est nostri præliatoris versa sententia: & dum sibi vincere visus est, ipse potiùs victus atque prostratus est. O princeps noster, hic ne est ille, de cujus tibi semper futura morte plaudebas? (Tartari ad suum principem apostrophe.) Ipse ne est, in cujus cruce omnem mundum tibi subjugandum esse credebas? Ipse ne est, in cujus exitu nobis tanta spolia promittebas? Quid est quod egisti? Quid est quod facere voluisti? Ecce jam totas tibi tenebras suo splendore fugavit, & omnes tuos carceres fregit, captivos ejecit, ligatos solvit, luctus eorum in gaudium commutavit. Ecce ipsi qui sub nostris solebant suspirare tormentis, insultant nobis de perceptione salutis: & non solùm jam nihil verentur, insuper & minantur. Numquam hîc ita superbierant mortui, nec aliquando sic potuerunt læti esse captivi. Ut quid huc istum adducere voluisti, quo veniente omnes sunt lætitiæ restituti, qui antè fuerant desperati? Nullus hîc jam solitus eorum mugitus auditur, nullus resonat gemitus. [Factum est autem captivis redemtionis commercium.] O princeps noster, illas tuas divitias, quas primùm adquisieras per paradisi amissionem, nunc perdidisti per crucem: perit omnis lætitia tua, in luctum conversa sunt gaudia tua. Dum tu Christum suspendis in ligno, ignoras quanta damna sustineas in inferno. Prævidere non poteras, quia eversorem regni tui in mortem sine reatu aliquo perducebas? Si adtenderes caussam, requireres culpam. In quo nihil mali cognoveras, quare eum ad nostram patriam perducebas? Istum liberum adduxisti; & totos obnoxios perdidisti.

4. Post istas crudelium ministrorum infernalium voces, sine aliqua mora ad imperium Domini ac Salvatoris nostri omnes ferrei confracti sunt vectes: & ecce subitò innumerabiles sanctorum populi, qui tenebantur in morte captivi, Salvatoris sui genibus obvoluti, lacrymabili eum obsecratione deposcunt, dicentes: (Justorum ad Christum obsecratio.) Advenisti Redemtor mundi; advenisti, quem desiderantes quotidie sperabamus; advenisti, quem nobis futurum Lex nuntiaverat & Prophetæ; advenisti donans in carne vivis indulgentiam peccatoribus mundi: solve de-

a MSS. plerique subjungunt, *Quod ipse præstare dignetur, qui vivit &c.* Corb autem: *Festinemus ergo, Fratres mei, monente Apostolo, in illam requiem; ne quis errando incidat in tentationem & laqueum diaboli; sed ad æterna præmia festinemus, quæ ipse promisit, qui pro nobis mortuus est & resurrexit; cui est honor & potestas in sæcula sæculorum. Amen.*

b Apud Euseb. *migrati sumus;* & sic fortè corrigendi MSS. in quibus, *intrati sumus.*

c Hîc in excusis desinit Eusebii homilia: sed in MSS. nostris, quorum unus Eusebii nomen præfert, longè prolixior est, & plerasque continet sententias, quæ hîc deinceps exponuntur.

functos & captivos inferni. [Venisti post longas lacrymas, eripe solus qui passus es pro nobis. Cæli conditor, ad inferos intrare dignatus es; te enim nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta: unde spes desperatis, unde consolatio in tormentis. In adventu tuo catena nostra cecidit, nox effugit. Vitâ veniente mors moritur, nec tortor instat, nec percussor. Damnati vota capiunt; Creator imperat, non invasor. In tyranno catena innectitur; & tortor noster pœnâ torquetur. Solve, Redemtor mundi, defunctos & captivos inferni.] Descendisti pro nobis ad inferos; noli nobis deesse, cùm fueris reversurus ad superos. Posuisti titulum gloriæ in [a] sæculo, pone signum victoriæ in inferno.

5. Nec mora, postquam audita est postulatio atque altercatio innumerabilium captivorum, statim à Domini jussu omnes antiqui justi jura potestatis accipiunt, atque in suos tortores ipsi protinus tormenta convertunt, humili supplicatione cum ineffabili gaudio clamantes Domino, atque dicentes, Adscende Domine Jesu spoliato inferno, & auctore mortis vinculis irretito, redde jam lætitiam mundo. Jocundentur in adscensu tuo fideles tui, adspicientes cicatrices corporis tui. Fecit hoc Christus, sicut jam superiùs dictum est. Factâ prædâ in inferno, vivus exiit de sepulcro: ipse se suâ potentiâ suscitavit, & iterum se immaculata carne vestivit. Discipulis suis apparuit; ut dubitationem auferret incredulis: clavorum vulnera demonstravit; ut nullam suspicionem relinqueret Manichæis. Manifestè manducavit & bibit; postea verò in conspectu multorum apparuit. Per nubem in cælos adscendit, & se in sede sua ad Patris dexteram, unde numquam Verbum discesserat, collocavit. Exsultent ergo populi Christiani, pro quibus sanguis effusus est Christi. Jocundemur omnes in Domino, qui resurrectionem carnis sollemniter celebramus in Christo. Omnis per totum mundum catholica gratuletur Ecclesia; quia * Christus Dominus & de sua divinitate nihil minuit, & hominem quem fecerat liberavit. Unde exsultantes voce humili supplicemus, ut pro quibus ista pertulit, cùm venit in mundum, liberatos nos de manu inferi adtollere secum dignetur in cælum: cui est honor & gloria cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CLXI.

De Pascha, III.

Homilia est inter Eusebianas primæ collectionis de Paschate nona, ejusdem omnino, ut ex stilo & rebus liquet, auctoris, cujus sunt homiliæ ibidem de Nativitate Domini 2. de Paschate 2. 6 7. 10. 11. & quæ subsequitur de beato Latrone, aliaque bene multa; id est, Fausti Semipelagiani, nostra quidem opinione, fetus. Ipsius certe Sermones in homiliarum collectione illa sub Eusebii nomine plurimos obtrudi liquet: atque hunc infaustum doctorem refert illud in primis ex homilia 4. de Epiphania, Gratia divina.... ubi infirmitatis nostræ invenerit votum, supponit auxilium. *Itemque ex homilia de Paschate* 11. *istud:* Per liberum arbitrium est excepta captivitas, per liberum rursus arbitrium erat restituenda libertas. Dominus enim qui januam reserat, etiam sollicitudinem pulsantis exspectat. *Neque licet præterire, quæ ibidem proximo antè loco habentur verba:* Propterea homo, si inobedientiæ lapsu & liberæ mentis assensu à diabolo seductus fuerat, non coactus; â totius rationis æquitatisque auctore invitandus erat, non adtrahendus: iniquissimum videtur siquidem, ut qui ceciderat voluntarius, erigeretur invitus. *Quæ dicta in hoc etiam 161. Sermone n. 2. legere est absque ulla, quod ad sensum, varietate. Hic postremò Semipelagianorum hæresim redolet doctrina illa, quòd Thomas resurrectionem Domini non negavit, sed* doceri voluit, confirmari desideravit: *quòd in ipso Christus* non dubitationis vitium, sed sollicitudinis instruxit affectum: *quòd denique* merito curiosæ perscrutationis non est exclusa sedulitas.

1. DIGNE, Fratres carissimi, piis studiis exsultemus in Christo sub præsenti sollemnitate, in qua nobis inferorum dives spoliis tertia dies reddita est, celsitudo de profundis, lux de tenebris, vita de mortuis. Ecce quantum pro salute ovium perditarum benigna pii pastoris sollicitudo discurrit. Sub uno eodemque tempore & hominem usque ad paradisum revocare dignatur, & mortem usque ad inferna persequitur, gloriosiùs captivandam in regno suo, & magnificentiùs in suis sedibus triumphandam. Ad descensum itaque cælestis Domini profundum inferi panditur, peregrinum sibi lumen inferni nox æterna miratur. Expavit ergo nox subitò non suum mortuum, immo expavit mortem suam. Aderat enim ille, qui dudum per Prophetam suum dixerat, *O mors, ero mors tua; ero morsus tuus, inferne.* Et ideo non solùm in eo invenire non potuit quod teneret; sed etiam quos antea retinebat, revocari ad superos se nolente conspexit: & * quem debitorem suum putabat, exactorem potius experta est: & quem quasi captivum inferni vinculis adstringendum esse credebat, quasi liberatorem cum recepta captivitate redire mirata est: ac sic quem descensione hominem judicaverat, Deum regressione cognovit.

2. * Potuerat quidem Dominus noster, Fratres carissimi, hostem humani generis sola majestate prosternere sine incarnationis humilitate, sine certamine passionis: sed homo, qui proprio transgressionis crimine tenebatur obnoxius, qui per culpam suam incurrerat servitutem, non violentiâ liberandus fuit, sed misericordiâ redimendus. Et quia Deus æquitas & justitia est, ipse sibi lex est: & quia homo judicii & juris sui ac liberi arbitrii præditus voluntate; qui voluntarius ruerat, injustum erat ut erigeretur invitus. Æquius & salubrius fuit, ut qui per superbiam à diabolo persuasus fuerat ad mortem, à Deo per humilitatem [b] sollicitaretur ad vitam. Justo ergo ordine qui per calliditatem malevoli serpentis, non impulsus, sed seductus fuerat ad perditionem, rursum per sapientiam benevoli Redemtoris non compellitur, sed ducitur ad salutem: ut qui cum sua voluntate corruisse videbatur, cum sua rursus voluntate repararetur; ut esset virtuti ac remunerationi locus. Non ergo eum præripit per violentiam; sed potiùs per justam benevolentiam sollicitat & erudit ad vitam: quia benignitas provocantis etiam meritum desiderat adquiescentis, & dignantissimi medici studium, infirmi requirit assensum. Cujus ineffabilem ad erudiendos nos dignationem etiam præsens Evangelii lectio declaravit.

3. Ait enim, sicut audistis, *Cùm esset serò die illo, una Sabbatorum, venit Jesus januis clausis, & stetit in medio discipulorum.* * Quid mirum, si Dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, januam mundi hujus intravit, cujus ortum natura nescivit. Non dubites, si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Quid hîc respondebunt Judæi, sepulto Domino discedentes, & signantes lapidem cum custodibus? Quæ cùm ita sint, quomodo eum repellere potuit objectus repaguli, quem non coercuerat pondus sepulcri? Immò quomodo eum obserata domus excludere potuit, quem includere mortis porta non potuit? Quid mirum, si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmisit, cui etiam penetralia supernorum & solis Angelis familiare secretum patere consuevit.

4. Cùm ergo dixissent alii discipuli, *Vidimus Dominum:* respondit Thomas, & dixit eis, *Nisi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manus meas in latus ejus, non credam.* Quàm bona ignorantia, quæ erudivit ignaros, quæ instruxit incredulos! Quàm bona infidelitas, quæ sæculorum fidei militavit! *Nisi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum.* Vox ista inquirentis est, non negantis. Dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari desideravit: & ideo ad eum Dominus ita ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Dum benignum præbet Veritas ac moderatum responsum, in Apostolo suo non dubitationis vitium, sed sollicitudinis instruxit affectum. Quia ergo illo in tempore tanti mysterii novitas versabatur, merito curiosæ perscrutationis non est exclusa sedulitas. Accedit, quòd in his Apostoli verbis mundi utilitas agitur: unius interrogatio, universitatis est instructio. * Ostendit ergo manus & latus. Necessarium enim erat, ut manifestarum præsens expressio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem; quia splendor novæ lucis pristinam obduxerat veritatem, & cognitio-

Margin notes: Classis II. — Tormenta sua in tortores convertunt. — * V. Serm. 11. n. 1. — * Olim de Tempore 156. nunc in Appendice 54. — Descensûs Christi ad inferos effectus. — Serm. de Tempore. — Oseæ 13. 14. — * Ita Euseb. homil. 7. de Pascha. — Sine incarnatione Verbi potuit homo liberari: at non decuit. — * Confer Ser. App. 103 n. 4. & Euseb. homil. de Pascha 6. & 11. — Johan. 20. 19. — * Confer Eusb. hom. de Nativ. Dom. 2 de Symbolo 1. 10. de Pascha, & 1. de Adscens. Christus de Virgine natus potuit januis clausis intrare. — Ibidem. 25. In Thoma non dubitantis, sed inquirentis affectus. — Ibidem. 27. — Ejus inquisitio fit universitatis instructio. — * Ita Euseb. homil. 10. de Pascha.

[a] MSS. ferè omnes, *in cælo.*
[b] Ita MSS. potiores. Navarr. *suscitaretur.* Editi, *solidaretur*; & infrà *solidat & eruit ad vitam.*

CLASSIS II.

nem quodam modo claritas obscuraverat. Visis ergo cicatricibus, respondit Thomas, & dixit, *Dominus meus, & Deus meus.* Novo genere vestigia vulnerum divinitati perhibent testimonium; quia templum erat Dei indumentum corporis vulnerati. Duas hoc loco in Christo mirare substantias. Fixuram perspicit corporis; & Deum prædicat majestatis.

Cur cicatrices ostenderit Christus. *Ibidem 28.*

5. * Ubi sunt qui dicunt animas novis, in quibus antea non vixerint, corporibus induendas? Ecce in resurrectionis auctore hoc ipsum video resurrexisse quod cecidit: & ideo mortui dormire dicuntur juxta Prophetam, *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Quare mortem somno assimilavit? Quia in uno eodemque homine B numquid alter est qui in somno resolvitur, alter verò qui in ejusdem somni stupore ad vigilandi officia suscitatur? Non utique; sed ipsa absque dubio membra evigilasse credenda sunt, quæ dormitionis stupore laxata sunt. Ita mors corporis, quod in pulverem confectura susceperit, idem ipsum discussa restituet: nec rude, sed redivivum vas cognatus spiritus recognoscet. Et propterea mysterium resurrectionis etiam de minimis exponens ita Apostolus loquitur, resurrectionem grano tritici comparans: *Etenim tu quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur.* Si quando, ut moris est, fruges putribus sulcis agricolâ fœnerante creduntur, numquid aliud est quod sepelitur C in semina, aliud quod virescit in germina? Sed singula quæque corpora non de nihilo; sed de sui origine producuntur, & recentia de veteribus innovantur. Cùm autem de resurrectione loqueretur Apostolus, dicens, *Quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur:* vides quia mors quod susceperit, hoc refundit? Et *unicuique*, inquit, *seminum proprium corpus:* non utique à genere suo alienum, sed naturæ suæ proprium, & de materiæ suæ qualitate reparatum. Revocabitur ergo in contubernium pristinum animæ & corporis unitas, & nullis umquam sæculis dissocianda germanitas. Nostrûm est gratiâ Auctoris & Redemtoris inniti: ut ad illorum numerum pertinere videamur, de quibus Apostolus dicit, *Simul rapiemur obviàm Christo in aëra & in nubibus, & sic semper cum Domino erimus.* Dignum enim esse judicavit, ut germana corporis animæque substantia cum Christo simul regnet in cælis, quæ Christo servivit in terris.

Cum iisdem corporibus resurgemus. * *V. Euseb. homil. 10. de Pascha.* *Psal. 40. 9.* Ideo mors somno assimilata. Et resurrectio grano tritici. *1. Cor. 15. 36.* *1. Cor. 15. 36.* *Ibidem 38.* *1. Thess. 4. 16.*

* SERMO CLXII.

De Pascha, IV.

* *Olim de Tempore 161. & post in Appendice 56.*

Ejusdem fortè auctoris cujus est Sermo superior, qui hujus Sermonis exordio videtur designari, quique hunc ipsum Sermonem proximè antecedit in MS. Corbeiensi.

1. RETINET Sanctitas Vestra, Fratres, superiorem Tractatum, in quo * scripsimus sanctum Thomam apostolum, ad confirmandam fidem omnium, post resurrectionem Dominici corporis membra palpasse, & ad repellendam ambiguitatem universorum, vulnerum ejus cicatrices scrutari voluisse. Non enim propter se tantùm hoc operatus est beatus Apostolus: sed quod sibi gessit, cunctis profecit. Cùm suam enim exercuit sollicitudinem, fidem omnium confirmavit. Quis enim ex hoc dubitet rediisse à mortuis Salvatorem, cujus post inferos præsentiam agnoscat oculus, adtrectet manus, digitus perscrutetur? Quamvis igitur modicæ fidei homo, quamvis imbecillis ingenii Christianus, numquam sollicitudinem suam inquisitioni Thomæ æquiparare potuisset. Numquam enim post agnitionem, conversationem, loquelam ausus esset petere, ut etiam tactu Christum perscrutaretur in Christo, & in ipso homine quem cerneret, hominis corpus inquireret, & resurrectionem ejus non tam mirabilium gloriâ crederet, quàm passionis injuriâ comprobaret. Thomas ergo cùm esset sanctus, fidelis & justus, hæc omnia sollicitè requisivit: non quòd ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam suffecerat illi ad fidem propriam, vidisse quem noverat: sed nobis operatus est, ut tangeret quem videbat; ut si fortè diceremus delusos esse ejus oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de ad- A spectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Constat enim veritatis ipsius testimonio, rediisse ab inferis Salvatorem.

* *In Serm. præcedenti, n. 4.* Thomæ sollicitudo fidem omnium firmavit. Thomas fidelis non dubitavit.

SERM. DE TEMPORE.

2. Quis non spem suam in Christo collocet? Quis non fidem suam ponat in Domino; ut dum illum credit ab inferis, ipse resurgat à mortuis? Dicit beatus Apostolus, *Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Quia ergo surrexit Christus, suscitabuntur & mortui: quia resurrexit Dominus, & servuli reviviscent. Ipse enim est, sicut ait Apostolus, *Primogenitus ex mortuis.* Sicut enim est apud superos idem primogenitus in multis fratribus, ita & ab inferis est primogenitus ex defunctis. Primogenitus autem dicitur quis, ex eo quòd secuturis aliis primus gignitur. Primogenitus ergo Christus vocatur ex mortuis, quòd primum illum ex inferni tenebris in lucem resurrectionis partus ediderit. Partus enim dicendus est, ubi permutatione quadam anima tartari legibus moritur, ut redivivo corporis usui renascatur. Nativitas enim resurrectionis apud superos, mors quædam est inferorum.

1. Cor. 15. 15. Primogenitus ex mortuis Christus. *Coloss. 1. 18.* Partus resurrectionis.

3. Unde ipsa mors mortem quodam modo patitur, dum ei in vitam defunctorum multitudo subtrahitur. Nam sic beatus Apostolus dicit, *Novissima autem inimica destruetur mors.* Et iterum; *Absorpta est mors in victoria.* Cùm ergo absumitur mors in victoria, defectionis quadam suæ internecione destruitur. Defectionem autem patitur, cùm potestas ejus cunctis resurgentibus vacuatur. Videamus autem quid sit quod ait, Mortem in victoria esse consumtam. Consumta est planè mors in victoria sua, dum Christum inferni legibus subjiciens, ipsa se, cùm eum vincit, obruit. In eo enim, in quo illum quem se superasse credebat, possedit, ab eo victa est cùm resurrexit. Totam ergo fidem nostram in resurrectionis gloria collocare debemus, & in futura magis vita sperare de Domino. Sic enim ait beatus Apostolus: *Si in hac vita tantùm in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* D Miser ergo est qui in hac tantùm vita sperat in Domino. Miser planè est; quia citò spes ejus subducitur, dum citò hæc brevis vita finitur. Nam spes illius caduca efficitur, dum temporali transitu dulcedinis ejus voluptas elabitur. De tali enim spe dicit Apostolus, *Spes autem quæ videtur, non est spes.* In futura igitur vita speremus in Domino, quæ solida est atque perpetua: ut non miserabiliores cunctis hominibus, sed meliores esse possimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Qui mors moritur. *Ibidem 26.* *Ibidem 54.* Qui mors in victoria consumta. *Ibidem 19.* *Rom. 8. 24.*

E

* SERMO CLXIII.

De Pascha, V.

* *Olim de Tempore 158. & post in Appendice 53.*

Incerti auctoris, qui sententias hic nonnullas Sermonum Eusebii habet, sive huc ex Eusebianis Sermonibus, sive in Eusebianos Sermones hinc translatas.

1. GAUDETE, Fratres carissimi, quia redemtionis nostræ pretium persolutum est. Non modica quantitate constamus, pro quibus ipse factus est pretium qui redemit. Christus enim Dominus & Salvator ideo natus est, ut doceret; ideo mortuus est, ut sanaret. a Crux fuit mortifera Christo, sed salutifera Christiano. F Surrexit Salvator cunctis divinitatis suæ manifestus indiciis. Nam secuta est eum stella post uterum, gloria post sepulcrum. Regressum custodit Angelus, qui nuntiaverat nasciturum. Reddunt inferna victorem, & superna suscipiunt triumphantem. Tulit errorem natus, mortem calcavit occisus, revocavit ab inferis quem creavit: in illius cruce & pretium nostrum pependit & regnum. Redit in lucem creatura cum Domino. b Lumen enim ex lumine suscipere meruisti, quod cùm Christus oculos clauderet, perdidisti. Projiciant superi tenebras, quas Salvator noster etiam inferis denegavit. Congaudeant hîc elementa quæ planxerant: quia * Christus de sua ma- G jestate nihil perdidit, & hominem quem fecerat liberavit.

a Christi divinitatis indicia. b * *Ita Serm. 160. n. 5.*

2. Judæi tamen perfidi monumentum lapide signaverunt, ut non haberet Christus egressum: sed si eum mundus non capit, sepultura quomodo custodit? c Tenetur ibi, sed ubique regnat. Difficilè surgeret, si non

c

a Addit MS. Corb. *resurrexit ut muneraret.*
b Et hic in eodem MS. additur, *qua olim fuerat tenebrata piaculo.*
c MS. idem. *Quomodo tenetur in tumulo qui ubique regnat?*

antè

CLASSIS II.

antè quàm resurgeret alios suscitaret. Nam quomodo de sepulcro exire non posset, qui ex incorruptis visceribus salva virginitate processit? Fefellit custodes, exsilivit de sepulcro; apparuit discipulis januis non apertis. Inde clausus exiit, huc exclusus intravit. Immensæ majestatis arcanum fecit etiam in morte mysterium. Crucifixus redit ab inferis, & triumphat. Infer manum tuam, Thoma, lateri Salvatoris: tange vulnera, quæ nostra peccata fecerunt: scrutare unde sanguis effluxit, ut nobis sanitatis poculum propinaret. Intuere, Thoma, pretium nostrum, signa clavorum diligenter adtende; & in ipsis vulneribus medicamentum vel thesaurum humani generis recognosce. Nisi hoc ligno figeretur, ligni illius prævaricatio minimè tolleretur. Sed ideo se ille percuti voluit, ne nos diutius peccata percuterent: innocentem tradidit, ut reum absolveret. Quis tantam dignè possit eloqui pietatem? Innocens affligitur, ut noxius liberetur; ut redimatur servus, occiditur filius. [a] Utitur pii & fortissimi regis officio, dum cicatrices, quas pro salute populi sui excepit, ostendit.

Mortis Christi necessitas.

3. Adspicite, Pharisæi, vacuum monumentum, & impietatis vestræ cognoscite sacrilegium. Clavos quos fixeratis agnoscimus, & quem occidistis adoramus. Videte quem compunxistis. Poterat clavorum suorum fixuras Dominus resurrectione sua componere: sed ideo reservantur, ut qui hoc sacrilegium commiserant, videant & confundantur. O Pharisæi, impios vos videmus [b] & perfidos. Uni mors data est, ut omnibus tolleretur. Sed Christus Dominus quando mortem suscepit, ita corruptionem non sensit, quomodo quando natus est, integritatem virginitas non amisit. Properate discipuli, & accepta potestate per omnes gentes excurrite. Renascantur in Spiritu, qui nascuntur in carne: aqua lavacri diluat, quidquid prævaricatio sordidavit. Baptizentur omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti: ut impleatur illud quod scriptum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Nos verò, Carissimi, qui nullis præcedentibus meritis de inferni carcere & de tenebris æternæ noctis meruimus liberari, ita sobriè, castè ac piè vivere studeamus, ut stolam baptismi sine aliqua luxuriæ macula integram illibatamque servantes, ad æterni sponsi thalamum, & ad illud cæleste ac nuptiale convivium caritate splendidi, bonorum operum margaritis ornati feliciter veniamus; ipso adjuvante qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Cur Christus cicatrices servavit.

Johan. 3. 5.

*SERMO CLXIV.

[*] Aliàs de Tempore 150.

In Pascha, VI.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius est Lovaniensibus; spurius Verlino & Vindingo. Alium longè ab Augustino exhibet, tum dicendi ratione, tum Scripturarum usu & applicatione.

Exodi 12. Agni legalis figura impletur.

1. AGNUS ille legalis, cujus immolatione antiquus Hebræorum populus Ægyptiæ servitutis jugum abjecit, quomodo multimodis sacramentis veriorem sanctæ Ecclesiæ hostiam in figurà sui continéat, tunc potissimùm ipsa rerum veritate probatum est, quando *Pascha nostrum immolatus est Christus: qui sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Iste est agnus qui in altari crucis hostia viva Deo Patri pro nobis in odorem suavitatis oblatus, transitum nobis de regione umbræ mortis ad terram repromissionis patefecit. Iste est, inquam, qui simul victima & sacerdos, omnem veteris sacerdotii & sacrificii umbram clara luce revelando, figuris & ænigmatibus finem imposuit: novo autem Ecclesiæ populo novum sacerdotium & novum sacrificium initiavit; ut videlicet novum vinum in utres novos mitteretur.

1. Cor. 5. 7. Isai. 53. 7.

Verus sacerdotium abolitum.

Matth. 9. 17.

2. Quòd si granum frumenti cadens in terram & mortuum tam mirabiliter omnia innovavit; multò magis in se ipso redivivum cum fructu multiplicato resurgens cuncta fecundavit. Et non solùm spiritalibus rationabilis terræ incrementis, sed & ipsis quoque terrenis seminibus hoc tempore ampliorem proventum dedit. Unde modò in germina erumpentis terræ tota hilarior facies vario suorum fructuum ornatu, omnem hactenus quasi mortuam rerum naturam, resurgenti suo Domino conresuscitat: ubi arborum & herbarum grata venustas, diverso quidem germinum munere, pari tamen gestu lætitiæ, singulari huic sollemnitati festiva occurrit. De cæli autem nunc usque quodam modo tristi, tandem verò læta facie quid dicam, quæ aliquamdiu jam densâ caligine nubium adoperta aëris hujus spatium omne turbavit? Et ecce repentè, quasi justitiâ de cælo in terram prospiciente, mira serenitas mundo arridet, & in unam lætitiam cæli & terræ vota concurrunt: ut Deum & hominem Christum communi exsultatione excipiant, qui communem utriusque pacem afferre venerat, & medium parietem maceriæ solvens, fecit utraque unum. Hinc astrorum omnium fomes, splendor ille solaris suam frontem admodum rugatam jam jamque expurgat: & quasi rex conspicuus in diademate capitis sui, in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui, ceterisque stellis velut comitibus suis largiora luminis sui dona impendit. Luna enim ab ipso ortùs sui die semper in quodam sui dispendio posita, ad paschalia gaudia pleno se lumine parat. Et ut cuncta breviter perstringam, sicut omne quod in rebus subsistit, divina dispensatione hominis imperio servit: sic de salute humana omnibus una exsultatio incumbit. Cùm igitur pro homine omnis creatura tantis indiciis sua gaudia monstret, consequens est, ut ab hominibus ipsis testimonia tali lætitiæ non desint.

Johan. 12. 24. Innovantur & arrident omnia.

Terra fructibus & floribus.

SERM. DE TEMPORE.

Cælum lætiori facie.

Psal. 84. 12.

Ephes. 2. 14. Sol jam clarior.

Luna plena.

Et hæc hominis ergo: quanto magis ipse debet lætari.

3. Præfigurata est in protoplasto Adam Christi resurrectio: quia sicut ille post soporem surgens, Evam de latere suo fabricatam agnovit; ita Christus à morte resurgens ex vulnere lateris sui ædificavit Ecclesiam. Noë quoque vir agricola, cùm plantasset vineam, & inebriatus vino obdormisset, & disco opertus jaceret in tabernaculo suo, expergefactus à somno, filio suo verecundiam suam non celanti maledictum perpetuæ servitutis imponens, Christum significavit: qui vineam suam fecit Ecclesiam, cujus amore poculo passionis inebriatus, & assumtæ carnis tegmine nudatus à mortuis resurrexit, sicut ipse ait in Canticis, *Exspoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* Jonas verò qualiter & ipse in se Domini mortem & resurrectionem expresserit, Evangelicus sermo apertè declarat.

Gen. 2. 23. Resurrectio Christi præfigurata in Adam. Gen. 9. In Noë.

Cant 5. 3. In Jona.

Matth. 12. 4.

4. Quia igitur, Fratres, omnis creatura quodam caritatis officio nostræ saluti congaudet, nostrûm est ex hoc nobis in usum vivendi aliquid trahere: ne communis omnium lætitia jus suum in nobis amittat, quos caussæ totius summa in capite spectat. Et primùm quidem, velut oves pascuæ Domini, in ara cordis, igne caritatis assati, nosmetipsos offeramus hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: & azymis continentiæ, mortificata jam habentes membra nostra quæ sunt super terram, id est, fornicationem, immunditiam, & cetera vitiorum ergastula declinemus, & in statione virtutum sedem nobis aptemus: mortuis quoque operibus abrenuntiantes, fructum optimum, ut terra bona, afferamus, exemploque bonæ arboris in omni bonitate & justitia fructificemus. Ne verò & claritas solis nostræ desit conversationi, luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cælis est. Si igitur ita agentes ultimus nos dies invenerit, erit nobis quandoque in præmio ipsa quoque corporum resurrectio: ubi *cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria*, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Paschæ spiritalis celebratio.

Rom. 12. 1. Coloss. 3. 5.

Matth. 5. 16.

Coloss. 3. 4.

*SERMO CLXV.

[*] Aliàs de Tempore 153.

In Pascha, VII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Remanserat dubius apud Lovanienses: sed per Verlinum & Vindingum rejectus fuit. Nonnullam cum Sermone superiore habet affinitatem.

1. SACRAMENTUM, Dilectissimi, Dominicæ resurrectionis divina voluit providentia variis figuris rerum & Prophetarum oraculis aliquotiens præsignari: quatenus per omnes sæculi labentis ætates omnis sanctorum spes ad illum tenderet solum, qui est exspectatio omnium gentium. Unde illud quòd in ipso mundi

Mors & resurrectio Domini variè præsignatæ.

[a] Verbis, occiditur filius, subjungunt MSS, *Adspicite Pharisæi*,

[b] MSS. uno excepto, *provideo*.

nascentis exordio mater omnium viventium Eva de costa viri dormientis est producta, matrem credentium Ecclesiam ex latere Christi in cruce morientis monstrat exortam: sicut in actu evigilantis Adæ, figura est Domini resurgentis à morte. Unde dicit Apostolus, *Factus est primus homo in animam viventem, secundus homo in spiritum vivificantem.* Noë verò qui in opere arcæ & ipso suo nomine requiem Dei in sanctis significat, in eo vel maximè Redemtoris nostri figuram repræsentat, quòd cùm esset agricola, vineam plantavit, & vini poculo ebriatus, in suo tabernaculo est denudatus. Quæ res ad illum propriè spectat, qui calice passionis adeo factus est ebrius, ut ipso tegmine corporis nudaretur ad tempus; & statim in resurrectione evigilans, illis daret benedictionem, qui in mysterio venerantur ejus passionem, irrisoribus autem suis dignam maledictionem. De quo calice dicit Psalmista, *Calix meus inebrians quàm præclarus est:* & in Evangelio Dominus, *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

(*Gen.* 2. 22. In Adam. 1. *Cor.* 15. 45. *Gen.* 9. In Noë. *Psal.* 22. 5. *Johann.* 18. 11.)

2. Virga quoque Moysi in terram projecta, & in draconem conversa, cùm teneretur per caudam rediit iterum in virgam: quia illa potestas divinæ majestatis de cælo descendens ad terram pro nobis voluit esse mortalis; sed post peractam carnis assumtæ dispensationem, recepit se ad paternæ dexteræ sedem. De Jona quem absorptum piscis evomuit illæsum in aridam, evidentem habemus ipsius Domini sententiam, quòd sicut ille fuerit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita foret hominis Filius in corde terræ. Exstant & alia quàm plurima de hac sollemnitate sollemnitatum sancta præconia, quibus omnibus adstipulatur & ipsa temporum ratio, quæ Paschalem terminum vernali dedicavit æquinoctio, exspectato dumtaxat sequente primi mensis plenilunio: ut, sicut ab inferioribus sol in altum proficiens, primò nunc adæquat longitudine noctes, luna etiam per diurna suæ lucis incrementa videtur esse plenissima; ita resurgens ab inferis Sol justitiæ, Ecclesiam eatenus in tenebris constitutam suo illustraret lumine.

(*Exod.* 7. In Moysi virga. *Jonæ* 2. In Jona. *Matth.* 12. 4. Mysterium temporis quo celebratur Pascha.)

3. Hæc sunt sacrosancta hujus diei Paschalia gaudia, hæc sæculis omnibus desiderata & prædicata sollemnia: quæ nos semper animo venerari, semper opere pro modulo nostro justum est imitari, sicut dicit apostolus Johannes, *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Et ille quidem pro nobis ad tempus crucifixus; nos quotidie crucem tollere, & ipsum sequi oportet. Mortem ille ad horam gustavit; nos semper debemus mortificare membra nostra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, & cetera. Resurrexit ille à mortuis; resurgere nos jubemur à vitiis, dicente Apostolo, *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Quòd si modò carnem nostram pro Christo cum vitiis & concupiscentiis crucifixerimus, complantati etiam similitudini mortis ejus mortificatione vitiorum fuerimus, *cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria*, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(Mors & resurrectio Christi imitanda. 1. *Johan.* 2. 6. *Lucæ* 9. 23. *Coloss.* 3. 5. *Ephes.* 5. 14. *Rom.* 6. 5. *Coloss.* 3 4.)

* SERMO CLXVI.

(* Aliàs de Tempore 142.)

In Pascha, VIII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium Lovanienses habent, Verlinus & Vindingus supposititium. Nec stilus, nec illa quæ hìc adfertur Psal. 117. ℣. 24. lectio Augustino convenit.

(Salutis humanæ taxatio.)

1. SALUTIS humanæ, Fratres carissimi, & mundi rediviva libertas non modica taxatione requiritur; sed Christi sanguine temperatur. Sed quantum venerabilis diei hujus officium credentibus contulit gaudium, tantum incredulis interitum portavit & luctum. Confert lætitiam Christianis ex fide; ingerit pœnam Judæis desperantibus ex cruce. Illis injuria Filii Dei æternam contulit mortem; nobis ad perpetuam proficit salutem. Quis, rogo, divinæ pietatis excessus est, vel quanta amoris plenitudo monstratur? Ad hoc Deus propter hominem perditum de cælo voluit descendere, non ut honorem in mundo accipere videretur, sed ut suspenderetur in cruce. Et dum voluit deceptum laqueis mortis eximere, ipsam subire non dedignatus est mortem. Et qualem mortem? Quæ detestabilior omni morte exstitisset. Hoc Apostolus asseverat, dicens; *Humiliavit*, inquit, *se usque ad mortem: mortem autem crucis.* Unde post mortem victrix resurrectio parabatur. Dicamus, Fratres, *Hæc est dies quam fecit Dominus, gaudeamus & epulemur in ea:* hoc est Pascha quod colimus: in hoc peregrinamur, hoc præteritum redit, hoc volvitur in futurum.

(*Philipp.* 2. 8. *Psal.* 117. 24.)

* SERMO CLXVII.

(* Aliàs de Tempore 154.)

In Pascha, IX.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius est Lovaniensibus: sed Verlino & Vindingo falsus; neque his probatur quod auctor sine teste docet, in Dominicum diem omnia illa incidisse miracula, scilicet transitum maris rubri, baptismum Christi in Jordane, mutationem aquæ in vinum, quinque panum multiplicationem &c. Quæ uncinis includimus, sunt cujusdam Sermonis Hieronymo suppositi, qui inscribitur, In Vigilia Paschæ de esu agni: *& incipit,* Hodie, Fratres carissimi, populus Israël. *Excerpta inde ista quæ hìc habentur credimus, quia illic magis cohærent cum ceteris.*

1. DEUS misericordiæ & justitiæ hodie resurrexit à mortuis per potentiam Patris, ut Paulus ait, *Qui suscitavit eum à mortuis.* Et Propheta, *Inter mortuos liber est.* In quo & nos omnes pòst resurgemus, & vivemus. Quia enim præstitit nobis ducatum ad regnum suum, jubemur & nos præparare viam Domino, hoc est, humilitatem, dilectionem Dei & proximi, justitiam, bonitatem, integritatem, patientiam, caritatem, prudentiam, pietatem & innocentiam. Hæc omnia præcepit nobis Dominus per semetipsum exemplis, qui per agnum significatur. [Quæritur ergo, quare agnus iste non die, sed ad vesperam immoletur? Hæc caussa manifesta est. Dominus enim noster ac Salvator in consummatione sæculorum passus est, ut Johannes ait, *Filioli mei, novissima hora est.*] Hodie fides Ecclesiæ confirmata est in Christo, & in semine Abrahæ omnes gentes benedicuntur, ac Salvator mundi innotuit, & plenam supernis civibus & hominibus lætitiam contulit, cùm vivum se post passionem suam præbuit juxta promissum suum.

(*Gal.* 1. 1. *Psal.* 87. 6. Quare agnus ad vesperam immolatus. 1. *Johan.* 2. 18.)

2. Bene quoque Dominicus * sermo ac resurrectio Domini conjunguntur. Venerabilis est hic dies, qui Dominicus dies & dies primus atque perfectus est, & dies clarus, in quo visa est prima lux, in quo transgressi sunt filii Israël mare rubrum siccis pedibus, & in quo pluit manna filiis Israël in deserto, & quo Dominus baptizatus est in Jordane. Quo vinum de aqua in Cana Galilææ factum est, quo benedixit Dominus quinque panes, quibus satiavit quinque millia hominum. In quo resurrexit Dominus à morte, quo intravit Dominus in domos clausas, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum: in quo Spiritus-sanctus descendit in Apostolos, & in quo speramus Dominum nostrum Jesum Christum ad judicium venturum: in quo die omnis creatura reformabitur in melius; ut sol & luna septuplum lumen accipiant, & sancti homines vitam æternam propter merita bonæ obedientiæ recipiant à Deo.

(* *f.* dies. Dominicus dies quot mysteriis clarus. *Gen.* 1. 3. *Exodi* 14. *Exodi* 16. *Matth.* 3. *Johan* 3. *Matth.* 14. *Johan.* 20. 19. *Act.* 5. 4. Judicii dies.)

* SERMO CLXVIII.

(* Aliàs de Tempore 163.)

In Pascha, X.

In Appendice nunc primùm collocatur. In Lovaniensium editione dubius est, supposititius verò censurâ Verlini & Vindingi. Conflatus est ex duabus partibus, quarum posterior quidem Cæsarii stilum refert: sed in ista posteriore parte non conveniunt MSS. Horum autem plerique ad illa verba n. 2. Adtendite ergo, Carissimi, & videte *&c. disputationem deinceps maximè diversam subjiciunt.*

1. PASCHA Christi, Fratres dilectissimi, regnum est cæli, salus mundi, vita credentium, occasus inferi, gloria supernorum, resurrectio mortuorum, testimonium miserationis divinæ, præmium redemtionis humanæ, contritio mortis abolitæ. Quæ festivitas Dei sacrata mysterio & cognita sacramento, virtutem Dominicæ resurrectionis per Angelos indicat, per Apostolos manifestat, per corda credentium bona multiplicat. Hic igitur est dies, Dilectissimi, quem fecit Dominus, ut audistis, excelsior cunctis, lucidior universis, in quo Dominus resurrexit, in quo sibi novam plebem, ut ipsi videtis, regenerationis spiritu conquisivit, in quo singulorum mentes gaudio & exsultatione perfudit. Hic ergo dies resurrectio-

(*Psal.* 117. 24.)

nis Christi, defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria: siquidem operatione virtutum elevat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis, consummat justos, firmat dubios, damnat incredulos. Ad hoc enim Dominus hodie resurrexit, ut imaginem nobis futuræ resurrectionis ostenderet: & ideo hodie vitali lavacro resurgens Dei populus ad instar resurrectionis Ecclesiam nostram splendore nivei candoris illuminat.

Baptismus futuræ resurrectionis imago.

2. Gratias Deo nostro agere debemus, quòd dum sancti Paschæ sollemnitatem colimus, futuræ resurrectionis speciem jam videamus. Resurrecturum est enim humanum genus in sæculi consummatione post mortem, nunc resurgit in baptismo: suscitandus est tunc Dei populus post soporem, nunc suscitatur post infidelitatem: liberandus est tunc à mortali conditione, nunc liberatur ab ignorantiæ cæcitate: renasciturus est ad æternitatem, tunc renascitur ad salutem. Omnes enim qui olim in Christo baptizati, assumere non possunt candidam vestem, conversationem saltem candidam non relinquant. Solet sub nigro habitu anima satis pura latitare; nec multum interest, si non habet quis candidam vestem. Talis latro fuit ille in Evangelio, qui crucifixus cum Salvatore clamasse dicitur, *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Adtendite ergo, Carissimi, & videte, quid fidelis obtinet, quid meretur? Regnum Salvatoris latro poscit in cruce: & dum pœnæ multitudinem patitur, ad præmia æterna perducitur. Imitamini ergo ejus devotionem, imitamini amare Christum: quod poscit latro moriendo, vos desiderate bene vivendo. Illius credulitati paradisus aperitur, & nostræ spei æternorum monstratur firmitas præmiorum. Lætemur ergo & exsultemus in hac die, in qua Dominus resurgens perculit mortem, intulit salutem.

Lucæ 23. 43. Latronis devotio imitanda.

Fidejussorum officium.

3. Hoc itaque admoneo, Fratres dilectissimi, ut quotiens Paschalis sollemnitas venit, quicumque viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum exstitisse: & ideo semper illis sollicitudinem veræ caritatis impendant. Admoneant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, à maledicto vel perjurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant; non superbiant, non invideant, iracundiam vel odium in corde non teneant; * auguria non observent, phylacteria vel characteres diabolicos nec sibi nec suis aliquando suspendant, præcantatores velut ministros diaboli fugiant; fidem catholicam teneant, ad ecclesiam frequentiùs currant, contemta verbositate lectiones divinas adtentis auribus audiant; peregrinos excipiant, & * secundùm quod ipsis in baptismo dictum est, hospitum pedes lavent; pacem & ipsi teneant, & discordes ad concordiam revocare contendant, sacerdotibus & parentibus honorem & amorem veræ caritatis impendant. Hæc ergo omnia & his similia si filios & filias vestras admonere contenditis, cum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter pervenietis.

* Confer. hom. 12. ex editis à Baluzio.

* V. Cæsar. hom. 13.

Ad ædificationem proximi quisque tenetur.

* Cæsar. hom. 35. & 34.

4. Nemo se circumveniat, Fratres carissimi, * nullus homo sibi soli vivit, aut sibi soli moritur: sed sicut frequenter suggessi, quantoscumque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis & pro tantis mercedem beatæ retributionis accipiet: & quantiscumque exemplum malæ conversationis, etiamsi non eum illi sequantur, præbuerit, pro tantis se malis rationem noverit redditurum. Et ideo, sicut jam suprà suggessi, neophytis nostris, auxiliante Domino, exemplum bonæ conversationis, quantum possumus, debemus ostendere: ut non pro illorum destructione pœnam recipere, sed potiùs pro ædificatione ad indulgentiam peccatorum mereamur pervenire; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Olim de Tempore 159. & pòst in Appendice 35.

* SERMO CLXIX.

In Pascha, XI.

Incerti auctoris, qui verbis utitur Augustini ad Volusianum epist. 137.

Introitus Christi per ostia clausa miraculum est.

1. LECTIO Evangelica, Fratres carissimi, quæ nuper auribus nostris insonuit, continet magnum miraculum. Quamvis ubique sit Dominus, ipsius miraculum continet beneficium, in quo acceperunt discipuli Spiri-

A tum-sanctum. Miraculum est, quòd Dominus noster Jesus Christus in carne vera intraverit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. Si vera, inquies, caro fuerat quæ resurrexit, quomodo ipsa clausis januis ad discipulos introivit? Itane verò, inquies, cujuspiam capit auditus, quod non observat opus, & intrare quisquam limen in corpore potuit. Redde mihi, inquis, rationem.

* August. verba epist. 137. n. 8. Hinc non datur ratio vel exemplum.

2. O homo, * si rationem à me poscis, non erit mirabile: si exemplum quæritur, non erit singulare. Credis nempe Dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis utique. Dicis igitur mihi,
B Si per ostia clausa Christus intravit, ubi est corporis pondus? Recedant paulisper modus & pondus: ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suam potuit de sepulcro producere, non potuit clausis januis ad discipulos introire? Quando audis miraculum, serva fidem, non inquirat animus rationem. Hinc est quod & Thomas discipulus titubavit, nec credidit: sed eum Dominus postea confirmavit. Dixerant enim ei condiscipuli ejus, *Vidimus Dominum.* Ille autem, *Nisi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in latus ejus, non credam.* Sciebat enim clavis in cruce confixum, sciebat lanceâ latus percussum: hæc signa
C quærebat, ideo non credebat. Manus quærebat & latus: & dum curiosus exsistit in vulnere, mortem incurrerat in fide. O beate Apostole, ante oculos tuos Christus Lazarum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulcro surgere? Quæris loca clavorum, & oblitus es miracula tanta signorum? Nonne ante oculos tuos cæcos illuminavit, paralyticos sanavit, leprosos mundavit? Sic perdidisti in triduo memoriam magistri, ut potentiæ non crederes Christi? Mors Christi in carne, vita tua debet esse in fide. Vidisti quidem percutientem lanceâ; sed divinam non penetravit potentiam.

Ad miracula fides exigitur.

Johann. 20. 25.

Thomæ fides mortua.

3. Ecce iterum venit Dominus, ne periret discipulus:
D & dicit Thomæ, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* O pietas Salvatoris, quæ non dedignatur locum ostendere cicatricis! *Respondit Thomas, & dixit, Dominus meus & Deus meus.* Modò est Dominus & Deus tuus; quia voluit ut videres, ne incredulitate animam perderes. Meritò ad eum Dominus sic loquitur; *Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ecce discipulus trepidavit; Ecclesia quod non vidit credit. Beatum meritum nostrum, Fratres, si in Ecclesia Catholica teneatur acceptum. Hîc accipitur merces, ubi vera tenetur & cognoscitur fides.
E Hanc igitur Ecclesiam Christus sua resurrectione constituit, in hac æterna præmia collocavit. Credite, Fratres, ille speret requiem, qui non discesserit à radice: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Christi tactu revixit. ℣. 27.

℣. 28.

℣. 29.

* Aliàs ex Vignerianis 20.

* SERMO CLXX.

In Pascha, XII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Nihil habet Augustiniani salis, ipso etiam, qui primus hunc in Supplemento operum Augustini vulgavit, judice Vignerio.

1. IN horto voluptatis Dominum requirit Maria, in necessitate desertionis Christum mæsta requirit Ecclesia: ut in paradiso saltem inveniat consolatorem,
F quia in campis arentibus videre necdum meruit plantatorem. Ubi Dominus surgit, ibi pium plantatorem Ecclesia tristis inquirit. Resurgit Dominus in horto deliciarum propaginatis secum plantariis mortuorum. Et depictus est ille resurrectionis hortus excelsis Sanctorum cedris, botris Prophetarum, pinetis cum Palmatis, fructibus amigdalæ, olivæ, Abel, Enoch, Eliæ, Zachariæ, Abrahæ, Isaac, Jacob. Et in campo arescente requirit Ecclesia Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob. Quis enim non delectetur post deformitatem desertionis
G per campos nullis vestitos aristarum florentibus comis intrare paradisum voluptatis? intueri post dies siccitatis arefactis corticibus gemmas arbores terræ plangentes; intueri mella fragrantia, malo-granata roscidantia, lacteos & coccineos amigdalarum & persicorum flores adtendere; quos Angelos delectabat adspicere in illa horticuli casa, id est, illo amœno sepulcro, ubi sedebant

Classis II.

Angeli, unus ad caput, alter ad pedes? Foris per hortum tegebant mundum vineæ resurgentium Beatorum. Angeli delectabantur in illo resurrectionis die; quia totam pacaverat terram. Delectabat eos velut amomum & cinamomum, resurrectionis novus odor suavitatis ex mortuis, ubi fragrabant balsama rorantia, vulnera Christi mortuos irrigantia. Oblectabat rosa sanguinis emicantis lilium à morte porrectum campi florentis. Illo
Johan. 20. 11. Maria caput anxium declinabat, & linteis Dominicæ sepulturæ, velut latissimis platani foliis in plateis, suos tergebat flebilis oculos à lacrymis pietatis. Adspexit: vidit lacum fontis de morte surgentis, & quasi herbas virides de illo lacu, quæ nutrientibus aquis per lacunea vellera contexuntur.

2. Illa syndonem cum sudario contemplata fontem non invenit, & non est sitiens satiata; sed ardentiore sitiens deplorat affectu. Nec planè solatium recepit Angelorum; quia videre cupiebat primogenitum mortuorum.
℣. 13. Dicunt ei Angeli, *Mulier, quid ploras?* Utinam & nobis dicerent inter lacrymas necessitatis nostræ, Servi Dei quare ploratis? Esset nobis renovatio gaudiorum in monumento, esset nobis & amænitas in campo, & securitas in pelago, & munimen in castro. Atque utinam & ipse nos interroget, qui dixit Mariæ, *Mulier, quid ploras, & quid quæris?* sic & nobis diceret, Quem quæritis, & quare ploratis? Diceremus: Domine, nos plangimus, & te quærimus, sine quo nihil valemus; quia in te vivimus, movemur, & sumus. Te quærimus: quare vivos repulisti, qui mortuos suscitasti? Floruit resurgente te cum tremore gehenna; & marcescit sine fructibus terra. Petræ ecce proruperunt plantariis mortuorum; & sulci terrarum induratis visceribus, segetum nesciunt ornamentum. Te, Domine, quærimus, à quo quæsiti sumus; quia conversi sunt dies festi nostri in luctum, & cantica in lamentationem. Alleluia, quæ est delectatio Angelorum, cum timore canitur pyratarum; cythara nostra facta est lugubre canticum inter lacrymas esurientium, & obscurata super caliginem funera mortuorum.

℣. 12. 3. Dicamus & nos cum Maria, *Sustulerunt Dominum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum.* Dic nobis, Domine, Quid ploratis? quia interrogatio tua est consolatio nostra: quomodo si dicat medicus ægrotanti, Noli flere; nonne enim dat ei securitatem de facili sanitate? Ubi sunt Angeli tui? Dicant nobis, Quid ploratis? Et si non dicimus, *Sustulerunt Dominum* nostrum; dicamus, Sustulerunt patrem, sacerdotem, mediatorem nostrum. Sicut enim sine Domino erat mæsta Maria; ita sine proprio sacerdote tristis gemit Ecclesia. Sed qui dixit Ma-
Matth. 28. 10. riæ, *Vade, dic discipulis meis, præcedant me in Galilæam*; ipse nobis dicet, Nuntiate populis meis, ut me præveniant ad ecclesiam, ut citò videant patris præsentiam, & in ea percipiant indulgentiam.

* Aliàs de Tempore 161.

*SERMO CLXXI.

In Pascha, XIII. de resurrectione mortuorum.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovaniensibus dubius, falsus Verlino & Vindingo, qui ab Augustino alienum id esse observant quod hic habetur de duabus partibus mortis primæ.

Certissima resurrectionis fides.

1. CERTISSIMA est fiducia Christianorum, divinitus promissa resurrectio mortuorum. Hanc enim Veritas ipsa promisit: Veritas autem mentiri non potest;
Veritatis testimonio. alioquin veritas non est, si mentiri potest. Vera est igitur de resurrectione corporum promissa veritas: quia Veritas mentiri non novit, totum necesse est ut impleat quod promisit. Hanc enim resurrectionem corporum, ut futuram certissimè noverimus, ipse Dominus nobis in suo corpo-
& exemplo comprobata. re dignatus est demonstrare. Resurrexit Christus, ut resurrecturum se non dubitet Christianus. Quod enim præcessit in capite, sequetur in corpore.

Mortes duæ. 2. Nosse enim debemus, dilectissimi Fratres, duas esse mortes & duas esse resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur & secunda. Porrò primæ mortis duæ sunt partes: una qua peccatrix anima per culpam discessit à Creato-
Mortis primæ duæ partes. re suo, altera qua judicante Deo, exclusa est per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda, ipsa est corporis &
Mors secunda. animæ punitio sempiterna: per mortem verò secundam anima solius mali hominis in æternum cum corpore suo

A cruciatur. Utraque ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum: quia naturæ transgressio unumquemque peccatis propagat obnoxium. Venit autem Dei Filius immortalis & justus, ut moreretur pro nobis: in qua carne quia nullum potuit habere peccatum, sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est, solius corporis mortem, Dei Filius pro nobis accepit, per quam à nobis & dominationem peccati, & pœnam æternæ punitionis exclusit. Hoc ergo Christus in suis fidelibus misericorditer operatur, ut hîc eos primò in anima resuscitet, donans fidem, ut rectè credant; tribuens caritatem, ut bonis operi-
B bus libenter insistant: in novissimo verò die ad hoc eis corpora resuscitare dignabitur, ut eis æternam beatitudinem largiatur.

Serm. de Tempore.

Mortis primæ partem secundam Christus suscepit.

Resurrectio duplex.

Qui à prima veniatur ad secundam.

3. Resuscitati ergo in anima per fidem, dilectissimi Fratres, cum justitia vivamus, ut etiam corpore ad æternam lætitiam resurgamus. Discedamus ab operibus malis, quæ mortificant animam, etiam dum vivit corpus; ut in æternis bonis & anima nostra mereatur esse & corpus. Servemus primæ resurrectionis munus, quod nobis per fidem largitus est Christus; ut cùm resurrexerimus corpore, mereamur cum Christo Salvatore sine
1. Cor. 15. 54. fine regnare. Tunc absorbebitur mors in victoria, tunc
C dabitur fidelibus vera vita, veraque lætitia: tunc Deus pro meritis fidei atque bonorum operum dabit suis fidelibus regnum cælorum; qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-sancto in virtute Deus, &c.

* Olim de Tempore 157. & post in Appendice 86.

*SERMO CLXXII.

Dominicâ in octavis Paschæ, ad Neophytos.

Hoc ipso die legitur in Breviariis bene multis cum Augustini nomine. Et exordium quidem, quod incerti auctoris est, ad hunc diem pertinet: sed reliquum Sermonis ab istis nimirum verbis, Habemus inquit certiorem propheticum Sermonem &c. ex Sermone aliàs
D *de Diversis 74. quo de Quadragesimali jejunio agit Augustinus, descriptum fuit, nullâ ferè, nisi quæ hic cernitur in serie dictorum, facta mutatione.*

1. PASCHALIS sollemnitas hodierna festivitate concluditur: & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur; ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. In qua primum quidem in nobis agendum est, ut quia Paschales dies sunt, id est, indulgentiæ ac remissionis, ita à nobis sanctorum dierum festivitas agatur, ut relaxatione corporum puritas mentis non obfuscetur; sed potiùs abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lasciviâ, demus operam sobriæ remis-
E sioni ac sanctæ sinceritati: ut quidquid modò corporali abstinentia non adquirimus, mentium puritate quæramus. Ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: verumtamen hodie terminata sacramentorum sollemnitate vos alloquimur, novella germina, sanctitas regenerata ex aqua & Spiritu, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris & fructus laboris; gaudium & corona mea, omnes qui statis in Phil. 4. 1.
Domino. Apostolicis verbis vos alloquor, *Ecce nox præ-* Rom. 13. 12.
cessit, dies autem appropinquavit: abjicite opera tenebrarum, & induite vos arma lucis, sicut in die, honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & im-
F *pudicitiis; non in contentione & æmulatione; sed induite Dominum Jesum Christum.*

2. **Habemus*, inquit, *certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, tamquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Sint ergo lumbi accincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis.* Ecce dies adveniunt, in quibus Dominus dicit, *Pusillum*, inquit, &c....... Tantò magis autem spiritali opere funditur, quantò magis animus, qui eam fundit, à carnali voluptate suspenditur. * Quadraginta
G diebus jejunavit Moyses Legis administrator, quadraginta Elias Prophetarum excellentissimus, quadraginta ipse Dominus testimonium habens à Lege & Prophetis, per quem baptismus illis præponitur. * Johannes enim baptizavit Christum, cùm se Christo profiteretur minorem. Christus autem baptizat Christianum, qui se ostendit & Johanne majorem: sicut circumcisionem carnis, quamvis eam & Christus accepit, sed nemo Christianus

2. Pet. 1. 19.

* Ex Serm. aliàs de Diversis 74. cap. 5. & 6.

Luca 12, 35.

Johan. 16. 16.

* Ex eodem Serm. cap. 7.

* Ex eodem Serm. cap. 1. 3. 4. & 5.

Classis II. nus jam accipit. Melius namque multò est sacramentum resurrectionis Christi, &c. . . . . Unde adveniente jam mortis suæ tempore Petro dixit, *Postulavit satanas vexare vos sicut triticum; sed ego oravi pro te, Petre, ne deficiat fides tua: unde & tu conforta fratres tuos.* (Lucæ 22. 31. & 32.) Et planè confortavit nos per Apostolum: vel quando ei cum his duobus jejunii hujus celebratoribus, Moyse videlicet & Elia, * in monte se ostendit. Nos autem quia tam longum jejunium perpetuare non possumus, ut per tot dies & noctes nihil alimentorum, sicut illi, accipiamus; saltem, quantum possumus, faciamus, & exceptis diebus, per quos certis de caussis mos Ecclesiæ prohibet jejunare, Domino Deo nostro vel quotidiana à nobis crebrò jejunia exigamus. Sed licèt sicut à cibo & potu abstinentia per tot dies non possit esse continua: * tamen propter hominum errores, qui per vaniloquia, & seductiones, & pravas consuetudines nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant, tempus humiliandæ animæ, quantum potui, commendavi. Sunt enim quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potiùs, quàm religiosi, * &c. . . . . Considerate, Fratres, utrùm Christianus sit dicendus, qui his diebus inimicitias non vult finire, quas numquam debuit exercere.

* Redditur ad cap. 7. ejusd. Serm.

* Ex cap. 8.

* Post cap. 8 subsequebantur & alia postrema 9. & 10. usque ad finem.

* SERMO CLXXIII.

* Alias ex Vignerianis, 23.

De Letania, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Hæc ipsa est in Bibliotheca Patrum homilia Cæsarii 37. cui etiam in MS. Portarum & in aliis tribuitur. Mutilam & interpolatam Vignerius dederat in Supplemento operum Augustini.

Cæsarii Ser. XLVII. Dies medicinales.

1. Ecce, Fratres dilectissimi, dies sancti & spiritales adveniunt, & animabus nostris medicinales: & ideo quicumque voluerit peccatorum suorum sanare vulnera, non despiciat medicamenta salubria. Ipse enim non requirit in diebus talibus medicum, qui se non sentit ægrotum. Et quis est, Fratres dilectissimi, qui sic se in arena mundi istius gaudeat repugnare, ut nullum possit à diabolo vulnus excipere? Quis enim contra millia dæmonum die noctuque ita stare potuit semper armatus, ut numquam fuerit diaboli calliditate percussus? Quis enim vel cogitare, non dicam enumerare, prævaleat dolos & insidias hostis antiqui, de quo scriptum est, Cui nomina mille, & mille nocendi artes? Et ideo, Fratres carissimi, quomodo ipse ex omni parte nos semper vulnerare conatur; ita unusquisque nostrûm cum Dei adjutorio contra illius insidias totis viribus præparetur: & quia nos non solùm per dura, sed etiam per blanda contendit elidere, & vulnera ab ipso inflicta non solùm amara, sed etiam, quod pejus est, malè dulcia frequenter excipimus; medicamenta spiritalia, id est, omnia bona opera, quantum Domino largiente possumus, parata semper habere debemus. Audiamus ergo consilium beati Apostoli, & contra diaboli insidias armis nos semper spiritalibus muniamus. *Sumite*, inquit, *scutum fidei, loricam justitiæ, & galeam salutis, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei.* (Ephes. 6. 16. & 17.) Quid enim mali à diabolo sustinere poterit, qui se talibus armis instruxerit? Consurgit ille cum infidelitate; tu resiste illi cum fide. Ille pugnat cum superbia, tu cum humilitate: ille exhibet luxuriam, tu retine castitatem. Apprehendit ille nequitiam; tu justitiam tene: ille suggerit iracundiam; tu sectare patientiam. Ille immittit avaritiam; tu exerce misericordiam: ille gulam, tu abstinentiam. Similiter & in ceteris rebus semper contraria adversùs nequitias diaboli studeamus arma proponere; & numquam nos poterunt illius machinamenta decipere. Ut ergo hæc possimus, Deo auxiliante, complere, & hostem callidissimum, opitulante divina gratia, revincere; jejuniorum, vigiliarum atque orationum armis, nobis debemus jugiter providere.

Qualiter cum diabolo certandum.

Per Letaniarum dies universa celebrat Ecclesia.

2. Quæ licèt nobis omni tempore necessaria esse probentur; præcipuè in istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conventu subducat: nullus ecclesiam quasi cælestis Medici scholam, occupatus terrenis actibus derelinquat, nullus castra spiritalia deserat. Scientes enim, Fratres carissimi, quia qui terreno regi militat, si se de acie pugnaturus timore compellente subtraxerit, non solùm gloriam vel præmia parata non accipiet, sed etiam præsentis vitæ periculum non evadet: qualis ergo est ille, qui terreni regis exercitum deserit, sine dubio talis judicandus est & ille, qui in istis tribus diebus Christi ecclesiam derelinquit. Quicumque ergo sine aliqua infirmitate, aut certa occupatione, in istis diebus Dei populum deseruerit, in illo cælesti regno non præmium sed opprobrium, non gloriam sed ignominiam recepturum se esse noverit: & quidem talis quasi fugitivus & desertor castrorum cælestium, æternam confusionem & dignum meritis suis supplicium sustinebit. Sed absit, Fratres carissimi, ut de vobis talia suspicemur. * Unde timens hoc potiùs, quàm de vobis sinistrum aliquid credens, præsumo suggerere: magis enim de vestra devotione confidens credo, velut apes prudentissimas ad alvearium Christi fideliter festinare; ut dulcedinem spiritalis mellis ex divinis lectionibus possitis accipere, & cum Propheta dicere, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum ori meo.*

Serm. de Tempore. Castri cælestis desertor est ab ecclesia se subducens.

* Ita Cæsar. in fine homil. 35. & suprà Serm. 142. n. 7.

3. Et quia per totum annum, Fratres carissimi, nobis peccatorum vulnera subrepunt, in istis tribus diebus fideliter ad ecclesiam curramus; & contrito corde vel humiliato corpore Dei misericordiam deprecemur: ut omnium peccatorum nostrorum vulnera, isto triduano compunctionis medicamento, ad sanitatem pristinam revocemus. Nemo ergo sibi ex industria aliquas occupationes studeat providere, nemo se otiosis fabulis occupare: * ne inde sibi vulnera faciat, unde sibi parare medicamenta potuerat. Nemo in istis tribus diebus aut sanguinem tollat, aut potionem accipiat: nisi fortè hoc infirmitas nimiùm periculosa compellat. Conviviola nobis etiam quadragesimali ordine præparemus, & magis legendo, psallendo vel orando, animabus nostris spiritales epulas, quàm corporales delicias requiramus: ut ad integrum Deo vacantes, & misericordiam illius suppliciter exorantes, & à cunctis infirmitatibus sanari, & à peccatis omnibus erui, & de tam frequenti inundatione aquarum mereamur per Dei misericordiam liberari. Pro certo enim credere debemus, Fratres carissimi, quia si peccata nostra cessarent, statim flagella nobis debita divina misericordia removeret. Sic enim ipse per Prophetam promittere dignatus est, dicens, *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* (Zach. 1. 3.) Et iterùm: *Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.* (Isai. 45. 22.) Convertamur ergo ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia, & pium ac misericordem Dominum, quem peccando irritavimus, bonis operibus ad misericordiam provocemus: ut ipse secundùm suam consuetudinem, & adversa repellere, & prospera nobis dignetur pro sua pietate concedere.

Letaniarum dies qualiter celebrandi.

* Ita Serm. sequenti n. 3. & suprà Ser. 140. n. 1.

Quis inde fructus.

Peccatis cessantibus cessant & flagella.

4. Iterum atque iterum rogo, ut qui ad ecclesiæ alvearium, sicut jam dixi, quasi ad dulcissimum Christi favum, plena devotione concurrunt, velut apes prudentissimæ de diversis divinarum Scripturarum floribus intra se cellulas præparent, ubi sancta & cælestia mella suscipiant. Qui verò & tardè veniunt, & citò discedunt, nec contenti sunt exspectare, donec divina mysteria compleantur, non sunt inter Christi examina reputandi: quia non bonis moribus spiritalia mella conficiunt, sed per superbiam & contemtum & se impediunt, & alios exemplo malæ conversationis evertunt. Et ideo, Fratres carissimi, quicumque Dominum in veritate diligunt, & ad ecclesiam citò veniunt, & tardè discedunt, perseverent in opere bono, & otiosas vel sæculares fabulas, velut venenum mortiferum respuentes, magis psallere & orare conentur: & contemnentes amaritudinem mundi, in ecclesia requirant, unde accipiant dulcedinem Christi. Qui verò negligentes sunt, & ad ecclesiam non solùm tardè veniunt, sed etiam * priùs quàm mysteria compleantur, abscedunt; & in ipsa ecclesia otiosis fabulis vacantes, nec ipsi psallunt, nec alios psallere vel orare permittunt: qui tales sunt, citò se corrigant: ne sibi in eo loco præparent mortem, ubi invenire poterant vitam. * Ego quod meum est admoneo: qui despicit præconem, timeat judicem. Dura quidem sunt medici vulnera; sed sanos faciunt: dulcia videntur mundi oblectamenta, sed malè decipiunt. Audite ergo me, Fratres, rogantem, audite paterna pietate admonentem: ut vobis Deus & in hoc sæculo sanitatem corporum, ubertatem fructuum, & peccatorum indulgentiam tribuat, &

Qualiter ecclesia cum fructu colatur.

* V. Cæsar. initio hom. 12.

* Ita suprà Serm. 45. n. 4.

CLASSIS II.

in futuro ad æterna præmia feliciter pervenire concedat. A Sic ergo divina pietas moderetur actus nostros, & animas nostras gubernare dignetur; ut cùm tempus retributionis advenerit, & ego qui vos cum caritate admoneo, obtinere merear veniam, & Caritas Vestra pro benigna obedientia perveniat ad coronam; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

** Aliàs de Tempore 173.*

* SERMO CLXXIV.

De Letania, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium Lovanienses, falsum Verlinus & Vindingus habebant. Cæsarii genuinus est stilus, ejusque usitatæ sunt istæ phrases, In omnibus Scripturis divinis. Et licèt omni tempore. Cum ingenti rugitu vel gemitu. Inde sibi faciunt crudelia vulnera, unde habere poterant medicamenta salubria. Credo, *seu,* credimus de Dei misericordia *&c.* B

CÆSARII Ser. XLVII.

1. SCIRE debemus & intelligere, Fratres carissimi, quia dies compunctionis & pænitentiæ celebramus: & ideo non nos oportet nimio risu vel in aliquo minùs cauto & congruo cachinno dissolvi; timentes illud quod Dominus in Evangelio dixit, *Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis:* & illud quod alibi scriptum est, *Extrema gaudii luctus occupat.* Nec aliquibus durum esse C videatur; quòd magis ad tristitiam vel planctum, quàm ad lætitiam, vos provocare videmur. Si enim diligenter adtenditis,* Fratres, in omnibus Scripturis hoc Dominus hortatur & admonet, ut sic in hoc sæculo debeamus esse solliciti, ut in futuro possimus esse securi, sicut ait Psalmista, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent;* & in Evangelio, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* quia arta & angusta via est, quæ ducit ad vitam; lata & spatiosa quæ trahit ad mortem. Melius est nobis post paucas angustias ad æternam beatitudinem pervenire, quàm post brevem lætitiam ad inferni profunda descendere. Unde totis viribus elaborare debemus, ut pœnam D purpurati divitis possimus evadere, & ad beatitudinem pauperis Lazari pervenire. Quid enim illi profuit superbia diviti, quòd hîc parvo tempore luxuriosus pascebatur deliciis suis, & nunc sine ullo termino inferni flammam pascit medullis suis? Melius est ergo, ut vos parvo tempore ad salubrem tristitiam provocemus, & postea vobiscum ad æternam lætitiam pervenire mereamur; quàm si vobis ad tempus falsam dulcedinem velimus ingerere, & postea vobiscum perpetuam amaritudinem sentire.

*Lucæ 25. 6. — Prov. 14. 13. — Tristitiâ brevi cavenda est æterna. — * Cæsar. homil. 6. 7. & 11. ex editis à Baluzio. — Psal. 125. 5. — Matth. 5. 5. — Matth. 7. 13. & 14. — Lucæ 16.*

2. * Et licèt omni tempore, Fratres carissimi, vobis oporteat Dei misericordiam corpore contrito & corde E compunctо requirere, & ab illo indulgentiam peccatorum fideliter postulare: nunc tamen propter imminentem peccatis nostris debitam & gravissimam severitatem, cum ingenti rugitu vel gemitu, assiduis orationibus & largioribus eleemosynis debemus Dei misericordiam implorare; ut ipse nobis misericordiam & benedictionem aquarum cælestium tribuat, pacem reddere dignetur, peccatorum indulgentiam dare, & prospera dignetur pro sua pietate concedere. In his diebus præcipuè otiosis fabulis finem conemur imponere: &, quantum vires suppetunt, orare studeamus & psallere. Et si pacem temporum desideramus accipere, non dissimulemus pacem F cum proximis custodire. Si enim in veritate vis ut vincatur diabolus inimicus tuus, citò tibi reconcilietur proximus tuus. Contra nullum hominem deseviat ira tua; & citò à te indignatio divina cessabit, secundùm illam promissionem Domini & Salvatoris: *Si,* inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra.*

*Dictum istorum exercitia & finis. — * V. suprà Serm. 173. n. 2. — Pax temporum, pace cum proximis procuranda. — Matth. 16. 14.*

3. Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de ecclesiæ conventu subducat. Sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus jejunando, orando & psallendo medicamenta sibi spiritalia non requirit. Abundant, & nimiùm G abundant negligentiæ, quas per totum anni spatium congregavimus: & ideo vel in istis tribus diebus, quod ad nitorem vel purgationem animæ pertinet, agere studeamus. Nolite vos de ecclesiæ conventu subtrahere: quia non tam longo spatio fatigamur, ut hoc sustinere non valeamus. Sicut qui in istis sex horis de conventu ecclesiæ non subducit se, magnum remedium animæ suæ noscitur providere: ita è contrario qui aut per cupiditatem, aut pro alia qualibet minùs necessaria occupatione adesse noluerint, * inde sibi faciunt crudelia vulnera, unde habere poterant medicamenta salubria; & inde se gravant, unde sublevare potuerant. Sed * credo de Dei misericordia, quòd ita vobis inspirare dignabitur, ut non negligentiam peccatorum adquirere, sed magis per compunctionem jejunando, orando, psallendo, & eleemosynas faciendo ad remedium possitis indulgentiæ pervenire; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

*Ecclesia frequentanda. — SERM. DE TEMPORE. — * Ita superiori Serm. n. 3. — * V. Cæsar. hom. 10. 12. 29. &c.*

** Aliàs de Tempore 172.*

* SERMO CLXXV.

De Letania, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovaniensium judicio dubius, Verlini autem & Vindingi sententiâ propter stili duritiem, suppositititus. Jejunii tempore habitum esse liquet, sed an eo quod nunc Rogationum appellatur, incertum est: tametsi Sermo locum in editis & MSS. obtineat ante festum Adscensionis.

1. QUONIAM jejuniorum tempus est, Fratres carissimi, de jejunio cum Sanctitate Vestra tractandum est; ut sciatis quemadmodum jejunetis. Jejunia enim Christianorum spiritaliter potiùs, quàm carnaliter exercenda sunt. Unde à peccatis principaliter jejunemus: ne jejunia nostra, sicut Judæorum jejunia, à Domino respuantur. Quale est enim ut à cibis quos Dominus creavit, nescio quis impostor abstineat; & peccatorum saginâ pinguescat? *Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus. Nam si flectas,* inquit, *ut circulum cervicem tuam, cilicium autem & cinerem substernas; nec sic vocabo,* inquit, *jejunium acceptum.* Sed quid? *Solve,* inquit, *omnem nodum iniquitatis, & obstinationem malorum. Dimitte afflictos in requiem, & omnem iniquam conventionem dissipa.* Parum est enim jejunium abstinere tantummodo à peccatis, nisi addamus & bona. *Frange,* inquit, *esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti eum.* Porrò autem jejuniis nostris etiam illud oportet accedere, quod Dominus in Evangelio præcepit: *Cùm jejunatis,* inquit, *nolite fieri sicut hypocrytæ tristes; exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus jejunantes: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Vos autem cùm jejunatis, unguite capita vestra, ne pareatis hominibus jejunantes: & Pater vester qui videt in occulto, reddet vobis in palam.* Quare, Fratres, pervidet Sanctitas Vestra, aliter jejunia acceptari non posse, nisi contigerit legaliter jejunare.

Jejunandum præsertim à vitiis. — Isai 58. 5. — Ibidem 6. — Ibidem 7. — Matth. 6. 16. &c.

2. Secundùm Apostoli dictum, *Fratres, me quidem hæc eadem vobis dicere non piget, vobis autem tutissimum.* Sed & Dominus in Evangelio, *Omnis,* inquit, *scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patri-familiâs, qui profert de horreo suo nova & vetera.* Ut ergo sciat Sanctitas Vestra, Fratres, non solùm nova dicenda sunt, sed & vetera repetenda. Legimus Spiritum-sanctum per Isaiam prophetam taliter imperfectos increpantem, *Neomenias vestras & sabbatum & diem magnum non sustineo, dicit Dominus.* Jejunium est quod probat Altissimus, non solùm intermissâ corporis refectio, verùm etiam à malis actibus facta discessio. Itaque cura ne mens tua gravetur oppressa peccatis, neque animus tuus vitiorum illecebris delectetur; & digna Deo exsolvisti jejunia. Ceterùm si corpus tuum jejunia longa consumserint, atque illi subtraxeris cibum; cùm non detrahis vitia in malis perseverans, magis horres quàm placeas Deo. Tunc erunt Deo accepta jejunia, si operibus sanctis fuerit expiata conscientia. Cur enim corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris? Principaliter ergo animus jejunet à malis; & sic corpus subeat exercenda jejunia. Nam cùm sit jejunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo, & augeri peccato? Qui igitur corpori suo jejunia devotus indicit, principaliter renuntiet vitiis, cupiditatum fomites comprimat, frangat impetus mentis, libidines vincat, faces avaritiæ ardentis exstinguat, latiùsque factis vim dilectionis extendat, atque in alimenta pauperum abrupti apparatûs impendia largiatur.

Philip. 3. 1. — Matth. 13. 52. — Isaiæ 1. 13. — Jejunium sine sanctitate Deo ingratum.

3. Omnia ergo corporis nefanda peccata animi virtute calcentur; ut & anima sanctitate corporis adjuvetur. Tunc enim & impetrari poterit quod optatur, si corpus castum animusque devotus ad officia sanctitatis im-

Nec Deum movet ad vota impetranda.

Classis II.

plenda per curam obſervationis incedat. Hæc ſunt quæ divinam commovent pietatem, quæ ad impetrandam precibus ſanctitatem ſemper aditum faciunt. Ceterùm ſi caput ſubſternas, atque cineres deſuper ſpargas, ſi denique collum tuum velut circulum torqueas, atque ad exorandam clementiam Dei largos fletus effundas, nihil proficies. Commovere enim divinam non poteris pietatem, qui circa proximos tuos neglexiſti debitam caritatem: ſcriptum eſt enim, *Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus. Nam ſi flectas ut circulum cervicem tuam, cilicium autem & cinerem ſubſternas: nec ſic vocabo*, inquit, *jejunium acceptum. Sed ſolve omnem nodum iniquitatis & obſtinationem malorum: dimitte quaſſatos in requiem, & omnem iniquam conventionem diſſipa; frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam; ſi videris nudum, veſti eum, & domeſticos ſeminis tui ne deſpicias: tunc erumpet* [a] *temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua citò orientur, & præibit ante te juſtitia tua, & claritas Dei circumdabit te: tunc exclamabis, & Deus exaudiet te; dum adhuc loqueris, dicet, Ecce adſum.* Hæc ſunt enim quibus homo & refectus cibo frequenter impetrat quod exoptat, & jejunans majora præmia conſequitur ſanctitatis.

(Iſai. 58. 5. 6.) (Quæ autem facile impetrent.)

4. Tale jejunium delectat Chriſtum, tali denique delectatur omnipotens Deus, quem ad jejunandum non immanium delictorum frequens reatus impellit, non denique adipiſcendæ gloriæ temporalis, vel cumulandi patrimonii cupiditas inanis incendit; ſed urget ſemper religionis affectus & devota ſinceritas; quam cùm fuerint comitata plenæ pietatis officia, quantum ille valebit, quantum ille proficiet? Taliter agendo merebitur ſtatim præſentem Dominum propitiumque ſentire. Imple ergo miſerationis officia; & ſanctificaſti jejunia. Sagina pauperum viſcera; & anima tua muneribus ſanctitatis pingueſcit. Veſti nudum; & tua peccata contecta ſunt. Peregrinum hoſpitio tuo contende ſuſcipere; ut & te Deus in cælorum regna ſuſcipiat.

(Quæ Deo accepta jejunia.)

* SERMO CLXXVI.

In Adſcenſione Domini, I.

(* Olim de Tempore 176. poſt in Appendice 9.)

Sub Auguſtini nomine legitur in Breviario Romano in octava Adſcenſionis. Expunctus autem fuit à Lovanienſibus, eò quòd eſſet inter Euſebianos de hoc Feſto ſecundus. Sententias non paucas continet ex Fauſti lib. I. de libero arbitrio, & ex ejuſdem ad Greg. Diaconum Epiſtola. Cujus etiam libri ac Epiſtolæ pleraque argumenta ſeu verba reperire eſt in Euſebii homilia de Nativitate Domini prima. Unde & noſtra de Euſebianis homiliis, quòd Semipelagianum illum doctorem plurima reſipiant, opinio roboratur.

(Miracula Domini propter nos.)

1. OMNIA, Cariſſimi, quæ Dominus Jeſus Chriſtus in hoc mundo ſub fragilitate noſtra miracula edidit, nobis proficiunt: qui dum humanam conditionem ſideribus importavit, credentibus cælum patere poſſe monſtravit: & dum victorem mortis in cæleſtia elevavit, victoribus quò ſequantur oſtendit. Adſcenſio ergo Domini, catholicæ fidei confirmatio fuit: ut ſecuri in poſterum crederemus miraculi illius donum, cujus jam in præſenti percepiſſemus effectum; & fidelis quiſque cùm jam tanta perceperit, per ea quæ cognoſcit præſtita, diſcat ſperare promiſſa, ac Dei ſui præteritam præſentemque bonitatem, quaſi futurorum teneat cautionem. Super excelſa ergo cæli terrenum corpus imponitur, oſſa intra ſepulcri anguſtias paulò antè concluſa, Angelorum cœtibus inferuntur, in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur: & ideo ſacra Apoſtolicæ lectionis teſtatur hiſtoria, *Cùm hæc dixiſſet*, inquit, *videntibus illis elevatus eſt.* Dum audis elevatum, agnoſce militiæ cæleſtis obſequium. Unde hodierna feſtivitas hominis nobis & Dei ſacramenta manifeſtat. Sub una eademque perſona, in eo qui elevat, divinam potentiam; in eo autem qui elevatur, humanam cognoſce ſubſtantiam.

(Adſcenſio illa cautio noſtra.) (Act. 1. 9.) (Chriſti duæ naturæ.)

2. Ideoque omnibus modis deteſtanda ſunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præſumit aſſerere, Filium Dei ac Filium hominis unius eſſe naturæ. In alterutra enim parte, vel * qui ſolum hominem fuiſſe dixerit, negabit conditoris gloriam: vel qui ſolùm Deum, negabit miſericordiam redemtoris. Quo genere non facilè Arianus Evangelicam poterit habere veritatem, ubi Filium Dei nunc æqualem legimus, nunc minorem. Qui enim unius naturæ Salvatorem noſtrum mortifera perſuaſione crediderit, aut ſolum hominem de cælo miſſum, aut ſolum Deum cogitur dicere crucifixum. Sed non ita eſt. Mortem enim nec ſolus Deus ſentire, nec ſolus homo ſuperare potuiſſet. Nos ergo noverimus duplicem in Chriſto geminamque ſubſtantiam; de Patre cæleſtem, de matre terrenam. Quam utramque in uno eodemque Redemtore ſuis promtum eſt teſtimoniis explicare. * Quaſi homo dicebat, *Quia Pater major me eſt:* ſed idem quaſi Deus pronuntiabat, *Ego & Pater unum ſumus.* Quaſi homo dicebat, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem:* ſed quaſi Deus fiducialiter loquebatur, *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Quaſi homo in cruce pendebat; ſed quaſi Deus regnum cæleſte donabat. Ariani autem confuſa mente diſtinctas ſubſtantias penitus non videntes, quæ erant hominis, ad Deum impiè retulerunt, credentes quòd minor loqueretur divinitas, ubi juncta Deo hominis demonſtrabatur infirmitas. Nullam itaque facientes inter cæleſtia & terrena rationem, dum inter Deum & hominem diſtinguere neſciunt, Dei ſubſtantiam diviſerunt: & dum ad ſola hominis verba reſpiciunt, Deum ſine intellectûs lumine perdiderunt. Nos verò, ut præfati ſumus, Dei & hominis duplicem ſubſtantiam, ſed ſimplicem noverimus eſſe perſonam.

(Eutychetis error.) (* Fauſtus c. 1. lib. 1. de libero arbitrio, & in epiſt. ad Greg. Diac. & Euſeb. homil. 1. de Nativ. Refellitur.) (Serm. de Tempore.) (* Fauſti verba, epiſt. citatâ.) (Johan. 14. 28.) (Johan. 10. 30.) (Matth. 26. 38.) (Iohan. 10. 18.) (Lucæ 23. 43.) (Arii error unde profluxit.) (Hactenus ferè ex dicta epiſt.)

3. Ille etiam error valde refugiendus eſt, qui impiè aſſerit, quòd beata Maria ſolum Deum peperit, eò quòd ſibi Salvator noſter cæleſtem neſcio quam carnem intra viſcera materna perfecerit, & ita tranſierit per Virginis uterum, quaſi per corpus alienum. Sed cùm dicat per Prophetam ſermo divinus, *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput:* ſi non eſt corpus noſtrum, quomodo eſt caput noſtrum? Et cùm alio loco Propheta commemorat, * *Parvulus natus eſt nobis:* non nobis natus eſt, ſi nihil ſumſit ex nobis; ſi nihil de noſtro ſuſcepit, nihil nobis præſtitit. Proinde, Cariſſimi, ſi non in noſtra carne diabolum triumphavit, ſe exercuit, non nobis vicit: ſi non in noſtro corpore reſurrexit, conditioni noſtræ reſurgendo nihil contulit. Hæc qui dicit, ſuſceptæ & aſſumtæ carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, evacuat utilitatem: ſi non in noſtra carne peregit medicinam, ſolam ergo ex homine naſcendi elegit injuriam. Recedat à ſenſibus noſtris tam periculoſa perſuaſio. De noſtro eſt quod [b] apprehendit, de ſuo eſt quod donavit. * Meum teſtor eſſe quod cecidit, ut meum ſit quod reſurrexit. Meum teſtor eſſe quod jacuit intra tumulum, ut meum ſit quod adſcendit in cælum. In illo itaque noſtri generis corpore nos Chriſti mors vivificavit, nos reſurrectio erexit, nos adſcenſio conſecravit. In illo noſtræ originis corpore cæleſtibus regnis arram noſtræ conditionis impoſuit.

(Valentini error.) (Refellitur.) (Pſal. 109. 7.) (Iſaiæ 9. 6.) (* Euſeb. homil. 1 de Nativit. Domini.) (* b Idem ubi ſuprà.)

4. Elaboremus ergo, Cariſſimi, ut quemadmodum Dominus in hac die noſtro cum corpore ad ſuperna conſcendit: ita nos poſt illum, quomodo poſſumus, ſpe adſcendamus; & corde ſequamur. Ipſo affectu pariter & profectu adſcendamus poſt illum, etiam per vitia ac paſſiones noſtras. Quomodo per paſſiones noſtras? Si utique unuſquiſque noſtrûm ſubdere eas ſibi ſtudeat, ac ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo poſſit ad ſuperiora conſcendere. * Elevabunt nos, ſi fuerint infra nos. De vitiis noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus. Nam cum bonitatis auctore non adſcendit malitia, nec cum magiſtro humilitatis ſuperbia, nec cum Filio Virginis libido atque luxuria. Non, inquam, adſcendunt vitia poſt virtutum parentem, peccata poſt juſtum, nec infirmitates ac morbi poſſunt ire poſt medicum. Igitur ſi intrare ipſius medici regnum volumus, priùs vulnera noſtra curemus. Ordinemus & cuſtodiamus in nobis ſtatum utriuſque ſubſtantiæ: ne animam, nobiliorem utique hominis portionem, tartaro pars devolvat inferior; ſed ſecum potiùs cælo ſanctificatum corpus adquirat natura glorioſior: ipſo adjuvante, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

(Adſcenditur poſt Chriſtū. Spe.) (Cupiditatum reſtinctione.) (* Euſeb. in fine homil. 1. de Adſcenſione, & homil. 2. de Symbolo.)

a MSS. Navarr. *Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur.*

b Ità Fauſtus citatâ epiſt. ad Greg. At editi, *appendit.*

CLASSIS II.

* Aliàs de Tempore 175.

* SERMO CLXXVII.

In Adscensione Domini, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. In Breviario Romano & aliis quibusdam legitur Dominicâ infra octavam Adscensionis. Lovaniensibus tamen dubius, Verlino & Vindingo falsus videtur. Habet nonnulla Eusebiani Sermonis de Adscensione primi & secundi: sed multò plura Augustiniani, qui aliàs de Diversis erat duodecimus.

Qualiter cum Christo adscendatur.

1. SALVATOR noster, dilectissimi Fratres, adscendit in cælum; non ergo turbemur in terra. Ibi sit mens, & hîc erit requies. Adscendamus cum Christo interim corde: cùm dies ejus promissus advenerit, sequemur & corpore. * Scire tamen debemus, Fratres, quia cum Christo non adscendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum adscendit cum Medico nostro. Et ideo si post Medicum desideramus adscendere, debemus vitia vel peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt: & ideo cum Dei adjutorio, secundùm quòd ait Psalmista, *Dirumpamus vincula eorum:* ut securi possimus dicere Domino, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Resurrectio Domini spes nostra est, adscensio Domini glorificatio nostra est.

* Confer Ser. superiorem n. 4.

Psal. 2. 3.

Psal. 115. 16. & 17.

2. * Adscensionis hodie sollemnia celebramus: si ergo rectè, si fideliter, si devotè, si sanctè, si piè adscensionem Domini celebramus, adscendamus cum illo, & sursum corda habeamus. Adscendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum autem corda habere debemus ad Dominum. Sursum enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Videte, Fratres, magnum miraculum. Altus est Deus: erigis te, & fugit à te; humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? *Quia excelsus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit.* * Humilia de proximo respicit, ut adtollat: alta, id est, superba de longè cognoscit, ut deprimat. * Resurrexit enim Christus, ut spem nobis daret, quia surgit homo qui moritur: ne moriendo desperaremus, & vitam nostram in morte finitam putaremus, securos nos fecit. Solliciti enim eramus de ipsâ anima; & ille nobis resurgendo de carnis resurrectione fiduciam dedit.

* Ex Serm. August. aliàs de Diversis. 12.

Sursum cor dupliciter.

Psal. 137. 6.

* Aug. hom. 50. ex 50. cap. 1.

* August. Ser. aliàs 12. de Diversis.

3. Crede ergo, ut munderis. Priùs te oportet credere: ut postea per fidem Deum merearis adspicere. Deum enim videre vis? Audi ipsum, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Priùs ergo cogita de corde mundando: quidquid ibi vides quod displicet Deo, tolle. Venire ad te vult Deus: audi ipsum dicentem, *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ecce quid promittit Deus. Si ego qualiscumque fragilis homo, venturum me ad domum tuam promitterem, sine dubio mundares eam, superflua projiceres, quæ erant necessaria præparares: Deus ad cor tuum venire vult, & piger es ei domum mundare? Omnia vitia inimica sunt Deo; & ideo ipso auxiliante projice illa, si vis excipere Deum. Non enim amat Deus habitare cum avaritia immunda, sordida & insatiabili, cui infideles homines servire volunt, & Deum videre cupiunt. Et tu ergo munda cor tuum. Si potes, id age, id operare, ut Christus mundet ubi maneat. Roga, supplica, humiliare: audi Scripturam dicentem, *Deus superbis resistit.* Esto humilis, ut in te requiescat Deus. Idem ipse Christus tibi est via & patria; secundùm hominem via, secundùm Deum patria. Si fideliter curris, per ipsum vadis, & ad ipsum pervenies. Etenim tibi æterna via assumsit quod non erat, non amisit quod erat. Ipsius ergo misericordiam deprecemur; ut nobis fidem rectam & intellectum sibi placitum ad exercenda opera bona concedat; quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat per omnia.

Fide cor mundatum Deum ad se allicit. Matth. 5. 8.

Johan. 14. 23.

Humilitate retinet. 1. Petr. 5. 5. Christus via & patria nostra.

* Aliàs de Tempore 177.

* SERMO CLXXVIII.

In Adscensione Domini, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Apud Lovanienses dubius, in Verlini autem & Vindingi opinione non omnino spurius est. Quædam hic re vera sapiunt Augustinum, sed non omnia.

1. ADSCENSIONIS Domini nostri Jesu Christi sanctus & sollemnis dies hodie illuxit, exsultemus & jocundemur in eo. Christus descendit; inferiora patuerunt: Christus adscendit; superiora claruerunt. Christus in sepulcro; mentiantur custodes: Christus in inferno; visitentur quiescentes. Christus in cælo; credant omnes gentes. Ipse ergo debet esse auctor nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Nam de quo aliquid loquamur vobis, nisi de illo qui modò ex Evangelio loquebatur omnibus nobis? Adscensurus enim ad Patrem dicebat discipulis suis, *Hæc locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & commonebit vos omnia quæcumque dixi. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia dixi vobis, Vado ad Patrem meum; quia Pater major me est.* Adscensurum enim se dixit ad Patrem, & contristati sunt discipuli, quòd eos corporali forma desereret: & ait illis, *Quia dixi vobis, Vado ad Patrem, tristitia implevit cor vestrum. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est:* hoc est, ac si diceret, ideo subtraho vestris oculis istam servi formam, in qua Pater major me est, * ut ab oculis carnis servi formâ remotâ Dominum spiritaliter videre possitis.

SERM. DE TEMPORE.

Johan. 14. 25. &c.

Ibidem 28.

* V. August. Serm. 143. n. 3. & 4.

2. Ergo & propter veram formam servi quam susceperat, verum dixit, *Pater major me est;* quia utique homine major est Deus: & propter veram formam Dei in qua permanet cum Patre, verum dixit, *Ego & Pater unum sumus.* Adscendit ergo ad Patrem per id quod homo erat: sed mansit in Patre per id quod Deus erat; quia in carne ad nos processit, & à Patre non recessit. Adscendit, inquam, ad Patrem Verbum quod caro factum est, ut inhabitaret in nobis; & suam præsentiam repromisit, dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Secundùm formam * servi, dicit de illo Johannes apostolus, *Ipse est verus Deus, & vita æterna:* secundùm Dei formam dicit de illo apostolus Paulus, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Secùndùm formam Dei ipse de se loquitur, *Ego & Pater unum sumus;* secundùm formam servi dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Unde illa fiducia, unde ista formido? Illa utique vox ex proprietate substantiæ; ista verò ex participatione infirmitatis assumtæ. Hæc ergo, Carissimi, prudenter intelligentes de Scripturis sanctis, dum legimus discernamus: sed dum discernimus, ne fortasse erremus, intellectum ab ipso Domino postulemus, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

In Christo divina & humana natura. Iohan. 14. 3.

Iohan. 10. 30.

Johan. 1. 14.

Matth. 28. 20.

* f. Dei. 1. Johan. 5. 20.

Philipp. 2. 6.

Johan. 10. 30.

Matth. 26. 38.

* Aliàs de Tempore 178.

* SERMO CLXXIX.

In Adscensione Domini, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubitare de hoc permittunt Lovanienses; repudiari vult post Verlinum Vindingus, inepti potiùs poetæ quàm oratoris eruditi opus esse demonstrans.

1. ADSCENSIONIS ergo Dominicæ inclytum & regale mysterium, quòd Christus terram levavit ad cælum, canit etiam totus mundus, & festis agit gaudiis triumphos Domini sui: quia erexit à terra inopem, & de stercore exaltavit pauperem, eumque levavit ad Patrem. Quis igitur illuc potest adscendere, & aëreos dæmones transire, nisi ille solus qui peccatum non potuit habere? Crux ergo illa non obfuit, sed profuit; quia & nobis Christus vicit, & ille in ea superari non potuit. Non sepulcra, non inferi victricem domuere carnem: expendit Deus pro homine quod decreverat, & rapuit quem volebat. Vident hoc præsentes Apostoli, & paulatim semetipsum ad superna tollentem, pectore pavidi, mente confusi, oculis trepidi consequuntur, donec ultro solutam nubem serena dies exciperet, & fulgore corusco vallatum humanis conspectibus occultaret. Cùm ergo eum discipuli tanto lumine perculsi non viderent, & curiosos oculos jubar rubidum coruscis ictibus evitaret, confestim ex victoribus Angeli directi duo, metu & dolore prostratos Apostolos verbis talibus consolantur: *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Iste Jesus qui assumtus est à vobis in cælum, ita veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Sic veniet, inquiunt, manifestus, quemadmodum nunc extollitur super

Psal. 112. 7.

Apostolorum animus ad adscensum Christi.

Act. 1. 11.

Classis II.

per astra præclarus : & poli secreta suscipiunt quem refundant.

Aëris, cæli Cælitumque affectio.

2. Sanctificatur divino comitatu immensus aër, & omnis illa volitans turba per auras Christo adscendente transtringit, pavet omne cælum, mutantur astra, concurrit confestim fulmineus ille militiæ cælestis exercitus. Vident regem suum vivæ carnis manubias reportare, atque hoste debellato hominem in superna conscendere: agnoscunt in cicatricibus signa bellorum, adorant in carne vulnera jam sanata, ubi nihil peccati macula exstinxerat, nec quidpiam suâ virulentiâ gravidus ille veneni draco vomuerat; serpens enim vestigium in petra non figebat. Plaudunt agmina, tubæ sonant, lætis se miscentia blanda modulamina choris funduntur. Ecce confestim splendidus ille senatus cælestis ex regnis solvitur. Namque in imis poli læta carminibus regia ampla Dei reseratur, undique siderei repagula cæli, atque astriferi orbis arcana solutâ penitus compage patescunt. Recessit in geminam arcem divisus aër, & lati ardua cæli latera concisis marginibus dependerunt. Fit unus ibi sine cælo dies, & claris * titubat fulgoribus, & tunc alternis inter se ita resonant obsequia læta carminibus: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Adscendebat enim cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus.

* f. rutilat. Psal. 23. 7.

Angelorum admiratio.

3. Viderunt Cælites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata; & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes: *Quis est*, inquiunt, *iste rex gloriæ?* Et aiunt, *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Hic est ille candidus & roseus, compunctus à multitudine: hic est ille qui non habuit speciem neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio; vilis in corpusculo, armatus in prœlio; fœdus in morte, pulcher in resurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cælo. Quando id quispiam, Fratres, nosset, ut Deus lateret in carne, majestas habitaret in corpore; & ita in mundo gereret prœlium, ut ipsum corpus post sepulcra mox levaret ad cælum? Recepit igitur se intra velamina divina cum carne majestas, didicit cælum portare hominem, atque sub pedibus Christi famulantia æthera jacuerunt. Ecce jam porta patet, quam clauserat Adam; claustrum quod cælo iniquitas infixerat, reseratum est. Si quis se ad Christum tenuerit, & unius substantiæ Patrem & Filium & Spiritum-sanctum confessus fuerit, cæli januas per ipsum securus intrabit. Amen.

Ibidem 10. Psal. 53. 2.

* SERMO CLXXX.

* Aliàs de Tempore 179.

In Adscensione Domini, V.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensibus, spurius Verlino & Vindingo videtur. Superiori Sermoni stilo & ratione dicendi non absimilis. Sub Fulgentii nomine ante aliquot annos perperam editus fuerat cum subsequente Sermone.

1. Quantis ornatibus gaudiorum refulsit hodie aula cælorum? Angeli enim vota sua sperata diutius receperunt, & hymnum dixerunt. In allevatione portarum lux in cælis, splendor in janius; quia Christus rursum adscendit procedens de thalamo suo, adscensurus in throno suo. Unde sanctus David posuit organum suum in foribus cælorum, cantans canticum novum: quoniam *qui descendit, ipse est qui adscendit super omnes cælos.* Lætioribus ergo plectris organum tangens resultat, & dicit protoferum æterni consulis cernens non auro gemmisque decorum, sed nubium glacie candidatum: Qui ponit, inquit, nubem adscensum suum, qui ambulat super pennas ventorum. Jam enim super aspidem & basiliscum ambulavit, & conculcavit leonem & draconem: pede mortis, plausu resurrectionis. Mirabilis in oculis nostris, clarificatus coruscat adscensionis virtutibus, sedens super nubem levem, compluens Apostolos pacis hereditate & testamentaria caritate; *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis.*

Psal. 18. 6. Ephes. 4. 10. Psal. 103. 3. Psal. 90. 13. Johan. 14. 27.

2. Ad hanc melodiam sonantium organorum, ante aulam regiam cælorum invitati sequuntur Apostoli, benedictionis gratiam petituri: gradiuntur cum Domino filii sponsi pignus accepturi Spiritus-sancti. Levans autem manus suas benedixit eos, dedit eis arram sponsalem muneris pretiosam, non ex auro gemmisque distinctam, sed caritatis ansulis contextam catenam, qua alligati sequantur eum ad sponsam Agni Jerusalem patriam sempiternam. Domine, inquiunt, quare nos derelinquis adscendens, qui nos elegisti in ripa præcedens? Domine, quando sumus verba tua super mel & favum eminus percepturi, & stillantis rorantisque gratiæ balsamum de tuis labiis ac faucibus libaturi? Aut instrue quò adscendis, aut ne deseras cùm adscendis: quasi scuto benignitatis tuæ remansimus in aperto nudati, tamquam pulli matris amplectentis pennatæ velamine destituti. Quando venies ad nos, qui redemisti nos? Mors tua fuit peccatum nostrum, sit adscensus tuus pignus nostrum: ne nimis absorpti mærore mergamur, quos elevasti de gemitibus inferorum.

Luca 24. 50.

Serm. de Tempore.

Apostolorum mærentium obsecratio.

Forum consolatio.

3. Adscendens ergo Dominus alumnorum suorum tristitiam excelsa de nube suspiciens, emittit consolatores mæroris, nuntios adscendentis, & indices revertentis. *Viri*, inquiunt, *Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? hic Jesus qui assumtus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* * *Sic veniet*: una erit evectio, una lectica nubifera, una species mansueta; sed justis clarifica, & peccatoribus metuenda. Non vos terrebit adventus, quos consolatur ejus adscensus. *Sic veniet*, clavorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filiis sponsi cùm coronam cælestis exhibebit imperii, crucis vulnera non mutabit; quia signum Filii hominis fulgebit. Accepto ergo Apostoli adscendentis mandato, desuper venturo sancti Spiritûs pignore pretioso, in templo erant unanimes collaudantes Dominum, ut una eos inveniret corona ignea adventantium gratiarum. In templo ergo, Fratres, semper unanimes demoremur, & in domo Domini ambulantes cum concordia pacis ejus speremus adventum, & in templo ejus omnes dicamus gloriam: ut etiam ignis gratiæ insidat super nos. Amen.

Act. 1. 11. * Confer Ser. subseq. n. 3. Lucæ 24. 49. Act. 1. 14. Psal. 28. 9.

* SERMO CLXXXI.

* Aliàs de Tempore 180.

In Adscensione Domini, VI.

In Appendice nunc primùm collocatur. Et istum Lovanienses dubium, Verlinus & Vindingus spurium habent. In quibusdam MSS. tribuitur Fulgentio: sed eidem tribuendus auctori, cui duo superiores.

1. Delectat adspicere Christum Dominum portatoriis nubibus adscendentem, cùm resurgens à mortuis reverti cœpit ad cælum, unde venerat salvare genus humanum. Qui sunt qui * exspectant adscendentem? Qui viderunt resurgentem, fugerunt pendentem, & sequuntur oculis adscendentem. Timor in cruce, amor in nube, visus delectabilis in aëre. O dulcis descendentis affectus! ô delectabilis evolantis adspectus! Facit vale, & benedicit in pace. Illi se commendant; & ille benedictionis gratiam relinquit. Benedicit eos extensis manibus, & præparatis in occursum imponitur nubibus. Finit eloquium, & jam repetit cælum. Candida enim subitò apparuit nubis evectio, parata in cælo. Apparuit nubes, intravit in eam, *qui educit nubes ab extremo terræ*: ut oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & irroraret eos adscendentis de cælo suavitas, ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas.

* pro spectant.

Lucæ 24. 50. Psal. 134. 7.

Angeli mysteriorum nuntii.

2. Ecce in clypeo Actuum Apostolorum pendentium vivunt picta lumina piscatorum: adest consolator qui adscendit salvator. Mittit continuè duos cælestes prætores: ut alumnos suos securos redderet metuentes, & in gaudium converteret lacrymantes. Oportebat enim cælestes mitti consolatores, ne remanerent trepidi piscatores. Nam & cùm imperator de urbe transit ad urbem, & ejus nuntiatur adventus, non mittuntur nisi domestici, * prætores ac palatini, ut nuntient provincialibus, quòd est regis adventus aut reditus: ita & Domino adscendente prætorum cælestium turba resplenduit decantantium, ut tamquam provincialium respirare facerent à timore corda pastorum. Quando etiam patitur ac resurgit, domestici Angeli destinantur, ut à nube ac prætorio monumenti resurrexisse nuntiarent Dominum cæli: & nunc cùm adscendit, de choro præcedentium Potestatum & multitudine cantantium in aëre castrorum, duo palatini cælestis imperii diriguntur: ut & flebilia requiescerent lumina piscatorum, hymnum cælestem recitant.

* Cujacius substituendum putat, protectores.

Classis II.

Act. 1. 11.

Qualis rediturus est Christus.

* Confer Serm. anteced. n. 5.

3. Piscatores viri, inquiunt, Galilæi, quid adspicitis in Jesum euntem in cælum? * *sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Profectus est desiderabilis, non veniet vobis terribilis: nubes in occursu, nubes in reditu. Vulnera portavit; ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, signum Filii hominis vobis parebit in cælo. *Sic veniet*, in ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate; vobis in amore, impiis in tremore. Beati quibus verè dicitur, *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Numquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas; sed non erit ipsa securitas. Dies erit tremendi judicii, descensus Angelorum, resurrectio mortuorum. Adscendent Angeli, & quodam digito tubæ sonantis tangent sepulcra terræ trementis; ut pignora restituant throno igneo judicantis. Adscendent Angeli ad sepulcra Prophetarum & ipsorum Apostolorum omniumque Sanctorum, & dicent eis, Ecce est qui sic iterum redit quomodo adscendit. Nos diximus, quia *sic veniet quomodo eum vidistis euntem in cælum:* qui deduxistis euntem, suscipite redeuntem. Ista allocutio non est linguarum septuaginta: sed patenter nubes dicuntur pluviales, ut occurrant in rore & refrigerosa amœnitate, qui conscientiæ non continent quæstionem. Petamus ergo à Domino Deo nostro, ut sicut hodie Adscensionis celebramus tempus & diem, ita revertentis mereamur matutinam suscipere pietatem: ut dicamus ei, *Manè adorabo, Domine, manè adstabo tibi, & contemplabor te.*

Psal. 5. 4. & 5.

* Aliàs de Tempore 185.

* SERMO CLXXXII.

In Pentecoste, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius per Lovanienses remanserat; per Verlinum autem & Vindingum falsus asseritur, tum ex stili diversitate, tum ex eo quòd vox gladiatores *perperam usurpatur hoc loco n. 4.* in traditorem & gladiatores gladium stringit. *Hujusce porrò Sermonis verba quædam deprehendimus in Eusebianis homiliis, scilicet in 1 de symbolo isthac:* Rogabo Patrem, Filius est qui intelligitur rogaturus, Pater est qui indicatur rogandus, Spiritus-sanctus qui promittitur à Patre mittendus. *Et nonnulla item in homilia de Pentecoste.*

1. Post illam singularem insignemque victoriam, qua publicus propugnator mundo & militavit & vicit, postquam fragilitatem conditionis nostræ non solùm de inferis eruit, sed etiam in regni sui excelsa subvexit, in hac die juxta verbum suum sanctum Spiritum donavit, de quo jam Apostolis suis dixerat, *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Alium utique non minorem; alium Paracletum, id est, similis gloriæ vel naturæ, ejusdemque substantiæ: ut discipulorum fides veridicâ sponsione ad exspectationem tanti muneris præparata, illum quem sibi à Domino in locum Dei promissum esse meminisset, verum Deum esse cognosceret. *Et alium*, inquit, *Paracletum:* majestatis intellige socium, quem majestati perspicis comparatum. *Et ego rogabo*, inquit, *Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quàm bene sub titulo promissionis, distinctionem applicuit Trinitatis? * Pater est qui indicatur rogandus: Filius est qui intelligitur rogaturus: Spiritus-sanctus qui promittitur à Patre mittendus. Quanta & quàm ineffabilis pietas Redemtoris! Hominem portavit ad cælum, & Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ! Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur: ecce iterum infirmos suos per se ipsam majestas visitare dignatur. Ecce iterum humanis divina miscentur, id est, vicarius Redemtoris: ut beneficia quæ Salvator Dominus inchoavit, peculiari Spiritus-sancti virtute consummet: & quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille adquisivit, iste custodiat: ac sic unitas deitatis per unitatem gratiæ ac muneris approbatur, ut Spiritus-sanctus Deus in substantia unus, in persona alius, æquali miseratione unicus, æquali reverentia sit colendus.

Johan. 14. 16.

Spiritus-sanctus Deus.

Majestatis socius.

Trinitatis expressio.

* Eusebii verba homil. 1. de Symbolo.

Spiritus Redemtoris vicarius.

Non jam visitator, sed habitator æternus.

Matth. 28. 20.

2. Ergo Spiritus-sanctus in hac die ad præparata sibi Apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis illapsus est, non jam visitator subitus, sed perpetuus consolator, & habitator æternus. Nam sicut de semetipso Apostolis suis dixerat, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* ita etiam de Spi-

A

ritu-sancto, *Paracletum*, inquit, *dabit vobis Pater, qui vobiscum sit in æternum.* Adfuit ergo in hac die fidelibus suis non jam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis: atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti, ex cujus fragrantia latitudo totius orbis impleretur, & appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes. Sedit ergo super singulos quasi ignis, de quo Salvator noster testatur, *Ignem veni mittere in terram;* de quo dictum est, *Deus noster ignis consumens est.* Ipse itaque Apostolos suos vivæ lucis fonte perfudit; ut ipsi postmodum universum mundum tamquam duo-

B

decim solis radii ac totidem lampades veritatis illuminent, & inebriati novo vino repleant atque irrigent sitientia corda populorum.

Serm. de Tempore.

Per substantiam, non per operationem solam.

Lucæ 12. 49.

Deut. 4. 24.

Apostoli solis radii & lampades veritatis.

3. Inquiramus hoc loco post resurrectionem vel adscensionem Domini, quid adhuc adjici possit Apostolorum perfectioni per participationem Spiritus-sancti. Erat quidem in eis fides; sed fiduciæ constantia deerat. Jam quidem Christum per universa poterant prædicare: sed adhuc pro Christo usque ad mortem certare non poterant; usque adeo ut nullum ex discipulis coronaverit palma martyrii antè adventum Spiritûs-sancti. Præterea jam recesserat ex oculis eorum Dominus Jesus, qui eos prædica-

C

tione visibili os ad os loquens corroborabat, & virtutum miraculis instruebat: & dum cum eo erant, facilè credebant quæ videbant; fides adjuvabatur adspectibus, præsentibus confirmabatur operibus, signis ac virtutibus pascebatur. Postquam verò Dominus Jesus sublatus ex oculis eorum recessit in cælum, non sufficiebant adtonitæ ac trepidæ eorum mentes, ut dignum erat, cælestia & æterna cogitare: nec prævalebant adhuc portare angusta eorum pectora divinorum sensuum magnitudinem; ut possent intelligere Christum quomodo erat Verbum Deus apud Deum, sicut eis ipse Dominus adhuc in cor-

D

pore constitutus evidenter insinuat, dicens, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea portare modò: cùm autem venerit Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatem.* * Vides quòd post discessionem adorandæ summæque Virtutis discipulorum pectora dilatata sunt, ad sustinendam magnitudinem divini luminis & intelligentiam veritatis? Deus itaque est qui potest post munificentiam suam accumulare gratiam, augere sapientiam, confirmare constantiam.

Apostolorum perfectioni quid adjecit adventus Spiritus-sancti.

Johan. 16. 12. & 13.

* Confer Euseb. homil. de Pentecoste.

4. Videamus ergo ante visitationem cælestis consolatoris, quantum eis de magnanimitate, quantum de perfectione defuerit. Nam primùm cùm eum supra tumentia

E

maris dorsa vidissent substratis fluctibus ambulantem, & cùm aquarum iter instabile sub divinis solidaret unda famula vestigiis, turbati sunt dicentes, *Phantasma est*, & præ timore clamaverunt. Post infusionem verò Spiritus-sancti jam non dicunt, quia phantasma est; sed, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* & iterum, *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* & Apostolus dicit, *Quia ipse est ante omnes, & omnia per ipsum constant.* Unus autem ex discipulis Thomas nondum hujus muneris benedictione ditatus, cùm in corpore jam glorificato, in corpore jam cælesti per carnis vulnera Deum

F

quæreret, & ad credendam incorruptibilem divinitatem fixuris clavorum & cicatricum testimoniis indigeret, *Nisi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Alius verò jam sancti Spiritûs eruditione repletus confidenter exclamat, *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ palpaverunt de verbo vitæ, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et iterum alio loco Paulus apostolus tantæ majestatis locupletatus illapsu fiducialiter protestatur, *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Beatus Petrus Do-

G

mini passione jam proxima, nondum divina Paracleti inspiratione fundatus, nolens à se Christum corporaliter separari, in traditorem [a] & gladiatores gladium stringit, & vim vi æstimat repellendam. Stephanus autem plenus Spiritu-sancto jam non in terra Christum requirit, sed aperto cælo vidit gloriam Dei: neque jam de vindicta cogitat, sed pro persecutoribus suis exorat &

Apostolorum status ante & post adventum Spiritus-sancti.

Antè error.

Johan. 1. 1.

Pòst sapientia.

Coloss. 1. 17.

Thomæ infidelitas.

Aliorum postmodum fides.

1. Johan. 1. 1. & 2.

2. Cor. 5. 16.

Petri in persecutores judicium.

Stephanus postea corrigit.

[a] A MS. Vindocin. abest, & gladiatores.

supplicat, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ante adventum verò Spiritus-sancti sub ipso crucis Dominicæ tempore, alii ex discipulis effugantur, alii unius ancillæ voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, Dominum suum negare coguntur. Post illustrationem verò & confirmationem Spiritus-sancti, custodiis excruciati, verberibus afflicti, ibant gaudentes, quia digni essent pro Christi nomine contumeliam pati: & qui antè negaverant cum juramento, quia non novimus hominem istum; nunc propter eum in suppliciis gloriantur, & operante in se Spiritu-sancto, parum putant esse quod pro Christi amore patiuntur. * Et qui antè verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur, & Christum Dominum non jam vocibus, sed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur: & inter hæc calefacti & accensi mero Dominicæ caritatis exclamant, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo beati Apostoli illo fidei igne ferventes, de quo ipse Dominus dicit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur,* ab impia multitudine putabantur ebrii & musto pleni: & dicebant ad invicem, *Quia musto pleni sunt isti.* At verò novo vino repleti erant: quia Spiritu-sancto jam fuerant innovati, & apparebat in eis quod ipse Dominus dixerat, *Novum vinum in utres novos mittendum est.*

Act. 7. 59. — Qui antè timidi. — Illico subinde ad omnia tormenta intrepidi. — * V. Euseb. Emiss. de Pentecost. — Rom. 8. 18. — Luc. 12. 49. — Act. 2. 13. — Matth. 9. 17.

5. Istud verò novum vinum non putemus solos tunc Apostolos suscepisse. Hoc musto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, & animæ convertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suæ parentes & patriam suam fugiunt; exeunt nullo compellente de terra & de cognatione sua, & mortui huic mundo, alios spiritaliter animarum inquirunt parentes, & liberi sub jugo veniunt, & paulò antè clari atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt, & cupiunt esse quod antè despexerant, & odisse incipiunt quod fuerant: præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contemta temporalium [a] falsitate suspirant. Hoc itaque musto spiritales animæ inebriatæ & penitus commutatæ abstinentiam deliciis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt: arduum contra vitia laborem, jocundissimam computant voluptatem. Dulcescunt eis vilia, & quæ priùs fuerant pretiosa, vilescunt. Diligunt inimicos suos, & benefaciunt his qui se oderunt: non convincuntur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in injuriis: prorsus horum nihil sentiunt propter fervorem Spiritus-sancti & propter æternam retributionem. Hoc spiritali mero calebant Martyres, quando abjicientes & post se jactantes omnia sæculi blandimenta, ibant ad passiones, obliviscentes facultates & affectiones, patrimonia ac matrimonia sua; & vincentes armatam contra se parvulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, pulverem mittentes in capita sua, & matres facies suas avulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia, tamquam ebrii, non videbant, nec cognoscebant suos: quia infuso præcordiis suis Spiritu-sancto, ad dolores, ad supplicia, tamquam ad consolationes & ad præmia festinabant.

Non soli Apostoli Spiritu-sancti musto inebriati. — Hoc fervent musto perfectam sectantes. — Fervebant & Martyres.

6. Itaque anniversarium quidem diem celebramus de adventu Spiritus-sancti: sed nos ita agamus, ut quotidie eum ad nos castis operibus & castis pectoribus invitemus. Ita enim puri atque purgati sensibus & cogitationibus esse debemus: ita nos oportet ori & cordi adhibere custodiam, ut nos dignos semper ejus visitatione & illuminatione faciamus, & videamur liberi esse ab omni immunditia cogitationum; quia, ut dixi, *perversæ cogitationes separant à Deo.* Studeamus liberi esse ab omni obtrectatione omnique malitia: quia *in malevolam animam non ingreditur sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Per iram ac superbiam, animæ negligentium Spiritus-sancti custodiâ & protectione nudantur. Non ergo per hujus modi passiones contristemus Spiritum-sanctum; sed potiùs eum ad sedem cordis nostri per gratiam humilitatis & pacis mansuetudinem evocemus, ac lætificemus eum operibus & profectibus nostris: quia ipse dicit, *Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Si ergo promereri cupimus tanti visitatoris ingressum, mundemus primùm domum animæ nostræ ab indignis carnalis concupiscentiæ passionibus, à superbiæ abominatione, à fœtore jactantiæ, à teporis horrore, de quo ipse Dominus dicit, *Utinam*, inquit, *frigidus esses aut calidus; nunc verò quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, id est, ex visceribus intimi cordis exspuere. Præparemus itaque hanc domum quotidie ad sacri regis adventum, eamque diversis probabilium morum floribus adornemus. Repleamus eam jocundis pretiosisque odoribus castitatis, fidei & compunctionis incenso, balsamo benevolentiæ, & thymiamate caritatis: ut amputatis vitiis, & virtutibus insertis, destructâ in nobis habitatione diaboli, mutemur in templum Dei: ut tam beatus hospes nitido delectatus hospitio, stabilem ac perpetuam in nobis faciat mansionem. Propter hoc enim ad nos ille descendit, ut nos ad illum possemus adscendere: cui est gloria cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Quomodo quotidie invitandus apud nos Spiritus-sanctus. — Sap. 1. 3. — Ibidem 4. — Isa. 66. 2. — Apoc. 3. 15. & 16.

[a] MS. Vindocin. felicitate.

* SERMO CLXXXIII.

In Pentecoste, II.

Conflatus est ex Augustini sententiis.

* Olim de Tempore 183. & post in Appendice 61.

1. Fratres carissimi, hodierna die anniversaria solemnitas agitur, qua die Dominus noster Jesus Christus Spiritum-sanctum misit, quem discipulis antè promiserat. Dixerat enim, *Non potest ille venire, nisi ego abiero.* Quadragesimo itaque die post resurrectionem suam, cujus sollemnitatem ante dies decem egimus, adscendit in cælum, nec immemor pollicitationis suæ hodie misit Spiritum-sanctum, quo impleti sunt priùs centum viginti, qui simul fuerant congregati, eamdemque Domini promissionem fideliter exspectabant. Scriptum est enim, *Subitò de cælo sonus factus est, quasi ferretur flatus vehemens: & visæ sunt illis linguæ divisæ sicut ignis, qui & insedit super unumquemque illorum: & cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus-sanctus dabat eis pronuntiare.* * Flatus ille à carnali palea corda mundabat: ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat. Ita quippe tunc Deo placuit sancti Spiritûs sui significare præsentiam, ut qui eum accepissent, linguis omnibus loquerentur.

Johan. 16. 7. — Act. 2. 2. — * Ex Serm. alias de Tempore 187.

2. Priùs itaque breviter videamus, quare dixit quando eum promisit, *Non potest ipse venire, nisi ego abiero.* Neque enim separabilis est à Filio Dei Spiritus-sanctus, aut impotens erat eo præsente venire, à quo non potest omnino discedere. Sed quoniam discipulis adhuc infirmis formam servi Dominus demonstrabat, in qua verbum caro factum est, & habitavit in nobis: carnem verò Domini etiam carnales poterant intueri; forma autem Dei, in qua non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, non potest à spiritalibus cogitari: propterea dixit, *Non potest ille venire, nisi ego abiero:* tamquam diceret, quamdiu circa carnem meam occupatur vester carnalis affectus, tamdiu meam divinitatem non suscipit spiritalis vester obtutus. Dono enim Spiritus-sancti promiserat eos introducendos in omnem veritatem, sicut scriptum est, *Fide mundans corda eorum. Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Abscessit itaque corporalis forma Domini à corporalibus oculis eorum; ut per Spiritum-sanctum divinitas Domini insinuaretur cordibus eorum.

Cur Spiritus venire nequibat, nisi Christus abiret. — Johan. 16. 7. — Act. 15. 9. — Matth. 5. 8.

3. Nunc deinde videamus, quare tunc hoc erat signum præsentiæ Spiritus-sancti, ut qui eum accepissent, linguis omnibus loquerentur. Neque enim etiam nunc cùm datur Spiritus-sanctus, qui eum accipiunt, loquuntur linguis omnibus, quo evidenti miraculo se illo tempore demonstrabat. Hîc intelligendum est, Fratres carissimi, hunc esse Spiritum-sanctum, quo caritas Dei diffunditur in cordibus nostris. Et quoniam caritas Ecclesiam Dei congregatura fuerat toto orbe terrarum, quod tunc etiam unus homo poterat, ut Spiritum-sanctum accipiens linguis omnibus loqueretur, tunc Spiritu-sancto congregata ipsa unitas Ecclesiæ linguis omnibus loquitur. Proinde si quisquam dixerit alicui nostrûm, Accepisti Spiritum sanctum; quare non linguis omnibus loqueris? Res-

Linguarum munus Spiritus-sancti præsentiæ signum. — Rom. 5. 5. — Caritas Ecclesiam congregavit.

pondere debet, Loquor sanè omnibus linguis: quia in eo Christi corpore, hoc est, in Ecclesia sum, quæ loquitur omnibus linguis. Quid enim tunc aliud significavit Deus, nisi Spiritus-sancti præsentiâ Ecclesiam suam linguis omnibus locuturam? Impletum est itaque quod promiserat Dominus, *Nemo mittit vinum novum in utres veteres; sed vinum novum in utres novos mittit, ut utraque conserventur.* Meritò ergo cùm audirentur linguis omnibus loqui, nonnulli dicebant, *Hi musto pleni sunt.* Nam facti fuerant utres novi, sanctitatis gratiâ renovati, ut vino novo, hoc est, gratiâ Spiritus-sancti repleti, linguis omnibus loquendo ferverent, & Ecclesiam catholicam per omnium gentium linguas futuram evidentissimo illo miraculo præsignarent: ac per hoc rectè creduntur hæretici Spiritum-sanctum non habere, qui dividuntur à corpore, quod per omnes gentes linguis omnibus meruit personare.

Quomodo jam fidelis quisque linguis loquatur. Matth. 9. 17. Act. 2. 13.

4. Hunc itaque diem, Dilectissimi, sic celebrate tamquam membra unitatis corporis Christi. Non enim frustrà celebratis, si hoc estis quod celebratis, illi Ecclesiæ cohærentes, quam Dominus implens Spiritu-sancto toto mundo crescentem cognoscit suam, & agnoscitur à sua tamquam sponsus à sponsa; non perdit propriam, quia nemo supponit alienam. Vobis enim in omnibus gentibus constitutis, hoc est Ecclesiæ Christi, membris Christi, corpori Christi, sponsæ Christi Apostolus dicit, *Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.* Videte quia ubi præcepit ut sustineamus invicem, ibi posuit dilectionem: ubi spiritum nominavit unitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de vivis lapidibus fabricata, in qua talem patrem-familiâs delectat habitare, cujus oculos ruina divisionis non debet offendere.

Diem hanc qui spiritaliter celebrent. Ephes. 4. 2. & 3.

* SERMO CLXXXIV.

** Aliàs de Tempore 184.*

In Pentecoste, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Est Lovaniensibus dubius, spurius & ineptus Verlino ac Vindingo. In Theodericensi codice Maximi nomen, in Fossatensi autem & Germanensi Leonis præfert: sed in utrisque falsò.

1. DISCESSURUS è mundo isto, & adscensurus in cælum Dominus noster atque Salvator, Fratres carissimi, promisit Apostolis suis, quòd Spiritum-sanctum ad eos mitteret, quando ad Deum Patrem ipse remeasset. Sic enim, ut nunc audistis, ad discipulos suos locutus est, dicens, *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Impleta est, Carissimi, promissio Salvatoris. Adscendit Dominus Jesus Christus; descendit Spiritus-sanctus. Superest ut hoc utrumque impleatur in nobis, id est, ut habeamus Spiritum-sanctum qui descendit, & per bonam vitam Christum sequamur qui adscendit. Misit ergo nobis Salvator Spiritum-sanctum, sicut discipulis suis ipse promisit, dicens, *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quod dixit, *Mittam eum*; ne fortè aliquis vestrûm cogitet, quòd quasi de inferiore dixerit, *Mittam*: vel, sicut * hæretici dicunt, quòd Spiritus-sanctus quasi subjectus ac serviens Deo, pareat imperanti. Absit à vobis ista suspicio. In Trinitate enim non minus aliquid, aut majus: quia si in Deo aliquid minus dicitur, imperfecta divinitas accusatur.

*Johan. 15. 26. Johan. 16. 7. * Macedoniani.*

2. Unde obsecro vos, Carissimi, ut fide integra unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate credatis; ne pedes vestrorum sensuum claudicent, aut oculi parum videant, aut manus aridæ fiant. Omnis enim qui fidem catholicam non bene sequitur, pedes debiles habet; qui veritatis lucem non videt, oculorum caliginem patitur; qui misericordiæ fructum non habet, manuum ariditate siccatur. Id ergo agite, id elaborate, ne aliqua membrorum vestrorum portio hac debilitate vitietur, ne aut gula in vobis horreat, aut avaritia displiceat, aut infidelitas langueat: ut emundati penitus ac purificati, habitaculum Dei efficiamini, & Spiritus-sanctus qui descendisse hodie legitur, in vobis semper esse dignetur: [a] præ-

A stante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CLXXXV.

** Olim de Tempore 183. & pòst in Appendice 60.*

In Pentecoste, IV.

In Theodericensi codice Ambrosio perperam tribuitur unà cum tribus aliis, qui in ceteris MSS. nomine Maximi prænotantur. Ipsæ nimirum sunt ejus homiliæ tres de hoc festo, quarum duæ inter Ambrosianos etiam Sermones impressæ reperiuntur.

1. SANCTITATI Vestræ, Carissimi, votorum jam nota debet esse festivitas. Quid enim, qua ratione
B curemus, ex ipsa annua celebritate cognoscimus. Nam cùm in vestigia sua iterum revolvitur transacta sollemnitas, doctiores efficimur, dum eamdem sæpius celebramus. Pentecostes ergo [b] curatur hodie, hoc est, quinquagesima dies à resurrectione Dominica: non quòd hac die, sicut plerique putant, ad cælos Salvator adscenderit. Nam post resurrectionem cum Apostolis conversatus, quadragesima die ad Dei Patris dexteram remeavit, sicut Lucas evangelista ait, *Quibus etiam exhibuit se ipsum vivum post passionem suam, per dies quadraginta apparens eis.* * Quadraginta ergo dierum curriculo conversationem suam discipulis Salvator exhibuit; scilicet ut tanto numero resurrectionis ejus gratiâ lætaremur, quanto &
C passionis ejus injurias fleveramus, totidemque dierum spatio eo reficeremur præsente, quo jejunaveramus absente. Non igitur hodie Christus adscendit ad cælum; sed Christi Spiritus descendit de cælo, sicut ipse Dominus promittens ait, *Cùm autem adscendero ad Patrem, mittam vobis Paracletum, Spiritum veritatis, & ipse vos docebit omnia.* Magna planè gratia, duplex gaudium; quòd & abeuntem Christum non amisimus, & venientem Spiritum possidemus. Nam illum retinemus fidei merito, hunc sanctificationis accessu.

*b Quorumdam opinio de Adscensione Domini in die Pentecostes. * Confer hom. Maximi 3. in Pentecost. Cur 40. diebus post resurrectionem hîc remansit. Johan. 16. 7.*

2. *Cùm iero*, inquit, *ad Patrem, mittam vobis Paracle-*
D *tum.* * Credimus ergo ad Patrem pervenisse Filium, cùm videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credimus eum, inquam, regnare in cælis, quem cernimus munera donare in terris; sicut scriptum est per Prophetam, *Adscendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* * Victor utique muneratur, victor dona largitur. Unde & Salvator victor, diabolicum post triumphum, quos de captivitate liberavit, etiam benedictione ditavit. Liberavit autem nos, cùm ad resurgendum per se ipsum tartara nobis aperuit; ditavit, cùm ad regnandum per Paracletum nobis cælestia reseravit. * Quibusdam enim quasi profectum gradibus tunc de morte ad
E vitam didicimus remeare: modò autem de terris ad cælos docemur adscendere, sicut scriptum est, *Ipse vos docebit omnia.* Quid docet Spiritus-sanctus? Utique hoc novit docere quod sanctum est. Quid docet nos Paracletus? Illud utique quod dixit Salvator, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnia.* Bonus igitur magister est Paracletus, quia docet quæ Christus dicenda servavit. Hoc enim docet Spiritus-sanctus, quod Dominus dicendum habere se dixit. Bonus planè magister est, qui præceptorum exsecutor est Salvatoris. Necesse est igitur ut unius sit cum Christo substantiæ, quem videmus
F unius cum Christo esse doctrinæ.

** Maximus homil. 1. in Pentec. Christum regnantem adstruit Spiritus adveniens. Psal. 67. 19. * Confer 2. Maximi hom. in hoc festo. * Maximi verba prædictâ hom. 1. Spiritus-sanctus quid doceat. Johan. 16. 12. & 13. Unius est cum Christo substantiæ.*

3. [c] Et ideo, Carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis: ut Spiritum-sanctum promereri & accipere possimus. Si hunc mundum relinquimus, non similem Paracletum, sicut Apostoli, id est, Spiritum veritatis quem mittet nobis Pater, accipiemus: quoniam non est personarum acceptio apud Deum Patrem; sed promissa Apostolorum nobis proficiunt, si opera & desideria & actus gerimus quos Apostoli fecerunt. Si verò legem Domini immaculatam & convertentem animas implendo mandata ejus perficiamus, nosmetipsos heredes Domini & coheredes Christi ad hereditatem sempiter-
G nam, & ad commorationem Angelorum cum gratia Christi committimus: quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

a In MSS. desunt verba, *præstante* &c.

b Editi, *Pentecosten ergo agamus.* MSS. autem, *curatur*, id est, *celebratur.* Quæ vox & eo sensu in homiliis Maximi 1. & 3. in Pentecoste usurpatur.

c Conclusio hæc abest à Theodericensi MS.

CLASSIS II.

* SERMO CLXXXVI.

In Pentecoste, V.

* Aliàs inter Sermones Tõ. 1. Supplem. Augustino adscriptus.

In Appendice nunc primùm collocatur. Nihil habet Augustini.

1. PERPETUI muneris refulsit hodie ornamentum, quando Congregatio sancta discipulorum accipere meruit Spiritum-sanctum. Ante hos decem circiter dies celebravimus Domini Christi pium adscensum: Dominicæ resurrectionis quinquagesimus hodie dies eluxit, in quo die Spiritus Dei flammata caritate radiavit. Patriarchæ omnes & Prophetæ sollemnitatem istorum festorum dierum sancta veneratione deputabant: sed istum diem præ omnibus sollemniter celebrabant. In isto numero quinquagenæ supputationis multa sunt mysteria sanctitatis: qui annus vocatur Remissionis, propinans servis munera libertatis. Paulus beatus festinabat istum diem Jerosolymis celebrare, quem sciebat præ omnibus diebus sacramentis mirificis eminere. In isto die, tunc dictis jam temporibus in monte Sinaï Moyses Legem accepit, & mandata Dei populo propalavit. Ibi Deus in montem descendit; hîc Spiritus-sanctus igneis linguis demonstratus advenit. Ibi tonitrua, & voces; hîc flammati linguis variis emicant Piscatores. Sicut modò divina pagina loquebatur, *Cùm complerentur*, inquit, *dies Pentecostes*, &c.

Dies iste omnium festivitatum sollemnis.

Præ ceteris eminet sacramentis.

Act. 2. 1.

2. Quàm pulcra est, Fratres, caritatis conjunctio, quæ paratum cor semper exhibet Deo! Invenit eos concordia caritatis; & collustravit eos inundans divinitas deitatis. Advenit ignis divinus, non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens. Invenit cordium receptacula munda; & tribuit gratis carismatum dona. Vidit sanctorum vasorum purissimum sinum; & vinum mittere dignatus est novum. Cœperunt vasa eorum vinum bulliendo ructare, & linguis omnium gentium resonare. At quomodo non cunctarum nationum haberent notitiam linguarum, qui in sese susceperunt sancti Spiritûs mysterium, & ignis gratiæ sacramentum? Dum multi de tam magno arcano mirarentur, alii deridentes dicebant, *Quia musto repleti sunt.* Bene quidem nescientes dicebant: quia mustum ebulliendo omnes sordes projicit foris; ut & odorem custodiat, & suavitatem abscondat. Utres novi vinum novum susceperunt; ut & vinum illæsum reservarent, & ipsi in novitate sancti Spiritûs ambularent. De isto Spiritu-sancto Propheta dicebat; *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Renovata est verè terræ facies, innovata in meliori, quando lingua eucharis laudes decantavit potentiæ cælestis, & melos insonuit deitatis. De isto Spiritu-sancto idem Propheta dixit, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ignivit cælos, qui fecerat cælos: misit flammam divinam, & præparavit ad cantandum organa sua. Ergo, Fratres, istum diem cum timore Dei celebremus, quando indulgentiam accipere Spiritus-sancti meruimus.

Act. 2. 13. Apostoli bene dicuntur musto pleni.

SERM. DE TEMPORE.

Psal. 103. 30.

Psal. 32. 6.

* SERMO CLXXXVII.

In Pentecoste, VI.

* Aliàs inter Sermones Tõ. 1. Supplem.

In Appendice nunc primùm collocatur. Non Augustini est, sed auctoris cujusdam ignobilis, uti vel ipse sentit, qui in 2. Tomo Supplementi vulgaverat Vignerius.

1. IN superioribus cœnaculi invenit Apostolos, & scripsit Legem in mentibus eorum, qui in alto monte Legem in tabulis scripserat: in tabulis lapideis propter duritiam cordis Judæorum; at nunc in mentibus Apostolorum: quia ibi terror, & hîc amor. Ibi scripsit Legem cum fulgore præmicante; hîc instruxit Apostolicas linguas in igne refrigerante. De monte illo fugiebant populi, ne vocem Dei terribiliter loquentis audirent; hîc omnes de toto sæculo nationes non fugiunt, sed conveniunt audire loquentem in organis suis Spiritum-sanctum. Audistis nominatos Parthos, Medos, Indos & Persas, Cretes & Arabes, ac ceteros quos lectio Actuum Apostolorum nominavit; totus mundus ibi erat, quadragesima dies adscensionis Domini eos congregaverat: quia decem præceptorum numerus totam auctoritatem Scripturarum complectitur in orbe terrarum. Ideo quatuor deni faciunt quadraginta, superest alius denarius, qui est vitæ æternæ denarius, ut mercedem de pignore sancti Spiritûs acciperent Piscatores. Inventum est; impletum est quod promissum est. Data est denarii pretiosi decima sacramenti arra; superest quinquaginta dierum gratia promissa, & perfecta lætitia. Conclusum est Pascha, tacet Alleluia, sed non cum mœstitiâ; quia pignus sancti Spiritûs accepimus pretiosum: ut quotidie habeamus ipso habitante solatium, ut cum Christo vivamus, & per ipsum ad Pascha venturi temporis incolumes iterum veniamus.

Lex scripta & Lex gratiæ.

Act. 2. 9.

APPENDICIS
CLASSIS III.

Sermones de Sanctis.

* SERMO CLXXXVIII.

In festo S. Vincentii.

* Aliàs de Sanctis 13.

In Appendice nunc primùm collocatur. In excusis libris locum obtinuerat inter Sermones & Leonis & Augustini; huic verò in nostris propè omnibus MSS. adsignabatur. Sed nec Leoni nec Augustino tribui patitur stilus, judice Quesnelio in Operum S. Leonis Tom. 1. pag. 384. Et verò se ipse auctor Hispanum gente declarat in Sermonis exordio: istisque præsertim verbis, Hunc ergo ampliùs propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur, *significat se Vincentium Martyrem apud eos celebrare, qui locum incolunt prædicatione ipsius & passione vel corporis præsentiâ illustratum & consecratum.*

1. SUNCTORUM licèt, Dilectissimi, gloriosas Martyrum passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt, una fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio illi vindicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei & documentis præ ceteris erexerunt, & patrociniis adjuverunt. Inter quos justè beatum levitam Vincentium, cujus confessione & morte Christum incredulis prædicatum incunctanter agnoscimus, catholicis studiis celebramus. Qui ut fidelium devotionem Deo studiosiùs commendaret, altiori caritatis flammescens affectu, morti sese tandem fideliter obtulit: quò videlicet robur fidei in solidissima petra Christo fundatum, sequacibus imitandum daretur; necnon & semen Apostolicæ prædicationis per eum pluribus disseminatum, ope suæ intercessionis tutum ac perfectæ consummationis fruge refertum, in cælestibus demum horreis conderetur. Hunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur: quatenus eis se largiorem exhibeat in beneficiis, quibus se amabiliorem cognoscet in gaudiis; fiatque in ejus sollemnitate uberior lætitiæ ambitus, de quo fidei crevit effectus.

2. Hujus denique spiritus tanto virtutum munere claruit, ut sacri ministerii fultus officio, qui Filium Dei Dominum nostrum secuturus esset in passione, ejusdem Christi calicem credentibus priùs ministraret in salutem. Cujus haustu feliciter mente debriatus, rabidi hostis atque in Christum sævientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit; sciens paratus esse ut resisteret, nesciens elatus esse quòd vinceret: quia cujus amore spiritalibus armis præmunitus resistebat, ejus ad-

Levitâ sanguinis Domini minister.

CLASSIS III.

Tormentis invictus.

jutorio quidquid pœnarum in illum furentis ira excogitabat, insuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideo hunc non laminæ ignitæ sartaginis, non equulei, non ungulæ ferreæque manus, non vires pavendæ cædentium, nec dolor scissorum membrorum, non foci fragor & strepentis in patentibus visceribus salis injectio Daciani quiverunt aliquatenus subdere jussioni: sed dum in tantum ejus vecordiæ tumor excresceret, ut tantis passionum subactum doloribus aut vicisse aut interemisse se lætabundus extolleret, suscepta spe frustratus, unde victor visus est apparere, inde victus compulsus est erubescere; quoniam quò Dei Martyr duriori urgebatur pœnâ, eò ampliori confessionis exsultabat constantiâ.

Operatio diaboli in Daciano, Christi in Vincentio.

3. Unde ipsius passionis vel ultima pervidere seu memorari, Fratres, evidentiùs placet; quatenus animadvertat Sanctitas Vestra, quò diabolus suum perduxerit dolis ministrum, vel quomodo Christus suum in finem usque servaverit famulum. Ex quo illud sanè erat mirabile, quia quantum iste extrinsecùs multiplici pœnarum genere contritus artabatur, tantum intrinsecùs exsultante interiori homine dilatabatur: quantumque ille exteriùs jactantiâ temporalis potentiæ inflabatur, tantùm interiùs despici se perpendens, interiori vexatus homine præfocabatur. Contemni igitur se videns sæviebat, nec in quem jam vindictam inferret inveniebat. Videbat namque desævientium manus carnificum plus in eo invenire vulneris quàm corporis: solumque vigentem spiritum eò stultitiam exprobrare suam, quò provocabat veritatis norma. Quapropter credens quòd caussam confusionis averteret, si personam quæ se spreverat, absentaret, minùsque Dacianus erubesceret, si Vincentium populus non videret, jussit eum à publico removeri. Sed ne sic quidem careret supplicio, contusa quò jacebat testa substernitur; ut vis acuminis concisam molem superjecti corporis plus discinderet, atque reddita tormentis membra quæ secarent, obvia susciperent fragmina.

Clam torquetur Vincentius.

4. Fallitur tamen vincendi opinione cæca crudelitas. Nam divina bonitas dilectum suum ampliùs in confessione comitata infert novam tenebris lucem, & tabernaculum splendidum obscurum reddit ergastulum. Fovebat laceros artus medica Dei manus, & venustiori pristinæ sanitatis augmento fossi lateris damna supplebat. Insolita igitur hujus luminis claritate perculsi obstupuere custodes: quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus, mens pallidi janitoris expavit. Currit exanimis minister ad præsidem, quem graviùs relatio nuntii, quàm ictus erat percussura gladii: & cùm non posset ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor judicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat. Et ne in pœnis vincens Vincentius gloriam martyrii obtineret, Citiùs, inquit Dacianus, producatur è carcere; ne dum insistimus rebellem punire, videamur eum potiùs victoriâ coronare. Profertur itaque ex illo tetri carceris barathro, cælesti quidem gratiâ pulcrior, & si adhuc esset passurus, robustior. Sed ubi desiderium ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum vel mortis genere frangendum intelligit, jubet invida mens lenioris strati fulcra substitui, ac blandiori eum requie confoveri; scilicet ut si amoto paululum carnifice animam quietus exhalaret, diceretur non esse occisus, sed mortuus: quasi non eum pœna peremerit, cum quo & pœna simul perierit.

A Deo sanatur.

In molli lecto moritur.

5. Interea beatum Vincentium cælestis aula suscipit, ac beatæ felicitatis munere donat. Ad cujus ingressum angelici lætantur spiritus, omnesque simul concives gratulantur sancti. Nosque tibi gratias agimus, Domine Jesu, quòd anima tuo digna consortio, quæ pertinax tulit supplicium, mendax fugit obsequium: & quæ fuit contenta persecutor quòd fureret, sit dedignata quòd parceret. Cognito igitur sancto ejus abscessu judex insanus, & quia Christus vicisset in Vincentio nesciens Dacianus, illius sibi promittit cadaveris expositione vindictam, cujus gemit ex virtute victoriam. Feris namque & canibus cœptâ furoris superbiâ absumendum projici mandat lictoribus: ut tali pastu eorum impleret ventrem, quorum ipse gerebat mentem.

Feris objectum corpus ejus.

6. Sed ut divinis excrescentibus beneficiis majoris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur corvus, avis inimica cadaveribus, expositas corporis dapes servatura jejuna. Hinc, Fratres dilectissimi, hinc advertite distincta meritorum obsequia. Elias quondam impias Achab vel Jezabelis manus cautè declinans, in deserto corvis ministrantibus pascitur: assertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremtus, feris exponitur consumendus, sed corvo famulante servatur illæsus. Obtinuit ergo Elias divino nutu, corvis præstantibus, quo aleretur; præstitum est Vincentio, obsequente quoque corvo, ne comederetur. Qui ut cælitus se custodem designatum ostenderet, advenientes reliquas aves eminus non segni impetu perturbabat; inter quas immanem quoque lupum propiùs accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilegâ audaciâ adtaminare præsumeret, pennis & alis diverberans procul abegit. Sed ille quòd non tam ad inferendam venisset injuriam, quàm ad augendam miraculi pompam, quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor, & stulta vesania! Corvus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuefacta bestialis feritas satagebat protegere.

SERM. DE SANCTIS.

Corvus tuetur.

3. Reg. 17.

Lupus veneratur.

7. Unde ad occulendam Martyris laudem non jam secretum, sed profundum elegit; credens sibi ad delitescendam ejus gloriam non claustra fidem servatura, sed maria: quasi non idem elementi Dominus esset, per quem dudum ei carceris abdita cælesti fulgore radiata micuissent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus; ut ad auxilium saltem æquora proficerent, cui ad vincendum Christi militem terra defecisset. Enavigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, projectum inter sorbentes undas præpotens est Dei dextera consecuta, & quæ spiritum intulerat in cælum, corpus mox retulit ad sepulcrum. Sic prædicator veritatis, Carissimi, nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebrosi carceris superatur angustiis. Non bestiis projectus dilaniatur, non profundo celatur; sed littori redditur, præconio diffamatur: ut qui verè confessus fuerat nomen deitatis, in veritate sibi adesse experiretur divinæ suffragia bonitatis. Cujus gloriosam virtutum vitam ita pretiosæ mortis gratia decoravit, ut quod vivendo docuit, moriendo constanter adstruxerit: eratque consequens quatenus ad ejus visionem per mortem adtingeret, quem probabilis vitæ conversatione semper adtestatus fuisset, sciens quòd de contemtu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

In mare demersum.

Littori redditur.

* SERMO CLXXXIX.

* Aliàs de Sanctis 14. & de Diversis 35.

In Festo Conversionis S. Pauli.

In Appendice nunc primùm collocatur. Constat ex Sermonum diversorum fragmentis. Nam exordium, Hodie de Actibus Apostolorum *&c. est Sermonis aliàs de Diversis 34. ex cujus initio desumtum etiam illud est, quod hîc pro conclusione ponitur*, Utilitas autem rei gestæ *&c. Medium verò, ab istis verbis*, Percutiens eum & sanans, occidens & vivificans *&c. pertinet ad Sermonem de apostolo Paulo, qui inter Sirmondianos erat 24. Atque hæc tota est structura Sermonis aliàs 14. de Sanctis, qui in Romano Breviario & aliis quibusdam ad Festum Conversionis S. Pauli legitur: at Sermo qui de Diversis fuerat 35. nihil ab illo in prima & media parte differens, hoc in postrema diversus erat, quòd hisce verbis*, audito ejus nomine non conturbari, *proximè subjungebatur conclusionis loco*, O beate Anania, meritò in timorem te dares, *&c. quemadmodum habes infrà in fine Sermonis 204.*

1. HODIE de Actibus Apostolorum lectio hæc pronuntiata est, ubi Paulus apostolus ex persecutore Christianorum annuntiator factus est Christi. [a] Prostravit enim Christus persecutorem, ut faceret Ecclesiæ doctorem: [* percutiens eum & sanans, occidens & vivificans. [b] Occidit agnus lupum, faciens agnum de lupo. Ita enim erat in præclara prophetia, cùm Jacob patriarcha benediceret filiis suis, præsentia tangens, futura prospiciens. Prædictum erat, quod in Paulo contigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testatur, de tribu Benjamin. Cùm autem Jacob benedicens filios suos, venisset ad benedicendum Benjamin, ait de illo, *Benjamin lupus*

Ex Sermo aliàs 34. de Diversis.

[a] * Ex Serm. aliàs inter Sirmond. 24.

[b] Prophetia Jacob de Benjamin in Paulo impletur.

Philip. 3. 5.

Gen. 49. 27.

a Hic MSS. omissis, *Prostravit enim* &c. subjiciunt, *Percutiens eum Christus* &c.

b Ita MSS, At editi, *occisus agnus à lupis, faciens agnos de lupis.*

CLASSIS III.

rapax. Quid ergo? Lupus rapax semper? Absit: sed *qui manè rapiet prædam, ad vesperam dividet escas.* Hoc in apostolo Paulo impletum est; quia & de illo dictum erat. Jam, si placet, audiamus illum manè rapientem, ad vesperam escas dividentem.

Paulus, lupus manè rapiens.

2. Manè & vespere posita sunt pro eo, ac si diceretur, priùs & postea. Sic ergo accipiamus, Priùs rapiet, postea dividet escas. Adtendite raptorem. *Saulus*, inquit, *acceptis epistolis à principibus sacerdotum ibat, ut ubicumque inveniret* [a] *Christianos, ad sacerdotes adtraheret & adduceret*, utique puniendos. Ibat spirans & anhelans cædes; hic est manè rapiens. Nam & quando lapidatus est Stephanus primus martyr pro nomine Christi, evidentiùs aderat & Saulus: & sic aderat lapidantibus, ut non ei sufficeret, si tantùm suis manibus lapidaret. Ut enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat: magis sæviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando. Audivimus, manè rapiet: videamus ad vesperam qualiter dividat escas.

Act. 9. 1.

Act. 7. 57.

Ad vesperum dividit escas.

3. Voce Christi de cælo prostratus, & accipiens desuper interdictum jam sæviendi, cecidit in faciem suam; priùs prosternendus, postea erigendus; priùs percutiendus, postea sanandus: non enim in illo postea Christus viveret, nisi occideretur in eo quod malè antè vixisset. Quid ergo prostratus audit? *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Et ille, *Quis es, Domine?* Et vox desuper, *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Membris adhuc positis in terra caput clamabat in cælo, & non dicebat, Quid persequeris fideles meos: sed, *Quid me persequeris?* Et ille, *Quid me jubes facere?* Jam parat se ad obediendum, qui priùs sæviebat ad persequendum. Jam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles; audit quid facere debeat. Cæcus sanè factus est; ut interiore luce fulgeret cor ejus. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori; ut redderetur prædicatori: & tamen eo tempore quo cetera non videbat, Jesum videbat. Ita & ex ipsa cæcitate ejus informabatur mysterium credentium, quòd qui in Christum credit, ipsum intueri debet, cetera nec nata computare. Creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat. Videamus ergo.

Act. 9. 4. Ibidem 5. Ibidem 6.

Paulus forma credere incipientium.

4. Adductus est ad Ananiam, & Ananias interpretatur ovis. Ecce lupus rapax adducitur ad ovem sequendam, non rapiendam. Sed ne rapientem ovis expavesceret lupum, ipse pastor de cælo qui omnia faciebat, nuntiavit lupum venturum ovi, sed non sæviturum. Et tamen tam immanis fama lupum illum præcesserat, ut non posset ovis audito ejus nomine non conturbari.* Nam cùm Dominus Jesus eidem Ananiæ nuntiasset Saulum venisse, jam ut crederet, & ad eum Ananiam ire debere; ait Ananias, *Domine, audivi à multis de viro hoc, quòd multa mala sanctis tuis operatus est; & nunc litteras accepit à principibus sacerdotum, ut ubicumque invenerit tui nominis sectatores, pertrahat.* Dominus autem ad illum, *Sine; ego illi ostendam quanta illum oporteat pati pro nomine meo.* Mira & magna res geritur: lupo sævitia interdicitur; lupus ad ovem captivus ducitur. Tanta autem præcesserat fama lupi raptoris, ut ejus nomine audito timeret ovis etiam sub manu pastoris. Confortatur; ne jam putet sævientem, ne timeat timentem. Ab agno pro ovibus mortuo, fit ovis secura de lupo.

Sauli immanis fama.

* Hic Serm. aliàs 35. de Diversis, O beate Anania &c.

Ibidem 13. Ibidem 16.

5. *Ego*, inquit, *illi ostendam quanta illum oporteat pati pro nomine meo.* [b] Ubi terror, ibi salus. Qui faciebat contra nomen pastoris, patitur pro nomine pastoris. O sævitia! ô misericordia! Vides illum præparare ferrum: secaturus est, non peremturus; curaturus, non occisurus. Christus dicebat, *Ego illi ostendam quanta illum oporteat pati pro nomine meo.* Sed quo fine? Ipsum qui patiebatur audite. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis:* ac si dicat, Sæviat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis, quidquid potest faciat; quid faciet ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero: hoc sentio, illud credo: & tamen plus est quod credo, quàm quod sentio. Quidquid est quod sævit pro nomine Christi, si potest [c] vivi, tolerabile est; si non potest vivi, migrare hinc facit: non exstinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinem; quæ cùm venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine.] Nam & operarius deficeret in via, nisi adtenderet quid accepturus esset. Cùm enim adtenderis quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstimabis pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari pro tantillo labore. Via nostra Christus est, Christum adtendite. Pati venit, sed & glorificari; contemni, sed etiam exaltari; mori, sed etiam resurgere.

Rom. 8. 18. Quantumvis patiamur, præponderat quod speramus.

SERM. DE SANCTIS.

6. Ista cogitantes, Fratres carissimi, non desperemus; quia etsi peccatores sumus, magnum medicum habemus: ipsum Medicum audite. *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* [* Utilitas autem rei gestæ hujus hæc est: Apostolus ipse commemorat in epistolis suis. Dicit enim ad hoc sibi veniam datam omnium peccatorum suorum, ut nemo de se desperet, qui fuerit magnis peccatis involutus, & in magnis sceleribus irretitus: quasi veniam non sit accepturus, si conversus fuerit ad eum, qui pendens in cruce & pro persecutoribus oravit, dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Factus est ille ex persecutore prædicator & doctor Gentium. *Qui priùs*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor & injuriosus.*] [d] Vides meritum cui pœna debebatur? Ergo pœna non redditur, sed misericordiam pro pœna consequitur. Gratiâ enim salvi efficimur de peccatis nostris; largiente ipso Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Pauli conversionis utilitas. Matth. 9. 13. * Ex Serm. Augusti. aliàs de Diversis 34. Lucæ 23. 34. 1. Tim. 1. 13.

* SERMO CXC.

In Cathedra S. Petri, I.

* Olim de Sanctis 15. & post in Appendice 74.

Incerti auctoris, non Augustini, judicio Lovaniensium: licèt hac ipsa die sub ejus nomine legatur in Romano Breviario. Augustino abjudicant etiam Verlinus & Vindingus. Usum enim conferendi cibos & vinum super tumulos defunctorum, quem hîc mirari se dicit Concionator, frequentatum in Africa viderat Augustinus, uti patet ex lib. Confess. 6. c. 2. De moribus Ecclesiæ c. 34. Contra Faustum lib. 20. c. 21. Epist. 22. n. 6. &c. In MSS. quidem nonnullis post hæc verba, quantò sacerdotale officium plus honoris, *nihil de illa prorsus observatione, sed deinceps de hujus festivitatis occasione tantummodo disputatur. Verùm hæc festivitas Africanis ignota fuisse videtur ætate Augustini, nec in Ecclesiæ Carthaginensis Kalendario nuperrimè vulgato reperitur.*

Festivitatis ratio.

1. INSTITUTIO sollemnitatis hodiernæ à senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apostolorum Petrus hodie episcopatûs cathedram suscepisse referatur. Rectè ergo Ecclesiæ Natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit: & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificii altitudo consurgit. Unde convenienter Psalmus qui lectus est, dicit, *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.* Bene autem eum Deus in Ecclesia exaltari præcepit: quia dignum est, ut fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod ad cælum conscenditur. Quòd Natalis ergo cathedræ hodie colitur, sacerdotale honoratur officium. Sibi hoc Ecclesiæ [e] præstant, quibus necesse est ut tantò plus habeant dignitatis, quantò sacerdotale officium plus honoris.

Matth. 16. 18. Psal. 106. 32.

Superstitio hac die inducta.

2. Cùm sollemnitatem hanc Ecclesiis meritò religiosa observatio introduxerit, miror cur apud quosdam [f] infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant; quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant;

a Sirmondus è MSS. Reg. & Vict. *viæ Dei sectatores.*

b Ita in MSS. nonnullis & in Serm. aliàs de Diversis 36. At in MS. de Cultura, *Ubi error, ibi salus.* In Michaelino, *Ubi terror, ubi Saulus?*

c Ita MSS. At editi hîc & mox, *vinci.*

d Interit hîc MS. de Cultura: *Sed misericordiam consecutus sum. Hæc misericordiæ dona fuerunt, non debita meritorum. Ut ergo eum Dominus sic vocaret, quæ merita ejus præcesserant? Non dico quæ præcesserant coronandum, sed quæ damnandum. Ecclesiæ persecutorem fecit pacis prædicatorem. Ecce, Fratres, cui debebatur pœna, corona debetur. Qui, inquit, fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus. Vides* &c.

e Sic MSS. At editi, *Sibi hæc Ecclesiæ invicem præstant; quia tantò necesse plus habet Ecclesia dignitatis.* &c.

f MS. Remig. *fideles.* Alii cum editis, *infideles*, id est, *incredulos*, uti vocantur Ser. seq. n. 1. Ab iis porrò, quæ hîc reprehenduntur, observationibus in hac festivitate deterreri fideles Turonense 2. Conc. anni 567. can. 22. jubet: *Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ domni Petri apostoli cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores*: ad ritus nimirum quos observabant Pagani in Feralibus, quæ in prisco Kalendario Romano incipiunt die 20. Februarii, & durant ferè usque ad finem ejusdem mensis: in quibus Manes placabantur, eorum tumulis cibo quo vescerentur apposito. Unde Varro l. 5. de lingua Latina, *Feralia*, inquit, *ab inferiis & ferendo; quòd ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.*

Epulas enim & refectiones caro tantùm requirit; spiritus autem & anima his non indigent. Parare aliquis suis caris dicit, quod ipse devorat; quod præstat ventri, imputat pietati. Cessate ergo, Fratres, ab hoc gentili infidelitatis errore. Animæ enim sanctæ, quæ in hoc sæculo aut per vitæ innocentiam puræ sunt, aut pænitentiæ satisfactione purgantur, à Salvatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendæ sunt, secundùm Apostoli dictum, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Animæ ergo fratrum parentumque nostrorum minimè cibis carnalibus delectantur: offendi his magis possunt quàm delectari, si cùm illæ in sacris sedibus maneant, vos eas in terra esse credatis. Cessate ergo ab his erroribus, & sicut scriptum est, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram:* ut superstitiones fidei nostræ contrarias repudiantes, dum ea quæ Deo placita sunt facitis, etiam vos cum Christo in æternum esse possitis. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Animæ sanctæ jam sunt cum Christo. — *Philipp. 1. 23.* — *Coloss. 3. 2.*

* SERMO CXCI.

In Cathedra S. Petri, II.

Eodem stilo conscriptus est, & in idem observationis sive superstitionis genus, quod reprehenditur in superiore Sermone; cui Sermoni proxime subjectus in veteribus libris, immo cum ipso in unum corpus redactus in quibusdam MSS. reperitur.

1. QUAMVIS sollemnitas festivitatis hodiernæ à nobis meritò honoretur: quia dum Natalem Cathedræ colimus, episcopatum Petri apostoli veneramur: tamen quandocumque intra Quadragesimæ dies hæc sollemnitas venerit, facere eam nobis debet sanctorum dierum reverentia gratiorem. Bene enim Natalem Cathedræ inter ipsa jejuniorum initia nobis Deus præstitit: ut dies quæ priùs erat intemperantiæ, nunc sit sobrietatis; quæ erat gulæ, fit abstinentiæ; quæ erat peccati, fit sanctitatis. Et quia increduli homines videntur ad superstitionem hanc specie esse pietatis adtracti, ostendam eis qua ratione animas defunctorum suorum juvare utiliùs possint.

Concurrit festum hoc cũ Quadragesima.

3. Orent quotidie pro caris suis, interpellent Dominum voce flebili, precentur eis errorum veniam, lapsuum remissionem; pascant esurientes, vestiant nudos: ut si quid defunctorum negligentiâ minus factum est, fide viventium impleatur. Adhibeat quoque unusquisque pro caris suis sanctorum preces, sacrificia offerat, & sacerdotali eos prosecutione Domino commendet. Quod quidem à nobis si fortè requiratur unde dicatur: cùm hoc non nostra doctrina sit, sed Ecclesiarum; & si Ecclesiarum, utique Dei; quia magister Ecclesiarum est omnium Deus: ita illius verbis respondebimus, Hæc sunt quæ caros vestros juvare possunt, hæc sunt refrigeria quiescentium, hæc remedia defunctorum.

Quibus modis defunctis subveniatur.

3. Cibi autem & pocula, quæ sepulcris superponuntur, si qua superstitionis istius cura ad defunctos pertinet, lædi his magis quàm delectari possunt. Huic si aliquis vinum offerat, quem sentit pro vini & gulæ nimietate torqueri, contumelia hoc magis est quàm humanitas, exprobratio criminis, non officium caritatis. Ita fit ut videantur defunctis peccatoribus à caris suis non tam amoris solatia tribui, quàm conscientiæ tormenta cumulari. Hæc de peccatoribus diximus. Si autem sanctus est cui hæc parantur, nihil quidem ad eum pertinent. Illud unusquisque vestrûm agat quod superiùs diximus, ut per orationes, per eleemosynas, per sacrificia, per oblationes & defunctis suis prosit, & ipse sibi: id est, ut si peccator est pro quo hæc agit, alleventur peccata ejus; si autem sanctus est pro quo sacrificia Deo offert, in æternum cum Sanctis esse mereatur: præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Dapes sepulcris appositæ nihil eis prosunt.

* SERMO CXCII.

** Aliàs de Sanctis 16.*

In Cathedra sancti Petri, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Remanserat apud Lovanienses dubius: rejicitur ut spurius à Verlino & Vindingo. Inter Ambrosii quippe & Maximi Sermones, mutato dumtaxat initio, excusus est, ipsique Ambrosio in Theodericensi MS. inscribitur, sic incipiens, Adstruximus superiore Dominicâ sanctum Petrum in Salvatoris passione suis erroribus profecisse *&c. Quibus verbis nescias an designetur homilia apud Maximum 3. de pænitentia Petri, qui est Sermo*

A *apud Ambrosium exordium habens,* Sæpius diximus *&c. idemque in veteri codice ante mille annos scripto nomen Augustini falsò præferens. Hujus nimirum Sermonis conclusio sic habet:* Videte ergo quantum fletus profuerit Petro. Antè quàm fleret, *&c. Confer Ambrosii commentarios in Luca caput 22.*

1. NOSTIS, Fratres carissimi, beatissimum Petrum in Salvatoris passione suis erroribus profecisse, & postea quàm negavit Dominum, fuisse apud Dominum meliorem. Fidelior enim factus est postea quàm fidem se perdidisse deflevit: atque ideo majorem gratiam reperit quàm amisit. Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit: ut qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum; & qui interrogationis tentatione nutaverat, ceteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. * Petra ergo pro devotione Petrus dicitur; & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus, *Bibebant autem de spiritali sequente eos petra; petra autem erat Christus.* Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat. Petrus ergo tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit.

Petrus suis erroribus profecit. — B — *Matth. 16. 18.* — *Dignitas & ratio nominis Petri.* — ** Confer Ambrosii Serm. 6. de variis actionibus.* — *1. Cor. 10. 4.* — C

2. Sic namque in mare dum super undas temerarius viator ingreditur, nutat incessu, sed convalescit affectu: periclitatur corpore, sed devotione non labitur; mergitur pedibus, sed Christi dexterâ sustentatur. Sustentabat enim fides, quem unda mergebat: & quem fluctuum procella turbabat, Salvatoris dilectio confirmabat. Ambulabat enim in mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus. Non enim videbat ubi pedum vestigium figeret; videbat autem ubi figeret vestigium caritatis. In navi enim positus considerat Dominum; & amore ejus ductus descendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia: & dum Christum respicit, non respicit elementum; credit fidem etiam inter undas solidum invenire vestigium. Jactetur licèt fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur; non tamen Petri turbatur semita, quæ ducit ad Dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus ejus mollis unda non cedit. Legimus in veteri Testamento, filios Israël per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur unda, in soliditatem quamdam fuisse mutatam. Quantò hîc melius, quando ambulante Petro nec mutatur unda, nec labitur; nec solidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam, est, ubi eadem unda quæ fluctuat, & sustentat; ubi idem gurges qui mergit, & famulatur. Illic ut portaretur per mare populus Israël, meatum suum natura perdiderat: hîc portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt.

Petri gressus super aquas. — *Fide sustentatur.* — *Matth. 14. 29.* — D — *Mirabilior est quàm transitus Israël per mare.* — *Exod. 14. 29.* — E

3. Temerarius ergo viator Apostolus novi itineris viam carpit, modò curvati gurgitis molem adscendit, modò subsidentis undæ sinus descendit, & inter marinos fluctus adscensus illi itineris descensusque non deest. Sed ubi turbatus ventis, exagitatus procellis, incipit timere quod credidit: statim ei gurges subtrahitur, unda subducitur. Mox enim defatiscenti fide, defatiscit & semita. Tunc exclamans ad Dominum Jesum, salvum se fieri deprecatur. Quem apprehensum manu Salvator liberat, & subjungit dicens, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Hoc est, Cur tam parvæ fidei es, ut qui credendo in mare ambulare cœperas, non id perseverando transires? scriptum est enim, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Sed dum cunctaris & dubitas, iter quod ingressus fueras perdidisti. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, ut non ea fide qua venire cœperas, pervenires? Intellige ergo, quia in mari credulitas te portabat, perfidia submergebat. Igitur, Fratres, sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic pervenit ad Dominum: ostendens nobis quòd nonnisi per pericula properatur ad Christum. Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Salvator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus,

Deficiente fide deficit semita. — F — *Matth. 14. 30.* — *Ibidem 31.* — *Matth. 10. 22.* — *Nonnisi per pericula venitur ad Christum.* — G

Classis III. a

cessemus, ille auxilium solitum[a] non negabit Jesus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*Aliàs de Tempore 14.

*SERMO CXCIII.

De Annuntiatione Dominica, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensium opinione, spurius sententiâ Verlini atque Vindingi, qui hunc Sermonem Nativitati Christi imprudenter adscriptum in antè editis fuisse reprehendit, ipso, *inquit*, exordio renuente & toto contextu, *quo de incarnatione disseritur. Sed in MSS. tamen omnibus etiam inter Sermones de Natali Domini locum habuit.*

1. Fratres dilectissimi, hodie dies illuxit, in quo Christus ex Virgine carnem suscepit. Humilitatis voluit induere formam, ut à peccatis liberaret animas nostras. Transgressio illius primi hominis totum deceperat mundum; ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret è cælo. Gaudebat teterrimus draco, quia venenum præparaverat homini novo: sed ad hoc descendit Christus in uterum Virginis, ut exinde humana susciperet membra, quæ traderet cruci, & mortem induceret antiquo draconi. Usus enim fuerat diabolus consilio malo, ut per serpentem mulieri loqueretur, & diabolus non agnosceretur. Sed hinc ad nihilum redegit illum Deus Dei Filius, qui de cælo descendit, ut humanum susciperet corpus, tendens ei laqueum mortis, per visionem videlicet carnis; ut quasi ad hominem solum tentator accederet, & Dominum penitus ignoraret. Videbat carnem, sed ignorabat Domini majestatem; cernebat infirmitatem, & non videbat deitatem. Remansit confusus diabolus, dum in homine apparuit Dominus. Sic à Deo Patre descendit, unde numquam discessit. In terris erat; & cælos non deserebat, sicut ipse Dominus ait, *Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo.* In terris ut homo loquebatur hominibus; & in cælo se esse fatebatur ut Deus. Deitas enim non minoratur, cùm infirmitas assumitur; & illud quod non erat accepit, & Deus mansit quod ab initio fuit. Quòd enim homo fuit, nobis profuit, sibi nihil minuit. Exinanivit plenitudinem deitatis, formam suscepit humilitatis; & Patri mansit æqualis.

Diabolus ea arte qua hominem deluserat, à Christo delusus.

Christus Deus & homo.

Johan. 3. 13.

2. Talis eligitur Virgo, de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in semetipsa susciperet, & post partum omni modo virgo permaneret. *Ave*, inquit, *Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres:* quia *ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Virginitatis jura servabis, filium habebis, & nomen virginis non amittes. Tanta est enim illa divina potentia, ut & matrem reddat fecundam, & virginem servet illæsam. Ideo benedicta tu inter mulieres, quia ex Spiritu-sancto concipies, ubi non est carnalis maritus, sed divina dignoscitur virtus. Lactabis infantem proprium, Creatori succum porriges lactis, & cibis cælestibus satiaberis. Pannis involves puerum, qui tibi immortale condonabit indumentum. In præsepio pones infantilia membra, qui cælestem tibi præparabit mensam. Omnia quæ nutricis caussâ debentur circa puerum celebrabis, ut quod ipse promisit sanctis suis, & tu ipsa libentiùs consequaris. Quid multa? Exsulta Virgo de tanto promisso, nuntius discessit Angelicus; & ventris hospitium ingreditur Deus, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Mariæ meritum & prærogativæ.

Lucæ 1. 28. &c.

*Aliàs de Sanctis 18.

*SERMO CXCIV.

De Annuntiatione Dominica, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses, & Fulgentio à quibusdam tribui dicunt. Rejiciunt omnino ut falsum Verlinus & Vindingus. Nec injuriâ sanè, tametsi in Breviario Romano & nonnullis aliis legatur sub Augustini nomine die 1. & 2. annuæ sollemnitatis propter Deiparæ Nativitatem celebrandam instituta. Enimverò si de Nativitate B. Virginis, *sicuti verè in MSS. nostris, uno excepto Corbeiensi, inscribitur, compositus fuit, auctorem habeat necesse est recentiorem Augustino, qui aliquoties testatur in Sermonibus de Nativitate Johannis baptistæ, hujus tantùm & Christi Domini Nativitatem in Ecclesia ævo suo celebrari solitam. Sed in quamcumque B. Mariæ diem referatur Sermonis exordium; certè nullum ipsius Virginis festum exhibet Kalendarium antiquum in Carthaginensi Ecclesia usque ad Augustini saltem obitum qui in eo consignatur, usitatum. Præterea quod hic frigidissimè n. 2. dicitur de Sabellianis, fingere illos quòd Maria non decursis novem à conceptione mensibus pepererit Christum, sed fortuitò repererit parvulum, id neque modò refutatur, neque aliàs umquam refutatum vel commemoratum est ab Augustino: immo Patripassianos (qui sunt Sabelliani) dixisse ipsum Patrem natum ex femina, observat in Ser. 52. n. 6. Nec prætereundum silentio est Sermonem in duobus MSS. Germanensibus præferre nomen Hieronymi: quo nomine peræquè indignus videtur. Opus quippe est imperiti alicujus consarcinatoris, qui huc congessit plures ad verbum sententias superiorum Sermonum 119. 120. 121. necnon Sermonis suo ordine secuturi de Assumtione B. M.*

Serm. de Sanctis.

1. Adest nobis, Dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ: ideo cum summa exsultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata[b] die sollemni. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum* mutatur natura, protoplastorumque deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Evæ infelicitatis elogium quo dicitur, *In tristitia paries filios*: quia ista in lætitia Dominum parturivit. Eva enim luxit, ista exsultavit; Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit; inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum, & sine corruptione gravida, & in partu virgo puerpera. Descendit Angelus de cælo missus à Patre Deo in nostræ redemtionis exordium, ad beatam salutandam Mariam, *Ave*, inquit Angelus ad eam, *gratiâ plena, Dominus tecum.* Impleta est ergo Maria gratiâ, & Eva vacuata est à culpa. Maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio.

b Evæ damna, & Mariæ beneficia.

* ita Serm. 120. à n. 2. usque ad 8. nisi quòd ibi plura hinc inde inseruntur.

Lucæ 1. 28.

2. Gratulare beata Virgo, Christus rex è cælo suo venit in uterum tuum, ex sinu Patris in uterum dignatur descendere matris. *Benedicta*, inquit, *tu, in mulieribus*, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. * Mater generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem adtulit mundo. Auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit. Illa percussit; ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exsultans amplexatur filium, portat à quo portabatur. Nec fortuitu, ut fingunt Sabelliani, reperit parvulum; sed decursis novem mensibus peperit Christum. Plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audite igitur quemadmodum tympanistria nostra cantaverit: ait enim, *Magnificat anima mea Dominum; & exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est.* [c] Caussa igitur tantæ invalescentis lætitiæ erat miraculum novum. Novus Mariæ partus partum Evæ evicit, & Evæ planctum Mariæ cantus exclusit.

* Hæc habet quoque infrà Serm. de Assumtione B. M.

Ibidem 46. &c.

c

3. Denique post illius benedictionis præsagium, dum tacitâ secum Virgo mentis altercatione confligeret, qualis esset ista salutatio; nuntius interim cælestis exsequitur: *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. At illa, Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et Angelus ad eam, Spiritus, ait, sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Jam audisti *quomodo fiet hoc*, responde nunc verbum; [d] ut quid turbaris modò? Audisti *quomodo fiet hoc*, quia *Spiritus-sanctus superveniet in te*, ut prolem gignas, & virginitatem non perdas; filium proferas, & post partum incor-

Ibidem 30. &c.

d Mundi salus ex Mariæ assensu pendet.

a In MS. Theodoricensi clauditur Sermo per verba, *non negabit.*

b Ita editi. Accedunt Germanenses duo, in quibus, *sollemnitate.* Corbeiensis autem habet, *conceptu.* Alter item Corb. cum Fossat. *excessu.* Michaëlinus verò, *Natali.*

c Ita Corbeiensis MS. & Michaëlinus, nisi quòd in hoc est *errati*, pro, *lætitiæ.* In editis autem, *Caussam igitur invalescentis errati miraculum novi partûs* [illegible]

d Et hîc MSS. Corb. secuti sumus; cùm in aliis libris sit quomodo supra Ser. [illegible] n. 7. *Vitam quid tricas mundo?*

rupta permaneas. O beata Maria, sæculum omne captivum tuum deprecatur assensum: te, * Domina, mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari, Virgo: nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium; da fidem, & senti virtutem. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Nec mora, revertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus. *] Efficitur subitò prægnans beata Dei genitrix, & cuncta per sæcula prædicatur hinc felix. [* Concepit mox ad credulitatem verbi, virilis ignara consortii: impletur uterus nullo humano pollutus amplexu. Exstat itaque virgo cùm concipit, virgo gravida, virgo cùm parit, & virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, & gloriosa fecunditas. Exsultat Maria, & matrem se læta miratur, & de Spiritu-sancto se peperisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cùm exsultatione miratur.] Gaudeamus ergo & nos, Fratres, in die [a] tantæ Virginis, quæ dum desponsaretur fabro, cæli nupsit architecto. [* Promittitur enim ei Filius per visitationem sancti Spiritûs. Hæc illa audiens gaudet, cupitque effici mater. Quid igitur mirum, si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur? Non enim decebat, ut ille qui nobis afferebat salutem, matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terrâ, mari cæloque non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur. Hæc est illa novitas Jeremiæ prophetæ vaticinio prænuntiata, *Faciet*, inquit, *Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* O femina super feminas benedicta, quæ virum omnino non novit, & virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria Angelo fidem dando; quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo.

* † Domino. ut suprà Ser. 120. n. 7.
Ibidem 38.
*Hactenus ex dicto Serm. 120.
* Ita suprà Serm. 121. n. 4.
Maria mater & virgo.
a Nupsit ipsi Deo.
* Ex Serm Append. 119. n. 2. 3. & 4.
Jeremiæ de Maria prophetia.
Jerem. 31. 22.
Angeli ad Mariam verba.

4. Salutat Angelus puellam viri salutationis ignaram; terretur Virgo novitate verborum. Ad quam Angelus, ut superiùs protulimus, dixit, *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Dominum.* Ne, inquit, à conspectu meo, mater Domini mei, terrearis: ego conceptionis tuæ [b] minister adveni, non ut virginitatem amitteres interveni; ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te. *Concipies enim & paries filium*; non cujuslibet meriti hominem, sed totius sæculi Salvatorem. Recole, Maria, in libro Isaiæ prophetæ virginem quam parituram legisti; & gaude atque exsulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es Virgo, tu ecce concipies in utero, non de viro, sed de Spiritu-sancto; & gravida eris, & incorrupta permanebis. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum. *] Efficieris gravida, & eris mater semper intacta. Senties pondera ventris, & pudorem non perdes castitatis. Intumescent ubera tua, & intacta manent genitalia tua. At illa dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O felix obedientia, ô insignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se opificem corporavit! Implevit in ea Dominus, quod dudum prædixerat, *Obedientiam malo quàm sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta.* Hæc fuit vera obedientia omni sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostiis acceptior: hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum plausit; *Ecce*, ait, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Isa. 7. 14.
* Hac usque ex citatò Ser. quibusdam ibi insertis, quæ hic non habentur.
Mariæ obedientia commendatur.
Oseæ 6. 6.
Lucæ 1. 48.
Ad B. Virginem precatio.
* Ita infrà Serm. de Assumtione.

5. O beata Maria, quis tibi dignè valeat jura gratiarum ac laudum præconia impendere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? [* Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus; fiat impetrabile quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus; excusa quod timemus. ([c] Quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te, beatissima, nostrorum est exspectatio præmiorum.) Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni

A pro clero, intercede pro devoto femineo sexu. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant [d] tuam commemorationem.] Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sit tibi studium assiduè orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta [e] pretium ferre mundi, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum.

* SERMO CXCV.

De Annuntiatione Dominica, III.

* Olim de Sanctis 18. & post in Appendice 25.

Hominis est inerudati, judicio Lovaniensium. In codicibus admodum vetustis invenitur: unus ex illis Corbeiensis Ambrosium, ceteri ferè Augustinum auctorem, sed immeritò, designant.

B 1. CASTISSIMUM Mariæ virginis uterum, sponsæ virginis clausum ventris cubiculum, signatum pudoris cænaculum meritò plenissimè collaudarem, si messem meterem quam non seminarem, de qua sic Apostolus dicit, *Quæcumque seminaverit homo, hæc & metet.* Verum est omnino, verum est, hoc omnem hominem metere quod seminavit: Deus solus potest metere quod non seminavit, sicut ipse Filius Virginis in quadam lectione Evangelii ait, *Meto ubi non seminavi, & colligo ubi non sparsi.* Dicat, dicat: solus dicat natus ex Virgine, Filius Mariæ, dicat sponsæ matri suæ, *Meto ubi non*
C *seminavi, & colligo ubi non sparsi.* Dicat & Maria, Et ego te filium generavi; sed virginitatem meam non violavi: regnum tenui virginitatis, & regem genui castitatis: ingredientem & egredientem habui in palatio ventris Filium imperatoris, & de manibus meis non amisi clavem regii pudoris. Porta facta sum cæli; janua facta sum Filio Dei. Illa porta facta sum clausa, quam in visione divina Ezechiel vidit propheta, de qua in me dicit prophetizans, Vidi portam in domo Domini clausam: & dixit ad me Angelus, Porta hæc quam vides, non aperietur, & homo non transiet per eam: quoniam Dominus solus intrabit, & egredietur per eam, & clausa erit in æternum.
D O mirabilis Prophetæ visio; sed mirabilior prophetiæ adimpletio! Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria virgo semper erit intacta? Et quid est, Homo non transiet per eam, nisi Joseph non cognoscet eam? Et quid est, Dominus solus intrabit & egredietur per eam, nisi Spiritus-sanctus imprægnabit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam? Et quid est, Clausa erit in æternum, nisi quia erit Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? Dicat ergo Maria, Porta facta sum cæli, janua facta sum Filio Dei: illi facta sum janua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est ad discipulos suos per ostia clausa: qui na-
E tus de ventre meo, me matrem dimisit intactam, adimplevit ventrem meum divinitate, & uterum meum non evacuavit castitate: exivit de ventre meo giganteo cursu magnificus, & venter meus non est pudore evacuatus, nec in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore. O mira & laudabilis inter feminas, in qua ab Angelo est salutata virginitas, sola imprægnata nec vitiata, exonerata nec evacuata; quia sic est ab Angelo salutata, *Ave*, inquit, *gratiâ plena Dominus tecum!* Felix umbilicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis! Considero conceptum tuum, beata Virgo, & expavesco; intueor partum tuum, &
F contremisco; adoro Filium tuum, & revivisco.

Gal. 6. 8.
Ezech. 44. 2.
Lucæ 1. 28.

2. Enarra, obsecro, mihi, quomodo meruisti dici nurus Domini, & sponsa Filii Dei? Quod rogo, indica mihi; sed tamen colloquenti tecum ignosce mihi: ignosce, inquam, mihi, quòd audeam servus, atque utinam vel bonus, & non etiam inutilis & malus servus, & ideo malus servus, quia non tecum cum tremore loquor ut servus: ignosce ergo mihi, quòd audeam cum sponsa Domini mei confabulari; & tamen indica mihi quomodo potuerit Dei Filius per te generari. Audite, Fratres, audite Mariam nobiscum loquentem; carne absentem, & spiritu præsentem; verecundiâ virginitatis vultum aver-
G tentem à collocutore, & indicantem quomodo imprægnata sit à Creatore. Eram, inquit Maria, in domo mea,

[a] Hîc editi contra fidem MSS. loco *tantæ Virginis*, substituebant, *annuntiationis quæ per Angelum hodie facta est ad aures Virginis.*
[b] In MS. Michaëlino, *nuntius.*
[c] Quæ parenthesi clauduntur, desunt in MSS. & in Ser. de Assumtione.
[d] Ita MS. Corb. cum editis. Alii verò, *tuum Natale*, & infrà in Sermone de Assumtione, *tuum nomen.*

[e] Editi, *Redemtorem.* MS. Michaëlinus, *prolem.* Unus ex Germ. *benedictam prolem proferre mundo.* Alter Germ. *benedictam precem proferre mundo*: per quæ verba in iisdem MSS. Sermo clauditur. Secuti sumus MS. Corb. in quo hæc insuper additur clausula, *præstante Dei & hominis Filio, quem portasti in utero Redemtorem ac Dominum N. J. C. qui cum Patre ac Spiritu-sancto unus Deus in Trinitate vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

puella Judæa, ex semine David regis generata: adulta facta sum, & desponsata sum conjugi, & placui alteri non interveniente adulterio, sed intercedente Spiritu-sancto. Desponsata sum homini Judæo, & placui homini Deo: desponsavit me vir Judæus, & adamavit me Christus Deus. Ignoravit quidem sponsus meus Joseph, quòd me adamasset Deus meus, & putavit quòd adulterio impregnatus esset venter meus. Namque ignorante Joseph sponso meo, venit ad me quidam magnus Christi paranymphus, non patriarcha primus, aut propheta egregius; sed Gabriel ille Archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabili, adspectu terribili, visitavit & perturbavit me, salutavit & gravidavit, dixitque mihi, *Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Dominus*, inquit, *tecum*; sed plus quàm mecum. *Dominus tecum*; sed non sicut mecum. In me enim licèt sit Dominus, memetipsum creavit Dominus; per te autem nasciturus est. Ita est enim, Maria, *Dominus tecum*, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo; adimpleat mentem tuam, adimpleat ventrem tuum; procedat formosus de utero tuo, tamquam sponsus de thalamo suo; egrediatur rex ex intimo ventre tuo, tamquam rex de cubiculo suo; procedat princeps ex aula regali; ita ut virginitatem tuam non faciat violari.

Lucæ 1. 34. 3. Dixitque ei, *Quomodo fiet istud*, ut utero gravescam pudico, & immunis sim à marito; *quoniam virum penitus non cognosco?* Desponsata namque sum homini justo, si cum illo non convenero, unde erit quod generabo? Sed si potest fieri ut & concipiam intacta, & generem clausa; indica modum, & paratum invenies animum meum. Omnibus enim me modis exopto ego Deo meo; ut & habeam prolem, & non perdam pudorem. Refert angelus Gabriel modum conceptionis, quòd in verbo fieret Salvatoris. O, inquit, Maria virgo Dei, sponsa Dei, dilecta Dei, filia Dei, mater Dei, si hunc à me modum requiris, quomodo virgo concipias, virgo parias, & post partum virgo permaneas, vel quomodo fiet in te qui fecit te; audi me, & ne perturberis in te: Ibidem 35. *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ita te virtus Altissimi obumbrabit, ut nec æstum patiaris libidinis, & mater sis Creatoris.

4. Nescit interea Joseph Mariæ sponsus, quid cum ea egerit Angelus. Subito Joseph intuitu familiari & licentia maritali adspicit Mariam conjugem suam: vidit in ea tumescentes venas in gutture, & adtenuari faciem, postremùm vidit eam gressibus gravari; intellexit Mariæ uterum gravidari. Turbatur Joseph homo justus, quòd Mariam quam de templo Domini acceperat, & nondum cognoverat, gravidam sentiebat, [a] & quam non meruerat in conjugii honore, jam haberet in confusione: secumque diu æstuans ac disputans, dicit, Unde hoc contigit, quid evenit? Non cognovi, non tetigi; si non tetigi, non violavi; si non violavi, non gravidavi. Heu, heu quid contigit, quid putas evenit, per quem Maria sic cecidit, quem sibi plus quàm me adulantem invenit? Ego enim cùm licentiam haberem maritalem, ante thorum nuptiarum puellarem non vexavi pudorem. Timui, multumque pertimui, quod in illo Mosaïco libro Legis Deut. 22. 21. sententiali est verbo præfixum: quòd quæcumque virgo paternam domum fœdaverit adulterio; morienda lapidibus subjacebit: similiter & vir, qui pudoris vestimentum patri non detulerit, coramque testibus replicaverit, pudorisque signaculum non demonstraverit, moriendum & ipsi cum virgine erit. Utrosque ergo libidinarios hac Moyses sententiâ feriri voluit, simulque adulteros perire mandavit. Sic namque ait, Ibidem. *Auferetis opprobrium de domo Israël: & omnis qui audierit, timebit, & non aget impiè.* Hanc Moysi sententiam præcavebam, ipsamque luxuriam in meo corpore refrenabam, maximè quia & David filiam esse, [b] & regali me functum sacerdotio prænoscebam. Sed quoniam nihil mirum est, nihil novum, nihil absconsum quod non reveletur, & occultum quod non in publicum veniat, in David regis filia aliquando recolo historiam. David regem in Bersabée Uriæ Cethæi mulierem audacia extulit regalis, nec eum timor terruit maritalis: Mariam David regis filiam cogitatio impulit puellaris, nec eam tenuit terror parentalis. Quid ergo faciam, quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, consilium quæro, nec plenum invenio. Prodo, aut taceo? Quid faciam penitus nescio. Prodo adulterium, aut taceo propter opprobrium? Si prodidero, adulterium quidem non consentio, sed [c] nævum crudelitatis incurro; quia secundùm librum Moysi lapidandam esse cognosco. Si tacuero, malum consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere pejus est; ne per me fiat homicidium, dimittam tacitè conjugium. *Cogitavit*, inquit, *Joseph*, sicut Evangelium dicit, *occultè dimittere Mariam conjugem suam.* (Matth. 1. 20.) Cogitavit ut esset alterius, cùm jam esset [d] alterius, non mentis refragatione, sed fidei conceptione.

5. Sed non timeat Maria David illius magni regis filia, quoniam sicut in David veniam contulit sermo Prophetalis, sic Mariam liberat Angelus Salvatoris. Veni jam, Mater Domini casta, in qua non fuit virilis appetitio, sed Spiritus-sancti adimpletio; quam non violavit Joseph vir Judæus, sed solus imprægnavit omnipotens Deus; quæ non es commixta Joseph sponso tuo; nec cognita alicui viro, sed soli omnipotenti Deo. Invoca, Virgo sancta, Dominum tuum David patrem tuum, non illum David adulterio fuscatum, & Uriæ Cethæi homicidio divulgatum: sed illum dico David forti manu prœliatum, diu cum diabolo altercatum. Surgat Deus in adjutorium tuum, mittat de cælo Angelum suum, & visitet in somnis sponsum tuum. Suspendat judicium Moyses suum, ne Joseph vindicet in adulterium tuum. Parat itaque Joseph animum in tempore, quo Mariam possit occultè dimittere.

Per Angelum Joseph pacatur. 6. Ecce iterum Virginis ille paranymphus, non homo, sed angelus Gabriel ille conspicuus, cæli cursor æquissimus, medio noctis libramine dicit ad Joseph in visione: Joseph, inquit, fili David, cur tantum tribularis, quid multùm contristaris, cur in somno cogitando desudas, cur vigilando tristis ambulas, cur de Maria malam tibi ingeris suspicionem, cùm ipsa tibi generatura sit Salvatorem? Aufer zelotypiæ animum; qui nascetur ex ea, ipse est qui imprægnavit eam. Ideo enim, Joseph, tristis est anima tua, quia quæcumque legisti in prophetia, non intellexisti in Maria. Hinc est omnis tristitia tua, quòd sponsam tuam nondum cognoveris, & gravidam sentis, nec aliud in ea nisi adulterium suspicaris. Joseph, fili David, natus ex genere sacerdotali, non solùm sacerdotali, verùm etiam & regali, filius Prophetarum, socius Scribarum: ille Deus qui scripsit mirabilia in Lege sua, ipse fecit mirabilia in conjuge tua. Quid autem sunt Dei mirabilia, nisi quæ hominibus sunt impossibilia? Mirabilia ergo Dei in Lege non legisti? Quòd si etiam legisti, quare non intellexisti? Ipsa certè, Lex quam quotidie legis, sine graphio scripta est in tabulis lapideis. Prophetiæ de Maria explicantur. Lege & intellige quòd panem in eremo terra produxerit, cujus semen in terra arator nullus induxit. Virga etiam Aaron annis sicca quàm plurimis sine aqua revixit, in templo floruit, nucesque clausa sub tecto produxit. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stilo ferreo, ipse gravidavit Mariam Spiritu-sancto: & qui produxit panem in eremo sine seminatore, ipse fecundavit Virginem sine corruptione: & qui fecit virgam sine pluvia germinare, ipse fecit filiam David sine semine generare. Postremò, Joseph filius David, filius Prophetarum, non legisti Isaiam eximium Prophetarum, quid dixerit, quemadmodum scripserit, *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel?* (Isai. 7. 14.) Quod ergo legisti in libris tuis, adspice in Maria oculis tuis: ut dignè dicas canticum David patris tui, *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* (Psal. 47. 9.) Accipe ergo Mariam conjugem tuam, semper de ea securus, & in nullo sis sollicitus: quia quod conceptum est in ejus utero, non est de peccato, sed de Spiritu-sancto; & qui nascetur ex ejus utero, non vocabitur filius Judæi, sed vocabitur Filius Dei. Habe ergo, Joseph, cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum; quia de virginibus membris Virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi carnis

a MSS. potiores post verbum *sentiebat*, subdunt, *secumque diu* &c. omissis verbis intermediis.

b In MSS. nonnullis, *& regale sacerdotium prænoscebam*: In editis autem, *quia David filium me esse sciebam, & regali* &c.

c MSS. vetustiores, *necem*. Navarr. *nefas*.

d Ita MSS. potiores. Quidam alii, *ut esset adultera*. Editi, *adulterii rea*. In Navarr. cod. *ut esset adulterium, cùm jam esset mysterium*.

suæ virginitate servata; sis autem & tu pater Christi curâ castitatis, & honorificentiâ virginitatis: ut de virginibus membris genereris sæculis Christianis sponsum virginitatis & maritum castitatis, communem singulis virginibus & maritatis, in quo nulla sit zelotypia: quia virginitas salutatione imprægnata est in Maria. Magnum meritum virginitatis, Fratres. Virginitas Mariæ Angeli salutatione est imprægnata, à Johanne de utero est salutata, & generans virginitas Mariæ ab Angelis est hodie collaudata, & lactans virginitas Mariæ per stellam de cælo est prædicata, & à Magis muneribus honorata. Gaude itaque, Joseph, nimiúmque congaude virginitati Mariæ, quia solus meruisti virginale possidere conju- B gium: quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Olim de Sanctis 20. & pòst in Appendice 76.

*SERMO CXCVI.

In Natali Johannis-baptistæ, I.

Hac ipsa die in Romano Breviario legitur sub nomine Augustini: sed ipsi tamen haud immeritò fuit per Lovanienses perque Verlinum & Vindingum abjudicatus. Consensionem in sensibus & in verbis habet quàm plurimam cum Fausti scriptionibus variis, scilicet cum homilia (quam ipsius esse suprà ad Sermonem 176. diximus) Eusebiana de Christi natali prima, ubi modo eodem explicatur processio C *Verbi à Patre. Cum ejusdem Fausti epistolis prima ad Felicem & sexta ad Ruricium convenit in distinguendis duobus abstinentiæ generibus: cum ipsius libro de libero arbitrio c. 9. in nonnullis quæ hìc cap. 4. leguntur verbis: cum homilia etiam inter Eusebianas de nativitate sancti Johannis secunda, quam quidem ex ista præsertim sententia*, Scivit quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi invigilaret collaborantis industria, *Fausti esse conjicimus, qui simile quidpiam dixit in lib. 1. de libero arbitrio. Observamus tandem Eusebianâ homiliâ ad Monachos secundâ contineri partem Sermonis hujus non exiguam, ab illis nimirum verbis cap. 4.* Novimus quia familiariter mens humana in diversis hujus mundi illecebris &c.

Cap. I. 1. POST illum sacro-sanctum Domini natalem diem, nullius hominis nativitatem legimus celebrari, ni- D si solius beati Johannis baptistæ. In aliis sanctis & electis Dei novimus illum diem coli, quo illos post consummationem laborum, & devictum triumphatumque mundum in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturiit; in aliis consummata ultimi diei merita celebran- (Ratio singularis hujus festivitatis.) tur: in hoc etiam prima dies & ipsa etiam hominis initia consecrantur; pro hac absque dubio caussa, quia per hunc Dominus adventum suum, ne subitò homines insperatum non agnoscerent, voluit esse testatum. Johannes autem figura fuit veteris Testamenti, & in se for- (Johannes typus Legis.) mam prætulit Legis: & ideo Johannes prænuntiavit Salvatorem, sicut Lex gratiam præcucurrit. Quòd autem nondum natus de secreto materni uteri prophetavit, & expers lucis jam testis est veritatis: hoc est intelligendum, quòd latens sub velamine & carne litteræ, & redemtorem mundo spiritu prædicavit, & nobis Dominum nostrum de quodam Legis utero proclamavit. Ergo quia Judæi erraverunt à ventre, id est, à Lege quæ Christo (Psal. 57. 4.) gravida erat; *Erraverunt à ventre, locuti sunt falsa:* ideo (Johan. 1. 8.) *hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* (Matth. 11. 2.) Quòd autem Johannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos ordinat, Lex ad Evangelia transmittit. Quæ Lex juxta typum Johannis quasi ignorantiæ clausa carcere, in obscuro & in occulto jacebat, & Judaïcæ cæcitatis sensus intra litteram tenebatur inclusus.

(Johan. 5. 35. Lucerna ardens.) 2. De hoc beatus Evangelista proloquitur, *Ille erat lucerna ardens*, id est, Spiritus-sancti igne succensus, ut mundo ignorantiæ nocte possesso, lumen salutis ostenderet, & quasi inter densissimas delictorum tenebras, splendidissimum justitiæ solem lucis suæ radio demon- (Matth. 3. 3.) straret, de se ipso dicens, *Ego vox clamantis in deserto.* Videamus in quo deserto, id est, in Gentium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & Spiritu-sancto carentia, deserto squalentis eremi comparantur. Desertus enim erat hic mundus ab omni cultura fidei & timoris Dei, & peccatorum spinis obsitus squalebat tamquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fecunditatem adtulerat, nullum imbrem gratiæ spiritalis acceperat. Mittitur beatus Johannes, qui eum per propheticam atque apostolicam prædicationem, annuntiando pænitentiam, quasi rudem campum proscinderet, fecundaret & excoleret, divini verbi seminibus impleret: & A ad maturam frugem, id est, ad regenerationis gratiam præpararet.

3. Jam illud quantæ gloriæ est, quòd Zachariæ sacerdoti seni & Elisabeth sterili à Gabriele, id est, ab illo (Cap. II. Quæ suo in ortu revelet.) Angelo promittitur, à quo Mariæ nativitas Domini nuntiatur: & quasi ex aliquo similis Domini, præmittitur filius sterilis ante filium Virginis, nescio quod majus miraculum ipsa nativitate declarans. Insperata prole posteritas muneratur; quia novo partu erat muneranda & ditanda virginitas. Præmittitur ante Jesum Christum Johannes, quasi Testamentum vetus ante novum; ut dies diei eructet verbum, & sacramentorum obscura profun- B ditas evidentioribus novæ doctrinæ mysteriis reveletur. Præmittitur ergo lucerna ante solem, servus ante Dominum, amicus ante sponsum, præco ante judicem, vox ante verbum. Et ideo de se dicit, *Ego vox clamantis in deserto.* (Matth. 3. 3.) Quid est quòd beatus Johannes vocem se esse dixit? id est, quia Verbi annuntiator & prædicator erat.

4. Hic jam sollicitè requiramus, quid inter verbum sit & vocem. (Cap. III. Verbum quid sit, quid vox.) Scripturæ sanctæ verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus; verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur: vocem verò, per quam verbum profertur in medium. Vox, sonus est index cogita- C tionis; verbum verò ipsa cogitatio. Sicut enim quando verbum corde concipimus, necessaria est * vox quasi quoddam vehiculum verbi; & quamlibet * verbum ipsum per oris sonum ad alium transferamus, tamen illud integrum etiam intra nos, id est, clausum à loquente transfertur, (* Euseb. hom. 2. de hoc festo. * Euseb. homil. 1 de Nativit. Domini.) ut tamen in sua sede teneatur: ita & omnipotens Pater innotescere nobis volens, Sapientiam & Verbum illud quod *in principio erat Deus apud Deum*, sicut ipse testatur, (Johan. 1. 1.) *Eructavit cor meum verbum bonum*, beatum Johannem, (Psal. 44. 2.) quasi vocem per quam ad nos Verbum suum proferret, assumsit. Quod quidem Verbum de illa sede ita ad nos descendit, ut in sinu, id est, in profundo Paterni pe- D ctoris permaneret, terrena visitans, & cælestia non relinquens.

5. Hanc itaque gloriam beatus Johannes baptista non de longinquo, sicut reliqui Prophetæ; sed vicinus & proximus antecessit. (Johannis præ ceteris Prophetis gloria.) Illi adventum regis ante multa tempora prædicaverunt; alii dixerunt, Quandoque venturus est; alii, Ecce citò venit: iste autem quem venturum prædixit, venisse monstravit, & prophetiam suam ipso quem annuntiabat assistente complevit. * Adhuc itaque (* Cap. IV.) in utero matris suæ Spiritu-sancto est repletus, & suam ipsius nativitatem prophetando prævenit; ad similitudinem Domini sanctificatus antè quàm natus, intra vis- E cera exsultans, & Salvatoris adventum materno ore protestans. Verè lucerna ardens, in quo tam singularis gratia divinæ dignationis effulsit, ut jam jamque adfore Redemtorem sanctæ genitricis voce narraret; & per eam, velut per quamdam veritatis lucernam, nondum in lucem prolatus ostenderet. Hic est ille novi & veteris Testamenti idoneus mediator, & gloriosi Agni dignus ostensor: qui Dominum suum & annuntiare uno tempore meruit & videre, una eademque suæ nativitatis ætate & nova incipiens, & vetera concludens. (Mediator est novi & veteris Testamenti.)

6. De persona hujus Evangelista testatur, *A diebus*, inquit, *Johannis regnum cælorum vim patitur.* (Matt. 11. 12.) [* Novimus (* Euseb. hom. 2. ad Monachos.) F quia familiariter mens humana in diversis hujus mundi illecebris & concupiscentiis devicta fugit laborem, expetit voluptatem, & vix adducitur ut consuetudinem à se vitæ prioris excludat: (Vis facienda propter regnum cælorum.) sed cùm cœperit cogitare ultimi diei necessitatem, ac futuri judicii pondus, incitata & stimulata vel spe præmii vel timore supplicii, voluntarium bellum indicit passionibus, & vim facit pristinis suis desideriis, & violenter se vincere ipsa contendit. Non enim sine violentia fieri potest, ut de abundantia & deliciis ad famem & sitim, ad abstinentiam & crucem transeat; ut somno priùs atque otio amicam carnem con- G tritione vigiliisque conficiat. * Non, inquam, sine violentia fieri potest, ut unusquisque iracundiam patientiâ, (* V. Faustum lib. 1. de libero arbitrio, c. 9.) superbiam humilitate commutet; amore paupertatis divitiarum ac sufficientiæ affluentiam superet; vinolentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet; & homo subitò in virum transformetur perfectum, & quodam modo alter reddatur ex altero; ac sic à talibus per violentiam regnum cæleste diripitur.

[CLASSIS III.] [CAP. V. Confer Fausti epist. 1. ad Felicem, & 6. ad Ruricium.] [Duo abstinentiæ genera.]

7. * Duo autem sunt abstinentiæ & crucis genera, unum corporale, aliud spiritale. Unum à potu atque epulis temperare, appetitum gulæ à delectationibus & mollissimis suavitatibus coërcere, ab his quæ per tactum & gustum visumque decipiunt, sensum viriliter revocare, ac violenter abstrahere. Alterum abstinentiæ & crucis genus est pretiosius atque sublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modestiæ tranquillitate placare, iræ ac superbiæ impetus quasi feram bestiam refrenare, litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quadam censoria austeritate virtutis, & rixam quodam modo cum homine interiore conserere.] [* Hactenus Eusebius.] Pretiosa hæc in conspectu Dei & gloriosa crux, cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examinatione discutere, & regentis imperio subjugare; à sermone atque opere quo anima læditur, tamquam à cibis noxiis abstinere, & sensum ab his quæ contraria sunt, spiritali temperantiâ sobrium custodire. [* Hæc qui facit, perrupto passionis muro violenter ad cælorum regna conscendit.] [* Rursum Eusebius ubi supra.] Vim itaque sibi factura est anima, ut palmam laborum, quam sibi subtrahi multis inimicis adversantibus sentit, viribus contendat eripere. Necesse ergo est cum summo labore ex hoc mundo rapere palmam salutis, & quasi excubantibus circumjectis hostibus obsessos pervigili intentione fructus decerpere, & prædam à thesauro vitæ velut de medio abreptam sæculi hujus incendio reportare.

[CAP. VI. Rapit Ecclesia Synagogæ regnum.]

8. Est & aliud direptionis genus, quando aliis promissa & oblata diripimus. Salvator ad hoc vel maximè suscepta incarnatione descenderat, ut Judæorum populum justificaret: sicut ipse in Evangelio loquitur, *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël.* [Matth. 15. 24.] Sed & discipuli ita incredulam Synagogæ plebem coarguebant: *Vobis*, inquiunt, *priùs oportuerat verbum Dei loqui; sed quia vos indignos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* [Act. 13. 46.] Ergo cùm Judæi munera sibi parata respuerent, publicani & peccatores ex Gentibus crediderunt; ac sic rapit Ecclesia Synagogæ regnum. Regnum enim nostrum Christus est. [Regnum nostrum Christus.] Rapimus itaque eum, cùm à Judæis occiditur, sepelitur à nobis. Rapimus autem eum illis dormientibus, sicut ipsi in Evangelio confitentur, *Dicite*, inquiunt, *quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus.* [Matth. 28. 13.] Surgat ergo qui dormit; ne fortè Christum per negligentiam resolutus amittat, dum mens ejus in infidelitate & in torpore dormitat. Rapitur itaque regnum cælorum, dum negatur à domesticis, & à Gentibus adoratur. Rapitur, cùm aliis ad salutem mittitur, ab aliis invenitur; cùm sui eum recusant, suscipiunt alieni; insectantur proprii, complectuntur inimici: quando hereditatem civis respuit, peregrinus invadit; filius repudiat, servus recognoscit. [Rapiunt & homines angelis apostatis.] Adhuc & alio ordine regnum cælorum vim patitur, quando illud homines adquirunt quod Angeli perdiderunt, quando illuc adoptati humiles adscendunt, unde superbi incolæ ceciderunt. Ergo cùm inter tantos invidos, inter tantos latrones & invisibiles insidiatores vivamus, quibus tandem viribus cælorum regna captemus? Quis, inquam, nisi obediendo doctoribus, & vitiis & injustitiis ex cupiditate nascentibus resistendo, deflendo peccata, & ea jejuniis atque eleemosynis redimendo?

* SERMO CXCVII.

[* Aliàs de Sanctis 21.]

In Natali Johannis baptistæ, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Manebat apud Lovanienses dubius; rejectus est per Verlinum & Vindingum. Constat exserptus ex superiore Sermone, ex Eusebianis de hoc festo duobus, ex eo qui apud Ambrosium est in eadem celebritate secundus, ex duobus demum inter Augustinianos. Conclusio stili est Cæsariani.

[Solius Domini & Johannis Nativitas celebratur.]

1. NATALEM sancti Johannis, Fratres carissimi, hodie celebramus, quod nulli umquam Sanctorum legimus fuisse concessum. Solius enim Domini & beati Johannis dies nativitatis in universo mundo celebratur & colitur. * Illum enim sterilis peperit; istum virgo concepit. [* Augustinus serm. aliàs ex Vignerianis 3.] In Elizabeth sterilitas vincitur; in beata Maria conceptionis consuetudo mutatur. Elizabeth virum cognoscendo filium genuit; Maria Angelo credidit, & concepit. Hominem concepit Elisabeth, & hominem Maria; sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum & hominem. Quid sibi vult ergo Johannes? Unde interpositus, unde præmissus? [SERM. DE SANCTIS.] [* Magnus igitur Johannes, cujus magnitudini etiam Salvator testimonium perhibet, dicens, *Non surrexit inter natos mulierum major Johanne baptista.* [* Apud Ambrosium Ser. 2. de hoc festo.] [Matth. 11. 11.] Præcellit cunctis, eminet universis; antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior est Johanne. [Qui ex muliere, inferior est Johanne.] Dicit fortasse aliquis, Si inter natos mulierum Johannes major est, major est Salvatore. Absit. Johannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est; ille corruptibilis uteri finibus effusus est, iste impollutæ vulvæ flore progenitus. Ideo autem cum Johannis nativitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videatur conditionis humanæ.] si comparetur hominibus * Johannes, præmissus est ante Deum. [* Augustinus Serm. aliàs ex Vignerianis 3.] Tanta in illo excellentia erat, tanta gratia, ut ipse putatus sit Christus. Quid ergo dixit de Christo? *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* [Johan. 1. 16.] Quid est, *nos omnes?* Ergo Prophetæ, Patriarchæ, Apostoli, quotquot sancti, & ante incarnationem præmissi, vel ab incarnato missi, omnes nos de plenitudine ejus accepimus: nos vasa sumus, ille fons est.

2. Si ergo intelleximus mysterium, Fratres mei, Johannes homo est, Christus Deus est: humilietur homo, & exaltetur Deus, secundùm illud quod de Domino ipse Johannes dixit, *Illum oportet crescere; me autem minui.* [* Confer. Ser. aliàs de Diversis 40. n. 2. & 3.] [Johan. 3. 30.] Ut humiliaretur homo, eo die natus est Johannes, quo incipiunt decrescere dies: ut exaltetur Deus, eo die natus est Christus, quo incipiunt crescere dies. [Ut Christi, sic Johannis nativitas plena mysterio.] Magnum sacramentum, Fratres carissimi. Ideo celebramus Natalem Johannis, sicut & Christi, quia & ipsa nativitas plena est mysterio. Quo mysterio, nisi humilitatis nostræ; sicut nativitas Christi plena est mysterio altitudinis nostræ? Ergo in homine minuamur, ut in Deo crescamus; in nobis humiliemur, ut in illo exaltemur; humilietur humana præsumtio, ut crescat divina miseratio. Nam hujus rei sacramentum etiam in passionibus amborum impletum est. [Item & utriusque passio.] Ut minueretur homo, caput Johannis abscinditur: ut exaltetur Deus, Christus in ligno suspenditur.

3. Quare autem beatum Johannem Dominus & Salvator noster lucernam esse dixerit, & quare eum mitti ante se voluerit, breviter, si jubetis, Caritatis Vestræ auribus cupimus intimare. [Cur Johannes lucerna dictus, & ante Christum præmissus.] * Præmissus est enim velut vox ante verbum, lucerna ante solem, præco ante judicem, servus ante dominum, amicus ante sponsum. [* Ex superiori sermone.] Et quia universum mundum peccatorum tenebræ & nox infidelitatis oppresserat, & solem justitiæ adspicere non valebat; beatus Johannes quasi lucerna præmittitur, ut cordis oculi, qui lippitudine iniquitatis oppressi magnum & verum lumen videre non poterant, ad lumen lucernæ primùm quasi tenuem splendorem videre consuescerent; & paulatim peccatorum nubilo remoto, & infidelitatis humore digesto, adveniente Christo, ab illo cælesti lumine lætificari possent potiùs quàm torqueri. Sicut enim lippientes oculos ad videndum provocas, si exiguum splendorem lucernæ ostenderis; & ampliùs crucias, si lumen magnum ingesseris: ita Dominus & Salvator noster, qui est lumen verum, nisi priùs beatum Johannem velut lucernam præmitteret, claritatem illius totus mundus sustinere non posset. [Cur vox.] [* Loquatur Joannes, & dicat, *Ego vox clamantis in deserto.* [* Euseb. verba homil. 2. de hoc festo.] [Johan. 1. 23.] ª Vox erat; quia Verbi Dei spiritu replebatur. Sicut sermo vocis quodam modo ministerio ac vehiculo ad audientem à loquente transmittitur; ita ille Christum sonans, Verbi erat minister & portitor.] * Sanctus, inquam, Johannes typum in se Legis, quæ Christum longè per signa & indicia monstrabat, ostendit; [* Vide superiorem Serm. n. 1.] [Legis typum gessit.] & ideo misit ad Christum duos de discipulis suis. Isti duo discipuli à Johanne ad Christum missi, fortè duo populi sunt, quorum unus ex Judæis credidit, alter ex Gentibus. Johannes dirigit ad Christum; Lex mittit ad gratiam, & per Evangelii fidem, veterem desiderat adstrui veritatem.

4. Nos verò, Fratres carissimi, ut tam sanctam festivitatem non solùm corporali, sed etiam spiritali cum gaudio celebrare possimus, secundùm vires nostras ad dandas eleemosynas, & ad tenendam cum omnibus pacem nostros animos præparemus: & ab omni scurrilitate vel turpiloquio non solùm nosmetipsos, sed & om-

ª Ita editi & Eusebius. At MSS. duo Corb. *vox erat; quia Verbum præibat: clamabat, quia Spiritu-sancto plenus erat.*

nem familiam noſtram & univerſos ad nos pertinentes pro amore Dei & zelo ſanctæ diſciplinæ prohibere totis viribus laboremus, nec permittamus voluptuoſos quoſque ſollemnitatem ſanctam cantica luxurioſa proferendo polluere. Tunc enim pro nobis ſanctus Johannes quidquid petierimus poterit obtinere, ſi nos feſtivitatem ſuam pacificos, ſobrios, caſtos, abſque ullo turpiloquio cognoverit celebrare. Hæc ergo, Fratres cariſſimi, pro paterna ſollicitudine ſuggero: nam Deo propitio ita de veſtra devotione confido, quòd non ſolùm voſipſos, ſed etiam omnes qui ad vos pertinent, cum omni honeſtate caſtos ſobrioſque conſervetis. Unde Deo gratias agens ſupplico, ut qui vobis dedit ea quæ ſancta ſunt fideliter incipere, concedat vobis felicem perſeverantiam cuſtodire, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

*SERMO CXCVIII.

** Olim de Sanctis 36. & pòſt in Appendice 34.*

In Natali Johannis baptiſtæ, III.

Maximo perperam adſcribitur in Theodericenſi MS. Euſebiana eſt homilia de hoc feſto prima, ſed mutilata & interpolata. Ad iſtam homiliam quæcumque non pertinent, continentur anſulis; eaque Cæſarium referre videntur.

Johannes ſingulari celebritate colitur.

1. HODIE, dilectiſſimi Fratres, Johannis qui Domini præcucurrit adventum, natalem diem colimus, quod nulli ſanctorum meminimus adtributum: hodie, inquam, natalem diem unica ac ſingulari celebritate veneramur. Unde quia eum rectè extollere non valemus humanæ vocis officio, prædicemus Dominicæ adteſtationis oraculo, proloquente Chriſto, quia *inter natos mulierum non eſt major Johanne baptiſta*. (*Matth. 11. 11.*) Ipſe hoc dicit: & ideo cognoſce magnificentiam laudis ex dignitate laudantis; ac ſic dum nemo illo eſſe major aſſeritur in natis mulierum, datur intelligi, quòd Johannes[a] humanorum fugit menſuram meritorum. (Humana excedit merita.)

2. *Ego vox clamantis in deſerto:* (*Iſai 40. 3.* Vox eſt.) hoc eſt dicere, Non ſum ego Verbum quod erat in principio Deus apud Deum; ſed vox potiùs, id eſt, miniſter ſum Verbi, ut per me ad auditus hominum ſenſuſque perveniat. Unde beatus Baptiſta pari humilitate pronuntiat, *Illum oportet creſcere; me autem minui.* (*Johan. 3. 30.*) *Illum*, inquit, *oportet creſcere*; quia per omnem mundum Chriſti Evangelium dilatatur: *me autem minui*, quia Johannis prophetia finitur. (Chriſto creſcente minuitur.) [*Illum oportet creſcere*, qui erit exaltandus in cruce: *me autem minui*, qui ſum truncandus in capite.] Johannis enim prophetia finem accepit; quia is qui prophetabatur, advenit. Johannes ergo formam venturi Domini [b] nativitate & converſatione ſignavit. (Chriſtum ortu & converſatione ſignavit.) Johannes naſcitur de ſene patre: Chriſtus de matre virgine in mundi ſeneſcentis ætate; ætate, inquam, illa quæ erat fide & operibus infecunda. Johannes venit deſperata generatione per ſterilem; & Chriſtus natura obſtupeſcente per Virginem. Ille ſalutem prædicavit; hic contulit. Ille baptizavit in pænitentiam; iſte regeneravit in gratia.

3. Hic eſt enim Johannes qui impietatem regis Herodis, (Libertas illius in arguendo.) qui uxorem fratris viventis invaſerat, publica auctoritate condemnans, propter juſtitiam perdidit vitam, ſed lucratus eſt gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum vel timore offenſionum præferimus adulationem, & vendimus veritatem, [non timentes illud quod terribiliter ſcriptum eſt, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* (*Ezech. 3. 18.*) Solent tamen aliquotiens doctores Eccleſiæ non pro negligentia peccantium ab increpatione ceſſare; (Pravorũ correptio quando extra culpam omittitur.) ſed quia eos timent ex ipſa caſtigatione ad pejora mala prorumpere. Quando pro hac re non prædicant ſacerdotes, non poſſunt habere de taciturnitate reatum: quia ſicut viri boni interdum ex dura increpatione corriguntur; ita econtra omnes etiam ſuperbi leniſſima admonitione ad pejora præcipitia provocantur. Nam in tantum prædicatores Eccleſiæ aliquotiens non ex voluntate, ſed ex neceſſitate peccatores non arguunt; (Pium ad pravos corrigendos artificiũ.) ut interdum ſpiritali medicamento & caritatis artificio ſuperbos quoſque etiam indignis laudibus proſequantur: ut dum erubeſcunt falſa eſſe quæ de eis dicuntur, ad emendationem vitæ & bona opera provocentur; ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.* (*Pſal. 10. ſec. Hebr. 3.*) Et quia vera eſt illa ſapientis viri ſententia, * Sicut vera laus ornat, ita falſa caſtigat: (** Cæſar. hom. 25.*) non eſt tamen impoſſibile apud Deum, ut etiam illi qui humanis laudibus invitati bona opera exercere cœperint, Deus illis hoc in amorem & conſuetudinem vertat; ſecundùm illud quod de ſapientibus quidam dixit, Bene conſueſcere, pudebit diſſueſcere: & iterum, Bona loquamur, tranſiet ſermo in affectum. Beatus tamen Johannes plena & perfecta libertate maluit injuſta ſuſtinere, quàm juſta non dicere.] Unde Evangelico beatus ipſe Johannes alloquio corda noſtra ſalutifero pulſat oraculo dicens, *Ego vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* (*Lucæ 3. 4.*) Si teneamus in nobis verbum veritatis, affectum juſtitiæ; erit in nobis illa via, per quam humanum pectus Chriſtus ingreditur. Ideo autem dicit, *Ego vox clamantis.* Vox præconis judicem loquitur, clamor judicium comminatur.

4. Et conſequenter annuntiat, *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* (*Iſai. 40. 4.*) Hoc eſt ergo, quod aliis verbis Evangeliſta commemorat, *Qui ſe exaltat humiliabitur.* (*Lucæ 14. 11.*) [Veniet tempus, Fratres dilectiſſimi, ut ſe ſuperbum fuiſſe ſine ullo remedio doleat, qui ſe nunc ſalubriter humiliare diſſimulat. (Status miſeriæ vel felicitatis quandoque mutandus.) Veniet tempus, ut humiles eleventur in cælos, & ſuperbi in inferni profunda mergantur. Veniet tempus ut ſe avari omnes fuiſſe divites doleant, à quibus nunc Chriſti pauperes irridentur. Non ſemper iſte qui nunc eſt, humanæ conſuetudinis ordo ſervabitur: non ſemper Lazarus fame torquebitur, nec ſemper avarus dives deliciarum abundantiâ perfruetur: ſed citò & ille de ſterquilinio ab Angelis elevabitur in paradiſum, & ille qui eleemoſynam noluit dare, ſi pænitentia non ſubvenerit, de luxurioſo convivio rapietur in tartarum; ut qui in hoc ſæculo pauperi noluit dare micam, in inferno non mereatur accipere guttam: & * qui pauperem paſcere noluit de deliciis ſuis, paſcat flammas de medullis ſuis.] (** V. Suprà Serm. 174. n. 1.*) Nos verò, Fratres, quantum poſſumus, laboremus, ut quod ſuperbia tumidum elatumque reddiderat, humilitate & manſuetudine complanetur, quod iniquitas depravaverat, directione juſtitiæ corrigatur, quod malitia exaſperaverat, bonitatis gratiâ temperetur. Inter hæc ſtudia inveniat nos Chriſtus Dominus: quia ipſe conferre dignatus eſt viam, per quam nos perducat ad patriam: ut de nobis dicere dignetur, *Et inambulabo & inhabitabo in eis, & ero illorum Deus.* (*Levit. 26. 12.*) Si in iſto ſæculo ambulaverit in nobis, illic habitabit in nobis, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

*SERMO CXCIX.

** Olim de Sanctis 22. & pòſt in Appendice 77.*

In Natali Johannis baptiſtæ, IV.

Ipſa eſt Petri Chryſologi Ravennatis epiſcopi homilia, hic tamen non procul ab exordio decurtata.

1. AURUM de terra legere qui noverunt, ubi divitem ſenſerunt venam, ibi quidquid eſt artis, quidquid laboris eſt, impendunt. Et nos, Fratres, quia in ſancto Zacharia cæleſtem videmus latére theſaurum, in ipſo totum quod ſermonis eſt noſtri, quod veſtri auditûs eſt, occupemus; quatenus commune lucrum ſit, quod fuerit communi labore adquiſitum. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Judææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, & uxor ejus nomine Elizabeth de filiabus Aaron.* (*Lucæ 1. 5. & 6.*) *Et erant*, inquit, *ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Beati igitur, Fratres, quos in ſæculo iſto aliqua culpa non percutit, nullum vulnerat crimen. (Johannes parentibus commendatur.) Beati planè iſti, quos ulla non potuit aliquando tangere querela. *Incedentes*, inquit, *in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Si pueritia, ſi adoleſcentia, ſi juventus eorum exſtitit ſine querela, ubi totum maximè ſolet eſſe querela; qualis eſſe potuit eorum ſenectus? Si tale fuit initium, qualis eſſe potuit finis?

2. *Et non erat*, inquit, *illis filius, eò quòd eſſet Elizabeth ſterilis.* (Eliſabeth ſterilis.) Non dixit, Non erant illis filii, ſed, *Non erat illis filius:* quia ſingularis futurus erat, qui de talibus erat naſcitu-

[a] Ita apud Euſebium. At in MSS. *humanorum fuit menſura meritorum*; In editis autem, *ſupra humanorum fuit menſuram meritorum*.

[b] MS. German. *nativitatem & converſationem*.

CLASSIS III.

rus. Audi Dominum dicentem, Non est major inter natos mulierum Johanne baptista. *Eò quòd esset Elisabeth sterilis.* Erat quidem Elizabeth sterilis corpore, sed fecunda virtutibus; tarda soboli, sed non tarda Deo; non germine clausa, sed tempore; non negata pignoribus, sed servata mysterio. Fratres, Elisabeth sanctæ partus non ablatus est; sed dilatus, donec pertransiret tempus carnis, passio corporis, conjugii necessitas, voluptatis caussa, cupiditatis sensus, & totum quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificii domus, sanctitatis hospitium, metatum metatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus-sancti, Dei templum. Templum Dei estis, inquit » Apostolus, & Spiritus Dei habitat in vobis. Denique ubi tota corporis sedata est querela, & in totum facti sunt sine querela, mox sterilitas fugit, reviviscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur major [a] homine, par Angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuntius, signifer superni regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio Gentium, & ut propriè dicam, Legis & gratiæ fibula, quæ diploidem summi sacerdotis sancto Patri jungebat in corpore. Evangelista ergo virtutes patris matrisque describit: ut ex generantium meritis dignitas germinis nosceretur; & probaretur major homine, qui ortu suo excedebat legem nativitatis humanæ. Sed si processurus est, jam nascatur Johannes; quia instat nativitas Christi. Surgat novus lucifer; quia jubar jam veri solis erumpit. Det vocem præco, quia adest judex; clamet tuba, quia venit rex: & quia processurus est Deus, Angelus jam præcedat.

(Matth. 11. 11.) (Donec transiret cupiditatis sensus.) (1. Cor. 3. 16) (Johannis encomia. a)

5. Verùm quia quod supra hominem est, homo referre non sufficit; virtutem nascentis Angeli Angelus jam loquatur. *Dixit*, inquit, *Angelus ad Zachariam, Ne timeas, Zacharia, exaudita est obsecratio tua, & Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem, & erit gaudium tibi & exsultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, & multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ecce præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ convertere corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Vacat hîc, Fratres, humanus sermo, silet prædicatio tractatoris, quando Angelico præconio Johannis gloria prædicatur, virtus insonat, laus collaudatur: nec est quod illi jam adjiciat homo, cui Deus contulit totum. *Spiritu*, inquit, *sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Videtis, Fratres, quemadmodum Johannes antè pervenit ad cælum, quàm tangeret terram; antè accepit divinum Spiritum, quàm humanum; antè suscepit divina munera, quàm corporis membra; antè cœpit vivere Deo, quàm sibi: immò antè vixit ille Deo, quàm Deus viveret illi, juxta illud Apostoli, Jam non ego vivo, sed vivit in me Christus. Sexto, inquit, mense suæ matris exsultat in utero, & in uterum Virginis venisse nuntiat Christum. Fervens nuntius, qui antè gestivit nuntiare quàm vivere. Impatiens dux, qui antè quàm perveniret ad corpus, pervenit ad regem; antè rapuit arma quàm membra, antè aciem petit quàm lucem, & ut vinceret mundum, vicit antè naturam. Ipse enim sine visceribus viscera matris exsuscitat; & quia tardabat corpus, solo spiritu implet evangelizantis officium. Quid dicam, Fratres? Johannes antè quàm Christum præcederet, se ipsum præcessit. Patris, matris, filii corda unus atque idem implet Spiritus-sanctus; ut uno sanctitatis organo resonet nativitatis Dominicæ cantilena.

(Lucæ 1. 13. &c.) (Quàm illustris Angeli de Johanne prophetia.) (Gal. 2. 20.) (Lucæ 1. 44. Eum ipse implet necdum natus.)

* SERMO CC.

(* Alias inter Vignerianos Supplementi Tom. 1.)

In Natali Johannis baptistæ, V.

In Appendice nunc primùm collocatur. Mutilus est & mendis multis inquinatus, neque cum Augustinianis, si dicendi rationem spectes, comparandus.

1. IMPERATOR cæli & terræ qui nos fuit visitare dignatus, Prophetarum oraculis olim est prædicatus. Ab ipso quippe exordio mundi prædicatus est nobis adventus Domini Salvatoris. Non enim potuit venire Verbum in terram sine voce præconis. Prædixerunt Prophetæ, qui venturum Dominum Christum nuntiaverunt in carnem; sanctus verò Johannes, cujus hodie celebrandus Natalis illuxit, non solùm Verbum prophetavit, sed ceteris demonstravit. Meritò inter ceteros Prophetas major appellatur, qui non solùm prædicavit & monstravit, sed etiam baptizavit. Major Johannes baptista dictus est: ut tamen non sit discipulus supra Magistrum, neque servus super Dominum: *In natis*, inquit, *mulierum non surrexit major Johanne baptista. Mulierum* dicit; nam qui ex Virgine natus conditor & rector mundi est & dominus........

SERM. DE SANCTIS. (Matth. 11. 11)

2. Missus est Angelus in Templum ad Zachariam, qui susceptum eum filium in senectute nuntiavit; Virgini etiam Mariæ Angelus nuntius fuit: sed Maria credidit, Zacharias diffidit. Et qui diffidit, silentio condemnatur; quæ credit, laudibus honoratur....... O beata mater, quæ talem portavit natum, qui Dei Filium præcurrens nuntiavit, atque baptizavit! Caruit Elizabeth sterilitatis opprobrio, quæ genuit filium de cælo promissum, qui mundi divitias contemnens, cælestia regna quæsivit. Ut præiret Verbum in virtute & spiritu Eliæ, adhuc in utero positus, Matris Domini adesse præsentiam cognovit. Venientis testis est fidelis, Scriptura dicente, *Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans præ gaudio in utero meo.* Ipse mihi demonstravit, quia tu es mater Domini mei, quæ venisti ad me. Antè mihi magister factus est quàm filius; antè me ipse docuit, quàm ego eum lactarem; nondum scit pulsare ubera mea, & novit instruere conscientiam meam: cælum & terram nondum vidit, & intra viscera mea Deum cæli ac terræ cognovit. Qualis est iste nuntius, qui de occultis cognoscat Dominum? In occultis loquitur mysterium, nuntiat miraculum.

(Lucæ 1. 11.) (Lucæ 1. 44.)

3. *Unde*, inquit, *mihi, ut veniat ad me Mater Domini? Unde hoc*, inquit, *mihi?* Ipse enim Deus, ego homo; ille Dominus, ego autem servus; ille Creator, ego creatura: ipse me plasmavit intra viscera, qui suæ matris implevit viscera. *Unde hoc*, inquit, *mihi?* Nulla sunt merita, & præcedunt mihi divina beneficia. Duæ invictæ virtutis sunt matres, sterilis, & virgo. Duæ naves oneratæ de cælo: una fert promissum de viro, alia portat Verbum ex Deo; una præmisit præconem, alia tulit judicem; una lucernâ illuminatur, alia sole: virgo portat sponsum, sterilis fert amicum. Nam, & temporibus distinctis paruerunt certissima signa sanctitatis. Johannes nascitur die deficiente; Dominus nascitur die crescente: ut caro deficiat, spiritus convalescat. Oportet ergo, Fratres carissimi, in tantis mirabilibus gaudentes, ut credamus & de * Adam facere, & fecundam reddere sterilem. Qui matris servavit pudorem, assumsit nomen floris, non amisit candorem; pudorem servavit virginis, mysterii lumen exhibuit. Qui se ipsum tradidit pro nobis, præstet etiam & prospera nobis. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(Ibidem. 43.) (* f. & Deum matrem facere virginem.)

* SERMO CCI.

(* Olim de Sanctis 26. & post in Appendice 78.)

In Natali apostolorum Petri & Pauli, I.

Exstat quoque inter vulgatos Ambrosii nomine Sermones, ipsi veriùs fortè quàm Augustino tributus.

1. NOTUM vobis omnibus est, Fratres, & universo mundo notissimum, quod beatissimorum Petri & Pauli Natalis est hodie, nec aliquam partem orbis latere potest tanta devotio: siquidem cùm de his dicat David propheta, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; in omnem terram mirabilis Petri virtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarum Pauli verba penetrarunt. Quis enim non audivit, quòd [b] primùm beatus apostolus Petrus sedenti ad speciosam portam templi claudo, & ex matris suæ ventre olim jam debili, pedum restituerit firmitatem; ut quod natura minus contulerat, Apostolica gratia repararet? Cum enim claudus ille stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab Apostolis crederet accepturum, ait illi apostolus Petrus, *Argentum & aurum non habeo; sed quod habeo, hoc tibi do: in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Beata planè largitas, quæ petenti argentum quidem non contulit, sed contulit sanitatem! Beata largitas, quæ de thesauris aurum non protulit, sed protulit medicinam! Beatus & ille claudus, qui dum sti-

(Psal. 18. 5.) (Petrus per signa, Paulus per epistolas ubique clarus.) (Act. 3. 6.)

a In MSS, heminum,

b Editi Augustiniani, primus; repugnantibus Ambrosianis & MSS.

pem quærit pecuniæ, divitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab Apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter, ipsum Petrum petram à Domino nuncupatum, sicut ait, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si ergo Petrus petra est supra quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat; ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet: rectè, inquam, primùm in Christiano pedes curat; ut jam non trepidus nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ stare, sed robustus & fortis incedere. Ubi autem verba Pauli apostoli non leguntur? Quis locus ea litteris non inscribit, corde retinet, conversatione custodit? Qui Paulus à Domino vas electionis est nominatus. Bonum vas, in quo pretiosa mandatorum Christi præcepta conduntur: bonum vas, de cujus plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima Apostolorum nomina, petra & vasculum, necessaria domui Salvatoris. Domus enim petrarum fortitudine construitur, utilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur, sustentat populos: vas ad custodiam, ne tententur, operit Christianos.

Primum Petri signum claudi sanatio.
Matth. 16. 18.
Rei hujus convenientia.
Petrus petra, Paulus vas; ambo quàm Ecclesiæ necessarii.

2. Exitus verò eorum de hoc sæculo quàm beatus fuerit, nemo qui nesciat. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quòd ambo una die passi esse noscuntur, scilicet ut quos una fides servitio devinxerat, una dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio diversa licèt in singulis fuerit, tamen quantâ referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucis, sicut Salvator, exitum tulit, & Dominicæ devotionis similitudine nec in morte discerptus est: scilicet ut quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò cervice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse magis lactis unda, quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratiâ in ipsa cæde exstitisse splendidum potiùs quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ? sicut ipse ad Corinthios ait, *Lac vobis potum dedi, non escam.* Hæc est planè repromissionis illa terra, quam patribus nostris promisit Deus, dicens, *Dabo vobis terram fluentem lac & mel.* Non enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquis cœnum involvit, lutumque permiscet: sed de illa terra Pauli & similium Pauli, quæ jugiter purum suaveque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tamquam ubera, Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De cervice ergo Apostoli pro sanguine lac manavit. Legimus in epistola ipsius, quoniam *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Jam igitur Paulus possidet regnum; quoniam caret sanguine, qui impedire dicitur regnaturos. Adhuc ergo Paulus in terris positus, etiam in regni cælestis substantiam transformatur.

Quàm congruat quòd una die passi.
quòd Petrus confixus cruci.
quòd de Pauli cervice lac profluxerit.
1. Cor. 3. 2.
Exodi 3. 17.
1. Cor. 15 50.

3. [a] Ideo, Fratres carissimi, quotienscumque Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus sine aliqua dilatione concurrere debemus ad domum Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt: præsertim cùm dicat ad sanctos suos omnipotens Deus, *Qui vos honorat, me honorat; & qui vos spernit, me spernit.* Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit Dominum nostrum, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-sancto Deus &c.

Lucæ 10. 16.

* SERMO CCII.

In Natali apostolorum Petri & Pauli, II.

* Olim de Sanctis 27. & pòst in Appendice 79.

In excusis locum etiam habet inter Sermones Ambrosianos & Maximianos. Ex MSS. verò, Augustino quidam, alii Ambrosio, sed multò plures Maximo adsignant. Hujus nomine legitur in Romano Breviario die 5. Julii.

1. Cum omnes beati Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ ceteris peculiari quadam in Salvatore fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipsius Domini judicio possumus approbare. Nam Petro, sicut bono dispensatori, clavem regni cælestis dedit; Paulo, tamquam idoneo doctori, magisterium ecclesiasticæ institutionis injunxit: scilicet ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefecerit doctrinâ verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Clavem enim quodam modo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clavis enim dicenda est qua ad fidem [b] pectorum dura corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quidquid intrinsecùs clausum tenetur, in palàm rationabili manifestatione producitur. Clavis, inquam, est quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterii salutaris includit. Ambo igitur claves à Domino perceperunt; scientiæ iste, ille potentiæ. Divitias immortalitatis ille dispensat; scientiæ thesauros iste largitur. Sunt enim thesauri scientiæ, sicut scriptum est, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Ergo beati Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt.

Apostoli inter se pares, Petro tamen & Paulo inferiores.
Serm. de Sanctis.
Petro potentiæ, Paulo scientiæ clavis credita
Coloss. 2. 3.

2. Verùm inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione; & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse. Non enim sine caussa factum putemus, quòd una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam. Una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent; uno in loco, ne alteri Roma deesset; sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In urbe Romana, quæ principatum & caput obtinet nationum: scilicet, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; & ubi Gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum morerentur principes. Cujus autem meriti sunt beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quòd cùm Dominus Orientis regionem propria illustraverit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licèt illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum.

Petrus & Paulus meritis æquales.
Cur uno die, uno in loco, sub uno tyranno passi.
Cur in Occidente.

3. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt: sed videamus caussam quare ista perpessi sunt: scilicet quòd inter cetera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostraverint. Cùm enim idem Simon se Christum diceret, & tamquam filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset; tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem. Prior enim adscendit ad Dominum oratio quàm volatus, & antè pervenit justa petitio quàm iniqua præsumtio. Antè, inquam, Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon perveniret ad cælestia quò tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit; & hoc in opprobrium facti illius: ut qui paulò antè volare tentaverat, subitò ambulare non posset; & qui pennas assumserat, plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirum videatur, quòd magus iste præsente Apostolo per aërem aliquamdiu volitaverit, hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimiùs adscendere, ut altiùs caderet. Voluit eum in excelsum levari ad conspectum omnium, ut ruentem illum de excelso oculi omnium pervideret. Hæc igitur est iniquitatis elatio, ut in altum se ferat, in sublime se erigat: sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, universam dejicit vanitatem.

Mortis eorum caussa.
V. Hegesippum lib. 3. cap. 2.
Orationis virtus.
Cur Simon Magus volare in altum permissus.

* SERMO CCIII.

In Natali apostolorum Petri & Pauli, III.

* Aliàs de Sanctis 29.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat apud Lovanienses, supposititius apud Verlinum & Vindingum. Si cum Eusebiana de hoc festo homilia contuleris, non difficilè ex verbis & modo loquendi intelliges ejusdem esse auctoris utrumque Sermonem, scilicet ipsius, nisi fallimur, Fausti Semipelagiani. Certè Pelagiani hominis sunt verba

a Hæc clausula abest à MS. Theodericensi, nec videtur cohærere cum superioribus.

b Ita in Augustinianis & Ambrosianis editis & nonnullis MSS. In aliis autem & apud Maximum, *peccatorum dura corda.*

verba iſta n. 3. Sed in opere perſequentis Apoſtoli fidem prævidebat; & ideo quia proſpexit zelum, honoravit affectum. *Verba habet Ambroſiani Serm. de SS. Nazario & Celſo. Concluſio aliunde Sermoni aſſuta videtur; & Auguſtinum, cujus nomine in Romano Breviario legitur in feſto S. Petri ad Vincula, minimè refert.*

1. HODIE duos Chriſtiani nominis fundatores exſultantis Eccleſiæ feſta concelebrant. * Hi enim duo electi ſunt ad duorum populorum ſalutem; Petrus ad Judæorum, Paulus ad Gentium: Petrus, ut in Judæa veterem ac deſertum repararet agrum, atque eum ſub umbra Legis infructuoſum & à calore veri ſolis abſconditum, fidei ſalubritate & gratiæ fecundaret: Paulus verò ad Gentes mittitur, ut terram novam, quæ nullam antea dederat frugem, nullum fuerat experta cultorem, aratro Dominicæ crucis proſcinderet, & in rudi campo Chriſti novellam infatigabilis operarius excitaret. Petrus itaque vineam ubi jam fuerat reparat; Paulus plantat ubi non erat. Petrus in Judæis arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem in radice ſua excolit; Paulus verò in alieno fomite peregrinos Gentium ramos inſerit. Petrus in Judæis de vite ſpinas reſecat; Paulus in Gentibus uvam de rubeto vindemiat. Petrus domum reædificat in ruinoſis; Paulus novis erigit fundamentis. Petrus in Judæis malè fecunda excolit; Paulus in Gentibus nondum culta fecundat. A Petro in Judæis olea reparatur; à Paulo in Gentibus oleaſter inſeritur. Petrus in Judæis mollit duritiam; Paulus in Gentibus illuminat ignorantiam. Petrus tenebras vitiatis pellit ex oculis; Paulus reddit oculos à nativitate cæcatis. Vario ac diverſo genere innumeri populi ad unius regis militiam congregantur; ac ſic duo potentiſſimi duces Petrus antiquum de veteribus reducit, Paulus novum de tyronibus Chriſti conducit exercitum.

(Margin: * V. Euſeb. in homil. de hoc feſto. — Petrus ad Judæorum, Paulus ad Gentium ſalutem electus.)

2. Diſcurrunt itaque per univerſum mundum duo ſplendidiſſimi negotiatores, portantes coram Gentibus & regibus & filiis Iſraël pretioſa fidei mercimonia. Circumferunt aromata juſtitiæ, thura divinæ venerationis, incenſum compunctionis, balſamum caſtitatis. Illi igitur ſal prudentiæ ſpiritalis, de quibus dicitur, *Vos eſtis ſal terræ*; quibus utique animæ condiantur, & inviolatæ ab æterna peccati corruptione ſerventur. * Erogant per omnem terram ſpiritales diſpenſatores pretia ſalutis, theſauros ſanctitatis. Quærunt quos ſecum ad cælum adtrahant piiſſimi animarum parentes, diſpares partium ſtudiis, operum meritis pares.

(Margin: Negotiatores ſunt. — Matth. 5. 13. — * Euſeb. ubi ſupra. — Et ſpiritales diſpenſatores.)

3. * Æquales enim illos ac ſimiles per varia ac diverſa virtutum genera dixerim. Nam etſi cum Petro Chriſtus vixit in terris; ſed Paulum compellare non dedignatur è cælis, [a] [adhuc etiam perſequentem. Sed in opere perſequentis Apoſtoli fidem prævidebat; & ideo quia proſpexit zelum, honoravit affectum. Et quia ſub propoſito placendi Deo, agebatur ignarus ad culpam; ſtatim poſt admonitionem cucurrit devotus ad gratiam.] Quamobrem etſi in corpore non eſt locutus cum Chriſto Paulus, non minus illud eſt quòd locutus eſt Chriſtus in Paulo, dicente eodem, *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* Ac ſic [b] quem foris prædicationibus proferebat, intus corde geſtabat. Neſcio igitur quid ei defuerit ſanctitatis, de cujus pectore Dominus, quaſi de peculiari templo ſuo, ſalutaria populis reddebat oracula. Petrus ambulare ſuper aquas debita ſoli Deo poteſtate præſumſit, * & rerum obſtupeſcente natura per inſueti itineris novas vias pendulum inferens greſſum, tumentia maris dorſa calcavit: ſed non minor Paulus, qui, ſicut ipſe de ſe dicit, nocte & die in profundo maris fuit. Non minor, inquam, Paulus, quem velut novi Teſtamenti Jonam, die ac nocte per maris profunda jactatum abſorbuit fluctus, & reddidit, quaſi ſacrum depoſitum violare non audens, quaſi famulo eum ſinu unda cuſtodiens illæſum populorum prædicationibus reſervabat.

(Margin: * Euſebii verba loco citato. — In multis æquales. — 2. Cor. 13. 3. — * Ex Serm. de SS. Nazario & Celſo apud Ambroſ. — 2. Cor. 11. 25. — Paulus novi Teſtamenti Jonas.)

4. [c] Hic eſt quoque beatus Petrus in illa cæleſtium diſcipulorum ſchola præcipuus, ac primus idoneus qui verba vitæ ex Chriſti ore ſuſcipiens, per Evangelii poteſtatem Judæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hereditatem vocaret, interpres Legis, aſſertor gratiæ, deſtructor Synagogæ, Eccleſiæ reparator: & ideo ſolus inter Apoſtolos meruit audire, *Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum. De hoc ait ſermo divinus, *Et ponebant*, inquit, *infirmos ſuos, ut umbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos.* Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantò magis gratia nunc permanentis?

(Margin: Serm. de Sanctis. — Matth. 16. 18. — Act. 5. 15.)

5. Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quantò magis catena vincientis? *Ut umbra*, inquam, *tranſeuntis Petri obumbraret eos.* Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis, quantò plus de corpore meruerunt adtrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? Si ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax poſt triumphum. Felices illi nexus qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apoſtolum contingentes martyrem reddiderunt. Felices catenæ, quæ nudatis penè oſſibus inhærentes, vivas reliquias de ſanguinis ſudore jam adtrita carne rapuerunt, tactuſque membrorum cruciatûs ſui ſanctificat inſtrumentum, in quo dum afflictio creſcit ad pœnam, cauſſa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia vincula, quæ reum ſuum uſque ad Chriſti crucem non tam condemnatura, quàm conſecratura miſerunt. In illa itaque cruce imitari metuens ſacrificium Redemtoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ, honorari etiam ſupplicii genere pertimeſcit; & qui non recuſat Dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaveſcit triumphi!

(Margin: Vinculorum Petri commendatio.)

* SERMO CCIV.

(Margin: * Aliàs de Sanctis 25.)

In Natali apoſtolorum Petri & Pauli, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienſes, rejiciunt ut falſum Verlinus & Vindingus. Leoni in veteri codice Corbeienſi adſcribitur, in aliis quibuſdam Auguſtino: ſed horum ſanè Doctorum eruditione & gravitate indignus eſt. Stilo parum diſtat à ſuperioribus Sermonibus 187. & 195. Habet verba etiam nonnulla Sermonis proximè ſubſequentis.

1. FILIOLI mei audite nos, & liberate vos. Currite pro vobis, & nobis præſtatis & vobis. Commune erit gaudium noſtrum, ſi vos viderimus induere Chriſtum. Juvenes & virgines, ſeniores cum junioribus ad gratiam feſtinent: mater noſtra pariendo non diſcernit ætates. Ipſa genuit Petrum, ipſa genuit Apoſtolos omnes, ipſa genuit Paulum, ut ex lupo fieret agnus. Tamquam natus eſt Saulus, crevit, & factus eſt magnus. Baptizatus eſt à matre, illuminatus à Patre; & cœpit velle Petrum videre: & cùm quæreret eum valde videre, magis eum Petrus cœpit timere. Audivit enim Petrus, quia Saulus eum quæreret. Noli timere, beate Petre; quia non Saulus te quærit, ſed Paulus vas electionis te cupit videre. O ſancte Petre, benedic Patrem, & ſuſcipe fratrem; & habes cum quo poſſis defendere matrem. O beate Petre, quia converſus eſt Saulus, miraris; qualis es tu, erit & ipſe talis, & unus vobis erit Natalis. Qui fecit ex Saulo Paulum, ipſe fecit ex Simone Petrum. Unus vos honoravit, unus vos coronabit. Mutavit perſecutorem, mutavit & piſcatorem; etſi te priorem, illum poſteriorem: tamen ambobus unum donavit honorem. Veni ſancte Paule, veni, ſequere Petrum; ſed docentem, non fugientem. Fugiebat, quando te neſciebat.

(Margin: Petrus à Paulo quæritur & timetur.)

2. Nam iſte beatiſſimus Paulus, ſicut in lectione Actuum Apoſtolorum, cùm recitaretur, audivimus, cæleſti voce proſtratus eſt. Dum furit ad caulas lupina rabie, dum exoſum ſibi nomen innocentis Agni perſequitur, dum quærit diſcerpere aut vexare gregem, audivit altiſonam

(Margin: Act. 9. 4.)

a Quæ clauduntur anulis, omittit MS. Floriacenſis.

b MS. Floriac. *Ac ſic quidem* (fortè *quem*) *lingua prædicans hominibus præferebat.*

c Quæ ſequuntur non habet MS Floriacenſis, ſed eorum loco hæc ſubjicit, quæ & aptiùs cohærent ſuperioribus, & Euſebianos ex dicta homilia ſenſus magis exhibent. *Petrus igitur regni cæleſtis claves meruit; & Paulo adhuc in corpore conſtituto cælorum clauſtra patuerunt, ſicut ipſe dicit, Scio hominem in Chriſto, ſive in corpore ſive extra corpus, Deus ſcit, raptum uſque ad tertium cælum. Quæ cùm ita ſint, non ſolùm beati Apoſtoli Petrus & Paulus, ſed etiam multi cum eis & per eos cæleſtes illas claves tenere arbitrandi ſunt, qui ſibi piis laboribus, invitante & cooperante Chriſto, illius ſæculi januam patefaciunt, qui ſibi portas juſtitiæ introducente gratia reſerant ſpiritali felicium meritorum; regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum.*

CLASSIS III.

vocem, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quid frustrà insanisti contra nomen meum, & occidisti Martyrem meum? Olim quidem debui perdere te; sed Stephanus meus oravit pro te. Et ille, *Quis es, Domine?* Et Dominus ad illum, *Ego sum*, inquit, *Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.* * Caput de cælo clamat pro membris. Inquietatur corpus; & de cælo intonat Christus, *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris?* Quid est quòd rugientis poli mugit arcanum, & contra sævitiam Pauli militia conqueritur cæli; nisi ut qui non crediderat resurgentem, saltem crederet in cælo sedentem? Nam dicitur Ananiæ, *Accede ad eum, & signa eum charactere meo: multa enim patietur pro nomine meo.* Et ille, *Domine, audivi à multis de viro hoc, quia multa mala fecit sanctis tuis.* Ait illi Dominus, *Vade, quoniam vas electionis est mihi.*

[Margin: *Ibidem.* Pauli salutem oratio meruit Stephani. — ℣. 5. — * *Ita Serm. subseq. n. 2.* — ℣. 15. — ℣. 13. — ℣. 15.]

3. O beate Anania, meritò in timore trepidares, si fortis manu non esset cui militares. Nam ideo prosternitur superbia, ut erigatur sanctitas. * Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum, & fecit Paulum. Baptizavit lupum, & fecit agnum: & cœpimus habere prædicatorem, quem habuimus persecutorem. Denique cœpit prædicare Christum, cui antea resistebat; paratus pati pro eo, contra quem antea pugnabat. Patitur Paulus quod fecerat Saulus. Saulus lapidavit; Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit; Paulus pro Christo quinquies quadragenas unâ minus accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam Dei; Paulus submissus est in sporta. Saulus vinxit; Paulus vinctus est. Et dum Saulus sæviens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum. Et dum infert aliis necem, suscepit ipse pro Christo mortem. Dum intrat lupus rapax in stabula pecudis, subitò & ipse factus est ovis. Itaque quis jam desperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatissimum Petrum piscatorem modò genibus provolutis adorat excellentia imperatorum; immanem Credentium persecutorem Paulum veneratur Gentium multitudo credentium, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: * *Infrà Serm. 215. n. 5.* — Paulus patitur quæ infligebat mala. — 2. *Cor.* 11. 24. *&c.*]

* SERMO CCV.

[Margin: * *Aliàs de Sanctis 28.*]

In Natali apostolorum Petri & Pauli, V.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex Lovaniensium censura dubius, ex Verlini autem & Vindingi sententiâ suppositītius est. Non peritiori stilo conscriptus, quàm Sermo superior, quo cum Sermone in sententiis & verbis quibusdam convenit.

1. PISCATORIS & persecutoris sacratissimum diem, geminæ festivitatis occursu, devotione præcipua hodie celebramus, ille quo retia evasit sæculi, iste quo, ex prædone confessor factus est Christi. Eligit ecce duos unum piscatorem, alterum grassatorem. Illum vocat ex littore, ad istum clamat ex æthere: illum accersit ex ponto, istum terret de cælo. Dum enim Petrus linea castra laxaret in freto, Christus retia misit in verbo. Cepit Christus, cepit & Petrus; Christus discipulum, Petrus pisciculum: & dum circumdat gentem squameam, ipse incidit in retia. *Præteriens*, inquit, *Jesus vidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus, & Andræam fratrem ejus, retia mittentes in mare; erant enim piscatores. Quibus Christus sic ait: Venite*, inquit, *post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus, secuti sunt eum.* Stabat Petrus mobilitate gurgitis pendulus, & inter obscuras aquas inquieti maris, victum quem non habebat, artificio requirebat. Nutabat super ambiguam undam, ut posset indagare capturam. Vario fertur refertúrque vestigio, stat mobilis, & movetur stabilis. Rimatur inter cæcos marini germinis fluctus, & sub obscura unda fugitivam insequitur prædam. Conclusus aquâ carcer jactatur in pelagus, disposita prætenditur muscipula, erigitur maculosus sub unda paries, fit cæca piscibus in mari custodia: & dum insidiatur Petrus gregibus æquoris, ipse in retia incidit Salvatoris. Fit de prædone præda, de piscatore piscatio, de pirata captivitas. *Venite*, inquit, *post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus suis; secuti sunt eum.* Dum enim Petrus in hamo quærit concludere piscem, hamum verbi misit Christus, & ipsum tenuit piscatorem. Distendebat Petrus [a] sinuoso lini volumine vacuam cortinam: & dum insequitur gravidi semper æquoris prolem, captorem suum fecit in littore Christum Salvatorem. Trahebat, & trahebatur: exercebat in æquore violentiam, & patiebatur in mente capturam. O aquigenûm pirata reptilium, deseruisti artificium hoc, mutasti de pisce ad piscem. (Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam adscendit de flumine vivus: cujus jecore per prunas passionis assato, fugatus est diabolus; & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus.) De pisce, inquam, ad piscem, de reti ad Ecclesiam, de mari ad fontem, de captore factus est captura. Reliquit enim salum fluctuans, & cœpit ambulare post piscem. Similitudo artis inflammat desiderium audientis; ut qui antè captorium jaciebat in salo, verbi nunc retia spargat in mundo. Tunc enim pisces induxit; nunc autem homines sagenis spiritalibus irretivit.

[Margin: Petri vocatio exponitur. — *Matth.* 4. 18. *&c.* — *Ibidem.* 19. & 20. — SERM. DE SANCTIS. 2]

2. Paulus autem parvus, sed ex parvo magnus, dum diceretur Saulus, sidereæ vocis tubâ contritus, cadit elisus audaciâ, ut seminet erectus in mundo doctrinam. *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris?* Ibat enim Saulus furiæ equis invectus, dirum toto pectore virus efflabat, sanctorumque sanguinem sitiens, per totam Judæam insaniæ ferebatur habenis, ut Christi membra laniaret in terris. Fit vana religione crudelis & quæstionarius innocentium. Per campos sceleratissimi aggeris evagatur; ut Judæa quæ jam primo sævierat in capite, crudelitatem exerceret in corpore. Acceperat enim Saulus potestatem à principibus sacerdotum, ut homines fidei nostræ occideret, & germinantem fidei campum manu nefaria detruncaret. Dum ergo portat Saulus funereum contra milites Christi gladium, fulmineum de cælo accipit telum; dum grassatur, percutitur; dum Christi sanctos persequitur, violento radio cælestis luminis cæcatur: & qui sufflatorio superbiæ adversùs Deum erigebatur, divinæ vocis terribilitate prosternitur: *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris?* * Caput pro membris clamat. Inquietatur corpus; & intonat Christus in cælis, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quid est quod [b] rugientis poli mugit arcanum, & contra sævitiam Pauli provincia conqueritur cæli; nisi ut qui non crediderat resurgentem, saltem crederet in cælis sedentem: & qui defuncto Apostolorum Domino asseveraverat ex sepulcro mendacium, de cælo viventis acciperet testimonium? *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris?* Subitò igitur hastâ divinæ increpationis prostratus ad terram, & sævitiam perdit & semitam; deponit feritatem, & incurrit oculorum cæcitatem; cœpit habere ducatores, quos habuerat antè secutores.

[Margin: Pauli conversio. — *Act.* 9. 1. — *Ibidem* 4. — * *Ita superiori Serm. n.* 1.]

3. Ubinam Paule currebas, quando videbas? Ecce nunc oberrans quæris locum; & qui persequebaris Christum, cæcus curris ad manum. * O Saule rapax lupe, comedisti: sed exspecta paululum, & [c] digerens digereris. Credis ergo, ô Saule, in Deo, adhibes fidem perfido? Non solent istæ manus in sanguine pollui, si non te adhuc ab eis videris cruciari. Parum erat generi tuo, quòd crucifixerat Christum; insuper & manus mittere non formidavit in cælum. Impressit patibulo carnem, posuit ad ostium sepulcri custodes. Jam Christus adscendit ad Patrem; & adhuc genitrix tua non caruit feritate. O Judæa Prophetarum sanguine temulenta, necdum satiata es? A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ flumina tui sceleris spumant; & te adhuc usque non satiant? Ab origine mundi sanguinem bibis, & adhuc sitis? Nec dum tui facinoris in Christo unda siccavit; & jam alveus tui sceleris sitit? Modò Christum patibulo confixisti; & tam citò cupiditate sanguinis aruisti? Sed ecce prosternitur crudelitas, ut erigatur sanctitas. Cadit miles diaboli, ut surgat signifer Christi.

[Margin: * *V. infrà Serm.* 215. *n.* 5.]

4. Mittit Petrus in salum retiaculum; circumfert Paulus Dominicum in mundo vexillum. Et ille piscatur homines, & iste titulo Christi signat Gentiles. Currunt utrique ad palmam martyrii, & utrique perveniunt ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni revertentis occursu. Petrus pro Christo capite

[Margin: Petri & Pauli martyrium.]

[a] Ita MSS. Reg. & German. At Floriacensis, *sinuosa volumina*, *& vocat cohortem.* In editis autem, ut alii quam plures hujus Sermonis loci, sic & iste vitiosè reddebatur in hunc modum: *sinum lini, volvit in se vacuam cortinam.*

[b] Editi, *mugit populus*. Reg. MS. *rugiente populo*: & mox, *militia conqueritur*, pro, *provincia*. MS. Floriac. secuti sumus.

[c] MS. Reg. *digeres*. Floriac. *digereris*. Mox uterque, *adhibes ergo fidem video*, vel potiùs, *Judæo*.

Classis III. — Serm. de Sanctis.

deorsum in ligno suspenditur; Paulus pro Christo pugione truncatur. Ille propriis gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisque superiora respiciens, beatum spiritum deducebat ad cælum; iste cervicem curvabat ad pœnam, & offerebat verticem capitis ad coronam. Petrum crux necat; Paulum gladius immolat. Duo genera suppliciorum Domini & Christi, in duobus Apostolis Christi. Petrus patitur crucem; Paulus sentit Dominici lateris pugionem. Piscatorem suspendit hamus crucis; persecutorem mucro minuit persecutoris. Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua imperatoris. Ibi radiant gemmæ diadematis, ubi [a] fulgent beneficia piscatoris. Ex piscatore fecit Dominus Apostolorum principem; ex persecutore fecit Apostolicum confessorem. Præstitit passio socios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos. Veneremur ergo principes gregis, si volumus æterni caulas intrare pastoris.

* SERMO CCVI.

Olim de Sanctis 30. & post in Appendice 1c.

In Natali sancti Laurentii, I.

Dignus est qui legatur, Lovaniensium judicio. Inter Ambrosii Sermones reperitur in excusis, ipsique in MSS. Corbeiensi & Theodericensi inscribitur. Confer ad ejus Commentaria in Lucam & ad Sermones hujus Append. 86. 87. Comment. iisdem plurimùm congruentes. Ceterùm conclusio ab istis verbis, Nos verò, Fratres dilectissimi *&c. desumta est ex Cæsarii Sermone de Martyribus, qui est infrà 224.*

Laurentius mundum inflammat ad martyrium.

1. BEATISSIMI Laurentii martyris, cujus Natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo; & quanta in persecutione pertulerit, Dilectionem Vestram scire posse non dubito. Tanta enim ejus martyrii gloria exstitit, ut passione sua mundum illuminaverit universum. Illuminavit planè mundum Laurentius eo lumine quo ipse succensus est; & flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. Quis enim hoc exemplo nolit pro Christo ardere cum Laurentio, ut possit à Christo cum Laurentio coronari? Quis nolit ad horam sustinere Laurentii ignem, ut æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentii exemplo provocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem. Etsi nobis persecutoris flamma deest; fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu: non subjicit mihi persecutor ignem, sed suggerit mihi ignem desiderium Salvatoris. Esse autem Salvatoris ignem legimus in Evangelio, dicente eodem Domino, *Nescitis quia veni ignem mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur?* Quo igne succensi [b] Amahus & Cleophas dixerunt, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Hoc igitur igne etiam beatus Laurentius accensus, flammarum non sensit incendia: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnâ non ardet. In quantum enim in illo fidei ardor fervet, in tantum supplicii flamma frigescit. Corporali enim beatus Laurentius laborat incendio: hinc amore Christi succenditur, inde persecutoris flammâ torquetur: sed divinus Salvatoris ardor materialem tyranni restinguit ardorem. Quamvis enim in favilla membra solvantur, fidei tamen fortitudo non solvitur: corporis quidem detrimentum sustinet, sed lucrum salutis adquirit.

Martyrium spiritale. — *Luce 12. 49.* — *Luce 24. 32.* — *Igne ignis vim restinguit Laurentius.*

Diuturnum patitur supplicium.

2. Non enim, Fratres, beatus Laurentius citâ vel simplici passione perimitur. Nam qui gladio percutitur, semel moritur; qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur: hic autem longâ & multiplici pœnâ cruciatur; ut mors ei non desit ad supplicium, & desit ad finem. Dicitur enim ab illo sævissimo persecutore hæc beato Laurentio constituta pœna, ut ardentium expositâ mole carbonum, insuper eum ferrea crate distentum lenta flamma consumeret; ut non tam inflammando citò interimeret hominem, quàm diu exurendo torqueret: ita ut cùm unum latus exustum persecutor cerneret, aliud latus ignibus objiceret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam & Misaëlem beatissimos pueros à rege in camino ignis inclusos, in pœnarum suarum deambulasse flammis, & igneos globos pedibus conculcasse. Unde & beatus Laurentius non minori est gloria præferendus: si quidem illi in pœnarum suarum flammis ambulabant; hic & in ipso supplicii sui igne discumbit: illi vestigiis pedum conculcaverunt incendia; iste laterum suorum diffusione restinguit. Illi, inquam, stantes in pœna elevatis manibus orabant Dominum; hic autem prostratus in sua pœna, toto corpore Dominum deprecatur.

Dan. 3. 24. Tribus pueris non inferior.

Igne duplici se rogat exuri. — *Psal. 25. 2.*

3. Iterum ergo beatus Laurentius in dorsum supinus vertitur, & renes ejus ignibus exuruntur: ut impleretur Psalmi prophetia, quæ dicit ex persona Laurentii, *Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.* Duplici se utique postulat igne comburi. Nam si de solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantùm exurendos incendiis obtulisse. Cor autem nisi Christi flammâ non uritur: atque ideo ad comprobandam devotionem suam geminum sibi ignem postulat; ut luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quàm pœnam tyranni. Honoremus igitur, Fratres, beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superare, & amore Christi diem judicii non timere.

Ut Martyres imitemur. — ** Cetera repete ex Serm. 224. n. 1.*

4. Nos verò, Fratres dilectissimi, si ad consortium sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis * &c. . . . . ut in futuro sæculo bonorum fructus colligere cum gaudio & exsultatione possimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CCVII.

** Aliàs de Sanctis 32.*

In Natali sancti Laurentii, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat Lovaniensibus, Verlino autem & Vindingo spurius. Posterior pars ab illis verbis n. 3. Sufficere nobis debent *&c. initium est homiliæ Maximi de Martyribus. Prior etiam, cùm Laurentii martyrio minùs aptè conveniat, aliunde accepta non immeritò existimatur.*

Martyribus quid debeamus.

1. CUM omnes beatos Martyres, quos nobis antiquitas tradit, honorificentiâ dignâ miremur; præcipuè tamen beati Laurentii martyris triumphum debemus tota devotione suscipere. Majorem ergo affectum ibi debeo, ubi credulitatem meam cogit contemplatio, quàm ubi fidem meam hortatur opinio. Majorem, inquam, affectum ibi debeo, ubi per ea quæ vidi, compellor devotione credere etiam illa quæ non vidi. Nam cùm audio, aliquanta mihi impossibilia videbantur: sed cœpi ea credere potuisse fieri, dum similia facta esse conspexi. Et ideo temporis nostri passio, hanc nobis tribuit conferre gratiam, ut fidem præteritam confirmaret. Supradictum igitur virum beatum tota debemus devotione suscipere: primùm, quia pretiosum sanguinem suum propter Dominum tradidit; deinde quòd prærogativam nobis apud Dominum nostrum non minimam tribuit, ostendens qualis esse debeat in Christianis fides; tertiò, quòd idem tam sanctæ conversationis fuerit, ut coronam martyrii tempore pacis invenerit.

Laurentius ob tria meritò colendus.

Quare cruciatus.

2. Sed cùm sanctitate tanta beatum Laurentium pro Christi nomine vidissent certare Gentiles, erroresque eorum manifestos rationabili castigatione convinceret; tunc illi inebriati furore rapuerunt eum, & cæde crudelissima sauciarunt; tunc beati viri corpus flammis in craticula tradiderunt. Verè beatum corpus, quod non ad pœnam funestus ignis, vel tormenta à fide Christi immutaverunt; sed ad requiem Dominicam sancta religio coronavit. Sed & ipsa flamma ideo suscepit Martyrem; non ut eum à fide sua ignis mutaret, sed ut probatum Domino suo redderet. Tali enim incendio beata consecrata sunt viscera, non condemnata. Convenit huic passioni quod ait Apostolus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Salvus enim iste factus est, dum venerabilis confessionis est incendio concrematus. Hæc est tota caussa passionis, Fratres, propter quam morti addictus est sanctus vir, quòd sui similes ceteros hortaretur. Nam exhortatio illa in tantum profecit, ut illo à sæculo recedente, fides ejus regionis ipsius loca universa pervaserit. Ita Christus tunc in beato martyre suo Lauren-

1. Cor. 3. 15.

a In MS. Reg. *fulget supplicium.*

b Editi, *duo illi discipuli dixerunt.* At Corbeiensis MS. *Amahus & Cleophas dixerunt:* quomodo etiam habet idem Sermo apud Ambrosium. Accedit codex Theodericensis, in quo *Emahus & Cleophas:* & sic jam suprà in Ser. 86. ad eumdem locum. Ambrosius porrò in Lucæ caput 24. eosdem discipulos *Amaonem & Cleopham* vocat.

CLASSIS III.

tio persecutiones passus est: nunc illic plurimi Christianorum exsultant in populis.

* Maximus homilia de Martyribus.

3. * Sufficere nobis debent ad profectum salutis nostræ Martyrum exempla sanctorum, qui propter adipiscendam cælestem coronam, omnibus se mandatis Dominicis subdiderunt, & ita cunctis devinxerunt se legibus Salvatoris, ut propter antè actam vitam mererentur ad hanc martyrii gloriam pervenire. Non enim illo in tempore tantùm perfecerunt præceptum Domini, quo confessionis supplicium pertulerunt; sed necesse fuit illos priùs secundùm Evangelium vixisse, ut Christi passionibus potirentur. Necesse est, inquam, ut initia bona fuerint, quorum finis est optimus subsecutus; & martyres eos non solùm fuisse cùm passi sunt, sed etiam tunc martyres Christi esse cùm viverent. Martyr enim Græcè, Latinè Testis dicitur. Igitur quotienscumque [a] bonis affectibus mandatum Christi facimus, totiens Christo testimonium perhibemus. Unde & crux Domini non tantùm illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur; sed & illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur Salvator dicere, *Qui vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me.* Numquid enim omnes Martyres, qui secuti sunt Dominum, crucifixi sunt [b] cum Domino? Numquid omnes virgines, qui juxta Apocalypsim sequuntur Agnum Dei, crucifixi sunt ut sequantur? Numquid Paulus apostolus crucifixus fuerat, cùm dicebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?* Hoc autem dicit, ut intelligas crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisque propositum. TOTA IGITUR VITA CHRISTIANI hominis, si secundùm Evangelium vivat, crux est atque martyrium.

Martyres ante martyrium martyres fuisse necesse est.

Crucem tollere quid sit.

Matth. 16. 24.

Apoc. 14. 4.

Gal. 6. 14.

* SERMO CCVIII.

* Olim de Sanctis 35. & post in Appendice 83.

In festo Assumtionis B. Mariæ.

Incerti auctoris, qui multùm Augustino recentiorem Isidorum ex opere de vita & obitu Sanctorum citat. In nostris codicibus MSS. habetur absque nomine auctoris. At in Lovaniensium plerisque, ut ipsi observant, manuscriptis tribuitur Fulberto episcopo Carnutensi. Permulta hic reperies dicta jam ante in superioribus aliquot Sermonibus de B. Maria.

Sollemnitas hæc præcipua & jam meritò accepta.

1. ADEST nobis, dilectissimi Fratres, dies valdè venerabilis, dies omnium Sanctorum sollemnitates præcellens. Adest, inquam, dies inclyta, dies præclara, dies in qua è mundo migrasse creditur virgo Maria. Et ideo cum summa exsultatione laudes intonet universa terra tantæ Virginis illustrata excessu; quia indignum valde est, ut illius recordationis sollemnitas fit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere: satisque præposterum judicandum est, ut cùm sanctorum celebremus victorias Martyrum, illius sollemnitatem illis non præferamus, quæ huic mundo edidit Principem Martyrum. In hac siquidem die competenter sponso illi cælesti proclamat beata Virgo Maria, *Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cùm gloria assumsisti me.* Hodie, inquam, & ipsa à sponso filio & Domino congruè audivit, *Jam hiems transiit, imber abiit & recessit, surge proxima mea, sponsa mea, columba mea, & veni.*

Psal. 72. 24.

Cant. 2. 11. *&c.*

De Mariæ assumtione quid sentiat Ecclesia.

2. Hoc idcirco dicimus, Fratres, quia sicut jam in consuetudinem Christi suscepit Ecclesia, hodierna die ad cælos assumta fuisse traditur virgo Maria. Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia. Non solùm autem respuere apocrypha, verùm etiam ignorare dicitur hæc eadem Dei Ecclesia. Et quidem sunt nonnulla sine auctoris nomine de ejus assumtione conscripta; quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, nec assumtio ejus cum carne, ut in apocrypha legitur, in catholica historia reperitur. Quibus dicendum est, quia si Moysi corpus ab homine non invenitur in terris, cum quo locutus est Deus facie ad faciem; illius quærere dementiæ est, per quam idem majestatis Deus incarnatus effulsit in terris. Neque enim di-

a Apud Maximum, actibus.

A gnum est de corporis ejus notitia sollicitum quempiam esse, quam non dubitat super Angelos elevatam cum Christo regnare. Sufficere debet tantùm notitiæ humanæ hanc verè fateri reginam cælorum, pro eo quòd regem peperit Angelorum.

SERM. DE SANCTIS.

De genere mortis illius nullus Latinorum scripsit.

3. Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quidpiam apertè dixisse. Nam illum Evangelii versiculum quem Simeon dixit ad Domini Matrem, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, beatæ recordationis Ambrosius cùm tractaret, ait, Nec historia nec litteræ docent, Mariam gladio vitam finisse. Hinc & Isidorus, Incertum est, inquit, per hoc dictum, utrùm B gladium spiritùs, an gladium dixerit persecutionis. Sed quid de his de quibus loquor dicam; cùm nec ipse qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est, Johannes evangelista, de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandaverit? Nullus enim hoc fideliùs narrare potuit, si illud Deus manifestari voluisset, quàm ille utique qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius matrem reliquit. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus assumtione sententia hæc esse probatur, ut secundùm Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, assumtam super Angelos C credamus.

Luca 2. 35.

* *Ambrosius in Lucæ cap.* 2.

Isid. de vita & morte Sanctorum c. 68.

Vera de Assumtione sententia.

2. *Cor.* 12. 2.

Maria omni laude major.

4. His igitur prætermissis, loquamur aliquid in laudibus sacratissimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrûm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior enim cælo est, de qua loquimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur. Deum enim quem omnis creatura non capit, ipsa immaculato utero clausum gestavit. Hæc est enim quæ sola meruit mater & sponsa vocari, hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perdito redemtionem adduxit. * Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo; Ge- D nitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit. Illa percussit; ista sanavit. Hæc enim mirabili atque inæstimabili modo omnium rerum & suum peperit Salvatorem. * Quæ enim hæc virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus-sanctus? Quæ tam speciosa, ut eam sibi Deus eligeret sponsam? Quæ tam casta, ut esse posset virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signatus, & porta in domo Domini clausa. Ad hanc namque, ut dixi, Spiritus-sanctus descendit, huic virtus Altissimi obumbrabit. Hæc est immaculata coitu, fecunda partu, vir- E go lactans, Angelorum & hominum cibum nutriens. Meritò itaque beata singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique tantum se ad cæli fastigia sublevavit, ut Verbum in principio apud Deum de superna cæli arce susciperet.

* *Ita suprà Serm.* 120. *n.* 4. *&* 194. *n.* 2.

* *V. suprà Serm.* 121. *n.* 5.

5. O felix Maria, & omni laude dignissima! O Genitrix gloriosa! O sublimis puerpera, cujus visceribus auctor cæli terræque committitur! O felicia oscula lactentis labris impressa, cùm inter crebra indicia reptantis infantiæ, ut pote verus ex te filius tibi matri alluderet; cùm verus ex Patre Deus Dei unigenitus imperaret! Nam auctorem tuum ipsa concipiens edidisti in tem- F pore puberem, quem habebas ante tempora conditorem. O felix puerperium, lætabile Angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis! Qui post multas assumtæ carnis injurias, ad ultimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo, ut te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstravit. Sed quid dicam pauper ingenio; cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cælum te vocem, altior es. Si matrem Gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si dominam Angelorum vocitem, per omnia esse G probaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam; cùm non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Has interim laudes sileat lingua carnis, quas semper ardenter intus profert animus. Nunc nostras peto ut aures doctrinarum tuarum demulceas organis. * Plaudant nunc tympanis sanctæ manus, & inter veloces articulos harmonia puerperæ concrepet. Concinant lætantes cho-

* *V. suprà Serm.* 120. *n.* 5. *&* 194. *n.* 2.

b Abundat, cum Domino; nec est apud Maximum.

ri,

ri, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur.

6. Audiamus, Fratres, audiamus pio mentis affectu, audiamus quemadmodum tympanistria nostra doctrinis concrepet Virgo Maria. Audiamus, inquam; & huic harmoniæ moribus respondeamus. Denique cùm hæc mulier beatissima ab Angelo jam salutata, Spiritu-sancto repleta, plenitudine divinitatis afflata, ad domum Elisabeth venisset cognatæ, post exsultationem Johannis in utero matris, post admirationem Elisabeth de adventu ejusdem Domini Matris, hoc Domino decantavit canticum laudis, *Magnificat anima mea Dominum; & exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Primò igitur hoc in loco quærendum est, quid sit magnificare Dominum: neque enim magnus fit à creatura Creator. Sed sciendum nobis est, duobus modis dici magnificare, id est, aut magnum facere, aut magnum adorare magnumque admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cùm magnificari dignatur à nobis. Sed numquid sic in nobis, sicut in Maria unde carnem assumsit pro nobis? *Ave,* inquit ad eam Angelus, *gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quæcumque tamen anima sancta Verbum concipere potes credendo, pare prædicando, magnifica amando. Unde & David propheta dicit, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in invicem:* ac si diceret, Magnitudinem Domini mecum decantate, prædicate, & nominis ejus præconia magnâ voce adtollite. Hinc iterum dicit, *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* Unde autem magnificetur in nobis, idem Propheta ait, *Magnificata est usque ad cælos misericordia tua.*

Luc. 1. 47. & 48. — Magnificare dicitur duobus modis. — Luc. 1. 28. &c. — Psal. 33. 4. — Psal. 110. 1. — Psal. 107. 5.

7. Sic namque optandum est, ut in singulis[a] nostra anima magnificet Dominum, concipiat Dei Verbum, pariat & nutriat, recordetur salvationis suæ pia commercia, quomodo nullis suis præcedentibus meritis fit ab iniquitate salvata, sed solâ Dei bonitate gratuitâ Christi sanguine redemta, & dicat, *Magnificat anima mea Dominum. Sic enim dilexit Deus mundum,* ait Evangelium, *ut Filium suum unigenitum daret.* Hinc & Apostolus, *Qui proprio,* inquit, *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* O miræ pietatis affectus! ô inæstimabilis ardor caritatis! Quis ante tantæ pietatis divitias non obstupescat? Quis ante tam ineffabilem caritatem non contremiscat? Quis umquam posset sperare, ut ex Deo ante tempora natus nasceretur pro hominibus in tempore ex femina homo factus? unde scriptum est, *Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Quis, inquam, posset æstimare, ut portaretur manibus femineis portator orbis, panis Angelorum aleretur, virtus cælorum infirmaretur, vita omnium moreretur? Magnificet ergo in his anima Mariæ Dominum; magnificet & nostra. Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, gratias illi agamus, quoniam per eamdem Redemtoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exsilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cæleste regnum vocati sumus.

a Magnificandus in primis Deus de redemtionis munere. — Luc. 1. 46. — Johan. 3. 16. — Rom. 8. 32. — Gal. 4. 4.

8. Quæcumque igitur anima sancta talibus fuerit incitamentis occupata, nihil concupiscit terrenum, nihil transitorium, nihil quod ad tempus arridet, nihil quod ad præsens delectat: quæ risum luctum computat, & gaudium in mærorem commutat; cui mundus carcer, cælum verò habitatio est: cui exsultatio in præsentibus nulla est, quia in illo tantùm gaudere appetit, qui super omnes est. Unde in sancto Cantico, cùm diceret Virgo gloriosa, *Magnificat anima mea Dominum; & exsultavit spiritus meus:* signanter addidit, *In Deo salutari meo:* ac si diceret, Anima mea quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, sed in illo tantùm exsultat, quem amando magnificat. Noverat autem esse aliam vituperabilem exsultationem, quia mundus gaudere dicitur tendens ad luctum, de quibus Salomon ait, *Lætantur cùm malè fecerint, & exsultant in rebus pessimis.* Hinc & Apostolus non quodlibet gaudium in sanctorum cordibus A esse describit, sed in Spiritu-sancto. Hinc David cùm diceret, *Gaudete justi:* subjunxit, *In Domino.* Hinc cùm Domino diceret, *Gaudebunt labia mea, dum cantavero:* addidit, *tibi.* Hac enim exsultatione nullus eorum gaudet, quisquis de præsentibus tantùm exsultat, æternisque bonis interesse non concupiscit: cui exsilium patria esse creditur, & mors vita æstimatur; cujus Deus venter est, & ornatus non in moribus, sed[b] in amictu est: qui cùm laudatur, extollitur; & cùm vituperatus fuerit, magnis iracundiæ stimulis agitatur: qui cum mansuetis non humiliatur, sed in superbiæ fascibus elevatur, & ceteros quasi ex alto montis supercilio contemplatur.

Hac veritate imbutus terrena despicit. — Luc. 1. 47. — Quæ bona, quæ prava exsultatio. — Prov. 2. 14. — Psal. 32. 1. — Psal. 70. 23.

B 9. Sed quis hæc ad plenum ita potest calcare, ut ab hac exsultatione, iisdem vitiis interpellantibus, nec ad momentum se credat posse abstrahi; cùm Scriptura pronuntiet, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem?* Ingemiscens ergo, ô anima sancta quæcumque in Domino exsultas, quotiens te ab hac exsultatione abstractam esse videris, dicito, *Ne projicias me, Domine, à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Et hîc adtentiùs intuere, quam exsultationem petierit. C Quod enim Hebraicè Jesus, hoc Latinè Salutaris dicitur. Quæ enim hæc lætitia est Jesu, nisi contemplatio ejus, qualis venturus est in gloria sua? Sciendum verò est, quia illi tunc hac claritate potientur, qui hîc positi Redemtoris sui vestigia imitantur. Et quidem Dominum Jesum legimus doluisse, flevisse, ex itinere fatigatum fuisse, opprobria & contumelias sustinuisse, sputa, flagella, crucem suscepisse: numquam tamen legimus eum risisse, prosperatum in præsenti fuisse. Hinc planè, hinc in spe gaudent omnes electi, cùm cœperint adversitatibus mundi fatigari, & nullis ejus prosperitatibus fallaciter decipi; scientes procul dubio aliam viam non D superesse, per quam possint cælos penetrare. Hinc est quòd idem Dominus ait discipulis suis, *Beati estis cùm vos maledixerint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me. Gaudete in illa die & exsultate: ecce enim merces vestra multa est in cælis.* Sed in his pressuris atque angustiis nequaquam possent subsistere, &, quod his majus est, gaudere, nisi veraciter in conspectu Dei & hominum humiles essent. Quibus Dominus eorum ait, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Hinc iterum dicit, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Sap. 9. 15. — Psal. 50. 13. — Quid sit lætari in Jesu. — Matth. 5. 11. & 12. — Matth. 11. 29. — Matth. 5. 4.

E 10. Hinc etiam hæc Virgo gloriosa beatam se dici ab omnibus generationibus manifestat, eò quòd ejus humilitatem Deus respexit. Nam subdit, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit! O verè, inquam, gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli constituitur! * Facta est certè humilitas Mariæ scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras. *Quia respexit,* inquit, *humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc* F *beatam me dicent omnes generationes.* Et quid est dicere, *Respexit,* nisi approbavit, placuit ei humilitas mea? Unde per Prophetam Dominus dixit, *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & humilem, & trementem sermones meos?* Hinc David Domino dicit, *Quia respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.* Multi siquidem videntur in conspectu hominum humiles esse, ut ab eis beatificentur: sed eorum humilitas à Domino non respicitur, quia falsò, & non verè de humilitate gloriantur. Si enim veraciter humiles essent, Deum ab hominibus, & non se vellent laudari; non in hoc mundo eorum spiritus exsultaret, sed in Deo salutari; humi- G litatem suam non ab hominibus conspici, sed à Deo exoptarent. Sequitur in hoc sancto Cantico, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Quæ tibi magna fecit, quæso, gloriosa Virgo, ut dici beata merearis? Puto enim, immo veraciter credo, ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares; ut per te Deus

Humilitatis commendatio. — Luc. 1. 48. — * V. Serm. 123. n. 2. — Isai. 66. 2. — Psal. 30. 8. — Humilitas fucata. — Luc. 1. 47.

a In MSS *Mariæ anima.*

b Ita MSS. Editi autem, *in actu.*

CLASSIS III.

mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam revocaret. A

11. Huc usque, ô Virgo beata, de te ipsa quæ nos ad amorem Dei accenderent fideliter protulisti: ea verò quæ sequuntur, humano generi prophetasti. Meum autem votum exstitit ea tantùm inde transcurrere, quæ ad tui laudem nominis pertinerent. Sed hæc quæ de te ipsa narrasti, neque ut dignitas tua meretur, dicere potuisti. * Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis persolvet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; sit impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, impetra quod rogamus, excusa quod timemus: quia nec potiorem meritis invenimus ad placandam iram Judicis quàm te, quæ meruisti esse mater Redemtoris & Judicis. Succurre ergo miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro monachorum choro, exora pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum levamen, quicumque devotè celebrant [a] tuum nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cælorum peregrinis: & cùm te semper lætantem adspicis, fletus nostros, quæsumus, ipsa ad Deum admittas, eumque ut proprium filium pro nobis interpelles. Nos enim adhuc in hac terra affligimur, persequimur, injuriis lacessimur, opprobriis afficimur, esurimus, sitimus, somnum patimur, in carcere retinemur. Tu verò in cælestibus regnis prælata es cunctis Virginum choris, tu Agnum quocumque perrexerit sequeris. Tu virgineos choros & ab incentivæ carnis illecebris alienos per albentia lilia rosasque vernantes ad fontes perennis vitæ potandos invitas. Tu in illa Beatorum felicissima regia, primi ordinis dignitate indepta, plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitatem gramineosque crocos tenero poplite pergis, felicique palma violas immarcescibiles carpis. Tu concinis sine fine choris conjuncta summis, Angelis Archangelisque sociata, indefessa voce Sanctus clamare non cessas. Tu in cubiculo regis beatitudinum gemmis ac margaritis ornata assistis. Tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni regis, teque ipse Rex regum ut matrem veram & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat. Nec mirum, si dignetur tibi adgaudere Deus regnans in cælis, quem tu parvulum ex te hominem natum totiens osculata es in terris. Has ergo tuas felicitates possidens, convertere ad nostrarum miseriarum salutem.

Precatio ad B. Virginem.

* Ita suprà Serm. 194. n. 5.

12. Inter hæc igitur, Fratres carissimi, cum toto mentis affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploremus: ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis. Neque enim dubium [b] quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus Sanctis omnibus, liberatis impendere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis ejus exempla teneamus? Curemus ergo, dilectissimi Fratres, ut qui hujus diei festivitati interesse cupimus, vestimentis humilitatis atque caritatis induti appareamus. Non nos invidia alienæ felicitatis torqueat, non ira usque ad divisionem dilaniet, non cupiditas Christum à nobis excludat, non sæculi tristitia exurat, non prosperitas ejus incautè decipiat, non luxuria inquinet, non immunditia polluat, non elatio corrumpat, non superbia inflet: ut dum nos virtutibus ornatos, caritate conjunctos, humilitate fundatos beata Dei Genitrix suæ nos interesse festivitati perspexerit, ardentiùs nobis subvenire festinet apud Filium & Dominum suum Jesum Christum, Deum & Salvatorem nostrum, qui coronis perennis regni glorificat sanctos suos, & est æterna laus & exspectatio omnibus electis ejus: ipsi gloria, virtus, potestas, æternitas, & nunc & semper per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

B. Virgo quomodo colenda.

[a] Sic editi. At MS. Corbeiensis cum Michaelino, *suum Natale*. Vindocinensis autem, *tuam Assumtionem*.

SERM. DE SANCTIS.

* SERMO CCIX.

In festo omnium Sanctorum.

* Olim de Sanctis. 37. & pòst in Appendice 85.

Exstat inter vulgata opuscula & Alcuini & Bedæ. Pro Beda facit recepta lectionum inscriptio in Breviariis ad hanc festivitatem de omnibus Sanctis. In MSS. nostris caret auctoris nomine. Ceterùm auctor, quisquis est, excerpta veterum dicta hic in unum corpus, quod Alcuinus & Beda plerumque faciunt, redegit, nonnulla ab Augustino, & plura à Chrysostomo mutuatus, pleraque autem à Cypriano in epistola 9. ad Martyres & 77. ad Nemesianum atque alios ad metalla damnatos, ipsiusque libris de opere ac eleemosynis & de mortalitate.

B 1. HODIE, Dilectissimi, omnium Sanctorum sub una sollemnitatis lætitia celebramus festivitatem, quorum societate cælum exsultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur: * quorum confessio quantò in passione fortior, tantò est clarior in honore; quia dum crevit pugna, crevit & pugnantium gloria, & martyrii triumphus multiplici passionum genere adornatur, perque graviora tormenta, gratiora fuere & præmia. Dum catholica mater Ecclesia per totum orbem longè latéque diffusa, in ipso capite suo Christo Jesu edocta est contumelias crucis & mortem non timere, magis magisque roborata est non in resistendo, sed in perferendo. Universos autem quos agmine inclyto carcer pœnalis inclusit, pari & simili calore virtutis ad gerendum certamen gloria triumphalis inspiravit. * O verè beata mater Ecclesia, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, quam inviolatæ confessionis candida induit virginitas! Floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt. Certent nunc, Carissimi, singuli ad utrosque honores, amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. In cælestibus castris pax & acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur.

* Ex Cypriani epist. 9. ad Martyres.

* Ex fine ejusdem epist.

D 2. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum: sed breve &, ut ita dicam, momentaneum: ut in hac brevi & exigua vita agones essent & labores; in illa verò quæ æterna est, corona & præmia meritorum: ut labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia sine fine durarent: ut post hujus mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, & accepturi majorem passionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem, testante hoc Apostolo, ubi ait, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Quàm læto sinu de prœlio revertentes civitas cælestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit! Cum triumphantibus viris & feminæ veniunt, quæ cum sæculo sexum quoque vicerunt, & geminatâ gloriâ militiæ virgines cum pueris teneros annos virtutibus transeuntes. Sed & cetera fidelium turba aulæ perpetuæ regiam intravit, qui sinceritatem fidei inconcussis præceptorum cælestium disciplinis unita pace observaverunt. Ergo agite nunc, Fratres, aggrediamur iter vitæ, revertamur ad civitatem cælestem, in qua scripti sumus & cives decreti. Non sumus hospites, sed cives sanctorum & domestici Dei; etiam illius heredes, coheredes autem Christi. Hujus nobis urbis januas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingressum.

Certaminis tempus breve, bravium sine fine.

Rom. 8. 18.

Ephes. 2. 19.

3. * Consideremus ergo inclytam urbis illius felicitatem, in quantum considerare possibile est. Ut enim verè est, comprehendere nullus sermo sufficiet. Dicitur de ea in quodam loco sic, quòd aufugiet ibi dolor & tristitia & gemitus. Quid hac vita beatius? Ibi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas; nemo læditur, irascitur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors neque corporis neque animæ, sed immortalitatis munere vita jocunda. Nulla erit tunc usquam discordia; sed cuncta consona, cuncta convenientia; quia omnium Sanctorum una concordia: pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta. Jugis splendor, non iste qui

* Confer Chrysost. de reparatione lapsi. c. 7.

Isaiæ 35. 10.

Vitæ beatæ descriptio.

[b] In MSS. *quod*.

[Classis III.]

nunc est, sed tantò clarior, quantò felicior: quia civitas illa, ut legitur, non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus: ubi Sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti qui ad justitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla; sed talis quædam erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, nisi illorum qui eâ perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, qui & laverunt stolas suas in sanguine Agni, & sunt ante sedem Dei, serviuntque ei die & nocte. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Verùm super hæc omnia est consociari Angelorum & Archangelorum cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus & Potestatibus, omniumque cælestium supernarumque Virtutum contuberniis perfrui, & intueri agmina Sanctorum splendidiùs sideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israël orbem judicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, Virginum quoque choros candentia serta gestantes inspicere. De rege autem qui horum medius residet, dicere vox nulla sufficit. Effugit enim omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulcritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas. Ultra enim omnem Sanctorum est gloriam, ipsius inæstimabilem adspicere conspectum, & splendore majestatis ejus irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus in gloria venientem, & Sanctorum ejus numero sociari; nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur?

[Apoc. 21. 23. — 1. Cor. 2. 9.]

4. Quæ erit illa, Fratres carissimi, justorum gloria, quàm grandis Sanctorum lætitia, cùm unaquæque facies fulgebit ut sol, cùm ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, & meritis atque operibus singulorum præmia promissa restituere; pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare; adducere Sanctos in visionem Paternæ gloriæ, & facere in cælestibus considere, ut sit Deus omnia in omnibus, æternitatemque amatoribus suis & immortalitatem largiri, ad quam eos sanguinis sui vivificatione reparavit, denuo ad paradisum reducere, regna cælorum fide & veritate suæ pollicitationis aperire? Hæc inhæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate adquirantur. Reposita est in potestate facientis; quia *regnum cælorum vim patitur*. * Res ista, ô homo, id est regnum cælestè aliud non quærit pretium quàm te ipsum. Tantum valet quantum es tu: te da, & habebis illud. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum tradidit, ut adquireret te in regnum Deo Patri: ita & tu te ipsum da; ut sis regnum ejus ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in adquisitionem vitæ. Ad hanc igitur operum salutarium delectetur currere palmam, quicumque desiderat præmia repromissa in æterna sæcula.

[Matth. 13. 43. — Per quid emitur cælum. — * August. in Serm. 125. c. 3.]

5. * Libenter igitur, Fratres, ac promtè certemus, omnes in agone justitiæ Deo & Christo spectante curramus: & qui sæculo & mundo majores esse cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi & mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator. Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donavit, ipse in pace viventibus pro justitiæ meritis dabit & candidam. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occisi sunt; & tamen fidei & justitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi esse meruerunt: ad quorum congregatur convivium, quisquis fidelis & justus & laudabilis invenitur. Memores esse debemus voluntatem non nostram, sed Dei facere debere: quia qui fecerit ejus voluntatem, manet in æternum, quomodo & ille manet in æternum. Quapropter, Carissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, caritate perfecta parati ad omnem voluntatem Dei simus, * conservantes fortiter Dominica mandata. In simplicitate servate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ severitate censuram; ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in nobis.

[* Ex Cypriano in fine lib. de opere & eleemosynis. — Corona Martyrum purpurea, justè viventium candida. — Serm. de Sanctis. — * Cyprianus epist. 77. ad Nemesianum &c.]

6. Hæc sunt enim vestigia quæ nobis Sancti quique revertentes in patriam reliquerunt; ut illorum semitis inhærentes, sequeremur ad gaudia. * Patriam quoque nostram paradisum cum illis computemus. Parentes Patriarchas jam habere cœpimus: utquid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad eorum complexum & conspectum venire, quanta illis & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cælestium voluptas conservorum societatem exspectantium? Quàm summa & perpetua felicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exsultantium numerus insignis. Ibi Martyrum populus innumerabilis ob certaminum victoriam coronatur; illic clarissima Virginum turba lætatur: illic etiam Confessorum fortitudo laudatur. Ibi & illorum remuneratio censetur, qui præcepta Dominica servantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, Dilectissimi, avida cupiditate properemus; ut cum his citò esse; & citò ad Christum venire contingat, eumque hujus itineris ducem habeamus, salutis auctorem, lucis principem, lætitiæ largitorem: qui vivit & regnat cum Deo Patre omnipotente & Spiritusancto in sæcula sæculorum. Amen.

[* Ex Cypriano in fine lib. de mortalitate. — Quàm exoptanda vita æterna.]

* SERMO CCX.

In Natali S. Stephani Protomartyris, I.

[* Olim de Sanctis 5. & pòst in Appendice 71.]

Plerisque in MSS. præfixum habet nomen Maximi. Ex iisdem tamen libris plures Sermonem in duos partiuntur, iique non Maximo adsignant nisi posteriorem, qui quidem ab istis verbis hic n. 2. incipiens, Lectio Actuum Apostolorum quæ nobis hodie lecta est &c. *inter Maximianos etiam Sermones vulgatus invenitur. Ceterùm postrema ac potissima pars, ab hoc fere loco n. 4.* Imitemur ergo in aliquo, dilectissimi Fratres &c. *Cæsarii esse intelligitur ex aliis ipsius Sermonibus.*

1. HESTERNO die Natalem habuimus Domini Salvatoris; hodie summa devotione veneramur sancti martyris Stephani passionem: hesterno, redimimur ad præmium; hodierno, provocamur ad exemplum. Bene ergo hesternæ sollemnitati festivitas hodierna conjuncta est: ut illa credentes eveheret ad vitam, hæc confitentes duceret ad coronam. Omni ergo Ecclesiæ beatus Stephanus datus est ad profectum. Adhuc laicus diaconii meruit electionem, & levita martyrii obtinuit principatum. In plebe adhuc positus erat; sed jam virtutibus eminebat. Humilis erat loco; sed celsus fide. Discipulus erat ordine; sed factus est magister exemplo. Quos sequebatur devotione fidei, præcessit velocitate martyrii. Scriptum est enim de eo in Actibus Apostolorum, quòd ad ministerium viduarum sit ab Apostolis deputatus. In hoc etiam quòd præpositus est feminis, testimonium meruit sincerissimæ castitatis. Beatus ergo erit, carissimi Fratres, qui hunc sectatus, qui hunc imitatus fuerit: & pudicitiæ enim palmam, & martyrii consequetur coronam.

[Stephanus toti Ecclesiæ datus ad exemplum. — Act. 6. — Stephani sincerissima castitas.]

2. De quo & lectio Actuum Apostolorum, quæ nobis hodie lecta est, dilectissimi Fratres, cùm plurimum habeat in ipsa specie admirationis, non minus tamen continet in mysterio dignitatis. *Ecce*, inquit beatus Stephanus, *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Considerate adtentiùs, dilectissimi Fratres, cùm beatus Martyr Dominum Jesum Christum ad dexteram Dei Patris stare vidisset, cur sese Filium hominis videre testatus est, & non potiùs Filium Dei: cùm utique plus delaturus Domino honoris videretur, si se Dei potiùs quàm hominis Filium videre dixisset? Sed certa ratio postulabat, ut hoc ita & ostenderetur in cælo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Judæorum scanda-

[Act. 7. 55. — Cur Filium hominis, non Filium Dei videre se testatus est.]

lum in hoc erat, cur Dominus noster Jesus Christus, qui secundùm carnem erat filius hominis, esse etiam Dei Filius diceretur. Ideo ergo pulcrè Scriptura divina Filium hominis ad dexteram Dei Patris stare memoravit, ut ad confutandam Judæorum incredulitatem ille Martyri ostenderetur in cælo, qui à perfidis negabatur in mundo: & illi testimonium cælestis Veritas daret, cui fidem terrena impietas derogaret.

Si distant inter se Martyres, præcipuus est Stephanus. — *Psal. 115. 15.* — *Act. 6. 5.*

3. Unde licèt juxta Psalmum qui lectus est, pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorum ejus, si quid tamen distare inter Martyres potest, præcipuus videtur esse, qui primus est. Nam cùm sanctus Stephanus ab Apostolis diaconus ordinatus sit, Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit: ac sic qui erat inferior ordine, primus factus est passione; & qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio, complens illud quod beatus Propheta in Psalmo qui lectus est dixit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal. 115. 12.*) Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino. Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori.

Mira Stephani caritas. — *Act. 7. 59.*

4. Post hæc subjecit Scriptura sacra, & ait, *Positis genibus clamavit dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Videte, dilectissimi Fratres, affectum beati viri, videte magnam & admirabilem caritatem. In persecutione positus erat; & pro persecutoribus deprecabatur: atque in illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam carissimos suos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat cùm lapidaretur? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Plus itaque tunc illorum dolebat peccata, quàm sua vulnera; plus illorum impietatem, quàm suam mortem dolebat. Et rectè plus: in illorum quippe impietate erant multa quæ plangi, in illius autem morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna; hujus autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo, dilectissimi Fratres, tanti magistri fidem, tam præclari Martyris caritatem. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos suos. Sed, quod pejus est, aliquotiens non solùm inimicos non diligimus, sed nec amicis quidem fidem integram custodimus.

** Cæsarius homil. ex editis à Baluz. 9. & infrà Ser. 225. n. 6.* — Inimicis indulgere.

5. * Sed dicit aliquis, Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum. O quicumque ille es, adtendis quid tibi fecerit homo, & non consideras quid tu feceris Deo? Cùm enim tu multùm graviora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Evangelio Veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodam modo cautionem fecerit, vel quale pactum tecum inierit: *Si enim*, inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet debita vestra.* (*Matth. 6. 14. & 15.*) Videtis, Fratres, quia cum Dei gratia * in potestate nostra positum est, qualiter à Domino judicemur. *Si*, inquit, *dimiseritis, dimittetur vobis.* Nam sæpe dixi, Fratres, & frequentiùs dicere debeo, nemo se circumveniat, nemo se seducat. * Qui vel unum hominem in hoc mundo odio habet, quidquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit: quia non mentitur Paulus apostolus, dicens, *Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (*1. Cor. 13. 3.*) Quam rem etiam beatus Johannes confirmat, dicens, *Omnis enim qui non diligit fratrem suum, manet in morte* (*1. Johan. 3. 14.*): & iterum, *Qui fratrem suum oderit, homicida est.* (*Ibidem 15.*) * Hoc loco fratrem, omnem hominem oportet intelligi: omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo itaque sine caritate de virginitate præsumat, nemo de eleemosynis, nemo de jejuniis, nemo de orationibus confidat: quia quamdiu inimicitiam in corde tenuerit, neque istis, neque aliis quibuslibet bonis operibus placare sibi Dominum poterit. Sed si vult sibi habere propitium Dominum, non dedignetur audire consilium bonum. Audiat non me, sed ipsum Dominum suum: *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* (*Matth. 5. 23.*) Et nos pugnas habentes intrinsecùs, & dolos in corde versantes, quasi qui bonam conscientiam habeamus, præsumimus accedere ad altare, non timentes quod scriptum est, *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* (*1. Cor. 11. 29.*)

** Ita locis proximè citatis.* — ** V. suprà Serm. 115. n. 4. & hom. 9. & 10. ex editis à Baluz.* — ** Cæsar. hom. 7. ex editis à Baluzio.*

Difficultatem quidem habet, sed & ingens præmium. — *Matth. 6. 44.*

6. Sed dicit aliquis, Grandis labor est, inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus, Fratres, non parvus quidem labor est in hoc sæculo: sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficieris amicus Dei: immo non solùm amicus, sed etiam filius; sicut ipse Dominus dixit, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt; ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* Si te aliquis homo dives in hoc sæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires, quas indignitates etiam servorum ejus, quæ servitia durissima, & aliquotiens etiam turpissima sustineres convitia, ut ad caducam & fragilem hereditatem ipsius pervenires? Quod ergo alius sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Convincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus injurias sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona injuriam facit, si nos etiam in faciem maledicit; nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere audemus. Quare hoc? Ne ab illa persona potente adhuc majora quàm pertulimus, patiamur. QUOD A NOBIS EXTORQUET hominis timor, debuerat à nobis exigere Christi amor. Si ergo potens persona contra nos sævit, tacemus, & nihil dicere ausi sumus: si verò æqualis aut fortè inferior vel levem nobis contumeliam fecerit, quasi feræ bestiæ, sine ulla patientia ac sine aliqua Dei contemplatione consurgimus; & aut in præsenti nostram injuriam vindicamus, aut certè ad majorem vicem reddendam nostrum animum præparamus. Quid est hoc, quòd quando potens persona nobis injuriam infert, patienter accipimus; quando inferior, nimio furore succendimur? Quia ibi timuimus hominem; hîc Deum timere noluimus. Unde rogo vos, Fratres, quantum possumus, cum Dei adjutorio cor nostrum ad patientiam præparemus, * & in omnibus malis hominibus medicorum vicem agere studeamus, & non ipsos homines; sed ipsorum malitiam odio habeamus. * Pro bonis oremus, ut semper ad meliora conscendant; pro malis, ut citò ad emendationem vitæ per pænitentiæ medicamenta confugiant. Quam rem orantibus vobis ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Id observatur ob terrenam spem. — *vel propter timorem: quantò magis per amorem.* — ** Cæsar. homil. 10. ex editis à Baluzio.* — ** Ubi suprà & ex aliis hom. 11. & 25.*

*SERMO CCXI.

In Natali sancti Stephani, II.

** Olim de Sanctis 1. & pòst in Appendice 70.*

Augustini nomine legitur in Romano Breviario in die octava sancti Stephani. Rejecerunt tamen Lovanienses, asseruntque bonam ejus partem reperiri in Eusebii Sermone, qui incipit, Quoties caritatem vestram. *Sed hujuscemodi exordii inter Eusebianos Sermonem frustra quæsivimus. Habes autem hic cap. 2. & 3. excerpta quædam ex Augustini Sermone 34. cap. 10.*

CAP. I.

1. POST hesternum festivissimum diem, quo Salvatoris nostri Christi nativitas illuxit, etiam hodiernus dies beati martyris Stephani coronâ illustratur. Martyris illius merita nulla pars orbis ignorat: passus est enim in ipso principio Ecclesiæ, in ipsa urbe Jerosolyma. Ibi & diaconus ministravit, & in ipso juventutis flore decorem ætatis suæ sanguine purpuravit. Passio ejus insignis est, atque mirabilis valde. Hanc modò de libro Actuum Apostolorum, cùm legeretur, non solùm audivimus, sed etiam oculis fidei exspectavimus. (*Act. 7.*) Christus ergo caput Martyrum prior passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus. (*1. Pet. 2. 21.*) Cujus passionis vestigia prior secutus beatissimus Stephanus confitendo Christum, lapidatus à Judæis coronam meruit, tamquam suo sibi nomine impositam. Stephanus enim Græcè, Latinè Corona appellatur. (*Stephanus corona.*) Jam corona nomen habebat; & ideo palmam martyrii suo nomine præferebat. Qui cùm lapidaretur, non solùm non expetebat de persecutoribus reportare vindictam; sed eis potiùs à Deo veniam postulabat. Meminerat enim dixisse Dominum, *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut. 32. 35.*); & iterum, *Ne dixeris, Ulciscar me de inimicis meis; sed exspecta Dominum, ut tibi auxilium sit.* (*Proverb. 20. 22.*)

Classis III.

Psal. 36. 9.

Exspectare nos jubet Deus, ut in die futuræ retributionis cum sanctis Martyribus vindicemur. Beati enim qui exspectant Dominum, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram: illam scilicet terram, quæ justis est sine dubio præparata.

Cap. II. Vindictæ cupidus coërcetur.

2. Tu autem, ô Christiane, quæris vindicari de adversario tuo qui tibi forsitan injuriam fecit; æstuas, furis, anhelas, festinas vindicari. Adtende Christum medicum ægritudinis tuæ, adtende redemtorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus: & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem magistrum imitari? * Ideo pati voluit, ut tibi patientiæ suæ demonstraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum conficientem. Vide pendentem, & tibi de ligno tamquam de tribunali præcipientem. Audi precantem: *Pater*, inquit, *ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt.* Sed potuit hoc Christus, dicis mihi; ego non possum: ego enim homo sum, ille Deus homo. Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo? Sed ecce tibi loquor, ô homo. Multum est ad te imitari Dominum tuum: adtende Stephanum conservum tuum. Certè Stephanus sanctus homo erat, an Deus? Planè homo erat, hoc erat quod tu: sed quod fecit, non fecisset, nisi donante illo quem rogas & tu. Vide tamen quid fecerit: loquebatur Judæis, sæviebat & diligebat. Utrumque debeo demonstrare, & sævientem & diligentem. Audi sævientem: *Dura cervice* (verba sunt sancti Stephani, quando loquebatur Judæis) *Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui-sancto restitistis. Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri?* Audisti sævientem; audi & diligentem. Irati illi facti, & graviùs inardescentes, & mala pro bonis reddentes, ad lapides cucurrerunt, & Dei famulum lapidare cœperunt. Hîc probemus sancti Stephani patientiam & dilectionem: hîc victorem diaboli triumphatoremque cernamus. Audivimus sævientem adversùs tacentes; videamus si diligat sævientes. Sæviebat adversùs tacentes; videamus si diligat lapidantes.

** Quæ sequuntur exscripta sunt ex Augustino Serm. 49. n. 10. & 11.*
Luc. 23. 34.
Act. 7. 1.
Stephanus & sæviens & diligens.

3. Ecce Stephanus lapidatur, sic constitutus quasi ante oculos nostros. Ecce membrum Christi, ecce athleta Christi. Inspice illum qui primò pependit in ligno. Crucifigebatur ille; iste lapidabatur. Ille dixit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt:* iste quid dicit? * Audiamus illum, si fortè vel ipsum possimus imitari. Primò beatus Stephanus stans oravit pro se, & ait, *Domine Jesu, accipe spiritum meum.* Deinde genu flexit, & flexo genu, ait, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormivit.* O felix somnus & quies vera! Ecce quid est requiescere, pro inimicis suis orare. Sed paululum, quæso te, sancte Stephane, expone nobis hoc nescio quid, quare pro te stans orasti, & pro inimicis genu flexisti. Responderit fortasse quod intelligimus: Pro me stans oravi, quia pro me, qui rectè Deo servivi, orando & impetrando non laboravi. Quia qui pro justo orat, non laborat, ideo pro se stans oravit. Ventum est ut oraret pro Judæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatoribus suis; adtendit tam multam & magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficilè donari posset: genu flexit, & ait, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ergo, Carissimi, si non potestis imitari Dominum, imitamini conservum, imitamini sanctum Stephanum, imitamini omnes Martyres sanctos. Homines erant, conservi tui erant, sicut tu nati erant; sicut tu nati, sed à Christo sunt coronati.

Luc. 23. 34.
Cap. III.
Act. 7. 58. 59.
Pro se stans oravit: pro inimicis genu flexo.

* SERMO CCXII.

** Aliàs de Sanctis 3.*

In Natali sancti Stephani, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ambiguus manserat apud Lovanienses, rejectus est per Verlinum & Vindingum. Primâ parte nihil differt ab Augustini Sermone de sancto Stephano, qui aliàs de Diversis 51. fuit. Postremâ etiam, tametsi hæc ad istud festum minimè pertinere videatur, stilum Augustinianum refert.

Cap. I. Repete cetera ex Serm. aliàs de Diversis 51. cap. 1. & 2.
** Cap. II.*

1. DONET mihi Dominus pauca dicere salubriter, qui donavit sancto Stephano tanta dicere fortiter &c. * Vidit Christum, confitens Christum, moriturus pro Christo, perrecturus ad Christum. Dominus * in cruce pendens pro inimicis suis ait, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Stephanus &c. Quomodo non posset ibi iste esse, ubi erat quem secutus est, ubi erat quem imitatus est? Triumphavit, coronatus est.

Serm. de Sanctis.
** Ex eodem Serm. cap. 4. & 5.*
Luc. 23. 34.

Cap. III. Sacerdotis gaudium & corona salus populi.
1. Tim. 4. 8.

2. Sanè [a] corona nostra est ædificatio vestra, & gaudium nostrum salus vestra; salus & temporalis & sempiterna. *Promissionem enim habemus*, sicut dixit Apostolus, *vitæ præsentis & futuræ*: sed salutem præsentem donat Deus & hominibus & pecoribus, donat Deus & bonis & malis. Hanc autem salutem temporalem, pro æterna salute Martyres contemserunt. Gaudetis sine dubio, quia salvos nos videtis; & nos in Christo de vestra salute gaudemus: sed [b] satagite ut etiam in illo die de vobis gaudeamus; quia quod ait Apostolus pro sua dispensatione tam magna & ampla, ut ejus vix vestigia consectemur, [c] hoc nobis loquebatur, quod populo Dei quem ædificabat, dicebat, *Gaudium & corona mea.* Quicumque ergo proficiunt in Christo de laboribus nostris, gaudium sunt & corona nostra: quia nostrûm est fideliter dispensare non nostram, sed Dominicam pecuniam; vestrum est cum cura & sollicitudine suscipere. Ego enim possum esse dator, non exactor: & dator non quasi meæ rei, sed Dei, unde & ego vivo; quia ad unam domum magnam omnes pertinemus, unum patrem-familiâs Dominum habemus. Cellarium habet amplum, unde & nos & vos vivere possimus. Tantùm eum rogemus, ut fastidium detergat; priùs donet esuriem, & sic porrigat panem. Unde vivo, inde dico; unde pascor, hoc ministro. Nam vobiscum pauper sum. Divitiæ communes nostræ Deus noster, vita omnium nostrûm beata est & æterna. Ergo *qui gloriatur, in Domino glorietur*, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Philipp. 4. 1.
Sacerdotis est dispensare res Dei, populi suscipere.
1. Cor. 1. 31.

* SERMO CCXIII.

** Aliàs de Diversis 98.*

In Natali sancti Stephani, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius est, falsus Verlino & Vindingo. Nomine Augustini in nostris MSS. nusquam prænotatur.

Martyres quid sibi, quid aliis pariant.

1. SI quis sollicitus sanctorum Martyrum gesta percurrat, semper in eis quod plus miretur inveniet. Beatæ enim passiones cælestia tolerantibus regna parturiunt, & hereditarium nobis bonum quod imitemur ostendunt. Quid enim dignum tam pio Domino famulorum reddit obsequium, si majora constat pro servis Dominum, quàm servos pertulisse pro Domino? Oportet nos ergo cum omni veneratione narrare, quâ devotione beatus Stephanus martyr, cujus Natalem hodie celebramus, Domini fuerit exempla secutus, quâ patientiâ mortem pertulerit. Quis non magno stupore & nimia admiratione teneatur, cum tam dulces impetus habuisse saxorum, & tam mitia resultantium tormenta petrarum; ut collisо capite, fluente cruore, omnia sui corporis membra perfusa torperent? Tunc ille Christi devotione trophæum gestans in corde, medicinam pro vulneribus computabat. Eximi enim se ab hac luce cupiebat, ut ad illa clara æternitatis habitacula Domino jubente transiret, ubi ei parabatur unius horæ exitio gaudium sempiternum & nulla vetustate periturum: quia æternus est Dominus noster Jesus Christus, qui Martyres regni sui æternitatis gloriâ coronare dignatus est.

* SERMO CCXIV.

** Aliàs de Diversis 99.*

In Natali sancti Stephani, V.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustino perperam tributum probant Verlinus & Vindingus ex auctoris inscitia, qua hic cap. 4. narrat, cùm Christus in cruce diceret, Amen dico vobis, à modò videbitis cælos apertos *&c. clamasse Caïpham,* Blasphemavit. *Displicent alia multa, quæ nec Fulgentio, cujus nomen in Corbeiensi MS. præfert, tribui patiantur. Ejusdem fortè concionatoris est, cujus Sermones hujus Appendicis 204. & 205.*

Cap. I. Lupis oves miscet Dominus, & quare.

1. DOMINUS noster Jesus Christus pastor bonus, mitis & pius, oves suas miscet inter lupos in hoc sæculo; ut eas adjuvet de throno suo. Videre vis,

a MS. Navarr. *cura.*
b Laudatus MS. *satis etiam in illo die vobiscum gaudebimus.*
c In eodem MS. *hoc est quod nobis loquebatur, qui ædificabat & dicebat.*

CLASSIS III.

Matth. 10. 16.

Johan. 10 11.

Johan. 1. 26.

quicumque es Christianus, Dominum Jesum Christum oves inter lupos miscentem? Ipse in præsenti Evangelii lectione clamabat, dicens, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Vis iterum videre Dominum Jesum Christum oves suas de luporum manibus educentem? Ipse clamat & dicit, *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Lupus destruitur, quando pastor occiditur: ovis redimitur, quando pastor crucifigitur. Non enim timere debent oves misceri in medio luporum: ad hoc enim lupis miscentur, non ut in ipsorum malitiam commutentur; sed ut lupi in innocentiam ovium convertantur. Sed si volunt fieri agni, oves non deficiant sequentes Agnum qui tollit peccatum mundi.

A

B

CAP. II. Stephanus Ovis prima.

Paret ut Angelus.

2. Ecce enim prima ovis sanctus Stephanus, quomodo testimonio fidei lupos excutit proclamantes, & oculis suis cælos cernit patentes? O prima ovis pugnans in medio luporum, sequens, non adhuc perveniens ad Dominum; & jam amicus est Angelorum! Quàm manifestè familiaris Angelis erat amicus, qui in medio luporum ut Angelus parebat. Adapertis etenim cælis, adspectus mutatus est confessoris: & cœpit tamquam sole illustratus justitiæ ita splendere, ut humanam speciem non haberet ipsis patentibus cælis, ipsis testantibus inimicis. Nam stabat in medio luporum, & erat facies ejus tamquam facies Angeli stantis in medio Judæorum. Quid agitis ô Judæi? Non timetis ovem Christi primam pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris & Filii & Spiritus-sancti? Ipsum est signum quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc signum viderunt cæli, & patefacti sunt: & tamquam ostenso signaculo, in specie Angelorum patefactæ sunt portæ cælorum. * Venit enim sanctus Stephanus cum clavibus fidei: & ipse sibi aperuit quod fideliter credidit, & libenter adspexit. Quod ergo vidit, non tacuit. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.*

C

Act. 6. 15.

Ob Trinitatis signaculum.

* CAP. III. Cujus fidei clavibus cælum aperit. Act. 7. 55.

D

3. Sed quid restabat ut cælis patefactis videret; nisi ipsum qui in cælos adscenderat, Dominum Salvatorem? Nam istos cælos omnes videmus; sed clausos, non patefactos; lucentes in stellis, non micantes in Angelis: iste autem jam non homo, sed Angelus. Homo sedem palatii Domini sui non adspicit clausam, sed patefactam: non videt Angelos, sed Archangelos; siquidem & ipsos adspicit: sed ipsum prædicat, cui testis erat; ipsum præconatur, cui est famulus in agone perfectus. Nam quanta fuerat sancto Stephano gratia condonata? Videbat exercitum cælestis militiæ stantem, videbat hominis Filium ad dexteram Patris sedentem. Ecce videt Deum, qui jam migrabat ad Deum; confessionisque merito adspicit congregationem cælestium Potestatum, qui jam migraturus erat ad provinciam mortuorum. Sed inter mortuos clamabat, qui inter eos coruscabat. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.*

Ibi videt Christum & Angelos.

E

CAP. IV. Ut Christus, sic Stephanus Deum confitens damnatur.

Act. 6. 11.

Matth. 26. 24.

F

4. Gaudeant amici, si blasphemant inimici. Non taceat ovis testificando, etsi lupi clament blasphemando. *Concluserunt enim mentes suas & dixerunt, blasphemavit.* Hoc dixit & Cayphas princeps sacerdotum de Filio hominis patiente, & omnia tolerante. Cùm enim diceret Dominus noster Jesus Christus suspensus in cruce, *Amen dico vobis, à modò videbitis cælos apertos & Filium hominis stantem ad dexteram Patris*: clamavit Cayphas dicens, *Blasphemavit.* Cayphas conscidit vestes; isti ipsas clauserunt mentes: Cayphas, ut nudus remaneret; isti, ut in sua duritia permansissent. * O magnum miraculum! Cæli januæ aperiuntur; & Judæi mentes impias concluserunt: sed sanctus Stephanus non tacuit, non defecit, nec blasphemantibus cessit. Ibi attendebat; ubi oculos cordis aperiebat. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.*

* CAP. V.

Nec tamen tunc tacet; sed non auditur.

Act. 7. 55.

G

5. Sed quid mihi irascimini pro tanta testificatione, Judæi? Numquid mea jussione aut potestate patefacti sunt cæli? Patefacti sunt; non ut meam gloriam proderent, sed ut pastorem meum in me ostentantem adjutorium demonstrarent. * Considerate igitur & videte, quantum longè sim à cælis, positus vobiscum in terris. Numquid ego adtingere potui, & januas aperire cælorum? Palatium suum ipse mihi aperuit Dominus Angelorum. Meritò quodam modo video; & quod video non taceo. Non enim contemsi in cruce pendentem; ideo video ad dexteram Patris sedentem. Vobis istud datum est de cælestibus testimonium: sed si non creditis, ego quid feci vobis? Cæli aperti enarrant gloriam Dei: & ego taceam misericordiam Christi mei? Video Christum in sua gloria sedentem, pro mea salute adstantem; ipse mihi testis est in cælis: ego ei non ero testis in terris? Si eum fuero confessus coram hominibus, confitebitur etiam ipse me coram Angelis suis: si autem negavero eum in terris, & ipse me negabit in cælis. Sed pro tantis fidelibus testimoniis lapides jactatis, mentem clauditis, integra vobis & manifesta dicentem audire non vultis.

* CAP. VI.

SERM. DE SANCTIS.

Psal. 18. 1.

Luca 12. 8.

CAP. VII. Stephani ad Christum precatio pro se.

Act. 7. 58.

6. Cædite, cædite lapidibus confitentem: habeo meum Patris ad dexteram adjutorem. Vos cæditis caput meum; ego illi commendo spiritum meum. *Domine*, inquit, *Jesu, suscipe spiritum meum.* Isti maledicunt; tu benedic: isti persequuntur, tu suscipe persecutum. Non sine caussa, Jesu meus, Domine meus, pro me ad dexteram Patris dignaris adstare, quem novi & credo ad dexteram Patris sedere. Pro me est quòd stare dignaris, qui stando non deficis, qui tuos adjuvando non deseris. Tu me, Domine meus, misisti in medio inimicorum meorum, me dignatus es facere primum martyrem post tuam adscensionem: si vis ut non deficiam à te, adjuva me. Cesset contusio petrarum; ne deficiat in me fortitudo membrorum. Pro me enim Domine meus appellas, dum stas. Vocis tuæ legationem audio; credo, suscipio, cognosco pro me apud Patrem postulantem, donantem, & adjuvantem; ne mea fides deficiat sequendo te. * Quid dicis, Jesu meus, Domine meus, petendo pro me apud Patrem? Pater, ecce hic est primus pedissequus, novam pro me mundi intravit palæstram: dona misericordiam, ut perveniam ad victoriam. Sentiat ovis mea se adjuvantem; ne me inter lupos existimet traditorem. Ecce, inquit, video stantem, præsumo pro me postulantem. Et ideo, Domine meus, qui * exspectas certamen meum, suscipe spiritum meum. Verùm quia non timeo, Domine, lapidantem membra, suscipe spiritum meum in requie sempiterna. Inter istos sum deputatus tamquam ovis occisionis: apud te ponar in requie suavitatis & pacis. Judæi lapidabant, iste ingemiscebat; Judæi cædebant caput, iste commendabat spiritum.

* CAP. VIII.

* pro spectas

CAP. IX. Precatio ejusdem pro inimicis.

7. At ubi de spiritu commendato cœpit esse securus, pro inimicis factus est advocatus. Et non sicuti pro se petebat, ita pro inimicis interpellabat. Hic stabat, quando Christum videbat: hic genua figebat, quando pro inimicis orabat. Ipsa enim necessaria advocatio, pro tantis ac talibus inimicis. Sciebat namque quòd eum Dominus Jesus non citò posset audire; sed pro ipsorum peccato, non pro merito suo. Ideo pro tanta iniquitate lapidantium Judæorum genua figebat, lacrymas effundebat, dicens, *Domine, ne statuas illis hoc ad peccatum.* * Vide quicumque es Christianus, quomodo ovis ista in omnibus Agnum sequitur, & Pastorem imitatur. Dominus Jesus Christus suspensus in cruce clamabat, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: iste dicit, *Domine, suscipe spiritum meum.* Dominus Jesus Christus pro inimicis clamabat, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: iste dicit, *Ne statuas hoc illis in peccatum.* Et manifestè, Fratres mei, in medio lapidantium istorum qui ampliùs sæviebat beatus apostolus Paulus præsens erat. Si ergo tunc daretur Stephano de lapidante vindicta, quomodo talem magistrum habuisset Ecclesia? His dictis emisit spiritum, adscendit in cælum, veniam meruit inimicis, gaudere meruit in cælis de amicitiis beati Pauli subsequentis: quia ipse est Dominus, *qui facit habitare sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Ecce hoc meruit sanctus Stephanus qui videbat Filium hominis stantem, quem novimus ad dexteram Patris sedentem. * Petamus eum, ut interpellet pro nobis, & pro peccatis nostris; & eruat nos à tantis periculis & parturitionibus universis, pro pietate sua, non pro conscientia nostra. Nam qui aut quanti fontes peccati nostri flammam possunt exstinguere? Ipse dignetur nostra crimina sepelire: ut sicut in monumento novo ad modicum commendavit membra sua; sic in fonte indulgentiæ sepeliat peccata nostra, ut vobiscum semper gaudeamus in Ecclesia sacrosancta. Amen.

* CAP. X.

Luca 23. 46.

Act. 7. 58.

Luca 23. 34.

Act. 7. 59.

* CAP. XI. Quid profuit hæc precatio.

Psal. 112. 9.

* CAP. XII.

CLASSIS III.

* Aliàs de Sanctis. 1.

*SERMO CCXV.

In Natali ſancti Stephani, VI.

In Appendice nunc primùm collocatur. Auguſtini nomine tamquam dubius caret apud Lovanienſes, qui & Fulgentio epiſcopo in quibuſdam MSS. adſcribi teſtantur. Cenſet Vindingus nihil habere ab Auguſtino alienum. Nobis tamen dicendi genus Auguſtiniano plerumque humilius videtur, & magis conciſum. Quæ hic leguntur cap. 3. ab iſtis verbis, n. 4. Nam ut noverit Sanctitas Veſtra, quantum valuerit oratio &c. *reperies in Sermone olim de Sanctis quarto: necnon alia quædam in aliis Sermonibus.*

CAP. I. Nativitatis Chriſti effectus.

1. HESTERNO die celebravimus Natalem, quo rex Martyrum natus eſt in mundo: hodie celebramus Natalem quo primicerius Martyrum migravit ex mundo. Oportebat enim, ut primùm immortalis pro mortalibus ſuſciperet carnem: & ſic mortalis pro immortali ſuſtineret mortem. Et ideo natus eſt Dominus, ut moreretur pro ſervo; ne ſervus timeret mori pro Domino. Natus eſt Chriſtus in terris, ut Stephanus naſceretur in cælis. Ingreſſus eſt Dominus mundum, ut Stephanus ingrederetur in cælum. Altus ad humilia deſcendit, ut humiles ad alta adſcenderent. Filius Dei factus eſt hominis filius, ut filios hominum faceret filios Dei. Fecit Chriſtus miracula; fecit & Stephanus: ſed Chriſtus fecit ſine Stephano; numquid Stephanus potuit facere ſine Chriſto? Vivebat Stephanus de Chriſto, ſicut ſarmentum de vite. Miraris fructum de ſarmento pendentem? Vide ſarmentum de vite manantem.

Ob Chriſti confeſſionem lapidatur Stephanus.

2. Eia ſancte Stephane, dic aliquid Judæis, ut incipias lapidari, & poſſis coronari. Jaculare verba, & excipe ſaxa. Dic aliquid de incircumciſis cordibus, & morieris lapidibus. Dic aliquid de eo cujus nomen nolunt audire. Erubeſcant & ſæviant, *muta efficiantur labia doloſa.* (Pſal. 30. 18.) Dic eis ubi vides vivum, quem irriſerunt crucifixum. Dic eis ubi eum vides, & hic non vives; ſed cum illo meliùs vives. Dic eis quia nihil eſt quod fecerunt; vivit quem occiderunt. Dic eis quia vides ad dexteram Patris ſtantem, quem irriſerunt in cruce pendentem. *(CAP. II.) Et ille inquit, *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. At illi clamantes* (Act. 7. 55.)
» *continuerunt aures ſuas.* Aures clauſerunt, & ad lapides
» cucurrerunt, impetumque fecerunt omnes in eum, &
» lapidabant Stephanum invocantem Dominum, & dicentem, Adhæſit anima mea poſt te, quia lapidatur caro mea pro te. (Pſal. 62. 9.) Accipe ſpiritum meum; & redde mihi promiſſum tuum.

Chriſti ad exemplum pro inimicis orat.

3. Oravit Chriſtus pro ſuis crucifixoribus; oravit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Dominus Jeſus oravit affixus ligno; Stephanus genu flexo. Qui ſtando ſuum ſpiritum commendavit Domino, pro illorum delicto fixo genu oravit. Orabat Dominum pro inimicis, ut amicus, dicens, Ecce ego patior, ego lapidor, in me ſæviunt, & in me fremunt; ſed *ne ſtatuas illis hoc peccatum:* (Act. 7. 59.) quia, ut hoc dicam tibi, à te primò audivi. Ego ſervus tuus patior; ſed multùm intereſt inter me & te. Tu Dominus, ego ſervus; tu Verbum, ego auditor verbi; tu Magiſter, ego diſcipulus; tu Creator, ego creatura; tu Deus, ego homo. Multùm intereſt inter peccatum iſtorum qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixiſti, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt:* (Luca 23. 34.) pro magno peccato petiſti, & me pro minimo petere docuiſti. *Domine*, inquit, *ne ſtatuas illis hoc peccatum:* (Act. 7. 59.) tamquam diceret, Ego patior in carne; iſti non pereant in mente. Illi lapides mittebant; & ſanctus Stephanus orationes fundebat. *(CAP. III.) Magna pietas, Fratres, magna clementia. Prorſus qualia in menſa Domini ſui comedit, talia & ipſe in ſuo convivio præparavit. Scriptum eſt enim, *Ad magnam menſam ſediſti, ſcito quoniam talia te oportet præparare.* (Prov. 23. 1.) Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in ſui Domini menſa comedit. Dominus Jeſus Chriſtus dixit, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt:* (Luca 23. 34.) ſanctus Stephanus dixit, *Ne ſtatuas illis hoc peccatum; & hoc dicto obdormivit.* (Act. 7. 59.) O ſomnum pacis! Quid illo ſomno tranquillius? Quid illo ſomno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui ſic diligebat inimicos?

* Ex Serm. aliàs de Sanctis 4. n. 4.

4. * Nam ut noverit Sanctitas Veſtra, quantum valuerit oratio ſancti Stephani martyris, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem perſecutorem, nomine Saulum;
A ſicut ex libro Actuum Apoſtolorum, dum legeretur, audivimus: qui cùm ſanctus Stephanus lapidaretur, & ab ipſo omnium lapidantium veſtimenta ſervabantur, ut tamquam in manibus omnium ipſe lapidare videretur, qui ad lapidandum omnes exertos reddebat. *Hic cùm iret in via, ſubitò circumfulſit illum lux de cælo; & cadens in terram audivit vocem de cælo dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* (Act. 9. 3.) Et ille dixit, *Tu quis es, Domine?* Et Dominus ad eum, *Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Quid mihi & tibi? Quare te erigis contra me malo tuo;
B & non potiùs te humilias bono tuo? Ad tanta mala quæ commiſiſti in me, * olim quidem debui perdere te; ſed Stephanus ſervus meus oravit pro te. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Sed quia inſanis contra nomen meum, ego te faciam ſervum meum.

SERM. DE SANCTIS. Orationi Stephani debetur converſio Sauli.

* Ita ſuprà Serm. 204. n. 2.

CAP. IV. * V. ſuprà Serm. 205. n. 3. Sauli crimen & indulgetur & vindicatur.

5. * O Saule lupe rapax, comediſti: exſpecta paululum, & digeres. Dicam planè, eliſus eſt filius perditionis; & erectus eſt vas electionis. Nam ſi ſanctus Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet. Sed ideo erectus eſt Paulus; quia in terra inclinatus exauditus eſt ſanctus Stephanus. Ergo quod fecit Saulus, patietur Paulus; quod fecit perſecutor, patietur prædica-
C tor; quod fecit lupus, patietur agnus: ſic enim eſt in tali homine vindicandum. Diſcat pati quod faciebat, ſentiat & ipſe quod aliis inferebat. Dicitur Ananiæ à Domino Jeſu Chriſto, *Vade ad eum, & ſigna eum charactere meo; Multa enim patietur pro nomine meo.* (Ibidem 15.) * (Ex ſuper. Ser. 204. n. 3.) Abiit Ananias, baptizavit Saulum, & fecit Paulum; baptizavit lupum, & fecit agnum; baptizavit perſecutorem, & fecit prædicatorem. Cœpimus habere prædicatorem, quem ſanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus eſt ſanctus Stephanus; ut ejus orationibus deleretur peccatum quod commiſerat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus ejus. Multo magis enim
D nunc exaudietur pro veneratoribus ſuis, qui ſic exauditus eſt tunc pro lapidatoribus ſuis.

* Aliàs de Diverſis 96.

*SERMO CCXVI.

In Natali ſancti Stephani, VII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium habent Lovanienſes, falſum Verlinus & Vindingus. Nihil hic ſapit Auguſtinum, immo ab ipſo abhorrent plurima, veluti quod dicitur in Stephano, nunc illud Evangelii de lapide qui reprobatus fuerat, Hic factus eſt in caput anguli, completum eſſe præconium. *Et quòd* hic adhuc in corpore poſitus Trinitatem meruit ipſam videre. *Impurum denique & minus aptum dicendi genus.*

E

1. MAGNIFICA Martyrum ſollemnitas compellit affectionem noſtram, verbi divini vobis tradere ſemina pretioſa. Unde rogamus ut pluviæ cæleſti corda veſtra præparetis; ut jactantes ſemina veſtra, fructum centeſimum afferatis. Pium ergo diem beatiſſimi martyris Stephani hodie celebramus: non quo natus eſt mundo, ſed quo per paſſionem migravit ad cælum. Magnum decus meruit verbi divini, ut & leviticum honorem placitum exhiberet, & egregium martyrium conſummaret. Duplicem gratiæ ſanctimoniam accepit in cæleſtibus re-
F gnis (quia ſanctè Deo vixit in terris) anima ejus ſecundùm ſententiam Salomonis. (Prov. 31. 21.) Beati Apoſtoli vocem audivimus: *Deſpondi enim vos*, dicit Chriſtianis, *uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* (2. Cor. 11. 2.) Beatus autem Stephanus Chriſtum meruit diligere; ut meruiſſet eum de terra in cælo videre, ſicut dicit, *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* (Act. 7. 55.) O cor mundum, quod bene novit Deum! Nunc illud Evangelicum quod dicitur de lapide qui reprobatus fuerat, *Hic factus eſt in caput anguli, completum eſt præconium.* (Pſal. 117. 22.) Et iterum, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* (Matth. 5. 8.) Videte quid meruit beatiſſimus Stephanus poſt
G exitum corporalem, qui hic adhuc corpore poſitus Trinitatem meruit ipſam videre.

Stephanus hic degens Trinitatem vidit.

2. Tunc Judæi alienati à vita Sanctorum, lapidare cogitaverunt beatum Stephanum. Judæi virum Dei lapidabant; ille rogabat adſpiciens Deum. Ille adſpiciebat divinitatem; & propriam exercebant Judæi feritatem. Veniebant ſuper eum lapides quaſi nimbi; & ille fixis genibus orabat pro delictis populi ſcelerati. Beatus Stephanus orabat pro peccatis eorum; & illi pieta-

tem nullam ponebant in eum. Quid agis Saule, quid Martyr in Martyrem sævis; quia & tu lapidaberis manibus alienis? Judæi lapidabant; & Saulus servabat vestes eorum. Beatus Stephanus Deum exorabat pro iniquitatibus eorum: qui à Domino Christo tale accepit vocabulum, unde corona martyrii depingat triumphum. Sic enim per linguam Græcam nomen accepit corona, quod Latinè interpretatur vita perpetua. Et ideo conversi mecum deprecemur beatissimum Martyrem Christi; ut meritis ipsius nobis imploret coronam in vita perpetua, ut cum eo simus in sæculorum sæcula. Amen.

* Aliàs de Sanctis 6.

* SERMO CCXVII.

In Natali sancti Stephani, VIII.

In Appendice nunc primùm collocatur. De hujus veritate dubitandi locum relinquunt Lovanienses: Verlinus verò & Vindingus falsitatis argumenta proferunt ex auctoris stilo & ingenio ducta, quæ in re adeo perspicua recensere nihil juvat. Fulgentio, sicuti Lovanienses testantur, codices quidam tribuunt; ex nostris autem nonnulli Maximo: sed perperam.

Auctoris disputationes cerâ & graphio ligantur.

1. QUONIAM video nostras disputationes graphio cerâque ligari, & nequaquam sumus idonei lectitare; adjuvate me ipsum, quæso, intercessu vestro apud Martyrem istum, quem Gamaliel stolatus revelavit, Saulus spoliatus lapidavit, & Christus pannis involutus ditavit, & pretioso lapide coronavit. Triumphalis est dies iste, Beatissimi, triumphalis est dies sancti Stephani martyris. A lapidantibus morte condemnatus, extra civitatem lapide est præcipitatus, corpore pernecatus, capite vulneratus, lapide conquassatus, & angulari lapide coronatus. Pulcher erat minister, quia pulcher erat & Magister; pulcher erat ubique Stephanus iste, in corde & corpore. De Magistri pulcritudine cantatur in Psalmo, *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis:* & ipsi cantamus in Psalmo, *Specie tua & pulcritudine tua, intende, prospere procede & regna.* Stephano ergo martyri & pulcritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia sermocinantis, & sapientia sanctissimæ mentis, & operatio divinitatis. Invidia magna exstiterat Judæis ob Christianæ caussam professionis.

Psal. 44. 3.

Ibidem 5.

Rabida Judæorum invidia.

2. Videbant enim Stephanum Judæi Judæum, in medio Judæorum, in civitate metropolitana parentum suorum disputantem contra sacra Judæorum, & contra sacrificia, & contra Legem, & contra Circumcisionem, contraque Sabbata. Exsurgentes in iracundiam, & concipientes venenata sensa, loquebantur ad invicem sibi talia verba, Quid est istud? quid est hoc? quid agimus? quid facimus? quid dicimus? quid vult sibi iste homo & juvenis & pulcher, & eloquentissimus & sapientissimus homo? Nam signa magna & mirabilia facit iste homo, & sine caussa Christus mortuus est homo. Venite, inquiunt, Fratres, simulque conveniamus in unum, faciamus consilium, confirmemus falsum testimonium. Fecimus contra Dominum; faciamus & contra famulum. Diximus contra Dominum, *Expedit ut unus moriatur, quàm tota gens pereat:* dicamus contra famulum, *Exterminemus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.* Quando consilium contra Jesum fecimus, multùm nobis profuimus; quia prævaluimus. Circumvenimus, dedimus, accepimus, ligavimus, tradidimus, superavimus, oppressimus, crucifiximus. Amatori cupiditatis dedimus pecuniam, quam de mammona iniquitatis distraximus unusquisque. Ligavimus incapabilem filium virginitatis, tradidimus judici judicem æquitatis, superavimus superantem imperium vanitatis, oppressimus opprimentem superbiam calamitatis, conspuimus faciem sanctitatis, & crucifiximus cæci Filium majestatis. Occidimus, sepelivimus, ejusque sepulcrum annulo nostro signavimus; sed ab Angelo resignatum invenimus. Sepulcrum signatum custodientibus custodibus tradidimus, & miraculum resurrectionis videntibus pecuniam, ut Pilato mentirentur, contulimus, testimoniaque produximus; & confusione vigilantes caruimus.

Johan. 18. 14.

Jerem. 11. 19.

3. Sed & nunc, inquiunt sibi, ô viri quid agimus, quid facimus, quid dicimus, qui unum Christum occidimus, & multos Christianos conspicimus? Ecce, inquiunt, in uno Christo à nobis occiso, ducenti sunt dis-

A cipuli ejus. De ipso numero nostro & Nicodemus sacerdos noster est, & tria & quinque millia hominum ad eorum baptismum cucurrerunt: multas Judæas & Græcas & barbaras nationes baptizaverunt, & suis sacrariis præposuerunt. Ecce adhuc, quod est nobis pejus ac deterius, septem diaconos ordinaverunt, inter quos unus qui vocatur Stephanus, & juvenis & pulcher & eloquentissimus & sapientissimus est præ omnibus, signis miraculorum est plenus; & si est plenus, necesse est ut confluat ad eum noster populus, & in nostram confusionem apud omnes Judæos sit magnificatus, nisi nostris manibus fuerit lapidatus. Cur ergo, inquiunt, adhuc stamus? B Quem exspectamus? Quare tardamus? Stephanum istum nostræ confusionis demonstratorem publicum publicè rapiamus ad concilium, in nostrûm cum statuamus medio, pontificali perturbemus synodo, testimonio opprimamus falsissimo, faciamus ministro quod fecimus & magistro. Si enim non dubitavimus magistrum lanceare, non debemus dubitare Stephanum lapidare. Consenseruntque omnes Judæi impietatis viri, ad homicidium semper parati. Rapiunt Stephanum, ad suumque perducunt concilium. Exagitant & perturbant, & interrogant, audiunt & adtendunt. Audiunt sapientissimum, & conspiciunt speciosissimum.

C 4. O Judæi semper inimici Dei, intendite bene, qui judicatis non bene. *Si verè ergo justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* Intendite simul pontifices & ministri, sacerdotes & populi, omnes simul Judæi intendite faciem ministri Dei, intendite faciem Stephani, si potestis. Moyses enim propter excæcationem vestram contra faciem suam posuit velamentum: Stephanus verò ad confusionem vestram contra vestrum conventum resurrectionis annuntiat sacramentum. Sed, ô Judæi Prophetis invidi, Martyribus perfidi, nullatenus miramur in vobis, quòd per multa congruitis iniquitatibus vestris. Qui enim faciem despicitis legislatoris, personam D suscipitis delatoris. Qui despexistis faciem Moysi legislatoris, personam, Judæi, suscepistis crudelissimi delatoris; & ad dedecus vestrum semper additis crimen vestrum. Et Moyses vester, quando velamentum posuit contra sanctam faciem suam, nolebat videre criminosam faciem vestram: Stephanus verò revelata facie sua speculabatur in cælum gloriam Filii Dei; ideo videbant vultum ejus Judæi tamquam vultum Angeli Dei.

Psal. 57. 2.

5. Et nunc, beate martyr Stephane, terram despice, cælum conspice, pontificem sperne, Patrem adtende; despice Judæum & sacerdotem & populum; conspice in cælo Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Indica tamen Judæo, quid sit illud quod diu contemplaris in cælo. E *Ecce*, inquit Setphanus, *video cælos apertos*, & Jesum quem crucifixistis, quem illusistis morientem, quem signato sepulcro posuistis jacentem, video ego ad dexteram Patris stantem. Quid ergo vobis profuit, Judæi, quia crucifixistis Filium Dei, & Filii Dei Martyrem lapidatis? Ecce duplo labefacti estis; quia civitatem vestram amisistis, & ipsum lapidatorum principem perdidistis, & de civitate sancta eradicata est vestra planta. Impleta est enim in Judæa maledicta maledictio illa Davidica, *Propterea Deus destruet te in finem; evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Si-F lentium autem fecerunt turbæ Judæorum, damnabili animositate super martyrem Stephanum dentibus colubrinis stridebant, quem quasi serpentem in corde habebant, præcipitantque sanctum Martyrem extra suam civitatem, præmittentes testimonia, dicentes falsitatem. Furunt, spoliant, projiciuntque vestimenta ante Sauli vestigia, & currunt cum lapidibus, ulnas erigunt, brachia dirigunt, petras jaciunt. Lapidantque justum injusti procumbentem, orantem atque dicentem, Domine Jesu meus, ostensor meus, defensor meus, propter quem sævit in me nudus lapidator meus; exaudi me, exaudi sancte G meus, Virginis Filius, lapis vivus, qui ad exaudiendum me, unus ut credat lapidator est minùs; intende, inquit, me ipsum tui fontis lavacro mundatum, tui salutaris gratiâ sine macula consecratum, pro tuo nomine spoliatum, humanis manibus lapidatum, sed ab amore Sauli non separatum: & ne statuas illis hoc peccatum misericors usque in finem. Sic Stephanus sanctus moriens in æterna pace dormivit, cum Christo Jesu, qui cum

Act. 7. 55.

Psal. 51. 7.

Patre

Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Aliàs de Sanctis 9.]*

* SERMO CCXVIII.

In Natali sanctorum Innocentium, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Apud Lovanienses manebat dubius: rejectus est per Verlinum & Vindingum. Primam Sermonis partem si demas, quidquid reliquum est, ab illis verbis n. 2. Deceptor itaque Herodes &c. pertinet ad homiliam Eusebii de Epiphania. Porrò in Corbeiensi MS. multis auctior Sermo reperitur, additâ narratione pœnarum, quas Innocentium interfector Herodes dedit.

1. CHRISTO igitur secundùm prophetiæ fidem nato in Bethleem Judæ, temporibus Herodis regis, de Orientis partibus adventantes quidam viri ex Magorum gente, percontantur ab Herode, ubinam esset rex qui nuper natus est Judæorum: affirmantes vidisse se stellam ejus in Oriente, quæ sibi etiam dux itineris extitisset; caussam verò tantæ properationis adorandi ac venerandi nuper editi regis esse. Quibus ille auditis incredibiliter deterretur, timens & verens ne status sui periclitaretur imperii. Advocatis ergo accersitisque Legis doctoribus, requirens percontatur ubinam Christum nasci sperarent. Ubi verò ex Michææ oraculis locus nativitatis ejus apud Bethleem designatus est, uno præcepto rex omnes lactentes pueros, non solùm apud Bethleem, sed & in omnibus ejus finibus *à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exploraverat à Magis*, occidi & interimi jubet; si quomodo etiam Jesum cum æquævis posset exstinguere. Sed prævenit regis insidias puer abductus in Ægyptum, parentibus de dolo regis Angelo prænuntiante commonitis.

[Matth. 2. 5.] [Ibidem 16.]

2. * Deceptor itaque Herodes rex illusus à Magis, mittit in Bethleem & in omnes fines ejus, ut interficiantur pueri *à bimatu, & infrà*. Occiduntur pro Christo parvuli, pro justitia moritur innocentia. Quàm beata ætas, quæ necdum Christum potest loqui: & jam pro Christo meretur occidi; nondum opportuna vulneri, & jam idonea passioni. Quàm feliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna vita obvia venit! Incurrunt quidem inter ipsa primordia acceptæ lucis periculum & finem salutis; sed de ipso protinus fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem; sed feliciter moriuntur ad vitam. Vix dum gustaverant præsentem, statim transeunt ad futuram; nondum ingressi infantiæ cunas, jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus matrum; sed redduntur gremiis Angelorum.

[Euseb. hom. de Epiphania.] [Innocentium felicitas.]*

3. Nihil ergo egisti, ferocissimæ [a] austeritatis audacia: potes Martyres facere, Christum non potes invenire. Putabat se infelix tyrannus Domini Salvatoris adventu regali solio detrudendum. Sed non ita est. Non ad hoc venerat Christus, ut alienam gloriam invaderet, sed ut suam donaret. Non ad hoc venerat, ut regnum terrestre præriperet; sed ut cæleste conferret. Non venerat ad potestates dignitatesque rapiendas; sed ad contumelias & injurias perferendas. Non ad hoc venerat, ut sacrum illud caput ad diadema gemmarum, sed ut ad coronam spineam præpararet. Non, inquam, ad hoc venerat, ut constitueretur supra sceptra magnificus; sed ut crucifigeretur illusus.

[Herodis error fatuusque furor.]

4. Nascente ergo Domino conturbatur Herodes, & omnis Jerosolyma cum eo. Quid mirum, si pietate nascente perturbetur impietas? Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem rex superbus, obvolutum pannis metuit purpuratus. Cum simulatione alloquitur Magos, *Ite*, inquit, *requirite de puero; & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum*. Simulabat adorare se velle, quem conabatur occidere. Sed non timet Veritas falsitatis insidias. Quàm cæca feritas, quæ credebat quòd deprehendere Deum fraudibus posset! Ecce cujus terra cælumque ostendebat adventum, qui pastorum non latebat simplicitati, quem Magi de extrema venientes Æthiopiæ parte merentur agnoscere, dolis suis ad illum non potest rex sacrilegus pervenire. Fallitur ergo stulti furor tyranni.

[Perturbatio.] [Matth. 2. 8.] [Deceptio.]

a In MSS. *auctoritatis*. Apud Eusebium in homil. de Epiphania, *impietatis*. In altera Eusebii homil. de septem fratribus, *Nihil ergo egisti ferocissime, impietatis audaciâ potes Martyres facere*, &c.

Christum non potest invenire perfidiâ; quia Deus non crudelitate, sed credulitate quærendus est: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Aliàs de Sanctis 8.]*

* SERMO CCXIX.

In Natali sanctorum Innocentium, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensibus erat, falsus Verlino & Vindingo. Non sapit Augustinum, cui nec soli tribuitur in MSS. sed Bedæ quoque & Chrysostomo. Legitur in Romano Breviario octavâ Innocentium. Exordium ex Ambrosio deceptum est.

1. * CREDIMUS Judæis, quia notus aliquando in Judæa Deus: & hoc ipsum negant, propter quod credimus, quia non noverunt Patrem qui Filium negant. Unum Deum communis natura testatur; quia unus est mundus. Unum Deum fides significat; quia una est fides novi & veteris Testamenti. Unum Spiritum-sanctum gratia testatur; quia unum baptismum in nomine Trinitatis. Deum Prophetæ dicunt, Apostoli prædicant. Unum Deum Magi crediderunt; & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt. Pastores Deum glorificant, Magi munera tria deferunt: Herodes crudelissimus machæram acuit, ut cruentis victimis infantium æterna repleantur altaria. Ubi enim parvuli victimantur, matres miseræ lamentantur. Nascente Domino, luctus cœpit, non cælo, sed mundo. Indicitur matribus lamentatio, Angelis exsultatio, infantibus transmigratio. Deus est qui natus est; innocentes illi debentur victimæ, qui venit damnare mundi malitiam. Agni illi debent immolari, qui Agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi.

[Psal. 75. 2. Deus unus.] [Ambrosius l. 1. de fide c. 2.] [Innocentes nascenti Deo debentur victimæ.]*

2. Sed oves ululant matres; quia agnos perdunt sine voce balantes. Grande miraculum, crudele spectaculum. Eximitur machæra, & nulla intervenit caussa; sed sola stridet invidia: cùm qui natus est, nulli faciat violentiam. Sed oves cernimus matres super agnos lugentes. *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus.* Pignora sunt non credita, sed creata; non deposita, sed exposita. Testis est ipsa natura, quæ pugnabat in Martyres, cùm tyrannus jactaret infantes. Mater crines capitis dissipabat, quæ ornamentum capitis amittebat. Quantis modis infantem volebat abscondere; & ipse se infantulus publicabat? Nesciebat tacere; quia necdum didicerat formidare. Pugnabat mater & carnifex: ille trahebat & illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat, Quid separas à me, quem genui ex me? Uterus genuit, [b] non mansit ille; cùm vixit, ubera mea frustrà lacte replentur. Cautè portavi quem à te video manu crudeli jactari. Modò eum effuderunt viscera mea; & tu elidis ad terram. Alia clamabat mater, cùm exactor latronum compelleret, Simul occide cum parvulo matrem; ut quid me dimittis inanem? Si culpa est, mea est; si non est crimen, junge mortem, & libera matrem. Alia dicebat, Quid quæritis? Unum quæritis, & multos occiditis; & ad unum qui unus est adtingere non potestis. Alia contrà clamabat, Veni jam, veni Salvator mundi, quamdiu quæreris? Nullum times: videat te miles, & nostros non occidat infantes.

[Jerem. 31. 15.] [Luctus matrum.]

3. Miscebatur lamentatio matrum, & ad cælum transibat oblatio parvulorum. Sed ille qui Agnum tentavit, ipse per Herodem agnulos jugulavit. Manet auctori ministerii supplicium, & Herodi diaboli judicium, cùm istorum resurrectio cœperit mortuorum. Herodes quid putas acturus eris, quando contra te tantorum classes infantium judiciale cœperint exercere litigium? Invenies claram linguam, vocem magnam, mensuram perfectam, omnes juvenes candidatos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi fulgentes: cùm stare cœperint ante eum, quem putaveras occidendum, pro quo fuderunt sanguinem pretiosum: ipsum videbis throno igneo præsidentem; illos solium Dominicum circumdantes, candore rubeo resplendentes, propter candidam ætatem & sanguinem passionis. Quid acturus es, quid dicturus? Tacebis reus, dum tantus cantabit exercitus Sanctorum, *Vindica sanguinem servorum tuorum; qui effusus est. Introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Ipso juvan-

[Quàm tristis Herodis sors in die judicii.] [Ephes. 4. 13.] [Apoc. 6. 10. Psal. 78. 11.]

b In MSS. Regio & Navarræo, *nomen stili*, (sive *stile*) *conjunxit*. Paulò pòst loco *replentur*, quod ex MSS. reponimus, erat in editis, *contorquet*.

vante, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Olim de Sanctis 10. & post in Appendice 72.

* SERMO CCXX.

In Natali sanctorum Innocentium, III.

Constat excerptis ex Augustini Sermone 8. & 48. ex Ambrosiano de SS. Nazario & Celso, aliisque laciniis, quæ Cæsarium sapiunt. In Romano Breviario legitur die festo Innocentium.

Innocentibus Herodes plus odio profuit quàm obsequio profuisset.

* Apud Ambrosium in Ser. de sanct. Nazario & Celso.

* Ibidem infrà.

1. HODIE, Fratres carissimi, Natalem illorum infantium colimus, quos ab Herode crudelissimo rege interfectos esse, Evangelii textus eloquitur. Et ideo cum summa exsultatione * gaudeat terra nostra, cælestium militum & tantarum parens fecunda virtutum.* Ecce profanus hostis numquam beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Nam sicut sacratissimum præsentis diei festum manifestat, quantum contra beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum in eis gratia benedictionis effulsit. Beata es, ô Bethleem terra Juda, quæ Herodis regis immanitatem in puerorum exstinctione perpessa es, quæ sub uno tempore candidatam plebem imbellis infantiæ Deo offerre meruisti. Dignè tamen Natalem illorum colimus, quos beatiùs æternæ vitæ mundus edidit, quàm quos maternorum viscerum partus effudit: siquidem antè vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quàm usum præsentis acceperint. Aliorum quidem pretiosa mors Martyrum laudem in confessione promeruit; horum in consummatione complacuit: quia incipientis vitæ primordiis ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit.

Innocentes Martyrum flores.

Quos Herodis impietas lactentes matrum uberibus abstraxit, qui jure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit. Et ideo dignum est interfectis pro Christo infantibus honores impendere; ceremonias, non dolores, sacramentis dare vota non lacrymas: quia ipse illis fuit caussa pœnæ, qui exstitit & coronæ; ipse odii caussa, qui præmii. Parante autem Herode parvulis necem, Joseph per Angelum admonetur, ut Christum Dominum nostrum in Ægyptum transferat, Ægyptum idolis plenam. Jam post Judæorum persecutionem & ad occidendum Christum profanæ plebis assensum, Christus ad Gentes idolis deditas transire dignatur; & Judæam relinquens ignoranti sæculo colendus infertur.

Matth. 2. 13.

Injuriam sustinet majorem ipse qui infert.

2. Et quia in Scripturis divinis, Fratres carissimi, bonos & justos viros persecutionem malorum semper sustinuisse cognoscimus, si diligenter consideramus, invenimus illos majora supplicia sustinere qui faciunt. Omnis enim homo qui alium in corpore persequitur, priùs ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiam illi quem persequitur aliquid de substantia sua tulerit, majus sibi ipse dispendium facit; * quia nemo habet injustum lucrum sine justo damno. Ubi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia. Tollit vestem, & perdit fidem; adquirit pecuniam, & perdit justitiam. Sed hoc homines ideo faciunt, quia diem novissimum adtendere nolunt. Si enim diem mortis suæ cogitare jugiter vellent, animum suum ab omni cupiditate & malitia cohiberent. Sed quod modò nolunt salubriter cogitare, necesse habent postea sine ullo remedio sustinere. Veniet enim illis dies novissima, veniet dies judicii, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere: quia* PERCUTITUR ETIAM HAC ANIMADVERSIONE PECCATOR, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. Veniet dies judicii, quando movebuntur fundamenta montium, & ardebit terra usque ad inferos deorsum: quando cæli ardentes solventur, quando sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, quando stellæ cadent de cælo: quando peccatores & impii mittentur in stagnum ignis, & fumus tormentorum illorum adscendet in sæcula sæculorum, ubi erit fletus & stridor dentium. * Veniet tempus, Fratres carissimi, quando nulli bono erit malè, nulli malo erit bene. Veniet, inquam, novissima dies, quando discernuntur pii ab impiis, justi ab injustis, laudatores Dei à blasphematoribus Dei. Veniet & quando discernuntur, ut nulli sicut dictum est, bono sit malè, nulli malo sit bene.

* Augustinus Serm. 8. n. 8. & in Append. Serm. 21. n. 8.

Mortis cogitatio cupiditatem coërcet.

* Cæsarii verba homil. 13.

Tunc nulli malo bene, nulli bono malè.

* Ex August. Serm. 48. n. 7. & 8.

3. Quare ergo modò non sic? Fortè & modò sic. Sed quod nunc est in occulto, tunc erit in manifesto. Lege Scripturam divinam, ingredere mecum, si potes, in sanctuarium Dei: fortè ibi, si possum, docebo te, immo disce mecum ab eo qui docet me, etiam nunc non esse malis bene, & meliùs esse bonis quàm malis, quamvis nondum venerit bonorum plena felicitas, nondumque venerit malorum pœna novissima. Si Legem Dei diligenter adtendis, fortè intelligis mecum non esse bene malis. Rogo enim te, & quæro abs te, Tibi quare malè est? Responsurus es, Egestas angit, premit difficultas, dolor fortasse membrorum, timor ab inimico. Tibi ideo malè est, quia pateris mala, & bene est illi, qui est ipsum malum? Multùm interest inter malum pati, & malum esse. Tu quod pateris non es; malum enim pateris, sed tu malus non es: ille hoc malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli. Non potest fieri, ut tibi malè sit, qui pateris malum; & illi bene sit, qui est malus. Cùm enim malus est, putas quia non patitur malum, cùm patitur se ipsum? Tibi malè est, quia malum alienum pateris in corpore tuo; & illi bene est, qui malum se ipsum patitur in corde suo? Tibi malè est, qui fortè malam habes villam; & bene est illi, qui malam habet animam? Esto bonus qui habes bona.

Sed & nunc meliùs est bonis quàm malis.

Malum pati, & malum esse.

Divitiæ bonæ: quibus fiat bene.

4. Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum est argentum, bonæ familiæ, bonæ possessiones. Omnia ista bona sunt; sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonum. Quæ sunt, inquis, ista? Fac judicium & justitiam. Bona sunt quæ habes, fac judicium & justitiam. Esto & tu bonus inter bona tua. Erubesce bonis tuis: esto bonus mansurus inter bona peritura. Erubesce bonis tuis: noli esse malus in eis, ne pereas cum eis. Ita ergo aurum & argentum distribuit hominibus Conditor rerum & administrator Deus, ut ipsum per se naturâ & genere suo bonum sit; copia verò ejus non extollat bonos, nec elidat inopia. Malus autem homo, & cùm offertur, excæcatur; & cùm aufertur, excruciatur: quia & cùm adquiruntur divitiæ, falsam lætitiam tribuunt; & cùm perduntur, veram tristitiam derelinquunt.

Bonæ naturâ sed malis malæ.

5. Discamus amare veras divitias, id est, castitatem & justitiam, pacem & misericordiam. Istæ enim justæ dicuntur divitiæ; quia bonis meritis justisque tribuuntur. Illæ veræ dicuntur divitiæ; quia quisquis eas habuerit, non egebit, dum juxta Apostolum, habens victum & vestitum his contentus est. Istas verò terrenas divitias, injustum est putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantò enim magis quisque ardebit egestate avaritiæ, quantò magis eas diligens majores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ, quibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quantum fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditate divitem? Tu putas quia minùs indigeres, si minùs haberes. Unde bene quidam dixit, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit: cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes avari vel cupidi velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus, quantum plus bibit, tantum ampliùs sitit: ita avarus vel cupidus adquirendo non satiatur.

Divitiæ veræ & falsæ.

1. Tim. 6. 8.

Cupiditas semper eget.

* V. Cæsar. sub finem homil. 10.

6. Nos * verò, Fratres, cogitantes peregrinos & hospites esse in hoc sæculo, hoc tantùm quod ad victum & vestitum opus est, nobis in itinere vitæ istius reservemus, & quantum possumus, in æternam beatitudinem per eleemosynam pauperum dirigamus: ut cùm in die judicii cupidi & avari pro sterilitate bonorum operum audire meruerint, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; nos pro bonis operibus audire possimus, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; nudus eram, & operuistis me.* Ad istam benedictionem vos Dominus sub sua protectione perducat: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25. 41.

Ibidem 34.

CLASSIS III.

SERM. DE SANCTIS.

* SERMO CCXXI.

In Natali sanctorum Innocentium, IV. & de verbis Apoc. 6. Vidi sub ara Dei animas occisorum *&c.*

* Olim de Sanctis 11. & post in Appendice 73.

Incerti auctoris, qui nonnullas ex Gregorii Papæ operibus sententias delibavit.

In Martyrum cultu Salvator laudatur.

1. QUOTIENSCUMQUE, Fratres, Sanctorum martyria celebramus, totiens laudes Salvatoris edicimus: & quotiens eorum asserimus passiones, totiens Christi gloriam prædicamus. Non enim suspicimus quod passi sunt: sed propter quem passi sunt admiramur. Igitur non pœna in laude, sed fides est in honore. Magnificamus ergo Martyres, sed præcipuè illos, qui nascente Christo, in ipso exordio non loquendo, sed moriendo confessi, ad regna perpetua ceteros prævenerunt. Videte autem quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altari meruerunt. Dicit enim Scriptura sancta, *Vidi enim sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimonium Jesu quod habebant, & clamabant*, & reliqua. *Sub ara*, inquit, *Dei vidi animas occisorum.* Quid reverentius, quid honorabilius dici potest, quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos, sicut scriptum est, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech?* Rectè sub altari justorum animæ requiescunt; quia super altare corpus Domini offertur. Nec immeritò illic justi vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur, & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait, *Quotienscumque hæc feceritis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerant, sub sacramenti ejus mysterio requiescant. Non immeritò, inquam, consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur: ut quos cum Christo unius passionis caussa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. Legimus plerosque justorum Abrahæ sinibus refoveri, nonnullos paradisi amœnitate lætari: nemo tamen meliùs præter Martyres meruit, hoc est, ibi requiescere, ubi & hostia Christus est & sacerdos; scilicet ut & propitiationem de oblatione hostiæ consequantur, & benedictionem functionemque sacerdotis accipiant. Inter ceteros igitur Martyres, quos sub ara Dei consistere prædicamus, etiam beati illi infantes lactentes, pro Christo primitiæ Martyrum, non loquendo sed moriendo confessi, coronas meruerunt. Neque enim dubitandum est, eos in martyrio plus præ ceteris exorare, qui in martyrio ceteros præcesserunt.

Apoc. 6. 9. Quam congruè Martyres sub ara Dei.

Psal. 109. 4.

1. Cor. 11. 25.

Innocentes plus ceteris exorant.

2. *Et clamaverunt*, inquit Johannes, *voce magna, Vindica, Domine, sanguinem nostrum. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; & dictum est illis ut quiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus fratrum & conservorum eorum.* Oritur quæstio in hoc loco, cur Sancti jam cum Domino manentes vindictam de inimicis expetant, cùm Dominus in Evangelio dicat, *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Sed sciendum, * quia illi Sancti jam in conspectu Creatoris sui consistentes vident voluntatem illius; & ideo ab ipso accipiunt quod eum velle facere noverunt, & de ipso bibunt quod de ipso sitiunt. Petunt autem vindictam de inimicis duobus modis, & hoc caussâ caritatis: ut scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt, convertantur à malo ad bonum; qui verò præsciente Deo damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant; ut per hoc minorem pœnam in inferno habeant, ubi unusquisque secundùm qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. * Petunt autem de reprobis vindictam; quia optant venire diem extremi judicii, & resurrectionem suorum corporum præstolantur. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Per stolas albas debemus intelligere mercedem baptismi, præmium martyrii, mercedem æternorum, & gaudium cælestis patriæ. * Habent ergo ante resurrectionem Sancti singulas stolas; quia in sola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur: postea autem accepturi sunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. De hoc Isaias, In terra sua duplicia possidebunt.

ỷ. 10. & 11.

Vindictam quomodo rogent Sancti. Matth. 5. 44.

* V. Gregor. l. 2. Moral. c. 4.

* Gregorius loco citato. Sanctis jam stola una, pòst erit duplex.

* Gregor. l. 35. Moral. c. 9.

Isaiæ 61. 7.

3. *Et dictum est illis, ut quiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum & fratrum eorum.* * Dictio ista inspiratio est divina, qua mentibus eorum desiderantibus diem judicii, immittitur virtus patientiæ, ut patienter ferant omnia, exspectantes numerum illorum qui similiter interficiendi sunt pro Christo, cum eis postmodum regnaturi; ut qui desiderant recipere sua corpora, gaudeant ex numero colligendorum fratrum. Tali modo loquitur Deus omnipotens Sanctis, veluti quilibet pater-familiâs habens multos filios, singulisque de agro revertentibus & rogantibus, ut cibum sibi tribuat, respondet, Refectio quidem vestra parata est; sed exspectate fratres vestros: ut cùm in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis, & epulemini gaudentes: quia interficiendi sunt & illi, vel aperto scilicet martyrio, vel occulto. Dicitur ergo illis vindictam postulantibus post datum munus, ut quiescant atque sustineant, donec compleatur numerus conservorum illorum.

ỷ. 11.

* V. eumdem l. 2. Moral. c. 4.

Quomodo Deus loquatur Sanctis.

4. Videtis igitur quoniam propter nos Martyrum vindicta differtur. Dum enim nos retardamus, horum sanguis inultus est. Sed hoc contingit nostrâ desidiâ, qui non, sicut dictum est, religiosè vivimus; qui non piè, sicut congruit, operamur. Nam si bonorum operum ad Dominum justitia nostra præcederet, jam conservorum numerus qui exspectatur, esset completus. Nulli autem dubium est, vindictam post judicium Martyres percepturos, qui etiam ante judicium præmiis cælestibus honorantur. Unde oportet, Fratres carissimi, ut qui primitias Martyrum hodiernâ festivitate veneramur, de æterna quæ in cælis est Martyrum festivitate sedulè cogitemus, eorumque vestigia, in quantum possumus, sequendo, & ipsi ejusdem festivitatis supernæ participes exsistere curemus, testante Apostolo, Quia si socii passionum fuerimus, simul & consolationis erimus: nec tam de morte eorum lugeamus, quàm de justa palmæ perceptione lætemur. Siquidem singulos eorum cùm per tormenta pellerentur ex hac vita, Rachel gemebunda, id est, Ecclesia gemit, luctu lacrymisque prosecuta: sed jam hinc expulsos superna Jerusalem, quæ est mater omnium nostrûm, mox in aliam vitam obviis lætitiæ ministris excepit, atque in gaudium Domini sui perpetuò coronandos introduxit.

2. Cor. 1. 7.

5. Unde dicit Johannes, *Stabant ante thronum in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Stant enim modò ante thronum Dei coronati, qui quondam ante thronum judicum terrenorum jacebant pœnis adstricti. Stant in conspectu Agni nulla ratione illic à contemplanda ejus gloria separandi, à cujus hîc amore nec per supplicia poterant separari. Stolis fulgent albis, & palmas in manibus habent; quia præmia in operibus habent, dum corpora quæ pro Domino ignibus ustulari, ac bestiis dilacerari, flagris absumi, per præcipitia dissolvi, ungulis abradi, omnimodo pœnarum genere passi sunt dissipari, per resurrectionem glorificata recipiunt. *Et clamabant*, inquit, *voce magna dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Magna voce salutem Deo decantant; qui magna gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, sed ipso auxiliante, tribulationum impugnantium superasse certamina.

Apoc. 7. 9. Martyrum fors mutata.

ỷ. 10.

6. Dicit iterum eorum & præteritos agones & coronas describens perpetuas, *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Stolas quippe Martyres in sanguine Agni laverunt, dum membra sua, quæ oculis insipientium visa sunt pœnarum squalore fœdari, sic potiùs fuso pro Christo sanguine ab omnibus mundavêre contagiis, insuper & beatâ immortalitatis luce digna reddidere; quod est etiam lotas habuisse stolas in sanguine Agni. *Ideo sunt*, inquit, *ante thronum Dei, & serviunt die ac nocte in templo ejus.* NON EST LABORIOSA, sed amabilis & optanda servitus in Dei laudibus perpetuò assistere. Dies quippe & nox non vicissitudinem temporis propriè, sed perpetuitatem tropicè significant. Nox enim non erit illic; sed dies una melior in atriis Christi super millia. In qua non plorat Rachel filios suos, sed *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eo-*

ỷ. 14. Stolæ eorum dum putantur fœdari dealbantur.

ỷ. 15.

Servitus Dei. Psal. 83. 11.

ỷ. 17.

CLASSIS III. rum, datque vocem lætitiæ & salutis æternæ in tabernaculis justorum, qui vivit & regnat Deus &c.

* SERMO CCXXII.

* Aliàs de Sanctis 43.

De sanctis Apostolis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ambiguus erat Lovaniensibus, Verlino autem & Vindingo spurius. Dicendi genus non est Augustini; quodque ipsius ætate recentiorem auctorem arguit, in eum finem compositus Sermo videtur, ut in omnibus peræquè Apostolorum festis recitari posset.

Apostoli arietes. 1. SI omnium sanctorum Martyrum grata nobis debet esse sollemnitas, Fratres carissimi, quantò gratior eorum qui præsentem secuti sunt Principem Martyrum? Si agnorum, quantò magis arietum? Illorum enim filii non generatione carnis, sed imitatione virtutis facti sunt omnes, qui posteriùs usque ad mortem confessi sunt Christum. Hos obtulerunt populi Gentium, de quibus Psalmus antè cantavit, dicens, *Afferte Domino filios arietum*. His primùm Dominus, cùm ad confessionem sui nominis hortaretur, non solùm se promisit victoriæ coronatorem, sed & certaminis adjutorem: etiam in ipsis & posteros admonebat, quoniam quod dicebat, scriptum posteris relinquebat. Illis ergo ait exhortans eos, *Cùm autem adducent vos ad principes & potestates, nolite cogitare quid respondeatis, vel quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Meditari vetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præsumtionem humanam, & gratiam dare divinam; ut in semetipsis timidi, & mundo essent audaces. Unde & in alio Psalmo vox Martyrum dicit, quasi ex parte humanæ fragilitatis verendo, *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me*: & paulò pòst de auxilio divino confidens dicit, *Fortitudinem meam ad te custodiam*.

Psal. 28. 1. — Matth. 10. 19. — Psal. 58. 2. — Ibidem 10.

Fideles ceteros superant. 2. Supra ceteras enim turbas fidelium, necnon antiquorum justorum & Prophetarum eminentes Apostolos suos volens Dominus ostendere, dixit ad eos, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis: multi enim Prophetæ & justi voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt*. Item alibi, *Jam*, inquit, *non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus: vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. Item ait idem alio loco, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Item alibi sciscitanti Petro quid sibi & sociis suis profuisset, reliquisse omnia & sequi Redemtorem, respondit dicens, *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël*.

Matth. 13. 16. &c. — Johan. 15. 15. — Matth. 18. 18. — Matth. 19. 28.

3. Isti sunt lux mundi; quia per ipsos lumen fidei & veræ scientiæ primùm Dominus huic mundo tradidit, & ab errorum ac peccatorum tenebris Gentes & populos eruit. Isti sunt sal terræ; quia per eos terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, ut restringerent carnis lasciviam, & à putredine peccatorum & vitiorum vermibus servarentur illæsi. Isti sunt lapides pretiosi, quos in fundamento cælestis ædificii positos Johannes in Apocalypsi sua describit; quia prædicatio eorum Ecclesiæ fundamenta locavit. Unde & Paulus ait, *Vos estis cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Isti sunt duodecim portæ Jerusalem novæ, quæ de cælo descendit; quia per ipsos januam fidei primùm intravimus, & inter cives Sanctorum annumerati sumus.

Matth. 5. 14. Lux sunt mundi. — Sal terræ. — Fundamenta & portæ Ecclesiæ. Apoc. 21. — Ephes. 2. 19.

Eorum virtutes proponuntur. 4. Hìc ergo considerantes, Fratres carissimi, quæ tanti duces populi nos docuerunt, studeamus factis implere quæ illi jusserunt. Discamus eorum exemplo mundi divitias contemnere, præsentis sæculi voluptatem non amare, regnum cæleste desiderare, Christo nihil præponere: sed ejus mandatis in omnibus obedire, paupertatem præsentium rerum diligere, virtutum divitias habere, sapientiæ thesaurum appetere, spiritales delicias quærere, nulli invidere, sed omnes homines diligere, amicos in Deo, & inimicos propter Deum; quia hæc est vera & sola dilectio. Nam amor carnalis & vitiosus in præcipitium trahit, & comparabitur odio: unde scriptum est, *Qui vult amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*.

Modus diligendi amicos & inimicos. — Iacobi 4. 4.

5. Isti ergo principes nostri in amore Dei perfectissimi, & in proximorum dilectione repleti, hinc potuerunt mundi impetum vincere, & cruentum sæculum domare; quia nihil amaverunt in omni re, nisi Dei voluntatem. Ita & nos, Fratres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, & Creatorem nostrum amemus in semetipso, creaturam verò in Conditore suo: & sic habebimus ordinatissimam caritatem; quia *Deus caritas est*, & qui diligit hanc dilectionem, diligit Deum. Et si ita dilexerimus, diligit nos ipse Deus, diligunt nos & sancti Apostoli judices nostri, & exorant pro nobis, ut in universali judicio Christi cum ipsis in perpetuum coronemur. Quod præstare dignetur ipse judex & Dominus noster, qui cum Patre & sancto Spiritu vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Creatorem & creaturam. — 1. Johan. 4. 16.

* SERMO CCXXIII.

* Aliàs de Sanctis 44.

De uno sancto Martyre.

In Appendice nunc primùm collocatur. Mansit apud Lovanienses dubius: rejectus est per Verlinum & Vindingum. Augustino adscribitur in Romano Breviario. Sed stilus sanè ac disserendi ratio reluctatur. In Germanensi veteri codice locum inter Sermones Ivonis Carnutensis nomine vulgatos medium obtinet.

1. TRIUMPHALIS beati martyris N. dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit; cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus sibi proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipuè consideranda sunt, indurata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia: sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversùs malitiam increpantem, *Noli æmulari in malignantibus; quoniam tamquam fœnum velociter arescent*. Quòd autem adversùs malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem, *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones*. Coronata est itaque beati Martyris patientia; mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia.

Rom. 8. 17. Martyrum in agone duo consideranda. — Psal. 36. 1. — Hebr. 10. 36.

2. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem: ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit; & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, altè retinebat, *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*: &, *quia momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cælis*. Hujus igitur promissionis amore à terrenis suspensus, & prægustata supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista, *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Contemplabatur enim, quantum in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere potest, quanta sint supernæ civitatis gaudia: & ea enarrare non sufficiens admirando clamabat, *Quid mihi est in cælo?* quasi diceret, Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, qua nobis à conturbatione hominum remotis in abscondito faciei suæ Jesus Christus Dominus noster corpori reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hujus perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium; & si millies posset mori, non putabat se hanc dignè posse aliqua ratione promereri. Patienter enim permittunt ægroti se à medicis secari, uri, & variis amaritudinum confectionibus anxiari, ut temporali tandem restituantur sanitati: quantò magis vir beatus longanimiter toleravit omnem acerbitatem tormentorum temporalium, ut coronaretur in misericordia & miserationibus, & tandem in bonis satiaretur desiderium suum?

Rom. 8. 18. — 2. Cor. 4. 17. Quantum Martyres accendat spes æternæ gloriæ. — Psal. 72. 25. & 26.

3. In torculari itaque conculcari voluit; ut tamquam uva matura in vinum deficeret, & vinum malorum granatorum dilecto suo propinaret, quo mentes religiosæ debriatæ,

Classis III. Martyrum progressus.

debriatæ, sciunt terrena viriliter conculcare, & ad æterna irretortis oculis anhelare. Qui ergo in tyrocinio suo mundanas contempsit divitias, qui corporales etiam refrenavit illecebras, qui in provectu militiæ suæ multas est perpessus injurias, in perfectione sacrificii nil sibi reservans, se ipsum obtulit holocaustum, bibens illum calicem pretiosum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectionis sibi priùs ab invitatore suo viderat appositum. Cujus mors quantumcumque videatur in conspectu reproborum despicabilis; in oculis tamen ejus est pretiosa, qui in sanctis suis est mirabilis. Ipse enim primò vocavit militem suum, ipse justificavit, ipse magnificavit; ipse dedit ei pugnare, ipse dedit ei & vincere.

Militia mundana & Christiana. Prov. 2. 14. Psal. 59. 3. Ibidem 13. Cant. 1. 6. Johan. 16. 33. Philip. 2. 8. Ibidem 9. Johan. 17. 24.

4. Longè est dissimilis hæc militia mundanæ militiæ, in qua victores existimantur, qui quod malè desiderant assequuntur, *qui lætantur cùm malè fecerint, & exsultant in rebus pessimis.* In Christiano verò agone manifesta est pœna, occulta victoria, secundùm quod ex persona Martyrum clamat Psalmista, *Deus tu repulisti nos, & non exibis in exercitibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem:* tamquam si dicerent, Victoria nostra, gloria nostra intus, non foris est: foris despecti, intus dilecti. Hinc est quòd Ecclesia in pressuris posita infirmiora membra sua confortat, dicens, *Nolite me considerare quòd fusca sum.* Quod aliis verbis Apostolus apertiùs auditoribus suis exponit dicens, *Nolite deficere in tribulationibus meis pro vobis.* Hinc Veritas discipulos suos præmonet dicens, *In mundo pressuram habebitis: sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici mundum.* Sed quomodo vicit mundum? *Factus est obediens Patri usque ad mortem.* Quid autem de morte? *Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Quomodo ergo vicit Christus, vincere appetat Christianus: ut ubi est Christus, esse mereatur & Christianus. Audi, Christianæ militiæ persecutor, ipsum Christum pro militibus suis sic orantem: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.*

* Aliàs de Sanctis 46.

* SERMO CCXXIV.

De Martyribus, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat Lovaniensibus, falsus Verlino & Vindingo. Stilum re vera, non Augustini habet, sed Cæsarii.

Cæsarii Serm. XLIX. Martyrium duplex.

1. Non martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum. Pervenitur non solùm occasu, sed etiam contemtu carnis ad coronam. Absque injuria Sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat:* carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. Si verò, Fratres dilectissimi, ad consortium Martyrum vel sacerdotum volumus pervenire, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare. Si enim tormenta quæ sancti Martyres pertulerunt, sufferre non possumus; vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus. * Et quia non desunt quotidiana peccata, non desunt etiam quotidiana remedia.

* V. Serm. aliàs de Tempore 256. * Cæsar. sub fine hom. 13. Gaudium verum non est hic. Ubi Christus nil nisi tristia promisit. Johan. 16. 33. Ibidem 20. Psal. 125. 5. Ubi sumus in exsilio.

2. Nemo se credat aliquam felicitatem aut aliquod verum gaudium in hoc sæculo possidere. Beatitudo hic parari potest, possideri non potest. Duo sibi tempora ordine suo succedunt, tempus flendi & tempus ridendi. Nemo se circumveniat, Fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Scio, Fratres, quòd omnis homo gaudere desiderat: sed non toti ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. Verum gaudium in hoc mundo nec fuit, nec est, nec esse poterit: sic enim ipse Dominus in Evangelio suos discipulos admonuit, dicens, *In mundo pressuram habebitis: & iterum, Mundus gaudebit, vos autem tristes eritis; sed tristitia vestra convertetur in gaudium.* Ac sic in hac vita cum labore & dolore quod bonum est, auxiliante Domino, faciamus: ut in futuro sæculo bonorum fructus colligere cum gaudio & exsultatione possimus: secundùm illud, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.*

3. In hunc itaque, Fratres carissimi, mundum per peccatum primi hominis de beata paradisi sede projecti, & quasi in exsilium missi sumus; ac sic in hoc sæculo patriam non habemus. Sic & Apostolus dicit, *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Non ergo requiramus gaudium in hoc mundo; quia, sicut suprà dictum est, verum gaudium comparari hîc potest, possideri non potest. Non quæras in via, quod tibi servatur in patria. Et quia contra diabolum, Christo duce, quotidie tibi pugnare necesse est; præmium non requiras in prœlio, quod tibi servatur in regno. Non quæras in pugna, quod tibi servatur in futuro, cùm fuerit perfecta victoria: magis illud adtende quod Apostolus dicit, *Omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patiuntur:* & iterum, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Serm. de Sanctis. 2. Cor. 5. 6. 2. Tim. 3. 12. Act. 14. 21. * V. suprà Serm. 69. n. 1. & 2. Laborem solatur quòd ad cives nostri cupidos tendimus. & labor's majoris major est merces. Lucæ 6. 25. Lucæ 16. 25. Orandum ut patriæ desiderio plus teneamur.

4. * Ita ergo agere debemus, ut ad principalem patriam redire feliciter mereamur: ubi nos parentes nostri Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli suscipere vel videre desiderant; ubi etiam concives nostri Angeli, & civitas illa cælestis Jerusalem, & rex civitatis illius Christus expansis nos brachiis caritatis exspectant; ut ad ipsos, prostrato diabolo, pleni bonis operibus feliciter redeamus. Scitis enim, Fratres, quia omnes negotiatores & quicumque alia agentes, interim in via sunt solliciti, ut in patria possint esse securi; & tunc habent veram lætitiam, quando cum magno lucro pervenire merentur ad patriam: ita & nos, dilectissimi Fratres, tunc animum nostrum præparemus ad gaudium, quando pervenire merebimur ad Christum. Interim modò gaudeamus in spe, verum gaudium postea habituri in re. Quod pejus est, multi sunt qui perverso ordine de voluptate & deliciis & luxuria sæculi hujus gaudere se credunt: sed quod in gaudio videntur serere, necesse illis erit cum luctu & lacrymis recipere; quia non mentitur ille qui in Evangelio dixit, *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Sic fecit & ille infelix dives, qui purpurâ induebatur & bysso. Gaudium quidem habuit in mundo; sed flammas invenire meruit in inferno. Lazarus qui jacebat ad januam ejus, tristitiam habuit in via; sed verum gaudium recepit in patria.

5. Nos verò, Fratres carissimi, quantum possumus, Dei misericordiam deprecemur: ut nobis ita amorem vitæ æternæ inspirare dignetur, ut plus patriam velimus amare quàm viam, & ampliùs de futuro quàm de præsenti sæculo cogitemus: & sic semper in exsilio mundi hujus agere studeamus, ut ad futurum judicium cum libera & secura conscientia ornati bonis operibus pervenire possimus; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

* Aliàs de Sanctis 47.

* SERMO CCXXV.

De Martyribus, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium relinquunt, rejiciunt Verlinus & Vindingus. Habet sententiam quamdam Augustini: sed Cæsarium nihilo minùs totus repræsentat; à cujus nempe ingenio & more minimè alienum, superiorum doctorum dicta delibare. In Romano Breviario legitur cum nomine Augustini.

Cæsarii Sermo L. Martyres verè colunt, qui eos imitantur. * August. Ser. aliàs 91. de Diversis. 1. Cor. 1. 7. Johan. 15. 18. Nec Martyrum nec Christi imitatio impossibilis.

1. Quotienscumque, Fratres carissimi, sanctorum Martyrum sollemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus * exspectemus à Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim in veritate sanctorum Martyrum sollemnia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Sollemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis; & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos Martyres, in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sic & apostolus Paulus prædicat, dicens, *Si fuerimus socii passionum, erimus & consolationum:* & Dominus in Evangelio, *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite.

2. Sed dicit aliquis, Et quis est qui possit beatorum Martyrum vestigia sequi? Huic ego respondeo, quia non solùm Martyres, sed etiam ipsum Dominum cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus imitari. Audi non me,

CLASSIS III.

SERM. DE SANCTIS.

sed ipsum Dominum generi humano clamantem, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Audi & beatum Petrum apostolum admonentem, *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Similiter Paulus apostolus clamat. *Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi.* Quid ad hæc respondebimus, Fratres carissimi, vel quam excusationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat, ut virtutes quas fecit Dominus debeas imitari; justa potest esse excusatio tua: quia virtutes & mirabilia facere non omnibus datum est, justè & castè vivere, & caritatem cum omnibus custodire, cum Dei adjutorio promtum est. * Non enim ipse Dominus dicit, Discite à me mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare; non hoc dicit: sed quid ait? *Quia mitis sum & humilis corde:* & iterum, *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos:* & iterum, *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Et licèt sint alia multa, in quibus debeamus & Deum & beatos Martyres imitari; ista tamen duo præcipua sunt, id est, ut mites simus & humiles corde, & inimicos nostros totis viribus diligamus.

Matth. 11. 29. 1. Petr. 2. 21. Ephes. 5. 1.

* V. Cæsar. hom. 18. Matth. 11. 29. Matth. 5. 44.

Præsertim in inimicorum dilectione.

3. * De dilectione inimicorum, Fratres carissimi, nullus umquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, Non possum jejunare, non possum vigilare: numquid potest dicere, Non possum amare? Potest dicere, Non possum res meas totas pauperibus donare, & in monasterio Deo servire: numquid potest dicere, Et non possum diligere? Si dixeris quia non possis à vino vel à carnibus abstinere, credimus tibi: si autem dixeris quòd non possis in te peccantibus indulgere, omnino non credimus. * Et quia nulla nobis remansit excusatio; dum non de cellario, sed de corde istam eleemosynam jubemur implere: ut per viam vitæ ad æternam mereamur patriam pervenire, non solùm amicos, sed etiam inimicos diligamus. * His enim duobus præceptis, id est, diligendo Deum & diligendo proximum, quasi duobus spiritalibus pedibus per viam veræ caritatis valebimus currere, & ad æternam patriam poterimus feliciter pervenire. Istis pedibus currebat apostolus Paulus, quando dicebat, *Ego autem sic curro, non quasi in incertum.*

* V. Cæsar. hom. 9. & ex editis à Baluzio 7.

* Ita Cæsar. homil. 9.

* V. Suprà Serm. 67. n. 4.

Caritatis duo pedes.

1. Cor. 9. 26.

Inimicos amans est filius Dei.

4. Qui ergo dilexerit inimicos suos, illud in eo impletum erit quod Dominus dixit, *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* Elige modò quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, non solùm amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis. Si verò inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris: quia scriptum est, *Qui odit fratrem suum, homicida est:* & iterum, *Qui non diligit, manet in morte:* & iterum, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus:* & iterum alibi scriptum est, *Itinera impiorum, qui injuriam*[a] *retinent malefacti in mortem.* Numquid hæc verba mea sunt, fratres carissimi? De Scripturis sanctis & canonicis proferuntur. Ut ergo nec homicidæ simus, nec in tenebris remaneamus; studeamus non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere: ut pium & misericordem Dominum possimus secundùm cautionis suæ vinculum liberâ conscientiâ convenire.

1. Johan. 3. 15. Non diligens homicida est & in tenebris. Ibidem 14. 1. Johan. 2. 11.

a

5. Ipse enim dixit, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra: si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis debita vestra.* * Diligenter adtendite, Fratres carissimi, & scitote aliud esse in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pænitentibus veniam non indulgeamus, peccatum incurrimus: quando autem aliquis in Deum peccaverit, si sine grandi[b] districtione indulgere voluerimus, participes nos peccatis ejus efficimus. Dixit ergo Dominus, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra.* * Rogo vos, Fratres, quid delicatius, quid benignius dici potest? In potestate nostra posuit, qualiter in die judicii judicemur. * Non dixit, Vade in Orientem, & quære justitiam; naviga usque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam: sed quid dicit? Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi; indulge, & indulgebitur tibi; da, & da-

Quæ in nos peccantur, indulgenda; quæ in Deum, punienda.

* Ita Cæsar. homil. 32.

b

Matth. 6. 14.

* V. suprà Serm. 110. n. 5. & 9. ex editis à Baluzio.

In nobis est peccatorum remedium.

* Cæsarius homil. 7. ex editis à Baluzio.

a MS. Germanensis, reddunt in mala facta, sunt in morte

A bitur tibi. Nihil à te extra te quærit. Ad te ipsum & ad conscientiam tuam te Deus dirigit: in te enim posuit quod requirit. Non enim medicamenta vulneribus tuis longè opus habes inquirere: peccatorum tuorum indulgentiam, si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire.

6. * Sed dicis, Tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, ut eum nulla possim ratione diligere. Adtendis quid tibi fecerit homo, & non adtendis quæ tu feceris Deo? Si conscientiam tuam diligenter discutis & inquiris, sine ulla compensatione multò plura tu peccata commisisti in Deum, quàm in te commiserit homo. Et

* V. suprà Serm. 110. n. 5.

Facilè indulget qui adtendit quanta Deo debet.

B qua fronte petis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu non adquiescas dimittere parum? Si hæc, quæ suprà diximus, spiritalia medicamenta, sicut Deo propitiante consuevistis, libenter accipitis, & in armario sanctæ conscientiæ vestræ reconditum diligentissimè custodieritis; auxiliante Domino, venena diaboli non timebitis, & per odium vel iracundiam aut numquam vobis animarum vulnera ingerentur; aut si fortè subrepserint, per caritatem citò ad pristinam salutem revocantur: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C

* SERMO CCXXVI.

* Aliàs de Sanctis 49.

De Martyribus, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius est apud Lovanienses, spurius apud Verlinum & Vindingum. Hærere hic diutiùs nihil necesse est.

1. CERTAMINE universorum Martyrum fulciri atque eorum victoriâ, quorum Natalis victricis gloriæ celebratur, quò robusta fides sit ad agonem & passionis congressus, roborari debemus: certò scientes, quòd in omnibus Christus patitur, & quòd ad regnum

Christus in Martyribus patitur.

D cælorum statim cum exsultatione corporis transferuntur; & cùm Gentes horreant in ægritudine mortem, hi in ipsa morte consequantur perpetuam hereditatem. Per passionem verò translationem magis credunt esse quàm finem. Hæc est arcana sapientia, quæ in electis tuis, Domine, non persuasione colligitur: sed de tuis Martyribus & de fonte divino virtutes oriuntur, quibus *vivere Christus est & mori lucrum*, triumphantes in Christo, sua morte peccata lucrantes: quamquam qui in illo patitur, omnino non moritur. Confessionis enim mors non est, sed hereditas vitæ. Martyrium est igitur indulgentia criminum, virtutum caput, occasio justitiæ, Dominicæ pas-

Passio eorum translatio est ad cælum.

Philipp. 1. 21.

E sionis imitatio. O felicissimi Martyres! renuntiantes sæculo maluerunt meliora novissima quàm prima. Quorum denique consummatio justum initium facit.

2. Divino tuo nutu, omnipotens Deus, gloriosissimi Martyres Christi testes esse meruerunt. Victoriam quoque meditati, confessi sunt Christum in flagellis, in carceribus, in ergastulis, in solitudine. Justorum enim comes semper debet esse confessio. O inclytæ beatorum animæ, & gloriosa victoria Martyrum, inter quos devotissimæ feminæ simul sæculum sexumque vicerunt; prœliantes cum diabolo, fortiores viris torquentibus exstiterunt, quæ carnifici gratias agentes erant sævienti! Ab

F omnibus enim fidem exspectat Deus omnipotens magis quàm mortem: sed diabolus qui confitentes odit, coronas præstat invitus. Facit martyres quos occidit: & cùm Dei servos vincere contendit, contemnitur ipse, dum sævit. Liberalitas ergo tua, Deus, hactenus nobis martyria proposuit; ut adversarius quo Adam elisus est, à filiis Adæ constanter elidi monstraretur. Voluisti enim hominem non tantùm de diaboli potestate eruere per fidem; sed inculcatorem ejus interficere per virtutem: ut qui gaudemus Christi sanguine mortui, faciliùs liberati ducentes martyria in Christo postea triumphemus coronati; per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum; qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Diabolus nolens Martyribus præstat coronas.

G

b Ità MS. Germanensis, & apud Cæsarium homil. 32. At in editis Am. Er. & Lov. *discretione.*

CLASSIS III.

* Alias ex homiliis Tom. 2. supplem. Augustino adscriptis 18.

*SERMO CCXXVII.

De Martyribus, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustino in Romanis aliquot MSS. falsò tribuebatur. Hunc ipsum Sermonem Baronius nondum typis editum commemoravit in Notis ad Martyrologium 1. Novembris.

1. DELECTAT videre campos segetum Martyrum & Confessorum, ubi oculi adspiciunt Angelorum. Floruit spica corporis Agni Dei, qui tollit peccata mundi. In campo sæculi cœperunt virescere campi Martyrum, irrigati non fluentis aquarum, sed fluminibus lacrymarum. Quales & quantæ istæ spicæ sunt Confessorum? Majores & minores, senes & juvenes, virgines & lactantes, sanguineo nutriti flumine Dei. Sed in judicio Dei non sunt majores, vel minores; quia simul omnes protegunt angelicæ Potestates. Jam videamus senes & juvenes, virgines ac lactantes pariter, & Confessores. Vide Eleazarum nonaginta annorum senem, super juvenes luctatorem. Intuere juvenes illos septem fratres de utero consimiles, de *....... gratiâ compares; de cruore concordes, quales spicæ floruerunt in unum? Quia *ecce quàm bonum, & quàm jocundum habitare fratres in unum.* Quis rigavit istas spicas in campo sæculi fluctuantis? Mater patiens & compatiens spicas testimonii sui consanguineo precum suarum fonte rigabat; & Dominus incrementum dabat, qui matrem & filios adjuvabat. Adspice & pueriles spicas Martyrum, tres pueros in camino flammarum. Vide & alias segetes, sub Herode peremtos infantes & martyres sine detrimento gaudentes. Plantatur ergo totus mundus spicis Martyrum purpurantibus. Ambulabat beatus David inter istos purpureos campos roseâ victoriâ coronatus: lætatur, pascitur oculis, & cantat vocibus pietatis, *Qui seminant,* inquit, *in lacrymis, in gaudio metent.* Vide ipsos seminatores, ipsos pariter & messores; sed per angelicas Potestates.

* fortitudine. — Psal. 132. 1. — Psal. 125. 5.

Martyrum reliquiæ, velut spicæ sparsæ.

2. Quantis in locis istæ spicæ dispersæ sunt, quando ubique transferuntur reliquiæ Martyrum ad medicinam infirmorum, & lumen cæcorum, & sollemnitatem populorum, & ad misericordiam indigentium? Solvuntur modò gremia; sed non solvitur consummata corona. Velut spicæ sunt reliquiæ Martyrum, quæ plantantur per totum mundum, *....... incimi.... venit mes.. elestis mom... tum...... resurrectionis .... spicæ ad manipulos suos; & videbis exercitus pretiosos, non dispersos in terra, sed collectos in patria sempiterna. In cælo novo, & in terrâ novâ lucebunt velut lampades in manibus Angelorum. Nonne quando eos impii judices crudeli incendio concremabant, non quasi spicæ solvebantur? Modò ubi sunt? Collegit eos, qui ædificavit Jerusalem Dominus, & dispersiones Israël congregavit. Testis est ille campus de exercitu mortuorum. Nonne quasi spicæ erant caput & manus, pedes & ossa, articuli & nervi, carnes & cutes? Sonuit Prophetæ clamantis una tuba; & collectis articulis, aristis facta est seges una, stupente cælo & terra, multò clariùs vocibus Angelorum, quasi falcibus gaudiorum. Colligentur de singulis locis, de terra & mari, de campo & profundo, de silvis & aquis; de faucibus bestiarum & de ventre belluarum: quando mare & terra reddent mortuos suos, & colligentur ossa ad ossa, spicæ ad gremia, & apparebit in Jerusalem messis pretiosa; quia ipsi sunt, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.

* repositæ in ... archis donec venit messis cælestis, momentum scilicet resurrectionis. Tunc congregabuntur spicæ &c.

Ezech. 37. 1. &c.

Per resurrectionem adunabuntur.

Psal. 125. 5.

3. De isto campo clamabat beatus David, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Verè flebant, quando lapsos lugebant, & infirmos lacrymis adjuvabant. Bona sanguinis rigua, ubi non cadunt grana per infinita tormenta. Lapidantur, & solidantur; nec grana decidunt, sed meliùs nutriuntur. Vide segetem corporis sancti Stephani lapidari, & grana fructûs ejus penitus non quassari. Lapides illisi sonabant, & ille ad cælos apertos caput levabat: ubi panis vitæ fulgebat, ibi calamus Stephani testificando florebat. Sanguis fundebatur; sed constantia non solvebatur: nec lingua confundebatur, quia in fundamento Evangelii fortis inveniebatur. Vide, spica Isaiæ prophetæ serrâ acutâ secabatur: & non solvebatur spica corporis, fidei constringente constantiâ. Quando

A enim messorum manibus gremia defecta bene cinguntur, manipuli non solvuntur, sed integri jactantur ad carrum. Sic & corpora Sanctorum gremia integra ad carrucam carnis Christi levantur: sic occurrunt Christo in nubibus, & regnabunt in splendoribus Sanctorum cum eodem, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO CCXXVIII.

In festivitate Virginum de lectione Evangelica.

Sine auctoris nomine fuerat curâ Holstenii vulgatus in codice Regularum. Sed nomen Cæsarii in veteri codice Carthusiæ Portarum &
B *in Germanensi præfert, eique omnino stilus adjudicat. Postremam ejusdem Sermonis partem cuidam Cæsarii epistolæ, quæ ad Germanos in Bibliotheca Patrum inscribitur, assutam librariorum errore reperies.*

* CÆSARII Sermo LI.

Matt. 25. 1.

Quid prudentibus virginibus, quid fatuis intelligendum.

1. IN lectione, quæ nobis recitata est, Fratres dilectissimi, audivimus Dominum dixisse, *Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quæ acceptis lampadibus exierunt obviàm sponso & sponsæ.* Hoc si secundùm litteram tantùm intelligimus, nimiùm durum videtur & asperum. Absit hoc à sensibus nostris, ut vel de domo cujuscumque etiam pauperis Christiani tam parvus numerus veniat ad vitam æternam. Et ideo quia nulla ratione secun-
C dùm litteram intelligi debet, & re vera ipse Dominus similitudinem esse dixit, requiramus quare quinque dictæ sunt fatuæ & quinque prudentes. Illæ enim quinque prudentes significant omnes Sanctos, qui cum Christo sunt regnaturi: & è contrario illæ quinque fatuæ figuram videntur habere Christianorum malorum, qui sine operibus bonis de solo tantùm Christiano nomine gloriantur. Ideo autem & illæ fatuæ quinque, & illæ prudentes quinque dicuntur; quia quinque sensus in omnibus hominibus esse probantur, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Et quia per istos sensus velut per quasdam januas vel fenestras aut vita aut mors ingreditur ad animam no-
D stram; de quibus & Propheta dixit, *Intravit mors per fenestras vestras:* ideo & ibi quinque virgines dicuntur prudentes, quæ istis sensibus bene utuntur; & ibi quinque fatuæ, quæ per istos quinque sensus magis mortem quàm vitam excipiunt. Jerem. 9. 21.

Sensus quinque velut quinque virgines: qui corrumpantur.

2. Quomodo autem isti quinque sensus, velut quinque virgines, aut virginitatem custodiant, aut corruptioni subjaceant, diligentiùs requiramus. Si aliquis vir, aut aliqua mulier viderit aut filium, aut filiam, aut alienum servum, aut ancillam, & ad concupiscentiam diligenter adspexerit; corrupta est una virgo: quia per oculos, id est, per fenestras corporis in secretum cordis venenum
E mortis intravit. Si verò aliquis sive religiosus sive laïcus homines detrahentes, sermones etiam otiosos, & cantica luxuriosa vel turpia proferentes libenter audierit, & cum delectatione placido auditu susceperit; corrupta est alia virgo. Si autem non sit contentus mediocribus cibis, sed sumtuosas delicias quærat, si semper malè loqui studeat; per iniquum gustum corrupta est tertia virgo. Quòd si etiam odores peregrinos, ut hominibus ad luxuriam placere possit, diligenter inquirit; quarta virgo est violata. Si verò manibus suis aut filios aut filias alienas cum delectatione propter libidinem tangere voluerit, & vestimenta nimis mollia animo voluptuoso quæsierit;
F jam etiam quinta virgo corrupta est. Hoc enim ordine isti quinque sensus velut quinque virgines in hominibus corrumpuntur. Et è contra, dum animæ sanctæ istos quinque sensus, id est, visum, auditum, gustum, odoratum & tactum, ab omnibus illicitis rebus refrenant, linguam suam ad ea quæ sunt licita vel legitima sobriè & castè relaxant, quinque sensuum virginitatem custodiunt. Ideo quinque virgines homines bonos significant; & aliæ quinque eos qui mali sunt præfigurant.

aut integritatem conservent.

Virginitas sola nihil prodest.

3. Et re vera, Fratres carissimi, quid prodest viro vel feminæ, clerico vel Monacho, vel sanctimoniali, si in corpore virginitas custoditur, quandò per malas concu-
G piscentias cordis integritas violatur? Quid prodest in uno membro præferre castitatem, & in omnibus habere corruptionem? Nam & illi virgines qui Agnum sequuntur, si diligenter adtenditis, non propter hoc sequuntur Agnum, quia solam virginitatem corporis servaverunt: denique cùm dixisset, *Hi sunt qui se cum mulieribus non inquinaverunt;* secutus adjunxit, *Et non est inventum in* Apoc. 14. 4. & 5.

Classis III.

ore eorum mendacium, sine macula sunt. Qui ergo de sola corporis virginitate gloriantur, diligenter adtendant, quia si mendacium diligunt, cum illis sanctis virginibus Christum sequi non poterunt. Nulla ergo virgo de sola corporis virginitate præsumat; quia si inobediens fuerit aut linguosa, ab illo thalamo sponsi cælestis se noverit excludendam. Cùm ergo virgo centesimum gradum teneat, & mulier conjugata tricesimum; * melior tamen est casta & humilis conjugata, quàm virgo superba. Illa enim castè & humiliter marito serviens tricesimum gradum possidet; virgini superbæ nec unus remanebit: & in utrisque impletur quod ait Psalmista, *Tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.*

* *Cæsarius homil.* 35.

Psal. 17. 28.

B 4. Et quia totam Ecclesiam catholicam beatus Apostolus virginem vocavit, non solas in ea considerans corpore virgines, sed incorruptas omnium desiderans mentes, ita dicit, *Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo:* non solùm sanctimonialium, sed etiam omnium virorum vel mulierum animæ, si & castitatem in corpore, & in illis supradictis quinque sensibus virginitatem servare voluerint, sponsas se Christi esse non dubitent. Non enim corporum, sed animarum sponsus intelligendus est Christus. Et ideo, Fratres carissimi, tam viri, quàm feminæ, tam pueri quàm puellæ: si virginitatem usque ad nuptias servant, & per istos quinque sensus, id est, visum, auditum, gustum, odoratum, vel tactum, dum eis bene utuntur, suas animas non corrumpunt; in die judicii apertis januis ad æternum sponsi thalamum feliciter merebuntur intrare. Illi verò, qui & corpora sua ante nuptias adulterina conjunctione corrumpunt, & postea per totam vitam suam malè vivendo, malè audiendo, malè loquendo, animas suas violare non desinunt; si eis dignæ fructus pænitentiæ non subvenerit, clausis januis sine caussa clamabunt, *Domine, Domine, aperi nobis.* Et audire merebuntur, *Amen dico vobis, nescio vos unde sitis.* Hæc ergo, Fratres, si & clerici, & laïci, & monachi, & sanctimoniales, & in conjugiis positi fideliter & diligenter adtendimus, & cum castitate corporis etiam integritatem cordis auxiliante Domino custodiamus, non cum fatuis projiciemur in tenebras exteriores; sed cum sapientibus ad spiritales nuptias intromissi audire merebimur, *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Quod ipse præstare dignetur.

Fidelis quisque virgo est & sponsa Christi.

2. *Cor.* 11. 2.

Matth. 25. 11.

Ibidem.

Matth. 25. 21.

* *Aliàs de Tempore* 252.

* SERMO CCXXIX.

In dedicatione ecclesiæ vel altaris consecratione, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Cum Augustini nomine legitur in Romano Breviario in festo Dedicationis. Lovaniensibus tamen ambiguus fuit, falsus Verlino & Vindingo. Quosdam isti in hoc & proximè sequenti Sermone locos exagitant, innocuos sanè & inculpatos, si ex veri auctoris, quem illi nesciebant, Cæsarii videlicet sensu & mente expendantur.

Cæsarii Sermo LII.

Quod in templis manu factis, id spiritaliter completur in nobis

1. QUOTIENSCUMQUE, Fratres carissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter adtendimus, & sanctè ac justè vivimus, quidquid in templis manu factis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione completur. Non enim mentitus est ille qui dixit, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos:* & iterum, *Nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus-sancti.* Quia verò nullis præcedentibus meritis, sed per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei; quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, * ne Dominus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis, inveniat quod oculos suæ majestatis offendat: sed habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, & virtutibus repleatur; claudatur diabolo, & aperiatur Christo; & ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cælestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vitæ nobis janua clauditur; ita absque dubio bonis operibus aperitur.

1. *Cor.* 3. 17.

1. *Cor.* 6. 15.

* *Ita Serm.* 8. *n.* 4. *& mox subseq. n.* 3.

2. Et ideo, Fratres carissimi, unusquisque consideret conscientiam suam: & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, priùs orationibus, jejuniis vel

Debita ad sacram synaxim præparatio.

A eleemosynis studeat mundare conscientiam suam; & sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se à divino altari subduxerit, citò ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet: quia sicut *qui se exaltat humiliabitur; ita è contrario qui se humiliat; exaltabitur.* * Qui enim, sicut dixi, agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo & cælesti convivio excommunicari penitus non timebit.

Serm. de Sanctis.

Decet quandoque ab eo se subducere.

* *V. Cæsar. sub finem homil.* 13.

3. Rogo vos, Fratres, diligenter adtendite, si ad mensam cujuscumque potentis hominis nemo præsumit cum vestibus conscissis & inquinatis accedere; quantò magis à convivio æterni regis, id est, ab altari Domini debet se unusquisque invidiæ vel odii veneno percussus, iracundiæ furore repletus, cum reverentia & humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est, *Vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum:* & iterum, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Sic enim habet textus Evangelicæ lectionis, quòd quidam fecerit nuptias filio suo, & intraverit ut videret simul recumbentes; & videns ibi hominem non habentem vestem nuptialem, dixit ad eum, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et illo C obmutescente, dixit ministris, *Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad convivium nuptiale, id est, altare Domini, aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens præsumit accedere. Avertat hoc Deus à nobis, Fratres carissimi, & concedat ut mala ista aut numquam velimus admittere; aut si admissa fuerint, sine ulla mora pænitentiâ vel pace studeamus sanare, & largioribus eleemosynis festinemus abluere: ne fortè, si cum peccatorum vulneribus ante tribunal æterni Judicis venerimus, ab illa æterna Ecclesia, & ab illa cælesti Jerusalem perpetua ex- D communicatione separemur.

Crimen eam indignè percipientium.

Matth. 5. 24.

« *Matth.* 22. 2. *&c.*

Ibidem. 12. & 13.

Criminis hujus pœna.

* *Cæsar. in fine homil.* 10. *& suprà Serm.* 29. *n.* 4. *&* 116. *n.* 1.

4. Considerate, rogo vos Fratres, si hodie aliquis à conventu Ecclesiæ hujus pro aliquo crimine projiciatur foras, in quanto dolore vel tribulatione erit anima sua? Et si intolerabilis dolor est de ista sancta Ecclesia foras projici; ubi ille qui projicitur, & manducare & bibere & cum hominibus loqui [a] non potest, & habet spem ut iterum mereatur ad Ecclesiam revocari: putamus quantus dolor erit, si aliquis pro criminibus suis ab illa Ecclesia, quæ in cælis est, à conventu Angelorum vel Sanctorum omnium congregatione fuerit separatus; cui nec E hoc solùm sufficiet ad pœnam, quòd foris projicitur, sed insuper in tenebris exterioribus æterno incendio concremandus includitur? Qui enim ab illa cælesti Jerusalem excommunicari meruerit, non solùm hanc pœnam habebit, quòd nec manducare vel bibere poterit; sed etiam flammas infernales sine ullo termino sustinebit, ubi est fletus & stridor dentium, ubi ululatus, lamentatio & pænitentia sine ullo remedio; ubi est vermis ille qui non morietur, & ignis qui non exstinguetur; ubi mors quæritur, & non invenitur. Quare in inferno mors quæritur, & non invenitur? Quia quibus in hoc sæculo F vita offertur, & dedignantur accipere; in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire. Ibi erit nox sine die, amaritudo sine dulcedine, obscuritas sine lumine; ubi nec divitiæ, nec parentes, nec conjuges, nec filii, nec vicini poterunt subvenire; ubi nihil peccator inveniet, nisi quod de hoc sæculo castè & justè vivendo per eleemosynarum largitatem transmiserit.

Excommunicatio temporaria & æterna.

Pœnæ æternæ.

Isa. 66. 24.

5. Hæc ergo cogitantes, Fratres carissimi, tam casti, tam sobrii, & tam pacifici ad istud altare, Deo auxiliante, studeamus accedere, ut ab illo æterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad istud altare casto corpore & mundo corde, cum munda & secura conscientia venerit; ad illud altare quod in cælis est, felici transmigra- G tione perveniet. * Ad extremum, Fratres carissimi, non est grave nec laboriosum quod suggero: hoc dico quod vos frequenter facere adspicio. Omnes viri, quando ad altare accessuri sunt, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida [b] exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiunt,

Merces dignè communicantium.

* *Cæsar. hom.* 10.

Munditiies ad id requisita.

[a] In editis nec non in MS. Corbeiensi desideratur particula, *non*, quæ in aliis MSS. reperitur. Excommunicati quippe à populi totius colloquio & convivio excludebantur, ut patet ex Can. 49. Concil. 2. Arelat. & ex Can. 38. & 39. Concil. Autissiodorensis.

[b] Ita editi & MSS. excepto tamen Floriacensi codice, quihîc & infrà habet, *induunt* linteamina, *cùm corpus Christi accipiunt.* De hoc ritu Concilium Autissiodorense anni 578. Can. 36. *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere.* & Can. 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum accipiat: quòd si qua non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.*

CLASSIS III. cipiant. Non est grave quod dico, Fratres: quomodo viri lavant aquâ manus suas; sic eleemosynis lavent animas suas. Similiter & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant; sic corpus castum & cor mundum exhibeant, ut cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant. Rogo vos, Fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa; qua fronte in anima peccatorum sordibus inquinata Christi Eucharistia suscipitur? Et quia istis verissimis exemplis loqui cœpimus, etiam & hoc quod bene nostis insinuo. * Non puto esse aliquem hominem, qui in arca sua, ubi pretiosas vestes habet repositas, adquiescat aut carbonem vivum aut qualemcumque scintillam includere. * Quare hoc, Fratres? Quia timet ne comburantur vestimenta, quibus in festivitate induitur. Rogo vos, Fratres, qui in arca sua non vult scintillam ignis includere, quare in anima sua flammam iracundiæ non timet accendere? Sed quare hoc fiat, manifestè & evidenter cognoscimus. Ideo enim in arcam ignem non mittimus, quia diligimus vestem nostram: flammam verò iracundiæ ideo non exstinguimus, quia non solùm non diligimus, sed etiam odio habemus animam nostram, secundùm id quod scriptum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

* Sic Cæsar. hom. citatâ.
* V. Cæsar. in fine homil. 15.
Iniqui probantur animam non amare.
Psal. 10. 6.

6. Et ideo, Fratres carissimi, exempla ista adtentiùs cogitantes, * arcellas interiores, id est, conscientias nostras, quantum possumus, cum Dei adjutorio custodire diligentiùs studeamus, ut cùm dies judicii venerit, in illa æterna & beata Ecclesia, ubi numquam habitare poterit malus, & unde numquam exiturus est bonus, non cum pannis veteribus foras in tenebras exteriores excludendi appareamus; sed stolâ immortalitatis induti, castitatis & justitiæ gemmis ornati, & eleemosynarum luce vestiti, audire mereamur, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*: & illud, *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ad quod gaudium vos Dominus sub sua protectione perducat, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* V. suprà Serm. 12. n. 4.
Matth. 25. 34.
Ibidem 21.

* SERMO CCXXX.

* Aliàs de Tempore 255.

In Dedicatione ecclesiæ vel altaris consecratione, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius est apud Lovanienses, apud Verlinum & Vindingum suppositius. Ejusdem auctoris est, cujus Sermo superior. Confer ad Sermones alios Cæsarianos.

CÆSARII Sermo LIII. Festivitas hæc in gaudiis celebrata.

1. SICUT optimè novit Sanctitas Vestra, Fratres, consecrationem altaris hodie celebramus: & justè ac meritò gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus vel unctus est lapis, in quo nobis divina sacrificia consecrantur. Sed quando festivitates istas colimus, Fratres carissimi, diligenter debemus adtendere, & totis viribus laborare, * ut quod in templis vel altaribus visibiliter colitur, in nobis invisibiliter compleatur: quia quamvis sancta sint templa quæ videmus de lignis & lapidibus fabricari, tamen plus apud Deum pretiosa sunt templa cordis & corporis nostri; quia illa fiunt ab homine carnali, ista ab artifice mundi. Templa de lignis & lapidibus humano ingenio componuntur; templa corporum ipsius cœlestis artificis manu fabricantur: sicut scriptum est, *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me*; & iterum, *Priùs quàm te formarem in utero, novi te.* Nam quòd templa succenduntur; ita è contrario qui caritatis luce repletus est, si negligens fuerit, citò refrigescit caritas, & cupiditas inardescit. * Ergo nec ille desperet qui malus est; quia citò potest resurgere: nec ille qui bonus est, aut negligens remaneat, aut aliquid de sua virtute præsumat; ne gaudium suum convertatur ad luctum.

* Ita antecedent. Serm. n. 1.
Psal. 118. 73.
Jerem. 1. 5.
* V. suprà Serm. 112. n. 5.

2. Et ideo, dilectissimi Fratres, castitatem corporis, puritatem cordis, cum Dei adjutorio, servare quantum possumus studeamus. His enim rebus ignis in nobis caritatis vel compunctionis semper accenditur & nutritur. Qui enim nec castitatem custodit in corpore, nec puritatem tenet in mente, quotiens sanctæ sollemnitates adveniunt, in corpore videtur habere gaudium, in corde non celebrat nisi luctum. Quale enim gaudium potest habere, in cujus anima multis vitiis occupata magis diabolus pro-

Gaudium ei non est verû, cui nec cor purum nec corpus castû.

A batur habitare quàm Christus? Quale gaudium potest habere anima, quæ iracundiæ furore succenditur, cupiditatis nigredine obscuratur, superbiæ amarissimo felle repletur, invidiæ veneno percutitur, luxuriæ sordibus inquinatur?

SERM. DE SANCTIS.
Est enim diaboli domicilium.

3. Nos verò, Fratres carissimi, etiamsi nobis aliqua, ut solet fieri, peccata subrepunt, quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus, jejuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis mundare sordida, lapsa construere, templum Dei vivi reædificare; * ut veniens Dominus in nobis nihil inveniat, quod oculos suæ majestatis offendat: quia de ipso scriptum est, *Ecce sto ad ostium & pulso; si quis surrexerit, & aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, & ille mecum*; & iterum, *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* * Quàm beata est illa anima, in qua Pater & Filius venientes non solùm habitare vel manere, sed etiam cœnare dignantur! Quod autem dixit, *Cœnabo cum illo, & ille mecum*, scimus evidenter; quia apostolus Paulus ostendit, dicens, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et per Prophetam Dominus dicit, *Et habitabo*, inquit, *in eis, & inambulabo.* Et quia, sicut ipsi vidistis, Fratres, habitare & inambulare desiderat in nobis Deus, cum ipsius adjutorio ita cor nostrum studeamus bonis semper cogitationibus C occupare, & corpora nostra ab omni sorde luxuriæ munda vel casta jugiter custodire; ut Deum in nobis delectet habitare.

* Sic Serm. superior n. 1.
Apoc. 3. 20.
B
Johan. 14. 23.
* V. suprà Serm. 115. n. 3.
1. Cor. 3. 17.
Levit. 26. 12.
Deus in nobis habitare desiderat.

4. In templo enim à Salomone ædificato legimus duo altaria fuisse constituta, unum foris, aliud intus. In illo quod foris erat, animalium celebrabatur sacrificium: in illo verò altari quod intus erat, thymiamatis offerebatur incensum. Videamus ergo, Fratres, ne fortè in nobis duo sint altaria constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex à nobis sacrificium quærit Deus: unum ut simus casto corpore, aliud ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corD pore nostro offerantur opera bona; in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta. In altari cordis nostri jugiter quod est Deo placitum operemur. Tunc enim ordinem legitimum consecrationis altaris cum gaudio celebramus, quando altaria cordis vel corporis nostri munda & pura in conspectu divinæ majestatis offerimus. Nam nescio, qua fronte aut qua conscientia optat in altaris consecratione gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiam custodire. Nos verò, Fratres carissimi, ita agere studeamus, ut semper festivitatem duplicem celebrare mereamur: & quomodo de templi vel altaris consecratione gaudemus, sic invisibiliter de corporis caE stitate vel animæ puritate spiritale gaudium habere mereamur.

Duo altaria in templo Salomonis.
Sacrificium duplex à nobis exigit Deus.

5. Et hoc considerate, Fratres, quòd in illo altari, quod à Salomone legimus dedicatum, jugiter quotidianus ignis ardebat: quod utinam & in nobis pietas divina perficiat. Unde non solùm orationibus, sed etiam bonis operibus placandus est Deus; ut in altari cordis nostri ignem suum semper accendat illum, de quo ipse dixit, *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut accendatur?* * quia duo sunt ignes, cupiditatis scilicet, & caritatis: & unus de parte Dei, alter de parte diaboli; unus devorans omnia mala, alter universa bona consumens. F Consideret unusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adjutorio festinet exstinguere; quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit: sicut è contrario nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit caritatis. Flamma enim cupiditatis in corde peccatorum, velut in altari sacrilego, devorans omnia bona, diabolo odorem suavitatis exhalat: in anima verò sancta, velut in sacrosancto altari, flamma caritatis quæcumque supervenerint mala consumens, Deo odorem suavitatis exhibet.

Lucæ 12. 49.
Ignes duo, caritatis & cupiditatis.
* V. suprà Serm. 19. n. 2. & 112. n. 3.

6. Et quia uniuscujusque cor altare est aut Dei, aut adversarii; sicut jam dixi, adtendat unusquisque conscienG tiam suam, & si cupiditatis igne consumitur, eleemosynarum refrigerio mitigetur; quia scriptum est, *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* Qui ergo cupiditate consumitur, subtrahat à se opera mala, & quod bonum est exercere conetur. Qui verò flammâ caritatis accenditur, semper bonis operibus augeatur, & nutriat in se ignem quem in eo Christus di-

Cujusque cor aut altare Dei, aut diaboli.
Eccli. 3. 33.

aaa

a gnatur accendere. [a] Sicut ille in quo cupiditatis ignis ardet, si ab opere malo cessavit, citò caritatis igne exardescit: hoc significat, quòd si Deum in hoc mundo reficimus bonis operibus nostris, ille nos in futuro sæculo reficiet muneribus suis; secundùm illud quod in Evangelio scriptum est, *Venite benedicti, percipite regnum; quia esurivi, & dedistis mihi manducare*: &, *Quamdiu fecistis* &c. Ut ergo ab auditu malo, quo dicendum est, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, liberari mereamur, & illam desiderabilem vocem audire possimus, *Venite benedicti, percipite regnum*; in nobis ipsis pacem cordis, vel castitatem corporis conservemus, & pauperibus largiores eleemosynas erogemus: quia non mentitur ille qui dixit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Iterum atque iterum, Fratres carissimi, miseriam vobis peregrinorum & pauperum, * sperantes ut apud vos pro illis prævaleat supplicatio ista, & non sit inanis admonitio vel prædicatio nostra. Jubente enim Christo legationem pauperum apud vos agimus: & si me pro pauperibus supplicantem Caritas Vestra libenter audierit, orantem me pro vobis sine dubio Christus exaudiet. Inter vos & pauperes quasi mediatorem me posuit Deus: videtur mihi quòd qualiter à vobis pro peregrinorum inopia audita fuerit deprecatio mea, taliter à Christo exaudietur oratio vestra; sicut & ipse promisit, dicens, *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25. 34. — Ibidem 41. — Matth. 5. 7. — * f commendamus. — Sacerdos legatus pauperum. — Lucæ 6. 37.

* SERMO CCXXXI.

* Aliàs de Tempore 253.

In Dedicatione ecclesiæ vel altaris consecratione, III. & de verbis 3. Reg. 10. Sed & regina Saba auditâ famâ Salomonis *&c.*

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses, rejiciunt Verlinus & Vindingus ut falsum. Excusus est in Bibliotheca Patrum inter Sermones Eusebio adscriptos: sed ibi reperitur aliquantò proxilior.

Ecclesiæ variæ figuræ.

1. RECTE festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios esse recognoscunt. Hæc enim omnium credentium mater est, quæ natos ad mortem, regenerat ad salutem. Hæc est post Synagogam quidem vocata; sed ante Synagogam promissa. Hæc enim jam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eva; ita ex Christi corpore & vulnere redemta crevit Ecclesia. Hæc intra arcam diluvio exundante servata, crucis beneficium & baptismatis mysterium præsignavit. Hanc Sara sterilis & desperata in senectute unico pignore fecunda præcecinit: Ecclesia enim unicum, id est, dilectissimum Deo populum sæculo jam senescente progenuit. Hæc est regina illa, de qua ad Dominum dicitur, *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate*, id est, diversarum circumdata pretioso decore virtutum.

Psal. 44. 10.

2. Hæc est illa regina, quæ venit à partibus Æthiopiæ audire sapientiam Salomonis. Sed hæc non tam ex una regione, quàm ex universis mundi partibus reges paritura convenit, sicut etiam Evangelista commemorat, *Regina austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Venit Ecclesia ad redemtorem & eruditorem suum; ut de stultitia erroris doctrinam perciperet veritatis: de qua pleniùs, sicut audivimus, Regnorum scripsit historia, ita dicens: *Et ingressa regina Jerusalem cum multo comitatu & divitiis, cum camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Salomonem, & locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.* Ergo in figura reginæ hujus Ecclesia venit ex Gentibus & à finibus terræ, imponens finem cupiditatibus vitiisque terrenis; ut audiret sapientiam Salomonis, id est, veri pacifici Domini nostri Jesu Christi, qui fecit utraque unum, solvens inimicitias inter Deum & hominem

3. Reg. 10. 1. Eam Regina Saba multimodis repræsentat. — Matth. 12. 42. — 3. Reg. 10. 2. &c. — Ephes. 2. 14.

A in carne sua. Venit post veteres & profanas superstitiones audire & discere de fidei illuminatione & judicio futuro, de animæ immortalitate, de spe resurrectionis & gloriæ. Venit ergo in Jerusalem *cum multo comitatu*, id est, non jam cum una tantùm gente Judæorum, sicut priùs Synagoga solos habuit Hebræos; sed totius mundi gentibus diversisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum & gemmas pretiosas; & hoc camelis portantibus, id est, ex Gentili populo venientibus, qui priùs fuerant ex vitiorum fœditate distorti, & malorum onere curvi, ac peccatorum pravitate deformes. Cum his tamquam muneribus regina hæc ingredi-
B tur ad pacificum regem Christum; exhibens fidei aurum, puritatis incensa pretiosa, splendoresque gemmarum, morum scilicet insignia & ornamenta virtutum. *Et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo*; id est, aperuit ei cor suum, manifestavit ei occulta conscientiæ suæ in confessione & pænitudine præcedentium delictorum.

Dogmata Ecclesiæ à Christo tradita. — ℣. 2.

3. Videamus quid agat hæc regina. *Videns*, inquit, *regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultrà spiritum.* Quid erat rationis, ut præpotens regina domum, expensas, & cibos
C regios tantopere miraretur? Ergo hoc loco aliqua majora nos oportet inquirere. Vidit ergo Ecclesia ex Gentibus congregata sapientiam Christi: id est, post carnalia instituta Gentilium, post humanam & animalem doctrinam philosophorum, accepit intellectum salutis & vitæ, inspexit spiritalium mirabilia bonorum, agnovit verum fabricatorem cæli ac terræ, & potentissimum humani generis Conditorem; de cujus sapientia dicitur, Omnia in mensura & pondere & numero constituisti. Vidit & domum quam ædificaverat, id est, incarnationem hominis assumti, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Vidit & cibos mensæ Salomonis, id est, illos
D de quibus Dominus dicebat, Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit Patris. Cibus enim Christi est salus nostra; reficitur cælestibus epulis, profectibus nostris. Cibus ejus sumus, dum adquisiti Ecclesiæ in membra ejus corpusque transimus. Vel cibus ejus altaris sacramenta cælestia sunt, de quibus dicitur, Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Vidit & holocausta ejus, orationum sine dubio supplicationumque mysteria; & obstupuit, ubi vidit inæstimabiles divitias domini sui.

℣. 4. & 5. Ecclesia miratur Christi sapientiam. — In opificio mundi. — Sap. 11. 21. — In domo quã per incarnationem construxit. — Johan. 4. 34. — In cibis mensæ suæ: & qui Christi cibi. — Psal. 77. 24. & 25.

4. *Dixitque ad regem, Verus est sermo quem audieram in terra mea super sermonibus tuis & super sapientia tua:*
E *& non credebam narrantibus, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi quòd media pars nuntiata mihi non fuisset. Majora sunt sapientia & opera tua, quàm rumor quem audivi.* Cùm ergo pervenerit regina hæc sive Ecclesia, sive quæcumque anima sancta in æternam Jerusalem, id est, visionem pacis, & ingressa fuerit beatam requiem & gloriam cælestium promissorum; multò plura & magnificentiora perspiciet, quàm ei sunt in hac terra per sacra eloquia, per Prophetas atque Apostolos nuntiata. Nunc enim tamquam in speculo & in ænigmate; tunc autem oculis suis videbit; id est, facie ad faciem. Tunc beata & illustris anima inter stupendas remunera-
F toris sui constituta divitias, ineffabilibus reginæ hujus verbis uti ad Deum poterit, dicens, *Verus est sermo quem audivi in terra mea super sermonibus tuis: majora sunt opera tua, quàm rumor quem audivi.* Et re vera id quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non adtingitur, caritate non capitur, desideria & vota transgreditur: adquiri potest, æstimari non potest. Habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium. Ad quæ vos bona perducat, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

℣. 6. & 7. — Gloriam cùm viderit, dictis fatebitur majorem. — ℣. 7.

[a] Hic Sermo in editis clauditur. Quæ verò sequuntur, ex MS. Vindocinensi tamquam à Cæsario non aliena exscripsimus.

APPENDICIS CLASSIS IV.

Sermones de Diversis.

* SERMO CCXXXII.

** Aliàs de Tempore 183.*

De sancta Trinitate.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovaniensibus, Verlino autem & Vindingo falsus videbatur. In Remigiano MS. nomen præfert Hieronymi. Sed ab ipsius stilo distat quàm plurimum: minimum verò aut fortè nihil dissidet ab ingenio Vigilii Tapsitani, cujus auctoris esse observavimus Sermonem hujus Appendicis 113. qui in prædicto MS. & in antè editis Sermoni huic proximè conjunctus est.

De Trinitate periculosa disputatio.

1. AUDIO, Fratres, quòd quidam inter se disputant, quomodo Pater & Filius & Spiritus-sanctus & tres sunt, & unum sunt. Videtis ex quæstione, quàm periculosa sit disputatio. Lutum & vas fictile de Creatore disputat; & ad naturæ suæ rationem non potest pervenire: & curiosè quærit scire de mysterio Trinitatis, quod Angeli in cælo scire non possunt. Quid enim dicunt Angeli in cælo? *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Similiter in Isaia dicitur, *Quis est iste qui adscendit de Edom, candida vestimenta ejus?* Vide quid dicunt: pulcritudinem prædicant, & de natura tacent. Ergo & nos simpliciter dicamus. Vis scire naturam Dei, vis scire quid sit Deus? Hoc scito, quòd nescias: nec in hoc contristeris quia nescias; quia & Angeli nescierunt, & omnes similiter creaturæ.

Psal. 23. 10. — Isai. 63. 1. — Hoc scimus de Deo, quòd eum nesciamus.

2. Sed dicit aliquis, Quomodo ergo credo quod nescio? quomodo Christianus sum, qui nescio quomodo sum Christianus? Dicam simpliciter, antè quàm aliqua de Scripturis proferam. O Christiane, qui tibi videris nihil scire, si scias hoc ipsum, quòd nescias; nonne magis plus videris à ceteris scire? Gentilis homo videt lapidem, & Deum putat; philosophi vident cælum, & Deum putant; alii vident solem, & Deum putant: tu verò vide quantam super istos habeas scientiam, qui dicis, Deus lapis esse non potest, sol Deus esse non potest; quia alterius imperio currit. Vides quia in eo quòd dicis nihil te scire, magis nosti? Gentiles autem in eo quòd se dicunt scire, nesciunt; quia falsa sunt quæ noverunt. Simulque considera quòd voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto baptismo hoc dicimus; Fidelis factus est, sive factus sum. Credo quod nescio, & propterea scio; quia me scio nescire quod nescio.

Hac scientia Philosophos & Gentiles superamus.

3. Sed dicit aliquis, Hoc non est exponere, sed expositionem fugere. Et nos sciebamus scire quòd nesciebamus: tu nos dicebas scire quod ignoramus. Nonne meum est piè ignorantiam confiteri, quàm temere mihi scientiam vindicare? In die judicii non damnor; quia dicam, Nescivi naturam Creatoris mei: si autem aliquid temere dixero, temeritas pœnam habet, ignorantia veniam promeretur. Dicamus aliquid de Scripturis, rationem non sequentes, sed auctoritatem Domini Salvatoris. Christus dicit adscensurus in cælum ad Apostolos loquens, quibus prædicat ut magister & Dominus: (Nemo sic novit de natura sua dicere, quomodo ipse qui Deus est: nobis autem sufficiat scire de Trinitate, quod Dominus exponere dignatus est.) Quid ergo dicit ad Apostolos? *Ite & baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Tria nomina audio, & unum dicitur nomen. Non enim dixit, In nominibus: sed, *In nomine.* Tria nomina dicit, & quomodo unum ponit, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti?* Nomen Patris & Filii & Spiritus-sancti unum est: sed Trinitas est nomen quod dicitur in nomine Patris Dei, in nomine Filii Dei, in nomine Spiritus-sancti Dei, Pater & Filius & Spiritus-sanctus unum nomen est divinitatis.

Damnabitur, non ignarus naturæ Dei, sed temerarius assertor. — Matth. 28. 19.

4. Sed requiris à me quomodo uno nomine tres appellantur. Nescio; & liberè me nescire profiteor, quod Christus noluit indicare. Hoc solùm scio, quia in hoc Christianus sum, quia unum Deum in Trinitate confiteor. Si autem dixero unam personam esse Patris & Filii & Spiritus-sancti, Sabellianus appellabor, & incipio non esse Christianus, sed Judæus: quia & Judæus unum Deum dicit; & quia Patrem nescit & Filium & Spiritum-sanctum, propterea mysterium non tenet Trinitatis. Ergo si sic dicimus unum Deum, ut Patrem & Filium & Spiritum-sanctum excludamus à mysterio Trinitatis, Judæi efficimur. Ego liberè dico non ex me, sed ex sententia Salvatoris, scandalum esse quod in animo nascitur auditoris, quomodo tres unum sint, quomodo Pater & Filius & Spiritus-sanctus non dividantur in divinitate, sed in personarum qualitate. Quandocumque personas appello, rogo vos ne me putetis personas hominum dicere: ego personas in Patre & Filio & Spiritu-sancto non dico quasi personas hominum. Patris personam dico, quia pater est; & Filii, quia filius est; & Spiritus-sancti, quia spiritus-sanctus est. Non est Pater filius, nec Filius pater, nec Spiritus-sanctus pater aut filius. Dividuntur enim proprietatibus; sed naturâ sociantur. Videte, hoc ipsum scandalum Philippus quondam apostolus sustinebat, quando dixit ad ipsum Dominum, *Domine, ostende nobis Patrem.* Cui respondens Dominus ait, *Philippe, tanto tempore vobiscum sum, & ignoras Patrem? Qui me videt, videt & Patrem.* Quid? ipse pater est, ipse filius? Hoc impium est dicere: sed hoc dicit, In eo quòd Filium vides, intellige Patrem: non enim potest appellari filius, nisi habuerit patrem. Quando dicitur pater, non dicitur, nisi habuerit filium.

Quæ de Trinitate cognitio Christiano sufficiat. — Judæus est Sabellianus. — Personæ proprietatibus, non naturâ distinguuntur. — Iohan. 14. 8. — Ibidem 9.

5. Multa sunt quæ dici possunt: sed sufficiat fidelibus pauca de mysterio Trinitatis audisse. Rogo vos, hoc magis inter nos certamen sit, quomodo adversarium superemus, quomodo jejunemus, quomodo peccata nostra plangamus, quomodo pro tanto scelere satisfaciamus, quomodo eleemosynis insistamus, quomodo cogitatio nostra non nos captivos in libidinem trahat, quomodo patientiam contra omnem injuriam habeamus, quomodo fratri injuriam facienti non resistamus; sed vincamus eum in humilitate, quam à Christo didicimus, *qui cùm pateretur, non comminabatur.* Si quando venerit cogitatio, & proposuerit quid est Deus, & quæ est ratio Trinitatis; nobis sufficiat credere quia est, & non temere rationem quærere Trinitatis: sed timere & orare Dominum semper debemus, & ei soli scientiam nostram in hac parte exhibeamus, ut diebus ei ac noctibus laudes canamus, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Qualis Christiani æmulatio esse debeat.

* SERMO CCXXXIII.

** Aliàs de Tempore 129.*

De fide catholica, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. In Lovaniensium editione dubius est, Verlini autem & Vindingi censurâ suppositititius. Exceptis anathematismis posterioribus quatuordecim, qui ex Confessione fidei catholicæ Damasi ad Paulinum Antiochenum huc accesserunt; nihil est aliud quàm libellus fidei, qui in codice canonum Ecclesiæ Romanæ cap. 40. sic inscribitur, Libellus Augustini de fide catholica contra omnes hæreses: *qui etiam Toletani 1. anni 400. concilii Actis insertus reperitur cum nonnulla in anathematismis varietate. Nomine Augustini citat Magister sententiarum 3. dist. 21. ex ipso fortè Romano canonum codice. Quippe in MSS. hunc libellum inter Augustini Sermones & opuscula nusquam exstare vidimus. Augustinum certè nobis minùs sapiunt hi loquendi modi n. 1.* hanc unam esse divini nominis Trinitatem. *Ibid.* non imaginarium corpus, aut formâ solâ compositum *Ibid.* & omnia corporis exercitia, *sive ut Rom. cod.* exitia sensisse. Et *n. 2.* mundum hunc factum non fuisse atque ejus omnia instrumenta. *Tandem vox* Paracletus *passim posita pro* Spiritus-sanctus. *Estius in 3. sent. dist. 21. §. 3. editum suspicatur à scriptore in Nestorianos propenso, quorum videlicet errori ac-*

CLASSIS IV. *commodari possunt sententiæ quædam, præsertim anathematismus quintus.*

1. CREDIMUS in unum Deum, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, visibilium & invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in cælo & in terra. Hunc unum Deum, & hanc unam esse divini nominis Trinitatem: Patrem non esse filium, sed habere filium qui pater non sit: Filium non esse patrem, sed Filium [a] Dei esse natum: sanctum quoque Paracletum esse, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed à patre [b] filioque procedat. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius; non genitus Paracletus, sed à patre & filio procedens. Pater est cujus vox hæc est audita de cælis, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hic Filius est qui ait, *Ego à patre exivi, & veni in hunc mundum.* Paracletus est ipse de quo Filius ait, *Nisi abiero ad patrem, paracletus non veniet ad vos.* Hanc esse Trinitatem personis distinctam, [c] indifferentem: præter illam nullam divinam esse naturam vel angeli, vel spiritûs, vel virtutis alicujus, quæ Deus esse credatur. Hunc igitur Filium Dei Deum, natum à patre, [d] & esse principium, patremque illum sanctificasse in utero Mariæ virginis, atque ex ea verum hominem sine viri semine generatum: id est, suscepisse Dominum nostrum Jesum Christum non imaginarium corpus, aut formâ solâ compositum, sed solidum. Atque hunc esurisse, & sitisse, & doluisse, & flevisse, & omnia corporis exercitia sensisse. Postremò crucifixum, mortuum & sepultum, tertia die resurrexisse, conversatum postmodum cum discipulis, quibus sanctum Paracletum misit dum ad cælos adscendisset: hunc filium hominis nunc vocari. Resurrectionem veram humanæ credimus carnis. Animam hominis non divinam esse substantiam vel Dei partem; sed creaturam divina voluntate [e] prolapsam.

Matth. 17. 5. Johan. 16. 28. Ibidem 7.

2. Si quis ergo dixerit atque crediderit, à Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque ejus omnia instrumenta, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit Deum Patrem eumdem filium esse vel paracletum, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit Deum Filium eumdem esse patrem vel paracletum, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit Paracletum spiritum esse patrem vel filium, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit hominem Jesum Christum à filio Dei assumtum non fuisse, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit Filium Dei Deum passum fuisse, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit hominem Jesum Christum hominem impassibilem fuisse, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit alterum Deum esse priscæ Legis, alterum Evangeliorum, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit ab altero Deo mundum fuisse factum, quàm ab illo de quo scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*; qui solus verus Deus est, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit corpora humana non resurrectura post mortem, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit animam humanam Dei portionem vel Dei esse substantiam, anathema sit. Si quis aliquas Scripturas præter eas quas catholica Ecclesia recepit, vel in auctoritate habendas esse crediderit, vel fuerit veneratus, anathema sit.

Gen. 1. 1.

3. * Si quis non dixerit, semper Patrem, semper Filium, & semper Spiritum-sanctum esse, anathema sit. Si quis non dixerit Filium natum esse de patre, id est, de substantia paterna, anathema sit. Si quis non dixerit Verbum Dei filium Dei esse, & Deum patrem ejus, & omnia posse, & omnia nosse, & patri æqualem, anathema sit. Si quis dixerit, quòd in carne constitutus Filius Dei cùm esset in terra, in cælis cum patre non erat, anathema sit. Si quis dixerit, quòd in passione crucis dolorem sentiebat Filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induerat & formam servi sibi acceperat, sicut ait Scriptura, anathema sit. Si quis non dixerit, quòd in carne quam assumsit, sedet in dextera patris, in qua venturus est judicare vivos & mortuos, anathema sit. Si quis non dixerit Spiritum-sanctum de patre esse verè ac propriè, sicut filium de divina substantia & Deum verum, anathema sit. Si quis dixerit Spiritum-sanctum facturam, aut

** Ex Confessione fidei à Damaso ad Paulinum Anthiochenum missa. Phil. 2. 7.*

A per filium factum, anathema sit. Si quis non dixerit, omnia per filium & spiritum-sanctum patrem fecisse, id est, visibilia & invisibilia, anathema sit. Si quis non dixerit patris & filii & spiritus-sancti unam divinitatem, parem majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum atque unam voluntatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit veras, patris & filii & spiritus-sancti, æquales, semper viventes, omnia continentes visibilia & invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quæ salvanda sunt salvantes, anathema sit. Si quis non dixerit adorandum Spiritum-sanctum ab omni creatura, sicut Filium & Patrem, anathema sit. Si quis de
B Patre & Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non rectè habuerit, hæreticus est. Quòd omnes hæretici de Filio Dei & Spiritu-sancto malè sentientes, in perfidia Judæorum & Gentilium inveniuntur. Quòd si quis patiatur Deum Patrem & Deum Filium & Deum Spiritum-sanctum deos dici, & non Deum, propter divinitatem & potentiam unam, quam credimus esse & scimus Patris & Filii & Spiritus-sancti, anathema sit. Si quis subtrahens aut Filium, aut Spiritum-sanctum, ita solum existimet esse Deum Patrem dici, aut credi unum Deum, anathema sit.

SERM. DE DIVERSIS.

C

* SERMO CCXXXIV.

** Aliàs de Tempore 6.*

De fide catholica, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Habebant Lovanienses dubium, Verlinus autem & Vindingus supposititium. Complectitur excerpta duo, unum ex Fausti Regiensis opusculo, cui titulus, De ratione fidei ad objecta quædam responsio *alterum ex Vigilii Tapsensis libro de Trinitate 6. Opusculum Fausti, quod Nivelliano prelo inter veterum aliquot Galliæ Theologorum scripta excusum est Parisiis an. 1586. incipit hunc in modum:* Quid respondendum est his, qui legentes in Evangelio, Pater major me est; ita intelligunt, Filium in divinitate minorem esse blasphemant? Resp. Secundùm auctoritatem omnium Scripturarum, duæ sunt nativitates in Christo, una ex Patre, initium nesciens; quia legimus,
D *(Et continuò sequuntur quæ hîc habes;)* In principio erat &c.

1. IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Qui in principio erat, intra se concludit omne principium. Ex matre verò initium sumsit, sicut legimus per Isaiam, *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est interpretatum, *Nobiscum Deus*, id est, latens in humana fragilitate majestas: sicut in Johanne evangelista legimus, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: in nobis*, id est, in fragilitate corporis
E nostri. Item de Mariæ virginis generatione; *Et porta erat clausa, & non est aperta.* Tamquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adjecit: *Quia Dominus transivit per eam. Porta clausa*, id est, signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas. * Non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. Item de Christi gemina Dei hominisque substantia, *Et erunt*, inquit, *duo in carne una*, id est, Deus & homo unus Christus. Quod Apostolus de Christo & Ecclesia, id est, Christi corpore præcepit intelligi: sicut ait, *Et erunt duo in carne una: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quod apertè exposuit ad Romanos, *Patres nostri, ex quibus*
F *Christus secundùm carnem.* Carnem asseruit hominis; consequenter asserit proprietatem Dei, dicens, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Tam perfecta Filii eminentia declaratur, ut dici de Patre majora non possint. Nam si initium haberet, non esset super omnia, sed inter omnia, quæ pro conditione facturæ intra initium continentur. Sed Christus qui æqualis est Patri, nullâ temporis, nullâ ætatis lege concluditur. Evidenter & ad Philippenses Apostolus duas Christi nativitates & duas substantias prædicat, dicens, *Qui cùm in forma Dei esset, formam servi accepit.* Quibus regulis plena sunt volumina novi & veteris Testamenti. Similiter & Job præ-
G dicat eximius Propheta, *Et in carne mea videbo Deum*: quod de illo tempore prophetavit, quando Christi deitas habitu nostræ carnis induta est.

*Johan. 1. 1. Christi nativitates duæ. Isa. 7. 14. Matth. 1. 23. Johan. 1. 14. Ezech. 44. 2. Ibidem 2. * Euseb. homil. 1. de Symbolo. Duæ substantiæ. Gen. 2. 24. Ephes. 5. 31. Rom. 9. 5. Philip. 2. 7. Job. 19. 26.*

2. Quia ergo, ut præfati sumus, *Verbum caro factum* est,

[a] In Romano canonum codice, *sed filium de ejus natura.*
[b] Canonum cod. hîc non habet *filioque*, nec paulò pòst *& filio.*
[c] Quædam hîc desunt, supplenda ex canonum codice, qui addit *substantiam unam, virtutem, potestatem, majestatem indivisibilem.*
[d] Romanus canonum cod. *natum à patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum Mariæ virginis.*
[e] Legendum ut in Roman. can. codice, *divina voluntate factam, non de cælo lapsam.*

Classis IV.

Christus quædam loquitur & agitur ut homo, quædam ut Deus.

est, & duos esse constat hominem & Deum in carne una; modò homo loquitur Patri, modò Deus; modò visibilis ex matre, modò invisibilis ex Patre. Da verba hominis. Ipse in Evangelio dicit, *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* (Lucæ 9. 58.) Ostendat hîc pauper filius hominis divitias suas in gloria divinitatis: *Omnia*, inquit, *quæ Pater habet, mea sunt.* (Joan. 16. 15.) Dum dicit, *Omnia*, nihil hîc reliquit quod minus haberet à Patre. *Omnia*, id est, unius deitatis potentiam, substantiam, majestatem. Quis eum minorem dicere non contremiscat, qui se Patri generaliter & per omnia veridicus testis exæquat: sicut de eo Evangelista pronuntiat, *Ideo volebant eum Judæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*; (Johan. 5. 18.) & ad Philippenses, *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; (Philipp. 2. 7.) id est, æqualitatem divinitatis, quam rebellis Angelus assumere voluit per rapinam, Christus possedit per naturam?

3. Cùm ergo credas ei cùm se in hominis substantiâ dicit minorem, crede ei cùm se in divinitatis substantiâ profitetur æqualem. Loquatur Filius hominis; *Pater*, inquit, *major me est.* (Johan. 14. 28.) Loquatur Filius Dei; *Ego & Pater unum sumus.* (Joan. 10. 30.) Quasi homo esurit; quasi Deus quinque millia esurientium quinque panibus obsequio creaturæ suæ exsatiat. Quasi homo in cruce pendet; quasi Deus in paradisum de cruce latronem gestis per omnem mundum loquentibus introducit, dicens, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* (Lucæ 23. 43.) Quo tempore corpus Domini in tumulo fuit, anima in inferno, divinitas in paradiso, & in cælo & ubique intra se omnia supereminenti suæ majestatis immensitate complectens. Secundùm hominem minor dicitur, quando comprehenditur, flagellatur, crucifigitur, moritur, sepelitur; secundùm Deum per virtutem resurrectionis in cælestia sublimatur. Quasi homo suscepta morte; quasi Deus super mortem. Secundùm hanc regulam modò pauper est, modò dives; modò minor, modò æqualis; modò dominus, modò servus. Tunc ergo minor credatur Patre, quando Angelorum Conditor paulò minùs ab Angelis minoratur, sicut in octavo Psalmo legimus, *Minorasti eum paulò minùs ab Angelis.* (Psal. 8. 6.) Tunc ergo Patre minor dicatur, quando servi formam suscepisse perscribitur, (Philipp. 2. 7.) quando etiam matre junior invenitur, quando ipse de se in vicesimo primo Psalmo dicit, *Foderunt manus meas & pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* (Psal. 21. 18.) Quòd ergo minor Patre secundùm carnem & secundùm hominem nuncupetur, innumeris Scripturarum testimoniis declaratur.

Christi divinitas.

4. De ejus divinitate ita ad Titum Apostolus dicit, *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*: (Tit. 2. 11.) & iterum, *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* (Ibidem 13.) Immane piaculum est, ut per infidelis hominis blasphemias minor esse dicatur, quem magnum Deum ipsa veritas profitetur. Nam & Thomas apostolus in Evangelio Johannis, ubi post resurrectionem corpus hominis crucifixi per clavorum signa cognovit, Deum qui intra hominem latebat, Apostolica & Evangelica auctoritate confessus est, ita dicens: *Dominus meus & Deus meus.* (Johan. 20. 28.) Si fides adsit, aperta est ratio, qua Christus nunc minor, nunc æqualis Patri sacris voluminibus asseratur: sicut ipse de se dicit, *Ego primus & novissimus.* (Apoc. 1. 8.) Indubitanter agnosce, quòd priorem non potest habere qui primus est. Item, *Ego sum α & ω.* Et sicut α littera nulla præcedit; ita & Filium Dei nulli secundum constat esse, quia Deus est.

Quid respondendum iis qui Spiritum-sanctum creaturam dicunt.

5. Quid respondebimus eis qui Spiritum-sanctum aut minorem dicunt, aut, (quod sceleratius est) ministerialem magis quàm Deum abrupta impietate pronuntiant? Quomodo creatura dicitur, qui Domini creator ex Maria comprobatur, sicut legimus: Conceptus de Spiritu-sancto, natus ex Maria virgine? (Lucæ 1. 35.) Christus enim non de substantia Spiritus-sancti, sed de potentia; nec generatione, sed jussione & benedictione conceptus est. Et sicut à Patre, ita etiam à Spiritu-sancto ad redemtionem nostræ malitiæ destinatus est, ipso de se per Isaiam loquente, *Misit me Pater & Spiritus ejus.* (Isai. 48. 16.) Si Spiritus-sanctus minor creditur, quomodo se Filius sicut à Patre, ita etiam à Spiritu-sancto missum esse testatur? Spiritus-

A sanctus ipse locutus est in Apostolis, ipse efferbuit in Prophetis, dicente beato apostolo Petro in epistola sua: *Non*, inquit, *ex hominibus allata est prophetia, sed Spiritu-sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* (2. Pet. 1. 21.) Et Salvator in Matthæo ita ait ad discipulos suos, *Non vos estis qui loquimini*, sed Spiritus-sanctus. (Matth. 10. 20.) Similiter & David plenus Spiritu-sancto, quis per eum loqueretur, manifesta voce pronuntiat, dicens, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* (Psal. 84. 9.)

6. * Hæc est, inquam, via lucis, cujus confessione aperitur ostium salutis. Itaque qui in hanc professionem ingrediuntur, beatitudinem ejus adipiscuntur. Beatitudo ei B qui confitetur Deum Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Beatitudo ei qui confitetur solum Deum Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur unum omnipotentem Deum Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur unum summum Deum Patrem & Filium & sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum bonum Patrem & Filium & sanctum Spiritum sempiternum esse. Beatitudo ei qui confitetur indivisam esse substantiam Patris & Filii & sancti Spiritûs. Beatitudo ei qui nihil addiderit vel minuerit in confessione unitæ naturæ deitatis Patris & C Filii & sancti Spiritus. Beatitudo ei qui confitetur omnia bona facta fuisse à Patre & Filio & sancto Spiritu. Beatitudo ei qui confitetur unam æqualitatem in sempiterna plenitudine deitatis esse Patris & Filii & sancti Spiritus. Beatitudo ei qui secundùm singula nomina Trinitatis, id est, Patris & Filii & sancti Spiritus, proprias tantùm personas distinctas esse confitetur.

** Quæ sequuntur habes apud Vigilium Tapsi. l. 6. de Trinitate.*

7. * Unde oportuit nos ostendere eis, quos edent viæ suæ fructus, & maledictiones omnium malè credentium; sicut scriptum est, *Maledictus omnis qui non obaudierit verba libri hujus, ut faciat ea in corde suo.* (Deut. 27. 26.) Maledictus D qui Patris & Filii & sancti Spiritus unam sempiternam substantiam esse non confitetur. Maledictus qui secundùm tres personas tres divisas substantias in his esse confitetur. Maledictus qui tria principia in hac eorum unitate sempiterna deitatis esse confitetur. Maledictus qui solum verum Deum Patrem, & unicum verum Deum Filium, & unicum verum Deum sanctum Spiritum non confitetur. Maledictus qui unicum nomen in deitate Trinitatis esse non confitetur. Maledictus qui indivisam deitatem Patris & Filii & sancti Spiritûs non confitetur. Maledictus qui propter tria nomina personarum tres E deos aut tres dominos aut tres spiritus confitetur. Maledictus qui secundùm singulas personas trina nomina tantùm distincta Patris & Filii & sancti Spiritûs non confitetur. Maledictus qui unam personam eorum esse confitetur. Maledictus qui quem Patrem dicit, hunc eumdem & Filium esse designat. Maledictus qui Patrem natum, aut incarnatum, aut passum esse confitetur. Maledictus qui inenarrabiliter Filium & verè natum de substantia Patris esse non confitetur. Maledictus qui hanc nativitatem factam vel creatam vel conditam esse confitetur. Maledictus qui verum Filium Dei ex voluntate tantùm dicit esse, & non potiùs de nativitate. Maledictus qui F dicit, Erat tempus quando non erat Filius. Maledictus qui hanc nativitatem ex nullis exstantibus non confitetur, quod Græci ἐξ οὐκ ὄντων appellant. Maledictus qui divinitatem Filii Dei dicit initium habere de tempore, ortum ex nihilo, nomen quasi adoptionis ex altero. Maledictus qui unum de uno, Filium de Patre generatum non confitetur. Maledictus qui impassibiliter Filium natum de Patre non confitetur. Maledictus qui dicit, Fuit aliquando Pater sine Filio. Maledictus qui non confitetur ante omne principium vel initium semper fuisse Filium cum Patre. Maledictus qui immortalem deitatem Filii Dei non confitetur. Maledictus qui de sempiterno G Filio dicit, Non erat antè quàm de Maria nasceretur. Maledictus qui unitam deitatem Patris & Filii & sancti Spiritus, ex caritate concordiæ tantùm esse profitetur, & non magis per hanc ipsam unitam divinitatem. Maledictus qui unitam deitatem in tres has personas esse non confitetur. Maledictus qui adversùs vigorem & censuram divinæ Scripturæ, hunc Deum verum Spiritum paracletum, [a] aut filium Patris, vel certè facturam usurpat de-

** Hîc permutata inserit Vigilius.*

[a] Apud Vigilium, Patrem aut Filium vel certè &c.

CLASSIS IV.

bere confiteri. * Maledictus qui Filium Dei Deum verum & hominem verum de Maria virgine nuper natum pro nostra salute non confitetur. Maledictus qui Filium Dei hominem tantummodo solitarium vel purum tantummodo confitetur. Maledictus qui Deum Dei Filium sempiternum de assumtione hominis nuper hoc principium habere assignat. Maledictus qui deitatem ejus passam esse confitetur. Maledictus qui incomparabilem deitatem Trinitatis propriè ad hominis lineamenta esse confitetur, dum scriptum inveniamus: quia non sit illi similis quisquam Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.

Fauſt. in epiſt. ad Greg.

3. Reg. 8. 23.

B

*SERMO CCXXXV.

Olim de Tempore 115. & pòst in Appendice 47.

De fide catholica, III.

Ipsum ferè est Symbolum, quod in Hieronymi operum tomo 9. cernitur Damaso inscriptum; re autem vera conflatum est ex libello fidei, qui cap 39. Codicis canonum Ecclesiæ Romanæ continetur. Hunc autem libellum doctissimus Quesnellius probat, neque Athanasii esse, cujus etiam operibus insertus fuerat; neque Vigilii Tapsensis, cui tribui volebat Chiffletius; neque tandem Gregorii Nazianzeni, apud quem idem libellus est Tractatus sive Oratio ordine 50. sed Gregorii Bætici potiùs Eliberitani episcopi: quòd huic nempe tribuenda videatur oratio apud Gregorium Nazianzenum 49. ab Augustino in epist. 148. citata; quam orationem 49. liquet ejusdem esse auctoris, cujus est prædicta oratio 50. cùm altera alterius explicatio sit ab auctore sua dicta vindicante conscripta. Porrò hîc filioque, *ubi de Spiritus-sancti processu agitur, additamentum est, nec legitur in libello fidei Codicis Romani.*

C

Deus unus nō solitarius.

1. CREDIMUS in unum Deum, Patrem omnipotentem, & unigenitum Filium ejus Jesum Christum, Deum & Dominum salvatorem nostrum, & Spiritum-sanctum Deum. Non tres deos, sed Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unum Deum colimus & confitemur. Non sic unum Deum quasi solitarium; nec eum denique qui ipse sibi pater sit, ipse & filius; sed Patrem verum, qui genuit filium verum, id est, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, omnipotentem de omnipotente, vitam ex vita, perfectum ex perfecto, totum à toto, plenum à pleno; non creatum, sed genitum; non ex nihilo, sed ex Patre; unius substantiæ cum Patre, quod Græcè dicitur ὁμοούσιον. Spiritum verò sanctum Deum non ingenitum neque genitum, non creatum neque factum: sed de Patre procedentem & Filio, Patris & Filii Spiritum, semper in Patre & Filio, Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem confitemur & veneramur. Ideoque in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti unum confitemur Deum: quia Deus nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri pater, & proprium nomen est Filio filius, & proprium nomen est Spiritui-sancto spiritus-sanctus. Hanc Trinitatem unum Deum credimus: [a] quia ex uno Patre quod est, unius cum Patre naturæ est, uniusque substantiæ, & unius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, non necessitate, sed naturâ.

Spiritus-sanctus à Patre & Filio.

Filius à Patre naturâ non voluntate genitus.

2. Filius ultimo tempore, per quem omnia facta sunt, quæ in cælis & quæ in terra, visibilia & invisibilia, ad nos salvandos & ad implendas Scripturas venit à Patre, qui numquam desiit esse cum Patre, quem credimus conceptum de Spiritu-sancto, & natum de virgine Maria; Verbum carnem factum, non demutatum, sed Deum permanentem; hominem natum non putativè, sed verè; non aëreum, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum; ossa, sanguinem, sensum, & animam habentem: hoc est, perfectum hominem, verum hominem, & verum Deum intelligimus; ut verum Deum, verum hominem fuisse nullo modo ambigamus. Non enim amisit quod erat, sed cœpit esse quod non erat; ut perfectus sit in suis, & verus sit in nostris. Nam qui Deus erat, homo factus est; & qui homo natus est, operatur ut Deus; & qui operatur ut Deus, ut homo moritur; & qui ut homo moritur, surgit ut Deus: qui devicto mortis imperio, cum ea carne qua natus & passus & mortuus fuerat, resurrexit, adscendit ad Patrem, sedetque ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit, habetque. In ejus morte & sanguine credimus nos emundatos, & ab eo resuscitandos die novissima in hac carne in qua nunc vivimus, & quam habemus, consecuturos nos aut vitam æternam pro præmio boni meriti, aut pœnas

Christi duæ naturæ.

A pro peccatis æterni supplicii. Hæc retinete, huic fidei animas vestras subjugate, à Christo Domino præmia consecuturi regni cælorum. Amen.

SERM. DE DIVERSIS.

*SERMO CCXXXVI.

Aliàs de Tempore 191.

De fide catholica, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium reliquerunt Lovanienses: rejecerunt Verlinus & Vindingus. Quippe nihil aliud est quàm fidei professio à Pelagio directa ad Apostolicam Sedem, & in operum Hieronymi tomo 9. contenta: quæ hîc exordio præfixo ac mutata conclusione formam Sermonis accepit.

B 1. MULTA quidem & frequenter ausi sunt Ariani hæretici adversùs servos Dei, qui fidem rectam & catholicam custodiunt, per adulterinam doctrinam asserere, & orthodoxos persequi tentaverunt. In tantum autem nunc exsurrexerunt contra fidem: ita ut multos ex vobis polluerint, & aures vestras commoverint, ut animas laniarent. Scelerata autem hæresis suæ perfidiam tegunt: sed non diutius hæc illis facere permissum est. Est enim gubernator Ecclesiarum suarum Dominus, qui pro omnibus nobis mortem sustinuit. Et ideo indeficiens nobis est oratio, dilectissimi Fratres: primò, ut sancta Domini & catholica Ecclesia dissensionibus omnibus & C hæresibus carens, unitatem spiritûs in vinculo caritatis ubique conservet, quam per fidem rectam & vitam immaculatam tenere, amplecti, servare, custodire omnibus invocantibus Dominum est quidem justum, præcipuè tamen episcopis, qui ecclesiis præsunt: secundò, ut Ecclesiæ regula sanctaque patrum traditio atque judicia in perpetuum firma solidaque permaneant. Est autem patrum nostrorum fides hæc.

Arianorum conatus.

Auctoris pro Ecclesia preces.

Fides Patrum.

2. * Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium & invisibilium conditorem. Credimus & in Dominum nostrum Jesum Christum, per quem creata sunt omnia, verum Deum, unigenitum, verum D Dei Filium, non factum aut adoptivum; sed genitum, unius cum Patre substantiæ, quod Græci dicunt ὁμοούσιον: atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possit inferior: tantumque esse confitemur illum qui est genitus, quantus est ille qui genuit. Non autem quia dicimus genitum à Patre Filium, divinæ & ineffabili generationi aliquod tempus adscribimus. Sed nec Patrem dicimus aliquando cœpisse, nec Filium. Non enim possumus aliter confiteri æternum Patrem, nisi confiteamur etiam & Filium coæternum. Ex filio pater dicitur: & qui semper pater fuit, semper filium habuit. Credimus & in Spiritum-sanctum, E Deum verum ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, naturâ, voluntate, potestate, æternitate, substantiâ.

Confessio fidei à Pelagio ad Innocentium missa.

De Patre.

De Filio.

De Spiritu-sancto.

3. Nec est prorsus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius superiusque dici possit. Ideo tota deitas suâ perfectione æqualis est; ut, exceptis vocabulis quæ proprietatem personarum indicant, quidquid de una persona dicitur, de tribus dignissimè possit intelligi. Atque ut confutantes Arium, unam eamdemque dicimus Trinitatis esse substantiam, & unum in tribus personis fatemur Deum: ita impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sui proprietate distinguimus: non ipsum F sibi Patrem, ipsum Filium, ipsum Spiritum-sanctum esse dicentes; sed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus-sancti esse personam. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas confitemur. Nec Pater Filii aut Spiritus-sancti personam aliquando excludit; nec rursus Filius aut Spiritus-sanctus Patris nomen personamque recipit: sed Pater semper pater, Filius semper filius, Spiritus-sanctus semper spiritus-sanctus. Itaque substantiâ unum sunt; personis ac nominibus distinguuntur.

Naturâ unum sunt, sed proprietatibus distinguuntur.

4. Ipsum autem Dei Filium, qui absque initio æternitatem cum Patre & Spiritu-sancto possidet, dicimus in fine G sæculorum perfectum naturæ nostræ hominem suscepisse ex Maria semper virgine, & Verbum carnem esse factum; sed assumendo hominem, non permutando deitatem. Nec, ut quidam sceleratissimè opinantur, Spiritum-sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentiâ & virtute creatoris operatum. Sic autem confitemur in Christo

De incarnationis mysterio.

Error quorumdam.

[a] Editi, *Et unum esse Deum Patrem, & ex uno Patre Filium qui est unius cum Patre naturæ &c.* Codices MSS. secuti sumus.

CLASSIS IV.

unam Filii esse personam, ut dicamus duas perfectas atque integras esse substantias, deitatis scilicet & humanitatis, quæ ex anima constat & corpore. Atque ut condemnamus Photinum, qui solum & nudum hominem confitetur in Christo; ita anathematizamus Apollinarem & ejus similes, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana suscepisse natura, & vel in carne, vel in anima, vel in sensu assumtum hominem his, propter quos assumtus est, fuisse dissimilem, quem absque sola peccati macula (quæ naturalis non est) nobis confitemur fuisse conformem. Illorum quoque similiter exsecramur blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quæ erant divinitatis, in hominem demigrasse; & rursum quæ humanitatis erant, in Deum esse transfusa: ut, quod nulla umquam hæresis ausa est dicere, videatur hac confusione utraque exinanita esse substantia, & deitatis scilicet & humanitatis; & amisso proprio statu, in aliud esse mutata: ut qui tam Deum perfectum in Filio quàm hominem confitemur, nec Deum verè, nec hominem [a] tenere credamur.

(Photini & Apollinaris. — Aliorum.)

5. Nos autem ita dicimus susceptum à Dei Filio passibile nostrum, ut Deus tamen impassibilis permaneret. Passus est etenim Dei Filius non putativè, sed verè, * omnia quæ Scriptura testatur, id est, esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem, & cetera hujus modi: sed secundùm illud passus est quod pati poterat, id est, non secundùm illam substantiam quæ assumsit; sed secundùm illam quæ assumta est. Ipse enim Dei Filius secundùm deitatem suam impassibilis est ut Pater, invisibilis ut Pater, inconvertibilis ut Pater, incorruptibilis ut Pater. Et quamvis propriè persona Filii, id est, Dei Verbum susceperit passibilem hominem; ita tamen ejus inhabitatione secundùm suam substantiam deitas Verbi nihil passa est, ut tota Trinitas, quam impassibilem esse necesse est confiteri. Mortuus est ergo Dei Filius eâdem naturâ carnis, in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata in æternum cum deitate mansura. Venturus est ad judicium vivorum & mortuorum: ut & justos remuneret, & puniat peccatores. Resurrectionem carnis ita credimus, ut dicamus nos in eadem in qua nunc sumus, veritate membrorum esse reparandos; qualesque semel post resurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum permansuros. Unam esse vitam sanctorum omnium, sed præmia pro labore diversa; & è contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque esse supplicia. Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus dicimus esse celebrandum. Hominem, si post baptismum lapsus fuerit, primò per reconciliationem, deinde per pœnitentiam credimus posse salvari.

(Filius passibilis verè secundum hominem. — * Ita infra Serm. 238. n. 4. — Resurrectionis fides. — Præmia justorum & injustorum supplicia diversa.)

6. Novum & vetus Testamentum recipimus in illo librorum numero, quem sanctæ Ecclesiæ catholicæ tradit auctoritas. Animas à Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus; anathematizantes eos, qui animam, quasi partem Dei, divinæ dicunt esse substantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas antè peccasse, vel in cælo conversatas esse dicunt, quàm in corpora mitterentur. Exsecramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum; & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari: vel qui primas nuptias cum Manichæo, vel secundas cum Cataphrygis damnant. Anathematizamus etiam illos qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt, & eum propter assumtum hominem non omnia facere potuisse quæ voluit. Joviniani quoque damnamus errorem, qui dicit nullam in futuro meritorum esse distantiam; nosque eas ibi habituros esse virtutes, quas hîc habere neglexerimus. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos Dei semper indigere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Joviniano asserunt hominem non posse peccare: uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos verò dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse; ut nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc est fides, dilectissimi Fratres, quam in catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus & tenemus, quam credimus & à Vestra Bonitate deinceps posse teneri.

(Errores de animarum substantia & origine. — De Præceptis Dei. — Manichæorum & Cataphrygum de nuptiis. — Aliorum de Christo. — Joviniani de meritis. — Manetis & Joviniani de libero arbitrio.)

a Ita MS. At editi, *temere credamus.* Pelagius autem apud Hieronymum, *Qui tam Deum imperfectum in Filio quàm hominem confitentur, ut nec Deum* verè nec hominem tenere credantur.

SERM. DE DIVERSIS.

* SERMO CCXXXVII.

(* Aliàs de Tempore 191.)

De Symbolo, I. ac de deitate & omnipotentia Patris.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat Lovaniensibus, falsus Verlino & Vindingo. Idem auctor hujus ac duorum subsequentium. Cùm autem in exordio dicit jam se ostendisse Deum in quem credimus esse verum Deum, non superiorem Tractatum, ut putarunt Verlinus & Vindingus, sed alium quemdam notat nobis incompertum.

1. OSTENDIMUS, Fratres dilectissimi, ut Vestra certè Dilectio recordatur, Deum in quem vos credere promisistis & creditis, verum esse Deum, ita etiam verum Patrem, hunc verò eumdem etiam omnipotentem. Hic enim Symboli ordo esse monstratur. Nam licèt hoc ipso quo verus Deus probatur, sine dubio omnipotens intelligatur: tamen magis hoc fidei proficit, sicut Scripturis sanctis omnipotentia ejus asseritur. Maxima enim credentibus oritur confidentia, cùm agnoscunt illum omnia posse quem credunt. Omnipotentem ergo Dominum ac Deum nostrum ipsa in primis ejus opera testantur, qui fecit hunc mundum totum de nihilo, & totam, quæ magna est, pulcritudinem, tamquam speciosas rerum formas, ex nulla materia exstante composuit. De ipso enim dicit Scriptura divina, *In principio fecit Deus cælum & terram*: & rursus, *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud.* Quis ergo neget omnipotentem esse, quem tam clara cognoscit operatum.

(Omnipotentia Dei evincitur. — Ex operum magnitudine. — Gen. 1. 1. — Psal. 94. 5.)

2. Sed multò magis eum esse omnipotentem fatebitur, cùm hæc ipsa quàm facilè sit operatus agnoverit. Propheta loquitur in Psalmo, *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Absque ullo labore, absque difficultate aliqua verbo res condidit: quidquid ratio humana miratur, non labore Deus, sed jussione reformavit. Imperio ejus exstiterunt omnia, quæ antè non fuerant: cùm ex nihilo tanta procedunt, omnipotentem loquuntur auctorem. Neque verò à Deo ista sola creata sunt quæ videmus; sed majores potentiæ divinæ divitias invisibilia illius opera testantur: siquidem ab ipso creatæ sunt omnes angelicæ Potestates; quæ quamvis non videantur à nobis, tamen, ut in Scripturis divinis agnoscimus, Deo militant, & ipsi serviunt Throni, Dominationes ac Virtutes omnes, & spiritalis substantiæ Potestates. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.* Unde angelicum tanti regis exercitum Propheta describens, *Millia*, inquit, *millium ministrabant ei, & decies millies [b] centena millia assistebant ei.*

(Ex facilitate qua facta sunt. — Psal. 32. 9. — Ex creatione rerum invisibilium. — Psal. 103. 4. — Dan. 7. 10.)

3. Certè si breviter agnovistis ex creatione ista visibilium & invisibilium omnipotentiam Dei; nunc etiam eamdem ejus virtutem ex administratione cognoscite. Cùm enim toto sub Noë peccante mundo diluvium inducit, cùm Sodomam & Gomorrham pluvia ignis exurit, cùm populo suo de Ægyptiorum servitute liberato siccam in mari præbet viam; quid aliud quàm se omnipotentem testatur; & se ipsum esse qui mare fecit, qui illud etiam siccavit ex ea parte qua voluit? Cùm verò ipsum populum per quadraginta annos in solitudine cælesti cibo aluit, id est, mannâ; nonne ineffabilem virtutem suæ divinitatis asseruit; *ut ostenderet, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei?* Et ut innumeras virtutes Dei pauca commemorando prætercam, ostendit etiam tunc omnipotentiam suam Deus, cùm Filium suum, quem secundùm hominem mori voluit pro salute nostra, solutis inferni legibus à mortuis suscitavit: ut in Christo ostenderet se esse, à quo mortales homines sunt creati, qui etiam immortalem fecit ex mortuo. Ad ipsius omnipotentiæ virtutem pertinet, ut istum mundum, quem aliquando fecit ex nihilo, in fine sæculorum dissolvat. Unde Propheta, *Cælum*, inquit, *plicabitur revolutum ut liber, & omnia sidera cadent ut folia de vite, & sicut folia cadunt de ficu*: & Salvator in Evangelio, *Quia cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Eâdem quoque omnipotentiâ omnes homines qui sunt mortui, quique morientur in finem, ad diem judicii suscitabit, ut Propheta

(Ex mundi gubernatione. — Deut. 8. 3. — Ex ejusdem dissolutione. — Isai. 34. 4. — Matth. 24. 35. — Ex hominum suscitatione.)

b MS. Remigianus, *dena.*

dicit, *Reddet unicuique juxta opera sua*: & alios quidem in cælorum regno consortio copulabit Angelorum, alios verò in gehennæ supplicio diabolo junget.

Psal. 61. 13. Fides tanti Dei incutere debet timorem.

4. In hunc credentes Deum, dilectissimi Fratres, omnipotentem, justum, severum, & his tantùm benignum, qui hic severitatem ejus timendo peccata vitaverunt: in hunc, inquam, credentes Deum, *cum omni timore & tremore*, ut ait Apostolus, *vestram salutem operamini*: & ab omni peccato, & ab omnibus criminibus & vitiis recedentes, ad sola opera justitiæ festinate: ambulantes, sicut Salvator ait, in luce, dum habetis lucem, ne tenebræ vos comprehendant. Cavete à malorum consortiis atque colloquiis, & ad sola Dei verba audienda fidelium præparetur auditus, & ad res sanctas solas loquendas lectorum lingua moveatur, ut auditum bonum & sermonem bonum bona opera subsequantur. Quod Dominus noster Jesus Christus in nobis secundùm bonæ voluntatis studium perficere dignetur: cui est honor & gloria cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Philipp. 2. 12. *Johan.* 12. 35.

* SERMO CCXXXVIII.

* *Aliàs de Tempore* 193.

De Symbolo, II. seu de Domino Jesu Christo, quòd absque initio sit cum Patre secundùm deitatem, qui secundùm hominem nobis à certo initio natus est ex Virgine.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubitarunt Lovanienses, repudiarunt Verlinus & Vindingus. Initio præcedentem Sermonem indicare auctor videtur, in quo tamen id non reperitur quod hic postea commemorat, Contra Arium superiore Tractatu perfectionem deitatis in Christo asseruimus. *Confer Appendicis Ser.* 118. & 236.

1. Hucusque, Fratres dilectissimi, de Deo Patre, in quem creditis, locuti sumus; & quòd ipse sit verus Deus, quòd verus pater, quòd omnipotens, divinarum Scripturarum auctoritate monstratur: nunc verò juxta ordinem Symboli transimus ad Filium. Postquam diximus in Symbolo, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; sequitur, *Et in Jesum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu-sancto ex Maria virgine.* Hic jam sollicitus auditor adtendat, ut sciat unam Filii Dei eamdemque personam, juxta suscepti hominis veritatem. Hic enim quod dicimus, credere nos in Christum Filium Dei, qui natus est ex Maria virgine; non eo modo dicimus, ut in hominem tantùm verum nos fidem habere fateamur, sed in Deum verum qui suscepit hominem verum. Unus enim & idem est Dominus noster Jesus Christus, qui & Verbum Dei est, & sine initio genitus ex Patre, & homo verus in fine sæculorum natus ex Virgine.

In Christo persona una, duæ naturæ.

2. Gemina enim in hoc loco hæresis contrariis nos nititur impugnare sententiis: inde Apollinaris, hinc Arius. Arius sic in Christo hominem perfectum suscipit, ut Deum illum neget esse perfectum: dum ipsum Dei Verbum principio temporum conatur includere, & eum non creatorem, sed creaturam fatetur. Apollinaris verò ita Dei Filium è contrario perfectum credit esse Deum, ut ei verum hominem timeat copulare; dum metuit ne suscipientis dignitatem suscepti hominis obfuscet infirmitas. Nos autem catholici contra utrumque divinarum Scripturarum auctoritate muniti, adversùs Arium veram & perfectam Verbi divinitatem; adversùs Apollinarem perfectam hominis in Christo defendimus veritatem. Itaque sicut contra Arium superiori tractatu perfectionem deitatis asseruimus, ita nunc contra Apollinarem perfectum hominem comprobamus.

Hanc fidem Apollinaris & Arius impugnant.

3. Lucidissima pro nobis est Apostoli auctoritas dicentis, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* In primis dicendo, *factum*, distinguit humanam à Verbi divinitate substantiam. Factum enim vel creatum Dei Verbum dici omnino non potest, per quod omnia facta sunt, sicut beatus Johannes ait, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere.* Cùm ergo dicit, *Factum*, ostendit non se hic de divinitate tractare. Cùm autem addidit, *ex muliere*, substantiam veri hominis expressit: ut hæc sit natura facti hominis, quæ fuit ipsius unde factus est: id est, ut ea credatur esse natura Christi, qui factus est ex Virgine, quæ fuit natura Virginis, ex qua Christus formatus & natus est. Inde est quòd alibi idem Apostolus de Dei Filio dicit, *Qui factus est ei ex semine David*

Christus probatur verus homo contra Apollinarem. *Gal.* 4. 4. *Johan.* 1. 3. *Rom.* 1. 3.

a Sic Remigianus MS. At editi, *& ipsius mortis imperium.*

A *secundùm carnem.* Nam etsi non intercessit semen hominis in conceptione Virginis; tamen quia ex ea carne Christus formatus est, quæ constat ex semine, dicitur *factus ex semine.* Quemadmodum ergo secundùm divinitatem una est Patris & Filii natura; ita etiam juxta humanitatem eadem est matris & filii, id est, Mariæ Christique natura. Ex utraque substantia & divinitatis & humanitatis unus atque idem est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, ut Deus verus, ita etiam homo verus: adtestante Apostolo atque dicente, *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*; & alibi, *Unus est enim Deus, unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Qui Christus ex semine factus dicatur. *Rom.* 9. 5. 1. *Tim.* 2. 5.

B 4. Unum ergo atque eumdem Dominum nostrum Jesum Christum cùm ex aliis, tum ex his Apostolicis sententiis, & Deum verum & hominem comprobamus.* Qui cùm æqualem impassibilitatem & immortalitatem cum Patre possideat; propter nostram tamen salutem, passibilem atque mortalem suscepit hominem: non ut permutaretur in humanitatem divinitas, sed ut divinitati sociaretur humanitas. Secundùm ergo hujus hominis veritatem, Dei Filius ad redemtionem nostram natus est ex Virgine & Spiritu-sancto. Sic enim ad Mariam in Evangelio Angelus loquitur: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; & propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quam mirabilem nativitatem* olim Isaias propheta prædixit: *Ipse*, inquit, *Dominus dabit vobis signum. Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod interpretatur ab Evangelista, *Nobiscum Deus.* Nam hoc quoque ex effectu rerum Dominus noster Jesus Christus nomen acceptat: qui assumto naturæ nostræ homine nobiscum esse dignatus est; qui pro nobis fecit omnia: qui pro nobis * passus est omnia, esuriem, sitim, lassitudinem, fletum, dolorem, ad extremum etiam mortem; qui à Pontio Pilato præside flagellatus atque crucifixus, & mortuus est ac sepultus. Condemnatus est enim justus pro injustis, & pœnam quæ peccatoribus debebatur, sine peccato ipse suscepit; ut illorum pro quibus punitus est, & pœnam auferret, & peccata deleret. Mortuus est morte brevi ac temporali; ne nos mortem subiremus æternam.

* Sic Ser. 118. n. 1. In Christo non mutatur Deus in hominem, sed homo Deo sociatur. *Luc.* 1. 35. C * V. Serm. 118. n. 3. *Isai.* 7. 14. *Matth.* 1. 23. E hoc & omnia quæ egit, pro nobis. * Ita suprà Serm. 236. n. 5. D

5. Sed usque ad hanc rerum seriem in Christo naturæ humanæ infirmitas intelligatur. Nam qui fuit passibilis usque ad mortem, incorruptionis gloriam a ex tempore mortis accepit: siquidem hoc jam in carne Christi pretium, quòd juxta David prophetiam, caro exanimis & usque ad tertium diem sepulta, tamen incorrupta permansit. E Sic enim ex persona Christi legimus in Psalmo dicentis ad Patrem, *Quoniam non derelinques in inferno animam meam, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Unde & beatus Petrus, *Jesum*, inquit, *Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis in virtutibus & prodigiis, & signis, quæ per illum fecit Deus in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio & præscientiâ Dei traditum in manus iniquorum affigentes interemistis: quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab illo.* Mortuus est Jesus Christus pro nobis; sed pro nobis etiam die tertia resurrexit. Nam si mors quoque ejus pro nobis facta est, quantò F magis ejus vita pro nobis est? Qui post resurrectionem acceptâ à Patre omnium potestate, discipulos consolatur, & dicit, *Ecce data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: & alibi, *Euntes*, inquit, *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Post hæc per quadraginta dies inter discipulos esse dignatus est, & immortalis mortalium tamen non est aspernatus habere consortium: utique ut docendo Apostolos fide & veritate compleret, quæ ad nos illorum quoque testimonio pervenirent.

Psal. 15. 10. *Act.* 2. 22. &c. Christi quoque resurrectio pro nobis. *Matth.* 28. 18. *Marci* 16. 15.

G 6. Confirmatis verò discipulis elevatus est in cælum, & tam de peccatis quàm etiam de morte ad Patrem victor adscendit: quod manifestè in Evangelio legimus, *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, adscendit in cælum, & sedet à dextris Dei.* Quo sermone non humana in Deo membra significantur; sed honor quo Christum Pater suscepit, exprimitur. Unde illum descensurum esse

Marci 16. 19. Judicium extremum.

credimus ad vivorum mortuorumque judicium, non jam A in infirmitate [a] quam habuit, sed in sublimitate quam possidet. Qui enim in infirmitate venit ut redimeret, in potestate venturus est ut judicet. Sic enim legimus in Actibus Apostolorum: *Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis; qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid hîc statis adspicientes in cælum? hic Jesus qui assumtus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* (Act. 1. 11.) Ad hunc ergo adventum Domini nostri Jesu Christi parati simus, Fratres dilectissimi, & timeamus ne ille nos non tales inveniat, quales voluit invenire: qui omnia B pro nobis est passus, ut nos inveniret tales, quibus non supplicia inferret, sed præmia redderet sempiterna. Ad quæ vos Dominus ac Deus gratiâ suâ adjutos dignetur adducere; cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO CCXXXIX.

(*Aliàs de Tempore 194.)

De Symbolo, III. seu de Spiritu-sancto, quòd ejusdem sit substantiæ atque deitatis, cujus est Pater & Filius.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium, Verlinus & Vindingus suppositititium habuerunt. Idem concionator expositionem Symboli superioribus Sermonibus susceptam prosequitur & absolvit.

1. ORDINEM Symboli, Fratres dilectissimi, in quo totius fidei nostræ sacramenta consistunt, nos adjuvante Deo perseveramus absolvere. Et, quod bene vos meminisse arbitror, quid de Patre Deo, quid etiam de Filio æquè Deo sentire debemus, quantum instructioni vestræ, ut puto, opus est, sufficienter ostendimus: nunc restat ut etiam de sancti Spiritûs deitate dicamus. Hic enim est ordo Symboli, ut post Patris Filiique personam sancti Spiritus confessio subsequatur. Tunc enim prodest in Patrem & Filium credidisse, cùm etiam Spiritum-sanctum eadem fidei veneratione credideris. Hanc siquidem sanctæ fidei normam ipse Dominus noster Jesus Christus instruxit, & nemo nisi impius de ea fidei catholicæ regula dubitat, quam ille dictavit, cui fides ipsa debetur. (Spiritus-sanctus probatur esse Deus.) Ipse ergo Dominus noster Jesus Christus, cùm jam glorificatus resurrexit à mortuis, in cælum adscensurus ad Patrem, hæc sacramenta fidei discipulis, id est, Apostolis dereliquit. Ait enim, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* (Matth. 28. 19.) Rerum ipsarum dictat effectus, ut trium in una deitate personarum potentiam credamus: (Testimoniis Christi.) & quemadmodum Pater, in cujus nomine baptizamur, Deus est; ita etiam Spiritus-sanctus, in cujus nomine baptizamur, Deus est. De quo certè beatus Petrus apostolus absolutissimè pronuntiavit (Petri.) dicens ad Ananiam, *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui-sancto?* (Act. 5. 3.) & paulò pòst, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* (Ibidem 4.) Apertissimè quem Spiritum-sanctum dixerat, hunc postea Deum nominavit. Et beatus apostolus Paulus, (Pauli. 1. Cor. 12. 3. &c.) *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu-sancto. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem verò Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.* Hîc quoque quàm evidenter vas electionis, quem Spiritum-sanctum nominaverat, eumdem esse Deum dixit ac Dominum, operantem ex propria potestate quod vult.

2. (Non est Filio minor cujus offensa tam gravis.) Hic est Spiritus-sanctus, in quem peccare usque adeo sacrilegum est; ut nec hîc, nec in futuro judicio remittatur. Sic enim ipse Dominus noster Jesus Christus in Evangelio loquitur; *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur illi neque in hoc sæculo, neque in futuro.* (Matth. 12. 32.) (Qui & à Patre procedit.) Hic est Spiritus-sanctus, quem Dominus noster adscensurus ad Patrem discipulis suis repromittit, dicens, *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit, ipse testimonium perhibebit de me:* (Johan. 15. 26.) de quo superiùs ait, *Paracletus autem Spiritus-sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia.* (Johan. 14. 26.) Ipse ergo Spiritus-sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, qui ex Patre procedit, ostenditur unius cum Patre & Filio esse substantiæ.

[a] MS. Remigianus, *qua carnis.*

3. Et diligenter adtendite, quod ad discipulos suos rursus idem Dominus ait, *Expedit vobis ut ego vadam: nam si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* (Iohan. 16. 7.) Hoc quod dicitur, *mittam*, non minorem, quod absit, indicat Spiritum-sanctum; sed simpliciter absque adulatione unitatem atque concordiam indicat voluntatis. (Cujus ob adventum expedit Christi discessus.) Adtendite autem quod dixit, *Expedit vobis ut ego vadam: nam si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Quomodo expedit discipulis, ut ab illis Christus adscendat ad Patrem, si minor est ille qui pro Christo ad discipulos est mittendus? Sed expedit discipulis, ut ab eis Christus adscendat; quia æqualis est Patri & Filio Spiritus-sanctus, qui ad discipulos venturus esse promittitur. Quòd autem *Paracletus* dicitur Spiritus-sanctus, proprietas operationis ejus exprimitur. Paracletus enim Græcum verbum est, quod Latinè dicitur Consolator. Et bene ipse pro Christo ad discipulos mittitur, ut eos consoletur inter omnes tribulationes, quas Christi erant confessione passuri. His ergo, Fratres dilectissimi, divinarum Scripturarum testimoniis instructi, Spiritum-sanctum esse æqualem Patri & Filio, tota fidei perfectione fateamur. Quia enim Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum-sanctum in Scri- C pturis divinis legimus; quemadmodum non possumus de Patris & Filii, ita nec de sancti Spiritûs deitate dubitare.

4. (In Trinitate tria nomina tres personæ, deitas una.) Absit autem & longè à Christianis mentibus polluta Gentilis erroris impietas, ut trium in una deitate personarum confessione tres deos videamur fateri. Absit hoc, inquam, & procul à piorum mentibus excludatur. Et nos enim juxta sanctæ, ut ostendimus, Scripturæ auctoritatem, nominum tantummodo ac personarum distinctionem in Trinitate facimus; deitatem verò unam indivisibilem confitemur: ipsa est in Patre, ipsa in Filio, ipsa in Spiritu-sancto una & perfecta divinitas. Non ergo tres D deos dicimus, qui unam divinitatem fatemur. Non enim obliti sumus divinam Scripturam dicentem, *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est:* (Deut. 6. 4.) & rursus, *Dominus Deus hic est in cælo sursum, & in terra deorsum & non est alius nisi ipse.* (Deut. 4. 39.) Non, inquam, obliti sumus unum Deum esse, quem utique Scriptura testante cognovimus. Sed inter duos errores & maximos hæreticos ad fidei veritatem dirigimur, ut nec cum Gentilibus numerum in deitate faciamus, nec cum Judæis mysterium in Trinitate negemus: sed exsistere Patrem, exsistere Filium, exsistere Spiritum-sanctum in personarum proprietate credentes, unitatem deitatis in Trinitate veneremur: id est, ut tres E personas, Patris scilicet & Filii & Spiritus-sancti, unum esse dicamus Deum: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO CCXL.

(*Aliàs ex homiliis 1. partis Supplementi Augustino adscriptis 13.)

De Symbolo, IV.

In Appendice nunc primùm collocatur. Symboli auctores Apostolos sic facit, ut suam cuique sententiam adsignet Concionator pro nutu. Neque hac distribuendo sententias consentit ipse cum Sermonis subsequentis scriptore, nisi in Thoma, Thaddæo & Matthia. Docet Christum Hebraicè dici unctum: & in ceteris demum minimè respondet Augustino.

F

1. (Quid quisque Apostolus de Symbolo composuit.) DECIMO die post adscensionem, discipulis præ timore Judæorum congregatis, Dominus promissum Paracletum misit; quo veniente ut candens ferrum inflammati, omniumque linguarum peritiâ repleti, Symbolum composuerunt. (Petrus.) Petrus dixit, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Ubi dicit Patrem, intelligitur Filius, intelligitur & Spiritus: utriusque etenim harum trium personarum substantia inseparabilis. *Omnipotentem* dicit, quia cùm ei nihil sit impossibile, malum non potest; quia si posset, omnipotens non esset. *Creatorem cæli & terræ:* per Patrem omnia significat. (Andreas.) Andreas dixit, *Et* G *in Jesum Christum Filium ejus.* Jesus nomen proprium interpretatur Salvator; Christus appellativum, Hebraïcè dicitur unctus; ungui enim Prophetæ & reges solebant. *Unicum Dominum nostrum, Unicum* dicit secundùm naturam: Adam & Eva etiam Dei filii sunt, sed adoptivi. (Jacobus.) Jacobus dixit, *Qui conceptus est de Spiritu-sancto:* non quòd Spiritus pater ejus fuerit; sed quòd per admini-

Johannes. — stratione Spiritus-sancti, & eo cooperante in fide Mariæ conceptus est. *Natus ex Maria virgine;* quæ virgo concepit, & virgo peperit, virgoque permansit. Johannes dixit, *Passus sub Pontio Pilato:* hoc dicit, ne in alium Christum credamus, nisi in illum, qui in tempore Pilati passus est: nam multi, sicut ait*, antichristi falsò dicent, Ego sum Christus. *Crucifixus, mortuus, & sepultus*, secundùm carnem; ad hoc natus est ut crucifigeretur, ad hoc crucifixus ut moreretur, ad hoc mortuus ut resurgeret, ad hoc resurrexit ut nos justificaret. Thomas dixit, *Descendit ad inferna:* id est, in anima comitante divinitatem, corpore verò in sepulcro quiescente. *Tertia die resurrexit à mortuis;* ut nobis exemplum & fidem resurrectionis ostenderet. Jacobus dixit, *Adscendit ad cælos:* in ipsa carne, in qua natus est & passus, in ipsa resurrexit & victor cælos adscendit. *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Dextera Patris prosperitatem vitæ nostræ; sinistra autem significat pœnam inferni. Philippus dixit, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos:* in quo adscendit corpore, venturus est ad judicium, justos à peccatoribus separabit. Bartholomæus dixit, *Credo in Spiritum-sanctum*, à quo Pater & Filius in suo opere, vel in catholica fide separari nullo modo possunt. Matthæus dixit, *Sanctam Ecclesiam catholicam; Catholicam*, id est, universalem, in qua tantùm peccata remittuntur, quæ omnium hæreticorum pravitate repulsa, ab ortu solis usque ad occasum diffunditur. *Sanctorum communionem:* quia dona sancti Spiritûs licèt in hac vita diversa sint in singulis, in æternitate tamen erunt communia in universis; ut quod quisque Sanctorum minus habuit in se, hoc in aliena virtute participet. Simon dixit, *Remissionem peccatorum.* Septem sunt remissiones peccatorum: prima baptismi, secunda pænitentiæ, tertia divinæ pietatis, quarta venia per indulgentiam inimicorum, quinta per veram caritatem, sexta per eleemosynam, septima per prædicationem qua errantes convertuntur. Thaddæus dixit, *Carnis resurrectionem:* id est, in ipsa carne in qua vivimus, resurgemus; non sexum, sed fragilitatem mutantes. Tunc sancti qui nunc habent singulas stolas, id est, præmium vitæ, tunc binas accipient, id est, corporis & animæ pretium; peccatores verò duplicem pœnam accipient, ut quæ in hac vita corpus simul & anima promeruerunt, pariter in illa percipiant. Matthias dixit, *Vitam æternam;* quam nullus finis terminabit, nullum vitium fœdabit, ægritudo nulla contristabit.

(Margin: Matth. 24. 24. — Thomas. — Jacobus. — Philippus. — Bartholomæus. — Matthæus. — Simon. — Remissiones peccatorum septem. — Thaddæus. — Matthias.)

2. Apostoli itaque sancti Spiritûs igne tamquam aurum examinati, & hactenus se tenuisse indignati, fiducialiter exierunt evangelizare, sicut Dominus præceperat, *omni creaturæ;* errantes ad vitam revocare, credentes baptizare. Nos autem, Fratres carissimi, fidem & Evangelium Apostolorum per successores eorum nobis traditum, fideliter, firmiterque teneamus; pactum etiam, quod cum Domino in baptismate fecimus, inviolatum custodiamus; aut si peccando cadimus, pænitendo citò surgere studeamus: ut securi exspectemus adventum Christi secundum, his qui bona egerunt, plus quàm in cor hominis possit adscendere, desiderabilem; illis verò qui mala egerunt, formidabilem nimis atque terribilem.

(Margin: Marci 16. 15.)

* SERMO CCXLI.

De Symbolo, V.

*(Margin: * Olim de Tempore 115. & post in Appendice 42.)*

Incerti auctoris, qui Symbolum hìc, ut cum mysterio, ait, conveniat Trinitatis, tertiùm usque repetit. Qua in re consentientem habet subsequentis Sermonis scriptorem; sed nequaquam Augustinum, qui suo scripto Sermone 214. de Symbolo, religione impediebatur, quo minùs Symbolum ipsum vel semel litteris mandaret. Symboli sententia non eadem hìc semper, immo pauca iisdem Apostolis tribuuntur, quibus in superiore Sermone.

1. SYMBOLUM quod vobis tradituri sumus, Fratres carissimi, comprehensio est fidei nostræ atque perfectio, simplex, breve, plenum; ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ. Quòd enim Græcè Symbolum dicitur, Latinè Collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unum catholicæ legis fides Symboli colligitur brevitate, cujus textum vobis modò, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Johannes dixit, *Creatorem cæli & terræ.* Jacobus dixit, *Credo & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Andreas dixit, *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria virgine.* Philippus ait, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.* Thomas ait, *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis.* Bartholomæus dixit, *Adscendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Matthæus dixit, *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* Jacobus Alphæi, *Credo & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam.* Simon Zelotes, *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Judas Jacobi, *Carnis resurrectionem.* Matthias complevit, *Vitam æternam, Amen.*

(Margin: Symbolum fidei est comprehensio. — Quare sic dictum. — Quid ex illo Apostolus quisque contulit.)

2. Audite ergo, Fratres carissimi, Redemtoris nostri vocem per Prophetam dicentem, Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Filios vocat, quos in gremio Ecclesiæ collocat. Nec enim potest mater vocari, nisi filios procreaverit. Ergo, Carissimi, ad perenne præmium vos invitari cognoscite, qui fideliter cum Dei adjutorio lavacrum aquæ vitalis accepistis, vel qui expetitis ut cùm ad sacrum fontem vel veram pænitentiam perveneritis, per Spiritum-sanctum salutaris & cælestis vos unda perfundat. Ideo, Carissimi, hujus mysterii sacramentum sicut fide concepimus, & corde credimus, perfectis vocibus declaremus. *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & reliqua sicut suprà. Ergo, Dilectissimi, hæc verba non humana, sed Domini sunt cælestia sacramenta, quæ in vestris cordibus ipsius misericordia præstante resideant, ut gratiam Domini incorruptam & immaculatam usque ad finem percipiatis. * Repetimus adhuc, Carissimi, Symbolum, ut cum mysterio conveniat Trinitatis.

(Margin: Psal. 33. 12. — * Ita Serm. subseq. n. 2.)

3. *Credo in Deum.* Credendum nobis est, Fratres carissimi, in Deum Patrem, ita & in Jesum Christum Filium ejus. Pater sine filio credi non potest: quia licèt distincta sit in eis personarum proprietas, tamen una est & indiscreta majestas. Sicut totum ergo potuit semper Pater, ita totum potest semper Filius. *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria virgine.* Sacramentum hìc suscepti corporis demonstratur; ut quem ante sæcula Pater genuit, in fine jam sæculi Maria virgo, Spiritu-sancto inspirante, conceperit. Et ideo de ipsa Domini Matre angelus Gabriel dicit, « Spiritus-sanctus superveniet in te, « & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ad excipiendum enim Dominicæ majestatis adventum, necesse fuit ut humanæ infirmitati divinum adesset auxilium. Sancta enim Maria ut virgo peperit, ita virgo concepit. Qualiter hæc aut quomodo salva virginali integritate perfecta sint, credere magis quàm enarrare possumus. Fidei in his plurimùm licet, sermoni parum. *Passus ergo sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Adscendit ad cælos; sedet ad dexteram Dei Patris.* Sedere ad dexteram Patris dicitur, non ut dicatur major, sed ut ostendatur æqualis. Hæc omnia testimonia sunt Dominicæ passionis, ut Dominum Jesum Christum sicut verè passum, & verè mortuum, sic verè resurrexisse & triumphasse credamus. In quo nobis Christus Dominus reliquit exemplum, ut sicut eum non dubitamus natum & mortuum, & resurrexisse & vivere: ita nos quoque sicut natos & mortuos esse novimus, sic post mortem resurrecturos, & in æternum esse victuros noscamus. Sequitur, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.*

(Margin: Personarum distincta proprietas, una majestas. — Luca 1. 35. — Mariæ virginitatem fides adtingit, non sermo.)

4. *Credo & in Spiritum-sanctum:* utique ut æqualis credulitas Dei Patris & Filii & Spiritus-sancti æqualem ostenderet potestatem. *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Bene Symbolum Ecclesiam catholicam nominavit & sanctam, quia multæ ecclesiæ hæreticorum sunt, sed quæ non est catholica, nec sancta dici potest. Sequitur, *Sanctorum communionem.* Credentes ergo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum habentes communionem, quia ubi est fides sancta, ibi est & sancta communio, credere vos quoque in corpore resurrectionem & remissionem peccatorum oportet. Omne sacramentum baptismi in hoc constat, ut resurrectionem corporum & remissionem peccatorum nobis à Deo præstanda credamus. Superest ut cujus audistis passionem, audistis adscensionem, audistis judicium, quotidie exspectetis adventum.

(Margin: Sola Ecclesia catholica sancta est.)

CLASSIS IV.

SERM. DE DIVERSIS.

* Aliàs de Tempore 131.

* SERMO CCXLII.

De Symbolo, VI. ad Competentes.

In Appendice nunc primùm collocatur. In Lovaniensium editione dubius, Verlini autem & Vindingi sententiâ falsus est. Non sapit Augustinum, nisi in conclusione, quæ ex Sermone 212. desumta est, In ceteris convenit plerumque cum Eusebianis de Symbolo Sermonibus, auctore forsitan Fausto conscriptis. Confer censuram Sermonis præcedentis.

Symbolum breve est & diffusum.

1. QUæso vos, Fratres carissimi, ut nobis reserantibus expositionem Symboli adtentiùs audiatis. Quæ doctrina Symboli virtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credentium; in eo quòd docetur aut discitur & unitas Trinitatis, & Trinitas distincta personis, & opulentia Creatoris, & redemtio passionis. Hoc nexus infidelitatis absolvitur, hoc vitæ janua panditur, hoc gloria confessionis ostenditur. * Symbolum, Dilectissimi, breve est verbis, sed magnum est sacramentis: parvum ostendens imminutione latitudinis, sed totum continens compendio brevitatis. Exiguum est, ut memoriam non obruat; sed diffusum, ut intelligentiam supercedat: confirmans omnes perfectione credendi, desiderio confitendi, fiduciâ resurgendi. Dignè ergo & adtentiores & frequentiores, & pro ratione temporis ipsius puriores ad audiendum Symbolum convenistis. Quidquid præfiguratum est in Patriarchis, quidquid nuntiatum est in Scripturis, quidquid prædictum est in Prophetis vel de Deo ingenito, vel ex Deo Dei unigenito, vel de Spiritu-sancto, quamvis latenter ostensum sit, vel de suscipiendi hominis sacramento, vel de morte Domini resurrectionisque mysterio; totum hoc breviter, juxta oraculum Propheticum, Symbolum in se continet confitendum. Tenendo ergo, Fratres carissimi, collationem fidei & gratiam, professionis mysterium memoriæ commendatum, jam ad istius Symboli professionis sacramentum textumque veniamus, quod in hunc modum incipit.

* Similia apud Euseb. homil. 1. de Symbolo.

2. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Adscendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, hujus carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.* Repetendus est nobis, Dilectissimi, sermo Symboli hujus, qualiter ea quæ dicimus, vestris sensibus meliùs inseramus. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Tertia igitur vice repetitur; ut ad reliqua capienda fideli cursu pervenire possimus. Et quia lex fidei nostræ in Trinitate consistit;* ut ipse numerus repetitionis cum signo veniat Trinitatis, tertia vice ordo Symboli recensendus est. In primis, Dilectissimi, qualis sermo sit, in capite Symboli diligenter advertite, & quali principio inchoëtur, sollicitiùs pertractate. Ergo in primo habet, *Credo.* Vide quòd Dominus noster non nos jubet discutere divina judicia, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. *In Deum Patrem.* * Advertite, quòd cùm Dei Patris nomen in confessione conjungit, ostendit quòd non antè Deus esse cœperit, & postea pater; sed sine ullo initio & Deus semper & pater est. Quia ergo semper fuit pater, semper habuit filium cui pater est. *Omnipotentem* verò ideo dicit, quia omnipotens est, eique nihil impossibile est* qui cælum, terram, mare, homines, atque omnia animalia & reptilia non aliquo operis actu, sed solo verbi creavit imperio. * Et ideo non nobis veniat in cogitationem quomodo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur confiteri. *Creatorem cæli & terræ.* Hoc ait quod superiùs dixi, quia omnia solâ verbi potestate perfecit.

* Sic Serm. anteced. n. 2.

Judicia sua credi à nobis vult Deus, non discuti.

* Confer Euseb. hom. 1. de Symbolo.

* Euseb. ibid.

* Euseb. hom. 1.

3. *Credo & in Jesum Christum Filium ejus.* Advertite, quòd quomodo in Patrem, sic & in Filium credendum sit. Et quia cum Patre æqualis est majestate, tantum ipsi quantum & Patri honoris nos debere novimus, & servitutis obsequium. * *Jesum Christum.* Jesus Salvator interpretatur, Christus verò à Chrismate dicitur: quia sicut antiqui reges à sacerdotibus oleo sacro perfundebantur, sic Dominus noster Jesus Christus Spiritus-sancti infusione repletus est. *Qui conceptus est de Spiritu-sancto.* Non poterat aliunde quàm de Deo concipere, quæ Deum meruit procreare. *Natus ex Maria virgine.* Non potuit non talem habere conceptum, quæ virgo erat permansura post partum. *Passus est sub Pontio Pilato.* Iste Pilatus judex erat in illo tempore, ab imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est: cujus mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem. *Crucifixus & sepultus.* Crucem illam in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte. *Sepultus est.* * Sicut in veritate natus, ita in veritate mortuus & sepultus. *Tertia die resurrexit.* Triduana sepulturæ mora evidenter ostendit, quòd dum corpus in sepulcro jacuit, anima illa de infernis triumphavit. *Adscendit ad cælos:* id est, conditionem naturæ nostræ, quam de homine matre natus assumsit, super cælos in dexteram Dei Patris collocavit. *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo adscendit ad cælum. Christianos judicat & Paganos, justos & peccatores, fideles & impios.

* Euseb. hom. 1. de Symbolo.

Pilati cur fiat mentio.

* Sic Eusebius ibid.

4. *Credo & in Spiritum-sanctum.* Advertite, quòd sicut in Patrem, ita & in Filium & in Spiritum-sanctum sit credendum. * Nam qui vel in unam de Trinitate personam non crediderit, in duabus illi credidisse non proderit. *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Sciendum est, quòd Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus: quia Ecclesia non est Deus; sed domus Dei est. *Catholicam* dicit toto orbe diffusam; quia diversorum hæreticorum ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque provincias continentur: hæc verò à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. *Sanctorum communionem:* id est, cum illis Sanctis qui in hac quam suscepimus fide defuncti sunt, societate & spei communione teneamur. *Remissionem peccatorum.* Oportet enim, ut post remissionem quæ nobis præstatur munere Redemtoris in baptismo, plenæ credulitatis teneamus affectum. *Carnis hujus resurrectionem.* Carnem quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus. *Vitam æternam.* Absque ulla dubitatione fatemur, nos vitam æternam consecuturos, si hæc quæ vobis exponimus sacramenta fideliter teneatis, ac bonis actibus conservetis.

Trinitatis confessio necessaria.

* Euseb. hom. 1. de Symbolo.

5. Hunc brevem Sermonem de universo Symbolo vobis debitum reddidi, * &c.

* Conclusio est Sermonis 212. inter Augustinianos.

* Aliàs de Tempore 123.

* SERMO CCXLIII.

De Symbolo, VII.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat apud Lovanienses dubius, apud Verlinum autem & Vindingum falsus. Initio quidem plures alloquitur Concionator, utens isthac appellatione, quæ in spuriis Sermonibus sollemnis & consueta est, Fratres carissimi: *deinceps verò ad unum quempiam in singulari verba dirigit; nec Augustinum in Symbolo explicando imitatur.*

Ipse qui Deus, ipse pater noster.

1. OPORTET adtendere, Fratres carissimi; quanta Dei pietas sit erga humanum genus. Omnipotens Deus creator & conditor Angelorum & hominum, omnis creaturæ visibilis & invisibilis, Patrem se voluit vocari ab homine, & pro filiis habere quos fecit ex limo terræ. Si ergo credis Deo, dæmonem relinque; si Deum sequi volueris, quidquid Deo non placeat devitare procura. Gaude & exsulta, quia unum eumdemque Deum habes & patrem; ipsum cole, ipsum dilige, ipsius fac voluntatem. Nihil de idolorum cultu vel supestitionibus Paganorum cogites: quia Deus est omnipotens, qui omnia quæ tibi promittit, potens est reddere.

2. *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Nisi enim eumdem Dei Filium, eumdemque Christum filium hominis tota mente absque ulla hæsitatione credideris atque confitearis, nec Patrem tibi proderit confiteri. Crede ergo Filium Dei unigenitum ab ingenito Deo Patre, vitam à vita, verum Deum de Deo vero, coæternum & coessentialem, omnipotentem & coæqualem per omnia Patri; & ad æterna cum eo & cum

Classis IV.

Mariæ virginitas ante & & poſt partum unde credatur.

omnibus ſanctis ejus gaudia mereberis pervenire. *Qui conceptus eſt de Spiritu-ſancto, natus ex Maria virgine.* Cùm Spiritum-ſanctum miniſtratorem tantæ nativitatis audieris, nullatenus dubites virginem potuiſſe concipere. Cur non credis eum in utero incorruptæ Virginis potuiſſe figurare, quem credere debes hominem feciſſe de limo terræ? Nec dubites Mariam virginem manſiſſe poſt partum, quia qualiter hoc factum ſit, non humanus ſermo neque ſenſus poteſt comprehendere: quoniam Deus Pater voluit Filium ſuum coæqualem ſibi per omnia in nulloque diſſimilem, humanam pro hominibus ſuſcipere carnem; ut omnibus ſibi credentibus ejuſque obſequentibus voluntati æternam vitam largiretur & gloriam; ut hominem ad imaginem Dei factum, & per invidiam deceptum diaboli, atque à regno expulſum æterno, per unicum Filium ſuum carnem aſſumendo & humanam naturam ſuſcipiendo erueret à diabolo, & regno reſtitueret æterno.

Quidquid infirmitatis in Chriſto, propter nos.

3. *Qui paſſus eſt ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Qui propter te humanæ carnis accepit corruptionem, ipſe pro tua redemtione & ſalute in humanitate quam accepit, crucis pertulit paſſionem: quia paſſio illius noſtra eſt vita, mors illius eſt liberatio noſtra. *Tertia die reſurrexit à mortuis.* Si te triduana Domini ſepultura conturbat, reſurrectio glorioſa confirmet.

Quidquid gloriæ eſt propriæ poteſtatis.

Quidquid enim infirmitatis audis in Chriſto, noſtræ hoc neceſſitatis, noſtræ redemtionis eſt cauſſâ; quidquid gloriæ, ejus eſt propriæ poteſtatis. Qui ideo mortuus eſt, ut nos reviviſceret; ideo reſurrexit, ut nos ad vitam reſuſcitaret æternam. *Adſcendit ad cælum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Si tibi magnum & pretioſum videtur, quòd pro te Filius Dei pependit in cruce, illudque ſublime quòd adſcendit in cælum; illud te multò magis ſtupere oportet, quòd pro te mortuus eſt & ſepultus; quia ad hoc deſcendit, ut ea quæ humanæ diſplicent infirmati pro tua ſalute ſufferret, & te ad æternam & ad cæleſtem gloriam ſecum perduceret. *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Ipſe qui ab iniquis & impiis judicatus eſt ad mortem, ipſe omnes bonos & juſtos judicaturus eſt ad gloriam, omneſque impios detruſurus ad pœnam.

4. *Et in Spiritum-ſanctum.* Sicut credidiſti Deum Patrem omnipotentem, & Filium ejus unigenitum, pari fide & veneratione crede Spiritum-ſanctum unum Deum eſſe, Patri Filioque coæqualem in omnibus, in nulloque diſſimilem. *Sanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* In qua omnis qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, æternam omnium percipiet indulgentiam peccatorum; extra quam omnes iniqui & impii ad ſupplicia deputantur æterna. *Carnis reſurrectionem & vitam æternam*, Quod in Chriſti glorioſa reſurrectione audiſti completum, hoc in te omnino in futuro judicio crede eſſe complendum: ut carnis tuæ reſurrectio te reparet in æternum. Niſi enim credideris, reparandum te eſſe poſt mortem, ad præmium vitæ æternæ pervenire non poteris: ſi autem credideris, æternis gaudiis insereris; per Chriſtum Dominum noſtrum viventem & regnantem cum Patre & Spiritu-ſancto nunc & ſemper, & in omnes æternitates ſæculorum ſæculi. Amen.

** Aliàs de Tempore 195.*

* SERMO CCXLIV.

De Symboli fide & bonis moribus.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubitare etiam de iſto licebat per Lovanienſes: ſpurium haberi voluerunt Verlinus & Vindingus. Cæſarium re vera ſapit, non Auguſtinum.

Cæſarii Sermo LIV.

1. ROGO & admoneo vos, Fratres cariſſimi, ut quicumque vult ſalvus eſſe, fidem rectam ac catholicam diſcat, firmiter teneat, inviolatamque conſervet. Ita ergo oportet unicuique obſervare, ut credat Patrem, credat Filium, credat Spiritum-ſanctum. Deus Pater, Deus Filius, Deus & Spiritus-ſanctus; ſed tamen non tres dii, ſed unus Deus. Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus-ſanctus. Attamen credat unuſquiſque fidelis, quòd Filius æqualis eſt Patri ſecundùm divinitatem, & minor eſt Patre ſecundùm humanitatem carnis, quam de noſtro aſſumſit; Spiritus verò ſanctus ab utroque procedens. Credite ergo, Cariſſimi, in Deum Patrem omnipotentem, credite & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Credite eum conceptum eſſe de Spiritu-ſancto, & natum ex Maria virgine, quæ virgo ante partum, & virgo poſt partum ſemper fuit, & abſque contagione vel macula peccati perduravit. Credite eum pro noſtris peccatis paſſum ſub Pontio Pilato, credite crucifixum, credite mortuum & ſepultum, credite eum ad inferna deſcendiſſe, diabolum obligaſſe, & animas ſanctorum, quæ ſub cuſtodia detinebantur, liberaſſe, ſecumque ad cæleſtem patriam perduxiſſe. Credite eum tertia die à mortuis reſurrexiſſe, & nobis exemplum reſurrectionis oſtendiſſe. Credite eum in cælis cum carne, quam de noſtro aſſumſit, adſcendiſſe. Credite quòd in dextera ſedet Patris: credite quòd venturus ſit judicare vivos & mortuos. Credite in Spiritum-ſanctum, credite ſanctam Eccleſiam catholicam, credite Sanctorum communionem, credite carnis reſurrectionem, credite remiſſionem peccatorum, credite & vitam æternam.

Serm. de Diversis.

B. Virgo abſque macula peccati perduravit.

Matth. 11. 29.

Humilitas multorum eſt fucata.

2. Igitur ſi quis vult diſcipulus Chriſti eſſe, mandata ſua cuſtodiat, humilitatem diſcat, ut ipſe ait, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Deum corde rogent: quia multi ſunt qui foris videntur ſe humiliare, intus autem pleni ſunt tumore ſuperbiæ. Chriſtus pro nobis humiliavit ſe, formam ſervi accepit, obediens Patri uſque ad mortem; mortem autem crucis. Pro nobis, Fratres, ut peccata noſtra deleret, carnem humanam aſſumſit, natus eſt ex Virgine, poſitus in præſepio, pannis involutus, à Judæis reprobatus, ab ipſis perſecutus, comprehenſus, & flagellatus, ſputis ſordidatus, ſpinis coronatus, clavis transfixus, lanceâ perforatus, cruci appenſus, aceto cum felle potatus, & inter iniquos reputatus. Et hæc omnia, Fratres cariſſimi, ſuſtinuit, ut nos de faucibus inferni liberaret. Ergo, Fratres cariſſimi, dum tanta & talia Dominus pro nobis ſuſtinuit, ſi ad eum volumus pervenire; veſtigia ejus debemus ſequi, & exempla ſanctorum imitari. Dominus in Evangelio dicit, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; & alibi dicit, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Sancti Martyres, Fratres cariſſimi, Chriſti veſtigia ſecuti ſunt, & calicem paſſionis, quem ipſe bibit, biberunt. Petrus apoſtolus pro nomine Chriſti crucifixus eſt, Paulus decollatus, Stephanus lapidatus, & reliqui quàm plures pro nomine ipſius ſic paſſi ſunt.

Philipp. 2. 7.

Quid Chriſtus pro nobis egit.

Luca 9. 23.

Matth. 19. 21.

Quid viciſſim agere debemus.

3. Ergo, Fratres, crucifigite & mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram; ut poſſitis placere illi qui vos creavit. Qui fuit ſuperbus, ſit humilis; qui fuit incredulus, ſit fidelis; qui fuit luxurioſus, ſit caſtus; qui fuit latro, ſit idoneus; qui fuit ebrioſus, ſit ſobrius; qui fuit ſomnolentus, ſit vigil; qui fuit avarus, ſit largus; qui fuit bilinguis, ſit boniloquus; qui fuit detractor aut invidioſus, ſit purus & benignus; qui aliquando ad eccleſiam tardè veniebat, modò frequentiùs ad eam currat. Eleemoſynarum copiâ unuſquiſque ſe redimat: quia *ſicut aqua exſtinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum.* Decimas annis ſingulis de omni fructu quod colligitis Eccleſiis & pauperibus erogate. Jejunium amate, voracitatem & crapulam vini devitate. Eſurientes paſcite, ſitientes potate, nudos veſtite, & qui poſiti ſunt in carcere requirite. Infirmos viſitate, hoſpites in domos veſtras colligite, & pedes eorum lavate, linteo extergite, ore exoſculamini, & lecta ipſorum præparate. Nullus homicidium faciat, non furtum, non adulterium, non perjurium, non falſum teſtimonium dicat. Honoret patrem & matrem, ut ſit longævus ſuper terram. Diligat Deum plus quàm ſe, amet proximum ſicut ſemetipſum. Quicumque de his ſupradictis commiſit, citò emendet, confeſſionem donet, veram pænitentiam agat, & remittentur ei peccata ſua. Si hæc quæ ſuggeſſi, Fratres, implere volueritis, remiſſionem peccatorum promerebimini, & vitam æternam conſequemini; præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eccli 3. 33.

** Aliàs de Tempore 3.*

* SERMO CCXLV.

De myſterio Trinitatis & Incarnationis, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat Lovanienſibus, falſus Verlino & Vindingo. In Corbeienſi codice ſic incipit: Exhortatur

CLASSIS IV.

tatur nos Dominus noster pariter & admonet dicens, Audi Israël Dominus Deus tuus, Deus unus est. Deus hic non potest æstimari, non potest minorari, non potest numerari, dicente propheta David, Magnus Dominus &c. *Praterea multò prolixior Sermo est: nam post verba*, ligni interpositione sociavit, *subsequitur eodem stilo disputatio in eos* qui dicunt non posse fieri ut Christus de sancta Maria nasceretur, asserentes, cùm sint immundi, quòd pars illa corporis fuerit turpis *&c. Deinde concionator eos aggreditur*, qui dicunt, quia sancta Maria habuerit filios ex Joseph post partum. *Vbi inter alia disputando dicit*, Maria sancta, hæretice, mater esse potuit, mulier esse non potuit. *Quod in Augustini doctrina non bene quadrat Apostolo dicenti Gal. 4* Misit Deus Filium suum factum ex muliere. *Praterimus alia, qua hîc observare est ab Augustino aliena.*

Deut. 6. 4.

1. LEGIMUS sanctum Moysen populo Dei præcepta dantem, ubi dixit, *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Non potest esse major, non potest esse minor, non potest numerari, dicente David propheta, *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus.* Optimè nostis ista, Fratres carissimi, qui corde fortiter tenetis catholicam veritatem: audite tamen breviter quod, adjuvante Domino, proposui explanandum. Deus unus est Pater, Deus unus est Filius; Deus unus est Spiritus-sanctus; non tres dii, sed unus est Deus; tres in vocabulis, unus in deitate substantiæ.

Psal. 146. 5. ... personæ ... Trinitatis unum sunt.

Ad solum tamen Christum pertinet caro.

2. Sed dicit mihi hæreticus, Ergo si unum sunt, omnes sunt incarnati. Non. Ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud est ratio: & tamen in anima est ratio, & una est anima. Sed aliud anima agit, aliud ratio: anima vivit, ratio sapit; & ad animam pertinet vita, & ad rationem pertinet sapientia. Et cùm unum sint, anima sola suscipit vitam, ratio sola suscipit sapientiam: & tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima. Sic & Pater & Filius, licèt unum sint & unus Deus sit, ad Christum solum pertinet caro: sicut ad solam rationem pertinet sapientia, licèt non recedat ab anima. Ecce iterum aliud. In sole calor & splendor in uno radio sunt: sed calor exsiccat, splendor illuminat; aliud suscipit calor, aliud splendor. Et licèt calor & splendor ab invicem non queant separari, suscipit splendor illuminationem, non fervorem; suscipit calor fervorem, non illuminationem. Aliud simul, aliud singulares agunt; & tamen ab invicem non separantur. Sic & Filius suscepit carnem; & non deseruit Patrem, nec se divisit à Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate: sed tamen & Pater & Spiritus-sanctus non defuit majestate. In divinitate æqualitas, in carne sola Filii proprietas: non autem ab eo Patris aut Spiritus-sancti recessit aliquando divinitas. Cùm ergo una sit deitas, una sit divinitas, implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus-sanctus; sed majestate, non susceptione. Vis scire quia cum eo fuit & Pater? *Non sum*, inquit Dominus Christus, *solus; sed Pater mecum est.* Audi & de Spiritu-sancto, quia cum eo erat: Evangelista refert, quia *Jesus plenus Spiritu-sancto regressus est ab Jordane.* Ecce quomodo solus Jesus Christus suscepit carnem; & tamen & Pater & Spiritus-sanctus non defuit majestate. Si cælum & terram implet Pater, implet & Spiritus-sanctus: carnem Christi deserere non potuerunt, quando in divinitatis unitate manserunt. Adhuc citharam respice. Ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus & chorda: & tamen unus sonus auditur, ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur; sed sola chorda personat quod auditur: nec ars nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater nec Spiritus-sanctus susceperunt carnem; & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit; carnem solus Christus suscepit. Operatio in tribus constat: sed quomodo ad solam pertinet chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio.

Illustratur exemplis, Animæ, Solis, Johan. 16. 32. Luca 4. 1. Et citharæ.

Judæus evincitur Virginem potuisse parere. Num. 17. 6, 8.

3. E contrà Judæus, Contra naturam, inquit, parere virgo non potuit: & detestandus Manichæus, Si caro erat, virgo esse non potuit; si virgo peperit, phantasma fuit. Utrisque respondendum est. Profero de historia veteris Testamenti necessarium exemplum contra Judæum, quod modò sonuit in auribus nostris manifestissimam veritatem. Dominus Moysi sancto præcepit, de singulis tribubus virgas afferri. Allatæ sunt duodecim virgæ, inter quas etiam una erat quæ Aaron fuerat sacerdotis: positæ sunt à sancto Moyse in tabernaculo testimonii. Virga autem Aaron post alterum diem invenitur A subitò produxisse flores & frondes, & peperisse nuces. Delectat hoc mysterium cum Caritate Vestra contra perfidiam Judaicam commiscere, ubi maximè figura intervenit sacramenti. Virga ecce protulit quod antè non habuit, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, non fecundata seminario: & tamen cùm illic deessent universa jura naturæ, protulit virga quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces educere: Virgo non potuit contra naturæ jura Dei Filium generare? Dicat igitur mihi Judæus incredulus, quemadmodum arida virga floruit & fronduit & nuces protulit; & ego dicam illi quemad- B modum virgo conceperit & pepererit. Sed profectò Judæus nec conceptum poterit virgæ explicare, nec virginis partum. Veniat ad ecclesiam, exponatur illi; ut agnoscat verum ordinem officii naturalis. Virgo peregit tempora pariendi: virga autem non habuit tempora germinandi. (Virgo habuit tempora pariendi; virga autem alio die quod naturâ non habuit protulit.) Illa enim decursis novem mensibus peperit; virga alia die quod naturâ non habuit germinavit. Virginem, dicit Judæus, parere natura non patitur. Deus enim qui in Numeris mirabile signum ostendit contra naturam, ut asina loqueretur, ipse mirabilius facere voluit, ut Christus de virgine C nasceretur.

Num. 22.

Virginis partus contra Manichæum similitudine monstratur.

4. Audiat & versutus ille Manichæus aliud sacramentum. Solis radius specular penetrat, & soliditatem ejus insensibili subtilitate pertrajicit: & talis videtur intrinsecùs, qualis exstat extrinsecùs. Itaque, Fratres, nec cùm ingreditur violat, nec cùm egreditur dissipat: quia ad ingressum & egressum ejus specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis: integritatem Virginis ingressus aut egressus vitiare potuit deitatis? Sed quid ulteriùs immoror?

Virga Aaron Deiparam figuravit.

5. Audiat Christianus quod non vult audire Judæus aut Manichæus; ut hic proficiat in fide redemtus, ille aut ille D deficiat induratus. Virga illa, unde agebamus, Aaron virgo Maria fuit, quæ nobis Christum verum sacerdotem concepit & peperit, de quo modò David cecinit, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: superiori namque versu jam dixerat, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Et Isaias propheta apertiùs Mariam sanctam designat, dicens, *Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus adscendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus.* Quòd ergo hæc virga nuces produxit, imago Dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ unionem, corium, testam & nucleum. E In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastum, & luminis subministrat officium. In testa, lignum interferens crucis, quod non discrevit id quod foris & intus fuit, sed quæ terrena & cælestia fuerunt mediatoris ligni interpositione sociavit, dicente beato Apostolo, *Quia ipse per sanguinem crucis suæ pacificavit omnia quæ in cælis sunt, & quæ in terris*: qui vivit cum Patre in unitate Spiritus-sancti Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 109. 4. Ibidem 2. Isaia 11. 1.

Et nuces ex ea ortæ, Salvatorem nostrum.

Coloß. 1. 20.

F

* SERMO CCXLVI.

De mysterio Trinitatis & Incarnationis, II.

** Olim de verbis Domini 58. & post in Appendice 8.*

Prior pars est Augustini Tractatus 78. in Evangelium Johannis. Posterior ab istis verbis, Objiciunt nobis Ariani, *est incerti auctoris.*

1. ACCEPIMUS, Fratres, verba Domini dicentis ad discipulos suos, *Non turbetur cor vestrum*, * &c. Quis non sic diligat Christum, ut & suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum? Objiciunt nobis Aria- G ni, creaturam Dei Filium asserentes, Quid est quod Salomon ad hoc ex persona Christi consentit & dicit, *Dominus creavit me in principio viarum suarum in opera sua, ante sæculum fundavit me initio priùs quàm terram faceret, priùs quàm prodirent fontes aquarum; priùs quàm montes stabilirentur: ante omnes autem colles genuit me?* Adversùs quos ita respondemus: Multi quidem doctis-

Johan. 14. 1.

** Hîc omissa sunt, quæ jam habes in Tractatu 78. in Johan.*

Objiciunt Ariani de Sapientia dictum, Dominus creavit me. Proverb. 8. 22. &c.

Tom. V. ddd

Respondetur 1. id de sapientia Salomoni datâ posse intelligi.

simi viri, hoc ex persona illius sapientiæ dictum asserunt, quam Salomon ad judicandum regendumque populum acceperat. Sed quia vos animo pertinaci hoc à nobis ex Christi persona dictum exigitis, non reluctamur, neque renitimur; sed ipsius veritatis auxilio roborati, ubicumque duxeritis sequimur. Primò quidem, ut superiùs diximus, licèt unam personam in Christo credamus; duas tamen substantias, id est, naturas esse fatemur, divinitatis scilicet & humanitatis, assumtricis & assumtæ, creatricis & creatæ: quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed unitæ, atque in una eademque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes. Quapropter unicuique substantiæ propria utique aptanda sunt, id est, infirmitates humanitati, quæ creata est; signa verò vel mirabilia divinitati, quæ creavit. In tantum enim hæ duæ naturæ sibimet unitæ sunt atque conjunctæ; ut idem atque idem Christus Deus & homo aliquando res aut agat aut loquatur humanas, aliquando verò divinas: sicut est illud quòd dormit in navi, & imperat ventis & mari; aut quòd esurierit, & quòd quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus saturaverit, postremò quòd moritur, & quòd Lazarum quatriduanum auctoritate divina jubeat à mortuis revocari.

2. Duas in Christo naturas, unitas quidem, sed non confusas.

Ratione humanæ naturæ se creatum dicit.

2. Ex quo mirari non debes, si Christus de humanitate sua dixerit, *Dominus creavit me initio viarum suarum in opera sua*: quia subsequens dictum, quid divinitati conveniebat, priori præmisso ostendit dicens, *Ante sæculum fundavit me initio priùs quàm terram faceret, & priùs quàm abyssos faceret, priùs quàm prodirent fontes aquarum, priùs quàm montes stabilirentur: ante omnes autem colles genuit me.* Hoc est dicere, Licèt creaverit me Deus, ut initium viarum atque operum ejus per Evangelium demonstrarem; sed *ante sæculum*, id est, ante initium, antè quàm cælum, vel terra, vel tempora fierent, *genuit me*: hoc est, ut sine tempore, & sine initio se à Patre genitum demonstraret. Nam ut totum breviter comprehendam, Christus Filius Dei, Deus & homo, secundùm divinitatem ante tempora, sine initio, inenarrabiliter à Patre genitus est, sicut Isaias dicit, *Generationem ejus quis enarrabit?* Novissimo autem tempore secundùm humanitatem creatus est. Adveniens enim divinitas in uterum virginis Mariæ, auctoritate illa qua in paradiso Adam de limo formavit, carnem sibi ex substantia ipsius Mariæ fabricavit: quam pro salute nostra suscipiens, & sibi coadunans natus est Deus & homo. Quam generationem Matthæus enarrat dicens, *Christi autem generatio sic erat*, &c.

Ratione autem divinæ ante omnem creaturam.

Isai. 53. 8.

Matth. 1. 18.

Rogant, Genitus est dum erat, aut dum non erat?

3. Item solent adversùm nos hujusmodi venenatum componere syllogismum, dicentes, Si coæternum Patri creditis Filium, dicite quæsumus, dum esset genitus est; an dum non esset? Si dum esset, duo ergo ingeniti antè fuerunt, & postmodum unus alterum generavit: aut si, ut ratio vera permittit, dum non esset genitus est; erit utique Patre posterior. Ad quam rem nobis non aliud agendum est, nisi ut tam grandi hæreticorum malitiæ exemplis Apostolicis resistamus, quibus facilè sapientia sæcularis eliditur. Dum ergo nobis memorata superiùs objecerint, dicimus, Nos sicut solum Patrem semper, & sine initio ingenitum novimus; ita Filium semper & sine initio ex Patre genitum confitemur. Nec alia aliqua caussa est quæ divisionem faciat personarum, nisi quòd hic ingenitus est, & ille genitus, id est, hic Pater est & ille Filius: quia Pater semper pater est, numquam filius; quia, ut diximus, non est genitus, sed ipse genuit: & Filius semper filius est, numquam pater; quia non genuit, sed genitus est.

Declaratur quòd semper Patri coexistit, & quatenus à Patre distinguatur.

Id per splendoris exemplum illustratur.

4. Qua de re non alius quàm Apostolus ipse in medio provocandus est, qui prævidens Eunomii & Arii malitiam, exemplis rerum visibilium, invisibilem, & inenarrabilem, & incomprehensibilem rem, in quantum potuit vel res ipsa permisit, explanare conatus est. Quid enim scribens ad Hebræos de Filio dicit? *Qui est*, inquit, *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Videamus ergo quid caussæ est, quòd Filium splendorem nominavit. Splendorem enim, nisi fallor, non dicimus nisi aut solis, aut lunæ, aut cujuslibet certi luminis. Quid ergo est? Numquid tam insani sumus, ut Apostolum putemus inæstimabilem illam divinitatis speciem soli aut igni assimilasse? Absit: sed

Hebr. 1. 3.

a Hic addunt aliquot MSS, *ut vestrorum quidam, ut Photinus* &c.

A ut exemplo illo intelligamus, quia sicut splendor ex substantia solis nascitur, ita & Filium ex substantia Patris genitum. Sic & non est sol aut ignis prior splendore suo, licèt ex illo nascatur; sed ex quo sol aut ignis processit, simul & cum eo splendor ejus apparuit; nec dici potest splendor sole vel igne posterior; cùm tamen, ut dixi, ex ipso nascatur. Si ergo in creaturis aliquid invenitur, quod & nascatur, & posterius non sit à genitore suo; cur hoc, hæretice, à Creatore fieri posse desperes? Accipe etiam hujus rei aliam similitudinem. Sicut splendor ex sole natus replet orbem terrarum; & tamen à genitore suo non abscinditur aliquando, nec recedit: ita Filius B ex Patre genitus ubique dum sit, in Patre semper permanet. Et sicut substantialiter splendor in sole est, & sol in splendore, ita substantialiter Pater in Filio, & Filius in Patre est. Et sicut soli & splendori una substantia dum sit, non tamen est una persona; quia nec solem splendorem esse, nec splendorem dicimus solem; quia scimus quòd sol genuit splendorem, splendor verò natus ex sole est: ita & Pater & Filius, cùm sint unius essentiæ, non tamen sunt unius personæ, sicut jam superiùs ad plenum memoravimus. Et sicut sol per splendorem & calefacit, & illuminat, & siccat, & solvit, & excandidat, & denigrat, & omnia quæ ei à Deo injuncta sunt operatur: ita C & Patrem per unigenitum Filium suum omnia legimus fuisse operatum.

Reponunt creatum esse non genitum.

Philipp. 2. 7.

5. Creatum inquiunt esse Filium à Patre, non genitum. Ad quod breviter respondendum est: si creatus est, utique & servus; quia omne quod creatum est, necesse est ut Creatori deserviat: & si servus est Filius, quomodo in forma Dei constitutus formam servi accepit? Servus enim servi formam accipere non potest. Item dicunt non naturâ esse Dei Filium, sed creatum. Adversùs hujusmodi quæstiones solitò respondendum est: quia si naturâ Deus non est Filius, sed creatura; nec colendus est omnino, nec ut Deus adorandus dicente Apostolo, *Et co-* D *luerunt & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula*: & ad Galatas, *Sed tunc ignorantes Deum, his, qui naturâ non sunt dii, serviebatis.* Sed illi ad hæc replicabunt & dicent, Quid quòd carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras, atque ei non minùs quàm divinitati deservis? Ego Dominicam carnem, immo perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quòd à divinitate suscepta, atque deitati unita est: ut non alium atque alium, sed unum eumdemque Deum & hominem Dei Filium esse confitear. Denique si hominem separaveris à Deo, a ut Photinus, vel Paulus Samosatenus; illi ego numquam credo, nec E servio. Velut si quis nostrûm aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, numquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege quis adorare contemserit: ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam aut nudam, sed divinitati suæ unitam, unum Dei Filium, Deum verum, & hominem verum si quis adorare contemserit, æternæ mortis pœnam patietur.

Si ita esset, foret servus.

Nec colendus esset.

Rom. 1. 25.

Gal. 4. 8.

Christi Corporis adoratio.

* SERMO CCXLVII.

*Olim de Sanctis 19. & pòst in Appendice 75.

Quare natus & passus sit Christus.

F *In Germanensi veteri codice exstat inter Sermones Ivonis Carnutensis, cujus etiam nomine pridem vulgatus est.*

1. CORRUPTUM peccatis originalibus & actualibus mundum mundi Conditor secreto & mirabili consilio per mysterium Verbi incarnati, ejusdem mundi lapsum voluit reparare, qui eo verbo quo potuit de nihilo cuncta creare, potuit quæ perdita fuerant reformare. *Ipse* namque *dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Hanc ejus potentiam non credimus minoratam, non credimus immutatam, *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*, quo minùs esset G potens & sapiens in reformando, quàm fuerat in plasmando. Omnipotentis quippe figuli manus, cujus universæ viæ misericordia & veritas, quæ lutum de terra levatum rationalis naturæ dignitate sublimaverat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare; ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia justus est; nec insana-

Sapientia potuit per potentiam hominem ad se reducere.

Psal. 32. 9.

Jacobi 1. 17.

Psal. 24. 10.

 Sap. 8. 1.

bile, quia misericors est. Si tantùm justus esset, cujus sapientia *adtingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*; potuit sua fortitudine adversùs seductorem generis humani contendere, & ovem perditam ad gregem reductam suo dominio restituere. Sed hoc modo videretur eminentiam tantùm suæ ostendisse virtutis, non medicinalem misericordiam impendisse redemtis: nec appareret quanta caritate Creator creaturam diligebat, à qua se diligendum esse multiplici beneficio expetebat; quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei malè merito rependebatur indebitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit facere suaviter, uniens sibi infirmitatem carnis nostræ, quam primò in se sanaret; & per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret: non quòd non potuerit aliter fieri, quantum ad peritiam & potentiam Medici; sed quia non potuit commodius antidotum procurari, quantum ad complexionem ægroti. *Quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus: & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Hæc caussa nobis specialis esse videtur, cur Dei Filius hominem induere voluerit, & inter homines conversari, ut mortalitatem quam à nobis accepit, moriendo superaret, & naturam nostram supra primæ originis dignitatem reparatam secum ad immortalitatem revocaret; ut eò sequeretur humilitas gregis, quò præcessit celsititudo pastoris. Sic radius solis humorem quem ad se trahit exsiccat; ipse tamen virtutem sui caloris & splendoris nec minorat, nec immutat. Sic ignis materiam quam assumit in se convertit; naturam verò suam ideo nec mutat, nec minuit. Multò fortiùs ille ignis, de quo dicitur, *Deus noster ignis consumens est*, mortalitatem & passibilitatem nostram in se assumsit, & absumsit; & inde gratia sanitatis totum corpus resumsit. Mirabile & incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decrevit infirmitate sanare.

Maluit id præstare suaviter. — *1. Cor. 1. 25.* — *Hæc illi hominis assumendi caussa.* — *Nec tamen ideo imminuitur.* — *Deut. 4. 24.*

2. In hoc apparet, quàm incomparabili caritate nos dilexerit; quia in eo quòd desertores suos quæsivit, semen Abrahæ apprehendit, errantes reduxit, saucios curavit; nihil sibi addidit, non est inde factus altior, non est factus inde beatior. Tota hæc dispensatio nostræ utilitati consuluit, nostræ saluti militavit; divinæ potentiæ nil contulit. Nam & cùm essemus vasa contumeliæ, omnipotentis figuli manum effugere non potuimus: utebatur vasis iræ prout volebat ad manifestationem suæ gloriæ; sic enim dictum est Pharaoni, *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in universa terra.* Nonne & dæmones, cùm à Domino ejicerentur de corporibus obsessis, Dominum glorificabant, quando dicebant, *Quid nobis & tibi, Jesu Fili Dei vivi? quid venisti ante tempus torquere nos?* Constat ergo ex his & hujus modi aliis, quia divina virtus nostra reparatione non eguit; sed tamen ea bonitate qua nos condidit, eadem nos reformare voluit: & ad hoc medicamentum non quàm forte potuit, sed quàm leniùs complexioni ægrotantis competere perspexit, apposuit.

Nec sibi quidquam addidit. — *Exod. 9. 16.* — *Matth. 8. 29.* — *Nil enim nostri indiget.*

3. Solent quippe medicinæ periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Jesus Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos sublevans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos vivificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur: & minùs fortia contraria à fortioribus contrariis supervenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cùm secundùm quantitatem vulnerum vel tumorum commensuratur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionis carnes oleo coctæ percussionibus medentur scorpionum; sic theriaca de serpentis carne confecta morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumta expellit. Ad hanc similitudinem Medicus noster mortem carnis nostræ de serpente venientem carnis suæ morte sanavit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam reformavit. Ubi diligentiùs adtendendum est, quòd mors quæ per lignum venit, lignum superata est. Et ipsa ligni forma longitudini & latitudini & altitudini humani corporis configurata est:

Analogia Christi cum perito medico.

A quo sicut totum corpus motum est, ut manus ad vetitum extenderentur; ita corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur, & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hujus emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia composito, admixtum est etiam medicamentum factum per oppositum. Nam hîc sanavit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia: & quod ibi contaminaverat gulæ oblectamentum, hîc reformat crucis tormentum.

4. Continetur in hac crucis figura altius sacramentum: quod quantò est altius, tantò est adtendendum diligentiùs. Intelligitur namque in latitudine crucis dilectio B proximi, quæ non tantùm usque ad amicos, sed etiam extendenda est usque ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in ejusdem longitudine longa & perseverans laborum & persecutionum sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum quàm pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine ejus eminentia spei, penetrans usque ad interiora velaminis; ubi visione pacis perfruentur, qui hîc à civibus Babyloniæ multipliciter exercentur, donec in libertatem gloriæ filiorum Dei à servitute corruptionis hujus liberentur. Significavit hanc caritatis latitudi- C nem Dominus Jesus in cruce caput ad Orientem subrigens, pedes ad Occidentem submittens, manus ad Aquilonem & Austrum extendens; ut adimpleret quod de se ante passionem suam prædixerat, *Cùm exaltatus fuero à terra*, id est, cùm crucifixus fuero, *omnia traham ad me ipsum*, id est, convocabo ad me totum mundum. Hoc sacramento crucis sanctus Elisæus Sunamitis filium os ori, manus suas manibus ejus applicans orando suscitavit, & vivum matri restituit. Ejusdem virtute sacramenti Moyses in deserto bis silicem virgâ percussit; & sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percussio duûm signorum figuratè intelligitur in cruce fa- D cta compactio. Bis ergo petra percutitur, cùm Christus, de quo dicit Apostolus, *Petra autem erat Christus*, in duobus lignis crucis extensus lanceâ perforatur. De hac petra aqua profluxit, cùm sanguis redemtionis & aqua baptismatis, quibus in novum hominem transformamur, de latere Christi manavit.

Figura crucis mystica. — *Johan. 12. 32.* — *4. Reg. 4. 34.* — *Num. 20. 11.* — *1. Cor. 10. 4.*

5. Præterea inter has crucis dimensiones solerter adtendenda est crucis profunditas: quia profundum est mysterium crucis, in quo multorum, qui sapientes dicebantur, ingenia defecerunt; quòd hoc ausi sunt reprehendere quod non potuerunt humana ratione comprehen- E dere: videlicet cur Verbum Deo Patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumto homine totum se concluserit; & tamen totum mundum regere, complere & continere non desierit: non satis considerantes quod valet in minori, multò magis posse valere in majori; cùm vox una & tota de ore loquentis prodeat, & tota ad multorum hominum aures perveniat. Qui de hac quæstione scrupulosiùs disputant, & tamquam clauso ostio ad parietem palpant, audiant primùm dicentem Apostolum, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Deinde mitescant, & cum pietate pulsent, ut aperiatur eis: & intelligent justum fuisse Conditorem in condemnando, F & misericordem in redimendo; nec potuisse sanari sine misericordia, quod justè condemnaverat Omnipotentis justitia. Hinc consequenter advertent, cur usque ad captivati hominis paupertatem & crucis ignominiam se humiliaverit divina omnipotentia, quæ in paradiso reum hominem justâ condemnaverat sententiâ. Cùm enim de perpetrata à Domino argueretur inobedientiâ, non se humiliter, ut culpa exigebat, accusavit; sed auctorem superbè accusavit dicens, *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de fructu, & comedi.* Hæc dicendo se putavit excusatum, & Creatorem mulieris conditorem, quæ ad peccandum virum traxerat, inculpatum. Qui si humi- G liter se accusasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exsulasset. Erat autem contra divinam justitiam, si reum impænitentem in pristinum gradum restitueret, & non usque ad dignum pænitentiæ fructum qua vellet ratione compelleret. Divinâ itaque sententiâ morti est adjudicatus, & cum tota posteritate, quæ de lumbis ejus erat processura, ejectus est de paradiso, & ærumnoso condemnatus exsilio. Et quia sine pæ-

Præsertim profunditas. — *De reparationis nostræ mysterio.* — *Rom. 9. 20.* — *Deus in damnando homine justus, in redimendo misericors.* — *Gen. 3. 12.* — *Injustus fuisset, si impænitentem reparasset.*

CLASSIS IV.

nitentia in statum suum redire non poterat, movendus & admonendus erat ad pænitentiam; ut reformaret voluntaria & subjecta humilitas, quod corruperat malè erecta iniquitas. Non enim conveniens erat, ut invitus traheretur ad pænitentiam, qui spontaneus corruerat in pœnam; ne itidem ingratus exsisteret suæ reformationi, sicut ingratus exstiterat primæ conditioni.

Qualiter ad hanc eum gratiam præparârit.

6. Provisum est igitur tale medicamentum, quale conveniebat ægroto: quod duritiam tumoris sic emolliret, ut mollefactus sponte mortiferum virus effunderet, dicente Psalmista, *Effundite coram illo corda vestra*: id est, per confessionem ejicite de conscientiis vestris omnia immunda. Quod quamdiu tardavit facere mundus, tamdiu remansit immundus. Ut ergo hoc fieret, misit Medicus noster præcones & testes suos ante se, legislatores & Prophetas, qui corda auditorum ad pænitentiam præpararent, & ei in tempore gratiæ testimonium perhiberent. Venit ipse Medicus in tempore plenitudinis, publicè prædicavit caussam adventûs sui, factus doctor medicinæ, dicens, *Pænitentiam agite; appropinquabit enim regnum cælorum*: & item, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hoc consilium medicinæ acceperunt multi, contemserunt multi; contemtoribus placuit adhuc magis sibilus serpentis perimentis, quàm persuasio Medici redimentis: filius verò adoptionis audivit, & obaudivit voci promittentis, qui in paradiso non obedierat præcepto mortem comminantis. Expleta dispensatione doctrinæ suæ, & cæcitate in Israël ex parte perdurante, tandem exhibuit se medicum, & fecit de se ipso medicamentum; exhibuit se sacerdotem, & fecit se ipsum sacrificium: ut compleret ad quod venerat, & probaret quanta dilectione dilexerat eos, pro quibus corpus suum in ara crucis offerebat. Unde & in Evangelio suo antè prædixerat, *Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hinc est quòd Apostolus dicit, *Commendat caritatem suam Deus in nobis: quia cùm inimici essemus, reconciliavit nos sibi per mortem Filii sui.* Et quia naturale est, ut homines diligentes se diligant, hac humilitate & caritate humiliata est & liquefacta duritia mundi; ut agnosceret beneficium suæ reparationis, quæ non agnoverat excellentiam suæ conditionis. Unde Psalmista, *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Postquam verò ad se reversus est, & per dilectionem redimentis & eruditionem admonentis cognovit de quanta corruisset gloria, & in quanta versaretur miseria, expertus est quòd magnâ indigeret misericordiâ: & impletum est quod dicit Psalmista, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

Psal. 61. 9. — Matth. 3. 2. — Marci 16. 16. — Johann. 15. 13. — Rom. 5. 8. — Psal. 48. 13. — Psal. 15. 4.

Crucis usus ac virtus.

7. Prædicata est exinde virtus crucis per universum mundum, quæ partibus suis per quatuor mundi partes est extensa, & totum mundum sua malaxatione complexata. Nec jam potuit mundus ex toto esse ingratus, qui tanta fuerat caritate sanatus. Crucifixus noster à morte surrexit, cælos adscendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, crucem reliquit ad sanitatem. Hoc signo dæmones fugantur, hoc antidoto sanitates perficiuntur. Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis. Hujus crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, ejusdem crucis signo per manûs impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum ejusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur; sacerdotes & levitæ per hoc idem ad sacros ordines promoventur. Et universaliter omnia ecclesiastica sacramenta in ejus virtute perficiuntur. Qui hoc mare magnum & spatiosum, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, absque naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eam non deserat, donec ad optatum salutis portum perveniat. Hæc cursum nostrum dirigit, hæc ad agonem nos instruit, hæc in luctamine adjuvat, hæc ad victoriam provehit, hæc ad coronam pervehit, hæc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit: & quod faciebat in terris corporalis Christi præsentia, hoc facit cum fideli invocatione nominis Christi victoriosæ crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem crucis exponere. Qui verò in angaria Christi cru-

Psal. 103. 25.

A cem portat, poterit plura de ejus virtute experimenta cognoscere, quàm possit sermo retexere, vel humana cogitatio comprehendere.

SERM. DE DIVERSIS.

SERMO CCXLVIII.

* Aliàs de Tempore 133.

De sepultura Domini.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses. At Verlinus & Vindingus centonem esse observant, compositum ex parte postrema Sermonis apud Ambrosium 52. de cruce, & ex integro Sermone apud eumdem 53. de sepulcro Domini. Qui Sermones duo Maximi etiam nomine vulgati sunt: Ambrosii verò, cui in Theodericensi MS. tribuuntur, sententias ex commentariis in Lucam nonnullas habent.

B

1. VIDEAMUS, Fratres, de Domini corpore, postea quàm de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Joseph ab Arimathia, vir justus, sicut ait Evangelista, « & in novo suo sepelivit monumento, in « quo nondum quisquam positus fuerat. Beatum ergo corpus Domini nostri Jesu Christi, quod cùm nascitur ex utero virginis gignitur; cùm recedit, justi tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & justitia custodivit. Custodivit enim illud Joseph C tumulus incorruptum, sicut servavit illud Mariæ uterus illibatum. Sicut enim pollutione ibi non tangitur, sic mortis corruptione non læditur. Ubique beato corpori defertur sanctitas, ubique virginitas. Novus illud venter concepit, novus tumulus conclusit. Dominica ergo est virgo vulva, & virgo est sepultura. Quin potiùs ipsam sepulturam vulvam dixerim: est enim similitudo non parva. Sicut enim Dominus de matris vulva vivus exivit; ita & de Joseph sepultura vivus surrexit. Et sicut de utero tunc ad prædicandum natus est; ita & nunc ad evangelizandum renatus est de sepulcro: nisi quòd D gloriosior est ista, quàm illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale. Post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos. Religiosior est planè ista, quàm illa nativitas. Illa enim totius mundi Dominum novem mensibus in utero clausum tenuit; hæc autem triduò tantùm tumuli gremio custodivit. Illa cunctorum spem tardiùs protulit; hæc omnium salutem citiùs suscitavit.

Johan. 19. 38. &c.

Sepulcrum Domini quasi vulva.

Inde gloriosior quàm de matre nascitur.

2. * Fortasse quis dicat de priori Dominicæ nativitatis prædicatione, in qua prædicavimus, non minorem esse gloriam, quòd tumulus Joseph suscitaverit Dominum, E quàm quòd eum sanctæ Mariæ uterus procrearit, Quæ comparatio ventris & tumuli, cùm ex intimis visceribus illa ediderit filium; hic autem solummodo locum præstiterit sepulturæ? At ego dico, non minorem Joseph affectum fuisse, quàm Mariæ: siquidem illa utero Dominum, hic corde concepit; illa Salvatori membrorum suorum præstitit, hic secretum sui cordis non negavit; illa Dominum pannis involvit cùm natus est, hic linteis cùm recessit; illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honoravit. Conveniunt ergo sibi obsequia, convenit & affectus; inde necesse est etiam meritum convenire: nisi quòd Mariam ad obsequium Angelus ad F monuit, Joseph autem justitia sola persuasit. Igitur Joseph in suo sepulcro posuit Dominum.

* Hic incipit Serm. 53. apud Ambrosium.

Analogia Joseph cum Domini matre.

3. Legimus in Propheta, *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Si ergo sepulcrum patens est guttur hominum, vide ne fortè secundùm hanc similitudinem Dominum Joseph non tam in terrena posuerit sepultura, quàm in monumento sui cordis collocaverit, & custodiendum illum susceperit, non tam memoriâ fragili * moriturorum, quàm memoriâ sanctâ virtutum. Hæc enim virtutum fidelis est memoria, quæ intra se continens Christum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur. De qua memoria in * sacramentis Dominus dicit, Quotienscumque hoc feceritis in memoriam mei facietis G donec veniam. Quotienscumque enim Christum loquimur, totiens eum * sanctiori memoriæ commendamus. Sepulcrum ergo patens guttur hominum rectè planè dicit Propheta. Sepulcrum enim Christi patens est Evangelistarum beatum guttur, per quod illud æterno litterarum thesauro condiderunt. Patens autem sepulcrum ideo dicitur, quia qui vult ad Christi pervenire mysterium, non ingreditur ad illud, nisi per Evangelicæ Scripturæ secretum. In litterarum enim * secreto, quasi quodam novo vasculo

Psal. 5. 11. Joseph magis in monumento cordis Dominum collocat.

* MS. ex mentorum. Sepulcrum Christi spiritale.

* MS. sacris litteris. 1. Cor. 11. 24. &c.

* MS. sacri oris.

* MS. Sanctarum Amb. sacrario.

CLASSIS IV.

vasculo commendatus est Dominus: quisquis igitur illum videre desiderat, ibi & passionis ejus sacramentum inveniet, & resurrectionis gloriam recognoscet. Patens ergo guttur sanctorum est. Unde Apostolus ad Corinthios ait, *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii*, invitans eos ut per prædicationis suæ apertam januam ingrediantur Christi secreta mysteria. In hac igitur pectoris memoria collocatur Dominus à Joseph,* ut in justitiæ sede requiescat, & habeat Filius hominis ubi caput reclinet.

2.Cor. 6. 11.

* Ambrosius in Lucæ c. 13.

Cur alieno in tumulo condatur Dominus.

4. Videamus igitur quare Salvator in aliena sepultura ponatur, ac suam non habeat sepulturam. Ideo in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Mors enim ista non illi accidit, sed nobis proficit: mors ista non illi illata est, sed nobis delata. Ut quid ergo ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Ut quid illi tumulus in terris, cujus sedes manebat in cælis? Ut quid illi sepultura, qui tridui tantùm temporis spatio non tam in sepulcro mortuus jacuit, quàm veluti in lecto conquievit? Ipsa enim temporis brevitas declarat potiùs somnum fuisse, quàm mortem. Sepulcrum autem mortis est habitaculum. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est; nec opus habebat semper vivens habitaculo defunctorum. Rectè autem hanc vitam nos in nostro sepulcro condimus; ut vivificet mortem nostram, ut cum ipso à mortuis resurgamus.

Johan. 20. 15.

5. Unde & illa Maria Magdalene, quæ Dominum inter ceteros defunctos in sepulcro requirebat, arguitur, & dicitur illi, Quid quæris viventem cum mortuis? Hoc est, Quid quæris in tumulo, quem adorare debes in cælo? Quid quæris apud inferos, quem redisse jam constat ad superos? Quem illa adhuc non intelligens nec cognoscens, respondit illi, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Æstimabat enim eum, sicut dicit Scriptura, hortulanum esse. Sancta ergo & simplex femina Christum requirit à Christo, ac devotione mentis prophetat, & nescit. Ait enim Domino de semetipso, *Si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Rectè interrogat, *Si tu sustulisti eum:* * ipse enim tulit corpus suum, qui illud protulit de sepulcro; ipse tulit corpus, qui illud jacens & dormiens sua adspiratione collegit; ipse tulit corpus suum, qui illud divinitatis virtute gestans portavit ad cælos. Atque ideo mulier sapienter interrogat & requirit, *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum:* hoc est, Si illud auferens de sepulcro ad paradisum transtulisti. Audierat enim illum dicentem latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.* Aut certè si de inferno in Patris dextera collocasti, sicut ait Apostolus: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Beatus ergo qui ita quærit Christum Dominum, ut credat eum & in paradiso constitutum, & in cælestibus collocatum. Nam qui eum in inferno requirit aut in tumulo, dicitur ei, Quid quæris viventem cum mortuis?

Ibidem.

Maria Magdalene prophetat nesciens.

* Ambrosius in Lucæ cap. 24.

Lucæ 23. 43.

Coloss. 3. 1.

* Aliàs de Tempore 67.

* SERMO CCXLIX.

De extremo judicio, I.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius erat, spurius Verlino & Vindingo. Non est Augustini, sed Cæsarii fetus nobis indubitatus.

CÆSARII Sermo LV. Sacerdos ne quærat placita prædicare.

1. ROGO vos, Fratres carissimi, & cùm grandi humilitate admoneo, ut mihi nullus ex vobis succenseat, aut fortè incongruum me superfluumque judicet, quare vobis tam frequenter tremendum & utiliter expavescendum diem judicii insinuare contendo. Si quis enim est, cui fortè in hac parte displiceam,* consideret periculum meum, & audiat Dominum per Prophetam sacerdoti terribiliter comminantem, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Et iterum, *Clama*, inquit, *ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* * Sed fortè aliquis dicit, Quare nobis tam dura assiduè prædicantur? Quia melius est hîc parvam amaritudinem sustinere, & postea ad æternam dulcedinem pervenire; quàm hîc habere falsum gaudium, & illic sustinere sine fine supplicium. Audite, Fratres, non me, sed Dominum in Evangelio dicentem, *Beati qui lugent,*

* Cæsar. hom. 15. & 26.

Ezech. 3. 18.

Isa. 58. 1.

* V. supra Serm. 174. n. 2.

Matth. 5. 5.

SERM. DE DIVERSIS.

A *quoniam ipsi consolabuntur:* &, *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* * Et hoc adtendite, Fratres, quia omnes carnales medici, quotiens ad eos qui in corpore ægrotare videntur, veniunt, omnia quæ eis delectabilia esse videbantur abscindunt, & quod dulce est ad integrum interdicunt. Aloquotiens etiam frigidum accipere non permittunt; interdum & amarissimas potiones bibere cogunt, & asperrimis ferramentis eorum vulnera frequenter incidunt. Hoc ergo quod pro sanitate corporum carnales medici faciunt, pro animarum salute spiritales medici exercere contendunt.

Lucæ 6. 25.

* V. infra Serm. 257. n. 4.

Medicorum more se gerat.

De sua populorumque salute rationem redditurus.

2. Hæc ego cogitans, Fratres carissimi, & tam pro mea
B quàm pro vestra salute rationem me redditurum esse ante tribunal æterni Judicis non ignorans, eligo aspera quidem, sed salubria vobis medicamenta ingerere: ut vobiscum postea in Angelorum consortio perpetua merear incolumitate gaudere. Et hæc quidem non ideo suggero, quòd vos admonitiones nostras senserim non libenter accipere: sed quia me necesse est & pro vestra & pro mea salute frequentiùs prædicare, studeo vestros animos & ad timendum judicium, & ad desiderandum præmium excitare: ut * exceptoria sancti pectoris vestri ad recondendam spiritalem vindemiam, sicut semper fecistis, auxiliante Domino fideliter præparetis. Quotiens
C vobis durum aliquid prædicamus, non hoc ideo dicimus, quòd à vobis tale aliquid fieri suspicemur: sed ideo iterum illa quæ non facitis denuntiamus, ut illa in quibus fortè præventi fueritis, sanare possimus. Solet enim fieri, ut dum majora timentur, minora celeriùs caveantur. Quomodo enim theriaca bibitur, ne corporibus possint prævalere venena; hoc austera prædicatione geritur, unde animarum præparentur antidota.

* V. supra Serm. 10. n. 5. & 28. n. 4.

Beneficiorum Dei memoria munimen est contra peccata.

3. Certum est, Fratres carissimi, quòd si semper beneficia Dei nostri, quæ nobis nullis præcedentibus meritis nostris collata sunt, assiduè cogitamus; peccata nostra nobis aut non dominantur, aut si fortè subrepserint, citò
D per pænitentiam corriguntur. Quis enim vel mente concipere, non dicam verbis possit exponere, quanta circa nos sint Dei nostri beneficia? Fecit enim nos, cùm non essemus, reparavit nos postea, cùm perissemus. Mortem suscepit, pretioso nos sanguine liberavit, ad inferna descendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit, cælorum nobis etiam præmia promisit. Hæc omnia, Fratres dilectissimi, pio & benigno animo cogitantes, quantum possumus, cùm ipsius adjutorio beneficiis suis vicem rependere festinemus. Non reddamus mala pro bonis; sed quantum possumus, voluntati illius obtemperare fideliter studeamus, totis viribus innitentes, ut præcepta ipsius
E magis nobis pariant de sequacitate remedium, quàm de transgressione judicium.

Quæ de iis ratio in judicii die repetenda.

4. Nam quid faciemus, Carissimi, in illo metuendo judicii die, cùm tremente mundo Dominus, præcinentibus Angelorum buccinis, in illo majestatis suæ throno circumdatus cælestis militiæ luce consederit: ibique de terræ gremio & antiquo pulvere suscitato humano genere, adstante testimonio conscientiæ singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis justorumque præmiis, rationem vitæ cœperit postulare, & plus jam justus quàm misericors, severitate judicis contemtæ misericordiæ reos cœperit accusare, & dicere: Ego te, ô homo,
F de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi imaginem nostram similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter paradisi delicias collocavi: tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quàm Deum maluisti? Cùm expulsus de paradiso jure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis pariendus introivi, in præsepio expositus & pannis obvolutus jacui, infantiæ contumelias humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet ut te mihi similem facerem, pertuli, irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi:
G flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Conditus jacui in sepulcro, ut tu regnares in cælo. Cur quod pro te pertuli perdidisti? Cur ingrate redemtionis tuæ munera renuisti? Non te ego de

CLASSIS IV.

morte mea quæro; redde mihi vitam tuam, pro qua (A) meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis. Cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa in qua tui misertus mortem tuam occisurus adscendi. Cùm essem impassibilis, pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in judice veniam, in cruce vitam, in suppliciis medicinam. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pænitentiæ confugere noluisti, ab auditu (B) malo non mereberis liberari.

Crucem peccator imponit Christo primâ graviorem.

Damnatorum supplicium.

5. Qui tunc erit stridor dentium, cùm Sanctorum multitudine ad dexteram regis & ad gloriam segregatâ, peccati populus in profunda tartari sine ulla miserationis ac veniæ spe demersus, excludi se tenebris suis à beata Sanctorum luce viderit, & in profundi sinum fine fine descendens, urgente os suum puteo, æterna supplicia & perpetuam mortem non moriturus adspexerit? Frustrà autem à paupere, quem in hac vita despexit, misericordiam postulabit: frustrà extremum Lazari digitum, quo ardens refrigeretur, ardentibus labiis rogabit apponi. (C) Quàm vellet miser, cùm pauperum gloriam viderit, duris quondam paupertatis subjacuisse laboribus, & in illa vita quæ cum vita morerentur mala portasse; ne ad illa æterna mereretur supplicia pervenire. Ut ergo hæc tam dura & tam terribilia ante illud tribunal æterni Judicis audire non mereamur, dum adhuc licet, & cum Dei adjutorio in potestate nostra est, consideremus conscientias nostras: & si aliqua crimina vel peccata capitalia nec dum eleemosynis & orationibus purgata nobis adhuc dominari cognoscimus, portum pænitentiæ, devictis peccatorum fluctibus, Christo juvante festinemus intrare: * & si quid in navicula animæ nostræ multis tempestati- (D) bus peccatorum, aut per superbiam fractum, aut per avaritiam ruptum, aut per luxuriam resolutum esse cognoscimus, componere vel reparare bonis operibus festinemus. Studeamus jugiter vitiorum exhaurire sentinam. NON ENIM NOCENT PECCATA PRÆTERITA, si non placent præsentia. Sicut enim nulli justorum sufficit justitia sua, si non perseveraverit usque in finem: ita nulli peccatorum nocere poterit iniquitas sua, si antè quàm de corpore isto discedat, ad eleemosynarum remedia vel ad pænitentiæ medicamenta confugerit.

Pænitentia, dum hic sumus obeunda.

** Ita suprà Serm. 140. n. 4.*

Nec ulli procrastinanda.

6. Sed quia quando vel qua hora de hoc sæculo rapiemur, scire non possumus; sine ulla dilatione vel mora de (E) sinistra fugere festinemus ad dexteram. * Non sanitati, non ætati credendum est. [a] Non in remedium salutis suæ semper tardandus est, qui vitæ suæ semper incertus est: quia qui nos securos fecit dicendo, *Peccator in qua die conversus fuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur*: ipse nos etiam cautos esse voluit dicens, *Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* Si fortè quando generaliter omnes ad pænitentiam provocamus, aliquis intra se cogitet dicens, Ego juvenis homo uxorem habens, quomodo possum aut capillos minuere, aut habitum religionis assumere? Nec nos hoc dicimus, Fratres carissimi, non hoc prædicamus, ut juvenes qui conjugia habere videntur, (F) habitum magis quàm mores habeant commutare. Quid enim homini uxorem habenti nocet, si mores perditos voluerit ad opera bona vel honesta convertere, si peccatorum suorum vulnera eleemosynis, jejuniis & orationibus ad sanitatem pristinam studeat revocare? Vera enim conversio sine vestimentorum commutatione sufficit sibi: vestimenta verò religiosa sine bonis operibus non solùm remedium habere non poterunt, sed etiam justum Dei judicium sustinebunt. * Convertamur ergo ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia: hîc exstinguamus mortem moriendo peccatis, hic vitam vitæ meritis adquiramus; (G) præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

** Infrà Serm. 260. n. 2.*

Ezech. 18. 21. & 22.

Eccli. 5. 8.

Religionis habitus.

** Sic Serm. 173. n. 3. & 251. n. 3.*

SERM. DE DIVERSIS.

* SERMO CCL.

** Aliàs de Sanctis 39.*

De judicio extremo, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. In Lovaniensium editione ambiguus, Verlini verò & Vindingi sententiâ suppositititius est. Dicendi modus videtur stili Cæsariani similior esse quàm Augustiniani.

1. RECOGITEMUS, Fratres carissimi, cuncta mala quæ fecimus; ut minis æterni Judicis perterriti, ad ultimum saltem studeamus bona facere. Unde Dominus in Evangelio dicit, *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui est in cælis, ipse intrabit in regnum cælorum.* Hoc etiam, Fratres carissimi, cogitare debemus, quia in illa die reddet Deus unicuique secundùm opera sua; bonis bona, malis mala: bonos mittet in vitam æternam, malos in ignem æternum.* Væ illi homini, qui cum diabolo mansionem habebit. Pensemus quòd istud regnum finem habet; regnum Dei finem non habet. Ista vita laboriosa, caduca & fragilis, plena scandalis, invidiosa quid aliud quærit nisi manducare, bibere, inebriari, luxuriari, detractiones facere? Certè ubi volumus permanere, illuc debemus festinare. Fratres, nos peregrini sumus in hoc mundo; convertamur ad Dominum qui fecit nos. Fratres, audistis quòd Dominus vindicare veniet, & peccatores mittet in ignem æternum, sicut in Psalmo dicit, *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Quid autem suis dicturus sit in die illa, audiamus: *Venite benedicti Patris mei.* Et justi regnabunt sine fine cum Christo, sicut dicit, *Et justi epulentur, & exsultent in conspectu Dei*: &, *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo mixtum est zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit: primùm colligite zizania, & alligate per fasciculos ad comburendum.* Messis hæc est genus humanum in consummatione sæculi ad judicium congregandum; zizania, peccatores; inimicus homo, diabolus qui superseminavit peccata; messores sunt Angeli, qui eligunt justos à peccatoribus. *Ligate fasciculos*, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, avaros cum avaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, derisores cum derisoribus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum. *Triticum autem congregate in horreum meum*, id est, mittite justos in paradisum.

Matth. 7. 21.

** Ita subsequens Sermo.*

Vitæ depravatæ studia.

Psal. 67. 1.

Matth. 25. 34.

Psal. 67. 4.

Matth. 13. 27. &c.

Parabolæ zizaniorum explicatio.

Ibidem 30.

2. Fratres, expavescere & timere debemus de tam brevi satietate, de tam longa fame; de tam longis tenebris, de tam brevi luce. Dum tempus habemus, convertamur ad Dominum qui fecit nos; ut non mereamur introire in illas tenebras, sed in lucem: quia omnis homo cujus opera facit, ejus filius est. Si opera Dei facimus, filii Dei sumus. Quod modò peccamus, citò emendare debemus, & non addere peccata peccatis. Unde Psalmista, *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam.* Confessionem quæramus puro corde, & pænitentiam donatam à sacerdotibus perficiamus. Nolite iram recondere in cordibus vestris; quia quando iram portamus, nec oblatio nec oratio à Deo recipitur. Date eleemosynam, recipite peregrinos in domibus vestris, pedes eorum lavate, & lectos ipsorum præparate: dolentes consolamini. Nolite despicere peregrinos; quia ipsi peregrini estis. Non circumvenias fratrem tuum in negotio; quia Deus judex est. Pauperes & viduas & orphanos nolite opprimere. Nolite de rapinis pauperum eleemosynas facere: tristatur qui perdit, gaudet qui adquirit; lucratur pecuniam, & perdit animam; attendit quid adquirit, & non attendit quid perdit. Fratres, cum Domini adjutorio, dum tempus habemus, laboremus, quatenus à malis simus pænitentes aut per jejunium, aut per eleemosynas, aut per vigilias, aut per orationes, aut per caritatem: ut mereamur pervenire ad regna cælestia, ubi est satietas sine fame, ubi est lux sine tenebris, juventus sine senectute, requies sine labore, gaudium sine fine. Ipse qui nos creavit, nos adjuvet, ut ad cælestia regna mereamur pervenire, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad pænitentiam & bona opera exhortatio.

Psal. 68. 28.

Confessio & pænitentia à sacerdotibus imposita.

Eleemosynæ de rapinis.

[a] Fortè legendum ut infrà Serm. 260. n. 2. *Nam in remedium salutis suæ semper tardus est*, qui &c. sive ut illic habet MS. Theodericensis, *In remedium salutis suæ non sit semper tardus, qui de vita sua* &c.

Classis IV.

Serm. de Diversis.

* SERMO CCLI.

* *Aliàs de Sanctis 40.*

De judicio extremo, III.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius Lovanienſibus, Verlino autem & Vindingo ſpurius erat. Pars eſt Sermonis apud Ambroſium 33. de futuro judicio feriâ 2. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ. Inter Sermones ad Fratres in eremo locum etiam occupavit, ordine ſexageſimum tertium. Ejuſdem eſſe auctoris videtur, cujus ſuperior.

1. O Fratres cariſſimi, quàm timendus eſt nobis dies ille, in quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus ac redemtor omnium propoſuit venire cum flamma ignis; qui inflammabit adverſarios ſuos, & eos qui faciunt iniquitatem. In illa die plangent ſuper ſe omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna, & majeſtate excelſa, & commovebuntur ante eum omnes fines terræ, & peccatores peribunt, & cælum plicabitur, & mare ſiccabitur, & montes ſicut cera ardebunt; & terra ardebit uſque ad inferos. Sol convertetur in tenebras, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo in terram, & Virtutes cælorum commovebuntur. Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo, quod eſt crux Chriſti, in cujus lumine tenebrabitur totus mundus. Tunc Sancti volabunt obviàm Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erunt; peccatores autem confundentur & peribunt. Et tunc fiet judicium. Et tunc veniet Dominus noſter Jeſus Chriſtus, *& mittet Angelos ſuos à quatuor angulis terræ, & congregabunt electos ejus à ſummo cælorum uſque ad terminos eorum.* Et tunc ſeparabit Dominus Sanctos ſuos de inter peccatores, & mittet eos in manſiones cæleſtes; peccatores autem in caminum ignis ardentis, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus, ibi erit fletus & ſtridor dentium. * Væ illis hominibus qui habebunt manſionem cum diabolo. Et adſcendet fumus tormentorum in ſæcula ſæculorum. Quorum vermes non morientur, & ignis non exſtinguetur. In qua nulla vox niſi gemitus; ubi nulla requies niſi ignis; ubi nullum refrigerium niſi flamma; ubi lux numquam videbitur niſi tenebræ, & non venient umquam in memoriam apud Deum. Quorum cibus cruciatus, & manſio eorum cum diabolo eſt, ubi nulla viſitatio niſi tenebræ. O homo qui deſideras regnum Dei poſſidere, quod malè feciſti, dum potes, emenda; dum tempus habes, clama ad omnipotentem Deum; dum datur ſpatium, luge; dum licentia eſt, pænite; feſtina, dum potes; plange, dum adhuc anima tua verſatur in corpore; dum adhuc vivis, remedium tibi adquire, priùs quàm te profundus abſorbeat laqueus pœnarum, priùs quàm te infernus rapiat, ubi nulla datur indulgentia, ubi nullus eſt ad confeſſionem recurſus, nullus eſt ad veniam regreſſus: de qua pœna nos pius Dominus eripere dignetur, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 24. 30. — *Pſal. 96. 5.* — *Matth. 24. 29.* — *Ibidem 31.* — * *Sic ſuperior Sermo n. 1.* — *Apoc. 14. 11.* — *Iſai. 66. 24.* — Pœnæ æternæ.

* SERMO CCLII.

* *Aliàs ex 50. homiliis 16.*

Admonitio ut non ſolùm linguâ, ſed & moribus & operibus laudetur Deus; quia quale eſt quod cogitatur in corde, tale eſt quod procedit in opere: & de purgatoriis pœnis & inferni puteo.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium inter Auguſtinianos reliquerunt Lovanienſes: removeri volunt Verlinus & Vindingus, tametſi non malum. Poſterior pars ad Cæſarium pertinet; prior ad Auguſtinum ex Sermone in Pſal. 148. ipſiuſmet Cæſarii, credimus, curâ & ſtudio decerpta. Hujus quippe ingenium refert titulus Sermonis parti utrique reſpondens. Et verò de Cæſario memoriæ proditum eſt, virum Apoſtolicum prædicandi verbi Dei munus non modò per ſe, quoad licuit, impleviſſe, ſed inſuper inſtituiſſe ut Ambroſii, Auguſtini, ſuaque ipſius homiliæ à presbyteris & diaconibus in Eccleſia legerentur: quin etiam comparatas diverſi argumenti conciones multis intra & extra Gallias provinciis ſuppeditaſſe.

1. Resurrectio & glorificatio Domini noſtri Jeſu Chriſti, Fratres cariſſimi, oſtendit nobis vitam quam accepturi ſumus, cùm venerit retribuere digna dignis * &c. Et ſi eſt adhuc gemitus, tentatio, tribulatio; ſpera tranſitoria omnia, & illum venturum diem in quo ſine defectu laudabimus. Interim donec veniat ille dies, in quo conjuncti Angelis Deum ſine ulla fatigatione & ſine ullo fine laudare mereamur, ut ad illud ineffabile gaudium venire poſſimus, quantum poſſumus, bonis operibus ſtudeamus inſiſtere: & quotidie conſcientias noſtras intus adſpicientes, * ſi aliquid in ſtola animæ noſtræ aut per negligentiam diſſutum, aut per luxuriam ſordidatum, aut per iracundiam combuſtum, aut per invidiam conſciſſum, aut per avaritiam tenebroſum eſſe cognoſcimus, dum adhuc in poteſtate noſtra eſt, cum Dei adjutorio feſtinemus vulnerata curare, reparare perdita, & ad candorem juſtitiæ ea quæ obſcurata fuerint revocare: ne fortè ſi bonis operibus nudi, & * vitiorum pannis ſordentibus involuti, ante tribunal æterni Judicis venerimus, illa ad nos terribilis ſententia dirigatur, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et ideo, quantum poſſumus, fructus juſtitiæ ſtudeamus afferre, timentes illud quod Dominus dixit, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Hæc ſententia evidenter oſtendit, quòd non ſolùm malum feciſſe, ſed etiam bonum non egiſſe damnabile erit. Et ideo iſta quæ diximus, adtentis cordibus jugiter cogitemus; ne nos tardè pæniteat ſub conſpectu ignis æterni, qui interrogabit medullas, oſſa & cogitationes noſtras. Quantum tunc unuſquiſque puniendus optabit, ne umquam mulierem alienam concupiſſet, ne umquam corporis ſui veſtem, ne umquam baptiſmi holoſericam maculaſſet, ne umquam præteriſſet conſilia & monita ſacerdotum. Nam * ſi ſacerdotibus grande periculum eſt, aliena peccata non arguere; quantò periculoſius erit propria noluiſſe corrigere: atque ea non ſolùm non emendaſſe, verùm etiam defendiſſe, & defendendo accumulaſſe?

* *Hic omiſſa repete ex Enarr. in Pſal. 148. n. 1. & 2.* — Hic jugiter bene agendum. — * *V. Serm. 249. n. 3.* — * *V. ſuprà Serm. 29. n. 4. & Serm. 116.* — *Matth. 25. 41.* — *Matth. 3. 10.* — Ne malè egiſſe fruſtrà quandoque pæniteat. — * *Cæſarius homil. 27.*

2. Et ideo expiatura erit illic inexſtinguibilis concrematio, quidquid hîc medicabilis ſatisfactio, quidquid hîc ſalutifera diſſimulaverit ſanare converſio. Ardens enim inferni puteus aperietur, deſcenſus erit, adſcenſus non erit. Illic fidei veſte nudati, & capitaliter mortui, in perpetuum demergentur, ejiciendi in tenebras exteriores, ubi non viſitabit æternus, in tenebras exteriores infeliciter incluſi, infeliciùs includendi. De hoc puteo Propheta orat atque commemorat, *Neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ideò autem dixit, *Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum;* quia cùm ſine pænitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur ſurſum, aperietur deorſum, ac dilatabitur in profundum. Nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus; clauſtris de ſuper urgentibus relinquetur. Detrudentur illuc, valedicentes rerum naturæ. Ultrà neſcientur à Deo, qui Deum ſcire noluerunt, morituri vitæ, & * morti ſine fine victuri. Felices qui nunc bene viventes facultatibus vel corpori ſuo neceſſariis contenti, & de ſuo largi, in ſe caſti, in alios * non cruenti, ab hujus putei profundi flammea nocte ſe redimunt. Hæc pœna illos manebit, qui amiſſo & non reparato per pænitentiam baptiſmo, in æternum peribunt: ad quos dicitur, *Paleas autem comburet igni inexſtinguibili.*

Pœnæ æternæ. — *Pſal. 68. 16.* — * *MSS. mortui.* — * *MSS. congruentes.* — *Matth. 3. 12.*

3. Hi verò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit, *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem:* per fluvium igneum, de quo Propheticus ſermo commemorat, *Et fluvius igneus currebat ante eum:* per fluvium igneum & vada ferventibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora. Quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ * rationabilis diſciplina. Et quantum ſtulta iniquitas geſſerit, tantum ſapiens pœna deſæviet. Et quia ſermo divinus quodam loco æneæ ollæ animam peccatricem comparans dicit, *Pone ollam ſuper prunas vacuam, donec concaleſcat æs ejus, & omne ſtagnum ejus defluat:* illic ſermones otioſi & cogitationes iniquæ vel ſordidæ, illic multitudo levium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exſudabunt: illic ſtagnum vel plumbum diverſorum ſubrepentium delictorum, quæ divinam imaginem obſcuraverunt, conſumentur: quæ omnia hîc ab anima ſeparari per eleemoſynas & lacrymas compendioſa tranſactione potuiſſent. Ecce ſic exigere habet ab homine rationem, qui ſe ipſum pro homine dedit, & confixus clavis legis morti ſe junxit. Quæ cùm ita ſint, Dilectiſſimi, intelligamus quia effugere intoleranda ſupplicia & incendia æterna non poterunt, niſi qui priùs in ſe ignem carnalis concupiſcentiæ

Purgatoriæ pœnæ. — *1. Cor. 3. 15.* — Illarum duratio. — * *Hinc vocatur ignis arbiter Serm. 15. n. 4.* — *Ezech. 24. 11.* & materia.

CLASSIS IV.

* V. Serm. 149. n. 6. & 160. n. 3.

ac multimodæ cupiditatis exstinxerint. * Et ideo, Fratres carissimi, convertamus nos ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Curramus dum lucem habemus, nec prætereuntia salutis tempora negligamus. Hîc exstinguamus mortem moriendo peccatis, hîc vitam vitæ meritis comparemus.

* Alias ex 50. homil. 12.

* SERMO CCLIII.

De confessione peccatorum, & quia hoc desiderat diabolus ut peccata nostra minimè confitentes, rei ante tribunal æterni Judicis appareamus; Deus è contrario vult ut mala nostra humiliter confiteamur in hoc sæculo, ut ab eis liberari mereamur in futuro.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus ambiguus est, falsus Verlino & Vindingo. Admonent Lovanienses, videri quibusdam priorem partem esse Eradii, (seu Eraclii,) posteriorem Augustini. Stilus ab exordio ad finem usque planè Cæsarianus. Doctrina autem plerumque Augustiniana, ex Sermonibus ipsius in Psalmos collecta.

CÆSARII Sermo LVI. Confessionis præceptum.

1. IN omnibus Scripturis divinis, Fratres dilectissimi, utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter & humiliter non solùm Deo, sed etiam sanctis & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Jacobum apostolum nos admonet Spiritus-sanctus, dicens, *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.* Et Psalmista, *Confitemini Domino quoniam bonus:* & iterum, *Dixi, pronuntiabo adversùm me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* * Quomodo enim nobis peccatorum vulnera numquam deesse possunt; sic & confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, ut confiteamur peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit: sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat quod nobis ante tribunal Judicis æterni objiciat; ideo vult ut magis defendere, quàm accusare peccata nostra velimus. E contrario autem Deus noster, quia pius est & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit; si nos agnoscimus, ille ignoscit. Primo homini non est dictum, Confitere peccatum; quia non fecerat quod fateretur: sed dictum est ei, ut non peccaret. Non obtemperavit, peccavit. Nati sumus mortales ex vinculo peccati; propagata est miseria nostra per successionem fragilitatis humanæ; & dicitur nobis, Fatemini peccata. Serpens autem ille quomodo tunc institit, ut non servaret homo quod illi dictum est, ne peccaret: sic nunc instat, ut non servet homo quod ei dictum est, Confitere peccatum. Quomodo enim tunc fecit, ut caderet qui stabat; sic nunc agit, ne surgat qui cecidit. Itaque adversùs incantationes ejus & insidias, quibus nunc impedire vult reditum nostrum, suscipiamus præcepta saluberrima adversùs eum, qui impedire vult nobis confessionem peccati; quia scit non nos posse aliter redire, qui per superbiam lapsi sumus. Dux nobis ipse fuit ad superbiam: modò ad humilitatem ducem Christum sequamur.

Jacobi 5. 16. Psal. 117. 1. Psal. 31. 5. * Ita Cæsar. exprimit necessitatem eleemosynæ infrà Serm. 257. n. 4. Cur Deus hoc jusserit. Gen. 2. 17. Gen. 3. 1. Diaboli conatus ne impleamus.

2. Dicit homini serpens ille per Mathematicos & Manichæos, ne confiteatur homo peccatum. Per Mathematicos sic loquitur, Numquid homo peccat? Stellæ sic sunt positæ, necesse est ut faciat homo peccatum. Dicit ergo per Mathematicos, quia stella facit ut homo peccet; nam ipse non peccat. Sic blasphemias convertit in Deum. Creator enim stellarum Deus est: & dum non vult homo se accusare in eo quod fecit, Deum accusat à quo factus est homo. Item per quosdam Manichæos ita suggerit: Non tu peccas, gens tenebrarum peccat; tu non habes peccatum. Dicit hæc animæ, & erigit eam in superbiam, ut putet quia non peccat. Non est hoc tollere, sed geminare peccatum. Item multi sic confessionem peccati fugiunt, ut ipsum satanam accusent; se nihil mali fecisse dicant. Et cùm castigantur aliqui, & dicitur eis, Quare hoc fecistis? respondent, Quia diabolus hoc fecit. Non est enim unde plus gaudeat diabolus, nisi quando homo dicit, quòd ipse fecerit ut peccaret. Quando enim dicit, Diabolus hoc fecit, non se accusat: & dum peccata sua dissimulat confiteri, indulgentiam non meretur accipere. Respondet ergo & dicit, Diabolus hoc fecit: quasi te vera traxerit eum diabolus, aut violentiam fecerit. Suadere enim & sollicitare potest; cogere omnino non potest.

Peccatum referunt Mathematici in stellas. V. August. Enar. in Psal. 91. n. 3. Manichæi in gentem tenebrarum. Multi in diabolum.

a MS. Remig. *Diabolo non consentiamus.*

SERM. DE DIVERSIS.

3. Et ideo cùm per Dei adjutorium in potestate tua sit, utrùm consentias diabolo; quare non magis Deo, quàm ipsi obtemperare deliberas? Si enim solus diabolus daret consilium, & Deus taceret; haberes quod excusare posses. Cùm verò Christus tibi & conscientia tua contradicat, & per Scripturas divinas audias in ecclesia, quòd non debeas facere malum; quare eligis mortem, & deseris vitam; & magis vis sequi diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Christo qui te invitat ad vitam æternam? Rogo ergo vos, Fratres carissimi, quare satanas seducit ad peccandum, cùm Deus posuerit homini in potestate non consentire satanæ? * Est enim à dextris quodam modo præcipiens Deus, à sinistris seducens satanas, homo in medio constitutus. Cor suum quid inclinat ad diabolum? Quare non potiùs erigat ad Deum? * Non enim diabolus cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Nos [a] diabolum non adjuvemus; & vincimus. Dat quidem ille consilium: sed, Deo auxiliante, nostrum est vel eligere, vel repudiare quod suggerit.

Diabolus suadet, non cogit ad peccandum. Liberum est homini consentire. * V. quid simile Serm. 61. n. 4. * V. Serm. 37. n. 6.

4. Adtendite & aliud. Quando dicit homo quòd seductus est à satana, quando dicit se seductum, confitetur ex parte: sed tamen negat se fecisse, & dicit, Ego nihil feci, diabolus fecit. Conatus est dicere illud Adam: ipse enim excusare se voluit de muliere; mulier excusare se voluit de serpente: Dominus autem Deus, qui liberum arbitrium dedit homini, & eum præcepto suo adversùs serpentis venena firmaverat, non audivit istas excusationes: quia & mulier propterea data erat, ut doceretur à viro, non ut doceret virum; & sic erat constituta voluntas amborum, sic erat fabricatum liberum arbitrium, ut si nollet consentire serpenti, discederet serpens in sua falsitate confusus, & remaneret homo in Domino creatore firmatus. Ipsa sunt mala verba quæ diximus: quia modò serpens vult suadere excusationes peccatorum. Tunc fecit quod accuses; modò autem vult facere quod excuses. Deus confitenti tamquam in apertum sinum indulgentiam paratus erat dare; excusas, claudis sinum, includis peccatum, excludis indulgentiam peccati. Ecce quid fecisti: non ut tolleretur peccatum, ut dixi jam dudum; sed ut intercluderetur medicina peccati. Sanare te habebat Deus per indulgentiam, si faterеris: quæris per quem excuses; sed non quærit ille quem pro te puniat.

Excusationes in peccatis. Non ea tollunt, sed ipsorum medicinam.

5. Dic ergo devoto corde quod dixi paulò antè, *Ego dixi, Domine, miserere mei.* * Quare addidit, *Ego dixi?* Propter Manichæos, qui dicunt non tu peccas. Clama, *Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Sanat te Deus; confitere tantùm vulnus tuum. Jaces sub manibus medici, patienter implora auxilium. Fovet, urit, secat, æquanimiter tolera; tantùm noli adtendere, nisi ut saneris. Sanaberis autem, si ostendas te medico: non quia ille non videt, si tu te abscondas; sed ipsa confessio initium sanitatis est.

Psal. 40. 5. * Augustinus Enarr. in Ps. 31. n. 16. & in Psal. 140. n. 10. & 11. Confessio initium sanitatis.

6. *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quid hoc est? Melius est mihi, ut quando videt justus peccatum meum, emendet me, non mihi parcat, dicat quia peccavi, sæviat in peccatum meum, ut me liberet à peccato. Videtur acerbè clamare: sed intus lenis est in misericordia. Ideo dixit, *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me.* Quando ergo arguit, & quando clamat, & quando justus sævit, miseretur: & totum illud de misericordia paterna est, non de sævitia inimici. Magis autem quando non vult te mori sub peccato, magis amat, quia secat. Non vult enim putredine peccati cetera membra tua contabescere. Ferrum profert: sed noli timere, noli pallescere; medicus est. Ferrum non contra te fertur, sed contra vulnus tuum. Ergo sic ait: *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Psal. 140. 5. Corripientis sævitia lenis.

7. Quid est autem oleum peccatoris, nisi blandimentum adulatoris? Si quis aliquem vehementer objurget, videtur sævire in peccatum ejus: & liberè ei dicat mala quæ commisit; & ille si imitatur fortasse objurgatorem suum,

Adulantis blandimentum, oleum peccatoris.

suam, simul cum illo irascitur peccato suo. Quare dictum est, *Irascimini & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Ergo dicat ille vera: fortè corrigitur. Alius verò veniat ad eum, & assentetur & dicat, Immo laudabiliter fecisti: *quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur;* diffluit, lætus vocatur. Avarus est; & dicitur de eo, quia servat rem suam. Vindicat se de inimico, cùm dictum sit, Dimitte ut dimittatur tibi; & fortis vocatur. Sic considera cetera, quemadmodum assentatores, id est, adulatores habeant verba fallacia, habeant nomina laudis: ipsa est unctio peccatoris. Nos autem audiamus Prophetam dicentem, *Populus meus, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & conturbant semitas pedum vestrorum.* Ergo si dicatur ab aliquo liberè peccatum alicujus, & ab alio palpetur: si videat aliquis tertius & interrogetur quid sit factum, nonne ita solet respondere; Ille dixit ei vera, & non blanditus est? Quid ille alter? Quid fecit? Unxit ei caput, & discessit. Nos verò, Fratres, si vere spiritales medici sumus, & de animarum vestrarum remedio adtentiùs cogitemus, non debemus palpare quemquam, nec nos nec vos. Confiteamur peccata nostra, non excusemus: tu fecisti, tu reus es; tu confitere, tibi ignoscitur. Si autem dicis, Non ego feci: [a] ubicumque verba excusare volueris, peccatum tuum manet in te, peccati reus es: & non illius peccati tantùm quod fecisti, sed hujus etiam superbiæ, quòd confiteri noluisti. De quo peccato nos Dominus liberare dignetur: qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(Psal. 4. 5. — Psal. 9. sec. Hebr. 2. — Luc 6. 37. — Isai. 3. 12.)

* SERMO CCLIV.

(* Aliàs de Tempore 68.)

De confessione peccatorum, & pænitentia.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium habebant Lovanienses. Observant Verlinus & Vindingus conflatum esse ex capite 12. & 13 Alcuini de virtutibus & vitiis

1. HORTATUR nos sæpius sancta Scriptura ad medicamenta fugere confessionis, non quòd Deus indigeat confessione nostra, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur aut agimus: sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pænitentes, quodiniquè gessimus negligentes. Qui se ipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicii: si tamen confitens pænitendo diluit quæ fecit, nec iterum renovat quæ egit. *Confitemini,* dicit Jacobus apostolus, *alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* Item beatus Apostolus, *Ore autem confessio fit ad salutem.* Sed & Salomon de confessione peccatorum dixit, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Magnum est salutis medicamentum non iterare quæ impiè gessimus, nec priorum cicatrices vulnerum resauciare. Sicut autem dicit Johannes evangelista, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Similiter & Psalmista ait, *Dixi, Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

(Confessionis necessitas. — Quàm utilis sit, & quibus. — Jacobi 5. 16. — Rom. 10. 10. — Prov. 28. 13. — 1. Johan. 1. 9. — Psal. 31. 5.)

2. Vivens confiteatur peccator quæ fecit; quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec pænitentia ad salutem proficiens. Ecce nunc tempus salutis, ecce nunc tempus acceptabile Deo. Tempus est nunc remissionis pænitentibus; sed tempus erit post mortem vindictæ negligentibus confiteri scelera sua. Omnes enim impii amaram habent in tormentis pænitentiam: sed non proficit eis pænitentia ad remissionem, sed conscientia torquet eos ad augmentum pœnarum quas patiuntur. Potuerunt enim sibi per confessionem præcavere tormentorum immanitatem, & neglexerunt: ita sicut foris flammis, ita intus conscientiâ propriâ torquentur. Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit? Deus confessionem nostram desiderat; ut justam habeat ignoscendi caussam. Qui peccata sua occultat, & erubescit salubriter confiteri, Deum quem testem habet iterum habebit eum ultorem. Optimè se judicet homo in hac vita, ne judicetur à Deo damnatione perpetua. Duplicem habere debet fletum in pænitentia omnis peccator: sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia per audaciam malum perpetravit. Quod enim oportuit non gessit, & quod non oportuit egit. Confessio justificat, confessio veniam peccatis donat: omnis spes veniæ in confessione consistit. Confessio opus est misericordiæ, salus ægroti, unicum est viribus nostris medicamentum cum pænitentia. * Cujus ipse Salvator in Evangelio virtutem ostendit, dicens, *Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum:* & Johannes baptista, *Facite fructus dignos pænitentiæ.* Fructus dignus est pænitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere: sicut Scriptura ait, *Ne adjicias peccatum super peccatum. Lavamini,* dicit Dominus per Isaiam prophetam, *& mundi estote.* [* Lavatur itaque & mundus est, qui & præterita plangit & iterum non admittit. Lavatur & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit; & post lacrymas hæc quæ fleverat repetit.] De his qui post lacrymas ad delicta revertuntur priora, beatus Petrus terribiliter ait, *Canis reversus ad vomitum suum. Fili peccasti,* dicitur in Scriptura sancta, *ne adjicias iterum: sed de pristinis deprecare ut remittantur tibi.*

(Damnatorum pænitentia infructuosa. — 2. Cor. 6. 2. — Tormentum duplex. — Duplex sit pænitentis fletus. — * Apud Alcuin. hîc incipit c. 12. dicti lib. — Matth. 4. 17. — Fructus dignus pænitentiæ. — Eccli. 5. 5. — Isa. 1. 16. — * Eligius hom. 8. — 2. Petr. 2. 22. — Eccli. 21. 1.)

3. Pænitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Unde beatus Petrus mox à Domino indulgentiam recepit; quia amarissimè flevit trinæ negationis culpam. Pænitentia quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantùm requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pænitentis pensat. Qui enim in Christo tota mente confidit, etiamsi multis moriatur peccatis, fide sua vivet in æternum: sicut ipse Dominus in Evangelio dicit, *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* De morte animæ dixit, quæ propter peccatorum ægritudinem eveniet illi. Deus in natura misericors est, paratus est salvare per misericordiam, quos non invenit salvare per justitiam: qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem perire; qui per Prophetam ait, *In quacumque die conversus fuerit peccator, vitâ vivet, & non morietur.* Quamvis quisque sit peccator & impius, si ad pænitentiam convertitur, consequi se posse veniam per Dei misericordiam non dubitet. In hoc sæculo pænitentiam facientibus Dei misericordia subvenit: in futuro autem pænitentia non proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantùm pænitentiæ patet libertas; post mortem verò nulla correctionis est licentia.

(Pænitentia vera non annis, sed cordis contritione censetur. — Matth. 26. 75. — Johan. 11. 25. — 1. Tim. 2. 4. — Ezech. 18. 21.)

* SERMO CCLV.

(* Aliàs de Tempore 57.)

De Pænitentia.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubii Sermonis notâ affecerunt Lovanienses, spuriis annumerarunt Verlinus & Vindingus. Auctoris ingenium & stilus re vera multùm distat ab Augustiniano, parum à Cæsariano.

1. SÆPE advertimus, dilectissimi Fratres, nonnullos ex vobis communionem ecclesiasticam declinare; & hoc intelligo fieri ex conscientia gravium atque ingentium peccatorum. Unde admoneo vos, Dilectissimi, quod pravum est hoc insalubri consilio duplicatur: quia homines ista facientes, & delictorum sarcinam cumulant, & munus æternæ salutis amittunt: hoc est enim reatum congregare, & remedium devitare. Ergo vos, dilectissimi Fratres, hortor atque commoneo, ut si quis ex vobis conscius criminum suorum, indignum se communione ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo, nisi ut errores pristinos relinquat, & pænitentiam petat: ut qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur. Nec ad illud se servet, ut in extremo vitæ suæ tempore tunc pænitentiam petat, quando jam agere non possit. Inutilis est enim, Dilectissimi, ista persuasio. Parum est, peccatorem pænitere, nisi pænitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pænitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pænitentia, quia

(Criminum conscii à communione se subtrahunt. — Præstaret ut eâ dignos se exhiberent. — Per eitam scilicet pænitentiam. — & laboriosam.)

[a] In MS. German. à secunda manu, sed antiqua, qualicumque verba.

CLASSIS IV.

Quid de pænitente in extremis sentiendum.

non potest denegari: sed auctores tamen esse non possumus, quòd qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit pænitentiam lapsus? Quomodo agit pænitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodò pænitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pænitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pænitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, Dilectissimi, quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pænitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro.

SERMO CCLVI.

Admonitio per quam ostenditur quid intersit inter illam pænitentiam quæ cum bonis operibus semper agitur, & illam quæ in infirmitate vel fine vitæ accipitur.

Inter Cæsarianos ex Regio codice curâ V. C. Stephani Baluzii vulgatos reperitur ordine secundus. Eidem Cæsario tribuunt nostri MSS.

CÆSARII Sermo LVII. An pænitentiâ acceptâ moriens veniam obtineat.

1. MULTI de fratribus vel filiis nostris solliciti sunt, utrùm omnis homo in infirmitate positus, si pænitentiam accipit, & statim defunctus fuerit, ad plenam possit indulgentiam pervenire: & dum hæc inquirunt, non sine parva inter se animositate contendunt. Alii enim dicunt eum qui sic acceperit, ad integrum liberari; alii autem parum prodesse confirmant. Quid tamen de hac re nobis secundùm sanctorum patrum regulas videatur, breviter Caritati Vestræ volo suggerere. Non incongruè potest credi tribus modis ad istam subitaneam pænitentiam perveniri. Primus & præcipuus modus est, ut Christianus crimina capitalia non admittat; aut si fortè admiserit, sic pro illis pæniteat, & ea bonis operibus diluat, ut postea ad peccata ipsa non redeat; de omnibus fructibus decimas reddat, & de novem partibus quidquid suis necessitatibus superfuerit, minuta peccata quæ quotidie subrepunt redimat, & illam caritatem teneat quæ non solùm amicos, sed ipsos diligit inimicos. Qui hæc fideliter implere voluerit, etiamsi pænitentiam non accipiat; quia semper illam fructuosè & fideliter egit, bene hinc exiet: & si eo tempore quo moriturus est, eam acceperit, & partem sibi & Christo ad substantiam suam cum filiis fecerit; non solùm eum veniam peccatorum credimus obtinere, sed etiam præmia æterna percipere.

Obtinet qui se in pænitentia & bonis operibus jugiter exercuit.

Obtinet & qui vixit in peccatis, sed qua lege.

2. Secundus modus est supradictæ pænitentiæ, ut etiamsi aliquis, quamdiu vixerit, non solùm parva, sed fortè etiam capitalia committat peccata; & tamen mala ipsa [a] ignoretur qua spe pænitentiæ agat, nec ideo animam suam ad peccata relaxet; ut ad illam subitaneam pænitentiam se reservet; & in transitu suo cum grandi humilitate & cordis contritione, cum rugitu vel gemitu ipsam pænitentiam petat; & hoc definitissimè in corde suo deliberet, ut si evaserit, quamdiu vixerit, toto corde & totis viribus fructuosam pænitentiam agat; & quidquid se malè tulisse cognoscit, ad integrum reddat, ut secundùm illud propheticum rapinam restituat, & omnibus inimicis suis toto corde indulgeat, & de substantia sua unam portionem Christo & sibi cum filiis suis faciat, & in ipsa infirmitate sua, quantum potest, largas eleemosynas erogare præcipiat: si hæc fideliter humili & contrito corde implere voluerit, & possumus & debemus credere quòd ei Dominus omnia dignetur peccata dimittere, secundùm illud propheticum, *Peccator in quacumque die conversus fuerit, omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur:* & illud, *In quacumque die conversus ingemueris, salvus eris.*

Ezech. 18. 21. & 22.

Ezech. 33. 12.

3. Tertius modus pænitentiæ aliquibus esse videtur, si aliquis semper malè vivens, in exitu vitæ se reservet ad pænitentiam, & ea spe peccet, ut per ipsam subitaneam pænitentiam & cuncta conjuncta æstimet peccata dimitti; & tamen postquam eam acceperit, & illud quod malè rapuit nec in simplo reddat, nec inimicis suis toto corde indulgeat, nec in corde suo deliberet, ut si evaserit, quamdiu vivit, cum grandi compunctione & humilitate pænitentiam agat; nec portionem sibi & Christo pro redemtione peccatorum de

Id ægrè sentiatur de eo qui operibus pænitentiam non ostendit.

A substantia sua cum filiis suis faciat. Sic acceptâ pænitentiâ, si sine istis remediis quæ suprà memoravimus, exierit de hac vita; quid de eo futurum sit, licèt nos dicere dubii simus, Dominus tamen in Evangelio definitissimè dixit: *Si*, inquit, *non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater dimittet vobis peccata vestra:* & illud, *Date, & dabitur vobis: dimittite & dimittetur vobis.* Quomodo peccatori illi dimitti poterit, qui dimittere noluit? Aut quomodo ei dabitur, qui non dedit? Et quia Dominus de illis qui eleemosynas non dederunt dicturus est, *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus; quia esurivi, & non dedistis mihi*

SERM. DE DIVERSIS.

Matth. 6. 15.

Lucæ 6. 37. & 38.

Matth. 25. 41.

B *manducare* &c. * si ille in ignem mittitur, qui de propria facultate non erogavit; quid de isto pænitente facturus est, qui non solùm de proprio nihil dedit, verùm etiam res alienas, quas malè tulerat, nec in simplo reddere voluit? Qui talis est, si à me pænitentiam petierit, & est illi [b] ætas cui aut dari possit aut debeat; * pænitentiam illi dare possum, integram securitatem dare non possum: Deus tamen, qui omnium conscientias novit, & unumquemque secundùm suum meritum judicabit, ipse scit qua fide aut qua intentione animi pænitentiam petiit. Ego verò timeo ne fortè iste talis pænitens nec in conscientia sua habuerit, quod in operibus non ostendit: quia etsi C cor videre non possumus, tamen secundùm Evangelicam sententiam, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, dum ea quæ suprà scripta sunt implere penitus non videmus. Cùm hæc ita sint, quis nos poterit prohibere, ut eum credamus non bene de hac luce migrasse, quem bona opera cognoscimus non fecisse? Ecce, quid mihi de subitanea pænitentia videtur, Caritati Vestræ exposui. Si quis est, cui ex his quæ diximus aliqua dubitatio nascatur; & optamus & desideramus, ut dari sibi à nobis rationem cum perfecta caritate requirat.

* V. Serm. 77. n. 5. & 78. n. 3.

* Ita homil. aliàs 41. ex 50.

Matth. 7. 16.

4. Nos tamen, Fratres carissimi, ea quæ sunt incerta vel dubia relinquentes, totis viribus de illa pænitentia, quæ D per omnem vitam à bonis Christianis agitur, per quam omnia & capitalia crimina damnantur, & minora peccata jugiter redimuntur, adtentiùs cogitemus; quæ, si quamdiu vivimus cum bonis operibus agimus, plenam nobis securitatem de Dei misericordia pollicetur. Cùm enim omnes homines pænitentiam velint in finem vitæ suæ accipere, & vix paucos videamus eam, secundùm quod desiderant, promereri; quare non quotidie ipsam pænitentiam agimus, ut rem certam tenentes, de rebus incertis & dubiis liberemur? * Quanti enim qui se ad extremum vitæ suæ pænitentiam accepturos esse credebant, aut subitâ ruinâ oppressi, aut fortè per naufraE gium demersi sunt, aut flumine interfecti, aut sanguinis ictu, aut illa infirmitate, quæ apoplexia dicitur, ita percussi sunt; ut non solùm pænitentiam petere, sed etiam signare se aut orationem Dominicam dicere omnino non possent? Cùm enim tantis casibus fragilitas humana subjaceat; nimis periculosa præsumtio est, ut nos in longa tempora ad agendam pænitentiam reservemus, qui unius diei vitam in potestatem habere non possumus. Et ideo cum timore & tremore audiamus Dominum per Prophetam dicentem, & pia nos exhortatione monentem, *Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* Qui enim dixit, *In quacumque* F *die ingemueris, salvus eris*; ipse dixit, *Nolite tardare converti ad Dominum.* Et hoc obtinere Deo auxiliante possumus, si jugiter supplicemus, ut nobis pius Dominus inspirare dignetur omnia mala velociter fugere, & ea quæ bona sunt infatigabiliter exercere; res alienas non concupiscere, capitalia crimina non admittere, minuta peccata, sine quibus esse non possumus, per indulgentiam inimicorum & eleemosynam pauperum indesinenter redimere, secundùm vires nostras jejuniis, vigiliis & orationibus cum perfecta caritate frequenter insistere, infirmos visitare, in carcere positos requirere, peregrinos excipere, & eis humiliter non solùm pedes abluere, sed G etiam in quantum vires suppetunt necessaria largiri, pacem non solùm ipsi cum omnibus custodire, sed etiam illos qui discordes sunt ad concordiam revocare. Si nos tam sanctis operibus dies transitus nostri fideliter occu-

Tutius est pænitentiam jugiter agere.

Mortis enim hora incerta.

* Eligius homil. 6.

Eccli. 5. 8.

Ezech. 33. 12.

In quibus consistat jugis illa pænitentia.

[a] Sic Laudunensis codex. At Regius, *ignoranter quasi spe pænitentiæ agat.*

[b] Non enim omni ætati concedebatur pænitentia. Hinc Synodus Agathensis, cui Cæsarius præfuit, can. 15. *Juvenibus etiam pænitentia non facilè committenda est, propter ætatis fragilitatem.* Concilium Aurelianense 3. can. 24. *Ut nequis benedictionem pænitentiæ juvenibus personis credere præsumat. Certè conjugatis, nisi ex consensu partium & ætate jam plena, eam dare non audeat.*

patos invenerit, sicut jam dixi, etiamsi in hora mortis A nostræ pœnitentiam accipiamus, securi de hac luce migrabimus; & non solùm pœnam evadere, sed etiam ad æternam vitam poterimus Domino donante feliciter pervenire. Amen.

*SERMO CCLVII.

* Aliàs de Tempore 129.

Admonitio ut pro capitalibus criminibus sine aliqua dissimulatione ad medicamentum pœnitentiæ recurratur.

Cæsario in MSS. adscriptus, ejusque nomine editus est in Bibliotheca Patrum decimus tertius.

Cæsarii Serm. LVIII. De venia præsumtio & de speratio.

1. QUOTIENS evenerit, Fratres carissimi, ut in B quocumque gravi peccato aut etiam crimine aliquis, ut se habet humana fragilitas, cadat; nec quia Deus justus est, desperare, nec quia misericors est, debet nimia securitate confidere: sed * sic timeat justitiam, ut quærat misericordiam; sic de misericordia confidat, ut tamen justitiam contremiscat: quia * quantum nos Deus diutius exspectat ut corrigamur, tantum graviùs vindicat, si de conversione tardiùs cogitemus. * Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur: & citò vulnus ad sanitatem reducitur, quod putrescere diuturna abusione non sinitur. Sed dicit aliquis, Cùm ad senectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta C confugiam. Quare hoc de se fragilitas humana præsumat; cùm unum diem vitæ suæ in potestate sua non habeat? Quàm multi se se credebant longo tempore vivere; & ita illos mors repentina subtraxit, ut nec ad illam momentaneam possent pœnitentiam pervenire? Erubescimus modò parvo tempore pœnitentiam agere; & non timemus sine ullo termino æterna supplicia sustinere. O infelix homo, de ipso vulnere non erubescis; & de ligatura vulneris erubescis! Peccatum enim vulnus est, pœnitentia ligatura vulneris est: tu qui pœnitentiam non vis agere, sine dubio dissimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere: & non agnoscis, quia plus fœdum est, D & majorem horrorem generat vulnus deopertum, quàm si esset medicamentis appositis involutum.

* V. Serm. 29. n. 3. — * Ibidem n. 1. — * Ita Serm. 21. n. 6. — Pœnitentia ne differatur. — Nec erubescatur.

2. Et hoc considerate, Fratres, quia etiamsi vobis capitalia crimina non subreperent: ipsa minuta peccata, quæ, quod pejus est, aut non adtendimus, aut certè pro nihilo computamus, si simul omnia congregentur, nescio quæ bonorum operum abundantia illis præponderare sufficiat. * Cogitemus ex quo sapere cœpimus quid pro juramentis, quid pro perjuriis, quid pro maledictis, quid pro detractionibus, quid pro otiosis sermonibus, quid pro odio, quid pro ira, quid pro invidia, quid pro concupiscentia mala, quid pro gula, quid pro somnolentia, quid pro sordidis cogitationibus, quid pro E concupiscentia oculorum, quid pro voluptuosa delectatione aurium, quid pro exasperatione pauperum, quid pro eo quòd aut tardè aut difficilè Christum in carcere visitavimus, quòd peregrinos negligenter excepimus, * quòd secundùm promissionem nostram in baptismo, hospitibus pedes lavare neglevimus, quòd infirmos tardiùs quàm oportuit visitavimus, quòd discordes ad concordiam non toto & integro animo revocavimus, quòd Ecclesiâ jejunante prandere voluimus, quòd in ipsa ecclesia stantes, dum sanctæ lectiones legerentur, otiosis fabulis oc- F cupati fuimus, quòd aut psallendo aut orando aliquotiens aliud quàm oportuit cogitavimus, quòd in conviviis non semper quæ sancta, sed aliquotiens quæ sunt luxuriosa locuti sumus. Hæc ergo & his similia, quæ vix sciri vel numerari possunt, si eo ex tempore quo sapere cœpimus, in unum cumulum colligantur; etiamsi capitalia crimina non addantur, quantis & qualibus bonorum operum copiis redimi poterunt, nisi præponderante divina misericordia, per humilem & compunctam pœnitentiam additis secundùm vires nostras largioribus eleemosynis Dei severitas vel justitia fuerit mitigata? Cùm ergo & ista quæ dixi, sine quibus nullus hominum G potest esse, nos nimium premant, & fortè etiam capitalia nobis crimina & peccata subrepant; nescio qua conscientia periculosam nobis securitatem inducimus, & remedium pœnitentiæ quærere mortifera dissimulatione negligimus; & cùm in pelago mundi hujus innumerabilibus fluctibus fatigemur, ad expetendum portum pœnitentiæ post longa nos temporum spatia reservamus, non intelligentes quòd * de multitudine peccatorum desperatio nascitur, ex desperatione verò absque ulla reverentia peccatorum frena laxantur; & impletur illud quod scriptum est, *Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnet.*

Omnibus necessaria est. — * Sic Serm. 76. n. 2. Peccatorum minutorum enumeratio. — * Ita Serm. 168. n. 3. — Sola Dei misericordiâ redimi possunt.

Serm. de Diversis. — * Ser. 21. n. 1. — Prov. 18. 3.

3. Sed dicit aliquis, Cùm ad senectam venero, aut aliqua nimia infirmitate fuero desperatus, tunc pœnitentiam petam. Non quidem dicimus, pœnitentiam illam prodesse non posse: certum est quia prodest, si cum grandi & larga eleemosyna illam unusquisque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam tribuat, & quibuscumque fecit injuriam, veniam petat; & ita toto corde deliberet, ut si evaserit, quamdiu vixerit, totis viribus illam cum rugitu & gemitu & cum multis eleemosynis humiliter ac fideliter agat. Et tamen tu homo sapiens inter ista omnia considera, si justum est ut per totam vitam tuam vitiis & peccatis servias, & ad adquirendam vitam jam semivivus assurgas. * Numquid tibi hoc fieri vis à servo tuo, ut quamdiu fortis ac juvenis fuerit, inimicis tuis serviat; & cùm ad senectam venerit, tunc demum ad tuum servitium redire velit? Quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum ut facias Domino tuo. Cùm tamen multos noverimus, dum sani essent, frequenter dixisse pœnitentiam se toto corde desiderare: sed tamen quia illam statim agere noluerunt, sine ipsius remedio de hoc sæculo recesserunt. * PERCUTITUR enim etiam hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei. Nam qui remedium animæ suæ, quando potuit, noluit quærere; postea etiamsi velit, dubium est utrùm mereatur accipere.

Pœnitentia sera quibus prosit. — Quàm injustè exspectetur. — * V. infrà Ser. 263. n. 2. & 264. n. 5. — Quàm periculosè. — * Serm. 226. n. 2.

4. Et ideo, Fratres carissimi, tempus judicii & diem reddendæ rationis sapienter & utiliter cogitemus, & crimina vel peccata majora cum gemitibus & suspiriis, quamdiu vivimus, lugeamus; & illa minuta delicta vel quæ antè fecimus, vel quæ indesinenter admittimus, assiduis orationibus & largioribus eleemosynis redimamus. * Et quomodo non desunt quotidiana peccatorum vulnera, sic numquam desint eleemosynarum vel orationum remedia. Si enim nosmetipsos propria severitate distringimus, sententiam futuri judicis prævenimus. Qui enim pro peccatis sibi ipsi non parcit, Deus citò illi indulgentiam retribuit: * & qui se ipsum modò à communione pro reatu suspendit, ab illo altari quod est in cælo removeri non poterit; secundùm illud, *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Iniquitatem tuam si tu agnoscis, Deus ignoscit. * Nemo ergo desperet; sed nemo malè speret. Malè desperat, qui credit quòd etiamsi pœnitentiam agat pro peccatis suis, divina misericordia non indulgeat. Malè autem sperat, qui se post multa tempora ad pœnitentiæ medicamenta reservat. Quomodo enim malè desperantibus dicitur, *Peccator in quacumque die conversus fuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur:* sic malè sperantibus dicitur, *Nolite tardare converti ad Dominum.* Hæc ergo, Fratres carissimi, tam viri quàm feminæ, tam religiosi quàm laïci, tam senes quàm juvenes, tam pueri quàm puellæ, adtentiùs cogitemus: & sine ulla dissimulatione securitatem mortiferam respuentes, quotidianis diebus peccatis nostris pœnitentiæ medicamenta apponere studeamus; timentes illud quod dictum est, *Memento quoniam mors non tardat.* Si enim hæc fideliter agimus, ante tribunal æterni Judicis, non damnationis sententiam suscepturi, sed æternis præmiis remunerandi cum gaudio & exsultatione feliciter veniemus: adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Et minuta & gravia peccata continuò redimantur. — * Ita Serm. 224. n. 1. — * Sic Serm. 229. n. 2. — Prov. 18. 17. — * Infrà Serm. 264. n. 5. Mala spes & mala desperatio. — Ezech. 18. 21. & 22. — Eccli. 5. 8. — Eccli. 14. 12.

*SERMO CCLVIII.

* Aliàs de Tempore 58.

Unde suprà.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius inter Augustinianos manserat apud Lovanienses: at Verlinus & Vindingus reponi volunt inter suppositios. Cæsarii est homilia in Bibliotheca Patrum quarta-decima, ipsius nomine in omnibus nostris MSS. prænotata.

Cæsarii Sermo LIX.

1. ROGO vos, Fratres carissimi, ut si fortè aliquis ex vobis, ut se habet humana fragilitas, callliditate diaboli superatus, & capitalibus criminibus involutus, secundùm quod Apostolus ait, * templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet: sed citò de malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetu-

1. Cor. 3. 17. — * Eligius hom. 13. — Ut lapsus citò resurgat.

CLASSIS IV.

dine peccandi in ipsis se ruinis sepeliat. Non enim qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam ut de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus nos per Prophetam velut piissimus pater consolatur, dicens, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*: & illud, *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Sed licèt sit ista tam magna misericordia; tamen tunc nobis prodest, si non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus. Denique * etiam in ipsis vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarum. Si enim alicui pes frangatur aut manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari. Si verò secundò ac tertiò & adhuc frequentiùs in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere Caritas Vestra cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt: & tamen post longas & multas curas vix erit ut ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis seu vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis vel secundò peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad pænitentiæ medicamenta confugerit; pristinam incolumitatem sine aliqua mora [a] recipiet. Si verò peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegendo vel defendendo putrescere, quàm confitendo & pænitentiam agendo curare maluerit, timendum est, ne in illo impleatur illud quod Apostolus dixit, *An ignoras, quia benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui & cor impænitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei.*

(Ezech. 33. 11. — Ibidem 12. — Quàm periculosum peccata peccatis cumulare. — * Eligius homil. 15. V. suprà Serm. 29. n. 1. — Rom. 2. 4. & 5.)

2. Sed fortè cogitat aliquis tam gravia se admisisse peccata, ut jam Dei misericordiam promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicumque ille es, peccatorum multitudinem adtendis; & omnipotentiam cælestis Medici non adtendis. Cùm enim Deus velit misereri quia bonus est; & possit quia omnipotens est: ipse contra se divinæ misericordiæ januam claudit, qui Deum sibi misereri aut non velle aut non posse credit, & eum aut bonum aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia divina desperet. Sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiare festinet: ne fortè, si consuetudinem peccandi fecerit, etiamsi velit, jam se à diaboli laqueis liberare non possit. David enim qui & rex & propheta divino munere fieri meruit, post tantam gratiam ita præventus est, ut non solùm adulterium committeret, sed etiam homicidium perpetraret: nec tamen se ad hoc reservavit, ut in senectute sua ad pænitentiæ medicamenta confugeret; sed statim cilicio prostratus & conspersus cinere, cum ingenti rugitu & gemitu pænitentiam agens, implevit illud quod ipse in Psalmis dixerat, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*: & iterum, *Cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Et quia pænitentiam agere mortifera securitate non distulit, citò in se Dei misericordiam provocavit; ut non solùm regnum non amitteret, sed etiam gratiam sancti Spiritûs recipere mereretur. [b] Sed fortè est aliquis qui dicat, Ego in militia positus sum, uxorem habeo; & ideo pænitentiam agere quomodo possum? Quasi nos, quando pænitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque magis sibi capillos studeat auferre, & non peccata dimittere; & vestimenta potiùs evellat, quàm mores. Qui hac dissimulatione decipere se magis quàm excusare conatur, adtendat, quia regem David nec honor regni nec dignitas vestimenti ad pænitentiam agendam potuit impedire.

(Ut nemo quàntumvis reus de misericordia Dei desperet. — Sed sine mora eam sibi conciliare festinet. — 2. Reg. 11. & 12. Exemplo David. — Psal. 6. 7. — Psal. 101. 10. — 2. Reg. 11. 13.)

3. Achab quoque rex sacrilegus, de quo Scriptura dicit, quòd non fuerit alius talis, qui venumdatus sit ut faceret malum contra Dominum; postea quàm depravatus ab uxore Jezabel & abominabilis Deo factus est, interfecto & lapidato Naboth Jezraëlita, cùm vineam ejus vellet invadere, castigatus à sancto Elia, scissis vestibus cilicio indutus est, & inclinato capite pænitentiam egit. Pro qua re statim sermo Dei ad Eliam factus est dicens, *Vidisti humiliatum Achab? Quia*, inquit, *humiliatus est mei caussâ, non inducam malum in diebus ejus.* Considerate, Fratres, quia & ipse quamlibet esset sacrilegus, non reservavit ut post longa tempora pænitentiam ageret; sed statim sacrificium contriti & humiliati cordis Deo offerre non distulit. Qui utique si postea in illa humilitate qua cœperat perdurasset, numquam ab illo Dei misericordia discessisset. Manasses quoque rex, ut in Scripturis legimus, tam sacrilegus & impius fuit, ut de illo scriptum sit, quòd totam Jerusalem omni iniquitate repleverit: & tamen post hæc in captivitatem ductus, & in carcerem missus, cum grandi humilitate pænitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuit, ut mereretur inter Dei amicos postmodum numerari. Meretrix quoque illa, quæ pedes Domini lacrymis lavit, & capillis extersit; ubi cælestem Medicum venisse cognovit, ultro se ingessit in domum ubi rogata non fuerat: & quæ priùs frontosa fuerat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem; & ideo audire meruit, quòd ei omnia fuerint peccata dimissa. Nec ipsa se ad hoc reservavit, ut in fine vitæ suæ pænitentiam ageret: sed dum adhuc peccare poterat, sic voluit peccata deserere; ut illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas.

(Achab. — 3. Reg. 21. 20. — Ibidem 29. — SERM. DE DIVERSIS. — Manasses. — 2. Paralip. 33. 9. — Ibidem. 13. Et meretrix quæ pedes Domini lavit. — Luca 7. 47.)

4. Multos adhuc in Scripturis divinis poteramus invenire, qui post infinita crimina pænitentiam agentes, Dei in se misericordiam provocaverint; & non solùm ad priorem, sed etiam ad meliorem statum redierint. Sed quia longum est me omnes recitare, isti quatuor quos * nominavimus satis abundéque sufficiunt, ut agnoscamus, quòd Deus noster, qui & David post tam grave peccatum indulsit, & Achab sacrilego regi pepercit, & Manassen post innumerabilia peccata pænitentiam agentem inter amicos suos reputavit, & meretrici quæ lacrymis pedes rigaverat & capillis suis terserat, totum indulsit; qui istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & nobis, si in veritate convertimur, non solùm peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem dare. Hæc ergo cogitantes, Fratres carissimi, quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus, ne nobis aliqua crimina vel capitalia peccata subrepant. Si verò in hoc malum fuerit aliquis diabolica calliditate prostratus, priùs quàm crimina ipsa per consuetudinem convalescant, * remedium sibi in die necessitatis adquirat, & cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliare contendat. Nec erubescat pænitentiam agere, qui non erubuit pænitenda committere: sed citò in se bonis operibus contendat Dei imaginem reparare, ut inter filios mereatur agnosci à Patre: ne ab illa æterna beatitudine exclusus, & à convivio nuptiali projectus, ligatis manibus & pedibus projiciatur in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium: sed magis medicamentis pænitentiæ, humilitatis vel compunctionis, ad sanitatem pristinam revocatus, & bonorum operum margaritis ornatus audire mereatur, *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Amen.

(* MSS. novimus. — * Cæsarius homil. 35. & suprà Serm. 13. n. 5. & 29. n. 4. — Matth. 22. 13. — Matth. 25. 23.)

SERMO CCLIX.

Admonitio ut quia semper peccata subrepunt, semper pro illis pænitentia agatur, & nemo ad extremum vitæ suæ pænitentiam accipere magis quàm agere periculosa dissimulatione reservet.

Cæsario in MSS. tribuitur, estque inter ipsius homilias à Stephano Baluzio vulgatas ordine tertia.

1. ROGO vos, Fratres carissimi, ut paterna consuetudine, quomodo consuevistis, non solùm patienter, sed etiam libenter accipiatis: quia & ipsi Deo propitio nostis, quòd non pro aliquo lucro terreno, sed pro perfecto erga vos amore, * quod & mihi expedit dicere & vobis oportet audire, cum grandi humilitate ac timore insinuare contendo. Et quia nobis, dilectissimi Fratres, non solùm minuta peccata, sed etiam crimina majora diu noctùque conantur obrepere, non nos ad illam pænitentiam quæ in finem accipitur reservemus; sed omni die, quamdiu vivimus, pænitentiam agere studeamus. Quam rem non solùm laïci & clerici, sed etiam ipsi monachi & sacerdotes debent jugiter exercere. Episcopus enim qui quotidie pænitentiam agit, oret pro me.

(CÆSARII Sermo LX. — * V. Serm. 45. n. 4. — Pænitentia hic à nemine debet dimitti.)

a Hìc addunt Lov. Am. & Er. *& forsitan sine aliqua fæditate*: quæ Cæsarius Eligius & MSS. non habent.

b Reliqua hujus numeri verba desiderantur in MSS. & in Bibliotheca Patrum: ab ejus tamen ingenio non sunt aliena. Vide Serm. 249. n. 6.

Qui

Cùm quotidie peccemus.

Qui verò de honore vel sanctitate præsumens dissimulat A pænitentiam agere, quærat sibi qui pro ipso debeat supplicare. Cùm enim nullum diem possimus sine peccato transigere, quæ ratio est ut dum paulatim minuta peccata congerimus, de parvissimis guttis infinitos gurgites faciamus? De multitudine peccatorum, quæ longo tempore congeritur, desperatio generatur, secundum quod scriptum est, *Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnet.* Omnes enim nostis, quia faciliùs possumus tenera evellere, quàm robusta succidere.

Prov. 18. 3.

Et peccata tenera faciliùs avellantur.

Pænitentia quotidiana suadetur familiaribus exemplis.

2. Et ut de rebus quæ quotidie in oculis habemus capiamus exemplum, quis hodie invenitur ita inutilis vel ignavus, qui non omni die domum suam scopis mundari B faciat? Quis est, qui equos suos super stercora sua semper stare permittat? Rogo vos, Fratres, de minimis magna conjicite; nec vobis incongruum videatur quòd de scopanda domo facimus mentionem: quia de hac re ipse Dominus in Evangelio dixit, quòd mulier illa quæ drachmam perdiderat, ubi domum suam scopis mundavit, statim drachmam quam perdiderat invenire promeruit. In drachma nummus intelligitur, in nummo imago imperatoris agnoscitur: quomodo ergo quando domus scopatur, imago imperatoris invenitur in drachma; sic anima, quando vitiorum sordibus per fructuosam pænitentiam liberatur, imago imperatoris in illa agnoscitur. Ergo, sicut jam suprà dixi, Fratres carissimi, agnoscite * quia non est durum nec laboriosum quod suggero: hoc enim rogo, ut quomodo scopis mundamus domum nostram, ut placeat oculis amicorum nostrorum; ita cum Dei adjutorio ab omnibus peccatis mundemus animam, ut non displiceat oculis Angelorum. Ad domum animæ nostræ non solùm Angeli, sed etiam Dominus Angelorum venire dignatur; sicut & ipse dixit, *Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis surrexerit, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum*: & illud, *Ego & Pater meus veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* * Quàm felix illa anima, quæ D ita domum cordis sui de peccatorum sordibus voluerit emundare, & sanctis ac justis operibus adimplere, ut in ea Dominum delectet habitare. Non ergo nos pigeat facere in animabus nostris, quod fieri jubemus in domibus vel stabulis nostris. Nam quomodo stabula justum est ut quotidie mundari faciamus, ne equi nostri patiantur injuriam; sic nimis & injustum & satis crudele est, si majorem curam habeamus de animalibus quàm de animabus nostris.

Luc. 15. 8.

* Sic Serm. 119. n. 5.

Apoc. 3. 20.

Johan. 14. 23.

* V. Serm. 115. n. 3. & 130. n. 3.

Pænitentiæ illius fructus.

3. Etiam & hoc suggero, ut non fastidiosè suscipiat sancta Caritas Vestra: volo enim vobis de ipsis rebus quas loquimur evidentem similitudinem dare. Quomo- E do enim domos vel stabula nostra, si quotidie emundantur, nec horrorem nobis faciunt nec laborem; ita minora peccata, si quotidie redimantur, nec desperationem nec dolorem poterunt generare. Si verò ad purgandum negligentes esse volumus, quomodo stabula, quæ longo tempore non mundantur, ita computrescunt & fœtorem horribilem reddunt stercora ipsa, ut ibi non solùm homines habitare, sed nec ipsa animalia stare possint; ita quicunque negligens in animam suam peccatorum sordes malis actibus longo tempore congregare voluerit, & quotidie bonis operibus emendare neglexerit, non solùm Deus illum non dignabitur visitare, sed ipse pec- F cator non poterit in se ipso consistere. Denique omnes negligentes, quorum corda multis peccatis, velut à quibusdam bestiis lacerantur, & tamquam à spinis venenosissimis compunguntur, hoc solent ad sibi similes dicere, Noveritis nos tristes esse vel anxios; & ideo venite, dissimulemus nos, aut ad circum aut ad theatrum eamus, aut * ad tabulam ludentes, aut in aliquibus nos venationibus exercentes. Isti tales ideo à foris mundi consolationem quærunt; quia illam quæ à Deo intus in anima datur, accipere non merentur. Quando enim de multis calumniis vel rapinis ac de illis infelicibus spe- G ctaculis & periculosis venationibus revertuntur ad conscientias suas, quia ibi per illam exercitationem mærorem addiderunt potiùs quàm tulerunt, habitare in se vel requiescere omnino non possunt, sed peccatorum litibus vertuntur. Per superbiam enim quasi à leonibus lacerantur, per invidiam tamquam viperarum morsu percutiuntur, per iracundiam crudeli incendio concremantur, per crudelitatem morsu sævitiæ disrumpuntur; in rapinis velut luporum dentibus comeduntur, in luxuriis & ebrietatibus tamquam in immundissimis cloacis volutantur: ac sic dum de crudelissimis theatris ad crudeliores conscientias quasi de malis ad pejora redeunt, requiem habere non possunt. Sed quantùm meliùs vitiorum stimulis fatigati, divinis lectionibus studerent, ubi veram dissimulationem & integram consolationem poterant invenire; Sanctorum etiam limina frequentantes, contra ipsa peccata ipsorum adjutorium postularent; & jejuniis & orationibus sive eleemosynis insistentes, magis punire quàm nutrire vel addere peccata ipsa contenderent: ut effugato de cordibus suis crudelissimo exercitu vitiorum, ad veram requiem, id est, ad Christum, toto corde recurrerent, & audirent eum misericordissima sibi voce clamantem, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & invenietis requiem animabus vestris.*

Peccator in se nequit habitare.

Hine aberrationes quæst.

* V. suprà Serm. 141. n. 3. & 14. n. 5.

Sed inde inquietudinem auget.

Unde eam veriùs avertere possit.

Matth. 11. 28.

4. Qui hæc humiliter ac fideliter agere voluerint, de gravi tempestate ad tranquillitatem, & de crudelissimo vitiorum barbarico ad veram pacem poterunt pervenire. Si qui autem sunt, qui se à supradictis malis immunes esse confidunt, & pro eo quòd capitalia crimina non admittunt, periculosa securitate quasi de innocentia gloriantur; timeant ne eos abundantia minutorum peccatorum, tamquam durissima scabies muscarum vel pulicum, ita affligat & cruciet, ut etiam ipsi in se habitare non possint. Unde & sicut crudeles ac mortiferas bestias, quæ uno morsu solent interficere, timemus, & minutas bestiolas, quæ nos cruciare possunt, horrescimus; cum Dei adjutorio & capitalia crimina ac minuta peccata, sine quibus esse non possumus, quotidianis eleemosynis vel orationibus, præcipuè dum inimicos nostros diligimus toto corde, redimamus. Nam si nos in extremo vitæ nostræ tempore ad agendam pænitentiam vel ad redimenda peccata vel crimina reservemus; timere debemus ne fortè nos mors inopinata præveniat; & ad illud subitaneum tempus pænitentiæ non sinat pervenire, ad quod nos mortifera securitate volumus reservare. Et ideo timeamus illud quod scriptum est, *Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* * O homo, quare differs de die in diem; & non magis times ne fortè hodie habeas ultimum diem? Hæc ergo quæ suggessimus, Fratres carissimi, si secundùm vestram consuetudinem sanctam libenti animo accipitis, & sollicito ac vigilanti corde jugiter cogitatis; & in hac vita cum conscientia bona vivere poteritis, & in futuro sæculo ad æternam beatitudinem feliciter pervenietis: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui honor & imperium in sæcula &c.

Peccata etiam minuta sollicitè expianda.

Eccli. 5. 8

* Sic Serm. 29. n. 2.

SERMO CCLX.

Admonitio excerpta de libris antiquorum Patrum, ut qui se crimina capitalia fecisse cognoscit, ad pænitentiæ medicamenta sine aliqua dissimulatione confugiat.

Ipsa est in Bibliotheca Patrum Cæsarii homilia decima-septima, quæ & in MSS. nomen ipsius præfert.

Cæsarii Sermo LXI. Confessio tabula post naufragium.

1. UNDE vos frequenter admonui, Fratres carissimi, iterum atque iterum admoneo & contestor, ut qui se cognoscit de littore continentiæ, tempestate libidinis, in pelagum luxuriæ fuisse jactatum, & castitatis incurrisse naufragium, peccatorum confessionem, velut tabulam fractæ navis velociter apprehendat: ut per ipsam de abysso ac profundo luxuriæ possit evadere, & ad portum pænitentiæ pervenire; ubi jam tutiori loco spei anchoram figere, & salutem perditam valeat reparare. * Oportet enim unumquemque super se ipsum quasi super mortuum conclamare, & magnos super exstinctam animam dare planctus. Et quomodo solet mater super mortuum unicum filium toto pectore lamentari; sic oportet super unicam animam nostram criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi: si fortè possit lacrymarum fomentis calore fidei suscitari. Ante omnia, sicut frequenter admonui, caveat & observet unusquisque peccator, ne pro suis criminibus ita eleemosynam tribuat, ut ipsa crimina non relinquat; timens illud quod Apostolus dixit, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Anima mortua, lacrymis suscitatur.

* Ita infrà Serm. 262. n. 2.

Non autem solis eleemosynis.

1. Cor. 13. 3.

CLASSIS IV. Eleemosynæ peccatoris.

2. Sed dicit aliquis, Quomodo caritatem non habere judicabitur, qui pauperibus tanta largitur? Cui ego respondeo, Quomodo in aliis caritatem custodit, qui se ipsum interficit, qui in animam suam crudelis exsistit? Non enim mentitur Spiritus-sanctus, qui dicit, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* (Ezech. 18. 20.) Si enim quotiens aut adulteria, aut homicidia committimus, animas nostras occidimus; quid nobis prodest quòd in aliis benigni sumus, & in nobis ipsis impii esse cognoscimur? Eleemosynas dando alienam carnem pascimus, & crimina committendo nostram animam jugulamus. Et ideo, sicut frequenter admonui, sic pro majoribus peccatis eleemosynas demus, ut numquam ad ipsa crimina redeamus. * Non sanitati credendum est, non ætati. IN REMEDIUM SALUTIS suæ semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est. O si tempus pænitentiæ sic disponeretur, quando est in potestate positum, quomodo desideraretur amissum?

(* V. suprà Serm. 249. n. 6.)

3. Nos ergo quibus adhuc, etsi sub incerta brevitate conceditur curare maculas, lavare culpas, subvenire præteritis, consulere futuris, & facere infecta de factis; totis viribus laboremus, ut quod vivimus ad vitam possit apponi, ut quod vivimus non morti proficiat sed saluti. Sint tam efficaces gemitus, qui peccata in ossibus perscrutentur, qui in medullis crimina persequantur. Nihil intactum fletus, nihil incuratum medicabilis pænitentiæ dolor relinquat, quod contra nos in die discussionis asfurgat, quod post vetera sæcula repentè novum in reatum malæ conscientiæ mentis appareat. Festinemus emendatam vitam Domino, antè quàm auferatur, offerre. * Hîc exstinguamus mortem moriendo peccatis; hîc vitam vitæ meritis adquiramus, nec nos in tempore senectutis ad pænitentiæ remedia reservemus. Qui enim dixit, *Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur:* (Ezech. 18. 21. & 22.) ipse etiam dixit, *Noli tardare converti ad Dominum.* (Eccli. 5. 8.) Si te faciebat promissio illa securum; faciat te contestatio ista sollicitum: & audi Scripturam dicentem, *Memento, fili, quia mors non tardat:* (Ibidem. 14. 12.) & illud, *Ne dixeris quia miseratio Dei magna est, multitudini peccatorum meorum ignoscet. Misericordia & ira apud ipsum sunt, & in peccatores,* (Ibidem 5. 6. & 7.) id est, in peccatis perseverantes, *respicit ira ejus.* Si enim hæc fideliter & diligenter adtendimus, & ad pænitentiæ medicamenta sine aliqua dilatione confugimus; & pœnam perpetuam evadere, & ad præmia æterna possumus feliciter pervenire; adjuvante Domino nostro, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(* Sic Serm. 249. n. 6. & Euseb. homil. 5. de Epiphania.)

* SERMO CCLXI.

Admonitio de illis qui publicam pænitentiam petunt.

Ex Cæsarianis à Stephano Baluzio editis est homilia prima. Cæsario nostri quoque adsignant MSS.

CÆSARII Serm. LXII.

1. QUOTIENSCUMQUE, Fratres carissimi, aliquem de fratribus vel sororibus nostris pænitentiam publicè videmus petere, magnam in nobis ipsis Deo inspirante compunctionem divini timoris possumus & debemus accendere. Quis enim non gratuletur & gaudeat, & quantas potest Deo gratias agat, videns peccatorem contra peccata sua irascentem, publica voce clamantem; * ut quæ solebat impudentissima fronte defendere, salubriter incipiat accusare? Jam enim se cœpit Deo adjungere; & ideo peccatorum suorum non vult defensor, sed persecutor exsistere. Et quia Deus odio habet peccata; statim ubi negligens quisque peccata sua odio habere cœperit, & à suis criminibus separatur, & Deo conjungitur. Et ille quidem qui pænitentiam publicè accepit, poterat eam secretiùs agere: sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia mala solum non posse sufficere; ideo adjutorium totius populi cupit expetere. Quomodo solet fieri, ut cujus vinea per negligentiam deserta remanserit, roget vicinos & proximos suos; & una die multitudinem hominum congregans, quod per se solum non potuit, multorum manibus adjutus, id quod desertum fuerat repararet: ita ergo & ille qui publicè pænitentiam vult petere, quasi corrogatum dignoscitur congregare; ut totius populi orationibus adjutus, & spinas & tribulos peccatorum suorum possit evellere: ut in eo bonorum messis valeat Deo auxiliante consurgere; & vinea cordis sui, quæ non

(* V. Serm. 68. n. 4.)

Pænitentia publica cur petatur.

A uvas sed spinas consueverat dare, dulcedinem spiritalis vini incipiat exhibere. Et illud, Fratres carissimi, non otiosè considerandum est, quòd ille qui pænitentiam accipit, * cilicio cooperitur. Et quia cilicium de pilis caprarum texitur, & capræ peccatorum similitudinem habere videntur; & ille qui pænitentiam accipit, non se agnum sed hœdum publicè profitetur, rebus ipsis clamans & dicens, Videte me omnes populi, & pro me misero omnes lacrymas pietatis effundite, & qualis sum foris, talem me intus esse agnoscite. Jam enim me nolo foris quasi justum ostendere, & iniquitates vel rapinas

SERM. DE DIVERSIS. Pænitentis indumentum. (* V. can. 15. conc. Agath. & Elig. hom. 8.) Supplicatio.

B intra animam meam abscondere. Jam velut ille publicanus incurvatus in terram oculos ad cælum levare non audeo (Lucæ 18. 13.); sed vulnera peccatorum meorum illi cælesti Medico curanda humiliter offero. Et ideo rogo, ut omnes pro me illius misericordiam supplicetis; ut putredines peccatorum meorum usque ad vivum curare & ad veram sanitatem revocare dignetur. Timeo enim ne in me impleatur illud quod Dominus de hypocritis dixit, *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces:* (Matth. 7. 15.) & ideo, sicut jam dixi, qualem me intus esse cognosco, talem foris ostendo. Et quia huc usque pretiosis vestibus me foris ornabam, & intus in anima

C mea peccatorum leprâ perfusus eram; ideo cilicio indutus & toto corde pænitentiam petens rogo, ut vestris orationibus à peccatorum meorum paralysi merear liberari. Unde iterum atque iterum precor, ut quia, Deo vobis inspirante, nostis flere cum flentibus, pro remissione peccatorum meorum ad fletus vel gemitus Vestra Pietas provocetur? credo enim quòd apud illum misericordissimum judicem sanctæ orationes vestræ mihi possint indulgentiam obtinere.

2. Verè dico, Fratres carissimi, quia si est aliquis qui taliter pænitentiam petenti non condolet, nec toto corde Deo supplicare contendit, nimis inhumanus & im-

Hac prece non moveri inhumanum.

D pius judicandus est. Et quia Dominus dixit, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter; hæc est enim Lex & Prophetæ:* (Matth. 7. 12.) & nos quod nobis ab aliis fieri volumus, quando pænitentiam publicè petere disponimus, hoc aliis toto corde & toto animo impendere festinemus. Quid enim voluimus quando ad pænitentiæ remedium pervenire meruimus, nisi ut omnis populus pro nobis intenderet divinam misericordiam exorare? Quod ergo nobis desideramus ab aliis fieri, hoc & aliis cum perfecta caritate debemus impendere; propter illud quod scriptum est, *Confitemini alterutrum*

(Jacobi 5. 16.)

E *peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini:* & illud, *Frater fratrem adjuvans exaltabitur.* (Prov. 18. 19.) Hæc ergo si cum perfecta caritate fideliter volumus agere, certissimè & possumus & debemus credere, quòd nos Domini dignabitur ineffabilis pietas exaudire. Et quia ipse dixit, *Si duo vel tres consenserint super terram, quidquid petierint, fiet illis;* (Matth. 18. 19.) pius & misericors Dominus, qui duos aut tres se exaudire promittit, potest fieri ut totum populum pro unius pænitentis indulgentia non exaudiat? Absit à nobis, ut hoc vel leviter de illius ineffabili misericordia cogitemus. Toto enim corde credere debemus, quòd nos

Nec Deus Ecclesiæ pro pænitente preces despicit.

F pro pænitentibus fratribus nostris benigno ac pio animo supplicantes exaudiat, qui ut rogetur invitat; sicut ipse in Evangelio dixit, *Petite, & accipietis.* (Johan. 16. 24.) Et hoc adtendite, Fratres, quòd qui pænitentiam petit, excommunicari se supplicat. Denique ubi accepit pænitentiam, coopertus cilicio foris ejicitur. Ideo enim se excommunicari rogat quia ad percipiendam Eucharistiam Domini indignum esse se judicat. Et propterea aliquamdiu * se ab isto altari alienum vult fieri, ut ad illud altare quod in cælo est, mereatur cum secura conscientia pervenire. Propterea se à communione corporis & sanguinis Christi quasi reum & impium cum grandi reverentia vult removeri, ut per ipsam humilitatem tandem aliquando ad

(* V. Serm. 229. n. 2. & 257. n. 4.)

G communionem mereatur sacrosancti altaris accedere.

3. Et tamen, Fratres carissimi, hîc ipse qui tam fideliter compuncto & contrito corde pænitentiam petit, sic de intercessione totius populi debet esse securus, ut totis viribus in bonis operibus se exercens cum Dei adjutorio de sua sit salute sollicitus: ne fortè dicat in corde suo, Ecce totus populus pro meis iniquitatibus supplicavit; jam ergo & possum & debeo esse securus. Absit ut hoc vel in cogitatione, non dicam in sermone, habeat

Non ideo tamen à bonis operibus vacet.

Classis IV.

ille qui pænitentiam agit : sed cum Dei adjutorio, quantum potest, sic de oratione aliorum confidat, ut sive in jejuniis, sive in eleemosynis, sive in orationibus, in humilitate & caritate, sive in opere sancto se exercere contendat; infirmos etiam visitando, discordes ad concordiam revocando, peregrinos excipiendo, sanctorum peregrinantium pedes humiliter abluendo, à detractione vel maliloquio abstinendo. Vinum, si permittit infirmitas, non accipiat : si verò hoc propter senectutem vel propter dolorem stomachi non potest, audiat Apostolum dicentem, *Vino modico utere propter stomachum tuum.* Sunt enim aliqui pænitentes, qui ideo citò reconciliari volunt, ut carnes accipiant. Certum est quòd non satis compunctè pænitentiam accipit, qui carnes nulla infirmitate cogente aut desiderat aut præsumit accipere. Et ideo [a] etiam reconciliatus pænitens, ubicumque aut in suo aut in alieno convivio olera aut legumina aut pisciculos invenire potuerit, aliam * carnem non debet accipere. Hoc ideo dico, quia, quod pejus est, sunt aliqui pænitentes, qui & carnes cum grandi aviditate accipiunt, & vinum fortè aliquotiens usque ad ebrietatem bibunt. Cum grandi enim cautela sustinendum est corpusculum nostrum, ne per ebrietatem & gulam iterum nos talia sollicitet peccata committere, ut aut parum aut nihil prosit, quòd pænitentiam visi sumus egisse. Sic ergo cum Dei adjutorio totis viribus laboremus, ut quidquid de peccatorum nostrorum vulneribus per Dei misericordiam ad sanitatem reducitur, non iterum per negligentiam vulneretur. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritusancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Vinum & carnes ei interdicuntur.

1. Tim. 5. 23.

a

* V. Concil. Cabillon sub Carolo-Mag. can. 35.

* SERMO CCLXII.

De Pænitentia.

In Bibliotheca Patrum erat homilia Cæsarii prima, eademque ipsa Eusebii ad Monachos decima.

Cæsarii Serm. LXIII.

1. AIT quodam loco sermo divinus, *In diebus solemnitatum vestrarum affligite animas vestras.* Quare hoc dixit? Quia jejunia ac vigiliæ & sanctæ afflictiones humiliata corpora macerant, sed maculata corda purificant; membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientiis addunt nitorem. Nihilo minùs de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, & per duræ crucis exercitia, deceptæ dudum carnis gaudia puniuntur : ac sic mortificatione præsenti futuræ mortis sententia prævenitur; & dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur, dumque exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi Judicis offensa sedatur; & ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumturus erat ardor æternus. Tractantes ergo caussam salutis nostræ, * faciamus intra nos quod circa nos medici facere solent. Si læsura aliqua vel querela in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur : si verò in ossibus vulnus absconditum, aut in viscerum profunda demersum est, austeriorem ac violentiorem poscit vis occulta medicinam. Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda est. Si levia sunt fortasse delicta, verbi gratiâ, si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccavit aut corde; verborum & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & privata compunctione tergendæ sunt. Si verò quisque conscientiam suam interrogans, facinus aliquod capitale commisit, [b] ut si fidem suam falso testimonio expugnavit ac prodidit, aut sacrum Veritatis nomen perjurii temeritate violavit, si veram baptismi tunicam, & speciosam virginitatis holosericam, cœno commaculati pudoris infecit : si in semetipso novum hominem nece hominis occidit, si per augures & Divinos atque incantatores captivum se diabolo tradidit : hæc & ejusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri vel secreta satisfactione non possunt; sed graves caussæ graviores & acriores & publicas curas requirunt : ut qui cum plurimorum destructione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat. Homo enim ipse se decipit, si cùm in medullis fervor sibi sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat unguentum.

Levit. 16. 29.

Pænitentiæ utilitas.

* Sic Serm. 156. n. 4. Delictis congruit curatur.

Pænitentiæ publicæ obnoxia crimina.

b

Pænitentiæ publicæ ratio.

2. Hæc itaque principalia mala * ingenti rugitu & gemitu & fonte indigent lacrymarum : atque per lacrymas clamandum est cum Propheta, *Rugiebam à gemitu cordis mei*; &, *Lavabo per singulas noctes lectum meum* : & iterum, *Ego autem cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Nemo despiciat hanc humilitatem : summus rex erat, qui ista faciebat & dicebat. * Oportet itaque sicut super mortuum conclamatum, ita magnos super exstinctam animam dare planctus. Et quomodo solet mater orbata super amissione unici sui fracto pectore lamentari : ita convenit super unicam suam, sed cum spe reparationis, affligi. De qua unica sermo Propheticus dicit, *Erue à framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam.* Quare *unicam* dixit? Sive quia tamquam unica diligenda est, sive quia ipsa sola & singularis ante tribunal cæleste rationem, remotis omnibus solatiis, redditura est. Ita, inquam, necesse est super hanc unicam criminum mucrone confossam totum pondus doloris effundi : si fortè possit lacrymarum vivificata fontibus, calore fidei suscitari. Accendenda est compunctio, corroborandæ sunt preces futuri recordatione judicii, atque misericordiarum operibus adjuvandæ. Audienda est Prophetæ sententia, sed audienda obedientiæ aure, dicentis, *Accipe*, inquit, *ô rex consilium meum, & peccata tua eleemosynis redime.* Exemplum etiam illius Evangelici viri ita est audiendum, quasi verè pro nostra redemtione conscriptum; *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*: de quibus audivimus in Evangelio Dominum ineffabili dignatione & caritate dicentem, *Qui fecit uni ex minimis istis, mihi fecit*; quæ verba eleemosynarum nobis effectus cælesti auctoritate commendant.

Serm. de Diversis.

* Serm. 174. n. 2.

Adjungendæ lacrymæ

Psal. 37. 9.

Psal. 6. 7.

Psal. 101. 10.

* Sic Serm. 260. n. 1.

Ob interitum unicæ suæ.

Psal. 21. 21.

Cur anima unica.

Nec desint misericordiæ opera.

Dan. 4. 24.

Lucæ 19. 8.

Matth. 25. 24.

3. Sed fortè * quando de eleemosynis loquimur, expavescit angusta paupertas. Non ita est, Carissimi. Meminerit potiùs æra minuta divitum thesauris fuisse prælata : quia DEUS NOSTER non solùm copiâ largitatis, sed benevolentiâ pascitur largientis. Ego autem puto, Carissimi, quòd ita Deus noster pauperes in hoc mundo esse permiserit, ut in pauperibus divitum fidem probaret; vel in pauperum misericordia divitibus misereretur : ut abundantibus boni operis ac redemtionis suæ occasio non deesset, ut benevolum locupletem etiam inopia aliena ditaret, & opulentior quisque ingentia de egente lucra reciperet; & mirifico summoque commercio, dum inopi misericordia temporaria largitate confertur, inde æternus thesaurus compensetur. Dirigamus ergo actus nostros, & quidquid possumus, & quidquid valemus, in exercitia bonæ voluntatis, in studia justitiæ ac misericordiæ conferamus.

* Serm. 142. n. 8.

Et hæc perficere pauperes possunt.

Pauperes cur permisit Deus.

4. *Curramus dum lucem vitæ habemus, priùs quàm nos tenebræ comprehendant* : quia jam in illo sæculo emendationi ac redemtioni prospicere non licebit, sicut dicit sermo divinus, *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Sicut ergo ibi nulla timebitur meritorum amissio; ita nulla retribuetur remissio peccatorum; nulla ibi jam exercendi boni operis licentia concedetur. Numquid illic pascere aliquis esurientem poterit, ubi edendi necessitas non erit, ubi cibo & potu nec impius inter inferni flammas, nec pius inter paradisi delicias indigebit? Numquid ibi algentem vestire continget, ubi omnino tegendi corporis cura cessabit, ubi sub illo frigore, de quo Propheta dicit, *Ante faciem frigoris ejus quis subsistet?* ubi in perpetuum nudus erit, qui hîc indumentum nuptiale perdiderit : ubi malus maculosæ conscientiæ tenebris, bonus verò pallio immortalitatis & beatitudinis vestietur; ubi indumenta merita erunt : sicut Dominus dicit, *Justi fulgebunt sicut sol* : & Propheta, *Sacerdotes tui induantur justitiam*; vel illud, *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Ubi ergo pro sanctorum corporum tunica lux fulgebit æterna, ibi vestitus nullis umquam sæculis exuendus convertetur in corpus; ibi indumentum transibit in præmium; ibi Angelica illa stola non jam erit amictus, non jam erit habitus, sed natura. Numquid ibi jam avarus aut tenax de abundantia sua bene facere alteri poterit, ubi nec sibi unam guttam in medio stagni æstuantis voluntas inveniet? Nihil enim secum de

Johan. 12. 35.

Psal. 6. 6.

Operibus misericordiæ post vitam non est locus.

Psal. 147. 17.

Indumenta Beatorum merita.

Sap. 3. 7.

Psal. 131. 9.

Psal. 44. 10.

a In Theoderic. MS. *ut jam reconciliatus fuerit* &c.

b Istorum criminum reos, scilicet, *homicidas & falsos testes à communione Ecclesiastica submovendos*, Synodus Agathensis can. 37. præsidente Cæsario sancivit, *nisi pænitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.* Idemque can. 42. de sortilegis vel auguratoribus statuit. De perjuris vide Concil. Matisconense 1. can. 17.

Classis IV.

his, quæ propria habere se credidit, portaturus est, sicut dixit Propheta: *Non enim cùm morietur, accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria domûs ejus*; auditurus inter indefessa supplicia, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere.* Intelligamus quid damnationis erit spoliasse pauperem, quem summum crimen est non pavisse. Huic ergo qui tenuem atque egenum sine ulla futuri judicii consideratione nunc opprimit; huic, inquam, sicut quidam dixit, adveniet tempus magnum, cùm optaverit à se fuisse intactum pauperem, & non spoliatum, * diemque illam oderit. Intolerabilis dolor erit, si quisque caussas mortis incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuisset. * Noli ergo despicere inopem, qui cùm sibi pauper sit, facere te divitem potest. Rapiamus ergo de præsenti sæculo, ferventi devotione, quod possumus. Citò transeunt dies nostri; utinam bene transeant. Rapiamus ergo quod possumus de hoc sæculo, gratias agentes illi, qui ita dispensavit utramque vitam, ut laborum & agonum tempora citò finirentur; honorum verò & præmiorum gaudia sine fine durarent.

Psal. 48. 18. Matth. 25. 42. * al. quem oderat. * Ita suprà Serm. 51. n. 4. Pauper sibi alium ditare potest.

* SERMO CCLXIII.

Admonitio ad eos qui putant quòd illis ad vitam æternam sufficiat, si malè non fecerint, etiamsi bona implere noluerint.

Cæsario in MSS. tribuitur, estque hom. ejus 4. ex 14 vulgatis à Baluzio.

Cæsarii Serm. LXIV. A malo abstinere non sufficit.

1. Multi sunt, Fratres carissimi, qui putant quòd eis hoc solum ad vitam æternam sufficiat, si opera mala non fecerint. Et ideo si qui fortè sunt, qui se ista falsa securitate decipiunt; definitissimè cognoscant, quia nulli Christiano sufficit si tantummodo malum non fecerit, nisi, quantum potuerit, etiam illa quæ sunt bona compleverit: quia ille qui dixit, *Diverte à malo*; ipse dixit, *Et fac bonum.* Ipse enim in Evangelio terribiliter nos admonet dicens, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* * Non dixit, quæ facit malum fructum; sed, *quæ non facit fructum bonum.* Hinc enim potestis agnoscere quam spem habere poterit qui mala fecerit, quando ille qui bona non fecerit, excidetur & in ignem mittetur. Unde & ipse Dominus dicit, *Qui habet mandata mea & facit ea; ille est qui diligit me*: & illud, *Quid prodest quòd dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?*

Psal. 33. 15. Matth. 3. 10. * Sic Serm. 77. n. 5. Johan. 14. 21.

2. Sed dicit aliquis, Etsi de rebus meis non dedi, tamen res alienas non abstuli; securus esse potero in die judicii. Diligenter adtendite, & nolite vos falsa securitate decipere. Quid est enim quod Dominus dicit? *Cùm venerit Filius hominis in claritate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eos ab invicem, quemadmodum segregat pastor oves ab hœdis. Tunc dicet his qui à dextris erunt, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere. Sinistris autem dicet, Discedite à me maledicti in ignem æternum; quia esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere.* * Diligenter adtendite quid dixit. Non enim ait, *Venite benedicti, percipite regnum*, quia res alienas non tulistis; sed, quia de rebus vestris eleemosynas erogastis. Sicut & ipsis à sinistris positis non erit dicturus, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, quia fraudem fecistis, sed quia de substantia vestra pauperibus non dedistis. Rogo vos, Fratres, diligenter sententiam istam adtendite; & sicut vos admonui, etiam memoriter retinete. Si in ignem mittitur qui pauperibus substantiam suam non dedit; putas ubi mittendus erit qui per quaslibet fraudes res alienas invasit? Si in ignem mittitur qui non vestivit nudum; vos videte ubi mittendus erit qui exspoliavit vestitum? Ille ergo qui credit quòd illi sufficiat malum non fecisse, etiamsi bona non fecerit; vellem ut mihi diceret, si sibi hoc vult à servo suo, quod ipse facit Domino suo? Numquid enim vult ut ei servus suus nec bonum faciat omnino nec malum? Omnes enim hoc volumus, ut servi nostri non solùm non faciant mala quæ prohibemus, sed etiam impleant opera quæ eis jubemus. Quamvis enim servus tuus graviter reus sit, si animalia tua furto abstulerit; tamen nec ille sine culpa erit, qui animalia illa negligenter servare voluerit. Non est justum ut faciamus Domino nostro, quod fieri nolumus à servo nostro. Servos enim nostros nec fecimus, nec quasi de nostra substantia pascimus; & nos enim & ipsos Deus noster creavit & pascit: & tamen servi, quos ipsi non fecimus, ut nobis cum grandi diligentia serviant volumus. Unde justum est ut agnoscamus legitimum Dominum, qui sic exercemus in subditis dominatum. Hoc totum, Fratres, ideo diximus, ut de ipsis servis nostris possimus agnoscere, quòd nobis non sufficiat mala non facere, si bona noluerimus implere.

An in judicio securus futurus sit qui aliena non tulit. Matt. 25. 31. &c. * V. Cæsar. hom. 24. & suprà Serm. 77. n. 5. & 78. n. 3.

3. Illi enim qui sibi putant sufficere si mala non fecerint, solent & hoc dicere, Utinam in diem mortis talis merear inveniri, qualis de baptismi sacramento processi. Bonum quidem est ut unusquisque in die judicii purgatus inveniatur ab omnibus malis: sed grave malum est, si profectum non habuerit in operibus bonis. Ipsi enim soli sufficit talem esse qualis de baptismi sacramento processit, qui statim post acceptum baptismum de hac luce migraverit; non habuit spatium in quo se bonis operibus exerceret: ille verò qui & longum tempus vivendi, & ætatem posse bene operandi habuit, non ei sufficit otiosum esse à malis, si etiam à bonis voluerit esse otiosus. Vellem ut mihi diceret ille, qui talis vult in transitu suo inveniri, qualis fuit eo tempore quo baptismi meruit sacramenta suscipere. (Licèt bonum est ut sit semper purgatus à malis, sed grave malum si non proficiat in bonis.) Si plantavit novellam in agro suo vineam; utrùm velit eam post decem annos talem esse, qualis fuit illa die quando plantata est. Si inseruit olivetum, videamus si ei placeat ut post plures annos tale sit, quale fuit quando insertum est. Si illi natus est filius, consideret si hoc vult, ut post annos quinque in ea qua natus est modicitate infantiæ atque ætate perduret. Cùm ergo nullus sit cui hoc placeat de rebus suis; quomodo dolet aliquis de vinea & oliveto vel filio si nullum augmentum habuerint, sic doleat si se ipsum, ex eo tempore quo in Christo renatus est, nihil profecisse cognoverit. Certissimè enim nosse debemus, quia quomodo volumus ut quidquid ad nos pertinet, sive in gregibus, sive in quibuscumque agrorum fructibus, in omni bono crescant atque proficiant; hoc sine dubio & Deus noster de nobis desiderat & exspectat. Populus ergo Christianus quasi propria & peculiaris novella tua uvas potiùs afferat quàm spinas: ne de ea dicatur ita, sicut in Cantico sæpe cantastis; *Vineam*, inquit, *plantavi, & exspectavi ut faceret uvas; fecit autem labruscas.* Sed quia, sicut dicit Apostolus, cùm essemus oleastri, inserti sumus in bonam olivam; ita cum Dei adjutorio bonis operibus insistere debemus, ut cum Propheta possimus dicere, *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei mei.*

An justè sequis optet talem in die mortis, qualis erat in die baptismi. Exemplis illustratur. Isai. 5. 2. Rom. 11. 24. Psal. 51. 10.

4. Et ideo per ea quæ suprà suggessimus, rogo vos, Fratres, ut nullus ex vobis credat quòd ei solùm hoc sufficiat si opera mala non fecerit; sed quantis potest viribus sic divertat à malo, ut faciat bonum, & audiat Dominum dicentem in Evangelio, *Quid prodest quòd dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* & illud, *Si diligitis me, mandata mea servate.* Quæ autem sunt quæ in Evangelio facienda præceperit Christus, Deo propitio bene nostis. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, bene facite eis qui vos oderunt, ut sitis filii Patris vestri*: & iterum, *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* De qua re audiamus & beatum Jacobum libera voce clamantem, *Sicut enim corpus sine anima mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Totis ergo viribus, Fratres carissimi, quod bonum est operemur; nec nobis sufficiat si tales sumus, quales fuimus eo tempore quo baptismi sacramenta accepimus. * Per baptismum enim vacuati sumus ab omnibus malis; sed Dei gratiâ bene agendo debemus repleri omnibus bonis: ne fortè si sine operibus bonis de solius baptismi sacramento confidimus, spiritus immundus, qui de nobis per gratiam Christi expulsus est, revertatur; & si nos à bonis operibus invenerit vacuos, adducat secum septem spiritus nequiores se, & sint novissima nostra pejora prioribus. Hæc ergo, Fratres carissimi, si secundùm sanctam vestram consuetudinem libenter accipitis & adtentiùs cogitatis, non de sola fide sed etiam & de bonis operibus confidentes, à malis actibus ita abstinere poteritis, ut Christo auxiliante

Recapitulatio. Johan. 14. 15. Matth. 5. 44. Luc. 11. 41. Jac. 2. 26. * Sic Serm. 16. n. 4. & 37. n. 8.

Classis IV.

Matth. 25. 34.

in operibus bonis vos jugiter exerceatis: ut illam beatam & desiderabilem vocem cum exsultatione & gaudio feliciter audire mereamini, *Venite benedicti; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*: quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula &c.

SERMO CCLXIV.

Expositio fidei, & interpretatio nominis ejus.

Cæsario in pluribus MSS. tribuitur, estque ex homiliis à Stephano Baluzio ipsius nomine vulgatis duodecima.

Cæsarii Serm. LXV.
Fidei laudes ab omnibus celebrantur.

1. IN omnibus divinis lectionibus, Fratres carissimi, fides multis præconiis collaudatur; quam non solùm divinæ Scripturæ, sed etiam totum genus humanum laudare non cessat. Atque utinam quomodo laudatur linguâ, sic laudaretur & vitâ; quomodo prædicatur ex ore, sic & teneatur ex corde; & quomodo labiis promittitur, sic operibus impleatur. Tanta enim est virtus fidei, ut etiam illi eam laudare præsumant, qui eam servare dissimulant. Et verè meritò laudatur fides, sine qua nihil umquam boni operis inchoatur atque perficitur, secundùm illud quod scriptum est, *Sine fide impossibile est quemquam placere Deo.* (Hebr. 11. 6.) De ipsa enim ex persona Christi & Ecclesiæ dicitur, *Veni proxima mea ab initio fidei.* (Cant. 4. 8. Sec. LXX.) Ipsam etiam beatus apostolus Paulus, in illo catalogo ubi omnes antiquos sanctos collaudavit, per singulos commendavit dicens, Fide Abel, fide Enoch, fide Noë, fide Abraham placuerunt Deo &c. (Hebr. 11.) De hac etiam ipse Dominus in Evangelio dixit, *Fides tua te salvum fecit*: & illud, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare & transplantare, & fiet vobis.* (Lucæ 17. 20. Matth. 17. 19.) Cùm ergo tantis laudibus bonum fidei prædicetur, à multis tamen nominis ejus proprietas ignoratur. Fides enim à fit, id est, ab eo quòd fiat, nomen accepit; quia in ipsa omnium non solùm divinarum, sed etiam humanarum rerum firmitas continetur. Unde quibuslibet verbis etiamsi cum multis juramentis dicat se aliquis fidem habere, si id quod se dicit credere verbis, implere noluerit factis, non est fides; quia, sicut dixi, fides à fit nomen accepit.

Fides à fit nuncupatur.

Ut integra sit, credatur & quod promittit & quod minatur Deus.

2. Videamus quid sit quod debeat facere, qui fidem vult integram custodire: hoc sine dubio in quo fundamentum Christianæ religionis firmissimè continetur; ut & quod promittit Deus & quod minatur, toto corde verum esse confidat. Tunc enim & nomen fidei intelligere, & virtutem ejus pleniùs poterit agnoscere, si ista duo sibi ante oculos suos proponat, id est, præmium vitæ æternæ, & supplicium pœnæ perpetuæ. Et quia unum credere, & de alio dubitare nihil prodest; cum grandi diligentia unusquisque interroget cor suum, si utrumque fideliter credit: & si in istis duabus rebus veram fidem se habere cognoverit, corde firmissimo retinens, quòd & justi post bona opera accepturi sint gloriam, & injusti post mala perpetuam passuri sint pœnam, cùm hæc fideliter crediderit, si toto animo contendit bona opera facere per quæ possit ad præmium pervenire, & mala non agere ut pœnam possit evadere, fidem rectam se tenere congaudeat, & Deo gratias agat, & cum ipsius adjutorio in ipso opere perseverare contendat. Hæc ergo, Fratres, si diligenter vultis adtendere, & nomen fidei & virtutem ejus pleniùs poteritis agnoscere. Et quia fides à fit, sicut superiùs dixi, nomen accepit, si te * meliùs dicas fidem habere, & quod verbis promittis, operibus implere nolueris, penitus non est fides. Et si te asseras credere præmium quod promittit Deus, & supplicium quod minatur; & tamen, ut sæpe jam dictum est, agere nolueris ut pœnam perpetuam possis evadere, & ad præmia æterna pervenire, omnino non est in te fides: & non solùm te nihil adjuvat, quòd te verbis fidelem dicis, sed & multùm tibi etiam nocet; quia melius est cuiquam non promittere, quàm quæ promiserit implere non velle. Solum enim nomen fidei te liberare non poterit: quin potiùs, sicut jam dictum est, inde dupliciter reus eris; quia quod verbis promisisti implere noluisti; & clamat tibi per Jacobum Spiritus-sanctus, *Fides sine operibus mortua est.* (Jac. 2. 26.)

Ut sit vera, agendum unde & hoc caveatur, & illud adquiratur.
* f. millies.

Ideo quæ præsertim in baptismo promissa sunt implenda.

3. Et licèt totum quidquid homo promiserit, si potest, debeat operibus adimplere; illam tamen primam & præclaram promissionem, quam eo tempore quo in baptismo renascimur, Deo promittimus, specialiter cum ipsius adjutorio servare debemus. Interrogamur enim in baptismo, utrùm abrenuntiemus diabolo, pompis & operibus ejus: & abrenuntiaturos nos voce libera respondemus. Quod quia infantes per se minimè profiteri possunt, parentes ipsorum pro eis fidejussores exsistunt. Si ergo hoc quod primum est, & in quo fundamentum Christianæ religionis consistit, fideliter conservamus; certum est quòd reliqua cum ipsius adjutorio implere poterimus. Si verè hoc quod Deo promittimus, implere negligimus; nescio si illam fidem quæ inter homines agitur servare possimus. Si enim homini cuilibet potestatem habenti periculosè aliquid promittimus, si hoc implere negligamus; quantùm periculosius est Deo promittere, & non reddere? Sed hominem ideo veremur, quia aut mortem aut damnum corporis expavescimus; Deo ideo reddere dissimulamus quod promittimus, quia mortem animæ omnimodis non timemus. Et ubi est illud Evangelicum, *Nolite timere eos qui occidunt corpus; sed potiùs eum timete qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam?* (Matth. 10. 28.) Fiat ergo in primis quod Deo promittitur; ut id quod hominibus promissum fuerit impleatur. Consideret unusquisque conscientiam suam; & si se implesse viderit quod promisit, abrenuntiasse diabolo & pompis illius non solùm verbis, sed etiam & operibus recognoscat; fidem integram se servasse congaudeat. Sic tamen * sit securus de præteritis, ut sit sollicitus de futuris: quia non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. 10. 22.) Sed ne fortè aliquis credat, quòd fides per capitalia tantùm crimina frangi possit, quid interest utrùm se majori an minori gladio unusquisque percutiens interficiat? Qui hoc dicit, adtendat etiam de otioso sermone fidem periclitari posse, de quo Dominus in die judicii rationem dixit esse reddendam: & illud, *Qui dixerit fratri suo, Racha sive Fatue, reus erit gehennæ ignis.* (Matth. 5. 22.)

Serm. de Diversis.

Hic nemo sit securus.
* Cæsar epist. ad quosdam Germanos.

Fides etiam de otioso sermone periclitatur.

4. Consideret ergo unusquisque, sicut jam dictum est, quod in baptismi sacramento promisit. Et quia pactum cum Domino fecit, videat si id ex nulla parte violavit. Quando enim interrogatus est, Abrenuntias diabolo, pompis & operibus ejus? tunc ei sacerdos subscribendum pactum obtulit. Quando autem respondit, Abrenuntio, tunc subscripsit. Si ergo, sicut jam suprà dictum est, quod Deo promisimus non implemus, nescio si hominibus fidem servare possimus. Promisimus enim nos abrenuntiaturos diabolo, pompis & operibus ejus. Quæ autem sunt pompæ diaboli propè nullus ignorat: tamen ex parte aliqua dicere nobis necesse est. Omnia spectacula vel furiosa vel cruenta, vel turpia, pompæ diaboli sunt. Gulæ vel ebrietati servire, libidini vel luxuriæ infelicem animam subjugare, ad pompam diaboli certum est pertinere; quia in talibus actibus illius voluptas impletur. De adulteriis verò vel homicidiis, rapinis vel testimoniis falsis quid opus est ut dicantur ad pompam vel ad opera diaboli pertinere; cùm hoc nullus possit hominum ignorare? Nam & * auguria observare, & præcantatores adhibere, & caragios sortilegos inquirere, totum hoc ad pompam vel ad opera diaboli non est dubium pertinere. Et ideo quia pauci inveniri possunt, qui se ex his omnibus liberos esse congaudeant; unusquisque, sicut jam dixi, recurrat ad conscientiam suam: & dum adhuc anima ejus in hoc corpusculo continetur, quidquid in se de supradictis malis aut fuisse aut esse cognoscit, per pænitentiam & eleemosynam & præcipuè per indulgentiam inimicorum suorum redimere vel emendare festinet; & sic cum Dei adjutorio præterita vulnera studeat curare, ut numquam postea unde iterum vulnerari possit præsumat admittere.

Pompæ diaboli.

* V. dicenda ad serm. subsequent.

Fides sine operibus.

5. Nec se inaniter circumveniat dicens, Credo de Dei misericordia quòd numquam peritura sit fides vel baptismus meus quem accepi. Bene credis, si fecisti quod promisisti. Si pactum quod cum Domino inieras conservasti, securus esto, quia non peribit nec fides nec baptismus tuus. Si verò quod verbis promisisti, operibus implere dissimulasti; qua fronte vel qua conscientia scis quòd non perierit baptismus tuus, cùm non custodieris pactum? Audi Dominum dicentem, *Quid prodest quòd dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* & iterum, *Qui habet mandata mea, & facit ea, ipse est qui diligit me*: & iterum, *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum; sed qui fa-* (Johan. 14. 16. Matth. 7. 21.)

ciunt voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Diligenter attendite, quia secundùm suprà scriptas sententias nihil prodest homini quòd se fidem habere dicit, si quod verbis promittit, operibus implere neglexerit; secundùm illud Scripturæ, *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Multò melius est non vovere quàm post votum promissa non reddere.* Et ut hæc etiam erga nos vel famulos nostros possimus agnoscere evidenter, dicat mihi aliquis si ei sufficit ut eum servus suus totâ die dominum dicat esse, & multis eum laudibus prædicare non desinat; & tamen opera quæ jusserit implere dissimulet. Si ergo nobis sine operibus verba non placent, quantò magis apud Deum fides sine operibus prodesse non poterit? Ante omnia timendum est, ne se aliquis sic credat accepturum Dei misericordiam, ut non expavescat justitiam: quam rem si fecerit, non est fides. Et iterum si sic expavescit justitiam, ut desperet de misericordia, non est fides. Et ideo quia Deus non solùm misericors, sed & justus est, utrumque credamus; * nec justitiam metuentes, de misericordia desperemus; nec sic amemus misericordiam, ut justitiam negligamus. Ergo nec malè sperandum est, nec malè desperandum. *Malè sperat qui se sine pænitentia & bonis operibus putat promereri misericordiam: & malè desperat, si post bona opera non se credit recepturum esse misericordiam. Unde ante omnia considerandum est & timendum, ne nobis sine bonis operibus credamus fidem posse sufficere. Sed timeamus illud Jacobi apostoli, *Sicut corpus sine anima mortuum est, ita fides sine operibus mortua est*: & illud, *Tu*, inquit, *credis quia Deus unus est? Bene facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt.* Videte Fratres, quia qui credit & non facit, dæmonum credulitatem eum Apostolus habere dixit. Si enim qui credit & non facit, dæmonibus similis dicitur; qui non credit, quam spem habeat vestrûm est judicare. Quia dæmones credunt esse Deum, & non faciunt quæ jubet Deus; iste in eo probatur non credere, quia quod verbis videtur promittere, non vult operibus adimplere.

Eccle. 5. 3. & 4. — Desperanti aut præsumenti non est fides. — * Sic Serm. 29. n. 3. — * Ita Serm. 257. n. 4. & 279. n. 7. — Jac. 2. 26. — Ibidem 19.

6. Et ut pleniùs opera fidei & virtutem ejus possitis agnoscere, breviter Caritati Vestræ volo suggerere. Tota enim virtus fidei in duabus rebus videtur consistere. Una sæpe jam dicta est, ut certissimè credamus verum esse quod promittit Deus; alia, ut apud nos diffinitum sit, non esse falsum quod minatur Deus. Si enim toto corde & toto animo credis, te post bona opera accepturum præmium quod promittitur; similiter absque ulla hæsitatione, si mala opera egeris, credis te sine fine passurum esse supplicium: agnosce te fidem integram retinere; ea tamen conditione, ut quod corde credis, operibus impleas, & sine aliqua mora divertas à malo, & facias bonum. In eo quòd divertis à malo, credis esse supplicium; in eo quòd facis bonum, credis te perventurum ad præmium. Scito tamen nihil tibi prodesse si unam rem volueris credere, & de alia dubitare. Illi enim prodest quòd divertit à malo, qui statim fecerit bonum; & illi prodest quòd facit bonum, qui ad integrum divertit à malo. Hoc ideo dixi, quia multi sunt qui de rapinis & fraudibus videntur eleemosynam dare; & tamen ab ipsis malis non volunt desinere. Vobis enim, Fratres carissimi, tunc, sicut jam dixi, prodest quòd malum non facitis, si id quod Deo placere nostis impleveritis. Et tunc de bonis operibus vestris mercedem vobis reddendam poteritis fideliter credere, quando vos cum Dei adjutorio cœperitis ad integrum à malis actibus abstinere. Nam si & bona simul & mala opera facere vultis, quid prodest ex una parte ædificare, ex alia verò destruere; & unum exspoliare, alium verò vestire? Istis talibus clamat in Evangelio Dominus, *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos; aut facite arborem malam, & fructus ejus malos*: & Salomon, *Sicut canis odibilis est quando redit ad vomitum suum; ita & peccator, quando revertitur ad peccatum suum*: & Propheta, *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis*: & illud, *Nemo potest duobus dominis servire.* Ergo, sicut jam sæpius suprà suggessimus, quia fides à fit, id est, ab eo quòd fiat, nomen accepit, & ipse se fiducialiter dicit credere, qui quod se credere dixerit, implere operibus voluerit; &, sicut jam dictum est, ipsa est tota virtus fidei ut credamus utrumque esse, quod promittit

Recapitulatio. — Matth. 12. 33. — Prov. 26. 11. — Eccli. 2. 14. — Matth. 6. 24.

A Deus, & quod minatur; ac si volumus ut in nobis perfecta fides maneat, & timentes supplicium, opera mala non faciamus, & desiderantes præmium, ea quæ bona sunt agere totis viribus laboremus: ut non cum incredulis & impiis æternum cogamur supplicium sustinere; sed cum fidelibus & in bonis operibus perseverantibus ad perpetuum regnum valeamus pervenire. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CCLXV.

* Aliàs de Tempore 215.

B *De Christiano nomine cum operibus non christianis.*

In Appendice nunc primùm collocatur. In Lovaniensium editione dubius, Verlini & Vindingi sententiâ spurius est. Stilus & res apprime conveniunt Cæsario, à quo Prædicationes contra ebrietatis & libidinis malum, contraque discordiam & odium, contra iracundiam atque sacrilegos & haruspices, contra Kalendarum quoque paganissimos ritus, contraque augures, lignicolas, fonticolas, diversorumque vitia *factas, in ejus vita legimus, quæ populis in Ecclesia legendæ per diversas provincias circumferebantur. Ex his Concionibus plura translata sunt in Tractatum* de rectitudine Catholicæ conversationis, *& in alios quosdam Sermones Eligii nomine publicatos.*

C 1. ROGO vos, Fratres carissimi, ut attentiùs cogitemus quare Christiani sumus, & crucem Christi in fronte portamus. Scire enim debemus, quia non nobis sufficit quòd nomen Christianum accepimus, si opera Christiana non fecerimus: sicut ipse Dominus in Evangelio dixit, *Quid prodest quòd dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Si te militem Christianum dicas, & jugiter cruce Christi te signes, & eleemosynam secundùm vires tuas non feceris, caritatem & justitiam vel castitatem habere nolueris; nihil tibi prodesse poterit Christianum nomen. MAGNA RES EST SIGNUM CHRISTI & crux Christi: & ideo de isto tam pretioso signaculo res magna & pretiosa signari debet. D Quid enim prodest si de annulo aureo sigillum facias; & putridas paleas intus recondas? Quid prodest si signum Christi in fronte & in ore gestamus; & intus in anima crimina & peccata recondimus? Qui enim malè cogitat, malè loquitur, malè operatur, si se emendare noluerit, quando se signat, peccatum illius non minuitur, sed augetur. Multi enim dum ad furtum aut ad adulterium vadunt, si pedem impegerint, signant se, & tamen de malo opere non revocant se: & nesciunt miseri, quia * includunt in se magis dæmones quàm excludunt. Qui autem à se cum Dei adjutorio vitia & peccata repellit, & E quod bonum est cogitare simul & implere contenderit; justè signum crucis labiis suis apponit: quia talia opera conatur agere, quæ signum Christi mereantur accipere. Et quia scriptum est, *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute*: & iterum, *Fides sine operibus mortua est*: ut nomen Christianum * non ad judicium sed ad remedium habeamus, convertamus nos ad opera bona, dum in nostra sunt potestate remedia.

CÆSARII Serm. LXVI. — Christianum nomen non sufficit. — Signum Christi. — Quis ad perniciem eo se signet. — * V. Serm. 233. n. 4. — Cui prosit. — 1. Cor. 4. 20. — Jac. 2. 26. — * V. Serm. 115. n. 1. & 116. n. 1.

2. Et ut hæc, Deo auxiliante, possitis implere, pacem & ipsi habete, & eos qui discordes sunt ad concordiam revocate. Mendacium fugite, perjurium velut mortem perpetuam nolite facere. Ante omnia, sicut jam suprà F dictum est, secundùm vires eleemosynam pauperibus exhibete, oblationes quæ in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo * idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. Qui possunt, aut cereolos aut oleum quod in [a] cicindilibus mittatur, exhibeant. Symbolum vel orationem Dominicam & ipsi tenete, & filiis vestris ostendite. Nam nescio qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo vel in oratione Dominica parare dissimulat. Filios quos in baptismo excipitis, * scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum exstitisse. Et ideo tam illos qui de vobis nati sunt, quàm illos quos de fonte excipitis, semper castigate atque corrigite, ut G castè & justè & sobriè vivant. Et vos ipsi ita agite; ut si vos filii vestri imitari voluerint, non vobiscum in igne ardeant, sed simul vobiscum ad præmia æterna perveniant. Qui caussas audiunt, justè judicent: nec munera super innocentes accipiant, quia munera excæcant corda sapientium, & immutant verba justorum; ne fortè dum adquirunt pecuniam, perdant animam suam. * Nemo

Officiũ Christiani. — * Hac voce & in eo sensu utitur Cæsar. hom. 21. & 22. — Patris-familiâs. — * Infrà Serm. 167. n. 5. & suprà Serm. 168. n. 3. — Judicis. — * V. Ser. 21. n. 8. & 226. n. 1.

[a] Cicindile propriè lampyris; Gallicè ver luisant. Quæ vox inde ad lychnum pensilem translata est.

CLASSIS IV.

enim habet injustum lucrum sine justo damno. Ubi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia. Nullus se inebriet, nemo in convivio suo cogat alium ampliùs bibere quàm oportet; ne per ebrietatem & suam & illius animam perdat.

Dominico die. * Infrà Serm. 281. n. 4.

3. Omni die Dominico ad ecclesiam convenite. Si enim * infelices Judæi tanta devotione celebrant sabbatum, ut in eo nulla opera terrena exerceant: quantò magis Christiani in die Dominico soli Deo vacare, & pro animæ suæ salute debent ad ecclesiam convenire? Quando ad ecclesiam convenitis, pro peccatis vestris orate. Nolite rixas committere, nolite lites & scandala concitare: qui ad ecclesiam veniens hæc fecerit, ibi se litigando vulnerat, ubi se orando sanare potuerat. * In ecclesia stantes nolite verbosari, sed lectiones divinas patienter audite. Qui enim in ecclesia verbosari voluerit, & pro se & pro aliis redditurus est rationem, dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit. Et decimas de fructibus vestris ecclesiis reddite. * Qui fuit superbus, sit humilis; qui erat adulter sit castus; qui solebat furtum facere vel res alienas invadere, etiam de propria substantia incipiat pauperibus erogare. Qui fuit invidus, sit bonivolus. Qui fecit injuriam, citò veniam petat; cui injuria facta est, citò dimittat. Quotiens aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat: & inde corpusculum suum unguat; ut illud quod scriptum est impleatur in eo, *Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent super eum unguentes eum oleo, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Videte, Fratres, quia qui in infirmitate ad ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cùm ergo duplicia bona possint in ecclesia inveniri, quare per [a] præcantatores, per fontes & arbores & diabolica phylacteria, per characteres & haruspices & divinos vel sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre?

In ecclesiis. — * V. Cæsar. homil. 33. & 34. — * V. Ser. 17. n. 3. — In morbis. — Jac. 5. 14. & 15. — Unctionis extremæ effectus.

4. Sicut jam suprà diximus, filios & omnes familias vestras admonete, Fratres, semper, ut castè & justè ac salubriter vivant: nec solùm eos verbis, sed etiam exemplis ad bona opera provocate. Ante omnia ubicumque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, sive in consessu, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro proferre: sed magis vicinos & proximos vestros jugiter admonete, ut semper quod bonum est & honestum loqui studeant; ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in sanctis festivitatibus choros ducendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo de lingua sua, unde debuerant Deum laudare, inde sibi vulnera videantur infligere. Isti enim infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas basilicas Sanctorum exercere nec metuunt nec erubescunt, etsi Christiani ad ecclesiam venerint, Pagani de ecclesia revertuntur; quia ista consuetudo balandi de Paganorum observatione remansit. Et jam videte qualis est ille Christianus, qui ad ecclesiam venit orare, & neglecta oratione, sacrilega verba Paganorum non erubescit ex ore proferre. Videte tamen, Fratres carissimi;* si justum est ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum diaboli proferatur? Ante omnia quidquid vultis vobis ab aliis fieri, hoc aliis facite: quod vobis ab aliis non vultis fieri, nulli alii feceritis. Quam rem si volueritis implere; ab omni peccato potestis vestras animas liberare: quia & qui litteras non novit, istas duas sententias memoriter teneat, & cum Dei adjutorio operibus & potest & debet implere.

In colloquiis. — Balationes ante basilicas Sanctorum. — * Infrà Serm. 277. n. 4.

5. Et licèt credam quòd illa infelix consuetudo, quæ de Paganorum profana observatione remansit, jam nobis castigantibus & de locis istis fuerit, Deo inspirante, sublata; tamen si adhuc agnoscatis aliquos illam sordidissimam turpitudinem de * hinnicula vel cervula exercere, ita durissimè castigate, ut eos pœniteat rem sacrilegam commisisse. Et si, quando luna obscuratur, adhuc aliquos clamare cognoscitis, & ipsos admonete denuntiantes eis quòd grave sibi peccatum faciunt, quando lunam, quæ Deo jubente certis temporibus obscuratur, clamoribus

* V. Serm. 129. n. 3. Ethnicarum superstitionum reliquiæ. — * f. anicula. V. Serm. 129. n. 2. & 130. n. 1. & 2. cum notis.

A suis à maleficiis sacrilego ausu se defensare posse confidunt. Et si adhuc videtis aliquos ad fontes aut ad arbores vota reddere, &, sicut jam dictum est, sortilegos etiam & divinos vel præcantatores inquirere, phylacteria etiam diabolica & characteres, aut herbas, vel succos sibi aut suis appendere; durissimè tanta eorum peccata increpantes dicite, * quia quicumque fecerit hoc malum, perdit baptismi sacramentum. Et quia audivimus, quòd aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumveniat, ut quintâ feriâ nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium; coram Deo & sanctis Angelis ejus contestamur, B * quia quicumque hoc observare voluerint, nisi per prolixam & duram pænitentiam tale sacrilegium emendaverint, ubi arsurus est diabolus, ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices & miseri, qui in honore Jovis in quinta feria opera non faciunt, non dubito quòd ipsa opera die Dominico facere nec erubescunt nec metuunt. Et ideo * quoscumque tales esse cognoveritis, durissimè castigate: &, si emendare noluerint, nec ad colloquium nec ad convivium vestrum eos venire permittite. Si verò ad vos pertinent, etiam flagellis cædite; ut * vel plagam corporis timeant, qui de animæ suæ salute non cogitant. Nos enim, Fratres carissimi, cogitantes periculum ve- C strum, paterna vos sollicitudine admonemus. * Si nos libenter auditis, & nobis facietis gaudium, & vos feliciter pervenietis ad regnum. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERM. DE DIVERSIS. — * Ita Serm. 278. n. 1. Superstitio in feria quinta. — * V. Serm. 130. n. 4. — * V. Ser. 288. n. 2. — * Infrà Ser. 277. n. 4. — * Cæsarius homil. 33.

* SERMO CCLXVI.

* Aliàs de Tempore 216.

Quales sint Christiani boni, & quales mali.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses: rejiciunt ut falsum Verlinus & Vindingus. Inter Ambrosianos reperitur 58. de Adscensione: ibique aliquo ad finem additamento auctior est, in exordio autem nonnisi uno aut altero verbo tenus variat, incipiens, Laudemus Dominum, Fratres carissimi, & gratias agamus *&c. Ejusdem certe auctoris est, cujus Sermo superior, Cæsarii nimirum Arelatensis.* D

1. GAUDEMUS, Fratres carissimi, & * Deo gratias agimus, quia vos secundùm desideria nostra incolumes invenire meruimus. Et verè, Fratres, justè & meritò pater gaudet, quotiens filios suos & corpore sanos & in Dei timore devotos invenerit. Et quia tàm de vestra quàm de nostra salute duplicatum nobis gaudium nunc pietas divina concessit, quod ad profectum animarum vestrarum pertinet, debemus Caritati Vestræ sugge- E rere. Oportet, Fratres carissimi, ut tota mentis intentione inquirere vel intelligere studeamus, quare Christiani sumus, & quare crucem Christi in fronte portamus. Agnoscite & intelligite, Fratres, quòd non ideo Christiani facti sumus, ut de ista tantummodo vita solliciti simus, sicut dicit Apostolus: *Si enim in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* * Qui enim non cogitat nisi de ista tantummodo vita, animalibus & pecoribus similis est. Quid enim quærunt animalia, nisi manducare & bibere, luxuriari atque dormire? Tales sunt qui plus cogitant de carne sua quàm de anima; qui plus diligunt gulam ac luxuriam, F quàm castitatem atque justitiam. Scire debetis, Fratres carissimi, quia ideo Christiani facti sumus, ut semper de futuro sæculo, & de æterna beatitudine cogitemus; & plus pro anima quàm pro corpore laboremus: quia caro nostra paucis annis erit in mundo; anima autem nostra, si bene agimus, sine fine regnabit in cælo. Si verò, quod Deus non patiatur, & mala opera exerceamus, & plus pro carnis luxuria quàm pro salute animæ laboremus; timeo ne quando boni Christiani cum Angelis accipiunt vitam æternam, nos, quod absit, præcipitemur in gehennam.

CÆSARII Ser. LXVII. — * V. Cæsar. initio homil. 20. — Quare Christiani simus. — 1. Cor. 15. 16. — * V. Serm. 141. n. 4. Cujus tota cogitatio de hac vita, bestiis est similis.

2. Non nobis sufficit, Fratres, quòd Christianum no- G men accepimus, si opera Christiana non fecerimus. Illi enim prodest, quòd Christianus dicitur, qui castitatem diligit, ebrietatem fugit, superbiam detestatur, invidiam velut venenum diaboli respuit. Ille verè Christianus est, qui furtum non facit, qui falsum testimonium non dicit,

Quis verò Christianus.

[a] Hæc in Sermonibus sequentibus sæpius reprehenduntur vitia, quibus *fidem catholicæ religionis maximè infestari*, dicit Concil. Agathense can. 42. & eorum reos *ab Ecclesia haberi extraneos statuit.* De iisdem Concil. Autissiodorense can. 4. *Non licèt ad sortilegos vel ad auguria respicere non ad caragios, nec ad sortes, quas Sanctorum vocant*, &c. & can. 3. *Non licèt compensos in domibus propriis nec pervigilias in festivitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes, aut arbores sacrivos vel ad fontes vota exsolvere.* Insignis est etiam ea de re canon. 21. Concil. 2. Turon.

Classis IV.

Decimæ.

qui nec mentitur nec perjurat, qui adulterium non committit, qui ad ecclesiam frequentiùs venit, qui de fructibus suis non gustat, nisi priùs ex ipsis Deo aliquid offerat, qui decimas annis singulis erogandas pauperibus reddit, qui sacerdotibus suis honorem impendit, qui omnes homines sicut se ipsum diligit, qui nullum hominem odio habet. Ille verò non solùm Christianus est; sed & ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolosas & mensuras duplices velut gladium diaboli pertimescit. Ille bonus Christianus est, qui quàndo ad ecclesiam venit, & oblationes quæ in altario mittantur exhibet, & pauperibus secundùm quòd vires habet argentum porrigit aut buccellam: qui peregrinos in domum suam excipit, qui hospitibus pedes lavat, qui non solùm lites non concitat, sed etiam discordes ad concordiam revocat: qui majoribus & parentibus honorem & amorem veræ caritatis impendit, qui & ipse castè vivit, & filios vel vicinos suos ut castè & sobriè vivant, & verbis admonet & exemplis docet. Ille bonus Christianus est, qui * quotiens sanctæ sollemnitates veniunt, ut securiùs communicet, ante plures dies castitatem cum propria uxore custodit; ut sincerâ & securâ conscientiâ ad altare Domini casto corpore & mundo corde præsumat accedere: qui Symbolum & orationem Dominicam memoriter tenet, & filios vel filias suas, ut & ipsi teneant, fideliter docet.

* V. Serm. 115. n. 6. 142. n. 7. & 277. n. 4.

3. Ecce audistis, Fratres, quales sint Christiani boni. Et ideo, quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus, ut nomen Christianum non sit falsum in nobis, * nec in nobis Christi sacramenta patiantur injuriam: sed semper opera Christiana & cogitemus in corde, & impleamus in opere. Nam ille Christianus qualis est, qui vix aliquando ad ecclesiam venit: & quando venerit non stat ut oret pro peccatis suis, sed aut * caussas dicit, aut lites & rixas concitat; &, si locum invenerit, usque ad vomitum bibit, & postquam se inebriaverit, surgit velut phreneticus & insanus balare diabolico more, saltare, verba turpia & amatoria vel luxuriosa cantare. Iste talis non dubitat furtum facere, adulterium non timet admittere, falsum testimonium dicere, maledicere, perjurare. Sive viri sive mulieres, qui talia opera faciunt, * non ad remedium, sed ad judicium, Christianum nomen & baptismi sacramenta suscipiunt; & nisi pænitentiam egerint, in æternum peribunt. Ecce, Fratres, ostendimus vobis quales sint Christiani boni, & quales sint mali. Et ideo quos bonos videtis, imitamini: quos verò malos cognoscitis, * castigate semper, increpate, corrigite; ut de profectu vestro & de illorum perfectione duplicem mercedem habere possitis. Qui ergo boni sunt, casti & sobrii, humiles & benigni, Deo auxiliante, perseverent in operibus bonis. Qui verò opera mala faciunt, citò se corrigant, antè quàm illorum animæ de hac luce discedant: quia si sine pænitentia mortui fuerint, non veniunt ad vitam, sed præcipitantur ad mortem. De qua pœna nos pius Dominus liberare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

* Ita Serm. 45. n. 3.

Quis Christiano indignus nomine.

* MS. Germ. fabulas.

* V. Ser. anteced. n. 1. 115. n. 1. 116. n. 1. & 142. n. 7.

* Infrà Serm. 295. n. 6. & suprà Serm. 130. n. 2.

* SERMO CCLXVII.

* Aliàs de Tempore 116.

Ad Competentes exhortatorius.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus erat dubius, spurius Verlino & Vindingo. Auctorem facilè deprehendes collatis Cæsarianis aliis Sermonibus.

Cæsarii Ser. LXVIII.

1. Hodie, Fratres carissimi, specialiter ad Competentes humilitatis nostræ sermo dirigitur. Et quamvis omnibus etiam fidelibus baptizatis admonitio nostra conveniat, & unusquisque qui de animæ suæ salute sollicitudinem gerit, unde proficere possit credimus quòd in ista humili suggestione nostra reperiat; peculiariter tamen eos qui nunc baptismi sacramenta desiderant, volumus admonere. Primùm ergo Competentes isti, quare hoc nomine vocentur, agnoscant. Competentes dicuntur simul petentes: quomodo consedentes nihil est aliud, nisi simul sedentes; & colloquentes nihil aliud est, nisi simul loquentes; concurrentes sine dubio non intelliguntur, nisi simul currentes: ita & Competentes non possunt aliud intelligi, nisi simul petentes. Ecce jam quare hoc nomen Competentes habeant, didicerunt: nunc verò isti qui simul petunt, debent scire quid petunt. Quid ergo petunt qui baptismi sacramenta desiderant? Quid utique, nisi ut qui erant vasa diaboli, mereantur effici vasa Christi? Totum in nobis spiritaliter impletur ministeriis Angelorum.

Competentes quasi simul petentes.

Quid petant.

2. Ideo rogo vos & commoneo, omnes Competentes, & contestor simul & annuntio, ut cum Dei adjutorio in istis diebus usque ad Pascha, diligenter perscrutemini conscientias vestras, ne fortè sit vel unus homo contra quem odium in corde teneatis. Si enim ille qui baptizandus est, iracundiam vel odium in corde reservat, nescio si in eo gratia divina proficiat. Dicturus est enim, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et si hoc in eo futurum est quod ipse orat; quid superest, nisi ut quomodo ipse dimiserit, sic ei justitia divina dimittat, secundùm illud quod Dominus ipse dixit, *Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis:* * ac sic qui non dimiserit, ipse contra se januam divinæ misericordiæ claudit, dicendo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* Primò ergo hoc specialiter Competentes adtendant, ne ullum hominem odio habeant. Secundò interrogent conscientias suas, & si alicui, ut evenire solet, * fecerunt injuriam, citò veniam petant. Tertiò si aut per furtum, aut per falsum testimonium, aut per aliquam calliditatem, aut per * stateras dolosas vel mensuras duplices cuicumque aliquid abstulerunt; si secundùm exemplum Zachæi non possunt in quadruplum, vel simplo restituant. Nam nescio qua fronte gratiam divinæ misericordiæ se credit posse accipere, qui res alienas, quas malè abstulit, dissimulat reformare.

Ad id obtinendum qui se præparent.

V. Serm. Append. 115. n. 4.

Matth. 6. 12.

Odium dimittant.

Luca 6. 37. & 38.

* Ita infrà Ser. 274. n. 2.

Matth. 6. 12.

* Serm. 265. n. 3.

* Serm. 68. n. 3. & 166. n. 1.

Injustè possessa restituant.

Luca 19. 8.

3. Sed fortè hoc etiam oportet Competentibus observari, ut si agnoscunt se, persuadente diabolo, furtum, homicidium, aut adulterium commisisse; aut si aliqua mulier Competens potiones diabolicas aliquandò ad aborsum accepit, & filios suos adhuc in utero positos, aut etiam natos occidit (quia satis grave peccatum est) pro omnibus his cum gemitu & compunctione Dei misericordiam quærant; & ad baptismi sacramenta per pænitentiam mundati perveniant. Et hoc ante omnia quicumque se has culpas habere vident, observent, ut castitatem & ante baptismum custodiant, & post baptismum non parvo tempore se à voluptate custodiant.

Pænitentiam pro delictis agant.

4. Venenum invidiæ fugiant; ne imitatores diaboli esse videantur, de quo scriptum est, *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem eum qui sunt ex parte illius.* Superbiam etiam, per quam ipse diabolus cecidit, vitare contendant: quia Christus quem sequi desiderant, mitis fuit & humilis corde; & satis timendum est illud quod scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Mendacium etiam de ore suo non proferant, propter illud quod scriptum est, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium:* & iterum, *Os quod mentitur, occidit animam.* Nec solùm à perjurio, sed etiam à juramento abstineant: quia non mentitur qui dixit, *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet de domo illius plaga.* * Vinum verò & istis diebus parum accipiant, & cùm dies Paschæ venerint, cum grandi se cautela à crapula vel ebrietate custodiant; ne fortè quod per sacramentum baptismi mundatum vel illuminatum fuit, si crapula subrepserit, per intemperantiam obscuretur. Et ideo etiamsi aliquis eos * per inimicam amicitiam ad bibendum cogere voluerit, omnino refugiant, & numquam penitus adquiescant; sed quod decet & expedit Christianis, in cibo vel in potu percipiant. Et quia omnes Competentes uterus matris Ecclesiæ, Christo inspirante, concepit, nihil injustum aut inhonestum exerceant; ne fortè malè agendo viscera materna concutiant, & ante legitimum partum velut aborsum eos mater sancta projiciat: sed magis omnes Competentes benigni sint, humiles, mansueti, sobrii; ut ad salutaris baptismi sacramentum ordine legitimo convenientes, de hædis convertantur ad agnos, * de sinistra transferantur ad dexteram, cum illis qui ad dexteram erunt, illam desiderabilem vocem feliciter audituri, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*

Quæ vitare debeant.

Sap. 2. 24.

Jacobi 4. 6.

Psal. 5. 7.

Sap. 1. 11.

Eccli. 23. 12.

* Idem dictū pænitentibus Serm. 261. n. 3.

* Infrà Ser. 294. n. 1.

Ne per abortum ab Ecclesia projiciantur.

* V. Ser. 10. n. 5.

Matth. 25. 34.

5. Si secundùm consuetudinem suam Caritas Vestra diligenter adtendat, agnoscere potestis admonitionem nostram, licèt ad Competentes dicta sit, posse tamen omnibus

CLASSIS IV. Susceptorum munus.

nibus baptizatis fidelibus convenire. Et ideo nos qui jam A ante multa tempora in Christo renati sumus, istis qui baptizandi sunt exemplum sanctæ conversationis in omnibus præbeamus; ut si nos imitari voluerint, non per latam & spatiosam viam trahantur ad mortem, sed per artam & angustam pervenire mereantur ad vitam. Et ideo non solùm exemplis, sed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis: præcipuè tamen qui filios aut filias excipere religioso amore desiderant, & antè quàm baptizentur, & postea quàm baptizati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate vel pace eos admonere vel docere non desinant, & * agnoscant se fidejussores esse ipsorum. Pro ipsis enim respondent, quòd abrenuntient diabolo, pompis & operibus ejus. B Et ideo tam illi qui excipiunt, quàm qui excipiuntur, id est, tam patres quàm filii, pactum, quod cum Christo in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant: nec umquam aliquid de diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant; ut Deo adjuvante, & illi qui filios suscipiunt, si castè & justè vixerint, & illi qui excipiuntur, si eos imitari voluerint, sicut credimus, pariter ad præmia æterna perveniant: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. C

* V. Serm. 264. n. 4.

Et susceptores & suscepti pa- ctum cum Christo ineant.

* SERMO CCLXVIII.

* Olim de verbis Domini 3. & post in Appendice 1.

De mandatis Dei servandis.

In plurimis quidem MSS. Augustino, in Corbeiensibus autem duobus melioris notæ Chrysostomo tribuitur.

In mandatis Dei servandis discipulus & doctor æquè consentiant.

1. Cum nobis pro officio competat dicere, vobis autem conveniat pro devotione audire; quid tam necessarium tamque pertinens poterit utrisque contingere, quàm ut quod religiosè dicitur, & devotè auditur, obsequiis competentibus teneatur? D Nam si religiosa non tacere, lucrum est, tacere dispendium; quantò itaque potiora lucra poterunt provenire, cùm operationis effectu monstratur, quidquid magisteriis cælestibus & discitur & tenetur? Par enim caussa & dicentem & audientem constringit, ut utriusque professio factorum testificatione signetur. Et quamvis dissimile sit doctoris discentisque officium; tamen utriusque par esse debet sanctarum legum obsequium: ut jungantur factis, qui separantur officiis; copulentur opere, qui diversi sunt nomine; E & quos vocabula ab invicem separant, eos observantia præceptorum fideliter ac devotè conjungat. Quare sic fit, ut utriusque diversus sit actus, sed observantiæ par sit necessarius in utrisque effectus: ut factorum in ambobus conspiret assensus, quibus diversus est in vocabulis sonus. In doctore enim molesta est caussa, dicere, nec facere; præcipere, nec observare: in discente verò audire velle quod nolit implere; aures quidem auditui accommodare, & ab opere voluntatem avertere. Ceterùm qui facit quod docet, & qui quod imperat complet, maximus in cælestibus sententiâ Domini declaratur. At verò qui quod discit negligit, & qui quod audit contemnit, salutis reus exsistit: quia observanda contemsit, & pericula non vitavit. F Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non servat; & horret vitam, qui peccata morti debita desperatâ mente frequentat. Ut enim per observantiam legis vita adquiritur; ita per contemtum mors à contumacibus invenitur, dicente Domino, *Si vis in vitam venire, serva mandata.* Ita enim perfectus doctor liber est à discente, quem docuit, ut discipulus contemtor inexcusatus erit, qui facienda didicit, & contemsit. Nam & doctor è contrario graviùs affligitur, & obsequentis discipuli exemplo plectitur, qui facienda aliis tradidit, quæ ipse non fecit; ut nec à discipulis quos docuit potuisset edìscere; ut quibus doctrinæ tradiderat magisterium, ab iisdem factorum mutuaretur exemplum. G Neque enim perfectio in legum est notitiâ constituta, cùm sit scriptum, *Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.* Neque enim, inquam, is religiosus & sanctus est, qui novit legem cessantibus factis; cùm expediat facere quàm docere nec facere; quia molestum est docere, & non facere.

Matth. 5. 19.

Hæc qui non servat horret vitam.

Matth. 19. 17.

Rom. 2. 13.

SERM. DE DIVERSIS.

2. *Vos amici mei estis*, inquit, *si feceritis quæ mando vobis.* O magna bonitas Dei, cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, famuli Deo, subjecti potenti, mancipia redemtori; amicitiarum nobis præmia repromittit, ut à nobis obsequia debita servitutis extorqueat: ut quos nolle servire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus invitare; & quorum voluntates à se conspicit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas! Nam unde frequenter aut invitat præmio, aut terret supplicio, nisi ut benignitatis consilio, à se formato homini consulat, redemto provideat; ut qui non terretur supplicio, invitetur præmio; & quem metus à peccato revocare non possit, promissionum benignitas possit? Cupit enim etiam [a] nocentibus subvenire: desiderat misereri peccantibus. Si quis peccaverit, dignos fructus exhibeat pænitentiæ. Invitus enim in reos vindicat, [b] si Dei indulgentiam miserentis contemnant. Amat enim corrigi peccatores, qui in vitam, non in mortem, à principio constituit homines. Ipse enim sibi infert interitum, qui medentis Domini contemnit consilium. *Revertimini*, inquit, *ad me, & revertar ad vos:* & iterum, *Nolo mortem morientis, tantùm revertatur & vivat.* Non vult Dominus in quemquam dominari mortem, non vult in pœnam deduci hominem, quem in vitam constituit. Ceterùm homo ipse se dignum efficit mortis, qui non paruerit legi. Odit vitam, qui divinam contemserit disciplinam. Nam cùm Dominus [c] quid vellet quidve nollet homini demonstraret; quæ observanti vitam, contemnenti afferunt mortem. Ita enim de contemtu vita non poterit provenire, ut de observantia mors evenire non poterit; ut jam homo quod voluerit mereatur, & ex eo quod meruerit judicetur: & hoc totum in voluntate hominis consistit, qui sibi ex qualitate vitæ meritum quod haberet invenit. Quare his sollicitè perpensis, id est, unde salus, & unde periculum enascatur, salutis commoda diligenti observantia teneamus, & periculorum incommoda de legis contemtu ut providi caveamus: ut dum tenentes prospera & repellentes adversa in conspectu Domini invenimur, ab ipso cum omnibus sanctis in æterna sæcula muneremur. Amen.

Johan. 15. 14. Benignitas Dei in hominem.

Quem minis ad se allicit & promissis.

a

b Quem plectit invitus.

Malach. 3. 6. Ezech. 18. 32.

c Meretur homo ex eo quod vult.

SERMO CCLXIX.

Exhortatio ad tenendam vel custodiendam caritatem. Ostendit etiam admonitio ista quòd nullus se umquam in veritate poterit excusare quòd veram caritatem habere non possit. Aliquas etiam sententias de homilia sancti Augustini, quam de caritate scripsit, prout nobis opportunum visum est, huic Sermoni credimus inserendas.

Cæsarianas inter homilias in MSS. exstat & in editis; scilicet in Bibliotheca Patrum post homiliam quadragesimam, in libro autem V. C. Baluzii curâ excuso homilia est ordine decima.

CÆSARII Serm. LXIX. Caritatis possessio dulcis & adquisitio facilis.

1. Quod vobis veræ caritatis bonum tam frequenter insinuamus, Fratres carissimi, illa vel maximè res facit, quia præcipuum ac peculiare ipsius Domini mandatum est, & nihil est quod dulcius haberi, & cum Dei adjutorio faciliùs vel feliciùs possit impleri. In animo enim nostro res agitur; in quo si aliquid mali non intromittat voluntas, locum invenire nescit iniquitas; & ubi si radix omnium malorum cupiditas non fuerit, radix omnium bonorum caritas deesse non poterit. Prima & singularis divinæ misericordiæ caussa est, quòd per Spiritum-sanctum ita ipsa caritas diffunditur in cordibus omnium Christianorum, ut eam, si velint, possint jugiter custodire, & dulcedine ipsius incessabiliter satiari. Et quia contrariis solent sanari contraria, & nihil ita est adversum vel contrarium caritati, quæ fundamentum est omnium bonorum, quàm cupiditas, quæ radix est omnium malorum, * & istæ duæ simul esse nullatenus possunt; quia re vera dulcedini non convenit cum amaritudine, nec luci cum tenebris, nec vitæ cum morte: quicumque in se radicem cupiditatis dominari cognoscit, imploret Dei adjutorium, ut possit exstirpare cupiditatem, & plantare caritatem. Hoc enim qui fideliter fece-

Quam Christianorum omnium cordibus Spiritus-sanctus infundit. Rom. 5. 5.

* Infrà Ser. 270. n. 1.

Insociabilis est cum cupiditate.

a MSS. Corbeienses prætulimus ceteris MSS. & editis, in quibus, nolentibus.
b Sic potiores MSS. At editi, *si Dei indulgentiam miserantis non contemnant.*
c Ita Corbeienses codices. At editi, *cùm Dominus vellet homini demonstrare* &c. postque verba, *afferunt mortem*, additum fuerat, *invitavit præmio, terruit supplicio:* cujus additamenti loco in Gemeticensi habebatur, *si vis habere vitam, serva mandata*, cum hac ad libri oram admonitione, *Sic lege, donec meliùs inveneris.*

CLASSIS IV.

rit, omnia Dei præcepta cum gaudio & exsultatione implebit; quia quotiens ei aliqua amaritudo sæculi supervenerit, prævalere eam in illo caritatis dulcedo penitus non permittet, & sic ei vera caritas insinuat dulcedinem omnium bonorum cælestium, ut eum patienter faciat tolerare amaritudinem terrenorum. Secunda caussa est, quia tam levis est sarcina caritatis, ut * non premere sed levare consueverit. Qui enim illam, quomodo à Christo accepit, cum ipsius adjutorio servare voluerit, * nec pedibus currendo nec manibus operando fatigationem sentire, nec in humeros suos aliquas graves sarcinas portando poterit laborare: quia & quamdiu se in aliquibus duris operibus pro amore caritatis exercet, dulcedo amoris ipsius eum laborare non sinit; quia QUIDQUID NON AMANTI GRAVE EST, amanti suave ac leve est.

Caritatis dulcedo. * Sic Serm. 28. n. 4. * Infrà Serm. 273. n. 1.

2. Teneat ergo unusquisque bonam voluntatem, & omnes homines sicut se ipsum diligat; & quod sibi ab aliis fieri optat, hoc aliis fieri velit. * Pro bonis oret, ut à Domino custodiantur; pro mediocribus, ut meliores fiant; pro malis, ut citò se corrigant; & in omnibus peccatoribus * vitia potiùs quàm ipsos homines odio habeat; & ad vicem bonorum medicorum, morbum oderit, non ægrotum. Nam qui in peccatoribus vel in quibuscumque inimicis suis magis ipsos quàm vitia eorum odio habet, aut in præsenti eos desiderat puniri, aut in futuro æterno incendio concremari. Quæ res quàm exsecranda & abominabilis sit, evidenter sancta Caritas Vestra cognoscit. Boni verò Christiani omnes inimicos suos magis corrigi quàm perire desiderant, & pro ineffabili bonitate student nec illis nec aliis maledicere, propter illud quod scriptum est, *Neque maledici regnum Dei possidebunt*: numquam jurare; quia scriptum est, *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet de domo illius plaga.* Quòd autem dicit de domo illius non discedere plagam, non de domo terrena, sed de anima ejus intelligendum est, quæ templum est Dei. Studeat etiam numquam mentiri; quia scriptum est, *Os quod mentitur occidit animam*: &, *Perdes eos qui loquuntur mendacium.* Justitiam tenere contendat propter illud, *Beati qui custodiunt judicium & faciunt justitiam in omni tempore.* Castitatem tenere toto corde festinet; quia castitas Angelis facit consimiles. Hæc ergo omnia quæ suggessi, & brevia sunt, ut possint memoriter teneri; & tam suavia vel dulcia, ut debeant Deo auxiliante operibus adimpleri.

Studia & opera illius. * V. Serm. 210. n. 6. & 271. n. 6. * Sic Serm. 86. n. 1. & 210. n. 6. 1. Cor. 6. 10. Eccli. 23. 12. Sap. 1. 11. Psal. 5. 7. Psal. 105. 3.

3. Ecce in his omnibus veræ ac perfectæ caritatis operibus, sicut jam dictum est, nihil aut manibus aut pedibus agitur, ut se aliquis per impossibilitatem aut infirmitatem excusare conetur. Cùm enim & cupiditas omni amaritudine amarior, & caritas omni dulcedine dulcior sit, * quare durum & asperum jugum avaritiæ cum tantis periculis ac laboribus homines portare volunt, & dulce onus Christi & suave jugum ipsius de cervicibus suis excutiunt? Contra ista quæ Caritati Vestræ suggessi, nullus qualemcumque vel verisimilem poterit excusationem prætendere, ut se dicat ea non posse perficere. * Non enim ei dicitur, Jejuna plus quàm potes, vigila plus quàm prævales; nec hoc ei imponitur ut à vino vel à carnibus abstineat, si hoc infirmitas corporis sui non tolerat. Et si fortè non prævalet esse perfectus, non cogitur vendere omnia sua & dare pauperibus. Et si virgo esse non potest, non ad hoc premitur ut uxorem non permittatur accipere. IN HIS enim OMNIBUS QUÆ AD CORPORIS FATIGATIONEM PERTINENT, nullus Christianorum invitus cogitur: sed qui potest implere, Deo gratias agat; qui verò non potest implere, caritatem veram teneat, & in ipsa habebit omnia: quia sine istis bonis operibus, quæ suprà commemorata sunt, caritas sufficit sibi; illa verò bona opera sine caritate prodesse omnino non poterunt. Hoc totum ideo iterum atque iterum dico vobis, Fratres carissimi; ut pleniùs possitis agnoscere quia nullus se poterit excusare, quòd Dei præcepta non possit implere: quia quando se de illis in quibus corpus laborat excusare tentaverit, ab illis quæ in animi virtute consistunt, & præcipuè à caritate, in qua continentur omnia bona, nihil poterit prætendere, quod jam non possit Deo auxiliante perficere. Et ideo qui veram caritatem noluerit tenere, non invenit quod in veritate aliis, sed quod sibi debeat imputare.

Ab his excusatio nulla est. * Infrà Serm. 298. n. 3. * In eodem Sermone. In caritate omnia bona. * Sic Serm. 107. n. 2. & 112. n. 2.

4. * Tenete ergo, Fratres carissimi, dulce ac salubre vinculum caritatis, sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est. Dives si caritatem non habet, quid habet? Pauper si caritatem habet, quid non habet? Et quia, sicut dicit beatus Johannes evangelista, *Caritas Deus est*: * quid pauperi deesse poterit, si per caritatem Deum habere meruerit? & è contrà, quid diviti terrena facultas proderit, si Deum habere non meruerit? Amate ergo & tenete caritatem, Fratres carissimi, sine qua nullus umquam Deum videbit. Nolite vobis sine caritate blandiri, etiamsi reliqua bona opera perfeceritis: sed timete illud quod scriptum est, *Qui universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quod est hoc unum, nisi vera & perfecta caritas; de qua iterum Apostolus dixit, *Omnis lex in uno sermone implebitur in vobis, Diliges proximum tuum sicut te ipsum?* Nam in tantum reliqua opera sine caritate nihil prosunt, ut libera voce clamet Apostolus, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ideo quia * ipsa est vera caritas quæ omnes homines diligit; qui se cognoscit vel unum hominem odio habere, festinet amaritudinem fellis evomere, ut dulcedinem in se caritatis mereatur excipere: quia sine illa nec jejunia, nec vigiliæ, nec orationes, nec eleemosynæ, nec fides atque virginitas ullum hominem adjuvare valent. Et quia de caritate nos admonens Apostolus dixit, *In caritate radicati & fundati*, & radix omnium bonorum est caritas; evidentissimè constat quòd * quomodo quælibet arbor pulcra & amœna, & floribus ac fructibus plena, si in ea radix viva non fuerit, omnis ejus pulcritudo marcescit; ita & quilibet Christianus, si reliqua bona opera tamquam in ramis se habere monstraverit, & de ipsis sine caritate præsumens, radicem ipsius caritatis habere noluerit, sine ullis fructibus sterilis remanebit.

SERM. DE DIVERSIS. 1. Johan. 4. 16. * V. Serm. 112. n. 2. Sine illa nulum bonum. Jacobi 2. 10. * V. infrà Serm. 273. n. 5. Gal. 5. 14. 1. Cor. 13. 3. * Sic Serm. 107. n. 3. Ephes. 3. 17. * Ita idem Sermo.

5. Vera enim caritas * in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, inter veros fratres dulcissima, inter falsos patientissima, inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans; casta in Susanna in virum, in Anna post virum, in Maria præter virum; humilis in Petro ad obediendum, libera in Paulo ad arguendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Vera enim caritas, Fratres carissimi, anima est omnium Scripturarum, prophetiæ virtus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. Hanc ergo fideliter retinete, hanc toto corde & tota animi virtute diligite, huic jugiter adhærete. Suavis enim est Dominus & omni dulcedine dulcior. Societas ipsius non habet amaritudinem, conversatio ipsius non habet dolum. Si illam volueritis ex integro corde tenere; & in hoc sæculo vos faciet cum gaudio Dei præcepta perficere, & in futuro ad præmia æterna pervenire. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Ex August. Serm. aliàs de Tempore 39. sub cujus nomine citantur Eligii hom. 11. Caritatis encomium.

* SERMO CCLXX.

* Aliàs 8. ex homiliis 50.

De dilectione caritatis & odio cupiditatis; & quòd regnum cælorum non solùm duobus minutis, sed etiam bona voluntate emi possit; & de tribulatione uvarum & olivarum.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus ambiguus, spurius Verlino & Vindingo erat Auctor Augustinum imitatur aut exscribit: quædam verò intermiscet ab ipso aliena, quale illud est de caritate & cupiditate dictum n. 1, Nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non poterit. *Et iste loquendi modus ibidem,* Sine caussa ergo aliquis conatur ramos incidere. *Et n. 5. ut* vinum & oleum reponatur in canava, *qua verba & phrases Cæsarii esse ex aliis ejus homiliis didicimus.*

1. BEATUS apostolus Paulus, Fratres carissimi, ut nobis veræ ac perfectæ caritatis dulcedinem commendaret, amaritudinem cupiditatis nobis exposuit: & velut peritissimus ac spiritalis medicus, quid fugere & quid expetere debeamus, ostendit. Et quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est caritas, & * simul ambæ esse non possunt; nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non poterit. Sine caussa ergo aliquis conatur ramos incidere, si radicem

CÆSARII Serm. LXX. Caritas & cupiditas simul esse nequeunt. De panit. dist. 2. Quia radix. * V. Serm. 169. n. 1.

non contendit evellere. Sic enim idem ait Apostolus : *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis : tu autem homo Dei hæc fuge.* Audiamus ergo consilium illius, in quo Christus Dominus loquebatur : & quantum possumus, studeamus amaritudinem avaritiæ fugere, si volumus ad caritatis dulcedinem pervenire.

1. Tim. 6. 10. & 11.

Diviti quid agendum de divitiis suis.

2. Sed quando de contemtu divitiarum loquimur, respondet mihi aliquis dives, Didici non sperare in incerto divitiarum, nolo dives esse, ne incidam in tentationem : sed quia jam sum, quid facturus sum de his quæ habere mihi jam contigit? Sequitur Apostolus, *Facilè tribuant, communicent.* Quid est communicare? Communem rem tuam facere cum illo qui non habet. Si ergo communicare cœperis, non eris ille prædo & ille raptor, qui necessariis pauperum tamquam rebus alienis incubat. Etenim communem fecisti rem tuam cum his qui non habent, & ampliùs præstas, qui etiam prærogator pauperum factus es. Tu aliquantam curam geris, ut ad securum pauperem victus perveniat, & in hoc misericordiam prærogas : & propterea defert tibi Deus honorem, & quasi tibi dicit, Prior de re communi tolle quod sufficit necessitatibus domûs tuæ : quod reliquum est, da Christo. Para te audire, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi : esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Fortè contemnebas nescio quem pauperem aut egenum : noli contemnere Christum in cælo sedentem, in terra egentem ; veniet cum retributione, & vita æterna, & igne æterno. Hoc ergo cogitans potes cum aliqua spe etiam dives esse. Si autem adhuc vis fieri dives, & non solùm ea quæ superflua tibi jacent, non vis erogare indigentibus, sed etiam augere vis patrimonium tuum ; fortè & de rapinis aliquam spem habes. Nisi fortè hoc dicas, Scit Deus quia non de rapinis volo augere patrimonium meum. Unde vis augere? Emendo. Innocens tibi videris, quia emendo vis augere? Rapinâ non es malus, sed voto malus es. Si quis tibi dicat, Vende res tuas ; exhorrescis, expavescis, maledictum putas. Cùm ergo emere cupis ; nonne hoc optas, ut res suas alii vendant? Nam quomodo poteris emere, si alius non compulsus fuerit venumdare?

Ibidem 18.

Matth. 25. 34.

Patrimonii augmentum injustè optatur.

Minor ad bonum quàm ad malum labor.

* V. Serm. 141. n. 2.

3. Et hoc videte, Fratres, quantum laboret qui exspoliare vult vestitum ; & quàm sine labore sit ille qui vestire vult nudum. Si enim habet, profert & dat ; * si non habet, sufficit ei coram Deo voluntas bona. Ecce non laborat si habet : si verò non habet ; quia quod valde necessarium est habet, pauper est in arca, sed dives est in conscientia ; pauper est in domo, sed dives est in animo. An fortè nihil habes, quia bonam voluntatem habes? Audi nato Domino clamantes Angelos, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quàm parvo constat regnum cælorum, quàm vili pretio tanta possessio proponitur! Proponitur enim in terra, quod possideas in cælo ; proponitur in tempore, quod possideas in æternum. Non potes dicere, Non habeo unde emere possim, quia tanta est illa possessio, ut pretium congruum invenire non possim. * Nonne tantum valet, quantum habere potueris? & hoc superfluum. Quantum valuit Zachæo? Dimidium patrimonium : erat enim dives. *Dimidium rerum mearum*, dixit, *do pauperibus.* Sed quia prior emit, fortè tu non invenis quod emas? emit enim regnum cælorum. Et ille emit, & tibi integrum servatur quod emas. Noli timere ne angustet te compossessor : OMNIBUS LATUM EST QUOD CARITAS POSSIDET. Duobus minutis emit quædam vidua regnum cælorum. Misit in gazophylacium duos nummos : *Amen, amen dico vobis, nullus amplius misit in domum Dei quàm ista vidua : illi enim de abundantia sua miserunt, hæc autem totum quod habuit misit.* Quia enim præbebat ei Dominus victum, jam ei duo nummi superflui restiterant ad victum ejus diei : ideo misit illos in domum Dei, & emit sibi regnum cælorum. Ecce quod timebas ne carum esset, & non esses * idoneus, en duobus nummis valet. Si terrebat te pretium quod dedit Zachæus, consoletur te hoc pretium quod dedit hæc vidua. Plus addo, Carissimi, valet & viliùs. Vilior est calix

Lucæ 2. 14.

Pretium regni cælorum.

* Augustinus Enarr. in Ps. 49. n. 13. & in Psal. 111. n. 3.

Omnibus in promtu est.

Lucæ 19. 8.

Marci 12. 42. &c.

* Vox eo sensu Cæsario usitata.

aquæ frigidæ, vilior est sola bona voluntas : audi clamantes Angelos, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* An fortè non bene diximus viliorem bonam voluntatem? Immo ipsa est omnibus carior, & totum habet qui bonam voluntatem habet : quia & in dimidio rerum suarum Zachæus, si bonam voluntatem non haberet, nihil dedisset. Bona enim voluntas, ipsa dicitur caritas. Et quid ait Apostolus? *Si distribuero omnia mea pauperibus ; caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Totum ergo habet, qui bonam voluntatem habet. Ipsa est quæ potest sufficere, si cetera non sint : si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit : cetera omnia nihil prosunt, si sola caritas desit. Si haberes in domo tua thesauros unde securus esses, gauderes & exsultares : in corde habes bonam voluntatem, & tristis es? In arca posses timere furem, [a] in corde habens bonam voluntatem nihil times.

Lucæ 2. 14.

Bona voluntas est caritas.

1. Cor. 13. 3.

4. Fortè aliquis cogitat, & dicit, Si res meas pauperibus dare cœpero, & de adversariis meis pro Dei amore me vindicare noluero, & humilis ac mansuetus esse contendero, statim mihi necesse erit persecutiones hominum malorum sustinere. Qui hæc times, non legisti, quia *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei?* non audisti Scripturam dicentem, *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem?* Verum est, quia ubi Deum in veritate cœperis quærere, necesse tibi erit superborum vel malorum hominum nequitias sustinere : quia non sic ab illis colitur Christus, quomodo eis quotidie prædicatur : quoniam & quidquid volunt, quidquid petunt à Deo, in luxuriis suis & in conviviis volunt consumere, in spectaculis, in nugis, in fornicationibus, in ebrietatibus. In his volunt consumere, quo desiderant abundare : & tunc putant quia bonus est Deus, quando illis præstat unde corrumpantur.

Justitiam appetenti imminet à malis pati.

Act. 14. 21.

Eccli 2. 1.

5. Sed dicit aliquis, Ecce tempora aspera sunt, & asperiora erunt. Per ista asperiora proficit magis Ecclesia, proficiunt illi qui sursum cor habent : & illi qui sursum cor non habent, tumultuatur eis cor in terra, & dicunt cordi suo locum mutare, ut etiam ipsi sursum cor habeant, cantantes nobiscum, *Ad te Domine levavi animam meam.* Tale est dicere, Severiora sunt tempora : quale si quis dicat, severiora esse tempora olivæ, cùm fructus colligitur ; quia in torcular mittitur. * Quando enim pendebat in arbore, læta tempora videbantur ; & non adtendunt quia amurcâ plena erat. Venit quasi asperius tempus, venit tempus torcularis, veniunt majores pressuræ. Per peccata enim & crimina superborum, per avaritiam luxuriamque malorum majores pressuræ fiunt generi humano. Omnes enim mali & amatores mundi quasi torcularia sunt. Sicut enim in torcularibus & uva premitur & oliva, ut vinum & oleum reponatur in [b] canava : ita per nequitiam malorum hominum, qui boni & justi sunt, multis tribulationibus corporaliter fatigantur, ut animæ eorum tamquam oleum ac vinum recondi in æterna beatitudine mereantur. Noli ergo de Dei misericordia vel justitia desperare, quotiens te videris ab iniquis hominibus fatigari : sed considera quòd illi qui te persequuntur, apud Deum velut molæ ac torcularia deputantur ; tu verò tamquam oliva, & quasi uva legitima, parvo tempore pressuram malorum hominum sustinere cogeris : sed postea illis sine fine remanebit opprobrium, tu felici commutatione transibis ad regnum. Et tunc liberatus ab omnibus malis, cum Propheta poteris dicere, *Transivimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Sed ut ad istam merearis beatitudinem pervenire, ora pro illis qui te persequuntur ; quia potens est Deus ut illos convertat ad bonum ; & qui nunc paleæ esse videntur, de zizaniis in triticum, de amurca in oleum transeant ; & qui modò alios per nequitiam persequuntur, ipsi postea persecutionem pro justitia patiantur ; & qui nunc res alienas crudeliter volunt rapere, res suas incipiant pauperibus misericorditer erogare. * Quam rem si, orantibus vobis, secundùm suam consuetudinem pietas divina præstiterit, non solùm de vestra, sed & de aliorum salute duplicem mercedem in æterna beatitudine, remunerante Deo, capietis : quod ipse

Inde magis proficit.

Psal. 24. 1.

* V. August. Enarr. in Psal. 83. n. 1.

Mali torcularia unde uva premitur & oliva.

Psal. 65. 12.

Pro ipsis orandum.

* Cæsar. hom. 32.

[a] Ita MSS. at editi, *in corde tuo quem times? Te noli pati hostem in corde tuo, habens bonam voluntatem* &c.

[b] Sic Am. Er. & Germanensis MS. At Lov. *cavea.* MS. Remig. *camera* V. Serm. 141. n. 2.

CLASSIS IV.

præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Aliàs 6. ex 50. homil.

*SERMO CCLXXI.

De dilectione non solùm amicorum, sed etiam inimicorum: & quia potest fieri ut qui inimici sunt, ita ad amicitiam revocentur.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium relinquunt, rejiciunt Verlinus & Vindingus. Ex Augustini sententiis eadem arte compositus est, eodemque credimus auctore, quo Sermo superior.

CÆSARII Sermo LXXI. Matt. 5. 44. Inimici diligendi.

1. FREQUENTER in Evangelio, Fratres carissimi, audivimus Dominum dicentem, *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui vos oderunt.* Quare autem Dominus dixit, *Diligite inimicos vestros*, nisi quia passuri eramus inimicos? Sed dicit aliquis, Quis potest diligere inimicos? Priùs te dilexit impium Deus tuus, qui numquam fuit impius: tu autem etiamsi jam non es impius, fuisti tamen aliquando; quando nemo fit justus nisi ex peccatore, sicut frequenter cantavimus, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates:* non dixit, Beati qui non fecerunt peccata; sed, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Si enim quæris qui non fecerit, non invenies. Unde ergo quisquam erit beatus? Si remittatur quod fecit, si tegatur quod commisit. Si ergo jam tibi peccatum dimissum est, ille te insequitur qui nondum est justus. Et tu antè quàm justificareris, alios persequebaris; perieras, & inventus es: & ille qui tibi adversatur, invenietur, & non persequetur. Noli cogitare, quòd tuis meritis talis factus sis: quia gratia Dei te talem fecit. Et bene considerans videbis potentem esse Deum, qui talem faciat eum, [a] quem justè videris odisse.

Dilexit enim nos Deus, etiam inimicos. — *Psal. 31. 1.*

Quàm injustè malorum optetur interitus.

2. Dicis enim tu tibi quasi justus, Magna est patientia Dei, quæ illum talem vivere sinit. Atque utinam hoc solum dicas: sed timeo ne insuper reprehendas, dicens, Quid placuit Deo talibus parcere? Quare tanta mala faciunt homines, & vivunt? Sic dicat alius, O Deus, quare vivit iste qui tanta dicit, & tuam justitiam reprehendit? non enim adtendit quid ipse dicat, sed adtendit quid alius faciat. Qui tibi displicet, fortassis non reprehendit, nec effundit istas contumelias in Deum, quomodo tu facis. Ecce puta quia Deus, quomodo tu vis, nulli malo velit parcere: quid de te facturus est qui sine peccato esse non potes? Non adtendis ubi te inveniat? Roga ergo, ut non solùm aliis, sed etiam & tibi parcat. Hoc itaque, Fratres, habent quasi proprium omnes iniqui: nolunt ut parcat Deus iniquis, & non vident quid ipsi sint, etiam ex hoc ipso quòd ita volunt. Sed ego justus sum, inquis. Si tibi non parceret Deus cùm esses iniquus, quomodo ad justitiam pervenisses? An fortè volebas, ut Deus usque ad te patiens esset, quò usque tu pervenires ad justitiam? * Quia Deus extendit pontem misericordiæ suæ, ut tu transire posses; hoc vis ut jam subducat, ne alius transeat?

*V. August. Enarrat. in Psal. 93. n. 7.

Qui hodie malus, fortè cras nobis erit melior. — *Prov. 27. 1.*

3. Diligamus ergo, Fratres carissimi, inimicos nostros. Fortè qui hodie est amicus tuus, talia peccata facturus est, ut in vita æterna tecum esse non possit: non enim scis quid pariat crastinus dies. Et è contrà qui inimicus est, fortè sic ad pænitentiam convertetur, ut in illa cælesti Jerusalem civis tuus esse mereatur, & fortè etiam major efficiatur. Non vobis hoc difficile videatur. Interrogemus Scripturas, & in ipsis hoc evidentiùs agnoscere poterimus. Paulus apostolus priùs sceleratus erat inimicus Christianorum, rapiebat, vastabat, sæviebat. * Ibi erat quando lapidatus est martyr Stephanus. Parum illi erant manus suæ, manibus omnium lapidabat: quia ut illi non impedirentur vestimentis suis, sed liberis manibus saxa projicerent, omnium vestimenta servabat; ac sic in omnium manibus scelus operabatur. Videte virum una voce Domini ex persecutore factum prædicatorem. Præcessit eos quos oderat: illi enim omnes Christiani quos insequebatur, tales non erant, qualis ipse factus est. Non enim omnes illi Apostoli erant, quod ipse factus est. Videtis fieri posse, ut inimicus qui erat hodie, sit non solùm amicus & frater in gratia, sed etiam præcedat & melior fiat.

*V. Ser. 189. n. 1.

A 4. Ergo, Fratres mei, Christiani illi omnes quos persequebatur Saulus, putatis quia non rogabant? Utique, si noverant Christum, si Christiani erant, si noverant ipsum Dominum Jesum pro impiis mortuum. Non enim mortuus est pro fidelibus; sed mortuus est ut faceret fideles. Rogo vos, Fratres, diligenter adtendite, Dominus & Salvator noster, qui mortem suam præstitit infidelibus, quale sit illud quod servat fidelibus? Et hoc considerate, quia quos persequebatur Paulus apostolus, bene noverant misericordiam Dei, & sciebant quòd Saulus ille persecutor poterat fieri prædicator: & ideo oraverunt pro illo, & exauditi sunt. Ille persequebatur; B sed illi vicerunt. Illi eum magis occiderunt & interfecerunt rogando pro eo. Quomodo? Ecce una voce prostratus est persecutor. Surrexit enim jam non persecutor, sed prædicator: qui ergo persequebatur mortuus est. Quære persecutorem, & non invenies jam; quia surrexit. Ergo illi potiùs occiderunt eum orando, quàm ille persequendo. Et vos ergo, Fratres, sic orate pro inimicis vestris, ut occidat eos Deus: id est, ut eorum malitiam, quæ vobis inimicatur, occidat. Sic enim non occidit quod creavit, sed quod ipsi sibi fecerunt. Homo enim & peccator, duo nomina sunt. In ipsis duobus nominibus quære quid fecerit Deus, quære quid suaserit C diabolus. Homo à Deo factus est: peccatum, suadente diabolo, ab homine factum est. Quis horum duorum te persequitur? Si enim tu bene vivis, non te persequitur, nisi qui malus est: non ergo homo, sed peccator te insequitur. Roga pro homine, ut exstinguat Deus peccatorem. Cùm enim mortuus fuerit peccator, nihil tibi adversabitur; immo consolabitur vivens, qui te in peccatis mortuus persequebatur.

SERM. DE DIVERSIS.

Orationis fructus mors inimici.

Homo & peccator duo sunt.

In dimittendo omnis spes nostra.

Maximum Deo offertur sacrificium.

5. Non vobis ergo grave sit, per ipsius Domini nostri misericordiam vos obtestor, quia spes nobis alia non est, nisi dimiserimus quidquid nos læserint homines. Nemo nos fallat. Aliud majus sacrificium non est quòd D debeamus Deo, nisi quidquid boni est, etiam malis hominibus, sed tamen hominibus fecerimus. Dicit tibi Deus, Ego non ex te cresco, sed tu ex me; sacrificium volo quod prosit homini: sic ad me pervenit quod tibi prosit. * Potes mihi dicere, Non habeo quod tribuam indigenti, non possum jejunare frequenter, & à vino vel carnibus abstinere non possum. Numquid potes mihi dicere, caritatem te habere non posse? * Ipsa est cujus possessio tantò plus augetur, quantò ampliùs erogatur. Dimitte ergo quod tenebas; ne adversùs te ille teneat aliquid, cui non habes quod dimittas. *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Scitote, Fratres carissimi, E quia duæ sunt eleemosynæ. Una cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est, dimittere quod læsus es. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes: indulgere peccanti, quantum volueris, redundat tibi. * Aurum, argentum, vestem, frumentum, vinum & oleum potest fieri ut aliquotiens non habeas, unde pauperibus tribuas: ut autem omnes homines diligas, & hoc aliis quod tibi ipse velis, & ut inimicis tuis indulgeas, numquam te poteris excusare; quia si in cellario vel in horreo non habes quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre quod tribuas. Et cùm omnibus hominibus, etiamsi sola sit, bona voluntas sufficiat, & eleemosyna cordis multò major F sit, quàm eleemosyna corporis; quis est qui vel umbram excusationis possit prætendere? Et illud adtendite, Fratres, quia caritatis eleemosyna sine terrena substantia sufficit sibi: illa verò quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur, omnino non sufficit. Et quia, sicut ipsi videtis, Fratres carissimi, ad remissionem omnium peccatorum, si substantia terrena non fuerit, caritas & dilectio inimicorum satis abundéque sufficiunt: nulla nobis excusatio de hac re in die judicii remanebit, nec dicere aliquis poterit non se habuisse unde sua peccata redimeret.

*V. Ser. 173. n. 1. & 308. n. 2.

Omnibus id promtum. — *V. Ser. 42. n. 3.

Luca 6. 37. & 38. — *45. dist. Dux.* — *Eleemosynæ duæ.*

*V. Serm. 308. n. 3.

Spiritalis præstat.

V. Ser. 242. n. 2.

6. Et ideo omnes homines studeamus toto corde dili- G gere; orantes * ut qui boni sunt, meliores fiant, & in opere bono permaneant: qui mali sunt, citò se corrigant, timentes illud quod Dominus comminatus est dicens, *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Sed magis cum

*V. Ser. 210. n. 6. 269. n. 2.

Matth. 6. 15.

[a] Germanensis MS. *quem injustum tibi videris vidisse.* Remigianus, *quem injustè tibi videris vixisse.*

ipsius

CLASSIS IV.

ipsius adjutorio laboremus, ut illud in nobis possit impleri, *Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis.* Cùm ergo secundùm præfatam Domini sententiam, qua dixit, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra,* * in potestate nostra positum sit, qualiter in die judicii judicemur; dimittamus omnibus inimicis nostris: * ut liberâ conscientiâ possimus in oratione Dominica dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Luce 6. 37. & 38.

* Sic Serm. 210. n. 5. & 315. n. 5. 274. n. 1.

* Ita Serm. 273. n. 6.

Matth. 6. 12.

* Aliàs de Tempore 168.

* SERMO CCLXXII.

De diligendis inimicis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat dubius Lovaniensibus, Verlino spurius, & Vindingo, qui observat hanc ipsam esse homiliam Cæsarii undecimam in Bibliotheca Patrum.

CÆSARII Ser. LXXII. In Scripturis & ornamenta sanis & ægris medicamenta.

1. IN divinis voluminibus, Fratres carissimi, ita dispensavit Spiritus-sanctus, ut & sanis ornamenta, & ægrotis spiritalia medicamenta deesse non possint. Quam rem ego, Domino donante, cognoscens, unicum ac singulare animarum remedium, tamquam spiritale antidotum studui providere. Primum ac principale medicamentum est animæ ægrotanti, ita caritatis dulcedinem retinere, ut non solùm amicos, sed etiam inimicos velit toto corde diligere: propter illud quod scriptum est, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra.* Ut ergo tam præclaram dilectionem & memoriter tenere, & operibus possitis, Deo auxiliante perficere; * pauca capitula de Scripturis sanctis excerpsimus, quæ unusquisque si non discutiendo sed credendo susceperit, & peccatorum suorum indulgentiam accipiet, & ad æternæ vitæ beatitudinem Deo auxiliante perveniet.

Medicamentum præcipuum inimicorum dilectio.

Matth. 6. 14.

* Ita Serm. 40. n. 6. & 16. n. 3.

Hanc coluere Sancti.

2. In primis consideranda est & totis viribus imitanda benigna etiam erga inimicos antiquorum Sanctorum caritas. Nam beatus Joseph pro parricidii crimine impiis & inimicis fratribus suis non odii amaritudinem, sed caritatis dulcedinem recompensavit. * Osculabatur enim singulos, & per singulos flebat. Quibus non solùm nihil mali * rependens, sed etiam omnia bona retribuens, tam vivo quàm mortuo patre germano semper amore dilexit. Beatus quoque Moyses cùm frequenter eum populus rebellis non solùm contemnere, sed etiam lapidare voluisset, divinæ caritatis memor ita pro illis Domino supplicabat, ut clamaret & diceret, *Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro quem scripsisti.* In ipso enim veteri Testamento legimus scriptum, *Itinera eorum qui injuriam retinent malefacti in mortem.* Et iterum, *Ne memor,* inquit, *sis injuriæ proximi tui.* Et iterum, *Si videris asinum inimici tui in luto jacentem, non præteribis nisi priùs alleves eum.* Quo loco diligenter unusquisque vestrûm consideret, quòd si asinum inimici non licet in luto dimitti; quantò magis homo ad imaginem Dei factus non debet odio haberi nec negligi? Beatus quoque Job ita veram & perfectam caritatem etiam cum inimicis fideliter retinebat, ut gaudens & liberâ conscientiâ ad Dominum diceret, *Si gavisus sum ad ruinam inimici mei, & exsultavi eò quòd invenisset eum malum, vel si in corde meo dixi, Bene.*

Joseph.

* Sic Serm. 15. n. 6. ex Pelagii epist. ad Demetr. c. 5. Gen. 45.

* MS. Theod. reprehendes.

Moyses.

Exod. 32. 32.

Levit. 19. 18.

Exod. 23. 5.

Job.

Job 31. 29.

3. Beatus quoque David, licèt virtutibus multis fuerit exornatus, nulla tamen eum actio familiariùs Deo conjunxit, quàm dilectio inimicorum suorum. Cui cùm inimicus suus in faciem malediceret, maluit tamen parcere & Dei judicio reservare, quàm suæ iracundiæ satisfacere. Et in tantum non fuit simulata nec falsa sua dilectio, ut ipsos etiam adversarios suos fleret, & in illis qui eos occidere præsumserant, vindicaret. Ideo securus dicebat in Psalmis illud, quod omnes homines satis adtento & trementi animo dicere debent, *Si reddidi,* inquit, *retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis; persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Ecce quali maledicto se ipsum condemnat, qui de inimicis diligendis Dei præcepta contemnens, odium in corde servare non metuit. Unde considerandum est, qua fronte vel qua conscientia versiculum istum ex ore suo proferre poterit, qui inimicis suis mala pro

David, & quem inde fructum cepit. 1. Reg. 16. 2. Reg. 1.

Psal. 7. 5. & 6.

A malis retribuit. Per Salomonem quoque Spiritus-sanctus clamat & dicit, *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: ne fortè videat Deus, & displiceat illi, & avertat iracundiam suam ab eo.* Et utique cùm ab eo averterit, ad illum dirigit qui de inimici ruina congaudet, secundùm illud, *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Item inibi, *Homo homini reservat iram; & à Deo quærit medelam?* Et, *In hominem similem sibi non habet misericordiam. Ipse cùm caro sit, reservat iram; & propitiationem quærit à Deo? Quis exorabit pro delictis ipsius?*

SERM. DE DIVERSIS.

Prov. 24. 17.

Prov. 17. 5.

Eccli. 28. 3.

4. Dicitur quidem in veteri Testamento, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed qui
B sano intellectu Scripturæ divinæ sensum agnoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligat, ut diligat omnem hominem proximum suum, & odio habeat diabolum inimicum suum. Quod etiam in uno homine malo impleri potest. * In ipso enim uno qui malus est, & proximum habes & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est; quòd malus est, non solùm tuus, sed etiam suus inimicus est. Dilige ergo in eo carnem & animam, hoc est, proximum tuum quem Deus fecit; & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit. Quod cùm sancto & pio animo feceris, vices cælestis Medici agis, * odio habens morbum, & diligens ægrotum.

Matth. 5. 43. Quo sensu dicatur, Odio habebis inimicum.

* Confer Ser. 271. n. 4.

* V. Serm. 269. n. 2.

C 5. Item per Salomonem loquitur Spiritus-sanctus, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Hoc ergo loco cum grandi diligentia observandum est, ne fortè dum eum non bene intelligimus, * de medicamentis nobis vulnera faciamus. Solent enim nonnulli hoc præcepto uti, quasi ad satiandum furorem suum. Dicunt enim apud se, Ecce cibo inimicum meum, ut ardeat in æternum. Avertat Deus hujusmodi intelligentiam ab animis nostris. Qualiter ergo accipi debeat locus iste, sancti & antiqui Patres, revelante Spiritu-sancto, definierunt. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. hoc enim,*
D inquit, *faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Caput in homine, sensus rationalis intelligitur: qui sensus cùm à fervore caritatis recedens factus fuerit frigidus, (unde scriptum est, *Quia abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum*) necesse est ut quod est saluti contrarium sapiat, & cui deberet esse amicus, inimicus exsistat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos & caritatis igne accensos hortatur Spiritus-sanctus, dicens, *Carbones ignis congeres super caput ejus.* Cùm enim inimico tuo pio animo frequentiùs bene feceris; quamlibet sit impius & crudelis, barbarus & cruentus, tamen tandem aliquando erubescit & dolet, & pœnitere incipit
E quod admisit. Jam cùm pœnitentiam cœperit agere, sensus rationalis, hoc est, caput ipsius, incipit caritatis igne succendi: & qui priùs quasi frigidus & phreneticus contra te consueverat iracundiam retinere, spiritali calore de tua bonitate succensus incipit te toto corde diligere. Ecce quomodo sancti Patres hunc Scripturæ locum intelligendum esse dixerunt. Nam absit à sensu catholico, ut eo animo quisque boni aliquid inimico suo conetur impendere, ut eum pro hoc beneficio velit æterno incendio concremari. Unde cum grandi cautela fidei considerandum est & timendum, ne sequamur litteram occidentem; sed magis vivificantem spiritum diligamus.

Prov. 25. 21. & 22. Et illud, Carbones ignis congeres &c.

* Sermo subseq. n. 3. & suprà Serm. 29. n. 2. 41. n. 1. 140. n. 1. 174. n. 3.

Matth. 24. 12.

Non semper littera in Scripturis sequenda.

F 6. Et illud, Fratres carissimi, cum grandi tremore considerare debemus, quod in Psalmo terribiliter Spiritus-sanctus dixit. Cùm enim illam cælestem Jerusalem, id est, congregationem omnium sanctorum, quæ cum Christo est regnatura, ad laudandum Dominum provocaret; cùm dixisset, *Lauda Jerusalem Dominum,* addidit, *Qui posuit fines tuos pacem.* Ergo, ut ipsi videtis, Jerusalem illa cælestis muros de pace habet constructos. Qui enim talem pacem & talem caritatem habet, ut omnes diligat, & * pro bonis orat ut meliores fiant, pro malis supplicat ut citò se corrigant; de qua parte voluerit intrare, illius cælestis Jerusalem portas apertas merebitur invenire. Qui
G autem non vult habere talem caritatem, qualem & Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex omni parte Jerusalem portas clausas inveniet. Et quia oleum caritatis habere noluit, clausis januis sponsi, cum illis fatuis virginibus illam metuendam audiet vocem, *Amen dico vobis, nescio vos unde sitis.* Quomodo enim illis quinque virginibus, quæ caritatis oleum habuerunt, illa cælestis Je-

Jerusalem cælestis.

Psal. 147. 12. ibidem 14. De pace muros habet

* Serm. superiori n. 6.

Pacem non tenenti impervios.

Matth. 25. 12.

CLASSIS IV.

rusalem aperiet januas suas, ut intrent in gaudium Domini sui: sic illis è contrario qui sine caritate veniunt claudet, & æterna à se separatione repellet; & implebitur illud quod in Psalmo dicitur de Jerusalem, *Quoniam*, inquit, *confortavit seras portarum tuarum.* Clausis portis & confirmatis seris, numquam exiet amicus, numquam intrare poterit inimicus: quia quomodo justus numquam est exiturus à gloria, ita & peccator numquam poterit liberari à pœna.

Psal. 147. 13.

Nihil nos à caritate separet.

7. Et ideo, si volumus ut ab istis malis nos dignetur divina pietas liberare, ut feliciter in illam cælestem Jerusalem mereamur intrare, totis viribus laboremus ut in nobis impleatur illud quod Apostolus dixit, *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an periculum, an gladius?* & illud, *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura aliqua poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Ecce, sicut audistis, beatum Apostolum & apostolicos viros tanta ac tam terribilia à caritate Dei separare non poterant. Unde nimis dolendum est, quòd cùm * illi à caritate Dei nec tormentis poterant separari, nos interdum otiosis fabulis separemur, & nonnumquam propter parvissimum convicium & cujuscumque miseri hominis detractionem ita * derelinquimus caritatem, ut cum eo non solùm multis diebus, sed etiam mensibus fortassis & annis nec loquamur nec ad convivium venire velimus: & non adtendimus quia dum nos invicem odio habemus, ita muros civitatis Jerusalem contra nos claudimus, ut nullus nobis aditus remaneat, per quem intrare possimus. Et quia civitas illa habitatorem Deum habet, & dicente Johanne evangelista, *Deus caritas est:* qui caritatem habere noluerit, qua fronte vel qua conscientia ad Dominum, qui est caritas, præsumet accedere?

Rom. 8. 35. &c.

* *Sic Serm. 4. n. 2. & 274. n. 2.*

* *MS. Theod.* delinquimus in caritate.

1. Johan. 4. 16.

8. Hæc omnia, Fratres carissimi, dum vobis paterna pietate frequenter insinuo, * absolvo apud Deum conscientiam meam. Et quia nullus umquam erit, qui se in veritate excusare valeat, quòd veram pacem & veram caritatem tenere non possit; totis viribus misericordiam Dei deprecemur, ut nobis illam caritatem, sine qua nullus umquam Deum videbit, insinuare & donare dignetur, ut nullis nec tormentis nec damnis ac persecutionibus ab illius dilectione vel dulcedine separetur. * Si jubetis, jam non est opus ut prolixiori vos sermone diutius fatigemus: & ideo jam ista quæ ad præsens dicta sunt, Vestræ Caritati sufficiant, ut hæc Deo placita, quæ accepistis, sanctis cogitationibus velut munda animalia assiduè ruminetis, & qualiter ea cum Dei adjutorio possitis adimplere, in vestris animis definiatis. Ea quæ sequuntur de amore inimicorum, aut die crastino, aut certè die Dominico, absque aliqua lassitudine corporis opportuniùs audietis; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* *Infrà Ser. 275. n. 1. 295. n. 7. 301. n. 1.*

* *Sic subseq. Sermo n. 6.*

* SERMO CCLXXIII.

* *Aliàs de Tempore 61.*

De diligendis inimicis, II.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ambiguus erat Lovaniensibus, falsus Verlino & Vindingo. Inter Cæsarianos Stephani Baluzii curâ ex Regio codice impressos exstat ordine septimus. In aliis etiam, quos exploravimus, veteribus libris præfert nomen Cæsarii: prætereaque in iisdem MSS. proximè subjungitur superiori Sermoni, sub cujus finem Cæsarius pollicebatur se de ea re dicturum, quam hoc subsequente Sermone pertractat.

CÆSARII Ser. LXXIII. Caritas magnum peccatorum remedium.

1. SCIO & credo Caritatem Vestram sapienter intelligere, non esse sine caussa, quòd vos de vera & perfecta caritate tam frequenter admoneo. Hoc enim ideo facio, quia ad omnium peccatorum vulnera nullum medicamentum tam salubre & tam efficax esse cognosco. Additur & hoc, quòd cùm tam magnum sit veræ & perfectæ caritatis remedium, nullus tamen invenitur qui eam cum Dei adjutorio habere non possit. * In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere; in habenda autem dilectione nullus se poterit excusare. * Potest mihi dicere aliquis, Non possum jejunare: numquid potest dicere, Non possum amare? Potest dicere, Propter infirmitatem corporis mei non possum à vino vel à carnibus abstinere: numquid potest dicere, Non possum diligere? Potest dicere, se virginitatem non posse servare; non posse res suas vendere, & pauperibus erogare: numquid potest dicere, Non possum inimicos meos diligere, & eis qui in me peccaverint indulgere? Nemo se circumveniat, Fratres carissimi; quia Deus neminem fallit. Cùm enim multa sint, quæ propter fragilitatem humanam corporaliter non possumus implere; caritatem tamen in corde nostro, Deo inspirante, si in veritate volumus, sine aliqua dubitatione habere poterimus. Multa enim sunt quæ de horreo * vel canava vel cellario aliquotiens proferre non possumus; de thesauro verò cordis nimis fœdum & turpe est, si aliquam excusationem prætendere videamur. * Non enim ibi aut pedes laborant currendo, aut oculi videndo, aut aures audiendo, aut manus operando lassantur, ut nos per ipsam fatigationem excusare conemur. * Non nobis dicitur, Ite ad Orientem, & quærite caritatem: navigate ad Occidentem, & invenietis dilectionem. Intus in corda nostra, unde nos iracundia excludere solet, redire jubemur, dicente Propheta, *Redite prævaricatores ad cor.* Non enim, sicut jam dixi, in longinquis regionibus invenitur quod à nobis Dominus repetit: intus ad cor nostrum nos mittit. In nobis enim posuit quod requirit, ubi tota caritatis perfectio in animi bonitate vel voluntate consistit: de qua voluntate vel bonitate pastoribus Angeli clamaverunt, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Et ideo quia nulla nobis ante tribunal Christi excusatio esse poterit; cum Dei adjutorio totis viribus laboremus, ut in animis nostris plus prævaleat bonitas quàm malitia, plus patientia quàm iracundia, plus benignitas quàm invidia, plus humilitas quàm superbia: & ut totum brevi sermone concludam, sic totum cor nostrum obtineat caritatis dulcedo, ut in nobis amaritudo odii locum habere non possit.

* *Plura hinc excerpta sunt Ser. 61. n. 2.*

* *Sic Serm. 225. n. 3. & 271. n. 4.*

SERM. DE DIVERSIS.

A nemine non potest cum Dei adjutorio haberi.

* *V. Serm. 141. n. 2. cum nota.*

* *V. Serm. 269. n. 1.*

* *Serm. 225. n. 5.*

Isaiæ 46. 8.

Cùm in bona voluntate sita sit.

Lucæ 2. 14.

2. Sed dicit aliquis, Nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus Scripturis Deus tibi dixit, quia potes: tu è contrario non posse respondes. Considera nunc, utrùm Deo an tibi * debeat credi. Et ideo quia mentiri non potest Veritas, jam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid potuit imperare qui justus est; nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est. Quid tergiversamur in cassum? Nemo enim quantum possumus meliùs novit, quàm qui nobis ipsum posse donavit. Tot viri, tot mulieres, tanti pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ flammas, & ignes, & gladios, & bestias pro Christo æquanimiter pertulerunt: & nos stultorum hominum convicia dicimus tolerare non posse; & interdum pro parvissimis damnis, quæ nobis malorum hominum nequitiâ inferuntur, si possumus, etiam usque ad mortem illorum nostras injurias vindicamus. Unde nescio qua fronte vel qua conscientia cum omnibus Sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus; quorum exempla sequi nec in rebus minimis adquiescimus.

Frustrà dicit quis se inimicos diligere non posse.

* *MS. Theod.* debeas credere.

3. Sed sunt aliqui qui testimonium Scripturæ divinæ iracundiæ suæ æstimant suffragari. Dicunt enim scriptum esse, *Amat anima mea amantem se:* & dum auctoritatem divinam malè intelligunt, * de medicamentis sibi vulnera faciunt. Qualiter autem hoc & debeat & possit intelligi, adtendat Caritas Vestra. *Amat*, inquit, *anima mea amantem se.* Licèt & de * omnibus secundùm litteram sentiri debeat, tamen certiùs de Deo intelligi debet, quia nullus nos meliùs quàm ipse diligit. Nam si boni tantummodo amandi sunt, quid dicimus de Deo nostro, de quo scriptum est, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* *? Quid enim boni fecerat mundus, ut illum sic diligeret Deus? Omnes enim homines non solùm malos, sed etiam originali peccato mortuos Christus Dominus noster invenit. Et tamen etiam cùm tales essemus, dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis: ac per hoc amavit etiam non amantes, sicut & Paulus apostolus dicit, *Christus pro impiis mortuus est*, & per ineffabilem pietatem universo humano generi hoc exemplum dedit, dicens, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quod & beatus Petrus apostolus in epistola sua similiter præcepit, dicens, *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia*

Scripturæ locum in sui gratiam afferunt.

* *Sermo superior n. 4.*

* *MS. Reg.* hominibus.

Sed hoc præcipuè Dei amor insinuitur.

Johan. 3. 16.

* *MS. Theod.* addit pro mundo.

Deus amavit non amantes.

Rom. 5. 6.

Matth. 11. 29.

1. Pet. 2. 21.

*Et in hoc vult nos ipsum imitari. — 1. Johan. 2. 6. — Lucæ 23. 34. — * Sic Ser. 62. n. 1. Phrenetici sunt qui nos vexant.*

ejus. Quod exemplum Domini secuturi sumus? Numquid ut mortuos suscitemus? Numquid ut supra mare pedibus ambulemus? Non utique; sed ut simus mites & humiles corde; & non solùm amicos, sed etiam adversarios diligamus: *Ut sequamini*, inquit, *vestigia ejus.* Dixit hoc etiam beatus evangelista Johannes, *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.* Quomodo Christus ambulavit? In cruce enim positus pro inimicis oravit, dicens, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* * Phrenetici enim sunt, & à contrario spiritu possidentur, & ut nos persequantur, majorem persecutionem à diabolo patiuntur: & ideo magis ut liberentur quàm ut damnentur orare debemus. B Sic enim fecit beatus Stephanus, qui gloriosissimè primus Christi vestigia secutus est. Cùm enim duris saxorum imbribus cæderetur, pro se stans oravit; pro inimicis verò suis positis genibus totis viribus clamavit & dixit, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Si ergo putamus nos non posse imitari Dominum nostrum, imitemur saltem conservum nostrum. Imitemur etiam & beatum Jacobum: qui & ipse cùm à Judæis lapidaretur, flexis genibus pro suis persecutoribus supplicavit.

Act. 7. 59. — Inimicorum dilectio non est consilium sed præceptum. — Matth. 19. 12. — Matth. 3. 10. — Matt. 5. 44. — Ibidem 45. — Matth. 6. 12.

4. Dominus quoque in Evangelio ut inimicos diligere debeamus non dedit consilium, sed præceptum. Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut à vino & à carnibus abstineatur, ut vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, *Qui potest capere, capiat*: de justitia verò non dicitur, Qui potest facere, faciat: sed, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Consilium qui libenter audierit & fecerit, majorem gloriam habebit. Præceptum qui non impleverit, nisi pænitentia subvenerit, evadere pœnam non poterit. Sic enim præcepit Dominus, *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vestris & calumniantibus vobis.* Et si quæris quam mercedem accipies; audi quod sequitur: *Ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* Advertite, quia si inimicos non diligimus, filii Dei esse non possumus. Et qua fronte dicimus in Oratione, *Pater noster qui es in cælis?* Aut qua conscientia dicere poterimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.*

*Qui nonnisi se amantes amat, ab ethnicis & bestiis non distat. — * Sic Ser. 62. n. 6. — Matth. 5. 46. — Matt. 18. 32. &c. — Johan. 13. 35. — Jacobi 2. 10. — * Sic Serm. 169. n. 4. — Johan. 13. 34. — Gal. 5. 14. — 1. Cor. 13. 3. — Caritas vera. — * Sic Serm. 107. n. 5.*

5. Sed dicit aliquis, Ego audio Scripturam dicentem, *Amat anima mea amantem se.* Amas filios & parentes? * Amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & ursi. Si enim amantes non diligimus, si filios vel parentes despicimus, pejores leonibus & supradictis bestiis sumus: si verò amantes tantùm diligimus, nihil ab ipsis bestiis distare videmur. Sic & ipse Dominus dixit, *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facietis? Nonne & ethnici hoc faciunt?* Qui ergo solos amicos diligunt, sicut ipsi videtis, adhuc in hac parte publicanis & gentibus similes sunt. Ut ergo superiores & gentibus & bestiis simus, etiam inimicos & adversarios diligamus; & timeamus illud quod Dominus in Evangelio dixit, *Serve male, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me; nonne & te oportuit misereri conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum?* Et quid postea? *Tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum. Sic*, inquit Dominus, *Pater meus cælestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Et iterum ipse Dominus ait, *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si vos invicem diligatis.* Et iterum, *Qui universam legem compleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* * Quod est hoc unum, nisi quod suprà diximus, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis?* Quod, inquam, est hoc unum, nisi illud quod Apostolus dicit, *Omnis lex in uno sermone completur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum?* G Sed ne fortè aliquis dicat, locum hunc non sic debere intelligi: audiat de hoc mandato iterum Apostolum sublimi voce clamantem, *Si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* * Ipsa est vera & germana caritas, quæ non solùm usque ad amicos, sed etiam usque ad ipsos pervenit inimicos: sicut & Dominus noster tantam circa genus humanum A cognoscitur habere caritatem, ut non solùm suprà bonos, sed etiam suprà malos pluviam dare, & solem suum quotidie oriri concedat.

*Matt. 6. 14. — * Hæc desunt in MSS. V. Serm. subseq. & 210. n. 5. & 225. n. 5. — Rom. 12. 17. — Ibidem 14. — Ibidem 21. — 1. Petr. 3. 9. — 1. Johan. 3. 15. — 1. Johan. 2. 11. — * Sic Serm. 210. n. 5. — 1. Johan. 4. 20. — * Superior Sermo n. 8. — * ita ferè in clausula Concil. Arausic. 2. — * al. pauca. — * Hæc desiderantur in MSS. — * Ita clauditur ser. 28. & 271. — Matth. 6. 12.*

6. Etiam & illud ante omnia cum grandi reverentia & timore recolere & retinere debemus, quod Dominus in Evangelio dixit; *Si dimiseritis*, inquit, *hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra: si non dimiseritis, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* [* In potestate nostra positum est, qualiter in die judicii judicemur. Unde nescio qua fronte indulgentiam peccatorum suorum ante tribunal Christi obtinere poterit, qui Deo præcipiente inimicis suis veniam dare non adquiescit.] Apostolus etiam prædicat dicens, *Nemini malum pro malo reddentes. Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere*: & iterum, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: & iterum, *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Beatus quoque evangelista Johannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, in epistola sua ita nos admonet, dicens: *Qui odit fratrem suum, homicida est; & scitis, quia omnis homicida non habet in se vitam æternam manentem*: & iterum, *Qui dicit se in lumine manere, & fratrem suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat; quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* * Hoc loco fratrem omnem C hominem debemus accipere. Dicit etiam ipse beatus Johannes, *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est: qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* * Sed etiam, si jubetis, ista sufficiant. * Sunt enim innumerabilia tam in novo quàm in veteri Testamento, quæ caussam, de qua loquimur, validissimis testimoniis confirmare videntur, quæ omnia longum est ut nunc Caritatis Vestræ auribus intimentur. Sed à sanctis animabus etiam parva pro magnis accipiuntur: quia & re vera cui * parva, sed tamen magna, non prosunt, plura prodesse nihil poterunt. D Ergo, Fratres carissimi, considerantes illud quod jam sæpe dictum est, quia *omnis lex uno sermone impletur* in nobis, id est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: non solùm amicos, sed etiam inimicos diligite: [* quia quicumque hoc implere nolunt, reliqua illis opera bona prodesse non poterunt. Et ideo ita omnibus inimicis vestris dimittite:] * ut cum secura conscientia possitis in oratione dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CCLXXIV.

E *Admonitio ista continet quomodo pius & misericors Dominus in potestate nostra posuerit qualiter in die judicii judicemur, & quòd unicum ac singulare medicamentum sit contra omnia peccata, & quòd nullus umquam in veritate se poterit excusare quòd non possit diligere inimicos suos.*

Homilia est Cæsarii ex editis à Baluzio nona: quam insuper in Bibliotheca Patrum habebamus homiliæ Eligii octavæ insertam.

*Cæsarii Ser. LXXIV. — * V. Serm. 308. n. 1. — Facilia cuique Deus providit medicamenta. — Lucæ 6. 37. & 38. — Præcipua sunt duo eleemosynarum genera. — * f. jurisperitus. — Matt. 6. 12. — Ibidem 14. & 15.*

1. Pius & misericors Dominus sciens fragilitatem generis humani sine qualibuscumque peccatis præ- F sentem vitam non posse transigere, talia medicamenta dignatus est providere, quæ non solùm divites, sed etiam pauperes possint peccatorum suorum vulneribus adhibere. Quæ autem sunt ista medicamenta? Illa utique duo de quibus Dominus dixit, *Date, & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis*, pertinet ad eleemosynam quæ datur esurientibus, nudis atque captivis: *Dimittite, & dimittetur vobis*, pertinet ad eleemosynam per quam indulgetur omnibus inimicis. Si se pauper voluerit quisque excusare quòd esurientem pascere, nudum vestire, captivum liberare non possit; nullatenus in veritate poterit dicere non posse suis inimicis vel adversa- G riis indulgere, ut preces quas nobis * judex peritus cælestis dictavit, securus in oratione Dominica dicat, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; & illam evangelicam sententiam sine aliquo metu audiat, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra: si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet peccata vestra.*

CLASSIS IV.

SERM. DE DIVERSIS.

* V. Serm. 210. n. 5. & 225. n. 5.

* Satis nobiscum delicatè agitur, quando in nostra potestate ponitur qualiter in die judicii judicemur. Si dimiseritis, inquit, dimittetur vobis: si non dimiseritis, non dimittetur vobis.

* V. Serm. 225. n. 6. Inimico facilè ignoscit memor quid Deo debeat.

2. Sed dicit aliquis, Non possum indulgere inimicis meis. * Si non habes peccatum quod tibi indulgeat Deus, licèt tamen fortè, potes dicere quòd non velis indulgere proximo tuo. Si verò incomparabiliter plus peccasti tu Deo quàm in te peccaverit homo; quare jubente Domino non dimittis parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? Non enim præcepit vobis Deus jejunare plus quàm potestis, & à vino vel à carnibus abstinere, vigiliis vos frequentiùs affligere, ad Orientem vel ad Occidentem cum infinitis laboribus vel periculis navigare; nihil horum nobis imponitur: sed hoc nobis jubetur, ut adtentiùs arcam conscientiæ nostræ considerantes, nullum hominem in hoc mundo odio habeamus, implentes illud quod ipse Dominus ait, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis similiter.* (Matth. 7. 12.) Et quia nullus est qui quod aut in Deum aut in hominem peccaverit, sibi dimitti non velit; quare non facimus aliis, quod nobis fieri volumus? ut fiat in nobis illud quod ait Apostolus, *Omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* (Gal. 5. 14.) Unde opus est ut nosmetipsos minimè falsa securitate decipiamus, credentes quòd si noluerimus proximis nostris dimittere, peccatorum nostrorum indulgentiam mereamur accipere.

Ea porro debita aliter solvi nequeunt.

Cum grandi enim tremore consideranda est illa terribilis & metuenda Domini nostri sententia, quam servus ille crudelis meruit audire, *Serve male, debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum?* (Matth. 18. 32. &c.) Et quid post hæc? *Tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum.* Et ut hoc etiam tardioribus insinuaret, adjecit, *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Nec excusari queunt non solventes.

Cùm enim absque ullo labore corporis, si toto corde dimittimus fratribus nostris, possimus indulgentiam pro omnibus peccatis nostris promereri; quam excusationem in die judicii habere poterimus, si hoc quod ipso adjuvante facillimè possumus, implere negligimus? Ubi sine dubio sententiam in nobis impleturus est Dominus noster; ut in quo judicio judicaverimus, in eo judicio judicetur de nobis, & secundùm mensuram per quam proximis nostris indulgentiam dederimus, remittatur nobis. (Matth. 7. 2.) * Qui enim hæc implere noluerit, ipse sibi januam divinæ misericordiæ claudit.

* Sic Serm. 267. n. 2.

Horum alia opera inania sunt.

3. Quamlibet aliqua opera bona quisque fecerit, omnia evacuabuntur, si in eo caritas vera non fuerit, quæ non solùm ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos: quia non mentitur beatus Paulus apostolus, in quo Christus locutus est, dicens, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1. Cor. 13. 3.) * Et quia radix omnium malorum est cupiditas, (1. Tim. 6. 10.) & radix omnium bonorum est caritas; quid prodest homini si mille ramos aut cum floribus aut cum pomis pulcherrimis & amœnissimis habeat, si radix in eo viva & vera non fuerit? Quomodo enim evulsa radice * cupiditatis, omnes rami protinus arescunt & pereunt; ita qui per odium & iracundiam radicem in se caritatis exstinxerit, nihil in eo unde ad vitam æternam perveniat remanebit.

* Sic Serm. 107. n. 3.

* f. arboris.

Eleemosynæ inanes.

4. Ille verò qui supradicta mala in corde servat, & credit se multis eleemosynis peccata ipsa posse redimere, audiat Dominum in Evangelio dicentem, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* (Matth. 5. 23.) Sententia ista evidenter ostendit, quòd sacrificium offerre vel eleemosynam dare nihil proderit, nisi priùs reconciliatio inimici præcesserit. Nam quòd etiam orationem nostram Deus non velit audire, si odium voluerimus in corde servare, ipse in Evangelio dixit, *Qui habet mandata mea hæc, & facit ea, ipse est qui diligit me.* (Johan. 14. 21.) Et, *Quid prodest quòd dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis ea quæ dico?* Quæ sunt ista quæ Dominus specialiter se dixisse asseruit? Illa utique quæ ad pacem & concordiam pertinent: *Diligite inimicos ve-* (Matth. 5. 44.)

A *stros, bene facite iis qui vos oderunt:* & illud, *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* (Johann. 13. 35.) * Nam si eleemosynas largiùs damus, & secundùm Christi præcepta inimicis nostris non indulgemus; substantiam Deo offerimus, & animam nostram adversario subjugamus. Etiam videte si justa ac Deo placita possit esse ista divisio. NON enim TAM RES NOSTRAS, QUAM NOS IPSOS DESIDERAT DEUS. Nam quia nos scit multùm amare terrenam substantiam, ideo vult sibi offerri quod amamus; * ut secundùm illius præceptum, ubi præcesserit thesaurus noster, illuc sequatur & cor nostrum, (Matth. 6. 21.) & sacerdote dicente *sursum corda*, cum secura conscientia respondere possimus,

B nos habere ad Dominum.

* V. supra Serm. 139. n. 2.

Cur velit Deus eleemosynam fieri.

* V. Serm. 309. n. 4.

5. Quis enim non contremiscat illam, quam & frequenter suggessimus & jugiter insinuare debemus, beati Johannis apostoli sententiam? *Qui*, inquit, *odit fratrem suum, homicida est:* (1. Johan. 3. 15.) & iterum, *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* (1. Johan. 2. 9.) Et, *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* (Ibidem 11.) Et illud, *Itinera eorum qui injuriam retinent, malefacti in morte.*

Recapitulatio.

Et quia, secundùm hæc quæ suprà suggessimus, nulla nobis vel umbra alicujus excusationis remanet, totis viribus cum Dei adjutorio laboremus

C implere quod præcepit, ut mereamur accipere quæ promisit. Et ut reliqua opera bona, quæcumque inspirante Deo facimus, non perdamus, caritatem velut matrem bonorum omnium fideliter Domino inspirante servemus. Et ut hæc quæ suprà suggessimus, pleniùs & evidentiùs possitis agnoscere, parum aliquid de opere sancti Augustini ad rem de qua suggessimus pertinentem credidi adjungendum, quo manifestissimè probetur nullum hominem posse Dei misericordiam promereri, qui duo præcepta caritatis contemnens, inimicis suis neglexerit toto corde dimittere.

D 6. * Sanctus Augustinus Episcopus, cùm de illo paralytico, qui triginta & octo annos habebat in infirmitate sua, tractaret, sic ait. Quadragenario numero, Fratres carissimi, cursus vitæ nostræ & conversatio nostra in Scripturis divinis mysticè designatur. Ideo enim & ante Pascha, quod præsentem vitam significat, quadraginta dierum jejunium observamus; ut Pascha, quod æternæ vitæ imaginem gerit, cum gaudio celebrare possimus. Ideo & Moyses quadraginta diebus jejunavit, & Elias similiter quadraginta, & Dominus ac Salvator noster quadragenarium jejunium consecravit; (Exodi 34. 28. 3. Reg. 19. 8. Matth. 4. 2.) & in eremo populus Israëliticus quadraginta annis demoratus est, postquam me-

* Ex Tractatu 18. in Johan. in compendium redacto.

Quadragenarii numeri mysterium.

E ruit de Ægypto liberari. Unde sicut videtis, Fratres carissimi, quadragenarius iste numerus bonorum Christianorum & sanctorum omnium figuram significare videtur. Languidus verò ille, de quo in Evangelio legimus quia jacebat, typum generis humani habere videbatur. Quòd autem triginta & octo annos in languoribus positus erat, de illo quadragenario numero, quem suprà diximus, duo minùs habens: videamus quæ sunt ista duo quæ deerant illi numero consecrato. Et quæ erunt, Fratres, nisi duo præcepta caritatis, dilectio videlicet Dei & dilectio proximi; quæ duo talia sunt, ut sine ipsis reliqua nihil prosint? Et si quæ sint opera bona, & virginitatem vel martyrium quis habeat, si ista duo, in quibus tota Lex pen-

Languet qui duo minùs habet.

F det & Prophetæ, non habuerit, languidus & paralyticus jacet. (Matth. 22. 40.) Venit ergo Christus, & per gratiam Spiritus-sancti exhibuit nobis ista duo, ut diligeremus Deum, diligeremus & proximum. Denique & pro illo qui inciderat in latrones duos denarios dedit, (Lucæ 10. 35.) & apud Samaritanos duos dies transegit; (Johan. 4. 40.) uti eos in caritate Dei & proximi confirmaret. Et vidua illa, in typum Ecclesiæ, duo æra misit in gazophylacium, (Lucæ 21. 2.) & Dominus ad prædicandum caritatem * binos discipulos destinavit. (Lucæ 10. 1.) Ista enim duo, ut diximus, ante adventum Christi humanum genus habere non meruit. Adtendite, Fratres, quia & Do-

* Elig. biperitita caritate.

G minus duo dixit, illa utique * ei deesse videbantur: *Surge, tolle grabatum tuum.* (Johan. 5. 8.) Ista duo languidus ille minùs habebat. Quid est, *surge*, nisi, Dominum dilige? Omnis enim qui Deum diligit, sursum cor habet. Et quid est hoc, *Tolle grabatum tuum*, nisi, Dilige proximum tuum? quæ dilectio proximi in portando grabatum designatur. Apostolus dixit, *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis* (Gal. 6. 2.)

* f. quæ.

Dilectio Dei.

Dilectio proximi.

Classis IV.

A *implebitis legem Christi.* Si ergo præventus fuerit in aliquo frater tuus, portetur à te; & si tu præventus fueris, sustineat te. Ergo surge, dilige Deum, & tolle grabatum tuum. Dilige proximum tuum, id est, porta onus in quo requiescas. Ista duo humano generi necessaria erant. Sed habere ea in se omnino non poterant; quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non ex nobis, sed *per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis*: ipso adjuvante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 5. 5.

* SERMO CCLXXV.

* Aliàs ex Vignerianis 9.

B *Quare sancti viri & justi in hoc sæculo in peccatoribus vindicaverint.*

In MSS. tribuitur Cæsario, estque inter homilias ipsius nomine à Stephano Baluzio vulgatas postrema.

Cæsarii Ser. LXXV. * Sic Serm. 41. n. 3. & 31. n. 1.

1. * JUDICIA Dei, Fratres carissimi, plerumque sunt occulta, numquam tamen injusta. Et quia in Lege de quibusdam peccatoribus legimus à sanctis viris in præsenti sæculo vindicatum; qua ratione factum sit, subtilissima fidei puritate debemus adspicere. Quia enim in veteri Testamento peccata puniri corporaliter videbantur, omnibus præbebantur exempla, quotiens aliquibus irrogabantur digna supplicia. Quod tamen non quisque C ut voluisset de populo secundùm suam iracundiam exercebat; sed præpositi vel judices, ut ceteri metum haberent, justissimè vindicabant. Denique beatus ille Moyses, de quo legimus quòd mitis fuerit super omnes homines, descendens de monte, quia populum idolis sacrificasse cognovit, tria millia de populo jussit interfici; non ut iracundiæ suæ satisfaceret, sed ut Dei injuriam vindicaret; & ut ceteri videntes, numquam talia peccata exercere præsumerent. Et ut intelligamus quo animo hoc fieri jusserit, regressus ad Dominum supplicavit dicens, *Si non dimiseris populo tuo peccatum suum, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Ecce veram & integram carita- D tem. Paucos interfici jussit; ut sexcenta millia, exceptis mulieribus & parvulis, liberaret; quia nisi ille zelo Dei commotus in paucos vindicasset, cunctos Dei justitia perdidisset. Beatus quoque sacerdos Phinees unum de principibus cum alienigena concumbentem manu propria gladio interfecit. Et quo animo hoc egerit, Dominus ipse testimonium dedit, dicens, *Phinees zelo meo commotus placavit iram meam, ut non disperderem populum meum.* Hoc enim fecit Phinees non carnali odio, sed zelo & amore divino; non ut se vindicaret, sed ut populum de Dei iracundia liberaret.

Cur in veteri lege peccata corporaliter punita.

Num. 12. 3. Ira Moisi sine iracundia. Exodi 32. 28.

Ardet zelo Dei.

Ibidem 32. Et dilectione populi.

Idem de Phinees sentiendum.

Num. 25. 11.

2. Quam rem & beatum etiam Eliam fecisse cognoscimus, ad quem cùm superbissimus & sacrilegus rex E Quinquagenarium cum suis militibus destinasset, mandans ei ut ad se venire deberet; beatus Elias dolens de perditione populi sui, quem impius ad idola colenda persuaserat, in Spiritu-sancto dixit ut descenderet ignis de cælo, & consumeret eos, ut istis percussis in corpore, alii sanarentur in corde. Sed quia nihil apud eos medicamentum spiritale prævaluit, etiam & alium Quinquagenarium, qui & ipse cum superbia venerat, Spiritus-sanctus per os Eliæ cum suis interfici jussit. Quam rem qua pietate Spiritus-sanctus, vel quo animo Elias fecerit, humilitas illius Quin- F quagenarii, qui tertio loco venit, ostendit. In quo evidenter agnovimus, quòd si se priùs humiliasset fragilitas humana, statim indulgentiam dedisset divina misericordia. Neque enim credendum est quòd illi ideo ad Eliam missi fuerint, ut illum interficerent, sed potiùs ut ad regem vocarent. Et ideo beatus Elias non iracundiæ suæ satisfecit, sed Dei potiùs injuriam vindicavit. Hoc etiam de sacerdotibus idolorum de monte Carmelo exercuit, quando omnes interfici jussit; scilicet ut falsa religio cum suis exstincta doctoribus veræ religioni locum in humanis cordibus daret. Quod totum beatus Elias non sua virtute, sed potentiâ sancti Spiritus exercuisse creden- G dus est. Denique si vis scire solus ipse Elias qualis fuerit, quando eum paulisper sancti Spiritus gratia, ut eum probaret, deseruit, unius meretricis minas ferre non potuit, sed fugit in deserto viam quadraginta dierum. Ille ergo, qui suppeditante gratia Dei per Spiritum-sanctum cælum verbo clauserat, & ultrices flammas de

Nec alius Eliæ animus. 3. Reg. 1. 9. &c.

Et dum milites igne cælesti consumuntur.

Et dum sacerdotes occidi jubet. 3. Reg. 18 40.

3. Reg. 19. 2. &c. Ut pote actus Spiritu-sancto.

supernis venire fecerat, unius meretriculæ sermones sustinere non potuit. Hoc ideo dixi, ut agnoscamus quia totum illud non tam Elias, quàm Spiritus-sanctus exercuit per Eliam. Et ideo nefas est credere, quòd beatus Elias in his quos fecit interfici, se voluerit vindicare.

3. Hoc etiam de beato Elisæo sentire debemus, cui cùm luxuriantes pueri clamarent, *Adscende calve, adscende calve;* Spiritus-sanctus qui in ipso habitabat, imperavit ut adscenderent duo ursi, & lacerarent quadraginta duos pueros. Quod licèt in mysterio factum fuerit, & significaverit Domini passionem, quando irridentes Judæi clamaverunt, Crucifigatur, Crucifigatur, sicut illi clamaverant, * *Adscende calve, adscende calve*; id est, adscende in crucem in loco Calvariæ: tamen etiam secundùm litteram, ideo pauci percussi sunt, ut plurimi sanarentur; * ut quia Prophetas Judæi non solùm contemnebant, sed etiam irridebant, tali plaga percussi agnoscerent potentiam Spiritus-sancti. Sed quia emendare se noluerunt, clamat ipse Spiritus-sanctus alibi per Prophetam, *Percussi filios vestros, & disciplinam non recepistis.* Si ergo hoc Spiritus-sanctus operatus est, nefas est beato Elisæo aliquid imputari: quia & re vera tantam potentiam solus homo sine Spiritu-sancto habere non potuit. Nam si sancto Elisæo aliquid imputamus, quasi de Dei justo judicio disputare præsumimus.

Elisæus irrisus quid repræsentet. 4. Reg. 2. 23.

* Sic Serm. 41. n. 2. Cur vindictã petierit.

* V. eumdem Serm. n. 1.

Jerem. 2. 30.

4. Et ne fortè * hoc in solo veteri Testamento factum fuisse putemus; adtendite illum beatissimum ac mitissimum apostolum Petrum, & videte quid per eum de Anania & Sapphira fuerit Spiritus-sanctus operatus. Quod utique non ideo factum est, ut se beatus Apostolus vindicaret, qui nullam ab eis pertulisse injuriam videbatur: sed Spiritus-sanctus per os ejus pullulans exemplum pessimum infidelitatis in ipsa radice succidit. Hæc ergo omnia spiritaliter & fideliter cogitantes, nihil sinistrum de sancto justorum zelo vel judicio suspicemur: quam rem nobis ipse Dominus & Salvator noster præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* V. Serm. 41. n. 1. Zelus idem in Petro. Act. 5. 5. &c.

SERMO CCLXXVI.

De dilectione parentum & de decimis.

Cæsarii nomen in MSS. præfert, & ipsius est in Bibliotheca Patrum homilia vigesima-prima.

1. LEGIMUS, Fratres carissimi, monente nos Domino per Prophetam, parentibus nostris & honorem semper & amorem impendere; & si fortè evenerit ut aliqua paupertate laborent, necessitates eorum secundùm quod possumus sublevare. Sic enim ait: *Si videris*, inquit, *nudum, cooperi eum, & domesticos seminis tui ne despexeris.* Hoc loco *domesticos seminis*, parentes nostros intelligi voluit. Sed dicit aliquis, Quis est qui parentes suos odio habeat, ut hoc pro magno Dominus admonuerit per Prophetam? Sine dubio, Fratres, scivit Spiritus-sanctus nonnullos homines, qui cùm ad aliquos honores aut divitias undecumque adquisitas pervenerint, ita parentes suos pauperes despiciunt, ut eos nec videre dignentur. Quod si fecerint, non solùm peccatum, sed etiam grave crimen se admisisse non dubitent. Et fortè evenit, ut ille per divitias & superbiam crimina grandia vel peccata committat, & parentes sui pro ipsa paupertate & humilitate & simplicitate justitiam teneant: & qua fronte dedignatur adtendere parentes suos innocentes & justos, cùm sit ipse peccator & impius? Si quis ergo * idoneus est, si aliquos parentes habuerit pauperes; ipsis priùs necessaria tribuat, & sic indigentibus extraneis eleemosynam faciat: quia reliquis pauperibus si tu non dederis, dabit alius; parentibus verò tuis pauperibus, si tu nihil largitus fueris, difficile est ut alius largiatur.

Cæsarii Ser. LXXVI. Parentibus debetur honor, amor & in penuria subsidium. Isai. 58. 7.

Pauperes parentes nonnulli despiciunt.

Ipsis fortè meliores.

* Hujus vocis idem usus Ser. 265. n. 2. 270. n. 3.

2. Ipse est eleemosynarum ordo justus atque legitimus, ut priùs tibi & tuis victum & vestitum sufficientem & mediocrem, non pomposum nec deliciosum provideas; deinde, sicut dixi, si qui sunt pauperes de parentibus tuis, quantum prævales largiaris; deinde servos & ancillas tuas nec esurire neque algere permittas: & post hæc * quidquid tibi Deus, sicut dixi, excepto victu & vestitu dederit, non in terreno ubi fures effodiunt & furan-

Eleemosynarum ordo legitimus.

* V. Serm. 69. n. 8. Matth. 6. 20. & 21.

CLASSIS IV.

De opibus nostris quid nostrum, quid alienum. ** Serm. subseq. n. 3.*

tur, sed in cælesti thesauro recondas: ut ubi fuerit thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum; & cùm sacerdos clamaverit, Sursum corda, securi & in veritate respondeamus, Habemus ad Dominum. * Quæcumque enim Deus, excepto mediocri & rationabili victu & vestitu, sive de quacumque militia, sive de agricultura contulerit, non tibi specialiter dedit, sed per te pauperibus eroganda transmisit: si nolueris dare, noveris te res alienas auferre; quia, sicut dixi, hoc solum nostrum est, quod nobis vel nostris rationabiliter sufficit. Quidquid superfuerit, Deus noster, sicut dixi, pauperibus erogandum transmisit.

Decimæ injustè deneganrur.

3. Ac sic non solùm decimas dare debemus, sed etiam de novem partibus, quidquid solutis tributis, vel expletis sumtibus nostris remanserit, quasi aliis transmissum fideliter erogare debemus. Quod tamen si fecerimus, verè nostra sunt quæ donamus: si verò non facimus, nec illa nostra sunt quæ servamus, nec nos ipsi nostri sumus qui servare videmur. Et tamen, Fratres, non video qua fronte illi non offerimus decimum, à quo accepimus totum. Si velit Deus rationem facere nobiscum & dicere, Terram quam colis ego feci, te ipsum qui colis & servos tuos ego feci, animalia quæ te ad colendum adjuvant ego condidi; calorem solis ego tribuo, pluviam temporibus suis ego dispenso, ipsam sementem quam spargis ego concedo: si ad justitiæ rationem attendis, tibi debes decimam reservare, & mihi novem partes dare. Nec hoc quæro, misericors esse volo: exemplum tibi præbeo, ut quomodo misertus sum tui, sic miserearis tu pauperis. Si ergo, Fratres, justam rationem nobiscum voluerit facere Deus, numquid est quod respondere possimus? Et licèt in multis sanctarum Scripturarum locis nos de his rebus admoneat Deus; tamen per Apostolum specialiter clamat & admonet dicens, *Habentes victum & vestitum his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: quia radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu verò, homo Dei, hæc fuge; sectare verò justitiam, pietatem & fidem.* Rogo vos, Fratres, ut de Scripturis reliquis taceamus, sententia ista apostolica unicuique Christiano sufficit. Verè dico, Fratres, quòd * qui sub tali tonitruo de avaritiæ somno non surgit, non dormiens, sed mortuus esse credendus est.

Cùm ex jure novem partes deberentur.

1. Tim. 6. 8. &c.

** Idem de ultionis cupidis Ser. 115. n. 4.*

Necessitas & modus ad Dei misericordiam fugiendi.

4. Et ideo, Fratres, quia pro ista fragilitate carnali multis peccatis, tamquam circumvolantibus muscis, assiduè inquietamur atque compungimur, ad portum misericordiæ Dei inter procellas & tempestates mundi istius festinemus. Fortè aliquis interrogat, quomodo ad hunc portum valeat pervenire. Audiat Christum dicentem, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* & iterum, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo istam Apostoli sententiam, si evadere de pelago mundi hujus volumus, ante oculos semper habere debemus. Sufficiat nobis habere victum & vestitum, non pomposum, non deliciosum: & quidquid amplius Deus dederit, non negetur usibus pauperum; quia per nos ipsis probatur esse transmissum. Et si id quod nobis superfluum est non dederimus, res alienas invasimus: & * quanti pauperes cum nostra scientia fame mortui fuerint, caussas nobiscum ante tribunal Christi dicturi sunt.

Matth. 5. 7. *Lucæ 11. 41.*

Superfluum non dans invadit alienū.

** Ita Serm. 277. n. 3. & 308. n. 2.*

Eleemosynarum duo genera. *Sine se invicem nihil prosunt.*

5. Et quia duo sunt eleemosynarum genera, unum quod pauperibus erogamus, aliud quod vicinis vel fratribus nostris, quotienscumque in nobis peccaverint, indulgemus: utrumque Deo auxiliante faciamus; quia unum sine alio nihil prodest. Si pauperi porrigis eleemosynam, & in te peccanti non tribuis veniam; nihil tibi prodest. Sicut è contrario, si peccantibus tibi indulseris, & esurientibus quantum vales dare nolueris; sicut dixi, una virtus sine altera tibi prodesse non potest. Nos verò, Fratres, ista duo eleemosynarum genera nobis quasi spiritalium alarum remigia præparemus, ut ad principalem patriam & illam cælestem Jerusalem, ab omni terrena cupiditate expediti ac liberi, virtutum pennis, tamquam spiritales columbæ, volare feliciter ac venire possimus; secundùm illud quod Psalmista desiderat, & supplicat dicens, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.*

SERM. DE DIVERSIS.

Psal. 54. 7. *Sæculi negotia interdum remittere.*

6. Certum est, Fratres, quòd nisi quisque de peccatorum glutino & nimiis impedimentis ac laqueis mundi hujus animæ suæ pennas contenderit expedire, ad veram requiem numquam poterit pervenire. Nos verò, Fratres, adjuvante Deo, * impedimenta mundi hujus, si à nobis ad integrum subtrahere non possumus, vel ita ea quantum vires suppetunt, temperare, vel aliquid ab eis rescindere studeamus, ut nobis remaneant aliqua horarum spatia, in quibus lectioni vel orationi vacare possimus. Nam si totum nobis occupatio terrena subtraxerit, timendum est ne nobis veniat illud quod scriptum est, *Impedimenta mundi fecerunt eos miseros.* Magis ergo adjuvante Domino laboremus, ut & in nobis vel ex parte aliqua impleatur illud quod de beato viro scriptum est, *In lege Domini meditabitur die ac nocte.* Quam rem Dominus sanctæ Caritati Vestræ pro sua misericordia præstare dignetur, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

** Sic Serm. 10. n. 5 & 140. n. 5.*

Psal. 1. 2.

* SERMO CCLXXVII.

** Aliàs de Tempore 219.*

De reddendis decimis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium reliquerant: rejecit post Verlinum Vindingus, ob id maximè quòd decimas, de quibus reddendis hìc agitur, intelligere liceat ex Sermone 3. in Psal. 103. Ser. 3. n. 9. & ex Enarratione Psal. 146. n. 16. & 17. nondum fuisse Augustini ætate clericis & sacerdotibus datas aut adsignatas. Cæsarium potiùs refert, quàm Augustinum.

CÆSARII Ser. LXXVII. *Decimarum oblatio nobis proficit.*

1. PROPITIO Christo, Fratres carissimi, jam propè sunt dies in quibus messes colligere debeamus: & ideo gratias agentes Deo qui dedit, de offerendis, immo de reddendis decimis cogitemus. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sic enim per Prophetam ipse promisit, dicens: *Inferte,* inquit, *omnem decimam in horreis meis, ut sit cibus in domo mea; & probate me in his, dicit Dominus; si non aperuero vobis cataractas cæli, & dedero vobis fructum usque ad abundantiam.* Ecce probavimus quomodo nobis decimæ magis quàm Deo proficiant. Et propterea alibi scriptum est, *Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo.* Si ergo *Domini est terra & plenitudo ejus;* servi Domini sumus pariter & coloni: & nescio quomodo non omnes agnoscimus possessorem. Dicit enim, *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit.* O homines stulti, quid mali imperat Deus, ut non mereatur audiri? Sic enim dicit, *Primitias areæ tuæ & torcularis tui non tardabis offerre mihi.* Si tardiùs dare peccatum est, quantò pejus est non dedisse? Et iterum dicit, *Honora Dominum Deum tuum de tuis justis laboribus, & deliba ei de fructibus justitiæ tuæ; ut repleantur horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua redundent.* Non præstas hoc gratis, quod citò recipias magno cum fœnore. Quæris fortè, cui proficiat quod Deus accipit redditurus? Quæris iterum, cui proficiat quod pauperibus datur? Si credis, tibi proficit: si dubitas, perdidisti. Decimæ enim tributa sunt egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus. Quòd si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola; quodcumque te pascit ingenium, Dei est: & inde decimas expetit, unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra dependimus, aliud pro usura vitæ pensamus. Redde ergo homo, quia possides; redde, quia nasci meruisti: sic enim dicit Dominus, *Dabunt singuli redemtionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi neque casus.* Ecce habes in Scripturis sanctis cautionem Domini tui, per quam tibi promisit, quòd si decimas dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris. *Replebuntur,* inquit, *areæ tuæ frumento, vino quoque torcularia tua redundabunt; & non erunt in eis morbi neque casus.* Cùm enim decimas dando & terrena & cælestia possis munera promereri; quare per avaritiam duplici te benedictione defraudas?

Malach. 3. 10.

Psal. 23. 1.

Isai. 1. 3.

Exodi 22. 29.

Prov. 3. 9. & 10.

Decimæ tributa egentium.

De laboris fructu reddendæ sunt.

Exodi 30. 12.

Proverb. 3. 10. *Exodi 30. 12.*

2. Audi ergo indevota mortalitas. Nosti, quia Dei sunt

CLASSIS IV.

Decimam negantem Deus ad solam decimam redigit.

cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium Creatori? Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem, non de tuo aliquid exigit quod refundas. Primitias rerum & decimas petit, & negas? Avare, quid faceres, si novem partibus sibi sumtis, tibi decimam reliquisset? Quod certè jam factum est, cùm messis tua pluviarum benedictione subtractâ jejuna defecit, & vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid est, avide supputator? Novem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Constat quidem, quòd ipse non dederis; sed tamen Deus exegit. Hæc enim est justissima Domini consuetudo, ut si tu decimam illi non dederis, tu ad decimam revoceris: scriptum est enim, *Hæc dicit Dominus, Quia decima agri tui & primitiæ terræ vobiscum sunt.* Video vos, & fallere me existimastis, [a] intus in thesauris vestris & in domibus vestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. *Convertimini ad me, dicit Dominus omnipotens,* ut aperiam vobis cataractas cæli, & effundam vobis benedictionem meam desuper: *& non vobis corrumpentur fructus terræ, neque languebit vitis in agro vestro, & beatos vos dicent omnes gentes.* BENEFACERE DEUS semper paratus est; sed hominum malitiâ prohibetur: quia à Domino Deo sibi dari vult omnia, & non de his quæ possidere videtur vult ei offerre.* Quid si diceret Deus, Nempe meus es, homo, quem feci, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, mei sunt imbres & pluviæ, ventorum flamina mea sunt; meus est solis calor: & cùm omnia mea sint elementa vivendi, tu qui manus accommodas, solam decimam merebaris. Sed quia piè nos pascit omnipotens Deus, amplissimam tribuit minùs laboranti mercedem; sibi tantùm decimam vindicans, nobis omnia condonavit.

Malach. 3. 7.

Ibidem 11. & 12.

* Confer sequentia cum ser. superiori.

Indulgentia est quòd novem partes non exigat.

De bonis hîc bene agendum.

3. Ingrate fraudator ac perfide, divina te voce convenio. Ecce annus jam finitus est, redde Domino pluenti mercedem. Redime te, homo, dum vivis; redime te ipsum, dum potes; redime te, dum pretium in manibus habes; redime te, ne dum te mors amara prævenerit, vitam simul & pretium perdas. Sine caussa hoc dimittis uxori, quæ forsitan alterum habebit maritum. Sine caussa hoc marito dimittis, mulier, qui fortè aliam sine mora cupit habere uxorem. Frustrà parentibus ac propinquis curam tuam injungis: nemo post mortem tuam te fideliter redimet; quia in vita tu te redimere noluisti. Depone jam de cervicibus tuis avaritiæ sarcinam, contemne crudelissimam dominam; quæ dum te jugo durissimo premit, jugum Christi suscipere non permittit. Sicut enim jugum avaritiæ in infernum premere, ita jugum Christi in cælum levare consuevit. Decimæ enim ex debito requiruntur; & qui eas dare noluerit, res alienas invasit. Et* quanti pauperes in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit: quia rem à Domino pauperibus delegatam suis usibus reservavit. Qui ergo sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri; reddat decimas, & de novem partibus studeat eleemosynam dare: ita tamen, ut de ipsis novem partibus quidquid, excepto victu mediocri & vestitu rationabili superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in thesauro cælesti per eleemosynam pauperum reponatur. * Quidquid enim nobis Deus plus quàm opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit: si non dederimus, res alienas invasimus.

Frustrà aliis hæc cura servetur.

Decimas non dans res invadit alienas.

* Infrà Serm 308. n. 2.

Aliarum novem partium usus.

* In eodem Serm. n. 6.

Ad festum S. Johannis se parare.

* V. Serm. 266. n. 2.

4. Et quia Natale sancti Johannis baptistæ cum gaudio cupimus celebrare, sicut reliquis festivitatibus supervenientibus, ita imminente ista tam præclara sollemnitate * ante plures dies castitatem & honestatem omnes omnino custodiant; ut festivitatem istam possint omnes cum gaudio celebrare, & ad altare Domini cum libera & sincera conscientia mereantur accedere. Hoc etiam deprecor * & per tremendum diem judicii vos adjuro; ut omnes vicinos vestros, omnes familias, & cunctos ad vos pertinentes admoneatis, * & cum zelo Dei severissimè castigetis: ne ullus in festivitate sancti Johannis aut in fontibus, aut in paludibus, aut in fluminibus, nocturnis aut matutinis horis se lavare præsumat: quia ista infelix consuetudo adhuc de Paganorum observatione remansit. Cùm enim non solùm animæ, sed etiam, quod pejus est, * corpora frequentissimè in illa sacrilega lavatione moriantur: * vel de corporis morte timeant, qui de animæ suæ salute non cogitant. Sed credimus de Dei misericordia, quòd castigantibus vobis aut pauci, aut fortè nullus hoc malum de reliquo audebit admittere. Etiam & hoc admonete, Fratres, ut cantica turpia & luxuriosa, castitati & honestati inimica familiæ vestræ ex ore non proferant: quia * non est justum ut ex illo ore, ubi Eucharistia Christi ingreditur, canticum luxuriosum vel amatorium proferatur. Hæc enim si secundùm vestram consuetudinem libenter auditis, & Christo auxiliante implere contenditis; & in hoc sæculo Sanctorum sollemnitates mundo corde & casto corpore cum gaudio celebrabitis, & in futuro sæculo ad ipsorum consortium feliciter venietis, ipso præstante cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* Sic Serm. 294. n. 8. & 295. n. 6.

* Sequentia ex MSS. primùm edimus.

SERM. DE DIVERSIS.

Hoc die ethnica lavacra cavere.

* Quia sic non datur pænitentiæ locus.

* V. Serm. 265. n. 5.

* V. suprà Serm. 265. n. 4.

* SERMO CCLXXVIII.

De auguriis.

* Olim de Tempore 241. & pòst in Appendice 68.

Nomine Augustini citavit olim Bonifacius Moguntinus episcopus, Germanorum dictus apostolus, in epistola ad Zachariam Papam. Haud immeritò tamen per Lovanienses in Appendicem rejectus est, qui notant Lipsium dubitasse an sit phrasis Severiani. Nobis omnino Cæsarii esse videtur.

CÆSARII S. LXXVIII.

Contentio auctoris ut à sortilegis populos avocet.

1. BENE nostis, Fratres carissimi, me vobis frequentiùs supplicasse, & paterna sollicitudine commonuisse pariter & contestatum esse, ut illas sacrilegas Paganorum consuetudines observare minimè deberetis: sed quantum ad me multorum relatione pervenit, apud aliquos parum profecit admonitio mea. * Quia si vobis ego non dixero, & pro me & pro vobis malam sum redditurus rationem in die judicii, & vobiscum mihi erit necesse æterna supplicia sustinere: * ego me apud Deum absolvo, dum iterum atque iterum admoneo pariter & contestor, ut nullus ex vobis caragos, vel divinos, vel sortilegos requirat, nec de qualibet eos aut caussa aut infirmitate interroget. Nullus sibi præcantatores adhibeat: * quia quicumque fecerit hoc malum, statim peribit baptismi sacramentum, & continuò sacrilegus & Paganus efficitur: & nisi grandi eleemosyna, durâ & prolixâ pænitentiâ subvenerit, statim in æternum peribit. Similiter & auguria observare nolite, nec in itinere positi aliquas aviculas cantantes adtendite, nec ex illarum cantu diabolicas divinationes annuntiare præsumite. Nullus ex vobis observet qua die de domo exeat, qua die iterum revertatur: quia omnes dies Deus fecit, sicut Scriptura dicit, & factus est primus dies, & secundus dies, & tertius, similiter & quartus, & quintus, & sextus, & Sabbatum: & illud, *Fecit Deus omnia bona valde.* Illas verò non solùm sacrilegas, sed etiam ridiculosas sternutationes considerare & observare nolite: sed quotiens vobis in quacumque parte fuerit necessitas properandi, signate vos in nomine Jesu Christi, & Symbolum vel orationem Dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adjutorio iter agite.

* Ita Serm. 249. n. 2.

* Cæsar. hom. 15. & suprà Ser. 272. n. 8.

* Sic Serm. subseq. n. 4. & 265. n. 5.

Hos adhibens perdit baptismum.

Observationes superstitiosæ.

Gen. 1. 5. &c.

Ibidem 31. Pia.

2. Et quia quando supradicta omnia sacrilegia, Deo vobis inspirante, & contemnere vel despicere cœperitis, molestè hoc accepturus est diabolus; quia vos videt de amicitia vel societate sua discedere, & sacrilegia per quæ vos decipiebat contemnere, aliquas nequitias vobis facturus, aut infirmitatem aliquam immissurus est, aut aliquod animal, aut per morbum, aut per evagationem est ablaturus: * quia ad vos probandos permittit hoc fieri Deus, ut agnoscat utrùm ad ipsum fideliter veniatis, & si toto corde diaboli machinamenta despiciatis, & utrùm plus valeat apud vos amor suus, quàm cujusquam animalis amissio. Sed si semel aut secundò nequitias quas diabolus immiserit, cum animo & tota fide contemseritis; ita ipsum diabolum postea à vestra infestatione Deus dignabitur repellere; ut numquam vos possit sua calliditate decipere. Homines enim negligentes & faciles, languida desideria & fidem desidem habentes (& ideo

Fraudes suas spernentes diabolus infestat.

* f. patienter hæc tolerate.

Hine sibi verè adhærentes Deus probat.

a MS. Colbert. *non solùm in terris vestris, sed etiam in domibus* &c. Vaticani autem, *Annus consumtus est & decimas meas intulistis in thesauris vestris. Erit enim direptio in domibus vestris.*

CLASSIS IV. SERM. DE DIVERSIS.

etiamsi incipiant, non diu perseverant in operibus Dei; sed ubi se in antè dictis sacrilegiis abstinuerunt, & vel unam nequitiam diaboli pertulerunt, statim se pænitent ad Dominum conversos esse, & machinamenta diaboli reliquisse) iterum revertuntur ad observationes auguriorum, velut canes ad vomitum suum. Vos verò quibus Deus & sapientiam contulit, & veram fidem dedit, ita cito corde circumventiones diaboli despicite, & fideliter vos ad Deum convertite, & quæcumque diabolus voluerit immittere, patienter & fortiter toleretis; ut cum beato Job dicere possitis, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est*; similiter & cum Apostolo firmo & integro corde dicatis, *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an persecutio, an angustia, an fames, an nuditas, an gladius, an periculum?* * BONI ENIM CHRISTIANI nec tormentis separantur à Christo: tepidi verò & negligentes interdum otiosis fabulis separantur; & si vel leve damnum pertulerint, continuò scandalizantur, & contra Deum murmurare præsumunt, & ad nefanda & detestanda auguria redeunt.

Job. 1. 21.

Rom. 8. 35.

* V. Serm 4. n. 2. & 272. n. 7.

Cur divini frequenter vera nuntient.

3. Sed fortè dicit aliquis, Quid facimus, eò quòd auguria ipsa, & caragi, vel divini frequenter nobis vera annuntiant? De hac re Scriptura nos contestatur & monet, dicens, Etiamsi qua vera vobis dixerint, nolite credere illis. *Tentat enim vos Dominus Deus vester, utrùm timeatis eum, an non.* Sed iterum dicis, Aliquotiens si præcantatores non fuerint, aut de morsu serpentis, aut de alia qualibet infirmitate propè usque ad mortem multi periclitantur. Verum est, Fratres carissimi, quia permittit hoc Deus diabolo, sicut jam suprà dixi, ad probandum Christianum: ut cùm interdum per illa sacrilegia aliqua remedia in illa infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere, faciliùs propterea diabolo credant. Sed qui totam Christianam religionem desiderat custodire, oportet ut hæc omnia tota animi virtute contemnat, timens illud quod ait Apostolus increpans, *Dies, & menses, & tempora observatis; timeo ne sine caussa laboraverim in vobis.* Ecce Apostolus dicit, quòd qui auguria observaverit, sine caussa doctrinam ejus suscipiet: & ideo, quantum potestis, circumventiones diaboli fugite.

Deut. 13. 3.

Cur nisi per eos periculum sæpe non vitetur.

Hos adhibere grave peccatum est.

Gal. 4. 10. & 11.

Sed nec diabolus lædere poterit nisi permissus.

4. Et illud ante omnia scitote, Fratres, quòd nec vos ipsos, nec eos qui ad vos pertinent, nec animalia vestra, nec reliquam substantiam vel in parvis rebus diabolus potest lædere, nisi quantum à Deo potestatem acceperit; quomodo nec sancto Job facultatem ausus fuit subvertere, nisi Domino permittente. Et, sicut in Evangelio legimus, quando ab hominibus expulsi sunt dæmones; rogaverunt ut vel in porcos ire permitterentur. Si in porcos non sunt ausi intrare dæmones, nisi à Deo permissionem acciperent; quis ita erit infidelis, ut eos bonos Christianos credat posse lædere, nisi Deus propria dispensatione permitteret? Permittit autem hoc Deus ex caussis duabus: ut aut nos probet, si boni simus; aut corrigat, si peccatores. Sed qui patienter dispensationem Domini toleraverit, &, sicut jam dixi, quando aliquid perdiderit, dixerit, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*: pro ista Deo placita patientia aut coronam accipit, si justus est; aut indulgentiam, si peccator. Et hæc attendite, Fratres: quia cùm omnem substantiam diabolus evertisset beati Job, non dixit Job, Dominus dedit, diabolus abstulit: sed, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Vir enim sanctus noluit istam gloriam diabolo dare, ut aliquid potuisset tollere quod Dominus non permisisset auferre. Cùm enim nec filios, nec pueros, nec camelos, nec asinos beati Job, antè quàm Dominus permitteret, diabolus lædere potuisset; quare credimus quòd Christianis amplius aliquid faciat, quàm quod deifico ac secreto judicio suo divina potentia permiserit.

Matth. 8. 31.

Duabus ex caussis id permittit Deus.

Job. 1. 21.

Divinis, caragis &c. credere peccatū mortale.

5. Et ideo certissimè credentes, quòd nihil possumus perdere, nisi quantum nobis Deus permittit auferri: toto corde nostro ad illius misericordiam eamus, & sacrilegas observationes fideliter relinquentes, de illius adjutorio semper præsumamus. * Nam qui prædictis malis, id est caragis & divinis, aruspicibus vel phylacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit; etsi jejunet, etsi oret, etsi jugiter ad Ecceslilam currat, etsi largas eleemosynas faciat, etsi corpusculum in omni afflictione suum

* Bonifacius epist. ad Zachariam Pap.

A cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu illa sacrilegia non reliquerit: quia impia illa sacrilegii observatio, ista omnia bona obruit & evertit. Et qui cum his malis etiam aliqua opera bona exercere voluerint, eis prodesse nihil possunt: quia verum est quod dixit Apostolus, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; & illud, *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*; & Dominus in Evangelio, *Nemo potest duobus dominis servire.* Pro qua re nec ad arbores debent Christiani vota reddere, nec ad fontem orare, si se volunt per gratiam Dei de æterno supplicio liberari. Et ideo

1. Cor. 5. 6.

1. Cor. 10. 20. & 21.

Ethnicarum superstitionū reliquiæ.

B quicumque in agro suo, aut in villa, aut juxta villam aliquas arbores, aut aras, vel quælibet vana habuerit, ubi miseri homines solent aliqua vota reddere; si eas non destruxerit atque succiderit, in illis sacrilegiis, quæ ibi facta fuerint, sine dubio particeps erit. Nam & illud quale est, quòd quando arbores illæ ubi vota redduntur ceciderint, nemo ex illis arboribus lignum ad focum affert? Et videte miseriam vel stultitiam generis humani: arbori enim mortuæ honorem impendunt, & Dei viventis præcepta contemnunt; ramos arboris non sunt ausi mittere in focum, & se ipsos per sacrilegium præcipitant in infernum. Et ideo qui hoc malum huc usque non observat,

C * gaudeat, & Deo gratias agat, & fideliter in bonis operibus perseverare contendat: qui verò in istis diabolicis rebus huc usque captivandum diabolo tradidit se, toto corde pænitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat & contemnat: ut illi Deus & indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem ob gloriam nominis sui faciat pervenire.

* Sic Serm. 28. n. 4. & 76. n. 6.

6. Et quia etiam & hoc pervenit ad me, quòd aliqui aut per simplicitatem, aut ignorantiam, aut certè, quod plus credendum est, per gulam de illis sacrilegiis, vel sacrificiis, vel sacrilego cibo, quæ adhuc secundùm Paganorum consuetudinem fiunt, manducare nec

Idolothytis vescentes animam occidunt.

D timeant nec erubescant; contestor vos coram Deo & Angelis ejus, ac denuntio, ut nec ad illa diabolica convivia, quæ aut ad fanum fontesque, aut ad aliquas arbores fiunt, veniatis. Et si vobis inde aliquid transmissum fuerit, tamquam si ipsum diabolum videatis, perhorrescite & respuite, & ita repudiate, ut nec in domum vestram permittatis de illo sacrilego convivio aliquid exhiberi: propter illud Apostoli quod jam dictum est, *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, neque mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum.* Et quia solent aliqui dicere, Ego me signo, & sic manduco: nullus hoc facere præsumat; quia sic est qui

1. Cor. 10. 20. & 21.

E se signat, & aliquid de sacrilego cibo manducat, quomodo qui se signat in ore, & gladium sibi mittit in pectore: quia quomodo gladio corpus occiditur, ita de illo cibo sacrilego anima occiditur. Sed credimus de Domini misericordia, quia vobis agere quæ sancta sunt inspirare dignabitur; & numquam vobis nec in auguriis, nec in aliis, quæ suprà dictæ sunt, sacrilegis observationibus vel divinationibus diaboli possit nequitia subrepere: sed totam spem vestram in Domino posituri, quatenus ut numquam ad illa nefanda mala, quæ superiùs comprehensa sunt, redeatis: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui honor & imperium in sæcula sæculorum.

F Amen.

* SERMO CCLXXIX.

* Aliàs ex Vignerianis 19.

De Martyribus vel Phylacteriis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustini nomine quàm falsò vulgatum à Vignerio, piget ostendere. Cæsarii stilum & sententias in posteriore parte deprehendes, præsertim n. 5 & 6.

CÆSARII Ser. LXXIX.

1. AUDIVIMUS per Apostolicam lectionem servos & amicos Dei, quibus dignus non erat mundus, indigna quidem, sed gloriosa mala fidei virtute tolerasse, sicut ait Sermo divinus, *Alii ludibria & verbera*

G *experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Legimus ergo alios carceribus cruciatos, alios invalescente persecutione, turbine impiæ tempestatis confectos, & duris saxorum imbribus grandinatos, alios hostili ferro à sacrilegis consecrato capite diminutos, sed in regno æterni capitis sublimatos. *Lapidati*, inquit, *& secti sunt*, lentas

Hebr. 11. 36. & 37.

novo

CLASSIS IV.

novo gladio sector horrendus per viscera moras traxit, A numerosi ferarum dentium morsus per viscera triumphantia cucurrerunt: ac sic fide perseverante pondus prodidit meritorum, novitas inaudita pœnarum.

Cur Sancti tradantur impiis. *Job. 7. 1.*

2. Sed fortè aliquis secum cogitat & dicit, Quid est quòd boni & sancti viri in manibus impiorum traduntur? Interrogas quid est hoc? Quia *tentatio est vita humana super terram.* In agone itaque mundi istius desudantes tentantur ut probentur; probantur ut remunerentur. Et ideo aliquotiens diabolus sanctos potestati suæ cùm petiisset, obtinuit, permittente sic Domino; non ut eos in animæ virtute læderet, sed ut in corporis infirmitate vexaret: ut minimè succumbentibus ac per timorem Domini fideliter repugnantibus, tentatio injuriæ B gloriæ esset occasio. Sed & ipse Dominus traditus est in manus peccatorum, & ita eum impius judex sub tempore passionis alloquitur: *Nescis quia habeo potestatem occidendi & dimittendi te?* Cui Dominus, *Non haberes*, inquit, *potestatem, nisi tibi data fuisset desuper.* Ille ergo ad informandos & confirmandos nos, infesta mundi hujus incommoda suscepit & vicit; ut & nos intelligamus mala hujus sæculi non posse nos fugere, sed cum Dei adjutorio posse superare. Est ergo fidelibus Christi aliqua cum sanctis Martyribus portio, si ea quæ hîc mundus imponit, præ timore Dei patienter & fortiter tolerent. Et ideo dicit nobis Sermo divinus, *Si fueritis socii passionum, eritis &* C *consolationum.*

Job 19. 10. *Ibidem 11.* *Mala hîc vincere possumus, non vitare.* *Martyrii palma etiam nunc potest adquiri.* *2. Cor. 1. 7.*

3. Sed fortè dicis, Deest religionis insectator, nullus pietatis imminet persecutor; quomodo sine hoste partem possim habere cum Martyre? Non ita est, Carissimi; utinam fides adsit. Nam etsi deest tentator publicus, non deest tentator occultus. Aliqua, si placet, de occultis & malè blandis tentationibus inimici, ac de ejus strictim proferamus insidiis. Verbi gratiâ, ad fraudem te aliquis, vel ad falsum testimonium, aut quælibet alia lucra iniqua sollicitat? Per os ejus vox antiqui serpentis insibilat. Inhonestis te consiliis & lenocinantibus blandimentis ad impudicitiæ flagitium perpetrandum * tuis seductor illaqueat, & ad luxuriæ prærupta sollicitat? Secretæ tibi ab inimico tenduntur insidiæ. D

Nec jam deest persecutor. ** f. trux*

4. Solet fieri, Fratres, ut ad aliquem ægrotantem veniat persecutor ex parte diaboli, & dicat, Si illum præcantatorem adhibuisses, jam sanus esses: si characteres illos tibi voluisses appendere, jam poteras sanitatem recipere. Huic persecutori si consenseris, diabolo sacrificasti; si contemseris, martyrii gloriam adquisisti. Venit fortè & alius qui dicat, Mitte ad illum Divinum, transmitte ad illum cingulum aut fasciam tuam, mensuretur & adspiciat; & ipse tibi dicet quid facies, aut utrùm evadere possis. Dicit & alius, Ille bene novit fumigare; E nam cuicumque hoc fecit, statim meliùs habuit, omnis tentatio de domo illius discessit. Et istis omnibus quicumque adquieverit, * sacramentum baptismi violavit. Solet etiam diabolus in hac parte decipere negligentes & tepidos Christianos, ut si aliquis furtum pertulerit, instiget de amicis suis ille crudelissimus persecutor, & dicat ei, Veni secretò ad illum locum, & ego tibi excitabo personam, quæ tibi dicat quis est qui tibi furatus est argentum aut pecuniam tuam; sed si hoc cupis agnoscere, quando ad locum illum venis, noli te signare. Ecce ad quæ mala perducantur tepidi Christiani, qui dum volunt temporalem sanitatem recipere, non expavescunt F sacrilegia tam nefanda committere. Istis enim talibus diaboli consiliariis quicumque consenserit, repudiato Christo pactum cum diabolo se fecisse non dubitet. Solent etiam mulieres sibi invicem persuadere, ut ægrotantibus filiis suis fascinum aliquod, quod fidei catholicæ non conveniat, debeant adhibere. Et ista deceptio de parte diaboli est.

Divinos qui consulunt. *Diabolo sacrificant.* *Baptismum violant.* ** V. Serm. 265. n. 5. & 276. n. 1.* *Christo abdicato cum diabolo pactum ineunt.*

5. Quantùm rectius & salubrius erat, ut ad ecclesiam currerent, corpus & sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto & se & suos fideliter perungerent; & secundùm G quod Jacobus apostolus dicit, non solùm sanitatem corporum, sed etiam remissionem acciperent peccatorum. Sic enim per eum promisit Spiritus-sanctus: *Si quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum unguentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittuntur ei.* Sed fortè dicit aliquis, Quid est quòd nos tam frequenter de hac re admonet episcopus noster? * Hoc ideo, Fratres, quia licèt tam frequenter admoneamus, adhuc tamen ab aliquibus hominibus fieri sacrilegia ista multorum relatione cognoscimus. Et ideo rogo vos ut qui nondum fecit, non aliquando committat: qui verò fecit, quantum potest, acceleret ut dignam pænitentiam agat.

Salubriora malorum remedia. *Jacobi 5. 14 & 15.*

SERM. DE DIVERSIS. ** Ita Sermo superior n. 1.*

6. Nos verò, Carissimi, quotienscumque Sanctorum ac Martyrum sollemnia cupimus celebrare, quantum possumus cum Dei adjutorio, præparare nos & ornare bonis operibus studeamus. Quicumque ergo considerans conscientiam, castum se, sobrium, humilem & misericordem in veritate esse cognoverit, * gaudeat & Deo gratias agat, & totis viribus cum Dei adjutorio divina in se munera, non solùm servare, sed etiam augere contendat: qui verò se negligentem aut ebriosum, iracundum, invidum & superbum, fortè & luxuriæ sordibus viderit inquinatum, citò ad pænitentiæ medicamenta confugiat; * & antè quàm anima illa tenebrosa, de infelicissimo suo corpore discedat, remedium sibi in die necessitatis adquirat; & tam largas eleemosynas faciat, & ita cum rugitu vel gemitu, vigiliis, jejuniis & orationibus frequenter incumbat, ut antè quàm anima illius, sicut jam dixi, de corpusculo peccatis obnoxio rapiatur, medicamenta sibi contriti & humiliati cordis in æternum profutura provideat: quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. * Sub manu enim omnipotentis Medici, nulli umquam peccatori expedit desperare. Tanta est enim misericordiæ multitudo, ut in veritate correctis non solùm peccatorum veniam tribuat, sed etiam ad æterna præmia pervenire concedat.

Ad Martyrum sollemnia qualis exigatur præparatio. ** V. Serm. 28. n. 4. 76. n. 6. & 264. n. 2.* ** V. Serm. 15. n. 5. 76. n. 6. & 258. n. 4.* *Psal. 50. 19.* ** V. Serm. 258. n. 2.*

7. * Et ideo nec desperare, nec malè sperare debemus. Desperat, qui putat quòd Deus multis criminibus obsessis, etiam si pænitentiam egerint, non indulgeat. Malè autem sperat, qui credit, quòd etiamsi usque ad finem vitæ in peccatis voluerit permanere, Dei possit misericordiam promereri. Deus enim noster, sicut novit remunerare merita, ita novit punire peccata. * Qui enim dixit, *Cùm conversus ingemueris, salvus eris*; ipse etiam dixit, *Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* * Time enim, ô homo, justitiam, cujus quæris misericordiam: quantum enim te diutiùs exspectat ut corrigaris, tantò graviùs vindicat, si te celeriùs emendare nolueris. Deus enim in hoc mundo prærogat misericordiam; in futuro exercet justitiam. Hîc erogat admonitionis vel patientiæ suæ pecuniam; illic exacturus erit usuram: & implebitur illud quod scriptum est, *Tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* * Non dixit secundùm misericordiam, sed *secundùm opera sua.* Quod etiam & apostolus Paulus confirmat dicens, *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Nos ergo, Fratres, auxiliante Domino * sic agamus, ut quidquid in nobis contulit judicatus, integrum inveniat judicaturus, & sollemnitates vel patrocinia sanctorum Martyrum * non nobis judicium pariant, sed profectum. Et ita, quantum possumus, agere studeamus, ut quorum festivitates celebrabimus in mundo, eorum consortium obtinere mereamur in cælo. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

** V. suprà Ser. 257. n. 4. & 264. n. 5.* *Nec desperare nec malè sperare.* ** Sic Serm. 256. n. 4. & 260. n. 3.* *Ezech. 33. 12.* *Eccli. 5. 8.* ** V. Serm. 257. n. 1.* *Matt. 16. 27.* ** Sic Serm. 77. n. 6.* *2. Cor. 5. 10.* ** Serm. 13. n. 5.* ** Serm. 44. n. 6. & 45. n. 3.*

* SERMO CCLXXX.

** Aliàs de Tempore 251.*

De Dominica & aliis diebus festis piè celebrandis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius erat Lovaniensibus, spurius Verlino & Vindingo: Alcuini & Cæsarii quædam huc fragmenta congesta sunt, ab auctore in Benedictina regula, cujus verba etiam hic aliqua occurrunt, nonnihil versato.

1. SCIENDUM est, Fratres carissimi, quòd ideo à sanctis Patribus nostris constitutum est Christianis & mandatum, ut in sollemnitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus otium haberent, & à terreno negotio vacarent; ut paratiores & promtiores essent ad divinum cultum, cùm non haberent quod eos inde retardaret incommodum; relinquerentque eo tempore terrenam sollicitudinem, quò faciliùs possent Dei intendere voluntatem. Inde ipse Dominus per Prophetam dicit, *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* At hi qui diversis curis ac negotiis implicati, hanc sententiam Dei spernunt, & divinæ contemplationi vacare nolunt, ti-

Festorum & Dominicæ otium à quibus & quare sancitum. *Psal. 45. 11.*

meo quòd in futuro judicio illis januam Domini pulsantibus atque aperiri poscentibus, Dominus respondeat, *Amen dico vobis, nescio vos, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Et qui modò Deum quærere negligunt, ab ipso tunc respuuntur. Idcirco, Fratres mei, non sit vobis molestum, in Dominicis diebus & in natalitiis Sanctorum divino studere cultui.

Matth. 25. 12. *Psal. 6. 9.*

2. [* Dominicum ergo diem Apostoli & Apostolici viri ideo religiosa sollemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemtor noster à mortuis resurrexit: quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus: dantes scilicet diei huic honorem & reverentiam, propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Jesus Christus & Salvator resurrexit à mortuis; ita & nos resurrecturos in novissimo die speramus. Apparet autem hunc diem etiam in Scripturis sanctis esse sollemnem. Ipse enim est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cælis Spiritus-sanctus super Apostolos descendit, manna in eodem in eremo primùm de cælo datum est.] His enim speciebus ac talibus indiciis, Dominica dies exstat insignis. Ac ideo sancti Doctores Ecclesiæ decreverunt omnem gloriam Judaici sabbatismi in illam transferre; ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate: quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuerit perpetrata, & remuneratio in anima & corpore simul perfecta.

** Alcuinus de div. offic. cap. 27.* Cur dictus Dominicus dies. Pluribus est insignis.

3. Observemus ergo diem Dominicam, Fratres, & sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de Sabbato, dicente Legislatore, *A vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Videamus ne otium nostrum vanum sit; sed à vespera diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominici, sequestrati à rurali opere & ab omni negotio, soli divino cultui vacemus. Sic quoque sanctificamus rite Sabbatum Domini, dicente Domino, *Omne opus non facietis in eo.* Veniat ergo, cuicumque possibile sit, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui verò hoc non possit, saltem in domo sua oret, & * non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis. In die verò nullus se à sacra Missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat ceteris ad ecclesiam pergentibus, neque in venatione se occupet & diabolico mancipetur officio, circumvagando campos & sylvas, clamorem & cachinnum ore exaltans non gemitum, nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens.

Qualiter observandus. *Levit. 23. 32.* *Ibidem 35.* ** V. Reg. Bened. c. 50.* Varii reprehenduntur perversi usus.

4. Adhuc quoque, quod detestabilius est, ad ecclesiam aliqui venientes non intrant, non insistunt precibus, non exspectant cum silentio sanctarum Missarum celebrationem: sed quando lectiones divinæ intus leguntur, tunc ipsi foris aut caussas dicere, aut diversis student calumniis impugnare, aut videlicet in alea vel in iocis inutilibus insudare. Aliquotiens enim, quod pejus est, aliqui nimiâ iracundiâ succenduntur, & amarissimè rixantur; ita ut armis se vel fustibus alterutrum impetant, & sæpe homicidium perpetrent: & hoc ab illis maximè fit, qui pleni invidiâ & odio, diabolo ductore, in conventum ecclesiæ pergunt; non ut semetipsos adjuvent, sed ut alios lædant. Tales etiam si homicidio ibi pereunt, aut subita morte rapiuntur, quò aliàs, nisi cum ipso, cujus secuti sunt vestigia, vadunt in æterna tormenta? Nolite hæc facere, Fratres mei, nolite vosmetipsos decipere, nolite in conventu vestro locum dare diabolo: sed magis vosmetipsos præparate hospitium Christo. Non ergo foris fabulis, * sed intus psalmodiæ & orationibus studete. Nolite invicem in Ecclesia verbosari; sed quieti estote. Sunt enim plurimi, & præcipuè pleræque mulieres, quæ ita in ecclesia garriunt, ita verbosantur, * ut lectiones divinas nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant. Numquid talis conventus cum tali ordine in domo Dei debet fieri, aut taliter decet in conspectu Dei & sanctorum Angelorum ejus assistere?

Ludi, joci, lites & rixæ. ** V. Cæsar. homil. 33. post initium.* ** Sermo subseq. n. 1.* *V. Reg. Bened. c. 19.*

5. Adhuc quoque, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè potentes istius mundi, qui cùm veniunt ad ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas; sed cogunt presbyte-

Potentes Missam cogunt abbreviari.

A rum ut abbreviet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem ecclesiasticum sequi propter illorum gulam & avaritiam, quatenus unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates. Nolite, Fratres mei dilectissimi, hæc facere, nolite hæc facientibus consentire: quia non solùm qui hæc faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, pereunt. Ante omnia ergo caussas in festivitatibus nolite dicere neque audire, sed alio tempore & cum justitia: nec munera accipiendo subvertatis justa judicia, quia secundùm Domini sententiam, quocumque judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. Nul-
B lus se vestrûm inebriet, quia ebrius insano simillimus est. Nolite in hominibus bibendo nomina vestra delere de cælo. Sunt quidem multi, quod pejus est, qui non solùm se ipsos inebriant, sed etiam alios cogunt & adjurant, ut ampliùs quàm expedit bibant; & inde sæpe inter eos nascuntur jurgia & homicidia. Numquid perpenditis, Fratres, cujus isti in hoc sequantur voluntatem? *Ebriosi enim,* ait Apostolus, *& homicidæ regnum Dei non possidebunt.* Obsecro vos, Dilectissimi, patres & matres, fratres & sorores, per nomen Domini nostri Jesu Christi, & per regnum venturum ejus ac judicium, *ut subtrahatis vos ab omni homine ambulante inordinatè, & digni ambuletis vo-*
C *catione qua vocati estis,* nec negligatis honorem vestrum, neque parvipendatis redemtionem quæ est in Christo Jesu. Filii Dei nuncupati estis, quia verus Filius Dei vos liberavit. Studete bonis moribus tanto parenti placere, quatenus vos non * ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam, sed ut carissimos filios supernam ducat ad patriam: ut sitis coheredes filii ejus Jesu Christi, cum quo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus-sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 1. 32. Judicia in festivitatibus habita. *Matth. 7. 2.* Comessationes. *1. Cor. 6. 10.* *2. Thess. 3. 6.* *Ephes. 4. 1.* ** Bened. prologo in Regulam suam.*

SERMO CCLXXXI.

D *Admonitio per quam suadetur, ut omnis populus, donec divina mysteria celebrantur, in ecclesia fideliter exspectet.*

Ipsa est, quæ in Bibliotheca Patrum habetur, homilia Cæsarii duodecima. Quàm impatienter ferret Cæsarius de ecclesia ante Missarum finem discedentes, (quod hujus ac subsequentis Sermonis argumentum est,) contestantur vitæ ipsius scriptores lib. 1. n. 14. his verbis: Post hæc quadam die prospiciens de altario, vidit aliquos lectis Evangeliis de Ecclesia foras exire, qui verbum beati viri, id est, prædicationem dedignabantur in primo cognoscere: ilico occurrens clamavit ad populum, Quid agitis, ô filii? quò ducimini foris mala suasione subversi? State pro animabus vestris ad verbum admonitionis, & audite solliciti. Hoc vobis in die judicii facere non licebit. Moneo & clamo, contestorque *&c. Adduntque ipsum hanc ob caussam sæpissimè ostia post Evangelium claudi jussisse. Hinc*
E *jurè Baronius ad annum 506. existimat Cæsarium auctorem canonum Synodi Agathensis, præsertim 47. de hac eadem re constituti, scilicet,* Missas die Dominico à sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint ab episcopo publicè confundantur. *Idem paulò pòst decretum est in Concil. Aurel. 1. can. 26. & Aurel. 3. can. 29.*

1. ROGO vos, Fratres carissimi, & paterna pietate commoneo, ut quotiens aut in die Dominico, aut in aliis majoribus festivitatibus Missæ fiunt, nullus de ecclesia discedat, donec divina mysteria compleantur. *Et quamvis multi sint, de quorum fide & devotione gau-
F deamus, sunt tamen plures minùs de salute animæ suæ cogitantes, qui lectis divinis lectionibus statim de ecclesia foris exeunt; cùm tamen etiam dum ipsæ lectiones leguntur, * aliqui ex illis ita otiosis & sæcularibus fabulis occupantur, ut eas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant. Isti tales minùs à nobis culparentur, si ad ecclesiam non venirent: quia ibi probantur ampliùs Deum lædere, ubi peccatorum poterant indulgentiam promereri.

CÆSARII Ser. LXXX. ** V. Serm. 285. n. 3.* ** V. Serm. 265. n. 3. & 283. n. 1.* Garrientes in ecclesia.

2. Unde rogo vos, Fratres, ut humilitatis nostræ suggestionem non solùm patienter, sed etiam libenter accipiatis. Si enim diligenter adtenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ quando divinæ lectiones in eccle-
G sia recitantur, sed quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones sive propheticas, sive apostolicas, sive evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis: consecrationem verò corporis vel sanguinis Domini non alibi, nisi in domo Dei, audire vel videre poteritis. Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro ani-

Missæ quandonam fiant.

mæ suæ celebrare, usque quò oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in ecclesia continere. Cùm enim maxima pars populi, immo, quod pejus est, pene omnes, recitatis lectionibus exeunt de ecclesia, cui dicturus est sacerdos, *Sursum corda?* Aut quomodo sursum se habere corda respondere possunt, qui deorsum in plateis & corpore simul & corde discedunt? Vel qualiter cum tremore simul & gaudio clamabunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, benedictus qui venit in nomine Domini?* Aut quando oratio Dominica dicitur, quis est qui humiliter & veraciter clamet, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Cùm enim etiam illi qui in ecclesia se continent, si non dimiserint debita debitoribus, * ad judicium magis quàm ad remedium orationem Dominicam proferunt ex ore, quam implere non probantur in opere: & sine caussa dicunt, *Libera nos à malo*; quando ipsi non desinunt reddere malum pro malo. Si ergo etiam illi periclitantur qui intus sunt, si implere noluerint quod promittunt; quid de se cogitant illi quos aut insatiabilis cupiditas, aut amor sæculi istius ita detinet implicatos, ut eos unius horæ momento stare in ecclesia non permittat? Quibus non sufficit quòd per totam hebdomadam aut pro necessitate, aut fortè, quod verius est, pro cupiditate jugiter occupantur: adhuc insuper post unius aut duarum horarum spatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad ecclesiam convenire, mittentes dorsa sacrificiis vel sacerdotibus Dei; ad amplexandam * voluptatem sæculi hujus sine mora aliqua revertuntur. Qui non agnoscentes quid exspectant, quid relinquant, sequuntur tenebras, & deserunt lucem; amplectuntur umbram, & despiciunt veritatem; dimittunt dulcedinem Christi, & requirunt amaritudinem mundi; diligentes vanitatem & quærentes mendacium. Verè ignorat quantum boni in celebrandis Missis agitur, qui de ecclesia festinus egreditur.

Oratio Dominica in Missis. — Matth. 6. 12. — Ad judicium quidam eam audiunt. — * V. Serm. 115. n. 1. — Ibidem 13. — * MSS. nonnulli voluntatem. — Quantum boni in Missis agitur.

3. Cùm tamen istos tales si aut rex aut aliqua potens persona vocasset ad prandium, velim scire si præsumerent discedere, nisi priùs totum prandium compleretur: etiamsi persona non teneret, gula teneret. Quare de convivio hominis nisi perexpletum fuerit non discedimus; nisi quia & ventrem fortè plus quàm expedit implere volumus, & hominem lædere formidamus? Quare de spiritali & divino convivio citò discedimus? Timeo dicere, ne fortè aliqui irascantur; sed tamen tam propter meum quàm propter vestrum periculum dicturus sum: hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Deum timemus, nec hominem reveremur. * Et quia, Deo propitio, non sunt omnes in hac parte culpabiles, sed multi inveniuntur, qui cum grandi compunctione, usque quò benedictio super populum detur, de ecclesia non discedunt, & humiliter orare non solùm pro se, sed & pro aliis non desistunt: illis quibus tantam compunctionem Deus dedit, ut in ecclesia perseverent, retribuet mercedem; eos verò qui negligentes sunt, justo judicio damnabit. Et ideo, Fratres, monete eos qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt: & non desinatis castigare, dicentes & definitissimè comminantes, quia nihil eis prodest quòd divinas lectiones audiunt, si antè quàm divina mysteria compleantur abscedunt. Illis tamen qui in publicis necessitatibus occupantur, & eis qui aliqua infirmitate prohibente exspectare non possunt, imputare non possumus nec debemus. Ipsi tamen videant in conscientia sua, utrùm eos necessitas retrahat, an voluntas.

Irreverentia in non finitis discedentium. — * Sic leniter Sermonis asperitas S. rm. 249. n. 2. 300. n. 5. &c. — A culpa eximit infirmitas vel publica necessitas.

4. Unde iterum atque iterum rogo pariter & contestor, ut omni die Dominico, & præcipuè in majoribus festivitatibus, donec divina mysteria compleantur, nullus de ecclesia discedat: * nisi fortè quos suprà diximus, quos aut gravis infirmitas, aut publica necessitas stare diutiùs non permittit. Verè dico, Fratres, satis durum & propè nimis impium est, * ut Christiani non habeant reverentiam diei Dominico, quàm Judæi observare videntur in sabbato. Cùm enim ipsi infelices ita sabbatum observent, ut in eo nihil terreni operis exercere præsumant: quantò magis illi, qui non auro, non argento, sed pretioso sanguine Christi redemti sunt, debent adtendere pretium suum, & Resurrectionis die Deo vacare, & de salute animæ suæ adtentiùs cogitare? Ad extremum si toto die Dominico lectioni insistere & Deo supplicare negligimus, non leviter in Deum peccamus; quantum mali est, si vel unius vel duarum horarum spatio, dum divina mysteria celebrantur, in ecclesia standi patientiam non habeamus? Sed quod pejus est, ita nos amor sæculi hujus inebriat, ut nos umbra volaticæ * falsitatis ad vana & falsa gaudia, quæ veros dolores pariunt, & voluptas mundialium cupiditatum jugiter trahant.

* V. Ser. 249. n. 5. — * V. Serm. 265. n. 3. — 1. Petr. 1. 18. — Lectioni vel orationi toto die Dominico vacandu. — * f. felicitatis.

5. Unde iterum rogo, ut nullus ex vobis de ecclesia discedat, nisi cùm divina mysteria ad integrum fuerint celebrata. Et ita vos in ecclesia continete, ut nullus ex vobis otiosis aut terrenis se fabulis studeat occupare. * Ego quod & mihi expedit dicere & vobis audire, humiliter admoneo pariter & contestor: qui contemnit præconem, sentiet judicem. Ille autem qui me libenter audierit, & quod supplicavi implere contenderit, credo de Dei misericordia quòd illi & in hoc sæculo & in futuro repensabuntur præmia gloriosa. Ille verò qui contemnere voluerit, * non se poterit ante tribunal Christi excusare, dicendo se nec à malis prohibitum, nec ad ea quæ sunt sancta & Deo placita admonitione assidua provocatum. Sed credimus de Dei misericordia, quòd non de contemtu incursuri estis judicium; sed magis pro benigna obedientia pervenietis ad regnum: præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Ita Serm. 45. n. 4. 259. n. 1. & 290. n. 7. — * Sic Serm. 289. n. 9.

* SERMO CCLXXXII.

Admonitio ut populus ad integrum Missas perexspectet.

Ex homiliis Cæsarii nomine à Stephano Baluzio vulgatis octava est: cui Cæsario nostri quoque MSS. adsignant.

Cæsarii Ser. LXXXI. Acriter dolet Missarum finem non exspectari.

1. SI velletis agnoscere & diligenter adtendere, Fratres carissimi, quantus dolor & quanta amaritudo sit in animo meo, quando vos video Missas ad integrum perexspectare non velle; & in vobis & in me poteratis habere misericordiam. Qui enim intelligit quid in ecclesia agitur quando divina mysteria celebrantur, agnoscit quantum malum faciunt illi qui de ecclesia, non expletis Missis, sine aliqua grandi necessitate discedunt. Et ideo si & me de tribulatione animæ liberare, & vos de peccato vultis absolvere, nolite me contemnere supplicantem; timentes illud quod de sacerdotibus Dominus dixit, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Nam qui de ecclesia, non perexspectatis Missis, citò discedere nec metuit nec erubescit; dupliciter se peccare non dubitet, dum divina mysteria deserit, & sacerdotem pro se sollicitum contristat & despicit. Si ad exercenda aliqua terrena & laboriosa opera vos invitaret humilitas nostra, credimus quòd nobis obedientiam præstaret Caritas Vestra. Cùm verò non ad terrena, sed ad cælestia, nec ad temporalia, sed in æternum animæ profutura vos studia provocamus, nec aliqua lucra transitoria requirimus, sed ad cælestes thesauros vos invitamus; considerate in quo periculo remaneant, qui nobis obedientiam accommodare dissimulant. Ego verò, Fratres carissimi, non ideo tantùm doleo, quando de ecclesia disceditis, quòd mihi damni aliquid corporaliter faciatis; sed quia vos perfectos esse desidero, tam graviter in Deo peccare cognosco.

Lucæ 10. 16. — Doloris caussam & paternum animum declarat.

2. Unde iterum atque iterum rogo, ut quia nos qualescumque, etsi minùs digni, imitatores Domini sumus, & quando ad ecclesiam convenitis, non ad terrenum vos convivium invitamus, in quo ministratur cibus hominum, sed ad cæleste ac spiritale, in quo panis ponitur Angelorum: nolite fastidire, nolite despicere convivium Domini vestri, ut vos ille non despiciat in beatitudine regni sui. Timere enim debetis illam evangelicam sententiam, per quam illos qui ad nuptias invitati fuerant, & venire contemserant, indignos convivio suo ipse Dominus dixit, & alios invitare præcepit. Et non otiosè considerandum est, sed timendum quòd illi qui propter impedimenta mundi noluerunt venire, ore ipsius Domini indigni sunt judicati. Et ideo ne etiam & de nobis hoc dici possit, sicut jam supplicavi, unius aut duarum horarum spatio patientiam præbeamus, donec in illa spiritali mensa animarum cibus apponitur, & sacramenta spiritalia consecrantur. Et quia præmissa oratione Domi-

Mysterii hujus excellentia. — Matth. 22. 8. &c.

CLASSIS IV.

nica * benedictio vobis non ab homine sed per hominem datur, grato & pio animo, humiliato corpore & corde compuncto, rorem divinæ benedictionis accipite; ut secundùm promissionem Domini fiat in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam.

Quo situ & affectu benedictio excipienda.

* Ita Serm. 284. n. 5.

3. Ut enim se omnes non possint in ecclesia continere, diversæ & variæ occupationes faciunt. Alios enim tenet corporis infirmitas, alios publica necessitas; alios ligat & quasi captivos trahit cupiditas. Quanti etiam tunc in plateis vel in * atriis basilicarum aut litigant, aut negotiis vacant? Quanti in porticibus basilicarum, * vel in secretariis, detractionibus aut otiosis sermonibus occupantur, inter quos non parvus solet esse etiam numerus clericorum, vel laicorum seu feminarum? Isti tales qualem de divinis Scripturis profectum habere poterunt, qui nec ipsum sonum Scripturæ ad aures suas pervenire permittunt? sed impletur in eis illud quod scriptum est, *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, ut non exaudiant* Scripturarum *vocem incantantium.* Et ideo * vos, quibus Deus & timorem & amorem suum conferre dignatus est, & cum grandi compunctione ad ecclesiam convenitis, eos qui venire huc usque aut noluerunt, aut fortè non potuerunt, frequentissimè castigate, monentes eos & salubre consilium dantes, ut illud timeant quod scriptum est, *Impedimenta mundi hujus fecerunt eos miseros.* Non enim dicimus ut non debeant esse solliciti de victu & vestitu suo; sed hoc rogamus, ut unius aut duarum horarum spatio, dum lectiones leguntur, vel divina mysteria celebrantur, de ecclesia non discedant; & * vel tantum laborent pro anima sua, quantum pro carne sua laborare contendunt. Et quamvis multò ampliùs animæ quàm carni debeant providere; quia melior est illa quæ ad imaginem Dei facta est, quàm illa quæ de limo terræ formata est: nos tamen ad præsens hoc suademus, ut eis vel æqualiter quod opus habent providere contendant; * carni præparent quod parvo tempore sufficiat in hoc mundo, & animæ quod sine fine opus est in æternum.

Quid quemque detineat ne in ecclesia permaneat.

* MS. Theod. angulis.

* MS. idem vel sacrariis.

Psal. 57. 5.

* V. Ser. 130. n. 2.

Qualiter ab unoquoque sint corripiendi.

* Sic Serm. 140. n. 2.

* V. Ser. 85. n. 5.

4. Et ideo rogo vos, Fratres carissimi, ut quod in istis prædicationibus, Domino inspirante, libenter accipitis, ubicumque fueritis, vicinis vel proximis vestris, qui vobiscum ad ecclesiam convenire aut non possunt, aut, quod pejus est, fortè nec volunt, & illis qui venientes citò discedunt, totum quod audistis cum grandi studio referatis. * Nam sicut ego reus ero si vobis ista non dixero; ita & vos, si id quod audistis non ita memoriter tenueritis, ut etiam aliis insinuare possitis, timere debetis, ne vobis necesse sit pro illis reddere rationem. Et ideo Domino vobis inspirante implere contendite illud quod Apostolus ait, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*: & illud quod non solùm clericis, sed etiam laicis & feminis idem Apostolus prædicat, dicens, *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos.* Si enim in quocumque peccato vos invicem cum caritate castigare volueritis, aut difficilè aut numquam vobis subrepere poterit inimicus; aut si subrepserit, citò malum quod factum fuerit emendabitur atque corrigetur; & implebitur illud in vobis quod scriptum est, *Frater fratrem adjuvans exaltabitur:* & illud, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Et auditis in concionibus informandi.

* Sic Serm. 292. n. 7.

Hæc obligatio Scripturis ostenditur. Gal. 6. 1.

1. Thess. 5. 14.

Prov. 18. 19.

Jacobi 5. 20.

SERMO CCLXXXIII.

Admonitio orandum esse adtentè, & de sermonibus otiosis.

Homilia erat Cæsarii trigesima-tertia in Bibliotheca Patrum. Ejus nomen nostris quoque in MSS. præfert.

CÆSARII Ser. LXXXII.

1. LICET in multis rebus, Fratres carissimi, nos Deo propitiante conversatio vestra lætificet, & de vestris profectibus frequentiùs gaudeamus; tamen sunt aliqua de quibus Vestra Caritas debeat admoneri: & ideo rogo ut suggestionem nostram, sicut consuevistis, libenter accipiatis. * Gaudeo, Fratres dilectissimi, & Deo gratias ago, quia vos ad audiendas lectiones divinas video ad ecclesiam fideliter currere. sed si & profectum vestrum & gaudium nostrum complere ad integrum vultis,

* Sic Serm. 192. n. 1.

Hortatur ut maturiùs ad vigilias veniatur.

A maturiùs convenire debetis. Nam in tam prolixis noctibus, quem non infirmitas detinet, non sine reatu animæ suæ tardiùs ad ecclesiam venit. Rogo vos, Fratres, si sutores, aurifices, fabri, vel reliqui artifices maturiùs vigilant, ut possint corporis necessaria providere; nos non debemus ante lucem ad ecclesiam surgere, ut peccatorum indulgentiam mereamur accipere? Si negotiatores vigilare solent pro lucro pecuniæ; nos quare non vigilemus pro amore vitæ perpetuæ? Interdum aliqui ventis se tempestatibusque committunt, & navigant ab Oriente usque ad Occidentem, & ab Occidente usque ad

B Orientem, sustinentes pericula multa, interdum etiam famem ac sitim amarissimè tolerantes; sed hæc omnia illi patienter sufferunt propter substantiam perituram: & nos quare pigeat vigilare propter vitam æternam? Et ideo rogo vos, ut & maturiùs veniatis, & cùm veneritis, magis orare vel psallere, quàm otiosis vos vel sæcularibus studeatis fabulis occupare. Qui enim ad ecclesiam veniens verbosari voluerit, * melius illi fuerat non venisse: quia * dum se infructuosis fabulis occupat, nec ipse psallit, nec alios psallere aut lectiones audire permittit. Qui talis est, etsi cum parvo peccato ad ecclesiam venit, cum majori ad domum propriam redit: quia ibi se

C verbosando studuit * vulnerare, ubi psallendo vel orando & sibi & aliis medicamenta potuit providere.

SERM. DE DIVERSIS.

Nec tum garriatur.

* V. Serm. 265. n. 3.

* V. Serm. 181. n. 1.

* V. Serm. 173. n. 3. & 174. n. 3.

2. Ante omnia, Fratres carissimi, quotiens orationi incumbimus, cum silentio & quiete supplicare Deo debemus: quia quicumque voluerit cum alta voce orare, omnibus juxta se stantibus orationis fructum videtur auferre. Rugitus tantùm & suspiria vel gemitus audiantur. Nam oratio nostra talis esse debet, qualis fuisse legitur sanctæ Annæ matris beati Samuelis. Sic enim de illa scriptum est, quia flens orabat, & *labia ejus tantummodo movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Audiant hæc omnes & imitentur, præcipuè illi qui ita alta

D garrulitate sine ulla verecundia cum strepitu vocis orant, ut juxta se alios orare non permittant. Oremus ergo, sicut dixi, cum suspirio, rugitu vel gemitu, secundùm illud propheticum, *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Oremus, inquam, non voce sonante, sed conscientia ad Deum clamante.

Qualiter orandum.

1. Reg. 1. 11. & 13.

Psal. 37. 9.

3. Orantes autem, Fratres carissimi, quantum possumus, adjuvante Domino laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit; ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore: ne fortè dum lingua Deum rogat, cogitatio in rebus variis occupata ab ora-

E tione sensu discedat; * & inde adquirat peccatum, unde potuit habere remedium. Si enim apud aliquam potentem personam velles aliquam caussam necessariam allegare, & subitò aversus ab illo, media interlocutione disrupta, aliquibus te velles occupare scurrilitatibus; qualem te putas injuriam illi personæ cum qua loquebaris, inferre? quomodo contra te illius iracundiam commoveres? Si ergo cum homine loquentes, tota intentione animi laboramus, ne aliud cogitantes illi cum quo loquimur injuriam facere videamur; cum Deo in oratione loquentes, & ante tantam majestatem peccatorum nostrorum miserias allegantes, non nos pudet & non erubescimus,

F captivis sensibus huc illucque discurrere, & infelicem mentem multis occupationibus à conspectu divinæ majestatis abstrahere? Et ideo unusquisque, antè quàm in oratione procumbat, omnes cogitationes superfluas ab animi sui intentione, Deo auxiliante, repellat: ut anima nostra sancti Spiritûs fervore succensa, omne vitium compunctionis vel orationis igne consumat, & vagas ac volaticas cogitationes longè dispergat: ut solæ virtutes tantùm & sanctæ meditationes in cordibus nostris locum semper inveniant.

Evagationes mentis in oratione.

* V. Serm. 140. n. 1.

Deum summè lædunt.

4. [* Omnis enim homo, Fratres carissimi, quod tempore orationis adtentiùs cogitat, hoc sibi pro Deo con-

G stituit, & hoc quasi Deum habere & quasi Dominum videbitur adorare. Quæ res, Dilectissimi, nimiùm mihi aliquotiens intolerabilem dolorem incutit & tremorem, cùm in ipsa orationis intentione mens ad diversas occupationes sæculi rapitur: & cùm videtur aliud agere, longè alibi cognoscitur cogitatione discedere; quasi sit aliquid, quod plus cogitare debeamus. Quando cum Deo loquimur, nil nobis aliud est cogitandum, nisi ut toto corde & toto animo & tota mente peccatorum indulgentiam

* Uncinis distincta desiderabantur in Bibliotheca Patrum: Hoc enim quasi adoratur, quod adtentiùs cogitatur.

Quid tum unicè cogitandum.

Classis IV.

A gentiam & Dei gratiam debeamus expetere. Verbi gratiâ cuicumque fortè in oratione subripitur ut forum cogitet: si forum cogitat, forum adorat. Subripitur illi ut domum, quam fabricat aut reparat, ante oculos proponat: quod ante oculos habuerit, hoc adorat. Fortè vineas aut hortum aut aliud aliquid cogitat: quod ante oculos cordis proposuerit, hoc in illa oratione adorat. Taceo de malis & fortè etiam turpibus cogitationibus vel immundis.] Considerate, Fratres carissimi, quæso vos, & videte quàm sit dura ista captivitas, ut lingua quasi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad terram & parie-

B tes vel lapides dirigatur. Et si ista quæ licitè alio tempore vel cogitare possumus vel videre, nimis durum est ut nobis in oratione subrepant; putas illa quæ etiam alio tempore illicitè cogitantur, quantum mali erit, si ea in oratione positi cogitemus; id est, si cupiditatem, si odium, si iracundiam, aut luxuriam, vel adulteria & cetera his similia inclinati ad orationem ante cordis nostri oculos proponamus? Unde, Fratres carissimi, totis medullis conscientiæ Dominum deprecemur, ut nos ab ista ludificatione dæmonum liberare, & peccatorum nobis indulgentiam donare dignetur.

Si hæc de licitis, quid de illicitis cogitationibus.

5. Et ideo, dilectissimi Fratres, iterum atque iterum rogo, si fieri non potest ut istas captivitates animæ ad in-

C tegrum possitis evadere; vel quantum possumus, auxiliante Domino laboremus, ut eas vel tardiùs incurrere videamur: ne fortè per negligentiam dum orantes aliud cogitamus, inde apud Deum inveniamus offensam, unde potueramus adquirere gratiam. Oremus ergo, Fratres, non solùm pro nobis, sed etiam pro omnibus, ubicumque sint, Christianis: nec solùm pro amicis, sed etiam pro inimicis Dei misericordiam deprecemur. Et quia beatus Apostolus dicit, *Quid oremus sicut oportet nescimus*; hoc semper & pro nobis & pro omnibus aliis supplicemus, ut nobis Deus hoc dignetur concedere,

D quod novit nostræ animæ convenire. Ante omnia, Fratres, orationem Dominicam in oratione dicamus: quia sine dubio libenter orationem exaudit, quam ipse pro ineffabili sua benignitate instituit. * Hæc ergo, Fratres carissimi, si Deo inspirante, sicut consuevistis, libenter accipitis, & nobis facietis gaudium, & vobis præparabitis regnum: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui regnat cum Patre & cum Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Pro quibus & quid orandum.

Rom. 8. 26.

** Sic ferè clauditur Serm. 205.*

*SERMO CCLXXXIV.

** Aliàs 5. in Appendice ad Sirmondianos.*

E

De quadam psallendi consuetudine, in die Epiphaniæ.

Spurius Sirmondi judicio, & ab ipso in Appendicem post Sermones quadraginta, quos Augustini nomine publicavit, non injuriâ relatus. Pertinet quippe non ad Augustinum, cui in Regio codice adscribitur; sed ad Cæsarium, cujus sancti Præsulis ad promovendum Dei cultum in psalmorum ac hymnorum cantu aliisque sacris ritibus, curam & studium testantur cùm Vasensis II. Concilii ipso auctore conditi canones, tum etiam vitæ ejus conscriptores, qui præter alia illud in lib. 1. n. 11. maximè ad rem commemorant: Voluit verò atque etiam compulit laïcos & populares homines psalmos & hymnos promere, altaque & modulata voce, instar clericorum, alios Græcè, alios Latinè prosas & antiphonas decantare. *Sermonem fortean titulus in die Epiphaniæ dictum significat.*

Cæsarii I. S. LXXXIII. Gaudium ipsius de nova psallendi consuetudine.

F 1. GAUDIUM, quod mihi Dominus de vestra sancta & fideli devotione concessit, verbis non prævaleo explicare. Plures enim erant anni, quòd pro hac re æstuabat animus meus, & tota cordis intentione desiderabam, ut istam psallendi consuetudinem vobis pius Dominus inspiraret. Unde benedico Dominum meum, & quantas possum jugiter gratias ago, qui dignatus est implere desiderium meum. Cùm enim vos ego ita psallere desiderarem, quomodo in aliis vicinis civitatibus psallebatur; taliter Deus præparavit animum vestrum, ut hoc etiam meliùs, adjuvante Domino, compleatis. Quid

G nunc inter ipsa gaudia nostra agere convenit, nisi ut tota viribus Domino supplicemus, ut quomodo dedit initium, etiam consummationem dare dignetur; & quibus tam sanctam psallendi contulit devotionem, etiam felicissimam perseverantiam pro sua pietate concedat? Et quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit; & vos quantum potestis, jugi oratione & cordis compunctione ignem in vobis divini amoris accendite; ne fortè flamma caritatis, quæ in vobis fervere fideliter cœpit, per aliquam negligentiam refrigescat.

2. Et hoc ante omnia non solùm orationibus, sed etiam sanctis cogitationibus studete, ut quod verbis psallitis, orationibus impleatis, & Spiritus-sanctus, qui vobis sonat in ore, ipse etiam habitare dignetur in corde. Bonum quidem est & satis acceptabile Deo, quando lingua fideliter psallit; sed tunc est verè bonum, quando linguæ concordat etiam vita. Consentiant simul voces & mores; ne fortè bonæ voces contra malos mores testimonium ferant, & ipsa vos lingua vestra redarguat. Si enim aliud sonat in ore, & aliud apparet in opere; quod lingua videtur ædificare, incipit conversatio mala destruere. Vos verò, Fratres, non solùm suavitas vocis, sed etiam sensus ipsius lectionis teneat occupatos; ut quomodo sonus vocis delectat in auribus, sic virtus ipsius lectionis dulcescat in cordibus, secundùm illud quod scriptum est, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine!* & iterum, *Eloquia Domini desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Qui enim quando psallit, suavitatem tantummodo vocis & compositionem cujusque soni adtendit, & quid in ipsis intelligi debeat non adtendit, aures ejus accipiunt transitorium cibum, sed ad animam ejus non pervenit Dei verbum; ac si velut ceram quodammodo quis ruminat, & de mellis dulcedine omnino non gustat.

Linguæ concinant mores.

Vocibus consonent affectus pii.

Psal. 118. 103.

Psal. 18. 11.

3. Vos verò, Fratres, sicut jam suprà suggessi, ante omnia virtutes Psalmorum intus adtendite. Quando quisque vestrûm psallit versiculum Psalmi, ubi ait, *Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me*; conetur superbiam fugere, ut æternam confusionem mereatur evadere. Quando psallimus, *Perdes omnes qui fornicantur abs te*; omnes malas concupiscentias studeamus evadere. Quando psallimus, quòd *beatus est vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte*; superfluas occupationes & mordaces jocos, * otiosos luxuriososque sermones, quasi venenum diaboli respuamus, * & lectionem divinam aut ipsi frequentiùs relegamus, aut si nos ipsi legere non possumus, illos qui legunt libenter & frequenter audire studeamus. Quotiens psallimus, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem reducat.* Quando ista & alia dicimus, ne ipsi contrà nos tam duram maledictionem proferre videamur, nulli umquam hominum malum pro malo reddamus; ut * cum secura conscientia possimus dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et quia longum est omnia replicare, quæ de istis tribus aut quatuor peccatis, id est, superbiâ, fornicatione vel odio diximus, hoc de reliquis omnibus vitiis sentiamus. Et quotienscumque in Psalmis peccatores maledicuntur, studeamus peccatum fugere; ne ipsi nos videamur ore proprio maledicere. Quotiens in Psalmis justi, misericordes, sobrii, casti vel humiles collaudantur, tales esse cum Dei adjutorio laboremus; ut benedictio, quæ ad illos dirigitur, etiam ad nos divino munere proferatur. Iterum atque iterum rogo atque supplico, ut quotienscumque psallitis, quid in ipsis Psalmis intrinsecùs intelligi vel observari debeat, adtentiùs cogitetis; ut dum lingua vestra Dominum laudat, ad animam vestram benedictio divina perveniat: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Qualiter inter psallendum concipiantur.

Psal. 118. 78.

Psal. 72. 27.

Psal. 1. 2.

** V. Serm. 173. n. 4.*

** V. Serm. 140. n. 2.*

Psal. 7. 5.

** Sic Serm. 28. n. 4. 271. n. 6. & 275. n. 6.*

Matth. 6. 12.

*SERMO CCLXXXV.

** Aliàs ex Vignerianis 8.*

De ritu psallendi &c.

Superiori Sermoni in Regio codice proximè subjicitur, cum hocce titulo, De eodem: *quemadmodum jam antè monuit * idem Sermonis editor Vignerius. Cæsarii venam & mentem non minùs refert quàm superior.*

Cæsarii S. LXXXIV.

1. SUPPLICO, Fratres carissimi, & paterna pietate commoneo, ut quotienscumque oratio indicitur, * qui fortè pro aliqua infirmitate non potest genua flectere, & dorsum incurvare, vel cervicem humiliare non differat. * Quid tibi prodest quòd fideliter psallis, si postea quàm psallere desinis, Deo supplicare nolueris? Et ideo unusquisque, quando psallere cessaverit, cum omni hu-

** V. Serm. subseq. n. 1.*

Ad orationem genua flectantur.

** Hic fortè aliquid deest.*

CLASSIS IV.

[Hæc Psalmorum cantum consequatur.] [* Mancus & iste locus.]

militate oret & supplicet Domino; ut quod verbis protulit ex ore, Deo auxiliante, implere mereatur in opere. Sic est psallere, Fratres, quomodo sementem * iterum orando sepelire vel tegere. Sicut enim qui seminat in agro, si arando cooperire dissimulaverit, venient volucres, & totum quod seminatum esse videbatur diripient; ita qui in agro cordis sui seminaverit verbum Dei, & psallendo vel legendo adsperserit, nisi postea orando in corde suo recondiderit, & quodam modo sepelierit, venient volucres, id est, cogitationes sæculi hujus, volatiles, inanes & vacuæ, & rapient quod in corde fuerat seminatum. Et ideo ubi cessaverit aliquis psallere, non cesset orare, si vult in agro cordis sui messem divinæ misericordiæ proficere.

[Ne stando fiat.] [* V. Ser. subseq. n. 1.]

2. Rogo vos, Fratres, quotiens in altario oratur, & vos inclinate capita vestra; ne fortè si stantes vultis orare, impleatur in vobis illud quod de Pharisæo scriptum est qui stans orabat: plus enim placuit Deo Publicanus, qui incurvatus accusabat peccata sua, quàm ille Pharisæus qui stans laudabat merita sua. Et illud observate, Fratres, ne fortè dum alii orant, alii otiosis fabulis occupentur: * ne de medicamentis sibi vulnera faciant, & inde se perdant unde se liberare potuerant. Qui hæc faciunt, & pro se & pro aliis quos impediunt, malam rationem sunt in die judicii reddituri. * Et hoc admoneo simul & rogo, Fratres, quotiens clamatum fuerit, ut vos benedictioni humiliare debeatis, non vobis sit laboriosum capita inclinare; quia non vos homini, sed Deo humiliatis.

[* Infrà Serm. 288. n. 2.] [* Sic Serm. subseq. n. 5.]

[Dolet ad vigilias tardiùs venientes.] [& verbum Dei negligentes.]

3. Et licèt, Fratres carissimi, de vestra ferventi devotione multùm gaudeam; tamen quia sunt aliqui, qui tardiùs ad vigilias veniunt, & ubi verbum Dei recitari cœperit, citò discedunt, rogo ut eos admoneatis, & vestro sancto ac salubri consilio ut vos imitari debeant provocetis. Quantum est hoc, Fratres mei, quod eos occupatos tenere videmur? Et ipsi videtis, quia vix est dimidiæ horæ spatium; cùm tamen, ut pauperes homines vel quosque artifices de suis non retardemus operibus, quotiens Sermo futurus est, maturiùs faciamus Psalmum quinquagesimum dici, ut non tardiùs, sed semper horâ consuetudinariâ de ecclesia exeatur. Et rogo vos, Fratres, si nobis inter tantas occupationes & intolerabiles labores non piget per diversa volumina Scripturarum excurrere, & cum grandi studio vobis medicamenta spiritalia providere; quare alicui ex nostris laboriosum sit accipere, cùm nobis non pigeat erogare? Et quia Sermo qui recitatur, * obedientibus erit in remedium, negligentibus in judicium; bene faciet unusquisque, si verbi Dei pluviam in agro cordis sui libenter exceperit: ne fortè si dissimulaverit remedium salutis accipere, posteà necesse sit illi guttam refrigerii inter inferni flammas inquirere. Illam pluviam dico, Fratres carissimi, nos desiderare debere, de qua Moyses dicit, *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum.* Certum est enim, Fratres dilectissimi, quia qualis est messis ista terrena, quotiens pluviam aut tardè aut post multos menses acceperit, talis est anima quæ verbum Dei frequentiùs audire noluerit. Et quia lex Dei non solùm pluvia, sed & * lumen est, secundùm quod scriptum est, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine:* qui lumen verbi Dei dedignatur accipere, timeat ne ei necesse sit æternas tenebras sustinere. Sed credimus de Dei misericordia, quòd per sanctam admonitionem & Deo placitam castigationem vestram, etiam negligentes ad fervorem sunt vestræ fidei suscitandi; ut & de vestra & illorum salute duplex gaudium habere possimus: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[* V. Serm. subseq. n. 1. & 288. n. 2.] [Verbum Dei pluvia.] [Deut. 32. 2.] [Verbum Dei lumen est.] [* V. Serm. 303. n. 3.] [Psal. 118. 105.] [V. Serm. 230. n. 4.]

SERMO CCLXXXVI.

Ut genua flectantur in oratione, & de verbis otiosis vitandis.

Cæsarianos inter Sermones exstat in MSS. & est in Bibliotheca Patrum homilia ipsius trigesima quarta.

[CÆSARII S. LXXXV.] [Ad preces genua flectantur.]

1. Rogo & admoneo vos, Fratres carissimi, ut quotienscumque juxta altare à clericis oratur, aut oratio diacono clamante indicitur, non solùm corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter adtendo, diacono clamante, Flectamus genua; maximam partem velut columnas erectas stare conspicio: quod Christianis, dum in ecclesia oratur, omnino nec licet nec expedit, non enim propter nos, sed propter vos diaconus clamat. Et ideo quia ad vos specialiter vox illa, vel maximè ad negligentes dirigitur, justum est ut à vobis fideliter impleatur. Sit ergo vox illa obedientibus in remedium; quia inobedientibus erit in testimonium, propter illud quod scriptum est, *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Sed & illud timendum est, Fratres, quod Apostolus dixit, & omnimodis observandum: *Instate orationi vigilantes in ea:* & iterum, *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Et Dominus, *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem:* & iterum, *Oportet semper orare & non deficere.* Et * ideo qui pro aliqua infirmitate non potest genua flectere vel dorsum curvare, vel caput non pigeat inclinare; considerans per hanc humilitatem Publicanum illum Dei misericordiam consecutum, qui ad cælum oculos levare non audebat, sed inclinato in terram capite pectus tundebat, & peccata intus inclusa quasi judex severissimus verberabat: & ideo meruit ut de eo Dominus dicere dignaretur, *Descendit hic Publicanus justificatus in domum suam magis quàm ille Pharisæus; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Exemplum etiam ipsius Pharisæi considerandum est & timendum: ne pro eo quòd stans oraverit, ideo non meruerit exaudiri.

[SERM. DE DIVERSIS.] [Jerem. 48. 10.] [Coloss. 4. 2.] [1. Thess. 5. 17.] [Matth. 26. 41.] [Lucæ 18. 1.] [Aut præ infirmitate dorsum & caput inclinentur.] [* Sermo superior n. 1.] [Id Publicanus observans audiitur.] [Lucæ 18. 14.] [Id negligens Pharisæus despicitur.]

2. Sed fortè sunt aliqui, qui ideo genua nolunt flectere, quia se credunt peccata gravia non habere. Avertat hoc Deus à sensibus Christianis. ILLE PERICULOSIÙS PECCAT, qui se graviter peccare non putat: & tunc maximè impugnationem sustinet, quando se impugnari non sentit. Sed dicit aliquis, Quis est qui se peccatorem esse non credat? Sine dubio ille se peccatum grave habere non credit, qui prostratus aut incurvatus animæ suæ remedium non quærit. Sed fortè timet aliquis ne pretiosis vestimentis suis injuriam faciat. Qui timet ne orando inquinentur vestimenta sua, plus timeat ne non orando sordida remaneat anima sua. Plus enim apud nos valere debet anima nostra, quàm tunica: & valde timendum est ne dum vestis nitida custoditur, multis peccatis ac negligentiis anima sordidetur.

[Hic negat in se peccatum esse grave.] [Si in vestibus macula, in anima potiùs timeatur.]

3. Vellem tamen scire de illis qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi satis necessarium aut à judice aut ab aliqua potenti persona expeterent, utrùm stantes & erecto capite negligenter & tepidè supplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & propè usque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remissionem peccatorum & æternam requiem inquirentes, nec capita nostra inclinare dignamur. Non ita legimus de beato Elia & Elisæo vel ceteris Sanctis, de quibus legitur, quòd frequenter prostrati in terram, ad Deum cum omni contritione oraverint. Et de ipso Domino nostro in Evangelio scriptum est, quòd procidens in terram ita oraverit, ut ab eo guttæ sanguinis stillarent. Quid enim indigebat Christus, ut taliter supplicaret? Non ille quidquam indigebat, sed nobis exemplo suo orationis remedia præparabat. Orat misericordia, & non orat miseria: orat caritas, & non orat iniquitas. Prostratus in terra orat Medicus, & non inclinatur ægrotus. Orat innocentia, & non orat nequitia: orat qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; & non prosternitur multis peccatis obnoxius. Orat Judex, & desiderat parcere; & non orat reus, ut indulgentiam mereatur accipere: orat judicaturus, & orare dissimulat judicandus. Non ergo pigeat, si infirmitas non prohibet, ut se unusquisque in terram prostratus humiliet.

[Hanc corporis demissionem homini exhibemus.] [4. Reg. 4.] [Eam in precibus exhibuerunt Sancti.] [Lucæ 22. 41. & 44.] [Et ipse Christus.]

4. Ad ecclesiam, Fratres, quasi ad fontem vivum & ad spiritalem fluvium, convenire debemus, ut accipiamus aquam illam vivam, de qua Dominus dixit, *Qui sitit, veniat & bibat: qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ:* & iterum, *Qui biberit aquam quam ego dabo, non sitiet umquam: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ad istum ergo fontem feliciter currit, qui ad ecclesiam fideliter venit. Sed sicut de fonte terreno & corporali fluvio non potest aliquis bibere, si se noluerit inclinare; ita & de vivo fonte Christo & sancti Spiritus fluvio nemo aquam vivam haurire poterit, nisi

[Aliter nequit de fonte gratiæ bibi.] [Johan. 7. 37.] [Johan. 4. 13. & 14.]

CLASSIS IV.

se humiliter inclinare voluerit; propter illud quod scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* A

5. Et illud similiter admoneo, Fratres carissimi, quotiens diaconus clamaverit ut vos ad benedictionem humiliare debeatis, & corpora & capita fideliter inclinetis; quia * benedictio vobis, licèt per hominem, non tamen ab homine datur. Nec adtendatis si fortè negligens est qui exhibet; sed Dominum respicite qui transmittit: benedictio enim quæ vobis datur, ros & pluvia cælestis esse cognoscitur. Sic enim & Moyses ait: *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, & sicut ros verba mea.* Et optimè nostis, Fratres, quia pluvia si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit. B Et ideo qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes, quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt: & impletur in eis illud quod scriptum est, *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Quid est, *Omnis vallis implebitur*, nisi, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur?* Quid est, *Mons & collis humiliabitur*, nisi, *Qui se exaltat, deprimetur?* Ipsi tamen in oratione genua flectere, vel capita sua benedictioni dissimulant inclinare, qui stantes in ecclesia magis eligunt verbosari quàm psallere.

6. Unde rogo vos, Fratres, admonitiones, immo preces nostras, libenter, sicut consuevistis, accipite: & venientes ad ecclesiam hoc solum quod in ecclesia fieri expedit, agite: id est aut orate aut psallite; ut & orando peccatorum veniam accipere, & psallendo ad spiritalem possitis lætitiam pervenire. C Qui enim in ecclesia ineptis & incongruis fabulis occupatur, quasi venenum & gladium reliquis hominibus ingerere vel præbere cognoscitur, * dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit. Qui enim talis est, & pro sua & pro aliorum destructione in die judicii redditurus est rationem. Sicut enim fideliter psallentes & humiliter supplicantes, & pro se & pro aliis, quibus exemplum vitæ præbuerint, accepturi sunt gloriam; D ita illi qui è contrario non ædificationis, sed destructionis exempla præbuerint, & pro se & pro aliis passuri sunt pœnam. Qui psallere dissimulat, vel taceat & silentium præbeat; ut si se non ædificat, vel alios exemplo malo non destruat: quia timendum est illud quod Dominus in Evangelio dicit, *Omne verbum otiosum quodcumque locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* Rogo vos, Fratres, si extra ecclesiam occupari otiosis sermonibus malum est; putatis in ecclesia verbosari quale peccatum est?

7. * Diabolus enim, Fratres carissimi, tunc maximè impugnare nos consuevit, quando nos contra se spiritalibus E armis præparatos esse cognoverit: & quia nos non potest corporaliter de Ecclesiæ conventu repellere, in ipsa ecclesia infructuosis nos studet sermonibus occupare: ut nobis per inanes & vacuas, aut fortè etiam mordaces collocutiones ac sordidas cogitationes, divinæ lectionis fructum vel orationis remedium possit auferre: ut corpore tantùm videamur in ecclesia stare, & corde vel cogitatione longè à conspectu divinæ majestatis abscedere. Et ideo quantum possumus, cum Dei adjutorio contra illius insidias repugnemus, secundùm illud quod ait beatus apostolus Petrus, *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* F Et illud quod scriptum est, *Subditi estote Deo; resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Quapropter, Fratres carissimi, rogo vos ut contra istas durissimas captivitates animæ, auxiliante Domino, quantum possumus repugnemus: & otiosas fabulas, quas etiam extra ecclesiam noxias esse novimus, præcipuè intra ecclesiam quasi venena diaboli fugiamus. Et quotienscumque diaconus clamaverit ut aut in oratione genua flectere, aut benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter hoc & fideliter cum vera humilitate faciatis; ut & orando pectora vestra ab omnibus malis liberari, & benedictionem accipiendo bonis spiritalibus me- G reantur impleri: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium cum Patre & Spiritusancto in sæcula sæculorum. Amen.

Left margin notes: Jac. 4. 6. — Ante benedictionem divinis capita inclinanda. — * V. suprà Serm. 281. n. — Deut. 32. 2. — Luc. 3. 5. — In ecclesia vel orandum vel psallendum. — * Sic Serm. ... n. 3. & ... n. 2. — Garrientium duplex culpa. — Matth. 12. 36. — * V. Serm. ... n. 1. — Diabolus maximè contra instructos impugnat. — 1. Pet. 5. 8. — Jac. 4. 7. — Recapitulatio.

* SERMO CCLXXXVII.

De periculo Sacerdotis & de raptorum correptione.

Desumtus fuit ex Augustini Sermone 178. nihilque ferè diversum habuit, nisi in præfatione & in conclusione, quam idcirco noluimus hic desiderari.

1. SI diligenter adtenditis, Fratres carissimi, omnes sacerdotes Domini non solùm episcopos, sed etiam presbyteros & ministros Ecclesiarum, in grandi periculo esse cognoscitis. Ipsis enim contestatur Spiritussanctus dicens, *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*: & iterum, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* De ipsis etiam Apostolus dicit, *Obedite præpositis vestris & subjacete eis; ipsi enim pervigilant tamquam rationem reddituri de animabus vestris.* Si pro se, Fratres carissimi, unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere; quid de sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? Et ideo considerantes periculum nostrum, orate pro nobis, ut commissis nobis gregibus ita spiritalia pascua studeamus jugiter providere, ut pro eis rationem bonam reddere mereamur. Considerate ergo, Fratres carissimi, quid sit quod volo Vestræ Dilectioni suggerere: si tamen orantibus vobis merear, ut adjuvet me qui terret me [* Inter cetera præcepta sua beatus Apostolus hoc etiam ait, Episcopum potentem esse debere in doctrina sana contradicentem redarguere. Magnum opus, sed gravis sarcina. Sperabo tamen in Deum, quoniam adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, liberabit nos de laqueo venantium & à verbo aspero. Nulla enim caussa est, quæ magis faciat dispensatorem Dei pigriorem ad arguendos contradicentes, quàm timor verbi asperi.] Dum enim timemus detractiones, irrisiones & opprobria hominum superborum, dumque ab eis in terrena substantia metuimus prægravari, timentes perdere temporalia, minùs quàm oportet prædicamus æterna: & dum per illorum nequitiam aliquid mundanum perdere formidamus, peccatorum suorum vulnera medicamentis spiritalibus curare negligimus. Unde timendum est, ne & pro nobis & pro illis, quibus pro amore terrenarum rerum non loquimur, * duram rationem in die judicii reddere compellamur. Videamus ergo quid sit, contradicentes redarguere. Contradicentes non uno modo intelligendi sunt. Paucissimi enim nobis contradicunt loquendo, plurimi malè vivendo, * &c. Audirem & crederem, si quod abstulisti Judæo, redderes Christiano.

2. Fortè & hoc secum cogitat aliquis, & dicit, multi sunt Christiani divites, avari vel cupidi; non habeo peccatum, si illis abstulero, & pauperibus dedero: unde enim illi nihil boni faciunt, mercedem habere potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat unusquisque animæ suæ: quia hujusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur. Nam etiamsi totum tribuat quod abstulerit, addit potiùs peccata sua, non minuit. [Diximus contra unum vitium rapinarum * &c. Habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupiditatem. Hæc ergo, Fratres, si secundùm vestram consuetudinem fideliter & diligenter adtenditis, & impietatem avaritiæ vel cupiditatis poteritis evadere, & pro operibus misericordiæ ad æterna præmia feliciter pervenire, præstante Domino nostro, &c.

Right margin notes: SERM. DE DIVERSIS. — * olim 7 ex 50. homiliis, & post in Appendice 15. — Isa. 58. 1. — Ezech. 3. 18. — Hebr. 13. 17. — Sacerdotum onera. — * Ex Augustini Sermone 178. n. 1. Tenentur prædicare. Tit. 1. 9. — * Sic MSS At editi, loquimur dura. Contradicentes qui. — * Omissa repete ex August. Serm. 178. n. 2. 3. 4. & 5. 14. q. 5. Forte. — * Cetera habes in prædicto Serm. n. 6.

* SERMO CCLXXXVIII.

Castigatio ad eos qui uxores habent, & adulteria committere nec erubescunt nec metuunt, aut ante uxores, aut post uxores concubinas infelici consortio voluerunt adhibere.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustini nomine à Vignerio editus est; sed reclamant res & stilus, nec-non veteres codices per nos inspecti, qui Cæsario tribuunt, scilicet MSS. bibliothecæ Laudunensis Ecclesiæ, Abbatiæ Vallis Lucensis, &c.

1. ROGO vos, Fratres, ut adtentiùs cogitemus caussam salutis nostræ, ut & illa omnia quæ de futuro judicio scripta sunt, possimus evadere, & ad illam beatitudinem quæ nobis promissa est, mereamur feliciter per-

Right margin notes: * Aliàs ex Vignerianis 37. — CÆSARII S. LXXXVI. Virtutes quatuor necessariæ.

CLASSIS IV.

venire. Quantis possumus viribus, cum Dei adjutorio caritatem, justitiam, misericordiam, tantùm simul & castitatem servare tota intentione studeamus; ut ista cælesti & spiritali quadriga ad paradisi principalem patriam rapiamur. Eamus illuc interim corde; & cùm dies judicii venerit, sequemur & corpore: ut in nobis impleatur illud quod Apostolus dixit, *Nostra autem conversatio in cælis est*; & illud, *Cùm Christus apparuerit vita vestra, & vos cum illo apparebitis in gloria.* Nullam ergo de istis virtutibus quatuor minùs quàm expedit diligamus. Quid enim tibi prodest, si caritatem habere videaris, & justitiam habere non velis? Aut quid te adjuvare poterit, si misericordiam habere te dicas, & castitatem non habendo, te ipsum odio habeas, secundùm illud quod scriptum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Philipp. 3. 20. Coloss. 3. 4. Psal. 10. 6.

Castitas rara.

2. Et quia castitatem valde paucos servare velle cognoscimus, de ipsa castitate adtentiùs admonemus, propter illud quod scriptum est, *Neque fornicarij, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*: & illud, *Neque adulteri, neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Sed quod peius est multi sunt qui etiam cùm uxores videantur habere, persuadente diabolo castitatem dissimulant custodire; sed aut cum suis aut alienis ancillis, vel etiam uxoribus aut filiabus extraneis libidinis furore succensi, ita adulteria committere nec metuunt nec erubescunt, ut nec Dominum timeant, nec homines revereantur. Sed justum erat, Fratres, ut apud illos qui tales sunt, deberent tam frequentes & tot annorum admonitiones nostræ proficere: ut nec * de medicamentis sibi vulnera facerent, nec inde se occiderent, unde se vivificare poterant: quia * castigatio sacerdotis, sicut obedientibus ad gloriam, ita inobedientibus erit ad pœnam. Et quia illi, sicut jam dixi, neque Dominum reverentur, nec homines metuunt; vos qui Christo inspirante & fidem & caritatem fideliter custoditis, * si quando aliquos tam sacrilega peccata committere cognoveritis, & semel & secundò & tertiò castigate; & si vos audire noluerint, nec colloquium cum eis habete, nec ad vestrum convivium eos revocate, nec in illorum mensis cibum cum eis sumite, secundùm illud quod Apostolus ait, *Cum hujusmodi nec cibum sumere*; ut vel sic erubescant, dum se vident ab honestis & Deum timentibus exsecrari. Si enim quod suggero non fuerit factum, quicumque ille est qui fratrem suum aut vicinum suum adulteria committere novit, si illum arguere noluerit, in peccatis ejus particeps illius erit, secundùm illud quod scriptum est, *Si videbas furem, simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*; & illud quod ait Apostolus, *Non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Illi autem qui adulteros nec ipsi arguunt, nec in notitiam sacerdotibus sacrilegos ponunt, suspicionem nobis faciunt, quòd ideo illos non arguunt, quia & ipsi talia peccata committunt. Mihi enim sufficit, quòd grandi dolore animi & infinito gemitu clamo. Vos verò si à vestris & ab alienis peccatis liberi esse vultis, nolite parcere talibus; & si vos secretiùs & frequentiùs admonentes audire noluerint, facite hoc ad humilitatis nostræ notitiam pervenire, secundùm illud quod in Evangelio dicitur, *Corripe illum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, dic Ecclesiæ*: id est, pone in notitia sacerdotis. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus.* Sed quod pejus est, dum illi qui tantum malum committunt, ab aliquibus non solùm non corripiuntur, verùm etiam palpantur & blandè accipiuntur; ipsi ideo sacrilegia & crimina nutriunt, & sine ullo timore ac verecundia perpetrant. Sed nos timere illud debemus quod de Achar, qui de Ierico regulam auream furatus fuerat, scriptum est; quando pro unius hominis peccato super omnes ira Dei desævit, & non requievit furor Dei à populo, donec ille qui malum fecerat, Domino jubente, contereretur.

1. Cor. 6. 9. &c. — Adulteri multi. — Sæpe ab episcopo admonentur. — * V. suprà Serm. 140. n. 1. 173. n. 3. 174. n. 3. & 285. n. 2. — * V. Serm. 285. n. 3. — * Sic Serm. 265. n. 5. — Sed & ab unoquoque debent corripi. — 1. Cor. 5. 11. — Aliàs peccatorum fit particeps. — Psal. 49. 18. — Rom. 1. 32. — Correpti & non correcti ad episcopum deferantur. — Matth. 18. 15. &c. — Ob sceleratū unum quandoque punitur Respublica. — Josue 7. 1. &c.

Adulteria sibi putant viri licere.

3. Cùm enim illi de quibus loquimur uxores suas castas esse velint, qua conscientia nefanda committunt, & dicunt sibi licere quod eis omnino non licet; quasi alia præcepta viris Deus dederit, alia feminis? Dicat quicumque ille est, qua lege permittente crimina ista committat; cùm & divina & humana lege omnia adulteria puniantur. Ideo tamen hoc malum non prohibetur, quia à multis committitur. Sed quantò ab hominibus minùs A distringitur, tantò divino judicio graviùs vindicatur. *Nam illud quale est, quod in hanc impudentiam prorumpunt, ut dicant hæc tam crudelia mala viris licere, & feminis non licere? Nec adtendunt quòd viri & feminæ æqualiter sint Christi sanguine redemti, & simul sacrosancto lavacro sint abluti, & ad altare Domini accedentes, corpus & sanguinem Domini simul accipiunt, & non est apud Deum discretio masculi & feminæ, nec est personarum acceptor Deus? Ergo quod feminis non licet, similiter & viris non licuit umquam nec licere poterit. Sed infelix consuetudo intromissa est, ut si uxor inventa fuerit cum servo suo, puniatur; si autem vir cum mul- B tis ancillis in libidinis cloaca volutetur, non solùm non puniatur, verùm etiam à suis similibus collaudatur; & sibi invicem loquentes, quis hoc ampliùs fecerit, cum risu & cachinno stultissimo confitentur. Sed istorum risus in die judicii vertetur in planctum, & eorum joca convertentur in vulnera. * Et hoc illi faciunt, qui futurum Dei judicium nec credunt, nec metuunt.

SERM. DE DIVERSIS. — * Infrà Serm. 289. n. 3. & 309. n. 4. — Non eis magis licent quā feminis. — * Id suprà Serm. subseq. n. 6. — Peccata sunt mortalia.

4. Ego cum libera conscientia clamo pariter & contestor, quòd quicumque habens uxorem, adulteria commiserit, nisi pænitentia prolixa & uberes eleemosynæ subvenerint, & à peccato ipso cessaverit, & si quomodo solet fieri, subitò mortuus fuerit, in æter- C num peribit, nec illi nomen Christianum proderit: quia non solùm non fecit quod Christus jussit, verùm etiam quod Christus prohibuit perpetravit. Cùm enim etiam uxorem cognoscere, excepto desiderio filiorum, peccatum sit; quid de se cogitare aut quam spem sibi promittere possunt, qui conjugia habentes, per adulterium hoc sibi præparant, unde in infernum descendant, nec volunt audire Apostolum dicentem, *Tempus breve est, superest ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint*: & illud, *Ut sciat unusquisque suum vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderij, sicut gentes quæ spem non habent?* D Considerate quòd qui uxoribus, excepto desiderio filiorum, utuntur, si assiduas eleemosynas non dederint, sine peccato esse non possunt. Et si hoc de matrimonio legitimo dicitur, putas quid de illis futurum sit in die judicij, qui aut publica aut occulta adulteria committere sine ulla divini timoris consideratione præsumunt; de quibus scriptum est, *Peccatores & adulteros judicabit Dominus*; & illud Apostoli quod jam suprà dictum est, *Neque adulteri regnum Dei possidebunt?* Quid tibi prodest, infelix quicumque es ille, quòd Christianus vocaris, si peccato adulterii à regno Dei excludi merueris.

Quandoque etiam uxorem cognoscere non est sine peccato. — 1. Cor. 7. 29. — 1. Thess. 4. 4. — Hebr. 13. 4. — 1. Cor. 6. 9.

5. Et hoc rogo, Fratres carissimi, & admoneo Caritatem E Vestram, ut quicumque uxores accepturi sunt, virginitatem usque ad nuptias servent: quia quomodo nullus est, qui sponsam violatam velit accipere, sic nullus se debet ante nuptias adulterina commixtione corrumpere. Sed, quod pejus est, plures sunt qui sibi concubinas adhibent, antè quàm uxores accipiant: & * quia grandis multitudo est, excommunicare omnes non potest episcopus, sed cum gemitu & suspiriis multis tolerat & exspectat, si fortè pius & misericors Dominus det illis fructuosam pænitentiam, per quam possint ad indulgentiam pervenire. Et quia hoc malum in consuetudinem est missum, ut putetur non esse peccatum: * ecce coram F Deo & Angelis ejus profiteor, quòd sive ante uxorem, sive post uxorem, quicumque sibi concubinam adhibuerit, adulterium committit; & ex hoc pejus adulterium, quia cùm nulla ratione liceat publicè, hoc sine ulla verecundia quasi ex lege committat. Denique etiam ex hoc agnoscimus non leve esse peccatum, ut quoscumque ipsæ conceperint, non liberi, sed servi nascantur. Unde etiam & post acceptam libertatem, hereditatem patris nulla lege & nullo ordine accipere permittuntur. Etiam vide utrùm sine peccato esse possit, ubi decus generosi sanguinis ita humiliatur, ut de hominibus nobilissimis servi nascantur. Nam in tantum grave peccatum est, * ut G in civitate Romana qui voluerit uxorem ducere, si se virginem non esse cognoscit, ad accipiendam benedictionem nuptialem venire penitus non præsumat. Etiam vide quàm durum sit, ut cum illa quam optat ducere, benedictionem non mereatur accipere.

V. Ser. 309. n. 4. — Concubinatus valde frequēs. — * Ser. subseq. n. 5. — * Serm. 301. n. 4. — Peccatum nō putatur. — * Ita Serm. subseq. n. 4. — Adulterio pejus peccatum est. — * In eodem Sermone. — Consuetudo Romæ circa nubentes non virgines.

6. Sed quando ista suggessimus, timeo ne sint aliqui, qui nobis potiùs quàm sibi velint irasci. Sermo enim noster

* V. Serm. 292. n. 3.

noster quasi speculum Caritati Vestræ proponitur: & ideo quomodo matrona, quando speculum adtendit, in se potiùs quod tortum vidit corrigit, & non speculum frangit; ita & unusquisque vestrûm quotiens in aliqua prædicatione cognoscit fœditatem suam, justum est ut magis se corrigat, quàm contra prædicatorem, velut contra speculum velit irasci. Sic & illi qui aliquas plagas accipiunt, magis volunt vulnera curare, quàm medicamenta contemnere. Ne ergo etiam ex hoc aliquis dupliciter peccet, si contra spiritalia medicamenta irasci voluerit, non solùm patienter, sed etiam libenter accipiat quæ dicuntur: quia jam ex aliqua parte à malo cognoscitur declinare, qui salubrem castigationem voluerit libenter accipere; & cui mala sua displicent, jam illi ea quæ bona sunt placent, & sic quantò se à vitiis separaverit, tantò virtutibus propinquabit. Quod ipse præstare dignetur qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CCLXXXIX.

De castitate.

In Appendice nunc primùm collocatur. Remanserat inter Augustinianos, sed cum dubii Sermonis nota, apud Lovanienses: rejectus fuit ut supposititius per Verlinum & Vindingum. Ab eodem prorsus auctore editus est, à quo superior.

* *Aliàs de tempore 245.*

1. QUANDOCUMQUE castitatem, Fratres carissimi, secundùm quod decet & expedit, commendamus, fortè adolescentes & adhuc in viridi ætate positi dicunt, Juvenes homines sumus, continere non valemus. Quibus nos respondere & possumus & debemus, * ne fortè ideo castitatem custodire non possint, quia ampliùs manducant quàm expedit, & vinum ampliùs accipiunt quàm oportet, familiaritatem mulierum vitare nolunt, atque earum suspectam societatem habere nec metuunt nec erubescunt. Qui tales sunt, audiant Apostolum dicentem, *Fugite fornicationem*: & illud, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: & illud Salomonis, *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos.* Illi verò qui dicunt, quòd castitatem servare non possint, respondeant nobis utrùm uxores habeant, an non. Si habent, quare non adtendunt illud quod Veritas in Evangelio ait, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*: & quare non servant fidem uxoribus suis, quam sibi ab eis servari desiderant? Cùm enim vir à virtute nomen acceperit, & mulier à mollitie, id est, fragilitate; quare contra crudelissimam bestiam libidinem vult unusquisque uxorem suam victricem esse, cùm ipse ad primum libidinis ictum victus cadat?

2. Hoc loco fortè qui adhuc uxoribus non sunt conjuncti, dicunt se excusare posse, quia conjugia non habent, quibus fidem servare debeant; & propterea continere non possint. Istis qui istam falsam & miserabilem excusationem conantur prætendere, justissimè respondere & potest & debet, * quia nullus magis illicita vitare debet, quàm qui respuit quæ licebant. Cùm uxorem accipere liceat, & contra omnium Scripturarum auctoritatem adulterium committere numquam liceat; quare cum Dei gratia non accipis quod licet, & cum Dei offensa præsumis quod non licet? Velim tamen scire, si illi qui uxores non habent, & priùs quàm conjugiis copulentur, adulteria committere nec metuunt nec erubescunt, utrùm velint sponsas suas, antè quàm ad nuptias veniant, ab aliquibus adulteris violari? Cùm enim nullus sit qui hoc patienter accipiat, quare unusquisque sponsæ suæ non servat fidem, quam sibi ab ipsa servari desiderat? Quare uxorem virginem optat accipere, cùm ipse sit corruptus? Quare viventi uxori desiderat copulari, cùm per adulterium in anima jam ipse sit mortuus, secundùm illud quod scriptum est, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur?* & illud quod terribiliter clamat Apostolus, *Fornicatores judicabit Deus*: & illud, *Neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Et iterum, *Omnes adulterantes & adulteri tamquam clibanus corda eorum.*

3. Sed fortè putant aliqui, quòd feminis ante nuptias fornicari non liceat, sed viris liceat. Ista punienda, & nimiùm gravia mala, quod pejus est, ideo à multis viris sine ullo timore Domini committuntur: quia ita à pluribus in consuetudinem missa sunt, & ita vilia vel levia ducuntur, ut nec jam inter gravia crimina putentur. Nam in fide catholica quidquid mulieribus non licet, omnino nec viris licet. Uno enim pretio, id est, Christi pretioso sanguine redimuntur & viri simul & feminæ: in unam fidem vocantur, & in uno Ecclesiæ corpore congregantur; simul baptismi sacramenta percipiunt, simul ad altare ad accipiendum corpus & sanguinem Christi accedunt, simul utrique sexui præcepta donata sunt. Cùm hæc ita sint, qua fronte vel qua conscientia quod & viris simul & mulieribus non licet agere, soli viri se credunt impune committere? Sed & illi qui hoc facere præsumunt, pro certo cognoscant, quòd si citò se non emendaverint, & eis fructuosa pænitentia non subvenerit, & sic subitò de hac luce rapti fuerint; æterna illos flamma sine ullo remedio cruciabit.

4. Et illud quale est, quòd multi virorum ante nuptias concubinas sibi assumere non erubescunt, quas post aliquot annos dimittant, & sic postea legitimas uxores accipiant. Tractant enim apud se, ut priùs de multis calumniis & rapinis, & injustas divitias & iniqua lucra conquirant; & postea contra rationem plus nobiles quàm ipsi sunt vel ditiores uxores accipiant. Ecce quantis malis se obligant, qui non solùm luxuriæ, sed etiam avaritiæ vel cupiditati infeliciter servire desiderant. Unde coram Deo & Angelis contestor, atque denuntio ista mala & semper * prohibuisse, & numquam ei placita fuisse: quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere numquam licuit, numquam licebit. Sed quod pejus est, faciunt hoc multi viri * jure fori, non jure cæli; non justitia jubente, sed libidine dominante. Cùm enim Apostolus conjugia habentibus dicat, *Tempus breve est, & superest, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint*; & illud, *Abstinete ad tempus, ut vacetis orationi*: quomodo adulteras concubinas permittit habere, qui castitatem servare & in conjugiis positis præcepit? Pro qua re iterum atque iterum voce libera clamo, * quia qui ante legitimas nuptias concubinam sibi adhibere præsumit, pejus peccatum facit, quàm qui adulterium committit: quia qui adulterat, adhuc tam grave malum secretè vult agere, in publico autem aut metuit aut erubescit committere; ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentissima rem exsecrabilem, toto populo vidente, licenter se putat admittere.

5. Sed fortè illi qui isto peccato non sunt maculati, dicunt, Quare qui hoc agunt à communione non suspenduntur? Ideo enim tantum scelus à sacerdotibus minimè vindicatur, quia à multis admittitur. Si enim unus aut duo aut quatuor vel quinque mala ista facere præsumerent; & poterant & debebant non solùm à communione suspendi, sed etiam à colloquio & convivio Christiani populi separari secundùm illud Apostoli, *Cum hujusmodi nec cibum quidem sumere*: multitudo tamen peccantium, sicut jam * dictum est, prohibet sacerdotes Domini in illis distinguere. Faciunt tamen boni sacerdotes quod possunt, & cum perfecta caritate contendunt orare & suspirare jugiter, & gemitus ac rugitus effundunt; ut in quibus propter infinitam multitudinem non possunt severitatem vel disciplinam ecclesiasticam exercere, monendo vel orando pro eis possint eos vel aliquando ad pænitentiam provocare. Unde iterum atque iterum rogo pariter & contestor, ut qui uxorem optat accipere, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit: * quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa sua non merebitur: & impletur in eo quod scriptum est, *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Jam vide si pænitentiæ remedium non subvenerit, quid de illo erit, vel qua sententia eum necesse erit in futuro judicio subjacere, qui jam in sæculo benedictionem cum sponsa sua non fuit dignus accipere.

6. Et illud adtendite Fratres, si in tam gravi periculo sunt qui uxores non habent, & aut concubinas sibi adhibent, aut adulteria admittunt: quid de se infelices illi cogitant, qui fortè conjugia habentes adulterant, & insano furore vel crudeli infelicitate de judicio Dei desperant; qui nec supplicia inferni formidant, nec desiderant præmia æterna? Si enim fidem

Marginal notes: 1. Cor. 6. 18. Ephes. 5. 18. Eccli. 19. 2. — Matt. 7. 12. — Ezech. 18. 20. — Hebr. 13. 4. — 1. Cor. 6. 9. — Osee 7. 4. — Sexus uterque iisdem legibus tenetur. — Concubinatus. — * f. Deum. — Numquam licuit. — * Homil. aliàs 49. ex 50. cap. 2. — 1. Cor. 7. 29. — Ibidem 5. — * Confer Serm. antecedent. n. 5. — Adulterio scelerator est. — A multis admittitur. — Et ideo excommunicatione non punitur. — 1. Cor. 5. 11. — * Serm. antecedent. n. 5. — * In eodem Sermone. Benedictione nuptiali non dignus qui virgo non est. — Psal. 108. 18. — Adulteris deest fides.

CLASSIS IV.

haberent, utique Deo crederent, & venturum judicium cum tremore metuerent. Probatur enim quia hominibus credunt, & Deo non credunt; ut publicè, ubi homines vident, adulteria timeant, & secretè; ubi Deus videt, omnino non timeant. Si qualemcumque scintillam fidei haberent, sicut non permittunt servos suos in præsentia sua peccare; ita nec illi in conspectu Domini sui adulterare præsumerent. Sed de talibus clamat per Prophetam Spiritus-sanctus, *Dixit*, inquit, *insipiens in corde suo, Non est Deus.* (Psal. 13. 1.) Certum est enim quia non credit Deum esse, qui in tenebris & in occulto illa præsente Deo facit, quæ publicè facere præsentibus hominibus pertimescit: nescit infelix, quia *vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* (Psal. 33. 17.)

(Excusant se quos negotia diu ab uxoribus separant.) 7. Sed fortè dicit aliquis, Ecce compellente negotio aut jubente rege ab uxore tot mensibus aut annis separatus, quomodo castitatem servare possim? Cui justissimè responderi potest, ut redeat ad uxorem suam. Sed cùm hoc negotiatori dixero, potest mihi dicere, quia si negotium dimiserit, non habeat unde vivat. Militans dicit, si exercitum dimisero, iracundiam regis incurro. Istis talibus veraciter dici potest, si timet regem, & ideo non redit ad uxorem suam propriam; debet timere Deum, ut non tangat alienam. (Inde se damnant.) Nam quomodo illum, qui non jussus relicto exercitu revertitur ad uxorem suam, rex potest occidere; sic & illum qui longè positus adulterat, potest Deus perpetuâ pœnâ damnare. Rogo vos, Fratres carissimi, si propter negotii necessitem & regis jussionem unusquisque ab uxore sua interdum etiam longo tempore separatur; quare propter Deum & animam suam tam longo spatio temporis castitas non servatur? Meretur ergo negotium, meretur regis jussio, ut tantis diebus non agnoscatur uxor propria: & non meretur amor & jussio Dei, ut non contingatur aliena? Sed qui hoc propter negotiandi lucrum & regis imperium servant, & propter Deum servare dissimulant; sciant qui talia agunt, quòd si eis non pænitentia subvenerit, cùm ante tribunal Christi stare cœperint, ab auditu malo liberari non poterunt: sed dicetur illis, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* (Matth. 25. 41.)

(Militum petulantia reprimitur.) 8. Et illud quale est, quòd aliquotiens vir fortissimus procedens ad prœlium fortè non minùs decem inimicos occiderit, & ex ipsa victoria aliquam puellam de præda accipiens, dum cum illa per adulterium jungitur, anima sua peccati gladio interficitur. Et videte quantum malum sit, ut aliquis crudelior exsistat in se, suam animam occidendo per luxuriam, magis quàm per carnalem victoriam adversariorum corpora trucidando. Verè lugendum est & dolendum, ut ille qui, sicut jam dixi, decem adversarios vicit, ab una muliere superetur; & qui tot inimicos occidit in corpore, ab una puella juguletur in corde. Verè nimis grave malum est, ut vir fortis qui ferro non vincitur, libidine superetur; & eum mollia aut blanda subvertant, quem dura non superant; & qui esse captivus vel servus hominibus dedignatur, servus esse peccati mereatur; cùm indignius sit mente servire quàm corpore, secundùm quod scriptum est, *A quo enim quis vincitur, hujus & servus efficitur.* (2. Petr. 2. 19.)

9. Hæc ergo, Fratres carissimi, si vobis ego non dixero, rationem pro animabus vestris in die judicii redditurus ero. Quicumque autem magis mihi irasci, quàm se emendare voluerit, * non habet unde per ignorantiam se possit ante tribunal æterni Judicis excusare; ut dicat se non fuisse admonitum, nec à malis prohibitum, nec ad ea quæ sunt Deo placita castigatione & admonitione frequentissima provocatum. (* Sic Serm. 45. n. 4. & 281. n. 5.) Sed credimus de Domini misericordia, quòd ita negligentibus quibusque inspirare dignabitur, ut sibi magis vel peccatis suis quàm medicamentis sacerdotalibus irascantur: & quomodo ægrotantes à carnalibus medicis requirunt sanitatem corporum, sic à spiritalibus medicamenta desiderent animarum. Sed confidimus quia præstabit hoc divina misericordia, quòd ita nobis de sua emendatione studebunt gaudium facere, ut ad æternum mereantur præmium feliciter pervenire: præstante Domino nostro, &c.

SERM. DE DIVERSIS.

* SERMO CCXC.

(* Aliàs de Tempore 248.)

De continentia.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ambiguus erat Lovaniensibus, Verlino autem & Vindingo falsus. Incerti auctoris est, in Benedictina regula exercitati. Stilo à subsequente Sermone non multùm recedit.

1. ADMONET nos lex divina & exhortatur, Fratres carissimi, ut concupiscentiam hujus mundi devitantes, continentiæ salubri operam demus; ne nos illecebra voluptatum per varia ducat desideria, & laqueo mortis irretitos, in præcipitium & voraginem tradat inferni. (Continentiæ precepta & necessitas.) Loquitur Sapientia homini, & dicit, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere: si præstas animæ tuæ concupiscentiam ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* (Eccli. 18. 30. & 31.) Amor enim istius mundi parit inimicitiam Dei: unde scriptum est, *Qui vult amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* (Jacobi 4. 4.) Hoc enim apostolus sciens Johannes, persuadet nos, & dicit, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia spiritûs.* (1. Johan. 2. 15. & 16.) Hoc & coapostolus ejus Paulus rursus monet, & dicit, *Qui emunt, sic sint quasi non possidentes; & qui hoc mundo utuntur, quasi non utantur: præterit enim figura huius mundi.* (1. Cor. 7. 31.) Unde & ipse Salvator in parabola sua ostendit, quòd divitiæ & voluptates sæculi suffocant verbum; ita ut non referat fructum: (Matth. 13. & 22.) & alibi præcepit, dicens, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* (Matth. 16. 24.) & item, *Qui non renuntiaverit*, inquit, *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* (Lucæ 14. 33.) Hæc igitur considerantes, Fratres carissimi, perpendite quantum necessaria vobis sit continentia, per quam Christi discipulatu condigni, ad regnum potestis cum eo venire perpetuum.

2. * Continentia verò & sobrietas non in sola integritate carnis consistit; sed etiam in cultu & ornatu, vita pariter & moribus consistit. (* Ita Cyprian. de disciplina & hab. virg. In quibus cōsistat.) Debet enim unusquisque continens esse ab omnibus illicitis: his autem quæ licita sunt, debet cum modestia & sobrietate uti. Non enim decet Christianum sæculi lucris inhiare, cui promissum est regnum cæleste; sed suo Domino per continentiam condignè vivere, ut possit cum eo in perpetuum gaudere. Castitatem debet amare, & fornicationem fugere; non avaritiæ studere, sed victu & vestitu contentus esse; non superbire, neque sperare in incerto divitiarum, sed humiliter sentire, & mundi pompam contemnere. Non debet esse vaniloquax & arrogans, non mendax neque injuriosus, neque bilinguis, non susurro neque detractor: sed * veritatem debet ex ore & corde proferre, linguam suam à multiloquio temperare; (* V. Reg. Benedict. c. 4.) quia scriptum est, *In multiloquio non effugies peccatum;* (Prov. 10. 19.) oculos contra vanitatem claudere, auditum à scurrilitate & falsitate, immo ab omni eloquio malo avertere; * risum excelsum & excussum non amare; (* Ex eodem cap. Benedict. regulæ.) guttur & nasum ad illecebram dulcium ciborum & suavium odorum non libenter adhibere, sed magis bonum & suavem odorem virtutum appetere; manus & pedes & omnia membra corporis sollicitè custodire; ne fiant arma iniquitatis peccato, sed magis potentiæ arma Deo ad destruendum spiritalem inimicum. (Rom. 6. 13.)

(Præcipua illius pars cordis custodia.) 3. Cor quoque debet miles Christi ante omnia sollicitâ custodiâ servare; ne fortè illud jactantia extollat, ira inflammet, invidia perforet, avaritia infestet, libido exurat, tristitia gravet, torpor & ignavia oneret: & ne illud, quod cunctis gravius est, per novitatum præsumtiones hæresis scindat. Qui enim cordis occulta per continentiam quieta servare intus contendit, utique & membra corporis faciliùs contra pravos actus foris custodit: scriptum est enim, *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit;* (Prov. 4. 23.) item alibi, [a] *Mors tecum in introitu delectationis posita est:* & Salvator in Evangelio, *Bonus*, inquit, *homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum:* (Matth. 12. 35.) & item, *De corde*, ait, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes.* (Matth. 15. 19.) Cùm ergo, Fratres, de cordis radice fructus sive boni sive mali exeant; necesse est ut primùm

[a] Hunc ipsum locum reperies in Benedictinæ Regulæ cap. 7. in Bernardi Ser. 3. de Nativit. Domini, nec-non in Actis S. Sebastiani cap. 4.

cor mundemus, deinde carnem nostram per jejunia & vigilias ad laborem utilem castigemus, ne carnis libido mentem maculet. Difficile est enim, ut* in die deliciis viventes mundum cor habeant. Unde dixit Apostolus, *Castigo corpus meum, & in servitutem subjicio; ne fortè cùm aliis prædicem, ipse reprobus efficiar*: & item, *Qui autem Christi sunt*, ait, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Sobriè*, quippe, *& piè vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*; ut cùm venerit in majestate sua cum sanctorum Angelorum millibus, pro bonis laboribus & sancta conversatione reddat nobis præmia vitæ æternæ potiùs, quàm pro desidia & voluptate præsentis vitæ cruciatum retribuat sempiternum: quia veraciter de eo scriptum est, quòd reddat singulis secundùm opera, Jesus videlicet Christus, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*SERMO CCXCI.

De castitate & munditia.

In Appendice nunc primùm collocatur. Relictus fuerat in Lovaniensium editione dubius, Verlini verò & Vindingi sententiâ repudiatus fuit, quòd scilicet eo contineatur Alcuini libri de virtutibus & vitiis caput octavum-decimum.

1. GLORIOSUM & insignem inter ceteras virtutes castitas & munditia locum tenet, Fratres carissimi; quia ipsa sola est quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum. Unde ipsa Veritas ait, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: ac si è contrario diceret, Illi verò miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentia polluta; quia æternas merguntur in pœnas. * Castitas enim angelica est vita. Castitas cum humilitate Spiritus-sancti merebitur habitationem, quam expellit immunditia libidinum, dicente Scriptura, *Corpus peccatis subditum Spiritus-sanctus effugiet*. Membra nostra debent Deo esse dicata, non fornicationi. Opponat homo desiderio carnis suæ æternorum flammas tormentorum. Assuescat juvenis castitatem; ut sit dignus sapientiâ Dei. Ubi immunditia est corporis, ibi habitatio diabolici spiritûs, qui maximè gaudet in inquinatione carnis nostræ. Omnes immunditiæ Deo displicent, & maximè quæ non sunt naturales.

2. Admonet itaque nos Scriptura sancta, dicens, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere: si præstas animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis venire*. Ejus quoque modi Salomon sapientissimus proferebat sententias de cavenda immunditia, dicens, *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt ad mortem, & ad inferos gressus illius penetrant: per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus illius & investigabiles. Nunc ergo, fili, audi me, & ne recedas à verbis oris mei: longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domûs eius*. Hoc siquidem non solùm de meretricum immunditia dixit, sed etiam de omni carnis concupiscentia, quæ sollicitat animam suam consentire suis desideriis. Sed ratio mentis prohibere debet impetus carnis, & refrenare voluptates ejus iniquas. Item ille qui suprà prohibens cohabitationem feminarum juvenibus dicit, *Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam*. Similiter & beatus Apostolus admonet nos, *Bonum est*, inquiens, *mulierem non tangere*: quasi statim in tactu periculum esset.

3. Pulcra est enim casta juvenum pudicitia, & Deo amabilis, & ad omne bonum utilis. Qui filios habet spiritales vel carnales, nutriat illos in castitate Deo, non in fornicatione diabolo. Quid prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutriat tormentis? Qui in castitate vivunt, angelicam habent in terris conversationem. Castitas hominem cælo conjungit, Angelis facit civem. Qui mulierem habet legitimam, legitimè utatur eâ temporibus opportunis, ut secundùm Apostolum possit vacare orationi, & benedictionem mereatur filiorum à Deo accipere. Nemo dicat, à fornicatione se custodire non posse. *Fidelis enim est Deus*, dicit Apostolus, *qui non permittit nos tentari supra id quod portare possumus; sed faciet cum tentatione proventum*. Talis unicuique homini tentatio datur sive in carnis desiderio, sive in ambitione sæculi, vel etiam in quacumque tentationis molestia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio succumbere poterit. Omnibus enim castitas pernecessaria est, sed maximè ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui à nullo carnis contagio corrumpantur, sed potiùs continentiâ castitatis splendeant, & totius honestatis fulgeant in populo exemplis: * quibus Dominus per Legislatorem dicit, *Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester*. Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ: nec aliqua fœditas ei sociari potest. Et ideo, Fratres carissimi, sive viri, sive feminæ, sive clerici, sive laici, secundùm Apostoli admonitionem, *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei*. Studeamus, ut ei qui ad æternam suam gloriam nos vocavit, placeamus; quatenus cum eo feliciter in æternum regnare possimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat, &c.

*SERMO CCXCII.

De castitate conjugali.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubius est Lovaniensibus, spurius Verlino & Vindingo. Cæsarium manifestè refert, sed non purum. Additamentis quibusdam series orationis nonnumquam interpolata videtur & dissoluta.

1. MAGNUM mihi gaudium facitis, Fratres carissimi, dum in sollemnitatibus Martyrum tanta devotione fidei ad ecclesiam convenitis. * Sed si vultis, Deo auxiliante, & vestrum profectum & nostrum gaudium spiritaliter adimplere, ita inter vos & pacem & caritatem, inspirante Domino, conservate, ut contra hominem nullum odium habeatis in corde. * Pro bonis orate, ut semper ad meliora proficiant, pro malis assiduè supplicate, ut citò se corrigant: & secundùm præceptum Domini, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite omnibus*. Tunc enim in veritate pax & justitia & misericordia custoditur; quando non solùm nullis hominibus malum facimus, sed etiam ubicumque potuerimus, adjuvare contendimus. Si ergo hæc Christo adjuvante fideliter agamus; beatos Martyres in his quæ suprà diximus, præcipuis & præclaris operibus imitantes, partem cum illis in æterna beatitudine habere poterimus. * Et tunc pro nobis absque ulla dubitatione sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt. Castitatem ante omnia cum Dei adjutorio custodite, propter illud quod scriptum est, *Neque adulteri regnum Dei possidebunt*: & illud, *Fornicatores & adulteros judicabit Deus*. Pueri vel puellæ qui in conjugio conjungendi sunt virginitatem usque ad nuptias servent. Nam si ante legitimam conjunctionem per adulterium corrupti fuerint, ad nuptias corpore quidem vivi veniunt, sed in anima mortui comprobantur: quia scriptum est, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*.

2. * Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos aut jam natos occidat; quia quæcumque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum caussam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcumque fecerit hoc per quod jam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat. Mulier autem ingenua, quæ mortiferas potationes accipit ut non concipiat, velim scire si hoc ancillas vel colonas suas facere velit. Et ideo sicut unaquæque vult, ut sibi mancipia nascantur quæ illi serviant; ita illa quantoscumque conceperit, aut ipsa nutriat, aut nutriendos aliis tradat; ne fortè illos aut concipere nolit, aut, quod gravius, occidere velit, qui boni Christiani poterant fieri generati.

3. Quotiens ad ecclesiam in qualibet sollemnitate ve-

Margin notes, left column: Cassis IV. ... Galat. 5. 24. Tit. 2. 12. ... Matth. 16. * Aliàs de Tempore ... Castitatis ... Matth. 5. 8. Alcuini de Virtutibus & vitiis cap. 18. ... Immunditia diaboli habitatio quo imprimis refrenetur. Eccli. 18. 30. Quid declinando cavea... Prov. 5. 3. ... Prov. 6. 27. 1. Cor. 7. 1. Ad laudem castitatis redicitur. Ibidem. 5.

Margin notes, right column: SERM. DE DIVERSIS. Hæc omnes excedit vires. 1. Cor. 10. 13. Ministris Christi pernecessaria est. * Hactenus Alcuinus. Levit. 19. 2. 2. Cor. 7. 1. * Aliàs de Tempore 244. CÆSARII Sermo LXXXVIII. * Sic Ser. 283. n. 1. * V. Serm. 210. n. 6. 269. n. 2. & 271. n. 6. Matth. 7. 12. Pax & justitia vera. Pro quibus Martyres intercedant. * V. Serm. 224. n. 1. 1. Cor. 6. 9. Hebr. 13. 4. Virginitas ante nuptias. Ezech 18. 20. Nil mulier ad abortum accipiat. * Serm. 167. n. 3. Quàm rea quæ facit unde non possit concipere.

CLASSIS IV.

nitis, & sacramenta Christi percipere volueritis, * ante dies plures castitatem servate; ut cum secura conscientia ad altare Dei possitis accedere. Quam rem etiam per totam Quadragesimam, & usque ad clausulam Paschæ fideliter custodite; ut vos sollemnitas paschalis castos & puros inveniat. Qui enim bonus Christianus est, non solùm ante dies plures quàm communicet, castitatem servat; sed & uxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscit: quia uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur. Denique & ipsæ tabulæ matrimoniales hoc continent, Liberorum, inquit, procreandorum causâ. Videte quia non dixit libidinis causâ; sed liberorum procreandorum. Velim tamen scire, Fratres carissimi, ille qui uxore sua incontinenter utitur, si quotiens se luxuriâ victum agnovit, totiens suum agrum in uno anno araverit vel seruerit, qualem messem colligere possit. Qui ergo se continere nolunt, si totiens terram quamdam suam, quam jam seminaverant, iterum arent & seminent, videamus qualiter de ejus fructu gaudebunt; quia, sicut optimè nostis, nulla terra poterit dare legitimum fructum, in qua frequenter in uno anno fuerit seminatum. Quod ergo non vult aliquis in agro suo, quare facit in corpore suo?

* V. Serm. 266. n. 2. & 277. n. 4.

4. Sed dicet aliquis, Homo juvenis sum, continere non possum. * Ne fortè ideo te non contines, quia plus manducas quàm expedit, & plus vinum accipis quàm oportet. Fortè etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam, & luxuriosa verba non solùm libenter, sed etiam frequenter aut ipse dicere, aut, aliis dicentibus, audire nec metuis nec erubescis. Incipe cum Dei adjutorio gulæ concupiscentias refrenare, castis cogitationibus & honestis sermonibus mentem vel linguam tuam jugiter occupare; & videbis quia Deo auxiliante castitatem poteris custodire. Nec te pigeat, si corporis infirmitas non prohibet, frequentiùs jejunare, ad ecclesiam maturiùs surgere; ut possis tuam animam à libidinosis maculis nitidam custodire. Et si hoc non infideliter faciens vides te adhuc carnis impugnationibus fatigari, & fortè aliquotiens, excepto filiorum desiderio, ad cognoscendam uxorem propriam vinci; secundùm vires tuas quotidianas eleemosynas adde: quoniam scriptum est, *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* * Et illud quod contra omnia peccata magnum est & salubre medicamentum. Omnibus qui in te peccaverint, plenam indulgentiam tribue; ut quod per incontinentiam inquinatur, * jejuniis, eleemosynis, ac præcipuè per inimicorum indulgentiam diluatur.

* Serm. 288. n. 1. Incontinentiæ fomenta.
Remedia.
Præcipuum est eleemosyna. Eccli. 3. 33.
* Hic aliquid deest.
* Serm. 68. n. 5. & 104. n. 4.

5. Sed dicis, Uxorem excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum non est. In tantum peccatum est, ut Propheta pænitens clamet, *In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Et sic in veteri Testamento legimus, quando populus Judæorum accessurus erat ad montem Sinai, ex præcepto Domini dicebatur eis, *Sanctificamini & estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris*: & illud, *Si quis nocturno pollutus fuerit somno, non manducet carnes sacrificii salutaris; ne pereat anima sua de populo.* Si post pollutionem quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet, nisi priùs præcedat compunctio & eleemosyna, & si infirmitas non prohibet, etiam jejunium; quis est qui potest dicere illud, quod vigilantes & volentes facimus, non esse peccatum? [* Denique mulieres quando maritos accipiunt, per triginta dies intrare in ecclesiam non præsumant: quod etiam similiter viri observare deberent.]

Uxorem excepto filiorum desiderio agnoscere peccatum est. Psal. 50. 7.
Exod. 19. 15.
Deut. 23. 10. &c.
* Additamentum.

6. Sed dicis, Peccatum quidem est; sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est: sed tamen si frequentiùs exerceatur, & jejuniis vel eleemosynis non redimatur; * nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt. Nam & pluviarum guttæ * sunt; sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia parvum peccatum est: velim scire quotiens tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cùm ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras vel maculas fieri adquiescis; qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis? Ac sic quicumque hoc fecerit, plus amat vestem & carnem suam quàm animam. Cùm enim ad imaginem Dei facti simus, quotiens aliquid turpe aut

Non quidem capitale.
* V. Serm. 104. n. 4.
* f. ad. parvæ
Si tamen frequens immundam animam facit.

SERM. DE DIVERSIS.

A loquimur aut facimus, totiens Dei imaginem sordidamus. Etiam videte, si hoc vos deceat aut oporteat. Verè dico vobis, Fratres carissimi, quia non hoc de nobis Deus meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias injuriam patiatur. Et cùm nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad ecclesiam convenire, nescio qua conscientia cum anima, quæ per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere: non timens illud quod Apostolus dixit, *Qui enim manducat corpus, & sumit sanguinem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere; plus debemus timere ipsam Eu-
B charistiam in anima polluta suscipere. Et quia, sicut dixi, in anima nostra facti sumus ad imaginem Dei; si in tabula aut lignea aut lapidea faceres imaginem tuam, & aliquis impudens homo vellet illam imaginem aut lapidibus frangere, aut aliquibus sordibus inquinare, velim scire si contra eum non moveretur animus tuus. Rogo te, si imaginem pictam in tabula mortua sic zelaveris; putas qualem injuriam patitur Deus, quando in nobis imago sua per luxuriam sordidatur? Et ideo si nobis non parcimus propter nosmetipsos, parcamus nobis vel propter imaginem Dei ad quam facti sumus.

Imaginem Dei deformat. Confer Ser. 229. n. 5.
1. Cor. 11. 27.

7. Ante omnia ut quotiens dies Dominicus aut aliæ
C festivitates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quotiens fluxum sanguinis mulieres patiuntur, similiter observandum est: propter quod ait Propheta, *Ad mulierem menstruatam non accesseris.* Nam qui uxorem suam in profluviis positam agnoverit, aut in die Dominico, aut in alia qualibet sollemnitate se continere noluerit; qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur. Denique quicumque leprosi sunt, non de sapientibus hominibus, qui & in aliis diebus & in festivitatibus castitatem custodiunt, sed de rusticis maximè, qui se continere non sapiunt, nasci solent. Et re vera Fratres, si animalia sine intellectu non se
D contingunt, nisi certo & legitimo tempore; quantò magis homines, qui ad imaginem Dei facti sunt, hoc observare deberent; Sed quod pejus est, sunt aliqui ita luxuriosi vel ebriosi, qui aliquotiens nec prægnantibus uxoribus parcunt. Et ideo si se non emendaverint, ipsi videant si non pejores animalibus judicandi sint. Istis talibus clamat Apostolus, dicens, *Ut sciat unusquisque suum vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderii, sicut & gentes quæ spem non habent.* Et quia sunt multi qui legitimam non custodiunt castitatem cum suis uxoribus; sicut suprà dixi, largas eleemosynas faciant, & omnibus inimicis suis indulgeant: ut, sicut jam dictum est, quod
E luxuria sordidum effecit, assiduis eleemosynis abluatur.

Quando præsertim ab uxore abstinendum. Ezech. 18. 6.
Quas plerumque pœnas dent qui aliter se gerunt.
Nonnulli bestiis incontinentiores. 1. Thess. 4. 4.

8. Rogo vos, Fratres, ut mihi indulgeatis, quia pro salute animæ vestræ cum grandi timore & cum verecundia de talibus rebus vos admonere videor; quia & * hoc mihi expedit dicere, & vos oportet audire. Et ideo omnia quæ à nobis audistis, ubicumque fueritis invicem vobis dicite, & cum caritate vos admonete. * Sicut enim reus ero ante tribunal Christi, si vobis non dixero; ita & vos si invicem quoscumque negligentes agnoscitis, admonere nolueritis, timere debetis, ne vobis necesse sit pro illis reddere rationem. Sed credimus de Dei miseri-
F cordia, quòd ita nobis agere inspirabit, ut nobis non solùm de nostra Deo placita conversatione, sed & pro aliorum salute & in hoc sæculo & in futuro duplicata à Deo præmia repensentur. Amen.

Quo animo de his rebus auctor egerit. * Sic Serm. 45. n. 4. & 259. n. 1.
* Sic Serm. 282. n. 4.

* SERMO CCXCIII.

De incauta familiaritate extranearum mulierum.

* Olim Tomo 9. & post Tomo 10. Ser. de Tempore 250.

In Appendice nunc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino & Vindingo spurius est. Locum etiam in Tomo 9. habuit, cum hoc titulo, de honestate mulierum. *Stilus omnino refert Cæsarium; qui sanè de re hic proposita canonem 10. Agathensis Concilii edendum curavit.*

G 1. * NEMO dicat, Fratres carissimi, quòd temporibus nostris Martyrum certamina esse non possint: habet enim pax martyres suos. Nam, sicut jam diximus frequenter, * iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrii est. Non incongruè dictum est, avaritiam contemnere, iracundiam mitigare, libidinem

CAP. I. CÆSARIS Sermo LXXXIX.
* Infra Ser. 294. n. 3.
Martyres habet pax.
* Serm. 214. n. 1.

dinem fugere. Contemnenda est enim cupiditas, [* quæ nobis ideo iniqua lucra procurat, ut suos faciat nos. Nostri enim essemus, si illa nostra non esset. Contemnenda est, inquam, avaritia] quæ velut ignis, quantò magis acceperit, tantò ampliùs quærit. Iracundia verò mitiganda est, quæ priùs nocituris nocet quàm nocendis. Quòd autem libidinem fugiendam esse diximus, Apostolo doctore evidenter didicimus: qui cùm omnibus vitiis resistendum prædixerit, contra libidinem non ait, Resistite; sed dixit, *Fugite fornicationem.* * Ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere; libidinem verò fugiendo superare. Sic & alibi in Scripturis legimus: *Noli*, inquit, *in faciem virginis adtendere, ne te scandalizet vultus ejus.* Et beatus Joseph ut impudicam posset evadere dominam, pallium quo apprehensus fuerat reliquit, & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Videte Fratres, quomodo ab omnibus Christianis, præcipuè tamen à monachis seu clericis indigna & inhonesta familiaritas fugienda est: quia sine ulla dubitatione qui familiaritatem vitare non vult mulierum, citò dilabitur in ruinam.

2. Sed fortè negligens quisque & minùs de animæ suę salute sollicitus respondet & dicit, Ecce ego & familiaritatem habeo mulierum extranearum, & tamen castitatis ornamenta custodio. Infelix est ista & nimiùm periculosa præsumtio. Multi enim dum se putabant vincere, victi sunt. Sed adhuc addit & dicit aliquis, * Ego inter mulieres extraneas habito, & continentiam teneo, & volo habere quod vincam. Quid est hoc dicere, Volo habere quod vincam, nisi volo habere quomodo peream? Sed ego, inquit, libidinis impetum tamquam adversarium meum volo captivum jugiter retinere. Vide ne contra te incipiat ipsa captivitas prævalere, & unde te putabas obtinere triumphum, inde in æternum incurras opprobrium. * Inter omnia enim Christianorum certamina sola duriora sunt prœlia castitatis; ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem namque castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur. Et ideo, sicut jam dictum est, nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculosè præsumat; sed audiat Apostolum dicentem, *Fugite fornicationem.* David enim ille sanctissimus in mille passus mulierem nudam vidit; & statim homicidium fecit & adulterium. Et qui cum mulieribus habitantes putant se castitatis obtinere triumphum, ignorant dupliciter se apud Deum reos exsistere, dum & se ipsos in periculum mittunt, & aliis exemplum perversæ familiaritatis ostendunt. Quanticumque enim illorum stultitiam imitantes per inhonestam familiaritatem castitatis ornamenta perdiderint, illorum animæ ab illis in die judicii requirentur, qui eis exemplum perditionis ostendunt.

3. Et ideo, Fratres carissimi, contra mortifera blandimenta, & contra adjutores diaboli, qui familiaritatem suspectam habere nec metuunt nec erubescunt, ne nos exemplo suo decipiant, Dei adjutorium jugiter imploremus; ut nos de laqueo venantium liberare dignetur: scientes, quòd in malis omnibus, quæ suprà diximus, Christianis quotidiana martyria deesse non possunt. * Sicut enim castitas & veritas & justitia Christus est; sic & ille qui eis insidiatur, persecutor Christi est: ille autem qui & in aliis ista defendere, & in se custodire voluerit, martyr erit. Et ideo qui hæc tota animi virtute & in se diligit, & ut alii diligant, verbis simul & exemplis ostendit, & ubicumque veritas vel justitia sive castitas laborant, quantum prævalet se etiam ultro ingerit, & secundùm quod vires habuerit defendere contendit; non unam, sed plures coronas, Deo remunerante, percipiet. Et ut hæc obtinere cum Dei adjutorio mereamur, non solùm extranearum mulierum, sed etiam ancillarum nostrarum vel quarumcumque vicinarum, aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ unusquisque familiaritatem, vel secretam collocutionem vitare contendat: quia quantò earum vilior conditio, tantò facilior ruina est. De familiaritate enim talium Salomon nos admonet, dicens, *Numquid alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta ejus non ardebunt? Aut ambulabit quis super prunas, & non comburentur plantæ ejus?* Et illud,

Pretium meretricis vix dimidium est panis; mulier autem pretiosam viri animam capit. Et quanta iniquitas & quàm lugenda perversitas, ut animam, quàm Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat ac tradat? Verè enim nimiùm plangenda & miseranda conditio est, ubi citò præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit, & permanet sine fine infelicis animæ opprobrium.

4. Sed dicit aliquis, Juvenis homo sum, facio quod me delectat modò, & postea pænitentiam ago. Quomodo si dicat, Percutio me crudeli gladio, & postea vado ad medicum: & nescit quòd unius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur. Qui enim adulterans dicit se postea pænitentiam acturum, quare non timet ne eum subitanea febricula superveniens rapiat; & pereat dilatio, & succedat æterna damnatio? Et quia de infelici libidine, unde suprà diximus, credendum est illud dictum esse quod ait Propheta, *Quomodo confractus est malleus universæ terræ?* quamvis post adventum Domini nostri Jesu Christi per universa monasteria, & per clericos vel etiam laicos castitatem servantes quasi confractus esse malleus ille videatur: adhuc tamen, quod pejus est, multò plures sunt, qui ab illo malleo quotidie confringuntur, quàm illi qui de ruina vel collisione ipsius liberantur. Unde iterum atque iterum rogo, ut diligentiùs consideremus, & quantum possumus timeamus illud quod Dominus in Evangelio dixit, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

5. Pro qua re, sicut jam dictum est, non solùm ab extraneis mulieribus, sed etiam ab ancillis propriis refrenanda est & secreta familiaritas, & oculorum incauta fragilitas, ne illud eveniat nobis quod Dominus per Prophetam terribiliter clamat dicens, *Mors intravit in animas vestras per fenestras vestras.* Per quas enim fenestras mors intrat ad animas nostras, nisi per visum oculorum, & auditum aurium? * Si per linguam amico aut servo tuo jusseris ut ad te meretrix adducatur; per os tuum ad animam tuam gladius æternæ mortis ingreditur. Si autem consilium malum libenter audieris, si detrahentem, vel aliquid luxuriosè loquentem, aut cantica turpia proferentem non respuis; per aurium tuarum fenestras mors intravit ad animam tuam. Et quia Dominus dixit, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: intelligitur quòd * voluntas [a] perfecta faciendi reputabitur pro opere facti. Ac sic dum aliquis mulierem libidinoso animo considerat, per fenestram corporis sui ad secretum cordis venenum mortis instillat. Talis enim cogitatio, etiamsi aliquo impediatur casu, ut non impleat voluntatem suam; nihilo minùs actionis crimine condemnatur à Domino: ac sic & illa casta est cum quà libidinis malum voluit exercere, & ille jam adulter tenetur in corde. Et ideo audiamus Scripturam dicentem, *Omni custodia serva cor tuum*: & illud, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* * Quomodo enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò projecerit, nihil ei nocebunt; si verò diutiùs tenere voluerit, sine vulnere eos jactare non poterit: ita & ille qui ad concupiscendum oculorum defixerit adspectum, & libidinis malum in corde suscipiens moras in cogitationibus suis habere permiserit, excutere eas à se sine animæ plagà non poterit. Et ideo jugiter cum Propheta clamemus, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*; præstante Domino nostro Jesu Christo &c.

* SERMO CCXCIV.

Admonitio ut ebrietatis malum totis viribus caveatur.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium Lovanienses, Verlinus autem & Vindingus supposititium esse voluerunt. Ipsa est Cæsarii homilia inter editas à Baluzio quinta: quæ in nostris etiam aliquot MSS. Cæsario adsignatur.

1. Licet propitio Christo, Fratres, carissimi, credam vos * ebrietatis malum velut inferni foveam expavescere, & non solùm ipsi non velitis ampliùs bibere,

Margin notes (left): Cæsaris IV. — * non habent MSS. — Vitia cetera resistendo, libido fugiendo vincitur. — 1 Cor. 6. 18. — Cæsarius ... Germa... — Eccli. 9. 5. — Mulierum familiaritas omnibus fugienda. — Cap. II. Inter quas ... pericli... castitas. — * Cæsar. epist. ... — Castitatis jugis victoriæ spes ostenditur. — Sub finem ... citatæ. — ... de tam ... honeste sit ... — 1 Cor. 6. 18. — ... illis inde ... exemplum. — Cap. III. ... nunc sint Christi persecutores & martyres. — Nullà omnino cum feminis familiaritas habenda. — Prov. 6. 27.

Margin notes (right): Serm. de Diversis. — Ibidem 26. Quantum voluptatis momentaneæ damnum. — Cap. IV. An facilè resarciatur. — Jer. 50. 23. Libido, malleus universæ terræ. — Matth. 5. 28. — Jer. 9. 21. — * Cap. V. Quomodo mors intret per fenestras. — Matth. 5. 28. — * Sic Serm. 90. n. 6. & 142. n. 8. — a MSS. prona — Prov. 4. 23. — Psal. 118. 37. — * Infra Serm. 314. n. 3. — Psal. 24 15. — * Aliàs de Tempore 231. — Cæsarii Sermo XC. — * Ser. subseq. n. 1.

sed nec alios adjurare vel cogere plus quàm oportet accipere: tamen quia non potest fieri, ut non sint aliqui negligentes, qui sobrii esse non velint, vos qui semper convivia sobria exhibetis, nolite ad vestram injuriam revocare, quia nobis necesse est alios ebriosos arguere. Cùm enim, Fratres carissimi, ebrietatis malum nimiùm sit grave vitium & Deo odibile; * ita per universum mundum à pluribus in consuetudinem missum est, ut ab ills qui Dei præcepta cognoscere nolunt, jam nec putetur aut credatur esse peccatum: in tantum ut in conviviis suis irrideant eos qui minùs bibere possunt, & * per inimicam amicitiam adjurare homines non erubescant, ut potum ampliùs quàm oportet accipiant. Qui enim alterum cogit ut se, plus quàm opus est bibendo, inebriet; minus malum ei erat si carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem occideret.

Ebrietas nec peccatum putatur.
* Idem de concubinatu. Ser. 286. n. 5.
* Sic Serm. 267. n. 4.
Inimica ebriosorum amicitia.

2. Et quia corpora nostra terrena sunt, quomodo quando pluvia nimiùm grandis & diuturna fuerit, ita terra infunditur & in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura possit fieri; sic & caro nostra, quando nimio potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes homines ita sufficientem pluviam in agris suis accipere desiderant, ut & culturam valeant exercere, & de fructuum ubertate gaudere: ita & in agro corporis hoc tantùm deberent bibere quod oportet; ne per nimiam ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conversa, magis vermes & serpentes vitiorum generare, quàm fructus bonorum operum possit afferre. Omnes enim ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Quid enim in paludibus nascatur, non ignorat Caritas Vestra: totum enim quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ: nascuntur ibi ranæ & diversa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Istæ enim herbæ vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus aut circa ripas earum nasci solent, nihil utilitatis habere videntur, in tantum ut annis singulis incendio concrementur. Videte quia quod de ebrietate nascitur, igni præparatur.

Ebriosi paludibus comparantur.

3. Tales enim sunt, sicut jam dixi, omnes ebriosi, quorum prandia ducuntur usque ad noctem, quorum cœnas lucifer videt; qui stare non possunt etiam cùm videntur esse jejuni; quorum sensus tardi, graves, obtusi, & quodam modo jam sepulti. Denique frequenter in ipsa ebrietate nec se ipsos nec alios recognoscunt, nec ambulare valent nec stare; dicere aliquid vel audire quod ad rationem pertineat, omnino non possunt. Frequenter etiam usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuram sine mensura bibere. Majora enim pocula providentur, certa bibendi * lege contenditur; qui potuerit vincere, laudem meretur ex crimine. * Inde lites & rixæ nascuntur, inde diversis & horrendis saltationibus membra torquentur, inde adulteria & nonnumquam homicidia perpetrantur. Et quotiens nimium potum accipiunt, tamquam in paralysim resoluti, dum suis pedibus ambulare non possunt, fœdissimâ laturâ aliorum manibus portantur ad lectos. Et est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, suffusio vultûs, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur illud quod scriptum est, *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui sine caussa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?*

Depinguntur.
MS. Reg. lex conditur. *Laudun.* lege condita.
* *V. Ser.* 266. *n.* 3.
Prov. 23. 29. & 30.

4. Sed illi qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur, dicentes, Ingratum habeo amicum meum, si quotiens illum ad convivium vocavero, potum ei quantum voluerit ipse non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. Si & te & alium inebriaveris, hominem amicum habebis, & Deum inimicum: & ideo sapienter considera, si justum sit ut te à Deo separes, G dum te ebrioso conjungis. Ad extremum tu eum noli adjurare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte ut quantum ipsi placuerit bibat: ut si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo * pereatis. O infelicitas generis humani! Quàm multi inveniuntur qui ebriosos & luxuriosos ampliùs quàm oportet cogunt bibere:

Excusant se de amicitia.
Conviva ad bibendum ne cogatur.
* *MSS.* peccetis

A & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare; nec adtendunt, quia illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit, *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis!* Sed quia tales sunt qui quando alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt, Vade, vade in ante, dat tibi Deus: & utique cùm ambulaverit homo, ei daturus est. Quid est ergo quod dicit, Vade in ante, & dat tibi Deus: nisi, Vade ad illum hominem qui habet Deum, quia ipse tibi daturus est? Ac sic ore suo ipse confitetur, apud se Deum non esse, quo inspirante possit aliquid pauperibus erogare. Rogo, B Fratres carissimi, diligenter adtendite & videte, quia quando equi vel reliqua animalia ducuntur ad aquam, ubi satiaverint sitim suam, etiamsi super ipsam aquam diutiùs teneantur, repleta siti bibere nolunt omnino nec possunt. Considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sunt. Cùm enim animalia ampliùs quàm eis opus est bibere nolint, illi & duplum & triplum quàm eis oportet potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die cum grandi peccato suo contendunt perdere potiùs, quàm expendere: atque utinam vel potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent.

Ebriosi in sui similes prodigi.
Matth. 25. 40.
In pauperes parci.
Animalibus deteriores sunt.
Et se & sua perdunt.

C 5. Quantum mali in se habeat ebrietas, etiam in Loth & filiabus ejus evidenter ostensum est. Nam vino inebriatus cum ipsis filiabus suis nesciens concubuit. Pharao quoque inebriatus magistrum pistorum in cruce appendi fecit. Populus autem Judæorum, de quo scriptum est, *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere:* postea quàm vinum plus quàm oportebat accepit, idola sibi fabricari petiit, & in honore ipsorum idolorum cœpit choros ducere, & more phrenetico diversis saltationibus membra torquere. Herodes quoque, ubi nimio vino concaluit, ad unius puellæ saltationem sanctum Johannem baptistam interfici jussit. Quid adhuc D de ebrietatis malo nascatur, Spiritus-sanctus per Salomonem testatur, dicens, *Vinum*, inquit, *& mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos*: & iterum, *Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur enim blandè: sed in novissimo mordebit ut coluber, & quasi regulus venena suffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa.* Paulus etiam Apostolus contra ebrietatis malum nos admonet, dicens, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Iterum atque iterum quid mali in se ebrietas habeat, eis qui illam diligunt sanctarum Scripturarum testimoniis evidenter ostendimus. In Salomone scriptum est, *Qui* E *amat vinum & pinguia, non ditabitur*: & iterum, *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum Dei, & mutent caussam filiorum pauperum.* Item illic ait, *Operarius ebriosus non locupletabitur*: & iterum, *Vinum si bibas moderatè, eris sobrius.* Item illic, *Vinum in jocunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. Exsultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum: infirmitas animæ & corporis vinum multum potatum; irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum, ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.*

Gen. 19. 33. & 35.
Gen. 40. 20. & 22.
Ebrietatis mala exemplis & verbis Scripturæ declarantur.
Exodi 32. 6.
Matth. 14.
Eccli. 19. 2.
Prov. 23. 31. &c.
Ephes 5. 18.
Prov. 21. 17.
Prov. 31. 4. &c.
Eccli. 19. 1.
Eccli. 31. 32.
* *Ibidem* 35. &c.

F 6. Sed quando ista suggerimus, fortè irascuntur contra nos & murmurant ebriosi. Et quamvis non desint qui irascantur, Deo tamen propitio multi erunt, qui libenter salubre consilium audientes, de isto tam gravi peccato per Dei misericordiam liberabuntur. Ipsi tamen qui contra coalumnam & amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera à nobis voce audiant, Quia quicumque ebriosus pænitentiam pro ipsa ebrietate non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profectò peribit: quia non mentitur Spiritus-sanctus per Apostolum dicens, *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et ideo quicumque sunt ebriosi, * meliùs faciunt, ut non nobis sed sibi potiùs irascantur, & cum Dei adjutorio de luto fæcis se excutere, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus pænitentiæ est, festinent quanta possunt celeritate, Deo auxiliante, consurgere: & totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant, *Eripe me de luto, ut non inhæream*: & illud, *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me*

Ebriosis non est pars in regno Dei.
1. *Cor.* 6. 10.
* *Sic Serm.* 286. *n.* 6.
Psal. 68. 15.
Ibidem 16.

profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Ebrietas enim quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit pænitentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de tenebroso inferni puteo ad castitatis vel sobrietatis lucem redire penitus non permittat.

7. Sed hoc ante omnia intelligere & scire debemus, quia non una die efficiuntur homines ebriosi: sed dum paulatim adjurantibus & cogentibus crudelissimis inimicis potiùs quàm amicis, per singulos dies, singulos sibi aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt. At ubi hoc in usum miserint, ita eos ipsius ardor ebrietatis occupat, ut illos semper sitire compellat. Sed qui ab hoc malo desiderat liberari, quomodo sibi per intervalla dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat: quia si semel totum quod ampliùs accipiebat subtraxerit, ubi nimia siti cœperit exardescere, cum grandi amaritudine clamat & dicit, Malle se mori, quàm sibi bibendi vel inebriandi consuetudinem tollere: nec adtendit quod tolerabilius erat illi in carne mori, quàm animam per ebrietatem interficere. Et ideo ut nec ardorem nimium patiatur, & de tam gravi peccato liberetur; sicut jam dictum est, per intervalla dierum sibi aliquid de nimietate potûs subtrahat, quò usque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat. Qui hoc ita, ut diximus, per partes subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & illum intolerabilem ardorem non patietur.

8. * Ego, Fratres carissimi, dum hæc suggero, me absolvo apud Deum. Quicumque me audire contemserit, & ad bibendum aut ipse pronus fuerit, aut convivas suos adjurare vel cogere voluerit; & pro se & pro illis in die judicii reus erit. Et quia, quod pejus est, aliqui etiam * clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus quàm expedit bibere, à modò incipiant & se ipsos corrigere, & alios castigare: ut cùm ante tribunal Christi venerint, nec de sua nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium; sed magis dum & ipsi se emendant, & alios castigare non cessant, pervenire ad æternum præmium mereantur. * Et illud ante omnia rogo, & per tremendum diem judicii vos adjuro, ut quotiescumque vobis invicem convivia exhibetis, illam fœdam consuetudinem, per quam grandi mensura sine mensura tres homines aut volentes aut inviti solebant bibere, tamquam venenum diaboli de vestris conviviis respuatis: * quia ista infelix consuetudo adhuc de Paganorum observatione remansit. Et quicumque hoc in suo convivio aut alieno fieri adquieverit, diabolo se sacrificasse non dubitaverit. De qua bibitione non solùm anima occiditur, sed etiam corpus debilitatur. Sed credo de Dei misericordia, quòd ita vobis inspirare dignabitur, ut tam lugendum & etiam erubescendum malum ita vobis in horrorem veniat, ut illud numquam fieri permittatis; sed quod in illa ebrietate periturum erat, in pauperum refectionem proficiat: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CCXCV.

Admonitio contra ebrietatis malum.

In Appendice nunc primùm collocatur. De hoc Sermone, quem etiam dubium reliquerunt Lovanienses, idem post Verlinum Vindingus statuit, quod de superiore; atque ad alterum ex istis duobus haud immeritò vult id pertinere, quod in Testamento Evrardi Comitis, scripto ætate Ludovici Pii, anno Christi 837. expressum legitur, (*Spicilegii Tom. 12. pag. 494.*) Judith volumus ut habeat missale unum, & librum unum qui incipit à Sermone S. Augustini de ebrietate. *Cæsarianos quosdam Sermones jam olim fuisse Augustini nomine citatos observatum est suprà ad Sermonem 278. Hunc verò auctoritate Regii codicis, cui nostri aliquot MSS. consentiunt, Cæsario restituit V. C. Steph. Baluzius, & inter quatuordecim recèns vulgatos posuit ordine sextum.*

1. FREQUENTER Caritatem Vestram, Fratres carissimi, paterna pietate admonui, * ut ebrietatis malum tamquam inferni foveam vitare vel fugere deberetis. Et licèt apud plures profecerit castigatio nostra; multi tamen sunt qui nec Deum timent, nec eos qui honesti sunt vel sobrii reverentur; & tantum bibunt, ut interdum necesse habeant viscera nimio potu plena per vomitum relaxare; & tamquam fractæ naufragæ naves, ita ipsius ebrietatis horrendis fluctibus fatigantur, ut nec ubi sint recognoscant, * & dicere aliquid vel audire quod ad rationem pertinet omnino non valeant. Illud verò quale est quòd ipsi infelices ebriosi, quando se nimio vino ingurgitant, rident & vituperant eos qui rationabiliter hoc tantùm quod sufficit bibere volunt, dicentes eis, Erubescite & verecundum sit vobis, quare non potestis bibere quantum nos. Dicunt enim eos non esse viros. Et videte miseriam ebriosorum. Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca jacent: & illos non dicunt esse viros, qui honestè & sobriè stant. * Jacent prostrati, & viri sunt: stant erecti, & viri non sunt? Victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur. Irridetur sobrius, qui & se & alios potest regere: & non irridetur, immo non plangitur ebriosus, qui nec se nec alios potest agnoscere.

2. Solent tamen ebriosi ita se excusare velle ut dicant, Persona potens me coëgit ut ampliùs biberem, & in convivio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus; & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est nostra; & non posse prætenditur. Etiamsi usque ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, Aut bibes aut morieris; melius erat ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falsò objicitur. Ipsi enim reges & quicumque alii sunt potentes, quia Deo propitio & Christiani sunt & prudentes & sobrii & toto corde Deum timentes, si te viderint definisse ut eis non adquiescas pro timore Dei inebriari; fortè sub hora videntur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt, dicentes, Quantum cum illo egimus, quantis eum minis & terroribus fatigavimus; & tamen numquam eum à sobrietate separare potuimus! Nam & Deus, qui te videt pro suo amore inebriari non velle, ipse tibi gratiam etiam illorum dabit, qui te ampliùs biberes videbantur hortari & cogere. * Nemo dicat, Fratres carissimi, quòd in istis temporibus martyres non sint; quotidie martyres fiunt. Martyr enim, Testis interpretatur. Quicumque ergo pro veritate testimonium dederit, & omnes caussas cum justitia judicaverit, quidquid pro testimonio veritatis vel justitiæ pertulerit, totum ei Deus pro martyrio computabit. Ac sic & ille qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio perseverare voluerit, & pro ipsa re aliquas pertulerit tribulationes; omnia ei Deus ad martyrii gloriam reputabit.

3. Velim tamen scire, Fratres carissimi, quicumque dominus habet plures servos, si vel unum ex illis velit fieri ebriosum? Sine dubio nullus est qui hoc voluerit aliquando aut velit. Et qua fronte, qua conscientia qui servum non vult habere ebriosum, ipse vult ebriosus fieri? Ecce de donis Dei tu habes servum, & te habet Deus servum: qualiter vis ut tibi serviat servus tuus, taliter & tu servire Domino tuo debes. Dic mihi, rogo te, si justum tibi videtur, ut tu habeas servum sobrium, & Deus habeat te ebriosum? Ac sic te dignum judicas, cui servus sobrius serviat; & Deum indignum putas cui tu sobrius servire debeas. Hæc ergo, Fratres carissimi, diligenter adtendite & considerate, * quia non est justum ut faciamus Deo quod nolumus nobis fieri. Fortè dices, Quomodo Deo facio quod mihi fieri nolo? Audi quomodo. Tibi non placet servum ebriosum habere; & tu non vis sobrius Deo servire.

4. Ideo enim, Carissimi, tanta facilitate se inebriant homines, quia putant ebrietatem aut parvum aut nullum peccatum esse. Sed pro ista ignorantia maximè sacerdotes in die judicii reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quæ vel quanta mala de ebrietate nascantur, assiduè noluerint prædicare. Qui ergo credit ebrietatem parvum esse peccatum, si se non emendaverit, & pro ipsa ebrietate pænitentiam non egerit; cum adulteris & homicidis æterna illum sine remedio pœna cruciabit, secundùm illud quod ipsi bene nostis beatum Apostolum prædicasse, *Neque*, inquit, *fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque adulteri, neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Videte quia ebriosos cum fornicatoribus, & idolis servientibus, & masculorum concubitoribus, & adulteris junxit. Et illud, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Margin notes (left): [...]ssis [...]iv. — [...] ratione [...] ebriositate [...]tant. — *V. Serm.* [...] n. 8. — [...]rici ab hoc [...] non sunt [...]mones [...] compe- [...] Concil. [...]rth. can. — [...] Serm. [...]rq. n. 6. [...]77. n. 4. — [...]nica fu- [...]nstitio. — * V. Serm. [...] n. 5. & [...]77. n. 4. — *Aliàs de tempore 232.* — CÆSARII *Sermo XCI.* * *Serm. antecéd. n. 1.*

Margin notes (right): SERM. DE DIVERSIS. — Ebriosi velut naufragæ naves. — * *Anteced. Serm. n. 3.* — Irrident sobrios quasi non viros. — * *August. Serm. 9. n. 11.* — Excusationis ergo dicunt se adactos. — Sed vel moriendum [?] sistendum fuisset. — * *V. Serm. 291. n. 1.* Martyrium quid sit, & quomodo nunc subeatur. — Ebriosi injustitiæ in Deû convincuntur. — * *V. Serm. 257. n. 3. 263. n. 2. & 264. n. 5.* — Ebrietatem vix putant peccatum. — Pœnâ æternâ plectetur. — *1. Cor. 6. 9. & 10.* — *Ephes. 5. 18.*

CLASSIS IV.

Et ideo definiat ac deliberet unusquisque apud se, ebrietatem grave peccatum esse; & tunc aut numquam aut difficilè eum ebrietas poterit superare. Cùm enim non solùm in futuro sæculo propter ebrietatem torquendi sint homines, sed etiam in præsenti per ipsam ebrietatem multis frequenter infirmitatibus fatigentur; * vel morbum corporis timeant, qui de animæ suæ salute non cogitant: oculorum suffusionem atque caliginem, capitis vertiginem & membrorum tremorem expavescant, qui inferni supplicia non formidant. Et hoc quidem non solùm laicis, sed etiam clericis dicimus: quia quod pejus est, multi sunt etiam majoris ordinis clerici, qui cùm aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solùm hoc non faciunt, sed etiam & se & alios inebriare non erubescunt nec metuunt. Sed agnoscant & doleant quicumque tales sunt, quia si se noluerint emendare, & pro se & pro aliis necesse eis erit æterna supplicia sustinere.

Nec in præsenti impune committitur.

* V. Serm. 277. n. 4.

Clerici etiam majoris ordinis vitio huic obnoxii.

5. Illud verò quale est, quòd jam transacto convivio & expleta siti, cùm ampliùs bibere nec possint nec debeant: tunc quasi novelli, quasi & qui ipsâ horâ supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum & reliquorum antiquorum Sanctorum, æstimantes quòd maximum illis honorem impendant, si se in illorum nominibus nimia ebrietate sepeliant: ignorantes quòd nullus tam gravem injuriam sanctis Angelis vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere. Sunt enim aliqui qui sola ex caussa aliqua salsa cibaria sibi ordinant fieri, ut per ipsam salsitudinem nimia se possint ebrietate obruere. Hæc enim si Pagani qui Deum ignorant faciant, nec mirandum est, nec nimis dolendum: quia & in Deo spem non habent, & antiquam parentum suorum consuetudinem servant. Christiani verò (quos Deus de tenebris reduxit ad lucem, de morte vocavit ad vitam, quibus omnes Scripturæ clamant, ebrietatem fugere, sobrietatem diligere) quare turpissimas illorum ebrietates imitantur, de quorum perfidia liberari per Dei gratiam meruerunt. * Et ideo rogo, & per tremendum diem judicii vos adjuro, ut & quantum potestis, ebrietatis malum auxiliante Domino fugiatis, & jam vobis incipiat verecundum esse, quòd huc usque gentibus & Paganis in ebrietatis turpitudine vos voluistis similes exhibere. Et ideo quia Deo propitio illis dissimiles estis in fide, similes esse in ebrietate penitus non debetis: quia etiamsi reliqua peccata Christiani non admittant, sola eos, si frequens fuerit ebrietas, & emendatio ac pænitentia non subvenerit, in inferni profunda præcipitat, secundùm illud quod jam dictum est, *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*. Sed dicit aliquis, Ego regnum Dei nolo, æternam tantùm requiem obtinere desidero. Nemo se decipiat, Fratres: [a] duo enim loca sunt, & tertius non est ullus. Qui cum Christo regnare non meruerit, cum diabolo absque dubitatione ulla peribit.

Compotationes post convivia diversis nominibus.

Sitis irritamenta.

* Ita anteced. Ser. n. 8.

Duo tantùm post hanc vitam loca.

6. Ad extremum qui amico suo nimiùm propinando in anima efficitur inimicus, & corpus ejus debilitare, & animam probatur occidere. Melius erat, ut ex illo quod una die plus eum accipere coëgit quàm expedit, per duos aut tres dies ipsum amicum ad suum convivium revocaret; & unde eum una die nimiùm bibendo debilitat, ipsum in aliis diebus sufficiente potu reficeret; ut nec ille potum perderet, nec amicum deciperet: aut certè, quod est melius, quidquid nimio potu * perditura erat gula, pauperibus daretur in eleemosynam; ut & caro rationabiliter bibendo reficeretur, & per misericordiam pauperum animæ redemtio præpararetur. Et nos quidem istam castigationem non propter eos qui sunt honesti & sobrii diximus: * quia Deo propitio multos novimus parca & sobria convivia præparare. Et ideo vos qui pro Dei amore hoc tantùm bibitis quod oportet, satagite ut quod ab ebriosis in terra perditur, à vobis per eleemosynam in cælo reponatur. Non vobis sufficiat quòd vos honesti & sobrii estis; sed quantum potestis, * ita castigate & corripite ebriosos, ut eis numquam liceat vobis præsentibus ampliùs bibere quàm oportet: ut dum & ipsi sobrietatem diligitis, & alios per vestram admonitionem ab ebrietatis perditione revocatis, non solùm pro vestra, sed etiam pro aliorum salute duplicia vobis præmia in æterna beatitudine præparetis.

* V. Serm. 69. n. 8.

* V. Serm. 281. n. 3.

* V. Serm. 130. n. 2. 266. n. 3. & 285. n. 3.

SERM. DE DIVERSIS.

7. * Et illud quàm lugendum & erubescendum est, Fratres carissimi, quòd dicuntur aliqui rustici, quando aut vinum habuerint, aut alia sibi pocula fecerint, quasi ad nuptiale convivium, ita ad bibendum vicinos vel proximos suos invitare, ut eos per quatuor aut quinque dies teneant, & nimia ebrietate sepeliant; & tamdiu ad domos suas de illa lugenda potatione non redeant, donec omnem potum, quem ille qui eos invitaverat habuit, perexpendat; & unde se vel per duos aut tres menses cum omni familia sua rationabiliter reficere potuit, quatuor aut quinque diebus dolenda aut erubescenda bibitione consumat. Ego, Fratres carissimi, dum hæc humiliter & cum grandi caritate pro sollicitudine paterna commoneo, * absolvo apud Deum conscientiam meam. Qui verò me libenter audierit, & fideliter quod ei prædicatum est, implere voluerit, habebit præmium æternum: qui autem contemserit, timeat ne ei æternum necesse sit sine ullo fine sustinere supplicium. Sed credimus de misericordia Dei, quòd ita omnes ebriosi de ebrietatis malo ad bonum sobrietatis sunt per Dei gratiam redituri, ut & nobis gaudium faciant, & ipsi feliciter ad æternum pervenire mereantur præmium. Amen.

* Quod superest, desideratur in MSS.

Rusticorum quorumdam consuetudo & prodigalitas.

* V. Serm. 272. n. 8.

* SERMO CCXCVI.

* Aliàs 39. ex Vignerianis.

Admonitio quæ ostendit quòd ab initio sæculi omnes Scripturæ humiles benedixerint, & eos qui perseverant in superbia maledixerint.

In Appendice nunc primùm collocatur. Cæsario asserit nostrorum aliquot MSS. auctoritas, præter codicem illum Regium, unde à Baluzio vulgatus est inter Cæsarianos quatuordecim undecimus.

1. IN Scripturis sanctis, Fratres carissimi, incessabiliter pauperes benedicuntur, & peccatores maledici videntur. Primùm ergo, sicut ipsi frequenter & legendo & psallendo cognoscitis, qualiter Scripturæ divinæ pauperes benedicunt, paucis sententiis Caritati Vestræ suggero; & postea quid de peccatoribus legitur insinuo. De pauperibus enim dicitur, *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*; & iterum, *Viduæ ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus*; & iterum *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; & iterum, *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor*; & iterum, *Quoniam exaudivit pauperes Dominus*. De peccatoribus verò dicitur, *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes*; & iterum, *Quoniam peccatores peribunt*; & iterum, *Conteres brachium peccatoris & maligni*: & illud, *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, bibent ex eo omnes peccatores terræ*; & iterum, *Omnia cornua peccatorum confringam*. In omnibus enim Scripturis hujuscemodi sententiæ abundanter inveniuntur, quibus pauperes collaudantur; & è contrario in peccatores duræ sententiæ diriguntur.

CÆSARII Sermo XCII. Scripturæ passim pauperes benedicunt & maledicunt peccatores.

Psal. 33. 7. — Psal. 131. 15. — Matth. 5. 3. — Psal. 9. sec. Hebr. 14. — Psal. 68. 34. — Psal. 9. 18. — Psal. 36. 20. — Psal. 9. sec. Hebr. 15. — Psal. 74. 9. — Ibidem 11.

2. Sed cùm hæc ita sint, fortè aliquis intra se cogitat & dicit, Quomodo nobis in Scripturis divinis præcipitur, *Benedicite, & nolite maledicere*; & illud, *Neque maledici regnum Dei possidebunt*: &, *Benedicite persequentibus vos?* Quomodo ipsæ Scripturæ divinæ, quæ nobis hoc prohibent, totiens maledicunt? Maledictiones istæ, Fratres carissimi, non optantis, sed prædicentis animo proferuntur. Non enim volunt ut hoc peccatoribus veniat: sed quia sine dubio venturæ sunt, ipsæ maledictiones prophetiæ esse probantur. Et ideo quicumque peccatores se esse cognoscunt, & per Scripturas sacras magis benedici quàm maledici desiderant, citò ad pænitentiæ medicamenta confugiant; ne fortè si illos in peccatis suis perseverantes mors repentina prævenerit, omnes maledictiones quæ ab initio mundi in Scripturis sanctis leguntur, ita in ipsos veniant, ut eos liberari de pœna perpetua non permittant.

Quo animo maledicatur in Scripturis.

Rom. 12. 14. — 1. Cor. 6. 10. — Rom. 12. 14.

3. Et tamen, Fratres, quando pauperes in Scripturis divinis benedicuntur, & peccatores maledicuntur, qui sensus divinæ Scripturæ diligenter adtendit, non hoc de omnibus peccatoribus, nec de universis pannosis pauperibus dictum intelligit. In peccatoribus enim quos Scri-

Per peccatores superbi, per pauperes humiles designati.

[a] Id Cæsarius die nocteque animo sic revolvebat, ut etiam inter dormiendum erupisse dicatur in hanc vocem: *Duo sunt, non est quidquam medium, aut in infernum, aut in cælos itur.* In vita Cæsarii lib. 2. n. 4.

pturæ

CLASSIS IV. pturæ divinæ maledicere videntur, non omnes peccatores, sed tantummodo superbi intelliguntur; qui non solùm mala faciunt, * verùm etiam mala ipsa fronte impudentissima defensare non erubescunt. Ipsi enim sunt de quibus scriptum est, *Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me*: & illud, *Tu*, inquit, *oculos superborum humiliabis*: & illud, *Superbi iniquè agebant usque quaque*: & illud, *Deus superbis resistit*. Innumerabilia sunt hujuscemodi testimonia, quibus superborum arrogantia denotatur. Et ideo quotiens auditis in Scripturis peccatores maledici, sicut jam dixi, de superbis, hoc est, peccata sua defendentibus intelligite. Et quotiens auditis pauperes collaudari, nolite hoc de omnibus pauperibus accipere, sed de bonis tantummodo Christianis, qui mites sunt & humiles corde; de quibus scriptum est, *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea?*

(V. Serm. ... n. 4. — Psal. 118. 78. — Psal. 17. 28. — Psal. 118. 51. — Jacobi 4. 6. — Isai. 66. 2.)

4. Multi enim sunt pauperes iracundi, cupidi, superbi, luxuriosi; quibus nihil prodest quòd facultatibus sunt indigentes, cùm vitiis & malis moribus sint locupletes. Et multi sunt divites humiles & mansueti; de quibus dictum est, *Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris*: & illud, *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Quid enim prodest pauperi divitias non habere, si voluntatem habuerit possidendi; cùm Apostolus non habentem divitias, sed cupientem condemnaverit, dicens, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes & in laqueum diaboli?* Aut quid ei prodest non habere facultatem, si ardet cupiditate? Quid, inquam, prodest pauperi quia pauper est, si magis superbus quàm humilis esse voluerit? Aut quid nocet diviti copiosa facultas, si in eo fuerit perfecta humilitas; si de divitiis suis non luxuriæ servire, sed eleemosynas erogare, & humilitatem ac mansuetudinem toto corde, toto animo voluerit custodire? Denique, sicut jam dixi, omnes Scripturæ humiles pauperes laudant, & divites superbos vituperant; pauperibus æternum promittunt præmium, divitibus superbis perenne minantur supplicium, secundùm illud, *Redde retributionem superbis*; &, *Perdet Deus memoriam superborum*; &, *Odibilis est coram Deo superbia*. [* Per superbiam Angeli ceciderunt de cælo in terram, & facti sunt diaboli in inferno, & qui sunt superbi, similes ejus.] Sed si fortè est aliquis qui sine humilitate de religione vel quibuscumque bonis operibus gloriatur, diligenter adtendat & contremiscat, quia ipsum Archangelum superbia de cælo deposuit. Et si tantum ac talem dejecit, tu cùm sis terra & cinis, speras te cum superbia in cælum posse conscendere? * Et ideo consideret unusquisque conscientiam suam; & si in se superbiæ malum dominari cognoscit, ad humilitatis medicamenta confugiat: quia si usque ad exitum vitæ suæ in superbia voluerit perdurare, necesse habet cum diabolo, cujus imitator est, inferni supplicia sustinere, secundùm illud, *Qui confidunt in superbia, illuc cadunt*. Qui verò facultates minores habent, & pauperes sunt, si volunt ut ad ipsos respiciat omnium Scripturarum benedictio, verам humilitatem teneant, & audiant sibi Dominum dicentem, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*; & timeant illud quod scriptum est, *Ante Dominum immundus est omnis qui exaltat cor suum*. Secundùm hæc quæ suprà suggessi, evidenter agnoscite quia nec pauperes juvat quòd pauperes sunt, si humiles esse noluerint; & divitibus nihil noceat quia divites sunt, si humilitatem & misericordiam vel justitiam tenere contenderint.

(Pauperes multis nil juvat inopia. — Eccli. 31. 8. — Psal. 111. 9. — 1 Tim. 6. 9. — Divitibus quibusdam non nocent opes. — Psal. 93. 2. — Psal. 33. 17. — Eccli. 10. 7. — Paupertas vana, si superba. — * Hæc non habet MS. Reg. — * Serm. 17. n. 1. — Prov. 11. 28. — Humilis, benedictionibus cumulandi. — Matth. 11. 29.)

5. * Et quia duæ partes hominum & quasi duo populi, humilium scilicet & superborum, ab initio mundi in duabus civitatibus construuntur, & una earum dicitur Jerusalem, quod interpretatur visio pacis; altera Babylonia, quod interpretatur confusio; unam ædificat Christus, aliam diabolus: omnes qui perseveraturi sunt in superbia, ad Babylonem pertinent, ad Jerusalem verò qui in humilitate sunt permansuri. Omnes sancti & omnes Scripturæ eos qui sunt humiles benedixerunt & jugiter benedicunt, secundùm illud, *Benefac, Domine, bonis & rectis corde*, & eos qui sunt superbi maledixerunt & assiduè maledicunt. Unde, sicut jam dixi, unusquisque recurrat ad conscientiam suam; & * si in se radicem superbiæ dominari cognoscit, dum ei licet, & tempus bene

(* V. Cesar. Hom. 18. — Civitates duæ ex humilibus & superbis. — Psal. 124. 4. — * Idem de cupiditate Serm. 269. n. 1.)

faciendi in sua potestate consistit, quanta potest velocitate cum Dei adjutorio exstirpet superbiam, & plantet humilitatem, certissimè sciens quòd ei, quælibet bona opera fecerit, prodesse non poterunt, quamdiu in superbiæ tumore permanserit. Nec contentus sit quasi per fictam & simulatam humilitatem velut ramos ejus tantummodo tollere: sed radicem ex corde conetur evellere, si vult illi placere qui cor dignatur inspicere. Quam rem qui implere noluerit, maledictis Scripturarum omnium subjacebit; & impletur in eo illud quod scriptum est, *Dominus justus concidet cervices peccatorum*: & illud, *Pluet super peccatores laqueos ignis*.

(SERM. DE DIVERSIS. — Psal. 128. 4. — Psal. 10. 7.)

6. Istam sententiam quando audiunt peccatores, contremiscunt & dicunt, Si Dominus justus omnium peccatorum cervices concidet, nos qui peccatores sumus quomodo evadere poterimus? Absit ut de pietate Domini desperetur. Citò enim nos suscipit divina misericordia, si pænitentia & emendatio fuerit subsecuta. Et tamen hoc loco peccatores superbos intelligi voluit, pro eo quòd & ipsi peccatum suum defendunt, & à suis similibus collaudantur, & dicitur eis, Bene & prudenter egistis. Sic respondere, sic te defendere gratularis, quia vicisse videris hominem; & non plangis quia vitio superbiæ victus es. Quantò melius tibi erat Christum humilem sequi, quàm per superbiam diaboli pedibus conculcari. *Dominus*, inquit, *concidet cervices peccatorum*. * Quòd autem hoc non de omnibus peccatoribus, sed tantummodo de superbis & debeat & possit intelligi, ex illo membro ubi percutiuntur agnoscite. Non dixit, Dominus justus concidet manus vel pedes peccatorum; sed cervices peccatorum. Quare hoc? Quia omnes superbi cervicati sunt. Et ideo solos superbos istâ plagâ percutiendos esse cognoscite. Qui ergo humiles sunt, Deo gratias agant, & usque in finem vitæ suæ in humilitate permaneant: ut Angelorum, & Patriarcharum, & Prophetarum, & Apostolorum, & omnium Scripturarum benedictio, quæ omnibus in humilitate perseverantibus datur, super ipsos veniat, & cum ipsis benedictionibus ad præmia æterna perveniant, & impleatur in illis illud quod scriptum est, *Benedictio Domini super caput justi*. Illi verò qui superbiæ tyrannidem in se dominari cognoscunt, sicut jam suprà suggessimus, repudiata elatione arrogantiæ, per quam in se ipsis Domini templa destruxerant, fundamentum veræ humilitatis in se collocare festinent; ut per humilitatem surgere mereantur ad gloriam, qui per superbiam ceciderant in ruinam.

(Quorum peccatorum Deus cervices concidet. — V. August. Enar. in Psal. 128. n. 9. — Superbi cervicati sunt. — Proverb. 10. 6.)

7. Sed dum de exsecrando superbiæ malo & appetendo humilitatis bono loquimur, fortè aliquis intra se cogitat, & dicit, Quid est quòd in hoc Sermone de istis duabus tantummodo loquitur, & de fundamento bonorum caritate, & radice malorum omnium cupiditate nihil dicit? Hoc ideo interdum facimus, Fratres carissimi, quia illæ duæ sine istis duabus esse non possunt. Numquam enim vel cupiditas sine superbia, vel caritas sine humilitate, aut potuit esse aliquando aut poterit. Ac sic quicumque humilitatem laudat, cum illa & caritatem, de qua nascitur, prædicat: & è contrario qui superbiam accusat, simul & cupiditatem, sine qua esse non potest, damnat. Quomodo enim caritas & humilitas velut duæ alæ sunt, quibus humiles animæ elevantur ad cælum; & si una defuerit, alia prodesse nihil poterit: ita & è contrario cupiditas & superbia velut duæ compedes esse probantur, cum quibus infelices superborum animæ, dum se per elationem in altum erigunt, justo Dei judicio in inferni profunda descendunt. Et ideo quotiens in Scripturis divinis aut in quibuscumque prædicationibus audieritis laudes humilitatis, ibi etiam præconia caritatis agnoscite; sicut è diverso vituperationem superbiæ, cupiditatis exsecrationem intelligite. Et quia de cupiditate superbia nascitur, & de caritate humilitas generatur; ita sibi invicem copulantur, ut unaquæque mater sine filia sua esse non possit. Quicumque ergo se desiderat de malo superbiæ liberari, priùs in se cupiditatem, de qua nascitur, conetur exstinguere; sicut è contrario qui veram humilitatem concupiscit jugiter obtinere, caritatem matrem ipsius contendat fideliter custodire. Unde totis viribus Dei misericodiam deprecemur, ut nos de malo superbiæ vel cupiditatis liberare, & bonum humilitatis & caritatis per suam misericordiam largiri dignetur: ut non su-

(Nec cupiditas sine superbia, nec caritas sine humilitate.)

CLASSIS IV.

perbiæ principem diabolum imitando descendamus in infernum; sed sequendo magistrum humilitatis Christum, adscendere mereamur in cælum. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Aliàs de Tempore 213.

* SERMO CCXCVII.

De humilitate & timore Domini.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat dubius Lovaniensibus, falsus Verlino & Vindingo. Conflatus est ex cap. 10. & 15. operis Alcuini de virtutibus & vitiis: & quædam ex Benedictinæ regulæ capite 7. verbis propè iisdem refert in conclusione.

Humilitatem à suis exigit Deus.

1. DAVID propheta & psalmista, qui teste Scriptura secundùm cor Dei electus fecit omnes voluntates ejus, ipse, Fratres carissimi, quid Creator noster in his appetat & diligat, quodam loco ostendit, ita dicens: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?* (Psal. 112. 5. & 6.) Si ergo Dominus altissimus, cujus excellentiæ & magnitudinis non est finis, in omni creatura sua, & eâ quæ in supernis, & eâ quæ in infimis est constituta, in Angelis videlicet & in hominibus humilitatem considerat & probat; quantum necesse est nobis humilitati semper studere, ipsamque in omnibus conservare, ut sic placeamus Conditori nostro? [* Quanta autem sit veræ humilitatis virtus, facilè ex verbis Domini agnoscitur, qui, ut superbiam Pharisæorum damnaret, dixit, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Humilitatis quippe passibus ad cæli culmina conscenditur; quia Deus excelsus non superbiâ, sed humilitate adtingitur, de quo dictum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* unde & in Psalmis dicitur, *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Alta posuit pro superbis. Humilia verò respicit ut adtollat; alta, id est, superba cognoscit ut dejiciat. Discamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus, sicut ipse in Evangelio ait, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Per superbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cælo; per humilitatem Dei fragilitas humanæ naturæ adscendit in cælum. Honesta est enim inter homines humilitatis consuetudo, sicut Salomon ait, *Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia; ubi autem humilitas, ibi & sapientia.* Item alius Sapiens, *Quantò*, inquit, *major es, tantò humilia te in omnibus; & coram Deo invenies gratiam.* Item Deus per Prophetam ait, *Ad quem autem respiciam, nisi ad humilem & quietum & trementem verba mea?* Quicumque humilis & quietus non fuerit, non potest in eo habitare gratia Spiritus-sancti. Deus humilis factus est nostræ salutis caussâ: erubescat homo superbus esse. Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria. Primus humilitatis gradus est, veritatis sermonem humiliter audire, memoriter retinere, voluntariè perficere. Eam quippe quam non invenerit humilem, veritas fugit mentem. Quantò quisque humilior erit de se ipso, tantò major erit in conspectu Dei. Superbus verò quantò gloriosior apparet inter homines, tantò dejectior erit ante Deum. * Qui enim sine humilitate bona opera agit, in ventum pulverem portat. Item Scriptura dicit, *Quid superbit terra & cinis*, dum vento superbiæ dispergitur, quod jejuniis vel eleemosynis congregari videtur? Noli, ô homo, in virtutibus tuis gloriari; quia alterum habiturus eris judicem, non te ipsum: in cujus conspectu te ipsum in corde tuo studeas humiliare, quatenus ille te exaltet in tempore retributionis suæ. Descende ut adscendas, humiliare ut exalteris; ne exaltatus humilieris. Qui enim sibi vilis est, ante Deum pulcher est; & qui sibi displicent, Deo placent. Esto igitur parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantò fueris ante oculos tuos despectior. In summo honore summa tibi sit humilitas. HONORIS LAUS EST, HUMILITATIS VIRTUS.]

(Margin: * Alcuini de virtutibus & vitiis cap. 10. — Hac virtute cælum conscenditur. Lucæ 14. 11. — Jac. 4. 6. — Psal. 137. 6. — Matth. 11. 29. — Prov. 11. 2. — Eccli. 3. 20. — Isai. 66. 2. — Sine hac nec Spiritus-sancti gratia. — Nec veritatis lux. — * Gregorius homil. 7. in Evang. — Eccli. 10. 9. — Nulla bona. — Quid præstet coram Deo.)

Nulla est sine timore Dei.

2. Sed hanc veræ humilitatis virtutem nemo sine timore Dei habere potest; quia eorum neuter sine altero esse potest. Quid autem timor Dei efficiat, Fratres, audite. [* *Initium sapientiæ timor Domini.* (Psal. 110. 10.; * Alcuinus ubi suprà cap. 15.) Magna est cautela peccati, Dei semper præsentiam timere. Qui perfectè Deum timet, diligenter se à peccatis custodit. *Timenti Deum in novissimo die bene erit*, & merces ejus in æternum permanet. (Eccli. 1. 13.) Qui erubescit in conspectu hominis peccare, quantò magis dignum est quòd erubescat in conspectu Dei iniquitatem agere, qui non solùm opera, sed & corda considerat? Qui timore sancto Deum metuunt, inquirunt quæ beneplacita sunt illi. Alius est timor filiorum, alius est timor servorum. Servi enim propter tormenta dominos timent; filii verò propter amorem patris timent. Si filii Dei sumus, timeamus eum ex caritatis dulcedine, non de timoris amaritudine. Homo sapiens in omnibus operibus suis Deum timet, sciens se numquam ejus præsentiam effugere posse, sicut Psalmista Deo dicit, *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Item, *Quia neque ab Oriente neque ab Occidente*, subauditur, patet locus fugienti Deum. *Qui timet Dominum, accipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverit in mandatis ejus, inveniet benedictionem* sempiternam. *Timentis Deum beata est anima*, & à tentatione diabolica tuta remanet. *Beatus homo qui semper est pavidus*, & cui donatum est Dei timorem semper ante oculos habere. Qui timet Dominum, recedit ab itinere pravo, & ad virtutum semitam vias suas dirigit. Timor Dei repellit peccata, & adjicit virtutes. Timor cautum facit hominem, & sollicitum ne peccet. Ubi verò timor Dei non est, ibi dissolutio vitæ est. Qui Deum in prosperis non timet, * timeat vel in adversis, refugiat ad illum qui flagellat * & sanat. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis.* Timor Dei timorem expellit gehennæ;] quia facit hominem peccatum cavere, & justitiæ opera augere. Post hæc ad illum perveniet timorem, qui dicitur sanctus, & permanet in sæculum sæculi; quia est in dilectione.

(Margin: Timor alius filiorum, alius servorum. — Psal. 138. 7. — Psal. 74. 7. — Eccli. 32. 18. — Eccli 34. 17. — Prov. 28. 14. — Timor Dei expellit peccata. — * Alcuino abundat vox timeat. — * Alcuin. ut sanet. — Psal. 111. 1. — Ideo & gehennæ metum. — Psal. 18. 10.)

3. Sic ergo, Fratres, timeamus Deum, ut diligamus eum: quia *perfecta caritas foras mittit timorem* servilem: * atque ita abundantiam habere possumus securitatis & plenitudinem omnium bonorum. Unde & Propheta ait, *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Divites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Quapropter obsecro vos, Dilectissimi, * ut timorem Dei semper ante mentis vestræ oculos habeatis, & oblivionem præceptorum Dei omnino fugiatis, illudque sedulò cogitetis, qualiter timentes Deum & mandatis ejus obedientes ad vitam vadunt perpetuam, contemnentes verò & præcepta ejus spernentes in pœnam ibunt æternam: humilitatemque veram in corde vestro intus habeatis, sicque eam non fictè moribus coram proximis vestris insinuetis, ut & ipsi bonis exemplis vestris instructi glorificent Deum, & vobiscum æternam in cælis studeant percipere remunerationem: præstante Domino nostro, &c.

(Margin: 1. Johan. 4. 18. — Psal. 33. 10. & 11. — Inde pax & omnia bona. — V. Reg. Bened. c. 7.)

* Aliàs de Tempore 111.

* SERMO CCXCVIII.

De adversitate temporali.

In Appendice nunc primùm collocatur. Habuerunt dubium Lovanienses, supposititium Verlinus & Vindingus. Baronius verò genuinum ratus, ad tempus Vandalicæ obsidionis retulit, atque ut novissimum omnium Sermonum, qui exstent Augustini, totum suis Annalibus inseruit ad an. 430. Verùm dicendi genus planè Cæsarianum postulat ut aliò referatur: nec dubitandum videtur quin de tempore agat Arelatensis obsidionis à Francorum exercitu contra Gotthos. Cujus temporis calamitates descriptas habemus in libro de vita Cæsarii primo n. 15. &c. necnon apud Cassiodorum in Variar. lib. 3. epist. 32. & 40. unde excerpta quædam dedit Baronius ad an. 508.

CÆSARII Serm. XCIII. — Calamitates nostris peccatis imputandæ.

1. QUOTIENS, Fratres carissimi, aliquæ adversitates veniunt, quotiens aut hostilitas aut siccitas aut mortalitas justo Dei judicio nobis fuerit irrogata, non ejus injustitiæ, sed nostris hoc peccatis imputare debemus: quia, sicut dicit Apostolus, *Non iniquus est Deus, qui infert iram.* (Rom. 3. 5.) Multorum enim malis moribus atque clamoribus exagitatus est mundus. Et ut hoc omnes intelligere possint, apertiùs Caritati Vestræ insinuo. Sic sunt boni & mali, quomodo si duo vasa sint plena, & unum habeat putredinem, & aliud aromata pretiosa: cùm uno ventilabro ventilata fuerint, illud vas ubi aromata, odorem desiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit. Ita simul boni atque mali indiscretè quidem turbari, sed alto Dei judicio separati. Quotiens aliqua tribulatio in mundum venerit, qui boni sunt, ve-

(Margin: Quid in bonis & malis efficiant.)

Classis IV.

lut sancta vasa, gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur; illi verò qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & murmurant contra Deum, dicentes, O Deus, quid tanti mali facimus, ut talia patiamur? Unde sæpe fit, ut infelices isti amore hujus vitæ obligati, nec istam tenere possint, & illam sempiternam de qua fugiet dolor & gemitus, amittant: &, quod pejus est, nec ista mala præsentia possunt evadere, & ad illa quæ æterna sunt, eorum crimina eos faciunt pervenire. Non insultans, sed gemens & dolens hæc dico. Ecce sicut in eo qui superbo & rebelli spiritu emendare se noluerit, impletur illud quod scriptum est, *Qui in sordibus est, sordescat adhuc; justus autem justiora faciet, & sanctus sanctiora.* Non enim spes bonorum in isto est mundo posita. *Spes enim quæ videtur*, ait Apostolus, *non est spes*: quoniam & ipsa spes mundana quæ videtur, in amaritudine vera est. Amaram enim potionem mundus suis dilectoribus propinat. O infelicitas generis humani! * AMARUS EST MUNDUS, & diligitur; putas si dulcis esset, qualiter amaretur?

Apoc. 22. 11. — Rom. 8. 24. — Mundana spes amara. — * Augustinus Serm. 311. n. 14.

2. Vos alloquitur veritas, dilectores mundi, ubi est quod amastis, ubi est quod pro magno tenebatis, ubi est quod dimittere nolebatis, ubi sunt tot regiones, ubi tantæ splendidissimæ civitates? Lugendo potiùs ista dicta sunt quàm insultando. Magno affectu ista deputarentur, si tantummodo audirentur. At cùm oculos nostros dira calamitas & obsidionis percusserit, & nunc tempore mortalitatis affligat; mortuorum hominum sepeliendis corporibus vix illi qui remanere videbantur, occurrerint. Considerantes etiam illa mala quæ justo Dei judicio illata sunt, quando totæ provinciæ in captivitatem ductæ sunt, sustinuimus matres familiâs abductas, prægnantes abscissas: & nutrices avulsis è manibus parvulis, atque in vias projectis, nec vivos ipsos filios retinere, nec mortuos * permiserunt sepelire. Cruciatus magnus & dolor, timor & horror tortores cordis pariter insistebant, maximè cùm à talibus feminis hoc impia barbarica exigebat potentia, ut quæ se sciebat multorum mancipiorum fuisse dominam, barbarorum se subitò sine ullo pretio lugeret ancillam. Sic impletum est in nobis illud quod dictum est per Prophetam David, *Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Dura à delicatis, & à nobilibus mulieribus servitia sine ulla miseratione humanitatis à barbaris exacta sunt. Strepitus clamoris hujus in auribus nostris urget, dum talia audimus atque videmus. Numquid ferreæ sunt carnes hominum, etiamsi * servus ferreus in aliquibus inveniatur? Quis ista audiens vidensque non doleat? Unde cum Propheta dicere possumus, *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Non solùm mortem corporum, verùm etiam animarum, Christianis loquimur. Multos cognovimus in ista visitatione sine sacramento baptismi ex ipsa vita fuisse ereptos, atque inter vasa iræ relictos. Quis luctus idoneior, quis planctus celsior inveniri potest, quando sic exarsit ira Omnipotentis, ut repelleret etiam tabernaculum suum, in quo habitavit in hominibus? Et ille etiam *qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, nec pretium tanti sanguinis adtenderit, nulli ecclesiæ, nulli clero, nulli sacratæ virgini, nulli parcere civitati.

Fœdæ depopulationis descriptio. — * f. permissæ sunt. — Psal. 43. 13. — * f. animus. — Jerem. 9. 1. — Rom. 8. 32.

3. Nos verò, Fratres carissimi, quibus Dominus non pro nostris meritis parcere, sed adhuc ad pænitentiam reservare dignatur, non sine grandi timore debemus considerare, quòd hæc omnibus nobis præbentur exempla. Et ideo * illorum mors proficiat ad nostram salutem, eorum tribulatio sit nostra correptio, de aliorum plagis faciamus medicamenta vulneribus nostris: & semper timeamus quod Dominus in Evangelio dixit, *Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus peccatores fuerint, quoniam talia passi sunt? Non dico vobis: sed nisi pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* * Et ideo qui solebat esse luxuriosus, sit castus; qui superbus, sit humilis; qui erat invidus, sit benignus, qui per fraudes vel calumnias solebat res alienas rapere, incipiat de suis largiores eleemosynas dare. Nimis delicatum est quod à nobis requirit Dominus noster, Fratres carissimi. * Non dixit nobis, Jejunate plus quàm potestis, & plus quàm vires vestræ sufferunt vigilate; non nobis dicit, A vino vel à carnibus

* Sic Serm. 83. n. 2. — Luca 13. 2. — Ibidem 5. — * V. Serm. 37. n. 3. & 244. n. 3. — Jugum Christi leve. — * V. Ser. 269. n. 3. & 274. n. 2.

A abstinete; non à nobis requiruntur: sed hoc dignatur injungere, quod omnes homines possunt cum ipsius gratia sine grandi labore complere. Sed, quod pessimum est, multi sunt * qui durissimum & amarissimum avaritiæ jugum cum multis laboribus volunt ferre, & dulce jugum Christi & onus ejus leve dissimulant humeris suis imponere: malunt cum multis peccatis sub sarcina gravi succumbere, quàm jugum Christi, quod eos potest in cælum elevare, suscipere. Vos verò, Fratres, nobiscum sapienter & fideliter cogitantes, disrumpatis à cervicibus vestris durum & asperum avaritiæ jugum, & jugum Christi suavissimum vestris humeris imponite, secundùm Apostolum conversationem vestram levantes B in cælum; ut cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso appareatis in gloria. Quod ipse præstabit, &c.

Serm. de Diversis. — Huic multi præferunt jugum avaritiæ. — * Ita Serm. 269. n. 3. — Philip. 3. 20. Coloss. 3. 4.

* SERMO CCXCIX.

De esuriendo & sitiendo Dei verbo.

Cæsarii nomen in MSS. præfert, estque in Bibliotheca Patrum homilia ipsius vigesima-sexta.

Cæsarii Serm. XCIV.

C 1. INTER reliquas beatitudines, quas in Evangelio Dominus ac Salvator noster enumerare dignatus est, etiam hoc addidit, dicens, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Felices sunt quibus istam præclaram famem, & desiderabilem sitim Deus donare dignatur. Quomodo autem esuritur justitia, Fratres? Justitiam esuris, si verbum Dei patienter & libenter audire volueris: de tali enim cibo dictum est, *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Quamvis enim melius sit facere quàm nosse: prius est tamen nosse, quàm facere; debet enim discere, qui optat implere. Denique audi Scripturam dicentem, *Omnis qui non didicerit justitiam super terram, veritatem non faciet*: & iteD rum, *Zelus apprehendet populum ineruditum; & ignis adversarios consumet.* Et in hoc loco ideo dicitur ignis adversarius; quia non de parte Christi, sed de parte diaboli esse cognoscitur. Et iterum, *Justitiam discite, qui * habitatis terram.* Manifestum est ergo quòd ipse esurit justitiam, qui discere optat justitiam. Priùs ergo debemus discere; ut postea mereamur implere. Ut ergo ista beatitudo per Dei gratiam impleatur in vobis, si in veritate, ut credimus, & esuritis & sititis justitiam, quotiens vobis verbum Dei fuerit tardiùs prædicatum, nolite exspectare ut vobis ultro illud debeamus ingerere; sed etiam vos ipsi, quasi rem vobis jure debitam, fideliter à nobis E ac sitienter exigite.

Matth. 5. 6. — Justitiam esurire quid sit. — Eccli 24. 29. — Sap. 1. 1. — MS. Theod. judicatis. — Jus populi ut exigat a Sacerdote verbum Dei.

2. Nam si nos semper ultro velimus offerre, & vos aliquotiens tardantibus nobis nolueritis exigere; possumus ab illis qui periculum nostrum nesciunt, importuni forsitan judicari. Sed qui bene novit quàm grave pondus immineat cervicibus sacerdotum, intelligit quòd quamvis assiduè verbum Dei prædicemus, minùs tamen reddimus quàm debemus. Testificatur enim sacerdotibus Spiritussanctus per Prophetam, *Clama, ne cesses*: non dicit, Clama post multos dies; sed, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo peccata eorum.* Et iterum, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam,* F *sanguinem ejus de manu tua requiram.* Et Apostolus, *Memoriam mei retinete, quoniam per triennium non cessavi die ac nocte, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm.* Si Apostolus, ut se apud Deum absolveret, die noctuque verbum Dei prædicabat; quid de nobis fiet, qui vix vel post multos dies commisso nobis gregi spiritalia pascua providemus? Et propterea contestatur Timotheum idem Apostolus, dicens, *Testificor coram Deo, & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos & mortuos, & adventum ipsius, & regnum ejus.* Et quasi interrogaretur quare tam metuendam contestationem præmitteret, secutus adjunxit, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obse*G*cra, increpa.* Quid est *opportunè, importunè*; nisi opportunè volentibus, importunè nolentibus? Volentibus audire verbum Dei offerendum est; fastidientibus, ingerendum: ne fortè contra nos ante tribunal Christi stantes dicant se à nobis admonitos non fuisse, & animarum illorum sanguis de nostris manibus requiratur. Unde cum grandi tremore pensare debemus, ne ad nos etiam illa

Sacerdotum obligatio ut illud tradant. — Isaia 58. 1. — Ezech. 3. 18. — Act. 20. 31. — 2. Tim. 4. 1. — Ibidem. 2.

Classis IV.

terribilis sententia dirigatur, quam servus ille meruit audire, qui acceptum talentum duplicare noluit: *Serve*, inquit, *male & piger, quare non dedisti pecuniam meam nummulariis ad mensam; & ego veniens cum usuris exegissem illam?* Et quid post hæc? Avertat Deus hoc à nobis: *Inutilem*, inquit, *servum projicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium. Quare*, inquit, *non dedisti pecuniam meam nummulariis?* Pecunia, Dilectissimi, non aliud intelligitur, nisi id quod in ecclesia prædicatur. Nummularii qui pecuniam accipere debent, non sunt alii nisi populi Christiani. Sicut enim nobis grave peccatum erit ad mensam cordis vestri non dedisse pecuniam Domini nostri; ita è contrario & unicuique vestrûm non parvum periculum imminet, si id quod verbis acceperit, bonis operibus duplicare noluerit.

Matth. 25. 26. — *Ibidem. 30.* — *Verbum Dei pecunia duplicanda.*

3. Quia ergo & nostrum & vestrum periculum agnovistis; quotiens evenerit ut vobis tardiùs verbum Dei ministretur, sic hoc molestè accipite, quomodo si corpori vestro quotidiani victûs substantia subtrahatur. Non enim apud nos major debet esse corporis fames quàm animæ. Nam quantum animam digniorem esse novimus, tantum de ejus victu majorem sollicitudinem habere debemus. * Si enim caro nostra bis in die reficitur; quare molestum & ineptum judicet aliquis, si vel post septem dies anima Dei verbo pascatur. * Quomodo enim caro reficitur cibo isto terreno; sic & anima pascitur Dei verbo. Et ideo quotiens vobis tardiùs oblatum fuerit, per sanctam importunitatem vestram excitate pigritiam nostram, & quod vobis jure debetur exigite.

Cibus est animæ. — ** Sic Serm. 141. n. 4.* — ** Ibidem n. 5.*

4. Sacerdotes enim in Ecclesia similitudinem videntur habere vaccarum; Christiani verò populi typum præferunt vitulorum. Quomodo enim vaccæ per campos & prata discurrunt, vineta & oliveta circumeunt, unde pastis herbis ac frondibus cibum lactis præparent vitulis suis: ita sacerdotes in diversis sanctarum Scripturarum montibus assiduè legendo verbum Dei, debent flores decerpere, ex quibus spiritale lac valeant filiis ministrare; ut possint partem habere cum apostolo Paulo, qui dixit, *Lac vobis potum dedi, non escam.* Non incongruè, Fratres carissimi, sacerdotes vaccarum similitudinem habere videntur. Sicut enim vacca duo ubera habet, ex quibus nutriat vitulum suum; ita & sacerdotes duobus uberibus, veteris scilicet & novi Testamenti, debent pascere populum Christianum. Considerate tamen, Fratres, & videte quia istæ carnales vaccæ non solùm * ipsæ ad suos vitulos veniunt, sed etiam sui vituli eis obviàm currunt, & ita ubera matrum suarum capite frequenter percutiunt, ut aliquotiens, si majores vituli sint, ipsarum matrum corpora de terra sublevare videantur; attamen injuriam ipsam vaccæ libenter suscipiunt, dum vitulorum suorum cupiunt videre profectum. Hoc etiam boni sacerdotes debent fideliter desiderare vel cupere, ut filii eorum pro salute animæ suæ assiduis eos interrogationibus inquietent; ut dum filiis pulsantibus gratia divina tribuitur, sacerdotibus sanctarum Scripturarum secreta revelantibus æternum præmium præparetur. Hoc ideo dico, ut & in nobis & in vobis ista similitudo servetur. Cupimus enim à vobis istam desiderabilem inquietudinem sustinere, dummodo animas vestras videre mereamur in Christi amore proficere. Unde sicut nobis expedit, collectis Scripturarum floribus, spiritalem cibum conficere; ita & vos oportet cum grandi aviditate requirere. Nam quomodo solent vituli matrum ubera cum grandi impetu inquietare, ut de interioribus earum necessarium sibi possint extrahere cibum; ita & populi Christiani sacerdotes suos, velut sanctæ Ecclesiæ ubera, assiduâ debent interrogatione provocare, ut cibum possint sibi salutis adquirere, & victum animæ suæ necessarium providere: ne fortè si & sacerdotes tardiùs voluerint offerre, & populi nimiis impedimentis mundi istius occupati dedignentur inquirere, impleatur illud quod scriptum est, *Mittam*, inquit, *famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Credimus tamen de Dei misericordia, quòd ita & nobis studium legendi vel prædicandi, & vobis audiendi desiderium præstare dignabitur, ut ante tribunal æterni Judicis & nos de prædicationibus nostris bonam possimus reddere rationem, & vos pro benigna obedientia & bonorum operum perseverantiâ, ad æterna valeatis præmia pervenire: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdotes velut vaccæ lac verbi Dei præparent. — *1. Cor. 3. 2.* — *Id populi velut vituli sollicitè requirant.* — ** Verba ipsa Cæsarii, quæ in ejus vita lib. 1. n. 30. referuntur.* — *De hac re amat Cæsarius inquietari.* — *Amos 8. 11.*

Serm. de Diversis.

* SERMO CCC.

* *Qualiter excipiendum Dei verbum.*

** Aliàs 26. ex 50. homil.*

In Appendice nunc primùm collocatur. In editione Lovaniensium dubius est, Verlini autem & Vindingi censurâ supposititius. Augustino stilus & res minimè conveniunt, sed apprimè Cæsario.

1. Ante aliquot dies propter eos qui aut pedes dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi & quodam modo supplicavi, ut quando aut Passiones prolixæ, aut certè aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter & cum silentio sedentes, adtentis auribus audiant quæ leguntur. Nunc verò aliquæ de filiabus nostris putant, quòd hoc aut omnes, aut certè plures quæ sanæ sunt corpore, frequenter debeant facere. Nam ubi verbum Dei cœperit recitari, quasi in lectulis suis ita jacere volunt: atque utinam vel jacerent tantummodo, & tacentes verbum Dei sitienti corde susciperent; non etiam se ita otiosis fabulis occuparent, ut quod prædicatur * nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant. Unde rogo vos, venerabiles Filiæ, & sollicitudine paterna commoneo, ut quando aut lectiones leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla se in terram projiciat: nisi fortè quam nimium gravis infirmitas cogit, sic tamen ut non jaceat, sed magis sedeat, & adtentis auribus quæ prædicantur avido corde suscipiat.

Cæsarii Ser. XCV. Paterna ipsius sollicitudo erga debiles. — *Arguit feminas in terra velut in lectis jacentes.* — ** Sic Serm. 265. n. 3.*

2. Interrogo vos, Fratres vel Sorores, dicite mihi, Quid vobis plus esse videtur, verbum Dei, an corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quòd non sit minus verbum Dei quàm corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde nostro depereat: quia non minùs reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.

Verbum Dei nil minus quàm corpus Christi. — *Nec indignius percipiendum.*

3. Velim tamen scire, si ab illa hora qua verbum Dei prædicari cœperit, semper pretiosissimas gemmas & inaures vel annulos aureos erogare velimus, utrùm stare aut accipere vellent filiæ nostræ. Sine ulla dubitatione, cum grandi ambitione quæ illis offeruntur acciperent. Nos verò quia ornamenta corporalia offerre nec possumus nec debemus, ideo non libenter audimur. Sed non est justum, ut spiritalia ministrantes superflui judicemur. Qui enim verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. Qui admonetur ut pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemosynas expandit, dextralia à Christo transmissa percipiet. Quomodo enim terrenis ornamentis caro luxuriosa parvo tempore ornatur, ut carnalibus oculis aut ad suam aut ad aliorum malè concupiscentium ruinam placere possit; sic anima sancta divinis sermonibus tamquam spiritalibus & æternis bonorum operum margaritis componitur, ut ad illius cælestis sponsi consortium & nuptiale convivium feliciter ornata perveniat: ut non ei dicatur illud quod scriptum est in Evangelio, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* ne bonorum ornamentis exspoliatus ac nudus audire mereatur, *Ligate illi manus & pedes, & projicite in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium:* sed magis pro ornamentis bonorum operum, illa vox ad eum desiderabilis dirigatur, *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Prædicator gemmarum spiritalium erogator. — *Matth. 22. 12.* — *Ibidem 13.* — *Matth. 25. 21.*

4. Rogo vos, Filiæ, diligenter ea quæ à nobis dicuntur audite. Si aliqua mater propriis manibus ornare velit filiam suam, & illa despiciens ornamenta quæ accipit, frequentiùs se inclinet ad terram, & huc atque illuc ita per inquietudinem moveatur, ut illam mater sua secundùm suam voluntatem ornare non possit; numquid

Et veluti mater ornandæ filiæ studiosa.

* a In MSS. titulus est, *Admonitio ut silentium in ecclesia præbeatur*: In editis autem, *De permissione ac prohibitione sedendi in ecclesia, quando vel lectiones leguntur, vel verbum Dei prædicatur.*

non

CLASSIS IV.

non justè aut objurgatur, aut cæditur? Et me ergo putate A matrem esse animarum vestrarum, & ita vos velle componere, ut in vobis nec macula nec ruga possit ante tribunal æterni Judicis apparere. Animabus enim vestris non solùm ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans providere, studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, & ea quæ sunt integra, spiritalibus margaritis ornare. * Si me non piget; quare aliquis fastidiosè velit accipere? Cùm enim terrena & temporalia ornamenta corporis, si non invenitur qui donare velit, carissimo pretio comparentur: quantò magis æterna animarum ornamenta, quæ absque ullo pretio à nobis non cum parvo labore quæsita, ve- B stris spiritalibus offeruntur, justum est ut à vobis cum perfecta caritate suscipiantur? Nos enim margaritas vobis de paradisi patria providentes, * nullam aliam in hoc sæculo mercedem optamus accipere, nisi ut vos patienter & libenter, quæ vobis insinuantur, videamus audire, & cum Dei adjutorio secundùm vires vestras operibus adimplere.

* V. Serm. 95. n. 3.

Quam mercedem de suo labore exigat.

* V. Serm. 38. & seq. n. 5.

5. Fratres carissimi, & venerabiles Filiæ, * non ideo dicimus quòd vos agnoverimus verbum Dei non libenter accipere; propitio enim Deo, plus quàm cogitari vel dici potest, de vestra obedientia gaudet & exsultat anima nostra: sed dum vos volumus ad meliora semper adscen- C dere, etiam ea quæ vos perfectè cognoscimus agere, paterna sollicitudine præsumimus admonere. Et quia non toti viri vel mulieres voluerunt hodie ad vigilias convenire; * rogo vos, Filii & Filiæ, ut ea quæ vobis dicta sunt, illis qui absentes fuerunt fidelissimè referatis: ut non solùm de vestra, sed & de aliorum correctione mercedem habere possitis.

* V. Serm. 229. n. 2. & 231. n. 3.

* V. Ser. 282. n. 4.

* SERMO CCCI.

* Aliàs ex Vignerianis 36.

Admonitio ut pro salute animæ, aspera prædicatio non solùm non respuatur, sed ardenti desiderio requiratur.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustino in quibusdam MSS. & in Vignerii Supplemento malè tributus. Cæsarii est in Bibliotheca Patrum homilia decima-quinta: & certè modos loquendi Cæsarianos, qui aliis genuinis ejus Sermonibus, ac orationi quam in caussa Contumeliosi episcopi habuit, inspersi sunt, plurimos continet.

CÆSARII Serm. XCVI.

Sacerdos ne sit remissior.

* V. Serm. 249. n. 1.

1. QUOTIENSCUMQUE, Fratres carissimi, tam pro vestra quàm pro mea salute mihi necesse est aliqua dura vel aspera prædicare, * considerantes periculum meum, debetis hoc æquanimiter ac patienter accipere; quia prædicatio aspera, ægrotis medicamenta providet, sanis ornamenta componit. Non est enim leve quod per Prophetam Spiritus-sanctus sacerdotibus Domini comminatur, *Si*, inquit, *non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram*; & iterum, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo peccata eorum*: & illud quod negligenti sacerdoti nimiùm terribiliter in Evangelio dicitur, *Serve male, quare non dedisti pecuniam meam nummulariis, & ego veniens cum usuris exegissem?* Et quid post hæc? *Inutilem*, inquit, *servum projicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualem sententiam sacerdos negligens sustinebit, qui verbum Dei assiduè prædicare noluerit. Et ideo, Fratres carissimi, quotiens vobis aliqua aspera pro salute animæ vestræ humiliter suggero, * absolvo apud Deum conscientiam meam. Timeo enim & nimiùm expavesco Heli sacerdotis exemplum, qui pro eo quòd audiens filios suos adulteria committere, dissimulavit eos aut cædere, aut de communione suspendere, sed tantummodo leviter admonuit dicens, *Filii, non est bonum quod de vobis audio: si homo in hominem peccaverit, rogabit pro eo sacerdos; si autem ipse sacerdos deliquerit, quis exorabit pro eo?* & tamen licèt hoc dixerit, quia eos non cum grandi severitate distrinxerit, & ipse retro cadens de sella, fractis cervicibus mortuus est, & nomen ejus de libro vitæ deletum est, & uno die triginta millia de populo interfecta sunt, & duo filii ejus occisi sunt, & arca Testamenti ab inimicis capta est. Ecce quàm grave malum factum est per negligentiam sacerdotis, qui noluit timere illud quod suprà dictum est, *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram.* Ista enim tam terribilis sententia mihi intolerabilem metum

Ezech. 3. 18.

Isai. 58. 1.

Matth. 25. 26.

Ibidem 30.

* Sic Serm. 95. n. 7.

Timeat pœnam Heli.

1. Reg. 2. 23. &c.

1. Reg. 4.

Ezech. 3. 17.

facit; & ideo me vobis importunum exsistere, & frequenter clamare compellit. Et quia negligens sacerdos quàm gravi fuerit plagâ percussus audistis, Phinees sacerdos, qui sanctam severitatem tenuit, videte quid à Domino audire meruit. Cùm enim duos adulteros simul uno ictu percutiens occidisset, Domino dicente, audire promeruit, *Phinees sacerdos zelo meo commotus revocavit iram meam, ne disperderem populum*: & ideo in ipso Psalmo scriptum est, *Stetit Phinees, & exoravit, & cessavit quassatio; & reputatum est illi ad justitiam à generatione in genenerationem usque in sempiternum.*

Phinees ob severitatem laudatur.

Num. 25. 11.

Psal. 105. 30. & 31.

2. Sed quando peccatores pro suis criminibus castigantur, quod pejus est, non toti humiliter & obedienter accipiunt; sed plures sunt qui impudentissima fronte respondere non erubescunt, dicentes, Numquid ego hoc solus feci? Numquid illi & illi aut similia aut pejora fecerunt? Numquid talia * clerici etiam majoris ordinis faciunt? Infelix solatium tibi est turba peccatorum. Numquid ideo unusquisque peccator poterit minùs torqueri, si cum ipso infinitæ peccatorum multitudines æterno supplicio cœperint cruciari? Quantò melius erat unicuique, ut peccatorum suorum mala fugiens, humili confessione clamaret, *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*; & illud, *Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est semper*: & magis exempla illorum, qui post multa peccata bene conversi sunt, pro remedio animæ suæ sequeretur; & non sibi illos proponeret imitandos, * quibus post breve gaudium succedit sine fine supplicium.

Peccatores correpti reponunt se non esse solos.

* Incusartur ebrietatis Serm. 295. n. 4. Et hoc quàm stultè.

Psal. 40. 5.

Psal. 50. 5.

* V. Ser. 68. n. 5.

3. Solent etiam & hoc profana temeritate desperantes de Dei justitia criminosi vel negligentes dicere; Quòd multi talia aut fortè pejora crimina committentes, nihil mali in hoc sæculo patiantur, sed & sani & divites in omni prosperitate permaneant. O infelix & nimiùm lugenda præsumtio! Ergo capitalia crimina commitentes superbi & impii ideo tibi videntur esse D beati, quia nihil mali in hoc sæculo patiuntur? Audi de talibus Scripturam dicentem, *In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia eorum, operti sunt iniquitate & impietate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Ideo enim in hoc sæculo minimè flagellantur, quia præ nimietate scelerum suorum æterno supplicio reservantur. Non enim brevi tempore castigari potuerunt, quibus necesse erit sine fine torqueri. Nam Dominus ac Deus noster, qui istos pro sua justitia castigare dissimulat, filios suos diversis tribulationibus exercere non cessat, secundùm illud quod scriptum est, *Flagellat Dominus omnem filium* E *quem recipit*: & illud, *Ego quos amo, arguo & castigo.* * Si omnem filium flagellat quem recipit, ergo quem non flagellat, non recipit: & si omnem quem amat castigat, ergo quem non castigat non amat. Et hoc ut ita fiat * non Dei potentia[a] operatur, sed illorum nequitia sustinere meretur, secundùm illud quod scriptum est, *Ut sordens sordescat adhuc, & justus justificetur adhuc.*

Addunt malorum res non esse minùs fecundas.

Psal. 72. 5. &c.

Cur id ita fiat.

Afflictionis necessitas.

Hebr. 12. 6.

Apoc. 3. 19.

* Sic Serm. 34. n. 6.

* V. Ser. 22. n. 4.

a MS. Remig. addit per injustitiam.

Apoc. 22. 11.

4. Hæc ergo diligentiùs & adtentiùs cogitet, qui se in comparatione pejorum minùs peccare putat: & dum adhuc anima ista peccatrix in isto fragili corpusculo continetur, remedia sibi in æternum mansura provideat: F ne fortè si eum delectat brevi tempore purpurâ indutum & bysso, inter opes & delicias voluptati vel luxuriæ infideliter deservire, necesse sit illi postmodum inter inferni flammas sine ullo jam remedio guttam refrigerii postulare. Sed quando hæc luxuriosi audiunt, velut phrenetici, amisso sanitatis sensu irridere & subsannare solent eos, à quibus eis talia cum grandi labore prædicantur. Rideant quantum volunt, habent pro nobis Dominum respondentem, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: habent & illi Dominum dicentem, *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis; væ qui saturati estis, quia esurietis.* Derideant ergo nos superbi; nos tamen pro G eorum salute, licèt minùs digni, die noctuque cum rugitu & gemitu Dei misericordiam supplicemus, confidentes de illius ineffabili pietate, quòd eos citò inter filios suos ita dignabitur castigare, ut per ipsam castigationem ab omnium peccatorum præcipitio revocentur, & dignam pænitentiam agentes cum Sanctis mereantur æterna præmia percipere: quod * tantùm tunc in veritate fieri po-

Matth. 5. 5.

Lucæ 6. 25.

* MSS. tamen.

terit, quando sine aliqua mora peccator ad pœnitentiæ medicamenta confugerit.

5. Vos verò, Fratres carissimi, agnoscentes quàm gravis sarcina cervicibus immineat sacerdotum, à quibus omnium animæ requirendæ sunt, sicut jam suprà suggessimus, videntes quæ mala negligens Heli sacerdos incurrerit, & quam gloriam Phinees, qui zelo Dei commotus est, Domino remunerante perceperit; secundùm vestram consuetudinem ea quæ vobis prædicantur, etiamsi aliquotiens vobis amara videantur & aspera, libenter excipite. Et vos enim bene nostis, quòd non semper * medici dulces potiones porrigunt ægrotantibus, sed frequenter amaras & asperas; nonnumquam etiam ferramentis aliqua membra secare, & cauteriis exurere solent; & totum illi qui infirmi sunt patienter excipiunt, dum post brevem tribulationem longam sanitatem recipere cupiunt. Et nos ergo, qui licèt minus digni, tamen qualescumque medici spiritales esse videmur; necesse nobis est non semper blanda & mollia, sed aliquotiens aspera vel dura, illis qui in anima ægrotare videntur ingerere. Quomodo enim per amarissimam potionem digeruntur humores mali; sic per asperam castigationem mores pessimi minuuntur. Nam illud quale est, Fratres carissimi, quòd medici corporum, quando ad ægrotos venire dissimulant, cum grandi humilitate rogantur, præmia & munera eis promittuntur, & tamen dubium est, utrùm aliquid illorum medicamenta proficiant: nos verò qui de medicamento spiritali in nullo penitus desperamus, & nec terrenum præmium nec aliqua temporalia lucra requirimus, ideo fastidiri debemus, quia nos ultrò ingerimus, & nihil aliud quàm * pœnitentiam & correctionem in ægrotantibus invenire desideramus? Carnalis enim medicus, utrùm relevare possit ægrotum, incertum est: spiritalis verò medicina si libenter accipiatur, absque ulla dubitione, etiamsi multis peccatis vulnerata sit, etiamsi mortua sit anima, suscitatur. Quare ergo cum tam grandi expensa & cum multis doloribus requiritur sanitas corporum; & cùm sine ulla expensa tribuatur, ab aliquibus non libenter accipitur sanitas animarum? Quare hoc, Fratres carissimi? Quia multi sunt qui majorem curam habent in carne sua, quàm in anima. Sed oportebat illis ut erga animam, ubi imago Dei est, sollicitudinem majorem semper impenderent: quia quando caro, quæ modò tantùm diligitur, vermibus cœperit devorari in sepulcro, anima Deo ab Angelis præsentatur in cælo; & ibi jam si bona fuerit, coronatur, aut si mala, in tenebras projicitur. De quibus tenebris adtentiùs supplicemus, ut nos Dei misericordia liberare dignetur, qui vivit & regnat Deus in unitate Spiritus-sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

** V. Serm. 249. n. 2.*

Sacerdotes, medici spiritales.

Corporum medicos in quo præcellant.

** MSS. nonnulli patientiam.*

** Aliàs de Tempore 112.*

SERMO CCCII.

De studio sapientiæ, lectione & meditatione legis Dei.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubitarunt de eo Lovanienses: sed rejecit post Verlinum Vindingus, à quo observatum est descriptum fuisse ex Alcuini libro de virtutibus & vitiis cap. 1. & 5.

1. OPORTET, Fratres carissimi, ut mundo corde & casto corpore sapientiam divinam discere diligatis, & intelligere appetatis; quia ipsa cognitio Dei fideliter se quærentibus & instanter meditantibus tribuit. Cognitione autem Dei nihil melius est; quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est. Unde & Salvator ad Patrem ait, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Hujus ergo sapientiæ notitia qualiter adipiscatur, audite. [* Primò omnium quærendum est homini quæ sit vera scientia, veraque sapientia: quia *sapientia hujus sæculi, stultitia est apud Deum.* Scientia vera est, à diaboli servitio, quod sunt peccata, recedere; & sapientia perfecta est, Deum colere secundùm mandatorum illius veritatem: quia in his duobus vita beata adquiritur, sicut Psalmista ait, *Diverte à malo, & fac bonum.* Nec etiam sufficit cuiquam mala non facere, nisi etiam & bona faciat; nec bona facere, nisi etiam mala omittat. Omnis ergo qui sic sapiens est, procul dubio beatus erit in æternum. Beata siquidem vita est cognitio divinitatis; cognitio divinitatis, virtus boni operis; virtus boni operis, fructus est æternæ beatitudinis.]

Cognitione Dei nihil melius.

Johan. 17. 3.

** Alcuini de virtutibus & vitiis cap. 1.*

1. Cor. 3. 19.

Scientia vera.

Sapientia perfecta.

Psal. 33. 15.

Vita beata.

2. Adhuc ergo bonum habemus solatium, divinarum lectionem Scripturarum: quia [* sacrarum lectio Scripturarum, divinæ est præcognitio non parva beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo se ipsum considerare potest, qualis sit, vel quò tendat. Lectio assidua purificat* omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum; sive quia intellectum mentis erudit, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multùm ad emundationem animæ proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur & pascitur, sicut Psalmista ait, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum ori meo!* Sed ille beatissimus est, qui divinas Scripturas vertit in opera. Omnes planè Scripturæ sanctæ ad nostram salutem scriptæ sunt, ut proficiamus in eis in veritatis agnitione. Sæpius cæcus offendit quàm videns: sic ignorans legem Dei sæpius ignoranter peccat, quàm ille qui scit. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine doctore rectam viam vix graditur.]

Quanta conferat bona lectio Scripturarum.

** Cap. 5. dicti libri.*

** Alcuin. animam.*

Hujus & orationis discrimen.

Psal. 118. 103.

3. Et ideo, Fratres carissimi, quicumque ex vobis lectiones sacras legere & intelligere possunt, in his studium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur: qui verò sensum locutionis sacræ ex lectione non possunt percipere, adtentiùs audiant interpretantem, ut recipiant saltem inde ædificationem. Cùm verò magisterio cælesti instructi, quid faciendum quidve vitandum sit, Dilectissimi, accipiatis; non sit mora in faciendo, quod intus sapiatis intelligendo: quia, ut beatus Paulus Apostolus ait, *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis.* Et ipsa Veritas ait, *Servus qui scit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis.* Item alibi scriptum est, *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Itaque omni diligentia studete ut cognoscatis voluntatem Dei: postquam autem cognoveritis voluntatem ejus, summo nisu contendite, ut hanc faciatis implentes mandata illius, & instanter deposcite, ut in hoc perseverantes perveniatis ad promissa illius. Ad quod nos adjuvare dignetur ipse qui per suam bonitatem nos vocaverat, & per suam gratiam liberaverat, quique bene certantibus cælestia regna promiserat, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu-sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Quid post lectiones sacras præstandum.

Rom. 2. 13.

Lucæ 12. 47.

Jacobi 4. 17.

* SERMO CCCIII.

Admonitio populi ut lectiones divinas audire studeant &c.

Cæsarii est homilia in Bibliotheca Patrum ordine vigesima.

1. GRATIAS Deo agimus, Fratres carissimi, quia nos, etsi inter multas occupationes, sanctæ Caritati Vestræ repræsentare dignatus est. Novit enim divina clementia, quia * etiamsi secundò aut tertiò per singulos annos vobis possimus occurrere, nec sic quidem poteramus nostra desideria satiare. Quis enim pater est, qui filios suos, & præcipuè fideles & bonos, non frequenter videre desideret? Concedat Deus vobis orantibus, ut & in nobis, quos tanta caritate suscepistis, aliquid boni invenire possitis, & nos hoc semper in vobis videamus, unde pleniùs gaudere possimus. Quia ergo, quantum dignum est, de Caritatis Vestræ præsentia gratulamur, de salute communi, quantum Dominus dederit, colloquamur. Quando aliquid de utilitate animæ proferimus, Fratres carissimi, nemo se excusare conetur, ut dicat, Non mihi vacat legere; & ideo non possum Dei præcepta vel agnoscere vel implere. Nec dicat aliquis vestrûm, Non novi litteras; ideo mihi non imputabitur quidquid minùs de Dei præceptis implevero. Inanis est & inutilis excusatio ista, Fratres carissimi. Primum est, quòd lectionem divinam, etiamsi aliquis nesciens litteras non potest legere, potest tamen legentem libenter audire. Qui verò litteras novit, numquid potest fieri quòd non inveniat libros, quibus possit Scri-

CÆSARII Ser. XCVII.

** V. Serm. 69. n. 1. 107. n. 1. 112. n. 1. & 266. n. 1.*

A lectione sacra nullus excusatur.

pturam divinam legere? Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces jocos, sermones otiosos ac luxuriosos quantum possumus respuamus; & videamus si nobis non remaneat tempus, in quo lectioni divinæ vacare possimus. Fugiamus prandia luxuriosa, quæ nos occupant usque ad vesperam; contemnamus cœnas, quæ nos aliquotiens etiam in vitiis usque ad noctem mediam trahunt, in quibus & caro nostra per ebrietatem debilitatur, & anima per turpiloquia & scurrilitates aut vulneratur, fortè aut etiam moritur; istas malas occupationes, quæ & animam & corpus debilitant, fugiamus: & videbimus quòd nobis remanet tempus, in quo aliquid de salute animæ cogitemus.

[..]n inopiâ [..]poris.

2. Quando noctes longiores sunt, quis erit qui tantum possit dormire, ut lectionem divinam vel tribus horis non possit aut ipse legere, aut alios legentes audire? Illi enim lectionem divinam legere non possunt, qui se, sicuti jam dictum est, usque ad mediam noctem inebriare contendunt. Nos verò si Deo volumus placere & de salute animæ adtentiùs cogitare, sobrietatem debemus diligere, & * ebrietatem quasi foveam inferni longè refugere. Adtendite, rogo vos, Fratres: hoc dico quod non ignoratis. Novimus enim aliquos negotiatores, qui cùm litteras non noverint, requirunt sibi mercenarios litteratos; & cùm ipsi litteras nesciant, aliis scribentibus rationes suas ingentia lucra conquirunt. Et si illi qui litteras nesciunt, conducunt sibi mercenarios litteratos, ut adquirant terrenam pecuniam; tu quicumque es qui litteras non nosti, quare etiam non cum pretio & mercede rogas, qui tibi debeat Scripturas divinas relegere, ut ex illis possis præmia æterna conquirere? Pro certo, Fratres, qui hoc studiosè requirit, credit quòd illi in æternum prodesse possit. Qui verò lectionem nec ipse vult legere, nec legentem libenter audire, omnino non credit quòd inde aliquid boni possit adquirere. Vos ergo, Fratres, rogo & admoneo, ut quicumque litteras scitis, Scripturam divinam frequentiùs relegatis: qui verò non scitis, quando alii legunt, intentis auribus audiatis. Lumen enim animæ &* cibus æternus non est aliud nisi verbum Dei, sine quo anima nec videre potest nec vivere: quia quomodo caro nostra moritur si non capiat cibum, ita & anima nostra exstinguitur si non accipiat Dei verbum.

* Sic Serm. [..]n. 6. 294. [..]n. & 195 [..].

[..]n legendi [..]peritiâ.

* V. Serm. [..]1. n. 4. & 5. & 199. n. 3.

Verbum Dei [l]umen & ci[bus] animæ. Rusticus id potest & audire & retinere.

3. Sed dicit aliquis, Ego homo rusticus sum, & terrenis operibus jugiter occupatus sum, lectionem divinam nec legere possum nec audire. Quàm multi rustici & quàm multæ mulieres rusticanæ cantica diabolica, amatoria & turpia memoriter retinent & ore decantant? Ista possunt tenere atque parare quæ diabolus docet; & non possunt tenere quod Christus ostendit? Quantò celeriùs & meliùs quicumque rusticus vel quæcumque mulier rusticana, quantò utiliùs poterat & Symbolum discere, & orationem Dominicam & aliquas Antiphonas & Psalmos quinquagesimum vel nonagesimum & parare & tenere & frequentiùs dicere, unde animam suam & Deo conjungere, & à diabolo liberare possent. Nam quomodo cantica turpia in tenebras diaboli mittunt; sic cantica sancta Christi lumen ostendunt. Nemo ergo dicat, Non possum aliquid de hoc quod in ecclesia legitur retinere. Sine dubio enim, si velis, poteris. Incipe velle, & statim poteris. Et ut de operibus bonis nullus homo se valeat excusare, donante Deo volo vobis qualemcumque rationem suggerere.

Cùm discat cantica turpia.

4. Animæ nostræ cura, Fratres carissimi, maximè terrenæ culturæ similis est. Sicut enim in terra quæ colitur, alia exstirpantur, alia radicitus evelluntur, ut quæ bona sunt seminentur: ita & in anima nostra fieri debet. Eradicentur mala, & bona plantentur; exstirpentur noxia, & utilia inserantur; superbia evellatur, & humilitas plantetur; projiciatur avaritia, & misericordia teneatur; contemnatur luxuria, & castitas diligatur. Nam quomodo in terra tua, nisi mala projeceris, bona plantare non poteris; sic & de anima tua nisi spinas & tribulos vitiorum eradicaveris, virtutum germina sancta plantare non poteris. Dic mihi, rogo te quicumque es ille qui jam paulò antè dicebas, quòd pro eo quod non nosses legere, ideo non possis Dei præcepta complere; dic mihi, Quis tibi monstravit quomodo putares vineam tuam, quo tempore plantares novellam? Quis tibi hoc ostendit? Quia aut vidisti, aut audisti, aut interrogasti cultores optimos qualiter deberes colere vineam tuam. Quomodo ergo

[..] ea quæ ad [a]griculturam [sp]ectant.

A sollicitus es de vinea tua; quare non sic es sollicitus de anima tua?

5. Adtendite, rogo vos Fratres, duo genera agrorum sunt: unus ager est Dei, alter est hominis. Habes tu villam tuam; habet & Deus suam. Villa tua est terra tua: villa Dei est anima tua. Numquid justum est ut villam tuam colas, & Dei villam desertam dimittas? Si colis terram tuam, cole & animam tuam. Villam tuam vis componere, & Dei villam desertam dimittere? Numquid hoc justum est, Fratres? Numquid à nobis hoc meretur Deus, ut animam nostram quam satis ille diligit negligamus? Quomodo adtendis villam tuam cultam, & gaudes; cur non adtendis animam tuam desertam, & plangis?

Villa Dei & villa hominis.

Quæ utrique cura exhibenda.

B De agro villæ nostræ paucis diebus victuri sumus in mundo: ibi ergo, id est, in anima nostra majus studium debemus semper impendere. Animam nostram quasi villam suam nobis dignatus est committere Deus, ut illam omni studio debeamus excolere. Totis ergo viribus cum Dei adjutorio laboremus, ut cùm Deus ad agrum suum, hoc est, ad animam nostram venire voluerit, totum cultum, totum compositum, totum ordinatum inveniat, messem inveniat, non spinas; vinum inveniat, non acetum; triticum magis quàm lolium. Si omnia quæ placeant oculis suis invenerit, æterna nobis præmia rependabit. Si verò totum desertum & spinis repletum adspexe-

C rit, cum ipsis spinis operum nostrorum æterno nos incendio deputabit.

6. Inde est, Fratres, quòd frequenter tribulationes & angustias sustinemus: quia Deus vicem nobis quodam modo reddit. Nolumus nos amare animam nostram, quam ille amat; & ille villam, quam nos amamus, dimittit ut pereat. Nam ut deserta remaneret ab hostibus terra nostra longo tempore, multis vitiis & criminibus deserta remanserat anima nostra. Quia ergo animam nostram quam Deus diligit non amavimus, totum quod in hoc mundo amabamus perdidimus. Et ideo, Fratres carissimi, vel sic discamus plus animam amare quàm carnem, æter-

Æmulatio Dei de cultu animæ, & tribulationum origo.

D na potiùs diligere quàm caduca. Quidquid enim pro carne laboramus, totum * peribit: hoc solum perire non poterit, quod unusquisque pro salute animæ suæ in cælo reposuit. Nemo ergo se excuset & dicat se litteras nescire; ideo non posse Dei præcepta complere. Non est grande quod à nobis requirit Deus, non durum, non asperum. Clamat tibi in conscientia tua æterna justitia, Quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tuum; quomodo colis villam tuam, cole & animam tuam; quomodo superfluos palmites tollis de vite tua, sic malos affectus tolle de anima tua. Præcidis de vite tua quod malum est; incide de anima tua quod iniquum est. Quomodo qui vitem suam

*MSS. periet.

Nihil in hoc durum exigit Deus.

E uno anno putare noluerit, ipso anno abundantiùs exhibet, & postea sine fructu sterilis remanebit: sic & qui malas cogitationes & mala desideria non tollit de anima sua, videtur afferre fructum de rapinis & fraudibus in anno vitæ suæ quo vivit in hoc mundo; sed postea sterilis remanebit in æternum. Et quia fructus legitimos non exhibuit, quasi sarmenta luxuriosa & infructuosa, æterna illum flamma sine misericordia cruciabit, sicut ipse Dominus dixit, *Paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Quomodo in vite tua totos * oculos superfluos amputas, & duos aut tres qui sunt legitimi derelinquis: sic & in anima tua omnia desideria, quæ res alienas malè respiciunt & pessimè

Matth. 3. 12.

* Sic MS. Port. at Colbert. surculos.

F concupiscunt, Spiritus-sancti gladio & crucis falce debes incidere, & hoc tantùm unde justitia vel misericordia cernitur reservare.

7. Nam terra quando colitur, Fratres dilectissimi, nostis quæ consuetudo servetur. Primùm evelluntur spinæ, lapides projiciuntur; postea terra ipsa proscinditur, combinatur, tertiatur: deinde quarto aut quinto sulco ordine legitimo seminatur. Hoc ergo fiat, Fratres carissimi, in anima nostra. Primùm eradicentur spinæ, id est, cogitationes malæ. Postea lapides auferantur, hoc est, omnis

Id in anima colenda servetur quod in agricultura.

G malitia vel duritia expurgetur. Deinde cor nostrum Evangelico aratro & crucis vomere proscindatur & aretur, & confringatur per pœnitentiam, molliatur per eleemosynam, per caritatem semini Dominico præparetur: ut & tunc purgata & bene culta cordis nostri terra cum gaudio semen verbi Dei possit excipere, & non solùm trigesimum, sed etiam sexagesimum & centesimum fructum reddere. Tres enim professiones sunt in sancta Ecclesia catholica.

Fructus triplex & tres professiones.

Sunt virgines, sunt viduæ, sunt etiam conjugati. Virgines exhibent centesimum, viduæ sexagesimum, conjugati verò trigesimum. Alius quidem habet ampliùs, alius minùs; sed omnes in cælesti horreo reconduntur, & æterna beatitudine feliciter perfruuntur. Virgines ergo cogitantes Mariam, viduæ Annam, maritatæ verò Susannam, imitentur illarum castitatem in hoc sæculo, ut illis sociari mereantur in æternum. Bonæ enim virgines, quæ non solùm corpore, sed etiam corde & linguâ virgines esse voluerint, sanctæ Mariæ cum reliquo exercitu virginum sociantur. Bonæ viduæ, non deliciosæ, non * linguosæ, non curiosæ, non invidiosæ, non superbæ, quæ jejuniis, eleemosynis & orationibus, sicut beata Anna faciebat, serviunt Deo, cum ipsa Anna sancta sociantur multis millibus viduarum. Conjugati verò, qui sibi invicem fidem servaverint, & extra se nihil agnoverint, se ipsos tantùm nonnisi pro desiderio filiorum agnoverint, assiduè eleemosynas fecerint, & in quantum possunt Dei præcepta servaverint, sancto Job, sanctæ Saræ, vel sanctæ Susannæ cum sanctis Patriarchis & Prophetis merebuntur feliciter sociari.

Bonæ virgines. — Viduæ. — * MS. Port. litigiosæ. — Conjugatæ.

8. Rogo vos, Fratres carissimi, semper recolite, semper retinete quod vobis pro animæ vestræ salute suggerimus. Nolite hoc transitoriè accipere. Debet enim sermo noster in corde vestro radices figere; ut in tempore retributionis possit æternæ vitæ fructus feliciter exhibere. Qui potest totum retinere quod dicimus, Deo gratias agat, & aliis quod retinet semper ostendat. Qui totum non potest retinere, vel partem aliquam recordetur. Et si totum unus non potest, singuli ternas vel quaternas sententias retinete: & dum unus alteri insinuat quod audivit, totum vobis invicem referendo non solùm memoriter retinere, sed etiam bonis operibus Christo adjuvante poteritis implere. Dicat unus alteri, Ego audivi episcopum meum de castitate dicentem. Alius dicat, Ego in mente habeo illum & de eleemosynis prædicasse. Alius dicat, Remansit in memoria mea, quòd dixit ut sic colamus animam nostram, quomodò colimus terram nostram. Alius referat, Ego retineo dixisse episcopum meum, ut qui novit litteras, Scripturam divinam studeat legere; qui verò non novit, quærat sibi & roget qui illi debeat Dei præcepta relegere, ut quod legerit possit Deo adjuvante complere. Dicat etiam alius, Ego audivi episcopum meum dicentem, quòd quomodo negotiatores qui non noverunt litteras, conducunt sibi mercenarios litteratos ut adquirant pecuniam; sic Christiani debent sibi requirere & rogare, & si necesse est, etiam & mercedem dare, ut illis debeat aliquis Scripturam divinam relegere; ut quomodo negotiator alio legente adquirit pecuniam, sic illi adquirant vitam æternam. Hæc si agitis, si vos invicem admonetis; & in hoc sæculo fideliter potestis vivere, & postea ad æternæ vitæ beatitudinem pervenire. Nam si statim ubi de ecclesia recesseris, totum quod ab episcopo audisti oblitus fueris, sine fructu venisti ad ecclesiam, sine fructu inanis redis ad domum tuam. Sed absit hoc à vobis, Fratres; magis in vobis impleatur illud quod scriptum est, *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore*: & illud, *Misericordia autem Domini à sæculo & usque in sæculum super timentes eum, & justitia ejus super filios filiorum custodientibus mandata ejus, & memoriâ retinentibus ut faciant ea.* Ad quam vos misericordiam Dominus pro sua pietate perducat, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Qualiter audita in concione invicem repetenda. — *Psal.* 105. 3. — *Psal.* 102. 17. & 18.

* SERMO CCCIV.

** Aliàs de Tempore 203.*

De misericordia, & indulgentia.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium inter Augustinianos reliquerant Lovanienses: observarunt postmodum alii compositum esse ex 7. & 8. capite operis Alcuini de virtutibus & vitiis.

Misericordia homini pernecessaria.

1. INTER omnia quibus humana indiget fragilitas, maximè necessaria est misericordia; quia quantò fragilior est corrupta natura, tantò majore indiget providentia beneficii. Et ideo, Fratres, quia sine hac vita nostra subsistere non potest, discamus quomodo in nos primùm divinam provocemus clementiam, ut secundùm multitudinem miserationum suarum nostræ miseriæ subvenire dignetur; quatenus in præsentis vitæ cursu vitemus nostræ salutis damnum, & in futuro interitum possimus evadere perpetuum. Ad hoc enim impetrandum, Dilectissimi, sicut nobis Scriptura sacra ostendit, [* præcipuum est misericordiæ bonum; de qua ipse Salvator ait, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Non potest peccator misericordiam à Deo sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitum, ut mereatur recipere æternale bonum. Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emundari, misericordiam in nos peccantibus non negemus; ut in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adjuvemur. Quomodo misericordiam à Deo exspectat vel sperat, qui crudelis est in conservos suos? Si quis cupiat Deum sibi misereri, ita & misereatur debitoribus suis. Certissimè indulgentiam exspectare poterit, qui aliis indulgere novit. Ad misericordiæ opus optimè nos in Evangelio Dominus exemplo roboravit, ubi ait, *Estote ergo misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Omnis misericordia facit locum unicuique secundùm meritum operum suorum. Qui facit misericordiam, Deo offert sacrificium satis placabile. In judice misericordia & disciplina debet esse: quia una sine altera bene esse non poterit. Misericordia sola si fuerit, securitatem faciet peccandi subjectis; iterum si disciplina sola semper aderit, vertitur animus delinquentis in desperationem, & judex non merebitur à Deo misericordiam. Sed hanc misericordiam à se ipso debet homo incipere. Quomodo in aliis est misericors, qui in se ipso crudelis est? In se ipso crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis suis præparat flammas. Bene misericors est, qui à se ipso incipit, & se diligenter custodit, ne puniatur cum diabolo: & sic aliis præstet, quod sibi bonum esse prospicit.]

Hanc aliis exhibendo promeretur. — * Alcuini de virtutibus & vitiis cap. 7. — *Lucæ* 6. 36. — In judice misericordia & disciplina ne dissocientur. — Misericordia primò in se servanda.

2. [* Per indulgentiam autem docuit nos Dominus, quomodo possimus impetrare misericordiam ab illo, cùm in Evnagelio ait, *Dimittite, & dimittetur vobis*: item, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis peccata vestra: si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Hæc * quoque vera scientia magnam per nos misericordiam sonat his qui eam rectè intelligere possunt. Igitur ex nostro judicio judicat nos Deus, & quodam modo in potestate nostra est, quomodo judicemur à judice Deo. Si misericorditer judicemus in nos delinquentibus, misericorditer judicat Deus de nobis in se peccantibus. Intendamus ergo in exemplum illius, sicut Doctor Gentium nos admonens ait, *Donate vobismetipsis si quis adversùs aliquem habet querelam: sicut Deus in Christo donavit vobis, ita & vos facite*: hoc est, quomodo Deus in Christo nobis peccata donavit, sic etiam nos qui in nos peccant dimittamus. Item alibi idem Apostolus ait, *Nulli malum pro malo reddentes*: & alio loco, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Sciendum est certissimè quòd unusquisque talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem & ipse dederit proximo suo. Tunc oratio nostra pro peccatis nostris ad aures omnipotentis Dei citò perveniet, si delinquentium preces in nostris auribus acceptabiles erunt. Qui clementer peccantibus ignoscere novit, clementiam divinæ pietatis certissimè accipiet. Unde & scriptum est, *Qui pronus est ad misericordiam, benedictus à Domino.* Sic enim remittitur nobis, ut nos remiserimus eis qui nobis quacumque malignitate nocuerunt.]

Citati libri caput 8. Aliis indulgendo conciliatur. — *Lucæ* 6. 37. *Matth.* 6. 14. & 15. — * *Apud Alcuin.* Hæc verò Domini promissio magnam super nos. — *Coloss.* 3. 13. — *Rom.* 12. 17. — *Ibidem* 12. 21. — *Prov.* 22. 9.

3. Multa itaque genera sunt miserationum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed eâ nihil est majus, qua ex corde dimittimus quod quisque peccavit. Non solùm enim qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinantibus hospitium, & cetera hujusmodi, verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliquâ disciplinâ, & tamen peccatum ejus, qui ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur; non solùm in eo quòd dimittit atque orat, verùm etiam in eo quòd corripit & aliquâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemosynam dat; quia misericordiam præstat. Proinde, Fratres, obsecro ut ante omnia misericordiæ operam detis, & in quibuscumque possitis proximos vestros adjuvetis.

Miserationum multa genera.

CLASSIS IV.

vetis. Ad indulgendum quoque proximis vestris delicta A eorum promti sitis; ut peccatorum vestrorum veniam pro hoc ab omnipotente Judice adipisci valeatis, & vitam æternam cum Sanctis omnibus in cælesti regno perpetualiter habere mereamini; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CCCV.

De misericordia divina & humana. Quòd ideo Deus pauperes in hoc mundo esse permiserit, ut divites haberent quomodo peccata sua redimerent.

Erat in Bibliotheca Patrum Cæsarii homilia vigesima-secunda.

CÆSARII Ser. XCVII. Misericordiâ terrenâ ad cælestem veniri. Matth. 5. 7.

1. MODO, Fratres, cùm Evangelium legeretur, audivimus dicentem Dominum Salvatorem nostrum, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Dulce est nomen misericordiæ, Fratres carissimi; & si nomen, quantò magis res ipsa? Et cùm eam omnes homines habere velint, quod pejus est, non toti sic agunt; & cùm omnes misericordiam velint accipere, pauci sunt qui velint misericordiam dare. O homo, qua fronte vis petere, quod dissimulas dare? Debet ergo in hoc mundo misericordiam dare, qui illam optat in cælo recipere. Et ideo, Fratres carissimi, quia omnes misericordiam volumus, * faciamus nobis illam patronam in hoc sæculo, ut nos ipsa liberet in futuro. Est enim in cælo misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Sic enim Scriptura dicit: *Domine, in cælo misericordia tua.* Est ergo & terrena & cælestis misericordia, humana scilicet & divina. Qualis est misericordia humana? Ipsa utique, ut respicias miserias pauperum. Qualis verò est misericordia divina? Illa sine dubio quæ tibi tribuit indulgentiam peccatorum. Quidquid enim misericordia humana largitur in via, misericordia divina reddit in patria. Deus enim in hoc mundo in omnibus pauperibus & alget & esurit, sicut ipse dixit, *Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis.* Deus ergo qui de cælo dignatur dare, vult in terra recipere. Quales sumus nos, qui quando donat Deus volumus accipere, quando petit nolumus dare? Quando enim pauper esurit, Christus indiget, sicut ipse dixit, *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Noli ergo despicere miseriam pauperum, si vis securus sperare indulgentiam peccatorum. Esurit modò Christus, Fratres, in omnibus pauperibus ipse esurire & sitire dignatur; & quod in terra accipit, in cælo reddit. Rogo vos, Fratres, quid vultis aut quid quæritis, quando ad ecclesiam venitis? Quid utique nisi misericordiam? Date ergo terrenam, & accipietis cælestem. Petit à te pauper, & tu petis à Deo; ille buccellam, tu vitam æternam: da mendico, quod accipere merearis à Christo; audi ipsum dicentem, *Date, & dabitur vobis.* Nescio qua fronte velis accipere, quod non vis dare. Et ideo quando ad ecclesiam venitis, secundùm vires vestras, qualescumque eleemosynas pauperibus exhibete. * Qui potest, afferat argentum, qui non potest, exhibeat vinum. Si nec hoc habuerit, exhibeat esurienti buccellam; si non habet integram, vel qualemcumque particulam: ut impleat illud quod Dominus admonuit per Prophetam, *Frange esurienti panem tuum.* Non dixit, Da totum: ne fortè pauper sis, & ampliùs habere non possis.

[Margin: * Idem de caritate Serm. 107. n. 3. — Psal. 35. 6. — Misericordia divina & humana. — Matth. 25. 40. — Ibidem 42. — Lucæ 6. 37. — * Confer Ser. 78. n. 5. & 142. n. 3. — Isa. 58. 7.]

Eleemosyna nobis proficit.

2. Et si diligenter adtendimus, Fratres, hoc ipsum quod Christus in pauperibus esurit, nobis proficit. Ideo enim in hoc mundo Deus pauperes esse permisit, ut omnis homo haberet quomodo peccata sua redimeret. Si enim pauper nullus esset; eleemosynam nemo daret, indulgentiam nemo reciperet. * Potuit enim Deus omnes homines divites facere; sed nobis per pauperum miseriam voluit subvenire: ut & pauper per patientiam, & dives per eleemosynam possint Dei gratiam promereri. Nobis enim militat inopia pauperum. Denique si sapienter intelligis, & staterâ cordis tui diligenter appendis; incomparabiliter plus est quod pro paupere recipis, quàm id quod pauperi largiris. Adtende & vide nummum, & regnum. Quid simile, Frater, das pauperi? * Das nummum, & à Christo recipis regnum; das buccellam, & à Christo recipis vitam æternam; das vestimentum, & à Christo recipis remissionem peccatorum. Non ergo despiciamus pauperes, Fratres: sed magis eos desideremus, & ultro nos eis ingerere festinemus; quia miseria pauperum medicamentum est divitum, sicut & ipse Dominus dixit: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; & iterum, *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Et per Prophetam clamat Spiritus-sanctus, *Sicut aqua exstinguit ignem; sic eleemosyna exstinguit peccatum*: & iterum, *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc* liberabit te ab omni malo.* Faciamus ergo misericordiam, Fratres, & Christo adjuvante * cautionis suæ vinculum teneamus. Illam utique quam suprà memoravi, ubi ait, *Date, & dabitur vobis*: & iterum, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Unusquisque secundùm vires studeat ne ad ecclesiam vacuus veniat: debet enim aliquid exhibere, qui optat accipere. Qui potest, novo vestimento tegat pauperem: qui non potest, vel vetus porrigat. Qui verò ad ista se non sentit * idoneum, porrigat buccellam, suscipiat peregrinum, lectulum faciat, pedes abluat: ut audire mereatur à Christo, *Venite benedicti Patris mei percipite regnum; quia esurivi, & dedistis mihi manducare; hospes fui, & suscepistis me.* Nemo se, Fratres carissimi, de dandis eleemosynis excusare poterit; quando pro calice aquæ frigidæ mercedem se Christus redditurum esse promisit.

[Margin: * Sic Serm. 308. n. 1. Cur pauperes permisit Deus. — * Sic Serm. 78. n. 6. — SERM. DE DIVERSIS. — Lucæ 11. 41. — Lucæ 12. 33. — Eccli. 3. 33. — Eccli. 29. 15. — * MS. Porr. exorabit pro te. — * Serm. 225. n. 4. — Lucæ 6. 37. — Matth. 5. 7. — * Vocis hujus eadem vis Ser. 265. n. 2. & 270. n. 3. — Matth. 25. 34. — Matth. 10. 40.]

Eleemosynarum duo genera.

3. Et quia, sicut frequenter admonui, duo sunt eleemosynarum genera, unum bonum, aliud melius; unum ut pauperibus buccellam porrigas, alterum ut peccanti in te fratri citò indulgeas: ambo eleemosynarum genera implere auxiliante Domino festinemus; ut ad æternam indulgentiam, & ad Christi veram misericordiam pervenire possimus. Sic enim ipse dixit; *Si dimiseritis, dimittet & vobis Pater vester peccata vestra; si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et alibi clamat Spiritus-sanctus, *Homo homini servat iram; & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & misericordiam petit à Deo?* Dicit enim beatus Johannes, *Qui fratrem suum odit, homicida est*: & iterum, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et ideo, Fratres carissimi, ut æterna mala possimus evadere, & ad bona perpetua pervenire, duo quæ suprà dixi eleemosynarum genera, quantum possumus & quamdiu vivimus, & ipsi habere & aliis impendere festinemus: * ut securi possimus in die judicii dicere, Da, Domine, quia dedimus: nos fecimus quod jussisti; tu imple quod promisisti. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: Matth. 6. 14. & 15. — Eccli. 28. 3. — 1. Johan. 3. 15. — Ibidem 14. — * Sic Serm. 78. n. 6.]

* SERMO CCCVI.

[Margin: * Aliàs de Tempore 228.]

De eleemosyna.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium reliquerant Lovanienses, rejicit post Verlinum Vindingus, qui præter cetera ab Augustino aliena, observat concionatorem epuloni illi, de quo Lucæ 16. agitur, verba isthæc facere, Clamavit tibi Scriptura, & non audisti; Propheta non tacuit, Apostolus prædicavit, Evangelium tonuit, &c. *Quod quàm absurdum sit, nemo non videt. Habet quædam à Cæsario forsitan & à Fausto usurpata.*

1. FACIENDIS eleemosynis, Fratres carissimi, Caritatem Vestram admonui, & consilium dare præsumsi. Et licèt apud plures, Deo inspirante, profecerit admonitio nostra, timeo tamen ne sint aliqui qui aut minùs faciant quàm possint, aut nec fortè faciant. Sed dicit aliquis, Pauper sum; ideo eleemosynam dare non possum. * Ut nullus se pauper excusare posset, Dominus & Salvator noster pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurum esse promisit. Dicis ergo, Pauper sum. Si nihil amplius habes in substantia tua, quàm tibi aut in victu aut vestitu rationabili aut mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere. Sed rogo te, diligenter conscientiam tuam interroga, ne fortè aliquotiens per ebrietatem perdas quod per eleemosynam dare potueras; ne fortè per gulam studeas in terra consumere, quod per eleemosynam debueras in cælum recondere; ne forte delicias præparando, ornamenta ad luxuriam comparando, non habeas quod pro remedio animæ tuæ possis pauperibus erogare; & cùm pretiosæ vestes nostræ à tineis soleant devorari, pauperes nec vilia vestimenta mereantur acci-

[Margin: * V. Serm. 142. n. 3. — Matth. 10. 42. — Qui à stipe largienda dispensentur.]

CLASSIS IV. pere. Si ergo ista omnia impedimenta non aggravant animam nostram, & hoc solum habemus quod nobis vel nostris sufficere possit; non apparebimus rei, si eleemosynam pauperibus non erogamus. Si verò, ut jam dictum est, frequenter luxuria devorat quod misericordia in cælo thesaurizare potuerat; corrigamur dum tempus est, & quod huc usque aut non fecimus, aut fortè minùs quàm oportuit fecimus, implere totis viribus studeamus.

Eleemosynæ necessitas & efficacia. 2. Et ideo, ô anima Christiana quæ mecum audis & legis, adjuva te consilio sanctissimi Danielis: sic enim ait, *Consilium meum accipe, & peccata tua eleemosynis redime.* (Dan. 4. 24.) Quod consilium si non libenter audieris, ad cælum sine caussa pulsabis. O anima, quæ intra carneos & fragiles parietes habitas, vigila, ora, pete, quære, pulsa. Vigila, inquam, petendo, ora quærendo, pulsa operando. Vigilanti tibi & petenti respondet Dominus, Ecce adsum. Si transieris per ignem, tecum est Dominus tuus, & flamma non ardebit in te: quia *sicut aqua exstinguit ignem, sic exstinguit eleemosyna peccatum.* (Eccli. 3. 33.) Si ergo aperueris pauperibus manus tuas, Christus tibi aperiet januas suas, ut paradisi possessor introeas. Si fortè putas, quòd finis mundi tardiùs veniat, vel tuum considera finem. Ecce paulatim deficit mundus, subtrahuntur omnia bona quæ fuerant, & accedunt mala quæ non erant. Quotidie quod prædixit Dei sermo, completur; & nec sic homo mutatur. Accipe ergo consilium, dum in manibus tuis habes pretium tuum. Dona tibi de tuo dum tuum est: quia fragile est quod tenes, & ceterorum est quod adtendis. Considera quale pro te pretium dederit Dominus tuus: sanguinem fudit. Carum te habuit, quem tam caro pretio comparavit.

Divitis & Lazari pauperis mutatæ vices. 3. Divitis purpurati fuge, Frater, exemplum, cujus canes pauper Lazarus suis vulneribus pavit, & micas cadentes de mensa divitis non accepit. Sed post non longum temporis intervallum mutatæ sunt vices. Pauper beatitudinem emit mendicitate, & dives supplicium facultate. Ille in Abrahæ gremio ab Angelis elevatur, dives verò ad inferni profunda perducitur; de quo loco vidit dives pauperem, immo jam pauper divitem. * Desiderat guttam, qui negaverat micam. (* Confer Ser. 307. n. 2.) Hæc ergo cogitent divites, qui facultatibus suis se redimere nolunt; ne similia patiantur. Dives fuit ille, de quo nunc loquimur: sunt & hîc divites, ad quos nunc loquimur. Unius sunt nominis; caveant ne sint unius conditionis. Ergo inter divitem purpuratum, & Lazarum ulcerosum mutatæ sunt vices. Dives perdidit quod habebat; pauper cœpit esse quod non erat. Dives ille in sæculo apothecas plenas reliquerat, & in inferno guttam ardens petebat, & impetrare non poterat.

Dives in lingua magis cruciatur. 4. Attendite Fratres. Totum divitis corpus flammis gehennæ consumitur, & sola lingua ampliùs cruciatur. Ideo sine dubio in lingua majorem sentit ardorem; quia per eam superbè loquendo contemserat pauperem. Ipsa enim lingua quæ noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi donaretur, graviùs gehennæ flammis exuritur. Clamavit enim & dixit, *Pater Abraham, mitte Lazarum ut intinguat digitum suum, & refrigeret linguam meam.* (Lucæ 16. 24.) O dives, qua fronte quæris guttam, qui noluisti porrigere micam? Justè nunc exigeres, si dedisses. O mundi bona, apud inferos mala! Accesserunt ad servitium divitis ignes, & ad obsequium sævi tortores. Patitur duros tartarorum ministros. Torquetur, & clamat, O juste & integer judex, vel secundùm peccata mea compensentur supplicia ista, vel contra spatia annorum meorum, quibus habui bona, mala recipiam, aut certè in duplum vel quadruplum. (Pro se apud Deum dicit.) Cur per tot millia annorum me teneri jubes in flamma? Peccatorum meorum sum nexibus alligatus, ne fugiam. Per momenta compungor, ut doleam. Sævit in me ignis, & non parcit; cruciat, & reservat: nec totum est quod punit, cui sævum est quod ignoscit. Post illas lamentabiles voces, potuit ei sine dubio responderi, *Quid faciam tibi?* (Ob duritiæ culpam caussâ cadit.) Eleemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum pœnas exstinguerent. Clamavit tibi Scriptura, & non audisti; Propheta non tacuit, Apostolus prædicavit, Evangelium tonuit; annuntiatum est supplicium impiorum, justorum præmium est repromissum: tu umbras & nebulas sæculi hujus tenere te credens, divina præcepta velut inanes fabulas respuisti. Interveniant pro te pauperes, & quidquid petieris, dono. Sed justo judicio vicem

A tibi reddo: *Quia judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.* (SERM. DE DIVERSIS. Jac. 2. 13.) Non tibi poterit præstare justitia mea, nisi quod merentur opera tua. Sine caussa mortuus in potestate aliena positus clamas, qui in eo tempore quo potuisti, cùm me videres in paupere, cæcus eras.

5. Fratres mei, manu Dei formati, magno mecum pretio comparati, audite consilium Domini Dei nostri, imple desiderium pontificis vestri, ut cum ipso accipiatis hereditatem in regno Patris vestri. (Eleemosynæ merces proponitur.) Ex servo factus es amicus: contemne quod natus es, fac tibi vicem cum Christo. Quare non accipiat partem de substantia tua, qui tibi præmia præparavit æterna? Quare * non accipiat (* Serm. 276. n. 3.) B vel decimum, qui contulit totum? Contra terrenum patrimonium Deus offert cælum: sic enim ait, *Venite benedicti, percipite regnum; quia esurivi, & dedistis mihi manducare.* (Matth. 25. 34.) Tunc vos, si modò eleemosynas largiter fideliterque facitis, feliciter dicere poteritis, *Domine, quando te vidimus esurientem, & ministravimus tibi?* Quid est hoc, Fratres? Convenit fidelis debitor, & creditores excusant? Tunc vobis respondebit pater, dominus & amicus, cum quo fecistis cæleste commercium, *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* (Ibidem 40.) Nonne ego quæ accepi, terrena accepi? Cælestia reddam, dabo æternum præmium, & ad partem dexteram regnum: * non quia (* V. Serm. 78. n. 2.) C non peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redemistis. Rogo vos, Fratres, ut ista recipiantur in animis vestris, & ita proficiant peregrinis; ut ante tribunal æterni Judicis, & mihi pro benigna admonitione venia, & vobis pro eleemosynarum largitate æterna gloria tribuatur: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

* SERMO CCCVII.

De similitudine ulmi & vitis, seu, quid sibi invicem conferant dives & pauper.

D *Cæsario adscribitur in veteri codice Carthusiæ Portarum, estque in Bibliotheca Patrum homilia ipsius vigesima-quarta.*

1. LEGIMUS in quodam libro, Fratres carissimi, de ulmo & vite propositam nobis similitudinem; (CÆSARII Ser. XCVIII.) quam qui diligenter adtenderit, non parvam animæ suæ ædificationem inveniet. Nam arbor ulmea & vitis satis sibi convenientes esse videntur. Arbor enim ulmea, licèt sit amœna & in sublime porrecta, nullum tamen fructum habere probatur. Vitis verò, quamvis sit parva & humilis, fructibus plena esse cognoscitur: qui fructus, nisi qualicumque ligno leventur in altum, in terra putrescunt E atque depereunt. Si verò ulmus extendat ramos suos & erigat vitem, & se ornat, & illam de putredine liberat. Quare ista similitudo sit posita, diligenter adtendamus. Arbor ulmea significat hominem divitem in hoc mundo. (Ulmus divites exhibet.) Sicut enim arbor illa sublimis est & amœna & humida, & tamen fructibus vacua; ita & quicumque dives sæculi hujus, quamvis sublimetur honoribus, in multis facultatibus amœnus & jocundus esse videatur; tamen si ad vitem, id est, ad pauperem Christi eleemosynarum suarum brachia quasi ramos piissimos humiliter non expandit, à fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit. Vitis autem significat servos Dei, Abbates, monachos vel cleri- (Vitis pauperes Dei servos.) F cos spiritales, Deo vacantes, & doctrinæ jugiter insistentes, & si qui sunt alii similes horum, qui contemto mundo, Deo die noctuque deserviunt; quo servitio in æterna beatitudine uberes fructus habere creduntur. Ac sic divites mundi hujus abundant in hoc sæculo, & pauperes Christi in cælo. (Quid sibi invicem conferant.) Quid ergo * futurum est, ut nec arbor (* al. faciendum.) ulmea sine fructu remaneat, nec vitis in terra putrescat? Hoc enim expedit fieri, ut quomodo arbor ulmea extendit ramos suos, & erigit vel sustinet vitem; sic dives sæculi hujus porrigat ramos suos, id est, manus plenas fructibus agri sui, & sustentet pauperes Christi. Quod si fecerit in hoc mundo, sine dubio ab ipsis pauperibus G Christi multipliciter illi repensabitur in futuro.

2. Nec dedignetur dives, aut injuriam sibi æstimet factam, quòd arbori comparatus est, si audiat Dominum dicentem, *Arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit:* (Matth. 7. 18.) sed magis timeat illud quod sequitur, *Omnis*, inquit, *arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* (Ibidem 19.) Extendat ergo manus suas ad

...ræ divitis ...a pœnæ.

eleemosynas, ut possit evadere æternas flammas. Omnes ergo divites timeant exemplum illius arboris infructuosæ & sterilis, id est, illius qui purpurâ & bysso induebatur. Arbor enim amœna & sublimis erat in mundo: sed quia ramos misericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in inferno; * & ab illo petebat guttam, cui negaverat micam. Hæc ergo cogitent divites, qui se de rebus suis, dum suæ sunt, redimere nolunt: ut non faciant talia, ne talia patiantur. Dives fuit de quo loquimur; sunt & aliqui divites ad quos nunc loquimur. Unius sunt nominis; caveant ne sint unius conditionis. Cum hæc ita sint, si illi qui divites sunt, aridas & contractas manus habuerint ad eleemosynas faciendas, & quibuscumque servis Dei, vigiliis, lectionibus vel orationibus insistentibus quæ sunt corpori necessaria dare noluerint; efficiuntur velut ulmus sterilis, quæ vitem sustinere dissimulat. Et cùm dives pauperibus Christi nihil dederit, * necessitate in opere terreno plus quàm solebant exerceantur. Et dum mundanis actibus occupantur, orationi, lectioni, jejuniis & vigiliis minùs insistunt; necesse est ut fructus illorum, quomodo vitis, in terra jaceant, & ex parte aliqua minuantur; ac sibi tantùm sufficiant, & nihil divitibus largiantur. Beatus enim apostolus Paulus, dum divites mundi hujus pro sustentandis Christi pauperibus admoneret, quasi de vite loquebatur ad arborem, id est, pro Christi paupere loquebatur ad divitem: *Vestra*, inquit, *abundantia illorum inopiam suppleat; ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Quam rem ut omnes intelligant, apertiùs insinuare debemus.

...æ 16. 24. * V. Serm. ...eced. n. 3.

...a eum gra... privet te...itas.

* ... necesse est

...Cor. 8. 15.

Commercium divites inter & pauperes.

3. Divites mundi abundant in hoc sæculo pecuniâ, pauperes Christi in cælo vitâ æternâ: erogent ergo divites in mundo pecuniam, ut recipiant in cælo vitam æternam. Divites mundi frumentum, vinum & oleum in horreo vel in cellario copiosè reponunt; pauperes Christi orando, vigilando, jejunando spiritales thesauros in cælo recondunt: faciant ergo sibi quoscumque servos Dei divites hujus mundi de terrena facultate participes; ut illi eos sibi in cælesti thesauro faciant coheredes. Divites mundi hujus, dum aliquotiens nimiùm se terrenis actibus obligant, quantum illos oportet vigilare, legere, & orare vel jejunare non possunt (unde timendum est ne fortè aut pro peccatis minùs offerant, aut non tantum quantum expedit, in thesauro cælesti reponant); pauperes Christi his fructibus Deo jugiter vacando exuberant: non ergo sint pigri divites ad eroganda terrena, si cupiunt habere cælestia. Christus enim qui omnibus hominibus munera sua largitur, in suis pauperibus egere & esurire & algere dignatur. Nemo ergo dubitet dare pauperibus; quia * manus pauperis gazophylacium est Christi; quod in terra accipit, in cælo reponit. Sic & ipse Dominus dixit, *Quando fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis.* Audiamus Apostolum dicentem, *Qui parcè seminat, parcè & metet:* & post pauca, *Operamini quod bonum est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Qui sunt domestici fidei, Fratres, nisi clerici, boni monachi, & quicumque alii servi Dei impedimenta hujus mundi fugientes, Deo vacantes, lectionibus & orationibus insistentes? Omnibus quidem petentibus, secundùm quod possumus, dandum est: servis autem Dei, qui petere à nobis erubescunt etiamsi non petierint ingerendum est. Ita ergo agere studeamus, Fratres carissimi; * ut ab auditu malo securi esse possimus. Qui erit auditus malus? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo & Angelis ejus; quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Rogo vos, Fratres, nolite hoc otiosè & negligenter audire: sed totis viribus Deo auxiliante contendite, ut nec aliena rapiatis, & de propriis Christi pauperibus abundantiùs erogetis: corde compuncto jugiter cogitantes, & vobismetipsis invicem colloquentes, * Si in ignem mittitur qui non dedit sua; putas ubi mittendus est qui tulit aliena? Non ergo ad nos propter avaritiam illa vox tremenda & terribilis dirigatur, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*: sed magis propter eleemosynam, illam desiderabilem vocem audire mereamur, *Venite benedicti, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere*: nec non & illa magis mittentis Domini vox ad nos feliciter dirigatur, *Euge*

* Sic Serm. 142. n. 6.

Matth. 25. 40.

2. Cor. 9. 6.

Gal. 6. 10.

Domestici fidei.

* V. Serm. 77. n. 1.

Matth. 25. 41.

* Sic Serm. 77. n. 5. 78. n. 5. & 263. n. 2.

Ibidem 34. & 35.

A *serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CCCVIII.

Admonitio per quam ostenduntur tria genera eleemosynarum, quibus peccata absque labore redimi possunt.

In Bibliotheca Patrum homilia est Cæsarii nona, ipsius nomine in nostris etiam MSS. prænotata.

Cæsarii Serm. XCIX.

Facilia Deus providit peccatorum remedia.

1. Pius & misericors Dominus, Fratres carissimi, multis modis occasiones vel opportunitates pro-
B videre dignatur, quibus possimus sine grandi labore ac difficultate peccata nostra redimere. Nam quos videt pro peccatis suis ad jejunandum virtutem non habere, & à carnibus vel à vino abstinere non posse, vendere jubet substantiam suam, & pauperibus erogare. Pauperum inopiam providet, & abundantiores fructus tribuit: ut dum superflua sua pauperibus largiuntur, peccatorum indulgentiam consequantur. Quid tam pium ac * delegatum, quid tam facile & in promtu positum potest esse, Fratres carissimi, quàm de hoc quod ampliùs quàm opus est tibi Deus dignatus fuerit dare, eleemosynam dando studeas
C peccata tua redimere? Non hoc jubet Deus, ut ea quæ tibi vel tuis necessaria sunt debeas erogare: de quibus etiam Apostolus dicit, *Non ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio.* Superflua non ille sibi indiget expendere, sed tibi vult in æterna beatitudine conservare. Nam & pauperes ideo esse voluit, ut divites haberent quomodo peccata sua redimerent.* Potuit enim Deus omnes homines divites facere; sed divitibus voluit locum misericordiæ providere. Non enim pro suo merito pauci divites plus colligunt quàm illis opus est: & multi pauperes non colligunt nec quod ipsis necessarium est. Hoc enim, sicut jam dixi, divinæ misericordiæ artificium est: ut dum
D pauperes patienter egestatem tolerant, indulgentiam peccatorum accipiant; similiter & divites dum superflua misericorditer erogant, & à peccatis se redimant, & ad æterna præmia perveniant.

V. Serm. 284. n. 1.

Ideo egent alii, alii abundant.

* f. delicatum.

2. Cor. 8. 13.

* Ita Serm. 305. n. 2.

Ut hi misericordiâ, illi patientiâ sanantur.

2. Considerate, Fratres carissimi, & videte quia nulla excusatio nobis potest remanere, per quam dicamus peccata nostra non potuisse redimere. Potes forsitan dicere, quòd carnem tuam jejuniis ac vigiliis non possis affligere, à vino vel à carnibus non valeas abstinere: numquid potes dicere, quòd ea quæ tibi ampliùs quàm opus erat Deus dedit, non possis pro peccatis tuis pauperibus eroga-
E re? Sed tu fortè respondes & dicis, Ex eo quod mihi Deus ampliùs dederit quàm opus est, volo filiis vel filiabus meis argentum emere, ornamenta pretiosissima comparare. Cui ego respondeo, Ornamenta quidem emis, sed peccata non redimis. Et quia non solùm decimæ non sunt nostræ, sed Ecclesiæ deputatæ; verùm quidquid ampliùs quàm nobis opus est à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus: si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus vel vanitatibus reservamus, * quanti pauperes in locis ubi nos sumus, fame vel nuditate mortui fuerint, noverimus nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros.

A superfluis erogandis excusatio nulla.

V. Serm. 225. n. 3. & 271. n. 5.

Nec inde ditandi filii.

Cùm nostra non sint.

* V. Serm. 176. n. 4. & 277. n. 3.

3. Est adhuc aliud genus eleemosynarum, de quo pos-
F sumus sine ullo labore peccata nostra redimere. Si enim ita sit pauper, ut nec aurum habeat, nec frumentum, nec vinum vel oleum, unde corporalem eleemosynam faciat; quia non potest fieri ut ab aliquibus hominibus non patiatur injuriam, toto corde omnibus inimicis suis indulgeat, & nullum peccatum remaneat quod ejus conscientiam mordeat, & securus in oratione Dominica dicat, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* & implebitur in eo illud quod Christus in Evangelio promittere dignatus est, dicens, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cælestis peccata vestra:* & illud, *Date, & dabitur vobis; di-*
G *mittite, & dimittetur vobis.* Videte, Fratres carissimi, quia sicut & in illa alia, de qua priùs diximus, ita & in hac eleemosyna nullus potest invenire unde se valeat excusare; nec aliquam rationem dare poterit, quòd eam adimplere non possit. Ista enim eleemosyna, per quam in nobis peccantibus veniam damus, non de cellario, non de horreo vel de agello, sed de cordis thesauro profertur, de

Eleemosyna altera, inimicis indulgere.

Matth. 6. 12.

Ibidem 14.

Lucæ 6. 37. & 38.

Hæc omnibus facilis.

Confer Serm. 171. n. 5.

Classis IV.

Matt. 12. 35.

quo ipse Dominus dixit, *Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona.* De illis ergo quæ suprà diximus, id est, auro, argento, frumento, vino & oleo multi se possunt pauperes excusare: illam verò eleemosynam quæ de corde profertur, qua fronte aut qua conscientia ullus homo se dicturus est habere non posse?

4. Et ideo quia non habemus unde nos excusare possimus; cui Deus ampliùs dederit quàm illi opus est, de superfluis redimere peccata sua festinet: ille verò qui captivos redimere, & pauperes pascere vel vestire non prævalet, contra nullum hominem odium in corde reservet, & inimicis suis non solùm malum pro malo non reddat, sed etiam diligat & pro eis orare non desinat. Certus de promissione vel de misericordia Domini sui, * liberâ conscientiâ ante tribunal Christi dicere poterit, Da, Domine, quia dedi; dimitte, quia dimisi: ea tamen conditione, ut postea quàm talibus eleemosynis cœperit peccata sua redimere, quia numquam illi deerunt minuta peccata quæ quotidie redimat, crimina capitalia non admittat, propter illud quod scriptum est, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum contingit mortuum, quid proficit lavatio ejus?* & illud, *Sicut odibilis fit canis quando revertitur ad vomitum suum, ita peccator est quando revertitur ad peccatum suum.*

* Sic Serm. 78. n. 6. & 305. n. 3.

Eccli. 34. 30.

Prov. 26. 11.

5. Sed dum duo ista genera eleemosynarum insinuare videmur, fortè dicit aliquis, Ecce ego nec terrenam substantiam habeo quam possim pauperibus erogare, nec ab aliquo injuriam patior, cui indulgentiam dando possim peccata mea redimere: quid facturus sum, qui nec ista habeo, nec jejunare à vino, vel à carnibus valeo abstinere? Qui enim ista dicit, poteram ei respondere, falsum esse quod conatur asserere; quia nullus homo in hoc mundo invenitur, qui numquam ab aliis injuriam patiatur. Tamen adquiescamus ista esse ut asserit: sic tamen adquiescamus, ut ei demonstremus esse adhuc tertium eleemosynarum genus, quod ita omnes excusationes possit excludere; ut nullus umquam inveniat quod ei possit opponere. Ecce dixisti te nec abundanter frumenta colligere, unde victum aut vestitum possis pauperibus dare; nec injuriam sustinere, quam inimicis debeas indulgere: & ideo dubitas quòd non habeas unde possis peccata tua redimere. Accipe ergo & fideliter tene præclarum ac præcipuum tertium genus eleemosynarum. Sit in te bona voluntas, omnes homines dilige sicut te ipsum, pro omnibus ora, & hoc illis desidera quod & tibi: & clamatur tibi ab Angelis, *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quia * bona voluntas ipsa est caritas; si illam habere volueris, impletur in te quod scriptum est, *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Agnosce ergo quia sublata est omnis excusatio vel contradictio tua. Non enim poteris dicere quòd bonam voluntatem habere non possis: quia potest fieri quod non velis; numquam tamen probare poteris quòd non possis.

Eleemosynarum tertium genus.

Bona voluntas caritas.

Lucæ 2. 14.

* Ita Serm. 270. n. 3.

1. Pet. 4. 8.

6. Et ideo tanta beneficia & tam præclara medicamenta Domini & Salvatoris nostri non negligenter, sed fideliter accipere & custodire cum ipsius adjutorio laboremus: ut non solùm indulgentiam peccatorum accipere, sed etiam ad æterna mereamur præmia pervenire. De illis duabus eleemosynis quæ secundò vel tertiò positæ sunt, est unum ut in nobis peccantibus dimittamus, ut pro inimicis nostris oremus, ut eos toto corde diligamus, & aliud ut per bonam voluntatem & veram caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum, in nobis Deum propitium fieri laboremus; ita aperta est ipsa admonitio, ut expositore omnino non egeat. Illam verò eleemosynam, quam primo loco posuimus, per quam ex eo quod nobis Deus ampliùs dat quàm opus est, & peccata redimere, & præmia æterna nobis possumus inspirante Domino præparare, consilium meum si vultis audire, cum gaudio illam & cum lætitia poteritis, Deo auxiliante, perficere. Quotiens aut messes aut vindemias colligitis, & vestras & omnium qui ad vos pertinent computate expensas, simul etiam & illud quod in fisco daturi estis; & id quod vobis superesse cognoscitis, quia * non vobis propriè datum est, sed, sicut jam dictum est, dispensandum per vos pauperibus transmissum est, aut totum, aut quantum Deus cordi vestro inspiraverit, sequestrate, & sic sit apud vos, quomodo si hoc jam in manu Dei obtuleritis. Hoc si, secundùm quòd credimus, fideliter facere volueritis, venientibus captivis & pauperibus non solùm non exasperatur aut contristatur animus vester, sed etiam lætificatur & gaudet; dum ea quæ pro amore Dei necessitatibus pauperum deputastis, cum summo desiderio expendere festinatis, & impletur in vobis illud quod scriptum est, *Hilarem datorem diligit Deus:* & illud, *Qui dat pauperibus, numquam egebit:* & illud, *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum:* & quod in Evangelio Dominus dixit, *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Quæ & quando ob stipem sequestranda.

* Serm. 276. n. 2. & 277. n. 3.

Serm. de Diversis.

2. Cor. 9. 7.

Prov. 28. 27.

Eccli. 3. 33.

Lucæ 11. 41.

* SERMO CCCIX.

Admonitio ad eos qui sic eleemosynas frequentiùs faciunt, & tamen rapinas exercent & adulteria committunt.

Hujus partem non exiguam reperies in homilia Eligii octava. Sed totum Cæsarii esse probat stilus & veterum librorum auctoritas. In Bibliotheca Patrum est homilia hujus sexta-decima.

Cæsarii Sermo C.

Eleemosyna sola non sufficit ad delenda crimina.

1. ROGO vos, Fratres carissimi, diligentiùs considerate, & quantum potestis expavescite vel cavete, ne vobis ille crudelis humani generis inimicus ita subrepat, quomodo solet incautos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus & adulteris vanam securitatem ingerit; ut cùm crimina quotidie committant, credant quòd ea quotidianis eleemosynis redimant, putantes quòd * Deus corruptorum more judicum pecuniam accipiat, & peccata dimittat. Accipit planè pecuniam, & eleemosynis delectatur; ea tamen ratione, ut unusquisque peccator, quando offert Deo pecuniam suam, simul offerat & animam suam. Nam rogo vos, Fratres, quæ justitia est, ut aliquis criminosus * pecuniam suam per eleemosynam Deo offerat, & animam suam diabolo per luxuriam tradat? in pecunia imaginem imperatoris offerat Deo, & in se ipso imaginem Dei tradat diabolo? Non ita Dominus præcipit in Evangelio. Cùm enim dicit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo;* quid aliud dicere videtur, nisi ut quomodo in solido imaginem Cæsaris Cæsari, sic in vobis ipsis reddatis imaginem Dei Deo. Nam quamlibet largas eleemosynas aliquis tribuat; si capitalia crimina non devitat, timeo, & valde timeo ne fortè falsa securitate se decipiens, * & pecuniam perdat, & peccata non redimat. Nemo ergo * putet quòd quotidiana adulteria eleemosynæ quotidianæ consumant.

* V. Serm. 53. n. 2.

* V. Serm. 137. n. 2. & 274. n. 4.

Matth. 22. 21.

Inanis est si non vitentur peccata.

* V. Serm. 53. n. 2.

* August. Serm. 9. n. 18.

2. Aliud est enim mutare vitam, aliud * tolerare vitam. Vitam tolerare est minuta peccata, sine quibus esse non possumus, eleemosynâ quotidianâ redimere. Mutare vitam est à capitalibus criminibus abstinere. Tunc enim, sicut jam suprà dixi, largior eleemosyna [a] animam liberat, si criminosus mortifera peccata jam deserat. Si verò, sicut jam suprà dictum est, substantiam suam tribuat Deo, & animam suam offerat inimico; impletur in eo quod scriptum est, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum contingit mortuum, quid proficit lavatio ejus?* Et illud quod Petrus Apostolus clamat, dicens, *Si enim effugientes coinquinationes mundi, his rursum impleti superantur, facta sunt eorum posteriora deteriora prioribus.* Considerate, Fratres, quia beatus Petrus hoc peccatoribus contestatur, quòd si postea quàm redimere peccata cœperint, iterum ad criminum volutabra redierint, efficientur eorum posteriora pejora prioribus: & continget eis illud quod idem apostolus Petrus adjungit & dicit, *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quam rem terribiliùs & apertiùs etiam Salomon admonet, dicens, *Sicut canis odibilis est quando revertitur ad vomitum suum; sic peccator quando revertitur ad peccatum suum.* Quod & ipse Dominus in Evangelio confirmat: *Ecce,* inquit, *jam sanus factus es; noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Quod denuo Salomon contestatur & clamat, *Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed & de pristinis deprecare ut tibi remittantur.* Quam rem non de minutis peccatis, sine quibus esse non possumus, sed de capitalibus criminibus dixisse manifestum est. Unde etiam in Evangelio scriptum est, *Cùm exierit spiritus immundus ab homine, vadit per*

Vitam mutare, vel tolerare.

* MS. Colb. colorare. V. Serm. Aug. 9. n. 18.

Eccli. 34. 30.

2. Petr. 2. 20.

Quid efficiat eleemosyna si vita non mutetur.

Prov. 26. 11.

Johan. 5. 14.

Eccli. 21. 1.

Matth. 12. 43. &c.

a Theodericensis MS. erit (fortè proderit) si cum oblata pecunia animam Deo obtulerit. Si verò &c.

loca

CLASSIS IV. *loca arida, & quærit requiem, & non invenit. Post hæc revertitur, & invenit domum suam unde exierat mundatam, & ducit secum septem spiritus nequiores se, & erunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Hoc enim illis contingit, qui per eleemosynam crimina capitalia redimere conantur, sed iterum per luxuriam coinquinantur: quomodo eleemosyna mundat, sic luxuria sordidat. Nam si aliquis stolam suam frequenter abluat, & iterum atque iterum in lutum demergat; nescio qua fronte illam induere in aliqua festivitate præsumat: præ-
Ephes. 5. 27. cipuè cùm de Christo Apostolus clamet, *Aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.* Si cum macula & ruga intrare in vitam æternam nemo poterit; qua conscientia capitalibus criminibus oppressus aliquis intraturum se esse in eam confidit, nisi se emendando & eleemosynas dando mundaverit?

Eleemosyna muetur, multùm prodest. 3. Et hoc quod suggero, Fratres carissimi, diligenter adtendite, ne fortè aliquis malè intelligens, credat me dicere quòd eleemosyna non possit prodesse peccatis. Absit hoc à nobis, Fratres. Non solùm prodesse credimus, sed & multùm prodesse fatemur: ea tamen conditione, ut qui eleemosynas pro peccatis suis erogat, crimina capitalia exercere jam desinat; sic eleemosynam faciat jubente Domino, ut dedignetur servire peccato. De qua re aliquam similitudinem Caritati Vestræ insinuare
* V. Serm. 17. n. 3. & 17. n. 7. volo. Rogo vos, Fratres, * numquid aliquis nostrûm vult ut servus suus sic illi pro opere suo mercedem reddat, ut tamen inimicis suis jugiter serviat, & numquam de illorum societate discedat? Certum est quòd hoc nescio si ullus homo sustinere prævaleat. Quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum ut facias Domino tuo. Et ideo, sicut sæpe jam diximus, quando pauperibus erogamus pecuniam, Deo offeramus animam nostram,
Matth. 6. 20. ubi est & cor nostrum. Propterea Deus nos hortatur, ut „ per eleemosynam pauperum thesaurizemus in cælo; ut „ ibi sequatur cor nostrum, quò præmittimus thesaurum
* V. Serm. 174. n. 4. nostrum; & sacerdote dicente, Sursum corda; cum secura conscientia respondeamus, nos habere ad Dominum.

Incontinentia reprehenditur. 4. Sed dicit aliquis, Juvenis sum; & ideo voluptatem vincere & libidinem superare non possum. Si te non
1. Cor. 7. 9. potes continere, audi Apostolum dicentem, *Melius est nubere quàm uri.* Cùm enim uxorem ducere liceat, & concubinas habere vel adulterium perpetrare non liceat; quare vis exercere quod non licet; & non vis habere
* Confer Serm. 285. n. 2. &c. quod licet? * Nullus magis illicita vitare debet, quàm qui respuit quod licebat. Verè dico; Fratres; quia hoc secundùm Dominum nulli licuit aliquando, nec licet, nec
Quàm frequens. umquam licebit. Sed, quod pejus est, ita peccata ista in consuetudinem missa sunt, & tanti sunt qui illa faciunt, ut jam quasi ex licito fieri credantur. Si enim nullus est vir qui sponsam suam velit ante nuptias adulterinum habere concubitum, sed omnes homines virgines uxores accipere volunt; qua fronte, qua conscientia ante nuptias concubinas habere non erubescunt? Qua fronte uxorem integram vult invenire, cùm ipse sit corruptus? Si
Ezech. 18. 20. enim secundùm Scripturam divinam, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur,* quomodo aliquis vivam conjugem vult accipere, cùm ipse sit mortuus? Sed sicut jam dixi, mala & pessima ista consuetudo ita à pluribus sine aliquo Dei timore committitur, ut hoc nec peccatum esse
Putatur viris licere non feminis. credatur. Sed forsitan aliquis putat * licere hoc viris, & feminis non licere: ut enim viris liceat, sicut jam
* V. Serm. 288. n. 3. & 289. n. 3. dixi, peccantium obtinuit multitudo. Nam in populo Christiano, quidquid feminis non licet, nec viris um-
* V. Serm. 318. in. 6. & 319. n. 9. quam aut licuit aut licebit. Unde * quicumque hoc se fecisse cognoscunt, rogo ut non mihi sed sibi potiùs irascantur, & magis de sua correctione, quàm de nostra
* Sic Serm. 45. n. 3. oblocutione vel persecutione studeant cogitare: * ut cùm dies judicii venerit, etsi coronam non merentur accipere, vel peccatorum indulgentiam consequantur. Amen.

* Aliàs 47. ex 50. homil.

* SERMO CCCX.

De eleemosynis.

In Appendice nunc primùm collocatur. Erat Lovaniensibus ambiguus, Verlino autem & Vindingo falsus. Falsitas certè ex stilo satis manifesta est.

Tobiæ 4. 11. 1. REMEDIA peccatorum, Fratres, medicina est eleemosynarum. *Eleemosyna* enim *à morte liberat,*

A *& non patitur hominem ire in tenebras.* Patrocinatur in die judicii homini, ut flammas æternas non timeat, sicut Jacobus in epistola sua dicit, *Superexaltat misericordia judicium,* &, *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Sed talis debet esse ipsa misericordia, Fratres, quæ suscipiatur, non quæ repellatur; quæ peccata purget, non quæ animam gravet; de bono, de justo labore, de propria facultate, & non de pauperis egestate. Fratres, non vult Deus hominem à misericordia cessare, nec libenter adspicit Deus quemquam de fraudibus dantem: sicut Salomon propheta dicit, *Honora Dominum* SERM. DE DIVERSIS. Eleemosynæ efficacia. Jacobi 2. 13. Ibidem. Si tamen de alieno non fiat. Prov. 3. 9.
B *Deum tuum de justis laboribus tuis.* De justis laboribus jussit dari; de injustis verò rapinis prohibuit dari. Sed cùm judicare cœperit Deus, dicturi sunt hi qui de fraudibus vivunt, & de spoliis miserorum eleemosynas faciunt: Domine, præcepta tua servavimus, & in nomine tuo misericordias fecimus, pauperes pavimus, nudos operuimus, & peregrinos hospitio recepimus. Quibus dicturus est Deus, Quod dedistis dicitis; quod rapuistis quare non dicitis? Quos pavistis memoramini; quare non recordamini quos necastis? Quos operuistis, gaudent, & quos exspoliastis, plangunt. Quos hospitio recepistis, retinetis; & obliti estis quantos de suis habi- Hanc de rapinis largientes ad judicium sistuntur.
C taculis exclusistis? Ego ego misericordiam fieri jussi; fraudes & rapinas exerceri non mandavi. Unus repletur panibus, quem de rapinis satiasti, & * benedicit Deum; non te, sed Deum. Quem necasti, ille miser necatus ingemuit, & exaudivit gemitum ejus qui vidit quod feceris ei. De malo adquiris, & gaudes; rapis, & lætaris; pauper rogat, & contristaris; prandium paras, & tales ad tuum prandium vocas, qui tibi vicem rependant. Ornas convivium, ne quid desit, & cum amicis tuis epularis; & ante januam tuam rogantem pauperem non audis. Tu diversis bonis repleris; & egenti non misereris. Multis epulis distentus, & multo vino sopitus, paupe- * Sic MSS. at editi benedicet Dominus.
D rem rogantem contemnis. Oblitus es dictum Prophetæ dicentis, *Qui,* inquit, *averterit aurem suam ab egeno, & ipse invocabit Dominum, & non exaudiet eum?* Inclina aurem tuam, audi egentis vocem & fame pereuntis; ut & tuam vocem Deus exaudiat tribulantis. Da de quo tibi donare dignatus est Christus. Ipse te divitem fecit; ideo redde illi quod suum est. Ipse se dicit accipere quod pauperibus datur, sibi collatum clamat quod in corde pauperis fuerit seminatum; sicut in Evangelio dicit, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant vos in æterna tabernacula.* Ecce habes, Christiane, æternum tabernaculum, si dederis pauperibus victum. Si Prov. 21. 13. Lucæ 16, 9.
E quid das, illuc transmittis, tibi in futuro reponis: non unde carnaliter satureris, sed unde spiritaliter glorieris; non unde ventrem repleas, sed unde flammas exstinguas: quia scriptum est, *Eleemosyna à morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras.* Tobiæ 4. 11.

2. Misericordia est enim, Fratres, quæ iram Dei avertit, à peccatis redimit, ignes futuros exstinguit; sicut Salomon propheta dicit, *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis.* Da ergo egenti, confer non habenti; succurre fame pereunti. Crudele est, ut de quo habes, non des ei quem scis non habere. Grave est, ut de tua abundantia non sustentes egentis inopiam. Unde Iram Dei avertit misericordia. Eccli. 3. 33.
F semper flagellamur in fructibus: quia bene egentibus non facimus. Re vera si consideres, homo; unde damna, unde calumniæ, nisi hinc de sterilitate vestra? Tu non das indigenti quod potes, quod te non gravat; venit una calumnia, perdis & quod non habes. Ventre pleno ambulas; & vacuum pauperis ventrem non consideras. Bene est tibi de bonis Dei, nihil indiges, honestis vestibus uteris; & nudum & trementem frigore non vestis. Si tibi dicat Deus, Te ipsum ego feci, quod vivis meum est, quod habes ego dedi; & ingratus es. Aufero quæ dedi, nego quod donavi, dimitto te quem feci; & sine me vive, si potes. Plus tibi dedi, ut haberes unde pauperi Omnia sunt Dei dona.
G dares; pauperi non dedi ob hoc, ut te probarem: non quia ambobus non habui unde darem, sed per pauperem te volui probare. Ego sum qui divitem & pauperem feci, prærogatorem te constitui in bonis meis. Fac misericordiam; quia nihil perdes, & me qui tibi dedi, non offendes. Da, quid dubitas? quia si dederis, ego plura dabo. Quid tibi soli vindicas, quod ambobus dedi? Quare tu solus comedis, quod ambobus creavi? Quasi tuo Cur aliis plus, aliis minus dedit.

labori hoc adsignas, aut tuum esse putas? Aufero auxilium meum, habe laborem tuum; aufero misericordiam meam, & tunc apparebit miseria tua.

Inanis est avarorum providentia. 3. Ad hæc quid dicturus es miser? Miser es, qui miserum non vides, uteris solus bestiis, pecoribus, animalibus, avibus, serpentibus. Communis est cibus; & tu homini denegas victum? Sed, credo, ideo non das, ne dando finias, ne prærogando deficias. Qui hæc consideras, finem vitæ tuæ non consideras? Etsi pecunia non finitur, vita tamen finitur: & quando non speras, ad te venitur. Sic non consideravit ille dives, qui in abundantia torquebatur, & quasi de inopia querebatur. *Quid faciam*, inquit? *quomodo habebo ubi fructus meos congregem?* Et audivit vocem Domini dicentis, *Stulte, anima tua hac nocte auferetur à te; quæ præparasti, cujus erunt?* O vanitas hujus divitis! Nescit si vivat, & de fructibus cogitat; nocte moriturus, fabricare disponit. Ecce audisti & tu, Christiane, quid timeas. Fac misericordiam. Quid dubitas? Non te deserit, qui te prærogatorem constituit. Ipsius est enim vox in Evangelio arguentis incredulos & dicentis, *Considerate volatilia cæli, quoniam non seminant neque metunt*, quibus non sunt cellaria; *& Pater vester cælestis pascit illa.* Si quæcumque habes, tua esse dicis; si potes, constitue propter fures in domo tua vigiles, fode foveas, absconde divitias, fac tibi loculos & arcas ubi reponas, contra Dei voluntatem tene, habe, vive, si potes. Ergo, Fratres, faciamus misericordiam, pascamus esurientes, nudos operiamus, & peregrinos hospitio recipiamus. Bene ergo facientes non deficiamus, & tempore suo metemus vitam æternam in sæcula sæculorum. Amen.

Lucæ 12. 17. — Ibidem 20. — Nulli deest divina. — Matt. 6. 26. — Nostra non sunt quæ habemus.

*SERMO CCCXI.

** Aliàs 39. ex 50. homiliis.*

De eleemosyna.

In Appendice nunc primùm collocatur. Ex illis est qui Lovaniensibus dubii manserunt, & postea Verlini & Vindingi sententiâ rejecti sunt.

1. FELIX operarius cultor eleemosynarum, eò quòd ex horreo suo comparaverit cælum, & panem esurientibus dans, delictorum suorum presserit incendium: cui Propheta tale exhibet testimonium, & patronum habet Spiritum-sanctum in caussa. Talis operarius felix vivit, & securus jam moritur, cum quo ambulat patrimonium immortale. Horreum, in quo debitorem fecerit Dominum, dum pascit alterum, dando accipit ipse. Modico panis comparavit vitam cælestem, se faciens heredem. In die judicii nullam poterit incurrere perniciem, qui comparaverit eleemosynis pietatem. Cui Propheta tale exhibet testimonium, *Salva eum & vivifica eum, Domine.* O duplex Prophetæ beneficium! Salvat pariter, & commendat ut salvetur, quia & ipse salvavit; ut vivificetur, quia & ipse vitam poscenti donavit in terra. Beatus est iste, * dum usque sic currit in cælum. Sed ne aliquando vacet in illo vitæ beneficium, festinet ad præmium magnum, dimittat & in sæculo testimonium, quo dicit, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Et iterum Isaias dicit, & sic testatur: *Solve*, inquit, *omnem nodum injustitiæ. Solve suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnem consummationem injustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti: & domesticos seminis tui ne despicias. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua citò orientur, & præibit ante te justitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Dominus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicet, Ecce adsum.*

*Psal. 40. 3. — * MSS. dominus qui sic. — Psal. 40. 2. — Isai. 58. 6. &c.*

Misericordia perfecta est, non exspectare rogantem. 2. Perfecta ergo est misericordia, Fratres carissimi, ut antè occurratur esurientibus, quàm roget aliquando mendicus. Non est enim perfecta pietas quæ precibus extorquetur. Sed si taceat mendicus, loquitur pallor in facie, * penè lassus, fessus * & elisus, nusquam suspectus. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino vindices tibi. Imitare Deum tuum, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*: & ecce veniet tibi pluvia antè quàm roges, descendet ubertas nocte, dum stertis; dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur. Jactat cælum, & parturit terra: tot cellaria messium, dum nescimus, sic accipimus, & tantas opes comedimus, antè quàm rogemus. Et tibi, homo, modicus est ipse panis; & precibus vendis? Non rogaverunt quatuor millia Jesum in deserto septem panes & paucos pisces, ut infinita agmina pranderent, quo prandio vicissim saltem usuram mensura. Qui cùm erogarentur, *Colligite*, inquit, *fragmenta, ne quid depereat*: quia sanctum fuerat totum quod ipse confecerat. Replentur septem sportæ bucellarum, saturata sunt tanta millia; & nihil minoratum est, & crevit eis cibus, dum impenditur victus, sic & eleemosyna, si indigentibus erogetur.

** MS. Remig. pœna. Germ. pane. — * MS. uterque è cælisque suspectus. — Sic erga nos agit Deus. — Sic egit & Christus. — Johan. 6. 12.*

Eleemosyna id agit quod Deus. 3. Magnum opus est eleemosyna, Fratres carissimi, ut faciat homo quod fecit Deus: quia hos paucos esurientes in terra dimisit, qui uno vasculo orbem cæli pascit, per quem & nobis liceat erogare. Sed si ubique fuisset abundans, perierat misericordia: dedit nobis Deus secundum baptismum. Quis enim sine peccato? *Nam sicut aqua exstinguit ignem, sic & eleemosyna exstinguit peccatum.* In horreis nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione unius panis exstinguat: & ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Et quicumque misertus fuerit, miserebitur ei: & si quis non fuerit misertus, non miserebitur ei. Da panem, cùm potes: quia nemo esuriet in inferno quem possis pascere. Nec habebis post mortem frumentum, nec invenies illic aliquando mendicum: quia non erit tempus miserendi. Bonorum enim malorumque discretio in suis actibus permanebit, ipso Christo Domino nostro rege ac judice secernente agnos ab hædis, & per dexteram ac sinistram sequestrante: qui esurisse & sitisse se dicit, & cetera in suis minimis perpessum fuisse se asserit. Date ergo omnibus, dilectissimi Fratres, date præcipuè domesticis fidei. Date omnibus, ne cui non dederitis, ipse sit Christus; cuive dederitis, ipse sit Christus.

Est secundum baptismum. — Eccli. 3. 33. — A gehenna liberat. — Hîc & jam eroganda.

*SERMO CCCXII.

** Aliàs de Tempore 76.*

De eleemosyna.

In Appendice nunc primùm collocatur. Dubium relinquunt Lovanienses, rejiciunt ut spurium Verlinus ac Vindingus. Piget in re tam certa probationes adducere.

Eleemosyna suadetur intuitu divini judicii. 1. SI homo priscam sui originem noscat, aut dignitatem in se cumulatam intelligat, aut judicium destinatum sollicito timore perpendat; inveniet quid primò protoplastus amiserit, quid postmodum Christi misericordia contulerit, quid futuro judicio destinarit: ut hæc primò sollicitâ curâ pertractans primordia recenseat, præsentia teneat, futura sollicito timore pertimescat. *Claude*, inquit Sapientia, *eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa pro te orabit.* Facilè enim curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curaverit pauperum; & misericordiam accipiet, qui proximo pietatis non denegat officia. Denique cui dare præcipitur, gaudeat quòd non ea sorte natus sit, ut indigeat. Sufficit ad gloriam dantis, quòd alterius miseria in paupere locuples donando exsistat, quòd misericordia fœneret Deum, quòd pascat in paupere Christum, quòd per alterius inopiam peccatorum accipiat indulgentiam. Objurgantis Domini vox est, *Si in alieno mammona fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Talem enim se exhibere quis pauperi debet, qualem sibi alium exhiberi vellet, si pauper ipse fuisset. Ceterum dispendium magnum est, si Deum de Dei dono promereri nolueris, aut cùm tibi Dominus ad hoc dederit ut dispenses, ejus delegata non serves. Semper enim sua Dominus tibi dispensanda interim commendavit, de re sua pauperibus te dare præcepit. Cur dantis jussa contemnis? cur pactum destituis? cur Dominum jubentem dare non audis? Facilè enim poterit pecuniam acceptam amittere, qui quod accepit in lucrum noluerit erogare.

Eccli. 29. 15. — Ex ipsius mercede. — Lucæ 16. 12. Quòd opes sint pauperibus delegatæ.

Ut hinc nos Dei filios ostendamus. 2. *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misertus est vestri.* Similitudinem patris, actus indicent sobolis. Similitudo operis, similitudinem indicet generis. Actus nomen confirmet, ut nomen genus demonstret. Quod contulit pater, filius servet; ut & filio pater promissa præmia repræsentet. Patrimonium quod habes, si

[...]ASSIS IV. operaris, tuum est; si cessas, alienum est. Pecunia quæ servatur, casibus servit: quæ in misericordia reservatur, præmium futurum adquirit. Quid vereris Christo committere, quod à latronibus vix poteris reservare? *Qui dat*, inquit, *pauperi, non egebit*. Dividis patrimonium tuum heredi; & Christus est indignus de tuo aliquid tecum tollere, aliqua tecum in futura sæcula deportare? Quid heredi servas, quo si utatur ignoras? Quid substantiam cumulas, quam fortassis ingrato relinquis? Forsitan illi præstabis, quidquid misericordiæ caussâ de ejus portione detraxeris. Quare fac primò quod jubetur; ut possis accipere quod promittitur. Non potest usuras accipere, qui Dominum noluerit fœnerare. *Qui dat*, inquit, *pauperibus, Deum fœnerat*. Nec enim potest divina promissa percipere, qui præcepta cælestia noluerit observare.

[...]nia tutò servatur. [...]v. 28.

[...] ingrato [...]stan serva[...].

[...]v. 19. 17.

* SERMO CCCXIII.

Admonitio per quam docemur, ut cogitationes turpes debeamus fugere, & eas jugiter quæ sanctæ sunt in corde tenere.

Veteres codices adtribuunt Cæsario, ejusque est in Bibliotheca Patrum homilia decima.

[Cæsarii homo CI. Cogitatio sancta custodit, non sancta perdit. Prov. 2. 11.]

1. IN Scripturis sanctis, Fratres carissimi, legimus, quia eos qui de animæ suæ salute solliciti sunt, cogitatio sancta custodit; sic enim ait sermo divinus, *Cogitatio sancta custodiet te*. Si cogitatio sancta custodit, illa quæ non est sancta non solùm non custodit, sed etiam perdit. Sed dicit fortè aliquis, Et quis est qui possit semper de Deo & æterna beatitudine cogitare; cùm omnibus hominibus necesse sit de victu atque vestitu & domus suæ ordinatione sollicitudinem gerere? Nec Deus hoc jubet, ut sollicitudo de præsenti vita esse non debeat, præcipiens per Apostolum suum, *Qui non operatur, non manducet*: & illud quod de se ipso idem Apostolus dixit, *Nocte & die operantes, ne quem vestrûm gravaremus*. Isti enim cogitationi, per quam de victu & vestitu rationabiliter cogitatur, quia hoc specialiter Deus præcepit, si avaritia & cupiditas, quæ luxuriæ servire solent, junctæ non fuerint, quidquid agitur, quidquid cogitatur, sanctum esse justissimè creditur. Tantùm est, ut non sint ita nimiæ ipsæ occupationes, ut nos Deo vacare non sinant; propter illud quod scriptum est, *Impedimenta mundi fecerunt eos miseros*. Et quia necessitas corporis parvis rebus expletur, & cupiditas nullis umquam, etiamsi totum mundum adquirat, satiatur; respuamus cogitationes impias, quæ de venenosa cupiditatis radice nascuntur; & illas tantummodo diligamus, quibus ad æternum præmium pervenitur: ut impleatur in nobis illud quod priùs dictum est, *Cogitatio sancta custodiet te*. Et quia duo genera cogitationum, bonarum & malarum, cordibus nostris se jugiter conantur inserere; cum Dei adjutorio toto corde & toto animo illas quæ sanctæ sunt festinemus recipere; ut libidinosas & improbas possimus excludere. Sed fortè dicit aliquis, Ita fixæ sunt malæ consuetudines & turpes cogitationes in corde meo, ut eas à me nulla possim ratione repellere. Omnibus enim notum est, quia amor amore vincitur. Incipiamus ergo bonas cogitationes diligere; & statim nos ab illis quæ malæ sunt dignabitur Deus liberare. * Locum quem in corde libidinosa & sordida cogitatio tenebat, castitas occupet; quem avaritia vastabat, misericordia reparet; quem superbia destruebat, humilitas reædificet; quem malitia vel invidia tamquam vipereo veneno percusserat, caritatis vel benignitatis dulcedo componat.

[2. Thess. 3. 10. Ibidem 8. Cogitatio de victu & vestitu quando[...] sit sancta. Qui à malarum cogitationum consuetudine de[...]. * V. Serm. [...]4. n. 3.]

2. Quòd autem luxuriosas cogitationes non debeamus in corde suscipere, evidentibus exemplis possumus approbare. Attende, quæso te, quomodo si aliquis in vestimentis nostris flegmata vel sputa projiciat, ita nobis horrorem faciunt, ut nec oculis adspicere, nec summis saltem digitis velimus adtingere. Et si nobis sputa, quæ sine peccato projiciuntur, horrorem faciunt in vestibus nostris; putas cogitationes libidinosæ, quas diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt Deo in animabus nostris? Et si sputa vel flegmata sic perhorrescimus, quæ utique inviti excipimus; quantò magis cogitationes sordidas, quas cum nostra voluntate in corde nostro moras habere permittimus, opus est ut cum Dei adjutorio celeriùs respuamus? Et hoc considera quòd si in templo Dei de lignis & lapidibus facto quisque porcos vel canes introducat, aut lutum mittat, aut stercora spargat; ita offenditur animus noster, ut illum per quem negligentia ipsa facta est flagellari velimus. Et cùm hæc ita sint, quid de nobis cogitamus, si in animabus nostris, ubi sunt templa Dei viventia, multò pejora, quàm stercora sint, id est, cogitationes luxuriosas vel malignas suscipientes, Deo qui in nobis habitare dignatur, injurias irrogemus. Et ideo licèt multò plus oportebat, tamen vel sic ab immunditia peccatorum studeamus animas nostras custodire, quomodo nec templum Dei, nec vestes nostras volumus aliquibus sordibus inquinari. Et illud dic mihi, rogo, Si te in conventu populi aliqua famosa meretrix expansis manibus amplecti aut osculari conetur, utrùm hoc patienter aut libenter excipias; & non magis eam & manibus repellis, & in faciem conspuis, timens ne fortè quicumque viderint, ex consuetudine hoc eam fecisse dijudicent? Certum est enim quòd non solùm qui honesti vel casti sunt, hoc erga se fieri non permittunt; sed etiam & illi qui in secreto luxuriæ serviunt, meretricum amplexum in conventu hominum perhorrescunt; plus timentes opprobria hominum in publico, quàm Dei præsentiam in occulto. Si ergo propter judicium hominum nullus est qui velit publicè à meretricibus osculari; quare in secreto conscientiæ nostræ immundissimas meretrices, id est, cogitationes luxuriosas & impias, non solùm frequenter suscipere, sed etiam non parvas moras habere permittimus?

[Cogitationes luxuriæ non magis admittendæ, quàm sputa in veste. Canes, porci, aut stercora in templis. Meretricis osculum in publico.]

3. Est alia similitudo, quam prudenter considerare debemus. Et hoc adtendite, Fratres, quia * si aliquis carbonem vivum, quamvis grandem, apprehendat in manu sua, & eum statim projiciat, nec combusturam habere poterit nec dolorem: si verò eum vel unius horæ momento tenuerit, sine vulnere jactare non poterit. Hoc ergo quod de carbonibus vivis observamus in corpore, quare de cogitationibus malis non timemus in corde? Est & aliud, unde hoc quod diximus probare possumus. Dic mihi, quæso te, Numquid est ullus homo, qui super secessum vel cloacam vermibus plenam velit stare, & eorum putredinem ventilare? Compara nunc fœtorem cloacæ, & cogitationes luxuriæ: & vide quæ pars majorem possit exhalare fœtorem. Si benè & justè judicas, incomparabiliter graviorem fœtorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ: quia illæ fœtores animarum sunt, istæ corporum. Et sine dubio quantò melior est anima quàm corpus, tantò majorem fœtorem reddunt sordidæ cogitationes in anima, quàm in carne secessus aut cloacæ. Quomodo ergo in loco fœtoribus pleno diu stare nolumus corpora nostra; sic cogitationes luxuriosas & sordidas ne ad momentum quidem moras habere permittamus in animabus vel in sensibus nostris.

[Carboni igni- to etiam comparantur. * Sic Serm. 293. n. 5. Nec non cloacis.]

4. Et quia inter reliquas cogitationes maximè iracundia, cupiditas & luxuria cordibus nostris jugiter conantur obrepere; si eas volumus Christo auxiliante repellere, sanctis cogitationibus studeamus nostros animos occupare. Habemus enim multa in Scripturis sanctis, per quæ nobis Dominus noster & Sanctorum præmia pollicetur, & peccatorum supplicia comminatur, misericorditer admonens, ut & justi perseverent in bonis, & impii revocentur à malis. Quòd si frequentiùs aut ipsi legere, aut alios legentes voluerimus libenter audire; numquam nobis poterunt cogitationes malæ subrepere. Quæ cùm ita sint, Fratres carissimi, non sine grandi verecundia & possumus & debemus cogitare, quòd cùm * in arca ubi sunt vestimenta nostra, qualemcumque scintillam ignis intrare nolumus; per iniquas tamen cogitationes intus in arca conscientiæ nostræ flammas iracundiæ non solùm intrare permittimus, sed etiam falsis suspicionibus ad majus incendium provocamus atque succendimus. Et quam excusationem apud Deum habere poterimus, qui plus amamus vestem nostram quàm animam nostram? Nec grave, nec durum, nec impossibile est quod à nobis requiritur, Fratres carissimi. * Nam licèt incomparabiliter ampliùs debeamus custodire animas nostras, quàm vestes nostras, tamen non parvum profectum habet, qui vel sic custodit animam suam, ut nec à malis turpibusque cogitationibus sordidetur, quo-

[Quæ maximè nos infestent cogitationes. Lectio sacra contra ipsas remedium. * Sic Ser. 119. n. 5. Multi plus amant vestes quàm animã. * V. Serm. 285. n. 3.]

CLASSIS IV.

modo custodit vestem suam, ne à tineis aut à muribus corrumpatur. Rogo vos, Fratres, quid à nobis tantum mali meruit anima nostra ad Dei imaginem facta, ut vel tantam custodiam ei nolimus impendere, quantum videmur de nostris vestibus cogitare? Et cùm corpora nostra videant oculi hominum, & animas nostras inspiciant oculi Angelorum, nescio qua conscientia ornamus & componimus pretiosis rebus carnem nostram, quæ post dies paucos aut annos à vermibus devoranda est in sepulcro, & animam nostram non ornamus bonis operibus, quæ Deo & Angelis præsentanda erit in cælo.

5. * Et ideo mutata in melius vice * corporibus nostris mediocrem ac sufficientem victum & vestitum provideamus; ut totum quod melius habere possumus, animæ nostræ in æterna beatitudine per eleemosynam pauperum reponamus: * ne forte si plus de carne quàm de anima cogitemus, * cùm ad illud nuptiale convivium non bonis operibus ornati, sed magis vitiorum pannis sordentibus involuti venerimus; dicatur nobis, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Avertat Deus à nobis illud quod sequitur: *Ligate*, inquit, *illi manus & pedes, & projicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualem sententiam audire merebitur, qui per vanitatem & luxuriam ornat carnem suam, & propter vitam æternam bonis operibus dissimulat ornare animam suam. Sed credimus de Dei misericordia, quòd ita nobis inspirare dignabitur, ut & cor nostrum à malis cogitationibus, ipso auxiliante, custodiamus illæsum, & corpus nostrum in omni castitate & sobrietate nitidum conservemus: ut cùm ante tribunal æterni Judicis venire meruerimus, non pro malis actibus pœnam mereamur excipere, sed pro bonis operibus ad æterna præmia pervenire: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* V. Serm 104. n. 7
* Sic Serm. 89. n. 3.
* Sic Serm. 22. n. 6.
* Ita Serm. 29. n. 4. 69. n. 8. & 116. n. 2.
Matth. 22. 12.
Ibidem 13.

* SERMO CCCXIV.

De erepto energumeno.

MSS. codices ex Carthusiâ Portarum & Colbertinus Cæsario tribuunt; ejusque est in Bibliotheca Patrum homilia vigesima-tertia.

CÆSARII Sermo CII.
Unde nec dæmoniacus timeatur nec dæmon.

1. SUPERIORI Dominica, Fratres carissimi, dum Missæ celebrarentur, non parvum metum omni populo insaniens ille energumenus generavit. Certum est, Fratres carissimi, quia vix invenietur homo, qui cùm infelicem personam taliter vexari à diabolo viderit, non expavescat & metuat. Et tamen, Fratres carissimi, si vultis, Deo auxiliante possumus vobis ostendere, unde possitis energumenum non timere. Numquam timebis dæmonem qui est in carne aliena, si eum non habueris in anima tua. Denique sancti & perfecti viri non solùm dæmoniacos non timent, sed etiam à dæmoniacis, immo ab ipsis dæmonibus, cum grandi tremore timentur. Sed si in alieno corpore dæmonem sic timemus; quantum timere debemus, ne per malos actus eum in nostris cordibus nutriamus? Omnis homo, carissimi Fratres, in convivio cordis sui aut Christum aut diabolum pascit. Si justitiam, si pacem, si castitatem, si misericordiam & caritatem sectari voluerit; Christum in se sine dubio pascit & reficit, secundùm illud quod scriptum est, *Ecce sto ad ostium & pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo.* Ecce probatum vobis est quomodo aut quali cibo anima sancta Christum pascit & reficit. E contrario autem qui superbiam, malitiam, invidiam, luxuriam & cetera his similia amare voluerit; diabolum se reficere, & desiderabiles illi talibus malis delicias non dubitet præparare. De suis actibus potest unusquisque cognoscere, qualem convivam mereatur in suo corde recipere. Certum est quòd quale convivium paraveris, tales & convivas habere mereberis. Multi enim dæmonem in corpore alieno formidant, in corde suo timere dissimulant. Omnis enim qui superbiam diligit, diabolo plenus est. Et si cum superbia etiam invidiam habere voluerit, duobus dæmonibus subditus erit. Et si cum invidia etiam adulterium fecerit, à tribus dæmonibus possidetur. Et si cum his malis mendacium amare voluerit, ab integra quadriga dæmonum subjugatur & premitur. Nam quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones. * Denique & in

Christum quisque pascit aut diabolum.
Apoc. 3. 20.
Actibus proditur quis sit conviva.
Quot quis vitia, tot habet dæmones.
* V. Serm. 16. n. 4.

Evangelio ille à quo immundus spiritus exierat, cùm per gratiam Dei ab uno idololatriæ dæmone meruit liberari, pro eo quòd in loco vitiorum virtutes noluit intromittere, reversus ille immundus spiritus adduxit secum septem alios spiritus nequiores se; & impletum est in eo illud quod scriptum est, *A quo enim quis superatur, ejus & servus est*: & iterum, *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

SERM. DE DIVERSIS.
Lucæ 11. 24.
2. Petr. 2. 19. & Johan. 8. 34.

2. Sed forsitan dicit aliquis, Quomodo potest fieri ut qui per luxuriam peccaverit in carne sua, diabolum habeat in anima sua? Nos, Fratres dilectissimi, quod diximus sanctarum Scripturarum testimoniis approbamus. Nam quòd qui superbus est, dæmone plenus est; audi Scripturam dicentem, *Immundus est ante Deum omnis qui exaltat cor suum*; & iterum, *Initium, apostatare à Deo omnis superbia.* Quid est, *apostatare*, nisi à Deo discedere? Et utique qui à Deo disjungitur, diabolo sociatur. Quòd autem qui invidus est, sine dæmone esse non possit; Scriptura dicit, *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte ipsius.* Nam quòd & ille qui fornicatur, à diabolo possidetur, canonica nihilo minùs Scriptura testatur; sic enim dicit Propheta: *Spiritu fornicationis decepti estis.* Quòd verò & omnis mendax sine maligno spiritu esse non possit, Scriptura testis est: *Perdes*, inquit, *omnes qui loquuntur mendacium*: & iterum, *Os quod mentitur occidit animam.* Et in libro Regum legimus spiritum malignum dixisse Domino, *Ego*, inquit, *decipiam Achab. Cui dixit Dominus, in quo decipies? Et ille respondit, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore Prophetarum ejus. Dixit autem Dominus, Decipies & prævalebis.* Similiter & de ceteris capitalibus peccatis atque criminibus credere nos oportet: quia nemo illa nisi diabolo instigante committit.

Superbus non est sine dæmone.
Eccli. 10. 14.
Nec invidus.
Sap. 2. 24. & 25.
Nec adulter.
Oseæ 4. 12.
Nec mendax.
Psal. 5. 7.
Sap. 1. 11.
3. Reg. 22. 22.

3. Quid ergo, Fratres? Cùm nos multis peccatis & criminibus sentiamus obnoxios, numquid desperandum est? Absit hoc à populo Christiano. Non quidem desperandum est, sed nec in ipsis peccatis inimica securitate perseverandum. * Qui enim dixit, *Cùm conversus ingemueris, salvus eris*: ipse dixit, *Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* * Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus adhibetur; & citò vulnus sanatur, quod diu putrescere non sinitur. Et ideo ubi aliquis ex nobis cujuslibet peccati vulnus acceperit, antè quàm longa consuetudine putrescat & fœteat, omni celeritate ad pænitentiæ medicamenta confugiat. Peccatum si diu dominari permittitur, omnibus sanctis & Deum timentibus putorem teterrimum exhalare cognoscitur. * Et ideo cum Dei adjutorio laborandum est, ut expurgatis vel mortificatis omnibus peccatis, in possessionem vitiorum virtutes introeant: locumque quem tenebat superbia, humilitas occupet; quem vastabat avaritia, obtineat eleemosyna; quem luxuria sordidabat, castitas mundet atque recipiat; quem tenebat invidia, possideat benevolentia; ubi mendacium esse videbatur, veritas dominetur. Hæc enim Fratres, si Christo auxiliante agere studeamus, non solùm in aliorum corporibus dæmones non timemus, sed etiam de nostris cordibus per Dei gratiam effugamus: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ut peccatis citò medicina curetur.
* Sic Serm. 256. n. 4.
Ezech. 33. 12.
Eccli. 5. 8.
* Sic Serm. 22. n. 6. & 29. n. 4.
* V. Serm. 2. n. 4. & 313. n. 1.

* SERMO CCCXV.

* Aliàs 35. ex 50. homiliis.

De eo quòd Christianorum tempora prædicta sunt, & quòd Ecclesia à tentationibus non vacet.

In Appendice nunc primum collocatur. Dubium habuerunt Lovanienses, Verlinus autem & Vindingus suppositititium. Consarcinatus est ex pannis variis Augustini, Fausti & aliorum.

1. IN omnibus Scripturis divinis, Fratres carissimi, Christianorum tempora * prædicta sunt. Hoc ideo, quia futurum erat, ut reges terræ, qui propter idola persequebantur Christianos, propter Christum idola delerent, & subjugaretur omnis potestas jugo Christi; ut impleretur quod dictum est, *Ultus sum in eos.* Quid est enim, *Ultus sum in eos?* Vindicavi me de ipsis. Corpus Christi loquitur, Vindicavi me de inimicis meis. Quomodo se vindicavit? Occidendo in eis errorem, suscitando fidem. Quidquid enim erat, quod in omnibus malis

* V. Serm. 58. n. 1.
Ecclesiæ de adversariis suis ultio.
Psal. 117. 10.

malis & perversis persequebatur Christianos, deletum est. Homo enim quando te persequitur, noli adtendere illam figuram quam fecit Deus, aut animam illam quam spiravit Deus: non te persequitur quod fecit Deus, sed malitia quam fecit homo. Omnia quæ fecit Deus, laudant Deum. Audistis in benedictionibus, & auditis in omni sollemnitate quando leguntur, quomodo omnia laudant Deum, cælestia & terrestria, Angeli, homines, luminaria cæli, arbores terræ, flumina, maria; quidquid Deus creavit, sive in cælo, sive in terra, sive in mari, laudant Deum. Numquid aliquando ibi audistis, quia laudat Deum avaritia? Numquid aliquando ibi audistis, quia laudat Deum ebriositas? Numquid ibi aliquando audistis, quia laudat Deum luxuria? Numquid aliquando audistis, quia laudat Deum hæresis? Omnia ista quare non laudant Deum? Quia non sunt creata à Deo. Et arbor servavit quod creata est; homo delevit quòd[a] erectus est. Si enim servaret in se bonum quod in illo creavit Deus, id est, imaginem suam; semper laudaret Deum, non solùm linguâ, sed & vitâ. Ergo prædicta sunt & tempora nostra: sed in temporibus nostris prædicta sunt futura schismata. Quomodo ergo pugnavit illa Ecclesia contra diabolum, sic & ista pugnat.

2. Numquid cessatur pugnare adversùs diabolum? Sed dictus diabolus leo & draco; leo propter impetum, draco propter insidias: leo apertè irascitur, draco occultè insidiatur. Pugnavit Ecclesia prioribus temporibus adversùs leonem; pugnat modò adversùs draconem. Sed quomodo victus est leo, vincitur & draco. Quæ fortitudo leonis contra illum leonem, de quo scriptum est, *Vicit leo de tribu Juda*? Et quæ fortitudo draconis contra mortem Domini, qui serpentem suspendit in ligno? Triumphavit enim de morte, quam diabolus homini propinaverat per astutias suas. Et cùm exaltaret Moyses serpentem in eremo in ligno, populus qui mordebatur à serpente, adtendebat serpentem, & sanabatur: sic & modò quemcumque momorderit astutia satanæ, intendat in Christum in ligno pendentem, ibi enim mors occisa est. Dominus semper vivit: sed ut occideret mortem, vestitus est morte; non enim potuit mors mori, nisi in vita. Non moritur amaritudo, nisi in dulcedine; non moritur frigus, nisi in calore: non est mortua mors, nisi in vita. Quid est vita? Christus noster. Sed vita induta erat morte. Crucifixus est, occisus est, mortuus est, & resurrexit: ut diceret de illo Apostolus, *Scimus quia Christus non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur.* Quia autem dominata est primò mors, volenti dominata est. Inflavit se adversùs eum satelles leonis: tunc judex à quo judicabatur erexit cervicem, & ait, *Non mihi respondes?* Rugitus sævit leonis, tument colla serpentis; sed audi responsionem Agni, qui novit occidere leonem; audi quia volenti dominata est mors. Cùm enim hæc ab illo audivit, respondit, *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset de cælo.* Quis dedit hanc desuper potestatem? Deus. Quis est Deus? Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Ut ergo esset homini potestas in Deum, ab ipso Deo accepit potestatem homo ut judicaret Deum; Deum occultum, hominem manifestum.

3. Ut ergo leonem & draconem, de quo suprà dictum est, possimus cum Dei adjutorio vincere, cum grandi timore ac tremore ante oculos habeamus illud quod ait apostolus Petrus, *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens aliquid devorare quærens circuit*: & illud quod de dracone Apostolus nos admonet, ut eum omni sollicitudine caveamus. *Aptavi vos*, inquit, *uni viro virginem castam exhibere Christo: sed timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutiâ suâ, ita & sensus vestri corrumpantur à simplicitate, quæ est in Christo Jesu.* Quando ergo tibi aliqua publica tribulatio nata fuerit, rabiem ac sævitiam leonis intellige: quando te malæ concupiscentiæ ad avaritiam vel luxuriam callida seductione sollicitant, draconis blandimenta cognosce. Si ergo fidem rectam cupis fideliter custodire, in adversis fortis esto contra leonis sævitiam: si verò virginitatem animæ integram servare desideras, quantum potes observa blandimenta draconis; ne fortè si incautus fueris, * quinque sensus, qui in te sunt quasi quinque virgines, permittas à serpente corrumpi. * Quidquid enim pulcrescit visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit adtactu; in his omnibus, si incauti fuerimus, subrepentibus concupiscentiis malis, animæ virginitatem corrumpi permittimus: & impletur in nobis illud quod per Prophetam dictum est, *Intravit mors per fenestras vestras.* * Per hos enim quinque sensus quasi per quasdam januas aut mors aut vita ad animam nostram ingreditur.

4. Simus ergo, auxiliante Domino, de illis quinque virginibus sapientibus, quæ, sicut in Evangelio legimus, *portaverunt oleum in lampadibus suis*: & quantum possumus, observemus, ne inter illas stultas inveniamur, quæ sibi de sola corporis integritate plaudentes, virginitatem animæ per corruptionem quinque sensuum perdiderunt, quæ non portaverunt oleum secum; quibus dictum est, * *Ite, emite vobis* à vendentibus oleum. Oleum enim hoc loco adulatio est & laus humana: vendunt oleum omnes adulatores. Ergo stultæ illæ dictæ sunt, quæ forinsecùs quærebant laudem, non intus in conscientia habebant. Ideo non portabant oleum secum; quia laudem in aliena lingua, non in conscientia sua volebant habere. Tamen quid responderunt illis stultis? * *Ne fortè non sufficiat nobis*: quomodo Apostolus dixit, *Sed neque ego me ipsum dijudico.* Si ergo conscientia nostra sub examine judicii Dei trepidat, & quamvis sibi recta videatur, timet ne exeat[b] justitiæ regula de thesauro illius, & inveniatur tortum quod rectum videbatur: quantò minùs curare debemus aliena judicia de nobis, Carissimi, sive mala sive bona? NEC VALDE GAUDERE DEBEMUS, quando laudamur; nec contristari, quando vituperamur. Nec coronare nos potest laus falsa, nec damnare vituperatio falsa. Quamdiu autem vivimus hîc, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus: quantò minùs debemus moveri judiciis alienis, quàm de conscientia nostra quæ nobis perhibet testimonium? Nam gloria nostra debet esse conscientia.

5. Itaque, Fratres, paulum advertat Caritas Vestra, ut dicam quod volo (etsi non sicut volo, sicut Dominus dederit & voluerit) quod maximè necessarium est quotidianis tentationibus Ecclesiæ catholicæ; quia inter tentationes vivit, & inter tentationes crescit, & inter tentationes perdurat, & inter tentationes pervenit. Sed cùm pervenerit, succedet quies labori; recedit tentatio, manet benedictio. Sed rogo vos, Fratres, ne sine caussa audiatis: ista tenete, ruminate, pascimini inde, non recedat de ore vestro quod modò memoriæ commendatur. Memoria hominis sic est, quomodo venter pecoris. Nostis quia in Lege immunda dicta sunt animalia quæ non ruminant; quæ autem ruminant, munda sunt; & & quæcumque habent ungulam fissam, pertinent ad discernendum verum & falsum. Fissa ungula pertinet ad discernendum quid dextrum, quid sinistrum. Ruminatio enim pertinet ad eos, qui cogitant postea quod audierint & tenuerint. Nam modò manducamus, & in memoriam tamquam in ventrem mittitur. Sed quid facit pecus quando ruminat? Illud quod in præsepe jactatum erat & in ventre repositum, revocat ad os, & in ipsa dulcedine conquiescit. Hoc dixi, ut commendarem vobis, ne sitis tamquam pecora immunda. Accipit illud in ventre, postea non ruminat, & transit tota dulcedo. Et nihil vobis prodest quod reconditum est, si non redit ad os dulcedo. Audite illud expressè & apertè dictum aliâ sententiâ, quod obscurè & mysticè de ruminantibus animalibus dictum, alio loco apertè expositum est, ut intelligamus quid sit, *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autem glutit illud.*

Margin notes: Sermo de Diversis. — In persecutore adtendendum. — [a] MS. Germ. erectus. — Diabolus Ecclesiam primò leo, nunc ut draco. — Apoc. 5. 5. — Quomodo vincatur. — Mors Christi necessitas. — Rom. 6. 9. — Mors volens. — Joan. 19. 11. — 1. Pet. 5. 8. — 2. Cor. 11. 2. & 3. — Diabolus leo cùm vexat, draco cùm blanditur. — Contra blandimenta opus est vigilantiâ. — * V. Serm. 218. n. 2. — * Faust. epist. 1. ad Felicem: & 6. ad Ruricium. — Jerem. 9. 21. — * Sic Serm. 228. n. 1. — Matth. 25. 4. — * V. Serm. 76. n. 1. Ibidem 9. — * Id clarius loco citato 1. Cor. 4. 3. — [b] MS. nequitiæ. — Laus & vituperatio parvi ducenda. — Audita ruminentur. — Prov. 21. 20.

* SERMO CCCXVI.

De sancto Laurentio.

In Appendice nunc primùm collocatur. Nihil in eo reprehensione dignum, nisi quod stilus, ait Vindingus, indicat non esse Augustini.

* Aliàs de Diversis 38.

CAP. I.

1. QUANDO natalitia sanctorum Martyrum celebramus, & in eorum laudibus admiramur, ita vivere debemus, ut eos in omnibus imitemur. Nam cùm Martyres amamus, caussam nobis eligimus, unde Domino placeamus. Videte beatissimum Laurentium martyrem, cujus natalem hodie in Ecclesia celebramus, qui talem

confessionis caussam elegit, quòd coronam martyrii à Christo percipere meruit. Quàm magna constantia Martyrum, quàm bona fides sanctorum qui pro nomine Christi multa tormenta libenter suscipiebant, & tamen eadem tormenta contemnendo in suis persecutoribus diabolum superabant! De ipsis enim Salomon dicit, *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Magnam igitur spem sancti habuerunt; ut crederent accipere se posse in resurrectione quod sperabant, tolerantes temporalem passionem. Et quid sperabant, quando talia tolerabant? Facillimè dici potest quod tolerabant: nam quis explicare poterit quod sperabant? Audi apostolum Paulum, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Sap. 3. 4. — Sancti spe ad tolerantiam accensi. — *Rom. 8. 18.*

Cap. II.

2. Ergo magnam habuerunt spem resurrectionis: & ideo tolerabant tormenta passionis. Sperabant magnam claritatem, gloriosam requiem; sperabant cælestem Jerusalem, sperabant paradisum: & unde Adam transgressionis causâ foris projectus est, illuc sancti prostrato eo qui Adam deceperat, trophæa victricia reportarunt. Laverunt sancti stolas suas in sanguine passionis, & candidas eas fecerunt in sanguine Redemtoris. Nam notum est, Fratres, quia si cujus vestimentum sanguinem tetigerit, inquinabitur. Sed sanguis Agni immaculati candidare novit, cruentare non novit. Itaque beatus Laurentius habitu, vultu & sanctitate decorus, candidam ante passionem habuit conscientiam, & per passionem candidiorem dealbavit stolam corporis & mentis. O sancte Laurenti, candidus in mente, candidus & corporea veste, non valeo condignè laudare meritum tuum; quia magnum adverto consilium tuum. Magnum consilium cogitasti, cæleste negotium egisti, thesauros Ecclesiæ suscipiens, Christianis pauperibus erogasti; & thesauros cælestes accipere meruisti. Sic enim monet Dominus in Evangelio, dicens: *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo.* Implesti præceptum Domini; & dedit tibi præmium regni sui. Qualiter te honorem? quo te laudem præconio? qui in ipso prœlio confessionis positus, cùm adhuc sub custodia Hippolyti ageres, virtutem Domini semper ostendens, crucem Christi super cæcorum oculos faciebas, cæcos illuminabas, & Hippolytum ad fidem Christi mirabiliter convertebas.

Agni sanguine candidantur. — *Matth. 19.*

Cap. III. Laurentius cũ Stephano comparatur.

3. Quem tibi similem comparabo? quem honori tuo coæquabo? Inveniam tibi similem, & quodam modo priorem & in honore & in confessione: in honore primum Christi diaconum, in confessione beatum Stephanum. Qui post Christi adscensionem primus in septem Diaconis ab Apostolis ordinatus, martyrio præcedente ante Apostolos est coronatus. Adtendite, Fratres, istorum duorum principum victoris exercitus martyrum parem operationem & confessionem. Lapidabatur Stephanus, & orabat: assabatur Laurentius, & hilari facie congaudebat. Orabat Stephanus pro Saulo lapidatore suo: & Laurentius Christianum fecit Hippolytum custodem suum. Magna mirabilia fecerunt Archidiaconi isti: à quibus patiebantur supplicia, ipsis prærogabant divina beneficia. Hoc enim fecerunt, quod & Christum Dominum in passione facientem audierunt, qui pro inimicis in cruce orabat, dicens, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hoc ipsum & eos Dominus docuit, ubi ait, *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Meruerunt quippe esse cum Christo, qui magnâ constantiâ confitentes Christum, vicerunt Antichristum. Ergo & nos, Fratres, tota mentis nostræ intentione Dominum Jesum Christum confiteamur, ipsum omni virtute timeamus ac diligamus: ut cum omnibus Sanctis ad præmia regni cælestis pervenire mereamur. Amen.

Lucæ 23. 34. — *Johan. 12. 26.*

* Aliàs 17. ex Vignerianis Supplement. part. 1.

* SERMO CCCXVII.

In Natali Martyrum Massæ candidæ.

In Appendice nunc primùm collocatur. Augustinum non sapit affectata illa qualiscumque orationis elegantia, & videtur nimiùm apparatis verbis Sermo contextus, ex illo præsertim loco, Non senex annis jam vergentibus fractus, marcescente jugulo &c. *Deinde Massam candidam Augustino & Africanis celebratam, non gladio, ut isthic dicitur, sed igne in fornace calcaria martyrium consummasse, eamque virorum certo numero, non autem ex omni ætate & sexu collectam, post Pontium in Actis S. Cypriani, produnt Martyrologia & Prudentius in Peristeph. 13. Hunc tamen Sermonem Augustino tribuunt Romani duo MSS. ejusque nomine à Baronio laudatur in Notis ad Martyrolog. 24. Aug. & 1. Novemb.*

DILECTISSIMI Fratres, natalem Martyrum celebramus, quorum multitudo massam, splendor candidam fecit. Massa enim dicta est propter numerum, candida propter meritum. Nam quid aliud Massa candida, nisi multitudo intelligenda est martyrio candidata? Sicuti modò, cùm Apocalypsis legeretur, audivimus, quia vidit beatus discipulus, & apostolus, qui Christi solebat discumbere super pectus, Martyrum turbas candida veste fulgentes & palmis virentibus triumphantes; & quod feliciter vidit, nobis fideliter indicavit. Ait enim, sicut modò audivimus, *Vidi, & ecce multitudo quam numerare nemo poterat, ex omni populo, & tribubus, & linguis, vestiti omnes candidas vestes, & palmæ in manibus eorum.* Vestis candida significat innocentiam, palmæ victoriam. Et ait quidam de senioribus ad Johannem, *Isti qui sunt, & unde venerunt?* Johannes autem, *Domine tu scis.* Ille autem, qui ideo interrogaverat, ut doceret, *Hi sunt*, inquit, *qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.* Qualis sanguis, Fratres? Lavat sanguis iste, non maculat: habet quidem ruborem, sed tamen non potest maculare candorem. Mirum est hoc, Dilectissimi: illius enim sanguis est, de quo dicit sponsa ejus in Canticis canticorum, *Frater meus candidus & rubens.* Si candidus, quare rubens? Si enim candorem innocentiæ Christi nullus peccati nævus offudit, quare sanguinem fudit? Si candidus, quare rubens? Si candidus ille nulla se iniquitatis nocte fuscavit, quare crucem immaculatus adscendit? Quæris quare? audi Evangelium: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vide Massam, & intellige seminis caussam. Massa hæc, Fratres, (sicut audistis, *ex omni populo, & tribubus & linguis*) ex utroque sexu & ex omni ætate collecta est. Non senex annis jam vergentibus fractus, marcescente jugulo, tremulam cervicem subtraxit: non anus sexu, ætate confecta, dextram cruenti percussoris effugit: non juvenes à corona vitæ hujus dulcedo revocavit: non exspirantium membra palpitantium parvulorum cruentus percussor perhorruit: sed si qui forsitan infantum maternis uberibus inhiantes ferrum potuerunt persequentis evadere, oppressi ruinâ cadaverum maternos inter dulces obiere complexus. Omnes in illo certamine coronavit, qui omnem redemit ætatem. Qualis tunc rerum species, Dilectissimi, quàm cruenta* ætas, per quam videbatur miseranda & horrenda cernentibus, sed *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Vultis nosse quàm pretiosa sit? Recolite quomodo nobis in Apostolica epistola legebatur: *Propterea*, inquit, *non confunditur de his Deus vocari Deus eorum; præparavit enim illis civitatem.* O si videre possemus, quando erat de eorum trucidatione in terris tanta tristitia, quanta fuerit in illa cælesti civitate lætitia; cùm, istis Martyribus ad cælum uno agmine tendentibus, cives illius beatæ civitatis, hoc est, millia occurrerunt Angelorum! O si videre possemus Martyres istos, corpora relinquentes, tamquam lutearum domorum tecta calcantes! Et nos ergo, Dilectissimi, faciamus in cælo gaudium Angelis sanctis. Sancti etiam Martyres debent gaudere de nobis; quia non cessant orare pro nobis. Sed quando de nobis gaudent? Quando eos, quos veneramur, imitamur. Sic enim volunt sollemnitates suas celebrari conventibus nostris, ut eorum pietatem lætificemus moribus nostris.

Massa candida unde sic dicta. — *Apoc. 7. 9.* — *Apoc. 7. 13.* — *Ibidem 14.* — *Cant. 5. 10.* — *Johan. 12. 24.* — Ex quibus collecta. — * *f.* impietas. — *Hebr. 11. 16.*

IN SERMONES APPENDICIS

Lectiones variantes, fragmenta, & observationes quædam non contemnendæ.

*Quæ asteriscum * habent lectiones, videntur referendæ in textum.*

PAg. 45. *In censura Sermonis XXII. adde, ipsum videri esse de induratione Pharaonis libellum, de cujus auctore adversus Hincmarum libr. de prædest. c. 1. & Pardulum Hieronymo eum asserentes contendebatur. Adi Lugdunensis Ecclesiæ librum de trib. epist. c. 39.*

58. *Sermo XXIX. in Theodericensi veteri codice istud habet exordium.* Quadraginta isti anni, Fratres carissimi, de quibus modò cùm divina lectio legeretur, audivimus, quòd filii Israël per longissimos viæ circuitus in eremo commorati sunt, difficiles ac duros præsentis vitæ humanarum miseriarum exprimebant labores. Unde propter nimia peccata, quæ in hac vita abundant, de sexcentis millibus non plus quàm duo viri repromissionis terram intraverunt: sicut ipse Dominus loquitur ad incredulum, Quia, inquit, murmurastis contra me, non introibitis in terram, pro qua juravi patribus vestris: parvulos autem vestros introducam in terram, quæ vobis displicuit. Senior ille populus, Fratres carissimi, qui propter incredulitatem in deserto mortuus est *&c.*

59. B. *Theodericensis codex:* peccator homo *recurrat* ad pænitentiam.

Ibid. C. *Idem MS.* qui *ad reversionem nostram*, suam *desiderat* mutare sententiam. *Et paulò post:* Noli * *tardare* converti ad Dominum, nec *differas* de die in diem.

Ibid. D. *Post verba*, proficit ad nostram salutem; *Theodericensis MS. hæc addit:* Qui tamen sint isti duo, qui Judæorum populum ad terram repromissionis invitant, vel quid spiritaliter significent, diligenter attendite. Duo isti vetus & novum Testamentum significant. Istis enim duobus ducibus, id est novo & veteri Testamento ad terram veræ repromissionis, id est, æternam beatitudinem pervenitur. De istis duobus Testamentis legimus, In medio duorum animalium cognosceris. Vetus namque & novum Testamentum, etsi aliquibus locis in littera discrepant, tamen in veritate concordant, & diverso genere duo unum loquuntur. Sed & aliter duo isti intelligi possunt. Duobus ducibus enim ad terram repromissionis adscenditur: quia ad Christum historiâ & allegoriâ, fide & operibus, caritate Dei & caritate proximi pervenitur. *Et mox pro sequitur:* Iterum atque iterum rogo vos *&c.*

107. *In Sermonem LX. observare juvat, ipsum, in Bibliotheca Patrum, exstare Tom editionis Coloniensis 3. Parisiensis 2. tametsi breviorem aliquantò & passim varium, ibique sicut & in Remigiano MS. Zenoni Veronensi tributum.*

138. E. *Codex Carthusiæ Portarum:* oleum * *cum* lampadibus.

Ibid. G. *Meliùs idem Cod. Port.* quando clamor factus est * *magnus*, significat.

Ibid. Idem cod. dictum est media * *nocte*; quia.

Ibid. In eodem cod. lampades * *suas*, ostenditur quòd & illæ fatuæ.

139. B. *Cod. Port.* qui etiamsi *totum demus*, nisi...... non possumus: *unde* humiliter, contrito *&c.*

Ibid. C. *Idem cod.* hoc *timore est* humiliter dictum.

Ibid. D. *Idem cod.* & * *quòd* in corpore virgines erant, & * *quòd* se vigiliis.

Ibid. F. *Idem cod.* invidiæ *vel* superbiæ morbum. *Sic duo ista nectere solet Cæsarius.*

140. A. *Idem cod.* contra seniorem * *superbos* exsistere.

Ibid. D. *Textus auctoritate codicis Portarum sic restituendus est:* Qui detrahit fratri, detrahit legi: & alibi, Qui detrahit fratri suo, eradicabitur. Et per hanc sanctam admonitionem à maliloquio deterrentes, ad laudandum Deum eos incipiunt provocare. Si verbosum vel contentiosum agnoverint, medicamentum taciturnitatis apponunt, dicentes illi, quod in veteri Testamento est scriptum, Audi Israël & tace: & illud quod de Domino Salvatore prophetatum est, Sicut agnus coram tondente se obmutescet: & sicut mutus non aperiens os suum. Et illud, Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Talibus enim & his similibus medicamentis, quidquid vasa diaboli studuerint vulnerare, vasa Christi contendunt & conantur ad sanitatem reducere. Sive ergo clericus, sive monachus, sive sanctimonialis, consideret conscientiam suam; & si bene loquendo adjutorem Christi & defensorem justitiæ se esse cognoscit *&c.*

Ibid. E. *Emenda ad eumdem codicem:* quod per superbiæ tyrannidem * *destruxerat; quod iracundia succenderat*, mitiget mansuetudo.

Ibid. F. *Idem cod.* nec illi qui mali * *fuerint*.

159. D. *Vetus liber Claromontani Collegii:* Esto * *justus* judex.

Ibid. F. *Duo MSS* de * *vera* justitia.

160. D. *Post verba:* nisi Christus Dominus noster? *adde cum duobus MSS.* * Nam quòd verum gaudium Christus sit, in Evangelio legimus. Sic enim Angeli ad pastores dixerunt: Ecce evangelizamus vobis gaudium magnum. Attendite, Fratres, & videte, quia verum gaudium non est, nisi Christus Dominus noster. *Et mox subsequatur.* Sic enim Angeli suo *&c.*

Ibid. F. *Item cum iisdem MSS. post* nemo tollet à vobis; *adde* * nisi meipsum Dominum nemo tollet à vobis?

161. B. *In censura Sermoni X C. præfixa adde, reperiri hunc ipsum Sermonem in Bibliotheca Patrum inter Eusebio Gallicano tributos ordine quintum, cum insigni tamen varietate, & eorum omissione quæ hic toto n. 6. continentur. Idem Sermo in Vindocinensi MS. eadem parte truncatus est, atque ibi Faustino adscriptus.*

173. E. *In Sermonis XCVIII. censura addendum est, alteram partem ejusdem Sermonis, ab istis verbis n. 4.* Hæc itaque unanimitas sub Apostolis *&c. acceptam esse ex Cypriani libro de unitate Ecclesiæ.*

197. A. *In censura Sermonis CVIII. adde conflatum esse hunc eumdem Sermonem ex Alcuini opere de virtutibus & vitiis cap. 23. & 4.*

200. B. *In Sermonem CX. observandum venit, partem ejus multò maximam, quæ scilicet à n. 2. ad finem usque comprehenditur, exhiberi in Eusebii Gallicani homilia 1. in Epiphaniam.*

298. B. *Unus MS.* credo * *vos* velut apes.

Ibid. Idem MS. medici *ferramenta:* sed sanos faciunt.

309. B. *Lege cum Vindocinensi MS.* sed * *mortibus confitentur.*

413. F. *Censura Sermonis CCLII. adde reperiri alteram ejus partem in Eusebii homilia in Epiphaniam tertia.*

414. G. *Apud Euseb.* & confixus clavis *legem* mortis *fixit.*

421. B. *In pluribus libris:* diuturna *ambustione* non finitur.

427. B. *MS.* quomodo *desideratur* amissum.

453. F. *Post*, si vos invicem diligatis; *adde ex MS. Coll. Clar.* * Et iterum, Hoc est mandatum meum, ut invicem diligatis.

454. C. *Meliùs idem MS.* Sed * *jam*, si jubetis.

457. D. *Idem MS.* Ecce *vera* & *integra caritate* paucos interfici jussit.

Ibid. MS. ut non disperderem *universum* populum meum.

Ibid. F. *MS.* idolorum *in* monte Carmelo.

458. F. *MS.* & qua fronte *infelix* dedignatur.

459. D. *Meliùs MS.* apostolica * *cui* Christiano *non* sufficit.

469. E. *In MS. loco*, omnes; *habetur*, toti. *Quod quidem sapit Cæsarium.*

470. A. *MS.* Unde iterum * *atque iterum* rogo.

486. C. *Sermo CCXCII. In veteri cod. Carcassonensis Ecclesiæ titulum hunc præfixum habet:* Homilia de castitate etiam cum uxoribus observanda, & de avorsibus mulierum, & qualiter adveniente die Dominico vel reliquis festivitatibus *&c.*

Ibid. F. *Idem MS.* quos occiderit esse * *dicturam.* *Et mox*, diabolicas * *potiones.*

Ibid. G. * *Textus sic restituendus ex eodem codice:* boni Christiani esse potuerant. Et qua conscientia sibi ab ancillis suis vult mancipia nasci, cùm ipsa nollet eos qui Christiani possent fieri, generare? Quotiens *&c.*

487. A. *MS.* Christi *accipere vultis.*

Ibid. B. *MS. Carcass.* quotiens * *eam* luxuriâ *victus agnoverit.*

Ibid. loco terram *substitue ex cod. cod.* * condaminam. *Quæ vox Occitanis agrum significat, quasi*, condominium, *à jure unius domini sic dicta. Usurpatur in Placito Attonis Arelatensis Archiepisc. ubi habes:* Et laxaverunt similiter Archiepiscopo Attoni affrontationem suæ condaminæ, quæ est juxta domum, cum juncaria, quantum prædicta condamina tenet. *Hinc etiam conficitur Sermonem hunc Cæsario meliùs quàm Augustino convenire.*

Ibid. Idem MS. continere * me nullatenus *possum.*

Ibid. D. *In eod. cod.* Et si hæc fideliter faciens videris: *& mox* vinceris, *pro*, vinci.

Ibid. E. *MS. qui suprà:* adscensurus erat *ad montem.*

Ibid. F. *Idem. cod* viri facere debent.

Ibid. post voces, parva sunt, *adde ex eod. MS.* * sed time quia plura sunt: *& mox post verba* pluviarum guttæ, *subjice*, * minutæ.

Ibid. G. *pro*, Cùm ergo: *MS. Carcasson. habet*, * Si ergo.

Ibid. In eod. cod. verbis, ad imaginem Dei, *additur*, * intus in anima.

488. B. *MS. Carcasson.* Eucharistiam *intus* in anima.

Ibid. Idem cod. Si * *tuam* imaginem *mortuam* sic zelaveris, *& mox* patiatur. *Et paulò post voci*, imago; *præfigitur*, * viva.

Ibid. C. *inter verba*, propter quod; *meliùs inseritur in eod. cod. vox* illud.

Ibid. Post vocem, sollemnitate; *adde cum MS.* * adveniente.

Ibid. E. *Idem MS verbo*, timore; *subnectit*, * vel tremore etiam.

Ibid. Idem cod. Sicut enim * *ego* reus ero.

Ibid. Emenda ex cod. MS. * vobis agere, *ubi* nobis agere. *Et paulò post* * de vestra.

Ibid. In eod. MS. Sermonis clausula est, Quod ipse præstare dignetur.

506. B *MS. Colleg. Clar. inter verba*, numquid illi; *addit partic.* * non.

Ibid. Idem MS. turba *miserorum.*

Ibid. F. *Meliùs in eod.* cod. luxuriæ * *infeliciter* deservire.

509. B. *Idem MS.* & qui cùm ipsi litteras.

510. B. *In eod. cod.* victuri; *pro*, victuri.

511. A. *Codex qui suprà:* alius quidem * *exhibet* ampliùs.

513. D. *MS.* * & alitur; *pro*, & alget.

514. A. & hæc liberabit te. *hic consentit MS. Clar. cum MS. Port.*

Ibid. D. *Meliùs MS. Clar. Coll.* dicit *etiam* beatus.

518. B. *Emenda ex MSS.* vendere *etiam* substantiam: *omisso verbo* jubet.

Ibid. G. *MS. Clar.* vel de sacello, *lege*, saccello.

520. E. *MS. Coll. Clar. habet, ut Colb.* colorare vitam: sed *post verba*, criminibus abstinere, *addit*, * vitam colorare, est minuta peccata, sine quibus esse non possumus, eleemosynâ quotidianâ redimere. *quæ verba desiderantur in aliis MSS.*

521. A. *Idem MS. pro*, sed iterum, *&c. habet*, & iterum ad eadem crimina revertuntur: quomodo *&c.*

Ibid. B. *post verbum*, desinat; *additur in eod. cod. particula*, &.

Ibid. C. *Post verba*, offeramus animam nostram; *additur. in eod. MS. à secunda manu, sed antiquâ*, ut ubi est thesaurus noster, ibi esse possit & cor nostrum. Quare enim Deus à nobis pecuniam quærit? Ideo utique, quia scit quòd illam satis diligimus, & de ipsa jugiter cogitamus, & ubi est pecunia nostra. *Quæ verba nec superflua videntur, nec à Cæsario aliena.*

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, grand Conſeil, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé le Superieur general de la Congregation de ſaint Maur, Ordre de ſaint Benoiſt, nous a fait tres-humblement remonſtrer que ſaint Auguſtin eſtant conſideré depuis plus de douze ſiecles entre les Peres de l'Egliſe comme le ſoleil entre les planetes, & ſa doctrine ſuivie tant par les Conciles, que par ceux qui ont depuis écrit, ſoit pour combattre les hereſies, reſtablir la diſcipline eccleſiaſtique, ou pour conſerver la pureté des mœurs, pluſieurs grands perſonnages ont porté leurs ſoins pour purger les œuvres de ce ſaint Docteur des fautes que la negligence de ceux qui les ont tranſcrites ou imprimées, y ont fait gliſſer, & entre tous, les Religieux Benedictins ont eſté les plus attachez à en faire exactement les corrections, parce qu'il n'y a point de Monaſtere de leur Ordre où il ne ſe trouve des ouvrages de ce Saint, ſi ce n'eſt en ceux qui ont eſté entierement pillez & ruïnez. Ce qui a ſervy de motif..... aux Superieurs & Religieux de ladite Congregation de ſaint Maur pour entreprendre une nouvelle edition des œuvres de ſaint Auguſtin..... De ſorte que ladite correction eſtant beaucoup avancée, leſdits Religieux ſe ſont enfin reſolus de la continuer pour le bien de l'Egliſe & l'honneur de la France. Mais craignant que d'autres n'entreprennent de reimprimer leſdites œuvres de ſaint Auguſtin ſur les anciennes copies, comme ils en ſont menacez, ce qui rendroit aprés de grands frais leurs peines inutiles: dautant qu'encore que l'edition pretenduë faite ſur leſdits manuſcrits doive eſtre la plus ample & la plus parfaite qui aye paru juſques à preſent, neanmoins on pourroit rechercher celle qui ſe debiteroit à meilleur compte; ledit Superieur nous auroit tres-humblement ſupplié luy vouloir accorder nos lettres de privilege à ce neceſſaires. A CES CAUSES, le deſirant favorablement traiter, Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes de faire imprimer par tout noſtre Royaume, pays, terres, & ſeigneuries de noſtre obeïſſance, en telle marge, tels caracteres & forme de volumes qu'il jugera à propos, leſdites œuvres de ſaint Auguſtin, par tels Imprimeurs ou Libraires qu'il aura choiſis, & ce durant le temps & eſpace de cinquante ans, à compter du jour qu'elles ſeront achevées d'imprimer pour la premiere fois en vertu des preſentes; faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que celles qu'il aura choiſies, de faire imprimer, vendre & debiter en aucun endroit de ce Royaume leſdites œuvres, ſous quelque pretexte que ce ſoit, d'en apporter ou garder aucun exemplaire de ceux qui pourroient avoir eſté contrefaits aux pays eſtrangers, & meſme de reimprimer leſdites œuvres ſur les anciennes copies, nonobſtant le reglement du 27. Février 1665. à ce contraire, auquel nous avons derogé pour ce regard; Et ce à peine de dix mil livres d'amende payable ſans deport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à l'Hoſtel Dieu de noſtre bonne ville de Paris, un tiers audit expoſant, & un tiers au denonciateur, confiſcation des exemplaires, de tous deſpens, dommages & intereſts, meſmes aux peines portées par l'Arreſt du Parlement du 16. Fevrier 1671. donné ſur les concluſions de noſtre Procureur General, & publié en la chambre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs; à condition auſſi qu'il en ſera mis deux exemplaires en noſtre Bibliotheque publique avant qu'en expoſer aucuns en vente, à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles Nous vous mandons que vous faſſiez jouyr pleinement & paiſiblement ledit Superieur General expoſant, & tous ceux qui auront droit de luy, ſans permettre qu'il leur ſoit fait aucun trouble ny empeſchement. Voulons qu'en mettant au commencemenr ou à la fin deſdites œuvres copie ou extrait des preſentes, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy ſoit ajoutée aux copies d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires comme à l'original. Mandons au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'execution des preſentes tous actes neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion. Car tel eſt noſtre plaiſir. Nonnobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, & ſans prejudice d'icelles, dont, ſi aucunes interviennent, Nous nous reſervons la connoiſſance & à noſtre Conſeil, l'interdiſant à toutes nos Cours & Juges, nonobſtant auſſi clameur de Haro, chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à ſaint Germain en Laye le vingt-deuxiéme jour de Fevrier l'an de grace mil ſix cens ſoixante-douze, & de noſtre regne le vingt-neuviéme. *Signé* Par le Roy en ſon Conſeil, BERAUD. Et ſcellé du grand ſeau de cire jaune.

Et ledit Superieur General de la Congregation de ſaint Maur de l'Ordre de ſaint Benoiſt a cedé & tranſporté au ſieur François Muguet Marchand Libraire Imprimeur ordinaire du Roy & de M. l'Archeveſque de Paris le preſent Privilege, pour en jouir, ou faire jouir pendant le temps porté par iceluy, ſuivant les conditions & accord faits avec luy ce ſixiéme de Mars mil ſix cens ſoixante dix-ſept.

Signé F. VINCENT MARSOLLE.

Regiſtré ſur le livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le treize Mars mil ſix cens ſoixante dix-ſept, ſuivant l'Arreſt du Parlement des 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Février 1665.

Extrait des Regiſtres du Conſeil d'Eſtat.

SUR la requeſte preſentée au Roy eſtant en ſon Conſeil par François Muguet ſon Libraire & Imprimeur ordinaire, contenant que par Lettres patentes données à ſaint Germain le vingt-deuxiéme jour de Fevrier mil ſix cens ſoixante-douze, ſur ce qu'il auroit eſté expoſé à ſa Majeſté que les Religieux Benedictins de la Congregation de ſaint Maur auroient pris un tres-grand ſoin de corriger les Ouvrages de ſaint Auguſtin ſur plus de douze cens anciens Manuſcrits, & qu'ils deſireroient en donner au public une nouvelle Edition bien correcte, s'il plaiſoit à ſa Majeſté de leur accorder ſes Lettres de Privilege à ce neceſſaires, Elle auroit permis au Pere General de ladite Congregation de faire imprimer leſdites Oeuvres de ſaint Auguſtin par tels Imprimeurs & Libraires qu'il luy plairoit choiſir, avec défenſes à tous autres de les reimprimer ſur les anciennes copies, nonobſtant le Reglement du vingt-ſeptiéme Fevrier mil ſix cens ſoixante-cinq à ce contraire, auquel ſa Majeſté a dérogé pour ce regard. Et depuis ledit General ayant cedé ledit Privilege audit Muguet pour en joüir ſuivant ſa forme & teneur pendant le temps porté par iceluy; comme l'entrepriſe eſt d'une grande dépenſe, ſa Majeſté par ſes Lettres patentes données au Camp devant Cambray le vingt-deuxiéme jour de Mars mil ſix cens ſoixante-dix-ſept, y ayant égard, & pour luy donner le moyen de fournir plus facilement à cette dépenſe, l'auroit gratifié de la continuation des Privileges à luy cy-devant accordez ou cedez pour l'impreſſion de pluſieurs Livres mentionnez dans leſdites Lettres patentes dudit jour vingt-deuxiéme Mars mil ſix cens ſoixante-dix-ſept, pour en joüir par ledit Muguet, ſes hoirs, & ayans cauſe, pendant le temps & eſpace de cinquante années, à compter du jour que chacun deſdits Privileges qui luy ont eſté accordez ou cedez ſeront expirez, avec défenſes à tous autres de les reimprimer ſur les anciennes copies, nonobſtant ledit Reglement du vingt-ſeptiéme jour de Fevrier mil ſix cens ſoixante-cinq, auquel ſa Majeſté a pareillement dérogé pour ce regard. Au prejudice deſquelles Lettres, Privileges & dérogatoires dudit Reglement, les Imprimeurs de Lyon ont fait aſſigner ledit Muguet au Conſeil de ſa Majeſté pour voir caſſer leſdits Privileges comme contraires audit Reglement, voulant par là le fruſtrer des graces que ſa Majeſté luy a faites en conſideration des bons Livres qui ſont partis de ſon Imprimerie & de la particuliere application qu'il donne aux choſes qui ſont de ſa profeſſion, & pour luy donner, comme dit eſt, le moyen de fournir plus facilement à la grande dépenſe qu'il luy convient de faire pour l'impreſſion deſdits Ouvrages de ſaint Auguſtin. A CES CAUSES, requeroit qu'il pleut à ſa Majeſté faire défenſes auſdits Imprimeurs de Lyon & à tous autres de le troubler dans la joüiſſance des graces qu'il a pleu à ſa Majeſté de luy faire, & en conſequence leur prohiber la reimpreſſion ſur les anciennes copies deſdits Ouvrages de S. Auguſtin, & des autres mentionnez audit Privilege de continuation, ſur telle peine qu'il plairoit à ſa Majeſté ordonner. Veu ladite Requeſte ſignée du Suppliant, & tout conſideré. LE ROY ESTANT EN SON CONSEIL, a ordonné & ordonne que leſdites Lettres patentes des vingt-deuxiéme Fevrier mil ſix cens ſoixante-douze, & vingt-deuxiéme Mars mil ſix cens ſoixante-dix-ſept ſortiront leur plein & entier effet. Fait ſa Majeſté défenſes auſdits Imprimeurs de Lyon & à tous autres d'y troubler ledit Muguet, à peine de dix mille livres d'amende, & de tous dépens, dommages & intereſts. Et ſera le preſent Arreſt executé nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, dont ſi aucunes interviennent, ſa Majeſté s'eſt reſervé la connoiſſance & à ſon Conſeil, & icelle défenduë à toutes ſes Cours & Iuges. Fait au Conſeil d'Eſtat du Roy, ſa Majeſté y eſtant, tenu à Verſailles le vingt-uniéme jour du mois de Novembre mil ſix cens ſoixante-dix-huit. Signé, COLBERT. *Et ſcellé.*

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le douziéme Decembre mil ſix cens ſoixante-dix-huit. Signé, COUTEROT, Syndic.

211

SANCTI AUGUSTINI OPERA

TOM. V.

calibrite
colorchecker CLASSIC
mm